




ACTA

SANCTORUM

PARISIIS. — EX TYPIS V. GOUPY, VIA GARANCIÈRE, 5



H. F. Diamaer sculp. Ant.

P. DANIEL PAPEBROCHIUS S. I.

OBIIT AN. MDCCXIV. ÆT. LXXXVII. XXVIII IUNII.

Acta tomis ter sex medio Papebrochius ævo
Edidit; ACTA VIRUM *nulla, vel ista* PROBANT.


APRILIS
ACTA SANCTORUM
IUNII
ex Latinis & Græcis aliarumque gentium antiquis monumentis
Seruata primigeniâ Scriptorum phrasi
COLLECTA DIGESTA
Commentariis & Observationibus illustrata
A CONRADO IANNINGO
IOANNE BAPT. SOLLERIO
E SOCIETATE IESU PRESBYTERIS THEOLOGIS
TOMUS VII
sanctos a die XXV usque ad finem mensis complexus
Cum Tractatu Præliminari, qui continet Chronologiam
Patriarcharum Alexandrinorum, similiter illustratam.
EDITIO NOVISSIMA
curante
IOANNE CARNANDET

ACTA
SANCTORUM

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur

EX LATINIS ET GRÆCIS, ALIARUMQUE GENTIUM ANTIQUIS MONUMENTIS

COLLECTA, DIGESTA, ILLUSTRATA A

GODEFRIDO HENSCHENIO, DANIELE PAPEBROCHIO

FRANCISCO BAERTIO, CONRADO IANNINGO

ET JOANNE BAPT. SOLLERIO

E SOCIETATE JESU

EDITIO NOVISSIMA, CURANTE JOANNE CARNANDET

JUNII TOMUS SEPTIMUS

SANCTOS A DIE XXV USQUE AD FINEM MENSIS COMPLEXUS CUM TRACTATU PRAELIMINARI QUI CONTINET

CHRONOLOGIAM PATRIARCHARUM ALEXANDRINORUM

SIMILITER ILLUSTRATAM



PARISIIS ET ROMÆ

APUD VICTOREM PALME, BIBLIOPOLAM

1867



WILHELMINÆ

AMALIÆ

ROMANORUM IMPERATRICI

SEMPER AUGUSTÆ,

AUSTRIACO-BRUNSWICENSI,

MAGNANIMÆ, PIÆ, FELICI.

Temporis non multum fluxit, ex quo Cæsareum accedere ad thronum nobis licuit, Augustissimoque Imperatori nostro porrigere tomum de Actis Sanctorum Junii quintum. Proximum illi thronum insidet Majestas Tua, Augustissima Imperatrix: quamobrem et proximus, qui nunc prodit in publicum tomus, ad illum properat, seque sistere Majestati Tuæ gestit, conferens Sanctos, nominatim expressos, atque opera nostra illustratos, plusquam trecentos, omnes corona gloriæ sempiternæ redimitos in cœlis et quorum nonnulli, e Regum prosapia geniti, portarunt etiam coronas in terris, quique Germaniam Tuam ditionesque Austriacas, aut origine generis sui, aut depositione corporis, aut vitæ totius cursu illustriorem fecerunt. Ex horum numero sunt, quæ e generosis Germaniæ populis, superato Rheno in Gallias transgressis, ibique Principatum consecutis, prognatæ fuerunt, Sancta Theodechildis Virgo, Clodovæi, Christianorum Franciæ Regum primi, filia; ejusque neptis, pariter Theodechildis dicta, Regiis thalamis plus vice simplici dignata, ex Theodorico Austrasiæ progenia Rege; nec tantum patrem et maritos, sed et fratrem, et avos, et proavos nacta Reges. Ex adverso, venerunt in Germaniam ex Anglia duæ illustres Sanctæ, et ipsæ Regii stemmatis, altera Regis filia et vidua, altera neptis et virgo: illa Judith, hæc Salome, appellatæ; quæ in Terram sanctam peregrinatæ, atque

atque ibi sacris Christi Domini vestigiis calcata loca, ab eoque relicta salutis humanæ monumenta veneratæ, ex reditu substiterunt prope Danubium in Bavaria, illamque sanctis reliquæ vitæ suæ exercitationibus et splendore virtutum ac miraculorum condecorarunt. Accedit beata Hemma, in Germania et nata, et educata, et mortua; quam Vitæ Scriptores testantur, recentior quidem, *in celeberrimo ac hodie Serenissimæ Domui Austriacæ gentilitio Archiducatu Carinthiæ, origine sanguinis e Principum ac Regum prosapia* procreatam; vetustior vero, *Serenissimi et sancti Regis* atque Imperatoris *Henrici, consanguineam fuisse*. Quid S. Erendrudis? E finibus Germaniæ circa tractum Rheni ad interiora ejus translata, præfuit Salisburgi monasterio Sanctimonialium, a S. Ruperto, qui istic loci Episcopus et Apostolus fuit, fundato; quique laudatur in Vita a nobis edita, tamquam *ex Regali prosapia Francorum nobili ortus :* quod utique et consanguineæ ejus competit. Atque hæ quidem omnes, sed et aliæ illustres sexus Tui ac Regiæ Stirpis Sanctæ, Augustissima Imperatrix, immortalia Germaniæ decora, repræsentantur Majestati Tuæ hocce in tomo : earumque numerum coronat Hungariæ Tuæ Sanctissimus Rex Ladislaus, victoriis pluribus, etiam divinitus manifeste reportatis, clarissimus; ac Waradini, in finibus Hungariæ atque Transilvaniæ, quod Magnum passim cognominatur, et non ita pridem felicibus immortalis memoriæ Augustissimi et Gloriosissimi Leopoldi Imperatoris, Soceri Tui, auspiciis, e servitute Othomannica in libertatem Christianam vindicatum fuit; ubi et gloriosum monumentum sancto corpori suo obtinuit Ladislaus, et miraculis post mortem innumeris coruscavit. Cui autem hæc regia Sanctorum Germaniæ atque Hungariæ decora offerri potius conveniat, quam Serenissimæ Germanorum Hungarorumque Reginæ, Augustissimæ Romanorum Imperatrici? Illi præsertim, quæ eorumdem Sanctorum regios simul et sanctos mores non tantum æmulata semper est ipsa in se, sed in prolem quoque suam, adhuc innocentem, dulcissimas filias, a teneris unguiculis transfundit. Illæ enim, quod a matre traxerunt, jam nunc incipiunt manifestare desiderium suum noscendi et colendi Sanctos, quorum a sacro fonte nomina sortitæ fuerunt, æmulæ pietatis maternæ atque avitæ. Id enim nuper intellexi ex epistola Viri Religiosi, qui tenellarum Archiducum ingenia, ad litteras et virtutem proclivia, moderatur; dum ex illarum voluntate postulabat a me instrui de Sanctarum aliquot, illic minus notarum, rebus præclare gestis in exemplum Alumnarum. Felix Mater et dupliciter felix! quæ in stirpe felici Austriaca nuper, volente Deo, inserta, in se et in prole sua feliciter propagat antiquæ pariter ac recentis Austriacæ Arboris ramos, eosque decorat fructibus honoris ac honestatis. Uberiores

istius-

istiusmodi fructus, quam desiderare potest tenella parvularum ætas, leget in hoc tomo, Majestas Vestra, habebitque delectum. Resplendet quippe, in altera Theodechilde, cum castimoniæ laude, magnanimitas regia, in propaganda Religione Christiana; in altera, conjugalis amor et felicitas, omni selectarum virtutum genere divinitus cumulata. In Salome et Juditha, excelsus in divinis obsequiis animus, nec labore fractus, nec adversis debilitatus. In Erendrude, exemplum bonorum operum, subditis æque ac domesticis salutare. In Hemma, multimodis a Deo exercita, constantia, plusquam virilis, in orbitate, dum filios sibi duos, morte nec opinata ereptos conspicata, desiderium illorum non solum tulit moderate, verum inde majori quoque in Deum exarsit amore. De sancto Rege Ladislao gratulari præcipue velim Augustissimo Imperatori, inter tot terrena sceptra, dignissimo ejus etiam in regno Hungariæ, ac Transilvania successori felicitatisque heredi : qui fortassis et oculo dignabitur ejusdem gesta, dilucide hoc tomo explicata, exemplo Pientissim juxta atque Augustissimi Parentis, qui curas diurnas nocturna Actorum hujuscemodi nostrorum lectione consuevit levare, atque ad exempla, quæ legebat, Sanctorum formare sese : tum vero etiam se cœlo eosdem advocabat Sanctos in adjutorium sibi contra hostes suos. Quo et factum est, ut nihilo pauciora suo tempore, quam olim S. Ladislaus, imo etiam plura, Deo adjuvante, vicerit prælia, expugnaverit civitates, subegerit regiones. Orabat nempe Cæsar, et orante ipso, quod olim Moysi accidit, Duces ejus reportabant victorias. Redeo ad Reginas, parelia Tua, Augustissima Imperatrix; quarum oplendor virtutum, eo clarius in Majestate Tua micat, latiusque per urbem diffunditur, quo sublimiori resides throno. Omnes illæ videri possunt insculptæ in Columna Tua coronata, supereminente Crucis salutiferæ signo, quibus pro symbolo uteris cum hoc adscripto lemmate; *Recte et Constanter*. Rectitudo quippe operum Tuorum respicit, ceu Columna, cœlum; Constantia vero in operando, opera ipsa quotidiana coronat, et quidem, per virtutem Crucis, corona gloriæ æternæ. Vis commemorem singula, quæ recte operaris? Non ausim equidem; ne videar ad gratiam loqui, aut modestiæ Tuæ molestus sim. Audebit autem absque ejusmodi metu, pridem vita functus, Venantius Fortunatus, Pictavensis Episcopus; qui, dum annis abhinc plusquam mille et centum, poematibus suis Reginam laudavit Theodechildem prædictam, si justa trutina appendantur ejus encomia; Tua procul prospexisse, et in Theodechilde celebranda sumpsisse gesta, videri potest : ita conveniunt omnia inter se laudum præconia. Audi igitur, non me, sed sacrum Poetam illum, eumdemque Episcopum, sanctitate vitæ et eruditione etiam sacra eximium, suis modulis, præter paucula verba, sic canentem :

Inclita

Inclita progenies, Regali stirpe coruscans!
Cui celsum a proavis nomen origo dedit.
Currit in orbe volans, generis nova gloria vestri,
Electorali patruus axe micans.
Sed quamvis niteat generosa propago parentum,
Moribus ex vestris multiplicatur honor.
Cernimus in Vobis, quidquid laudatur in illis:
Ornasti antiquum, Amalaberga*, *genus.*
Mens veneranda, decens, solers, pia, cara, benigna:
Cum sis prole potens, gratia major adest.
Evitans odii causas micat ampla potestas;
Qua terrore minus, plus in amore venis.
Mitis ab ore sonus, suavissima dicta resultant,
Verbaque colloquii sunt quasi mella favi.
Femineum sexum quantum præcedis honore,
Tantum alias superas et pietatis ope.
Si novus adveniat, recipis sic mente benigna,
Acsi servitiis jam placuisset avis.
Pauperibus fessis tua dextera seminat escas,
Ut segetes fructu fertiliore metas.
Unde foves inopes, semper satiata manebis;
Et quem sumit egens, fit tuus ille cibus.
Pervenit ad Christum, quidquid largiris egeno;
Et si nemo videt, non peritura manent.
Stat sine fraude tuum, quod mittis ad astra, talentum:
Quas bene dispergis, has tibi condis, opes.
Quæ Domino vivis, summos non perdis honores:
Regna tenes terris, regna tenendo polis.
Sit modo longa salus, pro munere plebis, in orbe;
Felix! quæ meritis luce perennis eris.

Quæ tam dudum cecinit Poeta ille, nunc in Majestate Tua videmus completa; cum eoque nos, ac toto Sanctorum Museo nostro, voventes accinimus:

Sit modo longa salus, pro munere plebis, in orbe;
Felix! quæ meritis luce perennis eris.

Atque ego imprimis, minima Musei pars, sed ardentibus votis nulli cedens;

AUGUSTISSIMÆ MAJESTATIS TUÆ

Devotissimus Cliens
CONRADUS JANNINGUS
Societatis Jesu

SYNOPSIS

SYNOPSIS ACTORUM

TOMI VII JUNII

Tomus hic vicesimus septimus de Actis Sanctorum primi Semestris, et septimus Junii, complectitur sex ultimos dies, in iisque Sanctos, nomine proprio aut numero definito notos, plusquam trecentos : quorum qui virilis sunt sexus, secundum triplicem Statum, *Ecclesiasticum, Monasticum* et *Secularem*, hic distribuuntur in tres Classes : Feminæ vero, cujuscumque sint Status, quartam Classem constituunt, ordine regionum.

IN STATU ECCLESIASTICO.

Primum locum, antiquitatis et dignitatis titulo, tenent Principes Apostolorum *Petrus* et *Paulus ;* de quorum Actis, Ecclesiis, Monumentis, agitur a pag. 362 ad 436. Ex horum Discipulis occurrunt, *Sosipater* et *Jason*, cognati S. Pauli ; nec non *Sopater Berœensis et Mnason Cyprius ;* item *Crescens*, Galatiæ Apostolus, dubium an etiam Galliæ ; accedit *Maria, Matrona Hierosolymitana*, Mater Joannis Marci, et S. Barnabæ Matertera. Præcipuus omnium *S. Marcus Evangelista*, relatus quidem fuit mense Aprili ; sed hic, quoad initium ac finem sui in Ægypto Apostolatus, resumendus, tamquam caput *Patriarcharum Alexandrinorum*, quorum Historia Chronologica, usque ad præsens seculum XVIII deducta, præmittitur huic Tomo, cum Appendice *de initiis, erroribus et institutis Copto-Jacobiticis*, atque ex occasione etiam de *Habessinis Æthiopibus*, eorumdem errori schismatique implicatis.

Apostolicis temporibus propiores, succedunt, *S. Martialis Lemovicensium Apostolus*, cujus occasione agitur *de initiis prædicatæ in Galliis fidei*, per duos eruditos Commentarios, unum *Joannis Cordesii*, Canonici Lemovicensis, ea referentis ad tempora Decii ; alterum *Petri de Marca*, Archiepiscopi Tolosani : quibus subnectuntur copiosa Analecta, de Ecclesiis, Reliquiis et Miraculis ipsius *S. Martialis*, a pag. 491 ad 525. Illuc etiam spectat *S. Irenæus, Episcopus Lugdunensis et Martyr :* inter cujus ecclesiam alteramque S. Justi mota de corpore controversia, exponitur a pag. 303 ad 346. Denique *S. Syrus Genuensis Ep.* priscis illis accedit.

Alii Episcopi, per Italiam quidem, Pontifices Romani duo, *Leo II et Paulus I*, ambo ex Anastasio Bibliothecario ; posterior etiam ex Epistolis propriis illustratus. Tum *Maximus Taurinensis ;* cujus tamen Acta, S. Petro Damiano indigna, refelluntur ; æque ac *Prosperi Episc.* apud Regium-Lepidi in Æmilia, perperam confusi cum Prospero Regiensi, Scriptore Gallo : datur autem Historia translatorum corporum, tum ipsius *S. Prosperi*, tum *S. Venerii Eremitæ*, multis ventilata, a pag. 47 ad 63.

Sunt et alii hoc tomo Episcopi Itali ; *Vigilius Tridentinus*, cum Vita valde antiqua. *Cassius Narniensis*, cujus Lucam ablati partem Narnienses tandem receperunt. *Deodatus Nolanus*, cujus decessores ac successores proximi, ex suis Epitaphiis cognoscendi dantur. *Leolinus et Hilarius Patavini ; Ferdinandus Aragonius, Ep. Calatinus ;* et Aquis-Statiliis, *Majorinus*.

Ex Clero denique inferiori, habentur, *Crispus Presb.* et *Crispinianus Clericus*, Romæ sub Juliano Apostata ; et Mediolani *Liprandus Presbyter* contra Archiepiscopum Simoniacum ignis judicium innoxie expertus : qua etiam in causa ibidem martyrium insigne pertulit *Arialdus Diaconus*, Actis a B. Andrea Vallumbrosano descriptis, una cum Actis *Herlembaldi*, ejusdem Ecclesiæ Capitanei, post illum interfecti, simulque honorati. In diœcesi Vicentina *Theobaldus Presb. Erem.* natione Gallus, diversus a Camaldulensi Theobaldo, cujus Vicentiæ corpus habetur. Dantur primi Vita et Miracula, tum Vicentiæ, tum in Gallia, tum Mercuriæ in Belgio patrata.

Extra Italiam habentur Episcopi, *Marcianus Pampelonensis*, in Hispania ; *Henricus Olomucensis* Ord. Præmonstrat. in Moravia. In Gallia, *Æmilianus Namnetensis*, a Saracenis Augustodunum obsidentibus, dum ei succurrere nititur, cæsus. *Salvius* incertæ Sedis, apud Valencenas in Belgio. *Dicentius Santonensis*, in Gallia ; *Antidius Vesontionensis*, in Burgundia ; de cujus Translatione certiora quam de Actis referuntur ; et *Anthelmus*, ex majoris Carthusiæ Priore, *Ep. Bellicensis*, cum Vita a coævo scripta et corporis elevavi Historia. Nec tacendi, *Joannes Episc. Gothiæ*, juxta Mœotim paludem ; cujus occasione de Portis Caspiis, deque Chazariis et eorum Chaganis agitur ; et *Dionysius, Bulgariæ Archiepiscopus*, apud Kioviam in Russia defunctus.

Inferiori in gradu extra Italiam claruerunt, *Adalbertus Diaconus*, Egmundæ in Hollandia ; cujus Acta et miracula Monachi Mediolacenses et Egmundani scripsere. *Oldinus Presb. Martyr*, Hugardiæ in Brabantia ; *Heimeradus Presb. Eremita* in Hassia, cujus Vitam damus, scriptam ab Ekberto Monacho Hertsfeldensi.

EX STATU MONASTICO.

Apud Græcos celebrantur, *David* et *Lucas Anachoretæ*. Apud Latinos, ante S. Benedictum, *Maxentius Abbas*, Fund. insignis monasterii in agro Pctaviensi. *Benedictini* vero, *Babolenus Ab. Fossatensis* in eadem Gallia, et *Bapolenus Stabulensis* atque *Malmundariensis*, in territorio Leodiensi. *Cisterciensem* Ordinem exornavit *Arnulfus, Conversus Villariensis* in Brabantia, cujus admirabilem pœnitentiam actaque duobus libris dedit, ei familiaris Goswinus Cantor Villarien. In regno autem Neapolitano, *Montem Virgilii*, nunc *Virginis* dictum, et ampla in tabula cum circumjectis locis hic expressum, incolere cœpit, Ordinemque eremiticum fundavit, *Guilielmus*, cujus Vitam dedit ejus discipulus Joannes de Nusco : fuit autem is Ordo utriusque sexus ; nunc viri supersunt, sub Regula Cisterciensi.

Carthusiani, præter *S. Anthelmum* jam indicatum, habent hoc mense *Joannem Hispanum*, fundatorem Repausatorii in Sabaudia. *Dominicani*, Neapoli *Guidum Marramaldum* : *Franciscani, Benvenutum*,

Corneti in Calabria; *Angelinam Clarissam*, Spoleti in Umbria. Præ ceteris autem hoc mense, quem terminat, notabilem habent. sui Ordinis Tertiarium, *B. Raymundum Lullum, Doctorem Illuminatum*, a Saracenis lapidatum in Africa, Universitatis ab eo nuncupatæ Patronum, in Majori Balearium insula tumulatum, a pag. 581 ad 676, cujus triplicem Vitam, unam, dum adhuc in vivis agebat, a coævo scriptam, et nunc primum ex pervetusta membrana editam; secundam, a Carolo de Bovello compositam, a Benedicto Gonono eruderatam; tertiam, a Nicolao de Pax Patricio Majoricensi impressam. Præcedit amplus valde Commentarius, ad explanationem dubiorum inde subnascentium, et probationem constantis ob omni memoria cultus. Sequuntur copiosa Miracula, ex Processibus pro Canonizatione formatis; ac denique doctrinæ admirabilis commendatio et approbatio; cum grandi Catalogo scriptorum ejus in omni fere materia; atque vindiciæ contra calumnias illorum, qui solenni judicio convicti fuerunt supposuisse Gregorio IX Bullam condemnatoriam librorum Lulli.

Solitariam quoque vitam, nulli Ordini obstrictam, ut simplices Eremitæ, duxerunt, præter Presbyteros supra nominatos, *Venerius*, apud Regium Lepidi; et *Henricus*, prope Veronam, in Italia; *Amandus* cum Sociis, apud Petragoricos in Gallia; et *Wambertus* in Normannia; miraculis clari omnes.

AD STATUM SECULAREM.

Fere spectant plerique, sub Gentilibus Imperatoribus Martyres: quos inter clarissimi, *Joannes et Paulus* sub Juliano Apostata, famuli Constantiæ Virginis; et qui eos morti addixerat *Terentianus Campiductor* cum filio, ad eorum corpora dæmoniis liberato: nec non *Gallicanus, Exconsul Romanus*, per ipsos conversus, et apud Ostiam pauperum factus Hospes, indeque pulsus, Martyr in Ægypto. *Aucæas Rex* Barbarus, cum famula sua Luceia, Romæ mortem passus pro Christo. *Marcellus* etiam puer Romanus, cum *Anastasio* missus in Gallias a Xisto Papa, et Argentonii, ob fidem prædicatam, necatus cum eodem.

Accedit *Ladislaus, Rex Hungariæ*, cujus Acta habentur. *Petrus* et *Febronia*, conjuges, Principes Rutheni, in condito a se monasterio, *David* et *Euphrosyna* dicti. *Sampson*, ex fundato a se Constantinopoli Xenodochio appellationem nactus: cujus Acta Græco-latina dedimus, ut ea Simeon Metaphrastes jam octogenarius scripsit, ex certiore et propiore, quam alias quasdam Vitas, notitia. Tum *Sergius Magister*, ab Officio militari nuncupatus, conditor monasterii Nicetiatæ ad sinum Nicomediensem. *Pappius* seu *Pappianus*, apud Mylas in Sicilia. *Herlembaldus Miles*, Defensor Ecclesiæ Mediolani, de quo supra. *Petrus Confessor*, Astæ in Lombardia. *Bazolus Aquitaniæ Dux*, a Clodovæo captus, et cum suis bonis omnibus traditus filiæ ejus S. Theodechildi, apud quam ut Sanctus suum habet Epitaphium.

In Hispania, sub Saracenis Mauris, habentur Cordubæ celeberrimi duo, *Pelagius* ac *Zoilus*, nullis blanditiis flexibiles, ut impuro Regi obsequerentur. Prioris Martyrium Raguel Presbyter scripsit, prosa; versu autem Roswitha Poetria in Germania; cujus et Officium ex Mosarabicis Ritualibus datum: *Zoili* translatio memorabili quoque historia explicatur. *Paulus Medicus*, ex Græcorum Synaxariis innotescit; et Utriculi in Umbria colitur *Medicus Martyr*, post corporis memorabilem inventionem clarificatus.

EX FEMINEO SEXU.

Romana nobilitas, inter Christianas Matronas, a cura, Sanctorum Martyrum corporibus impensa, celebrat *Lucinam*, et *Æmilianam*, sub quarum nominibus antiquitus etiam Tituli duo habebantur in Urbe. Apud Regium Lepidi, *Jucunda* Virgo. In Hispania Tarraconensi memoratur *Eurosia, Virgo martyr*, sed narrantur de ea incerta multa, sicut et de *Tygride* apud Mauriennam. Hic etiam titulo virginitatis et constantiæ in tenenda fide, celebres habentur, advectæ ex Hispania, *Pecinna*, alias *Perseveranda, Macrina* et *Columba*, Sorores.

Clara quoque est Clodovæi, primi Francorum Regis Christiani, filia *Theodechildis*, fundatrix monasterii S. Petri Vivi apud Senones, ubi et præmemoratum Ducem Bazolum servavit, et simile Epitaphium habet, quod utrumque æri incisum damus: ipsam autem docemus distinguendam a nepte sua, *Theodechilde juniore*; quam virtutibus amitæ parem, Fortunatus proprio poemate laudat, ut avo, patruo, fratre, ac marito Regibus nobilem; Metisque, patris sui in regia, sepultam. Simili fere generis præstantia commendabilis S. Rictrudis, Marchianis in Belgio dedit hoc mense colendam, filiam suam *Clotsendem*, Abbatissam ibidem. Orpii in Brabantia Sanctimonialis obiit *Adilia Virgo*, stirpis Francicæ soboles.

In Germania prope Salisburgum obiit *Erendrudis* S. Ruperti Episcopi soror, fundati ab eo Nonbergensis parthenonis Abbatissa; cujus miracula dantur, qualia, post restauratum a S. Henrico Imperatore Monasterium, scribere cœpit Cæsarius, ibidem Capellanus.

In Carinthia vero monasterium Gurcense, Virginibus a se collectis, fundavit *Hemma Comitissa*, marito ac filiis orba; pergitque ibi coli, propter frequentia miracula, etiam postquam Virginibus suffecti Canonici sunt: qui deinde Lateranensibus conjuncti, susceptam eorum regularitatem retinent, quamvis pro Abbate Episcopum habeant, serie ab inde usque nunc continuata: sub qua non cessantibus miraculis, serio acta est causa canonizationis, nec nisi turbatis in Germania rebus intermissa: interim selectiora miracula legentur.

Ex Anglia in Bavariam venit, matrimonium fugiens, regia Virgo *Salome*, summaque in paupertate, ignota et reclusa, prope Altaich vixit; donec a transeuntibus illac peregrinis Anglis agnita, nota facta est cognatæ suæ *Judith*, nobilissimæ viduæ, et hanc ejusdem vitæ sociam accepit: cum qua, ibidem mortua, colitur propter miracula, a Monacho Altaichiensi coævo scripta.

Atque hi sunt præcipui Sancti, quorum hoc tomo illustrantur Acta: quo autem die, quibusve paginis reperienda sint singula, docebit subjunctus Tractatui præliminari Index Alphabeticus eorumdum.

FACUL-

FACULTAS R. P. PROVINCIALIS

SOCIETATIS JESU FLANDROBELGICÆ

ET SUMMA PRIVILEGII CÆSAREI

Cum Edictis Philippi II Hispaniarum Regis, deinde Serenissimorum Archiducum Alberti et Isabellæ, Belgii Principum, rursumque Philippi III, ac novissime Caroli II, Regum, confirmatis die II *Decembris* MDCXCII *et* XIX *Junii* MDCXCIV; *Provincialibus Societatis Jesu, per Flandrobelgicam pro tempore futuris, potestas facta sit eligendi Typographos et Bibliopolas, qui, ad quorumcumque aliorum exclusionem, soli imprimere ac reimprimere possint libros et opera quælibet, rite approbata, curantibusque ejusdem Societatis Patribus edita aut porro edenda, sub consueto suæ Majestatis Privilegio, non aliter impetrando, quam in scriptis obtenta et præexhibita licentia prædicti Provincialis; idque sub gravibus pœnis, in contraventores aut aliter impressa importantes statutis, ut latius in ipsis patentibus litteris apparet. Quod ipsum cum etiam sua Cæsarea Majestas valere voluerit in ditionibus, S. R. Imperio subjectis.*

Ego infrascriptus, Societatis Jesu per Flandrobelgicam Provincialis, potestate ad hoc mihi facta ab Adm. R. P. N. Præposito Generali Michaele Angelo Tamburino, *concedo Viduæ* Petri Jacobs *facultatem imprimendi, et per se aliosque vendendi Tomum VII de Actis Sanctorum Junii, collectis et illustratis per Godefridum Henschenium p. m. Danielem Papebrochium, Franciscum Baertium, Conradum Janningum, et Joannem Bapt. Sollerium, Societatis nostræ Presbyteros Theologos. In quorum fidem hasce manu nostra subscrpitas, consuetoque officii sigillo munitas, dedi Antuerpiæ, anno* MDCCIX, XXII *Maji.*

JOANNES BAPT. ARENDTS.

SUMMA

PRIVILEGII REGII

Regiæ Majestatis diplomate sancitum est, ne quis, præter voluntatem Danielis Papebrochii e Societate Jesu, ejusve ad illustranda Sanctorum Acta Adjutorum et Successorum, ullo modo imprimat vel recudi faciat, ex parte vel in totum, Tomos eorumdem, de argumento illo, vel jam editos vel porro edendos; aut alibi excusos excudendosve invehat, venalesve habeat: qui secus faxit confiscatione exemplarium, et aliis gravibus pœnis mulctabitur; ut latius patet ex litteris, Bruxellæ datis.

Signat. LOYENS

Et ego Daniel Papebrochius, Societatis Jesu, Viduæ Petri Jacobs, *Typographi quondam Antuerpiensis, permitto, ut Tomum VII de Actis Sanctorum Junii, indultu meo pridem imprimi a marito ejus cœptum, et nunc ab ipsa absolutum, sub suo nomine publicet. Datum Antuerpiæ, Kalendis Junii* MDCCIX.

APPRO-

APPROBATIO

ORDINARII

Tomus hic septimus et vicesimus de Actis Sanctorum, septimus vero mensis Junii, a PP. Godefrido Henschenio P. M. Daniele Papebrochio, Francisco Baertio, Conrado Janningo, Joanne Bapt. Sollerio, Societatis Jesu Theologis, studiose illustratus, in publicam prodire lucem gestit, una cum Chronologia, quæ illi præfigitur, Patriarcharum Alexandrinorum. Et ego utrumque opus dignum censeo, quod publicetur ad multorum utilitatem. Dabam Antuerpiæ XXVIII Maji, MDCCIX.

P. v. HALMALE
Archidiaconus Antuerpiensis, Librorum Censor.

PROTESTATIO AUCTORUM

Quod ante prægressos quinque menses identidem sumus protestati, nos, in hoc de Actis Sanctorum opere, servatas velle Urbani Papæ VIII Constitutiones ; neque nostris, aliorumve huc relatis Commentariis aliud pondus tribui, quam sit historiæ, ab hominibus errori obnoxiis scriptæ ; idem ante hunc septimum Tomum Junii denuo protestamur.

JO. BAPT.

JO. BAPT. SOLLERII S. J. T.

AD TOM. VII JUNII

TRACTATUS PRÆLIMINARIS

DE

PATRIARCHIS ALEXANDRINIS

Cum Appendice; de initiis, erroribus, institutis Copto-Jacobiticis

ILLUSTRISSIMO DOMINO

GUILIELMO ALBERTO

BARONI DE GRYSPERRE, GOYCK ET LIBERSAERT

Brabantiæ Cancellario, suæ Majestatis à Consiliis Status etc.

Non diu dubitandum fuit, VIR ILLUSTRISSIME, sub cujus potissimum auspiciis lucem aspicerent studiorum meorum primitiæ: vix enim Sanctorum Historiographis, superiorum nutu adjunctus socius, vel eo nomine, tam singularem a te benevolentiam expertus sum, ut Tractatus tantummodo inchoati, jam tum patronum te designaverim. Et vero quem alium toto nostro Belgio, aut eruditione præstantiorem, aut omni disciplinarum genere excultiorem, aut, quod me impellebat magis, vastissimi nostri de Sanctis operis, studiosiorem nancisci potuissem. Quod sine ullius invidia dictum velim, sane opinor neminem. Etenim propensam in Sanctorum Historiographos voluntatem, ut sæpius luculentissime demonstrasti, ita egregio deposito locupletatum exornatumque eorum Museum, perpetuum fecisti benevolentiæ tuæ testimonium. Opus loquor C. Plinii de Historia naturali, quod inter pretiosa proavorum tuorum cimelia diu conservatum, grandi in folio pergameno Venetiis anno MCCCCLXIX *excusum est, Romanis novæ formæ typis tam elegantibus, ut primo intuitu judicentur a pluribus, manu exarati characteres, et typographica ars, duorum et quod excurrit seculorum decursu ad summam perfectionem adducta, necdum eos valeat superare. Erit hoc, inquam, æternum tui in nos studii monumentum. At quam præclare de ipsis Sanctorum Actis sentire soleas, deque eorum exacta crisi judicare, testatisssimum fecisti, dum non ita pridem magno accusationum volumine illa impetita cerneres; tantum videlicet tibi otii, gravissimas inter occupationes reliquum fuit, ut tuomet arbitrio totam controversiam examinandam susceperis: quæque integerrimi judicis partes sunt, collatis accuratissime criminationum cum defensione momentis, illarum vanitatem, Actorum vero sinceram fidem veritatemque deprehenderis. Felices profecto viros litteratos pronuntiare ausim, quorum lucubrationes prudentissima tua in judicando perspicacia expenderit. Id adeo me impellit ut ad te accedam confidentius, haud dubia spe fretus, quin pro ea, qua polles, rerum abstrusarum cognitione, oculo censorio sis examinaturus quæ de Patriarcharum Alexandrinorum chronologica serie, primo hoc meo conatu definienda existimavi. Porro tua illa judiciorum integritas non ad solos eruditos sed ad omnes latissime sese diffundit. Felices, quicumque æquitati tuæ forenses etiam causas commissas unquam habuere; felices qui te arbitro, domestica componi dissidia, res familiares partiri, lites dirimi, contentiones sopiri voluerunt. Ignosce VIR ILLUSTRISSIME, si forte modestiæ tuæ vim inferre videar, dum tuas tibi virtutes prædico. Alii Majorum tuorum insignia, titulos, avitam nobilitatem, præclara in patriam merita, quibus par est, laudibus encomiisque extollent, sed mihi, qui te unum, lucubrationum mearum patronum elegi, non alia obversantur, quam quæ excultum ingenium, summam in ferendis judiciis æquitatem, incorruptam fidem, innumerasque alias animi tui dotes propius uniceque circumstant. Enimvero quæ tua sunt præclare gesta et toto late Belgio notissima, quæque ad primam te dignitatem merito evexere, prorsus talia esse omnes cognoscimus, ut aliunde splen-*

dorem accersi minime necesse sit. Vidit te olim et obstupuit bonarum artium mater, Lovanium, dum juvenis adhuc Jurisprudentiæ dares operam, ea ingenii sagacitate, ea Romani Belgicique juris notitia, ut æqualibus longe antecellens, Fisci, at aiunt, et Decani partes cum summa omnium admiratione et applausu obiveris. Viderunt deinde et experti sunt conjunctam cum ingenii acrimonia summam judicii maturitatem jurisque peritiam, qui in causis patronum advocarunt, pauperes præsertim et ob egestatem auxilio destituti, quos tu desertos suscipere, miseros tutari, oppressos vindicare, ita tibi proprium feceras, ut jure merito pauperum pater, patronus, advocatus et audires et esses. Singularis hujus tuæ in pauperes, viduas et pupillos Christianæ misericordiæ tot testes superstites habeo, quot etiamnum beneficiorum tuorum gratissimam servant memoriam. Nec hi solum te demirantur, sed qui judiciis præerant magistratus, levibus hisce velitationibus, iis te, summa cum voluptate proludentem conspexerunt, quæ deinde ad ardua quælibet, et summi momenti negotia, gloriose provexere. Nimirum, qui et eloquentiæ patres, et rerum tractandarum peritissimos antiquitatis oratores, ut es litterarum amantissimus, propriis in fontibus consulueras, facile intellexisti, terenda ei prius angustiora atria, qui in amplissimas olim palæstras descendere meditatur. Et erant hi sane ad insignia alia, quæ te manebant munera, condigni gradus. Nec fefellit exspectationem summa Regis de te existimatio, utpote qui eruditionis, integritatis, aliarumque virtutum tuarum fama impulsus, in Burgundica Mechliniæ Curia, singulari et vix hodie usitato exemplo, meritorum tuorum solo intuitu, Consiliarium te esse jussit. Quæ tua tum fuerit in dicundo jure perspectissima æquitas, atque in rebus administrandis dexteritas, altero benevolentiæ argumento, eadem Regia Majestas comprobatum reliquit, dum te præ ceteris, e Belgio ad Regiam Matritensem evocatum, in supremo, quod vocant, Flandriæ Senatu, locum habere voluit. Existimavit nimirum Rex prudentissimus, plurimum sibi præsenti consilio profuturum, cujus tot merita et in se et in Patriam ante perspexerat. Quid a te illic gesta, quid probatam apud Regem fidem, quid ejus de tua probitate opinionem commemorem? Nondum elapso commorationis Matritensis biennio, novis te muneribus cumulatum, novis ornatum titulis, ad propria remisit. ut ubi ante Consiliarii partes egeras, supremi moderatoris vices obires, in eadem, inquam, Burgundica Curia; atque una sanctioribus Regis consiliis adhibitus, totius Belgii graviores curas in te susciperes. Quod profecto tanta laude, tanta omnium Ordinum gratulatione per annos complures præstitisti, ut vacante subinde totius Brabantiæ principe Cancellarii dignitate, inventus sit nemo, qui ad eam tecum aspirare præsumeret, nemo qui vel tacente Rege, suo te ad eam suffragio non eveheret. Quantum ex eo tempore Patriæ universæ profueris, sive Senatus Brabantici res administrando, sive quæ ad rem publicam propius attinent, in amplissimis Ordinibus, communi utilitati prospiciendo, malo suspicere tacitus, et Belgarum omnium acclamationibus meam adjungere, quam parcius delibando, cum vulgatissima sint, non pro meritis recensere. Accipe modo, VIR ILLUSTRISSIME, *pro iis quibus nos prævenisti beneficiis,* ἀντίδωρον, *sane perexiguum, sed officiosissimæ humanitati tuæ, eo saltem titulo gratum futurum, quod a clientum tuorum aliquo proficiscatur. Non diffitebor equidem, tractationem chronologicam, seu mavis, exactum ordinandorum temporum calculum, iis difficultatibus esse obnoxium, ut perspicacissimam etiam oculorum aciem aut fallat aut fugiat: fallat, minutiis sæpe ad scrupulosam trutinam haud facile revocandis; fugiat porro, ob incredibilem in computanda temporum ratione Auctorum discrepantiam. Adhæc coaptandæ inter se diversissimæ Epochæ, Christiana, Alexandrina, Diocletianæa, Mahumetana; æquanda annorum mensiumque opposita principia, ad eas sæpe angustias Chronologum redigunt, ut quid potissimum decernat, nec per se satis dispicere, nec aliorum adjumento satis certo statuere possit. Erit hæc, opinor,* VIR ILLUSTRISSIME, *justa apud te excusatio, sicubi deprehendas, me a veritate aberrasse; quod ut pro tua in me benevolentia, audacter corrigere et castigare non graveris, etiam atque etiam postulo. Interim perge, ut facis, favere Sanctorum Historiographis, eisque concessa a Rege privilegia tueri, ad reliqui Semestris Acta alacriter prosequenda. Ita te Deus et Sancti felicem ac sospitem diutissime conservent.*

Dabam Antuerpiæ ex nostræ Societatis
Professa domo, Kalendis Sextilibus
anno MDCCVIII.

PRÆFA-

PRÆFATIO

AD

LECTOREM

Postquam Patriarcharum Hierosolymitanorum series, ante Tomum III Maji a Magistro meo Daniele Papebrochio explicata prodiit; complures eruditos viros desiderium incessit, reliquorum etiam Orientalium Patriarchatuum successionem simili modo diductam videndi. Placuit tunc quidem laudatissimum consilium, ea præsertim de causa, quod ad opus de Sanctorum Actis, non semel agnovisset esse pernecessarium. Nimirum cum sæpe Patriarcharum illorum aliquis inter Sanctos recurreret, de figenda istius ætate ita laborandum erat, ut si tempus singulis impensum computaretur, tota a principio series formari commode potuisset. Verum cum major eum tunc cura teneret reliquos Maji tomos deproperandi, atque alia ex aliis magis urgentia succederent, dilatum in dies rei exequendæ propositum tantum non abjectum est. Deinde vero in manus ejus venit Habessini Poetæ Hagiologium metricum manuscriptum anni circiter MCCXXV, cum ejusdem gentis Fastis a Cl. V. Jobo Ludolfo Consiliario Cæsareo et Orientalium rerum atque linguarum scientissimo communicatum. Hic cum videret, Alexandrinos Patriarchas aliquos diebus fere iisdem notatos, quibus dicuntur obiisse in Historia Patriarcharum Coptitarum, Abrahamo Echellensi interprete, post Chronicon Orientale typis Regiis Parisinis edita, existimavit eos usque ad S. Athanasium et ultra, non minori jure ab Alexandrina Ecclesia haberi Sanctos, atque adeo operi nostro dignos inseri, quam tales habentur et coluntur Romani eorumdem trium ac quatuor primorum seculorum Pontifices. Visum igitur ei est hoc argumentum aggredi methodo chronologica, ut de singulis suo cujusque die posset agi tanto securius quanto ex concatenata eorumdem tractatione tempora haberentur verosimilius explorata. Neque in solis viginti primis citra controversiam Sanctis sistere voluit, sed totum chronologicum ordinem animo complexus, hæreticorum etiam et schismaticorum eis intermixtorum putavit intexi debere nomina, ac successorum qualiumcumque seriem quoadusque poterat exponendam, quod tanto existimabat facilius quanto cujusque tempora distinctius videbantur definita in Historia Patriarchali prædicta, cum ibi inveniret non solum numerum annorum atque dierum collatum cum Æra Martyrum Ægyptiis usitata, sed insuper notam feriæ in qua quisque obiisse dicitur; qui characteres si inter se et cum monumentis aliunde satis certis, convenirent, nihil poterat optari exactius ad Chronologiam undequaque perfectam.

2 Hac spe illectus, multa tentare occepit, verum quos characteres prima fronte tanti faciendos crediderat, quosque adeo magno subinde labore conciliare conatus fuerat, postea deprehendit, fassusque est, incertissimos plerumque et mendacissimos, æque ac Scriptores ipsos Arabes, in suamet Historia et subducendis calculis adeo negligenter versatos, ut pluribus in locis, neque inter se, neque cum semetipsis concordent. Urgebat nihilominus cœptum opus, a Græcis Latinisque Scriptoribus auxilium mutuatus; quin etiam ab Elmacino, Historiæ Saracenicæ conditore, Christianorum quoque res non indiligenter scrutato et satis fideliter referente. In hoc ergo intentus erat, quando imprævisa necessitas vindicandi ab objectis calumniis sua eatenus edita Sanctorum Acta, iniquissimis præjudiciis anno MDCXCV gravata, non solum parerga isthæc, sed etiam ipsam Junii impressionem, plusquam dimidia parte absolutam, sistere coegit. Inter hæc oculis superfusa caligo, omnem ei per se quidquam legendi scribendive facultatem in quintum usque annum abstulit. Non ideo tamen desiit aliena manu moliri quod posset; sed hoc agenti, oblatus e Gallia ejusdem argumenti tractatus, operi, satis jam Arabicis hallucinationibus perplexo, tenebras novas offudit. Patuit tum magis ineptorum Auctorum discrepantia, et dum præfatum tractatum alienis oculis concordiam revocaret. Ediderat cum Parisiis sub titulo *Historiæ Ecclesiæ Alexandrinæ* anno MDCLXXVII J. M. Vanslebius Ordinis Prædicatorum, secutus potissimum Arabicum et toto Ægypto unicum (si credere fas est) codicem, cui titulus *Lampas in tenebris et elucidatio officiorum divinorum.* Auctori nomen est *Abulbaracat*, quem usque ad annum MCCCLXIII progressum, subsequens ipse Vanslebius, quam infeliciter illum ex Arabico verterat seu verius in epitomen contraxerat, tam nihilo accuratius suam ipse rem egit, fecitque ut Papebrochius, recepto post quinquennium visu, quidquid cæcus dictaverat recognoscens, judicaret facilius de integro novam tractationem sibi instituendam quam vetus corrigeretur adduceretur que ad eam perfectionem, quæ mereretur aliis suis lucubrationibus jungi. Instabant interim amici, ut patriæ suæ civitatis Annales ab annis viginti cœptos promitti, compilandos resumeret, tot in eam rem monumentis subsidiisque instructus; et in ea qua tunc erat annorum quinque et septuaginta ætate, mortem jam aliquoties per Dei misericordiam eluctatus, non sineret longiori sua dilatione intercidere opus, quo ipsum obligata Patriæ fides impellebat, et cui, si non lucem, saltem extremam manum posset ipse, ceteris dimissis, afferre.

3 Paruit ergo ac suos de Patriarchis Alexandrinis conatus mihi in studiorum societatem nuper addito recensendos corrigendosque commisit, Collegis aliis Baertio et Janningo, duobus ultimis tomis Junii finem imponere properantibus. Lubens obsecutus sum, omnem per aliquot menses conatum adhibens, si quo modo, quæ alienis oculis usus, aliena manu scripserat Papebrochius, ad rectam Chronologiæ normam exigi possent. Tenuit me aliquamdiu, molestus in paucis et tædiosus labor, cumque nihil proficerem, imo de componendis Arabicis characteribus penitus desperarem, eo animum adjeci, ut spretis illis calculis, alios veræ Chronologiæ fontes consulerem. Itaque argumenti difficultate nequaquam absterritus, Patriarchalem Chronologiam ex integro condere aggressus, eos mihi Auctores præhabendos putavi, quorum fides, Arabicis fabulis, suo loco non semel referendis et refutandis, anteferenda videbatur. Consului etiam Criticos

ticos recentiores, Pagium imprimis et eruditum opus Tillemontii, Papebrochio eatenus ignotum, multa tamen suggesturum consideratione, digna etiam quoad Patriarchas Alexandrinos, subinde vero refellenda aut cum Scriptoribus antiquis concilianda. Alios item expendi quorum in progressu non semel mentio recurret. Ad ipsos Patriarchas, quod attinet, maluissem continuam Orthodoxorum aut saltem Concilio Chalcedonensi inhærentium (*Melchitas* vocant) seriem texere, audio enim superesse adhuc in Ægypto, et suorum, seorsim ab aliis, ecclesias et Patriarcham habere, uti recentissime mihi testatus est, litteris Cairo datis, Superior illic Missionis nostræ, P. du Bernat, asserens eum, qui hodie Melchitis seu Græcis præest, Alexandrinus Patriarcha, virum esse totius Ægypti longe doctissimum, vel potius unicum qui doctus appellari possit. Cretensis est natione, liberalibus artibus in Europa bene institutus et in Academia Patavina Theologiæ Doctor; doctrinæ illic haustæ etiamnum retinens, atque in colloquiis, cum Bernato habitis, plane Orthodoxus. Quid igitur, inquies, reunionem moratur cum Ecclesia Catholica? Hoc unum ipse impedimenti prætexit, gregem suum, Turcico jugo pressum, non ea frui libertate, quæ ad reconciliationem necessaria est. Dicit pro concione ad suos, quod tota Ægypto, præterquam apud Francos (in Latinos Europæos nominant) insolitum est; tantamque suorum Alexandriæ, Cairi, Bolbitinæ (*Rosetto*) Pelusii (*Damiete*) et Posidii (*Suez*) curam gerit, ut omnium æstimationem promeritus sit. Subditos numerat Coptis multo pauciores, a quibus nihilominus, prisca Patriarcharum appellatione, Papa vocitatur. Rogatus hic a Bernato, utrum prædecessorum series alicunde procurari posset, rem Monachis suis commisit, a quibus nihil hactenus obtentum est; atque idcirco coactus fui eorum, quos *Jacobitas* appellant, ordinem prosequi.

4 Fuerunt autem etiam inter illos, si Arabicis Scriptoribus credimus, morum conspicui probitate, et inter suos pro Sanctis habiti, ac fortassis etiam coram Deo tales, si Chalcedonensis Concilii detestatio possit in aliquibus magis ignorantiæ invincibili, quam pertinaciæ culpabili adscribi. Totum tamen de ipsis judicium relinquendum Deo et Catholico Lectori, nec ulla vera sanctitas cuiquam adscribenda, qui Romanæ Ecclesiæ contradixerit. De virtutibus ergo talium pauca admodum obiterque dumtaxat indicabuntur: Chronologia vero solicitius curabitur, usui futura circa qualescumque Orthodoxos Patriarchas, alia sine certa temporum ratione vagaturos, et nonnullos Æthiopicæ Ecclesiæ, seu veros seu falso reputatos Sanctos, quos uti non omnes recipiendos, sic nec continuo rejiciendos censeo. Etenim verosimile est, illa in gente multo serius quam in Ægypto defecisse penitus Orthodoxiam; nec prius forsitan, quam Nubia sive Libya, utrique nationi interjecta, in partes Jacobitarum transiret, et Habessinis, qui tunc adhuc erant, Catholicis, communicationem omnem cum Ægyptiis Orthodoxis, multoque magis cum Pontificibus Romanis præcluderet; quod factum seculo circiter octavo, existimamus. Hoc autem ne cui fortasse erudito mirum videatur, utpote qui statim objicere mihi queat, Ecclesiam Habessinicam a Metropolita Copto etiam per ea tempora gubernari solitam; advertere oportet, Metropolitas illos sive Archiepiscopos, mitti quidem ex Ægypto in Æthiopiam, tanti tamen apud eos auctoritatis non esse, ut quidquam in Habessinorum religione mutare audeant, utraque gente moribus suis pertinaciter inhærente, ut se in Ægypto didicisse refert Bernatus, et latius patebit ex Dissertationibus Tractatui huic nostro subjunctis, quod hic verbo visum est indicare.

5 Legi interim possunt quæ in excusationem Moscovitarum dixit prælaudatus Papebrochius ante Tomum I Maji. Si enim hi, seculo primum decimo conversi ad Christi fidem per Episcopos Græcos, tunc quidem ad Romanæ Ecclesiæ unionem regressos, sed non admodum diu in eadem constantes diutius tamen præsumi possunt unitatem ac veritatem Catholicam tenuisse; quanto magis Habessini Æthiopes, tempore sancti Athanasii adducti ad veram Salvatoris Jesu Religionem per sanctum Frumentium sub Æthiopico, nomine *Salama* cultum eorumque Hagiologio inscriptum, et quidem sub Rubrica, XVIII Decembris, Romano vero Martyrologio ex Græcorum Menæis, XXVII Octobris? Primam quidem fidei Christianæ notitiam putant aliqui illos accepisse per Candaces Reginæ Æthiopum Eunuchum, a S. Philippo Diacono baptizatum, et per S. Matthæum, Apostolum et Evangelistam, illuc Angelorum ministerio supra nubem delatum, ut ad IX Octobris indicat Hagiologion: sed hæc omnia refutat Cl. V. Jobus Ludolfus, libro 3 capite 2 Historiæ suæ Æthiopicæ, et hanc Frumentio prælaudato laudem unice deberi demonstrat; deinde ex Plinio docet, Candacem fuisse Reginam Meroes, quæ regio fuit antiquorum Æthiopum, non Habessinorum, quia his numquam feminæ imperaverunt.

6 Nunc quoniam Hagiologii Habessinorum facta est mentio, fietque deinceps, quoties ex eo aliquis vel Patriarcha vel alius laudandus in hoc Commentario veniet, vel istius Ecclesiæ de illo judicium qualecumque explicandum; operæ pretium fuerit, hic præmittere eam notitiam, quam de eo scriptam Papebrochius reliquit, et quam Ludolfus dare prætermisit. Repertum Hagiologion illud fuit a præd. Ludolfo anno MDCLXXIV in Anglia, ubi servabatur Æthiopice ante tria minimum secula scriptum, apud Eduardum Pocockium, Linguarum Hebraicæ et Arabicæ in Academia Oxoniensi Professorem; ejusque Latinam versionem per quemdam suum discipulum Joannem Henricum Henerum, ipso Magistro præeunte ac recognoscente, concinnatam, ipse benigne transmisit Papebrochio sub annum MDCLXXXVIII, excitus ea diligentia, qua in Græco Moschis Ephemeridibus ille usus fuerat, sed quia versio ejus, in gratiam tironum istius linguæ concinnata, adeo presse inhæret Æthiopicæ paraphrasi, atque verborum ordini, ut nauseam potius movere debeat, quam oblectare Lectorem, æque ac cetera ex alterius linguæ Poetis verbotenus reddita; et quia absque originarii contextus intellectu nemo prudenter potest præsumere liberiorem magisque concinnam versionem dare, dilatum est consilium, quoad prælaudato Jobo vacaret id per se facere, et versionem clariorem cum ipso textu Æthiopico orbi erudito dare, quod pollicitus erat facere si Synaxaria Æthiopica nactus fuisset. Quem in finem non semel Missionariis nostris molesti fuimus. Verum præclara consilia mors interrupit, sublato e vivis Ludolfo, VIII Aprilis MDCCIV.

7 Interim nemo vitio vertet, spero; si quod præsenti usui satis foret, phrasi clariori et concinniori explicare conatus sit Papebrochius, servato, quantum potuit, verborum præscriptorum sensu. Exordium Hagiologii modo laudati accipe, vel a transcribente, vel potius ab ipsomet Auctore suo, in tertia persona sic conscriptum. I *In nomine Patris et Filii et Spiritus S. unius Dei, scribimus Hymnos, quos... NN. col-*

igit vir pauper, qui blesus, et lingua balbus est, humilis in plebe, et inter homines vilis. II *Nimirum Encomium Cœlestium et Terrestrium, quorum orationi se commendat: et sub alas auxilii Dominæ nostræ Mariæ se recipiens, de misericordia Christi filii ejus confidit.* III *Contingat sanitas ægrotis, auxilium afflictis, remissio peccatoribus, et præmium justis, ubicumque canetur in aliqua Congregatione Apostolicæ et Christianæ Ecclesiæ, et in quocumque loco legetur.* IV *O Angelorum hominumque cœtus, castra Christi ejusque matris, Pax vobis. Cum aperuero os meum ad vestrum encomium, decerpite, obsecro, fructum cantici de lingua mea. Mecum estote, mecumque consiste.* V *Saluto Patrem, ac Verbum Filium ejus: saluto et Spiritum sanctum unius ejusdemque essentiæ; Saluto Mariam, gloriæ eorum participem: Saluto Angelos, et Congregationem ejus, qui est primogenitus universi, quorum effigies et nomina in cœlo descripta superius sunt:* ubi Congregatio Fidelium omnium Christianorum, præsertim Electorum, intelligitur.

8 Ex hinc sequitur Ordo Hymnorum sive Odarum, singulis anni diebus respondentium, ternis quaternisve aut quinis, vel pluribus etiam strophis rhythmicis, pro numero Sanctorum aut Festorum, quolibet die concurrentium. Strophæ autem singulæ constant versibus quinque, in rhythmum desinentibus, Stylo poetico perobscuro, propter transpositiones sæpe tales, ut sensum integrum eruere volenti, necesse sit ab ultimo versu incipere. Porro non videtur Auctor restrinxisse stylum ad eos solos, qui publica Ecclesiæ vel Alexandrinæ vel Habessinæ auctoritate commemorantur ut Sancti, sed etiam ad alios quoslibet, de Ecclesia alterutra bene meritos, maxime posteriorum seculorum Patriarchas, Reges, et Metropolitas, quorum anniversario cujusque die, laudat virtutes aut Acta tamquam personarum memoriæ venerabilis, quod hic notasse plurimum juverit. Atque hæc ad operis illius specimen satis sint. Auctoris nomen, in titulo autographi prætermissum, spatio ad id vacuo relicto, videtur Papebrochius in decursu operis invenisse, ad III diem Januarii; dum ejus diei Oden, post quatuor de totidem Sanctis strophas, sic finiri animadvertit: *Juste omnipotens Domine, qui delicta dissimulas, et inveterata restauras; secundum misericordiam tuam, require servum tuum Paulum, possidentem in patientia animam suam, et innova locatum in portu tranquillo.* Cui enim Auctor, nisi sibi, hæc petere judicetur?

9 Idem etiam alibi faciens utitur pronomine primæ personæ, itaque nomen suum subticet. Simile quid apud Græcos fecere eorum Hymnographi, seu Canonum sacrorum Poetæ, ultimas cantionum Acrosticharum strophas ordiendo a nominis sui litteris. Operis quoque totius Epilogus, Sanctorum ordinibus omnibus ipsum opus benedicendum offerens, et eorum auxilium petens, scribenti, dictanti, legenti, audienti, et in aliam linguam conversuro, sic finit: *Oratio eorum, et benedictio eorum sit cum servo ipsorum Nagadexo, in secula seculorum, Amen;* ubi vel cognomentum *Pauli* intelligit, vel potius nomen Librarii sive Scriptoris, ab Auctore diversi. Alterutrum vero Monachum fuisse monasterii Gerizan, indicat dies XXXI Januarii ubi ipsum commendatur sancto cuidam Hippolyto, Doctori et Martyri, cujus corpus mari mersum cum per miraculum emersisset, istuc illatum fuisse videtur.

10 Ipsum Auctorem ultra annum MCCV vixisse non invenit Ludolfus; suspicarer autem ætatem suam satis indicare XXIX Martii, ubi videtur orare pro anima Michaelis septuagesimi primi Patriarchæ, qui obiit circa annum MCXLV, tamquam specialiter ei obligatus, nisi etiam meminisset nonnullorum illi suffectorum, ac denique Joannis IX Patriarchæ LXXXI, mortui anno Martyrum DCCCCLXXVIII, id est MCCLXII Christianæ Æræ, juxta Abulbaracatum, in eo æque ac Historia Patriarchalis desinentem adnumerare cujusque Patriarchæ annos ac menses, ac postea nuda plerumque nomina recensentem, in quibus cum Michael sit XCII, ac verosimiliter ultra seculum XIV vixerit, incerta pendet conjectura de ætate Auctoris, nisi malis opinari, continuatorem loqui, qui in fine meminerit Michaelis, vel LXXI, vel XCII.

11 Quod attinet ad Historiam ipsam Patriarchalem, quam præcipue examinandam et illustrandam Magister meus sumpserat, pertingit ea usque ad Athanasium Patriarcham LXXVI creatum anno MCCLII; et in plerisque notat convenientiam dierum, mensis, ac feriarum hebdomadis, sub quarum concursu obierint singuli Patriarchæ, et quidem annis, ab Incarnatione Dominica ad marginem definitis; annis item Imperatorum Romanorum ac Græcorum, et denique Muslimannicorum. Verum unde multum lucis sperabat, ibi invenit Papebrochius tenebras plusquam Cimmerias, Auctoris sive Interpretis vitio inductas, dum ad marginem elogiorum Patriarchalium, deductis columnis describitur Chronologiæ Patriarchalis ratio, hoc modo.

Num.	Nomina et Historia Patriarcharum Alexandriæ.	Tempus Patriarchatus.	Summa annorum Incarnationis.	Nomina Imperatorum.	Summa annorum mundi.
I	Marcus Evangelista, martyrii coronam est consecutus, anno sexagesimo septimo, et mensibus quibusdam ab Ascensione Divina.	Anni 7 ✝	Anni 67 dies 230.	Galba Cæsar.	Anni 5567 dies 230
II	Anianus. Hunc ordinavit S. Marcus, et est sutor ille qui aptavit ejus calceamenta. Obiit die Dominica vigesima Hathuri.	Anni 18 dies 216.	Anni 86 dies 80.	Vespasianus Cæsar.	Anni 5586 dies 80.

12 Ex apposito schemate, facile est totius Patriarchalis Historiæ ideam concipere, et ex erroribus mox demonstrandis et alibi demonstratis, de reliqua serie judicium ferre. Sancti Marci ætatem verosimillime, quoad fieri potuit, definivi, sequenti proxime Dissertatione fundamentali, ubi num. 8 et 9, paucis etiam refutavi, quæ eadem Historia male combinaverat. Hic alia paucis addam quæ simul manifeste ostendant, Arabicam eam Chronologiam ineptissime esse congestam. Exhibitæ tabulæ præmittitur longior narratio ex qua breviter decerpo quæ ad ordinandorum temporum rationem spectant. Sic habet: *Tempore dispensationis D. Jesu Christi post ejus Ascensionem ad cœlos, divisæ sunt Provinciæ inter Apostolos, in quibus sacrosanctum prædicarent Evangelium, ceciditque in sortem Marci Evangelistæ ut pergeret in Ægyptum, Alexandriam, Pentapolim occidentalem, Æthiopiam et Nubiam. Itaque Roma egressus Marcus, Pentapolim petiit primum, annuntiavitque in omnibus ejus Provinciis... Posthæc dixit ei Spiritus sanctus, surge abi Alexandriam..... Et profectus est Alexandriam, anno septimo Imperii Neronis..... Multiplicato credentium in Christum numero, constituit Sanctus, Anianum Episcopum Alexandriæ, et cum eo tres Presbyteros et Diaconos septem. Quo facto egressus est inde et abiit Pentapolim ubi mansit biennio, annuntians et consecrans ipsis Sacerdotes. Tum Alexandriam reversus est, invenitque fratrum crevisse numerum et in fide confirmatum; quibus addens animos ab illis recessit. Anno a D. N. Jesu Christi ad cœlos Ascensione* XXXV, *adfuit Marcus martyrio duorum Apostolorum Petri et Pauli, et iterum Alexandriam reversus est...... et coronam consecutus est martyrii postrema Barmudæ Ægyptiorum.... anno Incarnationis Dominicæ* LXVII *et septimo mense cum dimidio.* Quam multa hic peccet Historia, ex prædicta Dissertatione clare perspicies. Unum et unicum est quod cum nostris Annalibus convenire censeam, Petrum et Paulum, martyrium subiisse *anno ab Ascensione Domini* XXXV, qui est ab Incarnatione LXVII et Neronis XIV: sed quam id verum est, tam est palpabiliter falsum, Marcum isti martyrio adfuisse, aut ex ipso Historiæ calculo adesse potuisse. Cæcus sit qui id primo intuitu non advertat. Ex tabula, obiit Marcus anno, non *ab Ascensione*, sed *ab Incarnatione* LXVII, postrema Barmudæ, hoc est, Aprilis Juliani XXV; ipso eodem anno Romæ martyrio affecti sunt Petrus et Paulus XXIX Junii, ut in Fastis suis Copti fatentur, qua igitur ratione, obsecro, potuit Marcus Apostolorum martyrio adesse, qui plusquam duobus ante mensibus e vivis excesserat? Rursus, quomodo Marcus dicatur obiisse anno ab Incarnatione Dominica LXVII, mense septimo cum dimidio, nequaquam intelligitur, nisi anni Incarnationis aliter accipiantur, quam passim accipi soleant. Edisserant nobis Copti quid ipsis veniat nomine Æræ Incarnationis Dominicæ. Jam quæ sit in præfixo schemate summa annorum mundi, cur adscribatur *Galba Cæsar* cum adhuc superesset Nero, non vacat pluribus exagitare. Quam enormiter a recta Chronologia deflectant Scriptores iidem Copti, in Marci successore Aniano, diximus in Tractatu a num. 58, hic tantum observabo apertam alteram Historiæ contradictionem. Statuit, ut jam vidimus, Marcum coronatum XXV Aprilis anni LXVII, Anianum porro ab ipso S. Marco fuisse ordinatum; itaque Anianus Apostolo immediate successit, ergo si Anianus obiit XX Hathuri seu XVI Novembris anno LXXXVII, non solum anni XVIII, sed XIX integri, et dies non CCXVI, sed CCVI numerandi sunt. Satis de Historiæ et schematis hallucinationibus, ut evidenter appareat, merito rejectam a me ineptiarum farraginem, cui componendæ tantum laboris frustra insumpserat Magister meus Papebrochius, ut postea ad nauseam quandoque erit repetendum, adversus insulsi operis hodiernos decomptores.

13 Inter plurima quæ in eum finem molitus est Papebrochius, nequid intentatum relinqueretur, occasione Justi, Patriarchæ VI, sextum Junii diem occupantis, cœperat pridem dispicere, utrum abjecta Chronologia marginali et retenta feria cum annorum ac dierum cuique adscriptorum numero, iisque cum Chronologia Georgii Syncelli, Nicephori Patriarchæ CP. et Theophanis Confessoris collatis, explicari posset annorum illuc spectantium ratio, per concurrentiam diei et feriæ, sicut in sæpe citata Historia notantur, verosimiliter, ut tunc arbitrabatur, ex antiquioribus et verioribus Coptorum monumentis, quæque recentioribus illis additionibus essent præhabenda. Diu hoc saxum volvit Papebrochius non omnino feliciter, ut sæpe conquestus est, et in Tractatu nostro pluribus locis declaratum invenies. Juvat tamen monumenta alia Copto-Arabica enumerare, inter quæ unum censeri potest, Liber de Vitis Patriarcharum citatus in Historia præd. semel iterumque, ab Elmacino autem sæpius allegatus. Eam Historiam fortassis habuit, et ad sua usque tempora continuavit Abulbaracat, Monachus Jacobita supra laudatus, quem utinam integrum in lucem protulisset, qui ejus Compendium nobis Gallice edidit Vanslebius; sed servatis mensium nominibus Copticis, quibus in sua Gallica epitome substituens nomina Latina, quasi idem utrique gentium initium eorum sit, hallucinatus ipse, Lectorem suum facit hallucinari; quasi primus primi mensis dies etiam sit primus Latini Septembris, eidem pro parte majori respondentis, cum tamen initium mensis Thoth cadat in diem XXIX Augusti nostri, et sic de ceteris. Nihil magis, quod ad annos Æræ Alexandrinæ attinet, quibus usque ad Diocletianum utitur idem Abulbaracat, fidem ei habere possumus, applicanti illos cujusque Patriarchæ obitui, propter enormes et suo loco declarandos errores, in quibus capitalis unus Vanslebii Interpretis est, quod, sicuti non distinxit initia mensium Copticorum et Romanorum, sic non cogitavit istorum annos nequaquam a Januario inchoari; sed a fine Augusti, Romanum Januarium præcedentis.

14. Denique nonnulli usui nobis fuit Catalogus simplex Patriarchalium nominum, quem Athanasius Kircherus noster, ipsi a clarissimo Pereskio communicatum, et ductum usque ad annum MDCXXXIII, inseruit Supplemento Prodromi sui Copti, conatus eumdem ex Elmacino illustrare; nam qui in Historia *Aprimus* est, ibi *Ephrimus* nominatur; qui *Ephrem*, ibi est *Abraham*, et sic ambo inveniuntur in Hagiologio, non aliter. Deficiente Elmacino, deficit Kircherus, et nuda, sicut acceperat, nomina pergit adscribere usque ad Matthæum, Urbani VIII synchronum. Vanslebius progreditur ad eum, quem ipse Patriarcham Cairi viderat, anno MDCLXXIII adhuc viventem. Anno demum MDCCVII inexpectato advenit missus ex Ægypto MS. Patriarcharum Alexandrinorum Catalogus; procurante, quem supra nominavi, P. du Bernat, qui se illum ex Coptica S. Cyrilli Liturgia descripsisse affirmat. At is, Tractatu nostro jam pridem ad finem perducto, nullo nobis usui esse poterit, nisi ut opinionem nostram confirmet, de non habenda fide neglectissimis et turbatissimis, rudium et imperitorum hominum calculis, quibus victum quæritare, pro omni arte liberali et scientia a multis seculis fuit, et esse pergit. Ne tamen omnino

intereat

intereat notitia, forte usui futura, siquando Tractatus noster novis typis subjiceretur, visum est Copticæ diligentiæ exemplum non subducere Lectorum oculis ; quibus cum nostro Catalogo hunc conferentibus facillimum erit innumeros errores castigare, quod hoc loco licitum mihi non censui. Atque hinc etiam intelligent, quam nulli mihi adjumento esse potuerit novus hic Catalogus, tametsi cum reliquis pridem mihi ad manum fuisset. Præter lapsus cæteros, en bina accurationis specimina. Post S. Petrum Martyrem, hæc paucula interseruntur : *Hic Patriarcha martyrium subiit anno* XIX *imperii Diocletiani;* quod quam sit falsum ex Tractatu palam fiet. Specimen alterum inde desumas, quod si annos omnes præfati Catalogi in unam summam collegeris, deprehensurus sis, Sedem Patriarchalem ad annos circiter centum et quinquaginta vacare debuisse. Accipe igitur nudam nominum seriem, annos et menses regiminis, quemadmodum Bernatus ad me transmisit.

CATALOGUS

PATRIARCHARUM ALEXANDRINORUM

A sancto Marco ad Joannem, qui anno MDCCVI adhuc Ecclesiam Alexandrinam Copticam moderabatur, a P. Bernato Cairi descriptus.

Ordo.	Nomina.	Temp. anni.	Sedis mens.	Ordo.	Nomina.	Temp. anni.	Sedis mens.
I	*S. Marcus*	7		LIII	*Chael*	11	
II	*Anianus*	11	8	LIV	*Cosmas*	7	5
III	*Milius*	11	9	LV	*Chenudens*	21	3
IV	*Cardianus*	10	8	LVI	*Chael*	28	
V	*Abrimus*	12	1	LVII	*Gabriel*	10	10
VI	*Justinus*	10	9	LVIII	*Cosmas*	13	10
VII	*Aumanius*	13	3	LIX	*Macarius*	20	3
VIII	*Marcianus*	10	3	LX	*Theophanius*	4	7
IX	*Celadianus*	13	7	LXI	*Mina*	12	8
X	*Agrinus*	11		LXII	*Abraham*	3	11
XI	*Julianus*	9	8	LXIII	*Philoteus*	23	10
XII	*Demetrius*	42	11	LXIV	*Zacharias*	28	10
XIII	*Heraclas*	13		LXV	*Chenudens*	15	11
XIV	*Dionysius*	11	9	LXVI	*Christodulus*	30	11
XV	*Maximus*	17		LXVII	*Cyrillus*	14	3
XVI	*Theonas*	19	2	LXVIII	*Michael*	9	11
XVII	*S. Petrus Martyr*	9	10	LXIX	*Macarius*	26	7
XVIII	*Archelaus*	6		LXX	*Gabriel*	14	2
XIX	*Alexander*	40	9	LXXI	*Michael*	4	8
XX	*S. Athanasius*	46		LXXII	*Joannes*	19	8
XXI	*Petrus*	5	9	LXXIII	*Marcus*	22	
XXII	*Timotheus*	5	9	LXXIV	*Joannes*	27	
XXIII	*Theophilus*	29	2	LXXV	*Cyrillus*	7	8
XXIV	*S. Cyrillus*	23		LXXVI	*Athanasius*	11	1
XXV	*Dioscorus*	16	1	LXXVII	*Gabriel*	2	2
XXVI	*Timotheus*	21	10	LXXXIII	*Joannes*	29	5
XXVII	*Petrus*	7	2	LXXIX	*Theodosius*	6	6
XXVIII	*Athanasius*	3	9	LXXX	*Joannes*	2	3
XXIX	*Joannes Monachus*	5	7	LXXXI	*Joannes*	6	5
XXX	*Joannes reclusus*	16	11	LXXXII	*Benjamin*	11	8
XXXI	*Dioscorus novus,* id est *junior.*	2	4	LXXXIII	*Petrus*	8	6
XXXII	*Timotheus*	16	6	LXXXIV	*Marcus*	14	6
XXXIII	*Theodosius*	22	7	LXXXV	*Joannes*	6	2
XXXIV	*Petrus*	1	11	LXXXVI	*Gabriel*	4	3
XXXV	*Damianus*	24	11	LXXXVII	*Matthæus*	3	3
XXXVI	*Anastasius*	11	6	LXXXVIII	*Gabriel*	17	10
XXXVII	*Andronicus*	4	11	LXXXIX	*Joannes*	25	
XXXVIII	*Benjamin*	28	11	XC	*Matthæus*	13	
XXXIX	*Agathon*	18	9	XCI	*Gabriel*	8	1
XL	*Joannes*	9	3	XCII	*Michael*	1	3
XLI	*Isaac*	2	10	XCIII	*Joannes*	3	4
XLII	*Simon*	7	7	XCIV	*Joannes*	4	
XLIII	*Alexander*	24	9	XCV	*Gabriel*	43	
XLIV	*Cosmas*	1	3	XCVI	*Joannes*	15	4
XLV	*Theodorus*	11	7	XCVII	*Gabriel*	17	
XLVI	*Chael*	23	6	XCVIII	*Marcus*	16	
XLVII	*Mina*	9	9	XCIX	*Joannes*	9	
XLVIII	*Joannes*	23	11	C	*Matthæu*	16	
XLIX	*Marcus*	23	3	CI	*Marcus*	11	
L	*Jacobus*	18	8	CII	*Matthæus*	14	
LI	*Simon*	3	7	CIII	*Joannes*	30	
LII	*Joseph*	19					

15 Interim Tractatui huic, ad majorem Lectoris commoditatem, præmisit Papebrochius expansum Kalendarium, Ægyptiaci anni, cum Romano comparati et aptationem diversitatis mensium; ut quis cuique diei ordinarie respondeat, scire uno obtutu possit, quod propterea, ut ab ipso est concinnatum, prælo commisi. Verum quia quarto quoque anno, recurrenti *Bissexto Kalendarum Martii* respondet Ægyptiis dies unus, quinque Epagomenis additus, in fine ultimi eorum mensis Musre, nostrum Bissextilem annum præcedentis: hinc fit, ut menses Ægyptii cum Romanis comparati, uno die serius inchoentur, quam solebant, propter prægressum, ut sic loquar, *Bisquintum Epagomenon* (Latini superinductos appellarent) donec transacto Bissexto Latinorum, redeat communis, qui semper, cursus. Igitur quia aliter hoc casu, aliter in communi cursu anni, conjugantur Romani et Coptici dies, placet illius quoque diversitatis schema proponere, toties usui futurum, quoties talis concursus obvenerit in uno ex primis sex anni Ægyptiaci mensibus : ad calcem vero totius tabulæ censui addendum aliquid circa feriarum concursum per litteram Dominicalem in nostro Bissextili, ut ibi curiosus Lector videre poterit. Pro vulgari Christi Æra, ab Incarnatione denominata (semel dumtaxat in contextu Historiæ Orientalis allegata ab Auctore, deinde vero annotata in margine tam infeliciter, sicut ostendi) ad quam ceteræ reducendæ sunt, utitur Abulbaracat, in principio suæ Historiæ apud Vanslebium, annis Alexandrinis, quorum Epocham, vulgarem nostram Æram præcedere, ipse ait, annis CCCXIX; cum deberet scribere CCCXXIV; itaque progreditur in ipsius sententia, usque ad annum suum DCIII, Christi vero CCLXXXIV, unde initium sumit nova Æra, aliis quidem Diocletiani, Ægyptiis vero Martyrum dicta, et inchoata ab initio mensis Thoth, id est a XXIX Augusti, anni nobis CCLXXXIV.

16 Est autem hæc Æra Ægyptiis et Habessinis Christianis usitatissima, atque ad vulgarem nostram facile aptabilis, ut explicatum invenies in Digressione post Theonam, XVI Patriarcham. Non æque facile calculo nostro aptantur anni Hegiræ Mahometanæ, quibus Elmacinus identidem in progressu utitur, eamque, dum agitur de rebus Christianorum, cum Æra Martyrum non satis feliciter passim conjungit. Difficultas autem, in eo consistit, quod nullum fixum initium habeant anni Saracenici, utpote ex mensibus lunaribus constituti, quos Mahometani a phasi novi lunii, ad phasim alterius novi lunii metiuntur. Cum enim hoc intervallum (ut ait Cangius in Glossario, verbo *Hegira*) numquam triginta dies excedat, neque minus sit quam viginti novem, et tales menses sic compositi, ut quatuor menses alternatim consequentes, triginta dierum sint et tres viginti novem, sine ullo utrimque excessu, atque ex talibus duodecim, annus illorum constituatur; necessario fit, ut hi duodecim menses a plenitudine solaris anni deficiant, atque ita diebus undecim vel duodecim excedantur ab anno nostro Solari. Hinc ergo fit, ut cum Januario nostro v. g. cœptus annus Arabicus finiatur die decima nona vel vigesima nostri Decembris, et inchoetur annus sequens, aliique similiter anni ex ordine sequentes, semper anticipando eorum initia, tandem integer unus annus intercipiatur, quo nostrorum annorum numerum Mahometani excedunt. Apparet hoc ex tabula variarum Epocharum apud Cangium expansa usque ad annum MDCC sub verbo *Annus*, ubi annos ab incarnatione Christi tum cum aliis, tum etiam cum Hegiris compositos videbis : quando die VI Junii incipiebat currere Hegira MCXII, quæ solum fuisset numeranda MLXXVIII, si Saraceni processissent per solares annos, ut excessus creverit per istos defectus ad numerum XXXIV Hegirarum, toties augendus, quoties ex defectibus istis lunaris anni, Hegiræ spatium implebitur.

17 Hegira autem dicitur a fuga Mahometi, Meca Medinam, cum propter novitatem doctrinæ, mortem sibi inferendam timeret, anno Christi DCXXII, XVI Julii, feria quinta : qua in epocha constituenda, impostor ille voluit imitari Ægyptios Christianos; qui omissis epochis a gentilium Regum vel Imperatorum appellatione deductis, novam sibique propriam constituerant, ab initio sævissimæ persecutionis, per Diocletianum suscitatæ, sicut jam vidimus. Porro supposita tali, quam explicuimus anni exordiendi instabilitate, eaque ad stabilitatem anni Ægyptiaci reducenda, mirum non est, si Elmadinus eique similes Historici Arabes, non admodum scrupulose persequantur justum numerum; sed nominato anno Hegiræ suæ adjungant eum annum Martyrum, cujus pars potior cum suo anno conveniebat. Idem Elmacinus, non raro adhibet annos Imperatorum Constantinopolitanorum : sed horum seriem chronologicam valde incertam et defectuosam habuit, qui quoties illos attingit, toties fere labitur contra certissimam ejus temporis Chronologiam; quare nec mentionem quidem eorum faciendam Papebrochius censuerat, ne inutili erratorum circa ipso elencho, augeretur Tractatus, aliis magis necessariis satis ampliandus; ego loco suo non paucos annotavi.

18 Prius tamen quam rem exordiar, gratanter mihi commemoranda est utilissima opera quam Papebrochio contulit vir Clarissimus Jobus Ludolfus jam sæpe commemoratus, et sæpius nominandus, Majestatis Cæsareæ Francofurti Consiliarius, Auctor Historiæ Æthiopicæ, aliarumque plurium lucubrationum eo spectantium. Ab hoc enim cum accepisset Hagiologium metricum sæpedictum, eoque, ubi ferebat, paraphrastice, ut melius potuit, explicato, identidem usus esset, noluit suo unius, in talibus non valde versati, judicio committere fortunam lucubrationis talis, sed ipsius arbitrio rem totam relinquens, ideæ suæ primæ manuscriptum eidem misit recognoscendum; rogans, ut omni cum libertate moneret, notaretque singula correctionis alicujus vel explicationis egentia; quod quam studiose fecerit, etiam ad usum meum, in decursu operis apparebit. Interea non verebatur Papebrochius neque vereor ego, ne nobis, Vanslebii Dominicani recentissimum exemplum sequentibus, crimini vertatur, uti ante hac ab æmulis factum, quod ad illustrandam Historiam Ecclesiasticam, scriptoribus utamur, non solum schismaticis, sed etiam Mahometanis, postquam ille temere obgannientium ora obstruxit in Responsionibus suis ad Exhibitionem Errorum ab eo, ut prætendebatur, commissorum in quatuordecim voluminibus nominis ejus titulum præferentibus, inter Acta Sanctorum Martii, Aprilis et Maji; ad quas Responsiones Lectorem remittimus.

19 Hic denique subnectere oportet, quod proprio loco, nescio per quam oblivionem, prætermissum est; ibi scilicet, ubi de Coptorum cum Ecclesia Romana unionibus in decursu operis agebatur, præsertim pag. 85. Legeram jam pridem, ut illic indico, factam esse alteram Coptorum cum Catholicis unionem sub Gregorio XIII : verum cum rei gestæ series memoriæ vitio excidisset, id solum asserere tunc potui quod tenacius inhærebat. Postmodum aliud agens, reperi in Possevino, quod ante effugerat. Habet is Tomo II Apparatus sacri, quæ Lectorum curiositate omnino digna judicavi : *Memphitica Synodus auctoritate*

Gregorii

Gregorii XIII Pont. Max. anno 1582 in mensemDecemb. indicta, tres habuit subinde Sessiones.... Interfuere Primo consessui Episcopi et principes Viri. Secundo autem Patriarcha Alexandriæ, qui in eos atque Æthiopiam habet antiquitus jurisdictionem, Abbates Cœnobiorum, et Primarii viri Triginta. Tertio item iidem, cum Patribus Societatis Jesu, Joanne Baptista Romano imprimis, quos pietas ejusdem Pontif. Maximi eo, suo nomine ut præessent Synodo, cum Pontificio Diplomate allegaverat. In primo autem consessu; de occasione disjunctionis ejus gentis a Romana Ecclesia locuti sunt ita nostri, ut in pseudo-Synodum Ephesinam conjicerent culpam,quam Dioscorus hæreticus Episcopus coegerat haud legitimam, neque Synodi nomine dignam. In ea enim monstrarunt receptam fuisse Eutychetis insaniam, duas negantis in Christo naturas, quam hæresim Chalcedonense legitimum Concilium e sexcentis ac triginta Patribus, Leone primo Pontif. Max. summa consensione damnasset. Quo facto eorum Coptorum majores, homines minime malos, certe non doctissimos, idem fuisse ratos duas naturas in unam verbi conjunctas hypostasim, ac duas cum Nestorio hypostases copulare. Id quod antea vera Ephesina Synodus exploserat. Inde agitur consequentium errorum fontem, ac seminarium exstitisse.

2° *Cum autem demum indagandæ e suis scriptis (quæ vix habebant, et ea quidem exesa vetustate) tempus petissent, dimissa tunc est Synodus. In secundo igitur consessu, cum Copti mordicus suas hæreses sese retenturos assererent, contra quæ nostri antiquissimas Synodes, fidemque, quam illi a B. Marco recepissent, objicerent; urgerent quoque, duas in Christo naturas denegare nil esse aliud, quam miscere ac perturbare universa: et eodem simul negare mendacio, Divinum Verbum humanam induisse naturam, id quod Christianæ aures non ferunt: in alterum mensem rejecta est Synodus. At in tertio consessu, Deo aspirante, Circumcisionis lex primum fuit abrogata. Deinde post sex horarum disputationem de duabus Christi naturis, tandem Synodus universa divino afflatu concordissime sanxit, quod ad rem attinet, una cum Catholicis sentiendum, anathematis pœna proposita; Si quis Christum altera natura spoliaret. Qui cum idem Deus, idem sit verus homo, et divinam habet a Patre jam inde ab omni æternitate naturam, et humanam sumpsit ex Matre, definitis temporum spatiis: Coptos autem, quamquam duarum abstineant naturarum appellatione, non tamen ab iis, Deum et hominem, Christum esse negari: ed ab ea loquendi ratione idcirco refugere, ne consuetudo ipsa loquendi, duas inducere videatur hypostases. Sic peracta quidem res est Kal. Februarii anno 1583. Sed etsi manus dedere veritati, Satanas tamen omni conatu prohibuit, quin Chirographo, quod confessi fuerant, confirmarent; tum Patriarchæ Vicario id procurante, homine pessimo, quique ea ratione consequi se posse Patriarchatum speraverat; tum morte ipsius Patriarchæ, a Turcis quoque, nostris in teterrimum carcerem conjectis, quasi Orientalem illum tractum, sive Pontifici Maximo, sive Regi Catholico subjicere vellent. Quæ calumnia, licet paullo post fuit agnita, Turcæ tamen Proregri accepta fuit occasio, ut quinque aureorum millia nostri persolverent, si vellent liberari. Quam summam, Coptis et mercatoribus numerantibus, charitas Gregorii Pontif. Max. liberaliter restituit.* Hoc satis aperte innuit, nostros Romam, re infecta, redire coactos; ex quo statuet a principio æquus Lector; quam merito sæpein operem dixerim, suspecta mihi esse, quæcumque Copti hactenus speciosis verbis, ad veramerrorum ejuratione visi sunt pollicitari.

SCHEMA PARALLELUM

KALENDARII ÆGYPTIO-ROMANI

Dies anni Coptici.	Dies Mensis Coptici.	Litteræ Calend. Romani.	Dies Mensis communis	Dies Mensis Romani.
I. Thoth			VIII Augustus	
1	I	C	29	IV
2	II	D	30	III
3	III	E	31	Prid.
			IX September.	
4	IV	F	1	Kal.
5	V	G	2	III
6	VI	A	3	II
7	VII	B	4	Prid.
8	VIII	C	5	Non.
9	IX	D	6	VIII
10	X	E	7	VII
11	XI	F	8	VI
12	XII	G	9	V
13	XIII	A	10	IV
14	XIV	B	11	III
15	XV	C	12	Prid.
16	XVI	D	13	Idib.
17	XVII	E	14	XVIII
18	XVIII	F	15	XVII
19	XIX	G	16	XVI
20	XX	A	17	XV
I Thoth			IX September	
21	XXI	B	18	XIV
22	XXII	C	19	XIII
23	XXIII	D	20	XII
24	XXIV	E	21	XI
25	XXV	F	22	X
26	XXVI	G	23	IX
27	XXVII	A	24	VIII
28	XXVIII	B	25	VII
29	XXIX	C	26	VI
30	XXX	D	27	V
II Baba				
31	I	E	28	IV
32	II	F	29	III
33	III	G	30	Prid.
			X October	
34	IV	A	1	Kal.
35	V	B	2	VI
36	VI	C	3	V
37	VII	D	4	IV
38	VIII	E	5	III
39	IX	F	6	Prid.
40	X	G	7	Non.
41	XI	A	8	VIII
42	XII	B	9	VII
43	XIII	C	10	VI
44	XIV	D	11	V
45	XV	E	12	IV

II Baba			X October	
46	XVI	F	13	III
47	XVII	G	14	Prid.
48	XVIII	A	15	Idib.
49	XIX	B	16	XVII
50	XX	C	17	XVI
51	XXI	D	18	XV
52	XXII	E	19	XIV
53	XXIII	F	20	XIII
54	XXIV	G	21	XII
55	XXV	A	22	XI
56	XXVI	B	23	X
57	XXVII	C	24	IX
58	XXVIII	D	25	VIII
59	XXIX	E	26	VII
60	XXX	F	27	VI
III Hathur.				
61	I	G	28	V
62	II	A	29	IV
63	III	B	30	III
64	IV	C	31	Prid.
			XI November	
65	V	D	1	Kal.
66	VI	E	2	IV
67	VII	F	3	III
68	VIII	G	4	Prid.
69	IX	A	5	Non.
70	X	B	6	VIII
71	XI	C	7	VII
72	XII	D	8	VI
73	XIII	E	9	V
74	XIV	F	10	IV
75	XV	G	11	III
76	XVI	A	12	Prid.
77	XVII	B	13	Idib.
78	XVIII	C	14	XVIII
79	XIX	D	15	XVII
80	XX	E	16	XVI
81	XXI	F	17	XV
82	XXII	G	18	XIV
83	XXIII	A	19	XIII
84	XXIV	B	20	XII
85	XXV	C	21	XI
86	XXVI	D	22	X
87	XXVII	E	23	IX
88	XXVIII	F	24	VIII
89	XXIX	G	25	VII
90	XXX	A	26	VI
IV Chiac				
91	I	B	27	V
92	II	C	28	IV
93	III	D	29	III
94	IV	E	30	Prid.
			XII December	
95	V	F	1	Kal.
96	VI	G	2	IV
97	VII	A	3	III
98	VIII	B	4	Prid.
99	IX	C	5	Non.
100	X	D	6	VIII
101	XI	E	7	VII
102	XII	F	8	VI
103	XIII	G	9	V
104	XIV	A	10	IV
105	XV	B	11	III

V Chiac			I December	
106	XVI	C	12	Prid.
107	XVII	D	13	Idib.
108	XVIII	E	14	XIX
109	XIX	F	15	XVIII
110	XX	G	16	XVII
111	XXI	A	17	XVI
112	XXII	B	18	XV
113	XXIII	C	19	XIV
114	XXIV	D	20	XIII
115	XXV	E	21	XII
116	XXVI	F	22	XI
117	XXVII	G	23	X
118	XXVIII	A	24	IX
119	XXIX	B	25	VIII
120	XXX	C	26	VII
V Tuba				
121	I	D	27	VI
122	II	E	28	V
123	III	F	29	IV
124	IV	G	30	III
125	V	A	31	Prid.
			I Januarius	
126	VI	A	1	Kal.
127	VII	B	2	IV
128	VIII	C	3	III
129	IX	D	4	Prid.
130	X	E	5	Non.
131	XI	F	6	VIII
132	XII	G	7	VII
133	XIII	A	8	VI
134	XIV	B	9	V
135	XV	C	10	IV
136	XVI	D	11	III
137	XVI	E	12	Prid.
138	XVIII	F	13	Idib.
139	XIX	G	14	XIX
140	XX	A	15	XVIII
141	XXI	B	16	XVII
142	XXII	C	17	XVI
143	XXIII	D	18	XV
144	XXIV	E	19	XIV
145	XXV	F	20	XIII
146	XXVI	G	21	XII
147	XXVII	A	22	XI
148	XXVIII	B	23	X
149	XXIX	C	24	IX
150	XXX	D	25	VIII
VI Amschir				
151	I	E	26	VII
152	II	F	27	VI
153	III	G	28	V
154	IV	A	29	IV
155	V	B	30	III
156	VI	C	31	Prid.
			II Februarius	
157	VII	D	1	Kal.
158	VIII	E	2	IV
159	IX	F	3	III
160	X	G	4	Prid.
161	XI	A	5	Non.
162	XII	B	6	VIII
163	XIII	C	7	VII
164	XIV	D	8	VI
165	XV	E	9	V

VI Am-

VI Amschir			II Februarius		VII Bermaha			IV Aprilis	
166	XVI	F	10	IV	226	XVI	C	11	III
167	XVII	G	11	III	227	XVII	D	12	Prid.
168	XVIII	A	12	Prid.	228	XVII	E	13	Idib.
169	XIX	B	13	Idib.	229	XIX	F	14	XVIII
170	XX	C	14	XVI	230	XX	G	15	XVII
171	XXI	D	15	XV	231	XXI	A	16	XVI
172	XXII	E	16	XIV	232	XXII	B	17	XV
173	XXIII	F	17	XIII	233	XXIII	C	18	XIV
174	XXIV	G	18	XII	234	XXIV	D	19	XIII
175	XXV	A	19	XI	235	XXV	E	20	XII
176	XXVI	B	20	X	236	XXVI	F	21	XI
177	XXVII	C	21	IX	237	XXVII	G	22	X
178	XXVIII	D	22	VIII	238	XXVIII	A	23	IX
179	XXIX	E	23	VII	239	XXIX	B	24	VIII
180	XXX	F	24	VI	240	XXX	C	25	VII
VII Bermaha					IX Ba scnes				
181	I	G	25	V	241	I	D	26	VI
182	II	A	26	IV	242	II	E	27	V
183	III	B	27	III	243	III	F	28	IV
184	IV	C	28	Prid.	244	IV	G	29	III
					245	V	A	30	Prid.
			III Martius					V Maius	
185	V	D	1	Kal.					
186	VI	E	2	VI	246	VI	B	1	Kal.
187	VII	F	3	V	247	VII	C	2	VI
188	VIII	G	4	IV	248	VIII	D	3	V
189	IX	A	5	III	249	IX	E	4	IV
190	X	B	6	Prid.	250	X	F	5	III
191	XI	C	7	Non.	251	XI	G	6	Prid.
192	XII	D	8	VIII	252	XII	A	7	Non.
193	XIII	E	9	VII	253	XIII	B	8	VIII
194	XIV	F	10	VI	254	XIV	C	9	VII
195	XV	G	11	V	255	XV	D	10	VI
196	XVI	A	12	IV	256	XVI	E	11	V
197	XVII	B	13	III	257	XVII	F	12	IV
198	XVIII	C	14	Prid.	258	XVIII	G	13	III
199	XIX	D	15	Idib.	259	XIX	A	14	Prid.
200	XX	E	16	XVII	260	XX	B	15	Idib.
201	XXI	F	17	XVI	261	XXI	C	16	XVII
202	XXII	G	18	XV	262	XXII	D	17	XVI
203	XXIII	A	19	XIV	263	XXIII	E	18	XV
204	XXIV	B	20	XIII	264	XXIV	F	19	XIV
205	XXV	C	21	XII	265	XXV	G	20	XIII
206	XXVI	D	22	XI	266	XXVI	A	21	XII
207	XXVII	E	23	X	267	XXVII	B	22	XI
208	XXVIII	F	24	IX	268	XXVIII	C	23	X
209	XXIX	G	25	VIII	269	XXIX	D	24	IX
210	XXX	A	26	VII	270	XXX	E	25	VIII
VIII Bermud					X Buna				
211	I	B	27	VI	271	I	F	26	VII
212	II	C	28	V	272	II	G	27	VI
213	III	D	29	IV	273	III	A	28	V
214	IV	E	30	III	274	IV	B	29	IV
215	V	F	31	Prid.	275	V	C	30	III
					276	VI	D	31	Prid.
			IV Aprilis					VI Junius.	
216	VI	G	1	Kal.					
217	VII	A	2	IV	277	VII	E	1	Kal.
218	VIII	B	3	III	278	VIII	F	2	IV
219	IX	C	4	Prid.	279	IX	G	3	III
220	X	D	5	Non.	280	X	A	4	Prid.
221	XI	E	6	VIII	281	XI	B	5	Non.
222	XII	F	7	VII	282	XII	C	6	VIII
223	XIII	G	8	VI	283	XIII	D	7	VII
224	XIV	A	9	V	284	XIV	E	8	VI
225	XV	B	10	IV	285	XV	F	9	V

X Buna			VI Junius	
286	XVI	G	10	IV
287	XVII	A	11	III
288	XVIII	B	12	Prid.
289	XIX	C	13	Idib.
290	XX	D	14	XVIII
291	XXI	E	15	XVII
292	XXII	F	16	XVI
293	XXIII	G	17	XV
294	XXIV	A	18	XIV
295	XXV	B	19	XIII
296	XXVI	C	20	XII
297	XXVII	D	21	XI
298	XXVIII	E	22	X
299	XXIX	F	23	IX
300	XXX	G	24	VIII
XI Abib.				
301	I	A	25	VII
302	II	B	26	VI
303	III	C	27	V
304	IV	D	28	IV
305	V	E	29	III
306	VI	F	30	Prid.
			VII Julius.	
307	VII	G	1	Kal.
308	VIII	A	2	VI
309	IX	B	3	V
310	X	C	4	IV
311	XI	D	5	III
312	XII	E	6	Prid.
313	XIII	F	7	Non.
314	XIV	G	8	VIII
315	XV	A	9	VII
316	XVI	B	10	VI
317	XVII	C	11	V
318	XVIII	D	12	IV
319	XIX	E	13	III
320	XX	F	14	Prid.
321	XXI	G	15	Idib.
322	XXII	A	16	XVII
323	XXIII	B	17	XVI
324	XXIV	C	18	XV
325	XXV	D	19	XIV
326	XXVI	E	20	XIII
327	XXVII	F	21	XII
328	XXVIII	G	22	XI
329	XXIX	A	23	X
330	XXX	B	24	IX
XII Musre				
331	I	C	25	VIII
332	II	D	26	VII
333	III	E	27	VI
334	IV	F	28	V
335	V	G	29	IV
336	VI	A	30	III
337	VII	B	31	Prid.
			VIII Augustus.	
338	VIII	C	1	Kal.
339	IX	D	2	IV
340	X	E	3	III
341	XI	F	4	Prid.
342	XII	G	5	Non.
343	XIII	A	6	VIII
344	XIV	B	7	VII
345	XV	C	8	VI

XII Musre			VIII Augustus	
346	XVI	D	9	V
347	XVII	E	10	IV
348	XVIII	F	11	III
349	XIX	G	12	Prid.
350	XX	A	13	Idib.
351	XXI	B	14	XIX
352	XXII	C	15	XVIII
353	XXIII	D	16	XVII
354	XXIV	E	17	XVI
355	XXV	F	18	XV
356	XXVI	G	19	XIV
357	XXVII	A	20	XIII
358	XXVIII	B	21	XII
359	XXIX	C	22	XI
360	XXX	D	23	X
Epagomeni.				
361	I	E	24	IX
362	II	F	25	VIII
363	III	G	26	VII
364	IV	A	27	VI
365	V	B	28	V

BIS QUINTUS COPTORUM
ET BIS SEXTUS ROMANORUM
Inter se comparati.

361	I	E	24	IX Kal.
362	II	F	25	VIII
363	III	G	26	VII
364	IV	A	27	VI
365	V	B	28	V
366	It. V.	C	29	IV
I Thot.				
1	I	D	30	III
2	II	E	31	Prid.
			IX September.	
3	III	F	1	Kal.
4	IV	G	2	IV Non.
			Et sic porro.	
V Tuba.			XII December.	
121	I	E	28	V Kal.
122	II	F	29	IV
123	III	G	30	III
124	IV	A	31	Prid.
			I Januarius.	
125	V	A	1	Kal.
			Et sic porro.	
VI Amschir.			II Februarius.	
178	XXVIII	E	23	VII Kal.
179	XXIX	F	24	VI Kal.
180	XXX	†	25	Iter. VI.
VII Bermaha.				
181	I	G	26	V Kal.
182	II	A	27	IV
183	III	B	28	III
184	IV	C	29	Prid.
			III Martius.	
185	V	D	1	Kal.
186	VI	E	2	VI Non.

AD BIS QUINTUM

EPAGOMENON

OBSERVATIO

Super intercalatione coptica hic proposita, scrupulum movet Tillemontius in Eumenio. Patriarcha VII, tomo 2, parte 2, pag. 497 editionis Bruxellensis, et obvia erit uniquique difficultas, intercalationem Ægyptiacam cum nostra Juliana conferenti: id vero non semel animadversum, me identidem tricis non contemnendis implicuit. Rei cardinem in exemplo Tillemontii exhibeo. Annus CXLIV nobis fuit bissextilis, vulgata autem opinio est apud Labbeum (Introduc. Chronolog. capite 10, §. 11) anno, nostrum bissextilem præcurrente, intercalare solitos Ægyptios. Quod si ita est, cum annus eorum communis incipiat a XXIX Augusti, addendus fuerit bisque numerandus quintus Epagomenon anno nostro CXLIII, atque adeo initium ejus more Coptico ducendum fuerit, non a XXIX, sed a XXX Augusti. Posito autem hujusmodi additamento, dicendum videtur in eo concursu, diem X Babæ illo anno, non in VII Octobris, qua Eumenius obiit, sed in VIII incidisse; siquidem VII Octobris tunc solum coalescit cum X Babæ, quando nulla intercalatio Coptica facienda est; quæ omnia palam fiunt, tabulam hanc nostram inspicienti.

Hic nodus est, sæpe scindendus potius quam exacte solvendus, quique sæpius in decursu negotium facessere potest, iis potissimum quibus Chronicon Orientale tueri in omnibus propositum esset, aut ubique cum ceteris minutius conferre simul et conciliare. Equidem in hæc mihi tantopere laborandum non censui propter frequentissimos et enormes errores chronologicos in eo Chronico passim occurrentes. Nequid tamen neglectum videatur, monendos putavi eruditos lectores, difficultatem illam nobis tanti visam non esse, ut quoties annus bissextilis occurreret, cœptum semel filum interrumperemus. Idcirco Ægyptiacæ intercalationis nulla ferme ratione habita, ita litterarum dominicalium cyclo usi sumus, dum feria hebdomadæ cum die mensis concilianda fuit, ut Latinorum more, sicut faciendum, cum Chronologis docet Ricciolius, ex duobus annis bissextilis litteris, prior serviat diebus, intercalationem nostram a Kalendis Januarii prægressis, altera vero mensibus intercalationem subsequentibus. Hanc methodum a nobis plerumque servatam invenies, præterquam in Joanne Abulmagedo, Patriarcha LXXIV, ad annum MCCXVI, quo obiit in die Epiphaniæ, tunc in diem Jovis aut Mercurii cadente; ex quibus eum prætulimus, qui magis cum die obitus conveniebat. Scitum est illud Poetæ, *Nequid nimis;* et illud, quo ipsi quoque diligentiæ modum adhibere monemur, *Est aliquo prodire tenus cum non datur ultra.*

Ita plane agendum censui, idque adeo confidentius quod crediderim vix quemquam inventum iri, qui super tantillo negotio cavillari in animum inducat. Neque tamen tacitam velim recentem notitiam a Bernato acceptam, ex qua, si vera est, constat Chronologorum nostrorum de intercalatione Ægyptiaca opinionem, non esse extra controversiam. Juverit ex ipsius responso idipsum cognoscere, novissimo in exemplo propositum. Ex diebus Epagomenis conficiunt Copti breviorem mensem, quem appellant *Nesim* seu *Nesi;* quique solos eos quinque dies complectitur, mensibus Copticis æqualibus superaddendos. Si annus bissextilis fuerit (*Kebus* ipsi vocant) accrescit dies altera, ac proinde, quod nuperrime dicebam, prima mensis *Thot* vel *Thut* ad unum diem differenda est. Sic porro intercalationem fieri tradit præfatus Bernatus. Dum apud nos, inquit, numerabatur annus MDCCIV, Coptis dicebatur annus Martyrum MCCCCXX (intellige ex parte, ut alibi explicatum invenies.) Ipso illo anno intercalatum nobis est XXIV Februarii; Copti vero non anno nostro proxime elapso, ut fert communis et recepta opinio, sed sex tantummodo post mensibus, seu in fine Augusti ejusdem anni nostri MDCCIV, sextum, seu mavis bis quintum Epagomenon adjunxere, sic ut postridie, annum suum Martyrialem MCCCCXXI primum sint exorsi. Utrovis modo fiat, satis manifestum est intercalationem nostram cum Ægyptiaca sex circiter mensium spatio recte coadæquari, sed hæc indicanda videbantur, ut pateat qua ratione, in occursu anni bissextilis, feriam cum die mensis hic et nunc conciliandam statuerimus, spretis minutiis illis, quas operæ pretium non erat scrupulosius examinare. Hanc ergo spartam iis facile concessero, qui cum forte Orientale Chronicon nimium deperiant, rem alicujus esse momenti existimaverint: certe quo magis Historiam illam excutio, eo magis judico non esse luce dignam.

SE-

SERIES

PATRIARCHARUM ALEXANDRINORUM

Ordo	Nomina	Obitus		Ordo	Nomina	Obitus	
		Annus	Dies			Annus	Dies
I	S. Marcus M.	62	25 *April*	XXVIII	Athanasius II	497	16 *Sept.*
II	S. Annianus	84	16 *Nov.*		Esaias		
III	S. Abilius seu Milius	98	29 *Aug.*	XXIX	Joannes I	505	29 *April.*
IV	S. Cerdo	107	15 *Junii*	XXX	Joannes II	517	22 *Maii*
V	S. Primus seu Ephrem	119	27 *Julii*	XXXI	Dioscorus II	520	7 *Octob.*
VI	S. Justus	130	6 *Junii*	XXXII	Timotheus III	537	7 *Feb.*
VII	S. Eumenius	143	7 *Octobr.*		Asterius		
VIII	S. Marcianus	153	1 *Januar.*	XXXIII	Theodosius et Gaianus	567	22 *Junii*
IX	S. Celadion	167	3 *Julii*		Paulus	544	*relegatus*
X	S. Agrippinus	179	30 *Jan.*		Zoilus	552	*abdicatus*
XI	S. Julianus	189	4 *Mart.*		Apollinarius.	569	
XII	S. Demetrius	231	9 *Octob.*	XXXIV	Petrus IV	570	19 *Junii*
XIII	S. Heraclas	246	4 *Dec.*		Joannes	577	
XIV	S. Dionysius	265	9 *Martii*	XXXV	Damianus	607	12 *Junii*
XV	S. Maximus	282	9 *April.*		S. Eulogius	604	
XVI	S. Theonas	300	3 *Januar.*		Theodor. Scriba	606	
XVII	S. Petrus I M.	311	25 *Nov.*		S. Joan. Eleemos.	616	
XVIII	S. Achillas	313	13 *Junii*	XXXVI	Anastasius	614	18 *Dec.*
XIX	S. Alexander	326	17 *Jan.*		Georgius	630	
XX	S. Athanasius I	371	2 *Maii*	XXXVII	Andronicus	621	2 *Januar.*
	Gregorius Arrian.	349		XXXVIII	Benjamin	660	3 *Januar.*
	Georgius Arrian.	361			Cyrus	640	
XXI	Petrus II	380	20 *Julii*		Petrus	650	
	Lucius Arrian.	378		XXXIX	Agathon	678	7 *Octob.*
XXII	Timotheus	385	20 *Julii*	XL	Joannes III	685	27 *Nov.*
XXIII	Theophilus	412	15 *Oct.*	XLI	Isaac	688	3 *Nov.*
XXIV	S. Cyrillus I	444	27 *Junii*	XLII	Simon I	700	18 *Julii*
XXV	Dioscorus Hæresiarcha	454	4 *Sept.*	XLIII	Alexander II	729	1 *Feb.*
Orthod.	S. Proterius M.	457	26 *Jan.*	XLIV	Cosmas	730	24 *Junii*
XXVI	Timotheus II	477	29 *Julii*		Cosmas	743	
Orthod.	Timotheus	482		XLV	Theodorus	742	1 *Feb.*
XXVII	Petrus III	490	28 *Oct.*	XLVI	Michael I	767	12 *Mart.*
Orthod.	Joannes	482	*pulsus*	XLVII	Minas	776	19 *Jan.*
				XLVIII	Joannes IV	799	11 *Jan.*

Anonymus

Ordo	Nomina	Obitus		Ordo	Nomina	Obitus	
		Annus	Dies			Annus	Dies
	Anonymus			LXXVI	Athanasius III	1261	27 *Nov.*
XLIX	Marcus II	819	17 *April.*	LXXVII	Gabriel III	1271	2 *Januar.*
L	Jacob	830	8 *Feb.*	LXXVIII	Joannes VII	1293	22 *April.*
LI	Simeon II	841	30 *Sept.*	LXXIX	Theodosius	1299	31 *Dec.*
LII	Joseph	849	20 *Octob.*	LXXX	Joannes VIII	1320	29 *Maii*
LIII	Michael II	851	17 *April*	LXXXI	Joannes IX	1327	28 *Mart.*
LIV	Cosmas II	858	17 *Nov.*	LXXXII	Benjamin II	1339	6 *Januar.*
LV	Sanitius I	870	19 *April*	LXXXIII	Petrus IV	1348	8 *Julii*
LVI	Michael III	896	16 *Mart.*	LXXXIV	Marcus IV	1363	31 *Jan.*
LVII	Gabriel I	926	15 *Feb.*	LXXXV	Joannes X		
LVIII	Cosmas III	938	27 *Feb.*	LXXXVI	Gabriel IV		
LIX	Macarius I	958	20 *Mart.*	LXXXVII	Matthæus I		
LX	Theophanius	962	6 *Dec.*	LXXXVIII	Gabriel V		
LXI	Minas II	974	11 *Nov.*	LXXXIX	Joannes XI		
LXII	Abraham	979	26 *Jan.*	XC	Matthæus II		
LXIII	Philotheus	1003	10 *Oct.*	XCI	Gabriel VI		
	Arsenius			XCII	Michael VI		
LXIV	Zacharius	1032	3 *Jan.*	XCIII	Joannes XII		
LXV	Sanitius II	1046	29 *Oct.*	XCIV	Joannes XIII		
LXVI	Christodulus	1077	10 *Dec.*	XCV	Gabriel VII		
LXVII	Cyrillus	1092	6 *Junii*	XCVI	Joannes XIV		
LXVIII	Michael IV	1102	25 *Maji*	XCVII	Gabriel VI		
LXIX	Macarius II	1128	19 *Dec.*	XCVIII	Marcus V		
LXX	Gabriel II	1145	5 *April*	XCIX	Joannes XV		
LXXI	Michael V	1147	29 *Mart.*	C	Matthæus III		
LXXII	Joannes V	1166	29 *April*	CI	Marcus VI		
LXXIII	Marcus III	1189	1 *Jan.*	CII	Matthæus IV		
LXXIV	Joannes VI	1216	6 *Jan.*	CIII	Joannes XVI		
LXXV	Cyrillus III	1243	10 *Mart.*				

AD SERIEM CHRONOLOGICAM PATRIARCHARUM ALEXANDRINORUM DISSERTATIO FUNDAMENTALIS

JOANNIS BAPTISTÆ SOLLERII S. J.

De sancti Marci Apostolatu et obitu.

§. I. *Orientalium et Arabum de anno obitus S. Marci hallucinationes.*

Post illustrata utcumque ab Henschenio Acta S. Marci,

HINC auspicamur Patriarcharum Alexandrinorum seriem Chronologicam, posito semel fundamento tutius ex ordine ad reliqua processuri. S. MARCUM; primum Ægypti et finitimarum Regionum Apostolum, Ecclesiæ Alexandrinæ Fundatorem et Protopatriarcham extitisse, nemo, opinor, hodie inficias ibit; quidquid Episcopatum aut Patriarchatum ejus ii in dubium revocent, quibus excludere eum lubet, quod Annianus alicubi primus Alexandriæ vocetur Episcopus; quasi non aperte testetur Eusebius Hist. Eccl. Lib. 2, cap. 24 editionis Valesianæ; et in Chronico ad annum Neronis VIII, sedisse Annianum μετὰ τὸν Ἀπόστολον καὶ Εὐαγγελιστὴν Μάρκον, Gloriosissimi Evangelistæ hujus Vitam, solita sua eruditione, in Actis Sanctorum illustravit Godefridus Henschenius (non Bollandus, ut aliqui perperam citant) ad XXV Aprilis, quo Lectorem remittimus, ut de rebus gestis et martyrio doceatur: nobis illud hic unice præ oculis est definire, quo demum anno in Ægyptum pervenerit, quove anno et die martyrium consummaverit.

primi Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopi,

C

remansit definiendus annus martyrii,

2 Rem intricatissimam non satis dissolvisse videtur laudatus Henschenius. Etenim in Commentario prævio §. 2, relatis Severi seu Chronici Orientalis ab Echellensi editi verbis, Actisque nonnullis MSS. in eam sententiam propendet, ut MARCUS, anno XIV Neronis seu imperante Galba, hoc est Christi LXVIII, occisus dicatur; contra quam scripserunt Eusebius, Hieronymus, Beda, aliique cum Baronio et recentioribus passim; uno excepto, quod sciam, Tillemontio, in hoc Henschenium secuto. Nec mihi a Majorum placitis discedere integrum putarem; nisi Henschenius ipse, rem a se non omnino discussam, fateretur, dum ita concludit; *Malumus hæc Lectori ulterius discutienda proponere, quam dictæ sententiæ mordicus adhærere.*

ex quo pendet tota successorum chronologia.

3 Non potuit, rei huic discutiendæ opportunior afferri locus, quam quo figenda est epocha, cui deinde tota Patriarcharum nostrorum chronologia superstruatur. Non me latet, esse quam implexissima et obscurissima celeberrimæ istius Ecclesiæ primordia, eaque potissimum quæ S. MARCI Apostolatum et mortis tempus circumstant. Sunt qui Tiberio imperante, Evangelium a S. Marco Ægyptiis et vicinis populis annuntiatum tradunt, ex Menologio Basilii Imperatoris Porphyrogeniti, atque ex Synaxario veteri Græcorum in membranis, quod exstat in Collegio nostro Claromontano Lutetiæ, ubi de Marco dicitur, κατὰ τοὺς χρόνους Τιβερίου Καίσαρος τὸν Χριστοῦ λόγον ἀνεκήρυξε. Chronicon vulgo Alexandrinum, Papebrochio Constantinopolitanum, Cangio Paschale dictum, signat annum III Caii Caligulæ. Alii sub Claudio anno II et III cum Eusebio et Hieronymo, alii IV ut habent Monumenta Coptica Patris Bonjour pag. 17; alii IX, cum Eutychio id factum volunt; alii, juxta Chronicum Orientale Echellensis, ad Neronis tempora differunt; alii alia, quasi de industria, ad involvendum negotium, comminiscuntur. Perturbata vides omnia: nec minus incomperta, quæ de anno et die obitus memoriæ prodita sunt.

Aliis alium statuentibus,

ipsisque Ægyptiis, unde lux peranda erat, tenebras affundentibus,

F

4 Dolendum vero illinc plus affusum esse caliginis, unde lucis aliquid sperabatur. Scriptores Ægyptios intelligo, ab annis nondum quinquaginta Latine editos, et publici juris factos, Eutychium Alexandrinum, Severum, ex quo Chronicum Orientale Echellensis; et Abulbaracatum Vanslebii, quorum hic seculo XIV; Chronici collector, XIII; primi duo, seculo X floruere; ac proinde non sunt tantæ aut vetustatis aut auctoritatis, ut ex eorum fide, antiqua et probata Ecclesiæ monumenta concuti, nedum convelli possint. Equidem quo attentius eorum scripta considero, ut quam modestissime dicam, suspecta habeo plurima, tum ad temporum rationem, tum ad res ipsas spectantia. Alii aperte edicunt, eos ineptiis, fabulis, mendaciis, seu mavis incertissimis popularibus traditiunculis plerumque adeo scatere, ut difficillimum sit verum a falso discernere. Neque Acta ipsa ab Henschenio relata, iis omnino immunia esse, ex nonnullis suo loco expendendis patebit. Acta S. Marci, Arabice a Petro Kirstenio edita, quorum meminit Seldenus, quam ætatem redoleant, nescio, nec ipsa consulere licet. Ceterum, cum Arabibus aliis dissonent, quanti momenti esse debeant, ex illis quæ mox subjiciuntur, facile quivis intelliget. Itaque ad tutius procedendum, ea primum rejicienda sunt, quæ ut minimum valde suspecta apparebunt;

non sine admixtione fabularum,

A parebunt; ut quod verosimilius fuerit, ex melioris notæ scriptoribus demonstretur.

AUCTORE. J. B. S.

quas novis figmentis cumulavit Eutychius Patr.

5 Eutychius Patriarcha Alexandrinus, non Orthodoxus, sed Melchita, Græcanico tunc Schismati implicitus, eruditorum ingenia non parum exercuit. Qua vero hac in re auctoritate pollere debeat aut possit, ex variis erroribus, in sola lacinia, a Seldeno tantopere ponderata, detectis, æquus Lector statuere poterit. De ordinandi Patriarcham potestate Presbyteris concessa, de primis Episcopis a Demetrio in Ægypto creatis, de origine nominis Papæ, suus erit disserendi locus; ea jam unice expendo, quæ a receptissima chronologia immensum abhorrent. Non sum ignarus, calculos Orientalium, ut vulgo dicitur, modo septennio, modo octennio nostros antevertere; nec de eo laborandum crederem, nisi ipse et socii sæpe omnia sus deque verterent, nullo ordine, nulla sibi regula præfixa. En pauca de multis, quæ vel legentis oculos continuo offendant.

plura absona commentus de S. Marci initio et fine,

6 *Annus agebatur* (inquit) *Claudii Cæsaris nonus, cum Marcus Evangelista in urbe versatus est Alexandriæ*, hoc est, Alexandriam venit: erat is Christi XLIX. Finem jam connecte cum principio. Ait, B Marcum, cum Alexandriæ aliquamdiu fuisset commoratus, *profectum esse in Barcam:* tum subdit: *atque erat Marcus, Evangelii Auctor in Alexandria et Barca annis* VII; *et anno Imperii Neronis Cæsaris jam dicti primo, occisus est Alexandriæ*, nempe Christi LIV. Ego hic annos quinque, non septem invenio. Minutias condonemus. Occisum jam dixit Marcum anno Neronis primo Alexandriæ; ante autem asseruerat; *quod tempore Neronis Cæsaris scripsit Petrus Apostolorum Princeps Evangelium Marci cum Marco, lingua Romana, in urbe Romæ, et attribuit illud Marco.* Plura hic fingit Eutychius, merito castiganda. Illud quis credat? Tempore Neronis Cæsaris Evangelium a Marco scriptum Romæ, et primo Neronis anno Marcum Alexandriæ occisum? Corpus Marci igne crematum attexit, qua fide viderint alii. Turpissime labitur in assignando anno martyrii S. Petri, quem sub annum XXII post Dominum nostrum JESUM CHRISTUM cruci affixum narrat, insigni annorum circiter XIII anachronismo. Ubi rursus notatu dignum, Petrum et Marcum eo ipso anno scripsisse Evangelium, quo occisi sunt, ille Romæ hic Alexandriæ, quod nemo ante Eutychium somniaverat. Si vero Petrus anno LIV martyrium subiit, et sibi iterum C aperte contradicit Eutychius, et falsum erit Petrum sub Nerone cecidisse, utpote qui non ante XIII Octobris anni illius LIV Imperium capessivit, Petro XXIX Junii præcedentis, jam cruci affixo. Quid quod Neronem Claudii filium faciat? certe adoptivum, vel potius generum dicere oportebat.

scripto per eum Evangelio,

aliisque eumdem spectantibus,

Seldeno tamen valde laudatus.

7 Pluribus supersedeo, non minus inepte consarcinatis, ob quæ magno suo merito a Raynaudo vapulat. Faustus Naironus, eum ut impostorem traducit, ut alibi dicam: plura addit Pearsonius in Vind. Ignat. a pag. 171; neque Pocochius ipse interpres, elogio magis decoro eum exornat. Mirari sane liceat Seldenum, virum cetera eruditum, Echellensem, et alios Eutychianis illis figmentis, aut excusandis, aut explicandis tantum operæ insumpsisse. Mirari, inquam, liceat eo in pretio Seldeno fuisse, ut ita magnifice pronuntiarit: *Mihi sane Eutychius in hisce est, veluti Beda plane Ægyptius;* et alibi, *Annales ejus ipsis Ecclesiæ Alexandrinæ archivis plurima debere, nullus dubito;* nimirum ex archivis ante aliquot secula igni consumptis, in quibus legerit, Origenem tempore Justiniani extitisse. Satis de Eutychio.

8 Chronicon Orientale edidit Echellensis Parisiis an. MDCLI, eique inseruit Historiam Patriarcharum D Alexandriæ, desumptam (ut creditur) ex Historia Ambæ Severi, Jacobitæ Episcopi Ischmunim, quem vixisse, ait Vanslebius, anno Martyrum DCLXXXVII, Christi DCCCCLXX, quam deinde auctor Coptita nescio quis, ad usque seculum XIII, eodem quo cœpta est stylo, continuavit. Eam Historiam passim ineptissime consutam, certioribus monumentis destituti, nonnumquam sequi cogimur; ceterum in iis quæ de Marco narrat, eo mihi fere loco est quo Eutychius; nec satis capere valeo, quænam hic scriptor monumenta antiqua consuluerit, adeo symmistis suis repugnantia, ut eis passim adversetur. Audi paucula. Jam Eutychius prodidit, anno Claudii IX, Christi XLIX, Marcum Alexandriæ versatum. Si Chronico credimus, non ante VII Neronis annum, Christi LX aut LXI, illuc pervenit.

Non multo fidelius est Chronicon Orientale,

9 Quomodo hic Eutychium cum Chronico componi facile posse Tillemontius viderit, Nota VII in Marcum, haud satis intelligo. Ex Eutychio Marcus, cum Anniano Patriarcha, ordinavit Presbyteros duodecim etc. Chronicon solos tres Presbyteros nominat, et Diaconos septem. Ille Marcum occisum retulit, uti et Petrum, anno Neronis primo, Christi LIV; Chronicon, *anno a Domini nostri Jesu Christi in cœlos Ascensione* XXXV, Marcum *adfuisse* scribit E *martyrio duorum Apostolorum Petri et Pauli, et iterum Alexandriam reversum.* Quid multa? Idem ipsum Chronicon, ubi Evangelistam interemptum dixit, *anno ab Incarnatione Domini* LXVII; paulo post sui immemor, martyrii coronam consecutum testatur, *anno* LXVII *et mensibus quibusdam ab Ascensione divina.* Credant qui volent; apud cordatos certe exigui ponderis esse oportet hujusmodi Historias.

Eutychio in multis contrarium,

imo et sibi ipsi.

10 Abulbaracatus, in suo apud Vanslebium Patriarcharum catalogo, mendis refertissimo; ut mirabiliora de Marco comminiscitur, ita aliis longius a vero aberrat. Sufficient bina tantummodo specimina. MARCUM Evangelium suum Romæ scripsisse affirmat lingua Franca (Latinam intelligit) annis duodecim post Ascensionem Domini, nempe æræ communis XLV; et XXV post annis Alexandriam a Petro missum, quod est (ut ipsi nugari placet) Claudii Cæsaris IX, Christi XLIX. Atque audi, ne parum hallucinatus dicatur, enormiori lapsu reliquos sigillat; Evangelistam martyrium subiisse asserens, *imperante Tiberio Cæsare*, quem scimus vita functum anno Christi XXXVII. Plura referre non vacat. Ex hactenus commemoratis non absurde quis conjiciet, F parum authentica, seu mavis fabulosa, esse vetera Ægyptiorum monumenta ecclesiastica, ex quibus tam opposita scriptores tradiderint, ut sibi ipsis cohærere nullatenus queant.

Catalogus denique Abulbaracati mendosissimus est.

11 Hæc præmittenda fuerunt, ne cui fortasse mirum videatur, nullam apud nos, in statuendo Chronologiæ nostræ principio, Orientalium istorum rationem haberi. Ipsorum Annalibus nihil detractum cupio, præsertim ubi res tractant ad suam ætatem magis accedentes, quarumque proinde notitia certior ad eos promanavit. At vero quid talium Scriptorum auctoritas valeat ad faciendam fidem, non video; quando Eusebius, Hieronymus, aliique probatissimæ notæ scriptores suppetunt, certius et simplicius Christianarum Ecclesiarum primordia enarrantes, quos nemo negaverit novitiis illis Chronicis longe præhabendos. Itaque, ut semel dicam, de Annalibus illis Arabicis ita statuendum existimo, ut quoties nostris consentiunt, aut saltem cum iis conciliari possunt, admittantur: sin repugnantia, vel, more suo, depravata tradiderint, tamquam dubia et incerta repudientur; donec aliunde roboris aliquid, seu majoris lucis accesserit; idque in iis maxime, quæ primorum seculorum res gestas complectuntur.

Certiores duces nobis erunt Eusebius, Hieronymus, etc.

A plectuntur. Alias verendum puto, ne istiusmodi fabulosis narratiunculis rerum nostrarum Historiæ enerventur potius, quam confirmari queant.

etiam præ Actis S. Marci quibuscumque,

12. Examinandum superest, utrum ex S. Marci Actis, ab Henschenio recitatis (ubi annus Neronis XIV ejus martyrio tribuitur) erui quidquam certi possit, ordinandæ Chronologiæ conveniens. Nota in titulo Henschenius, ea ex duodecim MSS. Latinis et Græcis esse compilata; unumne vero, an plura annum illum Neronis exprimant, non invenio explicatum. Manuscriptum, quod apud nos exstat, a Theodorico Pauli sub finem seculi XV exaratum, et quo multum Henschenius usus est, anno quidem Christi LVII Marcum Alexandriam perducit; sed de anno obitus non meminit. Ut ut est, ex una alterave Actorum illorum periodo planum fit, quam parum ad temporis rationem investigandam conferre possint. Ita habent num. 7: *Factum est autem ut beatissima festivitas nostri Paschatis, id est Dominicus dies sanctus, occurreret vigesimo die mensis Barmuti, quod est VIII Kal. Maji, quo tempore eorum* (Alexandrinorum) *Serapiaca agebatur celebritas etc.* Serapiaca illa celebritas ut constat ex Kalendario Constantiniano

in Paschate occisum statuentibus,

B (quod mutilum Ægidius Bucherius Commentariis in Victoris Canonem, mensibus scilicet Martio, Aprili, Majo et Junio truncatum, integrum Petavius Uranologiæ suæ inseruit, et Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensi, Petrus Lambecius libro 4.) Serapiaca, inquam, celebritas illa agebatur, non VIII, sed VII Kal. Maji, sive XXV Aprilis. Quomodo igitur connecti potest cum XX Barmuti, quæ est Aprilis XV? Quomodo, inquam, Aprilis XV jungi potest cum solennitate Paschali, quæ ab anno LIX ad LXX in talem diem non incidit? Inversa hic plurima, et iis contraria quæ num. 12 exhibentur, ubi recte trigesimus Barmudæ, sed male Neronis Imperii annus XIX, indicatur.

et quidem dum Serapiaca agebantur;

13 Multa præterea habent MSS. illa, valde inconcinne combinata, quorum nonnulla expendit Tillemontius, tom. 2. Historiæ Ecclesiasticæ part I. editionis Bruxellensis MDCXCV, pag. 388 et seqq. Mihi ostendendum erat, calculos non recte compositos esse, atque adeo nec tales, quorum de causa vulgatissima Eusebii, Hieronymi, aliorumque Chronologia desereretur. Nec magis me movent Acta S. Barnabæ ad XI Junii, sub nomine Joannis Marci relata, et Magistri mei Papebrochii Notis illustrata; neque etiam Laudatio Alexandri Monachi Ægyptii, ubi in fine capitis 2 multa de Marco narrat, aucto-

neque juvant Acta S. Barnabæ, æque mendosa.

C ribus nostris contraria. Primum enim opus et supposititium est, et mendis refertissimum, ut modeste dicam. Alexander, Encomium non Historiam texit, nonnulla admiscens, sacris litteris non satis conformia; præterquam quod junior sit, quam ut cum antiquis nostris veniat in comparationem. Nunc rem ipsam propius intueamur, ex aliis Latinorum tantummodo et Græcorum auctoritatibus, quantum per caliginosa temporum illorum vestigia licuerit, probabiliora determinaturi.

§. II. *Apostolatus Ægyptius, varie a variis ordinatus, certiori calculo digestus.*

Rectius sub finem Tiberii Ægyptum,

Quam variæ, quam pugnantes sint circa primam S. MARCI susceptam in Ægyptum Apostolicam expeditionem opiniones, supra annotavimus. Quot capita, tot sententiæ; easque quo examinaveris diligentius, tanto ambigas magis fluctuesque; incertus, quid postponas, quid præferas. Id nobis agendum, ut, quam maxime fieri poterit, verisimilitudine discordias componere enitamur. Qui sub extremis Tiberii annis profectum in Ægyptum Evangelistam affirmant, nihil asserunt quod probabilitatis limites excedat. Quid enim vetat credere, Marcum, jam a D
Petro triennii spatio institutum, proximas Ægypto regiones peragrasse annis Christi XXXVII, XXXVIII et XXXIX, donec anno XL Alexandriam progressus sit, imperante Caio Caligula, ut statim dicemus? Hoc admisso, faciliorem ad concilianda reliqua viam licebit sternere.

AUCTORE J. B. S.

et sub Caio, Alexandriam venisse dicetur Sanctus,

15 Qui ad postremos Claudii annos Apostolatum differunt, vel ad Neronis initia, prædicationem nimium coarctare videntur; præterquam quod Eusebio, Hieronymo, Chronico Alexandrino, aliisque aperte contradicant. Accedit, quod verosimile non sit, regiones Palæstinæ adeo propinquas, tamdiu Evangelii luce privatas, consentientibus omnibus, Marcum primum fuisse qui illud ibi annuntiaverit. Quod si verum est, Philonem de Christianis agere sub nomine Therapeutarum, eumque ætatis jam satis provectæ fuisse, dum sub Caio Caligula, circa annum XL, pro suis Judæis Romæ legationem obiret; quomodo res Christianorum perspectas habere potuit, qui tam sero innotuerint? Adde quod communis persuasio ferat, in Orbis divisione, inter Apostolos et Discipulos, Marco Ægyptum obtigisse; quis E
obsecro hactenus eam partitionem ad annum XLIX, nedum ulterius distulit?

quam sub Nerone;

16 Conjecturis agimus, in ea certiorum argumentorum penuria, quas tamen aliquantulum stabilire conabimur. Si me judice controversia dirimenda sit, non incongrue adversantia testimonia ita conciliari posse opinabor, ut auctores nonnullos de primo Marci in Missionem adventu locutos, alios de reditu exponendos existimem. Rem ita concipio. MARCUS Evangelii semina in Thebaide, Libya, Marmarica, Ammoniaca; Pentapolitana aut Cyrenaica, Ægypto, per aliquot annos sparserit; inde redierit ad Petrum, anno fortasse XLIV; quem Romam secutus, ibi, Romanis ita postulantibus, quæ, a S. Petro concionante audiverant, scripto Evangelio tradiderit (id enim Romæ, non in Ægypto factum, contra Chrysostomum, Historici prope omnes tuentur) rursus ad gregem sibi concreditum postliminio reversus. Nihil hic, quod magnopere vituperari possit video; nam et ii, qui a nobis dissentiunt, alia de causa Marcum Alexandria Romam, et hinc iterum Alexandriam migrasse, absque ullo scrupulo concedunt, ut Tillemontius ipse non uno loco fateri cogitur. Neque est quod quis objiciat multiplicandas eo pacto Evangelistæ peregrinationes, admittendumque F
quinies aut sexies ultro citroque commeasse. Minime vero: abunde nobis fuerit, si semel Ægypto egressus, Petrum consuluisse dicatur.

tum Romam reversus ad Petrum,

scripto ibi Evangelio rursus profectus Alexandriam.

17 Scio Eusebium, Hist. Eccl. lib. 2. cap. 15 et 16, ita de Marco scribere, ut insinuet, Evangelium ab eo, ad Romanorum instantissimas preces, prius conscriptum, quam in Ægyptum perrexerit. Et subscribere videtur Epiphanius, Hæresi 51: *Marcus, jussus a S. Petro Romæ Evangelium edere, mittitur a S. Petro in Ægyptiorum regionem.* Verum hic Rhodus, hic saltus, cui superando multi frustra insudant, nisi media aliqua via ineatur: nec video, qua alia ratione Eusebius secum ipse componi omnino queat. Siquidem in Chronico editionis Scaligeri scribit, ad annum Claudii secundum, hoc est Christi XLII vel XLIII (Hieronymus, inquit Tillemontius, annum præcedentem signat, imo subsequentem, Claudii III, apud Pontacum:) *Marcus Evangelista, interpres Petri, in Ægypto et Alexandriæ Christum annuntiat.* Quis ex hujusmodi verbis concludet, Marcum ante eum annum Alexandriæ et in Ægypto non fuisse? Jam vero Tillemontius aliique, certum putant, tunc temporis Evangelium necdum a Marco descriptum, sed anno primum XLV aut serius, cum post captivitatem Herodianam S.

Ita secum se conciliatur Eusebius, et cum eo Epiphanius,

quique, post aditam Ægyptum, asserunt Evangelium scriptum,

AUCTORE J. B. S.

A S. Petrus Romam rediisset. Qui ergo Eusebius in Historia asserere posset, non nisi exarato Evangelio, *Marcum a S. Petro missum in Ægyptiorum regionem*, quem triennio citius *in Ægypto et Alexandriæ Christum annuntiasse* in Chronico dixit? Fallor, si ea rectius explicari queant, quam quo a nobis conciliantur modo. Marcus, ut supra innuimus, vertente Tiberii imperio, anno Christi XXXVI aut XXXVII, vicinas Ægypto regiones ingressus, iis excolendis triennium impenderit; donec anno circiter XL, Ægyptum primum attigerit, deinde Alexandriam progressus.

Cur enim non cito adierit oblatam sibi sorte provinciam?

18 Probabilissimum est, nec dissentit Tillemontius tom. I pag. mihi 1172, Apostolos in varias missiones distributos eo anno XXXVI, ad quem Antiochenæ Ecclesiæ fundatio ab Eusebio reducitur, quando Evangelium gentibus annuntiari cœpisse, sine controversia admittitur. Atqui in confesso etiam est, MARCUM primum et unicum Ægyptiorum fuisse Apostolum Quid igitur adeo vacillandum in Ecclesiæ illius primordiis stabiliendis? Rursus quid obest, quo minus in Ægypti finibus hæserit ad unum aut alterum annum, quousque commoda ad urbem ipsam Alexandrinam via aperiretur? quod B satis opportune ad annum XL reducimus. Enimvero Acta apud Henschenium, et Arabes ipsi, expresse affirmant, Marcum satis diu circumjectis populis prædicasse Evangelium, antequam a Spiritu sancto moneretur de petenda Alexandria.

Favet conjectura huic Chronicon Paschale aliique,

19 Conjecturam hanc nostram claris adeo testimoniis confirmant auctores non minimæ notæ, ut eam reliquis omnibus opinionibus anteferre non dubitem. Chronicon Alexandrinum seu Paschale (ut vocat Cangius) ad annum Caii Caligulæ III, Christi XXXIX aut XL, in rem nostram testatur: *Marcum Evangelistam, apud Ægyptios et Alexandrinos diversatum, verbum Christi annuntiasse, primumque Alexandriæ Ecclesias constituisse, quibus præfuit annos* XXII. Consentit Anastasius in Historia, anno Christi XL ita scribens: *Marcus Evangelista, Ægypto et Alexandriæ salutare verbum evangelizabat.* In eadem sententia est Georgius Syncellus, ipso illo anno XL iisdem prope verbis usus: *In Ægypto et Alexandria salutis verbum Marcus annuntiat.* Liceat modo ab eo anno XL, Episcopatus seu Patriarchatus Alexandrini exordium deducere. Statuam subinde, hæsisse Marcum in Ægypto et Alexandriæ, usque ad annum XLIV; quo ad Petrum, captivitati Herodianæ ereptum, in Palæstinam accesserit; eum Romam comitatus sit; ibi Evangelium scripserit; et ipsam (si ita vis) Petri epistolam, Babylone (hoc est Romæ) datam; ubi aperta *Marci filii* habetur mentio; atque inde, anno fortasse primum Claudii nono, Christi XLIX, ad suos Ægyptios remeaverit. Certe, hoc geminatæ Marci profectionis beneficio, et Eusebius secum ipse componitur, et difficultates Tillemontii nullo negotio dissolvuntur: præterquam quod Chronici narratio in annum mortis Evangelistæ aptissime quadret, ut mox, Eusebio ipso suffragante, ostendam.

nec est quod dissuadeat, Marcum, reverso Romam Petro, C *eo etiam rediisse sub an. 44*

Aquileiæ Ecclesiam ordinasse an. 46,

20 Nolim hinc dissimulare quod de Patriarchatu Aquileiensi, objicere nonnemo posset. Nota est controversia, aliis, constanti traditione, eum a S. Marco erectum contendentibus, aliis contra totam narrationem ut commentum respuentibus. Nihil ad nos spectat de rei veritate hic decernere. Neque aio, neque nego. Fuerit tamen Marcus primus etiam Aquileiensium Apostolus, per me licet; virum sanctissimum (ut Acta apud Henschenium referunt) Hermagoram successorum ordinaverit; Romam et Ægyptios suos postmodum repetierit. Totam Historiæ seriem in systemate a nobis posito facillime sustineri, nemo non videt, annorum ordine tantillum immutato. Non est inverisimile, D Marcum, Evangelio Romæ elucubrato, missum fuisse a Petro Aquileiam, anno Christi circiter XLVI. Commoratum illic cogitemus ad annum usque XLVIII, Petrum denuo inviserit; tandem ad Alexandrinos regressus, anno Claudii IX, Christi XLIX, ut sæpe diximus. Disceptare non lubet; si hæc non placeant, aliud invenias, quod probabilitatis limites non excedat. Ad annum mortis Evangelistæ disquirendum progredimur.

in Ægyptum remeasse anno 49,

ac denique Alexandriæ occubuisse,

21 Jam satis præmonui, Arabum testimonia, de Apostoli nostri obitu, nullius apud me momenti esse, saltem quod annum attinet, adeoque ipsorum causa nullatenus a recepta chronologia recedendum. Facilis igitur et expedita res est. Eusebius prælaudatus, Hist. Eccl. lib. 2 cap. 24 ita loquitur: *Interea, Nerone Octavum Imperii annum agente, primus post Marcum Evangelistam, Alexandrinæ Ecclesiæ administrationem suscepit Annianus.* Græcos alios non adjungo, Zonaram, Nicephorum, etc. quoniam Eusebii testimonium iisdem terminis transcripsisse liquido apparet. Porro de Marci obitu ea esse intelligenda, nec adversarii ipsi negant, nec dubitare sinit S. Hieronymus de Scriptoribus Ecclesiasticis, clarius rem conficiens his verbis: *Mortuus est autem* (Marcus) *octavo Neronis anno, et sepultus Alexandriæ, succedente sibi Anniano.* Citat præterea Seldenus, in Eutychianis commentariis, Sophronium, ac tritissima Martyrologia, Bedæ scilicet aliorumque. Addere poterat Baronium et chronologos, passim in hanc sententiam conspirantes, tametsi pro diversa computandi ratione, in aptandis Neronis annis ad Christianam epocham, non omnino conveniant. Nihil eos moror, qui Baronium secuti, expuncto Probi biennio, ab aliis dissentiunt; mihi octavus Neronis annus juxta probatissimam Labbei, Pagii, et aliorum Chronologiam, incipit a XIII Octobris anni LXI: unde consequens est, Annianum probabilissime ordinatum anno LXII; eique ipsi S. Marci obitum innectendum; ut recte advertit Ricciolius, Chronologiæ reformatæ tom. 3 in catalogis Patriarcharum pag. 17.

an. 8 Neronis, Christi 62, juxta communem sententiam, E

port annos 22 ab adventu, Alexandriam,

22 Omnia in hunc annum bellissime quadrant, quæ ex Chronico Paschali supra memoravimus; Eusebio et Hieronymo, velint nolint, consentientibus. Tribuuntur illic Patriarchatui S. Marci anni XXII. Inchoentur illi ab anno XL, ad LXII Evangelistæ exitum aptissime perducent. At, inquies, Prædicationis Apostolicæ initia ad Tiberii imperium re- F ferri posse, supra admisimus. Quid tum postea? Multum per omnem modum. Etenim cum Tiberius anno XXXVII vivere desierit, non solis XXII, sed XXV annis Marci Episcopatum durasse concedere tenebimur. Respondeo, non diffiteri me, Marci prædicationem Ægyptiacam, interrupta tamen serie, ad annos XXV extendendam; verum Chronici Paschalis auctoritatem nullatenus inde infringi ex eo patet, quod auctor ille, Episcopatus annos numerare solum incipiat, ut debet, a primo Marci Alexandriam adventu, seu ab Ecclesiæ Alexandrinæ constitutione et fundatione, in quo nihil non ordinatissime statuitur. Sane ii, quibuscum hic pugno, fatentur (ut alias dixi) Marcum satis diu in finitimis Ægypto provinciis, et (si ita vis) in ipsa Ægypto proprie dicta laborasse, priusquam impellente divino Spiritu, Alexandriam duceretur, ut videre est apud sæpe laudatum Tillemontium. Nihil igitur ex jam dictis in anno adventus et obitus hæsitandum. Quod reliquum est de mortis die inquirendo, breviter exequamur.

a prædicationis initio anno 25.

§ III

A

§. II. *Dies mortis, cum Serapiatis et Dominica Paschali, an et quomodo possit conciliari?*

Mota ex die Paschæ difficultas,

Hic nobis negotium facessunt, præter Arabes, quos judicio exclusimus, Acta ipsa et Martyrologia pleraque, Bedæ præsertim; aperte affirmantia, Marcum *die Festo Paschæ* a Paganis comprehensum; aut ipso die aut sequenti immanissime jugulatum. Torquet eruditos omnes illud *Festum Paschæ*, in xxix aut postremam Barmudæ, hoc est in xxiv aut xxv nostri Aprilis incidens, (inepte hic dies ab aliquibus confunditur cum xxiv Nisan) ubi constat ab anno Christi xlv ad finem usque primi seculi, nullum Paschæ festum aut xxiv aut xxv Aprilis in Ecclesia celebratum. Ita scilicet arguunt, qui hodiernis nostris tabulis Paschalibus innixi, ad earum normam exigi volunt, quidquid quovis tempore olim accidisse comperimus. Quasi nesciant, non primis solum duobus seculis desideratos hujusmodi exactos calculos, verum etiam seculis posterioribus, tertio, quarto, quinto, de terminis Paschalibus graves exortas esse controversias; de quibus eruditissime ad Victorii Canonem disputat Bucherius noster, ostendens, nec a Concilio Nicæno accuratissimos eos limites præscriptos, nec diu etiam post, aut receptos universim aut observatos fuisse. Hæc eo dicta sunt, ne quis absurdum putet, si eo, quo Marcus passus est anno, Dominica resurrectionis, apud novitiam illam Christianitatem, xxiv aut xxv Aprilis celebrata dicatur, quod mihi nec asserere lubet, nec omnino negare.

gratis supponit, illud tunc constitutum fuisse;

B

nec sic potest obitus cum Paschate conciliari,

24 Sit ita tamen, more hodierno Pascha egerit Marcus; hypothesi insistendo, certum est difficultatem non adeo commode explanari posse. Qui Marcum, aiunt, diversum a communi ritum in Paschatis celebratione observasse, ut id pro arbitrio adstruunt, ita, nec quis iste, nec qualis esse potuerit, indicare curant. Alii solvendo nodo, ferrum, ut ita dicam, admovent; pro arbitrio statuentes, Marcum ipsa Paschatis solennitate ab Idololatris raptatum, donec putaretur emisisse spiritum; sublatum autem a fidelibus respirasse tantillum, animamque traxisse ad usque xxv Aprilis; quod mihi nequaquam fit verosimile, scriptoribus omnibus contrarium communi propeconsensu testantibus. Plausibilius aliquid comminiscerentur, si Actis et Martyrologiis opponerent Martyrologium Hieronymianum ex recensione Florentinii, aliaque plura ab Henschenio enumerata, in quibus Natalis Marci ad xxiii Septembris; vel Menæa, ubi ad xi Januarii collocatur; totam illam de Dominica et Paschate historiam apocrypham pronuntiantes. Verum nec hujusmodi effugiis quidquam proficitur. Quid tandem?

C

sed obierit in Serapiis, post illud actis,

25 Minus adhorreo ab opinione Magistri mei Papebrochii, existimantis, popularem illum furorem in Marci excidium commotum esse, occasione celebritatis, non Christianæ, sed Idololatricæ; qualis deprehenditur agi solita in honorem Serapidis, vii Kal. Maji, seu xxv Aprilis, ut supra ostensum est. Favet non parum huic conjecturæ citata ab Henschenio Vita manuscripta, assignans Evangelistæ martyrio *celebritatem Serapiacam*, licet eam male confundat cum viii Kal. Maji, et hunc pejus cum xx Barmudæ, vel ut in aliis exemplaribus MSS. legitur xxiv Barmuthi, et utrumque pessime cum Dominica Paschalis. Favet præterea Hagiologium Æthiopicum ad diem xxix Bunæ, Junii xxiii, aliquam ejus antiquiorem elevationem sic recolens: *Salutem Marco, qui cum tempus suæ prædicationis impleturus esset, et Serapis in suo templo Thorma dicto coleretur; Sancti Matthæi Evangelium annuntiabat*, dicens, *State et auscultate cœlestis nuntii sermonem*. Quidni etiam suspicemur fieri potuisse, ut Marcus Serapia illa, tamquam abominanda, suis vetando execrandoque, forte et turbare volendo, efferatæ plebis odium in se concitaverit. Id ex Actis, qualiacumque ea sint, haud obscure colligitur. Num. 5: *Audierunt viri civitatis, quod Galilæus quidam ibi venerit, qui Deorum sacrificia destruxit, et prohiberet ceremonias eorum; et quærebant interficere eum, ponentes ei plurimas insidias*. Similia habentur num 6; *ubi Christiani multiplicati in fide, irridentes simulacra subsannantesque Gentiles*, facile intelliguntur eos magis concitavisse: unde num. 7, Serapiacorum *opportunitate adunati insidiatores, protinus direxerunt ad eum capiendum*.

D

AUCTORE J. B. S.

et quidem in Dominica, 25 Aprilis, male postea credita Paschali;

26 Quocumque te vertas numquam ea via probabile facies, in festo Paschatis, Marcum a furenti populo aut raptatum aut occisum. Quapropter, si quid divinando decernere liceat, non absurde putabimus accidisse, ut cum in antiquioribus scriptis legeretur, Beatissimum Evangelistam magnæ alicujus celebritatis tempore interfectum, imperitior nonnemo, id continuo de solennitate Christiana Paschali interpretatus, Acta interpolaverit; idque posteri, re non examinata (ut innumeris in locis factum eruditi norunt) bona fide transcriptum reliquierint. Sentiant alii ut lubet, magis genuina mihi videntur Acta a Baronio aliisque citata, nullam festi Paschalis mentionem facientia, tametsi in Dominica passum Evangelistam affirment. Dominicam illam facilius amplector, quæ licet proprie Paschatis non fuerit, potuit tamen eo sensu Paschalis dici, quo dicitur tempus Paschale ritu ecclesiastico protrahi usque ad Pentecosten; imo et ad Sabbatum ante Dominicam primam post Pentecosten, seu festum SS. Trinitatis; qui alius modus est ad salvandam utcumque Actorum veritatem. Nisi malis per festivitatem Paschalem, intelligere Dominicum diem, tamquam mysterii resurrectionis memorativum; neque enim Acta nostra omnia MSS. indicant, ipsum *Pascha* tunc celebratum; sed *Beatissimam festivitatem nostram Paschalem, id est Dominicum diem* Quod nemo non videt accipi posse de omni Dominica, ut aliis etiam exemplis verisimile reddit, vir doctissimus Guilielmus Bonjour Ordinis Eremitarum S. Augustini, in appendice altera ad Dissertationem de nomine Patriarchæ Josephi, Romæ editam mdcxcvi, pag. 45.

E

F

Martyrio ad duos dies protracto,

27 Attamen non diffitebor, superesse etiam difficultatis aliquid, si vera est multorum cum Baronio opinio, quod Marcus die Dominico captus, biduo excruciatus, non ante diem Lunæ certamen consummaverit. Sic enim in annum a nobis stabilitum, Christi lxii, coincidere ea non possent; currente littera Dominicali C, quo Dominica cadit in xxv Aprilis; quoque proinde, servatis omnibus circumstantiis, Marcus non xxv, sed xxvi obtruncatus diceretur, quod nullo pacto est concedendum: neque ego concesserim. Idcirco liti isti ultimæ dissolvendæ facillime occurres, si illam bidui durationem æque incertam asseras, ac illud quod de festo Paschatis nuper disputavimus. Si acquiescendum non putes, dicam, Apostolum Sabbato xxiv comprehensum, Dominica agonem consummasse.

cum pridie inchoatum fuisset.

28 Ad Acta provocas, diserte affirmantia, captum die Dominica, postridie occisum? Sequor, nihil ea magnopere me feriunt. Fateor illic num. 8 et 9 significari, martyrium ad duos dies protractum; verum si potes, illa compone cum num. 10; ubi inducuntur Ethnici, ob exortam procellam qua corpus Evangelistæ comburi prohibitum est, ita loquentes: *Quod Beatissimus Serapis,* IN SUA HODIE FESTIVITATE, *hunc*

A *hunc virum voluit invisere.* Esto jam ad binos dies lucta duraverit; clarissime verba illa innuunt, in ipso Serapidis festo Marcum esse occisum. Si itaque Serapia in Dominica eo anno celebrabantur, dubitari nequit quin pridie captus fuerit. Sin minus, qualiscumque dies placeat martyrio destinatus, vel Acta falsitatis arguuntur, et ad dirimendam controversiam nihil conferunt; vel ex iis ipsis manifeste iternum evincitur, obitum ad Serapidis festivitatem esse reducendum, hoc est ad XXV Aprilis, quod nobis sufficit.

AUCTORE J. B. S.

29 Pluribus contendere, operæ pretium non existimo. Si quis pertinacius tueri velit, MARCUM die Dominica XXIV Aprilis captum et raptatum, postero tantum die Lunæ XXV, luxatis membris, et carne dilacerata, crudeliter mactatum; non erit opus ea de causa recurrere ad annum LXVIII, ut vult Tillemontius. Quid enim tantum piaculi esset, si pro anno LXII, sumeretur annus proxime sequens LXIII, Pascha incidente in III Aprilis, sub littera Dominicali B. Hoc si magis arriserit, nequid iis quæ jam antea definivimus merito objectetur, aut ex tali mutatione labefactari ea putes; dic Evangelistam B exeunte anno XL Sedem Patriarchalem Alexandriæ primum constituisse, et eam porro tenuisse annis XXII exactis, cum aliquot mensibus. Ad propugnandam vero Eusebii, Hieronymi et aliorum auctoritatem, dum annum Neronis VIII Apostoli morti attribuunt; eos non inepte interpretaberis de anno Neronis octavo completo, quod alias non semel factum comperimus.

Sumat tamen annum 63 qui volet,

30 Sane Illustrissimus Pontacus, in Chronico Eusebiano, non est veritus Anniani initia, adeoque et Marci exitum, referre ad annum Neronis IX, cui tamen subscribere non ausim. Mihi præplacet statutus annus, ex communi et probabiliori Chronologorum consensu, Christi LXII, et XXV Aprilis; sive Dominicus fuerit, sive quiscumque alius hebdomadæ dies, quo indubitate Serapia a Gentilibus recolebantur. Non ausim, inquam, Pontaco subscribere, tametsi ultro fatear in eam sententiam me vehementer propendere; ea solum de causa, quod eo pacto et annus et mensis et dies obitus et Serapia convenire videantur, æque atque in annum LXVIII, pro quo alii tantopere pugnant, et recentissime prælaudatus Bonjour, in dicta appendice; ubi potissimum, ex characterismorum istorum supposita harmonia, putat *inconcussum manere, passionem S. Marci contigisse anno Christi* LXVIII. Non recte, ut ego quidem C arbitror: nam eadem illa omnia, et eodem plane modo, in annum illum LXIII, imo et LVII coincidunt, ad quos (ut alios taceam) Marci passio, ipsissimis illis argumentis retrahi posset.

modo patiatur Pascha a Serapiis distingui.

Alias posset annus 68 teneri, quo ista concurrerint;

31 Quid igitur obest (inquis) quo minus pro anno Pontaci standum existimem? Dicam. Utut vellem, non video argumentum illud a Serapiis desumptum ullo modo subsistere, quidquid speciose jactetur, nisi si Acta MSS. sancti Marci pro cujusque libitu torqueantur. Dixi nuperrime; et brevi rursus ratiocinio sic puto posse confici. Præfata Acta, ut ab Henschenio sunt edita, et quotquot in museo nostro adhuc exstant MSS. diserte ubique confundunt Dominicum diem cum festo Serapiorum, adeo ut qua ratione festo Serapiorum Marcum occisum concedis, ea ipsa admittere necesse sit, festum Serapiorum cum Dominica concurrisse. Jam vero Acta illa unanimiter affirmant, in ipsa Serapiorum festivitate Marcum raptatum et interfectum, ut toties inculco; alioquin non esset mortuus XXV Aprilis, quo die Serapiaca agebantur; ergo manifestum est non die Lunæ, seu die Dominicam sequente; sed in ipsa Dominica Marcum obiisse, adeoque anno Eusebiano Christi LXII, quo XXV Aprilis in Dominicam incidisse perspicuum est.

sed non obiisset in Dominica Sanctus, biduo superstes,

32 Negari non potest, eisdem in Actis etiam D expresse asseri, MARCUM pridie captum, non nisi postridie expirasse, quod esset die Lunæ. Sed quid iis Actis facias, ubi non unæ contradictiones occurrunt difficillime conciliandæ? Si cui placeat dies hic confusos agnoscere, et modo more Romano, modo more Ægyptiaco computatos, quibus ultimis in usu fuisse probat Bonjour, dies suos, saltem sacros, a vespera inchoare; non incongrue dicere poterit sanctum Marcum, sub vesperam, cum Serapiaca celebrari inciperent, ab Idololatris captum, fune tractum, aliisque modis crudeliter habitum, postea detrusum in carcerem, tandem postridie, durantibus adhuc Serapiacis et Dominica die, ultimo supplicio affectum. Hæc iterum ad tuendam quoquo modo Actorum fidem; quæ si rejicias, tricis immorari non lubet. Mihi, ut jam professus sum non semel, aliis omnibus præferendi semper videbuntur Eusebius, Hieronymus, aliique antiqui, superius relati, nisi aliunde quam ex Actis illis aut ex Arabicis scriptoribus argumenta depromantur.

nisi festum, Sabbato inchoatum, tota Dominica continuatum dicas.

33 Citatus Bonjour, ut melius conclusionem suam eliciat, Henscheniano quoque argumento utitur, de E XIV anno Neronis, iisdem in Actis expresso. Dolendum est non designasse Henschenium, ex quo MS annum illum hauserit. Ego septem apud nos etiam num exstantia consului, in quorum nullo annus Neronis decimus quartus exprimitur; sed pleraque variant, aliis Caii, aliis Claudii tempora adducentibus. Cum autem de illis in superioribus abunde actum sit, nihil opus est dicta repetere. Demum quæ auctor idem, ex Echellensi et Seldeno deprompta adducit, vel momenti sunt perexigui, vel sic a nobis jam refutata, ut confidam viro eruditissimo non ingratum fore, quod acoluthicam ejus lucubrationem refellendam paucis susceperim, in iis dumtaxat, quæ de S. Marci obitu ex occasione congesserat.

Annus 14 Neronis unde acceptus sit, nescitur, nec admittitur

CAPUT I.

Primi Patriarchæ decem, omnes Sancti, ab anno Christi XL ad CLXXIX.

I. S. MARCUS EVANGELISTA,

A Joanne Marco, S. Barnabæ consobrino, verosimiliter diversus, nec auctor Ordinationis Patriarchalis, ipsi ab Eutychio male affictæ, a Seldeno pejus expositæ et defensæ.

F

SANCTUS MARCUS, Ægyptiorum Apostolus, Sedem Patriarchalem Alexandriæ constituit anno Christi juxta æram communem XL; eam tenuit annis XXII, non continuis; gloriosam martyrii palmam consecutus anno LXII, XXV Aprilis, ut in præliminari Dissertatione demonstrare conati sumus. Labores in ardua illa missione exantlati, miracula, aliaque eo spectantia, videri possunt in Actis ab Henschenio digestis; quorum non semel supra meminimus.

Evangelista Marcus,

35 Celebris disceptatio superest, tacite non prætereunda; sitne Evangelista MARCUS idem cum *Marco Barnabæ consobrino*, de quo Paulus ad Tim. 4, ad Coloss. 4 et ad Philemonem; an potius ab eo diversus? Rursus *Joannes* ille, qui *cognominatus est Marcus*, Act. 12 et 13, cum Barnabæ consobrino confundendus, an cum Evangelista de quo hic agimus? Quæstionem ab Henschenio dissimulatam, paucis deductam invenies tom. 2 Junii ad Vitam S. Barnabæ, seu potius Panegyrim Alexandri monachi Cyprii, cujus opinio de identificandis Marcis, tamquam non inverisimilis, exhibetur, supposita Henschenii chronologia. Ceterum cum Eusebianam præ-

qui juxta Henschenium posset idem credi cum Barnabæ consobrino,

præferendam

A ferendam modo censeamus, quæ ibi dicta sunt, ad hujus ejusdem normam erunt revocanda. Ex illa itaque cum Baronio, Tillemontio et communiori sententia probabilius existimamus, *Marcum Barnabæ consobrinum* (sive is unus idemque sit cum *Joanne Marco*, sive, ut Cotelerio magis placet, etiam diversus) ab Ægyptiorum Apostolo omnino esse distinguendum, quando temporum, locorum, et rerum gestarum series uni eidemque personæ competere nequit.

in Eusebiana chronologia, (quam nunc ᴘriorem putamus)

36 Si vera sunt quæ supra disseruimus, noster Ægyptiis excolendis jam tum incumbebat et diu insudaverat, antequam alter ad Paulum et Barnabam accessisset, anno circiter XLIII aut XLIV. Ille, omni dubio procul, Alexandriæ et in Ægypto morabatur, cum hic morienti Barnabæ, si Actis credimus, adesset anno LI. Item Paulum hic juvabat Romæ LXII et LXIII, cum Alexandrinus prædicationis cursum consummasset. Quid multa? Dum secundam ad Timotheum scriberet Paulus anno LXV, adhuc in Asia superstes erat cognatus Barnabæ, Evangelista dudum ex humanis sublato. Quapropter, nisi vehementer fallimur, veritati conformius erit, Marcos saltem B geminare; nostrum Petri discipulum et filium dicere; alterum Pauli et Barnabæ, vel alterutrius perpetuum ferme adjutorem. Hæc breviter indicasse sufficiat : si cui rem accuratius lubebit expendere, adeat præcitatos, Baronium ad annum Christi XLV, et Tillemontium Hist. Eccl. tom. 2, parte I, pag. mihi 180 et 413 Nullus interim nobis opponat Abulbaracati Vanslebiani aut Coptorum aliorum hac in parte fictiones : adeo insipidæ sunt, ut nec commemorari mereantur. Poeta Habessinus haud dubie Evangelistam intelligit, dum ipsum hoc exornat elogio : *Salutem dico* Mariæ Soboli, *quem traxerunt funibus in bovile instar tauri. Cum vellent enim igni comburere, pluvia et minuta grando extinxerunt vim flammæ; et nimbus sacrum corpus involvens, visus est ipsum coronare* : quæ omnia sic Evangelistam designant, ut una Hagiologus iste indicare videatur, Joannem *Mariæ sobolem*, de quo Lucas in Actibus Apostolorum cap. 12 et 13 scribit, quod sanctus Petrus a vinculis per Angelum absolutus, *venit ad domum Mariæ, matris Joannis, qui cognominatus est Marcus*; ubi per *Mariæ sobolem*, patet Joannem Marcum significari.

debet censeri, et probatur diversus.

Quæ ex Eutychio ut certissima arripit Seldenus,

37 Tricas alias Seldenus, ex Eutychii penu, in lucem protrusit, ad labefactandam Hierarchiam Ecclesiasticam, frustra tot annis tantisque machinis C a Sectariis impetitam. Nimirum, Achillem ille in Ægypto reperire visus est, quem gregarii sui toto reliquo Orbe invenire nequidquam tentaverant, quemque novis armis indutum Catholicis omnibus intrepide opponeret. Quo successu norunt polemicorum periti : nos Eutychii verba, ut a Seldeno Latine reddita sunt, subjiciamus. *Constituit item* Marcus Evangelista *duodecim Presbyteros, cum Hanania* (nobis Anniano) *qui nempe manerent cum Patriarcha, adeo ut cum vacaret Patriarchatus, eligerent unum e duodecim Presbyteris, cujus capiti reliqui undecim manus imponerent, eumque benedicerent, et Patriarcham eum crearent; et dein virum aliquem insignem eligerent, eumque Presbyterum secum constituerent, loco ejus qui sic factus est Patriarcha; ut ita semper exstarent duodecim. Neque desiit Alexandriæ institutum hoc de Presbyteris, ut scilicet Patriarcham crearent ex Presbyteris duodecim, usque ad tempora Alexandri Patriarchæ Alexandrini, qui fuit ex numero illo* CCCXVIII. *Is autem vetuit ne deinceps Patriarcham Presbyteri crearent : et decrevit, ut mortuo Patriarcha convenirent Episcopi, qui Patriarcham ordinarent. Decrevit item, ut vacante Patriarchatu, eligerent sive ex quacumque regione, sive ex duodecim illis Presbyteris sive* D *aliis, ut res ferebat, virum aliquem eximium, eumque Patriarcham crearent. Atque ita evanuit institutum illud antiquius, quo creari solitus a Presbyteris Patriarcha; et successit in locum ejus decretum de Patriarcha ab Episcopis creando. Is etiam petiit ab eis, ne Patriarcha Alexandrinus* Papa *vocitaretur; quod significat Avum. Sed vero ab Hanania, quem constituit Marcus Patriarcham Alexandriæ, usque ad tempora Demetrii* (is Patriarcha fuit Alexandrinus undecimus, nobis duodecimus) *nullus erat in Provincia Ægypti Episcopus; nec Patriarchæ ante eum crearant Episcopos. Ille autem factus Patriarcha tres constituit Episcopos. Primus fuit hic Patriarcha Alexandrinus, qui Episcopos fecit. Hactenus Eutychii periocha.*

de ordinatis a Sancto 12 Presbyteris,

auctore J. B. S. successive ordinantibus Patriarcham usque ad Alexandrinum

nituntur textu male in Latinum verso :

38 Multa in hac versione a Seldeno depravata, et in sensum suum maligne detorta, conqueritur et fuse demonstrat Echellensis. En pauca. Ubi legendum est *Constituere*, quod Presbyteris convenire poterat, semper Seldenus vertit *Creare*, quod iis nequaquam competit. Scribit, *In provinciis Ægypti* : dic, *In territorio Ægypti* : illa enim, ad rem præsentem, conceptum formant longe diversum. Pejus idem reddidit, *Et primus fuit hic Patriarcha Alexandrinus qui Episcopos fecit*. Quantum hæc differunt ab Echel- E lensis interpretatione, sic legentis? *Et est primus Patriarcha, qui in Alexandria fecit Episcopos*. Mitto alia ex quibus merito Seldenus insignis imposturæ arguitur. Hujusmodi enim ea sunt, ut nec mihi nec aliis linguæ Arabicæ ignaris, iudicium de iis ferre, integrum sit. Satius est ostendere, Eutychium non pauca hic more suo comminisci, et veritati et aliorum Ægyptiorum scriptis non satis consona, argumentis aliunde depromptis.

idque ex auctore, multa falsa commento,

39 Et primo quidem, nihil ad rem conficiendam accommodatius, quam si Ægyptios ipsos inter se committamus, alios aliorum gladiis jugulaturi. Certe Chronicon Orientale ut superius monebam, de duodecim illis Presbyteris, ordinandi seu creandi Patriarcham potestate præditis, altum silet, contrarium non obscure innuens : *Constituit* (inquit) *Marcus, Annianum Episcopum Alexandriæ, et cum eo tres Presbyteros, et Diaconos septem*. Clarius Acta, in Ægypto primitus conscripta, num. 5 ita habent : *Annianum ibidem* (Marcus) *ordinavit Episcopum, et tres Presbyteros, id est Melium* (aliis *Melianum* vel *Abilium*) *Sabinum* et *Cerdonem; et Diaconos septem, et alios undecim, ad Ecclesiasticum ministerium pertinentes*. Non male hæc concordant cum Chronico; et Eutychio fere ex diametro repugnant : unde hic igitur sua hauserit, nequeo vel conjectando assequi. F

et aliis gentis suæ scriptoribus contrario,

40 Adversatur præterea Eutychius vetustissimis Ecclesiæ Alexandrinæ constitutionibus, quibus ordo, et modus eligendi, constituendi, et ordinandi Patriarcham præscribitur apud Echellensem cap. 2. Adde quod Severus, Historiæ Patriarchalis collector, diserte tradat in Agrippino Patriarcha X, sesquiseculo quam Alexander sit, seniore, eum non a Presbyteris illis duodecim, sed a populo constitutum. Ejus verba sunt : *Tum convenerunt populus unanimiter, et imposuerunt manus suas homini timenti Deum, cujus nomen Agrippinus; et constituerunt illum Patriarcham, et sedere fecerunt super sedem Evangelicam*. Rursus de S. Petro Hieromartyre ita scribit : *Cum autem requievisset Abbas Theonas Patriarcha; convenerunt Sacerdotes Alexandriæ et populus, imposueruntque manus suas Petro, ejus filio ac discipulo, et collocaverunt eum in Sede Alexandrina*. Nihil hic duodecim illis Presbyteris, ad eligendum aut creandum Patriarcham facultatem habentibus, nisi et populum velimus, olim Patriarchas Alexandrinos ordinasse, quod nec Seldenus ipse admiserit. Pluribus ejus generis testimoniis adducendis hic supersedeo, suis locis ea relaturus. Certum apud Alexandrinos semper

quoad modum Patriarcham eligendi ante Alexandrum, eumdemque ordinandi,

A semper fuit, quod *Episcopus benedicit, et non benedicitur ; alios ordinat, ipse vero eulogiam seu benedictionem* (qua nempe initiatur seu consecratur) *suscepit ab Episcopis, non quidem a Presbyteris*. Item : *Episcopi est facere* Χειροθονίαν ; *qui vero suscepit ab illo* Χειροθονίαν, *suscipit etiam ejus benedictionem. Presbyteri autem nec est facere*Χειροτονίαν, *nec unquam ipsi licet*. Profecto abunde ea mihi sunt ad convellendam Eutychii auctoritatem. Ceterum cum eam controversiam ab Echellensi, in suo Eutychio vindicato Romæ edito MDCLXI, et a Pearsonio in Vindiciis Ignatianis parte I. cap. ultimo operose discussam inveniam, non gravabor præcipua eorum argumenta referre. Huic rei serviet.

AUCTORE J. B. S.

PARERGON I.

De antiquo ritu Electionis et Ordinationis Patriarcharum Alexandrinorum.

Echellensis, tota priori libri sui parte disputans cum Seldeno, multiplici argumento adversarium adoritur. Inter alia citato cap. 2, ex antiquis illis Ægyptiorum monumentis egregie demonstrat, priscum apud Alexandrinos Patriarchas instituendi ritum, nihil affine habuisse cum Eutychiana historiuncula. Summa in eo consistit, quod triplex fuerit, et etiamnum ibi sit, manuum impositionis genus, juxta triplicem hominum ad illam concurrentium conditionem; Populi nempe, Presbyterorum et Episcoporum. *Populi* inquit, *dabantur et numerabantur suffragia manuum elevatione et extensione; deinde impositione confirmabantur. Presbyteri bis etiam manus capiti ordinandi imponebant, cum ad suffragia quoque danda, tum ad designandam personæ electæ admissionem, electionemque approbandam. Episcopi bis adhuc et ipsi manus imponebant, nimirum ad suffragia confirmanda, et personam electam designandam et admittendam, tandem ad ipsum Ordinem conferendum*. Idem argumentum prosequitur totis quatuor sequentibus capitibus, salva etiam Eutychii auctoritate, qua non semel Antagonistam acriter urget, ex illo ipso Scriptore discrimen, inter Episcopos et Presbyteros, apertissime evincens.

Commentis istis nihil affine habent veteres ritus, B

juxta quos distinguebatur triplex impositio manuum,

quarum prima Populo suffraganti,

42 Statuit igitur et probat efficacissimis rationibus, Eutychii verba, si quid veri adstruant, non innuere aliud, quam quod peculiari eo fortasse modo ad illos Presbyteros spectaverit electio ; nequis scilicet extra eorum numerum Episcopus assumeretur ; quemadmodum fieri adhuc hodie videmus in prænobilibus multis Germaniæ Collegiis, jus habentibus ut Episcopus, non nisi ex suo corpore, et ab ipsis electus, ordinetur ; consecratione solis Episcopis reservata. Ita fere Alexandriæ accidit, Populo interim ad electionem concurrente, quæ ex duodecim esset facienda. Cum eo tamen optime consistit, ut jam ex Echellensi dicebamus, quod ordinatio penes Episcopos remaneret, ex provinciis et diœcesibus, metropoli Alexandrinæ subjectis, accersitos; quorum saltem tres præsentem consecrarint, ex præscripto antiquissimi Canonis, qui dicitur Apostolicus, Ἐπίσκοπος Χειροτονείσθω ὑπὸ Ἐπισκόπων δύο ἢ τριῶν: vel juxta canonem 5 Concilii Nicæni editionis Ecclesiæ Alexandrinæ , *Oportet ut Episcopus constituatur, præsentibus omnibus Episcopis illius Provinciæ : si vero conventus eorum difficilis redditur, ob instantem ipsis aliquam necessitatem, aut ob loci distantiam, adsint tres Episcopi ad ordinandum illum*. Ubi hic obsecro vestigium potestatis, Presbyteris concessæ ad ordinandos Episcopos ? Imo quid in Ecclesia Alexandrina, a primis usque temporibus, cautum magis, quam ne Presbyteris id juris tribueretur, ut contra Eutychium superius ostendimus ?

secunda Presbyteris eligentibus,

C

tertia solis Episcopis ordinantibus competebat,

juxta Concilium Nicænum ;

43 S. Hieronymus, celebri illa ad Evangelium, ep. 101, ailas 85, qua ad impugnandum dogma catholicum Salmasius et Seldenus plurimum abutuntur, disertissimis verbis id ipsum confirmat. *Quid enim facit*, inquit, *excepta ordinatione, Episcopus, quod Presbyter non faciat?* Tribuat Presbyterio Alexandrino Hieronymus quantum volueris : demus etiam Presbyteris illis licuisse olim, non solum baptizare, sacrificare et prædicare, sed etiam, absente Episcopo, chrisma conficere, eoque confirmare baptizatos, consecrare Ecclesias, altaria et vasa, tametsi id vetitum semper fuisse Echellensis observet cap. 6. At enim nec apud Hieronymum, nec alibi legimus, licitum iis fuisse, sacros Ordines conferre per impositionem manuum, nedum Episcopos ordinare. Hoc illud saltem est ex S. Hieronymo, quod Episcopus facit, non Presbyter ; hoc Presbytero Episcopum interesse, adversarii coguntur admittere. Et ideo laudatus Pater, specialem aliquam Alexandrinorum in designando Patriarcha consuetudinem, sic in præfata epistola explicat, *Alexandriæ a Marco Evangelista, usque ad Heraclam et Dionysium, Presbyteri semper unum ex se electum, et in excelsiori gradu collocatum, Episcopum nominabant. Nominabant*, inquit, *non* ordinabant. *Quomodo si exercitus Imperatorem faciat, aut Diaconi eligant de se, quem industrium noverint et Archidiaconum vocent*. Quæ omnia aptissime exponit Franciscus a Messana, in explicatione difficilium Hieronymi locorum, verbo *Episcopus*

D *Eusebio et Hieronymo testibus,*

etiam ubi agit de Presbyteris Alexandrinis.

E

44 Mirum interea quam sibi applaudat Seldenus, in imaginaria Eutychii cum S. Hieronymo conformitate. At vero Pearsonius Antipresbyterianus (admissa Seldeni versione) recte expendit magnam inter utrumque discrepantiam, non solum quoad tempus centum et amplius annorum, sed et quoad rem ipsam. Etenim quod Hieronymus *Presbyteros, unum ex se electum, et in excelsiori gradu collocasse et Episcopum nominasse asserit* ; quid, amabo, ut iterum repetam, quid cum ordinatione et creatione Episcopi commune exhibet? ubi interim Eutychius, et *electionem*, et *creationem*, et *ordinationem* rotunde affirmat. Illam autem duorum testium dissonantiam lepida distinctione tollere conatus fuerat Seldenus. Cum enim uterque, de facto sive de usu tantummodo loquatur, et historice rem nude narret ; ita bonus ille architectus vim argumenti eluserat. *Alter de facto*, inquiebat, *loquitur simul ac de jure loci simplici antequam ulla omnino, usus aut facti mutatio ibi introduceretur: alter de jure simplici et instituti mutatione*. Præclaram me hercule et subtilem argutiam ! Eruditissimi quique, Hieronymi verba non adeo clara invenerant, quin de sensu dubitari posset. En tibi subita luce perfusus Seldenus, expressam illic et juris et facti discriminationem, et jus quidem Episcopum ordinandi Presbyteris concessum, evidentissime deprehendit.

Pearsonius tametsi Catholicis adversus,

Seldeni ratiocinium explodit ;

F

45 Ceterum, exploso Seldeni ratiocinio, Episcopos Alexandrinos a prima eorum origine, populi suffragiis solito eligi, potiori jure Pearsonius colligit ex Epiphanio hæresi 69 ; *Alexandriæ autem consuetudo est, ut post Episcopi mortem, successor non diutius differatur ; sed subinde pacis tuendæ gratia subrogetur, ne aliis hunc, aliis illum postulantibus, in populo jurgia et contentiones existerent*. Supponit hic manifeste Epiphanius,non solos illos duodecim,sed et populum, in eligendo Patriarcha partes suas antiquitus habuisse; quod apprime iis congruit quæ Parergi hujus principio ab Echellensi demonstrata dicebamus. Quantum vero idem Epiphanius ab hæreticorum nostrorum, de omnimoda Episcopos inter et Presbyteros æqualitate, delirio abhorruerit, luce meridiana clarius apparet ex iis, quæ contra Aerianos disputat hæresi 75, ita enuntians ; *Ordo vero Episcoporum est ad gignendos Patres, gignit enim Patres Ecclesiæ ; ordo*

et ostendit, etiam populi suffragiis electos Episcopos,

sed a solis Episcopis ordinatos,

A *ordo vero Presbyterorum Patres non potest generare; per lotionem vero regenerationis filios generat Ecclesiæ, non Patres, non Magistros, et quomodo fieri potest, ut Presbyterum constituat, qui non habet manuum impositionem ad ordinandum?* Quis credet, Epiphanium, talem articulum inter Ecclesiæ dogmata referre ausum, tum, cum trium seculorum opposita consuetudine convinci poterat, ex vicina eaque secunda totius orbis Ecclesia, a S. Marco constituta?

ut patet in S. Athanasio,

46 Argumentum aliud palmare desumitur ex electione Magni Athanasii, Alexandri successoris; qui, si vera narrat Eutychius, primus, contra ritum illum antiquissimum, statutus fuerit; non ordinatus solum, sed et electus Episcoporum suffragiis, ut Eusebiani objiciebant, tametsi Episcopi Ægypti in Synodo congregati, epistola ad omnes Ecclesiæ Catholicæ Episcopos scripta, contrarium magna animi contentione asseruerint, et testati sint, *Quod omnis multitudo, omnisque populus Catholicæ Ecclesiæ, clamoribus vociferationibusque postularint, Athanasium Ecclesiæ Episcopum dari.* Concurrebat igitur Alexandriæ ad electionem Episcopi, ex veteri consuetudine, etiam populus. Utcumque tamen factum fuerit, illud in aperto est, neque ab duodecim, neque ex duodecim illis Presbyteris Athanasium fuisse assumptum, quandoquidem Diaconus tantum existeret, necdum ad Sacerdotium promotus. Quis nescit, quot hostes, sagaces juxta ac potentes, sibi adversantes habuerit Athanasius? Quæ et qualia per fas et nefas excogitata et adhibita fuerint, non ad ejus mores aut doctrinam solum, sed et ordinationem criminandam? Quid autem plusibilius objectari poterat, quam quod creatus fuisset contra ritum, ab usque S. Marco inviolabiliter observatum? Nam quod reponi hic posset, mutatum ab Alexandro usitatum antea morem, id ipsum magis eorum animos merito exacerbare debuisset, ut vel inde ansam arriperent Athanasium insectandi.

cui nemo objecit aliquem in ejus ordinatione defectum, B

ut sine dubio fecissent neglecti Presbyteri,

47 Jam vero duodecim illi Prebyteri turpiter exauctorati, quas quæso machinas non movissent, ad deturbandum primum illum priscorum privilegiorum violatorem? Multis sane opus non erat: Arianis Imperatorum auctoritate præpollentibus se adjungerent, speciosissimam calumniandi Athanasii occasionem minime neglecturis. Nihilominus inter innumera illa Historiæ Athanasianæ monumenta, C nec vestigium talis accusationis reperire est. Neque epistola pseudo-synodi Sardicensis, neque Philostorgius Athanasio infensissimus, nec quisquam alius tot adversariorum, id ei exprobrasse legitur: neque ipsiusmet Athanasii aut Episcoporum Ægypti apologiæ, ejus rei ullam faciunt mentionem. Videat modo æquus rerum æstimator, an hujusmodi ratiocinatio plus nimio non valeat, ad exsufflandam totam illam Eutychii historiolam. Adde his Gregorii Nazianzeni de hac eadem electione Athanasii testimonium, ex qua pateat, populum et tunc, et antea, in ea locum habuisse. *Totius populi suffragiis*, inquit, *non autem secundum pravum exemplum quod postea inolevit, neque per vim et cædem, sed Apostolico et spirituali modo, ad Marci thronum evehitur. Modum illum Apostolicum* antiquum ritum denotare, nemo, opinor, diffitebitur.

aut adversarii ejus Ariani.

Male fingitur imputari Alexandro inductus mos,

48 Taceo cetera, quibus pari soliditate ostendatur vanitas argumentationis Seldeni, ex Hieronymi verbis perperam deductæ. Pergit deinde Pearsonius alterum, non minus ineptum, distinctionis membrum excutere; probans Eutychium narrare simpliciter factum, seu moris durationem et expirationem, prætenso Alexandri decreto imputatam. Errat autem Seldenus, dum Alexandro tribuere Eutychium docet, quod in Concilio Nicæno Can. 4 fuerat definitum. Illud vero maxime notandum monet præfatus Pearsonius, partem decreti ab Alexandro facti, restringere morem de eligendo Patriarcha, non ad electionem a Presbyteris, sed ex Presbyteris factam; quod idem superius ab Echellensi demonstratum diximus. Antiquum enim morem desiisse tradit, eo quod Alexander *decrevit, ut vacante Patriarchatu, eligerent ex quacumque tandem regione, sive ex duodecim illis Presbyteris, sive aliis, virum aliquem eximium, perspectæ probitatis, eumque Patriarcham crearent.* Electio igitur *viri cujuspiam eximii, perspectæ probitatis;* antiquum morem evacuavit, si talis unquam fuerit.

D AUCTORE J. B. S.

qui fuerat in Nicæno statutus.

49 Negari non potest, peculiaria quædam in Patriarcharum electionibus, Alexandrinis fuisse usitata; quale est, quod Liberatus memorat in Breviario: *Consuetudo quidem est Alexandriæ, illum qui defuncto succedit, excubias super defuncti corpus agere, manumque dextram ejus capiti suo imponere; et sepulto, manibus suis accipere collo B. Marci Pallium, et tunc legitime sedere.* Verum hæc ceremoniam tantum insolitam indicant, pro honore S. Marci fortasse inductam; et magnam præterea festinationem, pacis gratia, ne in tanta populi multitudine tumultibus et factionibus occasio præberetur. Nihil hæc tamen faciunt ad stabiliendum jus aut factum, E quo ex Sacerdotibus, et a Sacerdotibus duodecim, *eligeretur, crearetur* et rite *ordinaretur* Episcopus.

esto quod in ceremonia peculiari, aliquid Presbyteris Alexandrinis sit concessum.

50 His necdum acquiescit Seldenus. Qui argutiæ struendæ suppeditavit materiam, eidem firmandæ, fulcrum subministrat Eutychius noster, in allegata pridem periocha; affirmans a Marco ad Demetrium, nempe annis circiter CXX, nullum totam Ægyptum, præter Alexandrinum, Episcopum habuisse. Atqui, si nullus erat in Ægypto Episcopus, a quo tandem ordinari potuit Alexandrinus? Hinc consequens esse contendit Seldenus, a Presbyteris tunc temporis fuisse consecrandum. Mirabilia hic more suo procudit Eutychius, ex ejus fide nullatenus admittenda. De rei possibilitate disputare, nihil ad præsens attinet. Scio Historicos tradere, per aliquot integra secula, unicum in Scythia Tomorum Episcopum exstitisse: id etiam in Ægypto factum, Eutychio, primo et soli id narranti, non credam. Infidam Seldeni versionem hic denuo multis incusat Echellensis, capitibus, 8 præsertim et 9. acerbius in eum invectus. Tanti mihi non est Eutychii auctoritas, ut traditionem ejus, tot explicationibus et elucidationibus tueri operæ pretium existimem. Satius est rem prorsus incredibilem, ex optimis historiæ monumentis, confutare; Ægyptium illum, ut superius monebam, popularium suorum telis exarmando. F Præstat id præfatus Echellensis cap. 7. Alexandrinorum et aliorum scriptorum testimoniis demonstrans, Episcopos in Alexandrinæ Ecclesiæ diœcesi, non solum ante Demetrium vel Heraclam et Dionysium, sed ab ipsis illius Ecclesiæ originibus, semper exstitisse.

Falsum quoque est quod usque ad Demetrium,

nulli in Ægypto fuerint Episcopi,

qui ab initio Ecclesiæ ibi plures fuisse monstrantur;

51 Producit primo Melchitarum Martyrologium, ubi ad diem XXV Aprilis est *commemoratio certaminis Marci Apostoli, sancti Evangelistæ, qui Christum prædicavit sub annis Tiberii Cæsaris in universa Ægypti et Libyæ Regione... multaque edidit miracula, et Christi Ecclesias exornavit, constituens eis* EPISCOPOS, *atque his inferiores* SACERDOTES. Suffragatur Severus in *Marco*, ita scribens: *Ipse vero inde discedens, Pentapolim perrexit; mansitque ibi annos duos, annuntians, et Ordinans* EPISCOPOS, PRESBYTEROS et DIACONOS, *in omnibus ejus Provinciis.* Succinit veteris Vitæ S. Marci auctor anonymus: *Pentapolim pergit*, inquit *et Ordinans* EPISCOPOS *per regiones illas et Clericos, iterum Alexandriam venit.* Consentiunt Scriptores Græci et Latini, Synaxaria et Martyrologia vetustissima.

ex Synaxariis et Actis vetustis,

AUCTORE J. B. S.

A stissima. Unum pro omnibus proferam Simeonem Metaphrastem, ita de S. Marco loquentem : *Constituit et confirmavit Ecclesias per Libyam, Marmaricam, Ammoniacam, Pentapolim, Alexandriam... Ordinaverat autem pro se Episcopum Alexandriæ Annianum : aliis quoque Ecclesiis longe lateque*, EPISCOPOS, PRESBYTEROS, DIACONOS *dederat*. Quæ ad hæc eludenda Seldenus effugia quæritat, ne referri quidem merentur.

ex Vopisci et Adriani Cæsaris epistola,

52 Adducit insuper Pearsonius argumenta alia, minime contemnenda. Locus Vopisci in Vita Saturnini, ex Adriani Cæsaris epistola ad Servianum, vim certe magnam obtinet. quidquid Seldenus contra luctetur. Epistolæ verba sunt : *Ægyptum, quam mihi laudabas, Serviane charissime, totam didici levem, pendulam, et ad omnia famæ momenta volitantem. Illi qui Serapim colunt, Christiani sunt : et devoti sunt Serapi, qui se Christi Episcopos dicunt.* Fatendum, multa ibi immisceri Christianis indigna; nihilominus

et ex ea quæ Evaristo Papæ adscribitur,

id evincitur, fuisse Adriani ævo Christianos in Ægypto, qui Episcopi appellarentur : in Ægypto, inquam : nam Adriani epistola Alexandrinos maxime et Ægyptios describit. Licet igitur Adriani verba, B in multis ambigua et dissertationibus obnoxia sint; id certe negari non potest, recte ex iis deduci, fuisse eo tempore in Ægypto Episcopos.

53 Circumfertur sub Evaristi Papæ nomine epistola, ad omnes per Ægyptum Fratres, hoc est *Episcopos :* atque ut demus Evaristi non esse, vetustissima sane est; et quisquis est auctor, putavit Evaristi ætate, plures in Ægypto fuisse Episcopos.

ipsiusque Alexandri Episc. Alex.

Ex Alexandri Patriarchæ epistola docemur, ante Concilium Nicænum, pene centum Ægypti Episcopos in Arii condemnationem consensisse; nec de pauciori numero, prioribus seculis, usquam alibi fit mentio. Heraclam multis exornat Eusebius : si is Episcoporum auxisset numerum, id profecto laudi ipsi ab Encomiasta verteretur. Dionysius, Heraclæ successor, de variis Episcopis loquitur, et ad varios scripsit : ut verisimillimum sit, non pauciores tunc sedisse, quam exstiterint Alexandro Patriarchatum tenente. Diutius quam par est, rebus alioqui satis patentibus inhærere videmur.

et Synodo contra Origenem habita ;

54 Quapropter, omissis pluribus aliis, a Pearsonio diligenter expensis, unum illud ad dirimendam litem postremo loco adducam, quod, teste Photio Cod. 118, Pamphilus Martyr simul et Eusebius, in C apologiæ pro Origine libro 6 ita memorant : *Synodus*, a Demetrio, *Episcoporum coacta, et Presbyterorum quorumdam contra Origenem, quæ... decretum fecit, Alexandria quidem pellendum Origenem, neque in ea versari aut docere permittendum. Verum Demetrius, una cum Ægypti Episcopis aliquot, sacerdotio quoque illum abjudicat, subscribentibus etiam edicto huic, quotquot antea suffragati ei fuissent.* Hic ille est Demetrius, qui *factus Patriarcha*, cum nullus esset *in Provincia Ægypti Episcopus, tres* (ut garrit Eutychius) *constituit Episcopos.* Scilicet in iis Synodis tres tantum, cum Demetrio Episcopi sederint, nuperrime ea dignitate donati. *Imo*, inquit Seldenus,

in qua ridiculum sit tres solum Episcopos imaginari,

Demetrius, summus Origenis adversarius, tres sibi procul dubio velut auxiliarios Episcopos instituit. Nempe postremis Patriarchatus annis (quod nescio an Eutychius ipse admitteret) tres illos stipendiarios conduxit Demetrius, cum diu Origeni fuisset amicissimus; idque eum solum in finem, ut eorum auxilio fretus et ope adjutus, majori auctoritatis pondere inimicum opprimeret.

55 Suis ea canat Seldenus, in luce meridiana studiose cæcutientibus. Age vero, si Demetrius, tribus tantum auxiliariis illis Episcopis, iisque contra antiquissimum Alexandrinæ Ecclesiæ, imo totius Ægyptiacæ, consuetudinem ordinatis, stipatus atque communitus, adversus Origenem Synodicam D sententiam protulisset; credibilene est, Origenem ipsum, aut Eusebium acerrimum ejus hyperaspisten, nihil de violatis juribus, nihil de abrogato veteri ritu, nihil de paucis et novitiis Episcopis in suum exitium ordinatis, ad justam defensionem dicturos fuisse?

nihil tale causantibus Origene vel Eusebio,

Interea tantum abest, ut de paucitate eorum qui in se conspiraverant, conqueratur Origenes; ut potius hostium multitudinem incuset. *Inimico* (ut loquitur in Præfatione tomi sexti in Joannem) *adversus nos acerbissime pugnante, per suas novas litteras, revera Evangelio inimicus, omnesque Ægypti ventos adversus nos concitante.* Qui sunt, obsecro, tanto numero *venti illi Ægyptiaci*, nisi Episcoporum multitudo? Erant igitur, ut sæpe eadem inculcem; erant, inquam, in Ægypto, atque in iis Synodis, plures quam tres Episcopi; non a Demetrio, sed a S. Marci temporibus constituti.

sed contrarium potius.

Cavilletur modo Seldenus quantum lubuerit, et adversus solem disputet; nihil me movet prodiga illa, et tuendis præjudiciis male adhibita eruditio. Paucis concludi posse arbitror, totam illam Eutychii traditiunculam, falsam esse, et sine ordine, sine judicio tam imperite coagmentatam, ut his aliisque per suos Annales E sparsis, de Ecclesia Alexandrina pessime meritus dici absque scrupulo possit.

Adde quod Eutychius, in aliis multis gravissime hallucinatus,

56 Juvat hic, ad rem penitus conficiendam, alia subnectere specimina, quibus denuo appareat scriptorem illum, Ecclesiæ suæ præclarissimas res gestas, aut plane ignorasse, quod turpe est; aut negligentissime tractasse, quod indecorum. Quis ferat Origenem, quem nescivisse videtur, creari ab ipso Episcopum Maubagensem, et cum Theodoro Mopsuesteno (ipsi, Thaddæo) Theodoreto et Iba, viris tota historia Ecclesiastica notissimis, inepte componi? Quin et dudum mortuos, ad vitam simul omnes revocari, ut coram Justiniano Imperatore compareant? Satin' sobrius erat Eutychius, dum hæc scriberet? Mirabamur statim fabellas, ab eo in Demetrio contextas : magis sane mirum est, Demetrium eumdem induci, tamquam cum mortuis litterarum commercium habentem.

et ridiculas fabellas commentus sit,

Eo tempore, inquit, *scripsit Demetrius Patriarcha Alexandrinus ad Gabium Episcopum Hierosolymorum, Maximum Patriarcham Antiochenum, et Victorem Patriarcham Romanum, de ratione computi Paschalis et jejunii Christianorum, et quomodo a Paschate Judæorum deducatur.*

57 At Gabium ipse tradit (subdit Pearsonius) XVII F Aurelii anno Hierosolymis Episcopum creatum, tres tantum annos sedisse : aut igitur sub finem Imperii Aurelii, aut sub initium statim Commodi scripta est hæc epistola : quo tempore nec Demetrius Alexandriæ præfuit. sed Julianus; nec Victor Romæ, sed Eleutherius. Certe cum epistolæ ex Oriente ad Victorem, de celebrando Paschate missæ sunt; Narcissus Hierosolymorum Episcopus fuit; inter Gajanum autem (quem Gabium appellat Eutychius) et Narcissum, octo Patriarchas recenset Papebrochius.

per supinam rerum ac temporum ignorantiam.

Neque vero ulla exstat memoria scriptæ ad Victorem a Demetrio epistolæ : Episcopi tantum Palæstinæ indicant, Alexandrinos secum in die Paschatis observando consentire, idque constare ex litteris ad se invicem missis, nulla Demetrii mentione facta. De Alexandro scribit; quod *Achillam socium suum, qui ante ipsum Patriarcha fuerat, de gradu Patriarchali dejecit; quia Ario recepto, contra Petri Alexandrini mandatum fecerat.* Hic Alexander in mortuum quoque sævit. Pridem Achillas obierat ante finem Concilii Nicæni, quomodo ergo ab Alexandro, de gradu Patriarchali tum dejectus? Missum faciamus Eutychium, atque ordinem chronologicum prosequamur.

A

II. S. ANNIANUS.

Annus obitus et tempus sedis ex Eusebio.

Posthabitis Ægyptiorum calculis,

ANNIANUM scribendum monet Valesius in Eusebium; Eutychius, *Hananiam* vocat, alii *Anizanum*. Dicitur hic in Historia Patriarchali *obiisse Dominica, die vigesima Hathuri*, id est XVI Novembris; sedisse vero annis XVIII, diebus CCXVI. Signatur in margine annus Christi LXXXVI, imperante Cæsare Vespasiano. Abulbaracatus Vanslebii ait, Annianum Patriarcham creatum anno Alexandri CCCLXXXIII, mense Majo; vita functum XX Novembris, anno ejusdem Æræ CCCXCIII, postquam rexisset Ecclesiam annis XI, mensibus VII. Hæc retulisse, rejecisse est; pœnitet enim operæ, in iis ad rectum ordinem reducendis antea insumptæ. Ne igitur sæpe eadem dicenda occurrant, aperte pronuntio, peregrinis iis calculis, primis præsertim hisce seculis, nullam me fidem habiturum. Quid enim? Ubinam quis XVI Novembris in Dominicam cecidisse inveniet anno LXXXVI? quomodo a XXV Aprilis ad XVI Novembris
B numerari possunt dies CCXVI? Quis imperium Vespasiani ad annum LXXXVI produxit?

59 Episcopatus annos restringit ad XVIII; quem Eusebius, S. Nicephorus, aliique unanimiter, Eutychio ipso consentiente, extendunt ad annos XXII. Quid autem Abulbaracatus somniasse potuit, tam manifeste sibi contradicens? Largiamur ei, Annianum sedisse ab anno Alexandri CCCLXXXIII (quod tamen falsissimum est, nam is annus notaret annum Christi LIX) largiamur, inquam, cœpisse Annianum ab anno CCCLXXXIII, usque ad CCCXCIII, qui esset Christi LXIX; in qua, obsecro, arithmeticæ regula didicit, a mense Majo anni LIX ad Novembrem LXIX, intercedere annos XI et menses septem? Iterum repeto, nihil hic Arabes moror, nisi auctoribus nostris conciliari possint.

ex Eusebio obiisse statuitur, an. 84, 16 Nov.

60 Eusebius Historiæ Ecclesiasticæ lib. 3, cap. 14 editionis Valesianæ, quam hic sequimur, ita scribit: *Hujus* (Domitiani) *anno quarto, primus Alexandrinorum Ecclesiæ Episcopus Annianus, duobus et viginti annis exactis, abiit e vita; cui secundus ordine successit Avilius.* Non lubet cum Eusebio litigare super ordine hic statuto, quasi *primus* Patriarcha aut Episcopus fuerit *Annianus*: alibi mentem suam ex-
C plicuit, dum eum sedisse ait *post S. Marcum*. Nos igitur, bona ejus venia, *Annianum* secundum, *Abilium* tertium dicemus, et sic deinceps. Porro numerati ab Eusebio anni XXII, mirifice exponunt initium et finem Episcopatus Anniani. Ordinatum antea supposuimus eo ipso anno, quo obiit S. Marcus, nempe anno LXII: proinde inchoando ad annum IV Commodi, cujus quadriennii initium sumitur a XIII Septembris anni Christi LXXXIV, numerantur anni omnino XXII, iique exacti, ἀποπλήσας, si Annianus mense tantum Novembri e vivis excesserit, quod facile Arabibus concedendum putamus; licet passim discipulus Magistro in Martyrologiis conjungatur, ad XXV Aprilis; et Labbeus diem signet XXV Augusti, quod non scio ubi ipse repererit. Statuimus itaque obiisse *Annianum* illo anno Christi LXXXIV, Novembris XVI, die Martis, sub littera Dominicali C; vel die Lunæ, sub littera D, si forte Ægyptii necdum intercalaverint.

quo pacto optime salvantur 22 anni Episcopatus;

61 Litem nobis intentat Tillemontius, Nota XV pag. 411, his verbis: *Ad annos* XXII *quod attinet, Anniano adscriptos, desumendi ii non sunt a morte S. Marci, sed a die quo S. Marcus eum ordinavit: idque reduci non poterit, ad annum* LXII, *ut facit Eusebius; sed ad finem* LXIII, *sic ut inde inchoando, rexerit annos* XXII *completos* ἀποπλήσας. Nimirum Tillemontius mortem Anniani innectit anno LXXXVI, quod nobis D
non placet. Quid quæso vetat dicere, *Annianum* a Marco ordinatum anno LXII, mensibus aliquot ante Marci obitum? Ecquid eo modo habebuntur anni XXII ἀποπλήσας?

AUCTORE J. B. S.

62 Non video cur Eusebii Chronologiam nobis eripere velit Tillemontius, ut aliam tot absurditatibus refertam substituat. Melius arguere quis posset ex Actis S. Marci et scriptoribus aliis, tradentibus, Annianum a Marco initiatum biennio ante obitum, cum in Barcam properaret. Verum, ut daremus ita accidisse, nihil inde aut Eusebii aut nostra numerandi ratio magnopere patitur. Etenim non negat Eusebius, Annianum antea a Marco ordinatum; sed annos Episcopatus ejus non nisi a S. Marci transitu desumit; quod et nobis sat est, tametsi admitteremus etiam triennio, aut (si ita vis) sexennio ante, Annianum ordinatum fuisse. Quis nescit primis illis Ecclesiæ temporibus, id aliis etiam in Sedibus, non raro usuvenisse? His interim nihil obstantibus, verum erit, Annianum non nisi XXII annis et mensibus fere septem Patriarchæ munere perfunctum.

licet daretur eum diu ante S. Marci obitum fuisse ordinatum.

63 Paucissima supersunt de sancti Anniani Actis, videnda apud Henschenium XXV Aprilis post S. E
Marcum. *Virum Deo dilectum, et omni ex parte mirabilem*, nuncupat Eusebius lib. 2, cap. 24, brevi elogio omnia complexus. Nam quæ de ejus nobilitate tradidit Petrus de Natalibus, uti et de aliis ab eo rebus gestis, nec Baronio nec Henschenio satis probantur. De nobilitate, inquam, non video unde id hauriri potuerit, cum sutorem, et probabiliter veteramentarium fuisse, Acta S. Marci, et Ægyptii Scriptores uno ore memorent. Scilicet occasione reficiendi Evangelistæ calcei, læsus primum, divina deinde gratia illustratus vocatusque ad fidem, exinde S. Marco adhæsit, successor ejus in Patriarchatu factus. Diversis diebus, a diversis Martyrologiis ejus Natalis celebratur, hodie a Romano conjungitur S. Marco constansque est Venetorum opinio, corpus ejus cum Magistri reliquiis, Alexandria ad ipsos translatum esse.

Pauca ex Actis supersunt apud Henschenium ad 25 Aprilis.

III. S. ABILIUS seu MILIUS.

Annus obitus ex Eusebio, rejectis aliorum erroribus. Pax ecclesiæ sub eo.

F

Ex Chronico Orientali,

ABILIUS, Eusebio *Avilius* aliis *Melius*, Arabibus et Habessinis *Milius*. Chronicum nostrum scribit *Melianum*, ita narrans: *Scriptum est in Vitis Patriarcharum: Assumpserunt hominem nomine Melianum, et ordinaverunt eum Patriarcham super Sede Marci; crevitque numerus fidelium in Ægypto, Pentapoli et Africa; fuitque Ecclesia, ejus tempore in pace. Obiit autem die Lunæ prima Tuti: vacavitque Sedes tribus annis absque Patriarcha, quoniam eo tempore contigit destructio Hierosolymorum.* Notantur in margine Patriarchatus *anni* XII *dies* CCLXXXVI; *annus Christi* XCIX, *regnante Tito Cæsare.* Scatent hæc denuo non paucis erroribus, quibus refutandis, et veriori tum historiæ tum Chronologiæ substituendæ, commentarium subjicimus.

et Severo,

65 *Scriptum est in Vitis Patriarcharum etc.* ita rem clarius explicat Severus apud Echellensem pag. 148. *Congregatus autem populus* (mortuo Anniano) *et inito consilio, assumpserunt hominem nomine Melianum, eumque Patriarcham constituerunt super Sede sancti Marci Evangelistæ, loco Anniani. Melianus autem iste continentia præclarus erat, qui confirmavit populum in cognitione Christi, crevitque Orthodoxorum plebs in Ægypto, Pentapoli et Africa.* Nihil hic, quod

ut

AUCTORE J. B. S.

A ut plane verisimile non admittatur; unde et Eutychii commentum explodas, de solis Presbyteris ad electionem Patriarchæ concurrentibus. Neque dubitaverim quin *Melianus* iste idem ipse sit, quem cum Sabino et Cerdone sanctus Marcus olim Sacerdotio initiaverat, Anniano adjutorem.

In pace fuit sub Abilio Ecclesia.

66 Quid autem illud; *Fuitque Ecclesia ejus tempore in pace?* An forte sub prædecessore Anniano passa est Christianitas Alexandrina? Ita existimo; frustra alioqui et inepte hæc dici viderentur. Sed quæ hæc aut qualis persecutio excogitari potest, aliis historicis ignota? Crediderim alludi ad seditionem Alexandrinorum anni LXXII, in qua fortasse Christiani, a Judæis necdum satis illic distincti, post excidium Hierosolymitanum, iisdem cum hisce immersi calamitatibus, exagitati fuerint. Postmodum vero imperante Domitiano, cum Romanorum ira in plebem Judaicam deferbuisset, verosimile est, Ecclesiam Alexandrinam tranquillitate frui cœpisse.

67 At, inquis, extremis Domitiani annis anno XCV sæva in Christianos persecutio exarsit. Sic est: verum utrum ea, utpote non diuturna, ad Alexandrinos usque propagata fuerit, tunc adhuc sedente Abilio, non ausim pro certo affirmare, neque ex Actis nostris comperi quemquam, eo tempore Alexan- B
driæ Religionis causa supplicio affectum. Poterit itaque ex Chronico, et ex Severo admitti, sub Abilio Ægyptiacam Ecclesiam *in pace fuisse*. De die obitus mox erit agendum: cetera omnia, a Chronico relata, falsa sunt, et ridicule combinata. Nec magis accuratus in metrico suo elogio Poeta Habessinus est, sic Abilium alloquens, sub nomine *Milii: Pax tibi Milio, Patriarchæ Alexandriæ constituto, anno post Christi Ascensionem quadragesimo quinto,* (qui esset nobis a Nativitate ejusdem LXXVIII) *sicut ardentem terram refrigerat pluvia, ita mihi, viro afflictionis, impertire gratiam intercessionis tuæ.*

Rejecto causa excidii Jerosolymitani

68 *Vacavitque Sedes tribus annis absque Patriarcha.* Si quiete fruebantur Alexandrini Christiani, quænam hujusmodi vacationis ratio? Magna profecto; *quoniam eo tempore contigit destructio Hierosolymorum.* En tibi parachronismum annorum XXV et amplius. Capta est siquidem ab Tito Hierosolyma VIII Septembris anno Christi LXX. Ut tamen ita factum ultro assentiamur, quid Hierosolymæ destructio impedimenti afferre potuit electioni Patriarchæ Alexandrini? Unius Chronici assertione non moveor, C
ad istiusmodi cessationem admittendam. Æque absurda est nota marginalis, dum ad Imperium Titi Cæsaris, *Abilii* obitum reducit.

triennii interpontificio,

69 Confer huc Abulbaracati ineptias, ita scribentis: *Abilius factus est Patriarcha mense Decembri, anni Alexandrini* CCCXCV. Ut quid reticet interpontificium duorum annorum, Annianum inter et Abilium, ab anno CCCXCIII, ad CCCXCV? *Obiit,* inquit, III *Septembris anno* CCCCVII, *administrato Episcopatu annis* XI *et mensibus* IX. Annus ille Alexandrinus CCCXCV signaret annum Christi circiter LXXI; et CCCCVII fere coincidit cum nostro LXXXIII. Quæ omnia a vera chronologia enormiter aberrant.

aliisque in Chronico perperam assertis;

70 Certum nobis est ab Eusebio non recedere, quamdiu nihil occurrit urgentius, quam quod Tillemontius hic objicit. Is lib. 3, cap. 21. Hist. Eccl. ita habet: *Hoc* (Trajano) *primum adhuc principatus annum agente, cum Abilius, qui per tredecim annos Alexandrinam rexit Ecclesiam, mortuus esset, in ejus locum successit Cerdo.* Anni illi XIII ab anno LXXXIV, cui cum eodem Eusebio mortem Anniani affiximus, ducunt nos ad annum Christi XCVIII, quo a XXXII Januarii Trajanus Imperium capessivit; saltem si exacti intelligantur, uti omnino in Eusebii mente accipiendos putamus: ubi Trajani *annus primus* et Episcopatus *anni tredecim* clarius exprimuntur, quam ut alium in sensum detorqueri queant. Hac D
igitur auctoritate freti, annum illum XCVIII morti Abilii assignare non dubitamus, quidquid alii varient, illis hunc, aliis alium annum numerantibus.

statuendum cum Eusebio,

71 Hoc posito: de die quærendum restat. Scimus festum ejus in plerisque Martyrologiis recoli XXII Februarii, quo die eum Bollandus in Acta retulit. Vidimus in Chronico notari I Thot, seu XXIX Augusti, ubi si recte interstitium ponitur CCLXXXVI dierum, perveniri deberet ad II Thot, seu XXX Augusti. Abulbaracato placet III Thot, quem mensem, uti et alios, perperam semper cum nostris confundit Vanslebius. Ceterum quiscumque ex his dies eligatur, anno XCVIII, sub cursu litteræ Dominicalis G, non potuit Abilii obitus cadere in diem Lunæ, ut vult Chronicon: unde et hic feriam ejus deserere cogimur, ut Eusebium teneamus; ac proinde, omnibus rite perpensis, ita Abilii Patriarchatum definiendum credimus, ut si ab Anniani obitu ducatur, Sedem obtinuerit annis XIII, mensibus IX, et diebus fere XVI; vita functus XXIX Augusti anni XCVIII, die Mercurii.

obiisse Abilium an. 98 probabiliter 29. Aug.

72 Aliam plane methodum sequitur Tillemontius, E
mihi tom. 2, p. 1, pag. 510, Nota 8 in S. Clementem, mire se torquens ut feriam in Chronico adscriptam tueatur. Etenim ubi Anniani obitum, ex eodem Chronico, collocavit anno LXXXVI, ut feria illa cadat in annum XCVI: contra omnium Chronologorum, et ipsiusmet Chronici et Eutychii sententiam, multis pertendit, Abilium non sedisse ultra, annos IX et dies CCLXXVII. Invento autem suo rationem hanc non satis solidam prætexit, quod triennium vacationis in Chronico adstruatur. Verum, præterquam quod futili causæ talis cessatio imputetur, adeoque et ipsa neganda potius videatur; quo jure totum illud triennium, Abilii annis detraxit Tillemontius? cur ex Cerdonis successoris tempore (ut faciendum erat) non decurtavit? At, inquit, Cerdo sedit annis fere XI, nempe ad annum circiter XII Trajani. Id habet ex Historia Eusebii? at numquid Eusebius idem annos XIII Abilio diserte attribuit? Ut quid igitur hujus potius quam alterius Episcopatum restringit? Altercari non vacat. Chronico Orientali adhæreat Tillemontius, nos ei toties Eusebium anteferemus, quoties conciliari non poterunt.

quidquid sentiat Tillemontius, tres annos ei decurtans

Acta apud Bollandum 22. Feb.

73 *De rebus a S. Abilio præclare gestis nihil hactenus legimus* (inquit Bollandus ad XXII Februarii) præter illa quæ nos etiam ex Echellensis Chronico et ex Severo supra retulimus. Quod ex Græcorum F
traditione Pearsonius, et ex Constitutionibus S. Clementis itidem allegat Tillemontius, Abilium a S. Luca Evangelista fuisse ordinatum Episcopum, alibi non reperitur. Si tamen id verum est, Eutychii periocham supra impugnatam, et Seldeni ratiocinia non parum enervat.

IV. S. CERDO.

Electio a Presbyteris et Episcopis facta anno XCVIII. *Obitus.*

Rejecto Chronici Orientalis calculo,

Juxta Chronicon nostrum *constitutus est Cerdo primo anno imperii Trajani* (cœpit hic imperare XXVII Januarii XCVIII) *et defunctus est die Sabbati, undecima Bunæ,* nobis V Junii. Adscribuntur in margine anni X et dies CCLXXX, regnante Domitiano Cæsare. Omnia hic iterum imperite digesta, nam cum Episcopatum Cerdo iniisse dicatur XCIX, et terminasse CIX, anni illi X et dies CCLXXX inveniri nequaquam possunt, prædecessore vita functo XXIX Augusti; hoc vero mortuo V Junii. Nec feria convenit: Domitianus vero post Trajanum collocatus, insignem collectoris illius oscitantiam demonstrat. Non est in computando felicior

A licior Abulbaracatus Vanslebii. Hic, ubi Cerdonem ait, Patriarcham creatum anno Alexandrino CCCCVII (non ante mensem Septembris, quo prædecessor ab ipso obiisse dicitur) mortem refert ad annum ejusdem Æræ CCCCXVII, post Episcopatus annos X, et menses XI Satis de erroneis calculis.

75 Negligenda non sunt quæ de Cerdonis creatione a Severo memorantur. *Percipientes inquit, Sacerdotes et Episcopi, qui ante illum* (Abilium) *erant in ea regione, quod Patriarcha defunctus esset; mæsti convenerunt ad Alexandrinam urbem; ac inito cum populo Orthodoxo, qui in ea erat, consilio, sortem projecerunt, ut cognoscerent, quinam dignus esset, qui sederet in Sede S. Marci Evangelistæ, discipuli Domini nostri Christi, post Patrem hunc Melianum* (ita Abilium vocat) *et convenit eorum opinio, ope Domini nostri Jesu Christi in hominem electum, timentem Deum, cujus nomen Cerdon.* Hæc eo allata sunt, ut Eutychii fabula, et Seldeni ampullæ iterum explodantur; ac præterea ut pateat, quam parum verisimile sit, Sedem Patriarchalem, post Abilii obitum, triennio fuisse vacuam, atque adeo justa de causa Chronici Echellensis narrationem a nobis superius rejectam.

Cerdonis electio ex Severo refertur,

B

76 Ex verbis Eusebii, nuper in Abilio adductis, constat Cerdonem ei successisse anno primo imperii Trajani, Christi XCVIII, suffragante Echellensis Chronico, ut statim vidimus. Frustra Tillemontius pugnat pro anno XCIX, dum præfatus Eusebius Historiæ Ecclesiasticæ lib. 4, cap. I, ita habet: *Circa* XII *annum imperii Trajani, Cerdo Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus, cujus paulo supra mentionem fecimus, abiit e vita: quartusque ab Apostolis, ministerium ejus Ecclesiæ sortitus est Primus.* Hic nec certum mortis annum designat Historicus, nec ministerii tempus omnino circumscribit, notato tamen alibi accurate initio, nempe anno Trajani primo. Qui ergo factum credemus, ut in Chronico opposita et in diversis editionibus pugnantia referantur? Versio Scaligeri Cerdonem collocat ad Nervæ initia anno XCVII, sedisse ait annos XI: mortuum interim anno Trajani IX, ipsi CVII, aliis verius CVI. Contra vero S. Hieronymi interpretatio, ex recensione Illustrissimi Pontaci, licet etiam Cerdonis initia referat ad Nervam, legit annum XCIX, et perducit ad Trajani XI, qui omnino est Christi CVIII. Dubium mihi non est, quin variationes illæ amanuensium vitio irrepserint, quod non semel in eo Chronico accidisse, quis ignorat?

et ex Eusebii mente;

C

77 In hac igitur lectionum diversitate, illud mihi præhabendum video, quod magis Historiæ consonat, et sequentium Patriarcharum seriei ex eodem Eusebio ordinandæ, erit accommodatius. Asserit expresse in Historia Eusebius, *anno circiter Principatus Hadriani* III, *mortuo Primo, anno Episcopatus sui* XII, *Alexandrinæ Ecclesiæ Sacerdotium suscepisse Justum.* Salvandi omnino sunt anni illi XII Episcopatus; et quidem pleni: salvandi sunt successoris anni XI, non ultra annum CXXX extendendi, ut mox stabilietur. Cum igitur Hadriani annus III, concurrat cum anno CXIX, non verebor ei anno, Primi obitum innectere. At, inquies, eo pacto Cerdonis exitum collocare tenebimur anno CVII. Utique: id ipsum est quod contendimus: et eo quidem anno, designatam a Chronico Orientali feriam (cui tantopere fidit Tillemontius) opportune nobis faventem operimur.

inter variantes lectiones.

78 Nec illud urgeas, futurum nempe ut ita Eusebianæ historiæ vis inferatur. Nequaquam. Quis enim ex Eusebii loquendi modo non colligit, istud *Circa*, pati latitudinem aliquam, cum de Cerdonis annis æque atque obitu non videatur habuisse Eusebius quod scrupulosius definiret; quamvis id alibi plerumque satis accurate observet. Licebit igitur ita Chronologiam ordinare, ut Cerdo e vivis ereptus dicatur quinta Junii anni illius CVII, die Sabbati, gubernata Ecclesia per annos novem non plenos, seu per annos VIII et dies fortasse CCLXXX, in quo Chronicon nostrum Orientale manifeste hallucinatum ostendimus, et porro ostendemus in sequentibus Patriarchis. Chronicon Eusebii, cujuscumque tandem editionis, nihil nos magnopere moratur. Errat, Cerdonis initia temporibus Nervæ implicando; errat, adscribendo annos XI, qui saltem ab Scaligero reperiri nullatenus possunt. Putamus non tutum iter ingredi, dum inter utramque Chronici recensionem medii procedimus.

Statuitur autem obiisse 15 Junii an. 107,

D

79 Alia hic denuo via progreditur Tillemontius, atque ut triennium vocationis propugnet, contra expressam Eusebii et ipsius Orientalis Chronici auctoritatem, Cerdonis initia, non ad annum Trajani primum, Christi XCVIII; sed ad XCIX reducit; inde vero, ut Episcopatus annos X et dies CCLXXX reperiat, cogitur recurrere ad annum CX; quo fit, ut sequentium trium Patriarcharum ordinem, non satis apte (ut mihi quidem videtur) constituere teneatur. quod patebit in decursu. Jam vero si Chronicon illud Orientale adeo deperit, invenisset saltem quo feriam ab eo assignatam in tuto collocaret. Non legerat Hagiologium Habessinum, ubi hic Patriarcha invocatur XXI Bunæ, id est XV Junii; eaque in Sabbatum incidit anno CX, sub Dominicali F, qua potissimum de causa ad eam XV Junii Acta ejus illustravit Magister meus Papebrochius; nihil tum magnopere solicitus, an quæ in eo Chronico referuntur, satis ad trutinam essent revocata, unde et postmodum ad calculos nostros maluit accedere.

E

refragante nequidquam Tillemontio.

80 Ceterum in Actis illis pauca tradi potuere præter Hagiologii brevissimum encomium, quo Cerdo ille sub nomine *Cedriani* vel *Cedreni*, (ex Æthiopica dialecto, ut per epistolam significavit Ludolfus) ita colitur: *Salutem tibi, Cedriane, qui pingeris quartus in numero Patrum*, id est Patriarcharum; *Beatus Marcus, radix Patriarcharum*, sive primus eorum Alexandriæ institutor, *Baptismum tibi gratiose contulit; et propter meliorem tuam præ aliis vivendi rationem, meruisti ab eodem Sacerdotii Episcopatum.* Pulchre convenit Chronici de Cerdone testimonium, *quod esset continens, justus et mansuetus tota vita sua.* Nec pluribus opus fuit, ut inter Sanctos connumeraretur, tametsi Martyrologia nostra ejus non meminerint: sed quod utrobique (inquit Papebrochius) taceatur genus obitus, non favet Georgio Syncello, asseveranti, *quod persecutione sub Trajano mota, martyrio mortem oppetiit.* Favet tamen Syncellus supputationi nostræ, quæ eum, fervente ea persecutione, diem obiisse declaravimus. Monet Ricciolius, hic justo scrupulosior, Cerdonem nostrum, ab Cerdone hæretico esse distinguendum, quod satis per se apparebat. Probabile est denique, Cerdonem hunc eumdem esse cum illo qui a S. Marco, cum Sabino et Abilio, Sacerdos ordinatus est, ut supra meminimus.

Breve Cerdonis elogium, in quo nihil de martyrio.

F

V. PRIMUS, rectius EPHREM.

Annus obitus ex Eusebio, nomen Ephrem, apud Habessinos; qui etiam Ephrem Syrum colunt. Judæorum in Ægypto tumultus.

PRIMUS, aliis *Aprimus*, Papebrochio probabiliter, *Ephrem;* dicitur in Historia Patriarchali *obiisse tertia Musri*, id est XXVII Julii, *die Dominica.* Nota marginalis scribit regiminis annos XII, dies LII, sub Aureliano Cæsare. Porro anni illi XII et dies LII, ex Chronici illius supputatione, a Cerdonis obitu, ad annum CIX fixo, perducere omnino non possunt nisi ad

Errantibus Orientalium calculis,

AUCTORE J. B. S.

A ad annum CXXI, quo assignata feria non concurrit: quod quidem parum esset, nisi toto triennio exorbitaret, pro eo anno CXX scribens CXXIV; quis autem tunc temporis vixerit Aurelianus Cæsar, fateor me nec hariolando conjectari. In nomine discrepat, cum duratione regiminis fere convenit hic Abulbaracat, sed numerat Alexandrinæ Æræ annum CCCCXXIX, qui esset annus Christi CX, juxta Vanslebii errantem supputationem, juxta communiorem CV, multum utique deficientem a vero anno mortis, etiam ex illorum calculo. Video Orientales illos nullo mihi hic iterum subsidio futuros.

melius ex Eusebio statuitur,

82 Sequor Eusebium, cum quo et Eutychius, et Nicephorus, et ceteri omnes conveniunt in assignando annorum XII numero, sive interim pleni illi sint, seu saltem inchoati. Ego plenos malim; unde si tantisper supponamus *Primum* Cerdoni, nullo habito interstitio, successisse; rexerit ille Ecclesiam annis integris duodecim et diebus LII; nempe a VI Junii ad XXVII Julii, quo obiisse facile concedam; non die Dominica, sed die Mercurii, anno III Hadriani, Christi CXIX, currente littera Dominicali B. Frustra hic obluctatur Tillemontius, Chronici Orientalis patronus, aliam a nostra Epocham *Primo* attribuens, tom. 2, p. 2, pag. 479 Nam præterquam B quod Eusebius annos XII plenos Primo nusquam deneget; non recte ait Tillemontius, in Chronico illo, Cerdonis mortem referri ad annum CX, et *Primi* ad annum CXXV; sed (ut nos nuperrime legimus) ita ut ex Chronici illius ordine, si eum auctor sequi desideret, mors Primi reducenda sit ad annum CXXI: atque is est quam Pontacus designavit; rerum hic verbis, non re, a nobis dissentit: siquidem annus CXXI, ipsi est Hadriani tertius, quo Sauromatas vel Sarmatas Imperator ille debellavit. Hæc autem omnia, de ipsius Tillemontii consensu, annum Christi CXIX apertissime denotant.

Primus obiisse 27 Julii an. 119.

83 De Patriarchæ hujus *Primi* rebus gestis, nihil quod sciam Scriptores commemorant. Credibile est, et ipsum, et Christianos, non paucis divexatos calamitatibus, Judæorum tumultuantium causa, de quorum cladibus hæc Eusebius lib. 4, cap. 2, memorat: *Cum Imperator* (Trajanus) *annum jam imperii octavum decimum attigisset* (Christi CXV) *rursus Judæorum tumultus exortus, maximam gentis illius multitudinem extinxit. Quippe Alexandriæ et per totam Ægyptum ac Cyrenaicam, velut a violento quodam et seditioso dæmone exagitati Judæi, adversus Græcos et* C *Gentiles, qui una cum ipsis habitabant, tumultum excitare cœperunt. Progressa deinde in majus seditione, sequenti anno bellum non mediocre conflarunt, Lupo tunc temporis totius Ægypti præfecturam gerente. Et primo quidem conflictu forte Judæi Gentiles superaverant: qui mox Alexandriam confugientes, Judæos qui in ea urbe degebant, captos interfecerunt.* Hæc Eusebius, multa subinde conserta prælia enumerans, et *Judæorum infinita millia* internecione delata, adeo ut civitas ipsa Alexandrina, a Romanis eo tempore subversa, publicis expensis fuerit instauranda. Mirum sane si tot inter tragœdias nihil Patriarcha, nihil Christiani perpessi fuerint, tametsi qui res gestas eorum temporum memoriæ mandarunt, nihil de hac re retulerint.

Sub eo in Ægypto gesta.

Probabile est eum vocari Ephrem;

84 Diem obitus supra admisimus ex Chronico Orientali, cum certior alius non reperiatur. Nolim hic omittere quæ Magister meus Papebrochius de *Primo*, quem *Ephremum* ipse putat, ejusque cultu verosimillime disputat, suo postea loco reponenda. Cum in Hagiologio Coptico, inquit, nullus appareat talis nominis Ephrem sanctus, præter Ephrem Syrum; neque credere possim, S. Marci successorem quartum, omnino præteritum in Fastis esse; cogor suspicari, notitiam temporis, quo Syrus Ephrem obiit, translatam esse ad ei synonymum Patriarcham, et contra. De Syro enim coævus suus Palladius, Historiæ Lausiacæ cap. 101, scribit, quod cum tempore famis, aluisset magnam pauperum infirmorum copiam, in lectis ad id paratis trecentis, *impleto anno, cum successisset fertilitas,* (utique mense Majo et Junio) *et omnia recte succederent, cum nihil haberet amplius quod ageret, ingressus est in suam cellam, et post mensem est mortuus.* Non indicatur his verbis initium Februarii, quo Natalem ejus Latini colunt; aut finis Januarii, quo eum colunt Græci; sed æstivum tempus, quo ejus ad XV Musre, id est VIII Augusti, meminit Hagiologium, ut qui Spiritum sanctum in specie columbæ viderit, obumbrantem caput sancti Basilii. D

ab Ephrem Syro,

in Coptorum fastis recte distinctum.

85 Sed et tertia Amschiri, id est XXVIII Januarii, habes ejusdem Syri translationem, etiam in Coptico Kalendario notatam. Die autem VII Tubæ, id est II Januarii, sic canit Poeta: *Salutem tibi, Pater Ephrem, plene sapientia et Christi timore, quem in corda fidelium ejus, velut situla transfudisti.* Nihil quidem hic additur, quo Patriarcham, Marci successorem tam propinquum intelligas; sed neque quo E Syrum, alibi bis memoratum, intelligere suadearis. Quidni tamen præsumamus eum hic invocari, qui solus alias, inter omnes Patriarchas sanctos, annua commemoratione in Hagiologio careret. *Ephremi* nomen suggessit nobis, in suo Patriarcharum Alexandrinorum catalogo, Athanasius Kircherus, pro supplemento Prodromi Copti; et Clarissimus Ludolfus per epistolam mihi significat, pro *Ephrem* Coptis pronunciari *Phrim*. quam autem facile hoc converti a Græcis potuerit in *Primus* vel *Aprimus*, nemo non videt. Hactenus Papebrochius, nos seriem Chronologicam pertexamus.

VI. S. JUSTUS.

Tempus obitus ex Eusebio, laus et Hagiologio.

Orientalibus denuo præfertur.

SANCTUS JUSTUS, juxta Chronicon *obiit die Sabbati duodecima Bunæ,* id est VI Junii, *placens Deo.* Sedi ejus in margine adscribuntur anni X, dies CCCXV; additurque annus Christi CXXXV, Antonino et Commodo Cæsaribus. Multum sudat Tillemontius ut ea componat; sed inani conatu, nec anno, nec feria, nec residuis diebus CCCXV, in ejus calculum apte quadrantibus. Abulbaracat annos X, menses IX adstruit: dissentit in æra Alexandrina non bene fixa; F et errore Vanslebio familiari, dies XII Bunæ cum XII Junii male confunditur. Ceterum in describendo annorum numero nihil Græci, Eusebius et Nicephorus, ab Orientalibus discrepant, neglectis dierum minutiis, annos XI Justo tribuentes. Jam vero ex modo nostro computandi, ab anno CXIX pertingi omnino debet ad CXXX; qui ab Eusebio tot characteristicis insignitur, ut omnem dubitandi locum nobis præripiat.

Eusebiana numerandi ratio,

87 Audiantur ejus verba, ex lib. 4 Historiæ Ecclesiasticæ cap. 5 in fine: *Porro annum imperii sui duodecimum agente Hadriano, cum Xystus Episcopatum urbis Romæ decem annis obtinuisset, septimus ab Apostolis Telesphorus in ejus locum successit. Anno deinde et mensibus aliquot interjectis, Eumenes Alexandrinæ Ecclesiæ administrationem, sextus ordine* (post Marcum) *suscipit, cum decessor ipsius annos undecim præfuisset.* Quod de Xysto et Telesphoro ibi dicitur, nihil ad rem nostram spectat; vulgo notum est, in texendo Romanorum Pontificum catalogo, Eusebium hallucinatum esse, expuncto ex eorum Albo Pontifice Cleto; unde Baronius monuit, magis Ecclesiæ Romanæ alumnis, quam aliis

esse

A esse fidendum. Non ita de rebus Alexandrinis statuendum, cujus alumni, juniores omnes et parum accurati, longe Eusebio posthabendi sunt, ut alibi ex professo ostendimus. Itaque ex allegato testimonio, clarissime patet, obitum Justi referri ad annum Christi cxxx, Hadriani xiv; qui erat Episcopatus xi, tantum non plenus; utpote quem auspicatus fuerat probabilissime, exeunte Julio, cxix, eo potitus, usque ad vi Junii cxxx, qui fuit dies Lunæ, sic ut sederit annis integris x et diebus circiter cccxiii aut cccxiv. Convenit hic cum Historia, Chronicon Pontaci, convenit Chronicon Scaligeri, tametsi ille *Justi* obitum revocet ad cxxxii, iste ad cxxxi. Siquidem utrobique notatur annus Hadriani xiv, quo et templum Veneris ab eo Romæ dedicatum, quod certe exactior chronologia anno cxxx accidisse fatetur.

ex qua Justus obiit an. 130, 6 Junii,

89 De *S. Justo* egit Papebrochius in Actis ad vi Junii, ei, quam tunc meditabatur, Chronologiæ insistens, nempe quam ex Historia Patriarchali Echellensis haustam, jam corrigi mavult ex certioribus Eusebii calculis. Poeta Habessinus tale de Justo elogium concinnavit: *Salutem dico Justo,*
B *quem cum patre et matre ejus baptizavit Marcus: is consenescens in castitate, et in sanctitate adolescens, hoc die cursum suum indubie absolvit, et satisfecit desiderio suo, æternæ scilicet beatitatis.* Recte dicitur ad magnam senectutem pervenisse. Nam, si verum est quod eum sanctus Marcus sacris undis abluit, septuagenario majorem fuisse oportet. Fueritne ex Clericis, cum Episcopo Anniano, et Presbyteris Abilio, Sabino, Cerdone constitutis, non est hujus loci ulterius indagare. Chronicon Orientale paucis encomium complectitur, his verbis: *Erat autem placens Deo.*

Elogium ejus.

VII. S. EUMENIUS.

Ejus tempore Passa S. Sophia. Barcochebus Judæus, ac Basilides hæresiarcha Ecclesiam vexant.

Sanctus Eumenius, Eusebio *Eumenes* vel *Hymenæus, obiit,* inquit Historia, *die Dominica, decima Babæ,* hoc est vii Octobris; cum sedisset, juxta numeros marginales, annos x, dies cxxii, numerandos a decessoris obitu, nempe a vi Junii. Hoc quidem recte; sed fallunt de more adscripti anni. Cum enim ab anno cxxxv regere cœperit, atque ad
C cxlvi, ex eo Chronico pervenerit; jam non x, sed xi anni cum diebus cxxii omnino haberentur. Pertinax vero et Julianus Cæsares, nescio qua veri specie in iisdem marginalibus addi potuerint. Errat et Abulbaracat vel Vanslebius, non solum confundendo x Babæ cum x Octobris, sed tribuendo Eumenio annos xiii. et menses ix; ubi secundum ipsorum supputationem, a mense Julio anni Alexandrini ccccxl, ad x Octobris ccccliv, numerandi essent anni pleni xiv, et menses fere iv.

Non ex Chronico aut Abulbaracato, errantibus;

91 Nobis præplacet Eusebiana ratio, ex Histor. Ecclesiasticæ lib. 5, cap. ii, ubi sic habet: *Alexandriæ cum Eumenes tredecim annos explesset, Marcus in ejus locum designatus est: quo deinde post decem Pontificatus annos mortuo, Alexandrinæ Ecclesiæ administrationem Celadion accipit.* De Marco seu Marciano et Celadione, paulo post recurret sermo. Hic *Eumenio* anni xiii pleni tribuuntur, iique a mense Junio anni cxxx inchoati, ducunt ad cxliii, non cxliv, ut perperam notant ambæ Chronici Eusebiani editiones; turpius adhuc errantes in successore Marco, quem obiisse volunt anno cl vel cli, manifesta contradictione, annos ei x regiminis assignantes. Recte nihilominus Scaliger Eumenium defunctum tradit anno vi Antonini, qui ipsissimus est annus Christi cxliii. Convenit nobiscum Tillemontius in anno cxliii, morti Eumenii vindicando, licet ex ejus Episcopatu triennium decurtare coactus fuerit, quod exordia anno cxxxiii male collocasset. Mirifice quadrant omnia, in eum annum cxliii Antonini Pii vi, vel ipsa etiam feria a Chronico Orientali subjecta, Dominica nempe, in quam, currente littera Dominicali G, vii Octobris tunc incidit. Quem vero in Eumenio scrupulum movet Tillemontius, tom. 2. p. 2. pag. 497, circa bissextum Ægyptiorum, alibi excussimus.

sed ex Eusebio

D

AU TORE J. B. S. obiit Eumenius an. 143, 7 Octobris,

92 Cum hac Chronologia, Eumenii initia referente ad annum xiv Hadriani, non male convenit, quod ejus tempore dicatur, in Historia Patriarchali, *Martyrio coronata S. Sophia cum tribus filiabus.* Acta enim, illustranda die i Augusti, certamen illud referunt ad *tempora Hadriani;* nec in illis quidquam argumenti Baronius reperit, cur ad priores potius quam ad posteriores ejusdem Imperatoris annos ipsum referret. Nam cæsis filiabus S. Sophiæ, *sentiebat Hadrianus præparari sibi iram divinam,* quam reipsa expertus est anno cxxxviii, hydrope extinctus. Celeberrimam toto Oriente fuisse oportet Sanctam illam Martyrem, Romæ passam: E cujus tam honorificam memoriam Alexandrini recolerent. Siquidem et Hagiologus Habessinus, encomium Eumenii sic etiam canit: *Salutem Eumenio, qui bona elegit, mala sprevit, dignus ut constitueretur in Sede S. Marci Alexandriæ. In diebus hujus Apostoli,* id est Apostolici viri, *tradidit Sophia ad martyrium filias suas.* Nihil præterea de hujus Patriarcæ rebus præclare gestis reperimus, plura suo loco daturi, si qua ex Copticis Synaxariis aut aliunde nanciscamur.

sub eo passa Romæ S. Sophia et filiæ, in Oriente celebres.

93 Probabile est Ecclesiam Alexandrinam, ejus tempore variis ærumnis exercitam, si non ab Hadriano, aliquamdiu apud Ægyptum commorato, dum Pompei monumentum restituit, et Antinoum amasium donavit apotheosi; saltem ab infidelibus, aut Judæis. Constat certe ex Eusebii Chronico, fervente ultima Judæorum rebellione, anno primum cxxxvi plane oppressa, et quingentis et octoginta millibus interfectis; constat, inquam, *Barcochebum, Judaicæ factionis ducem, nolentes sibi Christianos adversus Romanum militem ferre subsidium, omnimodis cruciatibus necasse:* id vero de Ægyptiis Christianis intelligendum existimo. Accessit et domesticum bellum altero F perniciosius, a Basilide Alexandrino, Gnosticorum parente, errores illic suos disseminante. Hic autem *Arcanorum quorumdam specie, portentosas fabulas commentus, opinionis impiæ machinamenta in immensum extendit,* ut pluribus prosequitur in Historia lib. 4. cap. 7. Eusebius prælaudatus. Qui fuerint SS. Victor, Corona et socii Martyres, an in Syria, an in Ægypto passi, explicat Henschenius ad xiv Maji: hic eorum meminisse visum est, quod sub Antonino passi dicantur.

Ecclesia Alexandrina a Barcochebo Judæorum duce,

et ab Hæresiarcha Basilide vexata.

VIII. S. MARCIANUS.

Tempus Sedis, Elogium apud Habessinos, ex eo recte sentientes de processione Spiritus sancti.

Sanctus Marcianus, Eusebio *Marcus,* mutato fortasse ab Ægyptiis nomine, propter reverentiam primi Patriarchæ. *Admirabilis fuit,* juxta historiam Patriarchalem, *vitæ et virtutum. Novem annis et mensibus tribus tenuit Sedem: tum defunctus est, die Dominica, sexta Tubæ,* id est i Januarii, *sub Antonino Imperatore.* Vera hæc omnia putamus, et calculis nostris apprime congruentia, adeoque ineptissime nugatus

Ex Chronico Orientali,

A nugatus est notarum marginalium consarcinator, annum signans CLV, imperantibus *Severo Cæsare et filio ejus Antonino.* Abulbaracat, Æræ suæ Alexandrinæ adhærens, creatum ait *Marcianum* mense Novembri CCCCLIV, qui esset Christi centesimus circiter et trigesimus ; vita functum CCCCLXIV, septima Januarii : tenuisse nihilominus Sedem Patriarchalem annis X, et mensibus duobus. Oculos tuos, Lector, nisi hæc oscitando scripserint, et Abulbaracatus et ejus interpres Vanslebius.

AUCTORE J. B. S.

de consensu Eusebii,

95 Felicius paulo rem expressit Chronicon Orientale seu Historia Patriarcharum, ut statim diximus, annos novem et menses tres, seu dies LXXXVI, Marciano adscribens ; quibus perducimur ad annum CLIII prætenso concursu notabilem, Dominica nimirum in sextam Tubæ seu I Januarii cadente, sub littera Dominicali A, in quo et Tillemontius nobiscum consentit. Mirari tamen subit scriptorem illum, alias tam accuratum, non advertisse, quod ab octava Octobris ad primam Januarii, menses quidem tres, sed non pleni intercurrant, et dies LXXXVI, desumendi omnino sint a prædecessoris obitu, ut plerumque numerat præfatum Chronicon.

B

obiit Marcianus I Januarii 153;

96 Verba Eusebii supra adduximus, ubi quos Marco, nobis Marciano, annos X tribuit, satis ex ejus phrasi intelligitur, non fuisse expletos, cum id alioqui semper, expressis terminis addere consueverit. Est igitur in confesso, Marcianum sedisse annos IX, dies LXXXVI, obiisse vero die Dominica, I Januarii anno CLIII, non CL, ut Eusebii Chronicon, nuper refutatum, pessime annotavit. Porro annus ille CLIII erat Antonini Pii XV, prope finitus, vel ut alii scribunt XVI, sed necdum inchoatus ; quandoquidem Hadriano non successerit ante XXV Februarii CXXXVIII ; imo aliqui initia ejus differunt usque ad XII Julii ejusdem anni.

ejus laus.

97 Brevissimum Marciani elogium, de admirabili ejus vita et virtutibus, ex Chronico Orientali, ita amplificat Hagiologus Habessinus, a quo refertur, ut *Octavus in numero bonorum Episcoporum, Columnarum nomine appellatorum ; quique ut converteret Ethnicos a via impietatis, et Christianitatem gratia copiosa ditaret, consecutus est donum Spiritus sancti, ipsum a filio sumentis :* unde apparet, quid de processione Spiritus sancti, contra errorem Græcorum, Habessini sentiant.

C

IX. S. CELADION.

Ejus a populo et Episcopis facta electio.

SANCTUS CELADION, ita legunt Eusebius, Georgius Syncellus, Nicephorus, Abulbaracat, apud quem et *Beladian;* vocatur ab Historia nostra *Claudianus. Erat,* inquit, *populo nimis dilectus. Sedem tenuit annis quatuordecim et mensibus sex,* sive diebus CLXXXIII, ut est in margine. *Defunctus est die Jovis, nona Alibi,* id est III Julii. Hæc quidem optime digesta, sed quis obsecro eum concursum aptabit anno CLXIX? quis Macrinum et Antoninum Cæsares eo tempore vel somniando comminisci potuit? Celadionem constitutum ait Abulbaracat, mense Februario, Æræ Alexandrinæ anno CCCCLXIV, Christi circiter CXL; mortuum CCCCLXXVII, nobis CLIII, a sana chronologia, more suo multum deficiens : verum hic solito felicior, quod consequenter erret, annos Sedis numerans XIII et menses quinque, qui hic saltem in ejus computum conveniunt.

Juxta Chronicon obiit anno 167, 3 Julii,

consentit Eusebius,

99 Anni illi quatuordecim et menses sex Pontificatus, obitum Celadionis trahunt ad annum CLXVII; quod si natalis dies vere III Julii recolitur, sub cursu litteræ Dominicalis E, habetur concursus feriæ, nempe diei Jovis a Chronico Orientali assignatus, Tillemontio hic etiam nobis subscribente. Chronicon Eusebianum Scaligeri eumdem calculum sequitur, Pontacus posteriorem CLXVIII scribit : verum uterque is annus perperam cum anno VI *Marci Aurelii et Lucii Veri* copulari videtur. Porro annum CLXVIII Historia indicat, lib. 4, cap. 19, his verbis : *Supradicto Imperatore* (Lucio Vero, collega Marci Aurelii) *octavum principatus annum agente...... apud Alexandriam, cum Celadion per annos XIV Ecclesiæ præfuisset, successit Agrippinus.* Cœperunt Imperatores illi regnare a VII Martii CLXI, atque adeo octavus eorum annus, procul dubio nos duceret ad annum CLXVIII. At recte monet Tillemontius, tom. 2, p. 3, pag. 143, quod et alii observarunt, Eusebium in horum Cæsarum ætate ad Christianam Æram applicanda, annum unum anticipasse; unde qui ipsi octavus annus est, vere tantum dicendus est septimus ; ac proinde, etiam de Eusebii consensu, Celadionis exitus ad annum CLXVII, omnino est reducendus, ut palam fiet in sequentium serie disponenda, juxta ipsius Eusebii sententiam.

D

AUCTORE J. B. S.

in annis Marci Aurelii præcurrens.

100 Hagiologus Habessinus, ad prædictam III Julii, Celadionem exornat, a quo nominatur *Kaladian, nonus in numero Archiepiscoporum ; quem Dominus, propter opera bona et magnam fidem ejus, liberavit a servitute hujus mundi, eoque transtulit ubi eum exspectabat parata merces.* Nihil præter hæc de ejus Actis traditum reperimus. Electionem ad Patriarchatum narrat Severus apud Echellensem pag. 149. *Erat autem iis diebus in populo, homo quidam amans Deum, nomine Celadianus, quem convenientes, populus Orthodoxus et Episcopi, qui erant iis diebus Alexandriæ, assumpserunt et Patriarcham constituerunt, ac in Sede collocaverunt Evangelica ; eratque dilectus universo populo.* Nisi satis eversæ essent Eutychii et Seldeni machinæ, dicerem ex hoc testimonio iterum labefactandas.

Celadionis Encomium et electio.

E

X. S. AGRIPPINUS.

Quod annum mortis in speciem sibi contrarius Eusebius, conciliatur.

SANCTUS AGRIPPINUS, Abulbaracato *Agrippius* vel *Agrippa*, in Historia Patriarcharum *defunctus* dicitur *die Veneris, V Amschiri,* id est XXX Januarii, postquam Sedem tenuisset annis XI, diebus CCXI. Belle hæc cum superioribus concordant, caduntque in annum CLXXIX, quo sub littera Dominicali D, habetur concursus feriæ, et ab anno, decessoris morte definito, anni XI ; atque a III Julii ad XXX Januarii, dies CCXI justo numero reperiuntur, ducuntque ad annum Marci Aurelii XIX : sic ut hic iterum nota marginalis exerret, adstruens annum CLXXXI, et ridicule addens Cæsares Alexandrum et Maximinum. Abulbaracat, per omnia dissentit a ceteris : ait enim quod ordinatus Agrippinus mense Augusto, obierit XV Amschir, qui esset IX Februarii, non XV, ut male semper interpretatur Vanslebius. Male etiam tribuuntur anni XII, in defectu quinque mensium et amplius ; quos tamen alibi Vanslebius annotare solitus est. Perseverat hic auctor in discrimine annorum XIV, a calculis nostris : siquidem creationem Agrippini tribuit anno CCCCLXXVII, Æræ Alexandrinæ, Christi circiter CLIII ; mortem anno CCCCLXXXIX, Christi CLXV. Illud mirum, quod in circumscribendo Episcopatus tempore, hic sibi, ut alias, non contradicat.

Statuitur obiisse 30 Januarii anno 179.

F

102 Opponi continuo hic potest quod in hujusmodi supputatione calculus Eusebii a nobis deseratur, quem tamen reliquis præferendum toties protestati fuimus. Scribit autem lib. 5, cap. 9, de Commodo : *Porro cum Antoninus novemdecim annis imperium tenuisset*

Eusebius, in speciem repugnans,

A *tenuisset, Commodus Principatum accepit: cujus anno primo Julianus Alexandrinæ Ecclesiæ suscepit Sacerdotium, cum Agrippinus duodecim annos Episcopalis administrationis explesset*...Non inficior, hæc Eusebii verba accommode esse intelligenda, præsertim in annis XII Patriarchatus, quos plenos videtur accipere, usitata sæpe phrasi, etiam tum cum deesse nonnihil ad complementum deprehendimus. Ceterum quod attinet ad annum I Commodi, cui respondet, ex optimorum chronologorum suffragiis, annus Christi CLXXX, ducto initio a XVI Martii; evidens est, obitum Agrippini cum eo combinari non posse, nisi defunctus dicatur CLXXXI; quandoquidem absque ulla controversia Natalis figatur ad diem XXX Januarii (quo die anno CLXXX, Commodus Patri necdum successerat) id vero apertissime Eusebio repugnare ex eo patet, quod Patriarchæ Juliano proxime secuturo, annos X integros tribuat, et nihilominus obiisse dicat anno Commodi X, qui certe est CLXXXIX, quid manifestius quam quod ab anno CLXXX ad CLXXXIX, non nisi anni novem numerentur?

B 103 Sed neque ultra CLXXXIX, Juliani morti per ipsum Eusebium protrahere licet, si velimus salvare tempus Patriarchatus Demetrii ad annos XLIII extensum, terminandos anno Alexandri X, Christi CCXXXI; ut ex Labbeo, Tillemontio, et aliis contra Pagium infra demonstrabitur. Adde quod nec anni XII, pleni inveniendi sint in methodo Eusebii, tametsi annum CLXXX manu-tenueris, conjungendo annum obitus Celadionis cum CLXVIII. Explanandis hisce ambagibus, sedula meditatione assecutus videor, quid Eusebium, vel ejus editores aut interpretes fefellerit. Recole quæ non ita pridem diximus de Marci Aurelii temporibus anno uno anticipatis: quid magis pronum, quam ut in Commodi filii ætatem tale quid irrepserit. Jam vero si Commodi initia, ex istius auctoris mente, ad CLXXIX referantur, conciliabitur secum ipse Eusebius, ita explicandus, ut annum Commodi appellet necdum inchoatum; quod chronologis frequentissimum est, annos Cæsarum ad Julianos aptantibus.

sibi et nobis restituitur.

104 Dixi, *ex ipsius Eusebii mente*. Etenim ex ambobus Chronici editoribus constat, Agrippini obitum innecti anno Marci Aurelii XIX seu ultimo, Christi CLXXIX. Fieri autem potest, ut in Historia Eusebii, aliud Commodi initium accipiatur, vel dum *regni consors factus est* CLXXVII, vel dum Augustus a
C Senatu nominatus, eo ipso anno Marci Aurelii patris XIX. Hoc pacto anni X pleni Juliano vindicari poterunt, tametsi eorum finis reducatur ad CLXXXIX, et consequenter anni XLIII, saltem non pleni Demetrio, ad VIII vel IX Octobris CCXXXI finiendi, qui omnino erit Alexandri Cæsaris annus X. Puto ea ratione Eusebium et nobis et sibi restituendum. At, inquies, si annus Commodi primus connectitur cum CLXXIX, jam annus CLXXXIX non erit Commodi X, sed fluet XI. Nihil ea me feriunt, quamquam cum Labbeo Tillemontio, etc. statuas Commodum a patre Collegam ab anno CLXXVI declaratum. Hoc unum conor ostendere, ex vario illo Commodi principio, altero dum consors imperii factus est, vel dum Augustus est appellatus, altero dum patri extincto successit, temporum ordinem facillime interturbari potuisse. Hoc qui nesciunt, nullum se cum chronologis commercium habere, fateantur necesse est.

Hagiologi salutatio.

105 Hagiologus Poeta sic Patriarchæ huic accinit. *Salutem Agrippino, qui electus est post Celadianum, ut indueret Pallium Episcopale, fidei stamine contextum. Hic quia misericors et pacificus erat, adeo nihil gregis sui ad proprios usus intervertit, ut moriens nec valorem quidem unius drachmæ in victu aut vestitu post se reliquerit*. Probabilissimum est, Pantænum, ex Stoico Philosophum Christianum, Agrippino synchronum, similibus disciplinis alumnos instituisse, quos inter Clemens ille, ab urbe Alexandrina cognominatus, licet Atheniensis origine, plurimum eminuit, *Stromateus*, ab operibus, et *Contextor* nuncupatus. D

AUCTORE J. B. S.

CAPUT II.

Alii octo Patriarchæ usque ad finem persecutionum, ab anno CLXXIX ad CCCXI.

XI S. JULIANUS.

Electio laudata ex Severo. Annus mortis, apud Pagium perplexus, elucidatur.

Sanctus Julianus, quando obierit, non additur in Historia Patriarchali, sive id ignorantia diei acciderit, sive librariorum transcribentium incuria. Invocat illum Hagiologus Habessinus ad diem *octavum Berimaha*, id est IV Martii; et addit, *quod in fide et bonis operibus obdormivit, postquam sedisset in Apostolica Sede annis decem*. Eosdem annos X habemus adscriptos margini apud Echellensem, et dies XXXIII; ubi perperam ponitur annus Christi CXCI, et absurde Pupienus et Gordianus Cæsares. Placent tamen anni illi X et dies XXXIII, quibus justo calculo pertingitur ad annum CLXXXIX, atque a XXX Januarii ad IV Martii, dies etiam XXXIII inveniuntur. Fallit igitur, Abulbacarat, annos tantummodo IX et menses XI innuens, ac in reliquis de more turpiter aberrans; cui proinde identidem corrigendo ne lectori fastidium creem, in posterum supersedendum censet, nisi ubi quid utilitatis redundare inde poterit. Neque Nicephorum citare lubet, quod hic præsertim, parum accuratus sit, dum Juliano annos XV, Demetrio X, Heraclæ XLIII tribuit; sive id amanuensium vitio, ut quidam volunt, sive quacumque alia ex causa evenisse dicatur.

De anno aut die alius nihil tradit Chronicon,

E

et cum Eusebio convenit in Sedis duratione.

107 Eusebius Hist. Eccl lib. 5, cap. 22, Chronici Orientalis et Georgii Syncelli calculum diserte confirmat, sic scribens. *Commodo decimum annum imperii agente, cum Julianus decimum annum explesset; Ecclesiarum Alexandriæ administrationem suscepit Demetrius*. Annus Commodi X, ut paulo ante dictum est, respondet anno Christi CLXXXIX; tametsi hic dum Julianus moreretur IV Martii, necdum in rigore esset inchoatus; quod historicis familiare est, ne perpetuis annotationibus rerum seriem interturbare teneantur. Itaque ex ordinata jam serie numerantur anni pleni omnino X Patriarchatus Juliani, cum diebus XXXIII, ex Chronici methodo, a decessoris exitu computatis, unde dubium mihi non est, quin Julianus obierit illa IV Martii CLXXXIX, die Martis. Chronicon Eusebii editionis Scaligeri, Demetrii ordinationem refert ad annum etiam Commodi X, sed Pontacus ad præcedentem; quod admitti nullatenus posse supra ostendimus, et ex dicendis manifestius demonstrabitur. F

Obiit autem Julianus 4 Martii, anno 189,

Pagius, aliter numerans,

108 Alia hic, nostris haud ita quidem dissona, sed satis turbata, et nulli, quam saltem allegat, antiquorum auctoritati innixa, statuit Pagius in Critica Historico-Chronologica: ubi ad annum CLXXXVIII asserit, *Demetrium eo anno Episcopatum Alexandrinum consecutum esse. Cum enim* (inquit) *anno* CCXXX *vita functus fuerit, hoc anno Ecclesiam Alexandrinam administrare cœpit*. Supponit nempe, ex unanimi eruditorum suffragio adversus Chronicon Orientale, Demetrium per annos prope XLIII Patriarchatum tenuisse; quod et in Nicephori codice MS. Londinensi reperiri, affirmat Pearsonius in Annalibus Cyprianicis. Postea vero apud eumdem

AUCTORE J. B. S.

A dem Pagium, anno Christi CCXXXII, ita legitur : *Mors Demetrii Episcopi Alexandrini, et initium Heraclæ ad annum* CCXXX *pertinent, ex Chronico Eusebii, tam juxta editionem Pontaci quam Scaligeri.* Bona ejus venia, in nostra Pontaci editione anni MDCIII, invenitur annus CCXXXIII : in Scaligerana MDCVI, annus CCXXXI ; et recte, ut ego quidem existimo, quidquid pro anno Alexandri X posuerit IX, ut etiam in Pontacensi legitur, ex quo (ni fallor) Pagius argumentum desumpsit.

aut obscuritatis aut erroris arguitur.

109 Ceterum vellem hic mentem suam clarius exprimeret Pagius. Etenim si anno CCXXX, obiisse velit Demetrium, cur sub Canonio anni CCXXXII, Baronio CCXXXIV, eum collocat? cur Marianum Scotum adducit, cum Lupi et Maximi Consulatu (annus is certe est CCXXXII) Heraclæ initium copulantem ? Cur ad retinendos annos Heraclæ sedecim, recurrit ad annum CCXLVII ? Contra, si annum cupit CCXXXII, cur utrobique notis Romanis exprimit CCXXX ; aut cur, ad salvandos annos Demetrii XLIII, opus habet retrogradi ad CLXXXVIII ? Denique quis Juliani obitum cum anno CLXXXVIII combinavit, postquam Eusebii Historia et Chronicon Scaligeri, B sufficientibus characteristicis contrarium manifeste affirmant ? Nec in Pontaco quidquam præsidii Pagio superest, licet notetur annus Commodi IX ; siquidem (ut ante probavimus) die IV Martii anni CLXXXIX, erat adhuc in cursu, usque ad XVI ejusdem mensis, annus ille Commodi nonus. Si Pagius menses et dies vocasset in consilium, non tam facile annos determinasset. Verum de his iterum statim recurret dicendi locus.

Juliani laus.

110 Ad Juliani laudem, brevi Poetæ elogio nuper memorato addi potest, quod de ejus electione ex Severo tradit Echellensis pag. 150. *Erat quidam homo, Presbyter sapiens, qui operam divinarum scripturarum studio navaverat, nomine Julianus, ambulans in via continentiæ, religionis et mansuetudinis. Conveniens igitur congregatio Episcoporum Synodaliter, simulque populus orthodoxus in urbe Alexandriæ, et studiose inquirentes in universum populum, neminem compererunt huic Presbytero similem, quamobrem, manibus illi impositis, Patriarcham eum constituerunt.* An hunc ex Capitulo Eutychiano assumptum garriet Seldenus ? Sed quid de Demetrio agricola, qui Angeli monitu (ut Historia narrat, et mox declarabitur) fuit Juliano successore designatus per racemum uvæ media hieme morituro oblatum. Sunt qui S. Pan- C tænum a Juliano vel Demetrio ad Indos missum asserant, ut eos in fide Christiana confirmaret, Clemente Presbytero Alexandrino in illius Cathedram substituto, quam usque ad Severi persecutionem anno CCII tenuisse dicitur. De templi Serapidis conflagratione, anno II Commodi, Christi CLXXXI, meminit Eusebii Chronicon. Origenem vero anno CLXXXV, natum oportet, si, dum parens Leonides martyrium pateretur anno CCII, septimum decimum annum attigerat, ut testatur præfatus Eusebius, Histor. Eccl. lib. 6, cap. 2.

Sub illo Alexandriæ gesta

XII. S. DEMETRIUS.

Miraculosa ad Episcopatum designatio, singularis abstinentia, virginitas in conjugio servata et probata. Cycli Epactarum inventio, relata in Fastos Æthiopicos. Tres Episcopi an causa persecutionis Alexandriæ creati ? Floret Clemens Alexandrinus. Origenem ejus discipulum urbe pellit Demetrius.

SANCTUS DEMETRIUS, ex decessoris oraculo designatus raptusque est ad Apostolicum Thronum, licet D uxoratus, qualis antea nemo ; sed cum uxore virgine virgo comprobatus insigni miraculo, ut ex historia Patriarchali et Abulbaracato post paulo memorabitur. Dies obitus iterum nullus exprimitur, et per insignem lapsum, contra omnium scriptorum sententiam, pro annis XLIII, notantur in margine soli XXXII, et dies CCXIX ; atque pari hallucinatione, tempus Patriarchatus sub Philippo Cæsare exorsus, sub Decio absolvissse traditur anno CCXXIV. Albulbaracat Demetrium ordinatum ait anno Alexandrino CCCCXCIX, mortuum DXLII (Verum non vacat errorem ultra corrigere) annos vero regiminis eidem tribuit XLII, et menses XI, in quo propius ad veritatem accedit.

Licet decennium Demetrio subtrahat Chronicon,

112 Mihi indubitatum est ex Eusebio, Georgio Syncello, Nicephoro MS. Londinensi, Eutychio, et chronologis passim omnibus, Demetrium Ecclesiam Alexandrinam gubernasse per annos XLIII, non plenos : neque enim ἐφ'ὅλοις Eusebii et aliorum auctorum semper plenitudinem illam importat, ut alibi diximus, et recte etiam advertit Tillemontius, Nota 21 in Origenem tom. 3. p. 3. pag. 354. Rursus absque ulla hæsitatione assero, obiisse Demetrium IX Octobris anni CCXXXI ; quod ita ex Eusebii Hist. E Eccl. lib. 6. cap. 26, demonstrari posse existimans, ejus verba recito : *Decimus hic erat annus jam dicti Imperatoris Alexandri, cum Origenes, ab urbe Alexandriæ Cæsaream migraturus, Scholam, ad fideles ejus loci instituendos Heraclæ dereliquit. Nec multo post Demetrius, Alexandrinorum Episcopus, fato functus est, cum per tres et quadraginta annos Ecclesiam administrasset. In cujus locum successit Heraclas.*

certum est Sedem tenuisse per annos 43, saltem non plenos.

113 Nihil moveor auctoritate Chronici Eusebiani, Demetrii obitum anno anticipantis : nam, præterquam quod Historia longe sit accuratior, palpabiliter errat editio Scaligeri, secessum Origenis ad annum Alexandri XI referentis ; cum constantissima sit eruditorum omnium opinio, vivo et superstite Demetrio migrationem illam contigisse : in quo Pontaci editio toto triennio ab altera differt, Origenis exilium cum anno VIII Alexandri connectens. Præterea certissimum est, Heraclam in instituendorum cathechumenorum munere Origeni successisse ; certissimum est, Heraclam post Demetrii obitum Patriarchatum adeptum : qua igitur veri specie sustineri poterit, Origenem, non nisi biennio post Demetrii mortem Alexandriam deseruisse ? Quidquid Nicephorus, et aliqua fortasse Historiæ Eusebianæ manuscripta a Tillemontio citata de Origenis discessu sentiant, nihil F a proposito recedendum putamus. Quidquid Pagius de Demetrii obitu disputet, nec Labbeum, nec Tillemontium, nec me a sententia dimovebit. Statuo itaque, Demetrium ab anno CLXXXIX, IV vel V Martii, Episcopatum exorsum, sedisse per annos XLII et dies CCXIX (ut Historia Patriarchalis tradit) seu menses VII et dies IV, ubi pro annis XXXII scribendi utique anni XLII : unde procul dubio obierit Demetrius, VIII vel potius IX Octobris, die Martis, anno CCXXXI, quo die etiam in Hagiologio Habessino, nempe ad XII Babæ Natalis ejus recolitur.

Eusebii Chronicon cum historia confertur.

Obiit Demetrius 8 vel 9 Octobris anno 231.

114 Illic porro sic eum Poeta veneratur : *Salutem Demetrio, institutori abstinentiæ a potu, et constitutori ciborum in Pentecoste. Nisi ipse per Spiritum sanctum revelasset, quomodo repertus fuisset Computus, cujus nomen Epacte?* Quid abstinentia illa a potu, quid cibi pentecostales indigitent, nescio. Epactas ab Alexandrinis ad alias gentes propagatas, communis est eruditorum opinio, et res Scriptoribus Orientis notissima ; tametsi Scaligero ignorata, ut constat ex libro ejus de emendatione temporum ; quod hic Ludolfus annotavit, et ante ipsum Petavius. Ceterum quod hic Hagiologus narrat, apud alios me legere non memini.

Habessini laudant inventum ab eo Cyclum Epactarum,

115

A 115 Non est quidem improbabile, *scripsisse* Demetrium, *Patriarcham Alexandrinum* (ut tradit Eutychius) *ad Episcopum Hierosolymitanum, et Patriarcham Antiochenum, et ad Victorem Patriarcham Romanum, de ratione computi Paschalis et jejunii Christianorum, et quomodo a Paschate Judæorum abducatur; de qua re multos exararunt libellos et epistolas, donec eo, qui jam observatur, modo Christianorum Pascha constitueretur.* Sed hoc non probat, Demetrium Epactarum primum fuisse inventorem. Notandum interim est, non sedisse tunc Hierosolymis et Antiochiæ, quos Eutychius nominat *Gabium* seu *Gaium et Maximum*, ut alibi etiam monuimus; quare expuncta hic sunt eorum nomina, ut cuique liberum sit, vera substituendo, corrigere scriptorem, defectu sanæ Chronologiæ sæpius exerrantem.

et aliis Patriarchis communicatum, pro figendo die Paschatis,

116 Videtur Epacte solenniter constituta in aliqua Synodo Alexandrinorum Presbyterorum, ad quam Hierosolyma fortasse, Antiochia, et ex aliis partibus convenerint legati in hoc missi, idque die II Hathur, id est XXIX Octobris, quando Habessinus Poeta ita canit. *Salutem vobis Sacerdotibus, laude et encomio dignis, qui sine cunctatione concurristis in unum locum, ad conveniendum super computo Epactarum,* B *eumdem accepturi a Demetrio, ipsum per Spiritum sanctum edocto.* Ita quidem sentiendum, si Orientalibus istis creditur; probabilius tamen est, eam quæstionem Romæ, Lugduni, in Palæstina et in Græcia discussam; sed non omnino compositam, donec Quartodecimani a Concilio Nicæno, damnati et penitus extincti fuerunt.

et Synodum eo fine sub illo collectam.

117 Non minus miranda sunt, quæ de Demetrii electione ab Historia Patriarchali et Abulbaracato memorantur. Ea scilicet nocte, qua moriturus erat Julianus, apparuisse Angelum, qui nunciaret: *Qui ingredietur ad te, racemum afferens uvæ, hic Patriarcha erit post te.* Quod cum populo, de successore interroganti, Julianus prope agonizans enarrasset; *dixerunt: Ubi invenietur uva hieme? Patriarcha, morbo oppressus, nescit quid dicat.* Interea Demetrius, agricola, uxoratus, vineam putans, racemum repererat; quem cœlesti quodam instinctu ad Patriarcham deferens, a plebe *detentus, et vinculis ferreis obstrictus, quod fugam pararet, ordinatus est Patriarcha.*

Electio indicio recentis uvæ hieme allatæ ad decessorem morientem.

118 Fusius subinde deducitur in præfato Chronico Orientali, miraculosa servatæ cum conjuge virginitatis probatio, multisque ornatur circumstantiis, occasione murmuris suscitati ex eo, quod *cognoscendorum peccatorum gratia* præditus, occulta C quæque delicta (puta carnis) redargueret, ipsemet conjugatus, ubi decessores omnes cœlibes fuerant. Itaque monitu Angeli de secreto revelando; et suam et uxoris integritatem, *in solennitate feriæ quintæ majoris*, mirabili prodigio palam exhibuit. Etenim celebrato eo die Sacro, uxorem coram universo populo, prunas ardentes, linteo, quo præcingebatur, circumferre jussit, impositoque thure adolere incensum: cumque id, intacto semper linteo, non semel repetiisset, agnovit populus utriusque pudicitiam plane inviolatam.

Stupenda probatio servatæ cum uxore virginitatis;

119 Reliqua huc spectantia servare præstat in diem, quo colitur, IX Octobris. Numerabat tunc Demetrius annos LXIII; unde probabile est, nec Patriarchatus initio id factum: alioqui ad annos centum et sex vitam protraxisset; nec sub finem, ne dicatur, anno ætatis XX Episcopatum adeptus. Utut est, ipsum miraculum adeo celebre populo fuit, ut dignum censerent, cujus annuam commemorationem in Ecclesia agerent. Hinc in Hagiologio Habessino, ad XII Barmaha seu VIII Martii, salutatur Demetrius, *quia hodie ostendit virtutem virginitatis suæ.* Cur illa potius, quam vera qua res contigit die, ejus rei memoria recolatur, non habeo unde conjiciam. Satis certum est, *feriam quintam majorem* in VIII Martii incidere non potuisse, si vera sunt quæ de observatione Paschatis, a Demetrio constituta, Orientales certatim affirmant. D

cujus miraculi memoriam recolunt Habessini.

AUCTORE J. B. S.

120 Juvat hic iterum observare quam leves et vanæ sint Seldeni ratiunculæ, ad stabiliendum jus illud Presbyterorum duodecim a Marco ordinatorum extra quos nemo ad Patriarchatum promoveretur. En tibi hic, non laicum solum, sed agricolam, sed matrimonio junctum, legitime tamen in Sede S. Marci collocatum. Commentumne diceret Seldenus totam hanc narrationem, an, factum insolitum nihil statuto juri derogare? Inepta effugia; prætexenda tamen, si *Beda Ægyptius* reliquis Orientalibus antefertur. Alteram etiam Seldenianæ argutiunculæ partem evertit Chronicon nostrum, ita in Juliano scribens: *Post hunc* (Julianum) *nullus Episcopus manere potuit Alexandriæ, sed clam exibant, et constituebant Sacerdotes omni in loco.* Erant ergo Juliani tempore Alexandriæ, vel saltem in Ægypto, plures Episcopi, et quidem ante *Alexandriæ manebant*: ergo falsum est, *ante* Demetrium, *nullum tota Ægypto fuisse Episcopum.*

Commentum Seldeni novo argumento eversum.

121 At vero difficultatem ea Chronici verba movent, non tam facile dissolvendam. Quid enim causæ fuisse dicemus, cur post Julianum, *nullus Episcopus manere potuerit Alexandriæ?* An forte Demetrius omnes ad proprias Sedes dimisit? Si ita est, cur *clam exibant?* Opinor hic persecutionem indicari, qua sæviente, Episcopi, ut facilius Christianis succurreretur, *constituebant Sacerdotes in omni loco.* Sed Juliano, tempore Commodi vita functo, nulla Christiani persecutione vexati leguntur, usque ad annum CCII, quo Severus eam excitavit, præsentia sua in Ægypto et Alexandriæ, variis cruciatibus et suppliciis eam accendens, annis omnino tredecim postquam Julianus e vivis excessisset. Nihilominus particula illa, *Post*, tanti temporis intervallum non videtur admittere. E

Episcopi urbe exules, vicatim Presbyteros ordinant,

122 Quid hic probabiliter dici possit non video, nisi ad seditionem aliquam Alexandriæ satis frequentem recurratur, et id quidem sine ullo fundamento. Malim ego illud, *Post*, ad totos tredecim annos extendere; quemadmodum et Eusebius particulam, *Recens*, accepisse legitur, dum lib. 6. cap. 2. initium persecutionis Severianæ, anno illo CCII motæ, ita consignat: *Igitur Severo annum imperii decimum agente, Alexandriæ et totius Ægypti Præfecturam obtinente Læto; Episcopatum vero Ecclesiarum illarum post Juliani obitum Demetrio recens adepto;* vel (ut est in græco) νεωστὶ τότε μετὰ Ἰουλιανὸν, quæ ita melius Christophorsonus vertit, *Nuper tum post Julianum.* Utrumvis præponas, et *Recens*, et *Nuper tum post*, ad magnam certe latitudinem sunt amplianda: quod et in Chronico Orientali usu venire existimo. F

a tempore satis prolixo,

123 Illud etiam non omiserim, ex ea ipsa Chronici periodo, non incongruam Eutychii explicationem posse desumi. Quid si enim quis ita eum intelligendum putet, dum *a* Demetrio *creatos in Alexandria Episcopos* narrat, ut illud potissimum tempus connotet, quo, aliis *clam exeuntibus*, alios a Demetrio substitutos indicet; qui lictoribus in Christianos sævientibus, ad martyrium eos excitarent, aut captivos solarentur, aut trepidantes accenderent, aut vacillantes in fide confirmarent. Fateor, etiam sic, mendacii aliquid in Eutychio relictum iri, at saltem rei substantia ex parte salvabitur, vel detegetur origo, unde verosimiliter errandi materiam auctor ille desumpserit. Non vacat Eutychio longiores parare vindicias; si cui jam dicta non fecerint satis, haud gravate concedam, totam ejus narrationem prorsus esse fictitiam.

et hinc forte explicari posset Eutychius.

124

A AUCTORE J. B. S. *Certiora quædam eo Pontifice gesta,*

124 Certiora sunt quæ sub Demetrio et a Demetrio gesta, variis locis narrat Eusebius. Sub ejus initia florebat Alexandriæ magna doctrinæ laude, sanctus Clemens, Pantæno ejus Magistro ad Indos misso : sed ille anno CCII, in Cappadociam secessit; hic vivebat et docebat adhuc Alexandriæ anno CCXI. Sævissimam persecutionem, Severo præsente et instigante, promotam jam innuimus; qua innumerabilis Christianorum multitudo, ex Thebaide et Ægypto Alexandriam pertracta, cum Leonide Origenis patre, sub annum CCII interiit; biennio post Plutarchus, Heraclæ frater, cum multis Origenis discipulis; Potamiena virgo, aliique, glorioso martyrio coronati. Origenis in varias regiones peregrinantis, vices aliquando supplevit Heraclas, donec ille a Demetrio anno CCXVII revocaretur. Non est autem dubium quin egregiam Origenes Demetrio navaverit operam; verum dissensiones illæ tandem exarserunt, ob quas Origenes exulare jussus est. *Sanctus iste Patriarcha,* inquit Chronicon, *Sacerdotio amoverat quemdam nomine Origenem, qui astu Presbyterium obtinuerat ab Episcopo Cæsareæ Palæstinæ; quare reversum Alexandriam noluit recipere Pater* Demetrius, *quoniam hæreticus erat.* Satis crude ea dicuntur; sed neque de Origene hic disserendi locus. An ob lapsum, an ob alias causas a Demetrio expulsus sit, tum erit examinandum, cum ad IX Octobris, ipsius Demetrii Acta illustrabuntur.

martyria illustria.

Origenis expulsio.

B

XIII. S. HERACLAS.

Expeditæ circa annum obitus difficultates: ejus et cultus dies; doctrinæ laus, et rigor in recipiendis ad Ecclesiam apostatis.

Obiit Heraclas an. 246, 4 Decembris,

HERACLAS, aliis *Hieroclas* vel *Heraclius,* Coptitis *Taocelas,* Habessinis *Taroclas, defunctus est die Lunæ, octava Chiac,* seu IV Decembris, *et vacavit Sedes anno uno.* Causa non additur; ceterum non displicet ea *vacatio,* usui futura ut Eusebii Chronicon cum Historia componatur. At tempus Sedis, in margine annis XVI et diebus LVI, definitum, adjunctus annus CCXL, sub imperio *Valeriani Cæsaris,* aliaque, sustineri nullatenus possunt. Numerus quidem dierum LVI, a IV Decembris retractus, primordia Heraclæ, non absurde conjungit cum IX Octobris, quo Demetrium obiisse innuimus : in annis autem determinandis hic, si usquam, infidus est Chronici Orientalis calculus, Demetrio XXXII, Dionysio XIX, Maximo XII, Theonæ IX annos attribuens; unde et in Heraclæ tempore auctorem errasse suspicamur. Eutychius et Abulbaracat annos solum complectuntur. Sed neque feria quidquam lucis affert; nam dies Lunæ, cum IV Decembris connexus, perduceret nos ad annum CCXLVIII; cui si cessationem addideris, non nisi sub finem anni CCXCIX Dionysius regere inceperit, quod sanæ Chronologiæ repugnat. Nos Heraclam obiisse credimus anno CCXCVI, IV Decembris, die Veneris. Interea *anni* illi *sexdecim* ab Eusebio, Syncello, Nicephoro Pearsonii, et aliis passim annotati, multum negotii Chronologis facessunt; adeo ut Pagius et Tillemontius, ad eos integre conservandos, et Heraclæ mortem cum anno CCXLVII copulandam; Scaliger, Pontacus et alii, Eusebii Historiam interpolatam putaverint. Explorandum ergo an Eusebii loca ad concordiam revocari nequeant.

C

ut ex Eusebio conficitur;

126 Scribit is Hist. Eccl. lib. 6, cap. 35, in hunc modum : *Anno autem hujus imperii* (Philippi Cæsaris) *tertio, cum Heraclas, post* XVI *Episcopatus annos, diem extremum obiisset, Pontificatum Alexandrinæ Ecclesiæ suscepit Dionysius.* Annus ille Philippi *tertius,* idem omnino est, quo Heraclam vita functum statuimus, nempe CCXLVI. Plana hic omnia apud Eusebium, præter hoc unum, quod sedecim annos integros indicare videatur. Ceterum, cum tam diserte, et annum mortis Demetrii cum Alexandri X, et obitum Heraclæ cum Philippi III connectat; quis non videt, annos illos *sedecim,* non plenos, sed inchoatos significari? Mihi quidem id adeo certum est, ut putem, exiguo fundamento niti illam doctorum virorum conjecturam, existimantium in Historiam Eusebii, ubi de Heraclæ annis sermo est, errorem irrepsisse. Quasi vero non sæpe etiam alibi, anni ab Eusebio notati, eo modo intelligendi sint, ut jam aliquoties, Tillemontio præeunte, inculcavimus. D

difficultatibus Pontaci,

127 At, inquies, Scaliger in Animadvers. Euseb. notat, codicum omnium, tam scriptorum quam editorum Eusebiani Chronici, una conspiratione, Heraclæ mortem conjici in annum quintum Philippi; ideoque stare non posse, quod tradit Eusebius loco citato, *anno nempe Philippi tertio, Heraclam, post sexdecim Episcopatus annos, diem extremum obiisse.* Rursus Pontacus, in Notis ad Chronicon Eusebii, observat, hunc, lib. 7. cap. 28 Historiæ, asserere, E Dionysium e vivis excessisse, *anno Principatus Gallieni duodecimo, cum Alexandrinæ Episcopatum septemdecim annos occupasset.* Annum vero Galleni XII in annum Christi CCLXIV (mihi CCLXV) incidere, ideoque Dionysii initium, cum tertio Philippi Imperatoris anno concurrere non potuisse. Ita fere Pagius ad annum CCXLVI.

et Scaligeri

satis commode explicatis;

128 Pace doctissimorum virorum dicam : ingens illa difficultas levi momento evanescit. Hoc antequam ostendo, interrogare liceat, quo pacto ipsi eam Chronicorum patentissimam contradictionem deglutiant, dum initia Heraclæ referunt ad Alexandri annum IX, Christi CCXXX; obitum vero ad V Philippi, Christi CCXLVIII? His tamen nihil obstantibus, anni dumtaxat XVI Heraclæ adscribantur. Nunc ad Scaligeri animadversionem respondeo; verum esse, quod initia Dionysii collocentur in Chronico sub *anno Philippi quinto* ; sed nego inde consequens esse, quod Heraclas eo anno obierit. Si annum et menses, forte aliquot vacationis, annumerassent, nullo negotio et observatio Scaligeri, et Pontaci Nota conciliarentur. Ita ego rem componi posse existimo. Obierit Heraclas IV Decembris CCXLVI, vacuo subinde throno per annum, ut notat Historia; cui addi poterunt menses bini aut terni; jam ad *annum Philippi quintum* Dionysii ordinatio reduci poterit. Inde ad annum Gallieni XII (quem ego, non cum CCLXIV, sed cum CCLXV combino) commode invenientur XVII anni Dionysii, quos Pontacus tanto molimine frustra quæsiverat. Puto, hac ratione difficultatibus illis plenissime satisfieri; sin minus, Chronicorum auctoritate nihil moveor, ut ab Historia recedam. F

rejectoque Pagii et Tillemontii calculo.

129 Pagius, iis sese molestiis extricare conatus, in graviores incidit, nec Historiam nec Chronica secutus. Scribit is jam dicto anno num. 4, *Heraclæ obitus anno Christi* CCXLVII *contigit.* Quis hoc ante illum asseruit? aut quem in hoc calculo auctorem habet? Rursus, a quo anno, XVI annos Heraclæ numerare incipit? si a CCXXX, anno integro et amplius exorbitat : si a CCXXXII, quocumque se vertat, numquam inveniet XVI annos completos. Tanti est antecedentia cum consequentibus connectere. Pergit tamen : *Si* XVII *anni Dionysii,* inquit, *anno sequenti* (ipsi CCXLVII) *incipiantur, quo tertius Philippi adhuc in cursu erat*, Heraclas *annos sedecim, quot ei Eusebius assignat, sederit.* Nos annos Dionysii ab anno CCXLVIII inchoabimus, et sic etiam omnia apprime coalescent.

130

A 130 Annos sedecim Heraclæ necdum invenit Pagius. Demus ei, annum Philippi III ad usque CCXLVII protrahi; cum hic imperium adeptus sit mense Martio CCXLIV, annus ejus tertius non superat mensem Martium anni CCXLVII. Quid inde Pagio præsidii? Iterum repeto, si Heraclam anno CCXXX incepisse dicat, anno integro in suo computo excedit; si vero CCXXXII, nec annos quindecim plenos reperire poterit. Mirum non eamdem methodum secutum hic Pagium, quam postea in *Maximo* et *Theona* observat; ubi considerato etiam obitus die, accuratius in reliquis processit, ut suo loco annotabitur. Eadem illa inveniendorum sedecim annorum solicitudo Tillemontium etiam impulit, ut mortem Heraclæ anno CCXLVII innecteret, non satis consequenter ad sua principia : nam alibi Chronici *Feriam* scrupulosius amplexus, hic eam deserit, annum pro arbitrio determinans, qui nec in Eusebii Historia, nec in Chronicis exprimitur; quique, admisso vacationis anno, ut ipse non illibenter concedit, cum Dionysii annis nullatenus componetur, servato obitus die, quem nobiscum admittit IV vel V Decembris accidisse. Mittamus tricas.

B *Heraclæ laus a doctrina.*

131 De Heraclæ sanctitate et doctrina fusius erit disserendum in Actis, ad ejus natalem diem IV Decembris vel ad XIV Julii, quo ejus memoria in Martyrologio Rom. agitur : pauca id delibasse sufficiet. Ab Origene, non Grammaticæ solum, sed et fidei Christianæ principiis cum Plutarcho fratre imbutum, auctor est Eusebius. Constat Philosophicis disciplinis egregie fuisse instructum, sumpto inde subsidio ad vanam ethnicorum sapientiam confundendam. Sunt qui velint præceptorem ei fuisse Ammonium, Philosophum Christianum. Tanta porro doctrinæ ejus celebritas, Julium Africanum Alexandriam invitavit, eo solum, ut ejus consuetudine uteretur. Eruditioni consimiles mores et virtutes adjunxit, quibus in tantum profecit, ut cum Origene, instituendorum catechumenorum curam suscipere fuerit coactus.

Rigor in recipiendis apostatis.

132 Tradunt nonnulli, post Demetrii excessum, compositas turbas Alexandrinas, Origenis occasione excitatas; alii contra, Heraclam, non minus quam Demetrium, Origeni fuisse infestum; verum accuratiori ea examine indigent, et suo loco discutientur. De rebus in Patriarchatu gestis vix quidquam memoriæ proditum. Dionysius, in epistola, ab Eusebio recitata lib. 7, cap. 7, hæc habet : *Hanc ego*
C *regulam et formam a Beatissimo Papa nostro Heracla accepi. Eos enim qui ab hæreticis veniebant, tametsi defecissent; seu potius non defecissent illi quidem, sed in speciem cum fratribus communicantes, clam perversæ doctrinæ magistros audire delati essent; ab Ecclesia ejectos, post multas tandem preces, non prius admisit, quam quæcumque ab adversariis audiverant, palam exposuissent. Ac tum demum ad Communionem eos admittebat, nequaquam existimans iterato Baptismate opus esse.*

Dies obitus ex Coptorum Kalendario.

133 In altero ordine Kalendarii Coptici apud Seldenum pag. 38, ad XVIII Babæ, id est XV Octobris, legitur nomen *Herculis*, seu *Heraclii* Patriarchæ. Sed an Alexandrini? Mihi ratio dubitandi non occurrit alia, quam quod tali die de eo nihil habeat Hagiologium, juxta fastos Ecclesiæ Alexandrinæ descriptum, ubi ad XVIII Chiac, is de quo agimus ita salutatur : *Pax Beato Hieroclæ, qui fuit post Demetrium Patriarcha : cum oves suas ab hyænis custodisset, migravit in regnum cælorum, felicite accepturus ibi Pastorum* [bonorum] *præmium et mercedem Doctorum.*

134 Prior illa dies mensis Babæ, potuit posterius assumpta fuisse, ex causa aliqua nobis ignota : et in unc solum Kalendario reperta, ex tribus quæ Seldenus habet, non debet nos dimovere a consensu D
AUCTORE J. B. S.
Historiæ et Hagiologii, circa mensem quo Patriarcha obiit. Verum quid est, quod pro die VIII Chiac, quem notat Historia, Hagiologium notet diem XVIII ejusdem mensis, id est XIV nostri Decembris? Quid est, quod apud Usuardum et in Martyrologio Romano, *Heraclæ* festum ponitur XIV Julii? Idne translationis, elevationis, aut inventionis causa factum sit, nihil est unde dijudicari queat.

Martyria quædam.

135 *Ejus tempore*, inquit Chronicon Orientale, *martyrio coronati sunt sancti Sergius, Bacchus et Barbara;* quod indicio est, Sanctos illos Alexandriæ singulari in honore habitos. Et duorum quidem istorum cultus toto Oriente celeberrimus ab antiquo fuit : de Barbara est quod ejusdem cultoribus gratuler, cultum illius tam procul diffusum inveniri. Colunt eam Latini IV Decembris : cujus Acta curiosius excussa videre qui volet, adeat Responsiones Papebrochianas. Quod autem Chronicon addit, *Primum fuisse Heraclam, qui Papa cognominatus sit*, quæstionem tangit, tot lepidis circumstantiis ab Eutychio exornatam, ut operæ pretium videatur peculiari disquisitione eam expendere.

PARERGON II. E

De origine et notione nominis Papæ.

Discrepantibus hic Orientalibus et Occidentalibus

DISQUISITIONI propositæ occasionem præbet adducta jam statim ex Chronico nostro Orientali periocha, aperte significans, primam vocis hujus *Papa* originem ad Ægyptios referendam, contra quam senserint olim Scriptores Occidentales omnes, magno numero citati a Theophilo Raynaudo, operum tom. 10 in Onomastico Pontificio, verbo *Papa*. Chronici prædicti interpres, Abraham Echellensis, dissertatione bene longa, de origine nominis *Papa*, illiusque proprietate in Romano Pontifice, adversus Seldenum edita Romæ MDCLX, Latinorum omnium opiniones operose juxta ac erudite examinat et refellere conatur; atque ex Orientalium Scriptorum monumentis ea se eruisse existimat, quibus ad *Heraclæ* tempora pertinere nominis *Papa* primordia, non obscure demonstret. Scopum attigerit nec ne, aliorum erit judicium; operæ pretium certe facturi videmur, Lectori haud ingratum, si hoc loco, hujusmodi discussioni quodammodo proprio, ea paucis, et ex instituto nostro, delibanda suscipiamus; ex F
quibus non inverisimiliter colligere quis possit, cui demum genti, cui idiomati, incunabula sua debeat sacra illa, et toti orbi Christiano veneranda Pontificis Romani appellatio.

nonnullis etiam absona quædam conjectantibus

137 Tres potissimum nationes, seu mavis linguas invenio, hanc sibi prærogativam jure quodam suo vendicantes; Latinam nimirum, Græcam, et Ægyptiam, vel potius Syro-chaldaicam. Quocirca tres in classes dispertiar, quæ in medium afferuntur verisimilitudinis motiva; de singulis eam laturus sententiam, quæ salvo meliori judicio, veritati conformior apparebit. Repetendæ interim et explodendæ sunt ludicræ illæ quorumdam argutatiunculæ, nullo fundamento subnixæ, nominique tam Augusto injuriæ et inepte consarcinatæ. Quis enim, obsecro, nomen *Papa*, propter Romanorum Pontificum amplitudinem et majestatem ab Interjectione admirantis, *Papæ!* frigida allusione derivari non admiretur? Quis non rideat nugaces et frivolas originationes, ductas ab initialibus litteris *Pauli* et *Petri*, unde *Pa*, *pe*, et subinde *Pa pa?* item a *Pater Patriæ*, *Pater patratus*, aliasque non minus ridiculas; ut quod *Papa a papilla* oriatur, quasi Pontifex Mamma sit totius Christianitatis? Quis non ægre ferat, Symbolicam illam genesim, a *pappo* carduorum

AUCTORE J. B. S.

A rum flore in lanuginem abeunte, tamquam caducitatis et brevis Romanorum Pontificum vitæ periodi, indicativam? imo quis non cum Echellensi eam levitate sua evanescere fateatur? Plures id genus notatiunculas suppeditat Ignatius Braccius, quibus vel solum commemorandis inhærere religio est, cum tanto temporis dispendio.

138 His ita prætermissis, probabiliores alias Latinorum etymologias solidioresque sententias, non prius adducam, quam Echellensis rationes et argumenta tractavero, auctori illi usque adeo evidentia, ut non semel pronuntiet, Orientalium opinionem, tot circumstantiis præditam, tot characteristicis insignem esse, ut Scriptorum nostrorum adinventionibus, fere diceret somniis, longe sit anteferenda. Videamus modo quanti momenti ponderisque esse debeant auctoritates, ab ipso allegatæ. Sic orditur cap. 8 : *Eutychius Patriarcha Alexandrinus... originem, notionem, occasionem, et quando nomen hoc* Papa, *Alexandrinis Patriarchis omnium primum impositum fuit, sic in sua Ecclesiastica narrat historia.* Sequitur textus Arabicus, cui Echellensis hanc subdit Latinam versionem.

pro primis allegatur Eutychius,

B 139 *Si qui vero percunctati fuerint, cur Patriarcha Alexandrinus,* Papa, *vocetur?* (Papa autem Avum significat.) *Hoc quidem ideo; quia a tempore Hananiæ, quem Marcus Evangelista Patriarcham constituit Alexandriæ, usque ad tempora Demetrii Patriarchæ Alexandriæ, qui fuit undecimus Patriarcha Alexandrinus, nullus erat in provincia Ægypti Episcopus, nec Patriarchæ qui ante illum erant, constituerant* [ibi] *Episcopum ullum. Factus autem Demetrius Patriarcha, tres creavit Episcopos : et is est primus Patriarcha, qui in Alexandria fecit Episcopos. Eo autem defuncto, suffectus est post illum Heraclas Patriarcha Alexandriæ, qui viginti creavit Episcopos. Unus vero ex his Episcopis, nomine Eumenius, in legem prævaricatus est. Cujus quidem fama cum ad Heraclam delata esset, congregavit Heraclas Patriarcha Synodum Episcoporum, et ad urbem Eumenii perrexit; ejusque statu satis cognito, atque perspecto negotio, illum ad veritatem reduxit. Plebs vero audiens Episcopos appellantes Patriarcham* Aba patrem, *dixit apud se, si nos Episcopum appellamus* Aba patrem, *et Episcopus appellat Patriarcham* Aba patrem, *oportet ut nos Patriarcham appellemus* Baba *seu* Papa, *id est* Avum; *cum sit* Pater patrum. *Itaque a tempore Heraclæ, Alexandrinus Patriarcha,* Baba *seu* Papa, *id est* Avus *dictus fuit.* Hactenus Eutychius supra refutatus.

Papam, ut Avum dictum asserens (quia sit pater Episcoporum, et hi Patres populi)

140 Addit deinde Echellensis cap. 9 : *Eutychianæ narrationi, quam superiori capite retulimus, de illa origine nominis* Papa *apud Ægyptios, bini adhuc adstipulantur Alexandrini scriptores, Christianus unus, alter Mahometanus. Horum primus est Georgius Homaidius, parte* I *sui Chronici in Nerone; alter Abubecrus Habbasides, parte secunda suæ Apologiæ contra Christianos, ex Christianorum Ægypti* (ubi scribebat) *vulgatissimis scitis.* Apud Echellensem, sic ambo rem narrant, ut ex Eutychio totidem verbis totam rei gestæ seriem, aut ille ex ipsis (Scriptorum enim illorum duorum ætatem ignoramus) desumpsisse videantur. Tota proinde Echellensis argumentatio mox subjungenda, unius Eutychii auctoritati innititur, postmodum discutiendæ. En tibi Echellensis ratiocinium ex cap. 10 desumptum.

141 *Dicimus itaque,* inquit Echellensis, *hanc Eutychii et Orientalium aliorum sententiam, de origine nominis* Papa, *tamquam probabiliorem statuendam esse; et id quia omnibus probabilitatis innititur principiis. Principia autem et rationes probabilitatis sunt locus, ubi nomenclatio* Papæ *originem habuit, qui est Ægyptus.* Tempus, *nempe sub Heracla* XII (melius dixisset VIII) *Alexandrino Patriarcha, circa annum*

Echellensis credit, ita cœptum dici sub Heracla;

Domini CCXXII (hic manifeste hallucinatur, nam D anno primum CCXXXII Heraclas Thronum conscendit) *imperante ex eodem Eutychio Alexandro Severo.* Auctores et parentes, *id est populus seu Ægyptiaca plebs, quæ id nomen Patriarchæ imposuit.* Occasio et ratio, *quæ plebem illam induxit ad id nomen imponendum Patriarchis* etc. Tum ita concludit :

142 *Quæ omnes sane circumstantiæ satis superque esse videntur, ad sententiam hanc ceteris probabiliorem reddendam; easque tamquam obscuras, ignobiles et spurias* (ita vocat omnes aliorum sententias) *quodammodo habendas; cum nec parentes agnoscant, nec auctores, nec natalium locum, neque tempus, neque impositionis aut originis occasionem, aut verisimilem rationem, aut demum notionem nomenclationis. Quamobrem, ratione ad hanc habita, futiles esse videntur :* Cum rationes, quæ non deducuntur ex propriis principiis, inanes sint, *ut docet Philosophus* 2. *de Gen. anim. cap.* 6; *et* 1. *de anim. cap.* 2. *Igitur omnium probabilissima habenda et existimanda est, hæc Orientalium opinio, ut quæ ex propriis deducitur principiis. Jure igitur concludit P. Raynaudus, postquam varias attulit sententias :* Itaque hæreo in vocis notatione, et subjecta ei notione quam proposui. *Aliorum non placent ipsi sententiæ : in suæ notatione hæret.* Pace E Echellensis dixero, perperam Raynaudi verba hic traducuntur. *Hæret Raynaudus*, non inficior; sed hæret firmus, adhæret et inhæret sententiæ, quam et ex potiori parte nos amplectimur; non tamen hæsitat, non titubat, non vacillat, ut male eum auctor hic intellexisse debuerit. Sed ad Eutychii narrationem redeamus.

et in hanc certam sibi sententiam

male trahit Raynaudum;

143 De fide eorum quæ narrat hic historicus in suis Annalibus, sic habet in præfatione Edwardus Pochokius, eorumdem interpres : *Si in antiqua historia multa habeat fabulosa, cum pluribus (pene dixeram omnibus) qui eam tractant, illud ipsi commune.* Pertinet ad antiquam historiam (nam scriptor ille seculo tantum X floruit, ut suo loco diximus) pertinet, inquam, ad antiquam historiam narratio, tantopere ab Echellensi laudata, quæ ut minimum suspectæ fidei esse deberet; certe tot ineptiis suffarcinata advertit Raynaudus pauca, quæ ab Seldeno referuntur, ut pronuntiare non dubitet : *Hoc commentum* (de nominæ Papa) *annumerandum esse aliis bene multis, quibus hic Tages recens refossus scatet; ut, quod S. Marcus non præfuerit Alexandrinæ Ecclesiæ, quod non scripserit Evangelium ei inscriptum, sed a S. Petro exaratum, Marco sit suppositum; quasi dedignante Petro titulum et munus Evangelistæ; quod primus Episcopus Romanus fuerit S. Linus; et alia non pauca, quæ homini, inter nebulas schismatis Græcanici, incubantis Orientali Ecclesiæ, sub annum* DCCCC, *scribenti excidisse mirum non est, præsertim cum Medicinam potius versasse videatur, quam doctrinam sacram; nec tam cum peritis Theologis consuetudinem habuisse prodatur, quam cum Saracenis et Astrologis, Albategnio, Alchnido, Albumasate, et ejusdem furfuris aliis.* Ita Raynaudus : plura additurus, si omnia Eutychii commenta expendisset.

qui tamen eam referens, appellat commentum recens insignis fabulatoris

qualem censent ipsiusmet interpretes,

F

144 Certe Faustus Naironus, Diss. de origine, nomine ac religione Maronitarum, Romæ edita MDCLXXIX, et in Euoplia ibid. MDCXCIV, Orientalis ipse et Echellensis popularis, acrius in Eutychium insurgit; mendacem, fabulosum, impostorem appellans; quod commentitia enarratione, Maronitas fecerit hæreticos Monothelitas; et Maronem, a quo ipsi nomen traxerint, Monothelismi antesignanum. Profecto, satis mirari non possum, quod Echellensis, scriptori de gente sua pessime merito, tantum auctoritatis tribuere voluerit, in rebus præcipue Monothelismo longe vetustioribus, quæque proinde ad ejus ævum propius accederent, ut earum recentior esse

et Faustus Naironus Maronita.

A esse potuerit apud Ægyptios memoria. Nam illa quæ tot seculis Eutychium antecesserant, quid vetat, levibus, et fluxu temporis, ut fit, in immensum auctis, fictisque populi traditionibus, ad ipsius ætatem promanasse; maxime cum Echellensis ipse fateatur, non a lingua Ægyptiaca, sed a Syro-chaldaica nomen *Papa* esse derivandum.

Ut autem Alexandriæ sic vere sit actum;

145 Aliorum hæc sint de Eutychio judicia: nihil mihi definire lubet: mitius tractari virum facile patiar, castigatis nonnullis minoris momenti erroribus. At vero numquam hoc ei (seu mavis Echellensi, id ex ipso perperam deducenti) numquam hoc ei concedam, ut prima vocis illius, *Papa*, notitia Ægyptiis accepta debeatur. Sit ita, per me licet: omnes eæ circumstantiæ concurrerint, dum vox *Papa*, primum Alexandrinis innotuit: veri sint auctores, vera occasio, verus apud Ægyptios usus permanserit: ecquid inde legitime confecisse se autumat Echellensis, nullibi eam antea auditam fuisse? atque adeo originem et notionem ab illa gente unice repetendam? Hanc ego sequelam negari posse, et pernegandam puto. Neque id gratis: suppetit enim non una abnuendi ratio, quæ Græcis æque ac Latinis, vocem illam, in sensu controverso, non fuisse inco- B gnitam, antequam plebs Ægyptia simile quid parturiret, plusquam probabiliter demonstrat.

antiquior tamen ea vox Latinis et Græcis esse,

probatur ex S. Ignatio,

146 S. Ignatii Martyris epistolam ad Mariam Zarbensem, aliis Castabalytam, in qua beatus Anacletus, *Papæ* nomine decoratur, non audet ut supposititiam rejicere Echellensis: nec ego illam, ut genuinum Ignatii fœtum, suscipere hic cupio. Sit spuria, si ita vis, sit cujuscumque volueris: credibile tamen est scriptam eam fuisse, cum nondum Heraclæ nomen Orbi innotuisset. Non acquiescis fortasse. Esto: At Tertulliani testimonium mihi omnino peremptorium est, ex cujus libro de Pudicitia cap. 13, luce meridiana clarius redditur, nomen *Papa*, Latinis prius in usu fuisse, quam Ægyptii a Syris suum *Baba* mutuarentur, ut videre est apud Pamelium, aliosque Tertulliani Scholiastas ad prædictum caput tertium decimum. Tertullianus autem obiisse creditur circa annum Christi CCXV, jam decrepitus, cum librum de pudicitia diu ante scripsisset.

Tertulliano,

Cypriano,

147 S. Cyprianum (qui martyrium subiit anno CCLVIII, factus Episcopus CCXLVIII) Heraclæ synchronum fuisse, nemo est qui dubitet; ille autem jam C tum *Papa* cognominatus legitur epist. 3, ad quam ita Pamelius. *Papæ nomen priscis temporibus accommodatum fuisse aliis Episcopis quam Romano, satis constat ex hac epistola, ac aliis infra Cleri Romani ac Confessorum, ad Cyprianum.* Plenius ad eumdem locum Rigaltius ita scribit. *Sic appellari Cartaginis Episcopum, non invident Romani: sed nec aliter appellat Romanum Pontificem Tertullianus, libro de Præscript. adversus hæreticos, et libro de Pudicitia. Hi fuere tunc Romano Pontifici, cum plerisque aliarum urbium Episcopis, tituli communes.* S. Hieronymus aliquando Theophilum Episcopum Alexandrinum Papam appellat, ut in apologia contra Ruffinum: *Ergo et epistolæ Papæ Theophili et Epiphanii, et aliorum Episcoporum te petunt, te lacerant;* et paulo post: *Lectis nuper Papæ Theophili epistolis.* Iterumque: *Nunc primum a Papa Theophilo didicisse impietates ejus.* Et in epistola ad ipsum data: *Adnitere ergo, Papa amantissime atque Beatissime.* Non quod hunc titulum Alexandrino Episcopo peculiarem crederet; Anastasium enim simul cum Theophilo nominans, illum, non hunc, *Papam* vocat: *Quid faciunt epistolæ Theophili Episcopi, quid Papæ Anastasii, in toto orbe hæreticum persequentes?* Imo in epistola ad Theophilum data, Anastasium, *Papam* appellat: *Ex dispensatione Dei factum puto, ut eo in tempore tu quoque ad Anastasium Papam scriberes.* Alios etiam eodem D nomine indigitat: *Ne me mittas ad sex millia librorum ejus, quos legisse beatum Papam Epiphanium criminaris.* Et rursus: *Erupit aliquando contra Papam Epiphanium* etc. In epistola ad Augustinum: *Incolumem et mei memorem te Christi Domini Clementia tueatur, Domine venerande et Beatissime Papa.* Ita etiam reliqui ejusdem ævi, nomen *Papa* cuilibet Episcopo tribuebant.

Hieronymo et aliis.

AUCTORE J. B. S.

148 Et erit qui nobis cum Ægyptiacis mercibus, nomen *Papa* Romam transfretasse persuadeat? Liceat mihi potius nunc ita concludere: Ergo apud Alexandriam nata primum non est vox *Papa*, nec Ægyptios auctores aut parentes agnoscit; totumque Echellensis ratiocinium corruere necesse est, omnibus illis circumstantiis, tam accurate expensis, circumvestitum. Peccat, inquam, Echellensis argumentatio: siquidem scriptor ille non solum cum Eutychio fontem assignat, unde fortasse Ægyptii primum ejusmodi honorifica compellatione Patriarchas suos ornare cœperint, quod ei non gravate transmitterem; sed ex ea narratione consequens esse, etiam insultando pertendit, nusquam ante id E tempus, nomen *Papa* innotuisse, quod mihi nullo modo probatur. Sic igitur iterum pronuntio. Admissa etiam et supposita veritate narrationis Eutychianæ, non continuo inde deducitur, nomen *Papa* natales suos primum apud Ægyptiacam plebem invenisse. Atque hæc ad propositum nostrum sufficiunt. Ulterius procedit Pearsonius in Vindiciis Ignatianis, parte I cap. II. ostendens, traditionem illam Ægyptiacam ab Eutychio confictam; et quæcumque eo pertinent, *futilia esse, falsa et absurda.* Justo fortasse rigidior, viri hujus, licet doctissimi, critica videri poterit, certe ad rem nostram nullatenus necessaria aut opportuna. Nos cœptam cum Echellensi disceptationem prosequimur.

Quin potius aliunde didicerint Ægyptii eo titulo suos Patriarchas honorare.

149 Est præterea, quod in hac Ægyptiorum nomenclatura vehementer displiceat, saltem, prout vox illa antiquitus sonuit apud Latinos; quibus familiare fuit *Papas* nominare Sacerdotes, et verosimiliter Clericos omnes, ut ex Tertulliano etiam colligitur; nam de Episcopis est extra controversiam. Si autem vera est genesis Ægyptiaca, ab ipso principio, nefas fuisset id alteri tribuere præterquam soli Romano Pontifici; quemadmodum Alexandriæ soli et unico Patriarchæ, ut distinctivum adscribebatur, nomine *Aba* seu *Pater*, Episcopis reservato. F Constat vero, ut jam innuebam, ex S. Hieronymo, Baronio, Raynaudo, Caugio, aliisque, et fatetur tandem ipse Echellensis cap. 12, quod prius cap. 10, improbabile asseruerat; constat, inquam, omnes saltem Antistites Latinos, ea olim appellatione donatos fuisse, donec Gregorii VII decreto, anno MLXXIII, ad solum Episcopum Romanum, gravi de causa restringeretur. Sane frustra sudavit adversarius, ut Theophili Raynaudi assertum infringeret, *quod omnibus olim Clericis, posteaque omnibus saltem Episcopis, commune fuerit nomen Papæ, tametsi non dicerentur Patres patrum,* id quod cum notione Ægyptiorum ex diametro repugnat.

Adde quod primitus ita vocabantur Presbyteri, aut etiam Clerici omnes;

150 Minime vero ad rem facit, ut probetur, Episcopos olim vocatos *Patres patrum*, locus S. Epiphanii, Hæresi LXXV ita scribentis: *Ordo vero Episcoporum est ad gignendos patres, gignit enim patres Ecclesiæ: Ordo vero Presbyterorum patres non potest generare; per lotionem vero regenerationis filios generat Ecclesiæ, non patres.* Quid tum postea? quid hæc obsecro ad præsentem de facto quæstionem? Numquid quia Episcopi etiam Episcopos generant, proavi olim dicti fuerint, atque ita etiam abavi et tritavi induci queant? Nec magis quidquam juvat, quod nonnulli Præsules insignioris notæ (ut Gregorius Nyssenus

et Patres Patrum dici nihil ad rem facit.

AUCTORE J. B. S.

A Nyssenus in Conc. Nic. Magnericus, et alii) semel aut iterum honoris gratia *Patris patrum* appellatione cohonestati fuisse reperiantur: nam si ex hujusmodi titulis fas sit arguere, non deerunt Clerici infimi ordinis, imo laici sanctitate illustres, quos ad Patriarchatus, et siquæ sunt majores dignitates, promoveas. Ne pluribus molestus sim, ita alteram partem contra Echellensem absolvo. Notio nominis *Papa*, ut sonat apud Ægyptios, non respondet notioni, quam apud Latinos habuisse, ex Tertulliano et Cypriano intelligimus; ac proinde falsum est, originem et notionem nominis *Papa* eam esse, quam ex Eutychio se demonstrasse superius arbitrabatur Echellensis.

Latinorum de etymo vocis Papa, sententiæ,

151 Non desunt argumenta alia, paris aut majoris roboris, adversus prætensam Orientalium prærogativam; sed præscriptæ nobis brevitati jam dicta sint satis. Nunc Latinorum probabiliores nomenclationes paucis expendamus. Sunt qui putent apud Raynaudum, nomen *Papa*, complexum esse ex duplici *Pa*; quod monosyllabum, auctore Festo, pro patre usurpatum est in Saliari carmine, qua ratione volunt, *Papam* idem sonare quod *Pater patrum*: speciosa sane etymologia, sed mihi non usque adeo B placita. Etenim, ut fatear titulum illum bellissime quadrare in Romanum Pontificem, et origo et notio non minus displicent, quam Orientalium *Baba*, a Syro-Chaldæis deductum. Origo quidem, quod peregrina videatur ea derivatio, frivolam inducens balbutiem, eo, quo Pontifices cœpere, seculo, ni fallor, inauditam, et a sermone Latino satis alienam. Notio vero, quia eadem trahit cum opinione Echellensis incommoda, continuo ad Pontificem restringens, quod ex Tertulliano, Cypriano, Hieronymo aliisque novimus, primis Ecclesiæ seculis fuisse commune. Præterquam quod (ut argumentatur Celsus Mancinus, apud laudatum Raynaudum) battologiæ vitium inducit, dum Pontifex *Papa et Pater patrum* una vocitatur; quod esset dicere *Papa Papa* eodem idiomate, phrasi hactenus inusitata; licet non raro diversi sermonis synonyma, in usu ecclesiastico conjuncta reperiantur; ut sunt, *Pater Abbas, Presbyter senior, Episcopus inspector*, sine ulla battologiæ nota passim circumferri solita.

exque variæ.

152 Alii non pauci sentiunt, nomen *Papa* idem significare quod *Directorem* aut *Custodem*, prisco idiomate apud Italos, sive aliunde obrepserit, sive ab Oscis manarit. Sic, inquiunt, *Papati, Papates, Papæ*, pro pædagogis et moderatoribus in Actis C SS. Viti et Modesti, apud Petrum Damiani, et alibi frequenter notati inveniuntur: atqui Pontificem Romanum, Christianorum omnium Directorem et Custodem esse, nemo est qui dubitet: quidni ergo, a cura et munere inditam ei denominationem agnoscamus? Quid quæso est, quod in hac opinione, tam plausibili oratione subnixa, vehementer vituperes? Non est, ut verum fatear; at si, ubicumque vel umbra nominis *Papa* appareat, inde liceat originationes eruere; profecto Braccius tot tibi fontes aperiet, ut quid tandem statuas incertus sis. Erit qui a *Papa* et *pappare* puerorum, hoc est *cibo* vel *cibari*, puerilem etymologiam adsciscat, quod Pontifex spirituali cibo universam Ecclesiam nutriat. Erit qui a *Pappo*, teste Polluce, quasi servorum præcipuo, atque inter eos Domino, et Seniore, merito Pontificis appellationem oriri contendat, de quo nimirum est illud in Evangelio; *Quis putas est fidelis dispensator et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam?* Cumque Romanus Pontifex; sit servus Dei constitutus super omnes conservos, et a Christo dilectus, ut universæ ejus familiæ det cibum in tempore, pascens eam doctrina et cœlestibus dapibus; apposite *Pappus* dicitur, quod est nomen servi primarii; omnibus sub hero in familia præpositi. D Omitto alia a variis in hanc rem, et ingeniose, et non omnino inverisimiliter excogitata; talia enim sunt quæ animum explere von valeant.

Ipsa vox verosimilius creditur instituta a Græcis,

153 Reliquum est itaque ut cum Baronio, in notis ad Martyrolog. Roman. x Januarii, Raynaudo, Pearsonio et aliis, germanam vocis *Papa* notionem a Græcis accersamus, quam suppeditat Marianus Victorius, in indice ad Hieronymum, verbo *Papa*; asserens, Romanum Pontificem dici Papam, quia est omnium Pater, Πάπας enim (vel ut alii Πάππας) et Πάπα Græce Patrem significat. Id autem tam indubitatum videtur Ludolfo, linguarum Orientalium peritissimo, ut totam Eutychii ipsius ratiocinationem falsam et vanam pronuntiet. Quippe Arabicum *Baba*, inquit, nihil aliud est, quam Græcum Πάππας, quod Arabes, ob defectum litteræ P aliter efferre non possunt ac *Baba*, in Comment. Histor. Æthiopicæ pag. 446. Consonat Walefridus Strabo, lib. de reb. Eccl. cap. 7, ubi *Papa* nomen, *Paternitatis* appellationem esse ait, et *Clericorum congruere dignitati. Sic ut Clerici venerandi*, inquit Baronius, *eodem nomine appellarentur: postea tamen nomen illud cœpit esse peculiare Episcoporum, ut iidem Papæ dicerentur.* Ex quibus egregie confirmantur, quæ superius ad- E versus Echellensem disputavimus. Audiatur etiam Rigaltius, in suis ad Cyprianum observationibus pag. mihi 12: *Ceterum in matricula Curopalatina adeo descenderat appellatio Paparum, etiam ad infimos Sacerdotes, ut ipse Protopapa* (nobis fortasse Archipresbyter) *subesset Patriarchæ Constantinopolitano; et Papa dicebatur quilibet Sacerdos, quales nos hodie Patres vocitamus: et Presbyteros etiam plerumque inferiores, sicuti Senatores, patres jam olim appellatos fuisse, ait Sallustius, vel ætate vel curæ similitudine.* Scio Goarum, in notis ad Cedrenum, distinctionem facere inter Παπας et Παπᾶς, et alteram summo Pontifici, alteram Clericis minoribus, tribuere; sed quo ea fundamento nitantur, non satis intelligo, in illo omnium consensu, vocem *Papa* Clericis omnibus olim fuisse communem asserentium.

et ab his translata ad Latinos,

154 Plura qui cupit, laudatum nuper Pearsonium adeat, primam controversi nominis radicem accurate exponentem, ubi ita concludit; *Erat igitur hæc literorum, ab ipsa linguæ Græcæ origine, blanda appellatio Patri data. Posteriores Græci, eamdem appellationem etiam illis tribuerunt, quos quasi Patrum loco habemus, Scholiastes Homeri* Πάππα· προσφώνησις φιλοφρονητικὴν νεωτέρου πρὸσ πρεσβύτερον. *Juniores senioribus, tamquam filii parentibus, titulum hunc tribuebant;* F *et ubi ætati dignitas aliqua accessit, titulus venerationis habebatur*, τὸ πάππα καὶ τὸ ἄππα, οὐ ψιλῶς ὁ πατήρ, ἀλλὰ πρὸς πατέρα ξεπτικὴ φονή, *Suidas. Sub hac venerationis nota* πάπας *a Græcis*, Papa *a Latinis, primævis Ecclesiæ temporibus tribuebatur Episcopis, quos loco spiritualium Patrum habuerunt.* Jam quomodo ad Latinos vox *Papa* transierit, siquis me roget; facilis et expedita responsio; ut terminos scientiarum et artium omnium taceam, aio, cum sexcentis aliis nominibus, usu Ecclesiastico receptissimis, Romam commigrasse. Si circumstantias quærat Echellensis, nihil eæ me morantur, dum origo et notio sibi recte constent. De cetero non improbabiliter censeri posse quidam existimamt, nomen *Papa*, Latinis venerationis ergo jam tum usurpatum fuisse, cum Christiana religio eis annuntiaretur: paulatim vero ita proprium Christianis factum, ut Clericis et Sacerdotibus illud ipsum adaptaverint, subinde Episcopis; tandem ut supra monstravimus, soli Romano Pontifici reservatum sit.

155 At, inquies, cur *Papæ* potius quam *Patris* nomine usi Romani fuerint, quo nobis argumento facies verisimile? nam huc tandem redeat necesse est

A est, siqua superest, difficultas. Dicam, id populari vitio, seu mavis recepta consuetudine factum, ut peregrina passim magis placeant quam nativa vocabula. Cujus rei exempla innumera Europææ potissimum nationes subministrant, quorum copiam præ oculis habeo, extra Belgium non quæritandam. Vulgo notissimum est, animarum directores, religiosos præsertim omnes, non vernacule hic, sed Latine *Patres* indigitari, quasi in ea voce honorificum quid et venerandum eluceat, quod lingua nostra pari elegantia exprimere nequeat. Vicinos hæreticos Batavos adeas, illic Ministellos comperies, vulgari solæcismo *Domine* vocitari. Mercatores item in præcipuis quibusque portubus unum quemdam primarium gentilem habent, quem Latine *Consulem* dici voluere. Quid quod filii patritiarum familiarum parentes suos Gallice nominare consueverint *Mon pere, Ma mere:* Hispanice *Pappa, Mamma,* vocibus a sermone Belgico quam remotissimis. Quod si nunc Echellensis horum, et id genus sexcentorum, primitivam originem, locum et tempus nativitatis, auctores et occasionem investigare voluerit, næ is me hercule nugas inceptet, quæ arbitraria sunt ad rationis normam exigendo, quod tantumdem est, acsi

(uti plures nationes amant peregrina voce parentes suos honorare)

B operam det, ut cum ratione insaniat.

156 Quæ cum ita sint, veram et genuinam nominis *Papa* originem, non aliunde quam a Græcis repetendam, puto esse indubitatum. Fac modo in id consentiant discrepantes sententiæ, nullo negotio partem litis alteram compositam dabo, conciliatis omnium quoad notionem differentiis; nam eæ demum singulæ certatim conspirare videntur, ut Romanum Pontificem antonomastice *Patrem* fidelium ostendant, non natura aut gente, sed ætate et admonitione, ut loquitur Rigaltius, auctoritate ac doctrina; ut olim apud Romanos a Senibus *Senatores*, et *Patres* dictitatos novimus; et ut ita Romanæ urbis Antistes dicatur *Papa*, quemadmodum antonomastice Rex Romanorum, *Augusti* cognomento condecoratur; illumque idcirco Pontificem Maximum merito appellamus, tamquam πρῶτον τῶν ἱερέων, ut Justinianus ait Novella 131.

et sic ad Romanum Pontificem restricta tandem ea est.

XIV. S. DIONYSIUS.

Tempus Sedis et obitus ex Eusebio, ærumnæ sub Decio toleratæ, scriptorum copia et præstantia, an fuerit Origeni adversatus.

C

SANCTUS DIONYSIUS, cognomento *Magnus. Hic erat Subaita sapientissimus* (inquit Historia Patriarchalis) *et ex gentis Primoribus ac Optimatibus; cui causa conversionis ad fidem fuit lectio epistolarum Pauli. Defuncto Demetrio, qui ipsum baptizarat, præfectus judiciis ab Hierocla, ejusque Vicarius fuerat constitutus, ob insignem ejus sapientiam et ingenium.* Hoc ferme est quod alii memorant, Dionysium Heraclæ successisse in Catechumenorum institutione, dum hic ad S. Marci Thronum post Demetrium evectus est. Omisit hic rursus Chronici Orientalis auctor indicare diem mensis ac feriam, qua Dionysius vivere desiit; unde fortasse utilitatis aliquid fluxisset ad mortis tempus inquirendum. Annum CCLXI et Claudium Cæsarem, ut alibi fecit marginalium compilator, hic etiam per summam incuriam apposuit. Accedit quod scriptores Arabes mirum in modum varient in tempore, quo Sedem tenuit Dionysius. Historia siquidem annos XIX regiminis, et dies CCLXXXI illi adscribit; Abulbaracat annos dumtaxat XI, et menses IX. Catalogus Kircheri annos XVIII. Contra vero, Eusebii, Hieronymi, Syncelli, Nicephori concors sententia, Dionysii Patriarchatum ad annos XVII extendit; iis etiam computatis, quibus semel atque iterum exulare debuit.

Variantibus circa tempus Patriarchatus Arabibus

D 158 Eusebius, Hist. Eccl. lib. 7, cap. 28, ita habet: *Dum hæc aguntur (*et Antiochiæ hæresis Samosateni excutitur*) Dionysius extremum diem obiit, anno Principatus Gallieni* XII, *cum Alexandriæ Episcopatum septemdecim annis obtinuisset. In ejus locum subrogatus est Maximus.* Jam ostendimus, annos illos XVII, non a tertio Philippi anno, Christi CCXLVI, quo Heraclas obiit; sed a quinto Philippi, Christi CCXLVIII inchoandos: qua ratione tota Dionysiani Patriarchatus duratio commodissime reperitur, modo annus XII Gallieni, non cum anno CCLXIV, sed cum CCLXV conjungatur; sive annus ille XII vere numeraretur, cum extinctus est Dionysius; sive, ut ego existimo, adhuc XI in cursu esset, ut notat Eusebii Chronicon utriusque editionis Pontaci et Scaligeri.

AUCTORE J. B. S. ex Eusebio aliisque scribuntur an. 17,

159 Nota est celebris inter Chronologos controversia, relata a Tillemontio Hist. Imperatorum tom. 3, p. 2, pag. 885, de exitu Galli et Volusiani, ac Valeriani et Gallieni principio; aliis cum Petavio, Bucherio, Labbeo, Natale Alexandro, et communiori sententia, epocham illam anno CCLIV figentibus; aliis, cum Pagio et laudato Tillemontio, certantibus pro anno CCLIII, ut Gallieno anni sui XV integri vindicentur. Litem illam operosius discutere nihil hic E ad nos attinet. Magis placet priorum opinio, in quam tandem Pagius ipse manifeste inclinat, Dionysii obitum ad annum CCLXV reducens; quidquid alibi sæpe inculcet et repetat, Dionysium anno CCLXIV obiisse, in quo viri eruditissimi diligentiam fortasse quis desideret. Nihil igitur superesse videtur, quod remorari nos debeat a seligenda probabiliori ea et magis recepta opinione, quæ unanimi consensu Dionysium asserit vita excessisse anno illo CCLXV; quem si pervicacius contendas appellandum annum XII Gallieni, jam prope exactum, vel XIII proxime inchoandum, nihil magnopere refragabor.

inchoati 248, sic ut obierit anno 265.

160 Alias nobis difficultates objicit diei obitus et ordinationis definitio. Latini in suis Martyrologiis Dionysium colunt die XVII Novembris, casu fortasse potius quam consilio. Baronius in Notis male eum confundit cum Dionysio, qui a Græcis colitur V Nonas Octobris; tunc enim Areopagitam venerantur. Certius de die cultus credemus Coptorum Kalendario apud Ludolfum, et Hagiologo Habessino, decimam septimam Thoth hoc est XIV Septembris indicantibus. Ibi Poeta sic canit: *Salutem tibi, Dionysi, Pater noster* F *et Patriarcha, merito cognominatus Sacerdos. Ephesiorum pueri dormierunt tempore regiminis tui, et in diebus tuis morti adjudicatus fuit Mercurius; Antonius autem Monachus factus est.* Melius dixisset, *natus est*; nam, sicut ad diem XVII Januarii docet Henschenius, in lucem Antonius venit anno CCL, et usque ad annum circiter CCLXXI pie in domo parentum vixit; quo tempore jam Dionysius pridem obierat. Melius Abulbaracat Monachatum S. Antonii distulit ad tempora *Maximi* successoris.

Quædam sub eo memorabilia Acta.

161 Verum neque XIV Septembris fato functum Dionysium affirmare audemus: cum præfatus Hagiologus, ad diem nobis IX Martii, ita canat: *Salutem Dionysio (*Æthiopice *Dionatheo) Doctori omnium sapientissimo, quem ab errore convertit Pauli epistolæ lectio. Postquam afflictionem et exilium in diebus suis sustinuisset, emigravit hodie in cœlestem regionem, Archiepiscoporum cœtui conjungendus.* Dubitare hæc non sinunt, quin verus dies obitus IX Martii recolendus sit. Quod vero Coptis Habessinisque venerabilior manserit XIV Septembris, si conjectando opinari licet; crediderim id factum, propter aliquam sacri corporis elevationem, translationemve, per quemdam ex successoribus festivius celebratam.

In die obitus major difficultas:

162 Fateor IX Martii mihi præ reliquis arridere, quod existimem eo fere mense, seu mavis præce-

 denti

AUCTORE J. B. S.

A denti Februario, Dionysium probabiliter ordinatum anno CCXLVIII, dum numerari vulgo inciperet Philippi Cæsaris annus V; quia hac potissimum methodo Eusebii Chronicon cum Historia ejus Ecclesiastica putavi conciliandum. Quamquam de cetero non multum in eo laborem; neque enim prædictum Chronicon tam facile ad veram chronologiam reduxeris; dum enim *Dionysium* statuit anno V Philippi creatum, *Maximum* vero anno XI Gallieni ei subrogatum, nihilominus annos XVII rotunde adscribit; quod nequit subsistere, nisi saltem eo, quo nuper diximus, sensu accommode explicetur. Alia, eaque urgentior causa, ad diem illam Martii IX præferendam, me movet; ut ita nimirum successoris Maximi Episcopatum, quoad fieri poterit, integrum conservemus, eum ad annos XVIII, si non plenos, ut plerumque Eusebius loquitur, at saltem inchoatos producendo, quod alias fieri nullatenus posset; cum, etiam ex Pagii calculo, indubitate mortuus Maximus sit anno Probi ultimo, Christi CCLXXXII, IX Aprilis, ut brevi monstrabitur. Reliquum esset, ut, quot mensibus, seu ex Ægyptiorum more quot diebus, præter annos illos XVII sederit Dionysius, inquireB retur. Sed quis id ausit decernere, quamdiu de ordinationis tempore, post annum vacationis, nihil certi deprehenditur? Sane dies illi CCLXXXI æque ac anni XIX, pro mero libitu a Chronico Orientali videntur adjecti. In illa incertitudine hoc unum pronuntiare licet: Dionysium, post annos XVII Episcopatus impletos, verosimilius obiisse IX Martii, anni CCLXV, die Jovis.

6 Martii, cum die Jovis,

ut commodius ordinetur tempus successoris.

Dionysii breve elogium;

163 Incliti hujus Patriarchæ Acta, Hist. Eccl. lib. 6. et 7, Eusebius non incuriose recensuit, proprio suo loco digerenda postmodum atque illustranda. Summa rerum capita hic delibasse gratum procul dubio iis fuerit, quos tricæ chronologicæ aliquantulum fatigarint. Observat in primis Valesius, in Notis ad Eusebium pag. mihi 318, cognomen *Magni* ab omnibus fere antiquis Patribus Dionysio attributum; quam appellationem, sane illustrem, adeptus est, multis præclare gestis ac fortiter toleratis; nec non opusculis illis, quibus et Catholicam veritatem egregie asseruit, hæreticorum blasphemias acerrime confutavit, insigne istius seculi decus et Ecclesiæ ornamentum. En breve laborum ab eo exantlatorum specimen.

gravem a plebe vexationem

164 Sub ipso Episcopatus initio futuris calamitatibus præludere visa est, dira furibundi populi C seditio, in Christianos excitata, qua *senex Metra, Quinta fidelis mulier, admiranda illa et provectæ jam ætatis virgo Apollonia*, excussis crudeliter dentibus, flammis consumpta; alii alio mortis genere martyrium consummarunt. Secutum non multo post *horribile et terrificum* Decii edictum, cujus persecutione late per Ægyptum grassante, innumeri prope Christi pugiles, immanibus suppliciis excarnificati interierunt: de quibus Eusebius lib. 6. cap. 41 et 42. Dionysius autem quo pacto, Dei nutu fugere primum coactus, inde a militibus jussu Sabini, Taposirin perductus, mirabili demum dispositione e manibus satellitum ereptus fuerit, perspicue tradit epistola, ab Eusebio præfato recitata, lib. 6. cap. 40.

secuta gravior persecutio Decii,

165 Sed parva ea videri poterunt, si cum iis comparentur, quæ sub Valeriano idem, anno CCLVII, fecit et pertulit, ab Æmiliano in Cephro relegatus, hinc ad interiora Lybiæ raptus, exsilio Apostolicis laboribus cumulato; ut ipsemet denuo luculenter exponit, apud Euseb. lib. 7. cap. II, ubi Germanum quemdam increpitans, pauca pro se nervose inducit: *Quot vero numerare potest* (Germanus) *perinde atque ego, sententias judicum, publicationes, proscriptiones, direptiones bonorum, abjectiones dignitatum, contemptus gloriæ sæcularis; laudum a præfectis ac* D *decurionibus profectarum despectus, minarum denique quæ coram intentabantur, vociferationum, persecutionum, fugæ, ærumnarum, et cujusque modi malorum tolerantiam, cujusmodi sunt ea quæ sub Decio et Sabino, et quæ in hunc usque diem sub Æmiliano, nobis contigerunt?* Pacem quidem Ecclesiæ, præsertim Alexandrinæ, rescripto suo Gallienus restituerat anno CCLXI; at occupata ab Æmiliano tyrannide, non ante CCLXII ea frui licuit Dionysio; quando ad suos regressus, *formidolosissima et calamitosissima* lue urbem depopulante, acerbiora sibi visus est tolerare, quam quæ in exsilio pertulerat, videatur Eusebius, lib. 7. cap. 21. et 22.

mox et Valeriani.

tum lues, ejus patientiam multum exercuit;

166 Illud admiratione dignum, tot inter calamitates, inter diras sævientium tyrannorum, ac furentis idololatricæ plebis persecutiones, ea doctrinæ monumenta a Dionysio elaborari potuisse, quibus merito Ecclesiæ lumen nuncupari meruit. Neque enim vitio ei vertitur, quod aliquando Cypriani et Firmiliani sententiæ de rebaptizandis hæreticis faverit, dum ab ea opinione sapienter juxta ac modeste recessit. De divina Filii substantia ita scripsisse putarunt nonnulli, ut Arianam E hæresim præformasse videri potuerit; verum ab ea labe Baronius et alii, et ante ipsos Athanasius, Dionysium nostrum doctissime vindicarunt: de quibus, reliquisque ad opuscula ejus spectantibus, opportunius alibi disseretur. Hic summarie dici potest; quæ contra Novatianum, Sabellium, Nepotem, Paulum Samosatenum, aliosque hæreticos edidit; quæ ab eo recte sancita et decreta sunt in Ecclesiæ utilitatem quæ ad explananda orthodoxa dogmata erudite elucubravit, immortalem viri sanctissimi memoriam, toto orbe Christiano celeberrimum reddidisse. Nec silentio præterierim raram illam et prope insolitam, in homine litteris undequaque exculto, docilitatem, cum humilitate vere Christiana conjunctam, ut posteris dubium reliquerit, magisne modestiæ an doctrinæ laude sit commendandus.

nec tamen eo minus Ecclesiam illustravit,

scriptis et exemplis.

167 Satis certum est, præclaras eas virtutes, non ab Origene, sed ab altioris ordinis Magistro, Dionysium didicisse. Fuit quidem teste S. Hieronymo, *insignis Origenis auditor*, talis nimirum, ut quæ bene doceret Origenes, non quæ male præciperet, amplecteretur. Verum an ejus etiam *impugnator?* ut vult Baronius, et notat Kircheri Patriarcharum Alexandrinorum catalogus. Non existimo. F Facile eruditi conveniunt, Demetrium præsertim, et probabiliter etiam Heraclam, cum Origene conflictatos; at verosimilius plerique sentiunt, Dionysium non adeo a primo suo institutore alienum, ut potius laudatorem ejus fuisse Halloixius, Huetius aliique existiment. Certe Origeni in tormentis existenti librum de martyrio ab Dionysio missum, quo animum dolore ac miseria tabescentem relevaret, inficiari nemo potest. Epistola vero ad Theotecnum seu Theoctistum, Cæsariensem Episcopum, quam Stephanus Gobarus apud Photium prodidit Cod. 232 in fine, satis evincit, quod defunctum Origenem laudibus prosecutus sit, Magistri etiam tum observans Dionysius, illius erroribus (opinor) nondum eo tempore multum pervulgatis.

Origenis auditor,

numquam ei fuit adversatus.

XV. S. MAXIMUS.

Ejus orthodoxia contra Paulum Samosatenum et Manichæos. Manetis interitus. Anni unius vacatio.

MAXIMUS, Nicephoro *Maximianus*, male ab Historia Patriarchali sedisse dicitur annis dumtaxat XII, et diebus

A diebus CCXI; nec felicius eadem assignat morti annum CCLXXIII, tempore Valeriani Cæsaris. Georgius Syncellus et Nicephorus adscribunt Maximo annos VIII, quod factum reor omissione unius litteræ scribendo ἔτη ή pro ιή. Non tantum aberrat Abulbaracat in annorum numero, quos ad XVII, et menses V extendit. Vix dubitandum est, quin Maximus e vivis excesserit anno CCLXXXII, postquam *Ecclesiam* XVIII *annis rexisset*, ut palam est ex Eusebio Histor. Eccl. lib. 7, cap. 32, sub finem. Annus is erat Probi Imperatoris sextus et ultimus, quo nempe is a militibus Sirmii interfectus est secunda Novembris. Concinit Eusebii Chronicon, eodem ipso anno, et interitum Probi, et Theonæ Maximi successoris initium recitans; neglecto, ut solet, vacationis anno, de quo infra erit agendum.

Obiit juxta Eusebium anno Sedis 18,

Christi 282, 9 *Aprilis.*

169 Historia nostra Patriarchalis, licet in annorum numero longe aberret, videtur tamen ipsissimum illum annum designare, dum ait, obiisse Maximum XIV *Barmudæ*, id est IX Aprilis, *die Dominica*; quæ omnia apte concurrunt in annum CCLXXXII sub cursu litteræ Dominicalis A, quo etiam argumento utitur Pagius, solito hic accura- B tior, si monuisset annos illos Maximi XVIII, ex Eusebii methodo non complete accipiendos, cum ab anno CCLXV numerentur.

Pauli Samosateni doctrina scripta.

Manetis interitus.

170 Laudat Maximum Hagiologus Habessinus, quod cum impiæ doctrinæ vir diceret, *Humanitatem*, sive humanam naturam, *nudam esse a conjunctione Verbi*, id est, Divinitati non esse unitam; *diploma excommunicationis statuit in omnibus regionibus*, contra ejusmodi doctrinam tenentes, scilicet Manichæos, veram in Christo humanitatem agnoscere recusantes; ut videre est apud Baronium aliosque, Manichæorum deliria recensentes. Historia solum dicit, quod *ejus tempore fuit Manes*; et addit, *cujus pellem detraxerunt Persæ, et projecerunt illum feris, ac quotquot in ejus juraverant sententiam, capite inverso in terra sepeliverunt, donec mortui sunt.* Ad quem annum teterrimæ istius insaniarum colluviei exordia referenda sint, tradit Pagius anno Christi CCLXXVII. Hagiologii verba ita ad Historiam Patriarchalem aptanda putarunt viri eruditissimi, ut utrimque crederent de Manete et Manichæis sermonem esse, ex quorum sensu hæc dicta sint. Mihi nihilominus probabilius videtur, Poetam Habessinum alludere ad Paulum Samosatem, impudentissimum Divinitatis Christi impugnatorem, a C Dionysio decessore et Synodo Antiochena profligatum, quem et Maximus insectari debuerit. Atque huc referenda sunt, quæ habet Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum XXVII Decembris: *Ad hunc Maximum*, inquit, *quem alii Maximianum dicunt, S. Felix Papa, successor Dionysii, scripsit epistolam, adversus tunc emergentem hæresim Pauli Samosateni, cujus epistolæ fragmentum recitatur in Actis Synodi Ephesinæ contra Nestorium, reperiturque deinde intexta in Concilio Chalcedonensi ex scriptis S. Cyrilli Episcopi Alexandrini.*

Maximi elogium.

171 Plus aliquid ad Maximi laudem conferre videntur, quæ de eo scribit Eusebius, lib. 7, cap. II; fuisse nimirum exilii, ærumnarum, ceterarumque Dionysii perpessionum, socium et participem; atque adeo gloriosum Christi Confessorem. Quod nequis in dubium revocet, ita in fine capitis studiose monet laudatus Eusebius, *Maximum* (qui a Dionysio Presbyter, et Compresbyter dicitur) *post obitum ipsius Dionysii administrationem Ecclesiæ Alexandrinæ suscepisse.* Hinc procul dubio desumptum est elogium, quo, ad supradictam diem XXVII Decembris, in Martyrologio Romano exornatur: *Alexandriæ, S. Maximi Episcopi, cui satis clarus et insignis titulo confessionis effectus est.* Nescio quid Latinos inducere potuerit, ut ea die memoriam D Maximi facerent; quem verosimillime vita functum IX Aprilis, nuperrime diximus ex Coptorum et Habessinorum Kalendariis. Crediderim casu id factum, aut (si divinare oportet) aliqua ex jam alibi repetitis causis fortasse alleganda est, Translationis nimirum, Elevationis, vel hujuscemodi celebritatis, quæ præ proprio natali die, aliunde nostris Martyrologis innotuerit.

AUCTORE J. B. S.

Cur Sedes post ipsum anno uno vacaverit?

172 Subjungit denique Historia Patriarchalis, quod *fuit Sedes vacans post* Maximum *anno uno absque Patriarcha.* Neque hic facile causam conjeceris, præsertim imperante adhuc Probo, nulla re, quod sciamus, Christianis molesto. Neque Eusebii silentium argumento esse potest ad eam cessationem negandam, quem scimus annis plerumque integris Patriarchatuum tempora subducere; ita ut Theonæ proxime sequentis annos XIX, utrimque incompletos numerare teneatur, ut statim videbitur. Quid si Abulbaracato tantisper fides habeatur, narranti, quod *post Maximum, nescio quis Bebnudensis creatus est Patriarcha: at cum seipsum castrasset, gradu dejectum, ideoque ex Patriarcharum catalogo expunctum.* Id si verum est, facile Bebnudensis ille annum istum occupaverit. Notari nihilominus hic quoque E poterit, et pro aliis similibus casibus prægressis aut secuturis servire, quod de S. Juliano superius diximus, *post hunc nullus Episcopus manere potuit Alexandriæ*, propter immanitatem scilicet Alexandrinorum gentilium, populari furore contra Christianos sævientium, etiam tum, cum Magistratus cessabant; cujus rei luculentum specimen in Dionysio attulimus; quamquam de cetero hæc potius exilii quam vacationis causam prætexant. Utcumque se res habeat, certum est annos Theonæ, ex Eusebii conputu, a Maximi decessoris obitu desumendos.

XVI. S. THEONAS.

Tempus Sedis; pietas erga Deiparam: Ecclesia Alexandriæ.

Obiit 3 Januarii, anno 300.

Sanctus Theonas, secundum Historiam nostram seu Chronicon Orientale, sedisset annis IX, et diebus CCLXIII: in quo non minus fallitur, quam is qui margini annos Christi adaptans, inepte Diocletianum adscripsit anno CCLXXXIV, quo cum Theonas ex Chronici calculo moreretur, necdum fasces Dio- F cletianus sumpserat. *Obiit* igitur *Theonas die Mercurii, octava Tubæ*, id est III Januarii, quod recte in Historia notatur; non anno illo, sed quo currebat littera Dominicalis G, cucurrit autem anno CCC, quo usque perducendus omnino est Theonæ Episcopatus, ut inveniantur anni circiter XIX, rotundo numero ei attributi ab Eusebio, lib. 7, cap. ultimo; Syncello, Nicephoro aliisque. Suffragatur nobis Pagius, ad eum annum CCC *Theonæ* exitum et *Petri* initium recitans, nixus etiam auctoritate Chronici Alexandrini seu Paschalis, sub anni istius Consulibus Petri inaugurationem collocantis. Quod autem ait, Eusebii Chronicon in annum sequentem ea perperam differre, poterat ex editione Pontaci, paulo ante ab ipso citata, recte notante annum Diocletiani XVII, refellere Scaligeranam; in qua male signatur annus XVIII, qui esset Christi CCCI; quamquam non diffitear, ita etiam annum Diocletiani XVII accipiendum, ut moriente Theona, necdum intelligi possit vere inchoatus, quemadmodum passim fieri, jam sæpe monuimus. Sed neque de inveniendis annis Theonæ XIX solicitus est Pagius, quo scrupulo alias plus nimio angebatur: in quo Tillemontium socium habet.

Anni Sedis 19, quomodo accipiendi,

AUCTORE J. B. S.

Colitur apud Latinos 23 Aug. aliter ab aliis.

A 174 Interea, cum certum sit ex præcitato Eusebii lib. 7, cap. ultimo, Petrum, Theonæ successorem, præfuisse annis XII; et ante persecutionem quidem *tribus fere annis*, id est tribus circiter annis; dubitari profecto non potest, quin anno CCC thronum conscenderit (ut admittunt prælaudati Pagius et Tillemontius) unde consequens est, Theonæ tempora ita interpretanda, ut a mense Aprili CCLXXXII, ad Januarium CCC, Sedem tenere non potuit, nisi annis XIX utrimque incompletis. Quid Labbeum moverit, ad obitum Theonæ cum anno CCXCVIII copulandum, nec divinando assequi possum. Quod ad diem cultus attinet, dissentiunt Latini a Coptis, et hi ab Habessinis. Primi Natalem ejus recolunt XXIII Augusti cujus rei non lubet iterum hariolando causam indagare. Calcasendius Arabs, recensens festa Coptitarum, apud Seldenum de Synedriis Hebræorum pag. 366, ad VII Tubæ, id est II Januarii, notat festum Thomæ; sed legendum Theonæ, vix equidem dubito; et memoriali vel Scriptoris sphalmati imputandum, quod scribenti, VII pro VIII, et consequenter ejus interpreti, obrepserit II pro III Januarii. Difficilius capio, quomodo B Habessini, Alexandrinos fastos sequi soliti, Teunam (sic ipsi pronuntiant) retrahant ad secundam Tubæ, XXVIII Decembris. Quomodocumque id factum sit, Alexandrinis, de die cultus apud se usitati testantibus, potius standum censeo.

Theonæ laudes.

175 Antistitis hujus pietatem enarrat Poeta Habessinus, eumque alloquens ita canit: *Salutem dico Patriarchæ* Teunæ; *qui Petrum, suum postea successorem, baptizavit; et preces singulis horis, a quolibet recitandas instituit, ac turrim Mariæ Virginis nomini ædificavit.* Quando id ille fecerit ex certo indicio determinari nequit. Certe si turris illa extructa est, sedatiores fuisse oportet Gentiles Alexandrinos; vel saltem erigi omnino debuit, ante Achillei Tyrannidem, qui a Diocletiano victus, capta Alexandria, innumeris calamitatibus totam Ægyptum immersit; quando et funditus eversæ urbes *Busiris* et *Coptus*, a quarum postrema *Coptitarum* nomen, aliquot postea seculis fluxisse, non nemo existimat; quo fundamento alibi discutiam. Catalogus Kircheri Theonam vocat *Ecclesiæ columen*. De Ecclesia, sub Theonæ invocatione Alexandriæ posita, meminit S. Epiphanius in Panario, hæresi 69; et mentio de C eadem habetur in Actis S. Petri Alexandrini Episcopi, inquit Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum. Vere etiam dicit Historia, quod *sub eo fuerit Diocletianus Imperator perfidus*; sed cujus perfidiam et crudelitatem Theonas procul dubio expertus non fuerit.

DIGRESSIO BREVIS.

De Æra Martyrum, celebri apud Alexandrinos et Arabes Epocha.

Anni Martyrum et Æra Diocletiani in quo distinguantur.

NIHIL fortasse notatu dignius de S. Theonæ Episcopatu memorari potest, quam quod in ejus tempora inciderit, celebrata tot eruditorum Chronologicis Dissertationibus, Diocletiani, vulgo *Martyrum* Epocha, Ægyptiis potissimum et Arabibus usitata, et a nobis deinceps cum æra Christiana frequentissime connectenda. Visum est itaque operæ pretium ea hic semel dicere, quæ alias non sine lectoris fastidio sæpe repeterentur. Non quæritur quo anno feralia, seu mavis furialia Diocletiani edicta sint promulgata, et subinde horrenda illa carnificina in universos toto orbe Christianos excerceri cœperit. Concors est Scriptorum opinio, ea an annum CCCII vel CCCIII pertinere; et (ni fallar) satis evincit Valesius, in Notis Eusebianis, ad annum CCCIII esse D rejicienda; subscribente Labbeo, deserta priori sententia, qua cum Petavio senserat, ex Conciliabulo Cirthensi demonstrari posse, anno antecedenti CCCII contigisse. Quod scribit Cangius in Glossario, Verbo *Annus; Epochæ Diocletianææ, ab Ægyptiis Christianis Ecclesiæ Alexandrinæ hactenus usurpatæ, initum desumi a persecutione Diocletiani*; id arbitror, virum cetera diligentissimum, ex inadvertentia posuisse; uti et illud, quod adfert ex Exegesi Henscheniana, nihil ad rem propositam faciente.

Incipit illa anno 284.

177 Neque indagamus etiam, quo anno Diocletianus imperare cœperit: id enim tot argumentis stabilivere Petavius, Bucherius, Labbeus, Ricciolius, et novissime Pagius ad annum CCLXXXIV; ut audiendi omnino non sint, qui pro CCLXXXV, CCLXXXVI, vel CCLXXXVII adstruendo, incassum antea desudaverunt: unde extra omnem controversiam positum est, Diocletianum anno illo CCLXXXIV, XVII Septembris, Imperatorem renuntiatum. Dubium superesse potest, quo anno Ægyptii æram suam Diocletianæam, vulgo *Martyrum*, auspicati sint; quandoquidem annum illi suum, non a Januario ut nos, sed a XXIX Augusti desumere soleant. Scio, E auctores a me laudatos uno ore asserere, exordium celeberrimæ Epochæ proficisci a die XXIX Augusti, seu 1 Thoth Ægyptiaci, præfati anni CCLXXXIV; quod novilunium, ut Calvisius apud Pagium observat, in ipsum diem XXIX Augusti incideret, qui propterea Annus, primi Cycli lunaris, est appellatus, ut et hodie fit. Atque hæc doctissimorum virorum testimonia, et rationes aliæ ab iis adductæ, nullum videntur reliquum facere ambigendi locum, quin sæpe dicta Epocha in anno nostro CCLXXXIV fluere incipiat.

Baronii hac de re sententia

178 Aliter nihilominus annos illos supputasse videtur Cardinalis Baronius, tom. 6 Annalium, in appendice de legatione Coptitarum Patriarchæ Gabrielis ad Clementem VIII. Ubi, occasione subscripti anni, *a sanctis Martyribus* MCCCX, hæc subnectit. *Peculiaris ista est, antiquitus servata Alexandrinorum fidelium et totius Ægypti Chronologia, ut a SS. Martyribus numerent annos, ex pietate nempe deducta. Etenim horrescentes nomen Diocletiani Imperatoris, acerbissimi Christianorum persecutoris, in annorum numeratione, quam ille ab exordio sui imperii faciendam præscripserat, recensere, (quod posteros fecisse diximus,) ipsi ab ejusdem Imperatoris anno primo,* F *itidem numerum deducentes, pro nomine persecutoris Ecclesiæ Diocletiani, sanctos Martyres posuere: sed quod in dicto numero inveniantur ipsi eam Chronologiam inchoasse ab anno Domini ducentesimo octogesimo tertio, primus vero annus Diocletiani a nostris (ut vidimus) numeretur anno Domini ducentesimo octogesimo quarto: nihil tamen scias esse discrepantiæ; cum idem sit apud eos octogesimus tertius tertia ex parte, qui apud nostros Latinos octogesimus quartus. Nam mense Thoth, qui incipit quarto Kalend. Septembris, ipsi annum auspicantur.* Hactenus scriptor ille eminentissimus; in quibus, ut fatear pleraque esse verissima, non video qua urgente ratione pronuntiet, Ægyptios suam *Chronologiam inchoasse ab anno Domini* CCLXXXIII.

ex Chronologorum Canone refellitur,

179 Nec magis placet, quod subditur; *Nihil hic esse discrepantiæ, cum idem sit apud eos* LXXXIII *tertia ex parte, qui apud nostros Latinos* LXXXIV; mallem dixisset, annum LXXXIII Copticum, esse ex duabus tertiis partibus nostrum, ut ita loquar LXXXII, quo tamen neque quidquam proficeret, ad probandum quod videtur intendere, nempe æram Martyrum habere principium anno CCLXXXIII. Videamus igitur, quo pacto annus ille MCCCX Martyrum, ad æram Christianam aptari commodissime possit, servato ejus

A ejus principio in anno CCLXXXIV. Tritus est Chronologorum Canon apud Ricciolium, Chronologiæ reformatæ pag. 102, de Epochis aliis ad Christianam aptandis, ut annis datis dematur unitas, et residuum addatur anno quo cœpit talis Epocha. Id si hic fiat, non erit ullatenus necesse recedere a constantissima Chronologorum opinione, de capite æræ Diocletianææ seu SS. Martyrum, copulando cum anno, non CCLXXXIII, sed revera cum anno CCLXXXIV; ut pluribus exemplis in decursu fiet manifestum. Verum, ne a proposito recedatur, sumamus annum illum MCCCX a sanctis Martyribus, et subtrahatur unitas; residui fient MCCCIX; addantur modo anni ducenti octoginta quatuor, invenietur plane annus MDXCIII, quo legatio Coptica, ex ipsius Baronii confessione instituta est, et scriptæ litteræ XVI Hathur, XII Novembris, non XXII, ut perperam ibi quoque scribitur. Ex his palam est, Epocham Martyrum immobiliter figendam ad toties repetitum annum CCLXXXIV. Qua proinde methodo imposterum annos SS. Martyrum ad nostram vulgarem Epocham tuto reducemus, regulam tamquam certam ubique applicando.

ejusque difficultas solvitur

B

XVII. S. PETRUS MARTYR.

Tempus Sedis et dies cultus, dedicata ei Alexandriæ Ecclesia, miraculum in fonte Baptismali: Arii Schismatici excommunicatio: an S. Dionysio fuerit exsilii socius? doctrina et martyrium.

Posthabito Historiæ Patriarchalis et aliorum computu,

SANCTUS PETRUS HIEROMARTYR, *præfectus est anno decimo imperii Diocletiani, qui anno vigesimo sui imperii amputari jussit caput istius sancti Patris Patriarchæ, et martyrium consecutus est.* Errat hic toto cœlo Historia; errat auctor marginalium, annos X et dies CCCXXXIII ei attribuens, et mortem conjiciens in annum CCXCV: errat denique in conjunctione diei Veneris cum XXIX Hathuri, quo *matyrium contigit,* XXV nostri Novembris. Etenim iste concursus exigeret litteram Dominicalem B: quæ cum signet annum CCCIX, biennio integro decurtaretur S. Petri Episcopatus; quem ex Eusebio, eumque secutis Chronico Alexandrino et Nicephoro, constat annis duodecim, saltem incompletis, Ecclesiam gubernasse, atque adeo ante annum Christi CCCXI martyrii lauream non esse consecutum. Baronius et Labbeus pro anno præcedenti CCCX certant; secuti procul C dubio Eusebii Chronicon editionis Scaligeri, ubi Achillæ, Petri successoris, ordinatio in annum Constantini V perperam rejicitur; quemadmodum Petri initia male collocantur sub anno Diocletiani XVIII. Melius Pontacus Achillæ ordinationem retulit anno Constantini VII, Christi CCCXII, vel anno CCCXIII, quo probabilius factam ostendemus, ubi quæ ad Petrum attinent, satis fuerint confirmata.

secundum Eusebium sedit Petrus annis fere 12;

181 Eusebius Hist. Eccl. lib. 7 cap. 32, ita controversiam omnem dirimit, ut oculato pene testi fides negari non possit. *Post Theonam,* inquit, *qui annis XIX ministerio perfunctus est, Episcopatum Alexandriæ sortitus est Petrus. Qui quidem toto Sacerdotii sui tempore, quod annis gessit duodecim, maximam quoque ipse gloriam est consecutus, et ante persecutionem quidem, tribus fere annis Ecclesiam rexit. Deinceps vero reliquum tempus ætatis, arctiore disciplina semet exercens, transegit; nec minus interim communi Ecclesiarum utilitati magnifice prospexit. Quam ob causam, nono persecutionis anno, capite truncatus, coronam martyrii promeruit.* In superiori Digressione innuimus, tantum non certum esse, immanissimam Diocletiani persecutionem, sic antonomastice appellatam, cœpisse anno CCCIII, exeunte Februario, vel (ut alii censent) mense Martio. Sedem tunc Petrus obtinuerat *tribus fere annis,* seu tribus circiter annis; est autem indubitatum, *annum persecutionis nonum* eum ipsus esse, quem diximus Christi CCCXI. Fateor annos XII in calculo Eusebii non expleri; sed eam passim esse Scriptoris hujus numerandi rationem jam toties inculcavimus, ut ea de re plura dicere sit plane supervacaneum. D

AUCTORE J. B. S.

obiit an. II 25 Novemb.

182 Martyrologium Romanum, ad diem XXVI Novembris, hujus sanctissimi Patriarchæ memoriam ita celebrat: *Alexandri Natalis S. Petri, ejusdem urbis Episcopi; qui cum esset omnibus virtutibus exornatus, Maximini præcepto capite obtruncatur.* Erat is *Maximinus, Maximiani Armentarii* ex sorore nepos, qui Diocletiano et Maximiano imperium abdicantibus, Cæsar dictus, crudelitatem suam in Oriente exercuit, ut habet Eusebius Hist. Eccl. lib. 9, cap. 6; cujus textum nulla emendatione indigere, quam frustra Baronius adhibuerat, ostendit Pagius ad annum CCCXI, num. XV. Sed a Latinis non colitur Petrus ipso die quo coronam adeptus est. Id factum recentius, prævalente solenniori deinde festo S. Catharinæ Virginis et Martyris: aliam enim antiquiorem praxim demonstrant Usuardi MSS. omnia, E Kalendarium quoque Copticum Seldeni, et aliud MS. quod habemus a Gratia Simonio Maronita Latine redditum, servant prædictam diem certaminis XXV Novembris. An vero alternatio ista inde processerit, quod Copti intercalare soliti anno bissextilem nostrum præcurrente, pro eo qui apud nos esset XXV dies, ipsi XXVI assumpserint, ut vult Tillemontius in Notis ad sanctum Petrum, ex iis quæ de Coptorum inter calatione alibi dicuntur, prudens lector statuere potuerit.

licet colatur 26 a Latinis;

183 Poetæ Habessino, die II mensis Amschiri, quæ nostri Januarii diei XXVII respondet, celebratur *Dedicatio ejus ædis, quam populus Alexandrinus versus Occidentem ædificavit Petro, qui est summa et complementum veræ fidei; quando vox de cœlo audita est mulieris, prænuntians, quod prope eam quam inhabitabat domum, construeretur Ecclesia.* In fastis Æthiopicis Ludolfi solum notatur *Dedicatio ædis Petri;* et epitheton, *summa et complementum fidei,* videretur potius Petrum Apostolum significare, nisi etiam de hoc Patriarcha legeretur apud S. Athanasium, orat. I contra Arianos, quod *eodem pene articulo temporis* (quo S. Petrus decollatus est) *sacrata Christi virgo.... iis qui aderant, has a Numine allatas voces se audisse fidem faceret: videlicet; Petrus initium Apostolorum, Petrus finis Episcoporum Martyrum Alexandriæ.* Et hoc oraculum idem Athanasius omnino completum esse ait: *Nam novissimus omnium Martyrum Episcoporum, qui in Gentilium persecutione sunt passi, Petrus habetur.* Potuit ergo Hagiologus loco præcitato spectavisse Petrum Patriarcham, cum aliqua relatione ad Apostolum; imo potuit utrique Sancto communis fuisse Dedicatio ædis, in quam prioris corpus translatum sit, et hujus facti memoria annua consecrata in fastis. Sed cur hæc potius quam dies anniversarius martyrii, nusquam sic notatus istic, ubi plures ejusdem nominis successores adscripti suis quique diebus inveniuntur; et quidem eorum duo cum rubrica, qui honor potius huic primo tribuendus videri posset? Fateor hic mihi hærere aquam. F

et apud Habessinos celebrior sit ejus ædis dedicatio.

184 Historia Patriarchalis factum incredibile interserit, *Hic est,* inquiens; Patriarcha, *cui Antiochena illa mulier filios suos adduxit, ut eos baptizaret, concrevitque aqua baptismalis, ut minime illos Patriarcha baptizare potuerit. Qua de re diligenter inquisivit a matre ipsorum, causam: quæ ait illi; Mare concitatum est tempestatibus, et jamjam naufragii periculum nobis aderat: tunc eductis uberibus consignavi eos sanguine,*

Congelatur fons ne baptismus iteretur.

A *guine, et aqua maris baptizavi. Ait Patriarcha, Bene baptizati sunt fide tua.* Subdit denique : *Ipse quoque Arium communione privavit jussu Dei :* non quod pestiferam illam suam hæresim jam tum vulgasset, ut a nonnullis perperam creditum ; sed quod fuisset particeps, perniciosi Schismatis, a Meletio, in Synodo Alexandrina damnato, excitati ; subsultoria ut ita dicam pœnitentia, modo Catholicus, modo iterum apostata. Ceterum quæ de monstro illo in ipsis S. Petri Actis referuntur, de celebri visione in qua Christus disscisso pallio apparuit, deque ultima ad Achillam et Alexandrum admonitione, notiora vulgo sunt, quam ut a nobis hoc loco commemorari debeant. Utrum vero prædicta Acta eas falsitatis et suppositionis notas præ se ferant, ut tamquam spuria reprobanda sint, quemadmodum Pagius ad annum cccx num. 3 sentire videtur ; alterius est indaginis : quam ad mensem Novembrem, ubi ex professo examinanda illa erunt, tantisper rejicimus.

AUCTORE J. B. S.

Arii excommunicatio ob schisma Meletianum.

185 Verum (ut ut ibi aliqua fortasse reperiantur non satis accurate conscripta) quæ de fortissimo Christi Athleta Eusebius prodidit, eum tota Ecclesia Catholica illustrissimum reddidere. Ita ejus elogium B paucis ille concinnat, lib. 9, cap. 6 : *Per idem tempus Petrus quoque, qui Alexandrinæ Ecclesiæ summa cum laude præfuit, vere præcipuum ac divinum Episcoporum decus, tum ob totius vitæ sanctimoniam, tum ob studium ac peritiam sacrarum Scripturarum ; nullum ob crimen comprehensus, præter omnium exspectationem, subito et absque ulla probabili causa, utpote Maximino jubente, capite truncatur.* Hoc nempe gloriosissimo fine coronari merebantur immensi labores, pericula, fugæ, tentationes, quibus toto ferme Episcopatus sui tempore Petrus vexatus fuerat ; ut docet Ammonius Monachus, in libro de cæde SS. Patrum in monte Sina et in solitudine Raithu, apud Valesium in Notis Eusebianis pag. 319 : *Cum in cellula mea sederem juxta Alexandriam, in loco qui dicitur Canopus, venit mihi in mentem ut proficiscerer in Palæstinam. Primum enim, æquo animo ferre non poteram, cum viderem vexationes et quotidiana pericula, quæ fideles sub iniquissimis tyrannis sustinebant : Petrumque sanctissimum Episcopum, huc illuc subinde fugientem, ac sese occultantem, cui proprium gregem secure ac libere pascere non licebat.*

Petri elogium.

186 Baronius, inter alia quæ in Petrum confert laudum præconia, affirmare non dubitat, ipsissimum illum esse, de quo Eusebius lib. 7, cap. II ; ubi Dionysius, crebros exilii sui, sub Æmiliano, anno C CCLVII mutationes enumerans, ita scribit : *Ego quidem nunc et Petrus et Caius soli, reliquis Fratribus orbati, in deserto et squalido quodam Libyæ loco conclusi sumus, tridui itinere distantes a Parætonio.* Hanc ego laudis partem Patriarchæ nostro concederem perlubenter, si qua probabilitatis specie res tota fulcirelur. Eusebius certe, qui tam sedulo monuit *Maximum,* ejusdem exilii socium, ipsum illum esse qui postmodum ad Episcopatum evectus est, non videtur id de Petro prætermissurus, cui profecto maximo erat decori vertendum, quod sexaginta fere ante annis, insignem adeo pro Christo confessionem pertulisset : præterquam quod comites illi Dionysii, procul dubio in gradu aliquo Ecclesiastico fuerint collocati, ac proinde annum saltem vigesimum forte, et trigesimum expleverint ; quo pacto octogenario proximum aut majorem fuisse Petrum oporteret, dum martyrium subiit ; quam circumstantiam Scriptorum saltem aliquis litteris consignasset. De possibilitate altercari non vacat : non ægre feram, si quis Baronio plus quam rationibus meis tribuendum censeat.

An fuerit Dionysii exulis socius ?

187 De sancti Petri doctrina satis constat ex præcitato Eusebii testimonio. In pretio sunt Canones ejus pœnitentiales, scripti, ut ipsemet testatur, D dum *quartum Pascha persecutionem jam apprehenderet,* hoc est anno CCCVI, non CCCV, ut vult Baronius, quique a sexta Synodo recipiuntur can. 2 apud Labbeum tom. 6, pag. 1141. Scripsit etiam librum de Divinitate, qui citatur in sancta Synodo Ephesina, et reperitur in sacro Concilio Chalcedonensi Act. I, teste Baronio in Notis ad Martyrologium Romanum. Sed de iis hactenus, qui cum tyrannis gentilibus colluctati sunt : cum quibus et infinitus prope numerus omnis ætatis, sexus et ordinis in Ægypto et Thebaide, martyrium consummavit. Nunc ad eos pergimus, quibus cum aliis belluis, non minus exitialibus, fuit decertandum.

Ejus doctrina Canonici pœnitentiales etc.

CAPUT III.

Patriarchæ, cum Ario et Arianis conflictati, usque ad Dioscorum. Ab anno CCCXI ad CCCCXLIV.

XVIII. S. ACHILLAS.

Cultus ex vano scrupulo negatus a Coptis et Habessinis, quia Arium susceperit in gradu Diaconi. Ejus et S. Pierii laus. E

Sanctum Achillam Historia *Archelaum* nominat, et *suffectum,* ait, die Sabbati, *Sedemque tenuisse sex mensibus tantum,* et pauculos dies, qui hic pro nihilo habentur. *Causa* autem *ejus mortis fuit, quod Arium susceperit imprudentius, et ideo occidit eum Deus.* Alexandrini, et consequenter Habessini, indignum ea de causa censuerunt, quem inter Sanctos suis fastis adscriberent. *Obiit is decimanona Bunæ, die Martis,* qui esset XIII Junii, tali concursu postulante litteram Dominicalem A, quo Achillæ obitus perperam retraheretur ad annum CCCX. Mendosos proinde calculos hic denuo missos facimus, uti et Abulbaracatum, qui applicatis superius infelicissime ad æram Christianam annis Alexandrinis, turpissime labitur in ipso Martyrialis Epochæ principio, creatum Achillam asserens, anno Martyrum XIX ; et successori Alexandro, contra omnem omnino Scriptorum antiquorum fidem, annos XL attribuens ; cum vix per annos XIV infulas Patriarchales posséderit.

Contra mendosos Chronici et aliorum calculos,

189 Brevissimum fuisse Achillæ Episcopatus curriculum, constans est Chronologorum sententia ; unde in Eusebii Chronicon manifestus error irrepsit, F dum in altera editione, X ; in altera VI anni adscribuntur. In Eusebii Historia hic desinente, nihil nobis amplius præsidii superest. Interea verum esse puto, quod tradit Pontaci editio, Achillam ordinatum esse anno Constantini Magni VII, a XXV Julii anni CCCXII fluere incipiente, atque ita inaugurationem differendam in annum illum CCCXII vel CCCXIII, ut sentit etiam Pagius, et ex Gelasio Cyziceno, nemine contradicente, demonstrari potest. Scribit hic, in Commentario Actorum Concilii Nicæni, quem tom. 2 Conciliorum inseruit Labbeus a columna 106 ; scribit, inquam, lib. 2, cap. I ; in fine, quod *post divini Petri martyrium, qui fuit Episcopus Ecclesiæ Alexandrinæ, et in ipso martyrio fuit consummatus, et incorrupta sui certaminis corona redimitus ; vidua remansit Ecclesia illa annum unum : transacto autem anno, ordinatur in Sede sancti Martyris Petri, Achillas, vir gravis et magnanimus, ac sancte prudens, religioneque pariter ac sapientia plurima ornatus, ut nobis antiqui et omni carentes errore Commentarii referunt : qui multa prius exhortatione usus, suscepit Arium in Ordinem Diaconorum. Cum autem hic mensibus tantum quinque supervixisset, suscepit Sacerdotii principatum ibidem Alexander.*

ex Gelasio Cyziceno ostenditur,

Achillam obiisse anno 313,

190

A 190 Pluribus opus non est, ut evincatur quod propositum erat; ac proinde, si Achillas obierit XIII Junii, mortem ejus incidere in diem Sabbati, sub cursu litteræ Dominicalis D, anno CCCXIII. Nihil offert Tillemontius Nota I, in S. Alexandrum, quod huic Gelasii testimonio opponi merito possit. Sane Chronici Orientalis et Eutychii calculis, ad rectam rationem reducendis, frustra insudat: verum et de Chronico illo et de Eutychio satis superque dictum est. Martyrologium Romanum, post Usuardum, Adonem, supposititium Bedam et alios, Natalem ejus recolit VII Novembris, his verbis: *Alexandriæ Beati Achillæ Episcopi, qui eruditione, fide, conversatione ac moribus fuit insignis.* Quam causam habuerint talem diem præeligendi, ignorantiam fateri malo, quam frustra hariolari. Mirari interim liceat inanem illum et vanum Coptorum et Habessinorum scrupulum, qui virum de Ecclesia præclare meritum, et Eusebio laudatissimum, ea causa divinam ultionem expertum dicant, ac proinde Fastis suis indignum, quod Arium, necdum hæresim professum, susceperit imprudentius; addere poterat Chronicon Orientale, quod ad sacerdotium promoverit. At obsecro, cur etiam Alexandrum successorem non excluserunt, qui Arium ad altiores etiam gradus evexit? Utut est, nimia hæc Coptorum atque Habessinorum religio, Achillæ sanctitati nihil prorsus derogare poterit, ut ex professo demonstrabitur tum, cum ejus res gestæ prolixius erunt digerendæ.

probabilius 13 Junii,

licet apud Latinos colatur 7 Nov.

B

191 *Magnum Achillam* appellat Athanasius, orat. 2 contra Arianos, ut inquit Baronius in Notis ad Martyrologium. Eusebius, sæpe citato lib. 7, cap. ultimo, cum hoc elogio exornat: *Sub quo* (Theona Patriarcha) *etiam Achillas, eodem quo Pierius tempore Presbyterii honore decoratus, Alexandriæ claruit: cui etiam Christianæ fidei institutio commissa erat. Hic præ ceteris omnibus, sublimioris Philosophiæ et Evangelicæ conversationis sincerum specimen operibus ipsis exhibuit.* Hæc de Achilla adhuc in minoribus constituto, quem in eadem vitæ ratione constanter perseverasse, certioribus argumentis ostendi non debet, quam quod, Petro martyrii laurea coronato, nullum habuerit Ecclesia Alexandrina Achilla digniorem, quem viro sanctissimo substitueret.

Achillæ laus,

192 Locus postulare videtur, ut de Pierio, Achillæ socio olim et quodammodo collega, obiter aliquid insinuetur. Martyrologium Romanum, ad diem IV Novembris, ita eum prædicat: *Natalis sancti Pierii, Presbyteri Alexandrini, qui in divinis Scripturis nobiliter eruditus, vita purissimus, et ad Christianam Philosophiam nudus penitus et expeditus, sub Caro et Diocletiano Principibus, regente Alexandrinam Ecclesiam Theona, florentissime docuit populos, et diversos tractatus edidit: post persecutionem vero omne vitæ suæ tempus Romæ versatus, in pace quievit.* Pro majori parte desumptum est hoc elogium ex S. Hieronymo de Script. Eccl. cap. 76, ubi ait, venisse illum in tantam *elegantiam, ut Origenes, junior vocaretur.* Subdubitat Photius Cod. 119, an martyrio vitam non finierit; scripta ejus Origenianis nugis et fabulis respersa asserens, *de Spiritu sancto periculose et parum pie docere,* aliaque obscurius tradita: quæ hic ex occasione attigisse sufficit, suo loco examinanda.

et ex occasione, laus S. Pierii.

C

XIX. S. ALEXANDER.

Concilii Nicæni contra Arium pars magna, non tamen ejus Præses fuit. Ab eo probatus baptismus, pueris a tredenni puero Athanasio collatus.

SANCTI ALEXANDRI *anno* XV *coadunatum est Concilium,* CCCXVIII *Episcoporum, in urbe Nicæna, et Arium anathemate percusserunt. Ordinaverunt etiam Symbolum. Jejunium correxerunt, et constituerunt Epactam. Affirmat Athanasius, discipulus hujus Patris Patriarchæ, dicens; Pater meus [Alexander, quoties Evangelium in sua cella legebat, id stans præstabat, ac lampade accensa, nec unquam Evangelium sedens legit: nec fregit unquam jejunium, quamdiu sol in mundo erat. Obiit autem* XXII *Barmudæ, die Lunæ,* mensis nostri Aprilis XVII. Huc usque Chronicon sive Historia Patriarchalis, adscribens Alexandro Episcopatus annos XXII, dies CCCVIII, et obitum ejus innectens anno Christi CCCXVIII; in quo apertissime, more suo hallucinatur, uti et Abulbaracat, cujus erroribus notandis tædet papyrum inficere. Fallitur præterea idem Chronicon, dum anno Alexandri XV notat convocationem Concilii Nicæni: nam illud anno CCCXXV congregatum nemo hodie dubitat, qui non cum aliquot hypercriticis cavillari velit. Superius autem confecimus, Alexandrum anno primum CCCXIII Patriarchalem thronum conscendisse. Denique nec feriæ concursus quadrat in annum obitus, quem constat fuisse annum CCCXXVI, currente littera Dominicali B, XVII Aprilis, in diem Dominicam tunc incidente; ubi ad prædictum concursum requireretur littera Dominicalis A, adeoque notaretur annus CCCXXVII, contra quam sentiant accuratiores Chronologi et Historici, nullo fere excepto.

D

AUCTORE J. B. S.

Contra Chronicon Orientale

E

194 Perspicue id tradunt S. Athanasius, Alexandri successor, in Apologia secunda, aliis Syllogo, et Theodoretus lib. 1, cap. 26; eum mortuum asserentes, post menses quinque a Concilio Nicæno absoluto. Theodoreti verba sunt: *Cum admirabilis ille Episcopus Alexander, qui Arii blasphemiam expugnavit, post quinque menses a Synodo Nicæna, vivendi finem fecisset; Alexandrinæ Ecclesiæ Præsulatum Athanasius suscepit.* Ille vero ita loquitur in Syllogo: *Nondum quinque menses* (scilicet a damnatis Arianis in Synodo Nicæna) *præterierant, cum Alexander mortem obiit.* Sed et signantius tempus exprimit Auctor Libelli Synodici in Synodo Cæsariensi, dum ait: *Alexandro Papa Alexandriæ, quinto post mense quam Nicæa domum reversus esset, ad Dominum digresso, Athanasius Præsulatum merito accepit.* In confesso est Concilium Nicænum, XVIII vel XIX Junii inchoatum, ad XXV Augusti anni CCCXXV fuisse productum. Si igitur Alexander ad Ecclesiam suam redierit exeunte Septembri mense, aut sub initium Octobris aut forte serius; minime dubium relinquitur quin vel initio anni CCCXXVI e vivis excesserit, vel sub finem CCCXXV, ut putavit Hermantius, in Vita Athanasii lib. 3, cap. I, fretus opinor auctoritate Epiphanii, id diserte asserentis hæresi 69, ut dicetur dum de Athanasii ordinatione infra disputabitur.

certo statuitur Alexander

obiisse anno 326, vel forte 325.

F

195 Plana hæc sunt, et satis explorata. De die obitus ambigi potest. Nam si Alexander, absoluto Nicæno Concilio, Alexandriam recta perrexit; facile eo pervenerit circa finem mensis Septembris; quo posito, dicendum erit, recte apud Latinos memoriam in fastis recoli XXVI Februarii. Probabilius tamen censent Henschenius, et eum secutus Pagius, verum diem obitus fuisse XVII Aprilis; ea nempe de causa, quod putaverint diem Lunæ, a Chronico Orientali signatum, cum XVII Aprilis coincidere (melius notavit Tillemontius annum CCCXXVII.) Verum, quod pace eruditissimorum virorum dictum sit, contrarium evidenter ex chronologicis regulis demonstrari potest. Vulgo notus est celebris versiculus, quo litteræ mensium initiales exprimuntur,

Concursus feriæ cum die mortis Henschenium et Pagium fefellit,

Astra Dabit Dominus, Gratisque Beabit Egenos:
Gratia Christicolæ, Feret Aurea Dona Fideli.

Prima littera initialis menstrua A, respondet Januario,

A nuario, Februario D, et sic deinceps. Itaque Aprili debetur G. Jam vero littera Dominicalis, ut dixi, est B, unde certissimum est, primum diem mensis Aprilis anno CCCXXVI fuisse diem Veneris.

AUCTORE J. B. S.

196 Notissima est et alia regula, nimirum eamdem in feriam incidere cujusque mensis diem I, VIII, XV, XXII, et XXIX. Fuit igitur dicto anno XV Aprilis etiam dies Veneris. ergo tandem XVII non potuit non quadare in diem Dominicam : atque adeo ex assignata feria nihil haberi potest, quo dies mortualis Alexandri potius in XVII Aprilis, quam in XXVI Februarii referatur. Si cui hæc argumenta non satisfaciant, peremptorium aliud hinc desumat, quod illo ipso anno Dominica Paschatis incidat in III Aprilis : digitos testes appellet, et manifestissime reperiet XVII Aprilis, anno CCCXXVI, non cum die Lunæ, sed cum Dominica concurrere. Si Chronicon pro XXII Barmudæ, scripsisset XXII Tubæ seu XVII Januarii, longe probabilius, meo quidem judicio, dixisset, haberetque eo anno concurrentem omnino cum eadem XVII, assignatam feriam, videlicet diem Lunæ. Verum de hoc certi aliquid definire difficillimum est, quamquam mihi valde verosimile B videatur, ipso Januario mense, et quidem circa initium, si non sub finem Decembris præcedentis, Alexandrum obiisse, quidquid tergiversetur Tillemontius.

hæc an fuerit 26 Februar. 17 April. an 17 Jan. anno 326.

197 Interim hoc elogio ornatur Alexander in Martyrologio Romano, ad diem XXVI Februarii : *Alexandriæ sancti Alexandri Episcopi, gloriosi senis ; qui post beatum Petrum, ejusdem civitatis Episcopum, Arium Presbyterum suum, hæretica impietate depravatum, et divina veritate convictum, de Ecclesia ejecit, ac postea inter trecentos decem et octo Patres in Nicæno Concilio eumdem damnavit.* Actis ejus enarrandis supersedeo, quæ ad prædictam diem illustrata consuli possunt. Coptitæ et Habessini festum ejus recolunt die XVII Aprilis supra indicata. Græci, quod mireris, illius nusquam meminerunt in Menæis suis, sed neque in MSS. Synaxariis, quæ vidi, præterquam in Divionensi et Parisiensi, ubi ad XXIX Maji, nescio qua ex causa, refertur. Apud Alexandrinos celebratur præterea V Novembris commemoratio CCCXVIII Patrum ipsius Synodi, veluti tunc conclusæ, aut (quod mihi longe est verosimilius) tunc apud se publicatæ ab Alexandro.

Cultus apud Latinos et Coptos.

C 198 Hagiologus Habessinus Alexandrum *Gloriosum* appellat, ut qui *Nicæni Concilii Præses existens, exclamavit, audiri faciens hanc sententiam : Excommunicatus Arius in cœlo et in terra.* Simili etiam modo Abulbaracat aliique Schismatici Orientales, Alexandrum Concilio isti præsedisse fingunt ; sumpta fortasse errandi occasione ex Synodo Alexandrina, anno circiter CCCXV contra Arium ab Ægypti Episcopis sub isto celebrata, vel ex alia ab Osio congregata aliquot post annis, forte CCCXX ; vel serius, ut mavult Hermantius et alii. Sed nihil nos movent commenta Ægyptiaca. Socrates, lib. 1, cap. 13, enumerans, qui Nicænam Synodum fecerunt, diserte primo loco ponit Osium, his verbis : *Osius Episcopus Cordubæ Hispaniæ. Ita credo ut superius scriptum est. Vito et Vincentius, Presbyteri urbis Romæ. Ægypti Alexander Episcopus ; magnæ Antiochiæ Eustathius, Hierosolymorum Macarius.* Similiter in Catalago subscribentium bene longo, apud Labbeum, eodem ordine, *Osius, Vito, Vincentius, et Alexander Alexandrinus* leguntur. Nimirum tres illos, tamquam Sedis Apostolicæ Legatos, Nicænæ Synodo præsedisse, ii soli negare audent, quibus Romani Pontificis auctoritatem lubet incassum arrodere. Adde, quod cum ea Synodus Nicææ in Bithynia esset congregata, nihil juris competere poterat Patriarchæ Alexandrino, in provincia illa, cum toto reliquo Oriente ab Hellesponto ad Euphratem, D Patriarchatui Antiocheno attributa, uti potest intelligi ex Geographia sacra Caroli a sancto Paulo a pag. 288.

Concilii Nicæni Præses non fuit Alexander ut Ægyptii scribunt.

199 Qualis interim quantusque Alexander fuerit, existimari potest ex præconiis Scriptorum omnium, qui invictam illius, adversus vaferrimas Arii machinationes, constantiam et fortitudinem prædicarunt. Utpote qui, teste Athanasio orat. 2, *Usque ad mortem contra eam hæresim depugnavit ; tribulationes multas, labores ingentes, quamquam jam senex, in decrepita ætate sustinuit.* Egregia illa epistola ad Alexandrum Constantinopolitanum, a Theodoreto lib. 1, cap. 4 recitata, pastoralis solicitudinis, zeli prorsus indefessi, et illibatæ doctrinæ, luculentum præter cetera exhibet testimonium. Sed hæc omnia paucis complectitur supra laudatus Cyzicenus Gelasius, ita Alexandrum delineans, lib. 2, cap. 1 : *Vir in summo honore ab omni Ecclesiæ Clero et populo habitus, magnificus, liberalis, facundus, æquus, Dei amator, amans hominum, pauperum studiosus, bonus et mansuetus erga omnes siquis alius.* Atque et illud postremo advertendum, quod fortasse Alexandrinis et Ægyptiis reliquis occasionem præbuit, Patriarcham suum Concilii Nicæni Præsidem appellandi. Quoniam Concilii istius congregati Patres, in epistola, E ad Ecclesias per Alexandriam, Ægyptum, Pentapolim et Libyam constitutas, destinata, ita loquuntur : *Siquid præterea vel Canonibus vel Decretis constitutum est, honoratissimus Dominus frater et collega noster Alxander, ad vos reversus, certius perferet, ut qui Actorum omnium Auctor fuerit et particeps.*

Ejus brevis laudatio.

200 Salvanda superest Rufini aliorumque narratio, vulgo decantata, de Baptismo ab Athanasio puero ludibundis pueris collato, quo die Alexander jam Patriarcha Petri Martyris festum diem annua celebritate recoleret. Pagius ad annum CCCXI num. 20, pluribus eam rem prosequitur, Rufini auctoritatem satis probabiliter tutatus, Baptismum illum rejiciendo in annum CCCXIII, ipso illo quo Alexandrum Patriarcham creatum diximus. Siquidem eo tempore Athanasio adscribi poterunt anni circiter tredecim, adeo ut inter pueros, tamquam natu major, Præsulis munus sibi vindicaverit, quidquid verba illa οὔπω προσήβῳ γενομένῳ octenni aut decenni majorem concipere prohibere videantur, quemadmodum Papebrochius in ejus Vita ad II Maji cap. I observaverat, alia via Historiæ Rufinianæ veritatem integram servare conatus ; quam F modo, ex totius ordinis chronologici serie hic statuta, haud gravate securiori et certiori methodo, posthaberi voluit.

Anno ejus 1 Athanasium tredennem,

201 Potissima difficultas, quæ Papebrochium aliosque induxerat, ad Baptismum illum retrahendum in annum CCCIV vel CCCV, eo faciebat maxime, ut Athanasio XXX annorum ætas tribueretur, dum ad Episcopatum assumptus est. Verum ea non parum lenitur ex adducto per Pagium S. Remigii exemplo, quem constat sequenti seculo, ætatis anno vigesimo secundo, ad infulas Rhemenses evectum. Dicendum itaque, Athanasius, dum Patriarcha ordinaretur, annum ætatis vigesimum sextum non fuisse prætergressum ; unde juventutem ejus calumniandi ansam arripere potuerunt Arii asseclæ, quod nulla veri specie prætexeretur, si ætatem Canonibus præscriptam attigisset. Tillemontius, Nota 2 in Athanasium, PP. Benedictinos congregationis S. Mauri secutus, putat prædictam historiam ad fabulas ablegandam. Non assentior, nec tanti roboris video ejus argumenta, ut non potius cum Pagio existimem, totam Rufini narrationem verisimilitudinis limites non excedere.

pueros baptizavisse, non est inverisimile,

et anno æt. 26 Episcopum ordinatum :

202 Commentum Eutychii, de potestate a S. Marco

A Marco duodecim Presbyteris collata, ut Patriarcham suo ex collegio eligerent et ordinarent, quem ritum, tribus jam prope seculis usitatum, invertisse Alexandrum, auctor ille solus et primus prodidit; supra abunde excussimus Parergo primo; cui proinde iterum commemorando aut refellendo, operam insumere supervacaneum est. Quod in Alexandri Chronologia desiderare quis possit, in Athanasio studiosius examinatum inveniet.

non item, ab Alexandro inversum ordinem electionis.

XX. S. ATHANASIUS.

Anni Ordinationis et obitus, certo stabiliti contra opiniones variorum, imprimis Pagii, solutis omnium argumentis. Episcopatus gesti et Georgii Arianorum, ejus loco subintrusorum, chronotaxis. Gregorii exitus.

Sancti Athanasii, *cognomento* Apostolici, *tempore congregatum est Concilium Galatiæ, cui adfuit Basilius Magnus, et anathemate percusserunt Arium; Athanasius vero magnis conflictatus est persecutionibus, et*
B *sæpius e sua Sede depulsus, sive (ut alii referunt) tribus vicibus. Ejus tempore floruit Cyrillus Hierosolymitanus, Basilius Magnus, Gregorius frater ejus, Macarius major Alexandrinus, Antonius Magnus in Monte Orientali, et Pachomius in Ægypto superiori. Obiit sanctus Patriarcha septima Bescinas, die Jovis.* Hæc de Athanasio Historia Patriarchalis, quibus omnino indicat annum CCCLXXIII, quo, sub cursu litteræ Dominicalis F, septima Bescinas seu II Maji cum die Jovis coincidit. Tribuit ei in margine annos Patriarchatus XLVI et dies XV, eos computando scilicet ab obitu decessoris Alexandri, quem vita functum statuerat XVII Aprilis CCCXXVII, in quo præter morem satis consequenter errat. Turpiter vero labitur, quisquis adscripsit annum CCCLXIV, regnante Constantino Constantini filio. Integra hæc ex historia referenda fuerunt, ne quid a me dissimulatum existimes. Quantæ porro auctoritatis sint aut esse possint characteres hi Coptici, jam ad nauseam decantatum est; ut mirum sit, iis a Pagio suam firmari sententiam, qua Athanasium eo anno CCCLXXIII obiisse, putat se demonstrative ostendisse. Contra ego sentire cogor, non ultra annum CCCLXXI Episcopatu perfunctum. Id quibus argumentis contra Pagium
C conficiam, ordinate explicandum.

Errat Historia Patriarchalis in notando obitu.

204 Illa itaque primum dirimenda est controversia, quo nimirum tempore Athanasius aut electus, aut ordinatus fuerit Patriarcha; qua de re ita laudatus Pagius ad annum CCCXXVI num. 3: *Divi Athanasii Ordinatio non nisi sub hujus anni finem peracta est, cum anno trecentesimo septuagesimo tertio, die secunda mensis Maji, ad Deum migravit; et, ut testatur Cyrillus Alexandrinus, annos quadraginta sex integros sederit. Quare non dubito, quin ea Ordinatio* VI *Kalendas Januarii, ut ad genuinum Bedæ Martyrologium additur in Manuscripto Ecclesiæ Vaticanæ sancti Petri, die videlicet* XXVII *mensis Decembris, sancto Joanni Evangelistæ sacra, facta sit; et huc usque sancti Athanasii initium, hujus anni principio perperam consignatum fuerit, prætermissa vacatione Sedis per aliquot menses: cujus causa fuisse videtur fuga Athanasii. Nam, ut ait Sozomenus lib. 2, cap. 17, Athanasius ipse fugam paravisse dicitur, et per vim ab Alexandro coactus esse, ut Sacerdotium susciperet: cujus rei testis est Apollinaris Syrus, ita dicens: Post hæc vero impietas bellum inferre non cessat. Sed primum contra beatum hujus viri* (Alexandri nempe) *doctorem armatur: et hic, tamquam filius patri, adjutor aderat: deinde vero contra hunc ipsum, tunc cum ad Episcopatus successionem venit, fuga quidem diu multumque usus.* Tum subinfert præfatus Pagius, *Quid manifestius?*

Errat et Pagius, dum Ordinationem, ex male intellecto Sozomeno aliisque ad 27 Decemb. referendam putat,

D 205 Eo nempe collimant hæc omnia Pagii argumenta, ut probet, Athanasium non fuisse ordinatum ante finem anni CCCXXVI. Verum in manifesta ea luce cæcutivit Petavius, aliique eruditissimi chronologi: nec ego ea videre me fateor, quæ auctor ille vult esse plusquam perspicua. De anno mortis et sedis duratione infra disputabitur, confusionis evitandæ gratia, ne principium per finem, seu (quod eodem recidit) dubium per æque incertum probari videatur. Mirum imprimis, tantum a Pagio tribui iis, quæ a Papebrochio in Vita S. Athanasii num. 39 obiter indicata et refutata invenerat; non quasi a Beda asserta, sed a nescio quo postmodum addita, et uti videri potest ante tom. 2 Martii cum hac restrictione, *Creditur.* Non dubitat tamen Pagius; et hinc confidenter subjungit: *Hucusque sancti Athanasii initium anni illius* CCCXXVI *principio perperam fuisse consignatum.*

AUCTORE J. B. S. contra communem Chronologorum,

206 Manifestius aliquid in medium proferre oportuit, ut contra receptissimam opinionem quidquam evinceret. Nam quod ex Sozomeni verbis, Sedis vacationem multorum mensium inducat; fallor,
E siquis alius ex ea narratione extundi posse existimet. Esto Athanasius fugam paraverit (quod interim nec Athanasius ipse, ubi tamen id opportunissime poterat; nec Socrates, nec Theodoretus, nec quisquam alius tradidit) Esto, inquam, Alexandri designationi multum obstiterit, *Tunc cum ad Episcopatus successionem venit, fuga diu multumque usus.* Quid hæc aliud indicant, quam quod onus, angelicis humeris formidandum, merito extimescens, non prius acquieverit, quam divina dispositione Episcoporum votis, Cleri suffragiis, et totius Populi flagitationibus, Episcopatum capessendum adverterit.

ex levi suspicione fugæ,

207 At vero, sive ex sola Episcopatus declinandi, sive quacumque alia ex causa Alexandria abfuerit Sanctus, non tam procul aberat (ut recte notat Papebrochius num. 41) quin tempore electionis, statim post Alexandri mortem fieri cœptæ, vel intra vel circa urbem absconditus ageret, citoque repertus, fuerit communi consensu ordinatus; uti ex ipsius Cleri testimonio num. 42 ipsemet aperte demonstrat; cujus, imo et Arianorum verba, nullius interstitii, nedum octo vel novem mensium vacationis, faciunt mentionem: sed *post obitum Alexandri,* ait, *omnem multitudinem populumque Catholicæ Ecclesiæ in unum coactum, quasi in speciem unius corporis*
F *et animæ, clamoribus vociferationibusque postulasse, Athanasium Ecclesiæ Episcopum dari, idque publicis votis a Christo expetisse; nosque ut faceremus, per multos dies ac noctes, jurejurando obtestatos fuisse;* CUM INTEREA NEC IPSI AB ECCLESIA DISCEDERENT, NEQUE NOBIS DISCEDENDI FACULTATEM PERMITTERENT.

et contra Cleri Alexandri testimonium

208 Quid ad hæc et plura hujusmodi testimonia, quæ brevitatis causa omitto? quid ad hæc, inquam, reponet Pagius? Dicetne, obsecro, universum Clerum et Populum Alexandrinum, a XVII Aprilis (quo die Alexandrum obiisse arbitratur) usque ad XXVII Decembris, *ab Ecclesia non discessisse?* Legerat tamen hæc et alia apud Papebrochium, vel apud Athanasium ipsum editionis Parisiensis anni MDCXXVII, tomo primo, pag. 726. Unde igitur tanta viro confidentia, ut *manifestum* esse velit, quod usquequaque est incredibile, et nulla prorsus auctoritate firmatum? Videt hic Cleri Alexandrini sententiam, a Sozomeno non multum differre: nam ubi hic posuit, *fuga diu multumque usum Athanasium;* illi *per multos dies et noctes* populum *obtestatum* affirmant, *Athanasium Ecclesiæ Episcopum dari.* Sed quis hæc ultra octiduum extendat? Vidimus ipsi coram, Clementem XI, dum ad Pontificatum eveheretur, *diu multumque,* summa et

Sozomeni verbis recte expositis.

A Urbis et orbis admiratione, obluctatum; ubi interim lucta illa vix totum quatriduum tenuit.

AUCTORE J. B. S.

Athanasii ordinatio pristino loco restitui

209 Melius itaque et longe probabiliori conjectura censuit Papebrochius, supra citato num. 39, Ordinationem S. Athanasii ad XVIII Januarii, sive XV Kalendas Februarii reponendam; quo die a Græcis colitur: cum S. Cyrillo, Alexandrino itidem Episcopo, qui dies Athanasii Natalis fuerit, non quidem in cœlis (nam II Maji obiisse dicendus est) sed in Episcopatu: *Sic enim scimus* (Papebrochii verba sunt) *locutas de Episcoporum Ordinationibus antiquitus Ecclesias: et quemadmodum solebant hunc suum Natalem quotannis celeberrime agere Episcopi, dum viverent, exemplo ab Imperatoribus sumpto; ita sæpe contigit, quod jam indicavimus, eum post mortem remanere festivum, subinde præ ipso obitus die.* Atque hæc apprime consonant iis, quæ supra retulimus de Alexandri obitu, non cum XVII Aprilis aut XXVI Februarii, sed cum anni CCCXXVI initio probabilissime copulando; nisi quis malit ad anni CCCXXV exitum reducere, ut est apud Epiphanium, Hæresi 69 ita loquentem: *Ubi itaque reprobatus est Arius, et hæc sic peracta sunt* (in Concilio Nicæno) *in eodem anno decessit e vita Alexander*, ἐν τῷ αὐτῷ ἔτει παύεται Ἀλέξανδρος τοῦ βίου.
B

et objectæ difficultates complanantur.

210 Ceterum cum aliqua ibidem immiscuerit Epiphanius, utcumque inordinata, dum Achillam statuit Alexandri successorem, quem certum est præcessisse; facile suspicari quis posset, in aliis etiam errorem irrepsisse. Nam quod Achillam vices tantummodo Athanasii supplevisse scribat, ad menses circiter tres, donec a comitatu rediret, id aliunde clarissime redarguitur. Putat nihilominus Papebrochius ita excusari Epiphanium, quod supposito primo errore de ablegatione et absentia Athanasii, cum sciret Alexandriæ *consuetudinem esse, ut post Episcopi mortem successor non diutius differretur, sed subinde* ἀλλ' ἅμα, simul, seu statim, *pacis tuendæ gratia subrogaretur;* necesse habuerit aliquem substituere, donec reverteretur, *qui ex Deo vocatus erat, et a B. Alexandro decretus* Athanasius. Quidquid interim de his alii statuant, nobis id probabilissimum videtur, statim ab Alexandri obitu electum communibus *omnium acclamationibus* Athanasium; et non multo post, licet fortasse reluctantem, ordinatum atque in throno S. Marci collocatum, *bonum illum* nempe, *religiosum, Christianum, devotarium, et vere Episcopum.*
C Idque, ut jam diximus, ipso anni CCCXXVI principio, et verosimiliter Januarii XVIII; ac proinde vane sibi abblandiri Pagium, dum manifeste evicisse se putat, *huc usque Athanasii initium, anni* CCCXXVI *principio perperam fuisse consignatum.* Hæc de Athanasii primordiis, satis (ut opinor) firmata, viam sternent, ut annum mortis veteri suo loco, unde eum Pagius molitur depellere, non minori certitudine restituamus.

Idem contra Pagium anno 371 redditur,

211 Socrates, Athanasio proximus ævo scriptor, lib. 4, cap. 16, ita habet: *Porro Athanasius, Gratiano iterum et Probo Consulibus, post tot et tanta pro Ecclesia certamina, ex hac luce migravit, cum annos sex et quadraginta, non sine ingentibus periculis, Episcopatum administrasset.* Eumdem Consulatum, qui annum CCCLXXI notat, eumdemque annorum Episcopatui impensorum numerum habent auctor Vitæ Anonymus et Metaphrastes, Socratem secuti. Baronius ad annum 69, num. 36 ita loquitur: *Tempora annumerata per Consules, libentioribus sunt accipienda auribus, cum ceteris illa frequentior, liberalior, et verior noscatur esse chronographia, quæ a Fastis deducta est consularibus. Certe quidem, cum vetera monumenta in antiquis Scriptoribus interdum invenimus Consulibus esse signata, magno afficimur gaudio, perinde ac si in tenebris oberranti fax aliqua exoptata præfulgeat.* Hæc ille; sed postmodum (diceres lucis pertæsum) agens D de Athanasii morte, Consules, apud nullum antiquorum inventos, suo ipse arbitrio supponit, eam signans anno CCCLXXII; mendaciique Socratem arguens, eo argumento, quod ex Pagio deinde referam, et haud difficulter refellam. Observavit etiam Petavius, in Diss. de Photini damnatione cap. 2, *Socratem numquam temere aut falso notas Consulares adhibere:* quem proinde secuti sunt Hermantius in Vita sancti Athanasii, et Papebrochius II Maji, quorum sententiam adversus Baronii, Pagii, et aliorum argumenta tueri conabimur.

ex Socrato aliisque.

Primum Pagii argumentum ex Cyrillo diluitur;

212 Agmen ducat illud, quod ex Cyrilli epistola I ad Solitarios desumpsit Baronius, loco superius citato, Socratem idcirco mendacii redarguens, quod illic sedisse dicatur Athanasius *annis totis seu integris quadraginta sex.* Parum id Pagio visum, nisi et Socratem contradictionis accusaret, propterea quod et ipse Athanasio *annos quadraginta sex* Episcopatus adscripserit, uti et Nicephorus et alii; unde solita sibi libertate exclamat, *vanas quascumque Cyrilli verborum interpretationes, a contrariæ sententiæ assertoribus in medium abductas.* Legerat, opinor, Papebrochium dum hæc scriberet Pagius, apud quem E cap. 34, num. 399, ea exstat interpretatio, quæ vanitatem non redoleat, ex Græcorum potissimum loquendi modo deducta, quem Pagius ipse, cum Eusebium alibi explicaret, non semel nobiscum admittere coactus est; dum verba, *annis completis, annis exactis*, vel, *post tot annos*, benigne exposuit de annis, non undequaque integris, imo quandoque utrimque incompletis. Non est igitur vana Cyrilli verborum interpretatio, nec vana interpretatio verborum Socratis; sed vana potius Pagii et Baronii illatio, ex Scriptorum illorum verbis desumpta; ut fateri debent, quicumque Eusebium et Scriptores alios Græcos accuratius perpendere. Atque id ultro fassus est Tillemontius de Cyrilli ἐφ' ὅλοις ἔτεσιν etc. et Socratis διανύσας ἔτη etc.

et ex fide Rufini forte oculata.

213 Quod si cui non lubeat his acquiescere, credat saltem testi fortasse oculato Rufino, Cyrillo antiquiori, lib. 2, cap. 3 diserte affirmanti, Athanasium *quievisse in pace quadragesimo et sexto anno Sacerdotii sui*, vel, ut Sozomenus ait, lib. 6, cap. 10, cum sex et quadraginta circiter annos Sacerdotium obtinuisset, quod in sententiam nostram tam apte quadrat, quam repugnet Pagio, ex cujus calculo, non anni quadraginta sex, sed quadraginta F septem et amplius conputandi sunt; nec anno quadragesimo sexto e vita migrasse dicendus esset Athanasius, sed quadragesimo octavo, quod nec Pagius ipse admiserit. Equidem si a proposita jam sententia recedendum viderem, non ad Pagium, sed ad Baronium ultro accederem. Vidit etiam Tillemontius, a XVII Aprilis CCCXXVI, ad II Maji CCCLXXIII, annos reperiri XLVII: et nihilominus, quamquam vacillando, Pagium sequitur; ductus etiam prætensa auctoritate, a qua alterum argumentum deducit Pagius: nempe ex celebri epistola S. Proterii, qui et ipse Episcopus Alexandrinus fuit, in locum Dioscori subrogatus, ut suo loco dicetur.

214 Scribit is anno CCCCLIV, ad S. Leonem Papam, epistolam de Paschate, quam ex MS. acceptam Bucherius noster inseruit suo ad Victorii Canonem commentario; ubi pagina 84, sic legitur: *In octogesimo anno ab Imperio Diocletiani, superstite beatæ memoriæ Patre nostro et Episcopo Anastasio* (legendum aiunt Athanasio,) *cum* XIV *Luna Paschalis,* XXVIII *die mensis Phaminoth, id est nono Kalendarum Aprilium die provenisset, die Dominico; in subsequentem translata est Dominicum, ita ut quinta die mensis Pharmoti, hoc est pridie Kalendarum Aprilium, celebraretur Pascha Dominicum.* Hos characteres omnes, inquit

A inquit Pagius, notare annum CCCLXXIII nullus inficias ierit. At vero caute dissimulat, invenisse se apud Hermantium et apud Papebrochium num. 400 et sequentibus, dilucidam loci illius explicationem, quem liquet mendosissimum fuisse, adeo ut necdum a Pagio plene correctus sit. Nam si vere notetur in MS. *Octogesimus Diocletiani annus*, longe absunt characteres illi ab anno CCCLXXIII, et melius scripsit Bucherius annum *octogesimum nonum*. Pagii infortunium est, quod textum, ut in Actis SS. vitiose impressus erat, non consulto fonte, transcripserit. Ceterum nihil ex eo confici certo posse, non solus Papebrochius, sed Petavius, aliique pridem observaverant.

Proterii de Paschate epistola nihil Pagio opitulatur

215 Habet hic nihilominus suos Pagius subsidiarios apud Tillemontium, Nota 106 in S. Athanasium, qui aliquamdiu in speciem tergiversatus, in hanc demum partem cum PP. Benedictinis aliisque recentioribus inclinat, hac potissimum S. Proterii auctoritate motus; nam quod ex S. Hieronymi aut ex Orientali Chronico præsidii haberi putat, nullum omnino est. Mirum sane, Socratem, Rufinum, Cyrillum, Sozomenum, antiquosque alios, ancipiti illi B epistolari periodo, posthaberi. Ei, inquam periodo, quæ ad totius epistolæ contextum videri possit adjecta, cum ad totius controversiæ Paschalis rationem non magis faciat, quam si contrarium legeretur; nisi, ut recte advertit Tillemontius, indicare voluerit S. Proterius, Canonem Paschalem, superstite adhuc S. Athanasio, ad usque eum annum CCCLXXIII, fuisse definitum; idque in scriniis inventum, Proterium induxerit, ut crederet, S. Athanasium etiam tum fuisse superstitem. Nihil hic attinet Magistri mei Papebrochii annotationes omnes repetere : sed quid obsecro, minus ponderis ibi haberet *defuncto Patre nostro Athanasio*, quam *superstite Patre nostro Athanasio*, ubi de sola Paschatis celebratione est sermo? Id autem unius alteriusve litterulæ mutatione nullo negotio fieri potuit, scribendo ἐποθίοντος pro ἀπιθέοντος, uti pro *Athanasio* in ea ipsa constructione, nullaque re mediante, habetur *Anastasius*. Recte hic si usquam alibi, ad textum Græcum provocare licet, quem nemo huc usque genuinum produxit; ubi tamen S. ipse Proterius monet, non satis certum seu tutum esse *eam epistolam transferre in Latinæ vocis eloquium*. Plura alii adducunt enervandæ hujus auctoritatis gratia, quæ ut minimum, incertam eam faciunt et dubitationi obnoxiam. Mihi certe longe probabilius videtur, in S. Proterii epistolam, transcribentium vitio, C præter alios errores, etiam hoc sphalma irrepsisse; et sicut pro *Athanasio* legitur *Anastasius*, sic pro *defuncto, superstitem* appellari. Utut est, rationum momentis, absque ullo partium studio libratis, non video, dubiam illam Proterii periocham certæ et indubitatæ Socratis, Rufini, Cyrilli, Sozomeni, aliorumque auctoritati præferendam. Dico, *dubiam Proterii periocham :* alia enim omnia quæ ab recentioribus ad firmandam suam sententiam proferuntur, aut refutata a nobis jam sunt, aut statim ita refellentur, ut sperem opinionem pristinam pristino loco restitutum iri, ex quo tam magno conatu et junctis quasi viribus, eruditi illi nostri eam extrudere nequidquam moliuntur.

per periocham valde depravatam,

nihil etiam Hieronymi Chronicon,

216 Tertium Pagii argumentum nititur auctoritate Chronici Hieronymiani et Theophanis Chronographiæ, qui ambo mortuum referunt Athanasium anno CCCLXXIII. Et quidem palam est S. Hieronymum, Petri, Athanasii successoris Ordinationem copulasse cum anno decimo, Fratrum Augustorum Valentiniani et Valentis, qui est CCCLXXIII : sed et palam est, non ita haberi in editione Scaligeri, ubi pro anno decimo, legitur nonus, adeoque CCCLXXII : quare et hoc subsidium Pagio eripitur. Demum et D illud palam est, istud Hieronymi Chronicon, parum hoc loco esse chronologicum; quod ne exemplis longe petitis ostendam, nil mirum est Athanasii obitum toto biennio differri, cum ejus Ordinationem posuerit anno Constantini XXIV, Christi CCCXXIX, hoc est toto triennio serius, quam vere contigerit. Parco pluribus, unico hoc sublato, siquod in eo Chronico habere Pagius poterat, præsidio.

AUCTORE J. B. S.

nec Theophanes;

217 Nec ei magis prodest infida sæpe Theophanis Chronographia. Etenim eo ipso, quod Pagius citat, Canonio, tam disparata conjunguntur, tam Pagio adversa, ut ei de Theophane silere multo fuisset præstabilius. Exemplo rursus utar non plus uno : Admittetne Pagius, sanctum Basilium anno primum CCCLXXIII creatum fuisse Episcopum? Sed non hic sistendum est. Quid si ego ex ipso Theophane ita contra Pagium arguam? Asserit illic Theophanes, illo ipso anno obiisse Athanasium, quo Basilius ordinatus est Episcopus; atqui juxta Pagium hoc factum est anno CCCLXXI, ergo Athanasius anno CCCLXXI migravit e vita. Non credo ego Basilium eo anno inauguratum; verum non minus propterea premit argumentum ad hominem, nec minus ostenditur, E quam parum fundate arguatur ex Theophanis Chronographia.

imo ex hoc ad hominem premitur,

218 Reponet aliquis Pagii defensor, esto Theophanis Canonia non raro sint perturbata, vel potius ipsius non sint; sed ab alio quopiam imperite suppleta, ac sæpe contra ipsiusmet Theophanis manifestam sententiam, uti demonstrat Papebrochius in Exegesi Prælim. ad tom. III Martii : demus, inquam, Canonia, Theophanis Chronologiæ interjecta, ejus non esse; illud sane negari non potest, quod ibidem affirmat ipsemet : *Exercitatissimum et continuis laboribus assuetum Christi Athletam Athanasium, migrasse ad Dominum, post gesti Episcopatus annos sex et quadraginta, quorum integros quadraginta in persecutionibus periculisque, pro fide et pietate susceptis, peregerat.* Ex hoc ita Pagius argutatur. Athanasius anno CCCLXVII, mense circiter Junio, revocatus est in Ecclesiam suam; igitur ab eo anno ad initium CCCLXXIII, sex illi anni, quibus in tranquillitate vixit Athanasius, numerandi sunt.

rejectis cavillis omnibus inde productis.

219 Mira æque ac falsa ratiocinatio. Mira, quod ipsi Pagio repugnet; falsa, quod nec id asserere potuerit Theophanes, neque ex ejus verbis ullatenus profluat. Primum ex eo liquet, quod et Pagius et Historici omnes fateantur, Athanasium anno CCCXLIX vel CCCL Alexandriæ honorificentissime receptum, F aliquot subinde annis pacifice et quiete Ecclesiam suam administrasse. Quomodo ergo asserere posset Theophanes, eum sex ultimis dumtaxat annis, periculis fuisse liberum. Neque vero id dicit auctor, neque etiam quod *quadraginta annos continuos* periclitatus sit; sed *quadraginta annos integros*. Sit ita, per me licet; facile ego sex annos tranquillitatis inveniam, tametsi ad vitæ finem non rejiciantur; quo nec rejici ullatenus possunt, ex fixa a nobis epocha; nec id permittente persecutione, a Valente in Christianos et maxime in Episcopos mota, quam Baronius, Labbeus et alii reducunt ad annum CCCLXX, contra quam velit Pagius, triennio citius eam constituens. Ceterum ne aliam hic litem intentemus, concedat modo Pagius, ab anno CCCXLIX ad CCCLIII, vel CCCLIV, vel forte ulterius, secure et quiete Ecclesiæ suæ Athanasium præfuisse : statuat deinde rediisse postremo Alexandriam, et pace frui denuo cœpisse anno CCCLXVII vel CCCLXVIII; nihil opus erit mortem transferre ad annum CCCLXXIII, ut anni sex tranquillitatis numerari possint.

220 Hactenus argumenta Pagii, cum ceteris ejus sententiæ propugnatoribus fere communia. Bina ipse ex

A ex proprio penu depromit, quibus adversario scenset penitus profligatos. En paucis vim totam : *Episcopatus S. Basilii initium, anno suo redditum* (melius dixisset ereptum) *et adventus Valentis Antiochiam, hoc anno* CCCLXXII *consignatus, Socratis errorem manifestum faciunt, evincuntque sanctum Præsulem* (Athanasium) *anno tantum sequenti* CCCLXXIII *ad Deum migrasse.* Eadem ipsa paulo post, atque iisdem prope verbis, denuo inculcat. Placuit nempe Pagio Divi Basilii initium definire anno CCCLXXI ; cum autem Athanasius *Basilium in suis operibus vocet Episcopum, mors ejus, die* II *Maji anni* CCCLXXI *contingere non potuit.* Ita fere Pagius, hic denuo, contra receptissimam eruditorum sententiam, Basilii exordium loco suo exturbans ; atque ex altero perperam statuto, aliud non minus inconcinne deducens.

AUCTORE J. B. S. *Frustra etiam luctatur Pagius ex Episcopatus Basilii initio :*

221 Totam illam controversiam hic retexere non est operæ pretium, nec hujus loci. Eam solide juxta ac diligenter examinavit Collega meus Franciscus Baertius, ad XIV Junii, in Commentario prævio §. 4 ; ubi, quemadmodum Pagius Basilii Ordinationem ex obitu elicere conatus fuerat ; ita Baertius, dilutis ejus argumentis omnibus, ex Pseudo-Amphi-B lochio pro majori parte decerptis, ea qua in istiusmodi rebus potest, evidentia demonstrat, Basilium, non anno CCCLXXX, sed CCCLXXIX e vivis excessisse ; atque adeo, non anno CCCLXXI, sed CCCLXX ad Episcopales infulas assumptum. Plura qui volet, adeat Laudatum Baertium loco citato, et in ipsa Vita cap. 10. Satis mihi est indicasse, Pagii sententiam de Basilii Episcopatus initio, non esse in eo certitudinis gradu collocatam, ut inde ad Athanasii obitum liceat argumentari. Quin imo adeo mihi indubitatus videtur annus mortis Athanasii, ut ex illo putem multo solidius Basilii Ordinationem pro anno CCCLXX, vel ut alii CCCLXIX, inferri posse.

quod perperam ad ipso esse transpositum,

solide evicit Baertius.

222 Non multum huic absimile est alterum, quod insinuavi, Pagii argumentum, inde eductum, quod velit Imperatorem Valentem, nec anno CCCLXX, nec CCCLXXI, sed CCCLXXII Antiochiæ commoratum, vel saltem eo pervenisse. Cum vero Socrates, narrata lib. 4, cap. 21 Athanasii morte, statim cap. 22 ita loquatur : *Confestim igitur Ariani animos resumpsere, ob Imperatoris religionem insolentia elati : et absque mora Valenti, qui tunc Antiochiæ versabatur, rem significarunt.* Hinc ita jam arguit Pagius ; cum Valens non nisi anno CCCLXXII *Antiochiam adventarit, non* C *potest dici Athanasium anno præcedenti mortuum esse.* Dixi, hanc argumentationem priori omnino conformem, ubi nempe ex re admodum incerta et obscura, quamque ipse contra communem prope Chronologorum tuetur, procedit ab stabiliendam aliam, nobis certius et manifestius notam.

nec prodest Pagio argutatio alia,

223 In immensum excresceret tractatus hic noster, si singula ejus generis incidentia ad exactam trutinam essent revocanda. Legi et expendi non semel quæcumque adducit Pagius, ad firmandum illum Valentis anno CCCLXXII Antiochiam adventum ; verum (ut ingenue dicam) non ea reperio, quibus ipse tantopere sibi applaudit, *ut penitus everti putet doctorum vivorum sententiam, quæ fert, anno* CCCLXX *aut* CCCLXXI *Valentem Antiochiam venisse.* Spero non defuturam olim occasionem, qua et hoc punctum excutiam accuratius. Interim (nisi multum fallor) facile contra Pagium statuet eruditus lector, ex allatis supra pro nostra sententia argumentis, potius deduci, Valentem anno CCCLXXI Antiochiæ extitisse, eo quod tunc Athanasius mortuus sit ; quam ut ex ambiguis Auctoris illius ratiociniis, eadem sententia vel minimum labefactetur.

ex dubio Valentis Antiochiam adventu,

224 Hoc præterea observandum moneo, non ita Socratis narrationem accipiendam esse, ut in rigore intelligat, eodem ipso temporis momento, quo moriebatur Athanasius, Valentem Antiochiæ extitisse : D neque illud *Confestim* significare putes, citatis equis Arianos continuo Antiochiam convolasse, ita ut ea omnia paucarum hebdomadarum intervallo gesta sint. Non ita res præcipitat Theodoretus ; sed relata lib. 4, cap. 20 Athanasii morte, subdit ; *Petrum, virum præstantissimum, Sacerdotium suscepisse ..... cum vicini Episcopi Alexandriam confluxissent ; et qui in monasteriis degebant, relictis palæstris suis, adessent.* Dein cap. 21, *Petro in Pontificali solio collocato,* secutas memorat turbas illas, *quas rector Provinciæ, collecta Gentilium et Judæorum multitudine,* excitavit : unde admirandus Petrus, *cum insperatum bellum animadvertisset, clam discessit, conscensoque navigio Romam se contulit.* Demum Euzoii adventum, *Lucium* secum Antiochia adducentis, prosequitur. Certum autem videtur ea omnia, non uno, sed pluribus mensibus, et forte anno fere integro (quem Petro ante fugam Nicephorus adscribit) tenuisse. Jam vero, cum valde probabile sit, Valentem, (quidquid æstivos calores opponat Pagius) Ancyra, ubi III Idus Julii morabatur, ex data ibid. lege *de Decurionibus,* Antiochiam recta perrexisse ; non video, cur illa omnia anno CCCLXXI commodissime fieri non potuerint ; præsertim cum fateatur E Pagius, nescire se, quam diu Ancyræ degerit, quonam inde profectus sit, quidve egerit Valens, a mense Julio CCCLXXI, ad hiemem CCCLXXII.

quæ ex Socrate et Theodoreto explanatur,

225 At, inquies, illud Socratis *Confestim,* et illud *Absque mora,* et *Qui tum Antiochiæ versabatur,* tantum interstitium aut latitudinem pati non videntur. Solitus hic Criticorum, scopulus dicam, aut scrupulus, sæpe litigiis et cavillis materiam præbuit. Respondeo itaque, Pagium ipsum ad annum CLXXXVIII, particulam *recens* ad annos quatuordecim extendisse ; ubi et solicite monuit, quod adverbia illa *Recens et Nuper,* sæpe *longum tempus* , quemadmodum et adverbium *Jam pridem* , sæpe brevissimum spatium designant : *quod non raro* inquit, *viros eruditissimos in errorem impulit.* Quid igitur tantopere laborandum, si particula *Confestim,* ad aliquot saltem menses protrahatur ? Idem dicito de particula *Tum,* non sic explicanda, quasi Valens Antiochiæ fuerit, *tum,* cum moreretur Athanasius ; nam ex toto contextu abunde datur intelligi, *tum* Valentem dumtaxat Antiochiæ versatum, cum ablegati Ariani illuc appulerunt ; nisi forte et ita accipi debeant , ut prius ad Euzoium se contulerint (ut Sozomenus innuit lib. 6, cap. 19,) apud illum aliquamdiu commorati, donec Valens adventaret, mense fortasse F Augusto aut Septembri aut serius ; a quo tandem , *cum Imperialibus copiis,* Euzoius Alexandriam missus sit, ut Lucium intruderet ; quod non improbabiliter ad finem CCCLXXI aut ad initium CCCLXXII , rejicitur.

particulis ad sensum verum reductis :

226 Nihilominus, ut aliquid Pagio demus , tantisper verum supponatur , non ante annum CCCLXXII, Valentem Antiochiam attigisse. Cedo ; qui nobis hinc conficiet, anno demum CCCLXXIII , Athanasium e vita migrasse ? Certe ; si cui id faveat, non ipsi sed Baronio favet, pro anno CCCLXXII depugnanti. Etenim, si eo, quo Athanasius obiit tempore, Antiochiæ agebat Valens ; incumbit Pagio ostendere , mense Majo CCCLXXIII Valentem in ea urbe diversatum, quod adhuc omnino desideratur. Imo vero Gothofredus, in Chronologia Legum , Valentem eo anno CCCLXXIII Constantinopoli constitisse, affirmat, multo verosimilius, quam Pagius probare queat id quod intendit. Ut paucis complectar omnia : nihil hactenus produxit hic auctor, quo Socrates mendacii merito insimuletur. Si ergo mortuus est Athanasius Gratiano Aug. et Probo Coss. anno CCCLXXI , et eodem circiter tempore Valens Antiochiæ versatus

unde rursus probatur nihil in hisce Pagio superesse præsidii :

A tus sit ; necesse est Valentem Antiochiæ aliquando substitisse, Gratiano et Probo Coss. illo ipso anno CCCLXXI. Unde hic iterum concluditur, ex stabilito supra Athanasii obitu, clarius et solidius deduci, Valentem Antiochiæ eo anno fuisse ; quam ex implexis Pagii conjecturis, de Valentis Antiochiam adventu, contra veterem et nostram sententiam arguatur. Hæc, præter morem fusius deducta, sint satis.

Nihil etiam in multis aliis.

227 Non ausim tamen dissimulare, augeri adversariorum nostrorum numerum pluribus doctorum virorum nominibus. Citatur imprimis P. Quesnellus, in Notis ad sæpe citatam S. Proterii epistolam. Verum, ut fatear virum a nobis dissentire, illud certum est, nihil ab eo adferri quod non multo urgentius a Pagio proponatur, quodque proinde abunde superius refutatum non sit. Addunt Oudinum in supplemento de Scriptoribus Ecclesiasticis, pag. 30. At hic (nisi fallor) aut improprie loquitur, aut sibi apertissime contradicit. Postquam enim nobiscum statuit anno CCCXXVI, elapso dumtaxat quinto post Concilium mense, in locum demortui Alexandri, creatum Athanasium Patriarcham Alexandrinum; paulo post subdit, obiisse 2 Maji, anno Pontifica-
B tus sui XLVI (poterat dicere XLVII) absoluto, æræ Christianæ CCCLXXIII. Puto annorum calculum melius a nobis initum. Qui præterea nobis opponitur, is (mea quidem sententia) præ ceteris exorbitat. Est hic Ludovicus Elias du Pin, in nova sua Scriptorum Ecclesiasticorum Bibliotheca. Recte quidem, et ille contra Pagium, Athanasii exordia principio anni CCCXXVI restituit ; at vero ubi de exitu quæritur, morte anno CCCLXXIII consignata, pro sua solius, ut existimo, auctoritate, annos Episcopatus plusquam octo et quadraginta Sancto adscribit. Nimirum annum apposuit, quem Oudinus subtraxerat. Sed ad diem mortis definiendum properemus.

Athanasii festum celeberrimum 2 Maji :

228 Dies obitus non magnopere controvertitur, quidquid Tillemontius litem intentare videatur : cultus ejus ubique celeberrimus est II Maji, quando in Martyrologio Romano ita ejus memoria recolitur : *Alexandriæ Natalis S. Anathasii, ejusdem urbis Episcopi, sanctitate et doctrina clarissimi, in cujus persecutionem universus pene orbis conjuraverat. Ipse tamen Catholicam fidem, a tempore Constantini usque ad Valentem, adversus Imperatores, Præsides et innumeros Episcopos Arianos, strenue propugnavit ; a quibus*
C *plurimas perpessus insidias, profugus toto orbe actus est, nec ullus ei tutus ad latendum supererat locus : tandem ad suam Ecclesiam reversus, post multos agones, multasque patientiæ coronas, quadragesimo sexto sui Sacerdotii anno, migravit ad Dominum, tempore Valentiniani et Valentis Imperatorum.* Cur Græci etiam de illo agant XV Kal. Februarii cum S. Cyrillo, superius dictum est, cum de Ordinatione disputaretur, quam et Baronius eo die factam putat. Jobus Ludolfus, ex Calcosendio, suggerit præterea XX *Hathuri*, seu XVI *Novembris*, quando id Copticis apud Seldenum, aliqua memoria *Athanasii Patriarchæ* notatur, illius causa penitus ignorata. Hagiologium Habessinum, spectans ad Baptissimum illum, pueris olim a puero collatum, sic ipsi accinit VII Maji. *Salutem Athanasio, qui Patriarcha factus est, sicut vaticinati sunt Christianorum pueri, cum ipso ludentes. Appellatus est inter omnes suos consortes* Apostolicus, *quia multæ fuerunt contumeliæ et ærumnæ maximæ, quas pertulit.*

licet aliis etiam diebus ejus recolatur memoria.

Ejusdem elogium.

229 De reliquis summi hujus viri laudibus, tacere satius est quam pauca jejune decerpere, ut eleganter observat Maimburgus : quidquid enim de Herculeis ejus laboribus, quidquid de incredibili animi magnitudine, quidquid de doctrina ceterisque portentosis virtutibus dixeris, numquam iis expres-

seris coloribus, qui prototypum vel leviter adumbrare queant. Adeundi sunt Basilius, Gregorius Nazianzenus, Socrates, Sozomenus, Theodoretus, aliique ; ex quibus Metaphrastes et Baronius, post illosque Hermantius et Papebrochius, prolixis Commentariis admiranda ejus Acta diligenter illustrarunt. Eum *Orbis oculum, Sacerdotum Antistitem, Vocem sublimem, Fidei columen, Christi lucernam, et secundum Præcursorem* merito appellat Nazianzenus. Atque hic ego manum tabulæ subduco. D

AUCTORE J. B. S.

Athanasius primum exsul anno 336 :

230 Reliquum esset, ut ejus exsilia et reditus, Concilia in ejus causa congregata, intrusos in ejus locum perfidos Arianos, pluraque hujusmodi, ad certam etiam Chronologiæ normam reducerentur. Verum, præterquam quod ad propositum ea nostrum non spectent, præter jam citatos, in eam rem desudarunt Valesius, Observationum Ecclesiasticarum lib. 1 ad calcem Socratis et Sozomeni ; Schelstratius, Pagius, aliique : ex quibus omnibus hæc habe strictim et obiter delibata. Primum quidem ab ipsomet Constantino Magno, manifesto vitæ periculo exemptum volente, post Synodum Con-Constantinopolitanum, ab Eusebianis conflatam, anno CCCXXXVI Treviros ablegatus est. Inde a Juniore Constantino remissus ad suam Sedem, receptusque honorifice anno CCCXXXVIII (ut contra Valesium, Pagius et Schelstratius post Baronium, novissime demonstrant) thronum suum adhuc vacantem reperit. Sed biennio post, anno CCCXL, iterum Alexandria recedere, Romamque ad Concilium a Julio Papa indictum accedere coactus, et vero sensu etiam profugus ; dum suos accusatores frustra per sesquiannum expectat, novas passus calumnias, in Conciliabulo Antiocheno, sub annum CCCXLI, damnatus deponitur. E

Romam confugit 348,

suffecto Gregorio Cappadoce;

231 Tunc etiam contra ipsum ordinatus est pseudo-Patriarcha, Gregorius Cappadox ; cujus violentum tempore Paschali ingressum in Ecclesiam, et cetera deinceps flagitia, accurate deduxit Papebrochius, cap. 13, et 14. Cum autem obiisset invasor ille Gregorius, mense Januario anni CCCXLVIII ; Athanasius, ex Sardicensis Concilii decreto, pridem restitui jussus, ab ipso Imperatore Constantio, innocentiam ejus toties edocto, humaniter revocatus est ; et totius, ut ita dicam, Ægypti humeris in patriam deportatus, Ecclesiæ redditur anno CCCXLIX, vel, ut alii, CCCL. Sed mortuis Constante Imperatore et Julio Papa, sensim retractari cœpit damnatio Athanasii, et in variis conciliabulis, præsertim Mediolanensi, conclusa anno CCCLV : unde sequenti quoque anno, IX Februarii, violentiæ cedere compulsus, fugam iniit ad eremi monasteria, Syriano persecutionem movente ; ac subingrediente in ejus locum, Paschali rursum tempore anni CCCLVI, *Georgio*, similiter (ut prior) *Cappadoce*, cujus feralia ausa et enormia facinora habes in Actis cap. 23, quorum testem fuisse Athanasium, tunc Alexandriæ latitantem, existimat Pagius, contra quam vulgo creditum sit. F

quo defuncto, honorifice restituitur 349.

Expellitur iterum 356,

subintruso Georgio ;

qui 361 a furenti plebe interemptus,

locum fecit Athanasio, prodeunti ex latebris 362 :

232 Interea, cum anno CCCLXI, sub Juliano Apostata, occisus esset invasor Georgius a furenti gentilium plebecula, quorum non minus quam orthodoxorum Christianorum incurrerat odium ; locum Athanasio fecit, ex latebris fere sexennalibus prodeunti, ut putat Papebrochius ; vel septennalibus, ut ex Sozomeno elicit Pagius, ad annum CCCLXII numero 11, eos annos utrimque incompleros accipiens ; quod cum priori calculo fere concidit, præterquam quod alius de secessu, alius de persecutione intelligendus sit. Illud certum videtur, effusa hic iterum suorum lætitia Athanasium fuisse exceptum. At cito in oculos tyranni incurrit, iterumque coactus est delitescere, quoad ille vixit. Eo autem

sed coactu denuo delitescere

AUCTORE J. B. S. et alternis casibus exercitatus,

A autem extincto, prodiit sub Joviano, Christianissimo Imperatore, securus Athanasius; ad quem et fidei definitionem misit, *Congregatis* prius, *dilectis Ægypti et Thebaidos Episcopis.* Denique Valente Ariano in Orientis imperium recepto, denuo quærendæ latebræ fuerunt Sancto: Alexandria tamen non amplius exivisse creditur; sed ibi tandem in pace mortalitatem explevit, anno, ut dictum est, CCCLXXI.

in pace obiit 371, 2 Maji.

MANTISSA.

Ad duos præcedentes Patriarchas, adversus nuperos editores Vitæ et Operum S. Athanasii.

Montfauconus Vitæ S. Athanasii Auctor,

Cum hæc pridem elucubrata, denuo recognoscerem prælo subjicienda, cupido incessit ea etiam dispiciendi, quæ de duobus hisce Patriarchis scripserant PP. Benedictini Congregationis S. Mauri, in Vita sancti Athanasii, novæ ejus operum editioni præfixa. Facta igitur copia librorum, quos antea non videram, id plane deprehendi, quod a Tillemon- B tio citatum inveneram; Patres illos, vel saltem Auctorem præfatæ Vitæ, sententiam nostræ oppositam, in definiendo Alexandri et Athanasii obitu, operose tueri. Vitam illam et prævium Monitum adornasse dicitur (ita ad me scribit eruditissimus Castellanus) R. P. D. Bernardus de Montfaucon, cum quo proinde hic nobis tantisper disceptandum. Expendi quanta potui attentione, tum quæ in Monito, tum quæ sub Vitæ finem, pro sua insigni eruditione, firmare conatur vir doctissimus, præcipuis Pagii argumentis innixus. Verum nihil reperi, quod me a propugnata et restaurata veteri Scriptorum sententia, tantillum dimoveat. Non licuit, scriptioni dudum elaboratæ ea interserere, quæ secundis curis discutienda videbantur, adeoque consultius putavi, in appendiculam rejicere ea rationum momenta, quibus Montfauconi asserta infringi posse arbitror.

Pagium secutus,

234 Duo mihi hic exigenda præfigo: alterum, quo ostendam, male a Montfaucono in præliminari Monito, obitum Alexandri affigi diei XVII Aprilis anni CCCXXVI; alterum, quo nova ejus argumenta, sub finem Vitæ Athanasianæ producta, ex quibus cum Pagio censet mortuum Athanasium, anno jam toties nominato CCCLXXIII, quam possum modestis- C sime refellam. Principio quidem adverto, in ipsa Athanasii Vita pag. 12, ex quorumdam opinione, obitum Alexandri consignari XXVI Februarii, quemadmodum supra diximus haberi in Martyrologio Romano. Cur propriam suam opinionem ibi non expresserit Auctor quem impugnamus, nescio; suspicor, ei forte non adeo notum tunc fuisse Orientale Chronicon, ex quo subinde texendo Monito materia suppeditata est. Ego superius, variis argumentis me commonstrasse existimo, non satis congrue in Martyrologio Romano, Alexandri Natalem ad Februarii exitum differri, multo minus ad mensem Aprilem; quod in soli faciunt, quibus placet deperire mendosissimum Echellensis Chronicon, toties a nobis falsi convictum, et porro convincendum, tota sequenti Patriarcharum serie.

et Chronici Orientalis

235 Videor mihi, post operosam totius Chronographiæ istius Copticæ discussionem; videor inquam, conqueri posse, viros cetera eruditos, fabellarum farraginem, imperite coagmentatam, nunc passim appellare, usque adeo confidenter, ut ejus unius auctoritate, evertere machinentur, quæ probatissimorum Historicorum fide hactenus fuerant inconcussa. Audiamus Montfauconi orationem, Moniti sui num. 7 |: *Ad annum* CCCXXVI, inquit, *num.* I, D *diximus, mortem Alexandri Alexandrini Præsulis a quibusdam consignari in* XXVI *Februarii ejusdem anni: res jam accuratius investiganda nobis est,* (nempe ex Echellensis Chronico.) *Ut diu ignotus Occidentalibus fuit annus obitus Athanasii, sic qua die decesserit Alexander, ad usque nostram ætatem ignoratum est; donec scilicet Orientale Chronicon ab Abrahamo Echellensi editum fuit in Typographia Regia anno* MDCLI, *et quidem concinnatum ad mentem Coptorum seu Jacobitarum, non Melchitarum seu Græco ritui addictorum, cujus Chronici non contemnenda pars est, Chronographia Patriarcharum Alexandriæ, Latine translata ab eodem Echellensi.*

ostentatæ auctoritati

236 Sistamus tantisper. Quis hæc legens, non statim inducat in animum, thesaurum aliquem pretiosum in Ægypto effossum, nostra ætate orbi litterario a Montfaucono porrigi, quo tota Scriptorum Occidentalium Chronologia, eatenus informis, manca et vacillans, restituatur? Quam hæc speciose jactantur? *Ut diu ignotus fuit Occidentalibus annus obitus Athanasii, sic qua die decesserit Alexander, ad nostram usque ætatem ignoratum est.* Si Ara- E bica luce pellenda sit ea Occidentalium ignorantia, spondere ausim, utrumque in sempiternum ignoratum iri: *Donec Orientale Chronicon editum fuit in Typographia Regia, et quidem concinnatum ad mentem Coptorum.* Præclara me hercule Coptorum mens, quam paulo ante in eodem suo Monito, graphice et genuine Montfauconus descripserat, his verbis: *Est autem ea gens* [Coptica] *stupendæ ignorantiæ et nugacitatis, ut etiam, quod gravissimum, dictu est, Græcos ea in parte, longe retro relinquat, quod vel ex hoc opusculo* [Vita Athanasii Arabica] *videre est, nugis et ineptiis supra fidem plenissimo.* Si tot horas trivisset Montfauconus in evolvendo Orientali Chronico, quot forte impendit in examinanda Arabica illa Athanasii Vita, a Cl. V. Renaudotio Latine reddita, dubium mihi nullum est, quin prædicatis nobilioribus, Coptorum gentem et Chronologicas ejus quisquilias exornasset; tanto potiori de causa, quanto enormius Copti exorbitant, et imperitius garriunt, ubi tempora ad calculos redigunt, insanienti cerebro digestos. Interim si Superis placet, ex hujusmodi Arabica scribiligine, necesse habent litterati Occidentales, annum obitus Athanasii, et diem mortis Alexandri condiscere.

et mendosissimis calculis innixus,

237 *Ibi*, pergit Montfauconus, *annus obitus Athanasii, et anni Episcopatus ejus adprime notantur.* Imo perperam et falso notantur, eo loci, ubi Alexan- F dro tribuuntur anni regiminis XXII et dies CCCVIII, contra patentissimam temporum rationem: ubi defunctus dicitur anno Incarnationis CCCXVIII. Et quidem errores Montfauconus accumulat, dum ait decessisse Alexandrum *exacto jam anno* CCCXVIII, *currente vero* CCCXIX *Æræ Christianæ Alexandrinæ.* Quænam sit ista Æra Christiana Alexandrina, Æræ Christianæ Martyrum adjecta, et in eo Chronico tam inepte consuta, ultro fateor me ignorare, sed talis est, ut ex ea ipsa sese conficiat Montfauconus. Qua enim ratione, obsecro, eam conciliabit cum iis, quæ in Athanasii Vita scripsit pag. 88; *Athanasium totos quadraginta sex annos in Episcopatu consedisse, et quadragesimum septimum egisse?* Siquidem famosum Chronicon, Athanasii exitum componit cum anno CCCLXIV *Æræ* suæ qualiscumque *Christianæ Alexandrinæ.* Numeret, si possit, ab anno CCCXIX ad CCCLXIV, *annos totos quadraginta sex.* Tu vero, Lector, vide sis, quam *apprime annus obitus Athanasii et anni Episcopatus ejus in Chronico notentur.* Montfauconum sequamur.

diem obitus Alexandri

238 *Alexander vero ibidem obiisse fertur die* XXII *Barmudæ... * XVII *Aprilis Juliani, cum esset littera Dominicalis*

A *Dominicalis B, Dominica nimirum ex antiquo Orientalis Ecclesiæ usu, inchoata ad vesperam Sabbati occidente sole, ad vesperam usque sequentem; ita tamen ut* XXII *Barmudæ mensis, qui Coptis pro Aprili habetur, ad mediam noctem, more Romano desineret.* Ignoscat vir doctissimus, si claritatis defectum incusem. Fallor si quisquam dilucide percipiat, quid sub caliginosis hisce verborum involucris delitescat. Dum singula rumino pensiculatius, id demum elicio; sub littera Dominicali B, inchoatam a vespera Sabbati, Dominicam durasse usque ad vesperam sequentem; addita, pro solius Montfauconi auctoritate, appendice Romana, qua usque ad mediam noctem protracta est : hoc est, si recte assequor, diem Dominicam ad XXX horas, anno CCCXXVI extensam fuisse, initio Coptico, fine Romano ; seu mavis, capite sacro, cauda profana distinctam. Sed quorsum hæc omnia tam studiose intricata? Quid XXII Barmudæ seu XVII Aprilis, anno quo Alexander obiit, cum Dominica commune habuit, tametsi Dominicam ad horas LX extenderis, ducto principio a vespera diei Veneris ? Unum hoc Montfaucono demonstrandum erat, quod nec fecit, nec facere unquam poterit, XXII Barmudæ, tunc concurrisse B cum feria secunda, a Chronico determinatissime posita.

implexo ratiocinio,

239 Missis ambagibus, rem dicamus. Sunt Coptis, sicut Romanis, præter dies naturales, et civiles seu artificiales, hosque varie inchoatos ; sunt inquam, dies sacri, seu ceremoniales et ecclesiastici, de quibus consule Collegam nostrum Janningum, tom. IV Junii in Actis B. Aloysii a num. 32. Ad rem nostram huc solum spectat, quod Ægyptii antiqui et hodierni, in communi humano commercio, et in computanda ratione temporum, diem civilem more nostro, horis XXIV æqualibus, a medio noctis ad alterum noctis medium contrahant, ut post Chronologos omnes testatur Labbeus, tom. I Compendii Chronologici §. 6. Hinc manifestum est, dies Copticos hac in parte, nostris omnino similes, adeoque XXII Barmudæ seu XVII Aprilis, apud Coptos inchoari a media nocte præcurrente, et in sequenti noctis medio desinere. Unde rursus evincitur, XXII Barmudæ anno CCCXXVI, si eo die obiit Alexander, debuisse complecti totum diem Lunæ, secundum Chronici Orientalis ordinem. Atqui dies Lunæ, cum XXII Barmudæ non concurrit anno CCCXXVI, ut supra a num. 192 luce meridiana clarius demonstravi : ergo si Alexander obiit die Lunæ cum XXII C Barmudæ confluente, non obiit anno CCCXXVI, sed CCCXXVII. In has foveas Montfauconum impulit, obscuri Chronici vindicandi cupido, ex quo ipso, totam ejus ratiocinationem contritam exhibuimus.

ad 17 Aprilis anni 326 differre frustra conatur,

240 Implexis præmissis non minus obscura est Auctoris conclusio : *Obiit igitur Alexander*, inquit, *nocte Dominicam inter et feriam secundum intercedente.* Quid tum postea? Fac gratis concedam, quod gratis confictum est ; obierit Alexander assignata nocte ; an inde tandem aliquando innotescet, tamdiu *Occidentalibus ignorata dies qua Alexander decesserit*, dum tam solicite tenebris involvitur? Quæro qua noctis parte decesserit? Eane quæ ad prælongam illam Dominicam pertinebat, desinentem more Romano media nocte? an quæ ad diem sequentem? Si primum ; obiit in ipsa Dominica, quod est Chronico contradicere ; si secundum, jam non obiit XXII Barmudæ, sed XXIII, quod etiam Chronico ex diametro repugnat. Ne pluribus in re manifesta versemur; hoc Montfaucono assumptum esse debuit : Chronicon Orientale, *in Typographia Regia editum*, clare designat feriam, coalescentem cum XXII Barmudæ, quæ Coptis est XVII Aprilis Juliani ; isque concursus mirifice confluit in annum CCCXXVI, quo Alexander certo obiit : Hæc inde ducenda illatio ; D Igitur falsum est obiisse XXVI Februarii, ut quidam volebant; sed XVII Aprilis, ut nos invicte probatum dedimus. Hæc erat Moniti materies : et si hoc præstitisset, rem plane confecerat. At convellendi ei sunt Canones Chronologici, priusquam evicerit, XVII Aprilis cum die Lunæ coaluisse, toties repetito anno Christi CCCXXVI.

AUCTORE J. B. S.

Kalendario Copto-Habessinico nequaquam suffragante.

241 Sed eccum, Vanslebium etiam, seu potius nugatorium ejus Abulbaracatum, auxiliatorem Montfauconus adsciscit, his verbis : *Vanslebius, in Ægyptum haud semel peregrinatus, ex Coptorum libris eamdem obitus Alexandri diem adsignavit. . . . Eadem porro die S. Alexandri memoria celebratur a Coptis et Habessinis. Et in antiquissimo eorum Kalendario, ipsissima die mortuus fertur Alexander. Argumentum porro illud est, illam veram esse et genuinam Alexandri obitus diem, quod in Kalendario Habessinorum Æthiopum, quod ex Coptico Catalogo exscriptum olim fuit, ad* XXII *mensis Barmudæ, hæc legantur :* ALESKANDROS LIKÆ PAPAS *etc*. Agam cum adversario perliberaliter. Si eam Barmudæ XXII, a Kalendario Copto-Habessinico adsignatam, velit cum die Lunæ conjungere, anno CCCXXVI, gratis ei largiar, ex istius Kalendarii mente, Alexandrum eo E die fatis cessisse. Gratis inquam: nam rotunde abnuo in præfato Kalendario, *ipsissima die mortuum ferri Alexandrum.* Agitur Alexandri commemoratio; unde Ludolfo, pro libitu placuit, eum diem Alexandri mortualem definire. Sed mortualis non est, nisi bis mortuus dicatur Alexander ; siquidem ipsissima verba, *Aleskandros Likæ Papas*, et quidem auctiori rubrica, leguntur in eodem Kalendario XVIII Musre Coptici, XI Augusti Juliani ; ex quo, jure potiori, argumentum flueret, hanc *veram esse et genuinam Alexandri obitus diem.* Mirum quantam hic eruditionem Orientalem, Copticam, Habessinicam, Æthiopicam, incassum collectam profundat Montfauconus, ut præconceptam, ni fallor, de Athanasii obitu opinionem, quoquo modo salvam et integram præstet, infidis subsidiis Arabicis contra Latinos et Græcos usus. Mirum, quam frustra se torqueat, ut quibuscumque offuciis persuadere conetur, XXII Barmudæ cecidisse in diem Lunæ, anno CCCXXVII, contra quam evidentissime probatum reliquerimus, eos characteres, fatente Tillemontio, annum CCCXXVII designare.

Nec felicior est

242 Copticæ machinæ jam eversæ, Græcam subjungit, debilem æque ac ruinosam. Singula perstringamus. Ita Montfauconus pro XVII Aprilis pugnare F pergit : *Si Theodoreto fides esset, Alexandri obitus probe in Februarium anni* CCCXXVI *referri posset.* Quidni in Januarium, ut ego supra retuli ? Siquidem, *menses* illi *quinque, post Nicænam Synodum*, congruentissime mense Januario desinunt ; et si Athanasii ipsius verba in proprio, obvio et genuino sensu accipiantur ; videtur demonstrari posse, non ultra medium Januarii CCCXXVI, Alexandrum supervixisse. At, inquit Montfauconus, *Theodoretus haud satis accurate Athanasii sententiam excepit ; longe namque varia narrat Athanasius.* Et quid narrat Athanasius, quod non Theodoreti verbis conforme sit, et quadret omnimode? Ego me fateor in toto Montfauconi implexo, ex Græcis et Latinis, discursu nihil capere, nisi quod rem de se claram, et ante hac pro tali habitam, de industria, caligine obducat. En verba Athanasii, ex ipsamet Benedictinorum editione pag. 177. Ταῦτα δὲ πράττοντος τοῦ Μελιτίου, γέγονε καὶ ἡ Ἀρειανὴ αἵρεσις. Ἀλλ᾽ ἐν τῇ συνόδῳ τῇ κατὰ Νίκαιαν ἡ μὲν αἵρεσις ἀνεθεματίσθη, καὶ οἱ Ἀρειανοὶ ἐξεβλήθησαν, οἱ δὲ Μελιτιανοὶ ὁπωσδήποτε ἐδέχθησαν. Οὐ γὰρ ἀνατκαῖον νῦν τὴν αἰτίαν ὀνομάζειν. Οὔπω γὰρ πέντε μῆνες περιῆλθον, καὶ ὁ μὲν μακαρίτης Ἀλέξανδρος τετελεύτηκεν,

AUCTORE J. B. S.

A τετελεύτηκεν, οἱ δὲ Μελιτιανοί, δέον ἠρεμεῖν καὶ χάριν ἔχειν ὅτι κἂν ὅλως ἐδέχθησαν, οἱ δὲ κατὰ οὗτος κύνας οὐκ ἐπιλαθόμενοι ὧν ἐξήρασαν, πάλιν τὰς ἐκκλησίας ἐτάραττον. Hæc ipsi sic vertunt : *Meletio hæc agente, Ariana exorta est hæresis : sed in Nicæna Synodo, ipsa quidem hæresis anathemate damnata, Arianique rejecti, Meletiani vero aliquo modo recepti sunt : neque jam necessum est ejus rei proferre causam.* MENSIBUS QUINQUE NONDUM EXACTIS OBIIT BEATÆ MEMORIÆ ALEXANDER : *Meletiani vero, quos quiescere par erat, et gratiæ loco habere, quod aliqua saltem ratione in Ecclesiam essent admissi, more canum, non obliti vomitum suum, iterum perturbant Ecclesias.*

in torquendis Athanasii verbis,

243 Habes hic sub uno conspectu totam illam Athanasii sententiam, tam apertam, tam claram, tam perspicuam, sive Græce legas, sive Latine, ut tenebras ei affundere Montfauconus non potuerit, etiam partes divellendo et transponendo. Ecquid oculis vides, et manibus tangis, ex Athanasii disertissimis verbis esse in propatulo, BONÆ MEMORIÆ ALEXANDRUM OBIISSE, NONDUM EXACTIS QUINQUE MENSIBUS A DAMNATA IN NICÆNA SYNODO HÆRESI ARIANA, ET REJECTIS ARIANIS? Tuam fidem appello, si hinc aliud extundi posse vel per somnium videas.
B Et vidit hoc ipsum procul dubio Montfauconus ; et hoc advertit præterea, cum Athanasii narratione consistere nullatenus posse, quod in Chronico, *ex mente Coptorum concinnato*, tuendum susceperat, obiisse nimirum Alexandrum XVII Aprillis ; hinc enim consequens erat, mortem illam ad octo fere menses a soluta Nicæna Synodo differendam. Fixum est Montfaucono non dimittere amatum Chronicon, quocirca comminiscitur, illud *mensibus quinque nondum exactis*, non a soluta Nicæna Synodo fluere, sed *a receptis Meletianis*. Utique a receptis Meletianis ; nam et hoc Athanasius clarissime asserit. Sed ego receptionem illam qualemcumque intelligo, Arianorum rejectioni conjunctam, (ARIANIQUE REJECTI, MELETIANI VERO ALIQUO MODO RECEPTI SUNT,) sicut utramque indivulse conjungit Athanasius, ac proinde in ipso Concilio Nicæno factam ; quod tam manifeste indicant sanctissimi Præsulis verba, ut in meridie tenebras quærere debeat, qui id non perspexerit.

nostram opinionem apertissime declarantibus ;

244 Quid igitur tot motibus, tot intricatis græcis textibus opus erat, ut stabiliretur, quod ultro, et attenta sola verborum vi necesse est admittere ? In eo volens fallitur Montfauconus, quod *receptionem, aliquo modo* factam, pro mero suo libitu trans-
C ferat ad tempus, quo Meletiani, coram Alexandro reduce, aut absolvendi aut reconciliandi comparuere ; id quod Athanasius, nec Græce nec Latine exprimit. Alibi quidem narrat, pag. 188, qua ratione Meletiani Episcopi et Presbyteri Alexandro oblati fuerint ; sed quid illa Montfaucono suffragari possint, ut ut intelligere velim, prorsus non intelligo. Facile concedam : *Necessum fuisse, non paulum intervenire temporis spatium, ab adventu Alexandri Nicæa remigrantis Alexandriam, usque dum tot Episcopi in tam dissitis locis positi, in eamdem urbem convenirent, ut Alexandro sisterentur* ; quamquam et hoc Montfauconus oratorie amplificet. Ast hoc ei numquam concedam, exinde quinque mensium exordium deduci ; et hoc ex Athanasii verbis confici posse, constanter nego. Rursus, haud gravate admittam, Athanasium ibi exaggerare Meletianorum levitatem, palam faciendo quam infirma et quam damnosa fuerit pax cum illis inita. Verum ea levitas et infirmitas tanto patescit luculentius, quanto minus temporis, et a receptione in Nicæna Synodo, et a reconciliatione cum et coram Alexandro facta, intercesserit ; idque totum verissimum erit, etiamsi Alexander nec totis quinque hebdomadibus Alexandrinæ Meletianorum reconciliationi supervixerit. D
Desinat, precor, Montfauconus, ad salvandam miserabilem, et in præsenti puncto manifeste falsam Chronici Orientalis auctoritatem, per tot patentes contorsiones, disertissimis Athanasii verbis violentiam inferre.

245 Alia in præfato Monito subjicit Montfauconus, ad præsentem controversiam eatenus solum spectantia, ut Alexandri Natalem, in hodiernis Martyrologiis XXVI Februarii perperam relatum ostendat. *In antiquis Latinorum Martyrologiis*, inquit, *nulla S. Alexandri Alexandrini memoria erat : verum XXVI Februarii die, memorabantur Alexander, Nestor, et Theon Martyres cum sociis suis* etc. Addere poterat, ut nos supra annotavimus, nec in Græcorum Menæis, hujus Patriarchæ festum celebrari. Ejus porro omissionis causa, si indagari possit, suo loco declarabitur. Ceterum, quæ ibi pluribus vir eruditissimus disputat, de Alexandri nominis intrusione, facta ab *Auctore brevissimi Martyrologii, Aquileiam Roma transmissi et postea Adoni Viennensi oblati* etc, in supplemento Februarii, qui proprius hujusce nodi solvendi locus erit, commodius discutientur.

quidquid sit de recentioribus Martyrologiis,

246 Nulla mihi idcirco cum Montfaucono disceptatio ; cum id perspicuum esse existimem, Alexan- E
dri obitum, ea die XXVI Februarii non recte consignatum ; quippe qui, *mensibus quinque nondum exactis, a peracta Nicæna Synodo*, vivere desiit ; ac per consequens (ut quæ superius statuimus, hic pro rei conclusione, iterum repetamus) aut sub finem anni CCCXXV ad meliorem vitam evocatus est, ut post Epiphanium censuit Hermantius : aut certe ipso anni insequentis CCCXXVI principio, ut alii, Athanasii narrationi conformius arbitrantur. Sic certe, ut antiquorum nullus ante famosi Chronici et Pagianæ Criticæ editionem, persuasum habuerit, Alexandri obitum tam sero accidisse, ut ad XVII Aprilis, in diem Lunæ incidentem transferri posset. Hæc de *die qua decessit Alexander* ; jam quæ ad *annum obitus Athanasii* ab anno CCCLXXI removendum, de suo profert Montfauconus, paucis etiam expendamus.

Alexandri Natalem non recte consignantibus.

247 Præter argumenta Pagii aliorumque superius abunde discussa, et, ni fallor, plane confutata, duo adducit, eadem facilitate convellenda. Verba ejus describo : *Basilius anno* CCCLXX *mense Junio, ut firmior fert sententia, in Episcopum cooptatus est* ; *atque exinde multas quæ hactenus exstant misit, multas itidem accepit ab Athanasio litteras. Unde jam videatur angustius temporis intervallum, viris tanto terra marique spatio disjunctis, ad tot epistolas ultro citroque mittendas : minus enim undecim mensibus ab ordinatione Basilii ad* F
Athanasii obitum intercessent. Et quod magis urget ; ait Basilius in una epistolarum ad Athanasium, unum duosve ex Arianis Romæ damnatos, scilicet Valentem et Ursacium, in priore scilicet Romana Synodo. Ex quo colligitur, necdum secundam sub Damaso Romanam Synodum, ubi damnatus Auxentius Arianorum nequissimus fuerat, celebratam fuisse. Unde conficitur eam, vel sub finem anni CCCLXX, *quo delectus Basilius est, vel sequente habitam fuisse. Huic autem Synodo diu superstes Athanasius erat, qui illam in epistola ad Epictetum laudat, quique multa alia, ut proxime ostendebamus, secundum eam datam epistolam dedit. Ad hæc, in vivis erat Athanasius anno* CCCLXXII, *cum Melania in Ægypto peregrinaretur.*

Ex litteris S. Basilii,

248 Hactenus argumenta gemina Montfaucono peculiaria, ex mutuis Basilii et Athanasii litteris, atque ex Melaniæ in Egypto peregrinatione. Primum non multum absimile est Pagii ratiociniis, quæ talia esse dicebamus, ut ex dubiis ad evertenda notiora argueretur. Hic quidem contra Pagium, nobiscum convenit Montfauconus, in figendo Basilii Episcopatus exordio anno CCCLXX. Verum si interrogem,

anno 370 in Episcopum cooptati,

A terrogem, qua ei certitudine liqueat, ante mensem Junium non fuisse ordinatum; haud facile se expediet. Ita, inquit, *firmior fert sententia*. Quæ, et unde ea firmitas habeatur, edisserat, qui eam supponit. Illam certe non agnovit Collega meus Baertius in Actis S. Basilii, summa diligentia illustratis tom. 3 Junii; videat lector cap. 10. Non agnoscit eam firmitatem eruditissimus Castellanus, in litteris ad me datis xv Julii anni MDCCVII, recte observans, eam ordinationem xiv Junii adscriptam, ab antiquis omnibus ignoratam fuisse, usque ad finem seculi XVI, quo primum Martyrologiis cœpta est inseri. Neque ego igitur prædictam firmitatem agnoscere tenebor, donec Montfauconus ea fundamenta exhibeat, quibus firmiter innitatur.

ad Athanasium datis, nullo modo conficitur,

249 Eversa prætensa firmitate, primarium et fere unicum Montfauconiani argumenti robur enervatur; quod nempe *videatur augustius temporis intervallum, viris tanto terra marique spatio disjunctis, ad tot epistolas ultro citroque mittendas: minus enim undecim mensibus ab ordinatione Basilii, ad Athanasii obitum interessent.* Non est mihi integrum, diem Basilianæ ordinationis determinare: Ceterum non B satis video cur undecim illis mensibus, accidere non potuerint, quæ tantopere ponderat Montfauconus. Sed *multas misit Basilius jam in Episcopum cooptatus, multas itidem accepit ab Athanasio litteras.* Illud *multas* multam patitur latitudinem, ad paucas item coarctari potest, modo servetur numerus multitudinis. Ubi Montfauconus earum litterarum numerum distinctius expresserit; mihi incumbet temporum intervalla definire, quibus cursores ultro citroque commode commeare potuerint. Si tum undecim menses non suffecerint, habeo, unde tempus, ad quatuor vel quinque alios, pro meo jure extendam.

post annum 371 Athanasium in vivis fuisse;

250 Caverit tamen adversarius, ne Basilii litteras ad Athanasium Ancyranum, aut forte ad alios cognomines datas, Athanasio Alexandrino inscribat. Neque vero de tantis terra marique spatiis Montfauconus laboret. Non est usque adeo longum terrestre iter ex Cappadocia ad Mediterraneum, nec tanta maris intercapedo, ut non facile paucorum dierum spatio trajici possit. Quod de Synodis Romanis subjungit, æque quidquam urget; male ex iis colligit nec melius conficit quod intendit: quasi necesse habuerit Basilius de omnibus Synodis Ro- C manis agere, de ea locutus est quæ ad institutum ejus, id temporis pertinebat, sive interim aliarum notitiam habuerit, sive non. Idque ante me, optime advertit laudatus Castellanus. Quid reliquæ conjecturæ valeant, non est operæ pretium pluribus expendere; ut enim meræ conjecturæ sunt, non est quod positivis argumentis superius adductis, merito opponantur.

nec magis ex Melaniæ in Ægyptum peregrinatione;

251 Reliquum est Montfauconi subsidium, a Melaniæ peregrinatione Ægyptiaca desumptum. *Ad hæc*, inquit, *in vivis erat Athanasius anno* CCCLXXII, *cum Melania in Ægypto peregrinaretur.* Novum profecto apud Historico-Criticos argumentandi genus, in rei probationem assumere, seu potius expressis terminis supponere, id ipsum quod controvertitur, et minime probatum est, imo verosimillime falsum. Vicerit omnino Montfauconus, et antiquos mecum Scriptores omnes contriverit, si Melaniam demonstret anno illo CCCLXXII in Ægyptum peregrinatam, et tunc in vivis superstitem fuisse Athanasium. Non autumo id inde confectum voluisse, quod paulo ante in S. Patriarchæ vita commemoraverat, Melaniam ab Athanasio celebri ovina pelle donatam, cum ignorare non potuerit, se manifeste ex Palladio redargui, diserte asserente, a S. Macario pellem illam Melaniæ traditam.

auctore J. B. S. adeoque veterum Scriptorum sententiæ adhærendum.

252 De cetero sciat Montfauconus, Melaniæ iter D Ægyptiacum, probabilius a Tillemontio et aliis referri ad annum CCCLXVII, vel ut alii citius, ex quo tota, si qua fuit, imbecillis argumenti vim corruere, vel ipse agnoscere non dedignabitur. Ad alia omnia suo loco proposita, ita responsum, ut nihil supersit quod ad historicam evidentiam superaddam. Liceat itaque hic postremum concludere, sententiam nostræ oppositam, tam operose, et a tam multis adversariis defensatam, duobus solummodo fulcris inniti, eisque adeo debilibus et ruinosis, ut non satis percipiam, quo pacto evidentissimis antiquorum omnium testimoniis, temere, si ita loqui liceat, opponantur. Fulcrorum aliud est, mutila epistolæ Proterianæ lacinia, superius abunde expensa, et, ut opinor, convulsa; aliud mutuata ab Arabibus depravatissima Chronographia, quæ magno Europæ bono, Ægyptiacis suis tenebris, melius jacuisset æternum sepulta.

XXI. PETRUS II.

A Lucio mox sibi supposito pulsus, ac tandem restitutus, moritur; nullo cultu a Græcis Latinisque donatus, ob inconstantiam et facilitatem in hæreticis recipiendis. E

Fallit Historia aliique, obitum Petri anno 377 adscribentes,

PETRUS II *multas pertulit tribulationes ab Arianis, qui eum persecuti sunt: quapropter fuga sibi consuluit, et post aliquod tempus ad suam Sedem reversus est; et eam per annum tenuit.* Ita Historia Patriarchalis, cui apprime consonant Nicephori verba, quibus asseverat, eum ante exilium *anno uno*; et post exilium, quod ipsi quinquennale fuit, anno circiter altero Sedem tenuisse. Historia prædicta, annos quinque et ducentos octoginta octo dies; Abulbaracat, annos quinque et menses novem; Theophanes, annos sex numerant. Verbo; In hoc videntur conspirare Chronologi illi, ut Petro annos non plus sex Episcopatus adscribant: quos si a mense Majo, quo Athanasius anno CCCLXXI obiit, ad XXVI Abibi seu XX Julii CCCLXXVII produxeris; invenies omnino integros. Cum autem, eo anno, sub cursu litteræ Dominicalis A, XX Julii aptissime quadret in diem Jovis ab Historia signatum; tot notarum concursus, indubitatum Pagio argumentum porrigeret, eo anno CCCLXXVII Petrum ex hac vita migrasse: adeo ut F satis mirari nequeam, eum de hoc Patriarcha omnino tacuisse; nisi forte regulam suam Copticam hic apertæ falsitatis redargui animadverterit. Siquidem quis certioribus argumentis et Sedis durationem et Petri obitum demonstret, quam quæ a nobis hic allegata sunt? Et fallunt nihilominus rationes illæ omnes, quantumvis speciosæ, cum Petri obitus ad annum CCCLXXX sit differendus; ut recte a Baronio factum, manifeste evincitur.

ut patet ex S. Hieronymo et Orosio,

254 Ac primo quidem, anno CCCLXXVII, Petrum mortalitatem non exuisse, ex eo liquet; quod orthodoxi Episcopi exules, ad suas Sedes tunc primum redire permissi sint, *cum Valens Antiochia discessisset*, Imperii sui anno XVI, ipsissimo illo Christi CCCLXXVII, adversus Gothos dimicaturus, ut refert Hieronymus in Chronico his verbis: *Valens de Antiochia exire compulsus, sera pœnitentia nostros de exiliis revocat*; vel, ut Orosius lib. 7, cap. 33: *Valens de Antiochia egressus, cum ultima infelicis belli sorte traheretur, sera peccati maximi pœnitentia, Episcopos ceterosque Sanctos revocari de exiliis imperavit.* Jam si vel annum unicum restitutioni supervixisse Petrum gratis admittamus, palam est, prædicto anno non esse vita functum. Sed et clarius id ipsum conficitur

AUCTORE J. B. S.

tur ex prælaudato Hieronymi Chronico, asserente Petrum, *post Valentis interitum, tam facilem in recipiendis hæreticis fuisse, ut nonnullis suspicionem acceptæ pecuniæ intulerit.* Quonam igitur pacto dici queat, Petrum ab anno CCCLXXVIII e vivis excessisse, Valente ipso non nisi IX Augusti CCCLXXVIII a Barbaris concremato.

et ex S. Gregorio Nazianz. de vita sua,

255 Rursus certissimum est, ex carmine Gregorii Nazianzeni de vita sua, Maximum Philosophum auctoritate Petri (non Timothei ut vult Theodoretus) in Sedem Constantinopolitanam esse intrusum; quod cum probabilissime anno CCCLXXIX acciderit, Petrum tunc adhuc superstitem dicere necesse est. Porro, non ex Timothei, sed ex Petri delegatione, Episcopos illos Ægyptios popularem suum Maximum, Cynicum, *canem* jam *detonsum*, noctu *in Cathedram nixos attollere*, ita in præfato carmine, juxta Danielis nostri Cardoni interpretatione cap. 4, dilucide exponitur: *Ipse Petrus, Præsulum utique illorum, quos dixi, princeps ac moderator, prius quidem per litteras, manifeste nos Cathedræ illi præfecit (ut ipsæ satis superque litteræ ad nos missæ declarant) omnibusque muneris et dignitatis istius notis ornavit; nunc vero pro Virgine,* (ut est in fabulis de Iphigenia Agamemnonis filia, Dianæ immolanda) *suppositus nobis hinnulus est.* Petrum autem, eo adhuc tempore, et aliquanto post, fuisse superstitem, pergit idem Gregorius eodem capite sub finem pari claritate ostendere. Postquam enim Constantinopoli expulsum Cynicum narravit, et subinde a Theodosio rejectum, *Alexandriam rursum se contulisse* affirmat; *hoc solum,* inquit, *sapienter ac recte faciens; Petrum (qui duplici aliquando et ambiguo usus genere scribendi, pugnantia quoque chartis committere non dubitarat) manu hominum vagorum collecta aggreditur, et magnas in angustias virum ætate gravem adducit. Ausus siquidem est hoc ab eo poscere, ut in Cathedra, quam spe jam devoraverat, ejus auctoritate confirmaretur; addens minaciter, nisi quod petebat sibi concederetur, ipsiusmet Petri Sedem a se invasum iri.*

atque ex Theodosii Sanctione de fide Catholica;

256 Ex his igitur plusquam manifestum est, quod Petrus tam cito vitæ cursum non absolverit. Ubi et illud obiter observa, Petrum Ordinationi Maximi non interfuisse, quidquid viri doctissimi id insinuare nonnumquam videantur. Denique et inde argumentum non inefficax desumitur, quod Imperator Theodosius, in celebri Sanctione de Fide Catholica, data Thessalonicæ III Kal. Martii, Gratiano V et Theodosio AA. Coss. hoc est anno CCCLXXX; tunc nempe cum ipse, debellatis hostibus et stabilito imperio, ab Acholio Thessalonicensi Episcopo orthodoxo, rite baptizatus est; discordes animos ad unionem conatus reducere, unam ab omnibus decernit servandam esse fidem, *quam Damasus Romæ, et Petrus Alexandriæ prædicarent.* Ex quo iterum perspicue demonstratur, adhuc tunc temporis Ecclesiam illam a Petro administratam, atque adeo ante illum ipsum annum e vita discedere nequaquam potuisse.

quibus Socrates non est contrarius:

257 Nec sane aliud insinuant verba Socratis, lib. 4, cap. 37 sic scribentis: *Per idem tempus, cum Antiochia Valens Imperator discessisset, quotquot ubique persecutionem passi erant magnopere animis confirmati sunt, ac præcipue Alexandrini. Quippe tunc recens ab urbe Roma reversus erat Petrus, cum litteris Damasi Episcopi Romani, quibus illa et Consubstantialis fidem, et Petri ordinationem confirmabat. Itaque populus resumpta fiducia, Lucium quidem exturbat, Petrum vero in ejus locum substituit..... Petrus vero, cum exiguo tempore superstes fuisset, ex hac vita migravit, Timotheum fratrem Sedis successorem relinquens.* Hic tamen τό, *Tunc recens reversus,* non significat, Petrum Alexandriæ extitisse, cum Valens Antiochia, discederet; sed *cum discessisset;* anno fortasse et amplius antequam Petrus Alexandriam appelleret. Est enim probabilissimum ex verbis Theophanis, non ante Valentis necem, Episcopos ad propria regredi ausos, dum scilicet, *Damasi Papæ consiliis, Gratianus et Valentinianus, Episcopos ab exilio revocarunt.* Quod vero enuntiat illic Socrates, exiguo tempore Petrum fuisse superstitem; verissimum est; cum verosimiliter non integro biennio, reditui supervixerit. Sit igitur extra controversiam, Petrum anno CCCLXXX vivere desiisse, die (si Historiæ credimus) XX Julii, cadente sub littera D, in feriam secundam, seu diem Lunæ.

unde conficitur obiisse anno 80, probabiliter 20 Julii.

258 De hujus Præsulis præclare gestis et laudibus sparsim superius agendum fuit, quibus non multa addenda supersunt. Constat eum calamitatum et ærumnarum Magni Athanasii aliquamdiu fuisse participem, ejusque morientis suffragio, communique Episcoporum, Monachorum et populi consensu, Patriarcham constitutum. Constat insuper, non diu Ecclesiam lætificasse, Arianorum (ut diximus) factione ejectum; subintruso in ejus locum Lucio, qui Sedem, armata manu occupatam, plusquam tyrannice depopulatus, eas excitavit tragœdias, quas Petrus ipse in epistola encyclica, apud Theodoretum lib. 4, cap. 22, fuse prosequitur. Juxta supputationem nostram, Romæ ad sexennium circiter commorari debuit, donec ex coacta Valentis conniventia, sed maxime Damasi Papæ et Imperatorum Occidentalium auctoritate, Sedi postliminio restitutus, eam annis fortasse duobus aut paulo amplius tenuit. Poeta Habessinus eum invocat XX Hamschiri, XIV Februarii, hac formula: *Salutem Petro, in Sede Marci, qui sedit post Athanasium. Hic in diebus suis multam afflictionem et vexationem tulit ab Arianis, qui Dei Filium creaturam appellant. Ad æternam denique quietem migravit anno* CCCLXXX.

Ex Athanasii designatione et omnium consensu electus,

Lucio ab Arianis intruso cedere debuit.

259 Notabilem fuisse oportet annum illum obitus præter morem, ab Hagiologo consignatus, et quidem Romanis calculis. Cultus ejus apud Ægyptios meminit Papebrochius in Vita S. Athanasii, II Maji, atque in Actis S. Gregorii Nazianzeni, IX ejusdem, ex Seldeni, opinor, Kalendario Coptico. Ludolfus, ut alibi dictum est, eum rubrica exornat, solis insignioribus Sanctis attribui solita. Sed quid causæ esse dicemus, quod nec in Græcis, nec in Latinis Fastis, tam egregii pro fide exulis ulla reperiatur memoria? Crediderim ego, bonum senem, post reditum, justo faciliorem fuisse (ut indicat S. Hieronymus) *in recipiendis hæreticis;* unde suborta fuerit turpis illa et ignominiosa *acceptæ pecuniæ* suspicio, quodque procul dubio orthodoxis vehementer displicuerit: quemadmodum et vituperabilis illa inconstantia, qua modo Nazianzeno adhæsit, modo Cynico illi Philosopho, cui tantum non, levitatis suæ pœnas persolvere coactus sit, ut nuper retulimus. Ceterum sive id senectutis vitio, sive aliorum consiliis tribuendum dixeris, incorruptum in fide Catholica perstitisse Petrum, ex Theodosii Sanctione tam manifeste perspicitur, ut vel inde Sancti titulum promereri etiam apud nos posset, tametsi ab eo illi adscribendo, hic abstinendum censuerimus.

Colitur ab Ægyptiis rubrica insignis.

Cur in Fastis Græcis et Latinis prætermissus?

XXII. TIMOTHEUS.

Hæretici ab eo Concilio CP. damnati: annus obitus stabilitus contra Pagium. Ecclesia ei, ex Hagiologio Habessino dicata.

TIMOTHEUS hic, in sæpe citato Hagiologio sic invocatur: *Salutem Timotheo, fratri Petri, ejus qui ante ipsum fuerat urbis Alexandrinæ Archiepiscopus, qui*

Concilio Constantinopolitano præfuisse dicitur,

A *qui Concilio Constantinopolitano* (quod secundum Generale fuit, ibi autem primum anno CCCLXXXI celebratum) *præsedit* (hoc est ante alios subscripsit) *una cum aliis tribus sanctis Patriarchis, Nectario Constantinopolitano, Cyrillo Hierosolymitano, et Meletio Antiocheno, aliisque* CXLVI *Patribus* (voluit dicere CL.) *Tunc effusa fuit super fideles, gravi hæreseon tempestate diu agitatos, pax multa, donec præteriissent dies ejus.* Alludit ad Macedonium, Sabellium, Apollinarem, Eunomium, Marcellum, Photinum, aliosque in eo Concilio anathemate percussos, de quibus apud Labbeum tom. 2 Conc. a Col. 912. Est tamen animadversione dignum, quod in Notis observat Severinus Binius, apud citatum Labbeum Col. 972; Timotheum toti Concilio non adfuisse, ac subscriptionem ejus aliis subinde præfixam, ubi et multa alia perperam confusa castigat. Verum hæc et id genus plura, ad præsentem disquisitionem nihil facientia, consulto prætermittimus; libellum Synodicum, Photium, Nilum, aliosque secuti, qui passim Timotheum ceteris annumerant, quidquid varient in primo loco, ob famosum Canonem de Ecclesiæ Constantinopolitanæ, post Romanam, præeminentia.

B

in quo Macedonius aliique hæretici confixi.

261 Historia Patriarchalis de præfato Concilio ita disserit: *Suo ordine amoverunt Macedonium, sancti Spiritus hostem; et absolverunt Symbolum fidei, dixeruntque*; Credimus in Spiritum sanctum. *Exciderunt quoque Sabellium, qui dicebat* Pater, Filius, Spiritus sanctus; *et Trinitatem sanctissimam unam personam esse affirmabat, particulam copulativam* et, *rejiciens. Communione etiam privaverunt Apollinarem, qui dicebat* Magnus, Major et Maximus; *Spiritum sanctum* Magnum *vocabat, Filium* Majorem, *Patrem vero* Maximum. *Obiit autem Patriarcha iste vigesima Abibi, die Dominica;* qui concursus caderet in annum CCCLXXXIV, sub littera Dominicali F; nisi fortasse librariorum errore irrepserit XX, pro XXVI Abibi; quo die colitur in Hagiologio Habessino, nempe XX Julii, quæ anno CCCLXXXV, in Dominicam incidit. Et pro hoc anno stant Baronius, Labbeus, aliique Socratem secuti, lib. 5, cap. 12 scribentem; *Arcadio Augusto primum et Bautone Coss. mortuo Timotheo Alexandrinæ urbis Episcopo, Theophilum Sacerdotii curam suscepisse.*

Obiit teste Socrate, 385,

262 Astu difficultatem componit Pagius; cum C enim legisset apud Theophanem, obiisse Timotheum die XXVI Epiphei sive Abibi, mox subjungit; *cui suffragatur auctor Patriarcharum Coptitarum, qui ait* EUM DIEM CONCURRISSE CUM DOMINICA, *quare cum dies ille* XXVI *Epiphei concurrat cum die* XX *mensis Julii, qui currenti anno* CCCLXXXV *Dominicalis fuit, liquet Timothei obitum recte a Baronio consignatum.* Quid est nodum dolo scindere si hoc non est? Verba Historiæ Patriarchalis fideliter jam retuli, ubi expressissime non XXVI diem, sed XX Abibi, cum Dominica concurrere affirmat. Mirus est Pagius in vindicando illo Orientali Chronico. Admittimus quidem *Timothei obitum recte a Baronio consignatum*, non Chronici istius, sed Socratis auctoritate, *numquam falso aut temere notas Consulares adhibentis.* Abulbaracat morti prædictæ assignat etiam XXVI Abibi, eam male cum XXVI Julii confundens. Verum Scriptoris hujus fides, passim turpissime cespitare soliti, abunde superius explosa est. Quin et hic eodem loco, more suo, immensum exorbitat, dicendo, ordinatum Timotheum anno CXII Æræ Martyrum, et defunctum CXVIII; quibus notantur anni Christi CCCXCV et CCCCI. Maneat interim extra controversiam, Timotheum vivere desiisse anno CCCLXXXV, Julii XX, die Dominica.

quod cum Historiæ calculo perperam componit Pagius:

dies obitus censeri potest 20 Julii.

263 Ex his manifeste apparet, hallucinatam præterea Historiam Patriarchalem in Sedis duratione, dum Timotheo annos VI, dies CLVI; et Abulbaracatum, dum annos V, ac menses IX tribuit. D Magis id mirum in Theophane et Nicephoro, concordi calculo annos Timotheo octo adscribentibus; cum ex præfixa supputatione, annis non plus quinque Episcopatui præfuerit, etiam si ab ipso decessoris obitus die inchoetur. Neque vero ultra annum CCCLXXXV mortem ejus differendam, ex eo patet, quod Theophilus successor annis plusquam XXVII Ecclesiam illam administraverit, certo certius anno CCCCXII vita functus. Verosimile est Scriptores illos Petri et Timothei tempora confudisse, subtractis uni annis, quos alteri adderent. An quod Timotheus exulis fratris vices gerere cœperit, ex quo Valens Antiochia discedens, anno CCCLXXVII, liberum Religionis exercitium Orthodoxis reliquit? unde et aliqui annos ejus numerare inceperint, licet Petro reduci locum cesserit?

AUCTORE J. B. S.

Sedis duratio ex Theophane et Nicephoro explicata,

264 Placet conjectura, non omnino absurda; sed ut conjectura est, nolim pro enuntiato accipi. Sic nihilominus optime componentur utriusque fratris tempora, a Theophane et Nicephoro asserta. Etenim ab anno CCCLXXI ad CCCLXXVII habebuntur anni sex integri, Petro assignati: deinde ab anno CCCLXXVII ad CCCLXXXV, Timotheo anni octo E Vicariatus simul et Episcopatus servabuntur. Illud certe haud obscure evincitur, inter Athanasii et Thimothei obitum, annos fluxisse quatuordecim aut amplius, ex quo sententia nostra de Magni Athanasii morte, ad CCCLXXI retracta, egregie confirmatur.

confirmata Athanasii obitu sententia nostra.

265 Fuit, tam ipse Timotheus, quam frater prædecessor, *Civis Benhorensis;* si ejus illa Ecclesia fuit, cujus dedicationem ad XXVII BUNÆ (id est XXI Junii) prælaudatus Hagiologus ita celebrat, *Veneror dedicationem pretiosæ tuæ ædis, Pater Timothee, ex civibus Benhor, quæ tibi exstructa fuit postquam tempus afflictionis præteriit; deduc me ad opera humilitatis, qui de terra pauperem sublevas; nam ubi superbia est, bonorum impia esse solet.* Utrum per *tempus afflictionis* hic innuatur Arianorum persecutio, an forte ab auctore Jacobiticæ factionis alludatur ad ea tempora, quibus Chalcedonensis Synodi adversarii oppressi sunt, fateor me satis non posse discernere. De Timotheo apud Græcos aut Latinos Hagiologos nihil plus reperitur, quam de fratre ejus Petro; quamquam ambo Coptis et Habessinis non parvo in pretio habeantur. Exstat præclara de Timotheo memoria in rescripto Imperatoris Theodosii ad Optatum, F de quo Baronius ad annum CCCLXXXV, ubi inter cetera hoc encomio cohonestatur, quod *Vir omnium Sacerdotum susceptatione venerandus* sit, et Cæsareo etiam *judicio approbatus.* Meminit ibidem Baronius epistolæ ejus Canonicæ apud Græcos, et sententiæ de irregularitate, de quibus satis est fecisse mentionem.

An exstructa Timotheo Ecclesia?

Breve ejus encomium.

XXIII. THEOPHILUS.

Periodus Paschalis ab eo ordinata, ejusdem virtutes et vitia. Cacozelia contra S. Joannem Chrysostomum.

THEOPHILUS, laudatus in Actis SS. Pachomii et Theodori XIV Maji, *Obiit decima octava Babæ* (inquit Historia) hoc est XV Octobris, ut expresse annotavit etiam Socrates, dum lib. 7, cap. 7 Idibus Octobris extremum diem clausisse asserit, non XVIII istius mensis, ut scribit Labbeus, forte mensem Ægyptium cum Romano confundens. Fuit autem is annus (uti ostendit Henschenius, agens de successore S. Cyrillo die XXVIII Januarii num. 6) fuit, inquam, is annus Christi CCCCXII, ut diserte iterum indicat citatus Socrates, annum notans Honorio IX et Theodosio

Obiit an. 427 15 Octobris.

AUCTORE J. B. S.

A dosio v Coss. insignem : quando xv *Octobris* cecidit in *diem Martis*, quod omisit Historia indicare. In margine adscripti inveniuntur anni xxvii, dies lxxxvii, qui retrotracti pertingunt ad diem quo obiit, ut jam statuimus, decessor Timotheus : adeoque censeri posset ordinatus fuisse in Dominica. Refert Historia, quod cum Epiphanio Archiepiscopo Cypri consenserit, ut S. Joannes Chrysostomus exilio mulctaretur. *Ejus tempore excitati sunt septem illi juvenes, qui in specu dormierant, post centum et quadraginta novem annos.* Sedisse itaque Theophilum annis xxvii, concors est sententia : qui xxviii adscribunt, de inchoatis intelligendi, non de integris, ut hic denuo fallit Abulbaracat.

De eo Hagiologus.

267 Hagiologium sæpe citatum; *Salutem*, inquit, *Theophilo, cui ex merito scientiæ suæ datum a Spiritu sancto est, ut in Sede Marci post S. Athanasium Patriarcha collocaretur* (duobus tamen mediantibus.) *Datum quoque ei est, ut quoties populum baptizabat, radius luminis obsignaret characterem ejus.* Periodum Paschalem condidit, non centum annorum (ut perperam se legisse in epistola S. Leonis Magni ad Marcianum putavit Scaliger,) sed quadringentorum et triginta septem annorum, in qua omnia Paschata annotarat, quæ ab anno Christi ccclxxx deinceps erant secutura. Ex ea porro centum observationis annos decerptos summo Pontifici obtulit, quorum in epistola illa S. Leo meminit, unde crediderim Scaligerum errandi occasionem sumpsisse. Cyclum autem illum ad xcv annos Cyrillus, Theophili nepos et successor, contraxit. S. Joanni Chrysostomo viventi adversatus, a S. Innocentio Papa excommunicari meruit ; atque in sententia diu pertinax, etiam obstitit ne demortui Chrysostomi nomen referretur in Diptycha. Noluit tamen permittere Deus, ut sic moreretur; sed, teste S. Joanne Damasceno, *non poterat animam agere*, donec allata ei fuit Chrysostomi imago, *quam cum adorasset, spiritum emisit*, et magno postea in honore fuit per totam Ecclesiam.

Qualis fuerit ejus periodus Paschalis.

B

Moriens S. Chrysostomum veneratur.

Et si varia de eo judicia fuerint,

268 Mirum nihilominus, quam varia de Theophilo circumferantur, doctrinæ, industriæ, prudentiæ, fortitudinis, zeli Catholicæ Fidei, aliorumque insignium virtutum ; contra vero ex Socrate, Sozomeno, aliisque, avaritiæ, improbitatis, atque fastus, et ambitionis argumenta. Constans est eruditorum opinio, Scriptores illos et Græcos alios recentiores, plerumque Chrysostomo faventes, Patriarchæ Alexandrino fuisse iniquiores; quod de Socrate et Sozomeno eo admittes facilius, quod eos et Origeni et Origenistis monachis palam patrocinari, in aperto sit. Notissima certe sunt quæ præclare et fortiter gessit Theophilus, in eversione templorum, destructione idolorum, et acerrima gentilium omnium persecutione. Item industria ejus et dexteritas in componendis Antiochenæ Ecclesiæ dissidiis; invicta animi magnitudo in debellandis Origenis asseclis, quidquid ejus patroni debacchentur : opera ab ipso edita, et a Baronio enumerata, præter alia, quæ jam retulimus, immortalem profecto viri memoriam perennem reddidere.

C

merito tamen inter Patres recensetur.

269 Verum hæc ita se habent, ut, cum parvis nævis inficiantur, Theophilum ab omni labe eximere nequeant. Sunt qui eum nimii fastus insimulent, et avaritiæ notam viro, cetera maximo, inurant. Jurisdictionis limites transgressus dicitur, in causa S. Hieronymi cum Joanne Hierosolymitano. In *Longos Fratres* ira nimium præcipiti sæviisse volunt, et bonos Ægypti ac Nitriæ Monachos feralibus dissidiis, aut temere, aut maligne inter se commisisse. Atque ut alia sileam; quæ cæca vindictæ cupidine (inquiunt) ad exauctorandum S. Joannem Chrysostomum, *ad quercum* tumultuarie molitus est, numquam non Theophili gloriam obscurabunt; tametsi vera et sincera pœnitentia maculas eas omnes D expiasse non dubitent, adeo ut inter antiquos Ecclesiæ Patres, non sine magna virtutis et eruditionis laude, recenseatur. Et merito quidem. Nam S. Leo Papa, ep. 64 ad Marcianum in editione Parisiensi mdclxxv, ordine 94, *Theophilum* appellat *sanctæ memoriæ Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopum* ; et Ep. 52, ad Episcopos Galliarum in citata editione, 77, eum cum Athanasio et Cyrillo conferens, *probatissimum Præsulem* nuncupat. Quibus si addideris quæ Baronius habet ad annum ccccxii, plane conficies, Magni Theophili celebrem memoriam, in Ecclesia summo cum honore et æstimatione retentam. Sed de his plura fortasse alibi ; ad ordinem chronologicum revertamur.

Dicitur thesaurus ab eo repertus.

270 Abulbaracat apud Vanslebium fuse hic narrat, quomodo idem Theophilus in foro Alexandrino, sub quodam marmoreo pavimento repererit, indicio triplicis O ingentem thesaurum, quem Theodosius Imperator jusserit ædificandis et restaurandis Ecclesiis impendi. Sed satis fuerit hæc obiter indicasse, cum refutari non mereantur.

E

XXIV. S. CYRILLUS.

Nestorius in Ephesino Concilio per eum, ut Legatum Apostolicum, damnatus : Acta ab Henschenio elucidata.

Obiit Cyrillus 27 Junii 444.

Sanctus Cyrillus, vere Magnus, *Theophili* (inquit nostra Historia) *ex sorore* (alii scribunt ex fratre) *nepos, primus omnium Stationes in Ecclesiis constituit, obiitque tertia Abibi, die Martis*, id est xxvii Junii, currente littera Dominicali A, quibus signatur annus Christi ccccxliv, ut pluribus confirmat Baronius ; quintum Idus, seu ix Junii, pro die obitus accipiens, quod tali die a Græcis colatur : non recte, ut existimo. Potuisset enim eodem jure xxviii Januarii assignare ; quod eum tunc Latini celebrent, quo die ejus Acta illustravit Henschenius. Fateor utriusque hujus cultus rationem mihi non esse compertam. Sive id dedicationis, sive elevationis aut translationis corporis causa factum dixeris, facile assentiar. Sedisse Cyrillum annis xxxii, constat ex Actis Synodalibus Concilii Chalcedonensis ; traduntque Liberatus Diaconus et Nicephorus : quod apprime convenit cum nostro calculo, nisi quod annus F ultimus plenus numerari non possit, quod apud Scriptores frequentissimum esse jam sexcenties ostendimus.

Breve ejus encomium,

272 Scribit Baronius, Cyrillum ordinatum fuisse Episcopum anno ccccxii, xi Kal. Novembris, qui esset Octobris xxii, ut etiam numeravit Labbeus. Sed id arbitror a veritate alienum, testante Socrate, eum triduo post Theophili obitum fuisse subrogatum, adeoque xviii Octobris vel summum xix. Sederit itaque Cyrillus, justo numero annis xxxi, et diebus circiter cclii. Memoria ejus notatur in fastis Græcis elogio, viro tanto dignissimo : *Natalis S. Cyrilli, Alexandrinæ civitatis Episcopi, eruditissimi et Catholicæ Fidei propugnatoris egregii, quem sanctus Pontifex Cœlestinus idoneum judicavit, cui vices suas in Ephesino Concilio delegaret.* Quod de hoc Concilio damnatoque Nestorio addit Historia, in Hagiologio iii Julii, Oda iii, sic commendatur : *Salutem Cyrillo, qui secutus est verba Scripturarum, sicut eum Theophilus instituerat. Cum præsideret Concilio, ad fidem Nestorii damnandam collecto, comparavit Divinitatem Lunæ, quam colores obtegunt; et humanitatem Ferro, quod ignis candefacit.*

ex variis Scriptoribus

273 De Cyrilli virtutibus, laboribus pro fide Catholica tuenda exantlatis, debellatis hæresibus, exposita atque illustrata doctrina orthodoxa, egregium, præter

A præter ceteros, commentarium elucubravit Henschenius, ad dictum diem XXVIII Januarii, quo Lectorem remittimus. Paucula decerpere liceat. Vocat eum Eulogius Alexandrinus, apud Photium Codice 213, *Studio veritatis ardentem, doctum, pium, minimeque vacillantem Cyrillum.* Anastasius Sinaita in Duce Viæ, *Lumen Patrum celeberrimum, et beatissimum.* Menæa Græca, *Sacerdotum omnium decus, Patrum coryphæum, Synodi sanctissimæ propugnatorem.* Martyrologium Romanum, *Catholicæ fidei præclarissimum propugnatorem, doctrina et sanctitate illustrem.* Denique in Conc. Chalcedonensi Act. 3, in libello Theodori Diaconi, dicitur *Rectæ et immaculatæ fidei Advocatus.*

CAPUT IV.

Patriarchæ partim hæretici, partim orthodoxi, a fatali Schismate Dioscoritano, ab anno CCCCXLIV ad DV.

XXV. DIOSCORUS HÆRESIARCHA.

B *Hujus sectatores Jacobitæ, a Melchitis divisi, multa in ejus defensionem mentiuntur, et ipse mentitus fuerat contra Imperatores Actaque Concilii Chalcedonensis.*

Dioscorus, non ex Historia Patriarchali,

DIOSCORUS, inter Patriarchas XXV, *Cyrilli discipulus, quocum Concilio Ephesino, contra Nestorium congregato, aderat, multis ac maximis ærumnis conflictatus est; a Marciano Imperatore, ejusque uxore Pulcheria, ex sua Sede depulsus, quod acquiescere noluit Concilio Chalcedonensi sexcentorum et triginta Episcoporum: exilio propterea amandatus est in insulam, in Occidente constitutam, in qua septem annis moratus est; ubi obiit septima Tuti, id est* IV *Septembris.* Verba sunt Historiæ nostræ Patriarchalis, veris de more falsa immiscentis, et Dioscoro Patriarchatus annos adscribentis XIV cum diebus LXIX, quibus perduceremur ad annum Christi CCCCLVIII. Verum ne erroneis hisce calculis fidere hic denuo quidquam audeamus, facit annus CCCCLVII, cujus die XXVI moriens Marcianus, animos fecit, ad Timotheum Ælurum, principem factionis, Dioscori damnationem improbantis, intrudendum in vacuam hæresiarchæ obitu Sedem, ut est in eadem Historia Patriarchali. Erat ergo jam ante ex-C tinctus Dioscorus, neque enim viventi ipsi subordinatus fuisset Timotheus ab iis ipsis, quibus præcipua tumultuandi occasio fuerat S. Proterius, viventi Dioscoro substitutus.

sed ex S. Leone probatur obiisse 454, verosimilius 4 Septemb.

275 Ex his liquet, aliunde quam ex historia Patriarchali aut hujusmodi Scriptoribus, annum obitus Dioscori definiendum. Ad hoc opportune se offert epistola S. Leonis Magni, data ad Julianum Episcopum Caensem octavo Idus, seu VI Decembris, CCCCLIV, *Aetio,* nimirum, et *Studio* viris Clarissimis Consulibus, qua sibi significatum indicat summus ille Pontifex Dioscori interitum. Verba ejus transscribere visum est, ut apertius pateant Coptitarum commenta. Sic habet: *Quamvis enim jampridem omnia hæreticorum machinamenta confracta sint, et universas ejus vires dextera veritatis abstulerit: nunc tamen intereunte, ut scripsistis, Dioscoro, in profundiora ceciderunt; et perfidiæ incentore sublato, instabiles quædam insipientes animæ habent quod paveant, non habent quod sequantur; unde auxiliante misericordia Dei facilius est errantium speranda correctio, et efficacior erit prædicatio Evangelii, extincto defensore mendacii.* Quid hic hæsitandum non video, si vere præcitatis Consulibus scripta fuerit ea Magni Leonis epistola, ut hic certum supponimus. Obierat itaque jam tum Dioscorus probabiliter ipso illo anno D CCCCLIV, anno exilii sui quarto, IV Septembris; non in insula Occidentis, ut Coptitæ fabulantur; sed Gangræ (Liberato, Gangrenæ) Asiæ minoris civitate, quo deportatus fuerat post Concilium Chalcedonense.

AUCTORE J. B. S.

Ab ejus Schismate orta postmodum nomina Melchitarum et Jacobitarum

276 Hic ille infelix auctor est perniciosissimi schismatis, ex quo tractatus hujus nostri alteram quodammodo epocham exordimur, Patriarchas hæreticos in chronologica serie collocare deinceps coacti. De eo schismate deque Jacobo, præcipuo Dioscori et Severi Antiocheni zelatore, cognomento Zanzalo, alias Baradæo vel Clitellario, a quo *Jacobitarum* nomen initium traxit, per magnam Asiæ et Africæ partem propagatum, infra fusius erit disputandum. Concilii Chalcedonensis propugnatoribus primum Orthodoxis, subinde Græcorum erroribus infectis, impositum est nomen *Melchitarum,* id est *Regiorum* vel *Imperialium,* quia plerumque pro Concilio Imperatores stabant. Historia, *Chalcedonenses* et *Jacobitas* distinguit; et his impense favens, illos passim acriter insectatur. Eodem vitio laborat Hagiologus Habessinus: qui, sicut in Copticis Jacobitarum Kalendariis pro Sancto reperit notatum E *Dioscorum,* sic etiam eumdem salutat his verbis. *Salutem Dioscoro, qui explosit religionem Melchitarum,* Dei et hominis *unitatem in duas naturas distrahentium.*

Eutychetis et Dioscori hæreses.

277 Ita scilicet Chalcedonensis Concilii Patres, eorumque fidei inhærentes calumniabantur, quasi idem esset, duas in Christo naturas, quod duas personas (quæ Nestorii hæresis fuerat) affirmare. Quibus contradicens Eutyches, et ejus sectator Dioscorus, in alterum nihilo minorem impegerunt errorem, unam, post Incarnationem, in Christo naturam asserentes, ex humana divinaque velut mixtam, atque ex earum confusione resultantem. Aliter quidem Dioscorum locutum ferunt, ut suo loco examinabitur; in re tamen cum Eutychete consensisse in confesso esse videtur. Hunc errorem usque hodie pertinacissime tuentur Jacobitæ, Copti et Habessini, eo facilius ab iis imbibitum, quod eorum aliqui carere dicantur opportunis vocibus, ad exprimendam personam ex duabus naturis subsistentem, unde fit ut omnis sæpe cum illis disputatio, defectu terminorum, ad tetricas de voce quæstiones relabatur. De his non incuriose disserit Ludolfus, Historiæ Æthiopicæ libro 3, cap. 8, et in Comment. pag. 451. Uti et Historia Critica de fide et ritibus na- F tionum Orientalium a cap. 9. Quorum placitis eatenus solum assentimur, quatenus Ecclesiæ Romanæ conformia reperiuntur, ut peculiari Dissertatione postmodum ostendemus.

Ad tuendam postremi famam

278 Addit porro Hagiologus, quod Dioscorus ut suos confirmaret: *Evulsos barbæ suæ pilos et dentes deciduos, tamquam fidei suæ fructus, misit in regionem longinquam.* Nihil simile apud Græcos Latinosve legas; quapropter placet fontem indicare ex quo talia accepit Poeta. Eum nobis ostendit Abulbaracat, ex suorum Jacobitarum traditione, narrationem de Dioscoro texens, qualem de suis exordiis solent hæretici, multa mentientes, quæ redarguere operæ pretium sit. Sic ergo progreditur apud Vanslebium: *Tempore hujus Patriarchæ* (Dioscori) *ut scribit Macrizius Historicus Mahumetanus, prodiit secta Eutychetis Presbyteri Constantinopolitani, asserentis, quod Jesu Christi corpus totum esset subtile, et corporibus nostris nullatenus simile; quodque ex beata Virgine nihil assumpsisset. Congregata idcirco* CXXX *Episcoporum Synodo, anathemate percussus est.*

mentiuntur Jacobitæ,

279 *Rursus, ejusdem Dioscori tempore, celebrata* IV *Synodus œcumenica in urbe Chalcedonensi, occasione ipsiusmet Dioscori, qui sustinebat;* Quod in Messia post

quod in Synodo Chalcedonensi

AUCTORE J. B. S.

A post unionem facta esset substantia una de duabus substantiis, una persona de duabus personis, una natura de duabus naturis, una voluntas de duabus voluntatibus, *contra quam Marcianus Imperator cum sua Curia credi volebat : dicebant enim*, in Jesu Christo duas esse substantias, duas naturas, duas voluntates, et unicam personam. *Videntes autem Episcopi hanc esse sententiam Imperatoris, in eamdem omnes consenserunt, timentes suis Episcopatibus privari; solus Dioscorus, et alii sex Episcopi, reliquos imitari noluerunt. Cumque ceteri illi Imperatoris fidem, unum in librum contulissent, ab omnibus confirmatam; ipsum sibi exhiberi Dioscorus petiit, veluti subscripturus etiam ipse; ubi autem libellum accepit, suam plane contrariam doctrinam eidem inscripsit, excommunicans omnes aliter sentientes. Indignatus re intellecta Imperator, viam meditabatur qua Dioscorum e medio tolleret : verum suadentibus aliis, hominem ad se vocaret, causam dicturum, comparuit Dioscorus : Sexcenti triginta Episcopi congregati auctores pariter fuerunt, ut voluntati Imperatoris obtemperaret, alias discrimen subiturus amittendæ Sedis Patriarchalis.*

280 *At ille, Imperatori prospera omnia primum* B *apprecatus, respondit Episcopis;* Imperatorii muneris nequaquam esse intermiscere se hujusmodi quæstionibus; ad ipsum attinere reipublicæ negotia, causam religionis tractandam ab Episcopis, in talium rerum studio versatis. *Hoc cum audivisset Pulcheria Imperatoris uxor, quæ hujus lateri assidebat;* Dioscore, *inquit*, tempore matris meæ inventus est non nemo, æque ac tu pertinax, sed excommunicatus, a Sede sua expulsus fuit. *Innuebat nimirum S. Joannem Chrysostomum. Cui Dioscorus*; Meminisse etiam potes, *ait*, quid matri acciderit, dum gravi correpta morbo, ab eo relevari nequit, donec ad S. Joannis sepulcrum supplex accessisset. *Tam libero Dioscori responso irritata Imperatrix, inflicta alapa, dentes ei duos excussit; cui deinde homines duo, extra Concilii locum rapto, omnes barbæ pilos evulserunt; tamdem Imperatoris jussu a Synodo excommunicatus est, atque in ejus locum constitutus Patriarcha Proterius, a Coptis* Bertares *appellatus. Ea causa divisis in geminas factiones Christianis, alii Melchitarum, Jacobitarum alii cognomenta retinuere. Mandavit autem Imperator occidi universos, qui recusarent opinioni suæ adhærere. Dioscorus interim, excussos dentes, revulsosque barbæ pilos colligens, ad amicos Alexandriam misit; sedulo monens, injurias eas omnes, fructus esse* C *laborum, veræ fidei causa a se exantlatorum.*

propter constantiam in fide, passus sit dira,

excussis etiam dentibus et barba revulsa;

quod insigne mendacium

281 Habes hic male consutam et concatenatam, somniorum dicam, an mendaciorum seriem; dignum profecto auctore suo figmentum : quibus tamen fabellis ita Annales suos infarciunt Jacobitæ, ut nulla Scriptorum nostrorum auctoritate ab ineptissimis præjudiciis abduci se sinant. Recentissima est relatio missionis Persicæ, ab Illustrissimo Archiepiscopo Ancyrano susceptæ, ad Armenorum Dioscori sequacium unionem conciliandam, impressa Lutetiæ MDCCII, in qua non pauca alia referuntur, invidiosissime in Græcos præsertim jactata, ad tuendam Dioscori memoriam : quæ ut fatear speciosius excogitata, id sane mirandum video, hominem tot flagitiis et sceleribus infamem, per tot secula, non sectatores solum errorum suorum, verum etiam nominis et famæ patronos, et acerrimos defensores reperire potuisse. Tremendo plane exemplo, quantam hæreticis omnibus, a vera fidei regula semel deviantibus; perniciem adferant, imbibitæ materno cum lacte, de suis antesignanis confictæ, ad seducendos animos, historiunculæ. Ad Macrizium redeo, præcipua falsissimæ relationis capita, apertissimi mendacii convicturus.

282 Atque ut omnino negare non ausim, fieri potuisse, ut damnatus a Concilio Dioscorus, et in exilium abreptus, tale quid pertulerit a ministris; quis D tamen credat hominem, in talis concussionis et perturbationis articulo, non solum excussos dentes, sed etiam evulsos pilos collegisse, vel id alium pro ipso fecisse, cujus fautorem et amicum nemo se profiteri audebat, præter sex supra indicatos, eisdemque injuriis obnoxios, ac verosimiliter ab invicem distractos? Multo igitur certius statuemus (si tamen fidem aliquam mereatur Mahumetanum commentum) quod vaferrimus hæreticus, judicio quo damnatus fuerat calumniam struens, confinxerit fabulam, cui confirmandæ servire fecerit dentes duos, casu vel senio luxatos; nec non sponte atque per otium evulsos, aut resectos barbæ suæ pilos, quos Alexandriam destinaret, fidem facile reperturus apud homines, suo jam veneno delibutos.

283 Ad Pulcheriam quod attinet, agebat illa tunc annum ætatis LIII, fraterni Imperii pene ad extremum vitæ ejus, consors et moderatrix, tanta cum prudentiæ, modestiæ ac sanctitatis laude, quantam coævis et proxime seculi Historici non videntur satis commendare potuisse; et toto illo tempore etiam de Ecclesia universa optime merita, sacris Sanctorum Fastis digna fuit adscribi, una cum Marciano, E quem recens assumpserat, imperii potius quam tori consortem, servata ad extremum spiritum virginitate. Et hanc existimabit aliquis, tali ætate, loco, consessu, usque adeo abreptam, ut furioso impetu de throno prosiliens, in Patriarcham, quantumvis reum et pervicacem, irruens, colaphum ei palam infregerit?

ipsemet reperit apud suos,

alia non minus absurda mentitos,

284 Quid vero Marcianus? Is, pietate non minus quam militari gloria clarus, nihil unquam per annos septem, quibus imperium tenuit, homo sexagenarius et Sanctis etiam ipse post mortem adscriptus, egit crudeliter; et existimabitur principium regni tanto sanguine cruentatum voluisse, quantum illi Jacobitæ imputant? Joannis Chrysostomi innocentiam insignibus adeo miraculis declaraverat Deus, tamque certam habebat tota Curia, ut Theodosius Imperator, post annos a morte triginta et unum, officii sui esse duxerit, defunctum, missa in Armeniam ad ejus sepulcrum solenni legatione, sibi suisque parentibus et imperio placare, atque invitare ad reditum : quem etiam celeberrima pompa, profectus obviam usque Chalcedonem, revexit in Sedem suam, omnia procul dubio dirigente Pulcheria, et una cum fratre quotannis ad XXVII Januarii, festivam illam translationem recolente, sicut illa usque F hodie celebratur. Ab hac tam festiva exceptione, qualem numquam antea Constantinopolis viderat, anni dumtaxat tredecim fluxerant, quando Imperatrix fingitur adeo sui fuisse oblita, ut coram tam multis consciis, aut etiam participibus illius pompæ, et testimonii adeo publici Chrysostomo delati, ejus depositionem, velut justissimam, ac pertinaciæ ejus debitam, objecerit Dioscoro in exemplum.

contra Pulcheriam et Marcianum;

285 Qua porro fide dicatur idem Dioscorus reposuisse Pulcheriæ, matrem ejus, contracto morbo, non potuisse curari nisi ad tumulum S. Joannis, eoque supplicem accessisse? qua, inquam, fide? cum ipsa mater ejus, triennio ante Joannem vivere desierit, defuncta anno CCCCIV, initio Octobris, quatuor fere post mensibus, quam ille in exilium secundo ejectus fuerat. Ita docent antiquiores fere omnes, et certior ejus rei testis optari vix potest quam Eunapius, de quo Photius in Bibliotheca, Codice 77 scribit, quod Historiam suam perduxerit usque ad Honorii atque Arcadii tempora, quodque *tunc illius terminum ponat, quando Arsacius, Joanne Chrysostomo exterminato, solium Archiepiscopale occupavit, Arcadiique Imperatoris uxor gravida, et mox abortiens vita decessit.*

addito novo de pœnitentia Eudoxiæ figmento,

quasi ad tumulum Chrysostomi sanata sit,

286

A *quæ quadriennio ante obierat.*

286 Hæc omnia, eodem anno, id est ultimo Historiæ Eunapianæ, facta esse, et hic innuitur, et clarissime tradit Socrates, lib. 6, cap. 18 et 19, inquiens, Joannem in Paschate a conciliabulo damnatum, Imperatoris jussu in exilium fuisse ductum bimestri post, *die* XII *Kalendas Julias, Honorio sextum et Aristæneto Consulibus*, hoc est anno CCCCIV. *Paucis* vero *post diebus, Arsacium Constantinopoleos Episcopum fuisse constitutum*, atque *sub idem tempus cecidisse inusitatæ magnitudinis grandinem, pridie Kalendas Octobres, Consulibus supra memoratis. Hoc autem* (ut prosequitur Socrates) *divina ultione factum esse dicebant, ob injustam Joannis depositionem. Mors Augustæ statim subsecuta, auctoritatem ejusmodi sermonibus addidit; quarto siquidem die post delapsam grandinem, migravit e vita.* Hæc Socrates: cui omnino consentit, in anno, quo mortua est Eudoxia, Prosper Aquitanus, dum *Honorio* VI *et Aristæneto Consulibus*, ejus mortem collocat.

Item fabula de Pulcheria, sedente in concilio.

287 Denique Pulcheriam sedisse in Concilio, feminam inter Episcopos, tam incredibile quam novum est, et a nemine hactenus assertum. Imo nec ipsum Dioscorum adfuisse iis Concilii actionibus, in quibus ejus non solum hæresis, sed gravissima B insuper crimina comprobata fuere; sed tertio legitime citatum, numquam fuisse ausum comparere, ideoque damnatum per contumaciam; convincunt Synodi Acta, fidei profecto melioris, quam sit eorum, qui Acta ista et S. Leonis epistolam, tam in Ægypto quam Æthiopia, numquam ad oculos vel aures admittere voluerunt, et tamen etiam hodie pergunt utraque gravissime insectari. Atque hæc prolixe deducere placuit, ut appareat quam nihil credi Schismaticis istis possit, circa sua principia tam evidenter mendacibus.

De epistola S. Leonis ad Dioscorum,

288 Ad Dioscori initia pertinet, quod S. Leo Papa ipsi rescribens epistola II, quæ alias est 81, monendum putaverit de abolendo, qui dicebatur inter Ægyptios obtinere, abusu, circa Ordinationes sacras, contra Apostolicam traditionem; formale præceptum hujusmodi addens, postquam probasset S. Marcum, utpote S. Petri discipulum, non aliter Alexandriæ faciendas Ordinationes instituisse, quam Romæ vidisset facere S. Petrum: *Quod ergo*, inquit, *a Patribus nostris, propensiore cura novimus esse servatum, a vobis hoc volumus custodiri, ut non passim diebus omnibus, Sacerdotalis vel Levitica Ordinatio celebretur; sed post diem Sabbati, ejus noctis quæ prima* C *Sabbati lucescit, exordia deligantur; in quibus, his qui consecrandi sunt, jejunis et a jejunantibus, sacra Benedictio conferatur. Quod ejusdem observantiæ erit, si mane, ipso Dominico die, continuato Sabbati jejunio, celebretur; a quo tempore præcedentis noctis initia non recedunt, quam ad diem resurrectionis, sicut etiam in Pascha Domini declaratur, pertinere non dubium est. Nam præter auctoritatem consuetudinis, quam ex Apostolica novimus venire doctrina* (de jejunio ab ordinandis ordinaturisque servando) *etiam sacra Scriptura manifestat....... Et ideo pie et laudabiliter Apostolicis morem gesseris institutis, si hanc ordinandorum Sacerdotum formam, per Ecclesias, quibus Dominus præesse te voluit, etiam ipse servaveris: ut his qui consecrandi sunt, numquam Benedicio, nisi in die Dominica Resurrectionis tribuatur, cui a vespera Sabbati initium constat adscribi etc.*

pro Ordinationibus in Dominica faciendis.

De iis quid sentiendum?

289 Quam efficax hæc S. Leonis admonitio fuerit, rebus post quinquennium, per Schisma hodiedum durans turbatis, haud facile dixero: dicendum tamen fuit de ea aliquid, ut appareret quam minime vana solicitudine hinc inde conatus fuerim, priorum Patriarcharum initia ad Dominicas revocare; quantoque majori cum certitudine, eam regulam tenendam judicaverit Papebrochius, in Romanis Pontificibus S. Petri successoribus, jam inde a primo D Christi seculo; non nisi per turpem ignorantiam de tali regula gratis assumpta, accusatus coram ipsamet Apostolica Sede, prout latius demonstratum legi potest in ejus ad objecta Responsionibus, art. 2. §. 15.

AUCTORE J. B. S.

S. PROTERIUS MARTYR.

Cædes ejus patrata ab hæreticis, et ab eorum Scriptoribus dissimulata: cultus sacer.

S. Proterius hæretico substitutus,

SANCTUS PROTERIUS, alias *Bertares*, Orthodoxus, in fastis Copticis et Hagiologio Habessino prætermissus est, quod viventi Dioscoro subrogatus a Catholicis fuisset. In Chronologia Nicephori, Constantinopolitani Patriarchæ, dicitur anno regiminis sexto occisus in baptisterio (utique a Schismaticis, depositi Dioscori sectariis, fidei causa) et a Græcis colitur XXVIII Februarii. Acta ejus illustravit Henschenius, martyrio recte assignans annum CCCCLVII, cujus principio obierat Marcianus Imperator, Concilii Chalcedonensis vindex acerrimus. Hujus audita E morte (inquit Liberatus cap. 15 Breviarii) Schismatici, *Collectis turbis hæreticorum, qui Dioscorum sequebantur, ordinato Episcopo Timotheo Æluro, veniunt Alexandriam; et ante triduum Paschæ, quo cœna Domini celebratur, ab ipsis turbis concluditur in Ecclesia, sanctæ memoriæ Proterius, quo se timore contulerat: ibique eodem die in baptisterio occiditur, laniatur, ejicitur, et funus ejus incenditur, sparguntur et cineres ejus in ventos.*

occiditur 457 28 Martii in cœna Domini:

colitur autem 28 Februarii.

291 Incredibilem illam hæreticorum rabiem fuse describit Evagrius, lib. 2, cap. 8, et Henschenius in Vita ad dictam diem XXVIII Februarii. Hac die certum est S. Proterium interfici non potuisse, si vera est Liberati narratio: sed cum Pascha tunc inciderit in XXXI Martii, dicendum est, cædem factam fuisse XXVIII Martii, feria V in cœna Domini; nisi quis cum Petavio ex Victore Tunnunensi, obtruncatum velit S. Proterium sexta feria ultimæ jejuniorum hebdomadæ, in Parasceve, adeoque Martii XXIX. Quid Evagrius intelligat per diem festum Paschæ salutaris, non omnino constat. Fortassis autem dies illa alia, XXVIII Februarii, fuerit dies Ordinationis; eo verosimilius conjectanda, quod anno CCCCLII, quo consecratum putamus Proterium, F in Dominicam inciderit; vel forsan etiam Elevationis earum, quæ inveniri potuerunt reliquiarum; vel ut existimat Henschenius, nominis in Diptycha relati. Utra conjectura placeat sus deque est.

Actorum epitome,

292 Juvat ex Henschenii Commentario hic summatim recolligere, Proterium fuisse ante suam Promotionem Dioscori Archipresbyterum; atque post eumdem damnatum ejectumque in Paphlagoniam, ab Episcopis Ægyptiis in Synodo Alexandrina consecratum Patriarcham anno CCCCLII; non tamen absque magna civium, Dioscoro faventium, commotione: quos etiam, teste Prisco Rhetore, *Præfectus Thebaidos superveniens vidit uno consensu contra Magistratus impetum fecisse, jecisseque lapides in militum copias, quæ seditionem comprimere studebant; atque milites vi coegisse, ad templum quod olim Serapidis dicebatur confugere: tum populum concurrisse eo, templum expugnasse, militesque vivos, ignis cremasse incendio.* Hinc vero apparet, Schismaticos seu (ut hodie vocantur) Jacobitas, priores ad arma et cædes convolasse, sibique ipsis accersivisse incommoda, tolerata a bis mille militibus, per Imperatorem submissis, ad seditiosos compescendos, et tuendum Catholicum Patriarcham.

et initium cædium actum ab ejus adversariis,

impietatem suam studiose celantibus,

293 Cum autem civitatem, identidem tumultuantem, ablatis variis privilegiis mulctasset Imperator; missa

AUCTORE J. B. S.

A missa legatione, apud eum intercedens pius Patriarcha, illa quidem iste imperavit restitui, sed commotos non ita sedare potuit, quin militari præsidio Proterius semper eguerit, quoad vixit Marcianus. Et vixit usque ad annum CCCCLVII, defunctus XXVI Januarii, ut supra dictum est. Interim præcedenti anno celebraverat Synodum Alexandriæ Proterius, et Timotheum Ælurum Presbyterum atque Petrum Mongum Diaconum, cum aliis nonnullis in hæresi pertinacibus, gradu moverat; quos et Imperator exilio præterea censuit puniendos. At vero intellecta ejus morte, Ælurus, (ut brevi dicam fusius) cellas Monachorum noctu circumiens, et audacissima impostura Angelum lucis mentitus, eo adduxit, ut renovata in Proterium seditione, seipsummet pro eo ordinari fecerit.

uti et Ordinationem Proterii.

294 Proterii Ordinationem, tempus regiminis, et illatam ei necem, studiose Historia Patriarchalis silentio texit. Abulbaracat vero de Proterii, quem Bertarim appellat, Ordinatione tam ambigue loquitur, ac si de ea posset dubitari, an facta unquam sit. Plurima alia scitu dignissima de turbis Alexandrinis, et Dioscori ad plebem sibi devinciendam artibus, ex Liberato, Evagrio, aliisque diligenter discussa, B invenies in prælaudato Commentario Henschenii, et apud Natalem Alexandrum, seculi V parte 1, articulo 14, et parte 2, diss. 13, quæ brevitatis causa a nobis hic præteriri necesse est, plus nimio ad aliqua delibanda immoratis.

XXVI. TIMOTHEUS ÆLURUS

Patriarchatum fraudulenter adeptus, de cæde Proterii accusatus ac depositus, et a Basilisco restitutus, sumpto veneno male perit.

Audita Marciani morte,

TIMOTHEUS (cognomento ÆLURUS) *post obitum Dioscori constitutus est. Magnas pertulit ab hominibus contrariæ factionis tribulationes, nec non in exilium exactus est cum Anatolio fratre; sed post novennium restitutus, obiit Alexandriæ septima Mesri* (nobis XXXI Julii) *die Veneris.* Ita Chronicon Orientale, Dioscoritanæ factionis hominibus impense favens, et in aliis pluribus hic a veritate aberrans. Longe aliter de impiissimo tenebrione Scriptores Catholici loquuntur. *Vix satis cesserat Religiosissimus Imperator Marcianus* (ut nuper diximus) *cum Timotheus Ælurus* C (verba sunt Theophanis ad annum CCCCLVII) *præstigiis et fraudibus usus, Monachorum cellas nocturnus ambulator circumibat, nominatim singulos vocans: cui cum responderet quispiam, referebat ille: Ego sum angelus, et ut a Proterii communione et ab iis quæ Chalcedone sunt Acta, cuncti abstineant; et subinde Timotheum Ælurum Alexandriæ constituant Episcopum, enuntiatum sum missus.*

præstigiis usus, superstite adhuc Proterio, intruditur :

Sanctum trucidari curat,

296 Urebat sycophantam quod a Proterio ipse, et Mongus ejus assecla, damnati fuissent. Hoc mirum, ineptas illas machinationes nebuloni successisse ex sententia. Sine mora enim ab Episcopis duobus ejusdem furfuris, ob hæresim abdicatis a Sacerdotio, Eusebio Pelusii et Petro Majumæ ordinatus, illam in S. Proterium tempestatem excivit, quam supra commemoravimus ex Evagrio lib. 2, cap. 8; tanto furore et rabie usus, ut cum suis perduellibus cadaver illius undequaque vulneratum circumducens, per cuncta fere civitatis loca raptaverit, ejusque viscera sicarii, ferarum more, devoraverint. Hinc illa deploranda Ecclesiæ Alexandrinæ calamitas exordium sumpsit; et distractis in partes studiis, lamentabili schismate usque adeo dertinaci scindi cœpit, ut incendii illius flammæ hodiedum perseverent. D Duces et auctores erant facinorosi gemini, Mongus et Ælurus; quorum scelera, satis aliunde pervulgata, summatim perstringemus, rerum ordinem magis quam res ipsas examinaturi.

sed a Catholicis apud Leonem magnum accusatus,

297 Post crudelem illam et furialem lanienam S. Proterii, Catholici qui ex ejus communione erant, ad Leonem Magnum, virum zelo fidei et pietate Marciano non imparem, confugerunt, porrecto libello supplici, quo rogabant, ut in Proterii parricidas animadverteret; Ælurum vero, incentorem malorum omnium, ex occupata sacrilege Sede expelleret. Crimina paucis ex citato libello, Evagrio et aliis, ita recenset Henschenius §. III, de Actis S. Proterii: *Res Ecclesiæ devastavit, Orthodoxos Episcopos persecutus est et Clericos, S. Proterii memoriam anathematizavit, nomine e dipthycis eraso; ab eo ordinatos abdicavit, Sedem ejus Episcopalem combussit, consanguineosque vexavit; Romanum Pontificem Leonem, et Constantinopolitanum Anatolium, et Basilium Antiochenum, Chalcedonense Concilium, omnesque totius orbis Episcopos et ubique Orthodoxos, Clericos simul et Laicos, anathematizavit; Sanctimoniales conturbavit.* Quid plura? Collecta ab Anatolio Constantinopoli Synodo Episcoporum qui in urbe erant, E auditis hæretici legatis, damnatus est Timotheus.

et Episcoporum judicio Sede privatus,

exulare cogitur per annos 12:

298 Consulti eadem de re Metropolitæ Orientis, una voce responderunt, *Chalcedonensem Synodum usque ad sanguinem vindicandam, eo quod non alteram fidem teneret, quam Nicæna Synodus constituit; Timotheum vero, non solum inter Episcopos non haberi, sed etiam Christiana appellatione privari*: ut habet Liberatus cap. 15 Breviarii. Accessere S. Leonis Pontificis urgentissimæ litteræ; quibus omnibus permotus Imperator, Timotheum Ælurum Alexandria ejici jussit, et alium Synodi Chalcedonensis vindicem ei substitui. Annum istius ejectionis fuisse Christianæ Æræ CCCCLX, ex pluribus S. Leonis epistolis hoc ipso anno datis evidenter demonstrari potest, et omnes, quod sciam, consentiunt. Exilium illud totis fere quindecim annis durasse (non octodecim, ut scribit Evagrius) ex eo conficitur, quod non prius Alexandriam libere remeare permissus sit, quam Basiliscus tyrannidem occupasset, adeoque anno CCCCLXXV. Multa quidem nefarie molitus est exilii tempore, connivente Zenone Augusto, ausus turbare Catholicum Antistitem Salophaciolum, et Sede iterum usurpata Constantinopolim pergere, ubi a fautoribus suis triumphantis in morem exceptus fuit; numquam tamen reditum potuit impe- F trare. Ceterum Ecclesiam infestavit sacrilegus invasor secunda illa vice, biennii circiter spatio; donec Zeno, recuperato imperio, rescissis Basilisci Actis, Concilii Chalcedonensis defensor aut fuit, aut saltem videri voluit. Quo mox consternatus Timotheus Ælurus, *optavit sibi mortem*, inquit Liberatus, et *hausto veneno solutus est*: digno utique tot nefantis sceleribus exitu.

revocatus a Basilisco,

sub Zenone sese veneno enecat,

(male numerante ejus annos Historia et aliis)

299 At quo anno contigisse id statues? Si Historiam nostram sequimur, inveniendus est aliquis, quo dies XXXI Julii concurrat cum die *Veneris*, qui hic alius esse non posset quam CCCCLXXXI, sub littera Dominicali D. Vexavit me non parum Coptica hæc supputatio, toto fere quadriennio a communi Chronologia recedens; et pro ea asserenda cum certioribus destituerer, tamdiu laboravi, donec me Simplicii Papæ epistolæ ab ea revocarunt. Ad Liberatum quod attinet, facilius ille huc pertrahi poterat; Theophanis Chronologia in multis quidem adeo vitiosa est, ut sine scrupulo deseri possit; hic tamen tenenda, et Æluri obitus ad annum CCCCLXXVII, non CCCCLXXVIII (ut Natalis Alexander et alii) omnino referendus. Argumento, inquam, mihi est epistola Simplicii

A Simplicii, data III Idus Martii, Illo Consule, anno scilicet CCCCLXXVIII, qua respondet litteris Acacii; quibus hic, pestis illius interitum antea significaverat. Rescire illum ab Alexandrinis debuit Acacius; Romam scripsit; rescriptum est initio Martii; puto inde probabilissime deduci, non ultra annum CCCCLXXVII vixisse Timotheum.

anno 477, 29 Julii

300 Reliquum est, ut Historiam nostram, pluribus hic mendis scatere fateamur. Exilium non extendit nisi ad novennium: Sedem protrahit ad annos fere XXIII: quid mirum si etiam zyfra aliqua vitiosa irrepserit? Mutetur itaque septima Musri in quintam, quæ erit XXIX Julii, quo die præstigiator ille animam efflare potuerit. Hagiologium sæpe præcitatum, *salutem* immerenti dicit, *Timotheo, qui cursum suum docendo et hortando tenuit, et super aureo et argenteo fundamento animas fidelium ædificavit. Quapropter Patri Dioscoro socius exilio, non minori quam ille præmio dignus censetur.* Melius Acacius in prædicta epistola, *spirantem procellas et ecclesiasticam tranquillitatem conturbantem, subductum*, ait, *vitæ humanæ a Deo, dicente; Tace et obmutesce.*

TIMOTHEUS SALOPHACIOLUS.

B

Insignis ejus etiam in hostes clementia, et facilitas nimia, ab Orthodoxis accusata.

Æluro substitutus anno 460 vir plane Orthodoxus,

PULSO Æluro suffectus est *Timotheus* alter, cognomento *Salophaciolus*, sive *Asbus*, inquit Liberatus, alii *Album* (forte quod alba fascia uteretur, si *Salos* Ægyptiace *Album* significet) interpretantur. Evagrius *Basilicum* nuncupat. Substitutum Timotheum supra insinuavimus anno CCCCLX, quo XV Kal. Septemb. illi gratulatus est S. Leo Pontifex, *quod instinctu fidei, in eum Cleri et plebis et omnium fidelium egit electio. Hic*, teste Liberato, *vixit sine seditione, quiete, in Alexandrina Ecclesia, omni tempore Leonis et omni tempore Zenonis.* Excipiendas puto turbas, Zenonis initio ab Æluro concitatas; sed adeo breves, ut præteriri potuerint. Mitissimum hominem et humanissimum fuisse oportuit, quem etiam schismatici vel inviti amaverint; *Clamantes ei in plateis et in ecclesiis; vel si non tibi communicamus, tamen amamus te*; isque favor eo usque progressus est, ut eum (verba sunt Theophanis) *multis in plures alios illatis malis, quod omnibus carus existeret, lædere non* C *potuerit Ælurus*, jam tamen sub Basilisci tyrannide rerum potitus. *Quin imo Æludo Alexandriam adventanti, partium ejus studiosi succlamabant: Hostes tuos cibasti, o Papa, et ille vicissim respondebat; Ita est, cibavi.* Nihilominus Salophaciolus, prudenter tempori cedens, impotenti belluæ se tradere noluit, *ad monasteria in Canopo posita profugiens, in quibus monasticam vitam olim fuerat professus.*

ipsisque etiam schismaticis carus,

302 Non diu tenuit illa calamitas: etenim a victore Zenone revocatus fuit Salophaciolus, Mongo Æluri successore deturbato; de quo reditu ita ad Simplicium Papam Acacius; *Timotheus, paternorum custos Canonum, qui Davidicæ mansuetudinis exemplo subditur, et usque in finem patiens, atque potestati propriæ restitutus a Christo, propriæ Sedis honore lætatur.* Reliquam subinde vitam sine molestia transegit, mortuus (si Liberato credimus) *anno Episcopatus sui* XXIII, *mense sexto.* Ita passim omnes computant; cum tamen ii ipsi obitum ejus referant ad annum CCCCLXXXII: nonnulli cum Theophane ad annum CCCCLXXXI. Non assentiuntur ii qui ex Liberati verbis annos XXIII et dimidium eliciunt, cum capere nequeant qua ratione ab anno CCCCLX (quo certum est, ex adducta Leonis epistola pluribusque aliis Salophaciolum fuisse ordinatum) ad CCCCLXXXII, annos XXIII et menses VI invenire quis possit. In quorum

non potuit sedisse an. 23, m. 6,

D sententia Salophacioli obitus anno CCCCLXXXIII illigandus esset, nisi vetaret epistola Leonis, XVII, ad Acacium, data Idibus Juliis Severino Consule, hoc est CCCCLXXXII; ubi ad se relatum scribit, *sanctæ memoriæ Fratrem et Coepiscopum obiisse Timotheum, et in ejus vicem consona fidelium voluntate Joannem.... subrogatum.* Dubitare hæc non sinunt, quin anni hujus principio, vel forte etiam sub prioris CCCCLXXXI finem, Timotheus noster e vivis sublatus fuerit. Intelligendus itaque Liberatus, in sensu magis obvio locutus de morte obita currente VI mense anni XXIII, vel, ut jam sæpe factum est, numerus ille annorum, non de plenis, sed de primo et ultimo solum dimidiatis erit accipiendus.

AUCTORE J. B. S. *sed solum 22 cum dimidio; mortuus anno 482;*

303 Nihil optimo huic Patriarchæ ad veram laudem defuisse legimus, præter fortitudinem et zelum adversus hæreticos. Siquidem eo processerat mitissimi hominis mansuetudo et facilitas, *ut a suis etiam communicatoribus accusaretur Imperatori* (ut testatur Liberatus) *tamquam nimis remissus, et circa hæreticos placidus: ita ut ei scriberet Imperator, ut neque collectas, neque baptismata, sineret hæreticos celebrare; ille tamen mansuete agebat.* Perniciosa ea conniventia E utentes factiosi, ab eo extorserunt, ut Dioscori nomen ad altare inter Catholicos Pontifices recitaret. Verum ea de ignavia a Simplicio correptus veniam petiit, ut probat ejusdem Pontificis epistola IV, ad Acacium, his verbis: *Illud quod ante perterritus, de Dioscori nomine fecerat, se destruxisse memoravit, et remissionem ipsius erroris expetiit.*

facilitatis nimiæ in hæreticos aecusatus, resiscit.

XXVII. PETRUS III, MONGUS.

Ob scelera etiam suis invisus (Acephalis ab eo sejunctis) ideoque depositus, sed brevi restitutus per Acacium CP. inglorius perit.

PETRUS, cognomento *Mongus* ΜΟΓΓΟΣ (hoc est obtusæ vocis) *paulo postquam suffectus est, fuit depulsus ab hominibus contrariæ factionis, et ordinatus est loco ejus Timotheus Ansus* (Salophaciolum indicat) *tum Joannes Duinasades* (de quo postea) *qui constitutus est post obitum Ansi; tum reversus est Petrus ad suam Sedem, et obiit quarta Haturi, sive* XXXI *Octobris, die Dominica.* In margine notantur *anni octo et dies novem.* Multa hic, nimium quantum confusa, involvit Historia nostra, deinceps elucidanda. *Virum nequam et veritatis adversarium*, mortuo Æluro, F *ab Episcopo deposito consecratum, post dies triginta sex a Monachis deturbatum*, auctor est Theophanes. Graphice flagitiosam ordinationem depingit Acacius epistola ad Simplicium Papam, quæ extat tom. IV Concil. collectionis Labbeanæ pag. 1079. *Petrus*, inquit, *noctis existens filius, et operum diei lucentium alienus apparens, omnino tenebras, ad latrocinium peragendum congruas, eorum cooperator inveniens; media nocte, adhuc jacente cadavere illius, qui paternos Canones subverterat insepulto; subrepsit in Sedem, sicut ipse arbitratus est, uno et solo præsente, et eo qui consors erat illius insaniæ, ita ut propter hoc majoribus suppliciis subderetur.*

Nocturnus prædator, ex invasa Sede diu grassatur,

305 Non diu raptorem grassari passus est Zeno, S. Thecla opitulante recuperato Imperio, jam in Orthodoxos propensior; sed quem Monachi repudiaverant, ab Anthemio Augustali in exilium deportari jussit. Mandatis illis obsequi detrectaverit, necne, Anthemius, exploratum non habeo; id certum, aliquamdiu, gravi Catholicæ rei dispendio, executionem procrastinasse. Non tulit Præfecti socordiam Simplicius Papa; perniciosæ tergiversationis certior factus, continuo ad Cæsarem litteras dedit, *specialius supplicans, Petrum, Alexandrinæ Ecclesiæ*

et agente Simplicio PP. an Zenone exulare jubetur;

AUCTORE J. B. S.

A *pervasorem, et ob hoc jure damnatum, quia moliri quædam, latens in Alexandrina (sicut ad nos scriptum est) civitate, contra hæc quæ..... sunt statuta memoratur, ad exteriora transferri jubeat.* Nec destitit vigilantissimus Pontifex Imperatorem et Acacium fatigare, quoad usque pestifero hæretico Alexandrini liberarentur. Quid multa? Sopitis magis quam extinctis exitialibus turbis, tamdiu Mongus aut exulare aut saltem latitare coactus est, donec Salophaciolo e vivis sublato, fœcundus fraudum artifex, ad pristinas artes dilapsus, aditum sibi aperuit, ad gregem Dominicum denuo depopulandum. Non abs re erit, luctuosam tragœdiam paucis ex Liberato delibare.

306 Defuncto CCCCLXXXII Salophaciolo *substituitur a communicatoribus ejus Episcopis et Clericis et Monachis, qui ejus noverant fidem et gubernationem, Joannes, ex œconomo Presbyter factus, Tabennesiotes, cognomento Talaia.* Non poterant melius, obductæ cicatrices omnimode sanari, nisi inde erupisset pernicies unde auxilium sperare oportebat. Sane ingenti Catholicæ rei detrimento accidit, ut Acacius Joanni adversatus, eas concitaverit turbas, quæ totam Ecclesiam misere dilacerarunt. Causam prætexuit, quod sive negligentia, sive consilio, Syno-

Salophaciolo succedit Joannes Talaia,

B dicas de more Constantinopolim non destinasset; adhæc enormiora alia commentus crimina, incentoribus et adjutoribus Mongi patronis, Zenonis favore fretus, eum accusavit, *quasi opportunus Episcopatui non esset, eo quod vivente Timotheo Catholico, tractavit exire de Ecclesia, et ab ipso suaderetur idem Timotheus suscipere Dioscorum in Diptychis post mortem... quasi eam Sedem, contra suum jusjurandum, quod in regia civitate dedit, arripuisset.*

quem multis calumniis oneratum

307 Sunt qui ex Evagrio Simoniæ labem adjungere non verentur. Crediderim hujusmodi criminationibus nonnulla subesse potuisse, quæ Acacii odio in immensum aucta, specie veritatis obvelata, opportune apud Imperatorem jactata, tantum pro dolor! effecerint, *ut scriberet Apollonio Augustali et Duci Pergamio, Joannem expellerent, Petrus autem Mongus populo amabilis remaneret in Sede.* Jam tum vaferrimus hypocrita, Episcopatum pactis conditionibus mercatus erat: nimirum ut famoso Zenonis Henotico, seu prætenso pacis conciliativo subscriberet; eos qui in Proterii contra Ælurum communione manserant, in suam admitteret; Synodicas mitteret ad Simplicium Romanum, Acacium Constantinopolitanum ac ceteros Archiepiscopos.

Acacius pelli curat, restituto Mongo:

C 308 Plus aliquid præstitisse visus est, temporibus sese accommodans, nullius, aut venalis fidei, *cothurnus veluti ac veterator;* sicut eum vocat Evagrius. Etenim litteris ad Acacium datis (quas auctor idem recitat lib. 3, cap. 17) duas in Christo naturas confessus est, et Synodum Chalcedonensem subdole suscepit, nullam vafritiem neglecturus, modo impune latrocinia sua exercere sineretur. Protei, Pharii, atque Euripi instar (inquit Nicephorus Callistus lib. 16, cap. 13) semper se temporibus et rebus ipsis accommodans. En egregium specimen. Vix Thronum conscenderat, cum eamdem *Synodum anathematizavit, et tomum Papæ Leonis; et hæc fecit, cum jam scripsisset Acacio et Simplicio, quia communicator eorum esset et sanctæ Synodi... Sublato nomine Proterii et Timothei Catholici de Diptychis, Dioscori et Timothei Æluri nomina scripsit: ejusdem Timothei Catholici corpus de terra levavit, et foras projecit... Catholicos Sacerdotes propriis civitatibus expulit.*

qui incredibili perfidia, apud alios Catholicum se simulans,

apud suos turbat omnia, et Synodum Chalcedonensem anathematizat.

309 Videbat hæc Acacius et silebat? Silebat, imo etiam *miris laudibus eum prosequebatur, de quo se tanta crimina antea meminerat retulisse.* Incredibile est, quanto ea Acacii perfidia dolore affecerit solicitum Simplicii animum; hominem oravit, corripuit, minis absterruit; inani prorsus conatu: toto siqui-

Frustra de his monitus Acacius,

dem quinquennio ipse et successor Felix, hortando D et obtestando, *nihil penitus profecerunt.* Mittuntur Constantinopolim legati, *Vitalis et Misenus Episcopi: at illi in custodiam redacti sunt, chartis sublatis, ne Catholicis, quibus scriptum fuerat, redderentur. Quos iterum Acacius post hæc de custodia ejiciens, secum fecit procedere, ut quasi confirmato Petri Sacerdotio remitterentur.* Tantulæ odii causa florentissimæ Ecclesiæ exitium stetit.

310 Horret animus enumerare cetera, tyrannice ab Acacio perpetrata facinora, *ex* quibus *ad plenum detectus est hæreticus.* Unde *Papa Felix in litteris suis Synodicis ad Acacium sic posuit: Peccasti, ne adjicias, et de prioribus supplica.* Eo nihilominus perseverante, ad extrema deventum est, missa ei *damnationis Scriptura.* Sed nec illa perterritus homo præfidentis ingenii, *usque ad mortem, patrocinante Imperatore, remansit sacrificans*; Mongo, ea auctoritate fulto, libere in Catholicos debacchante. Sed Acacium missum facio: abunde ex dictis ostenditur, Ecclesiæ Alexandrinæ perniciem, a Græcis Latinisque scriptoribus merito ei imputari; quandoquidem simulata fidei professio Petri Mongi, et subsecuta inde E Sacrorum violatio, eum non latuerint. Agebat quidem partes suas non instrenue larvatus histrio, *scribens Acacio, quia esset Synodi communicator; et fallens Alexandrinos, quia non communicaret Synodo.*

a Papa Felice hæreticus declaratur;

311 At horum omnium a summis Pontificibus Simplicio et Felice *sæpe admonitus Acacius, nihil unquam respondere dignatus est*: factus ejusdem prævaricationis particeps, quam in scelerum socio, apostolica auctoritate munitus, corripere tenebatur. Mongus interea fanda et nefanda, nullo obsistente, aggressus, gregem Dominicum, lupi instar, immanissime dilaniare perrexit; quodque largitionibus atque imposturis fuerat consecutus, iisdem artibus tenuit quoad vixit: inscrutabili Dei judicio, Alexandrini populi levitatem, proterviam et insanam tumultuandi libidinem (ita fere eum depingit Evagrius) in religionis capite punientis: quo duce actus subinde in præceps, primum ab Ecclesia divulsus, Saracenica, et dein Turcica oppressus servitute, pœnas persolvit æternum duraturas.

Mongus interea impune agit

312 Restat ex instituto nostro examinandum, quo demum anno sacrilegus ille turbandi finem fecerit. Superius ex Historia Patriarchali diem *Dominicam* notavimus; cujus concursus cum XXXI Octobris, vitam ejus extenderet usque ad annum CCCCXCIII, contra quam sentiant Chronologi nostri omnes cum Theophane; nullo fere contradicente, F Mongum triennio citius extinctum asserentes, nempe CCCCXC, non ante, ut recte probat Baronius. Ab illis autem ut recedamus, non est cur nos Historiæ auctoritas moveat, præsertim cum anni octo in margine adscripti, justo calculo Patriarchatum nobiscum ab anno CCCCLXXXII ad CCCCXC producant. Sed quid de die? Fateri oportet mutatam denuo zyfram librariorum oscitantia, et pro quarta Hathuri scribendam primam; et sic servata Dominica, mortuus dicetur XXVIII Octobris.

et an. 490, 28 Octob. extinguitur,

313 Hæc ad stabiliendam (siquidem operæ pretium est) Chronologiam sæpe citatam: cui etiam Evagrius ex narrationis ordine, Mongi interitum ante mortem Zenonis collocans, consentire haud dubie videtur. Non item Liberatus, sub finem cap. 18, ex quo ferme jam dicta desumpsimus, ita scribens: *In istis posita Ecclesia, moritur Acacius, et ordinatur post eum Flavitus Presbyter, qui fuit a S. Thecla; qui non consensit sine Romano Episcopo inthronizari, sed transmisit Synodicam Papæ Romano Felici. Qui modico vivens tempore, moritur, non accipiens epistolam ipsius; et factus est Euphemius Episcopus, genere Alexandrinus, qui et suscepit a Papa Romano scripta. Et mortuo*

Liberatus, in speciem dissentiens, cum aliis conciliatur

A *mortuo Zenone, post aliquod tempus, expulsus est ab Anastasio. Et hæc quidem Constantinopoli contigerunt.* NON POST MULTUM TEMPUS MORITUR ET PETRUS MONGUS ALEXANDRIÆ. Ad Acacium postrema hæc verba referat, an ad expulsionem Euphemii, non facile dijudicaveris : mihi verosimilius est ad Acacium referenda, ut statutæ temporum rationi melius consulatur.

314 Subnectendum esset ex Hagiologio Habessino latronis nostri encomium, nisi de eo illic altum sileretur. Nam Petrus qui II Hathuri post Sanitium ex ipso Hagiologio commemoratur (et quidem uterque sub rubrica cum titulo Patriarchæ Alexandrini in fastis Æthiopicis Ludolfi) junior esse videtur, aut potius ambo Metropolitæ Habessiæ. Siquidem in eorum elogiis, nulla fit mentio vel Patriarchatus vel Alexandriæ, sed solus Archiepiscopi titulus additur, quem potuerunt ambo in Habessia gessisse cum insigni laude sanctimoniæ, eaque meriti in Fastis istis, juxta Hagiologium, prærogativam coloris festivioris. Ita fere in posteriori hujus loci recognitione præfatus Ludolfus, in iisdem Fastis aboliturus titulum Patriarchæ, quem Sanitio et Petro dederat, motus auctoritate Calcosendii, eum in B Copticis suis ad II Hathuri, inter Patriarchas referentis.

In Hagiologio nulla Petri memoria, sed alterius, verisimiliter Habessini.

315 Illud admiratione dignum est, eum qui pro sua contra Orthodoxos et Chalcedonensem Synodum cacozelia, exilium passus est, non meruisse locum in Fastis Habessinorum, nec peculiari ullo elogio in Historia Patriarchali celebrari. Unde non gratis quis conjiciat, multiplicis perfidiæ, et ut ita dicam, apostasiæ reum, suæ etiam factionis sequacibus tandem invisum fuisse et exosum ; adeo *ut quidam communicatorum ejus, Clerici, Monachi et Laici, cognoscentes ejus fallaciam, separaverint se ab ejus communione*, non quod ad Catholicos transierint, sed sine capite vagantes, creduntur initium dedisse Acephalis, in varia sectarum divortia postea divisis, ut apertius testatur Leontius lib. de sect. act. 5. *Atque hi vocabantur Acephali (capite carentes) quod Patriarcham suum (*Mongum*) minime secuti, seorsum communicarent.*

Mongo etiam suis exoso : unde nati Acephali.

JOANNES TALAIA.

Alexandria pulsus ab Acacio CP. Romam profugit, fitque Nolæ Episcopus, saltem C *pro Græcis.*

Is, quem diximus pro Salophaciolo et Tabennesiota assumptum, Acacii CP. perfidia Sede sua pulsum, *Joannes* cognomento *Talaia*, Romam ad Simplicium Papam confugerat; Acacio in ejus gratiam frustra per Pontificem interpellato, ut vidimus. Ibi itaque *remansit*, inquit Liberatus. Defuncto interim Simplicio, successor Felix, Talaiæ *Nolanam dedit Ecclesiam, in qua plurimos residens annos in pace* quievit. Nempe per mortem S. Felicis junioris, obitam V Idus Februar. post Cons. Fausti Fl. V. C. (ut ex epitaphio apud Ughellum constat) id est anno CCCCLXXXIV, vacabat Ecclesia Nolana. Vacasse autem potuit usque ad annum CCCCXCIX, non ultra; quia isto anno sub Symmacho Papa, celebrato Romæ Concilio, Serenus Nolanus subscripsit.

Joannes Talaia, Nolanum Episcopatum obtinet,

in quem constituto pro Latinis Severo, ipse diu pergit Græcos curare,

317 Sederitne Joannes Nolæ Episcopus Latinorum, an potius Græcorum ibidem commorantium curam gesserit Græcus ipse, non omnino constat; puto non inverisimiliter Græcis præfuisse, ut sentit Papebrochius in Commentario de tribus Paulinis, XXII Junii. Nihil præterea de eo memoriæ proditum reperimus, nisi quod Theophanes ad annum CCCCXCII, ita scribat : *Joannes vero Tabennesiota, Romæ degens, Anastasium imperare et Byzantium audiens occupare* D (anno CCCCXCI) *gratam beneficiorum vicissitudinem ab eo, quod olim Alexandriæ summam in eum exercuisset humanitatem, quem etiam nudum naufragio exceperat, adeoque benigne foverat, ut miseriarum reddidisset immemorem, ad eum proficisci decrevit. Anastasius virum audiens accedere, ingenti prorsus ingrati animi vitio, jussit exulem agi, nec solo conspectu dignatus excipere. Joannes re præscita Romam fugiens, saluti consuluit.*

Anastasii Imp. sibi obstricti ope frustra implorata.

AUCTORE J. B. S.

XXVIII. ATHANASIUS II, ET ESAIAS.

Illius hæresis, hujus Catholica Religio.

ATHANASIUS II, *qui una cum Petro Ecclesiæ Alexandrinæ serviebat, defunctus est* XX *Tuti* (XVII Septembris) *die Martis.* Ita Historia, addens annos Sedis sex et dies CCXXIII. Ejusdem cum Mongo furfuris fuisse hunc Athanasium dubitare non sinit Liberatus cap. XVIII. Siquidem *in Edicto* Zenonis Henotico recipiendo (cum injuria Synodi Chalcedonensis) *Constantinopolitanæ, et Antiochenæ, et Hierosolymitanæ* E *communicavit Ecclesiæ;* et *Petri nomen*, non sine populi scandalo, *habebat in Diptychis.* Propterea *nec cum illo communicabant Acephali, quia Petrum reciperet,* inquit Leontius loco supra citato.

Athanasius II Mongi gregalis,

319 Hujus tempore, aut aliquanto prius, et forsan etiam sub uno alterove successorum, erat in Ægypto *Esaias quidam a Palæstina Diaconus, ordinatus Episcopus, et Alexandriam missus, sed ab omnibus, non receptus : ab illo ergo Esaini sunt in Ægypto.* Sed plenior nobis de eo optanda est notitia, quam hic Liberatus satis confuse tradiderit. Quod vero Athanasius, una cum Petro, Ecclesiæ Alexandrinæ servivisse dicatur, non ita accipiendum est, quasi ambo una fuerint Patriarchæ, vel unius tempora cum alterius annis confundi debeant. Suspicari malim, Athanasium Petri adjutorem fuisse, et hoc defuncto statim in throno substitutum, sedisse annis septem non integris, a XXVIII Octobris CCCCXC, ad XVI (non XVII) Septembris, anni CCCCXCVII, et die Martis vivere desiisse, quo pacto Historiæ calculus, ex Hagiologio correctus, cum Theophanis et Nicephori Chronographia opportune conciliatur.

(sub quo Esaias, unde Esaiani)

obiit 497, 16 Septemb.

320 Porro idem Nicephorus, ut ipsum a cognomine *Sancto* distinguat, addit ei, et merito, notam *Hæretici.* Habessini nihilominus suis Fastis adscriptum habent : quos secutus eorum Poeta Hagiologus, die XIX Toti, quo obiit (non die XX, ut male notavit Historia) laudat illum, ut similem *Lucernæ splendenti, ac super candelabrum positæ ;* ipsumque salutans cum quadam, tunc etiam Coptis celebrata, *Madilaina Virgine Martyre*, petit *ut ille et hæc manibus suis venerandis, charactere salutis, id est Cruce, signent frontem* ipsius, scilicet Poetæ. Kalendarium Copticum a Seldeno editum pag. 378, ex eoque Jobus Ludolfus die nona Toth (id est VI Septembris) Arabice refert Athanasii Patriarchæ secundi nomen, in Fastis Æthiopicis apud Poetam non reperti. Sed Historia Patriarchali, et Hagiologio, convenientibus in XIX vel XX hujus mensis, suspicari velim isto priori die indicari potius aliquod secundum festum Magni ac primi Athanasii, puta elevationem aut translationem aliquam corporis, vel certe aliquem Athanasium diversum ab iis quos novimus ; vel denique translationem ipsiusmet Athanasii secundi ab hæreticis factam, apud quos pro Sancto haberi potuerit.

male inter Sanctos relatus, F

non tamen 29 Sept. sed alius ab eo.

A

AUCTORE J. B. S.

XXIX. JOANNES MELA,

A Judaismo conversus, apud Habessinos colitur minus recte.

Alter Mongi assecla,

JOANNES, Liberato *Mela*; Theophani, *Hemula*; Abulbaracato, *Monachus* cognominatus; *qui et ipse secutus est Petrum et Athanasium, præcessores, et in Edicto, mutuo communicavit aliis Sedibus;* dicitur in Historia *transegisse dies suos in pace.* Sed cum hanc pacem adscribit favori Zenonis, errat vehementer; quia hic ab anno CCCCXCI e vivis excesserat. Liberatus e contrario affirmat quod *Joannes hic defunctus est, dum Ecclesia Alexandrina habuisset divisionem Dioscoritarum, propter Petrum Mongum, quasi communicasset Synodo* Chalcedonensi, per illam scilicet execrandam simulationem, superius a nobis memoratam. *Defunctus* autem *est tempore Macedonii,* *obiit* 505, *Aprilis* 29. *Constantinopolitani Episcopi,* juxta Historiam, *quarta Baschnes* (id est XXIX Aprilis) *die Veneris:* quæ omnia recte concurrunt in annum DV. Sedisset ergo annos circiter octo, rescissis diebus quos ei adscribit Chronicon; non annos novem, uti vult Theo- B phanes, ad annum sequentem Joannis vitam producens.

Laus in Hagiologio,

322 Hagiologion de eo dicit, quod *Judaicam majorum suorum legem relinquens, ut filii Mariæ,* id est Christi, *Discipulus fieret; factus est Pastor bonus ovibus suis, et plagas tristitia multa complens in suo corpore, migravit hodie illuc, ubi effusa lætitia est.* Kircheri Catalogus successorem ei dat Joannem *Kircheri circa eum sphalma.* Talaia quasi fuerit, inter hunc et mox dicendum Joannem, medius. Sed is (ut jam vidimus) fuit Petro Mongo oppositus et orthodoxus. Magis idem errat in ipso hoc *Petro,* cognomen ejus attribuens alteri æque hæretico Theodosii XXXIII Patriarchæ successori, de quo infra.

CAPUT V.

Prosecutio Patriarcharum factionis Jacobiticæ, ab anno DV usque ad DCXXI, et Orthodoxorum iis oppositorum.

XXX. JOANNES II.

Ejus parva sinceritas, Chalcedonensem Synodum execrantis, et Henoticum tenentis. C *Monachatus ejusdem.*

Severo Antiocheno communicans

JOANNES; Liberato, *Machiota*; Theophani *Nicæota*; ab Historia male cognominatur *Clausus,* ut advertit Ludolfus; quia verbum Arabicum *Habassa,* non tantum *claudere* vel *concludere,* sed etiam, *semet devovere* vel *Deo dicare* significat, quod Joanni ab Hagiologio adscribi statim videbimus. *Ejus tempore* (inquit Historia) *constitutus est super Sede Antiochena, Severus, cui perpetuo scribebat, et ille respondebat de unitate fidei orthodoxæ.* Egregia enim vero orthodoxia! dum Joannes *priores ipse suos secutus* (teste Liberato cap. 18) *suscipiebat quidem unitivum Zenonis Edictum, non autem Chalcedonense Concilium et Epistolam Papæ Leonis: tamquam non communicaret Flaviano Antiocheno et Eliæ Hierosolymorum Episcopis, et Timotheo Constantinopolitano: dicebat enim imperfecte Edictum se habere, nec ad unitatem sufficere, quod non in Anathemate Synodi fuisset factum. Deinde cum ei Imperator Anastasius scripsisset, ut uniretur Constantinopolitano Episcopo; hæc rescripsit: Quia non sufficeret ei ad perfectam unitatem, eo quod non anathematizaret Synodum. Et tamen etiam ita sapiens, separatos habuit Dioscoritas, non suscipientes Petrum Mongum.*

324 Audacissimum fuisse oportet Machiotam D illum, qui aperto marte Synodo Chalcedonensi bellum indicere non formidaverit, eo impudentiæ progressus, ut *ducentas auri libras Imperatori se daturum pollicitus sit, si modo celebratam Chalcedone Synodum funditus abrogaret,* ut affirmat Theophanes ad annum DX. Addebat nimirum animos, et Anastasius ipse, eadem hæresi tunc afflatus, et Timotheus Constantinopolitanus, cujus legati *Alexandriam missi, ex Ecclesiæ suggestu sanctam Chalcedonensem Synodum anathemate damnaverant.* Eo res rediit, ut *impius Alexandriæ Præsul* (ita iterum loquitur Theophanes) *Ægyptios Hierosolymam ascendere prohibuerit, ne in sanctæ Crucis exaltationis festo Chalcedonensis Synodi Patribus communicarent:* ingemiscentibus interea bonis omnibus, quorum cervicibus dira hæreticorum tyrannis, strictis nonnumquam gladiis, minitabatur.

Synodum Chalcedonensem audacissime damnat,

325 Spatium Patriarchatus perquam varie illi definitur. Defunctum, ait Historia, XXVII Baschnes (id est XXII Maji) die Lunæ, notans in margine annos XXI, dies XXIII, palpabili errore, si marginalia inter se conferantur. Melius Theophanes et Nicephorus annos adscribunt XI; qui, posito uno interpontificii anno, ab Historia asserto, justo calculo E nos perducunt ad annum DXVII, quo prælaudatus Theophanes Nicæotam extinctum scribit, quoque sub littera Dominicali A characterismi omnes, ab Historia indicati, componuntur. Hagiologium porro ejus sic meminit: *Salutem Joanni, qui Deo devovit seipsum, donec fuit electus ad Patriarchatum; in quo unum trinum Deum prædicans, et verba exhortatoria loquens, atque libros Legis interpretans, creatori suo tradidit animam;* hoc die scilicet. Procul dubio voto castitatis et abstinentiæ sese Deo devoverat, atque devinxerat: iste enim est sensus verbi Æthiopici *Mokha,* ut annotavit Ludolfus.

defunctus anno 517, 22 Maji,

Hagiologium videtur indicare fuisse Monachum.

XXXI. DIOSCORUS II.

Schisma Alexandrinum ex parte sublatum, receptis Mongi asseclis; unde laus ejus apud Habessinos. Communicatio cum Severo, quem Magistrum vulgo putant illius Jacobi, unde dicti Jacobitæ.

DIOSCORUS II *protestatus in ejectione Synodi se suscipere Edictum, satisfecit eis qui in divisione erant;* ait Liberatus. Historia ita de eo scribit: *Statim atque suffectus est, scripsit ad Severum de conformitate fidei, cui eamdem se profiteri respondit,* decessorem F in hoc imitatus: quod eo minus mirere, si Timothei Æluri nepotem fuisse Dioscorum hunc ex Theophane intelligas, et non sine turbis et cædibus ordinatum. Quippe, *eo Episcopo creato, oppidanorum multitudo a reliquo Ecclesiæ cœtu segregavit se, dicens: Non sedet Episcopus, nisi qui, prout sancti Canones Apostolici præscribunt, fuerit institutus: Principis enim Magistratus ad Thronum eum subvexerant. Igitur ad S. Marci Dioscoro profecto, convenientes Clerici, vestibus iterum induerunt, et Ordinationis ritum circa eum iterato perfecerunt.* Interfecto deinde Calliopii Augustalis filio, legationem suscipere coactus Dioscorus, vix bene Imperatoris Anastasii animum emollivit. Liberatus (ut jam innuebam) asserit satisfecisse eum *his, qui propter Petrum Mongum extra illam Ecclesiam communicabant,* unde et *uniti sunt ei. Nam usque ad istum Dioscorum, in divisione erat Ecclesia Alexandrina.* Quæ porro qualisque illa unio esse potuerit, inter errores quotidie succrescentes, patebit ex sequentibus.

Non sine turbis ordinatus,

Mongianos sibi devincit:

327 *Defunctus* est autem, inquit Historia, *decima Babæ,* quæ esset VII Octobris, *die Martis.* Qui concursus exigeret litteram Dominicalem E, adeoque annum

obiit 6 vel 7 Octobris anno 520,

A num DXIV vel DXXV. Hæc autem manifeste pugnant cum definito jam decessoris, et figendo successoris obituali anno, ex ipsamet Historia; imo cum duratione Episcopatus Dioscori, quam eadem assignat. Hæc enim omnia Dioscori mortem ad annum DXX nos cogunt reducere. Nec difficulter Historiam ipsam huc pertrahes, si librarii vitio factum dicas, ut pro IX Babæ, legatur X; nam sic obiisset notata feria III seu die Martis VI Octobris, et inveniretur desideratus concursus. Vel, quid si pro die Martis, diem Mercurii scribendum putes, atque ita maneat X Babæ seu VII Octobris? Certe, utrovis modo correxeris, habebis annum qui quæritur DXX; et sublata omni turbatione, recte cetera componentur; siquidem tanti sit perpetuis prope erroribus componendis laboris aliquid insumere.

quidquid contradicat Abulbaracat.

328 Jam vero, si (ut habet præfata Historia solum sederit annos II, dies CXLVI, Ordinatio facta fuit anno fere uno post mortem decessoris, Christi scilicet DXVIII. Si autem cum Nicephoro annos III integros malis ei adscribere, immediate post Machiotæ mortem dicetur institutus. Abulbaracat, quem citare ultra piget, in hoc Patriarcha solens discrepat ab Historia et Scriptoribus aliis: nam secundum B illum Dioscorus II, uno tantum mense post mortem decessoris creatus fuit, mense Buna, hoc est Junio; idque anno Mart. CCXLI, qui est Christi DXXIV; et obiit XVII Babæ, id est XII Octobris anni Martyrialis CCXLIV; qui esset Christi DXXVII, ut proinde talium annorum nulla possit haberi ratio.

Ejus laus in Hagiologio

329 De eo agens Hagiologus Habessinus: *Salutem tibi*, inquit, *Dioscore, Scriba magne, Patriarcha et Sacerdos, socie Seraphinorum, ad tradendam fidelibus sanctæ Trinitatis fidem. Huic quoniam subscribit anima mea, dicito ei; Quiesce mecum in regno cœlesti.* Ita factionis suæ primipilis velificatur Scriptor, magis fortasse ex ignorantia veri, quam ex pertinacia tenendi falsi, abreptus in schisma, Concilio Chalcedonensi inimicum.

licet communicarit cum impio Severo hæresiarcha exule;

330 Severus (quocum Dioscorus, et ejus decessor, Machiota, communicabant in fide; quique in eodem Hagiologio ad secundam Babæ id est XXIX Septembris, sub nomine *Sawiri* laudatur, quod *maluerit exilium tolerare quam fidem Christi abnegare)* dimissa Sede, Antiochia profugus, ubi lingua blasphema ei amputari debebat, Alexandriam confugerat circa annum DXIX; exindeque cum Patriarchis C Alexandrinis communicabat per litteras, XVI annis et amplius Ecclesiam Orientalem perturbans; homo sacrilegus, magus, veterator, hæreticus, et siquid his flagitiosius, ut videre est apud Nicephorum Callistum, lib 16, cap. 29, 30, et 31, ex quo sua fere desumpsit Baronius; Coptis interim et Jacobitis reliquis incomparabilem viri sanctitatem et fortitudinem miro encomio extollentibus. Sed eos curiosus lector consulere poterit, nos ad alia festinamus.

cujus sectator Jacobus Zanzalus,

331 Hujus Severi discipulus, Jacobus ille Syrus, alias Zanzalus fuisse perhibetur (malim ego sectatorem dicere) unde Jacobitarum nomen fluxit, ut suo loco distinctius conabor exponere. Ceterum eorum sententiam Abulpharagius Arabs, apud Jobum Ludolfum in Commentario, explicat pag. 461; *De natura unae duabus, divina et humana, sine mixtione, confusione, aut corruptione; verum ita ut eo modo quo fuerant manerent, sicut natura hominis, duabus naturis anima et corpore constat, ita ut nec anima in corpus mutetur, nec contra.* Sic loquitur Abulpharagius, infra examinandus. Nempe, ut ait Nicephorus lib. 18, cap. 46, *nobis unam subsistentiam compositam dicentibus; illi unam potius naturam compositam inferunt,... quod Ecclesia, tamquam piaculum, prorsus aversatur.* Porro de Jacobi illius Syri origine, de ejus studio in propaganda hæresi, et de sequacibus, in plurimas sectas, ut Theopaschitarum, Aphtartodocitarum, Monothelitarum, Armeniorum, aliasque hujusmodi plurimas, deinceps divisis, multa congerit Nicephorus idem Callistus, citato libro 18; et per tria capita, 52, 53, et 54, fuse prosequitur, quæ alibi accuratius discutienda pollicemur.

Jacobitis nomen reliquit.

D AUCTORE J. B. S.

XXXII. TIMOTHEUS III.

De eo et Severo perturbate et falso relata confutantur. De corruptibili Christi corpore nata sub eo controversia.

Chronici Orientalis

TIMOTHEUS hæreticus, sicut et decessores sui, luculenta mendaciorum farragine ab Historia nostra Coptica exornatur. Ita habet: *Ejus tempore defunctus est Anastasius Imperator Jacobita, et Regnum post illum suscepit Justinianus Chalcedonensis, qui pro Timotheo Apollinarem* [Apollinarium] *substituit, totisque viribus contendit, ut omnes Christianos ad fidei Chalcedonensis Concilii reduceret decreta; quare Concilium cogi curavit Constantinopoli, cui præsidebant Vigilius Patriarcha Romæ, Apollinarius quem pro Timotheo suffecerat, et Eutychius Patriarcha Constantinopolitanus.* E *Severum quoque et Orientales Episcopos accersivit, ut suæ fidei subscriberent; qui noluerunt ipsi assentiri. Quamobrem multis et gravibus afflixit Jacobitas tribulationibus, et Severum detrusit in carcerem; sed non multo post, efflagitante pro illo Imperatrice, quæ ejusdem persuasionis erat, fuit dimissus.* Videas obsecro quam inepta, falsa, et diversissimis gesta temporibus, hic in unum coacerventur.

falsa et perturbata rerum series,

333 In primis, falsum est, Anastasium eo tempore vixisse, quo Timotheus Patriarchali Sede potitus est; cum ab anno DXVIII vivere desierit ille, hic non nisi anno DXX, aut (si Historiæ credimus) DXXVIII fuerit ordinatus. Falsum item est, quod post Anastasium, Imperium susceperit Justinianus; successit enim Justinus usque ad annum DXXVII. Ridiculum etiam est, Jacobitam dici Anastasium; cum verosimiliter Jacobus ipse, a quo Jacobitæ dicti sunt, necdum tunc fuerit in rerum natura. Nec minus ineptum illud, quod de Apollinario in locum Timothei substituto garrit, ut ex sequentibus manifestum fiet. Quid porro Synodus œcumenica V, anni DLIII, ad Timotheum spectet, non satis intelligo. Quomodo autem Severus ad idem Concilium vocari potuit? Qua veritatis specie asseritur Severum, detrusum F in carcerem, ope Theodoræ ex eo liberatum; quem constat ab anno DXIX, Antiochia (ut diximus) profugum, in Ægypto latuisse; aut si malis cum Evagrio, lib. 4, cap. II, profectionem Severi in urbem regiam tueri; certe id etiam admittere oportebit, nihil tunc temporis homini illi adversi accidisse. Audiamus modo reliquam Historiæ seriem.

refertur et refellitur.

334 *Antiochia igitur egressus (*Severus*) cum suis Episcopis in Ægyptum perrexit; et eam regionem circuibat, ab uno ad aliud monasterium se transferens, et ab una ad aliam civitatem, modo clam, modo palam, homines suæ fidei confirmans. Eodem tempore ad Ægyptum pervenit Apollinarius, libellos habens de fide Concilii Chalcedonensis recipienda, quam perplures amplexati sunt, tam ex Laicis quam Monachis, et præsertim Monachi monasterii sancti Macarii, septem exceptis; e quibus duos interfecit, reliqui vero evadentes, effecerunt, ne reliqui Monachi reciperent tomum illum. Eadem quoque præstiterunt cum populis. Occidit autem Apollinarius ex Jacobitis ducenta circiter millia virorum, mulierum ac puerorum in ipsis ecclesiis. Justinianus vero Imperator, cum dudum laborasset, ut Severum Patriarcham Antiochenum ad fidem Concilii Chalcedonensis reduceret, nec illum ullo modo ad id persuadere potuisset, ipsum e vivis auferre decrevit.*

Hactenus

A Hactenus Historia, ex qua laciniam hanc placuit excerpere, ut pateat quam imbecilli fundamento nitantur, qui ex Chronici Coptici auctoritate opiniones suas identidem corroborare non desinunt. Sed ad ordinem temporum revertamur.

AU. TORE J. B. S.

335 Sedisse dicitur ad marginem, annos XVII, dies CXCVI; et defunctus decima tertia Amschiri (hoc est VII Februarii) die Sabbati. Concursus hic habetur anno DXXXVII, quo Timotheum obiisse credimus, non tam ratione hujus concursus, quam quod Nicephorus, Theophanes, et ipse Abulbaracat, in Episcopatus duratione consentiant, quæ nos ad talem annum perducere omnino debet. Et quidem Nicephorus editionis Parisiensis MDCLII, ex recensione Jacobi Goar, eumdem annorum XVII numerum clare exprimit, consentiens itidem in assignando Justiniani Augusti imperio, quod hic ab anno DXXVII ad DLXVI possedit. Theophanes vero adhuc expressius sententiam nostram confirmat, annos XVII adscribens, et eum annorum numerum terminans eo ipso anno DXXXVII. Ceterum annos illos ne completos existimes: melius Abulbaracat ad XVI et dimidium restringit; unde corrigenda est nota marginalis Historiæ, et pro XVII, scribendum XVI, et dies non CXCVI, sed CXXIII, qui a morte decessoris effluxerant. B

Obiit Timotheus 7 Febr. 537,

336 Poeta Hagiologus ita Timotheum laudat, ut plene Orthodoxum quis crederet, dum ait, *Salutem dico Timotheo, Concionatori et Patriarchæ, cujus diebus data fuit benedictio fidelibus, et flamma verbi ejus exusti fuerunt, sicut aridum olus, Moloke, qui crediderant doctrinæ hæretici Eutychetis.* Ita fere sectarii etiam hodierni, Sociniani, aliique, errorum suorum Auctores in speciem abominantur, dum interim eorum doctrinæ quoad rem pertinacissime adhærescunt. Sane Jacobitas omnes, tum Coptas, tum Habessinos, veros esse Eutychianos passim Scriptores nostri et vere asserunt; Jacobitis interim ubique Eutycheti anathema pronuntiantibus. Sed de his alibi. Ceterum non usquequaque de Christi humanitate male sentire videbatur Timotheus, ut ex Liberato cap. 19 Breviarii datur intelligere.

laus in Hagiologio,

337 *Sub isto Timotheo, de Corruptibili et Incorruptibili apud ipsam Ecclesiam quæstio mota est, hoc modo: Requisivit quidam Monachus Severum, quid oporteret dicere, Corpus Domini nostri Jesu Christi, Corruptibile an Incorruptibile? Ille respondit ei, sanctos Patres Corruptibile illud dixisse. Hoc audientes quidam Alexandrinorum, cum requisissent Julianum* (Halicarnassæum, Severi Socium, a Timotheo gratissime susceptum) *in alio loco sedentem, quid et ipse diceret de eadem quæstione; ille dixit, Sanctos Patres contraria dicere. Horum itaque singuli, statuere proprium responsum volentes, scripserunt libros adversus alterutrum. Qui venientes in multitudinem civitatis, Ecclesiam illam diviserunt: et alios quidem fecerunt Corrupticolas appellari; verum, Incorruptibilis assertores, Phantasiastas. Timotheus vero magis sententiam Severi secutus est.* Hactenus Liberatus, cui fere consentit Leontius, nisi quod affirmet Timotheum *modo huic, modo illi patrocinatum,* in quo constantiam, desideres. Videtur præterea, ipsi Thimotheo, in Hagiologio ad diem octavum Barmudæ, hoc est III Aprilis, attribui, quod dedicarit Tabernaculum Jesu Christo, eo in loco, *ubi in rupe reliquit vestigium suum, quando in Ægyptum venit, Herodem fugiens.* C

ejusque super corruptibilitate aut incorruptibilitate corporis Christi sententia.

ASTERIUS.

Asterius Orthodoxus

Historia memoratu dignissima refertur in Actis S. Arethæ Martyris, ad XXIV Octob. illustrandis, quæ si vera est, ut jam supponimus, alium nobis Patriarcham subministrat Asterium orthodoxum, verosimiliter a Justino Schismaticis illis oppositum. Siquidem ibi legitur, quod *Justinus Imperator*, intelligens, quæ et quam atrocia Tyrannus Dunaan seu Dunawas, Homeritarum Judaizantium in Arabia felici Rex, contra Christianos patrabat, *sine mora scripsit ad Asterium, Alexandriæ Episcopum, ut incitaret Regem Æthiopum ad movendum arma adversus Homeritas..... Ipse quoque Patriarcha Alexandrinus, posteaquam cum Monachis orthodoxis, qui erant in Nitria et Scete, multas Deo fudit supplicationes, Regi illi significavit, quæ pia videbantur Justino, successu prorsus optimo.* Quæ, aliaque plurima eo spectantia videri possunt apud Baronium, ad annos DXXII et DXXIII, quo ultimo Tyrannum vicit S. Elesbaan. D

339 De Asterio illo nihil apud Græcos aut Arabes invenias memoriæ proditum. At enim Justini religio integerrima, non permittit nos dubitare, quin mortuo Esaia (de quo supra in Athanasio II) sategerit ut orthodoxis proprius non deesset Patriarcha, isque fuerit prælaudatus Asterius: licet Liberatus procul absens, Theophanes item et Nicephorus, post tria demum secula scribentes, eum omiserint recensere; quod est Doctorum virorum pro Asterio retinendo argumentum. Sed hujus loci non est eam controversiam dirimere, maneat tantisper Asterius, licet ab Evagrio etiam, aliisque prætermissus. Qua ratione Pagio satisfiet, hinc citatæ historiæ falsitatem arguente, quod *nullus Episcopus Catholicus eo tempore Ecclesiæ Alexandrinæ præfuerit.*

S. Elesbaan incitat ad arma contra tyrannum Dunaam an. 522. E

XXXIII THEODOSIUS ET GAIANUS.

Ille pulsus, hic intra triennium discedens, diu vivit privatus in Africa; Theodosianæ novæ hæreseos a priori suscitatæ, assecla.

Theodosius, Kirchero Archihæreticus, multis titulis celebris in Historia Coptica, quæ hic denuo nonnulla vera, more suo, falsis infercit. Ita habet: *Postquam is suffectus est, alium ordinavit Patriarcham contraria factio (qui Archidiaconus erat Alexandrinæ Ecclesiæ) in domo cujusdam Presbyteri, qui Theodorus dicebatur. Is pessimis erat moribus, qui una cum sua factione, expulit Theodosium sua Sede, scripseruntque ad Tiberium Imperatorem* (rectius diceret Justinianum) *adversus Theodosium. Imperator autem uxorem habebat nomine Theodoram, Jacobiticæ persuasionis; quæ Imperatorem enixe rogavit, ut id negotii sibi deferret, cui acquievit. Illa igitur, qui disquirerent hac de re, et quis prius suffectus esset, secundum Ecclesiæ canonem, misit. Cum itaque rescivisset Theodosium fuisse primum ordinatum, suo ordini illum restituit.* F

Quæ de institutione Theodosii, et Gaiani subrogatione,

341 *Quo facto Theodosius rogatur, ut reciperet Gajanum, ipsumque Archidiaconatus restitueret ordini: qui acquievit gessitque morem. Aliquantulum post, Alexandriæ Præfecto et Patriarchæ Theodosio scripsit Imperator, ut sibi consentirent, susciperentque Chalcedonense Concilium; si vero Patriarcha id præstare renueret, sua Sede expelleretur, et quocumque ipsi libitum foret, proficisceretur. Qui statim relicta Ecclesia egressus est, ne relinqueret, ut ipse aiebat, fidem trecentorum octodecim. Imperator autem, metuens ne totus populus illum sequeretur, ad se accersitum multis honoribus et muneribus ornavit. Quem, cum sibi acquiescere noluisset, in exilium indignatus exegit, constituitque loco ipsius Paulum Thebanum, qui ordinatus est a Patriarcha Constantinopolitano. Sed cum Alexandriam appulisset, nemo civium illum suscipere voluit, et clausæ sunt Ecclesiæ Cophtitarum.* Huc usque Historia, addens, Theodosium in exilio vita functum, neglecto mense et feria.

male in Historia congeruntur,

342

A 342 At vero quæ hic perperam congesta sunt, meliori fide docebit Liberatus, Breviarii cap. 20 asserens, Theodosium, *studio et permissione Calotychii, Cubicularii partis Theodoræ Augustæ*, fuisse ordinatum. Attamen populo et Monachis acriter se opponentibus, *Pallium beati Marci accipere collo suo*, atque adeo *legitime sedere*, prohibitus est. Etenim *mox eum persecuti sunt et* expulerunt, ne colligeret funus Timothei. Inthronizaverunt autem Gajanum, qui fuit tunc Archiepiscopus ex parte assertorum Incorruptibilitatis... Permansit *autem Gajanus in Episcopatu dies centum tres.... posthac a judicibus pulsus abscessit. Et post menses duos Narses Cubicularius, missus ab Augusta Theodora, Theodosium quidem inthronizavit, porro Gajanum misit in exilium. Qui adductus Carthaginem magnam, et inde quasi Sardiniam directus, quid de eo contigit ignoratur.*

melius narrantur a Liberato.

343 *Mansit autem Theodosius in Sede annum unum et menses quatuor, paucis ei communicantibus; plurimi enim communicabant ad nomen Gajani........ Novissime Theodosius de Sede discessit, non ferens seditiones et bella, quæ contra eum exercebantur a populo. Missus autem est Constantinopolim cum honore.... Sed persistente et nolente eo Chalcedonensem suscipere*
B *Synodum.... foras civitatem regiam sexto milliario in exilium missus est... Vivitque usque nunc.* Ita Liberatus, scriptionem suam finiens anno DLX.

Ex quo illorum contentiones intelliges.

344 Itaque cum in exilio Theodosium obiisse affirmet Historia, notans in margine Patriarchatus annos XXXI, dies CXXXI; extendenda erit ejus vita usque ad annum DLXVIII, quo certe eum pertigisse facile crediderim; adeo ut annis circiter octo et viginti privatus in exilio delituerit, eo deportatus, teste Victore Tununensi, anno DXL, ex quo Chronologia nostra egregie roboratur, utpote qui Timothei decessoris obitum ad annum DXXXVII retulimus; cum manifesto appareat, contentiones illas et vicissitudines, Gajanum inter et Theodosium, biennio minimum integro forte etiam toto triennio tenuisse. Theophanes et Nicephorus annos duos Patriarchatus Theodosio adscribunt resecto exilii tempore, quo a scriptoribus illis pro Episcopo non est agnitus. Cur Abulbaracat eum Theodorum potius, quam Theodosium vocet, cur annos ei tribuat dumtaxat XXII et menses tres, non vacat inquirere: forte huic Patriarchæ eos annos subtrahit, quos aliis alibi liberalius annumeravit. Ceterum cum defunctum dicat anno Martyrum CCLXXXII, qui esset
C Christi DLXVI; non nisi biennio deficit a vero Historiæ calculo: utrique interim præferenda est Chronologia Victoris Tununensis, cujus hæc sunt verba: *Vixit Theodosius præfatus hæreticus, usque ad primum Justini junioris Augusti consulatum;* adeoque usque ad annum DLXVII.

Verosimile est illum obiisse an. 567.

345 De die obitus non minor est difficultas. Historia feriam notare prætermisit, Abulbaracat scribit XXIII Februarii: sed familiari errore Wanslebii, menses nostros cum Ægyptiacis confundentis. Invenerat nimirum XXIII Amschir, quæ solum respondet XVII Februarii nostri. Hagiologium, pro die mortis vel cultus apud Jacobitas, suggerit nobis vicesimam octavam Bunæ, hoc est XXII Junii. Uter dies præferendus sit, frustra divinando quæsieris: nos posteriorem pro arbitrio seligemus, qui anno DLXVII incidit in feriam quartam. Poeta Habessinus in Encomio Theodosii alludit ad verba, ex Chronico nostro superius recitata, quod *Ecclesia egressus sit, ne relinqueret fidem trecentorum octodecim:* ibi enim laudatur, velut *qui suscepit onus affictionis et exilii, dum filios suos verbo fidei recte instituit, nihilque detrahi patitur acceptæ ab Apostolis doctrinæ.* Hujusmodi nempe prætextu se tuebatur olim, et etiamnum tuetur Jacobitarum pertinacia.

22 Junii.

Laus ejus apud Poetam hagiologum.

346 Interim ex Liberato, Leontio, Victore Tununensi, aliisque constat, Theodosium illum, non hæreticum solum fuisse et antisynodicum acerrimum, verum etiam hæresiarcham. Nam præterquam quod Concilium Chalcedonense exemplo prædecessorum obstinatissime respueret, alteram hæresim cudisse convincitur, cui oppositam alteram Gajanus in lucem protrusit: unde Liberato teste, *divisa est civitas hoc schismate, ut Gajanitæ et Theodosiani in eo vocentur, id est Phantasiastæ et Corrupticolæ.* Deerat hoc etiam miseris Alexandrinis ad malorum cumulum, ut ex aliis in alias hæreses dilaberentur, uti fit, quando *Episcopus, qui unus est et Ecclesiæ præest, suprema contemptione contemnitur* (inquit Cyprianus lib. 2. ep. 3.) *nec unus in Ecclesia cogitatur Episcopus, qui vice Christi sit judex.* Enimvero, quod S. Hieronymus, scribens contra Luciferianos, olim vaticinatus fuerat, *si non sit in Ecclesia una eminens potestas, tot futura sunt schismata quot Sacerdotes;* id in ea errorum colluvie Alexandrinis evenisse, nimis quam exploratum habemus. Operæ pretium est schismatis illius et superiorum turbarum seriem paucis ex Leontio repetere, ex Bibliotheca Patrum Coloniensis seculo VIII, parte I, pag. 449. D

AUCTORE J. B. S.

Ab eo dicti Theodosiani,

347 Timothei tempore, ut supra innuimus Alexandriam confugerat Severus, Antiochiæ Pseudoepiscopus, cum Juliano Halicarnassæo: qui de corruptibilitate corporis Christi inter se lingua et calamo disceptare exorsi, novis sordibus Ecclesiam Alexandrinam polluerunt. *Erant id temporis viri duo, Gajanus et Theodosius, ille quidem Archidiaconus Timothei, Theodosius vero scriptor orationum. Itaque mortuo Timotheo, Clerus et Urbis Primates Theodosium suffragiis suis Episcopum legunt: quo designato plebs ingressa, cum in solio sedentem conspexisset, usque adeo indignata est, quod hominem odisset, ut mos eum quidam e throno dejiceret. Quapropter aufugiente Theodosio, Gajanus ipsius loco per vim factus est Episcopus. Et incolarum Urbis quoque secutæ sunt factiones, quippe magnates Urbis a Theodosio stabant, plebs a Gajano. Quapropter accidit, non solum ut hominum factionibus Urbs tota distraheretur, sed etiam sententiis. Nam Gajanus Juliani sententiam* (hoc est Phantasiastarum) *sectabatur, Severi* (nempe Corrupticolarum) *Theodosius.* E

ipso in exilium acto,

348 Ita Leontius, alia narrare pergens de Gajani et Theodosii exilio, satis a nobis suo loco explicata. Theodosium porro ea pœna mulctatum Justino V. C. Cos. sive anno DXL, auctor est prælaudatus Victor Tununensis in Chronico, ibidem docens pessimi hominis exilio, hæreticam vesaniam magis propagatam fuisse. Siquidem Theodosius *Constantinopoli Sycas relegatus, totum pene Palatium et maximam regiæ Urbis partem, sua perfidia maculavit. Quæ occasio cunctis pene hæresibus licentiam tribuit: ita ut non solum Theodosianitæ, sed et Gajanitæ, monasteria atque oratoria apud Urbem regiam construxissent.* F

magis invalescunt.

PATRIARCHÆ ORTHOD. PAULUS, ZOILUS, APOLLINARIUS.

Primus ob cædis suspicionem, alter propter defensionem trium Capitulorum, depositi, tertius a Jacobitis infamatus ut tyrannus.

Exulantibus geminis Patriarchis hæreticis, successit Paulus, Basilio V. C. Cos. anno nimirum DXLI, ut habet Victoris Chronicon; ad eum ipsum annum Pauli etiam depositionem, et Zoili ordinationem referens. Thebanum hunc superius appellabat Historia, rectius Victor et Liberatus, Abbatem vel Priorem

Theodosio et Gaiano substitutus Paulus an. 541,

A rem dicunt *Tabennensium* sive *Tabennesiotarum* Monachorum, *plane orthodoxum,* inquit Liberatus *suscipientem Chalcedonensem Synodum, Ordinatum a Menna Constantinopoli, præsente Pelagio Responsario Vigilii, et Apocrisiariis, Euphremii Antiocheni et Apocrisiariis Petri Hierosolymorum.* Theophanes, ad eumdem annum DXLI, orthodoxiam Pauli revocat in dubium, dum ait; *Paulum quemdam, de fide recte sentire existimatum, renuntiatum Alexandriæ Antistitem. Hic ecclesiasticis in precibus et sacrificiis memoriam sacrilegi Severi faciens* (Victor Dioscorum notat) *irati Imperatoris jussu Episcopatus dignitate motus, Hierosolymam tandem profectus, ibi moratus est.*

AUCTORE J. B. S.

ob cædis suspicionem

350 Longe diversam causam Paulinæ depositionis commemorat Liberatus cap. 23, quam hic compendio adnecti, puto Lectori, non ingratum fore. *Acceperat* Paulus *ab Imperatore potestatem super ordinationem Ducum et Tribunorum, ut removeret hæreticos, et pro ipsis Orthodoxos ordinaret.* Hinc *Alexandriam descendens, timore sui suaque industria* omnem civitatem et omnia monasteria *adduxerat suscipere Chalcedonensem Synodum, nisi interventu diaboli talis causa emersisset.* Psoius quidam Diaconus, B instigante Arsenio, imperante Rhodone Augustali, clam occisus fuerat. Rhodo a Liberio, in hunc finem Alexandriam deputato, interrogatus; *respondit, jussione Episcopi, factum fuisse.* Nec mora, Episcopus, nequidquam negans *et se nescire clamitans, Gazam in exilio missus est.... Et post hæc misit Imperator Pelagium, Diaconum et Apocrisiarium primæ Sedis Romanæ, Antiochiam cum sacris suis; quibus præcepit ut cum Euphremio ejusdem urbis Episcopo et Petrus Hierosolymita et Hypatius Ephesinus venirent Gazam, et Paulo Episcopo Pallium auferrent, eumque deponerent.* Itaque Paulo ablatum Pallium et Zoilus pro eo ordinatus est, *quem postea Imperator deposuit, et Apollinarium ordinavit, qui nunc est Præsul Alexandrinæ Ecclesiæ;* tunc nempe, cum Liberatus scriberet, ante annum DLX, ut supra indicavimus.

Sede expulsus,

successorem habuit Zoilum,

351 Quamdiu suo huic casui supervixerit Paulus, nemo, quod sciam, explicat: *morte pessima decessisse* ii credent, qui Historiæ, passim mendaciis refertæ, fidem aliquam haberi posse existimabunt. Baronius depositionem ejus perperam refert ad annum DXXXVI; deceptus (ni fallor) verbis Liberati; qui citato cap. 23 annum Justiniani decimum, cum Ecclesiarum unitate tunc facta, et Pauli institutio- C ne conjungit. At Consulatus, a Victore notatus, nec de brevitate Patriarchatus ejus, nec de anno depositionis dubitare nos sinit, consentiente etiam Theophane, ex quibus ad quinquennium differenda est; sic ut exulare demum jussus sit anno DXLI, Patriarchatus sui anno secundo, si salvam velis Theophanis et Nicephori auctoritatem.

qui etiam cedere jussus an. 552,

352 Scribunt iidem ipsi Auctores Zoilum, Pauli successorem, annis dumtaxat septem Episcopatum tenuisse: quod cum Victoris Chronico nequaquam convenit; ex cujus supputatione dicendum, annis fere undecim Zoilum Patriarchatu potitum. Ita scribit ille ad Postconsulatum Basilii v. C. anno XI, hoc est anno DLII. *Apollinarius Zoilo, tria memorata Capitula damnare nolenti, Episcopus Alexandrinæ Ecclesiæ subrogatur. Post Zoilum,* inquit Leontius, *fit Episcopus Apollinaris, post Apollinarem Joannes, post Joannem Eulogius:* de quibus et nos suo loco. Itaque Patriarchatum exorsus fuerit Apollinarius eo anno DLII; eumque tenuerit annis non omnino XIX, quod ei adscribuntur in Theophanis et Nicephori Chronologia; sed XVI fortasse, aut XVII; adeo ut pertigerit ad annum DLXVIII vel DLXIX. Nec ulterius extendere Apollinarii, Patriarchatum permittit Chronologia Marquardi Freheri, ante tomum de D Jure Græco-Romano, ubi anno DLXIX referuntur initia Joannis, Apollinarii successoris Orthodoxi. Monendus autem lector, alium illic ordinem observari, dum Joannes ille vocatur IV, et in serie Patriarcharum XLIV, quæ vera sunt, si Orthodoxi hæreticis immixti numerentur; quod cur a nobis præstitum non sit, in præfatione operis abunde est declaratum.

thronum reliquit Apollinario,

353 Scio Apollinarii tempora, apud Theophanem, biennio circiter anticipari, adeo ut anno DL vel DLI sedere cœperit, quo pacto anni fere novemdecim reperiri possent. At expressa Victoris Tununensis, oculati propemodum testis (utpote qui tum in Ægypto et in Asia exulaverit) auctoritas, Chronographiæ Theophanis, sæpe defectuosæ, procul dubio est anteponenda. Hic ille Apollinarius est, Jacobitis eo magis invisus, quod fidei Catholicæ assertor strenuus fuisse videatur: nec parum contulisse ad convocationem Synodi œcumenicæ V Constantinopli, ea spe, ut gregem suum, novis in dies erroribus obnoxium, ad rectam fidem et unitatem revocaret. Fatetur Historia, eum Constantinopoli rediisse, Libellos ferentem de Synodo recipienda; sed quæ de Patriarchæ crudelitate, aliisque sub Timotheo E factis supra retulimus, et mox in Petro repetemus, enormibus scatent mendaciis: et tam falso quam atrociter exaggerata, per summam injuriam Antistiti Catholico a pessimis hæreticis adscribuntur. Norunt eruditi, quomodo sanctissimis Pontificibus Felici II et Damaso, Luciferiani Presbyteri Marcellinus et Faustinus, in mendacissimo suo precum ad Imperatores libello, imputaverint cædes, causa schismatis patratas, easdempue supra fidem exaggerarint. Sic fieri potuit, ut in Urbe Alexandrina, ab omni ævo turbis, seditionibus, tumultibus plena, errorum et schismatum causa nonnulli tunc interfecti fuerint, quorum necem Jacobitæ Orthodoxis, et præcipue Patriarchæ mendacissime imputarint.

defuncto probabiliter an. 569.

Hunc Jacobitæ tamquam tyrannum,

calumniosissime diffamarunt.

XXXIV. PETRUS IV.

Tempus Episcopatus, Professio monastica.

PETRUS hic Catholicis Scriptoribus cum successoribus incognitus, quamdiu exulantis Theodosii Vicarius, quandonam ei suffectus sit, ex Historia non colligitur. Crediderim ego, non ante Theodosii obitum Patriarchæ dignitatem aut nomen usurpasse. Mentitur ergo Historia, dum scribit, *ejus tempore* F *defunctum Imperatorem Chalcedonensem* Justinianum: constat enim hunc obiisse XIV Novembris DLXVI; Theodosium vero usque ad primum Justini Consulatum anni DLXVII supervixisse. Sed illud mendacium non incomitatum reliquit, addens, *Paulum morte pessima decessisse;* et horrendam calumniam repetens de ducentis millibus Jacobitarum ab Apollinario interfectis.

Quidquid in multis circumstantiis mentiatur Historia,

255 *Defunctus est autem Petrus Patriarcha die Jovis,* XXV *Bunæ,* hoc est XIX nostri Junii, in margine autem adscribitur Petro Patriarchatus annus I dies CCCLXII. Character notatus concursum exigit sub littera Dominicali E, unde ducit nos ad annum DLXX; atque adeo ita taxanda sunt Petri tempora (cum aliis subsidiis careamus) ut ordinatus dicatur anno DLXVIII, XVI Junii; quo pacto et annus Sedis vacantis, et successoris Damiani tempora nullo negotio conciliabuntur. Hagiologion dicit, quod *Petrus nominatus est Prior monasterii Egag, constitutione ac lege bonus; quodque de limpida minimeque turbida doctrina ejus, quæ fluminis instar decurrebat, pueri biberunt, et expleverunt sitim suam senes.*

Petrus creditur obiisse an. 570, 19 Jun.

Laus in Hagiologio.

XXXV

A

XXXV. DAMIANUS.

Ejus tempore Mauritius impie occisus a Phoca.

Obiit an. 607 Junii 12.

DAMIANUS, Kirchero Dimanes, ignotus et ipse cum suis, Scriptoribus Catholicis ; Petro, post unum interpontificii annum suffectus, parti suæ dicitur præfuisse annos XXXV , dies CCCLVIII, et *defunctus* XVIII *Bunæ*, hoc est XII Junii, *die Lunæ*; qui est character anni DCVII : qua ratione hoc saltem ex Historia verificatur, quod ipsius tempore, *Mauritium Imperatorem occidit Phocas ;* id enim constat factum anno DCII mense Novembri. Convenit Abulbaracat cum Historia in die obitus, seu totis duodecim annis discrepat in duratione Patriarchatus, quam contrahit ad annos XXIV. Verum Auctor ille, nunc præcipitando, nunc tardius gradiendo , pro mero libitu multa nugatur, nullum interea chronotacticum characterem ponens, quo fundari tolerabilis aliqua conjectura possit; in quo aliqualem saltem Historiæ diligentiam laudes, qua fere sola imposterum uti nos, B oportebit, certioribus notis destitutos.

PATRIARCHÆ ORTHODOXI

JOANNES, S. EULOGIUS,

THEODORUS SCRIBA, S. JOANNES ELEEMOSYNARIUS.

Cujusque eorum designata tempora.

Joannes obiit an. 577.

ORthodoxis interea ministrabat Joannes, Apollinario suffectus, verosimiliter anno DLXIX, ut ex Marquardo superius referebamus. Theophanem et Nicephorum etiam ostendimus liberaliores fuisse, dum prælaudato Apollinario annos XIX tribuerunt. Atque hæc ipsa difficultas hic denuo recurrit ; Siquidem Joanni dantur Patriarchatus anni XI, Eulogio XXVII, qui nos ducerent ad annum DCVII ; quod Marquardo repugnat, anno DCV Theodorum, Eulogii successorem, patriarchalem thronum tenuisse asserenti. Accedit peremptoria in hisce dubiis Anastasii auctoritas, diserte affirmantis, quod *anno imperii Phocæ quinto*, Christi DCVI, *Theodorus Alexandrinus habetur Antistes :* quo anno eum probabilissime obiisse putamus ut reliqua Chronologiæ series sarta tecta C servetur, præsertim in annis decem S. Joannis Eleemosynarii, quem constat ultra annum DCXVI non supervixisse ; quidquid Baronius pugnet, ut ad annum DCXX producatur. Sane Anastasii locus alius, non minus aperte evincit, Joannem Patriarchatus munere functum *anno imperii Phocæ septimo*, Christi DCVIII, quod Baronio manifeste repugnat.

S. Eulogius 604.

358 His in rectum ordinem digerendis non alia tutior via, quam si ex annis Joannis, Apollinarii successoris, triennium dempseris ; et cum prælaudato Marquardo S. Eulogii initia colloces anno DLXXVII, sic ut ille annis non amplus octo Episcopatum administraverit. Nec obstat, quod apud præfatum Anastasium legatur, quod *secundo imperii Tiberii anno Alexandrinæ Antistes haberetur Ecclesiæ Eulogius;* neque enim ita hæc accipienda sunt, quasi tunc Eulogius Patriarchatum inchoasset. Etenim Anastasius nec principia nec exitus Episcopatuum scrupulosius numerat, contentus hic et nunc indicare tempora, quibus Sedes suas possidebant præcipui Orientis Patriarchæ. Non me latet, alio etiam modo Apollinarii et Joannis spatia salvari commode posse ; si cum Baronio Pauli exordia referas ad annum DXXXVI : sed hæc Victoris Tununensis Chronico tam directe adversantur, ut nulla probabilitatis D specie sustineri possint.

AUCTORE J. B. S.

Theodorus Scriba 606.

359 Itaque S. Eulogium Joanni successisse dicemus anno DLXXVII ; annis XXVII infulas tenuisse, mortuum vero anno DCIV, ipso illo quo e vivis raptus est S. Gregorius Magnus, cui Eulogium nostrum fuisse familiarissimum, perspicue patet ex magna litterarum communione quarum ultimæ ad Eulogium datæ indictione VI, Christi DCIII, numerantur libro undecimo Ep. 46; satis indicantes, ipsum, cui pro susceptis recens muneribus gratias agit Gregorius, eo adhuc anno in vivis fuisse superstitem. Quod autem ultra annum sequentem DCIV non putemus vitam produxisse, facit biennium successoris Theodori Scribæ, et decennium S. Joannis Eleemosynarii, anno DCXVI absolvenda.

S. Joannes Eleemosynarius 616.

360 Etenim non placet Petavii sententia, annis dumtaxat sex S. Joannis Patriarchatum circumscribens ; quod alicubi legerit eum sub Heraclio ad Patriarchatum promotum. At recte respondet Henschenius noster, in Vita §. 3, num. 14, nihil proferre Leontium, unde id confici queat ; etsi in eam sententiam adducatur a Baronio, Petavio et aliis : hæc enim verba, *Heraclius tunc sceptra tenebat Romanorum*, referuntur a Metaphraste num. 3; qui, E dum suæ Chronologiæ Vitas sanctorum conformat, non semel aberravit. Alia ibidem affert Henschenius quæ opinionem nostram non obscure persuadeant. Plura in hanc rem videri possunt in Actis Tom. 2 Januarii ad diem 23 operose examinata et illustrata. De S. Eulogio agetur XIII Septembris, quo a Latinis colitur, a Græcis XIII Februarii inter Sanctos relatus, Habessinis præteritus, uti et ceteri Chalcedonensis Fidei professores; in Historia vero, æque ac decessor et successores, omnino non nominati.

XXXVI. ANASTASIUS, ET GEORGIUS,

Utriusque tempora; illius contra Orthodoxos cacozelia templis eripiendis monstrata. Hic an cæsus a Jacobitis.

Obiit 18 Dec. an. 614.

ANASTASIUS, alias *Athanasius*, suffectus Damiano, *defunctus est vigesima secunda Chihac*, hoc est XVIII Decembris, *die Mercurii*. Habetur hic concursus anno DCXIV, post Damiani obitum annis VII, diebus CXC nec rediit ante annum DCXXV. Corrigendus ergo Historiæ adscriptus numerus rotondus annorum XII et dierum CXC; quem etiam Abulbaracat videtur invenisse, scribens annos XI menses VI, eosque per- F ducens usque ad annum Æræ Martyrialis CCCXX, qui esset Christi DCIII. Nobis certum est, Historiæ calculos Abulbaracato præferre, et deinceps notis feriarum, quantum fieri poterit, inhærere; cum nihil adjumenti a Græcis aut Latinis Scriptoribus sperandum supersit. Quid Elmacinus conferre queat, dicetur suo loco.

Laudatur quod templa Melchitis eripuerit, et nova ædificarit.

362 Laudat Anastasium Hagiologus Habessinus, ut *quem Dominus constituit ad opponendum se Melchitis multa cura et solicitudine :* ipse enim *plures condidit Alexandriæ ecclesias, pluresque alias, quas Melchitæ occupaverant, recuperavit*, ut habet Historia : additurque, quod *postquam venire fecisset terminum scriptio refutatoriæ*, sive abrogationem Edicti, Jacobitis templa claudentis, tempore *Jejunii natalitii* (Adventum Domini nos vocamus) *leviter ægrotans, obdormivit.* Illam autem indulgentiam, ab Heraclio, Orthodoxo Imperatore, extorsisse potuit metus ab incursione Persarum, consternatio ex captis multis urbibus, capta ipso anno DCXIV Hierosolyma, atque cupido pacificandæ interius Ægypti, cui exterius imminebat, tam formidabilis hostis.

363 Habebant nihilominus tunc Patriarcham suum

Auctore J. B. S. Patriarcha Orthodoxus Georgius, obiit 630,

A suum etiam Orthodoxi, scilicet S. Joannem Eleemosynarium, et post illum Georgium; cui Nicephorus (saltem editionis Lipsiensis anni MDLXXIII) adscribit annos XIV per quos ille usque ad annum DCXXX vixisset. In editione Parisiensi MDCLII supra citata, anni tantum XI Georgii regimini tribuuntur, prætermisso successore Cyro, de quo mox agendum erit. Baronius huic Georgio annos integros quatuor adimit, neque sic tamen Chronologiam suam satis restituens. Fuit hic (ut Doctissimus Andreas Schottus aliique existimant) fuit, inquam, Georgius hic Alexandrinus Episcopus, qui descripsit vitam S. Chrysostomi, editam ab Henrico Savilio, ut notat Gerardus Vossius, de Historicis Græcis lib. 4 cap. 19 pag. 489. Mirum porro quod habetur in Chronico Alexandrino sive Paschali, ut Cangio appellare placet, ad Postconsulatum Phocæ V, ipsi annum DCIX, quod eo anno *Africa et Alexandria defecerit*, et quod *Papa Alexandrinorum ab adversariis occisus sit*; Orthodoxum an Jacobitam insinuet, nescio; ego nullum hactenus reperi eo tempore interfectum.

Auctor vitæ S. Joannis Chrysostomi.

An sub Phoca aliquis Patriarcha Alexandriæ occisus?

XXXVII. ANDRONICUS

B *Laudatur a bono usu magnarum opum, et zelo contra idolorum templa: Moslemanorum exordium, et infelicitas Arabum in aptandis ad calculos suos annis Imperatorum Romanorum.*

Obiit Andronicus anno 621 2 Jan.

ANDRONICUS *erat vir ditissimus*, inquit Historia, *ac elargiendis eleemosynis deditissimus*. Dum vero addit, quod *eodem tempore vixit Joannes Eleemosynarius*, non videtur diffiteri, quod sanctissimi hujus viri imitator esse voluerit Andronicus. *Obiit die Veneris octava Tubæ*, hoc est III Januarii, exigente litteram Dominicalem E, quæ pro tali mense ante annum DCXXVI non recurrit; cum tamen certum sit ex Elmacino, ante eum annum Benjaminum Andronico successisse. Quid hic facias? Notam marginalem, hac saltem vice, textui ipsi liceat anteferre: cumque ibi dicatur sedisse annis VIII diebus XVI; supponatur tantisper, Andronicum obiisse die Veneris, II Januarii, seu septima Tubæ, DCXXI; quo, ab obitu decessoris anno DCXIV, Decembris XVI, justo calculo perducimur, errore quoad potest, modificato. Enormius autem hallucinatur Abulbaracat, Andronici Patriarchatum ad annos XXXVIII, et menses XI extendens; et eumdem annorum numerum repetens in successore Benjamino, ut mox dicetur.

C 365 Invocatur ab Hagiologio, ad diem XXII Bascnes, seu XVII nostri Maji, his verbis: *Salutem Andronico dico, qui Synodum convocavit, bibens ex flumine sancti Spiritus; dum prædicaret Evangelium omnibus regionis vicinæ urbibus: templa Christianorum ædificavit, et idolorum delubra destruxit, et ideo præmium in cœlo adeptus est quod speravit.* Quæ cum non appareat de alio quam de Patriarcha accipi posse, inquit Ludolfus, nec alius inter Patriarchas inveniatur hujus nominis, dubiam reddit causam diversitatis, inter diem mortis notatum a Coptis, et diem cultus apud Habessinos signatum; ordine variis de causis facile mutabili, ut in similibus frequentissime usuvenire jam toties ostendimus. Nisi quis opinari malit, exstitisse ejus nominis Metropolitam aliquem Habessinum, tali laude dignum, et mense Majo mortuum; Patriarcha vero Alexandrinus, nescio ob quam causam in Hagiologio præteritus sit, licet in Historia laudatus.

an idem, quem Habessini colunt 22 Maji?

366 Narrat hæc, quod sedente Andronico, *initium habuit imperium Moslemanorum anno undecimo Heraclii*; et quod *eodem anno Chosroes Rex Persarum invasit imperium Romanorum, occupavitque Syriam et Ægyptum, et construxit Alexandriæ palatium illud, quod hactenus dicitur Palatium Persidis*. At vero male D hæc omnia componit cum anno undecimo Heraclii, familiarissimo, Saracenis etiam Scriptoribus errore, quos et deinceps infelices deprehendemus in Imperatorum Christianorum annis ad suam Historiam applicandis. Certe invasio Persarum anno Heraclii VII, Christi DCXVI; fuga vero Mahometis Mecca Medinam Talnabi, unde Moslemanorum initia repetuntur, ejusdem Heraclii anno XIII, Christi DCXXII contigit.

Arabes, annos Imperatorum ad Historiam infeliciter applicant.

PARERGON III.

De anno subactæ a Saracenis Ægypti et expugnatæ Alexandriæ.

Verissime pronuntiavit Petavius, in Notis chronologicis ad Nicephori Breviarium, Heraclii Imperatoris tempora, non magis olim bellorum tumultibus, quam hodie narratione ipsa, et annorum serie esse perturbata: *Hoc enim*, inquit, *citra invidiam dici potest, nullum huc usque Chronicon, Annales nullos exstitisse, in quibus non illa præpostere descripta sint, atque ex annorum vel anticipatione vel trajectione vitii aliquid adhæserit. Equidem, quantum in illis partim eruendis, partim emendandis operæ posuerim, mihi ipse sum conscius; quantum porro consecutus fuerim, malo id aliorum judicio relinquere, quam in oratione mea ponere.* Duces adhibuisse se, testatur, Theophanem, Cedrenum, et Chronicon Alexandrinum (Cangio Paschale dictum) præter Nicephorum, quem præ manibus habebat. Potuit laudatum Chronicon præluxisse Petavio in restituendis Heraclii annis viginti primis, quos ferme complectitur, quosque apud Theophanem, qui quidem exstat, non semel confusos et in partes distractos, egregie demonstrat Papebrochius, in Exegesi præliminari ante tom. III Martii. E

Ex temporibus Heraclii Imp. intricatissimis

368 Viris illis eruditissimis, plurimum debent Chronologiæ studiosi, tametsi fortasse, non nulli nævi superesse possint, novo studio et diligentia excutiendi. Verum cum ad præsens argumentum priores illi anni non spectent, ad solos decem ultimos labor se noster extendet, illa tantummodo illustraturus, quæ a Saracenis gesta sunt; quam partem Theophanes, fortasse gentis odio, aut intactam reliquit, aut satis negligenter et incuriose tractavit. Idque eo magis deplorandum existimo, quod solus ipse et unicus eorum temporum Chronologus Christianus supersit. F Etenim, quod sæpe citatos invenias *Theophanem, Miscellam, Paulum Diaconum, Anastasium, Cedrenum*, tanti (quod ad præsens attinet) facienda noveris ea omnia nomina, ac si Theophanes unus auctor adhibeatur. Nam de Cedreno constat, *iisdem pene verbis omnia transtulisse ex Theophanis annalibus* (ut eos conferendo didici, testanturque Petavius in præfatione citati operis, et Vossius lib. 2 de Historicis Græcis cap. 26) *ex Latinis vero Paulus Diaconus et Anastasius Bibliothecarius, sive quicumque Miscellæ Scriptor, in posterioribus libris, nihil aliud agit quam eorumdum interpretem; atque ut ipsi mutilarunt priores, ita eorum quoque volumina mutilarunt juniores; idque judicio nullo, sine ordine temporum, sine delectu rerum.*

explicandum hic sumitur ultimum decennium:

369 Est igitur semper nobis unicus Theophanes, minime, ut dixi, accuratus, et in rebus Saracenicis tam parum versatus, ut de celeberrimæ urbis Alexandrinæ expugnatione verbum quidem fecerit, ingressum vero barbaræ illius gentis in Ægyptum enormi parachronismo toto triennio vel quadriennio antevertens, Historicos omnes traxerit in eumdem errorem, suone omnino, an aliorum, ipsum non satis scrupulose examinantium vitio, nostrum non est

contra Theophanem unde alii sua habent,

A est definire. Certe plura sæpissime ab eo in eumdem annum congeri, quæ longe sunt dissita, tam obvium est et manifestum, ut satis mirari non possim id a Baronio aliisque doctissimis Chronologis non esse observatum. Ne vero ex mea unius fide id dictum putes, legenda propono quæ hac de re scripsit Goar in suis ad Theophanem Notis, pag. mihi 547, impressionis Parisiensis MDLV : *Rerum gestarum Metatheses non prætereundas, infrequentius licet, animadverto; et ex Historiæ tantum fide, non ex temporis accurata recensione plura narrari : quod est Historicum ubique, at non Chronographum semper se gessisse Theophanem. Temporis Canonium et expressas in eo personas, cum Historia ad Canonium idem subjecta, non consentire, manifesto in annotatis; ut cum ad Damasi annum quintum, Julii Pontificis obitum, et Liberii promotionem una legimus connecti. Anni unius gesta in alium quandoque reponere, cum accuratis etiam Historicis, Theophanis lapsus communis est.* Et quis obsecro separanda non videat, quæ ille conjunxit (ut plurima alia sileam) sub annis XX, XXI et XXV Heraclii, quæque in Miscella aliter notata invenies, aliter ab aliis, eodem ex fonte, pugnantia haurientibus?

leviter versatum et crebro vacillantem in Historia Saracenorum,

B 370 Ex hac potissimum radice pullulasse putamus errores chronologicos, et Historicorum variantes sententias; ut quod Mahometis pseudoprophetæ obitus, a Baronio ad annum DCXXX, a Petavio, Labbeo, et aliis ad DCXXXI, Damasci expugnatio passim ad DCXXXIV; Hierosolymæ ad DCXXXVI; invasio Ægypti ad DCXXXIV vel DCXXXV; plurima alia ad alios annos perperam referantur. Habes hic dissertatiunculæ hujus nostræ scopum, qua nimirum, ut annum subactæ a Saracenis Ægypti et expugnatæ Alexandriæ stabiliamus, ea etiam veriori temporum rationi restituere conabimur, quæ cum scopo nostro, rerum gestarum serie sunt connexa. Huc nos impulit mendosissima Historiæ Patriarchalis supputatio, ita referens : *Anno trecentesimo quinquagesimo septimo Martyrum*, qui esset Christi DCXLI (Abulbaracat CCCXXXIII tradit, qui nobis DCXVII) *duodecima Bunæ*, VI Junii, *pervenit Hamrus filius Alasii Cairum, et expugnavit eam, ac triennio post cepit Alexandriam*, anno scilicet Christi DCXLIV. Iis porro omnibus conficiendis illustrandisque facem nobis præferet Elmacinus, rerum Saracenicarum scrutator diligentissimus, et in observanda temporum ratione, in iis quæ ad gentem suam spectant, in pau-

et ideo ex ejus gentis Scriptore Elmacino corrigendum;

C cis accuratus. Neque mihi vitio vertendum puto, si, quæ Scriptores nostri implexe admodum et confuse tractarunt, proprio ex fonte delibanda censuero; non parvam a Chronologis initurus gratiam, dum restaurandæ Theophanis Chronographiæ laboris etiam studiique aliquid contulero. Sed antequam ad præcipuum controversiæ punctum deveniam, figendus primum est annus, quo Mahometes interiit; nam ab hoc series Chronologica successorum ejus recto ordine componetur.

371 Impostorem illum, vaferrimum æque ac turpissimum, nescio quo auctore, obiisse tradit Baronius anno Christi DCXXX. Petavius in præcitatis Notis, eumque secutus Labbeus, signat DCXXXI, diem vero Junii XVII. Neuter calculus convenit cum Elmacino, expressissime tradente, obiisse illum die Lunæ, qui duodecimus erat mensis Rabii prioris, anno Hegiræ undecimo, initium ducente a XXVIII Martii. A. C. DCXXXII. Mensis autem Rabii prior cœpit eo anno, die XXVI vel forte XXVII Maji nostri, atque adeo XII Rabii erit nobis VIII Junii, eaque aptissime cum die Lunæ concurrens; quo conficitur, in XVII Junii incidere potuisse Mahometis mortem, si anno superiori accidisset; non autem in XVII Julii, ut aliqui somniant. Rursus, non anno de-

statuitur periisse Mahumetem anno 632

D cimo Hegiræ Mahometem, sed undecimo, impiam efflasse animam, pluribus argumentis demonstrat laudatus Elmacinus, quorum duo adduxisse sufficiet. Primum, quod Amiratum tenuerit, annis Lunaribus decem, et septuaginta diebus integris a fuga Medinensi : alterum eodem recidit, implesse illum annos solares novem, et menses circiter undecim; qui ab anno Hegiræ I, inchoato XVI Julii DCXXII, non possunt non pertingere ad Junium anni DCXXXII, neglectis minutiis, quas examinare non est operæ pretium. Errat itaque Theophanes, et alios in errorem inducit, dum anno XXI Heraclii ita scribit : *Hoc anno Mahumed, Saracenorum Dux et Pseudopropheta, Abubachar cognato suo successore designato, mortuus est.* Fallitur etiam in hac ultima circumstantia, siquidem Abubecrus, non ex Mahumetis designatione aut consilio, sed ex libera electione, et quidem fortuito casu, opera Omari, apud Elmacinum legitur constitutus.

AUCTORE J. B. S.

372 Offendit denuo Theophanes in secundo Califa Abubecro, alibi affirmans, *principatum* eum esse annis tribus, alibi annis duobus cum dimidio, utrobique hallucinatus. Ad sanam Chronologiam ea om- E nia ex Elmacino ita revocabuntur. Ipso die obitus Mahumetis institutus est Abubecrus, annis duobus et tribus circiter mensibus imperio potitus, ab Hegira XI ad XIII, ab ineunte Junio ad finem Augusti, quod mihi scrupulosius excutere non vacat, cum ipsemet Elmacinus in aliquot diebus variet, ex quo tamen rectus temporum ordo nequeat interturbari. Hæc cursim dicta sunto, ut ad Omari fatale Christianis imperium properemus; ex cujus schemate mox proponendo, nonnulla, aut perperam hactenus aut numquam tradita, ad genuinam temporum seriem reduci poterunt. Quocirca firmandum primo vestigium in anno quo Califatum exorsus Omar est.

cui mox successit Abubecrus

373 Anno Hegiræ XIII (cœpit is VII Martii A. C. DCXXXIV) paucis post mensibus quam Syriam adorti fuissent Muslimi, extincto Abubecro XXIII Gumadi posterioris, id est exeunte Augusto nostro, ipso obitus die tyrannidem obtinuit Omar, aliis *Haumarus*, vel *Humarus*, Califa ordine tertius, Christianorum cladibus adeo nobilitatus, ut alterum Dei flagellum merito nuncupaveris. Hactenus Elmacino consensit Theophanes; verum quæ ille uno eodemque anno gesta narrat, hic in tres dispertitus est quasi dividendæ materiæ gratia. En primum speci- F men. Anno illo Hegiræ XIII *ingens contigit in Palæstina terræ motus, tremuitque terra triginta dies, et pestis quoque in ea magna est orta.* Ita Elmacinus. Addit alter; *signum in cœlo meridiem versus visum esse, quod Arabum imperium portendebat*, idque in gladii formam, et *ad triginta dies* perdurasse : sed hæc iste revocat ad annum Heraclii XXIII, anno DCXXXII mense Octobri inchoatum, ac proinde cum Hegira XIII nihil commune habentem. Nodus alius occurrit implicatior, Theophane secum ipso dissentiente, ubi narrat prælium a *Baane*, seu *Mahano*, adversus Saracenos infeliciter commissum anno Heraclii XXV : sic enim Græce habet, τῇ πρώτῃ ἡμέρᾳ ἥτις ἦν τρίτη τῆς ἑβδομάδος, κγ' τοῦ Ἰουλίου μηνός. *Ipso primo die, qui fuit hebdomadis tertius, Julii vero mensis tertius ac vigesimus.* Quæ si vera essent, inciderent in annum Heraclii XXVI, Christi DCXXXVI, quod nulla ratione admitti potest. Rectius Miscella, pro XXIII Julii supposuit XXIII Augusti; sed vel sic labitur, tunc enim non ad XXV Heraclii, sed ad XXIV spectabit prædicta pugna. Omnium accuratissime Elmacinus annum DCXXXIV numerat, in quem characterismi reliqui concurrunt. Captæ illo ipso anno Gaza, Bosra, urbesque aliæ, strataque paulatim via ad universam Syriam debellandam.

et an. 635 Humarus,

374 Anno Hegiræ XIV (cœpta est XXV Februarii

AUCTORE J. B. S. *qui Damascum et plura Syriæ loca occupavit.*

A DCXXXV) *capta a Saracenis Damascus* (verba sunt Elmacini) *post obsidionem dierum* LXX, *aut secundum alios sex mensium*, quæ facile ad verum sensum reduxeris, si semestre de latiori circumsessione, dies LXX de oppugnatione intelligas. Corrigendus hic iterum Theophanes, in eumdem annum congerens Damasci expugnationem et prælium supra memoratum. At quid de *expeditione in Ægyptum*, mox post captam Damascum a Muslimis susceptam, aliisque multis sub uno canonio collocatis; ubi interim Elmacinus, expressis verbis non uno loco asserit, anno demum Hegiræ XVIII Muslimos Ægyptum ingressos, nec ante expugnationem Hierosolymæ quidquam adversus eam regionem molitos. Ita cum in eorum Annalibus traditum sit, non habeo quo Theophanis parachronismum excusem : quæ vero probabili conjectura de *Cyro* et *Manuele* Ægypti Proregibus dici possunt, ad annum Hegiræ XVI, Christi DCXXXVII opportunius differentur.

Sæpius prælio victor,

375 Anno Hegiræ XV (a XIV Februarii DCXXXVI) *plurima commissa sunt prælia, in quibus victoriam obtinuerunt Muslimi, atque innumeros occiderunt.* Positis castris ad Emissam, eam aliquamdiu obsederunt; B *sed conciliati Muslimi..... securitatem concesserunt, ea conditione, ut tributarii ipsis essent.* Captum deinde deditione Kinnastinum, postquam Mathias cum multis Romanis bellum movit in Hadiria; at occiso Mathia, loca illa ingressi barbari subjugarunt. Hæc eo dicta sunt, ut quid toto anni illius decursu ab Humaro ducibusque ejus in Syria et Palæstina gestum sit, paucis innotescat. De Hierosolyma ejusve oppugnatione altum adhuc silentium, unde non improbabiliter suspicari licet, hoc quidem anno, ut tradit Theophanes, susceptam ab Humaro expeditionem in terram sanctam, capta pleraque oppida Hierosolymis vicina, quo sensim undequaque urbs coarctari eminus, et ad angustias redigi cœperit : nec video quid ex Theophanis verbis pro hoc anno extundi amplius queat, dum ita loquitur : *Hoc anno* (Heraclii XXVI, Christi DCXXXVI) *Humarus in Palæstinam suscepit expeditionem, et obsidione per annos duos ad sanctam Civitatem continuata, tandem fide data eam in potestatem accepit.*

obsessam anno 636 Hierosolymam

376 Hoc anno accepit? Mirum sane, si duos annos in unum non contraxerit Theophanes. Hoc anno suscepta est expeditio, ad duos annos protracta obsidio : et tamen hoc eodem anno deditam civitatem Baronius et Scriptores nostri omnes passim, C uno excepto quod sciam Papebrochio, ex iis verbis confecisse se putant. Quid eos fefellerit, superius jam ex Goaro monui, nempe quod Theophanes anni unius gesta quandoque in alium, et multorum in unum sæpe reponat. Quod autem existimem, non proprie dicta oppugnatione tentatam hoc anno Hierosolymam, facit Elmacini auctoritas, et obsidionem et expugnationem referentis ad annum proximum, ut mox apparebit. Quin imo si Sophronii lamentatio, apud Baronium, in Natali Domini habita, diligentius expendatur, puto ex ea evinci posse, tunc cum illam ad populum recitaret, Saracenos necdum urbem aggressos : neque enim eorum *armis aut obsidione impediri* se *invitum et nolentem* ait, quo minus Bethlemum excurrat ad Salvatoris præsepe ; sed *Saracenico metu prohiberi* et *absterreri*, quod tunc oppidum illud barbari occupassent aliaque circum jacentia, ut obserato omni aditu, fame primum, deinde armis ad deditionem Hierosolyma adigeretur.

in deditionem accepit anno 637,

377 *Anno Hegiræ* XVI (principium habuit II Februarii DCXXXVII) *ingressus est Omar in Syriam..... misit Amrum Hierosolymam, eamque obsedit : cum autem ad extremam angustiam redacti essent, pacem petierunt ; sed ea lege, ut securitatem eis concederet* D *Omar, quam et impetraverunt.* Reliqua huc spectantia fuse deducta reperies in tractatu Papebrochii de Patriarchis Hierosolymitanis, solam ego temporum rationem discutiendam suscipio. Potitos eo ipso tempore ingentibus domitorum Persarum opibus et thesauris, invenisse ter millies mille millia aureorum, et incredibilem rerum omnium pretiosissimarum copiam, auctor est idem Elmacinus. Nunc illud indagandum superest, qua maxime ratione conciliari possint, quæ de Ægypti invasione variisque eo spectantibus tradunt Theophanes, Nicephorus et Elmacinus. Narrat hic, *subjugata Palæstina Terraque Sancta, et imposito hominibus tributo, missum Amrum in Ægyptum cum magna Muslimorum multitudine.* Quis hinc non continuo inferat, exeunte anno DCXXXVII bellum Ægyptiacum a Saracenis inchoatum? Est tamen longe verosimilius, et aperte ab eodem Elmacino asseritur, anno demum Hegiræ XVIII, Christi DCXXXIX ineunte, Amrum Ægypti fines ingressum, postquam debellata tota Syria, captaque anno DCXXXVIII Antiochia, *reversus Medinam Omar* (quo non legitur rediisse ab expugnata Hierosolyma) *scripsit Amro, ut profectus in Ægyptum, eam expugnaret...... perrexitque in eam anno Hegiræ* XVIII *cum magno Muslimorum numero.* E

tum Ægyptum ingressus

378 Quæ hic primo obtutu opposita sibi mutuo et contrariantia videntur, ita me arbitro facillime componuntur. Theophanes, quem hic truncatum habeo, ita in Miscella sibi restitutus, de prima illa expeditione, male ad annum XXV Heraclii relata, loquitur : *In Ægyptum aciem dirigunt* (Ægypto minitantur) *Cyrus autem Alexandrinus Episcopus, cum horum impetum cognovisset, operam dedit et pactis firmatis pollicetur, timens avaritiam eorum, ducenta millia denariorum per singulos annos illis collaturam Ægyptum, sed et definitarum eis induciarum fore aurum missurum : quibus præstitis, per tres annos Ægyptum liberam ab exterminio statuit. Accusatur interea Cyrus apud Imperatorem, quod aurum Ægypti Saracenis tribueret : qui cum iratus misisset, hunc accersivit ; Manuelem vero quemdam, Armenium genere, destinavit Augustalem. Cum autem annus adimpletus esset, Saracenorum Actores venerunt aurum accipere. At Manuel inefficaces eos expellit : Non sum, inquiens, Cyrus inermis, ut tributa vobis tribuam, sed armatus sum. Cumque isti abiissent, confestim armantur Saraceni adversum Ægyptum, et Manueli bello illato hunc abigunt : ipse vero cum paucis quibusdam Alexandriæ solus recipitur. Tunc Saraceni Ægyptum sub tributo reddidere. Ast Imperator, auditis his quæ gesta sunt, mittit Cyrum ad persuadendum eis ab Ægypto sub priori placito recedendi. Et abiens Cyrus ad castra Saracenorum, rationem reddit, se esse perhibens prævaricationis obnoxium, et si vellent priorem concordiam, juramentis affirmaturum. Porro Saraceni nullatenus his acquiescentes, dixerunt Episcopo : Potes hanc maximam columnam devorare? Qui ait, Non potest fieri. At illi, Nec nobis, inquiunt, possibile est ulterius ab Ægypto recedere.* Hactenus in Miscella Theophanes : Nicephorus infra recurret. F

Cyro Alexandrino tributum pacto, concedit inducias: quibus cum renuntiasset Romani,

379 Liceat modo, ex adducto testimonio, rerum seriem ita disponere. Amrus anno DCXXXVII Ægypto appropinquans, Cyri promissis delinitus, in reliquam Syriam arma convertit toto anno DCXXXVIII. Cum vero delusum se artibus Manuelis adverteret, sine mora DCXXXIX, Hegiræ XVIII, violatæ fidei pœnas sumpturus, ita Ægyptum ingressus est, ut nullis precibus adeptam prædam siverit sibi e manibus evelli. Prætereundum hic non est, quod superius non semel attigi, plurima in allegato textu, a Theophane in unum articulum confundi, quæ certissimum est vix triennii spatio contingere potuisse, si cum antecedentibus connectantur.

redit an. 638 Humar,

A *post Syriam totam subactam:*

380 Anno Hegiræ XVII (coincidit ejus initium cum XXIII Januarii DCXXXVIII) *coegerunt* Saraceni *Romanos Emissam deserere, eosque fugarunt. Eodem anno egressus Omar est in Syriam, donec pervenit Damascum, subjecitque sibi Syriam, quique in ea erant infideles.* Consequens est ut simul etiam Antiochiam, regionis illius Metropolim, interceptam statuamus, tametsi Elmacinus id indicare neglexerit. Opportune autem succurrit Theophanes, anno XXVIII imperii Heraclii expugnatam Antiochiam affirmans, misso subinde ab Omare Muavia, qui *ditioni universæ, quæ sub Saracenis erat, ab Ægypto videlicet usque Euphratem,* cum Amiræ potestate præesset. Erit fortasse qui Theophanem hic sibi denuo non constare, observet : dum universam Saracenorum ditionem, inter Ægypti et Euphratis terminos haud obscure concludit, tum cum Ægyptus ipsa a Saracenis subacta ex ejus calculo supponeretur. Verum debilius hoc nobis est ratiocinium, quam ut inde roboris aliquid sententiæ nostræ accedere queat. Interim ad primarium disquisitionis nostræ punctum pertigimus.

381 Anno Hegiræ XVIII (inivit hæc XII Januarii DCXXXIX) *reversus Omar Medinam, scripsit Amro, ut profectus in Ægyptum, eam expugnaret: diciturque scripsisse; Si, cum reddentur tibi hæ meæ litteræ, adhuc in Syria fueris, ne transi in Ægyptum: si vero afferantur tibi postquam Ægypti fines ingressus eris, perge cum bono Deo. Ut autem tabellarius ad eum venit, dixit ei Amrus; Quid affers novi? Respondit ei; Hoc, et hoc modo ad te scribit Omar. Unde ille; Serva tibi litteras : perrexitque donec pervenit Arisjam: deinde adesse jussit tabellarium, coram Principibus populi; acceptasque litteras coram iis legit, quæsivitque, an Arisja in Ægypti, an vero in Syriæ finibus esset; dictumque ei fuit; In finibus Ægypti. Unde; Pergamus igitur, inquit, cum bono Deo . . . . Præfectus Ægypti erat nomine Heraclii Mæcaucarus,* alias Macuacus, vel Mecaucus. Nulla hujus hominis apud Græcos mentio, frequens apud Arabes et Ægyptios, crediturque ille Melchitarum odio, Saracenos eo invitasse, ut Chalcedonensium Imperatorum jugo Jacobitæ liberarentur. Ita fere Abulbaracatus apud Wanslebium pag. 318, quæ mox ex Elmacino clarius intelligentur.

B *et an. 639 jubet Ægyptum expugnari ab Amro, duce suo:*

382 Ut Ægyptum tenuit Amrus, continuo Misram, arctissima obsidione cinxit. *Misram* Arabes vocant antiquam *Menphim,* licet id nominis proprie conveniat *Cairo,* ab ipso Amro, priori illa excisa, a fundamentis condita, quam *Fustatam* ipsi appellarunt, occasione extensi illic ab Amro tentorii, antequam Alexandriam contenderet. Ita sentiunt nonnulli Geographi, licet fortasse probabilius sit, Cairum non aliam esse quam *Alcahiram Muazzicam* tantum seculo X a Gheuharo ædificatam, de qua Elmacinus lib. 3, cap. 4. Ceterum *capta eo anno est Misra post adhibitas ballistas. Regebat eam Macuacus: et pax deinde facta est inter Amrum et Macuacum, ea lege, ut pro singulis personis Ægyptii aureum solverent Ægyptiacum, utque Muslimos omnes illac transeuntes, tres dies hospitio exciperent; et tributum illis impositum est annuum duodecies mille millium aureorum. Deinde profectus est Marbutum, ubi multi erant Romani, quos fugavit : hinc in Cumsjericam, ubi idem fecit: deinde venit Alexandriam, quam et fixis ad eam castris obsedit,* anno DCXXXIX, verosimiliter Octobri mense exeunte.

qui capta Misra tributum cunctis indicit: C

383 Multa hic et mira commemorat Nicephorus Petavii, pag. 73, quorum apud Theophanem et Elmacinum vix vestigium reperias. *Joannem Barcenæ ducem,* adversus Saracenos, qui Ægyptum occupabant, ab Heraclio missum : *quibuscum commisso prælio cæditur; unaque et Marinus Thraciæ exercitus Præfectus, a barbaris vincitur, et multis suorum amissis ægre ipse servatus est. Post illum Marianus Cubicularius Dux eligitur, cum mandatis, ut communicato cum Cyro Patriarcha consilio, ambo inter se de Saracenico bello deliberarent. Etenim Cyrus Imperatori significaverat, cum Omaro Saracenorum Principe, interposita tributi pactione, conveniri posse, quod ipsum, nullo canonis detrimento, mercibus indiceretur. Adhæc, desponderi Barbaro Eudociam Augustam oportere, aut Imperatoris filiarum aliam quampiam : hoc enim modo ad divinum lavacrum accessurum hominem, et Christianum haud dubie futurum: Cyro quippe Omarus ejusque exercitus fidei plurimum habebant, quem et impense amabant. Sed hæc Heraclio minime placuerunt. Quæ ubi omnia Marianus comperit, a Cyro dissentiens, et cum Saracenis confligens, cum ingenti numero militum occubuit.* Diceres profecto toto decennio et amplius de Ægyptiaco imperio decertatum, ubi tamen fide historica indubitatum videtur, annos non duos integros bellum illud tenuisse. Adde quæ nuper ex Theophane retulimus ; confer amborum narrationes ; et, si potes, cum rei veritate et sana Chronologia compone ; nos cum Elmacino pergimus.

sed Alexandriam obsidens 639,

D AUCTORE J. B. S.

384 Anno Hegiræ XIX (incepit I Januarii DCXL) *venit rumor de obitu Heraclii,* sparsus, opinor, Saracenorum fraude, ut Romanis metum incuterent; *eratque tunc Amrus obsidens Alexandriam.* Memoria dignum est, quod in ea oppugnatione factum tradit Annalista noster. *Cum Alexandriæ arcem, erumpentes Arabes, ingressi essent, irruerunt in eos Romani, atque ejecerunt eos, et ceperunt, Amrum F. Alasi, Muslimam F. Muchalledis, et Werdanum servum Amri. Dixitque eis Gubernator Alexandriæ, jam captivi estis in manibus nostris, itaque indicate nobis, quid a nobis velitis. Respondit Amrus, ut aut Religionem nostram amplectamini, aut tributum persolvatis; alioqui oppugnabimus vos, donec Dei exequamur mandatum. Dixitque Gubernator suis; Opinor ego, hunc esse Imperatorem populi, voluitque eum decollare. At Werdanus, intelligens sermonem Romanum Gubernatoris, traxit Amrum, eumque pugno percussit, dicens: Quid tu ita loqueris, cum vilissimus sis et minimus totius cœtus? Sine alium loqui. Unde Gubernator dixit: Si hic populi Imperator esset, non hoc ei contigisset. Muslimus autem dixit: Imperator noster statuit discedere a vobis; et vult ad vos mittere Principes aliquot populi, qui vobiscum agant, atque id vobis concedant quo acquiescatis. Si itaque nos dimittatis, indicabimus ei quam humaniter nos tractaveritis, et componetur inter vos negotium, ac recedemus a vobis. Gubernator ratus rem ita se habere, eos dimisit. Ut autem egressi sunt, dixit Muslimas Amro; Pugnus utique Werdani servavit te. Deinde oppugnavit eos Amrus cum Muslimis, donec Urbem cepit, et Romani fugerunt in naves.* Quod hoc eodem anno contigit mense Decembri, ut statim ostendam. Græci interim Ægypto expulsi, tempestive Constantinopolim appulerint, ut misero Heraclio, multis cum malis conflictanti, ultimum hoc vulnus ad morbum adderent, quo tribus circiter post mensibus infelicem animam efflavit, XI Martii DCXLI.

E *a Romanis erumpentibus an. 640 capitur ipsemet:*

Verum eis deceptis, evadens,

F

Urbem victor occupat

385 *Anno Hegiræ* XX (cœpit XX Decembris DCXL) *capta est Alexandria, idque tempore orationis diei Veneris, initio mensis Muharrami, ut obsessa fuerat quatuordecim menses, perieruntque in obsidione ejus viginti tria Muslimorum millia.* Porro mensis ille *Muharrami* Mahumetanis ordine primus est. Cum itaque cœperit XX Decembris, noteturque dies *Veneris;* incidere eam necesse est in XXI vel XXVIII Decembris currente Littera Dominicali A. Horum dierum quis præferendus sit, non facile dixero ; utrumlibet elige, modo constet, non anno proxime sequenti DCXLI

21 vel 28 Decembris.

AUCTORE J. B. S.

A dcxli (ut habet Labbeus, nullo auctore citato) sed dcxl, Alexandrinæ Urbis expugnationem esse illigandam, conformiter ad ea quæ de Benjamini reditu dicemus in serie Patriarchali. Quis autem tunc temporis fuerit celeberrimi ilius toto orbe emporii splendor, quænam pristinæ magnificentiæ monumenta, ex Amri litteris ad Omarum datis æstimare licebit. *Cepi*, inquit, *Urbem Occidentis, neque narrare possum, quid in ea sit, nisi quod contineat* 4000 balnea, 1200 olitores vendentes olus viride, 4000 *Judæos solventes tributum, et* 400 *mimos.*

386 Coronidis loco, tres reliquos annos Chalifatus Omari brevissime exhibebo, ut plures alii Theophanis lapsus chronologici emendari possint. Non sine parachronismo tradit ille, Persiam anno demum Heraclii xxx a Muslimis occupatam, direptos thesauros regios, aliaque superius ex Elmacino ad annum dcxxxvii pertinentia. Anno dcxlii meminit *septennalis obsidionis* Cæsareæ Palæstinæ. Factum negare non ausim, verum rem adeo memorabilem ab Elmacino præteriri id certe mirum, et Scriptori illi inusitatum; bella, superatas provincias, urbes fere singulas, aliaque annis dcxlii et dcxliii præclare gesta, non oscitanter commemoranti. Ut ut B illa se habeant, corrigendus saltem manifestus Theophanis error, in die, mense, et anno obitus Omari, de quo ita scribit anno Constantis iv, Christi dcxlvi: *Hoc anno, mense Dio, feria Hebdomadis quinta, Omarus suorum dolis occisus est.... anno Amiratus sive Principatus duodecimo.* Potior hic mihi Elmacini auctoritas, rem hoc modo narrantis: Anno xxiii Hegiræ (cœpit hic xviii Novembris dcxliii) *orante Omare orationem matutinam diei Mercurii, qui* xxiii *erat mensis Dulhiggiæ.... venit Persa, religione magus, cum pugione bicipite, atque tribus eum transfodit ictibus.* Dicitur autem ad aliquot dies superstes, solum obiisse xxviii Dulhiggiæ, die Lunæ. *Regnavit annos Lunares* x *et dies* clxxviii, *elapsis annis Hegiræ* xxii, *mensibus* xi, *et diebus* xxvii; *id est annos Solares* x *et dies* lxx. Nimirum Chalifatum auspicatus erat anno dcxxxiv, Augusto exeunte: mensis vero Dulhiggiæ, Mahumetanorum ultimus, hoc quo Omar extinctus est anno dcxliv, finem habuit vii vel viii Novembris, sic ut omnia nullo negotio conciliari et intelligi possint.

An. 644 occiditur Humarus.

CAPUT VI.

C **Patriarchæ sub Muslimanorum Chalifis, Syriæ et Ægypto dominantibus, omnes Jacobitæ. Ab anno dcxxi ad dccxliii.**

XXXVIII. BENJAMIN.

Huic oppositi anti-Jacobitæ tres sub Heraclio. Ille latens per annos xiii *ab Amro Saraceno restituitur.*

Benjamino oppositi anti-Jacobitæ,

Benjamin, suffectus Andronico anno dcxxi, æmulum sibi tulit Orthodoxum *Georgium*, usque ad annum dcxxx: quo optime confirmatur et clauditur Henscheniana circa S. Joannem Eleemosynarium Chronologia. Georgio vita functo, Heraclius Imperator, post cæsum fugatumque anno dcxxvii Chosroen, *recuperatæ Ægypto præfecit Cyrum, Patriarcham et Gubernatorem*, uti testatur Historia; et hoc etiam sub annum dcxl, defuncto, ad alios circiter decem annos dicitur successisse Petrus, Orthodoxorum Patriarcharum ultimus nominatus a Nicephoro, eoque satis insinuante, omnes post secutos, fuisse Jacobitas. Porro de Cyri illius epistolis, Monothelismum circumferentibus, et conciliabulo Alexandriæ habito, plura refert Baronius ad annum dcxxxiii, et Synodus vi Actione xiii. Dubitari etiam

Georgius usque ad annum 630,

Cyrus ad 640,

D merito posset, an Petrus eadem lue infectus non fuerit, Heraclio non nisi erroris sui socios tunc ad primas Infulas promovente: quod tamen asseverare non ausim, aliis ejus Orthodoxiam propugnantibus, ut olim judicavit Papebrochius, in Chronologia Patriarcharum Hierosolymitanorum.

Petrus ad 650.

388 Historia in Benjamino, ita habet: *Illius tempore occuparunt Persæ Ægyptum*, (melius diceret, tenuerunt) *Heraclius vero Phocam Imperatorem occidit* (hoc falsum est) *et occupato imperio totum se dedit Persis expellendis, quos demum fudit.* Cum autem in Ægyptum, Heraclii armis recuperatam, pervenisset Cyrus Patriarcha; *apparuit*, inquit, *Angelus Dei Benjamino Patriarchæ, præcepitque, ut lateret, donec transiret ira Dei, et latuit spatio decem annorum. Heraclius autem Imperator in somnio vidit quemdam sibi dicentem, futurum est ut gens quædam circumcisa te invadat, superet, et tui partem occupet imperii. Qui Judæos hos esse ratus est, quamobrem omnes Judæos et Samaritanos qui in imperio ejus erant, baptizari jussit. Sed non multo post apparuerunt Moslemani: quamobrem Heraclius omnes suos collegit exercitus ab Ægypto usque Asuanem, et tributum appendit Moslemanis annis octo, donec exhausti sunt omnes ejus thesauri.* E

Ægypto a Persis primum, deinde a Saracenis occupata,

389 Benjamini exilium distinctius narrat Elmacinus; an autem Historia per decennium hic indicet mortem Heraclii, non facile dixerim. Sed is jam Orthodoxus esse desierat, in Monothelismum protractus ab Athanasio, aliis Anastasio quodam, *Jacobitarum* in Armenia *Catholico;* quo nomine Armeni Metropolitam suum indigitant. Revera autem ira Dei isto anno sexcentesimo quadragesimo primo, si vera est Coptitarum Chronologia, non transiit; sed incumbere cœpit Ægypto, non amplius recessura. Nam, ut ait Auctor Historiæ, *anno trecentesimo quinquagesimo septimo Martyrum* (quorum Epocha, ut dixi, collocatur in Septembri anni cclxxxiv) qui esset Christi dcxli *duodecima Bunæ*, hoc est sexta Junii, *pervenit Hamrus filius Alasi* (aliis Humarus dictus) *Cairum, et expugnavit eam, et triennio post cepit Alexandriam. Tunc scripsit Hamrus filius Alasi fidem publicam* Benjamino *Patriarchæ, qui reversus est cum magno gaudio, postquam absens fuit annis tredecim.* Nimirum *decem*, inquit Elmacinus, regnante Heraclio, *et regnantibus Muslimis annis tribus.*

Benjaminus 13 annis latuit:

ab Hamro Sedi suæ restitutus,

390 Libellum illum securitatis scriptum anno dcxli, cum jam Hamrus, ut peculiari Dissertatione ostendi, Alexandriæ rerum potiretur, dubium non est. Cum autem ab initio anni dcxxxix Ægyptum F Muslimi invaserint, ut citata dissertatione clarius demonstravi, facile invenitur triennium circiter jam indicatum, dum ad Sedem suam reversus est Benjamin, Saracenis longe lateque toti Syriæ, magnæ parti Asiæ, et Ægypto dominantibus, sub Chalifatu Omari, Hamro Ægyptum gubernante. Talis scilicet Moyses Jacobitis hæreticis expectandus erat, qui ipsos ab Imperatorum Græcorum servitute liberaret; qualis deinde Græcis, Latinæ Ecclesiæ jugum aversatis, advenit Turcarum Imperator Mahumetes II, capta anno mcccclIII Constantinopoli; fecitque, ut ad unionem cum Apostolica Romana Sede instaurandam, redire post hac amplius non possint, quantumvis vellent. Quod idem quia tunc Ægyptiis seu Coptis vel Cophtis contigit, scripsit de iis Zonaras, agens de Synodo generali vi, ad annum dclxxx Constantinopoli celebrata lib. 14, cap. 21, quod *neque Alexandria neque Hierosolyma Patriarcham habebant, a Saracenis occupatæ;* nempe, quem pro tali agnoscerent alii, tum adhuc liberi Patriarchæ, Romanus, Antiochenus, et Constantinopolitanus, licet non deessent qui titulum istum sub barbaris gererent, gerantque etiam hodie.

cum libello libertatis anni 641

Jacobitis prævaluit, ipse servitute oppressus,

ex quo tempore

nulli Patriarchæ Ægyptii apud Græcos aut Latinos nominantur,

A 391 Aliter etiam intelligi possunt Zonaræ verba, quod tunc nimirum Patriarchæ Orthodoxi, aut non essent, aut saltem Saracenorum metu (qui Jacobitis magis favebant) Sedibus suis exire prohiberentur. Certe per legatos interfuisse videntur in Synopsi Conciliorum, ex epistola Photii ad Michaelem Bulgarorum Principem ad calcem Nomocanonis pag. 272, ubi ita legitur. *In hoc qui præessent judicati sunt digni, Georgius Regiæ ipsius civitatis Antistes* (nempe post Legatos Agathonis, ut habet Zonaras) .... *et magnæ civitatis Alexandriæ Sedis locum, Petrus Monachus implevit. Cum quibus et Georgius, Monachus ac Presbyter, in gradum Pontificiæ Sedis Hierosolymorum ascendit.* Sed an hi ex iis urbibus missi, an a Concilio ipso deputati?

Nicephori catalogum prosequente Georgio Elmacino.

392 Utcumque ea se habeant, Nicephorus hic etiam finit suum Hierosolymitanorum Patriarcharum catalogum in *sancto Sophronio*, coætaneo Petri ultimi anti-Jacobitæ, a Græcis nominati, apud Alexandrinos; atque Benjamini, Jacobitæ. Pro Nicephoro autem ad subsidium continuandæ Chronologiæ Alexandrinorum Patriarcharum qualiumcumque, succedit Historia Saracenica Georgii Elmacini, res
B Christianorum haud negligenter tractans: et Patriarchas quidem, ex eodem quo Historia Patriarchalis fonte, Vitis scilicet eorumdem Patriarcharum desumens, quos hæc aliquoties, iste sæpius allegat, non quidem in Benjamino, sed in ejus successore Agathone, sic ut Vitæ illæ videri possint initium inde capere; quod tamen non temere affirmaverim, dum adhuc latet liber iste, unde nec commodum est de ejus fidelitate quidquam statuere. Verum ubi deficiunt omnino alii, et ipse et qui ex eo profluunt Elmacinus et Historia nostra, soli nobis auctores esse possunt, in reliqua serie quomodocumque pertexenda. Et certe eo majoris hic erunt ponderis eorum suffragia, quod de rebus, propius ad suam ætatem pertinentibus, ferant testimonium.

Benjamin obiit 660, 3 Januarii.

393 De Benjamino porro, cujus obitum oblita est nobis notare Historia, Elmacinus sic loquitur lib. I, cap. 5, in fine: *Christianorum narrant Historiæ, quod Benjaminus, Patriarcha Jacobitarum Ægyptiorum, obiit anno Hegiræ* XXXIX; *ita ut duraverit Patriarchatus ejus ab anno Hegiræ primo* (nos paulo ante incepisse diximus) *ad annum* XXXIX. *Abfuit enim a Sede sua annos* XIII; *decem scilicet sub Imperio Heraclii, et tres sub initio Muslimorum; obiit autem die* C
VIII *mensis Tubæ* (hoc est III Januarii, anno nobis DCLX,) adeoque die Veneris: in quo cum Elmacini calculo non omnino convenire possumus, habita potiori ratione Historiæ, ubi non XXXIX anni Hegiræ sive Lunares, sed totidem Solares integri Benjamino tribuuntur. Hæc tamen conciliantur, Benjamini Patriarchatum ante Hegirarum initia inchoando, ut nuper insinuavimus, quamvis neque sic anni plane integri, ab Historia notati, inveniantur. Mirari vero hic liceat supinam Abulbaracati inscitiam et socordiam, dum Andronici et Benjamini annos turpiter confundit, ambobus XXXVIII annos et XI menses adscribens, amborum ingressum ad annum Martyrialem CCCXXV: amborum exitum ad CCCLXIV referens, ordine Chronologiæ penitus everso.

Quid passi ejus sub Heraclio Jacobitæ?

394 Ad Benjamini commendationem referunt Æthiopes, quæ sub Heraclio passi sunt Jacobitæ, de quibus hæc ex vita Samuelis manuscripta decerpsit Ludolfus in Comm. pag. 429. *Postea facta est magna persecutio, jussu imperatoris Romani, propter Orthodoxam fidem: et expulerunt Sede sua Abba Benjaminum, Patriarcham Alexandrinum, quem occidere volebat homo quidam, missus ab Imperatore Romano. Et attulerunt librum Chalcedonensem, et jusserunt ut omnes Presbyteri subscriberent, et constitutus fuit alius in locum Abba Benjamini.* Item in eod. D
Comm. pag. 463: *Misit autem ducentos milites, ut investigarent omnes Episcopos Jacobitas...... Illi autem ducenti milites congregaverunt omnes Proceres et Monachos ad Maxirianum, qui præcepit eis et dixit; Credite in id quod scriptum est in hoc codice; ut seduceret eos per codicem illum, qui plenus erat blasphemiis. Sed siluerunt omnes. Clamavit ergo iterum et tertia vice; sad nemo erat qui responderet ei verbulum. Sic ira accensus jussit, ut flagellarentur; O Monachi rebelles, inquiens, ne videatur vobis quod parcere velim vobis, nec effundere sanguinem vestrum; quare mecum non loquimini? Illico surrexit Abba Samuel; et paratus exponere vitam suam morti, dixit Maxiriano, Nos utique non recipimus chartam impuram, neque obtemperamus conventui Chalcedonensi, neque admittimus alium Patriarcham, quam Abba Benjaminum...... Et dixit Abba Samuel, anathema sit liber Imperatoris Romani hæretici, et anathema sit Chalcedonica fides, et omnes qui credunt in eam, et sic dilaceravit illum librum, et projecit eum ante janam ecclesiæ.*

AUCTORE J. B. S.

Elogium Benjamini a Poeta Habessino,

395 In Hagiologio, die VIII Tubæ, sic legitur de Benjamino: *Salutem Benjamino, qui Sacerdos edoctus litteras, electus fuit ut Alexandriæ obtineret Patriarchatum, quod ei manifeste prædictum erat per visionem his verbis:* GAUDE BENJAMIN BEATE, QUONIAM CHRISTI GREGEM PASCES. Nec fuit Ægyptiis E
initio illo gravis Saracenorum dominatus; quin etiam eis licuit restaurare, quæ Damiani Patriarchæ tempore devastata et desolata fuerant monasteria deserti Abbatis Macarii: unde Hagiologus hac eadem die VIII Tubæ; *Gratulor dedicationi Ecclesiæ tuæ, Pater noster Macari, quam dextera Dei fecit per manum Benjamini, sacro Chrismate ungentis templi penetrale. Non intret per avaritiam, istum Cherubinorum terminum* (id est, Sedem) *quisquis superbia vel simonia tenetur obstrictus.*

et restituta monasteria Abb. Macarii.

XXXIX. AGATHON

Post unius aut sesquianni, non triennii vacationem, secutus Benjaminum, Moysi ab Habessinis comparatur.

De Agathone seu Agatho *habent Vitæ Patriarcharum*, inquit Elmacinus, *sedisse annis* XVII, *et obiisse* X *Babæ*, hoc est VII Octobris. Ita ille, libro I, capite 5 sub finem. Rursus autem sub finem capitis 7, F
notat annum LVIII Hegiræ, initium sumentem a II Novembris anni DCLXXVII, itaque debuisset Agatho obiisse anno nostro DCLXXVIII: atque adeo inter ipsum et Benjaminum intercesserit vacatio unius, ut minimum, aut sesquianni, luctuosissima illa tempestate non difficulter admittenda. Pulchre hæc omnia inter se, et cum feria per Historiam indicata, nempe die Jovis, cohærent, et cum anno DCLXXVIII aptissime coincidunt, currente littera Dominicali C. Non ita, si cum citata Historia et Hagiologio, diem mortis componere volueris cum XVI Babæ, hoc est XIII Octobris, non casura in diem Jovis nisi sub littera Dominicali B, anno uno serius, nimirum DCLXXIX, vel quinquennio citius, DCLXXIII.

Obiit Agathon 7 Octobris 678,

397 Præferenda igitur in præsentiarum Elmacini accuratior temporum ratio, et cum sequentibus facilius componibilis. Adde quod Historia, annos Agathonis non nisi ad XVI, et dies CCLXXIII extendens, teneatur admittere interpontificium prope triennale, intervallum sane ab ea minime reticendum. Hagiologion Agathonem salutari jubet, *ut plenum sapientia et laude dignum, quia accepit gloriam majorem quam Moyses, et hodie emigravit, ut ei sanctus Angelus indicaverat, relinquens heredem suæ Sedis Joannem, virum justum.* Hæc autem habentur ad diem

Moysi comparatus.

A diem XVI Babæ, verosimiliter librariorum sphalmate positam pro decima.

XL. JOANNES III.

Laudatur hujus insignis in pauperes caritas ; et restaurata per eum ecclesia S. Marci.

Obiit 685 27 Novemb.

JOANNES. Hic, inquit Elmacinus lib. I, cap. 7 sub finem, *ut octo sedit annos* (intellige annum octavum inchoatum) *obiit prima die mensis Chiac*, id est XXVII Novembris, anno, scilicet Hegiræ LXVI initium sumente a VII Augusti anno nostro DCLXXXV. Concordat Historia Patriarchalis in assignanda prima Chiac. Qui autem acciderit, ut pro *die Lunæ* scriptum reperiamus *diem Sabbati*, fateor me capere non posse, nisi per insignem errorem transpositos dies arbitrari velimus. Certe *dies Sabbati* cum XXVII Novembris concurrere non potuit, præterquam anno DCLXXXIX, currente littera Dominicali C ; quem in annum Joannis mortem nullo pacto referri posse, ex antecedentium et consequentium Patriarcharum ætatibus, et Elmacini calculo, compertum habemus. Quid, quod et Historia ipsa hic sibi non constet,
B Joannis Patriarchatum octo dumtaxat annis, et diebus LV circumscribendo; ubi si recte determinata esset feria, anni omnino XI fuissent numerandi. Nec lucis quidquam nobis affunditur ex Hagiologio aut Abulbaracato, cum utrobique diversus notetur dies; quare in supputatione nostra, tamquam hactenus probabiliori, hærendum censuimus.

Laus Joannis, ob restauratam S. Marci ecclesiam et in pauperes caritatem,

399 Interim notatu dignum est, quod ab utriusque Historiæ, et Saracenæ et Patriarchalis Auctoribus refertur, *quod tempore annonariæ caritatis maximæ, tribus annis sustentavit pauperes, quotidiana argenti et panis distributione : quod remuneravit ei Deus facultates suppeditando, quibus intra triennium exstruxit Alexandriæ novam S. Marci ecclesiam, Kamsja dictam, pro ea quæ fuerat destructa ante Musulmanorum ingressum, sub tyrannide Persarum*. Ejusdem operis sic meminit Hagiologium, I Decembris, Ode III : *Saluto Joannem, Officio et Orthodoxia Patriarcham ; qui tempore administrationis suæ ecclesiam ædificavit in nomine S. Marci ; et, ipso quo ex hoc mundo migravit die, requiem suam cum S. Athanasio Patriarcha conjunxit.* Quibus verbis forsan indicatur aliqua falsa aut supposita ante mortem apparitio Sancti, ipsum ad se cum moreretur invitantis.

unde dictus Joannes Misericors.

400 Jobus Ludolfus, attenta Joannis hujus cari-
C tate erga pauperes, eidem putat adscribendum alterum ipsius Hagiologii locum ad diem XVI chiac, hoc est XII Novembris, ipsum sic invocantis: *Salutem dico Patriarchæ Keri, qui largiter erogat opes suas spe mercedis novissimæ ; quoniam noluit residuum pauperum sibi acquirere, et propterea vocatus est Joannes Misericors.* Conjectat autem nomen *Keri*, quo sub initium strophæ Poeta utitur, relatum ad nomen Joannis in fine positum, esse cognomen familiæ, vel loci natalis. Erit qui existimet elogium istud aptari posse S. Joanni Eleemosynario, quem, licet Orthodoxum, Jacobitæ quoque colendum assumpserint. At conjectura hujusmodi non satis fundata videtur ; unde cum Ludolfo sentire malim, cedendum prædictum encomium alteri cognomini, et similis liberalitatis Jacobitæ.

XLI. ISAAC.

Ritus ordinandi in Dominica pridem neglectus, non sine obscuratione Chronologiæ, ab hoc Patriarcha restitutus.

ISAAC. *Hunc Christiani Jacobitæ constituerunt Patriarcham anno Hegiræ* LXVI, inquit Elmacinus ; D
adeoque post VII Augusti anni nostri DCLXXXV ; *qui annos duos et undecim menses sedit... obiit autem anno Hegiræ* LXIX, sumente initium V Julii DCLXXXVIII. Et ipse quidem Elmacinus diem obitus nominat II mensis Haturi, qui esset XXIX Octobris : Hagiologion vero IX Hathuri, hoc est V Novembris, exhibet, uti et Historia Patriarchalis, illam componens cum die Martis ; qui concursus anno DCLXXXVIII haberi non potuit, currente littera Dominicali D. Neque tamen ultra eum annum licet Isaaci mortem differre ; quandoquidem ex ipsa Historia et Elmacino, non sederit plusquam annis duobus et mensibus circiter undecim, vel decem, ut mavult Abulbaracat ; opportune hic diem mortis notans VII Haturi, hoc est III Novembris, feria et anno rectissime hoc pacto concurrentibus.

Obiit Isaac anno 688, 3 Novemb.

402 Apud Elmacinum legitur Isaacus *Instituisse, ne Patriarcha institueretur nisi die Solis :* quod Apostolicum institutum, longa desuetudine neglectum, et ignorantia diei quo quisque Patriarcha ordinatus fuit, suasit auctori Chronotaxeos marginalis ad Historiam, plerosque Patriarchas metiri ab obitu unius ad obitum alterius ; saltem quoad numerum dierum, annis ab eo designatis addendorum, etiam E
quando longior intercessit vacatio. Hagiologion apponit Isaac titulum Justi, et asserit, quod *ejus Baptismum signavit Crux lucida supra manum baptizantis apparens.*

Statuit ne Patriarcha alio quam die Solis ordinaretur.

XLII. SIMON.

Haustum ter innoxie venenum. Indorum ad illum legatio. Translatio corporis.

SIMON Syrus. *Hic suscitasse mortuum, scribitur in ejus Vita*, inquit auctor Historiæ Patriarchalis ; et addit, *quod ter hausit venenum post Communionem absque ullo nocumento. At quarto cum bibisset vinum, periit.* Elmacini id intelligentis de vino ante Missam sumpto, verba sunt, lib. I cap. 12 non procul a fine : *Narrant quoque ter venenum illi bibendum dedisse post Eucharistiam, neque id ei nocuisse, at quarto cum bibisset jejunus, mortuum esse. Captus* autem est *auctor et igne incensus.* Hagiologion ait, *mortuum illum* suscitatum, *fuisse Presbyterum jam pollinctum ;* auctores vero propinandi ei ter veneni fuisse *moribus corruptis Presbyteros, quibus tamen ipse a Rege, occidi omnes volente, vitam impetravit.* Quæ erga inimicos clementia potuit martyrium meruisse, quarta potione inferendum ; nisi malis opinari fuisse pœnam F
violati ritus, communicaturis præscripti, ut jejuni ad sacra Mysteria accedant. *Idem legatum accepit ab Indis, qui illum rogabant, ut sibi Presbyteros et Episcopum constitueret : qui id præstare noluit absque Regis Ægypti consensu. Quamobrem ad alium profectus est legatus* (fortassis ad Theodorum, thronum sanctæ Resurrectionis, hoc est Hierosolymorum locum tenentem, uti subscribitur Synodo VI, superius citatæ, anno DCLXXX) *qui eis satisfecit, sed multa hujus rei causa Christiani perpessi sunt.*

Hic veneno, post Communionem innoxie ter hausto eodem ante eam præbito, extinguitur.

Non audet Indis Episcopum et Presbyteros petentibus mittere.

404 Obiit Simon die vigesima quarta Abibi in Dominica, quæ nobis fuit XVIII Julii anno DCC ; vel, ut habet Elmacinus, anno Diocletiani CCCCXVI, currente littera Dominicali C, omnibus apprime in hunc annum confluentibus, præter tempus Sedis, quod nota marginalis ad annos VII et dies CCLXII restringit, ex calculo nostro ad annos XI et amplius extendendum. Verum illa marginalia apud nos auctoritatis tantæ non sunt, ut, concordantibus recte ceteris, a præfixo anno dimovere non possint aut debeant, præsertim cum Sedes triennio integro post Simonis decessum vacasse dicatur, et principium Alexandri successoris

Obiit an. 700 18 Julii.

A successoris coincidat cum anno Martyrum CCCCXX, nobis DCCIV; Historia Patriarchali et Elmacino, præter morem, hic expressissime consentientibus. Porro Simonem habitum et cultum pro Sancto apud Jacobitas, probat *translatio corporis in monasterium S. Macarii*, inscripta fastis vigesima septima Abibi, id est XXI Julii; ubi Hagiologus eum invocans, *Disperge*, inquit, *hostes corporis et inimicos animæ meæ, sicut dissipat ventus pulverem a facie terræ.*

cultus apud Habessinos.

XLIII. ALEXANDER:

Monachi indictum tributum a Præfecto Saraceno, ob id et ob violatam Deiparæ effigiem, terribiliter punito. Laudata Patriarchæ in fide Constantia.

Post interpontificium triennale sedere Alexander cæpit anno 703 vel 704,

ALEXANDER *factus est Patriarcha Alexandrinus Jacobitarum*, inquit Elmacinus lib. 1 cap. 12, *die festo S. Marci Evangelistæ, qui trigesimus erat Barmudæ, anno Diocletiani* CCCCXX, (is male hic applicatur ad annum Hegiræ LXXXI) *Patriarchatum obtinuit* XX *annos et dimidium, nec desunt qui dicunt annos* XXV *: obiitque die* VII *Amschiri*, hoc est, I Februarii B nostri. Historia Patriarchalis etiam asserit, eum Simoni *suffectum anno* CCCCXX *Martyrum*, ut nuper indicabam : et, præter solitum, diem obitus et feriam notare prætermisit, præcipuum scilicet ordinandæ Chronologiæ subsidium.

obiit an. 729 I Februarii.

406 Ceterum quam facile est ex hactenus dictis exordia Patriarchæ hujus stabilire, tam est difficile certum obitus annum explorare, cum omnes varient in assignanda Sedis duratione. Siquidem Elmacinus, XX vel XXV annos numerans, obitum refert capite 27, ad annum CVIII Hegiræ, qui initium habuit VII Maji nostri DCCXXVI; unde dicendus esset obiisse DCCXXVII, adeoque institutus DCCIII vel DCCIV, annum XX longe superaret, nec ad XXV pertingeret. Non adeo differunt Historia et Abulbaracat, annos ei integros XXIV et aliquot menses tribuendo : quos si numerare incipias ab anno DCCIII vel DCCIV, protrahasque ad I Feb. DCCXXIX, perplexam temporum rationem, optimo quo potest modo, restitueris.

Angustiæ ab Alexandro perpessa;

407 Elmacinus cap. 12 præcitato ita narrationem prosequitur : *Contigerunt tempore ejus* (Alexandri) *angustiæ magnæ, atque ipse, dies toleravit difficiles et amaros : quin et bis tributum ab eo exactum fuit, et* C *singulis quidem vicibus trium aureorum millium. Præfecerat autem Abdulmelicus filius, Merwanis, fratrem suum Abdulazizum Ægypto, qui recensuit Monachos, et tributum ab eis accepit, a singulis scilicet aureum. Atque hoc primum tributum est quod penderunt Monachi. Habent autem Vitæ Patriarcharum, Abdulazizum filium Merwanis, ingressum templum monasterii Hulwanensis, vidisse figuram Dominæ, habentis Dominum Christum in ulnis suis, et spuisse in eos : atque ea nocte in somno suo vidisse Dominum Christum, jubentem ut occideretur; seque illico lancea in latere suo transfossum; indeque mox experrectum, valde fuisse consternatum, et exspiravisse eadem nocte : obiitque filius ejus post* XL *dies.* Melius Hist. Patriarchalis ait, patrem post XL dies occidisse. Laudatur porro idem Alexander in Hagiologio, quod *gravi tributo vexatus* (eo nempe de quo jam egimus) *precatione et jejunio mortem sibi accelerare maluit, quam Pseudoprophetæ Mahometis nomen scribere loco Crucis, sicut Præfectus jubebat.*

sacrilegium præfecti terribiliter punitum.

XLIV. COSMAS, JACOBITA DT COSMAS MELCHITA.

D AUCTORE J. B. S.

Horum primus sesquianno Sedem tenuit, alter a Monothelismo conversus ablatas Orthodoxis Ecclesias restitui fecit. Post hunc videtur Æthiopia ad Jacobitas defecisse.

Ex duobus Synonymis

HIC obscuram nobis successionem, nec minus perplexam Chronologiam faciunt Auctores, quos sequimur, ex una quidem parte Hagiologus Habessinus, cum Historia Patriarchali, non solitus nisi Jacobitas ex ea sumptos laudare; ex altera Elmacinus et Saidus sive Eutychius, disertissime describentes Orthodoxum eodem tempore Patriarcham Melchitarum, nomine *Cosmam*; quo etiam Jacobita vocatus videtur; Abulbaracato, *Benensis*, a patria verosimiliter dictus. Qui cum aptior nobis sit ad pertexendam seriem huc usque deductam, placet ab ipso ordiri, quantum quidem distinguere synonymos per conjecturam licebit.

prior obiit an. 730, 24 Jun.

409 De Cosma Jacobita scribit Historia Patriarchalis, quod, *invitus ac renitens constitutus est, nec destitit Deum dies noctesque deprecari, ut eum ad se reciperet : quamobrem post annum defunctus est, die* E *Sabbati*, I *Bunæ*, quæ esset XXVI Maji. Elmacinus : *Ut menses sedit quindecim, ita quoque defunctus est die ultima Baunæ*, nobis XXIV Junii. Valde discrepant *prima* et *ultima*, nec alterutri diei subsidio venit Hagiologion, nomen hujus Cosmæ referens ad III Bermaha, hoc est XXVII Februarii ut mox dicetur. Non ita multum discrepant menses quindecim numero rotundo, quos etiam sic habet Abulbaracat, et annus I, dies CXLIII. Nunc autem inveniendus est annus, quo prima vel ultima Bunæ cum Sabbato concurrerint. Pro *prima*, nullus annus idoneus; sed pro *ultima*, quæ est XXIV Junii, opportunissime habetur annus DCCXXX, currente littera Dominicali A, quo ratio temporum a nobis statuta non parum confirmatur, et sic proinde tenendum putamus.

Melchita alius

410 Nunc jam illa difficultas solvenda superest, unusne an geminus Cosmas exstiterit, Melchita alter, alter Jacobita? eodem, an diverso tempore? Auctor est Elmacinus, libro I cap. 17 in fine, ex Saido Filio Batrici sive Eutychio Patriarcha in Historia sua, *anno tertio Chalifatus Hisjami* (Theophani, Isami) Hegiræ CVIII, nobis DCCXXVI, *Cosmam Orthodoxorum Patriarcham Alexandriæ factum fuisse: orasse autem eos Alexandriæ in templo S. Sabæ : quia Jacobitæ templa omnia occupaverant. At Cosmam, Pa-* F *triarcham illorum, profectum esse ad Hisjamum, filium Abdulmelici, cum donis et muneribus; eique significavisse, Jacobitas templa omnia Orthodoxorum occupasse: et Hisjamum scripsisse ad gubernatorem suum in Ægyto, qui erat Abdalla, filius Seccuris, ut Orthodoxis traderet templa eorum, qui in manu erant Jacobitarum, atque eum illi eripuisse templum Evangelii*; id est (ni fallor) Evangelistarum, vel S. Marci.

templa Orthodoxis erepta recuperat,

411 Refert autem Theophanes anno ultimo Hisjami, primo Walidis Muslimorum Chalifæ, Hegiræ CXXV, nobis DCCXLII, *Cosmam Alexandriæ Patriarcham, cum ipsa civitate, Monothelitarum pravitate, a Cyri (qui sub Heraclio vixit) temporibus, eam civitatem obtinente, abjurata, et errore cognito, ad Orthodoxam Ecclesiam rediisse.* Meminit etiam Marquardus, in citata superius non semel Chronologia, *Cosmi Patriarchæ Alexandrini*, quem reducit ad annum DCCXLIII, nullo alio Patriarcha, nec ante, nec post hujus tempora, nominato. Hæc nos dubitare non sinunt, quin præter Cosmam Jacobitam, quindecim mensium (ut jam vidimus) Patriarcham, alter synonymus sederit, Monothelita primum, deinde Catholicus

cum abjurato Monothelismo ad Orthodoxiam suos reduxisset anno 742,

AUCTORE J. B. S.

A licus; quique annos minimum sedecim Thronum illum obtinuerit, ceteris quæ ad eum spectant, Scriptorum negligentia prætermissis.

et ideo non videtur esse is qui laudatur in Hagiologio.

412 In Hagiologio Habessino, ad diem III Bermaha, hoc invenio decantari Encomium : *Salutem dico Patriarchæ Cosmæ, in cantu quasi Seraphico, S. Excelsi laudem sanctam extulit, Æthiopiam sine difficultate protexit, et suam administrationem feliciter absolvit, quia sub ejus Episcopatu pax fuit Ecclesiæ multiplicata*. Mirum si hæc in alterutrius Cosmæ tempora vere quadrent : certe, quem supra vidimus dies noctesque deprecatum, ut calamitatibus liber evaderet, is pacem Ecclesiæ multiplicatam habuisse non videtur : nec felicius Orthodoxo alteri administrationem cessisse mihi omnino persuadent, quæ ab immani Muslimorum avaritia et crudelitate Christianos perpessos esse, Elmacinus commemorat. Utcumque illa se habeant, crediderim licentiæ poeticæ nonnihil admixtum, totumque elogium, non ad Orthodoxum, sed ad Jacobitam referri, jam a primi schismatis origine, Catholicis plerumque exclusis.

Ecclesiis autem Orthodoxi caruerant an. 97.

B 413 Porro ad Orthodoxi memoriam spectat, quod præcitatus Saidus scribit, Orthodoxos Alexandriæ sine Patriarcha fuisse XCVII annis, inde a Chalifatu Omaris filii Alchitabbi, donec Cosmas Patriarcha factus est. Cum autem Omar iste Chalifatum exorsus sit anno XIII Hegiræ, nobis DCXXXIV, additis annis XCVII exurgeret annus DCCXXXI, atque adeo quinquennio serius Patriarchatum iniisset Cosmas Orthodoxus, quam supra ab eodem Saido assertum vidimus, in quo sibi apertissime contradicit. Malim ego Cyrum et Petrum Monothelitas ex Orthodoxorum Patriarcharum catalogo expungi, et initium Sedis vacantis apud Orthodoxos, ad mentem Eutychii, reduci ad annum circiter DCXXIX vel DCXXX, qua potissimum ratione recte omnia conciliari et ordinari posse videntur, sic ut hic alter Cosmas iniverit Patriarchatum anno illo DCCXXVI, eumque tenuerit usque ad annum DCCXLIII, et forte ulterius.

Defunctus creditur circa 743 :

post quod tempus Æthiopia ad Jacobitas accesserit.

414 Ansam hic præbet Elmacinus, ex præcitato Saido, ut disquiratur, quo fere tempore Æthiopia sive Habassia Jacobitarum errores amplexa fuerit. Si enim Nubia, inter Æthiopiam et Ægyptum media, hoc primum tempore *Jacobitica facta est*, ut illic asseritur; *acceptis Episcopis a Patriarchis Jacobitarum ;* præsumere licebit, serius etiam id in Habassia factitatum, quod valde faveret iis qui ibidem C hactenus floruisse creduntur, sanctis viris, et in Hagiologio metrico invocantur ut Sancti. Verum cum accuratiori examine illa egeant, neque huc spectent, commodius alibi discutientur.

XLV. THEODORUS.

Pœnitentiæ rigor et studium pacis in eo laudantur.

Vir severæ pœnitentiæ, multa cum pace suos rexit ;

Huic in Hagiologio sic accinitur : *Saluto Theodorum, ferrea lorica et cilicio hirsuto gravem, qui dignus habitus fuit sedere in Sede Marci, sicut ei Pater suus spiritualis* (verosimiliter decessorem intelligit) *prædixerat, dum adhuc ei ministrabat*. Cum autem, ut testatur Elmacinus, lib. 1, cap. 17, esset *bonus, mansuetus, et amans hominum ; tempore ejus tranquillitas fuit et pax* vel (ut Historia narrat) *omnes dies suos in quiete et pace transegit, nec ullum habuit adversarium*. Id nimirum promereri videbatur, *vir egregia specie et optimis moribus*, ut addit præfata Historia Patriarchalis, adscribens ei Sedis annos XI, et dies CCXXII. Convenit autem cum Elmacino et Hagiologio, quod defunctus sit septima Amschiri, hoc est, I Februarii;

et obiit I Februarii anno 742.

quem diem, Historia ait, fuisse diem Jovis; qui D proinde, currente littera Dominicali G, cadet in annum DCCXLII.

416 Cum itaque sedere cœperit anno DCCXXX, si, ut supponere licet, facta sit ordinatio Dominica proxime sequente obitum prædecessoris, quæ fuerit XXV Junii; si, inquam, ab eo die numerare incipias, facile invenies annos XI et dies CCXXII, vel (ut notat Abulbaracat) annos XI et menses circiter VII. Sequitur in Historia Patriarchali, quod Sedes vacaverit anno uno absque Patriarcha ; addere poterat mensem unum aut alterum, ut deveniatur ad annum Diocletiani vel Martyrum CCCCLX, qui in hoc concursu nobis esse debet Christi DCCXLIII ; et quo Theodori successor *Michael*, alias *Abanachayl*, et melius *Abbuna-Chael*, vacantem Thronum conscendisse dicitur ab Elmacino, hic denuo infeliciter Hegiras suas cum annis Diocletiani coaptante. Sed leviora hæc sunt quam ut morari nos queant, modo chronotacticus calculus ex aliis abunde confirmetur.

Quomodo Æra Martyrum vulgari nostræ aptari debeat.

417 Ceterum locus postulare videtur, ut cum deinceps toties recurrat applicatio vel reductio Epochæ Diocletianæ ad communem ; locus, inquam, postulare videtur, ut Lectores moneantur, non semper plenum annorum numerum, alteri numero superaddi, sed computationem fieri juxta canonem chronologicum, superius recitatum in Digressione post Maximum Patriarcham XV ; ita tamen canonem ac- E cipiendo, ut locum non habeat nisi in illis quatuor postremis anni mensibus, qui Martyriali et vulgari nostro communes dici possunt. Exemplum esto in Michaele proxime secuturo, qui creatus dicitur anno Martyrum CCCCLX die XV Decembris. Ut enim hic Æram unam alteri coaptes, alterutri demenda est unitas, ut per te ipse probare facile potes, si velis. At si ageretur de re facta mensibus octo Septembrem præcedentibus, nihil auferendum esset, ut reperies in Michaelis et Minæ successore Joanne, defuncto mense Januario, anni Martyrum DXV, qui coincidere debet cum nostro DCCXCIX.

CAPUT VII.

Duriora sub Chalifarum Præfectis tempora, iisque exerciti Patriarchæ, ab anno DCCXLIII ad DCCCLIX.

Elmacini relatio de calamitatibus,

F Hactenus satis quieti, sub barbaricis Chalifis eorumque Præfectis, egerant in Ægypto Christiani, Melchitæ juxta ac Jacobitæ ; nam pecuniaria extorsio sub Alexandro, non tam cito consecutionem illam habuisse videtur, quam pluribus enarrat Elmacinus lib. 1, cap. 12 sub finem, de Asamæ tyrannide : *Hic enim, postquam Ægyptum ingressus est, pejus etiam fecit antecessoribus suis ; jussitque Duces interficere plebem, et facultates ejus ad se transtulit. Quin et Ducibus scripsit : Trado vobis animas hominum, corradite quantum potestis opum. Et jussis adesse Monachis, signavit eos in manibus eorum annulo ferreo, singulos, inquam, nota circulari et die. Cumque deinceps quispiam compareret non signatus, amputata est manus ejus. Neque dici potest numerus eorum, quos ita deformavit. Deinde scripsit, ut quicumque ex ceteris hominibus comperirentur ascendere aut descendere, neque penes se haberent diploma liberi itineris, ab eis sumerentur decem aurei : ita ut vidua quædam habens filium, cum accepisset ejusmodi diploma, atque iter faceret, filiumque ejus qui cum ea erat, e flumine aquam bibentem, crocodilus abripuisset, una cum diplomate, quod in sinu ejus erat, et mulier plorans reversa esset, misertus ejus non sit, et coacta fuerit mulier vestes suas vendere et mendicare, donec secundo persolveret justum diplomatis*

A *diplomatis pretium, decem videlicet aureos. Deinde misit in monasteria, ubi plurimos Monachos comperit signo carere, quorum alios decollavit, alios verberibus necavit.*

quas Ægyptii Christiani sub Chalifis passi sunt.

419 Dedit quidem crudelitatis pœnas immanissimus Asama, jussu Chalifæ diris cruciatibus enecatus; verum successor Abdalla illum crudelitate superavit: *Et duplicavit tributum, jussitque numerari homines et bestias: et signavit Christianos nota quadam, figura scilicet leonis; ita ut quicumque invenirentur, neque notam illam in manibus suis haberent, eorum manus amputarentur.* Sed neque sumpta de hoc tyranno barbaro supplicia alios absterruerunt; sic ut perpetua vicissitudine afflictissima regio, Præfectorum libidini et avaritiæ obnoxia fuerit. Unde patet arctiora subinde omnia Ægyptiis facta, justa profecto supremi numinis animadversione, eos sub dirissima Mahumetanorum servitute premi sinente, qui fidem Deo et legitimis Principibus debitam toties violaverant.

XLVI. MICHAEL.

B *Cyprianus Nubiæ Rex ejus intercessione placatus, ab Ægypto invadenda desistit: multa nihilominus a Saracenis patiuntur Christiani.*

Creatus anno 743 die 15 Septemb.

MICHAEL, Kirchero *Chael* Abulbaracato *Cael*, Elmacino *Abanachayl, suffectus est*, inquit Historia, *anno quadringentesimo sexagesimo Diocletiani*, quem annum diserte etiam signat Elmacinus, in hoc Historiæ conformis: sed hæc, *die Festo Crucis*, ille decimo septimo Thoti institutum Patriarcham ait; nam librario sphalmati imputandum, quod legatur in versione nostra *septimo*, pro *decimo septimo*, sicut habere textum Arabicum reperit Ludolfus: qui etiam animadvertit, per similem errorem *Abanachayl* scribi pro *Abbuna-Chael*. Jam Habessini, ex instituto Alexandrinorum, salutiferi ligni *Crucis*, festum triplex celebrant; primum decima Barmaha (hoc est VI Martii) in memoriam primi, quo in Persidem avectum claruit miraculi, quod vocant festum *Absconsionis*: alterum *Inventionis*, IX Baschnes (hoc est IV Maji:) sed vacatio prænotata requirit ultimum *Exaltationis*, non ita pridem ab Heraclio solennissime
C instauratum XIV Septembris seu decima septima Thoti: cujusmodi majora festa, æque ac Dominicas, ad Episcoporum consecrationem adhibuisse Ægyptios, ut ea adhibent Latini, credibile est.

non sine prodigio;

421 Hagiologion dicit XVI Martii, *Michaelem ex deserto assumptum, ubi perfecte luctatus* (secum et cum dæmone) *fuerat; eo autem die quo constitutus fuit Patriarcha, pacem exstitisse, et cœlum quoque dedisse pluviam.* Rem utique in Ægypto rarissimam, et prænuntiam imminentis primo ejus anno calamitatis; quando Michael, extorquendæ pecuniæ causa, primum carceri mancipatus, deinde ad indictam summam colligendam, circuire est permissus. Rem ita deducit Historia nostra: *Multas perpessus est ærumnas, sub regno Marovani Giahdensis, sub præfectura Abd-almaleshi filii Moysis, ex Judæo Moslemani. Quidam etiam Episcopi Patriarcham accusarunt, multosque obtulerunt contra illum libellos; quamobrem captus, in carcerem detrusus est, et pecunia mulctatus, nimisque propterea oppressus. Qui etiam enixe rogavit ut sibi egrediendi concederetur facultas, ad hujusmodi summam emendicandam per provinciam, quod ipsi concessum est. Incolæ autem regionis maximis afflictionibus tyrannice premebantur, ob ingentem pecuniæ mulctam, quæ ipsis indies imponebatur.*

illata ei ab avaris Præfectis multa injuria,

422 Fuit *Merwanus*, seu *Merouanus*, Chalifarum suæ familiæ ultimus, crudelem avaritiam Præfecti, D sui; primum ingenti terræ motu, quo *multæ dirutæ sunt urbes, ut nec unus quidem civium evaserit: multæ quoque naves eadem nocte submersæ sunt: tantaque fuit terræmotus quassatio, ut ligna portarum et parietum suo egrederentur loco. Quæ quidem afflictio totum conquassavit Merovani Orientale imperium. Recensita fuerunt loca, quæ in Oriente illa nocte diruta, et ascendere reperta sunt ad numerum sexcentorum, tam urbium quam oppidorum et castellorum; interiitque hominum et jumentorum infinitus numerus.*

AUCTORE J. B. S.

horribili terræ motu punitæ,

nec tamen mitius habetur etiam post aversum periculum

423 Accessit, ipso calamitatum principio, aliud afflictis subsidium etiam procul dubio cœlitus immissum. Nam *anno quadringentesimo sexagesimo primo Martyrum, invasit Cyprianus Rex Nubiæ regionem Ægypti, cum accepisset Patriarcham in carcere detineri; habebatque secum centum millia nigrorum, centum millibus equorum insidentium; ducebat quoque Camelorum centum millia; fertur eorum equos ferocius decertasse quam equites, et erant parvi, instar asinorum. Cum autem appropinquasset ad Ægyptum, misit Abdalmalechus filius Moysis ad Patriarcham, rogans ut illum suis litteris placaret. Qui scripsit, pacem petens; eamque obtinuit, deprecatusque est pro illo et* E *benedixit; reversusque absque bello, gaudens plurimum Patriarchæ benedictione.* Quietis nonnihil tantum beneficium Patriarchæ Michaeli peperit, sed ab ipso Merovane *magnas* postea *perpessus est afflictiones..... et sæpius gladio oblatus est.* Sed et hoc luit Merovanus totius Imperii amissione, post internecinam cladem acceptam. Tunc scilicet novus Chalifa Safahus Ægyptum occupavit, per suos Choraisanitas: quorum Præfectus Michaelem exemit vinculis, liberumque res suas agere sivit: quod anno Hegiræ CXXXIII, qui cœpit VIII Augusti DCCL, factum scribit Elmacinus, ab annis nostris plerumque aliquantulum deflectens.

a Cypriano Nubiæ rege imminens;

tandem extincto tyranno liber a vinculis,

obiit an. 767, 12 Martii,

424 Præmiserat autem Elmacinus capite 17, ubi Michaelis exordia exponit quod mansit tres et viginti annos Patriarcha. Historia dies addit CLXXX, quos confirmat idem Elmacinus, cum paulo inferius rotundo numero ait, quod sedit Patriarcha annos XXIV. At obiit die, non *sexto*, sed *decimosexto* Bermahati seu Martii XII, juxta textum Arabicum, ut nos hic denuo monuit Ludolfus, utique anno DCCLXVII. Historia eadem tempus mortis ac diem tacet: Hagiologion vero confirmat correctionem, Latinæ Elmacini versioni adhibitam a Ludolfo, dum *Michaelem* commemorat decimosexto Bermahati, seu XII F Martii: quo pacto dies CLXXX melius nos ducent ad medium Septembrem, quo vidimus eum fuisse institutum. Quod ad feriam hebdomadæ attinet, qua obierit *Michael*; ea cum taceatur, non possumus ex ejus consideratione quidquam definire. Cum autem ex aliis notis de anno et die constare videatur, facile est concursum feriæ adjungere, quæ eo anno fuit dies Jovis, currente littera Dominicali D.

Nobile castæ Monachæ facinus.

425 Huc spectat memorabile castæ Monachæ facinus, ab Elmacino tabulis consignatum, neque a nobis prætermittendum. *Transiit* (Merwanus) *cum suis in cœnobium quoddam Monacharum, quas abduxit captivas. Erat autem inter eas puella quædam eximia forma, quam adductam in tentorium suum violare voluit. At illa decipiens illum, dixit: Si relinquas me, ego unguentum tibi dabo, quo qui ungitur, nullam in eum vim habet gladius. Respondit ille, atque unde hujus ego rei veritatem cognoscam? Periculum, ait illa, in me facies: ego inungar, tu autem me gladio percuties. Merwan sincere hæc dici est ratus, et puella sumpto unguento se unxit: atque ille extracto gladio, eam percussit, et caput ei abscidit: unde cognovit, maluisse eam mori, quam pati ut corpus suum adulterio pollueretur: quam ille rem admiratus est.*

XLVII

AUCTORE J. B. S.

A

XLVII. MINAS.

Gravis sub eo Christianorum opraessio, cum patientiæ ejus laude.

Laudes Minæ inter afflictiones :

MINAS, a patria *Semutensis* Abulbaracato cognominatus, *magnas et ipse quoque multasque perpessus ast afflictiones, siquidem cum Episcopis funes tsuppeos nectebat et obliniebat pice, ad navium usum in Ægypto, soli expositus*, ut habet Historia. Hinc Hagiologus Habessinus ; *Saluto*, inquit, *Minam dignum, qui Patrum in numero electus fuit Patriarcha, patiens in afflictione et tentationibus. Ejus intercessio me, instar Pastoris, in omnibus viis defendat, a vi dæmonis in deserto circumerrantis.* Hic, teste Elmacino *ut novem sedit annos* (Historia, annos numerat VIII, dies CCCXX) *defunctus est in fine mensis Tubæ.* Hactenus bene. At quomodo Historia *ultimam Tubæ* determinaverit, in *diem Veneris*, quæ esset XXV Januarii, fateor me non capere ; nec sustineri omnino potest, nisi suam Chronologiam Historia ipsa omnino invertat. Etenim concursus ille exigeret pro mense Januario litteram Dominicalem F, non reperibilem præterquam anno DCCLXXI, vel DCCLXXXII : jam vero Minæ successori Joanni adscribuntur anni omnino XXII : isque ex Elmacino (in annis Diocletiani referendis ut putamus accurato) obiisse dicitur Æræ istius anno DXV, nobis DCCXCIX, atque ita deinde annorum supputatio optime consistit.

B

obiit 776, 19 *Januarii.*

427 Dubium igitur mihi non est, undecumque demum error ille irrepserit, mendose scriptam *ultimam Tubæ*, pro in *fine mensis Tubæ ;* atque adeo, si vere Minas *die Veneris* defunctus sit, fatum ejus incidisse in XXIV *Tubæ*, nobis XIX Januarii, exigentem litteram Dominicalem G, ut concurrat cum anno DCCLXXVI, quo Patriarcham illum obiisse (quantum saltem per Chronologicas hasce tenebras licet) tantum non est manifestum. Ad Minæ tempora pertinent, quæ de immensa Almansoris Chalifæ avaritia ejusque Vicariorrum flagitiis prodit Elmacinus : a quibus *tantas*, ait, *fuisse oppressiones in Ægypto, ut nullus artifex nec laterarius, nec camelarius, nec tibicinarius, nec mendicus fuerit* (quanto minus Christianus, isque in dignitate Ecclesiastica) *a quo non exigeretur tributum, et pecunia caperetur : afflixitque tantopere populum miseria, ut canes et cadavera comederent.* Nec mitior fuit conditio sub Almansoris filio Muhade. Vacavit Sedes, ex Historia, diebus CCCL rotundo numero, mihi probabilius est superaddendos VII vel VIII, ut successoris institutio habita fuerit XVI Tubæ, hoc est XI Januarii, ut mox videbitur.

Oppressiones in Ægypto.

C

XLVIII. JOANNES IV.

Hujus laudes, Correctus error Elmacini. Patriarcha sub Joanne Orthodoxus et Medicus, templa suis recuperat. Theophilus, Habessinis laudatus, quis sit.

Joannes ordinatus 11 *Januarii* 77 :

JOANNES IV, Abulbaracato *Benensis*, in Catalogo Kircheri male confusus cum Eleemosynario, sancto et duobus seculis seniore, *constitutus* XVI *Tubæ*, XI Januarii, qui dies idem dicitur *nativitatis ejus, Patriarchatus et mortis fuisse*, unde liquet sola unius vocis, *sexta*, omissione factum esse, ut in contextu Historiæ solum legatur, *decima*. Elmacini dictum confirmat, ipsamet die XVI Tubæ, Hagiologion his verbis : *Salutem dico Joanni, revelatori mystyrii diei venturæ, coram congregatione quadam cui dixit ; Hora mortis meæ erit ipsa die, qua natus, et Patriarcha constitutus sum.* Si Elmacino creditur, *fuit ejus tempore Ecclesia in quiete et pace. Ipse autem fuit amans eleemosynarum multæque commiserationis ; et cum ejus tempore magna esset annonæ caritas, ipse rationem habuit pauperum, neque passus est eos re ulla indigere.* Atque hæc, opinor, hallucinandi occasionem Kirchero facile præbuerint.

ejus encomium

D

Error Elmacini in annis hujus et sequentis Patriarchatus

429 Sed quod ad annos Patriarchatui hujus Joannis, uti et successoris Marci, attribuendos attinet, in iis designandis infelicissime versatus est Elmacinus ; quod nequis gratis me fingere existimet, operæ pretium duxi uno obtutu breviter repræsentare. Non ita pridem ex ipso demonstravimus, Michaelis initia ad annum Diocletiani CCCCLX, Christi DCCXLIII, pro assignato mense, reducenda ; sedisse autem eum annos summum XXIV, nempe ad annum Christi DCCLXVII : Minæ autem Pontificatum limitat ad annos tantummodo IX, libro 2 cap. 3; quibus eum supra perduximus ad annum DCCLXXXVI. Hic modo lib. 2 cap. 5, Joannem nostrum sedisse, ait, annis non amplius XIII, obiisse vero anno Diocletiani DXV, Christi DCCXCIX. Subinde autem, libro eod. cap. 6, Marco tribuit annos X et dies LXX, obdormivisse asserens anno Diocletiani DXXXV, Christi DCCCXIX, palpabili decem annorum utrobique defectu : siquis enim summam, additis quatuor Patriarcharum annis, conficiat ; reperientur universim anni LVI, cum a DCCXLIII ad DCCCXIX, fluxerint anni omnino LXXVI. En tibi lacunam annorum XX, cui implendæ nihil ipse præter Hegiras male subductas, suppeditat. Melius Historia Episcopatum Joannis ad annos XXII, Marci ad XX extendens, et sibi et annis Diocletiani, ab Elmacino notatis, pulcherrime consonat.

E

Obiit Joannes 11 *Januarii, an.* 799.

430 Itaque Sedem tenuisse dicendus est Joannes usque ad XI Januarii DCCXCIX, annis viginti integris. Dies I, ab Historia adjunctus, redundat ; eo remittendus, ubi nonnumquam defuisse aliquot ostendimus. Obiter hic etiam indicandum existimavi, ordinationem hujus Patriarchæ, XI Januarii factam anno DCCLXXVII, non Dominica sed Sabbato institutam, contra quam ante annos fere centum decreverat XLII Isaac, sed rebus Ecclesiæ sic turbatis, ut diximus, quid mirum si ejusmodi decretum citius exoleverit, donec sub feliciori Joannis Patriarchatu, quietius et ordinatius cœperunt agi omnia ; et sic successor ejus die Solis ordinatus legitur.

F

Templa sub eo ab Orthodoxis denuo recuperata

431 Sub hoc Patriarcha templa sua denuo recuperarunt Orthodoxi, quæ pridem, nescio quis Chalifa, eis abstulerat ; idque hac, quam ex Saido Elmacinus narrat, occasione. Rasjidi Chalifæ frater Abdalla, Ægypto Præfectus, pro anno CLXXX Hegiræ, Christi forte DCCXCVI, puellam formosam Rasjido dedit, quam cum hic deamaret, et illa ægrotaret, *dictum illi fuit, Medicos Ægypti optime illam sanaturos. Missus ergo Patriarcha Alexandrinus, qui Medicus erat insignis, eam ita curavit, ut sanitatem recuperaret. Rasjidus diploma ei dedit, ut templa omnia Orthodoxorum, quæ Jacobitæ occupaverant, iis restituerentur : atque ita ea recepit.* Nomen Patriarchæ, quem Melchitam apparet fuisse, non exprimitur : sed additur, quod obiit annos natus XLVI, ut oporteat, inter hunc et *Cosmam* Orthodoxum de quo supra, vel alios, longiorem intercessisse vacationem. Interim libenter illis adnumerarem Theophilum, ab Hagiologo Habessino relatum XII Hathuri, id est VIII Novembris, eo quod *sub ejus administratione respirarint Æthiopiæ populi, qui super se impostorem quemdam improvide constituerant.* Sed quia hactenus non inveni Patriarcham aliquem Melchitam, laudatum in Hagiologio, vereor ne hic Theophilus etiam Jacobita fuerit, non Patriarcha, sed Metropolita Habassiæ.

opera eorum Patriarchæ, insignis Medici.

An is Theophilus, Habessinis laudatus?

an potius metropolita Habassiæ?

A

XLIX. MARCUS II.

Monasteria vastata a Barbaris; civitates vexatæ a rebellibus : profugus Patriarcha. Scianusitæ ad unionem reducti.

Ordinatus 27 *Jan.* 799,

MARCUS II, *Constitutus est Patriarcha die Solis,* inquit Elmacinus, turpiter lapsus, in anno Hegiræ nostris conferendo, uti et in computanda Sedis duratione. Vacasse Sedem, ait Historia, mortuo Joanne, diebus quindecim : quos si a die obitus, nimirum XI Januarii, duxeris; invenies eum inauguratum XXVII Januarii, cadente in Dominicam, sub cursu litteræ Dominicalis F, anno DCCXCIX, *Obiit* (pergit idem Elmacinus) *vigesima secunda Barmudæ anni Diocletiani* DXXXV, *qui dies erat Solis et sanctæ Resurrectionis;* utique die XVII Aprilis, cum qua concurrit festum Paschæ, anno Christi DCCCXIX. Consequens ergo est, ut Thronum possederit Marcus, quemadmodum recte numeravit Historia, annis XX et diebus LXXXI.

obiit 819 *festo Paschatis,* 17 *Aprilis.*

B

A rebellibus Alexandria exulare coactus :

433 *Ejus tempore* (subdit eadem Historia) *Barbari, qui sunt incolæ Occidentis, diruerunt monasteria vallis Habibi, et ea depopulati sunt, incensis Ecclesiis et cellis, manseruntque quadraginta annis absque Monachis aut incolis quibuscumque. Eodem quoque tempore rebelles quidam Alexandriam aliasque urbes expugnarunt, neces patrarunt, flammis dederunt urbes, et eas depopulati sunt, ut prolixius in historiis refertur : quapropter Alexandria egressus est Patriarcha,* et *quinquennio absens fuit.*

laudatur in Hagiologio,

434 Encomium ejus requirens in Hagiologio, invenio ad eumdem, quem ceteri notant, diem XVII Aprilis, ipsum sic invocari : *Salutem Marco, redemptori captivorum populi, summa trium myriadum aureorum denariorum impensa : is hodie migravit ad locum nuptiarum cœlestium, sicuti prædixerat ei Pater Marcus, illuc invitans, ubi expectabat eum præmium et digna merces.* Quis autem hic *Pater Marcus?* Evangelista, credo, et Alexandrinæ Ecclesiæ fundator. Ludolfus huc respiciens, suggerit quod in Calcosendio apud Seldenum inveniatur *Marcus, dives Patriarcha;* pro quo apud Elmacinum ridicula versione legatur MARCUS NOVUS : *Quæ enim novitas,* inquit Ludolfus, *in Marco dabatur? Ego in notis meis ad fastos Æthiopicos scripsi, quod* Marcus *iste a Coptis vocaretur* FELIX FORTUNATUS PATRIARCHA. Ast ego observo nihil esse inter Sanctos synonymos præsertim Orientales frequentius, quam ut posterior vocetur *Novus* seu *Junior*. Sic Maria neptis Abrahæ, respectu Ægyptiacæ; sic Stephanus sub Copronymo pro cultu imaginum Martyr, respectu Protomartyris ; sic Lucas pro eadem causa Confessor, respectu Evangelistæ, Νέοι, *Juniores* seu *Novi* nuncupantur, ut alios prætermittam. Quin igitur etiam hic Marcus dictus sit *Novus*, respectu primi in Ægypto Patriarchæ? Elmacinus et Historicus noster narrationem interserunt, qua multum laudatur Marci prudentia, quod in suam communionem receperit Episcopos *Scianusitarum*, jam inde a tempore Petri Mongi ab Alexandrinis Jacobitis abjunctorum. Quales ii Episcopi fuerint, quove schismate a Jacobitis avulsi in Historia non exprimitur. Verosimile est Melchitis adhæsisse, sed eorum pertæsos prætulisse patrios Coptitarum ritus. Utcumque illa se habeant dubium mihi suboritur, numquamne Jacobitæ æque ac Melchitæ ad Ecclesiæ Catholicæ unionem redierint seculis VII, VIII, et IX.

et titulus Novi, ei adscribitur,

C

frequens apud Orientales, pro Juniore.

D

AUCTORE J. B. S

PARERGON IV.

De Consensu Ecclesiæ Alexandrinæ Jacobiticæ, cum aliis Patriarchalibus Sedibus Orientis et cum Romana, seculis VIII *et* IX.

Scriptoribus res Ægyptias negligentius tractantibus,

Quod de temporum Heraclii perturbatione, nuper cum Petavio monebamus; hoc ipsum de incertitudine et obscuritate eorumdem, merito hic affirmari posset. Etenim quæ Ecclesiam Alexandrinam olim florentissimam spectant, neglecta adeo reperias a Græcis ac Latinis ævi illius Scriptoribus, ut quo studiosius, corrasis hinc inde laciniis, ea investigare volueris, anceps magis dubiusque hæreas, nec nisi palpando divinare queas, nedum probabili conjectura quidquam assequi. Laceram illic Domini tunicam, et Dioscoritano schismate perniciosissima æmulatione propagato, distractos in partes Ægyptios, abunde supra recensuimus ; erepta variis artibus, et restituta ultro citroque templa, Patriarchas mutuum in excidium armatos ; demum internecinum bellum, servitute Saracenica auctum cumulatumque. Nihilominus tot inter tenebras et calamitates ea nonnumquam emicuere virtutum egregiarum, sanctitatis, et cœlestium donorum specimina, quæ animum quantumvis obfirmatum, nescio qua injecta formidine, dubitare cogerent an numquam afflictissima illa Coptitarum Ecclesia, Dei flagellis perdomita, ad saniora consilia rediisset. Hæc animo volventi, et attenta sæpius consideratione meditanti, alia occurrere, quæ dubitationem augerent magis foverentque, adeo ut res digna censeretur Eruditorum oculis proponi, favorabile fortasse pro Ecclesia Alexandrina eorum elicitura judicium, siquis aliunde luminis aliquid et notitiæ affundendo, firmioribus eam argumentis stabilire possit, ac velit.

E

ægre eruuntur indicia unionic aliquando factæ,

unum constat, omnes Ecclesias,

436 Principio, id extra controversiam positum arbitror, non Melchitas solum, verum etiam Jacobiticos Patriarchas, cum Antiochenis et Hierosolymitanis, Catholicam veritatem, circa cultum sacrarum Imaginum, acerrime et constantissime adversus Iconomachos propugnasse. In Christianorum silentio, fidem faciet Elmacinus, lib. 2 cap. II, referens legationem Patriarchæ, Imperatori Theophilo Iconoclastæ missam. Pro comperto non habeo, quo de Patriarcha ei sermo sit : ceterum cum de Jacobitis agat plurimum, verosimile est, hoc ad eorum dogmata pertinere ; uti et illud, quod in Cosma II, Hagiologion Habessinum occinit ad annum DCCCLVIII. Legationis vel epistolæ summa hæc erat : *Moses Propheta sculpsit imagines Cherubinorum in tabernaculo temporis et ita quoque Salomon filius Davidis, cum templum exstruxisset Hierosolymæ, imagines Cherubinorum fecit ex auro. Quin et hoc constat ; litteræ Regis cum afferuntur alicui ex Præfectis ejus, sigillo ejus consignatæ, eique dicitur : Hoc a Rege est, eum illas legere et osculari, capitique suo et oculis admovere, ut Regem honoret, quod nomen ejus et sigillum iis impressa sint. Ita nos quoque imaginem tantum recipimus, propter eum cujus fert nomen, non autem propter colores.*

F

in cultu Imaginum tenendo fuisse concordes,

437 Facit etiam ad rem nostram epistola Constantini Porphyrogenitæ, de Christi imagine Edessena, scripta seculo X, et Latine edita a Combefisio, in Manipulo rerum et originum Constantinopolitanarum, cum Diatriba Allatiana. Narrat ibi, Job (forte Jacob) Alexandrinum ; Christophorum, Antiochenum ; Basilium, Hierosolymitanum ; scripsisse Theophilo Imperatori, qui sacrarum violator esset Imaginum (factum id fuerit circa annum DCCCXXX) et *longa dissertatione, divinas Imagines, sanctas et in veneration*

et Iconomachiam aversatas

veneration

A *veneratione habendas*, adstruxisse. Extat prædicta Dissertatione seu Synodica bene longa apud citatum Combefisium. Denique, ut paucis complectar omnia, rem certam et exploratam reddunt, quotquot de Coptorum fide et erroribus scripsere, eorum in cultu Imaginum perpetuam et sanam traditionem confirmantes; quidquid non nemo pictas tantummodo admitti memoret, rejectis iconibus sculptis; quod si verum est, gentis illius non minimam cum Græcis affinitatem demirari licet.

AUCTORE J. B. S.

plus aliquid suadet communio Alexandrinorum cum Antiochenis sec. 8

438 Hic mihi nunc dubium suboritur, an, quemadmodum Alexandrini Præsules, tametsi Jacobitæ, cum reliqua Orientali Ecclesia et Romana convenerunt, in aversanda Iconomachorum perfidia; ita et aliquando non consenserint in eadem fide et veritate Catholica, quamquam interim a Melchitis sive Surianis, lingua, et forte etiam ritibus, dissiderent. Movet me imprimis communio prope continua Jacobitarum cum Ecclesia Antiochena, relata a supra laudato Elmacino pluribus in locis. Lib. 2 cap. 5 in fine, ait, Joannem Patriarcham Alexandrinum (Sedit hic ab anno DCCLXXVII ad DCCXCIX, ut supra a numero 428 videre est) Synodicam misisse ad Georgium Antiochenum, et recepisse ab illo *in unitate Ecclesiæ*. Item cum Antiochiæ Georgio successit B Syriacus, *Synodicam quoque scripsit, et misit ad Patrem Joannem, qui cum gaudio eam recepit illique responsum misit in unitate sanctæ Ecclesiæ*. Sic cap. 6 et 9 aliæ enumerantur Synodicæ, *more recepto* missæ et acceptæ, *cum concordia et amore*, quoties novus aliquis Patriarcha alterutra in Sede collocaretur.

ac verisimiliter etiam cum Hierosolymitanis,

439 Jam vero illorum temporum Antiochenam Ecclesiam nemo hactenus, quod sciam, Eutychetis vel Jacobitarum erroribus infectam memoriæ prodidit. Quinimo Catholicæ unitatis et Orthodoxorum dogmatum retinentem fuisse ex Synodica ad Concilium Nicænum II transmissa, infra erit ostendendum. Communionem autem servasse cum Patriarcha Hierosolymitano, puto etiam non esse inverisimile. Mirum igitur videri non debet, si ex modo adductis confici posse existimem, dubium reddi an Ecclesia Alexandrina Jacobitica, illa saltem tempestate, in unitate Ecclesiæ Sanctæ cum Antiochena, et quod consequens est, etiam cum Hierosolymitana communionem servando, tantisper a sua hæresi non defecerit; et ut erat conjuncta cum illis et cum Romana, C in defendendo Imaginum cultu, sic in ceteris quoque ad fidem spectantibus cum ipsa non convenerit. Certe, quemadmodum ex Legationibus Thomæ Hierosolymitani ad Carolum Magnum et litteris ad S. Theodorum Studitam, nonnulli Patriarchæ Hierosolymitani Catholicam cum Romana Ecclesia unionem tenuisse probantur, in Tractatu ad seriem Patriarcharum Hierosolymitanorum ante tom. III Maji, ita ferme probabile redditur ex nuper recitatis, Jacobitas Alexandrinos, cum Antiochena primum, deinde et cum Hierosolymitana, et per illas cum Romana consensisse, denique post Concilium Nicænum II etiam cum Constantinopolitana, confixa hæresi Iconomachorum.

utrisque tunc creditis bene Catholicis:

imo persuaderet, si de Antiochenis certius constaret.

440 Erit qui observet, ex hoc rationicio minus colligi a me, quam ex præmissis rationibus, si veræ sint, educi posset et debeat. Quid enim? Si Antiocheni Patriarchæ Orthodoxi fuerint, si cum iis Jacobitæ in unitate fidei communicaverint, jam non dubia, sed propemodum vera et indubitata est Jacobitarum resipiscentia. Non inficior. At quo minus id rotunde assererem, vetuit inextricabilis Patriarcharum Antiochenorum confusio sec. VIII, IX et X aliis alios nominantibus; sic ut eorum ordinem summa diligentia discussum, explicatum hactenus habere nequierim. Imo ut candide eloquar, in id magis magisque inclino, ut credam, Antiochiæ æque ac Alexandriæ, geminos sedisse Patriarchas, Melchitam alterum, alterum Jacobitam, perpetua serie, D fortasse etiamnum durante; licet diversis in urbibus Græci a Syris divisi, thronos suos possideant. Interea tamen, dum ea accuratius enodanda suscipiam, dubitationem omnem deponere non possum, ea juris regula ductus, quod tamdiu bonos eos existimare conveniat, donec malos esse, aperte probetur.

Eodem propendere facit

441 Alterum de omnibus benignius opinandi motivum suggerit ipsum Nicænum Concilium II (Labbeanæ editionis tomo 7 pag. 718.) in professione fidei, missa a Tarasio Constantinopolitano ad Orientales Pontifices, et horum responso plane Orthodoxo, quo profitentur; quod *misertus est Deus populi sui desperantis: quin etiam quæ divisa erant, in unam fidei convenientiam reduxit*. Fallor, si hæc ad unionem Coptorum non pertineant. Quis enim obsecro *populus desperans*, nisi servitute Saracenica pressus? Quænam illic *divisa in fidei convenientiam* reduci potuere, nisi Melchitæ cum Jacobitis coaluerint? Pergit paulo post Synodica: *Nunc obstaculi medium ruptum est et dissolutum, eminet autem ante discordiam et schisma, unanimitas et consensio*. Non videtur schisma Jacobiticum clarius exprimi potuisse, nec illa ad hæresim Iconoclastarum sine violentia traxeris. Audi quod subjungitur: *Pax quoque Dei, quæ excellit omnem cogitationem, splendide triumphat: nunc qui genuerunt inter nos convitium vicinis, et subsannatio participantibus nobiscum, et improperium qui circumdant nos*. Per *Convitium* et *Sabsannationem*, quid aliud intelligi datur, quam simultates et dissensiones Melchitarum et Jacobitarum, simul cum Saracenorum durissimo jugo, quo utraque secta miserum in modum affligebatur? Prosequamur Synodicam.

Nicæni II Synodica E

testis sopitarum discordiarum in fide,

442 *Hæc aliaque his similia, gloriosæ litteræ vestræ nos scribere coegerunt, ut in omni Canonico statu et a Patribus tradita ordinatione incedentes, cognoscat vestra Sanctitas, in unitate fidei et recta mentis sententia idem nos cum dilectis et religiosissimis Fratribus nostris sapere et sentire, quod Sanctitudo vestra libellis suis declaravit, quos multis de causis libenti et alacri animo susceperunt..... Nos quoque bono consilio utentes, Fratres nostros veritatis studiosissimos, Joannem et Thomam, zelo Dei et Orthodoxæ fidei amore ornatissimos* (misimus) *non veluti Magnorum Patriarcharum sedibus consimiles, sed sanctissimi silentii et quietis amatores. Diximus autem ad eos: Ecce nunc tempus* F *salutis et tranquillitatis, quo nullum aliud vel tempestivius vel utilius. Ite cum viris his, et viva voce docete, quæ Dominos vestros per litteras cognovisse putatis, aut potius suspicamini, et* FALSAM ACCUSATIONEM, *qua quidam* ECCLESIAS ÆGYPTI ET SYRIÆ *infamant, infringite; et quis cultus, quæque ex Apostolica traditione in Ecclesiis Dei observantia sit, exponite.*

quidni etiam cum Jacobitis

443 Inter Ecclesias *Ægypti et Syriæ* Jacobiticam numerosissimam esse et tunc fuisse, pro indubitato habetur; mirum sane, si de illa hic non ageretur. *Falsam* illam *accusationem* suspicor ad sopitum schisma referri. Sequitur in epistola: *Quamobrem precamur vestram Sanctitatem; ut bono animo eos recipiatis: habebitis enim trium Apostolicorum thronorum concordem sententiam, et concinentem, qua sane sex generales Synodos una voce prædicant.* En apertam fidei professionem, quam si Jacobitæ fecerint, ad unionem Catholicam jam tunc redierant. His addidere, ut fidei suæ regulam, exemplar Synodicarum litterarum Theodori sanctissimi Patriarchæ Hierosolymorum, quas hic ante annos fortasse XXV ad Alexandrinum et Antiochenum, subinde ad Romanum Pontificem, tamquam Sedium istarum communem fidei tesseram, destinaverat, ut est in Chronologia Patriarcharum Hierosolymitanorum.

444

A

nominum quidem patriarcharum diversitas, dubitare facit de illis:

444 Perspicua hæc Orientalium cum reliqua Ecclesia Catholica consensio, adeo me aliquamdiu permovit, ut ex ea Jacobitarum unionem, tantum non demonstrari persuasum haberem. Ast inquirendo ipsorum Patriarcharum nomina, in actis Concilii prætermissa, novas offendi tenebras, ex quibus non omnino facile sit eluctari. Tradit Photius, in illius Synodi historica epitome, ad calcem Nomocanonis, ex epistola ad Michaelem Bulgariæ Principem, Joannem et Thomam locum tenuisse *Universæ Orientalis Apostolicæ et Magnæ Diœcesis et Archiepiscoporum ejusdem dignitatem habentes;* APOLLINARII *nempe* (Nilus ibidem, non *Apollinarium*, sed *Politianum* vocat) THEODORETI *et* ELIÆ, *quorum primus Alexandriæ, secundus Antiochiæ, tertius Hierosolymorum Ecclesias prudenter, et, ut Sacerdotes decebat, gubernabant.* Quid hic tandem statuas? ego apud Elmacinum tunc temporis Alexandriæ sedisse invenio, non *Apollinarium* aut *Politianum*, sed *Joannem;* quæ inter nomina, non ea affinitas est, ex qua facile confundantur. Antiochiæ vero idem Elmacinus *Georgium* collocat, alius *Theodorum* quem per duos Episcopos Provinciales Concilio Nicæno II interfuisse asserit. Quid igitur? Liceat nobis tantisper dubitare, an Jacobitæ umquam ad Ecclesiæ gremium redierint, dum Phœbus aliquis obscurissimas hasce nebulas sua luce dispellat.

B

eos tamen etiam inter se convenisse

445 Nova tamen, ad minus dubitandum, ratio accedit ex aliquali conjunctione Jacobitarum Alexandrinorum cum Ecclesia Hierosolymitana. Elmacinum hic iterum (silentibus Christianis) Auctorem habeo, cujus ex historia, prætensa communicatio haud difficulter colligatur. Scribit eis in Jacobo Patriarcha proxime secuturo, *Præfectum quemdam fuisse nomine Macara e Nabruho, qui Patriarcham rogavit, ut in domum ejus ingressus panem ejus comederet. Erat autem jam tunc nactus filium; et Patriarcha morem ei gessit. Post paucos dies obiit filius Præfecti Macaræ, qui ferens eum super manibus suis, attulit eum ad Patrem Patriarcham, atque hic eum accepit, et in sinum suum posuit, oravitque super eo et flevit: cumque revixisset puer, dedit eum patri suo, dicens; Accipe filium tuum jam vivum, prociditque in terram metu magno, et tertiam facultatum suarum partem pauperibus distribuit misitque Hierosolymam atque exstruxit ibi templum, destinatum Ægyptiis illuc se conferentibus.* Si illa ætate ferbuissent adhuc acerbissima illa odia Jacobitas inter et Melchitas, postremis hisce apud Hierosolymam Religionis Principatum, ut ita dicam, obtinentibus, sub nomine Syrogræcorum; credibile non est, ad templum ædificandum Jacobitas facultatem impetraturos fuisse, quos Mahometanis ipsis execrabiliores olim Melchitæ habuerant. Similius igitur vero est, damnosissimas eas dissensiones, tractu temporis emollitas, mitigatos tunc animos ad concordiam et unionem revocasse. Sin minus, dubium equidem remanet, an ea occasione *pax Dei quæ excellit omnem cogitationem splendide non triumphaverit, quæ divisa erant in unam fidei convenientiam reducendo.*

suadet exstructa Jacobitis Hierosolymæ ecclesia,

C

et Michael an. 870. per legatos et epistolam præsens Concilio Generali

446 Auget non parum conceptam suspicionem benigniorem, Concilium œcumenicum VIII, anno DCCCLXX, expressa referens Patriarcharum Orientalium nomina, qui per legatos adfuisse dicuntur; nisi supposititios illos et a Saracenis missos, somniaveris cum Henrico Hilario, in Philippi Cyprii Chronico Ecclesiæ Græcæ, edito Lipsiæ et Francofurti anno MDCLXXXVII. Ibi inter Patriarchas primum locum obtinet *Michael* Alexandrinus, procul dubio Jacobita, ut ex Chronologia nostra infra patebit, per legatum suum Josephum Monachum; ubi et recitatur Michaelis ipsius epistola, ad Basilium Imperatorem, in causa Ignatii et Photii. Scio quid hic mihi continuo reponi possit, binos nempe et synonymos Michaeles uno tempore sedere potuisse, Melchitam et Jacobitam. Utique: sed hoc ipsum est quo absterreor, ne absolute compositam pacem pronuntiem, rem totam ut incertam et ambiguam in medio relinquendo, tametsi semper mitior illa et Jacobitis favens opinatio non infundata videatur.

D AUCTORE J. B. S.

et communis omnium Patriarcha dictus,

447 Nec prætermiserim verba de Michaele alibi a Magistro meo Papebrochio citata; verba, inquam, Bernardi Monachi Franci, cujus Itinerarium loca Sancta Visitantis anno DCCCLXX, ex Bibliotheca Remigiana MS. vulgavit Mabilio, Seculo Benedictino 3, tom. 2 pag. 523, licet Albericus in Chronico editionis Leibnitsianæ MDCXCVIII, parte altera, pag. 18, ea male revocet ad annum DCCCCLXX: cum certum sit ex nostra Chronologia quod Michael iste seculo anteriori sederit, ut habet Bernardus. Hic ibi, cum Alexandriam, sive (ut ipse legit) Babyloniam, appulisset, ita loquitur: *Erat in ea civitate Dominus Michael, Patriarcha super totam Ægyptum, disponens gratia Dei ordinem omnium Episcoporum, Monachorum et Christianorum.* An hæc in schismaticos et hæreticos quadrant? unus hic idemque Michael, isque Jacobita, *super totam Ægyptum;* non Melchita, cujus subditi, numero, longe pauciores, Ægyptiorum omnium speciem præferre non poterant. Quid quod Bernardum istum imperitissimum fuisse oporteat, si nobis hominem, a fide Catholica alienum, iis depinxit coloribus, qui Orthodoxum exhibeant, *gratia Dei ordinem omnium Episcoporum, Monachorum et Christianorum disponentem.* Ut ut est, quove demum modo ea alii accipienda statuerint, hujusmodi profecto esse non negabunt, ut, si minus opinionem firment, dubium certe movere nata sint, utrum Jacobitæ, susceptum errorem cum pertinacia tuentes, ab hæresi Eutychiana numquam defecerint.

E

ex contro teste;

atque persecutione Sacracenorum

448 Quæri hic posset, quando et quomodo, hujusmodi pacificam unionem coalescere potuisse, exstimem; stabilemne eam ac diuturnam, an potius desultoriam, quidni et coactam? Jam præmonui, in eo Scriptorum silentio et perplexitate difficillimum esse, fere dixeram impossibile, certi quidquam determinare, aut vel probabili conjectura assequi. Ceterum Saracenorum barbariem et tyrannicas extorsiones, puto, nonnumquam stimulum addidisse, ut depositis tantisper odiis ad concordiam revocarentur. Egregium rei hujus exemplum suppeditat, Elmacinus lib. 3 cap. 1. Mahumetes erat Ægypti Præfectus, homo avarus non minus, quam in Christianos crudelis; quorum thesauris inhians, eo impietatis devenit, ut et templa eis et vasa omnia per vim eripuerit: *quod cum viderent Christiani, dissidiaque sua hujus rei causam esse, pacem fecerunt et convenerunt in uno templo.* Decretorium, inquis, testimonium. Omnino: nisi dubium Elmacinus relinqueret, fueritne illa Christianorum omnium unio, an solum Melchitarum, qui cum suo Patriarcha Saido filio Patrici (alias Eutychio) per continuum odium dissidia foverant.

F

Interim plus lucis optatur,

449 Verum, ne obscurissimis in rebus, dubia dubiis accumulando, operam lusisse dicar ab exorsa tela manum retraho; avide exspectaturus, an quisquam alicunde lucis aliquid subministret, unde saltem probabiliter hæc controversia definiri possit. Illud interim, diligenter omnia perscrutando, assecutus videor, nihil, hoc saltem tempore, genti illi magnopere fidendum, sua sæpe commoda magis quam fidei puritatem sectanti, ut manifestum faciunt, repetitæ cum Ecclesia Romana conciliationes (ut veteres taceam) sub Gregorio XIII, Clemente VIII, Urbano VIII, pari subinde levitate abruptæ. Paradoxo proximum est, quod de Coptis Vanslebius, aliquoties supra citatus, in sua Alexandrinæ Ecclesiæ

licet Primatum Papæ sæpius videantur agnovisse.

A Ecclesiæ historia, pag. 333 et 334, ex gentis illius Doctoribus transcripsit; varia eorum testimonia producens, quibus sole clarius demonstrat, communem et antiquissimam eorum fidem de primatu Romani Pontificis, super alias quatuor Patriarchales Ecclesias, eo quod successor sit Petri Apostolorum Principis, unde et *Reus*, Princeps; *Makdim*, Generalis; *Sultān*, Supremus Dominus, ab universa Ecclesia sit agnoscendus. Ita scribebant adhuc Seculis XIII et XIV; dum interea hodierni rabulæ ineptissime garriunt, eo gradu excidisse Romanos Pontifices, ex quo Concilio Chalcedonensi subscripsere.

AUCTORE J. B. S.

ADDITAMENTUM.

De aliis Alexandrinorum Jacobitarum cum Ecclesia Romana reconciliationibus, subinde notatis Seculo XII *et seqq.*

Scriptores, ex quibus sequentes reconciliationes accipio, non satis explicant, dum Alexandrinum Patriarcham appellant, sitne is, de quo loquuntur, Melchita, an Jacobita: neque ego operosius singula putavi expendenda; paucis indicasse contentus, B quæ mihi, alia quandoque agenti, in manus inciderunt. Imprimis meminit Concilium Florentinum separationis cujusdam, factæ anno DCCCC Martyrum, qui esset annus Christi MCLXXXIV, unde probabiliter arguere licet, factam antea accessionem, forte sub Alexandro III. In Magno Concilio Lateranensi dicitur Patriarcha Alexandrinus *fecisse quod potuit, mittendo Diaconum suum Germanum.* Recitantur et ibi Innocentii III litteræ, ad ipsum datæ; ceterum, Græcine, Coptici an Latini ritus is fuerit, non exprimitur. Certius aliquid tradere videtur Magnum Chronicon Belgicum ad annum, non MCCII, ut præfati Concilii additio notavit, sed MCCV, nescio quem Jonam memorans, Patriarcham de Susis, qui Concilio illi Lateranensi interfuerit, *postmodum in Patriarcham Alexandrinum promotus.* Nullum hujus nominis recitant Patriarcharum Alexandrinorum Catalogi, unde suspicio est, potius a Romano Pontifice statutum, quam a Coptis admissum. Sed quænam illæ *Susæ*, quarum antea fuerit Patriarcha? An Persicæ? unde expulsus Jonas Romam confugerit, ibique acceperit honorarium titulum Alexandrini? Respondeat qui poterit.

Unio ante an. 1184 conclusa videtur,

Alia indicata sub Innocentio III,

C 451 Lego apud Matthæum Parisium, epistolam Fratris Philippi ex Ordine Prædicatorum, ad Gregorium IX, qua significat, *misisse se etiam Fratres in Ægyptum ad Patriarcham Jacobitarum Ægyptiorum, qui multo amplius errare solent quam Orientales, aliis erroribus Circumcisionem ad modum Saracenorum addentes; a quo similiter recepimus, quod velit redire ad Ecclesiæ unitatem, et jam multis elisis erroribus suos subditos prohibuit circumcidi.* Quid deinde secutum sit, nusquam reperio: Sed illud mirandum, Coptitas ipsos tradere, ut suo loco patebit, Ecclesiam suam totis XIX annis Patriarcha viduatam; nisi forte Patriarcham illum, de quo Fr. Philippus loquitur, erasum voluerint quod cum Latinis communicaret. Nam si de Cyrillo III agitur, Patriarcha LXXV, non est verosimile eum cum Romanis conciliatum. Sunt qui unionem aliam insinuent, factam tempore Clementis V: at vero tam tenuia ejus rei supersunt vestigia, ut de ea merito dubitetur. Quæ in Concilio Florentino inita est cum Jacobitis concordia, notior est quam ut pluribus describatur. De artibus Abrahami ad reddendos irritos Rodericii nostri conatus, videri potest Sacchinus in Historia Societatis ad annum MDLXI et MDLXXI. Recentiores jam supra memoravi, ex quibus id confici posse dicebam, nihil magnopere hominibus illis fidendum, commoda magis sua quam fidei puritatem D sectantibus.

et Gregorio IX, sec. 13

Clemente V sec. 14

et Pio IV sec. 16, et 17, an sinceræ?

L. JACOB.

Restaurata monasteria omnia, miracula patrata.

Fortassis hic est ille, quem sub JOBI nomine Constantinus Porphyrogenita, in oratione de Christi imagine Edessena, inter Patriarchas nominat Imaginum sacrarum assertores. Eum Hagiologium Habessinum sic laudat: *Salutem Jacobo, sancto Domini, in cujus diebus omnia monasteria Eremi restaurata fuerunt: attactu manus ejus, et umbra capitis ejus, in cadaver infantis, reversus est, qui exierat, spiritus.* Rem pluribus Historia, Elmacinus etiam distinctius numero 445 supra narravit. *Hic ut decem sedit annos et menses octo, obiit decima quarta Amschiri*, teste Elmacino, nec non Abulbaracato. Sed hic XVIII annos Jacobo tribuit cum mensibus XVIII, nova supputandi methodo. *Et mirum est*, inquit Ludolfus, *Elmacinum et Abulbaracatum plerumque discrepare in numero annorum, convenire autem in die mortis.* Hunc Historia, Martis fuisse ait, anno nimirum DCCCXXX sub littera Dominicali B, quo VIII Februarii cum die Martis componitur. Zyffra marginalis, ad annos XII dies CCLXXXIX Pontificatum producit, conformius ad rectam Chronologiam: qua etiam posita, si ordinationem *Jacobi* anno DCCCXIX I Maji in Dominica factam statueris, adhuc tamen vacatio Sedis dierum XI intercesserit. Hegirarum ab annis Diocletiani discrepantiam, quæ hic rursus ad quatuor annos perseverat, alibi correximus.

laudatur Jacob, etiam Job dictus, ut clarus miraculis

Obiit 830, 8 Februarii, E

LI. SIMEON.

Fortassis abdicato citius Patriarchatu, in monasterio XI annis superstes et sanctus habitus.

Anno verosimiliter DCCCXXX ordinatus, in Vitis Patriarcharum (ita referente Elmacino) sedisse dicitur menses VII, et dies XVI (melius diceretur XIV) vita defunctus esset tertio Babæ, hoc est XXX Septembris, eodemque die Veneris, juxta Historiam. Atque hinc facilis esset (omnibus apte convenientibus) ad successorem progressus, nisi Abulbaracat Simeoni adscriberet annos III et menses IV, Hagiologus vere Habessinus annos IV menses II cum dimidio, dum ei accinit, ad prædictum diem mortis, F hanc strophen: *Salutem Simeoni, qui habitum Angelorum* (hoc est monasticum quem Æthiopes Græco vocabulo Σχῆμα vocant) *induit et voluptates mundi contempsit. Præteritis sui Patriarchatus mensibus quinquaginta cum dimidio, Dominus eum cito suscepit, sicut oravit et petiit, ut a pedum suorum infirmitate* (Historia podagram, Elmacinus morbum frigidum vocat) *se recrearet.* Eadem Historia ipsum laudat, quod *ejus tempore pace et quiete fruita est Ecclesia*: tacet uterque Scriptor de Monachatu, hic per Hagiologum asserto. Quo tamen posito, nihil nos juvat dies XXX Septembris, cum feria VI concurrens in obitu Simeonis, cum nescitur quamdiu huic suæ abdicationi supervixerit. Haberetur autem concursus iste denuo anno DCCCXLI, sub cursu litteræ Dominicalis B; quousque fortasse Simeon in Monasterio vixerit, et post mortem ut Sanctus coli cœperit. *Fortasse*, inquam; neque enim incerta hæc, ratione certa reddere aut volumus aut possumus.

Obiit 30 Sep.

brevi tempore Patriarcha,

454 Quo autem anno factus Monachus dimisso Patriarchatu? Si successor Joseph, ut mox dicitur, ordinatus fuit, ipso illo Simeonis aut secessus aut mortis anno, nempe DCCCXXX, mense Novembri non

dein factus Monachus, fuit usque ad 841 superstes.

A non poterit Simeoni ex tribus supra numeratis Patriarchatus spatiis aliud concedi, quam primum ex Historia, mensium VII et dierum XVI (malim dici XIV) inveniendorum a XIV Februarii qua obiit Jacob, ad XXX Septembris qua Simeon verosimillime extinctus est. Confusionem illam, atque in subducendis Simeonis annis discordem calculum, opinor processisse ex incertitudine temporis, quo Monasticum habitum ab Hagiologo ipse Simeon assumpsisse dicitur et gessisse. Valeant tricæ, dum interim temporum ratio ordinate procedat.

LII. JOSEPH.

Æthiopes Episcopum suum expulsum revocare miraculo coguntur.

Constitutus an. 830, 19 Novemb. in Sabbato, JOSEPH Abulbaracato patria *Menphiticus, constitutus est die Sabbati* XXI, imo XXIII, *Hathuri, anno Diocletiani* DXLVII, inquit Elmacinus. Annus iste cum nostro DCCCXXX apte conveniens, ostendit, Historiam, Simeonem inter et Josephum non satis recte annum unum Sedis vacantis collocasse. Quod si
B Joseph vere ordinatus fuit in die Sabbati, perperam XXI Hathuri pro XXIII ab Elmacino scriptam oportet: quandoquidem non illa, sed hæc eo anno cum Sabbato coaluerit per litteram Dominicalem B. Turpius labitur, sibi ipse contradicens, dum Josephi Patriarchatum annis XVIII circumscribit, atque interim obiisse asserit anno Diocletiani DLXVII, qui esset Christi DCCCL, idemque Josephi non XVIII, sed XX. Crediderim transcribentium negligentia id factum: siquidem ex assignato obitus die *Solis*, videlicet XXIII Babæ, seu XX Octobris, evidens fit, eum cadere in annum Christi DCCCXLIX currente littera Dominicali F; quo pacto habebuntur anni XVIII et fere XIX; non (ut Historia numerat) anni solum XVII, *obiit 849, 20 Octobris* et dies CCCXXXVIII. Mallem ego scribi CCCXXXVI: quibus si XXX addideris a XX Octobris ad XIX Novembris, diem ordinationis et obitus justissimo calculo adæquabis.

456 Porro qua ratione Hegiras suas cum annis Diocletiani hic iterum componat Elmacinus, verbi *Hegiræ cum communi difficilis comparatio* gratia CCXXIII cum anno DXLVII, fateor me hactenus assequi non potuisse: jam enim diximus, annum Diocletiani DXLVII notare annum nostrum DCCCXXX, at Hegira illa ad DCCCXXXVII nos perduceret. Cupio doceri. Narrat Historia Patriarchalis, uti et Elmacinus libro 2, cap. 9, quod *tempore* hujus *Josephi*
C *Episcopus quidam erat in Æthiopia, quem constituerat Patriarcha Jacob. Hunc egresso rege Æthiopiæ ad* *Æthiopes Episcopum expulsum, revocare miraculo coacti* *bellum, exsilio mulctavit Regina et Principes; ideoque minime eo pluit anno, et pestis grassata est per eas regiones: remisso autem Episcopo illo in Ægyptum, alium sibi constituerunt præter canonem. Quod percipiens Rex Æthiopiæ reversus a bello, ægerrime tulit, misitque aliquos qui veniam peterent a Deo ac Patriarcha, et reduxerunt illum Episcopum in Æthiopiam.*

457 Ipse Joseph, ad mortis suæ diem, laudatur *Josephi laus.* in Hagiologio, *ab intelligentia Scripturarum sibi divinitus data.* Et in Historia dicitur, quot post eum *vacavit Sedes* XXX *diebus.* Hinc sequeretur successorem ordinatum XXIV Hathuri, hoc est XX mensis Novembris.

LIII. MICHAEL.

Primus Patriarcharum sepultus in monasterio S. Macarii.

MICHAEL, Abulbaracato per apocopen Coptis usitatam, CHAEL, *constitutus fuit* juxta Elmacinum *decima quarta* (imo, ut jam cum Historia diximus, D *AUCTORE J. B. S.* vigesima quarta) *Hathuri: atque annum sedit unum* *Obiit an. 851 Aprilis 17.* *et menses quinque, obiit die duodecima Barmudæ anno Diocletiani* DLXVII. Historia *diem Veneris* ponit; sed notat *vigesimam secundam Barmudæ*, hoc est XVII Aprilis: et huc convenit etiam Hagiologion: atque sic optime notatur annus mortis DCCCLI, sub littera Dominicali D: aptissime vero concordant omnia; cum annus Diocletiani DLXVII pro mense Aprilis *Cultus ejus sacer* recte numeratus inveniatur. Hagiologium, ad XXII Barmudæ, *Salutem* dicit *Michaeli, qui ex tempestate tentationis, et ex tempore turbationis, pervenit ad portum; mundi gloriam odio habens et magnitudinem Patriarchatus. Suscepit ergo Dominus animam ejus, sicut oraverat et supplicaverat eum, ut cito se juberet hinc excedere.*

459 Notabile etiam est quod scribit Historia; *et sepultura in monasterio S. Macarii.* nempe, Michaelem fuisse, *Presbyterum in monasterio sancti Joannis; primumque omnium Patriarcharum sepultum esse in monasterio Abbatis Macarii; nam quidam eorum sepeliebantur Alexandriæ in ecclesia Marci, quidam vero Cairi.* Demum et præfata Historia et Elmacinus addunt, quod vacavit post eum Cathedra dies LXXXI, qui a XVII Aprilis ad VIII Julii, E quo Cosmas successor ordinatus est, omnino inveniuntur.

LIV. COSMAS II.

Imaginum cultus an miraculo assertus, et a Cosma defensus, scripta ad Theophilum Imp. epistola. Vestes albæ Christianis interdictæ.

COSMAS, Abulbaracato *Semenutensis, constitutus die* *An. 851, 8 Julii ordinatio* XVI *Abibi*, nobis VIII Julii, *anno Diocletiani* DLXVII *sedit annos* VII *et menses* V, *ac obiit* XXI *Hathuri*, XVII Novemb. *anno Martyrum* DLXXV: ita Elmacinus lib. 2, cap. II in fine. Neque hic castigandam putes Scriptoris hujus aut incuriam aut inscitiam, qui ab octava Julii anni Diocletiani DLXVII, ad decimam septimam Novembris anni DLXXXV ejusdem æræ, non nisi annos VII et menses V numeret; ubi manifestissimum videtur, annos octo integros cum aliquot mensibus computandos. Ne id, inquam, corrigendum putes; nam ex regula Chronologica bene conveniat mense Julio cum anno nostro superius data, licet annus Diocletiani DLXVII bene conveniat mense Julio cum anno nostro DCCCLI; sedulo advertendum est, annum ejusdem Diocletianææ epochæ DLXXV mense Novembri, non esse alium F quam nostrum DCCCLVIII; atque adeo, ducto Patriarchatus exordio ab anno illo DCCCLI, habebuntur anni septem; et ab octava Julii ad XVII Novembris, dies CXXXIII, connumerato ingressu et exitu; non autem menses quinque integri; ut adstruere videtur Elmacinus, forte de inchoatis intelligendus.

461 Placet interim dies obitus, non ad XXIII Hathuri, sicut habet Historia; sed ad XXI, nobis XVII *Imago Deiparæ collacrymans videtur* Novembris relatus, ut mox dicetur. Non multum discrepat ab Elmacino Hagiologion, ad diem XXII Hathuri sic canens: *Gratulor vero tuo Episcopatui, Cosma, quoniam omnes etiam externi te laudant, quia fuisti virtute fidei fortis. Imago Mariæ Virginis, aspiciens afflictionem quæ tibi contigit, et illatam tibi injuriam, fluere lacrymis cœpit.* Quæ illa fuerit injuria, neque illic, neque in Historia exprimitur.

462 Elmacinus diverso prorsus modo narrat rem, veluti sub Theophilo Imperatore Iconomacho actam, *An pro cultu Imaginum.* quasi tunc deprehensus sit Parochus lucri causa fecisse, ut ex Marianæ effigiei uberibus lac fluere conspiceretur; quam fraudem Parochus morte luerit, et Imperator causam acceperit proscribendarum Imaginum. Vix dubito quin verum miraculum sic obscurare

AUCTORE J. B. S.

A obscurare conati hæretici, vel rem numquam factam commenti sint. Tamen ad Cosmam nihil pertinet, nisi rem prorsus aliam legerit Hagiologus, de qua nihil a nobis nisi divinando statui possit.

ad Theophilum Imperatorem scripserit,

463 Interim hoc loco refert Elmacinus, celebrem illam epistolam, quasi a Cosma ad Theophilum scriptam, et alibi a nobis recitatam pro sacrarum Imaginum cultu. Rem, ut arbitramur veram, falsis circumstantiis vitiat auctor Saracenicus; dum Theophilum alium, Michaelis patrem; alium rursus Theophilum, Michaelis filium facit, aliaque miscet non verisimilia. Ad quem, et a quo scripta sit præfata epistola, non facile dixeris, nisi si synchronum Theophilo Patriarcham quæras; cumque ille obierit DCCCXLII, dicas a Josepho missam, aut forte Epistola illa scripta sit impulsu Patriarchæ Melchitici, Imperatori ei obnoxii, nec audentis in faciem resistere, quod impune licebat Jacobitæ, Saracenorum tutela freto, et ab illo nihil sibi metuenti: quamquam fatear nescire me, quid eo seculo Patriarchæ Jacobitæ cum Imperatoribus Græcis habuerint negotii. Rem dubiam in medio relinquimus. Ut ut est, non (sicut dicit Kircherus) *Imaginum cultum, a Theophilo Imperatore sublatum*, Cosmas *restituit;* sed restitutum B egregie procul dubio stabilivit. Hoc certum, sacras Imagines Coptis semper in honore fuisse, et usque hodie permanere.

nihil ab eo metuens, ut metuere poterat Melchita?

Vestes Albæ Christianis interdictæ.

464 Dicit Historia, quod ejus *tempore præcepit Chalifa Almotuachelo, ne ullus Christianorum aut Judæorum uteretur vestimentis albis, sed aliis coloribus tinctis.* Facile hinc amatoribus antiquitatis dari potuit occasio, ad longe anteriora tempora, scilicet occupatæ ab Humaro Hierosolymæ anno DCXXXVII, referendi originem vestium versicolorum, quas Monachi aliique viri religiosi olim gestabant. Sed hæc Humaro imputanda non sunt, quem constat non modo non fuisse crudelem adeo in Christianos et Monachos, ut potius pro gentis illius indole humanus dici debeat.

Obiit Cosmas hic an. 858, 17 Novemb.

465 Eadem Historia Patriarchalis, Cosmam obiisse ponit *vigesima tertia Hathuri*, hoc est XIX Novembris, *die Jovis.* Sed talis concursus anno DCCCLVIII (quem exigunt anni VII, dies CXXXIII, Cosmæ hujus Patriarchatui adscripti) potius convenit (ut supra monuimus) diei *vigesimæ primæ*, id est XVII Novembris, ob tunc currentem litteram Dominicalem B. Et hoc etiam notasse videtur Kircherus, ideoque XXI non XXIII, ut alibi forte invenerat, scripsisse. Porro si C a Cosmæ morte *vacavit Sedes* dies LI, ut Elmacinus æque ac Historia affirmat, vacavit usque ad VIII Januarii sequentis; sic ut vacationi isti adscribantur ultimus unius, et primus dies alterius; alias solum numerari possunt dies XLIX.

CAPUT VIII.

Alii, seculo IX et X, Patriarchæ Jacobitæ, plerique satis probi; quidam etiam Patriarchæ Orthodoxorum, seu potius Melchitarum ejusdem temporis, ab anno DCCCLIX ad DCCCCLVIII.

LV. SANITIUS

Mira Copticorum Fastorum diversitas. Signo Crucis fugati hostes; conversi hæretici.

Sanitius ordinatus 8 Jan 859,

SANITIUS vel *Sanuthius*, aliis *Osanius*, Abulbaracato *Sennodius Betenunnensis. Hunc narrant Christianorum Historiæ*, inquit Elmacinus, *Patriarcham constitutum fuisse die* XIII *Tubæ, anno* DLXXV *Martyrum*, hec est VIII Januarii in Dominica, anno Christi DCCCLIX. Tædet Hegirarum meminisse, quas passim D jam toties ostendi infelicissime annis Martyrum ab Elmacino conjungi. Alibi deficit, hic exorbitat, ludicra plane numerandi methodo asserens, prædictum annum Martyrum incidisse in annum Hegiræ CCLII, cum tunc solum fluxerit annus Hegiræ CCXLIV, XVIII Aprilis præcedentis inchoatus. Undecumque ortum habebat ea tam frequens cespitatio, facile illi condonandam putarem, si, qua solebat diligentia, sequentium Patriarcharum obitus, annis Martyrum notare, perrexisset, distinctis accuratius singulorum temporibus, quorum nonnulla per intolerabilem socordiam turpiter intricata confudit. Hinc nobis molestissimum redditur Patriarchatuum spatia determinare, Abulbaracato tenebras plerumque affundente, Historia vero eas quandoque signante ferias, quas nulla possis diligentia conciliare nisi cetera inverteris.

Difficilis hoc ævo investigatio temporum, ex fastorum diversitate.

Correcto errore feriæ, dici potest

467 Hæc præmonuisse sufficiat; eam modo rationem sequemur, quæ tot inter perplexa et dubia, post operosius examen, reliquis visa est probabilior. En primum scopulum. Historia et Elmacinus concordant in adscribendis Sanitio annis XI; hic menses addit tres, satis verosimiliter; illa diem notat E XXIV Barmudæ (XIX Aprilis) eamque *Sabbati.* Anni XI Episcopatus ducunt nos ad annum DCCCLXX: sed talis concursus eo anno non invenitur, quando per cursum litteræ Dominicalis A, dies ista in diem Mercurii cadebat. Confirmat tamen diem XXIV Barmudæ Hagiologion mox recitandum. Abulbaracat vero, cujus calculi cum calculis Elmacini convenire cœperant, rursum in diversa abit, nunc præcurrens, nunc subsequens, sæpissime suis ipse numeris implexus. Sanitio tribuit annos XXI et menses tres, finiens eos anno Martyrum DXCVII, Christi DCCCLXXXI; ne vero dubites probe callere Arithmeticam, ubi successoris initium fixit eodem illo anno martyriali DXCVII, produxitque ad annum DCXXV, Christi DCCCCIX; subdit, Sedem eum tenuisse annis XXI, quos ab exordio ad mortem debuisset numerare XXVIII. Vigilabat Vanslebius dum hæc scriberet? Tutius ergo videtur, suppositis annis XI. ab Elmacino et Historia assertis, errorem agnoscere aliquem in assignata feria, mutato Sabbato in diem Mercurii.

Sanitius obiisse 870, 19 Aprilis

468 Hagiologion *salutem* dicit *Sanitio Patriarchæ forti, qui baculo manus suæ, scilicet Cruce, pepulit hostes; et intercessione sua salutem attulit regioni, spatio trium annorum afflictæ penuria roris et pluviæ.* Primum factum, ex fastis Alexandrinis, Hagiologion F Habessinorum ita celebrat. *Gratulor virtuti signi, quod datum fuit Patriarchæ Sanitio, feria quinta septimanæ Paschalis, antequam lavaretur: quando Arabes, qui venerant latus gladio accincti, solus pepulit scipione manus suæ, in quo signum Crucis erat, populumque servavit.* Ita legitur nona Barmudæ, hoc est IV Aprilis: quo die si miraculum contigit ante Pascha, VII Aprilis celebrandum, contigit anno DCCCLXXI; neque enim alio anno quam isto, tali die Pascha Sanitius habuit, toto sui Patriarchatus tempore.

Signo Crucis hostes fugati.

hæretici conversi.

469 Elmacinus ex Vitis Patriarcharum addit, quod *convertit tempore suo quosdam, qui negabant passionem Domini Messiæ, inde a tempore separationis; eosque recepit et baptizavit, ac concionatus est in templis eorum; scripsitque ad Patriarcham Antiochenum, et certiorem id eum fecit, qui conversione eorum gavisus est. Fecit quoque hic Patriarcha Alexandriæ aquæductus subterraneos, quibus aquam dulcem derivavit e lacu Alexandrino in alveos urbis.*

A

LVI. MICHAEL III.

Exacto pecuniaria gravis valde a Præfecto imposita, non impune. Longa annorum XIV *vacatio.*

Ordinatus mense Aprilis 870,

Michael, aliis *Chael, constitutus est*, inquit Elmacinus, *Patriarcha Alexandriæ Ægyptiis Jacobitis anno octavo Chalifatus Mutamidi, aut ut alii volunt, septimo, qui fuit Hegiræ* CCLXII. Minime vero; solens more suo fallitur; nam annus ille Hegiræ signaret annum Christi DCCCLXXVI, patenti sex annorum lacuna, quod ipsius Elmacini calculo aperte repugnat. Cur hic annum Diocletiani indicare neglexerit, haud equidem intelligo. Certe, ut semel dicam, ubique suspectæ mihi sunt Hegiræ, ad annos Christi reductæ. Quis enim patiatur Basilii Imperatoris obitum referri ad annum Hegiræ CCLIX, Christi DCCCLXXII; quem constat vita functum prima Martii DCCCXXXVI, defectu annorum XIV: contra vero Leonis mortem collocari anno Hegiræ CCCIX, Christi DCCCCXXI; qui obiit XI Junii DCCCCXI, annorum fere XI excessu? B Mitto alia, jam plusquam satis, exemplis hujusmodi, Lectori fastidiosus. Mihi illud prope certum est, Michaelem ordinatum mense Aprili DCCCLXX: probabiliter XXIII Aprilis die Dominica. Elmacinus, Historia, et Kircheri Catalogus conveniunt in annis XXV Patriarchatus, dissentiente Abulbaracato; qui tamen primo subscribit, in notando die obitus XX Barmahati, hoc est XVI Martii, tacente feriam Historia.

obiit an. 896, 16 Martii.

471 Hæc si vera sunt, videtur tempus Sedis producendum ad annum DCCCXCVI, additis XI fere mensibus; et sic facilius salvabitur cædes cujusdam Chalifæ, quam factam asserit Elmacinus XXVI *Tubæ*, XXI Januarii, *anni* DCXII *Diocletiani*, Christi DCCCXCVI, *Michaele Patriarchatum tenente*. Scio, in marginali Historiæ nota non addi nisi dies XXXIX, verum id nullatenus sustineri potest, stante die obitus a nobis stabilito; pro quo etiam stat Hagiologion, *salutem* dicens *Patriarchæ, sortito nomen Michaelis, militiæ cœlestis Præfecti.*

Grandi pecunia a Præfecto mulctatus,

472 *Huic*, inquit Elmacinus, lib. 2, cap. 16, *Ahmed filius Tuluni tributum imposuit viginti millium aureorum. Ob quod ille vendidit Judæis quartam templorum Alexandriæ partem, terram Habasjæ in Ægypto, et templum illud vicinum Malacæ in Casrosjama, in urbe Misra: et singulis Christianis tributum* C *annuum. Kirati unius imposuit: solvitque dimidium tributi sibi impositi. Et Ahmed filius Tuluni vita excessit, antequam partem alteram persolveret.* Hactenus Elmacinus; cujus versioni inhæret Historia Patriarchalis interprete Echellensi.

cogitur domos Ecclesiarum

473 Ad hanc animum advertens Ludolfus: *Obstupui*, inquit, *miratus, qui fieri potuerit, ut Patriarcha Christianus Judæis venderet vel minimum sacellum, vel populus id permisisset; et cur Historicus partes templorum enarrasset, et non potius templa ipsa numerasset et nominasset. Illico igitur cucurri*, inquit, *et textum Arabicum Elmacini examinavi atque reperi, bonum interpretem mire hallucinatum esse in expositione istius loci; excusandum tamen, quia operi immortuus, ut mihi constat, non habuit otium relegendi. Hallucinatus est autem: nam in textu Arabico nulla Judæorum fit mentio, sed Exactorum, in versione plane omissorum; nec quartæ partis templorum, sed domuncularum vel mansionum: reliqua etiam incongrue admodum sunt reddita. Nulla etiam urbs Misra nobis nota est, sed Memphius vel Cairus: deinde nomina appellativa, velut propria efferuntur. Sic autem mihi vertendus videtur locus ille totus:* Et exegit ab eo Ahmed viginti aureorum millia; et ille vendidit Exactoribus mansiones templorum id est, ædificia ad D templorum Alexandriæ jus spectantia, ac prædium quoddam Habessinorum Ægypti, et templum... ceræ domum commercii, in urbe Cairo Judæis. *Sed ego malim simpliciter dicere, quod graves pecuniæ exactiones a Chalifa: sive Præfecto Ahmedo, perpessus Patriarcha fuerit; adeo ut etiam domos et mansiones, ad jus Ecclesiarum pertinentes, Exactoribus tributi in solutum dederit, et ceræ domum vel commercium Judæis vendiderit. In Hagiologio dicitur, quod mors superbi Præfecti accidit quadragesima die ex illa, qua id prænuntiatum fuerat ex ore cujusdam pauperis.*

AUCTORE J. B. S. in solutionem tradere Exactoribus, et jura quædam vendere Judæis:

sed cita morte punitur Præfectus.

474 Subnectit Historia, quod Michael, eadem necessitate constrictus, *vendidit etiam bona Monachorum, ut posset dimidiam mulctæ partem persolvere; sed defuncto Ahmeto libertate donatus est ope Dei*, vacavitque *Sedes absque Patriarcha annis* XIV, procul dubio integris; quos etiam notant Elmacinus et Catalogus Kircheri, sic ut integrum non sit ab eo calculo recedere; tametsi ratio nulla peculiaris occurrat, quæ diuturnam illam cessationem, hoc magis quam alio tempore, credibilem faciat. Atque idcirco diu multumque hæsi dubius, præferrine E deberet Ordo Abulbaracati, ne unius quidem anni vacationem hic inducentis, quemque alii magis probabant.

Vacat Sedes annis 14.

Ingens confusio in Gabriele et Cosma II.

475 Verum cum ille in reliquis tam multa peccet, nec aptam monstret Chronologiam, satius visum est, spreto Abulbaracato, primis vestigiis insistere, quidquid tandem molestiæ adferant, in disponendis temporibus duorum sequentium Patriarcharum, Gabrielis et Cosmæ II. Hic certe potissimum locum habet confusio nuper indicata, cum Elmacinus lib. 2, cap. 19, ambos eodem anno, eoque (si superis placet) Hegiræ CCCI, Christi DCCCCXIV, constitutos affirmet, priori annos Sedis XI, postremo XII adscribens. Interim Historia Gabrielem sedisse, ait, annis XXI, Abulbaracat annis X et totidem mensibus; Cosmam vero annis XIII; quem Kircherus in suo Catalogo innominatum prætermisit. In ea perplexitate, unum hoc certi habeo, per tenebras hasce Ægyptiacas trepido gressu esse procedendum.

LVII. GABRIEL.

Profunda humilitas, ad verrenda pavimenta eo dimittentis.

F

Hic ordinatus an. 920,

Gabriel, juxta supputationem nostrum, fixo Michaelis obitu anno DCCCXCVI, XVI Martii, et admissa vacatione annorum XIV, Thronum S. Marci conscendisse dicendus est anno Christi DCCCCX. In Hagiologio sic laudatur: *Saluto Gabrielem, qui propter bonitatem ac pietatem suam dignus fuit, ut, juxta cujusdam senis Prophetiam, constitueretur Patriarcha. Hic, quamvis Archiepiscopus magnus esset atque honoratus; tamen ut debilitaret vim concupiscentiæ, operibus caritatis atque humilitatis aliis adjecit, verrere scopis pavimenta annis circiter duobus.* Dicit præterea Elmacinus, *quod viris mulieribusque monasteria construxit.* Historia e Contrario illi impingit, quod *singulis viris et mulieribus indixerit denarium, Patriarchæ solvendum.* Quid si salvandæ virtutis gratia, dicamus, exactos denarios condendis monasteriis impensos?

laudatus in Hagiologio,

obiit 926. 15 Februarii.

477 Superest nodus difficillimus, ut annus mortis et Sedis duratio concinne determinentur. Defunctum, ait Historia, XXI Amschiri, hoc est XV Februarii, die Mercurii, concursu illo exigente litteram Dominicalem A, signatam anno DCCCCXXVI et DCCCCXXXII. Si mihi sequi liceret computum Historiæ, per annos XXI apte perduceret ad DCCCCXXXII; at quo minus id audeam

A audeam, facit annus Diocletiani, notatus in Patriarcha Mina, ultra quem anni Cosmæ, Macarii, et Theophanii extendi non possunt, ut locis propriis erit ostendendum. Quamobrem tenendus erit annus DCCCCXXVI, quo vita excesserit Gabriel, transactis in ea dignitate annis circiter XVI, numero, in ea Scriptorum varietate, maxime probabili, et præ aliis eligendo, donec quid certius appareat.

AUCTORE J. B. S.

LVIII. COSMAS III.

Aliqua inter Episcopos et Presbyteros contentio super ejus electione.

Obiit hic 938 27 Februarii,

Solo hic nomine apud Coptos notus, imo a nonnullis prætermissus, sedisse dicitur ab Elmacino annis XII, et ab Historia annis XII et diebus XII, *defunctus quinta Barmahat*, 1 Martii, *die Martis*. Nova confusio. Concursus ille reperitur sub littera Dominicali B, anno Christi DCCCCXXVI; sed ita Cosmæ Patriarchatus ad annos non amplius decem esset restringendus; quod non placet, in consensu Historiæ et Elmacini, de annis XII integris ei vindicandis; a quibus non nisi coactus, et quidem ægerrime, B recedo. Maneant itaque anni illi XII et totidem dies; sed pro quinta Barmahat, male ab Historia notata, substituatur tertia, quam rectius suggerit Abulbaracat, tametsi eam solito sibi errore confundat cum tertia Martii, cum vere sit XXVII Februarii, quæ aptissime coincidit cum die Martis in annum DCCCCXXXVIII sub littera Dominicali G. Sic habebis annos XII, et a XV Februarii, qua decessor obiit, ad XXVII, dies etiam XII, ab Historia requisitos. Hagiologion, quod miramur, nullam hujus Cosmæ facit mentionem, adeo ut tam ex Habessini istius, quam Kircheriani Catalogi silentio, dubitari possit, utrum illius nomen non sit aliqua ex causa erasum ex nonnullis Patriarchalium Catalogorum exemplaribus.

abest nomen ab Hagiologio

et laude caret apud alios.

479 Certe neque Historia neque Elmacinus aliquid laude dignum de ipso narrant, ut fere de aliis solent. Eum tamen Patriarcham agnoscere videtur is, qui Vitas Patriarcharum, superius aliquoties allegatas, composuit. Severus Alexandrinus, Episcopus Asmonin, nescio quo usque perductas; unde Echellensis, in suo Eutychio vindicato, pag. 83 scribit, quod *dissidia orta sunt prima die conventus, post obitum Cosmæ, inter Episcopos et Presbyteros* C *Alexandrinos, de Patriarcha creando*. Quid autem exinde secutum sit, quoniam huc spectare videtur, juvat ex eodem auctore commemorare; sic enim prosequitur.

Mortem hujus vel alterius Cosmæ secuta dissensio

480 *Cum altera adesset dies, convenerunt, oraverunt, et sederunt, adfueruntque Presbyteri Alexandrini, dixitque* πρῶτος; *Gubernate hoc negotium, Domini mei Patres. Cui Theodorus respondit; Quemnam elegistis vos, ut illum nos quoque cognoscamus? Dixit* πρῶτος, *Talem, et hoc est nomen ejus scriptum. Quibus rursus Theodorus: Si placet Synodo, optimus est. Tunc illi* πρῶτος: *Nostrum est hoc negotium, non autem Episcoporum, ad quos nihil aliud pertinet, quam impositio manus; nostrum vero est eligere Patriarcham. His respondit Abbas Abraham, Episcopus Phaium; Episcopi quoque vestri ordinabunt vobis, quemcumque eligetis; si dignum itaque proponetis, ordinabimus illum; sin vero indignum, eum abigemus*. Hactenus ille; quæ quia videntur aliquam contentionem indicare, neque omnibus æque certus fuisse habitus Patriarchatus hujus Cosmæ, ad eum potius referenda præsumimus, quam ad duos ejusdem nominis Patriarchas XLIV et LIV, quod ex ipsiusmet Severi opere, si esset ad manus, certius judicaretur.

inter Episcopos et Presbyteros,

certos nos reddit de ejus electionis ad Presbyteros reductæ

D

LIX. MACARIUS.

Dies obitus et laus ex Hagiologio.

Apud Hagiologum Habessinum et Abulbaracatum, a patria *Sevrensis* cognominatus, Cosmæ immediate successit, seditque ex Elmacino annis XX, superadditis ab Historia diebus XXI. Si ita est, Thronum possederit usque ad annum Christi DCCCCLVIII, quo usque commode extendi potest. At non capio, quomodo Historia obitum ejus referat in secundam Tubæ, quæ esset XXVIII Decembris: sic enim, non annis XX et diebus XXI, sed decem fere mensibus supra XX annos Patriarchatus durasset.

Obiit hic anno 958, 20 Martii;

482 Errorem hunc opportune corrigit Hagiologion, diem XXIV Barmaha, seu XX Martii assignans; qua ratione et *dies Sabbati*, ab eadem Historia notatus congruit, et cetera omnia aptissime concordant; unde dubium nobis non est, quin Macarius defunctus sit illa XX Martii die Sabbati, anno DCCCCLVIII, currente littera Dominicali D, ordinatus scilicet XXVIII Februarii, postridie obitus Cosmæ anno DCCCCXXXVIII.

ordinatus 938, 28 Februarii,

483 Paucis encomium ejus complectitur Hagiologion his verbis: *Salutem dico Patriarchæ Macario, ex urbe Sebra oriundo. Memor hic fuit verborum bonorum matris suæ, quæ ipsum hortata erat bono consilio. Gregem suum impense custodivit perpetuo, sine pigritia.* E

laudatus a cura pastorali.

CAPUT IX.

Patriarchæ per alteram seculi X medietatem et totum seculum XI: ab anno DCCCCLVIII ad annum MCII.

LX. THEOPHANIUS.

Ob apostasiam occisus a suis, non videtur ab Habessinis haberi Sanctus, nisi calumniam passum crediderint.

Theophanius, Abulbaracato *Alexandrinus, Christum abnegavit*, inquit Historia: *quare insurgentes in illum Episcopi, occiderunt in navi, et in mare projecerunt. Mortuusque est morte pessima, decima Chiac die Sabbati*. Consentit quoad rem Elmacinus, a quo sedisse dicitur annis quatuor et mensibus sex: sed F rectius ab Historia tempus regiminis producitur ad annos IV, dies CCLXI, numerandos a die XX Martii, quo Macarius vitam cum morte commutavit. His omnibus aptissime respondet notata feria, cadens in X Chiac seu VI Decembris, anno DCCCCLXII, quo procul dubio, Theophanius a suis occisus interiit, constitutus illa ipsa XX Martii, vel potius postridie, Dominica die.

Hic occisus anno 962, 6 Decembris

485 Admiratione dignum est, Patriarcham hunc, ab Historia pro apostata habitum, locum invenisse in Hagiologio metrico ad præcitatam diem X Chiac, seu VI Decembris, uti in suis notis ad talem diem et nomen in fastis Æthiopicis censuit Jobus Ludolfus; nihil dubitans, quin Rubrica descriptus cum titulo *Patriarchæ Alexandrini*, fuerit in ordine suo *sexagesimus*. Videtur autem istic laudari a pietate; et ab Hagiologo invocari, ut e somno desidiæ se expergefacere velit, his versibus: *Salutem sæpius dico Theophanio, qui unus est e numero Patriarcharum; nec non Sawiro Patri et Nicolao propinquo ejus. Excitet me e somno meo, et evigilare me faciat pietate sua, quoniam dies meos omnes in desidia consumpsi.*

cum ordinatus fuisset 21 Martii anno 958

Mirum est celebrari eum ab Hagiologo,

486 Sed quid si Sawirus et Nicolaus, hic etiam nominati, Habessini sint, et præter commemoratio-

A nis diem, nihil habeant cum Theophanio commune? Aut, quid si per calumniam oppressum ab æmulis crediderint Habessini, innocentemque impositi criminis, quod tamen noluerint distinctius explicare, aliunde persuasi, virum sanctum fuisse? Ut ut est, suspectam hæc reddere possent cædem, ab Historia memoratam, cujus fama ad Habessinos non pervenerit, nisi eadem et apud Elmacinum, et in Kircheri Catalogo legeretur.

nisi forte putarit, calumniam passum.

LXI. MINAS.

Neque hunc neque alios, usque ad annum MCCCLXIII, *ullo Elogio dignantur Habessini, nisi solos quinque.*

Ordinatus hic 962, 7 Dec.

MINAS (de Sodla occidentali apud Abulbaracat) *constitutus est Patriarcha* juxta Elmacinum, *anno Diocletiani* DCLXXVIII, Christi DCCCCLXII, concurrente cum anno Hegiræ, non CCCL, sed CCCLI, quo tandem solum intervallo a recto calculo Scriptor ille discordat. Ceterum annus Æræ Martyrum, hic denuo assignatus (nisi multum fallor) abunde evincit bene
B ordinatam a nobis superiorum Patriarcharum Chronotaxim. Pergit Elmacinus: *Cumque sedisset annos* XI, *defunctus est medio mensis Hathuri.* Expressius Historia, XV Hathuri ponit, et feriam IV seu diem *Mercurii*; sed perperam in nota marginali signantur anni XVII, pro XI, seu fere XII, quibus perducimur ad annum Christi DCCCCLXXIV, quando sub littera Dominicali D, omnia rectissime concurrunt; quo maxime argumento movemur ad annum hunc præ ceteris manutendum, licet non modica ex Elmacino supersit molestia, quæ cum ad successorem magis spectet, ibi etiam opportunius diluetur.

obiit 974, 11 Nov.

488 Interim de rebus ab hoc Patriarcha aut illius tempore gestis, nec Elmacinus, nec Historia quidquam commemorant; neque Hagiologium hujus secundi Minæ meminit: credo quia nulla eximiæ sanctitatis aut doctrinæ laude claruit. Quod etiam intelligi possit de plerisque aliis, usque ad Joannem, LXXIV Patriarcham, (ille postremus in Hagiologio laudatur) ejusque successoribus ab Abulbaracato deductis, usque ad annum MCCCLXIII: ex istis enim elogium habent soli quinque. Sedem vacasse anno uno Historia æque ac Elmacinus affirmant, nos interpontificium illud non ultra XII Novembris anni DCCCCLXXV extendendum putamus.

C

LXII. ABRAHAM.

Laus ejus a Simonia sublata, et miraculis.

Varia nominis enuntiatio.

IN ABRAHAMI nomine consentiunt Coptitæ apud Kircherum, et Habessini apud Hagiologum: ipsum autem Arabice et Turcice pronuntiatur *Ibrahim*; quod Elmacinus, Abulbaracat, et Historia, vel ipsorum interpretes, magis corrupisse videntur, scribentes EPHRAHEM et EPHREM. Addunt quod fuerit *Syrus*, et Elmacinus etiam, quod *filius Zaraæ.* Ab hoc ultimo dicitur ille Patriarcha constitutus anno Martyrum DCXCIII, Hegiræ CCCLXVII; qui esset mense Novembri annus Christi DCCCCLXXVII, calculo, toto biennio a nostro discrepante. Nihilominus a statuto nobis annorum ratione nequaquam recedendum, tam mihi est certum, quam evidens sit, Elmacinum hic manifesti erroris convinci. Ut enim taceam, quod inter Minam et Abrahamum non anni unius, sed totius triennii vacationem indicere debuisset, vel Minæ regimen ad annos XIV integros protendere; clarius in hoc Abrahamo, et proxime sequenti Philotheo detegitur hallucinatio. Illum quippe, ait, sedisse annis III et mensibus sex; hunc annis XXIV, et

Patriarcha constitutus, non an. 677,

mensibus septem, atque obiisse III Hathuri, sive XXX D Octobris; additque vacationem VI mensium. Summam ea conficiunt annorum XXVIII et novem mensium, per quos, ex ipsiusmet Elmacini computu, perveniretur ad finem anni MVI. Interea tamen Zachariæ, Philothei successoris initia collocat anno Martyrum DCCXX, Christi MIII vel MIV et id quidem recte, ut suo loco erit demonstrandum.

AUCTORE J. B. S.

490 Igitur relicto Elmacini calculo, ita ego numeros restituendos putem. Posteaquam Thronus, obitu Minæ, anno integro fuisset vacuus, succedente Abrahamo impletus est anno DCCCCLXXV, verosimiliter XII Novembris; hunc autem brevi regimine, trium scilicet annorum et LXXV dierum spatio, perfunctum, obdormivisse statuimus XXVI Jan. DCCCCLXXIX; methodo iis conformi, quæ in sequentibus ab Historia accurate notantur, licet ea hic, præter morem, diem mensis et feriam neglexerit indicare. Subsecuta est vacatio non sex mensium, ut Elmacinus comminiscitur, sed dierum LXI; ergo ad usque XXVIII vel XXIX Martii, quo Philothei inauguratio postmodum referetur.

sed 975. 12 Nov.

491 Multa in Abrahami laudem congerunt Histo- E ria et Elmacinus, paucis hic delibanda. Natura excellenti fuisse fertur, vita optimis moribus ornata, substantiam suam omnem pauperibus erogasse, abolevisse *Sartoniam*, pro quo Historiæ interpres Echellensis scribit, quod *munera pro ordinum collatione abrogaverit.* Recte omnino, nam vocem Arabicam, hoc loco scriptam, non intelligens Erpenius, noluit eam latine reddere; scripsit autem *Sartoniam* (uti notat Ludolfus) pro *Chirotonia*, quod Græci scribunt χειροτονία: solent enim Arabes Græcam litteram X efferre cum sibilo, more gallico, et *Eutyscius* pronuntiare pro *Eutychius.* Est autem *Chirotonia* (ut notum est) *Manuum impositio*, per quam sacri Ordines conferuntur.

obiit 26 Jan. 979.

Simoniam abolevisse

492 Claruisse præterea dicitur insigni et notissimo miraculo, cum esset ad montem fide sua transferendum, a Judæis provocatus: ac denique *veneno sublatus a quodam scriba, quod eum Communione amoverat ob concubinatum.* Kircheri Catalogus mortem quoque veneno illatam confirmat: Hagiologus vero Habessinus, ad VI Chiac, hoc est II Decembris, sic eum invocat. *Salutem tibi, Abraham, ex Peregrinatore*, id est Mercatore, *facto Patriarchæ. Dum stultus ob sui cordis duritiem, renuit audire sermonem excommunicationis, lingua tua ardente prolatæ, limen Apostatæ coram te dissiliit.* Plura hujus generis haud dubie legeremus in Vita, si exstaret. F

montem transtulisse, et veneno extinctus dicitur

ac sacrilegum miraculose punivisse.

LXIII. PHILOTHEUS.

An ab hoc Habessinis laudato, diversus Philoponus Simoniacus. Laus Severi interpretis Scripturæ, qui et Vitas Patriarcharum compilavit. Memoria Jeremiæ Hierosolym. et Arsenii Alexand. Patriarcharum Melchitarum.

PHILOTHEUS, Elmacino *Philoponus, constitutus est*, non anno CCCLXXI Hegiræ, inchoato VI Julii DCCCCLXXXI, ut male hic Scriptor affirmat; sed, juxta calculum nostrum, anno Christi DCCCCLXXIX: *Seditque annos* XXIV *et menses septem*, sive *dies* CCXXVI (ut accuratius numerat Historia) *et obiit tertio Hathuri*, hoc est XXX Octobris: unde per dies prædefinitas retrocedendo venitur ad XXIX Martii, a nobis nuper vindicatam, quæque eo anno Dominica fuit.

Ordinatus 29 Martii anno 979

494 Mortis dies ab Historia componitur cum *Sabbato*, unde iterum roboratur asserta a nobis supputandi ratio, siquidem concursus ille petit litterum Dominicalim C: ergo coincidunt omnia in annum MIII,

obiit 1003, 30 Octob.

A MIII, tali charactere signatum, complenturque anni XXIV dies CCXXVI; et interposita vacatione dierum LXVII (ut habet Historia) venitur ad v Januarii MIV, seu DCCXX anni Martyrum inchoati præcedenti Septembri, quo inauguratum successorem mox apparebit.

AUCTORE J. B. S

Paralysi ob avaritiam punitus;

495 Jam nobis aliam difficultatem objiciunt mira illa, et tantum non inter se opposita, quæ de hoc Patriarcha commemorantur. En verba Historiæ: *Erat Patriarcha iste congregandis opibus deditissimus, nec minus navabat operam comessationibus et potui; et balnei lavacris apprime delectabatur, nec a muneribus accipiendis pro Ordinum collationibus abstinebat. Dum itaque sacrum quadam die in Ecclesia S. Marci Alexandriæ celebrabat, vidit manum e pariete egredientem, et obsignantem signo Crucis Hostiam, quæ statim partita est in manus ejus. Quamobrem timore concussus est, nec tremere desiit, donec mortuus est tertia Hathuri die Sabbati.* Diem obitus omisit notare Elmacinus, eadem omnia quoad substantiam narrans, sed Philoponum (ut supra dixi) nominans.

et tamen in Hagiologio laudatus

496 Ad hoc animadvertens Ludolfus, et simul ad laudem, quæ Philotheo datur in Hagiologio, die Hathuri prædicto, jubet me dubitare, an non sint di- B stinguendi PHILOTHEUS et PHILOPONUS: quorum hic execrationem omnium meruerit, a Chalifa forte intrusus, ideoque indignus creditus sit, qui inter Patriarchas nominaretur a Coptis, Catalogi Kircheriani auctoribus, Abulbaracato, et Habessinis; iste, ut sanctus, fuerit posteritati commendatus, quem Hagiologus, sic invocando, honorat: *Salutem tibi, Philothee Apostole, Patriarcha Alexandrinæ! Cum Æthiopibus præfecissent* (ii scilicet qui Philoponum volebant Patriarcham haberi) *impostorem; ita ut essent ludibrio vicinis et præda hostibus; sub tuo regimine* (o Philothee) *remoto illo, respiravit Æthiopia.* Certe non facile sibi quis persuaserit, in unam quadrare hæc eamdemque personam.

unde videri possent diversi Philotheus

497 Similius vero est, Alexandrinos, repulso Philopono, Philotheum præposuisse, quorum virtutes et vitia, propter affinitatem nominis, Scriptores aliqui subinde confuderint. Mihi ita hoc videtur. Si cui conjectura non placeat, malitque pro gemino unicum dici, per me licet. Exponit insuper Elmacinus, quod Philopono, seu potius Philotheo sedente, *fuit felicissimus interpres Sinhidus, filius Righai, quem S. Mercurius una nocte ex valle lapidosa Meccæ, transtulit in Ecclesiam ejus in Ægyptum, id quod contigit* C *vivente Severo, filio Macfai, Episcopo Asmuninæ.* Hic est ille Severus (ni fallor) a quo scriptas Vitas Patriarcharum aliquoties vidimus allegari, et cujus ætatem hinc discimus.

Cedit Melchitis templum Dominæ, jussu Chalifæ.

498 Enumeratis deinde libris ab interprete illo scriptis: et narrata Patriarchæ qualiscumque morte, subjungit, quod *ejus quoque tempore acceperunt Melchitæ a Jacobitis templum Dominæ, quod nunc* (hoc est anno MCXVIII, in quo desinit ejus Historia) *ab ipsis vocatur templum Patriarchæ. Cujus rei causa fuit, quod Azizus Billa, Dominus Ægypti, uxorem duxerat Christianam Melchiticam, ex qua filiam susceperat. Erant autem ei mulieri duo fratres, quorum alterum, nomine Jeremiam, constituit Patriarcham Hierosolymitanum; alterum autem, Arsenium nomine, Patriarcham Melchitarum Alcahiræ et Mitfræ. Atque hi cum Azizo aliquam habebant familiaritatem, quod avunculi filiæ ejus essent, unde et eo imperante promoti sunt. Atque Arsenius iste petierat templum illud, et is jusserat ut ei daretur.*

Arsenius eorum Patriarcha.

D

LXIV. ZACHARIAS.

Sub Hakemi tyrannide Patriarcha, uti et senior Abunagiabus, pro fide Christi gravia passi.

Suffectus hic est an. 1004, 5 Januarii.

ZACHARIAS suffectus est, post LXVII dierum vacationem ab obitu Philothei, adeoque quinta die Januarii (non XX Babæ, seu XVII Octobris in quo procul dubio Elmacinus fallitur) *anno Martyrum septingentesimo vigesimo*; vigesimus octavus male in Chronico notatur. Signant hæc annum Christi MIV, perperam ab eodem Elmacino cum anno CCCXCIII Hegiræ comparatum. Nota marginalis Historiæ, Pontificatui Zachariæ adscribit annos XXVII et dies CCCLIV; melius scripsisset dies CCCLXIV, ut sibi ipsa constaret; vel cum Elmacino annos XXVIII fere integros. Cum enim de utriusque consensu vita, functus sit octava Tubæ, seu tertia Januarii, regere cœperit quinta; tanti tamen non fuerit istud biduum, ut propterea anni XXVIII numerari non possint. At vero per annos illos opportune pervenimus ad annum Martyrum DCCXLVIII, recte ab Elmacino notatum, Christi MXXXII.

Obiit 1032, 3 Januarii.

500 Sed hæc ut bene quadrant omnia, non perinde obvium est diem Martis componere cum tertia Januarii. Fuit annus ille MXXXII bissextilis sub litteris Dominicalibus B A: si primam accipias, quemadmodum more Romano est numerandum, dies Martis erit secunda Januarii, si autem sumatur A, concursus requisitus omnino habebitur. Qua in re, illud animadversione dignum, Coptos sicut in anni principio nos antevertunt, ita anno proxime præcedenti intercalasse, quo fieri potest, ut sola littera A illis hoc anno Dominicam signet, itaque difficultas tota nullo negotio componatur. Esto tamen id, cuiquam non probaretur, non idcirco ab anno MXXXII, sufficienter aliunde stabilito, dimoveri me patiar; sed feria quarta in locum tertiæ substituta, culpam omnem, si qua est, in librariorum inadvertentiam refundam.

E

Dira Hakemi persecutio.

501 Venio nunc ad crudelissimam persecutionem, quam sub inhumani Hakemi tyrannide, non Christiani solum, sed et Judæi perpessi sunt, teste Elmacino, et Coptis Scriptoribus omnibus; in qua prisci fervoris Christianorum specimina liceat admirari. Rem fusius prosequitur Historia Patriarchalis, quam licet ex parte dederit Papebrochius in Tractatu Patriarcharum Hierosolymitanorum, non gravabor hic totam, proprio loco describere. Sic orditur de Zacharia: *Hunc crudeliter persecutus est Alhachemus, ut septennio latere coactus fuerit. Aliquando leonibus fame laborantibus projectus est; qui tamen nullam ipsi attulerunt noxam: ecclesiæ vero sub eo clausæ sunt multo tempore* (Elmacinus multas destructas asserit;) *nec quisquam Missam celebrare audebat, nisi in ecclesia S. Macarii; et plurimis ærumnis affecti sunt Christiani ab Hachemo, qui etiam appendi jussit cruces collis Christianorum, et vituli caput, collisi Judæorum.*

F

in qua Zacharias nequidquam leonibus objicitur.

Senex Abunagiabus egregie pro fide certans,

502 *Tandem comprehendit scribas aulæ et nobiles Christianorum, eisque proposuit, aut fidem amplecti Moslemanicam, aut neci se parare. Qui responderunt ei: Omnes nos sequemur seniorem Abunagiahum, quoniam ipse est noster Primas et Major. Cui accersito, Moslemanicam proposuit Alhachemus religionem. Respondit ipsi senior Abunagiahus: Permittat mihi Chalifa, concedatque hanc noctem, ut animum meum consulere possim, cras autem dabo responsum. Qui dimisit illum ad sequentem diem. Ille autem ad suam profectus domum, valedixit uxori et liberis; et quas eleemosynas et sacrificia post ejus obitum essent facturi, commendavit; totamque noctem illam in orationibus persolvendis*

A *persolvendis transegit. Illucescente die sese Alhachemo sistit, cui ait ille : Quid tibi, senior Abunagiahe, dixit animus tuus, et consuluit ? Domine mi, respondit, Animus meus optimus ac fortissimus est in mea fide et religione patrum meorum. Tunc præcepit Alhachemus, ut loris bubulis, mille ictibus percuteretur, absque ulla pausa aut intermissione. Cum itaque septingentis ictibus percussus esset, dixit, Sitio. Tunc milites id ad Chalifam retulerunt, qui ait ipsis, si Moslemanicam amplectetur fidem, date ei bibendum. Qui dixerunt ipsi : Moslemanicam amplectere fidem, et dabimus tibi bibendum. Qui respondit eis ; Non : jam Dominus meus Christus bibendum mihi dedit. Et viderunt milites*

inter tormenta occumbit.

ejus barbam et labra aqua madida ; statimque tradidit spiritum. Quod cum relatum esset Chalifæ, dixit : Percutite illum donec complebuntur mille ictus, et percusserunt eum trecentis ictibus post ejus mortem. Egregium profecto barbaræ feritatis, sed simul etiam Christianæ constantiæ et fortitudinis exemplum.

Zachariæ apud Hagiologum encomium

503 Interim Hagiologus Habessinus Zachariam merito laudat et solenniter invocat ; non quidem octava Tubæ prænotata, sed XIII Hathuri (IX Novembris) qua forte die ex Æthiopia, ubi sepultum
B ait Elmacinus, Alexandriam relatus fuerit. Sic ibi legitur : *Salutem dico Zachariæ, qui constitutus fuit postquam Philotheus obdormivit ; quem perfectum certamen certantem pro fide ac veritate, devorare leones nequiverunt, neque cum primo eis datus, neque cum sanguine illitus, objectus illis iterum fuit.* Peculiaria persecutionis Acta plura videri possunt apud sæpe laudatum Elmacinum, ex quo etiam disce belluam, ex atheismo et insania consutam, crudelitatis suæ pœnas dedisse, annoque MXX interfectam. Ceterum, post Zachariæ obitum, vacasse Thronum diebus LXXIV ambo Scriptores nostri constanter tradunt ; sic ut usque ad XVIII Martii inclusive cessatio illa protrahenda sit, et successor Sanitius XIX Martii sufficiendus, ut mox palam fiet.

LXV. SANITIUS II.

Elmacini Chronologia correcta.

Simoniacus, constitutus est 19 Martii 1032

Hic Patriarcha, tamquam opibus congregandis et accipiendis muneribus pro Ordinum collatione deditus, ab Historia traducitur. Pontificatum gessit, ut ibidem accurate notatur, annis XIV et diebus CCXXV ; ordinatus nimirum XIX Martii anno MXXXII die Do-
C minica, præmissa vacatione illa dierum LXXIV ; defunctusque secunda Hathuri, XXIX Octobris, die Mercurii : quæ omnia justissimo calculo concurrunt in annum Christi MXLVI, sub littera Dominicali E, habitis XIV annis et diebus omnino CCXXV. Nihil igitur morari nos debent, quæ hic infeliciter miscet turbatque Elmacinus. Nam ubi ait, constitutum Sanitium XXV Barmahati, seu XXI Martii, sibi ipsi contrariatur, affirmanti superius, Sedem non vacasse ultra dies LXXIV, quæ tamen ex ea supputatione vacua fuisset diebus LXXVI. Verum minutiæ illæ sint ; turpius labitur, quando lib. 3, cap. 6, Patriarchatus tempus extendit ad annos XXV cum dimidio. Ubi ne zyfræ vitium esse quis putet, facit compositus cum illius obitu annus Martyrum DCCLXXIV, ab initio, quod ipse notat, nempe ab anno Martyrum DCCXLVIII, distans annis totis XXVI. Utrobique autem corrigendum scriptorium sphalma, apparet ex ingressu successoris, collato cum *anno Martyrum septingentesimo sexagesimo quarto*, et apprime conformi calculo nostro, ut statim ostendetur. Quippe si Sedes vacavit post Sanitii decessum anno uno et mensibus quinque, ut recte ponit Elmacinus ipse, in hoc Chronicæ præferendus, in quo dies non amplius XLVIII cessationis supra annum computantur : si (inquam) talis intercessit vacatio, aptissime pervenietur ad XXVIII Martii anni MXLVIII, coincidentem cum anno Martyrum DCCLXIV ; et successoris Ordinatio cadere probabiliter poterit in diem Dominicam. Verum quid de Sanitio Hagiologus ? Solius nominis memoria servatur ad XXIX Octobris : forte ob simoniam indignum censuerit, quem elogio celebraret. Abulbaracat *Taranensem* a patria appellat, ejusque interpres Vanslebius vicum esse scribit, situm ad ripam Nili occidentalem, ad leucas XXIV infra Cairum, vere an falso, nihil magnopere interest.

obiit 1046, 29 Octobris.

Elmacini Chronologia emendata.

D

AUCTORE J. B. S.

Hagiologium solius nominis meminit.

LXVI. CHRISTODULUS.

Patriarcharum Sedes Cairum translata.

Institutus 28 Martii 1048

Christodulum *referunt Christianorum Historiæ* (apud Elmacinum libro 3, cap. 7.) *propositum fuisse Patriarcham anno Martyrum* DCCLXIV, hoc est (ut diximus) Christi MXLVIII. Hactenus bene : sed additur, *Mense Keihac* id est Decembri. En apertam contradictionem. Etenim si Sedes vacavit a mense Baba, hoc est Octobri, ut in Sanitio scripserat, per annum E et menses quinque ; quis capiat Christoduli Ordinationem illigari posse mensi Decembri ? Ita prosequitur : *et sedit annos* XXX ; numero nimirum rotundo. Scrupulosior Historia annos tradit XXIX, dies CCLIX ; mihi CCLVIII : *ac obiit die Sabbati, decima quarta Keihaci* (id est X Decembris) *anno septingentesimo nonagesimo quarto*, Christi MLXXVII. Annus convenit, feria exerrat ; accuratior hic etiam Historia *Dominicam* suggerit, quæ eo anno cum X Decembris concurrit, et cetera omnia, chronologica serie composita ; Christoduli inaugurationem factam probant XXVII vel XXVIII Martii, MXLVIII die Dominica.

obiit 1077 10 Decemb.

De eo nec Hagiologion

506 Nomen ejus in Hagiologio non reperitur : sed quia Christodulus interpretatur *servus Christi*, et istic ad XX Abibi, XIV Julii, invenitur *Gabra Jesus*, suspicari vellet fortassis nonnemo, hunc esse Christodulum Coptorum. Sed non audet talem suspicionem suscipere Ludolfus ; quia, neque additur titulus Patriarchæ Alexandrini, neque per Rubricam nomen expressum legitur.

nec Historia quidquam laude dignum commemorat.

507 *Defunctus est Cairi*, inquit Historia, *ubi constitueral, ad Patriarcharum habitationem, Ecclesiam S. Mercurii, et Ecclesiam Dominæ nostræ Vici-Romanorum.* Et hæc ultima forsan est *Ecclesia Mohlacæ* F (Erpenio Muallacæ) in qua et ipse Christodulus, et duo ex successoribus defuncti dicuntur. Credibile autem est, quod Ægypti Regibus sive Dominis tunc residentibus Cairi, utpote in capite Ægyptiaci Delta posita urbe ; ibi quoque Patriarchæ jam pridem sibi residendum censuerint. Id, inquam, nulli non credibile videbitur, quamquam Vanslebius pag. II scribat hunc Christodulum primum fuisse, qui Alexandria Cairum migraverit, ut jam ex Historia audivimus. Sed quisquis Sedem transtulerit, certum est, ibidem hactenus Patriarcharum mansionem continuari.

Vacatio Sedis.

508 Elmacinus Sedem vacavisse ait, *centum et duodecim dies ;* Historia, dies tantummodo LXXII ; verum hæc differentia ex eo commode conciliari posse videtur, quod, teste Elmacino, successor Cyrillus alio die institutus (nempe XXI Februarii, Amschiri XXVII : quo pacto salvantur dies LXXII) alio confirmatus dicatur, scilicet Dominica Palmarum, I Aprilis ; itaque dies CXII omnino numerantur.

A

AUCTORE J. B. S.

LXVII. CYRILLUS II.

Miraculum exundantis sacri Chrismatis inter ejus manus; doctrina laudata.

Præfectus an. 1078, I Aprilis.

Hic ex jam dictis, *constitutus* est *Alexandriæ* Dominica Palmarum, *die*, non *decimo sexto*, sed *sexto Barmudæ*, seu I Aprilis, *anno septingentesimo nonagesimo quarto*, cœpto cum Septembri anni MLXXVII, et tunc adhuc currente, quando Pascha celebratum fuit anno MLXXVIII, VIII Aprilis, ipsisque Kalendis, Dominica Palmarum. Hæc cum ita optime cohæreant, missum facio alium confirmationis diem, ab Elmacino dubie indicatum, nullique usui futurum, nisi ut bene ordinata perturbet.

Miraculosa Chrismatis exundantia honoratus,

510 Notat autem Historia, quod *cum Cyrillus esset Alexandriæ consecratus, Cairum accersitus est ab Almostansaro* (Erpenius Mustansirum Billa, Ægypti Dominum, vocat) *qui adduxit illum ad matrem et fratres, ut illos benediceret.* Cum autem aliquando consecraret Chrisma in Ecclesia Abbatis Macarii, *miraculose exundavit super Altare vas Chrismatis in manibus ejus.* Item, quod *ipse Patriarchis* (puta Antiocheno B et Hierosolymitano) *Pallium constituit, et munera pro Ordinum collatione sub anathemate prohibuit.* Denique quod *defunctus est Mochtaræ in insula Ægypti* (ea forte quæ est supra Cairum) *die Dominica, secunda Baunæ;* sed melius Elmacino *duodecima Baunæ, anno Martyrum octingentesimo octavo*, qui est Christi MXCII, quando sub littera Dominicali C, XII Baunæ, sive Bunæ, seu VI Junii, Dominica erat; non item II Bunæ tunc feria VI, et cum XXVIII Maji concurrens.

obiit 1092, 6 Junii,

et locum habet in Hagiologio.

511 Ad XII autem refertur in Hagiologio sæpe dicto, ubi ei accinitur : *Quod ejus Episcopatus ex vaticinio viri pii contigit, quodque fuit Doctor a mundi gloria vacuus, cujus fluente eloquio viruerunt rami*, hoc est discipuli, *et in ipsius doctrina permanserunt.* Porro CVI dies, qui supra XIV annos huic Cyrillo tribuuntur in Historia, inveniuntur a XXI Februarii ad VI Junii ; et vacantis Sedis dies CXXIV, etiam ab Elmacino notati, perducunt ad diem VIII vel IX Octobris anni prædicti MXCII.

LXVIII. MICHAEL IV.

C *Ejus in Æthiopiam legatio, ut aquæ Nili laxarentur : quid ea de re sentiendum.*

Creatus die 9 Oct. 1092.

Hic, *prout referunt chronica Christianorum*, inquit Elmacinus, *Patriarcha Alexandriæ creatus fuit, qui detentus in carcere fuerat Singiaræ* (Eremitam in Sangiaro vocat Historia) *ex ditione Nesterudu*, ignoto hactenus mihi loco : *et præfectus fuit die duodecimo mensis Balæ*, hoc est IX Octobris, ut et nos nuper statuimus, *anno* DCCCIX *Martyrum*, per Septembrem præfati anni MXCII inchoati; *fuitque Patriarchatus ejus* IX *annorum et mensium* VIII (sive, ut est in Historia, dierum CCXXIX) *et mortuus fuit die primo Pentecostes, ultima Boschanos, in ecclesia Mohlahæ in Ægypto, anno* DCCCXVIII *Martyrum*, hoc est Christi MCII, quando ultimus dies mensis prædicti, id est XXV Maji, Dominica fuit; et propter Pascha tunc actum die VI Aprilis, primus dies Pentecostes.

obiit 1102, 25 Maji,

ejus legatio in Ethiopiam

513 De hoc Patriarcha, apud præfatum Elmacinum, sic legitur : *Tempore illius Nilus quam plurimum decrevit, ita ut Mustansirus illum in Æthiopiam mitteret, cum muneribus et ornamentis multis; eique obviam venit Rex ejus, et cum reverenter eum excepisset, quæsivit qua de causa eo venisset. Et exposuit illi; quod Nilo Ægypti, aquæ penuria laborante, magnum terræ ejus et incolis damnum impenderet. Itaque diverticulum recludi jussit, ut aqua inde ad Ægyptios deflueret, propterea quod eo usque Patriarcha venisset; et accrevit Nilus una nocte ad tria brachia, ita ut ea impleto campi Ægypti irrigati atque consiti fuerint, magnoque cum honore rediit Patriarcha.* Ad quem locum disce ex Plinio, libro 18 cap. 18. *Si duodecim cubita non excessit* (Nilus,) *fames certa est ; nec minus, si sedecim exsuperavit... Evagari autem incipit... a solstitio aut nova luna ; ac primo lente, deinde vehementius, quamdiu in Leone Sol est. Mox pigrescit in Virginem trangresso, atque in Libra residet.* D

ut inde aquæ in Nilum derivarentur.

Ludolfi ea de re judicium.

514 Mirabilem illam Elmacini narrationem, de alveo Nili obstructo et aperto a rege Æthiopum, multis expendit examinatque Jobus Ludolfus, sæpe jam a nobis laudatus, in Historia sua Æthiopica libro 1 cap. 8, a numero 76 ; et in Comment. num. 66 ; ubi, repudiatis hac de re multorum fabellis, eo pacto conciliandas censet affirmantium et negantium sententias, ut dicatur, non posse totum Nilum humana opera aliorsum verti aut declinari ; posse tamen minores amnes aut rivos in arenas Æthiopium diverti ita ut ad justam suam altitudinem Nilus, in Ægypto non ascendat, quod sufficeret ad famem Ægypto inferendam. Id vero Elmacinus videtur significare, dum scribit, quod Nilus una nocte ad tria brachia excreverit, non quod antea totus exaruisset. Sed de his satis. E

Michaelis laus in Hagiologio.

515 Michael in Hagiologio sic invocatur : *Salutem Michaeli, Dominus quem laudavit, ut sibi carum valdeque addictum. Verbis ac scriptis corda fidelium exhortatus obdormivit hodie, expandens coram circumstantibus brachia in formam Crucis.* Utrum vero hæc ab Hagiologo ad hunc Michaelem IV dirigantur potius quam ad alium. non facile dixero. Ita quidem censuit Ludolfus : sed quo minus ei subscribam, facit quod Hagiologus plerumque addat aliquid, quo synonymi Patriarchæ distinguantur. De hoc autem duo erant singularia, primum quod in Sangiaro aut carceratus aut Eremita vixerit ; alterum quod præfatam legationem obiverit : interim nihil de eo dicitur quod de Patriarchis fere omnibus prædicari non possit.

CAPUT X.

Patriarchæ seculi XII et XIII, ex Historia Patriarchali et Abulbaracato, ab anno MCII ad MCCLXI.

F

LXIX. MACARIUS II.

In hoc desinit Elmacini Historia. Ritus quidam ab illo mutati, et Circumcisio jussa Baptismo præmitti.

Ordinatus anno 1102 9 Novemb.

Prout *referunt Chronica Christianorum, Jacobitis Alexandriæ præfectus fuit Patriarcha Macarius anno* II *imperii Amri-Billæ, Principis Ægypti. Collata illi præfectura fuit in monasterio Abulmacari, die Solis*, XIII *Hathuri* (hoc est IX Novembris) *anno* DCCCXIX *Martyrum, qui convenit cum anno* CCCCXCVI *Hegiræ* (omnino, et cum nostro MCII.) *Alexandriæ vero confirmatus fuit die Solis*, XI *Cahyli*, seu Chiac, hoc est VII Decembris, *reversusque fuit Misram die Sabbati*, XXIV *ejusdem mensis* (hoc est XX Decembris). *neque tamen ibi Sacra fecit : reditque in monasterium Abulmacari, ubi sacris functus fuit die Solis*, XIII (imo XVI) *Tubæ*, seu XI Januarii. *Dein se iterum recepit Misram, ubi rem sacram administravit in templo Muallacano, die Solis, ultimo Tubæ* (id est XXV Januarii)..... *substitit vero Macarius* XXVI *annos et* XLI *dies, diem obiens suum noctu* XXIII *Chiac*, hoc est XIX Decembris, *anno* DCCCXLV *Martyrum*, Christi MCXXVIII. Hactenus Elmacinus

obiit anno 1128, 19 Decembris.

A Elmacinus lib. 3, cap. ultimo; cui Historia addit, quod obitus inciderit in *diem Mercurii, in Ecclesia Mohlacæ.*

517 Habetur plane hic concursus, pro Macarii exitu, sub cursu litteræ Dominicalis G, sic ut in anno ingressus ejus cucurrerit littera E, et proxime sequente littera D; unde apparuit typographico mendo irrepsisse XIII Tubæ pro XVI, quod correxi. Interim noto accuratissimam et tot characteribus egregie firmatam, Chronici Christianorum, in Elmacino hic desinentis, observantiam temporum pro ultimo isto Patriarcha, in quo etiam Elmacinus ipse desinit, solum addens, *quod vacavit post* Macarium *Patriarchatus annos duos et totidem menses;* quos menses ad XLV dies restringit Historia, qui deducunt usque ad III Februarii anni MCXXXI. Abulbaracat, indiligens (ut solet) totam illam vacationem deglutit, et Macarium dicit fuisse ordinatum mense Buna, id est Junio; sedisse autem XXVI annos et sex menses, atque obiisse XXV Chiac, hoc est XXI Decembris, anni Martyrum DCCCXLIV, sive anni Christianorum exeuntis MCXXVII.

Hic Elmacinus desinit,

errante de more Abulbaracato.

518 Huic Macario, putat Jobus Ludolfus, posse B applicari locum Hagiologii ad diem IV Thot, hoc est I Septembris, sic legendum: *Salutem Macario, cui concreditum fuit, ut populum Christianum Alexandriæ pasceret. Qui cum elegit populus, Probi cognomen ipsi indidit. Ut enim evitaret ordinationem Episcopalem, dixit; Filius sum secundæ uxoris, quamvis id non esset.* Quomodo ergo id asserere de se potuit? Credo, quia mater sua alteri fuerit desponsata, priusquam ejus patri nuberet, atque ita videri ipsa potuerit quasi bis uxor fuisse, licet id non fuerit, sponsalibus primis ante matrimonii celebrationem dissolutis, vel per mortem sponsi, vel alia ex causa. Secundæ autem nuptiæ apud Orientales censentur irregularitatem inducere, non tantum eas contrahentibus, sed etiam inde genitis.

Videtur Macarius is Hagiologio laudari a probitate

et fuga honoris.

519 Elmacino hic desinente, adhuc alios septem addit Historia Patriarchalis, Abulbaracat vero omnino quindecim; ad quos priusquam progredior, addo ex jam dicto Elmacino, quod *hic Patriarcha multos abrogavit in Ecclesia ritus, quemadmodum suffitus; et positam in Ecclesia Horum Alleluija, quæ dicebatur in rei sacræ administratione post lectionem Actorum; ita ut cum Minister Sacrificio adesset, ante intermitteret Sacra, quæ Sacrificus absolvebat. Ordinavit itaque Alleluijam ante lectionem librorum, et Minister rem divinam exorsus eidem ad finem usque insi-* C *stebat. At qui Oblatione fungebantur, non inclinabant sese; ille vero ut fieret, præcipiebat.* Utrumque horum pro majori decentia mutatum fuisse, satis apparet. *Item quod sponsalia, quæ* (ut est in Historia) *cum orationibus et thure contrahebantur in domibus* (sicuti apud nos etiam absque illis) *ille decrevit fieri in Ecclesia tempore coronationis sponsorum.*

Indicantur ritus ab illo mutati,

520 Nusquam hactenus de Coptitarum Circumcisione, in tota Historia Patriarchali aut Elmacini Chronico, vel verbo facta est mentio: hic vero dicitur Macarius, inter novos quos ordinavit ritus, id etiam *constituisse, ut prius circumciderentur, tum baptizarentur: nam filii Coptitarum prius baptizabantur, tum circumcidebantur.* An quia circumcisio Baptismo antiquior? Ast cur hujusmodi morem, non ita pridem, ut opinor, Christianis Jacobitis usitatum, potius non abolevit? An quod actionem apud se profanam, sed solum humani cujusdam moris, vel decoris aut commodi causa inductam, licitam putarent; actioni tamen sacræ postponendam? Variant sententiæ: qua de re vide disserentem Jobum Ludolfum Historiæ Æthiopicæ lib. 3, cap. 1; et rursus in Annotatis dicto loco, num. 3, quæ cum pluribus aliis ad examen revocantur in Dissertatione nostra de Jacobitarum erroribus, § 7 post seriem Patriarchalem.

inter quos jubetur præmitti Baptismo Circumcisio,

quæ antea postponebatur.

D

AUCTORE J. B. S.

LXX. GABRIEL II.

Æthiopia per eum sublevata.

Gabriel, *filius Tarili Abulhala Sahedi* (Abulbaracat nominat *filium Toreik*) *erat Diaconus Ecclesiæ sancti Mercurii Cairi, suffectusque est die Martis, nona Amschiri* (hoc est III Februarii) *anno nongentesimo* (imo octingentesimo) *quadragesimo septimo Martyrum,* Christi MCXXXI, *initio Caliphatus Alhafedi, agens quinquagesimum annum. Defunctus est die Jovis, decima Barmudæ,* V Aprilis, *hebdomada Palmarum, in Ecclesia sancti Mercurii Cairi:* ita Historia. Ad eumdem diem in Hagiologio sæpe dicto, sic invocatur... *Salutem dico filio Torayk Patriarchæ, cui vocatum est nomen nomine Gabrielis Archangeli: oratione ejus et voce veritatis ejus benedicta abscessit afflictio et commotio; quæ fuit in regione Æthiopiæ.*

Obiit anno 1145, 5 Aprilis,

522 Historia in margine addit regiminis annos XIV, a dies LXII: et merito; cum omnes mortis characteres exigant annum Christi MCXLV, quando E sub littera Dominicali G, V Aprilis incidit in feriam V, quam subsequens eo anno Dominica Palmarum (apparet enim Ægyptios more Græcorum a Dominica sequenti appellare hebdomadas suas) celebrata fuit VIII Aprilis, et Pascha die XV. Vacavit autem Sedes XC diebus, id est usque ad V Julii: sic autem apposite inveniuntur anni et dies requisiti.

post an. 14.

523 Cœperat Abulbaracat et interpres Vanslebius ad rectam supputationem accedere in Patriarchatu Macarii: verum neglecto interpontificio, ab Elmacino et Historia concorditer asserto, rursus a recto tramite deviat, tam palpabili oscitantia, ut prima arithmeticæ elementa hominem ignorare putes. Quid multis opus? *Curam Patriarchalem suscepit Gabriel,* inquit, IX *Februarii,* pro IX Amschiri DCCCXLV *et morte deposuit* X *Aprilis,* pro X Barmudæ *anno Martyrum* DCCCLXI. Omitto confusionem perpetuam in mensibus. Numeras autem hic, ni fallor, annos omnino XVI et amplius. At vir ille bonus invenit tantum annos XIV regiminis et menses duos. Video quid miserum Chronologum ad cespitandum impulerit; sed nihilominus tam intolerabilem incuriam, toties recurrentem, satis demirari non possum. Unum nobis in sequentibus proderit, quod ut hic in die et anno obitus Gabrielis nobiscum convenit, ita in reliquis ad Historiam plerumque accedat, brevi magno usui futurus, dum alii jam deficient. Auctor est ipse F Patriarcham Gabrielem composuisse Officium Hebdomadæ sanctæ, Coptis *Kitab il Pasqua*: et alios Canones.

Abulbaracatus et Vanslebius correcti.

LXXI. MICHAEL V.

Laudatur ab affectu erga Deiparam.

Michael filius Dakalti, prætermissus in Catalogo Kircheri, *erat Monachus in cella Dansciri: suffectus est die Jovis* XI *Abibi* (hoc est V Julii) *anno octingentesimo sexagesimo primo Martyrum,* Christi MCXLV, *et decimoquinto* Caliphatus Athafedi. *Defunctus est in Monasterio S. Macarii, feria sexta Crucifixionis,* adeoque XXIX Martii, seu tertia Barmudæ; cum Pascha anni nostri MCXLVI celebratum fuerit XXXI jam dicti Martii. Hinc autem manifeste apparet, quomodo supplendus sit in margine Historiæ numerus, et pro diebus IX scribendi sint CCLXVII; pro quibus scribit Abulbaracat menses VIII et dies IV; menses hic denuo male confundens, nec ullam habens præteritæ vacationis rationem.

Creatus die 5 Julii 1145

525 Hagiologus Habessinus III Barmudæ, non III Aprilis,

AUCTORE J. B. S. obiit 1147 29 Martii,

A Aprilis, ut putavit Ludolfus, oda III, in ejus laudem dicit, quod *virginitatis cingulum ejus fuerit cestus* : quodque *cum sortirentur Episcopi pro eligendo Patriarcha, ex tribus schedulis urnæ immissis, exivit ea quæ nomen ejus inscriptum habebat*. Denique veluti peculiariter ipsi obstrictus, ac forsitan Alexandriæ ab ipso institutus, orat pro animæ ejus salute, dicens : *Ama eum, o Maria; et pro salute ejus intercede, sicut vivens te dilexit ex corde et animo. Non vicit eum adolescentia, nec avertit senectus; quin absolveret celebrationem festi tui quod inceperat.* Dicitur autem in Historia, quod vacavit post eum Sedes anno I, diebus LXX, justo numero ut perveniamus ad diem, quo successor Episcopatum auspicatus est, anno MCXLVII, die octava Junii.

laudatur ut cultor B. V.

LXXII. JOANNES V.

Ejus illustre genus, et Acta.

Ordinatus an. 1147 die 8 Junii,

JOANNES FILIUS ABUL FATAHI, *ordinatus est in ecclesia Mohlakæ Cairi, die Pentecostes, Dominica, decimaquinta Bunæ, anno octingentesimo sexagesimo tertio*, Christi MCXLVII : sed scribenda est *decimaquarta Bunæ*, non B xv, ut hic in Historia obrepsit, cum certum sit eo anno Pascha incidisse in xx Aprilis, adeoque festum Pentecostes celebrari debuisse VIII Junii, cui illa XIV Bunæ respondet. *Defunctus* dicitur *die Veneris, quarta Baschnes*, hoc est XXIX Aprilis : in margine vero assignantur ei anni regiminis XVIII, et dies CCCXXVI : quibus attingimus annum MCLXVI, quo procul dubio Joannes desiit vivere, nam XXIX Aprilis bene diei Veneris coaptatur sub cursu litteræ Dominicalis B, et cetera conveniunt : nec audiendus Abulbaracat, more suo a vero deflectens. Vacatio dierum XLIII, quæ subnectitur, perducit nos ad XII Junii seu festum Pentecostes, quo successor Marcus III Patriarchatu potiri cœpit.

obiit anno 11, 29 Aprilis.

527 Mirum est GABRIELI, MICHAELI, huic nostro JOANNI, et successoribus aliquot, addi nomen Patris, sicuti facere solent Scriptores Arabes. An quod in hujusmodi additamento lateat insignis aliqua nobilitas? Ita fere suspicor; et opinionem confirmat Hagiologium, cum huic Joanni, die IV Baschnes, eo nempe quo obiit XXIX Aprilis, sic accinit : *Salutem Joanni, ex filiis Regum gloriosorum, qui super probos Metropolitas constitutus est Patriarcha. Per eum ædificata fuerunt templa Christianorum, juvante ipsum Rege Zenone de fructu tritici, vini, et olei.* Quis autem hic Zenon sive Zainun? Suspicor aliquem Nubiensem vel Habessinum : nam inter Constantinopolitanos Imperatores nullus hoc tempore Zeno fuit; ipsique mutuis sic atterebantur discordiis, barbarorum insuper circumsepti armis, ut de adjuvandis Ægypti ecclesiis cogitare eis non vacaret. Præterquam quod Græcorum Ecclesia, schismati suo immersa, et Jacobitis non minus quam Catholicis infesta, nullum cum illis commercium habuisse legatur. Nec a Francis, tunc Palæstinæ dominantibus, subsidii quidquam Jacobitis obtigit, cum Cruce signati illi, non Jacobitas solum, sed Sorianos ipsos seu Melchitas, tamquam hæreticos et schismaticos, merito aversarentur.

Laudatur a regia stirpe, et ecclesiis restouratis. C

LXXIII. MARCUS III.

Abbatis Marci cum multis suorum ad Melchitas defectio : quantus tunc adhuc Melchitarum in Ægypto numerus. Cairi incendium.

Regimen auspicatus 12 Junii anno 1166,

MARCUS ABULFARAGI, FILIUS ZARAÆ, *suffectus est die Dominica Pentecostes, decima octava Bunæ* (XII Junii) *anno octingentesimo octogesimo secundo*, Christi MCLXVI. Concordant omnia, celebrato Paschate XXIV D Aprilis; et hinc etiam errorem, nuperrime correctum, revincas. Cum enim anno MCXLVII Pascha incideret in XX Aprilis, non poterat Dominica Pentecostes concurrere cum XV Bunæ, sed cum XIV; seu VIII Junii, ut primo obtutu redditur manifestum. *Ejus tempore transiit Abbas Marcus filius Alkonbari, ad Melchitas, quem ingens turba Bsameritarum secuta est : quem non multo post pœnituit, et reversum noluit Patriarcha suscipere. Magnus singulis diebus apud hunc Patriarcham ciborum fiebat apparatus, carnium aliarumque rerum, quem nobiles Christianorum frequentabant. Accidit incendium Cairi* XVIII *Hathuri*, XIV Novembris, *anno* DCCCLXXXV (Christi MCLXIX) *Auctore Sciauro, et incensa est Ecclesia sancti Mercurii et aliæ. Defunctusque est hic Pater die Dominica sexta Tubæ*, I Januarii. Cum autem Thronum possederit annos XXII, dies CCV, ea nos recta perducunt ad annum MCLXXXIX; et secuta vacatione dierum XXVII, si successoris consecratio vere facta est in Dominica, non potuit non cadere in XXIX Januarii, IV Amschiri, uti accurate in Historia notatum, jamjam videbimus.

finivit 1189, 1 Januarii.

529 Ex illo Abbatis Marci cum suis Bsameritis ad Melchitas accessu, et subsecuta deinceps defectione, uti et illis quæ superius de Melchitis eorumque Patriarchis sparsim diximus, manifeste apparet, floruisse tunc adhuc in Ægypto Melchitas, qui suos seorsim cœtus agebant sub proprio capite et Episcopo; ut brevi ostendent litteræ Nicolai Patriarchæ Alexandrini, datæ ad Honorium III Romanum Pontificem, apud Raynaldum anno Christi MCCXXIII : ubi et illud observari poterit, Melchitas fuisse ibi non paucos, si centum et quindecim ecclesiæ, a Saracenis destructæ, earum ex numero dicantur, quæ ipsorum Patriarchæ suberant potestati. Hoc autem annotasse operæ pretium est, ne quis Ægyptios omnes ad Monophysitas paulatim defecisse existimet. Præterea ut inde confirmentur, quæ in Dissertatione de Coptorum etymo dicta sunt, ubi Melchitas a Coptis vel Cophtis putavimus distinguendos. Denique ut etiam probetur, morem circumcidendi Christianos in Ægypto, non adeo antiquum esse; quippe quem Melchitæ non adhibeant; eum et ipsi procul dubio ritum frequentaturi, si ante schisma Dioscoritanum, vel Saracenorum ingressum, semper fuisset usitatus.

E De numero Melchitarum eo tempore in Ægypto.

LXXIV. JOANNES VI.

F

Ex opulento mercatore Patriarcha, laudatur a largitate in pauperes. Longa post eum vocatio Sedis, sub tyrannide Saracenorum, de qua a Nicolao Melchita est epistola ad Honorium III.

Suffectus 29 Januarii 1189,

JOANNES, ABULMAGEDUS, FILIUS ABILHALA (Abulbaracato filius Abigaleb) *suffectus est Cairi die Dominica, quarta Amschiri* (hoc est XXIX Januarii) *anno nongentesimo quinto*, Christi MCLXXXIX. Cumque sedisset annos XXVI, dies CCCXLIII notatos in margine (et convenit Abulbaracat, neglecto paucorum dierum defectu, numerans annos XXVII) *defunctus est die Jovis post meridiem, undecima Tubæ, die Epiphaniæ*, hoc VI Januarii. Annum non notat Historia; Abulbaracat annum Martyrum signat DCCCCXXXII, qui est Christi MCCXVI; et hunc exigunt anni Sedis XXVII. Eo autem anno, qui nobis bissextilis fuit, sub litteris Dominicalibus C B, non potuit VI Januarii cadere in diem Jovis, tali concursu exigente pro mense Januario litteram B; nisi si hic recurramus ad prægressum Coptorum bis quintum, seu

obiit anno 1216.

A seu intercalationem quæ præcedenti anno facta ab ipsis fuerit, quaque mediante videretur difficultas dissolvi posse, alias pro die Jovis scribendus esset dies Mercurii.

Vacat post eum Sede annos 19, m 5, d. 10

531 Addit Historia, quod post mortem Joannis vacaverit Sedes annos XIX, menses V, dies X; quos annos etiam habet Abulbaracat, neglectis more suo mensibus ac diebus, rotundo numero superabundantibus. Sequitur itaque quod ordinatio Cyrilli successoris dilata sit in annum MCCXXXV, usque ad XVII Junii: in quo corrigendus Abulbaracat, cum eam adscribit diei XVI Junii.

Largus in pauperes,

532 Laudatur Joannes in Historia, quod, *antequam ad Patriarchatum ascenderet, exercuerit mercaturam, et sæpius ad Indias transfretaverit; suffectus autem in Patriarcham, septemdecim millia denariorum.... in usum Christianorum pauperum et eorum necessitates erogaverit. Imo defunctus est,* inquit, *ære nepotum obstrictus. Nec, quamdiu vixit Patriarcha, panem alicujus Christianorum comedit, nec accepit munus.* Sed non æque laudandus fuit ex eo, *quod Confessionem ab Ecclesia Coptitarum abrogavit, Circumcisionem vero plurimum commendavit.* Quid Patriar-

commendat Circumcisionem,

B cham, ritum illum commendare oportuit, qui jam a viginti quinque seculis, ut aliqui volunt, Ægyptiis erat familiarissimus? Magis ego suspicor, non commendaturum fuisse, nisi in ea aliquid sacrum, adeoque Judaicum agnovisset, contra doctrinam Apostoli: sed de his alibi fusius. Hagiologus, die XI Tubæ oda 7, Joannem Majorem sive Seniorem nuncupat, *æstu fidei candescentem, et Spiritu sancto calentem;* additque, quod ita *in eleemosynas pauperum erogavit omnia, ut de viginti myriadibus denariorum argenti et auri, nec unus quidem obolus superesset.*

vacat Sedes annos 19,

533 Vacasse post Joannis obitum Sedem Alexandrinam annis XIX, nemo tantopere mirabitur, qui consideraverit, quam misera debuerit esse conditio Christianorum sub Saracenis in Ægypto, irritatis, indefesso et felici progressu Cruce-signatorum contra se; maxime cum anno MCCXVIII obsideri ab eis cœpta sit Damiata (aliis Pelusium) et intercepta fuerit anno sequenti MCCXIX. Calamitatum, tunc a Christianis toleratarum, testis est Nicolaus Patriarcha Alexandrinus (non Jacobitarum, apud quos notus non est, et quorum tunc Sedes vacabat, ergo Melchitarum in Ægypto degentium) cujus epistolam ad Honorium III datam, et a Raynaldo Baronii continuatore recitatam in Annalibus ad annum MCCXXIII,

sub tyrannide Saracenorum,

C statim transcribemus. Sed an tunc minus Melchitis trepidandum fuit, quam Coptitis, apud Mahumetanos plerumque magis gratiosis? Non opinor. Verum ita fieri potuit, ut cum Nicolaus diu ante electus fuisset, miseriarum istarum tempore, administrationem non neglexerit; Jacobitæ vero, vacantem Thronum obitu Joannis Abulmagedi non putaverint, inter tot angustias, commode expleri posse. Utut est, juvat Nicolai epistolam hic inserere, ad varias disquisitiones nonnulli fortasse usui futuram; ita habet:

quam describit Nicolaus Patriarcha Melchitarum,

534 *Reverendissimo Patri ac Domino Honorio, Dei gratia S. R. E. Summo Pontifici et universali Papæ, Nicolaus eadem gratia Alexandrinæ Sedis humilis Patriarcha, tam promptam quam debitam reverentiam, Archiepiscopi, Episcopi, Presbyteri, Clerici, ac omnes Christiani, qui sunt in terra Ægypti, vestræ Paternitati atque Sanctitati supplicant, cum suspirosis et lacrymosis vocibus. O! Quanta est tribulatio et angustia, quæ in hac vita nobis data est ad sustinendum, credimus jam vobis clarificatum esse; quamvis, ut notum fiat, vobis Domino nostro, prout possumus, patefacimus. Equum in domibus nostris habere non audemus, nec mortuos nostros cum Cruce per civitatem portare sumus ausi. Quod si aliqua ecclesia Christianorum aliquo casu ceciderit, de cetero nullo modo sumus ausi*

AUCTORE J. B. S.

D *eam reædificare. Et unusquique Christianus de Ægypto, a quatuordecim annis in antea, oportet dare Geliam, Latine autem dicitur tributum, Bizantium unum auri, et quatuordecim Karubbas. Et si pauper erit, mittitur in carcerem, et non poterit inde exire nisi reddat totam Geliam, id est tributum.*

ad Honorium III,

535 *Tot et tanti Christiani sunt in terra Ægypti, quod omni anno oportet reddere curiæ Soldani centum millia Bizantios aureos Saracenatos de Babylonia. Quid plura vobis referam? cum ad omnia vituperabilia et sordida opera, et etiam ad plateas civitatis mundificandas mittantur Christiani, quod est dedecus totius Chritianitatis. Hierusalem, quæ ædificatur ut civitas, qualiter jacet destructa in terra et desolata, non oportet vobis scribere; scitum est per universum orbem. De facto Damiatæ, qualiter vituperabiliter factum fuit, non oportet per litteras assignare, quod turpissimum est dicere.*

a quo suppetias postulat.

536 *Miserere itaque, Domine, miserere nostri; veni et libera nos, Pater noster spiritalis. Sicuti Sancti ante adventum Christi expectabant redemptionem et liberationem a Christo Salvatore; ita expectamus adventum filii vestri Imperatoris; et non solum nos exspectamus* E *hanc gratiam, sed etiam Renegati plusquam decem millia, qui dispersi sunt per terras Saracenorum...... Unum quidem pessimum factum fuit in terra Ægypti, ad dedecus Christianorum, scilicet pro facto Damiatæ, quod centum quindecim ecclesiæ factæ fuerunt destructæ. Per viventem in secula, non mentior. Valeat manus vestra super inimicos Crucis Christi. Saraceni, qui dicuntur Molenæ, id est Domini, qui ante Saladinum regnum Ægypti tenuerunt, vestræ Sanctitati supplicant, et rogant per Deum, ut festinetis mittere quem missuri estis, quia tota terra Ægypti vestra est.*

LXXV. CYRILLUS III.

An hic a Simonia culpatus sit, in Hagiologio laudatus ob probitatem?

Hic propter Simoniam sæpius mulctatus,

CYRILLUS, *filius Loklaki, vel* (ut legit Abulbaracat) *Lokloki, suffectus est die Dominica anno nongentesimo quinquagesimo primo, vigesima tertia Bunæ,* ut dixi supra, id est XVII Junii, MCCXXXV. *Erat vir doctus, sapiens ac multæ peritiæ, sed congregandis opibus et muneribus accipiendis pro Ordinum collatione deditus. Hinc aliqui insurrexerunt adversus illum, et oppresserunt, accusaruntque ad tribunal Vicarii Regis, et apud Judices et Præfectum provinciæ, Mohmaddinum filium Alschi: mulctatusque est duodecim millibus denariorum diversis vicibus.* Obiisse dicitur die Martis, F decima quarta Barmahati, anno nongentesimo quinquagesimo nono, hoc est anno Christi MCCXLIII, die decima Martii; itaque habentur notati in margine Episcopatus anni VII, dies CCLXIX; omnibus in illum annum recte confluentibus.

obiit 1243, 10 Martii

vel potius in Habassiam profugus Canones ordinarit,

538 Abulbaracat, in die et anno cum Historia conveniens, testatur Cyrillum complures Canones composuisse: quod confirmari fortasse posset ex Hagiologio, ubi idem, ut videtur, Cyrillus, sic laudatur: *Salutem Cyrillo, bonæ memoriæ et recordationis, qui ad Patriarchatum Alexandrinum electus fuit. Is ordinavit tempus Missæ et Canonicas precationum Horas, Oves suas salvas servavit, et ideo præmium assecutus est in regno cælorum.* Quadrantne hæc in Simoniacum? Non arbitror: et XX Amschir, XIV Februarii, quo elogium recitatur, magis dubitationem confirmat. Unde suspicari licet quod oppressus per calumniam, octavo sui Patriarchatus anno, in aliquod monasterium se receperit, ac forte ad Habessinos, inter quos, Canones novos ad Missam composuerit; et quasi eo mortuo Patriarchatus vacaverit; revera autem obierit ipse XIV Februarii anno MCCLI; ejusque morte post septem fere menses certo

mortuus 14 Februar. anno 1251.

AUCTORE J. B. S.

A certo cognita, processum sit ad electionem, seu potius ordinationem successoris, eatenus impeditam ab iis, qui depositi Cyrilli partes tenuerant. Sequitur vacatio annorum VII, mensium VII, minus tribus diebus.

LXXVI. ATHANASIUS III.

Suffectus 1250, 2 Octobris,

ATHANASIUS, *filius Calili, suffectus est die Dominica, quinta Babæ, anno nongentesimo sexagesimo septimo*, hoc est anno Christi MCCL, die II Octobris. Characteres omnes mirifice conveniunt, proindeque corrigendus Abulbaracat, notans ejusdem mensis Ægyptiaci diem XXV, nostri autem XXII, qui tali anno in Dominicam non incidit. Spatium Patriarchatus ejus et annum ac diem mortis non definit Historia, sed hæc supplet Abulbaracatus, mortuum dicens I Chiac, hoc est XXVII Novembris, anno Martyrum DCCCCLXXVIII, Christi MCCLXI : qui retrotracti ad annum et diem Ordinationis, complectuntur spatium annorum XI, mensis unius et dierum VI. Huic porro idem Abulbaracatus, Gallice translatus a Vanslebio, vel etiam (ut Ludolfo videtur) contractus in compendium, addit alios novem sequentes B Patriarchas, tanto hic dignior fide, quanto propior tempore, licet in multis hallucinetur.

obiit 27 Novemb. 1261.

Hagiologi salutatio.

540 Dicitur Athanasius in Historia, fuisse *vir bonus, justus, et humilis* ; et ideo fortassis inscriptus est Coptico apud Seldenum Kalendario pag. 364 ; sed nomine corrupto Asasius, quod Ludolfus correxit; qui etiam putat de eo intelligendum quod habet Hagiologus ad diem XXII Hathuri, hoc est XVIII Novembris, his verbis : *Ante omnia Deo O. M. gratias et laudes dicam tui causa, et mox bonitati tuæ salutem dicam, O Athanasi, qui finis limitis et omnis vindictæ nescius. Æquum propterea est, ut nomen tuum vocent, Bonam animo, et persònam gratam.* Vacavit Sedes post Athanasii obitum annis prope septem, haud dubie etiam ærumnarum causa, quas a Saracenis Christiani patiebantur.

CAPUT XI.

Alii novem Patriarchæ, ex Abulbaracato ; ab anno MCCLXVIII ad MCCCLXII.

LXXVII. GABRIEL III.

Tempus Sedis, et laus in Hagiologio.

Creatus 21 Octob. 1268, obiit 2 Jan. 1271

C DICITUR fuisse *Episcopi Tamidensis* ex fratre vel sorore *nepos, institutus Patriarcha anno* DCCCCXXXV, XXIV *Babæ*, non XXIV nostri Octobris (ut perpetuo male vertit Vanslebius) sed XXI, quæ sub cursu litteræ Dominicalis G, fuit Dominica, anno illo Christi MCCLXVIII. Vacaverat ergo Patriarchatus VI annis, et XI mensibus. *Obiit* autem Gabriel *anno Martyrum* DCCCCLXXXVII *die* VII *Tubæ*, hoc est II Januarii, anno Christi MCCLXXI, cum sedisset annos II, menses II, dies XII.

videtur laudari in Hagiologio.

542 Ad hunc spectare Ludolfo videntur versus in Hagiologio pro die XVII Abibi, hoc est XI Julii, sic descripti : *Salutem tibi, vir Asceta, Patriarcha* Gabriel; *cum te perterruisset mors et hora ejulatus, ex filio Secla Mariamæ Virginis* (quidni Mariæ Deiparæ?) *per imaginem loquente, audivisti hanc vocem; Ne timeas; adeptus enim es regnum cœlorum.*

LXXVIII. JOANNES VII.

Creatus 1271, 11 Januarii,

CREATUS *fuit Patriarcha anno Martyrum* DCCCCLXXXVII, Christi (ut dictum est) MCCLXXI; die mensis Tubæ, non VI (uti errore typographico apud Vanslebium legitur, nam sic ordinatio ejus præcessisset mortem decessoris, nec facta fuisset in Dominica) D sed XVI, seu XI nostri Januarii, quæ Dominica fuit, sub cursu litteræ D. Vacaverat itaque Sedes solum octiduo. *Obiit anno Martyrum* MIX, *die* XXVII *Bermudæ*, hoc est Christi MCCXCIII, die XXII Aprilis ; atque ita sederit annos XXII, menses III, et dies XI ; uti habere etiam deberet Vanslebius, nisi innata sibi incogitantia annos XXIX scripsisset pro XXII, neglecto etiam mensium numero requisito. Vacavit post ejus mortem Thronus annum I, dies LXXIII.

obiit 1293, 22 Aprilis;

laudatur a benignitate in pauperes.

544 Ad hunc spectare putat Ludolfus, Odam diei XXIII Babæ, hoc est XX Octobris, ubi *Minor* sive *Junior* vocatur, ad differentiam præcedentis LXXIV, cui simillimus fuit beneficentia in pauperes, in eodem Hagiologio dicti *Majoris* seu *Senioris*. Invocatur autem hoc modo : *Salutem frequenter dico* Joanni Minori ; *cujus magna erat benignitas in eleemosynis erogandis. Ut autem intelligerent illi, qui munditiam (ornatum) hujus seculi affectant, hujus rei vanitatem; ille in vita monastica nudus stetit*, hoc est, male vestitus. Translatio ejus corporis memoratur XXIX Augusti, in ædes quas ille exstruxerat. Eleemoynas autem distribuere, et ædes sacras ædificare, non est Monachi privati, sed Patriarchæ; nec *Minor* aut *Junior* E dictus fuisset nisi præcessisset alius *Senior* in Patriarchatu ; pari laude et sanctitatis opinione clarus, et carus suis.

LXXIX. THEODOSIUS II.

Suffectus 1294, 4 Julii,

FILIUS *Zevabelis Franci*, forte ex Syria oriundi, *creatus est Patriarcha anno Martyrum* MX, X *Abibi*, Christi MCCXCIV, IV Julii ; quæ tali anno, sub cursu litteræ C, Dominica fuit. Obiit anno Martyrum MXVI, V Tubæ, Christi MCCXCIX, XXXI Decembris ; cum sedisset annos V, et fere VI menses ; non annos VI et menses VI, ut hic denuo infeliciter supputat Vanslebius. Vacavit post eum Sedes dies XXXVIII. Et hi quidem integri inveniuntur a XXXI Decembris, quo obiit Theodosius, ad VIII Februarii proxime sequentis, quo institutus est successor Joannes VIII : et sic apparet quod nuperrime dicebam, fide digniorem esse Abulbaracatum, addo et paulo diligentiorem, quo Patriarchis hisce tempore fuit proximior, si semper recte numeros iniret Vanslebius.

obiit 31 Decemb. 1299

LXXX. JOANNES VIII.

Gravis persecutio intercessione Lascari Constantinopolitani mitigata ; sed quis hic ?

Institutus 1300, 8 Februar, obiit 1320, 29 Maji;

JOANNES, *filius Isaaci il Kaddis*, hoc est *Sancti*, F *ex Minied-bufis, Patriarcha factus est anno Martyrum* MXVI, XIV *Amschiri*, Christi MCCC, VIII Februarii ; *obiit anno* MXXXVI, IV *Bunæ*, Christi MCCCXX, XXIX Maji, cum sedisset annos XX, menses III, dies XXI. Ludolfus putat hunc Joannem esse illum, qui ad XII Baschnes, hoc est VII Maji, in Hagiologio toties citato laudatur, quod *similis fuit præcedenti in eleemosynis distribuendis, ita ut etiam vestibus suis non pepercerit, et ne cilicium quidem reliquerit, sed nudus in fovea fuerit repertus.* Et sic Patriarchæ hujus nominis fere omnes, præsertim orthodoxus ille celeberrimus, a Græcis Latinisque eodem titulo cultus XXIII Januarii, largitate in pauperes claruerint. Vacavit autem Patriarchatus, post mortem hujus Joannis, IV menses, et totidem dies.

dicitur etiam eleemosynis deditus,

sicut omnes istius nominis

547 *Tempore hujus Patriarchæ* (inquit Abulbaracat) *Christiani Ægyptii gravem persecutionem perpessi sunt a Sultano, qui jussit omnes pileo uti Saracenico* (vulgo turban) *cæruleo, vilissimi pretii ; non nisi asinis vehi permittens, inverso utroque crure ad unum latus pendente, ut ita despectui haberentur omnibus aliis nationibus, in Ægypto degentibus. Clausit*

præterea

A *præterea tuorum templa, ab iis incipiens quæ in nova veterique Cairo reperiebantur, et reliqua deinde per Ægyptum omnia, exceptis solis illis quæ erant quatuor monasteriorum deserti sancti Macarii, quæque exstabant Alexandriæ. Hoc modo sexcentis et tribus diebus occlusæ manserunt ecclesiæ, donec intercedens apud Sultanum Legatus Lascari, Domini Constantinopolitani, obtinuit ut Jacobitis sua aperiretur, dicta Beatæ Mariæ de Maallaca; et quæ sancti Archangeli Michaelis vocatur, alteri propinqua. Paulo post advenit etiam Legatus alius, missus a* Bersciennuni ; *quo itidem pro Christianis deprecante, reseratæ sunt aliæ duæ ecclesiæ; ea videlicet quæ est in Haret Zueile* (vicus hic est ubi Patriarcha commoratur) *et Melchitica una in Binducaniin.*

Gravis persecutio Christianorum in Ægypto

precibus Lascari minuitur:

548 Quid sibi velit Abulbaracat per *Lascarim*, Dominum seu Dynastam Constantinopoleos, non satis intelligo : si Græcorum Imperatorem indicare voluit et tempora et Imperatores confudit. Regnabat tunc Andronicus, is qui annis fere XLVI imperio potitus est; atque hic non ex Lascaritana, sed ex Palæologorum familia ducebat Originem. At forte privatus quidam ex Optimatibus, nomine vel stemmate *Lascaris*,
B preces illas apud Sultanum interposuerit. Non placet. Nam privatorum, tametsi Magnatum, non est Legationes aut Legatos ad alios Reges destinare, nec id apud Græcos in usu fuisse legere me uspiam memini. Denique quid Græcis commune cum Coptis seu Jacobitis? si Melchitis id postulatum diceret, haud difficulter crederem ; quandoquidem isti Græcorum schismati jam dudum communicarent. De cetero factum negare non ausim : id dicere audeo, multas Arabum narrationes ad rectam historicæ veritatis trutinam revocare, passim esse permolestum; præsertim ubi de aliis gentibus aliqua rebus suis intermiscent. Jam vero quis ille *Bersciennuni* fuerit, Æthiops, an Nubiensis, an nationis alterius, nec conjectando, nec divinando assequi hactenus licuit.

an hic Imperator CP.?

an potius privatus quidam ex ea familia?

LXXXI. JOANNES IX.

Creatus Patriarcha anno Martyrum ineunte MXXXVII, I *Babæ*, hoc est Christi MCCCXX, XXVIII Septembris, quæ sub cursu litteræ E, anno nostro bissextili, Dominica fuit: *obiit* MXLIII, II *Bermudæ*, Christi MCCCXXVII, XXVIII Martii ; cum sedisset annos VI cum dimidio, non annis VII, in quo semper
C cespitat Vanslebius. Vacavit Sedes dies XLII.

Creatus est 1320, 28 *Septembris;*

550 Huic accommodari posse, putat Ludolfus (ut nullus sit Joannes qui in Hagiologio non laudetur, intra seculum XIV, aliquo usque progressum) putat, inquam, Ludolfus aptari huic id posse, quod ibidem ad diem X Baschnes, hoc est V Maji, sic canitur : *Salutem dico* Joanni *Patriarchæ, qui mane molestiis conflictatus, et vesperi luctatus est. Obediens verbis sacræ Scripturæ, dixit; Mane semina semen tuum, et vespere nec cesset manus tua :* ubi Mane et Vespere intelligi possunt, initium et finis Patriarchatus. Est autem locus hic allegatus ex capite Ecclesiastæ II, vers. 6.

obiit 1327 28 *Martii;*

locum habere videtur in Hagiologio.

LXXXII. BENJAMIN II.

Origine Democradensis, constitutus est Patriarcha anno Martyrum MXLIII, XV *Baschnes*, Christi MCCCXXVII, X Maji in Dominica, sub cursu litteræ D. *Defunctus anno* MLV, XI *Tubæ ;* Christi MCCCXXXIX, VI Januarii ; cum sedisset annos XI, menses VII, dies XXVII ; licet menses et dies Vanslebius vel ejus typothetæ neglexerint. Vacavit Sedes, post Benjamini obitum, anno fere integro.

Sufficitur 1327 10 *Maji,*

mortuus 6 *Jan.* 1339.

D AUCTORE J. B. S.

LXXXIII. PETRUS IV.

Creatus Patriarcha anno Martyrum MLVI, *die* VII *Tubæ;* hoc est Christi MCCCXL, die II Januarii in Dominica, sub cursu litteræ B, nulla habita ratione præcursi Coptorum bisquinti, ut alibi faciendum fuit anno nostro bissextili, uti hic est annus MCCCXL, ex quo patet nihil adeo certi in hac re determinari posse; ut dixi ad calcem tabulæ, Kalendarium nostrum Coptico adaptantis. *Mortuus est anno Martyrum* MLXIV, *die* XIV *Abibi*; Christi MCCCXLVIII, die VIII Julii : cum sedisset annos VIII, menses VI, dies VII. Vacavit Sedes incertum quamdiu, quia extritas fuisse in autographo notas anni ac diei, quibus ordinatus est successor, indicat Vanslebius, puncta signando.

Creatus est 2 *Jan.* 1340,

defunctus 8 *Julii* 1448,

LXXXIV. MARCUS IV.

Ordinatus anno...... *Obiit anno Martyrum* MLXXIX, *die* VI *Amschiri* ; Christi MCCCLXIII, die XXXI Januarii ; quamdiu autem sederit non possumus definire, dum ignoramus diem et annum ordinationis. Vacavit interim eo mortuo Sedes III mensibus.

Defunctus 31 *Januarii* 1363.
E

LXXXV. JOANNES X.

Damascenus, creatus Patriarcha anno Martyrum MLXXIX, *die* V *Baschnes;* Æræ Christianæ MCCCLXIII, die XXX Aprilis, in Dominica, sub cursu litteræ A. Dies mortis ignoratur ; quia hic, inquit Vanslebius, desinit *Abulbaracati Patriarcharum Catalogus, unde colligitur, eum vixisse anno nostro* MCCCLXIII. Et id saltem verosimillimum esse, nemo, opinor, negaverit.

Ordinatus est 30 *Aprilis* 1363.

CAPUT XII.

Ultimi Patriarchæ, solo fere nomine a Vanslebio notati, ab anno .... ad MDCLXXIII.

Monet hic Vanslebius, se in margine illius tomi manu-scripti, ex quo Catalogum Patriarcharum post Abulbaracatum texuit; monet, inquam, reperisse se alios septemdecim, qui solo nomine notabantur, quosque describere visum est, si forte postmodum luminis aliquid accedit, quo dies ordinationis et obitus definiri queant. Illud adverto, sequentes omnes insigniri prænomine *Amba*.

Alii 17 *solo fere nomine notantur.*
F

LXXXVI. GABRIEL IV.

Abbas monasterii Moharrak.

LXXXVII. MATTHÆUS I.

LXXXVIII. GABRIEL V.

LXXXIX. JOANNES XI

Fortassis a patria cognominatus, *Maksensis.*

XC. MATTHÆUS II.

Saidensis, etiam, ut puto, a patria dictus. Unum hoc de Matthæo Saidensi notabile scribit Bernatus noster, sæpe postmodnm citandus, quod is ultimus fuerit qui sacrum Chrisma confecerit, usque ad annum MDCCIII, quo novum consecravit Joannes XVI, Patriarcha CIII.

A

AUCTOR : J. B. S

XCI. GABRIEL VI.

Abbas monasterii S. Antonii.

XCII. MICHAEL.

Filius Semellotti.

XCIII. JOANNES XII.

Neggadensis.

XCIV. JOANNES XIII.

Dictus *Cairensis*, a Kirchero in suo Patriarcharum Catalogo prætermissus.

XCV. GABRIEL VII.

Minscianensis.

Hic ille procul dubio est sycophanta insignis, cum ministris vaferrimis Abrahamo Syro, Georgio B et Gabriele altero, homine impotentissimo juxta ac stupidissimo : hic, inquam, est ille Gabriel, ad quem Legationem, jussu Pii IV Pontificis, anno MDLXI suscepit Christophorus noster Rodericius, eo successu et exitu, quem memorat Sacchinus Histor. Societatis part. 2, lib. 5, a num. 135, et lib. 6, a num. 121. Primam totius fraudulentæ machinationis telam exorsus est Abrahamus quidam, Romæ ad quadriennium commoratus; optime habitus, multisque ornatus muneribus; quorum vice non nisi summam ingratitudinem et perfidiam Pontificio Nuntio exhibuit. Patriarcha Gabriel, senex versutus, ita se ad omnem simulationem formavit temperavitque, ut acceptis, quæ Roma deferebantur, donis non exigui pretii, et personam et obedientiam et fidem exuerit, quam binis primum in litteris, tum coram Rodericio sæpius et palam fuerat professus. Bene cum Nuntio et duobus sociis actum est, quod post ingentes labores et biennalem sine fructu Legationem, incolumes evaserint. Qui totam expeditionis hujus, ut apud Sacchinum recitatur, seriem perpenderit, facile, ni fallor, intelliget, Coptos non eo esse animo, nec verosimiliter unquam futuros, ut Patriarcham suum, Episcopos, seque omnes C Francis (ita Latinos Romanosque vocant, et aversantur gravissime) subjiciant, quidquid in magnis angustiis aliquando ad eos recurrerint, ut in altero Gabriele, mox secuturo, etiam apparebit.

Rodericii ad hunc Legatio ; jussu Pii IV, artibus Abrahami obtenta, sed infructuosa, odio Coptorum in Francos.

XCVI. JOANNES XIV.

Momfallotensis hic fuit ; ad eum scripsit Gregorius XIII, ut testatur Gabriel successor. Unde nonnullis Scriptoribus dicere placuit, sub Gregorio XIII, factam Coptorum ad Ecclesiam Romanam accessionem, uti et nos supra innuimus.

XCVII. GABRIEL VIII.

De hujus ad Clementem VIII, aliorumque ad alios deinde Pontifices Epistolis : quorum unus Theophilus Melchita ; quales forte ex iis plures.

Cairensis, epistolam scripsit, seu mavis professionem fidei misit ad Clementem VIII, in suo titulo semet vocans *nonagesimum septimum*; qui numerus falsus esset, nisi nonagesimus quartus Joannes Cairensis (in simili apud Kircherum supplemento D omissus) suo loco relinqueretur. Prædicta epistola profertur a Kirchero in sæpe citato supplemento pag. 517, et fusissime a Baronio ad calcem Tom. VI Annalium, quo curiosum lectorem remitto; quamvis non ignorem Acta illa a nonnemine revocari in dubium, præsertim ab auctore Historiæ Criticæ, *de fide et moribus nationum Orientalium*, in editione Francofurtensi anni MDCLXXXIV, pag. 134, dum asserit, *Aulam Romanam multum demiratam esse, quod Baronius tam facile Acta illa publicasset, sub nomine veri Patriarchæ Alexandrini et Ecclesiæ Copticæ.* Ita ejus verba sonant, ex Gallicis Latine reddita: nihilominus professionis illius particulam hic lubuit attexere, ut de tota re non inconsulte statuatur. Sic habet.

Scripsit hic ad Clementem VIII, addens professionem fidei aliquibus dubiam.

561 *Humilis Gabriel, Dei gratia famulus Sedis S. Marci, in urbe Alexandrina Ægyptia, et in omnibus aliis locis sibi conjunctis, Australibus, Maritimis, et Æthiopicis, nonagesimus septimus Patriarcharum, S. Marci Evangelistæ successor, salutem impertitur, atque osculum offert spirituale, Patri, Domino, Patrum Patri, Patriarcharum Principi, tertiodecimo Apostolorum, gloriosi Domini nostri Jesu Christi, et quinto* E *sanctorum Evangelistarum, S. Petri Apostoli successori, Petræ fidei, super ejus Cathedra in magna Roma sedenti ; cui data est a Deo potestas ligandi atque solvendi; cujus mentio fit in sacro Evangelio, cum dicit; Tibi, o Petre, dedi claves regni cælorum, quod ligaveris super terram, ligatum erit in cælis, et quod solveris super terram, solutum erit in cælis. Tu enim loco ejus constitutus et successor es super terram, Pater noster, et Dominus noster, atque corona capitis nostri, Dominus Papa Clemens octavus, Papa Romæ.*

Tituli Pontifici Romano adscripti,

562 Conservatur autem, teste Kirchero, similes litteræ, a diversis Patriarchis eorumque Vicariis Romam datæ, in quibus semper hisce titulis ornant Papam, ut sunt, *Papæ Magnifico; Patri Sacerdotii; Successori in Ecclesia universali Apostolica orthodoxa; Patri Patrum, et Principi Principum; Vicario Christi in terris, sedenti supra Sedem sancti Petri Principis Apostolorum*, Gregorio XIII. Sedit hic ab anno MDLXXII, ad annum MDLXXXV: cujus scribentis (forte Joannis) nomen si addidisset Kircherus, aliorumque similiter, quorum litteras haberi ait ; plus aliquid addidisset nudæ isti nominum Patriarchalium seriei. Quidni et inter illos agnovisset aliquos, non Jacobitarum Coptos, sed Melchitarum Patriarchas; eos scilicet quos series Coptorum non comprehendit. Talis sine dubio fuit Theophilus ille, cujus ad annum Christi MDXXIII, meminere Spondanus et Raynaldus; cujusque litteræ Græce scriptæ dicuntur, sermone, Coptis non minus odioso, quam inusitato.

etiam ab aliis Patriarchis Coptis, quos Kircherus non nominat.

563 Interim fruamur acceptis ab eo, et exordium præfatæ epistolæ consideretur, quod ita ex Arabico redditur (Arabice enim scripta est epistola, tamquam lingua hodie usitatiori per Ægyptum, ac notiori Romæ.) *Gratias agimus Deo altissimo, eumque sanctificamus et magnificamus in terris, quod Te constituit Christus Catholicæ fidei habenas tenentem, et sanctæ Catholicæ et Apostolicæ Romanæ Dei Ecclesiæ fundamenta servantem, misericordem et pium super universum populum Christianum, ac diligentem omnes in Christum credentes, instar Christi, qui Te successorem fecit in ejus Cathedram. Tu qui effectus es caput et maximus Patriarcharum, et magister et prædicator totius populi Dei, illos doctrinis tuis spiritualibus irrigas, eosque sermonibus tuis cibas salutaribus.* Incipit post pauca Gabriel professionem fidei suæ, quam totam describere superfluum censuit Kircherus, nec nobiseam lubet integram ex Baronio tradere : sufficiat articulus de Ecclesia, quo ita affirmat :

Aliæ Pontificum Romanorum prærogativæ ab illis agnitæ;

564 *Teneo et confiteor sanctam Apostolicam Sedem, et*

A *et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Romanum Pontificem successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ esse caput; et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere, et ipsi in B. Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam, a Domino nostro Jesu Christo, plenam potestatem traditam esse : cujus Ecclesiæ unitatem tanti faciendam esse affirmo, ut nullos, extra eamdem Ecclesiam Catholicam existentes, æternæ vitæ participes fieri posse confitear.*

unde apparet quid sentiant de Primatu cathedræ S. Petri.

pertinaces interim in suo schismate.

565 Digna sane Catholico Antistite professio, sed rebus potius probanda quam verbis, quæ sola hactenus a Coptis data videntur. Dum vero sic loquuntur et scribunt de Romana Ecclesia, scientes se ab illa per schisma separatos; quid aliud agunt, quam manifeste sibi contradicere, aut magnas agere nugas? Id saltem non obscure ostendunt; nempe, quo loco Romanum Pontificem habendum gens sua acceperit a majoribus, quorum communem de illo æstimationem nec schisma quidem potuerit abolere; quin saltem in multis tabulis et usu externo, remanerent formulæ, Romani Pontificis super omnes Primatus, indubitanter aliquando crediti, testes non
B prorsus contemnendæ : id quod ex Abulbaracato Vanslebii, et testimoniis ibidem adductis, alio loco demonstrabitur.

XCVIII. MARCUS V.

Creatus 1602, die 1 Septemb.

obiit 1617, 25 Januarii.

Dictus de *Beiiadt*, vel ut Bernatus, de *Baiadi*, *factus est Patriarcha*, ex eo quem sequimur Vanslebii calculo, *anno Martyrum* MCCCXIX, *die* XV *Thot*, quæ fuit stylo nostro veteri, XII Septembris in Dominica, sub cursu litteræ C, annus vero concidit cum nostro MDCII. *Obiit* Marcus XXX *Tubæ, anno* MCCCXXXIV *Martyrum*, Christi MDCXVII, XXV Januarii.

XCIX. JOANNES XV.

Ex *Melave*, vel *Melaviensis*, Bernato *Melavani*. De eo nihil præter nudum nomen ex omnibus Catalogis nobis innotescit.

MATTHÆUS III.

Misit professionem fidei

Fuit ex *Tuch*, *Toukhi*, puta *Tuchensis* patria : quem Vanslebius perperam Joannem appellavit, errore
C vix condonabili; utpote cum ipse Cairi existens, Coptorum tabulas facile consulere potuerit. Hæseram ego satis diu perplexus utrum Vanslebio, tamquam testi oculato, potiorem quam Kirchero fidem haberem? Et eo certe inclinandum videbatur, nisi aliter difficultas componeretur: ad quam complanandam nulla securior via apparebat, quam recursus ad ipsum fontem; Cairum intelligo, quo me P. Bernati sæpe jam citati humanitas ultro vocabat. Scribit is palpabilem esse Vanslebii lapsum, qui Joannem pro Matthæo posuerit. Hic porro Matthæus idem ipse esse debet, de quo ante Catalogum suum Kircherus narrat, litteras misisse ad Sanctissimum D. N. Urbanum VIII, *ejusdem tenoris*, cujus fuerant litteræ Gabrielis Patriarchæ XCVII, ad Clementem VIII destinatæ, ut nuperrime explicuimus.

ad Urbanum VIII.

CI. MARCUS VI.

Constitutus est 12 Aprilis 1645.

Bahgiurensis; Bernatus scribit de *Bajour*. *Ex monasterio S. Antonii, Patriarcha creatus anno Martyrum* MCCCLXII, *die* XVII *Barmudæ*, Christi MDCXLV, XII Aprilis die Dominica, sub cursu litteræ D, stylo veteri. Annum mortis indicare Vanslebius prætermisit.

D

CII. MATTHÆUS IV.

AUCTORE ... B. S

Creatus mense Nov. 1660

M*irensis, erat hic professus monasterii S. Mariæ in Baramus (quod est unum ex quatuor præcipius in deserto S. Macarii) Patriarchatum adeptus est anno Martyrum* MCCCLXXVII *mense Hathur*, anno nostro MDCLX mense Novembri. *Vivebat adhuc*, inquit Vanslebius, *cum Cairi existerem anno* MDCLXXIII, *qui erat annus Martyrum* MCCCLXXXIX. [an non MCCCXC? Atque hic desinit superadditum Abulbaracato a Vanslebio supplementum.

adhuc superstes 1673.

CIII. JOANNES XVI.

Chrismo consecravit 1703.

Ex *Toukhi*, ut ait Bernatus, Matthæi III, ni fallor, popularis. Hujus Patriarchæ, qui adhuc supererat MDCCVI, notitiam Bernato acceptam refero; et ejus decessori P. Bichot, singularem descriptionem Chrismatis ab eo Patriarcha confecti anno MDCCIII, magno sumptu et apparatu, qualem Ægyptus non viderat a ducentis et amplius annis. Erit alibi de Chrismate sermo; sed Bernatus majorem a me gratiam inivisset, si prædecessoris obitum et moderni E
creationem distinctius annotasset. Ceterum ex eo quem ad me misit Patriarcharum Catalogo, ex Coptorum Liturgia Cyrilliana descripto, licuit perspicere, supinam eorum negligentiam, in rebus suis ecclesiasticis memoriæ commendandis. Mitto quod ex præfato Catalogo ad oculum patescat, annis plusquam ducentis a vera Chronologica Patriarcharum serie Coptorum calculum deficere; sufficiat solam hujus seculi Chronologiam ob oculos ponere.

Ex Bernati Catalogo MS.

cum Vanslebio collato,

572 Jam statim ex Vanslebio diximus, Marcum V, anno MDCII creatum, obiisse MDCXVII. Marcum VI, constitutum anno MDCXLV, Porro Matthæum IV, MDCLX Patriarchatum adeptum, MDCLXXIII adhuc superstitem. Cum his concordari velim quæ mihi Bernatus transmisit in hunc modum. Marcus (quintum indicat) sedit annis XVI, Joannes qui sequitur annis IX, Matthæus Tuchensis annis XVI; Marcus Bajourensis XI, Matthæus IV, annis XIV; denique Joannes, qui etiamnum supervivit, annis XXX, et mensibus X. Noto imprimis, si vera est hæc annorum series, ab anno MDCII ad MDCCVI, Sedem debuisse vacare per annos ut minimum septem vel octo, quod verosimile non est. Noto præterea Marcum illum V, annis sedecim non sedisse. Quod si successor Joannes XV, Sedem tenuerit annis IX, obierit verosimillime anno MDCXXVI : addantur deinde anni XV Matthæi III, summum pertingetur ad annum MDCXLII vel MDCXLIII. Itaque vel fallit Vanslebius qui Matthæi III, successorem Marcum VI, constitutum ait MDCXLV, vel fingendæ sunt vacationes Sedis justo diuturniores, quarum nullum occurrit vestigium.

F

patet conciliari non posse

573 Adde jam Marco illi Bajourensi sive VI, annos Pontificatus a Bernato tribui non plus XI, qui ab anno MDCXLV eum non perducerent ultra annum MDCLXVI, cum interim diserte asserat Vanslebius, Matthæum IV, Marci successorem, Patriarchalem Cathedram primum consecutum anno MDCLX. Uter Scriptorum istorum erret, quemve hiatum hic comminisci oporteat, non temere judicavero. Uti nec qua ratione intelligendum, quod Matthæus jam dictus annis tantummodo XIV Ecclesiam Alexandrinam Copticam gubernarit, qui anni non nisi ad MDCLXXIV pertingerent; et tamen proximus ejus successor Joannes XVI, Patriarcha modernus, tantum numeraverit annos regiminis XXX et menses X, dum Bernatus ad me scriberet, videlicet XI Aprilis MDCCVI. Unde videtur consequi, vel in hoc tam recenti calculo hallucinari Coptos, vel Sedem biennio circiter

Chronologiam Patriarchalem seculi nostri 17,

A circiter vacasse, priusquam eam Joannes Patriarcha hodiernus conscenderet.

AUCTORE J. B. S. *propter supinam Copterum*

574 Nihil ultra Copticis hisce rationibus immoror, ob quas jam toties frustra mihi frontem perfricui. Conciliet illa et componat qui res Copticas propius intueri poterit, nobis nec operæ pretium videtur, nec otium suppetit. Quamquam sperari in vanum putem, ex Ægypto lucis aliquid, ubi rerum hujuscemodi neglectus est prope incredibilis. Nec prodest hominibus illis exprobrare socordiam, quibus illud in promptu est, victum cuique suum prius quæritandum. Pluscula invenies infra, ubi de ritibus et moribus Coptorum propriis. Hæc ad universam Patriarcharum, tum Catholicorum, tum schismaticorum seriem, ad nostra hæc tempora perducendam, abunde dicta sunto.

in hisce rebus negligentiam

ADDITAMENTUM

De Patriarchis, plerisque Latinis, ex magno Lexico Biblico Simonii, edito Lugduni MDCCIII.

B Additamentum voco, quod cum præmissa Patriarcharum serie nec connecti possit nec conciliari. Ceterum cum liber ille multorum manibus teratur, et in eo Catalogus Patriarcharum Alexandrinorum extensus legatur, non potui non verbo indicare etiam in manus meas nuperrime incidisse. Testatur illic Simonius se Patriarchas priores duos et quinquaginta ex Nicephoro desumpsisse, nescio ex qua editione ; nostra a Goaro adornata non nisi quinquaginta enumerat. Illud adverto apud Chronologos non satis usitatum, ut anni non ab Incarnatione sed a Passione Domini inchoentur. Quam vero a recta Chronologia passim Auctor ille deflectat, per te, Lector, judicare poteris, si Simonii laciniam cum nostro Tractatu conferas. Huc solum spectat præfatum additamentum de Patriarchis aliis a Simonio hinc inde corrasis, quos visum est hic adnectere nequid a me neglectum dicas De meo nihil additum volui, Auctoris ordinem et numeros servo, tametsi facile intelligam, aut exiguo aut nulli prorsus usui futuros. Itaque Patriarcha

LIII *S. Athanasius*, Claromontanus pro Latinis MCCXIX.

LIV *Joannes*, qui Concilio Constantinopolitano interfuit, excommunicatus, quia cum Latinis fœdus C inierat, MCCLXXXIV.

LV N. electus Patriarcha pro Latinis in Concilio Viennensi MCCCXI.

LVI *Joannes Arrogonius*, Patriarcha Latinus, anno MCCCXXX.

LVII *Guilielmus de Chenac*, Lemovicensis, Episcopus Parisiensis, electus Patriarcha pro Latinis, sedem tenuit usque ad mortem, quæ accidit MCCCXLVIII.

LVIII *Humbertus Viennensis*, Patriarcha Latinus, obiit MCCCLVI.

LIX *Arnaldus de Monte.*

LX *Seguinus*, Archiepiscopus Turonensis, Patriarcha Latinus.

LXI *Seguinus II*, etiam Archiepiscopus Turonensis, Patriarcha Latinus.

LXII *Petrus*, Archiepiscopus Bituricensis, Patriarcha Latinus.

LXIII *Niphon*, Patriarcha Græcus, cui Urbanus VIII *(vult dicere* Urbanus V) scripsit super unione Græcorum et Latinorum MCCCLXVII.

LXIV *Simon de Cremeaux*, Archiepiscopus Dux Rhemensis et Cardinalis, creatus Patriarcha pro Latinis anno MCCCCVII.

LXV *Silvester.*

LXVI *N.* D

LXVII *Cyrillus.*

LXVIII *Gabriel*, qui Legatos misit ad Papam Clementem VIII, seque submisit MDXCIV.

LXIX *Cyrillus*, anno MDCXVIII.

LXX *Cajetanus*, mortuus Casertæ in regno Neapolitano x Augutti MDCXLVII.

COROLLARIUM

De quibusdam Habassiæ Metropolitis, in Hagiologio laudatis.

Recensitis jam ex ordine Patriarchis omnibus, eo quo apud Coptos modo dinumerari solent ; reliquum esset, supplementi loco nonnullorum aliorum nomina subjicerentur, qui vel ab Hagiologo salutati, vel notati in Fastis vel alibi ab aliquibus scriptoribus citati sunt, tametsi a serie excludantur.

Omissis aliis Patriarcharum nominibus,

577 Hujusmodi esse possent Macarii plures, iis ornati encomiis, quæ duobus aliis, LIX et LXIX superius adscriptis, non conveniunt. Cyrillus item aliquis, et a magno Nestorii debellatore, et a Patriarcha LXXV, ut videtur diversus. Dein Theophanius, alius a Patriarcha LX, cum patre Salviro E *(Severo)* et Nicolao propinquo, ab Hagiologio multum laudatus ; licet ibi ex Ludolfi auctoritate putaverim, istud Elogium impio Theophanio adscribi posse. Est et Philotheus, nulla avaritiæ nota infamis, quemadmodum de LVIII Patriarcha cognomine, suo loco retulimus, unde nec cum eo crediderim confundendum.

quæ forte extra ordinem reperiuntur :

578 Mitto reliquos, Patriarchæ titulo cohonestatos, quibus tamen vacuus in Catalogo locus non relinquitur. Nec dicat quisquam, eos Melchitis annumerandos : nimis enim quam certum est, Melchitas omnes in fastis Jacobiticis esse prætermissos. Sed erit qui hujusmodi nomina apta putet, supplendis lacunis seu vacationibus, plurium quandoque annorum in decursu admissis. Opportune : verum cum id omnino gratis dicatur et pro arbitrio ; exemploque res careat, nec nisi ad interturbandam seriem prodesse possit ; maturiori id examine pensandum trutinandumque iis, quibus otium est, relinquimus.

non Melchitæ,

579 De Habessinis Metropolitis, in Hagiologium sæpe dictum relatis, operæ pretium est, lectori non injucundum, attexere, quæ hinc inde collecta sunt; quod ita de Jacobitis Æthiopibus, præter errores quos alibi attingemus, ea cognoscet, quæ ad Metropolitarum sanctitatem pertinent. Porro vastissimo in regno et numerosissima gente, solus Metropolita Episcopus est, isque Alexandrino Patriarchæ adhuc paret ; nec alios minores Episcopos sub se habet, uti Ludolfus plane docet pag. 444 num. 78, in Commentario Historiæ suæ Æthiopicæ. Abbunas autem vocant Habessini Metropolitas, hoc est *Patres suos* : quem venerationis titulum Copti etiam suis Patriarchis tribuunt, ut apud Elmacinum perpetuo legitur : et apud Vanslebium, in ultimis Patriarchis Amba scribitur, quod verosimiliter idem significat. Ordinem et annos istorum Præsulum ignoramus, quippe quorum Catalogus necdum in Europa visus fuit.

sed pauci Habassiæ Metropolitæ, seu Abbunæ, recensentur. F

580 Primus et præcipuus inter omnes est *ALBA SALAMA*, a S. Athanasio Metropolita constitutus, nobis S. Frumentius dictus. Hujus in Hagiologio aliquoties mentio fit, eique conversio Æthiopiæ merito tribuitur. Sic autem illi accinitur, II Musre, XXVI Julii : *Salutem voce lætitiæ dico Salamæ, quem tamquam portum misericordiæ et gratiæ magnifico et extollo : per ipsum enim splendor luminis Christi exortus est in Æthiopia, cum prius in ea tenebræ et caligo*

Abba Salama, alias S. Frumentius,

A *caligo fuissent.* Et die XXII Chiac, XVIII Decembris : *Salus sit tibi, Salama, qui jussus es manifestare doctrinam, eo usque occultam, ut oriretur instar Phosphori. Ob lumen tuum jucundum et ob pulcritudinem tuam suavem, usque in hunc diem lætatur et exultat Æthiopia.*

Æthiopiæ Apostolus, eo missus a S. Athanasio ;

Sanitius et Petrus,

581 Reliquos etiam, sine ordine et tempore, prout sese in Hagiologio nobis obtulerunt, recensebimus. *Sanitius et Petrus,* die II Hathuri, nobis XXIX Octobris, sic laudantur : *Salutem dico Beato Sanitio, et Petro quoque, magnitudinis ejus participi ; quos Pater* (cœlestis) *constituit Metropolitas, ut pascerent Ecclesiam, quam Christus sanguine suo acquisivit, sicut populus complacuit in illis, eosque elegit.* Alexandrinos Patriarchas vocaverat eos in Fastis suis Ludolfus, quia in Calcosendianis Seldeni, Petrus dictus erat Patriarcha, uti arabice dicto loco notatum. Quia igitur cum Sanitio conjunctus erat, et regimini Ecclesiæ a populo *præfecti* dicebantur, ideo Patriarchas eos fuisse crediderat, qui et ipsi sæpe Archiepiscopi vocantur. Verum, accuratius evoluto Patriarcharum Catalogo, in quo hi viri nuspiam conjuncti, nec successores nuncupantur, mutavit sententiam, eosque Metropolitas Æthiopiæ fuisse
B ad Papebrochium pridem scripsit ; cui sententiæ et ego libens subscribo ; eosque fortassis e primis, post Ecclesiam ab Athanasio ordinatam, fuisse arbitror.

(quos Ludolfus putaverat Patriarchas Alexandrinos)

Bartholomeus,

582 Alios invenio ; XI Chiac, hoc est, VII Decembris ABBUNA BARTHOLOMÆUM Metropolitam, ita salutatum : *Salutem dico tibi Bartholomæo, Patri nostro ; qui dignus fuisti ut jure merito Episcopus fieres. Ab omni infortunio, quod nobis imminet, virtus precum tuarum custodiat nos, haud aliter ac si quis pupillam occuli sui custodiat.*

Longinus Metropolita,

583 Item die II Amschiri, hoc est XXVII Januarii, reperio Longinum, specialem ipsius scriptoris Patronum, cujus tiara conspecta dæmonem fugavit : *Saluto die noctuque reliquias tuas, Pater mi Longine ! Miror magnitudinem quæ tibi concessa fuit ; nam tui ipse, præsens non fuisti, cum tiaram tuam videret satanas, et confusus plane aufugit.* De alio *Longino* Dominici lateris percussore, ita legitur XXIII Julii : *Salutem dico Longino, quem divina benevolentia monuit, ut susciperet Petri Doctoris doctrinam. Non imputavit ei ictum lanceæ in manu sua, neque enim mori volebat eum in peccatis ; propter misericordiam et patientiam*
C *ejus.* De alio nescio quo, Romanis adhuc ignoto, hæc habentur ad V Novembris : *Salutem Longino, qui coronatus fuit Romæ, et sepultus fuit in colle Hierosolymæ, cum filius ejus cum eo obdormivisset, sicuti narraverat feminæ in somnio. Cum fragrantia balsami caput ejus hodie visum fuit.*

alius a percussore lateris Christi Domini,

et tertio, Latinis ignoto :

584 Iterum die V Amschiri, hoc est XXX die Januarii, Abuledem Metropolitam habemus ab hæreticis lapidatum, cujus corpus mergi non potuit licet pedi lapidem alligassent. Eum sic Halgiologus invocat, citata die : *Salutem dico, Hippolyte* (Æthiopice Abuledis) *Pater noster, qui dignus fuisti ut appellereris Sacerdos, Doctor mundi ; cum cadaver tuum in mari nataret incolume, pudore et ludibrio affecti fuerunt ii tyranni, qui illud, cum lapide pedibus alligato, illuc projecerant.* Idem die VI ejusdem mensis, alia stropha sic insignitur : *Salutem dico emersioni corporis tui e mari, quamvis lapis gravis pedibus tuis alligatus fuisset. Hippolyte Doctor, generationum tuarum peritus ; afferas mihi benedictionem e monasterio Gerizan, sicuti navis materiam divitiarum et splendoris affert.* D

AUCTORE J. B. S.

Hippolytus in mari mersus

corpore postridie terræ reddito.

585 Præter hos reperitur etiam in Hagiologio quidam Gregorius, XIX Thot, seu XVI Septembris et sic appellatur... *Salutem Gregorio, Domini Martyri et Patriarchæ, qui tempore administrationis suæ ornavit monumenta Virginum, quæ simul mortem obierant. Hodie autem egressus ejus de barathro accidit, sicut noctu vidit soror Regis.* Non tamen hunc existimes accenseri posse Alexandrinis Patriarchis : habeo enim a Patris Kercheri manu initium Kalendarii cujusdam Coptici, latine redditum ; ubi ad hanc diem Gregorius iste vocatur *Patriarcha Armeniæ ;* estque omnino is uti ex Elogio jam recitato apparet, quem Latini colunt XXX Septembris ; in cujus Actis narratur Martyrium S. Ripsimes et Sociarum, pro servanda virginitate passarum ; et indicatur somnium, quo soror Regis Thiridati, hunc et proceres ejus, humanæ, quam amiserant, formæ restituendos intellexit, si Gregorius educeretur ex barathro, in quod velut in sepulcrum, detrusus fuerat. E

Colunt etiam Habessini S. Gregorium,

primum Armenorum Patriarcham,

586 Ipsi quidem Armeni Metropolitam suum solent insignire titulo Catholici, pro quo Coptitæ et Habessini usurpare malunt titulum Patriarchæ, ut sibi notiorem. Dignus autem est Gregorius, qui hoc loco, licet non suo, commemoretur ; quia celeberrimum ejus tota Ægypto et Æthiopia cultum probant utriusque gentis Fasti, in quibus refertur etiam ad diem XIX Chiac, hoc est XV Decembris, hoc modo: *Salutem Gregorio, qui cruciatum patienter tulit, in nocte frigus, et in die æstum, per quindecim annos, ex quo in foveam conjectus fuit. Salutem vetulæ, quæ illi optime ministravit, clam illi cibum projeciens.* Diem XXX Septembris et III Octobris Coptitæ tantum, non item Æthiopes habent, ut spatium in fastis vacuum ostendit. Hujus Gregorii vitam Æthiopice descriptam possidere se significat Ludolfus, ex qua quæ hic adjecta sunt et ad nos transmissa, summatim se descripsisse testatur. F

vel ut ipsi vocant, Catholicum.

APPENDIX

AD SERIEM PATRIARCHALEM

De Coptis Jacobitis, eorumque initiis, erroribus, moribus, institutis.

PRÆFATIO.

Jam a biennio et amplius, scriptæ et prælo paratæ erant, quas de rebus Copticis, in hanc Appendicem rejeci disquisitiones, ad præcedentis Tractatus intelligentiam et utiles et necessarias. Nihil opus est dilationis causas prætexere, dum Europa propemodum universa, et maxime hoc nostro in Belgio, perpetui bellorum motus, ita commercia intervertunt, ut de libris imprimendis cogitare nec tutum nec integrum videatur. Dum itaque sereniora tempora exactæ lucubrationes nostræ exspectant, en tibi ineunte hoc anno MDCCVII, litteræ pridem desideratissimæ ex Ægypto ad me deferuntur, IX Februarii MDCCVI Cairo datæ. De his pauca præfari oportuit, ut, quo consilio, qua occasione et modo quæsitæ et impetratæ fuerint, prius innotescat, quam ex iis aut mutationes aut additiones

A nes, ad jam absoluta, subjunctas, lector advertat.

Oblata nostrorum in Egypto Missionariorum opera usurus auctor,

2 Nimirum ad difficultatum fontem recurrendum statueram, si forte lucis inde aliquid erueretur, rebus incertis juxta atque obscuris quoquomodo enodandis opportunum, in tam mirabili Scriptorum, diversissima sentientium, ambiguitate et discrepantia. Commodum accidit ut R. P. Joannes Verzeau Gallus, e Societate nostra Missionarius, ex Oriente redux, Romæ commoraretur, tractandis, ut inaudieram, missionum istarum negotiis intentus. Erat cur alias ob causas ad virum in Urbem scriberem; sed occasione usus, una eum interrogavi, num quis de Societate in Ægypto degeret, rerum Copticarum adeo peritus, ut de dubiis et prope inextricabilibus gentis moribus, ad eum referri posset, cum non dubia spe solutionem obtinendi? Non poterat quisquam, postulatis quantumvis difficilibus, favere impensius: siquidem litteras ipsas meas continuo Cairum recta transmisit ad R. P. Bichot, tunc Missionis Superiorem. Nec mora, obtulit hic aliquot post mensibus, humanissime obsequia sua, promptamque operam ad eruderanda quæcumque, vel proprio ipsi studio liceret assequi, vel loci commoditate et beneficio, vel diuturniori experientia comperisset.

B

difficultates eis suas proponit anno 1704

3 Ego vero, tam officiosa urbanitate invitatus, collegi protinus quæ mihi tum magis videbantur implexa, et oculato testimonio securius dirimi posse arbitrabar, eaque in chartam conjecta, xxv Januarii MDCCIV in Ægyptum destinavi; interea tamen sic rebus meditatis incumbere pergens, acsi responsi nihil ex iis partibus exspectandum esset. Nec consilii pœnituit, dum paulo post Bichotum e vivis excessisse intellexi, atque una, ut ex eo casu ominabar, spem omnem ulteriorem præclusam. Forte fortuna, aliter et felicius evenit atque ego suspicatus fueram: nam dissertationibus meis dudum ad finem perductis, renuntiatum est, defuncto in officium successisse R. P. du Bernat, eumque rem meam ita cordi habere, ut adhibita omni industria, propediem subministraret, quæ ad elucidandas dubitationes meas ab ejus decessore fuerant postulata. Et fecit profecto non minus segniter quam spoponderat, ad quæsita prope singula appositas solutiones suggerendo, sic ut iis modo instructus, lectoribus harum rerum studiosis, ea quæ satisfaciant, a me suppeditatum iri confidam.

4 Atque ea est epistola bene longa, quam innue-

C bam Cairo missam; recte commentarium dixeris,

et ex recepto ad eas responso,

de rebus Copticis controversis, studiose et accurate elaboratum. Id certe testari debeo, nihil me legisse hactenus aut curiosius aut diligentius discussum. Habuit ille, quo ex litteris meis amplis et fusis ad explorandum duceretur; verum hoc ita præstitit, ut si ejus notitiæ ad manum tunc fuissent, cum de rebus hisce illustrandis primum cogitavi, dimidia facile laboris parte levari potuissem. In plerisque mecum convenit, non pauca clarius deducit et elucidat, dissentit in paucis, ut in loco candide et ingenue profitebor; idque ea fide et integritate, ut nec errata dissimulem, nec prætermittam quidquam, quod ad totius operis emendationem et perfectionem vel minimum conducet.

supplet quæ pridem cœptis deerant,

5 Nunc vero cum nec animus, nec aliis occupatissimo otium supersit, ad ea aut describenda denuo aut ex integro retexenda, quæ ante non indiligenter tractata existimo; lectorem hic monitum volui, me Bernati elucidationibus ita usurum, ut quæ commode rerum scriptarum contextui interseri posse judicavero, ea ibi adjuncturus sim, cetera sub finem paragraphorum ex ejus mente explicaturus. Mitto pluribus præloqui, et ut rem ipsam aggrediar, ab hac ipsa proxime sequenti de etymo Coptorum disputatione exordium ducam. Plane restituam quod D me non recte conjectasse Bernatus censuit, et ejus hac de re sententiam etiam ad calcem sic proponam, ut vix dubitem quin ceteris omnibus, tamquam verisimilior et probabilior sit præferenda. Utrum autem veritatem assecutus sit, tuum erit discernere.

§. *I. De etymo nominis Coptus vel Coptita.*

Apud Egyptios obscura omnia

Molestas nobis spinosasque disquisitiones suggerit gens Ægyptiaca, ut mysteriis olim suis occultisque sacris celebratissima, ita hodie, ob morum, linguæ, cultus, rituumque mirabilem diversitatem, a Scriptoribus nostratibus tam varie delineata, ut articulos singulos ad examen revocare necesse sit, si quid probabile et fabulis expurgatum reperire desideres; et hoc quidem inani sæpissime conatu, ut ex hac ipsa fortasse Dissertatione brevi apparebit. Gentis etymon hic proponimus, et diversimode passim exaratum, et tot modis explicatum; ut sit difficillimum verosimile quidpiam in medium proferre. *Gophtus* scribunt nonnulli, aliis præplacet *Cophthus*: *Cophtus* legitur frequentius: sed quidni nomen, et scriptu et pronuntiatu facilius, præferendum putemus; *Coptus* scilicet vel *Coptita*, ut fere hactenus a nobis expressum est? Quæritur modo, unde, quo casu, qua occasione, quo tempore Ægyptii omnes, vel eorum aliqui, ita primum fuerint appellati. E

etiam nomen;

quod Kircherus ab urbe Copto sumptum,

7 Dubium hoc omnium accuratissime excussisse videri potuit Athanasius Kircherus, in Prodomo Copto cap. 1; ubi refutata, tacito nomine, Josephi Scaligeri sententia, ex tomo de emendatione temporum pag. 705, omni quo potest conatu pertendit, non aliunde appellationis illius originem desumendam, quam ab urbe *Copto*, celebri olim, inquit, mercimoniis emporio, tametsi hodie vix ejus occurrant vestigia. Multa congerit vir alioquin eruditionis vastissimæ, de quibus dubitare possis, an satis exacte discussa sint, et ad justæ criseos normam ponderata. Inter cetera monet ibidem, ac nequaquam dissimulandum censet, errorem, in quem plurimi ex non infimis auctoribus inciderint, qui imperite passim *Coptos* et *Cophthos* confundant, cum tamen *Cophthus* nihil aliud fit quam a Mahumetanis confictum vocabulum, quo Christianos Ægyptios seu Monachos aliosque religiosæ vitæ sectatores, *Cophthos*, quasi dicas *Incisos*, appellare solent: *Quæ diligenter notanda sunt*, inquit, *nec enim* κόφθος *apud priscos auctores legisse me memini.* Vellem ego assignasset Kircherus, apud quos priscos ante medium ævum, *Coptos* se legisse meminerit. Certe sive κόφθος scribas sive *Cophtos*, nomen est ejusdem ætatis, et promiscue accipitur et confunditur cum *Coptos*; sic ut alterutrum, et sæpius utrumque simul, et disjunctive positum inveniatur.

in Cophthos a Saracenis detortum putat,

quasi incisos; F

cum tamen hi quoque tales sint,

8 Non placet mihi scrupulosa illa Kircheri observatio, nec video qua fronte Mahumetani Ægyptios per contemptum *Cophthos*, hoc est *Incisos* vel *Circumcisos* vocitent, cum et ipsi eadem labe infecti sint; nisi injuriosum quis dicat, si Christianus Judæo improperet, auritum eum esse aut bipedem. Scribebat eodem quo Kircherus tempore, Quaresmius Elucidationes suas Terræ-Sanctæ, editas MDCXXXIX; in quibus lib. I, cap. 49, ita habet: COPHTI; *qui et* ÆGYPTII, et CHRISTIANI PRÆCINCTURÆ, *vulgo appellantur, et præcipuæ in Ægypto habitant, Alexandrino subditi Patriarchæ, viri sunt maximæ abstinentiæ. Olim circumcidebantur omnes, ac ideo Cophti, id est Circumcisi, appellati sunt, et hunc usque in diem adhuc circumcisi dicuntur, etsi non omnes, ut ipsi asserunt.* Lima indigent quæ hic dicuntur. Ceterum nihil illic de κόφθος; *Cophtos* ipse scribit ut passim alii, et tamen a Circumcisione deductum

assentitur ei Quaresmius:

A

ductum affirmat. Verum hujusmodi minutias missas facio : aliquid probasset Kircherus, si ostendere potuisset, apud priscos auctores, si non κόφθος, saltem κόφτος, se legisse, eoque nomine Ægyptios omnes antiquitus fuisse insignitos ; quod nec præstitit, nec ei præstare promptum fuit, in veterum omnium silentio.

neuter veterem auctorem citat.

9 Unum est quod recte demonstrat Kircherus, et a nemine (ut puto) in dubium revocabitur ; nimirum, et urbem *Coptos* olim notam fuisse, et ejus incolas *Coptos* vel *Coptitas*, et Nomum unam seu Præfecturam Ægyptiacam, ab eadem urbe *Coptitem* dictam. Quod autem inde legitime concludi putat, priscis temporibus Ægyptios omnes *Coptos* vel *Coptitas* vocatos, illud mihi tam videtur improbabile, quam quod *Cophthorum* vel *Cophtorum* cognomentum per contumeliam a Mahumetanis ei genti exprobretur. Fateor, me nec Arabicæ nec Copticæ linguæ elementa nosse. Ceterum, cum Scriptorem nullum invenerim Kirchero vetustiorem, qui talem posuerit nominum istorum disparitatem, et quidem Cophthorum vocabulum a Mahumetanis confictum dixerit, quasi qui ita Christianos Ægyptios con-

Nec Arabes Circumsistonem probrosam credunt,

B

temptim vocitent ; tam diu dubitare licebit, donec linguarum istarum peritus, lucis aliquid affuderit. Equidem non capio, quomodo Chronicon Orientale suos passim *Cophtitas* nominaret, si hujusmodi titulus eis adeo foret propudiosus. Præterea, quid si in dubium revocetur, an satis recte omnes Ægyptii Christiani Jacobitæ, seculo fortasse VIII aut IX, *Cophtitæ* dicantur ; ubi verosimile est, non ante seculum XII, sub Patriarchis Macario et Joanne Abulmagedo, Circumcisionem in eorum Ecclesiam promiscue inductam, saltem commendatam ; quæ si ante in usu fuerit, non nisi a privatis quibusdam pro mero libitu sit assumpta.

nec constat Egyptios Patriarchas ante sec. 12 eam prascripsisse aut commendasse.

10 Jam vero priusquam, de re plusquam ambigua, opinionem, vel potius conjecturam nostram proferamus, variæ variorum sententiæ, de vocis *Coptus* vel *Cophtus* origine, paucis exponendæ sunt. Ut autem ea mittamus quæ de Ægyptiorum antiquitate insulse nugantur, qui eos ipsa mundi creatione multis seculis priores faciunt (quod videre licet apud Morerium verbo Præadamitæ col. 2, circa medium ;) vetus Scheda, inquit Cangius, continens seriem Regum Ægypti, edita a Drusio post Historiam Severi Sulpitii, ita habet : *Secundus* (Ægyp-

Alii Regem Cabtim fingunt, alii Chibth, unde Copti;

C

tiorum Rex) *Cabtim, unde denominati sunt Copti.* Credite posteri. Joannes Leo, in eximio opere de Africa apud Scaligerum, sic habet : *Ita etiam Arabes vocant totam Regionem Mesre, habitatores autem ipsos Elchibth. Aiunt Chibth primum fuisse, qui ibi primus et imperavit et ædificia construxit, quod etiam ipsi indigenæ non alio nomine appellant : nulli vero Ægyptii supersunt ibi, præter illos Christianos, qui nunc ibi sunt, reliqui omnes ad Mahumedismum defecerunt.* Non video quam affinitatem magis tribuere possis *Chibth* quam *Coptim*, puto autem, *El* ante *Chibth* non esse nisi articulum Arabicum.

11 Nugas agimus, sed inaniores subjicit Vanslebius, in præfatione Historiæ suæ Alexandrinæ, ubi Ægyptios nuncupatos scribit a *Copt*, filio Misraim et Nepote Noemi (rectius, opinor, diceret, Misraim fuisse filium *Chus*, nepotem Chami, filii Noe.) Hic *Copt*, trium aliorum fratrum victor, et in Regem agnitus, toti regioni nomen dederit, imo et populo. Nullus me hercule, vel sexcenties frontem perfricando, feliciorem invenerit et simul antiquiorem Coptorum nomenclaturam.

alii Copt nepopotem Noe.

12 Non adeo a veritate alienum est, quod scribit Josephus Scaliger, loco nuper indicato, ita loquens: *De Ægyptiis Christianis, qui hodie* Kupti *dicuntur, alibi satis a nobis actum* (vellem addidisset, ubi et

Scaliger truncatum censet a Græco Ægyptus,

D

quando.) *Putavimus aliquando nomen* Kupti *aut* Kopti *ab urbe* Copto *deductum, sed perperam ; nam decurtatum est ex ultima parte vocis* ΑΙΓΥΠΤΟΣ. Gupti *igitur pro* Ægyptiis *dicti. Æthiopes vero eos vocant* Giptu *aut* Gibetu. *Mahumedani Ægyptii vocant Christianos ipsos populares suos* Elchibth, *quod nihil est aliud quam* Elcupti : *nam alioqui etiam hodie tota Ægyptus vocatur, ab ipsis Arabibus* Metzer, *ut olim.* Hæc Scaliger.

AUCTORE J. B. S.

13 Cujus derivatio, utut non improbabilis prima fronte videri possit, suis non caret incommodis. Hoc primum occurrit : quod eo pacto Græca appellatio Ægypti, antiquior dicenda esset, quam ipsa vernacula Ægyptiorum, quod non putem admittendum. Ecquid præstaret opinari, priscis illis seculis Ægyptios *Guptos*, *Kuptos* vel *Koptos* dictos fuisse, unde Græci suam *Ægyptum* formaverint, fortasse ab Αἶα pro γαῖα *terra*, quasi dicerent, terram *Guptorum* vel *Gyptiorum*. Verum, quamvis id genus conjecturæ fundamento non careant ; non ausim circa Ægyptiorum originem ab antiquis Geographis recedere, apud quos etymologiam hujusmodi non invenies ; nostra autem investigatio circa *Coptos* vel *Cophtos*, eosque Christianos Ægyptios, et qui-

quidni Græci ea fecerint terra Copti?

Nunc soli sic vocantur Jacobitæ.

E

dem Jacobitas versatur, quos solos certum est hodie ita appellari ; quod Scaliger aut non advertit, aut de industria reticuit. Illud igitur hic observandum præcipue, ne quis Ægyptiis omnibus commune putet *Coptorum* seu *Cophtorum* nomen, quod apertissime liquet solis Jacobitis esse tribuendum, qui soli ad mediam Ægyptiorum partem non pertingent. Sed Morinum etiam audiamus.

14 Hic tomo de sacris Ecclesiæ Ordinationibus, in præfatione ad ritum Ordinationum Cophticarum, scribit in hunc modum : *Novit eruditus Lector, Coptos seu Cophtitas vulgo dici Christianos Ægyptios. Nescio quo fato Ægyptii dicti sunt Copti. Coptus equidem est urbs non incelebris in superiore Ægypto, cujus mentionem faciunt Strabo, lib.* 17 ; *Plinius lib.* 6, *cap.* 24 ; *Ptolomæus, in Geographia sua, et Plutarchus sæpe, in tractatu de Iside et Osiride. Multæ enim sunt Ægypti urbes, ista et celebriores et populosiores, a quibus Ægyptios nomen trahere æquum erat* (hic tacite Morinus Kircherum redarguere videtur.) *Vocat Strabo* Coptum *communem Ægyptiorum et Arabum urbem ; affirmatque, omnes Indicas et Arabicas merces, atque etiam Æthiopicas, quæ Arabico sinu devehuntur, Coptum deferri.*

Morinus Coptum urbem præfert,

commune Arabibus et Ægyptiis olim emporium?

F

15 *Probabile est, Arabes, Coptum urbem frequentare solitos, postquam Mahometis deliramenta amplexi sunt, Christianos illius regionis Coptos seu Coptitas appellasse, eo quod ii, cum quibus commercia exercebant, Coptitæ dicerentur. His accedit quod Arabes, Meccani et Medinenses, a quibus religio exorta est, urbi Copto vicini sint, intercedente tantum freto Arabico. Huic etiam conjecturæ favet Georgius Elmacinus, in Historia Saracenica non longe a principio, qui scribit, Mahumedem suis præcepisse, ut bene facerent Coptitis Ægypti, Christianos intelligens.* Ita prorsus : nam ibi Elmacinus in laudes Mahumedis excurrit, quod erga Christianos bene afficeretur. *Benefacite,* inquit, pag. 13, *Cophtitis Ægypti, sunt enim vobis genere et affinitate juncti.* Ad urbis Coptanæ incolas, ejusque vicinos, ea restringi videntur : sed cur Cophtitas potius, dixit quam Captitas ? an prolepsi usum dicemus ? Latet aliquid. Iterum repeto, Cophtitæ Ægypti, non alii sunt quam Jacobitæ. Cur igitur in toto Historiæ Saracenicæ decursu nusquam amplius *Cophtitæ* nominantur ; sed *Ægyptii Christiani Jacobitæ*, ut contradistincti ab *Orthodoxis* seu *Melchitis?*

favere videtur Elmacinus,

16 Addit deinde idem Morinus, probabilius esse, Cophtitas dictos Ægyptios *per Aphæresim prioris Syllabæ*

et titulus Historiæ Cophtitarum

AUCTORE J. B. S.

A *syllabæ, quasi* Gyptios : *Elmacin enim eo loco* Coptos *scribit per* Gain *litteram Arabicam, deinde per* Be *denique, per* Ca, *Gobt. Similiter Chronicon Orientale seu Alexandrinum inscribitur* Historia Patriarcharum Cophtitarum, *hoc est Ægyptiorum : et textus prima verba sunt;* Incipimus ope Dei scribere nomina Patriarcharum Cophtitarum Ægypti. *Et in Theodosio Patriarcha* Clausæ sunt Ecclesiæ Caphtitarum. *In Patriarcha, Abulmagedo :* Confessionem ab Ecclesia Cophtitarum abrogavit. *Et in Macario,* filii Cophtitarum prius baptizabantur, *hoc est Ægyptiorum Christianorum; nam alias semper Christianos Ægypti vocat Jacobitas. Arabes igitur Ægyptios Christianos vocant* Gobth, Gophtos. *Ægyptus autem Arabibus et Hebræis dicitur Metzer. Ideo non male ab iis vocantur* Gophtitæ Ægypti, *hoc enim apud eos sonat* Gobt Metzer. *Favet huic conjecturæ Talmud Babylonicum in tractatu Megilla fol.* 18, *p.* 1. *vocat enim Ægyptios* Gyptios etc. Hæc Morinus ex intimis Arabicæ linguæ scriniis ; similia iis quæ superius adduxerat Scaliger, sed eo vitio laborantia, quod nomen, ad unam tantummodo sectam probabiliter restringendum, velint toti genti commune ; imo tale, ut, si vera sit hujusmodi etymologia, æque antiquum censeri B debeat Coptorum vocabulum, quam sit aut fuerit gens ipsa Ægyptiaca.

Tandem etymon quærentium nemo satisfecit,

17 Idcirco sudabis multum, nihil efficies : si ab antiquissima Ægyptiorum appellatione (de qua Pinedus in Stephanum, Ortelius, aliique Geographi miranda comminiscuntur,) si, inquam, ab ea denominatione, *Coptitarum* etymon derivare volueris, tot in scopulos incides, ut nulla ad evadendum via sit superfutura. Fabulas ego cum historica veritate conciliare necdum didici. Itaque ut quid hac in re, perplexa admodum atque obscura, existimem, vel potius dubitem, candide proponam ; puto nullam ex allatis opinionibus difficultati satisfacere. Etenim (nisi vehementer fallar) *Coptorum, Coptitarum* vel *Cophtitarum* appellatio in Ægypto, Saracenorum vel Arabum in eam ingressu non est antiquior : nec verebor suspicari, doctissimos illos Antiquarios frustra laborasse, ut vel a priscis Regibus *Cabtim* et *Copt,* vel a *Kupti, Kopti, Chibth* vel ab ΑΙΓΥΠΤΟΣ eam repetitum irent. Scio equidem *Coptitas* ipsos nobilitatem suam ex eo vetustatis fumo accersere; communi hominum vitio, etiam ex incertissimis traditiuncularum ruderibus, modo antiquitatem sapiant gloriam mutuare conantium. Sed cur id a concepta C opinione nullatenus me retardet, fundamentum suppeditant scriptores iidem ipsi, quorum sententias rejiciendas arbitramur.

utut sua antiquitate glorientur Copti;

nec ante Saracenos Ægyptum ingressos,

nec forte ante seculum X *aut* XI *sic nominati,*

18 Quid enim obsecro adeo remota scrutari opus est, ad prima secula recurrendo? dum nec auctor unus profertur qui ante seculum X aut XI (nam Elmacini prolepsis nobis obesse non potest,) qui, inquam, ante ea tempora, Ægyptios eosque solos Jacobitas, *Coptitas* aut *Cophtitas* nuncupaverit ; tantum abest, ut Ægyptios omnes generali appellatione antiquitus ita nominatos hactenus quisquam demonstrare potuerit. Certe quod Kircherius evincit, urbis Coptanæ incolas, *Coptitas* dictos ab antiquis ; ut hoc ipsi ultro concedamus ; numquam inde consequens ostenderit, Ægyptios universos sic ab ullo vetusto scriptore fuisse vocitatos : estque profecto ipsius hac in re silentium, validissimum contra ipsummet argumentum. Quid quod Ecclesiasticæ aut profanæ historiæ, nusquam *Coptitarum* seu *Cophtitarum* meminerint, totis ferme decem primis seculis ; magno iterum indicio, istiusmodi appellationem recentiorem et paucis forte Saracenis vel Græcis notam fuisse, a quibus deinde ad aliarum gentium notitiam pervenerit.

19 Porro supposita tantisper ea veritate, quod totis octo aut decem primis seculis et forte amplius, D *Cophtorum* et *Cophtitarum* et *Coptitarum* nomen reliquo orbi ignotum fuerit ; restat determinandum, qua demum occasione gliscere et invalescere cœperit. In hunc finem, inculcandum denuo quod supra repetii, nimirum *Coptos* nostros sive *Cophtos* perperam cum Ægyptiis generali appellatione confundi, ubi in confesso esse debet, solos et unicos Jacobitas ita a Saracenis fuisse cognominatos, quemadmodum auctores a me superius citati, sui quasi immemores, identidem indicant, eos cum ab Ægyptiis Mahumatanis, tum ab Ægyptiis Melchitis, et aliarum, si quæ sunt, sectarum asseclis, discernentes.

quando cœperunt Jacobitæ, et quidem soli, sic vocitari,

20 Omnium instar est Chronicon Orientale, diserte notans se scribere *nomina Patriarcharum Cophtitarum,* ex quorum proinde serie Melchitas omnino excludit. Ubi clausas narrat *Ecclesias Cophtitarum,* expresse etiam solos Jacobitas intelligit, perpetuum in Melchitas odium non semel manifestans. Hos vero, et non exiguos numero, et alteri a Cophtitis Patriarchæ subjectos esse ex supra dictis abunde constat. Illos autem (de Melchitis loquimur) perseverare in Ægypto, notius puto quam ut in controversiam venire possit. Scribit quidem Harduinus, pulsos omnino ex Ægypto Melchitas, ut hi olim ex insula E Cypro Coptos omnes pepulere : sed id mihi hactenus persuasum non est. Puto enim ex præmisso Tractatu abunde evinci, ab ipso Dioscoritani schismatis exordio ad hæc usque tempora, Melchitas in Ægypto mansisse, ut ex ereptis ultro citroque et restitutis templis aperte liquet pag. 66, 71, 80, 86, 88 et aliis, ex quibus continua Melchitarum commoratio in Ægypto, in omnium oculos incurrit. Et habent Melchitæ illi Patriarcham suum, et quidem Alexandrinum, ut vocitant, quo Georgii Dousæ fabellam exsibiles, termere comminiscentis, legationem Gabrielis Patriarchæ Coptitarum ad Clementem VIII, de qua superius egimus, Jesuitarum inventum esse. Erravit nemper vir bonus, ex eo quod geminos Patriarchas Alexandrinos nesciverit, Gabrielem Coptorum, et Melchitarum Meletium. Vide sis Allatium libro 3 cap. 8. De perpetua consensione. Nos ad propositum redeamus.

teste Historia Patriarchali eos distinguente a Melchitis,

21 His ita stabilitis, reliquum esset ut obvia et naturali derivatione ita nomenclaturam putaremus explicandam, ut a *Jacobita,* per aphæresim vel apocopen, arabicum *Copta,* vel *Cophtita* processisse diceretur, sic ut *Jacobita* Ægyptius, et *Coptus, Coptita, Cophtus, Cophtita* synonyma essent, idemque prorsus et convertibiliter significarent, uti omnino F significant. Hic mihi et Arabica et Ægyptiaca lingua opus esset ad etymologiam illam enodandam, quibus adminiculis cum plane destituar, non est quod ex arbitrio meo decernere tuto possim ; quamquam a qua demum alia radice nomen illud *Coptitarum* et *Cophtitarum* concretum sit, non satis intelligam.

ut pro Jacobita dictum possit videri Copta,

22 Malo tamen ex aliorum judicio litem dirimere, quam acquiescere propriæ conjecturæ : quæ ex eo etiam suam patitur difficultatem, quod si nomen *Coptus,* a *Jacobita* sit diminutum ; jam Arabice Jacobitæ omnes, toto Oriente dispersi, imo etiam Habessini, Coptitæ essent denominandi. Hoc video objici posse ; sed ex eo facile solvi, quod levi de causa Christianis Ægypti Jacobitis id vocabulum adhærere potuerit, quæ ad ceteros non extenderetur ; quis nescit Calvinistas Gallos, *Hugonottos ;* Belgas ; *Geusios* dici, privata nomenclatura, quam frustra quis omnibus communem prætenderet. At, inquam, ex aliorum sententia res componenda est.

sed in solo Ægypto:

23 Consulueram Ludolfum, linguarum orientalium peritum, quid de ea vocum *Coptæ* et *Jacobitæ* affinitate

in qua licet urbs Coptus sit;

A nitate censeret? verum hic XXX Novembris MDCCII videri sibi respondit, demonstrari ex historia posse, Christianos Ægyptios in urbe Copto diutissime vixisse, atque inde factum, ut Christiani, *Copti* vel *Coptæ*, speciatim vocati fuerint. Addo ego speciatim ita *Jacobitas* vocari potuisse, quod ii Saracenis, occasione commerciorum, familiarius uterentur. Pro eadem derivatione stat etiam auctor Historiæ Criticæ de fide et moribus Orientalium cap. 10, ubi *Cophtos* vel *Coptos* putat ab urbe *Copto* appellationem accepisse. Eo itaque res redibit, ut prima Morini sententia recte explicata, pro verisimiliori habenda sit. Horum ego trium virorum eruditissimorum opinioni tantisper subscribo, dum nihil probabilius occurrit quod propositæ quæstioni solvendæ adhibeatur.

Religionis tamen potius quam Gentis nomen erit;

24 Subscribo, inquam, tametsi invitus, quamdiu mihi persuasum erit, non solos *Coptos* aut *Coptitas* superesse in Ægypto, qui fidem Christianam qualemcumque profiteantur. Satis ostendi, et in id propendere me, ut Coptitarum vocabulum, non gentile sed religionis dicatur, eo fere modo quo Mahumetani aliique sectarii appellationem sortiuntur. Verum tanti non erit mea fortasse unius opinatio, ut B contra torrentem obnitar: nec adversariis aliis amicum adjungere lubet, virum etiam eruditissimum, P. Joannem Harduinum, qui super rebus Ægyptiacis a me consultus, respondit; hac parte se plane mihi repugnare. Ejus verba recitare non pigebit ex litteris ad me datis Parisiis, Kal. Februarii MDCCIV.

donec major antiquitas, asserta ab Harduino,

25 Kebth, *et* Kibth, *et* Al-kibth, inquit, *Ægyptum Arabes appellant. Ægyptium hominem,* Kabthi, Kibthi *et* Kobthi, *unde Coptorum appellatio est. Eo nomine designantur Ægyptii, ex veteribus Ægyptiis prognati, ac non ex Arabibus Mahometanis, quibus ea nunc subjecta ditio est. Atque hi quidem Ægyptii, ex indigenis prognati, omnes Christiani sunt, et se* Coptos *ipsi appellant, sive diminuta voce ex Græca* Αἴγυπτος, *sive ab urbe superioris Thebaidos Copto, quæ et ipsa hodie ab Arabibus* Kibth *nuncupatur, æque ac tota regio. Natos in Ægypto Arabes et Mahometanos ac Judæos, Misri ac Misraim appellant; Coptorum appellatione solis attributa iis, qui orti sunt ex indigenis, et sunt iidem Christiani.* Auctoritati cedo, quamquam si hæc vera sunt, non minus conveniant Christianis primorum sex Ecclesiæ seculorum; quam iis qui hodie in Ægypto nascuntur, eo autem tempore sic C nuncupatos, hactenus mihi demonstrari desidero.

certius probetur

Ulterior ex P. Bernati litteris Elucidatio.

Solos Jacobitas, Coptos dici,

Nimis quam sæpe inculcatum inveneris, quod mihi alte animo insedisse advertis, habita videlicet solius verisimilitudinis ratione, esse prope incredibile, nullos hodie Ægyptios veros et proprie dictos reperiri, præter solos Coptos Christianos Jacobitas. Movebar ad ita sentiendum, quod paradoxum videretur, exorto Dioscoritano schismate, et ferventibus subinde magis ac magis Orthodoxorum et Schismaticorum dissidiis, neminem ex Ægyptiis indigenis pro Concilio Chalcedonensi, contra Eutychianos, deinde Jacobitas dictos stetisse, sed omnes quasi signo dato certasse pro Dioscoro ejusque asseclis; Græcos vero contra, tametsi et Imperatores aliqui Eutychianis aperte faverint, uti in Tractatu dictum est, et sequenti paragrapho amplius patebit.

nec gentis sed sectæ nomen esse,

27 Non deerunt, opinor, qui id mecum moraliter adynaton existiment. Si vero semel supposueris, partem Ægyptiorum non minimam, ut passim et plerumque in hujusmodi religionis scissuris accidere solet; si, inquam, statuas, magnam Ægyptiorum partem, Catholici dogmatis tenacem, hæreticis illis D tumultuantibus constanter fuisse oppositam; adeoque et veros Ægyptios, præter Græcos, Melchitis seu regiis adhæsisse; qua, quæso, veri specie credibile facies, nullos hodie in Ægypto indigenas veros perseverare, quos anti-Eutychianos seu anti-Jacobitas, sive, quod eodem recidit, Melchitas Ægyptios dixeris?

AUCTORE J. B. S.

licet incredibile videatur;

28 Hinc ego confici aiebam, Coptorum nomen non vere gentile, sed religionis seu sectæ appellationem esse oportere. Addebam porro, ex ipsis genuinis Ægyptiis plurimos fortasse ad Saracenos accessisse, alios erroribus aliis irretitos, quibus *Copti* nomen nequaquam tribueretur; et sic iterum putabam consectarium, majorem Ægyptiorum indigenarum partem Coptorum dogmata non sectari, atque idcirco et veros esse Ægyptios, etiam Coptorum nomine destitutos: ex quibus id demum fluebat, aliud Ægyptium esse, aliud Coptum appellari, quemadmodum plus nimio differunt, *Hugonottus* et *Gallus*, *Geusius* et *Belga*, *Protestans* et *Germanus*.

persistit tenere Bernatus;

29 Ad hæc Bernatus, postquam aperte fassus est, rationes meas sibi primum visas esse longe verosimillimas, respondet tamen, receptissimæ hominum opinioni, ex cujus arbitratu pendent, et rerum, E et gentium nomina, officere argumenta mea nullatenus posse. Sibi persuasum esse, et quotidiana experientia compertum, nullum omnino verum Ægyptium dici, qui Coptus non sit, nec quemquam eorum græcanicos ritus secutum, sed pulsis olim Græcis seu Melchitis omnibus, Ægyptios universos in Jacobitico schismate perstitisse. Verbo; quicumque Copti non sunt, eos in Ægypto censeri extraneos. Irrito, inquit, conatu Reverentia vestra contendit, Ægyptios multos ad Mahumetem defecisse. Utique verissimum est defecisse innumeros, et mirum est in tam supina ignorantia non plures transire quotidie. Nihilominus ruit consectarium. Nam qui ex Coptis progeniti ad Mahumetanos deficiunt, ii adhuc Copti, non quidem simpliciter, sed Copti apostatæ (vulgo *Renegati*) vocantur, ut nos apostatas Francos nuncupamus, qui pseudoprophetæ sacris fœde initiantur.

quia Copti Renegatos dicunt Ægyptios, qui ad Mahometum deficiunt,

cujuscumque sectæ fuerint.

30 Ne pluribus tædium pariam, paucis complectar omnia. Ita passim in Oriente longissimo usu invaluit, ut gentium nomina cum sectæ appellatione confundantur. Quo pacto Francus, Græcus, Armenus, Syrus, Coptus, Turca, et nationem et religio- F nem una eademque voce important. Ne autem per *Francum* Gallum intelligas, memineris nomen esse Christianis Latinis omnibus commune, ab antiquis belli sacri expeditionibus, nobis Europæis relictum. Frustra usum impugnaveris; quem penes arbitrium est et jus et norma loquendi. Sit igitur ex Orientalium beneplacito, Coptorum nomen Gentile, et Christianum Ægyptium indigenam significet, Jacobitarum schismate et erroribus infectum, et ita quidem iis proprium, ut nulli alteri quantumvis Ægyptio adaptari possit. At enim ex his necdum dirimitur, de vocis etymo controversia. Eo sensim accedimus, sed hæc prius ex Bernati judicio censui retractanda, ut in præfatiuncula facturum me pollicitus sum.

Admittit autem,

31 Jam vero ut de communi acceptione, Bernati testimonium ultro admisimus, ita ille in eo nobis consentit planissime, quo ante diximus Ægyptios eo titulo nequaquam insignitos fuisse, antequam Saraceni Ægypto potirentur. Quin etiam mecum censet, nomenclationem illam, altero fortasse et pluribus seculis, Mahumetanorum ingressu esse posteriorem; uti ex antiquorum Scriptorum silentio, non semel dixi et porro dicam, adversus Kircherum aliosque, nisi vehementer fallor, demonstrari posse. An igitur

a

AUCTORE J. B. S.

Saracenis gratam

A a Saracenis confictum censet vocabulum an ab Arabica, Ægyptia aut Hebraica lingua profectum? Minime vero : sed quod illi ab infidelibus, nomen Ægyptiis Jacobitis credebant impositum, ob assumptam Circumcisionem, id probabilius autumat Bernatus a Græcis seu Melchitis in eos detortum, quod tam exosum morem ab ingratis hospitibus turpiter didicissent. Placuit haud dubie Saracenis amica agnominatio, quapropter et ipsi postea eo cognomento usi, effecere ut toto subinde Oriente inclaruerit, jamque per orbem universum, non alio quam Coptorum nomine Ægyptii indigitentur.

Melchitis exosam Circumcisionem,

32 Sentit itaque, vocabuli radicem et originem a sola lingua Græca repetendam, ducendamque a verbo κόπτω, quod *cædere*, *incidere*, *scindere*, *secare*, et aliis significationibus Latine redditur. Sic ut proinde Κοπτος, non aliud sonet quam *circumcisum*, vel melius, *incisum*, ut Coptis et Habessinis tantummodo convenire, ostendit Jobus Ludolfus in Æthiopicis : de quibus vide § nostrum VI. At ne putes id solo Bernati judicio definitum, diserte asserit se Melchitarum doctissimos et Græce peritos consuluisse, qui omnes uno ore affirmaverint, non aliunde B id nominis Ægyptiis Jacobitis adhæsisse, quam quod a Melchitis majoribus suis, id ipsis per ludibrium et contemptum impactum fuerit, postquam infamem a Saracenis notam fuissent mutuati. Dicam candide, arridere mihi præ reliquis eam Coptici nominis genesim, nam cum § VII hujusce Appendicis, multis pridem evicisse me credam, Circumcisionis ritum, ex Arabia in Ægyptum inductum, et ante invasionem Saracenorum, Christianis illis fuisse incognitum ; placet, inquam, et a Circumcisione vel incisione, Coptorum etymon, et a Coptorum nuncupatione, Copticæ Circumcisionis ætatem colligere.

influere potuisse in usum nominis

33 Erit fortasse qui lustratis Græcorum Lexicis, neget in eo significatu vocem Κόπτος apud antiquos reperiri, quique proinde tricis grammaticalibus rem putet implicandam. Responsum is habeat ex receptis verbalium regulis, non inepte a tertia persona præteriti perfecti passivi κέκοπται, efformari Κόπτος, ut exemplis pluribus manifestum inveniet. Id porro sciat, medii ævi sermonem ad priscas regulas nullatenus exigendum. Mihi certe ceteris jam relatis præferenda videtur brevior hæc, clarior, et ex re nata deducta Coptorum etymologia. Ad quam etiam facile nominum variationes reduxeris, sive Coptos scribas, seu forte melius Cophthos Κόφθος quod pro C sua auctoritate Græci recentiores ab aoristo primo indicativi passivi effingere potuerint. Equidem eo sensu recte intelligi video, quod ex Quaresmio supra referebam, Ægyptios, *Coptos* dici cœpisse, ex quo Circumcisionem adhibuerunt.

tamquam a Κοπτω, incido ducti

34 Hic tandem existimo gradum non temere figi posse; nisi quis, studio qualicumque nostro excitatus, aliud in medium afferat, aut certius aut saltem probabilius. Nihil reperit Bernatus quod huic Coptorum nominis derivationi merito opponi possit. Non diffitebor, inquit, legisse me apud Eutychium Alexandrinum, sæpe a nobis alibi citatum, et tamquam scriptorem sublestæ fidei refutatum, Ægyptios Jacobitas, Coptos appellari, in ea, quam cum Saracenis inivere de Cairo dedenda conventione, ex quo sequeretur, jam tum Coptitas aut Coptos fuisse nuncupatos. At hæc nullo modo me feriunt, qui Eutychii auctoritate parum moveor, et aliunde plus satis noverim, apud Historicos usitatissimum, prolepsibus aut anticipationibus uti. Et ne ad alia digrediamur, luculentum exemplum exhibet, ipsa quam toto superiori Tractatu discussimus Patriarcharum Alexandrinorum Historia, cujus hoc est initium : *Incipimus ope Dei scribere nomina Patriarcharum Cophtitarum Ægypti, Sedis urbis Alexandriæ* etc. Unde quis eodem argu- D mento ipsum Ægyptiorum Apostolum, Evangelistam Marcum Cophtis annumerandum statueret. Quod ex Elmacino superius retuli, aut ad solos urbis Coptanæ habitatores referri debet, aut simili anticipatione dictum, intelligi. Nihil hæc moror, nec plura de Coptorum etymo disputare lubet, id operæ ad Coptorum notitiam attulisse contentus, quo Lectoribus, nomen toties in nostra Chronologia repetitum, non plane ignotum relinquatur.

quod ex Patriarchali historia confirmatur,

nec ab Eutychio aut Elmacino infirmari potest.

§. II. *De obscuris Jacobi et Jacobitarum initiis.*

A Jacobo Dioscori sectatore dicti Jacobitæ,

Nihil in Chronico Orientali, nihil in Ludolfi Æthiopicis, nihil apud Vanslebium, et apud eos omnes qui vel de Coptis vel de Orientalibus medii ævi meminerunt; nihil, inquam, recurrit frequentius quam *Jacobitarum* et *Melchitarum* appellatio. Originem et notionem, ut passim traditur, admitto perlubenter; nempe a *Jacobo*, Dioscoritani erroris defensore zelosissimo, *Jacobitis* nomen est inditum : eorum vero adversarii, quoniam Imperatoribus, Concilii Chalcedonensis vindicibus, adhærerent, a voce *Melchi*, quæ Syriace Regem significat, *Melchitarum* cognomen acceperunt; unde datur intelligere, in Syria E primum contentiones, ferbuisse, atque illic etiam ad partium distinctionem diversa utrisque agnomina remansisse. Ut hac in parte omnes fere consentiunt, ita plerique in alio discrepant, qui Dissertationis hujus nostræ scopus est, nimirum quo tempore *Jacobus* ille vixerit, unde Discoritani nomen acceperunt; deinde quando demum ea *Jacobitarum* et *Melchitarum* appellatio cœperit invalescere.

sicut ab Imperatore, Chalcedon fidei defensore, Melchitæ;

36 Rejiciendi imprimis, non refutandi, qui nomen *Jacobita*, non sectæ proprium, sed gentile existimarunt, ut, sicut Judæi, Armeni, aliæque gentes, mercaturæ vacant, per varias orbis partes, dispersæ; ita Jacobitæ distinctum populum componant, toto Oriente longe lateque diffusum. Vanissima item sunt quæ tradit Hottingerus, apud Ludolfum in Comment. pagina 462, incaute scribens : *Regem Æthiopum, Jacobitarum Regem appellari, non tam ratione dogmatum Jacobiticorum, quam familiæ seu sanguinis Israelitici seu Jacobæi, a quo ortum ex linea feminea ipsi deducant.* Apage et illud commentum, quod alii somniant, Jacobitas dictos a *Jacobo Apostolo* fratre Domini, quo nescio an quid ineptius excogitari pos- F sit, quidquid eo gloriari pergant Copti, ex Abulbaracati sui historiunculis, quarum unam refert Bernatus, postea producendam. Mitto plures hujusmodi gerras, antiquitatis amore confictas, quo vitio non Orientales minus quam Europæi laborant : jam paulo verisimiliora discutiamus.

nomine, non gentili,

nec ad Jacobum Patriarcham

vel Apostolum reducendo

37 Multa investigando, observare me memini, recentiores præterlapsi seculi Scriptores, in eo quasi certatim consentire, quod seculo sexto ineunte Jacobus et Jacobitæ, ac proinde et Melchitæ (quorum unam eamdemque genesim esse oportet) mundo innotuerint. Atque huic opinioni Baronius facem prætulisse censeri potest, dum ad annum DXXXV indubitanter affirmat ; Jacobi ætatem ad posteriora tempora differri non oportere; eo argumento innixus, quod non semel repetit, quia nempe Photius in Bibliotheca sua asserit, *Ephrem Episcopum Theopolitanum sive Antiochenum, egregium commentarium conscripsisse, quo perstringit Severianum hominem Jacobum, a quo sunt Jacobitæ denominati : ibique adversus Baradatum, Eutychetem, et alios Trisagitas* etc. Cum vero Ephrem ille Antiochenæ Ecclesiæ præfuisse supponatur circa annum DXXX et DXL, clarum fieret, Jacobum ad seculi quinti finem et sexti initium pertinere.

is autem, quem Severianus putat accenseri Baronius,

ab eo quem citat, Episcopo Ephrem

non accusatur sed laudatur;

38 Hæsi fateor, ad citationem adeo expressam; Photium consului, Ephremi opuscula ab eo recitata percurri semel atque iterum; at Jacobi aut Jacobitarum nullo occurrente vestigio, quid supererat, nisi ut in æquivoco laborasse Baronium suspicarer. Ita prorsus factum opinor. Impugnat ibi Ephrem Severianos hæreticos, *Jacobum* alicubi nominat cum *Baradato et Simeone:* sed tamquam *viros admirandos* et imitandos, utpote virtutis nomine *toto terrarum orbe celebres, qui totam vitam in ecclesiastica disciplina transegerunt.* Fallor, si hic Jacobus noster Zanzulus describitur: verosimilius est, Baronium, nescio unde deceptum, nomina confudisse; quandoquidem et Baradatum, ab Ephremo impugnatum affirmet; quem fuisse laudatum, dicere debuisset. Ut ut est, non evincit Baronius Jacobitarum caput ante annum DXXXV floruisse, aut extinctum esse. Quin imo ex ipsomet Ephremi silentio (ubi reliquas Monophysitarum sectas nominat et impugnat) argui posse existimo, Jacobum tunc temporis, aut orbi ignotum fuisse, aut nulla saltem nominis fama celebratum.

et pro Baronio nec Leontius Byzant.

39 Scio, ibidem loci adduci a Baronio Leontium, Advocatum et Monachum Byzantinum, ac Joannem Damascenum: sed quid tum postea? Recte eos afferri non negaverim, ad explicandos Theodosii Alexandrini et Juliani Halicarnassæi, vel Severi et Gajani errores, quemadmodum et in tractatus nostri chronologici decursu suis locis exponitur. Ad annum DXXXV pertinere quæ de Jacobo Syro et Jacobitis a Damasceno, libro de hæresibus, referuntur; hoc vero est quod necdum satis intelligo, quodque nec ex Leontio, nec ex Joanne Damasceno facile confectum iri opinor; quasi vero ex errorum similitudine, affinitatem temporis colligendam putes; quo sane pacto Monophysitas omnes, integris sejunctos seculis, seculum quintum revocaveris, Dioscoro, imo et Eutycheti coævos futuros. Hæc ad Baronium.

nec Joannes Damascenus faciunt.

Interim plerique auctorum Jacobitarum,

40 Faustus Naironus, in indice chronologico auctorum ante suam Euopliam, scribit, Jacobum Baradæi, sive Zanzalum, vixisse seculo quinto vergente ad sextum. Vellem id aliunde probari; sicuti et illud, quod narrat Quaresmius, Jacobum ab anno CCCCL cœpisse hæresim spargere, vixisse annis centum et quinque, mortuum DXXXV: nam ubi hoc invenerit scriptor ille, non indicat. Chronicon Orientale, ab Echellensi editum, et jam toties a nobis citatum, pag. 59 Leonem Zenonis patrem, Zenonem ipsum, et Anastasium, Jacobitas vocitat; addens sub finem, quod *Severus discipulum habebat quemdam nomine Jacobum* (is procul dubio est de quo quærimus) *qui defuncto Imperatore* (Anastasio) *clam vagabatur et homines revocabat ad sectam Dioscori, ita annuente et præcipiente Timotheo Patriarcha Alexandrino,* qui sedit ab anno DXX ad DXXXVII. Vanslebius, in Præfatione Historiæ suæ Alexandrinæ, paulo altius Jacobi et Jacobitarum atque una Melchitarum originem repetit. Nimirum vel a Dioscoro ipso, qui Jacobus ante Patriarchatum fuerit appellatus, vel ab alio Jacobo Dioscori discipulo, cognomento *Baradæo* seu *Lacernoso:* qui Palæstinam centonibus indutus circumiens, Christianos hortabatur, a Magistri fide ne desciscerent.

utcumque in persona dissentiunt.

ad seculi 6 initium referunt.

sed non persuadent;

41 Quomodo hæc cum Chronico Orientali conciliari possint non video, neque ultra est animus, Arabicas temporum notas, plerumque fallaces, ad rectam Chronologiæ normam revocare. Causam istorum nominum fuisse æmulationem Ægyptiorum, vel Syrorum et Græcorum, quod illi horum dominationem exosam haberent, cum Vanslebio facile crediderо; tam cito nomina cœpisse circumferri, non admitto; malimque ad seculum sextum cum Chronico differre. Neque tamen inducor ut credam, seculi illius principio, Jacobitas orbi notos fuisse; quidquid ex Chronico præcitato, suffragante præsertim Baronio, moderni fere omnes, id in confesso esse, incunctanter affirment. Nec contendere, nec disceptare lubet; nec certe tanti est disquisitio, cetera utilitatis non magnæ, nisi accuratius aliquid de Jacobitarum initiis, satis huc usque confuse cognitis, visum esset proferre in medium. Dudum est quod Baroniana epocha displicuit: rationes cur ab ea putarim recedendum lectorum judicio examinandas relinquo.

AUCTORE J. B. S.

dum Jacobitis accensent ejus ævi Imperatores,

42 Moveor itaque primo, ex eo quod idem Chronicon aut manifestissime sibi contradicat, aut saltem per insignem prolepsim loqui necesse habuerit. Qui enim obsecro Zeno et Anastasius Jacobitis accensentur, si Jacobus non nisi post Anastasii obitum errores suos disseminare, aut si mavis, socios conscribere cœperit? Rursus, qua ratione *Melchitæ* seu Regii vel Imperatorum asseclæ, dici potuerunt illi, qui Jacobitis erant oppositi, si Imperatores ipsi Jacobitismo infecti et Jacobitarum propugnatores erant? Denique quo argumento fiet verisimile, Jacobitarum nomen auditum sub illis Patriarchis, qui prope omnes usque ad annum DXL (ut ex serie Chronologica manifestum est) Imperatorum, Imperatricum vel Magistratuum favore contra Orthodoxos intrusi sunt? Ego, ante Appollinarium Catholicum, anno DLII ordinatum, quique ad annum circiter DLXIX Sedem Patriarchalem obtinuit, nullam apertam vim, Imperatorum jussu, Dioscoritanis factam deprehendo. Nam quod S. Proterus Dioscoro, Salophaciolus Timotheo Æluro fuerit substitutus, ad rem præsentem nihil confert, secuto postmodum Zenonis et Anastasii favore, quo, usque ad Justiniani tempora. Dioscoritana factio, Aula etiam ferme semper patrocinante, prævaluit.

eo quod faverint Dioscoritis.

Nam de Jacobitis tacent Historici seculi 5 et 6,

43 Moveor II, ex eo quod illorum temporum Historici, cetera in recensendis novis hæresibus satis accurati, ne verbum quidem faciant de Jacobo aut Jacobitis; quos mirum esset adeo fuisse invisibiles, ut Victor Tununensis, circa medium seculi sexti ob defensionem trium Capitulorum Justiniani jussu in Ægypto exsul, de iis nihil inaudiret, Timothei, Theodosii, Gajani, Severi, aliorumque hujus furfuris hominum insanias recensens, ut suo loco ostensum est. Nec minus est incredibile, Liberatum, Carthaginensem Diaconum, Victori synchronum, Jacobitas ignorare potuisse, in turbis Alexandrinis usque ad annum DLX enumerandis, diligenter in paucis versatum. Adde quod nec Evagrius eos verbo attigerit, ubi tamen fœcundi istius seculi sexti hæreses et hæresiarchas non prætermittit. Scio equidem Jacobum, ut obscurum et ignobilem, a Nicephoro Callisto depingi: at certe non credam fieri potuisse, ut Magister tam famosus, in tenebris delituerit, tanta discipulorum multitudine circumseptus.

alias in recensendis hæreticis diligentes

ut et ii qui contra Eutychianos scripserunt.

44 Moveor III. Quia Scriptores, etiam polemici coætanei, adversus multiplicia Eutychiasmi capita decertantes, de Jacobo et Jacobitis altum silent, eos nec nomine dignati: quod futurum fuisse nemo sibi facile persuaserit, si tunc Jacobitæ extitissent. Sic Ephrem Antiochenus, Leontius Advocatus et Monachus, Eulogius Patriarcha Alexandrinus, omnes, ut ita dicam, Eutychianismi angulos perscrutati, nec Jacobum nec Jacobitas invenire se meminerunt; magno utique argumento, sectam illam, alioquin omnium longe numerosissimam necdum Orientalibus fuisse cognitam seculo sexto. Et quis credat, Scriptores antiquos omnino omnes, hæresim Jacobiticam nescivisse, quam recentiores volunt fuisse in propatulo, tum cum forte necdum Jacobus existeret in rerum natura. Erant utique schismatici, Eutychiani, Dioscoritani, Severiani, Anti-chalcedonenses, et plures hujusmodi, ut in contextu Tractatus

AUCTORE J. B. S.

A tatus chronologici deduximus. Non hoc quæritur; nego ante finem seculi sexti nomen Jacobitarum gliscere incepisse.

Donec eorum meninit Theophanes anno 630.

45 Afferri etiam posset Chronici Alexandrini, Cangio Paschalis, in rem nostram silentium; verum cum illud Constantinopolitanis rebus præcipue intentum, res Ægyptiacas aut Orientales circa hæc tempora vix quandoque salutet, imo tum desinat, nil mirum, si de Jacobo et Jacobitis nullam faciat mentionem. Militat et pro nobis Theophanes usque ad seculum septimum; quo demum, regnante Heraclio, finito bello Persico, anno DCXXIX vel DCXXX, nescio quem Athanasium in scenam producit, Jacobitarum Patriarcham, titulo prorsus insolito, cum præter notissimas quatuor Sedes, nulla per id tempus Patriarchalis in Oriente agnosceretur. Et addit paulo inferius, Sergium, Monothelismi auctorem præcipuum, Jacobitis parentibus ortum, utpote Syrum patria, æque ac Jacobum ipsum, qui sua incunabula illic nactus, collectis copiis Sedem fixerat. Non ita pridem, ut ego existimo; quidquid Sergii parentes Jacobitæ dicantur, hac maxime de causa, quod Syri essent genere; apud quos Jacobus et Ja- B cobitæ aliquam nominis aut existimationem aut infamiam consequi cœperant, sub finem elapsi proxime seculi sexti aut principio septimi tunc currentis; eatenus enim tota vis argumenti negativi videtur subsistere.

Nicephorus Call. nullum tempus determinat.

46 Nicephorus Callistus, seculo primum decimo quarto, ignobilem et obscuram prorsus Jacobi nostri originem delineavit, tot, tam varios, tam hinc inde oppositos errores ei adscribens, ut salvo meliori judicio, in hominis cerebrum non arbitrer incidere potuisse, nisi insulsissima et contradictoria somniaverit. Tempus quærimus, quo Jacobus vixerit, et errores spargere cœperit; sed hoc Callistus indicare neglexit. Nominat quidem Jacobitas cum *Severianis*, *Theodosianistis*, *Julianistis* etc, quas hæreses constat sub Justiniano potissimum vel paulo ante exortas: verum inde consequens non est, Jacobum Severo, Theodosio, Juliano et aliis fuisse synchronum; nec id puto velle Nicephorum; aut si vult, in eo coævorum silentio, nego tanti ipsum esse, ut ex ejus auctoritate quidquam statuatur; præsertim cum in historiæ suæ contextu de illis taceat, haud dubie, quod in antiquioribus historicis, quos ferme describit, nihil hac de re reperisset.

Videtur ergo Jacobus Zanzalus,

47 Ego sic existimo, aliorum judiciis facile acquieturus, siquid exploratius afferatur; sic, inquam, C existimo, Jacobum illum, quem alii *Zanzalum*, alii *Syrum*, et *Baradæum* cognominant, ex Severi schola gnavum discipulum hic intelligi posse; quamquam qui de hæresibus tractant, Severianos a Jacobitis distinguant, ut expressissime facit Theophanes, loco a nobis nuperrime citato. Sed demus Severi discipulum fuisse, qui supra Magistrum sapuerit, quique demum exeunte seculo sexto et initio septimi, non tam novam hæresim disseminare adortus sit, quam Monophysitarum dispersas, et intestinis dissidiis attritas turmas colligere, et unam quodammodo in cohortem aut legionem reducere. Nimirum sub Justiniano, Justino juniore, Tiberio et Mauritio, acerrimis Chalcedonensis Synodi defensoribus, adeo debilitatæ erant schismaticorum Acephalorum copiæ, ut paulatim interituræ crederentur. Ibi videlicet Jacobus noster industriam suam exercuerit, consociando Monophysitarum vires omnes; opponendas Sectatoribus Chalcedonensis fidei, Cæsarum favore potentioribus (quos tunc merito Melchitas seu Regios aut Cæsareos nuncupatos dixeris) ea opera meritus apud suos, ut coadunati illi, Severiani scilicet, Theodosiani, Gajanitæ, Julianistæ a suo nomine *Jacobitæ* dicerentur. Atque hac via facile intelliges Mainburgi in schismate Græcorum D assertum cui eruditi alii subscribunt, Eutychianismi ramos seu proles omnes, in unam Jacobiticam seculo septimo coaluisse.

circa an. 600 resuscitandis contra Orthodoxos Monophysitis intentus,

Severi quidem sectator fuisse

48 Occurrit vir clarissimus, et (ut alibi diximus) de Tractatu nostro Chronologico optimo meritus, Jobus Ludolfus. Is super controversa Jacobitarum ætate a me interrogatus, ita respondit Kalendis Februarii MDCCIII, ut pro certo habere videretur; *Baradæum, sive Baradiensem, Severi Patriarchæ Antiocheni Discipulum fuisse, ejusque doctrinam longe lateque divulgasse. Iste autem Severus*, inquiebat, *sub finem seculi quinti vixit.* Satis eo innuit Ludolfus, et Jacobum ipsum sub exitum seculi quinti et sexto ineunte vixisse et floruisse: quod mihi non omnino probatur. Haud gravate concessero, Jacobum fuisse Severi discipulum, sequacem, sectatorem; sed doctrinæ magis quam hominis, quales hodie Discipuli scholarum implent subsellia, quorum Magistri jam pridem, imo a multis seculis vivere desierunt.

sed non coætaneus:

ut alii aliorum pridem mortuorum Discipuli,

49 Hoc cum Ludolfo reposuissem, innata sibi urbanitate et modestia rescripsit, x Maji MDCCIII, in hæc verba: *Quæ de nomenclatura Discipuli scribis, ea sunt verissima; non enim viventium tantum, sed* E *diu defunctorum præceptorum sectatores, Discipulos eorum vocamus.* Dicatur itaque Jacobus Severi Discipulus per me licet; sed dicetur etiam seculo prope integro, Magistro suo posterior. Quod addebat in primis suis litteris Ludolfus, *fidem omnino habendam Eutychio Patriarchæ Alexandrino, qui Annalibus suis Tom. 2. pag. 145 et seqq. Jacobum illum accurate describit*, parum probat; notatne quo tempore vixerit, an solum ait Severi fuisse Discipulum? Auctorem jam diu conquisitum, bello præpediente obtinere hactenus non licuit et ut forte uspiam reperirem, vix paterer ejus solius auctoritate a sententia dimoveri.

contra quem Orthodoxi, Imperatorum potentia feli,

50 Hactenus dicta, puto, non inverisimiliter posse sustineri, quamquam talia fortasse non sint, ut pristino apud Chronologos loco Jacobum et Jacobitas excludant. Superest difficultatis non nihil in eo, quod si ad ea secula hæresis istius origo differatur, tum nata dici debeat, cum ad talem genesim occasio et opportunitas deesse videretur. Id urgebis maxime adversus hypothesim de seculi septimi initio, quando nempe primum sub Persis, deinde sub Saracenis gementes Ægyptii, haud dubie contentiones aliquantulum missas fecerant. Nec sane Melchitis tunc cognominandis ansa dabatur, dum nulla erat Imperatoris auctoritas, qua Concilii Chalcedo- F nensis defensores, seu partium Cæsareanarum asseclæ propugnarentur. Esto igitur Jacobitæ oriri tunc primum potuerint, manifestum apparet defuisse opportunitatem qua Melchitæ denominarentur. At enim ut certum supposuimus utriusque tesseræ originem non esse separandam; ergo ad eam ætatem redeundum est, quo Imperatores Græci summam rerum, summa auctoritate iis in regionibus administrabant; nullum autem tempus commodius quam seculi sexti initium; pro quo scriptores plerique certant.

Ægypto needum Saracenis subjecto

cœperint schismaticos persequi, et Melchitæ vocari:

51 Non inficior, speciem verisimilitudinis inesse huic raticcinio, nisi forte aliunde rationes suppeditentur, ut cum aliqua probabilitatis specie credamus, exorta non esse saltem in Ægypto ea nomina, antequam Græcis Ægyptus esset erepta; ceterum nec occasio, nec rationes desunt, ob quas commodissime, adulto jam seculo sexto, et ineunte septimo, dicantur in lucem protrusa. Nimirum Justiniano imperante ii, qui a Concilio Chalcedonensi et a Cæsare stabant, prævalere omnino, et Alexandriæ, et tota deinceps Ægypto, Syria reliquisque Imperii partibus cœpere; adeo ut ad ea tempora persecutionum

A tionum suarum initia referant Jacobitæ, ut videre est apud Ludolfum in Commentario hist. Æthiop, pag. 462 num. 91, et in historia Patriarchali hoc in Tractatu citata, cum de ducentis Jacobitarum millibus, ab Apollinario Patriarcha Orthodoxo occisis, ageremus in Theodosio Patriarcha XXXIII. Non absimiles calamitates, quas a Melchitis passi deinde sunt iidem Jacobitæ, præsertim sub Benjamino, memorat præfatus Ludolfus pag. 429 num. 5.

donec Jacobitæ Saracenis se dederent.

52 Porro Justiniani successor Justinus alter, nihilo majori humanitate homines in schismate jam obduratos insectatus est. Tiberius, Mauritius, Heraclius, decessorum, vestigiis ita inhæserunt (diceret Ludolfus, *tanta crudelitate Jacobitas, persecuti sunt) ut hi tandem Saracenis Ægyptum invadentibus sese dederent.* Eam ego tempestatem appello, qua Orthodoxis ubique prædominantibus, Regiorum seu *Melchitarum* appellatio indita fuerit, cum nempe arbitrio regio omnia schismaticis indies arctiora redderentur; quoque potissimum rerum articulo, ut dicebam nuperrime, longe probabilissimum est Jacobum Zanzalum, copias suas ex adverso conduxisse, quibus Orthodoxorum vires infringere conaretur.

Huic ratiocinio frustra opponitur

B 53 Habeo hic iterum adversantem Harduinum, in præcitato responso Kal. Februarii MDCCIV, quo pronuntiat, Auctores omnes consentire, Jacobum Zanzalum æqualem fuisse Severo Antiocheno. Affert deinde Eutychii locum, ex Tomo 2 Annalium pag. 145, cujus hæc sunt verba: *Porro fuit severo Discipulus nomine Jacobus, qui amictus erat ex Segminibus albaradei, seu dorsualium, quæ jumentis insterni solent, consutis; unde cognomen Jacobi Albaradiensis accepit: cujus doctrina erat, esse Christo naturam unam e duabus naturis, substantiam e substantiis duabus, et voluntatem unam secundum sententiam Severi, Dioscori et Eutychis maledictorum... Inde qui Jacobi fidei consenserunt, idemque cum ipso asseruerunt Jacobitæ appellati sunt, ab ipsius nomine Jacobo, inquit, Said Ebn Batrik medicus.* Qui est ipsemet Eutychius, postea Patriarcha Alexandrinus, ut quidem ipse prodit.

fabulosissimus Eutychius,

54 Mirabar ego, tantum ab Harduino tribui Scriptori, quem alias fabulosum, imo fabulosissimum dixerat. Unde cum alia occasione, novis rationibus quæ antea proposueram, ursissem paulo latius, id demum XII Maji ejusdem anni reposuit: *De Jacobo Tzanzalo, si neges discipulum Severi fuisse, et eidem σύγχρονον, nemo tibi assentietur; tanta est apud omnes, vel unius, quisquis ille sit, vetusti Scriptoris auctoritas.* Unus et unicus objici mihi potest Eutychius, C nequaquam antiquus dicendus, qui primum seculo X vixit, nec manifeste nobis contrarius. Igitur experiri lubet, utrum ille plus fabulis possit, quam ego argumentis, quæ proinde in medium proferre non sum veritus, sequenti paragrapho alteri auctoritati satisfacturus.

et quidem solus nec antiquus,

55 Hic pridem desieram, probata non inverisimiliter, ni fallor, opinione quamtumvis nova. Nihil magnopere subministrare potuit Bernatus, quo lucem dictis afferret, necessariis librorum adjumentis destitutus. Habuit tamen Seid Ibn Batrik, Eutychium illum, quo Harduinus aliique nituntur; sed, hoc ipso loco proxime citato, turpissime lapsum, dum Severum obiise ait anno XXIII Anastasii, qui esset Christi DXIII, palpabili annorum plusquam viginti anachronismo. Errorem hunc cum ceteris condonet qui voluerit, nihil ego ex ejus solius auctoritate statutum velim. Pluris mihi est Bernati judicium, conjecturam nostram, iis quæ in Ægypto didicit, conformem censentis. Quod vero inter alia advertit, hoc Orientalium in scribendo socordiam mirifice exprimit, quibus servandorum temporum ratio plerumque nulla aut perturbata. Sic Abulbaracatus, cum de Dioscori depositione loquitur, in Concilio Chalcedonensi facta, continuo Jacobitarum D et Melchitarum nomina insonat, quasi vero tunc Jacobitæ dici potuerint, cum eorum antesignanus necdum vivere cœpisset, ut admittere debent etiam ii qui nobis hic adversantur. Nauseam creem, si alibi toties ingesta iterum repetam.

et eo ipso loco turpissime lapsus,

ex quo tamen habetur, Jacobitas et Melchitas,

AUCTORE J. B. S.

sic primum communiter appellatos,

56 Illud autem notatu dignissimum est, quod Bernatus ex eadem Abulbaracati Historia observasse se suggerit. Jacobitarum et Melchitarum nomina, licet præpropere ibi indicata, communi tamen et vulgari appellatione, non ante Saracenorum dominatum in Ægypto percrebuisse. Auctorem illum ante ea tempora, adversarios Catholicos, passim *Chalcedonenses;* suos vero Schismaticos Monophysitas, *Orthodoxos* indigitare; quibus nominibus etiam Historia Patriarchalis per id tempus utitur; haud obscuro indicio, recentiora esse alia illa agnomina, nec nisi per insignes prolepses, ut supra dicebam, prioribus seculis a Scriptoribus Arabicis usurpata. Divinare non ausim, at si in rebus adeo dubiis magis explorandis, conjecturis aliis novam addere volueris, non absurde opinaberis, etiam Saracenorum occasione, ea ipsa nomina aut exorta aut saltem magis recepta. Tum scilicet, cum Græ- E corum jugo liberati Ægyptii, Regiorum seu Cæsareanorum appellationem ad conflandam invidiam Græcis imposuerint, et hi vice versa hæreticis illis cognomentum, a vilissimo homine derivatum, improperarint. Quamobrem indignati Copti, fabellam eam orsi sint, ut a Jacobo Apostolo Jacobitarum nomen sibi inditum fingerent.

post subactam a Saracenis Ægyptum.

57 Et huc facit Abulbaracati historiuncula, supra a nobis verbo insinuata. Litigabant inter se, nescio qua potissimum de causa, Melchitæ et Jacobitæ; habitoque ad Emiram Saracenum recursu, ingentes utrimque chartarum fasces obtulere; quibus ille quodammodo perterritus, et homines et chartas, ad Cadum (is locis judex est) remisit. Hic litigantes intuitus, Coptos primum interrogat, cur Jacobitæ dicerentur? A Jacobo, inquiunt illi, Apostolo, Christi discipulo, Propheta nostro. Tum ad Græcos conversus, et vos, ait, qua de causa Melchitæ vocamini? Quibus respondentibus, hoc se nomine appellari, quod Regis religionem sequerentur, subrisit Cadus, responsumque vellicans; Eccur, inquit, a Rege denominamini? Rectius profecto diceretis, vos Dei religionem et amplecti et sequi. Mansit ex eo tempore Saraceni dictum, quo Copti Græcos Melchitas subsannare solent; illis nihilo- F minus regia sua appellatione gloriari non desinentibus; adhibita tamen semper correctiuncula, qua non regios, quasi Regi subditos, sed regios religione sese profiteantur.

Abulbaracati de utrisque fabella.

Quid ex dictis

58 Erit fortasse qui altius fodiendo, plura eruat et vero proximiora; imo et illud fortasse, quod non nemo suspicari visus est, Coptos ipsos ceterosque Orientales, *Jacobitarum* et *Melchitarum* nomina aliaque istiusmodi didicisse ex libris in Occidente scriptis. Alius litem verbo dirimet, servataque Baronii de Jacobi ætate epocha, Jacobitarum appellationem vel uno vel pluribus seculis faciet posteriorem. Alii aliter sentient: faxit Deus ut conatus hic noster excitamento esse possit ad scrutandam rei veritatem, quam deprehendere hactenus non licuit. Id interim evicisse videor, ex Scriptoribus Arabicis, sive ii Melchitæ fuerint sive Jacobitæ aut Saraceni, nihil contra propositum a me systema urgeri posse, quod non contra ipsos fortius retorqueatur. Silentium vero Græcorum et Latinorum omnium, totis sex primis seculis, ita pro me militat, ut si uspiam locus sit argumento negativo, hic vim omnem exerere debeat et obtinere. Jam ad præcipuam, si qua est, auctoritatem respondeamus.

concludi possit.

A

§. III. *An ex Anastasio Sinaita, contra Acephalos scribente, ostendi possit, Jacobum et Jacobitas citius notos fuisse?*

Ita affirmat Morinus,

Ex adductis superius rationibus non improbabiliter confeceram, Jacobum Zanzalum ejusque asseclas Jacobitas, non ante finem seculi VI, vel initium VII, in scenam prodiisse. Interea casu incido in Morini Præfationem *ad ritum Ordinationis Jacobiticum;* ubi ex pervulgata opinione rotunde asseritur, Jacobum Syrum, *Imperante Anastasio, Orientem cum Severo perturbare cœpisse.* Nimirum id ex Chronico Orientali, nuper a nobis refutato, Morinus desumpserat; atque idcirco, parum illa movere me potuissent, nisi id ipsum auctoritate Anastasii Sinaitæ auctor ille demonstrare contenderet. *Ducentis,* inquit, *ante Damascenum annis, hoc nomine* (Jacobitarum) *jam appellari incipiebant ; ut constat ex Anastasii Sinaitæ libro, cui nomen fecit,* Dux vitæ (dicere voluit, *Dux viæ,* Ὁδηγός) *istius enim hæresis* (Eutychianæ) *studiosos, Jacobitas passim vocat et Severianos.* Ita ille, B paucis multa involvens et supponens vel falsa vel dubia, quæque proinde accuratius examen desiderant, ut ex iis quidquam definiatur. Sed antequam ea discutio, vera a falsis secernenda sunt.

quia Sinaita Jacobum adscribit decemviratui erroris,

60 Admitto in Sinaitæ Ὁδηγῷ non semel *Jacobum* et *Jacobitas* nominari cum *Eutychete: Dioscoro, Timotheo, Severo, Gaiano, Juliano, Petro Cnapheo, Barsanuphio, et Theodosio,* ex quibus, *decem cornibus instructus decemviratus* exurgit, quos *Orchestram decem cornuum* nuncupat, *Decicorne Sodalitium, Decicornem Cohortem, Turbam, Catervam.* Sic in *Duce viæ* passim Sinaita loquens, non *passim* Jacobitas

quem impugnat:

impugnat, sed Gaianitas potissimum et Theodosianos, quibuscum Alexandriæ congressum sese testatur. Esto tamen Jacobitæ etiam cum ceteris exagitentur, ecquid inde constare poterit, Jacobum ducentis ante Damascenum annis, aut imperante Anastasio, hæresim suam propagasse! Id ego inficior, ex Sinaitæ libro rite demonstrari.

sed hoc non magis facit Jacobum Severo Synchronum,

61 Primum itaque falso a Morino supponitur, Jacobum, Severo, Timotheo, Theodosio, Gaiano esse synchronum, ex eo nempe quod cum illis in *Decemviratu erroris* componatur, quos cum certum sit, sub Anastasio Imperatore et annis proxime sequentibus delirare cœpisse, consequens sit etiam Jaco- C bum tunc temporis insaniisse, quod esset ducentis ante Damascenum annis, Christi circiter DXXX, et citius.

quam Dioscorum vel Eutychetem.

Male, inquam, id a Morino supponitur; nisi eodem argumento probari velit, Eutychetem et Dioscorum aliis fuisse coætaneos, quod patientissimæ falsitatis redargueretur, utpote qui ante octoginta annos jam fatis cessissent. Ego vero contendo, Jacobum totius Decemviratus natu postremum esse, ex iis quæ superius disputata sunt, atque ex ipso Sinaita haud difficulter evinci; quippe qui Jacobitas nusquam ex professo aggrediatur, Severianos, Theodosianos, et Gaianitas, perpetuo vellicans: quod manifesto indicio est, Jacobitas tunc adhuc ignobiliores fuisse, cum Sinaita disputaret. Jam vero si eum non nisi centum post annos cum hæreticis illis dimicasse et *Ducem viæ* elaborasse, ostendero, puto non exiguum opinioni nostræ momentum accessurum. Id qua ratione conficiam, apparebit, ubi alterum Morini suppositum evertero.

Ille etiam male præsumitur scripsisse circa an. 550

62 Non potuit Auctor ille Jacobum et Jacobitas ad principium seculi VI, reducere auctoritate Anastasii Sinaitæ, nisi crediderit sanctum illum Monachum circa medium ejusdem seculi opus suum contra Acephalos conscripsisse, secutus in eo receptam recentiorum prope omnium opinionem, quod Sinaita D idem Monachus, et Patriarcha Antiochenus fuerit, statutus DLXI, expulsus DLXXII, restitutus DXCV, defunctus DXCIX. Quod quam a veritate alienum sit, non potest non apertissime deprehendere, qui vel tantum levi oculo Ὁδηγὸν, evolverit; ut satis mirari non possim Gretserum operis interpretem, ad ea animum non advertisse. Ceterum non solus Gretserus, sed post Baronium eruditi quique, a Nicephoro Callisto libro 18 cap. 44 decepti, ex duobus Anastasiis, Patriarcha altero, altero Monacho Sinaita, unum conflarunt.

idemque Patriarcha Antiochenus fuisse

63 Primus, quod sciam, severiori examine Nicephori commentum excussit Henschenius ad XXI Aprilis; ostendens, citato capite tres Anastasios a Callisto per insignem socordiam confusos, nempe Patriarchas Antiochenos duos, primum magna doctrinæ laude celebrem et S. Gregorio Romano Pontifici per litteras familiarem, mortuum DXCIX; secundum successorem prioris a Judæis immaniter obtruncatum DCVIII; et tertium Sinaitam Monachum, utroque Patriarcha juniorem. Quibus id argumentis demonstret Henschenius, ad memoratam diem XXI E Aprilis curiosus Lector videre poterit; hic ea sola producere lubet, ex ipso Sinaitæ Ὁδηγῷ, quæ ab Henschenio sunt prætermissa, quæque probent Morinum ex eo opusculo perperam inferre, Jacobum et Jacobitas, ducentis ante Damascenum annis, aut imperante Anastasio, passim fuisse appellatos.

quod evidenter refutatur ab Henschenio duos Anastasios distinguente,

et ex ipsomet

64 Argumentum præcipuum sumitur ex Capite X præcitati Ὁδηγοῦ, adversus Severianos vel Acephalos; ubi sic legitur: *Narrabant nobis Catholici, qui Alexandriæ degunt, post tempora beati Eulogii Papæ* (Alexandrini) *hic fuisse Præfectum Augustalem Severianum, qui satis diu quatuordecim calligraphos seu librarios ejusdem secum sententiæ habuerit ac aluerit, quibus id negotii dabat, ut Patrum libros falsarent ac depravarent.* Notiora sunt B. Eulogii Alexandrini tempora, quam ut in dubium revocari possint. Etenim ex omnium confessione Sedem illam tenuit annis circiter XXVII, nempe ab anno DLXXVII ad annum DCIV, ut nobis cum Baronio, in Tractatu nostro Chronologico, probabilius videtur. Loquitur autem hic Sinaita de temporibus post B. Eulogium; ergo multis post Eulogium annis, disceptationes suas cum Decemviratu Monophysitico in urbe Alexandrina instituit: ergo vivebat sanctissimus Monachus, cum uterque Patriarcha Antiochenus, nomine Anastasius pridem e vivis excessisset. Quo tempore F verosimiliter ea contingerint, nostrum erit inquirere; sufficit, ex adductis invicte ostendi, Anastasium Monachum Sinaitam non nisi in Nicephori cerebro Patriarchatum Antiochenum possedisse; de quo ne illud quidem satis compertum est, utrum Antiochiam oculis suis unquam viderit, in Arabia et Ægypto vitam solitariam non sine sanctitatis et eruditionis fama professus. Jam vero ne quis in Eulogii nomine cavilletur, aut citatum a nobis locum interpolatum existimet, rursus capite 11 contra eosdem Monophysitas allegatur *Dominus Eulogius Papa Alexandrinus, scribens pro tomo seu epistola decretali S. Leonis,* cujus operum compendium nobis reliquit Photius in Bibliotheca cod. 230.

narrante audita post an. 604,

et acta coram Præfecto Augustali

65 Ex his abunde confirmatur Henschenii sententia, Sinaitam Anastasium ad usque Heraclii tempora vitam protraxisse, qui ab anno DCX ad DCXLI Imperio potitus est, atque adeo Patriarchatum Anastasii Sinaitæ merum esse Nicephori figmentum: nisi fortasse Sinaita alius fuerit, prius Monachus deinde Patriarcha, alius Sinaita noster, auctor libri Ὁδηγοῦ, numquam ad talem gradum promotus. Ad veram ejus ætatem quod attinet, nihil Henschenius

habuit

A habuit unde illam determinaret: nos ex eodem opusculo id non obscure colligi posse existimamus. Testatur ibi Anastasius, congressum se cum Theodosianis Alexandriæ, *præsente Præfecto Augustali in publica civitatis audientia*. Factum id oportuit tum, cum Alexandria Græcis Imperatoribus adhuc erat subjecta, ante Saracenorum irruptionem in Palæstinam et Ægyptum, rebus etiamnum tranquillis, aptisque hujusmodi concertationibus instituendis. Hisce autem nullum opportunius tempus invenio quam annum circiter DCXXX vel paulo citius, sedente Georgio Patriarcha Orthodoxo et Benjamino hæretico.

circa an. 630

66 At, inquies, cur DCXXX aptior tibi videtur, quam DCXX? Dicam. Quia Anastasius Severianos increpitat, quod *Naturam* nimis absurde intelligant, quasi in *Saracenorum disciplina instituti essent: qui cum Dei conceptionem et nativitatem audiunt, derepente nuptias et semen, carnalemque conjunctionem somniantes, blasphemant:* quibus verbis Mahometanos designari, clarius est quam ut probatione indigeat. Est autem verosimillimum, ante annum DCXXII Mahometanas blasphemias orbi fuisse ignotas, publicari vero subinde potuisse, ita ut eas Sinaita, B Arabiæ incola, sub ipsis principiis inaudierit; et postmodum Severianos, tamquam earumdem comparticipes, accusarit.

post exordia Mahometismi;

67 Porro inter Saracenicæ impietatis exordia, ad eum annum DCXXII figenda, et Ægyptum ab illius sectatoribus anno DCXXXIX subactam, captamque exeunte anno DCXL Alexandriam, ex quo Præfecti Augustales nominari desierunt; nullum commodius tempus, ad memoratas disputationes ea in urbe habendas, seligi potuit, quam annus a nobis designatus, sexcentesimus scilicet et trigesimus, vel forte biennio citius aut tardius. Statue ut lubet, modo Anastasium Sinaitam illum, qui Ὁδηγὸν adversus Acephalos composuit, multis annis ambobus Anastasiis Antiochenis posteriorem concesseris; ac proinde fateare, eo ex libro nihil adduci posse, quo statuta a nobis Jacobi et Jacobitarum ætas vel minimum labefactetur.

auctore ad disputationes vegeto,

68 Quamdiu noster hic Anastasius suis, contra Severianos, certaminibus superstes vixerit, quove demum anno laborum suorum præmium a Deo sit adeptus; fateor me nulla hactenus probabili conjectura assequi potuisse. Non est dubium, quin eo C quo dimicabat tempore, vegeta adhuc ætate, eoque robore et viribus esset præditus, quales exigebant acerrimæ illæ cum sectariis contentiones, sæpius repetitæ, ubi unus contra omnes congredi necesse habebat. Si divinare licet, non existimo majorem multo quinquagenario tunc temporis fuisse. Cum autem in magnis Græcorum Menæis, tum excusis tum manuscriptis (teste Henschenio) *ad grandævam ætatem dicatur pervenisse;* quid obest, quo minus ad annos præterea viginti aut triginta, privatam vitam in Monte Sinai duxisse supponatur, nempe ad annum DCLX, Saracenis omnia occupantibus, atque impedientibus, ne in oppugnandis hæreticis reliquos vitæ annos, ut erat solitus, collocaret.

et usque ad 660 verisimiliter superstite.

DIGRESSIO

Ad censuram Albertini cujusdam, in Anastasii Sinaitæ contra Acephalos et Severianos.

Tractatus hic a Gretsero Latine redditus in Bibliothec. Patrum,

Quoties Ὁδηγὸν nomino, toties Lectorem monitum volo, de illo mihi sermonem esse, qui contra Acephalos seu Monophysitas a Sinaita scriptus est, et Gretsero nostro interprete anno 1606 typis Sartorianis editus, insertusque magnæ SS. Patrum Bibliothecæ Coloniensi, seculi VI, parte I, a pag. 582 D ad 628. Quod ad alium *Hodegum* attinet, CLIV quæstionum, Sinaitæ pariter attributum, nihil ad præsens facit; et longe probabilius est, non Anastasii hujus, sed alterius, et forte anonymi, tribusque seculis junioris, collectionem esse. At vero prior ille Hodegos tam certo opusculum est Anastasii Sinaitæ, de quo supra egimus; quam certum est, disputationes Alexandriæ ab eo esse institutas, in quibus nomen suum profitetur; *Ego Anastasius, Monachus sancti Montis Sina, profiteor* etc. De illo itaque pauca hic notare lubet, usui futura, dum quis castigatiorem libri editionem curare, et cum variis MSS. codicibus variantes lectiones conferre voluerit, plus otii nactus, quam nobis aliter occupatis suppetat. Interim dum Anastasii ætatem inquirens tractatum eum pervolverem, nonnulla occurrerunt, ex quibus Albertini prædicti censura apud Labbeum, tom. I de Scriptoribus Ecclesiast. pag. 712, acrior et iniquior videbatur, quam ut ab Oudino ultro admissa, consectarium illud eliceret, Manuscriptos codices, sub Anastasii nomine, modicam fidem mereri. Integram censuram, qualis illa a Labbeo refertur, hic subjicio, ut commodius quæ id editione Gretseriana, quam et Albertinus secutus est, observavimus, suo loco annotentur. E

AUCTORE J. B. S.

certus Anastasii Sinaitæ fœtus,

ab Albertino revisus, et judicatus rhapsodia temere congesta,

70 *Juvat lectores monere* (Albertini verba sunt) *tractatum hunc* (Ὁδηγόν) *non esse librum continui tenoris, sed hapsodiam ex variis scriptis, tamquam centonibus, ἀμεθόδως plane congestam. Nam caput tertium initium est alterius operis, a duobus præcedentibus capitibus distincti, ut patet ex titulo illi apposito,* Anastasii minimi Monachi opus de Orthodoxa fide, ex sacris litteris ac doctoribus decerptum. *Caput quintum similiter* (quartum voluit dicere) *quod pro titulo habet,* Anastasii Presbyteri sancti Montis Sina opus de fide œconomiæ Christi filii Dei, ad sanctam Ecclesiam Catholicam Babylone scriptum, *novum prorsus opus esse, et a ceteris separatum, non minus liquet. Penes me est codex Græcus, pro Joanne de Ragusio olim Manuscriptus, ubi sub hoc titulo* τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Ἀναστασίου P. Θ, περὶ πίστεως, *deprehendi exstare duo tantummodo priora hujus* Ὁδηγοῦ *capita, nec ea quidem inchoata a prioris initio, sed ab iis verbis, quibus pro titulo apponitur* Brevis expositio fidei: *vicissim autem ad compensationem plurimas alias definitiones et distinctiones habens, quæ editioni Gretserianæ ad finem secundi capitis et ceteris, quos vidi, codicibus MSS. desunt.* F

propter codicum MSS. discrepantiam

et perturbatum capitum primorum ordinem,

71 *Tres autem vidi Bibliothecæ Regiæ, quorum duo sine auctoris nomine, unus cum hoc titulo,* Σὺν Θεῷ προθεωρία τῶν ὑποθέσεων τῶν ὅρων *etc. Alter cum illo titulo,* Σὺν Θεῷ ὅροι διάφοροι *etc. ea tantum complectuntur, quæ tractatus editus habet duobus prioribus capitibus : ac reipsa idem sunt cum libello illis adhuc breviori, qui exstat inter Athanasii opera sub hoc titulo,* Tractatus de definitionibus. *Tertius ea fere omnia continet quæ habentur in editis. Sed et in plurimis multo auctior est, et ordine non eodem : caret enim eo exordio et indice, quæ in editione caput primum antecedunt. Titulus fere idem, tamen absque auctoris nomine, cui subjiciuntur ea quæ primo editionis capite, usque ad* § Universa generis nostri *etc. His dein verbis, quasi novum opus inchoarent, præponitur hic titulus,* Ἀναστασίου μοναχοῦ τοῦ Σινᾶ ὄρους, σὺν Θεῷ προθεωρία τῆς ὑποθέσεος τῶν ὅρων τῆς βίβλου, ἧς ἐπωνομία λέγεται Ὁδηγός. *Inde ad finem usque capitis secundi, scholio excepto, cum editis consentiens, subjungit triginta duo folia, quæ ab illo prorsus absunt, excepta de Eucharistia cum Gajanitis disceptatione, quæ cum in editione remota sit, ad caput nempe 23, nono folio hic habetur. Ab his autem 32 foliis redit cum editis, in nonnullis tamen brevior, usque ad finem,*

AUCTORE J. B. S.

A *nem, cui subjunguntur, quasi continui operis, innumera veterum testimonia, tractatum sexies majorem efficientia.* Hactenus Albertinus apud Labbeum.

non meretur tam injuriosam censuram;

72 Duo sunt, opinor, quæ Criticum hunc induxere ad ferendum hujusmodi judicium. Alterum quod Codices manuscripti, et inter se, et cum editione Gretseriana in pluribus discrepare deprehenderit; alterum, quod in illa ipsa editione, nonnulla perturbato ordine disposita videantur. Neutrum horum negare ausim; id nego, minutias istiusmodi sufficere, ut Tractatus Ὁδηγὸς, Rhapsodia, et sine methodo congestus Cento nuncupetur, eique proinde fides omnis adimatur, non sine Catholicæ rei jactura, quam ibi Sinaita egregie tuetur; quidquid fortasse paucula, quæ castigatione indigeant, librariorum vitio irrepsisse nonnulli suspicentur. Si vidisset Albertinus MSS. codices Cæsareos, quorum meminit Petrus Lambecius in sua Augustissima Bibliotheca Vindobonensi, variantium lectionum Catalogum amplificare potuisset, non fidem totius operis infringere. Bina illic assignantur exemplaria; primum libro 3, Codice XLVI, pagina 64, quarto loco, titulo *Anastasii Sinaitæ (*male addit Lambecius, B *Senioris Patriarchæ Antiocheni)* Ὁδηγὸς sive *Dux viæ adversus Acephalos.* Deest folium ejus primum, quod continuit Procemium et indicem capitum totius libri, atque insuper principium capitis primi usque ad hæc verba: Ὅτι δεῖ γινώσκειν κατὰ ἀκρίβειαν τὰ φρονήματα τῶν ἐξ ἐναντίας. *De reliquo,* inquit Lambecius, *dignissimum est exemplar manuscriptum ut diligenter et accurate cum eo conferatur editio græcolatina etc.*

sed collationem cum MSS. Cæsareis,

a Lambecio laudatis;

73 Alterum continetur eodem libro Cod. LXXVII, ordine septuagesimum tertium et habetur pag. 164 et 165; differt autem, tam respectu *ordinis,* quam ratione *variantium lectionum et nonnullorum additamentorum non mediocriter; tum ab editione Gretseriana, tum quoque ab altero antiquo manuscripto exemplari,* de quo jam facta est mentio. Monet deinde Lambecius, deesse omnino indicem capitum; et quod in editione Gretseriana est caput tertium, illud hic collocatum esse primo loco, et inscribi atque incipere hoc modo; Ἀναστασίου τοῦ Σιναΐτου πόνημα περὶ πίστεως ὀρθοδόξου etc. Ubi etiam notandus est insignis iconismus capiti XII adjungendus, more Orientali expressus, et plane dissimilis illi, quem typographus editioni Gretserianæ pro libitu inseruit. Jam vero quid de toto opere censendum sit ex animadversiunculis nostris, æqui lectoris judicio C statuendum relinquemus.

nam quæ istic est discrepantia,

74 Animadverto imprimis, totam illam manuscriptorum codicum discrepantiam ad duo prima capita potissimum spectare, eaque a nonnullis codicibus abesse, in aliis auctiora, in aliis truncata, in aliis denique transposita, quod et in editione Gretseriana manifestum est. Etenim quod ibi caput quintum nominatur, certissimum est ad priora illa esse revocandum, æque ac alia quæ de Natura agebant, et sub capite de Definitionibus contineri, Gretserus observavit. Porro variationes istæ omnes, truncationes, et additamenta nihil operi nocere posse existimo; quandoquidem bina illa Capita ad totius tractatus seriem nullo modo spectare videantur, iisque rescissis maneat integerrima Sinaitæ dissertatio adversus Severianos, ad quos priora illa capita non magis pertinent quam ad Arianos, Nestorianos, Manichæos, et quoslibet alios hæreticos.

fere non pertinet nisi ad duo priora capita

ad ipsum opus vix spectantia,

75 Crediderim ego collectionem esse terminorum, definitionum, explicationum, aliorumque prærequisitorum, ut methodice et accurate cum hæreticis disputatio instituatur, quamque vel Sinaita ipse, vel alius fortasse Anastasius, ex sancto Athanasio aliisque Patribus confecerit, tamquam promptuarium ad sectariorum fallacias detegendas. Certe D non unius Auctoris esse, quæ duobus illis capitibus continentur, non potest non apparere vel solos titulos percurrenti; adeo ut, si ad ea tantum censuram suam Albertinus restringeret, ultro concederem, Rhapsodiam, ex multis centonibus congestam, vocitari posse; ita tamen ut reliqui operis contextus nec minimam inde jacturam patiatur.

et ab alio ei præfixa;

76 Observo præterea, in editione Gretseriana, nonnulla sub operis initium haud satis apte disposita, unde fortasse Albertinus intulerit, caput III, initium esse operis, distincti ab eo quod incipit capite IV vel V. Quis sectiones illas multiplices induxerit; sintne Sinaitæ ipsius, an potius alicujus interpolatoris, non est mihi promptum divinare; at, nisi vehementer fallar, puto tractatum Ὁδηγὸν inchoari ab oratione vel invocatione cœlestis luminis, posita capite tertio; *Principium verborum tuorum Christe* etc. eamque velut Præfatiunculam ab auctore præmitti. Scio eo capite paragraphos duos orationi anteponi, quorum primus sit interrogatio Orthodoxi, alter ad Lectorem monitio; sed quid illi ad operis contextum faciant, non intelligo: uti nec alter paragraphus, qui subsequitur, *Imprimis Nestorius* etc. quem E facile ad duo priora capita rejeceris. Nihil autem ineptius collocatum video, quam caput quintum, *de sanctis Conciliis,* immixtum seriei operis, cum eo errore, quod studiosum monenda tenenda *œcumenica sex Concilia*; cum postea non nisi quinque enumeret, nec plura indicari potuerint, dum Anastasius scriberet. Puto itaque, totum illud caput, ut nuper dicebam, ad primam definitionum et terminorum explicationem, remittendum esse.

sicut etiam nonnulla male inserta capiti 3;

77 His ita restitutis, post præcitatam Orationem, *Principium verborum tuorum, Christe,* sequatur caput IV, quod proprie, ni fallor, totius Tractatus exordium est: in quo, enarratis variis hæresibus, quarum blasphemias et impietatem Eutychiani renovabant, capite sexto Severianos seu Acephalos aperto marte aggreditur; nempe *Orchestram illam, decem cornibus instructam,* et *Decemviratum erroris etc.* Eos autem totis reliquis novemdecim capitibus ita semper exagitat, *Decicornem turbam, Decicornem cohortem, Decicorne sodalitium* identidem nominando, ut dubium esse nemini possit, quin omnia illa ad continuam et ordinatam lucubrationem pertineant. Enimvero ubi capite VI ostendit, *unde Monocula Severi fides pullulaverit;* demonstrat Capite VII, *Patres ab eo esse repudiatos:* Capite VIII probat, *ex veteri et novo Testamento, naturam et personam distingui:* Capite F IX idem examinat ex Concilio Nicæno: Capite X descendit ad disputationes cum Joanne Zyga, Dormitantio aliisque, habitas Alexandriæ; toto denique deinceps opere constricte adeo prosequitur conceptam materiam, ut Monophysitas ad ultimam usque periodum insectetur. Oculos consulat, si cui diligentia nostra non omnem scrupulum ademerit; judicetque per se, quam immerito censuram suam ei operi Albertinus inusserit, ea solum de causa, quod in uno Codice MS. librariorum inscitia, non nulla inserta invenerit, quæ in aliis pluribus et in hac Gretseriana editione non reperiuntur. Certe ad alias lectionum varietates et interpolationes quod attinet, commune id habet Ὁδηγὸς cum omnibus antiquis MSS. operibus; nec ex iis quidquam adversus Sinaitam effeceris, nisi eadem via omnium prope SS. Patrum auctoritatem eversum eas.

cujus solum exordium sit Anastasii,

et caput 4 initium operis, contra Severianos scripti

idque ordine optimo.

§. IV. *De Jacobi et Jacobitarum apud Coptos hæresi.*

Discussis superius ea qua potui probabilitate, Jacobi Jacobitarumque primordiis et ætate; sequitur ut

De hac, tanquam præcipua sui temporis,

A ut de ejus sectæ erroribus ea proponantur, quæ ad notitiam historicam pertinent; re ipsa id quodammodo exigente, nequid hic lectores desiderent, aut merito conquerantur, tam multa toto Tractatu de Jacobitis disseri, neglecta interim accuratiori de falsis ipsorum opinionibus examine; quo fieret, ut vel ignorarentur penitus, vel alienis coloribus depictæ, ut fere hactenus contigit, non quales revera sunt, exhiberentur. De Dioscori impietate et latrociniis, deque ejus a primigenia Eutychetis insania recessu, non semel superius agendum fuit. Habuere et primi ejus asseclæ suum quique locum; at cum inter illos præcipuus nominetur Jacobitarum Coryphæus, utpote Monophysiticæ hæreseos propagator strenuissimus, plusculum hic sibi postulare visus est.

pollicitus scribere Nicephorus Callistus,

79 Nicephorus Callistus, lib. XVIII cap. 45, de eo scribit in hunc modum. *Quis Jacobus iste fuerit, unde Jacobitæ nomen acceperunt... æquum esse puto ut hic referam. Altius autem narrationem petam. Postquam Eutycheti et Dioscoro a sancta quarta Chalcedonensi Synodo dignitas abrogata est; qui illorum dogmata defenderunt, facta ab Ecclesia Catholica defectione,* διακρινομένους, *hoc est* Segregatos *sive* Am- B bigentes *seipsos appellarunt; neque ullo modo, ut quæ recte in Concilio statuta essent, comprobarent, adduci potuerunt. Ii in duodecim sectas dissecti sunt, ex quibus multa millia hæresum pullularunt: ex quarum sectatoribus quidam Eutychianistæ vocati, quod Dioscorum tantum et Eutychetem reciperent; qui Christum docuerunt, Patri quidem consubstantialem esse, nobis autem minime; propterea quod nobis non assentiuntur, veram esse in Christo humanam naturam profitentibus. Postquam autem Imperator Leo diem suum obiit, atque Zeno et Anastasius Imperii administrationem susceperunt, quam maximam libertatem sibi, qui quartæ Synodo restiterunt, usurpavere. Eodem tempore et Acephali, quorum Dux Severus Antiochenus fuit, unam Verbi et carnis naturam male prædicantes, et præterea Jacobitarum, Theodosinarum, Julianistarum, et plurimorum aliorum catervæ Ecclesiæ insultarunt, qui Monophysitæ appellati sunt, quod unam Verbi et carnis naturam post ineffabilem unionem in Christo esse sentiant et doceant.*

dilabitur ad varias Eutychianorum factiones,

quæ demum in unam Jacobiticam coaluerint,

80 Pergit deinde portentosas illas delirantium et deliriorum acies explicare, *Tritheitarum, Agnoetarum, Theopaschitarum, Armeniorum, Aphtartodocitarum, Damianistarum, Angelitarum, Perritarum,* C et hujusmodi monstrorum innumerabilem turbam, adeo ut Severitarum analysis classes omnino quinque apud ipsum impleat: Hæ sunt nimirum Eutychianæ seu Dioscoritanæ Hydræ, capita dicam, an excrementa, enumerata potius a Nicephoro quam explicata, illius interim quodammodo immemore, quod primum pollicitus fuerat. Quippe, qui de Jacobitarum hæresi acturum se receperat, vix nomine tenus subinde attigit, eloquentiam seu potius multiloquentiam magis quam res ipsas meditatus. Observandum hic non oscitanter, catervas illas hæresum, immerito Jacobitis imputari, imo non tam diversas quam unam eamdemque censeri posse; eatenus multiplicem, quod de consectariis ad primam insaniam, sequaces non ignobiles, per sesquiseculum, acerrime (ut fit) digladiantes, tot hæreses procudere visi sint, quot fuerint capita dissentientia; sic tamen, ut in primam illam, seculo VII fere omnes postliminio coaluerint, sopitis intestinis dissidiis (ut alibi diximus) majori vi Synoditas seu Melchitas, communem hostem, oppugnaturi. Sed ad Nicephori caput 52 transeamus, ubi quæ de Jacobitis refert, non levi examine opus habent.

81 *Jacobus porro, a quo nunc quoque Jacobitarum hæresis denominata celebratur, Syrus genere fuit, obscurus prorsus et nulla gloria vir, qui etiam Zanzalus* D *propter summam tenuitatem est cognominatus. Hic Eutychetis, Cnapheique præterea Petri atque Severi dogmate recepto, magnopere id apud Syros propagare studuit. Ecclesia sane Catholica Dominum nostrum Jesum Christum, subsistentiam unam, e duabus naturis consistentem, Deitatis, inquam, et Humanitatis, profitetur; ita ut utraque harum post unionem proprietates suas salvas conservet, et duarum istarum naturarum unio mixtionem et confusionem, mutationemque et alterationem nullam admittat: ipseque idem, Deus sit et Homo, et voluntates virtutesque operatrices duas, divinam videlicet simul et humanam, habeat. Eutyches autem, duas quidem et ipse ante unionem naturas dixit, et deinde unitas; post unionem autem in unam eas naturam abiisse, confusasque esse, et mixtionem subiisse, opinatus est, adeo ut et divinitas, ea quæ humanitatis fuere, passa sit, et contra. Ea ipsa opinione, Dioscorus Alexandriæ Patriarcha, et Petrus Cnapheus, Severusque Acephalus, Episcopi Antiocheni, atque insuper alii, transversim abducti sunt.*

AUCTORE J. B. S.

sic dictum a quodam Jacobo,

Monophysitarum dogma propugnante,

82 *Enimvero, eo, quem diximus, Jacobo Monophysitarum opinionem apud Syros prædicante, magnum exortum est dissidium. Nam qui rectæ opinioni adhæserunt,* Melchitæ *appellati sunt, quod sanctam quar-* E *tam Synodum, et Imperatorem ipsum (Melchi enim Syris Rex est) consectarentur. Qui autem diversum senserunt, multa variaque habuere nomina;* Jacobitæ *tamen maxime sunt cognominati, propterea quod ei, quem dixi, Monophysitarum hæresis studioso Jacobo, adhærerent.* Tandem ne parum dixisse videatur Nicephorus, cap. 54 sub finem, enumeratis omnibus hæresum ducibus et doctoribus, Nestorio, Eutychete, Dioscoro, Cnapheo, Severo, Theodosio, Juliano, Gaiano, totoque illo *infelicium mortalium choro,* subjungit: *Quorum impiorum dogmatum sectator atque restaurator, quem diximus, Jacobus fuit.*

contra Orthodoxos, Melchitas dictos,

qui temere ducitur errores omnes priores amplexus;

83 Ita ille, magis ex suo genio, quam ex rei veritate, narrationem seculo XIV contexens, quam antiquis monumentis inniti vellent rerum Orientalium periti. Nam, ut alia taceam, ubi obsecro reperit Auctor ille Dioscorum, naturarum in Christo confusionem et commixtionem admisisse, semper ab ipso blasphemiæ instar repudiatam? Jacobum autem, *Eutychetis, Cnapheique præterea Petri et Severi dogma* recepisse; vel *Nestorii, Theodosii, Juliani, Gaiani errores instaurasse,* quo argumento demonstrat? Præterquam quod Armenianorum sectæ Jacobum quoque auctorem facit, quam F hæresum omnium confluentem sentinam nuncupat, et de qua cap. 53 et 54 plurima congerit, Jacobi principiis aut omnino contraria, aut tam dissona, ut stolidissimum fuisse oporteat hominem, ex cujus cerebro tot simul intemperiæ profluxerint. Illud mitissime dici posse existimo, Nicephorum istum non satis explorata habuisse quæ memorat, et ipsum æque ac Latinos, multa passim Jacobo Syro dogmata erronea appinxisse, quorum apud Scriptores antiquos, maxime Orientales, nec vestigium exstat, teste Vanslebio in præfatione ad Historiam Ecclesiæ Alexandrinæ, aliisque pluribus, qui res Jacobiticas studiosius se excussisse profitentur.

nec enim assertam a Dioscoro confusionem admisit,

nec alia multa, ipsi afficta a Latinis,

84 Hac de causa plurimos palam redarguere non veretur Faustus Naironus Maronita, in Euoplia fidei Catholicæ Historico-dogmatica, Romæ edita atque alibi a nobis citata, pag. 29, ubi ex ipsis Jacobi Zanzali scriptis ostendit, falsum esse Bernardi Luxemburgi assertum, apud Prateolum, quem et plerique alii Auctorem habent, quod *Jacobus Zanzalus, Jacobitarum Auctor, sacrosanctam Trinitatem minime crediderit, sed unam dumtaxat in divinis Personam esse docuerit, adeoque Crucis signum digito uno pinxerit.* Contrarium

præsertim apud Prateolum,

A Contrarium enim, inquit, ex ipso Jacobi Zanzali Catechesis limine constat, hisce verbis : *Dico, credo et profiteor, Patrem esse genitorem, non genitum; habentem semper ac perpetuo proprietatem generandi, et paternitatis. Item dico, credo et profiteor, Filium esse genitum, non genitorem, et habentem proprietatem generationis et filiationis. Item dico, credo, et profiteor, Spiritum sanctum procedere a Patre, extensum per Filium, nec esse Patrem neque Filium, sed habentem proprietatem processionis.* Et sane (pergit idem Naironus) error iste, una cum Sabellio Auctore, periit in Oriente; nullusque Orientalium Syrorum illum tribuit Jacobo Zanzalo, vel Jacobitis, quorum libri et monumenta nihil penitus hujusmodi erroris redolent, quin imo passim contrarium occinunt; et utinam æque bene sentirent de mysterio Dominicæ Incarnationis, ac de mysterio sacrosanctæ Trinitatis?

Auctore J. B. S. quasi non recte sentienti de Trinitate,

85 Quod attinet ad signum Crucis, unico depictum digito a Jacobitis, ipsimet rationem reddunt, ac præsertim David Barphaulos, in Dialogo inter Melchitam et Jacobitam de Trisagio, in hæc verba : *Ait Melchita; Dicite mihi, qua de causa pingitis Crucem unico digito? Respondit ei Jacobita; Quia Christus est unus, Verbum Dei, quod incarnatum est, et non* B *sunt duo; et crucifixus est supra una Cruce, et crucifixus est unica vice, ideoque pingimus Crucem unico digito.* Constat igitur, Jacobitas, inquit Naironus, pingere signum Crucis unico digito, non ad designandam unam personam in divinis, ut asserit Prateolus ; sed propter causas superius allatas, quæ etiam leguntur in eorum Catechismo.

ideoque Crucem uno digito formanti.

87 Hactenus Naironus, cujus verbis veram hæresim Jacobiticam paulo post declarabimus, qualem nobis Orientales tradunt, hoc est propriam et ipsissimam Monophysiticam, seu naturæ unius in Christo assertricem : præcisis aliis propaginibus, quas Jacobitis perperam adscribi putamus, quod earum nec Naironus, nec Orientalium alius meminerit. Atque hinc etiam fulciri credimus conjecturam, num. 41 a nobis insinuatam ; Jacobum nempe non tam hæresiarcham, quam Monophysitarum atque Antisynoditarum pacificatorem conciliatoremque fuisse; qua insigni solertia id consecutus sit, ut a suo nomine posteri Jacobitæ dicerentur.

Una est præcipua Jacobi hæresis,

87 Nolim tamen inficiari, ab S. Anastasio Sinaita, uno quem ex antiquis noverim, Jacobitas, tamquam distincta aliqua, Monophysitarum in classe collocari : at cum peculiarem nullum errorem assignatum inveniam, nec is aliunde innotescat; non est C quod homines, satis per se denigratos, nova fuligine inspergam. Neque me latet, in illa Jacobitarum multitudine, Asiaticorum, Coptitarum, Habessinorum, alios aliis erroribus irretitos, et quoad dogmata, et quoad disciplinam ritusque ecclesiasticos, ut suo loco explicabitur. At enim posteriores eos abusus, non omnes a Jacobo traditos, sed successu temporis irrepsisse, hinc datur colligere, quod paucissimi Jacobitis omnibus communes sint. Verosimile est igitur ex aliarum nationum sectarumque commercio, usu, familiaritate (quidni et auctoritate?) ritus ejuscemodi introductos; nisi malis supinam earum gentium ignorantiam, et a bonis artibus alienationem, tantorum malorum causam pronuntiare. Quod nemini mirum profecto videbitur, si miserandum et deplorabilem hæreticorum istorum statum et conditionem attentius consideraverit; quorum Patriarcha et Clerus universus (saltem in Ægypto) ex rustici generis hominibus, rudibus et stupidis componitur, quibus Arabibus linguæ elementa nosse, pro omni litteraturæ et doctrinæ præsidio sufficere, eruditi recentiores affirmant, et novissime Bernatus in supra citata epistola.

esto quod sequaces ejus

in varios errores aliunde acceptos deflexerint,

per supinam ipsorum ignorantiam.

88 Sed ad Nicephorum redeamus, in eo saltem non oscitanter versatum, quod Jacobitismum cum D ipsis Orientalibus tandem reducat ad hæresim de natura una in Christo, hoc est, ad Monophysitarum vesaniam, sive Eutyches et Dioscorus revera consenserint, seu potius mixtionem et confusionem admiserit ille, hic constantissime pernegaverit. Certe Jacobus Zanzalus, acerrimus Dioscori sectator (teste Nairono) *Eutychetem diro percellit anathemate, delirum eum appellans et insipientem, quod admitteret confusionem, permixtionem et similes voces in mysterio Dominicæ Incarnationis.* Vanslebius vero libro 3 capite 2 asseverat, Coptitas credere, *quod in Verbo divino, postquam assumpsit naturam humanam, non detur nisi una natura, una substantia, una operatio et una voluntas; agnoscentes nihilominus adunationem istam sine ulla confusione, commixtione, aut alteratione.* De famoso illo Eutychetem inter et Dioscorum discrimine, ut semel dicam, tam accurate tractarunt recentiores polemici, suntque hæc adeo pervulgata, ut supervacaneum sit et extra rem præsentem, ei controversiæ diutius immorari. Eam recens, erudite non minus quam curiose, excussit Ludolfus in Comment. Æthiop. ad librum 3 cap. 8, singulos prope hæreseos illius difficiliores apices perscrutatus.

Interim communis omnibus Monophysismus

recte imputatur Jacobo ut promotori ejus,

89 Ceterum ut ut illa se habeant, unum comperio E ut indubitatum, Jacobiticam hæresim ab Orientalibus, hisce terminis concludi; *Ex divina et humana natura factum esse compositum quoddam, quod unam naturam vocant, sine confusione tamen et commixtione, æque ac animæ et corporis in homine.* Audiatur Nicephorus, de Monophysitis loquens cap. 46. *Nobis* (inquit) *unam subsistentiam compositam dicentibus* (Quid sibi velit per *subsistentiam compositam* non intelligo, una nobis est et simplicissima Christi subsistentia) *illa unam potius naturam compositam inferunt. Et rationem sententiæ suæ exemplo confirmantes, dicunt, hominem animam obtinere et corpus ; et aliam animæ naturam esse, aliamque item corporis ; siquis quamlibet per seipsam contempletur : cum vero illæ coierint, hominem efficere, unam naturam compositam obtinentem. Non enim, inquiunt, duas naturas hominum dicere oportet, sed unam compositam. Atque ad eumdem modum de Servatore Christo opinantur; illum videlicet, ex duabus quidem constitisse naturis, post unionem autem duas eas naturas, in unam evasisse compositam, quod sane Ecclesia tamquam piaculum prorsus aversatur.* Sano sensu explicanda, quæ Scriptor hic tradit : nam, si Monophysitæ seu Jacobitæ opinantur, Christum *constitisse ex duabus naturis* ante F unionem, quæ *post unionem in unam evaserint*, jam Christus fuerit Christus, antequam Christus esset. Non opinor eos adeo desipere. Puto itaque, illos ita intelligendos, ut velint, naturas eas in statu separationis ut duas considerari, si considerentur ut compositæ, non nisi unam efficere.

fere sic ut a Nicephoro explicatur.

90 Ceterum, ut hic nobis discribitur, unanimis et consentiens Monophysitarum omnium sententia fuit: quidquid de consectariis ad posita principia inter se per duo fere secula (ut solent qui a recto tramite deflexerint, novis identidem ambagibus implicari) gravissime sunt altercati. Unde et enatas videmus varias illas monstrorum catervas, germina errorum, quos recensebat Nicephorus, et quorum prope omnium Jacobum et Jacobitas reos decernunt Scriptores aliqui, rebus, opinor, non ea qua opus erat diligentia examinatis. Ansam ipsis præbere potuit idem Nicephorus, cujus auctoritate non est quod adeo terreamur, postquam et fabulosa nonnumquam, incerta sæpe et falsa comminisci, jam dudum deprehensus est : Quasi vero Jacobus et Jacobitæ non satis insaniisse convincantur, nisi ex obsoletis et detritis Eutychetis, Dioscori, Cnaphei et Severi scrutis (ut ex illo loquitur Gualterius) variæ et multiplicis

licet eum non satis secernat ab aliis,

A multiplicis hæresis centonem consuerint. Sane moderniores doctissimi, et in rebus Orientalibus diu multumque versati, non aliam hæresim Jacobiticam agnoscere videntur, præter eam quæ proposito jam dogmate continetur.

inde consequentibus ;

91 Jam siquis instet, maximam aliorum errorum partem, quas Jacobitis tribuere non audemus, legitima consecutione deduci ex primaria illa assertione, a nobis assignata : responsum is habeat, Thesim aliam esse, aliud quod ex ea consequens apparet; atque admissa illa, hoc passim confidenter negari, ut ex Dialecticorum placitis notissimum est. Adde quod, ut supra retulimus, ex ipso illo Dioscoritano dogmate pugnantes propositiones elicitas sciamus, ex quibus feralia ista Monophysitarum dissidia, tanto tempore errantia ingenia exercuere. Ex uno nosce reliqua. Si una dumtaxat in Christo natura existit, continuo quæritur, sitne corpus Christi ejusdem cum nostris substantiæ, an contra? Aiunt Corrupticolæ negant Phantasiastæ. Quid nunc de Jacobitis statuas? Mihi ita hoc videtur, non juste accusari, donec omnino exploratum sit, utram an nullam admittant consequentiam ; credantque præstabilius, philosophari male, quam pravos per omnia dici Christianos.

quæ ipsos Monophysitas varie distraxerunt,

B

et a Jacobitis rejiciuntur,

92 Quod de corruptibilitate Corporis Christi, in exemplum deprompsi, trahi pariter licet ad cetera, Jacobitis non affricanda, quamdiu ab ipsis rejiciuntur. Constat vero, ex disputationibus nostrorum Patrum cum Habessinis apud Balthazarem Tellezium, hujusmodi sequelas repudiari non solum, verum et quo ad radicale principium, sæpe tam ambigue Jacobitas loqui, ut quid velint, nec ipsi perspectum habeant, nec aliis dilucide explicare possint. Habessini imprimis, qui cum οὐσίαν, ὑπόστασιν, πρόσωπον, φύσιν, æquivalentibus vocibus vernacule reddere non valeant, ad tædiosissimas logomachias plerumque confugiunt, dicta indicta, rata irrita, quod concesserunt, ineptissime abnuentes.

doctrinæ Severi præcise inhærentibus,

93 Interim dogma illud capitale Jacobiticæ hæreseos, clarissime in rem nostram explicat Abulpharagius apud Ludolfum loco citato, his plane verbis : *Severus Patriarcha Antiochenus* (hujus potissimum asseclam fuisse Jacobum, fatentur omnes) *libros multos composuit, ad astruendam scientiam de natura una e naturis duabus, divina et humana, sine mixtione, confusione aut corruptione. Verum ita, ut eo modo quo fuerunt, manerent, sicut natura hominis, duabus naturis animæ et corporis constat ; et corpus, duabus naturis materia et forma ; ita ut nec anima in corpus mutetur, nec materia in formam, vel e contra.* Atque C hæc ipsissima hodiernorum Jacobitarum est opinio (inquit Ludolfus) quam apud Scriptores nostros tam nitide expositam legere se non meminit. Nec dubium esse potest, quin eadem illa hæresis, iisdemque concepta verbis, ab ipsomet Zanzalo olim fuerit tradita : quandoquidem nullus, quod sciam, hactenus Jacobitas mutasse quidquam aut variasse meminerit, si unum Bretewoodum excipias, idcirco a Ludolfo merito castigatum.

prout eam exponit Naironus ;

94 Hisce a nobis huc usque deductis, conformia sunt, quæ scribit prælaudatus Naironus pag. 26. *Monophysitæ* (inquit) *arbitrantur nullam subsistere posse naturam sine propria subsistentia; ac proinde, cum in Christo Domino sit una subsistentia, unam quoque naturam necesse esse affirmant. Quocirca falso sibi persuadent, Chalcedonenses Patres, sub nomine duarum naturarum insinuare voluisse dualitatem personarum; adeoque damnatam in Ephesino Concilio Nestorii hæresim instaurasse, vel instaurare eo nomine voluisse. Ceteroquin in re minime abhorrere videntur : quod quidem aperte testatur Severus Antiochenus Hom. 2, cap. 9 his verbis :* Numquid aliquis arguit Concilium D celebratum Chalcedone, quod duas naturas in Christo esse dixerit? Absit, sed quia abstinuerunt dicere unitatem personarum, et quod esset ex duabus.

quasi non distinguerent personam a natura,

95 *Monophysitæ etenim ex dictis omnino in terminis æquivocare videntur ; nam non obscure colligitur, eos personam a natura minime distinguere, ac pro eodem accipere, dum asserunt esse in Christo duas naturas separatas, quæ coalescunt in unam naturam, ut aperte habetur ex Anastasio Sinaita in* Ὁδηγῷ *cap.* 6, *ubi ait :* Monophysitas asserere, naturam esse personam, et similiter personam naturam, ideoque contendunt, nullam personam sine natura esse. *Ideoque non abs re Morinus in tract. de sacris Ecclesiæ ordinationibus, in Præfat. ad sacram Nestorianorum ordinationem, ubi loquens de Armenis, qui eamdem Monophysitarum tenent hæresim, notat sic ;* eos unam naturam in Christo profitendo, errare magis ignorantia discriminis inter personam et naturam, quam deliberata unius substantiæ in Christo definitione. *Imo eos nescire quid sit persona, deducitur ex ipsa Jacobitarum Catechesi, ubi :* Deus novit quod plures hominum nesciant, quid sit persona, neque quæ sint ejus notiones. Persona est id, quo cognoscitur res, v. g. solem cognoscimus ex ejus personis, splendore scilicet, luce et lumine, quæ sunt tria, et unus sol. *Ex hac definitione, in qua, pro personis in sole agnoscunt splendorem, lucem, et lumen ; singulæ rerum proprietates essent personæ, et in ipsomet Christo Domino, in quo negant pluralitatem naturarum, admitterent pluralitatem personarum.*

defectu congruorum terminorum,

E

vere Deum et hominem fateantur Christum ;

96 Confirmat hæc omnia Tellezius noster, in relatione Æthiopiæ, æquivocationem illam Jacobiticam frequenter detegens, et ipsam refutans, eorum verbis, qui cum Habessinis disceptaverant. Operæ pretium erit pauca e multis attexere, quæ habet lib. 6, cap. 3, ut ea ex sermone Lusitano Latine reddidit Ludolfus : *Cum Romani dicunt* (verba sunt Basilidis Regis Habessinorum ad Patriarcham Alphonsum Mendezium) *in Christo dari duas naturas, nimirum divinitatem et humanitatem ; id ipsum etiam nos sciebamus, statim ab initio usque in hodiernum diem. Credimus enim, quod idem Christus Dominus noster, sit* perfectus Deus et perfectus homo ; perfectus homo in humanitate, et perfectus Deus in sua divinitate. *Quandoquidem vero hæ illius naturæ, non separatim, neque discretæ a se invicem extant (divinitas enim ejus cum carne unita est, neque separatim consistit ; et caro ejus conjuncta est cum divinitate, neque per se subsistit sine divinitate) propterea non dicimus, quod sint duo ; est enim unum, quia facta est una res ex duabus; ita tamen ut non confunderentur, neque miscerentur naturæ in suo esse ; et quoniam eadem res est, nos utimur nomine Unitatis : disceptatio autem super hoc articulo, non est res magni momenti,* etc.

nolunt tamen duas naturas dici,

F

ut a Nestorio recedant,

97 Ita loquuntur et speciose imponunt Jacobitæ Habessini. Sed *libros paucos, quos habent monachi illorum* (inquit idem Tellezius) *nolunt venire in manus Catholicorum, ob fortia et efficacissima argumenta, quæ ex illis desumimus ad confundendos errores Dioscori et Eutychetis.* Ita etiam loquuntur Copti, referente Sacchino Societatis Jesu Historiographo, parte 2, lib. 6, numero 123, Christophorum Rodericium, contra eos arguentem, hæc demum extorsisse ; *Ut a Nestorio recederent, naturam dumtaxat unam se agnoscere.* Et iterum : *Modo tantum loquendi interdum se differre, aiebant, a Romanis, et in odium Nestorianorum se eo loqui modo.*

cum interim animo foveant Eutychianismum.

98 Ita de ipsis referunt Scriptores alii, nec pauci, nec contemnendi, ex quorum fide (ut ego opinor) Auctor Historiæ Criticæ de religione et ritibus Orientalium, satis liberaliter, totam Jacobitarum hæresim ad errores imaginarios et phantasmata ablegavit. Fecerit hoc ipse pro sua auctoritate, qua et Nestorianismum

AUCTORE J. B. S.

A Nestorianismum et Monothelismum universum, pene dixeram antiquas omnes hæreses, ad inanes et pueriles de vocibus contentiones reducit. Fecerit, si ita vis, recta intentione et pia credulitate. Non tam facile sibi imponi sinent alii splendidis illis excusationibus et prætextibus. Enimvero credulitate nimia eruditum criticum peccasse, non facile credidero, satis alias libere animi sensa declarare solitum. Id equidem non satis perspicio, cur passim et quasi dedita opera Orientalibus illis, et schismaticis et hæreticis, patrocinetur; quorum tamen subdolam fidem nonnumquam expertus fuerat. Unum omnium instar erit luculentum perfidiæ exemplum, quod ipsemet nobis ultro suggerit, selectarum epistolarum suarum tom. III, epistola I. Narrat ibi, Eliam Presbyterum Nestorianum, ita variis artibus Romæ imposuisse, ut ei Sacrum celebrare licuerit, modo Missali uteretur Chaldaico, ad usum Maronitarum impresso; quo pacto etiam Parisiis pro Catholico habitus est: dum interim proprium Euchologium circumferret, in quo ea tantisper induxerat, quæ hæresim suam detegere posse arbitrabatur; non sic tamen, quin in Simonii oculos aperta fraus incurrerit. Monet hic igitur amicum, a veterator cavendum B esse. Nam *Elias*, inquit, semper in animo Nestorianus est, quidquid in speciem Ecclesiæ Romanæ placitis adhærere velle videatur. Plura illic videat curiosus lector, et apud Sacchinum, insignis impostoris Abrahami fallacias, quibus et Romanos, et Rodericium, ad Coptos ablegatum, delusit. Taceo alias hujusmodi sycophantias, quales et hic Antuerpiæ in Episcopo Armeno non ita pridem intueri licuit. Credat speciosis et fucatis schismaticorum illorum confessionibus qui voluerit.

quidquid hic dissimulent.

99 Malim ego certe tritissimas dicere et sæpe recoctas Jacobitarum nænias, ab ipso schismatis principio, adversus orthodoxos ad nauseam decantatas, et hodie decantari solitas; unde a multis dubitatum sit, contumaciane hæretica magis, an inveterato potius odio et æmulatione; vel (si apertius loquendum est) crassissima, sed maxime vincibili ignorantia, deliria sua pertinacissime tueantur; Nestorianis annumerantes Latinos, Græcos, eosque omnes qui duas in Christo naturas confitentur. At cum utrovis modo peccent, gravissime culpandi sunt, quod veritate ex suismet libris, imo ex propria confessione agnita, etiam cum ipso salutis æternæ dispendio, desipere malint, quam ad Ecclesiæ gremium, toties ipsis benignissime apertum, postliminio C redire. Nimirum *cor Jacobitarum* (quod de Habessinis scribebat ad Basilidem Mendezius Patriarcha) *adeo induratum est, ut divina beneficentia non vincatur.*

Sic speciose Latinis imponunt,

100 Nihil me movent quæsita toties lenocinia, quibus Francis seu Latinis interdum abblandiri visi sunt, infelici plerumque exitu; ut ex Rodericii ludificatione; ex tot Æthiopicis legationibus, Missionibus, et præstantissimorum virorum susceptis incassum laboribus, manifestissime colligitur. Quid, quod, dum ficta illa submissione, errorem palam confitentur suum, clam interim scribere et dicere non dubitent: QUI DUAS IN CHRISTO NATURAS ET DUAS VOLUNTATES ADSTRUUNT (eos) SURMERGAT ABYSSUS STULTITIÆ ET OBTENEBRET CÆCITAS NUGARUM. Quemadmodum et veterator ille Jacobita anonymus, apud Ludolfum Comment. lib. 3 cap. 10. num. III, paulo sincerius professus est. Credat Coptis aliisque Jacobitis qui voluerit; id mihi comperisse videor, eos hæretico et schismatico spiritu abreptos, non facile ab erroribus revocatum iri, id exercite (si ita loqui fas est) et invicte demonstrantibus iis, qui sudores, sanguinem et vitam ipsam ad eorum conversionem frustra impenderunt, hodieque in Ægypto

in hæresi et schismate pertinacissimi,

impendunt, perexiguo, imo ausim dicere, vix ullo D sperabili fructu.

101 Nempe imbibitum est, materno cum lacte, inveteratum et indelebile odium adversus eos, qui Concilii Chalcedonensis placita, auctoritatem et orthodoxiam propugnant. Fanda et nefanda commenti sunt, quæ a teneris unguiculis, quasi de memoria discantur a pueris. Exaggerant atroces persecutiones, Concilii istius causa a majoribus toleratas: trucidata uno fere die ducenta Ægyptiorum millia, eversa templa, dejectas domos, sævitum in monachos, feminas, infantes; verbo, vix enormius depingitur crudelissima Diocletiani in Christianos exercita ibi olim carnificina. Hæc illa, ipsis infortunata traditio, tot farta mendaciis, ut inter alia S. Leonem Romanum Pontificem, S. Pulcheriæ maritum ineptissime fingant. Neque est quod aniles illas fabulas, eradicari posse existimes, cum vel sola rerum istarum recordatio, adeo bilem acuat, ut de iis se interpellari nullatenus patiantur. Interim a majorum suorum vesania recedere turpissimum crederent, quos toties *Codicem Chalcedonensem*, tamquam *blasphemiis plenum*, anathemate percussisse, et Magni Leonis epistolam diris devovisse, etiamnum meminerunt. Videatur Ludolfus in Commentariis pag. 463, ex quo nonnulla in Patriarcha Benjamino decerpta invenies. E

ex inveterato orthodoxorum odio,

quod solent atrocibus in eos calumniis.

102 Superest modo, quod ex Ægypto quæsivi, de præsenti controversia, Bernati testimonium, ita jam dictis conforme, ut quæ fuse in sæpe citata epistola deduxit, sic brevissime complecti possim. Coptos, schismatice et hæretice sentire; si tamen examinando interroges, catholice et orthodoxe, saltem in speciem, explicare omnia, quamdiu cum orthodoxis agunt. In quo notes velim varium, ne dicam vafrum, Coptorum ingenium, ac miram facilitatem, qua se bardos, stupidos, stolidos ultro fatebuntur; ultro admittent, pravas esse suorum opiniones; versari se in manifestis erroribus; Francos esse viros doctissimos; apud eos reperiri verum fidei depositum. Interim obverso tergo ad propria redeunt, iisque adhærent tam pervicaciter, ut dum integro seculo laboraveris, paucos admodum, sincera et vera conversione ad fidem catholicam perducere queas. Eorum verbis loquor, qui id experti sunt. Nullam fortasse gentem invenies, quæ facilius se rationibus victam fateatur; conversos diceres quos semel atque iterum fueris allocutus. De cetero, qui rem propius intuiti sunt, non multos norunt qui a Coptis F ad Latinos, vulgo Francos, transierint. Nunc ad pleniorem hæreseos præfatæ notitiam nonnulla, recens ex Ægypto allata, proferamus in medium.

Coptos si nunc interroges, Catholicos credes;

et de Francis Latinis bene sentire,

103 Notat primum Bernatus, Coptis non convenire Habessinorum et Armenorum excusationem, qua gentes illæ, ad explicanda Catholice dogmata, terminorum in lingua sua penuriam prætexunt. Etenim, cum Copti passim et loquantur et scribant Arabice, vocum illis abunde est, ut Personam, Naturam, aliaque distinctissime explicent. Nec minus Coptice præstare id possint, si ita loqui voluerint. Unum hoc illis deest præcipue, quod vel ex ignorantia non possint, vel potius ex vera pertinacia non velint, Personam a Natura distinguere. Omnia ipsis et perpetuo una sunt: *Persona una, Natura una, Voluntas una, Operatio una.* Sic sentiunt, sic loquuntur, sic scribunt: si ad explicationem devenerís, ea dicturi sunt, quibus ferme Orthodoxi appareant; si libros eorum consulas, multa etiam occurrent quæ ad sensum Catholicum accedant, multa quæ hæreseos suspicionem ab eis removeant. Atque eo pacto promeriti sunt, ut critici benigniores, imaginariam existiment eorum hæresim; quam ego, salva recentiorum istorum pace, eamdem esse autumo,

interim frustra excusant defectum terminorum,

A tumo, quæ fuit a mille ducentis annis et amplius; hoc est purum putum Monophysismum, et quod ex eo consecutum est, Monothelismum etc.

numquam duas in Christo naturas simpliciter admissuri,

104 Non inficior, Bernatum quandoque in partem mitiorem propendere; verumtamen Coptorum patrocinium suscipere ipse non audet, cum nimis aperta viderit, ex frequentiori usu et commercio, hæreseos indicia, quidquid in expositione ita thesim aut torqueant aut tacite retractent, ut Catholicis approximare videantur. Illud certissimum est, Bernato teste, vix ullum repertum iri, qui admissis quibuscumque præmissis de divina et humana in Christo natura, huic conclusioni subscribat, imo non pertinaciter obluctetur, ergo, *Dantur in Christo naturæ duæ*, quæ tamen est ipsissima Catholica veritas. Habent qui doctiores sunt, in promptu nonnulla effugia, quibus propositionem nimis crude negatam, moderari norunt; continuo subjungentes; Non dari in Christo duas naturas, *divisas*, vel *separatas*, aut his similia, nimis quam trita Verum enimvero et hæ cantilenæ suut veteres ac obsoletæ, ab Eutychianis et Monophysitis ab ipso fere suæ hæreseos exordio decantatæ. Urge, insta, quantum quantum volueris, eo demum redibit oratio, quo B blasphemias suas Eutyches solebat concludere; *Numquam se duas in Christo naturas agnituros*, utpote qui in eo Nestorianismum credant consistere.

non magis quam tempore Concilii Chalcedon.

105 Video, me divertere ad res fori et instituti non mei, quo sensim perduxere modernorum Eutychianorum patroni, dum hæresim, vere, ut ego existimo, subsistentem, umbratile faciunt et inane spectrum. Liceat mihi fautores illos monere, uti ad Acta Concilii Chalcedonensis recursum habeant, inventuri illic Episcoporum, præsertim Ægyptiorum, summam in tuendo Dioscoro ejusque errore pertinaciam, Copticæ hodiernæ similem plane atque germanam· Hoc unum ipsis præfixum erat, hoc occinebant perpetuo; *Eum qui dicit duas naturas, in duo incidite; qui dicit duas naturas, Nestorianus est.* Quid non moliti sunt Concilii Chalcedonensis Patres, ut ab illis Episcopis extorquerent, *anathematizare eos Eutychen aperte, qui dixit ante Incarnationem duas naturas Salvatoris nostri, et post Incarnationem, unam?* Qui non actum est variis edictis, collationibus, minis, pœnis, precibus, ut Eutychiani, Severiani, Acephali, duas in Christo naturas admitterent? Nihil intentatum relictum est; sed nihil vel tunc obtentum, vel modo a cervicosissimis hominibus obtinebitur, quidquid interdum fingant aut assimulent.

Frustra etiam prætexitur ignorantia,

C 106 Tædet me næniarum istarum: at cum videam viros, etiam eruditos, sic Coptorum nostrorum dicta accipere, acsi a primo errore resipiscentes, jam tandem ad Catholicum sensum accederent; id me audacter edicere posse puto, vel nusquam fuisse Monophysitas, vel Jacobitas omnes, etiam modernos, ea qualicumque seu vocali et contentiosa, seu reali et vera Eutychiana hæresi esse afflatos. Apage prætextum ignorantiæ et stupiditatis, imo ad eas advertere quam maxime, cum inde hæresis exorta sit, teste S. Leone Papa epist. 13 ad Pulcheriam Augustam, ita scribente: *Dignum gloria vestra est, ut error, qui, ut arbitror, de* imperitia *magis quam de* versutia natus est, *auferatur, priusquam ullas sibi vires de consensu* imprudentium *et pertinacia pravitatis acquirat. Quia etiam* ignorantia *graves nonnumquam incidit lapsus, et plerumque in diaboli ruit foveas* incauta simplicitas; *per quam supradicto obrepsisse intelligo, spiritum falsitatis, ut dum æstimat, se religiosius de filii Dei majestate sentire, si ei naturæ nostræ veritatem inesse non diceret, totum illud quod* Verbum caro factum est, *unius atque ejusdem putaret esse substantiæ.* Quid obsecro aliud reipsa sentiunt Copti omnes et Jacobitæ reliqui? quibus verissime aptaveris intortum olim in ipsum Eutychen ejusdem D S. Leonis dictum, *indoctos esse antiquæ fidei impugnatores.*

ubi pervicacia certa est;

AUCTORE J. B. S.

nec in mero laborant æquivoco,

107 At tota hodierna Jacobitarum hæresis in multa solum æquivocatione consistit. Lubens fateor æquivocationum esse plus satis: sed numquid a principio æquivocationibus concertatum est? Sane si ea tibi ratio sufficit, ut ab hæreseos labe Jacobitas purges; id una effeceris ut nulli unquam Monophysitæ hæretici fuerint in rerum natura. Rursus, ex ignorantia potius, quam ex malitia aut hæretica pravitate schismati immersi sunt. Voca ignorantes, rudes, stupidos, imperitos, imprudentes; nihilo apud me sanctiores reddideris, donec ejurata hæresi Catholicos, et a veteribus erroribus resipiscentes ostenderis. Sed fallor, si unquam a pseudopatriarcha Eutychete recessuri sunt, cujus hoc palmare assertum: *Duas in Christo naturas ante unionem, unam vero post unionem.* Antiquitatem excute et evolve, relege Conciliorum Acta, Historicos consule, eo semper redactos invenire Eutychianos, ut duas in Christo naturas confiteri abnuentes, pro hæreticis habiti fuerint. Sic Agapitus Papa Justiniano famosum Anthimum detexit, alii alios, quibus enumerandis supersedeo. E

claram et apertam hæresim profitentes,

108 Neque vero ad Basilidis neque ad Coptorum supra citatas Confessiones provoces: nam apud Ecclesiam Romanam nihil amfractus illi proficient, nisi, ut olim in Concilio Florentino, et in pluribus aliis unionibus, sincere, simpliciter et absolute hæresim quantumvis in æquivoco consistentem, ejurent, affirmentque *duas in Christo naturas, duas voluntates, duas operationes.* Ita cum Armenis, ita cum Chaldæis actum est. Et hi quidem dum sub Paulo V ad Ecclesiæ communionem reducti sunt, Monothelismum suum, teste Petro Strozza ad meras etiam æquivocationes retulere. Sic aiebant: *Orientales unam voluntatem in Christo fatentur: non eo quod alteram voluntatem conculcent, sic dicunt; sed ne sit confusio in una filiatione unita Christo, dicendo voluntatem et voluntatem, humanam et divinam. Dicunt enim unam voluntatem: scilicet voluntas voluntatem secuta est; nimirum conjuncta est una voluntas cum alia, et duæ voluntates unum quid simul sunt.* Attamen ambages illæ et circuitiones facere non potuerunt quo minus errorem clare et rotunde ejurare et detestari Chaldæi non debuerint cum sub involucris illis, totum Sergii venenum delitesceret, quemadmodum et sub fucatis illis Coptorum retractationibus et explicationibus, ubi accuratius paulo expenduntur, Eutychianæ hæreseos seu Monophysismi virus deprehenditur. F

quam jussi, sine ambagibus detestari,

109 Id non obscure perspexisse videor ex iis quæ Bernatus refert a Coptis adduci solere ad errores suos, quantum possunt, emolliendos. Est, inquit, apud ipsos liber summo in pretio et æstimatione, quemque adeo vocant *Doreltimin*, Lapidem pretiosum, tamquam totius fidei Copticæ breve compendium. Ibi capite 3, dum de Incarnatione agitur, sic habet: *Assumpsit corpus et animam rationalem sicut nos, et in omnibus nobis similem, excepto peccato; nec divinitas in humanitatem mutata est, nec humanitas in divinitatem, sed unaquæque servavit quod sibi proprium erat: non sunt duæ personæ, non sunt duæ naturæ separatæ post unionem, quæ separationem non patitur, sicut dicunt communi consensu SS. Athanasius, Cyrillus, Epiphanius et Severus.* Quis hæc, prima fronte non catholice dicta existimet? Audi modo qua ratione probetur speciosa propositio. Et primo quidem refutat errorem Apollinaristarum et Manichæorum super mysterio Incarnationis. Deinde hæreticos omnes qui dividunt vel confundunt Christum. Tum auctoritate D. Cyrilli utitur ex celeberrimis

provocant ad suam de Incarnatione Confessionem

AUCTORE J. B. S.

et S. Cyrilli auctoritatem pravo sensu intellectam,

A rimis illis ad Successum Diocæsariensem Episcopum epistolis, quibus rem aperte et paucis decisam ait, cum dicitur VERBUM HABERE NATURAM INCARNATAM.

110 Nota est eruditis controversia circa binas hasce Cyrilli epistolas, quam ab annis aliquot distinctius explicuit in sua Nestorianismi historia P. Ludovicus Doucin pag. 245 et 246, ubi priscas illas Eutychianorum argutias sic dissoluit, ut frustra Cyrilli auctoritatem Copti appellent, nihil ipsis omnino profuturam. Ex uno, quod ego hic proponam epistolæ I specimine, quid Cyrillus velit, lector intelliget. *Igitur cum id consideramus, nihil illum in unitatem concursum violamus, dum ex duabus naturis factum esse dicimus : sed post unionem naturas, alteram ab altera non dividimus, neque in duos filios illum unum impartibilemque secamus; sed unum asserimus filium, et ut sancti Patres dixerunt, unam naturam Dei Verbi incarnatam. Itaque quantum ad considerandum attinet, atque animi oculis tantummodo contemplandum quomodo homo factus sit ille unigenitus, duas naturas unitas esse dicimus, unum vero Christum et filium et dominum illud Dei patris Verbum hominem factum et incarnatum asserimus.* Desumpta hæc sunt ex Tomi V B parte altera operum S. Cyrilli editionis Aubertinæ MDCXXXVIII, ubi plura curiosus lector inveniet, quæ ab Eutychianis in pravum sensum torqueri possint et soleant, sed quæ apud Doucinum breviter, clare et catholice exposita reperiet. Si ad eam normam Copti fidem suam exigi velint, spes erit fore, ut aliquando ad nos accedant.

ac denique ad naturæ unitatem asserendam revolvuntur.

111 At quam procul inde absint, ex reliquis collige. Postquam auctor, *Lapidis pretiosi* multa tractatui suo inseruit ex litteris Synodalibus, a Patriarchis Alexandrinis et Antiochenis ultro citroque missis, cum mutua fidei Confessione; rem concludit dicendo, quod Patres sui Patriarchæ, puta Alexandrini, ut ex litteris, ad Suffraganeos scriptis, aperte liquet, semper injunxerint, UT CONTESTARENTUR UNAM NATURAM, UNAM VOLUNTATEM, UNAM OPERATIONEM DEI INCARNATI. En quo demum recidant, quæ prius orthodoxa videbantur. Sudabis, opinor, priusquam hanc propositionem ad sensum reduxeris bene catholicum, nisi denuo in meris æquivocationibus ludi contendas, et plicando explicandoque novis æquivocationibus involvas omnia. Quid multis opus? Finge et refinge quamdiu lubuerit, unum hoc extundes, Coptos, et Jacobitas reliquos, eidem labyC rintho immersos, cui a principio majores eorum se improvide irretierunt, et ut nuper dicebam, multa garrire catholice, cum revera et schisma et hæresim profiteantur. Nam quæ jam effugia, quasi nova, procudunt; arma sunt jam olim ærugine obsita. Denique expositiones, circuitiones, modificationes, antiquæ sunt, et a tot seculis eversæ et obtritæ. Ita equidem sentire cogor; avide amplexurus, si quis solidius et perspicacius res explorando, Coptos, et ab errore immunes ostendat, et ad Ecclesiæ Catholicæ gremium, potentissimo Dei auxilio, reducat. Sed de prima et præcipua Jacobitarum hæresi, dictum abunde est; errores alios, successu temporis inductos, præsertim in ecclesiam Coptorum, sequentibus paragraphis prosequemur.

§. V. *Alii Jacobitarum errores : atque inter Asiaticos, et Habessinos differentiæ.*

Ex infidis relationibus

Alios errores dico, eosque tales, qui cum primario illo præcipuoque dogmate hæretico, quod jam abunde discussimus, nullam affinitatem habeant aut connexionem. Ea est hæreticorum et schismaticorum infelix conditio, ut propter indomitam pertinaciam et rebellionem, flecti nesciam, a summo Ecclesiæ capite divulsi, ex una in alias culpas sensim dilabantur. Excusso Pastoris jugo, deficit purioris doctrinæ pa- D bulum, et succedente ignorantia, fœcunda scelerum matre, ad propudiosas etiam insanias aperitur ostium, ut quotidianis et lamentabilibus exemplis funesta docet experientia. Porro Jacobitarum nostrorum errores, rursus invenio a Scriptoribus non paucis, nec mediocris auctoritatis, et præter modum multiplicatos, et auctos enormiter : credo, quia homines illi satis noti non fuerunt, aut quia infidis relationibus nimia facilitate assensus est præbitus. In aliud extremum abit Historicus Criticus, a pag. 118, ita Jacobitas excusans, prope ut in numero Catholicorum eos ponere videatur. Sed quæ ille paucis perstrinxit, multa definiens, examine paulo longiori perpendenda sunt.

multa ipsis imputantur,

113 Traducuntur passim Jacobitæ universi, tamquam qui sacrosanctam Trinitatem minime confiteantur, quo de errore sat multa superius retulimus. Deinde, quod sacri Baptismatis vice, utantur Circumcisione, vel Baptismum simul cum Circumcisione, requirant. Quod fronti aut genis inusto cauterio, putent peccatum originis persanandum. Quod Eucharistiam sub utraque specie infantibus simul cum Baptismo et Confirmatione impertiant. Quod Sacer- E dotes, Diaconi et Subdiaconi, simul adsint ad altare, unaque communicent; exemplo, ut nugantur, trium illorum Regum, qui Christo ad præsepe obtulerunt munera. Quod Confessionem ab Ecclesia abrogaverint. Quod negent dari Purgatorium, ac proinde animas a corporibus separatas, fidelium precibus juvari. Quod de Sacramentis non recte sentiant. Quod Primatum Romani Pontificis, tametsi suorum monumentis expressum, reipsa rejiciant. Alii alia, pro libitu, Jacobitarum rationibus adscribunt; inter quæ illud denique palmare putant, quod cum Græcis schismaticis, negent Processionem Spiritus sancti a Patre et Filio.

quæ, ut plerisque, non omnibus tamen conveniunt,

114 Hæc fere præcipua sunt errorum capita, Jacobitis attribui solita, quæ post antiquiores Scriptores (Vitriacum, Sanutum, Prateolum) recentiores alii, bona, ut puto, fide, ad verbum describunt, vel novis episodiis amplificant. Ita olim invaluerat, ut de nationibus procul a nobis dissitis, fas esset quidvis referre : et hinc etiam hæreticis nostri temporis, oblata fictionum seges, ex qua in Romano catholicos insurgerent, extremo ab Oriente tela, sed imbellia, colligentes, ad impugnandam præsentiam realem Dominici corporis in Eucharistia. Sed hæc F abunde retusa sunt, nec futuros puto, qui Brerewodum et socios secuti, aut Armenis seorsim, aut Jacobitis omnibus, Calvinianum dogma imposterum audeant adscribere. Sufficiant errores jam recensiti, ut satis fœde Jacobi sectatores deturpentur. Verum enimvero, ut admittam eorum plerosque Jacobitis aliquibus, seu ex toto, seu ex parte convenire; ita ex recentiorum itinerariis, et fidelioribus relationibus, videtur indubitatum, non omnes omnibus iisdem sordibus esse inquinandos. Hinc, utcumque potero, generatim expendam, quæ variis nationibus, Jacobi seu potius Eutychetis lue infectis, quocumque titulo affricantur : de Coptis ex professo acturus toto paragrapho sequenti.

Ex Asiaticis, latissime per Syriam et Mesopotamiam diffusis,

115 Vulgo notum est, Jacobitas in tres potissimum classes seu nationes distribui, Asiaticorum nempe seu Orientalium, quos inter Armenos connumeres licet; Coptorum Ægypti; atque Habessinorum; lingua, moribus, disciplina, quin et dogmatibus inter se dissentientium. Primos illos, olim creditum est, per quadraginta et amplius regna latissime fuisse dispersos, vere an falso inquirere non lubet. Faustus Naironus, a nobis alibi laudatus, in sua Euoplia testatur, Syriam illos hodie et Mesopotamiam incolere ; et recentius, Richardus Simon, in

A in Historia Critica de fide et moribus Orientalium, affirmat, non ultra quadraginta aut summum quadraginta quinque familiarum millia superesse. Constat etiam, magnum eorum numerum sub Andrea Patriarcha, Ecclesiæ Catholicæ adhæsisse; et nequidquam obsistentibus aliis, sub Gregorio successore in bono proposito perseverasse; atque illud demum certum videtur, eorum reductionem ad fidem Orthodoxam non adeo esse difficilem, quod et paucioribus sint irretiti erroribus, nec ita pervicaces in tutandis ritibus, quemadmodum Copti et Habessini.

multi ad Ecclesiam reducti,

116 Etenim, si Nairono credimus, ex dogmatibus supra enumeratis, non multa ipsis merito imputantur; et in ipsa capitali hæresi ejuranda, molliores se præbent et dociliores Jacobitis omnibus aliis. Confessionis abrogationem apud Syros inductam, aperte inficiatur pag. 31 et 32. Falso eis tribui Circumcisionem, asserit pag. 37. Refellit opinionem Latinorum prope omnium, dicentium, errorem Græcanicum de processione Spiritus sancti a solo Patre, toti Orienti esse communem: et nominatim ostendit pag. 57, Jacobitas hac in parte recte sentire, non incongrue profitentes, processionem Spiritus sancti B a Patre et Filio, in III Generali Synodo Ephesina, fuisse definitam. His tamen opposita censet Historicus Criticus, satis magistraliter multa definiens, quæ, an ejus solius suffragio satis stabilita sint, alii judicabunt. Plura mox subjiciam, ex quibus lector statuet, non tam deformes esse Jacobitas, ut olim creditum est.

quia paucioribus erroribus obstricti.

117 Coptorum placitis examinandis serviet, ut dixi, sequens paragraphus, nunc Habessinos contemplemur. Fuere et hi teterrimis olim depicti coloribus, quasi inter cetera delirarent, *Jesum Christum esse filium Patris, et filium sui, et principium sui: descendisse ad inferos, ubi fuerit anima Adæ atque ipsius Christi, quam animam Adæ ipse Christus receperit ex Maria Virgine: Sabbato et Dominica die, animas pie defunctorum in Purgatorio minime cruciari: jussu et decreto Reginæ Maquedæ, mulieres quoque circumcidi.* De his porro aliisque id genus figmentis consuli potest Ludolfus, lib. 3 Historiæ Æthiopicæ. Judaismi suspicionem non omnino infundatam dare visi fuerant, per usum Circumcisionis, observationem Sabbati, abstinentiam a nonnullis cibis, lege Mosaica aut Majorum traditione prohibitis etc. At vero eorum Rex Claudius, in epistola anno MDLV scripta, qua potuit efficacia, eam suspiC cionem a se suisque amoliri conatus est.

Habessinis varia quoque affinguntur, inter quæ Judaismi suspicio.

118 Rectius paulo Habessinorum peculiares opiniones recensuit P. Tellezius, apud citatum Ludolfum. Nimirum, *Spiritum sanctum a solo Patre procedere; repeti ab eis Baptisma quotannis ipso Epiphaniæ festo die; animas justorum in cœlum non recipi ante finem mundi; eas autem non creari, sed e materia educi; neque peccatorum numerum, neque species eos confiteri, sed generatim dicere,* Peccavi, Peccavi; *non roborari Chrismatis Sacramento; neque sacro ungi Oleo, neque vitæ pane stabiliri; negare Purgatorium.* Miror hic Circumcisionem, observantiam Sabbati et alia, esse præterita. Ceterum, teste eodem Ludolfo, et istos errores declinant ipsi, et capitalem ipsam hæresim Monophysiticam excusare contendunt; adeo ut Rex Basilides, dum anno elapsi seculi XXXIV, rationem redderet, de expulso Patriarcha Mendezio, et reliquis Missionariis nostris, non prætexeret, quod Orthodoxi oppositas opiniones tuerentur, quas etiam prope admissurus videtur; sed, *quod privaverint laicos Calice sanctæ cœnæ; quod rebaptizaverint, quodque ordinarint de novo Sacerdotes et Diaconos;* quodque nonnulla in ritibus et disciplina immutaverint, videnda apud prælaudatum D Ludolfum, Commentariorum lib. 3, cap. 13, num. 133.

Veriora recenset P. Tellezius, quæ ipsi excusant, et Missionariis nostris aliqua imputant; aliaque tuendo schismati prætexunt,

119 Quin imo Patriarcha ipse Mendezius testatur, contentionis causam, quæ mutationem religionis ibi secuta est, in eo constitisse, quod nostri, *Circumcisionem* permittere nollent, neque etiam *observationem Sabbati;* quod nollent connivere in *polygamia Regum;* quod vetarent maritis *dimittere uxores* et uxoribus *deserere maritos.* Nam in ceteris a Basilide objectis, jam Patriarcha dispensasse videtur. Ego hic tot dogmata non reperio Ecclesiæ Catholicæ adversa. Videat curiosus lector, quæ locis jam dictis, citatus Auctor non indiligenter prosequitur. Ubi id statim incurret in oculos, et forte offendet, quod eruditus Scriptor Habessinis plerumque faveat, tum in diluenda Judaismi labe, tum in reliquis, modeste tamen et moderate, excusandis. Laudabilis interim in viro acatholico matura judicii gravitas, quam in Historico Critico non nemo desideret, multa passim pro sua auctoritate, decernente, nec a me, nec verosimiliter ab aliis continuo probanda.

quæ a Mendezio refelluntur.

120 Posset hic opportune subtexi catalogus eorum seu dogmatum seu rituum, in quibus Habessini a Coptis deflectunt; quidquid illi ab his, et doctrinam accipere, et superiores ecclesiasticos admittere E teneantur; et quoties se a Romanis distinguunt, non alio utantur discernendi modo, quam, quod sacra et instituta sua Alexandrina appellent. Nimium excresceret scrupulosior trutina, non magnopere usui futura. Si cui vacet, hinc Ludolfi Æthiopica, inde Vanslebii Coptica expendere, plurima occurrent, quæ utriusque gentis consensionem, non modo in dubium revocent, sed in multis aperte convellant. Certe in Sabbati observantia Habessinos excedere necesse est, cum id ipsis improperaverit Rex suus Susneus; velle eos scilicet, *observare Sabbatum Judæorum, quod non facerent Christiani Ægypti,* ut est apud Ludolfum, Comment. lib. 3, cap. 10, num. 111, pag. 508. Desunt Habessinis Sacramenta aliqua, Coptis nequaquam. Si illi Purgatorium negent; et in hoc a Coptis dissentiunt. Rursus, Clericos omnes Æthiopiæ non Monachos, uxoratos esse debere scribit Ludolfus; id Coptis liberrimum asserunt Vanslebius et Bernatus, ut postea pluribus dicemus. Polygamia simultanea apud Habessinos toleratur, frustra legibus ecclesiasticis improbata; nullum tantæ incontinentiæ apud Coptos vestigium. Prætereo, quæ de vario Ordinationis ritu, aliisque Coptorum et Habessinorum discrepantiis Bernatus tradit, neque enim operæ pretium est, minutias singulas enucleare.

Licet Habessini in religione Coptis subsint, in multis tamen inter differunt.

F

121 Huc distuli articulum, Jacobitis universis supra imputatum, de Processione Spiritus sancti, in quo difficilius Scriptorum relationes et sententiæ conciliari possunt. Etenim, ut semel rem totam exponam, recentiores nostri passim, post Spondanum ad annum MDLXI, Sacchinum, Historiæ Societatis parte 2, num. 122, aliosque, unanimiter asserunt, Jacobitas cum Græcis schismaticis profiteri, Spiritum sanctum procedere a solo Patre. Testantur id recentissime, de Habessinis, Ludolfus in Æthiopicis; de Coptis Vanslebius, in sæpe citata Historia Alexandrina, Richardus Simon, et alii passim. Acriter se contra opponit Echellensis, apud Morinum, in præfatione ad sacras Jacobitarum Ordinationes, scribens in Synopsim Arabicam Constitutionum Concilii Nicæni, quam Latine edidit. Ibi is, ex recepto totius sectæ Catechismo, notat; *Jacobitas processionem Spiritus sancti a Patre et Filio confiteri, atque constanter affirmare, hoc fuisse in Concilio Ephesino definitum.* Faustus Naironus, quem etiam præ oculis habeo, pag. 55 et seqq.; *Asserant,* inquit, *quidquid illis lubet, Scriptores nonnulli recentiores, Orientalium* rerum

Dicuntur Jacobitæ tenere errorem de processione S. Spiritus; sed eos vindicant Echellensis et Naironus,

AUCTORE J. B. S.

A *verum oppido ignari, qui falso ac per summam injuriam, hunc errorem omnibus Orientalibus, cum Græcis seu Melchitis et Nestorianis communem esse censent. Maronitæ enim, Jacobitæ, Armeni, Coptitæ ac Æthiopes asserunt, Spiritum procedere a Patre et Filio.*

et quidem ut tenentes fidem

122 Illud memorabile, quod indicabat Echellensis, Jacobitas unanimiter credere, id in Ephesino Concilio, œcumenico tertio, esse definitum; quod Naironus, adductis pluribus testimoniis, luculenter se demonstrasse existimat. In sermone de laudibus fidei Jacobitarum, quem Catechismo subjungunt, ita habent: *Quid loquar de Theodosio majori, eloquar de filio* (imo nepote) *ejus Theodosio Juniore, Imperatore Fidelium, qui coegit Concilium* III, *Spiritu sancto confirmatum; et demonstravit nomina trium Personarum in Symbolo fidei; et dixit in eo, et in Spiritum sanctum, Dominum vivificantem, procedentem a Patre Filioque, adorandum et glorificandum.* Additio illa particula FILIOQUE, quamquam neque exstet, neque constet ex Ephesina Synodo (subjungit Naironus) dogma tamen ipsum, luculentissime ibi asseritur Anathematismo IX S. Cyrilli, et in defensione ejusdem adversus reprehensionem Theodoreti, utrumque sacro approbante Concilio. Ita ille, volens ostendere, B non incongrue dici, dogma de Processione Spiritus sancti *a Patre Filioque*, in Concilio Ephesino esse definitum.

Ephesi definitam,

123 Hæc sunt Echellensis et Naironi argumenta, pluris, opinor, facienda, quam Latinorum nostrorum nuda assertio, nullis rationibus, saltem quas ego legerim, usquam fundata. Ex quibus id sponte consequitur, stare ab Orientalibus illis Naironi et Echellensis præsumptionem, donec evidentius demonstretur oppositum. Mihi certe, libratis jam sæpe rationum momentis, visum est magis verisimile, Jacobitas, ex diametro Græcis seu Melchitis adversos, errorem vere Græcanicum ab iis non hausisse. Et siquidem Catholice non sentiant, ignorantia potius, quam hæretica pravitate, a recto veritatis tramite deflectere. Nec me hactenus, ab ea opinione dimovere potuit Historici critici auctoritas. Quid de Coptis in particulari sentiendum sit ex Bernati testimonio, dicemus infra.

quod est verosimilius.

124 Statuat interim, æquus rerum æstimator, quod maxime visum fuerit. Non is sum, qui controversiam necdum satis elucidatam, meo unius arbitrio decidi cupiam. Illud sane admiratione dignum est, tam varios illos, tam decantatos olim Jacobita- C rum errores, dum ad exactiorem trutinam revocantur, exiguo esse numero (saltem, quos ipsi agnoscant) et qui saniorum Scriptorum judicio ipsis merito imputentur. Reliquum est ut de caustico Jacobitarum Baptismo, olim etiam tam famoso, pauca superaddam, sed quæ sufficiant, ad detergendam prætensam aliam hæresim, hominibus illis, de unanimi ferme Europæorum omnium consensu, adscriptam; ut videre est apud eos Scriptores, qui hæresum catalogos, magis ex aliorum relatu, quam ex proprio examine, texuerunt.

Cauterium Baptismo junctum,

125 Accipe igitur Auctorum illorum sententiam. Tenent Jacobitæ, inquiunt, verba illa Præcursoris Domini (*Ipse vos baptizabit Spiritu sancto et igne*, Matth. 3) ad litteram intelligenda; unde et parvulis suis simul cum Baptismo, vel tamquam propriissimum Baptismum, candenti ferro, frontem; vel, ut alii, genas; vel demum brachia adurunt. Audiatur hac de re Jacobus de Vitriaco, Historiæ Orientalis cap. 76 circa medium. *Tertius error*, inquit, *prædictorum Jacobitarum seu Jacobinorum, est ignorantia crassa, et quasi tenebræ palpabiles, quod plures eorum, ante Baptismum, parvulos suos cum ferro calido adurentes et signantes, in frontibus imprimunt cauterium. Alii autem in ambabus genis seu temporibus, in modum* D *crucis infantes suos consignant; perverse putantes, eos per ignem materialem expiari, eo quod in Evangelio beati Matthæi scriptum sit, quod B. Joannes Baptista de Christo dixerit;* IPSE VOS BAPTIZABIT IN SPIRITU SANCTO ET IGNE.

Jacobitis omnibus tribuit Vitriacus;

126 Hoc errore ex Scripturis refutato, subdit paulo post Vitriacus: *Horum vero qui inter Saracenos commorantur, tam Jacobinorum quam Surianorum* (Melchitas intelligit) *in brachiis cruces, ex ferro calido impressas, aspeximus. Ipsi autem, ad paganorum distinctionem, et ob sanctæ Crucis reverentiam, crucis characterem sibi imprimi, asserebant.* Hactenus Vitriacus: quem mirum est, incolis fidem non habuisse, clarissime affirmantibus, *cruces* illas *brachiis* aut aliis partibus, non ad eluendum peccatum originis, sed *ad paganorum distinctionem, et ob sanctæ Crucis reverentiam impressas.* Vitriaco Marinum Sanutum Torsellum, lib. 3 parte 8 cap. 4, hæc eadem referentem, frustra aliqui addunt, cum ex priori, sua omnia descripserit, atque ex iis, ni fallor, plures alii, qui magis ad augendum Auctorum numerum, quam ad auctoritatem faciendam recitari consuevere.

quem ab verbum secuti alii fidem non augent

127 Equidem cur Matthæus Parisius ab omni- E bus recenseatur, haud satis perspicio. Habet hic in Henrico III ipsissima verba Vitriaci, ne apice quidem immutato, præter ineptam marginalem additiunculam, qua Nestorianorum hæresim sese referre testatur, dum de Jacobitica disserit. Cetera taceo non satis exacta; dum sic loquitur, acsi quæ Vitriacus viderat, oculis ipse suis contemplatus fuisset, quem Europa egressum, nullibi legimus: unde suspicari licet, totum illud Vitriaci capitulum 76, ab alio quopiam Parisii Historiæ insertum. Quodque magis mirere, postquam ex litteris F. Philippi, Ordinis Prædicatorum Terræ sanctæ Vicarii Provincialis, ad summum Pontificem datis anno MCCXXXVII (ut est in novissima editione) diserte tradiderat, non Asiaticos, sed Ægyptios Jacobitas, Circumcisionem adhibere; sui immemor, continuo ex Vitriacensi, illam universis Jacobitis impingit. Sunt qui Nicephorum eorum quoque in classe collocent, qui Jacobitis generatim tribuunt, ignitum illum Baptismum, ex lib. 18 cap. 45. Verum ubi et assignatum caput, et præcedentia et consequentia evolvi, neque de adustione, neque de stigmatibus quidquam potui deprehendere.

multo minus Parisius, ex Vitriaco interpolatus

nec sine errore;

et Nicephorus, nil tale dicens.

128 Itaque Vitriacensis solius auctoritati innititur, quidquid de prætensa baptismali Jacobitarum cauterizatione, Scriptores, tanto numero eum se- F cuti, tradidere. Auctorem, cetera accuratum et fidelem, falsitatis arguere, prope temerarium existimo. Attamen, non satis perspecta illi fuisse, quæ de Jacobitis generatim scripsit, hinc intellige; quod Circumcisionem tribuat omnibus, quam Dominicanorum Provincialis ei synchronus, ab Asiaticis omnino removet, ut statim ostendetur. Crediderim ego, Vitriacum, aliorum in Syria commorantium relationibus deceptum, extendisse ad Jacobitas omnes, quæ de nonnullis referri audierat. Nimirum quia cauterizatio aliqua Habessinis, et Circumcisio eisdem Habessinis et Ægyptiis, utrisque Jacobitis, in usu est; eas ipse, toti sectæ proprias, bona fide autumare potuit. Quæ de Crucibus, ferro calido ad brachia impressis, narrat, nihilo magis ad Jacobitas, quam ad Syro-Græcos spectant. Fanatici ei fuerint, an nimia simplicitate superstitiosi, non disputo.

Vitriacus autem, audita de aliquibus,

ad omnes extenderit.

129 Scimus etiam et vidimus, ex peregrinatione Hierosolymitana reduces, istiusmodi cruces, pulvere nitrato cuti inustas monstrare: vel voti persoluti, vel popularis devotionis, vel inanis ostentationis indicium. Ceterum, quod ad rem nostram facit, si communia erant Jacobitis omnibus illa genarum, frontis,

Cruces brachiis inustæ solitæ,

A frontis, aut temporum stigmata; mirum, quod nullum in Syria, hujusmodi honestamentis insignem, se reperisse, Vitriacus memoret; facilius certe in vultu, quam in brachiis, veste plerumque obtectis, ea signa patuisse, nemo non intelligit. Quocumque demum modo Vitriacum aut excuses, aut explices, numquam persuaseris, Baptismum ignis a Jacobitis usurpatum; adeoque si qui forte ea tempestate cauterium, in illum finem, faciei admoverint; spurios Jacobitas merito dixeris. Hoc saltem tempore certum est, nec Jacobitas Asiaticos, nec Coptos, tali superstitioni assuevisse. Sed et illud verissimum, Bernato teste, Coptos etiam hodiernos, tum viros, tum feminas, signum aliquod in brachio ostentare, quo a Turcis distinguantur; id maxime feminis et pueris in usu est, qui nulla alia exteriori nota discerni possent.

alii spectant,

130 Utrum autem stultissimum illum cauterizandi morem, justa de causa, in Æthiopiam ablegent nonnulli, postquam nec in Asia, nec in Ægypto inventus est, docebit Ludolfus Hist. Æthiop. libro 3 cap. 6 num. 41, *Credidere,* inquit, *et scripsere plerique* (Paulus Jovius et alii plurimi) *stigmate notari Æthiopes post Baptismum, implendis verbis Joannis Baptistæ :* Qui post me venturus est, ille vos baptizabit Spiritu sancto et igne. *Sed Gregorius* (Habessinum indicat sibi familiarem) *negavit. Nec mentionem ejus rei faciunt Patres Societatis, in suis epistolis. Constat autem Africæ populos, tam gentiles quam Mahumedanos, pueris recens natis, venas temporum, quas* κροταφίτιδας *Græci vocant, cauterio inurere contra catarrhos* (quo modo nostrates puellæ, eumdem in finem, ipsis applicant nigra quædam formæ orbicularis emplastra) *idque ab Habessinis nonnullis factum, ab exteris imperitis pro more religioso habitum fuit; quia fortassis audiverant, fuisse aliquando tam stultos hæreticos* (Seleucianos scilicet et Hermianos, de quibus Baronius ad annum CLXX, ex Augustino cap. 59, et Philastrio capp. 55, 56, 57, de Hæres.) *qui ignis vocabulo proprie, Baptismi vero, improprie accepto, causticum ignis signum, lavacro aquæ prætulerint.* Eo tandem recidit pervulgata illa in Jacobitas criminatio, quod ceteros inter errores, eum quoque sectentur, ut recepto Christianorum Baptismo minime contenti, impia crudelitate et ferro et igni parvulos suos initiandos delirent.

et error de Baptismo ignis,

B

Matth. 3 vers. 11.

male etiam ab Habessinis deducitur.

131 Porro quod errare superius dicebam Vitriacum, in appingenda universim Jacobitis omnibus Circumcisione, ex ejus verbis, citato capite 76 planum est: *Obtenebrati,* inquit, *parvulos suos in utroque sexu, more Saracenorum, magna ex parte circumcidentes.* Nisi quis per voces *magna ex parte*, Orientales excludi velit, ut vere excludendi sunt, teste Nairono pag. 39. Nam Jacobitæ eo ritu non utuntur, nisi sub nomine Jacobitarum, intelligantur Coptitæ et Æthiopes, qui etiam a Jacobo Syro hæresim hauserunt. Magis id adeo miror a Vitriaco, sine expresso discrimine, assertum; cum prælaudatus Philippus Prior, ex Prædicatorum Ordine, tum scribens ad summum Pontificem Gregorium IX, cum adhuc in vivis Vitriacus superesset, anno nempe MCCXXXVII (non enim nisi circa annum MCCXL illum obiisse, ostendit Papebrochius, in Supplemento ad vitam B. Mariæ de Oignies XXIII Junii) cum, inquam, eo anno scribens Philippus, conceptis verbis affirmet, ÆGYPTIOS MULTO AMPLIUS ERRARE QUAM ORIENTALES, ALIIS ERRORIBUS CIRCUMCISIONEM, AD MODUM SARACENORUM ADDENTES.

Quod de Circumcisione indicat Vitriacus

C

negat certior testis, ei Synchronus,

132 Ne vero Philippi dicta, graviori Vitriacensis auctoritate elidenda putes, epistolam totam a Parisio recitatam consule. Narrat illic, venisse Hierosolymam Jacobitarum Orientalium Patriarcham, magno Archiepiscoporum, Episcoporum, Monachorum numero comitatum; quos omnes fidem Catholicam edoctos, ad Ecclesiæ gremium reduces, se excepisse testatur, facta errorum omnium abjuratione. Eo autem manifestum redditur, accuratius paulo et diligentius Jacobitarum instituta excussisse Priorem illum, quam Vitriaco licuerit, audita plerumque, non visa referenti. Sed jam in re aperta versamur, cum ex modernis, earum rerum peritiobus, in confesso, sit, Jacobitas Asiaticos, ab eo ritu esse quam alienissimos, nec a Jacobo Zanzalo, Circumcisionem magis, quam causticum stigma unquam fuisse præscriptum.

qui multos Jacobitas convertit.

D

AUCTORE J. B. S.

133 Uti nec introductus a Jacobo fuit error alius, a Vitriaco secundo loco relatus: *Quod Confessiones peccatorum suorum, non Sacerdotibus, sed soli Deo latenter faciunt, ponentes thus juxta se in igne, tamquam cum fumo peccata sua ascendant coram Domino.* Hoc certe de Jacobitis, per calumniam prædicatur: Coptisne conveniat, examinabitur paragrapho sequenti sectione 3. De cetero, quos errores sibi vere proprios sectentur Jacobitæ Syriæ et Mesopotamiæ, non est hujus loci diligentius indagare; videatur sæpe citatus Auctor Historiæ criticæ a pag. 118, paucis multa complexus; sed ita, meo quidem judicio, legendus, ut non statim vera existimes, quæcumque ibi tamquam decretoria venditantur.

Falso etiam eis tribuitur confessio ad thuribulum

E

134 Quid de Purgatorio vere sentiant, non satis explicatum invenio. Quas in Matrimoniis observent leges, quibus utantur jejuniis, quandonam infantibus Baptismi lavacrum impertiant, quas denique cæremonias et instituta teneant a Romanis diversa, nemo, quod sciam, hactenus satis accurate recensuit. Notatu dignum est, quod habet Naironus pag. 35, cujus causa Syros a Coptitarum communione exclusos refert Auctor Catechesis Jacobitarum: *Et facta est amoris accessio inter Coptitas et Syros, nempe Jacobitas, usque ad tempus Patris nostri Joannis Barfusan, Patriarchæ Antiochiæ. Deinde orta est inter Coptitas et Syros dissensio, quia Syri ponunt in sua oblatione salem et oleum, et scripsit Pater noster Joannes Barfusan libellum, in quo demonstravit verificationem positionis salis et olei in Eucharistia.* Hæc de Jacobitis generatim dicta sunt, ut Coptorum nostrorum errores, placita et instituta securius exploremus.

De aliis quibusdam non liquet.

Causa divertii inter Coptos et Syros.

§. VI. *De moribus, placitis, erroribus et institutis Coptorum propriis.*

Non ita proprios intelligo Coptorum ritus aut errores, ut eorum plerosque, Jacobitis aliis communes negem; sed ita proprios nomino, quod Coptis vere tribuendi sint: a quibus postquam duas Jacobitarum classes jam discrevimus, et pariter omnes ab erroribus falso imputatis vindicavimus; reliquum est, ut ad ipsosmet propius accedamus; moresque eorum, opiniones, consuetudines, paucis ita memoremus, ut, non quales audiant, sed quales revera sint, ex probabilioribus relationibus confici possit. Atque huc mirum in modum conducet P. Bernati epistola, jam sæpe laudata; utpote quæ et gentis status varios, indolem, mores, et ecclesiasticos ritus complexa, genuinis coloribus ita Coptos depingit, ut vix quidquam desiderari patiatur. Itaque ex ea, nationem primum universam in suas classes distribuam: hinc ad errores ritusque peculiares progressus, quæ eo spectant ita exequar, veluti ab Auctoribus describi, augeri vel excusari solent: quibus omnibus ea demum subjungam, quæ recentissime ex Ægypto allata et rite examinata, fidem procul dubio ceatiorem merebuntur.

F

Post discretas tres sectas Jacobitarum.

de tertia, quæ Coptorum est, agetur ex epistola P. Bernati.

SECTIO

A

AUCTORE J. B. S.

SECTIO I.

Coptorum hodiernorum status, mores, indoles; ex Bernati epistola.

Copti trifarium dividuntur, in Clericos, Nobiles, et plebeios.

Universæ Coptorum gentis genuinam notitiam germanamque ideam aptius proponere non potuit Bernatus, quam dum ab ejus hodierno statu, atque in classes divisione initium ducit. Sic itaque succintam descriptionem orditur. Gens Coptica, quam late se per totam Ægyptum diffundit, in tres maxime ordines distribuitur. Primas tenet is, qui apud nationes omnes censetur præcipuus, sanctior Clericorum status, divinis ministeriis deputatus. Laicos inter nobilissimi sunt, quos indigenæ Mebacheros appellant. Quibus tertia demum et infima classis accedit, artificum seu plebeiorum, sub qua fæcem populi, rusticos et quosvis vilissimos homines comprehendit. Quæ ad classes singulas exacte pernoscendas necessaria sunt, cursim delibabimus.

Clerici alieni sunt ad ambitu et simonia,

B

137 Clero præpositus est Patriarcha, quem et hodie Alexandrinum dicunt; licet Cairi, Ægypti urbe Metropoli, semper habeat et pridem habuerit stabilem mansionem. Patriarchæ subsunt Episcopi, numero undecim aut duodecim, quos lector distinctos inveniet in sæpe citata Simonii Historia Critica pag. 130. His adde magno numero seculares Clericos, quique celeberrima SS. Antonii, Pauli et Macarii monasteria incolunt, Monachos seu regulares. De horum ecclesiasticorum erroribus, peregrinis ritibus, supina ignorantia, nihil dissimulat accuratus rerum Ægyptiacarum indagator; sed nec tacendam putavit insignem ipsorum et vere singularem laudem, quæ ex eo capite merito repetitur, quod inter omnes schismaticos Orientales, soli ipsi a dignitatum ecclesiasticarum ambitu et Simoniaca ad eas promotione immunes prorsus existimentur.

vitiis apud Orientales inductis sub jugo Turcico.

138 Græcorum ea potissimum contagio, nec Græcorum solum, sed Christianorum passim omnium, qui Turcico jugo subjecti, sacrilego mercimonio, ambitioni propriæ et infidelium avaritiæ Sacrosancta quælibet exponere dicuntur. Nimirum apud illos in deplorandam consuetudinem abiit, ut magis pecuniæ vi et Turcarum auctoritate, quam virtutum merito, Cleri suffragiis, plebisve consensu Antistites fiant; adeo ut dignitates etiam sacratissimæ, turpi commercio, munerum corruptelæ, et propemodum auctioni, expositæ videantur. Ab his Copti, tametsi eadem servitute oppressi, tamquam a præsentissima Ecclesiæ suæ peste, abhorrent; integritate plane incorrupta, et canonica quantum ipsis licet, promovendi ratione, Patriarchas suos eligere et inaugurare soliti. Ex procedendi ritu res palam fiet.

C

Ab istis Patriarcha non nisi virgo eligitur,

139 Ad præfatam electionem concurrunt, Episcopi, Presbyteri, et populi Primores, Cairum convocati. Cautum est sedulo, ne quis ad primam illam dignitatem provehatur, qui non fuerit *Besoul*, ita eum vocant qui continentiam professus, virginitatem perpetuo servavit. Atque ea præsertim causa est, cur plerumque e Monachis aliquis Patriarcha designetur; quem proinde necesse est e solitudine abductum, Alexandriam primum deportari, ut in S. Marci Sede collocatus, tituli possessionem adeat.

ac fere ex monasterio vi extractus.

Siquando accidat non omnia in unum suffragia concurrere, sed diversos postulari, hac ratione discordiis via præcluditur. Scripta candidatorum nomina toto triduo altari imposita relinquunt, oblatisque eo tempore incruentis Deo sacrificiis cœleste imploratur auxilium, quo dignior in Præsulem cooptetur. Tum facto scrutinio, cujus primum nomen ex urna a puero eductum fuerit, is confestim, unanimi consensu declaratus, ad Patriarchatum evehitur. Quam vero a dignitatibus ecclesiasticis alieni sint Copti, ex eo conjicias, quod ut plurimum non nisi invitissimi, etiam ut Patriarchæ fiant, sese a solitudine avelli patiantur. D

Ab hoc constituuntur

140 Miranda itidem est, et ipsismet Europæis imitanda, hierarchica Cleri Coptici subordinatio, in hunc modum disposita, ut penes solum Patriarcham sit Archiepiscopum seu Metropolitam Æthiopiæ, reliquosque per totam Ægyptum Episcopos, solo suo arbitratu constituere. Hi autem a supremi sui Antistitis nutu ita pendent, ut major in obsequendo alacritas et promptitudo desiderari non possit. Funguntur Episcopi omnes delegatorum vice, ut a populo decimam quamdam colligant, in proprium, opinor, et Patriarchæ necessarium vitæ subsidium. Quam Episcopos inter et Archiepiscopos statuunt differentiam, in eo maxime consistit, quod postremos, non secus ac Patriarcham virgines aut saltem cœlibes esse oporteat, ac proinde ex Monachis assumi; ad Episcopatum vero, non raro provehantur, qui annis pluribus in matrimonio exactis, tandem uxore defuncta, ad ecclesiastica munia animum adjiciunt.

Archiepiscopi virgines,

Episcopi saltem cœlibes,

E

ejusque vicarius cum titulo Patriarchæ Jerosolymitani

141 Inter Ægyptios Præsules, secundum a Patriarcha locum is obtinet, quem ipsi Patriarcham vocant Hierosolymitanum, ex antiquo jure, seu recepta consuetudine, solitum moderari omnia, vacante Sede Coptorum Patriarchali. Habeat hic licet, titulo saltem tenus, cathedram Hierosolymæ, Cairi jam pridem domicilium fixit, verosimiliter quod Hierosolymis Copti non multi reperiantur. Idcirco illuc tantum excurrit in Paschate, ac de cetero aut domi remanet, aut eam Ægypti partem percurrit, quæ Palæstinæ proxima est, ejusque jurisdictioni subjecta. Mirabar ego unde id nominis Ægyptio competeret, cum ii qui Palæstinam incolunt, quamquam Jacobitæ, a Coptis tamen dissideant. Sed monuit me Bernatus in posterioribus litteris, titularem hunc Patriarcham, proprie Episcopum Cairensem dici oportere, qui ea potissimum de causa, extraneum quasi nomen mutuatus sit, ne quis, sedente Cairi Patriarcha Alexandrino, ullam ibidem loci aut auctoritatem aut potestatem arrogare præsumat; ex quo rursus summi Antistitis in reliquos absolutissimum dominatum perspicias. Quis Simonio persuaserit, Patriarcham Alexandrinum, titulum etiam Patriarchæ Hierosolymitani sibi arrogare, nusquam deprehendi. F

qui Patriarchæ Alexandrino non contendit.

presbyteri fere conjugati, cœlibes aliqui:

142 Episcopis proximi sunt Sacerdotes, passim quidem, ut toto Oriente ita in Ægypto, conjugati, si seculares sint; non ita tamen ut ad matrimonium obligentur, quemadmodum de Habessinis tradit Ludolfus. Plures vidisse, ait Bernatus, qui cœlibatum, Latinorum more, perpetuo observant. Qui apud nos dignitate sacrum Presbyteratus Ordinem sequitur, non eodem apud Copto loco est; etenim Diaconorum multitudo illis prope incredibilis, ad id tamen necessaria, ut ne aliquando desint qui Ecclesiæ ministeriis operam navent. Non unam esse Latinorum et Coptorum de Ordine illo sententiam, ex eo perspicue datur intelligi, quod hi pueros etiam septennes aut sexennes adlegere consueverint. Et, quod magis mirere, tametsi Diaconi illi (si ita fas est appellare) a puero functionibus ecclesiasticis assuescant, exiguus plane, imo nullus prorsus apud eos gradus ulterioris ambitus, nullum promotionis desiderium, sic quidem, ut ad Sacerdotium vi aut artibus compelli eos et adigi quodammodo necesse sit: ea nihilominus, saltem in speciem, Ordinationis libertate servata, ut dum substantialis consecratio peragitur, possit qui voluerit a suscipiendo sacro Ordine resilire.

Diaconi fere innumeri,

etiam in pueritia ordinati,

usque opificeis addicti,

143 Quam id in Europa insolitum, tam non absurdum videbitur, siquis miseram istorum hominum conditionem perpendat. Coptorum nullus ad sacros Ordines assumitur, qui de plebe non sit, quique proinde vili arte aut opificio vitam non alat. Accessio dignitatis Sacerdotalis nihil magnopere lucri, certam temporis jacturam adfert. Sustentanda familia, alenda uxor et liberi, interim stipendii nihil aut perparum quo egestati succurratur. Quid igitur miri si Diaconatu contenti, eo studia convertant, ut de necessariis ad vitam sibi suisque prospiciant. Eodem ferme ex capite oritur supina tam Episcoporum quam Sacerdotum ignorantia : ut quibus videlicet non ultra annum duodecimum scholas triviales frequentare liceat, ubi doctissimi censentur evasisse, si legere noverint et scribere Arabice. Ex eo tempore diurno labore victitant, nec ad annum usque trigesimum, quo ad Sacerdotium promoveri solent, quidquam accessit, nisi quod forte et eorum fiant immemores, quæ pueri didicerunt.

ut habeant unde vivant,

qui intra annum 12 abstracti a scholis,

ignorantissimi sunt,

144 Tam crassam ignorantiam frustra deploraveris, in tanta illa totius fere gentis paupertate ; qua impulsi coguntur singuli rerum suarum satagere, ut domesticæ penuriæ succurrere queant. Hinc nec magistros, nec doctores alere integrum est ; et si gratis illi adessent, inopia præpediti, saltem qui adulti sunt, docentes audire non possent. Quo fit ut bonarum artium et scientiarum, non dico rudimenta, sed nec nuda nomina comperta habeant. Quid? quod nec Sacerdotes ipsi linguam suam Copticam calleant ; quamquam ipsis sacra sit, et in officiis ecclesiasticis usurpata. Præclare res geritur, si Coptice legere noverint, de intelligentia parum soliciti. Et vero eorum ignorantiæ subventum est appositione textus Arabici ad Officiorum marginem, nec piaculum censent si aliquot Missæ partes, præsertim Epistola et Evangelium, Arabice recitentur.

etiam cum Presbyteri postea ordinantur:

145 Quid in hujusmodi Presbyteris, seu personam, seu fortunas, seu denique dotes et merita spectes ; quid, inquam, in hujusmodi hominibus non contemptu et vituperio dignum? Si personam consideres, plebei sunt quam maxime ; si fortunas, egentissimi ; si reliqua, indocti, bardi et hebetes. Nihilominus tanta apud suos reverentia, tanta æstimatio, ut gentis etiam Primores numquam Presbytero occurrant, quin inclinato capiti manum imponi postulent, quam deinde demississime osculantur. Par est Sacerdotum omnium erga Episcopos veneratio, et horum erga Patriarcham ; cujus in universos stupenda auctoritas, qua dissidia omnia, lites, controversias, vel nutu, ut ita dicam, terminat et componit. Ex suo ingenio Francos metiuntur ; quocirca eis videtur prorsus incredibile, Christianorum Principum contentiones non statim sopiri ac dirimi, unius Pontificis Romani arbitrio.

sunt tamen in summa apud laicos veneratione,

sicuti apud illos Episcopi,

et Patriarcha apud hos.

146 Ceterum quæ præterea Bernatus memorat, lacrymas commiserationis merentur elicere. Observat nullas illic Parochias reperiri, Parochos nullos ; nullam doctrinæ Christianæ per catechismos explicationem, verbi divini prædicationes nullas : gregem indivisum, nulli pastori, nulli animarum curatori subditum, atque idcirco ita neglectum, ut Coptorum plerosque solo nomine tenus Christianos appellare oporteat. Ad hoc itaque præcipuum et fere unicum tot Sacerdotum et Diaconorum munus reducitur, ut si plures templo alicui deserviant, alternis vices suas in ecclesiasticis muniis obire teneantur. Habent more nostro quotidianum Officium seu Psalterium Davidicum, in Matutinum, Laudes, aliasque diurnas nocturnasque Horas distributum. Hoc vero indoctis hominibus commodi accidit, quod Rubricis (ita regulas legesque, ad Officii divini recitationem spectantes vocamus) omnino careant, uno eodemque Psalterii tractu immutato permanente, quodque proinde de memoria recitare possint et debeant, æque ac Missæ sacrificium.

Catechesis nullæ,

Officium divinum ex Psalterio,

numquam variandum,

AUCTORE J. B. S.

147 Quid de reliquo inter ipsorum nostrumque Officium discriminis sit, non satis explicat Bernatus, nec sane id operæ pretium videtur. Ait nostro esse longius, et tempore Quadragesimæ solito prolixius. Addit, Episcoporum Horas Canonicas aliis esse longiores, eas autem longissimas, quæ Patriarchæ peculiares sunt. Missam faciunt diebus Dominicis et festis aliis, quos satis frequentes numerant, imo frequentissimos ; si festivis adscribere liceat, quos distinctis characteribus notat Ludolfus, in Kalendario suo Æthiopico, quod a Coptis acceptum existimamus. In templis majoribus etiam celebrant quarta et sexta feria, ac per totam Quadragesimam. Pridie Dominicarum et festorum ad templa se sua conferunt sub occasum solis, ibique aliquam noctis partem psallendo exigunt, non prius egressuri, quam postridie mane rem sacram fecerint. Sunt et quandoque laici, qui cum Sacerdotibus noctem in templis traducunt ; non orando, sed, si Simonio credimus, dormiendo, garriendo, tabacum fumando, aut caffæum bibendo. Quæ sane omnia locum tam sacrum dedecent.

nostroque prolixius,

Dominicis ac festis, etiam nocturnum.

148 De Liturgiis quod refert Bernatus, vulgo notum est. Triplicem Copti, pro vario tempore, ut ferme ceteri Orientales, Liturgiam adhibent. Communis et passim frequentata est, quam Basilianam nuncupant, quæque reliquarum brevissima. Altera est S. Gregorii Nysseni, S. Cyrilli altera ; sed hæ, ut multo longiores sunt, ita non nisi semel singulæ in anno recurrunt. Hæc aliter tradit Vanslebius, nam Historiæ suæ pag. 94, postquam ordinariam fassus est Liturgiam Basilianam, in quo cum Bernato consentit, statim subdit Gregorianam, non tantum semel quotannis, sed festis omnibus Servatoris nostri Jesu Christi, aliisque solennioribus usurpari solitam : Cyrillianam autem toto Quadragesimæ decursu, atque in pervigilio Dominicæ nativitatis. Quæ narrat idem Scriptor de diversis Liturgiis duodecim, ceterisque ad Coptorum ceremonias spectantibus, nec referre vacat, nec examinare, Bernatum sequimur.

Liturgia triplex,

sed fere toto anno Basiliana.

149 Ad Monachos quod attinet, inquit, ii monasteria magno numero implent, ut plurimum plebei et sortis infimæ homines, atque adeo paupertati prius assueti quam eam in solitudine profiteantur. Non facile eis persuadeas plurimos in Europa Monachos, aliosque omnis ordinis viros religiosos, titulis, honoribus, bonis, illustri familiæ valedicere, ut Christum Servatorem, inopem, humilem, despectum imitentur. Generosos hujusmodi animos olim Ægyptus progenuit, hodie penitus ignorat. De cetero Monachi illi parce vivunt, austere et duriter, carnibus semper abstinentes, nisi e solitudine egressi, extra monasteria commorentur. Quid dicam de Monialibus? Constat et earum conventus aut claustra illic reperiri, verum xenodochia rectius dicenda, Bernatus existimat ; neque enim virgines, sed mulieres plerumque viduæ, egestate pressæ, ad ea confugere solent. Ut ut est, et hæc et alia virorum monasteria, piorum Christianorum eleemosynis, quæ pro eorum tenuitate, largæ dici possunt, perpetuo sustentantur.

Monachi omnes plebei, iique vilissimi

uti et moniales plerumque viduæ,

eleemosynis victitant.

150 Hæc sunt quæ de primaria Copticæ gentis classe jam recentissime perscribit laudatus toties P. du Bernat, paucis multa complexus, veriora opinor, quam quæ de statu Coptorum ecclesiastico corrasit Vanslebius. Eo tamen id dictum nolim, quasi mihi suspecta sint, quæcumque Auctor ille tamquam oculatus testis retulit. Verum hoc in ipso omnes

Vanslebii de hoc argumento opus,

AUCTORE J. B. S.

A omnes mecum desiderabunt, quod rerum multarum farraginem contexat, non ita ad veritatem exactam, ut non sæpissime Arabicis fabellis respersa sit et contaminata. Librum ejus consulat, qui de Patriarchæ dignitate, jurisdictione, titulis, habitu, vivendi norma, reditibus, et id genus aliis, plura nosse voluerit. De Episcopis item, eorum ætate, munere, jejuniis, abstinentia : de Sacerdotum functionibus, et impedimentis : de Archidiacono, Diaconis, Subdiaconis, Lectoribus, sacristis : denique de monasteriis, eorumque superioribus et disciplina, quæ per varia capita deducta inveniet, ad præsentem autem tractatum parum conferunt, et brevitati nostræ nullo pacto conveniunt.

fidei neque magnæ, neque nullius.

Mebacheri seu Nobiles,

151 Post Clerum præcipui nominis sunt, opibusque et dignitate soli præstant, quos supra dicebam vernacula lingua *Mebacheros* nominari. Arabica vox est, quam proprie *nuntium* seu *nuntiantem* Latine reddideris, unde ut Evangelium et Evangelistas significent, eodem prope vocabulo utuntur. At enim, non in sacra illa, sed profana prorsus nomenclatione hic usurpatur. Nimirum Mebacheros vocitant, eos omnes, qui aut publicanorum aut quæstorum

B aut œconomorum officiis apud Turcas, rerum illic domini, funguntur, eorumque bona, reditus et vectigalia administrant. Siquis in gente adeo misera et miserabili, Nobiles, Primores aut quoquomodo Illustres invenire voluerit, non alii recurrent ea digni appellatione quam soli Mebacheri ; certe prædivites, ii præsertim qui ferme duodecim numero tamquam reliquorum principes, ita sibi prospexisse dicuntur; ut ea munera ad filios, propinquos et heredes continua successione transmittant.

politica sub Turcis administrant,

quorum fideli et 12 prædivites sunt

152 Eam hujusce rei causam Bernatus assignat, quod et Ægypti Prorex et alii viginti quatuor Turcarum Optimates, penes quos tota residet gubernandæ regionis potestas, militiæ duces, officialesque alii Turcici, nec sciant ipsi, nec magnopere rescire curent, quantum pecuniæ ex solitis vectigalibus aliisque exactionibus confici soleat, satis contenti, si a Mebacheris postulata accipiant. Tanta est apud Mahumetanos illos, Christianæ fidelitatis et integritatis existimatio, ut et in bonis administrandis, et procurandis familiarum negotiis, Coptos malint, quam propriæ suæ gentis homines adhibere. Verumtamen et hoc luctuosum est, quod nihilo inde felicior dici queat Mebacherorum istorum conditio, si

Omnes pecuniis tractandis semper occupati

de Christianæ vitæ exercitiis parum soliciti sunt.

C christianæ vitæ virtutumque exercitium attendas. Nam quod alii, tum egestate pressi, tum Sacerdotum aut incuria aut inopia neglecti, ea ignorant quæ ad salutem spectant; tantumdem detrimenti Mebacheris affert, secularium curarum tanta multitudo, ut iis plane immersi, de rebus fidei, officiisque justitiæ Christianæ minime cogitent.

Plebeius ordo pauperrimus,

153 Sequitur demum ordo tertius, isque plebeius et infimus, operariorum, opificum, famulorum, rusticorum, quos inter paucissimi sunt qui non vivant in dies, quique proinde si morbo aliquo corripiantur, non statim ad summam egestatem redacti, vitam degant longe miserrimam. Illud nobis inter miranda reliqua mirabilius haud dubie videbitur, in gente tam populosa vix ullos inveniri qui mercaturam exerceant, ubi tamen Alexandria et Cairus, tamquam emporia mercimoniis clara, celebrantur. Judæos itaque, Græcos, Armenos, aliasque nationes extraneas Coptorum spoliis ditescere necesse est. Idne eorum inertiæ an imperitiæ, an utrique adscribendum, pronuntiare non ausim. Victus ratio, nutritio, educatio, longe a nostris moribus dissident. Magna ubique parsimonia; cibus quem capiunt, obvius : delicias et condimenta, aut per impotentiam non adhibent, aut ignorant, aut negligunt; eorum vices supplet, quæ ipsis familiarissima est, repetita

nec assuetus mercaturæ (quam exteri exercent)

D per diem refectio. Plus aliquid liberalis educationis et urbanitatis præ se ferunt Græci incolæ, vulgo, Melchitæ, utpote qui varias orbis partes nonnumquam peragrare soleant, Coptis e sua Ægypto nusquam pedem efferentibus.

parcissime vivit.

154 Enarratis breviter gentis conditione et ingenio, suspicor, inquit Bernatus, rem gratam me facturum, si de Catholicorum, siqui sunt, Coptorum numero pauca interseram. Anni sunt octoginta aut eo amplius, ex quo PP. Capucini Galli hanc vineam excolunt. Narrabat nuper eorum aliquis, constare ex tabulis, majores suos, Coptos non paucos, eosque primæ notæ ad Ecclesiæ Romanæ gremium reduxisse. Pari fere modo loquuntur PP. Minoritæ Itali de Propaganda (ut loquimur) qui a multis annis eamdem provinciam suscepere. Quin et PP. Societatis, qui fere ultimi ad eam messem accesserunt jam a decennio, et ipsi conversiones numerant nequaquam contemnendas. Quæro (pergit Bernatus) quæro, sed incassum, conversionum istiusmodi aut reductionum vestigia. Si pauperculos excipias, eosque non valde numerosos, pauci alii apud Coptos occurrent, qui fidem Catholicam, eo saltem quo par est, usu modoque profiteantur. Faxit Deus ut innumeri alii occulti delitescant, qui ad notitiam meam non pervenerint. E

Dicuntur ab annis 80 conversi multi ad fidem Catholicam,

qui modo non comparent,

155 Hæc Bernatus, tam vere, opinor, quam candide. Vere, inquam, nam quæ ipse scribit, a viro honoratissimo, teste itidem oculato, non semel mihi antea confirmata fuerant. Quapropter alibi insinuare me memini, spem superesse valde exiguam, fore ut Copti ad Ecclesiæ matris sinum postliminio reducantur. Quæ ne paradoxa cuiquam appareant, non gravabor hic integre referre quæ Bernatus adducit, sinceræ et solidæ reunionis impedimenta. Primum est, innata quodammodo, aut saltem cum lacte imbibita alienatio et aversio animi a Francis, quo nomine, ut alias dixi, Latinos seu Occidentales Europæos intelligunt, Italos, Hispanos, Gallos, Germanos, eosque omnes qui sub Francorum nomine, sacris olim expeditionibus interfuere, schismaticis Orientalibus etiam infesti, quorum proinde ex eo tempore inveteratum odium in se concitaverunt. Crediderim ego, ita a teneris Coptos efformari, ut in eorum cerebro non minus terribilis Francus reluceat, quam apud nostros pueros Turca aut Tartarus videri soleat. Minuitur, Bernato teste, idea illa teterrima, dum Francos intuentur propius, iisque familiariter utuntur : at quantum adhuc viæ superest, cum rarissimi sint qui Francos aut noverint aut alloquantur, nescio qua formidine aut terrore panico perculsi; quo si non prohiberentur, Francorum amicitias et consortia ambirent, nempe quos tot scientiis et artibus liberalibus instructos suspiciunt, præsertim Medicina, apud ipsos plurimum æstimata. F

neque sinceræ unionis spes non est melior :

propter innatum odium Francorum, i. Europæorum,

156 Impedimentum alterum facit summa illa Coptorum ignorantia, usque adeo supina et crassa, ut nullo ferme rerum ad religionem et salutem spectantium sensu tangi videantur. Accedit incredibilis, adiaphoria dicam, an incuria? quam putat Bernatus nonnulla ex parte regionis climati adscribi posse; præcipue tamen, oriri ait, ex ipsa Christianorum Ægyptiorum conditione, qui passim, ut supra dictum est, aut egentissimi sunt aut valde divites. Illorum sola fere est et unica cura, paupertatis levamen quoquo modo perquirere, suntque hi Cairi ingenti numero, parati plerumque et dicere et credere quidlibet, modo egestati succurras : quo subsidio deficiente, mox ad antiqua revertuntur. Interim nec Pastores norunt, nec a Pastoribus noscuntur; nec sane prodesset quidpiam mutua illa notitia, dum Pastores illi qualescumque, pauperculas oves negligunt

supinam gentis ignorantiam,

summam paupertatem,

A gunt, a quibus subsidii nihil sperandum vident, imo quarum ipsi miseriam sublevare tenerentur.

et apud Mebacheros Sacrorum neglectum.

157 Hinc luctuosissimam Coptorum sortem merito planxeris, tam profunde ignorantium, ut pro omni doctrina ipsis sit, scire, se Christianos vocitari; eos certe inter doctiores computo, qui vel solam Orationem Dominicam ex norma Catholica recitare didicerint. Hæc si in urbibus, hæc si Cairi obvia sunt, quid de rusticis statuendum sit, pronum erit cuilibet judicium ferre. Jam ad divites quod spectat, cum Mebacheri ii sint, et in optimatum domibus occupatissimi, tantum terrenis illis et perituris distinentur, ut, si maxime voluerint, æterna nequeant meditari. Videas inter illos qui toto anni decursu, nec ipsi Missæ sacrificio intersint, multo minus Sacramenta frequentent. Bene cum eis comparatum est, qui festis solennioribus externam aliquam et exercitam fidei suæ professionem emittunt.

Item propter innatam timiditatem,

158 Obstat tertio, quod homines, supra modum meticulosi et trepidi, minima quaque de causa terrore concutiantur; tametsi toto, quam vastum est, imperio Turcico, nullibi Christiani degant tutius, B majorique fruantur libertate; ita quidem ut ex omnibus Orientis partibus, alii in Ægyptum, tamquam in portum tranquillum sese recipere non dubitent. Prohibet innata ea timiditas, ne veritatem, quam ultro agnoscere et amplecti videntur, aperte profiteantur. Missionarius quilibet, harum rerum nescius, plurimos se convertisse continuo arbitrabitur, adeo prompte annuunt et victas præbent manus, propositis rationibus numquam reluctantes. Verum si ad praxim deveneris, si externam agnitarum veritatum confessionem poposceris; verbo, si cultum vere Catholicum demonstrari exigas, surdis canes fabulam; timore præpediti, nihil minus cogitant, quam de promissorum executione. Verosimillimum est, formidinem illam ab educatione instillari, cum a teneris annis parentes suos, infidelium jugo subditos, et dura pressos servitute, advertunt. Nec desunt (Bernati verba sunt) qui mihi candide fassi sint, Coptos, successione hereditaria Pharaonicæ induratonis factos esse participes.

licet valde dociles et proni ad fidem videantur,

interim de salute per Dei misericordiam varie præsumunt.

159 De Dei bonitate quam magnificentissime sentio, nec Domini manum abbreviatam credo; at in præsenti, ut loquimur, providentia, sperari haud quaquam potest, fore ut gens Coptica Ecclesiæ Romano-Catholicæ concilietur aut reuniatur, quamdiu potestati infidelium manebit subjecta, iisque offusa ignorantiæ C tenebris, quibus hactenus immersam vidimus. Quid fides, quid religio postulet, solicitos non habet, hac in parte tranquillissimos. Audias, bonitatem Dei et misericordiam certatim extollentes, atque in eis ita confidentes, ut sibi abunde ad æternam salutem prospectum putent, si dicant Christum esse Mediatorem, beatissimam Virginem Mariam Sanctosque reliquos, sibi fore patronos et propitios. Interea in eodem luto hæsitare pergunt, nisi vehementer fallar, de misericordia Dei vane prorsus præsumentes, olim ignorantiæ socordiæque suæ pœnas daturi.

Remedium unicum esset ab institutione puerili,

eaque gratuita.

160 Morbo tam immedicabili curando, ac depellendæ, præsertim in adultis, ignorantiæ, vix tota Europa sufficientes Missionarios suppeditet: aliunde vero ita perpetuum victu quæritando occupantur, ut perraro convenire et colloqui liceat. Unicum Ecclesiæ illi restaurandæ illustrandæque remedium esset, more Europæo ludos aperire, ut pueri ab infantia instructi, scientiæ virtutem pietatemque conjungerent. Hoc ipsum ultro fatentur Copti, hoc se desiderare affirmant, spondentque liberos se quantocius ad scholas, destinaturos, eo libentius quo nullum minerval solvendum intelligant; quo certe motivo dubium non est, quin Coptorum pars maxima ad nos conflueret. In id modo laborant Missionarii nostri, arduam tædiosamque provinciam alacriter aggressuri, si piorum Europæorum misericors liberalitas, de necessariis ad vitam sustentandam subsidiis benevole prospexerit. Tuam, Lector, pietatem ex ultima Ægypto implorari cogita, ut si ad miserabilis gentis spirituale emolumentum, conferre quidquam potes, viscera misericordiæ desiderari non patiaris. Hæc de Coptorum conditione, classibus, indole, moribus generatim dicta, ad eorum ritus et instituta facilius percipienda, lucem non modicam subministrabunt. D

AUCTORE J. B. S.

ad quam Europæorum liberalitas optatur.

SECTIO II.

De Coptorum erroribus, ritibus, placitis, relatis ex Sacchino aliisque, Bernati sententia.

Sacchinus noster,

Nunc ad veros Coptorum errores propius accedimus, neglectis minutis minoris momenti, quas prosequi scrupulosius nec vacat nec lubet. Illorum omnium catalogum bene longum contexuit Sacchinus noster, Historiæ Societatis parte 2, lib. 5, num. 122: quem ad examen revocare operæ pretium E fuerit, ut ex recentiorum, præsertim Bernati fide, quantum fieri poterit, certa a dubiis, vera a falsis discernantur. Haud ignota est Abrahami Copti insignis impostoris simulatio, qua Romæ tantum profecerat, ut subornatis fallaciis, confictis litteris, aliisque dolis malis, Pontificem et Cardinales spe vana lactando, dona et munera per Nuntium Apostolicum, ad Patriarcham suum, Ecclesiæ Romanæ conciliandum, deferenda impetraret; quibus Cairum, vel ut Sacchinus vocat, Memphin deportatis, et Patriarchæ traditis, Legato Pontificio turpiter illusit. Fuit is Christophorus Rodericius Societatis Jesu, vir plane Apostolicus, et idcirco a Pio IV Pontifice ad rem perficiendam delectus. Hunc Sacchinus auctorem habuit, ex cujus commentariis desumeret, quæ de Coptorum religione historiæ suæ inseruit, in hunc modum:

ex relatu P. Rodericii ad Coptos Legati,

ad 6 præcipua capita errores reducit,

162 *Christophorus, Coptorum placitis moribusque noscendis insistens, manifestis hæresibus involutos reperit.* I. *Repudiari apud illos, et vivis prioribus alias superducere uxores, in more esse.* II. *Ante Baptismum parvulos circumcidere.* III. *Sacramenta, septem quidem numerare, verum præter Baptismum, Eucharistiam, Confessionem, Sacerdotium; cetera longe a veris diversa, Fidem, Jejunium, Orationem.* IV. *Spiritum sanctum non credere a Filio procedere.* V. *Concilia non recipere nisi tria, Ephesinum, Constantinopolitanum, Nicænum, in quo octoginta quatuor Canones habent,* VI. *In Christo, post conjunctionem Humanitatis cum Divinitate, non nisi unam naturam esse, unam voluntatem, actionem unam, Chalcedonensi Concilio penitus damnato. In ritibus quoque multa peccare, existimantes adhuc suffocato et sanguine abstinendum; matrimonia in secundo cognationis gradu passim licere contrahi; in Diaconorum numerum quinquennes pueros adlegentes, et initiantes sacris; inter baptizandum dum ter infantem demergunt, totam formulam ter pronuntiantes.* F

itemque Spondanus -

163 His fere similia tradit Spondanus ad annum MDLXI, probabilissime ex eadem Rodericii relatione desumpta; quæ ego tam crude enuntiata, nec ut vera admittere ausim, nec ut falsa omnino rejicere. Nonnulla ex Vanslebii fide, Coptis imputanda non sunt. Polygamiam illis familiarem esse, nullibi insinuat. Sacramenta septem, Romanorum more, eis attribuit. Echellensis et Naironus Coptos vindicant ab errore Græcanico de processione Spiritus sancti a solo Patre. Abstinentia a suffocato et sanguine, aliisque c gelibise Mosaica vetitis, ita nonnullis visa est

A AUCTORE J. B. S. *quorum nonnullos negant alii :*

est Habessinorum propria, ut ad Coptos universim transferri non possit ; nisi quis cum laudato Historiæ Criticæ Scriptore, rotunde asserat, non Græcis minus quam reliquis omnibus Christianis Orientalibus communem esse observantiam : quod an satis certum esset, mihi non constabat, donec ex Bernati judicio postea proferendo, habui quod verosimilius statuerem. His sic obiter indicatis, illud modo agendum est, ut quidam indubitati gentis Copticæ errores sint, manifeste appareat ; tum qui eorum ritus et instituta a Romanis plurimum dissentiant. Sacchini seriem repetam, singula quæ ante sufficienter explicata non fuerint, ex Bernati relatione per ordinem discussurus.

puta, quod polygamiam probent,

164 Primus itaque articulus Coptis imputatus is est, quod *repudiare apud illos, et vivis prioribus alias superducere uxores, in more sit.* De Polygamia simultanea hæc intelligi non posse, ex eo videtur certissimum ; quod Vanslebius, tanto tempore in Ægypto versatus, nihil de ea commemoret. Agit hic de Coptorum Matrimonium, parte 2, capp. 32, 33, 34 et 35, de uxorum pluralitate altum silentium. Primo ex citatis capitibus, accurate enumerat quindecim diversi generis impedimenta, quæ

B *licet divortiorum causæ plures sint,*

utrum dirimant, an solum impediant, parum interest. Paucis colligo, quas receptas, ait, in faciendis divortiis consuetudines. 1. Si uterque conjux Monachatum suscipiat. 2. Si alteruter morbo laboret ; qui cohabitationem impediat, ut si hermaphroditus sit, si eunuchus, leprosus, epilepticus etc. 3. Si uxor fuerit adultera, non item si maritus eo crimine laboret. 4. Si alter alterius sanitati grave afferret detrimentum. 5. Si uxor, ante conjunctionem epilepsiæ obnoxia, id reticuerit. 6. Si alteruter in captivitatem abductus, toto quinquennio superstiti non innotescat.

et illam tolerent Habessini

165 De conjugiis consobrinorum, et suspicionis calice olim permisso, nihil attinet dicere. Ex adductis legibus viderit eruditus Lector, quo suo merito Copti, ut polygamiæ simultaneæ rei, traduci possint. Non me latet Habessinis quoque suos esse Canones ecclesiasticos polygamiam vetantes, at nihilominus, jura politica in eo connivere, ut superius ex Ludolfo innuimus. Coptos vero talis etiam prævaricationis participes, nemo, opinor, asseret, ubi Vanslebium, tam scrupulose omnia in hac materia scrutatum, nihil referre animadvertet. Nec

C

solo Vanslebii silentio nitimur, dum recentissime Bernatus confirmat, polygamiam Coptis æque ac Latinis esse exosam. Igitur Sacchini verba de solo repudio intelligenda, dubium non est, cum id unice asserat, *Repudiare apud illos, et vivis prioribus alias superducere uxores, in more esse.*

Verum tamen est, quod divortio impetrato

166 Impedimenta jam a Vanslebio enumerata vidimus, examinet qui voluerit. Sane frequentia nimis in Ægypto repudia ex auctoribus persuasissimum habui, idque durum et Christianis indignum judicabam, præsertim si ita usus invaluisset, ut vere licitus censeretur, quemadmodum Sacchinus indicare videbatur. Ego abusum potius credidi, contra apertissimam Evangelii veritatem, corruptis hominum moribus introductum. Consultus itaque a me Bernatus, sic rem explicuit, ut, utrum recte opinatus fuerim, haud difficulter statui possit. En, inquit, hac de re Coptorum sententiam et consuetudinem. Primum quidem ultro fatentur, tam clara esse Evangelii oracula, ut de indissolubilitate Matrimonii nihil dubii reliquum faciant. Catholica plane confessio. At veritati tam perspicuæ non omnino conformis est eorum praxis. Si vir uxorem in adulterio deprehenderit, nullisque rationibus induci possit ut eam retineat ; licitum est repudium, et ad secundas nuptias transitus conceditur. De morbo

nova conjugia tolerentur,

D

contagioso et impotentia naturali idem esto judicium, ut ferme nuper indicabat Vanslebius.

ad ea dispensante tribunali laico,

167 Tolerabiles videri possent adductæ hactenus repudiorum rationes, nisi fœda Matrimoniorum dissolutio, et novorum conjugum superductio ulterius extenderet. Turpissima est quam ex *Chere* (Arabica vox est quæ justitiam significat) quam, inquam, ex justitia fieri prætexunt. Justitiæ modum attende. Dum alterutrum conjugem alterius tædium cœperit, tribunal laicum loci, in quo commorantur, conveniunt ; oblatoque utrimque repudii libello, mox aliis copulantur, idque ex Turcarum lege et placitis, ne quis deinde Prælatus ecclesiasticus impedimentum afferre audeat. Horrorem incutit tanta perversitas, etiam mediocriter probis, qui idcirco viam ineunt magis apparenter canonicam. Importunis, et, si opus est, minacibus precibus, a Patriarcha aut Episcopis id primum exorant, ut legitime separentur. Huc usque non male. At brevi solitudinis pertæsi, ad Prælatos recurrunt, rogant, obsecrant, clamitant incontinentiæ periculum ; verbo, incussis etiam minis extorquent, ut secundo connubio alteri conjungi liceat. Cum tam enormem abusum, ait Bernatus, Sacerdoti exprobrarem, frigide reposuit, *melius esse nubere quam uri.*

vel Prælatis eo coactis,

et jugum Turcicum excusantibus,

E

168 Ex his confice, quam rara hic sint in ecclesiasticis Superioribus pastoralis fortitudinis exempla : innata timiditas inscitiæ conjuncta, facile persuadet, eas esse rerum circumstantias, ut accipienda et dissimulanda sit, sanctissimarum etiam legum violatio. Ceterum lectores monere teneor, licet quandoque patrentur hujusmodi crimina, non continuo existimandum esse ea passim frequentari. Qui Coptorum abusus tam exacte refert, is sancte testatur, non usque adeo obvios esse, ut toti genti merito imputari debeant. Quin nec honesta in speciem deest indulgentiæ palliatio. Subsumus, inquiunt, potestati infidelium, apud quos impius quilibet multum negotii facessere queat. Faxit Deus ne Prælatorum integritas muneribus corrupta, faciliores reddat ad pudendas id genus dispensationes concedendas. Adde, quod illis renuentibus, non desint Sacerdotes pravi, qui vices suppleant. Insurgunt tum quidem Præsules, atque a Sacramentorum participatione continuo repellunt ; sed evanescente insolito rigore, facile admissi, superductam uxorem rejicere, et ad priorem redire minime coguntur. Hæc primi Sacchini articuli vera, ni fallor, expositio. Utrum et Græcis et Orientalibus omnibus adeo communis sit repudiorum libertas, quemadmodum asserit Auctor Criticus pag. 16, 17 et 71, parum ad nos attinet, qui de solis Coptis agere instituimus.

nec ad Canones observandas satis fortibus.

F

Errorem de processione Spiritus S. Coptis adscriptum, negant alii,

169 Proxime sequens, *de Circumcisione Baptismo præmissa*, materiam tangit operosiori examine §. VII disceptandam. Quæ tertio articulo *de Sacramentis* tradit, in proprium item locum rejicienda censui, quod de iis multa curiose Bernatus digesserit, proximæ sectioni materiem datura. Super quarto articulo, *de Spiritus sancti a Patre et Filio processione*, acriter, ut dicebam, depugnant Echellensis et Naironus, quo Græcanicum errorem a Coptis et Jacobitis reliquis avertant. Contra Auctor Historiæ Criticæ, adversus Brerewodum et Thomam a Jesu, contendit, doctrinam de Spiritus sancti a Patre et Filio processione, Latinis esse propriam, qua in re consentientes habet Europæos alios, qui id tamquam indubitatum repetunt et inculcant. Vanslebius autem pag. 123, ut Coptos cum Græcis sentire ostendat, id eos deducere ait ex iis Christi verbis apud Joannem cap. 15 ℣ 26. *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a patre procedit.* Argumentum profecto subtilius quam ut e Coptorum penu procedat ; neque ego

aut etiam contrarium sentire sustinent :

A ego a quoquam, præterquam a Vanslebio, illud relatum inveni, Maronitis Catholicis, et Jacobitis ipsis cum suo Jacobo, reclamantibus.

verius est, nescire eos de illa quidquam,

170 Nullus porro, me quidem judice, liti huic dirimendæ aptior, nec sincerior Bernato arbiter, cujus sententiam puto esse verissimam. Ipsissima ejus verba referam Latine reddita. Quod spectat, inquit, ad Spiritus sancti processionem, sudabo affatim priusquam Coptorum mentem Reverentiæ vestræ clare expressero. In promptu est ratio, cum ipsimet quid sentiant, quidve sentire debeant, prorsus ignorent. Falluntur enimvero Europæi, si Coptos vel solum *Processionis* terminum intelligere existiment. Non asserunt Spiritum sanctum procedere a Patre et Filio, sed neque negant. Norma fidei eadem hic ipsis quæ nobis est, antiquum Nicænum Symbolum, in quo cum de processione a Filio primitus nihil contineretur, simpliciter aiunt Spiritum sanctum a Patre procedere, nihil ultra investigantes. Poterunt Scriptores vestri, eorum nomine venditare quælibet, nihil ipsis in hac parte tranquillius, securius nihil: imo fallor vehementer, si in tota natione Coptica unus unicus reperiatur, qui, quid hoc articulo, quid hac B disceptatione in quæstionem veniat, primis, ut aiunt, labris unquam degustaverit. Et quid miri, quod in eorum Symbolo non exprimatur particula *Filioque*, dum præter tria prima Concilia, aliud nullum unquam admisere: ea vero additio, non nisi multis post seculis, ab universali Ecclesia recepta fuerit? Ita Bernatus.

simpliciter vetus Symbolum Nicænum usurpantes,

nec nisi tria prima Concilia noscentes

et ex Nicæno tenentes Canones 84.

171 Circa articulum v, de receptione *trium tantummodo Conciliorum Ephesini, Constantinopolitani et Nicæni;* fatentes jam habet reos Sacchinus Coptos, et quotquot sunt, Jacobitas omnes, quibus communes sunt Nicæni Concilii Canones illi LXXXIV, et apud Catholicos hodie satis celebres, postquam ab Echellensi aliisque editi sunt et Annotationibus illustrati. Qui eos et ejusdem tenoris alios plures compendio descriptos cupit, adeat Vanslebium, multa, ni fallor, falsis vera miscentem, a pagina 238 ad pag. 301. De VI et postremo articulo, *Eutychianismum seu Monophysismum* concernente, nihil mihi dicendum superest. Recte matricem eam Coptorum hæresim, pluribus cum Abrahamo colloquiis et concertationibus habitis, Rodericius observavit; recte Sacchinus retulit inter genuinas Coptorum ab orthodoxa fide aberrationes, ut me abunde credo confecisse §. IV. Reliquum est, ut quæ in ritibus peccare Coptos Sac- C chinus ait, breviter etiam, quoad necesse erit, expendamus; quibus ea demum accedent, quæ ab extraneis Scriptoribus eidem genti imputantur, aut quæ a Bernato suggesta, ad majorem Copticorum rituum et placitorum notitiam conducere videbuntur.

De Eutychianismo, apud ipsos stabilito, constat.

172 Qui Coptos criminantur veluti legalium ceremoniarum et Judaicarum superstitionum reos, abstinentiam a suffocato et sanguine exprobrant, et suspicionem confirmant, ingesta insuper Sabbati observantia. Quæ in his Coptorum esset consuetudo, apud Vanslebium non legeram satis diserte propositum, tametsi inter eorum Apostolicos Canones pag. 246 hunc referret ordine LXV: *Mancipia Sabbato et Dominica a servilibus cessare debere.* Et pag. 250: Crimini verti *si quis carnem non occisam, aut a feris dilaniatam comederit.* Rursus: *Siquis Dominica aut Sabbato jejunaverit.* Denique pag. 255: Pœnam latam *in Clericos, qui cibis vetitis usi fuerint.* Hæc quidem insinuabant, Coptos superstitiosarum observantiarum tenaces esse. Verum cum Auctor Historiæ criticæ pag. 134 ritum celebrandi Sabbatum, et a sanguine et suffocato abstinendi, toti prorsus Ecclesiæ Orientali convenire, sed *eam propterea perperam Judaismi incusandam,* solita sua libertate pronuntiaret; nihil putavi determinandum, priusquam Bernati judicium accederet. En ejus verba.

De Judaicis superstitionibus accusati,

173 Imponunt certo Critici vestri, dum Coptos traducunt tamquam Sabbati observatores. Jam hic triennio et amplius, in eorum consuetudines non otiose inquiro, nec tamen deprehendi quidquam, quo talis eis cultus merito imputetur. Falluntur item, dum Græcis, Armenis, Syris idem tribuunt, quos hic oculis ipse meis ab ea religione alienos perspicio. At vera prædicant circa abstinentiam a suffocato et sanguine, quam fateor Coptis esse familiarem, licet non omnibus eadam id factitandi sit ratio. Alii abstinent ex mera parentum traditione, a quibus id usu magis quam mandato didicere. Alii tales carnes respuunt, quod sanitati noxias existiment: alii demum, quod falso credant, etiam hodie præcepto Apostolico, Act. 15. ℣. 29, Christianos omnes obstringi. Sunt etiam quibus suilla vesci piaculum est, contra vero pars major ea utitur non secus ac Europæi Catholici. Id comperisse videor, Habessinos veros esse Sabbati observatores: sic saltem apud Coptos audiunt, idque mihi recentissime testatus est, qui non ita pridem ex Æthiopia huc adventavit. Huc usque Bernati responsio.

D

AUCTORE J. B. S.

excusantur a Bernato,

aliis de causis a suffocato et sanguine abstinere.

Habessini tamen observant Sabbatum,

174 Quid, quantumve hic peccent Copti, non disputo; in eo certe Simonio non assentior, innocuam illam observantiam rotunde definieti. Movet me Ecclesiæ matris auctoritas, a qua persancte declaratum video, cæremonias eas omnes puritati fidei esse contrarias. Non id negabit, opinor, eruditus Criticus, si modo Concilium Florentinum consulat, et Professionem fidei Gabrielis Coptorum Patriarchæ a Baronio tomo 6 Annalium (non 5 ut ipse) subnexa; quæ omnia sequenti paragrapho ad verbum referam. ubi de Circumcisione ex professo erit disserendum. Circa ritum celebrandi Sabbati, de vocabulo forte litigare quis poterit. Si enim ea observatione non aliud indicetur, quam quod eo die Copti, et si vis, ceteri Orientales non jejunent (excepto solo Sabbato sancto) fatebor Coptos Sabbati observatores, neque ritum eumdem in primitiva Ecclesia usitatum inficiabor. Sed et illud mihi concesseris, jam pridem observantias illas omnes Christianis esse prohibitas, postquam Magistra eadem fidei, morum, et disciplinæ, filiis suis eas vetuit et interdixit.

E

Copti solum non jejunant in illo.

175 *Matrimonia in secundo cognationis gradu* (intellige collaterali) *licere contrahi,* non tam docent Copti, quam usu ipso et consuetudine in praxim reducunt. Ultro admittunt, inquit Bernatus, id antiquitus sibi non fuisse concessum, sed dura necessitate eo compulsos majores suos, ut ne eorum filiæ a Turcis raperentur. Casum prætexunt, verum an fictum nescio, quo olim contigisse aiunt, ut, cum Mahumetani puellas Coptorum plurimas nubiles conspicerent, audirentque Christianis consanguineis matrimonia non licere contrahere, eas sibi copulare voluerint. Consilium tempestive rescivit Patriarcha, atque imminenti malo remedium allaturus, mox Sacerdotes quaquaversum immisit, qui puellas omnes, nulla habita proximitatis ratione usque ad secundum consanguinitatis gradum, viris quantocius conjungerent. Ea arte delusis Turcis, ne idem imposterum periculum recurreret, quod casu permissum fuerat, in receptam abiit consuetudinem. Et eo pacto, inquiunt, ea evitamus incommoda, quibus aliæ nationes, Turcico jugo subjectæ, expositæ sunt, in servandis impedimentis scrupulosiores. Hæc certe verisimilior, saltem plausibilior est ratio, quam illa quæ a Vanslebio refertur pag. 107; nempe, hujusmodi connubia ab omni ævo in Ægypto recepta, a S. Marco non fuisse prohibita, quod de Circumsione aliisque peregrinis suis ritibus falso Copti comminiscuntur.

Matrimonia in gradu 2, olim ipsis illicita,

usurpare, ne Turci filias nubiles rapiant.

176 De *pueris Diaconis* egimus præcedenti proxime sectione. Crediderim ego, quinquennio paulo esse

Auctore J. B. S. Diaconi, etiam pueri, obligantur ad Horas.

A esse majores, quandoquidem alio loco Bernatus affirmet, ad septem Horas Canonicas, seu, ut ipsi vocant, septem preces teneri, quod infantibus convenire non videtur: quamquam sciam et tales promoveri, qui vix binas aut ernas Horas de memoria recitare noverint. Restat ultima Sacchini accusatio, *de trina formulæ Baptismi repetitione, ad trinam infantis immersionem.* Debuit Rodericius, ex aliena et falsa relatione, Commentario suo inserere, quod apertissime negat Vanslebius, testante etiam recentissime Bernato nostro, ita Baptismum conferri, ut baptizandus ad tertiam primum corporis partem aquæ immergatur, pronuntiata forma: *Ego te baptizo in nomine Patris*: Tum facta immersione ad alteram tertiam corporis partem, dicitur: *Ego te baptizo in nomine Filii*: Tertio denique totus demergitur, dicente Sacerdote: *Ego te baptizo in nomine Spiritus sancti.* Habes hic omnium Sacchini articulorum, claram quosque licuit elucidationem. Nunc alia breviter percurramus, de quibus Scriptor ille non meminit.

Baptismus sub triplici immersione, unica tamen formulæ pronuntiatione confertur.

177 Auctor Historiæ criticæ pag. 125 ait, se ex Kirchero referre, quod *Copti solam suam, Armenorum et Habessinorum Ecclesiam, veram Christi sponsam existiment.* Haud difficulter inducam in animum, B et hoc reliquis Coptorum insomniis adjungi posse; sed cum id alibi traditum non reperiam, tantisper sub judice relinquo, donec mihi constet qua ipsi fronte ceteros Jacobitas a regno cœlorum excludant. Nam quod Melchitas et Francos pro hæreticis habeant, ex eo id sequitur, quod Nestorianis annumerent omnes duarum in Christo naturarum adoratores. Proxime apud eumdem Auctorem additur: *Quod non credant defunctorum animas, aut beari cœlesti gloria, aut æternis puniri cruciatibus, ante extremum diem judicii.* Non adeo peregrina olim fuit hæc propositio in ipsa Catholica Ecclesia, et inter Græcorum (reliquos simul Orientales intellige) articulos eam collocat præfatus Criticus pag. 22. Nihilominus Coptis immerito adscribi censet Bernatus, qui ex Sacerdote sciscitatus, quæ ea de re Coptorum esset sententia, paucis hic, sed plane apposite respondit: *Unumquemque post mortem tendere in domum suam*, Non potuit clarius et brevius mentem indicare, nisi et Copti geminum paradisum adstruant, ut loco proxime citato, de Græcis prodit præfatus Simonius.

Non videntur, sibi solis arrogare Ecclesiam, licet ab ea Francos et Melchitas excludant; nec ad diem judicii mortuorum gloriam aut pœnam reservare.

178 Magna est apud Coptos, ut et apud reliquos toto orbe Christianos Epiphaniæ solennitas. Inter multa celebritatis signa, nihil antiquius habent, quam ut eo die, ritu peculiari, in memoriam Baptismi C Christi, vim aquæ ingentem benedicant, tum in templis, si vasa et lavacra suppetant, tum ipso in Nilo, et verosimiliter in aliis fluviis, ne cui potestas desit se eo die lavandi. Hinc orta suspicio, Baptismum quotannis ab ipsis repeti, idque mox inter ceteros Coptorum errores, Itinerantium tabulis consignatum. At quid si scrupulum dicamus, hominum inexpertium et imperitorum, quibus familiare est, damnare omnia, quæ ipsis quoquomodo videntur insolita. Non diffitebor, inquit Bernatus, multos esse qui in prægrandibus illis vasis, corpus totum abluant; alios, qui manus et faciem lavent; imo verum est, infantes ipsos tunc a Sacerdotibus aquæ immergi. Neque tamen inde legitime inferes, Baptismi Sacramentum a Coptis iterari: alioquin ingentem Turcarum numerum, Christianis imprudens accensebis; quippe qui eo die, cum reliqua Coptorum turba, in Nilum se projiciunt, ut de aquæ benedictione participes fiant. Quin et animalia sua domestica in eumdem fluvium præcipitant, quæ nemo, opinor, eo die Baptismi lavacrum suscepisse, recte arbitrabitur.

Solennis in die Epiphaniæ lotio non est iteratio Baptismi; cum sic etiam bruta tingantur.

179 Alia item Coptorum nomine fabella circumfertur, de Communione Sacerdotis et Diaconorum omnium ad altare, exemplo trium Regum præsepi D assistentium. Quis ridiculam scenam primus deliraverit nescio: hoc quidquid a Coptis circa præfatam Communionem peragitur, non putat Bernatus vituperio aut reprehensione dignum. Sacerdoti celebranti semper ministrant Diaconi: si Episcopus aut Patriarcha rem sacram faciant, assistunt etiam Sacerdotes, plures vel pauciores pro dignitate personæ, aut festi solennitate. Moris est apud Coptos, ut quicumque sacris operanti serviunt, cum eo, et plerumque ex ejus manu communicent, non sic tamen, ut qui Presbyteri sunt, cum celebrante consecrent, ut quibusdam ridicule fingere vel somniare libuit. Insulso itaque commento ansam præbere potuit, quod cum Diaconorum magna sit copia, iique paulo grandiores facti et opificio intenti, non nisi simel forte in anno, puta festo Paschatis, sacris induti, munere suo fungantur, ac per id tempus, Communionem suscipiant de manu Sacerdotis; id, inquam, imperito cuidam suffecerit, ut generali ritu apud Coptos receptum scriberet, semper Diaconos omnes cum Sacerdote, Missam faciente, communicare; idque, si superis placet, exemplo trium Regum, præsepi una assistentium.

Communicantes cum Presbytero Diaconi, male dicuntur cum ipso consecrare.

180 Sacrarum imaginum cultores esse eximios, E cum Auctore Historiæ Criticæ, tradunt passim omnes. A Romano-Catholicis parum dissentiunt, si debitæ venerationis limites non excedant. Corrigenda porro inepta opinatio, qua sculptas Sanctorum statuas, tamquam idola aversari dicuntur: an quod sculptoribus careant, an quod ipsi, quid sentiant, ignorent? In ceteris enim apprime nobiscum congruunt. Magno pictarum imaginum apparatu templa sua exornant; persuasissimum habent, Deum ad invocationem Sanctorum sæpe patrare miracula. Summa illis in veneratione est Sanctorum omnium Regina, beatissima Virgo Deipara; preces ad eam devotissime fundunt, luminaria et accensas lampades appendunt, beneficia non raro se impetrasse asserunt. Plures ejus imagines, tota Ægypto celeberrimas, vidisse se narrat Vanslebius part. 3, cap. 10, atque in eorum libris legisse miracula, quæ eis tribuuntur. Angelis devotissimos esse, hinc liquet, quod templa eis et altaria erigant, minime dubitantes, quin per sanctissimos illos spiritus, orationes nostræ summo Numini offerantur.

Sanctorum statuas aversantur, picturas amant, illos et imprimis Deiparam Angelosque venerantur,

181 Quæ de imaginum sculptarum insectatione hic legis, non ita intelligi vult Bernatus, ut ab iis penitus abhorreant, quod ex aliorum relatu mox dicebam. Ut sunt bonarum artium osores Copti, ita F nec sculptas icones, nec artem eas effingendi norunt; debitum nihilominus honorem exhibituri, siquis Sanctorum statuas efformaverit aut venerationi exposuerit. Qui speciosis prætextibus etiam errores velant, ii a templis Coptorum icones abesse dictitant, ne idololatriæ labes eis a Turcis affricetur; at rarissimi sunt qui sibi persuadeant, istiusmodi imagines vetitum esse a Christianis honorari. Bernati fide nitimur, cui Sacerdos Coptus asseruit, extare in templo Cairi primario, fusam Crucifixi imaginem æneam opere anaglyphico, quam, ad excitandos teneriores erga patientem Christum affectus, in Parasceve populi oculis exponunt; certisque ritibus sepultam, ac balsamo et aromatibus conditam, servant usque ad noctem, quæ Sabbatum et Dominicam resurrectionis intercedit; qua ipsi, ut apud nos in Natalitiis moris est, Missam, sed unicam tantum, quemadmodum et in nocte natali, celebrare solent.

et anaglyphum Crucifixi in Parasceve.

182 De Purgatorio quid sentiant, multum ambigi video. *Super hoc puncto* (verba sunt Vanslebii) *nondum se satis explicuit Ecclesia Coptica.* Ridicula et absona hic fingunt boni illi homines. Admittunt quidem,

Pro defunctis orant.

A quidem, animas, post separationem a corpore, torqueri, et fidelium precibus, sacrificiis et piis operibus sublevari; quo spectant exequiæ, eleemosynæ, Missæ celebratæ tertio et septimo die, et ultimo mensis quo defunctus obiit, et quadragesimo, sexto mense, in anniversario; et tandem genuflexiones aliquot, festo Pentecostes in eum finem institutæ. Quis hæc affinia neget doctrinæ nostræ Catholicæ?

sed de eorum animabus ridicula tenent.

Interea si eorum opinionem examines diligentius, sobrios delirare comperies. Inter absurda reliqua docent, non alia esse animarum tormenta, quam quod dæmonibus rationem reddere debeant peccatorum, dum corporibus unitæ essent commissorum. Item quod cruciatus illi qualescumque, ultra diem quo judicati fuerint, qui ipsis est quadragesimus ab obitu, non protrahantur; atque hujusmodi insulsa plurima, a Vanslebio fusius deducta.

æque ac de loco purgationis,

183 Verumtamen quæ ille ibi narrat, a Bernato non omnimode confirmantur. Negat imprimis, ex Coptorum opinione, nulla animabus tormenta infligi, præter rationem dæmonibus reddendam: alias enim pœnas refert, quamquam non minus ridiculas. Solicite quæsivit ex eorum presbyteris, nullumne peculiarem locum animarum cruciatibus destinarent? B Audi deliria. Demortui anima, inquiunt, portatur ab Angelo trans mare ingens igneum, in quod sæpius aut intingitur aut immergitur, pro peccatorum qualitate et quantitate. Si magni Sancti fuerint, ut B. V. Maria, S. Joannes etc. tam alte ab Angelo elevantur, ut aqua flammivoma eis nocere nequeat. Ceterum anima, ignitas undas eluctata, creatori suo

non ultra 40 diem durantis;

sistitur; a quo, dilata in quadragesimum diem sententia, ad propria remittitur, corpus quæsitura. Hoc autem non reperto (jam enim terræ mandatum supponitur) tridui reliquum domi suæ morari cogitur, donec Sacerdotum precibus inde expellatur; tum totis XXXVII diebus gyrovagam agit, loca omnia pœnarum et gloriæ cum Angelo circumcursans. Ubi advertas, Angelum habere in mandatis, ut illis spectaculis animam exerceat, quousque elapsis XL diebus, et ipsa promerita mercede compensetur, aut meritis destinetur suppliciis: et hoc forte per examen suum Vanslebius indicare voluit.

et tamen pergunt etiam post eum orare,

184 Tæderet me gerras insulsissimas referre, nisi ex talibus inscitorum hominum placitis, magis pateret deploranda fatuitas. Primis illis potissimum XL diebus, sacrificia, preces, aliaque pietatis officia pro defuncti requie Deo offeruntur. Ubi si percunC cteris, cur etiam finito quadragenario orare pergant, quandoquidem loco jam suo animam receptam doceant; ea difficultate pressi, ad Evangelii verba profugiunt: *Mansiones multas esse.* Si plusculum instes, rubore suffusi, sua ipsi deliramenta agnoscere vi-

quasi sic augeri possit defuncti gloria,

dentur; porro quid ultra reponant, non habent, nisi quod nugas nugis accumulent. Ex unis disce reliquas. Aiunt, fusas preces post XL ab obitu dies, usui esse posse, ut si defunctus justus fuerit, augmentum gloriæ illi accrescat. Nec illud tacendum est, magnos illos Sanctos, de quibus statim agebam, communi legi XL dierum non subjici, sed recta in cœlum ab Angelo deportari. Hæ sunt Coptorum intemperiæ; ex quibus hic saltem recte colligit Vanslebius, *Ecclesiam Copticam nondum sensa sua satis explicuisse.* Addere poterat, numquam futurum ut satis explicet; quemadmodum nec illud recte exponere poterit, quod notat idem Vanslebius pag. 185, pueros ad usque annum quartum decimum et ultra, peccati esse incapaces.

Lexici Biblicæ ineptiæ circa Coptos,

185 Dum hæc absolverem, casu incido in magnum Lexicon Biblicum, Lugduni editum anno MDCCIII, eo Auctore, quem sæpius appellavimus de Ritibus et fide Orientalium. Librum evolvens animi gratia, observo inter voces biblicas etiam Coptos nostros, nullo suo merito collocari, ac multa de D ipsis asseri a veritate prorsus aliena, eisque plane opposita, quæ citato opusculo de ea gente Auctor retulerat. En pauca de multis ex Gallico Latine reddita: *Circumcisionem* (Copti) *cum Judæis observant, quia credunt Baptismum non sufficere, sed illam etiam ad salutem esse necessariam...... Baptismo aquæ Baptismum ignis superaddunt, imprimuntque candenti ferro signum Crucis fronti, temporibus, et genis baptizati, dicentes, hoc ultimo Baptismo peccatum originis omnino deleri. Cruces etiam imprimunt brachiis, aiuntque hoc se signo, non solum a paganis distingui* (quod verum est) *sed adimplere Christi Domini præceptum: Qui non accipit Crucem suam et sequitur me, non est me dignus. Signum Crucis solo indice formant. Agnoscunt tamen hodie Romanam Ecclesiam, cui a paucis annis conciliati sunt opera RR. PP. Societatis Jesu ibidem Missionariorum. Copti Romæ Collegium habent, ubi eorum adolescentes instituuntur* etc. Advertis, opinor, falsitatum aut, si placet, ineptiarum farraginem, a nescio quo, operi illi intrusam; quam ego Simonii esse non credam, nisi apertissimarum contradictionum convictum fateare. Sed eas per transennam assignasse sufficiat, ex supra relatis et E probatis, ac porro probandis excutiet qui volet, mihi certe jam non vacat, ad ultimam paragraphi partem festinanti.

AUCTORE J. B. S.

indignæ refutari.

SECTIO III.

De coptorum Sacramentis et Jejuniis.

Quod de proposito Bernatus præstitit,

Quam varia et ferme opposita Scriptores nostri tradunt de natura et numero Sacramentorum apud Coptos, tam mihi necessarium putavi, singularem adhibere diligentiam, ut veram eorum doctrinam et praxim quaqua via eruerem. Ea propter, cum ei materiæ aliquatenus elucidandæ, fidem quodammodo obstrinxissem, varias inter quæstiones, Patribus nostris in Ægypto Missionariis propositas, id rogavi instantissime, ne quid prætermitterent quo, solutis dubiis, quæ controversa erant, explanata redderentur. Gnavum se hic, uti in aliis præbuit Bernatus noster, sincere testatus, se quam potuit diligentissime libros eorum, et potissimum Ritualia consuluisse, Sacerdotes examinasse; alterum ut eorum sententias detegeret, alterum ut de hodierna Sacra-

jam dederat Vanslebius, F

mentorum administratione indubitata referret. Id jam præstitisse videri poterat Vanslebius, in enumerandis explicandisque Coptorum Sacramentis, non minima libri sui parte occupatus: verum, ut sæpe jam diximus, non satis exacta est Vanslebiana illa compilatio, nec satis tuto procedere licebat, nisi certiora et exploratiora suppeditarentur. Ne tamen neglecta omnino putes quæ Auctor iste in rem contulit, ex ipsomet Coptorum Sacramentorum numerum, ordinem et Arabica nomina mutuabor, aliaque nonnulla quæ cum Bernati relatione convenire, aut ei lucem afferre posse deprehendam.

designans Coptorum Sacramenta, eorumque nomina,

187 Itaque parte 2, cap. 19, pag. 77 sic habet præfatus Vanslebius. Eadem apud Coptos et specie et numero Sacramenta recensentur, quæ a Romano-Catholicis frequentari solent. I. Sacramentum *Baptismi*, qui ipsis *Tansir*. II. *Confirmatio*, quam dicunt *Tetbit*, vel *Meirun*, quod est *Chrisma*. III. *Confessio*, quam *Eteraf* appellant. IV. *Missa* seu ejus celebra-

quæ septem illis ut nobis numerantur,

tio, quæ non unum sortitur nomen: pro oblatione audit *il Korban*; pro sanctificatione, *Koddas*; pro sacrificio, *Seeide*. V. *Matrimonium* venit nomine *Zauage*. VI. *Ordo* vocatur *Kahanut*. VII. Denique quod nobis est *Extrema unctio*, et quintum inter Sacramenta numeratur, turbato paululum apud Coptos ordine, ultimum locum tenet, et a lampade nomen ducit,

sed ordine turbato,

AUCTORE J. B. S. *nec passim noto, defectu Catechismorum,*

ducit, diciturque *Zeit-il-Kandil;* vel appellatur Oleum ægrorum, sub nomine *Zeit-il-marade.*

188 Hæc Vanslebius ex Coptorum Ritualibus se accepisse testatur, habetque Bernatum, in iis saltem quæ ad totius doctrinæ substantiam attinent, sibi omnino suffragantem; adeo ut Rodericius, magis ex Coptorum sermonibus, quam ex eorum libris deprompsisse debeat, quæ de quatuor tantummodo Sacramentis, Societatis Historiographo suppeditavit. Ex sermonibus, inquam, qui procul dubio errandi occasionem facile præbuerint. Etenim, Bernato teste, neminem unum etiam inter Sacerdotes reperias, qui septem Sacramenta ordine enumeret, si eos solos excipias, qui a Latinis eum numerum didicere. Itaque si ea mysteria ab eis percuncteris, unum, alterum et forte tria edisserent aliqui, alii hærebunt ferme ad singula. Si quæras ulterius, utrum quæ ab iis omissa sunt v. g. Confirmatio aut Matrimonium, Sacramenta sint; mox respondebunt affirmative, tandemque fatebuntur septem esse numero.

omnia tamen credunt a solo Christo instituta.

189 Coptorum, ut alias dixi, infortunium est, quod Catechismis careant, seu brevibus Christianorum dogmatum compendiis, qualia nobis abunde suppetunt. Quod autem alicubi me legere memini, Coptos non credere Sacramenta esse institutionis Divinæ, ab Europæis gratis fingitur; quæstionis terminos certe non intelligunt; verum si de Auctore Sacramentorum distinctius sciscitеris, incunctanter reponent, non alium quam Christum Dominum eorum esse Institutorem. De cetero, quantas quamque a ritibus nostris abhorrentes cæremonias, tum in confectione, tum in usu Sacramentorum omnium adhibeant, siquis curiosius scrutari desideret, Vanslebium consulat, fallor si vel sola lectione non fatigetur: nos ex Bernato ea suggeremus, quæ ad totius rei intelligentiam satis esse videbuntur.

DE BAPTISMO.

Masculis die 40,

Verum et proprium Baptismatis Sacramentum, et Coptis et reliquis Orientalibus, non secus ac Latinis, ab ipso Ecclesiæ exordio fuisse receptum, cum nemo dubitet, multis probare superfluum est: circa ejus usum et abusum, hæc potissimum notanda putavi. Infans baptizandus, ab ipsa matre ad templum deferri debet; adeoque post dies XL si masculus fuerit, post LXXX si femina: nam ante id tempus (sunt hi dies Purificationis, seu id ex legis Mosaicæ reliquis, seu ex peculiari ritu observent) matri ad templum accessus non patet. Post preces varias in ipso ingressu recitatas, ad Baptisterium ducuntur: ubi factis exorcismis, et sex primum, deinde sex et triginta unctionibus in formam Crucis, Galilao, quod est oleum ex sacro Chrismate residuum, consecratur fons baptismalis; atque immixto oleo, et formatis denuo variis crucibus, fiunt immersiones, pronuntiaturque Baptismi formula ad eum modum, quam, contra Sacchini aliorumque falsas relationes, supra enarravimus.

femellis 80 baptizatis,

post Missam

191 Coptis in more positum est, ut finito Baptismo Missam celebrent; non dimidiatam, aut sine Consecratione, ut aliquibus somniare libuit; sed veram et integram: sub cujus finem venerabilem Christi Sanguinem neobaptizato porrigunt, Sacerdote digitum intingente in calicem, et infantis ori admovente. Et hæc consuetudo fere toto Oriente receptissima est, ut inter alios scribit Ludolfus Comment. pag. 373, num. 53. *Eucharistiam apud Græcos et Armenos infantibus dari, docent omnes,* inquit, *qui de eorum ritibus scripserunt: idque defendunt dicto Joannis* 6, NISI MANDUCAVERITIS etc. *Sic æque necessariam esse opinantur infantibus Cœnam Domini ac Baptismum. At non illi tantum, sed et reliqui Orientales Christiani, Maronitæ, Nestoriani, Jacobitæ, Georgiani, id in more positum habent.... Veteres Latini eumdem modum usurpaverunt, teste Bartholdo Nihusio, allegante Hugonem Victorinum, qui ante quingentos annos Communionem infantium probavit.*

præbent Sanguinem Christi,

putantes que nessarium ac Baptismum:

192 Addere poterat Auctores plures alios et sanctos Patres, cum S. Augustino, antiquum Ecclesiæ usum in hac parte confirmantes: qui tamen a Tridentino jam reprobatus est. Qua porro ratione necessariam putaverit Augustinus recens baptizatis Corporis Domini manducationem, inter Scriptores controvertitur. Nobis hic satis est, cum Ludolfo ostendisse, nihil adeo in Coptorum ritu absonum, quem purissimis Ecclesiæ seculis, constet fuisse usurpatum. Illud interim observa, licet toto etiam Oriente adhuc usitatum sit, ut sacri Corporis Dominici communio sub utraque specie ad omnes extendatur; certum nihilominus eis esse oportere, sub alterutra specie totum Christum contineri; futurum alias ut parvulus moriens, vitam æternam non consequeretur, utpote qui non Corpori aut Carni, sed soli Sanguini communicasset. Nunc abusus, in ipsa collatione Baptismi introductos, expendamus.

itaque probant Communionem sub unica specie.

193 Jam indicavi, masculos non ante quadragesimum, feminas non ante octogesimum diem sacrum lavacrum suscipere, et tunc quidem quam citissime. Causam facile intelligis; nimirum qui externam munditiam interiori puritati anteferunt, indecens esse existimant, mulierem puerperam ante id tempus in ecclesiam intromitti. Equidem id condonari Coptis posse haud diffiterer, nisi præscriptæ observantiæ terminos, inexecusabili negligentia sæpissime excederent, atque prætextibus, plane frivolis et ineptis; ad quinque, sex et plures menses, tam necessarium regenerationis remedium passim differrent. Matrem solito ornatiorem esse oportet, infantem nitide instructum; ære opus est ut propinqui et amici invitentur ad convivium; hæc si defuerint, eodem apud Coptos loco est Baptismi lavacrum, quo ferme sunt cetera religiosæ vitæ virtutumque exercendarum officia, non sine deplorando Christiani nominis dedecore.

Sæpe ultra 40 et 80 diem Baptismum differunt,

vanissimis prætextibus.

194 Abusus alter, crassum errorem admixtum habet et plane intolerabilem. Rem explico. Cautum est apud Coptos, ne extra templum Baptismus cuiquam conferatur, aut ab alio quam a Sacerdote aut Episcopo. Quid si igitur ante præfinitos dies in mortis periculo infans versetur? Hæc eorum praxis: vel ad templum defertur, siquidem id pati queat; ibique non per immersiones, ne mors infantis acceleretur; sed per nescio quas lotiones aut perfrictiones, novo ritu Baptismus perficitur. Verum si ad templum nequeat deportari, Sacerdos in domum parentum accersitus, recitatis nonnullis precibus, sexies eum ungit sacro oleo, ad eum modum quo exorcismi in templo fieri assolent; fidei professionem exigit de Deo uno et trino, Patrino et Matrina pro infante respondentibus; denique benedictione impertita, nullo collato Baptismo, recedit. Audi modo insomnia. *Si infans moriatur,* ut habet eorum canon aliquis a Bernato lectus; *Si infans moriatur post ultimam hujus olei unctionem, imo etiam post primam, Ne timeas,* inquit ad Sacerdotem, *sed certo scias, eam unctionem Baptismi vices supplere, et infantem salvari per firmitatem* (desiderii) *Baptismi.*

Minister solus Episcopus aut Sacerdos est, nec nisi in ecclesia,

si aliud cogat necessitas,

sola utuntur unctione

et hoc pro Baptismo sufficere

195 Quod autem commiseratione dignissimum est, ineptum canonem confirmant antiquo exemplo, canone ipso nugaciori. Quæritur, utrum infans moriens post dictam unctionem censeri debeat recepisse Baptismi gratiam, sicut recipiunt illi quibus confertur Baptismus aquæ? Respondetur quod sic, et quod *firmitate desiderii, justitiam fidei consecutus sit.*

Jam

probant in apto exemplo.

Jam vero historiuncula, qua canon ille nititur, ea ipsa esse videtur, quæ ab Historia Patriarchali in Petro Hieromartyre recitatur, a nobis in præmisso Tractatu inserta num. 184, quamque Copti hic tribuunt Theophilo, de matre, lacte et sanguine filium vel filios ungente ; quæ cum ad Patriarcham accessisset Baptismi repetendi gratia, fons congelatus dicitur, ut pluribus citato numero invenies. Unde ipsis arguere lubet hujusmodi unctionem Baptismi gratiam contulisse, suppressa interim essentiali circumstantia, qua ex ipsa qualicumque historia error evidenter refellitur; nempe quod mater fassa sit, sese infantem *aqua maris baptizasse*. Discant igitur Copti ex suomet canone, non solos Sacerdotes Baptismi ministros esse, nec unctiones illas, Sacramenti a Christo tam notorie in aqua instituti, vices umquam supplevisse aut supplere posse.

DE CONFIRMATIONE.

Ad hanc complures adhibentur unctiones, Chrismate

Apud Coptos, ut apud reliquos Orientales, antiquissimo usu receptum est, ut Sacramentum Confirmationis, mox a collato Baptismate, infanti tribuatur. Ritum accipe. Præmissis variis orationibus, sacro Chrismate (*Meirun* vulgo dicunt) sex et triginta unctiones repetuntur, quas Sacerdos in Baptismi administratione, Oleo sacro, seu Galilao, paulo ante fecerat. Frontem et oculos ungens, hæc verba pronuntiat : *Chrisma gratiæ Spiritus sancti.* Ad nasum et os : *Chrisma pignus regni cœlorum.* Ad aures : *Chrisma societas vitæ æternæ et immortalis :* Ad manus, intus et deforis : *Unctio sancta Christo Deo nostro, et Character indelebilis.* Ad cor : *Perfectio gratiæ Spiritus sancti, et scutum veræ fidei.* Ad genua et cubitos : *Chrisma rite Spiritu sancto in nomine Patris et Filii.* Imposita deinde manu infantis capiti, multis eum benedictionibus cumulat, atque in faciem exsufflans ; *Accipe*, inquit, *Spiritum sanctum.* Vestem denique albam induit, renes cingit, caput coronula redimit : quamvis hæc indumenta fere pro arbitrio adhibeantur. Frustra esset hic observare, Sacerdotem apud Coptos, etiam Confirmationis ministrum esse, quod hoc ipsi cum omnibus Orientalibus commune habeant, ut vulgo notissimum est.

a solo Patriarcha consecrando,

197 Opportune invitor, ut de Coptorum *Meirun* seu sacro Chrismate, quod in Confirmatione præcipue adhibetur, paucis subjungam, quæ Bichotus et Bernatus memoranda suggessere. Quæ habet Vanslebius a pag. 85 et 231, describere non vacat. Summa in veneratione esse apud Coptos præfatum Meirum, scribunt omnes, usque adeo ut Diacono piaculum sit lagenam aut vasculum tangere quo continetur ; ejus autem consecratio soli Patriarchæ, exclusis quibuscumque Episcopis, sit reservata. Dictum est in Tractatu de Patriarchis, ducentis et amplius annis consecratum non fuisse, donec anno MDCCIII. eam functionem summa solennitate peregit is, qui modo in Sede Marci collocatus est Joannes XVI, convocatis ex tota Ægypto Episcopis, Abbatibus, et Clericis præcipuis, tum secularibus tum regularibus, ut tantæ festivitati interessent. Ex eo Chrismate participat etiam Archiepiscopus seu Metropolita Æthiopiæ, ad quem lagunculam deferendam tradiderat Patriarcha sæpe laudato Bernato, summa utique in nostros benevolentiæ et fiduciæ significatione. Verum (inquit, pro sua insigni modestia, jam dictus Pater) me ab Æthiopia exclusere peccata mea, cum jam regni fines attigissem.

quod post annos 200 fecit Patriarcha hodiernus an. 1703 :

qui in ea consecratione sumptus,

198 Superstitiosa videri posset, saltem scrupulosa Coptorum circa Chrismatis confectionem observantia, sic quidem ut soli Patriarchæ et Episcopis materiam tangere et præparare liceat. Pharmaca plusquam centum, seu mavis aromata, qualia gignit Oriens, diversi generis pretiosissima commiscentur; omnia tam selecta, tam odorifera, ut longe superent quidquid in Europa suaveolentium reperiri potest. Jam vero Chrismatis illius et qualitatem et quantitatem hinc collige, quod Mebacherus, qui sumptus de suo suppeditavit, ad octingenta et amplius scuta Romana expendisse dicatur. Dum paratur et coquitur Chrismatis materia, Episcopi omnes, templo reclusi, perpetuis precibus et Psalmis decantandis incumbunt, creduntarque eo tempore recitare universam Scripturam sacram, tum veteris tum novi Testamenti. Re peracta, multis præterea diebus Sacra celebrantur in altari, in quo vas Chrismatis repositum est, cujus demum inter Episcopos omnes fit distributio. Undecim dies, inquit Bichotus, qui coram aderat, tenuit cæremonia. Tribus primis confectum est Chrisma (opinor tribus ultimis Hebdomadæ sanctæ, in eum finem destinatis) et octo sequentibus, per preces publicas aliosque ritus, actæ Deo gratiæ, donec singulis potestas facta est ad propria remeandi. Ex dictis profluit dubitatio, quo tandem Chrismate usi sint Copti, si per ducentos annos non fuerit consecratum. Unica est solutio, quam alicubi me legere memini, affusione novi olei, ita vetus Chrisma per tot annos dilutum, ut pro vero Chrismate sit adhibitum.

AUCT. REF. J. B. S.

qui ritus, ex recenti relatione describitur

DE EUCHARISTIA.

Verissimum apud Coptos Sacramentum haberi.

Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum, apud Coptos genuinam Sacramenti rationem obtinere, nemo, quod sciam, hactenus revocavit in dubium ; nec sane hæsitare licet, dum circa hoc mysterium Coptos recte sentire, ipsa Consecrationis formula palam faciat. Eam do, qualem Bernatus, ex eorum liturgia descripsit. Posteaquam a populo dictum est ; *Secundum misericordiam tuam, et non secundum peccata nostra*... pergit Sacerdos : *Et reliquit nobis hoc magnum adorabile Sacramentum, et voluit in mortem tradi, propter vitam mundi. Accepit panem in manus suas, puras, sanctas, immaculatas, et vivificantes, et respexit in cœlum ad te Deum patrem suum omnipotentem, et gratias egit* (respondet populus, Amen) *et benedixit* (Amen) *et consecravit* (Amen) *et fregit et dedit illum sanctis Discipulis et puris Apostolis, dicens, Accipite, manducate ex hoc omnes, Hoc est corpus meum, quod frangetur propter vos, et propter multos, et dabitur in remissionem peccatorum : hoc facite in meam commemorationem* (Amen) *Et simili modo etiam hunc calicem, postquam cœnatum est, temperavit illum vino et aqua, et gratias egit* (Amen) *et benedixit* (Amen *et gustavit et dedit eum etiam suis sanctis Discipulis et puris Apostolis, dicens ; Accipite, bibite ex eo omnes, hic est Sanguis meus novi Testamenti, qui effundetur propter vos et propter multos, et dabitur in remissionem peccatorum. Hoc facite in meam commemorationem.* (Amen).

ostendit consecrationis formula

quamquam essentialia consecrationis verba non norint distinguere.

200 Quid in hac formula Copti essentiale existiment, in ordine ad Consecrationem aut Transubstantiationem panis et vini in Corpus et Sanguinem Domini, frustra ex ipsis quæsieris ; quos certum est, talium quæstionum nec apices intelligere, et bona fide recitare quæ a majoribus suis tradita acceperunt, non soliti ad normam scholasticam dogmata sua expendere. At vero, *nobiscum unanimiter convenire in substantia sacrificii, et in omnibus quæ fides orthodoxa de tanto mysterio credenda proponit*, recte docet Cardinalis Bona, Rerum Liturgicarum lib. 1, cap. 9, et probat ex professo Vanslebius a pag. 123 ad 129. Sed pridem exhausta sunt, quæ huc spectant, et adversus pseudo-reformatores ita stabilita, ut laborem frustra insumerem, si vindicandæ

A candæ Coptorum in hoc dogmate orthodoxiæ diutius inhærerem.

Auctore J. B. S.

Copti communicant sub utraque specie

201 Quamquam Coptis persuasum esse oporteat, sub alterutra specie totum Christi Corpus et Sanguinem contineri, ut ex infantium Communione aperte liquet; nihilominus Dominici Corporis participationem, sub utraque specie, etiam ad laicos extendunt cum Habessinis, Græcis, ceterisque Orientalibus schismaticis; quos indiscriminatim ambas species sumere, passim scribitur; tametsi Allatius in Symmictis, parte I, pag. 205, id cum Arcudio, Græcis olim usitatum neget; et parte altera pag. 436, Habessinorum testimonium adducat, de Communione, sub unica panis specie frequentari solita. Ceterum quod ad Coptos spectat, ita explicat Vanslebius Historiæ suæ parte 3, cap. 5: *Ecclesia Coptica Laicis Eucharistiam porrigit sub utraque specie; quod tamen de solis viris, non de feminis intelligendum: siquidem eorum canonibus cautum est, ne mulieres sanctuario appropinquent: et ne Sacerdotes venerabilem Christi Sanguinem ex sanctuario deferant. Igitur sacrosancto Sanguini seorsim communicare feminæ non sinuntur, nisi quod Sacerdos post Consecrationem, digitum intingendo in calicem,*

quomodo de feminis id sit intelligendum.

B *Korbanum* (ita hostiam consecratam nominant) *tantillum humectet in superficie et circum latera; quo solo modo dici poterit, feminis quoque ambas species impertiri.* Ex Korbani forma hic effigiata, rem melius intelliges.



C

Non conservant Hostiam consecratam

202 Notat præterea Vanslebius, sanctissimum Sacramentum, nec post Missam conservari, nec de loco in locum transferri, eo quod olim ex Agno Paschali residui nihil fieret: quodque in cœna ultima Christus ipse nihil in crastinum servari voluerit. Logi. Verior ratio est, quod conservare nequeant etsi quam maxime vellent; nam cum eorum Korbanum (oblatio, donum) et spissum sit, et plerumque male coctum; continuo mucidum redderetur, et durum adeo, ut difficillime mandi posset aut comedi. Forma ut vides in ectypo, cruculis duodecim sigillata est, in memoriam senatus Apostolici. Major ella in meditullio Christum Dominum repræsentat, quam *Isbadicon*, veluti quadrati medium, vocare placuit. Limbo impressa exhibet, litteris Græcis aut Semicopticis, verba quinque, ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος κύριος σαδεωτ, quæ satis obvia sunt, nec proinde explicatione opus habent.

vano prætextu

Minutiæ in confectione Korbani observari solitæ,

203 Ut sunt Copti multis minutis et tædiosis cæremoniis assueti, sic Korbano conficiendo miram præferunt religionem. Profanis uti nefas est in Missæ sacrificio; profana vero ab ipsis censentur, quæcumque ab Ecclesiæ ministris disposita et præparata non sunt: panis profanus est, si pinsatur a laico; vinum profanum, si ab œnopola comparetur. D Ne itaque Korbanum profanus panis dici possit, farina ex thesauro Ecclesiæ coemi, aut a persona honestæ professionis subministrari debet. Ipsomet sacrificii die subacta sit oportet: a muliere tangi piaculum est; pistor sacrista ipse, septem Psalmos recitans; furnus denique in ipso Ecclesiæ ambitu contineatur, necesse est. Notabis obiter, Coptos consecrare in fermentato, unde fermentum reservatur in dies, præterquam XII mensis ipsorum Junii, inquit Vanslebius (puto indicari XII Bunæ, quæ erit VI nostri Junii) cujus præcedenti nocte, nescio quæ gutta decidua, fermenti vices supplere omnino creditur.

aliaque fabella cur non conservetur.

204 Cur Korbanum, seu Hostiam consecratam, Copti non servent, satis, opinor, jam dictum est. Restat fabella alia, a Bernato indicata, quam prætexunt Copti ansam dedisse, quo minus Korbanum, post peractum sacrificium, de more in Ecclesia deponeretur. Fatentur enim id olim apud se usitatum fuisse, atque idcirco arculam exstitisse, tamquam Korbani sacrarium aut repositorium. Contigit, inquiunt, ut serpens per arculæ commissuras aditum invenerit, et sæpius Korbanum absumpserit. Facta diligenti perquisitione, repertus demum a Patriarcha E sacrilegus Korbani devorator; isque in varias partes concisus, ita Sacerdotibus, quorum incuria id evenisse putabatur, in pœnam distributus est, ut singulis venenatum frustulum fuerit deglutiendum, quo, cum plerique interiissent, ad præcavenda hujusmodi pericula, ex eo tempore decretum est, ne ex Korbano quidquam reliquum fieret. Sitne hæc potior ratio Korbani non custodiendi, quam quæ superius explosæ sunt, pro comperto non habeo.

Ægris quomodo deferendum Viaticum

205 Quæret hic aliquis, qua ratione ægris, in mortis periculo versantibus, de sacro Viatico prospiciatur, dum supponitur vetitum esse, ne Korbanum e templo ad alia loca deferatur? Respondet Bernatus, eam inhibitionem non adeo crude accipiendam; quia eorum Ritualibus præscribitur, ut tali casu Missa quantocius celebretur etiam media nocte; statimque Korbanum ad ægrum deferatur. Ita quidem ægrotantibus prospectum, inquit, ast affirmare non ausim id tam solicite observari. Satis prudenter; nam ubi tam multa, quæ ad salutem spectant, turpiter collapsa sunt, facile crediderim, hoc etiam caritatis officium a Sacerdotibus negligi. Utcumque fuerit, certum est, ægros illos tunc sacro Calici non communicare, sed eo summum modo, quo superius narrabat Vanslebius feminis Korbanum F porrigi, aliquatenus Dominico Sanguine tinctum. Quod autem Catholicis in usu est, communicaturos præmonere his verbis: *Ecce Agnus Dei* etc. id Copti hac plane formula exequuntur: *Ecce Panis Sanctorum. Qui purus est a peccato, accedat; qui vero peccato contaminatus est, caveat appropinquare, ne divino fulmine ictus corruat; ego certe peccato ejus non participo.*

Quo vino utantur pro consecratione Calicis

206 Quam miri sunt et scrupulose religiosi, ut dicebam, in materia sacrificii, præsertim in confectione Korbani, tam interim securi videntur circa materiam Calicis, ad quam vino utuntur, quod Europæorum nullus ausit adhibere. Vinum commune, et profanum existimant, et aliunde sacrificio Missæ aptum non putant; Quoniam, inquiunt, aut oleum, aut liquor alius admisceri quandoque posset, eoque pacto fieret, ut idonea non esset sacrificii materia. Sed, nisi fallor, evitata charybdi in scyllam incidunt. Hæc vini istius Coptici qualiscumque, quod sacrum vocare liceat, seu sacrificio unice destinatum, hæc, inquam, vini illius exprimendi ratio. Uvas passas, sed non omnino exsuccas, colligunt, iisque aquam affundunt, paris cum ipsis uvis ponderis

A deris : ita commixtas solaribus radiis per triduum aut amplius exponunt, quique inde in torculari extorquetur liquor, vinum vocatur, soli Missæ sacrificio præparatum. Rogatus D. Poncet, Medicus Gallus et Chimicus expertissimus ; quid de eo vino sentiret ; absque hæsitatione reposuit, videri sibi materiam Missæ sacrificio idoneam ; saltem ingredientia illa (uti loquimur) ita attemperari posse, ut materia idonea evadant, idque variis argumentis Bernato demonstrare conatus est. Verum, inquit hic, cum probe sciam Coptos non esse Chimicos adeo expertos, haud facile in animum inducam eo vino Missam facere, quidquid Ponceti rationes probare videantur.

207 Adhæc, casum refert Bernatus plane singularem, quo magis patescet quam in hoc parum religiosi sint Copti nostri. Sedente Cosma Patriarcha LIV, ut narrat famosus Abulbaracat ; qui tunc Ægypto præerat Chalifa, Almotuachelum nominat Historia Patriarchalis , vel ut scribit Bernatus, Gairabdelmerith, inter innumeras Christianorum divexationes, ære campano uti prohibuit ; et ne Missas celebrare possent, expulsis œnopolis omnibus, vini commercio omnino interdixit. Addere debuisset, inhibitum etiam, nequis uvas aut sibi reservaret aut aliis divenderet, ut facilius intelligeretur, quid Coptos ad id faciendum impulerit, quod ibidem egregius Historicus narrat. Audi modo ingeniosum imperitæ gentis inventum ; quo, si non vinum de uva, saltem de vite exprimerent. Etenim arrepta vinearum sarmenta minutissime dissecta, et forte contusa, uvarum loco, aqua attemperarunt, atque expressum inde succum, adeo vino similem credidere, ut eo Missam facere non dubitarint. Nihil tam absurdum est, quod homines indocti sibi non licere arbitrentur.

et quale ex sarmentis olim expresserint.

B

DE PŒNITENTIA.

Major est difficultas circa Sacramentum Pœnitentiæ : etenim Auctores ipsi Copti, in diversa abeuntes, ansam præbuere hæreticis nostri temporis, ut Coptos sibi in hac parte consentire mentirentur. Verum est, in Chronico Orientali referri, quod in Tractatu non prætermisimus, ad annum Christi MCLXXXIX, Joannem Abulmagedum Patriarcham, *Confessionem ab Ecclesia Coptitarum abrogasse, Circumcisionem vero plurimum commendasse.* Ast longe C diversa, inquit Naironus, Coptitarum et hæreticorum nostrorum est ratio ; neque enim Patriarcha ille negare voluit, Confessionem esse Sacramentum, neque eam penitus abolendam censuit : verum, ut testatur Abn-Hassalius, in Constitutionibus Ecclesiæ Copticæ cap. 51 : *Cum Confessio sit medicina spiritualis, cujus comparatio ad animam est, ut comparatio medicinæ corporalis ad corpus ; non peragitur nisi per medicum probum et peritum, alioquin melius esset ejusmodi relinquere curationem, quæ fit ab imperito et improbo ; nec non ut ægrotus amplectatur et utatur quidquid ipsi præscribitur. Deinde ut medicina sit possibilis, ex parte temporis, loci et potentiæ, alias nihil prodest ; ita spiritualis. Cum ergo raro reperiatur probitas in perito, quemadmodum et aliæ duæ conditiones, hinc factum est, ut raro reperiatur Confessio inter Coptitas. Quidam autem ex eorum Patriarchis interdixerunt plebi ejus usum, ob defectum concursus illarum trium conditionum, sine quibus non bene peragitur. Et quemadmodum etiam non omnes egent medicina corporali, ita nec spirituali.*

Neque Patriarcha anni 1189, Confessionem plane abrogavit

neque subsistunt rationes contra ejus frequentem usum,

209 Egregia profecto Doctoris Coptici ratiocinatio, ex intimis Philosophiæ arcanis petita ; ex qua id demum consequeretur, plurimos numquam Confessione indigere, ut plurimi sunt qui numquam laborant corporali ægritudine. Verius dicam, ingentes esse nugas, ab otiosis hominibus quæsitas, ad palliandam, qua vere laborant, in rebus sacris adhibendis, deplorandam socordiam. Verbo, hæc eorum est, sed paucorum sententia, quibus frequentior Confessionis usus displicere visus est ; aliis contra eum impense commendantibus, ut videre est apud prælaudatum Vanslebium parte 3, cap. 9, pag. 135 ; ubi multas affert, pro Confessionis necessitate, Coptorum rationes ; citatque Auctores, qui, pro facilitanda ejus praxi , varia opuscula ediderunt.

quasi plurimi ea non indigeant ;

D

AUCTORE J. B. S.

210 Nequis vero Confessionis exercitium apud Coptos ultra in dubium revocet, testatur ibidem Vanslebius, oculis se suis vidisse, qui confiterentur peccata. Id quidem rarius contingit, *non ex Sacramenti contemptu, sed quod alii ob supinam ignorantiam et stupiditatem, delicta sua Christiane aperiendi modum non noverint ; alii metu absterreantur, ob molestiores pœnitentias, a Sacerdotibus injungi solitas.* Facile credidero, verissimam esse rationem primam ; secundam probare numquam potui, quidquid idem Auctor pag. 97 id ipsum disertius confirmet his verbis : *Coptis non licet ad Communionem accedere, priusquam persolverint injunctam a Confessario pœnitentiam, quod severissime observatur ; eamque ego causam existimo, cur tam raro confiteantur. Satisfactiones pro peccatis a Conciliis et antiquis canonibus determinatæ, necdum mitigatæ sunt, quæque inter pœnitentias minima est, ad duodecim dies protrahitur.* Intempestivus mihi semper visus est rigor ille apud gentes a Christianis officiis satis alienas ; nunc persuasum, errasse Vanslebium, qui hæc retulit, ut ex Bernato brevi demonstrabo.

eamdem adhuc in usu apud Coptos esse fide oculata probatur ;

raritatem tamen induxit ignorantia,

E

non Confessariorum rigor, ut narrat Vanslebius.

211 Sed dissimulanda non est Auctorum duorum Coptitarum mirabilis et inepta opinio de Confessione ad thuribulum facienda, unde manasse arbitror, ut Jacobitis universis insania illa tribueretur. Amba-Michael et Abulbaracat, eum confitendi modum commenti sunt, ut, dum Sacerdos tempore Missæ templum circumiens singulos incensat, thuribulum faciei admoventes , pronuntient paucula hæc : *Domine Deus, peccator maximus sum ; pœnitet quod te offenderim, veniam humillime deprecor.* Sintne etiam hodie in Ægypto, quibus ridicula illa institutio placeat, explicatum non invenio ; ejus certe Vanslebius nusquam meminit : nobis sufficiat, abrogationem illam Abulmagedi ab ipsis Coptis ita accipi, ut interim Sacramentum Pœnitentiæ et necessarium credatur, et usitatum sit ; tantum abest ut abolitum censeri possit.

Exploditur Confessio ad thuribulum, temere conficta :

F

212 Hoc ultimum plane confirmat Bernatus, ridetque insulsam Michaelis et Abulbaracati opinionem, a qua Coptos non minus abhorrere existimat, quam reliquos per orbem Christianos. Porro Confessionem auricularem revera Coptis in usu esse, tam est exploratum, ut nihil possit esse exploratius ; tam unanimis Sacerdotum et laicorum consensio, quos ea super re interrogavit Bernatus, ut in nullo alio puncto controverso magis concors fuerit Coptorum omnium sententia ; imo tam exacta peccatorum explicatio, ut quod fere schismaticis aliis insolitum est, Copti et eorum diversas species, et numerum, quoad fieri potest, explicare consueverint.

et auricularis certa esse asseritur

213 Non negat Bernatus, rarius Coptos Confessione peccata expiare ; verum id negat expressissime, quod Vanslebius nuperrime asserebat, graviorum nempe pœnitentiarum metu eos absterreri ; cum plerumque leviores satisfactiones imponi soleant, puta inclinationes aut inflexiones corporis in terram, quas ipsi vocant *mehaunot*, quibus adduntur Psalmi aliqui, si legere noverint qui confitentur ; item jejunia, sed talia dumtaxat ad quæ observanda

æque ac pœnitentiarum levitas,

A da aliunde obligantur: nam id cavent sedulo, ne extraordinaria jejunia præscribant, dicere soliti, eo pacto pœnitentium peccata aliis innotescere. Siquando itaque ad peculiaria jejunia pœnitentes obstringunt, id fit tantummodo ob peccata enormia et plane scandalosa. Circa inimicorum reconciliationes, exemplum nobis præbent quod Catholicos omnes deceat imitari: neque enim ad Exomolegesim eos unquam admittent, qui non remiserint fratri suo de cordibus suis.

AUCTORE J. B. S. exceptis rarissimis casibus.

Quin potius in absolvendo laxiores sunt Copti,

214 Iterum dico, fictitius est rigor ille nimius, a Vanslebio perperam assertus; quandoquidem in praxi Confessionis eam sibi regulam tenendam proposuerint, qua Servator noster Petrum docuit, non solum remittere septies, sed septuagies septies. Laxos hic potius Coptos dixeris, de bonitate et misericordia Dei præfidentes, et in eis extollendis tam assiduos, ut verendum sit, ne inani fiducia seducantur ipsi, et alios seducant. Facit ea conniventia aut præsumptio, ut absolutionem numquam recusent Confessarii; de dispositione pœnitentium nimis fortasse securi, dummodo se dispositos dicant, sint licet in occasione proxima. Tum enim Confessarius muneri se suo putat satisfacere, si reum admoneat,
B non sibi Confessario, sed ipsi imputandum si relabatur. Rarissima item est Absolutionis dilatio, nisi ob peccati enormitatem aut scandali gravitatem eo adigantur; quo casu vel totam pœnitentiam, vel saltem ejus partem censent Absolutioni præmittendam, sed hoc ipsum, ut dixi, rarissime contingit.

et in pauperibus curandis negligentes,

215 Quid igitur Coptos a Confessione aut retrahit aut avocat? Recte id observavit Bernatus. Supina, quæ tota Ægypto dominatur, ignorantia, rerum etiam sanctissimarum pretium occultat; ut passim apud imperitos vilescunt, quæ Christianis maxime æstimanda sunt. Sacerdotes indocti et victu quæritando occupati, exiguam plebis curam gerunt. Ovibus pastore destitutis, et nullius custodiæ commissis, quid aliud consequens sit, quam ut desertæ vagentur sine directore, sine pabulo, sine auxilio? Adde quod Pœnitentiæ tribunalia more nostro in ecclesiis non exponantur, adeoque Confessio, non in templo, sed domi propriæ sit facienda, quo proinde Sacerdotes Confessarios accedere oportet. Solent autem schismatici omnes, a Confessione expiatis, stipendium exigere; et quamvis in eo Copti ceteris forte moderatiores dici queant, absque spe lucri ad fidelium domos non accedent. Cum vero
C plerique Christiani pauperes sint, facile negliguntur. Ex quo pronum est intelligere cur rarior apud Coptos Confessionis sit usus, licet ab ea frequentanda exoticis pœnitentiis non arceantur.

dum iis stipendium deest;

multis etiam deest commoditas confitendi;

216 Ditiores illos Mebacheros, tot negotiis distentos diximus, ut ad eos accessus non pateat, nec ipsis de Confessione vacet cogitare. Devotus femineus sexus, ut toto passim Oriente, ita in Ægypto, ad eam servitutem redactus est, ut eis Confessarios alloquendi vix concedatur facultas. Miseranda prorsus et divitum et pauperum, virorum et mulierum conditio! in qua, cooperante haud dubie satana, concurrere omnia videntur, ut tametsi vellent, nec Christiane institui, nec Sacramenta suscipere, aut integrum aut licitum sit. Idque adeo invaluisse constat, ut qui bis in anno ad Confessionem et Communionem accesserit, inter maxime pios merito numeretur. Et mirabimur tantopere, si inter Coptos reperiantur, qui etiam per plures annos a sacris omnino abstineant, ubi Catholici aliqui, utinam pauci, quibus nec scientia deest nec opportunitas, sæpe tamen, tam necessaria ad salutem remedia annis pluribus differre, aut etiam omnino negligere, cum evidentissimo animæ interitus periculo, non reformidant?

D 217 Aliud est, in quo culpandos Coptos non diffitear; nempe, quod pueros et puellas, quamvis grandiores, ad frequentanda Sacramenta tum Eucharistiæ tum Pœnitentiæ non obligent, nisi tunc primum dum Matrimonio copulantur; unde frequenter accidit, ut ad annum ætatis XVII aut XVIII pertingant, priusquam vel peccata eluere, vel Corpori Domini communicare noverint; haud dubie quod innocentiam puerilem ad eos usque annos producant, quo toto tempore pueros credunt peccati incapaces, ut alibi insinuavi. Magis mirabere, quod Ludolfus de Habessinis tradit, lib. 3 cap. 6 num. 57, pueros in Æthiopia censeri innocentes, donec annum XXV attigerint, nec ante id tempus Sacramentis assuescere. Scio equidem Diaconos illos qualescumque apud Coptos, toties communicare, quoties rei sacræ inserviunt: verum nec ipsi peccata confitentur nisi compleverint annos discretionis. His junge prætextus inanissimos, quibus a susceptione horum Sacramentorum se excusari putant cum viri tum mulieres; nempe, siquid adversi evenerit, si amico aut consanguineo orbati sint, si vestes desint decentiores, si levi plaga aut vulnere laborent etc. De vestibus quidem in templo provisum est, tunicis albis, quas pauperes induant: sed tanta in abjectissimis hominibus superbia, ut malint non communicare, quam publice tamquam pauperes agnosci.
E

nec obligati putantur nisi maturiores;

ei ex causis vanissimis excusantur.

218 Prope exciderat, ipsam Absolutionis formam proponere, quam se a Coptis Confessariis accepisse testatur Bernatus. Quam primum pœnitens peccata exposuit, recitat Sacerdos, paucis immutatis, eam ipsam orationem, quam, dum altare celebraturus accedit, pro sua Confessione dicere consuevit. Sequitur deinde benedictio, ei precatiunculæ respondens, quæ Absolutioni nostræ subjungitur. Quibus peractis, pœnitens denuo repetit se peccasse, seque Absolutionem demisse postulare. Tum Confessarius hac Absolutionis formula utitur: *Sis absolutus ab omnibus peccatis tuis.* Non video quid magnopere displicere debeat: si enim tamquam valida admittitur, similis apud Græcos forma Baptismi imperativa; *Baptizetur servus Christi*, eccur non pateretur Ecclesia pari modo Coptos a peccatis absolvere? Siquid amplius ad Sacramentalem Absolutionem requiri contendas, non me habebis adversarium; qui simpliciter denarrandum suscipio, quid Copti circa Sacramenta sentiant, quam in iis administrandis praxim sequantur. Satis de Pœnitentia dictum est.
F

Utuntur formula nostræ fere simili;

licet imperativa, ut Græci ad Baptismum

DE EXTREMA UNCTIONE,

ORDINE ET MATRIMONIO.

Extremam Unctionem, etiam apud Coptos rationem habere veri Sacramenti, reor esse indubitatum, quamtumvis in ejus collatione a Latinis differant. Ad probandam Sacramenti essentiam, et necessitatem, eodem sancti Jacobi testimonio nobiscum utuntur, nec nisi ægris proprie impertiuntur. Nunc, in quo discrepent, adverte. Solus Sacerdos, absente Episcopo, Oleum consecrat; idque fere toties, quoties ægris conferenda est unctio. Quod si Clemens VIII, ut est apud Platelium, id Græcis concedendum putaverit, I Augusti anno MDXCV; non est quod in Coptis vituperari debeat aut possit. Præscribit Ecclesia Catholica, ne ægri sacro Oleo ungantur, priusquam versentur in mortis periculo: Coptis non una est Sacramenti administrandi ratio, apud quos ægrorum appellatio magnam patitur latitudinem. Ægros ipsi intelligunt morbo corporali, ægros spirituali sive peccato, ægros denique ex quacumque afflictione seu animi ægritudine. Solet plerumque

Verum ea Coptis Sacramentum est,

sed ægros censent illi ex variis causis.

A rumque Unctioni præmitti Confessio : imo semper conficitur *Kandil*, seu adhibetur aliqua unctio, dum Pœnitentiæ Sacramentum suscipitur. Porro ordinariam praxim ægros ungendi, sic describit Bernatus :

Oleum Sacerdos infundit lampadi,

220 Sacerdos, ægrotantis domum ingressus, audita ægri Confessione, more in omnibus Coptorum cæremeniis consueto, a thurificationibus incipit ; dein Oleo in lampadem infuso (nam inde *Kandil* dicitur, quod Arabice Lampadem significat) accensoque lychno, septem preces, ut vocant, recitat ; quas aliquæ lectiones ex Epistolis, præsertim S. Jacobi, ex Actis Apostolorum et Evangelio, comitantur. Quibus finitis, ipso illo Oleo, ægri frontem ungit, dicens, *Deus te sanet in nomine Patris et Filii* etc. Juxta Ritualis præscriptum, adesse possunt Sacerdotes septem ; quo casu singuli et lychnum accendunt, et ex septem precibus unam decurrunt. Si adsit Episcopus, ad eum solum spectat lychnos omnes accendere precesque fundere, Sacerdotibus Epistolas aliaque ex Actis et Evangelio legentibus ; id quod Diaconorum proprium est, quoties a Sacerdote Sacramentum confertur. Hi ritus, fateor, a nostris longe abhorrent ; sintne tamen continuo rejiciendi aut damnandi, Ecclesiæ judicium esto. B

et frontem ungit, tum ægro,

tum adstantibus, ne ad hos ex illo dæmon transeat :

221 Seriis ludicra intersero, quæ non possint non insulsa et absurda censeri. Vide sis, quæ stupidos homines agitent intemperiæ. Non satis est Sacramenti ministro quod ægrum unxerit, id etiam Diacono præstat et assistentium cuilibet. Rogatus Sacerdos Coptus, quæ demum tam ridiculæ praxeos ratio redderetur ; dignam dedit Copto responsionem. Cum per Unctionem, inquiebat, ex ægri corpore fugatus sit cacodæmon, facile corpus alicujus ex circumstantibus occupasset : ut itaque tota domo expellatur, ii etiam ungendi sunt, ad quos se nequam ille potuisset recipere. Hactenus vera Coptorum praxis. Errant autem, et Coptos immerito criminantur Europæi aliqui, quasi et mortuorum cadaveribus extremam Unctionem conferrent. Non est ita, ait Bernatus, in quo se a Scriptoribus illis deceptum queritur. Mortuos ungi ultro admittit, quod coram intuitus est ; sed eo solum Oleo, quod ex lampadibus, ante Sanctorum imagines appensis, desumitur. Ut clarius rem percipias, ita mortuos suos ungunt Copti, quemadmodum nos Catholici, sepeliendos aqua benedicta inspergimus. Quantum vero inter hujuscemodi Coptorum Unctiones intersit, me tacente, nemo non intelligit.

non autem mortuis.

C

Inter Ordines minores

222 Sacramentum Ordinis seu Sacerdotium apud Coptos, Sacchinus et Scriptores reliqui admittunt. Gradus inferiores (quos ferme Ordines minores appellare liceat) ita distinguit Bernatus. Infimi ordinis sunt quos ipsi *Agnostos* [Anagnostas] seu Clericos vocitant ; quique Ostiariorum (Lectores vocant alii) vices quodammodo supplent. Ordo secundus etiam minor, dicitur *Abondiacon*, ego Subdiaconos intelligo ; nam qui in eo gradu collocati sunt, Subdiaconis nostris æquiparantur. Inter sacros tamen non reputatur ; utpote cum Abondiaconi illa arceantur ab ingressu sanctuarii, jubeanturque præ foribus Epistolas et Prophetias legere ; a quo munere, voce Arabica *Chummas el reitajel*, Diaconi Epistolarum denominantur, ut condistincti a *Chummas Angili* Diaconis Evangeliorum ; quibus in sanctuarium aditus patet, quique ministranti Sacerdoti assistunt, Evangelium canunt aut legunt, aliaque exercent officia, quæ Ordinen sacrum verosimillime designant ; iis præterea astricti vinculis, ut si ad secundas nuptias transierint, adepto gradu excidant ; et ad Sacerdotium promoveri, ullove Diaconatus munere fungi prohibeantur.

censetur Subdiaconatus,

nec habet annexas obligationes Diaconales.

223 His subjungit Bernatus, ex Pontificali Coptico, modum et ordinem quo Anagnostæ illi, Subdiaconi, Diaconi et Presbyteri ab Episcopis instituuntur ; ubi advertit, tam pulchras et elegantes preces adhiberi, ut a multis seculis, ab hodierna Coptorum barbarie remotis, compositas esse oporteat. Operæ pretium esset singula saltem obiter percurrere, nisi ea ex ipso fonte Coptico jam pridem Latine reddita, eruditis communicasset Athanasius Kircherus, apud Allatium in Symmictis parte I, pag. 239 ; ex quo eadem Morinus, tomo de sacris Ordinationibus inseruit a pag. 505. Quæ cum videam parum aut nihil differre ab iis quæ mihi Bernatus compendiosius suggessit, eo Lectores remitto, unde plenius totam Ordinationum seriem cognoscant. D

AUCTORE J. B. S.

Ad Ordinum collationem utuntur

vetustis et pulcherrimis precibus.

224 De Matrimonio paucissima habeo iis superaddenda, quæ de consanguineorum apud Ægypticos conjunctione, uxorumque repudiatione superius annotata sunt. Inter Sacramenta verum et proprium habere locum, ut cetera omittam, ex eo aperte conficitur ; quod Sacerdos, nubentibus assistens, et consuetas preces recitans, identidem repetat gratiam contrahentibus ex ea susceptione conferri. Omnia ordinate procedunt : præmittuntur sponsalia, E caventur impedimenta, mutuus consensus et acceptatio expresse declarantur : iisque rite peractis, celebratur Missa, sub cujus finem, sponsus uterque, prævie confessus, sacram Eucharistiam recipit et in pace dimittitur. Quid hic ad Sacramenti rationem deesse velint Critici, haud equidem assequor ; siquid aliunde peccet Coptorum ignorantia, id neque huic, neque aliis Sacramentis detrimentum afferre posse, perspicuum est. Hinc rursus Vanslebium argue. Ipsomet conjunctionis die, sponsus et sponsa peccata confitentur, eodem sacram Eucharistiam recipiunt ; non ergo pœnitentia peragenda, ipsique Communioni præmittenda, ad duodecim dies producitur. Sed Auctori ille sæpius ignoscendum est.

Contracto Matrimonio dicitur Missa

sub qua sponsi communicant.

DE JEJUNIIS.

Multa de Christianorum Orientalium Jejuniis vulgo circumferuntur, uti quæ apud ipsos præcipua dici debeat Christiani cultus observantia. Id certe de Coptis verissimum est, qui cum in ceteris non minus negligentes sint quam profunde ignorantes, in jejuniis suis spem prope omnem collocatam habent. Servant ipsi, ut schismatici reliqui, annis singulis jejunia quatuor : inter quæ primum, toti Ecclesiæ commune, dies XL complectitur, unde apud nos F Quadragesima nuncupatur, in honorem quadragenarii, ipsius Christi Domini jejunii in Evangelio expressi. Durat hoc in Ecclesia Coptica dies LV : verum cum nec Dominicis nec Sabbatis unquam jejunent, si solum Paschæ pervigilium excipias, diebus illis subductis, supersunt soli XL, quibus a cibis et refectionibus eo tempore vetitis abstinetur. Cur Sabbato Paschæ jejunent Copti, rationem reddunt ; quod eo die Christus in sepulcro jacuerit ; Græci id se facere dictitant, ut e sepulcro lumen egrediatur, quem diem propterea vocant Sabbatum luminis. Si festum Natalitiorum aut Epiphaniæ in Dominicam incidat, pridie non jejunatur, sed servatur abstinentia, qualem brevi accuratius describam.

Copti pluribus jejuniis asserti,

præter Quadragesimam ante Pascha

226 Jejunium alterum, quod a Christi Domini Nativitate nomen obtinuit, illud fere tempus comprehendit, quo nos, recepto Ecclesiæ more, Adventum, seu adventus Servatoris exspectationem, festivius celebrare consuevimus. In eo differt a jejunio magno, quod Clericis et laicis æquale non sit ; his enim XXIII diebus circumscribitur, illi ad dies XLIII extendunt, computatis utrobique Sabbatis et Dominicis. Olim in more positum erat, ut Adventui tres

etiam servant Adventalem

A tres innecterentur dies, in memoriam Prophetæ Jonæ, in ventre balenæ triduo commorati; sed hoc jejunium Patriarcha aliquis transtulit in hebdomadam Quadragesimæ proximam. Jejunium tertium a beatissima Virgine Maria denominatur, procul dubio quod ejus Assumptionis festum præcedere soleat, idque per dies xv, tum a populo tum a Clero observatur, si hic iterum Sabbata et Dominicæ connumerentur.

AUCTORE J. B. S. et aliam B. V. Mariæ,

227 His interponitur jejunium quartum sanctorum Apostolorum, solos XIII dies pro laicis complectens; sic tamen ut Clericis determinatus non sit dierum numerus, a varietate festorum mobilium computandus. Proinde ita Ecclesiasticis præfixi sunt hujus jejunii termini, ut involvat totum illud tempus, quod a Dominica I post Pentecosten ad XXIX Junii intercedit, qua die SS. Apostolorum Petri et Pauli Natalem Copti cum Latinis recolunt. Pendet itaque jejunii hujus duratio a festo Paschatis, Coptis tam celebri, ut inde genialium dierum initium ducant. *Chamsin* vocant eos quinquaginta dies (id enim ista vox Arabice significat) qui Pentecostæ nomen indidere, eosque adeo festive decurrunt, ut nec jejunent, nec ullo die a carnibus B abstineant. Neque id Coptis peculiare, cum eam consuetudinem Orientalibus omnibus communem testetur Bernatus. Transacto *Chamsin*, seu quinquagenario dierum lætitiæ, addita hebdomada Pentecostes; incipit Apostolorum jejunium, quod ipsorum festo die absolvitur. Quæ horum jejuniorum causa, quæ prima eorum institutio, hactenus traditum non inveni.

quartamque Apostolorum.

A Paschate ad Pentecosten genio indulgent:

228 Epistola mea superius citata, instanter rogaveram de Coptorum jejunandi ratione accurate edoceri, quo et propriæ et aliorum curiositati satisfacerem. Respondit Bernatus, rigidissimam esse in hac parte istorum hominum observantiam, ut mox intelliges. Totis illis quatuor jejuniis, omnibus quartis et sextis feriis (excepto Chamsin) non carne solum, sed ovis et lacticiniis interdictum est; imo per totam Quadragesimam nec piscibus vesci licitum. Tempore jejunii B. M. V. peculiaris omnium devotio tam singularis est, ut et oleo et cibis aliis licitis abstinentes, solo fere et pane et aqua victitent. Adhæc, quindenum jejunium, alii ad dies XX, alii ad XXX et XXXV, quasi ex æmulatione protrahere solent. Si causam interroges tam diuturnæ austeritatis, id se ex voto facere dictitant; at votum illud C tam est universale, præsertim inter mulieres, ut hodie in consuetudinem, etiam apud feminas Turcicas, abiisse videatur. Mirabar, inquit Bernatus, unde ea religio Mahumetanas incessisset; verum de origine certior factus, mirari desii. Videntes feminæ Turcicæ, Copticas tam rigide jejunantes, intellexere id ex voto procedere, ob singulares favores, tum in partu, tum in aliis casibus, patrocinante beata Virgine, impetratos; unde et ipsæ, idem factitare aggressæ, cum paria beneficia assecutæ essent, id modo tamquam ex institutione habent, ut pari cum Christianis austeritate, in honorem Deiparæ jejunium servent.

alias rigidissimi, etiam lacticiniis abstinent;

et in honorem B. V. in pane et aqua jejunant ex voto:

quod etiam Turcicæ feminæ experiuntur utile.

229 Circa refectionem quantitatem aut numerum, hæc sunt quæ a lege præcipiuntur. Diebus jejunii semper celebratur Missa, quæ dici deberet hora nona, seu tertia post meridiem; verum apud Coptos, etiam magni jejunii tempore, haud dubie ex conniventia, absolvi solet hora prima, aut ad medium secundæ post meridiem; in aliis jejuniis, uti feria quarta et sexta, etiam ante meridiem. Ante Missam severe prohibita est omnis cibi vel potus sumptio, quin et tabacum fumare, quod ipsis permolestum accidit, nefas est, saltem in Quadragesima, nam in aliis major libertas conceditur. At ubi Missæ sacrificium absolutum est, comedere et bibere licet quoties lubet, ad horam usque secundam noctis, qua sequentis diei jejunium inchorai præsumitur. En hodiernam Coptorum praxim. Finito sacro ita plerumque reficiunt, ut cibis utantur levioribus, quales Ecclesia Catholica pro collatiuncula vespertina permittit. Inde ad potionem caffæam dilapsi, bibunt; et tabacum fumant pro arbitrio, donec sub occasum solis ad cœnandum accumbant.

Ante Missam nefas ducunt quidquam sumere;

D *post illam cibo solum leviori utuntur,*

donec cœnent.

230 Quæ jam in jejuniis observanda diximus, lege communi præscripta sunt; sed quæ ad solos propemodum Sacerdotes hodie restricta est. Si magnum jejunium exceperis, putant Copti, laici se jejunare, modo a carnibus et lacticiniis, abstineant unde abstinentiam rectius, quam verum jejunium dixeris; sed abstinentiam adeo severam, nullis ut rationibus, quantumvis ægri, se induci patiantur, ad admittendum jejuniorum tempore, quartis item et sextis feriis, aut carnes aut lacticinia. Ex hac jejunandi et abstinendi consuetudine, mire sibi abblandiuntur Copti, Francosque ut laxones insectantur, quod audiant tot jejuniorum non esse observatores. Ne scandalo simus, E inquit Bernatus, tempore Adventus, Orientalium more jejunare, seu potius abstinere cogimur. Monet denique, nec pueritiam, nec senium ab his jejuniis eximi; infantes ipsi, ut vires paulo firmiores adepti sunt, jejunium æque ac alii servare tenentur. Habes distinctam et forte nimis longam de Coptorum Sacramentis et jejuniis tractationem: si minutias alias huc spectantes perscrutari est animus, Vanslebium consule.

Laici non tam jejunare quam abstinere a vetitis tenentur,

etiam pueri.

Prævia ad paragraphum sequentem de Circumcisione.

Cum supra non semel de Coptorum Circumcisione sermo incideret, huc me rejicere indicavi, quæ ad rem illam operosius examinandam pertinebant; ne alias, nodo implicatissimo rerum series interturbata obscurior redderetur. Nodum ego implicatissimum voco, nec tam facile solubilem, quidquid Ludolfus, Vanslebius, Simonius, aliique, Coptos in ea praxi, ab errore immunes declarent. Exstat apud Naironum pag. 39 Abn-Hassalii apologia, ex Constitutionibus Arabicis cap. 55 in hæc plane verba: *In nova lege Circumcisio, apud eos qui circumciduntur, est per modum consuetudinis, non autem legalis præcepti. Nam in veteri lege sancitum est, ut fieret Circumcisio octavo die nativitatis, ergo extra octavum non est habenda pro legali. Qui autem ea utuntur in nova Lege, neque in octavo id faciunt, neque licitum esse arbitrantur. Apud reliquas quoque nationes, consuetudines quædam sunt, quæ illis pulchræ videntur, alii tamen turpes eas ducunt; ut est cauterizatio vultus apud Habessinos et Nubienses: tonsio barbæ apud Latinos, et tondere medium caput Sacerdotum: apud Græcos et Monachos eorum, longos alere crines.* Hæc ille, in suo sensu vehementer abundans.

Circumcisionem usurpare se aiunt pro consuetudine,

F *non velut præceptum Judæorum more;*

232 Vanslebius autem parte 2, cap. 20, ita Coptos tueri satagit: *Circumcisio*, inquit, *etiamnum apud eos in usu est, non ex præscripto Judaico aut alio quovis religionis præscripto: nam octavo die non peragitur, et quidem non omnes circumciduntur, sed soli illi quibus ita lubet. Antiqua dumtaxat illis est consuetudo, ab Ismaelitis accepta (ut tradit Amba Michael) quam hi ab Hagare didicerant, tunc quando cum Ismaele filio pervenit in Jetreb, in terra Heggias, quæ hodie regio Meccana. Cum Copti adverterent Circumcisos seu Israelitas, gentem esse et generosam et nobilem; eum et ipsi ritum colendum decreverunt. Qui subinde a S. Marco minime prohibitus, ab ipsomet S. Paulo in discipulo Timotheo circumcidendo adhibitus,* usque

sed ut acceptam ab Ismaelitis,

A *usque hodie in Ecclesia perduravit. Existimant Copti, rem illam plane adiaphoram esse, huc torquentes verba Pauli* I *ad Cor. capite* 7, ℣ 15 : *Circumcisus aliquis vocatus est, non adducat præputium ; in præputio aliquis vocatus est, non circumcidatur. Quæ ipsis ita sonant, ut, qui Circumcisione antea usi fideles fiunt, in ea pergere possint, et ad posteros propagare. Adde quod in feminis, nescio quam carnis superfluitatem (sit verbo venia) comminiscuntur conceptioni noxiam, quam et præcidi jubent. Ceterum tum hæc tum alia Circumcisio, per mulierem Turcicam peragitur, aut in balneis publicis, aut privatim domi absque ulla religiosa cæremonia.*

et rem plane adiaphoram.

233 Hactenus Vanslebius, nimis bonus et credulus in Michaelis istius nugis sine discrimine referendis. Nam quod dicit ab Ismaelitis, hunc morem fuisse transductum in Ægyptum, recte dicit : sed recentiores Ismaelitas intelligo, eos nimirum qui post Mahumeti tempora Ægypto sunt potiti. Pauli locus, quem afferunt ex 1. Cor. 7, 18, depravatus est ex Syriaca versione ; quam non esse vetustiorem seculo XIII, certo scimus, inquit Harduinus, in litteris ad me datis IV Septembris MDCCIII. Quamquam et illam versionem, quæ tolerabilem alioquin sensum habet, Copti isti defensores περιτομῆς secus in- B terpretantur. Addit Copticam ipsam versionem, quæ est MS. in Bibliotheca regia, seculo XIII aut XIV non esse vetustiorem.

Ego Ismaelitas intelligo Saracenos,

234 Venio ad Ludolfum, controversiam hanc, tum lib. 3 cap. 1. Historiæ suæ Æthiopicæ, tum in Commentariis, solita sua eruditione egregie pertractantem. Agit quidem de Habessinis plurimum, ita tamen ut ad reliquas etiam nationes, quæ Circumcisione utuntur, ejus argumenta spectent. Quam bene vir ille et de Patriarcharum Chronologia et de his nostris Dissertatiunculis meritus sit, supervacaneum est repetere. Facile ignoscet, ejus adhuc superstes, filius, si parentis placita undequaque approbare non audeam. Statuit is I, Circumcisionem, non Judæis solum aut Israelitis, sed et áliis gentibus, Ægyptiis præsertim et Æthiopibus, vetustissimo usu (ignota penitus origine) fuisse usurpatam, testibus Herodoto, Philone Judæo, et Diodoro ; adeo ut inter doctos agitetur quæstio, an Israelitæ ab aliis, an alii ab Israelitis eam mutuati sint ; ubi cum probabiliori opinatur, a Judæis ad gentes promanasse. II, Accurate explicat differentiam, quæ inter Circumcisionem Judaicam et aliarum nationum intercedit. Statuit III, Circumcisionem apud Habessinos (eadem de Coptis est ratio) non esse cultum sacrum, C idque ex Confessione Regis Claudii, et iisdem ferme rationibus quibus fundatur Abn-Hassalii apologia nuperrime recitata. De femellarum exsectione, loqui pudore prohibeor : Auctorem adeat, qui ea curiosius voluerit indagare.

Ludolfus putat vetustissimum usum per Orientem

235 Eo videlicet diriguntur Ludolfi et reliquorum Circumcisionis patronorum ratiocinia, ut sensim conficiant, ritum illum quantumvis olim legalem, atque adeo nunc mortuum et mortiferum, talem adhuc hodie esse et ab antiquo fuisse, ut innocue adhiberi potuerit et etiamnum possit. Unde fit consequens, Ægyptios, Habessinos, et Christianos alios, etiam tum, cum Orthodoxam fidem ante Dioscoritanum schisma profiterentur, liberrime Circumcisionem exercuisse, quod diserte apud Vanslebium asserebat Amba Michael, utpote a S. Marco numquam interdictam. Id vero est quod hactenus mihi persuadere Ludolfus non potuit, tametsi supposita ejus alia tantisper ut vera admitterentur. Sintne porro satis comperta quæ ille cum multis asserit, ubi oppositas rationes, toto sequenti paragrapho, in medium attulero, Lectoris judicio submittam.

etiam Christianis licitum ;

quod sequenti § ex professo refutabitur.

D AUCTORE J. B. S.

§ VII. De Circumcisione, a Coptis et Habessinis usurpata.

Rem iterum aggredior spinosam atque perplexam totque molestiis obnoxiam, ut ab incepto prorsus destitissem, nisi animos ii addidissent, quorum doctrinæ prudentiæque tuto fidendum existimavi. Patet, opinor, ex jam dictis, explanandæ controversiæ difficultas, eo versanda scrupulosius quod non cum solis Historicis decertandum sit; sed de sacrarum Litterarum intelligentia agatur, ex qua ferme pendet totius litis decisio. Nulla mihi proinde cum Ludolfo disceptatio, super diversitate, quam ipse cum multis adstruit, inter Circumcisionem qua Hebræi, eamque qua Copti, Habessini et Mahumetani utuntur. Sit ea qualiscumque, seu *Incisio*, seu *Decisio*, seu *Circumcisio*. Ecquis Catholicus negaverit, eam Judaismi surculum esse, aut aliunde quam ab Hebræis profectam ? Id ego nunc unice pugno, id volo, id contendo ; numquam illam a reliquo orbe Christiano, multo minus ab Ecclesia Catholica, inter ritus aut ceremonias adiaphoras fuisse numeratam. Ludolfum hic multosque alios ei consentientes, in E iis impugno, quæ statim proposita sunt. Utque ordine procedatur, binæ erunt hujus articuli partes ; quarum prima, quæ ad antiquam Circumcisionem attinent : altera quæ ad hodiernum Coptorum spectant, discutientur. Unde paulo altius ea repetenda sunt, ut in reliquis tutius et securius progrediamur.

Circumcisionem qualemcumque

Judaismi surculum esse passim tenent Catholici.

Pars prior, de antiqua Circumcisione.

Video Scriptores quamplurimos, etiam Catholicos; imo sanctos Patres et sacræ Scripturæ Interpretes, ab ea stare sententia, quod Circumcisio non Hebræi solum, sed etiam pluribus gentibus ante Christi tempora fuerit usitata : sic tamen ut ab Israelitis ad reliquos profluxerit, non vice versa, ut nonnulli, a Ludolfo citati, audacius quam probabilius affirmare sunt ausi. Eam quæstionem ut operose, ita erudite excussit Michael Ghislerius, Comment. in Jeremiam Tom. 1. in cap. 9. ℣ 25 et 26, ubi adductis summa diligentia oppositæ sententiæ argumentis, ita tandem concludit : *His probabiliter ad utramque partem circa hanc quæstionem disputatis, ut tandem ingenue fatear quid ipse sentiam, quamvis neutrum de* F *fide esse profitear, ad negantem tamen partem ita propendeo, ut affirmantem parum a temeritate et errore abesse existimem : tum quia constans apud Catholicos id reperio assertum, Circumcisionis primam institutionem eam exstitisse, quam Abrahæ a Deo præceptam legimus in libro Genesis: tum quia id inter Juliani Apostatæ adnumeratur errores, quippe qui apud Cyrillum Alexandrinum, libro* 10 *contra Julianum, hæc habet : Adorans Deum Abraham et Isaac et Jacob, qui Chaldæi ex sacro genere Sacerdotali existentes, Circumcisionem qui didicerint, Ægyptiorum facti hospites.*

Ante Christum a variis nationibus usurpatam Scriptores tenent,

non tamen Judæos eam accepisse a Gentibus :

238 Hæc Ghislerius, cui saniora eruditorum suffragia merito assentiuntur ; Christo Domino diserte asseverante, non esse *ex Moise* Circumcisionem, sed *ex Patribus;* nempe ex Abrahamo, Isaaco et Jacobo. Hac sola auctoritate ita nitimur, ut aliorum argumenta facile negligenda putemus ; quod hi, ignorata vera origine, nescio ad quas fabulas recurrentes, rem ipsam dubiam faciant, ineptis circumstantiis depravatam. Jam illud expendendum est, utrum Circumcisio sic a Judæis accepta, si vere accepta est, gentibus Idololatris, Ægyptiis præsertim, ante Christi tempora in usu fuerit ? Sed hæc de re vel dubitare piaculum nonnullis videbitur, antiquis Scriptoribus id apertissime testantibus. Hic primus est controversiæ

licet veteres quidam id asserant ;

AUCTORE J. B. S.

A versiæ nodus, hac ratione solvendus. Veneror antiquitatem atque suspicio, verum ea tanti hactenus mihi non fuit, ut in animum inducerem, numerosissimas gentes, cetera satis cultas, assumere voluisse morem absurdum sordidumque (ut loquitur Tacitus apud Ludolfum) et dolorificum valde, quem nemo, nisi rationibus altioris ordinis inductus, aut sibi in loco tam pudendo inferre velit, aut alteri inferri patiatur.

quos inter Herodotus, multa de Ægyptiis mentitus arguitur;

239 Nihilominus aciem instruunt defensores πρωταγωνιστής, specie tenus formidandam, dum Herodotum, Diodorum Siculum, Strabonem, Philonem, et nescio quos alios inducunt pro ea gentilium Circumcisione apertum ferentes testimonium. Veneror, inquam, antiquorum illorum auctoritatem; sed quod Herodotus de Ægyptiis scribit, non in Clio aut Thalia, sed in Euterpe, adeo fabulam sapit, ut merito apud Vossium, de Scriptoribus Græcis cap. 3, eam illi censuram inustam reperiam, *multa eum in rebus Ægyptiacis per ignorantiam mentitum.* Nimirum cum audisset e Palæstina, hoc est ex Israele præsertim, homines Judæos ac circumcisos in Ægyptum et Colchidem fuisse translatos, et ex Ægypto eosdem olim in Palæstinam venisse, humana falsaque B conjectatione prodidit, Ægyptios Colchosque solitos esse circumcidi. Nihilo felicius rem exequitur Diodorus Siculus, lib. 2, cap. 2, ubi inter cetera hariolatur, *pueros circumcidendi consuetudinem ab Ægypto ad Judæos Colchosque traductam.* Strabonis error palpabilis est, lib. 17 de situ Orbis pag. mihi 781, dicendis; *Hoc quoque peculiare apud Ægyptios est, omnes filios educare, et circumcidere, et feminas excidere.* QUOD JUDÆI EX LEGE HABENT, QUI AB ANTIQUO SUNT ÆGYPTII; scilicet, Judæi feminas excidunt, et ab Ægyptiis trahunt originem. Nugæ.

Diodorus Siculus hariolatur,

Strabo manifeste ineptit,

240 Philonis assertum haud ita facile infringendum putarem, nisi rem ipsam, creditu arduam, causis ineptissimis fulciret, quas nemo arbitrabitur apud *gentes nobiles* et *sapientia præcellentes* (ejus verba sunt) tantum valere potuisse, *ad perferendos cruciatus mutilationis in suis et carissimorum pignorum corporibus.* Philonis causa, si lubet, introspice: fallor ni mecum judices, nugaces esse et plane ridiculas. Primam adstruit, nequid *posset obesse puritati sacris debitæ.* Lepida enimvero mundities. Verum ea, si quidquam valet, ad sacrificulos pertinet; quibus fortasse superstitionis gratia non negaverim, bellam eam cæremoniam fuisse familiarem, ut cum Origene C subinde dicturus sum. Tres reliquas intelliget, opinor, nemo, nisi ceteros homines, cum Ægyptiis comparatos, cæcos putet et stolidos, qui et ipsi eas non viderint. Etenim, si per abscissionem præputii *morbus carbunculi caveatur*, plumbeum Hippocratem dicam, qui tam salubre antidotum in Aphorismos non retulerit. Si *cordis similitudinem quamdam habeat circumcisa hæc particula*; mirum sapientissimos Græcos id ignorasse. Denique si *fœcunditati et numerosæ soboli* serviat, quis obsecro mentis compos *cavillis puerilibus ridere* ausit tam *necessariam* conservando humano generi medicinam? Imo quis non somnium dicat aliquorum hominum, qui neque satis sint verecundi, nec satis considerent quid in otio scribant? veluti si remedium illud ad generationem magis Africanis necessarium sit, quam reliquis toto orbe hominibus.

Philo, quasi somnians, allegat ausas plane ridiculas,

ut dissimulet institutam a Deo,

241 Recte, meo quidem judicio, pronuntiavit vir eruditissimus, et longe me perspicacior, vera hæc esse Philonis somnia; qui licet Judæus esset, atque adeo ex sacris paginis perspectum habere deberet, primam Circumcisionis originem ad Dei solius institutionem esse referendam, ausus tamen est, temere, ni fallor, nescio in quorum gratiam, hypothesim non satis piam inducere, qua ab ipsa natura, sive instinctu solo naturali, injectam hanc fuisse cogitationem D circumcidendæ carnis, credi voluit; atque ob eam rem, et communem multis gentibus Circumcisionem, falso prodidit, et causas illius admittendæ naturales comminisci debuit. Fuit ex eodem illo grege Auctor epistolæ, quæ Barnabæ nomine circumfertur, qui cap. 9, Syros omnes circumcidi scripsit: quo vel uno nomine supposititius Scriptor a multis agnoscitur; eo quod Josephus (quem hi magni æstimant) neget in Syria Palæstina, præter Judæos, quemquam circumcidi; ut sunt interdum falsorum testium consententia inter se testimonia.

et epistola Barnabæ vel ideo censetur supposititia,

242 Si quos præterea citatos videas prætensæ Circumcisionis assertores, scito majoris nequaquam auctoritatis esse, quam priores illos, unde sua mutuati sunt; quorum proinde testimoniis, quantumvis multiplicatis, plus verborum, roboris nihil adjungitur. Miratus sum non semel, Plinium, Solinum, aliosque, qui Ægyptios eorumque mores graphice depinxere, tam multa, tam varia, absurda et ridicula de ipsorum mysteriis memorantes, portentis reliquis Circumcisionem non annumerasse. Quid quod et oppositum, in Actis sancti Marci ad XXV Aprilis, exstet testimonium, licet fidei non omnino indubitatæ. Sumitur illud ex MSS. ab Henschenio recensi- E tis, ubi numero 1 ita legitur: *Primus* (Marcus) *in tota Ægypti regione, in Libya, Marmarica, Ammoniaca, et Pentapoli prædicavit Evangelium, et adventum Domini et Salvatoris JESU Christi. Erant enim cuncti, qui in his terris habitant, incircumcisi, et idolis servientes, repleti immunditia, suffocata edentes* etc.

tacentibus ea de re Plinio aliisque,

et adversantibus Actis S. Marci.

243 Sed nec his deciditur controversia, ex ipsis sacris litteris plane dirimenda. At enim eo provocant modestiores adversarii, quibus eo potissimum titulo suspecta non est antiquorum illorum fides, quod eam divinis oraculis confirmari existiment, Interpretibus omnibus, Divo Hieronymo duce, in eam opinionem euntibus, ut apud Gentiles, Circumcisionis usum receptum fuisse arbitrentur. In eo interim inter se discrepant, quod nonnulli communem omnibus velint, alii ad pauciores, alii ad solos fere Sacerdotes restringant. Longum esset singulorum opinamenta expendere, sunt ea perquam obvia, si vel eorum opera inspicias in Caput IX Jeremiæ ℣. 25 et 26, quos ibi curiosus lector consulere poterit. Porro celebris Jeremiæ locus hic est: *Ecce dies veniunt dicit Dominus, et visitabo super omnem qui circumcisum habent præputium; super* F *Ægyptum et super Juda, et super Edom et super filios Ammon, et super Moab et super omnes qui attonsi sunt in comam, habitantes in deserto: quia* OMNES GENTES HABENT PRÆPUTIUM, *omnis autem domus Israel incircumcisi sunt corde.*

Ast favent Interpretes in cap. 9 Jerem.

244 In hunc locum ita scribit Divus Hieronymus: *Multarum ex quadam parte gentium, maxime vero quæ Judeæ Palestinæque confines sunt, usque hodie populi circumciduntur, et præcipue Ægyptii et Idumæi, Ammonitæ et Moabitæ, et omnis gens Saracenorum quæ habitant in solitudine.* Hieronymo addunt Justinum Martyrem, in colloquio cum Tryphone Judæo pag. 63, ut est in appendice; Origenem, lib. 5 contra Celsum, Theodoretum aliosque apud Gasparem Sanctium, ad citatum Jeremiæ textum. Ex quibus id ipsis videtur confici; vanissimam fuisse Hæbræorum gloriationem, de qua hic a Propheta reprehenduntur, quasi ipsis propria esset carnis Circumcisio; quandoquidem et gentes, non paucæ, nec ignobiles, tametsi veri Numinis cultu destitutæ, ea etiam tunc temporis uterentur. Ita Interpretes passim, Patrum illorum auctoritate, ut ineluctabili argumento nixi, cui contradicere nefas sit et temerarium. Verum, ut dicebam, in eo discordant sententiæ

post Hieronymum, Justinum, aliosque Patres,

licet diversimode intellectos.

A tentiæ, quod illi ritum eum velint præfatis gentibus et constanter et perpetuo familiarem, contra quam sentiat Divus Hieronymus, id diserte ad *quamdam partem* restringens; isti vero salvandæ Patrum auctoritati sufficere autument, modo aliqui, etiam pauculi morem hujusmodi frequentaverint.

Salva tamen reverentia illorum,

245 Hic ego, ut candide dicam, multo tempore perplexus hæsi, et anxius, nihil in utramvis partem determinare audens probeque perspiciens periculosum censeri a communiori et recepta Scripturarum interpretatione recedere. Non quod ex Jeremiæ verbis id evinci putarem, quod ii unanimiter pertenderent; sed quod ex reverentia, tot Patrum et Interpretum auctoritati contraire, religioni ducerem. Quidquid Ludolfus, quidquid amici alii urgerent; persuaderi mihi non poterat, nec potuit hactenus, Circumcisionem a gentilibus Ægyptiis fuisse usurpatam. Id autem cum ad Catholicæ fidei dogmata aut mores nullatenus spectet, scrupulum exemi confidentius; et verba Prophetica seria meditatione considerans, ibique aperte inveniens, OMNES GENTES HABERE PRÆPUTIUM, decretoriam pro me sententiam ab Jeremia dictam, plane sum arbitratus. Neque sic B tamen propriis viribus satis fisus, ne quid fortasse temere decernerem, ad Harduinum recurri: cujus demum judicio id proponere non dubitavi, quo manifestius declaretur, gentilibus Ægyptiis circumcidendi consuetudinem numquam fuisse usitatam. At priusquam argumenta profero, quibus id confici autumem, non gravabor referre verba Gasparis Sanctii, in eam ipsam opinionem, licet timidius, haud obscure tamen inclinantis.

videtur Jeremias expresse contrarium asserere,

quo etiam propendet Gaspar Sanctius,

246 *Fateor*, inquit, *aliquas esse gentes, quæ ad Judæorum similitudinem, aut propter vicinitatem, aut propter generis conjunctionem circumcidi voluerunt, ut Hieronymus putat. Existimo autem illis gentibus, neque perpetuum neque commune omnibus esse ut circumciderentur. Et quidem, si de superioribus temporibus sermo sit, vicini populi circumcisi non erant, ut de Sichimitis constat Genesis* 34, *qui ea lege inire cum Jacob connubia permissi sunt, si Circumcisionis legem vellent subire. Neque tamen eo modo a Jacobi filiis tractati sunt, ut pactum illud postea conservare voluisse credendum sit. De Palæstinis magis est certum, qui in Scriptura sacra sæpe vocantur Incircumcisi, et a Davide Saul dotis nomine centum postulavit Philistinorum præputia. De Ammonitis et Moabitis mihi videtur valde verosimile, tum quia ipsi non fuerunt ab* C *Abrahamo prognati, sed a Loth, tum quod Hebræorum generi hostiliter infensi; quare ab illis dissidere mallent diversa nota, quam communi conjungi. Sane Achior Dux Ammonitarum et ipse Ammonites, cum interfecto Holoferne, aggregatus est ad Judæorum gentem, carnem suam circumcidit. haud dubie quia ante illud tempus circumcisus non fuerat. Judith cap.* 14 ℣ 6: Tunc Achior videns Virtutem quam fecit Deus Israel, relicto gentilitatis ritu, credidit Deo et circumcidit carnem præputii sui. *Quare ex hoc id unum saltem habemus, aliquos in illis nationibus non circumcidi.*

multa e Scripturis auctoritate fultus,

247 *De Idumæis verisimile id quoque facit, quia licet Esau, qui illius nationis pater fuit, ortus fuerit ex circumciso patre Isaac, et ipse quoque circumcisus fuisset; tamen offensus, quod deceptus esset a fratre in primogenituræ dignitate posthabitus, præputium adduxit et notam in se Circumcisionis delevit, ut Epiphanius tradit libro de ponderibus ad medium. Quod si paterni odii heredes fuerunt Idumæi, neque melius affecti fuerunt in Hebræos, quam eorum pater olim in Jacob.; non est incredibile, eos non abstulisse Circumcisione præputium, quod pater in se postquam ablatum fuerat, arte reduxerat. Quod ad Machabæorum usque tempora Circumcisionem non agnoverint Idumæi, docet Josephus lib.* 13 D *Antiq. cap.* 17; *ubi coacti dicuntur ab Hircano, ut præputia deponerent, et religionem amplecterentur Judaicam. Adde quod gentes a Judæis hac nota, imo eo solum nomine interdum distinguantur. Quare idem est Præputium quod Gentilitas, et Circumcisio quod Judaismus. At nemo dubitat Ægyptios inter gentiles numerari, licet unus aut alter præputii carnem deposuerit. Cum vero eodem modo de Ægyptiis locutus fuerit Jeremias, atque de Ammonitis, Moabitis et Idumæis, fit utique verisimile, hos quoque fuisse præputiatos. Neque id siluit hoc loco Jeremias, dum statim subjicit,* QUIA OMNES GENTES HABENT PRÆPUTIUM.

et per omnes circum Judæam Gentes discurrens,

AUCTORE J. B. S. *etiam Idumæos, licet Abrahamo prognatos.*

248 Hæc Sanctius, Jeremiæ sensum prope assecutus; qui si paulo altius rimatus fuisset, haud dubium quin in Harduini sententiam incidisset. En igitur perspicuam laudati hujus viri in Prophetæ locum expositionem. Sex inquit, Jeremias populos appellat, et tres tribus opponit; gentilibus scilicet Abrahamiticos; Ægypto, Judam; Idumæis, ex Esau sive Edom ortis, Ammonitas; Moabitas denique Ismaelitis, qui sunt ex Ismaele filio Abrahæ. Verba Prophetæ iterum pensitanda exhibeo: *Ecce dies veniunt dicit Dominus, et visitabo super omnem qui circumcisum habet præputium: super Ægyptum, et super* E *Juda, et super Edom, et super filios Ammon, et super Moab et super omnes qui attonsi sunt in comam, habitantes in deserto: quia omnes gentes habent præputium, omnes autem domus Israel incircumcisi sunt corde.* Sententia autem hujus loci hæc est, ut ex parte vidit Menochius noster: Non discernam inter circumcisos et incircumcisos; inter domum Juda, quæ circumciditur, et Ægyptios qui spernunt Circumcisionem, æque atque Deum Israelis Circumcisionis auctorem: sicut Ægyptum, sic Judam visitabo, seu puniam: sicut Ammon sic Edom, et sicut Moab sic Ismaelitas. Tres enim, ut dixi, tribus opponit populis, tres incircumcisos totidem circumcisis; et servato accurate oppositorum ordine, suum cuique statim opponit, Ægypto, Judam; Idumæis, Ammon; Moab, attonsis in comam habitantibus in deserto, hoc est Ismaelitis.

Harduinus, Jeremiæ verba accuratius expendens,

cum Menochio,

censet tribus populis tres opponi, æqualiter visitandos,

249 Ammonitas certe fuisse gentiles, nec circumcisos, eo quod non essent ex Abrahami posteris, sed ortum traxissent ex Ammon filio Loth, docet sacra Scriptura, ut ex Judith proxime vidimus, dum *Achior, relicto gentilitatis ritu, credidit Deo et circumcidit carnem præputii sui* etc. Achior itaque *Dux omnium filiorum Ammon*, ut appellatur Judith 5, ℣. 5 incircumcisus est. *Gentem* ipsam, qui scripsit eodem seculo quo gesta hæc res est Jeremias, testatur HABERE PRÆPUTIUM, hoc est gentem omnem: F nam cum *omni domui Israel* filios Ammon opponit, omnem profecto Ammon intellexit. Et audet quisquam, saltem aliquos ex ea gente circumcisos fuisse asserere? Quo teste autem, quem quis conferre cum Jeremia velit et ausit? Quod si Ammonitæ circumcisi non fuere, certe nec Moabitæ; quippe orti ex Moab Loti pariter filio, fratre Ammonis, ut prodit Moises Gen. 19, 37, 38.

ex quibus certo incircumcisi fuerunt Ammonitæ,

250 Quod si deinde Ammonitæ et Moabitæ gentiles incircumcisi fuere, quis inficiabitur gentes incircumcisas Ægyptios pariter hoc loco a Jeremia simul commemorari, et opponi gentibus circumcisis? Nam cum e tribus populis, qui circumcisi opponuntur, duos constet ex sacris litteris incircumcisos fuisse, Ammonitas et Moabitas, pertinacem esse opportet qui tertium quoque, Ægyptiacum scilicet, quippe æque vel magis gentilem, neget fuisse incircumcisum? Si duobus opponuntur duo, cur non tribus tres dicantur opponi? Quod si denique Jeremiæ tempore Circumcisionem Ægyptii non habuerunt, a quonam postea hunc acceperunt? Et vero OMNES GENTES HABERE PRÆPUTIUM Jeremias cum

et Moabitæ,

quidni et Ægyptii, cum illis tertii?

AUCTORE J. B. S.

A cum affirmat loco citato, gentes intelligit proxime designatas, quas opponit circumcisis, ut Interpretum ii viderunt, qui sunt sagacissimi.

esto quod horum sacrificuli fuerint circumcisi,

251 Si cui hæc Jeremiæ verborum explicatio minus arrideat, clara licet et valde apposita, quoniam a trita Expositorum via nonnihil deflectit; is meminerit vitio verti non posse, quod rei obscuræ luminis aliquid affundatur. Quibus vero diuriusculum videbitur a sancti Hieronymi aliorumque Patrum sensu recedere, reponere liceat, nullam esse auctoritatem tantam, quæ Prophetæ ipsius vel potius Spiritus sancti testimonio sit præferenda. Nolim contendere pervicacius, si ad Sanctium mavis quam ad Harduinum accedere, non reluctabor tantopere, cum ad opinionem ejus tuendam nihil amplius requiratur, quam ut ad sacrificulos Ægyptiacos, per omnia superstitiosiores, præputii circumcidendi ritus extendatur, quod ad intentum nostrum satis et abunde est. Eodem trahi poterit præcipua Philonis causa, nempe ne Sacerdotibus illis deesse quidquam posset ad *puritatem sacris debitam*. Pergam ulterius; si ita vis, et vel Pythagoram ipsum circumcisis annumerare non formidabo.

B

ipsosque Pythagoras æmulatus;

252 Ridebis forte meam hac in re facilitatem, cum alioquin propugnatoribus περιτομῆς usque adeo me adversari profitear. Utcumque sit, vide obsecro quam probabiliter id statui posse videatur. Scribit Jamblichus in istius Philosophi vita cap. 4: *Quod annos omnino viginti duos in Ægypti sacrariis, et arcanis remotisque templis versatus sit, Astronomiæ et Geometriæ operam dans, cunctisque sacris initiatus, haud temere et quasi saltuatim.* Quasi diceret mature prius omnia circumspectasse Philosophum, et gradatim ad secretiora admissum. Quis igitur dubitet quin et impræputiatus inde abscesserit? Nam *apud Ægyptios, qui in superstitionibus versatissimi et eruditissimi habebantur, et a quibus ceteri prope omnes ritum sacrorum et cæremonias mutuati sunt, nullus aut Geometriæ aut Astrologiæ studebat, aut geneseos secreta rimabatur, nisi circumcisus esset.* Verba sunt Origenis lib. 2 Comment. in cap. 2 Epistolæ ad Romanos, aliquanto ante finem libri, ubi id expressius asserit de Sacerdotibus, Aruspicibus, Hierophantis etc. Quod si ad Pythagoræ discipulos insignem morem transmissum quis dicat, siquis Thaletem circumcisis accenseat, hanc illis laudem vendicari haud gravate feram.

C

ita Hieronymus aliique poterunt intelligi de pauculis.

253 Hic viam aperiri conspicis, qua inter duarum opinionum extrema securius incedere liceat, quaque Sanctorum Patrum et Interpretum sententia non incongrue intelligatur. Nempe, quod sanctus Hieronymus, de *quadam parte* populorum gentilium scripsit, quid vetat ad Aruspices et Hierophantas contrahere, idque cum Sanctio ita tueri, ut paucissimi inter Ægyptios fuerint qui Circumcisionis morem sequerentur? Si id patitur Jeremiæ locus, facile acquiescam. Vel si quis post Jeremiæ tempora etiam ad alios dicat extensam eam consuetudinem, quo verba Hieronymi torqueri posse putet, non multum litigabo. Etenim quod pauculos illos attinet, nihil Ludolfi et aliorum asserto momenti afferet, quod nostro officere vel minimum queat.

Nunc quæritur an Christianis Circumcisio unquam licita fuerit.

254 Volunt illi, ut sub finem præcedentis Articuli dictum est, non solum usurpatam ab Ægyptiis ante Christi tempora Circumcisiomem, verum etiam primis Ecclesiæ seculis licite et promiscue frequentatam; quod mihi et paradoxum videtur, et at emporum illorum puritate perquam alienum. Quod autem Ægyptios sacrificulos impræputiatos fuisse tantisper admittam, id absque sententiæ meæ jactura admitto; siquidem id in confesso est, abrogatis gentilium sacris, et eum ritum, si quis fuerit, penitus intercidisse; adeoque non minus in Ægypto, quam reliquo orbe Christiano D tamquam mortiferum, vetitum fuisse, rejectum, atque exosum. Et hæc est Articuli hujus pars altera, qua id examinandum suscipimus, ullane probabili ratione evinci possit, morem circumcidendi, ut Habessinis et Coptis in usu hodiedum est non esse de reliquiis cæremoniarum legalium, neque cum fide Catholica et Orthodoxa pugnare, tamquam Judaismi, vel (ut mihi verosimilius est) Mahumetismi propaginem.

Pars posterior, quid de Circumcisione Coptorum sentiendum.

Sitne adiaphora ad religionem,

Exhibita sunt superius Abn Hassalii argumenta, pro ritus controversi apud Coptos aliosque, innocentia; circumcidere enim nihil plus legalium cæremoniarum apud ipsos redolet, quam apud *Latinos barbam tondere*, et apud *Græcos monachos alere capillitium*. Juvat et Claudium Habessinorum Regem audire, ita in epistola apologetica, anno MDLV data, et a Ludolfo non semel recitata, loquentem: *Quod vero attinet ad morem Circumcisionis, non utique circumcidimur sicut Judæi; quia (nos) scimus* E *verba doctrinæ Pauli, fontis sapientiæ, qui dicit ad Gal. 6, 15; Et circumcidi non prodest, et non circumcidi non juvat; sed potius nova creatio, quæ est fides in Dominum nostrum Jesum Christum. Et iterum dicit ad Corinthios, Epistola 1, 7, 18: Qui assumpsit Circumcisionem non accipiat præputium. Omnes libri doctrinæ Paulinæ sunt apud nos, et docent nos de Circumcisione et de præputio. Verum Circumcisio nostra, secundum consuetudinem regionis sit, sicut incisio faciei in Æthiopia et Nubia, et sicut perforatio auris apud Indos. Id autem quod facimus, non facimus ad observandas leges Mosaicas, sed tantum propter morem humanum.* Ita Habessini, et Scriptores aliqui Copti, ex corruptis, opinor, codicibus, Apostoli verba contorquent; ita Circumcisionem suam ab omni superstitionis labe vindicare conantur. Non omnino absurde et improbabiliter. Quis enim, obsecro, inficiabitur, ritum istum, secundum se et præcise spectatum, ut Theologi loquuntur; vel ex natura sua, omnis religionis expertem censeri posse? Verum nihil ad nos spinosa ea quæstio. Quid vere Paulus Apostolus, quid Ecclesia Catholica de ea hactenus censuerit, quid declaraverit, hoc inquirimus, hoc indagamus.

prout volunt Copti et Habessini;

et qualis ipsa secundum se est,

essetque nisi Ecclesia vetuisset,

256 Constat autem ex Patriarchæ Mendezii epi- F stola, ad Regem Basilidem scripta anno MDCXXXIV, supra a nobis allegata, nihil adeo Habessinorum, animos a Romanis abalienasse, quam quod hi ex Ecclesiæ præscripto, eumdem ritum abolendum judicarent. Dudum siquidem ea super re sensum aperuerant Concilii Florentini Patres sub Eugenio IV, anno MCCCCXLI, in decreto pro Jacobinis apud Labbeum tomo XIII, col. 1208, hisce verbis: *Omnes ergo post illud tempus* (promulgati Evangelii) *Circumcisionis et Sabbati, reliquorumque legalium observatores, alienos a Christi fide denuntiat, et salutis æternæ minime posse esse participes, nisi aliquando ab iis erroribus resipiscant. Omnibus igitur, qui Christiano nomine gloriantur, præcipit omnino, quocumque tempore, vel ante vel post Baptismum, a Circumcisione cessandum; quoniam sive quis in ea spem ponat, sive non, sine interitu salutis æternæ observari omnino non potest.*

tamquam lethifera æque ac legalia cetera:

257 Idem recentius definitum Mendezius noverat in professione fidei Legatorum Gabrielis Patriarchæ Alexandrini ad Clementem VIII, quæ exstat apud Baronium in Appendice ad tomum VI, ubi num. 39 ita legitur: *Item firmiter credo, legalia omnia veteris Testamenti seu Mosaicæ legis, quia Christum figurabant*

A bant, *licet divino cultui illa ætate congruerent, illo adveniente cessasse, et jam promulgato Evangelio, servari non posse sine interitu salutis æternæ. Omnes igitur post illud tempus, Circumcisionis, Sabbati, ciborum, eadem lege prohibitorum, reliquorumque legalium observatores, alienos a fide denuntio, et salutis æternæ non posse esse participes, nisi aliquando ab his erroribus resipiscant.* Liquet igitur Ecclesiam semper censuisse, morem circumcidendi, Christianæ religionis puritati adversari, sive is legaliter, sive humana tantum consuetudine usurparetur.

et tam expresse prohibitum Sabbati otium.

258 Nec sola hic inhibetur Circumcisio, sed et Sabbati et quorumcumque legalium observatio. De Sabbato quidem exstat pervetustus Laodiceni Concilii, sub sancto Silvestro Papa celebrati, canon, ordine XXIX apud Labbeum tomo I, col. 1502, in hunc modum præcipiens : *Quod non oportet Christianos judaizare et in Sabbato otiari : sed ipsos eo die operari : diem autem Dominicum præferentes, otiari, si modo possint, ut Christianos. Quod si inventi fuerint judaizantes, sint anathema apud Christum.* Non ignoro varia a variis in hunc canonem annotari, et de Sabbati jejunio fuse Baronium disserere ad annum Christi LVII a num. 202, quæ ad B rem nostram directe non pertinent. Satis sit ex præfato canone collegisse, quod si Patribus illis, vel solum Sabbati otium, cum judaismo affine, ita exosum fuerit, non minus reprobandam Circumcisionem, si vel ejus vestigium per id tempus occurrisset.

Quis credat, omnes Ægyptios Sanctos fuisse circumcisos,

259 Age vero, quis non credat impudentissime mentitum Michaelem illum apud Vanslebium, qui Circumcisionem a sancto Marco permissam, et ab eo tempore non interrupta serie ab Ægyptiis continuatam asserere non dubitavit? Id mihi quidem non minus est incredibile, quam si nugator aliquis, contra indubitatam historiæ fidem, nullos unquam in Ægypto Christianos exstitisse somniare præsumeret. Nimirum Demetrios, Petros, Alexandros, Athanasios, Cyrillos, Paulos, Antonios, et innumeros alios cujusque sexus, status et ordinis, nobilissimos Martyres et Confessores, in circumcisorum numerum referemus? Purissimis illis Ecclesiæ seculis propudiosam labem non prorsus exosam et exterminatam fuisse, tunc credam, cum monumentis, aliunde quam ex Coptorem aut Habessinorum penu petitis, paulo evidentius demonstrabitur. Interim antiquorum omnium Patrum et Historicorum silentio, tamquam irrefragabili argumento innitar. An C enim existimas verisimile, ex Græcis et Latinis Patribus, quos Ægyptiorum Circumcisio latere non poterat; an, inquam, verisimile existimas, neminem unum futurum fuisse tum maxime cum inter Ecclesias ferverent dissidia, qui turpissimam maculam illis exprobraret? Novi seculorum istorum mansuetudinem et inalterabilem charitatem; verum Eusebios Athanasio, Nestorium ejusque asseclas Cyrillo pepercisse, haud ita facile mihi persuasero : certe quem per contemptum *Ægyptium* dicebant, plausibiliori scommate *Circumcisum* appellassent.

nemine Græcorum id cuiquam exprobrante?

Quin potius Circumcisionem ignorarerint,

260 Rem penitus introspiciamus; illucescet procul dubio aliquid, ex quo ritus illius originem apertius detegamus, ostendamusque conjectura plusquam verisimili, Coptos non aliunde quam a Mahumetanis eum fuisse mutuatos. Compertum est, nisi fallor, gliscentibus feralium dissensionum turbis, quo tempore Dioscoritani, postea Jacobitæ dicti, cum Chalcedonensibus Melchitis acerrime conflictabantur; Ægyptios, ut fit, in partes tractos, alios primis, alios postremis adhæsisse; nisi velimus, singulari prodigio omnes indigenas pro Dioscoro, Græcos omnes pro Concilio stetisse, quod vel ex Tractatu nostro chronologico deprehendes esse falsissimum. Hinc consequi videretur, ut etiam

hodie non soli Copti, Ægyptii generis dici possint, D sed et Melchitæ non pauci, tametsi Græcis accenseantur, quod postmodum horum schismati immersi, et dogmata eorum et mores, adversus Jacobitas, pari utrimque pertinacia tueantur. Quid tum postea? Dicam. Si verum est, antiquissimo usu Circumcisionem Ægyptiis familiarem semper perseverasse, tamquam cæremoniam plane adiaphoram, nec unquam vetitam; quid, obsecro, Melchitas ab ea absterruit? Qua speciali lege ipsis magis quam aliis interdictam probabis? Mihi profecto longe est probabilius, ipso schismatis tempore, Jacobitis æque ac Melchitis, Circumcisionem aut ignotam, aut certe utrisque abominationi fuisse.

AUCTORE J. B. S.

tam Jacobitæ quam Melchitæ,

æque ac Heraclius Imp.

261 Imo ut apertius animi sensa edisseram, id tam certum puto, quam quod certissimum. Et habeo hujus rei clarissimum testimonium ex Coptorum ipsorum scriptis desumptum. Narrat citata sexcenties Historia Patriarchalis Echellensis, in Benjamino Patriarcha XXXVIII, *Heraclium Imperatorem in somnio vidisse quemdam sibi dicentem; futurum est ut gens quædam circumcisa te invadat, superet, et tui partem occupet imperii. Qui Judæos hos esse ratus est. Quamobrem omnes Judæos et Samaritanos, qui in imperio ejus erant, baptizari jussit. Sed non multo post apparuerunt Moslemani* etc. De hujus historiunculæ veritate aut falsitate non disputo : mihi talis est, ut a E Coptis saltem admitti debeat. Jam vero si eo seculo usitata fuisset, ut postmodum fuit apud Ægyptios, Circumcisio, cedo cur Heraclius nihil ab eis sibi timendum putaverit? ab eis, inquam, qui jam totis fere duobus seculis tot dederant rebellionis indicia, Imperatoribus Chalcedonensibus et ipsimet Heraclio pertinacissime obluctati? Dicesne fortasse, Ægyptios circumcisos quidem, sed simul baptizatos? Vanum mehercule effugium; nam id solum oraculum prædixerat, *gentem circumcisam imperium invasuram*; atque adeo cum toties tumultuantes Ægyptios experti fuissent Romani Cæsares, nihil pronius erat, quam ut de ipsis, tunc Græco nomini infensissimis, sinistri aliquid suspicaretur Heraclius, si vere circumcisi fuissent.

nullos nisi Judæos circumcisos cogitans.

Consentit Bernatus

262 Huic et superiori argumento tantisper immorandum, ut quid de iis sentiat Bernatus, audiamus. Jam supra § I, dum de Coptorum nostrorum etymo agerem, mutata, quam præconceperam de Melchitis Ægyptiis, sententia, amplexus sum, ut ibi dixi, P. Bernati judicium. Hic igitur repetitum vides, F quod ibi retractandum putavi : nam cum eodem ratiocinio et Coptorum nomenclaturam, et Circumcisionis antiquitatem impeterem, nil mirum si utrobique recurrat. Atque ita Bernato in epistola mea rem proposueram. Respondit ille, se quidem omnimode mecum sentire in evertenda Circumcisionis antiquitate; nec ullatenus dubitare, quin ante Mahumetem ab Ægyptiis Christianis plane fuerit ignorata; morem istum certissime per Saracenos in eam regionem inductum etc. Attamen ex allegata ratione, videri sibi id erui nequaquam posse, stante vulgatissima Orientalium opinione, quod Melchita nullus Ægyptii generis fuerit, aut in Ægypto perseveraverit. Ejectos videlicet Græcos Melchitas omnes ex iis partibus, quemadmodum Græci Coptos pepulerant ex terris omnibus Græco Imperatori subjectis. Quæ si vera sunt, ut admittenda non diffiteor, vim omnem argumenti a Melchitis Ægyptiis desumpti, enervari necesse est. Nec tamen delendum censui, quo clarius pateat me nihil lapsuum meorum dissimulatum velle.

quamvis rationes nostras

263 Ad alterum de Heraclii somnio ratiocinium, fatetur Bernatus hujusmodi probatione Coptorum jugulum peti. Nihilominus de Ægyptiorum tunc temporis aut potentia aut viribus, non eam habet

 existimationem

AUCTORE J. B. S.

A existimationem, ut putet Imperatores Romanos, sibi ab iis merito formidare quidquam debuisse. Fateor, inquit. Græcorum jugum ab Ægyptiis excussum, verum id ita factum novimus, ut nec bellum adornare, nec ferrum stringere necesse habuerint, Saracenorum armis abunde defensi. Dicam ego, bona Bernati pace: non arbitrari me, veteres Ægyptios adeo imbelles et socordes fuisse, ut ex hodierna inopia ei tertia eos metiri quis debeat. Dederant non semel virtutis suæ, aut saltem immoderati animi et ad emotionem rebellionemque proclivis, satis manifesta indicia, et non ita pridem, sub Justino et Justiniano, potius leges præscribere quam accipere soliti fuerant; adeo ut Heraclius, supposita somnii veritate et Ægyptiorum communissima (ut adversarii volunt) Circumcisione, non vane suspicari debuerit, a circumcisis Ægyptiis invadi se et superari posse; certe non minus, imo longe magis quam a Judæis inermibus, hac illac dispersis, nec usquam stabilem mansionem habentibus, aut vires sufficientes, quibus Imperatorem aggredi vel per somnium cogitarent. Maneat ergo propositi argumenti vis et efficacia adversus defensores περιτομῆς.

non omnino approbet.

B 164 Aliud non absimile subministrat Bernatus ipse, ab ipsa itidem Coptorum confessione desumptum. Narrat siquidem Abulbaracatus, sæpe a nobis supra citatus, in vita Josephi Patriarchæ Alexandrini (LII) quem in Tractatu nostro Chronologico constitutum ostendimus anno DCCCXXX, defunctum DCCCLIX; Narrat, inquam, Polyhistor Arabicus, et ex eo Bernatus, multo diffusius, quæ de Æthiopum Episcopo illic a nobis tradita invenies, quæque hic describere non pigebit. *Fuisse mirum tempore Josephi, quemdam in Æthiopia Episcopum, quem constituerat Patriarcha Jacob* (L.) *Hunc, egresso Rege Æthiopiæ ad bellum, exilio mulctavit Regina et Principes, ideoque minime eo pluit anno, et pestis grassata est per eas regiones. Remisso autem Episcopo illo in Ægyptum, alium sibi constituerunt præter Canonem. Quod percipiens Rex Æthiopiæ, reversus a bello, ægerrime tulit; misitque aliquos qui veniam peterent a Deo ac Patriarcha, et reduxerunt illum Episcopum in Æthiopiam.*

Ostenditur iterum ignota Circumcisio

265 Multis hæc amplificat Abulbaracatus, quæ ad rem nostram nihil spectant, uti nec dicta hactenus. Ex iis quæ Episcopo, in Æthiopiam subinde reduci, contigerunt, argumentum nostrum desumitur. Nempe, cum Antistes ille Æthiopibus displiceret, C suggestum a diabolo est, inquit Historicus, non posse Episcopum iis præfici, qui ex totius gentis more, circumcisus non esset; tantumque apud Regem ea populi seditio valuisse dicitur, ut, quamvis jam toties, ob expulsum Præsulem, vindicem Dei manum expertus esset, tamen ad aucupandam plebis gratiam, vocatum ad se Episcopum monuerit, aut inde recedendum denuo, aut subeundam Circumcisionis legem, in ea regione pridem observatam. Verane sint an ficta quæ deinde accidisse memorat præfatus Abulbaracat, non est nostrum pluribus inquirere, illud ad hominem contra Coptos ex hoc facto legitime deducitur, vel ipso seculo IX nondum in Ægypto receptam promiscue fuisse, pueros circumcidendi consuetudinem.

ex Episcopo Æthiopiæ

incircumciso seculo IX

266 Hisce jam addo, quod nec apud Elmacinum, res Jacobitarum Ægypti sæpe memorantem, nec in ipsa Historia Patriarchali, totis undecim primis secuis, vel verbum fiat, unde communem ipsis fuisse Circumcisionem conjectare liceat. Illius primum meminit in Macario Patriarcha LXIX, ubi ita scribit: *Is Patriarcha plures abrogavit ritus, nam filii Cophtitarum prius baptizabantur, tum circumcidebantur, ipse vero constituit ut prius circumciderentur, tum baptizarentur.* Et id quidem pro arbitrio, seculo tandem XII. Accessit Joannes Abulmagedus, qui seculo XIII *Confessionem ab Ecclesia Cophtitarum abrogasse* dicitur, *Circumcisionem vero plurimum commendasse.* Hæc sunt quæ de famoso ritu a Coptis memoriæ tradita accepimus, fide, ut ego existimo, non undequaque optima. Sed cur tot seculis siluisse putabimus tam insignis ritus cultores? Cur circumcisionem Baptismo postpositam, deinde præmissam? Cur Confessioni, si superis placet, substitutam? quod falsum esse, supra ostendimus. Cur denique a Patriarcha commendatum oportuit, quod tam longa annorum serie Ægyptii exercuerant? Hæc ego, nisi vehementer fallor, ad suam originem et jam reduxi, et porro facilius reducam et probabilius. D

et ex silentio Scriptorum usque ad sec. 12.

267 Statuo itaque totis sex primis Ecclesiæ seculis, nullum prorsus in Ægypto Circumcisionis vestigium reperiri, ritus scilicet, ita post Evangelii promulgationem aboliti, ut non solum inter legalia mortua, sed mortifera reputaretur. At unde eam postea in Coptorum Ecclesiam introductam existimabimus? Dicam quod sentio. Ita paulatim sub Saracenorum tyrannide deformata est, quæ jam a duobus ferme seculis in tetrum schisma defecerat E Coptorum istorum Ecclesia, ut crassæ ignorantiæ et errorum tenebris obscurata, ab iis moribus non abhorruerit, a quibus lucri et clementioris jugi spes affulgeret. Verbo dicam, non aliunde quam a Mahumetanis ritum istum acceperunt majores ipsorum, seculi ut citissime octavi vel noni; verosimiliter, ut cum circumcisos se profiterentur, minus aspere tractarentur a Mahumetanis. Oppones, quas supra retuli, immanes tyrannorum persecutiones. Audio: sed vel inde proposito argumento robur accedit: nam ea ipsa de causa, non omnes continuo id fecisse dicimus, sed paucos aliquos, pravo consilio eo inductos, qui Judæi forte existimari voluerint, ne pejoris essent conditionis apud Soldanos Ægyptios quam Judæi, quibus libere commercia aliaque munera exercere permittebatur.

Credatur itaque suscepta a Coptis,

Saracenos ita mitiores erga se fore sperantibus;

268 Hinc factum fit, ut principio paucissimi fortasse eo accesserint, dum interim alii Christiani, prudentiores quam isti hujus seculi filii, hanc cum Judæis et Mahumetanis communionem penitus respuerent. Crevit haud dubie sensim circumcisorum numerus, ut quosque impellebat avaritia et lucri cupiditas, aut captatio benevolentiæ nonnumquam utilis et necessariæ, aut si mavis insani moris æmulatio, ut facile fit apud homines rudes, et in omnem partem, quo capita ducunt volubiles; quousque F Patriarchæ ipsi, æque stupidi et meticulosi, id commendandum putaverint, quod pro pastorali munere fortiter prohibere tenebantur, ast impedire pertimescebant. Non sic tamen admissam crediderim eam commendationem, acsi præcepti vices subiret; nam neque necessaria creditur Circumcisio, sed tantum (quamquam et istud ex crassissimo errore) prout cuique libet, ut brevi ex Bernato pluribus ostendemus.

initio paucis, postea pluribus:

et ipsis denique Patriarchis;

269 Conjecturam hanc nostram confirmat Sacchinus supra citatus, ita scribens: *Horum errorum quidam ex inscitia tantum oriebantur, alii ex pravo usu: ut ipsimet facile in.... Circumcisione .... fatebantur errare se, eaque facere, quod ita invaluisset usus. Adhæc Circumcisionem Turcarum metu retinere.* An metum hujusmodi non nugaciter prætextant, viderint alii; certe ritum Circumcisionis apud Christianos illos, ex solo cum infidelibus commercio invaluisse, tam mihi est perspicum, ut ambigendi locum non videam. Accedit et nobis Vanslebii suffragium, asserentis, non ex instituto ecclesiastico, sed pro mero libitu, alios Circumcisionem colere, alios sine ullius offensione eamdem negligere. Idem tradunt et alii in Hodœporicis viatores, qui aut Ægyptum

non tamen ut necessaria,

sed ut arbitraria.

A Ægyptum lustraverunt ipsi, aut ab aliis de Coptorum moribus edocti, prolixos quandoque, utinam et veros, texunt commentarios. Utcumque acceperis, licitam Circumcisionem aliquando his fuisse aut etiamnum permittendam esse, nemo dixerit, nisi qui velit Apostolo Paulo, et totius Ecclesiæ Catholicæ sensui refragari.

Idem testantur Copti hodierni,

270 Conclusionis ergo, succedat oculatum, si ita loqui licet, auritum testimonium P. Bernati, quem in his omnibus habeo mihi plene planeque consentientem, quin et novis auctoritatibus et elucidationibus ea ipsa confirmantem illustrantemque. Primum itaque, ut nuper dicebam, diserte et constanter asserit, certum sibi et indubitatum videri, quod Circumcisio Ægyptiis Christianis omnino inusitata et incognita fuerit, antequam Saracenorum armis subjugarentur. Hic eam quæstionem sepositam volo, utrum forte gentilibus quibusdam et idololatris, aut nota aut familiaris fuerit. En ejus epistolæ verba, ex Gallico Latine reddita. Rectissime, inquit, censet Reverentia vestra Circumcisionem Copticam, maculam esse a Mahumetanis ei genti inustam. Quoscumque hac super re consuli (consuluit autem plurimos) ii omnes continuo reposuere, B morem circumcidendi a Saracenis ad se transfusum. Eoque magis inducor ut credam, quod ferme pudore suffundantur singuli, quamprimum de Circumcisione sermo instituitur. Mebacherus ille, quem sæpius appello propter summam apud suos eruditionis famam, qui librum composuit, et ad quem Sacerdotes ipsi, argumentis nostris pressi, recurrere solent; hic, inquam a me etiam interrogatus, ita mentem suam candide explicuit:

adduntque ritum illum

271 *Circumcisio, qua etiamnum gentis nostræ rudiores stupidioresque uti solent, a Mahumetanis in Ægyptum certo introducta est. Etenim cum Arabes hanc nostram regionem armis subegissent, reliquæ tyrannidi eam postea addidere, ut filios nostros per vim ipsi circumciderent. Cum vero graves nonumquam turbæ inde orirentur, parentibus aut repugnantibus, aut chirurgo circumcidenti solvere renuentibus, ut hujusmodi tumultum causa præcideretur, fuit e Patriarchis aliquis* (Macarium illum II indicat, in serie LXIX) *qui pueros ante Baptismum circumcidi jussit, ea ratione ductus, ut cum deinde vel alia occasione egressos, Arabes inspicerent, requisita nota signati reperirentur. Verum prædicta consuetudo ita exolevit, ut in ultimos Ægypti angulos hodie relegata, a nemine nisi ignorantissimo frequentetur.* Hæc, inter Coptos doctissimus: C ut magni apud suos nominis, sic in hac controversia testis haud contemnendus, quamquam ritus istius inducendi nonnullas causas dissimulet, a nobis antea traditas, sola illa, ut urgentiori et plausibiliori contentus.

jam apud suos exolevisse;

et si tempore S. Marci usitatus fuerit

272 Ad ea cum Bernatus objiceret eorum opinionem, qui ante sancti Marci tempora usum περιτομῆς in Ægypto viguisse contendunt; reposuit Mebacherus, id quidem a se non omnino improbari; verum ita accipiendum, ut de paucis affirmari queat, iisque D potissimum, qui aut Israelitis aliquando servivissent, aut ex eorum commercio acceptam Circumcisionem, transmisissent ad posteros. De cetero ita paulatim abiisse in desuetudinem, ut sancti Marci ætate paucissimi superessent circumcisi, iique ferme ignoti, sic ut proinde aut nulla, aut certe perexigua apud Ægyptios ejus extaret memoria. Ut ut fuerit, sibi compertum aiebat, ex constanti et perpetua gentis suæ traditione, non aliunde quam ex Arabia, et per Mahumetanos Arabes invectam, aut potius tyrannice et violenter inductam, famosam, de qua quærimus, Coptorum Circumcisionem.

AUCTORE J. B. S.

id de paucis intelligendum:

laudabilem dictum

273 Institit Bernatus, legisse se in aliquo Rituali Coptico, circumcidendi ritum, *laudabilem esse regionis consuetudinem, et qua ejus cultores arctius Deo conjungerentur*. Nihil cunctatus Mebacherus respondit, ex mera ignorantia suorum Sacerdotum id esse profectum; sic nempe rudi populo impositum, ut quod ante puderet assumere, imo quod nonnisi per vim ei inferretur, sensim transiret in ritum et honestum et laudabilem: ita ferente hominum malitia, ut injusta et prava, moribus paulatim recta et bona perverse censeantur. Vivebant confusi Saracenis Christiani, spectabant epulas, interE erant plausibus, aliisque lætitiæ signis in puerorum Circumcisione a Mahumetanis exhibere solitis; eorum benevolentiam patrociniumque promereri studebant, egebant eorum amicitia, ope, præsidio: Quid igitur miri, si homines, cetera nomine tenus Christiani, iis cæremoniis ita assueverint, ut postmodum, decorum crediderint, quod principio tamquam absurdum et superstitiosum aversabantur.

per meram ignorantiam,

ex hodierna praxi

274 Plura ex Bernato non refero, nec sane pluribus opus est, ad subruendam penitus prætensam Circumcisionis Copticæ, et vane jactatam antiquitatem aut obligationem. Ad praxim hodiernam quod attinet, scribit idem Bernatus, Coptos ipsos persancte testari, se a ritu illo quam maxime abhorrere. Quemlibet interroges seu Clericum seu laicum, aperte profitentur, non tantum non præceptam, sed nec licitam esse, nec nisi a rudibus et rusticis fortasse nonnullis, hoc tempore frequentari solere; idque pro arbitrio, nulla prorsus, quæ religionem redoleat, adhibita cæremonia. Quin imo, inquit iterum Bernatus, non desunt Cairi qui asserant, a moderno Patriarcha plane interdictam, tametsi huF jusmodi decretum nondum in manus pervenerit. Hoc nunc reliquum est, ut Dissertationem, præter mentem prolixius diffusam, pio voto concludamus. Videlicet, ut misericordissimus Deus, gentem infelicem cœlesti suo lumine illustrare dignetur, quo dissipatis errorum tenebris, ad Ecclesiæ matris unitatem postliminio reducta, e Turcica servitute libertatem filiorum Dei et æternam denique beatitudinem consequatur. Amen.

satis clare constat.

INDEX

INDEX RERUM

AD HISTORIAM CHRONOLOGICAM

PATRIARCHARUM ALEXAND.

Numerus Paginam indicat: a, b, c, d, e, f, ***sectiones Paginarum ;*** † ***Sanctum designat.***

A

Abbunæ, *Habessinorum Patriarchæ* 88 * e
Abulbaracati *Chronologia, identidem refutanda* 2 * e
Abunagiahi *senis constantia inter tormenta* 78 * f
Acacius *Patr. C. P. declaratus hæreticus* 50 * c
pellit orthodoxum Patr. Alexandrin. Ibid.
Achior, *Dux Ammonitarum incircumcisus* 127 * e
Acephalorum, *in Ægypto initium* 49 *
Ægri, *quomodo inungantur, eisque circumstantes* 122 * e
Ægyptii, *an et unde acceperint Circumcisionem* 125 e *Prius incircumcisi exceptis Sacerdotibus* 126 * b
Æra Martyrum *per Orientem celebris* 28 * c
Æthiopes *expulsum Episcopum suum coguntur miraculo recipere* 73 * c. *Æthiopia sublevata in afflictione*, 14 *sec.* 81 * d
Albam vestem, 9 *sec. Christianis interdicunt Saraceni* 74 * b
Albertini *de S. Anastasii Sinaitæ* Ὁδηγῷ *censura expuncta* 99 * c
† Alexander *Pat. fingitur mutasse ordinem eligendi Patriarchas* 33 * a. *Error circa ejus Natalem* 39 * f
Alexandria *an.* 640 *intercipitur a Saracenis* 62 *
Alleluiatici *hora, apud Coptos mutata* 81 * b
Ammonitæ *incircumcisi* 127 * d
Amrus, *Dux Saracenorum* 7 *sec. captus, evadit et vincit* 61 *
† Anastasii Sinaitæ *liber contra Acephalos* 82 *
Dux viæ Ὁδηγὸς *vindicatur a censura* 100 * a
Ipse ad an. 660 *superfuisse ostenditur* 99 * c
Angelos *venerantur Copti* 117 * c
Apostatarum 3 *sec. difficilis receptio* 21 * b
Apostata Patriarcha *occisus a suis* 76 * e
Arabes, *infelices Chronologi* 58 * c
Arius, *propter schisma excommunicatus* 30 * a
Asterius, 6 *sec. Patr. Alexandr. orthodoxus* 54 * c
Athanasii *vita recentior, in quibus corrigenda,* 38 *. *Festum* 2 *Maji* 37 * b
Avarus Patriarcha *paralysi punitus* 78 *

B

Baptismi *Formula probanda* 116 * b Minister *Episcopus aut Presbyter* 118 * e *Differtur masculis ad* 40, *femellis ad* 80 *dies* 118 * b c. *pro eo in casu necessitatis substituitur unctio* 118 * c. *Pueris ab Athanasio collatus per lusum* 116 * a
Baptismalis fons *arescit, ne iteretur Baptismus* 29 * f
Barchochebas, *Dux Judæorum, vexat Ecclesiam* 15 * e
† Barnabæ *Acta mendosa* 3 * a. *Epistola supposititia* 126 *
Basilides *hæresiarcha vexat Ecclesiam* 15 * f
† Basilii *an.* 271 *ad S. Athanasium litteræ* 41 * a
Bzameritæ *Copti, ad Melchitas transeunt* 82 * c

C

Cairus, *nunc Ægypti Metropolis* 61 * b
Ad eam translata Sedes Patriarchalis 79 * e
urbis incendium 82 * e
Canonicæ *preces* 12 *sec. Coptis ordinatæ* 83 * f
ad eas obligati Diaconi, etiam pueri 116 * a
Catechesis *Coptis nulla, causa supinæ ignorantiæ* 111 * c
Cauterizatio *baptismalis, an et quare* 108 * b
Catholicus Armenorum I *Patriarcha* 89 * e
Chirotonia *Patriarchalis triplex ultimam Episcopi conferunt* 8 * a b
Chrisma *sacrum inter manus Patriarchæ exundans* 80 * a *ejus conficiendi ratio* 119 * *Consecratum anno* 1703 *post defectum* 200 *annorum* 91 * f
Christianorum *in Ægypto* oppressio 8 *sec.* 68 * b *eam Honorio III describit Nicolaus Patr.* 83 * c d *eorum templa,* 12 *sec. reparata* 82 * b
Circumcisio *hanc Judæi a Gentibus non acceperunt, sed contra* 125 * d *Usurpata a Coptis pro consuetudine* 124 * e *tamquam res adiaphora* 128 * c *accepta ab Ismaelitis, sed Saracenis, ante hos illis ignota* 124 * c *Jubetur Baptismo præmitti* 12 *sec.* 81 * c *Commendatur* 82 * e *Damnatur ab Ecclesia in Concilio Florent.* 128 * f
Clementi VIII *professionem fidei mittit Gabriel Patr.* 8 * b
Clemens Alexand. *floret* 20 * a
Clementia *in hostes pæne nimia arguitur* 49 * d
Colapho *cæsus captivus Amrus, mortem evadit et vincit* 61 *
Concilia *tria prima generalia, sola agnoscunt Copti* 115 * a
Confessio *auricularis necdum abrogata apud Coptos* 109 * a *ad thuribulum unde inducta et qualis?* 109 * d
Confirmatio *Coptorum, ejusque ritus* 119 *
Coptici *nominis etymon* 90 *, *an a Jacobita per aphæresim ?* 93 * c Coptorum *in schismate pertinacia immediabilis,* 112 * *Chronologiæ ignorantia* 87 * f
Corbanum, *panis ad Missam ; ejus forma et modus conficiendi* 120 * c d
De Corruptibili *et* Incorruptibili *Christi corpore disceptatio,* 53 * e
Cosmas *Patr. an scripserit ad Theophilum Imperat. pro imaginibus ?* 73 * f
Cruces *cur brachiis, fronti etc. inurant Copti* 108 * f, *ejus signo fugati* 9 *sec. hostes* 74 * f

Crucifixi

Crucifixi *in Parasceve adorandi mos* 117 * b
Cyprianus *Rex Nubiæ, Ægypto imminens, ad preces Patriarchæ recedit* 67 * b
Cyrus *Episc. Alex. jubetur pactas cum Saracenis inducias rumpere* 60 *

D

Damascus *capta a Saracenis* 60 *
Dedicatio *ecclesiæ S. Petri Patr.* 21 *, *et S. Timothei* 43 *
Pro Defunctis *orant Copti, deque eorum animabus ridicula tenent* 116 * f, 117 * a
Deiparam *valde venerantur Copti* 116 * e. *Ejus cultor eximius* 12 *sec. Michael V Patr.* 81 * f. *Ejus Quadragesimam servant feminæ, etiam Turcicæ, in pane et aqua* 123 *, 124 *. *Ei turrim ædificavit S. Theonas* 28 * b : *effigiem violans punitur* 65 * c
Diaconi *innumeri, etiam pueri, ordinantur* 110 * f
Dioscorus *in Chalcedonensi damnatus schisma excitat* 45 *, *et per imposturas fovet* 47 *
Divortia *apud Coptos impetratu facilia* 114 * c d
Dominica *die faciendæ Ordinationes* 47 * c, 64 * a
Dormientes *septem Ephesi reperti* 44 * a
Dunaan, *Dux Homeritarum Christianos in Ægypto vexat* 54 * d

E

Ecclesiæ *Orthodoxorum annis* 97 *clausæ* 66 * b, *restitutæ* 68 * f
Ab Eleemosynarum *largitate laudati Patriarchæ, Joannes VI* 82 * f, *VII* 84 * d, *VIII* 84 * f
† Elesbaan *Rex Æthiopiæ Homeritas debellat* 6 *sec.* 54 * d
Elmacini *Historia Saracenica, in anno* 1128 *finiens* 81 * a
Epactarum Cyclus, *quando et a quo inventus sit* 18 * f
† Ephrem Syri *cultus varius et celebris in Oriente* 14 * 15 *
In Epiphaniæ *festo solennis lotio, non est iteratio baptismi* 116 b c
Episcopi *in Ægypto semper plures* 10 * c, *iique cœlibes* 110 * d *Expulsum recipere coguntur Æthiopes, non sine miraculo* 73 * c
Errores, *Coptis non recte imputati* 113 * e
Esaiani *in Ægypto* 5 *sec. schismatici* 56 * e
Eucharistia, *ut necessaria, etiam infantibus baptizatis datur* 118 * c, *viris sub utraque specie* 120 *, *unica sufficere creditur* 119 *, *non servatur pro ægris* 120 * c, *Consecrationis forma, materia etc.* 119 * e
Eusebius Historicus, *certior dux ad Chronologiam* 2 * f : *secum ipse conciliatur in Agrippino Patriarcha* 16 * f
Eutychianismus *seu* Monophysismus *apud Coptos stabilitus* 103 * f, 115 * b
Eutychii *Alexandrini commenta rejecta* 8 *, 97 * b

F

Feminæ, *non nisi* 80 *dies natæ, baptizantur* 118 *, *Sacramentorum usu ferme carens* 122* e, *non communicant calici* 120 * a
Francos (*ita vocant Latinos*) *quantum oderint Copti* 86 * c, 112 * e
† Frumentius, *Habassiæ Apostolus floruit* 4 *seculo* 88 * f

G

Græci Episcopi *cum Latinis in regno Neapolitano* 52 *, Græci *in Ægypto pactas cum Saracenorum Principibus inducias temere violant* 60 * e
† Gregorii Armeni *cultus sacer etiam apud Æthiopes* 89 * d

H

Habessini *quas causas prætexant suo schismati* 107 * d. *Eorum Metropolitæ aliqui Sancti* 88 *. *Circumcisionem pertinaciter tuentur ut adiaphoram* 128 * d
In Hæreticos *nimis facilis Patriarcha Petrus II ab Orthodoxis arguitur* 42 *
Hakemi *Saraceni tyrannis in Ægypto* 11 *seculo* 78*
Hegirarum *cum Æra communi difficilis comparatio* 73 * b
Henschenius *correctus in obitu S. Alexandri* 23 * d : *duos Anastasios Sinaitas recte distinguit* 98 * f
Heraclii Imperat. *Chronologia intricatissima* 58 *. *Ægyptios non credidit circumcisos* 150 c
Herodotus, *multa de Ægyptiis mentitus* 120 * a
Homeritæ judaizantes 6 *sec. Christianos vexant* 55 * d
Honorio III *scribitur calamitas Christianorum sub Saracenis* 83 * d
Humar *Saracenus Alexandriam occupat atque anno* 644 *occiditur* 62 * b
Humilitas *Patriarchæ ad verrenda ecclesiæ pavimenta* 75 * f

I

Idumæi *incircumcisi* 127 * d
Imagines *colunt Copti*, Iconomachos *aversantur* 69* f, 116 * e. *An pro iis ad Imperat. Theophilum scripserit Cosmas Patr.* 73 * f
Indi *Alexandria Episcopum et Presbyteros petunt* 64 * f.
Induciæ *cum Saracenis, violatæ, Ægyptum perdunt* 60 * d
Incendium *Cairi* 82 * d

J

Jacobitarum *auctor* Jacobus, *Severi Antiocheni discipulus* 53 * c, *sectator Dioscori et Monophysismi anno* 600 *propagator* 95 et seqq. *Ille quid passi sub Heraclio* 63 * c, *Saracenis se subjiciunt, ut Melchitis prævaleant* 97 * c, *templa sua anno* 726 *recuperant* 68 * f, *uniuntur* 8 *sec. cum omnibus Ecclesiis Patriarcharum* 69 *, *illorum Hierosolymis ecclesia struitur* 8 *sec.* 71 *, *eorumdem variæ cum Romanis reconciliationes parum solidæ* 72 b c. *Eorum hæresis quæ?* 101 *, 102 *. *Ab Asiaticis et Habessinis quomodo differant* 106 * f. *Eorum in schismate pertinacia* 104 * c
† Jeremiæ Prophetæ *difficilis locus de Circumcisis et incircumcisis, ab illis excludit Ægyptios si recte intelligatur* 127 *
Jerusalem *a Saracenis obsessa et capta* 60 * a. *Jacobitarum ibi ecclesia erecta* 71 *
Jerosolymitanus Patriarcha *titularis apud Coptos* 110 * e
Jejunia *Coptorum severa* 124 * b, *etiam pueris servanda* 124 * e
† Joannes *Eleemosynarius* 57 * b
† Joannes-Marcus, *Barnabæ consobrinus, alius ab Evangelista* 6 *

Jonæ

Jonæ Prophetæ *triduanum jejunium apud Coptos* 124 *
Judaicæ observationes, *an recte Coptis imputentur* 115 * c
Judæorum *anno* 115 *exitialis in Ægypto tumultus* 14 * b

L

Lascarus *Constantinopolitanus, pro mitiganda* 14 *sec. persecutione intercessor* 85 * a
Lexici Biblici *circa Coptos ineptiæ* 117 * c
Liturgia *Coptorum triplex* 111 * e
Lucius *pseudopatr. S. Athanasio suppositus* 41 * e

M

Macarii *monasteria*, 7 *seculo restituta*, 63 * e. *In eo incipiunt sepeliri Patriarchæ* 9 *seculo* 73 * d
Macedonius, *in Conc. C P. damnatus* 43 * b
Madilaina, *V. M. apud Habessinos* 51 * f
Mahometi *anno* 632 *obitus* 59 * c
Manetis *interitus funestus* 27 * b
† Marci Evangelistæ *in tempore obitus et Apostolatus hallucinantur Orientales* 1, 3. *Evangelium quando scriptum* 4 b. *Ejus ecclesia restaurata* 7 *sec.* 64 b. *Non permisit Circumcisionem* 126 * e, 131 * c
Marcus Abbas 12 *sec. transit a Jacobitis ad Melchitas* 82 * e
Maria Virgo, *vide* Deipara.
Matrimonia *in* 2 *gradu, quomodo inducta* 123 * d, *eo contracto sponsi confitentur et communicant* ibid.
Mauritius Imp. *occisus a Phoca* 57 * a
Maximus Cynicus *in Sedem C P. intrusus* 379 *anno* 42 * a
Mechaberi *sunt nobiles Copti: horum duodecim divites curant negotia Turcarum* 112 * a
Medicus *insignis Patriarcha Orthodoxus, ecclesias diu clausas suis recuperat* 68 * e
† Melania *in Ægypto peregrinatur* 41 * c
Melchitæ *a Jacobitis divisi* 45 *, *illorum magnus adhuc numerus* 12 *sec. in Ægypto* 82 * e
Mercaturam *non exercent Copti* 112 * c
Ex Mercatore *Patriarcha, in pauperes liberalissimus* 12 *sec.* 83 * a
Misra, *an vetus* Memphis? 61 * b
Ante Missam *illicitum Coptis aliquid cibi aut potus sumere* 124 * c
Missionariis *Societatis Jesu quid imputent Habessini* 107 * c
Moabitæ *incircumcisi fuerunt* 127 * f
Monachi *Coptorum quales* 111 * e, *tributum grave iis impositum* 65 *
Monasteria *in Ægypto* 7 *sec. restituta* 63 * e : *vastata a barbaris* 69 * a : *restaurata* 72 * d
Monialis *castæ insigne pro pudicitia facinus* 8 *sec.* 67 * f, *ceteræ nunc Coptis ferme viduæ* 111 * f
Montfauconus, *auctor novissimus Athanasianæ vitæ, refutatur* 40 *, 41 *
Montem *orando transfert* 10 *sec. Abraham Patriarcha* 77 * e
Mortuos *quomodo ungant Copti* 123 * b
Moslemanorum *initium* 77 * e

N

Nili *fluminis solita inundatio ab Æthiopibus impedita* 11 *sec.* 80 * d
Nicæno Concilio *interfuit, non præfuit, S. Alexander Patr.* 31 *. Nicæni Canones 71 * *apud Coptos* 115 * b
Nicolaus Patr. *perscribit miseriam suorum Honorio III* 83 * d
Nolanis *Græcis Episcopus, Joannes Talaia Patriarcha Alexandrinus* 51 * c
Nubiæ Rex *Cyprianus, Ægyptiis formidatus* 67 * b. *Zaynun Rex* 12 *sec.* 82 * b

O

Officium divinum *Coptis prolixum, semper idem* 111 * c : *ad illud obligantur Diaconi, etiam pueri* 116 * a
Ordinatio *S. Athanasii suo tempori restituta* 34 *
Ordinationes *in Dominica faciendæ* 47 * c, 64 * b
Ordines *quibus ritibus conferantur, inter Minores censetur Subdiaconatus* 123 * b
Origenes, *expulsus a S. Demetrio Patriarcha*, 22 *. *Non fuit ei adversatus Dionysius Patr. ejus olim auditor* 26 * e
Orthodoxis *restitutæ in Ægypto ecclesiæ* 65 * f

P

Pagius *correctus, circa Heraclam* 18 *, 19 *, 20 * ; *et Ordinationem S. Athanasii* 34, 35 ; *et initium S. Basilii* 36 * a
Papa *unde, quando, et quomodo dictus* 21 *, 22 *, 23 *. *Ad* Romanum Pontificem *restricta tandem illa vox* 25 * b. *Hunc quibus titulis ornent Copti* 86 * d e : *ejus primatum quomodo agnoscant* 71 *, 72 *
De Paschate *Epistola S. Proterii* 35 * f, Periodus *a Theophilo Patr. ordinata* 43 *. Tempus Paschale *totum Coptis geniale*, 124 * a
Passionem Domini *negantes hæretici, convertuntur* 9 *sec.* 74 * f
Patriarchæ *Coptorum non nisi virgines* 110 * c *ab Episcopis semper ordinandi fuerunt* 8 *
Pauperes *a Sacerdotibus Copticis negliguntur* 122 * b
Pauli Samosateni *hæresis proscripta* 26 * b
Pax Ecclesiæ *Ægypti sub an.* 100 *qualis* 12 * a
Persecutio *contra Christianos in Ægypto, sub Decio, et Valeriano* 26 * c d
Persæ *Syriam et Ægyptum occupant* 58 *
Personam *Christi, a natura non distinguunt Jacobitæ* 103 * d
Petrus Mongus *Sedis Alexandrinæ fraudulentus invasor* 49 * f
Philonis Judæi *somnia de Circumcisione Ægyptiorum* 126 * b
Pii IV *ad Coptos infructuosa legatio* 86 * b
Plebs *Coptica, hominum vilissima* 111 * e
Pluvia, *alias rara, Ægypto* 12 *sec. data* 67 * c
Pœnitentia *rigida Theodori Patr.* 8 *sec.* c Canones pœnitentiales *S. Petri Patr.* 30 * d
Polygamiam *non probant Copti; tolerant Habessini* 114 * a b
Presbyteri *et* Diaconi *Coptorum, fere conjugati* 110 * f. *Duodecim finguntur a S. Marco ordinati ad creandum ex se Patriarcham*, 8 * : *dicti etiam Papæ*, 24 * : *ab exulibus Episcopis vicatim ordinati* 19 * e
† Proterii *indigna cædes* 48 *. *Ejusdem Epistola de Paschate* 35 * a
Pulcheria *et* Marcianus *a Dioscori imposturis vindicantur* 47 *
Purgatorium *credunt Copti, sed ad* 40 *tantum dies restringunt ; de eoque ridicula multa tenent* 117 * a
Pueros *Diaconos ordinant Copti* 110 * f, *atque ad Horas Canonicas obligant* 116 * a
Pythagoras *in Ægypto circumcisus fuit* 128 * b

Q

Quadragesimæ *Coptorum quatuor ; 1, ante Pascha, 2, ante Natalem Domini ; 3, Apostolorum; 4, B. Mariæ Virginis* 123 *

R

Regiæ familiæ *Patr. Joannes V* 82 * b
Rodericii *Jesuitæ legatio ad Coptos* 86 * b
Romanæ Ecclesiæ 8 *et* 9 *sec. unitæ Orientales Ecsiæ, saltem in cultu imaginum* 69 *

S

Sabbatum *observant Habessini* 167 f
Sacerdotes *Ægyptii idololatræ circumcisi* 127 * a
Sacchinus *Soc. Jesu Scriptor, de Coptis non fuit bene informatus* 113 *
Sacramenta 7 *credunt Copti instituta a Christo* 118 * a b. *Ad Eucharistiam et Pœnitentiam non obligant antequam Matrimonium contrahant* 122 * d
Ex Sarmentis *vinum fecerunt Copti ad Missam* 121 * a
Scianufitæ *ad unionem Coptorum inducti* 69 * a b
Seldenus *quoad ordinationes Episcopales secutus Eutychium, refutatur* 7 * : *iterumque* 19 * d
Serapiaca, *quibus passus S. Marcus, an possint cum Dominica conciliari* 4 *
Simonius *auctor Lexici Biblici vel alius, circa Coptos errans* 88 * b
Simoniam *abolevisse laudatur Abraham Patr.* 77 *. *Ea minus laborant Copti* 110 * a
Simoniacus *Patr. sæpe mulctatus* 83 * e
Severus *Patr. Antiochenus, hæreticus* 52 *, 53 *
† Sophia *cum filiabus M. sub Hadriano* 15 *
De Spiritus S. Processione *quid sentiant Habessini et Copti* 107 * f, 114 * f
Statuas, *etiam Sanctorum, an vere aversentur Copti* 116 * e
Strabo *ineptit circa Ægyptios* 126 * b
Subdiaconatus *Coptorum inter minores Ordines referendus* 123 * c

T

Theodosiani *hæretici* Corrupticolæ 55 * d
Theophanes, *in Historia Saracenorum leviter versatus et vacillans* 59 * f
Thesaurus *a Theophilo Patr. repertus* 44 * d
Tillemontius *refutatur in Cerdone* 13 * e ; *et Heracla* 20 * c
Tributum *enorme Christianis impositum seculo nono* 75 * b

U

Unctio extrema *Coptica* 123 * a
Unio *omnium Ecclesiarum Patriarchalium* 8 *et* 9 *sec. qualis* 69 * e
Unionis *Coptorum cum Romanis spes nulla* 112 *
Uvæ recentis *in hieme indicio eligitur S. Demetrius Patr.* 18 * d

V

Vacatio Sedis *Patriarchalis per* 14 *annos* 75 * d ; *et per an.* 19, 12 *sec.* 83 *
Valentis Imperat. *accessus Antiochiam* 36 * c *obitus* 42 * d
Veneno *se necat Timotheus Ælurus* 48 *. *Illud bis impune sumit jejunus ante Missam* 64 * e *pastus non item* ibid.
Viaticum *ægris quomodo ferant Copti* 120 * e
Vino *quali utantur ad Missam* 120 * f
Virginitas *in conjugio a S. Demetrio servata, miraculo probatur* 18 * d

ACTA

INDEX

SANCTORUM

AD TOMUM VII JUNII.

A

25 Adelbertus Diac. Egmundæ in Hollandia. Com. pr. De initio Comitatus Hollandiæ : Vitaque et Miraculis, per Mediolacenses et Egmundanos Monachos scriptis. 82. *Cap.* 1. Res in vita et obitu gestæ 85. *Cap.* 2. Varia miracula : corpus elevatum 87. *Cap.* 3. Basilica erecta ; alia miracula, tempore Scriptoris probata 88. *Cap* 4. Alia scripta sec. xii. *Cap.* 1. Monasterium protectum, malevoli puniti, cæci et alii ægri curati 90. *Cap.* 2. Templum vetus destructum, novum erectum, miracula secuta 93. *Cap.* 3. Alia post adjuncta 94

30 Adilia V. Monacha Orpii in Brabantia, *ex Natalibus Molani* 539

30 Æmiliana Romana, an Martyr 530

25 Æmilianus, Ep. M. Augustoduni 69. Com. pr. De cultu, Legenda, mortis tempore 69. Lect. Off. pr. *ex Codd. eccl. propriæ* 71

26 Agapitus, M. in Africa, *ex Hier. Med.* 137

26 Agatho, M. cum sociis Alexandriæ, *ex Synax. et Martyrologiis* 137

28 Alexander, M. in Africa, *ex Martyroll.* 323

25 Amandus Erem. in Petracor. et Domnolenus. Sylloge de utriusque cultu, et illius Sociis 68

28 Ambenius, M. Alexandriæ Ægypti, *ex Martyrologiis* 321

29 Anastasius, M. Argentonii 435. Acta Martyrii 436

27 Anectus vel Anicetus, M. Cæsareæ in Cappad. *ex Mænæis* 229

29 Angelina, V. Clarissa Spoleti in Umbria. *Syll. hist. ex Jacobillo* 485

27 Anicetus vel Anectus, M. Cæsareæ in Cappad. *ex Menæis* 228

26 Anthelmus, Ep. Bellicen. in Gallia, Comm. pr. De Vita per coævum scripta et recenti Corporis elevatione. 201. Vita *ex MS. Cartusiano.* Prologus. 202. *Cap.* 1. Pueritia, vita Cartusiana, Procuratura majoris Cartusiæ 202. *Cap.* 2. Prioratus ejusdem et Domus Portarum 204. *Cap.* 3. Labores in schismate pro Alexandro III : Episcopatus invito collatus : acta contra concubinarios 206. *Cap.* 4. Zelus pro justitia, bona monasteriis collata, miracula 208. *Cap.* 5. Morbus, pius obitus, miracula 210. Elevatio, *ex Gallico. Cap.* 1. Ejus postulatio et ad illam Processus. 212. *Cap.* 2. Modus et pompa ejusdem. 214. *Cap.* 3. Miracula secuta, 216. App. De reciprocis inter Episcopum Bellicensem et Generalem Cartusianorum officiis 218

26 Anthion. Conf. apud Græcos, *ex Synax.* 155

25 Antidius, Ep. Vesontionen. in Burgundia. Comm. pr. De ejus cultu, translatione corporis, Actorum fide suspecta 35. Vitæ Epitome, *ex Brev. Vesont.* Acta fabulis admixta. *ex MS. Vesont. Cap.* 1. Locus Chrysopolis seu Vesontio : Antidii virtutes 37. *Cap.* 2. Ejus Romam a dæmone transvecti indeque revecti fabula 38. *Cap.* 3. Croci R. irruptio in Gallias : Antidii translatio. App. de cultu Ulissippone in Lusitania 40

25 Antonius, M. Romæ cum Luceia 10

25 Apamius, M. Romæ cum Luceia 10

26 Aphamon, M. in Africa, *ex Martyrologiis* 323

25 Apollonius, M. Romæ cum Luceia V. M. 10

28 Apollonius, M. in Africa, *ex Martyroll.* 323

28 Argimirus, Mon. M. Cordubæ, *ex Memoriali S. Eulogii* 348

27 Arialdus Diac. et Herlembaldus Miles, MM. Mediolani. Comm. pr. De veneratione sepulcrorum, Actorum scriptoribus, et certaminum Socio Luitprando Presb. 250. Vita auct. B. Andrea, Sancti discipulo, *ex Puricello.* Præfatio. *Cap.* 1. Arialdi natales ; institutio ; prima contra Clericos impuros concio 252. *Cap.* 2. Socium Landulfum nactus, Romam abit, et ambo vexantur 254 *Cap.* 3. Simoniacos insectatur Arialdus 257. Ad eum accedit Herlembaldus, et ab Alexandro PP. Defensor Ecclesiæ creatur 260. Embolismus, de hujus principiis, et Landulfi obitu 260. *Cap.* 3. Virtutes Arialdi : jejunandi et psallendi accurata ratio 263. *Cap.* 6. Victoria de Archiepiscopi Simoniaci partiariis 264. *Cap.* 7. Arialdi, ab hospite Presb. proditi, crudelis cædes 266. *Cap.* 8. Corporis per octo dies incorrupti delatio Mediolanum 268. *Cap.* 9. Appendix litterarum Auctoris ad Syrum, priorem scriptorem, et hujus ad illum, cum quibusdam miraculis 270

28 Arion, M. in Africa *ex Martyrologiis* 323

28 Ariusus, M. Alexandriæ Ægypti, *ex Martyrologiis* 321

30 Arnulfus Mon. Cisterc. Villarii in Brabantia. Comm. pr. De Vita, duobus libris a coævo scripta et corporis veneratione 556. Vita, auct. Goswino, Cantore Villar. *ex MSS.* Præfatio 558. *Antiqua divisio* 558. Lib. i. *Cap.* 1. Arnulfi conversio, accessus Villarium, et prima pœnitentiæ instrumenta 559. *Cap.* 2. Flagrorum frequentia et varietas mira atque cruenta 560. *Cap.* 3. De ejus cilicio, caligis, pedulibus, tribus catenis et lecto saxeo 561. *Cap.* 4. Victus, somni, vestitus ratio, plena asperitatis 563. *Cap.* 5. De afflictione, quam sibi per Quadragesimam intulit, addita lorica ferrea 564. Liber ii. *Cap.* 1. Summa Arnulfi

nulfi caritas erga omnes 566. *Cap.* 2. Obedientia, oratio, devotio erga Deiparam 567. *Cap.* 3. Visio cœlestis gloriæ, indeque crebrior risus ac jubilus. 569. *Cap.* 4. Prophetiæ dono accepto, consulentibus se gratias impetrat 571. *Cap.* 5. Cordium arcana cognita, præterita etiam et futura 573. *Cap.* 6. Alia plura prophetice cognita aut prædicta 575. *Cap.* 7. Mors, eamque secuta miracula 578. Encomium rhythmicum ; et Epitaphium auct. Franc. Moscho 579

30 Asclepiades, M. apud Græcos, *ex Synaxario MS.* 526

30 Asclinus, sive Asclepius, M. Coloniæ Agrippinæ 526

28 Athesius, M. in Africa, *ex Martyrologiis* 323

25 Auceias Rex, M. cum Luceia, *ex Martyrologiis* 10

B

26 **B**abolenus, Ab. Fossæ in Gallia. Comm. pr. de Actis Vitæ omittendis, referendis miraculis 157. Dantur hæc *ex MSS.* 159

28 Basilides, M. Alexandriæ Ægypti, *ex Martyrologiis* 321. Passio *ex Eusebio* 322

29 Beata seu Benedicta V. Senon. *ex. Martyrologiis* 450

25 Bejocus, Anachoreta Ægyptius. *ex Hagiol. Habessino.* 63

25 Benjamin, Anachoreta Ægyptius, *ex Hagiol. Habessino.* 63

27 Benevenutus, Ord. Minorum Corneti in Apulia, Sylloge, De ejus approbato cultu, vitæque et miraculorum epitome 295. Miracula, ex *MSS.* 296. Quæsitum, non inventum brachium Corneti. 697

28 Benignus Ep. M. Ultrajecti in Belgio, *ex Molano.* 325

26 Berta Reclusa, Ultrajecti in Belgio, *ex Necrologio MS.* 132

25 Bigatus, M. Thessalonicæ in Macedonia, *ex Martyrologiis MSS.* 9

C

27 **C**apito, M. Cordubæ, *ex Martyrologiis* 225

28 Capitolinus, M. in Africa, *ex Martyrologii* 323

28 Capitulinus, M. in Africa, *ex Martyrologiis* 323

28 Capitnlinus, M. Alexandriæ Ægypti, *ex Martyrologiis.* 321

29 Cassius, Ep. Narnien. Comm. Hist. §. 1. Nomen in Fastis, Acta ex S. Gregorio : tempus Sedis ex Epitaphio 445, §. 2. Reliquiæ Luca petitæ an. 1679. et impetratæ 447 §. 3. honorifice exceptæ et collocatæ 448

27 Clemens, M. Cordubæ, *ex Martyrologiis* 225

30 Clotsendis, Abbat. Marchianensis in Gallo-Flandria, *ex Vita S. Rictrudis matris* 538

25 Cehardus episcopus et socii martyres Namnetibus in Britannia Armorica. Cultus, annus martyrii, translatio 681. Acta Martyrii, *a Bertrando argentræo, e cod. MS.* producta 682. Antrum monasterium et insulam Ligeri, quando sic appellatum sit, inquiritur ad vindicandum Acta S. Hermelandi contra Hadr. Valesium. 684

25 Corzus, M. Romæ, cum Luceia 10

27 Crescens, Discip. S. Pauli. Sylloge. De ejus apud Græcos et Latinos cultu, assertoque ad Viennenses et Moguntinos Apostolatu 223

27 Crescens M. Cordubæ, *ex Martyrologiis* 225 Controversia circa septem socios : an nomina sumpta a filiis S. Symphorosæ 226

27 Crispianus Clericus, M. Romæ, *ex Martyrologio Hieron.* 230

28 Crescens, M. in Africa. *ex Martyrologiis* 323

27 Crispus vel Crispinus, Presb. M. Romæ, *ex Martyrologio Hieronymiano* 230

30 Cursicus seu Caius, Presb. M. in Africa, *ex Martyrologiis* 526

25 Cyprianus Erem. socius S. Amandi Petracoricensis 68

D

26 **D**avid, Erem. Thessalonicæ in Macedonia. Sylloge. De cultu, Vita, ætate, notitia etiam apud Latinos 155

25 David, *alias* Petrus, Princeps Ruthenus, *ex Synax. Ruth.* 96

27 Deodatus, Ep. Nolæ in Campania Italica. Comm. pr. de Vita, post Corporis translationem scripta ; deque ordine Decessorum ac Successorum ejus reformando 231. Vita *ex Italia sacra Ughelli.* 232

25 Dicentius seu Dizantius, Episc. Xantonensis, Comm. Hist. De cultu, ætate, actis, *ex Off. proprio* 79

26 Diogenes, M. Alexandriæ, *ex Synax. et Martyrologiis* 137

30 Diomedes, M. apud Græcos, *ex Synax. MS.* 526

28 Dionysia, M. Alexandriæ Ægypti, *ex Martylogiis* 321

25 Dionysius, M, Romæ, cum Luceia V. M. 10

26 Dionysius, Bulgariæ Archiep. prope Kioviam in Russia, *Ex Synax. Ruth.* 219

28 Dionysius, M. in Africa, *ex Martyrologiis* 323

28 Dioscorus, M. Alexandriæ Ægypti, *ex Martyrologiis* 321

28 Dioscorus alter, M. Alexandriæ Ægypti *ex Martyrologiis* 321

28 Dioscorus, M. in Africa, *ex Martyrologiis* 323

28 Dista, M. Alexandriæ Ægypti, *ex Martyrologiis* 321

30 Donatus, M. Romanus in Eyffliam translatus, *ex litteris Colonien. Soc. Jesu* 527

E

28 **E**lapha, M. in Africa, *ex Martyrologtis* 323

30 Erendrudis V. Abb. Salisburgi in Bavaria. Comm. pr. Vitæ Synopsis *ex Vita S. Ruperti.* Monasterii situs et restauratio 532. Miracula a Cæsare Nonbergensi scripta 534

30 Eulampius, M. apud Græcos, *ex Synaxariis MSS.* 526

25 Euphrosyna, *alias* Febronia, Princeps Russiæ *ex Synax. Ruth.* 96

25 Eurosia, V. M. Jaccæ in Hispania. Sylloge. De ejus cultu certa relatio : incertæ de ætate ac patria conjecturæ 76

25 Eutropia, V. M. Sibapoli in Mesopotamia 12

F

28 **F**abianus, M. in Africa, *ex Martyrologiis* 323

25 Febronia. V. M. Sibapoli, sive Nisibi, in Mesopotamia.

sopotamia. COMM. PR. §. 1. De actis Syriace vel Græce scriptis, et ex Græco Latine redditis 12. §. 2. De ejus et Sociarum cultu C. P. 14. §. 3. Ejusdem cultus apud Latinos, præsertim Trani in Apulia 14. ACTA, Auct. Thomaide Magistra, *ex MS. Vatic.* 16. *Cap.* 1. Lysimachi, cum Seleno patruo et Primo consobrino, missio in Orientem : Parthenonis Sibapolitani disciplina, Febroniæ istic educatio 16. *Cap.* 2. Tyrannidis metu fugentibus plerisque, sola remanet Febronia, et ad certamen animatur 19. *Cap.* 3. Delata ad Selenum, atque a militibus adducenda, Bryenæ et Thomaidi valedicit 21. *Cap.* 4. Interrogata, frustraque solicitata, bis torquetur 23. *Cap.* 5. Uberibus, manibus, pedibusque trunca, decollatur : Selenus judex sibi mortem consciscit 25. *Cap.* 6. Delato ad monasterium corpore, celebrantur exequiæ, plures alii cum Lysimacho et Primo baptizantur 27. *Cap.* 7. Annua Febroniæ festivitas, ejus apparitione honorari solita : ecclesia ei erecta, et in hanc pro corpore dens unus translatus 29

25 Febronia Princeps Ruthena. *Alias* Euphrosina, *ex Synax. Ruth.* 96

27 Felix, M. Romæ, *ex Martyrologio Hieron.* 224

26 Felix, M. in Africa, *ex Martyrologio Hieron.* 137

28 Felix, M. in Africa, *ex Martyrologiis* 323

27 Ferdinandus Aragonius, Ep. Calatinus in Calabria. COMM. de ejus cultu, ætate, actis. 298

27 Fratria, M. Cordubæ, *ex Martyrologio.* V. Crescens 225

G

25 Gallicanus, Dux et Consul Romanus, M. in Ægypto. COMM. PR. De Actis, Passioni SS. Joannis et Pauli MM. præfixis, memoriaque Martyrologiis inscripta, et temporum ratione. 31. ACTA *ex MSS. sex.* 33

26 Gaudentius, M. in Africa *ex Hieronymi Martyrologio* 137

25 Guilielmus, Ab. Fundator Montis Virginis in Apulia. COMM. PR. de Scriptoribus Vitæ, cultu Sancti, et primario Ordinis Monasterio 97. VITA Auctore Joanne Discip. *ex MSS. edita a Jordano Generali Ordinis* 99. Prologus. *Cap.* 1. Vercellis educatur : quaterdennis Compostellam adit, circulis ferreis cinctus 99. *Cap.* 2. Dimisso Hierosolymas adeundi proposito, loricam indutus et galeam, Virgilianum montem sibi deligit 101. *Cap.* 3. Collectis ibi Presbyteris, monasterium condit, non sine miraculis 103. *Cap.* 4. Anachoreseos locus, ex Virgiliano in Lacenum, indeque in Cuneatum montem translatus : B. Joannes socius additus ac dimissus 105. *Cap.* 5. Injurii in S. Guihelmum puniti et alia in monte Cuneato miracula 107. *Cap.* 6. In valle Compsana structa monasteria, facta miracula, meretrix per ignem superata 108. *Cap.* 7. Beneficia, a Rogerio Rege impensa Sancto. Hujus mors pia 112. *Cap.* 8. Miracula post mortem 114. APPENDIX. §. 1. De Ordinis principio in Monte-Virginis, hujusque situ et vetustiori a Virgilio nomine, ac decem primis Abbatibus generalibus 117. §. 2. De Guletano utriusque sexus monasterio, primum S. Salvatoris, dein S. Guilielmi dicto 119. Admonitio ad ejus vitam sitne scripta per Joannem a Nusio . 694

25 Guidus Maramaldus, Ordinis Prædicatorum *ex Diario Marchesii* 130

25 Gunhardus Episcopus Nannetensis et Martyr. *Vide in Supplemento post hunc Tomum ad diem* XXV.

28 Gurdinus, M. in Africa, *ex Martyroll.* 137

H

28 Heimeradus, Presb. in Hassia. COMM. PR. De Hasungensis Monasterii origine, Sancti istic cultu, et duplicis Vitæ scriptoribus 350. VITA, Auct. Egelberto Mon. Hersfeldensi, *ex MS. Bodecen.* Prologus. *Cap.* 1. Romam et Hierosolymas peregrinatus, ab Hersfeld. Abbate excipitur, et flagellatus pellitur 351. *Cap.* 2. Convitia et flagra iterum patienter tolerata, secessus in Hasungem 353. *Cap.* 3. Quædam viventis miracula 355. *Cap.* 4. Mors et miracula ad sepulcrum 357

29 Hemma Vidua, fundatrix Gurcensis in Carinthia. COMM. PR. De ipsius loci situ et fortuna ; Epitaphio seculi 12 ; recentiorique Vita 456. ACTA *ex MS.* Sermo prævius de laude sanctitatis Matronalis 457. Summa vitæ piis operibus jugiter impensæ 458. MIRACULA usque ad 1228 inclus. 459. ALIA ex processu 461. ACTA RECENTIORA, Auct. Paulino Waldinero. Præfatio Capituli Gurcensis 463. *Cap.* 1. Natales, educatio, matrimonium, et natorum ei liberorum atque mariti mors 464. *Cap.* 2. Viduitas, fundatio monasterii, mors et secutus cultus 466. *Cap.* 3. Miracula ex processu pro Canoniz. 469. Alia recentioris memoriæ 471. ANALECTA veterum monumentorum de ea. §. 1. Affinitas cum S. Henrico Imp. et Abbatiæ fundatio 472. § 2. Canonicine an Benedictini institutit fuerit ipsa, et quomodo ejus monasterio inducta, qnæ hodiedum perseverat Regularitas Augustiniana 473. §. 3. Quomodo et quando Gurcensis Ecclesia Episcopalis facta sit 475. §. 4. Series Episcoporum Gurcensium 476. §. 5 Cultus Beatæ, sub Episcopis et Canonicis insigniter actus 477, §. 6. Postulata a Pontifice Canonizatione, formatur ad eam Processus 479. APP. 1. De venerabili Beatrice, Carinthiæ Ducissa, Beatæ, si non carne, moribus sorore. APP. 2. De Cartusia Seizensi, Beatæ, ut fundatrici ; perperam adscripta 481. Nomina et series Priorum Seizensium 485

27 Hennusticus *vel* Venustus, M. Cordubæ, *ex Martyrologiis* 225

25 Henricus Udicus, Ep. Olomuc. in Moravia, Ord. Præmonst. SYLLOGE. §. 1. Ex Commentariis P. Bohuslai Balbini S. J. 121. §. 2. Ex Joanne Dubravio Episcopo Olomucensi, et aliis 123

25 Henricus Eremita Veronæ in Ditione Reipublicæ Venetæ 580

28 Heraclius, M. Alexandriæ Æg. *ex Martyrologiis* 231. PASSIO *ex Eusebio* 322

28 Herais, sine Rais, M. Alexandriæ Ægypti *ex Martyrologiis* 321. PASSIO *ex Eusebio* 322

25 Herenæus, M. Romæ, cum Luceia 10
27

27 Herlembaldus Miles, M. Mediolani 250. *V.* Arialdus. ANALECTA de illo, *ex Puricello. Cap.* 1. Pacem ægre constitutam turbat Guido Episc. pro se substituens Gothofredum Simoniacum : contra hunc Herlembaldus educit Mediolanenses 272. *Cap.* 2. Canonicam electionem procurat ; intrusum Gothofredum coercet : juvatur a Gregorio VII per litteras 274. *Cap.* 3. Ejus cædes : Luiprandi Presb. mutilatio : Tebaldi in Episcopatum instrusio 275. *Cap.* 4. Utrique Martyri posita in S. Dionysii monumenta 277

2 Hermoygius Ep. Tudensis in Lusitania, Patruus S. Pelagii M. Cordubensis. Translatio corporis 189

28 Heron, M. Alexandriæ Ægypti, *ex Martyrologiis* 321

29 Hilarius, Ep. Pataviensis. SYLLOGE Hist. 443

29 Hilarius episcopus Patavinus. Monachi S. Servuli, ad ecclesiam ejus, multis possessionibus locupletatam ab Angelo participatio ejusque filio Justiniano, Venetorum Ducibus, translati 706

28 Hinus, M. in Africa, *ex Martyrologiis* 323

28 Hirenæus, M. Alexandriæ Ægypti, *ex Martyrologiis* 321

I

28 Irenæus, Ep. M. Ludguni in Gallia. COMM. HIST. §. 1. Antiquiores notitiæ : nomen, quando et quomodo adscriptum antiquis Fastis ; cultus apud Græcos. 303. §. 2. De ejus gestis ac scriptis. 305. §. 3. Martyrium, sepultura, translationes. 307. §. 4. De ecclesia et crypta, a S. Patiente Ep. structa. 308. §. 5. De variis ejus Actis, olim conscriptis eorumque auctoritate 698. COMM. Petri Francisci Chiffletii S. J. de veris et sinceris ejus Actis soliciti. *Cap* 1. Acta triplicia, ex vetustis codicibus descripta, in eaque annotationes 699. *Cap.* 2. Ejusdem Chiffletii commentarius, De veteri statu basilicæ S. Irenæi Lugduni 701 CONTROVERSIA inter ecclesias S. Justi et S. Irenæi, de hujus corpore. *Cap.* 1. Petri Card. de Thureyo an. 1410 pro Irenensibus præjudicium 309. *Cap.* 2. Testimonia pro Canonicis S. Justi. 311. *Cap.* 3. Alia pro Irenensibus, et pro his sententia lata 314

27 Italica, M. Cordubæ, *ex Martyrologiis* 225

30 Italica, M. in Africa *ex Martyrologiis* 526

J

25 Jason, Cognatus et Discipulus S. Pauli Ap. SYLLOGE Historico-critica, de ejus cultu et distinctione a Mnasone Cyprio 4

25 Joannes Hispanus, Cartusianus in Sabaudia. COMM. PR. Acta Vitæ, Elevationis, Translationis 124 VITA *ex MS. Domus Repausatorii* 125. ELEVATIO *ex MS. Majoris Carthusiæ* 127. TRANSLATIO *ex publico instrumento MS.* 128. APPENDIX. Miracula recentiora, ex *Gallico* 129

26 Joannes et Paulus MM. Romæ COMM. PR. de vetustissimo cultu et Actis, atque Terentiano et filio ejus 138. PASSIO *ex* 7 *MSS.* 140. APP. De eorum Reliquiis. 141

26 Joannes, Episc. Gotthiæ. COMM. PR. §. 1. Cultus, elogia, patria, parentes : Episcopatus Gotthiæ duplex 162. §. 2. Joannis Episcopatus inter Mæotidem paludem et Pontum Euxinum. 164. §. 3. Caspiæ portæ duplices, earumque situs. 165. §. 4. Chazarorum sedes et Chagani aliqui : horum ab aliis Chaganis distinctio. 166. VITA *ex MS. gr. Vatic. Cap.* 1. Ortus, sanctitas, episcopatus, zelus pro imaginibus et libertate suorum ; captivitas, mors, depositio 167. *Cap.* 2. Miracula adhuc vicentis. 170

29 Judith vidua, Reclusa in Bavaria, *V.* Salome 451

27 Julianus M. Cordubæ, *V.* Crescens 225

28 Julius, M. Alexandriæ Ægypti, *ex Martyrologiis* 321

25 Junianus, disc. S. Amandi Eremitæ Petracoricensis 68

27 Justinus, M. Cordubæ, *V.* Crescens 225

L

27 Ladislaus, Rex Hungariæ. COMM. PR. De cultu, Actis, Reliquiis, non impune violatis 284. VITA *ex MSS.* 286. ACTA ex Bonfinio. *Cap.* 1. Geizæ et Ladislai fratrum reditus ex Polonia, victoria de Barbaris et Salomone patruele 287. *Cap.* 2, Ladislai electio in regnum post fratrem : exclusio Salomonis 289. *Cap.* 3. Ejus de Salomone et Chunis victoriæ 291. *Cap.* 4. Regno pacato. Dux sacræ expeditionis futurus Ladislaus, in procinctu moritur 292 APP. De capite ejus Varadini mirabiliter servato, deinde Javarinum translato 696

25 Lamtanus. M. Thessalonicæ in Macedonia, *ex Martyrologiis MSS.* 9

27 Lellus, M. Corbudæ, *ex Martyrologiis* 225

28 Leo II Pont. Rom. Ejus chronologia 374. ACTA *ex Anast. Biblioth.* 333. APPEN. de corpore S. Leonis Papæ, crediti haberi Ferrariæ 342

30 Leo Subdiac. M. in Africa, *ex Martyrol.* 526

29 Leolinus Ep. Pataviensis. SYLL. Hist. 443

58 Leonides, M. Alexandriæ Ægypti, *ex Martyrologiis* 321

28 Leonides alter, M. Alexandriæ Ægypti, *ex Martyrologiis* 321

25 Leonis, V. M. Sibapoli in Mesopotamia 12

25 Luceia, V. M. Romæ cum Auceia Rege et Sociis MM. COMM. PR. De Actis, ætate, cultu etiam 1 Julii, et apud Græcos VI ejusdem. ACTA *ex* 2 *MSS.* 10

26 Luceia, V. M. Alexandriæ, *ex Synax. et Martyrologiis* 137

28 Lucianus, Conf. apud Græcos, *ex Synax.* 324

30 Lucina, matrona Romana. DISQUISITIO HIST. Duæne, an una exstiterint, colanturque Lucinæ 488

27 Luitprandus seu Liprandus. Presb. Confessor Mediolani. APPEND. ad Vitam SS. Arialdi et Herlembaldi MM. §. 1. Grossulanus Episc. a Liprando simoniæ convictus judicio ignis 279. §. 2. Reliqua ejus vita, et mors miraculis illustrata. 281

25 Lunitanus, M. Thessalonicæ in Macedonia, *ex Martyrologiis MSS.* 9

28 Lupercius vel Luperculus, M. in Novempopulania. *Sylloge.* De ejus ætate, cultu, ac distinctione a M. Cæsaraugustano 316. ACTA. 317

M

28 Macedonius, M. apud Græcos, *ex Synaxariis* 324

27 Majorinus Ep. Aquensis in Italia, *Notitia ex variis* 249

28 Marcella, mater Potaminæ, M. Alexandriæ Ægypti, *ex Martyrologiis* 321. Passio ex Eusebio 322

27 Marcellinus, M. Cordubæ, *ex Martyroll.* 225

27 Marcellus, M. Cordubæ, *ex Martyroll.* 225

28 Marcellus, M. Alexandriæ Ægypti, *ex Martyrologiis* 321

29 Marcellus, M. Argentonii 435. Acta Martyrii 436

30 Marcianus, Ep. Pampelonæ in Hispania. Notitia ætatis ex Conc. Toletano XVI Cultus *ex Prudentio Sandovallio* 537

29 Maria, Matrona Hierosolymitana, mater Joannis, qui et Marcus 435

30 Martialis, Lemovicensium in Gallia Apostolus. Comm. pr. de ejus ætate et Actis apocryphis 490. Dissert. *Jo. Cordesii Presb. et Canon. Lemovic.* De tempore missi in Aquitaniam Sancti, *ex Gallico Latine reddita a Franc. Bosqueto* §. 1. Proponitur opinio, asserens a S. Petro missum, et demonstratur ætas Epistolarum ac Vitæ, Aureliano successori ejus adscriptæ 493. *Animadversio* 495. §. 2. De tempore quo scripta vulgaris Vita, et modo, quo Apostoli titulus Sancto confirmatus 495. *Anim.* 497. §. 3. Verosimilior pro anno 250 opinio exponitur 498. Epist. *Petri de Marca Archiep. Tolos.* §. 1. De tempore primum prædicatæ in Galliis fidei, *cum Animadversionibus* 499. §. 2. Primorum in Galliis Episcoporum Epochæ expenduntur, et in favorem antiquitatis stabiliuntur 501. §. 3. Respondetur ad objecta ex Severo Sulpitio et Gregorio Turonensi; et tandem contra hunc concluditur 505. Miracula *ex MS. nostro.* §. 1. Antiquiora aliquot, patrata ad sepulcrum 507. §. 2. Seculo 7, 8, 9, scripta, 508. §. 3. Post annum 852 facta, et a coævo scripta 511. §. 4. Alia, *ex MS. Tornacensi* 513. Analecta de Ecclesiis, Reliquiis et Cultu. §. 1. de Collegiata Lemovicensi, sacri corporis custode, in monasterium versa, et hujus primis Abbatibus 515. §. 2, Fortuna Abbatiæ, ab an. 935 ad 1023 517. §. 3. Novæ basilicæ, sub Odolrico Ab. absolutæ, dedicatio per Urbanum II 519. §. 4. Gesta sub Ademaro Ab. et successoribus, usque ad 1167. 521, §. 5. Alia quædam circa Abbates et thesaurum. Cultus in Hetruria. Vita Italice a Lombardello scripta. 523

28 III Martyres Galatæ, in Asia minori, *ex Synaxariis* 325

27 VII Fratres MM. Romani, *ex Martyrologio Hieronymiano* 224

28 LXVII MM. Scythopoli in Palæstina. *ex Synaxariis* 324

26 Maxentius Presb. Pictavis in Gallia. Comm. pr. De ejus monasterio, Actis a coævo scriptis, et cultu, 148. Vita *ex MS.* Prologus. *Cap.* 1. Ortus, adolescentia primo Adjutoris dicti, nomen Maxentii cum habitu assumptum; miracula quædam 149. *Cap.* 2. Vita in cellula reclusi, Miracula, obitus 150. *Cap.* 3. Miracula post obitum 152. Append. De Translationibus Corporis. 154 Appendix, de Translationibus corporis, aliter inchoanda 695

28 Maximus M. *ex Martyrologio Casinen.* 324

25 Maximus Ep. Taurin. in Pedemontio 43. Comm. pr. de ejus ætate et cultu. atque Legenda post sec. XI scripta 43. Vita. Auct. Anonymo Monacho Novaliciensi, *ex MS. ecclesiæ ejus* 44

25 Medicus M. Utriculi in Umbria. Comm. pr. de Actis, cultu, inventione et Translatione 6. Lectiones Officii veteris, *ex Brev. MS.* 7. Decretum S. Cong. Rituum *ex MS.* 8.

28 Meleus M. in Africa, *ex Martyrologiis* 323

30 Meliton M. apud Græcos, *ex Synax. MS.* 526

28 Memmius, M. Alexandriæ Ægyptii, *ex Martyrologiis* 321

25 Mnason Cyprius, Christi discipulus 4

25 Molocus seu Molanocus, episcopus in Russia, Scotiæ provincia. Prologus, Prævius, Molocus discipulus Brendani abbatis, non frater Gildæ, episcopus 677. Acta *ex lectionibus Breviarii.* Ortus, apostolatus in variis insulis, obitus 678

N

27 Nemesius, M. Cordubæ, *V.* Crescens 225

28 Nemesius M. *ex Martyrol. Casinen.* 324

28 Nica, M. in Africa, *ex Martyrologiis* 323

28 Nisia, M. in Africa, *ex Martyrologiis* 323

28 Nonnica M. Alexandriæ 321

27 Novatianus, M. Cordubæ, *ex Martyroll.* 225

O

25 Oduinus Presb. M. Hugardiæ in Brabantia, *ex Molano* 130

25 Orion, M. Romæ, cum Luceia 10

28 Orion, M. Alexandriæ, *ex Martyrologiis* 321

28 Orion alius, M. Alexandriæ *ex Martyroll.* 321

28 Oriosus, M. Alexandriæ, *ex Martyrologiis* 321

30 Ostianus Presb. in diœc. Vivariensi 530

P

28 Pambanus, M. Alexandriæ, *ex Mart.* 321

38 Pamphilus, M, Coloniæ Agrippinæ, *ex Hieronym.* 526

28 Pannus, M. in Africa, *ex Martyrologiis* 323

28 Panosus, M. Alexandriæ, *ex Martyroll.* 321

28 Pantamius M. *ex Martyrologio Casinen.* 324

28 Pantiberus, M. Alexandriæ, *ex Martyroll.* 321

28 Panubrius, M. in Africa, *ex Martyroll.* 323

25 Papicus, M. Romæ, cum Luceia V. M. 10

26 Papolenus, Ep. Ab. Stabulensis et Malmundariensis. Syllogæ Notitiarum, et Actorum ejus, cum diplomate Regio 172

28 Pappus vel Pappianus, M. Mylis in Sicilia, *ex Synaxariis* 326

29 Paulus Apost. *Vide* Petrus Apost. 362 et seq. Embolismus De gladio S. Pauli in Hispania 705

26 Paulus cum Joanne M. Romæ *V.* Joannes 138

28 Paulus, Pontifex Romanus, Comm. pr. de cultu, Actis, et Analectis 343

28 Paulus Medicus, Confessor apud Græcos, *ex Synaxariis* 324

28 Pastaphus, Martyr Alexandriæ Ægypti *ex Martyrologiis* 321

28 Passimus, M. Alexandriæ Ægypti *ex Martyrologiis* 321

25 Pecinna seu Perseveranda, V. Pictaviensis. Comm. pr. De vario ejus per tres dies cultu, titulo Martyris alicubi addito 72. Vita sub nomine Perseverandæ, *ex MSS. Cap.* I. Ejus et Columbæ ac Macrinæ sororum institutio monastica: Columbæ ad tyrannum conve-

conveniendum promptitudo 74. *Cap.* 2. Virginum ad eumdem deductio : mors Pecinnæ per viam 75. *Cap.* 3. Hujus sepultura, et ad eam miracula 76
28 Pece, M. Alexandriæ, *ex Martyrologiis* 321
25 Perseveranda V. *Vide* Pecinna 72
26 Pelagius, M. Cordubæ in Hispania. Com. pr. Actorum scriptores, discordes circa genus mortis. Translationes, cultus 181. Acta. *Ex relatu Raguelis Presb. coævi.* Alia *Auct. Roswitha coæva Cap.* i. Corduba a Mauris subacta; Abderrahemi ibi regnum; victoria de Christianis 185. *Cap.* 2. Obses barbaris traditus puer Pelagius, blanditias Regis impune aversatur 186. *Cap.* 3. Martyrium, corpus inventum, caput igne probatum 188. App. de Episcopo Hermoygio Sancti patruo 189. Officium vetus *ex MS. Tudensi* i. Collatio ejus cum Gothico S. Eulaliæ et hodierno S. Jacobi 191. § 2. Matutinum 193. §. 3. Officium ad Missam Cathecumenorum 193. §. 4. Missa SS. Columbæ et Pelagii 195. §. 5. Missa de S. Jacobo Ap. 197
29 Petrus et Paulus Apostolorum Principes Comm. pr. §. 1. Vitæ a variis scriptæ, quædam rejectæ, aliæ dandæ 362. §. 2. Tempus vitæ et Martyrii amborum 365. §. 3. *Anamnesis* D. P. de sua et Henschenii Chronologia, circa Passionem Christi, et annos Petri 367. §. 4. Chronologiæ Henschenianæ claritas, statua Simoni Mago Romæ erecta : idem sub Nerone victus a Petro 368. §. 5. de tempore ac loco, quibus passi Apostoli 371. Acta Gr. lat. *ex MS. Medicæo,* interprete Jacobo Sirleto, *Cap.* 1. Petri patria ; res sub Christo, et proximis ab Ascensione hujus annis gestæ 374. *Cap.* 2. Ejusdem congressus cum Paulo. Varii Episcopi ordinati. Romæ acta contra Simonem. 377. *Cap.* 3. Ultimæ peregrinationes; reditus Romam et Martyrium 379. Cap. 4. S. Pauli persecutio, conversio, peregrinationes usque Thessalonicam 380. *Cap.* 5. Reliqua Pauli itinera usque Romam 382. *Cap.* 6. Pauli profectio in Hispaniam, reditus Romam et Martyrium 384. Acta S. Petri, *Lino Discipulo et successori supposita, ex MS.* 387. Analecta. De monumentis, reliquiis, miraculis, apparitionibus, festis, et Ecclesiis, utriusque §. 1. De locis, viventium Apostolorum memoriæ consecratis in Syria; quædam Petro in Italia seorsim sacra 391. §. 2. De S. Pauli ad Melitam naufragio, ejusque ibi cultu 393. §. 3. Reliqua utriusque trophæa Romæ 394. §. 4. Ubi primum sepulti a morte Apostoli, et quando et a quo translati ad Catacumbas 396. §. 5. Quam reverenter et procul a conspectu habita sancta Corpora, ac proinde dubiæ pleræque Reliquiæ, iis adscriptæ 399. §. 6. De Capitibus Apostolorum usque ad Urbanum V. 402. §. 7. Eadem ab illo inventa et ornata 404. §. 8. De inventione Brachii S. Pauli Misniæ in Saxonia, inde in Poloniam translati 407. §. 9. De Vinculis S. Petri, et memoria primæ ab ipso dedicatæ ecclesiæ, conversa in festum ad Vincula 410. §. 10. de Catenis illius, anulisque earum, et rasura, inclusa clavibus, S. Petri dictis 413. §. 11. De clave, Laudeveteri servata, contra morsus rabidorum canum 415. §. 12. De lignea Cathedra in Vaticano 417. §. 13. De festis utriusque Cathedræ 420. §. 14. De Gladiis Apostolorum, aliisque eorum Reliquiis 422. §. 15. Amborum apparitiones nonnullæ, ac nominatim S. Petri 424. §. 16. Pauli singulares quædam apparitiones 426. §. 17. Festum Conversionis S. Pauli : et veteres de eo et S. Petro Liturgiæ 428. §. 18. De tribus præcipuis Basilicis, a Constantino extrui Romæ jussis, et a S. Silvestro dedicatis 430. §. 19. De tempore depositionis sacrorum Corporum in Basilicis utriusque, et festo Epularum S. Petri 431
30 Petrus, M. apud Græcos, *ex Synax.* 526
30 Petrus, Conf. Astæ in Lombardia 531
24 Petrus Princeps Ruthenus, *alias* David, *ex Synax. Ruthenico* 96
28 Phesicus, M. Alexandriæ *ex Martyroll.* 321
28 Phisocius, M. in Africa, *ex Martyroll.* 323
28 Pleosus, M. in Africa, *ex Martyroll.* 323
28 Plebrius, M. in Africa, *ex Martyroll.* 323
28 Plutarchus, M. Alexandriæ, *ex Mrll.* 321
28 Plutarchus alter ibidem. Passio *ex Eusebio* 321
25 Prosper, Ep. Regii-Lepidi in Italia. Comm. Hist. §. 1. Memoria in Fastis : Vita a variis scripta. Prosper Aquitanus scriptor, non fuit Episcopus, nec ullus eo nomine Regiensis in Gallia 47. §. 2. Acta prioris in Episcopatu, *ex Lect.* deque monasterio ejus 49. Translationes, ab anno 1144 ad 1380, *ex MS. editæ ab Ughello* 50. Translatio ultima, anno 1601, jussu Clementis VIII. *Cap.* 1. Petentibus Canonicis procedi ad executionem Brevis Apostolici, ipsum aliaque eo spectantia producuntur 54. *Cap.* 2. Accersitis rite partibus, inspiciuntur utriusque Ecclesiæ contendentis Reliquiæ 56. Cap. 3. Dirimitur controversia, junctis utriusque ecclesiæ Reliquiis, et iis, quæ Prosperi credebantur, ad ejus Collegiatam ; quæ S. Venerii, ad S. Petri, translatis 58. *Cap.* 4. Inscriptiones et Laminæ utriusque partis. Venerabilis Thomæ Ep. translatio prior 59. *Cap.* 5. Hujus nova Translatio, et unius ossis ex Corpore S. Prosperi 61
28 Potamina; V. M. Alexandriæ Ægypti, *ex Martyrologiis* 321. Passio *ex Eusebio* 322
28 Potaminus, M. Alexandriæ Ægypti, *ex Martyrologiis* 321
27 Primitivus, M. Cordubæ, *V.* Crescens 225
28 Pueri duo, MM. apud Græcos, *ex Synax.* 324
25 Pronicus, M. Romæ, cum Luceia 10

R

28 Rais vel Herais, M. Alexandriæ Ægypti, *ex Martyrologiis* 321
30 Raymundus Lullus, Erem. et Mart. Majoricensis Universitatis Patronus. Comm. pr. §. 1, Brevis notitia de Sancto 581. §. 2. Cultus sacer ab olim cum Officio et Missa. 582 §. 3. Mausoleum insigne, Epitaphia duo : alia constantis cultus argumenta. 584. §. 5. Qui Vitam post annum 1400 scripserint ex antiquiore, quam habuit Waddingus, eruderavit Custurerius 587. §. 5. Epistola Custurerii. Vitæ veteris authentiam probans. 590 §. 6. De Lulli origine, nativitate, peregrinationibus usque ad finem 13 sec. 591. §. 7. Opera et itinera sec. 14. usque ad obitum chronologice deducta. 595.

595. §. 8. De munere Senescalli, quod ei omnes passim tribuunt 596. §. 9. Expediuntur difficultates occurrentes in Actis, et Auctores subinde conciliantur 599. §. 10. De Florenis, Lullistico Collegio dotando assignatis a R. Jacobo; deque litteratis lentisci foliis 602. §. 11. Ipse Lullus periclitatione Chimica nihil explorasse ostenditur, *ex Vinc. Muc* 603. VITA I per Anonymum coævum, *ex MS. Majoricensi* 606. Præfatiuncula. *Cap.* 1. Raymundi conversio ex Christi apparitione : martyrii desiderium, zelus animarum, Grammaticæ et linguæ Arabicæ a servo discendæ studium, cum vitæ periculo 607. *Cap.* 2. In monte Randa illustratus, scribit Artem generalem. Proficiscitur in Montem-Pessulanum, Romam, Parisios, Genuam. Superato metu Tunisium properat 608. *Cap.* 3. Disputatio cum Saracenis. Adventus Neapolim. Inanes apud Pontificem, Genuenses et Galliæ Regem conatus; excursio in Cyprum, reditus in Galliam 609 *Cap.* 4. Bugiæ nova cum Saracenis concertatio, diuturnus carcer et expulsio, unde naufragus Pisas appellit. Genuæ, Parisiis et Avenione frustra pridem meditata proponit. 611 VITA II *per Carolum Bovillum ex editione Gononi.* Præfatiuncula 613. *Cap.* 1. Prima juventus, resipiscentia ab insano amore, divina illustratio, et opuscula aliqua 614. *Cap.* 2. Arabice discens prope occiditur. Post solitudinem, Romam et alias urbes petit : Tuneti periclitatus, varie peregrinatur in Orientem 615. *Cap.* 3. Bugiæ mortem evadit : naufragus Pisas enatat, Genuæ pecuniam colligit, convenit Clementem V, insectatur Averroem 617. Cap. 4. Sua promovet in Concilio Viennen. Africam repetit, Martyr obit : Corpus Majoricam defertur, doctrina laudatur 617. ENCOMIUM *Auct. Nicolao de Pax.* Epistola ad Archiep. Consent. 618. *Pars* I. Ortus, munia, amores, conversio, illustratio, labores, scripta, doctrinæ laus et defensio 619. *Pars* II. Reliqui labores pro Ecclesia, Missiones, Martyrium. Vindiciæ pro doctrina contra Eymericum 621. MIRACULA, collecta a Custurerio ex Hispan. Process. 623. *Cap.* 1. Cerei, in festo ad horas 13 citra imminutionem ardentes *ib. Cap.* 2. Morbi letales admotis Sancti Maxillis curati. 624. *Cap.* 3. Alia beneficia, iisdem mediantibus obtenta 627. *Cap.* 4. Varii a variis morbis, Sancto invocato, curati 629. *Cap.* 5. Alia prodigia eumdem spectantia 631. DISSERT. HIST. De orthodoxia Raymundi ejusque libris, genuinis ac suppositiis 634. *Art.* I. Scopum disserentis explicans *ib. Art* 2. *Ex Biblioth. Hisp. Nicolai Antonii Sect.* I. Synopsis Vitæ ac mortis 635. *Sect.* 2. Artis Lullianæ accusatio et exculpatio 636. *Sect.* 3. Variorum variæ de Arte sententiæ 638. *Sect.* 4. ELENCHUS OPERUM. Animadversio prævia 639 : et omnium in §§ 13 distinctio. APP. §. 1. De libris sub nomine Lulli editis 649. §. 2. Libri Chimici, eidem perperam attributi 650. §. 3 Syllabus Illustratorum Artis Lullianæ 651. Nicolai Antonii judicium 652. *Art.* 3. Aliorum auctorum de eo sententia 653. *Art.* 4. Elucidatio controversiæ cum Eymerico, occasione Bullæ, Gregorio XI adscriptæ 658. §. 1. Expenduntur acta in causa Lulli, ante et post Bullæ descriptionem 650. §. 2. Tenor Bullæ controversæ, cujus assertor Eymericus, imposturæ convictus, etiam Avenione causa cadit, excusso Regesto Gregoriano 660. §. 3. Nova totius causæ recognitio, et hanc secuta sententia irritans in contrariam acta an. 1419; ac denique finis, post ressuscitatam denuo controversiam 664. *Art.* 5. Alia argumenta, quibus probatur, Lullum non accensendum hæreticis, ejusque Doctrinam mansisse immunem a censuris 666. *Art.* 6. Regum pro doctrina Lulli studia, et favores Lullistis impensi 668. Conclusio ad impugnatores, 670. EPILOGUS exhibens heroica virtutum specimina, præsertim ex Blaquerna, seu libro de Amico et amato. 671

S

25 Salomon Rex et Martyr in Britannia Armorica. COMM. HIST. §. I Argumenta Sanctitatis. Acta unde collecta. Salomonis majores eorumque chronologia 685. §. II Commonitiones episcoporum Franciæ plures; una alterave tantum Nicolai PP. ad Salomonem 686. § III Salomon alias dat litteras ad Nicolaum. Rex legitime creatur cum successione in sua familia 688. § IV Fundat monasterium ; scribit ad Hadrianum PP. et Reliquias ab eo accipit, obsidet Andegavum et capit 689. § V An monitus fuerit Rex a Synodo Saponaria. Abdicato regno recipit se in solitudinem et occiditur 691. VI Gesta circa cædem 8. Salomonis. *Ex Gallico Alberti de Morlaix* 692. ACTA *Ex proprio Sanctorum Venetensium anno* MDCLX *impresso* 694

26 Salvius, Ep. M. prope Valencenas. COMM. PR. §. 1. Distinguendi tres Salvii, male confusi. Acta triplicia 173. §. 2. Sedes Episcopalis incerta, ætas, cultus 174. VITA *ex 7 MSS.* auctore coævo. *Cap.* I. Peregrinatio, conciones, captivitas, martyrium 175. *Cap.* 2. Miracula, elevatio, translatio 178. Alia sub Carolo Magno; pœnitentia homicidarum. 179

27 Sampson, Xenodochus CP. COMM. PR. §. 1. Auctor Vitæ Symeon Metaphrastes 233. §. 2. Tempus mortis 235. §. 3, Cultus ex Fastis Græcis et Latinis 236. VITA *ex MS. Gr.* Prologus 237. *Cap.* 1. Genus, virtutes, obitus 238. *Cap.* 3. Miracula post mortem facta 242

29 Salome, Virgo Reclusa in Bavaria, COMM. PR, de ætate, genere, vita, et cultu 451. VITA auct. coævo *ex MS.* Prologus 452. *Cap.* 1. Regis Angliæ affinis Salome, cum duabus ancillis suis deliberat de patria seculoque deserendo 452. *Cap.* 2. Jerosolymam peregrinata, visum in Bavaria amittit; factaque leprosa apud Altaham recluditur 454. *Cap.* 3. Accipit sociam consanguineam Judith : moritur : utraque corpora in ecclesiam deferuntur 455

25 Salonita, M. Thessalonicæ in Macedonia *ex Martyrologiis MSS.* 9

25 Satyrus, M. Romæ, cum Luceia 10

28 Secundinus, M. *ex Martyrologio Casin.* 324

28 Serenus, M. Alexandriæ Æg. *ex Martyr.* 321
Passio *ex Eusebio* 322

28 Sergius Magister militiæ, fundator monasterii prope Bithyniam 349
28

28 Sidistus, M. Alexandriæ, *ex Martyrolog.* 321
27 Silvanus, M. Cordubæ, *ex Martyrolog.* 325
28 Simerus, M. Alexandriæ *ex Martyrolog.* 321
25 Simon Anachoreta, apud Græcos, *ex Synaxario MS.* 96
21 Sinidus, M. Alexandriæ, *ex Martyrolog.* 321
25 Sorus, Erem. socius S. Amandi Petracor. 68
25 Sosipater, cognatus et discipulus S. Pauli, et Sopater Berœensis. Sylloge. De cultu et actis in Corcyra insula 4
27 Statheus M. Cordubæ, an Stracteus ? *ex Martyrologiis* 225
26 Superus M. *Vide* Salvius Ep. M. 173
29 Syrus Episcopus Genuensis 438. Vita auct. Oberto Episcopo 440

T

28 Techildis *V.* Theodechildis. 328
26 Thadæus, M. apud Habessinos, *ex Hagiologio* ipsorum. 138
30 Theobaldus Presb. Erem. ditionis Vicentinæ in Lombardia. Comm. pr. §. 1. Acta vitæ et translationum : ætas, cultus sacer 540. §. 2. Cultus et Reliquiæ in Gallia et Belgio. 541. §. 3. Quæstio, an apud Camaldulenses. Vangadiciæ quiescat. 542. Vita auct. coævo *ex MSS. et Surio* 243. *Cap.* 1. Ortus, educatio, peregrinationes 544. *Cap.* 2. Acta Salanicæ; obitus, translatio 545. Vita alia, addita Bullæ Canonizat. *ex MS.* 546. Miracula Vicentiæ, Latiniaci, Basilicis, et Mercuriæ facta. Cap. 1. ex MS. Cisterciensi 548. Cap. 2. ex MS. Regis Galliæ 549. Cap. 3, ex MSS. nostro et Bonifontis 550. Cap. 4. Recentiora ex impresso Gallico Pastoris Mercurien. 552. Cap 5. Alia ad Montisacuti Sacellum impetrata 553
28 Theodechildis V. filia Clodovæi I. R. Franc. Com. Hist. §. 1. Diploma, quo Sancta, illius filia fuisse, et fundatrix S. Petri-Vivi, sustinetur 328. §. 2. Ejus quoad substantiam fides asseritur, interpolationes notantur, quæritur annus mortis 350. §. 3. Ipsa fundatio, proprio Sanctæ testamento completa, annis 9 post patris mortem 332. §. 4, Servati per ipsam Bosoli Ducis monachatus et sepultura : Mauriaci ecclesia in ejus fundis erecta sec. ix : Clodovæi diploma, iterato expensum 333. §. 5. Theodechildis Vidua, fil. Theoderici Austrasii, a Fortunato laudata, a multis confusa cum amita sua 334. §. 6. Cultus senioris, et nupera corporis inspectio ac translario 337
28 Theodorus, M. Alexandriæ, *ex Martyr.* 321
28 Theonas, M. in Africa, *ex Martyrologiis* 323
25 Thomas, Ep. Regii-Lepidi. Translatio. 58
28 Tilinus, M. Alexandriæ, *ex Martyrolog.* 321
27 Tinnus, M. Cordubæ, *ex Martyrologiis* 225
27 Timaræus, seu Tusius, M. Cordubæ, *ex Martyrologiis* 225
28 Turbanus, M. Alexandriæ Ægypti, *ex Martyrologiis* 321
30 Timotheus, M. in Africa, *ex Martyrol.* 526
28 Tubonus, M. in Africa, *ex Martyrolog.* 323
25 Tudwalus seu Tugdualus, Episcopus Trecorensis in Britannia minore. *Vide supplementum ad hunc diem*
25 Tugdualus, episcopus Trecorensis in Britannia Armorica. Dabuntur Acta ejus xxx Novembris 677
27 Tusius seu Timaræus, M. Cordubæ, *ex Martyrologiis* 225
25 Tygris V. Maurianæ in Sabaudia 63. Vita *ex MS. loci* 64. App. *ex alio MS.* 67
28 Tytirus, M. Alexandriæ, *ex Martyrol.* 321

V

25 Venerii Erem. Translatio Regii Lepidi 58
27 Venustus, vel Hennusticus, M. Cordubæ, *ex Martyrologiis* 225
28 Venustus Eunuchus, M. in Africa, *ex Martyrologiis* 323
25 Victor, M. Romæ cum Luceia 10

W

26 Wambertus, M. in Normannia. Sylloge Hist. De Cultu, et loco ejus antiquo 200

Z

27 Zeddinus, M. Cordubæ, *ex Martyr.* 225
30 Zoilus, M. in Africa, *ex Martyrol.* 526
27 Zoilus, M. Cordubæ. Comm. Histor. §. 1. Cultus in Fastis 225. §. 2. Ejus Martyrium, inventio, cultus specialis 226. §. 3. Translatio, et Reliquiæ variæ 228

INDEX
CHRONOLOGICUS

SECULUM I.

An. 54 Petrus extremum Romam venit, ibi mansurus juxta Lactantium 368 *et seq.*
An. 56 Romam vinctus adducitur Paulus 366. Linus ordinatur S. Petri adjutor et vicarius 367 a
An. 64 Nero incensæ Urbis invidiam devolvit in Christianos 367
An. 65 Petrus crucifigitur, Paulus capite plectitur 367
An. 72 Fingitur obiisse S. Martialis Apostolus Lemovicensium, 491 f

SECULUM III.

An. 202 Alexandriæ passi multi, in quibus aliquot Discipuli Origenis. 321
An. 207 Lugduni in Gallia cum S. Irenæo passi alii plures 303 f
An. 227 Heliogabalo Romæ insaniente, Calixtus PP. abdit in Catacumbis corpora Apostolorum 398
An. 258 Aliqua Depositio S. Petri ibidem 373 a
Circa 300 S. Anectus seu Anicetus Cæsareæ 229

SECULUM IV.

An. 301 Romæ Luceia V. et Auceias Rex, martyrio afficiuntur 12 d
303 Febronia V. M. Sibapoli seu Nisibi in Mesopotamia 12, 13
312 Constantinus Imp. victo Maxentio Romam ingreditur : fundat Basilicas tres 430 a
317 Fundatur Sibapoli ecclesia S. Febroniæ 30 f
319 S. Silvester super lapide porphyretico partitur ossa SS. Apostolorum, in utriusque Basilicis deponenda 402 b
329 S. Gallicanus et rem gerit contra Scythas et fit Christianus 32
Circa. 330 Moritur S. Syrus, Liguriæ Apostolus 440 d
337 Concilium Romanum sub Julio 64 c
362 SS. Joannes et Paulus MM. Romæ 139 d
S. Gallicanus M. in Ægypto 31 c

SECULUM V.

An. 405 Vigilius Ep. M. Tridenti 143 c
411 Antidius Ep. Vesontionensis 35
440 Nascitur S. Auxentius Ab. 148
473 Deodato Ep. Nolano succedit Felix II. 232
496 Chlodovæus Rex Franc. baptizatur 331

SECULUM VI.

An. 509 Senonis signatur fundatio S. Petri-Vivi 330 f
515 S. Theodechildis junior nascitur Metis 336 c
518 Theodechildis senior testamentum condit 333 a
524 Eraclides Ep. Senonensis 329
530 Constantinopoli conflagrat nosocomium S. Sampsonis, et ipse obit 236 b

540 S. David Erem. Octogenarius obit Thessalonicæ 156 c
594 S. Gregorius negat Constantiæ Imp. Caput et sudarium S. Pauli Ap. 397, 400
600 S. Venantius Fortunatus, auctor duplicis poematis de S. Radegunde, moritur 335 a

SECULUM VII.

An. 630 S. Zoili M. Ecclesia Medinæ Sidoniæ dicatur 228 f
653 Emmo, Ep. Senon, signat privilegium monasterio S. Petri-Vivi 328 a
670 S. Babolenus Ab. Fossaten. obit 158 e
683 S. Leo II ordinatur, brevis temporis Papa 339 c
Circa. 700 Floret Marcianus Episcopus Pampelonensis 537 S. Salvius Ep. cæditur prope Valencenas 174

SECULUM VIII.

An. 714 S. Eurosia cæditur a Mauris 78
754 S. Joannes ordinatur Ep. Gotthiæ 169 b
758 Pippinus R. Francorum obit 348 e. Desiderius R. Longobard. succedit Aistulfo 345 f
784 S. Tarasius fit Patr. CP. et indicitur Synodus Nicæna II. 168

SECULUM IX.

Anno 824 Fundatur monasterium Mauriacense 334 c
Et S. Salvii prope Valencenas 175 b.
829 Dedicatur Lemovicis monasterium S. Martialis 518, Et prope Patavium ecclesia S. Hilarii Ep. Patavini 443 f
839 Transfertur Corpus S. Baboleni Ab. in novam ecclesiam 162. Et Beneventum corpus S. Deodati Ep. Nolani 231
851 S. Zoili Reliquiæ a S. Eulogio mittuntur Barcinonem 228 f
852 Incipiunt scribi miracula S. Martialis 507
856 Egmonda destruitur a Normannis 89 c
S. Argimirus, Cordubæ martyrizatur 349 d
857 Cæditur Erispoius rex Britanniæ minoris : succedit S. Salomon 686 d
866 S. Maxentii Ab. corpus transfertur, eique, conditur monasterium S. Salvatoris 154 b
874 S. Salomon Britanniæ Armoricæ rex martyrizatur a suis 692 d
880 S. Judith reclusa in Bavaria, post sociam Salomen, moritur 451 c
891 Sunzo Archiepiscopus Moguntinus cæsus a Normannis 136 a

SECULUM X.

An. 911 Floret Symeon Metaphrastes 234 e
Comitatus Hollandiæ initium capit 82 b
923 Carolus R. Franciæ victo Roberto, offert spolia S. Martiali 516
924 S. Maxentii corpus Malliacum refertur 154 f
935 Decem primorum Epp. Moguntt. corpora transfe-

transferuntur ad S. Albani 224 a
952 Deflagrat monasterium S. Martialis 543 b
960 S. Pelagii corpus transfertur Legionem 182 d
963 Metaphrastes anno ætatis 80 scribit vitam S. Sampsonis 235
966 Baldricus Ep. Ultrajectinus ex Italia adfert varia corpora Sanctorum 325 c
969 Ottboni Imp. familiaris obsessus, ad Vincula S. Petri liberatur 413 e
985 Regum et S. Pelagii corpora transferuntur Ovietum 190
994 Scribuntur alia miracula S. Martialis 492 c
997 Gregorius V dedicat ecclesiam S. Prosperi apud Regium Lepidi 50 c
1000 Invenitur corpus S. Medici M. Otriculani in Umbria 7 a

SECULUM XI.

An. 1017 Restauratur monasterium S. Martialis 518 c.
1019 S. Heimeradus Presb. obit 350
1023 Consecratur nova ecclesia S. Martialis 519. Et ad restauratam Ovetensem refertur corpus S. Pelagii M. in novam arcam 190 e
1028 Absolvitur monasterium S. Heimeradi 350 c
1031 Decernitur S. Martiali titulus Apostoli in duplici synodo 496 e
1043 B. Hemma Comitissa, Gurcæ parthenonem fundat 473 b
1048 Canonici Lemovic. fiunt Monachi 516 c
Vesontionem adfertur corpus S. Antidii 35 f
1052 Iterum deflagrat monasterium S. Martialis 519
1060 S. Theobaldus Camaldulen. obit 543
1061 Synodus Rom. contra Simoniacos 259 d
1063 Ad S. Martialis assumitur Regula Cluniacensis 519 f
1064 Obit Landulfus Cotta, frater S. Herlembaldi, Mediolani 262 c
1065 Belæ Ungariæ Regi succedit Salomon filius 476 a.
1066 S. Arialdus a Simoniacis occiditur 251 b
1067 Idem ab Alexandro II Canonizatur 272 c
1070 Archiepiscopo Mediolani abdicanti succedere nititur Gothofredus 274 b
1071 Grande ibidem incendium 274 a
1072 Hartwigo Ab. Hertzfelden. dicatur Vita S. Heimeradi 351
1073 S. Theobaldus Erem. Canonizatur 127
Marquardus creatur Dux Carinthiæ 464
Gregorius VII zelosus contra Simoniacos 275 a
1074 Geiza fit Rex Hungariæ pro abdicato Salomone 289 e
1075 Abolentur investituræ in Syn. Rom. 323
Iterum ardet Mediolanum, et occiditur S. Herlembaldus 276
1077 Rex-Hungariæ eligitur S. Ladislaus 290 d
1080 Pugnatur in Saxonia contra Henricianos 359. Corduba Carionem transferuntur sancti Pelagius et Felix 227
1081 Vicohabentia Ferrariam S. Leo transfertur. An Papa? 342 b
1085 S. Guilielmus fundator Montis-Virginis nascitur 99 b
1086 Transfertur corpus S. Herlembaldi Martyris 277 e.
1090 Invenitur corpus S. Pecinnæ in agro Pictaviensi 73 b
10h3 Conradus, Henrici Imp. excommunicati filius, coronatur 279 c
1094 S. Ladislaus Rex eligitur Dux belli sacri et obit 294
1099 S. Arialdi ossa transferuntur 278 d
1100 S. Irenæi ecclesia Lugduni fit regularis 309

SECULUM XII.

An. 1101 Anselmus Archiep. Mediol. ab Jerusalem rediens, obit C. P. 280 a
1102 Liprandus Presb. Mediolan. contra Simoniacos ignem experitur 281
1103 Cluniacenses inducuntur ad S. Salvii 175 b
Transfertur corpus B. Thomæ Ep. 62 b
1105 Ardet Lemovica cum Cathedrali 521 c
1110 Paschalis PP. transfert corpora sanctorum quatuor Leonum 340 a
1112 B. Liprandus prope Mediolanum obit 251
1114 Obit Adimarus Ab. S. Martialis 521 e
1120 Canonicis Gurcensibus inducitur Regularitas Lateranensis 474 b
1123 Ardet monasterium S. Martialis 522
1124 Dedicatur ecclesia Montis-Virginis 105 a
1136 Invenitur corpus S. Martialis 522 b
1137 Præmonstratenses Hierosolymis Pragam adducti 122 a. Obit S. Haraldus Ep. Mauriamensis 67 d
1139 S. Anthelmus fit Prior Carthusiæ 204 d
Lotharii Imp. privilegium pro ecclesia S. Hilarii Patavini 536 d
1141 Sobieslao Bohemiæ Duci succedit Wladislaus 122 a.
1142 S. Guilielmus fund. Montis Virg. obit 114 b
1143 Dedicatur nova ecclesia S. Adelberti Egmundæ 94 c
1144 Apud Regium Lepidi de altari producitur corpus S. Prosperi 50 f
1147 S. Henricus Ep. Olomuc. contra concubinarios Romam tendens, spoliatur et ægre evadit 123 et recuperatur Lisbona ope S. Antidii 42 c
1148 Dedicatur nova ecclesia S. Prosperi, corpora altaribus includuntur 51
1149 Ephemerides figuratæ Moscorum sculpi incipiunt 157 d
1151 Fundatur Carthusia Repausatorii 126 a
1157 Obit S. Henricus Ep. Olomuc. 122 c
1158 Laus-pompeia-funditus deletur 416 e
1160 Obit B. Joannes Hispanus, fundator Repausatorii 126 d
1161 Cathedra S. Petri ab igne servatur 419 f
1163 S. Anthelmus fit Ep. Bellicen. 207 d
1165 Fundatur Carthusia Seizen. in Stiria 23
1172 Elevatur corpus B. Hemmæ 478
1175 Obit Petrus senior, Ep. Tarentas. 360 b
1177 Obit S. Anthelmus Ep. 210 e
1180 Fundatur in Stiria Hospitale Seiz. 483
1182 Dedicatur novum monasterium Montis Virginis 119 a. Henricus R. Angliæ visitat monasterium S. Martialis, et rebellat ei filius suus 468
1192 Canonizatur S. Ladislaus R. Hung. et corpus elevatur 287 b
1198 Innocentius PP. III monetur reconciliare altaria, in basilica Vatic. violata 425 c

SECULUM XIII.

An. 1228 B. Hemma miraculis clarescit 461 d
Obit B. Arnulfus Villarien. 556
1229 Majoricam debellat Jacobus R. Arag. 591 c
1132 Benvenutus Ord. Min. Corneri obit 295
Et 4 post anno ejus miracula jubet examinari Gregorius IX 296 b

1235

1235 B. Raymundus Lullus Majoricæ Balearium nascitur 591 c
1240 Varasdinum in Hungaria exscinditur a Tartaris 284 b
1260 Transferuntur corpora S. Theodechildis et Basoli ex Duce Monachi 334 et 337
1263 Genuæ reteguntur loculi trium Sanctorum Episcoporum 440 a
1266 Convertitur B. Raym. Lullus 592 b ; et paulo post invisit B. Mariam de Rupe-Amatoris et Compostellam S. Jacobi *ibid.*
1267 Incipit ducere vitam solitariam *ibid.*
1269 Clemens IV mandat Romam mitti Parisiis prætensum caput S. Pauli Ap. 403 d
Ottocarus R. Bohemiæ auget fundationem Carthusiæ Seizen. 482
1275 B. Raymundus incipit peregrinari 592 c
1276 Primum examen subit ejus Ars Generalis 592 c.
1283 Invenitur Genuæ epitaph. S. Syri 438
1286 R. Raymundus Romam proficiscitur 592 d
1287 Sanctorum Episcoporum Genuensium corpora transferuntur 312 b
1289 Parisiis aliquamdiu commoratur B. Raymundus, Artem suam prælegit, et Magistrum discipulus instituit 592 e
1290 Repetit Italiam, *ibid.*
1291 Genuam et Romam properat, ut procuret unionem Ordinum militarium *ibid.*
1292 Tuneti Saracenis Evangelium prædicat *ibid.*
1293 Artem suam prælegit Neapoli 593 a
1294 Apud Pontificem Cœlestinum V, ejusque successorem Bonifacium VIII, pro Ecclesiæ utilitatibus incassum laborat *ibid.*
1296 Redit Genuam 593 c
1298 Parisiis scribit Disputationem super Magistrum Sententiarum *ibid.*
1299 Pergit instare apud R. Franciæ Philippum, pro rebus Ecclesiæ perutilibus 593 d
1300 Majoricam repetit 593 d. Inde in Cyprum et in Armeniam tendit *ibid.*

SECULUM XIV.

An. 1301 Ex Armenia in Cyprum redit Raymundus, ubi multa adversa passus est 593 f.
1303 Idem Genuæ libris componendis denuo insudat *ibid.*
1304 *Et* 5 Parisiis Montem Pessulanum, et hinc Parisios ultro citroque commeat 594 a b
1305 Clementem V convenit Lugduni 594 b
1306 Bugiæ in Africa cum Mahumetanis disputat, et multa tormenta passus, ex naufragio Pisas allabitur *ibid.* c
1307 Novos libros edit Pisis et in Monte-Pessulano 594 c.
1308 Matronæ Genuenses triginta florenorum millia ipsi pollicentur in subsidium Terræ sanctæ 594 f.
Hinc rursus ad Clementem V Avenionem properat, et inde Parisios *ibid.*
1309 A Quadraginta Magistris et Bacalaureis Parisiensibus Ars Lulliana solenniter approbatur 595 a
1310 Ibidem Averroistas strenue impugnat, aliaque scribit in Monte-Pessulano 595 b
1311 In Concilio Viennensi multa proponit ad reparationem fidei Orthodoxæ 595 d
1312 Redit Parisios et postea Majoricam repetit 595 b.
1113 Messanæ Tractatum scribit in probationem Trinitatis 595 e
1314 In Africam tertium trajicit, ad martyrium properans 595 f
1315 Tandem Bugiæ lapidibus obrutus, martyrio coronatur 596 a, 618 *et alibi.*
1332 S. Petri Apostoli apparitio et miraculum in Suevia 425 d
1350 Obitus B. Henrici Erem. Veronen. 580
1354 Pars baculi S. Petri Pragam missa a Carolo IV 423 d
1360 Corpus S. Antidii Vesontione elevatur 35 f
1363 Rudolfus Dux Austriæ transfert corpora SS. Joannis et Pauli MM. Rom. 142 f
1366 Destructa Abbatia S. Petri Regien. corpora SS. transferuntur ad S. Matthæi 52
1367 Urbanus V ornat inventa Capita SS. Petri et Pauli 404
1369 Corpora SS. Regien. referuntur ad Abbatiam restauratam 53
1372 Jussu Gregorii XI examinantur libri Lullistici 658 f
1388 S. Prosperi Regien. corpus ad restauratam ecclesiam suam refertur 53 a
1392 Artem magnam Raym. Lulli prælegi ubique successive jubent Reges Aragon. 669
Ante 1400 Scribitur prior Vita B. Raymundi Lulli 587 a

SECULUM XV.

An. 1410 Suscitatur Lugduni controversia de corporibus Sanctorum inter ecclesias Sanctorum Justi et Irenæi 309 e
1413 Dirimitur ea lis 314 f
1419 Fertur definitiva pro libris B. Raymundi Lulli 647 b.
1436 S. Pauli Apostoli apparitio Astigi, pœnitentiam populo indicentis 427 a b
1438 Furtum gemmarum, Apostolorum capitibus Romæ detractarum, miraculo detegitur 405 e.
1443 S. Ladislai Hungariæ regis caput sub ruinis lapsæ turris conservatur integrum ac illæsum 696 c
1448 Conditur vetus epitaphium B. Raymundi Lulli 585 c, 589 e.
1450 Obit Spoleti B. Angelina Clarissa 485
1453 Palavicinus Ep. Regiensis recognoscit S. Prosperi et aliorum corpora in Abbatia S. Petri 54 a.
1454 Ecclesia SS. Joannis et Pauli Romæ traditur Jesuatis 141 f
1456 Inchoatur processus pro Canoniz. B. Hemmæ 468 a. Includitur Ultrajecti venerabilis Bertha 132
1461 Increbrescunt miracula B. Hemmæ 461 d
1475 Lubecæ imprimitur Codex de 6 ætatibus mundi dictus Rudimentum Novitiorum. Alius 6 ætatum an. 1493 Norimbergæ 308
1476 Canonicis Regularibus confirmatur titulus Lateranensium cum privilegiis 475 a
1478 Directorium Eymerici quomodo Romæ imprimi permissum 666 c
1481 Elevantur corpora Sanctorum Bobiensium 159 b.
1483 Majoricæ instituitur Universitas Lullistica 667 c.
1490 Perficitur Mausoleum B. Raymundi Lulli 584 f.

SECULUM XVI.

An. 1509 Ferrariæ transfertur corpus S. Leonis, an Papæ II ? 342. Mediolano Parisios corpus S. Arialdi M. 279

1511,

1511, 14, 19, 62, et 1610 scribitur a variis Vita B. Raymundi Lulli 587
1514 Obit Ven. Berta Reclusa Ultrajecti 132 b
Papiæ inveniuntur Reliquiæ S. Davidis Thessalonic. et aliorum 156 f
1516 Destruitur pars una Basilicæ Vaticanæ, pro fundanda nova 286
1417 Mediolani elevantur Reliquiæ S. Vigilii Ep. Tridentini. 593
1521 Sanatur S. Ignatius de Loyola ab apparente S. Petro. 426
1540 Abbatia S. Martialis Lemovicensis secularizatur. 617 d
1544 Victoria de classe Turcarum, Salerni Officio proprio celebris 222 c
1560 Corpus S. Theobaldi Camaldulensis translatum Vicentiam 543 e
1561 Ordinantur primus et ultimus Archiep. Ultrajectinus, Fredericus Schenkius 132 b
1562 Lugdunenses ecclesiæ ab Hugonottis exspoliantur, S. Irenæi corpus dispergitur 309 c
1565 Corpus Ven. Menendi, Prioris Canon. Regg. in Lusitania, reperitur quadamtenus incorruptum 84 c
1572 Evertitur a Gheusiis Abb. Egmondana 84 c
1595 Clemens VIII dirimit controversiam de corpore S. Prosperi Regien. 54 a
1598 Corpus B. Guidi Marumaldi Ord. Præd. absconditur, Francis Neapolim obsidentibus, nec usque modo reperitur 130 f
1600 Editur alia Vita B. Arnulfi Villarien. 557 f

SECULUM XVII.

An. 1601 Apud Regium Lepidi sopitur controversia de SS. Prospero et Venerio, hujus Reliquiis omnibus ad ecclesiam S. Petri, istius ad propriam delatis 58
1611 Utriculi invenitur et transfertur corpus S. Medici M. 6 f
1612 Instituitur processus pro Canonizatione B. Raymundi Lulli 582 f
1613 Corpus B. Benvenuti invenitur et transfertur Ilicetum 296 d
1620 Ferdinandus, Dux Mantuæ, donat Melitensibus partem brachii S. Pauli 393. Romæ in Vaticano transfertur Statua ænea S. Petri ad ingressum Basilicæ ejus 396 c. Transfertur corpus S. Ferdinandi Episcopi Calatini 299
1623 Ultima translatio B. Thomæ Episcopi Regiensis 61 f
1630 Elevatur corpus S. Anthelmi Episcopi Bellicensis 212 f
1633 Cracoviam Misnia adfertur brachium S. Pauli Apostoli 407 e
1634 Urbanus VIII constituit novum altare fabricandum pro Cathedra S. Petri 424 c
1645 Transfertur solenniter corpus S. Theodechildis V. 337 f
1648 Ejus et Basoli, ex Duce Monachi, sepulcra inspiciuntur 341
1649 In Carthusia Repausatorii elevatur Corpus B. Joannis Hispani 124 c
1651 Engelbertus Desbois, Ep. Namurc. describit Pileolum S. Petri 422 f
1666 Alexander VII transfert Cathedram S. Petri ad caput Basilicæ Vaticanæ 419 f
1679 Imprimitur Menologium Russicum 96 f S. Cassii Narniensis Reliquiæ Luca Narniam referuntur 446
1690 Os unum S. Prosperi Regien. theca argentea ornatur, et biennio post solenniter circumfertur 62 d
1692 Recipitur a Cæsare Leopoldo Varasdinum : sed S. Ladislai nihil reperitur 285 e

TOMUS SEPTIMUS

DIES VIGESIMA QUINTA

SANCTI QUI VII KALENDAS JULII COLUNTUR

Sanctus Sosipater, Sanctus Jason, — cognati S. Pauli in insula Corcyra.
S. Sopater Berœensis, S. Mnason Cyprius, — Discipuli Apostolorum.
S. Medicus Martyr, Utriculi Narniensis diœcesis in Umbria.
S. Salonita, S. Bigatus, S. Lamtanus, S. Lunilanus, — Martyres, Thessalonicæ in Macedonia.
S. Luceia Virgo,
S. Anceias Rex,
S. Antonius,
S. Hereneus,
S. Theodorus,
S. Dionysius,
S. Apollonius,
S. Apamius,
S. Pronicus,
S. Coteus,
S. Orion,
S. Papicus,
S. Satyrus,
S. Victor, — Martyres Romæ.
S. Febronia, S, Lybe, S. Leonis, S. Eutropia, — Martyres, Sibapoli seu Nisibi in Mesopotomia.
S. Gallicanus, Dux Exconsul Romanus, Martyr in Ægypto.
S. Antidius, Episcopus Vesontionensis, in Burgundia.
S. Maximus, Episcopus Taurinensis, in Pedemontio.
S. Prosper, Episcopus Regii Lepidi in Æmilia.
S. Tygris Virgo, Maurianæ in Sabaudia.
S. Benjamin, S. Bejocus, — Anochoretæ in Ægypto.
S. Amandus, S. Domnolenus, — Gemeliaci in Petracoriis.
S. Æmilianus, Episcopus et Martyr in Burgundia.
S. Pecinna, alias Perseveranda, Virgo in Agro Pictavensi.
S. Eurosia, Virgo Martyr, Jaccæ in Aragonia.
S. Dicentius vel Dizantius, Episcopus Santonensis, Ardusii in Arvernia.
S. Molocus seu Molonachus, Episcopus in Scotia.
S. Salomon, Rex Britanniæ Armoricæ, Martyr.
S. Gehardus, Episcopus Namnetensis in Gallia.
S. Adalbertus Diaconus, Egmundæ in Hollandia
S. Simon, Anachoreta apud Græcos.
S. Guilielmus Abbas, Fundator Eremitarum Montis Virginis, in Italia.
B. Henricus Zdicus, Episcopus Olomucensis in Moravia, Ordinis Præmonstratensis.
SS. Petrus et Febronia, in monasterio dicti, SS. David et Euphrosina, Principes Rutheni.
B. Joannes Hispanus, Prior Carthusiæ Repausatorii in Sabaudia.
S. Oduinus Presbyter, Martyr Hugardiæ in Belgio.
B. Guidus Marramaldus, Ord. Prædicatorum, Neapoli in Italia.
Ven. Berta Jacobi, Reclusa Ultrajecti in Belgio.

PRÆTERMISSI ET AD ALIOS DIES REJECTI.

Sancti Canuti, Ducis Sleswicensis et Regis Obotritorum, translatio *memoratur in Breviario Sleswicensi, MS. Florario, Martyrologio excuso Coloniæ et Lubecæ anno* 1490, *item a Greveno et Canisio. Acta ejus illustravimus* VII Januarii.

S. Filani, Abbatis Scotiæ memoria, ob victoriam obtentam, *inscripta est Menologio Scotico Dempsteri : de ea Victoria egimus ad diem Sancti natalem* IX Januarii.

S. Severa, Virgo et Martyr, *inscripta est Auctario Greveni ad Usuardum et Martyrologio Germanico Canisii. Eamdemque Joannes Gamansius reperit in variis Paderbornensis Ecclesiæ ac diœcesis Kalendariis manu et typo expressis, unde judicavit istic alicubi Patronam coli. Videtur ea esse, de qua egimus ad diem* XXIX Januarii.

S. Serenæ Virginis Translatio *indicatur in Greveni Auctario. Forte est illa, quæ Metis colitur*, Serena Martyr XXX Januarii.

Commemoratio Theodori *apud Seldenum de Synedriis pag.* 371 *ex Kalendario Coptico Calcasendii, et pag.* 404 *ex alio MS. Arabico* Theodori Martyris et Judicis seu Præfecti : *videtur spectare* S. Theodorum Ducem, *de quo actum* VII Februarii.

S. Stephani, Fundatoris Ordinis Grandimontensis, Translatio prima, Mureto ad Grandem-montem, *recolitur hoc die in Officiis propriis. De illa egimus ad ejus Vitam* VIII Februarii.

S. Milburga, *soror* S. Etheldrithæ, *filia Regis Merciorum in Anglia, quasi hoc die obierit a Mabillone* D. P. *sec.* 3 *parte* I *huc refertur, cum aliis duabus sororibus suis. Henschenius obiisse docet, quando de ea egit,* XXIII Februarii.

S. Constantia Augusta, filia Constantini Magni Imperatoris; SS. Attica et Artemia, filiæ S. Galli-

cani

cani *infra hoc die referendi, indicantur a Greveno et Canisio. Illarum Acta illustravimus* XXVIII Feb.

SS. Eligii et Vindiciani Episcoporum Translatio, *inscripta est antiquo MS. Tornacensi S. Martini, et aliis quamplurimis. Ex his* S. Vindiciani Episcopi *Cameracensis. Acta dedimus* XI Martii.

S. Eligii Episc. Noviomensis et Tornacensis *danda erunt* I Decembris.

Eva, Reclusa Leodiensis, et B. Juliana in Monte Cornelio *hodie referuntur.* Hujus corpus *olim servabatur in Altari Ordinis Cisterciensis, et tamquam cum titulo* Beatæ *refertur ab Henriquez et Chalemoto. Alii volunt ibi viguisse Ordinem Præmonstratensem. At nos ostendimus Regulam S. Augustini simpliciter ibi fuisse observatam; et pleraque de Eva narrantur in Vita B. Julianæ, illustrata* V Aprilis.

S. Philippus, Episcopus Gortinensis in Creta, *indicatur in MSS. Leodiensibus S. Lamberti et S. Laurentii, duplici Parisiensi S. Germani de Pratis et MS. Florario : item apud Maurolycum et Felicium ; et cum elogio apud Adonem : de eo egimus* XI Aprilis.

S. Egbertus, Apostolus in Frisia, *inscriptus est Menologio Scotico Dempsteri : de eo egimus* XXIV Aprilis.

NOT. 1 S. Marci Evangelistæ inventio corporis Venetiis, *aliis* apparitio, *indicatur a Bellino, Greveno, Molano, Maurolyco, Canisio, Ferrario et Florario MS. De illa egimus ad Vitam* XXV Aprilis.

D.P. S. Probus Monachus, *Moguntiæ ad S. Albani, inscribitur Monastico Martyrologio Hugonis Menardi, quasi hoc die obiisset, quia Hermannus Contractus* VII Kal. Julii *notavit : sed Annales Fuldenses certius habent* VII Kal. Junii : *quia autem Ferrario teste nullum in ecclesia Moguntina cultum habet, et Hermannus solum dicit quod fuerit* Presbyter religiosus et sanctus, *egimus de eo inter Prætermissos ad* XVII Maji.

B. Ægidii Ordinis Præd. Conversio, *inscripta Hagiologio Lusitano Cardosi. Vitam dedimus* XIV Maji.

S. Radulphus, Archiepiscopus Bituricensis, *refertur a Wione, Dorganio, Menardo, Bucelino, in Fastis monasticis; a Ghinio, in Natalibus Canonicorum ; et Ferrario. Acta dedimus die ejus natali* XXI Junii.

S. Amphibalus, *Magister S. Albani, et Socii Martyres, referuntur in Martyrol. Anglic. Wilsoni, et a Ferrario Acta immista Vitæ S. Albani, simul dedimus* XXII Junii.

S. Walheri Martyris, *duplex Officium Dionanti propter notabiles Reliquias ex pago* Onhay *habitas, cum facultate Episcopi Namurcensis,* 1612 ; *qui idem Reverendissimus transtulit hoc festum in* 25 *cum incidat in* XXIII Junii.

D.P. S. Firminus, S. Cyriacus, S. Longinus, S. Orentius, S. Pharnacius, S. Eros, S. Firmus, fratres Martyres in Armenia, *referuntur in Menæis excusis. Alia MSS. synaxaria cum Martyrologio Romano, eosdem habent* XXIV Junii.

S. Simplicii, Episcopi Augustodunensis, *Officium Ecclesiasticum ob festum S. Joannis Baptistæ ad hunc diem translatum, ejusque memoria inserta Martyrologio Gallicano Saussayi. Acta ejus dedimus* XXIV Junii.

S. Theodulphus, Episcopus et Abbas Lobiensis, *colitur Officio Ecclesiastico apud Lobienses et Binchienses, et refertur a Molano, Ghinio, Ferrario. Nos de eo egimus, cum Martyrologio Romano et aliis, die quo mortuus* XXIV Junii.

D.P. Sancti Thaumaturgi Muromenses *ad Volgam fl. Moscoviæ* Piissimus Princeps Petrus, *in Monachatu* David *dictus,* Piissima Princeps D. Febronia, *post habitum sumptum* Euphrosyna, *ad hunc diem referuntur in Synaxario Slavo-Russico anni* 1679. *De iis plus lucis expectamus, et Vitas si quidem extant.* NOT. 2

Bodardus Confessor *inscribitur Auctario Greveni ad Usuardum, aut Carthusianorum Coloniensium anno* 1515 *et* 1521 *excuso. Habemus* Vitam MS. S. Bodardi *ex MS. Trevirensi S. Maximini, eamque scimus extare in MS. Bodecensi in diœcesi Westphaliæ Paderbornensi; in qua dicitur vixisse S. Hilario valde familiaris, et exemplo S. Maxentii in eremum discessisse, et interim ita Vita incipit :* In illo tempore cum Lotharius Aquitaniæ teneret regnum in civitate, quæ Pictavis nuncupatur, erat quidam nobilis Bodualdus nomine : qui ab ipso pueritiæ suæ tempore B. Hilarii Episcopi discipulus in monachico habitu constitutus vivebat. *Qui simul puerum sine baptismo defuncturum suscitarunt. Dein discedens ad S. Maxentium duos cæcos illuminavit; et apud hunc existens, mulierem a fluxu sanguinis liberavit; et alia* XL *miracula fecit. Dein a S. Hilario, per Angelum monito, accepta benedictione successit in eremum ; itaque peractis* XL *annis migravit* VII *Kalendas Julii ad Christum etc. Hæc placuit latius deducere : si forte lux posset affundi hisce tenebris : quis enim tum Lotharius Rex præerat Aquitaniæ? ne dicam summum silentium apud alios auctores de illo Sancto esse, uti etiam in Actis S. Hilarii* XIII *Januarii, S. Maxentii* XXVI Junii.

S. Prosper Aquitanus, Scriptor, dein Episcopus Reiensis in Gallia, *refertur a Saussayo in Martyrologio Gallicano. Verum* Prosperum Aquitanum *non fuisse Episcopum ; et* S. Prosperum Episcopum Regii Lepidi *hoc die coli infra ostendimus, unde videtur arrepta occasio adscribendi Reiensi seu Regiensi in Gallia diœcesi Episcopum Prosperum.*

Leontius et Calidonius, Episcopi Vesontionenses, *adjunguntur S. Antidio, de quo infra agimus; et* Sancti *appellantur; uti etiam a Chiffletio, in Vesontione, ubi eos collocat post Antidium : at Sammarthani inter hunc et illos, etiam pseudo-episcopos duos Arianos interponunt, et a titulo Sanctitatis abstinent.*

S. Albertus, Monachus Mediolacensis territorii Trevirensis, sanctitate celebris, *memoratur a Trithemio lib.* 3 *cap.* 318, *cumque secutis Wione, Dorganio, Bucelino, Ferrario, Saussayo in Supplemento hoc die : et isti quidem distinguunt eum a* S. Adelberto, *cujus Vitam scripserunt Monachi Mediolacenses, quam nos hoc die damus; sed putamus, nihil inter eos distingui a Trithemio, qui ejus res gestas asserit extare.*

Henricus Episcopus Olomucensis *in Moravia, et Fundator Sionæi seu Strahoviensis Præmonstratensium Monasterii Pragæ, defunctus anno* 1151. NOT. 3 *Georgius Crugerius inter Sacros pulveres mensis Junii longum ejus encomium texens,* Vestem, *inquit,* Præmonstratensem Episcopali superinduit. Vixit observantissimus legum Ordinis... unde promeruisse videtur, ut eum titulo Beati passim in scriptis ac tabulis dignarentur. *Enumerat deinde idem Crugerius octo Episcopos Olomucenses ex Sionæo illo Conventu assumptos : cujus modernus Abbas Vitus, interrogatus num quis cultus illi apud suos haberetur, respondit; nomen in benedictione esse, aliud nihil. Tacet etiam de eo Chrysostomus vander Sterre Abbas Antuerpiensis inter Natales Præmonstratensium.*

Lambertus Presbyter, Begginagii Leodiensis conditor, magna sanctitate seculo XII floruit, *et cum titulo* Sancti *indicatur a Saussayo in supplemento Martyrologii*

Martyrologii Gallicani : at Fisen, in Floribus Ecclesiæ Leodiensis, abstinet a titulo Sancti et Beati, quamvis pluribus ejus virtutes deducat.

D. P. Guilielmus, Abbas Bellæ-laudæ *in Anglia, a Chrysostomo Henriquez, Chalemoto et aliis Cisterciensibus, cum titulo Beati proponitur ; absque illo in Kalendario Ordinis Divione excuso, an.* 1617 ; *in alio, quem MS. Henriquez reperit post vetus Missale nec nominatur quidem ; aliunde vero nullum adducitur vetusti cultus apud Anglos indicium. Catalogus Joannis Generalis necdum prodiit : sed si ipse est hujus nominis ultimus (ut esse videtur) anno* 1540 *electus ; is tanti non est, ut quoscumque inter Beatos numeraverit, censeri debeant publicum etiam cultum habuisse ; cum ejus ætatis scriptores satis liberaliter uterentur titulo* Beati.

Joannes Hieronymus, anno MDLXXIII ab hæreticis in vico Hollandiæ Schagen post plurima illata tormenta occisus, *cum aliis pluribus refertur a Raissio in Auctario Molani.*

Jacobus, Jeremias, in Syria anno 1266 a Saracenis excoriati, Ordinis S. Francisci, ut beati Martyres *ab Arturo relati.*

Daniel Guardianus, Cornelius, Joannes, Ludovicus, Presbyteri, Adrianus, Engelbertus, Laici, Ordinis S. Francisci, Conventus Alemariensis in Hollandia, a Geusiis hæreticis capti, et Enchusam abducti, et ob constantiam fidei Catholicæ strangulati, *post alios scriptores ab eodem Arturo inter* Beatos *feruntur.*

Hieronymus a Condriaco, Capucinorum Guardianus Valentiæ in Gallia, anno 1629 ab Hugonottis hæreticis crudeli morte interemptus, *ut* Beatus *et* Martyr *refertur in Martyrologio Franciscano. Ac denique, ut* Beati *ejusdem Ordinis diem ibidem implent.*

Joannes a Ripa, *Mexici anno* 1562 *defunctus.*

Amadeus, *in Austria propugnator fidei sec.* 16.

Magdalena de Tison, *Pisauri anno* 1444 *mortua : quorum nulli putamus aliquem ecclesiasticum cultum deferri.*

Joanna Figueyro *nobilis Lusitana, vidua facta sanctimonialis Ordinis S. Dominici, et Joanna a Conceptione dicta, ne quidem voluit accedere Regem, ut proprium filium liberaret a morte ; sed respondit, Si filius reus est, moriatur : et sic vitam sancte peregit, laudata a Lopez* 3 *par. lib.* 2 *cap.* 85, *et a Joanne Rechac seu Joanne de S. Maria Tomo* 2 *lib.* I *cap.* 7, *atque ab hoc titulo* Beatæ *honoratur, uti etiam in Anno sancto ejusdem Ordinis.*

D. P. P. Fr. Joannes Sanz Carmelita, *Valentiæ in Hispania obiit anno* 1608. *Ejus Vitam, tamquam viri etiam post mortem miraculis clari, habemus editam Valentiæ an.* 1612, *eaque Teutonice reddita primum tenet locum ante alios Solis Eliani Radios, quos justo volumine habemus editos per R. P. Jacobum a Passione Domini, an.* 1684. *Indicare autem eum hic volui, propter spem quam habet Ordo impetrandæ Beatificationis, cum voto ut perficiatur antequam absolvatur hujus mensis supplementum ; quando sine dubio plures accedent miraculosæ gratiæ, per eumdem his* 90 *annis impetratæ.*

S. Agatho, Martyr Alexandriæ, *refertur in MSS. Epternacensi et aliis, uti indicamus* XXVI Junii.

SS. Gaudentius, Felix, Agapitus, Emeritus, *aliis* Emerita, Martyres in Africa ; *memorantur, aut omnes, aut aliqui, in variis MSS. et Auctario Greveni ad Usuardum. In antiquioribus* XXVI Junii.

S. Maxentius, Reclusus in monasterio suo intra terminum Pictavensem, *recolitur a Castanæo in Notis ad Litanias Pictonicas. Acta ejus illustramus* XXVI Junii.

S. Rumoldus, Scotorum Archiepiscopus, Mechliniæ, *indicatur a Dempstero in Menologio Scotico : quem ne id credam, ut plura alia gratis finxisse, facit Usuardus Conventus Nistadiensis in Dania ad nos Praga allatus, ubi ex Anglicano aliquo, ut arbitror exemplari, ita scriptum lego :* In Magliniis passio S. Rumoldi Episcopi Martyris. *Colitur ipse* I Julii. D. P.

S. Adeodatus Presbyter, *Galliani in agro Mediolanensi ; memoratur a Galesinio, Masino et Ferrario in Catalogo generali. Epitaphium videtur mortem ejus ponere* IX Kal. Julii ; *quæ autem de eo sciuntur, refert idem Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, die quo corpus translatum est* II Julii.

S. Itherius Episcopus Bituricis, successor S. Sævitiani, conditus in basilica sanctæ Crucis, clarus suis indiciis, *memoratur a Saussayo, seculo Monachum San-sulpitianum, Patriarchii Bituricensis scriptorem ; qui asserit,* Sanctum corpus nunc, *id est superiori seculo,* in magna haberi veneratione. *De hac interrogatus ecclesiæ istius Parochus, negat apud se ullam extare memoriam tumuli, nedum cultus. Ita R. P, Petrus Carité Collegii nostri ibi Rector, an.* 1692 *omnia diligenter scrutatus ; et pro comperto affirmans eum qui hodie Biturigibus ritu semiduplici colitur, incertum qua de causa, esse Episcopum Nivernensem : nesciri tamen hujus an illius sint ecclesiæ Collegiatæ duæ non longe a civitate Bituricensi, Riensis et Sancergiensis : qua de re plenius cupio edoceri, pro die quo alter Nivernis colitur* VIII Julii. D. P.

SS. Athanasius et Theodorus *Compostellæ, ut discipuli S. Jacobi relati a Maurolyco et Galesinio, Ferrario autem ad* XV *Maji, iterumque a Ferrario et Cardoso ad hunc diem ex usu ecclesiæ Compostellanæ, a nobis in Majo rejecti sunt ad diem, quo de ipsomet S. Jacobo agetur,* XXV Julii. D. P.

S. Gerulphi Martyris Translatio, *celebratur solenni Officio in Trunchiniensi apud Gandavum monasterio, et memoratur a Molano, Canisio, Saussayo. Natalis ejus dies est* XXI Septembris.

Dorotheæ Viduæ anno sal. 1394, *memoria notatur in MS. Florario Sanctorum. Annus mortis additus indicat ipsam esse Pruthenam, quam hoc quoque die mortuam scripsit Fredericus Schembek, in Vita Polonice impressa, usus Processibus MSS. quos uti et veteres picturas ipsius ac* S. Juttæ, V *Maji in Appendice post tom.* 7 *illustratæ, etiamnum præstolamur, tanto facilius, quod vetus Vita, quam habemus, in titulo præferat, festum ejus celebrari* XXX Octobris. D. P.

S. Lebuini, *Transisalanorum Apostoli,* Translatio *in MSS. Ultrajectino, Tornacensi, Trevirensi, et aliis. Colitur etiam ipse hoc die in diœcesi Antuerpiensi sub ritu semiduplicis. At dies depositionis est* XII Novembris.

S. Livini Translatio *proponitur a Dempstero et in MS. Florario, et (nisi* Lebuinus *sit, de quo alii agunt) colitur* XII Novembris.

SS. Gennadius, *Episcopus Constantinopolitanus, indicatur in MS. Florario. Colitur passim a Græcis* XVII Novembris.

S. Saturnini, Episcopi Tolosani, Translatio *indicatur a Saussayo et in quodam MS. Ejus dies natalis est* XXIX Novembris.

S. Radbodi, Episcopi Ultrajectini, Translatio, *in MSS. Ultrajectino, Trevirensi, Bruxellensi et aliis etiam excusis Fastis refertur. Molanus* festum secundarium *appellat : agitur primarium, die quo obiit,* XXIX Novembris.

S. Alo *colitur Venetiis, Bononiæ et alibi ; æstimaturque esse* S. Eligius, *Gallice* S. Eloy, *Noviomensis Episcopus, cujus Translatio hodie colitur in variis* NOT. 4 D. P.

variis monasteriis Benedictinorum per Galliam, præsertim Beccensi in Normannia, et S. Petri super Divam, ut videre est apud Martinæum. Natalis ejus est I Decembris.

S. Remacli, Episcopi Trajectensis, Translatio, *indicatur a Molano, Saussayo, Ferrario, Wione, Dorganio, Menardo, Bucelino. Dies ejus natalis est* III Decembris.

Mercurius Martyr *inscriptus est Auctario Greveni ad Usuardum. Quis iste non constat. Est* Mercurius miles Martyr XXV *Novembris, et alius, etiam in Martyrologio Romano, Martyr* X Decembris.

S. Luciæ Virginis Syracusanæ Translatio, *inserta est scriptis additionibus ad Grevenum. Dies natalis est* XIII Decembris.

S. Joannis Evangelistæ dormitio, *inscripta est Martyrologio sub nomine Bedæ vulgato, et alio excuso Coloniæ atque Lubecæ, anno* 1690. *De ea erit agendum* XXVII Decembris.

DE SS. SOSIPATRO ET JASONE

DISCIPULIS ET COGNATIS S. PAULI APOSTOLI

ITEM DE S. SOPATRO BEROEENSI

ET S. MNASONE CYPRIO DISCIPULIS CHRISTI

SYLLOGE HISTORICO-CRITICA

B

G. H. De priorum cultu et actis in Corcyra insula, distinguendisque Sosipatro et Sopatro, Jasone et Mnasone, male confusis. E

SEC I. In epist. ad Romanos cognatos appellat :

Sanctos hos duos *Jasonem et Sosipatrum cum Apostolo Paulo conjungunt Græci, et una eademque serie et die eorum Acta constituunt. Paulus in Epistola ad Romanos cap.* 16 *ver.* 21 *hos ita exprimit :* Salutat vos Timotheus adjutor meus, et Lucius, et Jason, et Sosipater cognati mei. *Acta* S. Timothei *dedimus* XXIV *Januarii, et S. Lucii* XVIII *Octobris celebranda erit solennitas : creditur enim is esse* S. Lucas, *Pauli individuus comes; ita sentientibus cum Origene passim ad istum Apostoli locum, Interpretibus omnibus : licet de* Lucio, *veluti alio, agatur in Synopsi pseudo-Dorothei : ubi is Laodiceæ Episcopus nominatur; ab Hippolyto autem* Episcopus Olympiadis. Jason vero, *inquit idem Origenes,* ille est, de quo etiam in Actibus Apostolorum scribitur, quod Thessalonicæ, pro Paulo et Syla, seditionem commoventibus turbis, semetipsum dederit, ut Apostolo dicendi faceret libertatem. *Quæ cap.* 17 *Actuum, cum Paulus Christum Thessalonicæ*

C *prædicaret, a versu* 4 *ita exprimuntur :* Quidam ex

in Actibus etiam laudatur Jason :

eis crediderunt et adjuncti sunt Paulo et Sylæ, et de colentibus Gentilibusque multitudo magna et mulieres nobiles non paucæ. Zelantes autem Judæi, assumentesque de vulgo viros quosdam malos; et turba facta concitaverunt civitatem; et assistentes domui Jasonis, quærebant eos producere in populum. Et cum non invenissent eos, trahebant Jasonem, et quosdam fratres ad Principes civitatis, clamantes : Quoniam hi, qui urbem concitant et huc venerunt, quos suscepit Jason : et hi omnes contra decreta Cæsaris faciunt, Regem alium dicentes esse Jesum. Concitaverunt autem plebem : et Principes civitatis audientes hæc, accepta satisfactione ab Jasone et a ceteris, dimiserunt eos. *Hæc de Jasone.*

nominatus deinde Sopater Berœensis:

2 *De Sosipatro autem, addit Origenes,* Suspicor quod ipse sit, qui in Actibus Apostolorum scribitur, Sopater Pyrrhi Berœensis. *Scilicet cap.* 20, *ubi dicitur Paulus Epheso perrexisse in Macedoniam; versu* 4, Comitatus est eum Sopater Pyrrhi Berœensis; *ubi* Sopater *per crasim apud Interpretes dicitur, qui Origeni et Martyrologis infra est* Sosipater, Pyrrhi Berœensis *filius, Berææ urbe Macedoniæ natus : quod ne quis putet non convenire ei, quem Apostolus supra Cognatum suum nominat;* Arbitror, *inquit Origenes, ita dici* propter cognationem aut consanguinitatem ex baptismo contractam. *Neutrum placet : quia* ex baptismo cognatos *vel* consanguineos, *non modo nulla uspiam Scriptura novit, sed neque sancti Patres : imo ne nunc quidem sic loquimur, postquam spiritualis cognationis gradus distinctius definitos habemus ex majorum disciplina; sed* Compatres *et* Commatres *audimus solummodo inter se appellare eos, quibus communis ex baptismo est* filius. *Apparet autem Origenem, cujus alias magna hic esset auctoritas, ita conjectare, ut alteram suam fulciat conjecturam, quasi idem* Sopater *sit, qui alibi* Sosipater; *quod uti gratis præsumitur, ita facile negatur, dum nulla adfertur alia fundandæ identitatis causa, quam nominum similitudo; quæ interim nullo exemplo probantur posse, nedum debere identificari. Quare neque concesserim prætitulatos, ex Epistola Romanis scripta, duos Pauli* Cognatos, *licet ejusdem cum illo tribus aut etiam familiæ fuerint, in Macedonia natos, quod volunt aliqui, non in Cilicia. Quamquam enim id impossibile haud sit; non placet tamen eo confugere, propter gratuitam (ut dixi) conjecturam, quod idem nomen eademque persona in Epistola nominetur, quæ in Actibus; licet propter eam factum sit, ut in pseudepigrapha Synopsi Dorothei, et in similis farinæ Indiculo Hippolyti,* Berœensis Sopater *omittatur. Quod* Jason et Sosipater *ibidem inter Septuaginta Discipulos nominentur, æque ac ceteri omnes, quorum Paulus in suis Epistolis meminit, non meretur æstimari. An autem pluris faciendum sit, quod* Sosipater, Iconii; Jason, Tharsi *vel* Syriæ *dicantur fuisse* Episcopi; *pendet ex eo, an credere quis velit, majori cum certitudine adscriptos cuique Episcopatus, quam nomina fuisse inter Discipulos Christi divisa.*

D. P. *videtur a Sosipatro esse diversus,*

et gratis ex baptismo cognatus dici.

F

G. H.

3 *Græci,* Sopatro Berœensi *omisso (credo quia nihil ultra de eo legerunt)* Jasonis et Sosipatris *memoriam aut festum recolunt diebus variis, secundum varia Synaxaria; scilicet,* XXVII, XXVIII *et* XXIX *Aprilis; et ad primum quidem diem in Menologio antiquiori, quod jussu Basilii Porphyrogeniti collectum habetur, Elogium utriusque extat, olim a nobis Græce editum, quod hic Latine sic damus :* Memoria sanctorum Apostolorum Sosipatri et Jasonis. Jason et Sosipater discipuli fuerunt Apostoli Pauli : ac Jason natus est Tharsi in Cilicia, cujus etiam urbis Episcopus fuit. Sosipater vero, Patris in Achaia genitus, et ipse Episcopus Iconii fuit. Cum autem per annos aliquot Ecclesias

Istorum Elogium ex Menologio Basilii Imp. ad 27 Apr.

A Ecclesias suas gubernassent, ut aliquibus prodessent, in Occidentem abierunt : et in insulam Corcyram appulsi, in nomine S. Stephani Protomartyris ecclesiam construxerunt. Hoc cum didicisset Cercylinus ejus insulæ Rex, conjici eos in carcerem jussit : ubi cum eos vidissent septem latrones, qui ibidem inclusi erant, in Christum crediderunt, similiter et carceris custos Antonius, ideo capite obtruncatus. Post hæc cum ignis e cœlo lapsus, duos Regis filios ejusque uxorem combussisset, Sancti vinculis soluti fuerunt : qui cum multos adjuvissent, demum in pace decesserunt. *Ubi non omiserim notare,* Patrensem Sosipatrum *dici, atque adeo satis distingui a* Sopatro Berœensi. *Ibidem mox sequuntur similia Elogia, prius de* S. Cercyra *Virgine, filia Regis, ob fidem Christi telis confixa et lapidibus obruta ; alterum de dictis* Septem latronibus, *qui in ferventia et ignea vasa, pice, cera atque oleo repleta conjecti, martyrium consummasse feruntur : quorum Elogia dedimus* XXIX *Aprilis.*

(aliis ad 29.)

4 *Ad ejusdem* XXIX *diem, habentur eadem omnia quæ supra de* SS. Jasone et Sosipatro *in dictis Menæis, et in Menologio Sirleti, ex quibus ad præmissa* B *post Latronum conversionem et martyrium, additur, quod* Rex Jasonem et Sosipatrum eductos e carcere, Carpiano Præsidi cruciandos tradidit : quos examinatos rursus in carcerem vinctos conjecit. Τοὺς δὲ ἁγίους Ἰάσωνα καὶ Σωσίπατρον τῆς φυλακῆς ἐξαγαγὼν, Καρπιανῷ τῷ Ἐπάρχῳ τιμωρεῖσθαι ἐκδίδωσιν· ὃς τούτους ἐρωτήσας, καὶ αὖθις τῇ εἱρκτῇ δεσμεύσας, ἀπέῤῥιψεν. *Dein relata* Cercyræ *conversione et martyrio, sic pergunt Menæa* : Persecutionem adversus Christianos commovit Rex ; et sanctis viris, qui in adjacentem insulam confugerant, supplicio affectis revertens, * cum esset in medio pelago, ut olim Pharao submersus est. Itaque populus Domini gratiarum hymnos Deo obtulit. Jason vero et Sosipater e carcere liberati, verbum Dei sine impedimento prædicabant. Posteaquam vero surrexit novus Rex, et de sanctis illis viris didicisset ; jussit lebetem ferreum illuc ferri, in eumque injici picem, resinam et ceram, ac vehementer accendi, et SS. Jasonem et Sosipatrum in illam demergi. Sed nihilominus Sancti illi servati sunt incolumes ; infideles vero multi combusti : quod videntes plurimi ad Christum ipsum concurrerunt. Rex vero suspenso lapide ex collo, clamabat : Deus Jasonis et Sosipatri miserere mei. Quem cum ita lamentantem Beatus C Jason vidisset, omnem populum admonens et docens, Catechismo instructum baptizavit in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti : quem Sebastianum nominavit. Non post multos dies filius Regis in morbum concidens mortuus est : quem S. Jason suis precibus e mortuis suscitavit. Multaque alia cum edidisset miracula, et pulchra templa erexisset, aliaque omnia bene et sancte perfecisset, aucto Christi grege, in senectute laudabili, ad eum quem tantopere desiderabat Christum migravit.

** imo supplicio affecturus eo navigavit.*

cum prolixiori relatione,

conversæ per eos Corcyræ Insulæ,

5 *Hæc ex Menologio, Latine per Sirletum collecto, desumpta, in Menæis sic Græce excusa leguntur ;* Μετὰ ταῦτα διωγμὸν κατὰ τῶν Χριστιανῶν κινήσας ὁ Βασιλεὺς, καὶ τῶν Ἁγίων ἐν παρακειμένῳ νησιδίῳ διαφυγόντων, αὐτὸς τιμωρισόμενος τούτους, ἀπέπλει· καὶ δὴ μέσον τοῦ πελάγους γενόμενος, ὡς ὁ πάλαι Φαραὼ, τῇ θαλάσσῃ κατεποντώθη. Καὶ ὁ μὲν τοῦ Κυρίου λαὸς εὐχαριστηρίους ὕμνους τῷ Κυρίῳ προσήγαγεν· Ἰάσων δὲ καὶ Σωσίπατρος, τῆς φυλακῆς ἀπολυθέντες, ἐδίδασκεν ἀκολούθως τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ. Ἐπεὶ δὲ ἀνέστη Βασιλεὺς ἕτερος, καὶ τὰ περὶ τῶν Ἁγίων ἔμαθε, καὶ κελεύει ἀχθῆναι βούτην σιδηρὰν, καὶ βληθῆναι πίσσαν ἐν αὐτῇ καὶ ῥυτίνην καὶ κηρὸν, καὶ ἐκπυρωθῆναι σφοδρῶς, καὶ τοὺς Ἁγίους ἐν αὐτῇ βληθῆναι. Τούτου δὲ γενομένου, καὶ τῶν Ἁγίων ἀφλέκτων διαφυλαχθέντων, πολλοὶ τῶν ἀπίστων D κατεφλέχθησαν· οἱ δὲ τῷ Χριστῷ προσέδραμον. Ὁ δὲ Βασιλεὺς, λίθον ἐξαρτίσας τῷ ἰδίῳ τραχήλῳ, ἐθρήνει· Ὁ Θεὸς, λέγων, Ἰάσονος καὶ Σωσιπάτρου, ἐλέησόν μου. Ὁ δὲ μακάριος Ἰάσων, παρόντος τοῦ Βασιλέως, τὸν λαὸν ἅπαντα νουθετήσας καὶ διδάξας καὶ κατηχήσας, ἐβάπτισεν εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Πατρὸς, καὶ τοῦ Υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος, ἐπονομάσας τὸν Βασιλέα Σεβαστιανόν. Οὐ μετὰ πολλὰς δὲ ἡμέρας, ὁ υἱὸς τοῦ Βασιλέως νόσῳ περιπεσὼν, ἐτελεύτησεν· προσευξάμενος δὲ ὁ Ἀπόστολος, ἤγειρεν αὐτόν. Πολλὰ γοῦν ἔκ τοτε κατειργάσατο θαύματα· καὶ ναοὺς ἀναγείρας περικαλοῦς, καὶ πάντα καλῶς καὶ ὁσίως τελέσας, καὶ τὸ τοῦ Χριστοῦ ποίμνιον ἐπαυξήσας, ἐν γήρᾳ καλῷ πρὸς τὸν ποθούμενον διαβήνει Χριστόν. *Eadem habentur ad* XXVIII *diem Aprilis in MS. Synaxario Constantinopolitano, in MS. Menæis Mediolanensibus Bibliotheca Ambrosianæ, Parisiensibus Cardinalis Mazarini et Patrum Prædicatorum, et Divionensibus Collegii Societatis Jesu. Quo etiam die in Typico S. Sabæ eorum memoria celebratur.*

etiam ad 28 legenda.

AUCTORE G. H.

Jasonisque in ea obitu.

6 *Quod ad narrationem prædictam attinet, nullis extantibus rei tam vetustæ testibus, quorum idonea atque proportionata antiquitas et auctoritas sit ; vereor ne illa aliquibus videatur fabulæ quam historiæ propior, eamdemque censuram subeant tam* Carcylinus *Rex, nomine a sua insula derivato dictus, quam filia* Cercyra E *Græcum ejusdem insulæ nomen referens ; quod* Κερκύρα *scribitur : nihil enim familiarius Mythologis ; quam personis in scenam adducendis nomina mutuari a locis eo spectantibus. Nolim ergo me vadem præstare, quod non sit tota illa res scripta, post plurima secula, ex traditionibus vulgi, fundatis in constanti opinione, quod illi, quorum istic venerabantur corpora, tamquam primorum suorum Apostolorum, et nomina inveniebantur in Epistola ad Romanos, fuerint discipuli et cognati S. Pauli. Ambos certe* Corcyræ *vulgo* Corfu *dictæ in pace quievisse vel inde colligimus, quod eorum corpora ibidem detenta in veneratione fuerint, et inde Genuam, cum eam insulam occupassent Ligures, avecta fuisse diximus in Addendis ad* XIX *Januarii in Vita S. Arsenii Archiepiscopi Corcyræ insulæ, ex relatione Vicarii generalis, Joderensis in Dalmatia Archiepiscopi, qui viginti per annos Corcyræ Archidiaconus fuerat : quo tamen illa devenerint ignoratur. Genuæ certe nulla eorum memoria superest, vel inter Officia propria, jussu Cardinalis Stephani Duratii edita, cum Kalendario Sanctorum qui in particularibus ecclesiis celebrantur ; et in Sanctuario Genuensi Mariani de Grimaldis, sub annum* 1613 *excuso.*

D. P

Acta videntur valde incerta;

7 *Ceterum non ideo velim omnem fidem dictis Actis* F *abrogari, quod in iis* Reges Corcyræ *adducantur, quasi sub Romanis Imperatoribus verosimile non sit insulam Reges habuisse ; cum id non adeo a disciplina Romana sit alienum, quin tempore nativitatis Christi, cum edictum exiret a Cæsare Augusto ut describeretur orbis universus, et in Palæstina executioni mandaretur per Præsidem Syriæ ab eodem Augusto constitutum ; Herodes ibidem Rex fuerit, et sua auctoritate curarit occidi infantes ; atque hujus filius Archelaus eo mortuo Romam profectus sit, ut ex patris testamento regnum ab Augusto obtineret. Ita et S. Lucius fuit Rex in Britannia, sub potestate eorumdem Romanorum constituta, et alii alibi. Hoc magis miror, quod dicta Acta sic desinant in obitu gestisque* S. Jasonis, *ut non amplius meminerint* S. Sosipatri : *cujus tamen nomen videtur a Græcis recoli die* X *Novembris, ubi in Menæis primo loco sic habetur, in Rubrica seu Titulo ipsius diei :* Τῷ αὐτῷ μηνὶ ι'. Τῶν ἁγίων Ἀποστόλων Ὀλυμπᾶ, Ῥοδίωνος, Σωσιπάτρου, Τερτίου, Ἐράστου καὶ Κουάρτου. Eodem mense die X Sanctorum Apostolorum, *qui communis est titulus omnium Apostolicæ ætatis Sanctorum Evangelii præconum ;* Olympæ, Rhodionis, Sosipatri, Tertii, Erasti, et Quarti, *ideo forsitan conjunctorum, quia eorum Reliquiæ in aliqua*

non tamen quia Reges Corcyræ inducunt.

Sosipater colitur etiam 10 Novembris CP.

AUCTORE G. H.
ut Episcopus Iconii.

A *aliqua Constantinopolitanarum ecclesiarum insimul requiescunt : unde et primum locum in Officio istius diei habent, et proprium Canonem, cum Versiculis eo spectantibus, a S. Josepho Hymnographo compositum : in quo tamen de* Sosipatro *proprium nihil. Ne tamen dubium sit, de quo hic agatur ; in Elogio, ubi de singulis ratio redditur, de illo sic legitur.* Ὁ δὲ Σωσίπατρος οὗτινος πρὸς Ῥωμαίους γραφὼν ὁ ἅγιος Παῦλος ἐν ἐπιστολῇ μέμνηται, Ἐπίσκοσος Ἰκονίου γενόμενος, ἐν εἰρήνῃ ἐτελειώθη· καὶ πολλὰ ἐστὶν εὕρειν ταῖς Ἀπόστολον μεμνήμενον αὐτοῦ ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς. Sosipater vero, cujus meminit S. Paulus scribens ad Romanos in sua Epistola; factus Iconii Episcopus, requievit in pace : sæpius autem invenitur Apostolus in Epistolis ejus meminisse. *Hæc ibi, sed absque fundamento ultimum ; cum in Epistolis semel dumtaxat nomen istud inveniatur.*

Latini videntur solum de Sopatro Berœensi agere

8 *His ita positis, poterant debuerantque hæc omnia referri ad Aprilem, nisi a Latinis Martyrologis hic relatus* Sosipater, *et creditus* Jasonis *frater, persuasisset nobis de utroque Pauli cognato hic agere. Nunc vero attentius rem considerantibus, uterque videtur a Latinis præteritus, eo quod non satis eos distinxerint a* B Sopatro *et* Mnasone. *Nam de hoc agunt sub nomine* Jasonis xii *Julii; de isto vero hic sub nomine* Sosipatri, *quemadmodum satis probant adjuncta utrique. Nam de hoc quidem Usuardus, Ado, Notkerus his iisdem omnes verbis scribunt,* Apud Pyrrhi-Berœam S. Sosipatris, discipuli B. Pauli Apostoli. *Melius in hodierno Martyrologio Romano scribitur,* Apud Berœam natalis S. Sosipatri, *quem rectius omnes* Sopatrum *nominassent : et quem si Galesinius scivisset ab altero distinguere, non concinnasset ei hoc Elogium, plenum confusionis.* Berœæ S. Sosipatris Episcopi. Is cum D B. Paulo Apostolo et fidei vinculo et generis cognatione conjunctus, unus ex Septuaginta Discipulis, Thessalonicæ Episcopus consecratus, prædicationis munus religiose vigilanterque executus, quievit in Domino; *et in Notis testem Episcopatus Thessalonicensis allegat* Dorotheum. *Verum is cum Hippolyto asserit Episcopum eum Iconii fuisse, ut supra diximus, et Thessalonicæ S. Paulum ab Jasone exceptum et defensum ex Actis Apostolorum retulimus. Imo hoc eodem die Thessalonicæ passos alios Martyres mox referemus. Unde potuit Galesinius ex aliquo imperfecto Martyrologio nomen* Thessalonicæ *sumpsisse.*

G. H.
et Jasone seu Mnasone Cyprio.

9 *Ad* Jasonem *quod attinet, relatum in Martyrologio Romano* xii *Julii his verbis :* In Cypro Beati Jasonis antiqui Christi discipuli ; *cum in Notis Baronius censet alio ac veriori nomine* Mnasonem *dictum; et sic in plerisque apographis Usuardi, Adonis, Notkeri, Bedæ supposititii, Bellini et aliorum legitur nomen* Nasonis, *atque de hoc in Actibus Apostolorum cap.* 21 *versu* 16 *ista leguntur.* Ascendebamus Jerusalem. Venerunt autem et ex discipulis a Cæsarea nobiscum, adducentes secum, apud quem hospitaremur Mnasonem quemdam Cyprium, antiquum discipulum : *et* E *inde verba omnium Martyrologiorum desumpta sunt, et ab aliquibus ipse* Mnason *sive* Nason *etiam* Jason *appellatur, quæ ad dictum diem Julii poterunt fortassis latius confirmari. Interim de omnibus simul agere hic debuimus, ut ipsi corrigeremus, quod errorem communem sequentes, simus arbitrati, de* Sopatro *ad hunc diem, et de* Jasone *Sosipatri socio agi in Martyrologiis ad dictum* xii *Julii; itaque inter Prætermissos mense Aprilis utrumque remiserimus ad Junium Juliumque.*

DE S. MEDICO MARTYRE

UTRICULI NARNIENSIS DIOECESIS IN UMBRIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

D. P.

De Actis, cultu, inventione et translatione.

Ex MS. an. 1515 acceptæ hujus et aliorum Patronorum Lectiones

N*arniam inter et Faliscam, alias dictam Civitatem Castellanam, Umbriæ Suburbicarias civitates in Sabinis, pari fere utrimque sex milliarium intervallo situm* Utriculum *est;* C *de quo pluribus Henschenius ad diem* xxii *Maji, agens de S. Fulgentio, ejus civitatis sub Totila Episcopo ; de quo ex relatione S. Gregorii certiora habens, non curavit requirere prolixiorem aliam illius Legendam, apocrypham, nec bona fide consarcinatam ; neque recordatus est, eam nos, sub fide Notarii publici, Dominici Ciotti de Carbio, anno* mdclxi xiv *Julii transcriptam accepisse, dum adhuc essemus Romæ, ex MS. Membraneo anni* mdxv. *Simili modo ex eodem MS. tunc accepimus de aliis Utriculanorum Patronis Lectiones, cum Missis cuique propriis, scilicet SS.* Victoris et Coronæ sanctique Medici *(de quo agere instituimus) ipsas quoque antiquitatis et auctoritatis non magnæ; nec aliud fere aptas probare, quam certum ab immemorabili cultum. Nam sicut* Victorem et Coronam, *de quibus* xiv *Maji egimus in Analectis num.* 2 *ex Syria, ubi passus constabat sub Sestiano, Antonini Imperatoris Præside et Ægypti Duce, cum eodem Sebastiano traducunt Utriculum, ubi eorum habentur notabiles Reliquiæ ; ita* S. Medicum *fingunt ejusdem Sebastiani jussu tormenta varia, ac denique capitalem subiisse sententiam. Malim ego fateri, quod ignorem, sub quo Imperatore passus hic Sanctus sit, quam tam male consutis Actis insistere ; ipsa tamen ut accepi proferam, quia in ceteris nihil est quod offendat, et melius nihil suppetit.*

anni 1612 auctoritatis non magnæ.

Additur decretum Congr. Rituum anni 1612.

2 *Lectionibus subjungo Notariale* exemplar cujusdam Brevis, expediti ab Illustriss. et Reverendissimo Cardinale de Monte, sacræ Congregationis Rituum Præfecto, de anno mdcxii, sedente S. D. F Paulo Papa V, anno sui Pontificatus viii, ex proprio originali in charta pergamena, habente Sigillum appensum cordula sericea *transcriptum* xxii *Augusti, anno prædicto* mdclxi. *In hoc Decreto narratur Inventio corporis, et facienda Translatio permittitur. Ludovicus Jacobillus, tom.* i *de Sanctis Umbriæ, asserit, quod* S. Medico *dicata olim ecclesia extra civitatem steterit in loco qui hodiedum nuncupatur* Campus S. Medici; *cujus nominis mentio fiat in Brevibus Pontificiis, Eugenii III, pro* xviii *Februarii* mcxlviii: *Honorii III, pro* mccxxi; *Gregorii IX, pro* mccxl ; *et Alexandri IV, pro* mcclviii, *confirmantium ejusdem loci possessionem Canonicis Regularibus, existentibus in ecclesia Collegiata S. Mariæ Utriculensis. Deinde subjungit idem Jacobillus, quod anno* mdcxi die v Septembris, Joannes Baptista Toscus Regiensis, Episcopus Narniensis, in antiquissimo lapideo monumento, sub altari ejusdem S. Medici, in suburbana S. Victoris ecclesia, reperit ipsius corpus aliorumque circa ipsum jacentium ; et ipsum de licentia Pontificis Pauli V ex judicio sacræ Congregationis Rituum, expedita xvi Julii mdcxii, eodem anno eodemque mense, transtulit

S. Medico ecclesia olim dicata,

corpus etiam in S. Victoris foris inventum anni 1611

A transtulit a suburbana in urbanam atque Collegiatam prædicti S. Victoris ecclesiam; deinde vero proximi mensis Maji die XVIII in capellam ipsius Honorii erectam intra subterraneam ejusdem Collegiatæ Cryptam.

cum titulo anni 1000.

3 *In eodem veteri monumento repertus est parvus lapis octo uncias longus, tres altus, et iis, quos in minori forma hic exprimimus, inscriptus characteribus.*

☧ Ω. HIC REQESCIT. ME
DICVS. MR. XC. CV. PLV
RIBVS. I. C. Q. E. S. T. B. A. M.

Hunc ego titulum, addita prima quæ extrita fuerit littera A, *sic legendum sentio.* Alpha Christus et Omega. Hic requiescit Medicus Martyr Christi, cum pluribus in Christo quiescentibus, et sub terra repertis, anno millesimo. *Tali explicatione admissa, sequeretur, quod prima forsitan inventio, in crypta in* B *qua sepultus statim a morte Sanctus fuerat, et translatio ad prædictam suburbanam S. Victoris ecclesiam Utriculensibus festivum reddiderit initium seculi Christiani* XI: *non item, quod cetera pariter translata Corpora, pariter et certo credita sint sanctorum Martyrum esse. Quare merito cunctata Congregatio est, eorum ut talium venerationem permittere. Consequens etiam nobis videtur, quod eodem* XI *seculo compositæ sint Lectiones prædictæ.*

Missa vetus ex MS. anni 1481.

4 *Credo etiam eodem tempore compositas Orationes, et ordinatam Missam propriam, qualem descriptam habeo die* XVII *Julii prædicti, ex Missali anni* MCCCCLXXXI, *quod conservatur in Collegiata S. Mariæ. Sic autem ordinatur hæc Missa.* INTROITUS. Protexisti me Deus. *Collecta.* Omnipotens sempiterne Deus, fortitudo certantium et Martyrum palma, solennitatem hodiernam propitius intuere; et intercessione B. Medici Martyris tui, omnium in te credentium vota perficias *Lectio libri Proverb. cap.* I ℣. 12. Beatus homo qui invenit Sapientiam. *Graduale.* Gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum. Alleluia. O Christi Martyr Medice, fortis in certamine, pro nobis Dominum rogita, sistens in cœli gloria. *Evan-* C *gelium secundum Matthæum, cap.* 10. Nihil opertum est, quod non reveletur. *Offertorium.* In virtute tua Domine lætabitur justus, et super salutare tuum exultabit vehementer, desiderium animæ ejus tribuisti ei. *Secreta.* Sacrificium, Domine, quod desideranter offerimus, suffragante B. Medico, Martyre tuo, gratum tibi efficiatur. *Communio.* Posuisti, Domine, in capite ejus coronam de lapide pretioso. *Postcommunio,* Præsta quæsumus, Domine, ut Sacramenti tui perceptione vegetati, sancti quoque Martyris tui Medici precibus adjuvemur.

Ferrarii hallucinatio de loco Martyrii.

5 *Philippus Ferrarius, in Catalogo Sanctorum Italiæ anni* 1613, *Actorum epitomen exhibet,* ex Veteri MS. Ecclesiæ Utriculanæ; *additque in Notis;* Corbus Utriculi, ubi passus creditur, cum in Asia Sebastenus Christianos aliquot morte affecerit. *In Catalogo autem generali eorum, qui non sunt in Romano Martyrologio:* Is in Asia, *inquit,* sub Sebastiano Duce passus est, quemadmodum Acta MSS. quæ vidimus, indicant. *Quibus oculis ea viderit, ut* in Asia passum Medicum *legere se crederet, equidem non capio; neque* Sebastianus, *per ignorantiam adscriptus Martyrio ejus ab auctore Lectionum, me movebit, ut Sanctum indigetem ereptum Utriculanis, Asiæ transscribam. Ipsas tamen Lectiones qualescumque accipe, collatas cum vetustiori MS. Ecgrapho, inter Gallonii collectanea Romæ reperto, in Vallicellana Patrum Oratorii bibliotheca. Porro eumdemmet esse credo, cujus* Reliquias *haberi* Bononiæ ad S. Gabrielis portæ Ravennianæ, *dicit Joannes Pauli Masinii in sua Bononia perlustrata, licet eum differat usque in* XXVIII *hujus mensis, fortassis pro majori ecclesiæ istius commodo sic mutato die.* D

AUCTORE D. P.

Reliquiæ Bononiæ.

LECTIONES OFFICII VETERIS

Ex Breviario membraneo MS. anni 1515.

Antonino Imperatore *a* regnante, erat ingens persecutio Christianorum; in civitate vero Utriculana erat Dux quidam Sebastianus nomine: erat autem ibi quidam Maleficus amicissimus Imperatori. Tunc nuntiaverunt ministri Sebastiano Duci dicentes, Clementissime Domine; Maleficus, Christianus effectus est, et blasphemat Deos nostros, et dicit illos dæmonia esse. Tunc indignatus Sebastianus jussit eum comprehendi, et ad se perduci: cui et dixit sigillatim, Malefice, *b* amice noster, quid tibi deesse existimasti, ut te Christianum fecisses. S. Medicus respondit: Nam ego Christianus aperte sum; Christum Jesum, Dei vivi filium, de Maria Virgine natum adoro, et credo corde, et opere laudare non cesso. Tunc Sebastianus, ira repletus, jussit eum in carcerem mitti, et dixit ei, Vade, tracta tecum qualiter possis evadere tormenta horrida, quæ te fortiter laniabunt, si sacrificare nolueris.

a Delatus ut Christianus,

b

E

fidem generose confitetur

2 Missus itaque in carcerem stetit ibi dies duodecim: et jussit neque panem, neque aquam ei dari: tertio decimo autem die jussit supradictus Sebastianus Tribunal exacto *c* Hippodromo præparari, et jussit adduci S. Medicum, et dixit ei: Quid decretasti circa salutem tuam *d* amice? B. Medicus respondit: Oportet tibi eos amicos esse, qui non timent Dominum suum habere inimicum: nam quantum sunt amaræ mihi amicitiæ tuæ, tantum sunt tuæ inimicitiæ dulciores. Sebastianus Dux dixit, O Malefice, quid dicis? B. Medicus respondit: Ego dico nullam habeo tecum communis fidei vitam. Sebastianus dixit: Ergo hoc tibi placet, ut præcepta nostra contemnens morte moriaris? B. Medicus respondit: Mortem, quam tu mihi minaris inferre, magna vita est; et ideo non timeo iram tuam: quare ex ipsa mihi nascitur vita perpetua, et corona perpetua et palma.

c

d

et post 12 dierum carcerem æque constans,

3 Tunc Sebastianus iratus dixit Terentiano *e* Consiliario suo: Cras mane in Secretario tuo diversis vexetur suppliciis, si sacrificare noluerit; si vere consenserit, et tuo eum amori copula, et meis eum amicitiis repræsenta. Terentianus Consiliarius dixit: Quare non sacrificas diis, quos Imperator adorat, et quibus cervicem suam flectit? Certe si præceptis ejus consenseris et obedieris, paratus est cum diversis muneribus te sublimare honore. Cui gloriosus Martyr respondit: Ego præmia a vobis promissa non accipio, quotidie enim a Domino meo accipio fortitudinem.

e

nec minis nec promissis cedit:

F

4 Tunc nuntiavit hæc Terentianus Sebastiano; qui jussit eum in carcerem mitti, et custodiri a militibus. Et cum ibi diebus quinque fuisset reclusus, jussit Sebastianus ipsum quinta die de carcere educi, et dixit ei: Sacrifica diis, quos magnos esse dictitavi *f*.... et cum multa his similia diceret, jussit eum ad stipitem ligari, et acutos clavos in manibus ejus et pedibus figi præcepit, et dixit ei: Depone jam duritiam mentis tuæ, et immola diis immortalibus, quos vera divinitas demonstravit. B. Medicus dixit: Ego diis paganorum non immolo: turpe est, quod in Baptismate sanctificationis percepi, [persuasus] a te, homine corruptibili et in omni necessitate constituto,

post alios 5 dies adductus,

f

clavis configitur,

A constituto, respuam. Et respondit Sebastianus : Tamdiu fixus stabis, quamdiu diis immortalibus debitum reddas officium.

EX MSS.

5 Ad hæc gloriosus Martyr, in Dei amore fixus, læto animo pendens in ligno, psallebat Domino dicens; In Deo sperabo, non timebo, quid faciat mihi homo. Tunc Sebastianus dixit : Sacrifica diis. Medicus dixit : Ego non adoro deos surdos et mutos, manu hominum factos : qui os habent et non loquuntur; oculos habent, et non vident; aures habent, et non audiunt; nares habent, et non odorant; pedes habent, et non ambulant. Similes illis fiant, qui confidunt in eis. Tunc Sebastianus, furore repletus, jussit eum diu torqueri. B. Medicus oravit ad Dominum dicens : Gratias tibi ago, Domine Jesu Christe, unigenite fili Dei vivi et veri, quod merui computari modo in eorum societate, qui pro tuo nomine ad Martyrii coronam perrexere.

et in eculeo suspensus torquetur,

6 Tunc iratus Sebastianus jussit eum solvi, et sic de stipite deponi. Medicus, coactus desiderio [martyrii] dixit ; Fac quod facturus es : quia ego scio quod fortior te est qui pro me pugnat. Tunc Sebastianus et Terentianus jusserunt fustes afferri, et super eum extendi, et quinque terniones transire, et clamare ad eum : Sacrifica Diis, quos Imperator B adorat. B. Medicus respondit : Dominus meus Jesus Christus æternus est, et ipse dixit, Omnis qui Idolis sacrificaverit, eradicabitur. Tunc Sebastianus jussit eum appendi in eculeo, et lampadibus uri, et ungulis radi. B. Medicus dixit illi : Nonne tibi dixi? quoniam inimicitiæ tuæ me lætificant, et faciunt gratiam ampliorem in conspectu Regis mei acquirere?

ac pedibus conculcatur:

7 Terentianus Consiliarius dixit, Quoniam video hunc rebellem, et verbera, et tormenta optare potius, quam timere, ad mortem istum *g* et collegam ejus introducite : et dixit B. Medico, Dic modo, Malefice, quæ causa est duritiæ mentis tuæ, quod tantis verberibus et eculeo cruciatus, et flammis exustus et ungulis laceratus, nullo modo consentire potuisti, ut sanctissimi Imperatoris præcepta impleres. S. Medicus respondit : Verus Magister docuit me. Terentianus dixit : Unde hæc nosti? quo ordine te docuit? B. Medicus ait : Filius Dei, ut omnibus subveniret, hominem assumpsit, quem virgo concepit, virgo peperit, et virgo post partum permansit... Hæc fides maxima, quæ est in Christo, non tormentis vincitur, non flammis, non gladio superatur. Terentianus dixit : Ut video, Deus meus C verus Deus est : nam Deus tuus, quem tu ipse dixisti, crucifixus est. Deus meus Omnipotentiam suam numquam deposuit, sed Imperium ampliavit.

g quibus nihil victus,

et Christum Deum laudans

8 Tunc subridens B. Medicus, dixit ei : Hunc si credis Dominum, *h* ipse non eris perpetuis in incendiis excurendus. Iratus autem Terentianus, jussit eum ignibus cremari. Qui cum missus fuisset in ignem, incolumis permansit. Tunc gloriosus Dei Martyr dixit : Afflictio ista temporalisque confusio magnam fiduciam atque æternam gloriam pariet apud Regem cœli et terræ : terreni quippe Principes cadunt velociter, erga quos Psalmus dicit: Vos autem sicut homines moriemini, et sicut unus ex Principibus cadetis : et iterum : Vidi impium exaltari et elevari usque ad cedros Libani : transivi, et ecce non erat ; quæsivi eum, et non erat inventus locus ejus.

h

igni frustra objicitur;

Ps. 81, 7.

Ps. 36, 35.

9 Tunc Sebastianus jussit eum iterum mitti in carcerem. Post aliquot dies perrexit in palatium, et jussit ad exemplum Christianorum vinctum catenis secum duci ; et post dies tres, jussit sibi eductum *i* parari extra civitatem. Cui ad medium deducto dixit : Jam depone superbiam tuam, et artem magicam relinque; nam tu eris exemplum omnium Christianorum. Beatissimus Martyr respondit : D Artem magicam nescio, sed habeo Dominum Jesum Christum, in quo credo, ideoque minas tuas non pavesco. Tunc iratus Sebastianus jussit eum fustibus cædi, et capitalem subire sententiam. Qui ductus extra portam civitatis decollatus est. Cujus corpus collegit noctu quidam Elozimus *k* nomine; et sepelivit eum in crypta cum *l* multis. Passus est autem gloriosus Martyr Medicus, sexto Kal. Julii.

ac denique capitali sententia plectitur.

i

k

l

ANNOTATA D. P.

a Antoninus, *ex Actis S. Victoris huc adductus, ibidem dicitur* Sebastianum Ducem Ægypti *misisse in Syriam, ad persecutionem Christianorum; quod Ferrarium movit, ut in Asia passum* S. Medicum *diceret. Jacobillus, ad majorem verisimilitudinem comminiscitur, Victoris, patria Utriculani, Reliquias ex Syria allatas, tantis continuo miraculis claruisse, ut ad eorum evidentiam* Medicus *factus sit Christianus.*

b *Videtur Auctor existimasse* Medici *nomen non fuisse Martyri proprium, sed ex professione inditum; ideoque illud convertisse cum nomine* Malefici, *quasi hæc indifferenter usurpari possit in bonam ac malam partem, sicuti Græce indifferenter dicitur* ὁ Φαρμακός.

E

c *Alias,* cito : *hic vero etiam* Oppodromo, *sed perperam scribebatur.*

d *Ibidem*. Malefice, amice noster.

e Terentianus *hic, videtur mutuo sumptus ex Actis SS. Joannis et Pauli,* 26 *Junii.*

f *Supple et adde* Majorum religio, *vel quid simile. Quin etiam excidisse plura verba videntur: nam quod sequitur, videtur ad verba* S. Medici, *hic prætermissa referri.*

g *Alias,* Ad montem istum et collegam ejus introducere : Terentianus ait : *sed utrobique hiulcus est sensus, et librarii vetustioris, a quo hæc sumpta, socordiam indicat.*

h *Alius et melius,* Deum.

i *Ibid.* Eductionem.

k *Vereor ut sincerum nomen sit, mallemque* Eleusium *legere.*

l *Vel antea martyrizatis, vel Christiano more ibidem sepultis. Nec mirarer, si multa corpora, pariter inventa, plurium sint, etiam in pace Ecclesiæ ibi postea sepultorum, ex devotione erga sanctum Martyrem.*

DECRETUM S. C. RITUUM

F

Super inventionis corporis et cultu.

Ex autographo membraneo MS.

Franciscus Maria, miseratione divina tituli S. Laurentii in Lucina S. R. E. Presbyter Cardinalis a Monte, Congregationis sacrorum Rituum Præfectus, universis et singulis præsentes inspecturis, lecturis et auditturis, salutem in Domino sempiternam. Cum in terra Otricoli Narniensis Diœcesis, inter ruinas antiquæ civitatis Otricolanæ prope Tiberis Ripam, ubi antiqua ecclesia S. Victoris ejusdem civitatis [Patroni] ædificata fuerat, septem et quinquaginta Corpora, quæ sanctorum Martyrum esse judicata fuerunt, inventa fuerint; et in primis inter ea in quodam sepulcro ex Tiburtino lapide confecto, ossa multa cum capite, cum sequenti inscriptione, posita in parvo lapide in dicto sepulcro recondita, videlicet; Hic requiescit S. Medicus Martyr Christi cum pluribus; et cum Episcopus Narniensis curaverit omnia prædicta diligenter perquiri et annotari; et judicaverit prædicta omnia corpora

Inventis per Episcopum Narniensem S. Medici et aliorum 57 corporibus

A corpora inventa, verosimiliter esse sanctorum Martyrum corpora; Universitasque d. Terræ Otricoli Sanctissimo Domino nostro supplicaverit, ut dignaretur eis concedere, ut dicta Corpora, sicut supra inventa et ab Episcopo et aliis personis Ecclesiasticis piis atque eruditis recognita, ex loco, in quo inventa fuerunt, in eorum Ecclesiam transportari, et decenter collocari possint. Et cum idem Sanctissimus Dominus noster negotium hoc a Sacra Rituum Congregatione examinari jusserit; et de ejusdem sacræ Congregationis Ordine processus ab Episcopo ad Urbem transmissus, de dictorum Corporum inventione, cum ejus relatione tradita fuerint Illustriss. et Reverendiss. D. Cardinali Bellarmino; audita ejus relatione, in plena Congregatione facta die septima præsentis mensis Julii, de contentis in d. Processu et relatione ad Urbem, transmissis a præd. Episcopo Narniensi: eadem sacra Rituum Congregatio judicavit, ex d. processu et relatione non satis constare omnia supradicta quinquaginta septem Corpora, esse vere Corpora sanctorum Martyrum, et pro talibus esse veneranda, excepto tantum Corpore supradicti sancti Medici, quod vere Corpus Martyris esse, et pro tali posse coli judicavit; cetera vero Corpora prædicta, esse in loco decenti et honesto collocanda et conservanda, sed

consultus pontifex

audito judicio congregationis Rituum,

B

adhuc non esse colenda tamquam sanctorum Martyrum Corpora, eadem sacra Rituum Congregatio judicavit. Et facta per Nos de supradictis omnibus relatione prædicto S. D. N. Paulo Papæ V in Consistorio secreto, hac infrascripta die; Sanctitas sua sententiam Congregationis approbavit; et concessit ut Corpus prædicti S. Medici possit, tamquam Corpus sancti Martyris Christi, ab omnibus fidelibus coli et honorari, et cum debito honore transferri in ecclesiam Cathedralem; cetera vero Corpora prædicta non esse tamquam Corpora sanctorum Martyrum colenda, sed ad partem ponenda in loco decenti et honesto, donec Altissimo placuerit demonstrare an vere sint sanctorum Martyrum Corpora. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium præsentes, per infrascriptum nostræ Congregationis Rituum Secretarium, fieri jussimus; manu nostra propria subscripsimus, et nostri soliti sigilli impressione muniri fecimus, hac die decima sexta mensis Julii, anno Domini millesimo sexcentesimo duodecimo, Pontificatus vero ejusdem Sanctissimi in Christo Patris et D. N. D. Pauli divina providentia Papæ Quinti anno octavo. Franciscus Maria, Tituli S. Laurentii in Lucina Cardinalis a Monto loco sigilli appensi. I. P. Mucantius Secretarius Congregationis.

D

EX MSS. solum S. Medici corpus jubet exponi,

cetera honeste recendi.

anno 1612.

E

DE SS. SALONITA

BIGATO, LAMTANO, LUNITANO

MARTYRIBUS THESSALONICÆ IN MACEDONIA

Notitia ex vetustis Martyrologiis MSS.

G. H.

Vetus MS. Martyrologium Serenissimæ Reginæ Sueciæ, ab Holstenio editum in Animadversis ad Martyrologium Romanum, ista habet: Thessalonicæ S. Lambanitis et aliorum trium. *Horum quatuor nomina ita exprimuntur in Lucensi Martyrologii Hieronymiani apographo:* Thessalonica Lunitani, Thessalonicæ, Bigati Lamtani fratris. *In Corbeiensi apographo tres consignantur his verbis:* Thessalonica Lanitani, Thesaulonicæ, Bagati, Germanorum. *Epternacense apographum ita eosdem profert:* Thessalonicia Salonitæ, Bigati, Lamtani. *At Blumianum.* Thessalonica, Lamtani, Thesaulonicæ. *Romanum MS. bibliothecæ Cardinalis Barberini.* Thessalonica Lamsaci, et Bogissi. *MS. Trevirense.* In Thessalonica Lamtami et Bigati. *Rabanus eos ita refert.* Thessalonica Bigati, Lantani. *Quæ verba inde translata sunt ad Martyrologium sub nomine Bedæ vulgatum. MS. Florentina Magni Ducis et Strozzii.* In Thessalonica sanctorum Martyrum, Bigatii, Laterani. *En quanta varietate hi Thessalonicenses Martyres referantur. In Epternacensi primum nomen* Salonitæ, *aliis* Thesaulonicæ *et* Thessalonicæ *scribitur. Secundum* Bigati *aliis* Bagati *et* Bigitti; *Tertium* Lamtani *aliis* Lantani *et* Lampsaci, *cui quartum nomen in Lucensi est* Lunitani, *Corbeiensi* Lanitani. *Jam vero palæstra* Thessalonica *omissa, inveniuntur nomina in MSS. Augustano S. Udalrici,* Bigati, Banthanii; *in Parisiensi Labbei,* Bigati, Lamentani, *in MS. antiquo monasterii S. Cyriaci,* Lamtanii, Labunciæ. *Casinense et Altempsianum,* Lamsani, Solonicæ *habent. At* Romæ *adscribuntur in MS. Vaticano S. Petri nomina* Lampsais, Salonicæ. *Et Alexandriæ tribuuntur in MS. Aquisgranensi* Bigatus, Lantanus. *Iterum die* XXVI *Junii in MSS. Richenoviensi et Rhinoviensi ista leguntur:* Thessalonica Lantani, Bigati, *seu* Bigiti: *item in MS. Epternacensi.* Et in Thessalonica Lantini. *Ita etiam refertur* Bigatus *a Notkero, sed Alexandrinis adjunctus.*

C

F

Referuntur etiam ad 26 Junii.

D. P.

DE SANCTIS MARTYRIBUS ROMÆ PASSIS,

LUCEIA VIRG. ET AUCEIA REGE,

ANTONIO, HERENEO, THEODORO, DIONYSIO, APOLLONIO, APAMIO, PRONICO, COTEO, ORIONE, PAPICO, SATYRO, VICTORE.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

De Actis, ætate, et cultu, etiam I Julii et apud Græcos VI ejusdem.

AN. CCCI.

Annum indicat Urbis Præfectus,

Romanæ urbis *Præfectorum Indiculus, ex temporibus Gallieni et anno Christi* CCLIV, *per anno centum deductus, atque productus ab Ægidio Bucherio nostro Capite* 13 *Commentarii in Canonem Paschalem Victorii, prætitulatæ Martyrium cohorti lucem præcipuam præfert. Nam* B *qui ibidem,* Titiano II et Nepotiano Coss. *id est anno Christi* CCCI, *Diocletiano et Maximiano Ecclesiam persequentibus, dicitur Præfecturam urbis administravisse* Ælius Dionysius,*in eorumdem Actis simpliciter* Ælius *nominatus, satis verosimiliter demonstrat annum quo passi ipsi sunt; cum totis illis centum annis alius nullus* Præfectus, Ælius *dictus, inveniatur.*

nomina sociorum habentur ex Actis,

Habemus ea Acta ex duobus insignibus MSS. altero Vaticano Romæ a nobis, altero apud S. Amandi in Hannonia monasterium invento a Rosweido: et eadem sæpius alibi vidisse meminimus. Mire autem prædicta duo MSS. conveniunt, tota phrasi nominibusque ipsorum Pugilum; nisi quod Theodorus et Dionysius *scriptori Amandino exciderint. Ast Græcis, quibus iidem recoluntur (ut infra dicam)* VI *Julii, pro* Hereneo, Theodoro, Dionysio, *obrepserunt,* Serenus, Diodorus, Dion; *pro* Apamio *quoque* Papianus: *pro* Coteo, Cotyius, *pro* Orione, Oronus *legitur apud eosdem, nec reliquorum numerus indicatur.*

et nomen Palæstræ Roma

2 *Ex Actis illis, utrobique (ac verosimiliter etiam alibi) affixis huic diei in titulo, Palæstram* Romam *notarunt Ado, Usuardus, Rabanus, Notkerus: et duo quidem priores, hoc modo;* Romæ S. Luciæ Virginis cum aliis viginti duobus. *Rabanus, omissis sociis,* C *solius* Auceiæ Regis *nomen addidit; Notkerus utrumque distinctius expressit, hoc modo:* Romæ Luceiæ Virginis et Auceiæ Regis, qui cum aliis viginti duobus pariter martyrio coronati sunt. *Quod in Martyrologio Centulensis monasterii addatur* Via Salaria, *vereor ne aliunde irrepserit; cum tale nihil habeant Acta, ubi post decem socios nominatim expressos, in Vaticano,* alii novem, *in Amandino* decem *scribuntur, quorum* nomina soli Deo cognita sunt. *Ista autem diversitas ex eo orta videtur, quod, omni in numero* XXII *convenirent scriptores, dubitarent an illi* Auceiam *includerent: uti aperte fecit Wandelbertus, sic canens:*

quod secuti Usuardus aliique.

Septeno Romam Luceia exornat honore,
Campio * bis deno et bino Martyre læta,
In quibus Auceias socio conlucet honore.

* i. pugil. victric.

Apographa Martyrologii Hieron.

3 *Vetustiora istis omnibus sunt Martyrologii Hieronymiani quatuor apographa sæpius allegata: sed eadem brevitate sua magnas huic martyrio tenebras offundunt: nam Epternacense solum* Luceiæ Virginis *nomen habet, et quidem Thessalonicensibus Martyribus, cum conjunctione.* Et *adjectum; neque magis eamdem ab illis distinguunt alia. Non Corbeiense, ubi absque illa particula, post memoriam* Lamtani, Bitiga Germanorum, *sequuntur nomina* Luceiæ Virginis et Auceiæ Regis. *Non Blumianum aut Lucense: quin potius hæc errorem, ex prioribus facile arripiendum, manifeste adstruunt; cum scribunt primum quidem* et in eadem civitate *(antea autem* Thessalonica *nominabatur)* Luceiæ Virginis et Aceiæ Regio; *posterius vero etiam corruptius,* Lnceiæ Virginis et Aceiæ Virginis loco Regis. *Genuini autem Bedæ supplementa. Atrebati et Tornaci ad hunc vacantem ibi diem, infarciunt hæc,* In Thessalonica civitate natale S. Luceiæ Virginis. *Hæc dum considero, et quod eadem vetustiora Martyrologia* Luceiæ Virgini Romæ *passæ, die præcedenti concorditer addunt socios* XXII, *omnino cogor dubitare sitne alia* Lucia, *hic et ibi etiam sub nomine* Luceiæ *relata: si tamen diversæ sunt, valde propendeo ut existimem, propter nominis similitudinem factum, ut* sociis XII *hic nominatim signatis, alii adderentur* IX *vel* X, *ad complendum numerum istic relatum. Græce certe, præter eos quos ab iis nominari dixi, Anonymorum nullorum mentionem faciunt.*

sola 2 nomina satis ambigue referunt, E

ut videantur ea Thessalonicensibus jungere,

4 *Quid Galesinius, Maurolycus, Felicius, Ferrarius, et similes recentiores bene vel male de iisdem Sanctis scripserint, nihil attinet ventilare. Unum hic omitti propter antiquitatem non potest, quod eadem omnia vetusta quatuor Hieronymiani Martyrologii apographa, in quibus ad præsentem diem tam jejunia utriusque fit mentio, sociis* XXII *ad præcedentem diem aliamque verosimiliter* S. Luciam *relatis ad diem* I *Julii consentiant in iisdem, cum novem vel octo sociis referendis, et quidem expresse ut Romæ passis, hoc modo;* Romæ S. Gaii Papæ, et natalis SS. Luceiæ Virginis et Auceiæ Regis, cum aliis octo. *Ita MSS. tria, Epternacense, Corbeiense et Blumianum. Lucense silet quidem urbem* Romam, *sed dum illos conjungit* Gaio Papæ, *satis locum explicat, et numerum augens* VIII *scribit; ut vel ex hoc nostra confirmetur conjectura, de* Viginti duobus *male traductis a die* XXIV *ad* XXV *Junii; ex duodecim autem qui nominantur in Actis, nonnulli fortassis spectant ad aliam classem Martyrum, ipsis Kalendis* in eadem urbe *Roma passorum, sub nominibus* Esici *vel* Isici, Processi, Marini *alias* Marinæ *seu* Martiniani, Antoni *vel* Antonini, Sereni, Victoris.

F *distinctius autem I Julii cum 8 vel 9 sociis,*

per modum (ut videtur) Octave

5 *Rhabanus ex dictis colligit Kalendis istis priores poni ad solemnitatis incrementum, ac forte ad indicium potioris cultus, in talem diem relati; itaque scribit:* Eodem die Romæ Octava Luceiæ Virginis Sanctimonialis, cum Auceia Rege sponso suo: *sed Petrus de Natalibus lib.* 6. *cap.* 4 *aptius* Dominum carnalem *vocavit. Interim, si vera est illa Rhabani de* Octava *divinatio, eximium plane istorum Martyrum Romæ cultum fuisse demonstraret. Etenim continuatio alicujus festi per integram hebdomadem ejusdemque iterata celebratio die octava, primis Christianæ pacis seculis*

A *seculis ignota fuisse videtur, cum in Missali Gallo-Gothico nusquam inveniatur. Vetus Romanum Kalendarium, quod ante annos fere plus quam nongentos exaratum Parisiis Joannes Fronto illustravit, præter* Octavas Domini Paschæ et Pentecostes, *solas novit* Octavas Apostolorum *Petri et Pauli. Gelasianus Codex Sacramentorum insuper habet* Octavas S. Laurentii et S. Andreæ, *sed hæc rursum Codex Gregorianus omittit. Habet quidem uterque codex sicut et Kalendarium Frontonis,* XXI *Januari et* XXVIII, Natale S. Agnetis ; *sed dum primum* de Passione, *secundum* de Nativitate *vocatur, non tam* Octava *ea videtur, quam aliud festum, sicut sunt Nativitas et Decollatio Baptistæ; idque indicat Gelasiani codicis Secreta ad* V *Kal. Februarii cum ait, quod Sancta ista* ab exordio sui usque in finem beati certaminis sic extitit gloriosa, ut ejus nec initium debeamus præterire nec finem. *Si ergo vel hoc vel alio modo geminata aliquando Romæ fuit* SS. Luceiæ et Auceiæ *festivitas ; rara ea omnino prærogativa fuit, cujus non facile sit rationem reddere, nisi aliquam forte sanctorum Corporum translationem tali die factam, cujus una cum ipsis desierit cito haberi memoria.*

Fuit Luceia nata in Campania Urbicaria,

B 6 *Vixit* Luceia *peregre, non ut captiva, sed ut libera. Deum suum, ut vellet colere permissa annis* XX, *ante quos abducta illa fuit cum esset* civis Urbica de territorio Urbicario, *ut habet MS. Vaticanum ; Amandinum vero interpretatur* de territorio Campaniæ : *unde Græci in Menologio apud Sirletum , de* Campania Regione natam *dicunt, eoque distinguunt a* Lucia Syracusana. *Istud vero non eo intelligendum est sensu, quo ultra Neapolim* Campaniæ *nomen porrigitur ; sed quomodo id hodiedum restringitur ad* Campaniam Romanam ; *et quomodo ex altera urbis parte nunc dicitur* Fuscia suburbicaria, *ad Ecclesiæ Romanæ patrimonium pertinens. Videsis Baronium ad annum* 325 *num.* 134 *et* 135. *Ibi is erudite docet* Urbicarium *et* Suburbicarium, *eodem sensu dici; non tamen eodem, quo* Urbanus *et* Suburbanus : *harum enim vocum strictiorem esse significationem docet, istas latius patere; sic ut non solum terras, sed et Provincias integras complectatur, Juliano Imperatore ad Taurum scribente, emphiteuticorum fundorum vires servandas,* per omnem Italiam , tum etiam per omnes Urbicarias Africanasque regiones. *Verum hic tum ipsa* territorii *appellatione, tum etiam ex eo quod Sancta jussa redire* ad civitatem suam, de qua capta *erat,* Romam *properavit, satis intelligitur prope urbem nata in Suburbanis fuisse.*

id est suburbana,

unde Græci ad 6 Julii male formarunt nomen Rexi Vicarii,

C *Non bene hoc intelligens Bartholomæus Tridentinus, repertus inter Cardinalis Barberini rariora MSS. Epitomen Actorum sic orditur :* Luceia Virgo, civis urbe Caria. *Male scilicet divisit, quo unico verbo legendum erat,* civis Urbicaria. *Et sic forte antiquitus legebatur, soliusque explicationis causa additum fuerit (subintelligendo,* id est, *particulam in talibus usitatam)* de territorio urbicario.

7 *Interim Græci, ad* VI *Julii, Sanctos hosce in sua relaturi Synaxaria ; ut multa alia perperam ex Latino transtulerunt, ita cum initio forte legerent,* Λουκεία ἐξ Οὐρβικαρίου, *et in progressu Legendæ invenirent ejus Dominum per illam conversum ; ac vero similiter suspectum haberent nomen* Λουκεία *quasi per errorem geminatum a librario; crediderunt se verum nomen socii invenisse ; scripseruntque in titulo,* Μνήμη τῆς ἁγίας Λουκίας τῆς παρθένου, καὶ Ρήξου βικαρίου, καὶ ἑτέρων πλείστων ἐν Καμπανίᾳ μαρτυρισάντων. Memoria S. Luciæ Virginis, et Rexi Vicarii, et aliorum plurimorum in Campania martyrizatorum. *Fortassis etiam ex Latino* Regis *factum illis est* Ρήξου: *quæ omnia tam merito explodentur, quam Pseudo-dexter Hispanicus, qui Sanctos hosce Juliobrigam traducturus, passos ibidem ait* sub Præside Rictiovaro, *quem novimus Præfectum Galliarum sub Diocletiano, rectius fortasse diviso nomine appellandum* Rictium Varum. *Pergunt porro Græci, errore isto semel posito, et* Rexi , *et* Vicarii *per* Luciam *conversi, meminisse nulla facta* Auceiæ Regis *mentione. Hoc tamen me non commovet, ut divereos statuam : nam quod ad diversitatem diei attinet, jam experientia comperi, majorem partem Sanctorum, a Latinis acceptorum, diverso apud Græcos die coli ; quamvis ejus diversitatis, præter arbitrarium institutionem, causæ nihil reddere in plerisque possim, neque semper translationem aliquam Reliquiarum, tali die ad ipsos factam, cum verosimilitudine suspicari.*

sicut Hispani in Pseudo-dextero Rictiovari nomen,

D AUCTORE D. P.

loeoiynocræo Regis Barb ar um

8 *Superest quærere, quomodo* Auceias Rex Barbarorum *(sic enim vocatur in Actis)* ex Campania Urbicaria *potuerit captivam abduxisse* Luciam, civem Urbicam seu Urbicariam, *idque annis* XX *antequam Præfecturam Urbis susciperet Ælius, aliis* Elius *et* Helius *passim scriptus, sicuti etiam urbs Hierusalem promiscue scribitur,* Ælia, Elia *et* Helia ; *anno scilicet* CCLXXX *vel sequenti, Probo Imperatore. Lucem huc aliquam afferet Flavius Vopiscus in Porbo, ab anno* CCLXXVI *ad* CCLXXXII *Romanis dominato, de quo ait ;* quod in Illyrico Sarmatas ceterasque gentes ita contudit, ut prope sine bello cuncta reciperet quæ illi diripuerant. Tetendit deinde per Thracias, atque omnes Geticos populos... aut in deditionem aut in amicitiam recepit. His gestis Orientem petiit..... Barbarorum qui apud Isauros sunt,vel per terrorem, vel per voluntatem ingressus est loca... Blemyas etiam subegit , quorum captivos Romam misit. *Quidni ex aliqua istarum gentium Regulis quispiam, Probum vel sponte vel invite secutus usque Romam, ac deinde ad suos remissus, non quidem aperti belli jure, vel latrocinii manifesti injuria* Luceiam *acceperit : sed dole ae fraude interceptam, barbarica licentia secum abduxerit ? Quodsi omnino apertam vim malis, audi eumdem Vopiscum sic porro narrantem.* Cum ex Gepidis, Gautannis, et Vandalis plerosque in Romanum solum transtulisset *Imperator,* illi omnes fidem fregerunt; et occupato bellis tyrannicis Probo, per totum pæne orbem, pedibus et navigando vagati sunt, nec parum molestiæ Romanæ gloriæ intulerunt. *His ita prævie explicatis, nihil video cur recipi hæc Acta non possint, non solum ut antiqua, sed etiam ut sincera graviterque et verosimiliter scripta ; neque ullatenus similia iis quæ excusare cogimur, tamquam multis post rem gestam seculis ex parum sincera traditione, aut etiam præsumpta verosimilitudine adornata circumstantiis, fabulam potius quam historiam referre judicandis.*

E *a Probo Imp. domitorum an.* 280 *vel sed.*

F

ACTA

Ex duobus vetustis Codicibus MSS.

Luceia Virgo Dei, sanctimonialis civis urbica, de territorio Urbicario capta est ab Auceia Rege Barbarorum. Cum vero cepisset eam et duxisset in patriam suam, videns eam esse pulcherrimam, voluit corrumpere. Hæc sane ut vidit illius libidinosi Regis insaniam, ait ad illum : Noli mihi vim facere, quoniam magnum habeo sponsum, qui statim vindicet injurias meas de te. At ille iracundia repletus, dixit ad eam : Et quis est sponsus tuus, vel cujus est potestatis, ut vindicet injurias tuas de me? At illa fiducialiter, ut ancilla Christi, nihil metuens, respondit ad eum ; Deum habeo Dominum Jesum Christum sponsum, qui est in cœlo, cui me devovi virginem, qui habet potestatem universæ carnis, cui servio sine macula, qui est potens præstare omnia petentibus se ex fide. At ille hæc audiens, dixit ad eam, Tu ergo, ut video, Christiana es. Castissima Dei dixit, Christiana sum plane. Audiens vero eam condignum

Captiva abducta, ne violaretur,

profitetur se Christum sponsum habere ;

EX MSS.

A Christianam, timore territus est valde, et digne cœpit honorare eam. Statimque jussit cubiculum condignum fieri, ubi nullus virorum haberet ingressum, et lectum ibidem jussit fieri, et puellis mandavit ut ad obsequium essent paratæ, ita ut nec discederent ab ea, sed honorifice essent paratæ ad obsequium ejus, dicens eis; Hæc virgo magna est, quæ Deum qui est in cœlo colit. At illa ingressa in cubiculum, cœpit orationibus et jejuniis vacare, gratiasque maximas agere Deo die et nocte, qui eam dignam habuit respicere positam in captivitate, et tantam haberi eam in conspectu Regis alienigenæ: pro quo etiam frequenter orabat Deum, ut nihil illi mali eveniret, neque domui ejus.

ideoque permissa ut vellet vivere,

2 Cum hæc agerentur, contigit post paucum tempus, ut ad bellum iret contra adversarios suos; et dum proficisceretur vocavit ancillam Christi, et ait ad eam: Luceia, ancilla Dei, pete Deum tuum pro me, ut sanus redeam ad domum meam, triumphator de adversariis meis, et amplius te honorabo. At illa respondens dicit ad eum, Valde, inquit, sanus et salvus reverteris; credo enim in Dominum meum Jesum Christum, quia incolumem te reducet. B At ille profectus venit contra adversarios suos; devictisque eis habuit magnum triumphum de inimicis suis, venitque in domum suam cum magna gloria; magis magisque apponens ut illam honoraret velut matrem, quod ita ei provenisset: intellexit enim quod ejus petitionibus Dominus eum adjuvasset. Longum est totum, quod per eam Dominus est operatus, enarrare per ordinem rerum gestarum: sed omnia breviter prosequar. Quoniam quotiescumque ivisset ad bellum, sive provocatus sive voluntate, ita ei contingebat, ut prostratis inimicis suis inde victor rediret in domum suam. Dominus autem Jesus Christus orationibus ancillæ suæ Luceiæ hoc illi præstabat.

Domino suo victoriam sæpe obtinet suis precibus,

qui eam post annos 20, ut jussa divinitus, redeuntem,

3 Cumque complesset ibidem viginti annos supramemorata sancta Luceia, Dominus nocte in visu apparuit ei dicens; Exurge, inquit, Luceia, et amplius hic ne moreris; sed revertere ad urbem vel ad civitatem de qua capta es, quoniam oportet te ibi martyrium tuum complere. At illa exurgens primo mane, exultans et gaudens ac gratias agens Deo, quod illa nocte eam visitaret dignatus est, et hoc illi præcepisset ut ad civitatem suam remearet; magis autem ut ad gloriam martyrii festinaret; ait ad Regem Auceiam, Permitte mihi ut C redeam ad patriam meam; quia ibidem cursum meum habeo consummare; siquidem ad coronam Martyrii vocor, sic enim revelavit mihi Dominus meus Jesus Christus, cui servio corpore et spiritu meo immaculata. Vide ergo, ne velis me hic retinere, et graveris. At ille inquit ad eam; Si sic hinc exieris, ego hic ut quid remanebo? Non expedit mihi: nam venient adversarii mei, quos Dominus tuus semper orante te interfecit, et occident me, ideoque omnia mea relinquens veniam tecum. Sanctissima Virgo Dei Luceia respondit, dicens ei; Si placet tibi hoc, veni; credo enim in Deum meum, quod te sibi servum adoptabit et sociabit gregi suo sancto. Audiens autem hæc Auceia Rex, dereliquit domum suam, necnon et matronam et filios suos, et omnia sua, et comitatus est ancillam Christi; non ut alienigena, sed ut domesticus Sanctorum; non ut barbarus, sed ut civis Romanus; non ut lupus, sed ut ovis Christi, iter agens cum magna Dei famula Luceia; et utrique properant Romam. D

dimissis omnibus Romam sequitur:

ubi ipsa a Præfecto Urbis Ælio,

4 Ingressis vero in civitatem, persecutionis tempus agebatur; ita ut religiosa Luceia, quæ in captivitate commonita revocata fuerat Romam, se palam ostenderet. Post paucos dies comprehensa est sancta Luceia a ministris, et adducitur ad Urbis Præfectum Ælium, qui dixit ad eam; Tu Christiana es? Virgo Dei respondit, Christiana sum, nam ad hoc me Dominus post viginti annos de captivitate revocare dignatus est, ut Martyrii coronam accipiam. Præfectus dixit: Jusserunt Imperatores Christianos aut sacrificare aut interfici. At illa respondit, Dixi tibi quia parata sum mori: nam ad hoc me Dominus de captivitate revocare dignatus est, ut passa certamen accipiam coronam. Sic Præfectus, data sententia jussit eam decollari. E

capite plexa,

5 Cumque hæc vidisset Auceia Rex in ancillam Christi gestum esse, et ipse offerens se Præfecto dixit: Et me cum ea jube decollari, quia vere hæc Domina mea est. Præfectus interrogavit eum, quis esset. At ille respondit; Ego sum Auceia Rex gentis meæ, qui eam ceperam cum contra Romanos pugnarem; nam multa mihi Deus ipsius per eam præstitit, quam ego per annos viginti venerando in castitate servavi: sed cum Deus ipsius apparuisset ei, ut veniens Romam martyrium susciperet; elegi magis et ego, derelictis meis omnibus, pro nomine Dei ipsius mori cum ea, quam vivere in regno. Præfectus dixit, Quomodo sic, qui Christianus non es, pro nomine Dei ipsius poteris mori? Auceia Rex respondit: quod Effusio sanguinis mei credo faciet me Christianum, nec a conspectibus suis et ab ancilla sua faciet alienum. Et hunc quoque venerabilem virum, in confessione permanentem, Præfectus jussit decollari.

etiam ille se morti pro Christo offert.

6 Cum vero recepisset se Præfectus in prætorium suum, offeruntur ei alii viginti, id est, Antonius, Hereneus, Theodorus, Dionysius, Apollonius, Apamius, Pronicus, Coteus, Orion, Papicus, Satyrus, Victor, et alii novem: quorum nomina soli Deo cognita sunt. Et interrogavit eos si essent Christiani. At illi confessi sunt se Christianos esse: et jussit eos similiter decollari. Qui veneranter suscipientes sententiam, Domino gratias egerunt, qui eos ad confessionem nominis sui dignos habuit: cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen. F

Mox alii 21 coronantur.

DE SANCTIS VIRGINIBUS ET MARTYRIBUS

FEBRONIA MONACHA

LYBE, LEONIDE ET EUTROPIA,

SIBAPOLI SEU NISIBI IN MESOPOTAMIA.

D. P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§. I. *De Actis Syriace vel Græce scriptis, et ex Græco Latine redditis.*

CIRCA CCCIV.

Acta præcipuæ fidei,

T*otum hujus diei Officium, juxta Typicum Græcorum et ipsorum Magna Menæa pariterque Synaxaria omnia MSS. occupat prætitulata Sancta; cujus gloriosa pro Christo certamina, tanto ubique per Orientales ecclesias celebratiora fuerunt, quanto luculentiori testimonio scripta ea habebantur, fide scilicet oculata* Thomaidis *Sanctimonialis, locum secundum tenentis in eo monasterio, ubi* Febronia

A bronia *ab infantia fuerat educata, sub disciplina amitæ suæ* Bryenes. *Etenim illa, et cum Virgo cruciaretur præsens sub habitu seculari interfuit; et ex ipso ejus judice* Lysimacho, *melius erga Christianos quam tutor suus et collega Selenus affecto, ac postea Monacho, accuratius didicit omnia; et quæ circa cultum ei institutum Reliquiasque acciderunt, per decem aut plures annos Martyri superstes, scire certissime potuit debuitque. Græcene Thomais an Syriace scripserit incertum nobis facit, non quidem textus Græcus, quem ex MSS. Vaticanis damus, et in quo id non legitur; sed vetus inter Latinos interpres, Joannes Diaconus Napolitanus, apud quem illa, suæ scriptionis testis, ita sub finem Latine loquens inducitur;* Ego denique Thomais, ultima famularum Christi, quæ Dominæ ac venerabili Bryenæ in regimine successi, cuncta quæ huic Sanctæ evenerunt ab exordio perspicue novi; et quæ ipsa videre non potui, a Domno Lysimacho didici : propterea omnem illius vitam vel gesta [in patria lingua] seriatim stylo tradere curavi.

scripsit Thomais testis oculata;

vertit Joannes Diac.

2 *Habemus hanc Joannis versionem, prout ipsam* Athanasius Junior, Neapoleos urbis Antistes, scripturarum studio apprime eruditus, vitam et agonem B gloriosæ Martyris Febroniæ, necnon et B. Petri Alexandrinæ Cathedræ Pontificis, ex Græco stylo Latinis auribus transferre coegit. *Habemus, inquam, versionem circa finem seculi* IX *curatam, ex triplici MS. primo quidem Belgico, inter Rosweidi vetustiora collectanea reperto; sed cui deest interpretis Prologus, quodque sub initium est multo contractius, sic enim incipit.* Diocletianus Imperator, sectam Christianorum destruere cupiens, Præfectosque ad id peragendum constituens, Selenum et Lysimachum ejus nepotem in Orientis partes misit : qui assumentes Imperialia decreta et militum agmina, Orientale aggressi sunt iter. *Cetera fere sequuntur ut in Græco. Ejusdem versionis geminum exemplar ex Codice Capuano Longobardicis litteris exarato apud Monachas S. Joannis, Bollando nostro misit Silvester Ayossa Presbyter Capuanus anno* MDCXLVII *et* LI; *sed utrum eadem ibi sit contractio initii, non possum dicere, quia Codex mutilus est fere usque ad num.* 17. *Tertium porro describi curavimus Romæ anno* MDCLXI, *ex Codice similiter Longobardico, qui Cardinalis S. Severini fuerat, et apud D. Josephum de Costa Cardinalis nepotem atque heredem servabatur; in quo integra omnia (etiam ipse Prologus) ac forte ipsius Joannis* C *Diaconi ætate scripta, cujusmodi etiam Codex Bovinensis a Bartholomæo Chioccarelli, libro de Episcopis Neapolitanis allegatus, ut simili charactere in membrano scriptus. In istis legimus interpretem excusantem ipsum se, quod,* quia Latina consuetudo Græco idiomati respondere minime sufficit, non verborum copia sed sensus ubertate, transferre *prædictam Vitam conatus sit* quibusdam additis, quibusdam ademptis : *quapropter consultius existimavi novam fidelioremque adornare versionem; antiquiori omissa, Græco textui ex latere responsuram.*

qua versione ex 3 MSS. omissa,

domus propriam noram.

Acta male adscripta Metaphrasti et diei 15,

3 *Ceterum sive* Græce, *quod non mirarer, scripserit* Thomais; *sive, quod ait Joannes, et in suo codice forsitan legebat,* Syriace; *extitit tamen Græcus contextus, diu ante Metaphrastem, cui ille apud Lipomanum et Surium imperite adscribitur, quia inventus inter Vitas ab eo aut sub ejus nomine collectas : an inventus est autem textus ille ab ipsis sub nota diei* XV? *quia sub finem, post narratam dentis unius translationem, sic legebatur;* Repositæ sunt S. Febroniæ Reliquiæ quintodecimo die mensis Junii : *dixerim potius veteris librarii errore factum esse, (ut pro* κε' *irrepserit* ιε' : *hoc enim suadent omnes Græcorum Fasti, quibus accensendi Pactenses in Sicilia, unde Octavius Cajetanus* Febroniam *inseruit suo Siculo Martyrologio in Operis Idæa. Ad unum diema Græcis discrepat Joannes Diaconus, in omnibus pariter MSS. asserens, Reliquias collocatas et ecclesiam dedicatam esse Sanctæ,* D die quo ipsa pro Christo Martyrium suscepit, hoc est octavo Kal. Junii, *quod esset* XXIV *mensis.*

aut 24 Junii

4 *In Græco nihil de die mortis legitur, ideoque vereor ne ista Joannis conjectura sit, cui (ut de differentia unius diei taceam) fortassis præivere Synaxaria Græca, tali die ponentia titulum* Ἀθλήσεως; id est certaminis S. Febroniæ : *quomodo etiam fecit Auctor Ephemeridis metricæ : cujus hic versus profertur :*

vindicantur diei 25, non tamen mortuali.

Δῶκε Φεβρωνία τὴν αὔχενα εἰκάδι πέμπτῃ,

Vicena quinta tendit Febronia collum.

Sed jam alibi ostendimus, in ejusmodi solere Græcos diem cultus martyriique confundere : quamvis mirum non foret, si dedicandæ ecclesiæ idem fuisset electus dies, qui erat Martyrii anniversarius : et huic congruentiæ favent Hagiologium Habessinorum, et Kalendarii Coptici apud Seldenum Ordo primus, ubi ad initium Abibi respondens XXV *Junii, in hoc quidem notatur memoria* S. Afraniæ Virginis, *in isto* Kephronia *salutatur (ita pro varietate linguarum alterantur subinde nomina) et laudatur quod* eam non valuerunt Diocletiani asseclæ avertere a Christi amore, quamvis ei dentes omnes excusserunt, et artus amputarunt. E *Istis autem Græcos hic sequentibus, minus mirum idem fecisse Moschos, a Græcis immediate instructos, in quorum Synaxario, titulo non usitato, vocatur* Simillima Martyri Phebronia.

5 *Locus Martyrii atque cultus, in Actis a Thomaide scriptis vocatur* Sibapolis; *et hæc describitur,* sita in confiniis Assyriorum, sub Romanorum *tamen* potestate, *adeoque haud longe a Tygri flumine, utriusque imperii, Persici inquam et Romani, diribitore. Sed ubi textus noster Græcus habet,* τὴν Σιβάπολιν, *ibi alius, quo usus Joannes, videtur legisse* τὴν τοῦ Σιβᾶ πόλιν; *ubi cum extrita forsitan esset littera* T, *ipse articuli diphthongum reliquam conjungens nomini, legit* οὐσιβᾶ; *itaque vertit,* urbem cui vocabulum Usiba. *Auctor prolixi in Menæis Synaxariisque encomii, dicit vixisse Sanctam,* ὑπὸ τὸν κάνονα τῆς κατ' αὐτὴν μονῆς, ἐν τοῖς μεθορίοις Περσῶν καὶ Ῥωμαίων διακειμένης, ἐν πόλει λεγομένῃ Νισίβῃ, ἥτις λέγεται Ἀντιόχεια τῆς Μυγδονίας, secundum Regulam sui monasterii, jacentis ad confinia Persarum ac Romanorum, in civitate Nisibe dicta *(est* Nisilis *aliis)* quæ nominatur, Antiochia Mygdoniæ, *scilicet a Mygdonibus, ex Macedonia illuc translatis ab Alexandro Magno. Ea certe urbs Episcopalis fuit, quod de* Sibapoli *in Actis asseritur; et quamvis nequaquam sit adsita Tigri, sed facile ad* XX *leucas distet ab ejus ripa; Mygdonius tamen fluvius illum interluens, Tigrim subit; et Imperio* Romani limites *sive* Assyriorum confinia, *suam latitudinem habere censentur, cum proportione ad utriusque termini amplitudinem. Forsitan etiam* Nisilis, *Syriaca dialecto idem valet, quod in lingua Græca* ἡ τοῦ Σιβᾶ πόλις. *Idque eo verosimilius credi potest, quod nullus tota Mesopotamia locus sit, nedum urbs Episcopalis, quæ apud Geographos veteres, Ptolomæum et alios,* Sibapolis *appelletur.* F

Palæstra Sibapolis,

non Usiba, ea putatur esse Nisibis.

6 *Tempus Martyrii videmur posse definire extremos annos* Diocletiani, *tunc ferme agentis Nicomediæ, unde in Orientem missus sit Lysimachus. Huic enim, post necem* Febroniæ, *non impune cessisset, abdicato ad quod missus erat officio, Christianum ac Monachum factum mox fuisse, pleramque Christianis dedisse libertatem ; nisi sub idem tempus anno scilicet* CCCV, *Imperium abdicasset Diocletianus; itaque successorem ejus Galerium Maximianum, quamvis Christianos similiter persequentem, facilius ille latuit; prius forte mortuus, quam in extremo illo Oriente recrudesceret persecutio, per Lysimachi conversionem interrupta. Idem persuadet ætas Bryenæ, jam tum anus cum* Febronia *pateretur,*

Tempus martyrii anno circiter 304.

A *retur, et tamen usque ad annum circiter* CCCXX *superstitis : vixit enim biennio post dedicatam ecclesiam : cui cum sex annis allaboratum fuerit, nec potuerit initium dari ante annum* CCCXI, *non potuit illa moriente* Febronia *anus fuisse, nisi seculo* IV *passa hæc sit : etenim non nisi anno* CCCXI *prodiit Galerii præfati Decretum, quo cessare jussa est persecutio, et libertas concessa est Christianis cœtus suos agendi, adeoque etiam extruendi ecclesias ad eumdem finem.*

AUCTORE D. P.

§. II. *De S. Februoniæ et aliarum trium cultu Constantinopoli.*

Quamdiu antea passæ 3 aliæ incertum,

Quas in titulo junximus S. Februoniæ *non ut Martyrii socias, sed ut eodem loco verosimiliter passas, ipsique a Bryene præfata, in exemplum subeundi constanter agonis propositas num.* 15, *eas putamus pluribus annis prius coronatas fuisse. In iis tamen hic nominandis sequimur Synaxarium Divionense nobis alias a Chiffletio commodatum, ubi post memoriam* S. Februoniæ, *ponitur,* Μνήμη τῶν ἁγίων Μαρτύρων, Λεωνίδος, Λιβύης καὶ Εὐτροπίας, τῆς μὲν διὰ πυρὸς, τῶν δὲ διὰ ξίφου τελειωθέντων, Memoria sanctorum Martyrum, Leo- B nidis, Libyes, et Eutropiæ : quarum una quidem igne, aliæ vero gladio consummavere agonem.

laudantur sigillatim in Synaxario MS.

8 *Adduntur ibi consequenter hæc disticha.*

Πηδᾷ Λεωνὶς εἰς τὸ πῦρ τοῦ καμίνου
Ὡς εἰς τροφὴν Λέαινα πεινῶσα σφόδρα.
Leonis ignem clibani ardentis subit,
Leænæ adinstar valida quam stimulat fames.
Κομμωτικὸν τιβάμμα, νύμφη Κυρίου,
Βάπτει Λιβύη, δοῦσα τὴν δέρριν ξίφει.
Dum sponsa Christi gladio pellem tradit,
Non invenusto tingit ipsa se fuco.
Ὁ κόσμον αὐχῶν νοστιᾶς συσχεῖν δίκην
Ὑπ' Εὐτροπίας καίζεται τετμημένης.
Qui gloriatur pro pullo habere mundum,
Capite minutæ Eutropiæ factus est ludus.

non sine mendis:

Sed nescio quomodo Eutropiam *gladio cæsam sibi potuit imaginari Poeta, quam Bryene expresse dicit* sagittis confixam *concidisse.* Lyben *etiam illa nominat, quam ipse* Libyen *facit. Joanni Diacono* Libys *redditur, qui et jam nomina femina in* Is, *ut* Platonis, Leonis, Thomais, *Latine perperam terminat in* ides, *quæ est terminatio Masculina ; quod vitium Indici hodierni Romani frequens est, exemplum secutis qui ipsum Martyrologium in vulgares linguas verterunt.*

9 *Philippus a Visitatione, in sua Sanctorum ac Beatorum Carmeliticorum Acie (ut vocat ipse) bene* C *ordinata,* Februoniæ *addit Martyrii æque ac professionis Socias* Thomasiam, *pro Thomaide, et* Briennam ; *cum tamen de harum martyrio nihil legerit in Surio, quem solum auctorem laudat. Nescio autem quænam sit illa* Calendariorum copia, quæ illas Virgines Ordini Carmelitano asserit, *ut Notæ MSS. indicant : cum Speculi Carmelitani Auctores talia nusquam invenerint, sicuti neque Lezana ; haud facile alias omissurus occasionem sui Ordinis antiqua monasteria usque ad confinia Assyriæ extendendi. Synaxarium Collegii nostri Parisiensis, (quod Constantinopolitanæ alicujus ecclesiæ fuisse omnino existimamus, quia omnes Urbis illius Festivitates accuratius multo quam alia uspiam nobis visa, indicat) postquam de* Februoniæ *martyrio eadem proposuit quæ passim cetera; addit, quod* τελεῖται ἡ αὐτῆς σύναξις ἐν τῷ Προφητείῳ τοῦ ἁγίου Προφήτου Προδρόμου, καὶ Βαπτιστοῦ Ἰωάννου ἐν τῇ Ὀξείᾳ Agitur ipsius festivitas in Prophetico templo sancti Prophetæ Præcursoris et Baptistæ Joannis, quod est in Oxia : *quodque aliis quatuordecim, eidem Sancto dicatis, et in eadem urbe repertis ab Eruditissimo Cangio, addas licet ; dum interim quæres ad quam urbis Regionem* Ὀξεῖα *pertineat.*

an etiam Thomais et Brycnna Martyres ?

Cultus C. P. in æde S. Joannis Baptistæ in Oxia.

10 *Cultum istum credibile est inductum per aliquam Sanctæ Reliquiam, Constantinopolim adductam, ipsumque forsitan integrum corpus. Græcum enim Canonem, cujus Acrostichis.* D

quo videtur translatum corpus,

Ὑμνοῖς σε μέλπω προφρόνως Φεβρωνία ;
Febronia, hymnos provide canto tuos.

Canonem inquam istum, non puto intelligendum de arca corporis adhuc in Mesopotamia existente, quando ille compositus est ; dum penultimam Strophem sic concludit : Ἰάσεις ἀναβρύεις ὡς ποταμὸς ῥοίσηδὸν, τοῖς ἐν πίστει προσέουσι σου τῇ σεπτῇ θήκῃ. Ut fluvius, cum impetu decurrens exundat curationibus, in eorum gratiam, qui cum fide adhærent tuo sancto loculo. *Etenim* Nisibis *anno* CCCLXIII, *cedente ultro Joviano, pacem a Persis post Juliani necem et cladem redempturo, in eorum venit potestatem, nec deinceps amplius ad Romanorum jus rediit : a qua si diversam ponere quis velit* Sibapolim, *hanc illis tanto magis debebit relinquere, quanto propiorem faciet ipsorum ante id bellum finibus. Non est autem credibile, Christianos ibi manentes, inde non extulisse quotquot potuerunt Sanctorum pignora, saltem tunc quando sacra eorum omnia pessumdabat impiissimus Chosroes, paulo post annum* DC *contra Romanos insurgens, ac Hierosolymam usque et ultra progressus cum populabundo exercitu.* E

post urbem Persis traditam anno 363

vel saltem sub Chosroe.

§. III. *Cultus S. Februoniæ apud Latinos, præsertim Trani in Apulia.*

Serius Latini alii 15 Junii

Sic nota cultaque apud Græcos Febronia ; *tandem etiam Ecclesiis Occidentalibus innotuit. Primum quidem per aliquas Tranum in Calabriam appulsas Reliquias, ut mox dicam, eaque occasione redditis Latine Actis, et per varia Legendaria sparsis ; deinde per novam Actorum eorumdem translationem apud Lipomanum et Suriam, sed sub prænotato errore diei ; quem antea ex simili fonte etiam tenuerat Usuardi Tornacensis Scriptor, et Martyrologii Basileæ anno* MDLXXXIV *editi Collector. Errorem caverunt, Græcorum secuti Fastos, Galesinius, Molanus, Genebrardus, Ferrarius, ac denique Romani Martyrologii ex Sirleti Menologio augendi Recognitores sub Gregorio XIII : per quos factum est ut omnibus fere Occidentis ecclesiis, Romano Ritu utentibus, communis nunc sit* Februoniæ *commemoratio, sub hujusmodi elogio :* Sibapoli in Sypia *(latius sumpto nomine, ut etiam Mesopotamiam comprehendat, solumque ab Assyria distinguatur)* S. Februoniæ Virginis et Martyris, quæ in persecutione Diocletiani, sub Lysimacho Præside *(seu potius* Sileno judice) ob fidem et pudicitiam servandam, primo virgis cæsa et F eculeo torta, deinde pectinibus laniata atque igne succensa ; demum excussis dentibus mammisque abscissis *(addi poterant et pedes)* capitis damnata, tot passionum ornata monilibus, migravit ad Sponsum.

alii 25 Februariam agunt

12 *Quod civitatem Tranensem in Calabria attinet, eamdem ob causam, ob quam censui corpus non ultra sextum seculum mansisse in loco monasterii, ubi Sancta adoleverat, (si tamen tamdiu mansit) existimo illuc non ex Mesopotamia, sed Constantinopoli vel alio aliquo vicinioris Græciæ Asiæve minoris loco advectum esse brachium, seu potius manum cum parte infima brachii, cujus causa ibidem Patrona colitur* S. Febronia, *idque ex supranotato errore* XV *Junii. Imo eadem civitas putat se corpus totum habere : de quo notitiam Italice scriptam, nobisque a prælaudato Silvestro Ayossa transmissam, hic Latine subjicio.*

Tranum allatæ Reliquiæ,

13 Inter alios Protectores civitatis Tranensis est S. Febronia, Virgo et Martyr, de qua tota prædicta civitas, cum sua diœcesi festivitatem celebrat XV Junii, ritu duplicis, cum Octava ; putaturque id fieri, quia tali die allatum sit corpus. Sed quia id valde pridem factum est, non fuit possibile in Archiepiscopali ecclesia dictæ civitatis reperire locum, ubi sacer iste thesaurus lateat. Fama est bellorum causa

saltem manus una cum parte brachii,

A causa esse absconditum, atque extra arcam servatum dumtaxat brachium unum ipsius Sanctæ, in capsula argentea, quæ retinetur in sacrario. Est autem animadversione dignum, quod veneranda Reliquia illa etiamnum appareat, propria pelle vestita, cum unguibus ad digitos hærentibus, quamvis ab igne nonnihil læsa, sicut ipsa in Vita sua legitur ustulata fuisse. Adest capella, sub ipsius nomine, cum sacellania, de jure patronatus familiæ Filigeriæ, apud Neapolitanos ac Tranenses nobilis. De modo, quo illud sanctum pignus huc advenit, ex antiqua traditione habetur; quod navi quadam per tempestatem fracta circa Pudulas *(lacus est inter Tranum et Barlettam)* duobus ab urbe milliaribus, inventa sit in littore capsula cedrina, et juxta ipsam imago Salvatoris, qua in capsula repertum fuerit sacrum Corpus, absistente abinde fulgore; qui ipsa in civitate conspicuus, Archiepiscopum moverit, ad ejus causam solicitius requirendam: qua comperta ipse processionaliter egressus cum Clero ac populo, omniaque considerans esse, ut sibi relatum fuerat, insuper invenerit tabellam plumbeam, cui inscriptum FEBRONIÆ VIRGINIS.

adhærentibus etiamnum unguibus et cute ustulata,

in capsula ex naufragio appulsa,

B 14 *Græca potius inscriptio fuerit,* ΦΕΒΡΩΝΙΑΣ ΤΗΣ ΠΑΡΘΕΝΟΥ: *quæ inscriptio cum indifferens esset ad quamcumque ejus nominis aliam, puta Heraclii Imperatoris filiam* XX *vel* XXVII *Octobris hoc in opere commemorandam; dubium sustulisse debuerunt conspicuæ notæ adustionis, quas dixi; sed existimo in* capsula *sive* Casettina *(sicuti expresse nominatur voce bis diminutiva) non nisi brachium prædictum fuisse. Cœpit ecclesia Tranensis, depulsis Saracenis restituta, habere Archiepiscopos seculo Christi* XI, *et Latinis uti ritibus; secundum quos compositum ibidem fuit Officium proprium, ex Vita jam Latine reddita a Joanne Diacono, cujus etiam verba passim innectuntur Responsoriis. Sed neque hæc, neque Hymni indidem sumpti merentur huc referri; cum rudes valde sint, nec quidquam novum apti docere. Satis sit nobis Collecta haud paulo concinnius sic recitari solita:* Omnipotens sempiterne Deus, qui in Sanctis tuis es gloriosus et mirabilis, et mirabiliter in eis tuæ virtutis miracula operaris, maxime in sexu fragili; da nobis in B. Februniæ Virginis et Martyris tuæ solennitate, magnalia tuæ Majestatis dignis mentibus glorificare; ut mereamur, ejus intervenientibus precibus, ad æterna gaudia pervenire.

cum inscriptione nominis,

seculo XI vel serius

conditum deinde ibi Officium proprium,

C 15 *Ex Apulia porro videtur ad plura Neapolitani Regni Sanctimonialium monasteria, præsertim Benedictinarum (quale est Capuanum S. Jannis, unde Vitam et Officium habemus) transisse cultus* S. Februniæ. *Quod vero* in Sicilia *eadem* maxime colatur, *ut scribit in Notis ad Catalogum suum Generalem Ferrarius, non probat mihi simplex notitia, ex illius Ecclesiæ libro aliquo in margine allegato a Cajetano: cum is in ipso opere, cujus Ideam præmiserat cum ista* S. Februniæ *appellatione, hujus deinde nullam fecerit mentionem. Masinus, in Bononia perlustrata, etiam* Februniam *nominat, quasi Reliquiæ ejus sint in ecclesia S. Jacobi Majoris, et apud Confratres Reginæ Cœli. Sed an hujus, quis dicet? nec videntur valde notabiles esse, quarum ille tam jejunam inducit memoriam solitus alias distinctius explicare qualitatem quantitatemque et cetera ad rem spectantia.* D

an etiam in Sicilia usitatius?

AUCTORE D. P. an Reliquiæ Bononiæ.

16 *Saussayus, in supplemento Gallicani Martyrologii, ad diem* XXIII *Junii, ita scribit:* In monasterio fontis-Ebraldi, natalis S. Februniæ Virginis Martyris. *De eo monasterio egimus ad Vitam S. Roberti Fundatoris die* XXV. *Februarii: hanc obrem fidentius appellavi Priorem loci ut dignaretur indicare, num quæ illius ibi Reliquiæ essent, ob quas fortassis ibi solennius coleretur. Respondit autem mox perquam humaniter anno* MDCXCII, *eo tunc officio fungens adm. Rev. P. F. Soriz, neque Reliquias tunc, neque cultum superesse: in veteribus autem Fastis et Officiis, quorum usus erat ante illuc inductum Romanum Breviarum ac Missale, inveniri ad prædictum diem* S. Februniam, *vel* Februniam V. et M. *aliud autem nihi. Addit Proverbium etiam in Parthenone isto vigere, quo, si laudanda quæpiam sit a præcipua castimonia, observantia et sedulitate, dicatur,* Est una Febronia: *hoc an ad ipsam qua de agimus Sanctam referatur, an vero ad quamdam ejus nominis ibidem Sanctimonialem, antiquæ illius cultricem atque imitatricem, quis divinabit? Sublucere tamen etiam sic videtur in eo aliquid, ad specialem eo loci honorem Sanctæ referibile.* E

Cultus olim ad Fontem-Ebraldi in Gallia

17 *Certius porro est, aliam esse* Februniam, *de cujus corpore agunt scriptores Papienses, tamquam olim recondito una cum pluribus aliis in ecclesia S. Marini; quod cum reliquo sacro thesauro, a Monachis, qui custodire eum civitati debuerant, nescio quo ablatum, queritur Breventanus lib. 3 cap. 24; ex eoque Gualla lib. cap. 1. Istam enim* Februniam *nequaquam urbi peregrinam fuisse, sed una cum S. Eufrasia Aistulfo Rege Longobardorum natam, scribit prædictus Breventanus; asseritque Regem istis duabus filiabus suis erexisse et dotasse ecclesiam prædictam, cum monasterio; earumque corpora, in muro ipsius Ecclesiæ olim inclusa mansisse, et locum inscriptis lapidi nominibus notatum. Verum non magis nunc corpora latent, quam documenta antiqui cultus, qui forsitan nullus fuit.*

Alia Februnia Ticini apud Insubres.

18 *Ad extremum indicanda hic obiter Vita* S. Februniæ, *Italica paraphrasi deducta eleganter atque in tres libros distincta, et Simpliciano Mediolanensi, Ordinis Cappucinorum Ministro Generali dedicata, typis Venetis anni* MDCLX *a Fr. Antonino Caputo de Cyptaleis. Hæc, utcumque prolixe distensa sit, nihil tamen addit ad Acta hic proferenda, acsi præter ea nihil legere vel discere curasset auctor: quare ipsam indicasse abunde sufficiet. Pressius Historiæ antiquæ inhæret alia, quam Mutius Justinopolitanus edidit loco tertio in Corona Sanctarum* XII *Virginum, Pisauri excusa anno* MDLXVII, *cum Annotationibus ad calcem contra hæreticos istius temporis, observationes monasticas aliosque Catholicæ Ecclesiæ ritus contemnere solitos, ad earum similitudinem, quas Aloysius Lipomanus anno* MDLI *cœpit addere editis a se Sanctorum Vitis, quasque deinde recudit Surius.* F

Vitæ Italicæ duæ.

VITA

VITA ET MARTYRIUM

Auctore Thomaide, Magistra Sanctæ et teste oculata.

Ex MSS. Bibliothecæ Vaticanæ.

CAPUT I

Lysimachi cum Seleno patruo et Primo consobrino, missio in Orientem ; Parthenonis Sibapolitani disciplina ; Febroniæ in eo educatio.

a Lysimachus Anthimi Præf. filius

Contingit tempore Diocletiani Imperatoris, ut Præfectus *a* Anthimus corporea infirmitate correptus decumberet : qui Selenum germanum suum accersens, dixit ei : Ego, Domine mi frater, humanis excedo rebus ; in manus autem tuas trado Lysimachum filium meum. Ergo quemadmodum ipsi desponsavimus filiam Prosphori Senatoris ; ita fac ut post obitum meum nuptiæ perficiantur, sisque ei in patrem. Hæc ultima voluntate testatus Præfectus, B tertio post die e vita abiit. Tunc Imperator Diocletianus, Lysimachum Antimi filium accersens, et Selenum patruum ejus, privatim ipsi Lysimacho dixit : Equidem adolescens, memor amicitiæ patris tui, volebam te post illius excessum, in ejusdem thronum sublimare, et Præfectum constituere : sed quoniam fama quædam allapsa est auribus meis, quasi Christianorum religione faveas, hactenus id facere differo . volo autem te in Orientem proficisci, ut Christianorum ibi superstitionem compescas : quo facto regressus inde, considebis ut munus Præfecti geras.

et mortuo successurus

jubetur prius fidem probare in Oriente contra Christianos :

2 Hæc audiens Lysimachus non audebat quidquam respondere Imperatori : erat enim juvenis admodum, atque annorum dumtaxat viginti. Selenus autem patruus ejus, procidens ad pedes Imperatoris, Obsecro, inquit, immortale caput tuum, indulge et adhuc paucos dies, ut nuptias ejus celebrem ; et tunc proficiscar etiam ego cum illo, atque omnia fient, sicut præcipit diva Majestas tua. Cui Imperator : Nequaquam, sed prius ite in Orientem , ibique extinguite Christianismum : cum autem sicut decet egeritis, tunc revertimini huc, meque habebitis cooperatorem sedulum ad conjugalem Lysimachi copulam celebrandam. Tunc illi , nihil ultra ausi reponere Imperatori, sumpsere præcepta ejus, atque cum multitudine militari iter direxerunt in Orientem. C Lysimachus autem assumpsit Primum cum titulo Comitis, suum ex matre *b* consobrinum ; eumque militiæ suæ præfecit.

qui cum patruo et consobrino illuc profectus

b

c

huic clam mandat illis parcere.

3 Cum autem in Orientem venissent, transeuntes Palmyrenam regionem *c* atque Mesopotamiam, quoscumque sibi oblatos Christianos aut igni tradebant, aut ferro necabant. (Selenus enim admodum sævus atque inhumanus erat) Neque solum ista faciebant, sed etiam occisorum corpora jubebant feris devoranda objici. Magnus igitur terror universam illam tenebat regionem, propter inclementiam crudelissimi Seleni. Sed Lysimachus nocte quadam sevocans Comitem Primum dixit ei : Domine mi Prime, nosti quod licet pater meus gentilis obierit ; mater tamen mea defuncta sit Christiana, multumque laboravit ut fierem Christianus etiam ipse ; sed propter metum Imperatoris atque patris mei non potuit id fieri : præceptum tamen ab illa accepi, ne quem Christianorum unquam interficerem, sed potius Christi amicus essem. Nunc autem video omnes qui incidunt in patruum meum crudelem Selenum pessime excruciari, eisque compatitur anima mea :

Ἐγένετο ἐν ταῖς ἡμέραις Διοκλητιανοῦ τοῦ Βασιλέως, Ἄνθιμον τὸν Ἔπαρχον ἀῤῥωστείᾳ τοῦ σώματος κατακεῖσθαι· καὶ προσκαλεσάμενος Σέληνον τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ, εἶπεν αὐτῷ· Ἐγὼ, Κύριέ μου ἀδελφὲ, τῶν ἀνθρωπίνων πραγμάτων ὑπεξέρχομαι, Λυσίμαχον δὲ τὸν υἱόν μου εἰς τὰς χεῖράς σου δίδωμι· καὶ καθὼς ὁρμασάμεθα αὐτῷ τὴν θυγατέρα Προσφόρου τοῦ Συγκλητικοῦ, σπούδασον ὡς μετὰ τὴν ἐμὴν τελευτὴν τοὺς γάμους ποιῆσαι, καὶ γενέσθαι αὐτῷ εἰς πατέρα. Ταῦτα διαταξάμενος ὁ E Ἔπαρχος, μετὰ τρεῖς ἡμέρας ἐτελεύτησεν. Προσκαλεσάμενος οὖν ὁ Βασιλεὺς Διοκλετιανὸς Λυσίμαχον τὸν υἱὸν Ἀνθίμου, καὶ Σέληνον τὸν τούτου θεῖον, κατ' ἰδίαν εἶπεν τῷ Λυσιμάχῳ· Ἐγὼ, νεανία, μεμνημένος τῆς φιλίας τοῦ σου πατρὸς, ἠβουλήθην μετὰ τὴν ἐκείνου τελευτὴν ἐπὶ τὸν θρόνον αὐτοῦ ἀναβιβάσαι σε πράττειν τὸν Ἔπαρχον· ἀλλ' ἐπειδὴ φήμη τις περιηχεῖ τὰς ἀκοάς μου, ὡς ὅτι χαίρεις τῇ τῶν Χριστιανῶν θρησκείᾳ, τέως τοῦτο ποιῆσαι ἀνεβαλόμην. Τοίνυν βούλομαί σε ἐκπέμψαι εἰς τὴν Ἀνατολὴν, ἵνα τὴν τῶν Χριστιανῶν θρησκείαν παύσῃς, καὶ ὅταν τὰ ἐνταῦθα καταλάβῃς, τότε καθίσῃς καὶ πράττῃς τὸν Ἔπαρχον.

2 Ταῦτα ἀκούσας ὁ Λυσίμαχος, οὐδὲν ἐτόλμησεν ἀποκριθῆναι τῷ Βασιλεῖ· ἦν γὰρ νέος τῇ ἡλικίᾳ, ὡς ἐτῶν εἴκοσι. Σέληνος δὲ ὁ τούτου θεῖος, πεσὼν εἰς τοὺς πόδας τοῦ Βασιλέως, ἔφη· Δέομαι τῆς ἀθανάτου σου κορυφῆς, ἄνες αὐτῷ ὀλίγας ἡμέρας, ὅπως ἐπιτελέσω τοὺς γάμους αὐτοῦ· καὶ τότε ἐξελεύσομαι κἀγὼ μετ' αὐτοῦ, καὶ πάντα γενήσεται καθὼς προστάττει τὸ θεῖόν σου κράτος. Καὶ λέγει ὁ βασιλεύς· Πρότερον παραγενόμενοι ἐν τῇ Ἀνατολῇ, καὶ τὴν τῶν Χριστιανῶν παύσαντες θρησκείαν, καὶ πάντα αἰσίως διαπραξάμενοι, ὅταν τὰ ἐνταῦθα καταλάβητε, ἕξετε κἀμὲ πᾶσαν σπουδὴν συνεισάγοντα περὶ τὸ γαμικὸν τοῦ Λυσιμάχου συνάλλαγμα. Ταῦτα ἀκούσαντες, οὐκέτι ἐτόλμησαν ἀνταπο- F κριθῆναι τῷ Βασιλεῖ. Λαβόντες οὖν τὰ προστάγματα, καὶ πλῆθος στρατιωτῶν, τὴν πορείαν ἐποιοῦντο ἐπὶ τὴν Ἀνατολήν. Ὁ δὲ Λυσίμαχος ἔλαβεν παὶ Πρίμον, τὸν Κόμητα τὸν αὐτοῦ ἀνεψιὸν ἐκ μητρὸς, καὶ ἔδωκεν αὐτὸν ἐπάνω τῆς στρατείας ἡγεῖσθαι, καὶ ἐξάρχειν τῶν στρατιωτῶν.

3 Παραγενόμενοι τοίνυν ἐν τῇ Ἀνατολῇ, καὶ ἐπιβάντες τῇ χώρᾳ τῆς Παλμύρης, καὶ ἐν τῇ Μεσοποταμίᾳ, [τοὺς μὲν πυρὶ ἐδίδοσαν,] τοὺς δὲ ξίφει ἀπέτεμνον. Ὁ γὰρ Σέληνος ἦν ὠμὸς καὶ ἀπάνθρωπος· καὶ οὐ μόνον ταῦτα ἔπραττεν, ἀλλὰ καὶ τὰ τούτων σώματα κυσὶ βορρὰν ῥιφῆναι προσέταττεν. Πολὺς τοίνυν φόβος πᾶσαν τὴν οἰκουμένην περιεῖχεν διὰ τὴν ὠμότητα τοῦ ἀνηλεοῦς Σελήνου. Ἐν μιᾷ οὖν νυκτὶ προσκαλεσάμενος ὁ Λυσίμαχος τὸν Κόμητα Πρίμον, εἶπεν αὐτῷ· Κύριέ μου Πρίμε, σὺ γινώσκεις, ὅτι, εἰ καὶ ὁ πατήρ μου ἕλλην ὢν ἐτελεύτησεν, ἀλλ' ἡ μήτηρ μου χριστιανὴ ἐκοιμήθη, καὶ πολλὴ αὐτῇ σπουδὴ ὑπῆρχε γενέσθαι με Χριστιανὸν, ἀλλὰ διὰ τὸν φόβον τοῦ Βασιλέως καὶ τοῦ πατρός μου, τοῦτο ποιῆσαι οὐκ ἴσχυσεν· καὶ ἔχω αὐτῆς ἐντολὰς μηδένα τῶν Χριστιανῶν ἀνελεῖν, ἀλλὰ καὶ φίλον τοῦ Χριστοῦ γενέσθαι με ἠνάγκασεν. Καὶ νῦν ὁρῶ τοὺς ἐμπίπτοντας Χριστιανοὺς ὑπὸ τοῦ λυμεῶνος Σελήνου τοῦ ἐμοῦ θείου τιμωρουμένους, καὶ πάσχει μου ἡ ψυχὴ ἐπ' αὐτοῖς. Τοίνυν βούλομαι τοὺς ἐμπίπτοντας Χριστιανούς

A νοὺς λάθρα ἀπολύεσθαι, πρίν ἡ παραπεσόντας ἀναιρεῖσθαι κακῶσ. Ταῦτα ἀκούσας ὁ Πρίμος, οὐδένα τῶν χριστιανῶν συλλαμβάνεσθαι προσέταττεν, ἀλλ' ἐμήνυεν τοῖς μοναστηρίοις φεύγειν τὰς χεῖρας τοῦ λυμεῶνος Σελήνου.

4 Ἔτι δὲ αὐτῶν διατριβόντων ἐν τοῖς τόποις ἐκείνοις, ἐβούλοντο τὴν Σιβάπολιν καταλαβεῖν, ἥτις διέκειτο ὁρίοις τοῖς πρὸς Ἀσσυρίους, τεταγμένην δὲ ὑπὸ τὴν τῶν Ῥωμαίων ἡγεμονείαν. Ἦν δὲ ἐν τῇ πόλει ἐκείνῃ μοναστήριον γυναικῶν, ἔχον πεντήκοντα ἀσκητρίας. Τούτων ἡγεῖτο Βρυένη τις ὀνόματι, μαθήτρια γενομένη Πλατωνίδος τῆς πρὸ αὐτῆς γενομένης Διακόνου, ἧς τὴν παράδωσιν καὶ τὸν κανόνα μέχρι τέλους καλῶς διεφύλαξεν. Τοιοῦτος γὰρ ὁ Κανὼν τῆς Πλατωνίδος ὑπῆρχεν. Ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῆς παρασκευῆς οὐκ ἦν τινα τῶν Ἀδελφῶν ἐργάζεσθαι· ἀλλ' ἐκκλησιάζοντο ἐν τῷ εὐκτηρίῳ, καὶ ὅτε μὲν τὸν κανόνα τῆς ψαλμωδίας ἐπετέλουν, ὅτε δὲ τὴν βίβλον κατέχουσα ἡ Πλατωνίς, τὰς θεοπνεύστους γραφὰς ταῖς Ἀδελφαῖς ἀνεγίνωσκεν, μέχρι τῆς τρίτης ὥρας· μετὰ δὲ τὴν τρίτην ὥραν εἰς τὰς χεῖρας τῆς Βρυένης ἐδίδου τὴν βίβλον, κελεύουσα ἀναγινώσκειν ταῖς Ἀδελφαῖς ἕως ἑσπέρας. Οὕτως οὖν καὶ ἡ Βρυένη ἐποίει δεξαμένη τὴν διακονίαν. Τῇ δὲ Βρυένῃ δύο νεανίδες
B ὑπῆρχον ἀνατρεφομέναι παρ' αὐτῇ καλῶς, καὶ τὴν ἀσκητικὴν μετερχομέναι παλαίστραν· ὄνομα τῇ μιᾷ Πρόκλα, καὶ ὄνομα τῇ δευτέρᾳ Φεβρονία, καὶ ἡ μὲν Πρόκλα, ἦν τῶν κε'· ἡ δὲ Φεβρονία ἦν ἐτῶν ιή.

5 Ἡ οὖν Φεβρονία ἀδελφόπαις ἐτύγχανεν τῆς Βρυένης· ἦν δὲ περικαλλὴς ἡ Φεβρονία, εὐμήκη τὴν ἡλικίαν φέρουσα· ἦν δὲ καὶ φαιδρὰ τῷ προσώπῳ, ὡς μὴ δύνασθαι ὀφθαλμὸν ζωγραφεῖν τὸ ἐπανθοῦν τῷ προσώπῳ αὐτῆς κάλλος. Πολὺς δὲ ἀγὼν ὑπῆρχεν τῇ Βρυένῃ τὸ πῶς περισώσῃ τὴν Φεβρονίαν, ὁρῶσα αὐτὴν ἐν τοιούτῳ φαιδρῷ χαρακτῆρι. Πασῶν δὲ τῶν Ἀδελφῶν ἀπὸ ἑσπέρας εἰς ἑσπέραν τροφὴν μεταλαμβανουσῶν, τὴν Φεβρονίαν ἐκέλευσεν διὰ δύο ἡμερῶν ἐσθίειν. Ὁρῶσα οὖν καὶ ἡ Φεβρονία ἑαυτὴν ἐν τοίαύτῃ κατασκευῇ σώματος οὖσαν, οὔτε ἄρτου, οὔτε ὕδατος εἰς πλεισμονὴν μετελάμβανεν· σκαμνίον δὲ μικρὸν προσέταξεν γενέσθαι πηχῶν τριῶν τὸ μῆκος, καὶ σπιθαμῆς καὶ ἥμισυ τὸ πλάτος, καὶ εἰς αὐτὸ διάνεπαύετο ἐν τῇ ὥρᾳ τοῦ καθεύδειν αὐτήν· ἔστιν δὲ ὅτε καὶ γυμνῷ τῷ ἐδάφει τὰς σάρκας προσανέκλινεν. Ἐπὰν δὲ συνέβαινεν πειράζεσθαι ἑαυτὴν ὑπὸ τοῦ διαβόλου νυκτεριναῖς φαντασίαις, ἐξανίστατο, καὶ μετὰ πολλῶν δακρύων ἱκέτευε τὸν Θεὸν, ὅπως ἀποδιώξῃ ἀπ' αὐτῆς τὸν πειράζοντα διάβολον· καὶ εὐθὺς τὴν βίβλον ἀναπτύσ-
C σουσα τὰς θεοπνεύστους γραφὰς ἐφιλοπόνει· φιλομαθὴς γὰρ γενομένη ἡ νεάνις, γίνεται καὶ πολυμαθής, ὡς θαυμάζειν τὴν Βρύενην τὴν τοσαύτην τῆς Φεβρονίας φιλομαθίαν.

6 Ἐν τῇ ἡμέρᾳ οὖν τῆς παρασκευῆς πασῶν συνερχομένων τῶν ἀδελφῶν ἐν τῷ εὐκτηρίῳ, τὴν Φεβρονίαν ἐκέλευσεν ἡ Βρυένη τὰ θεῖα λόγια ταῖς Ἀδελφαῖς ἀναγινώσκειν· ἐπειδὴ δὲ γυναῖκεϛ εὐγενίδες ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῆς παρασκευῆς ἐν τῷ εὐκτηρίῳ παρεγίνοντο, καὶ τῆς πνευματικῆς ἀπήλαυον διδασκαλίας· ἐκέλευσεν ἡ Βρυένη ὑποβῆλον ἀναγινώσκειν τὴν Φεβρονίαν· ἀνθρώπου γὰρ χαρακτῆρα ὁποῖος ἐστιν οὐδέποτε ἐθεάσατο. Διεδίδοτο δὲ ἐν τῇ πόλει πανταχοῦ ἡ διδασκαλία τῆς Φεβρονίας· οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ὁ περικαλλὴς αὐτῆς χαρακτὴρ, καὶ τὸ πρᾶον, καὶ ἡ ταπεινοφροσύνη. Ταῦτα ἀκούσασα Ἱερία ἡ Συγκλητική, πόθῳ θεϊκῷ φλεγομένη, συντυχεῖν ἠπείγετο τῇ Φεβρονίᾳ. Ἦν δὲ ἑλληνίς ἡ ἱερία, μή πω ἐπὶ τὸ βάπτισμα ἐληλυθυῖα· αὕτη δὲ σύνοικήσασα μετὰ τοῦ ἀνδρὸς αὐτῆς μῆνας ἑπτὰ, καὶ χηρεύσασα, ἀνέκαμψεν εἰς τὴν οἰκείαν πόλιν πρὸς τοὺς οἰκείους γονεῖς ἡσυχάζουσα, ἦσαν γὰρ καὶ αὐτοὶ ἕλληνες. Παραγίνεται οὖν ἐν τῷ μοναστηρίῳ, καὶ ἑαυτὴν κατεμήνυσεν τῇ Βρυένῃ διὰ τῆς θυρωροῦ. Ἐξελθούσης δὲ τῆς Βρυένης πρὸς αὐτὴν, πεσοῦσα ἡ Ἱερία πρὸς τοὺς πόδας αὐτῆς, προσεκύνησεν αὐτὴν, καὶ ἐπιλαβομένη τῶν ποδῶν αὐτῆς εἶπεν, Ὁρκίζω

volo igitur, Christianos qui in manus nostras incident, clam dimitti, priusquam eos pessime disperdat. Talia audiens Primus, non amplius præcepit quemquam comprehendi : sed monasteriis significabat, ut fuga sibi consulentes qui ibi erant, in manus Seleni non devenirent. D

A. COÆVO EX MSS.

4 Cumque in iis partibus adhuc versarentur, statuerunt Sibapolim proficisci, quæ sita est in confiniis Assyriorum, sub potestate Romanorum. Erat autem ibi monasterium feminarum circiter quinquaginta inibi sese exercentium, quibus præerat quædam nomine Bryene, discipula olim cujusdam Platonidis, ante ipsam functæ Diaconatus officio, cujus regulam et traditiones usque illud tempus præclare servabant. Et erat Regula Platonidis hujusmodi. Feria quaque sexta, nulli Sororum licebat quidquam operari : sed in oratorio congregatæ manebant; ubi post expletum Psalmodiæ cursum, librum accipiebat Platonis, divinasque Scripturas ex eo prælegebat Sororibus usque ad horam tertiam. Post tertiam vero tradebat librum in manus Brienes, jubens ut ipsa inde Sororibus legeret usque ad Vesperam : cumque ipsa Briene Diaconatum excepisset, ejusdem etiam sequebatur tenorem. Erant autem sub Brienes disciplina puellæ duæ, quas diligenter in ascetica erudiebat palæstra, una quidem nomine Procla, altera vero Febronia dicta : quarum hæc octodecim, *d*, ista viginti quinque erat annorum; Febronia vero etiam neptis Bryenes. E

Veniunt deinde Sibapolim,

ubi vivebant Monachæ 50 sub Bryene Abb.

d

5 Hæc formosa admodum et corporis quoque proceritate spectabilis, tanta excellebat venustate vultus, ut floridam speciei talis elegantiam nullus oculus satis possit exprimere, quapropter vehementer solicita erat Bryene, videns eam tali decore conspicuam, quomodo eam conservaret. Ceteris ergo Sororibus a vespera in vesperam capientibus cibum, jubebat Febroniam alternis dumtaxat diebus vesci. Ipsa quoque Febronia, considerans talem sui corporis compositionem, neque panem neque aquam sumebat ad satietatem : jusserat autem scabellum *e* quoddam fieri cubitos tres longum, et latum sesquipalmo : in quo statuto tempore somnum caperet : quandoque etiam supra nudam humum membra sua sternebat Quodsi contingeret, ex diabolica tentatione, nocturnis eam phantasiis urgeri; surgebat continuo, multisque cum lacrymis deprecabatur Deum, ut tentatorem Sathanam a se propelleret : statimque aperiens librum, divinarum F Litterarum lectioni sese tradebat : cum enim adolescentula esset admodum studiosa, facta est etiam multiscia, sic ut docilitatem ejus etiam Bryene admiraretur.

quæ neptem Febroniam sedulo exercens

e

ad singularem vitæ rigorem,

6 Itaque sextis feriis, cum in oratorium convenissent Sorores, jubebat Bryene ut illis Febronia *f* legeret. Quoniam autem matronæ nobiles tali die ad oratorium idem confluebant spiritualis doctrinæ gratia, jubebat Bryene velum tendi, post quod lectionem perageret illa : tantum aberat ut viri cujuscumque vultum aliquando intueri ipsam pateretur. Hinc factum ut fama excellentis doctrinæ celebrem tota urbe Febroniam redderet : quin et egregia ejus forma et animi demissio atque lenitas ex Sororum relatu innotescebat quamplurimis. His ergo mota Hieria Senatrix, divino accendebatur desiderio agendi cum Febronia. Erat autem ipsa Gentilis adhuc, neque baptismo initiata : sed cum viro conjuncta fuisset mensibus septem eoque viduata, redierat in propriam civitatem ad parentes suos, Gentiles etiam ips s; et quietam apud illos vitam agebat. Venit igitur ad monasterium, seque adesse per ostiariam indicavit Bryenæ. Progressæ autem in occursum suum ad pedes accidit, eosque complexa et adorans, Adjuro te, inquit, per cœli

f

eadem utitur ad Scripturas aliis prælegendas

cujus audiendæ cupida Gentilis Hieria

A. COÆVO EX MSS.

A terræque Creatorem, ne me impuram gentilemque repellas, quæ usque nunc fui ludibrium idolorum; neque me frustreris doctrina Sororis meæ Febroniæ, sed discam per eam salutis viam, qua gradiens inveniam bona Christianis præparata. Eruite me ex hujus seculi vanitate atque idololatriæ spurcitia, quam parentes volunt compellere ad secundas nuptias: sed conversatio et doctrina Febroniæ salutem mihi et vitam conferet: satis enim est ad supplicium quod hactenus per meliorum ignorantiam feci.

et ad eam sub Monachæ habitu introducta

7 Hæc dicens Hieria, lacrymis rigabat pedes Bryenes, sic ut ad magnam sui commiserationem moveret: respondit tamen: Novit Deus, Domina Hieria, quod bimulam illam excepi in hoc monasterio; et ecce jam decimum octavum annum ita sub manu mea vivit, ut neque viri cujuscumque, neque secularis mulieris speciem unquam viderit, neque mundanum vestitum omnino ullum. Imo nec nutrix ejus usque modo vidit vultum illius, quamvis sæpe cum lacrymis oraverit, ut hoc sibi liceret: nolui enim id ipsi permittere. Nihilominus B propter tuum Deum noscendi ipsamque alloquendi desiderium, introducam te ad illam, indutam Monastico habitu. Suscipiens ergo Hieriam Bryena, introduxit ut promiserat: quam ubi vidit Febronia tali in veste, rata se peregrinam Monacham videre, accidit ei ad pedes. Cumque invicem essent osculatæ, jussit Bryene considere ambas, et Febroniam sacras Scripturas legere. Tum vero ad ejus doctrinam ita compuncta Hieria fuit; ut ambæ totam noctem insomnes agerent; cum neque Febronia fatigaretur lectione, neque Hieriam caperet doctrinæ fastidium, tantum autem lacrymarum hæc funderet, ut iis totum pavimentum madesceret.

vehementerque compuncta,

ac plene conversa etiam parentes convertit,

8 Porro cum mane factum esset, ægre potuit persuadere Bryenæ ut ab oratorio recederet Hieria, atque ad parentes suos reverteretur. Tandem post mutua iterum oscula et reciprocas lacrymas, abiit illa; atque domum suam mane regressa, persuasit parentibus recedere a paternarum consuetudinum vanitate, atque idolorum cultura, et Deum universorum factorem agnoscere. Febronia venio interrogavit Thomaidem; secundam a Diaconissa, dicens; Obsecro te, Mater, quænam fuit illa peregrina Mo- C nacha, quæ sic perfundebatur lacrymis, acsi divinas Scripturas numquam audivisset explicari. Nescin, inquit Thomais, quæ illa sit? Ego vero, reponit Febronia, quomodo nossem eam, peregrina cum sit? Cui Thomais: Ipsa est Hieria Senatrix. Ut quid ergo, reponit Febronia, id mihi non indicastis? ecce enim tanquam sorori locuta sum ei *g*. Magna Domina ita voluit fieri respondit Thomais. Cumque iisdem diebus Febronia usque ad mortem esset infirmata, supra scamnum suum incumbens, nusquam ab ea declinavit Hieria, quoadusque illa convaluit.

et Sanctæ ægrotanti ministrat.

σὲ τὸν ποιήσαντα τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν, μὴ βδελύξῃ D με, τὴν ἑλληνίδα καὶ ἀκάθαρτον, καὶ μέχρι τοῦ νῦν εἰδώλων παίγνιον γενομένην· μὴ στερίσῃς με τῆς διδασκαλίας καὶ συντυχίας τῆς Ἀδελφῆς μου Φεβρονίας, ἵνα μάθω δἰ ὑμῶν τὴν ὁδὸν τῆς σωτηρίας, ἵνα βαδίσασα ἐν αὐτῇ, εὕροιμι ἃ ἡτοίμασται τοῖς Χριστιανοῖς· Ῥύσασθέ με ἐκ τῆς ματαιότητος τοῦ αἰῶνος τούτου, καὶ τῆς ἀκαθάρτου εἰδωλολατρείας· ὅτι ἀναγκάζουσί με οἱ γονεῖς μου δευτέρῳ προσομιλῆσαι γάμῳ· ἀλλὰ γένοιτό μοι ζωὴ ἡ τῆς Φεβρονίας συντυχία καὶ διδασκαλία, ἀρκετὸν γάρ μοι τοῦ προλαβόντος χρόνου τῆς ἀγνοίας ἡ τιμωρία.

7 Ταῦτα λέγουσα ἡ Ἱερία, καὶ τοῖς δάκρυσι καταβρέχουσα τοὺς πόδας αὐτῆς, εἰς πολὺν οἶκτον καὶ συμπάθειαν ἤνεγκεν τὴν Βρυένην· λέγει οὖν αὐτῇ ἡ Βρυένη· Ἐπίσταται ὁ Θεὸς, Κυρία Ἱερία, ὅτι δύο ἐνιαυτῶν ὑπάρχουσαν ἐδεξάμην αὐτὴν ἐν τούτῳ τῷ μοναστηρίῳ εἰς τὰς χεῖράς μου, καὶ ἰδοὺ σήμερον δέκα καὶ ὀκτὼ ἔτη ἔχει ἐν τῷ μοναστηρίῳ, καὶ οὔτε ἀνδρὸς χαρακτῆρα, οὔτε γυναικὸς κοσμικῆς ἑώρακεν, οὔτε δὲ κοσμικὸν σχῆμα τεθέαται μέχρι τοῦ νῦν· ἀλλ᾽ οὐδὲ αὐτὴ ἡ τροφὸς αὐτῆς μέχρι τοῦ νῦν τεθέαται τὸ πρόσωπον αὐτῆς· καίτοι μετὰ δακρύων πολλάκις ἱκετεύσασά με, συντυχεῖν αὐτῇ οὐκ ἠξιώθη. οὐ γὰρ συνεχώρησα αὐτῇ· διὰ δὲ τὸν πόθον, ὃν ἔχεις πρὸς τὸν Θεὸν, καὶ πρὸς αὐτὴν, εἰσφέρω σε πρὸς αὐτὴν, ἀσκητικὸν μέντοι περι- E βεβλημμένην σχῆμα. Λαβοῦσα οὖν ἡ Βρυένη τὴν Ἱερίαν, εἰσήνεγκεν αὐτὴν πρὸς Φεβρονίαν. Θεασαμένη οὖν αὐτὴν ἡ Φεβρονία ἐν τῷ ἀσκητικῷ σχήματι, ἔπεσεν εἰς τοὺς πόδας τῆς Ἱερίας, ἐνόμιζεν γὰρ ξένην τινὰ θεάσασθαι μοναχήν. Ἀσπασάμεναι οὖν ἀλλήλας, ἐκέλευσεν ἡ Βρυένη καθεσθαιῆναι ἀμφοτέρας, καὶ τὰς θείας γραφὰς ἀναγινώσκειν τὴν Φεβρονίαν· εἰς τοσοῦτον δὲ κατενύγε ἡ Ἱερία ἐκ τῆς διδασκαλίας τῆς Φεβρονίας, ὡς πᾶσαν τὴν νύκτα αὔπνους διατελέσαι ἀμφοτέρας· οὔτε γὰρ ἡ Φεβρονία τοῦ λέγειν ἠτόνει, οὐ δὲ ἡ Ἱερία τῆς διδασκαλίας ἀκούειν ἀπέκαμνεν· τοσοῦτον δὲ δάκρυον ἐξέχεεν ἐπὶ τὴν γῆν ἡ Ἱερία, ὡς πᾶν τὸ ἔδαφος καταρανθῆναι ἀπὸ τῶν δακρύων αὐτῆς.

8 Ὄρθρου δὲ γενομένου, μόλις ἴσχυσεν ἡ Βρυένη πεῖσαι τὴν Ἱερίαν κατελθεῖν ἀπὸ τοῦ εὐκτηρίου, καὶ πορευθῆναι πρὸς τοὺς γονεῖς αὐτῆς· Ἀσπασάμεναι οὖν ἀλλήλλας, δακρύων πεπληρωμέναι, κατῆλθεν ἡ Ἱερία· καὶ παραγενομένη εἰς τὸν ἴδιον οἶκον, ἔπεισεν τοὺς γονεῖς αὐτῆς ἀπαλλαγῆναι τῶν ματαίων πατροπαραδότων ἠθῶν, καὶ τῆς τῶν εἰδώλων δουλείας, γνωρίσαι δὲ τὸν Θεὸν, τὸν πάντων δημιουργόν. Ἡ οὖν Φεβρονία ἠρώτα τὴν Θωμαΐδα, τὴν δευτερεύουσαν τῇ Διακόνῳ, λέγουσα, Δέομαι σου, κύριά μου μήτηρ, τίς ἐστιν αὕτη ἡ ξένη Ἀδελφὴ, ἡ οὕτως ἐκχυθεῖσα τοῖς δάκρυσιν, ὡς μηδέποτε F ἀκούσασα θείων γραφῶν. Τότε ἡ Θωμαΐς λέγει τῇ Φεβρονίᾳ, Οὐκ ἔγνως τίς ἐστιν αὕτη; Ἡ δὲ λέγει, Πόθεν εἶχον γνῶναι αὐτὴν, ξένην οὖσαν; Ἡ δὲ Θωμαΐς εἶπεν· αὕτη ἐστὶν Ἱερία, ἡ Συγκλητικὴ. Καὶ λέγει ἡ Φεβρονία· Καὶ ἵνα τί οὐκ ἀπηγγείλατέ μοι, κἀγὼ ὡς ἀδελφὴ διελέχθην αὐτῇ; Καὶ λέγει ἡ Θωμαΐς· Ἡ Κυρία ἡ μεγάλη, οὕτως ἐκέλευσεν γενέσθαι. Ἐν δὲ ταῖς ἡμέραις ἐκείναις ἠσθένησεν ἡ Φεβρονία ἕως θανάτου, ἀνέκειτο δὲ ἐπὶ τοῦ βάθρου· ἡ οὖν Ἱερία οὐκ ἀπέστη ἀπ᾽ αὐτῆς πάντα τὸν χρόνον τῆς ἀῤῥωστείας αὐτῆς, ἕως ὅτε ἀπηλλάγη τῆς νόσου.

ANNOTATA D. P.

a Præfectum Urbis *Romæ non fuisse* Anthimum, *probat indiculus eorum qui ab anno* 254 *ad* 354 *minus istud gesserunt: potuit Nicomediæ Præfectus fuisse extremis Diocletiani annis ibi degentis.*

b *Cum Græcum* Ἀνέψιος *indifferens sit ad* nepotem *et* consobrinum *significandum, exigua ætas Lysimachi exigit, ut* Consobrinum *potius hic intelligam, licet* Nepotem *Joannes verterit. Idem in Menæis nunc* Primus, *nunc* Firmus *nominatur.*

c *Ab urbe* Palmyra *dicta* Palmyrene *ad Euphratem usque pertingit, qui Syriam a Mesopotamia dividit.*

d *Exciderant hæc Latinæ Joannis versioni, et in Græco ecgrapho solum erat scriptum* η' *quem defectum ex infra dicendis præposito* ι' *supplevi, ut esset* ιη'.

e *Hoc aptius quam vox* βόθρος, *qua utuntur Menæa quæque proprie* fossam *significat, et quoddam ab ejus similitudine dictum tormenti genus.*

f

A *f Apparet ex sequentibus non simplicem hanc fuisse lectionem, cui ut supra dicitur dies pæne integer impendebatur, sed explicationi conjunctam; quomodo hodiedum in Scholis, dicitur Scriptura* legi, *et* Lectores *vocantur qui Magistrum Sententiarum, aut D. Thomæ vel Scoti Summas prælegunt discipulis.* D

A. COÆVO EX MSS.

g Ita Abbatissas, qualis Bryene erat, solent Græci nuncupare honoris causa, sicut et Abbates τοὺς Μεγάλους, Magnos. *Vide Vitam S. Eupraxiæ* 13 *Martii.*

CAPUT II.

Tyrannidis metu fugientibus plerisque cum Bryene et Thomaide, sola remanet Febronia, et ad certamen animatur.

Ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις φήμη ἐξῆλθεν ἐν τῇ πόλει, ὅτι Σέληνος καὶ Λυσίμαχος ἐπιβαίνουσιν τῇ πόλει, ἵνα τοὺς χριστιανοὺς τιμωρήσονται. ᵃἌπαντες οὖν οἱ ἐν τῇ πόλει χριστιανοί, Κληρικοί τε καὶ λαϊκοὶ καὶ μοναχοί, ἔφυγον καταλειπόντες τὰ ἴδια, ὡς καὶ αὐτὸν τὸν Ἐπίσκοπον τῆς πόλεως ἀποκρυβῆναι διὰ τὸν ἐπικείμενον φόβον. Μαθοῦσαι οὖν αἱ το μοναστήριον ἐκεῖνο οἰκοῦσαι Ἀδελφαί, προσελθοῦσαι, εἶπαν τῇ Διακόνῳ Βρυένῃ· Τι ποιοῦμεν, Μήτηρ, ὅτι οἱ θῆρες ἐκεῖνοι κατέλαβον τὴν πόλιν ταύτην, καὶ πάντες ἔφυγον διὰ τὴν ἐπικειμένην ἀπειλὴν; Βρυένη λέγει, Καὶ τί βούλεσθε; Αἱ δὲ εἶπον· ἵνα κελεύσῃς ἡμᾶς ἀποκρυβῆναι πρὸς μικρὸν, καὶ περισῶσαι τὰς ψυχὰς ἡμῶν. Καὶ λέγει αὐταῖς ἡ Βρυένη, Οὔπω τὸν πόλεμον
B ἑωράκατε, καὶ τὴν φυγὴν μελετᾶτε; Οὔπω ἡ πάλη, καὶ εὐθέως ἡ ἧττα; Μὴ τέκνα, μὴ, παρακαλῶ ὑμᾶς· ἀλλὰ στῶμεν, καὶ ἀγωνισώμεθα· ἀποθάνωμεν ὑπὲρ τοῦ ἀποθανόντος ὑπὲρ ἡμῶν, ἵνα καὶ συζήσωμεν αὐτῷ.

In diebus illis pervenit in urbem fama supervenientis cum Seleno Lysimachi, ad supplicia Christianis inferenda: quapropter quotquot ibi erant tam Clerici quam Laici Monachique, rebus omnibus dimissis, fugam inierunt; quin ipse etiam civitatis Episcopus propter incumbentem metum latibulam quæsivit. Quæ ergo monasterium istud incolebant Sorores, accesserunt ad Diaconissam Bryenem dicentes: Quid agimus, Mater? jam enim fere illæ ingressæ sunt civitatem hanc, et omnes fugerunt propter imminens supplicium. Quid autem vultis? inquit Bryene. Cui illæ; Ut jubeas nos quoque pauxillum delitescere, itaque salvare animas nostras. Tum illa: Necdum bellum vidistis, et fugam cogitatis? necdum cœpta est pugna, et jam victæ estis? Non ita filiæ; non ita obsecro. Sed stemus, E
pugnemusque et moriamur pro eo qui pro nobis est mortuus, ut vivamus cum illo.

Ad famam venientium tyrannorum

de fuga consultantes Monachæ confirmat Bryene:

10 Ταῦτα ἀκούσασαι αἱ Ἀδελφαὶ ἡσύχασαν· τῇ δὲ ἐπαύριον μία τίς τῶν ἀδελφῶν, ὀνόματι Αἰθερία, λέγει ταῖς Ἀδελφαῖς· Οἶδα ἐγὼ ὅτι ἕνεκεν τῆς Φεβρονίας οὐ συγχωρεῖ ἡμῖν ἡ Κυρία ἡ μεγάλη τὰ ἐνταῦθα καταλιπεῖν καὶ ὑποχωρῆσαι· τάχα δι᾽ αὐτὴν βούλεται πάσας ἡμᾶς ἀπολέσθαι. Ἀλλ᾽ ἰδοὺ λέγω ὑμῖν, προσέλθωμεν αὐτῇ, καὶ ἐγὼ λαλήσω περὶ πασῶν ἡμῶν τὰ δέοντα. Ἀκούσασαι δὲ αἱ Ἀδελφαί, αἱ μὲν ἐπείθοντο τῇ Αἰθερίᾳ, αἱ δὲ ἀντίλεγον, καταγινώσκουσαι τῆς συμβουλείας αὐτῆς· Πολλῆς δὲ στάσεως γενομένης ἐπὶ πολλὰς ὥρας, τελευταῖον πᾶσαι ἐκ συμφωνίας προσῆλθον τῇ Διακόνῳ, ἰδεῖν τί συμβουλεύει αὐταῖς. Παραγενομένων οὖν αὐτῶν, προγνοῦσα τὴν συμβουλίαν τῆς Αἰθερίας ἡ Μεγάλη, ἀτενίσασα λέγει αὐτῇ· Τί θέλεις, Ἀδελφὴ Αἰθερία; Ἡ δὲ· ἵνα κελεύσῃς ἡμᾶς ἀποκρυβῆναι, καὶ φυγεῖν τὴν ἐπικειμένην ὀργὴν· οὐ γὰρ κρεῖττον ἐσμὲν Κλήρου καὶ Ἐπισκόπου· δεῖ οὖν σε καὶ τοῦτο ἐνθυμηθῆναι, ὅτι εἰσὶ τινες ἐν ἡμῖν νεανίδες, μήπως συναρπαθεῖσαι ὑπὸ τῆς στρατιᾶς ὑποπέσωσι φθορᾷ σωματικῇ, καὶ τὸν τῆς ἀσκήσεως μισθὸν ζημιω-
C θῶμεν· καὶ πάλιν μήπως τὰς τῶν βασάνων ἀνάγκας οὐχ ὑπομείνωμεν, καὶ γενόμεθα λάτρεις δαιμόνων, καὶ ἀπολέσωμεν τὰς ψυχὰς ἡμῶν. Ἐε οὖν κελεύῃς διασῶσαι ἡμᾶς, λειψώμεθα καὶ τὴν Κυρίαν Φεβρονίαν, καὶ οὕτως ἐξελευσώμεθα.

10 His auditis conquieverunt Sorores: postridie vero una earum, nomine Ætheria ait illis: Novi ego quod propter Febroniam non patitur nos Magna Domina locum hunc dimittere atque discedere: an forte et propter illam nos omnes vult perire? Dico ergo vobis, Adeamus illam, et ego pro omnibus loquar ut convenit. Tum vero audientes illæ partim quidem assentiebantur Ætheriæ, partim vero dissentiebantur, spernentes consilium ejus: unde cum magna inter illas oriretur dissensio, unanimiter denique venerunt ad Diaconissam videre, quid ipsa consilii daret. Ipsis autem accedentibus, præsciens Bryena quid consuluisset Ætheria, in eamque intendens, dixit: Quid vis Ætheria? Ait illa, Ut jubeat nos abscondi et fugere propter venturam iram: nec enim meliores sumus quam Clerus et Episcopus. Oportet etiam considerare te quod inter nos aliquæ sint adolescentulæ, quæ nobiscum a militibus comprehensæ, possit simul corporeæ coinquinationi subjici, nosque exercitationis ipsis impensæ mercede privari: rursus autem timendum esse, F
ne non sustineamus tormentorum atrocitatem, atque ita perdamus ipsæmet animas nostras. Si autem jubes salvari nos, accipiemus etiam Dominam Febroniam, itaque egrediemur.

sed iterum persuasæ eam petere,

11 Ἀκούσασα δὲ ἡ Φεβρονία, λέγει πρὸς αὐτὴν. Ζῇ ὁ Χριστός μου, ᾧ ἐνυμφεύθην, καὶ ᾧ τὴν ψυχήν μου ἀνεθέμην· οὐ μὴ ἐξέλθω ἐκ τοῦ τόπου τούτου, ἀλλ᾽ ὧδε ἀποθανοῦμαι, καὶ ὧδε ταφήσομαι. Ἡ δὲ Βρυένη λέγει πρὸς τὴν Αἰθερίαν, Σὺ ὄψει ὃ ἐπραγματεύσω· ἀθῶος ἐγὼ περὶ τούτου. Εἶτα λέγει καὶ ταῖς Ἀδελφαῖς· Ἑκάστη τὸ συμφέρον αὐτῇ γινώσκει, ὃ δ᾽ ἂν θέλῃ τοῦτο ἐπιλέξηται. Πᾶσαι οὖν διὰ τὸν φόβον συνταξάμεναι τῇ Βρυένῃ καὶ τῇ Φεβρονίᾳ, μετὰ πολλοῦ θρήνου καὶ ὀδυρμοῦ τὰ ἑαυτῶν στήθη τύπτουσαι, ἐξεπορεύοντο τοῦ μοναστηρίου. Ἡ δὲ Πρόκλα, ἡ σύντροφος τῆς Φεβρονίας, ἐπιπεσοῦσα τῷ τραχήλῳ αὐτῆς, καὶ καταφιλοῦσα αὐτὴν, ἐβόα λέγουσα, Εὖξαι ὑπὲρ ἐμοῦ, κυρία Ἀδελφή. Ἡ δὲ Φεβρονία κατασχοῦσα τῆς χειρὸς αὐτῆς, οὐ συνεχώρει αὐτὴν ἐξελθεῖν, λέγουσα, Φοβήθητι τὸν Θεὸν κυρία μου Πρόκλα, κἂν σὺ μὴ ἐγκαταλίπῃς ἡμᾶς· οὐχ ὁρᾷς ὅτι ἐν τῇ ἀῤῥωστίᾳ ὑπάρχω, μήπως συμβῇ με τελευτῆσαι, καὶ οὐ δὲ εἰς τὸν τάφον εἰσενεγκεῖν με ἰσχύει ἡ Κυρία ἡ μεγάλη· παράμεινον οὖν ἵνα σὺ κηδεύσῃς με. Εἶπεν δὲ ἡ

11 Ast Febronia, ut audivit illam; Vivit Dominus, inquit, cui desponsata sum, cuique animam meam credidi, quia non egrediar ex hoc loco, sed hic moriar atque sepeliar. Bryene vero dixit Ætheriæ; Tu, quid molita sis, videris; innocens ego ex hac parte sum: deinde ait Sororibus: Singulæ quid sibi expediat noverint, et quod voluerint eligant. Omnes ergo propter metum valedicentes Bryenæ atque Febroniæ, multo cum planctu et ejulatu, suaque percutientes pectora, exierunt de Monasterio. Procla vero, Febroniæ coalumna, collo ejus circumplexa et osculans ipsam, exclamabat dicens, Ora pro me, Domina Soror. Cujus manum cum apprehendisset Febronia, non permittebat exire illam, sed dicebat; Deum time, Domina Procla, neque tu saltem nos desere: an non vides quam infirma sim, et quodsi me mori contingat, nec ad sepulturam quidem mihi dandam sufficiat Magna Domina? Mane igitur, ut funus meum cures. Respondet Procla: Quoniam

nequidquam jurante se mansuram Febronia,

extorquent licentiam abeundi.

A. COÆVO EX MS.

A Quoniam ita vis, Domina Soror, non dimitto te. Cui iterum Febronia; Ecce coram conscio horum Deo, obtestor ne me derelinquas. Vespere nihilominus egressa est Procla, atque disparuit.

Hinc consternatam Bryenem solatur Thomais,

12 Tunc videns Bryene desolationem monasterii propter impendentia mala, ingressa est oratorium; humique se prostravit, amare plangens atque ejulans valde. Thomais autem, ipsi secunda, assedit illi, consolans ac dicens: Quiesce, Domina Mater; potens est Deus facere cum tentatione et tribulatione proventum, ut possimus sustinere. Quis credidit Domino, et confusus est? aut quis permansit in timore ejus, et despexit illum? Ait illi Bryene: Omnino, Domina mea Thomais, ita se res habet: sed quid faciam cum Febronia? ubi abscondam ipsam et salvabo? quibus enim oculis potero aspicere illam a Barbaris abduci captivam? Thomais respondit; An ergo oblita ejus es quod tibi dixi? Qui potens est mortuos suscitare, idem et Febroniam corroborabit salvabitque. Age ergo, Domina Mater mea, transi hinc, et a lacrymis cessans veni, ut confortemus Febroniam, jacet enim infirma.

cum eaque accedit ægram Febroniam

B 13 Igitur accesserunt ad scamnum, in quo jacebat: sed Bryene statim cœpit amare plangere; vultuque super genua jacentis conjecto, perfundebatur lacrymis. Tunc oculos in Thomaidem intendens Febronia; Obsecro, inquit, Mater, quis iste Magnæ Dominæ planctus? nam et paulo ante audivi ipsam in oratorio magnum clamorem emittere. Thomais vero illacrymans respondit ei: Propter te gemuit et plorat Magna, et propter mala nobis per tyrannos inferenda; nam quia juvenis et formosa es, supra modum angitur. Ad hæc Febronia: Obsecro vos, orate pro me famula vestra; potens est enim Deus respicere humilitatem nostram; meque corroborare et patientiam largiri, sicut et omnibus servis suis, qui ipsum dilexerunt in veritate

quam ad instantem agonem animans ipsa

14 Thomais vero: Filia mea, inquit, Febronia, ecce tempus agonis adest. Si capiamur a militibus, nos quidem tamquam vetulas statim de medio tollent tyranni; tibi vero et juveni atque formosæ insidiabuntur. Cum igitur comprehendemur, teque adolatoriis sermonibus demulcere cœperint, ne acquiescas eis: et si oblato auro atque argento pretiosisque vestibus et epulis delicatis te fuerint aggressi; vide filia, ne persuaderi tibi sinas, præteritorumque laborum mercedem amittas, facta ludibrium dæmo- C num et idolorum. Nihil honestius est virginitate, quam multa merces et retributio manet: sponsus enim Virginum immortalis est, et immortalitatem largitur concupiscentibus se. Satage igitur, Domina mea Febronia, eum intueri, cui te ipsam tradidisti. Vide, filia, ne quas ei fecisti sponsiones facias irritas, et quas tibi dedit arrhas dimittas: tremenda enim erit dies illa, quando in throno gloriæ suæ sedebit judex, ut unicuique reddat secundum opera ejus. His corroborata Febronia, et generose seipsam præparans ad certamen cum spiritibus diabolicis ineundum, respondit Thomaidi; Recte facis, Domina, quod famulam tuam confirmes; robustiorem enim fecisti animam meam. Scito tamen, quodsi agonem voluissent effugere, exivissem utique cum Sororibus, meque abscondissem; sed quia illum ardenter cupio, cui animam meam consecravi; conabor ad eum pervenire, siquidem dignam me fecerit, quæ pro nomine ipsius decertem ac moriar.

et Bryene,

15 Talia audiens Bryene, cœpit etiam ipsa illi loqui: et Filia mea, inquit, Febronia, memento, quomodo doctrinam meam assecuta, aliis quoque magistra effecta es. Memento, quod bimulam te a nutrice tua meis excepi manibus, itaque custodivi,

Πρόκλα· Ὡς κελεύεις κυρία Ἀδελφὴ οὐκ ἐγκαταλείπω D σε. Εἶπεν δὲ αὐτῇ ἡ Φεβρονία. Ἰδοὺ ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ συνέθου, μὴ ἐγκαταλείπῃς με. Ἑσπέρας δὲ γενομένης, ἐξελθοῦσα καὶ ἡ Πρόκλα, ἀφανὴς ἐγένετο.

12 Ἡ οὖν Βρυένη, θεασαμένη τὴν γύμνωσιν τοῦ μοναστηρίου, διὰ τὰ ἐπελθόντα κακὰ, εἰσῆλθεν ἐν τῷ εὐκτηρίῳ, καὶ ἔρριψεν ἑαυτὴν εἰς τὸ ἔδαφος, πικρῶς ἀλαλάξουσα καὶ θρηνοῦσα. Ἡ δὲ Θωμαῒς ἡ δευτερεύουσα τῇ Βρυένῃ, παρεκαθέζητο αὐτῇ παρακαλοῦσα καὶ λέγουσα· Παῦσαι, κυρία Μῆτερ· δυνατός ἐστιν ὁ Θεὸς σὺν τῇ θλίψει καὶ τῷ πειρασμῷ ποίησασθαι καὶ τὴν ἔκβασιν, πρὸς τὸ δύνασθαι ἡμᾶς ὑπενεγκεῖν. Τίς ἐπίστευσε τῷ Κυρίῳ, καὶ κατῃσχύνθη; ἢ τίς ἐνέμεινεν τῷ φόβῳ αὐτοῦ, καὶ ὑπεριδεν αὐτὸν; Καὶ λέγει αὐτῇ ἡ Βρυένη· Ναὶ, Κυρία μου Θωμαῒς, ταῦτα οὕτως ἔχει· ἀλλὰ τί ποιήσω τὴν Φεβρονίαν; ποῦ δὲ αὐτὴν ἀποκρύψω, καὶ σώσω; ποίοις δὲ ὀφθαλμοῖς ἀτενίσω, ὁρῶσα αὐτὴν ὑπὸ βαρβάρων αἰχμαλωτιζομένην; Θωμαῒς λέγει. Ἐπελάθου πρὸ ἐμοῦ σοι εἰρημένων; Ὁ δυνάμενος ἐκ νεκρῶν ἐγεῖραι, αὐτὸς καὶ τὴν Φεβρονίαν ἐνισχύσει καὶ περισώσηται. Ὥστε κυρία μου μήτηρ μεταβλήθητι· καὶ τῶν ὀδυρμῶν παυσαμένη, ἐλθὲ ἵνα ὑποστηρίσωμεν τὴν Φεβρονίαν, διὰ τὸ αὐτὴν ἐν ἀσθενείᾳ κατακεῖσθαι.

13 Παραγενόμεναι οὖν τῷ βάθρῳ, ἔνθα ἀνέκειτο ἡ E Φεβρονία, εὐθέως ἡ Βρυένη ἠλάλαξεν πικρῶς, καὶ θεῖσα τὸ πρόσωπον ἐπὶ τὰ γόνατα αὐτῆς, συνείχετο τοῖς δάκρυσιν. Ἀτενίσασα δὲ εἰς αὐτὴν ἡ Φεβρονία, λέγει πρὸς τὴν Θωμαΐδα, Δέομαί σου μήτηρ, τίς ὁ ἀλαλαγμὸς τῆς Κυρίας τῆς μεγάλης; ἤκουσα γὰρ αὐτῆς, καὶ πρὸ μικροῦ οὔσης ἐν τῷ εὐκτηρίῳ, ὅτι ἀφῆκεν μεγάλην βοήν. Τότε ἡ Θωμαῒς δακρύσασα, λέγει τῇ Φεβρονίᾳ· Διὰ σὲ στένει καὶ θρήνει ἡ Μεγαλη, διὰ τὰ μέλλοντα ἡμῖν ἐπάγεσθαι κακὰ ὑπὸ τῶν τυράννων· καὶ διὰ τὸ εἶναι σὲ νεάνιν καὶ περικαλλῆ, συντρίβεται καὶ θρηνεῖ. Καὶ λέγει ἡ Φεβρονία· Δέομαι ὑμῶν εὔξασθαι ὑπὲρ τῆς δούλης ὑμῶν· δυνατὸς γάρ ἐστιν ὁ Θεὸς ἐπιβλέψαι ἐπὶ τὴν ταπείνωσίν μου, καὶ ἐνισχῦσαι με, καὶ χαρίσασθαί μοι ὑπομονὴν, ὡς καὶ πᾶσι τοῖς δούλοις αὐτοῦ τοῖς ἠγαπηκόσιν αὐτὸν ἐν ἀληθείᾳ.

14 Λέγει ἡ Θωμαΐς· Τέκνον μου Φεβρονία, Ἰδοὺ καιρὸς ἀγῶνός ἐστιν· ἐὰν οὖν συλληφθῶμεν ὑπὸ τῶν στρατιωτῶν, ἡμεῖς μὲν ὡς προβεβηκῦιαι συντόμως ἀναιρεθησώμεθα ὑπὸ τῶν τυράννων, σὲ δὲ περιποιήσονται ὡς νεάνιδα καὶ περικαλλῆ. Ἐὰν οὖν συλληφθῶμεν, καὶ κολακευτικοῖς λόγοις παρακαλέσωσιν σε, μὴ πεισθεὶς αὐτοῖς· καὶ ἐὰν σε δελεάσωσιν χρυσῷ ἢ ἀργύρῳ, ἢ ἐν ἱματισμῷ ἢ ἐν ἐδέσμασιν πολυτελέσιν, ὅρα μὴ πεισθῇς αὐτοῖς τέκνον, καὶ τῶν προλαβόντων καμάτων ἀπολέσεις τὸν μισθὸν, καὶ γένῃ δαιμόνων κατάγελος καὶ εἰδώλων παίγνιον. F Ὀυδὲν τιμιώτερον τῆς παρθενίας, πολὺς γὰρ αὐτῆς ὁ μισθὸς καὶ ἡ ἀνταπόδωσις, ὁ νυμφίος τῆς παρθενίας ἀθάνατος, καὶ ἀθανασίαν παρέχει τοῖς ποθοῦσιν αὐτόν. Σπούδασον οὖν, Κυρία μου Φεβρονία, τοῦτον θεάσασθαι ᾧ καὶ τὴν ψυχήν σου ἀνέθου. Βλέπε, τέκνον μου, μὴ ἀθετήσῃς τοὺς ἀῤῥαβῶνας αὐτοῦ, καὶ τὰς πρὸς αὐτὸν συνθήκας· φοβερὰ γάρ ἐστιν ἡ ἡμέρα ἐκείνη, ὅταν καθέζηται ἐπὶ θρόνου δόξης ὁ Κριτὴς, ὅταν ἕκαστος ἀπολαμβάνῃ κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ. Ταῦτα ἀκούσασα ἡ Φέβρονία ὑπεστηρίζετο, καὶ γενναίως κατὰ τῶν τοῦ διαβόλου πνευμάτων ἑαυτὴν παρεσκεύαζεν· καὶ ἀποκριθεῖσα τῇ Θωμαΐδι, εἶπεν· Καλῶς ἐποίησας, Δέσποινα, ὑποστηρίζουσα τὴν σὴν δούλην· γενναιωτέραν γὰρ ἀπειργάσω τὴν ψυχήν μου· Πλὴν εἰ προαιρέσεως εἶχον τοῦ φυγεῖν τὸν ἀγῶνα, κἀγὼ ἂν σὺν ταῖς Ἀδελφαῖς ἐξελθεῖν εἶχον καὶ ἐμαυτὴν ἀποκρύψαι· ἀλλ᾽ ἐπειδὴ ἐκεῖνον ποθῶ, ᾧ καὶ τὴν ψυχήν μου ἀνεθέμην, σπουδάσω πρὸς αὐτὸν πορευθῆναι, εἴγε ἀξίαν με ἀποδείξῃ ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ ἀγωνίσασθαι καὶ ἀποθανεῖν.

15 Ταῦτα ἀκούσασα ἡ Βρυένη, ἤρξατο καὶ αὐτὴ λέγειν αὐτῇ· Τέκνον μου Φεβρονία, μνήσθητι, πῶς παρηκολούθηκάς μου τῇ διδασκαλίᾳ· μνήσθητι, ὅτι καὶ ἄλλων διδάσκαλος ἐγένου· μνήσθητι, ὅτι δύο ἐτῶν σε οὖσαν ἐδεξάμην εἰς τὰς χεῖράς μου παρὰ τῆς τροφοῦ σου,

καὶ

A καὶ μέχρι τοῦ νῦν οὐκ ἑώρακεν ἄνθρωπος τὸ πρόσωπόν σου, κοσμικαῖς γυναιξὶν συναυλισθῆναί σε οὐκ ἐποίησα· ἰδοὺ μέχρι τοῦ νῦν διαφύλαξά σε ὡς σὺ γινώσκεις. Νῦν δὲ τί ποιήσω, τέκνον μου; Μὴ οὖν ἐνυβρίσῃς τὸ γῆρας Βρυένης, μὴ ματαιώσῃς τὸν κάματον τῆς πνευματικῆς σου μητρός. Μνήσθητι τῶν προλαβόντων ἀγωνιστῶν, οἵ τινες ἐνδόξως ἐμαρτύρησαν, καὶ τὸν στέφανον τῆς νίκης παρὰ τοῦ οὐρανίου ἀγανοθέτου ἐδέξαντο, οὐ μόνον δὲ ἄνδρες, ἀλλὰ καὶ γυναῖκες καὶ παιδία. Μνήσθητι Λύβης καὶ Λεονίδος τῶν δύο ἀδελφῶν, αἵ τινες ἐνδόξως ἐμαρτύρησαν· καὶ ἡ μὲν Λύβη ξίφει τὴν κεφαλὴν ἀπετμήθη, Λεονὶς δὲ πυρὶ παρεδόθη· μνήσθητι Εὐτροπίης τοῦ παιδίου, ἥτις δωδεκαετὴς οὖσα σὺν τῇ μετρὶ αὐτῆς ἐμαρτύρησεν. Οὐκ ἄρα σὺ ἐθαύμαζες ἀεὶ τῆς Εὐτροπίης τὴν ὑποταγὴν καὶ τὴν ὑπομονὴν, ὅτι τοῦ δικαστοῦ κελεύσαντος αὐτὴν τοξευθῆναι ἐκτὸς δεσμῶν, ἵνα φοβηθεῖσα φύγῃ, ἀκούσασα παρὰ τῆς μητρὸς, Τέκνον μου Εὐτροπία, μὴ φύγῃς, ἔδεισεν τὰς χεῖρας αὐτῆς ὄπισθεν, καὶ οὐκ ἔφυγεν· ἀλλὰ πληγεῖσα ὑπὸ τοῦ τόξου, ἔπεσεν εἰς τὸ ἔδαφος, καὶ εὐθέως διεφώνησεν, καὶ τῆς μητρὸς τὴν ἐντολὴν οὐ παρέβη. Οὐ ταύτης τὴν ὑπομονὴν ἐθαύμαζες ἀεί; Καὶ αὐτὴ μὲν παιδίον καὶ ἀμαθὲς, σὺ δὲ καὶ ἄλλων διδάσκαλος ἐγένου. Ταῦτα λεγόντων αὐτῶν καὶ πλείονα τούτων, διῆλθεν ἡ νύξ.

B

D ut usque modo nullus virorum faciem tuam conspexerit, sed nec permisi, ut seculares mulieres intuerere. Ecce, ut hactenus custodivi te, nosti. Nunc autem quid faciam, filia mea? Ne quæso dehonestes senectutem meam, neque vanos reddas labores tuæ spiritualis matris. Memento eorum qui nos præcessere pugilum, et quomodo gloriosa confessione perfuncti, victoriæ coronam a cœlesti Agonotheta acceperunt, non solum viri, sed etiam mulieres atque puellæ. Recordare Lybes atque Leonidis, sororum et martyrum inclytarum; quarum quidem Lybe caput gladio amputandum subjecit, Leonis vero igni tradita est. Sed et Eutropiæ puellæ duodennis, recordare, cum matre sua martyrizatæ. Numquid et ipsa admirabaris generosam ejus tolerantiam; quam cum judex, sagittis conficiendam, jussisset absolvi a vinculis, ut conterrita fugam capere posset; materque ei dixisset, Ne fugias, filia mea Eutropia; ipsa adstrinxit sibi manus post tergum, neque declinavit, et telo transverberata humi cecidit, statimque exclamans expiravit, nec in hoc quidem matris præceptum transgressa. Numquid non ejus virtutem semper collaudabas? Ipsa vero puella adhuc indocta erat; tu autem aliarum fuisti magistri. Inter hæc colloquia nox transivit. E

A. COÆVO EX MSS. aliis in exemplum adductis.

CAPUT III.

Delata ad Selenum Febronia, atque a militibus abducenda, Bryenæ ac Thomaidi valedicit.

Πρωίας δὲ γενομένης, καὶ ἀνατείλαντος τοῦ ἡλίου, θόρυβος καὶ βοὴ ἐγένετο ὑπὸ τῶν τὴν πόλιν οἰκούντων, ὡς ἤδη τοῦ Σελήνου, καὶ τοῦ Λυσιμάχου ἐπιβάντων τῇ πόλει. Πολλῶν τοίνυν τῶν Χριστιανῶν συναρπασθέντων ὑπὸ τῶν στρατιωτῶν, καὶ ἐν φρουραῖς ἀποτεθέντων, τινὲς τῶν ἑλλήνων ἀνήνεγκαν τῷ Σελήνῳ περὶ τοῦ μοναστηρίου, εὐθέως ἐκπέμπει στρατιώτας εἰς τὸ μοναστήριον. Κυκλώσαντες οὖν οἱ στρατιῶται τὸ μοναστήριον, καὶ πέλυξιν τὰς θύρας διαῤῥήξαντες, ἐπεισῆλθον τῷ μοναστηρίῳ. Καὶ εὐθέως κατασχόντες τὴν Βρυένην, ξίφει παραυτὰ ἀνελεῖν αὐτὴν ἠβουλήθησαν. Ἡ δὲ Φεβρονία, θεασαμένη τὸν ἐπικείμενον αὐτῇ κινδυνὸν, ἔῤῥιψεν ἑαυτὴν ἐπὶ τοῦ βάθρου εἰς τοὺς πόδας τῶν στρατιωτῶν, καὶ βοήσασα, λέγει πρὸς αὐτοὺς· Ὁρκίζω ὑμᾶς τὸν Θεὸν τὸν ἐν τοῖς οὐρανοῖς, ἐμὲ πρῶτον ἀνέλετε, ἵνα μὴ ἴδω τὸν θάνατον τῆς Κυρίας μου. Φθάσαντος δὲ τοῦ Κόμητος Πρίμου, καὶ ἀγανακτήσαντος κατὰ τῶν στρατιωτῶν, ἔξω τοῦ μοναστηρίου ἐκέλευσεν αὐτοὺς βληθῆναι, καὶ λέγει τῇ Βρυένῃ· Ποῦ εἰσιν αἱ ἐνταῦθα οἰκοῦσαι; Βρυένη λέγει, Διὰ τὸν φόβον ὑμῶν πᾶσαι ἀνεχώρησαν τοῦ μοναστηρίου.
C Πρίμος λέγει, Εἴθε καὶ ὑμεῖς διεσώθητε! Καὶ λέγει πρὸς αὐτὰς, Ἰδοὺ ἔχετε ἄνεσιν, ἐξελθοῦσαι διασώζεσθε ὅπου δ' ἂν βούλησθε· καὶ λαβὼν τὴν στρατιὰν ἀνεχώρησε τοῦ μοναστηρίου.

17 Καὶ παραγενόμενος ἐν τῷ πραιτωρίῳ, ἔρχεται πρὸς τὸν Λυσίμαχον. Καὶ λέγει αὐτῷ Λυσίμαχος· Ἀληθῆ ἐδιδάχθημεν περὶ τοῦ μοναστηρίου; Πρίμος λέγει. Ἀληθῆ· καὶ παραλαβὼν αὐτὸν κατ' ἰδίαν, εἶπεν αὐτῷ. Πᾶσαι αἱ ἐν τῷ μοναστηρίῳ φυγῇ ἐχρήσαντο, καὶ οὐχ εὕρωμεν, εἰ μὴ δύο πρεσβύτιδας, καὶ μίαν νεᾶνιν· ξένον δὲ, Κύριέ μου, ἔχω σοι ἀπαγγεῖλαι, ὃ ἐθεασάμην ἐν τῷ μοναστηρίῳ· Ἴδον ἐκεῖ νεάνιδα, οἵαν οὐχ ἑώρακα μέχρι τοῦ νῦν ἐν γυναιξὶ τοιοῦτον φέρουσαν χαρακτῆρα· ἐπίστανται οἱ θεοὶ, ἴδον αὐτὴν κειμένην ἐπὶ τοῦ βάθρου, καὶ ἐξέστη μου ἡ διάνοια· καὶ εἰ μὴ ὅτι πενιχρὰ ἦν καὶ πτωχὴ, ἀξία ἦν τῷ Κυρίῳ μου γενέσθαι εἰς γυναῖκα. Λυσίμαχος λέγει. Ἐι ἐντολὰς ἔχω τῆς μητρός μου, μὴ ἐκχέαι αἷμα Χριστιανῶν, ἀλλὰ μᾶλλον φίλος γενέσθαι, πῶς τοῖς τοῦ Χριστοῦ δούλοις ἐπιβουλεύσω; οὐχί. ἀλλὰ παρακαλῶ σε, Κύριέ μου Πρίμε, λαβὼν αὐτὰς, ἐξάγαγε τοῦ μοναστηρίου, καὶ γενοῦ αὐταῖς σωτὴρ, ὅπως μ ἐμπεσῶσιν εἰς τὰς χεῖρας τοῦ Σελήνου τοῦ ἀνελεοῦς ἐμοῦ θείου. Εἷς δέ τις τῶν κακίστων στρατιωτῶν, δραμὼν πρὸς τὸν Σέληνον, ἀπήγγειλεν αὐτῷ λέγων, Ὅτι ν

Mane autem facto et sole exoriente, per omnes qui civitatem incolebant, tumultus et clamor invaluit, quia jam Lysimachus et Selenus intraverant civitatem. Cumque multi Christianorum comprehenderentur a militibus, et in carceres compingerentur; gentilium quidam Seleno indicium fecerunt monasterii: qui continuo illuc armatos destinavit. Hi vero circumcingentes locum, et securibus ostia perfringentes, illuc ingressi sunt; atque Bryenam statim comprehendentes, volebant eam gladio interficere. Videns autem Febronia periculum imminens, devolvit se ex scamno, ad pedes militum, exclamansque, dixit eis: Adjuro vos per Deum, qui est in cœlis, ut me priorem interficiatis, ne videam necem Dominæ meæ. Superveniens autem Comes Primus, et milites increpans, jussit eos de monasterio ejici, et ait Bryenæ: Ubinam sunt, quæ hic commorabantur? Vestro, inquit, timore omnes a monasterio discessere. Cui Primus; Utinam et vos sic essetis salvatæ! et ait ad illas: Ecce facultatem habetis, ut egressæ salvemini ubicumque potestis; assumptaque quæ ibi erat militia inde recessit. F

Immissis in monasterium militibus

ad mortem pro Bryene se offert Febronia;

17 Ingressus autem prætorium accessit ad Lysimachum; interrogantique, Num vera sunt, quæ didicimus de monasterio? Vera, inquit. Et seorsum illum accipiens, dixit ei: Quotquot ibi erant, fuga elapsæ sunt; neminemque ibi invenimus præter anus duas et adolescentem unam. Verumtamen necesse habeo enarrare tibi, Domine mi, quid stupendum viderim in monasterio. Vidi enim ibi puellam, qualem usque modo inter mulieres non conspexi, tanta pollentem venustate. Testes mihi sunt dii, quia videns illam in scamno jacentem, totus obstupui; et nisi ita pauper atque abjecta esset, digna erat quæ tibi Domino meo uxor obveniret. Ad quæ Lysimachus: Numquid non habeo præceptum matris, ut non effundam sanguinem Christianorum, sed potius amanter iis utar? quomodo igitur Christi servis insidiabor? Non faciam sane; sed rogo te, Domine Prime, accipe illas, atque educ de monasterio, et esto ipsis salvator, ut non incidant in manus Seleni, patrui mei inclementis. Tunc quidam pessimorum militum cursim accessit ad Selenum, eique nuntiavit quod inventa sit in monasterio puella formosissima, et

de cujus forma edoctus a Primo Lysimachus,

jubet eam in tutum subduci:

A. COÆVO EX MSS.

sed prævertit conatum Selenus.

A et quod Primus Comes locutus cum Lysimacho sit de ea ipsius conjugio copulanda. Quibus auditis, indignatione et ira plenus Selenus, misit confestim ad monasterium qui custodirent illas, ne fuga elabi possent : jussitque præcones proclamare per civitatem, quod sequenti die ad quæstionem publicam esset adducenda Febronia : quo præconio exciti, non solum qui erant in civitate, sed etiam qui circum habitabant viri atque mulieres, concurrerunt ad spectandum illius agonem.

Illa ad tribunal trahenda,

18 Postridie ergo mane venerunt milites in monasterium, et de scamno rapientes Febroniam, ferreis vinculis constrinxerunt eam, numella etiam collum implicantes, itaque extra monasterium pertrahebant. Bryene autem atque Thomais manibus eam complexæ, exclamaverunt dolenter, rogaveruntque milites, ut tantillas ipsi indulgerent inducias, per quas illi loqui ultimum possent. Illi vero multa compassione dignati Febroniam, cum id eis annuissent, cœperunt istæ ulterius orare, ut ipsæ quoque in agonem adducerentur, neque cogerentur Febroniam derelinquere solam, ne forte eam timor corriperet. Sed responderunt, quod ipsas jussi non B essent ad tribunal sistere, sed Febroniam dumtaxat. Cœperunt ergo Thomais et Bryene consolari et adhortari illam. Prior Bryene : Ecce, inquit, filia, egrederis ad certamen : vide quomodo cœlestis Sponsus agonem tuum intueatur, et Angelicæ Virtutes paratam teneant victoriæ coronam. Vide ne formides tormenta et occasionem nobis insultandi diabolo præbeas. Nulla te corporis tui miseratio tangat, cum illud flagellis dissolvetur : ipsum enim, etiamsi nollemus, cito excipiet sepulcrum atque in cinerem rediget. Ecce ego maneo in monasterio lugens, atque de te nuntium expectans faustum vel infaustum. Fac obsecro filia ut faustum audiam. O quis mihi significabit, quod Febronia, agone consummato, Martyrum numero adscripta sit!

iterum animatur a Bryene

et Thomaide;

19 Ad hæc Febronia inquit Bryenæ : Confido in Deum, Mater, quod sicuti numquam transgressa sum mandatum tuum, sic neque nunc vanam reddam adhortationem tuam : sed videbunt populi et mirabuntur, ac beatam dicent senectutem Bryenes dicentes ; Vere hæc magnæ Bryenes plantula fuit : ostendam enim in muliebri corpore animum virilem latere. Interim orate pro me atque sinite abire. Cui Thomais ; Vivit, inquit, Dominus, filia mea Febronia, quia et ego veniam secularem induta vestem, atque spectabo certamen tuum. Cumque abducerent ipsam milites, dixit ad illas Febronia, Oro vos, C Matres meæ, date mihi ad certamen eunti benedictionem vestram, atque adhuc semel pro me deprecemini, et sic permittite abire. Briene igitur tendens in cœlum manus, et magna voce exclamans dixit : Domine Jesu Christe, qui famulæ tuæ Theclæ in agone constitutæ apparuisti sub figura *a* Pauli ; appare etiam humili isti, tempore certaminis sui : atque his dictis amplexata Febroniam osculataque cum lacrymis, eam dimisit : quam accipientes milites egressi sunt de monasterio ; in quod regressa illa, lamentans et ejulans prostravit sese supra pavimentum oratorii, nec sine clamore valido oravit Deum super Febronia.

deinde utriusque benedictione accepta, generose discedit,

a

prosequente clam Thomaide

20 Thomais vero ipsius secunda, assumpto seculari habitu, processit ad spectaculum : matronæ etiam seculares quæ consueverant sextis feriis ad illam venire in monasterium, audiendæ doctrinæ gratia, percutientes pectora sua eodem properabant non sine fletu, et lamentabantur quod tali privarentur magistra. Hieria vero Senatrix, audiens quod Sanctimonialis Febronia in publicum esset producenda, surgens exclamavit vehementer, sic ut parentes ejus omnesque domestici consternati, inter-

τινα εὑρήκαμεν ἐν τῷ μοναστηρίῳ, σφόδρα περικαλλῆ, D καὶ περὶ αὐτῆς περὶ γάμου ὁμιλεῖ τῷ κυρίῳ μου Λυσιμάχῳ Πρίμος ὁ Κόμης· Ταῦτα ἀκούσας Σέληνος, καὶ πλησθεὶς θυμοῦ καὶ ὀργῆς, ἀπέστειλεν φύλακας ἐν τῷ μοναστηρίῳ φυλάττειν αὐτάς, μή πως φυγοῦσαι διασωθῶσιν, καὶ εὐθέως προσέταξεν κήρυκας βοᾷν ἐν τῇ πόλει, Αὔριον δημοσίᾳ πρόοδος τῆς Φεβρονίας. Ἀκούσαντες δὲ οἱ τὴν πόλιν οἰκοῦντες, οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ οἱ τὴν περίχωρον, συνέτρεχον πλῆθος ἀνδρῶν τε καὶ γυναικῶν, τῆς Φεβρονίας τὸν ἀγῶνα θεάσασθαι.

18 Ὄρθρου δὲ γενομένου, παραγίνονται οἱ στρατιῶται ἐν τῷ μοναστηρίῳ, καὶ εἰσελθόντες, ἤλκυσαν ἀπὸ τοῦ βάθρου τὴν Φεβρονίαν, καὶ σιδήροις ἀσφαλίσαμενοι, καὶ κλοιὸν περιτιθέντες τῷ τραχήλῳ αὐτῆς, εἷλκον ἔξω τοῦ μοναστηρίου. Ἡ δὲ Βρυένη, καὶ ἡ Θωμαῒς συμπλέξασαι τὰς χεῖρας τῇ Φεβρονίᾳ, ἐβόων πικρῶς, καὶ παρεκάλουν τοὺς στρατιώτας ἐνδοῦναι αὐτῇ μικρὸν, ὅπως διαλεχθῶσιν αὐτῇ. Οἱ δὲ στρατιῶται πολλῆς συμπαθείας ἀξιώσαντες τὴν Φεβρονίαν, ἄνεσιν παρέσχον αὐτῇ. Ἡ οὖν Βρυένη καὶ ἡ Θωμαῒς παρεκάλουν τοὺς στρατιώτας, ὅπως καὶ αὐταὶ παραγένονται εἰς τὸν ἀγῶνα, διὰ τὸ μὴ καταληφθεῖναι τὴν Φεβρονίαν μόνην, ὅπως μονοθεῖσα δελειάσῃ. Οἱ δὲ στρατιῶται εἶπον· Οὐ προσετάχθημεν ὑμᾶς τῷ δικαστηρίῳ παραστῆσαι, ἀλλὰ μόνην τὴν Φε- E βρονίαν. Ἤρξαντο οὖν ἥτε Θωμαῒς καὶ ἡ Βρυένη παρακαλεῖν καὶ ὑποστηρίζειν τὴν Φεβρονίαν. Λέγει οὖν ἡ Βρυένη· Τέκνον Φεβρονία, ἰδοὺ ἐξέρχῃ εἰς τὸν ἀγῶνα· βλέπε ὅτι ὁ οὐράνιος νυμφίος ἐφορᾷ τὸν ἀγῶνά σου καὶ αἱ τῶν ἀγγέλων δυνάμεις κατέχουσιν τὸν τῆς νίκης στέφανον· βλέπε μὴ πτωηθῇς τὰς βασάνους καὶ γένῃ χλεύη τοῦ διαβόλου, μὴ ἐλεήσῃς τὸ ἑαυτῆς σῶμα διαλυόμενον ὑπὸ τῶν αἰκισμῶν, τοῦτο γὰρ κἂν μὴ θέλωμεν μετόλιγον τάφος διαδεξάμενος, εἰς χοῦν τοῦτο διαλύσει· ἰδοὺ ἐγὼ περιμένω ἐν τῷ μοναστηρίῳ θρηνοῦσα, καὶ περιμένουσα ἀγγελίαν περὶ σοῦ, εἴτε ἀγαθὴν, εἴτε πονηράν. Δέομαι οὖν σου, τέκνον μου, ἀγαθὴν ἀγγελίαν ἀκοῦσαι περὶ σοῦ. Τίς εὐαγγελεῖ μοι, ὅτι Φεβρονία ἐτελειώθη καὶ ἐν μάρτυσιν κατελογίσθη.

19 Ταῦτα ἀκούσασα ἡ Φεβρονία, λέγει τῇ Βρυένῃ· Πιστεύω εἰς τὸν Θεὸν Μήτηρ μου, ὅτι ὡς οὐδέποτε παρῆλθον σου ἐντολὴν, οὐ δὲ νῦν παρέλθω σου τὴν ἐντολὴν ταύτην καὶ τὴν παραίνεσιν· ἀλλ᾽ ὄψονται λαοὶ καὶ ἐκστήσονται, καὶ μακαριοῦσιν τὸ γῆρας Βρυένης, καὶ ἐροῦσιν, Ἀληθῶς αὕτη ἡ φυτεία Βρυένης τῆς μεγάλης ἐστίν· δείξω γὰρ ἐν σώματι θηλείας φρόνημα ἀνδρεῖον· ἀλλ᾽ εὔξασθέ μοι, καὶ ἄφετε με ὑπάγειν. Θωμαΐς λέγει, Ζῇ κύριος Φεβρονία τέκνον μου ὅτι κἀγὼ, σχῆμα κοσμικὸν περιβαλλομένη, ἐλεύσομαι καὶ θεάσομαι τὸν ἀγῶνά σου. Τῶν δὲ στρατιωτῶν ἐπηγόντων αὐτὴν, λέγει αὐταῖς ἡ Φεβρονία, F Δέομαι ὑμῶν, Μητέρες μου, δότε μοι εὐλογίαν ἐφόδιον, καὶ εὔξασθέ μοι ἔτι τὸ ἅπαξ τοῦτο, καὶ ἄφετέ με πορευθῆναι. Ἡ οὖν Βρυένη ἐκτείνασα τὰς χεῖρας εἰς τὸν οὐρανὸν, καὶ βοήσασα φωνῇ μεγάλῃ, εἶπεν· Κύριε Ἰησοῦ Χριστὲ, ὁ φανεὶς τῇ δούλῃ σου Θέκλῃ ἐν τῷ ἀγῶνι ἐν σχήματι Παύλου, φάνηθι ἐπὶ τῆς ταπεινῆς ταύτης ἐν τῇ ὥρᾳ τῶν ἀγώνων. Ταῦτα εἰπούσης τῆς Βρυένης, περιπτυξαμένη τὴν Φεβρονίαν, καὶ ἀσπασαμένη μετὰ πολλῶν δακρύων, ἀπέλυσεν αὐτήν. Λαβόντες οὖν αὐτὴν οἱ στρατιῶται ἐξῆλθον. Ὑπέστρεψεν δὲ ἡ Βρυένη ἐν τῷ μοναστηρίῳ ὀδυρομένη καὶ θρηνοῦσα· καὶ ῥίψασα ἑαυτὴν εἰς τὸ ἔδαφος ἐν τῷ εὐκτηρίῳ, βοῶσα ἱκέτευε τὸν Θεὸν περὶ τῆς Φεβρονίας.

20 Ἡ οὖν Θωμαῒς, ἡ δευτερεύουσα τῇ Βρυένῃ, καταλιποῦσα αὐτὴν ἐν τῷ εὐκτηρίῳ, καὶ περιβαλομένη σχῆμα κοσμικὸν, ἔρχεται ἐπὶ τὴν θεωρίαν. Πᾶσαι οὖν αἱ κοσμικαὶ γυναῖκες, αἵ τινες συνήρχοντο πρὸς αὐτὴν ἐν τῷ μοναστηρίῳ ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῆς παρασκευῆς, καὶ τῆς διδασκαλίας ἀπήλαυον, τύπτουσαι τὰ στήθη ἑαυτῶν μετὰ δακρύων, ἔτρεχον ἐπὶ τὸν τόπον τῆς θεωρίας, καὶ τὴν στέρησιν τῆς διδασκάλου ἐθρήνουν. Μαθοῦσα δὲ καὶ ἡ Ἱερία ἡ Συγκλητικὴ, ὅτι Φεβρονία ἡ μοναχὴ πρόοδον δίδωσιν δημοσίᾳ, ἀναστᾶσα ἐβόησεν φωνῇ μεγάλῃ, ὡς

ἐκστῆναι

A ἐκστῆναι τοὺς γονεῖς αὐτῆς καὶ πάντας τοὺς ἐν τῷ οἴκῳ, καὶ πυθέσθαι παρὰ τῆς Ἱερίας τὸ τί συνέβη αὐτῇ; Ἡ δὲ ἀπεκρίνατο λέγουσα· Ἡ ἀδελφή μου Φεβρονία πρόοδον δίδωσιν δημοσίᾳ, ἡ διδάσκαλός μου δίκας εἰσπράττεται ὡς Χριστιανή. Πολλὰ οὖν παραινουμένη ὑπὸ τῶν γονέων παύσασθαι τοῦ θρήνου πλεῖον, ἐβόα ὀδυρωμένη, παρακαλοῦσα τοὺς γονεῖς καὶ λέγουσα. Ἄφετέ με πικρῶς κλαῦσαι ἐπὶ τῇ ἐμῇ ἀδελφῇ καὶ διδασκάλῳ. Ταῦτα λεγούσης αὐτῆς, καὶ τοὺς οἰκείους γονεῖς εἰς θρῆνον διεγείρεν ὥστε ὀδύρεσθαι καὶ αὐτοὺς τὴν Φεβρονίαν. Πείσασα οὖν τοὺς γονεῖς αὐτῆς παραγενέσθαι ἐπὶ τὴν θεωρίαν, ἔλαβεν πλῆθος παίδων καὶ παιδικῶν, καὶ κατελθοῦσα ἔτρεχεν ἐπὶ τὸν τόπον τῆς θεωρίας θρηνοῦσα· καὶ φθάσασα πλῆθος πολλῶν γυναικῶν συντρεχόντων καὶ θρηνούντων, ἔφθασεν καὶ τὴν Θωμαΐδα κατὰ τὴν ὁδὸν, καὶ ἀναγνωρισθεῖσαι ἀλλήλαις, θρηνοῦσαι ἀμφότεραι, ἐπὶ τὸν τόπον τῆς θεωρίας παραγίνωνται ἰδεῖν τὸν ἀγῶνα.

rogarent, quidnam ipsi accidisset : quibus ipsa respondit dicens : Soror mea Febronia procedit publice interroganda : Magistra mea adducitur in judicium, tamquam Christiana. Cumque ejus parentes multis ei suaderent quiescere a planctu, magis etiam vociferabatur ejulans, suisque parentibus dicebat : Sinite me amare plangere super Sorore et Magistra mea. Movebantur ergo etiam parentes illius ad lugendam Febroniam ; persuasique ipsi licentiam dare eundi ad spectaculum, addiderunt ei multitudinem famulorum famularumque ; cum quibus procurrens illa *b* et plangens invenit multitudinem mulierum pariter eodem currentium ; invenit etiam in via Thomaidem ; quæ mutuo agnoscentes lacrymantesque festinaverunt simul ad locum, ad videndum Febroniæ agonem. *c* D

A. COLVO EX MSS. Hieria vero palam.

b

c

ANNOTATA D. P.

a S. Thecla *colitur* 23 *Septembris, in cujus Vita per Basilium Seleuciensem scripta, itemque in ea quam composuit Metaphrastes, idem legitur, atque ex his tam vetustis Actis egregie confirmatur.*

b *Dicunt Menæa utramque induisse* virilem vestem, *quod cum his Actis non convenit, sed Thomaidi solum datur vestis secularis, et Hieriam infra apparet palam appellatam, nec de veste mutata culpatam fuisse a Judice.*

B c *Eadem Menæa, non solum initium interrogationum sequentium, sed et tormentorum totam seriem Lysimachi imperio adscribunt, male : siquidem eadem ipsa in fine Selenum propterea periisse dicunt, Lysimachum vero laudant, ut mitius affectum.* E

CAPUT IV.

Interrogata frustraque solicitata Febronia, bis torquetur.

Πολλοῦ οὖν πλήθους συνηγμένου ἐν τῷ τόπῳ, παραγίνονται καὶ οἱ δικασταὶ ἐπὶ τὸν τόπον τῆς θεωρίας. Προκαθίσαντες οὖν ὅτε Σέληνος καὶ ὁ Λυσίμαχος, ἐκέλευσαν εἰσαχθῆναι τὴν Φεβρονίαν. Εἰσήχθη οὖν πεπεδεμένη τὰς χεῖρας καὶ κλοιὸν βαρὺν κατὰ τοῦ τραχήλου φέρουσα. Θεασάμενοί οὖν οἱ ὄχλοι ἐδάκρυον, καὶ ἦν οἰμωγὴ καὶ κλαυθμὸς πάντων. Προαχθείσης οὖν αὐτῆς ἐν τῷ μέσῳ, ἐκέλευσεν ὁ Σέληνος παύσασθαι τὸν θόρυβον· καὶ μεγάλης σιγῆς γενομένης, λέγει ὁ Σέληνος τῷ Λυσιμάχῳ, Δίδου τὰς πεύσεις, καὶ δέχου τὰς ἀποκρίσεις. Λυσίμαχος λέγει· Λέγε μοι νεωτέρα, τίς εἶ τῇ τύχῃ; δούλη, ἢ ἐλευθέρα; Φεβρονία λέγει· Δούλη. Λυσίμαχος λέγει· Τίνος οὖν τυγχάνει δούλη; Φεβρονία λέγει· Τοῦ Χριστοῦ. Λυσίμαχος λέγει· Τίς λέγη τὸ ὄνομά σου; Φεβρονία λέγει· Χριστιανὴ ταπεινή. Λυσίμαχος λέγει· Τὸ ὄνομά σου μαθεῖν θέλω. Φεβρωνία λέγει· Εἶπον σοι, ὅτι C Χριστιανὴ ταπεινή· εἰ δὲ τὸ ὄνομά μου μαθεῖν θέλῃς, Φεβρονία ὑπὸ τῆς Κυρίας μου καλοῦμαι.

Plenus erat ingenti multitudine quæ confluxerat locus : in quem progressi etiam atque considentes Judices, Selenus et Lysimachus, jusserunt induci Febroniam. Inducta est autem manus revincta et gravem numellam collo ferens, quam conspicatæ turbæ proruperunt in lacrymas, et erat magnus omnium planctus ac lamentatio : sed cum adducta in medium esset, et Selenus tumultum cessare jussisset, silentio facto, dixit Lysimacho ; Incipe quæstiones et excipe responsa. Dixit ergo Lysimachus : Dic mihi, adolescentula, cujus conditionis es, serva an libera? Serva, inquit Febronia. Cujusnam vero? inquit ille ; hæc vero, Christi. Tum iterum Lysimachus, Quo nomine vocaris? Humilis Christiana, respondit Febronia. At ego nomen tuum scire volo, inquit Lysimachus : cui Febronia, Jam dixi tibi quod humilis Christiana sum : si autem et nomen scire cupis, Febronia appellor a Domina mea. F

Ad tribunal inducta Virgo,

et a Lysimacho obiter interrogata,

22 Τότε ὁ Σέληνος παύσας τὸν Λυσίμαχον τῶν ἐρωτήσεων, αὐτὸς ἤρξατο ἐρωτᾶν τὴν Φεβρονίαν, καὶ λέγει πρὸς αὐτήν· Ἐπίστανται οἱ θεοί, Φεβρονία, ὅτι οὐκ ἠβουλόμην ἐρωτήσεως ἀξιῶσαί σε· ἀλλ' ἐπειδὴ τὸ πρᾷον, καὶ ἐπιεικὲς σὺν τῷ περικαλλεῖ χαρακτῆρί σου ἥττησαν τὸν τῆς μανείας σου ὄγκον καὶ τῆς κατά σου ἀγανακτήσεως, οὐκέτι ὡς κατάκριτον ἐρωτήσω σε, ἀλλ' ὡς τέκνον, καὶ ὡς θυγατέρα ἐμὴν παρακαλέσω σε. Ἄκουε τοίνυν, θύγατερ· Ἐπίστανται οἱ θεοὶ ὅτι πολλῶν χρημάτων καὶ πολλῆς περιουσίας ἡρμωσάμεθα γυναῖκα τῷ Κυρίῳ μου Λυσιμάχῳ, ἐγώ τε, καὶ Ἄνθιμος ὁ ἐμὸς ἀδελφός· πλὴν ὅμως σήμερον τὸ ἐπὶ τῇ θυγατρὶ τοῦ Προσφόρου διαλύσω συνάλλαγμα, καὶ τὰς ἐν σοὶ θήσομαι συνθήκας, καὶ ἔσῃ τῷ κυρίῳ μου Λυσιμάχῳ εἰς γυναῖκα, οὗ εἰς τὰ δεξιὰ καθέζομαι νῦν, ὅντινα καὶ ὁρᾷς ὅτι καὶ αὐτὸς περικαλλής ἐστιν ὡς καὶ σύ. Ἄκουσον οὖν τῆς συμβουλείας μου ὡς πατρός σου, καὶ ποιήσω σε ἔνδοξον ἐπὶ τῆς γῆς· καὶ μὴ πτοήσῃ σε ἡ πενία, οὔτε γὰρ ἐμοὶ γυνὴ περίεστιν, οὔτε τέκνα· πάντα οὖν τὰ ἐμὰ σοὶ δωρήσομαι, καὶ δέσποιναν πάντων καταστήσω σε, καὶ ταῦτα εἰς προῖκα ἐπιδώσω τῷ κυρίῳ μου Λυσιμάχῳ. καὶ ἔσομαι ὑμῖν εἰς πατέρα, καὶ δοξασθεῖσῃ ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ μακαριοῦσι σε αἱ θηλίαι

22 Tunc Selenus, jubens Lysimachum ab interrogando cessare, cœpit interrogare etiam ipse, et dixit : Testes mihi sint dii, Febronia, quia statueram te nec interrogatione quidem dignari : sed quoniam modestia et honestas tua, conjuncta cum specie tam eximia vincunt ardorem furoris et iracundiæ contra te conceptæ ; age, non ut ream interrogabo te, sed ut filiam meam suadendo aggrediar. Audi igitur, filia. Norunt dii quod ego et frater meus Anthimus, Domino meo Lysimacho despondimus mulierem magnis opibus et possessionibus dotatam : ast nunc dissolvo sponsalia contracta cum filia Prosphori, erisque tu uxor Domino meo huic Lysimacho, qui mihi ad dextram considet, quemque vides formosum esse sicut et tu. Meum igitur ut patris consilium audi, faciamque te gloriosam super terra. Nec est, quod verecunderis propter egestatem tuam : mihi enim nec uxor nec liberi sunt ; itaque mea omnia tibi tradam ac Dominam universorum te constituam ; quæ Domino meo Lysimacho pro dote dabo, eroque vobis in patrem; et glorificaberis super terra, atque beatam te dicent omnes mulieres tanto honore dignatam. Sed et invictissimus Imperator gratificabitur

multisque solicitata a Seleno,

Lysimachi nuptias offerente,

A. COÆVO EX MSS.

A gratificabitur vobis, multaque largietur etiam ipse; pollicitus enim est in sublimi potestatis throno confirmare Dominum meum Lysimachum et Præfectum creare. Ecce omnia audivisti, da mihi patri tuo responsum, quod diis placeat, et animam meam exhilaret : quodsi appareat te persuaderi non posse, testor Deos, quod sub manibus meis non vives ad tres horas. Responde igitur ut placuerit tibi.

respondet se Christo desponsam,

23 Ad hæc Febronia; Ego, inquit, in cœlis habeo thalamum non manufactum, sponsum irrefragabilem nacta, et pro arrha totum cœlorum regnum, sponsum vere immortalem, mortali et corruptibili sponso neque volo neque possum conjungi. Itaque noli, o Judex, in vanum laborare : quia nec blanditiis emolliar, neque minis terrebor. Tali audito responso, iratus vehementer Judex, mandavit militibus suis dicens, Auferte ei vestimenta sua, et laceris panniculis eam cingite, ut coram omnibus vilis contemptibilisque appareat; seque videns in tali vilitate constitutam, seipsam incipiat accusare, quod pro magna unde excidit gloria in tantum se despectum conjecerit. Itaque milites confestim abri-
B pientes vestimenta ejus lacernulaque circumcingentes, nudam coram omnibus posuerunt. Tunc ad eam Selenus; Quid nunc ais, Febronia? Jamne vides, ex quantis delapsa bonis, ad quantam perveneris inhonestatem? Cui Febronia : Audi, inquit, o Judex : etsi omni prorsus indumento me spoliaveris, ego id mihi ignominiæ non vertam : neque enim solam expecto expoliationem vestium; sed etiam ferri ignisque supplicium : atque utinam digna inveniar pro eo pati, qui mea causa tanta est passus.

ideoque nudata

et inverecundiæ accusata,

24 Tum Selenus, Impudens, inquit, et omni dedecore digna, scio quod gloriaris ea qua polles pulchritudine, et ideo nec ignominiam reputas nuditatem corporis tui, neque propter eam verecundaris, sed decorum reputas ita nudam te conspici. Novit Christus meus, inquit Febronia, quod usque modo numquam cognoverim viri faciem : quia autem in manus tuas incidi, visa sum impudens. Dic mihi, stulte et insensate judex, quis in Olympiaco decertaturus agone, luctam aggressus est unquam vestimentis indutus? numquid nudus certamen init quoad suum adversarium vicerit? Cum autem tormentorum et ignis supplicia expectem, quomodo cum iis vestita congrediar? numquid nudandum
C corpus non est, ut verbera excipiat? Eia! quandonam congrediar cum patre tuo diabolo, tua contemnens tormenta? Ad hæc Selenus, Quandoquidem, inquit, ipsa sibi ultro deposcit supplicia atque tormenta, et contra ipsius etiam ignis minas audacter insurgit; ad quatuor palos extendite illam, ignemque supponite; interim dum quatuor milites terga illius jugiter virgis lacerabunt. Eo facto, cum diu cæderetur, ex utraque dorsi parte velut imber sanguineus depluebat in terram : sed et ignis visceribus ejus subjectus, vires exerebat suas, tanto vehementiores quod oleo irrigabatur, et magis accendebatur flamma, Febroniam consumens. Illa autem sic diu cruciata, totius plebis multitudo clamabat, et Judicem deprecabantur dicentes, Miserere, Judex clementissime, miserere adolescentulæ. Ille vero nihil commovebatur, sed magis etiam inculcari verbera imperabat, donec vidit carnes ejus simul cum sanguine in terram defluxisse : tunc primum cessare carnifices jussit; arbitrati autem ipsam obiisse ab igne extraxerunt.

respondet eo se paratiorem ad tormenta esse.

Supposito igne extensa virgis cæditur,

deficiente ad hæc Thomaide,

25 Tunc Thomais cum illata Febroniæ tormenta vidisset, animo deficiens humi corruit ad pedes Hieriæ : Hæc autem magna voce exclamavit : Hei mihi, Soror Febronia! Hei mihi, Domina ac Ma-

πᾶσαι οἵας τιμῆς ἠξιώθης. Χαρίσεται δὲ καὶ ὁ καλλίνικος ἡμῶν Βασιλεὺς, καὶ δωρήσεται ὑμῖν καὶ αὐτὸς πολλὰ, ἐπηγγείλατο γὰρ ἐπὶ τὸν ὑπερέχοντα τῶν Ἀρχῶν θρόνον ἀναβιβᾶσαι τὸν Κύριόν μου Λυσίμαχον καὶ πράττειν τὸν Ἔπαρχον. Ἰδοὺ ἀκήκοας πάντα, δὸς ἀπόκρισιν ἐμοί τῷ πατρί σου τὴν καὶ τοὺς θεοὺς θεραπεύουσαν καὶ τὴν ψυχήν μου χαροποιοῦσαν· ἐπεὶ ἐὰν ἀπειθὴς ὀφθείης πρὸς τὴν πσραίνεσίν μου, ἐπίστανται οἱ θεοί, ὅτι οὐ μὴ ζήσεις τρεῖς ὥρας εἰς τὰς χεῖρας μου· ἀποκρίνου τοίνυν τὰ δοκοῦντά σοι. D

23 Φεβρονία λέγει, ἐγὼ δικαστὰ παστατὰ ἔχουσα ἐν οὐρανοῖς ἀχειροποίητον, νυμφῶνα ἀκατάλυτον κεκτημένη, προῖκα ἔχουσα πᾶσαν τὴν τῶν οὐρανῶν βασιλείαν, νυμφίον ἔχουσα ἀθάνατον, θνητῷ καὶ φθαρτῷ ἀνθρώπῳ συνοικῆσαι οὔτε ἀκοῦσαι ἀνέχομαι· ὥστε δικαστὰ μὴ κάμνε, οὔτε γὰρ κολακεύων ὀφελήσεις, οὔτε ἀπειλῶν ἐκφοβήσεις. Ταῦτα ἀκούσας ὁ δικαστὴς, καὶ μεγάλως ἀγανακτήσας, ἐκέλευσεν τοῖς στρατιώταις λέγων· Περιῤῥήξαντες τὰ ἱμάτια αὐτῆς, καὶ ῥακκίοις περιζώσαντες, ἄτιμόν τινα καὶ ἀσχήμονα ἐπὶ πάντων στήσατε, ἵνα ἰδοῦσα ἑαυτὴν ἐν τοιαύτῃ ἀσχημοσύνῃ, ταλανίσει ἑαυτὴν ἀνθῶν μεγάλης ἐξέπεσεν δόξης, καὶ ἐσχάτης τετύχηκεν ἀτιμίας. Οἱ οὖν στρατιῶται ταχέως περιῤῥήξαντες τὰ ἱμάτια αὐτῆς, καὶ ῥακκίοις αὐτὴν περιζώσαντες, ἔστησαν E ἐπὶ πάντων γυμνήν· τότε ὁ Σέληνος λέγει· Τί λέγεις Φεβρονία; ὁρᾷς οἵων ἐξέπεεας ἀγαθῶν, καὶ οἵας τετύχηκας ἀτιμίας; Φεβρονία λέγει, ἄκουε δικαστὰ, κἂν ὅλην τῶν ἱματίων περιέλῃς τὴν γύμνωσίν μου, ἐγὼ ταύτην ἀσχημοσύνην οὐ λογίζομαι· εἷς γὰρ ὁ δημιουργὸς τοῦ ἄῤῥενος καὶ τῆς θηλείας, οὐδὲ γὰρ μόνην τὴν τῶν ἱματίων γύμνωσιν περιμένω, ἀλλὰ καὶ τὴν διὰ ξίφους καὶ πυρὸς τιμωρίαν ἐκδέχομαι, εἴγε ἀξία γενήσομαι παθεῖν ὑπὲρ τοῦ παθόντος ὑπὲρ ἐμοῦ.

24 Σέληνος λέγει, ἀναίσχυντε καὶ πάσης ἀτιμίας ἀξία, οἶδα ὅτι σεμνόνῃ ἐφ' ᾧ περιβέβλησαι κάλλει, καὶ διὰ τοῦτο οὐ λογίζῃ αἰσχύνην καὶ ἀτιμίαν τὴν τοῦ σώματός σου γύμνωσιν, ἀλλὰ ἔπαινον τινὰ οἴει τὸ οὕτως ἵστασθαι σε γυμνήν. Φεβρονία λεγει, οἶδεν ὁ Χριστός μου ὅτι οὐ τεθέαμαι μέχρι τοῦ νῦν χαρακτῆρα ἀνδρὸς, καὶ ἵνα ἐμπέσω εἰς τὰς χεῖράς σου ἀναίσχυντος τίς ὤφθην σοι; ὅμως μωρὲ καὶ ἀναίσθητε δικαστὰ εἰπέ μοι, τίς τῶν ἀθλητῶν ὀλυμπιακόν ποτε ἀγωνιζόμενος ἀγῶνα ἱματίοις ἠμφιεσμένος συμπλέκει τὴν πάλην; οὐχὶ γυμνὸς ἐξανύει τὸν ἀγῶνα ἕως οὗ τὸν ἀντίπαλον νικήσῃ; ἐγὼ δὲ βασάνων καὶ πυρὸς ἀπειλὴν περιμένουσα, πῶς ἱματίοις ἠμφιεσμένη τούτοις συμπλέξω; Οὐχὶ γυμνὸν τὸ σῶμα τοὺς αἰκισμοὺς δέξηται, ἕως οὗ καταγωνίσωμαι τοῦ πατρός σου τοῦ σατανᾶ, τῶν βασάνων σου καταφρονήσασα; F Σέληνος λέγει· Ἐπειδὴ πρόξενος ἑαυτῇ τιμωριῶν καὶ βασάνων ἐγένετο, καὶ τῆς τοῦ πυρὸς ἀπειλῆς κατετόλμησεν, τείναντες αὐτὴν ἐκ τεσσάρων, καὶ πῦρ ὑπὸ κάτωθεν αὐτῆς ἐξάψαντες, τέσσαρες στρατιῶται ἐπιστάντες ῥάβδοις τὸν νῶτον αὐτῆς διῤῥίξωσιν. Τούτου δὲ γενομένου, καὶ ἐπὶ πολὺ αὐτῆς τυπτομένης, ὄμβροι τινὲς αἱμάτων ἐξ ἀμφοτέρων τῶν μερῶν τοῦ νώτου αὐτῆς ἐπὶ τὴν γῆν κατεφέροντο. Εἰργάζετο δὲ καὶ τὸ πῦρ ὑπὸ κάτω αὐτῆς ὑπὸ τὰ σπλάγχνα αὐτῆς διακαίον· ἐλαίῳ δὲ ἐρεθιζόμενον τὸ πῦρ πλείω καὶ σφοδροτέρα φλὸξ ἀποτελουμένη κατανήλισκεν τὴν Φεβρονίαν. Ἐπὶ πολλὰς δὲ τὰς ὥρας τυπτομένης αὐτῆς, ἅπαν τὸ πλῆθος τοῦ δήμου ἐβόα, καὶ τὸν δικαστὴν ἱκέτευον λέγοντες· Φεῖσαι, φιλάνθρωπε δικαστὰ, φεῖσαι τῆς νέας. Τοῦ δὲ μὴ πειθομένου, ἀλλ' ἔτι εὐτόνως αὐτὴν μαστίζεσθαι προστάξαντος, ὅτε ἴδεν τὰς σάρκας αὐτῆς μετὰ τοῦ αἵματος ἐπὶ τῆς γῆς καταφερομένας, τότε ἐκέλευσεν παύσασθαι τοὺς δημίους. νομίσαντες δὲ αὐτὴν τεθνηκέναι, ἐῤῥιψαν αὐτὴν ἔξω τῆς πυρᾶς.

25 Ἡ δὲ Θωμαΐς, θεωρίσασα τὰς ἐπενεχθείσας βασάνους τῇ Φεβρονίᾳ, ὀλιγψυχήσασα, κατέπεσεν εἰς τὸ ἔδαφος παρὰ τοὺς πόδας τῆς Ἱερίας· ἡ δὲ Ἱερία, βοήσασα φωνῇ, εἶπεν· Οὐαί μοι, Φεβρονία ἀδελφὴ, οὐαί μοι,

Κυρία

A Κυρία μου διδάσκαλε ὅτι ἀπὸ τῆς σήμερον τῆς σῆς ἀπεστέρημαι διδασκαλίας· οὐ μόνον δὲ τῆς σῆς, ἀλλὰ καὶ τῆς κυρίας Θωμαΐδος· ἰδοὺ γὰρ καὶ αὐτὴ διὰ σὲ τελευτᾷ. Ἀκούσασα δὲ ἡ Φεβρονία τὴν φωνὴν τῆς Ἱερίας, κειμένη ἐπὶ τοῦ ἐδάφους, παρεκάλεσεν τοὺς στρατιώτας ὕδωρ προσενεχθῆναι αὐτῆς τῷ προσώπῳ. Οἱ δὲ στρατιῶται εὐθέως τὸ ὕδωρ κομίσαντες, προσήνεγκαν τῷ προσώπῳ αὐτῆς. καὶ ἐλθοῦσα εἰς ἑαυτὴν, ἱκέτευεν τὴν Ἱερίαν ἰδεῖν. Τοῦ δὲ δικαστοῦ μὴ θελήσαντος, ἐκέλευσεν αὐτὴν ἀναστᾶσαν ἀπολογεῖσθαι, καὶ λέγει πρὸς αὐτήν. Τί λέγεις Φεβρονία; πῶς ἡ πρώτη συμπλοκὴ τῆς πάλης; Φεβρονία λέγει, Ἔμαθες ἐκ τῆς πρώτης πείρας ὅτι ἀήττητος εἰμὶ, καὶ τῶν βασάνων σου καταφρονῶ. Σέληνος λέγει, ἐπὶ τοῦ ξύλου κρεμάσαντες, καὶ τοῖς πλήκτροις τὰς πλευρὰς αὐτῆς ξέσαντες, καὶ πῦρ προσένεγκαντες, μέχρι τῶν ὀστέων αὐτῆς καταφλέξατε. Λαβόντες οὖν οἱ ὑπηρέται πλῆκτρα, ἐπὶ τοσοῦτον ἔξεον, ὥστε καὶ τὰς σάρκας αὐτῆς σὺν τῷ αἵματι ἐπὶ τὴν γῆν καταπίπτειν· καὶ προσενέγκαντες τὸ πῦρ, κατέκαιον τὰ σπλάγχνα αὐτῆς. Ἡ δὲ Φεβρονία τοὺς ὀφθαλμοὺς εἰς τὸν οὐρανὸν ἀνατείνασα λέγει, Ἐλθὲ, Κύριε, εἰς τὴν βοήθειάν μου, καὶ μὴ παραδίδῃς με ἐν τῇ ὥρᾳ ταύτῃ· καὶ ταῦτα εἰποῦσα, ἡσύχασεν, κατεφλέγετο γὰρ σφόδρα ὑπὸ τοῦ πυρός.

B 26 Πολλοὶ τοίνυν τῶν θεατῶν ἀπέδρασαν τῆς θεωρίας, διὰ τὴν ὠμότητα τοῦ Σελήνου· ἄλλοι δὲ ἐπεβόων, καὶ τὸν δικαστὴν ἱκέτευον ἀρθῆναι τὸ πῦρ, ἀπ᾽ αὐτῆς. Τοῦ δὲ δικαστοῦ ἐπιτρέψαντος ἀρθῆναι τὸ πῦρ, κρεμμαμένης αὐτῆς ἐπὶ τοῦ ξύλου, πάλιν ἐρωτᾷν αὐτὴν ἐπειρᾶτο. Τῆς δὲ μὴ δυναμένης ἀποκριθῆναι, ἐκέλευσεν αὐτὴν κατενεχθεῖσαν ἀπο τοῦ ξύλου, πάλῳ προσδεθῆναι, καὶ κελεύει κληθῆναι ἰατρὸν, καὶ λέγει πρὸς αὐτόν· Τῆς τρισκαταράτου ταύτης καὶ μιαρᾶς ἀποκρίνασθαι τῷ δικαστηρίῳ μὴ βουλομένης, τεμνέσθω τὸ λαλοῦν ὄργανον, καὶ ἐπὶ τὸ πῦρ ῥιπτέσθω. Ἡ δὲ Φεβρονία, προχαλάσασα τὴν γλῶτταν, διένευεν παρακαλοῦσα τὸν ὑπασπιστὴν καὶ λέγουσα, Τέμνε. Ὁ δὲ ὑπασπιστὴς ἁψάμενος τῆς γλώττης, καὶ τέμνειν πειρώμενος, οἱ ὄχλοι κατὰ τῆς τῶν θεῶν σωτηρίας ἐνορκοῦντες τὸν Σέληνον, ἔπεισαν αὐτὸν τοῦτο μὴ ποιῆσαι. Ὁ δὲ τρισκατάρατος καὶ παμμίαρος Σέληνος, ἐκέλευσεν τοὺς ὀδόντας αὐτῆς ἐκριζωθῆναι. Εὐθέως οὖν ὁ ἰατρὸς λαβὼν τὸ σιδήριον, ἤρξατο τοὺς ὀδόντας τῆς ἁγίας κόρης ἐκριζεῖν, καὶ ἐπὶ τοῦ ἐδάφους ῥίπτειν. ΙΖ' τοίνυν ὀδόντων αὐτῆς ἐκριζωθέντων, καὶ σφοδρῶς τοῦ αἵματος ἐπὶ τῆς γῆς χεομένου, ἐκέλευσεν ὁ Σέληνος παύσασθαι τῷ ἰατρῷ· ἡ δὲ Φεβρονία ὀλιγοψύχησεν ἐπὶ τῇ τοῦ αἵματος σφοδρότητι. Εὐθέως οὖν ὁ ἰατρὸς φάρμακόν τι προσενέγκας, ἔπαυσεν τὴν τοῦ αἵματος
C ῥύσιν.

gistra! ecce non modo doctrina tua privor hodie, sed etiam Domina Thomaide, quæ propter te moritur. Audiens autem Febronia vocem Hieriæ, istic ubi super terram jacebat, rogavit milites, ut faciei suæ aquam affunderent; qua allata inque ejus vultum conspersa ad se rediit, et in semetipsam reversa oravit ut Hieriam videre posset. Sed Judex noluit consentire, sed ad rationem sui reddendam assurgere jussit, inquiens, Quid dicis, Febronia? quomodo hæc prima tibi successit congressio? Ad quem Febronia: Jam potes primo experimento didicisse quod invincibilis sim, et tuos contemnam cruciatus. Selenus ergo. In eculeo, inquit, suspendite eam, et pectinibus latera ejus radite, atque admoto igne ad ipsa usque ossa comburite. Tunc ministri arreptis pectinibus, eo usque illam radebant, quoad carnes cum sanguine in terram deciderent; ignemque admoventes etiam viscera torrebant. Febronia vero sublatis in cœlum oculis; Veni, inquit, Domine in adjutorium mihi, neque derelinquas me in hac hora. Atque hæc dicens conticuit: vehementer enim eam ignis urebat.

D *A. COÆVO EX MSS.*

deinde sublata in eculeum

dire laniatur et ustulatur.

26 Tum vero multi ex spectatoribus, non valentes ultra sustinere crudelitatem Seleni, abscurrerunt: alii vero acclamantes supplicabant judici, ut ignem juberet ab ea removeri. Jussit ergo tolli flammas; ipsaque adhuc ex ligno pendente, tentavit iterum illam interrogare. Cumque ei nihil respondere posset, mandavit ablatam de eculeo alligari palo, et medicum vocari; cui adducto dixit: Exscindatur organum loquelæ illi infelicissimæ et impurissimæ, quæ in judicio recusat respondere, eademque lingua in ignem conjiciatur. Febronia vero linguam protendens, innuebat ministro, quasi hortaretur eum ac diceret, Scinde. Minister autem linguam apprehendens, cum eam exsecare vellet; prohibuerunt turbæ, per deorum salutem deprecantes Selenum ne id fieret. Et ille quidem scelestissimus et execrandus eatenus acquievit; sed jussit dentes ei omnes evelli. Ergo medicus, ferrum confestim arripiens, cœpit puellæ dentes radicitus extrahere, et in terram projicere; cumque jam septemdecim eradicasset, multusque per terram sanguis flueret; mandavit Selenus medico ut desisteret; Febroniam autem animus liquit, propter nimiam sanguinis effusionem; sed medicus producto pharmaco eum stitit. F

E *Linguam exscindendam ultro porrigit;*

eradicantur ei dentes.

CAPUT V.

Uberibus, manibus pedibusque trunca Febronia, decollata expirat; Selenus judex sibi mortem consciscit.

Ἤρξατο οὖν πάλιν ὁ Σέληνος ἐρωτᾷν αὐτὴν, καὶ λέγει πρὸς αὐτὴν, Φεβρονία, κἂν νῦν πείθῃ τῷ δικαστηρίῳ καὶ ὁμολογεῖς θεούς; ἡ δὲ Φεβρονία λέγει, Ἀνάθεμά σοι τρισκατάρατε γέρων, ὅτι ἐμποδίζεις τὴν ὁδόν μου καὶ οὐκ ἐᾷς με λοιπὸν πρὸς τὸν νυμφίον μου πορευθῆναι· σπεῦδε, ἐκβαλέ με ἐκ τοῦ πηλοῦ τῆς σώματος τούτου, ὅτι περιμένει με ὁ ἐραστής μου· Σέληνος λέγει, Ἐγὼ κατ᾽ ὀλίγον διὰ ξίφους καὶ πυρὸς ἀφανίσω τὸ σῶμά σου· οἶδα γὰρ ὅτι ἔτι καὶ νῦν τὸ τῆς νεότητός σου θράσος ἀναισχυντεῖν σε παρασκευάζει· ἀλλ᾽ οὐδεμίαν ἕξεις ἐκ τούτου ὠφέλειαν· αὕτη γὰρ ἡ ἀλαζωνία ταῦτά σοι τὰ ἐπελθεῖν παρεσκεύασεν· ἡ δὲ Φεβρονία ἀποκρίνασθαι μὴ δυναμένη διὰ τὸν ὄγκον τῶν βασάνων, εἰς πλείονα ἀγανάκτησιν ἤγαγεν τὸν δικαστήν. Τότε ὁ Σέληνος κελεύει τῷ ἰατρῷ λέγων, τὰ γαλακτορυὰ τῆς ἀναισχύντου τεμνέσθω· ὁ δὲ ἰατρὸς λαβὼν τὸ ξίφος, καὶ προσελθὼν τῇ Φεβρονίᾳ, ἐπειρᾶτο τέμνειν· οἱ δὲ ὄχλοι ἐβόων παρακαλοῦντες τὸν δικαστὴν καὶ λέγοντες, Δεόμεθά σου κύριε δικαστὰ

Tunc iterum cœpit Selenus interrogare Febroniam, dixitque; An vel nunc arbitrio Judicis pares, et Deos confiteris? Cui illa: Anathema tibi sit, senex execrande, quia impedis iter meum, neque sinis me tandem proficisci ad sponsum. Festina, et educ me de hujus corporis luto, quia expectat me amator meus. Respondit Selenus, Equidem brevi ferro et igne corpus tuum exterminabo: scio enim quod etiam nunc fiducia adolescentiæ tuæ te facit inverecundam; unde tamen nihil commodi referes, quia præfidentia illa cunctorum tibi causa malorum est. Cumque Febronia ulterius nil posset respondere, propter acerbitatem tormentorum, vehementiori ira excanduit Judex; quapropter dixit medico Abscindantur impudentis illius mamillæ. Accipiens ergo novaculam medicus, et Febroniæ accedens, volebat imperata facere; cum populus cœpit exclamare, dicens; Oramus te, Domine Judex, remitte

Iteratas minas contemnens Sancta

post unius mamillæ abscissionem loqui desinit:

A. COÆVO EX MSS.

A adolescentulæ supplicium istud. Ipsis autem sic diutius clamantibus et deprecantibus, indignatus Selenus medico, ait ad eum : Scinde, impie et a diis aliene. Medicus ergo cultrum arripuit, simulque dexteram puellæ mamillam secare cœpit : ipsa vero exclamans voce magna, oculosque in cœlum attollens dixit : Domine Deus meus, vide quid patiar, et eat anima mea in manus tuas : neque amplius quidquam locuta est.

abscissa etiam altera aduritur vulnus :

28 Cum vero mamilla utraque abscissa esset, jussit Selenus utrique vulneri admoveri ignem, cujus diuturna vi etiam viscera adurebantur : quod videntes turbæ indignabantur, nec pauci, ferre non valentes immane spectaculum, abibant clamantes, Anathema Diocletiano et diis ejus. Thomais vero atque Hieria miserunt puellam ad monasterium, quæ Bryenæ acta nuntiaret. Hæc ergo eo adveniens, elata voce dixit : Mandant tibi Dominæ Thomais et Hieria ; Non fatigentur manus tuæ extentæ ad Deum, neque langueas clamando ad illum, et jugiter deprecando : magnis enim laboribus implicatur Febronia. Tali nuntio accepto, clamavit Bryene ad Deum, dicens : Domine Jesu Christe, veni in adjutorium famulæ tuæ Febroniæ : diuque

Bryene re intellecta impensius orat.

B sic orans prostravit se humi, atque clamabat Bra, bra, bra ! Febronia ubi es? Rursum ergo recurrit puella ad locum spectaculi : et Bryene, manibus ad cœlum expansis, cum clamore valido ; Domine, inquit, respice humilitatem famulæ tuæ Febroniæ, ut videant oculi mei quod agonem suum consummaverit, et relata sit in numerum Martyrum.

Lysimachus laudat virginis patientiam.

29 Mandavit autem Judex solvi Febroniam a palo : quæ soluta, in terram corruit ; nec enim stare amplius poterat. Tunc Primus Lysimacho ait : Periit adolescentula hæc. Cui Lysimachus : Noli sic loqui, Domine mi Prime : ad multorum enim salutem, ac forte etiam meam, ipsa sic laborat ; multa enim talia audivi a matre mea. An poteram facere ego ut absolveretur ac servaretur? Sine illam decertare, nam ad multorum salutem id serviet. Stans autem Hieria clamavit ad Judicem, O crudelis omnisque humanitatis expers, non sufficiunt tibi tot mala illata hactenus miseræ huic puellæ? non meministi matris tuæ, quæ et ipsa simile corpus habuit? non recordaris, quod malo omine natus

Hieria Seleni feritatem increpat,

C primum alimentum ex uberibus sumpseris, indeque ad hoc malorum culmen ascenderis? Miror equidem, quod nihil horum flectere potuerint immitem tuum et inhumanum animum. Non parcat tibi Rex cœlorum, sicuti non pepercisti misellæ isti. Hæc illa dicente, excandescens Judex, jussit illam quoque ad quæstionem publice subeundam adduci : quod intelligens Hieria, multo cum gaudio et hilaritatis plena ibat, dicens ; Suscipe me, o Deus Febroniæ, quamvis gentilem et humilem, una cum Domina mea.

qui inde efferatior

30 Subeunte autem illa ad tribunal, consuluerunt amici Seleno, ne Hieriam admitteret ad publicam quæstionem ; dicentes ; quod omnis multitudo cum ea pariter esset confessura Christum, et tota civitas peritura. Et ille quidem consilio eorum paruit, ne jure cum ea ageret ; fredens tamen in illam, magna voce clamavit ; Audi, Hieria et ulciscantur te dii, quoniam multa mala Febroniæ concivisti : statimque jussit ut Virgini ambæ manus pesque dexter amputaretur. Supponentes ergo lictores manui illius dexteræ lignum, securi absciderunt illam, similiter et sinistram. Cum autem dexterum quoque pedem ligno imposuisset carnifex, eumque abscissurus securim arripuisset, et magna vi impegisset in talum Febroniæ, non potuit pedem auferre, ac ne

jubet Sanctæ manus pedesque abscindi,

συγχωρίσθω τῇ νέᾳ ἡ τιμωρία αὕτη· ἐπὶ πολλὰς δὲ τὰς D
ὥρας ἐκβοώντων καὶ παρακαλούντων, ἀγανακτήσας ὁ Σέληνος κατὰ τοῦ ἰατροῦ· λέγει πρὸς αὐτὸν, τέμνε τρισκατάρατε καὶ τῶν θεῶν ἀλλότριε· ὁ δὲ ἰατρὸς λαβὼν τὴν σμίλαν, καὶ ἁψάμενος τοῦ δεξιοῦ μαζοῦ τῆς παιδὸς ἤρξατο τέμνειν· ἡ δὲ ἀνεβόησεν φωνῇ μεγάλῃ, καὶ ἀνατείνασα τοὺς ὀφθαλμοὺς εἰς τὸν οὐρανὸν, εἶπεν. Κύριε ὁ θεός μου ἰδὲ τὴν βίαν μου, καὶ ἐλθέτω ἡ ψυχή μου εἰς τὰς χεῖράς σου· καὶ οὐκέτι ἐφθέγξατο.

28 Ἀποτμηθέντων τοίνυν αὐτῆς τῶν δύο μαζῶν, καὶ ἐπὶ τοῦ ἐδάφους ῥιφέντων, πῦρ κατὰ τῶν δύο τόπων προσενεχθῆναι αὐτῇ προσέταξεν· ἐπὶ πολλὰς δὲ τὰς ὥρας καταφλεγομένης αὐτῆς, διεκαίοντο γὰρ τὰ σπλάγχνα αὐτῆς· ὁρῶντες οἱ ὄχλοι, οἱ μὲν πλεῖστοι ἀνεχώρουν τῆς θέας, βοῶντες καὶ λέγοντες. Ἀνάθεμα Διοκλητιανῷ καὶ τοῖς θεοῖς αὐτοῦ. Ἡ δὲ Θωμαὶς, καὶ ἡ Ἱερία ἀπέστειλαν ἐν τῷ μοναστηρίῳ πρὸς τὴν Βρυένην, ἀπαγγέλλουσαι τὰ γενόμενα. Παραγενομένη οὖν ἡ παιδίσκη ἐν τῷ μοναστηρίῳ πρὸς τὴν Βρυένην, ἐβόησεν φωνῇ μεγάλῃ καὶ εἶπεν· Οὕτως λέγει ἡ κυρία Θομαὶς καὶ Ἱερία, Μὴ σκυλθῶσιν αἱ χεῖρες σου διαπεπετασμέναι πρὸς τὸν θεὸν, μὴ ἀτονήσῃ ἡ καρδία σου βοᾷν πρὸς αὐτὸν, καὶ ἐκτενῶς εὔχεσθαι· μεγάλοις γὰρ ἄθλοις περιέπεσεν ἡ Φεβρονία· δεξαμένη οὖν τὴν ἀγγελίαν ἡ Βρυένη, ἐβόα πρὸς τὸν E
Θεὸν λέγουσα, Κύριε Ἰησοῦ Χριστὲ ἐλθὲ εἰς τὴν βοήθειαν τῆς δούλης σου Φεβρονίας. Καὶ ἐπὶ πολλὰς τὰς ὥρας προσευχομένη, ἔρριψεν ἑαυτὴν εἰς τὸ ἔδαφος, ὀδυρωμένη καὶ βοῶσα Βρὰ, βρὰ, βρὰ, Φεβρονία ποῦ εἶ ; Πάλιν οὖν ἡ παιδίσκη ἔδραμεν ἐπὶ τὴν θεωρίαν· ἡ δὲ Βρυένη διαπετασμένας ἔχουσα τὰς χεῖρας, εἰς τὸν οὐρανὸν, ἐβόα λέγουσα· Κύριε, ἔπιδε ἐπὶ τὴν ταπείνωσιν τῆς δούλης σου Φεβρονίας, καὶ ἐλθὲ εἰς βοήθειαν αὐτῆς· ἴδωσιν οἱ ὀφθαλμοί μου, ὅτι ἡ Φεβρονία ἐτελειώθη, καὶ ἐν Μάρτυσιν κατελογίσθη.

29 Πάλιν οὖν ὁ δικαστὴς ἐκέλευσεν λυθῆναι τὴν Φεβρονίαν ἀπὸ τοῦ πάλου. Λυθείσης δὲ αὐτῆς, ἔπεσεν ἐπὶ τὸ ἔδαφος, οὐ δὲ γὰρ ἴσχυσεν ἔτι στῆναι. Τότε ὁ Πρίμος λέγει τῷ Λυσιμάχῳ· Ἔστι ἡ ἀπώλεια τῆς νεωτέρας ταύτης. Λυσίμαχος λέγει, Ἄφες, κύριέ μου Πρίμε, εἰς πολλῶν σωτηρίαν κάμνει αὕτη, τάχα δὲ καὶ ἐμοῦ αὐτοῦ· πολλὰ γὰρ τοιαῦτα ἀκήκοα παρὰ τῆς μητρός μου. Οὐχὶ ἐν τῇ ἐμῇ ἐξουσίᾳ ὑπῆρχεν τὸ ἀπολυθῆναι αὐτὴν καὶ σωθῆναι ; Ἀλλ᾽ ἄφες αὐτὴν ἀγωνίσασθαι, ὅτι εἰς πολλῶν σωτηρίαν ἠγωνίσατο. Στᾶσα δὲ ἡ Ἱερία, κατεβόα τοῦ δικαστοῦ λέγουσα· Ὦ ἀλλότριε τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως, οὐκ ἠρκέσθης τοῖς προλαβοῦσιν κακοῖς, οἷς ἐπήγαγες τῇ ἀθλίᾳ κόρῃ ταύτῃ ; οὐκ ἐμνημόνευσας τῆς μητρός σου, ὅτι καὶ αὐτὴ τοῦτο τὸ σῶμα καὶ σχῆμα περιέκειτο ; οὐκ ἐμνημόνευσας ὅτι τεχθεὶς ἐν κακοῖς, πρῶτον ἐκ τῶν γαλακτορυῶν τούτων ἐτράφης μαζῶν, καὶ τότε ἐπὶ τὸ F
τέλειον ἦλθες τῶν κακῶν σου πράξεων ; Ἐγὼ θαυμάζω πῶς οὐδὲν τούτων κατέπληξέν σου τὴν ἀνελεῆ καὶ ἀπάνθρωπον γνώμην. Μὴ φείσεταί σου ὁ οὐράνιος Βασιλεὺς, ὡς οὐκ ἐφήσω τῆς ταπεινῆς ταύτης. Ταῦτα εἰπούσης τῆς Ἱερίας, μεγάλως ἀγανακτήσας ὁ δικαστὴς, ἐκέλευσεν αὐτὴν κατενεχθῆναι, καὶ δίκας δοῦναι δημοσίᾳ· γνοῦσα δὲ ἡ Ἱερία, μετὰ πολλῆς σπουδῆς καὶ χαρᾶς κατῆλθεν, λέγουσα, Ὁ Θεὸς Φεβρονίας, δέξαι κἀμὲ τὴν ἑλληνίδα καὶ ταπεινὴν μετὰ τῆς κυρίας Φεβρονίας.

30 Ταύτης δὲ κατερχομένης, οἱ φίλοι τοῦ Σελήνου συνεβούλευσαν αὐτῷ λέγοντες, Μὴ καταγάγῃς τὴν Ἱερίαν δημοσίᾳ, ἐπεὶ ὅλα τὰ πλήθη σὺν αὐτῇ μαρτυροῦσιν, καὶ ἀπόλλυται πᾶσα ἡ πόλις. Ταύτην τὴν συμβουλίαν δεξάμενος ὁ Σέληνος, οὐκέτι κατήγαγεν τὴν Ἱερίαν εἰς τὴν πρόοδον· θυμομαχῶν δὲ, καὶ μαινόμενος κατ᾽ αὐτῆς, ἔκραξεν φωνῇ μεγάλῃ λέγων, Ἄκουε, Ἱερία, ζήτωσαν οἱ θεοὶ, ὅτι πολλὰ κακὰ προεξένισας τῇ Φεβρονίᾳ· [Καὶ εὐθέως κελεύει τὰς δύο χεῖρας ἀποτμηθῆναι τῆς Φεβρονίας, καὶ τὸν δεξιὸν πόδα. Εὐθέως οὖν οἱ ὑπασπισταὶ ὑποθέντες τὸ ξύλον ὑπὸ τὴν χεῖρα αὐτῆς τὴν δεξιὰν, κρούσαντες τῇ πέλεκι ἀπέτεμον, ὁμοίως δὲ καὶ τὴν ἀριστερὰν, οὕτως ποιήσαντες, ἀπέτεμον· ὑποθέντες δὲ τὸ ξύλον ὑπὸ τὸν δεξιὸν αὐτῆς πόδα λαβὼν, ὁ ὑπασπιστὴς τὴν πέλικα, καὶ μεγάλῃ

A μεγάλη δυνάμει καταῤῥίξας κατὰ τοῦ ἀστραγάλου τῆς Φεβρονίας, οὐκ ἴσχυσεν ἆραί τὸν πόδα αὐτῆς, ὁμοίως καὶ δευτέραν ἐπενέγκας πληγὴν, οὐκ ἴσχυσεν· πολλὴ δὲ ἦν ἡ βοὴ ὑπὸ τῶν ὄχλων γινομένη· τρίτην δὲ πληγὴν ἐπενέγκας, μόλις ἴσχυσεν ἆραι τὸν πόδα αὐτῆς. Ἡ οὖν Φεβρονία ὅλῳ τῷ σώματι σύντρομος γενομένη, καὶ μέλλουσα λοιπὸν ἐκλιμπάνειν, ἐβιάζετο καὶ τὸν ἕτερον πόδα ἐπὶ τοῦ ξύλου ἐπιθῆναι, ἀξιοῦσα καὶ τούτον ἀφεραιθῆναι· Θεασάμενος οὖν ὁ δικαστὴς λέγει, βλέπετε τὸν τόνον τῆς ἀναισχύντου; καὶ μετὰ πολλοῦ θυμοῦ λέγει τῷ ὑπασπιστῇ, Τέμε, ἐκκόψας δὲ καὶ τοῦτον τὸν πόδα.

secundo quidem ictu profecit aliquid : unde magnus D
extitit clamor turbarum, et ipse vix demum tertio feriens, executus est mandatum. Febronia vero, corpore toto contremiscens, atque jamjam defectura, conabatur etiam pedem alterum imponere ligno, petens ut hic quoque abscinderetur. Quod intuens judex, dixit : Videtis pertinaciam impudentis? magnoque cum furore ministro, Scinde, inquit, et aufer etiam pedem illum.

A. COÆVO EX MSS.

31 Ἀναστὰς ὁ Λυσίμαχος, λέγει τῷ Σελήνῳ· Τί λοιπὸν ἔχεις ποιῆσαι τῇ ταλαίνῃ ταύτῃ; πορευθῶμεν λοιπὸν, ὅτι καιρὸς ἀρίστου ἐστίν. Ὁ δὲ ἀνομώτατος Σέληνος λέγει, Ζήτωσαν οἱ θεοὶ ὅτι οὐκ ἐάσω αὐτὴν ζῶσαν, ἀλλ᾽ ὧδε ἔσομαι ἕως ὅτου παραδῶ τὸ πνεῦμα. Ἐπὶ πολλὰς δὲ τὰς ὥρας ψυχοῤῥαγούσης αὐτῆς, λέγει ὁ Σέληνος τοῖς ὑπασπισταῖς, Ἔτι ζῇ ἡ τρισκατάρατος αὕτη; Ναὶ δεόμεθά σου ἀκμὴν, ἡ ψυχὴ αὐτῆς ἐν αὐτῇ ἐστιν. Τότε κελεύει ὁ Σέληνος ἀποτμηθῆναι τὴν κεφαλὴν αὐτῆς· Λαβὼν δὲ τὸ ξίφος ὁ στρατιώτης, κρατήσας τῆς κόμης τῆς κεφαλῆς αὐτῆς, καὶ ἀνακρούσας, ὑποθεὶς τὸ ξίφος, ὡς ἄντις θυσιάζει πρόβατον, οὕτως σφαγιάσας αὐτὴν, τὴν ἁγίαν αὐτῆς ἀπέτεμεν κεφαλήν· καὶ εὐθέως οἱ δικα-
B σται ἐπορεύοντο ἐπὶ τὸν ἄριστον. Ὁ δὲ Λυσίμαχος δακρύων, ἐπορεύετο· τὰ δὲ πλήθη συνδραμόντα, ἤθελον ἁρπᾶσαι τὸ σῶμα τῆς Φεβρονίας· ὁ δὲ Λυσίμαχος ἐκέλευσεν στρατιώτας παραμένειν, καὶ φυλάττειν τὸ σῶμα. Ἐν πολλῇ οὖν συνοχῇ καὶ λύπῃ δακρύων ὑπάρχων ὁ Λυσίμαχος, οὐκ ἔφαγεν, οὐ δὲ ἔπιεν, ἀλλ᾽ ἑαυτὸν ἀπέκλεισεν ἐν τῷ κοιτῶνι, καὶ τὴν ἀναίρεσιν τῆς Φεβρονίας ἐθρήνει· Σέληνος δὲ ὁ τούτου θεῖος μαθὼν ἀδημονοῦντα τὸν Λυσίμαχον, οὐκ ἔφαγεν οὐ δὲ αὐτός· ἐγερθεὶς δὲ, ἀναπάτη ἐν τῇ αὐλῇ τοῦ πραιτωρίου. Ἐν πολλῇ δὲ αὐτὸς λύπῃ καὶ ἀκηδονίᾳ ὑπάρχων, ἐξαίφνης ἀναπατοῦντος αὐτοῦ, ἀτενίσας εἰς τὸν οὐρανὸν, καὶ ἐπὶ πολλὰς τὰς ὥρας ἐννεὸς γενόμενος, καὶ ὥσπερ ταῦρος ἀποσκιρτήσας, προσέῤῥιξεν τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ εἰς ἕνα τῶν κιόνων, καὶ πεσὼν, διεφώνησεν.

31 Tunc surgens Lysimachus, inquit Seleno : *et capite truncari :*
Quid demum miseræ isti adhuc facies? eamus tandem : tempus prandii est. Crudelissimus autem Selenus respondit : Ulciscantur me dii, si ipsam vivam dimisero : hic omnino manebo, donec spiritum emiserit. Ipsa autem diu animam agente, dixit carnificibus Selenus : Etiamne vivit execranda illa? Ubinam est virtus vestra? ecce adhuc spiritus in ea superest. Jussit autem ei caput rescindi. Ergo militum unus apprehendens gladium, et simul comæ capitis manum implicans, ictumque designans, ense impacto Caput sanctum rescidit, sicut quando ovis jugulatur ad victimam : statimque surgentes Judices E
ad prandium abierunt. Flebat autem Lysimachus, *intellecto autem nepotis*
et concurrentes turbæ volebant cadaver Febroniæ *mœrore*
rapere : sed Lysimachus jussit ibi manere milites, ipsumque custodire. Cumque multo in luctu animique perturbatione magna positus Lysimachus, ne- *ipse se interficit.*
que comedere neque bibere vellet, sed suo se includens cubili cædem Febroniæ deploraret; audiens patruus ejus Selenus sic eum affligi, nec ipse cibum gustavit : sed surgens obambulabat per aulam prætorii : correptusque mœstitia grandi, dum sic ambulans in cœlum suspiceret, extra mentis suæ potestatem raptus, vehementerque irrugiens ac veluti taurus mugiens, caput suum impegit in unam columnarum, concidensque obmutuit.

CAPUT VI.

Delato ad monasterium Sanctæ corpore, celebrantur exequiæ, et plures conversi baptizantur cum Lysimacho, Primo atque Hieria.

Θορύβου δὲ καὶ βοῆς γενομένης, δραμὼν ὁ Λυσίμαχος, καὶ ἐπιστὰς τῷ πτώματι, ἠρῶτα τὸ γεγονός. Οἱ δὲ ἀπήγγειλαν αὐτῷ τὸ γενόμενον· ὁ δὲ Λυσίμαχος ἐπὶ πολλὰς
C τὰς ὥρας κινήσας τὴν κεφαλὴν ἑαυτοῦ, εἶπεν· Μέγας ὁ Θεὸς τῶν Χριστιανῶν, εὐλογητὸς ὁ Θεὸς τῆς Φεβρονίας· ἐξεδίκησεν ὁ Θεὸς τὸ αἷμα τὸ μάτην ἐκχυθέν. Καὶ ταῦτα εἰπὼν, ἐκέλευσεν ἐκκομισθῆναι τὸν Σέληνον, καὶ ἐκκομισθέντος αὐτοῦ, προσκαλεσάμενος Λυσίμαχος τὸν Κόμητα Πρίμον, εἶπεν αὐτῷ· Ὁρκίζω σε τὸν Θεὸν τῶν Χριστιανῶν, μὴ παρέλθῃς τὴν ἐντολήν μου, ἀλλὰ τάχιον ἐπίταξον γενέσθαι τῇ Φεβρονίᾳ γλωσσώκομον ἐκ ξύλων ἀσίπτων, καὶ ἀπόστειλον πανταχοῦ κηρύξας, ὅπως οἱ βουλόμενοι Χριστιανοὶ παραγενέσθαι εἰς τὴν κηδείαν τῆς Φεβρονίας, ἀφόβως παραγένονται, μάλιστα καὶ τοῦ ἐμοῦ θείου τελευτήσαντος. Οἶδας, Κύριέ μου Πρίμε, τὸν ἐμὸν πόθον· λάβε τὴν στρατιὰν, καὶ οὓς ἐὰν βούλῃ, τούτους ποίησον βαστᾶσαι τὸ σῶμα τῆς Φεβρονίας, καὶ οὕτως ἀποκομιζέσθω ἐν τῷ μοναστηρίῳ αὐτῆς πρὸς τὴν Βρυένην· Μηδεὶς τῶν τοῦ ὄχλου ἀφαρπάσῃ τι τῶν μελῶν αὐτῆς, ἤ τι τῶν ἀποκοπέντων ἐκ τοῦ σώματος αὐτῆς, μὴ δὲ ἐκλίξῃ κύων ἤ τι τῶν ἀκαθάρτων τοῦ ἐκχυθέντος αἵματος αὐτῆς, ἀλλὰ καὶ τὴν γῆν κατορύξας, ἔνθα τὸ αἷμα τῆς Φεβρονίας ἐξεχύθη, καὶ αὐτὸ ἀποκόμησον ἐν τῷ μοναστηρίῳ.

33 Ταῦτα ἀκούσας Πρίμος ὁ Κόμης, ἐποίησεν πάντα καθὼς προσέταξεν ὁ Λυσίμαχος· καὶ τὸ μὲν σῶμα τῆς Φεβρονίας στρατιώτας ἐκέλευσεν βαστάζειν· αὐτὸς δὲ ὁ Πρίμος λαβὼν τὴν κεφαλὴν τῆς Φεβρονίας, τούς τε πόδας καὶ τὰς χεῖρας, καὶ ἅπαντα τὰ ἀφαιρεθέντα μέλη ἐξ αὐτῆς, καὶ ταῦτα ἐν τῇ χλαμίδι ἐμβαλὼν αὐτοῦ,

Concursu ad hæc facto et conclamatione domesticorum, accurrit et Lysimachus, et interrogando dis- *Lysimachus jubet corpori loculum,*
cens quid actum esset, caput movit ac dixit, Magnus Deus Christianorum! Benedictus Febroniæ Deus? F
Vindicavit sanguinem injuste effusum. Jussit autem Lysimachus efferri Selenum : eoque elato, accersitum ad se Comitem Primum, sic allocutus est; Adjuro te, per Deum Christianorum, ne transgrediaris præceptum meum; sed statim jube Febroniæ sarcophagum fieri ex lignis imputribilibus; et mitte *et exequias a Christianis fieri.*
quaquaversum præcones, ut Christiani, quicumque voluerint exequiis Febroniæ assistere, sine metu compareant, cum jam obierit patruus meus. Nosti, mi Prime, desiderium meum : accipe militiam, et eos quod volueris fac bajulare corpus; itaque perducito illud in ejus monasterium ad Bryenem. Nullus ex turba auferat quidquam membrorum, a corpore resectorum; neque canis vel immundum animal aliquod lingat effusum sanguinem : sed terram quoque quæ ipsum suscepit, effode ac defer in monasterium.

33 Sic instructus Comes Primus, perfecit omnia sicut jusserat Lysimachus : et corpus quidem Febro- *Primus mandata exequitur,*
niæ bajulandum militibus commisit; ipse vero accepit caput, cum manibus pedibusque et ceteris quæ fuerant ablata membris, suæque involvens chlamydi abibat in monasterium. Verum concurrentibus turbis, ut de membris resectis raperent aliquid, haud modicum subiit Primus periculum, propter impressionem

A. COÆVO EX MSS

A sionem concurrentium, quos ægre potuerunt milites gladiis instructi submovere. Multa autem cum difficultate perveniens ad monasterium; neminem illuc ingredi permisit, præter Thomaidem et Hieriam, arcentibus turbas militibus. Bryene vero mox ut Feproniæ corpus conspexit sic mutilatum, humi corruit animo deficiens. Primus vero apponens custodes monasterio, in prætorium rediit ad Lysimachum.

et corpus tradit Bryenæ:

34 Bryene porro, tandem ab humo consurgens, et amplexa Febroniæ corpus, exclamavit in hæc verba; Ah! filia mea Febronia, hodie ex oculis matris tuæ Bryenes sublata! Ecqua nunc Sororibus divinas Scripturas præleget? quæ manus libros tuos tractabunt. Hæc illa dicente advenerunt Sorores omnes istius monasterii simul cum Ætheria, et coram corpus se prosternentes adoraverunt; similiter et Hieria vociferabatur dicens: Adorem et ego pedes tuos, qui caput serpentis contriverunt: deosculer vulnera sanctorum membrorum tuorum, per quæ B salvata est anima mea: encomiorum floribus ornem caput, quod sexum nostrum coronavit decore certaminum. Inter has voces Hieriæ, similesque sororum aliarum, adfuit tempus Nonæ, et contenta voce proclamans Bryene: Febronia, inquit, adest tempus orationis, veni et ipsa, filia, nobiscumque assiste: deinde cœpit Dialecto Syriaca dicere, Bra, bra, bra, teliotha coume talitha coumetha, id est Filia mea Febronia, ubinam es? Surge et veni. Et addidit Thomais, Filia mea Febronia, numquam mandatum magnæ Domine transgressa es, quin igitur huic ejus voci obedis?

quæ cum aliis ipsam plangens,

turbis illud spectandum exhibet,

35 Talia dum dicerentur, magnaque esset vocum confusio, et vesper incumberet, lotum diligenter corpus composuerunt supra scamnum, unumquodque membrum suo aptantes loco: jussit Bryene ostium aperiri, turbis, quæ ingressæ glorificabant Deum: matronæ autem seculares lamentabantur, quia privatæ erant sua Magistra. Advenerunt etiam aliqui sanctorum Patrum cum magna multitudine Monachorum, et insomnes totam ibi noctem traduxerunt. Lysimachus vero Primum Comitem accersens, Ego, inquit, Domine mi Prime, abrenuntians paternis moribus totique substantiæ meæ ad Christum C accedo: Et ego, reponit Primus, anathema dico Diocletiano ejusque imperio, paterna instituta execror, et Christo adhæreo: dimissoque prætorio ambo ad monasterium accesserunt, seque turbis conjunxerunt.

accedunt eodem Lysimachus et Primus:

36 Mane autem facto adfuerunt qui sarcophagum ferebant; ad quem post multas lacrymas atque preces, etiam detulerunt corpus sanctæ Febroniæ; ipsumque intra illum componentes, singula execta membra applicaverunt ad locum suum: dentes vero collocaverunt supra ipsius pectus. Turbæ vero unguento et mosco ac thure sic impleverunt sarcophagum, ut corpus amplius non appareret. Interim magna extitit vociferatio prohibentium sarcophagum claudi; et quamvis Episcopus Monachique et Clerici multis suaderent, ut cadaver sinerent tumulari nihil proficiebant; quoadusque Bryene, ex eminentiori loco turbas allocuta; Obsecro, inquit, Domini ac Fratres mei, sinite Sanctam abire in locum suum proprium. Ad hujus vocem persuasa est turba acquiescere, et multis cum lacrymis precibusque prosecutæ sunt sacrum illud Depositum, intra monasterium ad locum congruum ipsi; et omnes Deum glorificaverunt.

et clauso postridie loculo,

finitoque Officio,

D οὕτως ἐπορεύετο ἐν τῷ μοναστηρίῳ. Συνδραμόντα δὲ τὰ πλήθη, ἁρπάζειν ἐπιχείρουν τί τῶν ἀποκοπέντων μελῶν τῆς Φεβρονίας, ὡς ἐκ τούτου μέγα κίνδυνον ὑπομεῖναι τὸν Κόμητα Πρίμον ἐκ τῆς βίας τῶν ὄχλων· Οἱ δὲ στρατιῶται ξιφήρεις ἐπερχόμενοι τοῖς ὄχλοις, μόλις ἴσχυον ἀποσοβεῖν τὰ πλήθη. Φθάσαντες οὖν τὸ μοναστήριον μετὰ πολλῆς βίας ἴσχυσαν εἰσκομίσαι τὸ λείψανον τῆς ἁγίας Φεβρονίας εἰς τὸ μοναστήριον, μὴ συγχορήσαντές τινα εἰσελθεῖν πλὴν τῆς Θωμαΐδος καὶ Ἱερίας· τὰ δὲ πλήθη διεκώλυον οἱ στρατιῶται. Ἡ δὲ Βρυένη θεασαμένη τό σῶμα τῆς Φεβρονίας οὕτως κατακοπὲν, ἔπεσεν εἰς τὸ ἔδαφος ὀλιγοψυχήσασα. Ὁ δὲ Πρίμος φύλακας παρακαταστήσας τῷ μοναστηρίῳ, ἐπορεύθη ἐν τῷ πραιτωρίῳ πρὸς τὸν Λυσίμαχον.

34 Ἡ Βρυέδε μετὰ πολλὰς τὰς ὥρας ἀναστᾶσα ἐκ τοῦ ἐδάφους, περιπτυξαμένη τὸ σῶμα τῆς Φεβρονίας, ἐβόα λέγουσα, Ὀυαὶ τέκνον μου Φεβρονία, ὅτι σήμερον αἴρῃ ἐξ ὀφθαλμῶν τῆς μητρός σου Βρύενης. Τίς ταῖς ἀδελφαῖς τὰς θεοπνεύστους γραφὰς ἀναγνώσεται; ποῖαι δὲ χεῖρες τὰς σὰς κινήσουσιν βίβλους; ταῦτα τῆς Βρυένης βοώσης, ἔφθασαν πᾶσαι αἱ ἀδελφαὶ, αἱ τὸ μοναστήριον οἰκοῦσαι ἅμα τῇ Ἀιθερίᾳ, καὶ ἐπιπεσοῦσαι τῷ σώματι, προσεκύνησαν, ὁμοίως δὲ καὶ Ἱερία ἐβόα λέγουσα, προσκυνήσω τοὺς ἁγίους πόδας τοὺς καταπατήσαντας τὴν τοῦ ὄφεως κεφαλὴν, καταφιλήσω τὰ τραύ- E ματα τῶν ἁγίων σωμάτων, δι' ὧν ἰάθη μου ἡ ψυχὴ, στέψω ἄνθεσιν ἐγκωμίων τὴν κορυφὴν· τὴν στέψασαν τὸ γένος ἡμῶν τῷ κάλλει τῶν ἀγώνων. Ταῦτα τῆς Ἱερίας βοώσης, ὁμοίως δὲ καὶ πασῶν ἀδελφῶν, ἔφθασεν ὁ τῆς ἐννάτης καιρὸς, καὶ βοήσασα μέγα λέγει ἡ Βρυένη, Φεβρονία ἰδοὺ καιρὸς τῆς προσευχῆς, δεῦρο στῆθι τέκνον εἰς την προσευχήν. Καὶ ἤρξατο τῇ Σύρᾳ διαλέκτῳ προτρέπεσθαι τὴν Φεβρονίαν καὶ λέγειν, βρὰ βρὰ, ἰάθη τελειωθὰ, κούμη ταλιθὰ, κούμηθα, ὅ ἐστιν, Τέκνον μου Φεβρονία ποῦ εἶ; ἀνίσταθι καὶ ἔλθε. Λέγει δὲ καὶ ἡ Θωμαΐς, Τέκνον μου Φεβρονία, οὐδέ ποτε ἐντολὴν παρῆλθες τῆς Μεγάλης, καὶ νῦν διὰ τί τῆς φωνῆς αὐτῆς οὐχ ὑπακούεις;

35 Ταῦτα λεγόντων αὐτῶν, καὶ πολλῆς οὔσης συγχύσεως καὶ βοῆς, ἤδη δὲ καὶ τῆς ἑσπέρας καταλαβούσης, λούσαντες τὸ ἅγιον σῶμα, ἔθηκαν ἐπὶ σκαμνίον, ἁρμώσαντες ἕκαστον μέλος πρὸς τὸ σῶμα· καὶ ἐκέλευσεν ἡ Βρύενη ἀνοίγεσθαι τοῖς ὄχλοις. Ἐισελθόντα δὲ τὰ πλήθη, ἐδόξαζον τὸν Θεὸν. Ἐθρήνουν δὲ καὶ αἱ κοσμικαὶ γυναῖκες τὴν στέρησιν τῆς διδασκάλου αὐτῶν Φεβρωνίας· ἔφθασαν δὲ τινες καὶ τῶν ἁγίων Πατέρων, καὶ πλήθη πολλὰ Μοναχῶν, καὶ ἄϋπνοι διετέλουν πᾶσαν τὴν νύκτα. Ὁ δὲ Λυσίμαχος, προσκαλεσάμενος Πρίμον τὸν Κόμητα, λέγει αὐτῷ. Ἐγὼ, κύριέ μου Πρίμε, πᾶσιν τοῖς πατρώοις F ἔθεσιν καὶ πάσῃ τῇ περιουσίᾳ ἀποταξάμενος, προσέρχομαι τῷ Χριστῷ. Πρίμος λέγει, Κἀγὼ, Κύριέ μου, ἀνάθεμα Διοκλητιανῷ, καὶ τῇ βασιλείᾳ αὐτοῦ, ἀποτάσσομαι πᾶσι τοῖς πατρώοις, καὶ προσέρχομαι τῷ Χριστῷ. Καὶ καταλειπόντες τὸ πραιτώριον, παραγίνονται ἐν τῷ μοναστηρίῳ καὶ αὐτοὶ μετὰ παντὸς τοῦ πλήθους.

36 Πρωΐας δὲ γενομένης, παραγίνονται οἱ τὸ γλωσσώκομον κομίζοντες, καὶ μετὰ πολλῆς εὐχῆς καὶ δακρύων συνεκόμιζον τὸ λείψανον τῆς ἁγίας Φεβρονίας· καὶ τοῦτο ἀποθέμενοι ἐν τῷ γλωσσωκόμῳ, ἕκαστον τῶν ἀποκοπέντων μελῶν τῆς ἁγίας παρετίθουν εἰς τὸν ἴδιον τόπον· τήν τε κεφαλὴν, καὶ τοὺς πόδας, καὶ τὰς χεῖρας, καὶ τὰ λοιπὰ μέλη· τοὺς δὲ ὀδόντας τῆς ἁγίας ἔθηκαν ἐπὶ τοῦ στήθους αὐτῆς. Οἱ δὲ ὄχλοι τοῦ μύρου, καὶ τοῦ μόσχου, καὶ τοῦ θυμιάματος ἐπλήρωσαν τὸ γλωσσώκομον, ὡς μὴ φαίνεσθαι τὸ σῶμα τῆς ἁγίας. Πολλῆς δὲ στάσεως γενομένης, καὶ τὸν ὄχλων βοώντων, καὶ μὴ συγχωρούντων ἀσφαλισθῆναι τὸ γλωσσώκομον, καὶ πολλὰ παρακαλοῦντος τοῦ Ἐπισκόπου τῆς πόλεως, καὶ τῶν Μοναχῶν, καὶ τῶν Κληρικῶν, κατατεθῆναι τὸ λείψανον, οὐκ ἐπείθοντο οἱ ὄχλοι. Τότε ἀνελθοῦσα ἡ Βρύενη ἐπί τινος ὑψηλοῦ τόπου, παρεκάλει τὰ πλήθη λέγουσα, Δέομαι ὑμῶν κύριοί μου ἀδελφοί, ἄφετε αὐτὴν πορευθῆναι εἰς τὸν ἴδιον τόπον· καὶ οὕτως ἅπαν τὸ πλῆθος

A θος ἐπείσθη τῇ Βρύενῃ, καὶ μετὰ πολλῶν εὐχῶν καὶ δακρύων συνεκόμισαν τὸ ἅγιον λείψανον, καὶ ἀπέθεντο αὐτὸ ἐν τῷ μοναστηρίῳ ἐν τόπῳ ἐπισήμῳ, καὶ πάντες ἐδόξαζον τὸν Θεόν.

37 Πολλὰ οὖν πλήθη τῶν Ἑλλήνων ἐβαπτίσθησαν, καὶ ἐπίστευσαν τῷ Κυρίῳ· ἐβαπτίσθησαν δὲ καὶ ὁ Λυσίμαχος, καὶ ὁ Πρίμος, καὶ ἀποταξάμενοι ἐπορεύθησαν μετὰ τοῦ Κυρίου Μαρκέλλου Ἀρχιμανδρίτου, καὶ τὴν ἀσκητικὴν παλαίστραν μέχρι τέλους καλῶς διατελέσαντες, τὸν ἀνθρώπινον ἐν Χριστῷ κατέλυσαν βίον· πολλοὶ δὲ καὶ τῶν στρατιωτῶν βαπτισθέντες, ἐπίστευσαν τῷ Κυρίῳ. Ἱερία δὲ καὶ οἱ γονεῖς αὐτῆς βαπτισθέντες καὶ αὐτοί, ἐπίστευσαν τῷ Κυρίῳ· καὶ καταλιποῦσα ἡ Ἱερία τοὺς γονεῖς, καὶ ἀποταξαμένη, εἰσῆλθεν ἐν τῷ μοναστηρίῳ, καὶ πάντα τὰ ἑαυτῆς προσεκύρωσεν τῷ μοναστηρίῳ· καὶ ἐδεήθη τῆς Βρυένης, λέγουσα· Δέομαί σου Μήτηρ μου, ἐμὲ ἕξεις τὴν δούλην σου εἰς τὸν τόπον τῆς κυρίας μου Φεβρονίας, ἐγὼ δουλεύσω σοι ὡς καὶ αὐτή. Ἅπαντα οὖν τὸν κόσμον αὐτῆς λύσασα ἡ Ἱερία, ἐλάσμασιν χρυσοῖς καὶ μαργαρίταις πανταχόθεν τὸ γλωσσώκομον ἠσφαλίσατο τῆς ἁγίας Φεβρονίας.

D

37 Ex hinc Gentilium magnus numerus conversorum ad Christum baptizabantur. Baptizati sunt autem etiam Lysimachus et Primus, seculoque renuntiantes, secuti sunt Dominum Marcellum Archimandritam, Monasticaque exercitatione quoad vixerunt pulchre perfuncti, mortalem vitam in Domino compleverunt. Multi præterea ex militibus baptizati crediderunt Domino. Hieria quoque et parentes ejus baptismo suscepto crediderunt Domino, quibus illa valedicens et humanis rebus omnibus nuntium remittens, intravit monasterium, ad ipsumque detulit quæcumque possidebat: et accidens ad pedes Bryenes dixit: Obsecro te, Mater mea, suscipe me famulam tuam in locum Februniæ: ego tibi serviam, sicut illa: frangensque omnem suum ornatum, bracteis aureis, margaritisque undique circumvestivit loculum S. Februniæ.

baptizantur ac Monachi fiunt,

sicuti et Hieria.

CAPUT VII.

B *Annua S. Februniæ festivitas ejus apparitione honorari solita: ecclesia ei erecta; et in hanc pro corpore dens unus translatus.* E

Κατὰ δὲ τὴν ἡμέραν τῆς ἀθλήσεως αὐτῆς, τῆς μνείας αὐτῆς ἐπιτελουμένης, συνέρχονται τὰ μοναστήρια τῶν γυναικῶν, καὶ πλήθη πολλὰ μάλιστα διὰ τὸ γινόμενον σημεῖον. Ἐν γὰρ τῷ καιρῷ τοῦ μεσονυκτίου ὅτ' ἂν τὰς προσευχὰς ἐπιτελοῦσιν, ἐπιφάνεται ἡ ἁγία Φεβρονία ἱσταμένη εἰς τὸν ἴδιον αὐτῆς τόπον ἕως τρίτης εὐχῆς, ὡς μέγαν φόβον γίνεσθαι ἐν τῇ ὥρᾳ ἐκείνῃ· οὐδεὶς μέν τοι τολμᾷ ἅψασθαι αὐτῆς, ἢ ἐπερωτῆσαί τι. Ἐν γὰρ τῷ πρώτῳ ἐπιφανείσης αὐτῆς, πᾶσαι μὲν αἱ ἀδελφαὶ ἐφοβήθησαν φόβῳ· ἡ δὲ Βρυένη ἀνεβόησε λέγουσα, ἰδοὺ τὸ τέκνον μου Φεβρονία, καὶ προδραμοῦσα περιπτύξασθαι αὐτήν, εὐθέως ἀφανεὶς ἐγένετο. Οὐκ ἔτι οὖν τις τολμᾷ ἢ προσελθεῖν αὐτῇ ἢ ἅψασθαι αὐτῆς· ἀλλ' ἢ μόνον ὅταν φανῇ, δακρύων γίνεται πλημμύρα, ἅμα δὲ καὶ χαρὰ μεγάλη ἐπὶ πάντας διὰ τὴν γινομένην ὀπτασίαν.

Ad diem passionis et supplicationis quæ in honorem Februniæ ducitur, convenire solent mulierum monasteria magnaque multitudo, præsertim propter miraculum quod contingit. Mediæ enim noctis tempore quando preces decurruntur, apparet S. Febronia in loco suo usque ad tertiam orationem, *a* omnibus ea hora vehementer paventibus: nemo enim audet attingere ipsam vel eam quidpiam interrogare. Anno siquidem primo, cum sic appareret, omnesque formidarent; exclamans Bryene, Eccum filia mea Febronia, procucurrit ut amplecteretur eam, statimque disparuit. *b* Quapropter nemo amplius præsumit ad ipsam accedere, nedum attingere, sed solummodo apparente illa perfusæ omnes qui adsunt lacrymis, implentur gaudio propter visionem sibi oblatam.

Sancta in suo anniversario quotannis apparente,

a

b

39 Ὁ οὖν Ἐπίσκοπος τῆς πόλεως ναὸν τῇ Φεβρονίᾳ ἀναστήσας περικαλλῆ, ἐν ὅλοις ἓξ ἔτεσιν συνετέλεσεν τὸ ἔργον· καὶ πληρωθέντος τοῦ ἔργου, συγκαλεσάμενος τοὺς πέριξ Ἐπισκόπους, καὶ δοχὴν μεγάλην ποιησάμενος, ἐπιτελεῖ τὴν παννυχίδα μηνὶ ἰουνίῳ εἰκάδι ε' καὶ συνῆλθον πλήθη πολλὰ ὥστε μὴ χωρεῖν τὸν ναὸν μήτε τὸ μοναστήριον· κατὰ παντὸς γὰρ τόπου ἡ ψαλμῳδία ἐπι-

C τελεῖτο. Πρωΐας δὲ γινομένης πληρώσαντες τὰς ἑωθινὰς εὐχάς, παραγίνονται οἱ Ἐπίσκοποι ἐν τῷ μοναστηρίῳ, ἵνα τὴν μετάθεσιν τῆς ἁγίας Φεβρονίας ποιήσονται· ἠκολούθη δὲ καὶ τὰ πλήθη μετὰ λαμπάδων καὶ θυμιαμάτων. Εἰσελθόντες δὲ οἱ Ἐπίσκοποι ἐν τῷ μοναστηρίῳ, καὶ εὐξάμενοι, ἐκαθέσθησαν, καὶ προσκαλεσάμενοι τὴν Βρυένην, ἤρξαντο λέγειν αὐτῇ· Τῆς μὲν ἐπὶ γῆς πολιτείας σου, καὶ τῶν ἐναρέτων σου πόνων τὸν ἔπαινον τίς ἐκομίσειε; οὐδεὶς ἀξίως σε ἐπαινέσαι δυνήσεται· τοιαύτας γὰρ τὰς πρωτευούσας τῶν μοναστηρίων χρὴ ὑπάρχειν, καὶ τοιούτους καρποὺς προσφέρειν Θεῷ. Ἐπειδὴ οὖν τῆς ἀθλοφόρου ἐγκώμια ἐξειπεῖν ἀδύνατον, ταῦτα σιωπᾶν δεῖ· οὐδὲ γὰρ οἷατε γλῶσσα ἱκανὴ ὑπάρχει ἀξίως ἐπαινέσαι τὴν Μάρτυρα. Ἐπειδὴ οὖν ἄξιόν τι τῆς ἀθλοφόρου οὔτε λόγοις, οὔτε ἔργοις ἀπηντήκαμεν, πρὸς σὲ ὡς πρὸς Ἀδελφὴν παρόντες περὶ τοῦ προκειμένου παρακαλοῦμεν. Τοίνυν τίμησον καὶ αὐτὴ σὺν ἡμῖν τὴν Μάρτυρα, καὶ χάρισαι ἡμῖν αὐτήν, ἵνα ἐνοικήσῃ ἐν τῷ ναῷ, τῷ οἰκοδομηθέντι ἐπὶ τῷ ὀνόματι αὐτῆς.

39 Episcopus *c* igitur civitatis, pulchram ecclesiam Februniæ erigens, intra sex annos opus absolvit: quo completo, omnes in circuitu Episcopos *d* convocans et convivium magnum instituens, nocturnam celebravit die vigesima quinta Junii Synaxim, ad quam convenit multitudo tanta; ut neque ecclesia neque monasterium totam caperet; per omnem. F locum psalmodia resonabat: die autem sequenti absolutis precibus matutinis convenerunt Episcopi, translationem S. Februniæ peracturi: sequebatur autem eos populus multus, cum lampadibus ac thymiamatis: cum quibus Monasterium ingressi Episcopi, præmissa oratione consederunt; advocataque Bryene cœperunt ei dicere: Quis super terram conversationis tuæ pulchrorumque laborum laudem protulerit? digne profecto te nemo possit glorificare. Tales oportet esse monasteriorum Præfectas, et tales fructus proferre Deo: sed quoniam triumphatricis laureatæ vestræ Martyris encomia exequi est impossibile, ea convenit silentio præterire: neque enim cujuscumque lingua sufficiet Martyrem digne celebrare. Cum autem nec verbis nec operibus quidquam adferre possumus ipsa dignum, ad Te veluti ad spiritualem nostram Sororem venientes, oramus, honora nobiscum etiam Martyrem, et ipsam nobis largire, ut eam collocemus in templo quod extructum est sub ejus nomine.

c

d

construitur sub ejus nomine ecclesia

rogaturque Bryene caput illuc inferendum tradere:

40 Ἀκούσασαι δὲ αἱ Ἀδελφαὶ πᾶσαι, ἀνεβόησαν ἓν στόμα, καὶ πεσοῦσαι ὑφ' ἓν εἰς τοὺς πόδας τῶν Ἐπισκόπων, εἶπον· Δεόμεθα τῶν ἁγίων ὑμῶν ἰχνῶν, ἐλεήσατε ἡμᾶς τὰς ταπεινάς, καὶ μὴ στερήσητε ἡμᾶς τοῦ μαργαρίτου ἡμῶν. Ἐπὶ πολλὰς δὲ τὰς ὥρας πασῶν ὀδυρομένων,

40 Audientes autem hoc Sorores, omnes uno ore exclamaverunt, procidentesque insimul ad pedes Episcoporum dixerunt, Deprecamur sancta vestigia vestra, miseremini nostræ humilitatis, et Margarita nostra nolite nos privare. Omnibus autem sic diu lamentantibus

quod illa invitis Sororibus

A. COÆVO EX MSS

A lamentantibus supplicantibusque dixit ad Bryenem Episcopus : Audi me, Soror. Tu nosti, quanta cum diligentia studuerim ad honorem et laudem Martyris excitare ecclesiam, et ecce hodie sex anni sunt : ne igitur velis ut infructuosus atque inanis hic mihi labor fuerit. Ad quæ Bryene : Obsecro, siquidem placitum est in oculis vestris ipsique Martyri gratum, ecqua ego sum ut hoc impediam ? Ingredimini igitur, et ipsam accipientes abite. Tum consurgentes Episcopi et monasterium ingressi ad orationem se composuerunt. Hieria autem exclamavit dicens : Væ nobis, quia magna benedictione privabitur hodie monasterium ! Væ nobis, quia tribulatio et orbitas hodie advenit monasterio. Væ nobis, quia ipsæ tradimus Margaritam nostram! Et ad Bryenem conversa : Quid agis, Mater, inquit ; cur me privas Sorore mea ? Propter ipsam dereliqui omnia, et in tuas manus me conjeci. Videns autem Bryene sic lamentantem Hieriam, conversa ad ipsam dixit : Quid ita affligeris, filia mea Hieria ? Si placet illi hinc abire, abibit omnino : sin minus, non egredietur hinc.

et Hieria reclamante annuit :

καὶ παρακαλούντων, λέγει ὁ Ἐπίσκοπος τῇ Βρυένῃ, D ῎Ακουε, Ἀδελφή· σὺ γινώσκεις πόση μου σπουδὴ ὑπῆρξεν εἰς δόξαν καὶ τιμὴν τῆς ἀθλοφόρου ἀναστῆσαι τὸν ναὸν, καὶ ἰδοὺ σήμερον ἓξ ἔτη εἰσίν· μὴ οὖν ἄκαρπον καὶ ἀνόνητον τὸν κόπον μου γενέσθαι ἐπιθυμήσῃς. Ταῦτα ἀκούσασα ἡ Βρύενη, λέγει· Δέομαι ὑμῶν, εἰ ἀρεστὸν τῇ Μάρτυρι, τίς εἰμὶ ἐγὼ ἵνα τοῦτο διακωλύσω ; Τοίνυν εἰσελθόντες, λάβετε αὐτὴν καὶ πορεύεσθαι. Ἀναστάντες δὲ οἱ Ἐπίσκοποι, καὶ εἰσελθόντες, εὐχὴν ἐπετέλουν. Ἡ δὲ Ἱερία ἐβόα, λέγουσα· Οὐαὶ, ὅτι μεγάλης εὐλογίας ἀποστερεῖται τὸ μοναστήριον σήμερον· Οὐαὶ ἡμῖν ὅτι σήμερον θλῖψις καὶ ὀρφανία τῷ μοναστηρίῳ ἐπῆλθεν· Οὐαὶ ἡμῖν, ὅτι ἡμεῖς προδίδωμεν τὸν μαργαρίτην ἡμῶν. Καὶ ἐβόα πρὸς τὴν Βρυένην λέγουσα, Αἱ ποιεῖς, Μήτηρ; τί ἀποστερεῖς με τῆς ἀδελφῆς μου; δι' αὐτὴν πάντα κατέλιπον, καὶ ὑπὸ τὰς χεῖρας ὑμῶν κατέφυγον. Ἡ δὲ Βρυένη, θεασαμένη τὴν Ἱερίαν οὕτως ὀδυρομένην, στραφεῖσα πρὸς αὐτὴν, εἶπεν· Τί ὀδυνᾶσαι τέκνον Ἱερία; εἰ ἀρεστὸν ἐνώπιον αὐτῆς πορευθῆναι, πορεύσεται· εἰ δὲ μὴ ἀρεστὸν αὐτῇ, οὐ μὴ πορεύσηται.

B 41 Interim completa oratione surrexerunt Episcopi, dictoque ab omnibus, Amen, cum manus loculo admovissent, factum est tonitru in aere, sic ut omnes ex pavore corruerint. Post paululum vero, cum iterum insisterent cœpto ; factus est terræmotus grandis, sic ut civitas tota videretur absumenda. Cognoverunt ergo Episcopi omnisque multitudo populi, quod Martyr nollet exire de monasterio; unde tristes effecti, dixerunt Bryenæ ; Quandoquidem recusat Martyr derelinquere monasterium ; accipe unum resectorum membrorum, idque nobis concede ut eo accepto discedamus. Accipiens ergo Bryene clavim, reseravit loculum : et ecce radius adinstar solaris corpus circumfulsit, et veluti fulgur quoddam supra illud se expandit : quare non absque tremore magno manus suas extendit, unamque sacrarum manuum apprehendit, volens ipsam Episcopo tradere : sed manum suam sensit deorsum cadere atque emori. Illacrymans igitur Bryene dixit : Filia mea Febronia, ne irascaris Matri tuæ. Memento laborum meorum, neque confundas pudore senectutem meam. His dictis cum Manum sacram loco suo reposuisset, iterum extendens [manus] suas, sic oravit lacrymabunda : Præbe nobis benedictionem aliquam, neque me contrista, Domina. Et accipiens unum dentium, jacentium super defunctæ pectus, tradidit Episcopo, et loculum statim obseravit.

sed divinitus prohibiti ipsum auferre,

ac ne manum quidem accipere permissi,

dente uno impetrato

41 Πληρώσαντες δὲ τὴν εὐχὴν οἱ Ἐπίσκοποι, καὶ πάντων εἰπόντων τὸ Ἀμὴν, ἀψάμενοι τοῦ γλωσσοκόμου, E γίνεται βροντὴ εἰς τὸν ἀέρα, ὡς ἅπαν τὸ πλῆθος καταπεσεῖν ἐκ τοῦ φόβου. Πάλιν μετ' ὀλίγον ἐπιστήσαντες, σεισμὸς ἐγένετο μέγας, ὡς δοκεῖν καταφέρεσθαι πᾶσαν τὴν πόλιν. Ἔγνωσαν δὲ οἱ Ἐπίσκοποι, καὶ ἅπαν τὸ πλῆθος, ὅτι οὐ πείθεται ἡ Μάρτυς ἐξελθεῖν τοῦ μοναστηρίου· καὶ περίλυποι γενόμενοι, λέγουσι τῇ Βρυένῃ· Ἐι οὐ πείθεται ἡ Μάρτυς καταλειπεῖν τὸ μοναστήριον, ἓν τῶν ἀφαιρεθέντων μελῶν λῆψη, καὶ δὸς ἡμῖν, καὶ τοῦτο λαβόντες πορευσόμεθα. Ἡ δὲ Βρυένη, λαβοῦσα τὴν κλεῖδα, ἀνέωξεν τὸ γλωσσόκομον· καὶ ἰδοὺ ὥσπερ ἀκτὶς ἡλίου οὕτως ὁρᾶτο τὸ σῶμα, καὶ ὥσπερ ἀστραπὴ πυρὸς οὕτως ἐπεπόλαζεν τῷ σώματι. Μετὰ πολλοῦ οὖν φόβου ἐκτείνασα τὰς χεῖρας αὐτῆς, καὶ ἀψαμένη τῆς ἁγίας χειρὸς αὐτῆς, ταύτην τῷ Ἐπισκόπῳ παρασχεῖν βουλομένη, ἐκρατήθη ἡ χεὶρ αὐτῆς κάτω, καὶ ἀπενεκρώθη. Ἡ δὲ Βρυένη δακρύσασα, εἶπεν· Δέομαί σου, τέκνον μου Φεβρονία μὴ ὀργισθῇς τῇ Μητρί σου, Μνήσθητι τῶν μόχθων μου, καὶ μὴ παραδειγματίσῃς τὸ γῆράς μου. Ἀνεθίσης δὲ τῆς χειρὸς αὐτῆς, πάλιν ἐκτείσασα αὐτὴν, παρέβαλει μετὰ δακρύων λέγουσα, Παράσχου ἡμῖν εὐλογία, μὴ λυπήσῃς με Κυρία. Καὶ λαβοῦσα ἕνα τῶν ὀδόντων αὐτῆς τῶν ὄντων ἐπὶ τοῦ στήθους αὐτῆς· ἐπέδωκεν τῷ Ἐπισκόπῳ, καὶ εὐθέως ἠσφαλίσατο τὸ γλωσσόκομον.

C 42 Tunc Episcopi sanctam Reliquiam accipientes in aurea theca, cœperunt exultantes progredi ; præcedebant autem eos turbæ psallentes cum cereis et thymiamatis. Cumque ad ecclesiam pervenissent, ascenderunt in sublimiorem locum Episcopi ; et populo exposuerunt mysterium. Quotquot autem tunc aderant cæci, claudi, vel dæmoniaci, curati sunt omnes. Quo per universos præsentes divulgato, cucurrerunt adolescentes quaquaversum, et partim humeris inferre cœperunt ægrotantes, partim bajulare in grabatis, vel jumentis impositos adducere : universique curabantur, a quacumque detinebantur infirmitate. Quamdiu autem non cessabant inferri ægri, non permisit populus deponi Reliquiam S. Februniæ : sed tandem persanatis universis Deumque glorificantibus, depositæ sunt sacrosanctæ Reliquiæ Martyris die vigesimo quinto e mensis Junii : et universi magnis acceptis beneficiis remearunt in domos suas, gaudentes et laudantes Dominum nostrum Jesum Christum, et sanctum ejus Spiritum, cui sit honor et potestas, in secula seculorum. Amen.

ecclesiam dedicant 25 Junii,

in qua mox infirmi curantur.

e

F

42 Οἱ δὲ Ἐπίσκοποι λαβόντες τὸ ἅγιον λείψανον ἐν κάμστρᾳ χρυσῇ ἐπορεύοντο χαίροντες· προῆγον δὲ τὰ πλήθη ψάλλοντα, μετὰ κηρῶν καὶ θυμιαμάτων. Φθάσαντες δὲ τὸν ναὸν, ἀνελθόντες οἱ Ἐπίσκοποι ἐπὶ ὑψηλοῦ τόπου, ἐσήμαινον τῷ λαῷ τὸ μυστήριον. Ὅσοι οὖν ὑπῆρχον τυφλοὶ, ἢ χωλοὶ, ἢ δαιμονιζώμενοι, ἰάθησαν. Τοῦτο δὲ πᾶσι κατάδηλον γενόμενον, ἔτρεχον οἱ νεανίσκοι πανταχοῦ, καὶ ἔφερον ἐπ' ὤμων τοὺς ἀσθενοῦντας, καὶ ἄλλους, ἐπὶ κραββάτων, ἑτέρους δὶ ἐπὶ κτηνῶν ἐπιβιβάζοντες ἔφερον, λαὶ πάντες ἐθεραπεύοντο, καὶ ὁποίῳ δ' ἄντις κατείχετο νοσήματι ὑγιὴς ἐγίνετο· καὶ μέχρις οὗ ἐπαύσαντο φέρειν τοὺς ἀσθενοῦντας, οὐ συνεχώρησνα οἱ ὄχλοι κατατεθῆναι τὸ λείψανον τῆς ἁγίας Φεβρονίας. Πάντων δὲ τῶν κακῶς ἐχόντων ὑγιασθέντων, καὶ τὸν Θεὸν ἀνυμνούντων, κατετέθη τὸ λείψανον τῆς ἁγίας Μάρτυρος μηνὶ Ἰουνίῳ εἰκάδι ε'· καὶ πάντες μεγάλων ἀπολαύσαντες δωρεῶν, τοὺς ἰδίους οἴκους κατελάμβανον, χαίροντες καὶ δοξάζοντες τὸν Θεὸν καὶ τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, καὶ τὸ ἅγιον Πνεῦμα· ᾧ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος, εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

43 Bryene vero post dedicationem ecclesiæ ferentis nomen S. Februniæ adhuc biennium f super-

f

41 Ἡ δὲ Βρύενη δύο ἔτη ἐπιζήσασα μετὰ τὸν ἐγκαινισμὸν τοῦ ναοῦ τῆς ἁγίας Φεβρονίας, καὶ πάντα καλῶς διαταξαμένη

A διαταξαμένη, ἐν εἰρήνῃ ἐκοιμήθη· ἐγὼ δὲ Θωμαΐς, μετὰ τὴν κοίμησιν Βρύενης, διεδεξάμην αὐτῆς τὴν διακονίαν· καὶ πάντα ἐξ ἀρχῆς ἐπισταμένη τὰ συμβεβηκότα τῇ Φεβρονίᾳ, ἔπειτα δὲ καὶ τὰ λοιπὰ διδαχθεῖσα παρὰ τοῦ Κυροῦ Λυσιμάχου, ἅπαντα τον βίον, καὶ [τὰ ὑπομνήματα αὐτῆς συνεγραψάμην, εἰς ἔπαινον καὶ δόξαν τῆς ἀθληφόρου καὶ Μάρτυρος Φεβρονίας, προθυμίαν δὲ τῶν ἀκουόντων τοῦ διεγείρειν αὐτοὺς εἰς προσκύνησιν καὶ δόξαν τοῦ Πατρὸς, καὶ τοῦ Υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος, νῦν, καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

vixit; et postquam omnia recte disposuisset, in pace obdormivit. Ego autem Thomais, post obdormitionem ejus, suscepi monasterium ejus: cumque cuncta quæ Februniæ acciderunt, ac cetera eo spectantia, ex Domno Lysimacho didicissem, totam ejus vitam atque historiam conscripsi, ad laudem et gloriam ipsiusmet triumphalis Martyris, et auditorum utilitatem; ut quibus hæc lecta fuerint, alacriores omnes reddantur, in adorando laudandoque Patre, ac Filio, et Spiritu sancto, nunc et semper et in secula seculorum. Amen. D

A. COÆVO EX MSS.

ANNOTATA D. P.

a *Addunt Menæa, apparuisse* psallentem cum Sororibus.

b Non sustinens, *inquiunt eadem*, contractum manus, τὴν ἐπιβολὴν μὴ ὑπομείνασα τῆς χειρός.

c S. Jacobus, *Martyrologio Romano inscriptus* 15 *Junii; in persecutione Galerii Maximiani Confessor*, *usque ad annum* 311; *quando ægrotus admonitusque tyrannus, cum sibi morbum evenisse propter mala quæ Christianis intulerat, persecutionem quiescere jussit, edicto proposito: quod vide apud Lactantium in libro de mortibus persecutorum. Apertis autem mox ubique carceribus, emissus cum ceteris* Jacobus *est; qui exinde potuit inchoasse ecclesiam istam, et post sexennium an.* 317 *dedicasse; supervixit autem non solum usque ad Nicænum, sed et usque ad Antiochenum Concilium, cui æque ac isti interfuit an* 341.

d *Puta* Amidenum, Rhesinensem, Cartharensem, *et si qui alii in Mesopotamia, nobis nunc ignoti, tunc fuerunt Episcopatus.* B

e *Fuisse hunc anniversarium passionis, facilius præsumitur quam probatur.* E

f *Ergo usque ad annum fere* 320, *nullisdum Sanctorum Fastis inscripta, nisi nuper Hispanico Tamayi Martyrologio ad* 15 *Junii, ex pseudo-Dextri Julianique figmentis, quasi in Hispania tandem obierit Martyr.*

DE SANCTO GALLICANO

DUCE ET CONSULE ROMANO

MARTYRE IN ÆGYPTO.

COMMENTARIUS PRÆVIUS D. P.

De Actis, Passioni SS. Joannis et Pauli præfixis; memoriaque Martyrologiis inscripta, et temporum ratione.

ANNO CCCLXII.

A Juliano actus in exilium Gallicanus non ante an 360,

Julianus Cæsar, *vivente adhuc patruele suo Constantio, acclamatus Imperator a militibus in Gallia, anno* CCCLX *mense Augusto, quam animo pridem ejuraverat religionem Christianam, adhuc profitebatur exterius anni sequentis Epiphania, ecclesiam Christianorum ingressus: deinde Romam venit, et collecto contra Constantium exercitu; contra* C *eumdem tendens, ipsum exeunte anno mortuum intellexit; ac palam cœpit profiteri Idolorum cultum atque odium Christianorum, exorsus a nobilioribus atque opulentioribus, quorum bona prætextibus variis addicebat fisco. Id eum cœpisse, prius quam Constantinopoli existens Constantii exequias pullatus celebrasset, non existimo; istic autem non scitur fuisse ante Januarium, cujus die* III *Idus data ibi legitur prima ejus in Codice Theodosiano lex, atque aliæ deinceps usque ad* IV *Idus Maji. Intra hoc tempus omnino oportet missas ab eo Ostiam litteras, ibidem degenti Ex-consuli* Gallicano; *quibus* mandavit ei, Aut sacrifica diis, aut discede a finibus Italiæ, *sicuti in mox proferendis Actis dicitur num. ult. Etenim ille* statim relictis omnibus petiit Alexandriam, et ibi junctus est Confessoribus Christi per continuum annum; post etiam secessit in eremum: ibique cum cogeretur sacrificare et contemneret, percussus gladio perrexit.... ad Dominum.... *utique anno* CCCLXII, *ultra Januarium promoto, ac verosimiliter etiam ultra Martium vel Aprilem, prius certe quam in Ægypto intellecta esset mors tyranni obita* XVI *Junii: qua audita et Joviani Christianissimi Principis evectione ad Imperium, statim*

vixit usque 365, et ecclesiam super corpus mox conditam habuit:

Basilicam Gallicani nomine construxerunt *Fideles, ipso ubi obiit vel quo corpus delatum fuit loco.*

2 *Ista in ecclesia, quin fuerit annue celebratus dies vel Passionis vel Depositionis, dubium mihi nullum est; quamvis nec ad Græcos nec ad Latinos fuerit ea religio propagata; nec enim antiquioribus eorum Fastis ullis invenitur adscriptus* S. Gallicanus. *Hoc vero minus mirandum est, si forte in interiori Thebaide, procul ab utrorumque commercio ecclesia illa steterit, inter fideles, Ægyptia dumtaxat lingua id est Coptica utentes. Linguæ istius litteras et monumenta quædam Athanasius Kircherus noster primus in lucem protulit: sed quæ Christianismum spectent vel nulla hactenus prodierunt, vel prodierunt lingua litterisque Arabicis, adeoque posteriora sunt septimo seculo, quo primum Saraceni Ægypto potiti suas illuc litteras, Copticis abolitis, introduxerunt. Talis est libellus de Festis Coptitarum, productus a Seldeno lib.* 3 *de Synedriis Hebræorum cap.* 15; *ubi* XVI *mensis Tuba et mensis Amschir (qui dies* XI *Januarii nostri et* X *Februarii respondent) ponitur* festum Kilani: *quod utrum ad* Gallicanum *referri possit, corrupto (ut plurima ibidem) nomine, aliis divinandum relinquo: ex prædictis unum illud deduco, quod is, qui post suum ex Italia discessum, integrum annum Alexandriæ vixit, vix potuerit Martyrio coronari ante mensem Februarium, e contrario vero vivere potuit usque ad Junium plus quam dimidium.* F

ubi qua die cultus fuerit ignoratur,

solum scitur obiisse intra Februarium et Julium.

3 *Igitur, quamvis certus Martyrii dies non exprimatur in Actis, haud incongrue tamen Ado et Usuardus*

AUCTORE D. P.

Elegerunt 25 Junii Ado et Usuardus,

A *dus elegerunt diem immediate præcedentem festum SS. Joannis et Pauli; siquidem horum Acta, priori sua parte aliud non sunt quam Acta* S. Gallicani. *Ibi post hujus mortem relatam, refertur mors illorum, sicut eam partem dabimus die sequenti: hac vero damus partem priorem, ex duplici nostro MS. membraneo, vetustissimo uno et annorum facile sexcentorum, altero majoris folii sed duplo recentioris scripturæ; necnon ex duobus MSS. Trevirensibus S. Maximini et S. Martini, et tertio Audomarensi, inter se collatis a Rosweido; ac denique collatis cum ecgrapho Neapolitani cujusdam Codicis, per Beatillum misso ad Bollandum. Hæc Acta, quantumvis antiqua, non sunt tamen auctoritatis tantæ, quantam haberent, si revera forent conscripta ab ipsomet Terentiano, qui Sanctos illos fratres capitali affecit supplicio, sicut pleraque MSS. habent, ex iisque Romanum etiam Breviarium; cum in melioribus MSS. solum dicantur* scripta *illo* referente: *imo probantur vix ante* VI *seculum collecta. Nec enim antiquior aliquis sic erravisset, ut Imperatorem Constantium, fratrem Constantini junioris et Constantis, unaque cum his Constantini Magni filium, faceret hujus nepotem et illorum successorem, cum quibus* B *pariter Imperium sumpsit, licet decennio post illos tenuerit.*

quia Acta præmittuntur Passioni SS. Joannis et Pauli.

Ea damus ex MSS. fidei non magnæ, licet antiquis:

4 *Pars prior, quæ huc spectat, nihilo leviora peccat; licet enim Julianum non inducat Ostiæ agentem cum* Gallicano, *sicut posterior illum male constituit Romæ cum sanctis Martyribus altercantem, ubi publice notus apostata præsens numquam fuit, nisi per suos ministros; peccat tamen multa in Constantino; cum discessum* Gallicani *ad bellum Scythicum, post oblatas in Capitolio diis hostias, et triumphalem abinde regressum sanctius institutum cum votiva ad Basilicam Apostolorum supplicatione, aliaque plura sic describit, acsi toto belli istius tempore Romæ fuisset Constantinus, ubi ab anno* CCCXV *usque ad obitum vix semel iterumque, et hoc non nisi ad breve tempus ipsum fuisse, extremis autem annis numquam, satis evidenter probari potest ex ejus rescriptis Codici Theodosiano insertis, et ab Antonio Gothofredi in Chronologia ejusdem Codicis eruditissime digestis. Hoc aliisque indiciis deprehensus Auctor, non scribere res se vivente gestas, sed diu præteritas vestire circumstantiis, suo arbitratu fidenter æque ac imperite adjectis; tanto minus fidei apud me invenit, quanto ipsimet S. Constantiæ, Constantini filiæ familiariorem se facit, num. 4 sic loquens:* Hanc orationem fuisse Constantiæ ipsamet narrante didicimus, quam etiam ab ipsamet legimus scriptam: C qualiter autem Atticam Artemiamque *(filias Gallicani,* converterit, studio narrandi celeriter martyrium Gallicani, prætereo.

etiam quoad S. Gallicanum.

5 *Ado nihilominus tanti ea Acta fecit, ut modice contracta inseruerit tota Martyrologio suo. Usuardus, brevius elogium, longius tamen quam passim de aliis soleat, sic contexuit:* In Alexandria S. Gallicani Martyris: qui cum triumphalibus infulis sublimatus, acceptus esset Augusto Constantino et carus; per ipsius filiam nomine Constantiam, ac Christi Martyres Joannem et Paulum ad fidem conversus est. Hujus sacræ opinionis fama postmodum in toto orbe in tantum excrevit, ut ab Oriente et Occidente venientes viderent virum, ex Patricio et Consule, lavantem pedes pauperum, ponentem mensam, aquam manibus affundentem, languentibus solicite ministrantem, et cetera sanctæ servitutis officia exhibentem. Ipse vero postea cum sacrificare cogeretur sub Juliano et contemneret, percussus gladio in corpore, Christi Martyrem fecit; *vel ut alia ecgrapha,* Martyrium complevit. *Adonem Notkerus; Usuardum supposititius Beda, Bellinus, Galesinius aliique recentiores secuti sunt; et omnes pariter* Alexandriam *statuunt certaminis locum. Verum in Eremo, incertum quam procul inde remota, palmam consecutum dicunt* D *Acta: cujus corpus si* Alexandriam *delatum, ibique ecclesia condita honoratum fuisset; non videtur is ignotus mansurus fuisse Græcis, a quibus fere solis Alexandrinæ civitatis ecclesiæ tenebantur; non etiam Habessinis Alexandrinos Fastos plerumque exprimentibus.*

Ex illis elogia Fastis inserta.

An Sanctus Alexandriæ adscribendus?

6 *Porro celebre est in Consularibus Fastis* Gallicanorum *nomen, jam inde a seculo Christi* II. *Siquidem annum* CXXVII Coss. Gallicanus et Titianus *notarunt: et* CL, *prioris fortasse filius* Gallicanus et Vetus. *Seculo autem* IV *annum Christi* CCCXVII *aperuerunt* Ovinius Gallicanus et Septimius Bassus. *Illum fuisse primum* Gallicani *nostri adhuc Gentilis Consulatum, censuit Henschenius, ad* XVIII *Februarii, agens de Sanctis ejus filiabus atque Constantia. Id ego quoque indubitanter assererem, si alibi etiam* Ovinii *prænomen legeretur, vel annus* CCCXXX *notaretur* Gallicano II et Symmacho; *nunc cogor subvereri ne* Ovinius *iste diversus a nostro* Gallicano *sit, ac forte hujus pater. Consulatum autem sic initium haud diu videtur tenuisse, sed Ostiam secessisse: siquidem Cassiodorus, pro* Gallicano, *Constantium edidit, quem illi suffectum Onuphrius censet. Post illum vero secessum suum idem* E Gallicanus obtulit Basilicæ SS. Petri et Pauli et Joannis Baptistæ, *quam* Constantinus ex suggestione Silvestri in civitate Ostiensi, juxta Portum urbis Romæ fecerat, coronam argenteam cum delphinis, pensantem libras XX; calicem argenteum anaglyphum, pensantem libras XV; Ansam argenteam pensantem libras XVIII; Massam Mallianam, territorio Sabinensi, præstantem solidos C et XV et tremissem; fundum Picturas, territorio Veliterno, præstantem solidos XLIII; fundum Surorum via Claudia, territorio Vegentano, præstantem solidos LVI; Massam Gargilianam, territorio Suessano, præstantem solidos CCCLVI. *Ita Anastasius Bibliothecarius in Vita S. Silvestri; quæ secessum* Gallicani, *in his Actis relatum, haud parum confirmant.*

an bis Romæ Consul?

Ex donis Ostiensi ecclesiæ oblatis a Gallicano,

confirmantur Acta,

7 *Et sane egent Acta illa, per se fidei non magnæ, aliunde confirmari; tunc vero per conjecturam sic ordinari et explicari historia poterit, ut Sapori Persarum Regi, quem anno circiter* CCCXXVII *cœpisse Christianos persequi scribit Theophanes. Furor ille contra ipsos venerit, ex dolore cladis illatæ copiis Persicis Syriam populantibus, atque trans Tigrim tota etiam Mesopotamia pulsis; cujus alioqui latrocinii, potius quam belli, nulla extat apud Historicos mentio. Inde reversus Romam* Gallicanus, *cœperit cum Constantino per litteras* F *agere de nuptiis filiæ, Romæ apud S. Agnetis sepulcrum viventis in proposito castitatis. Quod matrimonium dum sic, ut Acta dicunt, tractatur; et Constantinus per annum* CCCXXVIII *ferme totum in Bithynia moratur; Scythæ, quos nunc Tartaros dicimus, transmisso Borysthene per Sarmatiam penetraverint in Daciam, id est in regiones utrique Danubii ripæ adjacentes, indeque in Thraciam. Contra hos accersitus Roma* Gallicanus, *Augusti futurus gener, tum isto tum sequenti anno* CCCXXIX *rem gesserit auspiciis Constantini, ea de causa in Europam transgressi, Sardicæque et Naissi et Sirmii in Pannonia Daciaque ut plurimum agentis, uti apparet ex rescriptis inde datis; intenti etiam condendæ ad Bosphorum Thracium Constantinopoli, unde in omnes eos barbarorum motus deinceps invigilaret, statuta istic Imperii sede. Et tunc quidem ab ipsis Philippopoli in Thracia circumsessus* Gallicanus, *longe inferior numero, invocato ex SS. Joannis ac Pauli consiliis Christianorum Deo, insignem de illis victoriam retulerit; ac Romam remissus sit, cum titulo Consulis in annum sequentem designati. Confirmatur hoc ex Fastis correctioribus apud Bucherium cum anno* CCCXXX *notantur* Consules Gallicanus et Symmachus. *Constantinus vero posteriorum annorum aliquo ipsosmet Scythas*

illustranda per conjecturas quoad Persicum

et Scythicum bellum,

successu nimis amplificato,

atque ex Consulatu anni 330.

A *Scythas suis aggressus in sedibus, perdomitæ gentis laudem meruerit, quam ei dat Eusebius lib. 4 Vitæ cap. 5; quæ laus in hisce Actis tota non magis recte tribuitur* Gallicano, *quam subjugata dicitur Persis: quæ sui juris et tunc erat, et postea mansit, modo pacem, modo bellum cum Romanis habens.*

Hispanorum figmenta rejecta.

8 *Sed si Acta, licet perquam vetusta, non absque correctione recipiuntur, quid fiet Adversariis Juliani Petri? In his num.* 8 *vocatur* Ovinus Gallicanus, *is qui in Fastis Bucherianis cum* Septimio Basso *Consulatum gessit anno* CCCXVII, *licet verosimiliter a nostro diversus; ipseque et* Joannes *ac* Paulus *dicuntur* Hispani Saguntini, *ac num.* 399 *inter se* cognati, *atque* Braganti, non procul admodum Brachara nati: *quare etiam Hagiologio Lusitanico omnes tres adscripsit Cardosus. Tamayus addit* Epitaphium, *velut* ex Cypriano Presbytero Cordubensi; *ubi similiter asseritur, quod fuit* Hispanus, grandi ex origine quondam Saguntina. *Hæc tamen omnia flocci faciet, qui cum eruditioribus Hispanis agnoverit, cujus auctoris et ætatis sint istæc omnia, quæ tam fidenter, ut antiqua valde, a suis sectatoribus et admiratoribus proferuntur.*

B

ACTA

Præfixa Passioni SS. Joannis et Pauli.

Ex Codicibus MSS. sex.

a Constantini filiam petit Gallicanus,

Sub Constantino Augusto et Gallicano Duce Romani exercitus, Persarum gens, quæ Syriam *a* invaserat, victa est, et viriliter subjugata: qui cum triumphalibus infulis sublimatus, acceptus esset Augusto et carus, filiam ejus sacratissimam virginem Constantiam *b* sibi poscebat uxorem; et hoc non mediocri instantia flagitabat, tempore quo imminebat gens Scythica, quæ et Daciam et Thracias occupaverat: et quoniam bene erat potens, omnium potestatum Comites ac Præfecti cum omni populo Romano id fieri postulabant. Constantinus vero Augustus contristari cœpit, et esse mœstissimus; sciens filiam suam, positam in sancto proposito, facilius occidi posse quam vinci.

moturus in Scythas:

c illa, licet certa virginitatem servare,

2 Quæ cum patris solicitudinem studio sanctitatis conaretur excludere, dixit *c* patri suo: Si certissimum non haberem quod me non deserat Deus, recte formidini meæ et solicitudini tuæ locus aliquis cedeC retur. Cum vero certa sim de Deo, depone omnem solicitudinem tuam, et te daturum me illi conjugem repromitte; ita ut, si Scytharum superaverit gentem, victor simul et consul me accipiat. Hujus autem sponsionis gratia duas filias suas virgines, quas ex amissa conjuge natas habet, mecum usque ad nuptiarum diem esse permittat: secum vero Præpositum et Primicerium Joannem et Paulum esse gratanter admittat: ut ille me per meos familiares, alloqui et cognoscere valeat; et ego illius, per ejus filias, votum, moresque et institutum cognoscam. Facta sunt hæc omnia sicut virgo Christi disposuit, et velut sub arrhationis loco dantur duo fratres eunuchi, ex latere Augustæ; et duæ sorores Gallicani filiæ ipsi Augusto traduntur, ita liberalibus studiis eruditæ, ut vix illis quisquam par scientia in virorum numero sapientum inveniri potuisset, quarum una Attica, altera Artemia dicebantur.

ejus filias sibi petit committi,

ipsisque SS. Joannem et Paulum adjungit.

Sic traditis sibi SS. Attica et Arthemia d

3 Quas Constantia cum ad se venire cognovit, expandens manus ad Dominum sic oravit: Domine Deus omnipotens, qui me orationibus tuæ Martyris Agnæ a lepra *d* mundasti, et semitam mihi timoris tui propitius ostendisti; et Virginis tuæ Matris thalamum reserasti; ubi tu sponsus, tu filius manifestatus es; tu genitus es ex Maria, tu genitor probatus es Mariæ; tu lactatus uberibus Mariæ, tu omne seculum nutriens, simul etiam illam ex qua lactatus es et nutritus: tu Infantulus crescens ætate; tu omni mundo *e* incrementa concedens; tu sapientia proficiens, cum sis ipse totus sapientia; tu ita magnus, ut te magnificentius nihil sit, tu verus homo de matre ex tempore editus, tu verus Deus ex patre sine matre genitus; Deus de Deo, fecisti quæ non erant: ex matre sine patre carnali editus, qui lapsum incurrerant, reparasti: tu fusus in lucem illuminatus es, cum sis qui illuminas omnem hominem in hunc mundum venientem. Te deprecor credens, ut ipse jussisti; te quæso egens, quod ipse promisisti cum diceres, Amen dico vobis quia omnia quæcumque petieritis a patre in nomine meo, dabit vobis. Peto itaque Domine, ut has Gallicani filias, tu lucreris, ipsum quoque Gallicanum, qui me tibi tollere conatur, tuæ fidei applica et castitati. Aperi, Domine, os meum, et aperi aures cordis earum sermonibus meis, et consensus earum mihi januam pande; ut tantam verbis meis virtutem infundas, ut carnis commercium execrantes, tibi consecrari desiderent; et ex ipso desiderio tantus amor in earum mentibus oriatur, ut ferventer ad thalamum illum tuum cœlestem pervenire desiderent; quem plenis oleo lampadibus, et tuæ caritatis fulgentibus flammis attingant, ut loco sibi inter sapientes virgines dato, de tua misericordia gloriantes, nihil terrenum desiderent, et te solum integro affectu suorum viscerum concupiscant.

D *ex MSS.* *e* *pro ipsarum conversione* E

4 Hanc vero orationem fuisse Constantiæ ipsa narrante *f* didicimus: quam etiam ab ea legimus scriptam. Qualiter autem ad Dominum Atticam Artemiamque converterit, studio celeriter narrandi Martyrium Gallicani, prætereo. Igitur veniens Gallicanus ovans, a *g* Constantino et Constantio ac Constante Augustis suscipitur, et ab omni comitatu et Senatu: qui non prius ingressus est Romam, nisi prius ad sacra Petri Apostoli limina perrexisset. Cui Constantinus *h* ait, Cum ad bellum pergeres Capitolium et templa ingressus dæmonibus immolasti; inde victor rediens, Christum et ejus Apostolos adoras. Unde cupienti mihi nosse quid rerum sit, pande per ordinem.

f nec frustra. *g Victor rediens Gallicanus,* *h*

5 Quem Gallicanus adorans, ait: Cum Scythica gens me intra Thraciarum Philippolim *i* urbem conclusisset, et strages plurimas fecisset, metuenti mihi confligere cum eis, eo quod exigua mihi esset militum manus, hostium vero esset innumerabilis multitudo; insistebam sacrificiis, et Martianas victimas offerebam. Quid multis moror? Ad ultimum crevit obsidio, et universi tribuni mei ac milites se hostibus *k* tradiderunt. Cumque cuperem fugiendi aditum reperire, Paulus et Joannes (ex quibus Præpositus unus est, Primicerius alius Dominæ meæ, pietatis vestræ filiæ, Constantiæ *l* Augustæ) dixerunt mihi, Fac votum Deo cœli, quod si te liberaverit, Christicola fias; et eris victor melius quam fuisti. Fateor, sacratissime Imperator, mox ut hoc votum meo est ore prolatum, apparuit mihi Juvenis statura excelsus; ferens in humero *m* Crucem, dicens: Sume gladium tuum et sequere me. Quem ego dum sequerer apparuerunt mihi hinc inde milites armati, confirmantes me, et dicentes, Nos tibi præbemus officium: tu ingredere hostium castra, et dextra lævaque gladium tenens evaginatum, ne respice, quousque pervenias ad Regem ipsorum nomine Bradam. Quo cum pervenissem cum eis, veniam sui sanguinis prostratus meis pedibus postulavit; nullumque penitus ex eis gladio nec feci nec jussi occidi. Hunc vero Regem eorum *n* Bradam, cum duobus filiis, vinctum ab illis militibus accepi; et

Constantino narrat, i F *k* *l* *m quod obsessus a Scythis Christum invocarit* *n*

EX MSS. et capto eorum Rege omnes ei subjugavit:

A et ita universæ sunt Thraciæ liberatæ a gente Scytharum, et tributarii facti sunt. Tribuni omnes ad me cum suis militibus reverti voluerunt: sed nisi fierent Christiani, a me recipi; minime potuerunt: consentientes vero gradu, sublimiores effeci; non consentientes, privavi *o* militia; meipsum futurum Christianum ita Deo devovi, ut etiam a conjugio mihi promiserim abstinendum. Ecce habes quadruplicatum exercitum; habes et omnem gentem Scythicam subjugatam ac tributariam, totas Thracias liberatas *p*: mihi vero feliciter jube succedi *q* propitius, quo possim vacare religioni quam didici, et in veritate constare quam perfecte cognovi.

gaudet de filiarum suarum conversione

6 Tunc Imperator Constantinus misit se in amplexus ejus, referens ei universa quæ gesta sunt circa filias ejus, et quomodo sint virgines Christo utiliter consecratæ; et qualiter alias virgines duas, per suam gratiam evocaverit Deus; et quomodo eruditionis summam corripientes ad perfectionem [conniti] cœperint, et quomodo universa perfectæ vitæ rudimenta susceperint. Tunc cum Augusto intranti palatium Gallicano occurrit Helena *r* cum filia filii sui *t* Constantia, et filiabus ipsius Gallicani. B Fundebantur lacrymæ gaudiis plenæ, nec permittitur ad domum reverti propriam Gallicanus; sed quasi gener Augustorum in palatio successit. Et considerans filias suas in laudibus Dei florentes, cum vellet privatus abscedere, rogatus ab Augustis Consul processit: in fascibus positus: quinque millia servorum liberos civesque Romanos fecit; quibus prædia domosque donavit, cunctasque facultates suas, excepto jure filiarum, distrahi ac donari pauperibus jussit; ac se in Ostiensi urbe manentem sancto viro cuidam Hilarino nomine sociavit; cujus habitaculum ampliari fecit ad peregrinorum susceptionem, quam ipse plurimis impendebat.

et abdicato Consulatu secedit Ostiam:

7 Huic adhæserunt multi ex servis, quos liberos fecit, et divulgata est fama ejus per totum orbem; *v* ita ut ab Oriente et Occidente venientes viderent virum ex Patritio et Consule, qui erat amicissimus Augustorum, lavantem pedes, ponentem mensam, aquam manibus affundentem, languentibus solicite ministrantem, exhibentem sanctæ virtutis officia *. Hic primus in Ostiensi urbe extruxit Ecclesiam, et dedicavit *x* officia Clericorum. Huic se sanctus Levita Laurentius revelavit, adhortans eum, ut in ejus nomine ecclesiam fabricaret in porta, quæ nunc usque Laurentia nuncupatur. Rogatus autem ut ibi C levaretur Episcopus, non consensit; sed ex sua voluntate ipse qui ordinaretur *y* elegit; tantamque ei gratiam contulit Deus, ut dæmonibus pleni, mox ut visi fuissent ab oculis ejus, protinus mundarentur; multaque in eo erant sanitatum insignia.

ibique sanctissime vivit,

8 Sed cum a Constantio Julianus Cæsar factus esset, dedit legem ut Christiani nihil in hoc seculo *z* possiderent. Tunc Gallicanus habens in Ostiensi pago quatuor casas, quarum pensiones his operibus quibus diximus ministrabant, ita Deum habere meruit defensorem, ut quicumque ingrediebatur in eas malitiose ut poneret titulos fisci, aut exigeret pensiones, statim a diabolo repleretur; et quicumque actorum ejus esset exactor, leprosus fiebat. Tunc interrogata dæmonia dederunt responsum, quodsi sacrificare coactus fuisset Gallicanus, exactores redituum ejus ista pericula evitarent. *α* Et quoniam nullus audebat convenire de hoc scelere Gallicanum; mandavit ei Julianus Cæsar; Aut sacrifica diis, aut discede a finibus Italiæ. Statim autem relictis omnibus petiit Alexandriam: et ibi junctus est Confessoribus Christi per continuum annum; post etiam secessit in eremum; ibique a Rautiano *β* Comite templorum, cum cogeretur sacrificare et contemneret, percussus gladio in corpore, Christi Martyr *γ* D effectus est; atque ita perrexit ad Dominum gaudens cum triumpho; cui statim basilicam sui nominis construxerunt, in qua exuberant beneficia Martyris ex eo tempore et nunc, usque in secula seculorum. Amen. Hilarinus autem, qui quondam Gallicanum in Ostiensi urbe susceperat, cum cogeretur a persecutoribus fidei Christianæ sacrificare, et nollet, fustibus cæsus martyrium *δ* sumpsit cujus corpus Christiani venerabiliter sepelierunt in Ostia *ε*.

donec a Juliano inde pulsus, Alexandriam exul abiit, et capite plectitur. S. Hilarinus fustibus mactatur.

ANNOTATA D. P.

a *Ita MSS. tria, alia* utiliter.

b *Totidem quidem eaque antiquiora* Constantinam *scribunt, sed hoc nomine dictam Constantini filiam alteram, constat fuisse conjugatam.*

c *Imo* scripsit; *Romæ enim agebat illa, Constantinus in Bithynia, sicut jam monui.*

d *Vide hæc prolixius* 21 *Januarii in Vita S. Agnetis, auctore S. Ambrosio num.* 15 *et* 16, *allegante* abditum *quoddam* volumen, *unde ista acceperit, et fortassis ipsiusmet Constantiæ scriptum, de quo infra.*

e *Quædam MSS. addunt,* in Deo. E

f *Jam dixi non posse cum veritate consistere, ut ipsimet Constantiæ auctor familiaris fuerit.*

g *Primum oportebat ad* Constantinum *Imperatorem, Constantinopoli vel alibi in Thracia tunc agentem, adduxisse* Gallicanum, *et inde Romam; ubi tres ejus filii* Constantinus *tunc annos natus* 15, *Constantius* 12, *Constans dumtaxat* 10, *sub aviæ Helenæ cura educabantur; omnes quidem pæne ab infantia* Cæsares *dicti, et Consulatibus honorati a patre; non autem* Augusti *et* Imperatores, *nisi illo mortuo, id est anno* 337.

h Constantinum *patrem intelligamus oportet: quem hic inepte Romam adducit auctor.*

i Philippopolim *integre scribendum erat, in priori tamen scriptione codices omnes conveniunt; distat autem illa a Constantinopoli plus quam* 70 *leucis.*

k *Hoc prorsus ineptum est et incredibile; multum fuerit, si plures eorum deditionem hosti faciendam suaserint.*

l Augustas *dici filias Imperatorum, necdum alibi legi: uxorum solarum hic titulus erat.*

m *De Constantino ipso dicit Eusebius, quod* Servatoris sui auxilio fretus, triumphali signo ac trophæo *(Crucem passim intelligunt auctores)* in Scythas illato, brevi cunctos subegit; *et hoc modo* Scythæ Romanis tandem parere didicerunt, *quibus* superiores etiam Imperatores tributa pendebant. F

n *Captum aliquem Scytharum seu Regem seu Ducem non est inverosimile, sed absque prælio, eo quo hic dicitur modo, credibile non est, in silentio meliorum auctorum, qui illud non omisissent Constantino laudi vertere.*

o *At hoc nec Constantinus quidem ipse fecit unquam, cogi volens neminem.*

p *Omnia hæc supra veritatem exaggerata videntur.*

q *Scilicet in militiæ ducatu.*

r Helenam *tunc adhuc in vivis fuisse mallem aliunde probari.*

t Neptem *dixisse debuerat: nam alia* Constantia, *quæ Constantini soror fuit, Licinii Imperatoris uxor, non fuit Helenæ filia, sed Theodoræ.*

u *Alias,* per totam Urbem.

x *MSS. nostra,* aliud dictavit, aliud ditavit, *uti et in Audomarensi. Ast in MS. Neapolitano omittuntur omnia reliqua hujus articuli ab * asterisco.*

y *Post mortem scilicet Maximi, qui an.* 313 *sub Miltiade Papa Romano Concilio adfuit juxta Optatum*

A *tum Milevitanum : quis autem tunc fuerit ordinatus, nos latet.*

z *Non invenio qui* Juliano *hujusmodi legem exprobraverit; sed alias eo tendentes, quibus præsertim ecclesiæ spoliarentur, et qui sacrificare nollent ad graviora ceteris tributa in bellum Persicum conferenda cogerentur, quæ aliaque hujusmodi vide apud Baronium ad annum* 362 *num.* 261 *et seqq.*

α *Alias,* non paterentur.

β Abrantianus *alibi et* Brantionus. Comitem *autem* templorum *alibi nusquam legimus; primus fortassis instituit* Julianus, *restaurandis templis idolorum, quæ Christiani everterant intentus : quod officium cum ipso cessaverit.*

γ *Ita unicum Audomarense, cetera* Martyrem fecit.

δ *His ipsis verbis refertur* S. Hilarinus, *addito* D *(nescio unde) titulo* Monachi *ad* 16 *Augusti ab Adone* EX MSS. *et Usuardo, aliisque post eos : qui si revera passus est illo die quod nusquam in Actis legitur; passus est diu ante* S. Gallicanum, *cum hic scilicet Ostia discessisset. Idem in Romano hodierno confunditur cum* S. Hilariano, *quem S. Donatus Aretinus diu post hæc creditur socium Martyrii habuisse,* 16 *Augusti : ideoque dicitur ille etiam Aretii passus, sed Ostiam translatus : quod vereor ne propter nominum similitudinem sit fictum, et poterit suo tempore plenius examinari.*

ε *Qui passionem SS. Joannis et Pauli cum his Actis continuant, sic progrediuntur.* Præterea Julianus Cæsar raptus cupiditate sacrilega : *quæ vide die sequenti.*

DE SANCTO ANTIDIO

EPISCOPO VESONTIONENSI IN BURGUNDIA.

B

COMMENTARIUS PRÆVIUS

E

G. H.

De ejus cultu, translatione corporis, Actorum fide merito suspecta.

CIRCA ANNUM CCC.XI.

Cultus 17

Vesontio, *maxima Sequanorum metropolis habita, antiquis Notitiis provinciarum et civitatum Galliæ, atque etiamnum urbs Archiepiscopalis in Comitatu Burgundiæ, inter illustres suos Episcopos recenset* S. Antidium, *martyrii etiam corona clarum. Ejus festum præcipitur in Breviariis Vesontionensibus, de quibus infra, celebrandum* XV Kalendas Julii, *sive* XVII *die Junii : quo die in antiquo MS. Martyrologio Usuardi, aucto ad usum Ecclesiarum Alsatiæ et dictæ Burgundiæ, ista leguntur :* Bisuntiæ, S. Anthidii Episcopi et Martyris. *Ejus etiam meminit ad dictum diem Ferrarius, in Catalogo generali. Alii retulerunt ad diem* XXV *Junii. Horum primus fuit Grevenus cum suis Carthusianis, in Usuardi Martyrologio variis editionibus auctius edito sub annum* MDXV *et* MDXXI, *in quo ad dictum* XXV *Junii ista habentur :* Antidii Episcopi Chrysopolitani seu Bisantini et Martyris, a Wandalorum Rege ob

et 25 Junii;

C Christi fidem occisi. *Quæ plane eadem apud Molanum in Auctario Usuardi recusa sunt, præposita littera* c, *qua in sua præfatione ad Martyrologium cap.* 13 *indicat,* se ea desumpsisse ex Additionibus per Patres Carthusiæ Coloniensis ad Usuardum jam secundo anno MDXXI adjectis. *Eadem quoque leguntur in Martyrologio Canisii Germanice excuso, et secuti sunt Galesinius atque Miræus in Fastis Belgicis et Burgundicis, cum hodierno Martyrologio Romano, in quo ista referuntur;* Vesontione in Galliis, S. Antidii Episcopi et Martyris, qui ob fidem Christi a Wandalis occisus fuit : *et in Notis allegatur Molanus in Additionibus ad Usuardum, quem secuti sunt Romani Martyrologii Recognitores sub Gregorio XIII. Hæc de die Natali, quem arbitramur esse hunc* XXV *Junii; at* XVII *Junii corpus fuisse anno* MCCCLX *revelatum, ut infra dicitur, et inde eam diem assumpsit.*

translatio corporis facta 24 Januarii

2 *Altera est solemnitas translationis corporis* S. Antidii *ad monasterium S. Pauli. Joannes Jacobus Chifletius par.* 2 *Vesontionis pag.* 92 *asserit,* verosimillimum putandum, eam translationem ab Hugone Archiepiscopo, ecclesiæ S. Pauli restauratore, factam eo ipso die, quo reædificatam Basilicam solemni cultu dedicavit XXIV Januarii. Id adducor, *inquit,* ut credam, quod in Martyrologiis S. Joannis et S. Pauli, eadem dies mensis Januarii vigesima quarta, et dedicatæ S. Pauli basilicæ, et translato S. Antidii corpori sacra habeatur. Sic enim in eis leges IX Kal. Febr. Bisontii dedicatio Ecclesiæ S. Pauli, et translatio corporis S. Antidii : quod non obscure significat, non modo eadem die posterioris alicujus anni, sed eadem die anni ejusdem, simul importatum in eam ecclesiam S. Antidii corpus, simul eam sub Beatæ Virginis ac S. Pauli et B. Antidii patrocinio ab Hugone Archipræsule dedicatam. Dedicationis ipsa Januarii XXIV die per Hugonem Primum factæ monumentum prostat in veteri Rituum codice S. Pauli, ubi hæc habentur. In nomine Domini. Amen. Altare S. Mariæ et S. Pauli dedicatum in honore Spiritus sancti, S. Mariæ, S. Pauli, et sanctorum Innocentium : in quo continentur Reliquiæ de capillis S. Joannis Baptistæ, Reliquiæ S. Antidii Martyris et Archiepiscopi nostri... Altare quod situm est retro hoc majus altare, consecratum est in honore S. Antidii F Martyris, S. Joannis Evangelistæ omniumque Martyrum... Hæc autem dedicatio Ecclesiæ sive Altarium facta est per manus Domini Hugonis Archiepiscopi Bisuntini, IX Kal. Februarii. Extat pone Altare majus S. Pauli antiquus tumulus lapideus S. Antidii, qui circum Episcopi decumbentis in plano insculptam effigiem sic inscriptus est : CORPUS BEATI ANTIDII EGREGII MARTYRIS A RUFFEIO TRANSLATUM ET IBI POSITUM, QUI PRO NOBIS ORET. AMEN.

sub Hugone I Archiepiscopo.

Revelatio corporis 17 Junii anno 1360

3 Hæc *ibi Chifletius : at* anno MCCCLX, die XIV Kalend. Julii *ait pag.* 287, a Joanne de Vienna Archiepiscopo relevatum corpus S. Antidii Archiepiscopi Bisuntini, ut fert præter alia monumenta antiquus lapis, retro majus altare ecclesiæ S. Pauli, qui sic habet.

Anno milleno, centum ter, sex una deno,
Cum his jungendis Julii ter quinque Kalendis,
Antidi fossa tolluntur dignius ossa,
Ponuntur cassa, per quæ sint crimina lassa.

Illud ter quinque versus causa positum putamus, cum alioquin antiqui et optimæ notæ codices in hoc omnes conveniant, relevatum esse corpus S. Antidii anno MCCCLX, XIV Kal. Julii. *Hæc Chifletius. At mallem servare* XV *Kal. Julii, id est* XVII *diem Junii,*

atque

A *atque inde cœptum ab aliis coli dicto die ut superius diximus. Ex aliqua Chifletii ejusdem ad Miræum epistola diximus* cranium S. Antidii penes Divionenses magna veneratione servari : *item* Flameti apud montanos Fulciniates, Sedunensibus finitimos in diœcesi Gebennensi, anniversario ritu coli S. Antidium, sacræ Flametensium ædis ac oppidi Patronum.

AUCTORE G. H. *Cranium Divione, cultus Flameti.*

4 *Hæc de veneratione et Reliquiis satis certa videntur. Ast circa sinceritatem Vitæ et Actorum plura occurrunt controversa. Laudatus supra Chifletius in Actis S. Antidii asserit, memoratum* Hugonem Archiepiscopum, in suo instrumento dotationis Canonicæ (quod Hugonis Primi testamentum vocant) dato ad annum MXLIV, XXV Martii, meminisse S. Antidii jam in ea ecclesia quiescentis : *cujus scilicet corpus translatum fuisse ad dictam Ecclesiam supra retulimus. Pluribus postea a Pag.* 191, *de Hugone* XLVIII *Antistite agit, arbitratus eum* creatum Archiepiscopum anno MXXXI, mortuum anno MLXVII die v Kalendas Augusti. *Circa hoc tempus Vitam* S. Antidii *conscriptam arbitramur, in qua sub finem indicatur translatio corporis facta ad monasterium S.* B *Pauli, Pontifice cum Clero præeunte : cujus tamen nomen non exprimitur, quod id esset omnibus notum etc. Sic potuit ea res venire in notitiam Sigeberti Gemblacensis, qui aliqua inde inseruit suo Chronico ad annum* MCXII *deducto. Urbem* S. Antidii *Episcopalem auctor numquam* Vesontionem *aut* Besuntium *nuncupat, sed semper* Chrysopolim : *et quia novum nomen videbatur aliis, illud explicat sub initium. Secuti seculo mox sequenti* XII *eum in hoc sunt, Guntherus Ligurinus, Gaufridus Abbas Altæ-combæ, Joannes Saresberiensis Episcopus Carnotensis, et Auctor Vitæ S. Bernardi, allegati a Chifletio lib.* I *cap.* 12. *Elapsi tunc erant a cæde S. Antidii anni sexcenti, et forte adhuc quinquaginta ; ut auctor non videatur satis secure progressus, sed quælibet uti offerebantur vulgari incertaque traditione arripuisse.*

Vita scripta 11 seculo,

elapsis post martyrium annis 650,

5 *Nos illa qualiacumque Acta habemus ex MS. Trevirensi S. Maximini, et contulimus cum editione Chifletiana, quam asserit se sumpsisse* ex veteri codice MS. Metropolitanæ Basilicæ S. Joannis, et contulisse cum MS. Monasterii Aquicincti Ordinis Cisterciensis, et aliis quibusdam exemplaribus. *Reperimus nos eadem anno* MDCLXII *in Archimonasterio Cisterciensi ; atque Prologum, qui alibi deerat, descripsimus. Scimus etiam extare illa in Carthusia Co-* C *loniensi et Confluentina ; nec tamen videntur Surius, Mosander, aliique judicasse prælo digna. Fateor, quod cum ante discussionem more nostro inciperem addere marginales notas, ac legerem* Antidio *occurrisse legionem dæmonum, atque inter hos Æthiopem jactantem sua industria Pontificem Romanum in laqueum impudicitiæ attractum*, Antidium *dein Æthiopi insidentem Romam delatum, et post reductum ad pænitentiam summum Pontificem, ad propriam Sedem relatum ; fateor, inquam, visum mihi somnium ; si non S. Antidii, saltem aliorum ; et a scriptore in vera historia assumptum. Magis autem confirmatus in ea cogitatione fui, cum similia adscribi vidi S. Maximo Taurinensi Episcopo, ut accepta ex quadam Vita S. Leonis Papæ primi, quam ut fabulosam rejici* XI *die Aprilis. Voluit quidem Sigebertus inde aliqua in suum Chronicon transferre, scilicet ut plura alia parum fundata, quæ nos sæpius ut meras fabulas rejicimus. Merito autem Baronius in Notis ad* XXV *Junii respondet, a Sigeberto* misceri apocrypha, et a veritate aliena ; et, cum magiam magis, quam pietatem redoleant, merito rejicienda.

in pluribus videtur fabulosa ;

habitus perperam Episcopus Turonensis 3 Septembris ;

6 *Petrus de Natalibus eadem retulit lib.* 8 *cap.* 33, *sed* Antidium *novo errore appellavit* Episcopum Turonensem, *et* tertio Nonas Septembris gladio cæsum scripsit. *Secuti nihilominus eum sunt Maurolycus, Felicius, Ghinius, Ferrarius. Sed nullum* Antidium *fuisse Turonensem Episcopum, certissime constat. Eadem inscripta sunt Florario Sanctorum, et ad* XXIII *Maji relata : sed istis defensoribus falsitas non promovetur. Miratur Chifletius* a Cardinale Baronio dictam historiam apocrypham dici, cum nulli supra fidem videri debeat, postquam Christus ipse a diabolo supra montem excelsum et supra templi pinnaculum delatus est. Magis certe ultro obtemperant dæmones ex pacto nefario ; sed et Sanctis parent vel nolentes, non pacto inducti, quin potius ejus imperio, cui quondam reversi discipuli cum magno suo gaudio retulerunt : Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in tuo nomine etc. *Et superius ita scripserat :* De historia S. Antidii, Romam vectore dæmone profecti, adeo multa sunt certaque monumenta, ut eam ut spuriam rejicere, vel reticere ut indecoram, nec historici esse putem, nec æqui rerum æstimatoris. Ejus certe veritatem adstruunt primum libri vetustissimi, et constans majorum traditio ; deinde antiquissimæ imagines, pictæ fictæve in ecclesiis Ruffei, S. Pauli, S. Petri, S. Magdalenes etc. necnon et Breviaria vetera, et E Caroli de Novo-castro editum anno MCCCCLXXX, Antonii de Vergeio MDXXXV, Claudii a Bauma MDLXXVIII. *Hæc aliaque Chifletius in Vesontione, utque ei fides habeatur, misit nobis frater ejus Petrus Franciscus ipsam historiam S. Antidii vectore dæmone Romam profecti ex Legendario æstivo S. Joannis, prout est in ante memoratis Actis. Sed hæc omnia respectu talis antiquitatis nihil omnino probant. Nos ut hisce amicis satisfiat, ipsa Acta damus, sed tamquam suspectæ fidei vel potius ut mera somnia, quod quidem transvectionem diabolicam attinet, ut benevolus lector per se judicet de re ipsa. Habemus Breviarium Bisuntinum, jussu Ferdinandi a Rya Archiepiscopi Bisuntini* MDXC *editum, ubi nihil istiusmodi habetur in Lectionibus tribus, quas præmittimus, ut via ad meliorem instructionem sternatur. Habemus et antiquum MS. Breviarium Bisuntinum, quod olim ad dictum Chifletium pertinuit; in quo Lectiones habentur ex initio Actorum ; et omissa controversa transvectione solum dicitur Sanctus habuisse* virtutem imperandi spiritibus malignis; *agiturque de ejus martyrio, uti infra ad ipsa Acta annotamus : ex quibus colligimus non debuisse tam fidenter provocari* ad constantem majorum antiquitatem. *Plura alia in Notis observamus.* F

D

fabula frustra defensa a Chifletio.

Præponitur epitome ex Breviario Bisuntino.

VITÆ EPITOME

Ex Breviario Bisuntino anno MDXC *edito.*

Antidius, nobili genere et parentibus Christianis natus, a pueritia litterarum studio deditus fuit, præsertim sacrarum : adultus vero, factus est Canonicus Ecclesiæ Bisuntinæ, quando Canonici apud *a* S. Stephanum sub regula degebant *b* B. Isidori. Accidit autem (ut sunt occulta Dei judicia) ut *c* Germcisylus Archiepiscopus, qui et claustrum S. Stephani et Ordinem Canonicorum magna sapientia nec minore sumptu ac pietate instauraverat, tantus vir a fide Catholica deficeret, et in Arianam hæresim prolaberetur. Quare Clerus et populus, Deo revelante, Antidium Sedis Chrysopolitanæ Præsulem, quamvis invitum et pro viribus reluctantem, elegere. In eo munere tanta exhibuit documenta sanctimoniæ et virtutis, ut nullus eo major fuisse inveniatur. Is virtutem habuit imperandi spiritibus malignis. Obsessa postmodum a Wandalis civitate in castrum se recepit, quod multo antea Imperator ei dono dederat Theodosius *d* junior. Castrum hoc vocatur Ruffeium juxta Marniacum. Illic multos invenit fideles, immanitatem barbarorum fugientes. Hos

Ex Canonico Episcopus,

a b
c

d
sub Wandalis Martyr.

A Hos consolatus Antidius, et ad ferendum patienter martyrium exhortatus, ipse in medios hostes venit, alta voce Christum annuntians. Sed ab exercitu procedentes aliqui sanctum virum humi projecerunt, calcibusque et omnibus contumeliis affecerunt. Ductus ad Regem eorum seu Ducem, *e* Crocum nomine, interrogatur quisnam et unde sit? Respondit, se Antidium esse, Episcopum Chrysopolitanum. His auditis, Crocus jubet hominem prius quidem verberari, et probris omnibus affici, deinde percuti gladio. Sed antequam capite plecteretur, spatio orandi impetrato, oravit Antidius pro civitate primum et populo sibi commisso, deinde pro toto populo Christiano : postea jussit carnifici ut perficeret quod susceperat. Obiit xv Kalendas Julii, anno quadringentesimo undecimo. Cujus corpus in Ecclesia S. Pauli Bisuntini servatur *f*.

e

f

ANNOTATA G. H.

a S. Stephani basilicam, cœptam erigi ab Hilario V Episcopo, promotam a Panchario VI Episcopo, absolutam a Fronimio X Episcopo, atque in ea Regularium Canonicorum Collegium constitutum, *asserit in dictis Episcopis Chifletius ; addens id factum* multis privilegiis a Damaso et Siricio Pontificibus in eam rem obtentis. *Verum difficulter probabit tam antiquum fuisse nomen* Canonicorum Regularium, *imo vel* Canonicorum.

B

b *Magnum σφάλμα. Illustravimus Acta S. Isidori ad diem* 4 *Aprilis, quo mortuus est anno* 636, *creatus Episcopus Hispalensis tempore S. Gregorii Magni.*

c Gelmeisilus *aliis, cujus nomen e diptychis expunctum, a Chifletio non memoratur.*

d *Suspicor id factum potius a* Theodosio seniore *anno* 395, 17 *Januarii mortuo : quo tempore* S. Antidius *si non fuit Episcopus, potuit castrum istud Presbyter accepisse. Nam* Theodosius junior *in Oriente imperavit octennis ab anno* 408.

e Crocus, *aliis* Croscus *aut* Carocus, *potuit cum suis substitisse in Galliis, dum alii Wandali abirent in Hispaniam, ac deinde in Africam.*

f *Chifletius pag.* 86 *addit* S. Antidium *prophetico spiritu cognovisse, non fuisse sacratam hostiam in vase, cum Sacerdos abiret ad viaticum infirmo porrigendum, aut alias habuisse hostiam non consecratam. Quæ optaremus antiquioribus monumentis confirmari.*

C

ALIA ACTA MAJORA,

Sed, ob fabulas iis insertas, suspecta.

Ex MSS. et Vesontione Chiffletii.

CAPUT I.

Laus Chrysopolis seu Vesontionis. S. Antidii virtutes.

Prologus. Quoniam in beatorum Martyrum Natalitiis ut sacræ religionis suggerit institutio, de ipsorum disserendum est vita et martyrio ; necessarium valdeque opportunum duximus, ut de B. Antidii vita et moribus pauca nudatis enuclearentur sermonibus : quod enim in conspectu Domini fore creditur pretiosum, profecto a credentibus in eum tenendum est religiosum. Sunt denique declaranda Martyrum certamina, ut audientes ad Sanctorum instruantur imitanda vestigia, neve prudentium segnitie imputentur inertium inopiæ. Lucerna nempe sub modio posita, frustra proprium consumit splendorem : thymiama quoque semper reconditum, sibi suum servat odorem. Ponitur ergo lucerna super candelabrum, ut luceat ; thymiama super prunas, ut suam circumquaque fragrantiam dirigat. Quid itaque per lucernam et thymiamata, nisi summæ sophiæ signantur dogmata ? Qui vero per candelabrum et prunas, nisi prudentiæ spiritu vivificati, et ad ejus arcana elucidanda succensi ? Qui quoque per modium et carbones, nisi suæ segnitiæ miseriis extincti præcones ? quippe qui ad capessenda sophiæ mysteria sunt avidi, ad distribuenda vero infructuosi et pigri ; sicque facti segnes agricolæ, maturas etiam fruges per inertiam amittunt. Unde nos, Fratres carissimi, admoniti, non præsumptione temeritatis, sed pretiosæ affectu caritatis, officioque commissæ servitutis, ne succidamur infructuosæ ficui comparati ; secundum nostræ conscientiæ vires, de præfati Patris Martyrio vel gestis pauca detectis notificamus verbis *a*.

D EX MSS.

a Urbs Chrysopolis munita mœnibus,

2 Fuit igitur B. Antidius Chrysopolitanæ urbis Archiepiscopus, nobili germine editus, veræ religionis efficacia deditus, sacris eruditus moribus, servandis plenus operibus. *b* Urbs illa a priscis Romanorum Tribunis condita, tanta fertur floruisse fortitudinis et magnitudinis amœnitatisque potentia, ut ceteris Galliæ urbibus pretiosor sit habita. Hoc autem quare antiquum sortita sit vocabulum, vetusta pandit dignitas locique situs firmitas, Crysos namque dicitur aurum, Polis civitas, inde Chrysopolis civitas aurea. Merito quippe aurea, quæ sui naturalis situs inexpugnabili perstat constantia, cum ipsius pæne cuncta manustructa, non hostili violentia, sed suæ vetustatis mollitie sint dilapsa mœnia. Hæc enim spatiosa tribus ex partibus, in modum circumscissæ sphæræ rapidissimo vallatur amne, qui præruptis utrimque ripis ingressum impedit urbis *c*. Huic denique pons lapideus est impositus, constanti et firmo opere constructus, quadratis ferro plumboque adnexis lapidibus, ab imo sabuli ad cacumen summum solidatus : qui quadrigarum inter se occurrentium sine periculo capiens commeatum, fluminis despicit impetum, urbisque pandit introitum. Ceterum qua spectat urbs Orientem, rupeo clauditur monte : qui præceps undique præ altis utrimque et abscissis parietibus, ambitum curvati dividit amnis. Nulla itineris inter rupem flumenque facultas, si ventus parumper intumescens turbaverit undas. Tribus ergo perangustis meatibus, manuscissis non naturalibus, mons urbis inclusæ reserat introitus. Horum unus præ ceteris publicus, in alam rupis fluminis imminentis scissus, mirabili conspicitur opere præcisus. Iter nempe non plus latitudine quam binos capiens equites, longitudine sexaginta cubitorum, attitudine triginta octo constat. Est et aliud [iter] arduum, quo per montis conscenditur fastigium, quod quadrato et ingenti saxo munita et inexpugnabili fauce continet porta. Mons ille non acuto constrictus cacumine, sed spatiosa decoratus planitie, redolentium herbarum fragrante dulcedine, Regum fuit antiquorum potitus palatiis, ut celsiorum columnarum patet indiciis. Nunc itaque pretiosis Protomartyris Stephani comptus *d* Reliquiis, firmioribus fundatus mœniis, celsioribus sublimatus columnis, amœnitate et gloriæ constantia inexpugnabilis, et præcipue plurimorum Sanctorum solatiis cunctis Galliæ montibus permanet dissimilis.

b

E

fluvio,

c ponte lapideo,

monte

introitu angusto,

F

porta saxea.

d Reliquiæ ibi S. Stephani,

3 Hujus igitur montis urbisque totius pastoralis Princeps gloriosus Antidius, inter creberrimos luporum discursus positus (quippe quia tunc plures *e* Ariana fœdabat dementia) de suorum studiose satagebat custodia. Certabat custos pro gregis incolumitate totis viribus, quia ferum hostem suis insidiari cernebat ovibus. Hic quindecim caritatis circumfulgens radiis, pietatis succinctus balteis, vexillo triumphans

e S. Antidius Episcopalibus præditus virtutibus,

EX MSS.

A triumphans dogmatis; quæ populis pandebat eloquio, actu servabat et animo. Erat enim humilis et benignus, patiens et modestus, fidelis et castus, spe firmus et verus, pius et caritativus, concors et sobrius, obediens et lætus, mente securus. Vigilabat pro posse super eos quibus præerat, ne serpens callidus deciperet quos regebat; neque retrogrados faceret, quos jam ante damnaverat. Summi Regis suppetens præsidium, illud semper præferebat Davidicum: Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam. Orationi invigilabat, jejuniis instabat, eleemosynis inhærebat; nihil de transitoriis cogitans, omni nisu ad æterna tendebat; quæque in se studebat [alere], eis ceteros instruebat. His et similibus roboratus armis, tantis eum Dominus donavit triumphis, ut etiam dæmonibus imperaret, eosque sui corporis famulatibus subjugaret.

Psal. 126.

ANNOTATA G. H.

a *Huc usque Prologus relatus ex solo MS. Cisterciensi.*

B b *Reliqua hujus numeri de laude Chrysopolis omissa sunt apud Chifletium.*

c *Huc usque MS. Breviarium Bisuntinum, ac deinde transitur ad martyrium.*

d *Esse ibidem brachium S. Stephani a Theodosio juniore Vesontionem transmissum, constantem esse traditionem; asserit Chifletius in Celidonio* xv *Episcopo: ubi pag.* 109 *de aliis Reliquiis ibidem asservatis agit.*

e *Ob decessorem Episcopum in Arianam perfidiam delapsum.*

CAPUT II.

Fabulosa narratio transvecti per dæmonem Antidii Romam, et inde revecti.

a Ex relatu senum

Unde commodissimum duximus, quod ab ejus gestis pauca, quæ veridicorum *a* senum relatu comperimus, sacræ catholicæque religioni mancipatis notificaremus: rem quidem maximam humanaque admiratione confertam, sed divinæ potentiæ habilem suæque jussioni parentibus quamcito præstabilem. Universa nempe suo juste obediunt Plasmatori, suoque imperio sacræ institutionis obsecundant C servatori, sanctæque legis pistico famulantur cultori. Nam fide munitis invicta facultas est promissa imperandi virtutibus cunctarum creaturarum, necnon et elementorum potestatibus a summo et universali conditore, qui dixit: Si habueritis fidem sicut granum sinapis, et dixeritis montibus ut recedant a suæ conditionis loco, et se mittant in mare; Amen dico vobis, obsecundabunt dictui vestro. Imperant etiam et dæmonibus milites Christi, merito quidem, ut qui ad restaurandum ejus formati sunt ordinem, qui sua protervitate et concupiscentia, cœlesti privatus est gloria; humilitatis ac caritatis fideique roborati potentia, ipsum antiquissimum hostem, a dignitate dejectum Angelica, quam loco ejus possessuri sunt, post transitoriæ vitæ tempora, proterant et conculcent imperio, suæque servitutis subdant officio.

inseritur visio dæmonum

oblata S. Antidio, ingresso pontem,

5 Memoratus itaque Pontifex, suos circumquaque dirigens palmites, ut vitis fructifera, dum prædicationis gratia prætitulatæ urbis præterire vellet mœnia, contigit ut Duvii fluminis pontis conscenderet culmina; ubi divino tectus velamine, fretus Angelico solamine, dæmones vidit adstantes, sui laboris accidentia recitantes. Nomen ergo Duvii omnes, cur ita nuncupatum sit, ne forte legentibus vel studiosis lectoribus, vel auditoribus fastidium D ingerat; breviter pandendum est. Dicitur namque Duvius mutata littera quasi Dubius, eo quod dubio flexuoso alveo discurrat, suaque furiositate ac velocitate super se navigantes dubios reddat. Hujus quippe fluminis vallo, ut ante fatum est, urbs prædicta cingitur, ejusque perenni situ roboratur; non illius tam firma profunditate vel undis, quam Protomartyris Stephani munita triumphis; Beatique Antidii, cujus honoratur ossibus, solata meritis. Vir denique venerabilis, ubi jam dicti pontis *b* introivit aditum, repente ex adverso apparuit ei agmen dæmonum, sua Magistro gesta confitentium: videbatur namque inter illos judicis modo sublimiori residens sede, ceteros ad se convocans, ac uniuscujusque certamina sciscitans. Caput ejus diademate cingebatur, manus Regio sceptro firmabatur, corpus purpura variis tincta coloribus tegebatur. In quem ut inperterritus Antidius defixit intuitum, subito visus est advenisse quidam Æthiopum nimiæ torvitatis, terribilis specie, misera consumptus macie, resolutis et torpentibus membris, uti fessus itinere, manu gestans sandalium, sui laboris et certaminis indicium. Cumque scrutaretur quid talia portenderent, fertur respondisse; Romanæ Ecclesiæ E Pontificis sandalium fore, in quem cum per septem annorum curricula plura vibrasset jacula, multa librasset certamina, ut suæ speciei monstrabat miseria, nec ulla posset impudicitiæ superari macula, diutina primum profitebatur peregisse tempora. Ad ultimum ceu victor devicti detrimento sese glorificans, asserebat supra memoratum Romanum Antistitem suæ suasioni cessisse, et in impudicum laqueum cecidisse, cujus rei indicio sandalio se solabatur. At B. Antidius, haud procul stans, quid rei exitus indicaret expectans, hæsitabat in animo de Patris et Magistri, universalis scilicet Papæ, præcipitio. Ipsa, qua visa sunt hæc, dies erat tertia ante feriam qua Dominica celebratur Cœna, sanctumque conficitur Chrisma. Præterita vero Dominica, Palmarum videlicet die, dæmon gloriabatur summum Pontificem deliquisse, et de recti ordinis tramite recessisse.

b

in qua eorum unus

jactat a se Papam ad fornicationem inductum:

quare Sanctus dimisso Clero

6 Venerandus igitur Antidius benedictæ Crucis signo munitus, tam de Magistri solicitus ignavia, quam de futuræ solennitatis curiosus præsentia, meditabatur in animo quid expleret obsequii. Astabant circa Præsulem Clerici confabulantes, variisque compassibus sese conquatientes, pædagogum attonitum conspicientes, nec tamen illi colloqui au- F dentes; quos ipse convocans, suæque benedictionis munimine confirmans, talibus illos fertur alloquiis admonuisse: Recedite, commilitones mei, pax vobis: de dierum advenientium statu vel ordine solicite curate: populum qui ad Ecclesiam convenerit pro posse roborate: oportet enim me, pro vestra multorumque salute, singulare certamen inire, dieque Sabbati ad vos redire. Istis dictis, fratribus inde remotis, dæmones sic alloquitur: Discedite maligni insidiatores, pontis aditum occupantes: neminem noceatis, nec quemquam urbem hanc inhabitantium recipiatis. Conversusque ad supra notatum Æthiopem dixit. Præcipio tibi, dæmon, in nomine Dei Patris omnipotentis, et Filii et Spiritus sancti; in quo vivimus, speramus et sumus, cui omnia famulantur elementa, qui te offensione tua segregavit, ut meo te corpori supponas; meque Romam, sub manu Domini Dei nostri, eadem velocitate qua venisti, salvum et incolumem perferas; nullam habens evadendi potestatem, quousque ad locum quem dixero tibi pervenias. Tu namque ceu quoddam leve navigium, per rapidissimas discurrens unda; Dominus autem noster Jesus Christus, qui

mandavit dæmoni ut se deferret Romam,

A qui numquam in se credentes deserit, rector erit et remiger. His finitis, vexillo se muniens *c* Crucis, non oblitus sandalii, dæmoni se superposuit, illum sæpe interans versum : Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina. Ferebatur itaque Dei famulus curru diabolico, divino urgente stimulo, levis ut pennifer, fortis ut armiger, Dominum semper invocans, et pro totius Romanæ urbis populo supplicans. Ergo nullo terrore concussus, nullo inexplicabili itinere impeditus, *quo perrectus* hora fere diei tertia, qua Cœna colitur Dominica, ante fores Lateranensis Ecclesiæ pervenit. Ibi quoque relicto dæmone, Dominicæ virtutis suique imperii constructo ligamine (quippe ut qui malorum incitator est omnium, nulla calliditatis suæ arte summi Sacerdotis irretiret animum, qua sui reatus occultaret vinculum) domum denique Domini intrarit, prostratusque in orationem gratias Deo omnipotenti reddidit, qui ferocissimum et indomitum hostem suæ servituti suppedavit.

7 Erigens autem se, ut multitudinem coeuntium ad tam solenne statutum conspexit, quidnam quærerent, vel ubi summus *d* Sacerdos moraretur, solicite requirebat. B Cui quidam Clericorum primus omnium intulit, ipsum quem expetebat Antistitem *convenerit Papam in procinctu ad Missam dicendam ;* in sanctuario esse, ut sacris indutus vestibus, inde procederet ad altare, Officia diei covenientia ministraturus. His auditis B. Antidius, jam recitantis sermone territus, ubi Pontifex induebatur cucurrit festinus. Extrahens ergo illum scorsim ab aliis, ne ab expertibus rei impediretur, neve consilium suum ab ipsis nudaretur ; ordinem patrati sceleris plane repræsentavit. Cumque ille tanti criminis sese reum disculparet, virque beatus illum sandalii indicio approbaret, *eoque ad pœnitentiam inducto,* nimio fere exanimis factus terrore, meditabatur quid respondendo foret idoneum. Desperatio namque ingens, adeo ut vix lacrymis abstineret, incesserat, inusitatique reatus illum confessio coarctabat. Tandem beati viri provolutus pedibus, proprii criminis pro posse solvit nodum, omnique nisu remissionis supplicat præsidium. At B. Antidius, *ipse officium Cœnæ Domini celebrarit* ita magistri ceu propriis compunctus lacrymis, manibus illum erigit, verbis solatur, quidquid agendum sit expedito indicat sermone. Rogatu igitur C ejusdem Papæ, confabulantibus ministris, vir Dei sacris ornatus indumentis, cunctisque ordinatim dispositis, quæ ad procedendum more Romano solita sunt instituit : atque a sanctuario procedens, cum laudibus et hymnis, prosequente Clero, ad sacrum deducitur altare. Spectabant undique Præsulem ignotum populus stupefactus, sese variis agitans solicitudinibus, quid rei præsentis signaret eventus. Cernebat enim inopinatum nec ante visum Vicarium, mysteria tanto diei congruentia dispensantem ; notum vero et quotidianum Pontificem, nullam sui corporis insanitatem patientem, vacantem. Vir denique venerandus cœpta peragens officia, balsamiticum *et Chrisma confecerit :* consecravit Chrisma, Oleique sanctificavit liquamina. Cunctisque Missæ completis mysteriis, in sanctuarium regressus, sacris exutus vestibus, Magistro omni diligentia remissionis et curationis suæ commisit certamina. Hærebant simul discipulus et magister, sese vicissim flectentes, lacrymarum affluentia madentes, propria alternatim confitentes delicta, deque suis invicem reatibus supplicantes.

8 Benedictionis ergo dono mutuatim dato, pacisque munimine firmato, Præsul Antidius, non Chrismatis Oleique immemor, (quippe ne sibi com- *deinde ab eodem dæmone revectus,* missis Christianæ institutionis deessent subsidia) rediit ad locum, in quo dæmonem statuerat. Regem quoque rerum omnium invocans, Crucisque signaculo se roborans, directis in cœlum luminibus, dixit : Deus in nomine tuo salvum me fac, et in D virtute tua libera me. His dictis se jam subdito sibi *Ex MSS.* hosti superposuit, virili imperans jussu, ut eum eadem velocitate reveheret ad urbis Chrysopolitanæ sedes, qua jam ante illum exportaverat, ad ipsius Lateranensis Ecclesiæ fores. Vectus itaque dæmonis obedientis possibilitate, veluti rapidissima cujusdam currus agilitate, Omnipotenti rectus auriga, proximioris Sabbati feria, hora diei sexta, Chrysopolim repatriat. *e* Morabatur adhuc in urbe præfata multitudo Clericorum, qui convenerant ad diem Cœnæ Domini, expectantes [Episcopi] adventum, quotidianis solicitudinibus macerati : qui dum Patris comperissent reditum, læti et præ gaudio vix abstinentes lacrymis, concurrentes undique salutabant. *f* Quidam autem ejus provoluti pedibus, redeundi licentiam flagitabant : quorum precibus vix acquiescens Beatus, semotis prius a conventu Ecclesiastico communionem domusque Dei ingressum reddidit : convocatisque dehinc Archilevitis, jussit Chrisma *g* Sacerdotibus distribui. Ad extremum vero cunctis ordinatim expletis, quæ in Dominicæ E Resurrectionis Vigilia sunt celebranda, sacræ Missæ *Missam in Vigilia Paschæ fecerit.* finivit Officia. O mira Dei Omnipotentis potentia ! o mira virtus salutis magnifica : cujus regimine cuncta subsistunt condita ; qui sibi famulantibus tanta confert subsidia, ut etiam invisibiles et indomiti hostes sua timeant imperia ! O virum laudibus meritisque politum, cujus bestia mansuescens oraculo (quæ quidem neccami regitur vinculo, nec concitari potest calcaris aculeo) obedienter ejus se submisit obsequio. Nulla illum dæmonis terruit species, nulla maceravit esuries, nec potus terruit inopia, per quinque dierum jejunia. Omissis ergo quæ de beati viri gestis præscripsimus, ad ipsius martyrii seriem revoluto margine redeamus.

ANNOTATA G. H.

a *Hi Senes saltem quingentis annis distabant a temporibus* S. Antidii *: et potuerunt quadam simplicitate credidisse, quæ ludo poetico videntur conficta.*

b *Huc spectare puta Chiffletius, quod, juxta Ritualia antiqua, in feria 4 Rogationum,* cum veniunt super pontem incipitur Responsorium, Miles Christi, a Canonicis S. Pauli. Tunc sunt parati duo Canonici S. Pauli, qui cantant versum in medio pontis : F et Prior debet habere Stolam, et dicere Orationem, et aquam benedictam jactare in Duvio. *Est autem illud Responsorium ejusmodi :* Miles Christi gloriose, Antidi sanctissime, tuo pio interventu culpas nostras ablue, ut cœlestis regni sedem valeamus scandere. *Nihil tamen inde confici video, pro adstruenda tali, qualem fabula indicat visione : neque Responsorium ipsum eo quidquam facit, nisi ut credamus coercendis dæmonibus, fluvio illi ad civium perniciem concitando intentis, et a Sancto forte conspectis ejusmodi ritum institutum fuisse.*

c *Addit Chiffletius pag.* 85 *inde hoc carmen Sotadicum prodiisse.*

Signa te signa, temere me tangis et angis
Roma tibi subito motibus ibit amor.

d *Idem Chiffletius pag.* 95 *suspicatur* ex temporum rationibus fuisse S. Innocentium Papam, S. Antidii commonitione permotum vel maxime, ut eam in posterum vitam ageret, ob quam inter sanctos Confessores ad quintum Kalendas Augusti merito censeretur. *Sed absit talis blasphemia, absque ulla antiquorum notitia, in sanctissimum Pontificem jactata.*

e *Baronius ad* 25 *Junii annotat* apocrypha esse et a veritate aliena ; quæ, cum magiam potius quam pietatem redoleant, rejicienda sunt.

f

EX MSS.

A f *Chiffletius pag.* 87; Ex quodam, *inquit*, auctore *addit hos* in admirationem conversos, ob Chlamydem totam nive et gelu conspersam. *Præterea* Papam misisse Chrysopolim, ad sciendum utrum Archiepiscopus extra civitatem fuisset, et quando : *aliaque quæ ibidem legi possunt, ad fabulam fulciendam excogitata.*

g In tanti miraculi memoriam, *inquit Chiffletius*, intra altare ecclesiæ castri Ruffeii, nunc in pagum redacti, hodieque recondita creditur phiala, plena eo ipso Chrismate, quod Romæ consecravit S. Antidius. *Quidsi ipsum non attulit, sed Roma accepit a Pontifice consecratum? numquid ea satis justa causa esse potuit, ipsum studiosius asservandi, in memoriam honoris, Sancto habiti a Christi Vicario?*

CAPUT III.

Croci Regis irruptio in Gallias, Antidii martyrium, translatio corporis.

Honorio igitur Magni Theodosii filio, cum prole fratris Arcadii minore Theodosio, *a* summam imperii moderante jure Regio, tot tantisque perturbationibus percussa undique est Gallia, populi primum peccantis insolentia, barbara dehinc prævalente valentia, Dei insuper permittente potentia; ut quæ paulo ante gloriabatur multarum gentium cæde suaque victoria, immenso ac terribili barbarico impetu repente conculcata, omnibus viribus amissis, triumphi gloriam hostis crudelitate superatam, lugubri clamore plangeret, ingentique permixto mœrore recogitaret, animoque misere commendaret. Crocus enim Rex Wandalorum, nequissimæ mentis impio fretus consilio, cum Suevis et Alemannis de finibus suis egressus, Galliam appetens, omnia ferro, rapinis et igne, in quibus sua prævaluit ferocitas, vastavit et ad perniciem usque delevit. Mater namque illius, filium ad perversa incitans, Si cupis, inquit, fili, novæ rei effector videri, tibique nomen omnium maximum acquirere; Christianæ legis esto destructor, cunctarumque Ecclesiarum eversor. Nil quoque utilius peragere vales, quo nomen eleves, quam si præcessorum suorum instituta annihiles, ædificia subvertas et conculces. Quibus incitamentis tyrannus, nimio furore succensus; Rhenum apud *b* Moguntiam transiens, eamdem urbem primum cum populo vastavit, dehinc Austrasiorum civitates vallans, *c* Metis pervenit : cujus murus ruens nutu divino, Wandalorum adjuvit ingressum. Universas post hæc Galliarum urbes pervagans, alias subcidione delevit, alias igne cremavit, plures autem non solum pecuniis, sed etiam populo privavit. Christianæ quoque legis fautores pravis et inauditis persecutionibus quatiens, quosdam etiam variis pertraxit pœnis, quosdam vero citato secuit ictu bipennis : inter quos *d* B. Nicasium Remensem Episcopum virum vita moribusque gloriosum, post multorum cruciatuum varietates, moderati nusquam memor animi, stemmate decoravit martyrii. Nullus in barbaris vesaniæ modus, nullus indulgentiæ locus, sed semper ad cædendum continuus [furor]. Instabant cruenti lectores, insatiabiles, non solum devictarum gentium spoliis, sed de patronorum suppliciis. *e* Burgundionum ergo invadentes confinia, sua nimis invalescente ferocia, omnium fere Ecclesiarum straverunt ædificia; Christianos quoque sua spernentes imperia, pœna ditarunt ultima. Insaniebant in eos sæviore insania, quos majore cernebant vigere constantia; invictasque turres nitentes subvertere, hostiliori dimicabant certamine. Unde factum est ut *f* B. Desiderium, Legonensem Antistitem, virentem atque fructiferum vitis Dominicæ palmitem, quia brutis ipsorum præstigiis, numinibus scilicet noluit libare vanissimis, mucronis ictu cervicis nudarent intima. Memorabilem nec non et *g* Valerium, ejusdem Doctoris eximii dispositum, quem ad Archilevitæ delegaverat officium (eo quod a prophanis omnino ritibus distulit animum) multimodis cruciatibus distortum, cœlestis militiæ tironibus reddidere consocium.

a Temporibus Honorii et Theodosii junioris,

B

Crocus Wandalorum Rex.

b devastat Moguntiam,

C

c Metas, et alias urbes :

d occidit S. Nicasium Episc. Remensem,

e

f

D *Desiderium Lingonensem, g et Valerium Archidiaconum.*

10 Chrysopolitanos autem in fines ut perventum est, non minori exarsere ferocia; sed parvi pendentes cœpta, primis certabant disæquare ultima. Gloriosus itaque Antidius, cæde comperta, variis in diversa cogitationibus revolvens animum, plebis sibi commissæ curiose quærebat præsidium : sed solicitationis summa vertebatur ad Dominum. Meditabatur primum, sese cum Clero, intra mœnia urbis invictæ, tutum hostibus posse resistere, si dimicando mallet se ulcisci barbarico sanguine, quam tormenta pati pro Christi nomine. Recogitabat dehinc; non quietis, sed pereclitantibus opus fore remige; non securis, sed trepidantibus consolatoris levamine Denique se prælio magis quam fugæ præparans, agmen urbanum divini Verbi prædicatione corroborat; seque Eucharistiæ sacræ munimine firmans, benedictione fusa, foras ad opem ferendam progreditur. Festinat ergo curiosus Pastor jam unius ovilis oves simul locare, affines pecorum greges imminentium impetu luporum territos eruere, prostratos allevare, dispersosque contrahere. Est autem oppidum ab urbe decem milliaribus distans, quod *h* Rufiacus dicitur; in quod, quia non solum muro, sed etiam flumine ad montis radicem stagnante muniebatur, Provincialium plures, desertis vicis, agitante metu confugerant. Ad præparandos itaque fidelium animos, quo majorem sibi plebis commissæ partem confugisse comperit; et indubius scilicet, quin hostium illic primum illasura foret atrocitas; vir venerabilis, ut miles intrepidus, occurrit. Nondum in Patris et Magistri adventu exultantium oppidanorum finierat sonitus, cum incurrentium undique audiebatur fremitus. At beatus Antistes, jam sui cernens tempus adesse martyrii, se pro suis hostiam Deo libare cupiens, filios incitabat dicens : Nemo vestrum, fratres, a veritatis tramite devians mortis metu ab honore se gloriosi triumphi segreget : levis enim cruciatus qui volucri cum tempore transiens, perennem reddit pro mercede quietem. Multum quoque pretiosius reor fore negotium, quam si doloris citati merce, salutis æternæ emitur remedium, et exultationis perenne gaudium. Estote ergo mei imitatores, quem vobis delegistis Primicerium; quemque favente Deo necis egregiæ videbitis esse principium. Comitentur ergo mecum ad victimam qui suam Christo sociare nituntur animam.

S. Antidius ob salutem subditorum,

E

h Rufiacum migrat;

excitat suos ad Martyrium,

F

11 His et similibus Christicolas instruens hortatibus, barbaris obviam exiit, supplicans et suadens, ut non sibi, sed plebi ignoscerent, suæque crudelitatis modum vel in præsentibus traderent. Ad hæc quidam Wandalorum, succensus vesania, cruentas in Christi famulum manus jam mentis inops audacter intulit; ictibusque crebris eum diverberans, cujus professionis virum se testaretur minaci voce requirit. Cui vir venerandus, jam summi desiderii munus impetratum comperiens lætus respondit : Christianæ religionis me fautorem profiteor; Christique Crucis me signum gestare glorior; quem verum et omnipotentem Deum fateor, cujus ad arbitrium cœli volvitur sphæra, terræ subsistit machina, maris reguntur spatia, cunctaque moderantur condita. Incensus his vesanus barbarus, manus Sancti cervici implicat, faciem alapis pulsat, vinctumque manu utraque vesano Judici præsentare festinat. Judex igitur

occurrit hosti.

Interrogatus fidem Christi profitetur,

A igitur impius, ut in Christi famulum direxit intuitum, corporis statum vultusque speciem considerans, cujus honoris culmine sublimaretur, fateri jussit. *Judici objectus* Cui beatus Antistes, hilari voce respondens, dixit: Christiani vocabulum, si juxta Christi vixero mandata, mei culmen honoris est. Nullum enim subliniorem honoris gradum fore existimo, quam omnipotenti Deo famulantem pro ipsius famulatus præmio gaudia in cœlis sempiterna consequi. *Pontifex esse a perfido indicatur:* Tunc quidam indigenarum capti, et ante Præsidem ducti, aliquid sibi remedii in morte Pontificis præstari sperantes, sceleris miseri participes effecti sunt; accusantesque, ut fertur, dicebant: Caput hic est Christianorum: populus hunc omnis sequitur, novæque legis instructor; baptizat, populi possidet Pontificium.

12 Motus ad hæc Tyrannus immitis, jussit inde rapi Pontificem, ut cuncta spoliatus amictibus, cruciaretur ictibus, si sacris nollet libare numinibus. *flagellis dire laceratus,* At cruentus carnifex, jussa magistri citius complens; viri Dei os atque oculos ceterasque corporis compagines fustibus flagellisque tundens, omnia crudelitatis instrumenta, nisi Christum suis litans aris negaret, minabatur. B Beatus autem Antidius inter tormenta positus (quamquam hinc verba, illinc gladius, non solum ad pœnam sed etiam ad mortem ingerebantur) postquam corpus intumescens vulneribus, incussos flagellorum ictus nudis vix ferre posset ossibus; luminibus sursum directis, constanti voce dicebat: *preces fundit,* O Deus omnipotens genitor, o Christe cum Patre Deus orbis conditor, Pneuma sacrum, Dei hominumque mediator! qui simplex es in essentia, quem juste trinum fatentur personarum vocabula: visita quæso mei corporis ergastula, ut mundialibus a vinculis erutus tibi dicatus spiritus, sanguine sui immolatus hospitii, cœlorum societur civibus. Rege Domine populum mihi commissum, ne quis illorum impatiens pœnæ formidet fastigium. Tortoris ergo respiciens ora dicebat, Perage miser cœpta; Dominus enim mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo. *capite plectitur,* Id indigne ferens mortifer, sanguine pastus, gladium a latere revocans, beati Viri caput singulari excussit ictu. Strata soli pulveraria petunt exanimes artus, celsa poli penetrat ovans spiritus culmina, caterva stipante cum tripudio Angelica. Adfuerunt noctis in ejusdem obscuro properantes ab abditis viri Christicolæ: qui furtim collecta beati Martyris membra, extra castri prætitulati mœnia, tumulo dederunt. *et sepelitur.* Lugebat hunc multitudo christicola, quam invictam urgebat manus C barbarica, de nece magis Antistitis, quam de suo cruciatu territa; et mœsta Chrysopolis, virum obiisse fructiferum, quem Pastorem habuerat egregium, Doctoremque præcipuum.

13 Quis deinde exitus agonem furiosum sit assecutus, quæve pœna cruentis carnificibus ad vindicandas fidelium injurias tradita sit, intimare non piget. *Rex Crocus frustra obsidet Vesontionem:* Direpto igitur prætitulato castro, incolis omnibus captivatis, mortis suæ vinculis astrictis; Crocus cum omni subsequente exercitu, ad expugnandam Chrysopolim, cœpto furore festinabat. Cujus impetum Chrysopolitani, loci situ fisi, audaci respuentes conamine, et militari serpentes certamine, furoris ejus iram verterunt in rabiem. Urbem denique diutina vallans obsidione, cum nulla posset invicta mœnia civesque animosos calliditatis arte superare; oppidum super unum montium, haud longe superfluentis amnis a margine situm, ad prohibendum ingressum vel secessum civium (qui nunc usque Wandalorum mons ab incolis nuncupatur) condidit. Quod etiam urbani parvipendentes, B. Antidii magis interventionibus protecti, quam sua valitudine defensi, persequentium evasere perfidiam: quæ res barbaricæ crudelitati ingens fuit incendium. D Ad ulciscendas itaque Christianorum contumelias tanta barbaros invasit rabies, *i* ut atrocitatem, quam in Christianos exercuerant, nutu divino in seipsos verterent, seque invicem morti traderent. *Ex MSS.* *i ab Arelatensi Præside captus occiditur:* Crocus itaque cum Suevis et Alemannis Galliam Lugdunensem pervagans, cum Arelatum pervenisset, *k* jam majori destitutus exercitu, captus a Mario Præside, catenis nexus, per plures quas vastaverat urbes ad improperium reductus, victisque victor ad vindicandas injurias repræsentatus; post multorum cruciatuum tormenta, impiam vitam misero finivit obitu. Barbari autem qui cædi superfuerant, amico Judice, quo quemque metus compellebat, diffugientes: nec minima quidem ex eis pars restitit qui captionis mortisve pœnam liber posset evadere.

14 Mortis etiam B. Antidii fautores finitimos, quia scilicet (Domini et Magistri consensere in contumeliam) ita divina protraxit ultio, ut luridi facti et imbecilles, cunctisque corporis pæne viribus et suppellectilis supplemento destituti; *participes cædis etiam in posteris puniuntur.* calamitatem quam in seipsos perpessi sunt, ad facinoris perpetrati memoriam et beati Antistitis gloriam, posteris successoribusque suis, suo videlicet ex germine prodeundis reliquerunt. E Videntur enim ex eorum editi stirpe, usque ad tricesimum annum vigere corpore, opibusque crescere, post tricesimum vero viribus et facultatibus destitui, sicque vitam inhonesto funere finire. Quod quia sceleris in Dei famulum commissi causa, protestantibus eisdem, contingere comperi, in hujus testamenti serie digerere curavi.

15 Vas igitur electum, ne traditum oblivioni vilesceret, neve inani frueretur solatio, a patre-familias detegitur, et magnæ utilitatis honorisque præmio, familiæ fruentium traditur. *Corpus miraculis clarum,* Plebe namque fidelium paulatim revirescente, tantis Dominus Antidium sublimavit honoribus; ut quocumque languore detenti, impetrandi remedii gratia tumulum ejus adirent, quocumque morbo gravati angerentur, sanitati redditi, læti domum repetant. Unde cultu et reverentia non minima habitus, basilica ibidem ædificata, aliquamdiu ibi conditus requievit. Chrysopolitani vero *l* posthæc non ferentes tanti muneris decus, haud longe ab urbe non urbano venerari cultu, sui suasione Præsulis animati, properantibus undique multis Christianorum agminibus, beati viri corpus inde remotum, Pontifice cum Clero præeunte, *l fertur intra urbem ad monasterium S. Pauli.* cum magno tripudiorum strepitu, undique laudibus hymnisque consonantibus, in suam transtulerunt Chrysopolim, in monasterio scilicet B. Pauli Apostoli, ubi etiam alia Sanctorum corpora requiescunt. F Ibi ergo juxta basim altaris, gloriosissimi Antistitis Reliquiæ, omni cultu et reverentia conditæ, multis, opitulante Deo, pollent miraculis, qui vivit, gloriatur, et regnat, in Trinitate perfecta Deus, per infinita secula. Amen.

ANNOTATA G. H.

a *Imperarunt simul* Honorius et Theodosius Junior, *ab anno* 408 *ad* 423, *hic in Oriente et iste in Occidente. Resumitur hinc relatio in MS. Breviario Bisuntino: sed pauca continet.*

b *Serarius lib.* 1 *Rerum Moguntiacarum ex MS. Coloniensi ait, Moguntiam anno* 400 *vastatam a Rege Wandalorum Caroco, apud Marcellinum lib.* 3 Crocho *dicto; Chiffletius* Croscum, *alii communius* Crocum *dicunt: sed plerique volunt omnia infra notata esse referenda ad* Crocum Allemannorum Regem, *quem tempore Valeriani et Gallieni Imperatorum* commoto exercitu Gallias pervagatum *scribit Gregorius Turonensis lib.* 1 *cap.* 3; *ubi et hunc* per consilium matris iniquæ *concitatum asserit.*

EX MSS.

A c *Civitas Metensis varias clades passa est ab Hunnis et Wandalis, easque non satis inter se distinctas, uti alibi sæpius dicendi occasio erit.*

d *Colitur* S. Nicasius 14 *Decembris, quem Baronius sub Wandalis passum anno* 407 *asserit num.* 42, *aliqui sub Hunnis arbitrantur.*

e *Provinciæ tempore scriptoris Burgundionibus attributæ.*

f *Acta* S. Desiderii *illustravimus ad diem* 13 *Maji, diximusque circa annum* 264 *a Croco Alemannorum Rege antiquiore occisum : nec enim quidquam vetat ejusdem gentis plures Reges synonymos fuisse.*

g *Colitur* S. Valerius 22 *Octobris, videturque sub priore Croco seculo* 3 *occisus.*

h *Ruffiacus Chiffletio* Ruffacus *et* Castrum Ruffeium, *cujus asserit pag.* 91 adhuc superesse turrim *ab* indigenis S. Antidii turrim vocatam.

i *Hæc pag.* 88 *post occisum Antidium ita contigisse scribit idem Chiffletius :* Illud vero mirandum accidit, ut præcisum a reliquo corpore Martyris caput, laudem Deo diceret; et absque pectore, absque pulmone ac faucibus, uno Omnipotentis nutu vocem lingua formaret. Quo prodigio attoniti Wandali, ac B furore amentes, quos antea in pium gregem, in suorum deinde capita strinxere gladios, ea rabie, ut intra perbreve tempus, ad mediam circiter partem mutua internecione deleti sint. *Societas nostra ad* 16 *Novembris privatim recolit mortem Venerabilis P. Rochi Gonzales an.* 1628 *in Urvaia Paraquariæ portione a barbaris fidei causa crudelissime interempti; cujus caput cum barbari clavis comminuissent, cor ex ipso cadavere gravi et articulata oratione in hunc modum carnifices perstrinxit : Occidistis me vestri amantem, occidistis corpus meum, et ossa mea confregistis, non spiritum, qui jam inter Beatos regnat : ob id magnæ vos manent calamitates etc. Hæc aliaque unanimes postea asseruere captivi ex parricidis plures, uti plenius lib.* 8 *cap.* 25 *narrat noster Nicolaus de Tecto in sua Provinciæ Paraquaricæ historia. Utinam æque tuto credi possent, quæ nullo allegato teste scribit præcitatus Chiffletius.*

k *Hæc de antiquo Croco Gregorius Turonensis dicto lib.* 1 *cap.* 34 *id ita sub Valeriano et Gallieno contigisse scribit :* Chrocus vero apud Arelatensem Galliarum urbem comprehensus, diversis affectus suppliciis, gladio verberatus interiit; non immerito pœnas, quas Sanctis Dei intulerat, luens. *Videat* C *lector cui potius credendum, num Gregorio Turonensi, an huic fabulatori, qui posterioris temporis Croco eadem hic aptat.*

l *Seculo Christi undecimo, sub Hugone primo Archiepiscopo, uti supra probatum.*

APPENDIX D. P.

De cultu ejus Ulissippone in Lusitania.

Ex Hagiologio Georgii Cardosi.

Festum 17 Junii ut die Natali ab anno 1147

Quod *hunc* XXV Junii, *natalem* S. Antidii *putaverit Henschenius, potius quam* XVII, *vereor ne ex sola erga Romanum Martyrologium reverentia fecerit; dubitaturus fortasse, si Lusitanæ linguæ sufficientem habuisset notitiam, ad expendenda accuratius ea, quæ de extraneis Sanctis subinde Cardosus habet, non semper contemnenda, neque ex pseudo-Dextero et succenturiatis ei figmentis hausta. Tale est quod ad* XXV *Junii, initium colendi Sancti in Lusitania referat Cardosus ad annum* MCXLVII ; *quo si etiam assumptus est dies* XVII, *non potest is esse assumptus primum anno* MCCCCLX, *uti in Comm. prævio num.* 1 *et* 3 *visum Henschenio est. Verba Cardosi e Lusitanico Latine reddita, hæc sunt.* D

2 Ulisippone in sumptuoso Conventu S. Vincentii extra muros, festum S. Antidii *(vulgo San Tude)* Episcopi et Martyris, cui Wandali, in odium fidei Christianæ, acerbam mortem intulere, imperante Honorio. Miraculosam hujus Sancti imaginem, quæ ibi asservatur, attulerunt exteri, qui convenerunt ad gloriosam expeditionem anni MCXLVII, quo recepta de Saracenis urbs est; sperantes per illius intercessionem victoriam de barbaris. Quapropter magnanimus et sanctus Rex, D. Alfonsus Henrici, tantum erga ipsum concepit affectum, ut ei juxta dictum Conventum capellam erexerit cum cœmeterio, inde S. Antidii dicto : ubi sepulti sunt illustres milites et generosi pugiles, qui Saracenorum telis aut gladiis istic occubuere, qui vulgo ut veri Martyres coluntur. Certum est quod mediante imagine ista, usque hodie multa ac manifesta miracula operetur Deus, præcipue circa febricitantes et tussi vexatos; cum jam inde a principio multi sanitatem recuperassent, haustu crystallinæ istius aquæ, quæ in præfato cœmeterio emanat.

propter imaginem Sancti miraculosam

E *in capella sui nominis,*

3 Conventus *ille, ut idem Cardosus inter Annotata ait, lit.* b. Canonicorum Regularium *est : ibique* asservata a plus quam seculis quinque imago, eamdem adhuc retinet vivacitatem colorum, cum qua fuit advecta ex Gallia, sex palmos alta, et Sanctum exhibens in habitu Episcopali cum mitra et pedo. Ejusdem vestes Sacerdotales, *(quas vel quarum partes oportet pariter a Burgundionibus allatas fuisse)* per domos infirmantium circumlatæ innumera operantur miracula. Sub choro, qui situs est post capellam majorem, est quædam species catacumbæ, post totius operis absolutionem magis exornanda, ubi servantur ossa cæsorum in recuperatione civitatis, quos identidem appellat Martyres brevis Chronica ipsius Conventus, impressa ex mandato Joannis III, *adeoque ante annum* MDLVII. Jacebant isti in Ossario quodam veteris ecclesiæ, intra capellam S. Antidii; et hoc videtur cœmeterium esse, de quo loquuntur Chronica nostra : in cujus fundamenta primum lapidem jecit D. Joannes Peculiaris, Archiepiscopus; per hanc religiosam ceremoniam advenas obligans, ad dimittendam istic miraculosam imaginem ipsius, cui festum ex usu Gallicano fit XVII Junii, quando martyrium subiit ad annum CCCCXXV, ut videre est in Vita MS. quæ ad finem Chronicæ habetur fol. 33 et 34, et unde in die festo sub ritu duplici sumuntur Lectiones ad Matutinum.

cum Reliquiis vestium,

et cœmeterio militum in pugna cæsorum F

4 *In veteri ibidem Missali sic notatur,* Sexto Idus Novembris festum Martyrum Henrici et sociorum, quorum Reliquiæ sunt in monasterio S. Vincentii Ulixbonensis. *Tunc ergo ex ipsis Chronicis dabitur plenior descriptio istius ecclesiæ, et cultus istis ut Sanctis ibi olim exhibiti : nunc ea hic attigisse est satis.*

qui coluntur 8 Novembris.

DE

DE S. MAXIMO

EPISCOPO TAURINENSI IN PEDEMONTIO

COMMENTARIUS PRÆVIUS

D. P.

De ejus ætate et cultu, atque Legenda post seculum XI collecta.

POST AN. CCCLXV.

Scriptis clarus,

G*ennadius, Presbyter Massiliensis, qui sub finem seculi V collegit librum de scriptoribus Ecclesiasticis, ut est a Miræo editus, cap.* 40 *prætitulatum Sanctum Antistitem, sibi propemodum coævum, laudat his verbis :* Maximus, Taurinensis Ecclesiæ Episcopus, vir in divinis Scripturis satis intentus, et ad docendum ex tempore plebem sufficiens ; composuit in laudem Apostolorum tractatus, et in Joannis Baptistæ nativitatem, et generalem omnium Martyrum homiliam. Sed et de Capitibus Evangeliorum et Actuum Apostolorum multa B sapienter exposuit. *Enumeratis deinde aliis pluribus ejusdem lucubrationibus, elogium viri ita concludit idem Gennadius :* Floruit Honorio et Theodosio Juniore regnantibus. *Regnarunt autem, Honorius quidem, usque ad annum* CCCCXXIII; *Theodosius vero, ejus ex Fratre Arcadio nepos, jam inde ab anno* CCCCII *dictis Augustus, usque ad annum* CCCCL. *Post hunc annum idem* Maximus, Episcopus Ecclesiæ Taurinatis, in omnia *scripta ab Eusebio Episcopo Mediolanensi ad Leonem Papam, quoad hujus fidem in Orientem directam,* consensit et subscripsit; anathema dicens his, qui de Incarnationis Dominicæ Sacramento impia senserunt, *Nestorio et Eutycheti. Ea Eusebii, sic a* Maximo *subscripta Epistola, extat post* 52 *Epistolam Leonis, anno* CCCCLII *adscripta a Collectoribus. Imo Hilarius Papa anno* CCCCLXV *Synodum Romæ celebravit, primo post ipsum loco, tamquam omnium Episcoporum seniori,* residente Maximo, Taurinæ civitatis Provinciæ Galliarum. *Certum est igitur errasse Gennadii transcriptores, utcumque antiquos, in quibus,* obiit, *vel* moritur *irrepsit pro* floruit : *unde contigit Petrum in Catalogo lib.* 2 *cap.* 9, *citato Gennadio, scribere ;* Quievit autem Honorio et Theodosio juniore imperantibus.

floruit, non obiit, sub Theodosio Jun.

adhuc superstes an. 465.

C 2 *Vitam nemo antiquorum scripsit, sed primum seculo* XIII *vel serius Novaliciensis aliquis, in extremo Pedemontio versus Sabaudiam Monachus,* Legendam *composuit ad usum* ecclesiæ S. Maximi de Collegno, extractam de diversis locis, *uti legitur ad calcem ecgraphi, ad Bollandum nostrum missi anno* MDCLIV *a R. P. Joanne Jacobo Turinetto, tunc Collegii nostri Taurinensis Rectore. Fuit autem prædicta ab ejus nomine appellata ecclesia ipso eodem loco, ubi steterat* parvula basilica, in B. Joannis Baptistæ honore constructa, quinque fere milliaribus Taurini ab urbe remota, *quam* sæpius frequentabat *turbarum fugitans Sanctus: et* in qua, uti elegerat, a Clero et populo fuit sepultus; *quæ etiam uti dicitur num.* 8, fuit postmodum a devoto populo mirifice dotata et ampliata, et in ejusdem Sancti viri vocabulo notabiliter insignita. *Hanc ego crediderim successu temporis in potestatem Novalitiensium Monachorum devenisse, ab eisque administratam fuisse ; quæ causa eorum uni extiterit Legendam compilandi.*

Vita ex MS. propriæ ecclesiæ

in qua olim sepultus,

3 *Quærenti quæ nunc sit ecclesiæ istius conditio, respondit anno* 1691 *R. P. Carolus Franciscus Genta, Taurinensis nostri Collegii Rector,* Collegiense oppidum vulgo Collegno, superioribus seculis longe majori quam in præsentiarum sit ambitu porrectum, et in tres parœcias divisum fuisse : quarum ista S. Maximi una et quidem primaria fuerit ; sed nunc ab oppido, magis restricto et intra unius parochiæ limites contracto distet longius, disjectis circumundique habitationibus, campestre sacellum, quo tamen annis singulis Collegienses oppidani conveniunt in festo ipsius Sancti, tamquam primarii Patroni, Missam istic solennem celebraturi. Sed neque ibi neque in Parochiali nova ac satis eleganti ecclesia, sancti quoque Maximi dicta, hujus Corpus vel Reliquias inveniri, *scribit ille,* aut omnino sciri quo devenerint, inter bellicos tumultus frequentes E et hæreticorum populationes. Illustrissimum Julium Cæsarem Bergeram, ab annis circiter quinquaginta factum Archiepiscopum, multum laboris frustra posuisse in scrutanda circa ipsum sacellum terra, quod popularis rumor nocturna istic visa lumina et Angelicos cantus auditos celebraret. Jam vero, *inquit Genta ;* plerique opinantur, et a majoribus traditum affirmant, intra turrim, quæ oppidi castro imminet, tantopere desideratum thesaurum latere : itaque oppidi et castri Dominus, Comes Provana, pollicetur, se, ubi præsentia bella resederint, curaturum ut subruta turri eruantur inde sacra lipsana, siquidem ibi latent, et venerationi publicæ exponantur. Interim festum ibi de præcepto observatur : Taurini vero ubi ejusdem Sancti sacellum in Metropolitana est, atque per diœcesim reliquum Officium fit ritu Duplicis cum Octava. *Hæc ille.*

nunc ea fere desolata ab oppido multum restricto abest longius

ubi frustra requisitum corpus

creditur sub turri quadam latere.

4 *Allegat Auctor Vitæ num.* 6 *et* 10 Petrum Damiani in Legenda, quam de B. Maximo luculento sermone compilavit : *in cujus operibus licet talis nullus sermo reperiatur; non est tamen dissimile vero, ipsum, qui sæpius Taurino transiit, aliquando etiam de isto Sancto habuisse sermonem, qui modo non inveniatur : nec si inveniretur, auctoritatis foret maximæ. Obiit enim S. Petrus Damiani anno* MLXXII, *quando jam poterant de Sancto, cujus nulla scripta antiquitus* F *Vita extabat, narrationes quædam parum solidæ circumferri. Tale imprimis esse puto, quod dicatur* S. Maximus S. Leonis *Papæ I* germanus frater extitisse ; *adeoque (uti assumit Auctor hic noster)* ex Patre Quintiano Tuscorum sanguine procreatus. *Hoc si credidit S. Petrus Damiani, ex suorum temporum usu credidit : quibus jam familiarissimum erat ab Imperatoribus designari, et a Pontificibus Romanis vel recipi vel tolerari Episcopos aliunde adscitos. Non ita agebatur ætate* S. Leonis, *quando vix aliter ordinabantur Episcopi, quam ex Cleri electione libera, et quidem plerumque ex proprio corpore.*

Dicitur Legendam scripsisse S. Petrus Damiani,

in eaque eum facere fratrem S. Leonis I.

5 *Addidit auctor etiam tertium fratrem,* S. Justum *Novaliciensem, Monachum et Martyrem, Patronum Secusiensis oppidi, ubi corpus asservatur, inventum circa annum* MXXIX, *quo sub ejus nomine erecta ibi Abbatia fuit. Verum hunc ego, donec res accuratius definiatur* XVIII *Octobris, non dixerim occisum a Wandalis, quos seculo* V *utramque Galliam, Belgicam et Celticam, depopulatos scio : ad Alpes autem penetrasse non credo ; sed a Saracenis occisum conjectarim ; iis scilicet qui, occupato sub finem seculi* IX *Fraxineto, Provinciam Sabaudiamque et Pedemontium excursionibus*

An etiam frater S. Justus?

A *nibus prædatoriis fatigaverunt, annis fere centum, usque ad annum circiter* DCCCCLXXIII, *quo eos inde a S. Bobone expulsos ostendit Henschenius ad* XXII *Maji. Isto autem seculo fuerunt Romæ Pontifices* Leones *quatuor,* V, VI, VII, VIII, *Romani omnes, quorum tamen nullius fratrem* Justum *dixerim; sed potius Leonis VI, etiam Romani et Sancti, qui ab anno* DCCCXLVI *ad* LV *Ecclesiam rexit, et cujus frater facile potuit ad tempus occupati a Saracenis Fraxineti et vastati Novalitii superfuisse. Epitaphium certe quo auctor Vitæ nixus, Leonis I fratrem Justum fecit, ipsomet fatente absque numero Leonem nominat.*

AUCTORE D. P. an hic potius ad sec. 10 referendus?

et frater Leonis IV?

6 *Verum tres istos Sanctos in unam germanitatem compingi tolerabilius fuerit, quam huic* S. Maximi *Legendæ inscribi fabulas, quas nefas duxerim S. Petro Damiani adscribere. Primam, de manu, quam ipse sibi S. Leo amputaverit ex mulieris venerabundæ contactu motum aliquem carnis expertus; deinde receperit a Deipara Virgine; quam fabulam jam indicavimus rejecimusque* XI *Aprilis: altera longe fœdior hic inseritur, de fornicatione meditata, quam impedierit frater Maximus, in conclave Pontificis deportatus ab eodemmet dæmone, quem viderat de conciliato flagitio sese* B *jactantem. Undecumque id descripserit auctor, ipsum confirmans ex simili casu relato in Vitis Patrum, et legendo etiam apud Cassianum Collat. 8 cap. 16, nullam prorsus meretur fidem. Placet igitur transilire numeros 3, 4, et 5; et solum verosimiliora prosequi, maxime cum similis omnino fabula jam exhibita fuerit et rejecta in Vita S. Antidii. Miracula pleraque apparet verbatim accepta esse, ex prælaudata sub nomine S. Petri Damiani Legenda: alia tamen aliunde etiam assumpta, probat micaculum, tempore* Gumberti Episcopi *factum, et relatum num.* 11 : *hic enim floruit anno* MXCVIII, *annis pluribus quam* XXIV *post mortem S. Petri. Unicum ergo ex omittendis constare nobis dicimus, quod nempe Novaliciensis aliquis Monachus Vitam collegerit, quia putavit sic se reddere causam, quam habuerit Justus,* adeundi Novaliciense cœnobium.

Fabulæ quædam de S. Leone hinc rescissæ.

Aliunde addita quædam a Collectore, velut acta circa finem sec. 11,

7 *Porro diem quo obierit* S. Maximus *Legenda non explicat; libenter tamen recipimus cum Romano Martyrologio diem præsentem, uti Taurini celebrem eo titulo. Verba hæc sunt:* Taurini Natalis S. Maximi, Episcopi et Confessoris, doctrina et sanctitate celeberrimi : *præcesserant autem, in eodem* Maximo *cum titulo* sancti Episcopi et Confessoris *referendo, Bellinus de Padua, et Grevenus in suis ad Usuardum additionibus. MS. Florarium; nescio unde, ad* XIX C *Kal. Januarii;* Item, *inquit* B. Maximi, Taurinensis Episcopi et Confessoris, qui in Homiliis componendis et in ecclesia declamandis studuit eleganter. Claruit anno salutis CCCCXV, *ubi* LXV *scribere verosimiliter collector voluit. Oldoinus noster, in suo Athenæo Ligustico, laudat* Franciscum Fulvium Frugone Ordinis Minimorum, quo eloquentiorem multorum judicio nostra ætas neminem vidit, *quod* soluta oratione Italica *præter alia vulgarit anno* MDCLXVI Vitam S. Maximi Episcopi ; *ex qua non illibenter huc transferam, siquid ad posterioris temporis cultum spectans accipi inde possit. De hoc tamen vehementer dubito: nam qui librum nobis Genuæ emit, per occasionem transmittendum, præmonet stylo alio procedere quam historiam deceat, et potius Romanciam sacram videri.*

dies ex Martyrologio Rom.

alias 14 Decembris

8 *De scriptis ejus vide Bellarminum, Labbeum, et similes Ecclesiasticorum Scriptorum elucidatores, quibus curæ est discernere genuina a supposititiis. Docebunt illi, multa quæ* Maximi *hujus sunt, SS. Augustini et Ambrosii operibus permixta circumferri, quæ suo Auctori reddita, et cum aliis pridem agnitis apte coordinata, promittunt Patres Benedictini Congregationis S. Maurii. Prælusit illis diligentissimus Mabilio, Partem* 2 *Tom.* 1 *Musæi Italici exorsus a duodecim ipsius Maximi Homiliis, necdum editis, cum erudita ad* D *easdem præfatione, ad quam placet Lectorem remittere. Inter inedita hactenus fortassis invenietur aliquid, quo confirmetur magna quædam inter Sanctos* Maximum *Taurinensem et Remorum Episcopum* Remigium *familiaritas; cui nihil est quod ex alterutrius ætate obsit: siquidem* S. Remigius *Episcopalem Ordinationem suscepit circa annum* CCCCXLX, *et vixit usque ad* DXXXIII, *expletis in eo munere* septuaginta aut eo amplius annis, *juxta Gregorium Turonensem, qui nequeunt ultra terminum hic notatum extendi, cum successor ejus Flavius mox inveniatur Concilio Arvernensi subscriptus. Justius autem amicitiæ monumentum perenne creditur instituta inter Ecclesiam utramque fraternitas, per quam alterutrius Canonici inter alteros sedere, et distributiones recipere permittuntur, si quis casus Remensem Taurini, vel Taurinensem Remis inveniri faciat.*

ejus opera.

Familiaritas cum S. Remigio verosimilis

9 *Sed ut nihil hic repugnantiæ historicæ est, sic multa apud Ughellum tom. 4 col. 1425 dum* S. Maximum *dicit,* alumnum *fuisse* S. Willembegi Trajectinensis Episcopi; *nam inter Trajectenses ad Mosam Episcopos, quorum seriem accurate expositam Henschenius dedit, tum vivus in peculiari Diatriba, tum mortuus ante tomum 7 Maji, nullus est cujus nomen vel eminus eo pertingat. Inferioris autem ad Rhenum* E *Trajecti Episcopus quidem primus fuit S. Willibrordus, Frisonum catenus Gentilium Apostolus, sed anno dumtaxat* DCXCIV *consecratus, et usque ad annum* DCCXIV *superstes fuit, S. Maximo tribus fere seculis junior.* Potuit, *inquit Ughellus,* jam inde a Primis *prædicati Evangelii* temporibus, Episcopum habuisse *Taurinensis Ecclesia,* ejusdemque quamplurimos successores, quorum seriem usque ad Maximum delevit invidiosa vetustas ; *et eorum aliquis potuit eumdem* Maximum *eadem in diœcesi verosimiliter natum, suscepisse instituendum et Clericum fecisse. Sed difficile captu est, quomodo pro* Taurinensis Episcopi *titulo,* Trajectinensis *ex Belgio petitus obrepserit; nec minus, quomodo inter illos fuerit seculo* IV *aliquis Francico nomine* Willembegus, *Francis necdum in Gallias transgressis.*

non item discipulatus alicujus Trajectensis Episcopi, cui nomen fuerit Willembegi.

VITA

Auctore Anonymo Monacho Novaliciensi.

Ex MS. Ecclesiæ S. Maximi.

Beatus Maximus, Doctor egregius et Confessor F Domini gloriosus, regionis Tusciæ et Patre *a* Quintiano, ex nobili scilicet Tuscorum sanguine propagatus est. Tres enim fratres ex utroque parente esse dicuntur, scilicet B. Leo primis, Justus cujus corpus requiescit in urbe Secusiensi, et B. Maximus. Primus quidem, id est S. Leo, in throno Apostolici culminis, sicut honore, ita cunctos doctrina et virtute præibat; secundus, id est S. Maximus, Ecclesiam Taurinensem sibi creditam mira providentia gubernabat: tertius vero, id est S. Justus, his duobus non inferior, quod ipsi verbo docebant, vita et operibus adimplevit. De B. Maximo dicit Petrus Damiani: Quid mirum, si Beatus Pontifex Maximus miraculis emicat, signorum atque prodigiorum splendoribus coruscat, dum jam in cœlesti beatitudine regnat? qui etiam dum in corpore vixit, mirabilis et insignis apparuit. Beati quippe Leonis, summi Pontificis et Doctoris uberrimi, germanus extitit frater; quem consecutus æquiparabat, et affluentis eloquentiæ plenitudine, et Episcopalis excellentiæ dignitate. Hinc est quod eloquiorum ejus flores, per prata ecclesiæ immarcessibiliter vernant: et quia, dum in hac vita fuit, non suam, sed Dei gloriam

a Dicitur fuisse Frater SS. Leonis Papæ I et Justi Secusien,

et miraculis clarus se,

A riam quæsivit; nunc a Deo, vice versa, remuneratur in cœlis, honorificatur in terris.

factus Episcopus Taurinen.

2 Qui B. Maximus cum Philosophiæ studium impendisset, tandem hanc deserens divinis lectionibus incumbebat; et dum B. Leo in throno Apostolici culminis esset sublimatus, causas Romanæ Curiæ, omni procul pulsa personarum acceptione, splendide perorabat. Interim civitatis Taurinensis
b Episcopo *b* per mortem sublato de medio. B. Maxi-
c mus per B. Leonem ad Ecclesiam Taurinensem *c* Episcopus est destinatus; et non sine magna populi lætitia et laudibus, intra urbem Taurinensem fuit receptus, et in sede sua locatus. Ipse autem eamdem quam prius humilitatem et morum gravitatem in omnibus sectabatur. In oratione pervigilabat, corpus macerabat, mulierum consortia fugiebat. Humilis erat in omnes excipiendo, efficax in loquendo, alacer in exhortando: unde populus, propter sermones quos in Ecclesia faciebat, eum plurimum diligebat. Nec mirum. Ipse enim erat aspectu Angelicus, sermone nitidus, integer corpore, Sanctus opere, consilio magnus, fide catholicus, spe patientissimus, caritate diffusus. Fuit autem miræ liberalitatis et largitatis ad pauperes: quia omnia

virtutibus præfulsit,

B quæ habere poterat, Ecclesiis et Pauperibus, nihil sibi retinens, tribuebat, qui in tantum eum diligebant, ut siquis Maximum quæreret, ad domum vallatam pauperibus mitteretur. Et dum quadam die propria manu eleemosynam pauperibus daret; unus eorum, contractam habens manum, alteram extendit: cui S. Maximus. Alteram mihi quidem extende. Quare cum pro posse extenderet, cœpit eam palpare et extendere: et sic eam oleo ungens, sanavit. Et cum omnes laudarent eum, pulchre se texit. Putavi, inquit, quod fingeret, ut eleemosynam facilius impetraret.

manum aridam sanavit,

6 Quædam alia miracula per eum facta recitat Petrus Damiani, in quadam Legenda, quam de isto Sancto luculento sermone compilavit in his verbis: Beatus iste Sacerdos Domini Maximus, ut ingruentium negotiorum turbines fugeret, ac divinæ contemplationi peculiarius inhæreret, sibimet consuetudinis fecerat, ut basilicam quamdam parvulam, in B. Joannis Baptistæ honore constructam, sæpius frequentaret: quæ nimirum basilica quinque fere milliaribus a Taurini videbatur urbe remota. Cum vero inter sanctos viros et reprobos homines sæpe

solitariam ecclesiam frequentat,

C soleat fomes odii et simultatis livor oriri; Præses ejusdem provinciæ beatum virum omnino habebat exosum: et quia clarescentem atque conspicuam ejus famam unde obnubilaret habere nec poterat, insidiarum ille tendiculas clanculo substruebat. Cuidam ergo Clerico, eidem Taurinensis Ecclesiæ Pontifici necessitate, non fidelitate subjecto, calliditatis suæ mysterium pandit; eumque ad investigandum iter Episcopi, dum ad præfatam graderetur Ecclesiam, dirigit: opinabatur enim vir odiosus et lubricus, quod Præsul sanctus, ad explendæ potius luxuriæ voluptatem, secretioris loci latibulum quæreret; quam ob familiaris illuc orationis gratiam se, tam longo itinere videlicet, fatigaret.

quo suspicax Clericus clam secutus,

7 Cum itaque Beatus Sacerdos simplici corde, prout solitus erat, psallendo procederet, Clericus autem post ejus vestigia callidus explorator anxie festinaret; tandem itineris labore defessus graviter adeo sitivit, ut nimietate sitis guttur ejus aresceret, et tamquam positurus animam squallidis faucibus æstuaret. Quid faceret? quo se verteret? quodnam suæ ereptionis consilium inveniret. Si gradum subsistendo reprimeret, sitis ardorem ferre non poterat. Si sancto Sacerdoti prævolans auxilium postulasset, deprehendi se nimis erubescebat. Adjuvat molestiam pudoris vis necessitatis; acceleransque viro sancto

sitique deficiens opem petit.

manifestius innotuit, quo gravaretur exitio non D
negavit, et sitis extinguendæ quodcumque saltem EX MS.
remedium petiit. Porro autem ille, ut erat mitis ac placidus, deprehensæ perfidiæ clementer indulgens, anxiari cœpit ac solerter inquirere, quomodo periclitanti fratri, in tantæ necessitatis angustia, succurrere potuisset. Sub hoc itaque pietatis motu seu intuitu, dum huc illucque sanctos oculos verteret, sed unde fratri succurreret, penitus non videret; tandem aspiciens cervam, plenum lactis uber habentem; Vade, inquit, et cervæ illius uber emulge, sicque sitis ardorem quo gravaris extingue. Ad imperium itaque viri Dei oblita fugæ cerva *d* substitit, d
se alieni generis hinniculo præbuit; sicque sitienti potum, non ut agrestis fera, sed tamquam ovis mansueta concessit. In hoc itaque divinæ virtutis indicio, et vir Dei notam falsi reatus evasit, et Clericus ad violatæ fidei signaculum rediit, et Præses falsæ opinionis sententiam radicitus amputavit.

et Sancti jussu cervam sistentis, hujus lacte refocillatur

8 Aliquando plane subtractis imbribus, per triennium fere terram ariditatis æstus oppresserat, omnisque populus acerrimæ famis inopia laborabat. Congregata itaque non minima parte cleri simul et populi, Beatus Pontifex Maximus orationis gratia Romam petiit, beatorum Apostolorum Petri et Pauli
suffragia lacrymabiliter postulaturus: sicque per E
eos Dei omnipotentis iram, quæ peccanti mundo debebatur, avertit. Meritis quippe famuli sui divina clementia, non solummodo [avertit] gladium, sed et copiosi muneris beneficium mirabiliter prærogavit. Nam ex quo vir Dei Romanis egrediens mœnibus, cum populo qui eum sequebatur, ad sedis propriæ Cathedram rediit; et quotidie profusis imbribus abundanter pluit, et tamen super eum ejusve comites ne una quidem pluviarum gutta descendit. Hæc Petrus Damiani.

Arescentibus triennio agris pluviam impetrat, Romam profectus.

9 Per idem fere tempus, quidam dum piscem qui Sturio *e* dicitur in Pado piscatus fuisset, illum e
B. Maximo devote præsentavit. Qui cum esset coctus, et totus appositus fuisset in disco coram sancto Dei Præsule; ecce pauper quidam ad januam illud maxime sibi dari postulat, quod Episcopo appositum erat: et sanctus Dei Episcopus totum piscem ei mittit. Illico pauper cum disco pleno pisce in sublime se extulit, et cœlum cunctis videntibus penetravit. Forte in hujus miraculi testimonium, ut pie
credendum est, deductum est ut si Sturio in Pado F
capiatur illico Episcopo præsentetur: constat quippe quia non sine virtutibus ignobiliter vixit, qui virtutibus et miraculis coruscavit. Tandem Beatus, morti appropinquans, Clerum qui fuerat sibi delegatus, de tribus admonuit; ut inter se caritatem haberent, Ecclesias suas diligentius gubernarent, et gregem a luporum morsibus custodirent. Post hæc, multis clarus virtutibus, in Domino feliciter obdormivit, et in supradicta parvula B. Joannis Baptistæ basilica, prout elegerat, a Clero et populo fuit cum crebra devotione sepultus: quæ basilica fuit postmodum a devoto populo mirifice dotata et ampliata, et ejusdem sancti viri vocabulo notabiliter insignita.

Oblatum sibi piscem pauperi donans,

Ang[illegible]ca um intelligit,

mortuus in præfata ecclesia sepelitur.

10 De miraculis quibus coruscavit, postquam adeptus cœlicas sedes est; idem Petrus Damiani in Legenda quam de isto Sancto et almo Confessore B. Maximo luculento sermone compilavit, prosequitur. Aliquando nempe conspiratæ militiæ *f* pro- f
cinctus agebatur, et quidquid in agris sive villis reperiri poterat de prædationibus atque rapinis, velut quadam tyrannide grassante, patebat. Contigit itaque ut ecclesia, quam supra retulimus B. Maximi crebris orationibus frequentatam, quæ nunc etiam est ejusdem sancti viri vocabulo nobiliter insignita, quidam ex conjuratis miles irrumperet, et tintinnabulum

Miles furatus inde tintinnabulum,

tintinnabulum

A tintinnabulum, quod illic ad congregandum populum dependebat, sacrilegæ rapinæ bajulus asportaret : quod nimirum quamdiu penes se habuit, frequentius agitavit, sæpeque perpendiculo *g* hinc inde pulsante percussit ; sed ex eo tinnitum, nolarum more videlicet, excutere nullatenus potuit : mox etiam in gravem contracti corporis ægritudinem decidit ; multaque in medicos donorum suorum bona profligans, vel ad modicum quidem reparandæ salutis remedium non pervenit. Post multum vero temporis B. Maximus, in visione, dum dormiret, apparuit ; adjecitque, quia de valetudinis, qua tenebatur, molestia usque ad obitum nullatenus convalesceret, nisi ad suam ecclesiam tintinnabulum quod abstulerat revectaret. Expergefactus illico duos currus sibi parari cum omni festinatione præcepit ; in quorum altero tintinnabulum posuit, eumque reliquis bonorum suorum muneribus oneravit, in altero est ipse vectatus ; atque ad Ecclesiam deductus, quod abstulerat tintinnabulum reddidit, preces cum muneribus obtulit, sicque saluti pristinæ restitutus, ad propria cum suo suorumque omnium gaudio remeavit. Hoc itaque modo dum tenuit alienum, perdidit semetipsum ; mox autem ut rapinam
B reddidit, se recepit.

ex MS.

g mutum experitur, et contractione corporis punitus,

pœnitensque sanatur.

11 Quodam vero tempore, vir venerabilis *h* Humbertus Episcopus, qui tunc eamdem, Taurinensis videlicet civitatis, Deo præsule regebat Ecclesiam, omnibus in commune præceperat, ut ad solemnitatem B. Maximi, quæ tunc propediem imminebat, devote concurrerent, eamque festiva ut dignum erat frequentia celebrarent. Quidam rusticus, sancti Pastoris edictum protervo spiritu parvipendens, boves junxit ; oneransque fœno vehiculum, carrariæ vectationi operam dedit. Repente vero ex ipsa congerie subitus ignis erupit, et non solummodo currum fœnumque corripuit, sed ipsos boves incendio vorante consumpsit. Completum est itaque quod per Prophetam dicitur, Et nunc ignis adversarios *i* consumpsit. Merito itaque solus planxit, qui communiter cum populo Dei noluit feriari.

h Indicto per Episcopum festo

puniuntur ipsum violantes

12 Alius dum ejusdem beati Confessoris festivitate fœni construeret et constiparet acervum ; subito vehemens [turbo] irrupit, totumque fœnum, usque ad unam gersinis stipulam, per agros ac rura dispersit. Quod igitur ille, sanctæ festivitatis contrarius, in unum congregare studuit, aer vento concitus dissipavit ; dicente Domino, Qui non colli-
C git mecum, dispergit. In utroque igitur digesto miraculo luce clarius discernitur, quia celebrandæ solemnitati B. Maximi ipsa etiam elementa famulentur ; et in contemnentibus aperte colligitur, quanta celebrantibus gratia debeatur.

colligendo fœno,

immisso in illud turbine,

Luc. 11, 23

13 Præterea vir quidam, B. Maximi solennitatem colere parvipendens ; cum ad ecclesiam devoti populi multitudo conflueret, ipse falce fœnaria pratum secare cœpit, sed (O divinæ ultionis accelerata severitas !) protinus, brachiis stupefactis et cruribus, omne pæne corpus obriguit, donec advixit continui condolomatis ægritudinem non evasit. Pensemus dilectissimi quanta dignitatis gloria summus hunc remunerator attollit, ad cujus solennitatem indevotos homines tam violenter impellit ; et cum tam severe percutitur, qui eum despicere non formidat, quantam spem divinæ misericordiæ habere poterit, qui eum prout dignum est reverenter honorat ?

rigore corporis,

14 Vir quidam dum in die festivitatis ejus insisteret [operi, ut] ad domesticum usum ligna conscinderet, libravit ictum : sed dum incaute deposuit, cruris sui tibiam gravi vulnere sauciavit : tum multo post tempore, plaga recusante medicum, lecto decubuit, nec sibi quælibet dum adhiberetur medicina profecit. In Vigiliis autem ejusdem festivitatis post biennium ad ejus ecclesiam cum oblationibus venit, D
in orationibus ac gemitibus excubans pernoctavit, mane facto curatum atque compositum se reperit ; sicque non jam vehiculo, sed propriis gressibus, lætus et alacer ad propria repedavit.

vulnere sibimet inflicto,

15 Adolescens quidam, quoniam in festivitate S. Maximi, dum alieni juris virentes segetes cumulato fasce colligeret, et nocturnus prædo quod coacervatum fuerat, alligare tentaret : per quindecim fere vices id ipsum iteravit ; et frustratus a cœpto opere, [quoties] innectere ligaturæ fasciculum cœperat, nexus se protinus dissolvebat, nec sui conatus effectum obtinere quomodolibet potuit ; donec divinæ virtutis judicium recognoscens, dimissis segetibus vacuus ac frustra lassatus abscessit.

ruptis collectæ frugis vinculis,

16 Duo siquidem juvenes, dum B. Maximi solennitatem, cum frequentissima convicaneorum suorum devotione contemnerent, seque colligendi fœni laboribus mancipassent ; vespertina propinquante jam hora, protinus aer vento sæviente concutitur, serena cœli facies nubium densitate contegitur, et coruscis atque turbinibus æstivi caloris tranquillitas immutatur. Mox itaque omnes illi, sicut in laboris exercitio reperti fuerant, sub fœnilis acervi struem E
confugiunt, sicque se protegi ab imminentium [imbrium] inundatione contendunt. Sed ecce super illos duos, qui sanctam festivitatem celebrare contempserunt, fulgur irruit ; eosque ceteris *k* evadentibus terribiliter interfecit. Tali itaque sententia digne percellitur, qui B. Maximo contumax invenitur. Sic nimirum adversus eos, qui B. Maximi memoriam celebrare despiciunt, ipsa quoque mundi elementa confligunt ; ut impletum videatur esse quod scriptum est, Pugnabit orbis terrarum contra insensatos. Ecce, Fratres carissimi, pauca de multis B. Maximi gloriosi Pontificis miracula succincte descripsimus. Hæc Petrus Damiani.

fulmine exitiali.

k

Sap. 3, 21,

17 Idem in fine Legendæ sic inquit ; Veneremur, Fratres, tanti Patris solennia, Doctorisque eximii sectemur vestigia ; et contra cunctas frementium acies vitiorum, juxta B. Maximi, Doctoris tanti veneranda præcepta, accipiamus arma virtutum. Ejus sane vita ad rectitudinem sancti operis provocat, ejus doctrina ad componendos vitæ nostræ mores invitat. Hoc itaque, dilectissimi, salubriter admonente, hunc imitemur, per divinæ voluntatis lineam indeclinabiliter incedentem : ut quo nunc provocante contemnimus mundum, eo postmodum præcedente perveniamus ad Christum, qui cum Patre et Spiritu F
sancto vivit et regnat Deus, per infinita secula seculorum. Hæc ille.

Proponitur defunctus omnibus colendus.

ANNOTATA D. P.

a Quintianum *S. Leonis patrem fuisse, convenit; licet Vita apocrypha, unde fabellas hic omittendas auctor transcripsit,* Petrum *appellet,* de genere Aniciorum ; *matrem* Piam. *Quamquam autem ægre persuadeor fratres fuisse* Leonem *et* Maximum, *nolui tamen hanc Legendam Acephalam prodire. Interim non admodum discrepant tempora : nam* S. Leo *ordinatus an.* 440, *ad* 461, *Vitam produxit* : Maximus *an.* 465 *omnium Italicorum Episcoporum, qui Romæ ad Synodum tunc convenere senior, haud diu ultra eamdem propagavit.*

b *Latent nomina decessorum S. Maximi omnino omnium : nam* S. Victor, *quem tabulæ ecclesiæ Taurinensis suggerunt pro anno* 310, *quique ampliavit ædiculam SS. Solutoris, Adventoris, et Octaviani Martyrum Thebæorum, de quibus agendum* 20 *Novembris, merito creditur idem esse, qui* Maximo *suffectus iisdem Sanctis monasterium condidit, et ad Burgundiæ Regem legatus ivit an.* 495.

c

A c *Licet Ecclesiarum, ætate illa, ut diximus, usus ferret ex proprio Clero Episcopos sumere; non tamen desunt exempla aliquorum Roma acceptorum. Sic Ravennatibus, cum suo Electo Romam consecrationis causa venientibus, a S. Sixto Papa S. Leonis decessore datus est, rejecto quem elegerant, S. Petrus Chrysologus Foro-Corneliensis, ex mandato SS. Petri et Pauli, qui Sixto eum in visione demonstraverant, uti narrabitur 2 Decembris.'*

d *Hujusmodi miraculum in variis Sanctorum Vitis occurrit, ac novissime die præcedenti in Vita S. Ivani.*

e Sturio, *Latinis* Acipenser, apud antiquos piscium nobilissimus habitus, *teste Plinio lib.* 9 *cap.* 17 *: quia cum sit grandis ac mari proprius, rarum est si reperiatur in fluvio, et quidem tam procul a mari quam est Taurinum ab Adriatico, in quo Padus influit, licet in Luguriæ Alpibus ortus.*

f Procinctus *proprie dicitur, cum exercitus ad prælium instructus castris egreditur. Hinc* in procinctu D *aliquid fieri dicitur.*

g *Aptum sane vocabulum pro quo* linguam *dicunt alii, aptius quam* malleum, *nisi ubi vero malleo percutitur campana, immota manens ipsa.*

h Gumbertus, *aliis* Umbertus *et* Guibertus, *anno* 1098 *in diversis locis subscriptus, teste Baldesano apud Ughellum : sed hoc aliunde quam a Petro Damiani sumpserit Auctor, si is vere Legendam hic identidem allegatam scripsit.*

i *Sensum forte in Prophetis reperias, verba eadem nusquam.*

k *An ergo ceteri quoque non violarant festum? Credo urgente necessitate, ut sæpe apud nos pluvio tempore, cum periculum est ne sectum jam fœnum pluviis corrumpatur, dispensatum fuisse, ut Sacris auditis ipsum colligeretur : duos autem illos etiam Sacris defuisse, atque ita solos dici violasse festum.*

DE S. PROSPERO

B E

EPISCOPO REGII-LEPIDI IN ÆMILIA

COMMENTARIUS HISTORICUS

G. H.

§. *I. Memoria in Fastis. Vita a variis scripta. Prosper Aquitanus scriptor, non fuit Episcopus, nec ullus eo nomine S. Prosper, Reiensis in Gallia.*

PONTE SEC. V. *S. Prosperi Ecclesia*

Regium Lepidi, *urbs Galliæ Togatæ, in medio viæ Æmiliæ, ad lævam ripam Crustali amnis, inter Parmam et Mutinam sita, cum hac subest Principibus Atestinis. Inter hujus urbis Episcopos censetur* S. Prosper, *quem Ferdinandus Ughellus tomo* 2 *Italiæ sacræ columna* 299 *asserit* tumulatum in templo, quod ipse S. Apollinari dicaverat; ibidemque mansisse usque ad tempora Luitprandi Longobardorum Regis, indeque postea translatum in ecclesiam ejus nomini consecratam, ubi hoc tempore quiescit. Quam postea ecclesiam, Comitissa Mathilda auctam, mirificeque dotatam, in nobilem ex S. Benedicti Ordine Abbatiam erexerit. *Ita Ughellus. Mortua est* Comitissa Mathilda *anno* MCXV, *et postea sequentibus seculis honor cultusque* S Prosperi *promotus ad posteros est. Bellinus, in Martyrologio secundum morem Romanæ Curiæ sub nota anni* MCCCCXCVIII *Venetiis excuso, ad hunc* XXV *Junii sub finem ista solum habet* : Item S. Prosperi Episcopi. *Quæ eadem nuda verba repetit Molanus, in suo ad Usuardum Auctario. Habemus aliqua Martyrologia MSS. sub nomina Usuardi aucta, non valde antiqua, sed* XIV *aut* XV *seculo exarata ; in quibus ista leguntur :* Item S. Prosperi Episcopi, Doctoris præcipui : *quibus ista adjuncta leguntur in MS. Florario :* Qui fuit Aquitanicæ regionis et B. Leonis Papæ Notarius. Obiit anno salutis CCCCLXX. *Postea Grevenus Carthusianus, in suis additionibus ad Usuardum editis Coloniæ anno* MDXV *et* MDXXI, *apposuit Sedis locum his verbis :* Prosperi Episcopi Reginensis et Confessoris, Doctoris præcipui anno Domini CCCCLXV. *Quæ quoad locum clarius exposuit postea Maurolycus, hac phrasi usus,* Apud Regium Cisalpinæ Galliæ Prosperi Episcopi : *verum dum addidit,* Chronographi et Poetæ Clarissimi, *plures in ipsum congessit titulos, quam possint cum veritate subsistere : sequaces tamen in hoc errore habuit plures recentiores, in quibus Galesinius et Canisius, cum hodierno Martyrologio Romano, atque Philippo Ferrario in Catalogo Sanctorum Italiæ.*

et monasterium :

C *memoria in Martyrologiis :*

2 *Vitam ipsius edidit ad hunc etiam diem* XXV *Junii, Laurentius Surius, auctore Joanne Antonio Flaminio ; qui inter alias Sanctorum Vitas, anno* MDXVI, *Vitam B. Alberti Magni dicavit Leandro Alberto Bononiensi. Hic in Descriptione Italiæ, in Romanula pag.* 493, *asserit* Flaminium fato concessisse Bononiæ, ubi diu ludum habuerat, anno MDXXXV, sepultumque in Divi Dominici porticu. *Usus is est Vita* S. Prosperi, *a Bonnino Mombritio tom.* 2 *operis folio* 221 *et sequentibus ante ducentos circiter annos excusa, et a quodam alumno ipsius ecclesiæ, in qua Corpus servabatur, composita ad suum festi atque per modum homiliæ. Hanc Vitam nobis Neapoli submisit Antonius Beatillus noster forsan ex codice MS. cœnobii Olivetani, in quo nos existentes Neapoli eamdem reperimus, uti etiam Romæ in MS. Membraneo Legendario Eminentissimi Cardinalis Barberini , in* F *quibus aderat Prologus a Mombritio neglectus, quia præter nudam Spiritus Sancti invocationem nihil continet ad Historiam aut ad cognoscendum Auctorem faciens. Aliam Vitam* ex gestis S. Prosperi antiquis exceptam et acceptam medullam, sub compendio, *misit nobis Praga Joannes Scholtz noster, cui subjungitur relatio* de Translatione Corporis S. Prosperi, de primo ad secundum tumulum, in quo fideliter veneratur, *uti titulus præfert : quibus similia extant apud Surium. Ceterum sicuti Martyrologia S. Prosperi memoriam facientia, jam indicavimus supra vix attingere ætatem trecentorum annorum ; ita videmur posse de præfatis MSS. censere, primum eorum fontem quartum seculum non excedere ; atque adeo absque magno scrupulo in dubium revocari quæ de* Prospero Aquitano *scriptore intelligenda, Regiensis Episcopi memoriæ, propter nominis identitatem temere sunt adjuncta ; quod etiam de aliis similiter* Prosperis *appellatis ante nos ab aliis dictum est.*

Vita a Flaminio scripta 16 seculo,

ab aliis aliquanto citius.

in quibus Regiensis Prosper perperam Aquitanus habitus ;

3 *Horum primus constituendus* S. Prosper Episcopus Aurelianensis, *successor S. Aniani anno* CCCCLIII *mortui, qui proinde cum* Prospero Aquitano, *vixit, et ad diem* XXIX *Julii, sub finem adscriptus invenitur antiquissimo Martyrologii Hieronymiani Epternacensi apographo, et quidem tamquam proprio suæ Depositionis*

uti etiam S. Prosper Episc. Aurelianensis

AUCTORE G. H.

A *nis die, his verbis;* Aurelianis civitate, depositio Beati Prosperi. *Hic in Martyrologio Rabani appellatur* vir doctissimus et sanctissimus : *qui (uti additur apud Notkerum)* multa ad utilitatem Ecclesiæ conscripsit, maximeque gratiam Dei contra superbiam hæreticorum defensare curavit. *Sed hujusmodi elogia* Prospero Aquitano *scriptori sic conveniunt, ut ab hoc ad Aurelianensem temere translata fuisse nequeat dubitari. Aurelianensi scripsit Apollinaris Sidonius epistolam* XV *libri* VIII, *in qua* Aniani *successorem appellat et ad eam epistolam ista in Notis erudite observat Jacobus Sirmondus :* Huic ætate propior, ac plane suppar, fuit Prosper Aquitanus, quem alii Reiensem in Gallia alii Regiensem in Italia Episcopum faciunt. Sed is, mea quidem sententia, Episcopus numquam fuit...utque ita sentiam facit veterum omnium auctoritas, Victorii de Cyclo Paschali ad Hilarum, Gennadii Scriptorum Ecclesiasticorum cap. 84, Gelasii Papæ de libris apocryphis, Fulgentii ad Monimum lib. I cap. 30, Marcellini Comitis in Chronico sincero et non vitiato aliorumque ; qui cum de Prospero alia omnia narrent, de Episcopali ejus honore mentionem nullam faciunt. Quare Prosperum, qui inter B Regii Lepidi Antistites numeratur, alium ab Aquitano fuisse crediderim ; fallique qui cum Thrithemio et Flaminio utrumque confundunt. *Hæc Sirmondus.*

Prosperum Aquitanum non fuisse Episcopum demonstrat Sirmondus

4 *Philippus Labbe, in dissertatione Historica de Scriptoribus Ecclesiasticis tomo* 2 *pag.* 247, *resumit argumentum Sirmondi,* Quia, *inquit,* nonnullos etiam hoc tempore viros non ineruditos video Prospero Episcopales infulas asserere, et nuperi Galliæ Christianæ post Claudium Robertum editores ad eumdem scopulum alliserunt ; placet hoc probatis veterum Scriptorum testimoniis ostendere, ne quidem ad sacros unquam Ordines, saltem majores, fuisse promotum. Præeat, qui cum ipso multos annos vixit, Victorius Aquitanus in epistola ad Hilarum Urbis Romæ Archidiaconum, quam præfixit Canoni Paschalis festi. [Recensitis] igitur fidelibus Historiis veterum, beati scilicet Eusebii Cæsareensis Palæstinæ civitatis Episcopi, viri imprimis eruditissimi atque doctissimi, Chronicis prologoque ; ac perinde his quæ a sanctæ memoriæ Hieronymo Presbytero iisdem Chronicis sunt adjecta, per quem in Latinum quoque probantur translata sermonem ; hisque etiam quæ a sancto ac venerabili viro Prospero, usque ad Consulatum Valentiniani Augusti VIII et Antemii, constat fuisse suppleta ; reperi etc. Ac C paulo post : Cujus tenorem vir venerabilis Prosper secutus, iisdem Chronicis hæc eadem egregia brevitate composuit, ut eorum initium a mundi inchoaretur [exordio.] Scribebat anno Christi CCCCLVII Victorius Constantino et Ruffo Consulibus, anno postquam excesserat ex vivis Prosper (quem Sanctum ideo vocare mihi semper visus est ac Venerabilem) non tamen Presbyterum aut Episcopum ; quos titulos Eusebio Hieronymoque non invidebat, nec denegasset (opinor) amico, si iis unquam fuisset insignitus. Quod palmare est καί ἀναμφιλόγω ἀνίκητον argumentum.

et Labbeus

auctoritate Victorii Aquitani,

5 Victorinum sequatur Gelasius Papa, Can. sancta Romana, dist. XV [Item opuscula B. Augustini, Hipponensis Episcopi ; opuscula B. Hieronymi, Presbyteri ; item opuscula B. Prosperi, viri religiosissimi]. Tertio loco accedat Gennadius Massiliensis Presbyter, qui nullum illi dignitatis Ecclesiasticæ titulum assignat, in ceteris pro merito suo laudandis minime parcus. Quartus sit S. Fulgentius, Ruspensis in Africa Episcopus, lib. I ad Monimum cap. 30. [Cujus id est Augustini, dicta, quia ipse celeri præventus est obitu, Prosper vir eruditus et sanctus recta defendit fide et copioso sermone etc.]

Gelasii Papæ,

Gennadii,

Fulgentii,

Quintus Marcellinus Comes in Chronico ad annum D CCCLXIII. (Quem tamen non videtur attigisse Prosper) iisdem cum Gennadio verbis usus, [Hominem Aquitanicæ regionis, sermone Scholasticum, et assertionibus nervosum] dumtaxat appellat. Ado Viennensis Archiepiscopus in sexta ætate, [Sed et Prosper Aquitanicæ regionis, Notarius B. Leonis, a quo dictatæ creduntur Epistolæ adversus Eutychen de vera Incarnatione Christi male sentientem.] Ut juniores prætermittam, et contemporaneos Hincmarum, Florum, Prudentium, Rabanum etc.

Marcellini Comitis,

Adonis Viennensis.

6 Solus Honorius Augustodunensis, aut sciolus aliquis ac semidoctus ejus corrector editorve, cap. 83 libelli 2, Hominem *(ab aliis scriptum)* mutavit in Episcopum Aquitanicæ regionis, quod nemo sanus ne per somnium quidem cogitaverat. Sixtum Senensem, Baronium, Possevinum, aliosque hujus aut superioris seculi scriptores missos facio, qui Honorium Augustodunensem dumtaxat exscripserunt, aut a Joanne Antonio Flamino, qui res ejus gestas pro libitu ex meris conjecturis composuit a Surio editas, in fraudem inducti, Regii Lepidi Episcopum fuisse censuerunt. *Hæc Philippus Labbe. Cum Flaminio jungendi alii Vitæ* S. Prosperi *Episcopi Regii Lepidi scriptores supra a nobis relati. Verum quia apud Honorium, ex Labbei judicio imperite* E *interpolatum, appellatur* Episcopus Aquitanicæ regionis, *ab* Episcopatu Italico Regii Lepidi *transtulerunt eumdem alii ad* Episcopatum Reiensem, *quem etiam* Regiensem *appellant sub Aquensi in Provincia Metropolitana, atque, sicut eumdem eruditum scriptorem faciunt, ita inter SS. Maximum et Faustum collocant. Sed supra laudatus Sirmondus ista ibidem apponit :* Reiensi sane Ecclesiæ præesse non potuit, cum certum sit, vel Sidonio auctore, in ea Cathedra post Maximum sedisse Faustum : quorum ille Hilarii Arelatensis temporibus (ut ex Reiensi, Arausicanoque Concilio atque ex Hilarii ipsius Vita constat) Episcopus jam erat, ac proinde superstite adhuc Prospero, qui ultra Hilarii ætatem hoc est ad Urbem usque a Wandalis captam, sua Chronica perduxit. Faustus vero Maximi successor, ut ex Sidonii epistolis liquet, excessit annos Prosperi, quem omnes consentiunt ad Anthemii Augusti tempora non pervenisse. Unde sequitur Prosperum Aquitanum neque ante Maximum, neque post Faustum, Reiensem Cathedram regere potuisse. F *Hæc Sirmondus. Verba citati Sidonii Apollinaris in Carmine Eucharistico ad Faustum sunt hæc.*

Male ergo confusus fuit cum sancto Episcopo Regiensi in Italia;

unde etiam dictus Reiensis in Gallia,

———Quis Maximus ille,
Urbem tu cujus Monachosque Antistes et Abbas
Bis successor agis?

Fuerat scilicet Faustus, et in Lerinensi Abbatia, et in Cathedra Reiensi immediatus S. Maximi Successor. Cardinalis Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiasticis supponens Prosperum Aquitanum Episcopum fuisse, suspicatur potius in provincia Provinciæ Regiensem *Episcopum* fuisse, quasi subscripsisset in Concilio Provinciali Vasensi et Carpentoractensi. Quod argumentum est, inquit, illum fuisse Episcopum in Provincia Galliæ. *Verum abreptus eodem errore Bellarminus est, quo Baronius dicta Concilia in suis Annalibus ad annum* CCCCLXIII *inseruerat; quapropter etiam Carolus Saussayus in Annalibus Ecclesiæ Aurelianensis pag.* 9 *arbitratus est supra relatum* S. Prosperum Episcopum Aurelianensem, *dictis Conciliis subscripsisse. Verum Sirmondus, tomo* I *Conciliorum Galliæ, ostendit Concilium Carpentoractense habitum,* Mavortio V. C. Consule, *anno* DXXVII; *et Vasense,* Decio juniore V. C. Consule, *anno* DXXIX; *proinde neque censendus est adfuisse S. Prosper Episcopus Aurelianensis, S. Aniano anno* CCCCLIII *vita functo subrogatus; neque alius Reiensis, qui cum Prospero Aquitano*

et subscripsisse habitis seculo sequenti Conciliis,

qui etiam

A *tano, licet diversus ab hoc, potuerit vixisse. Statuendus ergo est pro istis Conciliis alius multo junior* Prosper, *cujus sedes Episcopalis hactenus ignoretur.*

male colitur ut Sanctus.

7 *Hisce Sirmondi et Labbæi solidis Argumentis inducti, dicimus;* Prosperum Aquitanum fuisse, virum venerabilem, eruditum, religiosissimum, et Sanctum *etiam appellatum; non tamen* Episcopum *fuisse, neque seorsum ut talem ullis Fastis sacris inscriptum, vel a nobis repertum : de cujus scriptis legi potest post alios dictus Labbæus. Secundo juxta eosdem Auctores cum Claudio Roberto, non videtur, donec aliunde id probetur, fuisse aliquis* Prosper Reiensis *in Provincia* Episcopus, *neque Sanctis propriis illius Ecclesiæ annumerandus; quod ad hunc* XXV *Junii fecit Saussayus in Martyrologio Gallicano, et ad* XXVII *ejusdem fecit Ludovicus Donius d'Attichy Reiensis seu Regiensis Episcopus in Officiis propriis suæ Ecclesiæ, Aquis Sextiis anno* MDCXXXV *excusis : in quibus præscribuntur Lectiones secundi Nocturni ad Matutinum recitandæ, tam ipso die* XXVII *Junii, quam* VI *Julii in Octava, prout ea desumpta sunt ex Officio Ecclesiæ Regii Lepidi in Italia, in quibus et corporis translatio per Thomam Episcopum Regii Lepidi facta, etiam memoratur : quæ omnia melius omitterentur.*

B

§. II. *Acta a S. Prospero Regii Lepidi in Episcopatu, ex Lectionibus Ecclesiæ Collegiatæ, deque monasterio S. Prosperi.*

R*eliquum est, ut de* S. Prospero Episcopo Regii Lepidi *agamus, omissis iis quæ de* Prospero Aquitano *vera sunt, et fuerunt illi falso attributa. Quia ergo Acta ejus, a Flaminio scripta aliaque a Mombritio edita, minus placent, et a curioso lectore apud illos legi possunt; damus ex Lectionibus illa solum, quæ ab eo in Episcopatu referuntur acta, et quæ corporis translationem antiquam spectant. Interim de ejus ætate ac Sedis tempore præfari placet, nihil esse unde conjectura formari possit: si quæ feruntur de Actis* Prosperi *apud S. Leonem Papam (cujus, anno* CCCCXL *creati, dicitur fuisse* Secretarius) *vel ad Aquitanum Prosperum spectant, vel gratis conficta sunt. Nullum certe in Epistolis vel Actis Leonis fundamentum habent, et toto quarto quintoque seculo nulla in Italia reperitur celebrata Episcoporum Synodus, cui distincte habeantur adscripta præsentium nomina et Sedes, ante Symmachum Papam; cujus tamen Conciliis nullus* Regiensis *vel*

Ætas incerta.

C Reginus *interfuit. Sed neque postea ullus cuipiam Italicæ Synodo usque ad Mauritium, qui anno* DCLXXX *subscripsit Synodicæ Agathonis Papæ. Adeo ut usque ad hunc* Mauritium *omnes omnino Regienses Episcopi solo nomine tenus numerentur, quorum proinde incertus et ordo et tempora nihil docere possunt, de ætate* S. Prosperi. *Nam qui dicitur Mediolanensi Concilio anni* CCCCL *subscripsisse* Faventius, *non agnoscitur, sicuti nec ipsum Concilium; et qui pro anno* CCCCLVIII *ei datur successor* Elpidius, *caret talis ætatis teste : ut liceet sciretur, quod tamen non scitur, illis immediate successisse* S. Prosper, *necdum cognita haberetur ejus ætas. Placet tamen per meram conjecturam ipsum adscribere Sanctis seculi* v. *De eo autem sic ferunt Lectiones.*

Cura pro salute subditorum,

9 Prosper cœlesti imperio Regiensis Episcopus, licet invitus ac reluctans creatus est. Quo in munere tam præclare se gessit, ut omnibus verbo et exemplo præluceret : frequenter enim populum sibi commissum in Ecclesiam vocabat, ac salutaribus præceptis instruebat; sed nihil illis faciendum proponebat, quod ipse opere non implesset. Magnæ illi curæ erant egeni, magna pietate pupillos prosequebatur et viduas. Super gregem suum incessanter vigilans, de omnium salute continuo solicitus erat, ne qua de sanctæ Ecclesiæ gremio antiqui hostis

D AUCTORE G. H.

fraude per ejus culpam ovis periret. Seniores Ecclesiæ suæ Sacerdotes, Divum Paulum imitatus, ut patres reverenter admonebat, juniores docebat ut fratres, anus ut matres, puellas ut sorores aut filias, sicque omnes in viam Domini dirigebat. Quin etiam magno caritatis impulsu, finitimarum urbium Episcopos crebro per epistolas hortabatur, ne dignitatis suæ, ne impositi sibi oneris obliviscerentur; et ne cum aliis prædicasset, ipse reprobus efficeretur. Ad exemplum ejusdem Apostoli vigiliis et orationibus perpetuo vacabat, ac multiplici maceratione corpus domans, illud parere spiritui cogebat. Denique adveniente die quo virtutum ac meritorum paratam sibi a Deo mercedem recepturus erat, oculis ac manibus in cœlum extensis, cum adstantibus sibi non solum Clericis, sed etiam quamplurimis e populo, qui frequentes advenerant, benedixisset; animam Deo reddidit, magno totius civitatis Regiensis mœrore; tantoque sui relicto desiderio, ut non aliter quam si domesticus unicuique luctus esset, dolerent omnes ac lamentarentur. Sepultus est extra pomœrium urbis, in templo, quod in honorem B. Apollinaris ipsemet consecraverat : ubi multis et magnis diu fulsit miraculis : nullus enim ad Deum per ejus opem, quacumque detineretur ægritudine, frustra confugit. Claudis gressus, cæcis visus, paralyticis quoque membrorum usus redditus est, et dæmones ab obsessis corporibus effugati.

pius obitus,

sepultura, miracula,

E

10 Sed cum honor et veneratio, S. Prospero ad ejus sepulcrum delata, paulatim lapsu et injuria temporum consenuisset; ne cultus ille penitus obsolesceret; cavit miro quodam modo divina benignitas, quæ in Sanctis suis clarere non desinit. Sedebat per id temporis in Regiensi Cathedra vitæ ac morum integritate spectabilis Episcopus, nomine Thomas. Is dum ex more oraret in templo, subitus illum sopor invasit. Quiescenti B. Prosper apparuit, augusta specie, candida indutus stola, et venerabili canitie conspicuus : a quo monitus cum esset, ut sacram illam ædiculam seu capellam, in qua corpus ejus parum decenter jacebat, amplificaret; expergefactus Episcopus, vocato ad se Clero et populo, cœleste præceptum eis aperuit, ac illico executioni mandavit. Extructa igitur æde sacra, ac præparato magnifico loco, in quem sacræ inferrentur Reliquiæ, sepulcrum vetus, in quo usque ad tempus quieverant, apertum fuit : e quo tanta divini odoris fragrantia effusa est, ut nulla ei aromata comparari possent; variaque alia subinde miracula, præteritis non dissimilia, a Deo optimo maximo in solemni hac et celebri translatione patrata fuere. *Hactenus ex lectiones, sumptæ, uti apparet, ex Chronico monasterii, cujus contextum, verbis aliquanto prolixiorem, re eumdem, videre est apud Ferdinandum Ughellum tom.* 5 *Italiæ sacræ col.* 15 *ex MS. in Appendice ad tom.* 2, *ubi de Episcopis Reginensibus egerat. Ibi autem dicitur res acta* Calendis Decembris, quo tempore quot quantaque miracula, Christo cooperante ac Sancti ipsius meritis, patrata sint, translationis illius Historia plenissime narrat. *Sed illa nunc frustra requiri videtur, ipsi Ughello haud dubie, si superfuisset, mittenda ab iis, qui, ad secundi tomi sterilitatem circa Episcopos Regienses supplendam, suis eum monumentis adeo sedulo instruxerunt. Ex eodem interim tomo* 2 *habemus, decimum nonum statui memoratum* Thomam, *qui* sanctimonia vitæ clarus vivebat anno DCCI. Hic S. Prosperi templum exorsus est ædificare, ubi postea illius corpus transtulisse narratur : fato autem functus est anno DCCXIV.

apparitio Thomæ Episcopo facta,

ad novam ecclesiam translatio

F

11 *In MS. Pragensi dicitur ea translatio facta* VIII Kalendas Decembris, anno Dominicæ Incarnationis DCCIII : *sed aliquantis annis citius id factum asserere videntur*

1 Decembris vel 24 Novembris anno forte 698.

AUCTORE G. H.

A *videntur Monachi seniores, qui Chronicon monasterii compilarunt, infra allegandum; et scripserunt, anno* MCXLIV. Elapsos annos circiter CCCCXLIV a tempore quo Thomas Episcopus beatæ memoriæ sanctum B. Prosperi corpus in altari deposuit; *hi enim ad initium seculi* VIII *nos ducunt; et quoniam latitudinem aliquam patitur vox* circiter, *annus autem* DCXCVIII *diem* VIII *Kalendas Decembris, ipsarumque Kalendarum habuit cum Dominica compositum; facile crediderim, illo potius factam, translationem prædictam. Ast Flaminius apud Surium, factam eam vult,* sub Luitprando Longobardorum Rege. *Hic vero Asprando Patri primum successit anno* DCCXII, *neque talem concursum videre potuit ante annum* IX *regni sui, Christi* DCCXX. *In istam tamen Flaminii sententiam, translato postea in urbem Thomæ Corpori positum titulum recitat Ughellus, in Appendice ad tom. 2 addita post tomum 5 col.* 1560, *hisce verbis;* Beati Thomæ, Regiensis Antistitis, qui tempore Luitprandi Longobardorum Regis Basilicam Abbatialem S. Prosperi, extra civitatem ædificatam, Regiensium Tutelari dicavit, mortales exuviæ, hocce intra civitatem, a Benedictinis Cassinensibus, dictæ Abbatiæ ab illius fundatione incolis, bellorum ergo magnifice vetu- B stiore suffecto, ejus membra, cœlo asservante spiritum, æternitati quiescunt.

Thomæ Epitaphium.

12 *Hæc si vera sunt, oportet ut Benedictinorum Reginensium fundatio, ipsius Cassinensis monasterii, a Longobardis destructi et per annos* CXXX *desolati, restaurationem, a S. Petronace primum cœptam anno* DCCXX, *annis aliquantis præcesserit; primique Coloni, non Cassino, sed Roma ex Lateranensi eorumdem monasterio Regium adducti fuerint. Malim ego dicere, auctorem monasterii, Ecclesiæ a Thoma conditæ adstructi, ignotum haberi, una cum serie Abbatum si qui ibi fuerunt ante Teusonem, anno ut Ughellus numerat* DCCCCXCIII *factum Episcopum. Hujus apud eumdem, in d. Appendice col.* 1588 *extat instrumentum, de castris quæ* Randenaria *et* Pratiosolum dicitur, ad omnipotentis Dei servitium, et S. Prosperi atque S. Venerii Confessorum, necnon et S. Jucundæ Virginis *donatis :* sed quia inquit hactenus turbine procellarum secularium quassati, et ultra modum lacessiti ac fatigati, monasterium, quod cœpimus, ad unguem et perfectionem perducere nequivimus... prætitulata loca in integrum præscripto monasterio, utique tandem absoluto, Abbati suisque successori- C bus ac Fratribus... per hanc paginam confirmavimus. *Nullum hic videas ullius præexistentis monasterii indicium, ut illud vel nullum unquam fuerit, vel pridem destructum jacuerit superstite sola ibi ecclesia. Idem* Teuzo *dicitur obiisse anno* MXXX, *et secundus Abbas Mannon assumptus anno* MXXV. *Fieri ergo potuit, ut monasterii fundatio vel restauratio, primique Abbatis Landulfi institutio, et chartæ præcitatæ traditio, cadant in annum circiter* MXVI *vel* XVIII; *et sic effluxerint anni* XX *aut plures, quod idem Teuzo ipsa in urbe construxerat* Collegiatam S. Prosperi ecclesiam, *institutis ibi Præposito et Canonicis octo, translatisque in eam* SS. Prosperi et Venerii *corporibus saltem ad tempus; quoad usque perficeret novi monasterii fabricam; ne interim absque debito cultu tam Sancta pignora remanerent, inter ruinas loci tunc (ut videtur) deserti.*

An is fundator monasterii, incertum;

an vero Teuzo idem qui fecerat dedicari urbanam S. Prosperi ecclesiam,

13 *Translationis istiusmodi testes allegantur versus, in ecclesia urbana appositi parieti, hoc tenore :*

Teuzo præsentem fundavit Episcopus ædem,
Ad decus et Sancti instituit Prosperi :
Cujus ad hanc semper veneranda transtulit ossa,
Cum Papa Quinto nomine Gregorio,
Forte Ticinensem qui tunc pergebat ad urbem,
Concilii sacri causam habiturus ibi.
Pontificem [*Clerus est*] multaque turba secuta,
Suscepit Teuzo quos pater hospitio.

a Gregorio V Papa consecratam

Venerat Antistes junior et ipse Joannes, D
Sede Ravennati * dexter abiturus ibi :
Cum quibus a dicto primo Teuzone rogatus,
Hoc per se templum reddidit ipse sacrum.
Tot simul ac tantis domus sacrata Patronis,
Corpus est positum Prosper hic alme tuum :
Cum quo Venerii simul ossa levata Beati,
Hujus in ecclesiæ condita sunt latere.
Sunt hæc dante Deo, dum Tertius imperat Otto,
Atque Kalendarum facta nona Februarii.

* an? dextram habiturus.

translatis illuc Sanctorum corporibus

Factum fuisse Concilium Ticinense anno DCCCCXCVII, in eoque Crescentium Antipapam anathemate perculsum, *legitur in Chronico Hildesheimensi :* Gregorius *autem Papa V, natione Germanus, ante Bruno dictus, Ottonis Imperatoris consanguineus, est consecratus anno* XCVI *decimi seculi, et* XCIX *vita functus. Anno autem prænotato* XCVII, *habente litteram Dominicalem C, dies* XXIV *Januarii cadebat in Dominicam, ecclesiarum dedicationibus opportunam; itaque verosimile fit, Concilium Ticinense, ad quod pergebat Pontifex, indictum fuisse in mensem Februarium, qui mensis alias ignoraretur.*

anno 997 24 Januarii.

13 *Ad Abbatiæ initium quod attinet, agnovit sine dubio Ughellus, viso præfato instrumento, conditorem ejus seu primum seu secundum fuisse* Teuzonem; *non autem (sicut antea dixerat tom. 2 col.* 299) Comitissam Mathildam, *quæ obiit anno* MCXV, *integro fere* E *seculo post Teuzonem. Versus autem prædictos falsitatis habere suspectos cum nonnullis, aut omnino convictos cum Ughello in Appendice, nihil nos cogit eorum quæ mox deducentur. Potuit tamen Mathilda, Pacifico vel Joanne, septimo et octavo loco Abbatiam tenentibus (secundum ordinem Prælatorum ab Ughello col.* 1580 *in Appendice enumeratorum usque Philippum de Zobolis, post quem seculo* XV *circiter dimidio Cassinensium Congregationi unita Abbatia Prælatos perpetuos eosque aliquamdiu Commendatarios habere desiit.) Potuit, inquam,* Mathilda *adeo benefica monasterio pridem condito fuisse, ut altera ejus fundatrix censeri mereretur; eamque liberalitatem exercuerit, intuitu Sanctorum ibi creditorum requiescere, nemine tunc dubitante fortassis nec recordante amplius, a Teuzone tantisper loco motos fuisse, dum condito ibidem novo quod meditabatur cœnobio reportarentur. Imperturbata certe possessione fruebantur Monachi usque ad annum* MCXLIV, *quando exorta desuper controversia, novæ elevationis translationisque causa fuit, uti ex vetustissima, et forte non totis centum annis post scripta Chronica, habet Ughel-* F *lus.*

A b eodem conditam Abbatiam postea ditavit Com. Mathilda,

ubi rursum credebantur Sancti requiescere.

HISTORIA TRANSLATIONUM

Ab anno MCXLIV ad MCCCLXXX.

Ex Chronica Monasterii edita ab Ughello.

Anno millesimo centesimo quadragesimo quarto, elapsis tunc annis circiter quadringentis quadraginta quatuor, a tempore quo præfatus beatæ memoriæ Thomas Episcopus, sanctum B. Prosperi corpus in prænominato majori altari ecclesiæ monasterii S. Prosperi reposuit; Alberus, Regiensis Episcopus, suasu et consilio quorumdam suorum, monasterio prædicto diabolo suadente insidiantium, corpus ipsum B. Prosperi per ambigua loca requirere cœpit. Et nocte quadam, quæ pro festivitate S. Clementis celebris habebatur, fodiens altare majus S. Prosperi de Castello, invenit quædam ossa, nullius titulo consignata; convocatisque prædictis suis, cœpit asserere, illud esse corpus S. Prosperi : et pulsatis ejusdem ecclesiæ signis, conabatur hoc ipsum populis hinc inde confluentibus suadere, dicens : Ecce corpus gloriosissimi Confessoris Christi, Prosperi, Domini

Anno 1144 Alberus Ep. invento sub altari S. Prosperi corpore aliquo,

quod illius esse publicabat,

A Domini et magni Patroni nostri. Sed populi ipsi, audientes quæ facta fuerant, nullam Dei nutu suis verbis fidem adhibuerunt; clamantes apertis vocibus, simul omnes tam viri quam feminæ, non esse hoc corpus S. Prosperi, sed alicujus defuncti ibi depositi.

nequidquam conatur Abbatem trahere in eamdem opinionem,

2 Tunc Amizo, dicti monasterii Abbas, sentiens se et suum monasterium ex hoc ipso gravatum, sequenti mane adiit Episcopum ipsum Alberum, rogans, ut ad monasterium suum veniens, altare majus aperire dignaretur, inventurus proculdubio ibi verissimum B. Prosperi corpus : quod per multa annorum curricula semper ab Italiæ populis ibidem celebre et præclarum habitum fuerat, et etiamnum in præsenti habebatur. Qui renuens, et pluries, tam ab ipso Abbate, quam a diversis Regiensis urbis Proceribus super hoc obnixe rogatus, venire contemnens; et consilium suum in longum protrahere conabatur, et per nuntios et per seipsum [Abbatem et Monachos] ad consentiendum dicto errori suo, quatenus pacata et tranquilla uteretur voluntate, impellere; pollicitus, quodsi ejus consilio et voluntati obedirent, et super hoc contenti et taciti esse vellent, ipse eis fictitii illius corporis medietatem
B tribueret, et coram Clero et populo ambas ecclesias ad nomen et honorem ipsius dedicaret; duasque festivitates per totum Episcopatum celebrandas dedicaret, unam monasterio, et alteram Castello.

oblata medietate inventi corporis,

3 Quod audiens Abbas; Heu! inquit, quis unquam tam frivolum tamque pessimum audire potuit, ut sanctissimum et præclarissimum Prosperi corpus, quod per quadringentos et quadraginta quatuor annos, a sanctæ memoriæ Episcopo Thoma, in loco quem ipse sibi Sanctus vivens in corpore elegerat, repositum ab omni Regio cognoscitur, cuique nos pæne ab ipsis cunabulis deservivimus, nunc nescio a quibus vel unde venientibus, dimidium vel in majori parte divisum recipere rogamur. Deo laudes, Deo gratias referimus, quia totum S. Prosperi corpus habemus. Absit ut illius vestri Sancti, quem vos reperisse dicitis, aliquam portionem ex nomine S. Prosperi recipiamus : qui enim totum possidemus, dimidium habere nolumus : sed iterum atque iterum precamur, ut, sicuti vestri est honoris et Officii, cum Clero, ut jam diximus, et populo ad monasterium veniatis; et ipsum sanctissimum Corpus sine omni scrupulo illud videre desiderantibus ostendatis. Cumque nullum suæ petitioni congruum ab Episcopo
C accepissent responsum, domum maximo cum dolore reversi, inito secum consilio, et admonito prius per nuntios populo, quodam mane, pulsatis omnibus ecclesiæ signis, coram maxima populi multitudine, Abbas cum Fratribus processione ordinata, cum magna reverentia et Litaniarum supplicatione, ecclesiam ingressi, super altare ipsum beatissimi Prosperi, Missarum solennia celebrarunt. Fodientesque arcam, quæ post altare circa tumulum S. Prosperi olim firmissimo muro constructa fuerat; invenerunt sacratissimum mausolæum pretiosissimi corporis sanctissimi Prosperi; quod et præ gaudio lacrymantes, devotissime deosculati sunt.

quod ille respuens,

altare suum aperit et arcam invenit;

4 Iterum autem Episcopum adeuntes, sæpe et sæpius deprecati sunt, ut saltem tunc, ad aperiendum inventum jam tumulum, venire dignaretur. Quod cum, ut prius facere renuisset; tandem post multos dies, jussu et imperio Reverendiss. D. Guidonis, S. R. E. Presbyteri Cardinalis et Legati Apostolici, (cum jam Nobiles quidam et Proceres civitatis cum nonnullis Monachis, dolore nimio ob tantam ejus obstinationem permoti, impetu facto, sacrum B. Prosperi sarcophagum aperuissent; ex quo tanta vis odoris tantaque fragrantia manaverat, ut omnium qui aderant naribus pectoribusque refectis, non solum basilica, sed omnis etiam platea odore nimio repleretur) cum Clero et populo ad monasterium adveniens, super ipsas sacratissimas Reliquias Missarum solennia celebravit. Interque solennia, præfatus Reverendiss. Cardinalis ceterique Episcopi qui cum ipso aderant, doctissimum luculentumque, ad honorem Dei et beati Confessoris Prosperi, ad populum dedere sermonem. D

ad quam aperiendam coactus venire Episcopus

EX CHRONICO LOCI

corpus ipsum invenit,

5 Peractis itaque Missarum solenniis, ipse Præsul et ejusdem monasterii Abbas (qui industria et hortatu jam dicti Reverendiss. Cardinalis, Episcoporumque et Abbatum qui cum eo erant, reconciliati inter se fuerant) aperuerunt, cum maxima devotione et reverentia prælibatum sarcophagum : visisque sacratis B. Prosperi Reliquiis, et a præfato Reverendiss. Cardinale, Episcopis, quoque Abbatibus et omni Clero ac populo qui simul aderant, in veritate cognitis, summa cum jucunditate et lætitia ac ingenti gaudio, unusquisque laudantes Deum, ad propria remearunt. Parvo autem post hæc temporis spatio idem Episcopus, rogatu d. Abbatis, decrevit ad monasterium cum Clero ac populo redire, Sanctorum Venerii Monachi et Jucundæ Virginis altaria similiter scrutaturus; eorumque corpora, si, ut antiquorum fama vulgante percrebuerat, inibi invenirentur, populis alacriter ac devote ostensurus. E
Cum igitur, cum majoris ecclesiæ Clero ac civitatis, reverenter ad monasterium venisset; celebratis devote super S. Venerii altare Missarum mysteriis; cœpit, una cum Archidiacono et Præposito aliisque Sacerdotibus, acceptis malleis cœmentum viriliter confringere, quo ipsum altare cum mensa decentissime conglutinatum [erat] : elevataque mensa statim apparuit loculus pulcherrimus, candidissimo marmore opertus. Quo non sine gravi labore aperto repererunt corpus B. Venerii Monachi. Cujus sacratissimum caput accipiens præ manibus idem Episcopus, devotissime deosculatus, ipsum omni populo ostendit. Deinde accedentes ad altare sanctissimæ Jucundæ, elevata desuper mensa, invenerunt simili ordine compositum locellum, in quo ejus corpus sanctissimum antiquitus devotissime repositum fuerat; elevatoque plumbeo sigillo, accipiens idem Alberus Episcopus sacratissimæ Virginis caput in manibus, ipsumque reverenter ac devote deosculans, ostendit cunctis palam adstantibus.

et postea corpora SS. Venerii ac Jucundæ :

6 Sicque per Dei gratiam certi facti de sua spe, universi cum magno tripudio Deum laudantes ad propria rediere; remanentibus eisdem Reliquiis sic in propatulo per quatuor circiter annos, ob innumeram quotidie advenientium multitudinem, ad eas visendas vel potius venerandas, tam ex longinquis quam ex finitimis regionibus. Veritus autem Abbas prædictus, ne tantum thesaurum, ab aliis recondendum se obeunte, quod facile accidere poterat, reservaret; pretiosissimas ipsas margaritas in propriis altaribus recondere decrevit. Reverendissimus igitur Moyses, tunc Ravennas Archiepiscopus, rogatu ac precibus instantissimis præfati Abbatis, atque suasu præd. Alberi Episcopi et Achillis Regiensis Archidiaconi, una cum d. Albero Episcopo Regiensi, et Lanfranco Parmensi, ac Gregorio Adriensi Episcopis, consecravit ecclesiam prædictam monasterii S. Prosperi, extra et prope Regii mœnia. Recondensque cum maxima veneratione et reverentia, corpus præd. sanctissimi Confessoris Prosperi, in eodem locello in quo repertum fuerat, ejus venerandum altare consecravit, cum suprascriptis Albero Episcopo, Amizone d. monasterii Abbate, et Achille Archidiacono, multisque Monachis et Clericis et fidelibus laicis; posita ibi lamina plumbea in qua scripta sunt omnia eidem cognitioni necessaria. Sanctissimi quoque Venerii, Monachi et Eremitæ atque Presbyteri

quibus ad quadriennium in propatulo servatis, F

consecratur nova ecclesia cum 3 Altaribus.

EX CHRONICO LOCI

Presbyteri corpus, reconditum est, cum lamina similiter plumbea, ejusque altare consecratum a D. Gregorio Adrianensi Episcopo. Sanctissimæ etiam Virginis Jucundæ venerandum corpus collocatum est similiter cum lamina scripta; ipsiusque altare consecratum, a Lanfranco venerabili Parmensi Episcopo. *Hactenus Chronicæ verba, ubi dum dicitur consecrata ecclesia, intelligitur haud dubie nova ecclesia, a Monachis extructa loco ejus quam Thomas fundaverat, quæque monasterii recentis amplitudini non respondebat.*

sub iisque conduntur corpora 1148 *1 Junii,*

7 *Porro qui præfata Ughello descripsit, de suo sic addidit :* Acta sunt hæc omnia per Dei gratiam, præsentibus supradictis Episcopis, Abbatibus et quamplurimis Archipresbyteris et Præpositis, diversorumque Ordinum Clericis, populisque diversarum terrarum innumeris, anno Incarnationis Dominicæ millesimo centesimo quadragesimo octavo, die Kalendarum Juniarum, tempore Sanctiss. D. Eugenii Papæ tertii et Conradi Imperatoris Romani : ut patet ex antiquissima Chronica, registrata in Legendario vetustissimo magno d. monasterii de pergamenis fol. 52, *Ordinatus est Pontifex* Eugenius III *anno* MCXLV, XVIII *Februarii, et Conradus obiit* B
anno MCLII XV *Februarii, sesqui anno ante illum.*

juxta vetus Chronicon

Chronica autem ipsa fuit anno MCCCLXIX *cum tunc retecta lamina collata, inventaque est concordare ; quæ collatio non magnam vim habuisset; nisi etiam pro tunc ad oculum patuisset, Chronicam non recens scriptam sed revera* antiquam, *ut appellabatur, esse, et ante ducentos aut etiam trecentos annos exaratam, quæ antiquitas magnam auctoritatem addit relationi præfatæ : et tacens de translatione corporum a Teuzone facta, suspectam illam posset reddere de falsitate, et simul suprascriptos de ipsa Versus. Certe Canonici S. Prosperi non videntur talis inscriptionis magnam habuisse rationem, qui eam non curaverunt inseri processui sub Clemente VIII formato, et mox producendo; vel saltem Apostolici judices eam non censuerunt recipiendam. Excusari tamen potest Chronicæ silentium de translatione illa in urbem, quod temporaria solum fuerit, Monachorumque inductionem præcesserit. Interim notabile est, quod cum de Capitibus* SS. Venerii et Jucundæ *specialis fiat mentio, nihil dicatur de Capite* S. Prosperi ; *ideoque quod videri illud posset in ecclesia Urbana retinuisse Teuzo, ne illa gratis nomen Sancti ferret. Interim ubi illud nunc sit neminem dicere invenio. Ex dictæ porro Chronicæ supplemento vel aliis publicis* C
monasterii scripturis sequentia accipe.

in quo nulla mentio translationis prioris.

Propter destructum anno 1366 monasterium transgressi in urbem, Monachi

8 Anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo nono, die quinto decimo Junii ; cum jam anno trecentesimo quinquagesimo sexto, die decimo sexto Februarii, par D. Feltrinum de Gonzaga, destructum fuisset præfatum monasterium ; D. Petrus dela Garata, tunc ejus monasterii Abbas, et Abbatis Zifredini immediatus successor; timens ne ob totalem ipsius monasterii desolationem, ob quam nec Monachi habitare, nec divina in eo celebrare mysteria poterant, præfata Sanctorum corpora inde furtive subtraherentur, aut repentina violentia derobarentur, præsertim propter guerras quæ tunc in diœcesi Regiensi et comitatu vigebant; obtenta licentia a Sanctissimo Pontifice Urbano V (ut ex ipsius Bulla plumbæ, quæ in eodem monasterio est, manifeste apparet) volens ea transferre ad ecclesiam Prioratus S. Matthæi in civitate Regii, eidem monasterio pertinentis, ubi tam ipse quam Monachi sui tunc temporis morabantur; adiit Reverendissimum tunc Laurentium Episcopum Regiensem, ut, juxta præfatæ Bullæ seriem eidem translationi interesse dignaretur. Qui cum ei in dubium revocasset an dictæ venerabiles Reliquiæ essent in d. monasterii ecclesia, an in ecclesia S. Prosperi de Castello ; idem Abbas eum rogavit, ut pro elucidanda veritate et amovenda D
omni de fidelium cordibus dubietate, cum illo Clero qui sibi placeret, ad monasterium veniens, dictorum Sanctorum altaria perscrutari diligentissime dignaretur, conferens una cum suprascriptis antiquis monasterii Chronicis,

eodem an. 1369 translaturi Sanctorum corpora,

rogant ad id venire Episcopum Laurentium:

9 Cui idem Episcopus benignissime annuens, die quinta decima mensis Junii anni suprascripti, ante auroram ad monasterium veniens per portam S. Nazarii, cum Archidiacono suo et cum Præceptore S. Joannis Hierosolymitani, Priore S. Jacobi, et principalibus aliis Canonicis, Clericis, et diversorum Ordinum Religiosis, sed et diversis d. civitatis Nobilibus ac civibus; celebrata prius super altari S. Prosperi Missa Spiritus sancti, invocatoque Jesu Christi nomine, per Mag. Guidonem Razam, Bartholomæum Spongam, Antonium Cavacini, muratores, non sine maximo labore cum livereis ferreis et malleis, coram cunctis prædictis et aliis adstantibus, frangi et aperiri fecit altare præd. et arcam magnam, ultra communem staturam, in ipso sub una lastra marmorea positam. Qua aperta exivit odor ex ipsa eximius : et videns Reliquias B. Prosperi, coopertas panno serico rubeo, cum lamina plumbea in qua scriptum erat : *Anno ab Incarnatione D. N.* E
Jesu Christi MCXLVIII *Indictione undecima, die Kalendarum Juniarum, consecratum est hoc altare, et repositum est ibi corpus S. Prosperi Episcopi et Confessoris, a D. Moyse Archiepiscopo Ravennatensi, et ab Episcopo Regiensi Albero, et ab Episcopo Parmensi Lanfranco , et ab Episcopo Adriensi Gregorio, et ab Amizone Abbate ejusdem Monasterii, et multis aliis :* eamque in omnibus et per omnia cum suprascripta Chronica concordare comperiens; summa cum reverentia et devotione, unam ex prædictis S. Prosperi Reliquiis accipiens, osculatus est, osculandamque obtulit adstantibus.

qui cognita priori altarium consecratione,

ipsa declarat esse vera

10 Et declarans illud esse corpus S. Prosperi, accessit ad altare S. Venerii : illoque ut supra aperto, reperit corpus ipsius, cum simili lamina plumbea, prout in Chronicis continetur in capsa marmorea. Accipiensque in manibus cum reverentia et devotione caput ipsius, deosculatus est; ostendens ipsum circumstantibus, et deosculandum offerens, et dans Indulgentiam quadraginta dierum, tam adstantibus tunc ibi, quam cunctis d. ecclesiam et altaria visitantibus. Cumque iterum fieret ibi non parvus populi concursus, præfatus D. Episcopus, cum prædictis Dominis eum associantibus, ad pro- F
pria reversus est : ut patet Instrumento publico et authentico, manu Ubaldi de Sturgidis, Imperiali auctoritate Notarii, rogato, tempore suprascripti summi Pontificis Urbani Quinti, et D. Caroli Romanorum Imperatoris, anno, mense, et die conscriptis; in quo Instrumento describuntur plurimi testes, tam ecclesiastici quam seculares, et inter eos multi nobiles et potentes viri : quod Instrumentum habetur in d. Monasterio. Supradicta igitur corpora sanctorum Prosperi ac Venerii, inventa, ut supra in ecclesia suprascripta, necnon sanctæ Virginis Jucundæ, portata fuerunt in civitatem Regii ad ecclesiam S. Matthæi prædictam, ubi tunc habitabat Abbas præd. et Monachi : et per ipsum Abbatem Petrum ac Fr. Rolandinum de Bertis, Priorem claustralem d. Monasterii, reposita fuerunt in altari S. Matthæi anted. secreto.

itaque deportantur in ecclesiam S. Matthæi,

unde anno 1383

11 Anno millesimo trecentesimo octogesimo reædificata fuit ecclesia et monasterium S. Petri prædictum, per d. Abbatem Petrum ; et anno millesimo trecentesimo octogesimo octavo die decima nona Martii per præd. Abbatem Petrum et Fr. Rolandinum suprad. qui tunc factus fuerat Abbas monasterii de Canosa seu de Canusia, accepta fuerunt dicta

Sanctorum

A Sanctorum corpora, præsentibus multis viris de d. ecclesia S. Matthæi, et reportata ad d. Monasterium S. Prosperi. Eodemque anno Indictione undecima, die duodecimo Aprilis, repositum fuit in altari majori ecclesiæ d. Monasterii corpus præd. beatissimi Prosperi; altareque ipsum consecratum per Reverendiss. P. D. Joannem Antibarensem, atque Cæsareensem, et alios plures Episcopos, præsentibus clero et populo Regiensi. In altari quoque S. Venerii eodem die, anno et mense, reconditum fuit corpus S. Venerii : et in altari S. Jucundæ corpus ejusdem sanctissimæ Virginis. Consecrataque fuerunt ipsa altaria per suprascr. D. Joannem Episcopum Antibarensem et alios Episcopos et Prælatos, qui ibi fuerunt. Vacante tunc Imperio, tempore D. Urbani anted. Papæ, et D. Ugolini de Sesso Episcopi Regiensis, ac dominante Illustr. Principe D. Galeatio de Vice-comitibus de Mediolano in civitate Regii ac in tota fere Lombardia, uti apparet in laminis plumbeis quæ sunt in dd. altaribus.

in novam ecclesiam referuntur 12 Aprilis.

ANIMADVERSIO D. P.

B

Translatio illa ultima facta per Archiep. Antibarensem,

12 *Prædictæ laminæ registrantur infra ad calcem Processus, num.* 24, 25 *et* 26, *sunt autem, præter primariam præcedenti numero verbotenus descriptam, aliæ quinque, septem præsentium testium, ad majorem certificationem ex superabundanti additæ corpori S. Prosperi. Ex ea autem quam dixi primariam, ibi accuratius transcripta, agnitus est et correctus error qui hic apud Ughellum irrepserat, feceratque irrepere* Atrebatensem Episcopum Joannem *in Belgio (qui tunc non vocabatur* Joannes, *sed* Petrus, *nec pedem in Italiam tulisse unquam scitur) pro* Antibarensi, *qui in alia priori lamina num.* 23 *melius nominatur* Archiepiscopus. *Erat enim* Antibarum *in Dalmatia Sedes Archiepiscopalis, vulgo* Antivari *ad oram Adriatici maris, inter Raguzam atque Dyrrhachium media. Is autem tunc verosimiliter in Italiam fugerat, nomine Sigismundi Hungariæ Regis auxilium imploraturus, contra Stephanum Rasciæ ac Bosniæ Regem : qui Clissa Cataroque potitus, reliquæ imminebat Dalmatiæ, eamque, victis demum Hungaris et Turcis, magna ex parte obtinuit; unde in litteris, quas idem ad Tragurienses amicos suos dedit anno* 1389, *scribitur,* Stephanus Tuertko D. G. Rex Rasciæ, Bosniæ, Maritimæque etc, *de quo vide Joannem Lucium lib.* 5 *de regno Dalmatiæ cap.* 3.

Sede sua ex Dalmatia profugum,

C

13 *Quomodo autem idem* Joannes *dicatur* Antibarensis atque Cæsareensis, *non ausim per conjecturam definire; legitimam esse scriptionem non dubito. Interim apparet ipsum solum inter plures Episcopos præsentes nominatim exprimi, tamquam Archiepiscopali titulo potiorem. Fortassis etiam non sua voluntate venerat in Italiam, sed sede sua pulsus a Stephano. Opportune certe aderat Regii, ubi translato sub annum* MCCCLXXXVII *Seraphino Episcopo in Sardiniam ad ecclesiam S. Justi, seu verius illuc per Galeatium expulso, Episcopatum tenebat quindennis puer Ugolinus (ut est apud Ughellum tom.* 5 *col.* 1617) *adeoque Episcopatus Administratore idoneo egebat; ac fortassis etiam dum adolesceret, studiorum causa Parisios transierat, unde et contigit eum Antuerpiæ in Belgio mori, ætatis suæ anno* 22, *necdum Sacerdotio initiatum. Hæc omnia juverit expendisse, ne quis possit de harum laminarum veritate dubitare, quas qui fingere post annos octoginta voluisset, quando resuscitata est, cœpta sub Albero Episcopo adversus Monachos contentio Canonicorum, numquam cogitasset de componendis rebus, in speciem adeo disparatis; licet reipsa conjunctissimis. Accedit huc publica celebritas, qua facta est collocatio sanctorum Corporum et consecratio Altarium, electo ad majorem populi commoditatem die* XII *Aprilis, qui anno* MCCCLXXXVIII *Dominicus fuit.*

vice Episcopi Ugolini solum quindennis:

quæ tam extraordinariæ circumstantiæ valde rem confirmant,

D

AUCTORE D. P. et fidem elevant contrariæ relationis,

14 *Ex adverso, qui contentioni anno* MCCCCLI *denique suscitatæ, arma præparavere, fortassis tempore haud longo post istæc tam notorie in Monasterio acta, nihil pensi videntur habuisse quid scriberent, modo scriberent aliquid, quod multis post annis repertum opponeretur producendis ex parte Monachorum documentis. Cum enim adversus ea non viderentur suffecturæ lamellæ iis quæ in S. Prosperi de Castello erant corporibus olim appositæ ab Episcopo Albero,* Corpus et Reliquiæ S. Prosperi Episcopi Regii, *etc.*; Hic est Corpus S. Venerii, *uti infra Processum num.* 21 *et* 22 *leguntur; aliam majorem laminam exaravere sic continentem.* Ad perpetuam rei memoriam.

Notum sit omnibus Christi fidelibus, devotis beatissimi Prosperi Confessoris, quod anno Domini MCCCLXIX die XV Junii, tempore D. Laurentii de Pinottis Episcopi, consentiente Clero et populo Regino, corpus ipsius fuit translatum ab ecclesia S. Prosperi de Castello, et depositum apud sacristiam majoris ecclesiæ Reginæ. *Nota obsecro diem et annum eumdem, quo idem Episcopus adeo solenniter in ecclesia monasterii, de sub altaribus loci jam deserti, eduxerat Sanctorum corpora, educta probaverat, probata ad ecclesiam S. Matthæi transtulerat. His autem factis, ad removendum periculum scandali ex eo processuri, si sub iisdem nominibus haberi in ecclesia S. Prosperi pergerent, alia ibi ab Albero condita corpora; prudenter jussit ea inde amoveri; et (sicuti in iis mos est, de quorum sanctitate nihil certo constat) deferri ad sacristiam, non ejusdem ecclesiæ ubi essent in potestate Canonicorum, sed Cathedralis suæ, unde absque Episcopi et Collegii principalis scientia auferri non possent.*

quasi idem Laurentius corpora prius reperta ab Albero, removeri ab altaribus non fecisset ut dubia;

E

15 *Sic exorsi a vero Episcopi Laurentii facto, sed aliter quam oportebat accepto; et veluti si ipse ea corpora, sub iis quæ præferebant nominibus approbasset; pergunt laminam suam scribere ejus auctores, et addunt :* Postea vero, die XV Aprilis *(erat hæc feria* II *post Dominicam in Albis, nisi legendum sit ut infra* XXV *Aprilis et copista noster hic* 15 *scripserit pro* 25, *tunc autem erat festum S. Marci et Letania major)* Postea *inquam* Rev. Seraphinus, Episcopus Regiensis et Princeps, una cum Clero et Capitulo, palam cum campanis et processionibus, honorifice demum beatum Corpus fecit ad ecclesiam S. Prosperi feliciter deportari, et in arca propria devotissime introcludi. Et altaria BB. Prosperi et Venerii fuerunt consecrata d. anno et die XXV Aprilis per d. D. Seraphinum. *Nempe cum prope esse appareret, ut perducta ad culmen ecclesia Monachorum dedicaretur, eoque referrentur corpora Sanctorum ex æde S. Matthæi; gliscente inter Episcopum et Galeatium Mediolanensem dissidio, cum hic dominium civitatis Regiensis affectaret, ille Laurentii decessoris exemplo* Episcopum Regii et Principem *se diceret. Facile autem eidem persuaserunt, ut urbanum Clerum, ad partes suas arctius colligandum demereretur rescissa decessoris in favorem Monachorum lata sententia; et impetrata quam dixi translatione, rei gestæ seriem, sicuti posita est, laminæ plumbeæ inscripserunt. Sed non diu gavisi sunt consilii talis successu : ejecto enim mox, ut apparet, Seraphino, rerum in urbe potens Galeatius, quindennem puerum consecrari Episcopum fecit, dissimulante forsitan Gregorio XI, quo a Florentinis hostibus abjunctum Galeatium retineret in obsequio; interimque jubente, Archiepiscopum Antibarensem prospicere necessitatibus diœceseos istius, et Episcopalia munia exercere. Et ita quidem Monachis et veritati reddita justitia est, sed non ideo coacti Canonici removere ab altaribus corpora jam ibi reposita.*

quo dissimulato ejus successor ea quidem reposuit anno 1387,

F

sed eo non obstante curata est anno 1348 translatio prædicta,

16 *Anno* MCCCCLI *controversia renovata fuit sub Baptista Palavicino Episcopo, qui persuasus fuit (uti infra*

AUCTORE D. P. ac rursum anno 1453

A *infra num. 21 leges) recognoscere et approbare corpora in ecclesia S. Prosperi asservata: sed de jure Monachorum postea melius edoctus, lite per biennium protracta, manus tandem dedit; et petitam ab illis recognitionem corporum, in novas capsas transferendorum, suscepit anno* MCCCCLIII, *uti infra num.* 26 *et* 31 *apparebit. An autem Canonicis tunc fuerit super ea re indictum silentium, non liquet: non apparet certe quidquam eos movisse, cum anno* MDXVIII *celebrata nova translatio est ab Abbate D. Paulo Borella. Sed cum anno* MDLI *belli causa solo æquatum monasterium suburbanum esset, atque ad aliud loco ejus in urbe extructum transferenda corpora, renovata lis est, et absque præsentia Episcopi Joannis Baptistæ Grossi, Tridentino Concilio assistentis, cum interventu Cleri, per solum Abbatem et Monachos facta translatio* XXI *Decembris, festo S. Thomæ Apostoli, exigua (ut credibile est) pompa: exindeque continuata est per annos quinquaginta controversia, magnis hinc inde animis agitata, ac tandem ad Apostolicæ Sedis judicium devoluta. Huic Sedi præsidens Clemens VIII, quomodo Pontificatus sui anno* X *Christi* MDCI *nodum non tam solverit quam sciderit, et indicto Partibus utrimque silentio, Canonicis quidem S.* B *Prosperi Reliquias tam quæ revera erant, quam quæ esse dicebantur attribuerit; Monachis similiter eas quæ S. Venerii nomine utrobique habebantur, sequens docebit Historia.*

1518, 1551; pendente controversia an. 1451 renovata usque ad 1601.

Ejus primus auctor Alberus Ep.

17 *Prius tamen ad initium controversiæ redeo, et ad Episcopum* Alberum *sive* Alberium *(uti scribi jubet Ughellus tom.* 3 *col.* 1599*) aliis etiam* Adalbertum *et* Albericum, *Lucio vero Papæ III* Alberonem, ex Canonico Regulari et Priore S. Mariæ de Rheno Bononiensis diœcesis *assumptum ad Infulas Regmenses. Hunc ego, utpote virum religiosum, deque ecclesia sua optime meritum, et quod caput in agendo sincerum (sicut probavit prioris sententiæ adeo publica retractatio) credere non possum quidquam mala fraude egisse, suppositis corporibus undecumque acceptis: sed persuasum a satis constanti, et per publice extantem titulum probata fama, de facto Teuzonis Episcopi, omnino credidisse, cum necdum examen in monasterio fecisset, eadem corpora in Collegiata remansisse. Cum autem præfatus titulus solum diceret,* in ecclesiæ latere condita *illa esse, neque eorumdem inde ablatorum in eadem ecclesia extaret monumentum; induci sine culpa potuit vir bonus, ut putaret ipsa ibi adhuc posse inveniri, et inventa duorum Anonymorum corpora, licet absque titulo, eorumdem esse crederet qui requirebantur.* C

credi potest bona fide egisse; requirendo corpora Sanctorum eo loco ubi sec. 5 putatur fuisse Cathedralis;

18 *Quamquam enim ecclesiam S. Prosperi in Castello Teuzo Episcopus dicebatur ædificasse; eo tamen loco ædificandi non alia videtur causa fuisse, quam quod istic, ante civitatem a Gothis eversam, Cathedralis olim ecclesia fuisse traderetur. Hoc autem, ut est verosimillimum, posito; mirum non fuerit si eidem Teuzoni, humum ad fundamenta novæ ecclesiæ jacienda molienti, et curiosius omnia observanti, occurrerit sine titulo nominis corpus alicujus Sancti, ante vel post* Prosperum *Episcopi, indicium ordinis Episcopalis facientibus annuli vel baculi Pastoralis reliquiis, defuncto contumulatis; aliud item talibus indiciis carens, eo tamen modo compositum, ut appareret sanctius esse cadaver, quod sic humatum inveniebatur; quæ ille sine scrupulo collocaverit sub altare majus, istic ubi illa invenit Amizo; prudentius facturus, si quos inveniebat a Teuzone collocatos anonymos, etiam anonymos reliquisset, neque definivisset quorum illa essent: nam sub tali cautela mansisset illis honor suus imperturbatus, et sua quies Monachis. Nullos quidem civitas Regiensis tunc noverat et nunc novit Sanctos suos antiquos, nisi* Prosperum, Venerium *et* Jucundam, *in ecclesia suburbana compositos a Thoma Episcopo seculo* VIII; *vix tamen possum dubitare, quin, æque ac Italicæ ceteræ civitates, plures ex primis Episcopis suis pro* D *Sanctis habuerit, colueritque etiam alios nonnullos inferioris Ordinis, et eorum corpora detulerit in ædem sacram ex cœmeterio suburbano (ubi sepelire etiam Episcopos mos Romanis erat) quorum memoria prorsus perierit ipsa cum urbe. Hæc vero cum sub Longobardis restaurari cœpisset, initium factum sit circum veteris Cathedralis parietinas; quibus propter securitatem circumjecto munimine vallatis, inditum fuerit nomen* Castelli; *quod hodiedum perseverat in nomine Portæ, quæ* Castelli *dicitur, nullo istic alias nunc apparente munitionis ullius indicio; sed ex opposita fere parte ædificata ad veterem S. Nazarii portam a Ludovico Gonzaga arce, sub annum* MCCCXXXIX, *uti Leander Albertus docet.*

et Sanctos aliquos anonymos potuit invenisse Teuzo sub altari locandos;

19 *Si Acta Inventionis prætensæ pro anno* MCXLIV *die* XXIII *Novembris, scribi fecisset Episcopus Alberus, aut scripta forsitan non jussisset aboleri; sciremus quibus indiciis et quam non temere judicaverit, duorum a se repertorum corporum, alterum Sancti alicujus Episcopi, alterum Sancti non Pontificis esse; nec alios nisi* SS. Prosperum *et* Venerium *noscenti, qui etiam istic dicebantur aliquando a Teuzone locati, facile ignosceretur,* E *quod eorum crediderit esse corpora illa: quodque jam progressus ad publicam Translationem, toto triennio cunctatus fuerit audire preces Monachorum, contraria urgentium. Sed horum jam cognita probataque causa, prudentiæ fuit abolenda curare publica omnia prioris erroris, si qua extabant, monumenta; unde factum est, ut nihil eorum produxerint Canonici pro causa sua, sed satis habuerint Laurentii Episcopi Acta, contrario quam debuerunt sensu allegare ad probationem prætensæ suæ possessionis.*

in quibus nominandis deceptus Alberus veniam mereatur, post quam errorem retractavit:

20 *Hujus porro possessionis inanitate probata, solum optandum nunc superest, ut dignetur Deus manifestare, quorumnam Sanctorum eæ sint Reliquiæ, quæ cum Reliquiis apud Monachos, et quibusdam apud Canonicos extra altaria repertis, nunc honorem obtinent communis saltem nominis. Verum non solet ille, qui simplici fidelium devotione magis, quam curiosa arcanorum suorum pervestigatione delectatur, hujusmodi votis obsecundare: et Romani Pontifices sui officii solum esse existimant, a commissis sibi ecclesiis amoliri scandala, in animorum dissensiones prorumpentia; cetera Deo temporique committunt, nec prohibent ab eruditis ea moderate discuti; nisi ipsamet illa qualiscumque discussio, periculum fidei moribusque adducat; quod in præsenti casu nullum subesse arbitramur. Nunc ergo tandem ad* F *ipsam Clementis VIII sententiam veniamus, atque ad ejus executionem per Commissarios Apostolicos; quorum interim unus* Franciscus Gonzaga, *vir notæ integritatis ac sanctitatis,* in ipsa Reliquiarum apud Monachos quiescentium inspectione, *dicitur apud Ughellum col.* 1584 coactus *palam exclamando* asserere, *quod* hoc est vere corpus sancti Prosperi.

quem nobis discutere licuit etiam post litem a Clemente VIII compositam.

HISTORIA TRANSLATIONIS

Jussu Clementis PP. VIII, factæ an. MDCI.

CAPUT I.

Petentibus Canonicis procedi ad excutionem Brevis Apostolici, ipsum aliudque eo spectantia producuntur.

Anno 1601 coram Executoribus Brevis Apostolici,

In Christi nomine. Amen. Anno Incarnationis ejusdem millesimo sexcentesimo primo, Indictione quarta decima, die tertio decimo Novembris, tempore Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris et D. N. D. Clementis, Divina providentia Papæ VIII anno decimo; coram Illustrissimis et Reverendissimis D. Gaspare Silingardis, Episcopo Mutinensi, et D.

D. Fratre Francisco de Gonzagis, Episcopo Mantuæ, Executoribus Brevis Apostolici in Membranis, sub Annulo Piscatoris, existentis in Palatio Episcopali civitatis Regii, et in Camera Rangona; comparuerunt infrascripti Illustres et Adm. Reverendi Domini, Antonius Nuschius, Præpositus insignis Collegiatæ Ecclesiæ S. Prosperi de Castello civitatis Regii; necnon et Dominus Andreas Aliatus, Prior; Petrus Antonius Cassolius, Hieronymus Baiscus, Achilles Grudellus, Horatius Majolius, et Ludovicus Codurus; omnes Canonici d. Collegiatæ Ecclesiæ, vocem habentes in Capitulo, et totum Capitulum d. Ecclesiæ facientes et repræsentantes, conjunctim et divisim, omni meliore modo; et inhærentes præsentationi Brevis Apostolici, et Litterarum de quibus infra; necnon et sententiæ, seu voto sacræ Congregationis Rituum et Ceremoniarum, alias seorsum præsentatis et productis, coram suprascriptis Illustrissimis et Reverendissimis Dominis Episcopis Mutinensi scilicet, ex rogitu D. Alexandri Boscheti publici Notarii Mutinensis, et Mantuano, ex rogitu D. Caroli Righelli Notarii Mantuani; quos exhibuerunt et præsentarunt ambos cum litteris legalitatis in forma; iterum et de novo produxerunt capitulariter congregati ut supra, exhibuerunt et præsentarunt d. Breve, datum Romæ sub Annulo Piscatoris, sub die undecimo Februarii anni MDXCV; una cum sententia seu voto dictæ sacræ Congregationis, super executione d. Brevis, facta sub data diei secundi Octobris an. MDCI, cum subscriptione et sigillo Illustriss. et Reverendiss. D. Cardinalis Florentiæ, una cum litteris scriptis ad Vos Illustriss. ac Reverendiss. Dominos Episcopos per d. D. Cardinalem de Florentia, sub die secundo Octobris anni instantis, et prædicta omnia sana, et in forma probanti apparentia; instantes et enixe petentes per Illustriss. et Reverendiss. Dominationes vestras deveniri ad executionem et consummationem omnium et singulorum, de quibus in d. Brevi, sententia seu voto, ac litteris antedictis, in omnibus et per omnia, juxta formam et continentiam eorum, servatis omnibus de quibus in eis, ad finem ut tandem justum et honestum desiderium eorumdem comparentium adimpleatur, et executioni tradatur; offerentes sese paratos parere omnibus mandatis et jussionibus Illustriss. et Reverendiss. Dominationum vestrarum; et protestantes per se non stare, quo minus omni meliori modo etc.

comparentes Canonici S. Prosperi, ipsumque Breve etc. exhibentes, petunt ad ejus executionem procedi.

2 *Tenor vero scripturarum Brevis, voti et litterarum, de quibus supra, hic sequitur: omisso utroque supra memoratorum Notariorum rogitu prædicto.*

CLEMENS PAPA VIII

Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam Benedictionem.

Sicut Clemens VIII, intellecta controversia inter ipsos Canonicos et Monachos S. Petri,

Injuncti nobis Apostolici muneris debitum exposcit, ut non solum ea quæ pacem et concordiam nutriunt, pura intentione perquiramus; verum etiam illa ab Ecclesiasticis personis exstirpare solicite studeamus, quæ seditionem et scandalum introducunt. Dudum siquidem orta controversia inter dilectos Filios, Capitulum et Canonicos Collegiatæ Ecclesiæ S. Prosperi civitas Regiensis, prætendentes, quod jam supra septingentos annos Corpora SS. Prosperi Episcopi, et Venerii Monachi d. civitatis Patronorum, ex illa Ecclesia, in qua tunc recondita erant, ad prædictam Collegiatam, quæ sub invocatione ejusdem S. Prosperi in civitate præd. tunc a bonæ memoriæ Teuzonio Episcopo Regiensi ædificata, et postea........ per Communitatem Regiensem magnifico sumptu pluries restaurata et aucta extitit, translata fuissent; ut ex antiquissima traditione publicisque documentis constare asserunt, ex una; ac dilectos etiam Filios, Abbatem et Monachos monasterii S. Petri, etiam Regiensis, Ordinis S. Benedicti, prætendentes Corpora dd. Sanctorum Prosperi et Venerii in eorum Ecclesia S. Petri recondita esse; ex altera partibus, lite super hoc a quamplurimis annis mota, eo deventum est, ut, licet Episcopi pro tempore, et Communitas et homines civitatis Regiensis, qui cum præd. Capitulo et Canonicis firmiter credunt, Corpora prædd. Sanctorum in præd. Collegiata Ecclesia, ad quam semper ea ratione universus Clerus et populus ejusdem civitatis peculiarem gesserunt et gerunt devotionis affectum, sese opposuerint, et quod Abbatem et monachos ab hac eorum prætentione rejicere conati fuerint: nihilominus quia iste Abbas et Monachi semper in eorum opinione perstiterunt, nedum maxima exinde fidelis populi perplexitas, sed etiam scandalum non mediocre cum devotionis imminutione, cœpit exoriri.

Auctore D. P. super possessione Corporum SS. Prosperi et Venerii

3 Nos autem ubi primum hæc ad aures nostras sunt delata, opportunam rationem inire cupientes, qua hujusmodi controversia omnino præscinderetur ac omnis e fidelium mentibus dubietas, de medio tolleretur, hujusmodi causam venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, Congregationis sacrorum Rituum et Ceremoniarum, per eos mature examinandam et discutiendam, ac nobis referendam commisimus. Cumque novissime per venerabilem Fratrem nostrum, Alphonsum Episcopum Estensem Cardinalem Gesualdum, præd. Congregationis sententia ad nos relata fuerit; Nos juxta illam, causam hujusmodi terminare deliberavimus.

et causa Congregationi Rituum proposita,

4 Motu igitur proprio, non ad alicujus partium præd. vel aliorum, pro eis nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia ac matura nostra deliberatione, ac de ejusdem Congregationis Cardinalium consilio, causam seu causas litesque et controversias, super hujusmodi materia hactenus excitatas, motas, introductas, ac indecisas pendentes, a quocumque seu quisbuscumque judicibus ordinariis vel delegatis, in iisdem statu et terminis, in quibus reperiuntur ad nos harum serie avocantes, illasque penitus extinguentes ac perpetuum utrique partium desuper silentium imponentes, vobis per præsentes committimus et mandamus, ut vos conjunctim si fieri possit, sin minus alter vestrum ad præd. civitatem Regiensem accedatis vel accedas; ac vocatis Episcopo Regiensi ac tribus dignitatem obtinentibus, ac tribus Canonicis partim Cathedralis, partim dictæ Collegiatæ Ecclesiæ, pro parte Capituli et Canonicorum præd. ac Abbate et sex Monachis ex senioribus magis qualificatis pro parte d. Monasterii; ac assumptis etiam quinque aut quatuor testibus, viris gravibus et fide dignis, cum iis omnibus ad loca tam Ecclesiæ Collegiatæ, quam monasterii prædictorum, in quibus Corpora SS. Prosperi et Venerii recondita esse dicerentur; vos conferatis aut alter vestrum se conferat; ac loca prædicta in præsentia duorum auctoritate Apostolicæ Sedis Notariorum, ac dictorum quinque vel quatuor testium, ac assistensibus Partibus prædictis, ac auctoritate nostra, omni et quacumque appellatione, reclamatione et recursu penitus remotis, aperiri mandetis et faciatis, aut alter vestrum mandet et faciat, et in loca ipsa de Reliquiis dictorum Sanctorum diligenter inquiratis et inspiciatis, seu alter vestrum inquirat et inspiciat.

ex ejus sententia mandavit ut convocatis convocandis, accedant ad utrumque locum Commissarii; omnibus inspectis,

5 Et prout in quolibet ex dictis locis reperta fuerint corpora dictorum Sanctorum, Corpus S. Prosperi Episcopi in Collegiatam Ecclesiam prædictam transferri, et in ea reverenter collocari, perpetuoque custodiri; Corpus vero S. Venerii in Ecclesia

Canonicis Reliquias S. Prosperi,

PROCESSUS MSS.

A clesia prædicta Monasterii S. Petri et transferri, et in ea religiose collocari, et perpetuo custodiri. Ceterum Capitulo et Canonicis Ecclesiæ S. Prosperi membrum integrum, non tamen Caput, S. Venerii; Ecclesiæ vero et Abbati et Monachis d. Monasterii, membrum integrum, non tamen Caput S. Prosperi, in iisdem respective Ecclesiis perpetuo asservanda, concedi et tradi eadem auctoritate nostra curetis et faciatis, aut cures et facias; atque super his omnibus publicum instrumentum per dd. Notarios, in solidum rogandos, in præsentia dd. testium confici, ac ejus instrumenti exemplar authenticum utrique partium consignari mandetis aut mandes. Nos enim vobis seu alteri vestrum præmissa omnia et singula, faciendi, ac tam Capitulum et Canonicos Collegiatæ Ecclesiæ, quam Abbatem et Monachos Monasterii præd. auctoritate nostra, et sub censuris et pœnis Ecclesiasticis, arbitrio vestro vel alterutrius vestrum imponendis et aggravandis, cogendi et compellendi, auxiliumque brachii secularis, si opus fuerit, invocandi, aliaque super his necessaria, opportuna ordinandi, gerendi et exequendi plenam et liberam eadem Apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus facultatem.

Monachis S. Venerii consignent,

Apostolica auctoritate nixi,

B

non obstantibus quibuscumque.

6 Non obstantibus Apostolicis et Inuniversalibus Provincialibusque et Synodalibus Consiliis editis, generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus ac Collegiatæ Ecclesiæ et Monasterii, illiusque Ordinis prædd. etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia, roboratis statutis et consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis et Litteris Apostolicis, in contrarium præmissoruum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die XI Februarii MDXCV, Pontificatus nostri anno VI.

M. Vestrius Barbianus.

Transilio votum Congregationis Rituum, huic Brevi conforme, et litteras Card. Florentino Italici scriptas, quibus ad ipsius Brevis executionem urgentur Mantuanus et Mutinensis Episcopi.

CAPUT II.

Accersitis rite Partibus, inspiciuntur utriusque Ecclesiæ contendentis Reliquiæ.

C

Episcopi Commissarii,

Illustriss. et Reverendiss. Domini Episcopi, sedentes ut supra ea qua decuit reverentia, d. Breve una cum voto et litteris acceptaverunt, eisque visis et perlectis, et de eorum tenore certioratis, sese obtulerunt, et quilibet eorum obtulit pro prædd. omnium executione; asserentes sese ad hanc civitatem contulisse hac de causa, parati adimplere et exequi Jussa Apostolica, et pro executione suis loco et tempore facienda, juxta dictorum omnium productorum et exhibitorum formam et continentiam; sic etiam instantibus et petentibus DD. Præposito et Canonicis, et elegerunt ac deputaverunt nos Peregrinum Vellanum, et Stephanum Ghisonum Notarios Apostolica auctoritate, in solidum in Notarios præsentis Causæ, ac pro Tribunali Cameram Rangonam in Episcopali Palatio; præsentibus Perrill. D. Pompilio Raymundo; Adm. Rever. D. Jacobo ejus filio, D. Capitaneo Balthasare Vigarano, Nobili Regiensi, testibus ad prædicta adhibitis, vocatis et rogatis, die quarto decimo Novembris, anno et Indictione quibus supra. Existentibus ergo Illustriss. et Reverendiss. Dominis, Gaspare de Silingardis Episcopo Mutinæ, et D. Fr. Francisco de Gonzagis Episcopo Mantuæ, in Ecclesia Collegiata insigni S. Prosperi de Castello civitatis Regii, in quam sese contulerunt ad finem exequendi Breve Apostolicum. Votum S. Congregationis Rituum et Ceremoniarum Urbis, una cum litteris ad ipsos transmissis, et de quibus supra, et prout institum et petitum fuit...... et denuo pro parte D. Capituli petitur, et in statu ab Illust. et Rev. D. Joanne Baptista Busanæo Syndico et Procuratore d. Capituli specialiter et expresse ad id constituto, ex mandato sui Syndicatus, quod autenticum producit, ad suæ personæ legitimationem: *hic quidem in MS. expressam, sed nobis minime necessarium.*

constitutis causæ Notariis,

D

ac rursus instante per suum Procuratorem Capitulo,

8 Volentes porro et intendentes prædd. Episcopi Commissarii, ut obedientiæ sanctæ filii, parere jussionibus Apostolicis, quarum sunt meri et puri executores et Ministri, illud idem breve in manibus et præ oculis tenentes et habentes, in quo jubentur pro ejus executione vocari pro Parte d. Capituli Illustriss. et Reverendiss. D. Episcopum Regiensem, et ejus loco (cum absit, et officio legationis Nuntii Apostolici penes Sereniss. Poloniæ Regem fungatur) Ill. et Adm. Rev. D. ejus Vicarium.... necnon et tres viros, in dignitate constitutos, ac tres Canonicos partim Ecclesiæ Cathedralis, et partim d. Collegiatæ insignis; et pro parte multum Rev. Abbatis, et Monachorum adversantium, eumdem D. Rev. Abbatem Monasterii S. Petri cum sex aliis Monachis ex senioribus et magis qualificatis d. Monasterii et ulterius secum assumeret, quatuor aut quinque testes, Viros graves et fide dignos cum præsentia duorum Notariorum, Apostolica auctoritate constitutorum. Vocaverunt ideo Ill. et Adm. Rev. D. Innocentium Juscherium, Nobilem Mutinensem, Vicarium d. D. Episcopi Regii, et Illustres et Adm. Reverendos D. Bartholomæum Tuschium Archidiaconum; D. Jacobum Antonium Cappellinum Archipresbyterum Cathedralis Ecclesiæ Regii; D. Antonium Tuschium Præpositum d. Collegiatæ S. Prosperi, in dignitate Ecclesiastica constitutos, et D. Hieronymum Corradinum, Canonicum Cathedralis; D. Andream Alcatum, et D. Petrum Antonium Cassolium, Canonicos d. Collegiatæ, et Rev. P. D. Hieronymum a Potentia, Abbatem S. Petri de Regio, Rev. P. D. Zachariam, Abbatem S. Petri de Mutina; Rev. P. D. Androsium de Brixia, Abbatem S. Joannis Evangelistæ de Parma; D. Gregorium a Poreto, Priorem Claustralem S. Petri de Regio; R. D. Matthiam a Papia, Decanum et Confessorem Monasterii S. Mariæ Magdalenæ, de Regio; R. D. Andream a Moverbio, Decanum et Cellerarium; R. D. Placidum a Neapoli, Decanum monasterii S. Petri de Regio, pro parte d. Abbatis et monasterii.

accersunt pro sua cujusque parte,

E

Vicarium Episcopi,

et Abbatem S. Petri,

F

Testes item

9 Et pro testibus, viris gravibus et fide dignis, Illustres et Eximios D. Paulum Bugerium, Priorem Ill. Communitatis Regii, D. Josephum Batalium, Syndicum ejusdem Communitatis, D. Horatium Sacratum I.V. Doctores; D. Carolum Parisettum, et D. Tuscium Fontanolium, Nobiles Regienses; de quorum fide, probitate et integritate dixerunt sese fuisse ac esse informatos. Et adhibuerunt pro Notariis Apostolicis, nos Peregrinum Velanum, et Stephanum Ghisonum; omnes ibi præsentes personaliter constitutos, audientes et intelligentes: quibus omnibus et singulis auctoritate Apostolica, quas funguntur in hac parte, et in virtute S. Obedientiæ, injunxerunt et injungunt ut debeant assistere, et respective præsentes fore aperturæ arcarum, tam ipsius Collegiatæ insignis, quam d. monasterii, in quibus Corpora SS. Prosperi et Venerii recondita dicuntur; et omnibus et singulis per ipsos Illustriss. et Reverendiss. Dominos, peragendis; et sub silentio retinere quæ viderint et audiverint, eaque minime alicui propalare, sub pœna inobedientiæ, donec omnia executa fuerint. Et statim mandarunt publicari

et Notarios,

coram quibus publicatur Breve.

A cari Breve præd. quod alta voce fuit a me Stephano præd. et infrascripto publicatum præsentibus Mag. Nicolao Sampolio, et Mag. Petro de Pezzis, cœmentariis Regii, testibus ad præd. adhibitis.

Exponitur Arca S. Prosperi,

10 Post quæ in continenti, hora fere vigesima quarta, ea qua decet devotione et reverentia, iidem DD. Episcopi accesserunt, una cum supradictis omnibus, ut supra vocatis, et Nobis Notariis, ad arcam d. Collegiatæ, in qua recondita dicuntur Ossa Corporis S. Prosperi Episcopi Regii, existentem in Choro ejusdem Ecclesiæ, extractam de mandato dd. DD. Illustrissimorum, de subtus Altare Majus Ecclesiæ, sub quo jacebat per Mag. Nicolaum de Sampolio et Mag. Petrum de Pezzis, cæmentarios Regienses: quæ ibi reverenter visa et perspecta fuit et est, in Choro d. Ecclesiæ versus Partem Orientalem et Meridionalem, mandatumque est nobis Notariis, describi Arcam præd. cum suis ligaminibus ferreis undequaque stipatam, quæ descriptio facta fuit et est ut infra.

describitur,

Arca præd. est in Petra viva incisa et tabula ejusdem Petræ clausa; et jacet super saxum magnum Petræ vivæ, et a quatuor ligaminibus ferreis colligata, tribus scilicet per obliquum,

B

inspicitur,

et alio per longitudinem, d. Arcæ cum aliis clavatum, et capite dd. ligaminum sunt magno artificio inferrata et inplumbata, in d. saxo maxigno, ab omnibus partibus d. arcæ, cum multis sigillis in quolibet capite dd. ligaminum, sub inscriptione, et armis civitatis Regii, et olim D. Episcopi Palavicini.

et defertur in Archivium:

11 Et facta d. descriptione, mandarunt per dd. Operarios, ibi ad hunc effectum convocatos, aperiri d. arcam: qua aperta, intus eam invenerunt duas capsettas ligneas, et pannum quemdam sericeum; in una quarum adsunt Reliquiæ ossium et rasuræ, in altera vero fragmenta capsettæ veteris: et in d. panno adsunt Ossa multa, Corporis scilicet et Capitulis sub titulo et inscriptione Corporis S. Prosperi; prout attestantur tres laminæ plumbeæ in d. arca pariter repertæ; duæ scilicet magnæ; altera sub inscriptione anni MCCCLI, incipiens; Ad perpetuam rei memoriam; altera de anno MCCCCLI incipiens, Universis Christi fidelibus: et altera parva in forma sphærica, incipiens, Corpus et Reliquiæ S. Prosperi, quarum tenores inferius registrabuntur. Quæ omnia postquam ab Illustriss. et Reverendiss. Dominis ac aliis prædictis omnibus, ut supra vocatis, et a

C

Nobis Notariis visa fuerunt; iidem Illustriss. Domini mandarunt, pro nunc reponi et custodiri in Archivio d. Ecclesiæ, sub custodia clavium, penes dd. Illustriss. Dominos usque ad novam eorum deliberationem; prout statim a præd. Domino Præposito, cum tortiis accensis delata fuerunt in d. Archivio, et reposita. Et Archivio bene clauso, claves fuerunt consignatæ, et traditæ per R. D. Præpositum prædd. Illustriss. DD. Episcopis.

item arca S. Venerii.

12 Et his peractis Illustriss. Domini, una cum supradictis sese contulerunt ad Altare S. Venerii, existens in d. Ecclesia, versus Septemtrionem; quo desubtus aperto per dd. fabros, inventa fuit arcula lapidea, et inde extracta cum duabus ligulis ferreis in cruce colligata, cum sigillis octo plumbeis, duobus scilicet pro quolibet capite ligaminis, sub inscriptione et armis civitatis, et quondam D. Episcopi Palavicini, quam pariter mandarunt aperiri: et ea aperta, reperta fuerunt intus eam plura ossa, cooperta panno sericeo coloris rubei; et duæ laminæ plumbeæ; una quarum incipit, Universis Christi fidelibus; altera vero, Hic est corpus S. Venerii; quarum tenores inferius registrabuntur. Et omnibus reverenter visis et perspectis, mandarunt prædd. Illustriss. Domini ossa prædd. pro nunc, usque ad eorum novam deliberationem custodiri in d. Archivio: quæ statim a Domino Præposito, cum tortiis accensis, delata fuerunt in d. Archivio, et in eo tribus clavibus bene clausa, quarum duæ fuerunt a d. Domino Præposito consignatæ dd. Illustriss. Dominis, et altera d. R. D. Abbati S. Petri.

D

PROCESSUS MSS.

Itur ad monasterium S. Petri,

13 Et postea statim e d. Ecclesia recesserunt, et se contulerunt cum prædd. omnibus supravocatis, et Nobis Notariis ad sacellum, existens in Monasterio Monachorum S. Petri, ad finem diligenter perquirendi de Ossibus et Reliquiis Corporum prædd. SS. Prosperi et Venerii. Et eo pervento mandarunt rumpi per dd. fabros Altare, ibi existens a latere orientali; et eo fracto extracta fuit capsa nucea duabus clausuris ferreis munita, quam Monachi dixere, alias subtus d. Altare repositam fuisse, et in ea extare Ossa Corporum, SS. Prosperi scilicet et Venerii, ut ex publico rogitu publicorum Notariorum Regiensium, confecto de anno MDLXXXVIII, die XVI Februarii.

reseratur arca, in qua eorumdem Sanctorum Reliquiæ esse dicebantur,

Quæ capsa fuit a prædd. fabris de mandato prædd. Illustriss. Dominorum aperta, et intus eam invenerunt, astantibus omnibus supradictis et videntibus, duas capsettas tela sericea coopertas: in quarum altera recondita sunt ossa Corporis sub inscriptione S. Prosperi cooperta, velo sericeo albo cum listis inargentatis, cum undecim laminis plumbeis circumcirca eam existentibus, septem scilicet magnis, et quatuor parvis, quarum tenores inferius registrabuntur: in alia vero capsetta reposita sunt ossa Corporis, sub inscriptione S. Venerii: et circumcirca d. capsettam extant quatuor laminæ plumbeæ; duæ scilicet magnæ, et aliæ duæ parvæ, quarum copiæ inferius registrabuntur.

E

inspiciturque,

Et prædictis omnibus devote et reverenter visis, iidem Illustriss. Domini mandarunt Ossa prædd. sub inscriptione S. Prosperi pro nunc in aliquo tuto loco reponi, quæ statim per RR. Fratres de monasterio reverenter delata fuerunt in sacristiam, in d. capsetta, et clausa in quadam capsa magna, ibi existente cum duabus clavibus; et claves fuerunt traditæ prædd. Illustriss. Dominis; qui mandarunt, Monachis præsentibus et audientibus, quod sub pœna Excommunicationis non audeant amovere d. capsettam, nec ossa in ea existentia usque ad novam determinationem [movere]. Et his peractis, omnes recesserunt, mandantes Nobis Notariis, ut de prædictis publicum conficiamus documentum.

et quæ S. Prosperi nomen præferebant ponuntur in sacristia:

F

15 Nov. regressis ad monasterium Episcopis,

14 Die quinto decimo Novembris ejusdem anni, hora fere secunda noctis, existentibus supradd. Dominis Episcopis in sacristia Monasterii S. Petri, civitatis Regii, pro executione Brevis Apostolici; R. P. D. Hieronymis a Potentia, Abbas ejusdem Monasterii, exhibuit et præsentavit scripturam quamdam, manu ejus subscriptam, et proprio sigillo sigillatam, cujus scripturæ tenor talis est.

protestatur Abbas

D. Hieronymus a Potentia, humilis Abbas, et Monachi S. Prosperi, et Monasterii S. Petri, civitatis Regii; qui a quingentis annis citra et semper custodierunt venerabile Corpus Divi Prosperi ac illius benedicta Ossa; imo illud et illa semper devote et pie venerarunt et honorarunt, et reverenter coluerunt, et omnia pro suo posse ejus bona opera imitati sunt; nunc audientes motum proprium S. D. nostri hucusque illis ignotum; mentemque ejusdem Sanctitatis illam esse, ut Illustriss. et Reverendiss. Domini, ejusdem Executores, transferant Corpus ipsum ad Ecclesiam S. Prosperi de Castello, eis modo et forma, de quibus in præsentato Brevi; ad quod licet sint, prout semper fuerunt, parati obedire, videlicet etiam simplici voto suæ Sanctitatis, memores sententiæ illius Canonis dicentis, Aliquando omittendum esse bonum propter meritum obedientiæ,

se suosque tradituros Corpus S. Prosperi

A tiæ, et semper in dubiis quoque obediendum esse; tamen ad declarationem actionum suarum, tam præteritarum quam præsentium, notum omnibus faciunt, sese nullam unquam negligentiam commisisse, nullove quæsito colore omisisse aliqua ex illis quæ ad divinum cultum pro honore et decore Divi Prosperi spectarent; nec a seipsis quidquam processisse, quo impedierint aut quoquomodo impedire potuerint honorem, dignitatem, sanctitatem, et cultum ipsius; prout in præsentiarum, et semper erunt ejusdem voluntatis, sive præsens sive absens fuerit, ut nulla eis d. venerabilis Corporis recusatio unquam imputari possit. Unde omne quod nunc exequi paratur, totum provenit ex mera voluntate S. D. nostri, cui libenter etiam bonum intermittendo, et non sub proprio nomine assensus vel consensus, sed sub vero nomine Obedientiæ, parituros se exhibent; rogantes tamen Illustriss. et Reverendiss. Dominationes vestras, ut terminos sibi limitatos et præfixos excedere nolint, pront alias de recursu habendo, et de aliis expresse protestantur.

PRO ESSUS NSS.

solius obedientiæ motivo inductos.

D. Hieronymus a Potentia, Abbas S. Petri de Regio.



B

CAPUT III.

Dirimitur Controversia, junctis cujusque Sancti Reliquiis; et iis quæ S. Prosperi credebantur, ad Ecclesiam ejus collegiatam; quæ S. Venerii, ad monasticam S. Petri solemniter translatis.

Die sexto decimo Novembris in mane, cum indictum fuisset festum publicum, ex proclamatione Illust. D. Herculis Bosii, Judicis Victualium, per Illust. et Adm. Rev. D. Vicarium intimata est jussu publico, solennis processio, totius Cleri et cunctorum Religiosorum, et Confraternitatum Civitatis. Post Missæ autem solennis et ceremoniosæ celebrationem, peracto sermone in d. Collegiata Ecclesia, a R. D. Fr. NN. Cappucino, Ordinis S. Francisci de Observantia, ad laudem et gloriam Omnipotentis Dei, SS. Prosperi et Venerii; iidem Illustriss. et Reverendiss. Domini Episcopi, volentes devenire ad executionem d. Brevis, et consummationem eorum, quæ in d. Brevi continentur, cujus sunt puri et meri executores, e d. Ecclesia Collegiata recedentes, una cum toto Clero, cunctisque Religiosis, et C Confraternitatibus hujus Civitatis, præsente etiam Illust. D. Comite Hercule Bondinello, Nobili Ferrariensi, ac cive Regii, Gubernatore hujus civitatis, pro Serenissimo D. Cæsare Estensi, Duce Regii et Mutinæ Sexto, ac præsentibus etiam præd. Ill. et Adm. Rev. Vicario; Illustrissimisque et Eximiis DD. Balthasare Attolino Carphignanensi, Regii Prætore; D. Petro Paulo Saxolensi, Judice Appellationum, ac dd. Domini Gubernatoris Consultore, Illustribus Dominis, Priore et Syndico, cum Dominis Antianis, et toto Concilio Generali; Illustri Collegio dd. Doctorum, ac toto populo civitatis Regii; sese contulerunt ad Ecclesiam S. Prosperi, et in sacristiam ejusdem Ecclesiæ; in quam priori nocte horam secundam, secreto illata erant Ossa Corporis, quæ fuerant inventa sub inscriptione S. Prosperi, in d. Ecclesia Collegiata.

16 Nov. post publicam Processionem,

reditur ad Ecclesiam S. Petri,

eoque pridie delata ex Collegiata

Ossa S. Prosperi

16 Quia autem in ambabus Ecclesiis reperta fuerunt Ossa, sub titulo et inscriptionibus Corporis S. Prosperi cum suis laminis plumbeis; attendentes ad piam et sanctam mentem suæ Beatitudinis, tum ex Brevi, tum litteris Illustriss. et Reverendiss. D. Cardinalis Florentiæ, ipsis patefacta, et ut, quo magis fieri possit, omnis tollatur occasio dubietatis et perplexitatis in facienda translatione et collocatione Corporis S. Prosperi in Collegiata Ecclesia præd. ut in ea perpetuo custodiatur et veneretur; Ossa Corporis, sub inscriptione S. Prosperi inventa et reperta in d. Collegiata Ecclesia detulerunt; ibique unionem fecerunt de illis, cum repertis nocte præcedenti in eadem S. Petri Ecclesia. Eaque ossa omnia, in eadem sacristia, in una et eadem capsa ferrea ibi ad hunc effectum parata (in qua tamen separatim discernebantur) reposuerunt. Ibi existens multum R. P. D. Hieronymus a Potentia Abbas, ad petitionem et instantiam D. Joannis Baptistæ Busanei, Syndici Capituli d. Collegiatæ, in præsentia DD. Dionysii Zoboli, Torquati Brancei, et Hieronymi Starufii, Nobilium Regiensium, testium ad hæc adhibitorum; dixit et publice attestatus est sibi nomine d. Monasterii per Ill. Dominos in Executione d. Brevis, datum et traditum fuisse membrum integrum Corporis S. Prosperi, quod est cruris, et ibi publice ostendit; asserens quoque in virtute sanctæ Obedientiæ, non extare in d. Monasterio alias Reliquias d. Corporis, præter minutiam in Reliquiario, et frustulum Brachii ei de consensu DD. Canonicorum d. Collegiatæ traditum. D

collocantur cum ibi inventis,

atque post traditum Abbati Os unum Cruris,

imposita simul uni feretro,

17 Postea vero aperuerunt capsam prædictam, et ex ea extraxerunt duas capsulas ligneas, in quibus sunt recondita Ossa Corporis S. Prosperi prædicti, eas cum ossibus in eis inclusis reposuerunt super feretrum ibi paratum, ac pannis sericeis mirifice ornatum. Quæ ossa in dd. capsettis super d. feretrum positis existentia, de mandato dd. Illustriss. Dominorum, in executione d. Brevis, sub Baldachino, in d. Ecclesia ad hunc effectum existente, a duobus ex DD. Canonicis, d. Collegiatæ Ecclesiæ, habitu Diaconorum indutis, processionaliter miro ordine, multa devotione, magnaque totius civitatis lætitia, cum Hymnis et Canticis, ac tubarum sono, et cum tortiis accensis in manibus prædictorum omnium, ad d. Ecclesiam, magno sumptu mirifice ornatam, delata fuerunt. Ad quam perventi dd. Illustriss. Domini, feretrum præd. cum. dd. capsettis et Ossibus, super ipsum existentibus devote detulerunt per d. Ecclesiam, usque ad Altare majus ejusdem, et super ipsum dd. capsettis cum ossibus in eis reconditis, reverenter posuerunt; et præmissis debitis ceremoniis et Orationibus, Ossa præd. in dd. capsettis existentia, consignarunt DD. et Præposito, Canonicis ejusdem Collegiatæ præsentibus, et devote recipientibus ad finem, ut in d. Ecclesia Corpus S. Prosperi perpetuo collocetur et veneretur, juxta formam d. Brevis, præsentibus d. consignationi Perillustri D. Equite Carolo Zobolo, D. Comite Horatio Sessio et D. Julio Jaculo, Nobilibus Regiensibus, testibus adhibitis atque rogatis.

processionaliter deportantur ad Ecclesiam ipsius, E

atque Canonicis consignantur

F

18 Post hæc in continenti iidem Episcopi se contulerunt in Archivium ejusdem Collegiatæ Ecclesiæ, in quo, nocte pariter præsenti, et sub horam quartam noctis (quia in ambabus Ecclesiis reperta fuerunt Ossa sub inscriptione S. Venerii) ad tollendam omnem occasionem dubietatis et perplexitatis, ut supra, Ossa reperta in Ecclesia S. Petri sub inscriptione Corporis S. Venerii, detulerunt secreto; eademque unierunt cum ossibus in d. Collegiata repertis, et in unam et eamdem capsam nuceam, ibi a RR. Monachis delatam posuerunt, in qua tamen separatim discernebantur; eaque in d. Archivio reposuerunt. Et ibi existens R. D. Præpositus d. Collegiatæ Ecclesiæ, ad petitionem et instantiam R. D. Abbatis, coram Illustriss. Dominis, et in præsentia supradd. D. Equitis Caroli Zoboli, D. Comitis Horatii Sessii, D. Julii Jaculi et D. Marcelli Lancei Nobilium Regiensium, testium ad hæc adhibitorum,

Similiter in unam capsam composita Ossa S. Venerii,

utrobique reperta,

A bitcrum, dixit et attestatus est, sibi nomine Collegiatæ, in executione d. Brevis, a dd. Illustriss. Dominis consignatum fuisse, et traditum membrum integrum Corporis S. Venerii, id est Brachium; et non extare in d. Collegiata alias Reliquias ejusdem S. Venerii, præter frustulum Brachii, quod heri ostendit dd. Illustriss. Dominis et duobus Monachis d. Monasterii.

post traditum Canonicis ejus Brachium,

19 Postea vero iidem Illustriss. Domini Archivium aperuerunt, et capsulam cum ossibus in eam reconditis, devote super d. feretrum posuerunt. Quam statim duo ex dd. Rev. Monachis, habitu Diaconorum induti, sub d. Baldachino eademmet Processione, et cum tortiis accensis, Hymnis et Canticis, ac tubarum sono, devote et reverenter de mandato dd. Illustriss. Dominorum in executione d. Brevis detulerunt ad Ecclesiam S. Petri. Et eo perventi dd. Illustriss. Domini, feretrum portarunt usque ad Altare majus ejusdem Ecclesiæ, et super d. Altare ea qua decuit reverentia posuerunt dd. Ossa in d. capsula existentia: et factis debitis Orationibus tradiderunt et consignarunt R. D. Abbati et Monachis ejusdem Ecclesiæ præsentibus, et devote recipientibus, ad finem ut in d. Ecclesia collocentur, et perpetuo venerentur, juxta formam d. B Brevis. Et his omnibus peractis omnes recesserunt, Deum laudantes et gratias agentes, mandantes nobis Notariis supranominatis et infrascriptis, ut de prædictis publicum conficiamus instrumentum, præsentibus d. Consignationi præd. Equite Carolo Zobolo, Comite Horatio Sessio, Julio Jaculo, et Magnifico D. Hippolyto Pratonerio cive Regii, testibus.

processionaliter transferuntur ad ædem S. Petri,

et Monachis consignantur.

CAPUT IV.

Inscriptiones et laminæ, quibus utraque pars conata fuit suam processionem probare: Venerabilis Thomæ Episcopi translatio prima.

Laminæ repertæ in arcis SS. Prosperi et Venerii, in Collegiata Ecclesia S. Prosperi, de quibus supra, hic sequuntur. Ad perpetuam rei memoriam. Notum sit omnibus Christi fidelibus, devotis Beatissimi Prosperi Confessoris, quod anno Domini MCCCLXIX die XV Junii, tempore D. Laurentii de Pinottis Episcopi, consentiente Clero et populo Regino; C Corpus ipsius fuit translatum ab Ecclesia S. Prosperi de Castello, et depositum apud sacristiam Majoris Ecclesiæ Reginæ. Postea vero anno Domini MCCCLXXXVII, die XV Aprilis Reverendiss. Seraphinus, Episcopus Reginus et Princeps, una cum Clero et Capitulo, palam cum campanis et processionibus honorifice demum Beatum Corpus fecit ad Ecclesiam S. Prosperi de Castello feliciter reportari, et in arca propria devotissime introcludi. Et Altaria Beatorum Prosperi et Venerii fuerunt consecrata d. anno, et die XXV Aprilis per d. D. Seraphinum.

Notitia translati Corporis S. Prosperi anno 1369 a Collegiata in Cathedralem,

et an. 1387 relati.

21 Alia lamina Universis Christi fidelibus ac devotis S. Prosperi Confessoris, notum sit et manifestum, quod anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLI, Indictione XVI die XXI mensis Novembris, orta quadam contentione, inter D. Abbatem Monasterii S. Prosperi Inferioris extra muros Regienses, et D. Præpositum Ecclesiæ S. Prosperi de Castello; Abbate quidem affirmante, corpus ipsius S. Prosperi, fore apud monasterium suum; Præposito vero ex adverso idipsum corpus in Altari majori Ecclesiæ suæ fore reconditum similiter affirmante. Rev. in Christo Pater D. Baptista Marchio Palavicinus, Episcopus Regiensis ac Princeps, pro veritate intelligenda aperuit hanc præsentem arcam marmoream, et in ea reperit reliquias corporis ipsius S. Prosperi, serico panno involutas; ac unam tabulam plumbeam, quæ incipit, Ad perpetuam rei memoriam; et attestatur corpus ipsius S. Prosperi ibidem esse translatum atque reconditum, cum duabus ligneis capsettis, in altera quarum sunt rasuræ capsæ, in qua sepultus fuit tempore obitus sui; in altera vero pulvis carnis ipsius cum ossibus minutis. Die vero XXVIII ejusdem mensis et millesimi, idem D. Baptista Episcopus Regiensis, hoc ipsum Altare denuo consecravit, et ipsas Reliquias in eodem Altari prout invenit cum capsettis devotissime reposuit et introclusit. Alia lamina Corpus et Reliquiæ S. Prosperi Episcopi urbis Regii. D

Recognitio Corporis ibidem anno 1451

Processus MSS. et approbatio

22 Universis Christi fidelibus ac devotis S. Venerii Confessoris, notum sit et manifestum, hoc anno Domini MCCCCLI, die vero XXI mensis Novembris, Rev. Pater et D. Baptista Marchio, Episcopus Reginus et Princeps, Altare sub vocabulo S. Venerii, in Septemtrionali parte positum in Ecclesia S. Prosperi de Castello, aperuit, et in eodem Altari arcam marmoream, in qua positæ erant Reliquiæ Corporis ejusdem S. Venerii invenit: et in ea parvam laminam plumbeam, in qua scriptum erat et est; E Hic est corpus S. Venerii, reperit. Die vero XXVIII ejusdem mensis et ejusdem millesimi d. Altare denuo consecravit, et ipsas Reliquias, in eodem Altari devotissime introclusit. Alia lamina Hic est Corpus S. Venerii.

quando ibidem recognitum quoque fuit Corpus S. Venerii.

23 Laminæ sub inscriptionibus dd. SS. Prosperi et Venerii repertæ in capsa nucea, extracta sub Altari, posito in sacello Monasterii S. Prosperi, hic apponuntur, et tales sunt. Anno ab Incarnatione D. N. Jesu Christi, MCXLVIII, Indict. XI die Calendarum Juniarum, consecratum est hoc Altare, et repositum est ibi Corpus S. Prosperi Episcopi et Confessoris, a D. Moyse Archiepiscopo Ravennate; et ab Albero Episcopo Regino, et ab Episcopo Parmensi Lanfranco, et ab Episcopo Adrianensi Gregorio, et ab Amizone Abbate ejusdem Monasterii, et multis aliis. Alia lamina. Die XVI Febr. ex mandato Feltrini de Gonzagis, funditus destructum fuit Monasterium S. Prosperi Regini, tempore Abbatis Gufredini. MCCCLXIII, die XVII Aprilis, creatus fuit Abbas, Pater Petrus de Gazata. MCCCLXIX, die 15 Junii, licentia Domini Papæ, præsente D. Laurentio Episcopo Regino, propter guerras, aperta fuerunt Altaria SS. Prosperi et Venerii, *a* ac Jocundæ Virginis; et inventa fuerunt in eis F Corpora Sanctorum prædd. quæ portata fuerunt in civitatem ad Ecclesiam S. Matthæi, ubi stabant Abbas et Monachi: et per d. Abbatem Petrum, et Fr. Rolandinum de Rerciis Priorem claustralem d. Monasterii, reposita fuerunt in Altari S. Matthæi secrete. MCCCLXXX *b* reædificata fuit præd. Ecclesia et Monasterium per d. Abbatem. MCCCLXXXVIII die XIX Martii, per d. Abbatem Petrum et Fr. Rolandinum, qui tunc factus erat Abbas Monasterii de Canossa, accepta fuerunt Corpora dicta præsentibus multis viris, de d. Ecclesia S. Matthæi, et portata ad d. Monasterium: et eo anno, die XII Aprilis, hic fuit repositum Corpus S. Prosperi Episcopi et Confessoris; et Altare consecratum per D. Joannem Archiepiscopum Antibarensem, et alios Episcopos et Prælatos.

Notitiæ Corporum anno 1148 apud Monachos positorum sub Altaribus,

indeque abstractorum cum Corpore S. Jocundæ anno 1369 a

b ac relatorum anno 1388,

24 Alia lamina. MCCCLXXXVIII, Indict. XI, die XII Mensis Aprilis, vacante Imperio, tempore sanctissimi in Christo Patris et Domini D. Urbani Divina providentia Papæ sexti tempore Rev. in Christo Patris et Domini D. Hugolini, Dei gratia Episcopi Regini; et tempore Rev. Patris Fr. Petri de Gazata, Dei gratia Abbatis Monasterii S. Prosperi Inferioris de Regio; et dominante. Ill. Principe, D.

et conditorum sub Altari cuique proprio,

PROCESSUS MSS.

A D. Galeazzo de vice comitibus de Mediolano in Regio, ac fere in tota Lombardia; consecratum est hoc Altare per Reverendiss. in Christo Patrem et Dominum D. Joannem, Dei Gratia Episcopum Antibarensem, atque Cæsareensem, et alios plures Episcopos, præsentibus Clero et Populo Regino: et reconditum est corpus S. Prosperi, Episcopi et Confessoris, et Doctoris *c* eximii: et in Altari S. Venerii eo die, anno et mense reconditum est corpus ejusdem S. Venerii; et in Altari S. Jocundæ, Corpus ejusdem, et Altaria consecrata. In fine vero reperiuntur insignia d. F. Petri Abbatis, cum litteris infrascriptis, Joannes de Relenzonibus fecit hoc opus.

ut laminæ attestantur;

25 Alia lamina. MCCCLXXXVIII et Guilielmus de Ardizzonibus fuit præsens R. D. Jacobus de Ardizzonibus, Prior S. Jacobi præsens fuit. Alia lamina. MCCCLXXXVIII die XII Aprilis consecratum et reconditum fuit corpus S. Prosperi. Ego Nicolaus de Piscina, Rector ecclesiæ de Màsenzo, hoc vidi et præsens fui. Amen. Ex alio latere d. laminæ. Ego Donus Franciscus de Costa, Archipresbyter de campiola, vidi omnia.

B Alia lamina MCCCXXXVIII et ego Fr. Benedictus de Raronzono, Prior claustralis hujus monasterii; præsens fui, quando propter guerras portatum fuit hoc corpus ad Ecclesiam S. Matthæi, et quando huc reportatum fuit istud corpus, et in hoc altari repositum, et honorifice consecratum. Ex alio latere ejusdem laminæ Ego Fr. Venerius de Lothregis, Prior della Galzata, hic præsens ad omnia. Alia lamina. MCCCLXXXVIII hic præsens fui, ego Petrus qu. D. Matthæi de Albinca studens in jure civili. Alia lamina MCCCLXXXVIII, die XII Mensis Aprilis consecratum est secundo hoc Altare S. Venerii, et reconditum est corpus ejusdem, per D. Joannem Archiepiscopum Antibarensem, et alios Episcopos et Prælatos, tempore D. Patris Petri Galzata, Abbatis ejusdem monasterii. Ex alio latere Insignia Fr. d. Petri Abbatis. Alia lamina MDLI, Indict, IX, V Dec. translata fuere ossa Corporis Beatissimi Venerii Eremitæ, ab Ecclesia S. Prosperi prope mœnia Regiensia, ad sacristiam S. Petri Regii, per R. D. Vitalem de Mutina, Abbatem Monasterii S. Prosperi, die XXI ejusdem mensis Decembris, Ossa ipsa per eumdem D. Abbatem recondita fuere in Altare S. Maximi ejusdem Ecclesiæ S. Petri, ut seriosius

C in lamina, in Arca S. Prosperi reposita continetur. Dominicus Canossa, Aurifex Regiensis sculpsit. Alia lamina Corpus S. Venerii conditum per D. Fr. Zobolum Abbatem hujus monasterii anno MCCCLII Dominica I Octobris, ut patet in lamina quæ incipit, Noscant, posita in sepulcro S. Prosperi.

rursumque coram quam plurimis

26 Alia lamina. Nos Joannes de Benedictis, Abbas Maraulæ, Christophorus de Augustonibus, Archipresbyter majoris Ecclesiæ; Jacobus della Fossa, Magister scholæ, Gabriel della Fossa, Joannes de Meliis, Gaspar de Jaculis, Jacobus de Malvitiis, Christophorus de Cortiolo, Franciscus de Jaculis, omnes Canonici majoris Ecclesiæ; Bartholomæus de Corradis, Grisantus de Grimaldis, ambo Canonici S. Prosperi de Castello; Marchio Bartholus de Lanciis; Joannes de Furlivio, Mansionarii; Genesius Galeottus; Petrus de Lanceis; Joannes de Burgonovo; Dominicus de Monte, omnes Capellani, et universus pæne Clerus Regiensis; Paschalis, Archidiaconus; Autrianus Decretorum Doctor, Vicarius R. D. Episcopi Mutinæ, et pro D. Illustriss. Duce nostro, Judex Appellationum Mutinæ; Baptista Manzolus, Canonicus Bononiensis; Franciscus de Foliano, Præpositus Mutinæ; Rainaldus de Mezaurebus, Massarius; cum universo fere totius hujus urbis Populo, fuimus præsentes in consecratione

anno 1453 sublimatorum,

Altarium et sublimatione Corporum sanctorum Prosperi, Venerii et Jocundæ, anno Domini MCCCCLIII, *d* Dominica prima Octobris, ut apparet in lamina plumbea, quæ incipit: Noscant successuri pii Christi fideles. Et hac eadem die compertum est Corpus B. Thomæ, *e* cum lamina plumbea hoc attestante, et conditum fuit in Arca marmorea, in qua prius erat Corpus S. Prosperi, ex opposito sepulcri, ubi et nunc est Corpus S. Prosperi. D

d

e cum corpore B. Thomæ,

27 Ex alio latere laminæ ejusdem. Nos Frater Bartholomæus de Regio, sacræ Theologiæ Magister, Prior Conventus S. Dominici Inquisitor hæreticæ pravitatis; Franciscus de Casali, Ordinis Minorum, sacræ Theologiæ Magister, Christophorus de Pisano, Ordinis Eremitarum, sacræ Theologiæ Magister, Joannes de Complano, Ordinis Carmelitarum; cum universis Fratribus Conventuum nostrorum, qui fuere numero octuaginta; Opizo de Gaciolis, Prior S. Antonii; Hieronymus, Prior hujus Monasterii; Prosper de Zobolis; Bartholomæus de Futiis, Nicolaus de Scandafavis, Benedictus Vianini, Monachi omnes hujus Monasterii; ad omnia præsentes fuimus, ut continetur in hac superiori lamina, huic conjuncta. His omnibus interfuere, spectabilis vir D. Federicus Marchio Pallavicinus, et Miles Pinus de Vercaciis; Legum Doctor Prosper de Donellis, legum Doctor Jacobus de Zobolis, Legum Doctor Joannes Andreas de Bogiaciis, Notarii Regienses; Magister Abraham de Carbonibus, et D. Franciscus de Fiesso. E

quibus et plures alii testes accedunt

28 Alia lamina Scitote posteri Regienses in Christo Jesu, devoti S. Prosperi Patroni nostri gloriosi, templum hoc suburbanum, semifractum et dirutum fuisse ex ruina turris, magnæ et tutissimæ ipsi adjectæ jam pridem solo æquatæ vi et jussu Alphonsi Ducis Estensis, ne arci noceret timentis; et ipsa ruina concidente orientali parte d. templi, et fornice cum muro capellæ magnæ ejusdem, supra Altare ibidem. Et sepulcrum marmoreum, sublime ipsi Altari, et supra illud insertum, in quo sanctum Corpus prælibati Patroni nostri olim locatum fuisse, multis documentis certam fidem astruentibus, satis abunde constat, emissis quamplurimis fissuris concrepuit, et ad apertum extitit. Inde fideli diligentia R. Pater, D. Paulus Boriella Genuensis, Abbas hujus Monasterii S. Prosperi, Ordinis S. Benedicti, Congregationis Cassinensis alias S. Justinæ, ista superstite parte d. templi, instaurato Altari hoc, F aliud novum marmoreum sepulcrum addidit; in quo d. Corpus sanctum, in capsula lignea serico rubeo tecta conditum, a d. veteri sepulcro confracto, una cum laminis omnibus plumbeis conscriptis in eo repertis (prout in Actis et publico Instrumento superinde apparentibus, Joannis de Ronzagnis et sociorum Notariorum) d. Pater Abbas post solemnis Missæ pii et ceremoniosi Officii sanctam celebrationem, mira devotionis ferventia, et cunctorum adoratione, transtulit atque reposuit anno Domini MDXVIII, die XXIII Dec. Pontificatus S. D. N. Leonis X anno sexto. His omnibus præsentes extitere R. Pater D. Ruffinus Garbonetta, Protonotarius, et Canonicus Mantuanus; Fr. Cyprianus Baldicellus, Præpositus Monasterii S. Marci Regiensis; Fr. Stephanus de Paterno, Prior Monasterii S. Dominici; Fr. Benvenutus de Vitelliana, Prior Monasterii S. Augustini; Anastasius Fontanesius, Capellanus Ecclesiæ S. Petri; Petrus Marius Suarius, Artium et Medicinæ Doctor Regiensis, cum aliis ex Clero et sacris Ordinibus civitatis: publicamque notam superinde edidere, Thomas Cambiator, Reipublicæ a Secretis ejus Cambii, qui olim fuit unus ex Sociis prædictis filius; Hieronymus de Favalibus; Thomas Maro, cives et Notarii Regienses

Alia notitia ejusdem S. Prosperi

ex veteri arca,

una cum prioribus notitiis,

in novam translati 1518,

coram adscriptis testibus,

29

A 29 Lamina ultima recens. Sciant posteri, quod anno ab ortu Christi MDLI, Indictione nona, die quinto Novembris, Pontificatus Julii Tertii anno secundo imperante Carolo V, de mandato Herculis II Estensis, IV Ducis Ferrariæ et Regii, Reliquias monasterii, et templi Divi Prosperi Episcopi Regiensis, prope mœnia urbis fuisse penitus sublatus et solo æquatas, pro urbe ipsa munienda, a bellicis periculis imminentibus; et ne ossa BB. Prosperi, Venerii Eremitæ, et Jocundæ Virginis, in tribus Altaribus d. templi recondita, indecore jacerent; R. Pater D. Vitalis de Mutina, Abbas ejusdem monasterii, ad præsentiam R. D. Peregrini de Mutina, Abbatis Abbatiæ S Joannis Evangelistæ de Parma, et multorum aliorum, tam Laicorum quam Religiosorum, ex dd. Altaribus et arcis, superimpositis, ossa ipsa beatorum Corporum, transferri curavit ad Ecclesiam S. Petri Regii, et reponi in ejusdem Ecclesiæ sacristia. Die vero XXI ejusdem mensis Decembris, dictusmet D. Vitalis Abbas, ad præsentiam multorum virorum, Ossa ipsa ex d. sacristia reposuit in tribus Altaribus ejusdem Ecclesiæ S. Petri: hoc est Ossa Corporis S. Prosperi in Altari magno, cum suis laminis undecim plumbeis scriptis; Ossa S. Venerii in Altare S. Martini, a latere septemptrionali d. majoris Altaris, cum suis laminis quatuor; Ossa S. Jocundæ in Altare S. Ægidii, a latere meridionali, cum suis laminis quatuor, in capsulis suis ligneis antiquis, tectis tela sericea rubea antiqua. His omnibus interfuere D. Jacobus Suavius, Legum Doctor; D. Cambius Cambiator; Thomas de Maro, Prosper Gialdinus, Dominus de Costa, Notarii, rogati de præfatis instrumenta publica conficere. Dominicus de Canossa, Aurifex Regiensis sculpsit.

et quomodo anno 1551 diruta Ecclesia suburbana,

translata sint Corpora ad S. Petri,

B

30 Jesus. Noscant successuri, pii Christi Jesu fideles, et devoti SS. Prosperi Episcopi, Venerii Eremitæ, et Jocundæ Virginis, anno ejusdem MCCCLI, XVIII Nov. R. P. D. Philippum Zobolum Abbatem, edoctum pluribus rationibus, sacra Corpora hoc suburbano templo condita esse; Præposito et Canonicis S. Prosperi de Castello, eadem corpora in eorum Ecclesia se habere asserentibus, ad ambiguitatem tollendam, convocato Rev. in Christo Patre, D. Baptista Palavicino, Episcopo Regino, et omni pæne Clero et populo, ipsorum sepulcra, palam aperiri fecisse, et præfatorum Sanctorum Corpora, invenisse signata, undecim laminis plumbeis hoc attestantibus.

monitis ea de re Canonicis,

C

31 Demum anno MCCCCLIII, Dominica prima Octobris, concedente Nicolao Papa V, idem hujus Monasterii Abbas, Corpora ipsa, advocato d. R. Patre D. Baptista Episcopo Regino, R. P. D. Jacobo Episcopo Sebastensi, R. D. Joanne Abbate Maraulæ, urbis Rectoribus, et omni Clero et Populo; post ipsorum Altarium consecrationem, ex prioribus tumulis sublata, in his sublimioribus, ubi modo sunt condidit: quo die d. summus Pontfex, singulis annis, omnibus hanc Ecclesiam visitantibus, septem annos et totidem Carenas Indulgentiæ concessit. De his constat plene per Acta probatissimorum virorum, Joannis de Ronzaquis, Antonii de Pictoribus, Andreæ de Peregrinis, Cambii de Cambiatoribus, Joannis Francisci de Scarlatinis, Joannis Francisci de Rabinis, Tabellionum Reginorum, Corpora SS. Venerii et Jocundæ, a dexteris et sinistris, in diversis tumulis sunt locata. Hac die Corpus B. Thomæ inventum est. Vir insignis præstans, D. Gerardus Gisilerus Bononiensis, Juris Canonici peritus, omnibus interfuit.

et anno 1453 in novas capsas transposita.

32 Ego Peregrinus Villanus, Notarius Imperiali et Apostolica Auctoritatibus Regiensis, prædictis omnibus et singulis, sicut supra, gestis interfui cum infrascriptis Magnifico D. Stephano Ghisono, eaque vidi et audivi; et de iis cum eodem in solidum rogatus fui; licet aliena manu scriptis. Ego Stephanus Ghisonus, olim Magnif. D. Blasii, civis, probatus Apostolica et Imperiali Auctoritatibus Notarius Regiensis, de prædictis in solidum, cum suprascriptis Magnif. D. Peregrino Villano, etiam Notario, rogatus fui: in quorum fidem hic me subscribo, et more solito signavi requisitus. † *Additur fides publica a Priore et Consulibus almi Collegii Notariorum Regiensium signata anno* MDCXVIII, *die* XIII *mensis Aprilis. Idem Stephanus Ghisonus anno* MDCXXVII *invenitur subsignatus Instrumentis novæ Translationis* SS. Veneri et Jocundæ *ac* Ven. Thomæ. *De prioribus ad suos cujusque dies agetur; de Thoma, nullum hactenus publicum cultum habente, quia alias nulla erit tractandi occasio, ex libro Authenticorum monasterii, signato littera* F *pag.* 133 *exhibeo, quod accepi instrumentum.*

Subscriptiones Notariales.

D *PROCESSUS MSS.*

ANNOTATA D. P.

a S. Venerius Eremita, *in insula Palmaria colitur Regii* 13 *Septembris; alibi autem* II, *teste Ferrario in Catal. Sanctorum Italiæ.* S. Jocunda Virgo *colitur* 25 *Novembris.* cujus corpus, *inquit Ferrarius*, in æde S. Petri conditum, in præsentem usque diem asservatur: *memoriale igitur sphalma est, quod in Indice Alphab. ipsum adscribat ecclesiæ S. Prosperi.*

E

b *Ecgraphum per zyphram* 1370; *sed scribendum fuisse* 1380 *patet ex præcedenti historia num.* 11, *ubi ad longum scribitur annus.*

c *Hic primum invenio indicium confusionis a Regiensibus factæ, quasi suus* Episcopus *fuerit* Prosper Aquitanus: *unde intelligo circa hoc tempus scripta Acta Vitæ, apud Mombritium extantia et a nobis rejecta: quorum etiam libentius dixerim collectorem aliquem ex Monachis, quam ex Canonicis; Regiensem certe satis indicat hoc exordium:* Licet, Fratres carissimi, omnium Santorum solenni ac miro opere celebranda sit festivitas..... eorum tamen præcipue solennia largius venerari, piaque mentis devotione celebrare nobis convenit, quorum corpora in urbe nostra vel in propinquis locis, Deo favente, quiescunt; quosque Patronos nostros jugi intercessu, signis et miraculis coruscantibus, pro certo fore cognoscimus.

d *Ecgraphum nostrum* 1454; *sed sequor Laminam hic allegatam, et infra num.* 30 *sequentem, ubi scribitur* 1453.

F

e B. Thomas, *hic est conditor ipsius Ecclesiæ aut etiam monasterii, sed nullum invenitur argumentum peculiaris cultus ipsi olim delati; et dies etiam mortis ignoratur: posset tamen assumi dies Inventionis vel Translationis, quando decernendum et festum anniversarium esset.*

CAPUT V.

Nova translatio Ven. Thomæ Episcopi, et Reliquiæ ossis unius ex corpore S. Prosperi; ejusque publica expositio.

In Christi nomine. Amen. Anno Circumcisionis ejusdem millesimo sexcentesimo vigesimo septimo, Indictione decima, die vigesima tertia Novembris, sedente Urbano VIII Pont. Max. et dominante Sereniss. D. Cæsare Estensi Duce V Domino nostro. Cum inter ceteras sanctas Reliquias, quæ in monasterio S. Petri civitatis Regii venerantur, Reliquiæ seu ossa Corporum S. Jocundæ Virginis, et B. Thomæ Episcopi, in eodem monasterio coluntur, et in capsulis, reconditis in capsa nucea, asservari asseritur

D. P. Anno 1627

Priores capsulæ extructa grandiori arca, Ven. Thomæ Ep. ossa A seritur etc..... Domnus Abbas extraxit ex d. capsa nucea, capsulam ligneam in qua recondita sunt ossa seu reliquiæ corporis B. Thomæ Episcopi, velo serico albo cooperta, ut patet ex laminis tenoris infra registrandi; et veneratis ac incensatis per d. Abbatem ossibus præd. devote sumpsit propriis manibus caput ejusdem B. Thomæ, et illud omnibus adstantibus demonstravit, qui humiliter ejusdem intercesionem implorarunt: tresque dentes ex maxillis ejusdem Beati evulsit, illisque donavit. Unum nempe Domno Episcopo, alterum Domno Gubernatori, et tertium D. Priori Ancianorum: qui libenter acceperunt, et pro tanto munere gratias egerunt: Reliquiasque prædd. omnes d. B. Thomæ devote collocavit in aliam capsulam ligneam novam, velo *novæ capsulæ imponuntur,* sericeo coloris rubri auro contexto intus ornatam, positam in alia arca lapidea in d. loco ad hunc effectum parata, retento sibi ex dictis Reliquiis frustulo, ad effectum illud collocandi, ut dixit, in Cruce cupulæ ecclesiæ præd.

34 Et d. ossa sic collocata sunt, supraposita lamina plumbea rotunda, his litteris plumbeis sculpta, *et arcæ lapideæ includuntur,* videlicet. Corpus beati Thomæ Episcopi Regii, B anno salutis MDCXXVII velavit [D. Abbas....] duobus velis sericeis coloris turchini. Alias vero duas laminas plumbeas repertas in capsula præd. dd. Reliquiarum, quarum tenor inferius registrabitur, posuit in arca prædicta extra d. capsulam, quam duabus seraturis munitam clausit, ambasque claves tradidit, unam scilicet D. Episcopo, alteram D. Gubernatori. Et d. capsula munita per D. Priorem duobus sigillis Illustriss. Communitatis in cera *cum indiciis priorum translationum anno 1110,* Hispanica, Mag. Nicolaus Sampolius, jussu d. D. Abbatis, arcam lapideam præd. clausit lapide vivo cum suis ligulis ferreis, ab utroque capite ejusdem plumbo liquefacto firmatis, et impressione sigilli d. Communicatis in d. plumbo munitis. *Lamina Corporis B. Thomæ* In nomine Domini. Anno millesimo ducentesimo decimo, tempore Domini Papæ Innocentii III, translata sunt ossa Venerabilis Thomæ Episcopi Regini, de sub claustro hic in ecclesia: primo anno Imperii Otthonis *(fuerat enim anno præcedenti, duodecimo ab electione in Regem, Romæ coronatus die* IV *Octobris)* Venerabili Abbate *et alterius factæ seculo 15.* Prospero præsidente. *In alia lamina.* Corpus B. Thomæ inventum a die videlicet Dominica prima Octobris, positum in hoc sepulcro per P. Zob. Ab. *Hic autem est* Philippus de Zobolis, ultimus C perpetuus et Commendatarius Abbas *apud Ughellum tomo* 5 *col.* 1580, *qui seculo* XV *jam declinante præfuit, succedentibus exinde Congregationis Cassinensis Abbatibus triennalibus, quorum hodiedum successio durat.*

35 *Jusserat* Clemens, *ut supra num.* 5 *dictum*, *Eodem an. 1627 ex eadem grandiori arca* Monachis, *eo quod se habere credebant corpore* S. Prosperi *privandis*, membrum integrum, non tamen caput, in eorum ecclesia perpetuo conservandum concedi et tradi. *Id autem deinde factum narratur num.* 16, *et esse* os cruris *dicitur. Cum ergo anno* MDCXXVII *Abbas, sicut dictum est, transtulisset SS. Venerii, Jocundæ, necnon B. Thomæ corpora;* denuo aperta capsa nucea præd. extraxit aliam capsulam breviorem: qua ibi aperta, invenit intus esse ossum unum integrum, quod esse dicitur Cruris corporis *extractum os cruris S. Prosperi ponitur in Sacrario.* S. Prosperi Episcopi Regii, chartula involutum his litteris scripta, Reliquia S. Prosperi Episcopi Regii. Quo viso d. capsulam clausit, et reponi mandavit in sacristia. *Ita liber Authenticorum præcitatus. Hæc cum legisset anno* MDCXC D. Adeodatus Bonzagnius Abbas, *et sacrum istud pignus die* XV *Novembris inspexisset, istic ubi cum aliis suæ ecclesiæ Reliquiis servabatur ab annis* LXV; decrevit ipsum os sacrum publicæ venerationi exponere.

36 Usus ergo opportunitate præsentium in sua ecclesia, ad festum S. Jucundæ XXV Novembris celebrandum, Illustriss. D. Prosperi Scarulfi Vicarii D *ubi anno 1691 recognitum* Generalis atque Illustriss. Antianorum, rogavit illos ut dignarentur recognoscere sigilla quique sua, d. capsulæ impressa. Quo facto, mandavit D. Vicarius ipsam aperiri: et aperta mox fuit coram multa Nobilitate civitatis, assistentibus continuo Monachis et Prælato eorum. Ipse autem Illustrissimus manu sua inde extraxit chartam, in qua vetustis et grandioribus litteris legebatur, RELIQUIA S. PROSPERI EPISCOPI REGIEN. conformiter ad Instrumenta Actorum anno MDCI et XXVII eum in finem allata. Extractum postea indidem est antiquum velum coloris varii, intra quod repererunt prænominatum Os quod Excellentiss. D. Prosper Marmiroli medicus, et D. Andreas Pozzi chirurgus definierunt esse os coxæ sinistræ. Tum ipsum supra mundæ chartæ folium explicuit Abbas, in qua illius circumferentiam calamo descripsit D. Hieronymus Mastarini *novæ lipsanothecæ inserendum* pictor, ut ad eam mensuram formaretur reliquiarium designatum. His factis rursus suo velo involutum fuit os sanctum, et clausa capsula ut prius reposita in sacrario, donec demandatum sibi opus confectum argentarius redderet: de quibus omnibus rogati instrumentum dederunt Domini Bernardinus Bonaretti, Alexander Rossi, et Joannes Baptista Vespolati. E

37 Hoc vero anno MDCXCII, postquam ab hoc Statu recessit miles Germanicus, Illustrissimis Dominationibus vestris *(Senatum Regiensem Auctor alloquitur)* ab urgentiori illa cura vacuis, licet attendere *ad cujus expositionem anno 1692 22 Junii* supplicationibus nostris; rogantur illæ ut præsentiam exhibere dignentur Dominica mane die XXII Junii, publicæ expositioni tam sanctæ Reliquiæ, quam Reverendiss. Pater noster Abbas D. Adeodatus Bonzagni, intervenientibus Sereniss. Domino Principe Ludovico Estensi, Gubernatore urbis, et Illustriss. Domino Vicario nobisque omnibus Mona- *invitatur Senatus.* chis. *Ita ille totius monasterii nomine, ad calcem compendiosæ relationis rerum, circa prædictam Reliquiam gestarum, jam inde ab exordio litis supra memoratæ, quæ Relatio tribus Sanctis usque ad ejus decisionem communis, prodiit Italice expansa in uno chartæ folio, cum expressione argentei reliquiarii, eum in finem confecti, et quatuor circiter pedes alti.*

38 *Quid autem Collegium Canonicorum S. Prosperi? Sunt illi numero octo, præter Mansionarios* *Collegium S. Prosperi in urbe,* *seu Sacellanos viginti sex, cum uno Præposito, jam olim decerpti ex Collegio ecclesiæ Cathedralis S. Mariæ: quod cum institutum fuisset sub numero viginti quatuor, cum tribus Dignitatibus, restrictum ad sedecim est, et amisso Præposito retinuit Archidiaconum et Archipresbyterum: quo fit ut in Processionibus publicis Præpositus S. Prosperi primum locum teneat post Archidiaconum et Archipresbyterum S. Mariæ, ante omnes utriusque Capituli Canonicos, sub duabus Crucibus veluti sub una progredientes, acsi unum solum Collegium constituerent. Cum autem anno* MDCLXXXI *Collegio Cathedralis ecclesiæ suppar,* *Cathedralis ædis Capitulares facultatem obtinuissent utendi violaceis cappis, per hyemem pelli armellina, per æstatem rubro ormusino fartis; instituerunt Canonici S. Prosperi, ut idem quoque sibi liceret; et causa ad Congregationem Rituum delata, atque ad instantiam aliorum semel iterumque rejecta, tandem definitivam obtinuere sententiam sub data anni* MDCLXXXV, XVII *Februarii*, cum clausula, sine præjudicio jurium Cathedralis; *cui alias consultum satis videbatur per differentiam Armuzii, qua alteri ab alteris notabiliter discernuntur, ne prorsus iidem inter se videantur.*

39 *Hi ergo* S. Prosperi *honorem curandum proprie sibi vindicant: et qui jam inde a decisione litis per* *honorem Sancti curant pro more,* *Clementem Papam, habebant ejus Caput inclusum argenteæ hermæ, ad modum status naturalis effictæ, curarunt*

A *rarunt ornando majori altari, sub quo reliquum corpus quiescit, pallium argenteum Romæ fabricandum pretio bis mille scutorum; et Senatui persuaserunt Decretum condere, quo juberentur feriati haberi dies tres festum antecedentes, cum quatuor ipsum sequentibus, quod hodiedum servatur. Ut autem solennitati isti octiduanæ splendor accederet ab excellenti aliquo Oratore; cœpit in eum finem anno* MDCLXXXVII *currere reditus centum scutorum, ex legato D. Doctoris Basilii, expedito per obitum D. Hippolytæ Rugerii, ejus relictæ usufructuariæ. Denique Senatus totus ostendere volens quantum habeat cordi sui sancti Protectoris honorem et dignitatem, quotannis quatuor deligit ex suo corpore, qui faciunt* Congregationem super negotiis S. Prosperi. *Atque hæc sunt quæ* S. Prosperum Regiensem *spectantia novissime accepi anno* MDCXCII, *admittente nostri tunc Collegii Rectore R. P. Ignatio Seniga.* D

et Senatus Urbis

DE SS. BENJAMINO ET BEJOCO

ANACHORETIS IN ÆGYPTO.

D. P.

Ex Hagiologio metrico Habessino.

Ex more Anachoretarum servandi Eucharistiam

Cardinalis *Bona, rerum Liturgicarum lib.* 2 *cap.* 18, *demonstraturus, quam usitata semper fuerit fidelibus Christianis Communio sub unica specie; cum Lectorem remisisset ad exempla capitis præcedentis, de* Eucharistia domi asservata, ad absentes transmissa, atque in longis itineribus ac navigationibus a fidelibus delata; utique in sola specie panis sumenda; *sic porro ratiocinatur*: Nec aliter communicabant Anachoretæ in vastis solitudinibus, quam Particulis, quas secum ferebant, cum in solennioribus festis ad ecclesiam conveniebant, vel ad eos mittebant vel portabant Sacerdotes.

videntur illi ipsam quoque habuisse,

2 *Ita omnino videntur fecisse* SS. Benjamin et Bejocus, *quos Hagiologus Æthiops hoc die sic invocat*; Salutem dico Benjamino et Bejoco, qui assiduis orationibus institerunt, donec ad eos mitteretur Angelus, jubens manducare serpentem, qui comederat de Christi corpore benedicto. *Ex hac enim tam succincta brevitate alium nequeo sensum colligere, quam quod ambo illi, in armariolo seu foramine quodam suæ vel cellæ vel speluncæ, repositum habentes Corpus Domini, illudque stato die religiose sumpturi, repererint serpentem, qui partem arroserat. Hinc perplexos hæsisse, quid agerent; et serpentem quidem cautius asservasse vivum vel mortuum, deinde orando institisse, ut divinitus edocerentur quid facto opus esset: Angelum autem a Deo submissum mandasse, ut illum ipsimet manducarent; eoque discerent, tam fuisse Christo facile Corpus suum a serpente servare, quam ipsos præservabat a veneno ejus, si sibi placuisset: itaque et fidem eorum de Eucharistici mysterii veritate firmasse, et simul cautiores in eo asservando reddidisse.*

sed invenisse arrosam e serpente;

3 *Quam illi tum antea, tum postea sancte vixerint, discendum erit ex Synaxariis gentis, cum invenientur. Interim Anachoretis Ægypti quam Æthiopiæ, ipsos malo annumerare: quia de Æthiopibus Jobus Ludolfus V. Cl. asserit, lib.* 3 *Hist. Æthiop. cap.* 6 *num.* 80 *quod panem suum sacrificalem, quem* Corban *vocant,* quotidie recentem pinsunt, miranturque Latinos eum in crastinum asservare: *et num.* 83, extra ædem sacram, in privatas domos Mysteria ferre, summum nefas putant; atque id neque Rex, neque Metropolita sibi arrogarent. *Sed hoc superstitiose potius quam religiose, cum aliis omnibus Orientis Ecclesiis, et (nisi fallor) etiam Ægyptiis in more olim fuerit, domum suam ferre; atque etiam nunc sit usitatum, eamdem servare in ecclesiis ad usum infirmorum, quotiescumque necessitas eam requisierit. Et fortasse, quoad prius punctum, aliud non intenditur, in Habassia non adhiberi panem ad Sacrificium nisi ipso die coctum; consecratum autem æque ac apud nos, servari: nam (ut de infirmis nihil dicam) infantibus eum solent cum Baptismo conferre: quis autem credat nullos baptizari, nisi tempore Missæ? Ego nihil definio, sed ulteriori disquisitioni libens relinquo res tam procul positas.* F

E proinde videntur Ægyptii fuisse,

non Æthiopes.

C

DE SANCTA TYGRE VIRGINE,

MAURIANÆ IN SABAUDIA.

G. H.

Mauriane cultus Sanctæ.

Mauriana, *aliquibus* Muriana, *est vallis oblonga in Sabaudia inter montes asperrimos, distincta a Tarentasia ad Boream, et a Delphinatu ad Austrum. Ejus primaria urbs etiam* Mauriana *dicitur, ad Arcum fluvium, decem leucis a monte Cenisio in Occasum, et quatuordecim a Camberio in Ortum sita; non mœnibus, sed undique montibus cincta, vulgo* S. Joannis de Maurienna *dicta: est enim huic* Baptistæ *dicata Ecclesia Cathedralis, in qua etiamnum asservantur duo digiti ejus, eo delati a* S. Tygre Virgine, *cujus natalis incidit in hunc* XXV *Junii: quo die in Breviario ad usum Maurianensis Ecclesiæ (quod habemus anno* MDXII *excusum) præscribitur Officium solenni ritu recitandum, desumptis ex ejus Vita octo Lectionibus ad Matutinum; nam una est cum Evangelio de decem Virginibus. Hanc Vitam integram submisit nobis eruditissimus et nobilissimus Carolus du Frene, toparcha Cangii, rara sua doctrina in Gallia notissimus; hanc Vitam descriptam asserens ex membraneo Missali characteris Gothici, quod in Archivio Maurianensi asservatur. Unde ipsam anno* MDCXXXIX *jam ante sub sui chirographi fide Bollando miserat D. du Verney, ibidem Canonicus ac Vicarius Generalis. Alia monumenta Archivii Cathedralis Ecclesiæ S. Joannis Maurianensis submisit nobis Joannes Jacobus Turinettus, tunc Rector Collegii Taurinensis Societatis Jesu, quem ibidem senem, nostris studiis addictissimum, ipsi Taurini anno* MDCLXII *agnovimus: ubi etiam varia de Vita* S. Tygris *habentur, deque digitis S. Joannis Bapt. per ipsam allatis.*

Vita in MSS

Digiti S. Joannis B. ab ea allati

2 *Inter Reliquias præcipuas in dicta Ecclesia Cathedrali numerari non solum* duos digitos S. Joannis Baptistæ, sed etiam brachium S. Tygris *indidem habemus. In Vita autem nominantur loca duo, ipsius habitatione celebria: scilicet* Vosloviuin *ejus patria, quæ est etiamnum magna et illustris parochia,* Voloize *dicta,*

et ipsius brachium.

Hujus patria Vosloviuin

Auctore G. H.

Loconiæ sepultura.

dicta, sub jurisdictione temporali et spirituali Episcopi Maurianensis, ubi duodecim viduas ex ipsius patrimonio sumptus necessarios accepisse infra num. 13 *indicatur. Alter locus est* Loconia, *hoc tempore* S. Tegre, *et corrupte* Tegle *aut etiam* Tecla : *ubi in rupe est parvum sacellum, et sub eo ante illam est Spelæum quoddam instar sepulcri, ubi* S. Tygris habitavit cum duodecim viduis et sorore sua Pegmenia, sub una matricula, et supra cavitatem rupis in atrio cellam construxit, ubi sanctum ejus corpus fuit sepultum in capella subterranea ad latus altaris majoris, *uti additur ex supracitato Archivio.*

Ecclesiæ fundator habetur S. Gumtramnus Rex,

3 *Ex eodem habetur quod inter ipsius Ecclesiæ Maurianensis Reliquias numeretur* brachium S. Gunthramni Regis, *quem agnoscunt* Ecclesiæ Cathedralis fundatorem; eumque venisse dicunt ad dictam civitatem, ac præsentem adorasse Reliquias S. Joannis, et in venerationem earumdem donavisse Principatum Maurianensem cis Arcam torrentem, cum mero et mixto imperio, pro Ecclesia cum Episcopatu et Clero ibidem stabiliendis; beata Tygri seu Theigla, cum gratiarum actione, Deo, Regi et patriæ Reliquias concedente. *Hæc ibi, Acta S. Gunthramni illustravimus ad* XXVIII *Martii, ostendimusque ex Chronico Martii,* anno XX post Consulatum, Basilii Indictione IX *(is est annus* DLXI) *post obitum Chlotharii, regnum cum fratribus obtinuisse, et vixisse usque ad annum* DXCIII.

D. P. quod potest de nova Cathedrali verificari

4 *Hactenus Henschenius, quasi nos per Chronologiam Gunthramni manuducturus ad distinctius cognoscendam ætatem* S. Tygriæ, *ipsiusque Maurianensis Ecclesiæ originem. Verum respiciens ad S. Gregorium Turonensem, Guntramni Regis amantissimum, eique coævum; et legens libri Miraculorum cap.* 14 *relatum a me die præcedenti in Comm. de S. Jo. Bapt, num.* 336, *merito dubius hæsit, an translatio Reliquiarum Præcursoris Mauriennam, quæ totam fere Vitam* S. Tygriæ *constituit, ibi tamen non indicatæ, nisi sub vaga* cujusdam mulieris *appellatione, recte ad Guntramni regnum differatur: mihique rem totam accuratius examinandam reliquit. Dixi ego ibi, et iterum dico, totum illam rem multo prius accidisse, quam Guntramnus regnare, forte etiam prius quam vivere cœpisset; et siquidem S. Ysichius Viennensis primum Maurianæ Episcopum, in dedicata a se ibidem nova Cathedrali constituit* S. Felmasium, *id eum fecisse ante Guntramni initia : prius autem quam hæc fierent, Mauriennam cum veteri sua ecclesia, in qua dicta mulier Reliquiam S. Joannis deposuit, fortassis circa annum* DXXX *aut citius, pertinuisse ad diœcesim Archiepiscopi, non Viennensis, sed Taurinensis, uti clare asserit Turonensis,* Rufum *Præsulem nominans : quem cum hæc Vita Viennensem facit, tota Viennensium Episcoporum serie reclamante; manifestum fit ejus auctorem neque Gregorii Turonensis librum sincerum legisse, neque cognitam habuisse veram Maurianensis ecclesiæ originem, et aliquammultis seculis postea scripsisse.*

ante quam alia ibi fuerit a S. Usichio Viennensi dedicata.

Nullus ibi an. 337 Episc. Lucianus,

5 *Franciscus Augustinus ab Ecclesia in Hist. Chronol. Pedemontii cap.* 45 *et eum secuti Sammarthani, Episcopatum Maurianensem ipsis etiam Burgundici regni initiis longe faciunt antiquiorem propter* Lucianum Maurianensem *Concilio Romano tempore Julii Papæ annoque* CCCXLI *subscriptum ; sed bene advertit Labbe incertam istam lectionem esse; et Concilium quidem anno non* XLI *sed* XXXVII *habitum,* Lucianum *vero ibi subscriptum, alias scribi* Marianensem, et fuit quondam Archiepiscopatus Calabriæ; *alias* Maranensem, et fuit quondam Episcopatus Dalmatiæ: *esse etiam qui* Marianensem quærunt in Corsica. *Nihilo magis probari potest, pro anno* CCCCLII *nominatus a Claudio Roberto, aliisque hunc secutis* Voconius; *donec appareat, unde et qua fide acceptus sit. Ex Turonensi autem nihil verosimilius cogitari potest, quam Maurianensem sub Rufo Taurinensi ecclesiam parochialem dumtaxat fuisse, cui a* S. Tygria *illata Reliquia S. Joannis Baptistæ, tantam cito attulerit loco celebritatem et frequentiam, ut meruerit Episcopum accipere a Metropolita Burgundiæ ordinandum, idque non sub Guntramno, sed decessorum ejus proximorum aliquo factum fuisse, cum plures synonymi in ejusmodi serie soleant sæpe inveniri.*

aut 452 Voconius fuit

sed Parochialis dumtaxat,

6 *Interim Episcoporum initium videtur ex hoc, nonnullius saltem antiquitatis et auctoritatis scripto haud inepte peti, et primus Episcopus recipi posse* Felmasius, *isque Guntramni Regis jussu ordinatus a Viennensi Episcopo, non* Ysicio *veteris et solum Parochialis ecclesiæ consecratore, qui Taurinensi diœcesi subtractam regio jussu Maurianam suæ primus annexuisse credi potest; sed* Philippo *vel* Evantio *aut* Vero *ab anno* DCXVII *ad* DLXXXVI *et ultra noti in Conciliis tempore Gunthramni celebratis. Secundus erit Æconius vel* Higonius; *Matisconensi subscriptus anno* DLXXXI. *Tertius si Leporius vocabatur eique cum Ebredunensi fuit de finibus controversia, quam idem Gunthramnus dirimi synodaliter fecerit, uti narratur num.* 12. *Nisi hic etiam erraverit Auctor, sicut in Ysicio Viennensi, et controversiam post semiseculum motam atque decisam tempore* Leborii, *ejus qui cum titulo* Maurianensis *interfuit Cabilonensi anni* DCL, *retraxit ad Guntramnum, quasi omnia sub uno illo acta fuissent. Catalogus apud Sammarthanos ubique hiat : cum usque ad finem seculi* XI, *id est per annos quingentos, quinque dumtaxat Episcopos numeret certos : nam* Felinasius *relatus pro anno* DCCCXIII *ex nulla auctoritate probatur in rerum extitisse natura. Dabitur in Appendicula ad Vitam Catalogus alius ab eo quem Sammarthani texunt diversissimus, ut utroque inter se conferendo et ad vetera monumenta exigendo diligentiam probent Maurianenses, et tenebras quas illi nobis offundunt, illuminent.*

facta Episcopalis sub S. Gunthramno.

VITA

Ex MS. veteri ecclesiæ Maurianensis.

S. Tygria Virgo Maurianensis,

Fuit in diebus præstantissimi Regis *a* Guntramni, mulier, nomine *b* Tygria , orta in territorio Maurianensi, loco qui Volonium nominatur, nobili stirpe progenita sacrisque litteris sufficienter instructa : quæ curam Sacerdotum et Peregrinorum non parvipendens, sed (ut facultas permittebat) hospitalitati semper inserviens, indigentibus necessaria ministrabat. Habebat autem sibi sororem, Pigmeniam nomine; quæ conjugalem societatem quondam habuerat, sed defuncto marito continenter vivens, sororis contubernio et doctrinæ in divinis cultibus et pauperum obsequiis , se devote subdiderat. Vacabant itaque ambæ jejuniis et vigiliis, atque sanctorum locorum visitationibus.

de Reliquiis S. Joannis Baptistæ edocta

2 Hæc et alia pietatis opera agentibus accidit, ut Monachorum religiosorum fruerentur adventu, qui ex Hierosolymitanis partibus Scotiam *d* pergere fatebantur. Apud quas cum triduo demorarentur : de Reliquiis S. Joannis Baptistæ, volente Domino, cum illis habuerunt colloquium, dicentes, eum decollatum fuisse apud quoddam Arabiæ castellum, quod Machærunta nominatur; et apud civitatem Samariæ quæ nunc Sebaste dicitur, conditum ; caput autem Hierosolymam *e* perlatum, et ibi cum maximo honore humatum. Post longa decollationis ejus tempora, ab ipso revelatum duobus Monachis Orientalibus, qui orationis causa venerant Hierosolymam, et inde Edessam *f* Phœniciæ civitatem perlatum ; ossa vero ejus sancta , prius de Samaria Hierosolymam translata, et inde Alexandriam transmissa, ubi nunc in ecclesia , quæ in ipsius nomine est constructa, recondita

eas Alexandriæ haberi,

A recondita habentur. Quod divina providentia aiebant esse factum; ut scilicet per plura loca deportatis sancti Martyris Reliquiis, plura virtutis signa per ejus decollationem, Christo largiente, cui testimonium perhibuit, cujusque præco vel præcursor extitit, per eas fierent manifesta.

illuc navigat,

3 Instructa talibus Dei famula a præfatis viris, abeuntibus illis; cœpit iter suum, cum Dei auxilio præparare; unius tantum famulæ comitatu contenta. Quæ postquam Romam pervenit, ad limina B. Petri Apostoli per dies aliquot morata, ibidem, Deo disponente, invenit socios itineris, mare transire cupientes. His igitur juncta, navigio pervenit ad locum *g*, ubi ecclesia erat consecrata in honore S. Joannis Baptistæ, in qua pollex et pars digitorum manus dexteræ, et quædam aliæ præfati Baptistæ Reliquiæ reconditæ fuerant. *h*

certa inde non discedere, nisi obtenta parte,

4 Tunc S. Tygria, fide plena, vinculo se juramenti constrinxit, quod non prius ab ipso loco discederet, quam, permittente unigenito Filio Dei, ex membris B. Joannis Baptistæ, aliquam particulam mereretur accipere: sed loci illius incolæ illud juramentum omnino impossibile judicabant. Ipsa tamen quotidie ante sanctas Reliquias sese offerebat, orans, ut Deus iter suum prosperum efficeret, et desiderium B adimpleret. In qua intentione continuis duobus annis, jugiter Dominum deposcens, devote perseveravit.

pro qua biennium orans

5 Tertio tandem incipiente anno, cum jam nimium orando, jejunando, vigilando, assiduas lacrymas fundendo, fatigata esset, et ad effetum suam petitionem pervenire non cerneret; projecit se ante sepulcrum corde contrito et humiliato, Dominum lacrymabiliter orans, ut ejus diutissimam petitionem exaudire dignaretur; adjiciens, numquam se ab ipso pavimento surrecturam, priusquam pius et misericors Dominus suam impleret petitionem: ibique jacens, nullumque cibum gustans, flere et orare non cessavit; cupiens dissolvi et esse cum Christo, magis quam in carne permanere. Sed misericors Dominus, videns ejus constantiam, fidem inviolabilem, et invictam perseverantium, misericordia motus, concessit ei donum quæsitum, et omnibus seculis admirandum. Dei enim motu apparuit, supra sepulcrum S. Joannis Baptistæ, pollex ipsius [et par digitorum, qui meruerunt Domini verticem tangere in Jordanis flumine, quando ipse Redemptor sub eo dignatus est baptizari.]

miraculo accipit pollicem et digitos 2

6 Cognovit autem sancta Dei famula, se esse C exauditam: et sumens illud sanctum Dei donum, resumpto spiritu qui pæne in ea defecerat, et receptis viribus læta surrexit. Reconditoque eo in capsula quam dudum paraverat, [cum ceteris minutiis Reliquiarum] gaudens cœpit ad propria remeare. Impletum est in illa, quod in Evangelio scriptum invenimus, Omnis qui petit accipit, et qui quærit invenit, et pulsanti aperietur *i*, [Recedente autem famula Dei, cum esset jam longe spatio aliquot milliarium, Provinciales in se reversi, magnæ amentiæ et ignaviæ imputare cœperunt, quod mulier peregrina et inermis, honorem regni, tutamentum populi, sine contradictione et absque injuria, sola auferret. Qua de re simul omnes commoti, cursu velocissimo insecuti sunt. Quos ut vidit, nimio terrore expavit: sed fugiendi locum non habuit.

cum quibus recedens,

nec latere insequentes valens

7 Tunc toto corde ad Dominum conversa, oravit, ne gaudium suum in mœrorem converteret; et donum, quod ab eo lacrymando acceperat, gaudendo deportaverat, cum tristitia amitteret. Tunc Reliquias de capsula sumptas, sub mamilla abscondit; et quas externo sepulcro invisibiliter et potentialiter extraxit has ipsi mamillæ, reliquæ carni coæquatæ, interno sepulcro, videlicet sanctæ mulieris pectori, omnipotentissima sua virtute, mirabiliter condidit. Tunc venientes qui eam persequebantur, jusserunt Reliquias reddere. At illa supplicans, dixit, Ablata est spes gaudii mei, et lætitia mea conversa est in lamentationem: quia donum quod accepi, propter peccata mea amisi. Et illi accipientes capsulam, nihil invenerunt: deinde caput ejus discooperientes denudaverunt: *k* et cum non invenirent, confusi reversi sunt ad sua. Ipsa autem, onusta et secura, ibat per viam gaudens.

sub mamilla abscondit,

D EX MS.

8 Et cum jam eadem Dei famula, post longum et laboriosum itineris laborem, Maurianam venisset, et ibidem Dominus multa miracula et præclaras virtutes, per merita venerabilis Joannis Baptistæ, operatus fuisset; audientes ex vicinis civitatibus Episcopi tres, [Taurinensis scilicet, *l* Augustensis, nec non *m* Bellicensis, cum multitudine fidelium, facto consilio,] ad visitandas Reliquias convenerunt; et ut, si fieri posset, aliquas particulas de sanctis Reliquiis accipere mererentur. Non negatur votum, imploratur Dei voluntas, in medio ponitur super linteum mundum pignus sacratissimum; sed nihil omnino de dono auferre potuerunt. Tunc triduo jejunantes et vigilias observantes, Dominum humillime rogaverunt, ut aliquod donum eis inde largiretur. Tertio E vero die cum digitis sanctis supposuissent linteum, una sanguinis gutta ex eis exivit: quod cernentes, devotius se iterum in orationem prostraverunt: tuncque guttæ duæ ex eis profluxerunt; quas iterum magno gaudio colligentes, linteum, sancto sanguine tinctum, cum summo honore diviserunt; et cum magna devotione unusquisque partem suam ad propriam deportavit civitatem. [Ex eo die Episcopi, per omnes has tres civitates in honorem S. Joannis Baptistæ ecclesiam dedicarunt.

et eos Maurianæ exponit.

Episcopis inde participare cupientibus tres sanguinis guttæ stillant.

9 Tunc Sancta Dei famula, timens ne forte adventu paganorum, vel violentia Principum, sibi Reliquiæ tollerentur; abscondit se in uno loco qui dicitur Loconia, ibique tugurium parvulum construxit, ut orationibus secretis sibi vacare liceret in locis remotis. In quo loco tutissimo passerum multitudo conveniebat, qui eam nimio strepitu inquietabant: qua de re Dominum prostrata oravit, ut eam ab illorum impedimento liberaret. Cumque surrexisset ab oratione, plus solito eam aviculæ infestabant; et hac illacque super eam volitabant. Quas per nomen Christi adjuravit; ut ab ipso loco recederent: quæ F mox fugam inierunt, et ab illo die usque in præsentem numquam passeres ibi comparuerunt.

Tygria in solitudinem se recipit,

indeque molestos sibi passeres pellit.

10 Locus autem Maurianensis illis temporibus ad Taurinensem *n* urbem pertinebat, [usque ad vallem quæ dicitur *o* Cottiana;] in qua urbe Domnus Rufus, vir religiosus, Archiepiscopatus fungebatur officio: ad quem dixit suus Archidiaconus: Non est dignum ut tam sacratissimus thesaurus Reliquiarum in loco vili teneatur: sed mitte, et fac inde huc transportari Reliquias. Ad quem B. Rufus Archiepiscopus: Fac, inquit, Frater, quod libet: ego enim hoc agere non audeo. Econtra Archidiaconus dixit: Si permittis me illuc pergere, ego huc eas deferam. Igitur, non prohibente Archiepiscopo, infelix propere vadit Maurianam, quæsiturus mortem suam. Perveniensque ad locum, nullam moram fecit; audacter ecclesiam intravit; præsumptuoseque capsulam, in qua S. Baptistæ erant digiti, apprehendere volens, mox in amentiam vertitur; et gravi febrium morbo correptus, tertia die expiravit. [Quod divina providentia factum, nemo fidelium dubitet: [placuit enim Deo, ut unus moreretur homo, ne multi in eadem præsumptione perirent:] qua de re timor magnus irruit in populum; ita ut deinceps nemo sancta pignora vel capsulam tangere auderet, nisi obedientiæ causa, aut humillimæ devotionis gratia. *p*

Viennen. Archidiaconus volens Reliquias Maurianæ auferre

morte punitur

Ex MS. Guntramnus Rex Episcopatum fundat

A 11 Audiens autem gloriosus Guntramnus Rex tanta et talia miracula, quæ ibi Dominus per electum suum Joannem operatus est, legatos Maurianam misit, præcipiens ut confines Episcopi et Comites, qui in terminis ipsius Episcopatus habebantur, quales fuerunt manifestissime declararent; et ecclesiam in honore Dei et S. Mariæ sanctique Joannis Baptistæ, honorabili structura et ordine competenti Christianæ Religioni, fabricare fecit; et constructam S. Ysicio *q* Viennensi Archiepiscopo consecrare præcepit, et regimen et curam Maurianensis Episcopatus S. Felmasio, *r* scilicet primo Episcopo S. Joannis Baptistæ, commisit et consultu Episcoporum et Comitum ceterorumque regni Primatum eamdem Ecclesiam subjectam esse constituit Viennensi Ecclesiæ: insuper eidem Ecclesiæ Maurianensi, per consensum et consilium *s* Romanæ et Apostolicæ *s* auctoritatis et Episcoporum ceterorumque ecclesiastici Ordinis Clericorum et laicalis dignitatis virorum, Secusiam *t* civitatem subjectam esse præcipit, cum omnibus pagensibus loci illius, qui nominantur publici *v* Curiales, et cum duabus Clusis S. Martini, primamque castelli hærentis civitati: concessit autem vallem Cottianam, in gy- B rum Maurianæ structam, *x* et rustes et fivum quæ muris et tectis ecclesiæ ministrarent.

definiens ei dotem et terminos,

12 Concessit autem et Leudes *y* et Graffiones, qui cum Comitibus marcam defendebant, ut ab eo die deinceps Episcopo Mauriennæ obedirent, et in omnibus subditi essent *z*. Post hæc cum consensu sanctæ Synodi et consultu sacri Palatii, ad sopiendas lites in præsens, et ad præcavendas contentiones in futurum, designavit certos terminos, inter parochiam Maurianensem et Episcopatum Comacensem, *α* ut nullus propter inverecundam cupiditatem vel virtutem potestatis majoris, terminum divisorium præsumptive vel forte ignoranter transgrederetur; sed unusquisque contentus suis et cognito limite, sufficientiam sibi haberet imperatricem et magistram. Est autem unus terminus in partibus Italiæ qui dicitur Vologia *β* usque in partes Provinciæ uno distans milliario a civitatula nomen illi impositum *γ* Rama; qui terminus continens propter altercationem Ebredumensis Archiepiscopi et Domini Leporii *δ* Maurianensis Episcopi. Propter hanc altercationem destruendam, missus est a Rege Mero Dux ut ibidem conventum haberet. B. Leporius cum C Ebredunensi Archiepiscopo, laudante Duce, plantaverunt Crucem unam in supradicto spatio, milliario distante a civitatula paulo ante memorata, ut nullus præsumeret alterius invadere parochiam: a supradicto autem termino, id est milliario distante a civitatula, usque ad flumen quod dicitur Baxera, *ε* qui intrat in Isaram flumen ad Brientinum *ζ* castrum quod Sabaudia vocatur.

et litem cum Ebredunensi componens.

Tygria in Nativitate S. Joannis Baptistæ

13 Hæc, Fratres carissimi, ad utilitatem præsentem scripsimus, ut ab his indubitabiliter sciantur, et futuris temporibus ad memoriam posteris revocentur: quodsi aliquis præsumptuose infringere voluerit hæc scripta vel immutare; sciat se offendisse Dominum, et ejus Virginem Matrem, ac Præcursorem ejus Joannem; et non valeat evindicare quod vult, sed hæc notitia propitiante Deo sit firma et stabilis, ad honorem S. Mariæ sanctique Joannis Baptistæ et sanctæ Dei famulæ Tygriæ, quæ pro Christo tot et talia perpessa est pericula.

testamentum condit

14 Hæc ergo sancta et venerabilis Virgo Tygria, obitum suum sibi e vicino imminere prænoscens, Deum deprecata est ut Nativitatem S. Joannis Baptistæ et Dedicationem ecclesiæ, quam ipsa inchoaverat, Regis vero jussu ad perfectionem ducta fueaat, mereat celebrare, et illud audire, quod Dominus de Joanne dixit, Multi in nativitate ejus gaudebunt. Laus Domino nostro Jesu Christo, sicut rogavit, D ita et Deus concessit. Die Nativitatis S. Joannis Baptistæ, post Missarum solennia, dedit dona pauperibus, orphanis et viduis, et disposuit bona sua domesticis familiæ. Postea tradidit ipsius ecclesiæ villam Voloniæ nomine, cum Presbyteratu et omnibus quæ ibidem sub ejus regimine haberi videbantur; et constituit matriculam cum duodecim viduis, quæ omni tempore præsentis vitæ ex ipsius patrimonio sumptus necessarios acciperent. Sequenti die valedicens Fratribus, et multis ab ea veniam poscentibus, et ejus orationibus se commendantibus, ipsa refecta corpore et sanguine Christi, de hac temporali vita migravit ad patriam; ubi cum Angelis et omnibus Sanctis gaudet in secula seculorum. Amen.

et postridie moritur.

ANNOTATA D. P.

a *Imo* Theodebaldi *aut patris ejus* Theodeberti, *quamvis et Guntramnum regnantem vidisse potuerit mulier de qua hic, sed tunc valde annosa; eique cessisse jus patronatus in prima fundatione sibi competens.* E

b *Nomen minus miraberis, si* Tigridium *Episcopum Taurinensem noveris Symmacho Papæ initio seculi* 6 *Romæ subscribentem, et* Tigrinum *Anconitanum anno* 816: *usus tamen vulgi fecit* Tegle, *unde* Thecla *Comestori.*

d Scotia *hic est Hibernia, sola tali nomine nota usque ad seculum* XI. *Ea autem, jam inde ab annis* 100 *et ultra, facta Christiana per S. Patricium, frequentes ad loca sacra emittebat peregrinos.*

e *Non Caput sed aliæ quædam partes allatæ eo fuerunt teste Rufino: ipsum autem ibi mansit ubi ferale convivium fuit celebratum.*

f *Imo* Emessam Mesopotamiæ:

g *Utique* Alexandriam *Ægypti.*

h *Huc usque Lectiones excusæ de Vita S, Tygris.: et hic incipit relatio S. Gregorii Turon. lib. de gloria Conf. cap.* 14, *sed stylo identidem mutato plurimumque interpolato: prout præcipuæ quæque additiones his notis* [ ] *indicantur.*

i *Quæ sequuntur usque ad num* 8, *Gregorio non solum præterita sunt, sed etiam ignorata videri possunt, et fabulam sapere.*

k *Clarius in MS. Archivii.* Perquisita Tygri et denudata, se ejus sic junxere ubera; ut etiam denudata illa non potuerint reperiri Reliquiæ; ipsa cum lacrymis asserente, se ex eo nullam habere culpam: quippe cui Dominus eas concesserit, prævidens iis in locis diuturnam a fide defectionem fore. *Et sane jam tum, imo jam pridem miseranda erat conditio Alexandrinæ Ecclesiæ, in hæreses et schismata post mortem S. Cyrilli inductæ, ut videre est in nostra Episcoporum istorum Chronologia.* F

l *Distat* Augusta Prætoria *pari fere quo Taurinum* 20 *leucarum intervallo a Maurienna: sed hujus Episcopi ea ætate ignorantur.*

m Bellicium *vulgo* Bellay *trans Rhodanum in simili distantia, Episcopum habebat an.* 555 Vincentium *Concilio Parisiensi subscriptum.*

n *MS. habet* Viennensem, *sed mendo manifeste librario; cum mox dicatur, quomodo primum Viennensi subesse Maurienna cœperit.*

o Cottiæ Alpes *circa montem Cenisium. Hinc infra videtur dici* vallis Cottiana.

p *Hactenus quoad sensum et sæpe quoad verba Gregorius Turonensis, ex sequentibus nonnulla inseruit Labbe Tom.* 5 *Conciliorum Col.* 964.

q *Hunc demonstravimus diu ante Guntramnum vixisse, adeoque ecclesiam multo prius conditam, si est ab illo dedicata; eumque invenio obiisse* 17 *Novembris.* *Saussayus*

A *Saussayus, quia diem ignorabat, ejus meminit ad 12 Novembris, quo Senior colitur.*

r Felmasium *nullis adhuc reperi sacris Fastis inscriptum.*

s *Bulla Joannis III, Benedicti I, vel Pelagii II; qui regnante Guntramno Romanæ ecclesiæ præfuerunt.*

t Secusia *vulgo* Suze, 18 *circiter leucis in Orientem.*

v *Id est ad* Curiam publicam *pertinentes : sic Bignonius apud Cangium;* Gestis municipalibus cum Curia publica prosequi deberem, *Gallice* la Chambre assemblée : *inde autem videtur locus, ubi conventus Sabaudiæ agebantur nomen habere, ut dicatur* la Chambre, 8 p. m. *ad Septemtrionem dissitum oppidum.*

x Rustes, *an* Rustici, *quas alias dicimus* Servos glebæ ? Fivum *videtur idem hic esse, quod Gallice* Fief *dicitur ; alias* Fiedum, Fiodum, *et usitatissime* Feudum.

y Leudes *alibi* Laudes *apud Cangium docentur dici pecuniariæ multæ, et pensiones a subditis exigi solitæ ; ut videatur hic indicari jus illas percipiendi : nisi quis personale hic nomen esse velit, sumique pro* Litis *seu*
B Lidis, *nomina sumpto ex Teutonico* Liden, Luyden. *Idem Cangius* Leudes *appellat, Vasallos nobiliores*

z *Utinam extaret aliquod instrumentum fundationis, vel Synodalia quæpiam acta ad confirmationem eorum quæ mox sequuntur, vel aliquid unde certius doceamur de tempore motæ et decisæ inter Maurianensem et Ebredunensem controversiæ.*

α *Abest quidem Mauriana Comum leucis circiter* 50, *nihil tamen invenio quod propius huc spectare putem : nam quæ obstaret intermedia diœcesis Eporediensis, ne tam procul Comensis se extenderet, videtur tunc proprios Episcopos non habuisse.*

β *Ita legendum censeo, licet ecgraphum habeat* Vologi usque in partes Provinciæ, *quod sensum nullum facit. Locum autem* Vologi *puto vix ultra Susam quærendum, ne nimium accisa ad Septemtrionem fuerit diœcesis Taurinensis ; nisi placeat eum terminum concipere diœcesis Augustanæ, cujus caput Mauriana distat ad* 64 p. m.

γ Rama *civitatula Delphinatus ad Druentiam fluvium 4 leucis supra Ebredunum.*

δ Leporius *seu* Leborius, Episcopus Ecclesiæ Maurianensis, *subscripsit Concilio Cabilonensi anno* 650, *cum* Ætherio Episcopo Ebredunensi, *et tunc Rex erat* Clodovæus II, *cujus* evocatione *coactum*
C *Concilium dicitur. Verum si sub Guntramno causa est acta, alium* Leborium *concipere oportet, vel fateri quod hic obrepserit auctori pro Æconio : cui controversia fuerit cum* Ebredunensi Salonio, *vel ejus post annum* 580 *successore* Emerito.

ε *Hic fluvius in tabula Delphinatus videtur perperam dici* Arca, *quia scilicet nomen amittit, post circumitam Maurianam vallem, Arcæ immixtus, ac denique cum eodem infra Gratianopolim Isaram subiens ; oritur autem ex monte Cinisio.*

ς Briantinum castrum, *vulgo* Brianzon, *pari* 59 *fere millium spatio distat Mauriana et Ebreduno, utrimque versus Occidentem declinans a medio.*

APPENDICULA D. P.

Ex MS. Archivii Maurianensis.

Reliquiæ ibi præcipuæ, In ea Ecclesia Maurianensi præcipuæ Reliquiæ sunt hæ : Duo digiti manus S. Joannis Baptistæ : nam pollex populo non ostenditur. De ligno sanctæ Crucis particula. De pannis super quibus decidit e sanguine Domini, et quibus Dominus fuit involutus in sepulcro. Unus ex digitis S. Petri Apostoli. De cruce S. Andreæ. Una ex costis S. Laurentii. Caput sive Cranium S. Blasii. Brachium S. Guntramni. D
Brachium S. Tygris. Brachium S. Anastasiæ. Annulus, qui infantum albuginem ab oculis pellit, dicitur esse S. Mauritii. Multæ sunt aliæ Reliquiæ minutiores, de sanctis locis et Apostolis, Martyribus, Confessoribus, atque Virginibus, quarum probatio habetur tantum per visitationem personalem Martini V, Constantia venientis (*anno* MCCCCXVIII) et Legatorum Apostolicorum ; et particulariter Reverendiss. DD. Episcoporum Maurianensium : nam multa ejus ecclesiæ jura *seu monumenta* fuere deperdita, in invasione ejus ecclesiæ anno MDXXXVII. *EX MS.*

11 *Hæc prælocutus Archivii Maurianensis curiosus scrutator quasdam nobis describit indidem acceptas a fidelibus gratias per sanctum Baptistam, suo loco relatas num.* 340. Quibus accedit, *inquit,* Fons olei e tumulo B. Heraldi, vulgo saint Herand, Episcopi Maurianensis, manantis : cujus olei vestigia adhuc cunctis patent in lapide superposito, cum signo candelarum accensarum. Ibidem et a fide dignis accepi, quosdam fuisse a vitæ discrimine, in infirmitate ereptos, precibus amicorum ad illud sepulcrum fusis. Dicitur sepultus fuisse anno Domini MCXXVII. *Interim tam vulgo notus, nec nomen quidem habet in Historia Chronologica Pedemontii, edita per Franciscum Augustinum ab Ecclesia, sed ejus loco videtur poni solo nomine indicatus* Aycaldus, *pro anno* 1125. *Mihi verosimile est, præmemoratam* B. Heraldi *sepulturam, non esse primam a morte, sed secundam aliquam, potius elevationem vel translationem dicendam.* *fons B. Heraldi Episcopi.* E

17 *Operæ pretium autem existimo apponere hic Seriem Episcoporum, sicut ex ipsius Ecclesiæ Archivio eum misit Turinettus, nullis annorum notis additis, nisi ex ipsius Turinetti conjectura. Ego his omissis, commoditatis causa præponam numerum ordinis.* *Series Episcoporum ex MS.*

1 S. Felmasius.
2 Leporinus.
3 M. Veranus. *
4 Hyporius. *
5 Bernardus, *
6 Brochardus. *
7 Artaldus. *
8 Cono.
9 Amedeus. *
10 Heinaldus. *
11 Brocardus II. *
12 Theobaldus. *
13 Hyporius II. *
14 B. Heraldus. * E
15 Bernardus II. *
16 Willelmus.
17 Lambertus.
18 Bernardus III.
19 Amedeus II de Mirabello.
20 Ermarius.
21 Amedeus III.
22 Petrus de Chordestello.
23 Anselmus.
24 P. Snelz.
25 Aymo de Miolano,
26 Amblardus de Intramentis.
27 Aymo II de Urteriis.
28 Anselmus II de Claromonte.
29 Amedeus IV de Sabaudia.
30 Joannes Mabalius.
31 Henricus de Symiriaco.
32 Amedeus V de Monte-majori.
33 Ogerius.
34 Ludovicus de Palude.
35 Aymo III Gervasius.
36 Ludovicus II de Estoutevilla Card.
37 Stephanus Mirelli.
38 Ludovicus III de Gorrevodo Card.

A 39 Philibertus de Chales.
40 D. Sancti Victoris.
41 Cardinalis Capo di ferro,
42 Card. Ferrariensis,
43 D. Trottis,
44 Petrus de Lambert, beneficentissimæ recordationis.

ab editis valde diversa. 45 PHILIBERTUS MILLIETUS, *creatus anno* MDXC : *post quem ab aliis additur* Carolus Bolba, *et* Paulus Millietus, *ordinatus* MDCXLI. *Quibus autem hic additur* * *in impressis non recensentur, aut pro iis alii nominantur.* Abbo, Adalbertus, Odelardus, Eurardus, Amoldus. *Et hi quidem ante* Canonem, *pro aliis vero septem hunc sequentibus,* Bernardus, Joannes, Aycardus, Bernardus, Petrus, *solum quinque, usque ad* Guilielmum, *ordinatum anno* MCLXVII. *In sequentibus non quidem tanta, notabilis tamen differentia reperitur, tam ordinis quam nominum et personarum, quam vide apud Sammarthanos. Ego hæc potissimum attigi causa* B. Heraldi, *cujus diem anniversarium scire velim,* D *et num sepulcrum ejus adhuc eadem in veneratione sit.*

18 *Denique ex eodem Archivio accepimus quædam, notata in Visitationibus diœcesis, quibus anno* MDXCII, *die* XXV *Septembris, juxta Concilii Tridentini decreta, subscripsit Antonius Cortailius, Doctor et Canonicus Theologalis ecclesiæ Maurianensis. Horum ultimus articulus hic meretur notari, ut aliis ansa detur plura et distinctiora quærendi.* In Prioratu et Cura Etyonis extat tumulus, cum superpositione plurimorum votorum. B. Calis Cardinalis et Prioris ejus loci : qui pro veritate ab ipsis Cardinalibus Romæ persecutionem est passus, in eoque Prioratu vixit patientissime quasi exul, et postea miraculis claruit. *Locum haud difficulter Maurianenses ostendent; utinam æque facile docere possint, sub quo Pontifice vixerit, et quo die obierit.* *B. Calis Card. sepulcrum.*

DE SS. AMANDO ET DOMNOLENO

B G.H. E

GIMELIACI IN PETRACORICIS

SYLLOGE HISTORICA

De utriusque cultu, et propositi eremitici Amandi sociis, SS. Soro, Cypriano ac discipulo Juniano.

SEC. VI. Gaufredus, *Cœnobita monasterii S. Martialis Lemovicensis, ac Prior Vosiensis cœnobii, circa annum* MCLXXXIV *scripsit Chronica, a Philippo Labbe tomo 2 Novæ bibliothecæ ex quatuor MSS. codicibus edita, in quibus cap.* 15 *agitur de* Sanctis in Episcopatu Lemovicensi præclarioribus ; *Cultus S. Domnoleni* *ac pag.* 286 *inter Sanctos ipsius urbis ista leguntur :* In ecclesia S. Gregorii, juxta monasterium S. Andreæ, tumulus cernitur S. Domnoleni, de quo nihil aliud reperi, nisi quod fama testatur, illum Principem Lemovicorum ; et ejus festivitas agitur VII Kalendas Julii, *et* S. Domnoleni ecclesia in urbe anno MCV Kalendis Julii concremata *dicitur, pag.* 167. *et ecclesia ipsius.* *Ast prædicta pagina aliquanto superius leguntur ista :* Beatus Dominicus in basilica S. Stephani de C Gimel requiescit. *Ibi locus* Gimel *forte aliis* Gemiliacus, Geniliacus, Genelaius *dicitur. Molanus in secunda et tertia editione Usuardi cum suis additionibus ista habet :* In Gemeliaco, natalis SS. Amandi et Domnoleni Confessorum. *Et de* Amando *seorsim ita in MSS. Barberiniano :* In Genelaico natale S. Amandi Confessoris. *S. Amandi* *Verum in* Geniliaco *scribitur in MS. Adone Leodiensi S. Laurentii,* et Genuliaco *in MS. Florario. At loco non expresso,* S. Amandus Confessor, *in MS. Florentino Magni Ducis, et MS. Coloniensi S. Mariæ ad Gradus, est relatus. Qui perperam etiam* Amandus *sive* Amantius Episcopus *scribitur.*

2 *In Registro beneficiorum diœcesis Lemovicensis* *plures sunt* parochiæ S. Amandi, *uti in Archipresbyteratu Charusiano aliqua sub patronatu Episcopi;* *variæ parochiæ ;* *alia* parochia S. Amandi, prope Peiratum *in Aubassanno Archipresbyteratu, quæ agnoscit Patronum Capitulum Lemovicense S. Stephani : item* parochia S. Amandi, Gertandois *cognominata, in Archipresbyteratu Bonaventano, sub patronatu Præpositi Auracensis : et prope urbem Lemovicensem* parochia S. Amandi, *ubi nunc est Conventus Recollectorum. Sed an omnes istæ parochiæ eumdem* Amandum, *et hoc die colant, optaremus scire. Utriusque porro Sancti cultus confirmatur ex Breviario Lemovicensi, quod habemus anno* MDCXXV *excusum; ubi ad hunc* XXV *Junii fit Commemoratio ipsorum, et hæc præscribitur recitanda oratio :* Deus qui nos annua sanctorum Confessorum tuorum Amandi et Domnoleni festivitate lætificas ; da nobis eorum intervenientibus meritis, et perpetua protectione muniri, et salutari gaudere profectu. *utriusque in Breviario Lemovic. commemoratio*

3 *His præmissis restat dispiciendum unusne hic* S. Amandus *sit cum eo de quo apud prædictum Gaufredum pag.* 285 *sub finem ista leguntur :* Comodoliacenses Juniano jubilant, cum Amando præceptore suo. *Vitam* S. Juniani *ipsi anno* MDCLXII *Cluniaci descripsimus, dandam ad* XVI *Octobris : unde* S. Amando *hæc licet decerpere* . Sub eo fere tempore *(seculo sexto)* vir nobilis, Amandus nomine, illustribus ortus natalibus, Evangelii non surdus auditor, relictis F omnibus, in vastæ solitudinis agro, cujusdam viri nobilissimi Ruricii Pontificis, cujus nominis vocabulum Commodoliacus dicitur, sibi haud grande tuguriolum, in quo remotiorem vitam duceret, visus est construxisse. *Compendium vitæ S. Amandi,* Sed cum in eodem loco vitam virtutibus plenam duceret, ibi a pastoribus reperitur. Mox ut ad prædicti agri Dominum ejus fama se intulit, pro opportunitate prædicti viri cellulam parvulam ei construi jussit : in qua cum solitariam vitam duceret, antiqui hostis certamina, ut fertur, non modica toleravit. Tunc prædictus religiosus puer Junianus, relictis parentibus, hoc modo cavere cupiens, ut ab æternæ patriæ hereditate minime privaretur ; prædicti viri Amandi institutis se Christi notitiæ commendare cupiens, ejus fores pulsare, ut sibi aperiretur, cœpit. Ad quas fores cum cognovisset eum esse vir Dei, æstimans ne illusio aut tentatio diabolica adfuisset, aliquamdiu se sub silentio dedit : nec tamen mox ei patefecit ingressum, *ex Vita S. Juniani ejus discipuli.* donec probaret, cujus rei causa prædictus venerabilis puer ad ejus cellulam accessisset. Sed agnitione comperta, mox cum gaudio suscepit, ac viam salutis ostendit. Qui Junianus tanta humilitate tantaque sanctitate, opitulante Domini misericordia, exercuisse

A cuisse se scitur; ut non solum Magistri imitator existeret, sed etiam amore divino incensus, Magistri vitam virtutemque succenderet. Igitur iisdem diebus cum hujus Amandi obitus appropinquaret, felici excessu migravit ad Dominum. Multos tamen, ut fertur, suo salvavit exemplo. Post cujus obitum prædictus venerabilis Junianus, in ejus cellula longo spatio temporis solitariam vitam duxit. *Hæc ibi, in quibus citatus* Ruricius Episcopus Lemovicensis *interfuit Concilio Aurelianensi quarto, circa annum* DXLI, *et quinto per Antaredum Archidiaconum anno* DXLVII. *Ex quibus liquet* S. Amandum *dicto seculo sexto floruisse.*

D. P. *Adventus in Petragoricam cum SS. Soro et Cypriano,*

4 *Hactenus Henschenius, quibus ex vita S. Sori Eremitæ, per Bollandum illustrata ad* I *Februarii, additum velim, quod habita temporum ac locorum ratione, videbatur* S. Amandus *S. Juniani magister, prædicis S. Sori fuisse socius, de quo ibi sic legitur.* Hic sanctus vir Sorus, territorio ortus Arvernico... ut libera usus est ætate, junctis sibi duobus commilitonibus ejusdem viæ, Amando atque Cypriano... Arvernicum excedentes solum... Petragoricum ingressi pagum, una mente parique consensu ere-
B miticam aggressi sunt ducere vitam. *Venerat autem ex Hispania in Arverniam* Cyprianus; *et factus deinde Abbas colitur* XI *Decembris. Illis porro* aliquamdiu pariter commoratis... cœpere confluere quamplurimi.... At hi nequaquam obliti prioris propositi, dum aliquamdiu fatigationem patiuntur undique confluentium, quod dente discretionis interius ruminabant, ad invicem conqueruntur: frustra se deseruisse sua, si talibus implicarentur negotiis.... et remotius sibi habitaculum requirendum judicarunt.... Nec mora dictu citius animati beati viri D
Amandus et Cyprianus sanctusque Sorus iter arripiunt, quo Domini eos pietas et velle duxerit. Dumque sanctis sermonibus pia refovent corda, inter eundum deveniunt ad quemdam locum... Petras erectas vocabulo, ibique gressum figentes paulisper subsistunt; concite... socii profundo obdormiunt somno; *quibus sic dormientibus, Sorus interim exquirit idoneum sibi locum; eoque reperto dissimulanter regreditur, et tandem excitatis persuadet* fraterna ex acie *discedere*, et sola manu vel brachio contra potestates aeris iter aggredi: Et quia, *inquit*, quos caritas jungit emensio terrarum non separat... pro ejus caritatis dulcedine aliquid eulogiarum pariter sumamus.

AUCTORE D. P. *illoque ad Petras erectas relicto,*

5 *Tum oblatum fortuito in alterius omnis rei defectu, frustum laridi partitur* Sorus, *quod unus sociorum* (Amandus, an Cyprianus *non exprimitur) dum scrupulo ductus sinu abdit, in colubrum versum mox invenit; et ad jam digressum Sorum referens, culpam agnovit; factum ostendit; in priorem statum benedictione reformatum sumpsit, et* qua venerat recessit. *Recessit autem, ut jam dictum est,* Gimeliacum: *ubi ambo se-* E
dem fixerunt locis discreti. Et Amandus *quidem solitariæ vitæ propositum tenuit, ad extremum usque vitæ terminum, nisi* quod *discipulum* Junianum *suscepit:* Cyprianus *vero* ab ejusdem loci Fratribus *(ut in ejus Vita dicitur)* affectuose receptus: *tandemque* electione Fratrum circumquaque manentium... ad Presbyteri officium est assumptus, *factusque eorum Abbas.*

et ad Geneliacum altero, *ibidem facto Abbate.*

NOT. 5

DE SANCTO ÆMILIANO

EPISCOPO NANNETENSI ET MARTYRE

APUD AUGUSTODUNUM IN BURGUNDIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

D. P.

De cultu, legenda et ætate, seu tempore mortis ipsius.

CIRCA DCCXXVI. *Festum in ecclesia propria Dominica post S. Joannis Baptistæ,*

Æduorum veterum Metropolis Augustodunum *vulgo* Autun *hodiedum extendit diœcesim suam usque ad Ligerim fluvium, a quo non multum distat ultimum ea parte illius oppidum* Bourbon Lancy *dictum, Latine scri-*
C *bentibus* Burbonium Anselmi. *Huic vero, intervallum leucarum circiter duarum; adjacet vicus* S. Joannis de Luzia, *alias* Leuzy *dictus, a Metropoli distans leucis minimum quatuor, si non fallunt novissimæ tabulæ. Hic* S. Æmilianus, *vulgo* Saint Millan, *ecclesiam a se nominatam habet, corporis sacri deposito honoratam, quo magnus quotannis accolarum confluxus est ad festum, solitum prima post S. Joannis Nativitatem Dominica celebrari. Ibidem habetur Confraternitas, sub eodem erecta nomine, auctoritate Jacobi Huraldi, Æduensis ab anno* MDXII *ad* MDXLVI *Episcopi, cujus tempore crediderim etiam compositas Lectiones Officii proprii; quod una cum Missa etiam propria, Petrus Franciscus Chiffletius noster eleganter et cum notis musicis descriptum reperit; notavitque ætatem libri litteris rubris notatam legi, in circulo majoris litteræ O, unde incipit prima ad primas Vesperas Antiphona; sed verbis Gallicis, quæ sic Latine reddo.* Anno MDCXII factus sum per D. Stephanum Chaffault, Bassum in ecclesia S. Lazari Augustodunensis; fecit autem me fieri D. Edmundus Baldreaudus Curatus S. Æmiliani.

cum Officio et Missa.

Ex illis Legenda Gallice edita:

2 *Circa idem tempus ex prædictis Lectionibus extracta fuit Gallice vita ipsius Sancti; quam, prima verosimiliter vice, imprimendam approbavit Robertus quidam Doctor Theologus, anno jam dicto* MDCVII *die* XX *Julii; rursum autem a Blasio Simonetto Augustodunensi Typographo excudi permisit Antonius de Ganay, Vicarius Generalis, anno* MDCXXXIV *die* XIX *Junii,* F
cum hac ad calcem oratione: Omnipotens sempiterne Deus, qui beneficiis B. Æmiliani, Martyris tui atque Pontificis Nannetensis, herniosis, ruptis, calculosis, et diversis infirmitatibus sanitatem concedis, familiam nostram quæsumus Domine, respicere digneris; ut quicumque ejus imploraverint auxilium, puritatem mentis et corporis se impetrasse sentiant et lætentur. *Ex prædicto autem Officio descripsit nobis Chiffletius Orationes proprias alias duas, verosimiliter antiquiores, unam ad primas Vesperas,* Omnipotens sempiterne Deus, fortitudo certantium et palma laborantium, solemnitatem hodiernæ diei propitius intende; et Ecclesiam tuam fac celebritate lætari; intercessione Martyris tui Æmiliani, omnium in te sperantium vota perficias. *Ad Laudes vero:* Omnipotens sempiterne Deus, qui devote deprecantium preces benignus exaudis, Majestatem tuam suppliciter exoramus, ut sicut in honore gloriosi Episcopi tui et Martyris Æmiliani fides fuit exaltata; ita ejus intercessione, hostes nostros visibiliter, ne nobis nocere valeant, separari concedas; et ab infirmitatibus capitis et ruptionibus ventris sanari nos facias.

cum oratione teste miraculorum,

quales etiam sunt in Officio.

A 3 *Dignum nihilo minus Chiffletio visum est quod transcriberet Responsorium ad* IV *Lectionem, hujus tenoris :* Quam felix es Gallia! quam inclita urbs Hædua! dum excipis eximium amicum Dei Æmilianum, incomparabilem thesaurum, super cunctas opes tibi percommodum. Hic te defendet ab omnibus adversitatibus, devotis precibus conferet plurima beneficiorum præmia. In hujus exceptione pange Christo laudem animo et corde: cujus patrociniis illustraberis continuis miraculorum signis. *Notavit deinde Chiffletius Auctorem Legendæ Gallicæ, ultra quam prælucebant Lectiones processisse per conjecturas novas; et alia quædam, istic non expressa, ex incolarum traditione addidisse; nisi forte antiquior alia præextiterit, quod ipsamet Lectiones indicare videntur, cum de numero Martyrum Christi fuisse* Æmilianum *dicunt*, ut Vitam et Legendam intuentibus manifestabitur.

Ar. Tom. p. p. Eodem facit Responsorium 4.

des deratur Legenda vetustior

4 *Ex sic ergo scripta Legenda Gallica, excerpsit Chiffletius, fuisse* Æmilianum *illustri genere in Britannia natum, studiis excultum litterarum; factumque Episcopum Namnetensem, venisse cum suorum exercitu in subsidium Augustodunensium, obsessorum a Saracenis, qui anno* DCCLXXVIII, *post regressum scilicet ab Hispaniis, fidei Christianæ restitutis, Carolum Magnum,* B *in Gallias se infuderint, diviso trifariam exercitu, Burdegala, Tholosa, Massilia, occupatis. Hos capta et desolata Cabillone ad Sequanam, trajecisse in Burgundiam, longaque obsidione Augustodunum pressisse;* Æmilianum *vero cum suis, ad certamen animatis, aggressum illos; primum quidem in vico,* Saint Forgeot *vulgariter dicto, una ab Augustoduno leuca; iterum ad* S. Petrum de Estrerio, *tertio ad vicum* Aussy *nuncupatum ad sesquileucam ; ac denique apud* S. Joannem de Luzia, *ubi occubuit: ex traditione autem haberi, quod supra corpora Christianorum cæsorum miraculose atque instantanee fuerint posita pulchra illa grandium petrarum monumenta, quæ hodiedum ibi videntur.*

Gallicæ synopsis,

5 *His ita decerptis, proponit sibi Chiffletius Ideam peculiaris opusculi, de hoc Sancto conscribendi, in hunc modum.* I Danda est Historia S. Æmiliani pro tribus Lectionibus secundi Nocturni *(novis scilicet, veteres enim novem numerantur)* II. Quod non fuerit occisus DCCLXXVIII post Caroli Magni expeditionem Hispanicam. III Quod tempore Caroli Martelli, et quod anno DCCXXXVI cum anno DCCXXXV præcessisset obitus Eudonis et invasio Aquitaniæ per eumdem Carolum; secuta vero esset anno DCCXXXVII Saracenorum clades ad Narbonam. IV Traditionem non C evertunt Catalogi Episcoporum Nannetensium, ubi nulla mentio S. Æmiliani : nam hi Catalogi sunt recentes et imperfectissimi. V An licuerit et decuerit Episcopum armorum tractatio. VI An sit vere inter Sanctos relatus, et qua auctoritate vindicatus? VII De sepulcris loci monolithis. VIII An sit vere Martyr? IX Confraternitas S. Æmiliani. X Multi in baptismo de ejus nomine appellantur. XI Fundationes et Indulgentiæ Confraternitatum, *quas proinde plures esse videtur indicare. Erit fortassis, qui, quod ille mente conceperat, plenius exequatur scripto: nobis tam prolixis esse non licet : nam* VI *caput satis patet ex dictis;* VIII *vero discussione peculiari non eget, cum omnes morte cruenta defunctos Sanctos,* Martyres *appellare et ut tales colere Ecclesia consueverit; etsi Martyrii proprie dicti laureolam fortassis non consecutos.*

et Idea opusculi a Chiffletio concepti,

6 *Ad tempus quod attinet, quodque hujus loci potissimum est, facile assentior Chiffletio,* Caroli Magni *regno perperam attributam rem, quæ (si vere contigit, uti habet traditio) ad* Caroli Martelli *ætatem debet pertinuisse. Licet enim Magnus suos in Hispania triumphos doluerit funestatos clade Roncevallensi, inter angustias montium a Vasconibus accepta; numquam tamen ausi sunt Saraceni, quoad ille vixit, Gallias infestare. Quod autem supponit Chiffletius ausos esse, sub Martello id eatenus admiserim, ut factum sit antequam* D *Aquitania expellerentur illi, ab Eudone Comite victi: licet enim hoc mortuo, et cum defuncti filiis altercante Martello, resumpserint Saraceni animos; dum tamen ad Narbonam victos fugatosque lego, non possum mihi persuadere, eos tunc altius penetrasse, quam usque Narbonam, ubi iis obviam factus Martellus est.*

qui recte negat sub Carolo M. an. 778 irrupisse in Gallias Saracenos

7 *Annales Breves apud du Chene tomo* I *Francicorum ab anno* DCCVII *usque ad* DCCXC, *aliique a* DCCVIII *usque ad* DCCC, *aptius nobis tempus ostendunt; dum primi quidem dicunt, quod anno* DCCXXV Saraceni venerunt primitus; *secundi autem addunt occasionem, per quam id ipsis licuerit, cum dicunt ; quod,* quando Karolus primum fuit in Bauvarios, Saraceni venerunt. *Chronographus Saxo seu Magdeburgensis qui magno nobis usui fuit ad Acta S. Norberti Sedis illius Archiepiscopi, et cujus Chronicon ex nostro MS. Celeberrimus Vir Leibnitius posuit in capite Accessionum suarum Historicarum Lipsiæ editarum anno* 1698 ; *Chronographus inquam Saxo dicit, quod anno* DCCXXVI Karolus Princeps cum Bajoariis pugnavit, eosque vicit, *et hoc bellum biennio durasse potuit. Idem anno* DCCXXVII : Karolus Sueviam ingressus contra Lantfridum pugnavit, et gentem illam vicit. *Alii quidem bellum hoc ad annum* XXX *referunt, interim tamen dicunt, quod anno* DCCXXVIII Karolus fuit in Saxonia ; *et* XXIX voluit pergere Saxonia ; *adeo ut is videatur in Germanicis partibus fuisse occupatus, usque dum anno* DCCXXXI fuit in Wasconia contra Eudonem, *eumque vicit; sed ita, ut hoc ipsum, quo animari videbantur Saraceni ad irruptiones suas fidentius resumendas, fracto eo quem sibi præcipue obsistentem habuerant in Aquitania, majori ipsis damno fuerit.*

quod potius factum videtur circa an. 726 sub Martello

bellis Bavarico, Saxonico, Suevico gerendis occupato ; E

8 Saraceni *enim* ex Hispania cum parvulis et uxoribus venientes, *sicut idem Chronographus habet,* Aquitaniam Galliæ provinciam, quasi in ea habitaturi, intrarunt: Karolus autem cum Eudone, contra eosdem pari consilio dimicavit. Nam irruentes Franci super eos CCCLXXV millia ex eis interfecerunt: Eudo quoque super eorum castra irruens, pari modo multos interficiens, omnia devastavit. Mille quingenti tantum ex Francis ciderunt. *Pugnam hanc ad* Pictones *commissam in mense* Octobri die Sabbati, *dicunt prædicti Annales ; neque credibile est tunc ultra Pictones penetravisse Saracenos; uti nec anno* DCCXXXVII, quando Karolus bellum habuit contra Saracenos in Gothia, *id est Languedocia : tunc enim non ultra Narbonem venerunt dicente Chronographo Saxone,* quod Saracenorum exercitus, rursum in Galliam introiens multam devastationem fecit : contra quos Karolus, non longe a Narbona bellum committens, maxima eos cæde prostravit. *Anno denique* DCCXL Saraceni, Gallias rursus ingressi, Arelaten ceperunt, et omnia circumquaque demoliti sunt. Sed Karolus misit ad Luitprandum Regem, petens auxilium : qui et venit cum omni exercitu Longobardorum. Quod Saraceni mox ut audierunt, fuga elapsi sunt. *Hactenus Chronographus prælaudatus, quæ inde decerpere placuit, ut constaret fieri vix potuisse, nisi intra annum* DCCXXV *et* DCCXXX, *ut Augustodunum Saraceni obsederint, et contra eos venisse* S. Æmilianus *potuerit. Nunc ipsam, ut habemus, Legendam accipe : et vide, num tota recipi possit, correcto unico illo errore, quo pro* Martello *obrepsit* Karolus Magnus : *qui error eo faciliorem meretur veniam, quod* Martellus, *licet Principis contentus nomine, Regio tamen potestate utens,* Rex *etiam subinde dictus inveniatur: unde id quod Papirus Massonus in Annalibus dicit, tumulo ejus in æde S. Dionysii inscriptum legi,* CAROLUS MARTELLUS REX.

nam postea illo contra ipsos veniente, atque vincente

non videntur usque ad Æduos penetrasse.

LECTIPNES

A

LECTIONES OFFICII

Ex MS. Codice ipsius Ecclesiæ.

Inter plures Christi Martyres Cum per universam Gallorum provinciam, longo tempore a passione Domini nostri Jesu Christi, per oracula Sanctorum, verbum Dei tam dulciter intonuisset, et claritas divinæ legis audita fuisset, convertens animas et sapientiam præstans parvulis, multi ad fidem suscipiendam convolarunt; doctrinisque et meritis, et precibus ipsorum sacro baptismate abluti sunt. Quos Dominus, sua providentia omnium salutem zelans, et sua membra ad se trahere cupiens, [passionibus] et tormentis justificare voluit : ne per mundi prospera, obliviscerentur eorum quæ sunt in patria. Alii lapidati sunt, secti sunt; alii tentati sunt, et alii in occisione gladii mortui sunt. De quorum numero beatus ac sanctus Æmilianus, miseratione divina *a* Nanthensis Antistes in Britannia inventus fuit, ut Vitam et Legendam intuentibus manifestabitur. Qui sub persecutione Eustragei *b* et Nemphei commilitonum floruit, et crudele martyrium suscepit, paulo post triumphum *c* Caroli Magni, Rolandi et aliorum, ut in eorum gestis apertum est.

fuit S. Æmilianus :

b

B

c

2 Unde antiquus humani generis inimicus, invidia procurante et suggerente, multos paganos infidelesque a fide alienatos, sanctam Christianitatem per totam dictam Galliam deglutientes, et multas urbes devastantes, permissione divina (demeritis forte exigentibus) suscitavit. Quod audiens ille beatus Æmilianus, fidei æmulus et zelator, sanctissimus Episcopus, ex Britannia natus, pulcherrimus aspectu, vultu amœnus, dulcis eloquio, populo valde compatiens, et supra modum amabilis, quia bonis virtutibus et moribus plenus, multos ex suis propinquis et longinquis animavit, ad fidemque defendendam roboravit et solidavit, ista affabiliter dicens; O viri fortes in armis, in fide vero fortiores; scutum fidei vestris in manibus, et crucem Domini in frontibus vestris assumite; galeam salutis in capite, et loricam in pectore. Eia milites Christi, vobiscum arma deferte bellica, canes venenosos trucidantia et conterentia. Melius est nobis mori in bello, ut ait Judas Machabæus, quam videre mala gentis nostræ, et opprobria Sanctorum in lege divinæ Majestatis sustinere.

qui contra Saracenos Galliam vastantes,

suos cives animatos,

C

3 Qui instigante Spiritu sancto, festinantius Beato responsum concorditer fecerunt; Domine venerande et bone Pastor, jube, impera, et quocumque ieris te sequemur. Ipse ardens, voluntatemque divinam anhelans, diem recessus suis intimavit: qui sicut boni fidei zelatores, et suo Pastori adhærentes, armis aggressivis, et defensivis muniti, in grandi numero in dicta Nanthensi ecclesia comparuerunt : ubi Beato Missam celebrante, de Corpore et Sanguine Domini nostri Jesu Christi omnes communicavit, uti Pontifex piissimus. Qui divino peracto Officio, una cum proprio Comite, suos solidans, et in fide confirmans aiebat; Filioli, gratias Deo Salvatori nostro reddamus, qui condidit cœlum, terram et mare ex nihilo, et omnia quæ in eis sunt creavit : qui nos sua bonitate in tanta multitudine aggregavit, et animos nostros taliter roboravit et sanctificavit. Devote ipsum deprecemur, ut voluntatem suam adimplere valeamus in salutem.

ac sequi paratos,

4 Et valefaciens omnibus, ipse et sui commilitones, omnibus mundanis spretis, spe suffulti, Sacramentis muniti, veluti boni milites, prævio Duce illo venerando Æmiliano exierunt. O quantus luctus omnium lugentium plangentiumque civium, viduarum, orphanorumque! His minime præpediti, die noctuque ambulantes, suos gressus versus Burgundiam direxerunt : ab itinere non cessantes, donec ad quamdam civitatem Hæduensem, in districtu Burgundiæ situatam, appulerunt : in qua benigne cives illius, auxilium a Deo cognoscentes, et crudelem inimicorum obsidionem *d* formidantes, affectuose exceperunt.

in Burgundiam ducit

Ex MS.

d

5 Qui statim audientes, Paganos adesse prope dictam civitatem, Nemphei fere sex millia, et Eustragei viginti millia paganorum equitantium, pedestribus minime computatis: appropinquantibus Paganis non longe a civitate, obviaverunt foras ut audaces, vigilantes, non formidantes, in Deo sperantes sub Divi Æmiliani ducatu : et aciem intrantes, enses et lanceas in facies inimicorum magnanimiter injecerunt, ut in omnibus glorificetur Deus : et multis occisis, nominatum Eustrageum cum quinque aut sex millibus, ad S. Joannem de Luzia usque fortiter persequentes, inter burgum *e* Colcharum et Hæduensem civitatem situatum, viriliter fugarunt.

et Augustoduno appropinquantium hostium

partem unam cædit,

e

6 Cui, inscio provido viro, venit in succursum a Cabilone maleficus ille Nempheus, velut canis rabidus et veneficus; Eustragei sui commilitonis ampliorem exercitum habens, supra numerum superius dictum. Quod videns consolator beatissimus suos buccinavit, et istis consolatoriis affatur verbis, dicens; Congratulor fidei vestræ, commilitones optimi, quod amore christianitatis et fidei, nullam vobis inimicorum visus formidinem attulit. Accingimini, et nullus vos metus terreat humanus : fortes animo, fide fortiores, estote Deo confidentes, quia protector est omnium sperantium in se. Non in multitudine bellantium, sed de cœlo victoria est.

E

contra alteram quoque suos animans

7 Adhuc illo loquente, venit vectus equo nuntius, dicens; Domine festina : jam Pagani ad gentem et ad exercitum tuum decurrunt. Qui in Domino confidens, et signo Crucis se muniens dixit; In manus tuas, Domine, commendo Spiritum meum. Et aciem invadens clamabat; Eia milites, in Deo confidite de vobis. Accidit autem ut nutu Dei, prædicto Nempheo, mirabili fortitudine et statura, primo occurreret : quem, visis opprobriis et crudelibus martyris suis inflictis, audenter invasit, et magna vi ac potentia viriliter percussit, hinc et illinc atrociter cruentavit. In cujus auxilium affuerunt Pagani grandi numero, ipsum a terra sublevantes : et in sanctum Antistitem [irruentes] enses et lanceas in Sanctum corpus dederunt.

fortiter dimicat,

sed plurimis eorum cæsis,

F

8 Qui voluntate divina prostratus, suos non cessabat sanctis exhortationibus ad fidem animare, dicens; O inclitissimi milites, in fide constantes estote, animo potentes dimicate contra inimicos, et audaces in Paganos convalescite : quia jam video qui animss vestros delectabit,et sollicitabit: jam video cœlos apertos, et Angelos aspicio de adventu vestro Deo congratulantes. Nolite metuere mortem, quæ sine dubio ducit ad vitam : filii non hominum, sed Dei, [pugnatur] pro nostra vera matre Ecclesia, quæ clamat ad Deum vindictam Sanctorum suorum.

prosternitur etiam ipse

9 Cupite dissolvi, et esse cum Christo Salvatore nostro. Ibi nos meliora loca manent, et tota merces nostra. Et hæc, ultimo in laudem prorumpens, animam sanctam Angelis sucipientibus, æternis gaudiis cum canticis et laudibus, audientibus cunctis ibi existentibus reddidit, sæviente illo scelerato Nempheo, ejusque sanctum caput detruncante.

et capite truncatur

ANNOTATA D. P.

a Nanthensis, *a vulgari* Nantes; *antiquior aliquis*

A *quis* Namnetenses, *vel saltem* Nannetenses *scripsisset.*

b *Nolim respondere pro hisce nominibus, alibi necdum repertis a me,*

c *Cladem potius dixisset, nisi triumphum Martyrialem intelligat; cui fabulosus Turpinus assignat* XVI Kalendas Julii, *anni* 778; *Saussayus* pridie Kalendas Junii, *quando de eo et sociis inter Prætermissos egimus.* D

NOT. 5

d *Auctor Legendæ Gallicæ, reipsa obsessum, et quidem diu, Augustodunum asserit.*

e *Videtur* Burbonium Anselmi *intelligi,* Bourbon Lancy, *et forte non satis recte scriptum est nomen.*

DE S. PECINNA SEU PERSEVERANDA

VIRGINE AGRI PICTAVENSIS IN GALLIA.

D. P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

De vario ejus per tres dies cultu, titulo Martyris alicubi addito, et Vita scripta sub nomine S. Perseverandæ.

FORTE SEC. VIII. *Vita datur ex* 3 *MSS.* *ante annos* 300 *exaratis.*

B

Tribus *continenter diebus reperitur in sacros Fastos relatum nomen* Nobilissimæ Virginis Pecinnæ, agnomine et meritis Perseverandæ: *his enim titulis appellatur in vita, quam descriptam habemus in præclaro grandis membranæ Passionario, Vitas Sanctorum Maji et Junii continente, quod una cum aliis quatuor ejusdem molis argumentique voluminibus, sequentes menses præter Augustum continentibus, redemimus ne discerperetur, sicut discerptus fuerat iste aliique primi menses quatuor, ante annos circiter trecentos pariter descripti in monasterio Valcellensi Cameracensis diœcesis. Isti simile aliud in Aroasiensi apud Atrebates monasterio, quod æque ac illud est Canonicorum Regularium, invenitur fortassis etiam nunc; certe initio seculi hujus inveniebatur, quando Joannes Bronier, ipsius loci Sacerdos Canonicus, ejusdem Vitæ exemplar inde descriptum transmisit P. Heriberto Rosweydo, qui ipsum cum alio contulit apud monasterium S. Foilani Ordinis Præmonstratensis servato, quodque comperimus ad verbum convenire cum nostro præfato codice, nisi dum* Pecinna *scribitur* Picinna. *De hac tamen Vita priusquam agam, reddenda mihi ratio est cultus tam varii, ut propterea et propter duplicatum Sanctæ nomen, fuerit ab aliquibus divisa in duas; eo maxime quod* Pecinnæ *nomini etiam* Martyris *titulus inveniretur subinde additus,* Perseveranda *simpliciter* Virgo *appellabatur.*

C

Ipsa Sancta videtur primum culta fuisse 24 Junii, *inscriptæ Martyrologiis, etiam ut Martyr,* *cum sororibus Macrina et Columba,*

2 *Molanus nescio unde nactus exemplar Usuardi, minus licenter aucti quam cetera recentiora quædam alia, ad* XXIV *Junii ubi scriptum reperit transcripsitque:* In agro Pictavensi S. Pecinnæ Virginis: *quod secutus in Gallicano suo Saussayus, lecta fortassis etiam Vita prædicta, phrasim sic extendit;* In agro Pictavensi S. Pecinnæ, Virginis Deo sacratæ, Angelica puritate et morum innocentia ac religionis fervore illustris. *Quia autem in prædicta Vita etiam nominantur sorores ejusdem propositi sociæ,* Columba *et* Macrina, *sive (ut est in Foilanensi) MS.* Magrina *simulque castitatis causa vexatæ dicuntur, etsi cruentam mortem nulla earum obiisse feratur: placuit aliquibus, simul omnes, et quidem ut* Martyres, *adscribere Fastis; cum nonnulla (ut passim fit) in nominum ordine ac litteratura diversitate. Hinc in MS. Carmeli Coloniensis, quod apparet ab exemplo quodam Gallicano sumptum, sic legitur:* In territorio Pictavensi sanctarum Virginum, Putinæ, Matrinæ, et Columbæ Martyrum. *In Martyrologio, Coloniæ et Lubecæ sub annum* 1480 *excuso, necnon Auctariis Greveni ad Usuardum annorum Christi* 1515 *et* 1521; Pictavis sanctarum Pectinæ, Matrinæ, et Columbæ, Virginum et Martyrum: *quæ verba modice alterans Maurolycus,* In agro Pictaviensi, *inquit,* SS. Columbæ, Maternæ et Picinnæ, Virginum et Martyrum. *Hunc vero ordinem modumque scribendi nomina, sequuntur Ferrarius et Felicius: talibusque exemplis motus Saussayus in supplemento, quasi priora correcturus sic legi jubet:* In territorio Pictaviensi natalis sanctarum Virginum et Martyrum, Columbæ, Maternæ, et Picinæ. E

interim sola et Virgo tantum colitur die 25, *apud Pictones et Venomanduos:*

3 *Verum, sicut jam dicere cœpi, nulli earum contigit virginitatis lilio jungere rosam Martyrii, ut sicut de sola* Pecinna *narratur, quomodo et ubi mortua atque sepulta sit et colatur; ita sola potest a nobis referri in hoc opere. Poterat autem referri ad diem præcedentem, quo pro majori rusticanæ plebis commoditate, utpote aliunde festivo, primitus cultam credo; nisi, eodem cultu sub finem seculi* XI *auctor, cum etiam visum esset Officium Ecclesiasticum pro ejus honore instituendum in ecclesiis ei dicatis, dies hic præplacuisset, proxime vacuus a celebriori Officio. Itaque ad finem Vitæ præfatæ in triplici MS. sic legitur:* Celebratur autem depositio ipsius Virginis septimo Kalendas Julii. *Habemus vetustum absque anno impressionis Breviarium Sanquintinensis in Veromanduis diœcesis: ubi, propter delatas illuc (ut mox dicam) Reliquias, ad dictum diem sic notatur in Kalendario præfixo,* S. Pecinnæ semiduplex; *notatur autem per rubricam, tamquam festum a populo feriato celebrandum, æque ac Nativitas S. Joannis Baptistæ et proxime sequens Apostolorum. Idem dies in Pictavis servatur: prout testatur Henricus Ludovicus Castanæus de la Rochepozay, Episcopus Pictavensis, in suis Notis ad Litanias Pictonicas a se vulgatas, quibus etiam inscripserat* S. Picinnam Virginem. F

rursumque sub nomine Perseverandæ refertur 26 *velut diversa sed per errorem*

4 *In omnibus tamen Legendariis MSS. supra allegatis et aliis verosimiliter pluribus sic legitur;* Incipit Vita S. Perseverandæ Virginis, cujus festivitas est VI Kal. Julii *(licet id per errorem, ipsi textui contrarium, inductum videatur) accidit ut in recentioribus plerisque, tam manu scriptis quam typo cusis Usuardi auctioris exemplaribus, etiam illis quibus* Pecinna *cum sororibus inscripta erat die* XXIV; *ad diem quoque* XXVI, *post memoriam S. Maxentii, adderetur;* Eodem die S. Perseverandæ Virginis. *Hoc secuti sunt isti quoque qui alias nihil de* S. Pecinna *habent; inter manuscriptos quidem Codices, Vaticanus S. Petri, Centulensis S. Richarii, Bituricensis S. Laurentii, sex membranea nostra, quorum ultimum nuper nobis allatum Praga præfert titulum Conventus Nistadensis in Provincia Daniæ; inter impressos vero, Bellinus, Galesinius, Canisius, ac denique Romanum hodiernum: quos jam pridem præcedens Petrus de Natalibus,* Perseveranda Virgo, *inquit lib.* 11 *cap.* 180, eodem die in Domino requievit. *At Maurolycus et Felicius nonnullaque*

A *nullaque Martyrologia MSS.* Perseverantiam *appellant. Quibus omnibus non obstantibus, neque secernenda censeo nomina quasi duarum Sanctarum, neque sequendum errorem in die manifestum.*

Etiam colitur in parochia sui nominis prope Nyorthum,

5 Locus *sepulturæ et cultus, uti in Vita num.* 15 *legitur,* situs est in pago Pictavensi, et dicebatur tunc Taurinicus *(in MS.* Foillani Tauriacus *scribitur)* nomine nunc quoque mutato, honorabili vocabulo nuncupatur ad S. Pecinnam, *vulgo* Sainte Pezaine, *inquit Episcopus Castanæus in notis ad suas Litanias,* juxta Nyorthum *regiunculæ sibi cognominis caput, ad Seuram fluvium, Pictavis fere tantundem atque Rupella distans, hinc scilicet* XII, *istinc* XIV *leucis, et infra* S. Pecinnæ *Parochiam, ex altera fluminis ripa leuca una supra se prospectans. Ad eamdem ripam sursum per leucas* IV *jacet oppidum S. Maxentii, qui* XVI *Julii in iisdem omnibus Martyrologiis commemoratur; ut ideo conjuncta illi eodem die fuerit* S. Perseveranda. *Addit Castanæus esse* alteram ejusdem nominis Parochialem ecclesiam prope Moustiers sur le Lay, *ubi similiter* S. Pecinna *ut Patrona titularis colitur,* in Lucionensi diœcesi : *in qua Chorographica quidem Pictavii tabula* Layam *fluvium nominat, sed nusquam* Moustiers *vel* Pezaine; *ut nequeam dicere quantum ab invicem distent ambæ ejusdem Virginis parochiæ; sed solum monstrare possim discrimen fluminum prædictorum, quorum ostia ad* VIII *leucas distant ab invicem; qua vero Nyorthum Layæ vicinus est, saltem* XII *leucæ censentur.*

aliaque ad Loyam fl.

B

6 *Ast magno centum ut minimum leucarum Gallicanarum intervallo, ab Nyortho distat oppidum et monasterium S. Quintini, in Veromanduis Belgio vicinis; cujus Dominus et Abbas, idemque Veromandensis et Crispiniensis Comes, Hugo Magnus, eo prælio, quod adversum Comitem Andegavensem commisit victor, Pictavos quoque depopulatus est; et Nyorthum usque excurrens,* anno MXC, ablata *inde* Pecinnæ Virginis pignora induxit in ecclesiam, quæ etiamnum Virginis nomen obtinet; in qua instituti Canonici duodecim, distincti in Presbyteros, Diacônos, et Subdiaconos, subditi majoris ecclesiæ jurisdictioni patronatuique S. Quintini, cum aliquot Capellanis. *Ita Claudius Hemeræus ad annum prædictum, in sua Veromanduorum Augusta, quæ vulgo urbs S. Quintini nominatur; addens id factum,* Magnatibus ejus ævi arbitratis, illustri apice suas victorias coronandas, si Divorum Reliquiis ecclesias devictæ provinciæ spoliassent, ut suas iisdem exornarent, Adventum vero Divæ Pecinnæ Reliquiarum celebramus, *inquit,* XXIV Julii. *Quales vel quantæ eæ sint dum ipse non explicat; suspicari licet, quod eæ solum sint, quæ ad publicam venerationem fuerant reservatæ, et lipsanothecis argenteis impositæ, tum cum primum condita vel restaurata sub ipsius Sanctæ nomine uti Tauriacensis ecclesia, corpore sub altari verosimiliter collocato. Ita salvabitur quod ex Chronico Malliacensi MS. his verbis recitat Castanæus;* Anno MXCVIII inventum est corpus S. Pecinnæ : *Deo utique consolante inquilinos post priorem cladem, et educto in lucem corpore reliquo jacturam compensante unius forsitan brachii, alteriusve partis : quoadusque apud Pictavos æque ac Veromanduos, grassata erynnis Calviniana, utrobique sacra istæc pignora dissipavit.*

tertia in oppido S. Quintini,

ob allatas eo Reliquias anno 1090,

C

24 Julii.

Corpus repertum in Pictonibus anno 1098

Vita videtur sec. 11 scripta :

7 *Crediderim vero haud diu ante seculi* XI *medium, factam seu ædificationem seu restaurationem ecclesiæ, eodemque tempore compositam fuisse, ab aliquo S. Maxentii vel alterius vicinioris monasterii Asceta, Vitam, quam habemus et hic daturi sumus, stylo quidem pro ea ætate eleganti satis, sed cum exigua veræ certæque historiæ notitia, utpote acceptam non per scripturam coævi relatoris, sed per solam verosimiliter vulgi traditionem. Huic tamen videmur posse credere Sanctam quidem* in quibusdam partibus Hispaniæ, *puta haud longe a Pyrenæis ortam, sed non etiam ibi mortuam, quod suspicatur Hemeræus, in medio relinquens,* utrum *ejus* Reliquias Childebertus ab Hispaniis in Gallias deportarit, seu alio quovis casu in agrum Pictavensem allatæ illæ sint. *Vivam potius, atque ætate prima florentem crediderim ex Hispania, ob Dei amorem, transisse cum Sororibus in Aquitaniam; et trajecto Garumna usque in Pictavensem aut huic proximum Xantonensem agrum venisse; ubi in monasterio quopiam cum illis vixerit, donec pirata quidam Barbarus,* Occiduis *id est Maritimis potiretur* partibus; *unde mediterranea quoque suis incursionibus habebat infesta.* Oliverum *vel* Oliverium Regem *nominat Vita, nomine nec plane Latino, nec prorsus barbaro, et Britannis satis familiari,* Olivarium *Latinius diceremus :* Pecinnæ *nomen, barbarum etiam ipsum est, sed tale, ut ex veteri Hispanorum Celtiberorum ante Romanos lingua potius quam ex alia post illos inducta, possit videri derivatum, quomodo hodiedum Hispanis* Pekenno *quoque et* Pekenna *dicitur,* parvus, parva, *voce nec Latinam, nec Gothicam, nec Mauricam, adeoque antiquiorem originem referente : nisi malis suspicari* Pecinnæ *nomen idem patria dialecto significasse, quod Latine sonat* Perseveranda; *et propterea utrumque in usu fuisse.*

D

AUCTORE D. P

hæc ipsam Hispanam facit

(neque nomen abludit)

E

8 *Ut ut est,* Pecinnæ *monasterium, leucis ut minimum viginti, nec tamen multo pluribus distare Neorto, concepisse debuit is, qui de ipsa sepelienda loquitur, tamquam toti regioni nota atque percara; et tamen ait illuc pervenisse ubi obiit, septimo demum die, itineribus scilicet modicis et sexui suo debilitatique congruis. Quodsi ex silentio Adonis Usuardique, in suis Martyrologiis de* Pecinna *tacentibus, conjectare quis velit, ipsorummet ævo illam floruisse; conjectare etiam posset illum Barbarorum paganorum ducem, qui in Virginis concupiscentiam exarsit, fuisse ex Normannis aliquem, Caroli Calvi ævo, id est seculo* IX *exorsis Galliam longe lateque populari, excursionibus plerumque annuis, quandoque ex occupato aliquo munitiori loco pertinacioribus. Concipi etiam poterit, Uliarum sive Oleronem insulam, ab iis insessam subinde diutius fuisse, unde ipsis licuerit quasi usque Pictavos dominari, et tributa atque servitia quodammodo imperare; ut venire jubenti tyranno non potuerit non obedire* Pecinna, *nec impiæ violentiæ quisquam pro illa se opponere : quo casu Ducis nomen indidem accersere poteris, unde suum Olavus habet, Danis Norvagisque notissimus : sed quanto Normannicæ irruptiones propius accedunt ad tempora, quibus censemus scriptam fuisse Vitam, tanto minus verosimilitudinis videtur habere conjectura. Itaque cum jam docuerim, S. Æmiliani Martyrium referri posse ad tempus Saracenorum, circa annum* DCCXXVI *per Galliam grassatorum; magis propendet animus, ut eodem referam obitum* S. Pecinnæ; *et* Oliverii Regis *nomen, curamque stabiliendæ idololatriæ, opinabor ab auctore adjecta gratuiti ornatus causa; sic ut tota Vita fictionis plurimum, perparum habeat veritatis; in hoc positæ, quod mortem obierit Virgo, cum duceretur ad eum, a quo vim metuebat suæ pudicitiæ inferendam, sororibus divinitus ab eadem præservatis, vita incolumi. Lege et judica.*

et monasterium non longe a Pictonibus statuit,

in quo forte vixit tempore Normannorum regiones illas populantium sec. 9,

seu potius Saracenicæ circa an. 727.

F

9 *Porro non existimo, quod Dextrini pseudo-chronici figulus aliquam habuerit Vitæ illius notitiam, in qua* S. Perseverandæ *ortus Hispaniæ tam diserte asseritur. Si enim habuisset, eadem duce proculdubio fuisset etiam de sororibus, deque Rege Oliverio, et Taurinico sepulturæ loco commentus aliquid; ac fortassis etiam Pictavensem Pagum traduxisset in Hispaniam, eadem qua similia plura fidentia. Nunc ad illam Hispaniæ vindicandam suffecit nudum nomen apud Petrum de Natalibus, et in Romano Martyrologio repertum absque designatione loci, cum propositum haberet hujusmodi omnibus patriam assignare apud suos; numquam*

Pseudo-dexter Caracæ natam fingit,

AUCTORE D. P.

A *quam turpius deceptos, quam cum persuasi fuere, tot veris suis Sanctis admiscere plures, per solam fingendi libidinem illuc attractos. Hoc igitur animo ad annum* CCCLX *ita scripsit Pseudodexter;* Caracæ in Carpetania *(volunt quidam* Guadalaxaram *nunc esse ad* XII p. m. *supra Complutum)* Perseveranda, Virgo Deo devota, floret. *Nec defuit qui dignum patella operculum adderet poetaster, sub nescio cujus Auli Hali nomine, uti aliis multis, ita etiam illi Sanctæ Epitaphium consarcinans tribus male tornatis distichis; quorum hoc primum accipe, cetera apud Tamayum Salazarium in Martyrologio Hispanico lege, ad diem* XXVI *Junii.*

et sec. 4 adscribit

Marmore sub cavo, virtutûm plenæ Caracæ
Sarcinis, en Virgo Perseveranda jaces.

VITA

Ex tribus Codicibus MSS.

CAPUT I.

Sanctarum trium sororum institutio monastica, Columbæ ad tyrannum conveniendum promptitudo.

B

Prologus.

Egregios Sanctarum dilucidare triumphos Virginum, gestaque ipsarum ad notitiam attollere posterorum, æterni Regis est præconium; qui etiam in sexu fragili laudabilis victoriæ perficit agoniam. Ergo qualiter inclita Virgo Pecinna quæ justo agnomine dicitur Perseveranda, a primævæ ætatis infantia, Christi adimplere studuerit præcepta; et ipsius adjuvante clementia, hostis nequissimi superaverit tentamenta, humillimis verborum sermonibus fidelium mentibus ad memoriam commendare cupimus.

In Hispania nobiliter nata,

2 Nobilissima igitur Virgo Pecinna, agnomine et meritis Perseveranda, in quibusdam partibus Hispaniæ ex illustri orta est progenie. Quæ licet nobilis esset genere, et nobilior fide; puellaribus tamen annis famulatum divinæ adamavit servitutis. Ab ipsis namque infantiæ cunabulis, Christianæ religionis imbuta est documentis. Ornata etenim generis dignitate, necnon Virginitatis pulchritudine, atque magnifica morum sanctitate, Ibat, juxta Psalmographi vocem, quotidie de virtute in virtutem, quatenus per bonorum operum exhibitionem mereretur sponsum habere cœlestem. Conjungit quippe eam omnipotens Deus duabus religiosis puellis... sororibus, quarum altera dicta est Columba, altera quidem nuncupata est Magrina.

Ps. 83. 8

C

cum sororibus Deo sese consecrat,

3 Adepta vero memorabilis Christi Virgo Pecinnæ harum venerabile consortium, quæ mortalis potest dicere lingua, quantum Dominica studuerint implere præcepta? Diligebant certe Deum totis mentibus, et amabant proximorum bona sicut semetipsas. Inerat illis fides vera, spes firma, et caritas perfecta. Spernebant omnia quæ sciebant Deo esse contraria perficiebant cuncta, quæ in Scripturis legerant esse mandata Jejunia viriliter exercebant, eleemosynis solerter insistebant, instabant omni hora psalmodiis, intendebant sine cessatione laudibus divinis, offerebant Domino constantissimæ orationis incensum; pernoctabant fortes in assiduitate vigiliarum. Quæ quamvis, prohibente sexus natura, non celebrarent Missarum solemnia; ferventes tamen integræ dilectionis flamma, immolabant Regi æterno seipsas in suavissimi odoris victimas; volebantque fieri, juxta Apostoli dicta, Vivens et Deo placens hostia. Ut autem hujuscemodi liberius implere possent officium, construxerant sibi quoddam monasterium, ubi habitarent velut unanimes in unum, aliasque vita et religione sibi similes Christo aggregarent Virgines.

in monasterio a se constructo:

D

ubi dum ceteras virtute antecellit,

4 Denique cum tam reverendis actibus instarent, scilicet ut diabolo repugnarent, ac Deo soli mente, actu, et habitu placere desiderarent; diffudit se earum opinionis fama per regiones finitimas, quia lux tantæ religiositatis abscondi non potuit in tenebris: qua de re sancta gaudebat Ecclesia, et beatissimæ Virginis Pecinnæ gloriosa prædicabat merita. Ipsa quidem inter Sororum consortia, tanta morum refulgebat elegantia, quanta Lucifer matutinali tempore ceteras stellas prævenit excellentia. Ipsa enim alias Sorores informabat exemplis, roborabat consolationibus et doctrinis. In quarum schola castitas splendebat et parcimonia, humilitas manebat et obedientia.

supervenit iis regionibus quidam tyrannus,

5 Illis igitur diebus quidam Regulus nomine Oliverius, in occiduis partibus sceptrum tenebat Regiæ potestatis. Qui diabolico spiritu debriatus, et furoris crudelitate inflammatus, Christianos crudeliter cœpit persequi, et ad mortem usque torquere. Unde multos Martyres suo interfecit gladio, quos omnipotens Deus in æternæ claritatis coronavit regno. Cum autem per diversa loca persecutionis suæ rabiem exerceret, et in Christum credentes variis tormentorum pœnis cruciaret; famam prædictarum Virginum audivit, et quod omnipotenti Deo servirent admodum ingemuit. Quarum castitatem certius sciscitans, et pulchritudinem attentius investigans; cœpit erga illas cunctis suæ impietatis sensibus æstuare, et jussit ut velociter suo præsentarentur aspectui. Accepta itaque legatione Regis milites, quos in se ad sacratissimas mittebat Virgines, perrexerunt ad earum monasterium, ut præfatas famulas Dei comprehenderent, ac illas festinato ad impii Regis aulam perducerent.

E

et audita earum formositate adduci Virgines jubet.

Ejus rei præscia soror Columba,

6 Interea felix Virgo Columba, serviens Deo cum beatissima sorore Pecinna, necnon aliarum Virginum congregatione devota, intellexit Spiritus sancti gratia passionis suæ certamina citius affutura esse. Denique Spiritu sancto repleta, atque animo virili divinitus vigorata, utrisque sororibus prædixerat, quæ illis postmodum erant ventura. Ecce inquiens, sorores dulcissimæ, tempus resolutionis meæ cognosco imminere: et mecum orate obsecro, ut requiescere merear in Domino Deo nostro. Vobis etiam veraciter annuntio, et certissime prædico quia Rex Oliverius ad istam Congregationem suos dirigit apparitores qui nos comprehendant, et ad ejus præsentiam usque perducant. Attamen pro certo sorores scitote, et absque dubio mihi credite, quoniam ad cœlestis Sponsi copiosam perveniemus misericordiam, et ipsi cum Electis adhærebimus in cœlis, cui tota intentione servimus in terris. Ista quin etiam Congregatio tota dispergetur, quia Rex perfidus nobis multum insidiatur. Nos tamen a cœpto nequaquam decet deficere, et cui semel nosmetipsas obtulimus, eum nequaquam abnegare debemus, quoniam potens est ipse cum tentatione etiam proventum facere, ut possimus sævitiam impii Regis constanter superare, et coronas perennis gloriæ de manu illius feliciter accipere.

F

et desolationis monasterii imminentis,

Sorores præmunit ad certamen,

ipsa prior ire ad tyrannum parata.

7 Talibus siquidem sanctæ Columbæ Virginis sermonibus finitis, illico advenerunt impii Regis milites, litterarum indiculum deferentes, quatenus castissimæ Virgines ad Regalem aulam sponte properarent, et ejus voluptati assensum præberent. Suscipiens itaque sancta Virgo Columba litteras quas Regalis transmisit impietas; legit eas in puellarum præsentia, ut feraciter scirent esse complenda, quæ illis ipsa prædixerat antea. Tunc animo valde fortes, et viriliter agere volentes, obtulerunt Domino nostro Jesu Christo cum lachrymis vota orationum, quatenus

A quatenus illis ferret auxilium, in magnæ tribulationis periculo.

CAPUT II.

Virginum ad Tyrannum deductio, mors S. Pecinnæ in itinere obita.

Interea fortis et pulcherrima sempiterni Regis Virgo Pecinna, agnomine et præcipuis actibus Perseveranda, nec mandato Regis perterrita, nec pavore mortis concussa, constanti corde talia profudit verba, Eia, sorores amantissimæ, templum, ut credo, Spiritus sancti inviolabile, nolite quæso nefandi Regis minas metuere, quia hæc est dies quam desiderabamus; ecce adest gloria passionis, quam semper optabamus. Quapropter consolamini in Domino, et in potentia virtutis ejus, quoniam ipse conterit brachium peccatoris et maligni, et est fortis adjutor in opportunitatibus, exaudiens clamantes ad se in latitudine misericordiæ suæ. Etenim ut Psalmita protestatur; Prope est Dominus omnibus invocantibus se in veritate, et numquam derelinquit sperantes in se. Quodsi aliquo tempore credentes B sibi permittit ad horam tribulari, non idcirco id agit ut pereant, sed ut puriores quasi per ignem recipiat, quas in æternitatis gloria secum regnare concedat. Unde offeramus nos ante præsentiam Regis paganissimi, quo agnoscat etiam in sexu fragili virtutem esse Domini nostri Jesu Christi. Ad hæc quoque gaudens omnis sacrarum Virginum caterva, laudes et gratias uni Deo retulerunt, qui pretiosam Virginem suam Pecinnam spiritu fortitudinis adimplevit, et per eumdem suas famulas tam salubriter confortavit.

Pecinna ceteras hortatur ad constantiam: — Ps. 144, 18 — *quibus bene animatis*

9 Deinde dixit Beata Columba: Vos interim oves Dominici gregis, audite consilium vestræ salutis. Misericordem Deum precibus interpellate, et lacrymarum fletibus pulsate, ut custodiri mereamur ab ipso qui est Rex solus Regum, et Dominus Dominantium. Nunc quidem sola ego nefandi Regis præsentiam adibo, et quid ex nobis agere machinetur, diligenter scire tentabo. Legis igitur furentibus ministris, et eam solam Dei dispositione cogentibus abire, illud Davidicum mente simul et ore canebat dicens; Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, Domine, et non dominetur mei omnis injustitia. Et subjungens aiebat: Custodi me de manu C peccatoris, ut fiat cor meum et corpus meum immaculatum, ut non confundar in æternum.

valedicit Columbæ, — Ps. 118, 133 et 139, 5

10 Cum ergo Regi Oliverio præsentata fuisset Columba virgo, dixit ad eam; Quo nomine vocaris juvencula? aut cujus religionis tenes instituta? Ad hæc respondens Jesu Christi famula dixit: Nomine dicor Columba, religione vero sum Christiana. Ad hæc Regulus ipse respondens dixit: Vivere et regnare nobiscum amicabiliter poteris, si Christianam fidem amiseris, et deos adoraveris, voluntatique nostræ assensum præbueris. Tunc quidam in auribus Regis ex astantibus ministris dixit: Nequaquam potest pulchritudo hujus virginis assimilari duabus aliis, quas in eodem loco reliquimus, ubi eas pariter demorantes reperimus. Ad hæc memoratus Rex unius hilaris præsentia, duarumque tristis absentia, ita loquenti sibi respondet militi: Abite rogo celerius, et illas meis præsentate conspectibus. Attamen juro per deorum potentiam, et per Regni mei gloriam, quia ipse ego illuc ire non differam, ut earum speciosis amplexibus delectari valeam. Ista quoque diligenti cura interim custodiatur, donec reliquæ ad nostri aulam palatii adducantur.

tyranno sistitur, seque Christianam profitetur. — *Ille alias quoque adduci jubet,*

11 Interea memorabilis famula Christi Pecinna, et egregia virgo Magrina orabant Deum cum lacrymis et jejuniis quotidie, ut eas custodiret sua protectione ab iniquo et doloso Principe. Cumque prolixis orationibus, ac jejuniorum longis attritionibus nimium esset fatigatæ, omnipotentis Dei sibi propitiante clementia, visione manifesta futurorum ambæ simul viderunt præsagia. Enimvero videbatur illis quasi multitudo populi furentis locum sanctum crudeliter intrare, et ipsas de Ecclesia exire compellere, multisque injuriarum ludibriis illas audacter dehonestare. Hujus terrore visionis expergefactæ, somnium sibi invicem retulerunt, et quod venturum erat certissime cognoverunt. D

EX. MS. de quo per visum monita Pecinna, — *cum sorore Magrina,*

12 Denique sponsa Christi Pecinna, virili animo vegetata, fidensque multum in Dei misericordia, quatenus mereretur dissolvi et cum Christo lætari, Dominum humillimis precibus dicitur exorasse: Tu, inquit, Domine Deus Pater, qui unigenitum Verbum tuum, per quod omnia ex nihilo creasti, in novissimis temporibus, per uterum fœcundissimæ Virginis Mariæ, ad terras venire voluisti; ut genus humanum, primi hominis culpa perditum, tibi per crucis reconciliaret trophæum; per ipsum te, E summe Pater, mediatorem tui et hominum, hominem Jesum Christum, suppliciter petimus; quo nos a præsenti tribulatione eripias, et in confessione tui nominis perseverare facias, atque ad societatem supernorum civium cum integritate virginitatis pervenire tribuas, ad laudem nominis tui, quod est benedictum in secula seculorum. Cumque omnes in eadem congregatione degentes respondissent, Amen: Hæc faciat Deus, et hæc addat; signavit se gloriosa Virgo Pecinna signo sanctæ Crucis, dicens; Tibi Domine Deus, Redemptor mundi, animam meam offero, quam redemisti; et corpus commendo, quod de terra fecisti. His dictis cœperunt simul iter agere, poscentes Dominum, ut eis quo vellet viæ ducatum ostenderet.

commendat Deo virginitatem suam, — *seque cum eadem dat in viam;*

13 Gloriosæ tandem Virgines, Pecinna scilicet et Magrina, iter agentes per septem dierum curricula, implorabant æterni Regis suffragia, ut suæ protectionis dextera ipsas ab imminente defenderet plaga. Fatigatæ præsertim maximi itineris vexatione ac jejuniorum diutino labore, subsederunt ambæ paulisper, uti disposuit totius creaturæ Arbiter. Sancta itaque Virgo Magrina, cum videret pallida pretiosæ Virginis Pecinnæ ora, traxit alta ab imo pectore suspiria, dicens; Heu, carissima Soror et Domina, F quis metus aut quæ tristitia pulchritudinis tuæ immutavit ora? Cui Virgo constantissima respondit Perseveranda: Non terror infausti Principis, neque formido passionis, mihi speciem abstulit pulchritudinis; sed, credo, me vocare disponit, qui me a juventute mea custodivit, sibique usque in præsens me famulari contulit. Ecce, Soror sancta, dissolvi cupio, et cum Christo esse desidero; ut animam meam in paradisum recipiat, corpusque meum usque in diem sui adventus custodiat immaculatum.

in qua septimo die deficiens,

14 Te autem, dulcissima soror, per Redemptorem mundi obtestor, ut si in manus Oliverii Regis ferocissimi incideris, fidem individuæ Trinitatis tormentorum pavore non obliviscaris, sed in Deum credas, ipsumque trinum et unum confitearis, qui te de limo terræ creavit, ac pretioso Sanguine redemit, et in cœlesti solio perpetuæ felicitatis ditabit præmio. Hortor, quin etiam repetens iterumque monebo, ut Sanctorum suffragia humiliter expetas, quorum precibus et meritis ad delicias cœlestis paradisi cum palma pervenias martyrii. Talibus quippe finitis sermonibus et mutuis consolationibus, carissima Virgo Pecinna, permanens mente et corpore integerrima fide, et opere catholica, terminato cursus

sororem animat ad constantiam, — *et moritur.*

EX MS.

A sus sui certamine, spiritum exhalavit vitæ. Cujus plane felix anima a corpore exuta et ab Angelis ad cœlos evecta, sociata est sacris Virginum choris, ut gaudens et exultans vivat in perpetuum, habens jucundissimæ Virginitatis perpes emolumentum.

CAPUT III.

Defunctæ Pecinnæ honorabilis sepultura, et ad eam miracula.

Apparet columba supra corpus,

Ad declarandam equidem hujus sanctæ adolescentis dignitatem, ad commendanda piorum mentibus pretiosa merita illius; mox cœlitus magno cum splendore veniens quasi columba, alis plaudere cœpit super sanctissimæ Virginis Pecinnæ membra. Hinc a capite usque ad pedes volitando, ostendebat cunctis assistentibus, qualem gloriam ejus anima possideret in cœlis, cujus corpori Angelicus columbino candore spiritus famulabatur in terris. Credimus sane illius Angelum fuisse, qui in columbæ specie super Dei filium descendit in Jordane; ut cunctis B patesceret credentibus, quod ab eodem spiritu etiam post mortem palam fuerit visitata, cui constanter servivit in vita. At vero Christiani venientes, tam viri quam mulieres, qui nobilitatem [defunctæ] sciebant et sanctitatem, eamque sicut Dominam coluerant et matrem carissimam; collegerunt corpus venerabile, aromatizantes illud Christicolarum more, prout dignum erat tantæ Virgini. Deinde levantes illud curru, operientesque sericis vestibus, cum psalmodiis et hymnorum concentibus, duxerunt ipsum ad sepulturæ locum, olim illi a Christo destinatum. Locus siquidem ipse situs erat in pago Pictavensi, et dicebatur tunc Tauriacus; qui nomine nunc quoque mutato honorabili vocabulo nuncupatur ad Sanctam Pecinnam. Ministri igitur Regis Oliveri, quos supra diximus directos fuisse ad sacras Virgines comprehendendas; cum ad monasterium pervenissent earum, ipsas penitus non invenerunt.

quod a Christianis reverenter exceptum,

Tauriacum fertur sepeliendum.

Illusum sese dolens tyrannus

16 Tunc quidam ex illis nomine Austorgius, furens ad Regem rediit, eique septem diebus jam transactis sacras Virgines aufugisse enuntiavit. Quo audito impius Rex Oliverus vehementer est iratus, suisque cum ira et indignatione dixit militibus: Per solem et lunam juro, et per regni mei gloriam vobis affirmo, quia si eas assecutus non fuero, C earumque Virginitatem non violavero, me postea vivere nequaquam optabo. Quapropter nunc mihi equus paretur velocissimus, quo post eas summa celeritate percurram, ut captas in contubernio lupanari deludam; et quoniam ad me noluerunt venire, post dilusionem, tormentorum pœnis illas usque ad mortem affligam. Talia cum diceret relicto sui exercitus agmine, ipse, cum paucis memoratas Virgines quæsiturus, furens hac et illac cœpit abire. D Ignorabat nempe Rex miserrimus, flamma libidinis suæ orbatus, quod jam omnipotens Deus Pecinnam in cœlesti coronasset sede, Magrinamque sua posset defendere protectione.

frustra perquirit absentes.

16 Fidelibus namque pretiosum corpus ad tumulandum deferentibus, et infidelibus illam circumquaque perquirentibus, advenit unus ex Regis satellitibus, qui tentavit retinere vi potestatis membra Pecinnæ Virginis, ut vel corpus defunctum posset dehonestare, qui viventem nimis desideravit illudere. Sed qui currus Pharaonis subvertit in mare, membra Virginis suæ non distulit mirabiliter glorificare. Oculos ejus excæcavit illico, quibus non frueretur solis radio; sed damnatus audacia præsumptionis, maneret in tenebris suæ iniquitatis. Verum qui dicit, Nolo mortem peccatoris, aspiravit ei donum conversionis; ut purgatus humilitate confessionis, interventu gloriosæ Perseverandæ Virginis reciperet lucem oculorum in corpore, adeptus lumen fidei in mente: glorificans quoque Deum cum ceteris ad sepulturæ properavit locum, habendo gaudium utriusque sanitatis. Cumque terram cœpissent effodere, ubi pretiosum corpus volebant recondere, statim columba rediit, illisque alium locum effodi designavit; seditque in terra modicum plaudens mirabiliter alis super eumdem locum. E

Minister ejus ausus sistere corpus

visu privatur,

et pœnitens illuminatur

18 Cum ergo inibi cavare cœpissent, et Deum mirabilem in Sanctis suis laudarent; statim tanta odoris ex eo emanavit fragrantia, ut vinceret unguentorum aromata, et universa opobalsami odoramenta. Tumulato tandem castissimæ Virginis corpore, et composito honestissime, columba ad cœlos rediit, quæ illis viæ ducatum præstitit, et sepulturæ locum divinitus ostendit. Quo prorsus in loco, omnipotentis Dei celsitudo plurima servis suis beneficia dedit, ac copiosa infirmis gaudia concessit.

Columba præfata monstrat locum sepulturæ:

crebrescunt miracula

Auditum surdi, lumen capiunt ibi cæci,
Mutorum vinclis reparatur sermo solutis.
Paralytici gressum, debiles recipiunt robur sanitatis optatum.

19 Quodsi divinorum operum insignia quemlibet intueri delectat, ad ejus reverenda devotus accedat oracula, ibique satis poterit contemplari quam dignitatem habeat in regno Dei, quæ per Christi gratiam in terris tantis coruscat miraculis. Cujus quidem intercessione et precibus supplices delictorum veniam nobis impetrari obnixe deposcimus, ut illius ope et meritis a cunctis eruamur imminentibus malis, et ad præmia perducamur æternæ felicitatis. F Ubi Domino Deo opitulante, et beata Pecinna interveniente, mereamur fieri ejus gloriæ participes, et jocundissimæ beatitudinis in perpetuum possessores. Celebratur autem depositio ipsius Virginis septimo Kalendas Julii, regnante omnipotente Deo, in personarum trinitate, et unitatis Majestate per immortalia seculorum secula. Amen.

Auctor Sanctam invocat

DE S. EUROSIA VIRG. MART.

JACCÆ IN HISPANIA TARRACONENSI

SYLLOGE HISTORICA.

D. P.

De ejus cultu certa relatio, incertæ de ætate ac patria conjecturæ.

SEC. VIII.

In Jaccensi diœcesi

Tarraconensis Hispaniæ, montibus Pyrenæis subjectæ, diœcesis una illisque proxima, Jaccensis est. Jacet urbs ad Aragonem fluvium (unde toti postea regioni Aragoniæ nomen factum) qua is ex montibus præfatis procurrens in Meridiem, cursum vertit ad Occidentem, montium novorum objectu prohibitus rectam ad Iberum viam tenere. Simili fere cursu per eamdem diœcesim fertur Gallega, sed

A *sed a montibus citius expeditus, cœptum in Meridiem cursum repetit, juncturus se Ibero supra Cæsaraugustam, cum Arago non nisi prope Calagurrim eo pertingat. Trans Gallegum autem tribus ab* Jacca *leucis, cis Bassam rivulum, jacet* Hiebra *sive* Yebra, *juxta quam ingens sub rupe caverna, latibulum præbuisse creditur prætitulatæ* S. Eurosiæ ; *nec longe inde fons monstratur, ab ejus nomine appellatus, quasi ipsum ea precibus elicuerit, ut aquæ penuria laborantibus sociis subveniret, quod in tanta rivuli prænominati vicinia vix apparet credibile ; esto fons ille cavernæ sit propior, ideoque in usu fuerit ipsi Sanctæ, quod ad nomenclaturam inde sumendam est satis.*

fons et caverna,

2 In eadem caverna deprehensam cum comitibus Sanctam a Mauris ferunt : corpus autem ibidem cæsæ, quod barbarorum Duci conjux ipsa fieri nollet, perlatum in pelle quadam, ab admonito per Angelum pastore ovium, sonantibus quacumque transibat per se campanis. Harum admonitu excitus loci Episcopus et Clerus, egressique obviam, ipsum reverenter exceperint collocaverintque in Cathedrali ibidem ecclesia : ubi usque hodie cum magna veneratione servatur,cœpitque omnigenis miraculis clarescere. Præcipue autem invocatur intercessio illius ad pluviam, quoties desideratur, impetrandam : nec enim unquam contigit efferri processionaliter ea de causa sacras Eurosiæ Reliquias, quin intra triduum pluvia de cœlo copiosa sit data. Servatur autem sacrum Corpus, carne et nervis compactum, adhuc suavem de se expirans odorem : caput autem similiter adhuc integrum cum parte capillorum habetur reverenter in supradicto martyrii loco. Sunt porro anni circiter quinquaginta vel sexaginta, quod Episcopus, Joannes de Navarra aliquam inde voluit particulam sibi tollere ; sed continuo exivit e vulnere vivus sanguis, qui bombacio exceptus servatur cum capite, et usque hodie in eodem bombacio perseverat et crescit. Festivitas autem agitur postridie S. Joannis Baptistæ, quando Jaccam ex locis circumjectis accurrunt plus quam centum vicorum incolæ, sub suis quique crucibus ; assistuntque solennissimæ quæ tunc circumducitur processioni, post quam etiam ipsum Sanctæ corpus spectabile prostat.

ubi cæsa creditur S. Eurosia

B

et Jaccam translata invocatur pro pluvia :

caput Hiebræ sanguinem stillat.

3 *Ita Epistola Hispanica, quam habeo originalem, una cum credentialibus litteris, per Jaccensis urbis Justitiarios juratos* Joannem de Villanova, Martinum de Sarasa, Hieronymum de Arguis, *et* Thadæum de la Sala *propria cujusque manu signatis, ac civitatis sigillo munitis* XIX *Maji, anno* MDLXVIII ; *traditis autem Joanni de Xavierre civi Jaccitano, ad ipsam ferendam Bohemiæ Regibus, qui tunc Maximilianus et Maria, hæc filia, iste nepos ex fratre Ferdinando et gener Caroli V, jam tum a quadriennio Imperatoris etiam facti. Mittebatur ideo ea legatio, ut Reges illi persuaderentur, suam apud Pontificem Pium V una cum Philippo II Hispaniarum Rege, operam intercessionemque interponere, ad hoc ut Sanctam, Bohemi Regis (uti Jaccæ credebatur) filiam, solenni Sanctorum Canonizatione dignaretur ; itaque Officium, quod de ea in sola civitate recitabatur, toti Arragoniæ aut etiam omnibus Hispaniarum regnis commune fieret. Quid deinde factum sit, et quousque negotium Romæ processerit, nusquam scriptum comperio. Originales autem prædictæ Henschenio nostro missæ Madrito fuerunt a suo amico, D. Joanne Gualtero del Bruggen, Hanseaticarum civitatum ibidem Procuratore, viro erudito, sed quomodo ad hujus manus devenerint, adeoque an unquam fuerint in Bohemiam perlatæ, nequeo divinare.. Non pervenisse, suadere potest silentium nostri Boleslai Balbini, tam in Epitome rerum Bohemicarum, quam in Miscellaneis, solicite congerens quidquid aliunde didicit ad Bohemiam spectans ; licet eatenus Bohemis ignotum, quales*

Ex Epistola a Magistratu directa in Bohemiam anno 1568,

C

cum de Canonizatione solenni tractaretur,

sed in eo quod Sanctam faciat Bohemiæ Regis filiam

sunt SS. Angela et Euphrasia. Persuasionem autem istam Jaccensium, de Bohemica origine Sanctæ suæ quam volunt Hispaniæ Regis filio desponsam, tunc venisse, cum totum illud regnum anno MCCXCV *Mauri ex Africa advecti recenter occupassent, primum peculiari tractatiuncula ; deinde, ad refutationem ignorantissimi cujusdam Apologistæ, observationibus novis solidissime præter morem suum, redarguit Tamayus de Salazar, Martyrologii Hispanici Auctor, in cujus Notis ad hunc diem satis est ea legi.* D

AUCTORE D. P.

4 *Nitebantur Jaccenses antiqui sui Breviarii Lectionibus et Hymnis, ex quibus etiam Marietta lib.* 4 *de Sanctis Hispaniæ cap.* 18 *Vitam Hispanice reddidit anno* 1596. *Sed cautior illo Thomas de Trugillo an.* 1583 *thesauri Concionatorii Tom.* 2 *pag.* 1189 *satis habuit sic breviter et Latine scribere.* In persecutione illa, quum excitavit in Hispania contra Christianos perfidus Rex Cordubæ Abdarragman, inter alios Sanctos quos Martyrio affecit, fuit B. Eurosia ; quam quidem variis cruciavit tormentis impius tyrannus : in quibus quidem tormentis gloriosum spiritum reddidit ; corpus autem allatum est in civitatem Jaccensem, ubi sanctæ Martyris intercessione multa præstitit Deus miracula. *Trugillum mox secutus Ambrosius Morales, lib.* 16 *Chronicæ Gener. Hisp. cap.* 15, *cum narrasset victoriam, ad Septimancas anno* DCCCCXXXVIII *relatam a Christianis de prædicto Rege Cordubensi ; et quomodo is eum successum imputans nimiæ suæ erga illos indulgentiæ, cœperit eosdem in suo regno persequi ;* Sancta, *inquit,* Eurosia magna in veneratione habetur Jaccæ, in montanis Aragoniæ, ubi est sacrum ipsius corpus, quod ex revelatione inventum, et ad istius civitatis Cathedralem delatum fuit. Martyrium ipsi intulerunt Mauri, abscissis manibus pedibusque : quod quia hoc tempore factum volunt aliqui, hic referre volui ; et si non ignorem esse, qui ad Roderici Regis tempus et generalem Hispaniæ destructionem ipsam referant : sed et alia multa de illa narrant, quæ quia omni fundamento carent, prætermitto.

non recipienda,

sunt qui Cordubæ cæsam putavere.

E

5 *Nomen Græcum* ἀπὸ τῆς εὐρώσεως bene robusta corporis aut animi habitudine *sumptum, neque peregrinum quid, nedum Bohemicum, id est Slavonicum sonans, mihi quoque verosimile facit nequaquam peregrinam Sanctam, sed indigenam esse Hispaniæ, ubi Græca nomina in usu satis familiari fuere, uti probant SS. Leocadia,* Engratis, *Leocritia, Eulalia, aliæque. Quamquam autem ejusmodi Græca nomina non inusitata fuerint vicinis trans montes Aquitanis, utpote per Romanos illuc inducta promiscue cum Latinis ; nullam tamen necessitatem video inde accersendi* Eurosiam. *Nam Roderico Gotthorum Regum ultimo (sub quo venisse illa debuisset, secundum Jaccense Breviarium) nullus fuit filius cui illa sponsa petita fuisset ; sicut nec Reges in Aquitania, quorum aliquem eadem habuisset parentem. Atque hoc forte Marianam movit, ut lib.* 8 *cap.* 9 *non nisi obscurissime de ea loqueretur, quasi forte passa sec.* X *tempore Comitis Garsiæ. Parum igitur ad rem facit, quod Tamayus, ex Itinerario Antonini* Bojos *nobis ostendat in Aquitania ; et sic videri possit erratum in affini nomine* Bohemorum, *quos etiam* Bojos *multi vocant. Nam licet Julius Cæsar petentibus Æduis concessisse legatur, ut* Bojos *apud se permitteret commorari, credaturque assignata eis pars agri Burboniensis in Aquitania : quamvis etiam iidem, eversa unica quam tenebant civitate Gergolia, partim ad Æduorum latus alterum transierint, Lingonibus Senonibusque vicini, tempore Plinii ; partim proximius ad Pyrenæos accesserint, inter Losam et Burdigalam commorantes, quando Antonini Imperatoris Itinerarium seculo* 11 *fuit scriptum ; est tamen omnino verosimile nullos eos fuisse, cum Romana apud Gallos potentia cessavit, Nec prodest in subsidium vocatus* Aulus

Hispana certe esse videtur :

F

nec placebit qui Bojos in Aquitania suggeret,

diu ante Maurorum irruptionem extinctos.

A AUCTORE D. P. *Aulus Haly, novus sub veteri ac peregrino nomine Poetaster, non etiam Pseudo Juliani fictitium Chronicon, neque a Maurolyco producta Primi Cabilonensis Episcopi Topographia Sanctorum, quæ ipsa non valde vetus figmentum est ejus auctoris nomini inscripta pro anno* MCCCCL *quo nullus neque tunc neque alias Cabilone fuit, imo nec tota Gallia Episcopus Primus.*

Malim credere in Aragonia natam, 6 *Ut tamen Hispana* Eurosia *fuerit, non ideo Cordubensibus seculi* X *Martyribus, nulli veterum notis eam adjunxerim; ac ne quidem illis, quos describit S. Eulogius æra* DCCCXC, *Christi anno* DCCCLII, *quando alius ibi Abderaman Christianos persequebatur. Aliquid dandum censeo traditioni Yebrensium, passam apud se et sepultam Sanctam tenentium; nec enim apparet quo fundamento diceretur a Cordubensium finibus translatum in Aragoniam corpus. Volo etiam traditionem tenere, qua dicitur a Mauris cæsa illa, et* *ibi revera cæsam esse a Mauris in Gallias transeuntibus sec. 8* *quidem sub tempus excidii universalis, post profligatum Roderici Regis exercitum, usque ad Pyrenæi cacumina penetrantibus Barbaris anno circiter* DCCXIV, *sub altero forsitan Abderameno fortissimo Duce, qui deinde toti Aquitaniæ Pictonas usque terrorem intulit et vastitatem, quoad usque anno* DCXXXII *apud Turones cæsus* B *est a Carolo Martello. Sed et pro castitate tuenda cæsam negare nolim, aut ejus amore captum Barbarum; velim autem doceri ab iis quibus contigit corpus inspicere, satisne certo dicatur manibus pedibusque fuisse mutilata, seu viva seu mortua. Cetera ignorare malim, æque ac* Acisclum Episcopum *Virginis patruum, ac fratrem ejusdem Virginis* Cornelium *simul cæsos, quia eorum nullus uspiam cultus invenitur, neque corpora unquam reperta narrantur. Fieri alioqui facile potuit, ut tempore desolationis illius, Oscensis Episcopus, cum familia sua, in præmemorata caverna latibulum quæsierit mortemque invenerit, dictus revera* Acisclus, *a nomine famosi illius sub Diocletiano Cordubæ martyris, cujus memoria recurrit* XVII *Novembris, estque totis Hispaniis celeberrima.*

translatum vero sec. 11 7 Oscensem *autem* Episcopum *dico, non* Jaccensem. *Nec enim civitas, licet antiqua, Sedem olim habuit Episcopalem: sed cum ipsa esset de Mauris prior recepta anno* DCCXCV, *ii quos sibi Episcopos elegere Aragones, residebant in vicinis ei urbi monasteriis, S. Petri Stresiensis et S. Joannis Pinnatensis, dicebanturque* Aragonenses Episcopi, *usque ad annum* MXXXV. *Tunc celebrato Jaccæ Concilio, quod Baronius male refert ad* MLXI, *placuit* Sancium, *titulo Aragonensis ultimum,* Jaccensem Episcopum *dici, quoadusque recuperaretur etiam Osca, eoque Sedes postliminio referretur, prout factum anno* MXCVI. *Si ergo* Jaccæ C Episcopus *erat, quando illatum est illuc* S. Eurosiæ *corpus; fuerit is vel ipse Sancius, vel unus ex ejus* *quando Jacca Episcopos habuit postea Oscam reductos.* *successoribus a Tamayo ad* VIII *Februarii nominatis, puta Garsias, Stephanus, vel Petrus, sub quo recuperata Osca fuit. Integro ergo seculo aberraverit is, qui sub nomine Juliani Petri Chronica Adversariaque commentus, scripsit, quod* anno DCCCCXXXV fuit inventum divinitus corpus S. Eurosiæ, a quodam pastore. Joannes *autem* de Navarra, *qui delibaturus quidpiam de Sanctæ capite, sanguinem miraculosum elicuit; fuit Episcopus Oscensis, ab anno* MCCCCLXXX *usque ad* MDXXVI, *ut est apud Martinum Carillium Cæsaraugustanum Canonicum, post historiam S. Valerii Episcopi Cæsaraugustani et Martyris; cum jam scilicet Jaccæ Episcopi a quatuor fere seculis esse desiissent, donec eos Philippus II primis Monarchiæ suæ annis restitui fecit, Oscensique Episcopo urbem subtraxit.*

Exploditur novum aliud de sancta ut Bohema figmentum, 8 *Queritur porro Tamayus malam sibi a Jaccensibus relatam gratiam, quod illis aperuerit errores Breviari sui; et inter alia oppositam sibi fuisse ait relationem quamdom, apud illos authenticam æstimatam, hoc principio.* Die XX Februarii, anno MCCCCLXXXXIII, Fr. Joannes de Monte-oliveti, regni Bohemiæ, venit ad civitatem Jaccam, ad visitandum corpus B. D Eurosiæ, et dixit: quod nomen patris dictæ S. Eurosiæ erat, Joannes Lodici, Rex Bohemiæ, Sclavoniæ et Albaniæ; et nomen matris ejus, Eulalia: nomen fratris sui Carmionus Locidi, nomen suæ avunculæ Martiana Lodici: nomen civitatis Laspicum: et baptizati fuerunt in una sanctissima Ecclesia, intitulata in honorem S. Eusebii: et sanctissima corpora ipsorum requiescunt in uno sanctissimo monasterio Ordinis S. Benedicti, in honorem S. Fabiani et Sebastiani, juxta civitatem Laspici ad IX milliaria etc. *In hoc figmento arietando desudat Tamayus, non sane magno operæ pretio. Quis enim, ipso tacente, non videat, nihil in tota ista barbarie esse, quod Monacho vere Bohemo potuerit in mentem vel* *incongruum Monacho Bohemo, qui auctor dicitur.* *somnianti venisse? Nomina saltem ille Bohemica dedisset hominibus; civitatem etiam nominasset, ex notis aliquam. Cum autem tota phrasis Hispanismum sapiat, dubitari non potest, quin eodem genio conficta res sit, et Jaccensibus nimium credulis pro antiquo cimelio obtrusa, ipso hoc seculo, aut forte post motam a Tamayo controversiam. Certe juratis quos supra dixi Justiciariis civitatis ignota illa adhuc erat anno* MDLXVIII, *cam Legatum suum destinabant in Bohemiam, solicite colligentes omnia quæ de sua Patrona vel sciebant, vel scire se credebant.* E

9 Fr. Martinus a Cruce, Augustinianus Sodalis excalceatus Provinciæ Aragoniæ, ejusdemque Generalis Procurator, anno MDCXXVII Cæsaraugustæ in lucem emisit, nomine suo, non suum opus, sed (ut fatetur ipse) Anonymi cujusdam, eamdem Religionem professi, qui præcepto Superiorum adactus, in Martini manum et nomen ire illud permisit; *quemadmodum in Bibliotheca Hispana scribit Nicolaus Antonius: operis autem titulus, ex Hispanico Latinus, hic est:* Hispania restaurata in Aragonia, virtute mulierum Jaccensium, et Sanguine S. Orosiæ: *Tamayum credo in fine Notarum suarum appellare* Vitam S. Orosiæ, *cujus cap.* 17 *fol.* 150 *dicit recenseri*; cujusdam Basurti vetusti Poetæ Castellani rythmos, necnon et plura miracula, *quorum causa Vitam istam nancisci opto. Amicus noster Primus Aloysius de Tattis, Comensis apud Insubres Historiæ scriptor, Congregationis Somaschæ Presbyter, librum habuit, ex eoque nobis significavit, auctorem in ea esse sententia, ut* Aquitanam Orosiam *faciat. Plura fortassis idem Amicus noster ex ille suggesturus erat, si edere potuisset Vitam, quam inde ab anno* MDCLXXX *habere se scripsit prælo paratam, solumque expectari Reliquiarum aliquid ex Aragonia, de cujus Translatione festiva possit ad calcem agere.* F *Verum cogitationes optimas mors intercepit anno* MDCLXXXVI *obita, sicut mihi rescripsit, ejus in Præfectura successor Angelus Maria Bulizius, pollicitus se communicaturum siquid inter defuncti scripta reperiret huc spectans, et ex libro præcitato etiam descripturum quidquid invenisset; addens Reliquiam Comum perlatam quidem aliquam esse, sed tam exiguam, ut commemorari non mereatur.* *Optantur anno 1627 edita miracula.*

10 *Interim habemus ab Aloysio editum an.* 1675 *Martyrologium Novocomense de Sanctis isti Ecclesiæ propriis, ubi ad* XXVI *Junii sic legitur:* Novicomi, in sacra æde Lauretana, solennitas votiva S. Eurosiæ Virginis et Martyris *etc ex Trugillo: in Commentario autem subjecto, cum ostendisset Auctor, fieri non posse, ut Bohema credatur, ac soror S. Wenceslai, quæ unica huic fuit Premislava; propendet, ut sit Cordubæ passa.* Translatus *est inquit,* S. Eulogius Ovetum, translata est S. Leocritia: quidni potuit et Jaccam Eurosia? *Tum expendit promissum morituræ factum cœlitus, ut* quotiescumque pro pluvia vel contra quamcumque tempestatem fuerit a Christi fidelibus invocata, eorum oratio sit exaudienda. *Equidem nihil dubito, quin experientia frequentium gratiarum* *Insubres Patronam elegerunt contra tempestates*

in

A in tali necessitate, occasionem dederit istiusmodi voces cœlestes comminiscendi, ad ornatum historiæ aliunde incultæ : ipsique experientiæ innixam fidelium fiduciam magis quam credulitatem laudo : et sic, eodem teste, præsens Virginis auxilium novissimis hisce temporibus experta est Insubria, quæ assiduis turbinibus agitata, lætantes fruges suas in annis singulis dilapidari lugebat : vix Eurosiæ nomen invocavit, cum afflictis rebus suis præsidium, quod peroptabat, invenit. Mediolanensis agri religionem, *per Hispanos arcem obtinentes, uti credo, inductam*, amplexata sit Regio Novocomensis ; quæ inter alias crebris obnoxia tempestatibus, ærumnas suas implacabili luctu deflebat. Toti Provinciæ adjecta est Patrona Eurosia, anno MDCLXI, in sacra æde Lauretana, a Patribus Congregationis Somaschæ; et uti Patrona quotannis solenni ritu colitur a civibus hac die, qua non solum ex urbe, sed etiam a finitimis urbi pagis, populi certatim confluunt, ad deprecandum Virginis intercessione Numen, ut impendentia infortunia illius meritis amoveat. Ab eo tempore et jamjam decidentes grandines, Eurosiæ, ut pie credimus, intercessione vel redactas ad nihilum, vel alio asportatas sæpe sæpius agnoverunt.

et ut talis festum agunt 26 Junii:

B

11 *Trugillo per errorem typographicum abrepsisse credo, ut in margine legeretur,* 26 Junii, *quod secutus in Catalogo Generali Ferrarius : et hinc Insubres veniam facilem merentur : sed quod idem Ferrarius, etiam die* XIV *Junii eam coli dicat, veluti* ex tabulis Ecclesiæ Jaccitanæ, *mirum videtur, nullam talis diei mentionem facientibus in sua Epistola Jaccensibus juratis, vel Hispanis scriptoribus ullis. Dicit idem Ferrarius,* Eurosiam *coli* XXV Julii *etiam* ex tabulis Ecclesiæ Jaccensis. *Forte excusari posset pro* Junio Julium *scriptum fuisse a Ferrario per errorem, et hinc in ipso Julio impressum ejus elogium esse. Citat hic etiam Archidiaconum Arundensem et Auctorem Floris* *Sanctorum. Interim facile crediderim, ipsum diem quo Jaccæ colitur Sancta, non esse mortis, sed inventionis vel translationis, Arturus in Gynæceo sacro, Ferrarium secutus, elegit etiam diem* XIV ; *addiditque in Notis,* Arbitrior esse S. Euphrosynam, Cordubæ Martyrii gloria decoratam anno DCCCXXXVIII, apud Baronium tom. 10. *Baronii Christianorum de Mauris victoriam eo anno narrantis verba hæc sunt :* Addunt nonnulli, qui prosecuti sunt res Hispaniæ, ipsum Arabum Regem hac accepta clade, ubi Cordubam est reversus, magnam adversus Christianos persecutionem excitasse : *quod sane etiam apud Ambrosium de Morales lego ; sed non item tunc* passum S. Victorem, nec etiam, Euphrosynam pari decoratam palma Martyrii. *Vellem hic Auctores suos citasset Baronius: nam Tamayus in suo Martyrologio neutrum novit, nec alius quem viderim Hispanus scriptor. Interim Balbinus noster lib.*4 *Miscellaneorum Bohemicorum* § 28, *Baronii auctoritate motus, noluit eam omittere; quin etiam tacendum sibi non putavit esse, qui* S. Angelæ *sororem faciant ; licet fateatur scriptores Bohemos neutrius meminisse, nec apparere cujus filiæ esse potuerint, aut quomodo* Angela *Carmelitano Ordini adscribi, quem Carolus IV Imperator primus in Bohemiam advexit. Idem fecerat in prius edita Rerum Bohemicarum Epitome ; ubi enumerans utriusque sexus Bohemos tempore Premislai Regis seculo* XIII *sanctitate illustre*; Vivebat, *inquit*, etiam hoc seculo Angela instituti Carmelitani in Tyro, et S. Euphasia Martyr in Hispania, utraque ex Principum Bohemorum sanguine ; si vera sunt quæ de iis non ignobiles scriptores, nostris licet tacentibus, tradiderunt. *Ita ægre adducuntur homines etiam optimi, ut omnino rejiciant id, quod qualicumque indicio intelligunt ab aliquibus credi, cum id an patriæ suæ decus facere videtur, etiam id quando habent de fictione suspectum.*

an etiam quidam die 14?

D AUCTORE D. P.

an aliaque Cordubæ Euphrosyna?

vel soror S. Angelæ Carmelitanæ?

E

DE S. DICENTIO SEU DIZANTIO

EPISCOPO SANTONENSI ARDUSII IN ARVERNIA

D. P.

COMMENTARIUS HISTORICUS

De cultu, ætate, actis ex Officio proprio loci.

C SEC. VIII F

Ardusium, *vulgo* Ardes, *oppidum est, inter Clarum montem Arverniæ metropolim, et civitatem Episcopalem S. Flori, media plane in Meridiem via, pari fere octo leucarum spatio utrimque distans. Hic Patronus, præcipuo et proprio per Octavam integram cultu, habetur* S. Dicentius, *recentiori communiorique usu, et ad formam Francici idiomatis aptiori*, Dizantius, *Saussayo, Martyrologii Gallicani conditori, prorsus ignotus. Agit de eo satis prolixe Jacobus Branche, in opere de Sanctis Arverniæ, allegans Acta MSS. quæ tamen ostendit fidei non magnæ esse, ut quæ cum Imperatore* Hadriano *componunt* Linum Papam II *toti ecclesiasticæ historiæ peregrinum, et cum his* Pipinum Francorum Regem Caroli Magni patrem, *totis sexcentis annis Adriano Imperatore juniorem. Optavi tamen illa ipsa habere, sciens quanti referat etiam fabulas in suo fonte legere, ad judicium ferendum de narrationibus, aliud nullum fundamentum habentibus, et tamen majorem veri speciem præferentibus, dum absunt patentis nimium fictionis indicia manifesta.*

Acta plena confusionis,

2 *Hujus mei desiderii ut compotem me faceret Claromontani nostri Collegii sub annum* MDCXCI *Rector, Gabriel Brivazac, e subditis suis unum misit, qui cum Parocho ageret, et in Acta illa studiose inquireret. Sed is invenit pridem illa periisse, postquam scilicet desierunt inde Lectiones peti ad Officium Matutinum, impresso quaterno proprio ad eum finem, quo continetur totus Ordo servandus per Octavam. Utinam vero hunc saltem transmisissent integrum ! Nam hujus, forte jam etiam usurpari desiti, aliud non retulit is qui missus fuerat, quam ultimas duas pagellas, pro Officio per Octavam et in ipsa Octava die; in quibus pro hac tres, pro illa duæ Lectiones habentur aliæ autem tres pro ipso festo, unde initium sumit narratio, seorsim cum suis Responsoriis descriptæ mihi sunt. Crediderim quod integro exemplari carere vel non poterat vel non volebat Parochus, aut mea id non referre putabat, haud considerans, quod saltem inde habuissem annum auctoremque impressionis, et alia quædam isti Officio propria; quale est illud quod in pagellis mihi missis restat ex secundis Vesperis festi hoc modo...* Clementissimi Christi Domini Confessor beatissime Dizanti, te suppliciter petimus, ne nos derelinquas, sed apud Dominum pius semper pro nobis intercessor assistas, quo te opitulante ad gaudia æternæ vitæ pervenire mereamur. *Tum sequitur* PROSELLUS, *alibi necdum nobis lecto termino, idem forte quod in Romano usu*

inde translata ad Lectiones,

compositas pro Officio proprio,

A *Auctore D. P. cujus fragmentum hic datur;*

usu Versiculus *dicitur, hoc modo :* Omnes igitur humili corde poscimus, ut nos benigne, Pater sancte, exaudias ; quo te etc. Oratio, Propitiare, ut supra. Ad Completorium, ut in primis Vesperis. *Interim quia pro die Octava assignantur* in primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente : in secundo Nocturno Lectio IV, V, VI *de Sancto,* reliqua sicut in die ; *intelligo ad hunc secundum Nocturnum spectare quas MSS. accepi Lectiones tres; per Octavam autem non fieri Officium nisi sub uno Nocturno : pro hac enim notatur* Lectio I de Scriptura occurrente ; Lectio II et III *de Sancto.*

ipsæ vero sic ut recitantur die festo,

3 *Ipsius vero diei Lectiones hæ sunt :* Dizantius qui apud nos vulgo, et in publicis tabulis veteribusque monumentis Dicentius appellatur, apud Xanctones nobilibus parentibus natus fuit, Dioscoro patre, matre Marina. A primis annis ex virtutis legibus vivens, diu noctuque orationi sedulus incumbebat, a qua non nisi per vim abducebatur ; ut preces fundens, a sensibus avulsus, a terra elatus, et medius extans in aere, in amorem cœlestem sancta prolapsione res divinas contemplaretur. Quamvis procul a vitiis vitam duceret, jugiter tamen pœni- B tentiæ actis corpus divexabat : sacra celebrans jejunia carnem suam frequenter a cibo prohibebat; maxime illis diebus, quibus corpore et sanguine Christi pactus, de Deo saginabatur. Sapientia divina quæ Dizantium designavit Episcopum, eum omnibus Episcopalibus numeris absolvit. Alte in memoria illius recondidit, qui eum præficiebat suæ civitati, Sponsæ, et ovibus, civitati, ut vigilaret ad custodiam concordiamque ; Sponsæ, ut studeret ornatui ; ovibus, ut attenderet pastui : utque illa adimpleret exemplis et doctrinis, illum variis dotibus illustravit. Unde in illo emicuit gravitas cum modestia, auctoritas cum simplicitate, magnanimitas sine elatione, animi amplitudo, fama celebris, meritum præcellens, ipsi soli præ humilitate incognita, omnibus aliis obvia et probe nota. Ille non suis modo diœcesanis proderat; sed universis Galliarum Ecclesiis, quibus ad salutem præduces erant. Dizantii salutares sermones ; quos etsi vernacula efferret lingua, eos tamen, cum de divinis agebat, mente concipiebant et intelligebant omnium licet externarum nationum populi. *Quantum hæc pia Dizantii opera Deo essent accepta, testata sunt, quæ præter naturæ vim ac plane divinitus edidit miracula. De mensæ et ciborum ejus reliquo sumentes leprosi, et va-* C *riis aliis afflicti morbis, curabantur ; a dæmonibus possessi obsessique liberabantur. Id ipsum operabatur aqua qua lavabat, et manuum ac vestium attactus.*

narrant promotionem Sancti ad Episcopatum

4 Ultrico Episcopo Xanctonensium vita functo, sedes aliquo tempore vacavit. Consessus Ecclesiasticus frequenter celebratus est pro delectu Pastoris, sed frustra, propter suffragiorum dissensum : donec Deo monente et Angeli ductu, de suo secessu et pietatis diversorio, Mediolanum Xanctonum devenit Dizantius. Cui Ecclesiam ingresso, aspectante comitiorum Ecclesiasticorum cœtu, sumptum ab altari majore Pontificale pedum in manus dedit Angelus. Illo signo approbantibus Clero et populo, in Episcopum cœlitus designatum fuisse Dizantium, constans omnium fuit sententia.

haud inepte referendo ad ætatem Pipini R.

5 *Hactenus Lectiones illæ, in quibus nihil est, uti nec in sequentibus, quod ad Pipini tempora non possit commodissime referri : nam* Ulricus Episcopus, *cui suffectus* Dicentius *dicitur, suo Francico vel Burgundico nomine satis ostendit, non posse eum ante utriusque gentis conversionem ad Christianismum Episcopatui admoveri. Episcopales autem Catalogi apud Antonium Monchiacenum Democharem, Joannem Chenu, Claudium Robertum, et Sammarthanos fratres sic ordinantur, cum aliqua licet diversitate; ut inter* Leontium, *qui anno* DCXXX *apud Flodoardum interfuit Remensi* D *Concilio; et* Islonem, *qui anno* MXII *adstitit Ordinationi Geraldi Lemovicensis, vix octo vel novem Episcopi nominentur ; sed omnes absque ulla certa temporis nota, pluribus ut apparet omissis, inter quos numerandus* Freculfus, *qui anno* DCCCLXII *subscripsit Decreto Pistensis Synodi, ut* Sanctonicensis Ecclesiæ Episcopus. *Uno ante hunc seculo sederint, qui in omnibus Catalogis concorditer nominantur,* Ulricus *atque* Dicentius : *et hic quidem usque ad tempora* Pipini *Regis pervenerit ; forte etiam cum aliis Episcopis interfuerit Metensi Synodo anno* DCCLIII. *Sic obiter declarata verosimiliori temporis ratione, cujus notitiam Auctor Lectionum primarum subtraxerat oculis, tacendo nomen Regis, in quo certior potuit fundari traditio, quam in aliis characteribus Galliæ peregrinis ; pergo ad Lectiones per Octavam, quæ sic recitantur.*

Aliæ per Octavam continent exitium

6 Vitam ducens cœlestem Dizantius, miraculis clarus, totus Deo, totus populo vivens, saluti suorum Xanctonum verbo et opere numquam non invigilabat. Indurati tamen cordis populus, de rabidorum et phreneticorum more medicamina, quæ salubriter vitiis curandis adhibebat sanctus Pastor, non modo non ferebat, sed diris eum convitiis afficiebat, eumque verbo et facto injuriis onerabat; quibus non E parvum dedecus in Deum, in Religionem et in Ecclesiam redundabat. Quod ut vitaret sanctus Pastor (Deo prius ferventi oratione ad consilium evocato) pravis illis molitionibus a suis expulsus, et in propria civitate et diœcesi diu vexatus, Cæsarodunum Turonum tamquam ad asylum se recepit, ad locum scilicet ubi Magnus Martinus tot divina opera patrarat ; et ad ædem, quam sub titulo S. Petri, sanctus Turonensis Episcopus construxerat ; ubi in oratorio secessu, Deo perennes fundebat preces sanctus Dizantius. In illa sacra exercitatione dum ferventius aliquando contemplationi insisteret Dizantius, divino afflatu revelatum illi fuit, exitia et clades calamitosas impendere suæ diœcesi, et universis Galliarum Germaniæque provinciis. Quod cum Episcopis Mediomatrici tunc existentibus retulisset ; omnes una mente multum pietati ipsius fidentes, illum rogarunt obnixe, ad illud malum avertendum, ad Apostolorum limina Romam peregrinationem suscipere : ut sanctorum Petri et Pauli precationibus, peccatoribus gratiam et locum et tempus pœnitentiæ obtineret.

et secessum Turones,

revelatasque illi istic clades imminentes,

pro quibus avertendis Romam peregrinatus sit.

7 Magno in honore Dizantium habebant, quotquot eum norant Episcopi, maxime Metensis; viderat enim patrantem varia supra naturam opera : inter quæ illud illustre narratur, quod solo digiti suppositi attactu, fractam altaris mensam in basilica sancti Stephani redintegrarit. Annuens Metensis aliorumque Episcoporum, qui tunc Metis erant, voluntati Dizantius, iter aggreditur et recta Romam pergit. In via ad ejus orationem novum fontem manasse (ex quo hausta aqua scypho Angelica manu delato sitim extinxit) narrant beati viri Acta, et hujus Ardensis Ecclesiæ traditio. Ingrediente etiam Dizantio Romam, æs campanarum licet manu hominum non ageretur, et cymbala sponte cecinisse ferunt ; vitamque a multis civium Romanorum supra urbem stantem mirifice radiantem et insolitam stellam : quibus signis servi sui sanctitudinem significabat Deus, Christique esse imitatorem, et terra et cœlum testabantur : exhibitumque per Angelos ministerium Angelicam puritatem et castimoniam, in ipso Christiana demissione reconditam et sancte delitescentem, manifestabat. *Hæc infra Octavam :* in *die* vero Octavæ Invitatorium, Antiphonæ, Psalmi, Versus, Responsoria sicut in die, sine Prosello. In primo Nocturno Lectiones de Scriptura currente ; in secundo *autem præscribuntur hanc qualemcumque*

Reliquæ pro die Octava,

A *que vitæ historiam continuantes :* Ubi Romam pervenit S. Dizantius, religiose lustravit sacras Urbis basilicas, illic propense orans, frequenter extasim passus est. Et in æde Principis Apostolorum animo a sensibus avocato, corpore trium pedum altitudine a terra elato, dum lacrymans pro populo precatur ardentius; a S. Petro responsum accepit, ob ingravescentia populorum pro quibus orabat scelera, firmatum esse divinæ vindictæ Decretum, solis Metis et Turonibus ignosci precibus sancti Stephani, ob Dizantii, ab sua Diœcesi pulsi, in eorum civitates ineuntis, benignam receptionem; et in hujus effati cœlestis veritatis signum, divinitus fabricatam de manu Petri clavem accepit. Rediens Roma, in hostiles copias incidens, carceri mancipatus fuit; verum indicante illius sanctitatem luminis radio, qui adinstar columnæ frequenter capiti insidebat, brevi e custodia eductus est. Aliquando longo itinere et ardentibus solis radiis fatigatum, humi jacentem servum recreavit Deus, immissa aquila, quæ alarum una ad modum umbellæ virum sanctum inumbrabat et altera tamquam flabello eum refrigerabat.

habent Acta Romæ

et in reditu,

8 Roma reversus, quæ illic sibi et in via evenerant Episcopo Metensi, et aliis, quorum rogatu peregrinationem susceperat, ubi exposuit; iterum Mediolanum Xanctonum revertitur, suos Xantonenses ad pœnitentiam hortaturus. Quo ubi pervenit, summa qua potuit vocis animique contentione commonuit, ut peculiari pœnitentia irato resisterent Deo, et summo dolore tacti eum ad misericordiam flecterent. At in viam, in spinas, et in saxa cecidere divina Dizantii monita, et contracta duritie inveterati populi nihil paternis adhortationibus flectuntur; imo animum in malo obfirmantes, coegerunt beatum Pontificem, cum sanctis Reliquiarum pignoribus, iterum tamquam ad perfugium Cæsarodunum Turonum se recipere; ubi vitæ reliquum cœlesti Philosophiæ consecravit; ita in divinorum meditationem pronus, ut in agendo pietatis opere promptum ac strenuum semper se exhiberet; sic mortificationem in corpore suo portans, ut mentem in Deum defixam fere continuo haberet, usque ad vitæ exitum; quem ipsi Sacrum facienti, stans ad dexteram altaris Angelus, renuntiavit.

B

frustra provocatos ad pœnitentiam Xanctones,

obitum apud Turones,

9 A Missa sese ad transitum in cœlestem vitam apparavit Dizantius; quod ubi cognovit populus, frequens ad ejus cellam accurrit : quo astante, elatis in cœlum oculis, plenus meritis feliciter obdormivit. Sanctitatis indicium fuit, statim a transitu manu Angelica supra venerandum corpus demissum et extensum velamen sericum. Fuere et certum illius documentum crebra quæ edidit Turonis miracula. Aliquo post tempore per sanctum Confessorem Ardrierium, illinc in Ecclesiam Ardensem translatæ sunt sacræ Reliquiæ; ubi in lipsanotheca religiose asservantur, ad quas plane divinitus creberrima fiunt miracula. A continentibus et acutis febribus, aliisque morbis curantur ægroti, labantes præ debilitate infantes vel lipsanodochii attactu, vel aquæ fontis, qui S. Dizantii dicitur, lavatione persanantur. Variis et aliis operibus Dizantium illustrat Deus, qui est mirabilis in Sancto suo.

corporisque Translationem per S. Ardrierium:

C

10 *Post hæc additur sequens Rubrica* : In eadem ecclesia Ardensi fit Officium solenne de S. Ardrierio, tertia die Martii; et festum Translationis celebratur Dominica secunda Octobris. Omnia dicuntur de communi unius Confessoris Pontificis. *Jacobus Branche rationem addit*, quia tali die de mandato Episcopi Claromontani caput ipsius una cum aliis pluribus sacris Reliquiis translatum fuit in capsam argenteam delatumque in sacristiam : dum utriusque Sancti ossa servantur ex utroque cornu altaris alte elevata intra nuceas arcas argento et auro illustratas. *Interim nemo est qui dicere possit, quis vel qualis ille* Ardrierius *fuerit : sed ritus faciendi de eo tamquam de Confessore Pontifice, persuadere potest, Chorepiscopum fuisse, ex iis unum, qui pro Episcopo inter se partitam habebant vicariam curam diœceseos, ut nunc habent Decani quos vocant Christianitatis, in præcipuis oppidis residentes, in quibus Ardesium censebatur. Addit Branchæus*, haud procul ab oppido, in amœno quodam prato versus Meridiem, qua ad proximum oppidum vulgo Blesse dictum itur, haberi fontem, S. Dizantio sacrum; ad quem lavandi feruntur infantes debiles, et gradiendi facultate destituti, optimo cum successu. *Ex ipsius porro quæ apud Ardensem ecclesiam reperit Actis MSS. pulchro Gothico id est Teutonico charactere, qualis ante duo vel tria secula maxime in usu fuit, abolito passim etiam per Gallias characteris Romani usu, idem Branchæus hæc refert in Lectionibus prætermissa; quod Sanctonensis ecclesia septem annis vacarit, donec post septuaginta duos irritos conventus Cleri super electione*, Dicentius *oblatus eis per Angelum est : quod hic rite baptizaverit Arianum Barbatem, quem cum Deuterius Episcopus Arianus baptizaret forma verborum ex suæ sectæ ritu mutata, evanuerat aqua de baptisterio; quodque Missam Vasione celebranti, ex laqueari defluxerint tres guttæ cristallinæ, quæ patena collectæ in unam confluxerunt gemmam; quam cum vellent inserere cruci, aliis pluribus gemmis ornatæ, defluxerint hæ omnes, sola illa locum obtinente.*

hujus cultus 3 Martii.

D

AUCTORE D. P.

Fons S. Dizantii.

Acta quam temere compaginata,

E

11 *Sed ut hoc ex Gregorio Turonensi, libro de gloria Martyrum cap.* 13 *est temere assumptum, ubi illud accidisse dicitur innominato cuidam Sacerdoti, urbem obsidente Gauserico Ariano, sub annum (si non fallor)* CCCCVI ; *gratis autem præsumitur iterum accidisse Missam facienti Dicentio sic istud, Constantinopoli actum et a Baronio relatum anno* DVI *ex Theodoro Lectore, unde ipsum etiam sumpsit Nicephorus Callistus lib.* 16 *cap.* 35, *istud inquam Constantinopoli actum, æque inepte traducitur ad eumdem* S. Dicentium. *Reliqua de hujus designatione ad Episcopatum, facta per Angelum, qui coram omnibus ei baculum tradiderit; de revelata ei clade Galliis imminente, et pro ea deprecanda, Romam suscepta peregrinatione; redeuntis captivitate a barbaris, aquila obumbrante, clave a S. Petro accepta, fonte elicito, redintegrato Metis lapide altaris, et alia plura, mutuo sumpta sunt ex Vita S. Servatii Trajectensis Episcopi; ea scilicet, quam Jucundus Presbyter exornavit, extenditque in molem sane magnam; sed fide tam exigua aut potius nulla, ut ab hoc opere prorsus rescindendam judicaverit, Actorum et Miraculorum ipsius illustrator Henschenius. Interim novo hoc exemplo apparet, quam vere alibi pronuntiaverim, nullo seculo non fuisse aliquos, qui commodum licitumque putaverint, alicujus Sancti apud se parum noti gesta seu vera seu ficta aptare alteri sibi notiori et Actis propriis carenti; sed hoc plerumque tam partim caute, ut pro veris certisque elegerint incerta, et merito in suspicionem fictionis vocanda in sua ipsorum origine.*

tum aliunde,

tum ex apocrypha Vita S. Servatii.

F

12 *Si alicui Episcoporum Gallicanorum conventui, Metis celebrato,* Dicentius *interfuit; non est id alienum a tempore Pipini, cujus anno* II *Christi* DCCLIII *nota est Synodus ejus nominis, cujus et Decreta habentur. Tunc autem Episcopus ibi erat annum jam decimum* S. Chrodegandus, *cujus Acta illustravit Henschenius ad* VI *Martii. Si* Dicentii *Vita, ut Branchæus videtur asserere,* Victorem *nominat, qualis haud facile demonstrabitur aliquis ibi fuisse, nisi anno* CCCXLVI *credatur per similem anistoriam assumptus, qua Linus Romanus Pontifex; et si illius nominis secundum aliquem invenit Demochares, invenit in corrupto aliquo exemplari Sigeberti ad annum* CCCCLIII, *ubi correctiora exemplaria* Auctorem *nominant. Hic autem sive Auctor sive*

Potuit Dizantius interfuisse Synodo Metensi,

sed non sub Episc. Victore.

A AUCTORE D. P. *sive Victor, rursus multum abest a tempore irruptionis Longobardicæ in Italiam; et tamen Acta dicunt* Dicentium *Roma redeuntem incidisse in eorum manus, quod debuisset circa annum* D *factum fuisse.*

14 *Quam autem insulsum est, collectos Metis quacumque causa vel tempore Episcopos, ibi detinere quoad Romam iverit rediveritque* Dicentius, *pro avertenda clade Galliis imminente oraturus; unde tantum acceperit solos Turones Mediomatricesque immunes evasuros. Plura expendere non vacat: sufficiunt dicta ut sciatur, in totis Actis, indeque sumptis Lectionibus, vix quidquam esse quod non aliunde mulo sumptum sit; solumque superesse ut opinemur, apud Turonenses obscuram memoriam temporis, quo Sanctonensis Episcopus* Dicentius *apud ipsos fuerit obieritque regnante* Pipino*: translato autem* Ardusium *corpore, et miraculis clarescente, cogitari cœptum de inquirendis scribendisque Vitæ Actis, seculo forsan* X *aut* XII. *Quare laborandum mihi non censeo ut definiam quo tempore acciderit clades quam conatus sit* Dicentius *deprecari. Si tamen necessarium foret per conjecturas aliquam designare; respicerem ad irruptiones Saracenorum, eamque potissimum quæ accidit, Carolo Martello, Pipini patre, Principatum tenente; cum illi anno* DCCXXXII *Pictavos usque ac Senonas penetrarunt; adeoques et Xanctones vastasse potuerunt, Turones autem innoxii transivisse, Mediomatricum autem fines nec eminus quidem attigisse. Sed si ea irruptio fuit* Dicentio *revelata, factum id multo prius, quam Episcopi ad nobis notam Synodum Metas convenirent. Pro qua si aliam nobis ignotam velis ibidem fuisse coactam, tempore Pipini Herstallii; cogeris ad primordia Episcopatus reponere ea omnia, quæ ad ejus finem videntur in Actis referri.*

non etiam ante

D *sed post incursiones Saracenorum*

DE S. ADALBERTO DIACONO

EGMUNDÆ IN HOLLANDIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

B G. II. E

De Initio Comitatus Hollandici: Vita et Miraculis, per Mediolacenses et Egmundanos Monachos scriptis.

SEC. VIII.

Hollandia *illustrissimus inter Belgicas Provincias Comitatus, censendus est suæ celebritatis originem debere* S. Adalberto, *de quo hic agimus, quia hanc debet* Egmundæ, *prope Alcmariam ad Oceanum sitæ, per conversationem, sepulturam, venerationem et miracula ipsius Sancti, ad magnum splendorem claritatemque promotæ. Hanc a Carolo Simplice Rege Francorum obtinuit Theodoricus sive Diedericus, ideo habitus primus Comes Hollandiæ.* Diploma Regis, ex antiquissimo membranaceo codice MS. et Archivio Abbatiæ Egmundanæ, *asserit se bona fide exhibere Petrus Scriverius, libro de Principibus Hollandiæ, Zeelandiæ, Frisiæ æri incisis a Soutmanno sub annum* MDCL: *in quo annus diplomatis signati a Miræo, Dousa, et aliis omissus, ita exprimitur;* Anno XXX, regnante Domino Karolo Rege, redintegrante XXV, largiore vero hereditate indepta... *Ubi annus* XI *omissus supplendus est ut mox dicetur. Caroli Simplicis varias Epochas optime explicat Jacobus Sirmondus, in suis Notis ad Caroli Calvi et successorum aliquot Franciæ Regum Capitula; inter quæ sunt Caroli III sive Simplicis ultima duo, et secundum est datum* anno regni XXIX, redintegrante XXIV, largiore vero hereditate indepta X, *unde supra supplere licuit annum* XI. *Ad istas autem temporis Notas ita commentatur Sirmondus:* Annus primus repetitur ex die, quo Remis a Fulcone Archiepiscopo unctus est in Regem, V Kalend. Februarias, anni DCCCXCIII. At Karolus, quo anno in Regem confirmatus est, integrum regnum in potestate sua non habuit: quia Odo Rex, quoad vixit, Aquitania et Burgundia potitus est. Mortuo post quinque annos Odone, quæ ab illo possidebantur recepit regnumque redintegravit, atque hujus redintegrationis annos regni sui annis deinceps in publicis tabulis subjecit. At largior hereditas indepta, pertinet ad regnum Lotharii: cujus accessione Karolus hereditatem suam ampliavit, quod Sigebertus notat factum anno DCCCCXVI. *Hæc Sirmondus: sed ultimum characterem referendum ad annum* DCCCCXII *quo Rex Ludovicus filius Arnulphi est vita functus, constat ex ipsis diplomatis.*

Theodericus Hollandiæ primus Comes dictus

C *a Carolo Simplice obtinuit Egmundam*

2 *His positis annis diplomatis Theoderico facti supra indicatus,* regni XXX, redintegrationis XXV, largioris hereditatis indeptæ XI, *convenit in annum Christi* DCCCCXXII, *sed nescio a quonam antiquitatis nimium amante, res tota retro acta sit ad tempora Caroli Calvi, et annum Christi* DCCCLXIII. *Verum dicto anno tota ea ditio, de qua in ipso diplomate agitur, pertinebat ad Lotharium juniorem; quo Placentiæ in Italia anno* DCCCLXIX *vita functo, regnum ejus divisum est inter duos patruos, Carolum Calvum et Ludovicum Regem Germaniæ: atque ad hunc Ludovicum spectabat Ultrajectum, et sub eo hodierna Hollandia et Batavia cum Egmundana ditione; quæ tandem ut diximus, anno* DCCCCXI *ad Carolum Simplicem, post mortem ultimi heredis ex stirpe dicti Ludovici, devoluta est. Dicto ergo anno* DCCCCXXII, *cui congruunt omnes characteres Regiminis Caroli Simplicis, concessum diploma fuit Theoderico Comiti, et quidem* XVII Kalendas Julii, *sive* XV *Junii, inter maximos regni tumultus, quando Optimates Franciæ contra Regem, quod Haganonem nollet ablegare, insurgebant; et tandem Robertum, Odonis supranominati fratrem, sibi Regem electum curabant consecrari die* XXX *Junii. Tunc autem Hagano, ut sibi fideliorem amicum haberet Theodericum, fecit ipsi a Rege diploma expediri hoc exordio.* Regalis celsitudinis *est,* fideles nostros donis multiplicibus honorare. Idcirco notum fieri volumus omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, præsentibus scilicet et futuris, quomodo adiens præsentiam nostram Hagano venerabilis Comes, expetiit a Mansuetudine nostra dari cuidam fideli nostro, nomine Theoderico, quasdam res, Ecclesiam videlicet Ecmunde, cum omnibus ad eam jure pertinentibus, a loco qui dicitur Suithardeshage usque ad Fontrapa et Kinnem. Cujus petitionem benigne, uti dicebat, suscipientes, concedimus fideli nostro hæc omnia ex integro *etc.*

anno 922

per diploma 15 Junii signatum F

3 *Ex dictis corruunt etiam supputationes Jani Dousæ, Miræi et aliorum, qui rejecerunt hanc donationem ad annum Christi* DCCCCXIII, *mutato prioris numeri* DCCCLXII L *in* C. *Tunc autem inscriptio quam ideo omiserunt, debuisset facta fuisse anno regni* XXI, *redintegrationis* XVI, *largioris hereditatis adeptæ* III, *quorum contraria in diplomate leguntur. Habetur ergo initium Comitatus Hollandiæ in ecclesia Egmundana, Theoderico anno* DCCCCXXII *donata. Dum enim tumultus regni Francorum multiplicarentur, crevit Theoderico potestas, et formatus est Comitatus prætitulatus: siquidem anno sequenti* DCCCCXXIII, *Robertus Rex victus* XV *Junii a Carolo Simplice, in prælio occubuit; sed*

non autem an. 913

A *sed in hujus locum, contra Carolum mox captum, assumptus est Rodulphus, filius Richardi Ducis Burgundiæ, qui regnavit usque ad annum* DCCCCXLVI : *hoc autem mortuo, regnum suscepit Ludovicus Transmarinus filius Caroli Simplicis. Quæ omnia in Chronico Flodoardi optime explicantur. Iste est autem Theodericus Comes, quo procurante, sacras Reliquias* S. Adalberti *fuisse elevatas, et in oratorium ab eo electum translatas, illique adjunctum Sanctimonialium cœnobium, habent illius Sancti Acta ; quæ etiam narrant quomodo ipse periculum submersionis evaserit illo intercedente : at quamdiu vixerit, non satis constat.*

mortuus circa an. 960 *devotus S. Adalberto,*

Auctor vetustus in Rythmo vernaculo diuturnam provinciæ administrationem ei tribuit : annos aliqui numerant octo et triginta aut etiam quadraginta, atque ita secundum calculum suprapositum pervenisset Theodericus I ad annum circiter DCCCCLX ; *eique successisset filius Theodericus II, ætatem tunc etiam grandiorem nactus : qui post annos regiminis octo et viginti, mortuus statuitur anno* DCCCCLXXXVIII. *Hunc basilicam lapideam* S. Adalberto *erexisse, et loco Sanctimonialium monachos Benedictinos introduxisse Acta asserunt, idque etiam confirmatur ex Chronico MS. Egmun-*B *dano, quod penes nos antiqua manu exaratum habemus.*

4 *Secundi Theoderici filium Egbertum, meritis* S. Adalberti *a febri liberatum fuisse, ac postea Archiepiscopum Trevirensem creatum (annum* DCCCCLXXVIII *Browerus notat) eadem Acta docent num.* 19, *jubente dicto Egberto conscripta a Monachis Benedictinis monasterii Mediolacensis, apud Treviros vetustissimi ; cui tunc, post Hesselonem expulsum præfuit* Nithardus sive Nizo, præstanti ingenio, rerum usu et eruditione insignis : qui proclinata jam vitæ monasticæ studia erexit, et languentes juxta bonas artes honorifice excitavit, mortuus circa annum millesimum, *uti scribit Bucelinus : at quo anno creatus Abbas non indicatur. Tempore Egberti, anno* DCCCCXCIII *vita functi, consecratum arbitramur, et ad dicti monasterii reformationem introductos Egmundanos Monachos ex eo colligimus, quod illi num.* 18 *infra asserant* se vidisse declarata miracula. *Vitam istam habuit in suæ Coloniensis Carthusiæ codice Laurentius Surius ; sed edidit partim* stylo passim mutato, *partim in* compendium redactam. *Ex eodem eamdem habuerunt Lucas Acherius et Joannes Mabilio, atque omissa priore parte usque ad num.* 13 *ediderunt reliqua inter Acta Benedictina tom.* 3 *par.* I. *Nos integram damus, qualem nacti sumus, descriptam manu Joannis Vlimerii, qui apud S. Martinum Lovanii olim inter Cano-*

cujus Acta scripta sec. 10 *a Monachis Mediolacensibus,*

C *nicos Regulares professus, anno* MDLXXI *(quando* XXVI *Augusti scriptioni isti commodavit operam) Rector seu Pater erat Sanctimonialium Amstelodamensium. Adjungebatur Historia parva ejusdem Vitæ, sed aut ex priore extracta, aut aliunde perperam aucta, ideoque omittenda. Sequuntur miracula,* XII *seculo patrata, et ab Egmundensibus Monachis scripta : quorum Prologus deerat apud Surium et Mabilionem : sed aderant ipsis aliquot recentiora miracula, quæ etiam damus. Simile exemplar integrorum Actorum intelligo Alkmariæ in curiosa antiquorum MSS. bibliotheca servata penes nobilem virum D. Adrianum Westphalen, qui nobis scripsit codicem suum pertinuisse ad Collegium S. Benedicti Cantabrigiæ in Anglia, exaratumque notari anno* MCXXXVI *manu Osberti Monachi de S. Claro.*

et Egmundanis :

5 *Porro res præclare a* S. Adalberto *gestas, præter citatum Chronicon Egmundanum scripsit Joannes Gerbrandus a Leydis Carmelita, in Chronico Hollandiæ Comitum et Episcoporum Ultrajectinorum, usque ad annum* MCCCCXVII *deducto, potissimum lib.* 2 *cap.* 41, *lib.* 9 *cap.* 14 *et* 15, *et lib.* 7. *cap.* 3 *et duobus sequentibus. Eadem scripserunt Joannes de Beka et Wilhelmus ab Heda, in Historia seu Chronico Episcoporum Ultrajectinorum : sed Heda scribit* S. Adalber-

eorum compendia.

tum *fuisse* filium Edilbaldi Regis Deirorum, cujus D
pater fuit S. Oswaldus Rex et Martyr : *itaque in Appendice Mabilionis fingitur* frater S. Edmundi Regis et Martyris, *et ante hunc* XXXVII *annis regnasse dicitur. Hæc omnia ut figmenta rejicimus, Sanctique ætatem certius discimus ex ætate S. Willebrordi, qui cum sociis circa annum* DCCX *missus in Frisiam est, et multis ibidem annis laboravit, usque ad annum ejus seculi* XLIV : *quem utrum moriendo præcesserit, an secutus sit* S. Adalbertus, *non dicitur. Ex eo tamen quod in Actis S. Bonifacii, Willibrordo in cura Frisonum suffecti, nulla Adalberti fiat mentio, verosimile fit prius vita functum : uti etiam credibile est ad Diaconatus Ordinem provectum fuisse eum, qui Levita hic nuncupatur. Commemoratur iste S. Adalbertus et solenniter colitur ad hunc diem* XXV *Junii, quo in Actis dicitur obiisse, et plurimis miraculis in ipso patratis claruisse. Neque per hæresim cultus ille universim cessat, sed adhuc apud Catholicos in tota Provincia Ultrajectina fit de eo Officium sub ritu duplici, cujus Antiphonæ et Responsoria cum Lectionibus secundi Nocturni desumuntur ex iis quæ circumferuntur Actis, atque hæc de eo recitatur Oratio :* Excita, quæsumus, Domine, in Ecclesia tua Spiritum, cui B. Adelbertus Levita servivit, ut eodem nos repleti, studeamus amare quod amavit, et opere exercere quod docuit : *Ejus memoria inserta est Martyrologiis MSS. Trevirensi S. Martini, Centulensi S. Richarii, Bruxellensi S. Gudilæ et aliis cum Florario MSS. et excusis anno* 1490 *Coloniæ et Lubecæ ; necnon Auctariis Greveni et Molani ad Usuardum, et hujus Indiculo atque Natalibus Sanctorum Belgii. Secuti sunt recognitores et amplificatores Martyrologii hodierni Romani, in quo ista leguntur :* In Hollandia S. Adelberti Confessoris, discipuli S. Willibrordi Episcopi. *Eumdem Ghinius inter Canonicos refert ; inter Benedictinos Trithemius, Wion, Menardus, Bucelinus : eumdem Martyrologio Germanico inscripsit Canisius, Gallicano Saussayus, et Anglicano Wilsonus ; Joannes Velde, in Fastis Westphalicis nuper collectis, et necdum excusis, appellat* Apostolum Twentiæ et Trentiæ *et vicinorum locorum.*

AUCTORE D. P.

Cultus Sancti

E

6 *Hactenus commentatum Henschenium reperiens, impelli me sensi, ut ex vicina Egmundæ Alkmaria quærerem, quo res Abbatiæ Egmundanæ loco, et numquid veteris religionis esset super. Responsum est autem a nostro, ibi rem Catholicam procurante, Florentio Montfortio, meo quondam carissimo discipulo, Egmundanos cives pæne adhuc omnes Catholicos, quotannis quam religiosissime celebrare festum veteris Patroni in suo oratorio, nec raro nostros illuc Alkmaria evocari ad panegyrim celebrandam. Addidit porro specialibus ad me litteris prænominatus Adrianus Westphalen ; Abbatiam totam dirutam jacere, ab anno circiter* MDLXXII, *quo ibi Gubernator Snoyus stativa pro Geusiis habuit ; tanta in omnes Monachorum ædes ipsamque ecclesiam debacchatus rabie, ut ne quidem relinqueret, quo milites sui recipi possent, adeoque sub dio cogerentur pernoctare, aut inter parietinarum rudera sibi ex ramalibus gurgustia parare. Superesse tamen ille asseruit partem crassæ turris ex topho constructæ, et partem templi inter geminarum turricularum ruinas cum supra stante S. Petri rubro in marmore effigie ; addito nomine litteris fere Græcis, Græcanico more a summo deorsum ex utroque latere ductis, quæ tantum valeant acsi Latina plane forma scriberetur,* Sanctus Petrus. *Scribebat idem reliqui ædificii speciem, sicuti ante ruinam erat, cognosci posse ex prospectu delineato ab ea parte, qua Austro-zephyrum locus excipit. Hanc ergo ab ipso acceptam delineationem ad posterorum memoriam æri incisam accipe.*

Α Π
Γ Η
Υ Τ
ω Ρ
V
C C

viget adhuc Egmundæ.

F

Abbatiæ ab anno 1572 *destructæ conspectus.*

7



7 *Corpus* S. Adalberti *(uti et alia plura, partim integra, partim notabili portione reliqua) insignis specie ac pretio arca claudebat : quam rapacitas harpyiarum istarum dissipavit, una cum sacris lipsanis ac reliquo loci thesauro; nisi fugientes Monachi ad alia sui instituti monasteria, cum ultimo loci Abbate Nicolao Niulandio, asportare secum fortassis aliquid potuerunt, quod tamen ubi sit (si forte est aliquid) necdum innotuit. Puteum saxo cinctum, in loco primæ olim sepulturæ Sancti, scatentem aqua dulci, frequens adhuc peregrinorum devotio celebrat; atque ex ejus aquæ potu crebra reportat beneficia sanitatum, quarum se testem prælaudatus Adrianus profitetur; sed qui ea excipiat scripto authentico neminem esse : ut nec alibi fere per fœderatas illas provincias, ne hæreticis omnia subsannaturis occasio præbeatur petulantius blasphemandi Sanctos, quorum hinc inde superstites memorias prorsus abolitas vellent. Interim sumpta inde aqua, etiam in longinquas partes aufertur optimo cum successu, et sperata languentibus beneficia confert. Minui tamen annis abhinc aliquot concursus peregrinorum ad illum fontem cœpit, et augeri ad quamdam semirutam capellam in Heylo, ubi alius similis puteus habetur sub nomine S. Willebrordi.*

Dispersis Reliquiis

B

superest puteus libentibus salutaris.

8 Chronicon Egmundanum, *ab Henschenio laudatum scripsit* Joannes Gerbrandus a Leydis Carmelita, Conventus Haerlemensis Prior, *tempore* Nicolai de Adrichem Abbatis, *et sic ipsum nuper in Hollandia excudi fecit Vir Clarissimus Juris in Illustri Academia Lugduno Batava Antecessor* Antonius Matthæus. *Videtur autem* Joannes *vixisse usque ad annum* 1524. *Nam ad hunc usque annum invenitur idem Chronicon, cultiori nonnihil stylo, secundis curis ab ipso forsan Auctore transcriptum, non sine plurium Stemmatum genealogicorum Epitaphiorumque additamento; et tale habet Abkmariæ prænominatus Adrianus Westphalen triplici exemplo ; cum quorum uno nostrum contuli, descripsique posteriora addimenta, et ultima duo necdum impressa capita. Præfatus Hollandicæ editionis Curator recens præterito seculari anno* MDCC *edidit mihique misit suum veteris ævi Analectorum Tomum* IV, *quo continetur* Chronicon Wilhelmi Monachi et Procuratoris Egmondani *ab anno* DCXLVII *usque ad annum* MCCCXXXIII; *ubi pag.* 2 *breviter meminit prædicatæ a S. Adalberto fidei, miraculorumque et cultus ad sua usque tempora perseverantis. Eo an et quatenus usus sit Joannes Gerbrandus, necdum mihi licuit examinare ; solum excusandus venit Eruditissimus Egmondani Chronici Editor, ne ipsi quis imputet typotheticum in titulo errorem, quo Auctor quem ipsemet loco non uno profitetur Carmelitam fuisse, adscribitur Ordini Prædicatorum. Illa tamen qualiscumque editio fecit, ut dimiserim consilium sumptum de Actis Abbatum Egmundensium ex MS. utroque colligendis, futuram alioqui hisce* S. Adalberti *Actis haud incongruam Appendicem; eoque facilius cogitationem istam, alias forsitan resumendam, seposui, quod mensis ac tomi præsentis moles ægre pateretur se augeri tali Commentario, nec prorsus necessario, nec plane novo, quamvis breviorem eum facturus fuerim, rescissis Comitum Hollandorum et Procerum aliorum Actis, ac rebus reliquo orbe memorabilioribus, quæ eidem insertæ Chronico, et alibi facile ac melius inveniendæ, Abbatum historiam inutiliter augent.* E

C

NOT. 7 *Chronicon Egmundanum nuper editum.*

VITA

A Monachis Mediolacensibus descripta.

Daturus integra, ut promisi Acta, eaque ad pauciora capita reducturus, et quæ Capita fuerant transformaturus in totidem Articulos sive numeros; congruum sensui veteris partitionis titulos conjunctim subtexere.

I Quomodo S. Egbertus, Northumbrorum Episcopus, Dei respectu patriam deserens, in Hiberniam migraverit; illoque S. Adalbertus eum secutus fuit cum plurimis.

II Quomodo S. Egbertus, ad lucrandos Germaniæ populos, ire cœlitus sit inhibitus; et pro se SS. Willibrordum et Adalbertum destinarit. F

III Quomodo S. Willibrordus cum sociis ad Frisiam sit directus.

IV Quomodo S. Adalbertus omnium perfectioni virtutum studuerit.

V Quomodo S. Adalbertus Eggoni promisit, se tunc a patria reversurum, cum pomi grana ab igne revirescerent.

VI Quomodo in reversione S. Adalberti combusta pomi grana fructificaverint.

VII Quommodo consummatus in virtutibus ex hac vita S. Adalbertus migraverit.

VIII De eo quod oratorium S. Adalberti a servis Dei numquam sit derelictum.

IX Quomodo mulier Escwar, per S. Adalberti merita, partum invenit.

X De eo quod in sancti viri oratorio brevior primo trabs, longior ceteris post eminebat.

XI Quomodo rusticus ex caseo furato punitus sit et liberatus.

XII Qualiter arenosæ congestionis mons ab oratorio ejus sit dimotus.

XIII Quomodo S. Adalbertus cuidam feminæ Deo sacratæ

A sacratæ in somnis apparuit; et ut ejus corpus de tumulo levaretur monuit.

XIV Quomodo salubris fons, sub sarcophago viri Dei, repertus fuerit; et quod miracula in sancti Corporis depositione claruerint.

XV Quomodo Theodericus Comes ligneum construxit oratorium, et illuc sanctum deduci fecit thesaurum.

XVI Quomodo Sigifridus sit punitus, et post pœnitentiam liberatus.

XVII Quam mirabili studio Comes Theodericus a fluvii periculo sit liberatus.

XVIII Quomodo junior Theodericus construxit lapideam basilicam, removens Sanctimonialium vitam, et instituens Monachicam.

XIX Quomodo Theoderici junioris filius, Egbertus nomine, Trevirensis post Archiepiscopus, febrem per B. Adalberti merita effugit.

XX De restitutione visus Erlindæ.

XXI De Wolmari Presbyteri illuminatione.

XXII De plurima languidorum reformatione, et quod adversus dæmones maximam vim beati viri merita habent.

B XXIII De Ruoschini Comitis filio curato.

XXIV De infante curato, qui sugere non potuit.

XXV De eo quod pallium, quo sancti viri corpus diu velabatur, post exustionem oratorii incombustum sit repertum.

XXVI De quodam patricida ligato, et per merita S. Adalberti liberato.

ALIA MIRACULA.

I De irruptione marina, a monasterio Sancti divinitus prohibita.

II De his qui Sancto injuriosi fuerunt, terribili pœna mulctatis

III De monocula illuminata.

IV De Presbytero illuminato, et plurimis per S. Adelbertum curatis.

V Quomodo quorumdam consilio vetus templum destructum sit.

VI Quomodo meritis S. Adalberti locus Egmundensis in meliorem statum sit restauratus.

VII De artifice et rustico, a mortis periculo liberatis.

VIII Item simile.

IX De eo quod facta inundatione, supra thecam C Sancti pluvia non cecidit.

X De servo, ex eminenti loco cadente, nec quidquam læso.

XI Quomodo machina lignorum, corruens cum artificibus, non eos læserit.

XII De dedicatione templi ejusdem,

Alia item miracula.

CAPUT I.

Res præclare in vita et obitu gestæ.

a Beda lib. 3 cap. 27

S. Egberti Presb. discipulus S. Adalbertus,

Legimus in Ecclesiasticis historiis, *a* Egbertum cœlesti afflatum desiderio, patriam, parentes, omnemque frequentiam cognatæ nobilitatis reliquisse; atque studio peregrinationis, et ardore vitæ remotioris, in Hiberniam secessisse: ubi cum uberiori profectu virtutum et sanitatum evidentia se plurimis notabilem exhiberet, contigit divina opitulatione, ut sibi multos sectatores efficeret. Certatim ergo ad eum tam Anglorum quam Scotorum convolabant examina, ejus sub disciplinatu gestientium vivere deliberatione voluntaria: quibus S. Adalbertus ut generosior apis adjunctus, arctioris vitæ instituta non segniter, uti post patuit, est adorsus. Actus quippe suos ad exemplum pii præceptoris dirigebat; D et ut mundum animal, quidquid boni auditu perceperat, ore ruminabat. Non plausibili scientia favorabiliter distendebatur, sed effectuali exhibitione indesinenter augmentabatur: sicque divinorum arctam viam percurrens mandatorum, in brevi potitus est spatio cœlestium latitudine virtutum.

A. MON. MEDIOL. EX MS.

ab illo impedito ne ipse Dermaniam adiret,

2 Interea vir Domini Egbertus, quotidianis in Deo pollens successibus, parvipendebat suæ solius saluti prospicere: sed pro insitæ sibi benignitatis affluentia, pluribus æstuabat in commune prodesse: maxime ut quos adhuc constabat infectos nævo paganitatis, per opem sanctæ prædicationis ad salubritatem conduceret Christianitatis. Audiens itaque Germaniæ populos infidelitatis errore cunctis tenacius irretitas (utpote qui, ob ferocitatem sui, divini verbi fautoribus usque in id temporis erant pæne inaccessibiles) induxit animum eo tendere, si quos, cooperante gratia superna, ex filiis perditionis posset filios reconciliationis efficere. Cumque huic expeditioni insisteret operosius, divino oraculo, ne efficeret, est inhibitus. Vir autem sanctus, nec valens nec volens Dei ordinationi refragari; elegit quos pro se destinaret, et sanctitatis merito, et eruditionis efficacia tanto idoneos operi: misitque primo *b* Wigbertum sincerissimæ conversationis Presbyterum: qui diu multumque cum barbarico rigore desudando luctatus, inconvertibilem horrescens perfidiam, infecto negotio est reversus. Sed vir prudentissimus, optime sciens de Dei misericordia numquam desperandum, alios ministros ad ejusdem prædicationis subrogavit officium, virum scilicet Apostolicæ gratiæ *c* Willibrordum Presbyterum, clarissimumque Christi confessorem (de quo præfati sumus) Adalbertum, cum decem aliis, eodem fidei calore ferventibus: adeo ut aliqui eorum, post multiplices initi certaminis agones, Martyrii palmam adepti sint; alii post conscensum ac nobiliter moderatum summi Pontificatus gradum, in pace quieverunt. E

b missus primo Wigbertus,

c dein SS. Willibrordus, Adalbertus et alii 10.

d Pipini Ducis auctoritate fulti, Frisiam adeunt:

3 Hi ergo Christianæ religionis propagatores sacræque fidei propugnatores, tam Patris jussione quam propria deliberatione, ad opus inhiantes Evangelii, spatiosi maris transmeantes pericula, divinæ pietatis auspicante regimine, optato portui sunt omnes grataanter expositi: adeuntesque strenuissimum Ducem *d* Pipinum, cum omni veneratione ab eo sunt suscepti, ac omni tempore hospitalitatis honoratissima commoditate tractati. Quorum adventus causas ac piæ intentionis tenorem, ut F cognovit, ad nuper armis acquisitam Frisiam, Christo per eorum ministerium acquirendam, suo munimine fultos, auctoritate roboratos, continuo destinavit. Nec multo post, cum jam egregii rationabilium novalium agri cultores, jactis seminibus sui laboris viderent fructificare incrementum; annuente fraternæ unanimitatis assensu, cum conniventia prædicti Principis, S. Willibrordum Romam dirigunt, ab *e* Apostolico ad Archipræsulatus Ordinem promovendum. Quo adepto, ad cœptum opus revertitur, Episcopalisque Sedis prærogativam in Trajecto castro sortitur. Quæ vero ejus vitæ qualitas fuerit, vel quo sudore in prædicationis erogatione certaverit, quibus quantisque miraculis coruscaverit, liber gestorum ejus luculenter scire volentibus aperit: nos enim hæc pauca, ad attestationem virtutum sanctissimi Patris nostri Adalberti, prælibavimus; qui his omnibus efficiendis comes et cooperator extitit indeficientissimus: dehinc articulum ejus specialitati, prout Dominus concesserit, accommodemus.

e ac S. Willibrordus Episcopus constituitur.

4 Fit ego in B. Adalberto tanta morum lenitas, ut omnes ad sui imitationem ejus alliceret suavitas, Quidquid

A. M. X. MIHI L. EX MS.

A Quidquid verbis suadebat jubendo, factis præmonstrabat exequendo; maximo se reputans dispendio mutilatum, si non ejus dicta actuale comitaretur exemplum. Ante omnia veræ favens humilitati, asserebat hujus cautela cetera omnia conservari. Supervacaneum autem videtur ejus dilectionis magnitudinem referre: cum hæc causa fuerit, eum patriam, proximos, ac omnia nativi commoda soli reliquisse. Et ne in referendo plus justo immoremur, hoc solum pro compendio dictum sufficiat; eum ita singulis virtutibus initiatum, ut numquam deesset compagi Cardinalium. Hæcque fuit sanctissimo viro indefessa militiæ spiritualis continuatio, donec hostiæ cauda cremanda redoleret in holocausto; juxta quod Dominus dicit: Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Talibus eminentissimus heros munitus et redimitus apparatibus, *f* quaquaversum pergens, lucrandis invigilabat animabus.

S. Adalbertus comis, humilis, amans salutem aliorum. Matt. 10, 14

5 Sæpius tamen in Hæc-munda loco vocato mansitabat, hujusque recessibus, importunitatis frequentiam aliquantisper declinabat. Ubi inter plures, quos fama virtutum ejus attraxerat, quidam Eggo *g* vocabulo, ad eum veniens, in brevi ejus familiaritatem adeptus, ejus inhæsit contubernio attentius; in
B tantum, ut vir Dei Adalbertus ejus frequentius uteretur hospitio; et felici recompensatione ejus metebat carnalia, cui seminabat spiritualia. Ad roborandum quoque hujus caritatis tenorem, filium ejus de sacro fonte suscepit; et ut decuit, plerisque suis secretis intimum habuit. Factum est quadam die inter cœnandum, dum solitis oblectaretur alloquiis, ut Pater sanctus amico professus esset, se patriam parentesque velle revisere, quatenus etiam eis aliquid gratiæ spiritualis posset impertiri. Ille vero, nimis ægre ferens tantæ benignitatis præsentia frustrari, cœpit de ejus reditu lacrymosa curiositate sciscitari. Cujus piæ solicitudini vir Deo plenus, placida consideratione compassus; residuum pomi, quod forte manu gestabat, igni projiciens; Ubi, inquit, grana invirgulata fructificaverint adolendo; me, Deo propitio, compotem habebis in revertendo. His dictis, S. Adalbertus transmarinæ expeditioni operam dedit, et diutius expectatam sui adventus benedictionem nativæ regioni invexit. Ubi aliquantisper commoratus, verbis et exemplis ad imitationem sui multos illexit, quia superna gratia semper prævenit et subsecuta est, comitando virum Dei
C quocumque divertit. Sicque lucrandis animabus totus insistens, præsentis asperitatem laboris, futuræ mitigabat intentione mercedis.

Egmundæ degit usus hospitio Eggonis, addicit reditum, ubi grana pomi ab igne reviviscerent,

6 Interea præfatus Eggo, sponsionis viri Dei æstimator avidissimus, ejus reditum votis sitiebat indesinentibus. Ut autem miraculum, ad declaranda viri Dei merita provisum, magnificentius extolleretur; contigit ut hospitiolum, in quo votiva grana igni exemerat, favillatenus cremaretur. Quis umquam ex sic combusto loco aliquid viriditatis undecumque crederet emergere? Nedum fructiferi vitulaminis exuberantiam speraret reliquias carbonum gignere? Sed Deo, cui omnino est idem velle quod posse, nihil est in efficiendo difficile. Denique ut temporis arrisa congruentia, *h* germinavit idem locus germen odoris Domini; et eadem grana, redivivum pubescentia in florem, non tantum fructificando miraculi, quantum gaudii ex optato reditu, sanctissimi Patris Adalberti: qui juxta condictum Frisiam reversus, tanto ardentiori omnium unanimitate suscipitur, quanto ejus sanctitas evidentiori virtutum attestatione et propheticæ sponsionis præsentiali exhibitione quaquaversum nobilitatur. Attamen vir sanctus, omni virtutum exercitatione instructus, et omni ex parte circumspectus, et undique contra tentatoris versutias oculatus; non
D intendens in via sui propositi, quantum jam cucurrisset itineris, sed quantum ad emetiendum superesset certaminis, sic quotidie transactæ observantiæ aliquid adjicere studuit, acsi tunc novus tyro conversionis servitium inierit.

h quibus fructum proferentibus redit:

7 Igitur de virtute in virtutem proficiens, quod feliciter cœpit, felicius consummavit; et immarcessibilem sui agonis percepturus coronam, tenebrosam præsentis seculi convallem lacrymarum, mutavit cum paradiso deliciarum. Christo itaque Jesu, cui fideliter inhæsit, VII Kalendas Julii sanctissimam animam reddidit: in cujus præsentia lætus decantabat; Sicut audivimus ita et vidimus. Ibi credimus eum et optamus nostrarum miseriarum memorem; et quantum supernæ pietati viciniorem, tanto relevandis nostris incommodis efficaciorem. Corpus autem beati viri Adalberti, a fidelibus tunc temporis, qui ejus exequias procurabant, diligentissime conditum, ac humanitatis more terræ mandatum, sanctæ resurrectionis præstolatur edictum. Supra quod construentes ecclesiam, in quantum rudes adhuc talium rerum poterant, ejus frequentabant memoriam: sed Normannicæ irruptionis impetu, ipsa ecclesia *i* sæpius diruta, ac quæque circumposita atrocius sunt devastata. E

pie moritur 25 Junii. Psal. 47 *Supra sepulcrum ecclesia conditur.*

ANNOTATA G. H.

a *Colitur* S. Egbertus *Presbyter* 24 *Aprilis, ad quem diem hæc ex Beda producta pluribus exposuimus. In Actis fabulosis S. Sviberti* Archiepiscopus Eboracensis *appellatur. Fuit ibidem quidam,* Egbertus *nomine, sed anno solum* 733 *consecratus, cum forte jam vita functus esset* S. Adalbertus, *ac S. Willibrordus senex etiam esset. Joannes de Beka, et auctor Chronici Egmundensis evitantes istum scopulum, vocarunt* Egbertum Episcopum Nortanhumbrorum: *sed talis nusquam extitit.*

b S. Wigbertus Presbyter et Confessor in Germania *inscriptus est Martyrologio Romano ad diem* 13 *Augusti, sed is passim habetur* primus Abbas Frislariensis: *quo etiam die hic relatus* Wigbertus *ab aliquibus recentioribus ipsi adjungitur, quod tunc erit examinandum.*

c *Colitur* S. Willebrordus 7 *Novembris, de cujus sociis late egimus ad Vitam S. Sviberti* 1 *Martii, eorumque unum censuimus fuisse* S. Adalbertum. *Venerunt hi anno* 690. F

d *Hic est* Pipinus Herstallius, *quem* cum Ratbodo Frisonum Rege bella fortiter gessisse, *scribit Paulus Diaconus lib.* 6 *Histor. Longobard. cap.* 37 *editionis Raphelingicæ: hunc autem victum et profligatum fuisse anno* 693, *scribit Joannes a Leidis lib.* 2 *cap.* 9.

e Consecratum a Sergio Papa Romæ anno 695 *ostendimus ex propria ejus scriptura, in Præfatione generali ad Acta Januarii pag.* XLVI.

f *Joannes a Leidis lib.* 2 *pag.* 41 *ista scribit:* S. Willibrordus misit S. Athalbertum Archidiaconum suum in Kennemariam, ad evangelizandum Hollandensibus pariter et Frisonibus regnum Dei et veritatem Evangelicam: qui ibidem plurimorum corda ad fidei salutem erexit, in loco qui nunc Egmunda nuncupatur, olim Hallem dictus. Quo in loco et in terminis ejus, et in villis adjacentibus, adhuc fere in adventu ejus tota gens idolis serviebat. Unde S. Athalbertus Levita omni die non cessabat illis evangelizare regnum Dei, idola confringere, et ecclesias Deo ædificare. *Hæc ibi, quorum aliqua leguntur in MS. Chronico Egmundano. Joannes de Beka in S. Willebrordo, asserit* hos sanctos Doctores propagatos in Anglia, de stirpe Saxonica, ideo convenienter prædicare potuisse Evangelium in lingua Germanica.

g

A g *Ab hoc* Eggone *dictam* Egmundam *passim creditur : sunt etiamnunc qui* Aymond *vel* Eymond *pronuntient. Et potuit* Eggo *iste (cujus nomen integre* Egbertus *scriberetur, sicut et alia diminutiva in* o, *a longiore nomine sunt pleraque) potuit inquam* Eggo *affectasse, ut subditi sibi loci nomen sumeretur ex suo, levi facta mutatione. Hactenus enim eodem alluit rivulus* Y *dictus, ex veteri deductus Rheno : et sicuti hic suum in mare exitum amisit ad Calwicum; ita etiam ille suum amisisse credi debet, per Egmundanam paludem nunc agrum, varie sectus abductusque : qui rivulus, antiquitus* Ay *vel* Ey *fortassis dicebatur, eo quod maris fluxum refluxumque reciperet, sicuti et aqua ejusdem nominis ad Amstelodamum vulgo* Het Y. *Cur autem Monachi maluerint latine scribere* Hæc-munda *infra dicetur. Est autem nomen* Egmond *nunc commune locis quatuor; dicunturque* Egmond op zee; *id est,* ad mare, *ubi portus et ostium fluminis fuerit, et unde porro videtur nomen traductum* Egmond binnen; *id est,* interius, *nunc oppidum totum fere adhuc Catholicum, ubi præcipuus adhuc viget S. Adalberti cultus;* Egmond ten hoef, *castrum olim Comitis, a Curia dictum* Egmond Abdye, *Abbatia, nunc tota desolata.*

B h *Joannes a Leidis cum Chronico Egmundano et Vita breviori,* Arborum germina quatuor processerunt et fructus.

i *Manet etiamnunc loco nomen* Capella S. Adalberti *in tabulis, et rudera cum puteo Sancti, eo loci ubi effossum corpus est, plurimum a fidelibus frequentatus etiamnunc inter maritimam Egmundam et interiorem mediis in Dunis.*

CAPUT II.

Varia miracula. Corpus a Theoderico primo Comite elevatum.

Claret miraculis :

Verum Dei ordinatio, ut qualis meriti esset S. Adalbertus, cujus Reliquiæ ibi servabantur, ostenderet; ita providit, ut numquam deesset qui inibi debitam servitutis congruentiam impenderet. Nec mirum, si humanis honorabatur excubiis, qui quotidie miraculorum fulgurabat insigniis : quæ tam numerosa sunt, ut si ea per singula describere tentemus, non modo difficultatis, sed etiam impossibilitatis anfractus incurreremus. Quocirca necesse est morem teneamus cujuslibet, amœna vireta adeuntis, qui eligendarum dubius specie florum, eatenus temperat appetitum, ut satisfaciat usuali delectationi, non excessuali succumbat oneri. C Hoc quoque nos oportet uti meditullio; ut compendiosa recitatio tam studiosis quam fastidiosis sit geminæ alternationis morigeratio. Ceterum de fide dictorum astruenda non multum nos laboraturos speramus, cum satis absurdum sit in fidelibus scrupulum generari, unde Deo auctore incredulos pristino renuntiasse constat errori. Proinde hoc jam satis dictum : nunc redeamus ad propositum.

viduæ, post irruptionem barbarorum a

9 Mulier quædam, Eswar nomine, S. Adalberti se devovit servitio, credens suæ viduitatis angustias, ejus defensionis relevari solatio. Quæ cum per multos annos devotis institisset obsequiis, accidit *a* piratas, his in partibus advectos, omnem circumquaque regionem devastasse incursu hostilitatis. Possessionibus itaque deprædatis, possessoribusque in captivitatem redactis, præfata vidua sola relicta, quid ageret, quo se verteret, ignorabat omnimodis : nam nec unde ad momentum reficeretur habebat, nec unde vel ubi acquirere posset, ulla copia suppeditabat. Postremo nil restabat consilii, nisi in consueta benignitate S. Adalberti : quam etiam de se præsumentem non despexit, sed ei pius adjutor in opportunitatibus extitit. Quotidianum quippe ei victum ministrabat ab Oceani littoribus; monstrans quam, D verum sit, nil deesse Deum timentibus : nec potuit communem sentire dispendium, quæ specialius S. Adalberti quæsivit patrocinium.

S. MON. MEDIOL. EX MS.

b victum subministrat :

10 Procedente tempore, Presbyter quidam, *b* Amalathus nomine, officii sui timoratus executor, Angelico admonetur oraculo, quatenus in resarciendis dirutis ecclesiæ sanctissimi Patris, omni posthabita dilatione, insisteret; et ne ullius dubietatis interstitio ab efficiendo revocaretur, habuit ejusdem revelationis participes tres viros, adeo religiosos, quantum laicalis admittit habitudo : qui omnia convenientia suæ referentes visioni, multum huic deliberationi contulerunt alacritatis et incitamenti. Proinde collectis undique operariis, divinitus indictum fervebat opus. Cumque hujus artifices structuræ convectam lignorum considerarent materiam, invenerunt unam trabem ceteris multum breviorem. Quo detrimento sui operis non mediocriter afflicti, consequentiam tractatus distulerunt diei sequenti. Mane facto, convenientes in id ipsum, divinum præsentialiter senserunt adesse auxilium. Nam trabs, quæ illis ob brevitatem sui difficultatem laboris intendebat; alias non solum æquiparabat, sed etiam mirabiliter eminebat. E Gaudentes ergo, tanto accuratius cœpto insistebant operi, quanto certius se videbant virtutum signis comitari. Idem autem locus, sanctissimo pignore consecratus, quoniam littori maris videtur contiguus, ac per hoc piraticæ infestationi patet expositus; non est silentio prætermittendum, quam potenti miseratione meritis sancti Viri hac molestia sit frequenter exemptus. Nam barbari multoties, eidem appropinquantes ac pæne applicantes portui, interventu nubis cœlitus objectæ prospectum perdentes, suæ perversitatis conatibus visuntur elusi. Cujus assiduitate miraculi congruum nomen eidem videtur inditum, ut *c* Hæcmunda dicatur, quasi locus ab irruptione incursionum mundatus hostilium; unde factum est, ut non solum a Christianis, verum etiam a Paganis non mediocriter frequentaretur; in tantum ut oblationibus crebris suæ devotionis exprimerent instantiam. Nullius enim illuc cassati voti querulus causator abscessit, nullus qui perditi laboris damna gemuerit. Verum quod ibi magis expavescenda sit potestatis divinæ severitas, ubi propensius enutrierit illius gratiæ dapsilitas, ex subsequenti potest perpendi miraculo : ipse enim in Sanctis suis operatur, F cujus omnes viæ misericordia et veritas.

monitu Angelico resarcitur ecclesia,

trabe divinitus longiore facta

ab incursione paganorum immunis. c

Furatus caseum oblatum Sancto, digitos sibi rodit :

11 Rusticus quidam inconsulta temeritate persuasus, oblatum ad beati viri pignora caseum, furari non est reveritus. Cujus edulio dum spicarum illapsus densitatem, conaretur potiri; nullam desiderii sui poterat efficaciam consequi : sed, ut æquitatis justissimo tenore ipse puniret in se, quod commiserat sanæ mentis; ipsos pro furtivo pabulo digitos manuum suarum derodebat. Quod ubi Dominus suus comperit, ad sacratissimas Reliquias sine dilationis interstitio duci jussit. Ubi supernam benignitatem, ex indulta sibi sanitate nactus; legali traditione factus est ipsius ecclesiæ proprius. Vere magnificis tanti viri merita sublevanda præconiis : cujus ope digna temerarium non absorbuit ultio, sed in meliorem statum extulit pia correctio.

removetur mons arenosus ab oratorio.

12 Alio quoque tempore, res miranda satis evenit. Ex marinæ siquidem tempestatis eruptione continua (sicut his cognitum est, qui maris vel viderunt vel inhabitant contigua) plurima littoris arenarum subvehitur copia : quæ, perurgente vi ventorum, tantis cumulatur acervis, ut montibus videatur altissimis coæquari. Hujuscemodi denique perfusio nimis proxima, sancti viri quodam tempore consedit oratorio. Quo dum forte *d* Roricus barbarorum Rex

d

A. MON. MEDI. L. EX MS.

A Rex appulisset, cunctis sibimet obsequentibus indixit, ut ocius ab ædificio sacro montem arenosum dimoverent. Quod cum mane sequenti fuisset universis implere placitum; invenerunt præfatum arenæ montem, per sanctissimi Adalberti merita, quantum jactus lapidis emitti potest, longius esse secretum; clarescente supernæ bonitatis affluentia, quæ quantum apud se dilectus suus valeat, etiam viro incredulo manifesta præbuit indicia.

e Visione triplici monito Theoderico Comite, elevantur sacra ossa

13 Apparuit amabilis Christi Confessor Adalbertus in somnis cuidam Sanctimoniali, Wilfsit *e* nomen habenti; denuntians, ut pretiosissima sui corporis ossa, quæ more ceterorum profundius sub humo recondita tenebant, eminentius elevata cunctis in conspectu locarent; scilicet ad devotionem fidelium efficacius incitandam, et meritorum ejus interventionem præsentialius obtinendam. Et ne fidem quivis forsitan ambiguitatis offendisset scrupulus, trinis feminam præfatam dignatus est certificare visionibus. Quæ ne stringeretur inobedientiæ reatu, Theoderico primo Comiti, qui locum eumdem, sicuti nunc posteri ejus retinent, proprietatis jure possidebat, haud segnis intimatrix, per somnum sibi revelata suggerere properabat. Ille vero, sicuti semper in B illis quæ religionis sunt promptus et officiosus extitit operator; ita in exequendis his, quæ Sanctimonialis retulerat, velox fuit executor. Paratis ergo quæcumque fuerant tali operi congrua, sancta levari fecit pignora.

pallio incorrupto tecta et fons desubtus erumpit:

14 Tunc subtus sarcophagum repertus est fons, mira limpiditate perspicuus; qui usque in hodiernum diem, ad recuperandam sanitatem inclusa spe, multis extat idoneus. Apertoque locello, pallium quo Sancti corpus velabatur, ut requiescentis vivacitas apprehenderetur, ab omni corruptione putredinis immune conspiciebatur. *f*

f eadem in erectum ad id oratorium transfertur: cæci et claudi sanantur:

15 Prædictus vero Comes in loco, qui Hallen nuncupatur, ex ligni materia construxit oratorium: constitutaque die, qua fidelium unanimis devotio convenire potuisset, illuc sanctum deduci fecit thesaurum. In quo venerabili deportationis officio quot sanitatis impotes reformarentur, non parvo colligi potest numero; præcipue denique cæcis redditum lucis decus alludebat; et quoscumque gressus debilitas enervabat, redigesta membrorum compages erigebat. O divinæ pietatis fontem, inæstimabilibus miserationum rivis semper inundantem! En Con- C fessor sanctissimus, cujus anima vera beatitudinis securitate nullius indiga fuit, ut relicti corporis artus, erigantur altius, loculis honorentur nitidioribus, adhortari videtur. Num in cœlesti conspicuitate posito hæc inest delectabilitas, cui carnaliter versanti cuncta terræ viluit speciositas? Procul absit a piis mentibus hæc credulitas. Sed qui in hac constitutus peregrinatione, caritatis viscera numquam dehabuit; jam manens in patria, compassionis et misericordiæ reminisci non desinit. Vult ergo Reliquias sui sancti corporis manifestius tractari, ut respicientium corda, compunctionis accensa stimulo, facilius ad impetrandam Divinitatis opem mereantur aptari. Vult magnificentiori frequentia celebrari, ut magis ac magis in memoria futuræ gloriæ bonorum desideria valeant dilatari. Nunc sequentia videamus.

dedignatus collaborare punitur.

16 Certatim autem laborantibus in præfati constructione oratorii, Sigifridus quidam nomine, fervorem sociorum imitari dedignatus, omni membrorum mobilitate et officio est destitutus. Qui postquam, salubri pœnitentia motus, in cognitionem sui pervenit; recepto sine mora vigore, totius corporis contractione caruit.

17 Accidit quoque brumali tempore, dum cuncta fuissent aspero frigore constricta, supranominatum Comitem Theodericum, vehiculo residentem, trahi D super cujusdam profundissimi lacus terga, glaciali rigore contecta. Verum, sicut hujuscemodi constat periculosa meatio, jam fere media contingentibus, dum glaciei tenuitas non æquipararet ponderis impressionem, letiferam sui minitabatur rupta voraginem: unde cunctis tremore fugatis, Comes relictus est solus. Qui cum humanum penitus deesse videret auxilium, ad expertum crebrius B. Adalberti totis suspiriis confugit patrocinium; per cujus interventum celerem meruit impetrationis obtentum. Nam, quod mirum est dictu, ubi fundus vix credibilis habetur, summotenus pendentem lympha sorbere non valuit; cinguli tantum usque finitima lambere præsumpsit. Sic nempe tam ipse liberatus exivit periculum, quam cuncta quæ vehiculo imposita ferebantur sunt liberata.

Comes Theodericus periculum submersionis evadit.

ANNOTATA G. H.

a *MS. Chronicon Egmundanum cap.* 3 *addit*, post annum 760 eam vastationem contigisse: *at cap.* 5 *describit maximam vastationem, per Normannos anno* 856 *factam: quando asserit* ecclesiam S. Athalberti E cum Egmundo destructam, et apud Nortwyck S. Jeronem Presbyterum decollatum. *Quæ etiam apud Joannem de Leidis, lib.* 5 *cap.* 33 *et* 34 *leguntur. Corpus* S. Jeronis *postea in ecclesiam Egmundanam* S. Adalberti *fuisse delatum, dicetur ad diem* 17 *Augusti ejus natalem.*

b *Idem Chronicon cap.* 4 Amalech.

c *Idem Chron. varias addit conjecturas, non magni faciendas omnes, quantumcumque Monachi in omnibus suis scripturis conati sint obscurare verum nomen, scribendo,* Hæc-munda, *et nomen latinum facere; quod proculdubio Teutonicum est, ut cetera hujus generis, in quibus* Mond *significat os fluminis.*

d *De hoc* Rorico, *seu* Roruc, *ejusque prosopia, egimus* 3 *Februarii ad Vitam S. Anscharii* §. 9, *et constat ex Annalibus Fuldensibus, eum* Dorestado præfuisse anno 857: *quæ huic narrationi congruunt.*

e *Gerbrando* Vulsfit, *cui etiam locus monasterii infra* Hallen *dictus scribitur* Hallem, *ac forte hoc melius, cum vocula* hem *domum significans in terminandis locorum nominibus sit usitatissima.*

f *Addit Beka:* Crux etiam aurea super pectus ejuscem ibidem inventa est, quæ contra varias ægritudines medicina salutaris est: *de fonte autem quod dicitur hodiedum perseverat, multis ad illum non* F *obstante loci desolatione per hæreticos inducta, confluentibus: ut supra dixi.*

CAPUT III.

Basilica lapidea erecta. Miracula tempore Scriptoris probata.

Nec sunt memoriæ subtrahenda, quæ temporibus *a* Theoderici junioris, prædicti videlicet Comitis filii, nos ipsi vidimus declarata miracula. Is enim paternæ devotionis ferventissimus æmulator, in honore sancti Confessoris Christi Adalberti lapideam basilicam non sine magna construxit difficultate: quippe cum tellus hæc, arenosa tenuis exilitate, nimium sit egena lapidum et calcis opportunitate. Pignus quoque sancti corporis, inclusum sarcophago, eleganti fabricæ decoravit artificio: et ne quid ei, in præmio futuræ beatitudinis, deesset perfectæ remunerationis; cultores monasticæ observantiæ inibi Deo vacare constituit: quibus etiam ad quotidianum victum de reditibus suis sufficientiam præbuit. Nam patris ejus institutione Sanctimonialium prius ibi vita florebat: sed ob imminentem

a In lapidea basilica Monachis tradita corpus honoratur.

A tem sæpius Frisonicæ feritatis molestiam, ad observantiam propositi sui facultas eis minime suppeditabat.

b Sanantur, Egbertus filius Comitis a febri

19 Hic itaque tam eximiæ liberalitatis Comes, genuit filium, *b* Egbertum nomine; quem divini timoris intuitu Clericatus fecit delegari sorte. Qui dum jam in adulta ætate Subdiaconatus ministerio fungeretur, quodam anno sequente die Palmarum, valida vi febrium est invasus: cujus acerbitate, usque ad festivitatem sancti viri, quæ est septimo Kalendas Julii, graviter est vexatus. Cum vero sacræ festivitati, fiducia meritorum piissimi Confessoris, cum ceteris interesse decerneret; ita penitus ab omni adversa valetudine est absolutus, quasi numquam ab ea fuisset pulsatus: et lætus ob tantæ pestis evasionem, ad Missarum solennia ministerii sui obsecutus est devotionem. Hic denique est Egbertus, qui post Archipræsulatus a Deo sortitus insulam, tam vivacissimo religionis ardore, quam moderatissimæ libramine discretionis, Trevirensem rexit Ecclesiam.

et Erlindæ filiæ oculus,

20 Fuit eidem Comiti filia carissima, nomine Erlinda, quæ diu unius oculi est usu frustrata. Sed B quomodo tantum Confessorem non sentiret sibi placabilem, quem patris sui sedulitas tot munificentiis fecit debitorem? Recepit ergo visum, plus gaudens ex restitutionis beneficio, quam si numquam naturali careret officio.

Presbyter 20 annis cæcus

21 Fuit item de gente Anglorum Presbyter quidam, nomine Wolmarus; qui per viginti annorum revolutionem, nullam potuit penitus habere visus hilaritatem: unde multis Sanctorum locis peragratis, Romam quoque pervenit, ut ademptæ lucis receptu potiretur. Verum superna pietas, quæ per Apostolicum meritum crebris et multifariis est modis patefacta, hujus viri sanitatem, ad declaranda S. Adalberti distulit patrocinia. Nempe dum Romana reverteretur ab urbe, attrahente fama curationis multorum, Egmundam studuit adire: veniensque saluberrimi fontis ad locum, quem supra memoravimus sub sancti corporis locello repertum; postquam oculos suos trino liquoris lavacro refovit, serenissimo lumine donatus abscessit.

aliique varii infirmi,

22 Moderno quoque tempore plurimi cæcorum, claudorum, aliisque ægritudinum varietatibus debilitati, per efficacissima S. Adalberti merita, ad integram vegetationem sunt reformati: quorum nomina sive numerum colligere supersedimus, ne, per C verbosam styli vagationem, legentibus forsitan quamlibet ingeramus fastiditatem. Sed hoc certissimæ fidei commendandum, quod cum locus hic sit

et dæmoniaci,

fœcundus incomparabili languentium medicatione; præcipue tamen gaudeat dæmoniacorum liberatione: nam quisquis huc venerit hujuscemodi captivatus amentia, integerrime redemptionis gloriabitur obtinentia. Nam cur non declinent dæmones potentiam Confessoris cum Christo triumphantis, cujus ineluctabile certamen experti sunt in carne militantis?

immedicabilis æger,

23 Extitit etiam Comes urbanus quidam, Ruoskin habens vocabulum, cujus mansionis haud procul a beati viri monasterio constabat habitaculum. Hic divino præmonitus instinctu, filium suum illuc divinis obsequiis mancipandum, atque regularibus institutis devoverat imbuendum. Postea vero, dum tam supernæ aspirationis immemor, quam propriæ sponsionis extitit prævaricator; puer in immensam decidens invaletudinem, a cunctis irremediabilis habebatur; donec ad altare sancti viri regulari oblatione traditus absolveretur: evidenter insinuans, paternæ defraudationis perfidiam, languoris sui fuisse causam. Felix nimirum, cujus momentanea ægritudo, tam paternæ temeritatis correctio, quam sempiternæ suæ salutis fiebat occasio.

D A. MON. MEDIOL. EX MS.

infans a sugendis uberibus abhorrens.

24 Mulierem quamdam, non longe ab eximii patris cœnobio degentem, puerum parere contigit; qui per viginti dies alimentum lactis penitus abhorrens, ubera materna contemptui habuit. Mirabile forsitan et incredibile habeatur, si non late veridicorum relatione testium comprobaretur. Parentes ergo, considerantes humanum consilium tali non esse proficuum periculo; eumdem puerum B. Adalberti offerentes altari, ipsius sanandum commendaverunt patrocinio. Mox autem puer naturali vigoratus robore, ad sugendum cœpit avidius gestire. Quis non in hoc mirabilem divinæ dispensationis attendat ordinem? Subtrahitur ergo parvulo huic naturalis affectio nutrimenti, ut et tanti Confessoris in curando patescat excellentia, et eidem parvulo sublimioris propositi provideatur observantia. In hoc perpendi potest, divinæ dispositionis proventionem numquam a boni vacare prædestinatione, sed semper in lucrandarum animarum versari provisione.

Pallium, quo sacra ossa tecta, ab incendio illæsum:

25 Oratorium quoque celeberrimi Patris, minus justa custodum vigilantia conservatum, bis incendii E deprædatione est devastatum. Sed qui, non dormitans neque dormiens, conservat Israel, sic negligentium punivit injuriam, ut meritorum Sancti inibi requiescentis declararet eminentiam. Nam cunctis illic depositis, flammarum violentia favillatenus crematis; solum pallium, quod sacratissimum Corpus velare meruit, remansit expers hujus exustionis. Nullus ergo tam stolidæ mentis hebetetur vesania, ut Sancti hujus præjudicare velit potentiæ, quod adscriptum sibi templum ab igne non servaverit immune: Deus enim qui in Sanctis suis est mirabilis operator, humilium et in præceptis suis ambulantium propitiabilis est exauditor: negligentia et pigritia marcidis, misericordissimæ suæ patientiæ monita ingerit; superbis autem et in perversitatis calle durantibus, sententiam justissimæ vindicationis inscribit. Hic denique in combustione rerum templi hujus incautos expergefecit; in conservatione vero pallii, devotis et sancta suffragia quærentibus, spem impetrationis providere decrevit.

ob possessiones suas occupatas

26 Nostris quoque temporibus, ad declaranda sancti viri illustria virtutum insignia, divinitus ostensum miraculum edere pergam: ut tanto devotius, in ejus venerationis debitum, Christianis recalescat animus populis, quanto largiflua signorum efficacia crebrius eum prospexit cœlesti glorificari F benedictione. Transmarinis namque in partibus quidam, infinita pollens divitiarum opulentia, inflammante sæva rapacitatis cupiditate, nepotum suorum rura, quæ eis hereditario jure ex paterna successione contigerant, injusta pervasione in suos moliebatur redigere usus. Quem cum tam per affines et amicos, quam consanguinitate propinquos, ut nefandos compesceret conatus, multifariis precarentur oraminibus; dicentes non decere eum aliena concupiscere, utpote qui suis esset sufficiens; ille nihil dignum ratione respondit: sed spretis amicorum adhortationibus, quid malitiæ mente diu tractaverit, sceleratissimi prodit exhibitione operis, et injuste possessa suos jussit exercere colonos. Interim juvenum feroces animi vehementius concitabantur in iram: et nefanda, quæ tantis lacessiti injuriis cogitare compellebantur, verbis promere pertinacius non verebantur; scilicet, quælibet se malle subire discrimina, quam fundis carere paternis. Inde suscitantur iræ, rixæ, dissensiones:

patruum occidunt nepotes,

adulantur partibus militares manus: postremo sævo exemplo parricidale exoritur bellum; producuntur ex utraque parte acies bellatorum. Tunc germani fratres, conspirata manu parem acceptis contumeliis vicem rependere prompti, patruum suum, dira passum

A passum vulnera, solo prosternunt, mortique (quod nefas est dicere) tradunt.

A. MO . MEDIOL. EX MS. qui pœnitentes gladiis in vincula conversis se stringunt :

27 At post spatium temporis, nolens Deus perpetuo perire peccantes, immisit eis pœnitudinem tanti criminis. Mox sine dilatione Episcopum, ad cujus diœcesim pertinebant, adeunt; seque peccasse, se reos esse, lacrymosis proclamant vocibus : et vulnus admissi facinoris congruo mederi antidoto, toto cordis precabantur oratu; ita ut ferro quo reatum perpetraverant, eos juberet tamdiu constringi; quousque, qui solet gratuita sua gratia dimittere peccata, suo eos judicio decrevisset absolvere. Itaque Pontifex non abnuit, videlicet ne impunito crimine tanto, eorum animæ inextinguibili perpetuæ pœnæ postmodum cruciarentur incendio. Unde cum boni consilii compotes efficerentur (nam alter eorum brachium sibi vinxerat, facto loro ex gladii capulo; alter vero ipso gladio, quasi fascia pectorali se constrinxerat) circuibant plurima Sanctorum loca; ut eorum suffragiis quandoque veniam obtinerent criminum, quorum votis sciebant citissime annuere Dominum. Tunc pari devotionis studio Nivialense properant ad Cœnobium, ubi mira signorum gratia sacra effulget Virgo Gertrudis : ut et ipsi experirentur beneficio, quantum Dei famulæ conveniret honorare meritum. Ubi cum aliquantisper, effuso lacrymarum imbre, orationi incumberent; beatæ Virginis ob meritum, unus a Domino solutionem vinculi meruit, unde non modico repleti sunt adstantes gaudio. Alius vero, dum enixius divinum sibi adfore precaretur auxilium, hoc a Domino meruit percipere responsum, ut omni festinatione properaret ad limina sacræ aulæ Levitæ Christi Adalberti; ibique se sciret solvi vinculo, quo suo se obligaverat voto. Cœpit itaque ignotum sibi perquirere locum, Angelico dicto in somnis sibi Egmunda nominatum : nec cuiquam palam fecit, quid illuc quærere vellet, sed tantum quod orationis causa animo haberet eum invisere. Et sicut desideria, cœlitus inspirata, divina semper ad effectum perducuntur gratia; licet difficili gressu, tamen diu desideratum pervenit ad locum : ibique perendinatis aliquibus diebus, spe indubitanti præstolatur olim promissæ sibi a Deo solutionis donum. Et dum aliquando, sicut semper consueverat, ad horam divini Officii adsisteret vultui divino imaginis Domini nostri Jesu Christi; subito illa ferrea sine manibus disrumpitur armilla : ut palam daretur intelligi, hæc S. Adalbertum suis promeruisse meritis, quia in suo corpore Crucis stigmata portare non erubuit. Mox admiratio crevit populi, hymnidica monachorum gratulatur caterva : et quia talem meruerunt habere Pastorem, in commune bonorum largitorem collaudant Dominum.

et alter liberatur apud S. Gertrudem, B

alter apud S. Adalbertum.

C

Epilogus.

28 Hæc de vita et virtutibus opinatissimi Confessoris Christi Adalberti Mediolacensis cœnobii excudere cucullarii; jubente Serenissimo ejusdem monasterii Domino supranominato, videlicet summo Præsule Egberto : qui rerum honestarum, et ad divinum cultum proficientium, solertissimus et indefessus eminet procurator. Cuicumque igitur libellus hic in manus venerit, non hebetis ingenii crassitudinem, non incultæ rusticitatis attendat absonitatem : nec arguat eos temeritatis, qui imbecillitatem virium non trutinarunt ad immensitatem ponderis : quia majori se subjicit periculo, qui inobedientiæ noxam non pertimescit, quam qui propriæ possibilitatis modum obauditionis intuitu pensare negligit. *c* Ergo quidquid incoctum deprompserit scribentium tenuitas, hoc roboret præcipientis auctoritas. Et sicut non cernitur a quam despectibilibus personis, sed quam nitidum et pretiosum sit quod defertur aurum; sic in hoc opusculo non inde dictantium spernatur ingenium, sed [consideretur] quam laudabilis et Deo acceptabilis B. Adalberti fuerit vita, quam tot virtutum fulgoribus superna clarescere fecerit gratia. Nulla denique sana meditanti provenit jactura, si linguam ejus foliorum exuberatio non adumbret, cum mens ipsius malorum odore et sapore dulcorata pinguescat. Discat ergo legentis animus, scribentis imperitiæ compati, si S. Adalberti Confessoris Vitam, quam pia curiositate appetit, desiderat imitari. Ex radice namque fraternæ condescensionis, Sancti justius anima pullulaverit ad intuendam sublimitatem Creatoris; unde misericordi nos attendens exauditione, tam clementissimus pro nostris reatibus interventor, quam promptissimus angustiarum tribulationis nostræ sit relevator; ipso annuente, qui de supernis cœlorum sedibus veniens, miserorum effectus est consolatio, Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat unus et verus Deus, per infinita seculorum secula. Amen. D

ANNOTATA G. H.

a *Theodericus II Comes patri successit, mortuus anno 985, et cum uxore sua Egmundæ sepultus : cujus variæ donationes, huic loco factæ, referuntur ex Archivis monasterii Egmundani a Scriverio apud Soutmannum.* E

b *Egbertus, creatus est Archiepiscopus Trevirensis circa initium anni 978, mortuus 10 Decembris anni 993.*

c *Reliqua desunt apud Mabilionem, quæ supplemus ex MS. in quo sequebatur minor historia, a Monacho Egmundano composita, sed ex priore relatione desumpta, aliquibus minus recte adjunctis.*

ALIA MIRACULA

Ab Egmundensi Monacho seculo XII *scripta.*

Prologus.

Cum pium et honorificum sit prædicare Deum in Sanctis suis; miracula, quæ per beatum Confessorem suum Adalbertum, nostris temporibus operatus est, et assidue operatur manus Domini, vel quæ ipsi vidimus, vel venerabilium virorum adhuc superstitum certa relatione comperimus; etsi imperiti sermone, non possumus vel justum æstimamus silentio præterire. A cujus operis incepto cum nos diu absterreret inscitia, pudor averteret; Fratrum compulsi instantia, ob devotionem Sancti nos ad calamum compellentium; consultius rati sumus affectuosæ voluntati obedire eorum, quam commodo privato vel pudori per silentium consulere. Quisquis ergo ad hoc opus accedere dignabitur, non verborum faleras, quibus rusticitas nostra minus suffulta est, requirat; sed rerum seriem, et miraculorum Beati Confessoris magnitudinem attendat; nec virtutum verba putet, ut lucrum linguæ; sed Dei virtutem, serie imitatione pii operis, fructum faciat necessitatis. De rerum porro veritate nemo ambigat; cum et pudor noster, multo labore ad scribendum coactus, inutiliter ad mendacia referenda et probrose solutus esset; nec indigeat Sanctus Domini nostro mendacio commendari. F

CAPUT I.

Monasterium protectum : malevoli puniti. Cæci et alii ægri sanati.

Temporibus igitur *a* Florentii Crassi, piisssimi, octavi Comitis Hollandensis, cujus erga Sanctum Domini ejusque Congregationem multa devotio, prosperos sibi vitæ præsentis successus, et spem de futuro *a*

A futuro bonam obtinuerat; Dominus, cui specialiter suppetit cum voluerit posse, per merita dilecti sui, suæ potentiæ tale dignatus est indicium demonstrare. Palus *b* quædam ex irruptione maris proveniens, cujus adhuc indicia magna supersunt, claustro Egmundensi contigua fuit. Quæ plerumque hiemali tempore, tum pluviali tempestate, tum maris impetu convalescens, adeo intumuit; ut vix a claustri ambitu coerceri potuerit. Hæc hieme quadam solito amplius inundavit, in tantum ut his qui in proxima villa, scilicet Castriken, *c* morabantur, non levem jacturam, non facile periculum, agrorum invasione et domorum, minaretur. Erant autem eo temporis pagi ipsius habitatores, tam nobilitate generis, quam rerum copia, fortuna sibi arridente, præpollentes: quæ utraque res, iræ, rixæ, contentionis, insolentiæ, et multorum malorum fomes erat in eis et irritamentum. Tumido ergo spiritu, manu armata, ore ad injurias præparato, Egmundam venerunt, aggerem eisdem aquis oppositum (quod absque claustri læsione et gravi dispendio fieri non poterat) effringere proponentes: ut dum undæ per alios meatus decurrerent, ipsi damni minus sustinerent. B Sed non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum. Hæc itaque sunt nuntiata Abbati loci ipsius Stephano: *d* qui pastoris officium, in quantum decrepitus, et jam jussu Imperatoris de præsidio et statione vitæ præsentis migraturus poterat, strenue satis exercebat: cujus ut compendio mores adnotemus, fructibus senectutis jucunde fruebatur, memoria scilicet et copia bonorum, pio labore antea paratorum: nam et strenuitatis suæ, et laboris in studiis liberalibus exercitati argumenta non debilia posteris reliquit, libros scilicet, quos claustro Egmundensi et numerose et accurate describi fecit.

Ut inundationis periculum a se avertant Castricomenses,

frangunt aggerem, tuendo monasterio factum,

3 His ergo auditis venerandus senex contremuit, et obstipo *e* capite defigens lumine terras, infra cordis secretarium quid ageret, quo se verteret, consilium quæsivit. Et cum in senibus sapientibus, rerum præteritarum cognitio, futurarum cautela sit; quod viribus minus poterat, consilii manu egregie supplevit. Misit enim ad eos, qui in Sancti injuriam temerario ausu processerant, cum scrinio quodam aureo, unum de Fratribus suis Adalardum nomine, qui et ipse postmodum eidem regiminis in honore successit; ut vel Sanctorum præsentia C conterriti, vel ipsius Fratris (cum esset cognatus eorum, qui in ipsis potentiores erant) precibus emolliti, a temere incepta sanctissimi Confessoris Adalberti absisterent injuria. Verum hi mente obstinata, nec verbo Domini penetrabili, contumelias pro reverentia, pro precibus maledicta, minas pro exhortatione reddiderunt; et impetu facto nullum timoris Dei respectum habentes, aggerem aquis oppositum infregerunt. Sed (mirum dictu!) mox ut scrinium sanctarum Reliquiarum, cum sancti Patris Adalberti commemoratione, Frater memoratus aquis imposuisset; aere in tempestatem commutato, grando et nix de cœlo corruerunt, aquæ in seipsas conversæ sunt: nec in partem multo decliviorem effluere præsumpserunt, sua voce imprudentium ignorantiam confundentes, et meritum Sancti, cujus possessioni pepercerunt, prædicantes. Cujus miraculi novitate inimici omnes in stuporem conversi, confusi et reveriti, in sua redierunt. Sed cum scriptum sit: In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis; superbiæ radicem vitiosis semel innatam medullis, nec eradicavit de cœlo miraculum, nec commutare potuit mutata vis naturalis elementorum.

sed sistuntur aquæ objectu Reliquiarum

Sap. 1, 4.

4 Alio item tempore, cum prædictus *f* Adalardus Abbatis officio fungeretur, supradictæ paludis tanta facta est inundatio, ut jam jamque, littore D non contenta suo, claustro item periculum minaretur. Habito igitur Abbas loci cum suis consilio, id potissimum invenit quod ipsa rei necessitas imperavit; scilicet ut aggerem, ejusdem aquis oppositum, quia alibi non liceret, in propria monasterii possessione longiuscule a claustro effringeret. Assumptis itaque secum paucis Fratribus et quibusdam ecclesiæ ministerialibus, ad locum monasterio vicinum, quem Arenam appellant, processit; dispendio minori periculum majus, per aquæ ipsius deductionem, moderaturus. Assumpsit nihilominus secum Reliquiarum B. Adalberti venerabile scrinium, ne quid forsitan adversitatis obviaret, ne quod impedimentum inferre præsumeret temeraria turba virorum de Kastriken, qui tumida semper cervice, cornu minaci Sancto Domini contrarii fuerunt, donec divinitus compesciti sunt. Nec inanis timor ejus, nec falsa suspicio fuit. Vix enim negotio ad quod processerant peracto, quales supra memoravimus, ore, corde, manu, ad maledicta, ad inimicitias, ad injurias armati, cum gladiis, lanceis et fustibus adfuerunt, ad vim faciendam pervicaces: qui et multitudine et malitia superiores fuerunt. Quo viso Abbas cum suis, qui pacificus et imbellis E venerat, stat corde gelato attonitus, riguere comæ: et quia nec verbo exhortationis, nec ullis suorum viribus huic belluinæ feritati resistere potuit; cum Reliquiis sanctis festinanter rediens, per fugam cæcum illorum impetum declinavit. Sed quia velocibus equis insederant, fugientes occupaverunt, extremos quosque et ad fugam tardiores injuriis vel cædibus afficientes.

A MON. MEDIOL EX MS.

easdem aversurus alibi rupto aggere Abbas,

contra se oppposituros Reliquias adfert:

eas non impune repellunt isti;

5 Erant autem in parte hostili fratres germani sex, forma, viribus, divitiis omnes fere comparochianos suos præcellentes; acris animi, subdoli, audaces; cædibus, rapinis, discordiæ vacantes; divina et humana promiscue habentes. Horum tres, Arnoldus videlicet, Wulbrandus, et Eilgerus, cum duobus consobrinis suis Sicke et Garbrando, in injuriam Sancti procaciores fuerunt, verbis, gestu opprobria et minas jacientes; adeo ut (quod dictu nefas est!) armis suis in sanctissimam thecam impegerint, spumanti ore rabiem cordis evomentes. Quorum idcirco nomina et ausus temerarios non tacemus, ut pœnam illorum qua crudeli et horribili animadversione mulctati sunt, obsidem vindictæ, timoris exemplum, argumentum cautelæ, inimicis F Ecclesiæ nostræ et cunctis adversus eam testamentum disponentibus, proponamus. Nec immerito in eos ultio divina processit. Cum enim Ozæ, arcam Domini tangentis, indiscreta devotio morte punita sit; injuria Sancti, qui vere virtutum arca fuit, habens in se tabulas testamenti et virgam disciplinæ cum manna mansuetudinis, non potuit vel debuit inulta dimitti. Fratrum ergo crudelissimus, Arnoldus scilicet, ad ostensionem iræ Dei, in loco eodem quo Sancto injuriosus extiterat, qui Arena nuncupatur, non multo post, a fratre suo juniore, letales ictus gladii in pectore et cerebro, sedibus rationis, ratione abutens accepit; tremensque toto corpore versusque in furiam, digna ultione animam emisit. Percussor autem, qui et ipse in Sanctum Domini reus extiterat, mentis incurrens alienationem et inaniam cerebri passus, de divite, potenti, nobili, ad tantam miseriam devolutus est; ut aliquot annis per domos mendicans, stipem publicam petierit; donec tandem vermibus consumptus, in dimidio dierum suorum vitam finivit.

nam ex præcipuis injuriæ auctoribus

senior a fratre occiditur

hic in amentiam vertitur,

6 Tertius autem fratrum Wulbrandus, proprium incurrens gladium, seipsum occidit; terribilis exempli relinquens vestigia, quia nemo impune adversus Dominum et Sanctos ejus consurgit. Sicke vero, consobrinus

tertius semet occidit

A consobrinus eorum, infra dimidium annum ob injuriam sancti Confessoris (nam et venabulo scrinium ejus impetisse dicitur) miserabili morte rebus humanis excessit. Garbrandus autem, cum esset agillimus omnium de Castriken, ad omne opus bellicum strenuus; pede, manu ad agendum, ad discurrendum facilis; tantam membrorum omnium invaletudinem et contractionem incurrit, ut numquam in vita sua, non modo equum conscendere, sed nec unquam incedere, nisi sustentaculis inter brachia aptatis, potuisset. Præterea (quemadmodum nobis, qui eum sanum et invalidum cognoverunt, contestantur) temeritas ejus, et effrænata jactantia, et injuria in sanctum Domini Confessorem, ad hanc illum miseriarum et calamitatis extremitatem perduxit, ut perosus fratribus et cognatis, civibus et omnibus amicis et necessariis suis, in quodam vilissimo tugurio, nullius solatiatus contubernio, mansitaret, miseram, et degenerem exigens vitam: cui nec fundus hereditarius, qui sibi inutiliter abundabat, nec fratrum suorum affectus, nec ulla fortuna subveniebat. Igitur succedentibus miseriis, nec Domino miserante, nec quoquam hominum auxilii manum porrigente, solitudine destitutus, consumptus inedia, hominum perditissimus hominem B exuit; exemplo commonens, quod pulvis et cinis inaniter erigitur, stulte superbit.

A. MON. MEDIOL. EX MS. quartus brevi misere obit: quintus paralysi tactus miserrime contabescit,

7 O ineffabilem judiciorum Dei abyssum, cujus justitiæ specialiter competit injurias ulcisci Sanctorum suorum! o admirabilem et pium Domini Confessorem, qui acrius semper et solicitius ad suorum invigilat salutem, quam effera rabies iniquorum ad perniciem! Alii autem hujuscemodi dissensionis auctores, quidam morte, quidam mentis alienatione, vel alia gravi pœna mulctati sunt; de quorum miseriis scribere supersedemus, tum ne lectori fastidio simus, tum quia ad alias beati Patris nostri mirabiles operationes festinamus. Hoc tantum dicere sufficiat, quod parochia hæc tota, ab illo tempore et deinceps, sic humiliata est et in pulvere sedit, ut numquam ulterius cervicem adversus Sanctum Domini temeraria præsumptione erexerit: sed secundum illud propheticum, quæ primo fuerat mollis et tenera, nunc adeo vilis facta est, ut ipsa discooperto humero tollat molam, et molat farinam: humiliavit enim eos qui est ante secula, adhuc manus ejus extenta. Dominus enim omnipotens, pro quo pugnat orbis terrarum contra insensatos, hinc aquis *g* terram eorum impugnat, illinc arenis maris submergit C et devastat: et suffragium Sancti in opportunitatibus nunc humiliter deposcunt, erga quem insipienter quondam tumuerunt.

alii varie puniuntur ipsaque parochia exinde defecit. Is. 47, 1 *g*

8 Contigit eadem tempestate miraculum, quod ex relatione cujusdam senioris nostri, viri religiosissimi, cognovimus: cujus auctoritati non credere, cum vita ejus auctoritas et laus Dei sit, nefas putamus. Gens Fresonica, quæ ex vicino nobis commoratur, fama virtutum beati Confessoris Adalberti attrahente, pace temporum invitante, rerum copiis adhuc suffragantibus, perpetui moris habebat, cum multa frequentatione et oblationibus, ad ejus festivitatem annuatim convenire. Venit ergo cum ceteris mulier quædam Fresonica, tum paupertatis necessitudine despecta et humilis, tum unius oculi privatione deformis. Sed cum alii forensibus negotiis intenti avaritiæ consulerent, pars jocis vanisque discursibus et curiositati operam daret; hæc a templo Domini non recessit, sed fidei et precum suarum quadrantem, in gazophylacium divinæ pietatis, mediante beato Adalberto misit. Nec distulit exauditionem benignus Jesus, cui pauperis viduæ donativum in tantum complacuit, ut convocatis discipulis illud commendans dixerit: Amen dico vobis, quo- D niam hæc vidua paupercula plus misit omnibus, qui miserunt in gazophylacium. Dum ergo Evangelium legeretur, Videte, vigilate et orate; orante Sancto, qui utriusque hominis oculis veraciter viderat, prudenter vigilaverat; pauperculæ mulieris oculus, diutina cæcitate soporatus, ad contemplandam lucis hujus jucunditatem evigilavit.

Illuminantur, altero oculo cæca, Matt. 12, 43 Id. 13, 33

9 Item annua festivitate B. Adalberti Confessoris piissimi sese repræsentante, venit cum ceteris Presbyter quidam, præter itineris laborem, (nam de Hierusalem se venisse testabatur) senii, paupertatis, cæcitatis incommodo fatigatus: cujus illuminationem, cum plurima Sanctorum loca curationis gratia circuierit; Dominus nimirum distulit, ut notum faceret populis et gentibus, quantum valeat apud se dilectus suus. Dum ergo Missarum solennia celebrarentur, ab itineris sui ductore, baculo sustentante, ad feretrum Sancti, quo plurimi oblationum gratia catervatim accedebant, perductus est: et dum devotioni cordis precibusque lacrymosis indulget, tanta prurigo oculorum invasit eum, ut non modo digitis et pugnis hos defricaret, sed etiam ad lapides pavimenti contunderet; et vasa luminis, visu vacua, sordibus plena, gratia replenda, cruentando et expurgando, apta lumini præpararet. Nec mora: oculorum lumen recepit, non sine admiratione multorum, rei eventum desideranter præstolantium. Hilaris ergo et Dominum benedicens, absque ductore est egressus; baculo tamen, non propter luminis indigentiam, sed propter senilis ætatis et præteriti laboris defectionem, sustentatus.

et Presbyter cæcus:

10 Contestantur nobis præterea Fratres nostri maturioris ætatis, quorum religiosa conversatio, amor Ordinis, affectus ad Deum, veri testimonii argumentum est; tanta se vidisse sæpenumero, sed præcipue in die natali Sancti, in curationibus diversarum necessitatum facta miracula, ut et scribendi excedant modum et numeri æstimationem. Nostra quoque memoria, cum adhuc celebris populorum concursus, mira fide, plena devotione, ad festivitatem Sancti conveniret; frequenter vidimus, ut diversis impediti infirmitatum necessitatibus, seu dæmonibus obsessi, templum gemitibus, clamoribus, manuum contusionibus implerent: adeo ut Fratres, psalmodiis seu lectionibus divinis vacantes tumultus eorum impediret, vulneraret compassio, dolor afficeret. Hæc autem præcipue in Præcursoris Domini solennitate, quæ proxime festivitatem Sancti præcedit, fiebant: cujus precibus gloriosus B. Adalbertus suas adjungens, apud benignum Jesum obtinuit, ut plurimi eorum sopitis incommodis, qui tristes advenerant, sani et consolati redirent. F

sanantur varii ægri et energumeni.

ANNOTATA G. H. ET D. P.

a Florentius Crassus, *Comes* VIII *dicitur omissis avia Gertrude, hujusque* 2 *maritis Roberto Frisio Flandriæ Comite, et Golfredo invasore, ab aliis, qui et hos connumerant, undecimus censetur: et Theoderico V patri suo, anno* **1091** *defuncto successit, mortuus anno* **1122**.

b *Palus hæc, ea esse videtur, cui vulgo* Schermeer *nomen datum: bona sui parte nunc evendicata ab aquis.*

c *Hodie* Castricum *una leuca versus Meridiem distans a claustro, duplo quam hoc longius distans a mari, quod utrique ad Occasum est.*

d *In Chronico Egmundano*, Stephanus Abbas quintus *dicitur vita functus anno* **1083**; *ergo ante Florentii regimen; hinc mallem ejus obitum assignare anno* **1093**.

e *Id est,* tecto *inquit in margine Mabilio, attracto scilicet cappucio, quod solicitorum et indignantium est.*

f Adalardus sextus Abbas *statuitur in Chronico Egmundano*

A *Egmundano post Stephanum usque ad annum* 1124, *quod satis convenit cum hic relatis.*

g Nunc exhaustis per molas aquis aut in canales deductis, pulcherrimus ager; uti et aliæ in vicinia paludes exiccatæ, vetera retinent nomina: et Meeren *id est* Maria *vocantur,* Egmundermeer, Berger-meer, Heyloch-meer *etc.*

CAPUT II.

Templum vetus destructum, novum constructum et dedicatum. Miracula patrata.

a Intruso Asselino Abbate,

Petronilla *a* relicta uxor Florentii Crassi Comitis, tres habens filios pusillos, Theodericum, Florentium, Simonem, Comitatum strenue regebat. Sed quia muliebris sexus facilis est ad circumveniendum, circumventa est a quibusdam potentibus familiaribus suis, ut capellanum suum, nomine Asselinum, a Fratribus Egmundensibus in monachum suscipi impetraret: ut illo statim Abbate constituto, ipsa de substantia ecclesiæ suo commodo et voluntati liberius consuleret. Effectum igitur habuit suggestio perversorum: et homo simplicis naturæ, B ignarus penitus monachici Ordinis, nomine tantum *b* Abbas est constitutus. Ceterum res ecclesiæ in potestatem devenerant manus alienæ: et erat videre miseriam, filiis penuriam patientibus, extraneis de nostra oppressione gloriantibus. Præterea, respectu magis avaritiæ quam timoris Domini, suggesserunt Comitissæ, ut destrueretur vetus templum, quasi indecens et nimis angustum. Factum est: et tres constituti sunt laici Prælati ecclesiæ, lupi magis quam pastores, scilicet Folpertus Albus, Eylgerus et Stephanus: qui occasionem nacti clandestinæ prædationis, sub specie consulendi, prædam de nostro peculio exercebant: domumque Dei paulatim exhaurientes, hominesque ecclesiæ suæ ditioni subjicientes, domos suas pecuniis impleverunt. Filii eorum et filiæ, cognati et affines, per dotem nostræ possessionis nubebant et nubebantur: et sic paulo post res magnæ ad magnam exiguitatem devenerunt. Et quia quæ non conveniebant fecerunt, convenienti malitiæ eorum pœna mulctati sunt, pro ecclesia sua illo dimicante, qui ait: Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei. Omnes, siquidem inopinata morte in dimidio dierum suorum in uno anno, non in domibus vel in villis suis, mortui sunt, et posteris C terroris exemplum reliquerunt, quia qui destruit templum Dei, dissipavit illum Deus. Non enim erat semen electum Domini, quod manus Domini ab initio præparavit, ad destruendum, ad ædificandum, et plantandum in nomine Domini; ut per hoc non solum templi et claustri et omnium officinarum ejus ruina innovaretur; sed magis morum, ordinis, religionis et Fratrum miserabilis et magnus defectus, favente Domino et S. Adalberto consurgeret et melioraretur.

prætextu novi templi struendi

dissipantur bona monasterii sed non impune.

Zach. 2. 8.

Cuncta restaurat Abbas Walterus,

12 Cum animarum de vitiis ad virtutes conversio multo propensioris miraculi, quam cæcorum illuminatio sit; non ab re videtur miraculis sancti Confessoris inserere, qualiter post obitum Florentii Crassi Comitis, cujus supra meminimus, locus Egmundensis omni fere humano auxilio destitutus, consilio filiorum seculi, qui filiis lucis prudentiores in generatione sua sunt, fere pessumdatus, fere ad extremam miseriam humiliatus; in pristinum statum, imo multo meliorem, meritis ejusdem Patroni nostri, Domini gratia sit restitutus. Cum ergo placuisset gratiæ divinæ visitare locum Egmundensem, inspiravit Episcopo *c* Andreæ et Comitissæ Hollandiæ Petronillæ, mittere legatos cum litteris ad Abbatem Gandensem *d* Arnoldum pro monacho, qui idoneus esset animas regere, exteriora disponere, D et lapsa promovere. Qui consilio cum suis habito, Præpositum curtis eorum, quæ dicitur *e* Lens, Walterum, quem frequenter probum et utilem probaverat, misit: quem Episcopus Andreas in Vigilia Nativitatis S. Mariæ Abbatem *f* ordinavit. Qui veniens Egmundam, et defectum in omnibus reperiens, quid ageret, quo se verteret, nisi ad Deum et S. Adalberti patrocinium, ignoravit. Sed processu temporis Dei gratia, in qua multum sperabat, prosperum in omnibus successum habuit, et omnia bene et ordinate, tam exteriora quam interiora, componi cœperunt. Cujus studium quale fuerit, præter cetera, teste est templum, et omnes ejus officinæ.

A. VON. MEDIOL. EX MS.

destruendo muro veteri intentus faber,

13 Cum veteris templi destructio fieret, novique jam ædificatio immineret; futurorum præscius omnipotens Dominus, utrumque negotium suæ voluntatis esse, miraculis attestantibus ostendit: de quibus pauca pro tempore dicemus. Malum quamdam magnitudinis non parvæ, ferro rostratam, manus artificum aptaverat, ut lignis hinc inde infixis, a multis impelli ad muri destructionem vice arietis potuisset: cujus extremam partem unus artificum dirigebat, ut malo per directum procedente, nullus impulsus in incertum, nullus in vanum iret. Inter E agendum igitur accidit, ut præponderans pars rostrata, partem alteram in sublime sustolleret, et artificem rectorem suum, mento comprehensum, in ariete suspensum detineret. Sed ne quid periculi vel gravioris incommodi (quod facile in tali eventu fuerat) sustineret; in adjutorium ejus, potentiæ et misericordiæ Pater, per merita sancti Confessoris Adalberti, festine intendit: et arborem, quam multa manus hominum frangere non potuisset, potenti brachio suo confringens, leniter hominem et sine ulla læsione deposuit. Cujus miraculi stupenda novitas omnes in admirationem et laudem Domini convertit, omnes ad glorificationem et servitium Sancti devotiores effecit. Item dum Frater quidam monachus, Gerardus nomine, in dejectione ejusdem veteris ædificii laboraret; lignum quoddam non modicæ quantitatis incaute dejecit, quod capiti cujusdam rustici inferius stantis illisum est. Sed cum et loci altitudo, et impetus mittentis, et ligni vastitas, fracturam penitus cerebri illius minarentur; in summa tantum cute sanguis exivit. Ceterum homo sanus et incolumis apparens, præsentiæ Domini et laudis ejus, qua in Sanctis suis est mirabilis, fomes et F materia modica non fuit.

periculum mortis miraculose evadit.

Item rusticus,

sua interim Officia in male tecta ædicula facientibus Monachis,

14 Cum veteri templo destructo, novi structura magis magisque indies, venerabili Waltero Abbate, de quo præfati sumus, annitente, et gratia Domini conatum ejus adjuvante, ascenderet; per merita beati Patris Adalberti stupendum contigit miraculum: quo et præsentia divini favoris magis attendi, et fidelium devotio ad dilectionem Sancti et imitationem copiosius posset animari. Tugurium quoddam ante structuram novæ ædificationis stabat, quo Fratres ad persolvenda divini Officii munia diu noctuque conveniebant: in quo et altare ad celebranda mysteria aptatum, et scrinium beati Patris nostri, prout tempus et rei necessitas condocebat, convenienter secus altare locatum fuerat; tabulam quamdam depictam habens super se, quæ illud obumbrans a pulvere vel qualibet injuria posset defendere. Dum ergo pro more in eadem domuncula Fratres nocturnis insisterent Vigiliis, et cœli magna serenitas fuisset; derepente Dominus miraculum ostensurus, eamdem aeris tranquillitatem in tempestatum horrorem convertit; et tantus imbrium descendit impetus, ut in stuporem omnes et metum converteret. Erat autem eo tempore tectum ipsius tugurii detectum, et ad modum ulnæ unius cœlo patens eodem loco,

non penetrant eam inundantes pluviæ,

A. MON. MLIIOL. EX MS.

loco, quo tabula suberat et scrinium beati Confessoris Adalberti. Sed eum tanta inundatio facta fuisset, ut, inter muros novos aqua decurrente, vix possent Fratres discalcati de domuncula ad claustrum redire: mirum dictu, super tabulam qua scrinium Sancti tegebatur, nec gutta quidem ejusdem inundationis decidisse reperta est: quæ si naturali cursu usa, nec divinitus compescita fuisset; non modo tabulam, sed et totum domunculæ pavimentum invasisset. Fratres ergo stupentes miraculo, grates Patri luminum, a quo omne donum perfectum descendit, persolverunt; gaudentes se talem habere Patronum in terris, quem sic contestantur miraculorum insignia placuisse Patri qui est in cœlis.

famulus ex alto citra noxam cadit,

15 Eadem tempestate cum (ut prædiximus) favor cœlestis corda et manus omnium in domo laborantium, exerceret; totius malitiæ commentor et invidiæ caput diabolus, gratiæ Domini favorem, glorificationem Sancti, sui ejectionem ægerrime ferens; artibus quibus poterat manus eorum exarmare, impedire fervorem, alacritatem in contrarium commutare satagebat. Famulus ergo quidam, Isbrandus nomine, cui ministerium hujus officii deputatum fuerat, ut cæmentariorum voluntati ad quæ opus habebant deserviret; cum arbores et ligna, quibus ad structuram descendebatur, esset connexurus; incaute agens, cum arbore cecidit de tam eminenti loco, ut haud dubium confractus et mortuus æstimaretur. Is autem, vertiginem tantum momentaneam passus, incolumis surrexit: tantoque ad serviendum devotior, quanto majori gratia conservatus fuerat, ad negotium quod inchoaverat ministerii sui rediit; voce actuque Dominum glorificans, et Sancti meritum effecti miraculi clamore contestans.

item fabri plures.

16 Cum unus ex quatuor arcubus, qui chorum ambiunt, concludendus esset; tota machina lignorum, quibus ad structuram ascendebatur quibusque consliterant operariorum pedes, ex improviso cum ingenti fragore corruit. Sed velox auxilium Domini, qui qua vult occasione suos conservat, per patrocinium sancti Patris nostri Adalberti, omnes incolumes, ipsis quibus acciderat, cunctisque qui viderunt vel audierunt admirantibus, conservavit. Sed quia identitas satietatis mater est, et prolixa relatio similium fastidium generat; lectoris tædio consulentes, de hujusmodi casibus, vel extremis periculis et liberatione illorum, qui hac inciderint, scribere prætermittimus, quæ mirabili et copioso effectu per Sanctum suum, sive in destructione veteris templi, sive in reparatione novi operatus est Dominus.

Dum anno 1143, 7 Octobris, dedicatur Ecclesia,

17 Anno Domini MCXLIII, Nonis Octobris dedicatum est templum in Egmunda a Domino *g* Hartberto Trajectensi Episcopo, præsente *h* Theoderico nono Comite et uxore ejus *i* Sophia, et congregato populo infinitæ multitudinis, tanta præparatione necessariorum a Domino Waltero Abbate provisa [fuit], ut qui præsentes fuerunt, numquam tali Dedicationi se adfuisse hodieque testentur. Auræ etiam derepente superveniens jucunda serenitas, festivitati arrisit; cum per sex hebdomadas ante pluvialis aura fuerit. Hujus eventus, imo miraculi dominus Hartbertus Episcopus, in sermone quem locutus est ad populum, mentionem fecit: et dicebat se mirari, quod tantæ et tot Reliquiæ maximorum Sanctorum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, et Virginum continerentur in extremo margine mundi. Cum autem Sanctorum Reliquiæ reconderentur a Domino Episcopo altaribus, Frithericus pius et religiosus monachus, in quærendis, videndis, tractandis, dividendis et exportandis Reliquiis studiosissimus omnium fuit: quem Dominus e vestigio completa dedicatione castigans castigavit, et tam in corpore quam in sensu cito utrumque sanaturus flagellavit. Ascendente enim ad cerebrum infirmitatis humore, a semetipso in tantum alienatus est, ut nec verba ejus, nec gestus convenirent consuetudini et personæ ipsius. Post aliquot dies, cum Frater ille infirmitatis immensitate, et Congregatio tota orando et vigilando, super eo laboraret; signatus est Cruce, quam Egbertus Trevirensis Archiepiscopus Egmundensi contulit Ecclesiæ: cujus virtutis effectum sæpenumero experti sunt et narrare solent Fratres ejusdem ecclesiæ, et laici quamplures ad eam pertinentes. Hac igitur Cruce signato confestim Dominus reddidit lætitiam Salutaris sui, et sensu integro devotis eum incliniis salutavit: nec multo post ab ægritudine mentis et corporis convaluit. Creditum est autem a multis, hanc eum plagam ex hoc incurrisse, quod tam audacter et minus caute Sanctorum Reliquias tractaverit: ut discat homo, et putredo et vermis, talibus se non præcipitanter ingerere, sed cum tremore et summa reverentia tractare divina.

Monachus licentius Reliquias tractans, amentiam punitur, sed Cruce allata sanatur.

ANNOTATA G. H. et D. P.

a Petronilla, *filia Ducis Saxoniæ, facta vidua anno* 1122, *mortua an.* 1144.

b Asselinus, *constitutus Abbas anno* 1124, *depositus anno* 1129, *mortuus anno* 1134.

c Andreas de Kuyck, 25 *Episcopus Ultrajectinæ Ecclesiæ, præfuit ab anno* 1128 *ad* 1138.

d Arnoldus 23 *Abbas Blandiniensis, ab anno* 1117 *ad an.* 1132, *reformarat suum monasterium; qui sub initium anni* 1127 *a B. Carolo Bono Comite Flandriæ legatus fuerat, cum Castellano Gandensi, Aquisgranum ad Lotharium Imperatorem.*

e Lens, *oppidum Artesiæ, Flandris conterminæ inter Armenterias et Atrebatum, pari fere utrimque spatio.*

f *Anno* 1129, *ordinatus* Walterius, *mortuus* 28 *Novembris anni* 1161.

g Hartbertus *seu* Hertbertus *fuit Ultrajectinus Episcopus ab anno* 1138 *ad annum* 1150, *quo obiit* 10 *Novembris.*

h Theodericus VI *cum matre Petronilla, post obitum patris Florentii Crassi anno* 1122 *mortuus, præfuit ac dein vixit usque ad annum* 1157 *Superest adhuc, supra veteris ad templum portæ reliquias, lapis rubeus, in eoque effigies S. Petri, cui uterque adgeniculatur sub hoc lemmate:*

Hic Dideric orat, opus hoc Petronilla decorat.

Deinde sic legitur:

Janitor o cœli, tibi pronum mente fideli
Intromitte gregem, Superum præstans sibi Regem.

i Sophia, *piissima Comitissa, a morte mariti Hierosolymam peregrinata, ibidem anno* 1176 *mortua est.*

CAPUT III.

Miracula a postea adjuncta.

Circa annum 1250 juvenis a noverca veneno potatus, b

Sanctissimi Adalberti Patroni nostri virtutum gratia, olim variis miraculorum prodigiis enodata, nostris etiam temporibus non modica, verum mirabilis et magna ostenditur, quod in laudem Dei tota simul patria propalatur. Temporibus namque *b* Wilhelmi Regis Romanorum necnon Comitis Hollandiæ, mulier quædam, una de novercarum numero, privignum suum, mariti videlicet filium, tam insatiabili odio prosequitur, ut ejus per ipsam interitus, tam rebus quam consiliis postuletur. Dicto interea juvene comedente, et novercæ machinationes ignorante, sitienti potus tribuitur, cum quo etiam venenorum commixtio deglutitur. Quibus susceptis idem juvenis secundum majora tempora magis intumuit,

A tumuit, prægnans apparuit, nec aliquod remedium vel per artem vel per *c* physicam adinvenit. Postquam itaque dictus juvenis miserabili corpore ad senectutis ætatem pervenisset, et ejus mors quotidie plus quam vita amicis etiam propriis placuisset; quidam forte divinitus inspirati, illi student consulere, ut votum peregrinationis ad S. Adalberti Ecclesiæ limina velit promittere, et ibi Christi gratiam implorare.

c indeque tumefactus totus,

19 Is itaque horum instantia Egmundam veniens; et tam cum monachis, quam cum illis quos adduxerat amicis, ante Reliquias S. Adalberti orationi procumbens; erectus sitire dicitur, a quo etiam lympha plus quam aliquis liquor postulatur : unde divinæ pietatis intuitu ad minorem S. Adalberti basilicam ducitur, quo sibi de fonte vel puteo liquor amabilis præsentatur : quo hausto secundo vel tertio, dictus tumor incipit quodammodo deficere, et quemdam partui exitum vomitu præparare. Quod cum adstantibus cernitur, haustus haustui sociatur. Nec mora : vir iste mortuo similis incipit vomere, et de ore suo bufones plurimos præsentare. Post cujus actum potus additur : quo suscepto turba vilior procreatur. Cum autem similiter et tertio B ageret, et omnem quasi maledictionis progeniem maximo dolore emitteret, tot videlicet bufones, quot magna pelvi non poterant recipi, et vix ab aliquo numerari; ipse dolore quasi deficere cernitur, et mortis faciem ostentare. Post quos horum prima parens, mater videlicet omnium, quia integra exire non poterat, Dei misericordia in quatuor partes dividitur, quarum vicissim singulæ vomitu præsentantur. Quo facto magis horrendum horum, scilicet cubile vel tabernaculum sequitur : quo emisso sæpedictus famulus, Gerardus Ever habens agnomen, post præsentis passionis recuperationem sanus efficitur : tantum etiam postea vivens, donec plenam habens ætatem, naturalis quasi ictu funeris declinatur. Verum sæpedicti Christi misericordia et beatissimi Adalberti gratia curati, filios novimus et nepotes.

cum jam senex Egmundam venisset,

ejectis multis bufonibus

sanatur.

20 Ne autem B. Adalbertus solum per præterita, et non in præsenti credatur per Deum facere miracula; notandum est quod tempore *d* Wilhelmi Comitis Hollandiæ decimi octavi, quidam Clericus, oppidi de Harlem *e* Notarius, variis infirmitatum languoribus subjicitur : inter quos præcipue cruris solatium ejusque officium denegatur. Cum autem præfatus multo tempore sic deficeret, nec aliquis amicorum ejus recuperatione vel remedio spem haC beret; uxor, raro modo præ ceteris sibi fidelissima, cœpit quamplurimum hujus languoris tædio affici, et supra modum ut decuit contristari. Quæ videns humanum consilium merito deficere, statuit corde puro divinum necnon Sanctorum auxilium implorare : quorum numero sanctissimus Christi Confessor Adalbertus præ ceteris affectuosus tangitur, cui etiam peregrinationis devotio et oblationum munera pro dicti remedio promittuntur. Hac itaque in tali proposito persistente, et Sanctissimi limina visitare disponente, sæpedictus *f* Clericus, dictæ videlicet maritus cœpit reviviscere, et sanitati pristinæ congaudere. Quo viso, facta sibi socia, lino et calceis denudata, S. Adalberto studet applaudere, ejusque cœnobium visitare. In qua veraciter dignum relatione perpenditur, quod cum sæpedicta mulier talis esset Corporis hujusque complexionis, ut ad matricem ecclesiam, vix quarta parte stadii ab ejus D mansione distantem, absque magnis suspiriis variisque sufflationibus, hactenus non procederet, sed quasi hydropica crocitaret *g*; ipsa tamen, ut verissime retulit, hac via, trium utique leucarum, non læditur : sed hæc per eam peregrinatio, quasi transitu levissimo, Christi gloria ejusque Sancti gratia adimpletur.

d

e Cruris usu destitutus invocato per uxorem Sancto

f sanatur, et cum ea Egmundam venit ex voto

A. Con. Mediol. et MS.

g

21 Anno MCCCXXXII, dum apud Egmundam quædam mulier in die translationis B. Adalberti ibidem Patroni, quæ *h* est XVII Kalendas Julii, more consueto caseum faciens, manuumque comprehensionibus coagulum glutinans, liquorem effundere nititur, XIV seri color modicus, verum sanguinis dimidium sextarii reperitur. In quo strages multorum prænosticari poterunt : nos autem petimus Deum cum Patrono nostro eisdem miraculis venerari. Quædam de Limmen *i* vidua, oculorum beneficio privata, ad S. Adalberti capsam ducitur, ubi remissis ductoribus, sola flens et ejulans, incurvatur. Cujus clamor a monachis percipitur : quorum ab uno quæritur, et cur plangeret sciscitatur. Quæ confusis lacrymosisque suspiriis respondere studuit, et breviter perhibere : Domine mi, ego cæca et miserrima hunc locum petii, sperans Sanctorum munere et hujus E Patroni præcipue sublevari : nec horum loca deseram, nisi visu recepto spretis ductoribus domum quæram. Monacho itaque recedente, viduaque in suis precibus perdurante; mirum valde cernitur, in quo consueta S. Adalberti pietas commendatur. Quoniam mulier, quæ multis annis visu privata extitit, fatum quoque locum tristis alieno ducatu petiit; læta et gaudens ad propria, propriis videlicet ducta luminibus, remeavit. Cujus miraculo pium omnes benedicimus Dominum, ejusque piissimum Confessorem. Verum si Patroni nostri similia, prout contingunt quotidie, scripto tradamus; non solum fauces legentium, sed et aures docentium * prolixitate nimia confundemus.

Festum violanti in sanguinem vertitur serum casei, h

i cæca illuminatur.

** an discentium.*

ANNOTATA G. H. et D. P.

a *Hic fabula miscebatur de prosapia S. Adalberti, quasi annis 37 fuisset Rex Anglorum, eique successisset S. Edmundus frater a Normannis occisus. Quæ legi potest apud Mabilionem, qui et ipse monet fabulam esse.*

b *Wilhelmus II Comes in Regem Romanorum electus anno* 1248, *mortuus anno* 1255.

c Physica *videtur hic pro incantatione accipi, qua quidam promittunt morbos curare : unde et* Physiculator *dicitur; alias idem est quod* Ars medendi. F

d *Hic est* Wilhelmus III, *Comes aliis* 22, *præfuit ab anno* 1305 *ad an.* 1337.

e *Distat Harlemum Egmunda leucis* 4.

f *Familiare Belgis est,* Clericos *dicere, quoscumque scribas publicos, etsi alias sacrorum Ordinum etiam minorum expertes; ex eo forsitan, quod soli olim Clerici futuri ad litteras discendas applicabantur.*

g Crocitare, *an crociis sub axillaribus ad gradiendum niti? an vero præ lassitudine suspirare, teutonice* croggen?

h *Est ea Translatio inscripta MS. Florario et alteri MS. ad dictum 15 Junii.*

i Limmen *ab Egmunda in Meridiem una circiter leuca distat.*

DE SANCTO SIMONE

ANACHORETA APUD GRÆCOS

Notitia ex Synaxario Constantinopolitano MS.

Videtur sepulcrum habuisse pro cella,

Quod sæpe laudavimus MS. Synaxarium Constantinopolitanum, Parisiis asservatum in Collegio nostro; cui (si recte memini) etiam consonat aliud Collegii nostri Divionensis, hujus Sancti notitiam nobis obtulit sub hac formula.

Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ, ὁ ἅγιος Σίμων ἐν εἰρήνῃ τελειοῦται.

Eadem die S. Simon in pace requievit.

Additur porro Distichon unde intelligi videtur ipsum in sepulcro habitavisse, quemadmodum S. Jacobus Pœnitens, *de quo actum* XXVIII *Januarii.*

Σορὸς Σίμωνι σαρκός ἐστὶν ἑστία,
Πολοὶ δὲ τούτῳ πνεύματος κοτοικία
Tumulus Simoni carnis hospitium breve,
Ejus sed animæ stabilis est cœlum domus.

B *sicuti olim S. Jacobus Pœnitens:* *Vixit* Jacobus *in Palæstina seculo Christi* VI. Simonem *nihil est quod suadeat seculo* IX *esse seniorem aut longe a Constantinopoli vixisse: quare eum hic locamus, addimusque titulum* Anachoretæ, *istiusmodi vitæ proposito congruum.*

2 *Librum* V *de Vitis et Apophtegmatis Patrum apud Rosweydum Auctore incerto, de Græco Latinum fecit Pelagius S. R. E. Diaconus, quem ille cum Geordio Garneveltio censet postea Romanum Pontificem factum, adeoque ante annum* DLVI *functum Legationibus Apostolicis in Oriente, unde librum istum creditur attulisse. In hoc laudatur Orientalis aliquis, ipsoque Jacobo verosimiliter Senior* Simon; *alius certe ab hoc nostro, siquidem hic vere habitovit in sepulcro; de quo ibidem hæc referuntur.* Venit aliquando Judex Provinciæ videre Abbatem Simonem: et ille tulit lorum quo cingebatur, et ascendit in arborem palmæ ut purgaret eam. Illi autem venientes dixerunt ei, Ubi est Senex qui hac in solitudine habitat? Et ille respondit: Non est hic solitarius aliquis. *(Quia nempe jam ibi etiam Judex erat cum suo comitatu)* et cum hoc dixisset, discessit Judex. *Idem Græco latine legitur, sicut etiam id quod sequitur apud Cottelerium in Apophtegmatis Patrum, tomo* I *Monumentorum Ecclesiæ Orientalis pag.* 685.

nisi forte est ille honoris humani contemptor,

3 Alias item venit alter Judex; et præcedentes Clerici dixerunt ei, Abba, paratus esto; quia Judex, audiens de te, venit ut benedicatur a te. Et ille dixit: Etiam ego præparabo me. Et cooperiens se sacco suo, et tollens in manu sua panem et caseum, sedit in ingressu cellulæ suæ, et cœpit manducare. Venit ergo Judex cum officio suo, et videntes eum spreverunt, dicentes: Hic est Monachus solitarius, de quo talia audiebamus? Et statim discesserunt, et reversi sunt ad se. *Ecce* cellulam *habitabat hic* Simon, *non* sepulcrum: *referre tamen ista hic placuit, si forte aliter cuipiam videatur. Fieri enim potest ut in supraposito Disticho caro* Simonis. *non vita, sed mortua dicatur in sepulcro commorata, sicuti anima in cœlo: neque novum est ex antiquioribus Patribus aliquos sic inscriptos recentioribus Synaxariis fuisse: quo casu posset iste* Simon *ad* V *seculum referri, ipsoque etiam Jacobo senior censeri, et in eadem Palæstina vixisse.*

cujus laus in lib. 5 de Vitis Patrum. E

DE SS PRINCIPIBUS RUTHENIS

PETRO ET FEBRONIA

IN MONASTERIO NOMINATIS

DAVIDE ET EUPHROSYNA

C F. V. F

Notitia ex Synaxariis Ruthenicis.

Memoria ex variis, anno 1688 latine redditis,

Volodemiria *inter præcipuas imperii Russici Provincias, ad Aquilonem Moscuæ adjacens, qua Orientem respicit, clauditur* Occa *flumine. In hujus ripa occidentali situm est oppidum haud ignobile,* Murom *accolis dictum: quod Sanctos hosce Principes ac Conjuges* Petrum *et* Februniam *luci dedit. Horum memoriam continet Menologium Slavo-Russicum, verbotenus Slavonica lingua in Latinam versum a Prænobili ac generoso Domino Joanne Gabriele, Barone de Sparwenfeld anno* MDCLXXXVIII, *collatum cum variis codicibus tam MSS. quam vario tempore editis; præcipue vero cum codice Moscuæ impresso sub Magno Duce Theodoro Alexeide, et sub Patriarcha Joachimo adhuc vivente anno mundi ex supputatione Russica* 7187, *Christi* MDCLXXIX, *Indictione* II *mense Augusto.*

x impresso anni 1679

et Synaxario Kioviensi,

2 *Eorumdem quoque Sanctorum nomina inscripta sunt Synaxario Ruthenorum peculiari Diœcesis Kioviensis, quod præter Sanctos a Græcis acceptos continet etiam Pieczarienses (Basilianos scilicet Monachos) et Proprios Ruthenorum. Hoc Synaxarium quod Moscis etiam usitatum est, missum et in linguam Latinam translatum accepimus a R. P. Georgio David, Societatis nostræ Missionario anno* MDCLXXXVIII *Moscuæ residente. Nunc vero cum Papebrochius in sua ad Ephemeridas Græco-Moscas præfatione, evidenter demonstraverit Moscos satis sero in schisma prolapsos esse, nec ullos suis Sanctorum Fastis adscripsisse, præterquam qui in orthodoxia mortui plurimis dein claruerint miraculis; securum existimamus* Sanctorum *titulum ipsis concedere, atque in hoc opere locum dare.*

3 *Inquisitum itaque est per R. P. Casimirum Bielski, Collegii nostri Polocensis in Lithuania Rectorem; num quæ SS. Principum extaret Vita. At postquam omnem adhibuit operam, datis* 27 *Julii anno* 1694 *litteris, incusans Græco-Ruthenorum circa hujusmodi Sanctorum monumenta negligentiam, significavit nihil invenisse se præter Elogium aliquod commune, absque ullo temporum charactere; neque ex Monachis Schismaticis (ex quorum Menologiis hoc acceperat)*

A *ceperat) annum ortus, obitus, imo seculum quo vixerunt discere potuisse; translulisse vero se Elogium hoc ex antiquo Slavonico vel Ruthenico in linguam Latinam adhibito interprete ex nostris, qui hoc idioma optime callebat; atque ubi sensus patiebatur verba verbis reddidisse, subinde vero rem brevi periphrasi exprimere debuisse, quando alias ad litteram exponendo, aliquid non intelligibile protulisset. Cum igitur nihil aliud suppetat, juvat elogium hoc ipsis verbis, prout ab illo translatum est, lectorum oculis subjicere cum ipso titulo.*

Elogium ex Menologio Russico. Mense Junio 25. Memoria sanctorum Orthodoxorum. Sancti Principis Petri, et Sanctæ Principissæ Febroniæ, dictorum in statu religioso, Davidis et Euphrosynæ, Muromensium novorum Thaumaturgorum.

4 Iste Beatus Princeps Petrus natus est ex fidelibus progenitoribus, et educatus in recta disciplina et continentia, in civitate Murom, et probe munus suum gessit. Post aliquod tempus iniit conjugium sanctus Petrus cum Beata sua Principissa Febronia, et hæc etiam fidelibus majoribus progenita est, et bene erudita est in fide: et sic ambo sancti et fideB les erant, et amantes continentiæ et castitatis, et erant misericordes, et justi, et humiles, et liberales, et manu sua egenis ministrantes, et religiosum ac sacerdotalem statum diligentes, et eleemosynas illis impertientes: similiter pauperes vehementer dili- D gentes, et jejunii ac abstinentiæ tenaces. Et iterum post multum temporis ambulantes in omnibus coram Christo per sua opera bona, desiderabant secundum Deum imitari humiles in terra, et pacem justorum induere. Et post hæc Beatus Princeps Petrus in extrema senectute in ægritudinem corporalem incidit, et suscepit tonsuram monachalem, et in statu religioso vocatum est nomen ejus David. Et demum producta aliquantum ægritudine translatus est ad Deum, bona confessione ad regnum cœleste.

AUCTORE F. V.

5 Similiter sancta Principissa Febronia cum magno desiderio velamen monasticum accepit, et in statu religioso vocata est Euphrosyna. Eademque ratione, et ipsa bona confessione, et pura conscientia obiit, et tradidit in manus Dei animam suam. Et ambo imitati sunt humiles in terra, sicut et a teneris annis idem fecerunt. Eorum obitum flevit nobilitas et Magnates, beatos tamquam parentes amissos deplorantes; incolæ civitatis, uti defensores et tutores; pauperes vero et viduæ et famelici, tamquam potus et cibi largitores. Et sic Sanctos tota civitas duxit honorifice ad sepulturam, et posuerunt venerabiles eorum Reliquias in eadem civi- E tate Murom, in Ecclesia, in eodem sepulcro. Faciuntque varia miraculosa beneficia per sanctas suas Reliquias, venientibus ad eas cum fide, usque in hanc diem ad gloriam Dei.

DE S. GUILIELMO ABBATE

FUNDATORE EREMITARUM MONTIS VIRGINIS

SUB REGULA S. P. BENEDICTI

GULETI APUD NUSCUM IN APULIA.

D. P.

NOT. 8

COMMENTARIUS PRÆVIUS

De scriptoribus vitæ, cultu Sancti, et Ordinis loco primario.

ANNO MCXLII.

Eremiticum Benedictinæ observantiæ institutum egregie refloruit seculo XII, *in regni Neapolitani atque Siciliæ provinciis, per duos novos Ordines,* Pulsanensem *atque* Montis-Virginis; C *quorum Institutores ambo hunc mensem Junium suo obitu consecraverunt. Pulsanensem, jam extinctum initiavit* S. Joannes de Matera, *cujus Vitam illustravimus die* XX; *alterum, adhuc vigentem, licet per bella variasque rerum vicissitudines pluribus monasteriis sexus utriusque imminutum, exorsus est* Gulielmus *prætitulatus, monasterio condito in* Monte, Virgilii *primum, deinde* Virginis *dicto; ex quo deinde ad alia aliaque est progressus, constitutis istic unde recedebat pro se Abbatibus; licet ipsummet in publicis instrumentis non inveniam sic appellatum, sed modo* Eremitam, *modo* Prælatum Montis Virginis; *alibi denique* Custodem et Rectorem dictæ ecclesiæ, *etiam tum cum mons iste proprium suum Abbatem habebat Albertum, primum Sancti discipulum; ut nomen* Prælati, Custodis, Rectoris, *videatur hic amplioris esse auctoritatis, idemque valere qaod hodiernus usus Abbatem Generalem nuncupat: sequor interim recentiores,* Abbatem *passim nominantes, et addo in hodierno Martyrologio Romano cum ultimo loco, auctoritate Gregorii XIII, sic adscriptum legi;* Guleti prope Nuscum S. Guilielmi Confessoris, Patris Eremitarum Montis-Virginis.

Condito monasterio sub annum 1118,

ipsum et alia deinde Prælatus rexit.

2 Beati *ac* Sancti *titulum a tempore immemorabili, si non etiam statim ab obitu, ei tribui cæptum, cultumque in Ordine, probat Officium totum proprium, antiquitus usurpatum; quod, una cum Vita antiqua, anno* MDCXLIII *edidit* Joannes Jacobus Jordanus, præfatæ Congregationis Abbas Generalis, semel iterumque *(ut præfatur)* lectus: *qui cum priori Præfectura collapsum vetustate templum Virginei-montis restitui curasset;* altera, Divorum Vitas, vetustate obliteratas, proferre *voluit; pollicitus,* arrham *hanc fore* Chronicorum Montis-Virginis, quæ vulgari sermone quamprimum typis mandaturus *erat;* in quibus de antiquissimis et præclaris gestis in præfato monte, plenissime certiorem faceret Lectorem. *Neque diu distulit: sed primum illorum tomum emisit in lucem sexto post anno, divisum in duos libros. Horum prior totus insumitur describendis ipsius Montis profanis sacrisque antiquitatibus; secundus, Vitæ ac generalatui* S. Guilielmi *impensus, cum ejus obitu et anno* MCXLII *desinit: adeo ut si jam editus non est, adhuc sperari debeat tomus alter, qui reliquos Ordinis Abbates Generales, eorumque actus (prout titulus promittit) Chronologice deductos complectatur: hujus interim tomi defectum utcumque supplebit nobis mox laudandi Felicis de Renda opusculum.*

Statim a morte cultus ut Sanctus, F

de quo liber 2 Chronicorum Ordinis.

3 *Vitam, quam ex primo opusculo damus,* Joannes *scripsit, quem patria Nuscanum, et a sancto viro Guleti susceptum ad Ordinem sub annum* MCXXXII, *una cum Jacobo, sancti viri in S. Salvatoris ibidem monasterio successore, Jordanus asserit, eidemque Jacobo ipsam inscriptam a Joanne: quod etiam ex Prologo liquet,*

Vitam discipulus Joannes a Nusco scripsit,

AUCTORE D. P.

A *quet, ubi is ait :* Dignata est mihi, venerande Jacobe Pater, injungere vestræ sanctitatis religio..... beati Patris nostri Guilielmi, cujus vicem Dei gratia geris, vitam vel obitum scriptis transmittere. *Neque dubitare possumus, an non alius posterior Abbas* Jacobus, *adeoque et* Joannes *scriptor intelligi possit : quia num.* 37, *ea* omnia *quæ narrat,* didicisse *profitetur ex altero sibi cognomine* Joanne de Nusco, *uno ex primis Sancti in Virgineo monte discipulis. Profitetur autem Jordanus quod hæc et aliæ Vitæ, quas editurus erat,* ut barbarum fere seculum ferebat, incultæ *a se proferantur;* vetustate tantum probandæ, quæ in sua simplicitate non parum habet dulcedinis, et multum auctoritatis; *quodque* nihil in illis innovavit, nihil addidit, præter distinctionem, *in Capita scilicet* XXXIII : *quibus ex eodem Longobardico MS. seculi* XIII, *apud Montem Virginis asservato, tria Capita junxit totidem Miraculorum, anno* MCLXXXV *et* MCCLVIII *patratorum. Quæ distinctio cum recens sit, liberum mihi est nullam ejus rationem hic habere, et in pauciora sed longiora octo Capita, Annotatis fere ex Jordano sumendis illustranda, totam Vitam partiri.*

et ex MS. edidit Jordanus Generalis,

4 *Eamdem Vitam proprio stylo contraxit cumque similiter contractis SS. Amati Episcopi Nuscani et* B *Donati Monachi Vitis, necnon cum Privilegiis Ordinis, anno* MDLXXXI *Neapoli edidit* Felix Renda, *Mercurianensis, adeoque ad pedem Montis Virginis natus, et in synonymo Neapoli monasterio* Prior : *quæ editio nobis haud parvo usui erit ad concinnandam de* X *primis Abbatibus Generalibus Appendicem. Prædicti porro Jordani diligentia fecit, ut haud ægre careamus* Historia Montis *prædicti a* Thoma Costo *Neapolitano iterum edita anno* MDXCI, *in qua Rendam ferme Italice reddidit. Istis sic obiter indicatis, redeo ad Officium quod primus prælo dedit Renda, et recudi fecit Jordanus, asserens ipsum in usu fuisse usque ad annum* MDCXIII; *quo Breviarium Monasticum reformavit Paulus V, et ipsi nihilo minus tres amplas Lectiones de* S. Guilielmo *inseruit, quas sæpe allegat idem Jordanus. Nos ipsum Breviarium necdum vidimus, sed neque ex eo quidquam putamus haberi posse, quod in antiquioribus non reperiatur, præter confirmatum ea ratione cultum : quæ confirmatio majoris quidem est auctoritatis, sed potioris antiquitatis illa quam vetus Officium suggerit. Ipsum tamen, quamvis proprium totum, nihil attinet hic recudere, sed satis erit excerpere pauca.*

quem recentiores quidam secuti.

Officium Vetus in usu fuit usque ad annum 1613

5 Ad Magnificat Antiphona *hæc est:* Sancte Gui- C lielme, Confessor Domini, divinæ Majestatis interpella pro nobis clementiam, ut nostrorum peccatorum detersa ærugine, tecum in futuro gloriemur in cœli palatio. ORATIO. Omnipotens sempiterne Deus, cunctorum splendor fidelium, qui electum Beatissimum Guilielmum, Confessorem tuum, tibi mirabiliter inhærere fecisti, ejusque dogmate populi multitudinem fideliter adunasti; concede propitius, ut quæ in re studuit agere, et quod doctrina divinitus contulit, exequi mereamur. *Pro secundis Vesperis :* O divinæ pietatis admiranda potentia, quæ inter beatorum Spirituum agmina, super cœli fastigia Guilielmum suum famulum hodie elevavit; ejusque sancti nominis memoriam propagavit in terris! Hanc totis viribus diligamus, hanc dignis jugiter extollamus præconiis. ORATIO. Largire nobis quæsumus, omnipotens et misericors Deus, B. Guilielmi Confessoris tui digne memoriam venerari; ut tuæ Majestati placere possimus, et ejus semper patrocinio muniamur. *Similiter ad Laudes et Horas omnes et singulas propriæ habentur Antiphonæ, Capitula et Orationes : necnon Responsoria et Antiphonæ, ac singulos Nocturnos: Capitula etiam et Hymni, sed ad leges metricas male tornati. Suavior est* Sequentia ad Missam, *quam ideo placet hic addere, quamque solam in Chronico Jordanus recudi fecit.*

aliquid ex utriusque Vesperis

cum sequentia ad missam

6 In æternæ regno vitæ
Supernorum genus mite D
Laudis cantet modulis.
Chorus noster colat rite
Sancti festum Cœnobitæ,
Guilielmi nobilis.
Qui Lombarda gente natus,
Jam parentibus orbatus,
Est a pueritia.
A malignis revocatus
Spernit mundum et reatus,
Sitiens cœlestia.
Pede nudus, unica
Tantum tectus tunica,
Pro Religione
Visitavit limina
Sanctorum, et crimina
Vicit in agone.
Caritate faber, sospes
Sancti prece, struxit hospes
Binos ferri circulos;
Qui cingant ventrem, et pectus
Sancti; cujus erat lectus
Terra propter æmulos.
Potus aqua, cibus panis E
Hujus erat : de Melphanis
Idiotam docuit.
In soliculo Castello
Cæco patiens misello
Lumina restituit.
In Monte Virgilii
Magni vir consilii
Ecclesiam struxit.
Lupus devorat errantem
Asellum et pascentem,
Inde hujus opus explet.
Urso Sanctus imperat,
Nec ad fontem properat,
Quem prius destruxit.
Sibi Christus in Laceno
Corporali visu pleno,
Quem orabat, patuit.
Ad laudem Regis cunctorum,
Domum Fratum et Sororum
In Guleto statuit.
Suam præsciens qui mortem,
Monialium cohortem
Sacra docens monuit.
Et miracnlis infandis
Factus vir virtutis grandis, F
Cœli regna petiit.
Ergo precemur grandibus
Guilielmum cum precibus
Anachoritam,
Ut suis nobis meritis
Sit rectitudo tramitis
Jam ad vitam.
Guilielme, Pater care,
Pro nobis Deum precare
Prece semper sedula.
Abbatissam et Conventum
Regnum ducat ad potentum,
Salvandos per secula. Amem.

7 *Corpus defuncti anno* MCXLII *sepultum fuit, in eodem ubi obiit* Guleti apud Nuscum *Conventu.* Conditum *autem* fuit *sanctum corpus, ut dicit Vita num.* 57, sub altari marmoreo, in ædicula ad sinistram partem ecclesiæ paulo post ejus mortem, ab Agnete Abbatissa Sanctimonialium erecta : *Unde intelligitur, primo sepultum in communi cœmeterio, more aliorum Religiosorum, etiam Abbatum : sed crebrescentibus ad sepulturam miraculis, motum Episcopum Nuscanum Rogerium, ut cum aliis quibusdam Episcopis vicinis curaret*

Corpus conditum sub altari

A *ret corpus exhumandum, atque ad dictum altare transferendum.* Hujus rei monumentum, *teste Jordano cap. ult.* adhuc extat in ipsa fronte veteris illius altaris, in qua spectatur sculptum corpus defuncti, extensum ac junctis supra pectus in Crucem manibus; ad sinistram vero Episcopalis persona, Pontificaliter induta cum pedo in sinistra, dextra vero in actu benedicentis elevata; circumstantibus pariter Episcopis quatuor, similiter indutis cum suo singulis Pastorali pedo, uno etiam thuribulum ad incensandum tenente. *Illi autem quatuor censeri possunt* Frequentinus, S. Angeli, Maranensis. Abellinus, *vel (si eorum aliqui defuerunt) proximi post illos* Arianensis *aut* Bisacensis. *Archiepiscopus nullus adfuisse videtur, quamvis sub Salernitano B. Falcone omnes illi essent: hic enim vel in ipso lapide satis præ aliis dignoscendum se præbuisset Pallio et Cruce.* Supra idem altare erecta hodiedum cernitur Sancti statua, cum luminoso circum caput diademate. *Omnia hæc petii mihi accurate delineari æri incidenda; neque dubito quin mittenda fuerint æque ac alia ex monte Virginis missa, si apud Nuscum haberi delineator potuisset.*

paucis annis post mortem,

eo delatum a quinque Episcopis.

B 8 Capellam *istam, ad quam delatum corpus sanctum dixi, Jordanus pag.* 418 *docet fuisse nuncupatam* Basilicam, *propter loci vel reverentiam vel majorem capacitatem; de qua capella existimo intelligendum Rendam, qui pag.* 16 *sic scribit*: Corpus autem gloriosissimi S. Guilielmi, cum tot miracula faceret, ad præsens magno veneratur honore, in ædicula sibi ædificata, in monasterio sancti Salvatoris de Guleto, in medio sanctorum Corporum Philippi et Lucæ: *de quibus libenter intelligam quomodo istuc allata fuerint.* Ab hoc autem loco de istorum prædictorum corporibus fuerunt translatæ Reliquiæ ad Virgineum montem, magno cum honore; Humerus S. Philippi Apostoli, Brachium S. Lucæ Evangelistæ, Brachium sanctissimi Guilielmi Fundatoris, in vasis argenteis reconditæ. *Ast Jordanus annis post Rendam* LVI: In præsenti, *inquit*, S. Guilielmi corpus invenitur intra ecclesiam in altari longe pulchriori, uti infra dicemus; *scilicet in tomo altero quem adhuc desideramus, indicaturum nobis prædictæ ultimæ translationis annum et modum.*

in propriam capellam inter corpora SS. Philippi et Lucæ App.

Brachium in Monte Virginis:

9 *An una cum corpore Guleti etiam habeatur Caput, nemo indicat: remque dubiam videtur facere Laurentius Beyerlink in Theatro vitæ humanæ, verbo Reliquiæ lib.* 15 *pag.* 288, *inter eas quibus Domus Professa Societatis nostræ Antuerpiæ locupletatur* 2 *loco ponens*
C Caput S. Guilielmi Confessoris, Patris Eremitarum Montis Virginis, qui obiit anno MCXLII. *Neque hoc ex confusione quapiam; seorsim enim nominat* Caput S. Guilielmi Ducis Aquitaniæ *(ita vulgo ferebatur)* approbatum per Clementem VIII Pontif. Max. an. 1594. *Fateor tamen ingenue nescire me, quo fundamento hoc ei suggestum sit. Posterius illud habemus et veneramur* X *Februarii, uti ad eum diem late deduxit Henschenius: de priori nihil unquam vidi vel audivi, nedum quomodo allatum vel quo ablatum sit.*

an Caput Antuerpiæ.

10 *Concludant hunc prævium commentarium verba, quibus Renda Vitam Sancti claudit:* Hic Monachorum Pater sanctissimus Guilielmus, Religionis virorum et mulierum Institutor, natus est anno MLXXXV, et cum quindecim esset annorum dereliquit suos. Anno ætatis ejus trigesimo octavo incepit monasterium montis Virginis condere *(in quo tamen jam cœperat annis quinque citius habitare)* et Religionem ejusdem instituere. Interiit ætatis suæ anno LVII, *Christi* MCXLII, *uti dici Auctor Vitæ.*

Synopsis vitæ Chronologica.

D

VITA

Auctore Joanne a Nusco Sancti discipulo, *Ex MS. edita a Jordano Ordinis Generali.*

PROLOGUS.

Nostræ parvitatis non toleranda ingenio, et quæ suæ magnitudinis sunt stupenda intuitu, summorum etiam virorum eloquentiam ac subtilitatis acumen facile possent excedere. Dignata est mihi, venerande Jacobe Pater, injungere vestræ Sanctitatis religio, ad multorum scilicet ædificationem beati Patris nostri Guilielmi, cujus vicem Dei gratia geris, vitam vel obitum scriptis transmittere posteris; nec ad Summi Regis honorem et gloriam inerti occultare silentio, quæ pro ipsius vitæ meritis, tam in ejus militiæ tempore, quam post exacti laboris præmium divina misericordia fuerit operata. Quanto etenim, qui in Sanctis suis est mirabilis, pro ejus amore majora fecisse, fideli fuerit narratione compertum (in nostris quippe temporibus, in quibus, secundum Dominicum dictum, seipsos amantium multorum caritas jam refrixit) tanto amplius ad laudem Dei, brutorum etiam animalium linguæ promptius resolventur. Hoc itaque, si ego Joannes, excellenti fretus ingenio, si clara pollens scientia, me posse implere confiderem, et si absque magno difficultatis timore idipsum minime possem attingere, ultroneus tamen et gaudens ad hujus officii curam incunctanter accederem: nunc autem, quoniam, quæ sit nostri facultas ingenii, visu rationis perlustrans, suis eam viribus parum valere comperio; idcirco gravissimi ponderis sarcinam nostris imponere humeris vehementer formido. Vereor quippe non modicum, ne, si quod arduissimum est ac difficillimum tractare incipiam, perfectioris sapientiæ viris, dum quod cœpero consummare non valeam, non immerito ridiculus fiam; et quod gravius est, tam sancti Viri laudibus damnum inferat nostræ rusticitatis eloquium.

Vitam sancti viri

ad Dei gloriam scribere jussus,

E

licet suæ conscius tenuitatis,

2 Ceterum, non sine divino (velut ipse conjicio) nutu, vestræ Sanctitatis in extorquendo injuncti officii munus urget instantia, quæ nihil humilitatis obedientiæ sperat difficile, nihilque caritatis ardori non credit possibile. Quid igitur faciam? Cogit instantia, dehortatur inscientia, invitat auctoritas, formidat debilitas; velle adjacet, posse subterfugit. Verum quoniam id ejus amore vos flagitando jubere cognosco, qui suæ virtutis potentia naturæ legibus imperans, in ipsam etiam mirabiliter operatur; inconsiderate detrahentium morsus non metuens, vestræ Sanctitatis confisus orationibus. tanto oneri colla subjicio. Non enim me adeo latet levitatis crimine a plerisque accusari, meque temerarium et importunum inconsiderata voce reprehendi; qui si humanitatis aliquo modo fuerint et rationis participes, mei animi nota sententia aliquando remordere desistent. Nam cum in altero fuerat delinquendum, malui fateor temerarius, quam parum humilis vestris rogationibus apparere; nam, etsi quæ hic temeritatis insunt vestigia, obedientiæ quidem meritis vestrisque supplicationibus, spero in Domino posse facile aboleri. Verum, ne longior faciat sermo fastidium, ad propositum (Domino adjuvante) nostræ orationis stylum vertamus.

aggreditur tamen,

F

spreto quocumque contrario respectu.

CAPUT I.

Vercellis educatur; quaterdennis, Compostellam adit, circulis ferreis cinctus.

Guilielmus itaque venerabilis Pater, nobili progenie,

A *A. JOANNE DISC. Vercellis nobiliter natus a* genie, morum ejusdem nobilitate longe plæclarior, Vercellensis *a* genere fuit. Hic a puerilibus annis sola cœlestia mente volutans, quæque hujus mundi vanitati obnoxia, non solum quasi sterilia et nullum afferentia fructum, procul a se animo et manu removit; verum etiam abhorrendo contempsit. Nam cum ab infantia *b* *pieque educatus,* utroque fuisset orbatus parente, a suis illico in curam susceptus est; qui, etsi propter futuræ probitatis indicia tenere diligeretur ab ipsis, numquam tamen jocis ceterisque puerilibus oblectamentis animum dedit; sed maxima morum gravitate puerilem transcendens ætatem, assidue volvebat in animo, qualiter patria suisque omnibus derelictis, ad Dei servitium liberius convolaret.

4 Quartum decimum igitur, hæc salutaria meditans, annum ingressus, habitum sacræ *c* Religionis *c et. an. 14 habitum Peregrini assumit,* assumpsit; satisque suo faciens desiderio, relicta patria, una contentus chlamyde, nudis etiam pedibus, ad B. Jacobi aliorumque Sanctorum sacra visendum limina, *Compostellam iturus:* impiger est iter aggressus. Ardebat utique beati adolescentis animus eorum in terris sacras visitare Reliquias, quibus, ad perpetuæ felicitatis gloria B perfruendum, in cœlestibus Regnis socium divina gratia ab æterno prædestinarat. Cum ergo sanctum sequens propositum iter faceret, peregrinantium more circa noctis crepuscula ad civitatem quamdam hospitaturus divertit. Erat in ea quidam faber ferrarius, homo quidem magnæ religionis ac Dominum timens; *ab hospitali fabro benigne exceptus,* cui, hospitalitatis gratia Deo accepta, jam diuturni usus in morem converterant, diebus singulis pauperibus dare hospitia; eosque, post refectionem lotis a se pedibus, ad nocturnam quietem stratis lectulis invitare: apud quem Dei famulus cum aliis hospitatus, sicut a prima die suæ peregrinationis statuerat, solo pane et aqua refectus, cetera ejus humanitatis suscipere nolens officia, quieto tempore secundum morem nuda quievit in humo. Cujus ut abstinentiam et habitum diligentius hospes advertit, eum vere Dei famulum ratus, decrevit, ita sequenti mane maturius solito de somno consurgere, ut non prius a suo discederet hospitio, quam communem cum ipso posset ad libitum sermonem conferre: sero namque præterito, propter silentium, quod ut Monachus observabat, nec verbum potuit ab eo elicere.

5 Tempestivius itaque de strato consurgens jam *et singularis virtutis esse agnitus,* proficiscenti et exire paranti, festinus occurrit: supplici voce deposcens, ut eum suæ sanctitatis di- C gnaretur affatibus. Tunc Dei famulus, prout erat sereno vultu affabilis, morum facilitate cunctis amabilis, caritatis visceribus circa Deum et homines affluens, ejus petitionibus facile dedit assensum. Hospes igitur, sui desiderii compos effectus, talibus est exordiis eum lætabundus affatus: Quamvis peccaminum mole depressus, vitiorum tabe pollutus, nec ad cœlum lumina erigere, nec Sanctorum cœtibus audeam sociari; eis tamen in *atque de suo proposito interrogatus,* nostro susceptis hospitio, divinæ misericordiæ dono largifluo, pro nostræ facultatis opibus jam dudum studui ministrare; ipsique etiam quælibet sibi apposita cum gratiarum actione sumentes, nostræ parvitatis numquam sprevere officia; in te autem, Frater, rem insolitam et novam conspicio, qui et appositorum tibi quædam tangere abhorres, et mea, tamquam peccatoris et iniqui (quod fateor) contemnis obsequia. Et ille: Absit, absit, ut in fraternæ dilectionis obsequiis unquam fuerit aliqua mihi contemptio, vel quod a Deo creata et humanis usibus deputata velut sordida abhorrescam: sed quoniam meorum non sum immemor delictorum, deliciosioribus cibis et potibus, sicut plerique peccatores abstineo. Ceterum quod vestræ humanitatis non suscepi officia, nec arrogantiæ (quæso) adscribas, D nec contemptioni attribuas, sed quod vestræ sanctitatis officii me miserum et peccatorem indignum conspicio, et quod superbienti et perituræ parcere carni nefarium esse existimo. Ejus postquam Religionem verborum humilitate, quod aliis conjectarat indiciis, jam evidenter hospes agnovit; *rogatur manere ad struendam in ejus prædiolo ecclesiam,* cupiens semper ejus comitatu sanctissimo refoveri, talibus ejus animum a suo proposito tentavit deflectere: Votum mihi est in meo prædiolo quamdam ædificare ecclesiam, propriisque rebus eam ditare: nunc autem (si tibi placet) noli, Frater, recedere; mecum maneto, eamque ædificatam vestræ providentiæ committam arbitrio. Ad quem Sanctus: Quamquam in administratione rerum ecclesiasticarum Domino famulari rem constet egregiam; tamen, quia a puero Sanctorum visitare limina concupivi; cœpti mutare sententiam (quæso ignoscas) non est consilium.

6 Postquam igitur hospes a suo proposito non facile posse mutari Sanctum cognovit; *quod ille recusans,* iterum atque iterum blandis precibus exhortatus, supplici tandem voce deposcit, quatenus de suis aliquid saltem dignaretur accipere. Tum denique, tantæ dilectionis visa instantia, venerandus Vir metuens, ne ab eo E nihil accipiens, ipsum penitus constristaret, talibus est affatus sermonibus: Quoniam ad accipiendum aliquid de vestræ benignitatis studio me tantopere exhortaris; licet, quæ ad procurationem corporis attinent, eorum prorsus nihil indigeam; vestræ tamen fiam libenter caritatis morigerus; tu autem, quod petiero, sicut hilari animo tribues, ita rogito ut in silentio habeas, et quod dederis, ad nullius precor aures accedat. Duos ergo mihi circulos ferreos ad hunc modum facias, ut eorum unus ventrum, pectus alter circumdet, a quorum superiori brachia duo ferrea porrigantur, unum a dextero latere, alterum a sinistro, quæ per humeros, ad alteram inferioris circuli partem pervenientia, *petit ab eo sibi fieri duos ferreos circulos:* utrimque prædictis circulis fortiter clavis colligentur. Ejus postquam petitionem hospes accepit, plurimum secum admirans, quod homo videlicet id ætatis, sibiipsi renuntians, tantam in Dei dilectione haberet constantiam, tantumque temporalium omnium rerum contemptum; sub omni celeritate studiosius petita perfecit; eique perfecta concessit. Quæ, ubi accepit, illud Evangelii memorans; Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me; ea sibi continuo cum maximo gaudio ad mortificationem carnis aptavit, et vale F faciens ab eo discessit. His ergo sumptis deliciis, et *quibus accinctus cœptum iter prosequitur. d* una (ut dixi) veste contentus, nudis etiam pedibus septemtrionalia frigora lustrans, Sanctorum limina visitavit. Quo in itinere *d* quanta fuerit perpessus pericula, non est nostræ facultatis exprimere.

ANNOTATA D. P.

a *Vercellensis civitatis prolixum encomium texit Jordanus cap.* 1 *lib.* 2, *qui liber totus deinceps de* Guilielmo *est, nato ut ipse ait* 1085.

b *Idem ait undenni, patrem; duodenni, matrem obiisse.*

c *Renda* Album habitum *interpretatur, nec dubitat Jordanus quin talis fuerit, qualem suus postea Ordo gestavit. Ut ut est, videtur is nullius certi Ordinis, sed simpliciter Eremiticus fuisse; et albis vestitos Eremitas etiam in Italia vidisse memini. Redarguitur interim Arnoldus Wion, qui parte* 1 *Ligni Vitæ, lib.* 1 *cap.* 51 *ponit Guilielmum inter* Stellatos Abbates, in habitu potius seculari quam Monachali, et sine monastica tonsura, duos diversorum Ordinum Fundatores, Humiliatorum scilicet et Montis-virginis.

d *Quinque circiter annos huic peregrinationi impensos*

A *sos scribit Jordanus cap. 4; reversumque in Italiam Sanctum an. 1106, et hunc annum fere egisse Romæ.*

CAPUT II.

Deposito Jerosolymas adeundi proposito, loricam indutus et galeam, Virgilianum montem deligit solitudini colendæ.

Jerosolymam iturus,

His itaque peractis, a sancto desiderio non desistens venerandi Viri animus, incessanter ardebat Jerosolymam petere; quatenus loca sanctissima, in quibus humani generis facta est reparatio, cernere mereretur. Verum, quia, quod ardenti animo geritur, omnis est moræ impatiens, si libera perficiendi sit præsto facultas; ad multorum salutem in Apuliam *a* prædictæ rei gratia Melphim *b* perrexit; ubi aliquamdiu in domo cujusdam *c* Rogerii commoratus, litteralis scientiæ prius ignarus, centesimum nonum, *d* non amplius, ab homine didicit Psalmum; quem edoctus (mira Dei providentia! mira clementia!) tanta postea, Domino largiente, sacræ Scripturæ fuit ejus peritia; ut facile posset adverti, Spiritum Domini, cui toto corde adhæserat, loqui per os ejus; scriptum quippe est: Qui adhæret Domino, unus spiritus est. Quænam enim erant Scripturarum mysteria sibi incognita? quæ sententiarum abscondita profunditas? Omnia certe, qui condidit, secundum ineffabilem suæ dispositionis gratiam, sibi manifestius revelarat.

Melfi subsistit; et Psalmum 109 edoctus, B *acquirit intelligentiam Scripturarum.*

8 Profectus inde ad oppidum quoddam, Montemsolicolum *e* veniens, circiter duos *f* annos apud quemdam Militem, Petrum nomine, mansit. Nemini autem credibile debet videri, quod sanctus Vir in Apuliam tanto desiderio transfretaturus adveniens, tamquam sui oblitus propositi, a sancti itineris deferbuerit amore; idem namque fervebat in animo desiderium, et in ea meditatione ignis ardebat amoris: ille autem, a quo gressus hominis diriguntur, quemque ad multorum salutem destinaverat Deus, ab incepto revocabat itinere, quatenus ejus sanctitatis exemplo ad amorem æternæ vitæ multi accenderentur. Erat eo tempore venerabilis Viri cibus, panis et aqua, ad recreationem potius quam ad saturitatem. Si quando vero deliciosiora fercula sumere vellet; ea erant, sine oleo cum aceto legumina; quod etiam ad carnis attenuationem frequenter bibere consueverat.

Secedit in Montem-solicolum: *ubi in summa abstinentia vivens,*

C

9 Per idem tempus homo quidam erat in præfato loco, qui lumen amiserat oculorum. Hunc, dum forte ab agro redeuntem filia duceret, eminus aspiciens; tunc eidem e vestigio nuntiare curavit, quod Guilielmum Confessorem in rupe fixis genibus orantem videret; erat namque sancto Viro in consuetudine, dum maximus æstus solis incumberet, ad rupem quamdam exire, ibique verum solem justitiæ totis viribus implorare. Qui protinus (spe suæ salutis concepta) filiam orat, ut ad venerabilem Dei virum eum perduceret. Cum ergo ad Guilielmum esset homo perductus, provolutus ad genua ejus, rei familiaris inopiam, curam alendæ sobolis prætendens, miserabiliter cœpit orare, ut sui misertus, lumen sibi redderet oculorum. Quod ubi vir Domini audivit, id suæ virtutis non esse commemorans, suo condolens infortunio, cœpit continuo admonere, quatenus in tribulationibus a Dei servitio non cessaret: Potens est enim aiebat, qui percutit, et mederi. Dum hæc et his similia sanctus vir, eum admonens, loqueretur; prædictus homo sopori concessit; qui tandem somno evigilans (benedictione a Sancto accepta) continuo lumen, quod amiserat, clarius quam unquam habuerat recepit.

adducto sibi a filia cæco *visum reddit*

10 Hoc itaque audito miraculo, fama suæ sanctitatis cœpit clarescere, ejusque vitæ continentia prædicari. Quod ubi præcipuus humilitatis custos audivit, plurimum contristatus, simulque veritus ne popularibus auris moveretur; utcumque statuit inde recedere, seque Jesosolymam conferre. Nec mora: quod animo decreverat iter arripiens, opere cœpit implere. Erat eo tempore magni meriti magnique nominis vir quidam Deo devotus, nomine Joannes, *g* Pater cujusdam monasterii, quod juxta Genusium ipse construxerat. De hujus itaque sancti viri fama, cum prædictæ rei gratia faciens iter audisset; operæ pretium duxit ab incepto itinere declinare, causa alloquendi cum prædicto Dei Viro. Ubi ergo inter mutuos ruentes amplexus conveniunt, vicissimque datur copia fandi; sermo inter eos alius non fuit, nisi de contemptu rerum mundanarum, et acquisitione cœlestium, ac qualiter soli Deo sit serviendum.

D *A. JOANNE DISCIP. Inde digress* *Genusium venit, agitque cum Abbate loci;*

11 Altero die profectus, a prædicto viro licentiam petiit, insinuans, quod devotionis causa Jerosolymam tendere vellet, suumque desiderium amplius differre non posset. Et ille; Noli, Frater, frustra fatigari; noli, quod adimplere non poteris, non profecturus incipere; major est quippe ad fidelium salutem tuæ moræ utilitas, quam propositi fieri pro voluntate particeps. Cujus monitis nolens præstare assensum, ardore sancti itineris mox iter arripuit. Qui cum juxta Oream *h* devenisset, a latronibus detentus, crudis est affectus verberibus: (nondum enim patruelia Regna hereditario jure capessens ille iniquorum omnium metus, æquitatis amator, malorum omnium exterminator, optimus tranquillitatis et pacis patronus, Rogerius *i* videlicet, Rex magnificentissimus, feliter triumphans, a rapacibus et latronum faucibus Apuliam liberarat) in hoc tamen certis cognovit indiciis (secundum Dei famuli dictum) quod corde gerebat, opere complere non posse. Necessitate autem compellente, ad prædictum Patrem sub omni est celeritate regressus; a quo dum per singulos dies fraterna dilectione, ut secum cohabitaret, plurimum rogaretur; ei Dominus in visu apparuit, prædicens quod et ipse per se Congregationem fidelium esset facturus, adeoque oportere inde ipsum recedere, alibi Domino serviturum. Evolutis ergo diebus *k* quindecim, prædicti Viri voluntati renuntiavit, prosequens diligenter quæ fuerant sibi a Deo injuncta.

et, illo dehortante, iter Jerosolymitanum prosequens, E *incidit in latrones,* *deinde discit alibi a se fundandam Congregationem.*

12 Inde itaque profectus, accepta licentia, per montana iter facere cœpit, loca singula diligentius explorando solitariæ vitæ convenientia. Quæ ubi minus pro sententia animi comperit, pervenit Tripaldum, *l* quod non multum distat a Virgiliano monte. In hoc vico, in domo cujusdam matronæ aliquantulum commoratus, ab ejus incolis diligenter inquirens, cognovit, præmissum montem idoneum et opportunum esse ad solitariam vitam ducendam. Interea, quoniam circuli, quos ad carnis macerationem induerat, frequentius rumpebantur: eosque ferrariis ostendere, et similes fieri, ab ipsis quærere oportebat; plausum hominum metuens, vir prudentioris consilii Salarnum proficiscitur; sperans ibi aliquem invenire, a quo ferream loricam, numquam depositurus, acciperet. Nec eum fefellit opinio; nam postquam *m* Salarnum fuit ingressus, quidam Miles occurrens, ejus cognita voluntate, quotquot habuit loricas ostendit, ejusque subjecit arbitrio, ut quam vellet meliorem acciperet. Majorem quidem ponderis vestem indutus, compos voti effectus, gratulabundus ad prædictum remeat vicum: in quo etiam, ut et galeatus posset ad bellum procedere, ad modum sui capitis ferreum tegumen fieri jussit, quod vulgo Cophia *n* dicitur; quam postquam Domini miles

F *Tripaldi pro circulis ferreis* *loricam induitur,* *et pileolum ferreum, continuo clam gestandum.*

A. JOANNE DISCIP.

A miles in capite sumpsit, eam ulterius non removit; sicque eam latenter portavit, ut vitæ suæ tempore nemini unquam foret compertum.

13 Inde cum præfata matrona cœpit habere consilium, quomodo in prædicto monte illo posset aquam invenire. Et illa; Domine, est in jugo ejusdem montis (prout fama refert prænuntia veri) quidam Eremita; *o* is, si qua est aqua in hoc monte, certissime docebit. Assumpto itaque quodam socio, Petro nomine, montem ascendit; Eremitam invenit: qui Patris cognita voluntate dixit ad eum, aquam posse invenire, si in supercilio montis *p* quæreret. Mox ab ipso digressus, cum socio diligentius cuncta perscrutans, tandem inspicit lutum sine aqua, non modicum ab ursinis conculcatum vestigiis; quo accedentes, manibus pro rastro utentes, lutum effodiunt; tandem ab eodem loco, a quo lutum projiciebant, aquam aliquantam vident emergere. Interim advesperascente die, aliquantulum progredientes, nocturnæ quieti idoneum *q* locum inveniunt. Hic non parum pro penuria aquæ solicitus, quoniam prædicta aqua parum vel nulla videbatur ei; quærere disposuit sicubi affluentiorem aquam Deus in eo monte ei ostenderet. Ubi ergo sequens dies effulsit, nequaquam solito parcens labori, nocturni instituta propositi avide exequitur. Interim venatores occurrunt; qui de aqua consulti, humanitatis studio ad uberiorem fontem *r* illum deducunt. Quibus abeuntibus, prædictus Dei famulus cum comite in aspectu illius fontis persistens, a custodibus cujusdam castelli, Mercuriani *s* nomine, visus est: qui arbitantes eos latrones esse, confestim proruunt, capiunt, et contumeliose deponunt, eumque usque ad Bajulum ipsius castelli deducunt; qui, ubi ejus sacris auditis sermonibus, cujus esset sanctitatis cognovit; eum illico in pace dimisit.

In monte Virgiliano habitaturus

aquam quærit,

et invenit;

B

14 Cum igitur ad jam sæpe dictum vicum, Tripaldum videlicet, fuisset reversus; nullius moræ patiens assumptis quibusdam consanguineis et vicinis illius mulieris, apud quam hospitabatur; ad locum, in quo prius aquam invenit ascendit; ubi quadam domuncula ab eisdem sibi ædificata, solus ibi cum Domino venerabilis Dei famulus Guilielmus remansit. Die quadam cum gratia hauriendi aquam cella exiret, in prædicto fonte parum aquæ invenit; ursus enim veniens, fontem conculcaverat, et luto oppleverat. Quid multa? Fontem restituit, domumque regressus est: ursus autem nihilominus singulis diebus adveniens, aquam sorbebat, fontem conculcabat. Quod cum diu perpetitur, die quadam iterum ad hauriendam aquam egressus, belluam bibentem invenit, eamque his verbis alloquitur: Quid est quod agis? alieno (ut video) labori injuriose incumbis: aquam, quam propriis manibus ego effodio, perturbas et absorbes? Vade hinc, et cave ulterius ne accedas. Ad cujus imperium, mox depresso in terram capite; ursus nihil feritatis prorsus ostendens, protinus recessit, et ad fontem amplius non est reversus.

ursumque ipsam turbantem fugat,

C

15 Victus ejus erat (eo quidem tempore) tantum fabæ et castaneæ, quas propriis colligebat manibus; et hordeaceus panis idemque subcinericius. Interim emenso anni spatio, quidam Monachus, Albertus *t* nomine, ejus sanctitatis fama comperta, ad illum veniens, suppliciter orat, ut secum habitare permitteret; cujus postquam constantiam cognovit, ejus voluntati non contradicens, in suo sacro comitatu suscepit. Hic, inter multa quæ de eo fideliter narrare consueverat, quoddam difficile et multis fere incredibile commemorabat. Testabatur namque, quod in nocturnis horis, quamprimum vir Dei scire poterat se obdormisse, illico a strato (nudum saxum hoc poterit nomine appellari) consurgens, ante Crucem, quam in cellula sibi confixerat, uno pede innixus, *v* sacris orationibus usque mane vacabat. Hæc autem cellula, in qua sacras actitabat orationes, non multum distat a fonte, *x* quem sibi manibus effoderat; et utrumque usque ad hæc nostra tempora perseverat, retinetque nomen a beato Viro; fons enim et domus Pœnitentiæ *y* sancti Guilielmi dicitur.

et adscito Alberto discipulo,

D

vitam ibi austeram ducit.

ANNOTATA D. P.

a *Hic primo adiisse Montem Garganum, cultu S. Archangeli Michaelis celebrem, tum Barium ad venerandas S. Nicolai Reliquias accessisse, vult Jordanus.*

b Meltis *seu* Melfia, *civitas Episcopalis in Basilicata, sub Archiepiscopo Acheruntino, versus Capitanatam provinciam.*

c *Baronius ad an.* 1090 *narrat, quomodo Urbanus II ibi Synodum celebravit, in qua Rogerius Dux, ligius ejus homo effectus est: qui etiam Melfiensi ecclesiæ multa est largitus. Hunc omnino supponit Jordanus fuissse Guilielmi hospitem, hic indicatum, quia istic fuerit Ducum Apuliæ prima sedes: sed quæ sequuntur, id faciunt difficile creditu. Intelligit autem Jordanus* Rogerium. *Roberti Guiscardi ex Rogerio filio nepotem.* E

d *Psalmus* 109 Dixit Dominus Domino meo, *cujus explicationem eum docuit Rogerius,* litteralis scientiæ prius ignarum, *id est,* scientiæ Scripturarum sacrarum: *neque enim idiotam patitur concipi Jordanus, quem in patria humanioribus litteris excultum fuisse asserit; nec apparet ubi alias didicisset: didicisse autem satis probatur ex Vita num.* 44, *ubi* peracta consecratione *dicitur frequenter ad Regem accessisse: et num.* 56 peracto Sacro *Conventum Sanctimonialium ingressus: unde apparet Sacerdotio initiatum, quod de prorsus illiterato præsumi non debet.*

e Montem-lapisum *et* Montem-vultum, *prope Melfim tabulæ exprimunt;* Montem solicolum *tacent. Jordanus cum castello distinguit.*

f *Scilicet* 1108 *et* 1109, *ex calculo Jordani.*

g S. Joannes, *Matherensis a nativitate, a condito deinde alibi Ordinis novi capite* Pulsanensis *dictus, cujus Vitam dedimus* 20 *Junii. Est autem* Canusium *ad supradictum fluvium Aufidum,* 22 *p. m. infra Melfim.*

h Orea, *civitas Episcopalis inter Tarentum et Hydruntum; sed illi quam huic plus duplo propinquior.*

i *Alius hic a prædicto* Rogerius *est, ejus scilicet patruelis, ex Simone Duce Senioris Rogerii filio primogenito natus, qui mortuo Wilhelmo Apuliæ Duce, prædicti Rogerii filio tertio, Apuliam obtinuit an.* 1128, *ac deinde Panormi se fecit Regem coronari utriusque Siciliæ.* F

k *Hos* 15 *dies a d. apparitione numerat Jordanus, dicens Sanctum mansisse apud Joannem fere toto anno* MCXI.

l Tripaldum *alias* Atripalda, *de qua ad S. Hypolistum egimus* I *Maji, distat a Monte-Virginis circiter* 6 P. M.

m *Tripalda Salernum ad mare situm, iter est* 14 *milliarium,*

n *Italis* Cuffia, *Gallis* Coiffe: *quam Jordanus haud inepte conjectat fuisse obductam panno aliquo, ut communis pileolus videri posset: qui saltem Sacrificii tempore deponendus Sacerdoti fuit. Ab hoc autem facto hujus S. Guilielmi, existimo traductas loricam et galeam cum catenis ad alium Guilielmum in stabulo Rodis, in cujus historiam compacta sunt fere omnia, quæ de pluribus Guilielmis Sanctis et non Sanctis scribuntur: uti ostendit Henschenius ad* 10 *Febr. licet necdum hujus* Guilielmi *notitiam assecutus.*

o Joanni *nomen fuisse, inquiunt Renda et Regius: quem*

A *quem Jordanus ait paucis mensibus, postquam illuc habitaturus Sanctus venit, vita functum, ab eoque illuc translatum in novam ibi ecclesiam, de quo Renda :* Corpus Joannis adhuc miracula facit; dæmones ab oppressis expellit in monte Virginis. *Interim quæritur dies cultus, si quis fuit.*

p *Addit Jordanus, illuc accedentibus visas esse columbas quasdam albas, ex vicina summitati planitie sese attollere, et post aliquot in aere gyros eodem recidere ac disparere. Ita ex traditione habuisse credo, quia auctorem nullum citat ; idque præsagium fuisse condendi istic albatorum Monachorum cœnobii.*

q Antrum lapidi ita a natura productum, *inquit Renda.*

r *Idem* Fontem Lidiæ, non longe ab eo de Fidia. *Hunc autem ad pedem fere montis, qua Nolam is respicit, ponit tabula sub num.* 18. *Ibi aiunt inveniri vestigia templi olim Deo Fidio sacri.*

s Mercurianum *oppidulum, ad pedem et latus montis Meridionale, ipsi subjectum monasterio, vulgo* Mercogliano *num.* 12.

t *Hic postea* Guilielmo *successit in regimine Ordinis, et in variis antiquis scripturis* Beatus *intitulatur. Diem mortis et reliqua ejus acta docebit Jordanus parte al-*
B *tera sui Chronici, quam nondum vidimus. Est autem satis mirabile, quod alterius S.* Guilielmi *primus unicuisque discipulus etiam vocetur* Albertus ; *et nisi ab hoc scriptam Vitæ partem allegaret Theobaldus auctor qualiscumque, et multa confundens : suspicarer* Albertum *quoque a nostro hoc sumptum. Annus autem erat* 1116, *cum ad Guilielmum* Albertus *accessit.*

v De B. Rolando sive Orlando de Medicis (*cujus vitam mirabilem dabimus* 15 *Septembris*) *legitur, quod spatio* 26 *annorum* visus fuit a pluribus personis fide dignis, de die et de nocte super uno pede, spatio quinque vel sex horarum, oculis fixis infra rotam solis et lunæ, brachiis elevatis, devotissime Deum inspiciendo.

x *Hunc fontem* a Columba *dum Sanctus viveret nominatum, ex supradicta columbarum apparitione, notat Jordanus ex instrumentis variis, ubi dicitur* monasterium, quod constructum est in monte qui Virginis vocatur, in loco ubi Aqua columbæ dicitur. *Addit, eumdem fontem perquam exilem et sæpe exsiccari solitum ; cum semel inventus esset exaruisse, facta a Sancto oratione, copiosum exilivisse, neque unquam exinde defecisse : eumdemque sanandis frigoreticis efficacissimum haberi, potius devotione erga Sanctum, quam na-*
C *turali virtute, cum sit ipse frigidissimus : includitur autem nunc monasterio, vivo saxo circumcinctus.*

y *Plus quam* 300 *annos esse ait Jordanus, quod dictam cellulam, eatenus pie conservatam destrui oportuit, pro extendendis monasterii ædificiis : quæ ipsa tamen adhuc retineant vetus nomen* Pœnitentiæ, *ac nominatim grande et* 20 *personarum capax conclave, proximum fonti.*

CAPUT III.

Collectis in Virgiliano monte Presbyteris ecclesiam condit, non sine miraculis.

a Post biennium ascitis in contubernium Presbyteris

Duorum vero annorum peracto circulo, *a* jam per universas illius regionis partes ejus nomen innotuit; ejusque celebri fama ubique clarescente, viri et mulieres summa cordis alacritate ad eum concurrebant; inter quos de Sacerdotibus convenientes, dum ejus sacris disciplinis institui cupiunt; sub ejus magisterio se ad Dei servitium *b* mancipaverunt. Quibus inquirentibus, quam Religionis normam eos observare præciperet; ait, Est consilium, Fratres, ut propriis manibus laborantes, victum et vestitum nobis, et quod pauperibus erogemus, acquiramus ;

b vitæ normam præscribit.

et in statutis horis convenientes, divina celebremus Officia. Cujus salutare consilium *c* brevi tempore Presbyteri tenuerunt ; nam antiqui hostis perculsi malitia, inter se prius clanculo conquerentes, publica tandem voce clamare cœperunt, se Sacerdotes esse, divinisque deputatos Officiis ; ideoque non oportere eos laborare, nec in cultu telluris ut rusticos exerceri ; sed potius par esse ecclesiam in illo Monte ædificari, libros et sacerdotalia vestimenta emi, et ita eos divinis tantum vacare Officiis. Quorum voluntati metuens refragari, ne ipsorum seditionibus (solita mentis tranquillitate amissa) a contemplationis lumine mentis aciem declinarent ; eorum satisfacturus desiderio, uno contentus comite, asellum ascendens, Barium perrexit; ubi inter amicos et notos omnia pro voto Sacerdotum inveniens, dum peracto negotio Gravinum *d* regreditur, ibi ejus socius cœpit infirmari.

D JOANNE DISC. *libros et vestes sacras Bario petit :*

d

17 Septem ergo diebus exactis, postquam cognovit eum non facile ab infirmitate posse convalescere; cœpit eum rogare, ut ipse asellum ascendens, ad proprium locum secum regrederetur. Ille vero cognito, quod molestum satis erat Dei viro pedibus incedere, tum quia orationibus, jejuniis et vigiliis debilis erat, tum quia ferrea lorica indutus ; precabatur, ut se potius dimisso, ipse ad Fratres reverteretur. Quid opus est verbis ? Ejus auctoritatis devictus imperio, asellum ascendit, eumque Venerabilis Pater nudis pedibus sequens (mira patientia ! mira humilitas !) usque ad destinatum locum ei ministrare non destitit. Libris igitur et sacerdotalibus vestimentis acceptis, cœperuut illico Sacerdotes rogare, quatenus sibi ecclesiam in monte construeret. Quo audito, jam non inconsulte, ut antea, de prædictis rebus desiderio Fratrum se satisfacturum spopondit ; sed prius ad secretum quemdam *e* locum digressus, flexis genibus, fontem totius pietatis humiliter cœpit orare, ut si ecclesiam in illo loco sibi ædificari placeret, tantam frequentiam populi illuc mittere dignaretur, quatenus eodem die calcariam construere cœpisset. Vix oratione completa, tanta multitudo populi supervenit, ut ad ejus imperium et calcariam laborare cœpissent, et ligna incidere ; tantaque deservivit instantia, ut altero die, igne supposito, lapides solverentur in cæmentum. Nec mora, auxilio adjacentium civitatum, Ecclesia ædificatur paucis diebus, necnon et cellulæ ad utilitatem Fratrum.

ad illosque reversus

E

ecclesiam in Monte extruit

e

18 Miracula, quæ in sequentibus relaturi sumus, quodam Sacerdote et Monacho, reverendissimo valde viro, Joanne *f* de Nusco cognomine, nostro concive et sancti Patris discipulo referente, agnovimus. Aiebat enim, quod, postquam Confessori Domini Guilielmo cœlitus jussum est, quod in Virgiliano Monte ad honorem Sanctæ Virginis Mariæ Ecclesiam construere deberet; congregatis in unum lapidibus, resolutis in cæmento petris, omni apparatu collecto, conductis fabricatoribus, ad construendam Ecclesiam, Vir Dei toto conamine solicitus et devotus institit. Quadam denique die, cum eidem operi solerter intenderet ; ecce quidam ligur, advena Gualterius nomine, aridum habens brachium, ad eumdem locum advenit : qui, ut vidit virum Dei et fabricatores, ejusdem Ecclesiæ fabricæ intentos ; hinc et inde cœpit quasi explorator respicere. Quem Domini Confessor cernens circumeuntem et inspicientem, ait ad eum ; Ut quid nostræ fabricæ, frater, explorator existis? Si talis operis artifex es, incipe, et operari noli negligere. Et ille, O mi Pater, utinam meum posse non deficeret ! Si enim possem, non libentius mihi miserrimo vestra sanctitas præciperet, quam ego vestris obsecundarem imperiis. Ego namque in Liguriæ partibus, architectonica

F

f Huic allaborare jubens quemdam advenam,

excusanti invaliditatem brachii,

A ctonica arte non ignarus, imo peritissimus extiti et instructus; nunc autem, peccatis meis exigentibus, nec ad hoc, nec ad aliud opus peragendum sum efficax vel idoneus. Nam cum ad quamdam turrim ædificandam in nostris partibus laborarem (infortunio imminente) a superioribus miserabiliter cecidi; sicque factum est, ut ex eadem ruina, quam perpessus sum, totum brachium irremediabiliter perderem; et ab eadem hora illud fere aridum et inutile teneo.

A. JOANNE DISC.

ipsum sanat; 19 Et hæc dicens, cum mœrore, incolumi manu ægrum eliciens brachium, lacrymabiliter Viro Dei ostendit. Quod intuens Confessor Domini Guilielmus, misericordia motus super eum, infremuit spiritu cordis, interna agitans; ac confidens in Domino, ostendit ei quemdam lapidem, et dixit; In nomine Domini nostri Jesu Christi, sume lapidem illum, et ædificio compone. Qui protinus ad lapidem accedens, recuperata quam numquam melius habuerat sospitate, utraque manu sustulit illum; et gaudens et exultans, celeri cursu ædificio composuit. Sed non immemor nec ingratus tanti beneficii, provolutus ad pedes sancti Viri, ubertim præ gaudio lacrymas fundens, pro suæ salutis restitutione, omnipo- B tenti Deo et beato Viro gratias egit; et paucis interjectis diebus, sacræ Religionis Habitum devote et humiliter suscepit; et ejus discipulus effectus, ferventi caritate jugiter ejus obtemperabat imperiis. Qui postea multis vivens temporibus, plurima suæ artis peritia construxit opera: nam in S. Cæsarii ecclesia domum, et in Cuneato ecclesiam, et alia multa in monasterio condidit ædificia; et sic demum, consummato vitæ termino, obdormivit in Domino.

et Religioso facto sæpe utitur.

Asini devorati vices supplere 20 Inter miracula quoque, quæ per venerabilem virum Guilielmum omnipotens Deus operari dignatus est, hoc memorabile, priscorum solertia, nostras devenit ad aures. Hic nempe sanctissimus Pater, dum præmemoratum Templum erigeretur, asino ad deferendum lapides, ligna, et alia operi necessaria utebatur; qui cum per montem dimissus, pascens erraret, a lupo invaditur; ferinisque dentibus mox dilaniatus, ejusdem cibus effectus est. Quod ubi Confessor Domini Guilielmus comperit; in nomine beatæ Virginis Mariæ, in cujus honore ecclesia ædificabatur, lupo imperat, exhibenda per asinum opera et labores mox ipsum subire. Mira Dei potentia, et beati viri merita fidei! Ad ejus vocem, ab- C jecta feritate, flexo capite, humana quasi mente, sancti Patris vorax lupus *g* suscepit imperia; et vices asini, donec universum perficeretur opus, clitellatus subivit. Nulli vero mirum videatur, lupum asini vices potuisse subire; nam, etsi id natura negarit; omnipotens tamen Deus vires subministravit, ut inceptum opus quamcitius *h* perficeretur, et quam carus ipsi Deo sanctus Pater Guilielmus extiterit, plebs universa sentiret.

jubet lupum.

21 Igitur ædificata ecclesia, et ad Dei servitium non parva multitudine ibi coadunata, placuit beato Viro, ex communi consilio, ut ad honorem Dei Genitricis, semperque virginis Mariæ *i* dedicaretur. Profectus itaque ad Abellinensem *k* Episcopum, quænam esset de ipsa Ecclesia sua fratrumque petitio, humiliter ostendit. Ille vero (ejus audito desiderio) cum magna cordis jucunditate spopondit, pro ejus velle suis satisfacturum petitionibus. Constituto ergo die sancto *l* Pentecostes, ecclesia solenni ritu B. Virgini Mariæ dedicata est. Ad hujus ergo sacri templi dedicationem maxima populi multitudo convenit; in qua mulier quædam adfuit, quæ per septem annos locutione amissa muta silebat; sed sanctitate venerabilis viri audita, anxia de sui corporis salute, nutu quo poterat, cum consanguineis, ubi vel quinam esset Dei famulus, inquisivit. Quid D multa? Ad eum deducta, et ad ejus genua procumbens, a Dei famulo, quid quæreret, interrogata est. Et illa subito (mira Dei omnipotentia!) ad ejus interrogationem sine aliquo impedimento libera voce respondit. Quod ubi miraculum multitudinis auribus insonuit, omnes uno ore Deum laudantes, eum Sanctum publice prædicare cœperunt. Mulier etiam salute accepta, ingratitudinis non rea, per omnes fines regionis illius, quanta pro amore sancti viri Guilielmi sibi Dominus impenderat, incessanter prædicabat.

Ecclesia perfecta et dedicata,

mulier genibus clauda divinitus sanatur,

22 Interea, sanctitate venerabilis Viri divulgata, illarum partium Proceres, summa devotione, subsidia quæque poterant ad sustentationem Fratrum, gratanti animo, illi offerebant; inter quos quidam, Adam nomine, *m* auctoritate Frequentini Episcopi, quamdam ecclesiam ad honorem S. Cæsarii *n* Martyris dedicatam obtulit. Ad quam, dum frequenter visendam homo Dei pergeret; vidit fortuito marmoreum sarcophagum, cujus antiquitus ibi relicti majorem partem terra cooperuerat. Hujus itaque utilitate ad prædictam perpensa ecclesiam, præcepit adstantibus Fratribus discooperiri, et ad ecclesiam sine mora deferri. Eo itaque recedente ad ecclesiam, E illi avide, cupientes suo Patri obtemperare, quinque paria boum ad illud trahendum insimul adjunxerunt. Quos postquam, stimulis et crudis verberibus instantes, non posse moveri respiciunt, rem illico ad Patrem referunt. Quo audito subridens, prout ejus moris erat, semper in vultu (ut diximus) hilaritatem habere, eorumque increpans inertiam, ad locum, ubi marmor illud jacebat, per seipsum pervenit. Tunc quatuor boum paribus amotis, duos boves, qui remanserant, baculo, quod manu gerebat percutiens, eos imperat ire. Ad cujus vocem, tanta felicitate motus est lapis, tamquam si, non marmoreum saxum, sed aridum lignum fuisset; ipseque boum sequens vestigia, usque ad januam ecclesiæ, quæ octo fere stadiis distabat, detulit: quod usque ad hodiernum diem adhuc in ipsius cernitur fronte ecclesiæ, a qua paucos post dies, ad monasterium, jam in Virgiliano monte constructum, venerabilis Pater se recepit. *o*

lapidem, a 5 paribus boum frustra tentatum,

per duos juvencos trahit ad fabricam.

ANNOTATA D. P.

a *Ergo an.* 1118, *ex jam dicto calculo.*

b *Anno inquit Jordanus* 1119, *quem Ordinis natalem existimat vocandum. Sed cum verosimile sit aliquanto istic tempore solitarium habitasse Sanctum, magis placet Rendæ calculus, initium referens ad annum Sancti* 38, *Christi* 1123. F

c *Nulladum alia præcepta Regula, quam tamen mox superinductam agnoscit Jordanus, Benedictinam videlicet.*

d *Nunc* Gravina, *Episcopalis civitatula, distat Bario* 24 p. m.; *tantumdem autem Acheruntia, cujus Archiepiscopo suffragatur, a Monte Virginis* diætis quatuor *distans, inquit Jordanus, æstimando singulas diætas* 20 p. m.

e *Eo loco, qui num.* 4 *notatur in tabula, infra ad appendicem danda, hodie capella est, sub nomine* Torrionis, *cum altari, supra quod extat columna usque ad tectum pertinens, et supra hanc ultra tectum Crux eminens, etiam marmorea. Ad ipsam autem capellam gradibus novem scanditur, quos solent peregrini genibus reptando ascendere. Distat autem a cellula Sancti, quantum ter lapide jaceretur. Hic dicunt Christum apparuisse Guilielmo, jussisseque ut super rudera templi antiquitus Matri Deum sacri, matri Deiparæ ecclesiam ipse erigeret: præcepisse etiam ut eo loci nemo carnem vel lacticinia gustaret, quod hactenus observatum, numquam*

A *quam vero impune a quoquam violari tentatum, demonstrat Jordanus per plura capita lib.* I *: unde discessurum a loco Sanctum sic loquentem facit Renda :* Verum præsentes et subsequentes incolæ et peregrini, divino mihi revelante Numine, carnis, ovorum, et casei esu et inductione hoc in loco abstinento perpetuo. *Idem ait* biduo *istic orasse Sanctum.*

f Joannem *hunc ejusdem nominis et patriæ, diversumque a scriptore, asserit Jordanus cap.* 9.

g *Hinc omnibus Sancti statuis et picturis lupus additus invenitur. Addit autem Jordanus, lupos quidem eo in monte hodiedum frequentes esse; ab illo tamen tempore intellectum hactenus numquam, alicui vel homini vel quadrupedi mansueto nocuisse : ut continuum illud videatur esse miraculum, ex imperio Sancti non uni isti, sed toti speciei facto.*

h *Modica enim (ut idem notat) prima ecclesia, et cellulæ exiguæ fuerunt.*

i *Eodem quo constructa est ecclesia anno, inventum in ipso monte esse corpus* S. Vitaliani *Episcopi Capuani, qui colitur* 16 *Julii, fuse indicat Jordanus ; fusius idem argumentum prosecutus lib.* I *cap.* 16. *Docet autem, ipsum Corpus, jussu Calixti Papæ II, ad montem*
B *excurrentis, translatum esse Catanzarum in Ulteriorem Calabriam : quamvis Ferrarius dicat, Auximates antiqua ejusdem sancti Corporis possessione gloriari. Deinde, postquam variis argumentis persuadere conatus est sanctum Fundatorem non vixisse expertem sacrorum Ordinum, ut volebant aliqui ; omnibus expensis censet ordinatum an.* 1123.

k Joannem *vocat Jordanus, ex eoque Ughellus in Episcopis Abellinensibus ; et eumdem, ait, remisisse monasterio subjectionem erga diœcesanum suum.*

l *Anno* 1124 *consecratam ecclesiam scribunt Renda et Regius, eosque sequitur Jordanus, tunc autem Pascha* 6 *Aprilis, Pentecoste* 25 *Maji celebratum fuit, qua die concursus populi ad eamdem ecclesiam secutis temporibus sic excrevit, ut Sabbato in Vigilia, aliquando ad* 15 *millia numerari dicat Jordanus. Alius nihilominus eodem est concursus in Nativitate Virginis,* 8 *Septembris.*

m Adam de Rocca S. Felicis, *sub Episcopatu Frequentino, qui nunc Abellinensi unitur : Episcopi nomen non invenitur pro an.* 1125, *quo donatio facta.*

n S. Cæsarius Diaconus, *Martyr Tarracinæ* 1 *Sept. cum Juliano Presbytero : eam ecclesiam* 15 p. m. *distare a monasterio, dicit Jordanus, et ex Costo notat solum nunc nomen superesse, vix paucis vestigiis conspicuis.*

o *Hic consequenter refert Jordanus instrumenta donationum,* S. Guilielmo *factarum* an. 1125 mense Novembri, Indictionis IV *inchoatæ, a* Petro Joannis Arderii de Castello Summonte, et uxore ejus Gemma filia Joannis ; et anno 1126 mense Januarii, IV Indictione, ab Alferio filio Joannis Judicis de Castello Summonte ; et mense Julio, IV *similiter* indictione, ab Alferio filio Alferii qui vocatur Bove ; et anno 1127 mense Martio, V Indictione, a Raone, Dei gratia Domino de Castello Summontis, et filio Domini Guilielmi, qui Malherba vocatur : in quibus omnibus indicatur monasterium, quod constructum est in monte, qui Virginis vocatur, et ubi Aquacolumbæ dicitur, et ubi nunc Deo favente, Dominus Guilielmus, Dei gratia Custos et Rector præesse videtur, et quod a novo fundamine construxit, auxilio Dei multorumque Christianorum. *De quibus omnibus notat adhuc superesse originalia integerrima, ac velut recenter scripta ; idque attribuit virtuti manuum* S. Guilielmi, *quibus identidem tractari ipsa contigit.*

CAPUT IV.

D A. JOANNE DISC.

Anachoreseos locus ex Virgiliano in Lacenum, indeque in Cuneatum montem translatus : B. Joannes, socius additus ac dimissus.

Habitabat venerabilis vir Dei Guillielmus, cum antefatis Presbyteris et nonnullis Fratribus, in Monte Virgiliano ; qui ob nimiam frigiditatis intemperantiam, nisi in tribus æstivis mensibus, difficilis est et ad ascendendum valde laboriosus. Tempore ergo. quo poterat, maxima populi multitudo ad eum confluens, aurum, argentum, et quæ habere poterant, pedibus sancti Viri offerebant : quæ benigne suscipiens tamquam bonus dispensator, quæ necessaria noverat Fratribus retinebat, cetera pauperibus erogabat. Hæc prædicti Presbyteri, per habitus susceptionem Monachi effecti, intuentes ; avaritiæ telo jam dudum percussi, et de misericordia Dei diffisi ; cœperunt prius blandis vocibus Venerabili Patri rogando persuadere, quatenus futura prævidens, quæ offerebantur non tam largus expenderet ; sed potius arcam inveniret, in qua ad opus ipsius ecclesiæ pecunia reconderetur : posse etenim fieri testabantur, quod ab hac liberalitate populus cessaret, ipsique rerum necessariarum tentarentur inopia. Quod postquam secus ac arbitrati sunt vident procedere, neque eorum precibus dari assensum (testabatur enim venerabilis Pater, ecclesiam pecunia potius destrui quam ædificari, ipsosque nihil terreni in hoc seculo debere possidere) tandem insanis vocibus in clamores prorumpunt, dicentes ; eum contra jus facere, cum bona ecclesiæ, quæ communia sunt, quæ etiam potius pro suis officiis et orationibus quam pro ejus meritis offerebantur, eis invitis, pauperibus erogaret.

Ex affluentibus largis eleemosynis nihil in futurum reponi querentibus Fratribus, E

24 Ille vero ad eorum clamores humiliter ac blande respondens, talibus est eos exhortatus alloquiis : Quid est Fratres mei, quod clamando perstrepitis ? quid est, quod inconsiderata voce tumultuamini ? Dixi vobis, idem replicare non piget Regem seculorum ; in hereditatem elegistis. Ipsum solum diligite, ipsum solum possidete. Sinite quæso secularia secularium esse, vos vero spiritualia secularibus præferte. Verum si (quod absit) idem vobis fixum in animo, eaque incommutabilis sedet sententia pecuniæ ; vos mecum id agere haud posse sciatis. Substituto *a* ergo Præposito, Alberto nomine, Regulari *b* norma tradita, quoniam inter eos se ulterius proficere non posse videbat ; metuens, ne ad majora animorum detrimenta suis factis inciderent ; *c* quinque de idiotis Fratribus assumptis, inde secessit, majorem locorum asperitatem inquirens.

Præpositum pro se constituit. a b F c

25 Peragratis itaque quibusdam locis, tandem vir Dei Guilielmus cum prætactis quinque idiotis Fratribus ad Montem *d* Lacenum pervenit. Montem hunc silva densissima ab ipsius radice usque ad summitatis fastigia circumcingit ; in qua aliquantulum depressus, planitiem quamdam nudam arboribus fere duodecim stadiorum facit. Per cujus medium fluvius decurrens, montem perforat, et usque ad radicem montis impetuose decurrit. Ad eum postquam locum accessit, sibi sociisque singula fecit tuguria : qui tamen nimiam frigoris asperitatem perpeti nequeuntes, non multo post ab eo secesserunt. Hic, dum ab humano destitutus solatio, contemplationi deserviens, et herbarum contentus radicibus sine intermissione oraret ; vir quidam magnæ auctoritatis, Joannes nomine, omnipotentis Dei famulus, (de quo facta est mentio, et postea in eo loco, qui Pulsanus dicitur, Monasterium construxit) ad eum

d In montem Lacenum transit : ubi ob nimium frigus deserto a sociis

A. JOANNE DISC. B. Joannes se adjungit :

A eum visendum accessit. Qui visa cognitaque ejus Religionis constantia, fraterna dilectione constrictus, apud illum solicitus et devotus vivere et habitare incepit : et donec divinitus sunt commoniti, ut ab eo loco discederent et alibi Domino ministrarent, inter eos non nisi de mundi contemptu, de carnis mortificatione, de orationis instantia, de spe futuræ beatitudinis, sermocinatio et actio sancta fuit. Caritatis itaque amore igniti, divinæ contemplationis otio vacantes, ad supernæ vocationis bravium flagranti desiderio inhiabant.

et Christus visendum se præbens

26 Hujus quoque ante adventum venerabilis Pater Guilielmus statuerat, ut quietis tempore in orationibus pernoctaret, et diurnis horis ad cruciatum corporis usque ad fatigationem, per sentosa et aspera nemoris loca incederet : quod devotius etiam ambo postea servaverunt. Cum autem die quadam solito more perambulans, ante mentis oculos Dominum Jesum haberet, cujus indesinenter amore flagrabat ; subito, ecce quem spiritualiter intuebatur, corporaliter in ea forma, qua passus est, ei apparuit. Erant quidem vestimenta ejus nive candidiora, facies vero sole splendidior : quem simul aspexit, ita B perfecte (ipso dante) cognovit, tamquam si in Beatissimo Apostolorum comitatu ab initio conversatus fuisset, et ejus sacro refectus intuitu, ejusque familiaribus instructus fuisset eloquiis. Ad pedes ejus ergo illico prostratus, et ubertim præ gaudio lacrymis manans, talia humili prece cœpit exposcere : Plasmator omnium et medicator mentium Deus, qui de Virgine nasci dignatus, et pro nobis hostia factus, antiquum confregisti Draconem; misericordiam tuam suppliciter imploro, quatenus, donec in hoc fragili corpusculo maneo, (in quo, dum spiritus adversus carnem, et caro adversus spiritum concupiscit, nulla est mihi de hoste certa victoria) ita gratia tui spiritus visitare digneris, ut virtutis robore confirmatus, nihil me valeat a tua caritate separare. Cui Dominus ; Guilielme, Guilielme, vestræ caritatis circa me intuitus viscera, dignatus sum in forma, quam vides, visibiliter apparere ; simul, ut in ergastulo carnis positum te ego ipse confortans, moneam, ne moram hic facias, nec stes *e* in loco isto; sed ab eo secedas : alibi enim mihi es necessarius. Ad hæc verba, sui socii illico recordatus, rogare cœpit ut, et Confrater ejus, (si fieri posset) eum aspiceret. Et Dominus ; Vade, inquit, et voca eum. Cum autem simul ad eum intuendum interdum adessent ; non jam ita clare, ut prius, eum videre, vel cum C ipso confabulari potuerunt : pedes autem ejus prædictus Joannes tenuit. Deinde ad cellulam cum gaudio revertentes, simul cogitare cœperunt, qualiter Dominicæ jussioni parentes, locum desererent.

ubet alio migrare. e

f Rogatus infirmam visere

27 Eo quidem tempore, *f* quidam Beneventanus ejus familiaris, cujus mulier gravi tenebatur languore, ad eum veniens, cœpit supplici voce rogare; quatenus Beneventum pergens, suam conjugem visere dignaretur : tanto enim amore (prout fatebatur) eum cernere desiderabat, quod, si ipsum aspiciendi sibi copia fieret, putabat illico ab infirmitate posse liberari. Cujus prece Vir Dei audita, dixit, se ad præsens ire non posse ; cum autem liceret, libenter ad eam videndam properaret; ideoque eum reverti admonuit. Cum autem nox advenisset, quem evigilans mulier videre non poterat, dormiens hoc modo prospexit. Erat namque sibi cernere, quod accensa candela domum ejus ingrederetur, eaque affixa in pariete, ad ejus lectulum ferens vestigia, quidnam vellet, eam interrogabat. Ad cujus interrogationem mulier suspirans et gemens, infirmitatis causam patefaciens, ejus interventum pro sua salute rogabat. Et Vir Dei, Noli timere, quia jam sana facta es. Cum autem mane jam factum fuisset, ita incolumis

eidem noctu apparet, ac sanitatem reddit,

de strato prosilivit, ut nec contractionis, quam passa D fuerat, aliqua apparerent vestigia : candelam etiam, quam somnians affigi in pariete viderat, *g* vigilans in eodem pariete affixam cognovit.

relicto suæ præsentiæ signo. g

28 Interim, dum decedere ab eodem loco differrent ; ecce die quadam, dum ambo in tugurio simul sedebant, ex improviso aspiciunt tugurium igne cremari. Cujus dum incendium alter eorum, qui fortior erat, extinguere frustra satageret ; omnia etiam alia tuguria comburi aspexit. Ex hoc jam manifestius cognoverunt, se ulterius ibi manere non posse ; et quod contra voluntatem Dei fecerant, quia tamdiu ibi permanserunt. Arrepto itaque itinere, iterum, iterumque convenientia loca inquirunt. Nocte insequenti Joanni Dominus in visu apparuit; prædocens, eum in Oriente, Guilielmum in Occidente oportere servire; numerum etiam dierum vitæ utriusque insinuavit. Quod postea rei probavit eventus : nam, sicut solitus erat frequenter prædicere, biennio ante e vita decessit. Cum ergo ad Montem *h* Cuneatum nomine veniunt, ibi cellulam quamdam ædificant, in qua per non paucos dies insimul per- E manserunt. Nam, secundum visionem Domini, Joannes, a S. Guilielmo petita licentia, (licet invitus) a loco et a beato Viro discedens, ad Orientem in Garganum Montem secessit : ubi et Monasterium construxit, et usque ad vitæ suæ diem extremum in Dei servitio permansit : Confessor vero Dei Guilielmus cum Domino in eodem Monte remansit intrepidus.

E rustis divinitus in Laceno tuguriis

secedit in Montem Cuneatum. h

ANNOTATA D. P.

a *Hinc Jordanus arguit modernum scriptorem Avellinensem, qui asserit, ab Episcopo institutos successores, et aliunde confirmat, pridem Episcopum jure istiusmodi cessisse.*

b *Scilicet* Benedictina, *quam Wion male refert primum receptam sub Roberto Alberti successore, juxta Decretum Alexandri III* ; *in hoc insuper hallucinatus quod confundat tempora Roberti, anno* 1149 *mortui ; et Alexandri, primum anno* 1159 *ordinati.*

c *MS. vetus allegat Jordanus, quo dicitur*, *quod Albertus*, venerabilis Patris jussa studiosius facere fraterna caritate compulsus, quam primum de avaritiæ crimine Fratres revocavit ; jugiterque in ea quam pius Pater norma reliquit, vivere docuit. Pro F qua re B. Guilielmus, non semel ante Omnipotentis clementiam genua flexit ; et (ut postmodum singulorum qui in præfato monasterio convenerant, Sacerdotum exempla testata sunt) tantum monasticæ disciplinæ morumque ad Christianam vitam spectantium perfectionis sunt adepti, quantum nullus qui priores noverat defectus speraret.

d Mons-Lacenus *in Principatu ulteriori, Nusco distans* 6 p. m. *ad cujus radices situm est oppidum* Balneolum *teste Jordano.*

e *Notat Jordanus ibidem superesse scopulum, vulgo ex tali causa dictum* Ne-sta, *corruptius* Resta ; *ubi postea ædificatum sacellum sit ; quo destructo, maneat nihilominus reverentia loco apud circumjectos agricolas, qui in defectu pluviæ soleant eo accurrere ; cantatoque hymno* Iste Confessor, *cum Oratione de* S. Guilielmo, *opem impetrare.*

f *Anno, inquit Jordanus* 1128.

g *Idem observat, inter Montem-Lacenum et Beneventum esse spatium* p. m. 40 ; *eodemque magnitudinem miraculi exaggerat.*

h *Vulgo* Serra Cognata, *in Trecaricensi territorio provinciæ Basilicatæ ; quo eos pervenisse circa Novembrem, Jordanus asserit.*

CAPUT

A

CAPUT V.

Injurii in S. Guilielmum puniti, et alia in monte Cuneato miracula.

Illo quidem *a* tempore, homo quidam nobilis et prædives, cujusdam adjacentis villæ Dominus, cum multorum equitum, clientum et venatorum comitatu, et cum accipitribus et canibus venatoriis, causa venandi ad montem, in quo Vir Dei erat, accessit. Venatores ergo, per alpes et nemora, cum circumquaque perlustrarent, ut venatu aliquid caperent; nonnulli eorum ad locum, in quo Vir Domini Guilielmus orationi insistebat, perveniunt. Quem cum intuerentur, unus ex eis audacior ceteris, torquens sanguinea lumina, tumido aspectu, suffuso amaritudinis felle, ait ad eum : Quis es tu ? vel, Unde huc advenisti ? In veritate dico, Explorator es. Ille vero, ut erat columbina simplicitate, hilari vultu respondit ; Ut fateris, frater, explorator sum. Et vere explorator erat, quia congruum locum, et Religioni ad habitandum aptum omni nisu inquirebat. Ut autem audivit iniquus ille, Quia explorator sum ; furore accensus et fervidus, spumanti ictu, vibrato venatorio pilo, Virum Dei in capite acriter percussit ; et quoniam Confessor Domini ad carnis macerationem ferream galeam gestabat, ictu ferientis quassatam, plaga interruptionis cutem capitis ejus aperuit, et cruor impetuose de plaga profluens, faciem et induvia inficiendo perfudit. At ubi Sancti Viri caput sævus ille immani feritate percussit ; diabolus malorum incitator eum invasit ; et qui prius, ut Virum Dei percuteret, accenderat ; in eo habitare, et ad suum libitum horribiliter vexare incepit. Quem socii, admiratione et stupore perculsi, comprehenderunt ; et, licet cum maxima difficultate ad Dominum et ad Socios eorum usque perduxerunt.

a Venator, Sanctum ratus exploratorem esse

ei caput lædit :

B

invasusque a dæmone

30 Quem Dominus illorum, et ceteri venatores perspicientes, dum ligatis manibus ad se tam miserabiliter vinctum adduci deprehendunt, ingenti pavore exterriti, sciscitati sunt, quid hoc esset, et quomodo ei accidisset. Illi autem seriatim totum propalantes, sicut evenerat veridico sermone narraverunt. Igitur homo ille nobilis, hoc divino Judicio perpendens esse actitatum, ait suis secum comitantibus : Nisi homo ille servus Christi esset, non utique suæ injuriæ tam cito et evidenter omnipotens Deus ex alto respectans ultor existeret ; sed capite eum, et omnium virium conamine, etiam nolentem, ad Virum Dei trahamus ; et ad genua ejus procumbentes, humili prece deposcere non cessemus, ut istius sceleratissimi et miserrimi misereri non dedignetur. Qui jussa perficientes, dæmoniacum illum, a tergo manibus vinctis, discerpentem se et frementem, licet invitum, ad Dei servum perducunt ; et statim solo prostrati, Christi Confessorem Guilielmum suppliciter rogabant, dicentes ; Serve Dei omnipotentis, per ipsum te supplici prece flagitamus, qui pro suis Crucifixoribus Patris clementiam interpellare, dignatus est, cujus te imitatorem incunctanter credimus, ut nostra precamina suscipere digneris, et huic miserrimo et scelesto, tuæ probitati delinquenti, clementia tuæ pietatis subvenire non differas : ut sicut pro sceleris immanitate, quam in vestra sanctitate exercuit, a diabolo invasum cernimus, ita tuis sacris orationibus eum liberatum intueamur.

a sociis ad eumdem vinctus retrahitur :

C

quibus, pro misero ut intercedat, orantibus,

31 Respondens autem Confessor Domini Guilielmus ait eis : Misereatur vestri, Fratres, Omnipotens Deus, quare de me talia opinari voluistis ? non enim tanti meriti, aut tantæ sum auctoritatis, ut divina justitia in ultionem meæ injuriæ hoc fieri permitteret ; peccator etenim homo sum ; sed peccatis exigentibus aliis, hoc discrimen eum incurrisse sciatis. At illi instabant precibus, et humilibus vocibus dicentes, Miserere, Miserere, Pater Sanctissime ; nec ad nostrorum facinorum enormitatem, qui digni exaudiri non sumus, sed ad tuæ Sanctitatis puritatem respicias. Scimus enim, et pro certo tenemus, quod nisi in te procaciter manus extendisset et percussisset, non utique diabolus justissimam a Domino potestatem, ut eum tam valide vexaret, accepisset. Sed precare quæsumus Salvatoris clementiam, ut sicut pro tuæ injuriæ ultione omnipotens Deus in eum ingredi dæmonem permisit, ab eo expellat ; et quemadmodum de ejus miseria mœsti effecti sumus, ita de ereptione gavisi, lætabundi et exultantes ad propria regredi valeamus. Videns itaque Vir Dei fidei eorum constantiam, ad pietatis viscera, quibus in Domino jugiter affluebat, cordis oculum dirigens, præcepit, ut relicto dæmoniaco, parumper sibi locum darent orandi. Cumque illi semoti recederent, Confessor Christi flexis genibus diutius divinam potentiam exoravit. Denique, oratione expleta, dæmon, qui miserum tam sævissime vexabat, statim exiit ab eo. Vir autem Dei solutum manicis, quibus ille colligatus fuerat, vocato Domino suo et Sociis, eis sanum et incolumem reddidit.

præ humilitate æger acquiescens Guilielmus,

D

A. JOAN. DISCIP.

dæmonem pellit.

E

32 Perpendens vero Herus ille cuncta quæ Deus operatus est per servum suum, miratus est valde ; et ingenti pavore perterritus, ac provolutus ad pedes ejus, se suis sacris precibus devotissime committebat. Qui adjungens aiebat ; Pater, si ad nostras partes aliquam placet construere ecclesiam, consilium nostrum nostrorumque hominum ad vestrum libitum modis omnibus habere poteris ; parati enim sumus pro viribus et posse tuæ parere Sanctitati, et tuis usibus, quæque necessaria humiliter et devote subministrare ; Deum etenim in te per inhabitantem gratiam indubitata fide intensius inesse credimus. Et hæc dicens, petita licentia, ad propria remeavit cum omni suo comitatu, et gaudio magno. Quoniam igitur lumen in tenebris minime latere potest, fama suæ sanctitatis continuo universis innotuit, et multitudo utriusque sexus, virorum scilicet et mulierum, ad eum crebro confluebat : inter quos etiam Robertus *b* Comes ad eum visendum et audiendum sitibundo pectore cœpit concurrere. Quibus omnibus salutis monita caritatis studio dare non desistebat ; eorumque consilio et solatio, nec non et auctoritate Diœcesani *c* Pontificis, ubi congruentius et opportunius ei visum est, Ecclesiam ad honorem Virginis Mariæ Matris Domini fundare non est oblitus ; ibique collectis Fratribus monasterium construxit. *d*

Hinc cœpto fieri ad eum concursu,

b novum conditur monasterium.

F

d

33 Erat eo tempore quidam homo *e* Albani, Grammaticæ Professionis ; quem scientia sine caritate (sicut solet) inflaverat. Hic postquam audivi de beato Viro ab omni populo prædicari, invidiæ face accensus, et superbiæ tumore elatus ; cœpit non solum coram populo verum etiam coram Comite Roberto, beato Viro detrahere, et ejus sanctitati derogare ; videlicet, quod, tamquam homo idiota et sine litteris nesciret quid faceret, vel quid proferret : et, si facultas loquendi cum ipso daretur, eum inscium ostenderet omnibus et ignarum. Die igitur quadam, eo præsente contigit sanctum Virum, causa ecclesiastici negotii, Comitem prædictum adire. Non opus est verbis ; sermo protinus inter eos est initus, inter litteratum et idiotam orta est disputatio. Verum, quia Spiritui sancto, qui loquebatur per eum, non est sapientia, non est prudentia, quæ possit resistere ; Comite recognoscente, contumax et superbus Grammaticus confusus abscessit. Doloris itaque felle

e Invidus Grammaticus,

f

cum Sancto congressus victusque,

A felle commotus, sociis et amicis ad vindictam sui dedecoris assumptis, viam, per quam Vir Dei transiturus erat, explorat, exploratam obsidet, obsessam custodit. Transeunte ergo Dei Famulo, impia manus occurrit, et turpiter eum de equo depositum sævo afficiunt verbere ; socio nequaquam etiam parcentes.

A. JOAN. DISCIP. illum injuriose cædit :

34 Cum itaque, tanto scelere perpetrato, nequam viri aufugissent ; ejus socius, moleste illita mala perpetiens, prout qui noviter a seculo venerat, ad Comitem ire apparat, proclamationem facturus : Sanctus autem Domini, ejus cognita voluntate, talibus est eum ad patientiam revocare aggressus : Filii hujus mundi, viri divitiarum, quæque sibi cariora et optima diligenti cura, ne amittant, custodiunt ; et thesaurus absconditus, ne aliis innotescat studiosius cavent. Quid est ergo, quod præcipiti voluntate nostras divitias et thesaurum prodere properas, et prodita negligenter amittere? Nostræ siquidem opes, divitiæ et gloria, injuriæ, flagella, et quæ pro Dei amore patimur opprobria sunt ; quæ ut impatientia comitatur, omnia protinus amittuntur. Ubi est, quod Dominus in Evangelio dicit : Si quis te percusserit in unam maxillam, præbe ei B alteram? Signa quæso cor tuum, Frater ; et quod talia voluisti, pœnitentiam age, et idipsum nemini deinde manifestum facias. His et aliis dictis, cum omni patientia ad monasterium sunt regressi. Non multo autem post Deus, qui omnium ultor est scelerum, pessimo languore illum Grammaticum, superbiæ et iniquitatis filium, percussit : nam crura ejus ita computruerunt, ut maximo fœtore nec propinquiores vellent ad eum accedere ; et in eo fœtore per biennium cruciatus, mortuus est.

quo rem arcanam habente

vindictam ipse Deus sumit.

35 Non prætereundum hoc arbitror, quod cum in eodem monte Cuneato Vir Dei moraretur, hortulum sibi aptaverat, quem propriis manibus ipse colebat. Interea quidam sus, solito more de silva veniens, quæ seminaverat Sanctus, ipse eruens, devastabat. Quem die quadam dum in proprii laboris detrimento conspexit, alta voce clamare cœpit ; Ubi sunt? ubi sunt defensores hortuli mei? Ad cujus vocem duo lupi subito venientes, arrectis auribus astare cœperunt, quasi expectantes quid eis Vir Domini esset jussurus. Ad quos imperat, ut suem sine mora capientes, de horto traherent, eumque illæsum abire permitterent. Quod ubi factum fuit, ad hortulum sus amplius non est regressus.

Aprum hortulo noxium mandat a lupis pelli.

C 36 Eodem quoque tempore, quidam lunaticam filiam habebat : quam dum frequenter tanto periculo fatigari aspiceret, paterna pietate commotus, et ad Deum toto corde conversus, talibus aures suæ pietatis interpellavit sermonibus : Deus, qui Sanctorum tuorum meritis mirabiliter operans, eos glorificare non cessas, pietatis tuæ clementiam pronus adoro, ut per merita Guilielmi Confessoris salutem filiæ meæ largiaris, cujus intercessionibus si quod postulo me unquam impetrare cognovero ; tuæ Majestati promitto, ut sacræ Religionis Habitu accepto, sub ejus disciplina jugiter in tuo servitio permaneam. Ejus vota Deus ab alto respectans, ita est beati Viri meritis suæ filiæ salutis dona largitus, ut ea multo post tempore in seculo vivens, numquam tale sensisset periculum. Quod ubi pater comperit, sui non immemor voti, ad Guilielmum e vestigio properavit ; et Religionis vestem ab ipso recepit, seriatim prosequens, quanta pro ejus amore Dominus dignatus fuerit operari. Quod ubi sanctus et venerabilis vir audivit, admonere studuit ; quatenus non suis meritis, quæ nulla essent, sed suæ fidei puritati id deberet adscribere.

Sanata lunatica filia meritis Sancti.

hujus Habitum pater ex voto suscipit.

D

ANNOTATA D. P.

a *Anno* 1129 *inquit Jordanus.*

b Robertus *Lauri*, Comes Casertæ, *pater Rogerii Comitis Tricaricensis.*

c *Tricaricensis Episcopus, sub Archiepiscopo Acheruntino, tunc erat vel Librandus, apud Ughellum pro anno* 1099 *; vel anonymus, qui intercesserit inter ipsum et Robertum, Lateranensi Synodo præsentem an.* 1177,

d Monasterium magnum, *inquit Renda, utpote cui Costus ait subjectas fuisse Ecclesias S. Mariæ de Oliva, de Angelis, de Defunctis ; item SS. Margaritæ, Icomi et Helenæ, ut apparere ex Bulla Cœlestini III asserit. Hodie tamen ecclesia ista, quia in silvis sita ægre contra malevolos se tuebatur desertaque erat a Monachis, applicata est Episcopatui Tricaricensi.*

e Albanum, *parum admodum Tricarico distat.*

f *Hujus Comitis* Pædagogum *fuisse Grammaticum ait Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ : estque hoc tolerabilius, quam quod hunc appellet* Robertum Guiscardium Comitem Apuliæ : *hic enim obierat an.* 1085.

E

CAPUT VI.

In valle Compsana extructa duo monasteria, facta miracula : meretrix illecebrosa per ignem superata.

Monasterio igitur in prætacto monte Cuneato constructo, congregatisque Fratribus, Prælatum ibi relinquens ; non immemor, quod in occidentali parte Domino eum oporteret servire, eis Valete dicens, Regularum norma prius tradita, ab eis *a* discessit ; et ad Vallem *b* Compsanam tandem Deo duce pervenit, et juxta Aufidi fluenta bono omine habitare cœpit ; ubi arbore quadam pro tugurio fere per unius anni spatium usus est. Erat eo tempore in monasterio montis-Virgiliani Prælatus, Albertus nomine, vir per omnia honestissimus, quem Confessor Domini Guilielmus, cum ab eo loco decederet, eidem monasterio præposuerat. Is, cum ad ecclesiam Martyris Christi Cæsarii operarios statuisset, ut operis quidpiam exercerent ; prædictum Joannem de Nusco, a quo hæc omnia didicimus, ad eamdem obedientiam delegavit, ut quidquid erga F operis ædificium ageretur, sibi nuntiando intimaret ; nondum enim ad Sacerdotis gradum fuerat promotus, ut divinæ contemplationis intima mentis oculo speculari deberet. Attamen ad actionis exteriora deditus, quæ sibi imperabantur (ut Monachorum exigit ordo) sedulus complere satagebat. *c* Qui imperantis jussa perficiens, ad S. Cæsarii ecclesiam properavit ; et perspectis omnibus pro quibus venerat, ait intra se : Non revertar donec ad Guletum, juxta Aufidum, ubi Dominus noster Guilielmus noviter advenit, pergam, *d* et qualiter se habeat videam, ut de suæ continentiæ statu etiam Domino Alberto nuntiare studeam. His itaque cogitatis, ad eum sitibundus circa solis occasum venit ; et mutuo se salutantes, ac pacis osculum dantes, vir Dei de actu, et continentia Fratrum ecclesiæ montis-Virgiliani solerti inquisitione sciscitatus est : Joannes vero (ut rei ordo poscebat) seriatim ea, de quibus interrogatus fuerat, explicare impiger est exorsus. Itaque omnibus de quibus percunctatus est, auditis, Confessor Domini Guilielmus ait ei ; Frater, recedendi horam jam præteriit, usque mane nobiscum maneto, et in sequenti die (Deo concedente) proficisceris.

Ad vallem Compsanam translatus

a

b

ex Monte-Virgiliano missum Joannem de Nusco

c hospitio excipit.

d

A *Hic ad eum orantem videt Angelos venire e*

38 In loco igitur, ubi vir Domini degebat, erat tugurium, ante cujus fores ædificiolum parvum et uncum, subductum in conchæ speciem, annexum eidem tugurio adhærebat, et in summitate ejusdem conchæ (quæ vulgo dicitur *e* Coccia) erat parvissimum foramen, unde diurnæ lucis jubar ingrediendo, tugurium illustrabat. Ea vero nocte Confessor Domini Guilielmus, intra tugurii cubiculum, clauso et obserato ostio, orationi vacabat; Joannes autem forinsecus in ædificiolo Psalmodiæ deditus excubabat. Circa secundæ vigiliæ noctis horam vidit idem Joannes, quasi duas aves magnas, ad modum arionum *f* albas, et splendidas, cum magna luce per foramen illud ingredi; ad quarum ingressum, omnes atras noctis tenebras effugari conspexit. Quas cum, diutius super caput suum imminentes, pervolare vidisset, ait intra se: Nisi hæ aves Angeli Dei essent, non utique huc imperterritæ cum luce inæstimabili ingrederentur. Hæc eo in corde volvente, aves illas januis clausis evidenter intuitus est intrare ad virum Dei. Joannes vero, admiratus de hoc quod viderat et exterritus, totam noctem illam duxit insomnem, et æstuabat meditando, B indagare cupiens, quid hoc esset. Mane autem facto discessurus, licentiam petiit. Cui vir Domini ait: Vade in pace; et scito prænoscens, quoniam, quod in hac nocte videre divino nutu promeruisti, donec vixeris, videre tibi ulterius non permittitur. His Joannes auditis, magis ac magis pavidus effectus, eum interrogare non præsumpsit, quæ illa fuerit visio; sed vale faciens, cum omni festinatione ad Montem-Virgilianum reversus est. Nemo igitur Confessori Christi Guilielmo titubare potest prophetiæ spiritum non fuisse; cum et Angelos frequenter sibi ad custodiam delegatos corporeis oculis cerneret, et quod Joannes in avium specie eosdem Angelos viderit, sine indice agnoverit; et quod denuo eos videre non posset, ei nuntiaverit. Quod postea, ut prophetantis veritas probaretur, de cetero nullo modo videre promeruit.

f sub avium specie, uti ad suos regressus narravit.

Sanctus pro Virginibus monasterium condit,

39 Incolebat venerabilis Pater vallem Compsanam, et interea in territorio Guleti prope Nuscum, locum idoneum ad construendum ibi monasterium intuitus est. Etenim terræ fertilitas, lignorum copia, aquarum affluentia, opportunitatis speciem prætendebat. Quid multa? Maxima devotione dominatoris *g* loci illius, monasterium ibi virorum et C mulierum, ad gloriam et honorem omnium Salvatoris *h* Domini nostri Jesu Christi construxit; in quo ut utriusque sexus fieret Domino acquisitor, non parvam Virginum multitudinem congregavit; quibus etiam sanctæ Religionis Habitum tradidit. Harum vitam, et nobis scribere, et omnibus audire fidelibus, operæ pretium duximus. In earum namque sacratissimo comitatu nulla est, quæ, vel in infirmitate vinum cognoverit: carnes vero, caseum et ova, etiam nominare nefas existimant. Victus etenim earum est, in tribus diebus hebdomadæ, solus panis, et poma cum crudis herbis: in reliquis vero tribus diebus, unum habent cum pane tantum ferculum, oleo conditum; die autem Dominico simili tramite vitam transigunt. A festo etiam omnium Sanctorum usque ad Nativitatem Domini, et a Septuagesima usque ad Resurrectionem Christi, pane tantum vescuntur et aqua; nonnullæ etiam, et a pane abstinent, pomis et leguminibus contentæ. Earum equidem communis est voluntas et desiderium, cum vitiis et concupiscentiis carnem crucifigendo, mundo mori et Domino vivere. Sed ne, licet expediat, occupati circa describendam sanctarum feminarum Religionem, a nostro proposito longe digredi videamur; ad eum, de quo sermo est institutus, stylum reducamus.

g h rigidamque informat disciplinam.

D *A. JOAN. DIS. IP. Juxta Beneventum cæcam a nativitate i*

40 Causa ergo extitit, ut eum Beneventum ire *i* oporteret, cumque prope mœnia civitatis esset (ut est consuetudo) nuntium ad quemdam hortulanum, apud quem hospitatus fuerat, direxit; habebat autem homo iste filiolam quamdam octo mensium fere, quæ cæca a materno utero nata lumen non viderat. Ut autem mater ejus per nuntium de adventu Dei famuli fuit certificata; accepta infantula, ascendit in speculam, expectans quando vir Dei esset venturus. Quamprimum ergo vir Dei descendit, subito ad eum mulier veniens, filiolam suam ad pedes ejus prostravit, dicens: Accipe, quia tibi nata est, non mihi: et confestim ascendens, in remotiori parte domus clauso ostio se abscondit; infantulam autem socius ejus accipiens, cum venerabili Patre domum ascendit. Postquam autem ascenderunt, a socio infantula accepta, et in gremio suo posita, cum ea pariter obdormivit. Nec mora, infantula subito expergefacta, tamquam maximo terrore perterrita, clamans et vociferans, Sanctum Dei excitavit: qui dum, ut assolet somno evigilans, manum levaret; jam visu accepto, ejus sacra manu quoquo ducere cœpit infantulam et contrectare. Quod ut socius ejus aspexit, continuo assurgens E cœpit diligentius experiri, si jam superna bonitas sancti Viri meritis, ei fuerat salutis dona largita. Ubi ergo, quod jam dudum ferebat in animo, certis cognovit indiciis, protinus ad Sanctum Dei de illius salute annuntiavit. Quo sibi ponente silentium, mater, ut erat solicita, eventum rei expectans, confestim de thalamo prorumpens, rem, ut erat, cognovit. Quæ pro ingenti lætitia, quam salus filiæ ministrabat, vicinis et notis, quod sancti Viri merita fecerant, indicavit. Hæc res per totam civitatem audita est, campanæ pulsatæ sunt, concursus populorum ad eum factus est, omnes uno ore vere sanctum et amicum Dei confitebantur. *k*

contactu illuminat,

k Binettæ conductis ejus jussu fabris aqua in vinum vertitur.

41 Tempore quodam ad quamdam Ecclesiam, apud quoddam Castellum, Binettam *l* nomine, domum fieri præcepit, ad cujus ædificationem quidam de Fratribus vacantes operarios conduxerunt; quibus cum jam vinum deficeret, puerum ad quamdam ecclesiam S. Georgii, quæ non multum a Barinis mœnibus distat, causa ferendi vinum, miserunt: de cujus mora metuens propinator, vas plenum aqua juxta illud, quod parum vini habebat, apposuit, cogitans, si, eo moram faciente qui pro vino ierat, operariis vinum esset necessarium, eam vino commiscere, et sic eorum satisfacere voluntati. Cum F autem, jam sole occidente, moram ille faceret, et fabricatores vinum exigerent; secundum propositum, aquam, quam in vase posuerat, vino admixturus, in optimum vinum vidit esse conversam: quibus inquirentibus, unde tam bonum vinum haberet, nihil aliud, quam quod Deus dederit respondit. Quis igitur dubitet sancti Viri meritis hoc tantum miraculum contigisse, cujus sanctitatis auxilium, prout ipsum postea confitentem audivimus, aquam hauriens, invocavit?

m Ignis segetes collectas exurens,

42 Cum in tempore messis Confessor Domini Guilielmus, in loco *m* qui Crypta-muscarum dicitur, consisteret, et messorum manipuli per diversa campi loca in congeriem essent congregati; subito ignis vehemens ab Orientis oris, omnes illius Regionis segetes comburens, apparuit: quem videntes discipuli ejus, qui cum eo erant, terrore perculsi, aiunt Viro Dei; Ecce ignis immani impetu propius accedit, universa incendens et vorans, et nemo ei resistere prævalet, et quid faciemus, cum nostras fruges consumi videmus, et eas nullatenus defensare vel tueri valeamus? Heu pro dolor! in sequenti anno nos mendicare oportet. Et hæc dicentes, dissecabantur cordibus suis, quid facerent, aut quo

A quo se verterent, nescientes. Quibus sanctus Pater; Nolite, Fratres; nolite contristari, et hoc dicens, exuens se quod indutus erat scapulare, dedit eum uni discipulorum suorum, dicens; Cito equum ascende, et circumcinge quanto citius hoc scapulari universum campum. Qui protinus equum ascendens, citato cursu imperantis jussa complevit; et totum campum, in quo manipulorum aggeres erant uniti, perlustravit. At ubi ignium flammæ fines, quos scapulare circumsepserat, applicuerunt, ultra progredi non præsumpserunt; sed protinus ita sunt divinitus extinctæ, acsi imbrium inundatio eas involvisset. Videntes autem discipuli ejus, quod Deus omnipotens servi sui meritis immanes ignes potenter extinxerat, eo devotius ei obsequebantur, quo eum per miraculorum coruscationes divino amori connexum cernebant.

A. JOAN. DISCIP. circumlato per agrum scapulari Sancti, restinguitur.

43 In civitate Salpitana, *n* quæ in partibus Apuliæ sita esse videtur, erat vir quidam nomine Jordanus, qui familiaritate fraternitatis sancto Viro adhæserat; ad cujus domum quotiescumque inde transitum Confessor Domini habebat, in eundo et redeundo, utpote ad Fratris hospitium divertebat; quem venerabiliter ille suscipiens, devote ei et B suis sociis, secum comitantibus, totis viribus obsequium exhibebat. Quadam igitur die, cum more solito apud eum hospitaturus divertisset; uxor prædicti Jordani, Delicia nomine, recordata est cujusdam puellæ lunaticæ, ejusdem civitatis indigenæ; cujus infirmitatis molestia parentibus, vicinis, et notis omnibus horribilis atque exosa extiterat. Præfata namque mulier, divino contacta spiritu, ait intra se, Si de manuum ablutione sancti Viri hujus puellæ lunaticæ potum tribuero; credo, quod ab ægritudine, qua tam graviter tenetur, meritis ejus Divina clementia eam liberabit. Hæc ea intra cordis secreta volutans, hora, qua vir Domini pransurus discubuit, accepta aqua Sanctus manus suas lavit, quam scypho supposito sagaci solertia mulier recipere studuit; dehinc reverenter puellæ lunaticæ propinavit: sicque factum est, ut omni ægritudine propulsa, integerrimæ puella sit sospitati restituta, et de cetero præteritæ infirmitatis aliqua signa aut effigies ei numquam comparuerint.

Aquam ablutionis manuum sanatur lunatica.

44 Quoniam de miraculis et virtutibus sancti Patris Guilielmi (divina cooperante gratia) disserere conati sumus; de quodam miraculo, inter cetera dignissimo memoria, compellimur rimante ingenio C tractare; eo quod per omnes partes finium Apuliæ, per multorum ora fidelium, et (ut latius dicamus) quasi vulgi rumore super omnes virtutes, quas omnipotens Deus per eum operari dignatus est, ab omnibus vocitatur. Et ne inerti silentio, et infructuosa taciturnitate indignæ tradatur oblivioni, placet ut nostri dictaminis stylo, ad illud miraculum insinuandum, propulsa omni inertia, ardenti animi devotione aggrediamur. Dicitur a multis, qui a personis quæ interfuerunt, veridica assertione didicerunt, quod in tempore illo, quo Rex Rogerius, Siciliæ et Apuliæ monarchiam regens, totius regni moderabatur habenas, contigit eumdem Regem in Apuliam *o* venire; cui Confessor Guilielmus assistens salutis monita dare incepit; et, licet eum Rex libenter audiret, corde tenus hæsitabat, utrum verax an hypocrita posset teneri. Cum autem crebris accessibus (peracta Consecratione) prædictum Regem et Magnates ejus Curiæ (Spirito sancto dictante) fervida mente, divinis instrueret eloquiis, et eisdem prædicationibus sacris solicitus et devotus insisteret; Ammiratus *p* ejusdem Regis, Georgius nomine, sanctæ exhortationis verbis profluentibus de ore ejus; humiliter et flagranti devotione assistebat, cupiens magis ac magis Mariæ Magdalenæ

Rogerio R. adhortationibus Sancti hypocrisim subesse censente,

D more, sitibundo pectore sacri eloquii fluenta haurire; credens illum, non hypocritam, sed veracem Dei servum existere. Rex itaque memoratus hypocritam potius, quam veracem eum credere videbatur.

45 Accidit autem, ut quadam die Confessor Domini Guilielmus Regi assisteret, et sacrorum eloquiorum sermocinationem ei et omnibus suis domesticis ministraret; et post sermonis finem vale faciens Regi, abscessit et secessit ad hospitium. Et ecce quædam meretricula speciosissima, ad Dominum Regem propius accedens ait ei; Si de beneplacito Regiæ Majestatis procederet; ego citius ostenderem istius hypocritæ quanta sit simulatio; in nocte etenim subsequenti mecum illum concumbere ex industria faciam. Et Rex, in ganeam suspiciens, respondit cum magno risu dicens; Si hoc tua versutia perpetrare potueris, peracto usu libidinis, tibi donabo bona amplissima; ut Ammiratus, qui eum, non hypocritam, sed quasi Prophetam veneratur, delusum se sentiat et confusum. Quæ protinus a Regis facie discedens, ad domum, in qua Vir Dei cum suis hospitabatur sociis, celeriter advenit; et meretricario more eum alloquitur, dicens: Cur, Domine, corpus tuum diutius affligens, gaudia tuæ juventutis amittis? E qui posses mundi bona lucrari, et oblectamentis secularibus dulciter perfrui et (quod desiderabilius est et delectabilius) pulcherrimæ juvenculæ amplexibus delectari; certe, si vestræ placeret amantissimæ personæ, me in vestro concubitu ad libitum habere poteris. Et sanctus Vir religiosa simulatione respondit, dicens; Volo Et ganea, Quando vis veniam? Et Sanctus, Quacumque hora vis. Et illa; Nocte hac veniam. Et Dei Servus, Bono omine venias. Impudens autem meretricula ad Regem reversa, cum ingenti derisu et violento cachinno, dixit ei; Ecce, quem prædicatorem et Dei servum Ammiratus credebat, in ictu et momento uno ejus apparuit sanctitas; in nocte enim ventura mecum se concubiturum incunctanter spopondit.

experimentum ejus per se dandum offert meretricula; cui, se impudenter offerenti, noctem ille statuit.

46 Rex itaque subridens contra Ammiratum, ait; Ecce, quem virum Dei et servum Altissimi tenebas, quomodo ad unius seductionis vocem se promisit meretriculæ consensurum? Et Ammiratus ad Regem; Per muliebrem impulsionem purissimus Adam miserabiliter de Paradiso exiit; Sampson fortissimus oculorum visum turpiter perdidit; Salomon sapientissimus, idola fabricando et adorando, scientiæ acumen et Dei amorem amisit; Petrus, sanctæ Ecclesiæ Architectus et Apostolorum Princeps, ad F unius ancillæ vocem corruit; et quid mirum, si tantus homunculus isti horribili meretriculæ assensum præbuit? Tamen rei notitiam, si Regiæ placet Celsitudini, indagare subtiliter studeamus; credo equidem, quod fœdissima hæc ganea, divina favente clementia, probabitur per omnia esse mentita. Mittamus, si placet, providos exploratores et solicitos; qui clam stantes et perspicientes, agnita per eos veritate, rei exitum noscere valeamus. Ex Rex, Ita fiat, ut locutus es. Horrida ganea, ad Regem et ad Ammiratum respondens, dixit; Si hoc quod locuta sum effectui mancipare nequivero, numquam a conspectu vestro sine maximo dedecore recedere recuso vel exopto: et hæc dicens, a facie Regis abscessit.

Id illa refert Regi ejusque Ammirato

47 Confessor igitur Domini Guilielmus, de adventu pestiferæ mulieris præscius, divinitus admonitus, a suis sociis lignorum copiam afferri præcepit, et circa solis occasum in pyram composita, igne supposito in ingentem carbonum aggerem consumere fecit: ita ut, non solum ignis, verum etiam caminus immanissimus videretur, ignorantibus et mirantibus sociis quid ipse facturus esset. Et cum jam

sed ad lucu-lentum rogum

A jam totus orbis noctis caligine involveretur; ecce præscripta ganea venit, stibio et smigmate facie peruncta, vestibus prostibulariis et odoriferis, ornata cæsarie vittis et redimiculis composito capitis vertice theristro turrita, et omni decore decipiendi redimita. Et cum juxta Dei Servum, ut illum deluderet, resedisset, ait ei; En, ut condecet juvenem, flore juventutis pollentem, pulcherrimam juvenculam in tuo lectulo ad libitum habere poteris. Ad quam Sanctus; Et ego paratus sum : si vis in meo lectulo mecum jacere, te libentissime recipiam. Et illa : Ubi est cubiculum, ubi clam a sociis tuis tecum esse valeam? Et Dei Servus, Ego tibi et cubiculum et lectum in Dei mei nomine ostendam. Et protinus surgens, invocato nomine sanctissimæ et individuæ Trinitatis, et impresso Crucis signaculo, et exutis lacertis nudisque manibus, ignium prunas per medium divisit; et sacris suis exuviis, inter utraque prunarum incendia se intrepidus jactans, favillas ignium verrere studuit; et dum diu inter duos rogos, verrendo ad libitum, securus moraretur; stravit vestes, quibus prunas mundaverat : et procumbens extendit se in medio ignis, vocavitque puellam jam dictam, et ait illi, Ecce, in virtute Dei mei omnipo- B tentis, lectulum. in quo quiescere volo, paratum habeo, si placet, huc veni, et mecum quiesce. Cum autem, quamdiu voluit, in igne moratus est, alacer surrexit : et ita (se cœlesti protegente gratia) illæsus et inustus de incendio exiit, ut nec capitis capillus, nec pilus teguminis læsus incendio appareret. Videns autem impudens muliercula, quod factum fuerat, timore et admiratione perculsa et exterrita, deposita omni corporis compositione *q* et ornatu, confusa discessit; et veniens ad Dominum Regem, quæque dicta et facta fuerant ei narravit.

invitata a Sancto, nullam ustionem patiente, confusa discedit. q

48 Mane autem facto, exploratores, qui a Rege et a Georgio Ammirato missi fuerant, ut sancti Viri Guilielmi et ganeæ dicta et acta subtiliter perscrutarentur; cum maxima admiratione et cordis compunctione ad pedes Domini Regis terratenus prostrati lacrymabiliter, cuncta quæ audierant et viderant, seriatim eidem Domino Regi et Ammirato insinuare studuerunt. Audiens hæc Rex expergefactus, timor irruit super eum, et exhorruit facinus; pœnitens et dolens, quod Dei servum ausus fuerat deludendo tentare : gaudens vero Ammiratus exultavit super victoriam et gloriam viri Dei, quam super eum et in eum omnipotens Dominus osten- C dere dignatus est. Non multo post Christi Confessor Guilielmus ad Regis Curiam ingressus est, Sacra facturus et Evangelica monita prædicaturus; et videns eum Rex eminus ad se venientem, statim de solio suo prosiliens, ei obviam pariter cum Ammirato occurrit : et ad genua ejus simul procidentes, cum lacrymis veniam suppliciter postulabant, ut sui misertus, tam nefandissimum scelus sibi dimittere dignaretur, eo quod tantum Dei servum ausi sunt procaciter tentare. Quibus Dei famulus respondens, dixit; Absit, absit hoc a me, ut alicujus indignationis vel commotionis fervore erga vos perturbatus sim; non enim in me, nisi quod ad laudem Dei et divinæ Majestatis glorificationem redundare videtur, exercuistis : et ideo quod ad gloriam sui nominis omnipotens Deus operari dignatus est, mihi adscribere nolite; sed quod sua ineffabilis gratia in me patrare placuit, ad vestræ incredulitatis socordiam propellendam, et fidei constantiam roborandam, eum peregisse credatis. Ego enim homo peccator sum, pari creatione similis vobis conditus, humanæ naturæ conditioni subditus, membrorum ordine et qualiter constructus et compactus, carnis miseriæ expositus et subjectus; nihil in me, nisi quod humanum est, sentio et agnosco. Si autem

Quo intellecto delicti veniam Rex pœnitens petit, Sancto victoriam referente ad Deum.

Dominus in me, sua inenarrabili providentia aliquid D operatur; ad vestræ salutis augmentum eum facere non dubitetis. A. JOAN. DISCIP.

ANNOTATA D. P.

a *Anno* 1130 *juxta Jordanum.*

b Compsa, *vulgo* Conza, *urbs Archiepiscopalis, sed loco fere ad formam castelli redacto, Præsul residet in oppido S. Mennæ : hinc valli nomen : sed Ferrarius distinctius notat locum inter* Nuscum et Fanum S. Angeli, *cognomento* Lombardi *secundum Jordanum.*

c *Renda ait, quod* obedientiæ merito prophetiæ gradum fuit adeptus, *eumque postea Panormitani monasterii constitutum a Guilielmo Abbatem, dicit Jordanus ex Renda, qui* Sanctum *quoque vocat, cognomento* Eremitam : *sed hoc fortassis, confundendo ipsum cum alio, de quo supra. Addit autem idem Renda, quod* sanctitas vitæ *ejus* adhuc colitur a Siculis; atque ejus exemplo in Siciliæ partibus, mulierum et virorum, cum multa Siciliæ gloria et fama, fuerunt nonnulla templa constructa.

d *Nempe solum 4 milliaribus Guleto distabat ecclesia* S. Cæsarii.

e *Tuscanis aliud vox hæc sonat, quibus Feminine* E *quidem glandulosam strumam; Masculine* Coccio, *fragmentum testæ significat, juxta Academiæ Cruscanæ Vocabularium,*

f *Vulgo* Aironi, *latine* Ardea.

g Rogerium *hunc vocat Jordanus, ex familia Sanseverinatium* Dominum Montichii, *oppidi parum distantis a valle prædicta.*

h *Renda ait hunc Sancto desuper oranti iterum apparuisse, et consilium laudasse, jubendo* maximum monasterium *ibi condi. Rem autem executioni mandatam, ait item Jordanus, post hiemem anni* 1131; *additque Sanctum, causa consilii cum Fr. Gualtero Architecto capiendi, excurrisse in Montem-Virginis, ubi susceperit, tamquam Fundator monasterii, donationem* mense Maji, IX Indictionis *factam a quatuor fratribus,* Bernardo, Ademaro, Riccardo, et Roberto, filiis Gemmæ filii Joannis, qui fuit Judex. *Addit porro Ferrarius duos ibi discipulos excepisse Sanctum, Nuscanos ambos,* S. Amatum, *qui deinde Episcopus Nuscanus fuit et colitur* 30 *Augusti; et* Joannem *Vitæ scriptorem, cujus etiam ea sanctitas fuit, inquit Renda,* ut Joannes Sanctus appellaretur a cunctis.

i *Causam Jordanus allegat, pacem procurandam inter Rogerium Regem et Rainulfum Comitem Avellinum, qui uxorem Mathildam Rogerii sororem non satis* F *bene habere dicebatur : quare is, allegato Romam Rainulfo, sororem suam cum filio in Siciliam transmiserat : quod ægerrime is tulit, cum redux factum intellexit, atque per interpositos amicos conabatur utrumque recuperare. Rem ex Falcone Beneventano pluribus explicat Jordanus.*

k *Idem ait, hoc miraculo motos Beneventanos,* Guilielmo *tradidisse in ipsa sua civitate parochialem SS. Philippi et Jacobi, quam etiam tenet Guletanum cœnobium : ac mox subjungit, eidem ipso anno* 1232 *ab Episcopo Rapollensi donatam ecclesiam S. Mariæ de Perno, in territorio Atellano.*

l Binetta *distat Bario* 10 p. m. *Bitecto proxima. Jordanus cap.* 26 *refert hoc miraculum ad an.* 1138.

m Grotta delle Mosche : *hanc vicinam fuisse Guleto, æque ac ipsum campum, indicat Jordanus; remque adscribit an.* 1133, *quo toto istic moratus sit Sanctus : et utriusque miraculi fama Melfienses motos ait ad fundandum apud se Monacharum cœnobium, primum S. Mariæ, nunc S. Bartholomæi dictum.*

n Salpe *in Capitanata, antiquis* Salapia, *prope Aufidi ostium* 3 p. m. *a mari.*

o *Barii rem actam dicit Jordanus.*

P

A. JOAN. DISCIP.

A p *Ita Archithalassum vocant, quo munere donatum* Georgium, ab Antiochia *cognominatum, scribit Jordanus pag.* 363 *anno* 1131, *ubi initium notitiæ ejus cum Sancto refert ad an.* 1127, *quo is sit Avellinum amandatus a Rogerio, tunc adhuc Comite, ad Sororem ejus visitandam; et ea occasione Montem-Virginis adiens, intellexerit ex eo, Comitis res omnes, quas ipsius precibus commendabat, optime processuras. Brevi autem Rogerius acquisivit Apuliam fere totam, et Rex Siciliæ factus est.*

q *Renda :* Meretrix vero lacrymis immensis se suaque Confessoris Christi pedibus offerens, suæ sacræ Religionis habitum quærit; et ut prope Venusium conderet monasterium mulierum, exposcit. Quod Dei famulus exequi cupiens, a Rege licentiam petit : cui Rex se, regnum et suam curiam obtulit. Monasterium, ad meretricis conversæ libitum, sanctissimæ Virgini dedicans, construit aliud, ubi maximam mulierum copiam regulari jugo submittit : illam, cujus gratia monasterium condidit, in Abbatissam eligit, ac proprio nomine Agnetam vocat, substitutamque relinquit : ipsa vero tantam fuit religionis perfectionem adepta, quod a multis reputabatur ut Sancta. *Nota tamen Jordanus, hujusmodi* B *monasterii nullam nunc Venusii superesse memoriam, nec Monachas albi habitus.*

CAPUT VII.

Beneficia a Rogerio Rege impensa Sancto : hujus mors pia.

Intelligens itaque Rex et perpendens, non jactantiæ causa, non arrogantiæ fastu sanctum Virum sibi affari, respondens, dixit ad eum : Ut asseris, Reverende Pater, ratum et certum est, clementissimum Deum, ad nostræ salutis proventum, sua ineffabili gratia virtutes et miracula operari; sed quia per electos suos, quos a mundi exordio, ad expellendas infidelitatis tenebras, et illuminanda fidei radiis corda fidelium, providendo elegit, de eorum numero te ipse misit, cui sit laus et gloria semper et per infinita seculorum secula; qui nostris temporibus Regno nostro talem delegavit doctorem et illuminatorem. Nisi enim carnis incendia et vitiorum æstus Spiritus sanctus cœlitus in te non extinxisset, materialis ignis incendium, ut te exurere non prævaleret, contra naturam Deus C nullatenus permutaret : sed sicut te a vitiis liberum, ita cooperante Spiritus sancti gratia, virtutibus uberrimis confidimus fore perfusum. Et ideo ex hac hora et deinceps, non simpliciter ut Dei Servum, sed ut Apostolum et divinum nuntium, nos te diligere et venerari profitemur. Ab illo ergo die Rex cœlitus inspiratus, de personis Religiosis totius regni neminem cariorem et amabiliorem S. Guilielmo penes se habuit : et ita humiliter et devote eum audiebat, acsi Petrum Apostolum sibi loquentem contueretur : credens, illum non per se loquentem, sed per eum, qui per Psalmistam loquitur, dicens; Aperi os tuum, et ego implebo illud : et ita caritatis fervore eum dilexit, quod (sicut vulgari proverbio dicitur, De vite vera et fructifera malleolum inserere noli dubitare) etiam amore et devotione illius inductus, de suis discipulis monasterium, ad faciem Panormitani palatii in visu aulæ Regiæ, ad honorem S. Joannis construere diligentissime *a* studuit; unde usque hodie, in memoriam S. Guilielmi Confessoris et Eremitæ, monasterium S. Joannis Eremitarum *b* vocitatur. Ac insuper ipsius sancti Viri devotione totam congregationem in suæ Regiæ majestatis protectionem suscepit; eamque nonnullis gratiis, favoribus, exemptionibus, bonorumque concessionibus ditavit et illustravit, prout ex his duobus infra notatis privilegiis res constat aperte. D

Rex. S. Guilielmum cœlitus sibi datum credens,

devote ejus consilia audit,

Ps. 80, 11

eique monasterium Panormi erigit;

50 In nomine sanctissimæ et individuæ Trinitatis, etc. Cum trino salutis remedio, orationibus videlicet, jejuniis et eleemosynis, fidelium, tam vivorum quam mortuorum animas a tenebrarum pœnis posse liberari, divina testetur Pagina; justum est, ut quisquis fidelium, dum superstes est, ad ista animi intentionem summopere advertat; quæ si digna fiant, et jam defunctis prosint, et adhuc in carne, de gentibus, si in finem usque bene operando perseveraverint (sicut in Evangelio legitur) salus æterna promittitur. Nos itaque Rogerius divina favente clementia Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, et Principatus Capuæ, audito frequentius (quod in Evangelio legitur) Abscondite eleemosynam in sinu pauperis, et ipsa orabit pro vobis ad Dominum, salutem promissam attendentes, Frater in Christo Guilielme, S. Mariæ Montis Virginis Prælate, quia sancte ac religiose Dei servitio sine intermissione orando invigilas, et tuis tuæque Congregationis et aliorum Religiosorum sanctis orationibus, divina præeunte misericordia, relevari confidimus; justo voto dignæque petitioni tuæ, pietate moti, acquiescere dignum duximus. Eapropter pro salute animarum E patris nostri Comitis Rogerii, et matris nostræ Abdelaidæ, et Reginæ Alviriæ beatarum memoriarum ceterorumque parentum nostrorum, tam vivorum quam defunctorum; ecclesiæ S. Mariæ montis Virginis, cui præesse videris, et tibi tuisque successoribus, in eodem loco sub Religionis Regula degentibus, libere et quiete in perpetuum habere et tenere, omnes ecclesias et obedientias, atque earumdem possessiones, quas possidetis et hactenus possedistis, aut in posterum emptione, donatione, concambio, seu justo quolibet donationis titulo (Domino annuente) poteritis adipisci, rata esse volumus, et auctoritate Regia confirmamus; tenimenta etiam et universa mobilia et immobilia, et supradictam ecclesiam cum omnibus obedientiis et pertinentiis suis, et personis eis subjectis, in quacumque parte Regni nostri commorantibus, in protectionem nostræ Majestatis recipimus, et præsenti privilegio communimus. Concedimus etiam, ut si Fratres ejusdem ecclesiæ, ad usum et utilitatem ipsorum, aliquid emerint per se vel per nuntios proprios; nullum propter hoc in toto Regno nostro plateaticum exigatur. Si vero prædicti Fratres aliquid de rebus ecclesiæ vendiderint, nullum ex pretio venditarum rerum plateaticum *c* cogantur exsolvere; et ubicumque per totum regnum nostrum præfatæ ecclesiæ homines pannos emerint, pro indumentis Monachorum et aliorum hominum suorum, vel aliquid aliud, nemo sit, qui aliquid eis de rebus ipsis, plazam vel aliquam justitiam pro parte Curiæ exigat aut tollat; sed prædicto modo libere et absque exactione vendant et emant. Concedimus etiam, ut de animalibus, quæ ad jus prædictæ ecclesiæ spectare videntur, nullus herbaticum aut aquaticum tollat vel exigat, aut aliquam aliam faciat exactionem; sed omnia alia ipsorum secure, sub nostra protectione et libere pascantur per totum Regnum nostrum, in quacumque parte fuerint reperta. F

et eleemosynis juvare eos volens,

quorum precibus sperabat defendi,

ecclesiæ Montis Virginis possessiones declarat liberas

ab omni onere,

c in emendo, vendendo,

et pascendo,

51 Præcipimus etiam Regia auctoritate, ut homines qui ad jus prædictæ ecclesiæ pertinent, vel (Domino dante) in futurum pertinere noscentur, nullum gravamen ab aliquo vel molestiam patiantur, nec aliquis audeat exactionem aut coltam in eis facere, in quacumque parte Regni nostri fuerint reperti aut degere videbuntur; auctoritate Regis prohibentes omnibus, tam clericis quam laicis ditioni nostræ subjectis, ne quis eorum, insanæ mentis

item quoad homines ad ipsam spectantes,

A tis furore pulsus, præfatas ecclesias, obedientias, possessiones, seu servos Dei vel ancillas Christi, ibidem sive alibi die noctuque continuis orationibus insistentes, et pro nobis et Regni nostri statu Omnipotentis gratiam interpellantes, sive aliquos vel aliquas qui prænominatis ecclesiis, vel tibi, vel successoribus tuis spontane se obtulerit, nullatenus inquietare vel molestare præsumat; nec ulli Episcoporum de bonis earumdem ecclesiarum subtrahere, vel auferre, vel præter canonicam obedientiam ab *et bona imposterum acquirenda,* eis aliquid violenter exigere ullatenus audeat. Præterea volumus, et præsenti Privilegio sancimus, ut si quis Prælatorum nostrorum seu Principum nobilium, sive cujuscumque sint conditionis, prædictæ ecclesiæ S. Mariæ Montis Virginis, et tibi, aut tuis successoribus caritatis suæ beneficium impertiri voluerit; (salvo regiæ Majestatis jure) libere habeatis et pacifice possideatis. Hoc autem constitutum, pro salute prædecessorum nostrorum, et peccatorum nostrorum heredumque nostrorum remedio, fecimus. Si qua igitur persona de regno nostro huic privilegio contraire tentaverit; centum libras auri Regali Curiæ persolvat, et ecclesiæ S. Mariæ B Montis Virginis libras auri quinquaginta. Quodsi persona de regno nostro non fuerit, quæ nostra sancita violare præsumpserit; anathematis gladio fodiatur, et Omnipotentis Dei, Patris et Filii, et Spiritus sancti iram sentiat sempiternam, nisi resipuerit et congrua satisfactione correxerit. † Amen † Amen † Amen †

† Signum Guilielmi, Dei gratia Principis Taranti, filii Regis.

† Signum Guilielmi Caput-asini.

† Signum Gaufr. Malleo Venat.

† Signum Sighefi. Castell. testis.

Ego Robertus Marissen. testis.

Locus sigilli, quatuor minimum uncias in diametro habentis, cum hoc circumscripto † BENEDICTUS † DEUS ET † PATER † DOMINI NOSTRI † XPI. Inter *anno 1137.* angulos autem crucis rectangulæ sic. Datum Panormi, per manum Magistri Thomæ Capellani Regis, octavo Kalen. Septembris, Indictione XV, Incarnationis Dominicæ anno MCXXXVII.

ROG.	REX
DEI GRA.	SICILIÆ
DUCA-	ET PRIN-
TUS A-	CIPATUS
C PULIÆ	CAPUÆ.

52 *Aliud, idem prorsus exordium habens usque ad signum* * Nos *inquit,* Rogerius *et* attendentes, Pater sancte in Christo Guilielme, *etc...* concedimus *d* Ecclesiam S. Mariæ, de Ruffiniana *d* tibi tuisque successoribus, sub Religionis regula de gentibus, libere et quiete in perpetuum habere et tenere.... *Anno 1140* Auctoritate regia prohibentes, *ut supra usque finem um sub iisdem pœnis, iisdemque subscribentibusatque eodem sigillo : et additur,* Datum Panormi per manus Magistri Thomæ Cappellani Regis, octavo Kalen. Decembris, Indict. III Incarnationis Dominicæ anno *e* MCXXXX, regni vero Regis Rogerii anno decimo. *e*

53 Ejus igitur sanctitatis fama per Regiones crebrescente, et prædicationis suæ verbo personante, *multis utriusque sexus accedentibus,* viri, relinquentes uxores, filios, fratres et sorores, et seculares divitias, ad ejus Religionis magisterium gliscenti animo convolabant: mulieres, virorum respuentes connubia, ei ardenti devotione adhærebant; virgines, nuptias spernentes, et abhorrentes mundi oblectamenta, et Christo copulari cupientes, sancti Viri Guilielmi consortium flagranti desiderio *plura condit monasteria* amplecti peroptabant: de utroque sexu tamen, virorum scilicet et feminarum, superna cooperante gratia, plurima condidit monasteria, in quibus, du- D *A. JOAN. DISCIP.* ctu et meritis B. Guilielmi Confessoris, jugiter laudatur, benedicitur et glorificatur sancta et individua Trinitas, Deus noster, cui est honor et gloria, per infinita seculorum secula. Amen.

54 Annis itaque jam octo a constitutione monasterii, quod ad honorem Domini et Salvatoris condiderat, evolutis; sui obitus diem vicinum esse *Optat extremum loqui Regi,* prænoscens, vehementi flagrabat desiderio, cum prænominato Rege Rogerio, sicut solitus fuerat, habere colloquium; videlicet, ne prius e vita excederet, quam de justitiæ patrocinio sibi commissæ, regiæ affabilitatis prudentiam admoneret, eumque suæ sanctitatis exhilararet præsentia; nemo namque suis temporibus ipsi fuerat carior, nemo acceptabilior, nemo cujus unquam apud regiam Dignitatem tanti constaret auctoritas. Ubi ergo de ejus adventu certo comperit nuntio; sub omni celeritate properans ad Regem, Salernum perrexit. Postquam igitur de suo adventu auribus Regis innotuit, illico per suum Cancellarium et Ammiratum honorifice *a quo Salerni honorifice exceptus,* eum ad se duci præcepit. Cum autem jam juxta cameram suam illum adesse cognovit, de solio ipse consurgens (deposito diademate) obvium salutavit, eumque per manum acceptum, usque ad locum, quo E erat sessurus perduxit. Omnibus ergo silentibus, talibus est vir Dei exorsus alloquiis: Prout vestra, Rex, novit prudentia, frequenter te tamquam filium visitare consuevi, frequenter te admonere curavi, et ad memoriam tuam reducere studui, quatenus temporalibus bonis ita utaris, et tuo sic præsideas regno, ut æternorum non oblitus, tota cordis intentione Christo soli deservias. Nil tuis viribus, nil moribus, nil divitiis, nil tuo ingenio, nil tuæ strenuitati, sed soli Deo adscribas; ipse est enim per quem reges regnant, et conditores legum justa decernunt. Hic, quod habes, tibi subdidit regnum, et *eidem extrema dat monita,* de omnibus hostibus triumphare concessit, et te in pace custodiens tuum Regnum augere non cessat. Nunc idem, Rex, moneo, idem repeto, et ultima vice inculco; nam, nec ad te ulterius veniam; nec, si pro me veneris, poteris invenire.

55 Et Rex: Quid est Pater, quod audio? Quid est, quod sancto profers ab ore? Numquid indignationis fervore talia loqueris? Si quid in sanctitatem tuam deliqui, paratus sum emendare, et vestræ sanctitatis consiliis libentius obtemperare. Et sanctus; Nulla est, Rex, indignatio; nulla est cordis commotio; plura super hoc tibi fari prohibeor. Tu F ergo, secundum prudentiam cœlitus tibi collatam, *ac valedicit.* quæ sint dicta concipias: æquitatis et justitiæ, sicut hactenus (Domino auxiliante) fuisti defensor et tutor, diligentius etiam, (si potes) de cetero patronus existas. Honor etenim Regis, sicut Psalmista testatur, justitiam diligit. Populum Dei tibi subditum *Ps. 98, 4* commendo; Fratribus et Sororibus meis a nemine in tuo regno injuriam fieri permittas; quatenus de tranquillitate et pace regni, in quiete manentes, Deum valeant obsecrare. His dictis a Rege, etsi invito, licentia petita, ad Monasterium repedavit.

56 Sequenti die; peracto Sacro, conventum *similiter et Sanctimonialibus suis:* Sanctimonialium est ingressus; et soluto Capitulo, ab hora prima usque ad tertiam, de continentia, et divini amoris fervore egregius prædicator eas admonuit. Ad ultimum vero sui sermonis, id subdere non est oblitus; Sorores et filiæ, usque nunc (Deo volente) vos, ut melius potui, custodivi; si bene, Deo cogratulor; si male, mihi contristor; nunc autem valde admoneo, ut amodo instantius contra antiqui hostis insidias vigiletis. Nullam præteriti temporis securam reddat victoria, nullam præteritæ vitæ triumphus oblectet, sed potius audiat, Ne glorieris in crastinum, nescis enim quid

A quid venturus pariat dies. Non est quippe nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi hujus rectores et tenebrarum, adversus spiritualia nequitiæ in cœlestibus. Magnis denique inimicorum circundamur agminibus; omnia plena sunt hostibus; qui cum multa possideant, ea pro nihilo computantes, quæ divini juris sunt absorbere desiderant. Volunt quemlibet seducere, Saul, Regem a Domino electum, et Judam Apostolum supplantavere; unde de diabolo legitur, Escæ ejus electæ; et alibi, Absorbebit fluvium et non mirabitur, et habebit fiduciam quod influat Jordanis in os ejus. Ideo, carissimæ mihi in Domino, vos admonere tantopere studeo, ut omni diligentia corda vestra custodiatis: meum enim jam consilium et solatium in proximo deficiet. Quo audito ingemiscentes Sanctimoniales interrogant, cur talia diceret, cum eum præcipue sanum et incolumem esse viderent? Ad quas et ipse; Nolo vos, filiæ, latere; nolo in occulto vobis habere. Tempus instat, tempus prope est, in sequenti hebdomada, consummato cursu mei laboris, ad bravium, ab æterno mihi destinatum, felici passu B perveniam. Quod postquam sanctæ mulieres percipiunt, intimo cordis dolore perculsæ, largis incipiunt fletibus ora perfundere; quarum lacrymas et dolores nequiens venerabilis vir paternæ pietatis visceribus tolerare, ab eis est, petita licentia, egressus.

A. JOAN DISCIP. ipsisque perseverantium apprecatus,

instare sibi mortem prædicit;

57 Die vero sequenti dolore capitis laborare cœpit; septimo die ad ecclesiam se duci, et ante Crucem deponi fecit: ubi cum rogaretur a Sororibus, ut, vel pelliculas, quas ad pedes habebant, substerni permitteret, nec audire voluit, prohibens, ut nec etiam post mortem vestis sibi aliqua mutaretur. Sequenti nocte ad galli cantum venerabilis Confessor Christi, carnis ereptus ergastulo, ad regna cœlestia Domino vocante migravit, anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo quadragesimo secundo, regni vero Rogerii Illustrissimi Regis duodecimo, Indictione quinta, septimo Kalendas Julii. Ad cujus exequias multitudo maxima populi concurrit: in qua mulier quædam pervenit, quæ per multum temporis auditum amiserat; hæc meritis ejus confidens, digitum ejusdem sancti Viri in aurem suam misit, et mox auditum recepit. Hujus beati Viri sacratissimum corpus, in eadem ecclesia sancti Sal-C vatoris de Guleto, ubi mortuus est, reconditum fuit sub altari marmoreo, in ædicula, ad sinistram partem ipsius ecclesiæ, paulo post ejus mortem, ab Agnete Abbatissa Sanctimonialium erecta, ipsique beato *f* Viro dicata; et in marmore utriusque arcus ædiculæ, ad perpetuam rei memoriam, hoc epitaphium reperitur incisum.

et moritur anno 1142.

Surda curatur

Corpus sub altari in proprio Sacello

cum Epitaphio.

Clauditur hoc opere homo sanctitatis;
Per quem Christo redolent flores honestatis.
Is in terris extitit cultor Trinitatis,
Et amicus unicæ veræ Deitatis.
Cœnobitas regulans Guilielmus est vocatus,
Modo cui cum Superis gaudet laureatus;
Carnem inops domuit gratia ditatus,
Qui nunc æternis epulis constat invitatus.
Auxit hanc Basilicam Agnes Abbatissa.
Huic sacrum tumulo corpus locat ipsa.
Hic Laudis Officia redduntur, et Missa;
Nos Deus ad præmia ducat repromissa:
Hoc opus eximium Ursus laboravit,
Istud suis digitis Artifex paravit.
Hujus loci Populum ille, qui creavit
Suis ducat meritis, eum quo locavit.

D

ANNOTATA D. P.

a *Renda ait, ea causa vocatum Sanctum a Rege Panormum, idque anno* 1136 *adscribit Jordanus.*

b *Lelius, in Descriptione Montis-regalis, indicat (et idem affirmat Jordanus) monasterium illud alienatum ab ordine, et Monachis Montis-regalis traditum; qui nihilominus adhuc reverenter servent aliquam ipsius* S. Guilielmi Reliquiam: præcipuum *tamen* monasterium Monialium, S. Salvatoris nomine, *ait Renda,* (et adhuc ita dicitur) Panormi idem S. Guilielmus ædificavit: cujus religionis habitum suscepit Serenissima Constantia, proneptis Rogerii Regis. *Paulus Regius* filiam *fuisse ait. Sed et hæ deinde ad Habitum nigrum, et S. Basilii Regulam transierunt.*

c Plateaticum, *quodvis tributum interpretatur Cangius in Glossario, multisque probat exemplis; et sic etiam* Plaza *mox dici videtur, vox detorta ex Latino* Platea.

d *Alias* Vulfiniana, *inquit Jordanus: quin et producit donationem anni* 1141, *qua* Jacobus, Gratia Dei et Regis Minervini Dominus; Tibi, *inquit*, Domine Guilielmi, Eremitæ ecclesiæ S. Mariæ Coronatæ, quæ est in territorio Bulfinianæ, *etc.* E

e *Existimat Jordanus, Sanctum hoc an.* 1140 *accessisse Regem, Salerni agentem; cum eoque Panormum navigasse, causa revisendorum cœnobiorum, ibi noviter erectorum. Solvit autem Rex, teste Falcone Beneventano,* quarto die intrantis mensis Octobris.

f *Jordanus describit* capellam, ad sinistram altaris majoris per modum cupulæ fabricatam cum columnis, epistyliis, statunculis, antiqui sed valde speciosi operis, supra quod adstat statua ipsius S. Guilielmi et Abbatissæ Agnetis, quæ fabricandam capellam curavit. Sub ipsa vero cupula sanctum est altare lapideum, ac supra ipsum collocata lignea ad modum viventis statua, sicuti in præsentiarum videre est, *inquit ille* an. 1649 *librum suum evulgans. Ego petii accurate delineari opus totum æri incidendum, ad conservandam apud posteros memoriam.*

CAPUT VIII.

Miracula patrata post a *mortem.*

a

Anno ab Incarnatione D. N. Jesu Christi millesimo centesimo octogesimo quinto, quadragesimo autem tertio suæ migrationis anno, mense Aprilis, quod F per sancti Viri merita omnipotens Deus, ex alto prospectans, patrare sua ineffabili pietate dignatus est, orthodoxis omnibus, in Matris Ecclesiæ gremio constitutis, qui Sanctorum virtutes et exempla devote imitantes, animos ad sublimia Regna sustollere satagunt, caritatis studio intimare curamus; quatenus ad amorem nostri Conditoris ardentius ferveant, et Sanctorum magnalia alacri animo tripudianter extollant. Erat igitur quædam Nuscanæ civitatis indigena, quæ orbata utroque parente remanserat domi, cum uterina sorore sua se juniore, omni destituta solatio. Huic erat avia quædam anus, quæ licet inops et egestate confecta, materno tamen affectu post parentum decessum utramque neptem suscepit in curam. Quadam vero die vetula illa hortata est majorem sororem, ut causa deferendi olera ad vineam iret. Quæ cum abiisset, et se incurvasset ut olus colligeret, suo infortunio, ingruente quadam ægritudine, quæ quasi paralysis videbatur, subito tam graviter et immoderate invaditur, quod numquam simili modo aliquem in nostris oris tam valide invasum tali infirmitate recoleremus. Nam totius unius lateris membrorum vim et libertatem ita repente amisit, ut ea sua nullatenus deputaret. Itaque dexteri

Anno 1195

Nuscana puella,

uno latere paralytica,

A dexteri lateris membra tremula, videlicet, humerum, brachium, manum, tibiam, pedem, cum mœrore sic vegetabat; acsi alterius ponderis veheret gravedinem: sæpissime vero ægra manu et pede agitando miseros artus, se invita corpus suum impetuose crebris ictibus percutiebat; nec quidquam se inde cohibere valens, tamquam si alicujus extranei pugnis et pedis ictibus immoderatius feriretur. Linguæ etiam officium non nisi impeditiori et tardiori prolatione edere poterat. Per spatium vero unius anni et eo amplius, cum magno ejulatu se miseram clamitans, suam infirmitatem miserabiliter bajulabat. Quorumdam denique Sanctorum limina, ut sui Dominus misereretur, expetierat; nec tandem obtinere valuit quod poscebat.

post annum morbi,

59 At ubi divina clementia, ejus compatiens miseriæ, voluit eam ad pristinæ sospitatis reparari officia, et B. Guilielmi clarius et lucidius prædicare magnalia; sorori suæ juniori mater per visum apparuit, dicens; Filia, nonne gravi ægritudine premitur soror tua? Cui illa respondens, aiebat; O mater, utinam divino potius nutu diem clausisset extremum, quam sic vita comite permaneret! Et illa; Si vultis ut ad integrum amissam recuperet B sanitatem, et priorum membrorum suorum obtineat vigorem, S. Guilielmi Confessoris Christi quanto citius adeat tumulum; ibique excubias nocte una vobiscum concelebret, beati Viri merita implorantes, et suo pio interventu divina Majestas sui misereri dignaretur; Dominicique corporis et sanguinis Communionem ferventer et humiliter in ejus Ecclesia suscipiat; et sic sancti Confessoris Domini præcibus salute recepta, lætabunde exultantes ad domum cum gaudio repedabitis. Hæc illa dicente, ecce in eadem visione apparuit eidem puellæ quidam vir statura mirabilis, vultu decorus, dicens ei; Surgite, et domum meam adeuntes visitate, et Deo operante soror tua sanissima et incolumis ad propria cum gaudio revertetur: et illa, Ecquis es tu, Domine, qui mihi talia loqueris? At ille respondens, aiebat: Ego sum Guilielmus, fundator ejusdem domus. Et hæc dicens, ab oculis ejus disparuit. Igitur puella mane consurgens, cuncta quæ audierat et viderat in somnis a matre, vetulæ suæ aviæ et ægræ sorori seriatim narravit. Vetula denique hoc audiens, alicujus moræ impatiens, ad ecclesiam Dei, quæ ad honorem S. Salvatoris Jesu Christi constructa esse conspicitur, ubi corpus B. Guilielmi quiescit, cum C utraque nepte, ægra videlicet et sana, citius venit; et juxta somnii revelationem coram ejus tumba pernoctantes, precibus et lacrymis cum suspiriis et singultibus Sanctum Dei deposcere non desistebant, ut suis intervenientibus meritis, omnipotentis Dei misericordia sibi subvenire dignaretur. Circa autem mediam noctis horam, ægra puella parumper se sopori dedit; et extemplo evigilans, ita incolumitati pristinæ restitutam se persensit, acsi numquam cujuspiam infirmitatis molestia contacta etiam tenuiter extitisset. Mane autem facto ad sacrosanctum altare humiliter accedens, cum omni reverentia Corpus et Sanguinem Christi per Sacerdotis manus accepit; et gaudens atque exultans, Deo et S. Guillielmo, pro suæ salutis reparatione, gratias egit; et sic sospes et gratulabunda, cum vetula et sorore sua, ad propria remeavit cum gaudio.

per duplicem sorori oblatam visionem

monetur ad Sancti corpus accedere,

ibique integram recipit sanitatem.

60 Humanæ generationis devotio, quæ cultui nostræ fidei et actibus sanctitatis insistit, tanto latius in divinis egreditur laudibus, quanto sacris omnipotentis Regis æterni virtutibus crebrius illustratur. Postquam denique ipse Dei Omnipotentis filius Jesus Christus Dominus noster, imperio cujus omnia inclinantur, pro nobis voluit se inclinare, egressus a sede superna, nostræ carnis ergastula pie intrans, factus est pauper; ut nobis virtute pauperibus opem ferret; factus est æger, ut nos ab ægritudine liberaret; se pœnæ tradidit, ut nos a pœnarum solveret cruciatu; dignum fore conspicitur suis nos insistere laudibus, et toto mentis conamine ejus nomen mirificum assidue debere venerari; cui etiam non tantum humanum genus, sub potestate tyrannica Protoplasti superbia detentum in vinculis, placuit liberare; verum equidem tantam eidem dignatus est gratiam impertiri, ut consors sanctorum fieret Angelorum; et unde Angelus, veneno repletus superbiæ, veste pulchritudinis et gratiæ felicis exutus, superna Majestate dejectus, ruinam meruit; innocentis Agni cruore redemptum, ejusque humilitatis exemplo instructum, illuc elevaretur per gratiam. Ad hoc autem Angelorum consortium tanto quis erigitur festinanter, quanto renuntiatis curis, hujusque seculi dignitatibus, spretis carnis voluptatibus universis, sibi Deo totis desideriis totisque viribus servire plurimum concupiscit. Hujus itaque societatis et gaudii Confessor Domini Guilielmus cupiens particeps fieri, tanto studio, tantaque devotione ab annis puerilibus Domino studuit famulari, ut nihil, præter victum tenuem, rerum mundanarum affectans, sanctorum E Patrum vestigia omni desiderio imitari studuerit. Cumque felix principium, felix quærat medium et extremum; Confessor Domini felix principium per suæ vitæ medium ad finem duxit beatum; ut non tantum vivente corpore, sævientis hostis, virus in humanum genus fundentis, a compluribus invocato Christi nomine dejiceret superbiam; verum etiam post sui obitum, quamplures ipsius venenosi draconis, casum humani generis sitientis, crudeli detentos laqueo voluit sui Confessoris meritis liberare.

Postquam Deus, pro homine homo factus

A. JOANNE DISCIP. D

B. Guilielmum sibi sociarit in gloria.

61 Anno itaque suæ migrationis centesimo sexto decimo, miraculum, quod Omnipotens Dominus ejus meritis ostendere dignatus est, cum lingua carnis tanti Creatoris laudes silere non debeat, operæ pretium est ut cunctis fidelibus elucescat. Erat eo tempore quædam mulier de Oppido Paterni *b*, quæ propter humana scelera, per plures dies tam miserabiliter fuerat a dæmonio fatigata, quod eam nequam spiritus comedere vel bibere, nec nocte dieque per unius momenti spatium quiescere permittebat. Erat denique ipsius aspectus deterrimus, lumina sanguinea amaritudinis felle suffusa, facies ejus exhausta, F et velut fumi obscuritate denigrata, spirandi et respirandi actione terribilis et inordinata, cunctis speculum et ad intuendum horribilis facta. Cumque eam consanguinei ac universi ejusdem noti, ab immundo spiritu tam crudeliter vexari conspicerent, et hostem humani generis voce terribili sine intermissione clamantem audirent; Dei Confessoris Guilielmi precibus, et meritis divina voluntate confisi, non sine magno conamine ad monasterium, ubi pretiosissimum ejus humatum est corpus, eamdem miseram constrictam vinculis adduxerunt. Statim autem, ut ad sacrum Viri sancti pervenit tumulum, illico dæmon ore mulieris præfatæ clamare cœpit, dicens, se S. Guilielmi [meritis] vinci debere, et confusum atque devictum a Dei creatura recedere.

b Anno 1258 mulier Paternen. energumena

ducta ad illius tumulum,

62 Facto autem sero, celebratis Dei Genitricis Vigiliis, sicut diu consuetum extiterat; se totus Conventus ad Christi misericordiam impetrandam, pro tanto mulieris infelicis periculo cum lacrymis et suspiriis integra nocte in oratione prostravit: in qua denique nocte, quanta fecerit, quantaque inimicus ille humani generis insidiator dixerit, non est facile declarare. Surgente vero mane, divino Missæ officio, quod quolibet die Sabbati, ad memoratæ Virginis honorem et gloriam canitur, jam incepto; sperans iniquus hostis Dei famulos a pia devotione movere, cœpit ore

post fusas tota nocte pro ea preces,

A ore ipsiusmet mulieris clamare, servum Domini Guilielmum tantæ non esse potentiæ, ut eum, prout prius dixerat, extra posset ejicere. Et hæc dicens. statim apparuit potentia Summi Dei; quoniam mulier quæ prius oculos aperire nequibat, convertens caput, imaginem sancti Patris aspiciens, ad eam accessit; et tremebunda osculari plurimum ipsam cœpit; inter hoc, omnibus admirantibus, mulier illa erexit oculos, Christi pretiosissimi aspiciens corpus, elevatum Sacerdotis manibus celebrantis officium, divina manu ab hoste nequissimo penitus liberata: manusque ad cœlum pandens, læta cum gaudio clamavit, dicens, Laudetur et glorificetur Deus, et ejus nomen sit benedictum in secula, quia recte agnosco et sentio istud esse corpus illius, qui pro nostra salute de cœlo descendit ad terras; incarnari, mori, et resurgere tertia die voluit; qui ascendit in cœlum, et sedet ad dexteram Patris, et venturus est judicare vivos et mortuos; qui etiam me infelicem et miseram, B. Guilielmi Confessoris precibus et meritis, dignatus est ab hostili laqueo liberare; cujus nomen sit benedictum et exaltatum, in secula seculorum. Et hæc dicens, lacrymas præ gaudio fundens, se tota die coram sancti Viri tumulo in oratione prostravit: altera autem die Sacerdoti confessa est, a cujus manibus omni desiderio pretiosissimum Christi suscepit corpus. Cuncti vero, tantum ac tale miraculum intuentes, cœperunt excelsis vocibus laudare clementiam Salvatoris, qui talia per suum famulum Guilielmum dignatus est operari; ipsa vero exultans, ingenti gaudio repedavit ad propria cum salute.

A. JOAN. DISCIP. corpus Christi sub Missa videt, seque liberatam profitetur.

B

63 Paucis diebus interea postmodum evolutis, arduum aliud et insigne miraculum, almi Confessoris Guilielmi precibus, pie pius Dominus voluit operari quod ad laudem et gloriam sui nominis, et sancti Viri merita declaranda, juxta meæ parvitatis ingenium, prout mihi gratia a Datore dabitur gratiarum cunctis fidelibus pandere minime recusabo. Erat eo tempore fere annorum duodecim quædam puella c Maranensis; quæ ob rerum inopiam mundanarum a domo suæ matris egrediens, Monticuli d Castrum advenit, sperans ibidem ab aliquo beneficio caritatis, saltem a se depellere famis austeritatem. Hujus postquam pauperiem depressam nimium quædam mulier lumine pietatis aspexit, afflata divino spiritu, eamdem velut spiritualem filiam sui suscepit in curam. Quadam vero die, cum hilaris et incolumis, causa lavandi, jussu suæ spiritualis Matris, ad flumen solito more pergeret, et nullam sui corporis læsionem sentiret; subito nequitiæ spiritus, tumore superbiæ a cœlo depulsus, qui in caliginosa hujus aeris nocte humanis semper insidiatur profectibus eam tam crudeliter vexare cœpit; quod omnes eamdem videntes, timore et admiratione perterriti, quid agerent nesciebant. Ipsa denique die infelix illa puella totum latus amisit; et sic unius partis sui corporis organa videbantur contracta, necnon etiam ab omni humore consumpta, acsi spasmosam ægritudinem longo tractu temporis incurrisset. Cumque eam quamplures tam acriter infirmari, et molestari a spiritu superbiæ conspicerent, pietatis et misericordiæ ardore accensi; per diversas Sanctorum Reliquias, ut tam afflictæ puellæ summa pietas misericordiam elargiri dignaretur, eamdem miseram misericorditer perduxerunt.

Puella Maranensis, c d

C *invasa a dæmone, factaque hemiplectica,*

64 Cum autem salutis gratia eidem miseræ negaretur, et de suæ liberationis remedio in eorum cordibus desperatio esset orta; infelix rumor ad aures ipsius corporalis pervenit matris, actum tanti discriminis ignorantis. Quæ cum hoc audisset, dilaniata facie, scissisque vestibus, quanto citius præcurrit, et infelicem natam infelix mater melius, prout potuit, in tanto periculo positam custodivit. Cumque D mater etiam de salute suæ natæ fiduciam non haberet, et penitus quid ageret ignoraret; eadem nocte Confessor Domini Guilielmus per visionem apparuit puellæ, dicens; Noli timere, filia, sed surge quanto citius, et meum studeas tumulum visitare, et eris a cruciatu dæmonis et ab omni ægritudine liberata. Facto autem mane, quod vidit puella, potius nutu quam voce, matri studuit declarare. Postquam autem, ad Dei servi pervenit tumulum, statim dæmon ore ipsius puellæ se miserum esse clamans, dixit, se sancti Confessoris potentia expelli debere; et puellam, ipsius Confessoris Guilielmi auxilio, ab omni ægritudine liberari. His autem auditis, Sanctimonialium Conventus totus se cum lacrymis et orationibus in terra prostravit, et pro salute tam infelicis puellæ, cum psalmis, hymnis et canticis divinam orare clementiam minime quiescebant.

ab apparente Sancto confortatur,

65 Inter hæc dæmon, ore puellæ clamabat dicens Cur me pellis, Confessor Guilielme? Cur me pellis? et quo me ducere proponis? Et adjungens, Exuite puellam Christicolam, et eam vestimentis vestræ religionis induite; et quæ fert indumenta, per me multoties inquinata, igni tradite; nam ego, ut ignis comburor, et ante Guilielmi præsentiam amplius E manere non valeo. Statim autem, ut hoc extitit operatum (mira res!) puellæ guttura cœperunt tumescere, lumina cruore repleri, labia et facies undique denigrari, alta a corde suspiria emanare, et symptomata ab omnibus ejusdem membris organicis amaræ mortis emergere. Enimvero, cum in tam ingenti periculo præfata puella consisteret, ut cum sputo sanguinem corruptum nigrumque emitteret; ei misericordia non defuit Salvatoris: sancti Confessoris Guilielmi precibus adjurata, extitit a cruciatu dæmonis et ab omni membrorum contractione et ægritudine subito liberata. Cuncti vero tanta ac talia cernentes miracula, Domino et S. Guilielmo, expansis ad cœlum manibus, gaudio et admiratione repleti, immensis vocibus laudes et gratias reddiderunt. Ipsa vero puella, una cum ceteris secum venientibus, Jesu Christi magnalia collaudantes, felici repleti lætitia, ad propria repedavit, ad laudem et gloriam D. N. Jesu Christi qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per infinita secula seculorum. Amen.

et coram ejus tumulo liberatur.

ANNOTATA D. P.

a *Sequentia fuerunt* in eodem vetustissimo codice F litteris Longobardicis descripta, *circa finem seculi* XIII. *Est autem mirum nullam memoriam servatam tot aliorum, quæ acciderunt inter mortis tempus et primum hic notatum miraculum anni* 1185. *Renda plurium solum in genere meminit, unumque dumtaxat in particulari refert, de claudo subulco curato, sub Generalatu Abbatis X fortassis, circa an.* 1210. *Concludens autem Vitam,* Hæc multaque, *inquit,* gloriosissimus Christi Confessor miracula fecit, quorum notitia vix potest haberi: sed quæ in scripturis antiquis invenimus, manifesta fecimus. *Non est igitur quod ex* 2 *Tomo Chronicorum aliud expectemus, quam recentiores quasdam hujus seculi gratias, si tamen hæ saltem notatæ fuerunt.*

b Paternum, *non illud in Calabria, de quo toties actum* 2 *Aprilis, ubi de S. Francisco Paulano; sed alterum solis* 7 p. m. *distans Guleto, Beneventum versus.*

c Mons-Marani, *Episcopali Sede insignitus, sed adeo tenui diœcesi, ut in tota nullum esse Monachorum aut Monialium cœnobium notet Ughellus: distat Nusco solis* 5 p. m. *paulo pluribus Guleto.*

d *Vulgo* Monticello *in Campania, diœcesis Aquinensis ad Lirim sive Garilianum fluvium; nisi forte intelligatur*


OCCIDE
26
25
23
24
21
22
19
18
MERIDIES
12
8
15
16
14
ORIEN



Fr. Kh du Senat Barousse,

A *intelligatur vulgo dictum* Monticchio, *quod solum* 24 p. m. *a Monte Marano distat, in valle Compsana situm.*

APPENDIX

De duobus præcipuis Conventibus.

§. I. *De Ordinis principio in Monte-Virginis, hujusque situ et vetustiori a Virgilio nomine, ac decem primis Abbatibus Generalibus.*

Montis descriptio ex Leandro Alberti,

Leander *Alberti, in Descriptione Italiæ, Latine reddita a Guilielmo Kyriandro, pag.* 410 *in Samnitibus Montem prætitulatum sic describit :* Dextra Sabbati ripa procedenti fluvius occurrit, præalto latoque ex Monte-Virginis,per planitiem in Sabbatum tendens. Mons-Virginis est Regno toto nominatissimus, nobileque templum in vertice habet, D. Virginis Mariæ, Cœlorum gloriosissimæ Reginæ, miraculis et sanctitate inclitum, et innumerabilibus Divorum Reli-
B quiis plenum ; adjecto etiam in cœnobio carnibus omnino lactariisque vesci nefas est : quo cum adferuntur, mox vermibus aiunt scatere. Nunc ad locum quotannis, die festo Pentecostes, infinita populorum multitudo confluit, ad sacrata delubra visenda, Matremque Dei venerandam ; uti priscis temporibus finitimæ gentes ædem matris Deum, quæ hic erat, frequentabant; cujus mentionem facit Antoninus in Itinerario, iter Sulmone ad Columnam describens, in quo prius Equum-Tucicum, deinde Matrem-magnam recenset. D. Virginis templum initiis hujusmodi fundatum a Christianis est. Pius quidam vir Guilielmus,hoc in loco domicilium sibi perexiguum, vitæ solitariæ degendæ cum constituisset, jamque vitæ integritate sanctitateque innotuisset finitimis ; eorum ope paulatim maligni dæmonis ædem demoliri, novamque hanc Matri Dei condere cœpit, Virginique Mariæ dedicavit, quod ante tot secula Matris Deum esset dicta. Sed et cœnobio post adjecto, novum religiosæ vitæ modum instituit, appellavitque Sodalitatem Fratrum Montis-Virginis ; quæ deinceps illo ita persancte rebus humanis defuncto crevit.

et monasterii exordium,

2 Mons hic præcelsus ab Apennino divisus est, itemque ab ceteris montibus, quos solum radicibus contigit. Et tales etiam plures, ab Apennino ita separatos tantæque altitudinis, qua etiam ipsa illius
C juga superent, Beneventanus ager habet. Rursum in valle amnis, quem de Monte Virginis in Sabbatum fluere diximus, hæc sunt; oppidum Alta-villa, Monsque Freddinus; et in propinqua convalle vetus civitas Abellinum, *ad cujus diœcesim mons totus spectat ; hic, descriptus a Leandro, quatenus Beneventum Sabbato adsitum spectat, a Septemtrione declinans in Orientem : sed qua mons idem sic Orientem prospicit, ut versus Meridiem vertatur nonnihil, faciem consideratione digniorem exhibet, qualem vides in hic adjuncta ex Jordano tabula; ubi præter ecclesiam et monasterium, signata num.* 1 *et* 2, *imprimis sub num.* 5 *et* 6 *notandæ capellæ duæ, quousque carnes deportare est licitum; secus facientes quæ secuta sit pœna, ex Costo aliisque prosequitur Jordanus per plura Capita, quorum solos titulos hic legi satis erit. Cap.* xx. Portanti carnis aliquid ad Montem Virginis, grandis subito tempestas supervenit. xxi Qui eadem istuc incredulus tulerat comederatque, in descensu montis cum equo ruit in præcipitium, cum evidenti periculo vitæ. xxii Religioso tale quid gestanti abscessus venit, eadem in parte corporis, juxta quam carnem gestabat. xxiii Improvisus et graviter noxius imber incumbit monti, dum ibi quidam farcimen comedit.

ejusdem schenographia.

Supplicia illuc inferentium carnes.

xxiv Dum ibidem carne vescuntur quidam, gravis D
et damnifica procella suscitatur. xxv Prædicto similes casus duo. xxvi Juvenes duo patiuntur incommoda nonnulla, propter carnes in sacrum Montem allatas comestasque. xxvii Pavo impastatus delatusque in montem, invenitur totus scatere vermibus. xxviii Tres huic similes eventus alii. xxix Rapacissimorum corvorum multitudo ingens subito apparet in monte, ad eorum vindictam, qui istic manducare carnes parabant ; et paulo post gravis tempestas excitatur. xxx Mulieres aliquæ, quæ capillos pinguedine unctos deferebant, impeditæ fuerunt vel montem contingere, vel ecclesiam ingredi, donec ipsos sibi præscindi aut lavari fecissent. xxxi Hospitium Montis Virginis, *num.* 3 *signatum*, miraculose inflammatur, grandi cum damno et morte plus quam quadringentarum personarum, propter carnes illuc illatas : *quod anno* mdcxi *factum in Vigilia Pentecostes, concurrente cum die* xxii *Maji, in contextu legitur. Posterioris vero temporis sunt, adeoque et recentioris memoriæ, quædam alia ex supra memoratis : quod autem Cap.* xxii *ex Costo relatum fuit, anno* mdxxix *notatur accidisse.*

AUCTORE D. P.

3 *His ita se habentibus, ne ægris vel Monachis vel secularibus desit necessarium carnei ejus solatium, in* E
loco qui a Laurorum copia, circum Apollinis templum ab olim ut creditur ibi consitarum, Lauretum *nuncupatur, signato numero* 15; *alterum quasi extructum ad montis pedem cernitur monasterium, sub nomine* Hospitii ; *in quo præter infirmos, plerumque etiam commoratur Abbas Generalis, cum duobus Definitoribus seu Visitatoribus, jugiter ei assistentibus ad commodiorem excursum versus omnes jurisdictionis suæ partes, et ea loca, in quibus Pontificalia ipsi per statas anni festivitates exercere fas est. Ut autem putatur istic templum Apollini sacrum fuisse ; sic in locis signatis* 16 *et* 18 *creduntur fuisse fana, Vestæ, Dei-Fidei et Mercurii ; credulitate, saltem quoad priora duo numina, fundata in nominibus* Vestæ et Fitiæ, *hodiedum superstitibus. Sed hæc minus digna sunt Christiani scriptoris animadversione, quam quod num.* 16 *in loco* Prætorii, *milliaribus tribus a civitate Abellina distantis, qui etiam ipse Mercurio dicitur socer fuisse, inventa sint* x Junii *Corpora* SS. Modestini et Sociorum Martyrum *circa annum* mclxxx, *quæ cum Abellinum esse translata leguntur in Historia edita ad Natalem eorum* xiv *Februarii, eademque in magno Montis ipsius sacrario servari dicit Renda, vel de parte intelligendus est, vel de posteriori aliqua per Abellini ruinam translatione.* F
Alia viginti duo Sanctorum Corpora, ibidem præter minores Reliquias asserta, idem Renda numerat, de quorum singulis, cum die cultus uniuscujusque, optamus porro edoceri. Plures aliæ ad devotionem augendam capellæ ex eodem montis latere pendentes sic indicantur : Capella Torrionis *dicta a grandiusculæ turris forma num.* 4; *alia* Cerreti *dicta num.* 7 ; Spelunca Angeli nuncupata *num.* 8; *tum* capella Passcharelli *num.* 9; Capella excalceatorii *num.* 10 : *quarum appellationum causas sigillatim investigare nihil huc attinet : quærantur ex apud Jordanum. Notantur etiam loca quædam ad jurisdictionem Abbatis et proprietatem monasterii spectantia : puta,* Hospitaletum; *ita dictum oppidum a parvo, cui accrevit hospitali, num.* 11; Mercugliano *fortasse sic appellatum a Mercurio ibi olim culto, quasi* Mercuriano, *num.* 12; Casale-Vallis, *num.* 13, Casale turricularum, *num.* 14. *Circumjacentia vero loca grandiora, et Regiæ potestati subjecta sunt,* Nola, *num.* 19; Beneventum, *num.* 20; Neapolis, *num.* 22; Puteoli, *num.* 23, *Episcopali aut Archiepiscopali titulo fulgentes civitates. Tum* Vesuvius, *ignivomis eructationibus terribilis accolis, et tota Italia celeberrimus mons, num.* 21, *qui videri possit subterranei ignis communicationem habere cum sulphureo campo*

Hospitium pro infirmis ad pedem montis.

Idolorum veterum memoriæ,

Corpora Sanctorum.

Sacella varia,

loca monasterio subdita,

alia eminus videnda.

A AUCTORE D. P. *campo, vulgo dicto* Solfatara, *num.* 24. *Eminus quoque in mari spectantur insulæ* Prochita, *num.* 25, *et* Ischia, *num.* 26.

4 *Si alterum quoque montis latus delineandum curasset, ærique insculptum conspiciendum dedisset Jordanus, alia verosimiliter sacella et loca monasterio subjecta exhibuisset, interque ea Nolam versus,* Latibula illa, *de quibus ipse prolixe agit, veluti quæ refugium præbuerint* S. Maximo *Nolæ, et* S. Vitiliano *Capuæ Episcopis; et quidem acsi eorum tempore, imo jam inde* *Mons medio ævo Virgilianus dictus,* *a tempore Augusti Cæsaris* Mons-Virgilii *consueverit nominari, qui nunc* Virginis *dicitur : sed antiquiorem nullum auctorem laudat quam Joannem a Nuseo, quem ubique videmus nominare* Montem Virgilianum; *indicio certo, quod creditum sit saltem medio ævo et seculo* XI *ac* XII, Virgilium *istic aliquos suos habuisse hortos, medicis, an magicis dicam? herbis famosos : et multa sunt quæ de figuris sub certa siderum constitutione ab isto Virgilio fabricatis, ad hirundinum, cicadarum, muscarumque overruncationem, narrat Jordanus ex Joannis Schoppæ, Grammatici Neapolitani nobilis Col-* *ab hortis cujusdam magi,* *lectaneis; neque absimilia illis sunt quæ in vulgaribus* B *de Virgilio mago fabellis leguntur, ubi et de ejus amoribus probrose illusis multa, ac prorsus indigna, quæ de Poetarum Principe Virgilio intelligantur : adeo tamen istæc opinio apud Neapolitanos invaluit, ut etiam in sacri montis Archivio, inter alias memorias vitæ S. Guiliemi additas, eodem veteri charactere, indeque apud Jordanum pag.* 92, *sic scriptum legatur.*

5 Nuncupatur Mons-Virgilianus, a quibusdam operibus et maleficiis Virgilii Mantuani, Poetæ in- *non sine errore credentium eum esse Virgilium Poetam;* ter Latinos principis. Construxerat enim hic maleficus dæmonum cultor, eorum ope hortulum quemdam, omnium genere herbarum, cunctis diebus et temporibus, maxime vero æstatis pollentem : quarum virtutes in foliis scriptas [reliquit.] Monachi quidam, nostra fide digni Fratres, qui prædictum montem inhabitavere, apertis vocibus testantur, sæpe casu in prædictum hortum non semel dum per juga montis solatii causa errarent, incidisse; nihilominus intra hortum hujusmodi sic maleficio affectos esse, ut, nec herbas tangere valuisse, nec qua via inde regressi sint cognovisse, retulerint. *Hujusmodi hortum cum ne verbo quidem notet Jordanus adhuc extare, nedum in tabula locum, oportet ut credamus ejus notitiam, quosque ibi dæmon operabatur præstigias, cito evanuisse, postquam firma-* C *tus ibi sub consecutis Abbatibus Ordo atque Deiparæ cultus fuit. Quidquid autem de illis sit, aliud numquam mihi sinam suaderi, quam fieri posse, ut seculis ante* S. Guilielmum *aliquot, aliquot etiam post ætatem Augusti, magus quispiam,* Virgilius *nomine, ibi floruerit; de quo multa etiam supra verum circumferuntur, eaque propter solam nominis identitatem Poetæ integerrimo castissimoque applicata fuisse.*

et hunc Neapoli Consulem fuisse, cum accidit terræ motus, 6 *Qamquam enim hic Brundusii reduci ab Oriente Augusto progressus obviam, ejusque sepulcrum hodiedum monstretur prope Neapolim, supra ingressum famosæ cryptæ, Puteolis ducentis; atque etiam ipse Georgica sua finiens testatur, se illa Neapoli habitantem composuisse : id tamen, quod de frequenti ejusdem in dicto monte conversatione, medicæque et astrologicæ artis studio conjuncto, prædicatur, nullum habet in antiquitate fundamentum, imo manifesto nititur errore. Errorem ego fidenter dico, quo Jordanus post alios sibi persuasit, venisse cum titulo Consulis Neapolitani, sibi per Augustum collato. Ad hoc enim stabiliendum allegatur locus Senecæ, librum* 6 *Quæstionum naturalium scribentis, occasione* terræ-motus, *qui* Campaniam magna strage vastavit Nonis Februarii, Regulo et Virginio Consulibus; *ubi illi, ex corruptis nonnullis codicibus,* Virgilium *legunt; non animadvertentes, Romanum scriptorem non nisi Romanos signare Consules; deinde rem recens actam describere, denique in-* D *dicare annum æræ Christianæ* LXIII, *et ab Archipoetæ* *Pro an. 63 indicatus a Seneca; a Tacito pro 62.* *morte* LXXVIII, *quo Consulatum inierunt* L. Memmius Regulus et Virginius Rufus; *quemadmodum Fasti Consulares docent. Tacitus lib.* 15 *Annalium, ejusdem terræ-motus meminit, sed sub prioris anni Consulibus : in quo licet alterutrum memoria lapsum necesse sit, apparet tamen utrumque in eo convenire, quod agant de re, Virgilii Poetæ ævo longe posteriori, atque adeo Consulem, cui adscribitur, nihil cum illo habere commune, præter nomen aut nominis affinitatem.*

7 *His ad* Virgilii *excusationem, ab impacta sibi per adeo turpem anistoriam calumnia, Virgilianique nominis undecumque sumpti explicationem, paulo extra propositum, sed non abs re deductis; redeo ad ipsum sacrum montem ejusque monasterium, cujus Sanctos, productis eorum Vitis laudaturus Felix de Renda, incipit operis Præfationem ab admiratione, quam sibi movebant* Montis cacumen, latæ viæ, vestibula plana, claustra splendentia, imperialia mœnia, alta ædificia, magnifica tecta, religiosissima sacella, sanctis- *Montis ipsius elogia ex Renda,* simæ Virginis magnæ molis imago, Reliquiarum et sanctorum Corporum numerus ingens, ecclesia cum E cellarum copia, hospitium magno nitore refulgens : *quibus simul sumptis* non modo oppidum sed civitas videtur a longe, ornamentis decorata magnificis, *quæ* circum se montes scopulosos, inaccessos, præcipites habet; et ita præaltos, ut secundam aeris regionem videantur attingere; ac obsitos continue nivibus, *ut monasterium* hiberno tempore ob nivium et glacierum ingentes horrores, vix habitabile sit : mons *tamen ipse*, aeris temperie æstiva, ob segetum commoditatem, varietatem fructuum, frumentorum atque leguminum copiam non modicam, pecudibus collium et virentium convallium pascua, et numerosis diversorum animalium armentis pabula fœcunda producit.

8 *Hujus montis* Religio, *inquit idem Renda,* meritis sancti Patris Guilielmi brevi monasteriis innu- *et inde progressi Ordinis* meris magnificata fuit, a Siciliæ Rege Rogerio familiari suo, cujus auxilio Panormi monasterium virorum S. Mariæ, et Ruffinianæ mulierum S. Salvatoris construxit; post Messinæ et Cataniæ, ad Virginis et Salvatoris gloriam. At Constantia Regis filia, una cum viro Henrico VI, Montis Virginis *incrementum* monasterio terram Mercuriani donavit : Federicus Imperator, paternæ et maternæ devotionis in hanc Religionem non immemor, ei Rocellam Siciliæ, possessiones binas, multaque loca dono dedit; et tanta F religio fuit Siciliæ Regum et Imperatorum, quod Siciliæ, Calabriæ, Basilicatæ, Apuliæ et Campaniæ innumera virorum ac mulierum monasteria construxerunt, constructa privilegiis decorarunt. Idem fecerunt Carolus primus, secundus, tertius, Rober- *ac privilegia;* tus, Reges; et Domna Joanna Regina, uxor Ludovici; cujus Ludovici Regis, Catharinæ matris ejus, Imperatricis Constantinopolitanæ (quæ suam Imperialem coronam, ut ad præsens vidotur, ad sanctissimæ Virginis caput accommodavit) Joannæ uxoris, filiorum et filiarum corpora, in prædicto sacro monasterio, ante aram Virgini dicatam, collocata jacent. *Prædicta* Privilegia Rex Alfonsus, Rex Ferdinandus, et alii Reges approbarunt : postremo vero Christianissimus Rex Carolus V, Imperator Romanorum Augustus, confirmata stabilivit in Castello novo Neapolis MDXXXVI. Et a Lucio III sanctæ Sedis Pontifice Maximo, usque ad præsentem *(inquit Renda)* S. P. N. Gregorium XIII Indulgentiarum exemptionumve Privilegiis illustrata manet præfata Religio.

9 *Hactenus ille in sua Præfatione; qui deinde in* *successio Abbatum Generalium* *progressu declarat, quomodo* paucis fere diebus a sancti Fundatoris funere, D. Albertus Generalis Abbas, migravit

A migravit ad Dominum, et D. Robertus unico consensu a Monachis eligitur Abbas III.... Quo mortuo, Abbas IV Joannes pari voto eligitur.... ad quem tantus virorum concursus ad Habitus susceptionem venit, ut monasterium et ecclesiam magnificare decreverit, et ea magnificata, ad ejus Dedicationem, in die S. Martini anno Domini MCLXXXII invitavit; et præsentes fuere, D. Rogerius Beneventanus, et Nicolaus Salernitanus, Archiepiscopi; Abellini, S. Angeli-Lombardi, Montis-Corvini, Triventinus, Aversanus, Frecentinus, S. Agathæ, Sarni, Thelesinus, Vicanus, Asculanus, Ferentiolanus, Vulturariæ, Episcopi; Abbates, S. Benedicti Abellinensis, S. Agathæ, et S. Mennæ, et plures alii religiosissimi viri..... Post Joannem dum Daniel quintus eligeretur Abbas, anno Domini MCLXXXV, et Imperator Henricus Barii esset... audiens quod mulier e Petina venit a dæmone multum oppressa, et ad sancti Viri sepulcrum properando dum tangeret illud, salva effecta fuit; sanctæ religionis devotione movetur.... Post non multum vero temporis ab Hierusalem Virginis figura magnæ molis, usque ad pectus in lino depicta, per manus S. Lucæ, una cum corporibus

sub quibus anno 1182 dedicata nova ecclesia,

curata dæmoniaca,

allata icon Deiparæ ex Oriente,

B sanctorum Sidrac, Misac et Abdenago, trium Puerorum, magna cum gloria fuit oblata, et ad sacrum Virginis montem missa, cum equitatu non parvo et ingenti honore. At Daniel Abbas, una cum Fratribus per montana obviam venit, ac Virgini dicatam Iconiam altari accommodans Virgini consecrato, tempore consecrationis Puerorum corpora majori altari reponit, et Imperatoris capellam proprio nomine vocat.

10 *Sic locata fuit imago illa Mariana, quam, in actu filium lacte pascentis, ibidem deposuerat sanctus Fundator; de qua imagine Jordanus hæc scribit pag.* 337 : Credibile est quod picta sit ipsomet præsente; quandoquidem sese voluit ad ejus pedes vivaciter depingi, quemadmodum etiamnum cernitur, in habitu albo cum capucio monastico moris antiqui, sub figura orantis. Allata autem Constantinopoli ea, quæ credebatur picta a S. Luca; translata est prior post sacristiam, ad altare et capellam S. Virginis a Partu dictam, multisque ibi annis honorata; sed cum ibi, propter loci humiditatem, deprehenderetur aliquantum corrumpi, deportata est in alteram magis siccam, quam vocant Bilancium, a ligneis scilicet duabus lancibus, ad quas istic ex voto appenduntur, quicumque pro sui

et alio translata ea in qua se pingi fecerat S. Gulielmus ad pedes D. V.


C liberatione parem corpori mensuram tritici alteriusve oblationis quantitatem *offerunt (de quo ritu vide dicta ad Vitam S. Huberti Bretinniacensis in Gallia,* XXX *Maji.)* In hoc ergo Sacello inveniebatur antiqua illa imago, cum anno MDCXXIX ecclesia corruit, ut illa huc translata videatur non sine speciali Dei providentia, conservatam volentis istam venerandæ antiquitatis effigiem cum sancti Fundatoris memoria, quæ si in sacello Partus mansisset, omnino fuerat comminuenda; illuc enim præcipua ruina incubuerat. Verum, quia nec iste locus humiditate carebat, curavi ego anno MDCXXXV, Generalatus mei V, ut ad Novitiatum, loco prorsus immuni a tali periculo tolleretur. *Talia cum apud Jordanum legissem, curavi ipsius delineationem ab eo qui nunc est Ordinis Generali, petendam; et ex ea mox repræsento æri incisam effigiem Beati. Ad hujus autem humilitatem animique demissionem spectare credo, quod in tabula satis grandi, et Deiparam justa statura repræsentanti, vix usque ad genua pingi se voluerit, adeoque exiguum, ut respectu totius tabulæ, non nisi nonam partem ipsius eamque infimam occupet.*

hactenus mirabiliter servata.

11 *Mortuus porro* Daniel *est anno* MCXCVI, *eique suffectus* sextus Abbas Gabriel; *cui mox Cœlestinus III, decessorum suorum Alexandri III et Lucii pariter*

D

AUCTORE D. P.



III vestigiis inhærere professus, misit Bullam amplissimam confirmatorum auctiorumque Privilegiorum, tredecim Cardinalium subscriptionibus munitam : ubi omnes et singulas sacri montis ubicumque locorum possessiones, sane plurimas, videre est emuneratas. In ea Bulla hoc speciale est, quod notetur data per manum Gentii S. Luciæ in Orthea Diac. Card. Domini Papæ Camerarii, *loco* Bibliothecarii : *cumque data sit anno* MCXCVII, II Nonas Novembris, *male transcriptam legi* Indictionem III, *quæ fuerat notanda* I, *a Septembri inchoata. Sicuti male pro* Presbyter *scribitur* Pater, *ex litteris* Pr. *titulo Cardinalitio præfixis : male etiam Diaconorum Cardinalium nuda exprimuntur nomina absque titulo ; et in ipsis nominibus erravit librarius loco plus uno, quæ nimiæ vetustati originalis imputanda, tantæ, ut commode legi non potuerit. Hac Bulla relata, pergit Renda Abbates Generales recensere, et ait* : D. Gabriele mortuo, septimus fuit electus Paschasius, cujus corpus inter Sanctorum corpora in Sanctuario reperitur : *(non tamen videtur cultum specialem habere)* post cujus interitum D. Gabriel, *eo nomine secundus* Abbas successit VIII ; ipsoque mortuo S. Donatus, Abbas IX anno MCCVIII ; qui magno cum honore in civitate Acernii ab illius civitatis civibus veneratur et colitur. *(Optem ego scire, quo die)* Decimus Abbas Joannes fuit, cujus tempore puerulus claudus, dum sues pascentes claudicando insequeretur, ne damnum agris inferrent, ad sanctissimi Guilielmi preces maxima devotione se vertit ; qui sanatus ad suam fuit regressus domum : et sero dum interrogaretur a suis, sanctissimi Guilielmi precibus sanum se esse respondit. *Isti autem decimo Abbati Joanni, a Friderico Imperatore, tamquam Rege Siciliæ et adjunctæ ei Neapolis aliarumque in Italia Provinciarum, data sunt Privilegia illustria duo ; unum* datum apud S. Germanum, *ad pedem Montis Cassini, anno* MCCXX, *mense Decembris Indictionis* IX, *Imperii ejus anno* I, *Regni Siciliæ* XXII; *et alterum* datum *Melfiæ, anno* MCCXXIV mense Februarii, XII *Indictione, quæ apud Rendam legi possunt.*

E *Privilegia Cœlestini III*

et Frederici Imper.

F

§. *II. De Guletano utriusque sexus monasterio, primum S. Salvatoris, nunc S. Guilielmi dicto.*

Postquam anno MCXXVII, *dimisso primæ Fundationis Monte, institutoque ibi pro se Abbate* Alberto, *varia hinc inde moliri Sanctus cœpit, Montisque Cuneati cœnobium fundaverat ; solitarius aliquamdiu vixit in valle*

Guleti dicitur Sanctus ad 500 Monachas vestisse,

A *valle Compsana*, *ac tandem anno* MCXXX *Consilium sumpsit, non jam solis viris, uti hactenus, profuturum; sed etiam mulieribus, de condendo huic quoque sexui cœnobio. Certatim autem juvantibus primoribus viris, et gaudentibus promovere ædificationem loci, in quo suas ipsi filias consanguineasque possent sub tam religiosa disciplina collocatas videre; ita successit talis monasterii fundatio, ut Renda dicat pag.* 7 *quod* constituto monasterio tanta mulierum multitudo confluxit, ut brevi fere quingentas acceperit; ac non parvum numerum congregavit virorum, quibus monasticum tradidit Habitum. Monasterium vero molis fuit tantæ, ut celeberrima et maxima urbs adhuc procul videatur, circuitu milliarii unius, uti per vestigia apparet. *Sed ex illis ipsis vestigiis probat Jordanus pag.* 416, *non omnes quingentas pariter ibi habitasse (quia tantum numerum locus, utcumque amplus, capere non potuisset) sed juxta seniorum traditionem, ad ducentas ibi simul fuisse, quibus ut minimum triginta Monachi semper aderant: habitatione tamen non una, sed contigua; sicut fert usus Ordinis S. Salvatoris, jubente Christo per S. Birgittam seculo* XIV *in Suevia instituti; quod addo, ne quis dubitare possit, quin idem ejusdem consilii auctor* S. Guilielmo *fuerit. Hoc autem favente,* B *per decennium et amplius ad quingentas potuisse ibidem successive recipi, nihil prohibet credere; ita tamen, ut earum multæ, ob summum vitæ rigorem, cito consummaverint cursum suum; non paucæ etiam alio ad alia sui sexus monasteria informanda traductæ fuerint, nec paucioribus ipso in tirocinio defecerit primæ vel valetudinis vel voluntatis constantia, ut fuerint ante professionem dimittendæ; itaque in assumpto Habitu præsentium numerus numquam excesserit ducenarium.*

AUCTORE D. P.

et creditur 200 simul habuisse,

successive 500,

13 *Distat a Monte-Virginis, millibus passuum ferme viginti, locus,* Guletum *olim dictus, a* Guliarum *id est (si recte vocem interpretor) scirporum frequentia, ibidem copiosius in convalli crescentium, paucis a Nuscana urbe Episcopali milliaribus. Hic ædificia utcumque capacia construxerit* Guilielmus, *successu temporis tamen ea multipliciter aucta fuisse nihil possumus dubitare: omnium autem simul formam sic describit Jordanus pag.* 417, *ut appareat, sub unius fabricæ forma, quasi duo fuisse monasteria, in quibus seorsim viri a mulieribus degerent. Id ut melius capiatur, placet ipsa illius Italica verba Latine reddere.* Principio, *inquit*, occurrebat grande versus Meridiem frontispicium operis, cujus hodiedum restat major C porta, per quam erat ingressus in amplum impluvium. Circum hoc inferiori in ordine variæ cernebantur dispositæ officinæ, superior autem pars serviebat dormitorio camerisque tam Monachorum quam Conversorum istic habitantium. Dextrum quoque ejusdem impluvii latus occupabat cœmeterium, pulchro fornice tectum; qui fornix sustentabatur lapideis columnis variis, satis eleganter laboratis, circum præcipuum fabricæ ipsius murum. Ab his diversæ grandiores duæ, cum suis capitellis antiquo more sculptis, in medio positæ reliquarum, præcipuum fornicis incumbentis pondus sustinent; uti et similes aliæ duæ, perpendiculariter insistentes prioribus, sustinent fornicem impositi cœmeterio oratorii, de quibus hoc insigne narratur miraculum.

ædificato ibidem grandi monasterio;

ubi degebant seorsim Monachi a Monialibus,

14 Postulabat operis ratio, ut columnæ istæ multum excederent molem aliarum; nec erat tales invenire in proximis, unde ceteræ petebantur, latomiis. Curavit ergo Sanctus, ut quatuor abinde leucis præpararentur quantæ erant necessariæ. Sed cum tantæ essent, ducendæque per aspera et abrupta montanarum viarum; contigit, ut iis trahendis applicata plura boum paria, aucto aliquoties numero, vel nihil vel adeo parum proficerent, ut spes nulla videretur tam vastos lapides perducendi quo oportebat. Id cum sancto Patri esset relatum, isque ad locum veniens considerasset omnia; non viribus, D sed precibus agendum censuit: ad quas cum sese reduxisset a turba, magna cum fide eodem rediit, mandavitque ut plaustris singulis unicum boum jugum applicaretur, quos suffecturos operi pollicebatur. Et suffecerunt; postquam scilicet, facto Crucis signo, cuspide virgæ qua nitebatur leviter impulsa animalia, jussisset in nomine Dei procedere. Ita prima, ita tres aliæ columnæ provectæ sunt; tam facile, acsi exigua lapidum frusta fuissent; multum admirantibus quotquot aderant, vel pergentibus animalibus occurrebant, et famam miraculi quaquaversum spargentibus: quæ res vehementer excitavit alacritatem tum vicinorum, ad sumptus conferendos; tum operarum, ad quævis ardua generose suscipienda. Restat autem memoria facti tum in eo, quod ipse locus, Grammaticus dictus a suo olim possessore, donatus propterea monasterio fuit; tum in ipsis columnis, dum qui peregre accedentes, vel cœmeterium prædictum vel oratorium intrant, ipsas primum solent veluti Reliquias osculari, et earumdem attactu corollas precatorias sanctificare.

et columnæ 4, grandi miraculo adductæ,

AUCTORE D. P. *Per singula boum juga:*

15 Circumcirca cœmeterium istud per ordinem collocatæ erant multæ tumbæ lapideæ diversimode laboratæ, plenæ terra benedicta, in quibus sepeliebantur solæ Sanctimoniales: uno autem in latere E præparatus erat congruæ capacitatis locus, ubi reponebantur reverendarum istarum Matrum ossa, postquam consumptis carnibus de terra levata erant. Itaque ibidem in præsentiarum videre est illarum ossa et calvarias multas, easque tam integras, candidas et suaveolentes, ut magnæ admirationis tractantibus sint, utpote haud inepte arguentibus, id esse signum beatitatis, qua animæ perfruuntur. Eodem in cœmeterio erant, sicuti etiamnum sunt, portæ duæ: una respondebat et respondet inferiori ecclesiæ, a qua per eam ingrediebantur in cœmeterium Monachi, Missas vel Officia pro defunctis recitaturi; aut consuetum Responsorium, Libera me Domine de morte æterna, cum aquæ benedictæ aspersione cantaturi; quemadmodum hebdomadis singulis usurpatur in Ordine, nec non in sepultura Monacharum, post exequiarum officium in ecclesia celebratum. Altera porta respondebat habitationi ipsarum, quæ usque ad illam deportabant suarum mortuarum corpora, istic excipienda a Monachis, eadem in ecclesiam delaturis, et post finitas ibi ceremonias, intra tumbas prædictas collocaturis. Supra ipsum vero cœmeterium erat estque modo, quod dixi, oratorium, F cum duobus altaribus; ad quod ex dormitorio Monachorum de plano dabatur accessus.

Cœmeterium Monacharum.

Ritus eas ibi sepeliendi,

16 Ex adverso majoris portæ procedebat impluvium prædictum usque ad parietem ecclesiæ inferioris, non frontalem sed lateralem; cui parieti porta inerat in ecclesiam ducens: et ante hanc portam exiguum atrium assurgebat instar podii, gradibus aliquot elevatum, ac fornice tectum. Hac autem ingressis, apparebat ad lævam Chorus Monacharum, alte suspensus et latitudini ecclesiæ commensuratus, cui lumen infundebat orbicularis fenestra prægrandis: ad dextram fons baptismalis, cujus vestigia dumtaxat remanent; atque in medio pulcherrimum ex lapidibus altare elegantis sculpturæ; ad cujus dextram stabat altare Dominæ nostræ sanctissimæ; ad sinistram vero capella, corpori S. Guilielmi asservando erecta. Ultra ecclesiam et cœmeterium videre est ad Orientem, Septemtrionem atque Meridiem, vestigia plurium ædificiorum prægrandium, quæ demonstrant istic fuisse dormitoria, claustra, capitulum, refectorium, novitiatum, aliasque officinas cum horto et fontibus sanctimonialium usibus congrua. Insuper priusquam veniretur ad prædictam majorem portam, occurrebat casale sive vicus

forma ecclesiæ

et monasterii Virginum nunc diruti,

A vicus plurium habitationum, prout indicia se præbent, ad usum eorum secularium, qui utrique Monachorum et Monacharum Congregationi ministrabant, vel terram colebant; vocaturque etiam hodie, licet destructum, Casale S. Guilielmi. Intra ipsam porro sanctimonialium habitationem, anno MCLIV, fabricata fuit altissima et munitissima turris; ubi illæ suas habebant campanas, et ipsa earum recreationi serviebat simul et defensioni, si quando, (ut sæpe in aperta illa planitie bellorum tempore eveniebat) metus aliquis sive incursus hostilis eo cogeret. Erant igitur habitationes duæ, sed monasterium videbatur quasi unum, propter contiguitatem et reditus ac possessiones communes Monachis et Monialibus.

cum turri anno 1154 erecta.

17 Et Monachis quidem fundator suus haud dubie dederat eumdem habitum quem gestandum instituerat in monte-Virginis, quoque usus ipse semper erat, scilicet tunicam, scapulare, capucium, et chlamydem ex lana, coloris albi universa, sicut modo; quamquam in illis principiis paulum rudior ac grossior pannus esset : Monacharum vero habitus etiam ipse totus albus erat, quemadmodum cognoscere est ex picturis antiquis, quæ nunc quoque B in monasterio supersunt; tunica scilicet, quam cingulum album coriaceum adstringebat, et supra tunicam scapulare, tum subtilioris telæ lineæ peplum, quo caput collumque obvolvebantur; ac desuper velum nigrum. Quando autem processiones per monasterium ducebantur, aut majoribus festis veniebant ad chorum, vel simul omnes communicabant, vel aliqua occasione progrediendum publice erat; cooperiebantur insuper oblonga palla, panni quam tunica erat tenuioris, quali fere utuntur Equites Ordinum S. Jacobi et Alcantaræ ad publicas suas functiones. Indusia denique lanea semper, lectulus stramineus, lodices etiam non nisi ex lana.

Quis ibi ipsarum et Monachorum habitus?

18 Porro a principio conditionis suæ, Abbatiale monasterium fuit; et tam Abbas, quam Abbatissa fruebantur prærogativis ac juribus tali titulo competentibus. Abbatissa autem utebatur pedo pastorali; Abbas vero etiam mitra, uti nunc quoque eadem utitur; superintendebat etiam sanctimonialibus, D quæ numquam fuerunt Episcopis subjectæ, sed simul cum Monachis subjiciebantur Abbati Generali, hic vero uni soli Romano Pontifici. Cumque ædificatum casale cœpisset colonis frequentari, hi quoque, sicut et famulitia omnia, in temporalibus ac spiritualibus jurisdictioni Abbatis subjacebant; eoque titulo inveniuntur Reges Regumque Ministri, in exigendis tempore bellorum subsidiis, ad ipsum Abbatem, uti ad alios Regni Barones, scripsisse. Ad tantas etiam opes monasterium excrevit, ut viginti millia ducatorum inveniatur excessisse summa annui reditus, quorum major pars procedebat ex fundis juribusque donatis ecclesiæ, sed horum multa paulatim fuerunt a monasterio abjuncta, postquam decursis aliquot centenis annis a fundatione recesserunt inde sanctimoniales, quarum securitati in campestri illa solitudine non satis consultum erat, et ipsum monasterium in commendam datum est. Ex hinc enim partim a Commendatariis alienata, partim Episcopiis applicata, partim Hospitali Annuntiatæ Neapolitanæ cessa pleraque jura ac bona sunt. Paucissima tamen adhuc supersunt in districtu Venusino, Melfiensi, Ripæ-Candidæ, Minervini atque E Montellæ, ex quibus et ex territorio quod circum monasterium adjacet, eique addita colentium industria ex animalibus, proveniunt circiter octingenti ducati annue, unde duodecim circiter Monachi, cum necessario ipsis ministerio, sustentantur.

his Abbas, illis Abbatissa præerat.

AUCTORE D. P.

Extinctis ibi Sanctimonialibus

non nisi 12 Monachos nunc habet locus,

19 *Hactenus Jordanus lib.* 2 *cap.* 19, *ubi licebit ex publicis instrumentis discere nomina Ecclesiarum monasterio olim subditarum, et terminos territorii monasterio attributi; quos olim ad lites præscindendas etiam placuit notare lapidibus, S. G. signatis, et idem valentibus quod* Salvatoris Guleti, *aliaque plura eodem spectantia. Operæ pretium profecto fuisset etiam Guletani monasterii, qua stantis formam, qua eversi parietinas, in tabula sculptas conservari ad posterorum memoriam, servituras etiam tunc quando ædificia adhuc stantia corruerint : sed hoc eorum curæ relinquo, qui Historiam Ordinis prosequentur.*

DE BEATO HENRICO ZDIKO

C EPISCOPO OLOMUCENSI IN MORAVIA F

ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS

SYLLOGE HISTORICA

§. I. Ex Commentariis O. Bohuslai Balbini Societatis Jesu.

G H.

ANNO MCLI.

Beatus passim habitus,

Bohuslaus *Balbinus e Societate Jesu, in erudita sua lucubratione, quam Epitomen historicam Rerum Bohemicarum inscripsit, anno* MDCLXXVII *Pragæ excusam, dedit nobis occasionem proferendi* Beatum Henricum Zdik, Episcopum Olomucensem in Moravia, et Ordini Præmonstratensi adscriptum. *Nam libro* 3 *cap.* 13, *dum describit Przemyslaum Ottogarum bellicosum Principem, in Bohemia regnantem, pagina* 256 *addit :* Seculum illud, *scilicet duodecimum,* seculum Sanctorum in Bohemia fuit : *et* Omitto, *inquit,* Beatum Henricum Zdik Episcopum Olomucensem ex Regio Bohemorum sanguine; *licet autem jam ante Acta ejus protulisset, hic tamen eum ante alios sanctitate illustres voluit primo loco nominare. Porro capite* 10 *pag,* 221 *cum egisset de rebus anno* MCXXVIII *gestis, ista subdit :* Paulo ante hæc tempora Sobieslaus, Bohemiæ Dux, templum S. Georgii in monte Zrit, quod conciderat instauravit, consecrante Henrico Zdik Episcopo Olomucensi. De hujus Henrici genealogia non parva est inter scriptores dissensio. Notæ, quas huic capiti apponam, consulantur. Constat inter omnes Præsulem sanctissimum fuisse, ideoque Beati nomine honoratur.

2 At illud, quod Augustinus Moravus, Præpositus Olomucensis, addit; Strahoviensi in cœnobio Pragæ prius vitam religiosam professum, sustineri quomodo possit, non video. Cœnobium enim Strahoviense anno MCXLIII a Wladislao Rege fundatur. At Henricus jam ab anno MCXXVI Episcopatum Olomucensem habebat : Jaroslaus, qui tum vivebat inter Pragenses Canonicos, postea in Monte Sion religiosam vitam professus, diserte scribit : Zdiko seu Henricus, Episcopus Olomucensis, habitum nostrum Præmonstratensem

Episcopus anno 1126 creatur,

EX BOHESL. BALBINO. *Hierosolymis Præmonstratensis factus*

A (Præmonstratensem) quem Hierosolymis viderat, super Sepulcrum [Domini] rite suscepit, cum multo (sicut tradunt) imbre lacrymarum; et abdicatis ibi tam esu carnium, quam ceteris vitæ blandimentis, reportabat Sobieslao Duci et Bohemis, sicut novum hominem, ita et novum ordinem. Id factum esse oportuit anno MCXXXVII, quo Hierosolymam abiit; aut MCXXXVIII, quo Hierosolymis in patriam remeavit. Sub hoc Præsule Henrico, Wenceslaus Princeps Olomucensis, ex castro suo Olomucii, Cathedralem Ecclesiam Wenceslao condidit et dedicavit.

anno 1137 aut seq.

anno 1141 Prutenorum conversioni allaborat.

3 *Hæc ibi. Dein pagina 225 ista scribit :* Anno MCXI Sobieslaus Princeps non pietate minus quam armis, nec his magis quam justitia, magnificentia, ceterisque Regum virtutibus clarissimus, e vita discessit mense Martio... Wladislaus II Bohemiæ gubernacula et Sobieslai patris nuper et Cæsaris, nunc etiam Procerum voluntate tractanda suscepit... Cujus bona gratia anno MCXLI B. Henricus Zdik Episcopus Olomucensis, Cruce, more eorum temporum assumpta, collectoque exercitu, adversus Prutenos idolorum cultores duxit; et plurimos ex iis partim armis, partim prædicatione adduxit ad Christum, ut Hagek narrat : at Paralipomena Cosmæ, B Henricum parum in ea gente profecisse, significant...

Anno 1143 juvat in extruendo Strahoviensi cœnobio,

4 Anno MCXLIII Wladislaus Princeps, B. Henrico Zdik impellente, qui omnia apud Ducem poterat, ut habet Pulkana, Strahoviense cœnobium magnis opibus pro Præmonstratensi Canonicorum Regularium Ordine fundat. Reducti sunt Fratres ex cœnobio Steinfeldensi, primusque Abbas electus, Hezo nomine : de cujus ex Coloniensi Canonico ad Ordinem Candidum vocatione, mira narrat ejus ætatis et ordinis Jaroslaus Godescalcus, qui postea Abbas in Siloa factus est : habitacula interim lignea (verba Jaroslai recito) Conventui Pragensi præparavit. Anno sequente Gertrudis conjux, Doxanense pro sacris ejusdem instituti Virginibus statuit. Non caruit præmio pia Principum liberalitas : namque anno MCXLV, in altari assumptæ in cœlos Dei Matris, in ecclesia Pragensi, beatissima Virgo Regio cultu, Redæ Sacerdoti regio, dum sacra facit, videndam se obtulit. Cumque a se Principes salutari jussisset, simul locum Giloviæ in certa fodina descripsit, ubi ingens purissimi auri vis excrevisset. Reperti sunt Redæ indicio quatuor et viginti auri C probatissimi centenarii, ut nunc appellant. *Hæc ibi, ubi et similia plura leguntur, quæ forte etiam* B. Henrico *impellente, peracta sunt.*

Cathedralem Olomucii ædificat :

5 *Idem Balbinus pag.* 234 Henrici Episcopi elogium ex vetusto scriptore Bohemo Pulkana addit hoc modo : Henricus inquit, Episcopus Olomucensis sanctæ conversationis fuit, in consiliis dandis prudentissimus, ut ejus opera demonstrant Ecclesiam S. Wenceslai Olomucii, quam Principes ædificare cœperant, gloriose absolvit; et cum facultate Sanctissimi Patris Innocentii, a S. Petri Ecclesia separavit Cathedralem Ecclesiam, eamque apud S. Wenceslaum constituit, condecorans auro aliisque pretiosissimis cimeliis. Hierosolymis quoque secum satis magnam partem sanctissimæ Crucis attulit, et illi Ecclesiæ donavit. Cum esset Hierosolymis, suscepit Ordinem S. Augustini, quem sancti Apostoli instituerunt. Idem ipse Henricus, cum Wladislao et ejus conjuge Gertrude, fundarunt cœnobium Strahoviense in monte Strahow, et appellarunt illum Montem-Sion, ob similitudinem quam habet ad Montem-Sion Hierosolymis.

cœnobii Litomislensis fundator

6 Aliud item cœnobium ejusdem Ordinis fundavit, quod Olivetanum appellavit, ob similitudinem montis Oliveti : ex quo cœnobio postea Carolus IV, Cæsar et Rex Bohemiæ, erexit Episcopatum per Clementem VI : cujus Ecclesiæ primus Episcopus D fuit Joannes, ante in eodem cœnobio monachus; qui ibidem mortuus et sepultus requiescit in Domino. Huc usque verba Pulkanæ. Videsne hoc loco ipsum etiam Pulkanam affirmare, Henricum Episcopum fundatorem cœnobii Litomislensis fuisse? Idem sensere omnes nostri scriptores, ne unico, quod sciam, excepto, Cuthenus, Lupacius, Hagek, Dubravius, Veleslavinus, Historia Sedlocensis, Augustinus Moravus, et omnes qui de Henrico egerunt. At obstant litteræ Wladislai, nuper adductæ. Contra vero tot scriptorum auctoritas negligenda non est. Ego crediderim utrumque conciliari posse. Quid enim vetat, ne plures ejusdem cœnobii appellentur fundatores, diversis temporibus? Sane in plurimis memoriis cœnobiorum invenies primum, secundum, imo et tertium fundatorem..... Poterat igitur Henricus Episcopus ita primam fundationem auxisse, aut alio benevolentiæ genere cœnobium ornasse, v. g. templo vel cœnobio extructo etc., ut alter fundator dici mereretur. Deinde probabilissimum est, ab eodem Henrico nomen cœnobio datum, Mons-Oliveti : idem namque Henricus Strahow Montem-Sion appellavit. Quippe summus Terræ sanctæ amator, qui Hierosolymam peregrinus adierat, E et his nominibus memoriam oblectabat. *Hæc ille qui litteras citatas Wladislai et series Episcoporum profert pag.* 233.

saltem secundus,

anno 1141 impetrat exemptionem monasterio S, Georgii,

7 *At cap.* 13 *sub finem pagina* 258 *ista idem Balbinus scribit :* B. Henricus Zdik, quem antea nominavi, etsi suis Præmonstratensibus, ut par fuit, faveret maxime; studiosissimum nihilominus sacri Parthenonis ad S. Georgium fuisse, multa ostendunt. Extant in archivo Georgiano litteræ originales, ut vocant, Eugenii III Summi Pontificis, anno MCXLV datæ, quibus ad instantiam Henrici Moraviensis Episcopi, cœnobium hoc Virgineum, miris prius exornatum laudibus, in honorem virtutis in propriam ac immediatam (verba ipsa retinere volui) Sedis Apostolicæ tutelam recipere se profitetur. Hoc igitur tantum beneficium B. Henrico in acceptis referre debet cœnobium.

moritur anno 1151 ;

8 *De obitu ejus cap.* 10 *pag.* 228 *sub finem ista habet Balbinus.* Magnus hoc anno MCLI cœnobiorum amator et pater e vivis abiit, B. Henricus Zdik Olomucensis Episcopus, Præsul vitæ sanctimonia clarus, in cœnobio Strahoviensi Pragæ sepultus. Alii annum MCLVII posuerunt : nos vetustissimos co- F dices secuti sumus.

Wladislai Regis,

9 *In citatis supra Notis ad caput* 10 *ista observat :* De B. Henrico Zdik, Episcopo Omolucensi, Regii in Bohemia sanguinis, quod constat inter omnes, controversia est non levis. Augustinus Moravus, Cathedralis Ecclesiæ Olomucensis Præpositus, qui Catalogum Episcoporum Olomucensium, cui brevi elogio singulorum confecit; scribit, Henricum Episcopum Olomucensem, fratrem Wladislai Bohemiæ Ducis posteaque Regis fuisse, et professum prius Strahoviensis cœnobii, Ordinis Præmonstratensium; obiisse vero anno MCLVII, prima Julii. Pessina et ipse Wladislai Regis Bohemiæ fratrem fuisse asserit, et fundatorem Olivetani cœnobii Præmonstratensis, Litomislii mortuum anno MCL. Weleslavinus, diligentissimus Chronologus Bohemiæ, in Kalendario historico; Henricus Zdik, inquit, Regis Wladislai frater, Episcopus ordinatur anno MCXXVI : citatque Paralipomena Cosmæ : et iterum duobus aliis in locis; Henricus Zdik, Episcopus Olomucensis, filius fuit Wladislai Ducis, et frater Wladislai primi Regis, obiit MCL, XXV Junii. Idem sensit Lapacius, qui mortis annum et diem posuit 1 Julii anni MCLI. Sed Weleslavinus posterius sententiam mutavit : nam in Tabulis Genealogicis Ducum ac Regum

an Othonis Ducis filius,

A Regum Bohemiæ, Henricum Episcopum Olomucensem posuit filium Othonis primi, Znoymensis et Olomucensis Principis, qui fuit frater Wratislai primi Regis Bohemiæ, et parte Wladislai primi Boleslaviensis ducis Bohemiæ, Dubravius, Episcopus Olomucensis, in alia omnia discedit. Nam diserte Henricum Episcopum Olomucensem ait fuisse Sobieslai primi Ducis Bohemiæ fratrem, qui scilicet ab anno MCXXV usque ad MCXL in Bohemia regnavit. Quod si verum est, non igitur fuit Wladislai primi Regis frater, sed Wratislai primi Regis filius, et Wladislai primi Ducis Bohemiæ (qui fuit pater Wladislai primi Bohemiæ Regis) frater, atque adeo Wladislai primi Regis patruus, id est patris frater. Ego in re tam controversa nihil ausim definire. Weleslavino interim, egregio et diligenti Genealogistæ, libenter accedo, et Othonis primi filium suspicor Henricum fuisse.

natalis 25 Junii.

10 *Hactenus Bohuslai Balbini verba, ex historicæ Epitomes variis locis collecta. Quod ad tanti viri diem natalem attinet, licet aliqui eum referant ad Kalendas Julii, malumus tamen adscribere septimo Kalendas Julii, tam quod facile prior nota potuerit excidisse, tam quod Weleslaus diligentissimus Chronologus, cui Balbinus præ reliquis adhæret, scripserit eum obiisse die* B *XXV Junii; tum denique, quod Joannes Chrysostomus Vander Sterre, in Natalibus Sanctorum Ordinis Præmonstratensis, ex aliis sibi submissis documentis, ad eumdem diem retulerit illum cum hoc elogio :* Septimo Kalendas Julii, Olomucii in Moravia natalis B. Henrici Olomucensis Episcopi, Ecclesiæ Strahoviensis Canonici et Fundatoris. Qui Wratislai primi Bohemiæ filius, a teneris annis religioni et pietati deditus, Olomucensem Ecclesiam, vir miræ sanctitatis et innocentiæ, miserorumque singulare profugium, laudatissime rexit. Demum variis pro Dei gloria, Sacerdotum cœlibatu, et pace publica perfunctus laboribus, extructis pluribus piis locis, gloriosus Pontifex ad cœlos migravit.

§. II. Ex Joanne Dubravio Episcopo Olomucensi et aliis.

Titulus Beati quo Crugerius Balbinusque

C*um prægressum Paragraphum scriberet Henschenius, necdum ad manus nostras pervenerant* Memoriæ sacræ regni Bohemiæ et pertinentiarum Moraviæ et Silesiæ, a Georgio Crugerio *nostro per menses diesque* C *digestæ, quorum Junius ac consequenter menses quatuor lucem aspexerunt anno* MDCLXIX *: ultimos duos menses utinam addat aliquis ! Auctor hic* Beati *titulum, quantum hactenus scire possum, editis in libris usurpavit primus, addiditque* Henrico. *Id quin ex immemorabilis temporis usu, Pragæ atque Olomucii noto, fecerit, dubitare vix possum ; cum ubique profiteatur se velle decretis Urbani octavi insistere ; et in appellando* Beato Henrico *sequacem habuerit prælaudatum Balbinum, idem etiam expressius protestatum in prima Decade Historicorum suorum Miscellaneorum, ad calcem libri tertii. Hæc protestatio extendenda est etiam ad librum* IV *ejusdem Decadis, cui* Bohemiæ sanctæ *titulum fecit.* *continenti* Sanctos et Beatos Bohemiæ, Moraviæ, Lusatiæ; tam eos qui publicis fastis, aut ipso immemorabilis temporis decursu, in censum Divorum venerunt ; quam eos, qui licet hoc titulo careant, aut morte ob Christi fidem fortiter tolerata, aut innocentia vitæ in antiquitate claruerunt, aut a scriptoribus idoneis virtutum et sanctimoniæ merito commendantur. *Ex tribus hic propositis ordinibus solus primus propriæ ad nos spectat, et solus videtur libri istius* IV *parte prima contineri ; cum pars secunda complectatur* brevem summam vitæ eorum qui cum publica et contestata sanctimoniæ fama vixerunt, pieque et sancte decesserunt, *quorum nemini auctor addit titulum* Beati ; *ut proinde censeri debeat primi ordinis* D *ipsi esse* Henricus, *cujus elogio impenditur præfati libri* §. 30.

videtur ab eis Henrico dari, ut ab immemorabili usitatus.

EX DUBRAVIO.

De ejus itinere Romano scribit Dubravius,

12 *Ibi cum paucis perstrinxisset occasionem suscepti ab* Henrico *Romani itineris :* quid per hujus causam et quam gravia, *inquit,* passus sit, Dubravius et Agecius late commemorant. *Wenceslaus Hagecius Annales suos, ut jam alibi indicavi, Bohemice edidit anno* MDXLI ; *quem cum ferme Latine vertisset Dubravius, primum Prostannæ in Moravia editus sub annum* MDLI, *ac deinde Basileæ recusus est post annos* XXIII. *Placet itaque ab eo transcribere, quæ de* Henrico *habet lib.* 12 *Historiæ suæ Bohemicæ. Liber hic initium sumit a Wladislao, Conradi Cæsaris genero, per eumque primo Bohemiæ Rege anno* MCXLI *coronato; qui postquam conjurationem a Conrado Moraviæ Duce contra se consanguineum suscitatam, Henrici Episcopi consilio et Cæsaris ope dispulisset; templa diruta ab adversario restaurasset, monasteria nova quædam erexisset, justitiæ publicæ consuluisset ; etiam ecclesiasticæ disciplinæ, ad pristinum vigorem reducendæ, intendebat.* Laborabant idem quod ipse et Princeps, *inquit Dubravius,* ambo Præsules, Otto Pragensis in Bohemia, et Henricus Omolucensis in Moravia, ut leges Sacerdotibus dictas, et ab illis per summam vitæ licentiam atque E libidinem neglectas, ad suum statum reducerent. Ad hunc namque modum vivebant, ut ægre aliquem, præsertim inter paganos Sacerdotes, invenisses, qui se lupa concubinaque infamem cum incestis liberis non faceret ; Dominis plerisque, quorum in pagis Sacerdotia gentilitia erant, lenocinio ejusmodi supparasitantibus potius quam ab illo coercentibus, cum utilitatem suam ante publicam honestatem haberent.

quod eo ad compescendos concubinarios suscepto,

in Conradi Moravi insidias protractus,

13 Igitur cum nulla domi remedia apparerent, quæ hanc luem tollere aut levare possent; Henricus ultro se offert Romam iturum, ad Pastorem et curatorem animarum Sacerdotum. *Hagecius consilium hoc initum ait anno* MCXLVII, *quando Pontificatus sui annum* III *numerabat* Eugenius III, *adversus hujusmodi pestem zelo minime vulgari incensus.* In procinctu erat ut abiret *Henricus ;* cum eum quidam a Conrado submissi adeunt, multis orantes verbis, ne se in tam longinquam peregrinationem daret, priusquam disjunctos improbitate hominum, Wladislaum et ipsum Conradum fœdere rursum pristinæ benevolentiæ conjungat : neminem enim hominum existere, qui id commodius præstare perficereque valeat, quando F alius nullus tanta gratia et auctoritate apud Wladislaum polleat. Henricus, sincere ista dici existimans, candide etiam respondet : Cur hoc, inquit, quod petitur, Conrado non gratificer, etiamsi longius de via mihi deflectendum videam? Pergentem in Bohemiam ad Wladislaum, assequitur ipsemet Conradus, haud procul Lythomislio, ad villam quæ de mensa ditioneque Episcopi erat. Vocat hospitem ad cœnam Henricus, nescius lupum venisse qui se agnum vellere aureo spoliaret, quod pro viaticulo corrasum fuit : nam mane tandem insidiæ patuerunt, quas viator quidam obvius, agnito Episcopo indicavit, dicens, saltum proximum ab equitibus esse obsessum, alicui omnino insidiantibus : se circiter duodecim illorum vidisse, intentos ad incursandum.

ægre mortem spoliatus evaserit;

14 Jubet protinus Henricus retrocedere suos. At Conradus, subito exiliens, a tergo instat ; et quemcumque comprehendit, sternit. Consistunt ceteri, et se ad defendendum convertunt. Ibi Henricus, spatium elabendi nactus, se intra silvam abscondit solus sine comite, ipso etiam equo a se extruso : delituitque eodem loco, totum illum diem ac noctem insequentem. Postero die a colono, lignatum profecto, repertus plaustroque rustico impositus, Lythomislium est devectus, paucis ex suis incolumibus inventis,

A. DUBRAVIO.

A ventis, ceterum pecuniis rebusque suis omnibus amissis. Actum de vita erat, si potestas assequendi eum data Conrado fuisset; tam is agresti odio adversus Præsulem et affinem suum laborabat; nulla causa alia, nisi quod Wladislai Principis sui partes constanter fovebat. Celeriter hujus tam acerbæ rei nuntius ad Wladislaum perlatus est; atque is sine ulla mora ex aula sua equites mittit, qui ad se Pragam Henricum deducant, ut communem hanc sibi cum ipso injuriam communi consilio ulciscendam capiat. Sed Henricus, remissa in præsens omni ultione, novo rursus viatico novisque comitibus se instruit, ac cœptum Romam iter, ad Eugenium Romanum Pontificem continuat. Qui audita querela Henrici, legationem de sententia Patrum decernit, nominato statim Legato Guidone, qui una cum Henrico in Bohemiam iret, ad explorandam puniendamque, tum improborum Sacerdotum vitam, tum atrocem ipsius injuriam.

ipsum tamen iter animose relegerit,

15 Legatus Pragam veniens, cum ad omnia, in quæ agenda incubuerat, Wladislaum sibi adjutorem adscisceret; facile ejus auxilio consecutus est, ut citati ordine Sacerdotes coram adesse, rationemque vitæ suæ reddere cogerentur: dein pro nequitiæ licentia, alii exilio, alii carcere puniti, nonnullis interdicta administratio Sacrorum fuit. Ipse vero Conradus, pro contumacia sua et crimine, diris Pontificiis est proscissus: quas cum nihili penderet, imo præterea Legato insultaret, quasi execratio ejus non solum de spoliis Henrici sibi nihil detraxerit, sed insuper orexim accenderit ad devorandas etiam Legati fortunas, si quas præda dignas secum habeat; ad sedandam tam rabidam latrocinandi esuriem, Wladislaus, pro verborum anathemate, vim armorum iterum ei obtrudit, *Snoymæ obsidet hominem, urbem capit, non item Conradum fuga elapsum: qui denique ad Cæsarem Conradum se conferens, ad sacram sese militiam Cruce signatus obtulit, priora scelera sic expiaturus.* Henricus interim Præses cœnobium Lythomislii, a se in periculo votum, quali forma se in Oriente vidisse meminerat, ædificare pergit; vocatque illud, ex similitudine situs, Montem-oliveti; Wladislao non solum factum ejus approbante, sed etiam de suo largiente agros et pagos, unde cœnobitis Deo consecratis vitæ necessaria large suppeditarentur.

et Apostolicum Legatum adduxerit,

B

D

deinde Montis Oliveti monasterium ex voto fundarit.

16 *Ante Dubravium, Olomucensium Episcoporum seriem digessit* Augustinus *quidam* Doctor Decretorum, ejusdemque et Brunensis Ecclesiarum Præpositus, et Secretarius Regis; *quam* Stanislao Dei gratia Episcopo Olomucensi *circa annum* MDXX *dedicavit. Hic laudat Henricum, quod,* cultum divinum amplificare studens, et Episcopium (quod parvis continebatur angustiis) gloriosis structuris evehere; templum sub honore et titulo Martyris et Penatis sui Wenceslai, in arce sua Olomucensi erexit; sedemque illuc Episcopalem ex ecclesia S. Petri, permissione summi Pontificis, Innocentii VIII transferri curavit, duodecim ibi Canonicis institutis. Hic etiam corpus S. Christini, pro ecclesia sua recens constructa obtinuit, ibemque religiose recondidit. Addidit eidem et ecclesiam S. Mauritii, intra civitatem Olomucensem, quæ antehac ad monasterium Gradicense pertinebat. Moritur tandem gloriosus hic Pontifex anno MCL, VII Kal. Julii, in monasterio Strahoviensi sepultus. *De* S. Christino *ejusque sociis, Ordinis Camaldulensis Martyribus, agendum nobis erit* XII *Novembris, quando tum alibi, tum in ecclesia Olomucensi colitur Officio duplici.*

Addit alias pias fundationes alius.

E

DE B. JOANNE HISPANO

D. P.

CARTUSIANO PRIORE IN SABAUDIA

Acta Vitæ, Elevationis, Translationis, unde accepta.

MCLX.

Prope Gallionem in Normannia, nobilis Cartusia est, Burboniensis a Fundatoribus dicta; unde post nostrum ex Italia per Gallias reditum, aliquoties accepi litteras, a viro rerum sui Ordinis studiosissimo,* Fr. Leone Vassorio, *qui cum prætitulati Beati vitam nobis mitteret anno* MDCLXVII, *humanissime significavit, præ manibus sibi esse opus, cui titulus,* Notitiæ Cartusiarum, *per Provincias divisum;* Ad quod, *inquit,* satis felici conamine amplam materiam congessi, et in singulis quibusque provinciis Ordinis nostri monasteria, historiam fundationis, chartas, bullas, diplomata, et alia hujusmodi describam; deinde viros qui sanctitate vel doctrina easdem Domus illustrarunt, recensebo: adjecta etiam Priorum serie. *Opus jam absolutum esse intelligo et duobus voluminibus editum: tamen necdum nancisci potui, valde autem requiro; quia de istius Ordinis viris beatis, si quando agendum nobis est, vix quidpiam distincte proferre possumus tali auxilio destituti; dum neque loca neque tempora secure licet definire.*

C

Optantur Notitiæ Cartusiarum anno 1667 colligi cœptæ:

2 *Attamen de* Repausatorii Domo, *quam* B. Joannes Prior *rexit, dicere possumus ex ejus Vita, ipsam fuisse in stabilem possessionem acceptatam ab Ordine sub annum* MCLI. *Obiit enim is circa annum* LX *ejusdem seculi,* VII Kalend. Julii, novem annis Prioratu Domus *ejus, ad quam ædificandam missus fuerat,* gubernato, *uti dicitur in Vita num* 7. *Idem annus ac dies mortis sacello supra tumulum ejus extructo inscripti etiam legebantur anno* MDCXLIX; *quando Carolus Augustus Salesius, Gebennensis Episcopus, S. Francisci ex fratre Ludovico nepos tertiusque successor, locum adiit, antiquum* Joannis *cultum recognovit, et corpus de primo sepulturæ loco extulit: quod anno deinde sequenti, consulto Ordinis Generali et Romana sacrorum Rituum Congregatione, in decentiorem extulit locum, pro majori illuc accurrentium, et crebra sanitatum beneficia obtinentium devotione: et hanc probant exempla quædam miraculosarum curationum Gallice missarum, hic Latine dandarum pro Appendice. Elevationis Translationisque instrumenta inveneramus ipsi, nobisque discripseramus in Cartusia Majori.*

interim datur Vita Joannis,

proprium sacellum habentis,

et an. 1650 *translati.*

F

3 *Nunc autem rursus eodem litteras dedimus pro obtinenda delineatione* antiquissimæ imaginis, *quæ cum capite aureis radiis cincto, in Repausatorii ecclesia inventa est a prælaudato Antistite: dicebaturque* ipsum *Beatum* repræsentare ad vivum, *sed responsum accepimus, nec antiquissimam eam, neque credi ad vivum repræsentare Sanctum. Et merito. Cum enim eadem pictura repræsentet pariter* S. Brunonem *qui anno* MCI *obierat* VI *Octobris; cum* S. Hugone Lincolniensi Episcopo, *qui colitur* XVII *Novembris adstatque sancto Fundatori dexter, vita functus anno* MCC, *anno deinde* XX *inter Sanctos relatus; ad sinistram consistente* B. Joanne, *dimidio seculo prius demortuo; multum videri possit, si annorum* CCC *ætatem habeat pictura ista.*

Effigies ejus cum SS. Brunone et Hugone picta.

A *ista. Satis ergo sit eam tabulam hic laudavisse, velut mutam testem antiqui cultus* Joanni, *tamquam* Sancto, *inter Sanctos delati.*

4 *Sita est* Repausatorii Domus, *quantum hactenus ex instrumento Elevationis scire possumus,* in Fauciniensi provincia; *hanc enim visitabat Episcopus, cum illuc est invitatus. Est autem is tractus in Sabaudia, cis lacum Lemanum, vulgo* le Fossigny *vel* Faucigny, *ubi potius,* Focunates *Plinii, quam in Tridentinis Alpibus cum Simlero collocarim. Pignonius certe* Falciniacum Comitatum *appellat. Olim is Delfinatui adhærebat; sed ab anno* MCCCLV *Sabaudo cessit in Commutationem quorumdam locorum, quos hic in Delfinatu tenebat, addito Baroniæ titulo. Eodem in tractu est duplex* Clusa, *cis et trans Arvam fluvium, hæc Gebennensi adscripta diœcesi, illa Sabaudiæ attributa in miraculis recentioribus. Vix autem dubito quin loci Dominus,* Aymo de Fulciniaco *dictus in Vita num.* 5, *nomen suum hinc traxerit. Neque hactenus mihi licet distinctius definire situm, quia non invenitur topographicis expressus tabulis; uti nec ullus earum quæ hic notantur domorum, ut vel ideo optabilius nobis sit opus a Vassorio promissum.*

Situs loci ab eo fundati,

5 *Vitæ ad nos missæ titulus hic præfigebatur :* Vita B Beati Joannis Hispani, primi Prioris Cartusiæ Repausatorii : supra cujus tumbam a febre sanatur ægrotus. *In altero ecgrapho insuper addebatur,* in præfatæ Cartusiæ antiquis traditionibus studiose servatæ. *Quorum verborum si sensus hic est, ut intelligi debeat, non scriptura, sed rei recentius scriptæ notitia,* antiquis traditionibus *fuisse servata; optandum fuerat, ut nomen suum Auctor addidisset. Si autem ipsamet scriptura vestusta est, mirandum erit, quod veterum miraculorum nullum in particulari adscriptum inveniatur: non item quod solo* Venerabilis viri *titulo usus sit Auctor, religiosiori omni abstinens, qui alias jam passim noto cultoque Sancto aut Beato conveniret. Habent interim hinc Tamayus et Sectatores ejus, patriorum Sanctorum multiplicandorum adeo cupidi, ut eo nomine sæpius ipsis contradicere cogamur, genuinum nationis suæ Sanctum; de cujus tamen patria urbe, haud satis distincte expressa a scriptoribus Vitæ, certiora cupimus doceri.*

Vita ex MS.

VITA

Ex MS. Domus Repausatorii.

C Joannes, natione Hispanus, civitate quadam ortus extitit nomine Almanceps, *a* parentibus non ignobilibus, plebeis civibus tamen. Hic a primævo pueritiæ suæ tempore, litteralibus studiis ab eisdem traditus est. Erat enim elegantis et subtilis ingenii ac tenacis memoriæ; adeo ut omnium sociorum ingenium sensus illius capacitas superaret. Cumque cresceret corpore, proficeretque sensu; flagrans discendi desiderio, relictis suis genitoribus, assumptoque uno secum comite, tertio decimo ætatis anno, ex sua egressus, in alienam profectus est patriam. Et perveniens ad quoddam quod adjacet Rotaneæ partibus *b* Provinciæ castrum; ibique circiter unum etiam annum commoratus, ad extremum Arelatem pervenit. Post paucos autem dies, inter alios se scholasticos contulit; cœpitque cum eis conversari. Inter quos cum ipsorum Doctor scholarium subito illum intueretur; protinus cœpit ab eo percunctari, quisnam esset et unde, ac quorum gratia advenisset? Videbat enim illustrissimum juvenem, bonæ indolis adolescentem, vultu alacrem, atque omni elegantia adornatum. Cui mox ille respondens, se Hispanum natione, ac cujus rei gratia adesset, profitetur. Quo audito prædictus Doctor, pensans tanti itineris laborem, et solicitum studio discendi alienis in patriis convenisse exulem; protinus illum docere; atque ei multum prodesse se pollicetur; et insuper aliquem nobilium civium inquirere, qui ei quæcumque victui vestituique necessaria essent, alacri tribueret animo. D

a In Hispania natus,

b studiorum cupidine transit in Galliam:

EX MS.

2 His ita gestis, accidit quod sæpe solet contingere, ut promissum beneficium hospitii necdum haberet; et pecunias (ex sua quamquam plusculas patria attulerat) diuturnis in sumptibus expendisset. Itaque multis miseriarum angustiis circumdatus, et multo nutantium cogitationum angore circumseptus; tandem cœpit egere. Quod ego factum divina providentia esse reor, ut quem præponere pluribus jam decreverat, aliquantulum calamitatis sentire ipsum prius permitteret; quatenus ex sua egestate disceret, quomodo postea sibi subditos regere debuisset. Sed subito ab eadam divina respectus clementia, quidam e spectabilium numero civium Deo ita disponente accepit eum in domum suam; præstans ipsi quidquid ad victum vestitumque necessarium erat abundanter : tantæque gratiæ, tam apud prædictum virum, quam erga conjugem fuit; ut non solum supradicta beneficia ei facerent, verum et in unicum filium sibi, si ipse vellet, adoptarent. E Mansit quoque apud eos fere duobus annis, omnium in circuitu se videntium vultibus ac cognoscentium valde existens gratus.

egestate premitur;

a viro divite domo excipitur;

3 A quibus cum discederet tristibus ac flentibus, nam comes ejus cogebat eum in suam patriam redire, nequaquam tamen eo regressus est : sed perrexit ad quemdam locum, vocabulo *c* S. Basilii : in quo unum nuper audierat verum habitare Religiosum, qui a multis illic temporibus frequentabatur. Quo accedens, ut quorumdam illicitorum, sicut pluribus mos est scholaribus, pœnitentiam ab eodem efflagitaret; (tempus enim imminebat Quadragesimæ) contigit quidem ut paucis ab ipso verbis admonitus, et divina desuper gratia illustratus, litteris tam divinis, quam humanis admodum eruditus, eumdem sacræ Religionis Habitum indueret. Eo in loco tanti fervoris, tantique regularis districtionis sibimet extitisse refertur, ut præ nimio jejuniorum exercitio, abstinentiarumque frequentia, gravem in se morbum pectoris, qui Defecit a medicis vocatur, conciperet. Nam plerumque vir ille, cujus supra mentionem fecimus, cum se ab eo in Religionis exercitio sæpe præcelli conspiceret; et illum carnium esus, quibus tamen fruebatur, sæpissime respuere cerneret; aiebat ei, Frater Joannes, nobis vescentibus, vos abstinetis : unde arbitror vos deinceps virtutes operari. F

c pio cuidam solitario confessus, ei adhæret;

4 Mansit denique ibidem duorum et dimidii per spatium annorum, tam Deo quam hominibus placens; usquequo relata est ei fama et fervor cultusque religionis cujusdam Domus, videlicet *d* Montis-rivii, quæ Cartusiensi Ordini mancipatur : ad quam etiam cum festinus veniret, et cordis sui affectum et propositum voluntatis ejusdem Domus habitatoribus innotesceret; indifferenter atque honeste ab eis susceptus est. Non post multum vero temporis memoratæ Domus Prior, cernens illum in omnibus, quæ ad prædicti Ordinis cultum pertinent, valde esse solicitum, moribusque et vita honestum; tentavit illi officium sacristæ et totius ecclesiæ curam imponere. Qui in accepto utique ministerio sic modeste atque ordinate se exercuit, quatenus ferme in cella transactis sex annis; in septimo quoque, Deo placente, ad totius Domus regimen ascendit. Præterea delectat audire ac subtiliter indagare, quomodo sit ab eo Domus disposita, qualiterve plurima domorum ædificia, vel nova constructa, vel vetera sint renovata. Sed et vias, quæ præfatæ Domus terminos influebant,

d deinde apud Montem-rivii factus Cartusianus,

domus commoda valde promovet.

A fluebant, eadem infestantes, cum pluribus aliis perturbationibus, Deo auxiliante, correxit atque sedavit. Libris autem authenticis scribendis et emendandis, magnum studium præbuit: necnon sanctimonialibus Prati Bajonis consuetudines, quas ab eo postulabant, nobili stylo edidit.

EX MS.

5 Cujus tamen felicibus actibus hostis invidens antiquus, excitavit contra eum quemdam hominem, quem suæ veneno diræ potaverat iræ. At vir discretus, plus timens recentium discipulorum detrimentum, quam formidans excitatæ iræ perfidi provocamentum; ac juxta Dominicam vocem (Si persecuti vos fuerint in una civitate, fugite in aliam) duobus annis cum dimidio Prioratu prudenter administrato, discessit inde venitque Cartusiam: cujus Regimen eo tempore tenebat S. Anthelmus, et huic antea jam fuerat notus: a quo tunc benigne est susceptus atque humaniter, manens secum per aliquod tempus, tam illi quam universis amabilis. Postmodum autem cum præfatus Prior, et ejus Consiliarii, inter se tractare cœpissent, quid illi et sociis facere possent; repente Aymo de Fulciniaco, vir divitiis pollens et gloria, legatos Cartusiam misit; optans atque humiliter deprecans, quatenus ad eremum quamdam (quæ in territorio ejusdem jacet, et sub potestate Præsulis Gebennarum continetur) ejus adminiculo inhabitandam, cultores quoque eorum ordinis transmitterent; eo quod ipsa antiquitus ab eodem aliis tradita fuerat hujus Religionis habitatoribus; sed parumper ab eis possessa, vacua remanserat. Cujus precibus auditis, cognoscentes quod consilio Dei res ipsa ageretur; petitionibus ejus assensum præbuerunt, et memoratis hominibus, plurima vestium, nummorum, librorumque beneficia impertiverunt, ad incolendum hoc desertum.

Inde ad Cartusiam transit

postea ad Repausatorii domum;

B

6 Iste nimirum locus, quem vir venerabilis ad ædificandum adiit, vallis est quædam profunda, inter montana sita; et, ut hoc dicam, sicut congruit ordini, valde hiemosa; ab omni ligno pomifero funditus aliena, neque satis abundanter frugifera: in cujus medio juxta aquarum fluenta planities jacet permodica, in qua domorum sedent ædificia: in circuitu vero magnis altissimarum montibus rupium eminentibus, in quibus pulcherrima abietum aliarumque silvestrium nemora sunt consita arborum: in quarum rupium summitatibus optima sunt undique pascua ad alenda animalia. Huc dum vir venerandus cum comitibus suis undecimo Kalendas Februarii intraret (tali quippe tempore prædicta eremus cœpit ab eo inhabitari) vix pauca in ea corporea alimenta, et quasdam domunculas veteres, et ipsas sordido schemate compositas, invenit. Unde utique compulsi, qui ingressi sunt, ob cibi potusque penuriam, nimis austera ducebant Religionis exercitia: quibus avenaceus panis tunc erat dulcis, et ipse festivus.

quam tunc desertam et inopem,

C

7 Exinde cœpit homo cognosci, et ab universis qui illum noscebant, magna in reverentia haberi; domos ædificare, loca angusta dilatare, humum colere. Sub ejus namque regimine, universa superioris atque inferioris domus ædificia, quæ hodie cernuntur, fere sunt constructa. In ejus quoque tempore, consilio ejus ac dispositione, præfata Domus magnum tam hominum a Deo, quam aliorum incrementum beneficiorum invenire meruit et obtinere. Libris quoque divinis scribendis et emendandis, eumdem quem prædiximus modum retinuit. Sed et historiam, quam ipse manibus suis scripserat, optimam, sanctimonialibus virginibus supradictis, Deo sibi inspirante, ante obitum suum impendit. Qualis autem erga sibi subditos fuerit, difficile videtur posse narrari; quorum mores singulorum, sive magni, sive parvi, sive fortes, sive pusillanimes fuerint penitus noverat. Erat in eo sapientia et gratia ipsa, unde magni altius ditarentur, parvi crescerent et amplificarentur, fortes magis roborarentur, pusillanimes ne funditus ruerent fulcirentur, sibimet enim erat in oratione pernox, in disciplina nimis crudelior, in jejuniis austerior, in corripiendo severus, at in sufferendo mansuetus. Novem igitur annis Prioratu Domus Repausatorii gubernato; cum a conversatione sua vigesimus; a nativitate vero trigesimus septimus circiter annus ageretur; prædictus Prior septimo Kalendas Julii, bonorum studiorum actuumque piorum faciens finem, felicem Domino spiritum commendavit, circa annum Domini millesimum centesimum sexagesimum.

brevi multimodis auget,

D

et post 9 annos in ea moritur.

8 Eodem etiam tempore, quo memoratus vir venerabilis præfatum gubernabat Prioratum, tale fertur subito infortunium evenisse, ut petrosis alpibus, vehementi et inopinato concursu, ab ipsorum altissimorum montium cacumine, nives in tanta quantitate cum velocitate et impetuositate defluerent; quod duo de numero pastorum famuli, de loco qui dicitur Aroz, *f* ubi tunc greges animalium commanebant, ad Domum Monachorum accedentes, ut victualia necessaria secum ferrent, subito sub ipsis nivibus suffocati spiritum exhalarent. Quam tribulationem ad ejus probandam patientiam (sicut de Beato Job legitur) et meritum amplificandum, pie credimus sui temporibus regiminis evenisse. Aliquanto siquidem non modico temporis curriculo evoluto, et nivibus in resolutionem revolutis, corpora defunctorum inventa ad locum Monasterii adduci fecit, honorificæ tradenda sepulturæ. Disposuit tamen in cœmeterio nullatenus inhumare, ne forsan sententiæ, quam merito poterat ignorare, nodo qualicumque innodati fuissent: sed in loco ecclesiæ contiguo, quasi circa medium, fecit honorabiliter, ut est moris in Ordine, eorum corpora sepeliri, licet ab ipsius Ordinis Professoribus nullatenus, quoad extraneos, apud eorum loca foret assuetum.

Quia duorum nivibus oppressorum corpora,

f

E

fecerat extra cœmeterium sepeliri,

9 Quapropter, cum a suis majoribus, prout fertur, fuerit *g* reprehensus, licet plura intentione et justa causa et excusabili hoc egerit; cum ad extrema pervenisset, seipsum mulctare voluit et punire; non formidans hujus confusionem seculi perlabentis, ut futuram extremi ultionem judicii, si culpa fuisset, mereretur evadere. Adjuravit ergo cunctos Fratres suos, ut juxta prædictorum corpora, extra cœmeterium, post ejus obitum terram sui corporis terræ redderent, juxta exemplum B. Marcellini *h* Papæ, qui ob quamdam offensam sub anathemate prohibuit, ne Ecclesiasticæ sepulturæ corpus ejus traderetur. In quo quidem loco processu temporis, nutu divino, Capella cum altari in eadem, pulchro tabulato extitit perornata; ubi quamplurimi correpti febribus, nedum levibus, sed etiam gravibus, cum fide ac devotione accedentes, cum super ejus tumbam dormierint, ad propria redeuntes, ejus suffragantibus meritis et precibus, beneficia reportant indubitanter sanitatum. Multo magis animabus sauciatis credendus est medicinam spiritalem adhibere, indulgentiam a Deo et gratiam obtinendo, si fides et devotio exigat poscentium humiliter. Cujusmodi autem meriti in sua conversatione, dum advixit, extiterit; post ejus mortem pretiosam præstando beneficia sanitatum usque hodie pius Dominus Jesus, cui fideliter servivit in vita, dignatur misericorditer propalare, ad laudem et gloriam sanctissimi sui nominis, qui cum Patre et spiritu sancto, vivit et regnat Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

g

extra ipsum quoque humari se mandavit

F

h

ubi condita desuper capella

febres curat.

ANNOTATA

A

ANNOTATA D. P.

a Almanceps, *corruptum haud dubie nomen, quod conjectoribus Hispanis indagandum relinquo: verosimile est in proxima Galliæ Navarra, vel Barcinonensi Ruscinonensive Comitatibus, requirendum esse locum.*

b Rotaneam Provinciam *placet intelligere eas partes Provinciæ, quæ Rhodano adjacent, ubi est etiam mox nominanda civitas* Arelate.

c *Hic locus ubi sit libenter discam: nam qui ad Garumnam est in Vasatensi tractu vulgo* S. Bazeille, *longius recedit, et forte* S. Basiliæ *est.*

d Montis-rivii *mentio aliquoties fit in Vita S. Rosselinæ* XI *Junii, situm necdum reperi.*

e S. Antelmus, *postea Bellicensis Episcopus, præfuit Cartusiæ ab anno* 1139 *ad* 1151. *Id apparebit ex Vita danda die sequenti: ut hæc acta esse oporteat ultimo ejus anno.*

f *Aliud ecgraphum*, Agnes: *puto Repausatorio vicinum esse locum.*

g *Dubites quid culpatum fuerit, an quod extraneos tam prope ecclesiam, an quod ex scrupulo extra cœmeterium fecerit sepeliri? ultimum videtur indicare ea* B *quam sibi indixit pœna.*

h *Nusquam hoc legitur in iis quæ de* S. Marcellino *dedimus ad ejus diem* 26 *Aprilis; imo contrarium potius: scilicet quod sepulcrum sibi præparaverit* in Cœmeterio Priscillæ, juxta corpus S. Crescentionis Martyris: *quod autem istic sepeliri se vetuerit, quasi consortio Martyrum indignum; id ex opinione erronea de ejus thurificatione processit.*

ELEVATIO CORPORIS.

Ex authenticis MSS. Majoris Cartusiæ.

Anno 1649 Falcinienses visitans Episcopus,

Carolus Augustus de Sales, Dei et Apostolicæ Sedis gratia Episcopus et Princeps Gebennensis, ad perpetuam rei memoriam. Notum facimus et manifestum, quatenus volente Deo (qui, cum sit mirabilis in Sanctis suis, ex quorum coagmentatione æternum sibi præparat habitaculum, disponit omnia, suaviter ad suam gloriam) post exactas aliquot diœcesis nostræ visitationes, in Fauciniensi provincia cum essemus, statim in nostram ordinariam residentiam redituri; rogavit nos R. P. D. Joannes C Baptista de Bely, Presbyter ac devotæ Domus Repausatorii Ordinis Cartusiensis Prior, uti ad benedicendum sacellum, de novo, in honorem Beatissimæ Mariæ Virginis Compatientis, juxta ipsam Domum exstructum, huc divertere dignaremur. Cujus petitioni continuo annuentes, quandoquidem ipsum Ven. Priorem, cum familia sibi credita, ac totum Ordinem Cartusiensem singulari amore merito prosequimur; venimus ad hoc monasterium hesterna die VII Septembris: ac hodie, inter Missarum solennia, quæ in Pontificalibus celebravimus, venit nobis in mentem fama Venerabilis servi Dei Joannis Hispani, primi Prioris hujusce Domus; quem multis ægrotorum curationibus celebrem jam pridem Deus reddidit; cujusque sepulcrum multa populorum religione in hac eadem domo frequentatur.

ad consecrationem Capellæ in Repausatorium venit:

2 Existimavimus hanc cogitationem esse sancti Spiritus afflatum: quocirca, re cum aliquot piis et eruditis Sacerdotibus nobis assistentibus pensata et deliberata, advocato quoque ipso Domno Priore, et cum suis Religiosis in concilium adhibito; de nostra et eorum sententia, visum fuit operæ pretium, ipsius servi Dei sepulcrum et Reliquias, juxta formam Constitutionum Apostolicarum, primum visitare: quandoquidem de fama sanctitatis ipsius servi Dei satis superque constat, estque de illorum numero, qui ante longissimi temporis spatium cum sanctitatis D odore migraverunt ad Dominum, ac proinde Ordinariorum cognitioni relinquuntur.

quo peracta agit de requirendo corpore B. Joannis.

Ex MS.

3 Igitur hac præsenti die et hora meridiana, adhibitis testibus infrascriptis et Episcopalis nostræ curiæ Cancellario, publico Notario, duxerunt nos versus sepulcrum dicti servi Dei Venerabiles Patres, D. Joannes Bapt. de Bely supradictus Prior, et DD. Antelmus Philippus Vicarius, Petrus Feris, Joannes Doncieu, Nicolaus Juliard Sacrista, Antonius Bigouche, Philippus Mercier, Placidus Bremoud, Ambrosius Fontaine, Carolus Emmanuel Jacques Procurator, Ludovicus Bally Coadjutor; omnes Sacerdotes et Religiosi professi ejusdem Ordinis Cartusiensis, constituentes Familiam et Capitulum hujus Domus Repausatorii. Cum quibus, ab inferiori parte chori ecclesiæ, intravimus in quoddam sacellum, juxta muros ipsius ecclesiæ ad Septemtrionem, quæ est pars Evangelii, opere fornicato ac depicto constructum: ad cujus parietem, qui est ipsi ecclesiæ communis, legitur characteribus capitalibus Romanis hujusmodi inscriptio, videlicet: Hoc in sacello jacet Beatus Joannes Hispanus, primus Prior hujus Domus, super cujus sepulcrum a febribus sa- E natur ægrotus. Obiit anno MCLX XXV Junii.

8 Septembris cum Religiosis et testibus

progressus ad sacellum ecclesiæ contiguum,

4 Statim prædictus Prior ostendit nobis sepulcrum dicti servi Dei; quod est fere in medio ipsius sacelli, ante altare prope clathra, ex ligno nuceo: super quo est operculus seu parva porta, ex simili ligno nuceo: quod notatum est emblematico opere et circulo solari, habente in medio crucem candidam, et in quatuor angulis totidem stellas. Ad ipsum vero altare, inter quatuor columnas ligneas venuste depictas, sunt tres imagines ad longum opere oleario super tela; scilicet in medio, S. Joannes Baptista; a dextris, S. Joannes Evangelista; et a sinistris, ipse servus Dei Joannes Hispanus, habitu Cartusiensi, manu dextra palmam tenens, et sinistra librum, capite radiis circumdato. Ac ad majorem confirmationem famæ et existimationis de ejus sanctitate, duxerunt nos supradicti Religiosi in aliud inferius sacellum conjunctum, ac Divo Joanni Baptistæ et Divo Antonio Abbati dicatum: ad cujus sacelli parietem affixa est antiquissima imago super tela, repræsentans tres Beatos ex Ordine Cartusiensi; nempe, S. Hugonem, Lincolniensem Episcopum; S. Brunonem, ejusdem Ordinis initiatorem: F post quorum nomina legitur hujusmodi subscriptio, videlicet, B. Joannes Hispanus, primus Prior Repausatorii: pariter ad longum ut supra: qui palmam tenens et librum, etiam radios habet in capite ex auro: et dicitur hæc imago ipsum ad vivum repræsentare, quæ repræsentatio est ætatis multum provectæ.

ipsum introspicit,

et veteres notas sanctitatis considerat:

5 Itaque in primum sacellum redeuntes, vocari jussimus voce ipsius D. Prioris devotos Fratres, Franciscum Faure et Jacobum Diuletupetit, hujus domus Donatos: ac januis statim clausis, per ipsos aperiri supradictam portam sepulcralem, duos pedes longam et latam. Descendimusque nos ipsi per scalam, in foveam quinque pedes altam, duos pedes et sex uncias latam, et octo pedes longam, opere fornicato constructam et dealbatam; cujus pavimentum aliud non erat, quam terra bene compressa; fornix autem ac parietes innumeris guttulis madebant. Qua structura bene perspecta, per dictos Fratres Donatos præcepimus effodi ac egeri terram ad altitudinem trium pedum. Post quam effossionem, reperti sunt lapides quadri, male compacti et disjuncti præ nimio pondere, ac ita loculo abiegno, omnino putrido, incumbentes, ut subjectum corpus, præcipue circa pectus et crura, fregerint: unde et imprudenter etiam ligone ferreo percussum caput, in

deinde jubet aperiri sepulcrum:

quo perfracto,

A in multas partes sit divisum. Interrogavimus ipsum D. Priorem ac alios Religiosos, num aliquando effossa fuerit illa terra, et apertum id sepulcrum. Qui responderunt unanimiter, se numquam audivisse, fuisse apertum imo semper clausum, a tempore obitus dicti servi Dei.

EX MS. *(idque tunc primum)*

6 Unde jussimus amplius aperiri : et tunc primo extracta sunt ossa capitis, in quibus circa dentes hærebat adhuc caro cum pelle, ipsique dentes optime infixi erant. Successive extracta sunt ossa brachiorum, quæ decussata erant in modum Crucis; et circa illa inventa est ligula, ex corio nigro, ac, ut videtur, bubulo, longitudinis circiter sex unciarum; ac multa præterea ossa imminuta et minuta. Deinde extracta sunt ossa crurum et tibiarum; in quibus hærebat adhuc caro cum pelle. * Cetera ossa terræ madefactæ immixta erant, quam extersimus : ipsa vero ossa, quæ sexaginta sex dinumeravimus; ac cum mandibulis dentes, quos dinumeravimus etiam ad viginti quatuor, reposuimus reverenter in capsula seu arcula ex platano, unum pedem et sex uncias longa, unum pedem lata, decem uncias alta; aliquot characteribus Gothicis incisa, lectu difficillimis, cum pari operculo tractili : ac D. Priori commisimus, fideliter ac reverenter in sacrario dictæ ecclesiæ asservanda; quousque, post acceptum Rev. Patris Generalis dicti Ordinis Cartusiensis sensum, ac si opus fuerit, Sedis Apostolicæ, aliter provideatur. Ipseque D. Prior, cum omnibus Religiosis suis, ipsam capsam seu arculam accipiens, promisit se eam sic fideliter ac reverenter asservaturum.

extrahuntur sigillatim ossa omnia,

capsæque imposita deferuntur in sacrarium;

B

7 In quorum omnium fidem præsentibus subscripsimus; sigilloque nostro eas firmavimus, ac per Secretarium nostrum et Episcopalem Cancellarium publicumque Notarium contrascribi et subsignari jussimus. Acta autem fuerunt in hac domo Repausatorii dicti Ordinis Cartusiensis, die VIII Septembris anno MDCXLIX Indict. II, Pontificatus Sanctissimi D. N. D. Innocentii divina Providentia Papæ X anno V, præsentibus testibus ad hoc specialiter vocatis et rogatis; R. D. Petro Maguin, Sacræ Theologiæ Doctore, Canonico ecclesiæ nostræ Cathedralis, et Vicario Generali et Officiali nostro; R. D. Renato Sauvage, Sacræ Theologiæ Doctore, Presbytero Congregationis Missionis; Venerabilibus Nicolao Carrat, et Joanne Philippo Chappet, Presbyteris Capellanis nostris; ac Jacobo Mermaz, Clerico familiari nostro; testibus, ut supra dictum est, vocatis et rogatis : qui omnes in originali, in archivio C Episcopatus remanente, signaverunt.

confecto desuper instrumento.

Signatum erat, Carolus Augustus Episc. Gebennensis...

Et ego Amadeus Flory, Notarius publicus et scriba Episcopalis, hoc exscriptum rei gestæ actum subscripsi, et signo meo consueto signavi, de mandato Illust. et Rev. D. D. Episcopi et Principis Gebennensis. *Et hic signatum*, Flory.

Nota post illa verba cum pelle; *quæ habentur in præcedente columna ad asteriscum * legi quoque in primo exemplari, ad Cartusiam allato, hæc verba; videlicet :* Ac in osse genuum supererat pars notabilis pellis : *quæ non habentur in secundo exemplari autentico, ex quo præsens copia descripta est.*

Nota etiam, in illo primo exemplari referri ad finem, omnes Religiosos istius Domus, una cum V. D. Priore in registro subsignasse.

TRANSLATIO CORPORIS.

Ex simili publico MS. Instrumento.

Carolus Augustus de Sales, Dei et Apostolicæ Sedis gratia Episcopus et Princeps Gebennensis, omnibus quorum intererit viventibus et posteris, et ad D perpetuam rei memoriam, testatum facimus ac manifestum, quod, cum sacris Litteris, nimis honoratos amicos Dei Spiritus sanctus pronuntiet; nihil eorum omittere debemus, quæ ad majorem Sanctorum gloriam pertinent. Et quamquam nostris laudationibus et honorificis actionibus eam promovere, cum tanta sit apud Deum, satis pro votis nostris non possumus; curare tamen quæ ad eorum majorem honorem faciunt, pro munere nostro et studiosi in eorum cultum animi nostri testificatione tenemur. Iis rationibus permoti, feriis solennibus et sacris Nativitati Beatissimæ Virginis anni proxime elapsi, requirente R. P. D. Joanne Baptista de Bely, Priore Cartusiæ Repausatorii nuncupatæ; in eamdem Cartusiam, pro benedictione sacelli, de novo in honorem beatissimæ Mariæ Virginis Compatientis ad fores dicti monasterii constructi, cum venissemus, eamque benedictionem perfecissemus; sepulcrum Venerabilis servi Dei Joannis Hispani, primi Prioris ejusdem monasterii, multorum non solum vicinorum, sed etiam circumfusorum populorum, pro beneficiis ad ejusdem servi Dei preces obtentis, religione celebre et frequentatum, de assensu et consilio ejusdem R. P. Prioris, suorumque Religiosorum, E et piorum aliquot ac eruditorum Sacerdotum nobis assistentium, aspirante Deo, juxta formam Constitutionum Apostolicarum visitavimus, in sacello ipsius ecclesiæ ad Septemtrionem posito : in eoque effodi curavimus Reliquias dicti servi Dei, ut plenius habetur in actu, quem per Notarium nostrum fieri jussimus; atque ita ejusdem servi Dei venerabiles Reliquias, reverenter in capsula recondidimus, eamque capsulam debite clausam eidem R. D. Priori diligenter conservandam commisimus, donec aliud vel de R. P. Generalis Cartusiæ aut Sedis Apostolicæ super iis consultæ ordine et jussu, ad earumdem Reliquiarum majorem honorem præstandum videretur.

Idem Episcopus anno 1650 rogatus

Reliquias B. Joannis,

quas priori anno effodi jusserat,

2 Cum igitur hoc anno, in visitatione nostræ diœcesis pergentes, idem R. D. Prior certiores nos reddidisset, bonum videri probarique a R. P. Generali Cartusiæ, litteris ad illum datis VII Septembris proxime elapsi, easdem Reliquias Ven. servi Dei honestiori in loco collocari, idque responderi a Consultoribus sacræ Congregationis Rituum; ut populi, ad eas honorandas beneficiaque curationum poscenda ventitantes, ad majorem illarum cultum et Dei laudem, prædicti servi Dei glorificatione, magis ac magis accenderentur; idem R. D. Prior nos efflagitavit, ut ad idem monasterium pro earumdem Reliquiarum translatione ac decentiore F collocatione nos transferre dignaremur. Cui petitioni libentissime annuentes, ad majorem Dei gloriam ejusque servi Dei cultum, III Nonas Octobris anni supra millesimum sexcentesimi quinquagesimi, ad postulata d. Rev. Prioris exequenda, eodem comite, ad præd. Cartusiam Repausatorii ascendimus : et crastino consequenti die, S. Brunoni Ordinis dicti monasterii fundatori dicato, pro dictarum Reliquiarum translatione processimus, ut sequitur.

decentius collocare;

eodem accedit 5 Octobris:

3 Igitur eodem die, hora nona antemeridiana, ad majus altare ecclesiæ d. monasterii, Pontificalibus vestimentis induti, ad instantiam d. R. Prioris, eamdem prædictam translationem requirentis; Actum a nobis editum super visitatione dicti sepulcri, earumque Reliquiarum effossione et repositione, a Notario nostro legi intelligibili voce jussimus. Quo perlecto, capsulam in qua prædictas Reliquias reposueramus, exhiberi coram nobis præcepimus. Quam statim nobis exhibitam debite recognovimus, cum sigillis ab eodem R. P. Priore super ipsa impressis, eamdem ipsam esse, in qua prædictas Reliquias

et in ipso festo S. Brunonis,

A liquias decenter recondideramus. Quam postea aperuimus, omniaque in ea contenta diligenter perspeximus; eaque ut a nobis recondita fuerant, omnibus immutatis iisdemque repertis, comperimus. Ad quarum Reliquiarum apertionem non modica populi, etsi in montanis longe a pagis et urbibus ageremus, multitudo ad nos accessit; offerens coronas et rosaria, ad comparandum illis ex dictarum Reliquiarum attactu dignitatem.

reserata capsa coram venerabundo populo,

4 Cui cum abunde satisfactum esset, solenni ritu novam arculam affabre, splendide et decenter paratam ac ornatam, benediximus; in eaque prædictas Venerabiles Reliquias cum honore debito reposuimus; eamque arculam ad latus altaris, dum Pontificalem Missam de S. Brunone celebraremus, collocavimus. In qua, post Communionem sacram, Religiosis nonnullisque de populo concessam, et solennem Benedictionem datam, solenni etiam processione easdem Reliquias, (quas idem R. D. Joannes Baptista de Bely cum R. D. Martino Symonnes, Vicario monasterii Melani, gratissimo onere vectabat) per utrumque ejusdem monasterii claustrum, comitante Sacerdotum et Laicorum magno numero, cum candelis et cereis accensis, decoravimus: et peracta processione, easdem in dicto sacello, in armario, ad latus ejusdem sacelli ornatissime parato, et cancellis ferreis munito, recondidimus; Indulgentiamque quadraginta dierum, in forma consueta, omnibus adstantibus concessimus.

ossa transponit in novam arculam: et deinde in loco sacelli ad id parato,

5 Cujus nostri Processus hunc Actum in eodem monasterio, per Notarium nostrum fieri curavimus: cui subscripsimus cum R. D. Petro Francisco Jaco, sacræ Theologiæ Doctore, Archidiacono et Canonico ecclesiæ nostræ Cathedralis, Vicario Generali et Officiali nostro; et prædicto R. P. Priore, Reverendisque ejusdem monasterii Religiosis, et præsentibus Ven. DD. Nicolao Carrat, et Joanne Philippo Chappet, Capellanis nostris; R. D. Petro de Lisle, Theologiæ Doctore, Plebano ecclesiæ Clusensis; R. D. Humont, Presbytero ecclesiæ de Siouzire, Capellano; discreto Jacobo Mermar, Clerico Parochiæ d'Ugny, familiari nostro; Claudio des Turches, parochiæ S. Joannis Tholomæi in Faucunati; et egregio Agnete Symonnes, loci de Sauville prope Mottam in Lotharingia; testibus ad præmissa vocatis et rogatis: qui omnes in originali, in archivio Episcopatus remanente, signaverunt. Ita sign. Carolus Augustus Episcopus Gebennensis.

conditumque de re acta instrumentum rite signat, cum testibus,

C Et ego Amadeus Flory, Notarius publicus et scriba Episcopalis, hunc exscriptum rei gestæ Actum subscripsi, et signo meo consueto signavi, de mandato Illustrissimi et Reverendissimi DD, Episcopi et Principis Gebennen.

et Notario.

Ita Sign. Flory cum sigillo Episcopali infra in plica impendente, et utrumque Actum duabus vittis sericis, rubea et cærulea, nectente.

APPENDIX.

Miracula quædam recentiora Gallice descripta.

Per traditionem habetur, quod cum Beatus hic vellet bibere de quodam fonte, qui est in via Repausatorii, inter eosdem montes; aqua ipsi versa sit in vinum: qui fons exinde nominatur Fons S. Joannis.

Aqua in vinum versa

7 Anni circiter quadraginta sunt, quod Religiosus quidam Ordinis S. Francisci de Observantia, Conventus oppidi Clusæ in Sabaudia, possessus a dæmone, adductus fuit ad S. Joannem, per R. P. Guardianum et Fratres aliquot d. Conventus. Hi cum ibi solennem Missam celebrandam curassent, D pro liberatione d. Religiosi; solum incluserunt in caveam, quæ est subtus tumba ipsius Beati: supra cujus valvam posuerunt grandem lapidem, atque ita ad prandium sumendum abierunt. Post duas autem horas reversi, invenerunt hominem, in capella ambulantem, sanum ac salvum, qui deinde vixit multis annis, absque sensu alicujus incommodi.

dæmoniacus curatus, EX MS.

8 Famulus quidam Cartusiæ Vallis-sanctæ, morbo caduco laborans, accepit a Ven. P. D. Raphaele Guilielmo, tunc Priore, phylacterium, in formam Agnus Dei compositum, cui incluserat aliquid de terra sepulcrali B. Joannis: cujus ille virtute integram consecutus est sanitatem. *De hujus Prioris ætate rogatus Dominus Carolus le Coulteux anno* MDCLXXXXI, *in Cartusia Majori operam dans Annalibus Ordinis colligendis, rescripsit, in quodam Priorum Vallis-sanctæ indiculo notari, quod ipsam rexerit ab anno* MCCX *ad* XXIV: *verum recentius sibi videri miraculum, quam ut ad tantam antiquitatem possit assurgere: ideoque hic potius intelligendum* Domnum Nicolaum Raphaelem Guilielmum, *Repausatorii Priorem ab anno* MDCXXIV *ad* XXXII, *quando officio absolutus rediit ad dilectam quam erat professus Cartusiæ Majoris solitudinem, in eaque obiit* MDCXXXIV, I *Aprilis, nec scitur unquam Repausatorio præfuisse; cujus* E *tamen titulum reperisse se ait Domnus Carolus, Raphaelem Guilielmum additum, in suo accuratius relecto MS. his Latinis verbis:* V. P. D. Raphael Guilielmus, tunc Repausatorii Prior, servo Cartusiæ Vallis-sanctæ dedit excerptam terram de Beati sepulcro, in modum Agnus Dei involutam: cujus virtute sanatus est.

item epilepticus

9 Claudius Hudry, ex vico Clusæ ditionis Gebennensis, annis jam elapsis novem, adduxi suam uxorem ad novemdium celebrandum, ex voto quo se obstrinxerat B. Joanni, si ejus meritis a malo, quo possidebatur, dæmone liberaretur, sicut et liberata mox fuerat.

et dæmoniaca,

10 Vir quidam, prope Mentonum in Sabaudia manens, mente sua exciderat: pro quo cum sui consanguinei vovissent, ipsum ad Repausatorium adducere peregrinum; executi votum suum sunt, et ille ad sanos sensus rediit: credo jam elapsos annos quatuordecim.

amens quoque

11 Parvula, cum febri vehementi luctans, commendata fuit a matre B. Joanni; misso ad Repausatorium puero, qui ibi Missam dicendam curaret, pro recuperanda parvulæ sanitate. Hic sua legatione perfunctus, tradidit matri aliquid terræ, quod de E sepulcro Beati sumpserat: ipsa vero ejus particulam appendit collo filiæ, quæ tum forte ex paroxysmo tremebat: et continuo cessavit tremor. Verum, cum fortuito casu excidisset amuletum, rediit continuo paroxysmus. Quod cum animadvertisset mater, terramque sacram a collo filiæ decidisse, continuo ipsam ei reaptavit: et statim sanatam filiam, omnique febri liberam habuit. Erat mulier illa ex oppido Clusæ in Sabaudia; res autem contigit, quo tempore Repausatorium Prior regebat Ven. P. D. Irenæus Dournais.

et puella febri laborans

12 Atque hæc scripta quidem non inveniuntur, vera tamen sunt, quemadmodum apparet. *Quomodo autem id apparebat? Credo ex recenti et certa attestatione eorum qui præsentes adfuerant et vivebant, dum ista ibi scriberentur: quod tempus utcumque cognosci poterit ex tempore ultimo nominati Prioris, quem Repausatorio præfuisse intelligimus ab anno* MDCXXV *usque ad* XXXIII; *triennio autem post majorem Priorem, constitutum: quo munere cum similiter absolvi petiisset anno* MDCXLIII, *eodem anno e vivis abiit.*

Quando hæc scripta,

DE S. ODUINO

PRESBYTERO MARTYRE HUGARDIÆ IN BRABANTIA

G. H.

Notitia ex Molani Natalibus Sanctorum Belgii.

XXV JUNII

Cultus,

Hugardia *sic dicta, quasi* Hugonisterra, *celebre municipium est diœcesis ac ditionis Leodiensis, Brabantiæ Regiæ oppidis undique circumseptum : quod cum anno* MXIII *muris cingere pararet Baldricus Episcopus Leodiensis, a Lamberto Comite Lovaniensi prohibitus fuit. In hoc colitur* XXV *Junii* S. Oduinus Martyr, *cujus res gestas ex Lectionibus propriis, more suo Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii descripsit, in hunc modum.*

Sacerdotium,

2 Hugardiæ, natalis S. Oduini Martyris, qui ad Sacerdotii honorem provectus, singulariter invigilabat jejunio, orationi, psalmodiæ et eleemosynis. B Unde cum iret in villam Merceles (aut Meldaert ut putatur) celebraturus Divina, obvios habuit duos scurras : qui fraude machinabantur extorquere pecuniam, quam pupillis, viduis, et indigentibus distribuere eum agnoverant. Sed alter, qui se mortuum fingebat, justo Dei judicio mortem obiit : a qua tamen piissimus Oduinus eum resuscitavit. *mortuus resuscitatus,* Postmodum exorta est quæstio inter agricultorem quemdam et filiolum spiritualem S. Oduini, de meta inter confinia agrorum : de qua, secundum jus et æquitatem decidenda, communi consensu nominatus est arbiter. Beatus autem vir sententiam decidit *Martyrium.* contra suum filiolum. Unde is ira percitus, fossorium a manu patrini suscepit, et in verticem ejus violenter direxit, sciditque ei caput medium. Sanguinis autem effusio fontis venas mox aperuit, de cujus lotione multos fuisse restitutos sanitati perceptum est. *fons emanans.* Natalem habet in die natali Præcursoris Domini. Ideoque Hugardienses ad Divum Gorgonium Canonici, festum ejus, quod Duplex celebrant, transferunt in diem sequentem. Et Reliquias corporis sacri, quiescentes in capsa, in Processionibus sæpius circumferunt, potissimum tamen ultimo festo Pentecostes. *Hæc Molanus, qui fere eadem habet in Indiculo Sanctorum Belgii. Ejus exemplo* S Oduinum *etiam retulerunt Miræus in Fastis Belgicis et Burgundicis, Saussayus in Martyrologio Gallicano, Ferrarius* E *in Catalogo generali : et longo satis encomio, sed mutata solum phrasi, Bartholomæus Fisen in Floribus Ecclesiæ Leodiensis, et in Historia ejusdem Ecclesiæ lib.* II *num.* 31 ; *ubi Martyrium ejus refert ad annum* MCCIX. *Reverendus Dominus Decanus, anno* MDCLIV *rogatus de* S. Oduino, *respondit,* nihil posse se amplius adferre, quam quæ apud Molanum de eodem habentur : Reliquias, utpote dispersas ab impiis, nullas amplius certas superesse. *Eodem ergo casu existimare licet deperditas quoque fuisse Lectiones veteres, quarum ecgraphum sequi se profitetur Molanus, nec facile sperare nunc possumus aliud alibi inveniendum.*

DE B. GUIDO MARRAMALDO

D. P.

ORD. PRÆDICAT. NEAPOLI IN CAMPANIA

Ex Diario sacro Dominicano Dominici Mariæ Marchesii.

CIRCA MCCCXCI.

Cultus antiqui argumenta certa,

Prætitulati scriptoris, in colligendo Diario isto, et sub annum MDCLXXII *sex tomis vulgando grandia merita,* C *Hispaniarum Rex seu potius tot Sancti ac Beati Dominicani, per eum eruderati, post annos circiter viginti coronarunt Puteolanæ Ecclesiæ Infula, ad decorem potius, quam usum concessa, siquidem haud diu post vita excessit. Primus nos hic docuit, suum concivem* Guidum *numerare inter Ordinis Prædicatorii Beatos, tribus potissimum argumentis.* I. Quod ad corpus sub annum MCCCXCI defuncti ea claruerint signa sanctitatis certæ, ut capella S. Mariæ a Rosario cognominata, in æde primaria S. Dominici, intra quam sepultum illud fuit, mutato mox nomine nuncupari cœperit Capella B. Guidi, quemadmodum constat ex publico istic instrumento, quo Zizotta de Aceriis anno MCCCCXXVIII fundum quemdam Patribus legat ea conditione, ut pro salute animæ ipsius legatricis quot hebdomadis terna fiant sacrificia in sacello B. Guidonis. II. Quod ibidem publice exponatur vetus ejusdem effigies, cum radiis circa caput ac titulo Beati ; similiterque in Capella S. Dominici ; nec non Eugubii in Umbria in claustro S. Martini, *teste Michaele Pio parte* 2 *lib.* 4 *pag.* 348, *ubi simpliciter appelletur* F B. Guidus de Neapoli. III. Quod in Comitiis Provincialibus Ordinis, per regnum Neapolitanum celebratis anno MDCXII, commissum fuit Seraphino de Nocera, tunc Provinciali, daret operam, ut Roma impetraretur facultas colendi illum cum Officio et Missa. *dies incertus.*

2 *Pro qua autem anni die? Crediderim aliquam in genere optavisse Patres, sacræ Congregationis Rituum arbitrio definiendam; Marchesium interim hanc legisse, qua nullus ei alius occurrebat sui Ordinis vel Sanctus vel Beatus, prout alias quandoque a se factum ipse mihi per epistolam rescripsit; licet id dissimulaverit de* Guido *fateri. Rogavit tamen alia occasione, ut quando de antiquo cultu constat satis, ideoque meretur* Guidus *nostris Actis inseri ; non gravemur huic diei relinquere nomen ejus, quam sperabat facile a sacra Congregatione approbandam, cum cultus illi fuerit probatus. Interim misit effigiem Beati,* *Effigies radiosa cum titulo Beati.* *hanc quam vides, acceptam ex tabula veteri, quæ communiter creditur opus esse celebris illius Zincari : qui si floruit sub finem decimi quinti seculi, ut mihi scribitur; datur occasio, suspicandi, eodem tempore factam aliquam*

translationem



B. GVIDVS MARAMALDVS.
Ord. Prædic. Neapoli 25 Junii.

translationem corporis in æde S. Dominici, aut alia ratione insigniter auctum B. Guidi cultum, annis jam fere centum elapsis a morte : qui cultus perseveravit ; quoad usque obsessa anno MDXXVIII *a Francis Neapoli, et extremam famem patiente, corpus cum Vita et magno suppellectilis ecclesiasticæ scripturarumque veterum thesauro, sic absconditum fuit; ut superveniente post solutam obsidionem pestilentia, et defunctis, qui notitiam loci secreti habuerant, hactenus non potuerint reperiri, quantumcumque magna adhibita diligentia. Perseverat tamen tradita per manus credulitas, tunc invenienda omnia, cum extremæ penuriæ necessitate aliqua Conventus premetur : quæ licet sæpe maxima fuerit, necdum tamen contigit eam sic levari.*

corpus cum thesauris occultatum anno 1528

3 *Hæc summa trium epistolarum, quas ea super re Marchesius scripsit ; quibus ex Summontii Historia Neapolitana addiderim, præcipuam defendendæ contra Francos urbis curam arcisque pro Cæsare servandæ custodiam creditam fuisse* Fabritio Marramaldo : *quem quia exosum Franci habebant, haud vana Fratres formido potuit incessisse, ne si urbs caperetur, dolorem receptorum a Fabritio cladium miles exacerbatus ulcisceretur in ejusdem nominis et familiæ Beatum ; ideoque abscondendum potius ejus corpus crediderint, quam tot alias insignes suas Reliquias, quibus minus periculi fore credebant. Ex tunc autem desiit Beati cultus, et capella ad priorem nuncupationem rediit, donec divinæ providentiæ placuerit thesaurum sacrorum ossium (quem vel inde constat de terra honorifice elevatum fuisse, tamquam Beati, non absque Ordinarii conscientia) denuo in lucem educere, una cum Vita, si qua antiquitus scripta adsit. An autem adsit, haud leviter dubito ; cum nullum ejus indicium reperiatur neque in MSS. Codicibus Ambrosii Taegii, usque ad annum* MDXIII *diligentissime collectis ; neque in Vitis editis vel a Leandro Alberto sub annum* MDXVII, *vel a Joanne Flaminio sub annum* MDXXIX, *vel a Seraphino Razzio sub annum* MDLXXV ; *quorum duo primi ante obsessam per Lautrechium Neapolim scripserunt.*

Fabritio Marramaldo arcem tuente,

an tunc etiam disparuerit Vita?

4 *Circa medium hujus seculi edidit Theodorus de Piperno Compendium historicum virorum illustrium Neapolitanæ provinciæ : ex quo nobis adhuc ignoto sumpsisse profitetur Marchesius qualemcumque Vitam hic Latine reddendam.* Natus est B. Fr. Guidus Neapoli, parentibus ibidem nobilissimis, ex quibus Guilielmus Marramaldi ad Nidensem Sedem sive Curiam *(inter antiquas quatuor, secunda hæc numerabatur, post Capuanam prima)* nunc extinctam, pertinens, Fratres habuit Landulfum Archiepiscopum Bariensem Legatum Apostolicum, ac deinde S. R. E. Cardinalem, et Carolum Majórem-domus Caroli Regis. A puero vixit cum omni modestia, mire diligens ad studia. Cumque frequens esset in Conventu S. Dominici, pia et erudita Fratrum conversatione captus, inter ipsos recipi petiit et obtinuit. Receptus, et Philosophicis ac Theologicis bene instructus, non solum perquam devotus religiosus, sed etiam egregius evasit Verbi divini prædicator. Quod ille talentum locis pluribus fructose exercuit, nominatim autem in civitate Ragusina ; cui sic placuit, ut ejus intuitu fundatus ibi sit Conventus Ordinis. D

AUCTORE D. P.

Dicitur nobiliter natus

sumpto habitu egregie studuisse,

5 Regressus in patriam, institutus a summo Pontifice fuit Inquisitor Generalis per totum Regnum; multosque labores ac persecutiones sustinuit, liberrime exercens officium istud, molestiæ atque invidiæ plenum. Sed in virtute Crucis, cujus etiam figuram ligneam penes se gestabat semper, illæsus ab omnibus periculis exiit. Ita cum aliquando conventum obsedisset ingens tumultuantium multitudo, ipse in tectum chori progressus, Crucem suam contra illos protulit, mandans ut continuo inde abscederent ; et tantum cunctis terrorem incussit, ut momento citius dissipati fuerint. Alias a Rege Roberto accersitus, missis militibus, quasi ad suam præsentiam illum tuto adducturis, revera autem in carcerem retrusuris; ipse divinitus cognito illorum consilio, elata Cruce adjuravit eos, ne in se violentas manus injiceret quisquam : iturum ultro se, et acturum cum Rege ; quem suo alloquio sic placavit, ut qui eum antea ferre non poterat, persuasus suum ab illo regnum turbari, propter frequentes tumultus, exercitæ contra hæreticos severitatis causa exorientes ; non solum liberum a se dimitteret, sed etiam securum, quod Inquisitionis sacræ causis Rex se amplius non immisceret.

et Inquisitor statutus, E

virtute Crucis semper se tutatus.

6 *Habemus libellum, cui titulus, Dux Advenarum, Neapolim curiose perambulantium, auctore Abbate Pompeio Sarnelli Italice scriptum, editumque anno* 1685 ; *ubi cap.* 17 *describitur* Regalis ecclesia S. Dominici, *in cujus nomen restaurata et consecrata fuit anno* MCCLV *ab Alexandro Papa IV, cum ante annos* XXIV *S. Michaelis nomine adhuc censeretur, sub quo fuerat Benedictinis anno* MCXVI *concessa. Hic intra portam majorem ecclesiæ portamque monasterii, legere est antiquum titulum hoc principio :* Nimbifer ille *etc ; qui titulus quoniam diu steterat ad os cujusdam cisternæ, conatus fuit Fr. Cyprianus a Neapoli explicare, in eum sensum, quo significaretur, in ipsius cisternæ fundo latere corpus* B. Guidi Marramaldi *cum argentea ecclesiæ suppellectile, istic pariter abdita : suamque ea de opinione lucubrationem edidit, sub titulo* Cisternæ discoopertæ ; *sed ego, inquit Sarnellius, opposui eidem* Filum Ariadnes ; *docuique petram illam non esse aliud, quam naufragi cujusdam monumentum, sublatum de pavimento ecclesiæ, quando chorus transponebatur, applicatumque cisternæ isti, cum qua alias nihil commune habebat. Istam vero controversiam indicare hic placuit, ut indicetur, non ita pridem adhuc quæsitum fuisse in thesaurum istum, et quam firma persuasione Neapolitani credant, ipsum apud Prædicatores delitescere.*

Corpus cum Thesauro absconditum adhuc latet. F

DE

D. P.

DE VENERABILI BERTA

RECLUSA ULTRAJECTI IN BELGIO

Notitia ex Necrologio, juxta corpus servato.

ANNO MDXIV.

Anno 1456 *Reclusæ Bertæ,*

Anno Domini MCCCCLVI, *quo David, Philippi Boni Burgundiæ Ducis filius, per transactionem cum Gisberto Brederodio, prius quidem electo, sed numquam confirmato, pacificam iniisse visus est Ultrajectinæ sedis possessionem, multis deinde modis et factionibus per annos* XI *inquietandam, ingressa est Reclusorium suum* Venerabilis Berta, *extra omnes publicarum revolutionum curas victura per annos* LVII. *Ita legimus in ecgrapho Chartæ mortualis, quæ veluti quoddam vitæ compendium, rite signata ac sigillata, intra pyxidem vitream reclusa et reperta fuit in ejus sarcophago. Ecgraphum autem illud* ex memoriis Lappii *Bollando submisit anno* MDCXLIII Bartholdus Nihusius ; *postquam eamdem Chartam Teutonice versam publici juris fecisset. Florebat tunc Ultrajecti eruditionis fama clarus Jurisconsultus* Gisbertus Lappius : *cujus cura habemus Historiam Ultrajectinam Joannis a Beka, ex parte suppletam editamque : sed eum cujus memorias allegat Nihusius, existimo illius Synonymum avum esse ; qui teste Valerio Andrea in Bibliotheca Belgica, ibidem fixa sede, et uxore ducta Medicinam exercuit, circa medium seculi* XVI, *et obiit anno* MDLXXIV. *Igitur tempore intermedio, ac forte sub Frederico Schenckio, primo ultimoque ejus loci Archiepiscopo, sub annum* MDLXI *instituto, et collapsa per Cleri incuriam sacra studiosius restaurante, apertum fuerit monumentum* Bertæ, *vulgo venerabiliter habitum; nisi quis opinari malit a Calvinistis destructum, defosso alibi corpore, cujus notitiam in sarcophago repertam, curaverit Lappius senior transcribere, ad suam posterorumque memoriam, et Junior miserit Bollando per Nihusium. Ipsa sic legebatur.*

B

monumentum videtur repertum post 1561,

2 Anno millesimo quingentesimo decimo quarto, ipso die S. Lebuini *(die scilicet Translationis, Natalis enim colitur* XII *Novembris)* post Nativitatem S. Joannis Baptistæ devota Christi Virgo Berta, filia Jacobi, intra septimam et octavam horas migravit a seculo, plena operibus bonis, anno ætatis octuagesimo septimo, professa soror secundum Regulam Anachoretarum, per Rev. in Christo Patrem, Dominum Judocum Episcopum Hierapolitanum, ac sacræ Theologiæ Professorem, cum licentia et approbatione Reverendiss. in Christo Patris et Domini, Domni David de Burgundia, Episcopi Trajectensis. Quæ devota Berta arctam peregit pœnitentiam, in cilicio et simplici tunica æstate et hieme, sine carnibus et lacticiniis ; sine igne, nudis pedibus et observantiis plurimis. Dumque in tam rigida pœnitentia vixisset annis quinquaginta septem et amplius, quievit in Domino, in loco apud ecclesiam Civilem Trajectensem : petiitque sepeliri in loco ubi pœnitentiam explevit. Quæ omnia et singula prædicta, Nos, Hermannus de Lockhorst, Decanus ecclesiæ S. Salvatoris Trajectensis, et Vicarius Reverendiss. in Christo Patris et Domini nostri, Domni Friderici de Raden Episcopi Trajectensis ; et Nos, Jacobus de Appelteren, Decanus ecclesiæ Majoris Trajectensis ; et ego Theodorus Prior Regularium in Trajecto certificamus et notum facimus per præsentes cum sigillis nostris, anno Domini ut supra.

tamquam mortuæ 1514,

C

et juxta reclusionis locum sepultæ,

3 *Non est hæc formula (ut Nihusio in Epistola Bollando scripta visum) ex earum genere, quibus alicujus Fratris aut Sororis mors annuntiari solebat et etiamnum solet per Collegia et Monasteria, ad postulandum suffragia precum. Plus aliquid illa sapit, et testimonium publicum eximiæ sanctitatis continet, in omnem posteritatem durabile. Quare dignam censui* Bertam, *quæ hic, post alios diei præsentis Sanctos atque Beatos, referretur cum titulo* Venerabilis, *donec aliunde aliud quid lucis affulgeat. Ex impresso Teutonico interim subjicio, quod* scripsit devota soror Berta libellum Precum et Meditationum de vita Christi, editum Leydis MDXVIII. Civilis ecclesia, *juxta quam illa vixit, et in qua voluit sepeliri, vulgo* de Buerkerke, *id est Parochialis, in qua vicinis, id est, civibus sub eadem Parochia censitis, ministrantur Sacramenta, curantur funera, aliaque geruntur, Collegiatis majoribus, vulgo* Dom-kerken, *id est,* Dominorum, *ubi nobiliora dumtaxat officia celebrantur, minus commoda.* E

in ecclesia civili dicta.

4 *Scribit autem de ea Nobis vir patriarum antiquitatum studiosissimus Antonius Matthæus, Lugduni Batavorum Juris Antecessor, libris etiam editis notus. In quibus sunt Veteris ævi Analectorum, hactenus necdum visorum Tomi tres, beneficio ipsius ad nos perlati; atque insuper Tomus unus grandior de jure Gladii Tractatus, et de Toparchis qui exercent id in diœcesi Ultrajectina. Scribit, inquam, nobis de civili Ecclesia vir iste Clarissimus, desuper interrogatus in hæc verba :* Parochialis ea fuit. Frequens in ea plebs. Convenire in eam solita collegia mechanica ; condebant ibi plebiscita : habebant ibi, et adhuc habent sua singula sepulcra. Episcopus inaugurationis causa cum in urbem venisset, mox ab ingressu eam adibat : in ejus sacristia exuebat habitum secularem, et ecclesiasticum induebat : et sic inde progrediens a Canonicis S. Martini, ad proximum pontem obviis, solebat excipi, et in ecclesiam deduci. Verum superiori ævo, cum cœpisset Ultrajecti reformari religio, chorus ecclesiæ istius, quo commodius esset iter, destructus jussu Magistratus : et factum tunc ut perirent multa; quæ jam obruta, ecclesiastica monumenta. Nec ego de fundatore ejus quidquam adhuc scio. F

Regula anachoretica sub qua vixit Berta

5 *Hactenus V. Cl. Antonius Matthæus, in suis ad me litteris datis* XVI *Feb.* MDCC. *Regulæ Anachoretarum, secundum quam professa dicitur Berta, nullum potuit invenire vestigium in tota Historia Ultrajectina; nec potui ego reperire quidquam, unde conjectem, quantum illa Regula præcesserit ætatem Bertæ. Quamquam enim cum Necrologio prædicto missa nobis sit* Regula Canonicorum Regularium et Eremitarum Ordinis S. Adalberti, Archidiaconi Ultrajectensis et Eremitæ Hæcmundani, Frisiæ, Northollandiæ et Kermerlandiæ Apostoli ; *hæc recentius scriptam se probat vel solo titulo* Northollandiæ, *anno* MDLXXX *primum audiri cœpto ; cum ea ditio antea Frisiæ nomine censeretur, a qua tunc avulsa fuit et Hollandiæ adjuncta. Totam etiam se novam ostendit, bis faciens mentionem* Cappucinorum, *quos constat in Italia primum cœptos nominari circa annum* MDXXX, *uti videre est in tractatu Fr. Joannis de Terra-nova tunc viventis, quem dedi* XVIII *Maji post Acta B. Felicis; in Belgium autem non fuerunt recepti ante annum* MDLXXV. *Quia tamen fieri potest, ut ejus compilator vetustiorem aliam, et seculo* XIV *priorem præ oculis habuerit, placet rem sanctam et minime prolixam, alibi autem non facile inveniendam, hic*

non est ea, quæ invenitur MS.

A *hic apponere, quo facilius sit de cunctis judicare. Sic ergo habet.*

tamen hic proponitur. lectori dijudicanda.

I Quicumque hanc ingredi Regulam in votis habent hujusque onus leve suscipere, oportet ante omnia caritatem habeant erga proximum, cujus affectus maxime in Collegas reluceat, semotaque omni vanitatum pompa mundanorumque affectuum illecebris, Divum Adalbertum sumant in fautorem, protectorem et patronum, hujusque tam exemplaris vitæ a Deo constitutum conservatorem.

Finis et vota,

II Singulis hanc amplexantibus vivendi normam, annus probationis datur, quo peracto vota solennia hæc Deo offerunt, Paupertatis, Castitatis, Obedientiæ, Claustri perpetui, Silentii et Abstinentiæ perpetuæ.

III Hujus Regulæ studium in spiritu contemplativo et meditationibus ad acquirendam perfectionem ponitur.

IV Deo laudes per Officii Romani solennem cantum, in dies horasque distinctas celebrabunt.

V Omnes totius orbis necessitates, etiam per particulares orationes commendabunt.

VI Omnes hujus Ordinis Collegæ hisce vestibus utantur. B Tunicam sive sutanam unam, ex panno Capucinorum confectam, hoc est cordato, hancque talarem ferent, et in forma aliorum Sacerdotum, excepto colore; nihil infra gestantes, præter caligas superiores ex tela saccea laboratas : nullis vero linteis licitum uti. Pedibus nudis incedant. Calceamenta illis libera in formam Capucinorum : permittitur tamen ut in hieme, propter vim frigoris, domo exeuntes, ligneis utantur calceis : nec tamen panneis utantur soccis, nisi pro morbo, Superiorum permissu. Cingulum ferent e corio nigro, pileusque quadratus et niger, in formam Sacerdotum secularium illis erit; non refragante tamen Regula, capuciolum habere nocturnum, pileumque domesticum poterunt.

forma habitus,

VII Præposito Superiori sola hæc in vestitu differentia : palliolum geret usque in media brachia, cum parvo capucio nigro; exeuntique illi conceditur pallium, uti ceteris, nigrum.

VIII Novitiis in vestitu nulla distinctio. Coronam in capite ferent Sacerdotes, sed ordinariam, et quisque secundum Ordinem quo est insignitus.

rigor clausuræ,

IX Silentium omnibus erit perpetuum, nisi per C Superiorem aliter concessum fuerit, cujus conscientiæ hanc rem committimus.

X Nullus unquam e claustro reperietur exiisse, qui non apostasiam, visceribus depravatæ mentis lue corruptis, cordi, in ruinam animæ, velit inhærere.

XI Superiori soli libertas, cum eo quem elegerit, pro urgenti necessitate ex eremo exire conceditur; et hoc non nisi votorum omnium consensu, cujusque conscientiæ committitur; ut nullius considerationis particularis affectu desiderare directe aut indirecte exitum possit, aut quovis modo vota suorum solicitare.

ratio victus,

XII Quisque Canonicus in domo distincta per claustrum vivet, semel tantum in die refectionem sumens.

XIII Tribus in hebdomade diebus, carnibus vesci licitum.

XIV Tribus in hebdomade diebus, Matutinis absolutis, disciplinam corpori adhibebunt.

XV Cilicium præsumitur continuum in vestitu.

XVI Contemplationi se quisque dabit una hora, postquam surrexit; una etiam hora ante prandium, una denique hora post Completorium.

XVII Dum pulsus campanæ datur ad Horas, quisque debita diligentia properabit, nisi a Superiore ob morbum dispensetur.

XVIII Orationi privatæ vocali, media hora mane, D quisque vacabit : ante prandium etiam et sub vesperam.

AUCTORE D. P.

occupationum,

XIX Bis in die Visitator cellam cujusque ingressus, debiliores animos confortabit : dæmonis, si necessum est, impulsus salutaribus monitis repellet; nec hoc tamen ultra quadrantis spatium, nisi gravior necessitas aliud posceret.

XX Quod reliquum erit temporis, poterit quis aut in hortis suis terere laborando, aut per claustrum deambulando : silentio tamen continuo observato.

relaxationis moderatæ,

XXI Nil poterunt habere sibi proprium ; sed quidquid datum fuerit jussu Superioris commune erit.

XXII A nullis recipere aut mittere litteras poterunt, quas non legerit Superior. A nullo visitari, nisi præmeditato et recepto consensu Superioris.

XXIII Singulis quindennis simul omnes uno in refectorio comedant, observato tamen in mensa silentio, post quam una hora recreationi conceditur, omnibusque colloqui est licitum.

XXIV Singulis mensibus unus dies detur recreationi, quo tempore tolluntur leges silentii, permittiturque in magno claustro aut horto deambulatio. E

XXV Prout mandabit Superior, in horto communi quisque laborabit.

XXVI Habebit quisque in cella culcitram repletam palea : nec sibi assumant lectos. Coopertura duæ pro frigoris, rigore conceduntur, infimi tamen pretii.

XXVII Omnibus septem horæ somni conceduntur.

XXVIII Duo tantummodo erunt Officiales domestici ; unus distributioni et œconomiæ, alter culinæ insudabit.

Officialium munia,

XXIX Œconomus portionem cuique hora prandii per cellulas distribuet : singulisque hebdomadis salem, oleum et acetum, prout judicabitur necesse.

XXX Solus œconomus, quo potest fieri rarius, pro necessitate domus, cum consensu Superioris, exibit.

XXXI Coquus non erit Sacerdos; sed tamen Canonicus et Eremita, uti ceteri, sola tonsura munitus.

habitatio,

XXXII Superior habebit suum domicilium juxta F templum, in quo erit culina communis : manebitque cum eo, si copia Religiosorum exigit, unus titulo Sacellani sive Associati, cum duobus Officialibus.

XXXIII Ab alio latere templi jungetur refectorium commune : cui annexa cellula Custodis templi.

XXXIV Omnes Canonici euntes ad templum assument in brachia suas pelles in signum Canonicatus; et canent cum superpelliceo, sequenturque Officium Romanum.

commutatio,

XXXV Omnia officia mutabilia, et nulla permanentia erunt.

XXXVI Superior omnium votis creabitur per singulos tres annos : permittetur tamen continuari, sed semel; et is vocabitur Præpositus; illi vicarius, Decanus ; isque constituetur a Præposito, sed singulis annis renovabitur.

XXXVII Custos templi per singulos annos mutabitur a Superiore, simulque et œconomus.

XXXVIII Poterit sibi quisque Superior alium assumere, Sacellanum associatum.

XXXIX Solus coquus in vitam manebit, heres humilitatis.

XL Numquam Superiori, nisi peditem exire licebit.

XLI

A AUCTORE D. P.

XLI Confessarii numquam nisi in quatuor anni temporibus, poterunt se dare publice confessionibus excipiendis, nisi peculiaris facultas Superioris accesserit.

XLII Superior tenebitur ad eumdem rigorem, quo minimus per leges adstrictus est; tenebiturque singulis diebus novum denominare cellarum visitatorem singulisque mensibus unam habere de zelo religionis et de merito strictioris vitæ concionem, et hanc in Capitulo.

jejunii rigor,

XLIII Adventum cum magno rigore jejunii commendabit: per Dominicos et Festos dies concionem ordinabit, et per Adventum et Quadragesimam in templo. Unam in Capitulo singulis hebdomadis inter Fratres jubebit dici.

XLIV Novitii in templo non poterunt gestare signum Canonicatus, et hæc sola differentia inter alios.

Novitiorum institutio:

XLV Senior Eremi habebit curam instructionis Novitiorum, dabitque eis formam studii contemplativi, fovebitque in visceribus eorum ignem septiformis Spiritus; quo accensi, in majorem caritatis effectum eluceant.

B

XLVI Nulli per leges, excepto Superiore et œconomo, datur tractare monetam.

eorumdem solennis vestitio.

XLVII In ingressu Religiosi in Ordinem, in meditullio templi, in corona Fratrum prosternetur; responsoque dato de petitione panis, benedictio vestibus adhibebitur; et dum cantatur Psalmus Miserere, iisdem induetur; et post mutuum omnium amplexum, aget Superior de caritate erga Fratres, et merito religionis. Post quæ cantabitur Te Deum laudamus: dabitur ei a Superiore possessio sedis in templo: jubebitur publice intonare, Deus in adjutorium meum intende, nihilque aliud: quo absoluto procedet ad pedem altaris, ubi Sacro de Spiritu sancto votivo intererit.

XLVIII In die unius Canonici et Eremitæ: permittitur, pro devotione parentum, Collegis recreatio

Paupertas in communi, qualis.

XLIX Ubi corona laborum mors evenerit, sepelietur quisque in vestitu; deponeturque in loco publico, et cavea omnibus destinata.

L Casu quo fidelium devotione augeantur Eremi reditus, non admittentur supra ducentes florenos annuos in singula capita: et hoc sancitum, legeque voti paupertatis corroboratum declaramus. D

LI Donaria templo, pro devotione fidelium, recipienda sentimus; non tamen usibus applicanda domesticis.

LII Manebit Superior titulo Præpositi, usque dum per Pontificem titulo Abbatis honoretur; tum Decanus titulo Præpositi honorabitur.

LIII Hujus Regulæ Canonicis omnigenæ vocis cantus permittitur, si pleno pectore vox effertur.

Videtur hæc non tam Regula,

5 *Hactenus Regula MS. juxta ecgraphum nobis missum: et quidem juxta correctionem interlinearem, eadem manu sed charactere minori factam, sensu tamen nusquam variato. Exemplo sint Articuli* III, IV *et* V, *qui per verba modi infinitivi sic fuerant scripti* III. Hujus regulæ studium, spiritu contemplativo insudare Meditationibus ad acquirendam perfectionem. IV Dei laudes per Officii Romani solennem cantum in dies horasque distinctas celebrare. V. Omnes totius orbis sacri, id est, Ecclesiæ, profanique necessitates, etiam per particulares orationes, tamquam per jacula ad Spiritum sanctum, in meliorem eventum individuæ ineffabilique Trinitati commendare. E

quam quædam regulæ idea fuisse,

Nec solum pluries ita mutatur phrasis, sed etiam Articulus X *invenitur lineolis subductus, quasi Auctor dubitaverit, essetne retinendus an expungendus; sicut re- ipsa unus, post Art.* XXX *expunctus invenitur;* Obligantur hi duo Officiales *(coquus scilicet et œconomus)* ad cantum Horarum uti ceteri; *ut quid enim ad eas obligaretur* coquus, *de quo mox subditur, quod* non erit Sacerdos? *His ego attentius consideratis, plane persuadeor, non haberi hic Regulam definitive scriptam, nedum approbatam ab Episcopo, vel saltem Pontifici oblatam, multoque minus usu receptam; sed primam ac meram Regulæ, ideam, quam chartæ commiserat Auctor, restaurandæ Anachoreticæ Regulæ, quam sub Davide Episcopo floruisse vidimus, zelum habens, ex voluntate forsitan aut consilio primi ultimique Archiepiscopi Ultrajectini Friderici Schenckii. Verum post obitum ejus anno* MDLXXX, *mutato statu tam civili quam sacro, adeo non licuit de novo vel quasi novo Ordine condendo cogitare, ut veteres quoque subsistere non potuerint in Provinciis, contra Regiam ac Pontificiam potestatem fœderatis.*

numquam in opus deductæ.

DE

DIES VIGESIMA SEXTA JUNII

SANCTI QUI VI KALENDAS JULII COLUNTUR

Sanctus Gaudentius, S. Felix, S. Agapitus, S. Emerita, Martyres in Africa.
S. Agatho, S. Luceia, S. Diogenes, Martyres Alexandriæ
S. Therapon, S. Macarius, S. Marcus, S. Marcia, Martyres apud Græcos.
S. Thaddæus Martyr apud Habessinos.
S. Joannes, S. Paulus, Fratres ac Martyres Romæ.
SS. Terentianus, Campiductor,
Ejusque filius. Ibidem.
S. Vigilius, Episcopus Tridentinus, in Alpibus.
S. Maxentius, Presb. Abbas, in agro Pictaviensi.
S. Anthion, apud Græcos.
S. David Reclusus, Thessalonicæ in Macedonia.
S. Babolenus, Abbas Fossatensis in Gallia.
S. Joannes, Gothiæ Episcopus.
S. Papolenus, Episcopus et Abbas in Belgio.
S. Salvius Episcopus, S. Superius ejus discipulus, Martyres prope Valencenas in Belgio.
S. Romanus, Episcopus Fesulanus in Hetruria.
S. Pelagius Martyr, Cordubæ in Hispania.
S. Wambertus Martyr in Sagiensi Normanniæ diœcesi.
S. Anthelmus Cartusianus, Episcopus Bellicensis in Gallia.
S. Dionysius Bulgarorum Archiepiscopus, prope Kioviam in Russia.

PRÆTERMISSI ET AD ALIOS DIES REJECTI

Opera Rev. Patris Godefridi Henschenii piæ memoriæ, ubi aliud non indicant litteræ margini appositæ.

Sanctus Vigilius, Episcopus Autissiodorensis, *occasione S. Vigilii Episcopi Tridentini, adjunctus huic diei est a Petro de Natalibus, quem secuti Maurolycus, Grevenus, Canisius, Saussayus, cum Florario MS. uti diximus ad hujus diem natalem num.* 4. XI Martii.

S. Joannes, Presbyter in agro Turonico, *inscriptus est Martyrologio Anglicano secundæ editionis, cum in priori editione esset cum Martyrologio Romano et aliis die sequenti. Nos de eo egimus* VIII *Maji. Sunt etiam qui cum Joanne Monasteriensi confundant, de quo* V Maji.

S. Quadratus, Episc. Athenis, *indicatur in Martyrologio sub nomine Bedæ excuso. De eo egimus* XXVI Maji.

S. Lambertus, Episcopus Venciensis in Gallia, *relatus a Baronio, Ferrario, Saussayo, ut diximus ad diem natalem* XXVI Maji.

D. P. S. Probus, Presbyter Moguntiæ, *a Ferrario in Catalogo gener. relatus, ab aliis præcedenti die, a nobis inter Prætermissos, et ibi, et* XVII Maji.

D. P. Corbicanus, *tamquam S. Confessor notus in Belgio, quo ex Hibernia venerit cum* S. Adalgiso, *refertur a Ferrario in Catalogo, allegato Scotiæ Martyrologio; credo ex suggestione Camerarii, qui deinde illum præterivit, nempe ignotum Belgis, ignotum etiam auctoribus Vitæ* S. Adalgisi, *quam examinavimus* II Junii.

Bartholomæus, Episcopus Laudunensis, S. Norberti fautor eximius, et quasi Archimonasterii Præmonstratensis confundator. Qui relicto Episcopatu, Fusciniaci factus Ordinis Cisterciensis Monachus, hoc die mortuus, *cum titulo* Beati *memoratur a Chrysostomo Henriquez et Chalemoto: inter Pios a Saussayo. De eo actum ad Vitam S. Norberti* VI Junii.

S. Radulphus, Archiepiscopus Bituricensis, *indicatur in MS. Florario, et apud Grevenum. De eo egimus* XXI Junii.

SS. Lantanus et Bigatus, Martyres Thessalonicenses, *leguntur in nonnullis MSS. uti diximus præcedenti die* XXV Junii.

S. Eurosia Virgo Jaccæ, *indicatur a Ferrario in Catalogo generali. De ea egimus* XXV Junii.

S. Perseveranda Virgo, *variis Usuardi recentius aucti exemplaribus, tandemque etiam Romano inscripta, alio nomine est* S. Pecinna. *Cujus verus dies, quo colitur, est* XXV Junii. D. P.

S. Deppæ Martyris et Socii Anonymi Roma allatæ Reliquiæ, *anno* 1612, *translatæ solenniter hac die fuerunt in ecclesiam Novitiatus Societatis Jesu Tornaci; annum autem festum iis institutum agitur* III *vel* IV *Dominica post Pascha, et extat ea de re libellus Gallicus, quod hic indicasse satis arbitramur.*

S. Superius Martyr colitur Officio Ecclesiastico, sub ritu duplici, Bononiæ in Ecclesia Patrum Franciscanorum, ubi hujus sacrum Corpus asservatur, Roma anno 1622 sub Gregorio Papa XV eo delatum. *Ita nos ibidem accepimus, et in Bononia perlustrata confirmat Masinus.*

SS. Baudelici et Nonnosæ, fratris et sororis Martyrum, *memoria inserta est Martyrologio MS. Bruxellensi ecclesiæ S. Gudilæ. Sunt hi ut sic conjuncti, alibi nondum reperti. Datur ad* XX *Maji* S. Badelius Martyr Nemausi, *an ex loco Nemoso, Nonnosa formata? Est* Nonnosus Abbas *in monte Soracte, a S. Gregorio laudatus, et ad* II Septembris *in Fastis relatus. Ut seorsim utrumque celebremus, non audemus satis fidere uni huic MS.*

S. Deodatum Papam *notavit Henschenius, repertum alicubi velut Sanctis adscriptum. Est is* Adeodatus *hoc* D. P.

hoc die sepultus ad S. Petrum : sed nullum ibi cultum habens. Eum ego hactenus invenio obiisse 18 *Maji anno* 677.

D. P. Sunzo *seu* Sunderoldus, Moguntinus Episcopus, *in prælio contra Normannos, Belgium anno* 891 *depopulantes, cæsus prope Mosam,* VI *non* XVI Kalendas *Julii, cum titulis* Beati *ac* Martyris *refertur a Bucelino, aliisque Monasticorum Fastorum Auctoribus. Consultius eo abstinet seculi* 4 *p.* 2 *Mabilio : certe cultum nullum obtinuit a morte; solum dicitur* corpus honorifice Moguntiam relatum, et apud S. Albanum sepultum *fuisse, cum Epitaphio, quod refert Serarius, nihil continente nobis notandum.*

Nongenti monachi in monasterio Hiberniæ Benchor, simul a piratis interfecti, martyrio coronati, ad regnum cœlorum pervenisse *dicuntur a Trithemio lib.* 3 *de Viris illustribus Ordinis S. Benedicti cap.* 33. *Quo citato* Sancti *appellantur a Wione et Menardo in Appendice ad Martyrologium Benedictinum, quod dies festus aut obitus sit ignotus. Wilsonus in suo Martyrologio Anglicano eis hunc* XXVI *Junii assignavit : et secuti sunt Ferrarius atque Fitzimon. Libenter aliquod antiquius testimonium nancisceremur. Interim quæ hactenus sciuntur, protulimus.*

D. P. S. Hermoygius, Episc. Tudensis in Hispania, *refertur a Tamayo, occasione S. Pelagii Martyris, nepotis sui, ubi aliquid de eo in Appendice. Ferrarius in Catal. Gener.* Legioni *eumdem adscripsit . melius hoc, de Pelagio illuc Corduba translato, fecisset.*

Rudolfus, Episcopus Eugubinus, *de unctus an.* 1070, *ut* Sanctus *refertur a Ferrario et Bucelino. Laudavit hominem sibi familiarem S. Petrus Damiani, et sanctam ejus mortem cum morte S. Dominici Loricati perscripsit Alexandro II; unde editor operum, Epistolam istam vocavit* Vitam S. Rudolfi et Dominici : *sed talis auctoritas nulla est; neque Eugubini Sanctum vocant, nedum colunt ut talem.*

Rudolfus, Monachus Presbyter, *ab invadentibus Lubecensem agrum Salvis occisus, circa an.* 1150, *refertur ex Chron. Salvorum Helmoldi lib.* 1 *cap.* 64, *ut* S. Martyr *a Wione, Ferrario, Bucelino. Nihil de cultu Helmoldus, neque* Sanctum *vocat : abstinemus ergo ab eo etiam nos.*

Beatrix a S. Mauritio, sanctimonialis Ordinis S. Dominici Eboræ in Lusitania, patientissima in suis morbis et incisione membrorum, et affectu erga passionem et mortem Christi, *in Anno sancto honoratur titulo* Beatæ Sororis, *et solum* Venerabilis *a Joanne Rechac sive de S. Maria, lib.* 1 *cap.* 3 *in littera B.*

Benedictus a Græccio in Italia an. 1304,
Petrus Romerus, Joannes Lageanus, } in Vasconia, an. 1400,
Albertus Moriginis Mediolani, an. 1448,
Angelus de Groppina, in Tuscia an. 1498,
Catharina de Orvelas, in Lusitania an. 1520,
} Ordinis S. Francisci, *ut* Beati *inscripti Martyrologio Franciscano Arturi, cum aliqua illorum commendatione ex Auctoribus ibi allegatis, sed cultum non probantibus.*

Joannes Heckius, Presbyter et Provisor Ordinis Præmonstratensis, ex monasterio Dom-martinensi juxta Hesdinum, hoc die anno 1568 ab hæreticis tormentarii pulveris cruciatu tostus ad mortem usque, *instar* Beati *refertur in Natalibus Sanctorum Præmonstratensium Chrysostomi Vander Stere; et cum* Beatæ memoriæ *titulo a Petro de Wagenaer, inter Personas Præmonstratenses sanctitate illustres, ubi vita et mors latine describitur.*

S. Theodechildis, Virgo sacra, *filia Chlodovæi Regis Francorum, fundatrix monasterii S. Petri Vivi apud Senones, ab aliquibus hoc die refertur : nos de ea agemus* XXVIII Junii. NOT. 9 D. P.

Gisvaldus, comes S. Disibodi, *inscriptus est Menologio Scotico Camerarii, de quo poterit agi ad Vitam ipsius Sancti* VIII Julii

S. Venera, Virgo Martyr, apud Castrum Regale in Sicilia, *refertur ab Octavio Cajetano in Idæa, et in opere de Vitis Sanctorum Siculorum; tamquam ob studium castitatis a fratribus, ad nuptias cogere volentibus, occisa; idque ex fide veteris cujusdam cantiunculæ. Sed Anselmus Crassus Capucinus, discursu* 6 *de* S. Venera, *oculatus loci indagator, testatur nullius alterius imagines et Martyrium in pluribus istic locis exprimi, quam ejus quæ a Græcis sub nomine* S. Parasceves *colitur : quamque ipse conatur probare in ejusdem insulæ oppido Acis natam. Quare alteram istam, ut distinctam a S. Parasceve, non putamus admittendam; de ejus cultu publico acturi ad diem ipsius* S. Parasceves, *Latinis* Veneræ *aut* Venerandæ XXVI Julii. D. P.

S. Theodori encœnia templi in Rhesio, *notantur in MS. CP. Synaxario Collegii Parisiensis. De Rhesio alias Rhegio et Rhusio porta et navali Constantinopoli, vide erudite disserentem Canguim, lib.* 1 *Constantinopolis Christianæ cap.* 15. *Ast* Theodorum *a Martyribus et Studita diversum nullum novimus, nisi eam qui* τῶν Ὀρόβων *id est* Margaritorum Hegumenus *colitur.* VIII Augusti.

S. Marcelli Episcopi Parisiensis Translatio, *inscripta est Auctario Greveni ad Usuardum, et Martyrologio Germanico Canisii. Dies ejus natalis est* I Novembris.

SS. Rufus, Timon Epenætus, Apostoli ex LXX, *encomium singuli hoc die habent in MS. Synaxario nostri Collegii Parisiensis. Solus* Rufus *in Divionensi et quodam Mediolanensi. Ast a nobis jam alias relatus est ad diem, quo Romano Martyrologio inscriptus invenitur* XXI Novembris. D. P.

Timon *(qui etiam unus ex septem Diaconis) a Latinis recolitur, quando de eo egimus* XXI Aprilis. S. Epenætus *a Græcis colitur seorsim.* XXX Julii.

Hugo Monachus Hemmerodensis Ordinis Cisterciensis, ut Beatus *refertur ab Henriquez et Chalemoto. Ejus vitæ sanctitas laudatur in Vita B. Davidis Hemmerodensis, quando de hoc etiam agi poterit.* XI Decembris.

DE SANCTIS MARTYRIBUS AFRIS

GAUDENTIO, FELICE, AGAPITO, EMERITA.

G. H.

Notitia ex Martyrologio Hieronymiano, et aliis.

Referuntur omnes ad diem 26

Quatuor Martyrologii Hieronymiani apographa, ad hunc XXVI *Junii, Martyres prænominatos consignant his verbis :* In Africa Gaudenti, Felicis, Agapiti, Eremitæ. *Pro hac, in unico Lucensi, legitur* Emeriti. *Verum eosdem omnes ita etiam refert Notkerus :* In Africa Gaudentii, Felicis, Agapiti et Emeritæ. *In quodam MS. a Philippo Labbe Parisiis ad nos misso ista habentur :* In Africa Gaudenti, Felicis, *et, post alios interpositos,* Agapiti. *Verum in MS. Casinensi et Altempsiano ita consequenter collocantur :* In Africa Gaudentii, Felicis, Agapiti. *In MS. Augustano S. Udalrici fit mentio* Agapiti et Emeritæ. *At pridie sive* XXV *Junii eorum memoria etiam celebratur in variis MSS. et in Richenoviensi et Rhinoviensi istis verbis :* Africa, Gaudentii, Felicis, Agapiti, Emeriti. *In MSS. Florentinis*

B

bibliothecæ Medicææ et Musæi Strozziani, Bruxellensi S. Gudilæ, et Casinensi, alio, omissa palæstra Africa, ista signantur : Natalis Sanctorum Martyrum Gaudentii, Felicis et Agapiti. *In vetusto apographo Martyrologii, Hieronymiani Epternacensi, et in MSS. Altempsiano, Casinensi, Aquisgranensi, et MS. Adone Reginæ Sueciæ : item in Auctario Greveni ad Usuardum ista leguntur,* In Africa natalis S. Gaudentii, Felicis. *In MSS. Atrebatensi et Tornacensi indicatur natalis* S. Agapi *sive* Agapiti. *Quæ omnia de iisdem quatuor Martyribus Afris, utroque die accipienda esse prorsus arbitramur, et propter quatuor Martyrologii Hieronymiani apographa et Notkerum, potius illos ad hunc* XXVI *Junii referimus quam ad præcedentem.*

item ad diem 25, aut omnes aut aliqui.

E

DE SS. AGATHONE

LUCEIA VIRGINE, ET DIOGENE

MARTYRIBUS ALEXANDRIÆ

G. H.

Ex iisdem antiquis Martyrologiis.

Apographum Martyrologii Hieronymiani Lucense, a Francisco Maria Florentinio illustratum, consignat hos Martyres istis verbis : In Alexandria Agathoni, Luceiæ Virginis et Diogenis. *Quæ eadem habentur in MS. Corbeiensi, quod D. Lucas d'Achery Parisiis excudi fecit ; licet nomen* Luceiæ *non integre proferatur. In apographo Epternacensi, ad diem præcedentem* XXV *Junii ista habentur :* In Alexandria Agathonis, *item in MSS. Richenoviensi, Rhinoviensi, et Aquisgranensi :* Et in Alexandria Agathonis. *Ast hoc* XXVI *Junii in eodem Epternacensi rursum ista indicantur :* In Alexandria

C

Luciæ et Gigni. *Verum cum aliis eos ita adducit MS. Blumianum.* In Alexandria Luceiæ Virginis et Diogenis. *MSS. Barberinianum, Trevirense S. Maximini, Augustanum S. Udalrici, Parisiense Labbæi, et Grevenus, ita duos celebrant ;* In Alexandria Agathonis et Diogenis. *His addit Notkerus* Bigatum, *de quo egimus die præcedenti. Iidem duo absque palæstra* Alexandria, *memorantur in MSS. Casinensi et Altempsiano ; et solus* Diogenes *in MS. Richenoviensi : in quo* Romæ Acteia *conjungitur : ubi forsan* Luceia *hic relata intelligitur, a qua alia diversa est* Luceia *seu* Lucia Romana, *et a nobis ad* XXIV *Junii relata.*

F

DE SANCTIS MARTYRIBUS

THERAPONTE, MACARIO, MARCO

ET MARCIA

D. P.

Ex MSS. Synaxariis Parisiensi et Mediolanensi.

Horum quatuor nusquam alibi conjuncta memoria reperitur, quam in Constantinopolitanæ urbis insigni Synaxario, quod Sirmondus noster Collegio suo Parisiensi acquisivit, et a veteri illius Collegii nomine sæpe vocamus Claromontanum ; ubi sic legitur, post memoriam S. Rufi, *a nobis cum Romano Martyrologio ad* XXI *Novembris dilati :* Καὶ τῶν ἁγίων Μαρτύρων Θεράποντος, Μακαρίου, Μάρκου, καὶ Μαρκίας ; Et Sanctorum Martyrum, Therapontis, Macarii, Marci, et Marciæ. *Aliud in Ambrosiana Bibliotheca Mediolani reperimus, ubi solus* Therapon *Martyris titulo honoratur : et seorsim ab illo referuntur* Sancti Marcus et Maria, *omisso Macario, hoc modo :* καὶ τοῦ ἁγίου Μάρτυρος Θεράποντος, καὶ τῶν ἁγίων Μάρκου καὶ Μαρίας : *quod non volui dissimulare, si forte aliunde plus lucis afferri huc aliquando possit, per quam constet duos vel tres ex prædictis adnumerandos Confessoribus esse ; et* Therapontem *esse, de quo apud Cyprum passo et Constantinopolim translato, egimus* XXVII *Maji. Fieri enim potest, ut omnium quatuor vel saltem trium, licet diverso titulo venerabilium, simul in eodem collocatæ loco Reliquiæ fuerint, atque illo titulo eidem quoque diei fuerint adscripti.*

DE S. THADÆO MARTYRE

F. B.

APUD HABESSINOS CULTO

Notitia ex eorum Hagiologio Metrico.

Strangulatus obiit,

Jam sæpe citatum Habessinæ in Æthiopia gentis Hagiologium, ab Æthiopicæ Historiæ illustratore insigni, Jobo Ludolfo Francofurtensi, nobis communicatum, Sanctum hunc Martyrem ita salvere jubet; secundo mensis Hamle, Coptice Abibi dicti, qui diei* XXVI *Junii nostri respondet.* Salutem dico Thaddæo, qui cruciatum strangulationis perpessus est. *Ubi, vel quando, non additur. Verosimili tamen conjectura ducor, ut in Ægypto, ante imperium Magni Constantini, passum esse opiner. Nisi forte minus antiquum videri faciat distinctior notitia memorabilium conversionum, ab eodem, dum adhuc viveret, patratarum, quibus verbo et opere potens inclaruit.*

post conversum divitem

Harum specimen sic proponit Poeta: Fama miraculorum ejus scribetur in generationem novissimam: quoniam fastum opulenti cujusdam hominis corripiens, camelum per foramen acus transire coegit, *secundum quod scriptum est Matthæi* XIX, 24, *quod* facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cœlorum. *Nec minus hoc facto æstimandum illud, siquidem spiritualiter intelligatur, quod* feminam, scortationi assuetam, *quasi vento* in sublime, *id est in cœlum,* extulit, *e cœnoso illo barathro voluptatum, cui jacebat immersa. Plura utinam aliquando detur ex Actis cognoscere!*

ac meretricem.

B

DE SANCTIS FRATRIBUS MARTYRIBUS

E

JOANNE ET PAULO

ROMÆ IN PROPRIA DOMO NUNC ECCLESIA,

ITEM TERENTIANO ET FILIO EJUS IBIDEM

D.P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

De vetustissimo eorum cultu, et Actis, atque Martyrio S. Terentiani et filii ejus.

ANNO CCCLXII. *Eorum vetus Ecclesia*

Nona Urbis Regione, *quæ vulgo a* Ripa *nomen habet,* ad Clivum-Scauri *ex Cœlio-monte pendentem inter ruinas Curiæ Hostiliæ et Matthæorum ornatissimos hortos, sita est ecclesia prætitulatorum Sanctorum, jam inde ab ætate S. Damasi Papæ nota sub* titulo Pammachii, *a Sancto hujus nominis Presbytero, Paulæ Romanæ genero et Hieronymi amico, qui illam fundavisse creditur, aut saltem ad eam amplitudinem extulisse, ut inter Presbyterales Urbis titulos usque modo habita sit. Ducentis post annis S. Gregorius Magnus, Stationes ordinans, suam huic ecclesiæ constituit Feria* VI *post Cineres; et pro festo ordinavit Missam, qualem hodiedum legimus; nisi quod alia* Secreta *nunc ponatur pro illius* Super Oblata *oratione;* Hostias altaribus tuis, Domine, placationis imponimus, potentiam tuam in Sanctorum tuorum passionibus honorando, et per eos nobis implorando veniam peccatorum. *Omittitur etiam hodie. Præfatio propria, quæ in Sacramentario Gregoriano, post verba,* Per Christum Dominum nostrum, *sic procedit:* Pro cujus amore gloriosi Martyres Joannes et Paulus martyrium non sunt cunctati subire; quos in nascendi lege, junxit germanitas; in gremio Matris Ecclesiæ, fidei unitas; in passionis acerbitate ferenda, unius fidei societas Per quem nos petimus eorum precibus adjuvari, quorum festa noscimur venerari.

C

cum Statione,

et Missa propria Gregoriana,

2 *In hac Præfatione componenda, præ oculis Gregorius habuit vetustiorem aliam, quam pro sua ecclesia Mediolanensi S. Ambrosius sic ordinavit, ut post verba,* Omnipotens æterne Deus, *adderetur, (sicuti etiamnum eadem Ecclesia servat)* Beati etenim Martyres tui Joannes et Paulus, quorum festa prædicamus, veraciter impleverunt quod Davidica voce canitur; Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum; nascendi sorte consortes, fidei societate conjuncti, passionis æqualitate consimiles, in uno semper Domino gloriosi: quem pariter confessi sunt, permanentes cum Angelis, qui gloriam tuam concinunt sine cessatione dicentes, Sanctus. *Adsunt ibidem et propriæ orationes;* SUPER POPULUM *hæc:* Defende Domine, plebem tuam, in sola misericordiæ tuæ venia confidentem; et intervenientibus Sanctis tuis Joanne et Paulo, quidquid eidem debetur pro castigatione delicti, transeat ad consolationis effectum. SUPER SINDONEM, Beatorum tuorum Joannis et Pauli Natalitia, quæsumus, Domine, Ecclesia tua devota suscipiat, et fiat magnæ glorificationis amore devotior; SUPER OBLATA. Sint tibi, quæsumus Domine, nostri munera grata mysterii; quia tunc eadem in Sanctorum tuorum Joannis et Pauli digne commemoratione deferimus, si et actus illorum pariter subsequamur.

atque Ambrosiana;

Ps. 132, 1.

F

3 *Gelasius Papa, libro* 2 *Sacramentorum (tres enim ordinaverat, sicuti nuper Romæ habentur editi, quos in unum contraxit Gregorius;) Gelasius, inquam, non contentus dictorum Sanctorum natalem propriis ad Missam Orationibus ornare, quas Gregorius retinuit; voluit eumdem* Vigilia *quoque et* jejunio *præveniri, cum propria etiam ad id Missa; ubi* Secreta *est eadem, quæ Ambrosii* Super Oblata; *nisi quod loco* Mysterii, *dici jubeatur* Jejunii. *Prima eadem quæ Ambrosii super Sindonem:* Postcommunio *vero specialis hæc:* Protege, Domine, plebem tuam, et quam Martyrum tuorum Joannis et Pauli assidua tribuis festivitate devotam,

Gelasius etiam Vigiliam cum jejunio instituerat,

A devotam, tibi semper placitam fieri precibus concede justorum. *Verum jejunium cum Vigilia, ter intra sex dies iterandum, fortasse displicuit S. Gregorio: ideoque, servato more antiquo sic præveniendi nativitatem Baptistæ, et festum Apostolorum Petri ac Pauli; satis esse censuit, Natalem Martyrum, utrisque interjectum, celebrari absque illo onere.*

sed abrogavit Gregorius,

4 *Hieronymianum Martyrologium eorum sic meminit in omnibus ecgraphis:* Romæ Joannis et Pauli. *Beda, eorum Acta nactus, addidit:* Quorum primus Præpositus, secundus Primicerius fuit Constantiæ Virginis, filiæ Constantini; qui postea sub Juliano martyrium capitis abscissione meruerunt, per Terentianum Campiductorem, qui deinde Christianus factus est. *Eadem postea alii omnes Martyrologi antiquiores recentioresque transcripserunt, nisi quod Usuardus cum hodierno Romano taceat de* Terentiano. *Hunc tamen, non solum Christianum cum filio, in proximo post Martyrum certamen Paschate; sed Martyrem etiam factum, habent vetustissima Acta, quæ ex Corbeiensi plus quam mille annorum codice, litteris Romanis quadratis scripto, et apud S. Germanum de Pratis servato, submisit nobis diligentissimus Mabilio. Alia omnia eorumdem Actorum ecgrapha, quorum quatuor vel quinque habemus cum aliis tribus collata, ea de re* B *tacent, æque ac de corporibus Sanctorum, a Byzantio, Pammachii patre, Joviniani Imperatoris jussu requisitis inventisque, et ecclesia mox constructa, quæ omnia in prælaudato Codice Corbeiensi habentur: in quo etiam illud placet, quod* ipso Terentiano referente ipsam passionem Sanctorum, scripta *ea esse dicatur; non autem, ut habent alia pleraque Acta, ex iisque Ado et Romanum Breviarium, quod* ab ipso Terentiano discripta passio ista Sanctorum *sit.*

Nomina in Hieronymiano aliisque omnibus.

Acta ut relata a Terentiano,

ex iisque Ado et Romanum Breviarium,

5 *Sic corruptum textum habuerunt illi, qui veteres Lectiones Breviarii composuerunt ab annis circiter ducentis: sed ejusdem Breviarii recognitores sub Gregorio XIII, prudenter dubitantes de tali asserto, maluerunt ponere, quod* ab ipso *Terentiano* ea passio scripta esse dicitur. *Dubium istud attigit Baronius, ad annum* CCCLXII *num* 221; *ubi, narrata* Terentiani *conversione et baptismo, addit, ex similiter corruptis (ut dixi) Actis; quod* certamen Martyrum, cujus auctor fuit, scriptorum monumentis perpetuæ memoriæ commendavit: quæ tamen, *inquit,* haud ea esse prorsus contendimus, quæ præ manibus hodie habentur; sed ex illis nonnulla accepta additaque alia, quæ veri- C tati haud videntur posse congruere: ut dum res gesta ponitur Romæ, cum ibi Imperator Julianus adesset, quem constat his persecutionis temporibus, quibus solus regnavit, numquam recessisse ab Oriente. *Hujusmodi autem error facilius etiam irrepere potuit, si Romæ aderat Juliani Imperatoris avunculus,* Julianus *dictus etiam ipse, eo fortassis missus cum titulo Præfecti Urbis, et nepotis nomine cuncta ibi agens: qui deinde Antiochiæ agentem assecutus fuerit, ibi ab eodem contra Persas ituro relictus Comes Orientis, sub eoque titulo eas Leges acceperit, quæ extant in Codice Theodosiano a* V *Kal. Decembris et deinceps; sanctum quoque Artemium martyrio affecit* XX *Octobris, ut est in hujus Passione, ac denique ibidem Christianos vexans misere periit. Sane utrumque Julianum in unam personam conflari pronum fuit ab iis, qui oretenus dumtaxat a Terentiano relata, nec ex ejus ore immediate accepta, in litteras seculo fortassis* VI *contulerunt; addentes, tum quæ postea acta sunt sub Joviano, tum quæ antea sub Constantino acta fuerant cum Gallicano Duce, per* S. Joannem et Paulum *conversio. Hinc fit ut in Codice Neapolitano, unde Beatillus Ecgraphum Bollando misit, bipartita inveniantur Acta: quod idem fortassis contigit Corbeiensi, ut solam partem ultimam, velut a priori abjunctam prorsus narrationem, exhibeat sub hoc titulo,* Incipit Passio Sanctorum Joannis et Pauli. *Hanc ergo partem solam hic damus, alteram die præcedenti dedisse contenti.* D

non autem ab ipsomet scripta,

nec sine errore de tunc Romæ præsente Juliano,

et cum præmissis Actis S. Gallicani per ipsos conversi.

AUCTORE D. P.

6 *Contigit autem Sanctorum Passio anno* CCCLXII *cum Julianus adhuc Constantinopoli ageret, unde ad ipsos scribere tyrannus, et de ipsis rescribere Terentiano potuit: Pascha autem sequentis anni, quo baptizatus cum filio* Terentianus *est, cecidit in diem* XX *Aprilis, quo tempore Julianus appropinquabat Persidi; si vera est conjectura Gothofredi, sane verosimillima, quod Lex* 2 *de Ponderatoribus data* VIIII *Kal. Maji,* data *sit* Sacronæ *in Assyriæ et Susianæ confinio, pro cujus nomine perperam notatur* Salona *Dalmatiæ civitas. Addo hoc, ut intelligatur, Julianum de* Terentiano *nec per litteras quidem mandasse quidquam potuisse, et cædem ejus imputandam Præfecto urbis, vel simili alicui ministro Imperatoris Juliani. Hic vero haud diu impune tulit fusum sanguinem* SS. Joannis et Pauli; *ipso enim anniversario eorum die manu invisibili est sauciatus ad mortem, sicut historici referunt.*

Tempus Martyrii anno 362

26 Junii;

7 *De* Terentiani *autem Martyrio non ideo dubitaverim, quia nomen nullis adscriptum sit Martyrologiis; hoc enim fecisse potuit diei ignoratio, et diem ignorari* E *fecerit mors clam procurata, eamdem ob causam, ob quam ipsemet* Terentianus *curavit* SS. Joannem et Paulum *clam interfici. Horum diem æque (credo) ignoraremus, nisi ipsum definite* Terentianus *tradidisse præsumeretur: sed hæc præsumptio si nos fallat; et si dies, Natali eorum adscriptus, sumptus sit a die consecratæ ipsis Ecclesiæ; possent Sancti mense Januario aut Februario occisi censeri, et* Terentianus *ipso an.* CCCLXII *baptizatus, circa Pascha celebratum* XXXI *Martii; ejusque cædes a Juliano Constantinopoli adhuc agente fuisse imperata: imo necessario id esset dicendum, si idem* S. Pigmenius Presbyter *eos sepelivit, qui* XXIV *Martii regnante adhuc Juliano dicitur in Tiberim fidei causa præcipitatus, adeoque ante Pascha anni post mortem Sanctorum secuti.*

si Terentianus sequenti anno passus est;

citius multo, si eodem.

8 *Nefas videbatur Dextrinarum fabularum consarcinatoribus, si tam illustres Martyres, quorum nusquam satis expressa patria (nam* Romanos *dici in Martyrologio, non videbatur excludere quamcumque alibi urbem, cui jus esset civitatis Romanæ) non aliquid Hispanicæ sanctitati conferrent. Ergo suppleturi eorum omissionem in pseudo-Chronico Dexteri, succenturiatum ei pseudo-Julianum, in paris fidei Adversariis num.* 8 *sic scribere fecerunt:* SS. Joannes et Paulus, et Ovinus Gallicanus vir Consularis, quorum hic Alexandriæ, illi Romæ passi sunt, Hispani Saguntini, et in aula Cæsarum diu versati. *Quæ verba ab Higuera mutuo accipiens poetaster æque recens, sub nomine Cypriani Cordubensis, scripsit cœnotaphio, apud Saguntinos ponendo, titulum neque sensu, neque numeris satis constantem; quem apud Tamayum Salazarium lege in Notis ad Martyrologium. Sed infeliciter ipsis accidit, quod Pseudo-Julianus num.* 399, *vel Sagunti prius nominati oblitus, vel dicta retractans, ita scripserit:* Eodem tempore cognovi, Sanctos, Ovinum, Gallicanum Martyrem, virum Consularem, et Joannem ac Paulum cognatos ejusdem, natos Brigantii non procul admodum Bracara, Romam delatos (*scilicet cum* Bernardo Toletano *æque gratis conficto)* Martyres fuisse clarissimos. *Potuitne utrumque locum describere Tamayus, et non animadvertere contradictionem tam manifestam? Animadvertit Georgius Cardosus in Hagiologio Lusitano, et omnia, ipsumque Romanum Martyrologium, ubi* Fratres Romani *dicuntur, putavit se posse conciliare fingendo,* Sagunto *oriundos, Brigantii natos,* Romæ *cives fuisse; quæ fictio etiam aliis Lusitanis hujus ævi istic nominatis placuit.* F

Hispanica de patria Sanctorum figmenta.

PASSIO

A

PASSIO

Ex vetustissimo Codice Corbeiensi, collato cum aliis sex MSS. a

Igitur postquam Constantinus Imperator migravit ad cœlos, *b* et secuta est filia Constantina; *c* dum esset pessimus Julianus, a Constantio, *d* nepote Constantini, effectus Cæsar; cupiditate pecuniæ captus, *e* patrimonia Christianorum auferens, dicebat; Christus vester dicit in Evangeliis; Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest esse meus discipulus. Pervenit namque ad eum, quod Paulus et Joannes omnibus diebus turbam Christianorum pauperum recrearent, ex his quas sacratissima Virgo Christi Constantina eis reliquerat divitias: et misit qui eos conveniret, dicens, debere eos sibi adhærere. Illi autem dixerunt; Viri Christianissimi, Augustæ memoriæ Constantinus et Constans, et nepos eorum Constantius, cum Augustæ dignitatis apicem ornarent, et servos se esse Christi gloriarentur, nos famulabamur imperio eorum. B Pergentes etenim ad ecclesiam, excusso diademate capitis sui, Deum adorantes, pronos se in faciem sternebant in terram. Postquam vero mundus non dignus fuit tales habere Augustos *f*, et cœli eos inter Angelos susceperunt; remansit nepos *g* Constantini, [Constantius] qui ex quo tibi solium Imperii *h* tradidit, reliquisti religionem virtutibus plenam, et sequeris ea quæ optime nosti a Deo penitus non possideri. Pro hac iniquitate a tua salutatione destitimus, et a societate Imperii vestri nosmetipsos subtraximus: sumus enim non falsi Christiani, sed veri.

Delati ad Julianum, propter opes, sibi a Constantia relictas,

exprobrant ei apostasiam a Christi fide,

2 Quibus Julianus mandavit: Et ego etiam Clericatum in Ecclesia obtinui, et potui, si voluissem, ad primum gradum Ecclesiæ pervenire; sed considerans, vanum esse, relictis rebus necessariis et utilibus, inertiam sectari et otium, bellinis rebus animum tradidi, et diis fautoribus immolavi; ut ad Imperii fastigium pervenirem. Unde considerare debetis, quia et vos Regalis aula nutrivit: idcirco non debetis deesse lateri meo, ut habeam vos primos in palatio meo. Quodsi contemptus a vobis fuero, necesse mihi erit ita agere, ut contemni non possim. Tunc Paulus et Joannes dixerunt: Non tibi facimus hanc injuriam, ut præponamus tibi qua- C lemcumque personam: Deum tibi præponimus, qui fecit cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt. Timeant *i* enim tuas inimicitias homines temporales: nos timemus ne in inimicitias incurramus æterni Dei. Et ideo scire te volumus, quia numquam ad culturam tuam, neque ad palatium tuum veniemus. Quibus Julianus mandans ait: Decem diebus vobis a me dantur induciæ, ut animum vetrum componentes, prudentiori consilio, non coacti, sed ultro ad me venire maturetis. Si vero hoc non feceritis, coacti post hæc facietis, quod facere non curatis sponte. Paulus et Joannes dixerunt: Jam indicias decem dierum æstima præteriisse: et ideo quod post decem dies minaris te esse facturum, hoc *k* hodie perfice. Julianus dixit: Putatis quia Martyres vos sibi faciant Christiani. Et hæc cum dixisset, iratus surrexit dicens, Si decima transacta die sponte ad me venientes, amicos vos habebo; non venientes vero, quasi hostes publicos puniam.

ideoque recusant ad ejus ministerium transire;

et decem dierum inducias sibi datas,

3 Tunc sancti viri Joannes et Paulus [miserunt *l* et rogaverunt ad se venire Crispum Presbyterum, et Crispinianum Clericum, et Benedictam venerabilem feminam, quibus narraverunt omnia quæ gesta erant: et obtulerunt Sacrificia in domo sua, et Communionem participantes] Christianos ad se invitantes, ordinaverunt de omnibus quæ relinquere D poterant, ac per totos decem dies incessanter die noctuque eleemosynis insistentes, die undecimo sunt constricti intra domum suam. [Hoc audito beatus Presbyter Crispus, quia constricti essent intra domum suam Joannes et Paulus; venit ad eos cum Crispiniano et Benedicta, ut eos confortaret. Qui cum venissent, non sunt permissi introire, aut videre, aut loqui. Tum ad Sanctos Dei eadem hora] missus est Terentianus Campiductor *m* cum militibus hora cœnandi; qui ingressus invenit eos orantes. Quibus dixit Terentianus: Dominus noster Julianus Imperator statunculum aureum Jovianorum *n* ad vos misit, ut adoretis eum, et thura incendatis; quodsi non feceritis, ambo modo gladio feriemini: non enim decet vos, in aula palatii nutritus, ut publice occidamini. Joannes et Paulus dixerunt, Julianus si tuus est Dominus, habeto partem *o* cum Domino tuo: nobis autem alius Dominus non est, nisi unus Deus, Pater et Filius et Spiritus sanctus, quem ille negare non timuit; et quia semel a facie Dei projectus est, vult et alios secum in interitum devenire.

impendunt distribuendis suis omnibus,

rursumque Juliano parere,

4 Hæc et similia multa eis dicentibus, Terentia- E nus eos ad adorandum Jovem, et thura incendenda impellebat. Tertia hora noctis transacta, Terentianus, volens placere Juliano, sicut illi dictum fuerat, sine strepitu famæ, puniri eos fecit: foveamque fieri jussit intra domum eorum; in qua cum decollari eos jussisset, statim involvi et reponi eos jussit, faciens hanc famam, quod jussu Cæsaris missi fuissent in exilium: nullum enim nec signum interfectionis eorum inventum est super terram. [*p* Beatus vero Crispus Presbyter, et Crispinianus et Benedicta lamentabantur in domo sua; et orabant, ut aliquod signum eis ostenderet de sanctis Martyribus. Et manifestavit eis Deus. * Tunc Julianus iratus, jussit eos teneri, et capitalem subire sententiam: quorum corpora occulte rapuerunt Joannes et Pimenius Presbyteri, et Flavianus vir illustris, Expræfectus *q* urbis: et sepelierunt eos in domo Joannis et Pauli, non longe ab ipsis. *r*

clam capite plectuntur

et postridie SS. Crispus, Crispinianus et Benedicta.

5 Tunc unicus filius Terentiani, qui eos nocte occiderat, venit in domum sanctorum Joannis et Pauli; et clamare cœpit per os ejus dæmon, quod Paulus et Joannes incenderent eum. Tunc Terentianus veniens prostravit se in faciem, clamans quod, nesciens quid fecerit, homo paganissimus jussum Cæsaris adimplesset. Unde factum est, ut dato nomine F suo, proximo die Paschæ, perciperet gratiam Christi. Quod cum fecisset et pœnituisset; post baptismum assidue orans et flens, ad locum ubi Sanctorum erant corpora, a Sanctis Dei filius ejus sanatus est.

Terentianus conversus

6 Ipso autem Terentiano referente ipsam Passionem Sanctorum, scripta est. [Qui Terentianus non post multos dies ab ipso Juliano cum filio suo capite *s* truncatur, quorum corpora rapuerunt Joannes et Pimenius Presbyteri, et posuerunt in eadem domo Joannis et Pauli.] Statim autem ut Julianus ambulavit in bellum Persicum, ibique interfectus *t* est, post Jovianus *v* sumpsit imperium, Christianissimus, qui et ipse amicus erat Joannis et Pauli. Eodem tempore apertæ sunt Ecclesiæ, et cœpit religio Christiana gaudere. *x* Tunc Jovianus Imperator misit, et rogavit ad se Vizantium Senatorem, cui sic dixit: Nos gratia Dei Domini nostri Jesu Christi ad te mandavimus: eo quod jam nobis declaratum sit, de Beato Crispo Presbytero et Crispiniano et Benedicta, eo quod et ipsos interfecerit Julianus, et in domo sanctorum Joannis et Pauli corpora eorum sepulta sunt. Unde rogo, ut diligenter requiras corpora sanctorum Joannis et Pauli. Et cum manifeste eos

etiam ipse cum filio cæditur.

Jovianus Imp requiri jubet corpora:

A eos invenisset Vizantius cum filio suo *y* Pammachio, gratias agens Deo renuntiavit Joviano Imperatori; quibus gratias agens ita præcepit dicens: Deus omnipotens bonum donum donavit nobis: accipe consilium, utere digne Sanctis Domini, et fac fieri Ecclesiam in domo Sanctorum. Et cum cœpisset Vizantius facere, cœperunt dæmones sanctam Passionem eorum declarare * ad laudem Domini nostri Jesu Christi, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen.

y et ecclesiam in domo Sanctorum erigit.

ANNOTATA D. P.

a *Sunt illa, primum MS. Neapolitanum, a Beatillo submissum; et Audomarense, a Rosweido describi curatum; cui simile, sed paulum diversa phrasi, inveniri in Cæsaris insula adnotavit Bollandus. Et in istis quidem ita seorsim hæc Passio legitur, uti in Corbeiensi: alibi vero possim subnectitur Passioni S. Gallicani: et sic habemus ipsam duplicem Passionem, sub unico titulo* SS. Joannis et Pauli, *vel etiam,* Gallicani, Joannis et Pauli, *ut est in nostro prægrandi membraneo, qui olim Valcellensis cœnobii fuit in diœcesi Cameracensi;* B *prius vero in duobus Trevirensibus S. Martini et S. Maximini, et altero nostro perquam veteri membraneo: quibus similia in triplici MS. Reginæ Sueciæ aliisque pluribus inveniri, partim a decessoribus meis notatum invenio, partim memini in omnibus fere Passionalibus vidisse, sic ut copia excusserit solicitudinem inventa notandi.*

b *Obiit* Constantinus *an.* 337 *mense Majo.*

c *Etiam vetustissimum nostrum* Constantinam *scribit, alia vero melius* Constantiam: *de qua multis actum ab Henschenio die ejus Natali* 18 *Februarii; videtur autem usque ad annum* 360 *et ultra in vivis fuisse, ac forte primum mortua cum jam solus imperaret Julianus. Fuerunt autem sorores* Constantina *et* Constantia, *quarum prior bis nupta obiit anno* 354: *sed non est novum nomina istæc in feminis æque ac maribus confundi.*

d *Imo, filio. Hic tamen error in omnibus MSS. Et paulo inferius idem Constantius vocatur* nepos *Constantini et Constantis Augustorum; cum tamen frater eorum sit. Alius enim ab ipso Constantius hoc tempore nullus imperavit, quam filius Constantini Magni, prædictorum frater.*

e *Ubi Actis S. Gallicani subnectuntur hæc Acta, omissis prioribus lineis, hæc invenitur transitio:* Præ- C terea Julianus, captus cupiditate sacrilega, avaritiam suam Evangelii testimonio colorabat.

f Constantinus *junior occisus fuit an.* 340; Constans, 350.

g *Ita passim MS. errore jam prænotato: graviori etiam* Abnepos *legitur in Corbeiensi et Audomarensi: talis autem error, cum nequeat esse Auctoris, qui eodem vel proximo seculo vixerit, videtur tota illa collectio ad seculum sextum posse rejici.*

h Julianus, *accepta in uxorem Helena, filia Magni Constantini, Cæsar dictus fuit anno* 355. *Vivente autem adhuc patruele Constantio, Imperatorem se fecit salutari in Gallia an.* 360: *quod tantum abest, ut probarit Constantius, ut contra eum duxerit exercitum anno sequenti; sed in itinere obiit* 3 *Novembris. Tum vero* Julianus, *quod clam gerebat animo Christianorum odium, palam cœpit prodere.*

i *Alia MSS. passim,* Non timemus enim tuas amicitias, hominis temporalis, *quod magis placeret, si adderetur verbum,* amittere.

k *Hic magis incipit prodere Auctor, se de* Juliano *agere, tamquam Romæ, ubi Martyres morabantur, præsente: alias non est absimile vero, uti per internuntios hæc acta dicuntur, sic etiam per litteras inter absentes actitata: quod solum indicatum voluerit Terentianus, talia narrans.*

l *Desunt hæc in aliis MSS. item quæ simili modo* D *paulo post inclusi* [ ], *sed res ita continuatur;* Tum ad Sanctos Dei missus est Terentianus, *vel,* Missus namque est ad eos Terentianus.

IX MSS.

m *Alias* Campidoctor: *et hoc magis placet, quam* Campiductor, *et pluribus probatur a Cangio in Glossario, tamquam melioribus et antiquioribus usitatum: est autem is, qui militibus exercendis præest.*

n *MSS. Trevir. S. Martini et Neapolit.* Jovis. Jovianos *hic dici censeo, Sacerdotes aut Cultores Jovis.*

o *Vetustius nostrum, et utrumque Trevirense, cum Romano Breviario,* pacem.

p *Sequentia nusquam alibi leguntur, præterquam in nostro MS. majori, ubi etiam ad * additur totum istorum Sanctorum Martyrium, dandum die sequenti.*

q *Idem nostrum MS.* ex Prætorio Urbis: *quod minus placet; mallem,* Exprætor.

r *Ibidem additur* v. Kal. Julias. *In aliis vero MSS. omnibus mox sequitur,* et statim Julianus in bello Persarum interfectus est, *subditurque conversio Terentiani; quæ hic ordinatius præmittitur.*

s *Hoc Terentiani Martyrium nusquam alibi legitur, est tamen ex tam veteri MS. verisimile.* E

t *Majus nostrum, Juliani mortem sic plenius refert:* Julianus autem Imperator invitus *(an* injustus? *id mallem)* ambulavit in Persidem: ubi a quodam simulato profugo ad deserta perductus, cum fame et siti apostatam perdidisset exercitum, et inconsultius a suorum erraret agminibus, ab obvio forte hostium equite, conto ilia perfossus, perimitur. Ubi cum fuisset vulneratus, mox manum sanguine suo implevit, et in aerem projecit, et Christum Dominum blasphemare cœpit, dicens: Vicisti, Galilæe, vicisti; atque in his vocibus miser, dum adhuc spiraret, ab exercitu Persarum vivus tenetur, et excoriatur ab extremo vertice usque ad ungulas pedum: et tinctum vermiculo corium [servantes] omni tempore Reges Persarum, dum pacem habuerunt, super eo sedentes gratulabantur. *Equitem istum fuisse S. Mercurium, satis testatum est: cetera licet varie referantur, plerique tamen in eo conveniunt, ut in ipso prælio vulnus acceperit, nec venerit in hostium potestatem: cadaver autem in Ciliciam sit delatum, ibique sepultum juxta Maximianum Herculium, scribit Philostorgius.*

u *Proximo a Juliani obitu die,* 27 *Junii, electus Jovianus ab exercitu est, non prius ei assensus, quam is quoque ad Christum reverti se profiteretur: et sic, conclusa cum Persis pace, eum reduxit.* F

x *Addunt alia MSS.* Dæmones autem ex obsessis corporibus, intra domum Joannis et Pauli, ejiciebantur, confitentes sanctam Passionem eorum: ita ut unicus filius Terentiani etc. *ut supra: quæ autem sequuntur, in solo Corbeiensi et nostro MS. habentur: sed in nostro ad signum * ponitur conversio Tarentiani, et tacetur martyrium, solumque in fine additur:* Ipso autem Terentiano referente, ista passio Sanctorum descripta est ad laudem etc.

y Visantius *in nostro MS.* Vizantius, *melius* Byzantius *scriberetur: ejus autem filius* Pammachius, *unde ecclesia titulum Pammachii retinuit, videtur esse S. Paulæ gener, Hieronymi amicus, qui defuncta Paulina uxore, Presbyter et Monachus factus, colitur, Romano Martyrologio inscriptus* 30 *Augusti.*

APPENDIX D. P.

De Reliquiis Sanctorum Martyrum Joannis et Pauli.

P*rædicta* Sanctorum Joannis et Pauli *Ecclesia, teste Pancirolio, Collegiata est facta anno* MCCXVI: *deficientibus autem paulatim Canonicis, anno tandem* MCCCCLIV,

A MCCCCLIV, *cum illius Titulum teneret Latinus Cardinalis Ursinus, ad hujus intercessionem tradita fuit Fratribus Jesuatis; sub quibus varie reformata ornataque perseveravit usque ad annum* MDCLXVIII, *quo illorum Ordinem Clemens Papa IX suppressit. Ab his vacuum locum cum monasterio, emit Philippus Thomas Cardinalis Huardus, anno* MDCLXXV *sacra Purpura ornatus, ex Ordine Prædicatorum, et donavit suis ex eodem Ordine Anglicanæ Provinciæ Fratribus; quos ibi aluit quoad vixit : et an.* MDCXCIV *moriens, etiam heredes ex asse reliquit. Hos tamen, intelligo, non multo post alio translatos, aliis Religiosis locum cessisse; qui si inter Reliquias ejus numerare velint (ut merito possunt)* corpora SS. Joannis et Pauli, *oportebit ut fateantur, decerptas inde Reliquias, cum pluribus almæ Urbis Ecclesiis fuisse communicatas, ut scribit Pancirolius : neque cum his modo, sed etiam cum pluribus per Europam Provinciis.*

AUCTORE D. P. Corpora in ipsorum Ecclesia unde sumptæ Reliquiæ et translatæ,

7 *Sane Nobilissimus D. Richardus Josephus de Cambis, Toparcha de Fargues p. m.; (de cujus insigni erga sacras Reliquias studio fuse egimus* XV *Maji, occasione festi ipsius in ædibus Avenione instituti, propter illarum thesaurum grandem ibi collectum, et publicæ civium devotioni quotannis exponi solitum) Dominus,* B *inquam, de Fargues Avenionensis addens nobis peculiari MS. rationem ceterarum, quæ eadem in urbe servantur Reliquiarum, scripsit, quod* Eminentissimus Fabius Chisius Cardinalis, pro patruo suo Alexandro Papa VII solenni ad Regem Galliæ legatione functus anno MDCLXIV, atque in regressu transiens Avenione, metropolitanæ ibidem Ecclesiæ donavit vas crystallinum, a duobus argenteis Angelis sustentatum, continens vertebras colli duas, de corporibus Sanctorum præfatorum, acceptas ab ecclesia Jesuatorum : quo eodem tempore dicebat ipse Venetos quoque a Pontifice patruo quædam ossa alia eorumdem petiisse et impetrasse. *Ad quam ecclesiam ea pervenerint, necdum comperi. Avenionensem autem intelligo, eo quod decollati Martyres, in illis quæ ipsa possidet membris, passi censeantur, duplex Officium ipsis facere.*

Avenionem,

Venetias,

8 *Istis recentioris memoriæ translationibus, addiderim vetustiores alias, atque imprimis ex S. Gregorio Turonensi : qui libro* I *de Gloria Martyrum cap.* 83 *refert miraculum liberatæ subito navis, jamjam ad scopulum confringendæ, in qua Diaconus suus ferebatur, ferens a Pelagio Papa acceptas* Reliquias Sanctorum, quorum sacra vestigia Domini manibus sunt abluta *(quorumdam scilicet Apostolorum)* cum Pauli, Laurentiique, atque Pancratii, Chrysanthi, Dariæque Virginis, Joannis atque alterius Pauli fratris ejus Reliquiis, quorum certamina ac palmas victoriarum, ipsa caput orbis urbs Roma devote concelebrat. *Paulus Diaconus lib.* 2 *de gestis Longobardorum cap.* 9 *meminit ecclesiæ, ipsis Sanctis apud* Ravennam *dicatæ. Hujusmodi autem dedicatio præsumere facit, aliquas etiam ibi eorum fuisse Reliquias; ipsorum tamen non fuit miraculum, sed S. Martini Turonensis, quod ibi patratum historici referunt ex Venantio Fortunato. Browerus lib.* 2 *Antiquitatum Fulden. cap.* 8 *inter Sanctos, quorum Reliquiæ ostendi* Fuldæ *solent, nominat par istud Fratrum,* qui *(antiqui Auctoris verba sunt)* ad monasterium novi montis, ut pie creditur, palamque cernitur, translati; *parte scilicet aliqua sui, ut in margine Browerus, unde et* Patroni Novi-montis *appellantur sub armis, quæ ipsis ibi cernuntur appicta ex Apocalypsi, duæ palmæ et duo candelabra. Ughellus tom.* I *col.* * 288 *dicit, quod* Verulis *in Cathedrali habetur* magna portio ex capitibus SS. Joannis et Pauli. *Pezzina Pragensis Decanus, in suæ ecclesiæ Diario, hoc die assignat* SS. Joannis et Pauli Martyrum duo notabilis magnitudinis ossa, Roma per Carolum IV allata anno MCCCLV. Item, *inquit,* minores partes duæ allatæ Mediolano, per Danielem de Lippa, Episcopum Pragensem anno MDLIX; D et a me nuper inventæ, inter alia ecclesiæ nostræ cimelia, in grandiori quodam (ut vocamus) Reliquiario reconditæ. *Hic autem eodem ex Diario accedit* S. Constantiæ Virginis pars Capitis, allata per Carolum *anno* MCCCLXX; *ideo credo, quia ad* XVIII *Februarii quo ipsa colitur, et ejus aliæ quædam Reliquiæ indicantur, Auctorem præterierat illa pars. Joannes Pauli Masini, in sua Bononia perlustrata, ad S. Petrum, S. Joannem in Monte, et S. Mariam Gratiarum, quasdam prædictorum Martyrum Reliquias haberi asserit, præter ecclesiam olim Parochialem in ripa Savenæ, ipsorum nomini dedicatam : sed istas omnes Reliquias exiguæ quantitatis esse reor.*

C

Turones,

Ravennam,

Fuldam,

Verulas,

Pragam,

Bononiam.

9 *Longe majorem portionem sanctorum corporum, anno* MDCLVIII *mense Julio, in thesauro ecclesiæ Cathedralis* Viennæ *se vidisse, ad Bollandum scripsit P. Theodorus Moretus; simulque transcripsit, ex vetusta membrana originali, ipsum cum quo data illa fuit diploma, annorum plus quam trecentorum, hujus tenoris :* Nos Rudolfus IV Dei gratia Archidux Austriæ, Styriæ et Carinthiæ, Dominus Carnioliæ, Slavoniæ, ac Portus-Naonis; Comes in Habspurg, Tyrolis, Phioretis et in Kiburg; Marchio Burgoviæ, nec non E Landgravius Alsatiæ; significamus universis Christi fidelibus, quod nos... *Brisaci accepimus* corpora SS. Gervasii et Protasii, *de quibus* XIX *hujus num.* 82; *et in Ernstein Argentinensis diœcesis,* corpora SS. Felicis et Adaucti, *de quibus agendum* XXX *Augusti...* Posthæc defuncto Alberto Duce, quondam nostro genitore, cum prima vice ad terras Germaniæ descendimus, sub anno Domini MCCCLX, in die S. Stephani Protomartyris, ætatis nostræ anno XX, in Augia majori prope Constantiam applicuimus; ac religiosos et venerabiles in Christo, Abbatem et Conventum monasterii ibidem, Ordinis S. Benedicti, Constantiensis diœcesis, exoravimus humiliter propter Deum, quatenus nobis corpora Sanctorum Joannis et Pauli... quæ ibidem convenerunt *(unde, quando, et quomodo, doceant, si possint, Augienses)* nobis donare dignarentur, quæ habere desideravimus cum magna devotione et integro desiderio nostri cordis. Super quo ex gratia sancti Spiritus etiam sumus exauditi; nobisque eadem duo corpora, propter Deum et preces nostras sedulas, donaverunt.

Rodulfus IV Dux Austriæ,

apud Augiam accepit partem magnam anno 1360,

10 Quæ quidem duo corpora, una cum dictis quatuor corporibus SS. Gervasii et Protasii, Felicis et Adaucti, cantu laudabili, magnis orationibus, et devotione intenta, nec non ornatu eximio, in civitatem nostram Viennensem per alveum Danubii deduximus reverenter. Et hæc sex corpora, in hono- F rem omnipotentis Dei, manibus nostris in hunc sarcophagum deposuimus, quem de substantia nostra propria fecimus comparari. Et hoc totum obtulimus et donavimus pure propter Deum, et in honorem Sanctorum omnium, ad ecclesiam S. Stephani in Vienna; in qua Nos, Serenissima Catharina de Bohemia, D. Caroli Romanorum Imperatoris filia, nostra Conthoralis, nec non illustres Albertus ac Leopoldus, Fratres nostri carissimi, post nostros decessus, aspirante Altissimo, feliciter quiescemus, ut omnipotens Deus, in cujus potestate et voluntate cuncta subsistunt, Nobis, dictæ nostræ Conthorali et fratribus, omnibusque nostris successoribus in hac vita donet et concedat prosperitatem et salutem, ac vitam æternam seculo in futuro. Amen. Acta sunt hæc Viennæ in Vigilia diei sancti Pentecostes, anno Domini MCCCLXIII, ætatis nostræ XXIV, regiminis vero V anno. *Subtus autem Germanice.*

eamque cum aliis 4 corporibus collocavit Viennæ ad S. Stephani,

anno 1363.

† Nos Dux Rudolfus firmamus hanc Brevem manus nostræ propriæ subscripto †, *appensumque est majus sigillum in cera rubra, ubi vox* Corpora, *significat notabilem corporum portionem.*

DE

DE SANCTO VIGILIO

EPISCOPO MARTYRE, IN ALPIBUS TRIDENTINIS.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

De anno ac die mortis, Actis variis, Reliquiarum translationibus.

D. P.

AN. CD. vel CCCV.

Acta, licet non omnino primigenia,

Occasionem agendi de Tridentina civitate sæpius nobis hic Sanctus ejus Episcopus dedit, cum ex suæ vitæ Actis suggessit notitiam S. Maxentiæ matris, XXX Aprilis; SS. Claudiani et Magoriani fratrum, VI et XV Martii; ac denique sacrorum Martyrum Sisinnii Martyrii et Alexandri, XXIX Maji. Nunc ipsa illius Acta integre exhibenda veniunt; quæ utinam tàm sincera haberentur, quam illa fidenter dicuntur ejus martyrio præsentes scripsisse, et Romam misisse; sicut ipse antea Mediolanum atque Constantinopolim miserat conscriptam a se prædictorum
B Martyrum passionem, anno CCCXCVII peractam. Habemus tamen ea ex MS. monasterii S. Maximini prope Treviros sinceriora multo, quam ipsa habemus ex MS. Carthusiæ Coloniensis, et qualia ante quatuor secula reperit Bartholomæus Tridentinus, aptavitque Legendario Sanctorum, a se compilato, et a nobis transcripto Romæ ex Bibliotheca Barberina. Itaque his omissis, quæ satis habemus allegasse in Notis, sola primo damus, si non omnino primigenia; tamen (excipiendo quædam sub finem addita vel mutata, et priores fortassis lineas) primigeniis proxima. Eadem habuisse videtur Janus Pyrrhus, Pincius Mantuanus, de Vitis Pontificum Tridentinorum libris 12 Mantuæ vulgaturus anno MDXLVI; sed maluit ipse proprio luculentiorique stylo Vitam dare, quæ librum primum faceret.

iis tamen proxima dantur,

indicatis etiam aliis.

2 Annum mortis omnes uniformiter notant, Stilicone Consule, quem Consulares fasti suggerunt pro anno seculari CCCC, iterumque pro anno CCCCV. Hunc secundum Consulatum ideo eligit Philippus Labbe in Epitome Chronologica; quia constare putat, quod Martyres tres supradicti occisi fuerint Feria VI concurrente cum XXIX Maji circa novam lunam, quem concursum non invenit, nisi anno CCCCIII. Acta ab ipsomet S. Vigilio Mediolanum scripta, quæ Labbeus legisse potuit, solum dicunt; Dies autem passionis Sanctorum quarto
C Kalendas Junias sexta feria, luce nascente: sed hoc videtur idem Sanctus in epistola Constantinopolim data explicare, cum rem actam dicit num. 5, matutinis horis, auroræ repente cœli umbra cedente. Igitur lucem nascentem, non lunam, sed diem interpretaberis; nihilque te illa movebit, ut hunc vel istum annum statuas, uti fecit Labbeus; qui annum CCCCIII elegit, quia tunc XXIX Maji concurrebat cum die VII Lunæ. Ego e contrario, ex ætate S. Venerii, anno ut minimum CCCCI ad Sedem Mediolanensem promoti in locum S. Simpliciani, ad quem data est Vigilii epistola, manifeste confeci, anno CCCXCVII passos Sanctos. Potuit ergo Vigilius ipse anno seculari passus fuisse, primo Consulatu Stiliconis, cumque non legatur Stilicone II, nulla est causa, cur ea mors ad annum CCCCV differatur, nisi putes reliquis ejus Actis tres annos non sufficere.

Obiit Stilicone Cos. an. 400 vel 405

3 vel 8 an. post SS. Sisinnium, Martyrium et Alexandrum.

3 Diem Martyrii Acta nulla exprimunt: sed Ecclesia Tridentina festum S. Vigilii celebrat VI Kal. Julii, verosimiliter ut Natalem. Talem certe videtur judicasse Florus Lugdunensis, quando suis ad Bedæ genuinum Martyrologium additamentis, S. Vigilii elogium addidit; quod tamen hactenus invenire integrum nemini contigit: neque possemus divinare, ab ipso scriptum fuisse, nisi post Bedæ verba, SS. Joannis et Pauli memoriam continentia, immediate sequeretur in MSS. Tornacensi et Lætiensi; Hic cum quoddam idolum in quodam loco confregisset, in ejusdem idoli basi residens, et verbum divinum prædicans, ab incolis loci illius imbre lapidum obruitur, et sic Martyrii gloria coronatur. Quæ verba, quam nihil spectant ad SS. Joannem et Paulum, vel ad postea conversum, et a Beda etiam nominatum Terentianum; tam certum faciunt quod librariorum socordia in prædictis MSS. omissa sit linea una, hujusmodi circiter verbis concepta: Apud Tridentinam urbem S. Vigilii Episcopi, scilicet Passio vel Depositio: ab his enim verbis brevior Usuardus orditur elogium, et sic prosequitur: E
qui sub Stilicone Consule magno lapidum imbre percussus, martyrium complevit. Pro istis in hodierno Romano (ut medii ævi cetera prætercam) sic legitur: Apud Tridentum S. Vigilii Episcopi: qui cum reliquias idololatriæ penitus extirpare conaretur, a feris et barbaris hominibus lapidum imbre percussus, martyrium implevit.

Colitur 26 Julii

Inscriptus Martyrologio Flori,

deinde etiam Usuardi,

4 In Actis num. II, dicitur, quod Tridentini veneranda pignora Præsulis gloriosi, tertio die suæ passionis... condiderunt in basilica, quam ipse ad portam Veronensem vivens construxerat. Ea ecclesia, si ipso fuit loco, ubi Cathedralis hodierna visitur, dicendum erit antiquum Tridentum, duplo fere quam nunc sit, minus fuisse; atque ab Athesi fluvio, cui adjacet, non longius in Meridiem porrectum, quam usque ad grandiorem seu rivum seu fossam, qui a Molendinis versandis nunc nomen habet; et eam quæ nunc est urbem intersecans, ipsam Cathedralem ab alia majori parte dirimit; ubi licebit portam Veronensem concipere, quæ nunc nulla sit, muris urbis ad Meridiem clausis; idque confirmare videtur Pincius fol. 8 ubi ait, Adalpretum Episcopum circa annum MCLXXXI sepultum, in templo D. Vigilii ad portam, quæ in eam urbis partem ducit, quod Burgum-novum appellant. Hoc certum, Cathedralem prædictam, si non mutavit situm, mutavisse F
formam, aliquoties innovatam et amplificatam; et quod consequens est, sancti Præsulis corpus plus vice simplici translatum fuisse; quas omnes mutationes præcesserit Actorum hic dandorum compositio, nullius mutationis indicium præbentium.

Tridenti in condita a se ecclesia sepultus

3 die post mortem.

5 Vigesimus primus post Vigilium, iisque quibus hic decimus octavus, quadragesimus tertius Episcopus Tridenti Hildegarius ponitur a Pincio, circa tertium supra octingentesimum Christi annum, qui D. Vigilii aram maximam renovavit, in qua sanctorum Martyrum Reliquias condidit, non etiam ipsius Vigilii, quantum conjecto. Post hunc decimus sextus, et in isto ordine sexagesimus, Udalricus II, anno a Christiana salute millesimo vigesimo secundo, locum subterraneum et concameratum in templo D. Vigilii, et aram maximam sublimius erexit, totamque ecclesiam reparavit, et ad elegantiorem formam reduxit. Sexagesimus septimus Altemannus, qui usque ad MCXXX vixit, templum refecit ac consecravit: et Vigilii, Sisinnii, Martyrii, Alexandri et aliorum Sanctorum Reliquias honorificentius collocavit. Exhinc ergo sepelitur Sanctus in ecclesia, quam ipse ædificaverat quidem, sed alii post illum reparaverant amplificaverantque, in monumento marmoreo, ubi tale Epitaphium legitur:

Renovatur altare post an. 803

ac rursus post 1022,

et ante 1130:

Suscipit

AUCTORE D. P. item tumulus cum Epitaphio:

A Suscipit Athletas, animas Domino dare lætos,
In virtute Crucis terit idola præco salutis.
Pro fidei zelo fertur moriens modo cœlo.
Ad patris exequias currunt populi venerandas;
Obsequio turbæ propria sepelitur in urbe.

Qui Leoninorum versuum originem et ætatem noverunt, haud difficulter mihi assentientur, non esse Epitaphium istud Altemanni prædicti ævo antiquius, et fortassis dimidium dumtaxat hic haberi, altera parte abolita, qua fiebat mentio corporis in novum istum tumulum translati.

unde corpus potuit ablatum esse sec. 13

6 *Seculo* XIII *ultra dimidium progresso, Veronenses Tridentum expugnarunt et diripuerunt. Postea Meinhardus Tirolensis Comes vi tenuit urbem annis aliquammultis; et multa alia adversa acciderunt civitati, inter quæ potuit auferri* S. Vigilii *corpus, et Mediolanum deportari; ubi jam pridem in templo S. Simpliciani magno in honore habebantur Reliquiæ Sanctorum trium Martyrum, illuc a Sancto missæ; et anno* MCLIX *nova celebrata fuit translatio; sicut dictum est in Historia novissimæ translationis, anno* MDXCVI *peractæ num.* 19.

et Mediolanensibus allatum;

Hanc autem ultimam translationem præcesserat anno MDXVII, *Inventio, ac privata Translatio eorumdem, aliorumque jam olim ibi depositorum Sanctorum corporum; quando* supra capsas *tres ibi descriptas*, compo- B sita fuit petra, altare medium dividens; et supra ipsam spatiosæ duæ tegulæ, quarum una excepit ossa S. Vigilii Episcopi Tridentini, absque capite, quod Tridenti mansit: in cujus rei testimonium solebat Madrutius, Episcopus Tridentinus, quando Mediolanensi statui præerat, *(fuit id circa annum* MDLXVI*)* quotannis ad ecclesiam S. Simpliciani accedere in festo S. Vigilii, et ibidem Missam Pontificaliter decantare.

apud quos creditur inventum anno 1507,

sed fide non satis certa:

7 *Non tamen hoc satis S. Carolo Borromæo fuit, ut ipsius* S. Vigilii *corpus haberi Mediolani pro certo crederet: ideoque in prædictorum corporum collocatione sub novo altari, capsæ ad cornu Evangelii collocandæ, inscribi dumtaxat hunc titulum voluit:* Corpus Antonini Archiepiscopi Mediolanensis. Multæ Reliquiæ Sanctorum, repertæ in altari majori sine nomine. *Addit Puricellus, rem narrans,* Quod postremum ita scriptum fuit: quia intra ipsam capsam per medium divisam, continetur corpus alterius innominati Sancti: quod Monachi aliæque personæ seniores existimabant esse S. Vigilii Tridentini Episcopi. *Hinc apparet talem opinionem ex sola traditione haberi, non vero ex veteri aliqua scriptura, idonea ad rem tantam probandam contra Tridentinos, qui sui sancti Patroni corpus, aut saltem præcipuam ejus portionem, etiamnum* C *penes se esse credunt, sub altari majori: cujus lateri Janningus noster, anno* MDCLXXXVI, *die* XXVI *Augusti ecclesiam ipsam visitans, hujusmodi titulum incisum reperit:* Translatæ fuerunt huc Reliquiæ S. Vigilii, una cum hac arca, die mense anno 1620. *Interim arca nulla apparet, forsan clausa intra altare, et eadem de qua supra: locus vero notandis numero diei ac mensis nomini vacuus relictus, nec non ipsa forma litterarum, credi faciunt recentissimam esse sculpturam, eo ipso loco exaratam, ubi iisdem verbis steterat titulus pictus colore aliquo, sed lapsu temporis defluo; unde factum sit, ut prædicti diei numerus ac nomen mensis reparari nequiverint, nulla superstite ejus rei memoria distinctiore.*

nam anno 1620 adhuc putabatur haberi Tridenti.

Vigilii scripta,

8 *Gennadius, Presbyter Massiliensis, lib. de Scriptoribus cap.* 36, *sic scribit:* Vigilius Episcopus, scripsit ad quemdam Simplicianum, in laudem Martyrum libellum et Epistolam, continentem gesta sui temporis apud barbaros Martyrum. *Quæ licet obscura sint, satis tamen videntur congruere illis, quæ sub nostri hujus* Vigilii *nomine dedimus de præfatis tribus Martyribus, velut ad Simplicianum Mediolanensem et Joannem Constantinopolitanum directa. Majores tenebras offundit loco præcitato Honorius Augustodunensis, Gennadium, (ut profitetur) sublegens, hisce verbis;* Vigilius scripsit ad Simplicianum in laudem Martyrum libros quinque: *hæc enim de libello et Epistola prædictis intelligi omnino non possunt.* D *Profecto si tales libros alicubi Honorius vidit, qui sub annum* MCXX *floruit, dolendum est eos sic periisse Tridenti, ut Bartholomæus Tridentinus, vix centum annis illo junior, ipsos ihnoraverit; qui tamen libellum et epistolam non omisit commendare, addens,* In quibus et facundia, et solicitudo, et doctrina catholica commendatur. *Sed fortassis Bartholomæi textus non habetur integer, ipseque posuerit ex Honorio, quod* S. Vigilius scripsit in laudem Martyrum libros quinque; in quibus etc. *Licebit etiam suspicari Honorium confudisse numerum, librorum, cum eorum argumento, et huic addidisse numerum, qui erat aliorum librorum, contra Nestorium et Eutychen scriptorum; quos libros Pincius* Vigilio *Tridentino adscribens, fuse in eorum laudem decurrit. Sed contra ipsum et alios in hoc deceptos, jam pridem judicarunt Baronius, Ferrarius, aliique deinceps; eo quod uterque hæresiarcha sint Vigilio Tridentino posteriores. Et Baronius quidem, in Notis ad hunc diem, alios tres* Vigilios *nominat, qui illo floruerint tempore, quo ista vigebat disceptatio; non audet* E *tamen determinare quod alicui eorum adscribendi ipsi libri sint: sed audent Brixiani pro suo* Vigilio, *qui colitur* XXVI *Septembris, quando licebit eorum fundamenta excutere.*

a quibus removendi libri contra Eutychen;

9 *Georgius Cardosus, in Hagiologio Lusitano, duos Tridenti* Vigilios *comminiscitur, Episcopos ambos; quorum posterior,* Confessor *dumtaxat, libros prædictos scripserit. Sed talem Tridentini non agnoscunt: quod autem prior ex fide Pseudo-dexteri, una cum matre ac fratribus ex Lusitania processisse dicatur,* Cauriæ Vettonum *natus, id explodi potius quam refutari meretur; ideoque vix attingere obiter dignatus Henschenius fuit ad* XXX *Aprilis. Interim figmentum istud versat et reversat Tamayus, in Martio atque Aprili; asserti tam insulsi adeo securus in Junio, ut ulteriori putet probatione non egere tam certam ipsi veritatem: qui tamen alibi sæpe ostendit, non omnia sese Dextero isti credere: quod multo etiam liberius facit Cardosus, quando Dexter ille in rem suam non facit.*

explodendi autem, qui Lusitanum Sanctum fingunt.

ACTA

Ex MS. Trevirensi S. Maximini.

CAPUT I.

Studia, Episcopatus, prædicatum Gentibus Evangelium per eum et alios. F

S. Vigilius Athenis imbutus litteris,

Sacratissimæ Martyrum laudes multifariis sunt proferendæ præconiis, ut eorum gesta inertes quoque animas excitent ad profectum, cognoscentes, qualiter pervigiles Sacerdotes, pro Domini sui Jesu Christi amore, ut avidi bellatores, fuderunt sanguinem suum, qui pro illis vel pro nobis omnibus seipsum Deo Patri obtulit: cujus exemplo edocti, animas hominum vicarie mercati sunt ipsi, virtutum ostensiones habentes in habitum credendi. Ex quibus unus in illis diebus Vigilius effulsit, genere Romanus, civis Tridentinus, Athenis liberalibus litteris eruditus, ad serviendum Christo devotione mentis ab infantia traditus *a*. Reversus itaque a studiis ab Athenis, vel urbe Roma, in civitate Tridentina resedit, impleturus propositum sanctæ religionis, a Deo more Apostolico jam ordinatus dictæ civitatis Episcopus, a primo *b* tertius. Existens siquidem circiter annorum viginti, clamor populi in eum irruit, quia multa miracula in Christi nomine sibi

A sibi ab eo cognoverant ostensa. Illo autem excusationem ætatis atque juventutis suæ opponente, quanto magis se accusabat, tanto clamoribus vulgi attollebatur, quietiam seniores ætate, sanctitate præcellebat.

Tridenti Episcopus acclamatur an. a t. 20,

c d ordinatur ab Ep. Aquileiensi:

2 Posthæc invitatus Episcopus *c* Aquileiensis Ecclesiæ, Beatum Vigilium, extra *d* muros civitatis Tridentinæ, ad eamdem Sedem gubernandam, consecravit Episcopum. Ingressus vero urbem ipsam, legem Domini prædicando, populi conversi quotidie augebatur numerus credentium. At ubi totam civitatem catholice convertit, ecclesiam *e* infra muros civitatis Domino collocavit; ibique Christi perfecit asilum, in quo orationem continuans, languores ægrotantium curans, oppressos a dæmonibus Christi impressione vexilli curabat: cujus etiam opinio per vicinas civitates efflorebat. In quibus temporibus populorum turbæ extra civitatem positæ, vana colentes simulacra, mollito corde gentili, gratia Spiritus sancti, eodem viro docente, ad fidem convertebantur Christi quotidie: donec omnis Diœcesis sua, in fide adunaretur catholica. Inter quos etiam parentes sui ipsius prædicatione cum suis *f* germanis conversi, Domino fideliter deserviebant.

claret miraculis:

B

agrestibus adhuc ethnicis prædicat etiam Brixiæ et Veronæ;

3 Congregatis autem Presbyteris atque Diaconibus suis, ita eos allocutus est: Carissimi Fratres, non necessarium nobis est, commissa talenta Domini in sudario, unius velut pigri servi, singulari cautela recondere; sed ut boni servi, lucra Dominica augentes, duplicata in adventu Domini nostri oportet repræsentare, ut in gaudium ipsius mereamur introire. Eligens itaque ex latere suo, viros fide probatos ordinavit, dirigens eos ad Episcopos civitatem Veronensis *g* atque Brixianensis, dicens eis: Domini et sanctissimi Fratres, nolite negligere verbum Domini, in quo Christus in Ecclesia sua ordinavit Rectores. Exite igitur, prædicate instanter verbum Domini, ne amplius ille serpens antiquus animas hominum sibi obliget, propter quas Christus et Redemptor noster mortuus est. Qui respondentes dixerunt, se non posse per se tantum subire periculum. Beatus autem Vigilius hoc audiens dixit: Ego pro Deo paratus sum mori, qui dignatus est pro nobis supplicium perferre Crucis: nec patior mihi coronam præparatam aliis vendere. Cui percunctanti tale dederunt responsum: Perge ergo in interioribus civitatum nostrarum, quibus nos præfecisti; tecum ituros, et acquire Domino animas, quæ adhuc captivæ tenentur, demonstrans illis viam salutis. Respectu ergo divino sanctus Vigilius animatus exiit ad territoria Veronensium vel Brixianorum, et multitudinem populorum agrestium Christo per baptisma acquisivit, fundatis ultra triginta ecclesiis.

cum consensu diœcesanorum;

C

Anagninis prædicatores mittit;

4 Relictis autem prædictis inibi viris Dei, quos ad Ordinem promoverat Pontificii, ipse regressus est ad interiora civitatis suæ territorii, ducens secum quosdam, Sisinnium scilicet atque Alexandrum, Deo dignos Martyres futuros, viros religione Christianissimos, natione Cappadoces; de transmarinis qui adventantes partibus, aliquantum temporis Mediolani demorati fuerant. Cum quibus non multo post ingressus civitatem *h* Anagnen, in ea plurimam Christianorum turbam, fundata Ecclesia, Domino acquisivit: inde ad propria rediens, Sanctos Dei præscriptos ibidem dereliquit; ad reliquam partem Paganorum convertendam: sed instigante hoste antiquo, dum sancti Viri injunctum officium instanter exercerent, cives Anagnenses ira accensi, apprehensos Dei servos vinculis alligatos, suppliciisque usque ad defectum vitæ maceratos, semineces igni summiserunt concremandos. Illi vero Deo gratias reddentes, spiritum exhalaverunt; in quo etiam loco, depressa corpora sanctissima eorum concremata sunt, ut gesta eorum *i* continent.

h quibus Martyrio sublatis,

D

EX MS.

i k ipse eis succedit barbarosque convertit:

5 Beatus vero Vigilius intentus piis operibus, Deo invigilans, vidit in spiritu *k* pretiosas animas eorum ab Angelis in cœlum deferri. Quo ardore succensus, cœpit ipse in ardore Martyrii efflagrare, ut particeps fieret eorum ad coronam: arreptoque itinere, cum uno suorum Diaconorum Anagnam petebat. Quem sui retinere volebant, dicentes; Quo, Pater, pergis, qui oves commissas, necdum omnes Christo pio tuo verbo adunasti? Cui fremens spiritu retineri non poterat: perveniensque ad quemdam fluvium, suo Diacono dixit: Discalceati hunc transgrediamur, ut nudam gentem nudi aggrediamur: quorum incessus necdum in viam pacis est directus. Cum autem pervenisset ad locum, ubi incensa fuerant pretiosa corpora sanctorum Martyrum, collegit busta eorum in Sindonibus mundis; rediensque Tridentinæ urbi, honorifice condidit in ecclesia, ipsorum nomini ab ipso *l* Domino consecrata. *m*

l m Randenam vallem adhuc Paganam aditurus,

6 Post paucum denique tempus, dum (ut dictum est) Veronensi atque Brixiano territoriis, et Tridentino, quos invenerat Paganos jam convertisset ad Christi fidem; unus ei restiterat locus in Montanis positus, nimium horridus, rupibus hinc inde præruptis obsessus, vallem habens in ascensu per devexum declivem, cui nomen Randena; *n* per quam etiam fluvii cujusdam delabitur cursus, qui locus præscriptus Christianæ religioni semper erat infestus. Servitium namque cujusdam divitis erat, habens inibi miserabile dispendium, diaboli scilicet æreum simulacrum, Saturno dicatum: quem ignara fidei rusticanorum plebs colebat ut Deum, quasi inferni jura tenentem. Quod compertum [habens] vir Apostolicus Vigilius sanctus Præsul, sic suos denuo alloquitur: Quid hic stamus tota die otiosi, tam mane conducti? pergamus in vineam Domini nostri, ad gaudium ipsius laboratori: vexilloque se sanctæ Crucis signando muniens, iter dirigit versus portam suæ civitatis, Brixianam dictam, pertingentem ad pontem, usque fluvii *o* propinqui civitatem alluentis.

E *n*

ubi Saturnus colebatur,

a

populo Tridentino ultimam impertitur Communionem.

p

7 Populus autem vel Primates civitatis deducentes ultra transitum pontis eum, atque valedicentes, regressis ad civitatem ipse progressus cum æque viris Dei, Claudiano videlicet atque Maugurio *p* suis Germanis, Presbyteroque Juliano, ad locum destinatum tetendit. Cui cum omnis populus Christianorum, ejus doctrina conversus, occurrisset, petens ut ex ejus sacris manibus corporis et sanguinis Christi sui consecrationem sumeret; ipse usque ad locum, quo præscriptum idolum erat constitutum, fide fervens, in agone certaminis hostiam Christo obtulit. Ita idem Dei Sacerdos, ad palmam Martyrii accipiendam festinans, velut opinatissimus miles, jacturas prælii cavens, post exitum belli peractum, palma victoriæ inter coessentes a proprio donatur Regni Domino.

F

ANNOTATA D. P.

a *Alia Acta recentiora in MS. Colon. hoc habent exordium*: Imperantibus Gratiano, Valentiniano et Theodosio *(quorum primus* Gratianus *imperare cœpit an.* 367; Valentinianus 375; Theodosius 379; *primus vero,* Gratianus *occubuit* 383) Matrona quædam nobilis, Maxentia nomine, Romanorum genere præclara, cum filiis suis Claudiano, Masioriano, et Vigilio, ad civitatem Tridentum pervenit; ibique cives effecti, Deo devotissime serviebant. Vigilius vero, ab infantia totum se Deo tradidit; et in puerili ætate Athenis liberalibus studiis eruditus, Tridentum rediit; et cunctis amabilis, clarere miraculis cœpit. *Itaque*

EX MS.

A *Itaque in medio relinquit Pincius, Romane an Tridento abierit Athenas Vigilius, parentibus jam Christianis; an vero post reditum ejus (quod hæc Acta indicant) primum conversis.*

b *Pincius fatetur multos esse, quibus* Cyriacus, *Asterii Vigiliique decessor, primus censeatur Episcopus; quique,* S. Jovinum, *S. Hermagoræ Aquileiensis discipulum, ejusque quatuordecim successores, solum velint fuisse Presbyteros sive Parochos. Horum autem opinionem sic putat conciliari posse cum aliis, illos quoque omnes Episcopos censentibus, quod primis seculis Episcopi et Parochi, potestate nihil differrent, designata per baculum; sed solo usu mitræ, Presbyteris non concessæ.*

c Patriarcham, *recentiori phrasi, alia Acta appellant; quibus hæc esse antiquiora et sinceriora, vel ex hoc colligas. Fuit autem Fortunato Ariano, sub annum* 381 *aut etiam prius, suffectus* S. Valerianus *(de quo* 27 *Novembris) et annis circiter* 10 *Sedem tenuit. Demus autem, quod primis sui Præsulatus annis, vicennem dumtaxat* Vigilium *ordinarit Episcopum, fuerit is circa annum* 361 *natus.*

d *Quia scilicet, civibus adhuc majori parte gentilibus, nulladum (ut mox intelligitur) sacra ædes in urbe*
B *erat, aliqua autem in suburbanis.*

e *Pincius,* Templum, *inquit,* apud forum erexit, Divis Protasio et Gervasio dicatum. *Horum certe Reliquias, corporibus anno* 386 *Mediolani inventis, creditur a S. Ambrosio accepisse* Vigilius *: sed forum Pincius intelligit novum, si ipsa est ecclesia, modo Cathedralis.*

f *Mater* Maxentia *colitur* 30 *Aprilis; Fratres,* Claudianus, 6 *Martii;* Magorianus, 15 *ejusdem; ubi singulorum Acta vide, deducta ab Henschenio, ex his fere quæ de* S. Vigilio *habemus et prætermittimus, eo minus hic necessaria, quo magis istic delibata.*

g *Potuit* Vigilius, *una cum Aquileiensi Valeriano, ordinasse Veronensibus* Syagrium, *Brixiensibus* S. Gaudentium; *nec enim probantur ante illum ordinati, et simul cum illo Ecclesiis istis præfuerunt. Erant alioqui Episcopatus illi ipsomet Tridentino antiquiores.*

h Regionem Anauniam *vocant Acta apud Mombritium, et melius; eo enim nomine censebatur* Vallis Anagnia, *aliis* Anaugia, *dicta vulgo Val di Non a fluvio Nauno, cujus locum ipse Vigilius in Epistola ad Joannem CP. collocat,* viginti quinque stadiis a civitate.

C i *Vide ea* 29 *Maji, ubi passos ostendimus an.* 397.

k *Id ipsemet subobscure indicat, ita scribens ad Joannem CP.* Spectator, confiteor, fui inter ista mysteria, et ad Sanctorum cineres excubator.... Vidi, vix hodieque credulus mihi: excedunt facti reverentiam relata dictorum.

l *Non Tridenti, sed in loco ipso Martyrii. Bartholomæus tamen addit, quod* S. Vigilius Anaunios convertit, et Sanctorum Reliquias Tridentum deportavit.

m *Addit MS. Colon. et Bartholomæus:* Inter hæc Remedius (*Pincio* Rhomedius *dictus*) nobilis de Tauro, cum sociis suis Abia et David, Romam perrexit; et rediens, ultra mille animas, cum omnibus suis possessionibus S. Vigilio reliquit; et (ut in ejus gestis legitur) in ejus diœcesi apud castrum Tau, juxta locum ubi passi sunt Sancti, ad Dominum, cui devote servierat, cum sociis suis migravit. *De* S. Romedio agit *Ferrarius* 15 *Januarii, ad quem diem Bollandus promittit de eo agendum* 1 Octobris. *Interim vide pluribus jam relata illustrantem Pincium pag.* 3.

n *Addit idem MS.* Sarcha, a quo Benacus oritur, lacus Italiæ. *Bartholomæus,* a quo Benacus lacus Italiæ, de quo fluvius Mincius procedit. *Pincius ait* peritiores Mincium vocare, *ipsum qui nunc Sarca dicitur. MS. Trevir.* Sardam *semper scribit, sed vitium scriptionis id esse persuasus ex aliorum consensu,* Sarcham *scripsi.* D

o Athesis *scilicet,* ubi is, *inquit Pincius,* pulcherrimo ponte superatur, trabibus ingenti artificio contextis. *Bartholomæus addit,* juxta quem Fratres Prædicatores ultra flumen nunc habitant. *Ergo ab annis jam fere* 500, *loco nunc S. Laurentii dicto.*

p *Aliis* Majorianus, *ut jam dictum: de* Juliano Presbytero *nihil ultra legitur, neque (quod sciam) Sanctus habetur.*

CAPUT II.

Martyrium S. Vigilii, corpus in urbem relatum. Acta Romam missa.

Respiciens autem ipse Sanctus in cœlum, intra sacra solennia sancti Sacrificii vidit gloriam Dei, et ait: Christe, gratias ago tibi, quia quod a te desiderabam, inveni; ecce enim oculis meis video in dextera tua, quæ mihi præparantur. Hæc omnes sui circumstantes audiebant eum clara voce dicentem: sed nihil prorsus videntes, tantummodo cum lacrymis eum audiebant talia prosequentem. Celebratis itaque mysteriis, communicataque fidelium turba sanctis Sacrificiis, in idolo memorato irruens, minutatim illud confregit, in fluviumque nomine Aroam projecit: ac residens super basim simulacri minutati, circumstantibus fidenter loquebatur verbum Dei.

Invocato rite Deo,

E *idolum evertit S. Vigilius:*

9 Cognoscens autem truculenta rusticanorum turba ipsum locum incolentium ejus adventum, et sui idoli comminutionem; facto impetu, in eum gladiis et lapidibus ac lignis subita incursione irruunt. Quos Beatus Præsul eminus venientes, velut quædam purgamenta despexit: Illi autem tumore diabolico inflati, magno imbre lapidum Sanctum Dei percellunt, sancti capitis effracta compage, *a* cerebroque disperso. Beatissimus vero Martyr, madefacto sanguine vultu, respiciens in cœlum, Deo gratias agens, suisque valedicens, emisit spiritum. In quo loco passionis viri Dei, Christiani meritis ipsius postea fundaverunt Ecclesiam, *b* dedicato altari super lapidem ipsum.

quare concitata turba

a cum saxis obruit,

b Socii Tridentum referunt corpus,

10 Presbyteri autem vel Diacones, qui cum ipso venerant, licet grandine lapidum multitudinem suscepissent ictuum, (sed nemo eorum livorem alicujus plagæ perpessus fuit; tamen præmio non caruerunt, Confessoris patrociniis adjuti:) colligentes glebam *c* sancti corporis, equo cui ipse insederat impositam, raptim ad civitatem, in qua, Deo auctore, Sacerdotio functus est, reportare festinabant; plurima miraculorum signa, in quibuscumque locis se repausabant, experti. Igitur cum pervenissent ad fluvium nomine Sarcham, multa populi *d* Brixianorum turba cum apparatu armorum obviat, ut sanctissimum corpus sui Apostoli cum vi auferant. Quibus Tridentini reluctantes, dato insuper pro benedictione quodam vase sancti viri, corpus sanctissimum deducentes, antequam pervenissent ad urbem, jam dæmones confitebantur Sancti adventum, per ora pervasorum dicentes; Ecce vir sanctus, Christi Martyr Vigilius cum triumpho revertitur, qui nos expellit a propriis sedibus. Hæc in communi audientia clamantes, in adventu sacri corporis, fugatis inimicis, personæ proprio reformantur creatori.

F

c

d formidatum dæmonibus:

11 Pervenientes vero ad oppidum, ad ejus exequias occursio magna facta est vicinorum, cum suis Sacerdotibus, populi Christianorum: sicque veneranda pignora Præsulis gloriosi, tertio die suæ passionis, cum magna gloria et aromatibus condiderunt in Basilica, quam ipse ad portam Veronensem vivens

honorifice excipiunt cives:

vens

A vens construxerat. Ex Salonitis *e* quoque mercatoribus in eadem urbe negotiantium quidam, inundantem cruorem ex sacris exuviis, juxta Velam *f* dictam, lintheo mundo colligendo detergens, ad patriam rediens, memoriæ causa sancti viri, secum tulit: ubi *g* nunc Christus per suum fidelem plurima signorum insignia indesinenter ad laudem sui nominis operatur. Conscripta sunt autem gesta beati viri ab his, qui Martyrio ejus interfuerunt, gratiaque roborationis (ut mos erat) Papæ Romano *h* transmiserunt, ut sacris Martyrum memorialibus insererentur: quæ suscepta venerabilis Episcopus Apostolicus, omnia digna memoria haberi subscribens adjudicavit.

f

g collectus sanguis Salodium defertur:

h Acta Romam missa,

12 Eodem denique tempore Barbara gens Alemannorum, vagina suæ habitationis elapsa, Italiam vastabat. Quibus obviam Cæsar *i* Romani Imperii iturus, contractum in procinctu bellandi adunavit exercitum: cui sic Papa intulit: Bone Imperator, sume tibi gesta, noviter comperta, Vigilii Martyris, Tridentinæ civitatis Episcopi, ut ejus virtus patescat in populis. Quæ summo gaudio suscipiens Augustus, tradidit in vexillo militi deferenda, confidens de Dei B clementia, suique dilecti intercessione gratissima. Ergo dum vicinitas hostium proximasset, ita virtus Christi ostensa est in gestis Martyris, ut adversarii in fugam turpem conversi, relicta præda omni, gladii cæsionem vix paucissimi evaserint. Rediens ergo cum triumpho de bello, et strage facta per Martyrem barbarica, transcripta sancti viri gesta de latino sermone in Græco *k* a Papa Romano, secum ejusdem sumptis Reliquiis, Constantinopolim rediens *l* detulit, plurima expertus Dei beneficia, Sancti auxiliantibus meritis.

i quibus pro vexillo explicatis,

fundantur barbari Italiam vastantes.

k

l

13 Passus est tandem Beatus Vigilius, Tridentinæ civitatis Episcopus, Martyr gloriosus, Theodosii et *m* Honorii Augustorum regnantium tempore, Stilicone *n* Consule urbis Romæ, necnon Hormisdæ *o* Papæ Sedis Apostolicæ, Deo autem et Domino nostro Jesu Christo regnante, cui [gloria] cum Deo Patre in Spiritus sancti unitate, in secula seculorum perennitate. Amen. *p*

Annus mortis.

m

n o

p

ANNOTATA D. P.

a *Addit Pincius, quod* multorum, imo omnium ea loca incolentium opinio est, D. Vigilium calonibus C interemptum fuisse: quo genere calceamenti ferrati gens montana utitur: idque eo verosimile sit, quod in illis vallibus, cum mortalium oculis subjicere volunt vetustam ejus martyrii memoriam, et novum mortis genus; pingunt in templis D. Vigilium, rustica circumseptum turba, illius ora calonibus ferratis percutiente: quamobrem et constanti judicio, et tam valido argumento reor non esse a veritate alienum, quod suspicantur earum vallium indigenæ, calceis ligneis Vigilium contusum periisse; nec propterea defuisse in tanta turba, qui torquerent saxa et omnium generum tela.

b *Idem Pincius:* Eum vicum, qui parum abest a loco, ubi lapidatus est Vigilius, a morte ipsius Mortasum deinceps appellandum censuerunt, quo nomine hodie quoque vulgo vocitant: in ripa vero fluminis, ubi steterat Saturni statua, mox positum est publicis sumptibus templum D. Vigilio consecratum, quam Rendenæ plebem nominant, magnis nostra tempestate expensis (ut accepimus) reparatam. *Ita ille in libro, sub nota anni* 1546 *excuso. Abest autem* Vallis Rendena *(prout in topographicis tabulis describitur)* 25 m. p. *Tridento; in ulteriori autem Sarcæ ripa rem gestam oportet; siquidem transeundus fluvius fuit, Tridentum cum corpore redeuntibus. Interim nec* Mortasum *nec* Rendenæ plebem *sive parochiam tabula exprimit.* D

EX MS.

c *Idem Pincius fuse hic exponit trepidationem Tridentinorum, ad primum cædis nuntium, quasi jam civitati hostilis turba, ex conspiratione communi, immineret.*

d *Nempe Brixiensis diœcesis, quam excoluerat Sanctus, pœne usque ad Sarcam fluvium pertingit; limitaneos tamen rusticos hic intellexerim, potius quam cives longius semotos.*

e *MS. Colon. cum Bartholomæo*, Occurrerunt etiam corpori sancto plurimi; inter quos Salonitani, qui in villa, quæ dicitur Vela, sanguinem fluentem collegerunt, et ad terram suam detulerunt; ubi per Martyrem suum Deus multa mirabilia demonstravit. *Est* Salodium, *vulgo* Salo, *oppidum ad Benaci ripam situm: sed considerata loci distantia verosimilior hic habetur narratio; ubi intelligitur, non excurrisse Salodio cives; sed eorum aliquem, tunc Tridenti præsentem, cum ceteris exivisse obviam.*

f Non longe a Tridento, *inquit Pincius*, quem locum constat hodie Busum-Vellæ nuncupari, ubi cautes inter se concurrentes, et juga montis continua, saxo ad radices vel a natura confracto, vel E hominum industria perforato, angustum et scopulosum in urbem euntibus præbent aditum. *Hæc ille, et addit, esse qui* Villam, *non* Vellam, *legi velint: atque duo esse hujus nominis loca;* alterum haud procul a Castro Stenici, 20 *p. m. a civitate;* alterum ab hoc semotum in valle Judicariæ, sub plebe Blecy; *quodque* per utrumque ex Rendena transitus est Tridentum versus; illac brevior, sed difficilior; hac longior, sed commodior. *Ast* Busum-Vellæ, *quam illa urbi propius, tam nostræ relationi aptius est.*

g *Pincius, qui a pluribus collectum* ex terra *sanguinem scribit;* Partim, *inquit*, eum Brixiam, partim in oppidum suum deferunt; et in templum, ejusdem sanguinis miraculo opulentum, recondunt. *Videtur hic sanguis die tertio miraculose effluxisse.*

h *Eo scilicet modo, quo de Sanctorum a se collectorum Martyrio ipse* Vigilius *scripserat SS. Ambrosio et Joanni Chrysostomo: non quod ea ætate mos fuerit (uti hic videtur parenthesis addita indicare) causam Martyrii cognoscendam offerre Romano Pontifici. Hic autem tunc erat* S. Innocentius II, *non vero* Hormisdas, *infra per magnam anistoriam nominatus, et integro seculo junior.*

i *Anno* 555, *Justiniani Imp.* 29, *Leutharem et Bucellinum fratres Alemannos, auspiciis Theodebaldi* F *Francorum Regis, cum copiis Alemannorum et Francorum, irrupsisse in Italiam scribit Agatias lib.* 2, *narrans porro, quomodo Leutharis cum Alemannis perierit, grassante inter reduces cum spoliis lue; Bucellinus vero cum Francis, apud Capuam a Narsete Romanorum Duce ad internecionem sit profligatus: sed quoniam hæc omnia acta sunt sesquiseculo post mortem* S. Vigilii, *existimo Auctorem, recentiori adhuc Alemannicæ invasionis memoria Acta hæc exornantem, seculo* 6 *vel* 7, Alemannos *supposuisse pro* Gothis, *quos Baronius probat anno* 405, *Duce Radagiso Pagano, irruisse in Italiam; vehementerque solicitum de iis repellendis Honorium Imperatorem, edicto publico etiam servitia armasse, et ingenuis stipendia triplicasse: quomodo autem totus ille exercitus Paganorum, apud Fesulas in Hetruria, Gothorum Christianorum Hunnorumque auxilio, cum suo Duce turpiter fugato, capto, ac cæso, fusus deletusque sit, lege apud Orosium, vel ex eo apud Baronium.*

k *Latinæ linguæ satis peritus Honorius erat: fieri tamen potest ut Sancti gesta, ad Arcadium fratrem mittenda Constantinopolim, optaverit Græce reddi: sed hæc videntur eo missa non esse, vel saltem non magni æstimata cito excidisse a memoria; siquidem nulla in Synaxariis*

A *Synaxariis Græcorum uspiam invenitur mentio* S. Vigilii, *ac ne nomen quidem insertum est Græcorum fastis.*

AUCTORE D. P.

l *Imo* Mediolanum, *ordinariam Honorii Imp. Sedem. Hactenus fortassis interpolator.*

m *Melius scripsisset,* Arcadio et Honorio, *etiam posito quod anno, non* 400, *sed* 405 *passus* Vigilius *sit.* Theodosius Junior *tunc annum* 4 *Imperii numerabat, cum patre ac patruo regnans, non tamen erat primo loco, nec absque patre nominandus: si autem anno* 400 *obiit* Vigilius, *nec nominandus quidem Theodosius ille fuit, an.* 402 *primum dictus Augustus.*

n Stiliconis *secundus Consulatus hic erat ex plurium sententia, post primum consulatum an.* 400 *gestum.*

o *Enorme mendum, cum* Hormisdas *primum ordinatus sit an.* 514, *secuta hoc tamen sunt Acta Coloniensia cum Bartholomæo Tridentino hoc modo:* Gesta vero viri Dei S. Hormisdæ Papæ transmissa, ab eodem, Imperatori, contra Alemannos, qui Italiam invaserant, rudi hasta deferenda traduntur: unde meritis Vigilii hostes feroces in fugam converterunt, omni præda relicta. Gesta igitur cum ejusdem Reliquiis in ecclesia S. Petri condiderunt. *Quod ultimum* B *satis credibile est: nam etiam* S. Vigilius, *quando Mediolanum misit Passionem S. Sisinnii et sociorum, aliquid ex eorum Reliquiis addidit.*

p *Addunt eadem Acta;* Dum autem S. Vigilius his et aliis miraculis claresceret, Theodosius suæ Ecclesiæ vallem Lagorinam cum Ursinico contulit; Conradus Imperator Bauzanum cum Comitatu Ritenori; D Ripam cum Judicaria tota; et alii diversi diversa sunt elargiti. Interfectores vero ejus vindicta Dei in tantum est prosecuta, ut cunctis fierent odiosi. Ita ut usque hodie apud Bergomum, ubi ejus ecclesia in monte juxta castrum sita est, Episcopus benedictionem aliquibus subtrahat, eo quod ex interfectorum prosapia fuisse referantur: *quæ omnia etiam Bartholomæus describens, addit locum ex Gennadio de Scriptoribus. Prima donatio a Theodosio Scriptore facta esse potest ecclesiæ Tridentinæ, vivente adhuc* Vigilio, *cum an.* 394 *Theodosius Imperator Mediolani esset, ubi mox anno sequenti obiit.* Vallis *autem* Lagarina *hic appellatur, vulgo* Val di Leder, *ut forte legendum sit* Ladarina, *trans Sarcam et Benacum. Ursinicum non habent tabulæ.* Bauzanum, *quod Conradus seculo* 10 *inchoato dedit, videtur esse* Bolzanum *ad confinia Tirolis,* 25 *p. m. supra Tridentum, versus Septemtrionem; sed Comitatum ipsum Tirolensem hic corrupto nomine illi additum, vix ausim dicere; licet is Tridentini Episcopi Fiduciarius sit. Pincius addit, quod* Conradus II an. 1027 Comitatum Tridentinum, anno vero sequenti Vallem venustam ecclesiæ dedit, E et Bolgianum restituit, *allegato auctore qui litteras viderit.* Ripa *vulgo* Riva *ad caput Benaci jacet, intervallo* 8 *milliarium, atque inde porro porrigitur* Judicaria, *cum Rendena valle: hoc vero Caroli IV donum fuerit, post medium seculi decimi tertii.*

DE S. MAXENTIO PRESBYTERO

ABBATE IN AGRO PICTAVENSI

G. H.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

De ejus monasterio, Actis a coævo scriptis, et cultu.

CICA AN. DXV.

S. Maxentii cellula

Floruit *quinto et sexto seculo* S. Maxentius, *virtutum et miraculorum gloria illustris,* intra terminum Pictavensem; cujus monasterii nomen, *inquit Gregorius Turonensis, lib.* 2 *Historiæ Francorum cap.* 37, lectioni non indidimus, quia locus usque hodie Cellula S. Maxentii vocatur. *Ita adhuc dicto seculo sexto, atque etiam sequenti Ur-* C *sinus et alter auctor coævus, in Vita S. Leodegarii Episcopi Augustodunensis, appellant* cœnobium et monasterium S. Maxentii, in quo prius fuerat Abbas constitutus, et corpus sacrum sepultum.. *Inter alios Abbates, claros seculo decimo, fuit Ebulus, ex Comitibus Pictavensibus et Ducibus Aquitaniæ oriundus, Episcopus etiam Lemovicensis creatus, qui res-* tauravit monasterium S. Maxentii, et castellum in circuitu perfecit: *uti testantur Ademarus Monachus S. Eparchi, et alius in Chronico S. Maxentii, vulgo Maleacensi dicto. Atque ita paulatim crevit Abbatia, ut inter oppida agri superioris Pictavensis merito censeatur, ad Separam seu Sebrim fluvium sita, in qua Duces Aquitaniæ suam etiam sepulturam elegerunt.*

et monasterium.

Acta ex MS. dantur

omissis compendiis.

2 *Acta ipsius* S. Maxentii *hic damus, a nobis accepta ex antiquo MS. codice Reginæ Sueciæ præferente numerum* XIII: *ex quibus alia plurima passim inveniuntur contracta, ad commodiorem usum Ecclesiarum, ut pro Lectionibus ad Matutinum recitarentur: et talia habemus in præclaro codice nostro mensis Junii: item descripta ex MSS. Aroasiensi et Belfortiano. Talia etiam ediderunt ex MSS. Compendiensi et Herouvalliano Lucas Acherius et Joannes Mabilio, inter Acta Sanctorum Ordinis S. Benedicti in appendice ad Tomum primum. Auctor scripsit post obitum Childeberti Regis Parisiorum, anno* DLXIII *vita functi, quem num.* 25 *appellat inclitæ recordationis. Videri tamen posset eodem seculo scripsisse, ex eo quod Gregorius Turonensis loco jam citato dicat;* Multas et alias virtutes operatus est: quas si quis diligenter inquiret, librum Vitæ illius legens, cuncta reperiet. *Verum,* F *cum num.* 8 *comparat Sanctum* venerabili viro ac patri sanctissimo Benedicto, *propter miraculum suscitati mortui, relatum in hujus Vita per S. Gregorium scripta, et a nobis edita* 21 *Martii num.* 11; *dumque num.* 29 *excusat retulisse viventis miracula, pauca ex multis,* quæ innumera et veterum narratione et posterorum sunt comperta; quanti *autem,* post transitum *Sancti, sint miraculose curati, negat* humano ore enarrari *posse: dum, inquam, ita loquitur, videtur non scripsisse, nisi seculo ut summum septimo, quando et libri Dialogorum S. Gregorii, continentes Vitam S. Benedicti (antea scriptam a nemine, quod sciatur) passim jam noti erant in Gallia; et Benedictina Regula inducta in Monasterium S. Maxentii; librum vero a Gregorio Turonensi allegatum delibasse dumtaxat, et pauca inde excerpta stylo luculentiori exornasse; unde accidit ut in circumstantiis nonnullis variarit a relatione Gregorii Turonensis, quemadmodum in Annotatis videbimus.*

Videntur illa seculo, non 6, sed 7 scripta,

ex aliis multo prolixioribus.

3 *Sunt tamen etiam sic antiqua valde, et magni merito æstimanda hæc Acta; in iisque primus nobis notandus modo occurrit character temporis, quo* S. Maxentius *vixit; quando scilicet Rex Chlodovæus primus Alaricum Regem Gothorum in bello devicit, anno Christi* DVII: *post quem annum cum* S. Maxentius tunc

Tempus Vitæ

A *tunc senex adhuc aliquamdiu vixisset; mortuus est feria sexta, die* XXVI *Junii, adeoque littera Dominicali* D, *quæ littera quadrat in annum* DIX, *aut potius* DXV. *Quia autem Sanctus, annos natus sexaginta septem, e vita discessit; esset natus circa annum quadragesimum octavum supra quadringentesimum ;et post vitam ab adolescentia in monasteriis traductam tam subdito quam Abbati, circa annum* CCCCLXVIII *fuisset reclusus.*

Cultus,

4 *Cultus ei non diu a morte collatus, intelligitur ex Actis jam indicatis, et ex Historia Gregorii Turonensis, quod continue* S. Adjutor *priori scilicet suo nomine et* S. Maxentius *appelletur : et hoc sequenti seculo secuti sint Auctores Vitæ S.Leodegarii, atque alii passim in suis Chronicis.*

memoria in Fastis,

Memoria etiam ejusdem inscripta est vetusto Martyrologio Reginæ Sueciæ, per Lucam Holstenium in Animadversis ad Martyrologium Romanum vulgato, his verbis : Pictavis S. Maxentii Confessoris : *quod paulo latius ita exponit Usuardus :* In agro Pictavensi S. Maxentii,Presbyteri et Confessoris gloriosi in miraculis. *In aliis MSS. additus invenitur, cum titulo* Abbatis *et* admirandæ sanctitatis viri.*Sequuntur Bellinus, Grevenus, Maurolycus, Felicius, Galesinius, aliique cum hodierno Martyrologio Romano. Imo, quod mirandum,eumdem Martyrologiis Benedictinis inscripse-*

etiam Benedictinis.

B *runt Wion, Dorganius,Bucelinus; qui tamen, antequam S. Benedictus nasceretur, non solum Monachus, sed etiam Abbas fuit electus : quia nempe Regula S. Benedicti postmodum in ejus monasterium introducta fuit. Porro in Charta Pippini Aquitaniæ Regis, a Mabilione indicata, monachi anno* DCCCXXVIII *querelas deposuerunt, quod non haberent* Abbatem, secundum Regulam S. Benedicti traditam, *id est,* veluti S. Benedictus Abbates Regulares jussit institui. *Idem S. Maxentius cum aliquo elogio celebratur a Castanæo ad Litanias Pictonicas die* XXV *Junii, et est ad diem* XXVII *Maji inscriptus alicui MS. Kalendario Benedictino ; uti etiam apud Grevenum in Auctario Usuardi,et Canisium in Martyrologio Germanico.*

VITA

Auctore coævo.

Ex pervetusto codice MS. Reginæ Sueciæ.

Prologus,

Quotiescumque Divina opitulante gratia, Sanctorum actus vitamque describere litterisque mandare satagimus; eo valde est metuenda temeritas, quo C eorum nequaquam pleniter actuum vel meritorum valet comprehendi sublimitas. Caute enim ac veraciter discutere debet humana fragilitas, quod in eis benigne disposuit divina Majestas. Nequaquam tamen eorum debet virtus silentio contegi ; cum debeat etiam posteris, juxta quod divina tribuerit largitas, imitanda propalari. Gaudet etiam augmentatione fidelitas, quoties Sanctorum recurrit annua solennitas ; et cum virtutum eorum per Dei famulos declaretur ubertas, quid aliud apparet, nisi quod nonnulli, qui per desidiam torpebant ad pœnam, auditis eorum virtutibus excitentur ad palmam ?

Sanctorum vita digne proponenda ad imitationem.

a Adjutor prius dictus,

2 Sanctus igitur Adjutor, *a* Agathensis urbis incola, nobilibus quidem parentibus ortus ; meritis tamen et fide, infantiæ exuperans natale, ad celsitudinis divinæ præmium pervenit vitale. Qui cum, divina gratia comitante, ad intelligibilem pervenisset ætatem; sancto *b* Severo Abbati in monasterio traditur imbuendus; ut et in eo proficeret eruditio divina, et ipse utcumque ad legitime certantium pervenire mereretur coronam. Interea salubri ac sedulo a S. Severo commonetur alloquio ; id est, ut fugiens vitansque secularia, clericalem sub regulari institutione, Christo donante, valeret assequi disciplinam : hinc jam prudenter utitur armis, in Christi militia adhibendis. Cumque ejus dictis aurem accommodaret, D ejusque in eo prævaleret ubertim doctrina ; ita se divino cœpit operi mancipare, ut cunctis se cernentibus, velut jam futurus in Ecclesia Præsul, forma fieret et exemplum.

b a S. Severo instituitur ;

A. COÆVO EX MS.

3 Cumque in eo Evangelica relucerent præcepta, prudentiæ cerneretur astutia, et columbæ simplicitas haberetur ; quidam eum nimiis attollere cœperunt laudibus, quidam vero zelo accensi invidiæ, ejus felicibus actibus invidere. Qui etiam magis a populis abhorrescens laudari, quam ab æmulis detrectantibus vituperari ; fertur a propria discessisse regione, quatenus nec ab hostibus læderetur, nec etiam nolens a civibus laudaretur. Cumque idem vir sanctus proprio discederet solo ; tanta, ut ferunt, aquæ sterilitas accidit, ut duobus et eo amplius annis in eadem nequaquam plueret regione. Cumque non solum a parentibus, verum etiam et ab omnibus ejusdem regionis civibus, tandem quæsitus inveniretur, regrediens dicitur ad propria remeasse. Cum autem in prædictam jam regressus regionem, felici subintraret adventu ; tanta aquarum dicitur inundasse copia, ut non solum homines et jumenta, verum etiam arbusta gauderent et sata. O virum E ineffabilem ac laude dignum, quem nec lingua fari, nec mens cujusquam, quanti si meriti, potuit explicare ! Cui etiam eum similem dixero ? Cui similem coæquabo ? nisi Eliæ, qui cœlum oratione claudens, terram imbribus privatam reddidit, atque iterum precibus eamdem aquarum salubri inundatione replevit.

laudem et invidiam fugit :

regressum in patriam sequitur diu desiderata pluvia :

4 Cum vero in prædicta urbe Agathensi idem S. Adjutor insignibus ortus polleret natalibus, et ab ipsis fere cunabulis, docente S. Severo, totus in Dei opere constitutus, apud eumdem velut fortis athleta habitaret ; progrediens iterum de regione qua fuerat oriundus, ad diœcesim civitatis Pictavensis, in qua sedes S. Hilarii habebatur, relictis dispersisque prius omnibus quæ sua fuerunt pauperibus ; festinus usque pervenit (memor præcepti divini, quod ait : Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus et veni, sequere me) ibique se in monasterio reverendissimi viri *c* Agapii, Presbyteri vel Abbatis, providus collocavit. Cumque in idem monasterium ab eodem venerabili viro Agapio ceterisque Monachis grataanter esset receptus ; continuo nominis sui vocabulum, quod per baptismi gratiam renatus assumpserat, ne propinquorum dilectione, aut amore civium Agathensium, in via per quam Christum sequi cœperat, impeditus retrorsum abiret, occulte sibi voluit immutare : ita ut qui prius fuerat nuncupatus Adjutor, Maxentius deinceps in eo monasterio vocaretur.

distributis in pauperes bonis,

c Pictavii in monasterio suscipitur ;

sub nomine Maxentii, F

5 Cujus opera vel merita, simulque cujus indigena esset loci, idem B. Agapius divina cognoscens revelatione, digniorem se eum cunctisque Fratribus æstimans, Abbatem instituendum unanimiter Dei nutu sibimet elegerunt. Nec mirum, si in monasterio Magister et Doctor eligitur, qui sanctissimi ac in omnibus prudentissimi Severi, omnium bonorum operum sectatoris, per annos aliquot fuisse discipulus comprobatur. Erat enim idem Maxentius in psallendo sedulus, in vigiliis expertus, in jejuniis continuus, in eleemosynis promptus, in oratione creberrimus, in humilitate fundatus, in caritate perfectus, in castitate gloriosus, in conversatione sanctissimus, in litteris doctus, et in cunctis dogmatibus eruditus. Sermo autem illius in colloquio non alius erat inter Fratres et ceteros quosque fideles, quam mundi illecebras et seculi onera relinquenda ; et ut pœnitentiæ remedio ac eleemosynarum ceterarumque largitatibus virtutum dediti, Dominum Jesum Christum liberi expeditique sequerentur. Nequaquam in eo reperir

A

A COÆVO EX MS.

perire poterat antiquus hostis per astutiam fraudulentiæ, vel quod dolosis ingeniis maligne suaderet, vel quod venenosis morsibus sauciaret.

aves advolantes pascit :

6 Nec illud omnino putavi silendum, quod valde animis est hominis mirandum. Eo tempore cum jam Præsul monasterii sacris actibus approbatus, idem vir sanctus haberetur et Pastor; multoties aves feræ, relictis nemorum ramis, quorum erant incolæ, advolantes in manu illius, modo grana tritici, modo panis fragmenta sumebant. Ex illo jam tempore illius sanctissimi viri et nomen et virtus emicavit : quia cum indomiti passeres in dextera illius mensæ reliquias colligebant, mansuetudinem et sanctitatem ejus populi compererant venerandam. O quam dulcis, o quam suavis et mitis vir iste Maxentius, cujus mansuetudine et feritas deponitur avium, et sanctitatis ejus ostenditur præmium !

puero septimestri baptizando dat facultatem profitendi fidem :

7 Illud quoque non est reticendum miraculum, quod cum sit in ordine tertium, in virtute haberi potuit primum. Quodam tempore contigit, ut quidam e civibus præfatæ urbis Pictavensis, non infimis procreatus parentibus, habens filium lactentem, septenis fere mensibus educatum, accederet; et supplici prece sanctum deposceret Maxentium, ut eum sacris fontibus abluendum offerret, ac renatum ex latice propriis dignaretur ulnis elevare. Quod vir sanctus caritate permotus, tandem benigne obaudiens, non recusavit. Cumque eum ad baptizandum venerabili Agapio Presbytero tensis brachiis obtulisset; continuo Dei nutu rudis infantis lingua *d* disseritur, qui necdum fari noverat nec tacere : atque idem se credere ore proprio sanctam confitetur Trinitatem, ac Symboli plenitudinem credentibus ad vitam prodesse perpetuam : certum est enim tertia repetitione eum propriis hoc edixisse sermonibus, in cujus parvuli professione populi exultaban Christiani, fides catholica augebatur, turba Judaica tristabatur ; dum ex ore infantis, mense septimo claustris alvi remoti, inter manus beati Maxentii, et divinitatis agnoscitur potentia in virtute, et sanctitas Maxentii illustratur in opere. Quanta, putamus sit virtus in B. Maxentio, cujus meritis ante tempus infantis formatur eloquium ? sed si jure ejus merita perpendantur, æqualis virtutis Sanctis innumeris demonstratur.

B

d

mortuum resuscitat.

8 Contigit autem in illis diebus, ut puer cujusdam Sabelis, septimo ætatis suæ anno, perurgente casu mortifero, finitis vitæ cursibus, exhalato jaceret spiritu. Cum autem parentes ejus, nimium lamentabili vultu turbati, Dei militem obsecrantes, atque ab eo defuncti implorantes medelam, ad eum usque velocius pervenissent ; hic protinus exiliens impiger, ad visitandum corpus exanime veloci gressu pervenit. Qui cum flendo cœlum fidei oratione pulsaret, gratia in se operante divina, mortuum revocavit a funere, genitorem lætificavit ex prole, et Christum, acclamantibus turbis, clarificavit ex opere. Cujus meriti vel fidei hunc virum sanctissimum esse dicemus, qui etiam obtinere meruit, ut ad vitam suscitaretur mortuus; et qui fuerat forte suppliciis deditus, æternæ spei redderetur securus. Potest etiam hic sanctitate præpotens, virtutibus eximiis pollens, in cunctis semetipsum sanctitatis operibus exercens, venerabili viro ac patri sanctissimo comparari Benedicto ; qui *e* unum e Fratribus, diabolicis insidiis sub ruina maceriæ confractum atque ossibus imminutum, precibus et oratione ab omni corporis læsione reddidit sanum.

C

e

ANNOTATA G. H.

a Agatha, *urbs antiqua et Episcopalis in Occitania sub metropoli Narbona ; a qua versus Ortum distat.* 8 *leucis Gallicis, in ora fere littorali maris Mediterranei, prope ostia Araururis fluvii. Colitur autem* S. Maxentius *in urbe et diœcesi Agathensi, sub ritu duplici, lectionibus ex Actis desumptis.*

D

b *De* S. Severo *agendum erit* 25 *Augusti. Hujus aliqua Vita extat apud Petrum de Natalibus lib.* 7 *cap.* 113, *unde constat floruisse sub Betico Episcopo Agathensi, seculo Christi quinto.*

c *In Chronico S. Maxentii, vulgo Malleacensi apud Labbeum, tomo* 2 *Bibliothecæ novæ pag.* 215, *ista leguntur* : Anno MXCIX Beati Agapii corpus inventum est in Ecclesia S. Saturnini Martyris : in qua idem S. Agapius cum suis Monachis, et Beatus Adjutor Maxentius Deo militavit post ipsum, sicut in Vita ejus clarius legitur. *Henricus Ludovicus Castanæus de la Rochepozay edidit Notas ad Litanias Pictonicas, quibus in Appendice alios Sanctos jungit, inter quos collocatur* Agapius Presbyter Pictavensis, præceptor S. Maxentii Abbatis. *In Actis contractis scribitur* Agapitus.

d *Ita omnia MSS.* disseritur ; *at Mabilio,* disserit.

e Puerulum Monachum *appellat S. Gregorius Magnus in vita S. Benedicti,* 21 *Martii a nobis edita num.* 11.

E

CAPUT II.

Vita in cellula reclusi. Fons elicitus. Patrata apud Chlodovæum I miracula. Obitus.

Post quinquagesimum autem annum, aut eo amplius ætatis suæ curriculum, *a* cellulam quamdam præfati monasterii, in qua secretius orationi vacaret, virtutum executor et amator elegit ; ut quanto tutius segregatus esset ab hominibus, eo liberius ei liceret jejuniis et orationibus Domino militare. In quod habitaculum citissime perfectum, clam ingressus, quidquid ad cultum divinæ pertinet religionis, incessanter implebat : ideoque sæpius visitabatur ab Angelis, quia quantum secretius esse voluit ab hominibus, in tantum ei erat visio Angelorum proxima, ut splendore cellula, in qua psallens jugiter habitabat, veluti micantium globis astrorum, videntibus ministris vel monachis suis, sæpe præfulgida reluceret : in qua, si ciborum qualitas aut sera refectio a legentibus fortasse solicitius inquiratur ; panem hordeaceum sibi apponebat pro epulis ; aquam fontium pro falernis : frequenter tamen divinis dapibus pascebatur ab Angelis. Inter hæc vero laboriosa et Deo acceptabilia prandia turpes luxus abolere satagebat, tentamenta diaboli nobilibus magnisque triumphis vincebat, virtusque ejus cœlitus semper crescebat : nam et diebus sanctæ Quadragesimæ, quos anni decimas Deo solvendas corporis sui afflictione censebat, sic se divinis occupabat officiis, sic semetipsum exercebat vigiliis, sic orationibus incumbebat, ut se incurvando ac divinis conspectibus humiliando, adinstar camelorum in ejus sacratissimis ac Deo dicatis membris velut gibbi apparerent effecti, et crebris insistendo parsimoniis magis magisque ejus attenuata macies redderetur. Sicque factum est, ut vir iste sanctissimus, Spiritus sancti virtute roboratus, virtutibus pollens, sanctitate vigens, caritatis ardore cuncta mundi prospera abjiciens, adversa non metuens, semetipsum sacris studiis exercens, seque Christo hostiam vivam immolans ; quanto carnem affligendo domare nitebatur exterius, tanto robustior redderetur interius.

a

In secessu degens, ab Angelis visitatur,

F

et pascitur :

sanctisque exercitiis incumbit :

fontem precibus elicit

10 Factum est, ut quodam tempore æstivo, inter opera monachi æstuantes, siti nimia gravarentur : nec esset cominus locus, in quo aquam de fonte, ad sitim

A sitim refocillandam reperire valerent : neque enim erat eis illo in tempore vinum sumere, pro abstinentiæ devotione. Tunc S. Maxentius, nimiam afflictionem sitimque intolerabilem Fratribus intuens imminere ; fideliter Dominum cum psalmorum capitulis postulans, fideliter ad eum preces effudit. Oratione vero expleta, fixo baculo quem dextera tenebat in arena, in conspectu adstantium fons vivus et aqua viva deorsum effluxit : unde et ille Deo gratias agens, gustata paululum aqua, necnon et Monachi sui, inter nimium æstatis calorem, sitis validum extinxerunt ardorem ; ex qua et multorum languentium variisque infirmitatibus laborantium, usque in hodiernum diem, imbecillitas suffragatur. Nam constructa desuper basilica in honorem S. Martini Antistitis, in eodem loco divino beneficio multis sanitatis præmia conferuntur. O digna et vere veneranda in Maxentio parcitas, ac sanctitatis reverenda immensitas ! quæ et esurientibus cibum ponit in salute, et sitientibus aquam tribuit in virtute. Quid enim magis fuit, cum Moyses bis percutiens silicem, aquam populo produxit ; quam cum Maxentius in solo aridissimo, baculo manu propria defixo, aquam tempore indeficientem multisque salutem
B corporis afferentem eduxit ? O vir venerabilis Maxenti ! admirari potes ; sed virtus tua vel meritum enarrari non potest.

morbis pellendis salubrem.

11 Numquid et illud est reticendum, quod in eo divina gratia contulit memorandum ? Nam eo tempore contigit ut Franci cum Gothis conflictu bellico advenirent, præcedente eos Chlodovæo Rege. Cum autem monasterio propinquassent, in quo S. Maxentius Pastor habebatur egregius, et venissent in villam vocabulo Vocladum, instinctu diaboli cogitare cœperunt, ut idem monasterium debellare deberent. Cum autem multa de virtutibus S. Maxentii audirent, ejusque meritis vel precibus defendendum putarent, de ejus cœperunt nece tractare, quomodo ipsum extinguere ac punire valerent. Tunc antiquus hostis diabolus, qui semper electos Dei argumentationum decipulis impugnare non desinit : immisit in corde cujusdam ex barbaris, qui ad debellandum venerant monasterium, ut in sanctum virum manus audacter extenderet, et caput illius gladio amputaret. Cumque ad sanctum perventum esset Maxentium, et supradictus barbarus manum impudicam extenderet, ut eum decollaret ; *b* suspenso
C in aere gladio, manus gladiatoris remansit extensa, et cervix Sancti permansit illæsa ; quia eum salvavit salutis galea, et undique protegebat fidei lorica. Tunc nec ensis perfidi spiculatoris mittitur in vaginam ; nec manus vel vacua ad pristinum redit officium. Post paululum autem semetipsum dentibus laniare, ac proprium corpus crebris cœpit vulneribus lacerare. Tandem vero idem demens, accensus insania, proprius infelix extitit homicida, qui in Dei famulum vindictam exercere conatus est frustra : reliqui vero, qui ex acie hostili ad deferenda hujus facinoris solatia convenerant, sic repente luminibus cæcati, mente turbati, sensu sunt immutati, ut vix alter alterum recognosceret, aut redire calle pristino prævaleret.

Tempore Chlodoræi pugnantis cum Gothis, barbarus volens occidere S. Maxentium b rabidus semet necat : ejus socii,

12 Cumque hæc ad aures Principis pervenissent Chlodovæi, accurrens ocius ipse, ad sanctum virum pervenit ; seque *c* prosternens in terram, humiliter adoravit ; et veniam sibi suisque cum magnis precibus postulavit. Quem locum in quo idem Princeps venerabilis ad pedes sancti viri jacuerat, in eodem monasterio usque in hodiernum diem apparere manifestum est. Quod ideo nutu Dei dispensante factum creditur, ut idem locus tanto tempore intuendus hominibus reservetur, quod in eo victoriæ ac miraculorum virtus S. Maxentii demonstretur. Quo viso vir Deo plenus, cum esset humilitate fundatus, pietate repletus, in caritate perfectissima radicatus ;
D his motus precibus, *d* signo Crucis super eos expresso, mox illis eulogiarum ex panis fragmine benedictione largita, sanitatem intulit, et eos incolumes ad castra redire permisit. Hi vero qui impio corde in castris remanserant, eamdem patiebantur insaniam. Quo audito vir Dei Maxentius, panem eis sanctificatum misit velocius, ut et ipsi salutem consequerentur interius : sicque factum est, ut dum unus fragmen panis morderet pro salute, et alteri porrigeret pro emundatione, de modico fermento omnes acciperent medicamentum : et sic virtus S. Maxentii, quem prius persequebantur, claruit in agmine ; eo quod panis frusta, invicem porrecta, salvaverint ipsos de nece. Rex vero Chlodovæus, multis impensis venerationibus, sanctum honoravit Maxentium ; deditque ei tunc temporis Villam vocabulo Milon, nec non et alia multa. Ab illo autem die et deinceps ita eum dilexisse ut proprium dicitur filium, eo quod eum virum agnoverit sanctissimum, vel quia mox, ut voluit, ejus sanitati reddidit exercitum. O quanta fuit pietas in Maxentio ! qui etiam inimicis largitus est beneficia ; et tanta in
E Christo pollebat gratia, ut in Confessionis persisteret Sacramento ; et tamen Martyrii non careret triumpho. Vere enim cunctis meritis, Martyri sociatur Stephano : quia ut ille pro ipsis orans, passus est Judæorum rabiem ; sic fere et iste barbarorum est expertus insaniam.

post accessum Regis, A. COÆVO EX MS. d signo Crucis et pane benedicto sanantur ; offertur villa Milon ;

13 Post hæc autem insignia ac universaliter divulgata miracula, accidit ut quidam cultor segetis, ad evellendum radicitus filicem, die Dominico properaret in messem. Cujus herbæ pessima incrementa dum viribus abstrahere vellet, manus ejus circumstricta ab ea die usque ad tempus biennii, contracta nervorum compagine, mansit ; ita ut nullus medicorum ei proficuam potuisset adhibere medelam. Tandem vero, commonitus opinione veridica, ad sanctum perrexit Maxentium. Cujus vir Dei Maxentius intuens debilitatem, fundens Domino pro eo orationem, hominis manui integram reddidit sanitatem ; replentur venæ cruoribus, et digiti propriis reguntur viribus.

violando Dominicam contractus, oratione Sancti sanatur ;

14 Additur etiam et his virtutibus præferendis, ut mulier quædam, opus lanificii bajulans, cupiditatis impellente stimulo, in die Dominico fila torqueret, et manus ejus simili damnatione juncturis
F gelasceret, ac per omnia inutilis facta remaneret. Hæc vero, absque morarum dilatione, præfatum festinat ad medicum : qui etiam, imposito super manus ejus Crucis signaculo, continuo eam reddidit sanitatis præmio : et mulier incolumitatem adepta, gaudens ac lætabunda remeavit ad propria. O vere felix et venerabilis vir Maxentius, qui et aliis suis meritis largitus est sanitatem, et sibi ipsi a Christo promeruit feliciter æternitatem! Inde, inquam, felix; quia et vivens Christo, mori mundo voluit, et diem mortis ipse scire meruit ad Christum. Quid plura dicenda sunt ? quia enim longum est ire per singula, sufficiant hæc vel pauca de plurimis : et satis sit in excellentibus ejus miraculis veritatem non subtrahere, et in multis fastidium vitare. Nam penitus non ignarus idem vir sanctus, quia nisi origo peccati succidatur in corde, citius dilatatur in opere ; et dum scelerum non resecantur fomenta, magis vitiorum accumulantur incrementa ; sic a se carnis abstersis incendiis, semetipsum coercebat astutius, ut totus sine querela moreretur mundo, in fide vero roboratus semper viveret Deo. Quanta autem beneficia Dominus per servum suum, inter turbines seculi fluctivagos adhuc constitutum, hominibus largiri dignatus est, videlicet variis infirmitatibus effugatis,

uti et mulier similiter punita. Aliis miraculis clarus,

A effugatis, atque oculorum visu, surdorum auditu uberrime restituto, mortuorum affaminibus per eumdem patefactis, non est nostræ parvitatis, ut dignum est, verbis explicare per singula.

A. ŒVO EX MS.

15 Idem namque vir sanctus, post septuaginta, et septem annorum spatium, quo in prædictam cellulam ab aliis quodammodo secretus intrarat, velut beatus Martinus Turonensis Episcopus, longe obitum suum ante præscivit, et Fratribus suis dissolutionem sui corporis indicavit. Tantam quippe gratiam a Christo promeruit, ut transitus sui non ignarus, Monachis suis et diem prædiceret et horam: Namque præfatus est eis, se transiturum de mundo ad Christum, sexto Kalendas Julii, hora diei nona: quod et illo *e* sexta feria evenit in tempore: nam id eventus rei, sicut vir sanctus prædixerat, in eadem probavit hebdomada. Quibus etiam corpus suum mandans sepeliendum, more solito eos paterna castigatione monebat, ut illis caritate præeminentibus, castitate fulgentibus, et Christo jugiter adhærentibus, semper esset de hoste antiquo, Deo auxiliante, victoria triumphalis; ut postmodum cum Christo regnare mererentur in cœlis. Inter hanc B autem sanctam et salubrem collationem cum eis, spiritum, Angelorum cœtibus dignum, ipsis cantantibus, misit ad cœlum. O virum sanctissimum, qui et Angelorum participare consortium, et in morte de mortis auctore meruit habere triumphum! Quanta autem et qualia Dominus in eo contulerit beneficia, lingua humana explicare non valens, iners et quasi balbutiens esse videtur: eo quod omnia ejus miraculorum contingere nequeat sacramenta. *f* Hæc tamen Domino largiente, pauca de multis sufficiant dicta.

et anno 69 natus,

e diem et horam mortis prædicit:

moritur.

ANNOTATA G. H.

a *Gregorius Turonensis lib.* 2 *Historiæ cap.* 37, *dicitur* reclausus in suo monasterio ob timorem Dei; eum Monachi timore perculsi aperto ostio producunt de cellula sua. At ille in occursum hostium pergit intrepidus. *De his mox agitur.*

b *Greg. Turonensis,* manus ad aurem erecta diriguit, gladiusque retrorsum ruit.

c *Hoc de barbaro milite ita exponit Turonensis:* At ipse ad pedes beati viri veniam deposcens, sternitur.

d *Iterum Turonensis hæc ad dictum militem ita* C *retorquet:* Hujus brachium beatus Confessor cum oleo benedicto contrectans, imposito signo Crucis restituit sanum.

e *Anno, ut supra diximus* 515.

f *Reliqua capite sequenti relata desunt in MSS. aliis, nisi pauca, quæ sub finem, pro conclusione, de miraculis in genere referuntur.*

CAPUT III.

Miracula post obitum patrata.

Ut autem miraculorum ejus fides augmentatione clarescat, atque ejus transmigratio ad Christum vitam mutari in melius, non finiri videatur; restat ut quædam, quæ post transitum ipsius per ipsum conferre dignatus est beneficia, ad laudem ipsius cumulandam, Domino donante, propalare studeamus: ut sicut supra dictum est de sanctissimo viro Maxentio, ex operibus ejus cognoscatur vita ipsius finem non habere, sed potius in æterna quiete manere, et illic semper sine fine cum Christo regnare.

A morte miraculis claret.

17 Quodam autem tempore contigit, ut duo muti accedentes ad ejus tumulum propinquarent, et pristinum vocis officium animo potius quam vocis sono ab ipso Sancto reddi sibi rogarent. Tunc vir Dei, D quamquam in sepulcro jaceret humatus, spiritu tamen Deo conjunctus, quid sibi mente magis precarentur quam voce, in occulta eorum intellexerat prece: et mox eorum faucibus spiritualem effudit medicinam, et illis clare jam locuturis, et vocem pariter restituit et loquelam.

Sanantur ad tumulum 2 muti,

18 Item contigit ut tres viri, de diversis partibus venientes, una cæcitate damnati, in eumdem convenirent locum, ubi corpus S. Maxentii jacebat sepultum. Cumque in solo prosternerentur oratorii, expectantes sibi dari per gratiam Dei lumen de tumulo, remedium de sepulcro; quod rogabatur, humatus lumen porrigit de sepulcro, et cæcorum oculos terræ datus aperit in momento. Quis in Sanctorum agmine magis admirandus? Quis in eorum cœtibus dignius venerandus, quam vir Dei S. Maxentius? qui et in vita præsenti tanta omnibus contulit beneficia, et in morte non destitit indigentibus spiritualia largiri suffragia. O Vir Dei Maxenti! In nostris a te sentiamus mentibus effici, quod eorum corporibus dignatus es pie largiri.

3 cæci:

19 Inde nec post longa temporis intervalla contigit, ut quædam muliercula quæ a Saxonibus ducebatur captiva; jussa est a Dominis suis eadem nocte, E qua Virgo sancta lumen peperit mundo, ut molam manu verteret, et panes suis Dominis præparare vellet. Quod cum agere cœpisset, ligno, quo molam rotare cœperat, manus ancillæ, pro testimonio noctis sanctæ, adhæsit: nec aliter lignum de manu illius evelli potuit, donec a suis adducta prædonibus, haud procul S. Maxentii astitit sepulturæ: cumque cum ipso ligno superposita manus mulieris fuisset pallio, quod S. Adjutoris membra sacrata contexerat; mox ligno dimisso, quod tenebat invita, usum proprium paupercula resumpsit in dextera.

mulier ob festum violatum punita

20 Sed et iisdem diebus contigit, ut paralyticus quidam ex vico Nivorto, hujus Sancti fuisset advectus ad tumulum; precansque sibi auxilium ab eo ferri, jacuisset expositus in grabato. Tandem ejus se cœpere paulatim artus lento promovere conamine, ac subito coram circumstantibus populis, rediviva hominis membra, quæ nuper emortua fuerant, effugato languore, naturali subito adstiterunt in baside.

paralyticus,

21 Nec illud prætermittendum est, quod quodam tempore quædam puella, cujusdam matris familias filia, Bertrudis nomine; sed et altera alterius cujusdam in nimia febrium gravitate, cum cum facie nimium pallente, et spiritu nimis defecto tenerentur ægrotæ, ante Sancti hujus sepul- F crum fuerint allatæ. Sed nullius interjecto spatio moræ, executitur a facie pallor nocivus, et in genis puellaribus rubor effunditur novus. Hic levantur puellæ sospites, ne orbati ab ipsis remanerent parentes, sed potius ad S. Adjutoris pertinerent laudes. Vere enim et digne vocatur Adjutor, qui et in vita indigentium fuisse probatur adjutor, et post mortem mœrentium egregius extitit consolator.

2 acri febri æstuantes,

22 Post hæc autem ostensa jam ejus virtutum potentia, ac longe lateque multoties promulgata; contigit ut puer quidam, cujusdam filius Matronæ, Dominico opera exercere vellet die; nec non et duæ mulieres, in eodem panem coquentes essent die. His additur quartus homo quidam Santomicus, nomine Francaredus, in eodem die corrigiam decapulans calceamenti; cui subito damnata cultellus adhæsit in dextera. Hi quoque quatuor in diebus Dominicis opera exercentes, manuum sibi brachiorumque erant vastatione damnati: qui etiam ad hujus Sancti limina cucurrerunt, atque ab ipso remedium sibi dari jugiter poposcerunt: qui sanitate sibi largita, post dies aliquot cum gaudio revertuntur ad propria.

4 puniti in brachiis,

23

A 23 Contigit autem, ut ejusdem Sancti solennitate in vico Briosse, retrusorum in ergastulo carceris retinacula ultro rumperentur catenarum, ipsique a supplicio solverentur pœnarum: sicque factum est, ut et populis magnam exhiberent lætitiam, et ipsi effugerent debitam sibi pœnam.

captivi liberantur,

24 Nam et istud inter cetera non est reticendum miraculum, quod pro ejus sanctissimis meritis valde nobis est venerandum. Contigit autem ut alquando de ejus fonte hausta esset aqua in vasculo; sed cœlitus in vini liquorem mutata est subito: ex hoc multis est sanitas debilibus attributa, membra relevata væsana gustato vini sapore, quem non protulerat vitis in palmite. Quanto putamus dignus amore Dei extiterit in vita, pro cujus meritis, tanta post mortem ipse conferre dignatus est beneficia.

aqua in vinum mutatur;

25 Accidit autem post longo in tempore, ut inolitæ recordationis Childebertus Rex Francorum, quemdam Principem, Vulcramnum nomine, de partibus Franciæ, populo mitteret Pictavensi, pro quibusdam negotiis dirimendis. Cumque ad prædictum pervenisset populum, ita magnis cœpit febribus fatigari, ut vix tandem valeret saltem anhelitu respirare. B Qui cum lassescens per dies aliquat ægrotare cœpisset, magno efflagitans desiderio, precabatur ut ei aqua ipsius sacris fontis, qui reliquos (ut dictum est) medebatur ægrotos, suam deferretur in sitim. Quæ cum sibi fuisset oblata, vinum purissimum facta in manu probatur pincernæ. Cum autem inde propria recreasset viscera infirmus, omni purgata valetudine, ita eum reddidit sanum, acsi nullum passus esset corporis detrimentum: et continuo confortatis artubus, ocius surrexit a lectulo sanus. Cui in vultu Angelico sanctus apparens Adjutor, paterna castigatione præmonuit, ut cum summa pietate plebi urbis illius propria privilegia conservaret. Ille vero adimpleto utiliter ac fideliter officio sibi a Rege commisso, cum salute reversus in patria, in honore ipsius S. Maxentii cellam miro a fundamentis opere devote construxit, et congruis operibus dedicatam ditavit.

eadem febris continua subito pulsa:

26 Nec non et cuidam ex supradicta urbe viro nobilissimo, Theodulfo nomine, vasculis ejusdem fontis aqua repletis, simile demonstratur mysterium. Nam aqua in vase hauritur; sed vini liquor a ministro propinatur. O admirabilis et veneranda Maxentii fides! nam cum Dominus dicat; Qui credit in me, opera quæ ego facio, et ipse faciet, et majora C horum faciet; cum tamen et alio loco ait, Sine me nihil potestis facere: numquid non majus est, quod Dominus per famulum fidelem et in se credentem operari dignatus est absens quam quod per semetipsum fieri voluit præsens? Quid enim mirum, si rerum omnium Creatore præsente, mox ut voluit, aqua mutata est in vinum; cum et ipse solo præcepto, cuncta creavit ex nihilo? Sed et illud ideo ab hominibus admirandum habetur, quia non sæpius fieri videtur. Istud vero et credi et admirari potest, quod cum vir iste sanctissimus absens esset corpore, per gratiam Dei vinum factum ex aqua mirabiliter suis meritis dare potuit in virtute; mira enim res et miris deposita modis: saporis sui unda obliviscitur, et vini liquor fragrantis agnoscitur; ut demonstretur, quanta fuerit virtus in Maxentio, et quanta polleat sanctitatis gratia. Quanta autem vir iste, in terris adhuc degens, fuerit sanctitate præditus, quanta nunc in cœlestibus gloria sublimatus, admirari volo; sed in ipsa mea admiratione deficio: quem Dominus tanta gratia sublimavit, ut ei etiam ipsa famularentur elementa.

iterum aqua in vinum versa;

27 Denique contigit, ut fur quidam, maligno instigante spiritu, nocturnis horis hujus ingressus basilicam, crucem, quæ ad sacratissimi corporis caput variis erat exornata lapidibus, impudenter D auderet præripere, ac furtim eam suis vellet usibus exhibere. Quod cum factum esset, ut eam furtim auferret, per totam noctem in gyrum divertens, numquam recto potuit itinere progredi, quia deviabat eum causa pessimi reatus sui. Ad quam perquirendam Monachi ocius progredientes, ad locum in quo fur latitabat, indicantibus pastoribus, nec non et sancto illis viam ostendente Maxentio, usque pervenerunt, et ipsum gemmas de cruce vellentem repererunt. Hanc etiam ipsum vinctum ad tumulum referre fecerunt in publico, qui eam audacter furtimque rapuerat in occulto. Nocte vero sequenti eodem jam fure a ministris correpto, atque in facie ejus, ipsius clave tabernaculi charactere signoque impresso, visum est illi de sancti viri manu clausa, ictum se pectore suscepisse. Statim vero intestina illius verecundum corporis descenderunt in locum, adeo ut inter genua illius pendens decideret pondus immensum. Cum autem infelix, nimia ponderis immensitate gravatus, pedestri ire ordine non valeret; duabus vehentibus rotis, miser per plateas ferebatur inanis. Non enim austeritate vel crudelitate sancti viri, qui plenus, erat caritate et perfectissimæ dilectionis ubertate, hoc factum esse putemus; sed potius, ut idem infelix, qui corde videbatur inpœnitens, peccatorum suorum non reminiscens, sed magis E erat eadem, quibus noxius tenebatur, mala sua voluntate repetens, ne in æternum periret, nec aliis exemplum suæ pravitatis ostenderet, sed potius castigatione paterna resipisceret, et tandem a malis pristinis emendatus animum cobiberet.

furatus e basilica Crucem gemmeam,

A. COÆVO EX MSS.

referre eam cogitur;

gravique hernia punitus

28 Nam et juxta Apostolum intelligi potest hoc factum: ut hic sathanæ in interitum carnis in tempore traderetur, et spiritus ejus in diem Domini misericorditer salvaretur. Non enim eum occidit, non inclementer avertit. Sed quid? Hic eum 1 Cor. 5. 5 corripuit, ut emendaret, ne in æterna damnatione periret. Quid enim poterat tantus vir habere crudelitatis, qui tanta exhibuerat officia pietatis? Nam cum Dominus dicat: Estote misericordes; ipse in eum misericordiam habuit, qui eum misericorditer, ne in æternum periret, ab itinere, quo periturus tendebat, revocavit. Luc. 6, 36 Pietatem exhibuit, qui non eum mortis verbere aut præsenti sententia judicis damnari permisit; sed pie pugno tetigit, et ejus animam minime læsit. Cui etiam Dominus inter cetera tantam præstitit gratiam, ut post mortem quidem ejus, nemo, quicumque esset adversariorum latronum seu et ceterorum, malis suis alios impugnantium, his quæ ad eum pertinebant vim inferre impune valeret, F atque ejus discipulis absque judicis Dei ultione naufragium præpararet. Quanta putamus vir iste a Christo fuerit defensione protectus vivens in corpore, quantaque nunc apud ipsum dignitatis polleat gratia; cum illa quæ ad eum pertinere videntur, ita servantur immunia! O quanta sanctitate et merito Maxentius cum Christo regnans refulget in cœlis, cui tanta ac talia beneficia præstantur in terris! Merito ab hominibus venerandus ac recolendus habetur, qui tantis indiciis, gratia largiente divina, Angelorum consortio dignus, Patriarcharum cœtibus aptus, viciniam Prophetarum expertus, Apostolorum agmini sociandus, Martyrum ac Confessorum meritis coæquandus, gloriam pudicitiæ virginalis intemeratæ probatur adeptus.

reducitur ad pœnitentiam:

et Sancti apud Deum gloria demonstratur.

29 Miraculorum autem ejus copia tanta esse dignoscitur, ut nec lingua fari, nec mens cujusquam ea valeat enarrare; quæ innumera et veterum narratione audita, et posterorum sunt comperta. Sed hæc pauca de plurimis in hoc opusculo lucidiora et manifestiora a nobis sunt insita: ut per hæc, illa quæ pro sui immensitate nequirent explicari, per singula

Miraculorum varietate,

A singula jure probentur esse non ficta. Quanti post transitum illius ab eo cæci illuminati, surdi et muti propriis officiis restituti; totis membrorum compagibus debiles redditi sanitati; leprosi mundati, hydropici ab infirmitate curati, claudi gressu pristino roborati, de carceribus misercorditer ac mirabiliter erepti, quantique a dæmonibus sint liberati, humano nequeunt ore enarrari per singula: quoniam, ut dictum est, pro sui magnitudine probantur esse immensa. Quid plura de ejus sacris actibus replicemus, cum etsi omnia a quoquam comprehendi valerent, antea tempus quam verba, deficeret? Illud tantum nunc restat agendum nobis, ut eum simplici ac devota mente poscamus, quatenus qui regnat in cœlis, nobis suis precibus salutem obtineat mentis et corporis; ut in præsenti Christo placere valeamus, et in futuro vitam mereamur adipisci sempiternam, ipso adjuvante, cui cum Deo Patre et Spiritu sancto est omnis honor et gloria, virtus et imperium, per omnia secula seculorum. Amen.

A. COÆVO EX MS. quæ enumerare non valens auctor, finit patrocinium implorando.

NOT. 10

APPENDIX G. H.

B

De translationibus Corporis.

Fuisse aliquod in Britannia Armorica *monasterium S. Maxentio dicatum, et Abbatiæ S. Salvatoris Rothonensi subjectum,* indicat Mabilio sub finem Vitæ S. Maxentii. Bertrandus Argentræus, lib. 2 Britanniæ Armoricæ cap. 26, asserit, *Salomonem Regem in* dicta *Abbatia S. Salvatoris Rotonensi deposuisse corpus S. Maxentii, sibi ex Aquitania pro singulari munere submissum:* et cap. 27 in charta fundationis dictæ Abbatiæ, *In qua,* inquit, ego *corpus meum sepeliendum devovi, nec non ad augmentum felicitatis et pacis totius Britanniæ, munus adeo maximum nobis transmissum præteritis temporibus, sanctissimum feci collocari Maxentium.* Annus transmissionis indicatur DCCCLXVI, quo tempore a Normannis devastabatur Regio Pictavensis, ac vicina Aquitania, ut Sacrum corpus Salomoni ad majorem securitatem fuerit ad tempus commissum.

Corpus in Britanniam Armoricam delatum

2 *Idem satis colligitur ex quadam charta, a Joanne Beslio in Historia Aquitaniæ pagina* 217 *edita,* ex chartulario S. Salvatoris Rotonensi; *quam placet hic integram dare.* In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Cum consuetudo meræ veritatis veraciter C constet, ut quidquid justum ac religiosum est, et in ea agitur, tam divina auctoritate quam humana, litteris ob memoriam ætatis commendetur. Idcirco notum sit omnibus Christianis Deum timentibus, tam Clericis quam laicis nobilibus, qualiter adiit Turgaldus Sacerdos Pictaviæ, cum consilio et consensu Domini Haimerici Vicecomitis, Britanniam de Pictavis, causa corporis M. Maxentii ad nos; et locutus est cum nostro Decano, nomine Moroe, ut deportaremus illud ad propria, promittens nobis plurima beneficia ex parte Haimerici. Et nos ei credidimus, consentientes deportavimus eum cum labore maximo ad Ligerim flumen. Deinde cum ibidem castra metaremur, audivimus quod Pagani devastabant Pictavensem regionem, plorantes et ejulantes in faciem cecidimus; eo quod beatum virum a suo mausolæo, quem Christus sibi paraverat, expulimus, quatenus vero redire non poteramus, nec in antea ad propria portare. Ecquid inde noster luctus requievit, deinde movimus ad Condatensem Ecclesiam, super illud flumen quod vocatur Bebronus, comparantes eam sexaginta solidis cum omni suo territorio: et ibi demorantur nostri monachi in honorem S. Maxentii, cum una capsa eburnea, plurimorum Sanctorum Reliquiis plena.

anno 866

postea fuisse relatum ad Ligerim,

inde ad Condatensem Ecclesiam,

3 Devastatio autem Normannorum et timor crevit super nos, quatenus ad salvamentum definivimus deportare corpus ipsius viri [Dei]: et ita fecimus, deportantes honorifice in Autissiodorum pagum, cum adjutorio Ricardi Comitis, tunc tempore in corpore viventis. Ille vero cum Episcopo et Optimatibus totius regionis plurima beato viro beneficia et fiscos et prædia libenti animo ac devote donare voluerunt. Sed nos expectantes, expavescentes Domini timorem ac stabilitatem rationis, quam habuimus cum nostro confratre Tutgaldo, pro quo Sanctorum merita a suis locis fuerunt permota, volentes tenere, quatenus hæc ratio fieret ex toto definita, nec inanis reputaretur ex nostra parte, nec illius. Et ideo misimus Præpositum Sacerdotem cum duobus Monachis ad eum Pictavim, causa illius legationis, quam nobis ex parte Vicecomitis portavit Britanniam causa beati viri. Ipsa vero sententia inter nos et Tutgaldum concordante, ipse suum hominem cum nostri fratre Decani direxit, mittens ad Haimericum. Ille autem ut audivit, hilari vultu, ut decet, dedit eis responsum, promittens ante Comitem et Optimates totius civitatis venire; quod et ita fecit; et suum fratrem, Abbatem nostrum, secum adduxit Pictavim. E

D

dein in Autissiodorum pagum,

4 Convenerunt autem ante Comitem Ebulum, virum inæstimabilem, sermone veridicum, Vicecomes cum suo fratre, et nostri Monachi et Archidiaconus B. Petri Ricardus, et Decanus ejusdem Apostoli, qui est totius civitatis Doctor veridicus, mente devotus, nomine Mainardus. Conlocuti sunt inter se de corpore S. Maxentii Confessoris eximii, et quomodo et qualiter eum habuimus, et rationabiliter scrutati sunt per omnia. In summa promiserunt Monachi nostri, et alius noster homo, corpus beati viri cum capite suo, exceptis maxillis, Pictavim deportare; et Vitam illius et Missale. Haimericus autem et noster Abbas promiserunt nobis centum modios inter panem et vinum hoc anno præsenti gratulanter dare, et unum molendinum cum chartula ex parte Haimerici, et terram cultam et incultam pariter dividere: et nos simus ipsius corporis sine fine custodes, cum auctoritate et securitate Ebuli Comitis. Nam in ipsius misericordia fiduciam habemus; et si quis ex nostratibus talem habitum indui voluerit, nullatenus sit præoccupatus. Et hæc omnia sunt cum juramento facta, tam ex parte Abbatis, et per se et in advocatione sui fratris. Ebulus autem Comes direxit eos ad ecclesiam beatæ Virginis Mariæ in Canonica B. Petri, ubi merita [ejus] coluntur in nomine Christi et Beatorum Innocentium. Facta sunt sacramenta præsentibus his nobilibus. F

docent acta de relatione Corporis ad Pictavenses,

juramento firmata

Ademarus Abbas qui juravit. Haimericus Vicecomes signavit. Ricardus Archidiaconus signavit. Meset Præpositus. Joseph Monachus. Turgal Sacerdos. Glenhoiardus.

Factum est hoc XII Kalendas Julii, feria prima, ab Incarnatione Domini anno DCCCCXXIV.

anno 924,

5 *Hactenus illa charta. De* Evolo *Comite Pictavensi, et post mortem Guilielmi Pii, Duce Aquitaniæ (a quo prognati plurimi successive Guilielmi Aquitaniæ Duces) egimus* X *Februarii num.* 12 *ad Vitam S. Guilielmi Eremitæ, ex Comitili prosapia oriundi, ostendimusque eum usque ad annum* DCCCCXXXV *vitam propagasse. Relatum autem tunc vere fuisse sacrum corpus, constat ex Chronico Maleacensi; in quo de ostensione ipsius et nova sepultura hæc leguntur:* Anno MLIX Corpus Beati Maxentii Adjutoris ostensum est, et conditum ei istud sepulcrum novum, et dedicatum sexto Nonas Octobris, temporibus Ainrici Imperatoris, et nihilominus Ainrici Regis Francorum, et Goffredi Comitis atque Isemberti Pictavensis Episcopi,

quod deinde ostensum anno 1059.

A scopi, et Archimbaudi Archiepiscopi Burdegalensis, et Abbatis cœnobii Adjutoris Maxentii. *His supra-laudatus Mabilio subjungit, quod* S. Maxentii magna pars Reliquiarum in monasterio S. Leodegarii de Ebroilo diœcesis Claromontensis, etiam nunc asservatur; necnon quædam particulæ in proprio monasterio Pictavensi.

Ebroili Reliquiæ,

6 *Andreas Saussayus, in Martyrologio Gallicano ad hunc* XXVI *Junii post longum encomium ex Actis desumptum, ista addit:* Arvernis etiam sacræ dudum ejus memoriæ condita est Ecclesia: in qua, sub S. Adjutoris Maxentii titulo, propter auxilia, quæ sæpe apud Deum suffragiis poscentibus impendit, in hunc usque diem celebratur et colitur. D

ecclesia Arvernis.

DE SANCTO ANTHIONE

APUD GRÆCOS

D. P.

Ex Ms. Synaxario Divionensi.

XXVI JUN.

Videtur, lepra aut alia labe confectus, obiisse.

Quod nobis olim Petrus Franciscus Chiffletius commodavit Synaxarium MS. et Collegio Divionensi restituimus, plures Sanctos Anachoretas et Monachos suppeditavit: ad hunc vero diem prænominatum Sanctum; quem illis similem ex instituto fuisse, suspicari facilius possumus, quam affir- B *mare; quando nulla ejus vita profertur; sed cum nominis commemoratione, solum unum Distichon, quo videtur commendari insignis quædam patientia, in tolerandа corporis infirmitate gravi, puta lepra, vel plaga alia, carnem dissolvente. Sic enim ibi legitur:* Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ ὁ ὅσιος Ἀνθίων ἐν εἰρήνῃ τελειοῦται. Eadem die XXVI *Junii*, sanctus Anthion in pace requiescit. *Et subjungitur:*

Δένδρον τι θεῖον καλλόφυλλον Ἀνθίων,
Φυλλοροεῖ δὲ τῇ ῥύσει τοῦ σαρκίου.
Pulchre comatæ similis arbori Anthion,
Defluxum carnis ut foliorum tulit.

Videtur autem alludi ad nomen Ἀνθίων, *quasi esset* Ἀνθίζων, *id est,* Florens *seu* Floridus; *sed intelligitur* E *multiplicis virtutis florulentia, qua ornatus Sanctus, pro nihilo habuit carnis suæ emarcidæ defectum; quem sciebat in vita æterna reparandum; haud secus quam arbori, per hiemem nudæ, redeunt folia, redeunte vere.*

DE S. DAVIDE SOLITARIO

THESSALONICÆ IN MACEDONIA

SYLLOGE HISTORICA.

D. P.

De ejus cultu, vita, ætate, notitia, etiam ad Latinos derivata.

CIRCA AN. DXL.

Cultus hoc die præcipuus

Præcipuum hoc die in Patriarchatu Constantinopolitano cultum, tam in Typico quam in magnis Menæis, obtinet Sanctus Pater noster David in Thessalonica, *ut habet titulus: quod etiam indicat Ephemeris metrica, quæ tomo primo Maji nostri præmittitur, ipsius nomine diem sic notans:*

C Εἰκάδι ἐξεπέρησε πύλας Δαβὶδ βίου ἕκτῃ.
Vicena sextaque David vitæ ostia transit.

Elogio seu compendio vitæ (quod etiam reperimus Parisiis in duplici MS. altero Cardinalis Mazarini, altero Prædicatorum in vico S. Honorati) hujusmodi præmittitur Distichon in Menæis excusis:

Δαβὶδ συνήφθης τῷ παλαιῷ, Δαβὶδ νέε,
Ἄλλον Γολιὰθ σαρκικὰ κτείνας πάθη.
Veteri Davidi novus similaris David,
Ut Goliat alium carnis affectus necans.

Elogium de ejus asces

2 *Ipsum elogium tale est:* Οὗτος ὁ Μακάριος ἐξ Ἑώας ἕλκων τὸ γένος, ὡς ἀστὴρ πολύφωτος τὴν Ἑσπέραν κατηύγασεν. Ἐξ ἁπαλῶν γὰρ ὀνύχων ἐγκρατείᾳ καὶ ἁγνείᾳ τὰ πάθη τῆς σαρκὸς ὑποτάξας, ὡράσθη μετὰ σώματος Ἄγγελος. Καλιὰν γὰρ πηξάμενος ἐν ἀμυγδάλης φυτῷ, ὡς ὄρνις εὐκέλαδος, πάντας μὲν τοῖς λόγοις κατηύφρανεν, αὐτὸς δὲ τὸν νοῦν ἑαυτοῦ εἰς ὕψος ἔνθεον ἀνεπτέρωσεν· ὅθεν τῶν θαυμάτων ἐπλούτησε τὴν ἐνέργειαν. Στῦλος ὤφθη φωτοειδέστατος, πάντας καταφωτίζων τοῖς θαύμασι. Κρύει γὰρ πηγνύμενος, καὶ τῷ θέρει καυσούμενος, πρὸς ἀπάθειαν ἤλασε· καὶ ὡς φλέξας σαρκὸς τὰς ἡδονάς, ἐν χερσὶ τοὺς ἄνθρακας λαβών, πρὸ προσώπου τοῦ Βασιλέως στὰς καὶ τοῦτον θυμιάσας, ἄφλεκτος ἔμεινε. Διὸ πᾶσαν ἀνθρωπίνην φύσιν τῷ βίῳ καὶ τοῖς θαύμασι καταπλήξας, πρὸς Κύριον, ὃν ἐκ βρέφους ἐπόθησε, μετετάξατο. *Quæ sic Latine reddo:*

3 Hic ex Oriente genus trahens, Occidentem illustravit, instar sideris multifarie splendentis. Etenim a teneris unguiculis temperantia et puritate subjugans carnis passiones, visus est quasi Angelus corpore amictus. Cum autem in amygdalino trunco nidulum, veluti avis canora, sibi compegisset, omnes quidem sermonibus oblectabat; ipse vero mentem suam, velut alatam, extulit in divinam sublimitatem: unde et miraculorum adeptus est efficaciam. Videbatur ergo columna esse lucidissima, omnes miraculis illuminans. Nam frigore constrictus, et æstu adustus, quamdam quasi impassibilitatem fuerat consecutus; et tamquam is qui carnis voluptates exusserat, prunas manibus tenens, adstitit in conspectu Imperatoris, eumdem sic incensans, et mansit incombustus. Omnem proinde humanam naturam in stuporem adducens vita et miraculis, ad Deum, quem a puero concupiverat, transiit.

et prunis coram Imperatore innoxii tractatis. F

4 Istis consonant Στιχηρὰ προσόμοια, Versus similares, *qui Officium Ecclesiasticum inchoant, hoc modo.*

Similia habentur in ejus Officio,

1 Πάτερ Δαβὶδ παμμακάριστε, δι' ἐγκρατείας τὸν νοῦν λαμπρυνόμενος ἄριστα, πρὸς τὸν πρῶτον αἴτιον τῶν καλῶν ἀνεπτέρωσας, καὶ στῦλος ὤφθη φωτοειδέστατος, φωτίζων πάντας λόγοις καὶ θαύμασι, τοὺς προσιόντας σοι διανοίᾳ πάντοτε θεοπειθεῖ· ὅθεν σε γεραίνομεν καὶ μακαρίζομεν. Pater David beatissime, temperantia mentem tuam pulcherrime illuminans, ad primam bonorum

AUCTORE D. P.

A bonorum causam sustulisti eam; et velut lucidissima columna apparuisti, collustrans verbis et prodigiis eos, qui cum animo ad divina persuasibili te accedebant; quapropter te laudamus, atque Beatum prædicamus, II Καθάπερ ὄρνις εὐκέλαδος ἐν ἀναβάσει φυτοῦ καλιὰν, Πάτερ, ἔπηξας, τῷ κρύει πηγνύμενος καὶ τῷ θέρει καυσούμενος, χρυσᾶς ἐντεῦθεν ἔλαβες πτέρυγας τῆς ἀπαθείας καὶ τελειότητος, καὶ πρὸς οὐράνιον ὕψος κατεσκήνωσας, πάντοτε δεόμενος τῶν εὐφημούντων σε. Tamquam canora volucris, in ascensu fruticis nidum tibi faciens, et frigore constrictus atque æstu tostus, aureas veluti alas impassibilitatis perfectionisque accepti; et ad cœlestem sublimitatem ascendisti, semper orans pro celebrantibus te. III Θείῳ ἀπαθείας ἔρωτι φλέξας σαρκὸς ἡδονὰς, ἀκατάφλεκτος ἔμεινας, ἐν χερσὶ τοὺς ἄνθρακας πρὸ προσώπου τοῦ Βασιλέως κατέχων, ἐκπληττομένου τὴν σὴν λαμπρότητα· ὅθεν παρέσχε σοι τὰς αἰτήσεις μέγιστον πρὸ τὸν Θεὸν πρέσβυν σε, Μακάριε, πλουτήσας χάριτι. Divino impassibilitatis amore exurens carnis concupiscentias, mansisti incombustus, in manibus detulisti prunas coram Imperatore, tuam demirato claritatem: quapropter quidquid postulabas indulgens, maximum te meruit habere apud Deum advocatum, o Beate.

B 5 *Horum Versiculorum auctorem eumdem possumus credere; qui et Canonem composuit,* S. Josephum, Thessalonicensem *Episcopum, S. Theodori Studitæ fratrem, anno circiter* DCCCXL *vita functum, quod accuratius ad* XIV *Julii definietur; interim discimus, eo seniorem fuisse* Davidem, *et sub aliquo piorum Imperatorum (qui utinam nominaretur) ante Iconomachorum tempora floruisse. Plus aliquid lucis accepimus ex Joannis Moschi Prato spirituali cap.* 69, *ubi de viso apud Alexandriam Abbate Palladio sic narrat Auctor*: Rogatus a nobis, ut ædificationis nostræ causa diceret nobis, qua ratione quibusque cogitationibus ad monasticum statum accessisset; narravit nobis dicens: In regione mea (erat autem senex Thessalonicensis) senex quidam extra mœnia civitatis quasi stadiis tribus inclusus erat; ex Mesopotamia, nomine David, virtutibus valde ornatus, misericors et continens; transegit autem in cellula inclusus fere annos octoginta *(alias* septuaginta *legitur)* Quoniam vero, propter metum barbarorum, nocte muri civitatis custodiebantur a militibus, hi qui illam muri partem observabant quæ senis cellulam respiciebat, nocte quadam aspexerunt, quia ex fenestris cellulæ ignis egrediebatur. Putaverunt

auctore Josepho Thessalonicensi.

In Prato spirituali dicitur 8 annos vixisse inclusus,

et nocturnis ignibus collustratus :

C ergo milites, barbaros in cellam senis ingessisse ignem. Mane autem facto ingressi milites, invenerunt et senem illæsum et cellam omnino incombustam, et obstupuerunt. Rursus igitur sequenti nocte eumdem aspicientes ignem, admirabantur. Non solum autem sequenti nocte ignis in cella senis apparuit, verum et multo tempore; ita ut universæ civitati manifestum factum fuerit, plurimique nocte in muris sæpe vigilarint inspiciendi ignis gratia. Visus autem ignis ille est usque ad obitum senis. Hoc ego miraculo, non semel et bis, sed sæpius inspecto, dixi in me ipso: Si in hoc seculo tantam gloriam servis suis largitur Deus, quantam putas eis reservavit in futuro, quando illorum facies fulgebunt ut sol? Ista mihi, filioli, causa extitit arripiendi monasticum habitum.

6 *Consilium adeundi Ægyptum, cum suo discipulo necdum Monacho Sophronio, ceperat Moscus sub initium Mauritii, imperare exorsi anno* DLXXIX, *uti ostendi ad Vitam Sophronio* XII *Martii num.* 10. *Inde si detrahas annos circiter quadraginta vel quinquaginta, quibus monachum professus Palladius fuerat, antequam eum jam senem Moscus et Sophronius convenirent; oportet ut* David *mortuus fuerit seculi* VI *anno circiter* XXX *vel* XL, *tempore Justiniani Magni; qui piissimus*

Mortuus circa 540

initio, imperare cœpit DXXVII; *post avunculum suum* D *Justinum, constanter optimum,* DXVIII *regimini admotum. Præcesserant illos Zeno et Anastasius, hæretici ambo, successores Leonis Magni, qui ab anno* CCCCLVII *ad* LXXIV *sceptrum tenuit. Sub hujus ergo initium, ex Mesopotomia in Macedoniam venerit* David; *cellamque sibi posuerit in arbore, ut multi quoque hodie apud Moscos Anachoretæ faciunt, qui etiam* S. Davidem *in suis figuratis Kalendariis sic pingere didicerunt. Nec aliud quod dicamus de Actis illius superest, deficiente Vita, quæ si (ut verosimile) scripta olim fuit, optandum est ut alicubi servata, aliquando in lucem veniat: veniet autem fortassis, si Christianorum arma Thessalonicam recuperent.*

cœperit an circ. 460,

7 *Quod ad Canonem attinet, cujus jam cœpi meminisse, is, sicut et alii a prædicto Josepho Thessalonicensi compositi, nomen ipsius habet Acrostichidi subtextum, hoc modo:*

Ὑμνῶ, Μάκαρ, σου τὸν βίον θείοις λόγοις. ΙΩΣΗΦ. Hymnis divinis cano tuam vitam, Beate. IOSEF. *Hujus Canonis Ode* VI *sic incipit,* Οἶκος θείου Πνεύματος ἐγνωρίσθης, ὅσιε Δαβίδ, ἐν μίκρῷ οἰκίσκῳ συγκλειόμενος, Domus sancti Spiritus agnitus es, sancte David, E conclusus parva in domuncula: *quod Palladii verba confirmat, de ejus reclusione: et Odes* IX *Strophe secunda nonnihil etiam facit ad intelligendum, quando et qua ex causa Imperatorem accesserit, hisce verbis:* Σὺ προφητικότατα θεωρήσας, ὅσιε Δαβίδ, τὴν ἔξοδον, προφωνῇ ταύτην τοῖς λαοῖς, ἡνίκα στελλόμενος τὴν κατὰ αὐτῶν ἔστησας, Σοφὲ, σφοδροτάτην ἀγανάκτησιν. Tu Sancte David, propheticissimo oculo prævidens exitum tuum, eumdem prædixisti populis; et tunc missus, o Sapiens, stitisti gravissimam contra eos indignationem: *utique Imperatoris Justiniani, sed cur hic Macedonibus succensuerit, non est facile divinatu.*

Ex Canone intelligitur iram Imperatoris placasse.

8 *Molanus, Græcorum Horologium nactus, anno* MDXXXII *excusum Venetiis (quod deinde habemus recusum anno* LIII *ejusdem seculi) suis ad Usuardum Additionibus hæc verba inseruit:* Die vigesima sexta sancti Patris David Thessalonicæ. *Illo prior Genebrardus, ante Psalterium Davidicum Parisiis excusum anno* MDLXXVII, *in Kalendario Græcorum retulerat nomen* David Thessalonicensis. *His autem prælucentibus Romani Martyrologii sub Gregorio XIII compositores potius, quam recognitores, eidem ipsum sic inseruerunt:* Thessalonicæ S. David Eremitæ. *Ad quæ verba in Annotatis Baronius:* De quo etiam Græci hac die F agunt in Menologio, et multis quidem narrant ejus res gestas; in eoque præcipue magnam sibi apud Deum et homines laudem comparasse ferunt, quod frequentem populum, ad tuguriolum suum adventantem salutaribus imbuens disciplinis, a peccatis liberos sinceritati Christianæ disciplinæ restituit. *Equidem nescio, quæ sint illa multa, quibus res ejus gestas narrari a Græcis dicit Commentator: nam in Sirleti Menologio quod Canisius edidit, et quod solum habuisse Baronius putatur, in Græcis Sirletum alias fere secutus; hoc dumtaxat legitur:* Apud Thessalonicam S. P. N. David, continentia, castitate, et miraculorum splendore insignis: qui prope urbem Thessalonicam diversorium habens, omnes se adeuntes sermonum jucunditate exhilarabat, et ad meliorem vitam convertebat.

Unde ad Latinos notitia manarit.

9 *Jacobus Gualla, lib.* 4 *Sanctuarii Papiensis cap.* 14 *sub finem, notat, quod* die XXIV Julii anni MDIV fuerunt repertæ, apud arcam seu sepulcrum Regis Luitprandi, existentis in ecclesia S. Petri in cœlo aureo Papiæ, in quadam capsa lignea, verata de ferro, infrascriptæ Reliquiæ: videlicet ossa et cineres S. David Eremitæ, et Thomæ Martyris, ac S. Luitprandi, et una maxilla S. Mariæ Magdalenæ integra et valde miraculosa; necnon et de Reliquiis SS. Primi et Feliciani.

An Reliquiæ Papiæ?

A Feliciani. *De his egimus* IX *Junii : istam existimamus esse potius alicujus* S. Mariæ *vel* Mariæ Martyris, *cui abscissa inter tormenta sit : nam* de Magdalena *tale quid suspicari non possumus.* S. Luitprandum *nullum novimus, nisi Mediolanensem Presbyterum, cujus Vitam et Miracula, a nepote Landulfo scripta, dabo* XXVII *hujus, post Acta SS. Arialdi et Herlembaldi. Obiit is anno* MCXIII VI *Januarii in Pontidiensi Mediolanensis diœcesis monasterio, ubi ejus corpus aut sepulcrum nullo amplius in honore esse, desinemus mirari, si credere velimus ossa Papiam fuisse translata : et tunc etiam liceret cogitare,* S. Thomam Martyrem, *alias ignotum, recentioris esse ætatis, ac forte simili causa a Simoniacis et Nicolaitis Presbyteris cæsum ;* Davidis *vero* Eremitæ, *de quo agimus, Reliquias, propter Iconomachos vel alia occasione fuisse translatas in Italiam, sed tunc etiam possemus suspicari, simili occasione illuc perlatum aliquid* S. Thomæ, in Malœo, *Peloponnesi promontorio Ascetæ celebris, de quo agendum nobis erit* VII *Julii : nam Thessalonica venientibus in Italiam transeunda longo flexu Peloponnesus est.*

10 *Adest etiam idem* S. David, *suæ insidens amygdalo, in figurata Moscorum Ephemeride, qualem illi,* B *quoad Sanctos, Græcis communem, videntur accepisse, et Sanctis indigenis auctam patria lingua, Ruthenica explicuisse, anno* MCXLIX. *Hanc enim tabularum istarum ætatem suadet credere prima ordine, Septembrem anni Græci ac Moscovitici primum mensem, continens. Ibi quod prius inobservatum neglexi, et nunc primum in æneam tabulam nostram transferri jubeo, super ultimo Sanctorum mensis Septembris* Gregorio, *notatur* ΙΝΔ. ΒΙ. *id est,* Indictio XII, *et subtus,* Θ. Μ, *id est,* annus XLIX ; *ejus scilicet seculi, quo primum apud Moscos sculpta est hujusmodi tabula. Secula autem non numerari hic ab orbe condito more Græcorum, sic ut ultimus numerus octennio prævertat eumdem numerum apud Latinos, indiceturque annus* sexies millesimus DCXLIX, *qui respondet nostro* MCXLI ; *sed more Latinorum ab Incarnatione ; ex eo demonstro, quod iste annus* XLIX, *neque seculi apud Græcos* LXVII, *neque alia quocumque* sexies millesimo D *post, quo primum Moschi conversi sunt, concurrat cum* XII Indictione ; *concurrat autem cum eo* annus MCXLIX *Latinorum. Concurrit quidem cum eadem Indictione etiam* annus MCCCXLIX : *sed cum inde consequens videretur (quod non est verosimile) tabulas illas, quas secuti sumus, sculptas fuisse ante duo et semi secula, et hactenus necdum penitus detritas duravisse ; malim opinari, quod ibi notetur annus seculi* XII, *quo primum sculpi talia cœperint, sæpius postea innovata, sed semper absque variatione anni, semel in principio notati.* E

D AUCTORE D. P. *Effigies in Ephemeride Moscorum anni* 1149.

DE S. BABOLENO

ABBATE FOSSATENSI IN GALLIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

G. H.

De Actis Vitæ omittendis, referendis miraculis.

SEC. VII.

S. Babolenus Fossatensis alius a Stabulensi,

Varii *seculo Christi septimo viri, vitæ monasticæ observantia, et sanctitate morum illustres, floruerunt,* Baboleni, Bobuleni *aut* Papoleni *appellati ; quorum res gestæ inter sese permixtæ et perturbatæ apud nonnullos scriptores fuerunt, et uni eidemque attributæ. Ex his duo, tabulis Martyrologiorum hoc* XXVI *Junii adscripti, hanc confusionem plurimum auxerunt. Horum alter, Fossatensis in agro Parisino, ad Matronam fluvium, monasterii primus Abbas extitit; alter, monasteriorum Stabulai et Malmundarii apud Arduennates Abbas claruit : quos in Dia-* C *triba mea de tribus Dagobertis Regibus Francorum lib. 2 cap. 18 distinctos ac disparatos judicavi. Necdum tunc obtinueram tomum quartum Italiæ sacræ, a Ferdinando Ughello elaboratum ; in quo post relatos Episcopos Bobienses, etiam Abbates ejusdem tituli referuntur, qui ibidem dictum locum prius excoluerunt. Ibi post SS. Columbanum, Attalam et Bertulfum, quartus ponitur Abbas* Bobulenus; *hunc autem non satis a Fossatensi separavi, quem tamen plane alium fuisse apparet, et a duobus aliis distinguendum. Imo ibidem in chartula, qua S. Columbanus monasterium Bobiense tradidit S. Gregorio Magno, subscripserunt tertio loco* Bubulenus monachus et Sacerdos, *et septimo loco* Bobulenus monachus et Sacerdos, *si tamen et subscriptiones et ipsa chartula subsistant; dum annus* IV *Pontificatus conjungitur cum Indictione* III, *cum esset Indictio* XI *aut certe* XII. *Quidquid sit de ea chartula, certum est aliquem ex illis* Bobulenum, *seu* Babolenum, *fuisse Bobiensem Abbatem; cui, et S. Waldeberto Abbati Luxoviensi, inscripsit Jonas Vitas SS. Columbani, Attalæ et Eustasii. Præterea Ughellus in Præfatione de Bobiensibus Episcopis columna* 128, *monasterium Bobiense potissimum laudat, quia ibi* SS. Columbani et Attalæ, Bertulfi et Bubuleni, Abbatum, corpora requiescunt ; *et apud Wionem in Martyrologio Benedictino ad* XXXI *Augusti celebratur,* anno MCCCCLXXXII facta Bobio monasterio Translatio Sanctorum Abbatum ejusdem loci, Columbani primi, Attalæ secundi, Bertulphi tertii, Bobuleni et Camugelli. *Simili modo Fossatenses et Stabulenses habent Corpora et Reliquias suorum Sanctorum.*

et Bobiensi ;

2 *Alius eodem tempore vixit plurium monasteriorum constructor, saltem cognomine* Bobolenus, *de quo ad Vitam S. Eustasii Abbatis Luxoviensis, a nobis ad diem* XXIX *Martii illustratam, ista num.* 16 *leguntur :* In suburbano Bituricensis urbis vir venerabilis Theodulfus, cognomento Babolenus, monasteria ex regula Columbani, omni religione pollentia, construxit ; primum in Insula supra fluvium Molinandram, ubi Religiosorum virorum adunavit catervam ; aliud, Gaudiacum nomine, haud procul a fluviolo Albeto ; tertium, Christi Virginum, loco Carrantonio nuncupato, supra fluvium jam dictum Molinandram ; itemque aliud Christi Virginum, juxta Nivernense oppidum, sub eadem Regula construxit. *Hæc Jonas, monachus Bobiensis, qui dictam Vitam S. Eustasii, una cum Attalæ gestis Vitæ S. Columbani adjecit, absque ulla mentione Fossatensis cœnobii, quia vel id fecit, antequam cœnobium istud construeretur; vel in Italia constitutus, nihil de ipso scivit; vel quia noluit meminisse fundationis, factæ post tempora S. Eustasii, adeoque ad ipsum nil pertinentis. Tempora quidem et loca vicina satis congruere videntur, ut potuerit idem* Bobolenus *obtinuisse a Blidigisilo Archidiacono Parisiensi dictum locum Fossatensem, ibique monasterii tunc constructi primus Abbas extitisse : sed id revera factum esse, non obstante illo Jonæ silentio, nolim ego decernere, aliorumque judicio relinquere malo.*

an etiam a Theodulfo Baboleno, incertum. F

A AUCTORE G. H. *Vita habetur ex MS. sed omittitur*

3 *Andreas du Chêne, tomo primo Scriptorum historiæ Francorum pag.* 658 *et sex sequentibus, plurima delibat* ex Vita MS. S. Baboleni Abbatis. *additque* exemplar extare in Bibliotheca monasterii S. Germani de Pratis, *quod nos olim opera Guilielmi Thiersault, Societatis nostræ Sacerdotis, curavimus describi;* *ob enormes errores;* *sed mature examinatam judicavimus aliud nihil esse, quam ineptissimam congeriem ex Actis variorum* Babolenorum, *in unam personam conflatorum, scriptam seculo* x, *id est quingentis circiter annis post obitum* S. Baboleni *Fossatensis, a quodam istius cœnobii Monacho: qui tamen sub finem addit miracula, quorum aliqua asserit se vidisse; variaque de cultu et translatione corporis; quæ cum aliquam fidem mereantur,* D. P. *sola hic a nobis edentur.* [*Ipsa Acta si quis requirat,* *et quia jam edita a Chiffletio;* *inveniet ex MS. Fossatensi edita a nostro Petro Francisco Chiffletio, in opere ejus novissimo, quod inscripsit Bedæ et Fredegarii concordiam. Est autem ea Historiæ Gentis Anglorum nova accuratissimaque editio, illustrata insigni Dissertatione de annis Dagoberti, cujus Dissertationis Caput* 6 *hæc Acta constituunt: quæ ille conatur excusare, et assertam a nobis aliisque distinctionem declinare: sed frustra; cum in Notis litt.* I *fateri cogatur, Auctorem cum Agilberto confudisse* B *Audobertum, et libertate prope poetica se effundendo* G. H. *ineptire.*] *Quænam autem in Actis illis rejicienda potissimum sint, definire conantur Mabilio tomo* 2 *de Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti pag.* 590 *et sequentibus, et Carolus le Cointe tomo* 3 *Annalium Ecclesiasticorum Franciæ ad an.* 638 *a num.* 98 *ad* 125, *et ad an.* 640 *a num.* 33 *ad num.* 42. *Jacobus Bruelius, Monachus S. Germani de Pratis, in Appendice ad Antiquitates Parisienses a pag.* 37, *edidit ex prædicto MS. codice compendium; in quo ipso* graviores errores commissos *ostendit prædictus le Cointe, atque ad* 648 *num.* 98 *de auctore primo ista scribit:* Anonymum fabulatorem, qui Gesta Regum Francorum scripsit, sæpe sequitur et laudat. Quamvis autem *solumque indicatur* tot scateat erroribus, non est improbandus ex omni parte, sed eget diligenti severoque prorsus examine, cui navabimus operam, ne falsa pro veris, vera pro falsis assumantur; *deinde pleraque tamquam inepta rejicit, et orditur ab iis quæ apud Andream du Chêne, leguntur omisso Prologo et tribus prioribus Capitibus, quæ etiam a Mabilione rejiciuntur. Ne igitur actum agam, ad prædictos auctores duos remitto benevolum lectorem; cui placebit ipsorum excerpta, deque illis judicia conferre cum iis, quæ priores duo ediderunt:* C *quid autem de* S. Baboleno *Fossatensi credi posse putent duo alii, posterius laudati, ipsorummet verbis referamus.*

4 *De patria et ætate ejus ita censet le Cointe ad an.* 640 *num.* 38. Babolenus igitur, qui primus Abbas *Qualis Fossatensis sensu Cointii,* Fossatensis fuit, nec cum Bobuleno Abbate Bobiensi, nec cum Papoleno Abbate Stabulensi confundi debet, patria fuit Italus, in monasterio Bobiensi monachum induit: S. Columbano, qui cœnobium Bobiense construxit, superstes extitit annis plus minus sexaginta: vivere enim desiit regnante apud Francos Theodorico; ideoque vix existimari potest edoctus ab ipsomet Columbano. Cum licentia Bertulphi Abbatis (cujus obitus in hunc annum Christi DCXL, decimo quarto Kalendas Septembris incidit) a monasterio digressus, in Franciam venit hoc eodem anno; cumque preces ad Deum Parisiis in basilica beatissimæ Virginis profunderet, ab Audoberto illius civitatis Episcopo interrogatur quis esset: ac postmodum oblatus est Blidegisilo Diacono ac Chlodovæo Regi, quorum desideriis ut obtemperaret, passus est se monasterio Fossatensi cum Abbatis titulo præfici. *Hæc Cointius. Sed quæ* *et Mabilionis.* *habet de Italia et Monachatu Bobiensi, optaremus probari, cum ipse hunc Fossatensem ab Abbate Bobiensi distinguat. Mabilio etiam num.* 13 *Vitæ S. Baboleni,* D *epilogum addidit his verbis:* Ex dictis intelligitur, quid Baboleno Abbati Fossatensi tribuas. Is e monasterio Luxovio aut forte Solenniaco accersitus videtur, ut monasterium Fossatense, anno secundo Chlodovæi junioris aut sequenti a Blidegisilo Archidiacono Parisiacensi constructum, regeret. *En plane opposita, et ex ea solum conjectura prolata, quod dicta monasteria tunc essent celebria. Sed pergit Mabilio:* Quæ de constructo Fossatensi monasterio, Privilegiis ac Donationibus a Brulio relatis dicuntur, a vero non abhorrent. *Verum ea a Cointio, ut perperam scripta, rejiciuntur ad an.* 638 *num.* 101 *et seqq. Dein num.* 23 Præceptum Chlodovæi a Brulio cum aliqua depravatione, quam emendat, recitari *asserit, uti etiam ad an.* 640 *num.* 40 *et* 41 exemplar donationum Blidegisili depravatum emendat. *Joannes Launoius, in Assertione Inquisitionis in Chartam Immunitatis B. Germani, parte* 4 *cap.* 10 *sec.* 1 *et* 2, *exagitat quæ de Fossatensi privilegio in Vita* S. Baboleni *recitantur, eaque pro commentitiis censet reputanda. Launoyum allegat Cointius ad an.* 642 *num.* 45; *additque nihilo fide dignius esse, quod* S. Babolenus *statuatur etiam Abbas S. Vincentii Parisiis; cum hic fuerit* Babo *prorsus distinguendus a* Baboleno. E

5 *De obitu S. Baboleni, ejusque virtutibus et sepultura, ista sub finem apud Chesnæum leguntur:* Clotharius *Alibi relata e ejus obitu* denique Rex, cum parvo tempore strenue gubernasset regnum, immatura præventus morte, Theodorico fratri quinto anno dimisit Principatum. Sanctus autem Domini Babolenus, dum multo labore jam dictum construxisset cœnobium, multos ibidem coadunavit Fratres, Christo semper devote famulantes. Et dum sciret, sui obitus diem imminere, successorem sibi elegit virum reverentissimum, Ambrosium nomine. Quo facto, dum viveret cum mortalibus, transibat ad Christum sanctis virtutibus. Sacris autem refulgens actibus, immortali Regi existebat devotus. Qui in cunctis Domini mandatis exercitatus, et cœlestis gloriæ dignus factus, VI Kalendas Julii migravit a seculo, conjunctus Sanctorum choro, atque in gaudio Angelorum exultat ante Dominum. Sepultum est autem sanctum ejus corpus ad Septemtrionalem plagam, secus Ecclesiam *et sepultura.* sanctæ Dei Genitricis ab ipso constructam, in pretioso lapideoque sarcophago: in quo multis annis jacuit decenter humatum; ubi operatur ejus meritis virtutes, ad laudem et gloriam nominis sui, Dominus noster Jesus Christus. *Hæc ibi: ex quibus* F *Cointius refert obitum* S. Baboleni *ad annum Christi* DCLX, *qui est quintus Chlotarii; quem olim demonstravi, et forsan primus, non quatuor solum annis, sed quatuordecim regnasse. At Mabilio ponit* S. Baboleni *obitum ad annum* DCLXX, *quo post excessum Chlotarii cœpit Theodericus regnare; ad cujus regnum Babolenum pervenisse, suprarelato loco habet etiam Cointius. Addit dictus Mabilio:* Babolenus prope B. Mariæ ecclesiam sepultus miraculis claruit, inferius referendis. *Cultus sacer,* Auctor longe potiorem in iis fidem meretur, cum de iis, quæ a sua ætate non ita remota erant, quæque oculis partim viderat, testificetur. Sancti corpus, una cum S. Mauri Abbatis Reliquiis, colitur religiose a popularibus in Ecclesia Fossatensi, quæ seculo proxime elapso ad Canonicos seculares transiit. Nomen loco cessit S. Mauri Fossatensis a seculo IX, quando S. Mauri, discipuli S. Benedicti, Reliquiæ, Caroli Calvi Principatu eo illatæ sunt: qui locus tertio fere milliari supra Lutetiam Parisiorum, ad Matronam fluvium, insula circumclusus cernitur. *De S. Mauro ejusque Translatione et loci hujus situ, egimus* XV *Januarii. Consulat porro Lector, quæ de S. Papoleno Stabulensi ibi subjungimus.*

6 *Hactenus Henschenius, merito cunctatus Cointii*

D. P. ...en Jo. Flemingi Mort.

A *tii et Mabilionis, Scriptorum tota Francia notissimorum, disputationes retractare. Placet tamen trium prædictorum Sanctorum distinctionem declarare verbis Vener. Patris ac Martyris Patricii Flemingi, quod eum minus notum existimem; optemque nancisci occasionem de Sanctis bene meritum laudandi. Patria fuit Hibernus, strictioremque Regulæ Franciscanæ observantiam professus anno* MDCXXXI. *Pragam profectus ad ordiendum istic suæ observantiæ et nationis conventum, cum in Bohemiam populabundus irrumperet Elector Saxo, Lipsiensi victoria tumidus; et Pragam regni caput, imparatam ad vim, destinaret prædæ; coactus a primoribus urbe egredi, in aliarum illustrium personarum comitatus, per viam a furibunda rusticorum hæreticorum manu interceptus, die* VII *Novembris fustibus mactatus fuit; Martyrologium Franciscanum Arturi a Monasterio meritissime aucturus, si hic ejus notitiam habuisset. Sed descripta mors ea primum fuit, duodennio post editum secundo Martyrologium istud, et una cum prioris Vitæ synopsi præfixa Collectaneis ejus sacris de S. Columbano prædicto, allatis Lovanium; ubi ea anno* MDCLXVII *invenit et prælo aptavit Thomas Sirinus, successor designatus Joanni Colgano ad prosequenda Acta Sanctorum Hiberniæ, quorum non nisi primum trimestre habemus, ceteros* B *menses avide expectamus. Sed laborioso operi, pro dolor! immortuus Sirinus fuit, neque adhuc nactus successorem, qui inter angustias, Catholicissimam nationem prementes, eluctari possit ad editionem jam paratorum aut porro parandorum.*

...e tribus Babolenis judicium

7 *Ad hoc Patricius, instigante Hugone Waræo Colgani decessore, multam materiam contulerat ex Italia, cujus pars illa quam dixi lucem videt, in eaque ad Vitam S. Columbani Commentarium, ubi num.* 2 *agens* de Baboleno, quarto Monasterii Bobiensis Abbate, *cum ab aliis, atque adeo a Fossatensi, de quo agimus, sic egregie distinguit.* Babolenus, qui rexit Abbatiam Bobiensem, vixit et obiit in Bobio, in quo usque adhuc ejus ossa, lapideo inclusa monumenta, asservantur; quæ una cum aliorum Sanctorum ejus monasterii sacris Reliquiis anno MCCCCLXXXI, XXXI Augusti, solenniter in eadem civitate, præsente Clero et populo, ab Episcopo Bobiensi translata sunt. Ille vero, qui legitur S. Remaclum adiisse, cum ipso deinceps permansit; deinde post ejus obitum Stabulensis monasterii regimen accepit: quo in loco (inquit Molanus) quiescunt quoque ejus Reliquiæ, et altare habet in sui honorem consecratum, atque festum duplex majus. Ex quibus et aliis mul- C tis indiciis satis clare videor cognoscere, non recte in Lectionibus monasterii Fossatensis, cum Boboleno Abbate Bobiensi, et S. Remacli apud Stabulenses successore, Bituricensium monasterium fundatorem (*adde, ac Fossatensis Rectorem*) confundi.

Visi de ...tilione ...ssatensis ... referenda ...tendum ?

8 *Id autem facit Auctor Vitæ, ut ab aliis, sic etiam ab Henschenio jure prætermissæ: neque hoc tantum facit in ipsa Vita, ignoscendo propter elapsi temporis diuturnitatem errore, sed etiam inter Miracula, ubi majorem fidem mereri censetur, aliquid admiscet, quod ejus illorumque fidem suspectam reddit, uti obiter tantum annotavit Henschenius, dissimulavit Mabilio, ego distinctius declarandum puto. Est illud num.* 9, *ubi devoto sibi Monacho apparens* Babolenus, *et librum quem dextra ferebat porrigens, legere jubet; ille autem ut* videbatur, invenit hoc Capitulum. Qualiter rexit sanctus vir Bobium; mox vero et alia revolvens, et miraculum de illuminato cæco reperiens, totum perlegit: et sic evigilans... Miraculum post dies aliquot litteris tradidit, ac multis quod sibi contigerat narravit. *Si tale quid saltem in Vita S. Columbani legeretur, cogitari posset, quod hanc Vitam, tamquam sui quondam Magistri, legendam obtulerit apparens Sanctus, quamvis non appareat cui fini. Cum autem non solum ab illa, sed etiam a pariter scriptis Vitis SS. Attalæ,* D *Eustasii et Bertulfi, discipulorum et successorum Columbani, absit illud de cæco miraculum; quid potuisset alind Monacho isti revelatum velle Sanctus, quam se Bobiense monasterium rexisse, in eoque cæcum illuminasse? Quod si omnino nequeat, ut nequit, dici; restat, ut tota illa narratio vel somnium sit, ex præconcepti erroris resuscitato phantasmate natum, vel purum figmentum; optandumque manet, ut gravior Auctor habeatur etiam eorum, quæ alioquin verosimilia sunt.*

AUCTORE G. H.

Capsa corporis Fossati.

9 *Porro invenio Epistolam, a P. Guilielmo Thiersault anno* MDCLIV *scriptam Bollando. Petierat hic certior fieri de præsentia corporis, et nominatim capitis* S. Baboleni *in suo Fossatensi monasterio, si forte apud Stabulenses saltem caput esset, apud Fossatenses corpus; et sic dirimi controversia posset. Responsum autem accepit; Arcam haberi, qua quin saltem corpus contineatur dubitare neminem; pridem tamen esse quod aperta non sit: et Canonicos seculares, qui sub initium hujus seculi, de mandato Parisiensis Episcopi in locum Monachorum successerunt, minus talium rerum curiosos esse, quam ut docere quidquam possint. Nunc composito Abbatis utriusque dissidio, minus necessaria est ejusmodi inquisitio; et utilius erit nos doceri, si quid circa prædictam arcam innovatum est his ultimis quadraginta annis: vel siqua nova miracula* E *certiusque probata contigerunt. Chiffletius noster, cujus supra mentionem induxi Commentario Henschenii (hic enim opus ipsius videre non potuit, eodem quo illud editum est anno mortuus) distinctionem illam sequi negat, ex eo quod tria trium* Babolenorum *corpora ostendantur;* Imbecillis *enim, inquit,* argumentatio, cum experientia compertum sit, sæpissime, si non mentiri, certe errare populos in Reliquiis Sanctorum sibi asserendis. *Sed error iste non aliunde frequentius oritur, quam ex plurimum synonimia, neque facilius excusatur, quam asserta et demonstrata plurium diversitate: quare non excutiendum contemptim, sed cupide arripiendum argumentum est, quo uno optime liberatur a culpa majorum in pluribus confundendis simplicitas.*

MIRACULA

Ex MS. Codice S. Germani Parisiis, collato cum editione Chiffletiana ex MS. Fossatensi.

Igitur, sicut in Prooemio hujus operis promisimus, huic paginæ dignum inserere decernimus ea, quæ F de tanto viro veracium dictis antiquorum, veridica et probabili assertione, ab partim illis audivimus et oculis nostris partim vidimus.

Corpus secus ecclesiam humatum,

1 Postquam clementis Dei nutu egregius Christi Confessor Babolenus ex hac instabili luce ad cœlos emigrasset, et ejus corpus sanctissimum digne, ut decebat, sicut jam præmissum est, secus ecclesiam sanctæ Dei Genitricis humo commendatum esset; paulatim paries ille, cui inhærebat, de die in diem virtute divina se aperire cœpit, et sarcophagum, in quo sanctus vir jacebat, lapideum intra se recludere. Devoluto ergo *a* non multi temporis spatio, et ecclesiæ pariete, ut numquam lapillus inde ciciderit, divinitus ita perforato; sancti viri corpus infra eamdem juxta Dei Genitricis pertransiit aram, cum ipso suo lapideo sarcophago, foramine ad testimonium jugiter manente in pariete. Non hoc itaque cuipiam videatur incredibile, quia Deo nihil est impossibile: ipse enim qui universa mortuorum corpora, Angelica personante tuba, exsurgere per diversa loca jubebit, et suæ Matris integritatem, nascendo ex ea, non abstulit, quique ad Discipulos clausis resurgens

a in eamdem miraculose transfertur;

A gens januis intravit; celerrime et huic suo fideli amico istud concedere potuit. Sic quippe suis loquens fidelibus promisit: Qui credit in me, ea quæ ego, faciet opera et majora. Hoc ergo a Deo factum est, ad propalanda beati viri merita; ut membra, quæ in suo famulatu afflictione domaverat pervalida; infra oratorium, quod illi suo labore ædificaverat, transferrentur virtute operante Divina. Inde igitur est levatum corpus ejus post annos multos, pio studio Monachorum inibi Deo servientium; atque in alteram Basilicam (quæ elegantiori opere a religioso Abbate *b* Benedicto constructa, et a *c* S. Aldrico Senonensium Archiepiscopo aliisque Præsulibus dedicata fuerat) septimo Idus Decembris translatum.

AUCTORE G. H. Joa. 14, 12

deinde a Monachis in novam basilicam, *b c*

2 Sed quoniam mentionem fecimus de dedicatione ecclesiæ Fossatensis cœnobii, placet profecto huic nostro breviter operi innectere, quod a veracibus personis referre audivimus, vel quod scriptum in ipsa ecclesia invenimus. Nocte etenim illa, quæ diem dedicandæ Basilicæ præcedebat, res valde memorabilis accidit, relatuque non indigna. Namque idem beatus Archiepiscopus, ipsa qua prædiximus nocte, cum in eadem ecclesia more sibi solito oratum iisset, soloque prostratus, jamjamque prolixius preces B ad Dominum et lacrymas fudisset; vidit specialiter sanctos Angelos, ut olim Jacob alibi, de cœlo descendere, totumque in circuitu atrium et ecclesiam lustrare, sacrare atque benedicere; ut divinis laudibus ibidem jugiter persolvendis tanto congruentior fieret idem locus, quanto et sanctior; nec jam dubitaretur quod in eo specialem sibi Deus elegerit mansionem, cui sacrando dignitatem deputasset Angelicam. In hanc igitur ecclesiam delata sunt S. Baboleni membra, in qua semper reddentes Christo munia laudum congregabantur monachi, ut non fraudarentur assiduitate divini officii.

pridie dedicationis visam ab Angelis consecrari.

3 Ne vero aliqua immunditia sordidaretur Sancti sarcophagus, gypso est decenter adopertus, ac super geminas duorum altitudine cubitorum columnas lapideas positus. In pariete quoque, qui ad caput traditur fuisse ipsius, lapis usque hodie habetur innexus, in quo inventæ fuerunt insertæ litteræ, quæ vix ab aliquo legi poterant, diutinæ vetustatis abolitione, et pluviarum incursione. Tandem vero ab aliquibus altioris ingenii enucleatæ difficillime, inventum est nomen ejus, cum termino VI Kalendarum Juliarum, descriptum certissime. Qua de re C patuit, eum procul dubio ad cœlos migrasse ipso termino, licet ex pluribus ipsius loci eversionibus usque ad diem illum, oblivioni fuerit traditus. Ad testimonium igitur hujusce rei quam præfati sumus, quod nostræ ætatis pueritia vidimus, proferimus. Parietem enim transforatum, et sancti viri sepulcrum inter altare et ipsum positum, quousque eadem ecclesia ab Adelerio ejusdem loci Præcentore, postea Milidunensi Abbate, emendandi gratia subversa fuit, adspeximus. Alia vero ejus solennitas, quæ tam a devotis ejusdem loci Fratribus, quam etiam ab omnibus ipsius insulæ incolis festivo celebratur obsequio, VII Idus Decembris, nulli dubium est, quin sit ejus Translationis, quæ facta esse dignoscitur per *d* centum quinquaginta annorum spatium et eo amplus. In qua quidem statutum est a Rectoribus antiquitus Fossatensis ecclesiæ, ut naves, per gyrum ipsius insulæ discurrentes censum persolverent, ob piscationis meritum, quem nuncupant vulgariter *e* Restes. Quod dispositum ideo ita creditur, ut eadem die sancti viri Translationem celebrantibus, copiosa piscium seu aliarum dapum affluenter refectio præparetur.

Forma monumenti,

dies mortis 26 Junii in pariete lectus,

ideoque 7 Decembris creditur dies Translationis.

d

e

4 Porro in præfata Dei Genitricis ecclesia, in qua idem præcipuus Confessor sepultus quievit, oleum multis diebus et annorum curriculis de lapide ejus D sacri mausolei manavit, quo infirmi variis languoribus oppressi liniti pristinæ statim sanitati reddebantur. Cum vero hoc ad laudem nominis sui et ad declarandum sancti viri meritum Christus operaretur: accidit ut die quadam Sacerdos, sacro velatus indumento, illuc accederet; et improvide ipsum quo erat indutus vestimentum, eodem liquore intinctum redderet. Quod cernens altaris minister, inflammatus iracundiæ stimulis, quæ modum tenere nescit, inutile mox verbum maligno ore protulit, ne videlicet benignissimi Jesu Christi sanctæque ejus Genitricis ac Baboleni incliti Confessoris voluntas foret, ut amplius quidquam ipsius liquoris olei abhinc et deinceps in æternum manaret. Cujus miserrimam vocem statim secutus effectus: nam liquor substitit, et lapis aruit. Ne ergo unquam hoc incredibile videatur, quosdam Monastici Ordinis religiosos viros ad testimonium in medium deducimus, qui se vidisse hæc et audiisse verissimis affirmabant assertionibus; Hubertum scilicet cognomento Calvum, Bernardum quoque Ultra-regulam dictum, quorum vita satis probabilis exstitisse dignoscitur. Quia vero duorum testimonium protulimus, in roborandis iis substituitur tertius, quoniam in ore duorum aut trium testatur Scriptura omne constare verbum. In E cœnobio namque S. Mauri, quod Glannafolium dicitur, quidam religiosus cœnobita extitit nomine Odulcricus, centum viginti veluti alter Moyses existens annorum et eo amplius, qui sic se vidisse adstruebat multis vicibus. Ut ergo reprimatur dens æmulus, etiam quartus testis introducatur Adicus, quidam monachus iis antiquior, qui hæc se vidisse affirmabat tempore diuturno. Talibus et tantis beatissimus Confessor Domini Babolenus decoratus virtutum signis, vivere se demonstrat cum Christo et ejus Sanctis. Ad sepulcrum quoque ipsius, vel ubi ejus sancta permanent membra, plurima infirmis præstantur ejus meritis beneficia, et maxime febres vel patientium [vel] portantium incommoda [sublevantur]. *f*

Oleum ex mausoleo manare solitum,

licet id postea cessarit,

testantur seniores et duo de visu,

5 Quantæ igitur severitatis vel vindictæ in suis vel sibi existat contrariis, dicendum nobis est narratione styli præsentis. Fuit Rector quidam Fossatensis ecclesiæ, dictus Robertus in baptismate, S. Baboleno contrarius omni tempore; qui in tantam se contra eum erexit superbiam, ut ejus nomini consecratam everteret aram. Insuper etiam hoc addidit, similiter altare sibi debere statui, illataque F convicia multiplicat et opprobria. Sed ultrix Dei dextera non diu pertulit Sancti improperia: nam eo anno captus et vinculis irretitus, jussu Regis Henrici *g* carcere est clausus. Sed quomodo illinc evaserit, quibusque consiliis accusatus fuerit, potius est reticendum quam proferendum. Sui quoque coadjutores in altaris subversione, capti similiter et dispersi sunt, facti populo in derisum et improperii canticum. Præfatus autem Abbas impudice perdidit Pastorale decus; et qui suo prædecessori, videlicet S. Baboleno, obsequi noluit spontaneus; ob negligentiæ suæ meritum tali ludibrio est deditus, sicque quod male commiserat, impune non pertransiit: quia deinceps cum mœrore vixit, exemplum posteris factus, ne tali adversus S. Babolenum ultra admittant facinus.

f *Abbas Sancto injurius punitur,*

g

6 Extitit præterea et alius quidam Monachus, Robertus Cenomanensis et ipse dictus, in Monachos exercens officium Prioratus: qui invidiæ stimulis agitatus et odii, tanta indignatione exarsit contra Sanctum Dei, ut festivitatem Translationis ipsius, quæ est VII Idus Decembris, quæreret annihilari, nulla eam dicens ratione fieri; maxime cum pro ea S. Andreæ Apostoli viderentur Octavæ dimitti. Sic fatus,

item Prior ejus celebritatem minuere volens,

A fatus nec diu cunctatus, votum suum adimplevit. Nam eo anno, ipsa die Translationis, quatuor Lectiones de Apostolo statuit, et octo reliquas de Confessore fieri decrevit. Sed Sanctus Domini patiens super hoc fuit : annuatim vero redeunte eadem solennitate, de Apostolo omnia jussit fieri, dicens Babolenum quemdam mortuum esse, nec festum de eo a quoquam solennizari debere. Cujus voto faventes ceteri, paruerunt ei ut Magistro et Priori. Sed hoc diu non pertulit ultrix dextera Domini, eo quod fieri festum fecerit B. Apostoli, non tam ex devotione, quam invidia et elatione. Itaque cum idem Decanus non multo post ad necessaria naturæ iisset, et plus solito in illo opere decertasset; repente (ut ita loquar) ostia ventris sunt aperta, et pæne omnia foras exierunt intestina : sicque manibus aliorum ad stratum relatus, cum dolore nimio non multis supervixit diebus ; stupori et admirationi factus omnibus, tanta celeritate factam in eo vindictam videntibus. Sicque miserior factus miseris, dum non resipuit, vitam cum dolore amisit.

et Præcentor; 7 Quidam quoque Hilduardus, Fossatensis Cœnobita, gerens officium Præcentoris in eadem ecclesia, B vir quidem erat veneranda canicie, sed multoties in Sanctum Dei verba proferebat arrogantiæ. Dum vero quadam vice a Monachis fidelibus sancti viri VI Kalendas Julii celebraretur transitus ; et synaxi nocturnali jam ex parte decantata, ab Abbate vel a Priore terminaretur Lectio duodecima, quatuor Fratribus, ut assolet, ante altare adstantibus, ac in jubilo vocis cum organo Responsorium, Sanctus Domini Confessor, altissime reboantibus ; dies terris illuxit, illis cum modulamine in canendo perseverantibus. Tunc subito felle iracundiæ commotus Cantor præfatus, in medium prosiliit, et ecce *h* Israelita, Responsorium violenter arripiens, decantare cœpit; sed non illis prævaluit. Unde cum superari se cerneret, et Chorus aliud [quam] quod idem inceperat tenere, non ut Scriptura jubet apposito ori digito, sed fracto importune vel irregulariter silentio, S. Baboleno intulit plura convitia, dejerans quod quamdiu viveret,adinventiones cujusdam Odonis *i* (fuerat quippe auctor hujus operis) in eadem ecclesia cantari non sineret : moxque ad cubile rediit, et capite involuto obdormivit.

ab apparente illo redarguitur. 8 Et ecce repente ante eum vir sanctus adstitit, illicque sicut sol refulgens apparuit, et iis verbis, ut idem post retulit, ad eum dixit : Hilduarde, in C me respice. At ille, putans ab aliquo se Monacho vocari, capite erecto respexit. Cui Sanctus : Scis me quis sim? Qui tremens cum non responderet : Me, inquit Sanctus, noveris esse Babolenum, quem hodie exprobrasti in conspectu omnium, propter Domini et meum servitium. Cur honorem auferre conaris, quem mihi dedit Deus in terris? Ille autem, cum non posset ferre Sancti adspectum, caput lecto reclinans, operuit se iterum. Sanctus vero Domini dixit ad eum ; Quia cum juramento meum servitium te superstite amplius dixisti non fieri, scito certissime, quia voto tuo minime frustraberis ; hoc enim anno morte morieris. Sic dixit, et mox disparuit. Ille quoque gravi continuo infirmitate correptus, e lecto quo incumbebat surrexit concitus, referens cuncta quæ sibi dicta fuerant, Priori et aliis Fratribus. Ea namque die servitio Sancti omni nisu se immisit, putans cum eo concordari : sed nihil illi profuit. Nam tertia die aggravatus lecto decubuit, nec inde surrexit, quousque vigesima sexta die viam universæ carnis ingressus, mortem obiit.

Idem Monacho sibi devoto apparet, 9 Nunc quoniam de ultione, quam per servum suum Babolenum virtus exercet divina, in suis adversariis sufficienter diximus ; restat ut quantæ benignitatis erga sibi devotos sit, perpaucis dicamus. Monachus quidam, desiderio videre Sanctum multoties suspirabat : quippe quia quem Patrem et Pastorem se habere gaudebat, cujusque amore flagrabat, ab illo visitari se aliquando non diffidebat. Cui in hoc perseveranti, et ob id Dominum deprecanti, sanctus vir in visu noctis apparuit, et blando vultu eum intuens, librum quem dextera ferebat ei porrigens, dixit ; Pax tibi ; accipe et lege. Cumque, ut ei videbatur, librum accepisset, et folium unum vertisset ; invenit hoc Capitulum : Qualiter rexit sanctus vir *k* Bobium. Mox vero alia revolvens, et miraculum de illuminato cæco reperiens, totum perlegit : et sic evigilans, visio ab oculis ejus evanuit ; in seque reversus, miraculum post dies aliquot litteris tradidit, ac multis, quod sibi contigerat, narravit. Alius vero dentium adeo vexatus dolore, ut præ nimia angustia putaret sibi mortem imminere ; de misericordia Domini fisus, ad sepulcrum sancti viri accessit intrepidus : ibique oratione suppliciter fusa, sancti viri urnam attigit morbida maxilla : et ita, meritis Sancti dolore fugato, efficitur sanus continuo.

D EX MS. — *k* — *alium odontalgia liberat.*

10 In Fossatensi denique villa, quidam manebat juvenis advena, linguæ et auditus privatus officio, victum sibi quærens mendicando. Qui dum decumberet in stratu suo nocte, sancti viri die solenni, videlicet sui transitus existente, dum Monachi nocturnale Officium decantarent ; vidit coram se sanctum virum stantem, ac debere ire ad ecclesiam sibi præcipientem. Isque suum inclamare cœpit hospitem, factum se dicens sospitem : concitatusque surgens gaudenter expectabat diem. Cumque hora matutinali cuncti surrexissent ; hospes, Fulco nomine, ejus collo immisit funem, et ita deduxit usque ad sancti viri aram : illicque Fratribus Deum laudantibus et campanas ob hoc pulsantibus, Deo egit gratias pro sibi reddita salute coram omnibus. Idem vero adolescens vocabatur Petrus ; cui (ut nobis postea retulit) vir sanctus, qui ei apparuit, linguam de ore ejus protrahens, digitos suos ei in aures immisit, sicque ei loquelam et auditum reddidit. Ecce in isto homine duplex miraculum scimus factum esse. Resipiscant igitur æmuli, derogantes huic Sancto Domini : erubescant et confundantur, qui eum cum Christo regnare non confitentur : desinat detrahentium pertinacia, cum per eum viderint et audierint facta fuisse miracula. *Mutus et surdus curatur.* E

11 Hujus igitur Patris adeo excrevit memoria, ut etiam altaria in ejus nomine sacrarentur per multa loca. Est nempe vicus in territorio Parisiensi, F scilicet inter Gornacum castrum *l* et Latiniacum positus, qui dicitur Campus, in quo ædificaverunt ecclesiam hic venerabilis Pater Babolenus et B. Furseus *m* : contemporanei enim fuerunt, ut ab antecessoribus vera narrantibus accepimus. Quam postquam ædificaverunt, Parisiacæ urbis Episcopum, Audobertum nomine, ut eam dedicaret, advocaverunt. Quam dedicans, consecravit in ea duo altaria, unum in honore Beatæ Virginis Mariæ, alterum vero in B. Petri Apostolorum Principis nomine : ibique permanserunt non modico tempore. At ubi sancti Patres, Babolenus scilicet atque Furseus, Domino vocante, de seculo migraverunt, et cœlicas sedes pro mercede bonorum operum obtinuerunt ; supradictus vicus, Campus scilicet, grande discrimen diripientium sustinuit, et colonos qui inibi habitabant, huc illucque dispersit ac dissipavit : unde actum est, ut prædicta ecclesia nullo reparante destrueretur, et fere ad nihilum redigeretur. Postquam vero devastatorum quevit immanitas, cœperunt coloni redire ad propria, et ædificare domicilia, et ab eis reparata est ecclesia ; in qua in honore B. Fursei, necnon et S. Baboleni, duo consecrata sunt altaria, *Altaria S. Baboleno sacrata, l m* — *manent illæsa ab igne.*

A altaria, quæ inibi duraverunt per multa annorum spatia. Ceterum exigente habitatorum mole peccaminum, eumdem vicum invasit grande incendium, ita ut in eo nulla remanerent ædificia, et insuper ipsa concremaretur ecclesia; altaris vero beati Fursei penitus sunt combusta velamina; illius vero quod in honorem S. Baboleni consecratum erat, cum desuper prunarum ac titionum multiplicitas corruisset, ex toto remanserunt intacta. Hoc igitur, bone Jesu, Fili Dei vivi, Rex seculorum, ad laudem et gloriam nominis tui fieri voluisti, ut quanti esset meriti B. Babolenus, demonstrares hominibus. In Episcopatu vero Meldensi Fontaneto *n* villa, in B. Baboleni nomine consecrata est ara: quam nullatenus Meldensis Pontifex consecraret, nisi apud ipsum pro magno ejus haberetur memoria. Gloria, Christe, tibi cum Patre et sancto Flamine, qui Sanctos tuos ita mirificas in terris, dum per signa tecum eos regnare testaris in cœlis, et nunc et semper et per infinita secula. Amen.

EX MS

n

ANNOTATA G. H. et D. P.

a *Carolus le Cointe ad annum* 660, *num.* 5 *ob hæc* B *verba*, devoluto non multi temporis spatio, *rejicit adjunctam historiam, de corpore divinitus translato, quia supra num.* 5 *apud Chesnæum legerat;* Corpus in lapideo sarcophago multis annis jacuisse decenter humatum. *Interim Philippus Labbe, tomo* 2 *Novæ bibliothecæ pag.* 656, *affert aliquid de* S. Baboleno *ejusque variis Translationibus, in quo idem narratur.*

b *In Chronico Fontanellensi tomo* 3 *Spicilegii Acheriani pag.* 234 *dicuntur Monachi Fontanellenses* a viro justo Benedicto, Fossatensis cœnobii Abbate, in Philosophia eruditi.

c Aldricus *præfuit ab anno* 830 *ad* 841. *Ejus Acta illustravimus* 6 *Junii.*

d *Citato loco Labbæi dicitur ea translatio facta anno* 989, *a quo, si subtrahantur anni* 150, *restabit annus* 839; *quo* S. Aldricus *vivebat, et ecclesiam potuit dedicasse, ut bene animadvertit Chiffletius, qui pro* per, D *merito mallet legi* post: *et observat, quod Translatio ista cui conjuncta fuit ecclesiæ dedicatio*, si Dominica die celebrata est (ut est verosimile) fuerit ille annus Christi 839: *quia post annum* 833 *primus ille annus idemque Aldrici Episcopi ultimus, habuit litteram Dominicalem* E.

e *In Vita S. Joannis Eleemosynarii* 23 *Jan. num.* 33 mille restes siccatorum piscium, *ubi vide annotationem Rosweidi, unde apparet* Restem *dici rerum quarumcumque funiculum, resti aut vimini implexarum, puta ficuum, ceparum etc.*

f *Ope hic aliqua egebat hiulcus verborum sensus: eam an additis voculis duabus feliciter attulerim, tuum esto judicium, Lector.*

g Henricus I, *vivente adhuc patre Roberto, coronatus an.* 1028, *cœpit solus regnare an.* 1032, 20 *Julii, et regnavit usque ad* 1060.

h *Ita corrigo, ubi in MS. legitur* et vir Israelita: *non enim possum dubitare, quin hoc fuerit initium alterius Responsorii, forsitan de Communi Confessoris, quod alteri proprio voluit Præcentor substitui: nam in Monastico Breviario anni* 1600, *video S. Benedicto omnia* 12 *Responsoria propria assignari; quam prærogativam etiam* S. Baboleno *a suis Fossatensibus tributam, auctore quodam Odone, mox videtur indicari.* E

i *Hic* Odo *anno* 1058, *libellum de Vita Burchardi Comitis scripsit, et inde ætas scriptoris colligitur.*

k *Hic perperam indicatur Babolenus Fossatensis rexisse monasterium Bobiense, quod supra rejecimus.*

l *Vulgo* Guornoy et Lagny, *hoc tribus, istud quatuor et semi leucis Parisiis distans ad dexteram Matronæ, ut corrigenda sit tabula, quæ infra utrumque collocat vicum* Champ, *nisi duo cognomines ibi vici sint.*

m *S. Furseus mortuus est circa annum* 653, *die* 16 *Januarii, quo ejus Acta dedimus.*

n *Locum tabula nulla exprimit, nisi forte est* Fontana Nonnarum, 2 *leucis ab urbe in Boream.*

DE SANCTO JOANNE

EPISCOPO GOTTHIÆ

C F

C. J.

Commentarius Historicus et Geographicus.

§. *I. Cultus, elogium, patria, parentes Joannis. Gotthiæ Episcopatus duplex.*

CIRCA DCCC. Vix notus Latinis,

Qui *seculo* VIII *sub Imperatoribus Constantino Copronymo, Leone Porphyrogenito, Irene ac filio ejus Constantino floruit* Episcopus Gotthiæ Joannes, *obscurus admodum et forte ignotus Latinis foret, nisi memoriam ejus recoleret Ferrarius, in Catalogo generali Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt. Recolit autem illam die* XXVI *Junii cum Græcis, ex eorumdem (uti ipse notat) Menologio; sed verbis nimium a vero alienis hisce:* Constantinopoli S. Joannis Episcopi Gotthi et Martyris, sub Leone Isaurico. *Nec veriora in Notis addit, cum* Martyrio affectum pro cultu sanctarum imaginum *asserit. Constat enim ex Actis, non* Constantinopoli, *sed* Amastride *in Ponto; non violenta, sed naturali, eamque ab ipso prædicta morte; non sub* Isaurico Leone, *sed sub* Irene *ejusque filio* Constantino, *aut post horum obitum, e vivis excessisse. Passus quidem aliqua fuit, perfidia suorum traditus hosti; sed passum ista pro cultu imaginum, aut illo titulo Martyrem appellatum esse, nuspiam invenio.*

celeber Græcis 26 Junii.

2 *Græcis eodem, ut dixi, die* XXVI *Junii perquam celebris memoria ejus recolitur in Synaxariis Menæisque, tam excusis quam MSS. uno fortassis excepto Julii Cardinalis Mazarani, quod ultima Maji memoriam ejus cum elogio proponit, hic nobis præ ceteris describendo, quia præ ceteris congruit cum Actis nostris quorum synopsis accurata illud est. Prius tamen notavero, in Martyrologio quoque Arabico Ægyptio (quod ex Arabico a Domino Gratia Simonio, in Collegio Maronitarum Romæ olim alumno, deinde Tripoli in Syria Archiepiscopo, translatum habemus) mentionem fieri prædicto die* XXVI Sancti Patris Joannis, Episcopi *(uti illic habetur)* Persarum; *interpretis ut puto, errore pro* Gotthorum, *ut constanter ubique ponitur.*

3 *In Synaxario itaque Chiffletiano die* XXXI *Maji, ut diximus, colitur.* Μνήμη τοῦ ὁσίου Πατρὸς ἡμῶν Ἰωάννου Ἐπισκόπου Γοτθίας. Ἐν ταῖς ἡμέραις τοῦ μεγάλου Βασιλέως Κονσταντίνου, ὁ ἐν ἁγίοις πατὴρ ἡμῶν Ἰωάννης, ἤκμασεν ἐν τῇ χώρᾳ τῶν Γότθων, υἱὸς εὐχῆς γεγονὼς,

A γεγονὼς, ὥσπερ παλαὶ Σαμουὴλ. Καὶ τῇ ἀσκήσει ἐξ ἁπαλῶν ὀνύχων παιδευθεὶς, γέγονε Χριστοῦ καταγώγιον. Κατελθὼν δὲ εἰς Ἱεροσόλυμα, καὶ ἐν τρισὶ χρόνοις πάντας τοὺς σεβασμίους τόπους περιπολεύσας, οἰκάδε ὑπέστρεψε. Καὶ Ἐπισκόπου ἐκεῖσε προβληθέντος ἐν Ἡρακλείᾳ τῆς Θράκης ὑπὸ τοῦ μεγάλου Κονσταντίνου, ἐκρατήθη οὗτος.... [ὑπὸ] τῶν ἐκεῖσε φιλοχρίστων, καὶ ἀπαγαγόντες εἰς Βοῤῥοίαν (*imo uti habent Acta et Menæa*) σφραγίσαντες Ἐπίσκοπον, ἔλθον ἐν τῇ πατρίδι.... Στάσεως δὲ γενομένης ἐν τῇ χώρᾳ αὐτοῦ παρὰ τῶν χαγάνου..... πολλοὺς τῷ ξίφει ἀναιτίους, καὶ οὐ διὰ Χριστὸν, διχάσαντος, ἔφυγε δυνηθεὶς· καὶ περάσας ἐν Ἄμαστριν, τετραετῆ χρόνον πεποίηκεν. Ἀκούσας δὲ τὴν τελευτὴν Χαγάνου, φησὶ πρὸς τοὺς σὺν αὐτῷ, Κἀγὼ μετὰ τεσσαράκοντα ἡμέρας ἀπέρχομαι δικάσασθαι μετ᾽ αὐτοῦ ἔμπροσθεν τοῦ Χριστοῦ. Ὃ καὶ γέγονε. Μετὰ γὰρ τεσσαράκοντα ἡμέρας, διδάσκοντος αὐτοῦ τὸν λαὸν τὰ πρὸς σωτηρίαν ψυχῆς, παρέθετο τὸ πνεῦμα τῷ Κυρίῳ. Καὶ αὐτίκα τὸ πλοῖον αὐτοῦ κατέλαβον ἐκεῖσε, προειρηκότος καὶ τοῦτο τοῦ Ἁγίου. Τότε Γεώργιος ὁ ἁγιώτατος Ἐπίσκοπος Ἀμάστριδος, θεὶς αὐτὸν ἐν γλωσσοκόμῳ, μετὰ κηρῶν καὶ θυμιαμάτων, προαγούσης καὶ πάσης τῆς πόλεως, κατήγαγεν εἰς τὸ πλοῖον. Καὶ διαπεράσαντες αὐτὸν εἰς τὸ μοναστήριον οὗτοῦ τὸν παρθενῶνα, κατέθεντο αὐτὸν ἐν
B ὁσίᾳ θήκῃ. Καὶ πολλὰ μὲν θαύματα γεγόνασι μετὰ τὴν τελευτὴν αὐτοῦ, καὶ ἕως τοῦ νῦν γίνονται καὶ ᾄδονται παρὰ τῶν ἐγχωρίων· ἀλλὰ καὶ ζῶν οὐκ ὀλίγα πεποίηκεν.

4 Memoria sancti Patris nostri Joannes Episcopi Gotthiæ. Temporibus magni Imperatoris Constantini (Copronymi *nempe, quem* magni *additamento honorare auctori lubuit, nisi homonymia deceptum malis credere Synaxarii compilatorem*) floruit sanctus Pater noster Joannes in regione Gotthorum, orationibus, uti olim Samuel, impetratus; instructusque a teneris unguiculis pia exercitatione, factus est domicilium Christi. Profectus vero Hierosolymam, trium spatium annorum cuncta circuivit veneranda loca, domumque rediit. Promotus interea fuerat Episcopus Gotthiæ a magno Constantino ad sedem Heracleæ Thraciæ; cum hic noster ab incolis Gotthiæ, Christi amantibus tentus et in Berræam (*imo* Iberiam, *uti Acta et Menæa habent*) perductus, ibique Episcopus ordinatus est; et sic cum illis in patriam rediit. Cum autem illa in regione concitata esset seditio ab iis qui erant partium Chagani (Chazarorum Principis) multos insontes gladio dissecantis non tamen Christi causa, fuga sibi ut melius po-
C tuit, consuluit Joannes; trajecitque Amastrim, ubi quadriennium exegit. Tunc audita morte Chagani, ad socios conversus; Et ego post dies quadraginta, ait, hinc abeo, causam cum illo dicturus coram Christo: quod et factum est. Post dies enim quadraginta, docens populum quæ ad salutem animæ spectant, spiritum Domino tradidit. Continuo autem navigium ejus, prout etiam prædixerat, illuc appulit; sanctissimusque Amastridis Episcopus Georgius, impositum Sandapilæ corpus cum cereis atque incenso, prosequente tota civitate, deduxit ad navim. Hinc ipsum transvexerunt ad Parthenonem (Parthenitas *legunt Acta*) in Monasterium ejus, deposueruntque in sacra arca. Multa autem post obitum ejus, et facta sunt, et hactenus fiunt celebranturque ab indigenis miracula; imo non pauca etiam vivus patravit.

cum magno elogio

et epitome gestorum.

5 *Patria* Joannis *ac parentum nomina, in præmisso elogio desiderata, distincte in Actis exprimuntur: ubi patria quidem assignatur* Tauroscythia, *in eaque* Parthenitarum *urbs: parentes appellantur* Leo *et* Photina. *Avus paternus e Ponti Polemoniaci urbe Bonosto ortus, militiam secutus dicitur. Utraque urbs, tam quæ* Joanni, *quam quæ avo ejus natalis fuit, ignota Geographis, suæ tamen quæque provinciæ cer-*

Nomina patriæ ac parentum,

tæ hic attribuitur. Notior Gotthia *est, memorata in* D
Concilio Nicæno I, subscribente cum aliis Episcopis Actis ejus, Theophilo Gotthiæ Metropolis, *uti videre est apud Labbæum, Tomo 2 Concil. Qui idem Theophilus in Actis S. Nicetæ Gotthi Martyris* xv *Septembris legitur obtinuisse* τὴν ἀρχιερωτικὴν ἐφορείαν τῶν Γότθων, Supremum apud Gotthos Pontificatum, *uti et successores in sede sua pontificali legitur habuisse* Urphilum, *seu potius* Ulphilam, *qui cum Theophilo pridem Synodo Nicænæ anno* CCCXXV *interfuerat, eadem senserat; deinde vero cum Patribus secundæ Synodi Constantinopoli consedit anno* CCCLXXXI: *adeo ut quæ de* viridi senectute *ac longæva vita Ulphilæ pridem memorarunt decessores nostri in Commentario ad Acta S. Sabæ Gotthi die* XII *Aprilis, mire confirmentur ex prædicti S. Nicetæ Actis, utrique Concilio annis* LVI *inter se dissito ipsum interfuisse asserentibus. Successit Ulphilæ, cujus amanuensis fuerat, et dogmata Ariana retinebat,* Gotthorum Episcopus Sebinas, *Sozomeno lib.* 7 *cap.* 17.

AUCTORE C. J. Gotthia sedes Episcopalis, cui seculo 4 præfuerunt, Theophilus, Ulphilas, Sebinas,

6 *Verum isthæc* Gotthia, *cui prædicti Metropolitæ videntur præfuisse, an eadem dicenda sit cum illa, cui Episcopus præfuit* Joannes *noster, non facile definiero. Inclinat sane animus opinari non fuisse. Qui enim cis paludem Mæotidem seculo* IV *invaluerant Gotthorum* E
longe maxima pars, inde expulsi ab Hunnis, in Occidentem paulatim declinarunt; distinguuntur apud Procopium ab aliis, qui apud eumdem cognominantur Tetraxitæ, *siti primum cis Bosporum Cimmerium, deinde ad ulteriorem ripam translati, ex qua habitatione sua, cum mortuus esset eorum Episcopus, anno* XXI *Justiniani, miserunt legatos Constantinopolim, postulaturos sibi alium ab Imperatore Antistitem, quem et obtinuerunt: videnturque successive alios atque alios habuisse usque ad* Joannem *nostrum; cujus decessor in Actis infra legitur comparuisse in conciliabulo Constantinopolitano Episcopus Gotthiæ, ejusque impiis dogmatibus de cultu sacrarum imaginum abolendo subscribens, impietatis suæ præmium ab impio Imperatore Constantino Copronymo tulit metropolim Heracleæ Thraciæ, relicta Gottiæ ecclesia digniori successori, nostro* Joanni, *orthodoxarum gentilium suorum votis eam suscipere compulso. Docemur porro ex* Notitiis Græcorum Episcopatuum, *quas pleniores, quam olim Jacobus Gretserus noster et Carolus a S. Paulo, nuper impressit Jacobus Goar post Codini Officia; ubi in Ordine, quem occupat quælibet ecclesia Constantinopolitani Patriarchatus, disposito per Imperatorem Leonem Sapientem, annumeratur inter* Archiepiscopatus *trigesimo quarto loco* Gotthia. *Deinde vero in Ordine,* F
per Andronicum Palæologum seniorem reformato, recensetur inter Metropolitanas *ecclesias, loco octogesimo tertio, his verbis:* Metropolita Gotthiæ, quæ cum esset antea Archiepiscopatus, metropolis facta erat.

diversa videtur ab illa, quæ a Justiniano Episcopum petiit, ac sec. 8 Joannem nostrum habuit, decessore ad Sedem Heracleensem translato, quæque ex Episcopali, dein facta est Archiepiscopalis et Metropolitana.

7 *Eadem sensa nostra de duplici* Gotthia *confirmari possunt ex eo, quod prior jam tum seculo* IV *fuerit Metropolis, posterior vero seculo* VI *apud Procopium, et seculo* VIII *in Actis legatur tantum Episcopatus fuisse, qui postea Archiepiscopatus ac demum Metropolis evasit. Si una igitur* Gotthia *dumtaxat admittatur; dic sodes, quis illam Metropoleos dignitate exuit? aut quid attinebat dignitatem illi, quam pridem obtinebat, denuo conferre? Sed in situm* Gotthiæ *civitatis (neque enim provincia aut regnum hic intelligi per* Τὸ Gotthia *videtur debere) propius inquirendum est. Carolus a S. Paulo in sua Geographia sacra pag.* 204 *opinatur,* Zarmizegetusam, *uti regia seu metropolis civilis Daciæ antiquæ, a Gotthis deinde insessæ, fuit; ita etiam Metropolim ecclesiasticam seu Gotthorum Archiepiscopi sedem extitisse; illo præcipue motus argumento, quod* unus tantum, *ut ait,* apud Gotthos esset Episcopus, ususque in ecclesia invaluisset, ut in primariis urbibus thronum

Confirmatur duplex Gotthia, etiam ex eo, quod altera ponatur in antiqua Dacia,

A thronum haberent Episcopi. *Sed cum deinde pag.* 212, *metropolim Gotthorum, admittat,* non longe a Ponto Euxino *abfuisse, difficile captu est, quomodo id conciliet cum situ* Zarmizegetusæ, *quam in Transilvania hodierna plerique locant, totius Moldaviæ et Bessarabiæ interjectu a Ponto distenta. Atque hæc ille de antiquiore* Gotthia *utique senserit, confirmans sensu suo sententiam nostram de duplici ejusdem nominis Episcopatu; cum recentior, de quo nobis præcipue sermo est, necessario collocandus sit inter Mæotidem paludem Pontumque Euxinum, uti nunc videbimus.*

AUCTORE G. J. *quamvis non recte.*

§. *II. Gotthia, Episcopatus Joannis inter Mæotidem paludem et pontum Euxinum.*

*Stephanus de urbibus,*Gotthi, *inquit,* populus olim infra Mæotidem habitarunt : postea vero in interiorem Thraciam migraverunt. *Quod sic tamen intelligendum patebit, ut et nomen suum et gentis portionem reliquerint in parte sedium antiquarum. Eosdem collocat Ortelius in Thesauro Geographico* ad septemtrionale latus Ponti Euxini. *Ibidem seculo* VIII *imperasse Gotthos, clamitant* Joannis *Acta,* Tauroschytiam *ejus patriam imperio Gotthico subjicientia, eumque a gentilibus suis* Episcopum Gotthiæ *electum asserentia. Sub eadem tempora jubente Constantino Copronymo præclarum martyrium pertulit S. Stephanus, cognominatus Junior; in cujus Actis, accurate descriptis apud Surium die* XXVIII *Novembris, dicuntur hæreseos iconoclasticæ, latissime Imperium pervagatæ, immunia esse loca, quæ* ad acclive Ponti Euxini sunt ; hoc est Zicchiæ et Chersonis et Bospori et Micopsis et Gotthiæ. *Quod autem hic vocatur* acclive Ponti, *Græce legitur* πρὸς τὸ ἄπαντες τοῦ Πόντου, *et explicari potest,* ad partem Ponti superiorem, *qualis respectu Constantinopolis intelligi potest pars ejus borealis, ubi Cherso (quæ aliis Chersona) et Bosporus, notæ apud Procopium in tractu isto maritimo civitates, nec non Zecchia paulo illis orientalior in eadem boreali plaga; in qua et reliquæ duæ, utpote in eodem* acclivi, *constituendæ sunt. Quid, quod natale* Joannis *solum* Tauroschytia, *quæ in eodem Ponti tractu jacet, subdita tunc fuerit imperio Gotthorum, utique non admodum longe ab illis remotas habentium sedes suas?*

Gotthiam nostram ad latus boreale Ponti locant Stephanus,

Ortelius,

Acta Joannis, B

Stephani junioris,

item patria Joannis Tauroschytia.

9 *Sed hasce vicissitudine temporum, ut fieri in similibus assolet, translatas de loco in locum, dilatatas quoque ac imminutas fuisse, et verisimile per se est; et certum redditur e Procopio, fortunam Gotthicæ gentis, quæ fugientibus in Occidentem aliis, sedes suas ad Mæotidem paludem retinuerunt, describente lib. 4 cap. 4 et 5 de bello Gotthico. Distinguit ibi* Gotthos Tetraxitas *a* Gotthis *aliis;* Tetraxitas *olim habitasse ait, ubi Mæotis palus incipit se effundere per Bosporum Cimmerium in Pontum Euxinum, in tractu nempe Bospori occidentali : ab his atque a Mæotide palude longius recedebant latiusque incolebant Occidentem versus* Gotthi *reliqui; quos succedente tempore ingens multitudo Hunnorum, Bosporum aut Paludem transgressi, sedibus suis expulerunt, easdemque pars eorum altera,* Cuturguri *dicta insederunt; altera,* Uturguri, *antiquas sedes repetentes, inciderunt in* Gotthos Tetraxitas, *quos pactis conditionibus secum ad orientalem Bospori ripam transtulerunt, ibidem moratos saltem ad tempora usque Procopii; quamvis postea videantur valentiores facti cis Bosporum remigrasse, aut certe imperium suum extendisse, uti mox videbimus, postquam præmissa ex auctore suo pluribus descripserimus.*

Gotthi Tetraxitæ ab aliis distincti C

non uno semper loco habitarunt.

10 *Locutus itaque Procopius de locis, ad ortum Mæotidis Paludis Bosporique Cimmerii positis, sic prosequitur orationem cap.* 5 *:* Ea loca colebat olim multitudo ingens Hunnorum, qui tunc Cimmerii vocabantur, unique omnes Regi parebant. Aliquando his quidam præfuit, cui duo erant filii ; Uturgur alter nomine, alter Cuturgur. Patre mortuo, regnum inter se ambo partiti, de suo nomine dixere subditos. Inde alii Uturguri etiamnum, alii Cuturguri appellantur .... Nihil illi habebant commercii cum populis, ultra Paludem ejusque fauces habitantibus ...... Ut vero quis Paludem ejusque meatum superavit, in ipso statim littore antiquas intrat sedes Gotthorum Tetraxitarum. Hinc longius siti erant Gotthi, Visigotthi, Vandali, aliique omnes populi Gotthici. Procedente tempore..... Hunni Cimmerii sumptis armis, cum omnibus copiis transgressi, in adversam continentem evaserunt, cum inde egressi Vandali in Africa, et Visigotthi in Hispania jam habitarent. Tum Gotthos, qui regionis illius campos incolebant, adorti inopinato, multis cæsis, reliquos omnes in fugam agunt..... Atque illic Cuturguri accitis liberis et uxoribus consederunt : ubi etiamnum habitant....

Hunni ultra Bosporum positi, D

illum transgressi;

pars una præcipuas Gotthorum sedes occupans,

11 Uturguri vero cum suo Principe revertentes in patriam, ut eam deinceps tenerent soli, cum ad paludem Mæotidem accessissent, in Gotthos Tetraxitas inciderunt. Ac primum quidem Gotthi, muniti clypeis, stetere contra, ut impetum prohiberent, cum suis viribus, tum loci firmitate freti. Nam et barbarorum, qui in illis partibus degunt, ipsi fortissimi sunt : et Mæotis, ubi in Pontum illabi incipit (quo in loco agebant tunc Tetraxitæ) lunatum sinum efficiens, ac fere undique eos ambiens, eo venientibus unum eumque haud adeo latum aditum dabat. Dein tamen cum neque Hunni tempus ibi terere vellent, neque hostium multitudini se restituros Gotthi sperarent, colloquio habito convenit, ut permisti una trajicerent, et Gotthi fixis in opposita continente sedibus, ad littus alvei, quo Palus influit, ubi hodieque habitant, amici imposterum sociique Uturgurorum, pari cum ipsis jure, semper viverent. Sic igitur Gotthi isti domicilia ibi collocarunt : et Caturguris, ut dixi, trans Paludem relictis, soli Uturguri oras patrias retinuerunt. *Hactenus Procopius cap.* 5, *postquam præcedenti capite locutus fuerat in hunc modum.*

pars altera suas repetentes,

E

incidunt in Gotthos Tetraxitas,

quos secum ultra Bosporum traducunt.

12 Ubi se primum aperit alveus, quo palus Mæotis effunditur, degunt Gotthi, Tetraxitæ cognomine, qui quamvis pauci numero, nihilominus Christianorum leges et instituta religiose servant... An vero Arii sectam Gotthi isti, quemadmodum ceteræ gentes Gotthicæ, aliamve secuti unquam fuerint, affirmare nequeo; quando nec ipsi id sciunt : sed jam, pietate admodum credula simplicique, religionem colunt. Haud pridem, nimirum anno XXI imperii Justiniani Augusti, Legatos quatuor Bysantium miserunt, rogantes ut Antistite suo recens mortuo, aliquem sibi Episcopum daret. Audierunt enim destinatum ab Imperatore fuisse Præsulem ad Abasgos. Eorum petitioni lubentissime concedens Justinianus Augustus, ipsos remisit. Cum vero Hunnos Uturguros hi Legati metuerent, palam quidem, ac multis audientibus, legationis causam exponentes, de Præsule tantum mentionem fecerant Imperatori. At in arcano intimoque colloquio utilitates omnes declaraverant, quas Imperium Romanum capturum esset, si discordia inter vicinos sibi barbaros aleretur.

Eorum religio

F

et legatio ad Justinianum Imp.

13 *Habitabant tunc in orientali Bospori Cimmerii plaga tam* Gotthi, *quam* Hunni Uturguri, *quemadmodum paulo ante vidimus. Cumque jam tum simultates inter utramque gentem alerentur, non fuerit diuturna deinde inter illas concordia; sed antiquas sedes vel alias cis Bosporum in Taurica Chersoneso possunt repetivisse Gotthi. Id vero ex duplici capite verosimile videri fortassis poterit; videlicet, quod duobus post seculis, uti ex vita nostra discimus,* Tauroschitia *eorum dominio subdita aut certe vectigalis fuerit : quod sane fieri vix potuerit,*

Eorumdem habitatio ultra Bosporum;

an ibi manserit,

A *potuerit, quamdiu* Gotthi *isti* Uturguris *quodammodo subjecti, habitarunt ultra Bosporum : idem etiam potest factum esse, si pertæsi gravem viciniam* Uturgurorum, *a quibus sibi metuendum esse ostendunt supra Legati ad Justinianum missi, cis Bosporum redierint; ibique viribus aucti, usque ad Tauroscythas dominium extenderint. Aliud ita sentiendi caput indicat Ortelius in Thesauro Geographico voce* Taurica Chersonesus ; *ubi ait, hanc appellari ab Antonio Pineto* Perocopska *et* Gazara *: a Mario autem Nigro eamdem Chersonesum d[illegible]vidi in Septentrionalem et Meridionalem ; et illam qu[illegible]dem dici* Gazariam, *hanc vero* Gotthiam *appellari. P[illegible]ssunt igitur* Gotthi, *quos ex Procopio constat in Septent[illegible]onali parte Chersonesi ad Mæotidem paludem habit[illegible]sse, prius quam Bosporum cum* Uturguris *transirent; postea inde remeantes in meridionali sedes suas fixisse, ibique potentiam suam dilatasse posterioribus temporibus, atque ita regionem illam a se denominatam reliquisse.*

[illegible] cis Bosporum translata denuo sit?

§. III. *Caspiæ portæ duplices: earumque situs.*

Nunc porro aliam, *omissis* Gotthis Gotthiaque, *texamus telam de populo atque imperio* Chazarorum *ac ipsa* Chazaria; *de quibus frequens in Actis mentio fit; quod ab illis captus* Joannes, *in* Chazariam *abductus sit. Qua in re circumspicienti mihi, diversus* Chazariæ *situs pro temporum diversitate definiendus est : videtur namque populus iste in orientali Sarmatia natus esse, inde vero, paulatim crescens, ad Occidentem se extendisse, ac tandem quidquid inter Tanain pontumque Euxinum ad Mæotidem usque paludem interjacet, occupasse ; imo et cis paludem pervasisse usque ad Borysthenem certe populos illos sibi vectigales fecisse. Ad indagandum eorum situm, viam nobis aperient* Caspiæ portæ, *per quas apud Procopium atque Theophanem egrediebantur* Chazari *in Persarum ac Romanorum ditiones.*

B *Chazarorum situs definiendus*

ex situ portarum Caspiarum,

15 *Ptolomæus lib.* 6. *cap.* 2 Caspias portas *collocat gradu* 94 *longitudinis, latitudinis vero* 37, *ubi perpetuo montium jugo Media disterminatur a Parthia, uti in adjunctis Ptolomæo tabulis videre est; annotaturque ad textum ejus* Caspiarum claustra rupturam esse montis, longitudinis octo milliarium itinere manufacto angustissimo, per quem Babylonis et Persis est transitus ad mare Caspium. *Citantur deinde in horum confirmationem Plinius ac Solinus : quos antequam examinem, videsis quam non recte* portæ Caspiæ *illic locentur a Ptolomæo, vel inepte adjecta sit annotatio præscripta ab auctore suo. Ad tabulam Ptolomæi Geographicam, quæ quinta est Asiæ, te voco. Ubi si Babyloniis, mare Caspium adire volentibus, transeundum est per* portas, *ut illic statuuntur,* Caspias; *longius multo iter emetiri debebunt per Suzianam Persidemque Orientem versus, ut perveniant ad portas illas; quam deberent per Mesopotamiam atque Armeniam, aut per Assyriam Mediamque Septentrionem versus ad ipsum usque Caspium mare.*

quas aliqui inter Mediam, et Parthiam collocant,

C

16 *Sed quid de his, citatus Plinius? Arguit, fateor, lib.* 6 *cap.* 11 *et* 13 *erroris illos, qui* Caucasias portas, *ex Iberia in Sarmatas transmittentes, perperam appellant* Caspias. *Capite vero* 14 *dicit Ecbatana Mediæ caput esse, dissitasque inde* XX *mille passus* Caspias portas, *quæ* interruptis angusto transitu jugis, ita ut vix singula meent plaustra, *patent* longitudine octo mille passus, toto opere manu facto. *Easdem portas, cap. sequenti dicit teneri a* Pratitis seu Paredonis, *earumque* a latere altero occurrere deserta Parthiæ et juga Citherri. *Relegit deinde iter, et* Egressos portis, *inquit (utique versus Mediam)* excipit protinus gens Caspia, ad littora usque, quæ nomen portis et mari dedit. *Atque hæc Pliniana obiter legenti nefas videri poterit dubitare de situ* portarum Caspiarum *inter Medos Parthosque. Nec ego id negare contendo ; appendere tamen accuratius Plinii dicta non verebor. Auctore illo tenent* portas Caspias *Pratitæ seu Paredoni ex parte Mediæ : quo pacto egressos portis in Mediam* excipit protinus gens Caspia, *utique diversa a Pratitis? Tum vero cur* Portæ *istæ non potius vocentur* Pratiticæ *aut* Paredonicæ *quam* Caspiæ? *Si enim a gente denominandæ sint, a qua potius quam a viciniore et portas ipsas occupante? Imo cum Caspii (neque enim præter Plinium invento alium, qui ipsos jubeat more inter Hircanos et Cyrum fluvium accolere) remotissimi totaque Media divisi sint a Parthis inter Caspios montes, mare Caspium et prædictum Cyrum inclusi; mirum videri debet, quomodo gens Caspia portis illis, tam longe dissitis, nomen suum tribuerit, et (quod magis mirum) cum ipso montium tractu, in quo portæ sint, id non communicaverit.*

reprehendente Plinio eos qui illas alibi ponunt,

D

AUCTORE C. J.

cujus dicta [illegible] Tau[illegible] untur Cher[illegible]

17 *Cedo tamen, his non obstantibus, descriptum a Plinio e Media in Parthiam inter montes transitum,* portas Caspias, *quacumque demum de causa, fuisse olim appellatum, Strabonis auctoritate præcipue motus, ubi dicit libro* II; Maxima latitudo Mediæ videtur, a transitu Sagri (*est hic inter occidentales Mediæ montes*) usque ad portas Caspias per Sigrianam, *Orientem et Parthiam versus. Sed nego, illas solas et esse et dici debuisse* Caspias portas. *Ipse mons Caspius,* qui situs est, *teste Strabone,* qua ex Colchide ad mare Caspium transcenditur, *habuit et transitum suum, quem* portas *more aliorum similium,* Caspias *vero ab ipso monte aut mari Caspio vicino cognominarunt etiam olim probatissimi quique auctores, idque potiori jure quam suas Plinius prope Parthos sic vocaverit.*

et portæ Caspiæ admittuntur quidem,

E

sed e aliæ statuuntur, potiori jure Caspiæ appellatæ,

18 *Venia quoque iis dari potest, quos ab eodem auctore argutos erroris diximus, quod* portas Caspias *confuderint cum* Caucasiis. *Quidni enim eædem portæ utroque nomine appellari potuerint, quemadmodum idem montium tractus sæpe plura sortitur nomina : et* Caspius mons, *uti Tauri Asiam late percurrentis pars est, ita et Caucasi sub Tauro comprehensi esse pars potest : aut certe potest* Caucasus *et* Caspius *utrimque ad illas portas terminari, et suum ambo eis nomen dare. Forte etiam distingui poterunt portæ duæ, non procul inter se dissitæ, quarum altera* Caucasia, *altera* Caspia *dictæ fuerint a montibus quæque suis. Certe duas distinguit Procopius, gravis hac in re, si usquam alibi, auctor; utpote qui Belisario, contra Persas militanti, datus fuerit ab Imperatore Consiliarius, et eorum multa quæ scripsit, videre potuerit.*

quæ eædem cum Caucasiis censeri possunt,

possunt etiam censeri diversæ,

F

19 *Orditur is caput* 3 *libri* 4 *de bello Gotthico a descriptione* Caucasi montis, *cujus partem, ait, in* Meridiem vergere et ad portas evadere, quæ Hunnos vicinos in Persarum ac Romanorum inducunt oras. Tzur altera; altera veteri nomine Caspia dicitur. *Et prosequitur :* Tractum illum, qui a monte Caucaso ad portas Caspias pertingit, Alani tenent, nullius imperio subditi, Persarum plerumque socii, et in Romanos ceterosque eorum hostes arma soliti ferre. *Quidni hic per* portam Tzur *intelligatur illa, quæ Plinio aliisque* Caucasia *dicitur, Caucasum ipsum permeans; a quo* Caspias portas *expresse removet Procopius, tota Alanæ gentis interjecta regione. Easdem portas idem Auctor de bello Persico lib.* 1 *cap.* 10 *accuratius etiam describens;* Ultra Iberiæ fines, *inquit,* inter summas angustias trames quidam stadiis quinquaginta in longitudinem patet, et prærupto atque insuperabili monte sic terminatur, ut exitus prorsum nullus appareat. Ibi portam dumtaxat, quam diceres arte et manu factam, molita est natura : eam vetusto nomine Caspiam appellamus. *Ultra illam* omnes fere populi, quos Hunnorum nomen complectitur, habitant; eorumque sedes ad paludem

ex Procopio,

qui Caspias accurate describit.

A paludem usque Mœotin pertinent. Qui, si ea porta in Persas ac Romanos erumpant, ad Iberiæ fines emergunt. *Fines porro hosce una cum Portarum situ distincte explicat lib.* 1 *cap.* 12 : Iberum Asianorum sedes portas Caspias contingunt a Septentrione; sinistra Lazidam ab Occaso; dextera ab Ortu populos qui Persis parent.

AUCTORE C. J. *qui Caspias earumq... tum def...*

20 *Sunt igitur secundum Procopium* portæ Caspiæ *ad Septemtrionalem Iberiæ plagam : non sunt tamen in montibus Caucasiis, sed in aliis, qui interjectu ditionis Alanicæ a Caucasiis separantur. Hos autem Procopium annumerare Caspiis, vel ex eo, quod Portas ipse nomine* Caspias *vocet, colligi posse videtur. Atque ita probe intelligitur, quod supra dixit, Hunnos, ultra Caucasum positos, in Romanorum Persarumque fines erumpere per binas portas. Per alteram, videlicet* Tzur, *transeunt Caucasum, ab Oriente in Occidentem extensum, indeque pervadentes Alanorum sedes, per alteram, quæ* Caspia vetusto nomine appellata fuit, *exeunt in prædictos Romanorum ac Persarum fines, Iberiam nempe, Persis Romanisque subditam teste Theophane, sub Heraclio, imo et sub Justiniano. Quamquam et concipi possit* porta Tzur *esse in Caucaso monte, non quæ ab Ortu in Occasum, sed quæ a Septemtrione in* B *Meridiem protenditur, sic ut Hunni recta per* Caspias portas *in Iberiam ac Persarum ditionem versus Austrum tendentes, a dextris relinquant* portam Tzur *per montem Caucasum, in Romanorum ac sociorum provincias emittentem. Certe inter Alanos eorumque ad Occasum confines Abasgos intercedere montes Caucasios, in iisque esse Clisuras, ut vocant, seu angustum transitum, constat ex Theophane ad annum* I *Leonis Isauri.*

paulo clarius hic explicatum.

21 *In eadem de* portarum Caspiarum *situ sententia fuisse modo dictum Theophanem, colligere est ex ejus historia, neutiquam cum portis, Mediam Parthiamque committentibus, concilianda. Anno Heraclii* XVI *narrat, hunc in Lazicam profectum,* Turcos Orientales, quos Chazaros vocant, ad belli societatem *contra Persas allexisse.* Chazaros *vero* Caspiis portis diruptis in Persidem, *seu Persarum ditionem,* irrupisse ; Androgeam Provinciam penetrasse, urbes pagosque late flammis vastasse. Interea vero Imperatorem Heraclium, e Lazica solventem, ipsis occurrisse. *Anno* XV *Leonis Isauri ait,* Masalmam a parte meridionali in Turciam exercitum eduxisse; cumque jam Caspias portas attigisset, metu correptum retrocessisse. *Contra vero ad annum* XXIII *ejusdem Imperatoris dicuntur* Turcæ, Caspiis portis egressi, C plurimis per Armeniam occisis, captivorum collegisse turmas, ac domos repetivisse. *Sequenti vero anno iidem* Turcæ in Caspias portas et Iberiam irruptionem secundam fecerunt; pugnaque cum Arabibus *seu Saracenis* conserta, ex utraque parte cecidere non pauci. *Atque hæc consideranti non potest non patere, quam apte ista comprobent nostram ex Procopio sententiam.*

Idem situs indicatur a Theophane.

§. *IV.. Chazarorum sedes, eorumque Chagani aliquot: horum ab aliis Chaganis distinctio.*

P*ræmissis quæ* §. *superiori diximus; facilior investigatio fiet in Chazarorum sive Turcarum orientalium sedes. Constat enim ex illis, portas Caspias ipsos perrumpere debuisse, ut in Iberiam ditionemque Persarum evaderent; ita certum etiam est, ultra portas illas habuisse sedes suas. Et proximam quidem portis terram incolebant Alani; Alanos Occidentem versus excipiebant Bruchi, Bruchos Abasgi, Abasgos Apsilii pertingentes ad Pontum usque Euxinum, ita quidem nominatæ gentes sub imperio Justiniani a Procopio de bello Gotthico lib.* 4 *cap.* 2 *in fine,* 3 *et* 4. *Idem auctor supra dixit,* ultra portas Caspias habitare omnes fere D populos, quos Hunnorum nomen complectitur. *et ad Meotidem pertingere paludem usque, Theophanes vero ad annum* VII *Justini Junioris scribit :* Hunni, quos Turcas nuncupamus, per Alanorum terras legationem ad Justinum destinant. *Ex quibus colligitur, gentem aliquam* Hunnorum, *quos late se extendere Procopius dixerat; fieri* Turcas *apud Theophanem. Cum vero idem Theophanes ad annum* XVI *Heraclii,* Turcarum *aliquos* Orientales *distinguat ab aliis, atque* Chazaros *vocari dicat ; quid ni per hos ipsos* Orientales Turcas *intelligi possint* Hunni *illi, quos Procopius lib.* 1 *de bello Persico cap.* 3 Albos *nuncupari ait distinguitque per situm magis* Orientalem *ab aliis Hunnorum populis ; dum ipsos asserit, Persarum ditioni a Septentrione, ubi est urbs* Gorgo, *conterminos esse ; additque cum Persis de finibus solitos dimicare : in Romanorum autem ditionem numquam irrupisse, nisi una cum Medis seu Persis.*

Hunnorum gens Turco, Turcarum vero Chazari,

forte iidem cum Hunnis albis,

23 *Quodsi ex his Procopii sensis concipiatur urbs* Gorgo *ad ortum Caspii maris, terminum esse Persas inter et Hunnos albos; hique ab Occasu ejusdem maris per* Caspias portas *se conjunxerint cum illis contra Romanos; dicendum erit, totum illum tractum maris* E *Caspii septemtrionalem ab ipsis insessum fuisse. Cum autem succedente tempore Turcarum appellatio, adhæsisse putetur Chasaris , possunt eamdem regioni isti etiam reliquisse, et ad posteros transmisisse, qui eam apud Ortelium in Europæ veteris tabula vocant* Turchestan : *quam et* Turciam veterem; *teste Mario Nigro, appellari, idem Ortelius ait in Geographia veteri ad vocem* Jaxatræ.

ad fines Persarum boreales sitis:

24 *Cum tali* Turcarum *situ optime etiam convenit textus Theophanis indicatus. Sunt enim ipsi* Orientales *respectu aliorum; et ab Imperatore, in Lazica morante , ad belli societatem contra Persas allici commode potuerunt , Persisque ob vicinitatem plurimum nocere. Processerunt deinde* Chazari *seu* Turcæ *prædicti, paulatim ad Occidentem, donec ad Mæotidem paludem Pontumque Euxinum late omnia occuparint. Testatur id citatus Theophanes ad annum* 10 *Constantini Pogonati his verbis :* Numerosa Chazarorum gens ex interiori Berziliæ, quæ est primæ Sarmatiæ, recessu prorupit, omnibusque trans flumen *Tanain* provinciis usque ad mare Ponticum in potestatem suam redactis, Bulgariæ *cis Tanain* Principem sibi vectigalem fecit, ab eoque tributum in hanc usque diem *(qua scribebat Theophanes)* accipit. *Atque hæc magis etiam in rem nostram faciunt, si* Sarmatia, *quæ ab Orientali parte est,* prima *forte dicenda sit. Id certe* F *ex dictis constat, extendisse se* Chezaros *seculo* VII *ad Tanaim fluvium, paludem Mæotidem, pontumque Euxinum; in cujus vicinia regiam suam habuisse eorum Princeps debet; uti colligi potest ex eo, quod Justinianus Rhinotmetus exulans Chersone , inde ad* Chaganum Chazarorum *confugerit , ab eoque filia in conjugem data, recesserit Phanaguriam ad Bosporum Cimmericum. Eodem facit, quod deinde Chersonenses, a Justiniano denuo Imperatore, internecionem sibi metuentes. a* Chagano *præfato suppetias sibi ferri postularint : quodque idem Justinianus conjugem suam a socero* Chagano *repetens, naves miserit ad eam recipiendam.*

quod et de Chazaris innuit Theophanes,

paulatim in Occidentem progressis,

constituta prope Pontum regia sua:

25 *Prædicta omnia , quæ* Chaganum *ad pontum Euxinum alicubi consedisse commonstrant, pluribus leguntur apud Theophanem : qui cum ad annum* VI *Tiberii Apsimari regiam Chagani, aut certe locum, ubi Justinianus eum convenit filiamque uxorem duxit, appellat* Daras, *aut in nomine dicendus est errasse , ac* Daras *scripsisse pro* Dorus , *cujus mensio fit in Actis nostris num.* 5, *castrumque appellatur, ex quo* Joannes *cum suis expulit præsidium Chazarorum : aut ipsa* Daras *debet ob argumenta præmissa ad littora Ponti septemtrionalia alicubi collocari, a quibus* Dorus *videtur*

quæ non fuit urbs Daras

Chazarorum primæ sedes ultra portas Caspias et Alaniam.

A *tur etiam non longe abfuisse. Neque enim intelligi hic potest* Daras, *e pago civitas facta a Justiniano Magno Imperatore, teste Procopio, prope Nisibin in Mesopotamia, quæ grassantibus late Arabibus, imperante Justiniano Rhinotmeto, iisdem subjecta erat; tota quantum patet Armenia Iberiaque a Chazaris semota. Nec in errorem quis duci debet, quod sub idem tempus, quo Justinianus confugit ad* Chaganum, *Theophanes mentionem faciat cujusdam* Chagan *sive* Chagani, *strenui militis, qui Abimelecho Mesopotamiam aliasque provincias subegit, ab eoque propterea Persiæ Dux creatus est. Nam ab hoc* Chagano *illum expresse distinguit auctor per additamentum* Chazarorum, *quod Persiæ Duci convenire non poterat. Multo etiam minus ille confundi debet cum alio* Chagano, *ad Mauritii secutorumque Imperatorum tempora Historicis notissimo, quem Chronicon Paschale* Avarum Deo invisorum, *Constantinus vero Manasses in Compendio*, Scytharum Septentrionalium Regem *appellant : Nam hic cis Borysthenem incolebat, ille trans pontum Euxinum ad mare Caspium. Hic instigatus a Persis Constantinopolim obsedit, eodem tempore quo ille rogatus ab Heraclio suppetias ei misit contra eosdem Persas. Atque hæc de distinctione* Chagani Chazarorum a Chaganis *aliarum* B *nationum; qui circiter idem tempus vixerunt.*

prope Nisibin in Mesopotamia.

nec Chaganus Chazarorum idem cum Chagano Arabum,

multo minus cum Chagano Avarum

26 *Restat modo, ut ipsos inter se distinguamus* Chazarorum Chaganos, *sive id proprium eorum Principum nomen, sive commune omnibus fuerit, ut fuit apud Romanos* Cæsar; *apud Ægyptios* Ptolomæus; *apud alios alia. Primi* Chazarorum Chagani *meminit Theophanes ad annum (ut ipse computat) Christi* DCXVII; *quem auxilio postulavit contra Persas Heraclius. Alterum profert, prioris verosimiliter nepotem, anno* DCXCVI, *qui exuli Justiniano filiam suam Theodoram uxorem dedit. Ab hoc porro distinguendus ille*, cujus filiam Leo Imperator anno DCCXXXIV Constantino filio suo uxorem accepit; cum Christianam prius eam fecisset, appellassetque Irenen. *Vix enim fieri potuerit, ut idem pater Justiniano filiam unam, quæ ei mox filium enixa est, conjugem dederit; et* XXVIII *post annos alteram juveni Constantino, utique juvenem, desponderit. Habuit et hic* Chaganus *filium suum, qui* anno DCCXX Mediam et Armeniam infestis armis vexavit . . . et magno nominis sui terrore Arabibus relicto, domum rediit. *Sed an etiam huic nomen* Chagano, *an aliud fuerit, non indicatur. Solum noto ex prædicto* Chazarorum *in Armeniam atque Mediam incursu, etiam Meridiem* C *versus ipsos imperium suum tunc dilatasse, ac Lazicam provinciam, ponto Euxino ad Orientem contiguam (quæ antiqua Colchis est, Argonautarum expeditione nota) tenuisse. Quod ut de Lazica potissimum et expresse dicam, moveor loquendi modo, quo utuntur Menæa, appellantia* Lazorum Præfectos, *quos Acta nostra vocant* Chazarurum. *Prædictus* Chagani *filius, cujus nomen nos latet, et ipse filium* Chaganum *videtur reliquisse, illum nempe, qui (ut legitur in Actis)* Joannem *carceri inclusit; ac dies* XL *ante ipsum obiit sub finem octavi aut initium noni seculi.*

Chagani Chazarorum leguntur fuisse

primus anno 617,

alter an. 696,

tertius an. 734;

qui etiam Lazicam videtur tenuisse,

quartus sub annum 800

27 *Post hæc tempora, quo statu et loco res* Chazarorum *manserint, minus liquet. Tauricam Chersonesum si nondum tunc habuerint, videntur postea obtinuisse, adstipulantibus Ortelio, qui eam in tabula veteris Europæ, omisso nomine prædicto, inscribit* Chazariam; *et Leonclavio, qui in Pandectis historiæ Turcicæ pag.* 105, *explicans vocem* Chan, *ac* Regem *aut* Principem *significare docens, adjungit*, reperiri in historiis Græcis ac Latinis nomen Chagani Avarum, quod idem est cum Chan vel Chahan. Nam Avarum sive Chazarorum patria Chersonesus est Taurica, quæ hodieque suos habet Chaganos. *Quæ ut admittam recte dici de patria* Chazarorum *hodierna in Chersoneso; facere non debeo, perperam hic pro eadem gente sumi* Avares *ac* Chazaros. *Habuit quidem utraque suum* Chaganum, *et habuit eodem tempore, ut supra vidimus: sed non continuo gens eadem aut una sunt* Avares *diximus cum suo* Chagano *cis Borysthenem pontumque Euxinum consedisse, ac paulatim Occasum versus late populatos Pannoniam et Istriam esse.* Chazari *autem cum* Chagano *suo ab Oriente tandem pervenerunt ad paludem Meotidem ac Bosporum Cimmerium; quo trajecto ingressi Chersonesum, pingui gleba, et se ipsa quodammodo defensam peninsulam, elegisse sibi in diuturnam sedem potuerint.* E

AUCTORE C. J.

Quorum postea Tauricam Chersonesum inhabitantes,

illam a se Chazarium appellarunt:

28 *Addo etiam quod Ducas, pag. mihi* 74 *narrat de Manuele Imperatore, quod ditiones suas inter filios dividens*, Constantino regiones ad Pontum sitas, Chazariæ finitimas, *attribuit. Ex quibus colligi debet, vel Imperatorem Romanum tunc temporis adhuc possedisse aliquot loca trans Pontum ab alterutra parte Chersonesi* Tauricæ *sive* Chazariæ *modo explicatæ : vel* Chazaros *tunc tractum Ponti occidentalem trans Istrum etiam occupasse, si Romanis in eodem tractu cis Istrum dumtaxat superfuerint loca aliqua, quæ finitima* Chazariæ, *ampliato nomine, dici potuerunt, a qua solo Istro dividebantur. Antequam finiam, lubet aliis conjecturis etiam aliquam de origine nominis* Chazarorum *adjicere Plinius lib.* 6 *cap.* 17 *de Scythis agens;* Persæ illos, *inquit*, Sacas in universum appellavere a proxima gente; Scythæ ipsi, Persas, Chorsaros. *Posuimus supra,* Chazaros *Scythicam gentem Persis proximam et finitimam fuisse, Ex quo deducitur commercium inter ipsos frequens* fuisse, *et Persas Chazaris permixtos habitasse, atque ideo eodem nomine ipsos reliqui Scythæ, quo Persas, possunt appellavisse, mutato paulatim, ut fit, vocabulo* Chorsari *et* Chazari. *Sed de hisce, quæ ad institutum nostrum non admodum spectant, satis, et plus quam satis. Acta ipsa, quæ nimis* F *diu latuerunt in tenebris, nunc primum a nobis inde eruta et latinitate donata, proferantur in lucem. Sunt illa satis accurate scripta, ab auctore quidem incerto sed qui non diu post Sanctum vixisse videtur; fortassis etiam contemporaneus et Monachus ejus fuit, Descripta nobis illa fuerunt e bibliothecæ Vaticanæ codice* 655, *præferuntque hunc titulum :* Βίος τοῦ ὁσίου Πατρὸς ἡμῶν Ἰωάννου Ἐπισκόπου Γοτθίας. Vita sancti Patris nostri Joannis Episcopi Gotthiæ.

et forte latius idem nomen cum imperio suo extenderunt.

Conjectura de origine nominis.

Acta, nunc primum latina

VITA

E codice Vaticano nunc primum Latine versa.

CAPUT I.

Joannis ortus, sanctitas, Episcopatus, zelus pro imaginibus, et libertate suorum, captivitas, mors, depositio.

a Sanctus hic Pater noster Joannes, Episcopus fuit b Gotthiæ *a*, imperantibus Constantino ac Leone *b* ; oriundus ex ulteriori trans Pontum Tauroscytharum

Οὗτος ὁ ὅσιος Πατὴρ ἡμῶν Ἰωάννης, Ἐπίσκοπος ἦν Γοτθίας ἐπὶ Κωνσταντίνου καὶ Λέοντος τῶν Βασιλέων, ὁρμώμενος ἐκ τῆς περατικῆς c τῶν Ταυροσκυθῶν γῆς, τῆς c

EX MS.

A τῆς ὑπὸ τὴν χώραν *d* τῶν Γότθων τελούσης ἐμπορίου λεγομένου Παρθενιτῶν, Λέοντος καὶ Φοτεινῆς υἱὸς γεγονώς. Οὗ τινος Λέοντος ὁ πατὴρ ἐκ τοῦ λεγομένου Βονοκοῦ, κατὰ τὸ Πολεμώνιον τοῦ Πόντου κειμένου ὑπῆρχε, καὶ ἐν τῷ θέματι τῶν Ἀρμενιακῶν Κανδοφόρος γενόμενος. Οὗτος ὁ ὅσιος Ἰωάννης καθαγιασθεὶς [ἐκ βρέφους] ὡς ὁ Ἱερεμίας, καὶ σαμουὴλ ὁλικῶς ἀφιερώθη τῷ Θεῷ. Φωτεινῆς γὰρ τῆς μητρὸς τοῦ Ὁσίου, εὐξαμένης τῷ Θεῷ δοθῆναι αὐτῇ καρπὸν, εἰς τὸ προσάξαι αὐτὸν λειτουργὸν Κυρίῳ οὕτως συνέλαβεν αὐτόν. Τεχθεὶς δὲ καὶ αὐξηθεὶς, τὸν ἀσκητικὸν ἐκ σπαργάνων ἐπεσπάσατο βίον, ἔργῳ καὶ λόγῳ πᾶσαν ἀρετὴν κατορθώσας. Ἐπὶ δὲ Κωνσταντίνου τοῦ Βασιλέως, ὁ τηνικαῦτα Γοτθίας Ἐπίσκοπος, μετάπεμπτος πρὸς τὴν τότε συναθροισθεῖσαν κατὰ τῶν ἱερῶν εἰκόνων σύνοδον, προκληθεὶς καὶ καθυπογράψας, Ἡρακλείας τῆς Θράκης Μητροπολίτης ὑπὸ τοῦ Βασιλέως κατέστι.

2 Ὅθεν οἱ τῆς Γοτθίας ὀρθόδοξοι, μὴ κοινωνοῦντες τῇ κενοτομίᾳ τῆς ἀθέσμου συνόδου· ἀλλὰ μὴν καὶ ποιμένος ἄνευ ὑπάρχοντες, τοῦτον τὸν ὅσιον Ἰωάννην εἰς Ποίμένα προεβάλλοντο. Ὃς δὲ πρῶτον μὲν ἐπὶ τὴν ἁγίαν πόλιν ἀπελθὼν, καὶ τρίτον ἐκεῖ διανύσας χρόνον, καὶ

B πάντα τόπον ἅγιον καὶ θεοστιβῆ κατασπασάμενος, ὑπέστρεψεν· εἶθ' οὕτως ἐπὶ Ἰβηρίαν οἱ τῆς Γοτθίας πρὸς τὸν Καθολικὸν Θρόνον ἐξέπεμψαν· κἀκεῖ χειροτονηθεὶς Ἐπίσκοπος, τὰ δόγματα τῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας καὶ τὴν ὀρθὴν πίστιν ἄτρωτον διεφύλαξε. Γράφει οὖν διὰ Λογγίνου τοῦ Διακόνου αὐτοῦ τῷ Πατριάρχῃ Ἱεροσολύμων ποιῆσαι σύνοδον, καὶ ἀποσταλῆναι ὅρον πίστεως πρὸς αὐτόν. Ὃ δὴ καὶ ἐποίησεν· ἐκ γὰρ παλαιᾶς καὶ νέας διαθήκης, καὶ πάντων τῶν ἐγκρίτων Πατέρων ἀναδεξάμενοι χρήσεις, περὶ τῶν ἱερῶν εἰκόνων, καὶ τιμίων λειψάνω, καὶ τῶν πρεσβειῶν τῶν Ἁγίων, ἐξέπεμψαν τῷ εἰρημένῳ Ὁσίῳ.

3 Μετὰ δὲ τὴν τελευτὴν Κωνσταντίνου καὶ Λέοντος τῶν Βασιλέων, Εἰρήνης καὶ τοῦ υἱοῦ αὐτῆς βασιλευσάντων, ἀπέστειλε τὸν αὐτὸν τόμον Παύλῳ, τῷ ἁγιωτάτῳ τῷ τηνικαῦτα Πατριάρχῃ· καὶ λαβὼν λόγον παρὰ Εἰρήνης τῆς Αὐγούστης, εἰσῆλθεν εἰς τὴν βασιλεύουσαν πόλιν· καὶ παῤῥησίᾳ λαλήσας πᾶσι περὶ τῆς ἀποδοχῆς τῶν ἱερῶν εἰκόνων ἐν τῇ ἁγίᾳ καθολικῇ Ἐκκλησίᾳ, αὖθις ὑπέστρεψε. Μέλλων δὲ τελευτᾷν Παῦλος, ὁ ἁγιώτατος Πατριάρχης, τὸν σκοπὸν ἔχων τοῦ Ὁσίου, κατῆλθεν ἐκ τοῦ πατριαρχείου, γέγονε Μοναχὸς εἰς τὴν μονὴν τῆς ἁγίας Θεοτόκου τῶν Φλόρου, καὶ καθώρκισεν τὴν Αὐ-

C γοῦσταν ἀποποιῆσαι τὸ σφάλμα.

4 Ταράσιος δὲ ὁ Πρωτοασηκρήτης, εὐλαβὴς ὢν καὶ ἐνάρετος, προβληθεὶς μετὰ τὴν κοίμησιν τοῦ μακαρίου Παύλου τοῦ Πατριάρχου, ὃς καὶ ὑπ' αὐτοῦ ἐμαρτυρήθη, γενέσθαι Πατριάρχης, οὐκ εἵλατο δὲ βαρῆναι ἕως ἂν ὑπέσχοντο οἱ Βασιλεῖς ποιῆσαι τὴν εἰρημένην σύνοδον. Καὶ ἱερῶν γραμμάτων ἐκ τῶν τεσσάρων Θρόνων ἀνδρῶν εὐλαβῶν καὶ ἱερῶν γραμμάτων ἐκ προσώπου τῶν Πατριαρχῶν· συναθροισθέντων δὲ καὶ τῶν ἁπανταχοῦ ἐπισκόπων (ἤδη χειροτονηθέντος τοῦ μακαρίου Ταρασίου) πρῶτον μὲν ἐκαθέσθησαν ἐν τοῖς ἁγίοις Ἀποστόλοις, καὶ κηρυττόντων αὐτῶν τὰ δόγματα τῆς ὀρθοδοξίας, ἐπελθοῦσα ἡ τῶν Σχολαρίων πληθὸς, μετὰ μαχαιρῶν καὶ ξύλων, διέλυσαν ταύτην, ὑβρίσαντες καὶ τὴν Βασιλείαν· καὶ ἐξορίζονται σὺν γυναικῶν καὶ τέκνων περὶ τὰς ἓξ χιλιάδας, σὺν αὐτοῖς δὲ καὶ τινες τῶν αἱρετικῶν Ἐπισκόπων. Καὶ τῷ ἐπερχομένῳ χρόνῳ οἱ αὐτοὶ Ἐπίσκοποι καὶ οἱ Ἀποστολικοῦ Θρόνου τόπον ἐπέχοντες, συνελθόντες ἐν Νικάιᾳ, ἐξέθεντο τὸ τῆς ὀρθοδοξίας ὅρον.

terra, quæ Gotthorum ditioni subest, ex emporio dicto Parthenitarum. Leone ac Photina genitus. Leonis autem hujusce pater ex Bonosto in Ponto Polemoniaco ortum duxit, inque Armeniacorum *e* legione Candophorus fuit. Joannes igitur hicce adhuc infantulus, instar Hieremiæ et Samuelis *g* sanctificatus totusque Deo consecratus fuit. Photina quippe ejus mater, precata Deum, ut prolem sibi largiretur, quem Domino offerret ministrum, Joannem concepit: qui ubi natus corroboratusque fuit, asceticam fere ex incunabulis secutus est vitam, verbo ac opere omne virtutum genus præclare exercens. Sub Constantino deinde Imperatore accercitus est, qui tunc temporis Ecclesiæ Gotthiæ præerat Episcopus, ad synodum, quæ sub eodem coacta fuit *h* adversus sacras imagines; rogatusque Actis ejus subscripsit: quamobrem et Metropolita Heracleæ Thraciæ ab Imperatore constitutus est.

D *Joannis ortus, patria, e d parentes, e g sanctitas, h*

2 Hac de causa fideles Gotthiæ orthodoxi, nihil sibi cum vanis illegitimæ synodi constitutionibus esse rati, imo et Pastore orbi, sanctum hunc Joannem sibi Antistitem postularunt. At ille prius ad sanctam Civitatem profectus, triumque mora annorum omnia sacrosancta ac divinis pedibus calcata loca religione veneratus, tandem in patriam rediit: nec multo post in Iberiam *i* a gentilibus suis missus ad Catholicam Sedem; illic Episcopus consecratus est, atque dogmata Catholicæ Ecclesiæ, rectamque fidem inviolatam servavit. Scribit itaque per Diaconum suum Longinum ad Patriarcham Hierosolymitanum, *k* ut synodum convocet, ad seque mittat fidei definitionem. Quod et factum *l* est. Nam excerpta tam ex veteri novoque Testamento, quam ex omnium probatorum Patrum scriptis testimonia, de sacrosanctis imaginibus, de venerandis Reliquiis, de intercessione Sanctorum, miserunt ad præfatum Sanctum.

iter Hierosolymitanum, E *reditus in patriam, i ordinatio et recta fides. k l Consulit Patriarcham Hierosol.*

3 Posteaquam vero e vivis excesserant Constantinus ac Leo Imperatores *m*; jamque Irene cum filio suo Imperii habenas moderabatur; misit Joannes illum ipsum monitorum libellum Paulo, tunc temporis sanctissimo Patriarchæ *n*; et obtenta securitatis fide ab Irene Augusta, venit Constantinopolim, ubi libere quibusvis de laudabili sacrarum imaginum in sancta Catholica Ecclesia usu locutus, remeavit ad suos. Paulus vero Patriarcha sanctissimus, cum mortem prospiceret, sanctum concepit propositum; eque palatio Patriarchali descendens, Monachum induit in monasterio Flori *o*, sanctæ Dei Genitrici sacro jurejurando obstringens Augustam, ut corrigeret errorem *p*.

m veniens CP. pro imaginibus perorat. n Mortuo Paulo, o F *p*

4 Tarasius *q* autem, primarius inter Secretarios, vir pius ac virtute præditus, propositus fuit post obitum B. Pauli Patriarchæ, a quo etiam suffragium pro Patriarchatu obtinuerat. Sed noluit is id sibi oneris imponi, priusquam spopondissent Imperatores, fore ut præfatam synodum congregarent. Ad quam cum e quatuor Patriarchalibus Thronis convenissent viri pietate et sacrarum litterarum scientia insignes, tamquam ipsorum Patriarcharum legati, simul cum congregatis undecumque terrarum Episcopis (inaugurato jam tum sacris B. Tarasio *r*) primum quidem consessum habuerunt in ecclesia sanctorum Apostolorum: cumque prædicarent dogmata orthodoxæ fidei, irruit eo multitudo Scholariorum *s* cum gladiis ac fustibus, synodumque dissolvit, ipsi etiam Imperiali Majestati injuriosa. Ejecti autem ideo ex iis in exilium sunt, cum uxoribus filiisque, circa sex mille; interque eos nonnulli etiam hæreticorum Episcoporum. Succedentibus deinde temporibus, iidem Episcopi, et qui Apostolici Throni locum obtinebant, convenientes Nicæam *t*, constituerunt orthodoxæ fidei definitionem.

q Tarasius fit Patriarcha CP. qui Synodum cogit, r s dissolutam a Scholariorum, ac Nicææ dein habitam. t

A 5 Post hæc sanctus Episcopus Joannes cum populo suo traditus est Præfectis Chazarorum, *v* quod ab ipso Gotthiæ Domino, Præfectis ejus et cuncto populo staret; non permissurus, ut dominarentur in regionibus suis prædicti Chazari. Immittens quippe Chaganus suos, cepit castrum eorum, quod appellatur Dorus *x*, imposuitque ei præsidium militare: quod inde præfatus Episcopus cum populo suo expulit et Elesuras *y* occupavit. Hinc videntes, sacrum Antistitem suum ab una regione traditum esse, confugerunt ad Chaganum; qui Domino Gotthiæ pepercit quidem, servos vero septemdecim peremit innoxios. Sanctus autem Episcopus, qui custodiæ mancipatus erat, nactus est occasionem fuga transferendi se Amastrim, *z* dilectam Christo civitatem: cumque ibi quadrimam duxisset moram, audito Chagani obitu, dixit: Ego quoque, Fratres mei, post dies quadraginta abeo, causam dicturus cum persecutore meo coram Deo ac Judice.

v Joannes suis consulens

x

y traditur hosti Chagano,

cujus custodiam elapsus venit Amastrim,

z

6 Ita usque ad quadragesimum diem sacram Scripturam docens, et ad salutifera quævis hortans omnes, in manus Dei spiritum tradidit: et continuo advenit navigium ejus, prout etiam prædixerat; impositumque sarcophago cadaver prosecuti sunt ad navem usque Georgius, sanctissimus Amastridis Episcopus, ac tota civitas cum incenso et cereis. Atque ita traductus fuit ad Parthenitas in monasterium suum, quod appellatur sanctorum Apostolorum; ibique depositus est. Accidit etiam miraculum quoddam in celeritate trajectus. Die quippe XXVI Junii mortuus Joannes, XXVII avectus est, appulitque XXIX, pervigilio Sanctorum in monasterium, quod ipsum Vir sanctus præclaris prædiis, vasis sacris, et omnis generis codicibus a se ornatum, multitudine sanctorum Monachorum impleverat.

ubi die prædicto moritur,

B

prosequente funus tota urbe,

et Parthenitis deponitur.

5 Ὁδὲ ὅσιος οὗτος] Ἐπίσκοπος Ἰωάννης μετὰ ταῦτα, D
μετὰ τοῦ ἰδίου λαοῦ, τοῖς Ἄρχουσι τῶν Χαζάρων ἐξεδόθη, διὰ τὸ συσταθῆναι αὐτῷ τx Κυρῷ Γοτθίας ... τοῖς Ἄρχουσι αὐτοῦ, καὶ παντὶ τῷ λαῷ, πρὸς το *Bene-* κατακυριοῦσαι τῆς χώρας αὐτῶν τοὺς εἰρημένους *et ex* ρους. Ἀποστείλας γὰρ ὁ Χαγάνος, παρέλαβε τὸ κά*atque* αὐτῶν τὸ λεγόμενον Δορὸς, θέεμνε νος ἑαυτῷ φύ*ulensis* ταξάτους, οὓς καὶ ἐξεδίωξεν] ὁ εἰρημένος ὅσιος ἘCCXVII πος μετὰ τοῦ λαοῦ αὐτοῦ, καὶ τὰς χλησούρας ἐκράτ... Ὅθεν εἰδόντες τὸν Ἀρχιερία ὑπὸ ἑνὸς χωρίου παραδοθέντα προσέφυγον τῷ Χαγάνῳ· καὶ τῷ μὲν Κυρῷ Γοτθίας φείσατο, δεκαεπτὰ δὲ δούλους ὁ Χαγάνος ἐκούρασεν ἀναιτίους. Ὁ δὲ Ὅσιος παραφυλαχθεὶς ἠδυνήθη διαδρὰς ἀντιπεράσαι εἰς Ἄμαστριν, τὴν φιλόχριστον πόλιν· κἀκεῖ ἐπὶ τετραετῆ] χρόνον περιαγόμενος, ἀκούσας τὴν τελευτὴν τοῦ Χαγάνου, ἔφη· Κἀγὼ, ἀδελφοὶ, μετὰ τεσσαράκοντα ἡμέρας ἀπέρχομαι δικάσασθαι μετὰ τοῦ διώκτου μου ἔμπροσθεν τοῦ κριτοῦ καὶ Θεοῦ.

EX MS. ORE G. H.

alibi cop

EX MS.

6 Καὶ οὕτως τῇ τεσσαρακοστῇ ἡμέρᾳ διδάσκων τὸν τοῦ Θεοῦ λόγον, καὶ τὰ πρὸς σωτηρίαν παραινῶν πᾶσιν, εἰς χεῖρας Θεοῦ τὸ πνεῦμα παρέθετο· καὶ αὐτίκα τὸ πλοῖον αὐτοῦ κατάλαβον, κατὰ τὴν αὐτοῦ πρόῤῥησιν, ἐμβαλλόμενοι αὐτὸν εἰς γλωσσόκομον, Γεωργίου τοῦ E
ἁγιωτάτου Ἐπισκόπου Ἀμάστριδος, καὶ πάσης τῆς πόλεως αὐτοῦ μετὰ θυμιαμάτων] καὶ κηρῶν προπεμψαμένων αὐτὸν ἕως τοῦ πλοίου· καὶ οὕτως ἀντεπέρασεν εἰς τὸ μοναστήριον αὐτοῦ, τὸ ἐπονομαζόμενον τῶν ἁγίων Ἀποστόλων, εἰς Παρθενίτας, καὶ κατετέθη ἐκεῖσε. Ὅπερ καὶ θαῦμα γέγονεν ἐν τῇ ταχύτητι τοῦ περάματος αὐτοῦ. Τῇ γὰρ εἰκάδι ἕκτῃ τοῦ Ἰουνίου μήνος κοιμηθέντος αὐτοῦ, καὶ τῇ εἰκάδι ἑβδόμῃ ἀπάραντος, τῇ εἰκάδι ἐννάτῃ, εἰς τὴν παννυχίδα ἔφθασε τῶν ἁγίων Ἀποστόλων ἐν τῷ μοναστηρίῳ, ὅπερ μοναστήριον πᾶσιν εὐκοσμίας κτίσεώς τε καὶ ἱερῶν σκευῶν, καὶ βιβλίων παντοίων κατακοσμήσας ὁ Ὅσιος, ὁσίων μοναχῶν πληθὺν ἐγκατέστησεν.

ANNOTATA C. J.

a *Inter Mæotidem paludem et Euxinum pontum ponendæ, ut in Commentario ostendimus.*

b *Nempe* Porphyrogenito, *qui Constantini Copronymi successor fuit: non* Isaurico, *uti Menæa addunt qui ejusdem Copronymi fuit decessor, anno* 741 *mortuus. Debet quidem sub Isaurico natus fuisse* Joannes, *cum, decessore ejus Gotthiæ Episcopo, sub annum* 754 *Heracleam translato, ipse Episcopus creatus fuerit, in ætate utique a sacris Canonibus requisita. Non tamen* floruisse *(ἀκμάσαι ut Mænea loquuntur) sub eodem potuit, annos ut minimum* 13 *ante Episcopatum* Joannis, *et fere sexaginta ante obitum ejus mortuo, quando* Joannes, *ne nimiam ei ætatem adscribamus, viginti aut paulo plures annos natus fuerit, nec dici tunc potest*
C floruisse.

c *A* Πέρα, *quod Constantinopolitanis significat* ultra fretum*: atque ita hodiedum* Pera *vocatur oppidum illic situm. Extenditur tamen notio* τοῦ περατιτίου, *ut non tantum significet,quod situm est* ultra fretum; *sed etiam quod* ultra mare. *In priori sensu accipit illud Theophanes pag.* 264 *sub finem anni* 16 *Heraclii: in posteriori vero, pag.* 318 *anno* 6 *Justiniani sub medium.* F

d *Menæa pro* χώραν *legunt* ἐξουσίαν, *loquunturque de regione, quæ* Gotthorum potestati *subjecta sit.*

e *De* milite Armeniaco *frequens mentio est apud Theophanem atque Cedrenum, ubi de imperio Constantini et Irenes. Videtur militia illa præcipuæ dignitatis fuisse, quia Imperator ipse Leo Isauricus filiam suam Artabasdo Armeniacorum Duci in matrimonium collocavit, teste Theophane ad annum* I *Leonis.* Κανδοφόρος *autem signifer esse videtur, et nominis interpretatio ex Armeniaca potius lingua quam aliunde petenda: ut autem quale* signum *id fuerit intelligamus, interrogatus Romæ anno* 1693 *Illustriss. Trajanapolitanus Episcopus Adeodatus, suggessit vocem* Candiem, *quæ Armenis* Palmam *significet: Joannes autem Pastritius ibidem in Collegio de Propaganda Lector Theologiæ putat, quod* Κοντοφόρος *legi possit, et* miles hastatus *significari. Addo ego: si* Κανδοφόρος *scriberetur, suspicari liceret, Equinam caudam, quæ Turcis hodieque præcipue nobilitatis vexillum est, Armenis quoque in usu fuisse, et Latino-græcam vocem hanc esse: sed auctorem invenire cuperem qui id asserat.*

f Ἐκ βρέφους *suppleo ex Menæis, quia id sensus et comparationes additæ postulare videntur.*

g *De Hieremiæ sanctificatione lege caput* I *Hieremiæ: de Samuelis vero per preces obtenti, adhuc infantis oblatione, Deo per matrem facta, vide caput* I *libri* I *Regum.*

h *Anno vulgaris Æræ* 754; *Constantini vero Copronymi, de quo hic agitur,* 13.

i *Orientalem intelligit, inter Pontum et mare Caspium sitam, quæ facilis e Gotthia per Pontum ipsum transvectio erat. Atque illic proximus fortassis fuit Catholicæ fidei Antistes, plerisque sub Patriarchatu C. P. constitutis, hæresi iconoclastica infectis: fortassis autem sicut Armeni, Metropolitam suum proprio titulo* Catholicum *appellant; ita etiam Iberi appellabant suum.*

k *Utinam hic nobis expressisset Auctor nomen Patriarchæ! Allaturus sine dubio fuisset aliquid lucis Historiæ*

A *riæ nostræ Chronologicæ Patriarcharum Hierosolymitanorum, tomo* 3 *Maji præmissæ, circa hæc tempora satis* D *obscuræ. Potest fuisse Patriarcha, ad quem Sanctus Longinum misit,* Theodorus, *quem anno* 741 *aut* 742 *or-*...*um putamus, verosimiliter superstes aliquot annos post conciliabulum C P. quo vacare cœpit sedes Episco-*...*Gotthiæ : in* ...*Sedem sublectus* Joannes, *triennium Hierosolymitanæ peregrinationi impendit. Tunc* ... *contrahere cum Patriarcha familiaritatem, et in patriam redux, thronoque Episcopali impositus, mox eum* ... *de recta fidei regula consuluisse potest.*

...*ondum alibi istius Synodi mentionem inveni : sed latent istic celebratæ procul dubio plures.*

... *Obiit Constantinus, Copronymus nempe, anno* 755 14 *Septembris, Leo vero ejus filius anno* 780 8 *ejus-*...*mensis ; succedente mox in imperium Constantino, sub tutela matris Irenes.*

n *Electus fuit* Paulus *auctore Theophane anno* 780 *Dominica* 2 *Quadragesimæ. Abdicavit vero sese anno* 784 *die* 31 *Augusti. Atque ita male cœptum Patriarchatum pœnitens reliquit, ac religiose paulo post obiit, meritus hocce elogium apud citatum Theophanem; quod* venerabilis vir extiterit, misericordiæ operibus mirum in modum addictus, omnique reverentia dignus; cui plurimum fidei habebat tum Respublica, tum Imperatrix ipsa. *Plura de* Paulo *dederunt Acta S. Tarasii cap.* 2, *edita a nobis* 25 *Februarii.*

o *Hujus ipsius monasterii meminerunt paucis decessores nostri ad cap.* 2 *Vitæ prædicti S. Tarasii die* 25 *Februarii. Meminit ejusdem etiam Cangius in sua CP. Christiana, atque pro eodem accipit monasterium* Flori ; *et monasterium, aut potius ecclesiam,* sanctorum Flori et Lauri. *Sed pace eruditissimi Viri existimabo, aliter sentiendum, et monasteria illa inter se separanda esse : idque imprimis ob diversum de uno atque altero loquendi modum scriptoribus usitatum. Nam de primo simpliciter loquuntur absque epitheto* Sancti *aut socio* Lauro. *Theophanes enim pag.* 385, *ubi de Pauli abdicatione, ait, habitum ab eo mutatum* ἐν τῇ μονῇ τοῦ Φλώρου, *et antea dixerat pag.* 307 *de Gregorio quodam, quod esset* Ἡγούμενος τῶν Φλώρου. *Similibus loquendi modis utuntur S. Nicephorus in Breviario pag.* 115; *Cedrenus pag.* 370 *et* 443; *nec non Vita S. Tarasii,* B *nuper e bibliotheca Cæsarea nobis descripta ; quæ monasterium idem* σεμνεῖον τῶν Φλώρου *appellat. Is autem* E *loquendi modus nihil sanctitatis Floro attribuit, sed potius innuit, conditorem monasterii ipsum fuisse : uti de aliis ecclesiarum aut monasteriorum conditoribus passim alibi legitur. Nimirum* τοῦ μονὴ *vel* τῶν Ἀετίου, Ἀλεξίου, Καλλιστράτου, Δαμιανοῦ, Μαρτινάκου, Πικριδίου, Σμαράγδου; *item* τῆς Εἰκασίας, *et sic de aliis sexcentis, quæ significant monasteria a nominibus conditorum suorum appellata,* Aetii, Alexii, Callistrati, Damiani, Martinaci, Picridii, Smaragdi, *et* Icasiæ, *quæ, teste Codino,* Sanctimonialis piissima *monasterium extruxit, nomine suo insignitum. Jam vero de secundo monasterio non simpliciter et tamquam de persona profana loquuntur, sed expresse addunt sanctitatis vocabulum et Martyrii socium, uti supra scripsimus. E Cangio citato patescit etiam clarius eadem distinctio ex hac Joannis Vita, quæ Paulum narrat Monachum induisse in monasterio* τῆς ἁγίας Θεοτόκου τῶν Φλώρου, Sanctæ Dei genitricis Flori, *aut potius* Monachorum Flori. *Quod innuit, monasterium* Flori, *seu a* Floro *fundatum, dedicatum fuisse sanctæ Dei genitrici.*

p *Publicum nempe, hæreseos iconoclasticæ : quem Paulus ipse apud Theophanem Patricios alloquens, vocat* Σφάλμα τὸ ὂν ἐν τῇ μέσῃ ὑμῶν, errorem inter ipsos obtinentem.

q *Fuit hic rectæ fidei reparator, meruitque inter Sanctos adscribi, et a nobis referri cum præclara Vita* 25 *Februarii.*

r *Contigit ordinatio* S. Tarasii *anno* 784 *die* 25 *Decembris festo Nativitatis Domini nostri Jesu Christi.*

s *Sunt* Scholarii, *milites prætoriani seu palatio ac Principi a custodia : qui* 17 *Augusti anno* 786 *turbarunt vix inchoatum CP. Synodum.*

t *Fuit hoc Concilium, Nicænum secundum, Generale septimum, inchoatum* 24 *Septembris anno* 787.

v *De* Chazaris *eorumque origine ac progressu plura diximus in Commentario prævio* § IV : *ubi et de* Chaganis, *Chazarorum principibus.*

x *Idem videtur locus, quem Theophanes* Daras *appellat, ubi Justinianus profugus convenit Chaganum, ejusque filiam uxorem duxit. Vide Theophanem ad annum* 6 *Tiberii Apsimari.*

y *Ecgraphum* Ἐλησούρας. *Fortassis commodius legetur* Κλεισούρας, *quod claustra, seu angustos inter montes transitus sonat, estque usitata in similibus vox apud Theophanem.* F

C z *Græce* εἰς Ἄμαστριν, *addunt Menæa* τὴν κατὰ Πόντον. *Est nempe notissima civitas, in ponti Euxini littore meridionali.*

CAPUT II.

Sancti, adhuc viventis, miracula quædam.

Discipulum suum bis captum Fuit hic Sanctus multis gratiis per fidem atque opera cumulatus, quibus et loco longe remota et tempore futura divinitus revelabat, et eloquebatur. Longinus *a* enim discipulus ejus, dum e sancta civitate Jerusalem revertens a Saracenis captus et in Cruce sublimis elatus esset, sancti Patris orationes implorans, conspicuum sibi ante oculos ipsum habuit : et continuo Protonotarius Amerei, exhibens quingenta miliarisia *b*, ipsum reduxit libertatique restituit. *bis liberat absens ;* At vero iterum ab aliis detentus, iterum ad Sanctum recurrit, orans inde ut eriperetur ; et subito decidentibus ex ejus pedibus catenis, salvus evasit. Discipuli quoque ipsius in eodem carcere, ubi ipse Sanctus a Chazaris detentus et fuga elapsus in Romaniam *c* fuerat, inclusi, et coram Chagano *uti et alios ;* præsentati, jamque ab hoc morte damnati, precibus Sancti incolumes abire permissi sunt ; dicente Cha-

Οὗτος ὁ Ὅσιος ἀνὴρ πολλοῖς χαρίσμασι διὰ πίστεως καὶ πράξεως κοσμηθεὶς, τὰ πόρρω καὶ τὰ μέλλοντα θεόθεν ἀποκαλύπτετο καὶ ἐλάλει. Λογγῖνος γὰρ, ὁ μαθητὴς αὐτοῦ, ὑποστρέφων ἐκ τῆς ἁγίας πόλεως Ἱερουσαλὴμ, καὶ ὑπὸ τῶν Σαρακηνῶν κρατηθεὶς καὶ σταυρῷ ὑψωθεὶς, τοῦ Ὁσίου τὴν εὐχὴν ἐπικαλεσάμενος, ἐφάνη αὐτῷ ὀφθαλμοφανῶς ὁ Πατὴρ, καὶ αὐτίκα ὁ Πρωτονοτάριος τοῦ Ἀμηρέου πεντακόσια δοὺς μιλιαρίσια, τοῦτον κατήγαγε καὶ ἀπέλυσε. Καὶ αὖθις ὑπὸ ἑτέρων κρατηθεὶς, τῷ Ὁσίῳ ἐντυγχάνων καὶ δεόμενος τοῦ ῥυσθῆναι, ἄφνω τῶν σιδήρων ἐκ τῶν ποδῶν αὐτοῦ ἐκπεσόντων, διεσώθη. Καὶ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ τῶν ὄντων ἐν τῇ φυλακῇ, ἐν ᾗ παρεφυλάττετο ὑπὸ τῶν Χαζάρων, φυγόντος αὐτοῦ εἰς Ῥωμανίαν, κρατηθέντων, καὶ τῷ Χαγάνῳ παραστάντων, καὶ κουρασθῆναι ὑπ' αὐτοῦ ὁρισθέντων, τῇ τοῦ Ὁσίου εὐχῇ ἀπελύθησαν ὑγιεῖς· φήσαντος τοῦ Χαγάνου, ὅτι οὗτοι πταῖσμα οὐκ ἔχουσιν. Ὅθεν τῇ αὐτῇ ὥρᾳ, ὅτε παρεστᾶσαν

A παρέστησαν τῷ Χαγάνῳ, ὁ Ὅσιος ἐν Ἀμάστριδι, τὸν κανόνα τελέσας τοῦ ὄρθρου, καὶ ἔξω τῆς ἐκκλησίας ἐκτείνας τὰς χεῖρας ἦν εὐχόμενος ἕως ὥρας τρίτης· ὥστε ἐπὶ πῆχυν ἕνα ὁραθῆναι αὐτὸν κρεμασθέντα· καὶ ἐρωτηθεὶς παρὰ τοῦ γνησίου αὐτοῦ, τίνος χάριν ἐξέτεινε τὴν εὐχὴν, ἔφη, Ὅτι τῇ ὥρᾳ ἐκείνῃ, τέκνον, οἱ ἀδελφοὶ ἡμῶν τῷ Χαγάνῳ παρέστησαν, καὶ ὁ ἀγαθὸς καὶ ἐλεήμων Θεὸς ἐῤῥύσατο αὐτοὺς ἐκ θανάτου.

8 Μοναχός τις, Βασίλειος τοὔνομα, μαθητὴς τοῦ Ὁσίου, ἐᾶσαι αὐτὸν καὶ ἀναχωρῆσαι πολεμηθεὶς, καὶ μὴ τολμῶν ἀναθέσθαι τὸν λογισμὸν αὐτοῦ καὶ ἀπολυθῆναι· τοῦτον διήλεγξεν ὁ Ἅγιος τρόπῳ τοιῷδε. Ἐν Κουρασαίτοις τῷ ἐμπορίῳ ἀναπαυόμενος εἰς ἐκκλησίαν ἦν ὁ Ὅσιος, ἐν ᾗ ἔνδον ὑπῆρχεν μνήματα πλεῖστα· ὁ δὲ ταῖς νυξὶν ἀνιστάμενος καὶ εὐχόμενος, τούτοις ὥσπερ ζῶσιν διελέγετο, καὶ τις τῶν μαθητῶν τοῦ Ὁσίου, ἀκήκοε τῶν νεκρῶν, φωνῇ ἀποκρινομένων, καὶ συλλαλούντων τῷ Δικαίῳ. Πάλιν τε ἐν ἑτέρᾳ νυκτὶ εὐχόμενος ὁ Ὅσιος, ἔφη πρὸς τοὺς κειμένους νεκροὺς, Ἕως πότε, ἀδελφοί, κατάκεισθε καὶ οὐ λαλεῖτε; ἰδοὺ Βασίλειος ὁ μαθητής μου νεκρός ἐστι, καὶ λαλεῖ· καὶ τοῦτο γρηγορῶν ὁ Βασί-
B λειος ἀκούσας, ἔγνω, ὅτι τὰ βεβουλευμένα αὐτῷ ἀπεκαλύφθη τῷ θεοφόρῳ Πατρί· καὶ πεσὼν εἰς τοὺς πόδας αὐτοῦ, τὰ ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ πάντα διήγγειλε, καὶ τούτων τὴν συγχώρησιν ᾔτησεν.

6 Ἐν δὲ τῇ φυλακῇ τῶν Φούλων τοῦ Ὁσίου καθεζομένου, ὁ Κύριος τῶν αὐτῶν Φούλων ἐλθὼν, ἔῤῥιψεν εἰς τοὺς πόδας αὐτοῦ τὸ παιδίον αὐτοῦ, τετραυματισμένων ἀπὸ κεφαλῆς ἕως ποδῶν, ὥστε μὴ ὁρᾶσθαι αὐτῷ εἰκόνα περικεῖσθαι ἀνθρώπου· τοῦτο σφαγίσας, καὶ βαπτίσας, καὶ ἀγκάλαις δεξάμενος, αὐτίκα ἐκαθαιρίσθη. Ἕτερός τίς, ἀδίκως ἐπιμεμφόμενος τῷ Ὁσίῳ, ὡς αἰτίῳ γενομένῳ τοῦ παραδωθῆναι τῷ Χαγάνῳ τὸ κάστρον τῆς Γοτθίας, καὶ τῶν ἀδίκως ἀποθανόντων, ἄρας τὸν πόδα αὐτοῦ πρὸς τὸ ἐπικαθίσαι τῷ ἵππῳ διαμεμφόμενος, πρηνὴς πεσὼν ἐξέψυξε. Δύο τίνες διαμαχόμενοι πρὸς ἀλλήλους περὶ οἴνου, ὄντος ἐν πίθῳ, καὶ μὴ εἰρηνεύσαντες μεσιτεύσαντος τοῦ Ὁσίου, ἀπελθόντες, εὗρον τὸν φιλονεικούμενον οἶνον ἐν τῷ πίθῳ παγέντα· καὶ τοῦτον ὡσεὶ τυρὸν κατακόψαντες, ἔξω ἔβαλον.

10 Καὶ ἕτερα δὲ θαύματα πλεῖστα ἐποίησεν ὁ Ὅσιος, ἅτινα οἱ τῆς χώρας ἐκείνης πᾶσιν ἀναφανδὸν διηγούμε-
C νοι, εἰς κατάνυξιν καὶ πρὸς Θεὸν ἐπιστρέφειν τοὺς ἐνωτιζομένους ἐνάγουσιν. Διὸ, Πάτερ ἅγιε καὶ θεόπνευστε, καὶ τῆς ὀρθοδόξου πίστεως διαπρύσιε κῆρυξ, καὶ φύλαξ τῶν θείων καὶ ἱερῶν δογμάτων, μέμνησο καὶ ἡμῶν, τῶν ἀναξίων καὶ ἁμαρτωλῶν· εἰ καὶ τῷ ζήλῳ τῷ θείῳ καὶ διαπύρῳ τῆς σῆς εὐσεβείας πολὺ ἀπελήφθημεν· ἀλλ᾽ οὖν τῇ πρεσβείᾳ σοῦ στήριξον ἡμᾶς, ὅπως ῥυσθείημεν τῆς ἐπιβλαβοῦς κοινωνίας τῶν ἁγιακαυστῶν καὶ ἀκαθάρτων αἱρετικῶν, καὶ τύχοιμεν σὺν σοὶ τῆς αἰωνίου ζωῆς· ὅτι εὐλόγηται καὶ δεδόξασται τὸ πανάγιον ὄνομα τοῦ Πατρὸς, καὶ τοῦ Υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος, νῦν, καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

gano, quod ipsi nullum piaculum admisissent. Ea- D
dem quippe hora, qua coram Chagano isti adstabant, Vir sanctus in Amastride persolvebat canonem m[illegible]tutinum, et extra ecclesiam protendens ma[illegible] tioni operam dabat ad Horam usque tertiam[illegible] ex uno cubito videretur suspensus : interrogat[illegible] a quodam suo familiari, quamob causam ita[illegible]gum protraxisset orationem, dixit; Quonia[illegible] tempore, fili mi, fratres nostri coram Chag[illegible] adstabant; et benignus ac misericors Deus mort[illegible] ipsos eripuit.

Occulta Monachi cogitata,

8 Monachus quidam, cui nomen Basilius, discipulus sancti Patris, gravi tentatione conflictabatur, ut ipsum relinqueret abiretque; nec audebat exponere ei mentem suam ut dimitteretur. Isthunc redarguit Sanctus tali modo : In emporio Curasaitorum quiescebat ipse in templo, ubi plurima erant monumenta; surgebat autem noctu, et orationi vacans, cum mortuis, perinde acsi viverent, colloquebatur : mortuos vero unus aliquis discipulorum ejus audivit, intelligibili voce respondentes et colloquium prosequentes. Alia rursum nocte similiter orans Sanctus, ad circumposita conversus monumenta : Quousque tandem, inquit, jacetis ac non loquimini, Fratres? Ecce Basilius, discipulus meus, E
mortuus est, et loquitur. Quod ipsum audiens, dum forte vigilabat Basilius; cognovit; quæ mente agitabat, divino Patri suo revelata esse; et procidens ad pedes ejus, quidquid premebat corde, explicuit, ac veniam petiit.

cum mortuis colloquens,

se scire indicat.

Puerum omni ex parte saucium sanat. d

9 Sedebat aliquando vir sanctus in carcere apud Phulos *d*; cum ipsorum Phulorum Dominus accurrens, posuit ad pedes ipsius puerum suum, a vertice capitis usque ad plantam pedis ita saucium lepra, ut nulla videretur superesse hominis forma : quem ipse signans Cruce baptizavit; et ulnis suis amplexans, illico mundatum sanavit. Alius quispiam, injuste incusans Sanctum, quasi causa fuisset tradendi Chagano castri Gotthiæ et inique occisorum, dum pedem allevat, equum conscensurus, inter calumniandum, pronus in terram ruens, spiritum evomuit. Duo quidam contendebant inter se implacabiliter de cado, vini pleno; qui intercedente Sancto digressi, compererunt vinum, contentionis causam, in cado coagulatum; illudque adinstar casei scindentes, inde ejecerunt.

Calumniator Sancti subito cadit ac moritur.

In pœnam contendentium coagulatur vinum.

10 Alia quoque miracula Sanctus patravit plurima, quæ regionis istius incolæ palam omnibus F
enarrantes, auditores suos ad compunctionem inducunt, ad Deumque convertunt. Quam ob rem, Pater sancte, et spiritu divino plene, atque orthodoxæ fidei præco conspicue, nec non custos divinorum atque sacrorum dogmatum, memento nostrum indignorum ac peccatorum : etsi enim a divino atque inflammato zelo pietatis tuæ multum boni perceperimus, nihilominus confirma nos, ut liberemur a noxia societate illorum, qui res sacras comburunt, turpium hæreticorum, ac tecum aliquando compotes fiamus æternæ vitæ : quia benedictum et glorificatum est sanctissimum nomen Patris, et Filii, et Spiritus sancti, nunc et semper, et in secula seculorum. Amen.

Invocatur Sancti auxilium contra Iconoclastas.

ANNOTATA C. J.

a *Supra is dicitur Diaconus Sancti fuisse, per quem scripsit ad Patriarcham Hiersolymitanum, fortassis et ipsum eo misit, per viam lapsum in pericula hic enarrata.*

b *Est* Miliarisium *Græcis pars duodecima numismatis, continetque in se folles, quæ minutissimæ monetæ species est, viginti duos, teste Joanne Meursio.*

c *Constat ex capite præcedenti elapsum fuga Joannem pervenisse* Amastrim. *Cum vero hic dicatur pervenisse in* Romaniam; *consequitur, Amastrim, quæ provinciæ Paphlagoniæ civitas Episcopalis est, etiam in Romania latius patente sitam esse. Nolim enim putes, pervenisse in Thraciam, quæ hodiernis Geographis* Romania *scribitur:*

A *tur : sed notes velim,* Romaniam *olim pro imperio Romano, tum orientali, tum occidentali seorsim, tum præcipue* D
EX MS. *et simpliciter pro utroque simul acceptam sæpius fuisse ; uti videbitur in sequentibus. Theophanes anno* 12 *He-*
...lii, Ciliciam in Romania ponit, cum sic loquitur : Persarum Dux eductis secum copiis suis in Ciliciam pro-
...ου, καὶ ... sperans se ita, irruptione in Romanorum ditionem *(Græce* ἐν Ῥωμανίαν) Heraclium e Perside
καὶ ἐν τῇ ...arum. *Idem ad annum* 5 *Leonis Chazares seu Porphyrogeniti dicit, Arabum Ducem expedivisse filium*
Οὗτος ... Romaniam, ipsum vero remeasse in sanctam civitatem. *Epiphanius hæresi* 46 *refert, Manem, e*
Ἱερερίας ...m *ditione egressum,* Romaniam *intrasse. Idem hæresi* 49, *Constantinum, inquit, per* totam Roma-
...νῆς *...imisisse litteras contra Arium. Athanasius Epistola ad Solitarios, appellat Romam* Metropolim Roma-
...ὺν; *et Possidius in vita S. Augustini Vandalos,* Romaniæ eversores. *Notari hic iterum velim apud Theophanem citatum et alibi, nec non apud recentiores Græcos, per* Romaniam *fere intelligi* Asiam minorem, *aut certe eam Asiæ partem, quæ Romano Imperio suis temporibus subdita erat. Unde nunc etiam a Turcis appellatur* Rum-ili, *quod est regio Rumæorum sive Romanorum, uti testatur Leunclavius.*

d Phuli *castrum vel oppidum aliquod in Chazaria fuerit, ubi custodiebatur Sanctus : idque mihi persuadet eorumdem* Κύριος *sive Toparcha, eodem modo dictus, quo supra* Κύριος τῆς Γοτθίας.

DE S. PAPOLENO EPISC. ET ABB.

G. H.

STABULENSI ET MALMUNDARIENSI IN BELGIO

Sylloge notitiarum et actorum ejus, cum diplomate Regio.

B CIRCA DCC.

Cultus sacer,

Egimus jam de *S. Baboleno, Abbate primo monasterii Fossatensis in agro Parisiensi, cumque alium ostendimus* a S. Papuleno, *aliis* Bapoleno *et* Baboleno, *Abbate secundo monasteriorum Stabulensis et Malmundariensis : quorum res gestæ adeo permistæ fuerunt, ut eorum veneratio ad eumdem hunc* XXVI *Junii celebretur, apud Fossatenses et Stabulenses ac Malmundarios; difficulterque exponi possit, in silentio Usuardi, Adonis, Notkeri et aliorum antiquorum Martyrologorum, penes quos prior ac vetustior fuerit ejusmodi observantia, quæ potissimum substitit in ipsis monasteriis. Joannes Molanus in Additionibus ad Usuardum, sub finem etiam repetito die, ista scribit :* Sexto Kalendas Julii S. Baboleni Abbatis et Confessoris. *Idem deinde in Indiculo Sanctorum Belgii, semetipse explicat his verbis :* S. Balolenus, Abbas et Confessor, successit in Stabuleto S. Remaclo immediate, per resignationem Abbatiæ. Ibidem quiescunt ejus Reliquiæ, et altare habet in sui honorem consecratum, atque festum duplex majus sexto Kalendas Julii. Est in patria et diœcesi Leodiensi. *Eadem eodem die habet in Natalibus Sanctorum Belgii : et quia asserit, se Historiam non vidisse, profert testimonium Nodgeri in Vita S. Remacli, ad* C *diem* III *Septembris illustranda, quod est hujusmodi.*

A S. Remaclo ordinatus Malmundariensis Abbas,

2 Dominus et Pater Bapolenus, ad Remaclum invisendi quidem causa venit, sed ejus inhærere magisterio, quam domum redire maluit. Receptus a B. Remaclo officiosissime, vixit apud eum sine offensione : quique instruendus eo venerat, complures suis exemplis ad virtutis studium excitavit. Cernens id B. Remaclus, secumque cogitans ea causa eum missum fortassis a Domino, rogavit ne discederet. Eum præterea, ob Fratres in disciplina continendos, Malmundariensi cœnobio, salva in omnibus auctoritate sua, præfecit. *Hæc ibi.* Deinde, *inquit Molanus,* in fine libri habet, B. Remaclo successisse S. Papolenum, virum Apostolicum, cujus supra fecit mentionem. *Aubertus Miræus, in Fastis Belgicis et Burgundicis, ista sic confirmat :* S. Babolenus Abbas, primum Malmundario, post Stabuleto Abbas præfuit, S. Remaclo ad Superos evocato. Corpus ejus quiescit Stabuleti, ubi aram habet nomini suo dicatam. *Multa etiam congerit Bartholomæus Fisen in Floribus Ecclesiæ Leodiensis. Successionem istam et tempus, quo S. Papolenus præfuit, indicat diploma genuinum Chlodovei tertii, sub hoc titulo.* Exemplar præcepti Chlodovei Regis, dati Palopano Abbati, de quadam commutatione.

eidem successit in Stabulensi :

3 Chlodoveus Rex Francorum, illustri Aerico Duci et Charievio Comiti. Quoties inter anteriorum E Regum Celsitudinem et congregationem sanctam Monachorum per instrumenta chartarum, de qualibet re facta fuerit commutatio, oportet scripturarum seriem inter partes per nostram præceptionem convenire. Ideo vir Apostolicus Domnus et Pater noster Papolenus Episcopus, Clementiam regni nostri suggessit, eo quod Domnus noster et avunculus Childericus quondam Rex, una cum antecessore suo Remaglo Episcopo quondam vel suis Monachis, ubi ipse ad monasteria Malmundario et Stabulao Custos esse videtur, locella aliqua commutassent. Unde accepit pars Domni et avunculi nostri Childerici quondam Regis locellum, cui nomen Athetasis, cum hominibus ibidem commanentibus et omne peculiare eorum, vel terras eorum quas excolere videntur, his nominibus, Radefrido cum nepotibus suis, Berthramno, Aganulfo, item Radefrido, Sigofrido. Pro ipsa re in commutatione ipse Pontifex accepit de filio nostro locellum, qui dicitur Maipa, cum hominibus ibidem commanentibus, his nominibus Adolino, Altone et Winsgario, cum terris quas excolere videntur, et omne peculiare eorum ; ut hæc pars ipsi Pontifici et suis Monachis in perpetuo tempore de- F beant permanere. Unde et commutationem ipsius Principis, etiam suis manibus roboratam, nobis in præsenti ostendit relegendam. Quod pro firmitate studuimus petitiones eorum plenius circa ipsa monasteria vel congregationem sanctam confirmari præceptum. Cui nos hoc beneficium præstitisse vel confirmasse, et in omnibus concessisse cognoscite. Præcipientes enim ; ut quidquid constat per inspectam ipsam commutationem ipsius Principis, juste et rationibus inter ipsum et gloriosum Domnum Remaglum jam dictum Pontificem fuit commutatum aut concambiatum, tam terris, curtibus, casis, campis, silvis, aquis, aquarumque decursibus, mancipiis, ædificiis, vel reliquis rebus atque corporibus, Domnus ac Pater noster Papolenus Episcopus ad partem jam dictorum monasteriorum Malmundario et Stabulao, per nostrum Præceptum plenius confirmato, perennibus temporibus habeat confirmatum atque indultum. Et ut hæc Præceptio nostris et futuris temporibus firmiorem obtineat vigorem, manus nostræ signaculo subter eam decrevimus adfirmare. Signum Chlodovei gloriosi Regis. Datum quando facit mensis Junius dies XXV, anno secundo regni nostri. Namuche recognovi.

a Chlodoveo III Rege Episcopus appellatur,

4

A 4 *Erat sigillum ex litteris Regii nominis more illius ævi effictum. Annus signati hujus diplomatis est* DCXCIV *aut proxime sequens. Successit S. Remaclo, inter quem et S. Papolenum non fuit Godwinus, uti aliquando ex subscriptionibus sed adulteratis scripseram. Verum ut nos docuit Benedictus delle Rive, monasterii Stabulensis Sacerdos, bibliothecæ et archivii Præfectus, post* S. Papolenum *fuerunt Abbates Sigolinus et dein Godwinus tempore Theoderici, filii Dagoberti II, et nepotis S. Sigeberti, qui regnavit ab anno* DCCXX *usque ad annum* DCCXXXVII. *Præterea, quod alii non observarunt,* Papolenus, *in jam dato Præcepto, bis appellatur* Episcopus, *scilicet ut præponitur* Apostolicus, *nulli certæ Sedi affixus : atque videtur Roma advenisse cum variis Reliquiis Sanctorum, interque has attulisse corpus S. Symmetrii Presbyteri et Martyris, et in parochia Lædernaco deposuisse, ubi ut præcipuus Patronus colitur die* XXVI *Maji, quo nomen Symmetrii est Martyrologio Romano adscriptum : uti ad dictum diem deduximus.* D

post S. Remaclum, non Godwinum,

videtur attulisse Reliquias S. Symmetrii:

AUCTORE G. H.

5 *Arnoldus Wion in Martyrologio monastico Benedictino, etiam refert* S. Babolenum Abbatem, *et ex Molano et Vita S.* [illegible] *sua confirmat dicta, atque eum* successisse in [illegible] monasterii Stabulensis S. Remaclo : *verum* [illegible] *addit*, anno DCCXVIII, fuisseque postmodum [illegible]atem Luxoviensem, et fundatorem monasterii Fossatensis. *Similia aut etiam plura nihilo aptius congerunt Menardus et Bucelinus, et cum iis Saussayus in Martyrologio Gallicano. Quæ apud Carolum Cointium et Joannem Mabillionem melius corriguntur. Consule quæ nos de* S. Boboleno Abbate Fossatensi *jam retulimus hoc ipso die* XXVI *Junii, nonnulla inter homonymos distinguentes.*

alibi plura confunduntur.

DE SS. SALVIO EPISCOPO

ET SUPERIO EJUS DISCIPULO

B MARTYRIBUS PROPE VALENCENAS IN BELGIO E

G. H.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§. I. *Distinguendi tres male confusi. Acta triplicia.*

Sæc. VIII.

Joannes *Molanus inter suas Additiones ad Usuardum secundæ et tertiæ editionis, observat* S. Salvii et socii historiam extare manuscriptam et vetusto stylo et recentiori. *Nos eam vetusto stylo habemus et damus ex septem illustribus codicibus MSS. scilicet Aroasiensi, Canonicorum Regularium in Artesia; Audomaropolitano, Ecclesiæ Cathedralis; Vallis-Lucentis, diœcesis Senonensis Ordinis Cisterciensis, a Petro Francisco Chiffletio Societatis Jesu nobis Divione donato; alioque a Ludovico Nicqueto, Bibliothecario Suessionensium Cœlestinorum submisso; tum demum ex MSS. tribus nostris, quorum unum antiquitate Characterum æstimabile est. Auctor est coævus, ut qui num.* 14 *testatur* Winegarium, *qui hos duos Martyres occiderat,* usque in diem mortis suæ, pascuæ gregum in servitio S. Salvii Episcopi deservire se vidisse : vidisse *etiam* et audivisse miracula *ibidem patrata* : Ubi, *inquit,* nobis adstantibus pluri- C mi sanitatem pristinam recipere meruerunt. *Potuit ergo ex relatione eorum, qui Sanctos occiderant, cuncta accurate cognoscere, atque, uti sub finem asserit,* solerter scribere.

Acta dantur ex 7 MSS. hactenus inedita

auctore coævo,

2 *Alia Acta habemus recentiori stylo exornata, a Philippo Priori, dein Abbate Bonæ-Spei, Ordinis Præmonstratensis in Hannonia, qui ea inscripsit* Hugoni Ecclesiæ S. Salvii venerando Priori, *quem circa annum* MCXLVI *vita functum esse asserit Henricus d'Outreman, par.* 3 *Historiæ Valentianæ cap.* 2. *Sunt ea Acta inter opera Philippi anno* MDCXX *typis Duacenis excusa, quæ Rosweidus contulit cum MS. codice monasterii S. Foillani Ordinis Præmonstratensis in Hannonia, et alio MS. Prioratus Benedictinorum S. Salvii; in quo diversus præponitur Prologus, et nonnulla, potissimum numero 8, ex prioribus Actis inseruntur. Tertia Acta habemus ex vetusto etiam codice MS. Trevirensi monasterii S. Maximini, quæ videntur ante tempora Philippi Bonæ-Spei conscripta; possentque etiam ipsa, et quidem secundo loco edi, nisi grave plerisque videretur subinde duplicia, nedum triplicia ejusdem Sancti Acta, uno in opere collecta legere. Quare non placet, hisce solo stylo diversis augere molem operis.*

alia duplicia omittuntur,

3 *Quia vero in prædictis Actis non exprimitur* Cathedra Episcopalis S. Salvii, *posteri inceperunt plures ejusdem nominis sanctos Episcopos in unum conflare. Ac primo qui Vitam a Philippo Bonæ-Spei compositam accepit, et abjecto hujus Prologo, alium in MS. Prioratus S. Salvii substituit; hunc in eo appellans* egregium Præsulem Ambianensium, ejusque socium Superium. *Ambianensis Vitam dedit Bollandus* XI *Januarii, Galesinium Maurolycumque secutus, quibus etiam alios haud multo vetustiores adjecit. Sed hi simul omnes non merebantur postponi auctoritati ipsius ecclesiæ Monasteriolensis, ubi corpus; et Ambianensis, cui præfuit; quarum prima ipso mortis suæ die* XXVIII *Octobris Patronum colit; altera, propter Apostolorum potius festum, die sequenti; maxime cum* XI *Januarii nihil uspiam de eo fiat. Illum autem cum eo qui Valentianis colitur confundendi, hoc quoque occasionem dedisse potuit, uti nobis notavit Claudius Castellanus Canonicus Parisiensis, quod prope Monasteriolum in Pontivo sit vicus* Valencendres *dictus, nomine haud multum abludente a* Valenciennes. *Seculo* XIII *et* XIV, *B. Vincentius Bellovacensis lib.* 24 *Speculi historialis cap.* 23, *S. Antoninus par.* 2 *tit.* 4, *cap.* 4, *et Petrus de Natalibus lib.* 2 *Catalogi cap.* 65 *tres Sanctos Episcopos.* Salvios *in unum conflarunt; quod etiam factum est in Prologo Actis primis præfixo, ut in supracitato MS. Vallis-Lucentis, nec non in MS. Ultrajectino S. Salvatoris, quod sic incipit :* Beatus Salvius, temporibus Chilperici Regis Francorum, civitatis Ambianensium Cathedra residebat, multisque pollebat virtutibus. *Ac deinde ab omnibus istis asseritur, Chilpericum lapsum in Sabellianismum, et a* Salvio Episcopo *emendatum, quem tamen Salvium Gregorius Turonensis lib.* 5 *Historiæ cap.* 45 *vocat* Episcopum Albiensem, *mortuum circa annum* DLXXXV, X *Septembris, ad quem diem est Martyrologio Romano inscriptus. Vitam* S. Salvii Episcopi Ambianensis *dedimus, ut dixi,* XI *Januarii, et* S. Honorati decessoris *ejus* XVI *Maji, quem arbitramur ad Christum migrasse circa annum* DC, *eique tunc sub Chothario II successisse Salvium : quo etiam tempore erat Burgundionum Rex Theodericus.* F

quidam eum non distinguunt

ab Ambianensi

et Albiensi.

4 *Procul ergo ab hisce Episcopis distat* S. Salvius

Auctore G. H. Venit Valentianas sub Carolo Martello

vius Episcopus, *qui Valentianas venit seculo Christi* VIII, *sed dubitatur num sub Carolo Martello, an vero sub Carolo Magno; quæ controversia est potissimum ex prioribus Actis resolvenda. Hæc vero videntur magis favere Carolo Martello, qui proprie Dux Francorum fuit. Atque ita Auctor coæ*[illegible] *num.* 12, Revelatum est, *inquit*, visione A[illegible] [illegible]iosissimo Duci Francorum Carolo, ut [illegible] [illegible]teret ad Valentianas fiscum. *Cui* [illegible] [illegible]*ce dixit* : Rogavi te, qui es Dux [illegible] [illegible]xercitus Domini ... Expergefactus Dux accersivit et convocavit. *Dein num.* 13 : Misit isdem gloriosissimus Karolus, Dux Francorum, nobilissimos viros ex domesticis ... et interrogaverunt Genardum Missi et domestici Ducis. *Hactenus relata, non sunt transferenda ad Carolum Magnum, vivente adhuc patre Pipino, imo cum ipso, coronatum Regem, ejusque dein mortui successorem : sed ad Carolum Martellum Ducem spectant, qui etiam Reges constituit;* Chlotarium *scilicet, eoque mox defuncto* Teotricum,*sive* Theodericum *anno* DCCXX, *de quo Clothario vel Theoderico possit intelligi auctor, ubi scribit, quod* domestici Regis dixerunt : Per salutem Domini nostri Karoli diversis pœnis et tormentis te afficiemus : *et mox num.* 14, Magistratus Regis apprehenderunt Genardum cum filio Winegardo et Winegarium servum... et adduxerunt eos ante conspectum Regis, et dixerunt ei : Isti sunt Rex, viri sceleratissimi... Intuens eos Rex dixit ... Quare regnum nostrum, quod dedit nobis Deus ad regendum, sic subvertere voluistis?... At illi ... non audebant cernere faciem Regis, *et mox nullo verbo interposito tamquam a Rege alius*, Dux diligenter observabat, inquirens qualiter gestum fuisset... At illi narraverunt ei omnia... Tunc gloriosissimus Dux Francorum Karolus præcepit lictoribus... Lictores quidem Regis impleverunt omnia... *Et num.* 15 ; Rex jussit convocari universos Episcopos et Sacerdotes... Et translata sunt sancta corpora : *et dein concluditur historia formula consueta usque* per infinita secula seculorum. Amen.

et Theoderico Rege Francorum.

Sub Carolo Magno dotatur ecclesia S. Salvii.

5 *At quæ sequuntur, libenter concedemus postea sub Carolo Magno patrata, et sic referuntur num.* 16. Gloriosissimus vero Karolus Rex Francorum, largitus est sancto Martyri Salvio partem tertiam fisci. *Et num.* 17 : Jussit Karolus campum magnum parari, *quando sorores apud Regem de fratre egerunt: et tandem num.* 18 *narratur pœnitentia Genardi, Winegardi et Winegarii usque in diem mortis, et hunc auctor scribit se vidisse, itaque scripta esset historia* S. Salvii, *tempore Caroli Magni, Regis adhuc seculo Christi octavo. Hac porro distinctione admissa, explicandi erunt posteriores, qui uni omnia tribuunt: et ita Baldericus lib.* 2 *Chronici Cameracensis cap.* 31 *omnia Carolo Martello assignat, Sigebertus contra in Chronico ad annum* DCCCC,*inventionem corporum, tertio anno post Martyrium factam, refert ad Karolum Magnum tunc Imperatorem. Verum Georgius Colvenerius, in Notis ad Baldericum, asserit* non minorem fidem huic, qui Sigeberto est antiquior, quam ipsi Sigeberto tribuendam videri in hac re, donec constet de contrario. *Interim Sigebertum Miræus, Bucelinus et passim alii secuti sunt. Atque hæc de Actis et tempore martyrii, inventione corporis, et de dotatione ecclesiæ S. Salvii dicta sufficiunt.*

§. II. Sedes Episcopalis incerta, ætas, cultus.

Cathedra apud antiquos non exprimitur;

R*estat inquirendum, cujus loci aut urbis hic* S. Salvius *sit dicendus Episcopus, quod ejus rei nihil omnino in triplicibus Actis supra relatis indicetur. In Martyrologio Flori, uti opinati sumus ante tomum secundum Martii, in MSS. Atrebatensi, Tornacensi et Lætiensi ista habentur ad hunc* XXVI *Junii:* Ipso die apud Valentianas, passio S. Salvii Episcopi et Martyris, *et additur in Tornacensi;* Qui pro nomine Christi suos relinquens, et Gallias aggrediens, palmam Martyrii adeptus est, *ubi per suos intelliguntur Arverni in Aquitania, a ceteris Galliis distincti. Proximus Floro Wandelbertus Abbas Prumiensis, hunc illi Versum apposuit apud Molanum, omissum apud Acherium,*

Salvius et sanctus Scaldis tum littora visit.

apud aliquos notatur Engolismensis,

Usuardi et Adonis exemplaria, quæ plurima habemus tam manuscripta quam excusa, non meminerunt S. Salvii, *excepto MS. Usuardi Parisiensi S. Germani, in quo sub finem ista leguntur:* In portu Valentianas S. Salvii, Engolismæ civitatis Episcopi. *Sed dubitari posset, an non inter additamenta debeant ista rejici, sicut rejecimus die* XIII *Januarii, addita ad Acta et translationem S. Viventii in monte Versiaco, anno* DCCCCXXIV, *sub Manasse, Domino seu Comite Vergiacensi peractam. Absunt enim a pluribus exemplaribus, quæ sinceriora videri possint procul a Belgio scripta, ut Pulsanense in Apulia, Nistadiense in Dania, aliud quoddam in Alsatia, unum in Anglia, quin etiam Albergense in Belgio scriptum cum alio simili, quæ omnia apud nos sunt, præter alia alibi visa.*

et in hoc plura Martyrologia MSS. conveniunt,

7 *Interim in MS. Centulensi seu S. Richarii, ista leguntur:* In territorio Cameracensi oppido Valencianis, passio S. Salvii Engolismensis Episcopi et Martyris. *In MS. nostro Bruxellensi S. Gudulæ, cum longiori elogio sic:* In portu Valenciano S. Salvii Engolismæ civitatis Episcopi, qui ab Aquitania pro fisco Valencianas veniens, a Winegardo filio Genardi Procuratoris fisci clavi perimitur. Sed Karolus Magnus Rex *(melius* Karolus Dux *nominatus fuisset)* ut ipsum quæreret ter per Angelum commonitus, forte occisorem ejus quæsitum invenit: in quem ac patrem ejus ipse tantum scelus graviter vindicavit. *Ita etiam* Engolismæ civitatis Episcopus *habetur in Martyrologio Coloniæ et Lubecæ anno* 1490 *excuso, et apud Molanum in prima editione Additionum ad Usuardum: verum idem in secunda et tertia editione, omissa Engolisma, asserit* ab Abbia civitate venisse, *sed quæ hæc sit, non explicat: nos* Abbiam *nullam novimus; forte* Albia *est sive* Albiga, *ubi S. Salvium, sed alium, sub Chilperico Rege fuisse Episcopum diximus. Interim in Indiculo Sanctorum vocat* Episcopum Engolismensem, *ac tandem in utraque editione Natalium Sanctorum Belgii, appellat* Episcopum Angolismæ civitatis. *Baronius, nixus ut plurimum auctoritate Molani, ita inscripsit Martyrologio Romano:* Apud Valencenas passio SS. Salvii Episcopi Engolismensis et Superii Martyrum : *ac de ultimo ista annotat:* De eo Molanus in Indiculo Sanctorum Belgii hæc ait: S. Superius conjungitur S. Salvio, cum quo Martyr occubuit apud Valencenas. *Sed insuper addit Molanus:* Quia nomen ignorabatur, dictum esse Superium, quod in inventione deprehendebatur superius jacere. *Est autem nomen illud insertum ab Auctore; qui Vitam a Philippo Bonæ-Spei scriptam interpolavit. Aubertus Miræus in Fastis Belgicis et Burgundicis, anno* MDCXXII *editis, abstinet a Cathedræ Episcopalis designatione, sicuti cum omnibus antiquis vitæ scriptoribus fecerunt Baldricus et Sigebertus. Idem et nos judicamus faciendum esse: quia nomen* Salvii *non reperitur in Catalogis Episcoporum Engolismensium tam excusis, quam MSS. hujusmodi tamen aliquem habuimus in codice MS. Reginæ Sueciæ, scriptum circa annum* MCL, *quo Hugo ibi tricesimus septimus Episcopus præsidebat.*

sed nomen deest inter Episcopos Engolismenses;

monasterium Salvii laudatum ab Eginharto

8 *Præclara porro hujus, de quo agimus,* S. Salvii *memoria est apud Eginhardum, in Historia translationis SS. Marcellini et Petri, a nobis ad diem secundum Junii illustrata, in qua num.* 68 *sic legere potuisti.* Nunc ad eas virtutes veniendum est, quæ in his locis factæ

A factæ sunt, ad quæ religiosis viris petentibus, ac me largiente, venerandæ eorumdem Martyrum Reliquiæ venerunt, et in quibus hactenus cum magna reverentia coluntur. Quas primus omnium Georgius Presbyter et Rector monasterii S. Salvii Martyris, quod in pago Favoniartensi, in vico Valentianas appellato, in ripa Scaldis fluvii situm est, me dante suscepit, et per quemdam Diaconum ad memoratum monasterium de Aquensi palatio destinavit; *idque (ut num. 69 dicitur)* anno quarto decimo Imperii Ludovici Augusti, *ergo anno Christi* DCCCXXVI. *Arbitramur monasterium istud fuisse Clericorum, sub Carolo Magno institutum, cui assignavit tertiam partem redituum fisci, illosque vixisse secundum similem aliquem Regulam, qualem Clericis præscripsit S. Godegrandus Episcopus Metensis, editam tomo primo Spicilegii Acheriani, ubi in Præfatione monetur lector,* Patres Concilii Aquisgranensis, *sub memorato Ludovico Pio habiti,* tanti fecisse hanc Godegrandi Regulam, ut quidquid ad Clericorum mores Canonice efformandos conduceret, ad sua, licet suppresso nomine, decreta transtulerint. *Mortuus est S. Godegrandus anno* DCCLXVI, VI *Martii, quo ejus Acta illustravimus. Baldericus lib.* 2, *cap.* 31 *appellat* monasterium canonicale S. Salvii Episcopi et Martyris. *At postea anno* MCIII *introductos fuisse Monachos Cluniacenses, constat ex Privilegio Manassis Archiepiscopi Remorum, relato in Bibliotheca Cluniacensi columna* 535. *At columna* 1713 *ista leguntur:* Prioratus S. Salvii de Valentiniis, Cameracensis diœcesis, ubi debent esse cum Priore viginti octo Monachi; et debent ibi celebrari quotidie duæ Missæ cum nota, et tertia sine nota. Eleemosyna generalis ter in hebdomada debet ibidem fieri. *Catalogum omnium Priorum et nomina variorum benefactorum edidit d'Outreman par.* 2 *Historiæ Valencenensis cap.* 2.

anno 827; — an Clericorum secundum Regulam S. Godegrandi, — B — jam Ordinis Cluniacensis ab anno 1103.

9 *Arnoldus Rayssius, in Hierogazophylacio, asserit in jam indicato Prioratu adhuc* possideri corpora SS. Salvii Episcopi et Superii comitis ejus: *ac præterea in monasterio Lætiensi asservari* vertebram dorsi S. Salvii Episcopi, et os S. Superii; *item in Ecclesia Cathedrali Atrebati esse* os S. Salvii Martyris: *quod etiam* S. Salvii *videtur esse. Est illi dicata ecclesia in arce Limburg prope Sittardiam, in Ducatu Juliacensi: ex cujus ecclesiæ libris sequentia olim huc misit Joannes Kritzrat Societatis Jesu, olim discipulus Joannis Bollandi, et studiis nostris dum vixit addictissimus.* Christe, tui præclari Martyris Salvii colentes solennia, adjuvemur tua semper gratia, ut ejus exemplo continue inhærendo, morum atque vitæ placeamus puritate. Hic summus Ecclesiæ villæ Limburgiæ Martyrii fulgida donatur gloria. Dum basilicam, Christe, tuæ Matri editam, pergit iste sacrandam, Illum Wingardus, bonis ejus invidens actibus, mactavit pallidus, atque bipenne finiens vitam in carcere, cum discipulo humatus brutorum stabulo. Lumina cœli illico produnt immensa, innocentium corpora pretiosa. Concives tuorum fecisti Sanctorum, Jesu, collocans fruitione polorum, qua nunc prælucido læti gaudent solatio. Nos tibi Salvius commendet precibus sedulis oramus. Ut ergo per Patronum consequamur vitæ donum, in illius die festo chorus noster lætus esto, decantans in Ecclesia, jucundum Alleluia.

Reliquiæ, — Ecclesia in agro Juliacensi — C

10 Hymnis novis augmentetur, laus quæ latet non celetur, totus mundus gratuletur, de tam sacro Præsule, per quem fiunt continue frequenter et assidue, quærentibus præcipue miracula mirifice. Si toto corde quæritur, nil perditur, acquiritur; et ablatum reperitur, spe ac fide mediante. Firma fides concedatur, imploranti quod precatur a Superno per quem datur, deprecante non cessante. Ut augmentaret meritum, reliquit opes divitum, cœli quæsivit [præmium] oratione sedula. Deo Patri sit gloria, nostra sit in memoria laus et virtutum gratia per infinita secula. Amen. Oratio. Propitiare, quæsumus Domine, nobis famulis tuis per S. Martyris tui atque Pontificis Salvii, qui in præsenti requiescit Ecclesia, merita gloriosa, ut ejus pia intercessione ab omnibus semper protegatur adversis. Per Dominum nostrum. *Alia Oratio propria est in Laudibus; sed nihil habet singulare, sicut et propriæ Antiphonæ, Versiculi, Responsoria, nisi quod ludant in vocibus* Salvius, Salvus, Salvans, Salvare. *Si de parte aliqua corporis eaque non magna agatur, facile crediderim unam aliquam illuc fuisse perlatam. Sed si de integro aut majori parte, vix dubitaverim Roma vel aliunde advectum similis nominis Martyrem, cui applicata sint Acta Valencenatis advenæ, ut loco propioris.*

Hymnus ad laudes. — D — AUCTORE G. H.

VITA

Auctore coævo hactenus inedita,

Ex septem codicibus MSS.

E

CAPUT I.

Peregrinatio, conciones, captivitas, martyrium.

Christo *a* donante, et universali Ecclesia in Domino quotidie fide crescente, appropinquante finis mundi termino, Paterna populi [turba], quæ Christianæ est legi inserta, pulsante pias aures Domini, pastorem propitius tribuit et propugnatorem, ad alendas vel docendas oves suas omnipotens Deus: ut eas liberet a dilaceratione serpentis tortuosi, qu indesinenter sævit, rapere volens ac dilaniare eas. Christus vero Dominus noster non cessat scuto protectionis suæ munire signo fidei singulorum corda credentium, qui liberator noster est verus de manibus inimicorum omnium. Denique Zacharias Propheta sic dicit, Liberati serviamus Domino, cum justitia et sanctitate. Manifestans igitur Rex Regum per sanctos Doctores suos cunctis gentibus regni cœlestis gaudia, vult esse nos omnes unum ovile, ut ipse Pastor pius et bonus fiat nobis omnibus cum victoriæ triumpho.

a — *Prologus scriptoris* — Luc. I, 14

2 Igitur regnante in perpetuum Domino et Salvatore nostro Jesu Christo, tempore gloriosissimi Ducis Francorum *b* Karoli, adveniens vir quidam vitæ venerabilis Salvius *c* Episcopus, partibus Hemonensis fisci, qui vocatur Valentianas; cœpit ibi prædicare et docere divinis sermonibus pœnitentiæ fructum, et ut bonus athleta Christi regnum Dei populo. Erat autem vir sanctus, decorus aspectu, Dei virtute et magnificentia pollens; facies autem ejus nimio splendoris nitore fulgebat. Interea dum ex prædicto fisco egrederetur, elevans oculos, a longe vidit Basilicam, in honore B. Martini, magnifici Præsulis, quodam *d* loco dedicatam; suspiciensque cum lacrymis in cœlum ait discipulo suo: Video, inquit, fili, trophæum gloriæ et salutis signum, collocata patrocinia beati Antistitis Martini eximii Confessoris: de quo ut audivimus et modo cognoscimus, Dominus noster Jesus Christus, tantam illi gratiam conferre dignatus est, ut ejus obtentu, cæci visum, claudi gressum, et leprosi mundițiam, atque qui diverso morborum genere tenebantur adstricti, sanitatem pristinam recipere mererentur. Insuper et mortui, eo pro supplicum voto aures Domini pulsante, resurgebant. Nos, inquit, fili eamus cum fide ad ejus patrocinia, forsitan per ipsius obsecrationem

F — b — c — *S. Salvius venit Valentianas,* — d — *inde abiens basilicam S. Martini adit:*

A. COÆVO EX MS.

A obsecratonem inveniemus locum, quo nos excelsus Dei filius, in ovili suo recipere dignetur.

3 Tunc B. Salvius Episcopus ad prædictam basilicam B. Martini celeri gressu perrexit, ibique hospitium sibi una cum discipulo petiit. Deinde Missarum solenni Officio peracto, venit ad refectionem. *adhortatur populum,* Cumque crepusculum noctis ingruerat, iterum ingressus est basilicam, totamque noctem cum psalmis et hymnis, et spiritualibus canticis benedicens Deum, deduxit. Illucescente itaque jam die, cœpit S. Salvius induere se vestibus. Igitur populis advenientibus, audita fama S. Salvii Episcopi, cupiebant audire mellifluam Christi ex ore ejus prædicationem. *celebrat Missam,* Facta autem prædicatione, S. Salvius hora tertia ingressus sacrarium, deinde induit se Dalmatica et sacris vestibus : et procedens de sacrario, cœpit celebrare Missarum solennia. Expleto autem Canone convocabat Sacerdos populum, ut humiliarent se ad benedictionem : et benedicto populo, subsecuta est Collectio. Interea expletis omnibus, sicut mos est, vir quidam veniens, qui *e* providebat res prædicti fisci, nomine Genardus, sub Domino suo Abbone, cœpit petere a sancto Episcopo, ut sibi refectionem corporis acciperet ob amorem caritatis Christi. At B ille audito nomine caritatis Christi Domini non denegavit. Erat autem sacratissima dies illa *f* Dominicæ Resurrectionis. Reficientibus autem illis adfuit prædicti viri filius nomine Winegardus. Habebat *cœnat apud Genardum patrem Winegardi,* autem S. Salvius ministerale aureum Ecclesiasticum, vestimenta ex auro et gemmis ornata, nec non et cingulum aureum micantibus gemmis et margaritis intextum. Ferebat enim hæc omnia vir sanctus coram omnibus. Hoc autem faciebat, quia cupiebat instanti animo pro Christi amore ad palmam martyrii *g* pervenire. Videns autem Winegardus filius Genardi, omnia hæc beatum virum secum deferentem, concupiscentia ductus, et tactus cupiditate intrinsecus, cœpit providere, quanam in parte vir Dei carpere cuperet iter.

4 Denique S. Salvius, data benedictione populo; surrexit a refectione, cum omni apparatu, una cum discipulo suo, et cœpit iter agere. Circumiens itaque loca vel oppida, pervenit ad quemdam rivulum, *h* *tendit versus Condatum:* Buntionem nomine, qui inter devia montis latera ducebat ad monasterium, cujus vocabulum est Condatus. (Erat autem dedicatum prædictum monasterium, in honore sanctæ Dei Genitricis Mariæ.) Transacto autem rivulo, pervenit ad viam quæ ducebat C ad Monasterium. Interea iter agente S. Salvio, adfuit ei obviam *i* præfatus vir Winegardus, plenus doli et omni fallacia circumdatus, cum sodalibus suis, et interrogavit virum Dei, dicens : Quanam in parte, o vir sancte, cupis carpere iter? S. Salvius dixit : Est nobis causa, ut ad monasterium, quod *a Winegardo interpellatus,* est non longe ab oppido isto, in honore sanctæ Dei Genitricis Mariæ dedicatum, si Dominus permiserit, vita comite perveniamus. Tunc Winegardus dixit ei : Habeo, inquit, in facultate mea ecclesiam fabricatam, ut in honorem Dei dedicetur. Num poteris venire ad eam, o vir sancte, et ipsam consecrare? S. Salvius dixit : Insanis, o homo, oportet Deo obedire magis quam hominibus. Tunc S. Salvius expressius cœpit concito gradu iter agere, sciens, Spiritu sancto revelante, quæ ei essent ventura. Tunc Winegardus dixit : Tu mihi dicis, quia insanio? S. Salvius dixit : Vide, fili, jam tibi dixi, quia oportet nos magis Deo obedire quam hominibus : dignum est enim nos primum visitare loca Sanctorum, ut omnes illos mereamur habere intercessores, quatenus beatitudinem regni cœlestis cum ipsis adipisci *spoliatur:* mereamur. Tunc Winegardus clanculo præcepit servis suis, ut apprehenderent S. Salvium una cum discipulo suo, et omnia, quæ illius erant, violenter ab eo auferrent. Ablatum quippe a sancto viro mini- D sterale aureum, id est calicem et patenam, statim jussit sibi ex his fabricari sellam, quæ super equum poni solet ad equitandum, ut pro dignitate nobili poneret eam super equum suum, eo quod valde protervus et levis vir esset : reliquum vero ministerium ecclesiasticum atque mirificas vestes, quas vir sanctus secum deferebat, et ad Missarum solennia induere consueverat, omnia misit ad *k* domum suam. *k*

5 Factum est autem, cum sanctus Episcopus duceretur in custodiam, Winegardus cum magna ve- *carceri includitur,* locitate profectus est ad patrem suum. Et interrogavit eum pater ejus, et dixit : Quid tibi est, fili, quod cum tanta velocitate ad me venisti? Sunt omnia prospera circa te, an non? Tunc Winegardus exposuit ei omnem rei veritatem, narravitque omnia quæ erga virum Dei gesserat. Dixitque pater ejus ad eum : Quid est quod egisti? Ut quid servum Dei, qui nos viam veritatis et salutis docuit, tam gravi- *improbante Genardo patre* ter concitasti? Quid est quod agere voluisti, ut traderes eum in carcerem? Aut quis tibi consiliarius fuit, ut tantum malum erga virum Dei agere debuisses? quis tibi dedit hoc consilium? Forsitan E ergo pondere peccatorum nostrorum non premimur, idcirco peccata parentum nostrorum concitasti adversum nos, ut super nos permaneant usque in tertiam et quartam generationem. Ecce sanguis ejus est super nos, et super omnem progeniem nostram. Respondit ei filius; Quid faciam, pater? Dimittam eum solutum, an liberum retinebo illum? Da mihi consilium quid de eo deinceps faciam. Respondit ei pater ejus, et dixit : De nece viri istius non placet mihi consilium tuum, sed omnimodis displicet. Unum tibi dico; Si dimiseris eum, non tibi erit vitæ solatium; si autem occideris, ut homicida reus eris.

6 Tunc Winegardus relicto patre, inito consilio *Jussus occidi per custodem carceris,* cum sodalibus suis, perrexit ad domum suam, et jussit omnes *l* regias domus suæ obserari, ita ut nemo ad eum potuisset ingredi. Accersitum itaque unum ex servis suis, Winegarium nomine, qui erat custos carceris præcepit ei ut ingrederetur ad B. Salvium, et occideret ipsum et discipulum ejus pariter. Winegarius vero custos carceris, aperto ostio vertit se ad virum Dei, et descendit ad eum. Tandemque progrediens, pervenit ad eum locum, ubi Sanctus Dei morabatur, orationi insistens. Ut autem vidit servus ille B. Salvium, constanti animo in agone F consistentem, pavore perterritus, cœpit valde intra arcana cordis sui metuere : dixitque ad virum Dei : Coarctor nimis, o vir sancte. Respondit ei sanctus Episcopus : Num erga te prospera sunt, o fili? Custos carceris respondit : Video te quasi Angelum Dei. Quis ego sum infelix, ut missus a Domino meo tanti flagitii scelus perpetrem? Numquid celare tibi possum, homo Dei, secretum Domini mei Winegardi, quod in te hac nocte mihi perficere præcepit? Audi me, vir sancte, acquiesce consiliis meis, ut ex isto carcere evadere queas una cum discipulo tuo, et ego vobiscum pariter : quia Dominus meus præcipiens præcepit mihi, et fortiter perurget me, ut hac nocte, antequam lucis crepusculum adveniat, *non credit huic illud imperatum; m* interficiam vos. S. Salvius dixit : O fili, sapientissimus Salomon *m* sententiam nobis protulit dicens : Ex abundantia enim cordis os loquitur : sed ego, ut puto, per temetipsum hæc omnia mendaciter loqueris. Dominus enim tuus non jussit tibi hæc agere quæ loqueris : quia neque dolosum verbum cogitat, neque dicit, nisi quod rectum est, quanto magis ut hoc scelus tibi perpetrare præcepisset?

7 Ad hæc custos carceris cum lacrymis respondit : Testor Deum cœli et terræ, o vir Dei, quia ex his

A his sermonibus quos a me audisti, nullum penitus verbum falsum reperire poteris. Item subjunxit : Nunc autem audi me, electe Dei, et fac quæ hortatus sum, ut Domino suffragante evadere valeas. Me enim indignum atque inutilem servum perpetualiter in collegio vestro vel calceamenta pedis vestri detrahendi atque mundandi habebitis paratum. S. Salvius dixit : Fili, non oportet nos effugere præmia Christi, sed inviolabili fide magis amplecti. Custos carceris dixit : O Pater sancte, scio quia tu coronam paratam habes a Christo, sed ego ex malo conscientiæ meæ ingemisco ; et pro tanto flagitio, quod in te Dominus meus agere mihi præcepit, nescio ultra quid faciam. Idcirco æstuo et tremit spiritus meus nimio terrore, eo quod domus hæc divino nutu, ut mihi videtur, sic concutitur, ut nec lapis super lapidem, nec lignum super lignum, uno momenti spatio valeat stare. Rursumque dixit ei : Dominus enim meus grave servitutis jugum super me impositum habet : si enim ego aliquando unum ex minimis mandatis ejus præterissem, statim sæviebat indignatio ejus, et exardescebat in me servum tuum, et minas tormentorum incutiebat, et sæpe verberibus afficiebat : quanto magis ex isto magni reatus crimine, B quod imperatum ab eo mihi est, si non perficiam? Et, si infelix ejus præceptum implevero, vereor ne ira Dei divinitus veniat super me ; et aperiens terra os suum deglutiat me vivum, ante pœnitentiæ tempus, et descendam usque ad inferos. Tamen si hoc non egero, non effugiam manus Domini mei. S. Salvius dixit : Non contristeris ex hoc, fili, neque turberis, sed forti animo esto. Si enim Dominus tuus aliquod mandatum tibi præcepit, libenti animo ejus præcepto obtemperare debes : commemorans sermonem Apostolicum, ubi ait : Servi subditi estote Dominis vestris, in omni timore Domini, non solum bonis et modestis, sed etiam dyscolis. *n* Custos carceris dixit ei : Jam tibi dixi, serve Dei excelsi, ut si egredi volueris, egrediar et ego tecum : sed si nolueris egredi, mutare non possum, ut dictis Domini mei non obtemperem : gladio te confodiam et discipulum tuum. Tamen testis mihi sit Rex cœlestis et Angeli ejus, quia non faciam quidquam ex his sponte mea ; sed quia Dominus meus gravissimis suppliciorum generibus corpus meum minatur arctari.

fugere recusat : — *animat custodem,* — 1 Petri 2. *n*

8 Hæc autem eo loquente, misit Winegardus, et jussit eum venire ad se, credens certissime, quod omnia quæ de sancto viro præceperat, patrata habuisset. C Qui cum adstitisset ante faciem ejus, dixit ei : Complesti omnia quæ præcepi tibi, an non? Cur ita moras fecisti? Respondens autem servus, dixit Domino suo : Utinam placeret liberatori, ac redemtori nostro Christo Dei filio, ut oculi cordis Domini mei aperirentur, et videret quantam erga virum Dei Dominus præbet familiaritatem. Tunc furore repletus Dominus ejus, dixit ei : Quid egisti, serve nequam, per totam noctem istam? Custos carceris respondit : Quæso, Domine mi, ne irascaris mihi servo tuo, usque dum audias verbum ex ore meo. Ait illi Dominus ejus : Dic quæ dicturus es : aperiensque os suum, narravit ei omnia magnalia, quæ in carcere circa virum Dei viderat, dicens : Misisti me, inquit, Domine mi, ut hoc jussionis tuæ decretum agerem : ego servus tuus aperiens ostium carceris, statim in ipso introitu tremor magnus et intolerabilis timor irruit super me : et cum ante faciem viri Dei pervenissem, illico mente conturbatus sum, et perterritus cecidi pronus in terram ante pedes ejus, et putabam ut aperiret os suum, et absorberet atque deglutiret me. Tunc Winegardus, furore commotus, irridens eum, secreto dixit amicis suis : In veritate comperi, quia iste, secundum morem infidelium servorum, officium suum complet; et sicut vulpes, quod D est animal valde timidum, pavore concutitur, quando agmen canum venantium incurrit ; ita et servus iste nequam, pavore perterritus, abscondit se, mori timens : vocansque clam unum ex sociis suis, dixit : Rogo enim te, ut exeas cum eo, et vadas ad magum illum, unde mihi suas sententias et inania profert verba, quia cor illius in eo valde formidat, et esto illi solatium : forsitan accipiet ex te fortitudinem, ut extendam manum suam super eum, et interficiat, et vel tunc complebit præceptum meum. Iterum subjungens, eidem servo tuo dixit : Præcipiens præcipio tibi, ut non videas faciem meam, donec omnia compleas quæ præcepi tibi. Per salutem patris mei, nisi compleveris ea quæ de mago illo et ejus ministro præcepi tibi, diversis suppliciis te afficiam.

a quo, per Winegardum increpito, — *adjunctoque et scelerum socio,* — A. COÆVO EX MSS.

9 Illi itaque egressi, pervenerunt pariter ad locum carceris, ubi vir Dei retrusus, vinculis tenebatur adstrictus. Apertoque carcere, ingressi sunt in eum, et pervenerunt usque ad locum, ubi S. Salvius coronam Martyrii expectabat intrepidus. At ubi viderunt eum, cœperunt hæsitare. Discipulus vero illius, humanitatis causa, casu ab eo se disjunxerat. S. Salvius sedebat super sellam rusticanam, quæ tripedia a rusticis vocatur; et videns eum, is qui E cum eodem servo solatii causa missus fuerat, dixit servo : Quid moraris? Cur non imples præceptum Domini tui? Tunc arrepta securi, tremefactus valde, non audebat eum percutere. Dixit ad eum B. Salvius : Quid hæsitas, fili? Fac quod tibi Dominus tuus præcepit, nudamque cervicem percutienti præbuit. At ille timens Dominum suum, percussit, et interfecit eum. Erat autem discipulus B. Salvii, ex altera parte in angulo domus carceris segregatus. Statim ut audivit ictum ferientis gladii, intellexit Magistrum interfectum, et exclamavit voce magna dicens : Noli me derelinquere, Pater sancte; pervenerunt igitur carnifices ad discipulum ejus, et interfecerunt eum. Martyrizati sunt itaque pariter S. Salvius et Discipulus ejus cum eo sub Winegardo ; sexto Kalendas Julii, submisso collo corpora sua percussoribus tradiderunt, et animas sanctas in holocaustum Creatori Domino obtulerunt. Ideo coronati sunt, et acceperunt diademata de manu Domini. Oriundi sunt igitur Sancti Dei Arverno territorio regionis Aquitaniæ, in Franciam vero devoti pervenerunt. In pago autem Hainonense martyrio coronati sunt, et modo regnant cum Christo Jesu, coæterno Patri filio, una cum Spiritu sancto, per cuncta secula seculorum. Amen. *o* F

intrepidus ad mortem, occiditur cum discipulo; — 26 *Junii.*

ANNOTATA G. H. et D. P.

a *Expunxi quod hic abundabat,* Igitur, *quodque ex usu Legendariorum plurium additum videtur, licet Prologum, quem ea vocula alias significaret adfuisse, hic habeamus; nisi Auctor ea usus est, in mente habens aliquem conceptum dedicationis aut præfationis majoris. Qui præpositus est Prologus in MS. Vallis Lucentis ; cum a posteris inepte adjunctum fuisse, supra diximus. Philippi Prologus aliud non continet quam excusationem, quod antea S. Augustini vitam scripserit peculiari erga Sanctum affectu, hanc vero ex mandato sui Abbatis.*

b *Karoli Martelli Ducis Francorum, ut supra probatum.*

c Episcopus, *ad prædicandum verbum Dei consecratus, aut certe ignotæ nobis urbis : variis* Engolismensis *habetur, quod non satis probari supra dictum.*

d *Brena, infra* Brevitica villa *dicta, media ab oppido leuca, nunc* S. Salvii, *vulgo* saint Sauve. *Alia Acta,* S. Martini nomini et Reliquiis dicatam, *aiunt.*

e Prævidebat *in omnibus MSS. in unum correctum* providebat. *Infra num.* 13, *et a Philippo Bonæ-Spei*

A. COÆVO EX MSS.

A *Spei et in MS. S. Maximini, Procurator fisci appellatur.*

f *Non quia tunc Pascha fuerit, sed quia omni die Dominico mysterium recolitur resurgentis Christi.*

g *Prudentius Philippus ;* Hæc autem omnia secum ferebat, non pretii temporalis cupidine provocatus, sed divinum mysterium tali ministerio veneratus.

h *Doutremannus,* Bucion *appellat ; Philippus,* Bontionem.

i *Alia Acta,* in devexo cujusdam montis latere nactus opportunitatem.

k Castrum Bervincum, *vulgo* Beuvrage, *inquit Doutremannus, qui locus trans Scaldim tantum distat a Prioratu S. Salvii, quantum uterque Valencennis, id est duabus fere leucis, quasi per triangulum.*

l Regias domus suæ, *ita omnia MSS. hujus Vitæ : sunt autem* Regiæ, *primariæ portæ domorum, alias* Basilicæ, *de quibus multa erudite Cangius in Glossario.*

m *Imo Evangelista Matthæus* 12, 34, *Lucas* 6, 45.

n *At non, manifeste mala jubentibus : ut summum igitur dixit permittendo, non suasit hortando Sanctus, ut faceret quod jussus erat : nec est verosimile eo abu-* B *sum verbis Apostoli ; quare miror nihil hic correctum a Philippo : ac rursum num.* 14, *ubi similia dicere fertur Dux Karolus.*

o *Finitur prima pars Actorum.*

CAPUT II.

Miracula ad corpora, dein monitu cælesti elevata et translata.

Corpora inter armenta in stabulo sepulta

In illis diebus nuntiatum est Winegardo, quod B. Salvius una cum discipulo suo consummasset Martyrium, et jussit servis suis sancta corpora latenter asportare ad armentum gregis sui, et præcepit ea ibi in medio fossæ humo operiri, antequam lucis crepusculum adveniret. Fecerunt autem servi ejus, sicut eis fuerat a Domino suo imperatum, et primo Magistrum in antrum projecerunt, deinde discipulum super pectus Sancti in cruce posuerunt, æstimantes ut quod de Sanctis viris gestum fuerat, a nemine cognosci aut patefieri unquam potuisset. Sancti vero
Luc. 9, 23 Dei secuti sunt verba Domini Salvatoris, in Evangelio dicentis : Qui vult post me venire, abneget semetip-
C sum, et tollat crucem suam et sequatur me. Qui sequi-
Joan. 8, 12 tur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Factum est autem, postquam sancta corpora in prædicto armento latenter humata fuerunt, ut vaccæ secundum eorum consuetudinem in eodem morarentur. Erat autem in prædicto armento taurus, miræ magnitudinis, qui custodiebat et observabat armentum quotidie cum grege suo. Providebat igitur taurus ille semper locum illum a die illa, ex qua sancta membra ibidem absconsa fuerant, tam diebus quam et noctibus, in tantum ut nulla quidem ex buculis locum sanctum penitus attingere vel appropinquare auderet. Nempe, ut dictum est, si aliqua ex eis ire voluisset ad locum illum, taurus quidem versis calcibus, et cornuum ictibus eisdem resistebat omnemque multitudinem bucularum promiscui sexus, in circuitu stare faciebat, ut eumdem locum sanctum coinquinare non valerent. Providebat enim solicite per omnia idem taurus locum sanctum, ut nulla macula, neque a vento agitata, neque ex quolibet stercore fuscari potuisset. Etsi contigisset, ut aliquæ sordes casu ibi cecidissent, per totam noctem laborans requiem non habebat, donec pedibus suis locum sanctum mundatum habuisset.

custodiuntur a tauro,

et ab immunditia conservantur.

11 Evoluto itaque tempore post trium annorum curricula, sancti Viri suffragantibus meritis, Christus Dominus Deus noster, cœpit aperire secretum D
quod in armento latebat obscurum. Erat autem anus quædam in villa Brevitica, nomine Rasuvera, quæ circa domum suam per noctis quietem valde erat solicita. Quadam vero nocte contigit, ut intempestæ noctis silentio domum suam gyraret, sicut sæpius facere consueverat. Respexit ex adverso sæpedicti armenti, ubi S. Salvius et discipulus ejus absconse humati jacebant : et vidit haud longe in prædicto armento magni fulgorem luminis, et cucurrit ad ostium, ut probaret quidnam esset. Cognovit autem eadem anus quod virtus Dei esset, et prospiciens diligenter observabat locum, quem taurus custodiebat. Et in ejus cornua aspexit duas lampades ardentes adhæsas, tam magno splendore fulgentes, ut per totum armentum non esset locus, quo velut meridie clare omnia cernere non potuisset. Denique statim convocatis vicinis vel civibus, nec non et domesticis suis, poposcit omnes, ut ad visionem eamdem diligenter considerandam, quam viderat, in eodem loco convenirent, et quid rei gestum esset, Domino favente, reperire valuissent. Et videntes tanti splendoris gloriam, admirati valde, dixerunt : Vere Angelica est hæc visio. Transacta autem prima nocte, iterum congregaverunt se omnes, et viderunt sicut E
prius viderant. Novissime inito consilio, cœperunt omnes hoc mysterium, quod viderunt, sacratissimis Deo Sacerdotibus declarare, et deprecari, ut Domini misericordiam postularent, ut dignaretur Rex cœlestis gloriæ mysterium illud revelare, ut quidnam esset, potuissent cognoscere.

Apparent lumina,

et lampades inter cornua tauri.

12 In ipso quoque tempore, revelatum est visione Angelica gloriosissimo Duci Francorum *b* Karolo, b
ut Missos suos mitteret ad Valentianas fiscum ; et ibi diligentissime requirere fecisset, ubi famulus Dei Salvius, una cum discipulo suo requiesceret. Transacta autem nocte expergefactus Princeps, cœpit infra arcana cordis sui volvere, quænam fuisset hæc visio. Altera vera nocte admonitus iterum in sopore noctis, ut juberet perquirere, quid actum esset ex famulo Dei Salvio. Iterata vero nocte tertia, venit ad eum Angelus Domini post pullorum cantum ; percussoque ejus latere, dixit : Semel et secundo rogavi te, qui es Dux et Princeps exercitus Domini, ut perquirere fecisses, et cum omni diligentia investigare, ubinam famulus Dei Salvius Episcopus requiesceret. Cur non obedisti voci meæ? Festina F
velociter et accelera quantocius, adhibitis tecum Optimatibus ac domesticis tuis in consilium, et diligenter investiga de prædicto famulo Dei Salvio ejusque discipulo. Cave ne prætermittas imperium Domini Dei tui, quia viri illi amici et Martyres Dei altissimi facti sunt. Expergefactus itaque Dux accersivit et convocavit omnes Principes, Satrapas et Optimates, ac Magistratus et Duces, necnon et omnes domesticos suos, qui gubernabant sub ipso regnum et imperium ejus, et exposuit eis per ordinem, quid per triduum revelatum ei fuisset : intellexerat enim, Angelo Domini revelante, quod a Deo esset hoc decretum : præcepitque eis, ut diligenter inquirerent de morte et martyrio S. Salvii Martyris ejusque discipuli, et permaximam mitterent solertiam in omnibus locis vicis, villis, atque fiscis, seu per omne regnum suum.

A Karolo Duce tertius monito visione Angelica,

13 Misit itaque primum idem gloriosissimus Karolus Dux Francorum nobilissimos viros ex domesticis suis ad fiscum, qui vocatur Valentianas. Hi vero summo studio totis viribus fortiter investigare cœperunt de nece impiissima viri Dei, ejusque discipuli. Et convocantes Vicarios, Tribunos et Centuriones, Judices et Decanos Regis, congregata est ad eos multitudo populi non minima. Percunctari igitur cœperunt singuli per turmas suas, et diligenter investigare

missi Valentianas nobilissimi viri.

A vestigare, usque dum pervenit sors ad domum Genardi: statueruntque eum in medio eorum, et caute observabant, interrogantes, et inquirentes ex his quæstionibus, ad quas missi fuerant de sancto viro inquirendas; ut si aliqua ei notitia fuisset comperta, eo quod ipse esset Procurator de rebus fisci illius, et villa Brevitica, ubi latebant Sanctorum corpora. Inventumque est, eo confitente, qualiter ibi viri sancti convenerant, et hospitium sibi eodem in loco acceperant, atque quemadmodum Dominicæ resurrectionis die hora refectionis cum eo discubuerant. Et interrogaverunt ad eum Missi et domestici Ducis, et dixerunt: Quid actum fuit de viro illo, postquam a refectione surrexit? Genardus respondit; Iter suum arripuit, deinceps nescio quid actum fuit. Domestici Regis ei dixerunt: Per salutem Domini nostri Karoli, diversis pœnis et tormentis te afficiemus, nisi dixeris veritatem.

examinatum Genardum,

14 Tum Magistratus Regis apprehenderunt Genardum una cum filio suo Winegardo, necnon et Winegarium servum suum, qui in Sanctos Dei viros flagitiosissime injecerant manus; et adduxerunt eos ante conspectum *c* Regis et dixerunt ei; Isti B sunt, Rex, viri sceleratissimi, qui inique abusi sunt extendere manus super viros Dei sanctos. Intuens autem in eos Rex, dixit eis: Audite me, viri iniqui et impiissimi: quare regnum nostrum, quod nobis omnipotens Deus dedit ad regendum, sic subvertere voluistis, ut extinguere fecissetis nomen Christi de medio nostrum? Cur interfecistis viros sanctos, quos omnipotens Deus ad nos et regnum nostrum salvandum miserat? At illi tremefacti obmutuerunt, et fixis oculis in terram, non audebant cernere faciem Regis. Dux vero diligenter observabat, inquirens ab eis qualiter gestum fuisset erga Sanctos Dei. At illi narraverunt ei omnia, sicut actum fuerat. Tum gloriosissimus Dux Francorum Karolus, furore commotus, præcepit lictoribus dicens: Ite accipite eos, et truncate Genardi et Winegardi virilia, et oculos eorum eruite. Winegario vero servo eorum tantum oculos eruite: nefas enim est, ut contra præceptum Domini quis agat, liber aut servus, et impunitus evadat. Lictores quidem Regis impleverunt omnia, ut eis fuerat imperatum.

cum filio et famulo adducunt ad Regem, *c*

quibus Caroli Ducis jussu oculi eruuntur.

15 Rex autem jussit convocari universos Episcopos et Sacerdotes Domini, qui ibidem aderant, ut cum magna reverentia sancta corpora ex illo loco ad locum alium transferrent. In die autem illa fe- C cerunt Sacerdotes et universus Ordo Ecclesiasticus dedicationem solennem Domino Deo exercituum, in honore B. Salvii Episcopi, cum gaudio magno, laudantes Deum et benedicentes Dominum. Translata sunt autem sancta corpora die illa, et aromatizaverunt ea induentes linteaminibus ac vestibus honorificis, et imposuerunt ea in plaustro *d* novo; appositisque bobus, volebant illos vertere ad basilicam S. Vedasti Confessoris. Tanto autem pondere Spiritus sanctus plaustrum fixit, ut juga boum multa non valerent ex eodem loco movere illud. Videns omnis populus quod nequaquam e valerent loco illo vehiculum cum sanctis corporibus movere, unanimiter cœperunt manus imponere, volentes iterum ad basilicam *e* S. Pharaildis cum ingenti apparatu illud deferre, sed nequaquam potuerunt. Tunc Pontifices summi et omnes Domini Sacerdotes dixerunt; Viri Fratres et Patres, non nobis videtur, ut Beati isti in locis istis voluntatem habeant quiescendi. Dimitte illos; forsitan revelabit Dominus, ubi eos requiescere oporteat. Jam enim videtis, quod multa juga boum et multitudo populi, impositis manibus, nihil agere potuerunt. Tollite ergo multitudinem hanc, et relinquite boves tantum duos cum vehiculo; et ubi Dei fuerit voluntas, forsitan eo patronum devehent. Fecit igitur populus, sicut Sacerdotes Domini D dixerunt. Ablata vero multitudine, et duobus tantum bobus relictis, mox tanta in eis fuit velocitas eundi, ut vix caterva populi eos summa velocitate currentes, ullatenus attingere posset, usque dum ad Valentianas fiscum, ante basilicam S. Martini devenirent, ubi Sanctus ille vivens, solitus erat frequentius orationis causa convenire, expectantes ibi populum post se venientem. Denique convenientibus populis, deposuerunt Sacerdotes Domini sancta corpora venerabiliter de plaustro, intelligentes quod Domini voluntas esset, ut in eadem basilica reconderentur. Sepelierunt igitur S. Salvium in eodem sacratissimo templo *f* gaudio magno repleti: gratias in excelsis agentes omnipotenti Deo, Sanctum suum mirificanti una cum discipulo suo, *g* sexto Kalendas Julii, adjuvante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus *h* per infinita secula seculorum. Amen.

Corpora sacra elevata,

nequeunt transferri ad ecclesiam S. Vedasti, *d*

aut S. Pharaildis: *e*

A. COÆVO EX MSS. sed facile vehuntur ad ecclesiam S. Martini.

f *g* *h*

ANNOTATA D. P.

a *Quia nomen ignorabatur, dicitur ex tali causa* Superius *appellatus secundum Molanum et monachos Prioratus S. Salvii.* E

b Karolo Martello, *ut supra declaratum est. Alia Acta et Philippus Regem faciunt, qui non alius esse posset quam* Karolus Magnus; *sed male.*

c *Videtur intelligi* Theodoricus, *Rex a Martello constitutus. Consule supra discussa.*

d Extra portam Valencenensem. *Colitur autem* S. Vedastus 6 *Februarii.*

e Ad pagum Brueil, *dictum inquit d'Outreman. Vita* S. Pharaildis *data est* 4 *Januarii.*

f *Postea* ecclesia S. Salvii *dicta: non placet autem in his Actis, quod ecclesia illa dicatur* Sancto adhuc viventi sæpius frequentata; *cum semel tantum, idque ante mortem immediate, ibi sacrificasse legatur.*

g *Colitur* Elevatio *in dicta ecclesia* XV *Octobris, et* Translatio VII *Septembris.*

h *Pars secunda concluditur.*

CAPUT III.

Beneficia sub Carolo Magno præstita. Perjurus punitur. Occisorum pœnitentia.

Gloriosissimus vero *a* Carolus Rex Francorum F largitus est sancto Martyri Salvio partem tertiam ex omnibus facultatibus fisci illius *b*, quæ et ibi permanet usque in præsentem diem.

a Dotatur hæc a Karolo: *b*

17 Eo namque tempore jussit Carolus Campum *c* magnum parari, sicut mos erat Francorum. Venerunt autem Optimates et Magistratus omnisque populus, et castra metati sunt universi in circuitu, ubi *d* Dux residebat. Congregatis autem omnibus, adfuit inter eos unus e Ducibus, quem valde Rex diligebat. Clamare vero cœperunt sorores ejus adversus eum coram Rege dicentes: Piissime et gloriosissime Rex, gubernator et consolator noster, qui post Deum gubernas regnum et imperium Francorum, misereri dignare nobis duabus famulabus tuis orphanis, ut jubeas fratrem nostrum reddere partem hæreditatis nostræ, quam retinet post se injuste. Accersivit autem eum, misericordia motus super eas: et diligenter inquisivit ab eo, utrum earum portionem injuste possideret, an non. Dixitque ad eum: Audi fili, et acquiesce consiliis meis, et redde hereditatem sororibus tuis debitam; faciamque te honoratum valde ex fiscis et villis nostris. Erat autem vir ille valde Regi dilectus, et noluit acquiescere consilio ejus, sed cœpit magis ac magis

c *d*

Dux aliquis negans sororibus hereditatem debitam,

A. COÆVO EX MSS

A magis contradicere, numquam se in vita sua ex eadem portione, quam possidere videbatur, quidquam eis redditurum. Ad hæc Rex respondit : Tu dicis quod eis nullam portionem reddere debeas ; et istæ testificantur, quod earum hereditatem injuste retineas post te, hoc non mihi rectum esse videtur. Verumtamen ecce habemus hic Patronum Neophitum, quem Deus nobis manifestare dignatus est. Si hereditatem earum vis possidere, vade et da sacramentum super ejus sanctum sepulcrum : forsitan tunc manifestabit Dominus Deus, per ipsius intercessionem, si justum sit tibi ad possidendum, an eis reddi debetur actio. Tunc infelix ille, cum magno gaudio acquiescens verbis ejus, ad sacrum Sancti pervenit sepulcrum : injectasque manus suas super illud, cum audacia magna juravit dicens : Per hunc locum sanctum, et B. Salvium Episcopum, quæcumque hæ sorores meæ de portione sua adversum me repetunt, nullatenus eis ex hac quidquam re debeo. Et peracto juramento statim medius crepuit, et disrupta sunt omnia viscera ejus, et per secretam alvi ejus naturam stercora proruperunt, et ex oculis ejus et auribus vel ore exivit sanguis, et cadens in terram factus est velut mortuus. Statimque domestici et amici ejus tulerunt ex eodem loco : nec B ultra loqui potuit, sed post duarum vel trium fere horarum spatium vitam finivit. *e* Et factus est timor magnus in populo : et post hæc nullum fragile penitus sacramentum, in eodem sacratissimo loco, quisquam hominum mendaciter ausus est jurare.

facto falso juramento ad sepulcrum Sancti,

e morte subita punitur.

18 Igitur Genardus, pater Winegardi, omnem pecuniam et possesionem suam per testamenti seriem tradidit B. Salvio ; et perditis oculis corporalibus, acceptis oculis spiritualibus, resedit omnibus diebus vitæ suæ in domo sua. Winegardus itaque veniens ad fratrem suum Isembardum, dixit ad eum; Quid faciam, frater? Recognosco enim qualiter circa S. Salvium Episcopum, in impio crudelitatis scelere exarsi. Sed obsecro te, ut dones mihi consilium, quid facere debeam, ut indulgentiam ex hoc peccatorum meorum, Domino miserante, adipisci merear. Germanus quidem ejus non consenserat in necem, quam frater ejus in B. Salvio exercuerat : dixitque ad eum : Bonum est, frater mi, ut ad eumdem locum sanctum, in quo ipse Sanctus requiescit, quantocius properes : forsitan ipso intercedente accipies a Domino indulgentiam. Tunc Winegardus C cum magno tremore, ante primam diei horam pervenit ad januam basilicæ S. Salvii, et prostrato omni corpore in terram, cœpit orare. Cum autem diutissime voluisset in oratione persistere, commota est omnis basilica, et invasit eum intolerabilis timor et tremor; et in fugam retro conversus, pervenit ad *f* monasterium S. Amandi Confessoris, et ibi permansit lugens ac pœnitentiam agens omnibus diebus vitæ suæ. Servus autem ejus Winegarius, cum magna reverentia flens et ejulans, cucurrit ad S. Salvii basilicam : et cum ingenti clamore stans ante sepulcrum S. Salvii Episcopi, clamabat dicens ; Miserere mei, vir Dei sanctissime : scis enim ipse, quia ob timorem Domini mei nefarium in te scelus perpetravi. Idcirco supplici corde et D humili spiritu, deprecor, ut mihi hoc tam magnum flagitium servo tuo digneris ignoscere. Et cum hæc dixisset, statim prostravit totum corpus suum humiliter ante sepulcrum S. Salvii, cum ingenti gemitu et rugitu, manibus pectus tundens : tantaque ei inundatio lacrymarum confluxit, ut totum pavimentum quod erat ante sanctum sepulcrum, humefactum redderet. Et cum diu prostratus jaceret in terra, inter amaras lacrymas, ex uno oculo visum recepit. Ipsum vero usque in diem mortis suæ pascuæ gregum in servitio S. Salvii Episcopi deservire *g* vidimus.

Pœnitens Genardus sua tradit S. Salvio,

Winegardus post orationes ad eum fusas

in monasterio S. Amandi luget tota vita :

Winegarius ad sepulcrum visum unius oculi recipiens,

greges custodit S. Salvii.

19 Multa quidem et alia miracula, quæ longa sunt narrare per singula, de sancto viro vidimus et auvidimus. Cæci visum, debiles et claudi, et plurimi qui diverso morborum genere teneri videbantur, nobis adstantibus, sanitatem pristinam recipere meruerunt ; et modo, Christo Sanctum suum mirificante, recipiunt. Nos itaque, Fratres, qui gesta vel vitam S. Salvii summo cordis amore scribere curavimus, obsecramus eruditissimos lectores, vel omnes Deo servientes Sacerdotes, ejusdem sancti Martyris vitam legentes, ut orationem pro nobis E ad Dominum fundere non dedignemini : quatenus eodem sancto Martyre Dei interveniente, anima nostra a peccatorum nexibus fiat absoluta : quia in quantum laborare potuimus, vitam et gesta illius cum magno studio solerter scribere curavimus. Magnificemus enim unanimiter, Fratres carissimi, omnes omnipotentem Deum, qui est Pater in Filio, et Filius in Patre, cum Spiritu sancto, in tribus personis unus Deus, trinus in unitate, et unus in Trinitate ; et laudes illi demus in excelsis, qui est semper mirabilis in suis Sanctis, qui contritos elevat, et lapsos in vera confessione reparat : qui confractos solidat, et nobis peccatoribus ad se conversis pœnitendo, misericorditer peccata dimittit ; et hinc evectos ad paradisi gaudia omnes in se credentes, Angelorum ac Sanctorum suorum agminibus clementer consociat. Ipsi honor, laus et jubilatio, virtus et potestas sine fine perenniter per infinita secula seculorum. Amen.

g Alia miracula patrantur,

Peroratio scriptoris.

ANNOTATA D. P.

a *Est hic* Carolus Magnus *nepos per Pipinum Regem Caroli Martelli ; inter mortem autem hujus et regnum illius interfuerunt anni* 27. F

b *Addit d'Outreman*, tunc a Carolo Magno constructam fuisse Ecclesiam SS. Petri et Pauli, *adjunctam ecclesiæ S. Martini.*

c Curiam *passim appellant scriptores ejus ævi, vel* Placitum ; Comitia *Latinius dicerentur.*

d *Quidni hic legatur,* ubi Rex residebat ?

e *Deest hoc miraculum in aliis Actis. Philippus e contrario ipsum fuse narrat; sed omittit pœnitentiam reorum.*

f *De monasterio hoc late actum ad Vitam S. Amandi* 6 *Februarii.*

g *Hinc accurate singula potuit auctor novisse.* NOT. II

DE S. PELAGIO

MARTYRE CORDUBÆ IN HISPANIA.

D. P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

De scriptoribus Actorum, circa genus mortis diversis translationibus et cultu.

A. DCCCCXXV.

Acta ab Ambrosio Morales edita

Ambrosius Morales Cordubensis, Historicus Regius, editis anno MDLXXII *D. Eulogii Martyris Cordubensis operibus, de Christiana republica atque imprimis de Sanctorum historia optime meritus, enumeratis ab illo Martyribus subjunxit pauculos, qui non multis post annis, sub iisdem impiis Arabum Regibus, passi sunt; exorsus a* D. Eugenia, *qua de egimus* XXVI *Martii inter Prætermissos, quod de ejus cultu antiquo nihildum liqueat. Inde porro*
B *ad* S. Pelagium *transiens, sic præfatur:* Duobus post D. Eugeniam annis, hoc est Dominicæ nativitatis DCCCCXXV, mensis Junii die XXVI, qui in Dominicam eo anno inciderat, Cordubæ D. Pelagius, martyrio per omnem Hispaniæ ecclesiam usque hodie celebratissimo, fuit coronatus. Cujus gloriosi triumphi fama, etsi ad exteras quoque regiones inclita permanarit, et in Saxoniam usque remotissimam regionem actutum penetrarit; ibique Roswitham clarissimam Virginem commoverit, ut sanctissimi hujus Martyris victoriam, heroico carmine insigni cum præconio describeret ac celebraret; et nostrates etiam prisci historici ejusdem meminerint; Ecclesiæ etiam per Hispaniam multæ, in Lectionibus Matutinis, Martyrii ejus seriem retineant: ego tamen hic eam ejus Martyris historiam apponam, quæ (ut suo loco apparebit) ipsis martyrii diebus, ab eo qui tunc vixit et interfuit, scripta videatur.

ex vetustissimo MS. Cardennensi

2 Ea in pervetusto codice; Gothicis litteris in membrana descripto, continetur, qui in insigni S. Petri de Cardenna Ordinis S. Benedicti cœnobio, prope Burgos nobilissimam urbem, olim fuerat, et nunc in Regio S. Laurentii ad oppidum del Escurial asservatur. Codex etiam S. Ecclesiæ Toletanæ
C Sanctoralis, Smaragdinus dictus, admodum vetustus camdem iisdem verbis habet S. Pelagii historiam. Vidimus etiam ipsam in veteri Tudensis ecclesiæ Sanctorali: ibi enim indigenam Martyrem civemque suum, solenni in Sacris pompa, Tudenses concelebrant. *Hinc ego immediate acceptam recudit Prudentius Sandovallius, in Antiquitatibus Ecclesiæ Tudensis, ejusdem Episcopus ipse anno* MDCX *: tum alii aliique ex alterutro; seb vel idiomate vulgari vel stylo contractiori; ac denique verbotenus rursum Joannes Tamayus de Salazar, in suo Hispanico Martyrologio, quem non pigebit imitari. Sed quoniam* ubique omnia corruptissime erant descripta, præterquam quod obscura multa videbantur, quod fuit illorum temporum; nos, *inquit Morales,* quaqua ratione potuimus, nihil ferme immutantes, emendavimus. *Contulimus ergo utramque Moralis et Sandovallii editionem; cognovimusque illius emendationem totam se continuisse intra inscriptoria menda, Hispanicæ dialecto propria, ut* devacati *pro* debacchati. *Alia vero paucissima, recte atque ex auctoris sensu mutata, probabit diversitas Lectionis, tribus dumtaxat locis notanda in margine.*

et ex simili Tudensi a Sandovallio.

3 *In Codice Cardennensi hic titulus aderat:* Vita vel Passio S. Pelagii Martyris, qui passus est Corduba civitate, sub Habdarraghman Rege, die V Kalendas Julii: *et in margine appositum,* Raguel Presbyter doctor fuit hujus Passionis Cordubensis. *Hoc ita accipiendum putat Morales, acsi scriptum esset,* Raguel Presbyter Cordubensis, scriptor fuit hujus Passionis: *deinde notat* hunc Raguelem ipso S. Pelagii tempore vixisse, ut ejus Martyrium vidisse potuerit: nam de ejusdem Martyris sodalibus simul vinctis audivisse se asserit, quæ de præclara ejus sanctitate scribit.... Loquitur etiam de sancti Martyris sepultura, tamquam Cordubæ adhuc corpus
E caputque permaneant, sine ulla quæ tunc facta esset transferendi corporis mentione; *cum tamen inter Martyrium et Legationem Sancii Regis, pro eodem repetendo missam, solum intercesserint anni* XXXV. Sodales non tacent, *inquit auctor num.* 4, et fama non silet: *præsentem autem nusquam se indicat: et ubi dicit seorsim corpus fuisse positum, dubitare nos facit, satisne certo scripserit, quod ministrorum in eo desævientium* alius brachium radicitus amputavit, alius tibias desecavit: *rem longe aliter narrante Roswitha, et velut si per balistam trans mœnia fluviumque excussus Martyr, repertusque illæsus, capite dumtaxat imminutus fuerit, reliquo corpore in flumen merso: quod ad ripam ejectum absque capite invenerint piscatores, alibi deinde caput alii; unde postea contigerit dubitare fideles, an utrumque vel certe alterutrum vere* S. Pelagii *esset.*

In isto aderat nomen Raguelis Presb.

in quibus non omnia æque certa,

et diversa a relatione Roswithæ,

4 *Vixit* Roswita, *sive* Hroswitha, *alias* Roswid, *formato ab equis pascendis, vel rubro alboque coloribus nomine, in Ganderscheimensi Ducatus, nunc Brunswicensis apud Saxones monasterio, quod anno* DCCCXLII
F *Lutolfus Saxoniæ Dux condidit, Altfridus Hildesheimensis Episcopus locupletavit: et quia Ottonis primi Imperatoris gesta, jussu secundi Ottonis scripsit, non modo Latino carmine pollens, sed etiam Græce docta; Trithemius in Chronico Hirsaugiensi eam retulit ad annum* DCCCCLXXX*, post quem secundus Otto adhuc triennium vixit, et regnare cœpit Otto III. Gandershemium autem per Visurgim ac Leinam fluvios facilis ascensus est mercatoribus ex Hispania venientibus, adeo ut negotiatorum Saxonicorum aliquis, et tunc cum res ageretur Cordubæ præsens, æque certa aut certiora etiam scribere aut referre in patriam suam potuerit, quoad modum quam aliquis Christianorum Cordubensium, quibus minus tutum erat talibus interesse spectaculis, utpote magis expositis invidiæ suspicionique Barbarorum. Hactenus ergo suspecta esse non debet narratio Roswithæ; esto hæc minus distincte cognitam habuerit ætatem Martyris, et spatium temporis in carcere acti, ac genus illius; itaque crediderit filium Ducis Christianorum a Barbaris capti, qui fuerat Episcopi eorum consobrinus; neque curaverit aut sciverit nominare templa, apud quæ humatæ Reliquiæ fuerunt.*

quæ sub Ottone II in Saxonia floruit,

et quoad mortis genus, distinctiori auctore usa fuit,

5 *Nescio an adhuc nata erat Roswitha, cum res Cordubæ agebatur; itaque vix ante annum* DCCCCL *scripsisse de S. Pelagio potuit, et versibus reddere quæ semibarbare scripta acceperat. Potuit autem ex suo* de

licet de aliis rebus minus informata.

A *de Cordubensium atque Saracenorum rebus conceptu*

AUCTORE D. P. *imperfecto et rudi, utrisque, cum Corduba caperetur, Regem dare; Saracenis quoque, quos Paganos haberi audiebat, Idololatras fingere; erroribus facile ignoscendis Virgini tam procul viventi. Nos, ut accepimus, ita damus ex editione Poematum ejus, Norimbergæ procurata anno* MDCI *per Conradum Celte, primum in Germania laureatum Poetam: qui tamen libraria menda in talibus frequentia, non omnia correxit; sed multa nobis per conjecturam emendanda reliquit, uti ex margine apparebit, indiciis exerrantis scriptionis antiquæ onusto: hoc enim ad fidelitatem pertinere putamus. Absque ejusmodi correctionibus ecgraphum a Bollando nactus Tamayus, pleraque inemendata recudit; neque in Notis laboravit, ut lectorem doceret, quid inter Roswithæ et Raguelis narrationem interesset. De illa quid sentiam, jam explicui; de hoc etiam cœpi dicere, cum neque præsentem Cordubæ fuisse, licet ortu forsitan fuerit Cordubensis, ideoque creditus rem diligentius explorasse; neque videri scripsisse quidquam, sed scribere volentem, pro ecclesia aliqua novi Martyris cultum amplexa, docuisse quæ noverat vel nosse se putabat.*

Ejus Poema hic recuditur sed emendatius.

Alia qui scripsit ex Raguelis relatu,

B 6 *Utrum autem scripta ejus relatio sit, antequam in Saxonia carmen suum Roswitha elaboraret, haud facile dixero: unum mihi videor posse definire, quod id ille fecerit non valde diu ante annum* DCCCCLX, *cum scriptor ita ordiatur,* Temporibus illis cum sævissima orta fuisset tempestas Christianis, *quæ verba notabile temporis intervallum indicare sunt apta. Magis incertum est, cui Ecclesiæ primum scripta sit Passio ista. Martyrem quidem sic invocat Auctor,* Patrocinare Ecclesiæ, eamque foveto indefessis præsidiis, quam tibi famulari conspicis votorum obsequelis, quatenus te coram Deo habeat Patronum, quem Gallæcia oriundum, sed Martyrii sanguine Corduba tenet gloriosum. *Non erat tamen is ecclesiæ Cordubensis status, sub Maurorum jugo gementis, ut ab illis interfecto Martyri Officium condere, eumque festivius celebrare auderet. Ergo particulam* sed, *interpretabor* licet; *et ipsam suspicabor in Tudensi Ecclesia, pro cujus Episcopo ille fuerat in captivitatem datus, initium factum ejus publice invocandi. Tali enim suspicioni favet, quod præter Passionis historiam, etiam alibi repertam, in sola illa repertum fuerit, ideoque et verosimiliter compositum Officium totum proprium cum Missa, qualia Sandovallius excudi fecit: ubi ad Vesperas primas*

videtur Ecclesiæ Tudensi scripsisse.

quæ prima cultum Sancti susceperit,

C *ita in Hymno:*

En sancte Martyr, adolescens Pelagi, preces suscipe
Tudensium fidelium, deferque vota singulis....
Ut ortusque Gallæcia, passusque sistis Corduba,
Pro nobis Christum supplica, superna pariens gaudia.

ut civis sui:

7 *Porro quam cito cœperit ille coli, per ea quæ Hispani fideles tenebant ad Septemtrionem et Orientem regna, Mauris obtinentibus omnia eaque meliora ac majora ad Meridiem et Occasum, satis apparet, ex instrumento cujusdam Blasii, quod Prudentius Sandovallius, in libro fundationum monasticarum num. 2 pag. 46 producit, confirmatum a Rege Navarræ Garcia Sancii, Æra* DCCCCLXXI. *id est anno Christi* DCCCCXXXIII, *octavo dumtaxat post Sancti agonem. In eo enim donatur Abbati S. Æmiliani, Genesio, ecclesia* S. Pelagii, *cum quadam ei juncta hereditate, in villa Solii Rivogiensis provinciæ, ad Castellam veterem pertinentis. Alia multo celebrior, sub ipsius et S. Joannis Baptistæ invocatione, ædificata in urbe Legionensi fuit a Rege Sancio, hujus nominis I; postquam is pacem simul et corpus Sancti a Cordubensi tyranno petitum misisset anno* DCCCCLX; *in quam deinde septimo post anno ipsum attulit ejus filius Ranimirus III. Et Tamayus quidem, producto veteri, ut appellat, Carmine; credi vult, quod fuit*

cito late diffusum,

structis mox ecclesiis.

Quarta Kalendarum dies adnumerata Decembris, D
quando sacrum pignus excepit Legio. Sed Carmina Tamayi toties convicta sunt falsitatis, ne dicam fictionis, totiesque deinceps convincentur, ut omnia debeant esse suspecta. Et hoc quoque loco novitatem facile stylus prodit. Quare de die tunc incipiam credere, cum veterum Breviariorum Kalendariorumque testimonia Tamayus produxerit: quod hic non facit, facturus suo more si potuisset.

Translatio Legionem an. 967 an 28 Novembris?

8 *Neque vero diu licuit Legionensi urbi bono illo frui: nam anno* DCCCCLXXXV, *metu barbarorum urbi imminentium, cum omnibus, quæ ibi cives habebant cariora, Ovetum fuit translatum. Noster tamen Ribadineira, alio quidem avectum tunc corpus non negat, sed Ovetum primo allatum dicit anno* MXXIII *die* VIII *Novembris, quo nempe Rex Ferdinandus ipsius translationem aliquam celebravit.* Monasterium vero, *inquit Morales,* quod primum ab Sancio Rege ad reponendum Martyris corpus fuit Legione ædificatum, Almansere totam urbem devastante cum fuisset dirutum; post ejus urbis cœnobiique restaurationem divi Isidori corpori excipiendo locum dedit *(anno* MLXXIII); ab eoque Divo nomen novum accepit. Sed prior jactura multis aliis iisque magnificis [operibus] quæ hodie per Asturiarum, Galleciæ et veteris E Castellæ regiones cernimus, abunde satis est compensata. *Sola Corduba (quasi ad se non amplius pertineret Sanctus, cujus alio translatæ Reliquiæ erant) tarda fuit in ejusmodi Officio usque ad annum* MDLXXXVI, *quando urbis Episcopus Antonius de Pazos, natione Gallecus, sub Sancti sui gentilis nomine instituit fundavitque seminarium et collegium Clericorum, quod ejus deinde successores confirmarunt, et nova dote constituta, propterea quod prior esset litigiosa, denuo stabiliverunt, teste Martino de Roa, in hujus Sancti Vita inter alias Sanctorum Cordubensium anni* MDCXV. *Ovetensis porro Ecclesia, æque ac Legionensis, cum adhærente sibi Virginum monasterio antea similiter sancti Joannis Baptistæ erat: nunc vero etiam* S. Pelagii *propter præsentiam corporis ejus appellatur: quod nomen qui contractius vulgo pronuntiant,* Sampayo *efferunt, unde inter Hispanorum cognomenta illud apud Lusitanos usurpatum, sicut et patronymicum* Paez, *a Payo derivatum.*

altera Ovetum an. 985.

Ecclesiæ nunc plures ei sacræ,

9 Reliquæ per Hispaniam ecclesiæ, *inquit Morales,* paucis exceptis annuam ejus festivitatem concelebrant, *quod eorum Ritualia et Kalendaria satis docent. Sed apud exteros sero admodum nomen illud in sacros Fastos receptum est: errant enim qui Usuardum nominant, ipsomet Sancto vetustiorem Scriptorem. Pauca fortassis, eaque recentissima, ac multipliciter interpolata exemplaria ejus, et quidem corrupto loci nomine, sic meminerunt:* Civitate Longina S. Pelagii Martyris: *quod MS. Florarium et Carthusiani Bruxellenses sunt secuti. Molanus correxit, et* Cordubam *posuit. Maurolycus deinde ac Galesinius suis Martyrologiis Sanctum inscripserunt, quasi* in Legionensi civitate *passum. Hos secuti Romani Recognitores primi ita scripserunt:* Apud Legionem Hispaniæ civitatem S. Pelagii adolescentuli, qui ob confessionem fidei, jussu Abdarameni Saracenorum Regis forcipibus ferreis membratim præcisus, martyrium suum gloriose complevit. *Sed Baronius cum, lecto Ambrosio Morales, et Truxilli Thesauro concionatorio, didicisset, Cordubæ passi corpus nunc esse Oveti; primum verbum mutari suasit, et scribi;* Cordubæ in Hispania. *Potuisset etiam mutari, quod ibidem dicitur* forcipibus ferreis mambretim præcisus. *Nihil ejusmodi legitur in Vita, aut in citatis auctoribus Morale ac Truxillo.* In Forcipes *quidem* ferreas appendi *jussum Sanctum, habent Acta,* ac strictim sursum deorsumque levari: *sed* forcipes *hic intelligi* furcas, *per modum equulei erectas, res ipsa loquitur, et nihil istæ faciunt ad forcipes*

et cultus ubique fere per Hispaniam: F

nomen sero insertum Martyrologiis exterorum,

A *cipes illas, de quibus disserit Baronius in Annotationibus suis.*

serro etiam inserto passio vulgatis Legendariis,

10 *Primus talis sententiæ auctor fuisse videtur Joannes Vasæus, in Chronico Rerum Hispanicarum, sub annum* MDLI *absoluto; ubi tam Raguelis quam Roswithæ relationes redigens in compendium, prioris verba sic intellexit, acsi tyrannus mandaverit,* ut forcipibus ferreis strictum Pelagium membratim scindant. *Huic proximus accedit Joannes Basilius Sanctorius, in Flore Sanctorum (sic Legendaria vocant Hispani) primum edito Cæsaraugustæ anno* MDLXXVIII, *quem septennio post habemus Bilbai recusum, ubi dicitur tyrannus mandasse,* que lo atenealazzen, hasta quela alma le saliesse de las carnes, *id est,* ut forcipibus eum discerperent, quoad anima egrederetur de corpore; *idque factum ait,* a prima usque ad vesperam. *Antiquiora ejusmodi Legendaria non videntur* Pelagii *passionem habuisse, vel in communi per annum ordine, vel inter Extravagantes, ut appellant, relatam. Nam quod apud nos est, Hispali editum Hispanice anno* MDXXII, *nihil habet de* S. Pelagio : *nihil etiam quod Ulissippone prodiit Lusitanice anno* MDLXXXV, *Archiepiscopi Bracarensis jussu collectum per Didacum de Rosario. Joannes de Marietta, in historia Ecclesiastica* B *Hispaniæ, edita Conchæ anno* MDXCVI, *inseruit quidem* S. Pelagii *Passionem lib.* 2 *de Martyribus non Pontificibus cap.* 77; *sed de forficibus tacuit, solumque scripsit Martyrem a carnificibus fuisse* ad tormenta palo ligneo alligatum et excruciatum, ab hora decima usque ad noctem : *idem habet Alfonsus Villegas in opere excuso Cæsaraugustæ anno* MDCXXVI *seu prius forte Vallisoleti ante duodennium ;* et ab hora tertia in vesperam, *ait,* continuatam ad palum carnificinam ; *sed non aliam, quam quæ in Actis Latinis describitur : sicuti nec aliam descripserat, illis aliquanto accuratior Petrus Ribadineira noster ; qui nec pali quidem meminit, sed equulei, ante membrorum dissectionem adhibiti. Dicit tamen etiam ipse,* a prima postmeridiana totis sex horis *durasse supplicium ; cum Acta dicant illud* hora decima *consummatum : ut videantur auctori ab ortu solis ad occasum horæ numerari, more forsitan tunc usitato Saracenis etiam in Hispania.*

horum quoad durationem supplicii differentia.

ACTA

Ex relatu Raguelis Presbyteri coævi.

Prologus,

C Illustre quidem cujusque operis tunc habetur exemplum, cum ejus narrationis textus cœptum bene tenuerit cursum : quia ex hoc maxime ad laudem probationis * proficitur subsequentis, si ultima haud discrepaverint primis, ut quæ fuit cœpti causa initii, sit etiam ad complementum operis peragendi. Et licet nostra scriptio martyrium disponere nititur fidelissimi testis sui, tamen primordiis non disjungitur, ubi supplicium paratum extitit populis Christianis. Unde autem orandus est Dominus, ut loquendi nobis in laudem sui præbeat initium, quod consummato opere, nullus penitus habeat dissidium : quo tandem ille foris resonet in lingua, qui auctor erat intus in conscientia.

* proficit

a *Pro Episcopo patruo*

2 Igitur temporibus *a* illis, cum sævissima orta fuisset tempestas Christianis; contigit, ut totius Hispaniæ hostes contra Galleciam moverentur; ut, si fieri posset, funditus ea subversa, fideles omnes dominatio possideret externa. Sed non destitit divinum omnino auxilium, temeritatem reprimens indebite contra suos venientium. Ad quemdam itaque locum *b* cum prædicti hostes pervenissent, e contra Christianorum exercitus occurrit, et sese utrique obviaverunt. Mos est autem Regis fidelium Christianorum ut suos simul secum in expeditione Episcopos habeat. Conserto itaque prælio, ita populus Dei in fugam versus est, ut etiam ipsi Episcopi *c* cum aliquantis fidelibus captivi tenerentur : in quibus autem unus nomine fuit Hermoygius, qui ferro vinctus Cordubæ carcere mansit clausus. Porro, quia divinitus varia sunt judicia his, quos omnipotens Deus ad regna vocat cœlestia ; fessus iste Hermoygius Episcopus carceris angustiis, ac ferri oneribus, obsidem pro se suum dedit sobrinum, nomine Pelagium ; ea quoque spe retenta, ut ipso abeunte captivos mitteret, quibus hunc sobrinum redimere posset.

b *Cordubæ captivo,*

D *AUCTORE D. P.*

c

obses datur Sanctus :

3 Verum solita divinitus affuere beneficia, quæ hunc Pelagium ita illuminarunt, ut carcerem haberet probationem, vel quotidianorum, sine quibus humana fragilitas vivere non potest, casuum limam; ut eo etiam sibi hoc ergastulum ad ablutionem induceret peccatorum qui antea in propria positus patria cum esset, quamvis puer, absque illecebris vitam nequibat ducere incentivorum ; quia vix homo in honore positus, Deo placere potest, cum sibi quæ sua sunt, quisque vult vendicare. Unde Dominus dicit viam esse arctam, quæ ducit ad vitam, latam vero et spatiosam, quæ ducit ad perditionem. Revera quanto facilius est ex prosperis ad ima dilabi, tanto unicuique congruentius extat ad sublimia per aspera et confragosa provehi : quinimo, unde morti similis extat, inde Angelorum opportunius curiæ associatur.

qui carcerali ærumna purgatus,

Matt. 7, 13

E

4 Igitur iste beatissimus Pelagius, sibi divinitus hæc omnia inspirata, juxta quod ejus narrant indicia, examinans, caute in carcere vivebat, ubi ferme decem annorum ætate clausus fuerat. Porro qualem ibidem se gerebat, sodales non tacent, et fama non silet. Erat enim castus, sobrius, quietus, cautus, orationibus vigil, lectioni assiduus, Dominicorum præceptorum non immemor, bonorum colloquiorum ascitor, malorum expers, risui non facilis. Elegerat enim sibi magistrum Paulum Apostolum, in doctrinis vigilantem, deprecationibus instantem, angustiis communicantem, in pressuris non deficientem. Quapropter solers erat in lectione, ac facilis in doctrina : eadem quippe illius extabat conversatio ; de illa nihilominus responsio, qua (eo reluctante) si quando forte quivis dissimilis fidei garrulus aderat, refutatus * abibat. Sic præterea mente vel corpore servabat integritatem, ut putares eum non nisi futurum martyrium præmeditantem : utpote cum talia præberet indicia, quæ nullatenus cœlestia admitterent gaudia. Quis vero talem indolem plausibus non efferet, quam species foris pulcherrima paradisigena prærogativa jam decoraverat. Cui sane intus manebat instructor Christus, qui foris erat formæ illuminator : quo ipsum etiam celebraret magistrum specie vultus, qui mente haud dubie dignum regebat alumnum.

ab an. 10 ætatis

mira cœpit enitere virtute;

* reputatus

F

5 Purificat quoque vas suum, dignum parans habitaculum, in quo post paululum ut sponsus lætaretur ; et de quo sacro laureatus cruore sibi suisque amplexibus, inter Sanctorum curias dignus honore famulus jungeretur ; ut bina tam virginitatis quam passionis uberius corona ditatus, duplicem ferret de hoste triumphum ; cum et divitias abhorreret, et vitiis non cederet. Ergo merito duplum pertigit ad bravium, qui cum suis satellitibus hostem calcaverat tetrum. Manens vero S. Pelagius promissionibus resistendo fortis, ac vitiis sane non cedendo laudabilis : quantum interea ille antiquus hostis, suis cristatus nequitiis, eum irretire, nunc aperte, nunc tacite conabatur ; tantum propriæ malitiæ calliditate, sub ipsius (Deo annuente) prostrabatur pedibus infirmus. His vero per trium annorum,

præsertim castitate,

A AUCTORE COÆVO, EX MS.

d *Tredecennis laudatur Regi a forma,*

norum, et semis circulum probabiliter gestis, forte quodam die Regii *d* Tironis cujusdam satellites affuere, qui hujus beatissimi Pelagii venustiorem vultus pulchritudinem suo Domino esse nuntiaverunt. Nec immerito pulcher foris intuebatur, quia Domino Jesu Christo intus pulchrior diligebatur. Hoc pacto stulti homines et veritatis nescii, ejus formam gurgitibus vitiorum putabant obruere, quam idem Dominus noster inter sanctarum Virginum choros suis a dextris pollicebatur stare; non utique intelligentes miseri, Domino non posse contraire, qui nec suum album aut nigrum unquam capillum posset facere.

eique inter epulas sistitur:

6 Quæ interea fama, Regis auribus innotescens, ei optime, sed non recte placuit: cum Dei famulus Pelagius, in carceris etiam angustiis pulcher apparuit. Rex itaque inter epulas positus, apparitores misit, qui futuram Christi hostiam suis sisterent conspectibus intuendam. Sed quia omnipotenti Deo possibilia manent cuncta, dicta factis complentur, et Dei famulum Pelagium præcipites satellites cum vinculis rapuere; ita ut stridentes in aula Regis, cum amputarentur, catenarum tumultus audirentur. Gaudentes itaque mente cæci Regi offerre mortali, B cujus jam sibi Christus animam nexu * disponsaverat inseparabili, eum Regis conspectibus, trabea indutum regali, obtulerunt. Beatissimi auribus pueri mussitantes, quod ad tantum perduceretur honorem ejus species. Ad quem illico Rex inquit: Puer, grandis te honoris fascibus sublimabo, si Christum negare, et nostrum volueris prophetam verum esse dicere. Nonne qualibus, quantisve potiamur regnis, vides? insuper addam tibi numerosam auri vel argenti copiam, vestes optimas, ornamenta pretiosa. Sumes præterea tibi, qualem ex his tyrunculis elegeris, qui tuis ad votum moribus famuletur, sed, et cortes offeram ad habitandum, equos ad utendum, delicias ad fruendum. Porro, et de carcere quantos petieris educam, et parentibus etiam tuis, in hanc, si volueris, regionem advocatis, immensas dignitates conferam.

* dispensaverat.

ad apostasiam solicitus,

generose recusat,

7 At vero sanctus Pelagius universa despiciens, ac ridenda esse intelligens; Hæc ait, quæ demonstras, o Rex, nihil sunt, et Christum non negabo; Christianus fui, sum et ero; nam et hæc omnia finem habent, et cum suis spatiis transeunt. Porro Christus, quem ego colo, nescit habere finem, qui C nec initium habet ullum: ipse namque est qui cum Patre et Spiritu sancto unus permanet Deus; qui nos ex nihilo fecit, et universa potestate continet. Interea cum eum joculariter Rex tangere vellet: Tolle, canis, inquit sanctus Pelagius; numquid me similem tuis effeminatis existimas? Et illico vestimenta quæ indutus erat, scidit, et fortem in palæstra se athletam constituit; eligens digne pro Christo mori, quam turpiter cum diabolo vivere, et vitiis inquinari. Ipsum vero adhuc suaderi posse Rex existimans, suis præcepit tironibus, ut eum suasoribus delinirent lenociniis, si forte apostatando tantis acquiesceret regalibus pompis. Sed ille (adjuvante Domino) fortis stetit, et intrepidus permansit; Christianum se solummodo prædicans, ejusque per secula præceptis obsecundare se dicens.

seque martyrio offert.

Ergo varie cruciatus

e

8 Cujus ferventissimum Rex spiritum contra se persistere videns, atque in suis se desideriis spretum esse intelligens: ira stimulatus; Appendite, inquit, illum in forcipes *e* ferreas, ac strictim tamdiu sursum deorsum vicissim levantes, deponite, quousque aut animam exhalet, aut Christum esse Dominum deneget. Quod beatus Pelagius forti animo pertransiens, stabat intrepidus, qui adhuc pro Christo pati penitus non recusabat. Cujus cum immobilem Rex constantiam videret, jussit eum membratim gladio scindi, et in flumine projici. Qua ministri potestate accepta, per tam immania in eum exerto pugione ludibria debacchati sunt, ut eos putares sacrificia componere de eo, quem immolari eis * insciis in conspectu Domini nostri Jesu Christi erat necesse; et qui jam electus manebat in cœlis, adhuc duriter patiebatur in terris. Nam alius brachium radicitus amputavit, alius tibias desecavit, alius etiam cervicem ferire non destitit.

D *membratim discinditur:*

* in citiis.

Christum invocans moritur,

9 Interea stabat Martyr intrepidus, ex quo guttatim sanguis destillabat pro sudore profluus; nullum interim præter Dominum Jesum Christum invocans, pro quo pati non recusabat, dicens: Domine, eripe me de manu inimicorum meorum. Quem sane divina potestas non deseruit, faciens illum in pœnis Confessorem, ac sub gladii mucrone gloriosum in cœlis Martyrem. Porro, manus quas ille ad Deum levabat, illi sceleratissimi, gladio amputabant. Inter quæ beatissimus Pelagius fessus anhelabat: et quia qui hominum misereretur, non aderat, Deum solummodo invocabat. Clamabat quidem athleta fortissimus, sed præsens certamini præerat Dominus, Veni, inquiens, accipe coronam, quam tibi ab initio promisi. Inter hæc spiritus migravit ad Deum, corpus vero projectum est in fluminis alveum. Sed post hoc nullatenus defuere fideles, qui illud quærerent, atque ad sepulcrum honorifice deferrent. Cujus quidem caput cœmeterium tenet S. Cypriani, corpus vero cespes S. Genesii. *f*

et a fidelibus sepelitur. E

f

10 O vere dignum Deo martyrium hora septima cœptum, vespere autem eodem die consummatum! Quis unquam tale donum ullis compensare valebit sermonibus? Nam pro carceris squalore, reddita est ei cœli gloria; pro angustiis temporalibus, meruit cœli munera; pro patria quam reliquit, possidet paradisum quem optavit. Dimisit sane parentes vel fratres, sed nunc Angelos habet consortes. Omnis (inquit sermo divinus) qui dimittit patrem, aut matrem, etc. propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit. Sustinuit membris gladium, qui nunc cœlorum obtinet regnum. O beatissime testis Pelagi, qui inter delicias minasque Christum confitearis, ac blanditiis cedere nolis; eligens magis mori pro veritate, quam vivere seculo et carere justitia; et quem jam Christus in sorte habebat electorum, promissionibus noluit cedere perditorum. Unde, quæsumus sancte Martyr, Ecclesiæ patrocinare, eamque foveto indefesse præsidiis, quam tibi famulari conspicis votorum *g* obsequelis: quatenus te coram Deo habeat Patronum, quem Gallecia * oriundum, sed martyrii sanguine Corduba tenet gloriosum. Igitur hic beatissimus Pelagius, ætate circiter tredecim et serius passus est annorum; Corduba (ut dictum est) in civitate, Habdarraman Rege imperante; die videlicet Dominica, hora decima, *h* sexto Kalendas Julias, Æra DCCCCLXIII *i*, regnante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat cum Deo patre, in unitate Spiritus sancti, unus in trinitate Deus, in secula seculorum. Amen.

Matt. 19, 29

Epilogus.

F

g * Galleciæ.

h

i

ANNOTATA D. P.

a *Quibus scilicet* Ordonius *Rex Legionis simul et Galleciæ, imperabat, ab an.* 913; *et Mauris Cordubensibus* Abberrahaman, *haud diu post initium seculi* X, *regno avi sui potitus, præteritis fratribus.*

b Mindoniam *appellat Sampyrus, vulgo* Mondonnedo, *inter Compostellam et Ovetum mediam: sed utroque loco paulo magis septemtrionalem. Idem Sampyrus non hic, sed ad Juncariam in Catalaunia, altero post triennium prælio captos Episcopos, ait: sed Raguele*

A *guele et Roswittha, contra Gallecos pugnatum; consentientibus, ipsum memoria lapsum puto.*

c *Scilicet* Hermoygius Tudensis, et Dulcidius Salmanticensis, *teste Sampyro.*

d *Videtur Principem, seu Regis filium intelligere; aut saltem honorarium illius ephebum, ut infra num.* 6, Rex suis præcepit tironibus.

e *Jam dixi,* Forfices *intelligi, quibus veluti ex equuleo suspendebatur Martyr.*

f *Hinc constare notant Morales et Sandovallius, scripta hæc esse, antequam corpus transferretur Legionem an.* 960, *Porro* S. Cypriani *Carthaginensis celebrem in Hispania cultum testatur versibus suis S. Prudentius; et Basilicæ Cordubensis meminit Eulogius. De* Genesio *Arelatensi dubitaret nemo, quin hujus cultum Hispani acceperint ex Gallia, uti et reliquos sacrorum ritus (qui deinde apud Mozarabes permanserunt) nisi novarum Chronicarum nuperi figuli, sub nomine Juliani induxissent proprium Cordubensibus* Genesium, *sub Nerone passum, cujus quia dies ignorabatur, memoria et cultus sit* 25 *Augusti cum Arelatensis memoria et cultu confusus. Verum, ut is in numero Sanctorum recipiatur a nobis, certiori et antiquiori teste indiget.*

B g *Quatenus scilicet sub Mauris licebat, sublato Abdarhamene, et persecutione cessante.*

h *Conveniunt hi characteres in annum Christi* 925, *qui habuit litteram Dominicalem* B, *ut bene observat Morales; qui licet in suo codice invenerit notatam* Æram DCCCCLXIV, *voluit tamen solum imprimi* DCCCCLXIII. *Hoc cum legerit Sandovallius; mirum est, quod non solum imprimi fecerit Æram* 964 *(pro qua per errorem typographicum invenitur apud illum* 864*) sed etiam in margine notaverit, an.* 926 *habuisse litteram Dominicalem* B, *et* 26 *Junii in Dominica. Correctionem necessariam cum Tamayo teneo in anno: nec (ut recte observat Morales) possumus opinari quidquam erratum in die* VI Kal. *et legendum* VI Kalendas: *nam si* 25 *Junii passus esset Sanctus, non voluissent ecclesiæ Hispanicæ transferre ejus festum, in diem SS. Joannis et Pauli Officio impeditum.*

i *Sampyrus* DCCCCLXII, *sed ex dictis corrigendus.*

ALIA ACTA

A Hroswitha Monacha eodem seculo scripta.

Ex editione Norimbergensi anni 1601.

C

PRÆFATIO.

Inclyte Pelagi, Martyr fortissime Christi,
Et bone regnantis miles per secula Regis,
Respice Heroswitham miti pietate misellam,
Me tibi subjectam devota mente famellam:
Quæ te mente colo, carmen quoque pectore [promo:
Et fac exigui supero de rore rigari
Pectoris obscurum, mihi jam clementior, an-[trum;
Quo possim laudum condigne mira tuarum,
Famosumque tuum calamo signare triumphum,
Et quam nobiliter mundum cum morte cruen-[tum.
Vicisti, nitidam mercatus sanguine palmam.

* *Edita,* jam ruis clementius, *quod librarii oscitantia corruptum restituens, pergam porro in gratiam lectoris, similia simili libertate corrigere, illo tamen in Margine vel in Notis admonito.*

D

CAPUT I.

Corduba a Mauris subacta, Abderrhameni ibi regnum, victoria de Christianis.

Partibus occiduis fulsit clarum decus orbis,
Urbs augusta, nova, Martis feritate superba:
Quam satis Hispani cultam tenuere coloni,
Corduba famoso locuples de nomine dicta: *Cordubæ urbi inclitæ,*
Inclypta deliciis, rebus quoque splendida cunctis,
Maxime septenis *a* Sophiæ repleta fluentis, *a*
Nec non perpetuis semper præclara triumphis:
Olim quæ Christo fuerat bene subdita justo,
Fudit et albatos Domino baptismate natos.
Bellica sed subito virtus bene condita jura
Mutavit sacræ fidei, spargendo nefandi
Dogmatis errorem, populum læsitquæ fidelem.
Perfida non Saracenorum gens indomitorum
Urbis Marte petit duros hujusce colonos;
Eripuit regni sortem sibi vir quoque clari,
Extinxitque bonum Regem *b* baptismate lotum, *b*
Qui pridem merito gessit regalia sceptra, *sed a Saracenis occupatæ,*
Et cives justis domuit quot *c* tempora frænis. *c*
3 Hostili ferro certe quo jam superato,
E
Ac reliquo victo tanta de cæde popello;
Ductor barbaricæ gentis, structor quoque pugnæ,
Vir sat perversus, vita rituque profanus, *præfectus tyrannus,*
Vindicat imperii sortem sibi denique tanti;
Collocat et socios populato rure nefandos,
Implens mœrentem non paucis hostibus urbem.
Polluit et veterem puræ fidei genitricem
Barbarico ritu, * quosdam (miserabile dictu!)
Paganos *d* justis intermiscendo colonis; * quodnam *d*
Quo sibi suaderent patrios dissolvere mores,
Deque profanato secum sordere sacello.
Agmen sed tenerum, Christo pastore regendum,
Jussum perversi respuit mox triste tyranni,
Dicens malle mori, Legem quoque morte tueri,
Vivere quam stulte sacris famulando novellis.
Quo Rex *e* comperto, non absque sui fore damno *e*
Sensit, si cunctis pariter prædivitis urbis, *frustra solicitatis Christianis acem indulget,*
Quam crebro valide cœpit luctamine pugnæ,
Civibus excidium mortis conferret amarum.
Ob quod decretum, prius immutando, statutam
Sanxit mox legem, vulgato dogmate, talem:
Ut quisquis Regi mallet servire perenni,
Et Patrum mores olim servare fidelis
Hoc faceret licito, nulla post vindice pœna; F
Hac solum caute servata conditione,
Ne quis præfatæ civis præsumeret urbis
Ultra blasphemare *f* diis, auro fabricatis, *f*
Quos Princeps coleret, sceptrum quicumque te-[neret,
Seu caput exacto citius subjungere ferro, *in eos solos sæviens, qui legem ipsorum blasphemarent*
Et sententiolam lethi perferre supremam.
His ita digestis simulata pace quievit,
Obruta mille malis toties urbs nempe fidelis.
Sed si quos ignis Christi succendit amoris
Martyriique * sitis suasit corrumpere dictis * satis
Marmora, quæ Princeps comptus diademate sup-[plex
Corpore prostrato veneratur thure Sabæo;
Hos capitis subito damnavit denique pœna,
Sed Superos animæ petierunt, sanguine lotæ.
4 Casibus his plures volvebat Corduba soles,
Subdita per longum paganis Regibus ævum: *Postea regno ibidem potitus Abdarhaman,*
Donec sub nostris quidam de germine Regis
Temporibus, regnum suscepit forte parentum,
Deterior patribus, luxu carnis maculatus,
Abdrahemen *g* dictus, regni splendore super-[bus, *g*
Qui * non Christicolis faciebat more parentis; * nam

A. HROSWITHA.

A Librans arbitrium fidei supra memoratum,
Nec satis injustum solvit pietate decretum,
Auctor quod sceleris, populator perfidus urbis,
Sanxit, dum Regem superaret Marte fidelem.
Sed volvens animo, servans quoque corde profundo
.... *h Odium in Christianos;*
Sæpius innocuo madefecit sanguine rura,
Corpora justorum consumens sancta virorum,
Qui Christo laudes ardebant pangere dulces,
Ipsius et stultos verbis reprehendere divos,
Insuper et tanto fastu se jactat in aula
Sacrilegus, meritas cumulans sibi denique pœnas,
Ut Regem Regum semet fore crederet ipsum;
Ejus et imperio gentes omnes dare colla,
Ullum nec tanta populum feritate refertum,
Qui tentare suas auderet Marte catervas.
5 Cum tumuit fastu * illicito jactantius isto,
Audiit, inde locis gentem degere remotis,
Gallicia regione sitam belloque superbam,
Christi cultricem simulacrorumque rebellem;
Quæ sua continuo tentaret spernere jura,
B Velle negans Dominis olim fore subdita pravis:
Quo Rex comperto fervebat dæmonis ira,
Corde gerens veterem serpentis denique bilem;
Volvebatque diu flammato dedecus æstu,
Quid faceret tantis animo tractans inimicis.
Tandem nempe dolo cunctis jam forte retecto,
Affatur Proceres prædivitis urbis heriles,
Talia pestifero latrando verbula rostro:
Non latet, imperio Reges *i* succumbere nostro,
Vivere nostrarum necnon moderamine legum
Omnes, Oceanus gentes quas circuit altus.
Sed quæ Gallicios retinet fiducia captos
Nescio, gratiolæ respuant ut fœdera nostræ,
Et tandem veteris sint ingrati pietatis.
Restat ut amatis repetamus quippe lacertis
Gallicios hostes agitando forte rebelles,
Donec ex nostris strati per secula telis,
Inviti nostris submittant colla catenis.
6 Hac postquam jactat, causamque doli memorabat;
Jussit collectis vulgus concurrere turmis,
Armorum variis instructum denique signis;
Pergeret ut gentem secum delere fidelem,
Ostentatque suum gemmata casside vultum,
C Ferrea lascivis imponens tegmina membris.
Tali cumque locum peteret pompa memoratum,
Et gentem primo tentaret denique bello;
Extemplo tantum sortitur namque triumphum,
Ut jam bis *k* senos, una cum *l* Principe, captos
Illaqueet Comites, arctis stringitque catenis.
His procerum damnis magna feritate paratis,
Cessit victa suis fidissima gens inimicis,
Subditur atque jugo perversi Regis iniquo.

h persecutionem orditur,

** licito*

et Galeciam invadere decernit,

i armato cum exercitu:

victoriaque potitus captivos abducit.

ANNOTATA D. P.

a *Septem artes liberales intellige.*

b *Rodericus Visigotthorum Rex ultimus, anno* 714 *prælio decretorio victus, periit aut periisse est creditus: præter hunc nullus alius tota Hispania Rex erat, neque regnum ullum Cordubense peculiare, sicut Poetria nostra præsumit. Habebat tamen Corduba Præfectum, de quo apud Marianam legitur lib.* 6 *cap.* 24. *Maurorum post victoriam copiis bifariam divisis,* pars, Maguedo duce (qui Christiana olim sacra, quibus erat imbutus, abjurarat) Cordubam petiit; et quoniam nobilissimi ejus urbis cives, commune periculum veriti, Toletum aufugerant, haud ægerrime expugnata est, pastoris cujusdam ductu: qui aditum qua facillime penetraretur in mœnium ea parte monstravit, quæ ponti conjuncta D est, silentio noctis custodiisque interfectis. Urbis Præfectus templi munitione, cui a D. Georgio nomen fuit, defensus, tribus mensibus obsidionem toleravit, deinde e fuga retractus in Maurorum potestatem venit. *Quæ parum distincte cognita Hroswithæ fuisse mirum non est; cum adeo longe abesset illa et loco et tempore. Simili venia digna sunt quæ consequenter notabo.*

c Quot. *i. per* aliquot *tempora.*

d Judæi Mauris confusi urbem habitandam susceperunt: *inquit Mariana: Christianos cives plerosque fuisse vult: sed credibile est, ut alibi, ita etiam hic plurimos remansisse, quorum deinde posteri Muzarabes dicti, quibus religio, ac templa sua, licet thesauris sacris spoliata, ipsaque monasteria salva quadamtenus mansere, sub ea quæ mox sequitur conditione.*

e *Melius,* Dux *nominatus fuisset; videtur autem Poetria, urbis primo capiendæ Ducem, et ejus diu post primum Regem Abderrhamanum, qui regnum istud circa* 757 *obtinuit, simul et tempora et acta utriusque confudisse.*

f *Nullos Saraceni Deos ejusmodi colunt: unum Deum venerantur: sed in eo negant personarum Trinitatem. Poetica igitur fictione hic describuntur, ut idololatræ.* E

g *Hujus nominis tertius* Almansor Ledim Alla, *id est,* Fidei exaltator *cognominatus a suis, de quo ejusque in Christianos ferocia; aliquot adversis præliis irritata, vide Marianam lib.* 7 *cap. ult. ubi etiam de mox narrando prælio; sed ex Sampyro, veluti ad Juncariam pugnato, quod non placet.*

h *Excidit librariis versus unus, ad sensum integrandum necessarius.*

i Reges *erant Ordonius Legionis, et Garcias Navarræ: qui neque subditi neque fœderati Maurorum erant, sed generose cum illis bellabant; ceteri solum Comites dicebantur, etiam in Castella.*

k *Hunc numerum sola et prima docet Hroswitha.*

l *Satis apparet ex mox sequentibus secularem Principem et belli Ducem a Roswitha intelligi non Episcopum: in quo facile ex Arabum relatu decipi potuit advena Saxo.*

CAPUT II.

Obses barbaris traditus Pelagius, blanditias Regis fidenter aversatur. F

Tunc restaurato rursus quoque fœdere *a* primo,
Loris procedunt vincti Comites duodeni,
Cum concaptivo victi Rectore popelli.
Qui citius vinclis dissolvuntur resolutis,
Exempti proprie pretio gazæ numeroso:
Sed ducis est pretium jussu Regis duplicatum,
Ultraque quam propriis possit persolvere gazis.
Cumque sui causa Regi deferret avaro,
Quæ quidem habere domi sibimet suevit pretiosa;
Casu condicti parvum quid defuit auri.
Quod Rex sentiscens, fraudem quoque mente revolvens;
Dixit, nolle Ducem populo dimittere dulcem,
Ni prius indictum plene solvat sibi censum;
Non sitiens tantum, * pretio quod defuit, aurum,
Quantum Rectorem populi gestit dare morti.
Cui fuerat *b* natus præclari germinis unus,
Omni prænitida compostus corpore forma
Nomen Pelagius, formæ splendore decorus,
Consilio prudens, tota bonitate refulgens:
Qui *c* vix transactis jam tunc puerilibus annis
Attigit

a Pro sene patre (imo patruo) lytri supplementum quæsituro,

** pretii*

b

c

A Attigit ætatis primos flores juvenilis.
petit obses tradi S. Pelagius,
8 Cumque sat immitem patri sciret fore Regem,
Tali mœrentem blanditur voce parentem.
O Mi care pater, mea suscipe verba libenter,
Et quæ commoneo sensu bene percipe prompto,
Calleo namque tuam senio decrescere vitam,
Viribus et propriis nervos penitus vacuatos,
Nec te posse quidem lenis quid ferre laboris.
** sed*
Ast ego * sat validis dominabor quippe lacertis.
Ad tempusque potens Dominus succumbere duris,
Quapropter moneo, precibus blandisque rogabo,
Ut Regi natum me deponas tibi carum,
Donec sufficias pretium persolvere totum;
Ne tua canities vinclis intercidat arctis.
9 Et senior contra dicebat voce severa :
Desine tanta loqui, dulcissime desine fili,
Ne mœrore meos ducas in tartara canos.
Nonne salute tua pendet tantum mea vita,
atque ægre obtinet,
Et sine te spatium valeo pio vivere nullum?
Tu decus omne meum, tu gloria magna parentum,
Es quoque subjecti nobis spes sola popelli.
B Quapropter patriam præstat me linquere caram,
d
Nec non Hispaniam *d* vinctum penetrare superbam,
Quam te grandævæ vinclis spem tradere vitæ.
Non tulit ergo patrem Pelagius ista sequentem :
Sed mulcet dictis mentem cari genitoris ,
Et cogit blandis quod suasit velle loquelis.
Consensit precibus tandem genitor venerandus,
Tradidit et natum semet redimendo misellum.
Reversus Cordubam Rex,
10 Tunc Rex Pelagium jussit perducere secum ,
Et lætus rediit, patriam victorque revisit.
Nullus pro meritis credit factum fore Regis
Hoc, quod tam pulchra vincebat denique pompa :
Sed mage judicio secreto Judicis æqui,
Ut populus tanto correptus rite flagello ,
Fleret totius proprii commissa reatus;
Vel quod Pelagius, Christi pro lege necandus,
Forte locum peteret quo se morti dare posset.
Nec non sanguineum pro Christo fundere rivum,
Impendens animam Domino bene morte piatam.
Pelagium carceri intro mittit :
11 Postquam Rex urbem tetigit sævus locupletem,
C Portans præclarum victa de gente triumphum;
Licet egregium Christi præcipit amicum
Carceris in tenebras vinctum submergere nigras,
Deliciisque cibo nutritum pascere parvo.
Corduba namque locum servat sub fornice tetrum ,
Oblitum lucis, consignatumque tenebris,
Maxima qui miseris fertur fore causa doloris.
Illic Pelagius, præpollens pacis alumnus,
Clauditur imperio Regis cogente nefando.
Illic ergo viri venerunt sedulo primi,
Mulcendo mentem juvenis causa pietatis :
deinde ab illis qui viderant,
Qui cum vidissent vultum capti speciosum,
Nec non prædulcis gustassent ipsius oris
Verbula, rhetoricæ circumlita melle loquelæ;
Optabant speciem vinclis absolvere talem,
Hæc et suaserunt Regi jam sceptra tenenti.
Ipsum felicis certe summum caput urbis
Corruptum vitiis cognoscebant Sodomitis,
Formosos facie juvenes ardenter amare,
Hos et amicitiæ propriæ conjungere velle.
laudata sibi illius forma,
12 Hujus namque rei memores, animo miseranti
Causa Pelagii suaserunt talia Regi.
Non decet ergo tuum, Princeps fortissime , sceptrum,
Duriter ut puerum mandes punire decorum,
Obsidis et teneros insontis stringere nervos.

Ejus prænitidam velles si cernere formam, D
A. HROSWITHA.
Et tam mellitam saltem gustare loquelam ,
Quam cuperes juvenem tibimet conjungere talem,
Gradu militiæ nec non assumere primæ,
Corpore candidulo tibi quo serviret in aula.
His Rex mollitus dictis, hac voce coactus,
Jussit Pelagium nodis evellere duris,
Omneque lavacro corpus detergere puro,
deduci eum ad se honorifice jubet,
Lætaque purpureo circumdare tegmine membra,
Collum gemmatis nec non ornare metallis ;
Quo bene constructa posset fore miles in aula
Cæsaris. Imperio tunc hæc urgente superbo,
Ex templo nigris Martyr producitur antris,
Sistitur atque toga regali comptus in aula.
13 Cumque palatinis medius foret ille locatus,
Vincebat socios vultus splendore togatos :
In quem conversis omnes mirantur ocellis
Tum faciem juvenis, tum dulcia verba profantis.
Aspectu primo quoque Rex suspensus in illo,
Ardebat formam regalis stirpis amandam.
Tandem Pelagium nimium mandavit amandum
In solio regni secum jam forte locari,
sed ab eo, osculum detrectante,
Ignis ut ipsius fieret, sibi sedulo junctus,
Fronteque submissa libaverat oscula caro,
Affectus causa complectens ut pote colla. E
Non patitur talem Christi nam miles amorem
Regis Pagani, luxu carnis maculati,
Aurem regali ludens nec contulit ori
Magno ridiculo divertens ora negato,
Fatus et egregio dicebat talia *e* rostro. *e*
Non decet ergo virum , Christi baptismate lotum,
Sobria barbarico complexu subdere colla ;
Sed nec Christicolam, sacrato Chrismate tinctum;
Dæmonis oscillum spurci captare famelli.
Ergo corde viros licito complectere stultos,
Qui tecum fatuos placantur cespite divos ;
Sintque tibi socii, servi qui sunt simulacri.
et blanditias ac promissa spernente,
14 Sed Rex e contra nulla commotior ira
Mollibus * ephebum dictis mulcebat amandum. ** molliter*
O lascive puer, jactas te posse licenter ** dicens*
Spernere tam mitem nostri juris pietatem,
Audacterque diis toties illudere nostris ?
Nec movet ætatis præsens damnum juvenilis ;
Et quam mœrentes orbabis forte parentes ? ** monet*
* Noster blasphemos urget cultus cruciandos, ** nostri*
Subdere eos * morti, ventres jugulosque forari ; ** vos 'vestros*
Ni cedant, et blasphemam respuant rationem.
Hortatu moneo quapropter quippe paterno ,
Talibus ut verbis parcas sævæ rationis, F
Et mecum stabilem comportes mentis amorem, ** tanto*
Nec tentes nostrum post hæc offendere jussum,
Magno sed studio serves mea dicta sequenda :
alapa cæditur.
Te quia corde colo nec non venerarier opto;
* Tantum præ cunctis aulæ splendere ministris ;
Alter ut in regno sis, me præstante, superbo.
Hæc ait, et dextra compressit Martyris ora,
Astrictum læva complectens colla sacrata,
Quo sic oscillum saltem contingeret unum.
Callida sed Testis confudit ludicra Regis,
Osque petit subito pugno regale vibrato ;
Intulit et tantum pronis obtutibus ictum,
Sanguis ut absque mora stillans de vulnere facto
Barbam fœdavit, nec non vestes madefecit.

ANNOTATA D. P.

a *Neque renovatum, neque tunc primo ictum fœdu ullum fuit : sed majoribus animis restauratum bellum a Christianis, quamvis Alava Contabriæ pars ea victoria Mauris cessisset.*

b *Non natus, sed nepos ex fratre aut sorore ; fortassis tamen et filius spiritualis ex baptismate.*

c *Imo necdum transactis, utpote tunc solum decennis;*

A. HROSWITHA.

A nis; adeoque nec bene hic laudatus a prudentia, nec vere dictus se ultro obsidem præsentasse.

d Videtur Poetria rem actam concipere, pæne in ipso loco certaminis, qui Corduba aberat quam longe a Borea in Meridiem Hispania tenditur, majori tunc adhuc sui parte Mauris parens.

e Hispanismus hic quo rostrum *dicitur pro facie, indicat Roswitham præ oculis habuisse aliquam vulgaris linguæ narrationem scriptam.*

CAPUT III.

Martyrium Sancti; corpus inventum; caput miraculo ignis probatum.

Balistæ impositus trans flumen jacitur,

Tunc Rex non modicam tristis conversus in [iram,
Jussit Pelagium, cœlestis Regis alumnum,
Trans muros projici, jactum funda *a* machinali,
Crebro bellantes saxis quæ perfodit hostes.
Nobilis ut testis, fluvii *b* collisus * perennis,
Urbem qui vasta propius circumfluit unda,
Membratim creperet raptim, fractusque periret.
Talia jactanti parebant forte ministri;
B Mox et inauditam struxerunt denique pœnam,
Funda Pelagium jacientes martyrizandum,
Urbis famosæ trans maxima mœnia longe.
Sed licet ingentes obstantes undique rupes
Actarent testis corpus prædulce cadentis;
Attamen illæsus Christi permansit amicus.
Certe Regales citius pervenit ad aures,
Martyris allisi corpus non posse secari,
Infigi scopulis ripæ quod jussit acutis.
Hic magis offensus, penitus fuerat quia victus,
Mox caput exacto jussit succidere ferro,
Et sententiolam sic exercere supremam,
Denique lictores, Regalia jussa trementes,
Mox Christi testem gladio secuere fidelem,
Funus et extinctum lymphis credunt; retinendum.

a — *b* — * Parenis — *corpore illæso:* — *tum capite plexus mergitur fluvio.*

16 Jam miles Regis, prostrata morte, perennis
Victor stelligeri volitat per sidera cœli,
Cœlitus Angelicis deductus suaviter hymnis;
Judicis et veri, cœli super astra * locatus,
Et dextra nitidam suscepit congrue palmam,
Pro nece martyrii laudando fine peracti.
Sed nec ferventis bravio fraudatur amoris,
Quo semet vinclis pro vita denique patris
Impendit, patriam linquens gentemque subactam.
C Tandem nulla piis potis est depromere verbis
Lingula laureolam, cœlesti luce coruscam,
Qua bene servata fulget * pro virginitate,
Adjunctus turmis cœlesti sede * receptis,
Agno cantamen modulando perenniter Amen.

* locati — *Anima in cœlo coronatur.* — * pro — * receptus

17 Postquam lictores, Regis decreta sequentes,
Funeris exuvias extincti sat generosas
Lympharum gremio credunt, in saxaque figunt,
Ut sacri tumulo cineres essent sine digno;
Christus, qui proprios patitur non perdere Sanctos,
Prædari modicum capitis vel forte capillum;
Non tulit in lympha testem remanere fidelem;
Illi sed dignum providit rite locellum,
Qui Sancti tumulo servaret membra sacrata.
Nam piscatores, lymphas remis resecantes,
Fluctivagosque greges variis laqueis capientes,
Littoris extrema viderunt corpus in ora
Inter grandisonas agitari Martyris undas.
Eminus hoc cautis cernentes nempe pupillis,
Illic vela dabant citius, corpusque levabant.
Nec jam personæ noscunt formam venerandæ,
Illita purpureo fuerant quia sanguine membra:
Et caput egregium jacuit procul amne revulsum,
Sed tamen hoc sapiunt, prompto quoque pectore [credunt,
Quod hic, quisquis erat, Christi pro lege cadebat; D
Illic hi soli quia damnantur capitali
Pœna, qui sacra tincti baptismatis unda,
Non metuunt crebro Regis reprendere sacra.

Providente Deo — *piscatores ejectum in ripa corpus inveniunt,*

18 Cumque caput *c* nanciscentes colloque lo- [cantes,
Pelagii faciem cognoverunt rutilantem;
Rumpunt in tales miseranti pectore voces:
Heu jacet exanimis, propriæ spes unica gentis!
Atque decus patriæ tumuli sine sordet honore.
Nonne satis multis scimus nos vendere * siclis
Semper Sanctorum corpuscula passa virorum,
Quos capitis cædes monstraverat esse fideles?
Et quis laudabilis dubitet corpus fore Testis,
Quod truncus misere capitis jacet absque decore?
Hæc ubi dicta dabant, navi pia membra locabant.
Et citius versis remigabant denique velis
Famosæ cunctis ad portum gentibus urbis.
Hic quoque subducta jam processere carina,
Et clam cœnobium Christo petiere sacratum,
Intra non modicos urbis venerabile muros,
Portantes pretio vendendum denique magno
Extincti Testis funus, venerabile terris.
Quod gaudens hymnis suscepit turba fideles,
Suavibus exequias celebrans de more sacratas, E
Largiter et pretium nautis tribuit superactum,
Ardescens Sancti mercari corpus amandi.

c deinde et caput, — * seclis — *atque in urbem referunt, Christianis vendendum;*

19 * Quo jam mercato pretii non munere pauco,
Eligitur tellus membris locuples retinendis:
In qua suprema busto pompa reparato,
Glebæ sub cumulo conduntur fragmina sacra:
Quæ mox stelligeræ Regnator maximus aulæ
In tumulo signis jussit fulgere coruscis:
In cœlis anima satis ut regnante beata
Æqua gloriola regnarent mortua membra.
Denique collectus cernens ex urbe popellus,
Non pauco variis obsessos tempore morbis,
Mundatis illic fœdis putredine membris,
Salvari gratis, nulla mercede salutis;
Nam rudem meriti Sanctum titubat fore tanti
Illius ut causa fierent miracula tanta.

* quonam — *ad cujus sepulcrum cum miracula crebrescerent,*

20 Tandem cœnobii Princeps *d* Rectorque popelli,
Optima consilii tractans medicamina sani,
Sensit Celsithronum devota mente precandum,
Quo jam dignanter solita pietate, patenter
Detegeret dubio causa secreta remoto.
Quod mox personæ sexus optant utriusque
Parcius, atque tribus sociatæ sponte diebus
Dulcibus instabant hymnis, precibus quoque sacris. F
His certe votis devota mente peractis,
Mitem mollitum Regum sensere polorum
Esse suis preculis studioso murmure fusis,
Nec non judicio dubiæ pronum fore causæ.
Et cito fornacem cogunt fervere minacem,
Ignibus appositus toto conamine structis.

d — *ad tollendum de vera ejus sanctitate dubium,*

21 Dumque focus gremio fureret fornacis in [amplo,
Mox caput abscissum Christi sumpsere famelli,
Talia blandiloquis palpantes verbula linguis:
Rex pie, sidereæ Dominator nobilis aulæ,
Omnia judicio qui scis discernere justo,
Illius meritum Sancti fac igne probari:
Et si sit tantæ fultus bonitatis honore,
Ejus ut ex meritis fierent hæc dona salutis,
Frontis pelliculam facito non tangere flammam:
Verticis illæsos omnes quoque redde capillos;
Sin vero meriti constet fortasse minoris,
Manda pro signo saltem lædi cute summa;
Juxta naturam fragilis carnis perituram.

orant ut Deus signum faciat caput servando a flammis,

22 Talia dicentes, clarum caput igne proban- [dum.
Credunt, flammivomis saltim surgentibus undis,
Et tandem plenæ spatium post unius horæ,

quo per horam intra eas illæso,

Hoc

A Hoc ipsum rapidis extollunt denique flammis,
Lustrantes oculis damnum ferretne caloris.
Quod jam splendidius puro radiaverat auro,
Expers odoris penitus tantique caloris;
Hinc sursum versis laudavit turba fidelis
Vultibus Altithronum modulanti carmine Chri-
[stum :

norum venerantur Patronum.

Qui toties tantis fecit splendescere signis
Fragmina constantis pro sese mortua Testis.
Hæc et mauseolo digne condens venerando,
Digno percerte supplex veneratur honore
Finetenus, merito vulgo bene credula noti,
Cœlitus atque dati semper gavisa Patroni.

ANNOTATA D. P.

a *Balistam intellige. Tamayus nescio quid intenderit clarioris sensus, cum hunc sine sensu versum substituit.*

Funda murali jactum trans mœnia proœci. *i. projici.*

b Betis, *vulgo* Guadalquivir : *quem Poetria nostra gratis concepit rupibus præcinctum : interim ei debemus notitiam novi istius tormenti : si tamen ea satis certa* B *est, silente Raguele : similiter quoque ei debemus modum inventi et a Christianis sepulti corporis, quem Raguel nec attigit quidem, uti nec miracula ad tumulum patrata.*

c *Quomodo factum sit ut alio caput, alio corpus conditum sit cœmeterio (quod asserenti Ragueli negari non potest) non exprimitur. Crediderim ego, ab aliis corpus in ripa, ab aliis caput alibi, et alio forsan die, inventum esse ; vel ab ipsismet carnificibus allatum in urbem ad tyrannum, fidem impleti mandati facturum, deinde a Christianis redemptum fuisse; unde inter ipsosmet nata controversia sit de veritate prædictarum Reliquiarum.*

d *Nempe dilapsis ad Christianas partes Episcopis relictis inter Mauros Christianis vice eorum præerant Abbates, qui cum Monachis remanserant.*

APPENDIX D. P.

De venerabili Hermoygio, S. Pelagii patruo vel avunculo, et Translationibus corporis.

C Procedente *ultra dimidium seculo* x *sub Regibus Legionensibus Ranimiro III et Alfonso V, in eorum aula florere cœpit* Sanctus Pyrus, *uti se signat ipse, apud Ægidium Davila, vel etiam, idque usitatius* Sampyrus *et* Sampirus, *factus deinde Asturicensis Episcopus ; quod ipsum adhuc fuisse constat (teste eodem Ægidio) anno* DCCCCXCVIII. *Scripsit hic res suo tempore gestas usque ad annum* DCCCCLXXII, *opusculo inter alia similia per Prudentium Sandovallium Tudensem Episcopum bis edito, et antea sæpius allegato per eumdem in Antiquitatibus Tudensis ecclesiæ, editis an.* 1610. *Primus Sampyri locus huc spectans sic legitur .* Iterum Rex Cordubensis, cum aliis Agarenis Regibus, et cum multis Saracenorum exercitibus contra Regem Dominum Ordonium venit ad locum, qui dicitur Mudonia; et inter se dimicantes et prælium moventes, corruerunt ibi multi ex nostris : et, ut ait David, varii sunt eventus belli. Ex hinc in anno tertio innumerabile agmen Saracenorum venit ad locum, qui dicitur Mohis. Quo audito Pampilonensis Rex Garsea, Sancii Regis filius, misit velociter ad Dominum Ordonium, ut adjuvaret eum contra acies Agarenorum. Rex vero perrexit cum magno præsidio : et obviaverunt sibi in valle, quæ dicitur Juncaria : et (ut assolet) peccato impediente, multi corruerunt ex

Sampyri Asturicensis [illegible] Chronica.

et clade in qua captus Sancti patruus,

D nostris ; etiam duo Episcopi, Dulcidius Salmanticensis et Ermogius Tudensis, ibidem sunt apprehensi, et Cordubam adducti : et pro isto Ermogio Episcopo ingressus fuit obses, sobrinus ejus S. Pelagius Cordubam. Deinde posuerunt eum in carcerem, qui postea pervenit ad martyrium.

AUCTORE D. P.

2 *Hinc innotuit nobis, et locus prælii in Gallecia commissi, sed cum memoria alterius in Catalaunia confusi; et Episcopi ejus, pro quo obses ivit* S. Pelagius, *nomen atque sedes. Verosimile est autem, sanctum Martyrem Tude apud* Ermogium *fuisse educatum, atque adeo ut civem coli a Tudensibus posse, ibidem tamen etiam natum, quod vult Sandovallius, distinctiori eget probatione. Merito autem Roswitha gravem captivi ætatem exaggerat; siquidem donationi, cuidam a Rege Ordonio II et ejus conjuge Elvira factæ monasterio S. Petri de Montibus, æra* DCCCCXXXVI *sive anno Christi* DCCCXCVIII, *subsignat* Hermoygius Tudensis Sedis Episcopus, *et clades, qua captus est, spectat ad* DCCCCXXI. *Interim ex isto instrumento manifeste convincitur errasse Brandanus, et qui secutus eum est Cardosus, cum ex charta cujusdam Favilæ, facta in favorem Lorvaniensis apud Lusitanos monasterii, æra* DCCCCLI, *id est anno* DCCCCXIII, *subscriptum istic* Priorem Hermogium, E *volunt postea factum Episcopum Tudensem (quod noster ante multos annos erat) indeque conficiunt, fuisse cum suo nepote Lusitanum, et quidem Conimbricæ natum, ubi* Sampayorum *familia viget; quasi hæc nomen illud assumpserit in memoriam suæ cum sancto Martyre cognationis : quod est ridiculum, cum ex loco aliquo possessionis, S. Pelagii nomen ferentis, censeri potius debeat derivata appellatio, ut similes aliæ complures. Æque frivolum est, quod ex veteri quodam Lorvaniensi Rituali sumitur argumentum ; dum ibi legitur :* V Kal. Septembris celebramus festum S. Pelagii Martyris, cum luminibus triplicatis, majestatibus et coronis ; non illius, qui ex hac patria natus, pugnavit Cordubæ pro fide Christi, VI Kal. Julii : ponitur enim simplex lumen et non coronatur etc. *Nam ibi* τὸ ex hac patria natus, *respectu ejus qui colitur in Septembri, putaturque Constantiæ in Suevia editus ; aliter non debet, nec potest intelligi, quam* ex Hispania.

ejus nomen et Episcopatum Tudensem indicat.

Hunc ille tenebat anno 898,

adeoque non fuit Prior Lorvaniensis an. 913 ;

nec est cur debeat Lusitanus credi,

3 *Ab anno igitur* DCCCXCVI, *aut etiam citius, Tudensis Episcopus* Hermoygius *fuit, de quo deinde Ordonius et Elvira Legionis et Galleciæ Reges apud Sandovallium testantur, æra* DCCCCLIII *id est Christi anno* DCCCCXV, *suo dominio traditum, ab ipso* constructum monasterium S. Christophori in territorio Tudensi. F loco vocato Labrugia Rivolimia : *in hoc autem ipse etiam Hermoygius Episcopatu deposito, se videtur recepisse, ubi vixerit ad et ultra annum* DCCCCLI, *quo celebri chartæ S. Rudesindi, pro monasterio Cellæ-novæ, simul subscripserunt* Vimera Episcopus Tudensis, *atque* Hermogius Episcopus *(absque titulo Sedis jam abdicatæ)* et Confessor : *quod notat Sandovallius pertinere, non ad memoriam captivitatis barbaricæ, sed ad declarationem professionis monasticæ ; siquidem* Dulcidius Salmanticensis Episcopus, *Hermogii concaptivus, istic pariter subscribit, nec tamen se dicit* Confessorem. *Porro ut in dicto monasterio vixisse* Hermoygius, *ita et obiisse creditur, cum opinione sanctitatis Istic certe sepultus fuit, secundum loci traditionem, Tudensis Episcopus aliquis, vulgo habitus Sanctus ab omnibus accolis, licet neque nomen neque vitam scientibus; jacetque in capella Dominæ nostræ, omnino antiquissima : quis autem potius, quam Fundator suus? Quod tamen quia non plene constat, minus etiam de veteri cultu, voluit anno* MDLX *Archiepiscopus Bracarensis, eminens istud monumentum communi coæquari pavimento ; non tamen prorsus sustulit venerationem illius, si qua scilicet fuit et erat. Hujus tamen quia dies obitus ignoratur, elegit Tamayus ipsum eodem die referre in suo Martyrologio Hispanico, quo Sanctus ejus nepos colitur,*

secessit autem ad conditum a se monasterium,

ubi adhuc vivens an. 951,

ibique sepultus, non cultus, ut Sanctus,

AUCTORE D. P.

A *colitur, sub hoc elegio:* In ecclesia S. Christophori in territorio Bracarensi *(huic enim postea accessit, cum tota valle seu rivo Limiæ, 'factum Lusitanici juris)* depositio S. Hermoigii Episcopi Tudensis, qui post passionem S. Pelagii nepotis ad Silense cœnobium secessit: e quo cum aliquot Monachis comitibus, S. Christophori monasterium construxit, ubi vitam sanctissime egit; et demum ad æternam gloriam translatus, gloriosum seculis sanctitudinis spiravit odorem. *Hæc ille, non animadvertens ex supradictis, et eo quem in Notis describit Yepezio constare, monasterium S. Christophori multo prius extructum fuisse, quam* S. Pelagius *Martyrum subiret: neque solam elevatioris tumuli prærogativam, quæ fundatori dari potuit, sufficiens esse argumentum publici in Ecclesia cultus, qualis requiritur et nunc aliquis Martyrologio inscribatur tamquam* Sanctus, *ideoque* Venerabilem Hemoigium *dicere satis habemus.*

qualem hoc die facit Tamayus.

4 *At nepos haud diu post obitum cœpit coli ut talis, et inter Christianos ecclesiis arisque ei dicatis honorari, sicuti jam satis ostendimus supra. Tam cita autem diffusio cultus, haud dubie adscribenda est miraculis, statim ad invocationem Sancti cœptis ubique patrari. Ergo Legionis* Rex Sanctius, *hoc nomine istic primus,*

Nepotis corpus an. 960 petit Rex Sancius,

B salubre iniit consilium, una cum uxore Tharasia, et cum sorore sua Regina Geloyra, ut nuntios mitterent civitati Cordubæ, ut peterent corpus S. Pelagii Martyris, qui martyrium acceperat in diebus Ordonii Principis sub Rege Arabum Habdarragman. Et dum legatos una cum Velascone Legionensi Episcopo, illuc pro pace et ipsius corpore S. Pelagii miserunt, egressus Rex Sanctius Legione venit Galleciam. *Ita ad Æram* DCCCCXCVIII, *qui fuit annus Christi* DCCCCLX *scribit Sampyrus: addit autem Tamayus die* III *Novembris, quod* Sanctius quidem Rex S. Pelagii corpus obtinuit (erat enim Habdarragmano carus, jam inde ab eo tempore quo hydropisi seu monstruosa pinguedine æger Cordubam adierat, Arabum medicorum opem, a quibus et sanatus est, quæsiturus) verum sanctas Reliquias advenientes morte præreptus non vidit.

5 *Moræ causa fuisse videtur, Habdarragmani mors, eodem tempore obita, cui succedens Alhaca negotium translationis protraxerit, quoad conditiones pacis sibi commodas elicuisset: nec ipse fortassis Rex jam de concesso munere securus, importune instabat, occupatus condendis in honorem Sancti ecclesia et monasterio, quo illum exciperet. Interim obiit etiam ipse anno*

quod filius Ranimirus an. 967 obtinet et transfert Legionem

C DCCCCLXVII, *quinquenni filio Ranimiro III regnum relinquens, sub tutela matris amitæque: quibus satagentibus pax cito conclusa, et advectus qui petebatur Legionem Thesaurus sacer est. Testatur id post Sampyrum Rodericus Toletanus. lib. 5 cap.* II *sic scribens:* Hic de consilio matris suæ Reginæ Tarasiæ et amitæ suæ Geloyræ Monialis, secundum legationem patris, cum Arabibus pacem fecit; et corpus S. Pelagii, pro quo pater miserat, impetravit, et in monasterio quod pater ad hoc construxerat, collocavit. *Mariana dicit, quod* id cœnobium, Joannis Baptistæ atque Pelagii olim nomen prætulit, nunc D. Isidoro sacrum, *postquam hujus corpus simili legatione impetratum Hispali fuit anno* MLXXIII: *sed qui hanc translationem descripsit, sicut eam dedimus* IV *Aprilis, num.* 13, *solum nominat* ecclesiam S. Joannis Baptistæ: *quia nempe prius quam Legionem adferretur S. Isidorus, ablatus inde Ovetum erat* S. Pelagius: *quod quando et quomodo acciderit, ex Ambrosio Morales accipe.*

in ædem S. Joannis Baptistæ, a patre conditam,

6 Quo tempore Christiani diram Almansoris, Arabum sive Regis sive Ducis, vastationem in secundo ejus adventu metuebant, *anno scilicet* DCCCCLXXXV, relicta Legionensi urbe, cum sacris vasis, scriptis, monumentis, reliquiis Sanctorum Regumque cadaveribus Ovetum transtulerunt, *Regni sedem*

quæ an. 985 vastatur a Mauris,

D *ante Ordonium II.* Qua de re ita scribit Pelagius Ovetensis Episcopus, qui post Sampyrum illorum temporum historiam continuavit. Cum vero, inquit, cognovissent Legionenses et Asturicenses cives illam plagam venturam super eos, acceperunt ossa Regum, quæ erant sepulta in Legione et Asturica, una cum corpore S. Pelagii Martyris, et intraverunt Asturias et in Oveto in ecclesia S. Mariæ dignissime sepelierunt ea; Corpus autem S. Pelagii posuerunt super altari S. Joannis Baptistæ. Huc usque Pelagius, qui exemplar illud Ovetense cum sua et Sampyri historia scribi jussit, ut Regi Alfonso Toletanorum victori daret, *puta initio seculi* XII; *nam ille obiit anno* MCVI, *Toleto potitus anno* MLXXXVI, *et ipse adhuc vivebat anno* MCXI. *Pergit autem Morales.*

corpore Ovetum ablato, ubi hodiedum colitur,

7 Et quamvis in sancti Joannis Baptistæ venerationem conditum id Monasterium fuerit, nunc tamen S. Pelagii nomine compellatur, et sacris Deo Virginibus incolitur. Sanctum Martyris corpus supra majus altare, theca argentea, quatuor ferme pedum longitudine decentissime repositum, supplex veneratus sum, in illa sancta legatione, qua jussu Regis Catholici Philippi II perfunctus fui. Et ego quidem ab Rege Fernando hujus nominis primo eo sublatum, et diviti tumulo ad eum modum honoratum E S. Martyrem crediderim. Vidi enim in eodem monasterio ejus Regis diploma Gothicis litteris scriptum: Nos exigui famuli Christi Ferdinandus Rex et Sancia Regina vobis, Domini eximii et Patroni nostri, Præcursor et Baptista Joannes, nec non et ultimus Martyr Pelagius, cujus corpus tumulatum manet juxta aulam sancti Salvatoris, ledis Oveti; in ipsius Jesu Christi honorem et hujus sancti Martyris amorem [sicut] inspiravit Deus in cordibus nostris, et [per] hanc famulam vernulamque tuam, conjugem meam Sanciam spiraculum prudentiæ in cordibus nostris immisit, ut in melius instauraremus ipsum cœmeterium, ubi ipsum corpusculum Martyris sanctissimi requiescit; [ita] denique venimus in hunc sanctum locum cum Episcopis et prolibus nostris et omnibus Magnatibus terræ nostræ: et fecimus translationem mirificam ipsius sancti Corporis, ut majori surgat in culmine, cujus anima sublimori exultat in requie..... Notum die V Id. Novembris Æra LXI post millesimam, *id est anno* MXXIII.

in thecam argenteam

a Ferdinando Rege translatum anno 1023.

8 *In hoc diplomate non otiose prætermittendum puto, quod dicatur* ultimus Martyr Pelagius, *quasi post* F *ejus mortem cessaverit Christianorum Cordubæ persecutio: quod etiam verosimile facit ingravescens tyranni ætas cultaque cum Sanctio Rege amicitia; qua fidens Rex idem, etiam personam suam non dubitavit illi exponere, et medicinæ causa Cordubam accedere. Cum autem animum reflecto ad seriem Episcoporum Toletanorum septemdecim, in Canone Mozarabico (de quo infra) recensitorum, ante Bernardum recuperata a Christianis civitate anno* MLXXXV *ordinatum, quorum est primus* Julianus, *alter ab eo, qui colitur* VII *Martii, et ante Saracenorum irruptionem floruit, obiitque anno* DCXC; *cogor credere, Habdarrachmanum, meritis* S. Pelagii *Christianis mansuetiorem effectum accedente commendatione amici Regis, indulsisse iisdem, ut haberent Toleti Episcopum, cui non solum subjicerentur quæ ipsis ex pacto istic remanserant ecclesiæ sex, sed etiam alii omnes toto suo imperio Muzarabes.*

Is dum appellat ultimum Martyrem

persuadet cessasse inde persecutionem,

9 *Neque ab hujusmodi opinione me absterret Tamayus, seriem Archipræsulum Toletanorum, ad* XXV *Octobris, solum continuans, absque ulla fere interruptione, ab Apostolorum temporibus usque ad suam ætatem; et* Julianum *istum secundum, qui ipsi tertius est, obiisse statuens anno* DCCCLXV, *annis* LXXX *ante* Pelagium. *Tota enim illa Tamayi series et Chronologia innititur quodam Chronico, nuper conficto sub nomine Juliani Archipresbyteri*

quidquid in contrarium dicat Tamayus

A *Archipresbyteri S. Justæ, quasi id ille pertexuerit usque ad annum* MCXXXIII. *Facile possem ipsius Chronici tot figmenta, quot articulos recensere, nisi scriberet ipsemet Tamayus ad 3 Aprilis pag.* 469; Videmus passim in hisce Juliani Adversariis *(addo et Chronico)* tot glossematum ineptias, quod potius ferrum, quam illas deglutire compellemur. *Quis enim (ut vel in* Juliano *exemplum ponam) patienter ferat Episcopum, Saracenis subjectum, nec nisi precario atque inter angustias mille, pascentem pauperes suas oves, emitti ad Synodum Wormatiensem in Franconiam, et Generalem VIII Constantinopolim? maxime cum huic præsentium Episcoporum nomina omnia accurate expressa habeantur, nullo istic comparente* Juliano, *non solum ex Occidentalibus, quorum dumtaxat tres adfuere, titulo Pontificiorum Legatorum: sed etiam ex Orientalibus? Quis credat eosdem, qualescumque Toletanos Episcopos, celebrasse Toleti, sub Maurorum conspectu, Synodos non tantum diœcesanas; sed etiam Nationales ex tota Hispania?*

secutus Pseudo Juliani Chronicon,

10 *Frustra igitur Pseudo Julianus ille se jactat, quod Toleti natus, et factus S. Justæ Archipresbyter, sub Archiepiscopo Bernardo; hunc Romam sit comitatus,* D *multosque ex Italia et Gallia libros attulerit, ipsiusque et Regis favore lustraverit plures bibliothecas, ubi invenerit series Episcoporum Hispaniæ et Galliæ Narbonensis, sæpius etiam Concilia Toletana transcripserit. Hæc enim omnia pari mentiendi fiducia dici et scribi, qua priora, creduntur tanto justius, quanto manifestiores et densiores occurrunt toto opere imposturæ. Est tamen Auctor in enumerandis Toletanis Episcopis eo minus tolerabilis, quod ipsum Canonis præcitati diptychon verbatim ponens in Principio suæ Chronicæ, velut se præsente insertum in Missalibus S. Isidori, quæ servantur sex in ecclesiis, audeat comminisci tot nomina istic non relata: cum tamen diptychon istud, ad Canonem Missæ recitandum, habeatur a nobis scriptum circa annum* MCCLXXX, *aut forte etiam multo citius, licet adjectis successive nominibus usque ad Sancium II suppletum. Interim ejus Diptychi apud nos merito maxima est auctoritas; tantoque major, quanto sincerius egerunt ejus scriptores; qui videntes se non posse certam texere seriem Episcoporum ante Maurorum tempora, maluerunt eam prætermittere, solumque* Julianum I, *qui Toleti ut Patronus præcipuus colebatur, nominare.*

præ quo nobis æstimabitur diptychon anni circiter 1280.

B E

IN DIEM S. PELAGII

OFFICIUM MOZARABICUM.

Ex veteri MS. Ecclesiæ Tudensis,

Collatum cum hodierna S. Jacobi Apostoli, et Gothico S. Eulaliæ Virg. Mart.

Sacrorum ritus a S. Isidoro ordinatus,

Cum *Hispaniam, Romano ereptam Imperio, Gothica barbaries Ariano errore infecta occupasset, mirum quantum in sacris turbatum sit etiam apud Catholicos. Quam primum ergo gens illa ab hæresi conversa fuit, sub rege suo Recaredo S. Hermenigildi Martyris fratre, convenientes anno* DCXXXIV *in Concilio Toletano Episcopi, curam demandarunt S. Leandro Hispalensi, ut unam aliquam Sacrorum formam ordinaret, quam tenerent omnes; quod ita constanter fecit gens, receptorum semel rituum æque ac morum tenax; ut neque sub Maurorum potestatem redacta Hispania fere tota, tenere illam desierit, qui patrios lares præferentes libertati, Episcopis et nobilioribus civibus ad montana sese recipientibus, inter barbaros vivere elegerunt, permissi ab illis profiteri Christianitatem; et quia mixti Arabibus erant,* Mixtarabum, *vulgo* Muzarabum, *nomen sunt nacti apud alios Christianos. Itaque horum Parochi, quorum sex erant Toleti, totidem parochias a barbaris sibi attributas tenentes, ex eo sub quo tradita fuerat civitas pacto, Sacrorum ritum a S. Leandro ordinari cœptum, et ab ejus fratre ac successore S. Isidoro perfectum, sicut acceperant, ita conati sunt servare integrum.*

C

apud Mozarabes utcumque retentus,

2 *Sed uti nihil est in rebus humanis perpetuum, ipseque Romanus Ordo varias sæpe mutationes accepit, ita etiam antiquus ille Gothicæ Liturgiæ modus, qui hodiedum Toleti ab aliquibus servatur, facile deprehenderetur per tot secula nonnihil alteratus, si adesset veterum atque recentium exemplarium copia, per quæ liceret Isidoriana tempora cum hodierno usu conferre. Sed eorum, quæ Franciscus Ximenis Cisnerius S. R. E. Cardinalis et Archiepiscopus Toletanus anno* MDII *rescribi fecit, nihil editum habeo præter Officium S. Jacobi Apostoli, post Ximenii Vitam ab Eugenio de Robles, an.* MDCIV *Hispanice editum: ex illis vero solum tenetur pars Missalis Gallo-Gothici nuper admodum, id est anno* MDCLXXX *Romæ inter alia similia excusa, curante Josepho Maria Thomasio; inter quæ duo, medium quodammodo, et seculo* X *compositum, occurrit Officium in diem* S. Pelagii, *quod Sandovallius reperit in veterrimo suæ Tudensis ecclesiæ Codice, et inter illius antiquitates legendum exhibuit. Placet tamen tria illa conferre inter se, nulla (quod forte miraberis) habita ratione illius Missalis, quod habemus editum anno* MDLI, *jussu Joannis Martini Silicei, Toletani Archiepiscopi. Licet enim titulus appellet* Missale mixtum; *quoad ordinem tamen Missæ, Romanum est totum, nec quidquam Isidorianum habet; quod etiam cognosci poterit ex Joannis Mabilionis nuper edito eruditissimo opere de Liturgia Gallicana; ubi Thomasiana illa duo Missalia copiose illustrantur, licet ipsum serius nobis allatum sit, quam ut eo juvari multum potuerimus, nisi diu ante scripta recognoscentes, et recognoscendo subinde interpolantes.* F

quid mutationis subierit

utcumque poterit ex ista collatione intelligi.

§. *I. Officium Vespertinum.*

A*d rem venio: et incipiens ab eo quod* ad Vesperam *intitulatur, usurusque Notis* ℣. ℟. A *(quibus indicantur* Versiculi, Responsoria, Antiphonæ) *communibus Romano Breviario, addam, proprias Mozarabibus esse* Laudas, *pro quibus* L *ponam: et* P, *quod ibi virgula notatum est, ego simplici utar; puto autem ipsum denotare verba, quæ porro communiter a* Populo *dicenda sunt. Moneo nihil horum comparere in Codice Tudensi, adeoque cogitatione supplenda esse, cum respectu ad eadem posita in Officio* S. Jacobi. Lauda, Kyrie eleyson, Christe eleyson, Kyrie eleyson. Pater noster, Ave Maria. *Totum secreto,* In nomine Domini nostri Jesu Christi, lumen cum pace. ℟. Deo gratias. Dominus sit semper vobiscum. ℟. et cum spiritu tuo. *Nihil horum apparet in MS. Tudensi, idque (ut puto) quia sunt cuicumque Officio inchoando communia, quamvis forsitan antiquissima; præter* Ave Maria, *quod ante*

Initium commune, cum Psalmis ordinariis,

A *ante secula pauca debet accessisse: sicut docet Mabilio in Præfatione ad seculum* v *Benedictinum num.* 123. *Credo etiam hic non notari Psalmos pro cursu Vespertini Officii cantandos, quod ex Psalterio eos esse petendos omnibus constaret. Post Psalmos autem quibus Ordo Romanus Capitulum cum Hymno subjungit, plus aliquid habent Mozarabes pro* Jacobo, *et Tudenses pro* Pelagio: *quod utrumque inter se comparandum accipe.*

EX MSS.

De S. Jacobo

hic subjungenda Lauda, qualem vides aliam pro S. Jacobo,

L. Exortum est in tenebris lumen rectis corde. P. Misericors et miserator et justus Dominus. ℣. Directam fecit viam justorum, et præparavit iter Sanctorum. P. Misericors etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. et cum spiritu tuo.

Sonus. Justorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis. Alleluya. ℣. Visi sunt oculis insipientium mori, et æstimata est malitia exitus illorum: illi autem sunt in pace. ℟. Alleluya. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Ant. Dabo Sanctis meis regnum in Jerusalem: lignum enim vitæ in odorem unguenti. P. Et non B laborabunt, neque fatigabuntur. ℣. Qui confidunt in Domino, sicut mons Syon, non commovebitur in æternum, qui habitat in Jerusalem. P. Et non laborabunt, neque fatigabuntur. ℣. Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui sancto. P. In secula seculorum. Et non laborab. Dominus sit s. v. ℟. Et cum sp. t.

aliam pro S. Pelagio.

L. Sanguinem Sanctorum requiram, dicit Dominus. P. Et habitabo cum eis in regno meo. All. All. ℣. Fidelis Dominus in verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis. P. Et habitabo etc. ℣. Gloria etc. P. Et habitabo etc.

De S. Pelagio

Adhæsi testimoniis tuis, Domine, noli me confundere: viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum. Viam veritatis elegi, judicia tua mihi commemoravi. Alleluya. In memoria æterna erit justus, ab auditione mala non timebit, Alleluya, All. II. Paratum est cor ejus sperare in Domino, All. All. III. Idem *(suspicor repetendum,* In memoria *ut supra usque ad)* All. Justus ut palma florebit, sicut cedrus, quæ est in Libano, multiplicabitur. Ps. Beatus qui intelligit.

C In memoria æterna erit justus, ab auditione mala non timebit. All. All. All. Ps. Beatus vir qui timet Dominum. *Sunt in ordine Psalmorum* XL *et* CXI; *qui videntur hic notari, tamquam integre recitandi: et tales tamen in Vespero* S. Jacobi *non apparent, quæ sane magna est differentia.*

Hanc excipit Hymnus cuique Sancto proprius,

4 *Hæ tam breves et sic ordinatæ Laudæ seu Laudes Vespertinæ, de Sanctis ipsis proprium nihil habent, hic tamen eos posui ad repræsentandam formam utriusque Officii Mozarabici, sumpti fortassis ex communi Sanctorum Apostolorum ac Martyrum.* Hymnus, *qui in utroque Officio canitur unicus, et de* S. Jacobo *quidem sic inchoatur.*

O Dei Verbum, Patris ore proditum, rerum creator, et verum principium, auctor perennis, lux, origo luminis, enixus alvo gloriosæ Virginis, Christe tu noster revera Emmanuel: *et sic per alias decem strophas descenditur ad duodecim Apostolos, ut bis senas lucernas, Candelabro Christi superpositas; nominatim autem ad Zebedæi filios, et præsertim ad Jacobum, cujus causa totus Hymnus pangitur.* Vesperum *autem* de S. Pelagio *talem habet* Hymnum.

Immense cœli conditor, hæc precum vota supplicum, clementer jam respicias, idem qui semper permanes.

Hæc plebs alumna Patronum canit sibi præcipuum, tuum testem Pelagium, regnum æternum qui meruit. D

* Qui in ætate parvulus infestum hostem proterit; caduca temnendo regna, pervenit ad cœlestia. * tenendo

Quem seculi blanditiæ, nec gladii ferocitas illicere prævaluit, ut te negaret Dominum.

Aurum nam sibi respuit collatum a tyranno, * fugitque simul epulas pomposasque delicias. * fugasque

Aggressus namque Principem, Christum laudare non desiit: pro quo nec mori timuit, nec decollari * veruit. *etc. Sequuntur aliæ quinque strophæ; quarum duas, patriam Sancti expressius signantes, dedi in Comm. prævio.* * vetuit

5 *Hymnum sequitur hujusmodi Collecta.* Attende, Domine, tuorum in hæc festa famulorum, tuique Martyris illustris patrocinia requirentium votum accumula; ut dum ejus triumphis nostra adjungimus gaudia, infinita cum eo exultemus lætitia. *Hujusmodi* Oratio, *sive (ut hic appellatur)* Supplicatio, *invenitur etiam post Hymnum de* S. Jacobo, *et in fine ibidem* ℟. *additur.* Præsta æterne omnipotens Deus. Kyrie eleyson. ℟. Christe eleyson. Kyrie eleyson, *ac denique hæc* Capitula *(sic enim feminine in singulari appellatur) de eodem Apostolo recitanda notatur (de* S. Pelagio *nulla propria habetur, verosimiliter sumenda ex ordine communi, si tamen aliqua semper sit opus, quod ignorare me fateor)* Subjuga, Clementissime Deus, nostras tuo jugo cervices, ut onus tuum, quod amantibus leve est, ita optabili devotione feramus, sicut Jacobus Apostolus tuus, pro innexo collo suo fune ad passionem tractus est lætabundus; atque hoc miraculo cor illudentis sibi ita compunxit, ut eum, Sacramentis instructum fidei, faceret ad gloriam pervenire Martyrii: sicque ipse post, in confessione Filii tui capite desecto, interemptus occubuit, perveniens ad eum in pace, pro quo hanc sustinuit passionem. Ipse est enim unigenitus tuus Filius, qui dedit animam suam redemptionem pro multis: per quem nostris tu Deus Pater jubeas parcere delictis.

ac denique Collecta etiam propria.

E *cum Capitulo,*

Pater noster qui es in cœlis. ℟. Amen.
Sanctificetur nomen tuum. ℟. Amen.
Adveniat regnum tuum. ℟. Amen.
Fiat voluntas tua, sicut in cœlo et in terra, ℟. Amen.
Panem nostrum quotidianum da nobis hodie ℟. Quia tu Deus es.
Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. ℟. Amen.

Oratione Dominica,

F

6 *His sic decantatis jubetur* Presbyter *addere:* Liberati a malo, confirmati semper in bono, tibi servire mereamur, Deo ac Domino nostro. Pone, Domine, finem peccatis * nostris: da gaudium tribulatis, præbe redemptionem captivis, sanitatem infirmis, requiemque defunctis. Concede pacem et tranquillitatem in omnibus diebus nostris. Frange audaciam inimicorum nostrorum. Exaudi, Deus, orationes servorum tuorum, omnium fidelium Christianorum, in hoc die et in omni tempore. Per D. N. J. C. etc. ℟. Amen. *Et* Presbyter *iterum,* Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum ℟. et cum spiritu tuo.

* hic percutit Sacerdos pectus.

Benedictio De S. Jacobo.

Christus Deus, Dei Patris filius, quem Jacobus, relicto patre in navi, tota secutus est intentione cordis, indesinenter vos faciat suis inhærere vestigiis. ℟. Amen.

et Benedictionibus solennibus,

Quique per hunc Apostolum cultores dæmonum convertit ad fidem; concedat nobis, vana seculi respuendo, se in veritate diligere. ℟. Amen.

Ut

A Ut ejus remuneremini præsidiis, cujus hodie passionem colitis. ℟. Amen.

Per misericordiam Dei nostri, qui est benedictus, et vivit, et omnia regit in secula seculorum. ℟. Amen.

Dominus sit s. v. ℟. et cum sp. t.

L. Gaudium sempiternum super caput Sanctorum P. Laus et jucunditas apprehendat eos. All. All.

De S. Pelagio.

Intercessione Martyris sui illustris benedicat vos Dominus benedictione perenni. Amen.

Vota nostra libens accipiat; et crimina placatus ignoscat. Amen.

Quicumque hunc diem celeberrime colitis, cum eodem Martyre in cœlestibus gaudeatis. Amen.

℣ Beati qui custodiunt judicium, et faciunt justitiam in omni tempore. P. Laus et jucund.
℣ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui sancto. P. Laus et jucund. *Atque his dictis subjungitur* Collecta Benedictionis *de* S. Jacobo *propria*.

quas claudit Collecta.

7 Christe, cujus virtus atque potentia tantum in Apostolo tuo Jacobo emicuit, ut in nomine tuo emissis a se dæmoniorum turbis potentialiter meruerit B imperare; tu Ecclesiam tuam ab adversantium impugnatione defende : ut virtute Spiritus exuperando adversa, illius doctrinam opere compleat, cujus hodie exemplum piæ passionis honorat. ℟. Amen.

In Tudensi de S. Pelagio *adest quidem* Collecta, *sed absque ulla Sancti mentione hoc modo,* Gloria nostra. Gloria nostra Deus noster, da nobis ut in te sine fine gloriemur : quosque fecisti de capitis exultatione sublimes, quæsumus ut efficias de totius corporis consummata salute securos. Elevet abjectionem nostram tua magnifica celsitudo, ut qui humilitate tua a teneris erigimur; exaltatione tua ad cœlestia provehi, mereamur. Amen.

Per misericordiam tuam Deus noster, qui es benedictus, et vivis et omnia regis in secula seculorum. ℟. Amen. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. In nomine D. N. Jesu Christi perficiamur cum pace. ℟ Deo gratias. *Et sic ex ordine communi finitur omne Vespertinum Officium.*

§ II. *Matutinum de S. Pelagio ex Codice Tudensi.*

Matutinum apud Mozarabes nunc brevissimum,

Mabilio in Dissertatione de Cursu Gallicano, quam addidit libris de Liturgia, cap. 1 num. 16, Apud Mozarabes, *inquit*, saltem recentiores, Nocturnæ preces C brevissimæ (*nos* Matutinas *vocamus)* constant quibusdam Antiphonis et Responsoriis, item Hymno et Cantico, quod aliud est a Cantico Zachariæ præterquam in festo Præcursoris, sicut Canticum B. Mariæ in Vesperis numquam dicitur præterquam in festis B. Mariæ. In aliis Horis Canonicis quidam Psalmi recitantur, adjectis etiam Laude, Sono et Antiphonis. Officia vespertina et nocturna claudit Oratio Dominica, quæ elata voce recitatur, populo ad singulas petitiones respondente, *Amen*, præterquam ad *Panem nostrum etc.* ubi respondetur, *quia Deus es;* In fine, *In nomine D. N. Jesu Christi perficiamus cum pace :* ad quod respondet Populus, *Deo gratias*... Hoc Breviarium in editione Cardinalis Ximenii inscribitur, *Officium Gothicum sive Mixtum secundum Regulam B. Isidori :* sed vereor ut ejusmodi ritus, qualis in illo Breviario descriptus est, ita antiquus sit, ut ad Isidori tempora possit referri. Constat siquidem ex ejus Regula cap. 7 quod... In Nocturnis Vigiliis primum *tres Psalmi recitandi sunt, deinde tres Missæ Psalmorum* (quod vocabulum aliquando Lectionem, aliquando Collectam seu Orationem, nonnumquam Dimissionem significat; hunc vero locum Mainardus recte interpretatur de Collecta) *quarta Canticorum, quinta Matutinorum Officiorum. In singulis vero diebus Dominicis vel Festivitatibus Martyrum singulæ superadduntur Missæ... Lectiones autem ex veteri et novo Testamento tempore Officii quotidianis diebus recitantur; Sabbato autem et Dominica ex novo tantum pronuntiantur.* Hæc omnia longe discrepant a vulgato Breviario Mozarabum, in quo Psalmi nulli, nullæ Lectiones ad Vigilias nocturnas. *Ita Mabilio : qui antea lib.* 1 *de Liturgia pag.* 16 *assignans discrimina inter Liturgias antiquas, hoc ultimum ponit, quod* in Mozarabico, *scilicet Isidoriano veteri,* leguntur Acta et Vitæ Sanctorum, non in Gelasiano aut Ambrosiano. *Horum nihil Roblesius habet de* S. Jacobo; *sed quasi de eo nihil fiat in Nocturno Officio, aut saltem nihil, quod non sit positum in Vespertino, ab hoc immediate transit ad Missam. Non item Codex Tudensis de* S. Pelagio, *in quo propria omnia, ipsæque de Passione Sancti Lectiones proponuntur.*

olim etiam Psalmos et Lectiones habebat;

D *ex mss.*

ad quas in Officio de S. Pelagio

9 Antiphona. Circumdederunt me omnes impii, et non turbaverunt me, quoniam Deus mecum est; quia circumdederunt me canes multi. Or. Interveniente beatissimo Martyre tuo, custodi nos Domine ab inimicis, dum aut certandi instantiam sumimus, aut periculi foveam evitamus. Ostende mendaces, qui nos odiis malignis infestant; dum maculas, quas infigunt, benignus emundes. Amen.

habentur Antiphonæ propriæ 3 E

Ant. Pelagius in carcere exclamavit ad Deum, [laus Dei] in ore ejus. Dominus exaudivit eum, [vox ejus ascendit] in aures ejus : et dedit ei auxilium de altissimo... Or. Domine Deus, qui Martyri illustri, post patratam victoriam, concessisti regni potentiam; circa nos perpetuam defensionis tuæ pone custodiam : ut quibus regnandi felicitas non debetur, delinquendi facultate sublata, in te requiescendi securitas conferatur. Amen.

cum totidem Orationibus.

Ant. Aspectus erat candidus, vultus quoque angelicus, in fide Domini mortuus est. All. All. All... Or. Fortitudo nostra esto, Domine, et laudatio sempiterna, qui laudabilis Martyris tui triumphis ostenderis, et dum in illo vincendi fortitudinem exequeris, eodem intercedente, salutem in nobis plenitudinemque virtutum consequaris. Amen.

Ant. Percusserunt infantulum, et dinumeraverunt omnia ossa ejus, et disperserunt per tempestatem aquæ; quoniam Deus Israel assumpsit eum. Alleluia. Infixus sum in limo profundi, ubi non est substantia, et tempestas demersit me. Quoniam Deus etc. *His ita præmissis, sequitur recitanda Vitæ vel Passionis historia, qualis initio post Commentarium* F *prævium hinc sumpta est. Post Lectiones credo recitandos fuisse Psalmos, si ex veteri Isidoriano Ritu cuncta agebantur, eosque fuisse pro iis quos recitamus ad Laudes, atque inter hos Canticum ex iis unum, quæ per ordinem hebdomadæ divisa habet usus Romanus : quorum tamen in Tudensi Codice nulla mentio, quia proprie non spectant Sanctum. Solum ad hujus Officii conclusionem subjungitur Antiphona :* Libera me de viris sanguinum, Deus salutis meæ; libera me, Domine, de viris sanguinum; et a telis hostium defende propitius clypeo tuo. Or. Mitte nobis, Domine, de cœlis invictum auxilium, et conculcantes nos redige in opprobrium; quatenus ad Officium Matutinum liberi consurgamus, et vota nostra tuo Sancto nomini fideliter impendamus. *Ubi nomine* Officii Matutini, *aliud nihil intelligere possum, quam quod modo sequitur.*

Lectiones autem recitantur de Vita, tum Psalmi cum Cantico et Collecta.

§. III. *Officium ad Missam, ac primum ad eam quæ dicitur Catechumenorum.*

Facta Confessione, *sicut fit in Missis ad usum Toletanæ,*

Ex vss. *Antiphona sive introitus.*

A *tanæ Ecclesiæ et ex more Romano, dicitur* Introitus, *cuicumque Missæ Mozarabicæ communis, in hunc modum* : Adjutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum et terram.

Sit nomen Domini benedictum. ℟. Ex hoc nunc et usque in seculum.

De S. Jacobo.

Hæc dicit Dominus, Ego tuli te, et fui tecum. Alleluia : Fecitque tibi nomen grande, All. All. ℣. Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus cupit nimis. P. fecique tibi n. g. A. A. ℣. Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui sancto, in secula seculorum. Amen. F. P. Fecique tibi n. g. A. A. Per omnia semper secula seculorum. ℟. Amen.

De S. Pelagio.

Fluctus tui, Domine, super me transierunt; et ego dixi, Expulsus sum ab oculis tuis ℣. Clamavi de tribulatione mea. Benedictio Domini in mercedem justi festina. ℟. Benedictus es Domine Deus. Beati qui custodiunt et faciunt justitiam in omni tempore. All. Memento nostri, Domine, in beneplacito populi tui, visita nos in salutari tuo, ut lauderis cum he-

B reditate tua in omni tempore. All. Laudate Dominum in Sanctis ejus. All.

Hymnus Angelicus, Gloria.

11 *Codex Tudensis hic notat vocem* Hymnum : *neque dubito quin intelligatur Hymnus Angelicus*, Gloria in excelsis Deo, *quem totum ex Romano hic exhibet Roblesius, quemque in omni Sacro a Mozarabibus cantari notant Auctores. Post* Amen *porro, in Roblesiano exemplo jubetur iterum dici*, Per omnia semper secula seculorum; *et sequitur* Oratio; *de Sancto quidem* Jacobo *eadem, quæ ultima est in Vespero*, Christe, cujus virtus atque potentia : *de* S. Pelagio *autem sic :* Te invocamus, æterne omnipotens Deus; et laude qua possumus tibi gratias agimus, qui fidem nostram * Martyris tui illustris virtutibus corroboras, præsta quæsumus, ut * huic matutinæ solennitati gratiam tuæ benedictionis adjungas; et exultantem hunc populum tuum, per illius suffragia ad æterna sustollas. *Orationi succedit* Benedictio Presbyteri, *hoc modo :* Benedicat vobis Rex æternus, Dominus Jesus Christus, qui suum glorificavit Martyrem. Amen. Ipsius quoque intercessione vestras exaudiat preces, cujus hodie sacram celebratis solennitatem. Amen. Fidem augeat, vota suscipiat, peccata dimittat, et requiem æternam omnes fruere concedat. Amen. Beatus vir,

Collecta de Sancto, * Martyre t. ill

* hic m. solennitatis gratior *Benedictio,*

C All. qui implevit, All. desiderium suum, Alleluya. *Atque has Benedictiones, quæ in Officio* S. Jacobi *non amplius comparent, excipit Oratio*, Deus, qui sanctam nobis diei hujus solennitatem beatissimi Martyris * illustrem passione fecisti, adesto familiæ tuæ precibus, ut cujus hodie festa celebramus, ejus meritis et intercessione, ad ea quæ imitari cupimus, applicemur. Amen.

alia Collecta

* illustris

12 *In Officio* S. Jacobi, *in quo, uti dixi, Benedictiones præfatæ non fiunt post* Amen, *primæ et unicæ Orationi subjectum, jubetur Presbyter in medio altaris ipsam Orationem concludendo dicere;* Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus, et vivis, et omnia regis in secula seculorum. ℟ Amen. Dominus sit semper vobiscum ℟. Et cum spiritu tuo : *quæ aliaque similia puto in Codice Tudensi solum omitti, quia sunt ex communi omnibus ordine. Hinc proceditur ad* Lectiones, *quarum prima* Prophetia *pro* S. Jacobi *est* Libri Sapientiæ Salomonis. ℟. Deo gratias, *scilicet ex cap.* 4 ℣. 7 Justus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit *usque ad* ℣. 16. *Pro* S. Pelagio *autem, sub eodem titulo, præscribitur* Lectio, *videlicet ex libro Ecclesiastici cap.* 23 ℣. 27 *(nam hic aliique similes* Sapientiæ *nomine veniunt in Missalibus.)* Fili in omni opere crede in fide animæ tuæ

Lectio ex Prophetis,

etc. et in Officio Apostoli respondetur Amen, *iterumque* D *dicitur*, Dominus sit semper vobiscum *atque psallendo cantatur, quod* Psallendum *vocatur.*

De S. Jacobo.

Posuisti Domine super caput ejus * coronam de lapide pretioso. ℣. Super salutare tuum Domine exultabit vehementer, desiderium animæ ejus tribuisti ei, et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. P. Coronam.

et interposito Psallendo

De S. Pelagio.

Salvum me fac Domine, quoniam ingressæ sunt aquæ * usque ad animam meam. Infixus sum in limo profundi, et non est substantia : deveni in altitudinem maris, et tempestas demersit me * usque ad Exaudi me, Domine, quoniam benigna est misericordia tua super me. Deo gratias. Intende mihi et libera me quia tribulor * us. ad etc.

13 *Vides hic formam majorum Responsoriorum, qualia Cursus Romanus post singulas usurpat Lectiones : Mozarabicus autem post solam primam et Tertiam. Ut autem ad secundam procedatur, dicit Sacerdos vel Diaconus*, Silentium facite; *et pro* S. Jacobo E *quidem recitatur* Lectio Actuum Apostolorum. ℟. Deo gratias : *recitatur vero ex cap.* XI ℣. 27 : In illis autem diebus supervenerunt ab Hierosolymis Prophetæ Antiochiam, *et continuatur usque ad* ℣. 5 *capitis sequentis, propter relatam ibi cædem Apostoli. Pro* S. Pelagio *notatur quidem* Epistola Pauli Apostoli ad Corinthios I, *sed notanda erat ejusdem* ad Timotheum II, *uti patet ex hoc principio :* Carissime, Dominus mihi adstitit et confortavit me. *Ac denique suscepta benedictione cum*, Dominus sit pax vestra, *intonatur* Lectio S. Evangelii; *pro* S. Jacobo *quidem*, secundum Marcum. *Cap.* X ℣. 32 *de duobus filiis Zebedæi.* In diebus illis assumens iterum Jesus duodecim, cœpit illis dicere quæ essent ei ventura *etc. At vero pro S. Pelagio Evangelium* secundum Joannem *scribitur; cum esset scribendum* secundum Matthæum. *Est enim ex hujus Capite* XXIV, In illo tempore Dominus noster Jesus Christus loquebatur discipulis suis dicens (℣. 45) Quis putas est fidelis servus et prudens? *Concluditur autem Lectio per* Amen, *et* Dominus sit pax vestra; *subjungiturque* Lauda *(nos* Responsorium *diceremus) pro* S. Jacobo, *sic :* Allelya ℣. Ecce servus meus, suscipiam eum: electus meus, complacuit sibi anima mea. Alleluya. F *Pro* S. Pelagio *idem fit, sed insuper additur :* Ego Dominus creavi te, et dixi tibi : Elegi te, noli timere : egeni et pauperes quærunt te, et tu exaltabis eos in Domino Deo tuo. All. Vocavit te Dominus ad justitiam, et tenens manum tuam, exaltavit te, et constituit te in lucem gentium, ut aperires oculos cæcorum : ut populus dirutus et vastatus invocet me; et tu exaltabis eum in Domino Deo tuo. Alleluya.

ex Apostolis,

ex Evangeliis,

Lauda de Sancto.

14 *Hoc in loco, inquit Rubrica apud Roblesium (lubet enim etiam* Offertorium *reliquum addere, licet de Sanctis in eo nihil fiat.) Hoc, inquam, loco ponitur aliud Missale, quod vocatur Offerentium in cornu Epistolæ; et tunc offert Sacerdos Hostiam hac Oratione. Et est notandum, quod Orationes, quæ signantur hoc signo *, legantur in Missali Offerentium : et quæ signantur hoc signo, † in Missali.*

Offertorium

Or. Acceptabilis sit Majestati tuæ, omnipotens æterne Deus, hæc oblatio quam tibi offerimus pro reatibus et facinoribus nostris, et pro stabilitate sanctæ Catholicæ et Apostolicæ fidei, [ejusque] cultoribus per Christum Dominum nostrum. In nomine Pa†tris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen. *Dimittendo patenam super Corporalia.*

ad Hostiam,

14 *Deinde accipit Calicem sanctificando sic :* In nomine

ad calicem.

A nomine Pa✝tris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen. Or. Offerimus tibi, Domine, calicem, ad benedicendum sanguinem Christi filii tui : deprecamurque clementiam tuam, ut ante conspectum divinæ Majestatis tuæ cum odore suavitatis ascendat. Per eumdem Christum Dominum nostrum. *Ponit Calicem super aram, et accipit fialam sine sanctificatione, et ponit super calicem dicendo.* Or. Hanc oblationem, quæsumus, Domine, placatus admitte, et omnium offerentium, eorumque, pro quibus tibi offertur, peccata indulge. Per Christum Dominum nostrum. Hic dicit. In spiritu humilitatis, *ut in Officio Romano.*

15 *Postea dicit Presbyter*, Adjuvate me, Fratres, in orationibus vestris, et orate pro me ad Deum. ℟. Adjuvet te Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Sacrificium. Fulgebit justus sicut splendor firmamenti, et sicut stellæ cœli dantes claritatem lucis, ita justus splendebit. ℣. In perpetua æternitate. *Hic accipit aquam in manibus, et dicit silentio super Oblationem cum tribus digitis.* In nomine Patris ✝ et Filii, et Spiritus sancti, [qui] regnas Deus in secula seculorum. ℟. Amen. *Inclinat se Sacerdos ante altare, et dicit silentio istam Orationem.* Accedam ad te B in humilitate spiritus mei; loquar ad te, qui multam spem in fortitudine dedisti mihi. Tu ergo, fili David, qui revelato mysterio ad nos in carnem venisti, clave crucis tuæ secreta cordis mei adaperi, mittens unum de Seraphin, qui candenti carbone illo, qui de altari tuo sublatus est, sordentia labia mea emundet, mentem enulibet, docendique materiam subministret; ut lingua, quæ proximorum utilitati per caritatem servit, nec erroris insonet casum, sed veritatis resultet sine fine præconium, per te Deus meus, qui, vivis et regnas in secula seculorum. Amen.

§. *IV. Missæ de sanctis Colymba et Pelagio, sicut in libris Missalibus antiquis habentur, distinctæ a Canone.*

Initium Missæ stricte dictæ, Cum *titulum* Missa *reperiret Sandovallius in fine paginæ, sequens autem pagina inchoaretur ab his verbis,* Præclarum præcelsumque diem, *non potuit sibi persuadere hoc esse principium ; nihil hæsitaturus, ut puto, si vidisset vel Missale Gothicum, de quo supra, et quod hic cum Tudensi conferemus; vel integrum alicujus Mozarabicæ liturgiæ tenorem, qualem hactenus ex Roblesii tractatu comparavimus cum Tudensi MS.* C *nihil habente eorum quæ spectant ad* Offertorium, *quod totum petitur ex ordine communi; neque Sanctum contingit, neque pars est Missæ stricte dictæ ; uti patet ex Ordine Romano; ubi, post Oblationem panis et vini coque spectantia, sequitur* Præfatio Missæ, *quasi hic primum incipientis. Quod ut clarius appareat, placet singulas partes Missæ de Sanctis vel Tempore, quales in Gothico Missali habentur, componere cum Missa Codicis Tudensis, utrobique enim æqualiter omittuntur partes Canonis, communes Missis omnibus.*

17 *Inchoatur ergo Missa stricte sumpta (ut ibi ponitur) non a* Præfatione, *sed ab Oratione præambula,* *de S. Eulalia,* *propria Sancto aut Tempori, quæ alio titulo non inscribitur, quam* Missa, *seu,* Incipit Missa, *prævio* Dominus semper vobiscum ; *ac, responso,* Et cum spiritu tuo. *De* S. Eulalia *autem sic recitatur.*

Deum omnipotentem Fratres carissimi, qui tantæ prudentem virginitatem, fidei sociatam, apice gloriæ consecravit;ut per quem facta est mater Maria, fieret Martyr Eulalia; illa pariendi effectu felix, ista moriendo; illa implens incarnationis officium, ista rapiens passionis exemplum ; illa credidit Angelo, ista restitit inimico; illa electa per quam nasceretur Christus, ista per quam vinceretur diabolus; supplici oratione poscamus, ut B. Eulaliam pro D nobis orantem exaudiat et.... ejus auxilio ab *ex MSS.* omni labe peccaminum eruamur ; per D. N. Jesum Christum filium suum, secum viventem et regnantem, et cum Spiritu Sancto, in secula seculorum. Amen. *Eccum autem de* S. Pelagio *simile quid.*

18 Præclarum præcelsumque diem, quem sancti Martyris Pelagii nobis sacer cruor consecravit, *et S Pelagio.* passio invexit, meritum sublimavit, Fratres carissimi, intentæ [mentis] votis * celebremus, ac virtutum plausibus attollamus : in quo quidem iste beatissimus Martyr * carnis deposuit tunicam, et cœli adeptus est * gloriam; sicque de numero ascitus fidelium, prosapia genitus Christianorum, pro Christo moriens supernum scandit thronum. Hic namque carceris perpessus angustias, ferri compeditus oneribus, non adhæsit seculi blanditiis; sed pro * his regnum mercavit, nullis unquam * finiendum seculis. Perierat autem appetitus ab eo seculi, cesserat amor mundi; quia nullis pœnis [victus] succumbere acquievit fragilitatibus * humanis. Nam ergastulis conclusus, cum ejus consodales voluptuose viverent, * hicce uno eodemque modo corpus servabat intactum, solique Deo suum indefessæ mentis E dirigebat obtutum. Hunc igitur apud Deum, dilectissimi, invocemus in auxilium, ut suis mereamur meritis, quæ nostra nobis subtrahunt merita, ac scelera abdicant consueta. Deponamus * itaque quod ipsi male ingessimus, diaboli vivendo suadelis, ac divinis decidendo a præceptis. Et quia nostris non confidimus meritis, hujus precemur suffragium Martyris; qui gladio desectus sempiternæ gloriam obtinet beatitudinis, opitulante misericordia Domini nostri, qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.

* debeamus
* carnem
* gloria.
* hoc
* finiendo
* seculi humani
* hisco
* namque

19 Collectio sequitur de S. Eulalia. Deus qui sanctæ Martyri tuæ Eulaliæ, pro pœna gloriam, *cum Collectis de Sancto,* pro morte vitam, pro infirmitate virtutem, pro passione coronam tribuisti; præsta, ut sicut illa exultat in gloria, sic nos de tua misericordi gratulemur; et in æternum veniam, te donante, consequi mereamur. Per D. N. J. C. *Similis sequitur de S. Pelagio.* Æterne Deus omnipotens, qui ullis absque præcedentibus meritis vocas ad te peccatores, ac tuis misericorditer ditas famulos ; tu nobis hunc Testem tuum beatissimum Pelagium, proroga Patronum ; qui pro te, sanguine fuso, incomparabile meruit pervenire, ad præmium. Habeat, te concedente, fidelis curam gregis; qui supplicium non timuit passionis, atque perfido veritatem non tacuit Regi. F [Ille] nomine solummodo glorians Unigeniti tui, indefesse pro nobis intercessor accedat tibi; ut inter ærumnas seculi, careamus vitiis, nullisque inhæreamus deceptionum * illecebris : sicque per hunc Martyrem tuum, te Dominum habeamus propitium, quo offerentium fructus multiplices, et uberes frugum reditus efficere solita pietate digneris. Nullis igitur a te præcipitemur lapsibus ; nullis evocemur scandalis, qui emergere a pedoribus, propriis omnino nequimus viribus. Quapropter te rogamus esse nobis placidum, qui nos ad tuam fecisti imaginem, et * per baptismatis reformasti tinctionem ; te auxiliante, [qui vivis et regnas in secula seculorum]. Amen.

* incelebris
* pro

20 Collectio post Nomina *Martyrum et Pausantium, de quibus infra. De S. Eulalia hæc est.* Deum, *post Nomina,* qui sanctæ famulæ suæ Eulaliæ gloriosam et immarcessibilem coronam contulit, Fratres carissimi, supplices deprecemur, ut, præstante divina misericordia, ipsius precibus obtineamus veniam, qui gloriam non meremur. Caris etiam nostris, qui nos in somno pacis præcesserunt, perennis ævi beatitudinem, et perpetuæ lucis gratiam remunerare dignetur,

A tur, per D. N. J. C. filium suum, secum viventem etc. *His, in Missa de* S. Pelagio *respondet quod sequitur* : Largire propitius immense Deus, votis Ecclesiæ tuæ * supplicantis, tui Martyris Pelagii suffragium, quam alacriter ad altare munus deferre inspicis proprium. Etenim alter tacite fundit suspiria, alter in lacrymas * prorumpit mente compuncta; * hicce quoque simpliciter orat, ille genis pavimentum * verrere non desinit : sed utrorumque, tu Deus, inspicis mentes, ac probas singulorum conscientias. Ideo, quæsumus, tuis oculis effice * placitum, quod humana miseria utcumque * affert compunctum. Revera nuda conscientia te coram stare quis potest, quem Sancti tremunt, ac multiplices Beatorum conventus expavescunt. Quapropter credimus vel * acclines rogamus, ut * nos tua præveniat misericordia, et nobis ad te reditum conferendo, et defunctis fidelibus sempiternam requiem largiendo; ut * utrosque habeat * gratia indefessa, quos tremulos ante te propria esse cernis conscientia. Amen.

21 Collectio ad Pacem. Deus simultatum discussor, pacis quæsitor; cujus ut pietatis est disjuncta conjungere, ita amoris est * cassa pacifice alli- B gare; tu nunc nos, Domine, Apostolorum tuorum dogmati obsequentes, pace necte, caritate orna, castitate sanctifica : et qui de B. Eulaliæ passione meruimus habere exemplum, mereamur devicta iracundia obtinere triumphum, per D. N. J. C. *Ita in Missa prædictæ Sanctæ : pro Missa autem* S. Pelagii *sic consequenter lege ad* Pacis osculum, *quod ex hoc ritu præmitti vides Canoni; cum in Romano ei postpositum præmittatur Communioni.* Accedentes ad te, Domine, exigui famuli, quos ex officio debitum cunctos cogit commendare fideles; non incurramus merita nullomodo propria; sed, te præstante, crimina mereamur evadere patrata. Exaudi, quæsumus, precem Ecclesiæ Tudæ, quam tuis nutibus in honore Martyris tui Pelagii delibas, ac singulorum * occurre precatibus, qui hunc Martyrem, * vitiis repugnantem, dignum tuis fecisti esse conspectibus. Deferat * nostram coram te, quæsumus, obsequelam, qui tibi placuit pro passione. Succurrat miseris * pie, eruat prostratos assidue, qui te infideli confessus est coram * Principe. Quis nostrum sane ad te facile oculos * audebit erigere, quos * labor conscientiæ premit, lapsus inclinat, fœda indecenter consuetudo* C curvat, lenta quoque animi remissio erigere [mentem] non sinit; sed quod pejus est, * illicita impudenter agere propellit? Acclines ergo * te rogamus, ut omnibus in commune adsit Patronus; qualiter, te propitio, dissidentes pacem, et pacifici indefessam caritatis * retentent unitatem. Amen.

(Margin: ex mss. * supplicantes — * prorupit — * hisce — * bavride — * placidum — * offert — * adeliens, — * nostra — * utrumque — * gratiam — * tremulus — * carnis — * casta — et ad Pacem. — * occurrere precantibus — * vitii pugnantem — * nostra obsequela. — * prece — * principem — * oculus — * tabo — * curbo — * illicitam impudente — * inde — * retentet)

22 Immolatio Missæ, *Mozarabibus* Illatio, *Francis olim* Contestatio, *Romanis dicta* Præfatio Missæ; *post alternativa quædam Sacerdotis atque Ministri verba ex Ordinario petenda, sic progrediens in festo S. Eulaliæ.* Dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens; æterne Deus; teque laudare in omnibus operibus tuis : qui dono gratiæ tuæ famulam tuam Eulaliam nobiliore mentis stigmate decorasti, ut illæsam in se imaginis tuæ pulchritudinem custodiret. Digna vere comes Filii tui, quæ tenero sexu bellum fortis * invaserit, et ultra opinionem humanæ virtutis ad tolerantiam se zelo tui amoris obtulerit; quæ in speciem pretiosi Unigeniti, sanguinem suum sub testimonio bonæ confessionis effuderit, et incorrupta flammis viscera in odorem suavissimi thymiamatis adoleverit. Vadit ad tribunal cruenti Præsidis nec quæsita; lucratura regnum, contemptura supplicium, inventura quæsitum, visura confessum; non trepida de sententia, non ambigua de corona, non defessa de equuleo, non diffisa D de præmio. Interrogatur : confitetur, ingentique miraculo Majestas tua, exaltatum Virginis spiritum, quem assumpsit per flammam, suscepit per columbam : ut hoc prodigio in cœlos Virgo et Martyr ascenderet, quo in terris Filium tuum Pater ostenderas : per quem Majestatem tuam laudant Angeli; atque Archangeli non cessant clamare dicentes, Sanctus etc.

23 *Similis de S. Pelagio* Illatio *sic deducitur:* Gratias tibi, omnipotens Deus, agere dignum est, pulchrumque satis ac sanctum, valde [etiam] congruum, ac nobis semper commodum esse * convenit, per Jesum Christum Filium tuum, Dominum nostrum, per quem utique hic Martyr Pelagius, nec vitiorum inhæsit gurgitibus, nec deliciarum cessit flagitiis; sed tibi semper extitit intrepidus, cui ante passionem fortiter famulabatur illuminatus. Hic enim occidentali [Hispaniæ] plaga oriundus, Gallæsiam * patrium habuit fundum ; sed * Cordubæ, dante Christo, perspicuum suscepit martyrium. Et quia variis, occulto arcanoque Dei consilio, Electi occasionibus ad cœlum rapiuntur ; patula extitit proculdubio actionis causa, qua hunc Martyrem tuum corpore passum Corduba, Tuda suscepit lætabunda Patronum. Erat E quidem Pelagii patruus Hermoygius Episcopus, Cordubæ carcere tentus, qui ut evaderet ergastuli periculum, pro se hunc dedit puerum, testem, alumnum; unde illo evadente, Pelagius iste susceptus est in carcere, qui * futurus erat Testis pro veritate; ubi * severo ferri onere præpeditus, futurum quodammodo præmeditabatur martyrium, cujus sæpe animus intente penetrabat cœlum. Et licet ad patriam adhuc humanitus redire disponeret, a proposito sibi tamen rigore haudquaquam mollescebat, quia carcerem ardua pro pœnitentia esse cogitabat : nam psallendi quotidie modum adhibuerat, cui tanta * Christi gratia intus illuminatrix aderat. Verum cujus præcordiis abditus ipse * mature sonueras, Audi, fili, et vide, quia concupivit Rex speciem tuam ; hunc impudice tyrannus foris * audebat deamare, putans eum suis aptum vitiis fore. Sed stetit utique intrepidus, cui tu non deeras omnino intus. Namque advocatus veniens, ac * suasus, ut Christum abnegare mallet ; illico cuncta sibi sprevit regna * oblata. Eumdemque Christum Dominum nostrum voce prædicans libera, Habeto, inquit, o Rex, tuis- F que cum perditis solus munera : nam me tibi acquiescere non posse, intus * monet, qui * Deus est. Nam ego Deum habeo, quem tu miser ignoras, cui omnia genu flectunt, qui Sanctis regnum ac perditis æternum promisit supplicium. Verum, quia per multas nos tribulationes pervenire oportet ad regnum, paratus sum quali vis * perire interitu. Cui Rex; O, inquit, puer, aut Christum nega, aut membra gladium suscipient, ac duriter animam inter pœnas exhalabis. Unde Pelagius, Christianus sum, ac fui, et ero : idcirco mori non timeo. Quem fortiter stantem, post multas pœnas..... membratim gladius dissecuit, qui inter supplicia Christum confiteri non destitit..... O vere Martyr in cœlis, quia testis fuisti in terris ! Clementissimus fautor, occurre [votis] nostris. Per te lapsus veniat ad pœnitentiam, ignarus ad doctrinam, æger ad salutem, defunctus ad requiem. Quare acclines petimus, æterne Deus, per hunc Martyrem tuum, nobis fave propitius, clemens occurre interpellatibus nostris, Tibi oblatis muneribus semper adesto pius, cui merito, [canimus, Sanctus] *etc.*

24 *Ulterius non extenduntur Missæ in Gothico quod dixi : sed ex communi omnibus ordine progrediuntur; neque (ut in Missalibus aliis) uspiam sequitur* Postcommunio : *sed ex ritu Mozarabum codex Tudensis ulterius*

(Margin: * invaderet — * conveni — * patrum — * Corduba — * facturus — * vero — * Christe — * naturæ — * auderat — * redamare — * persuasus — * illata — * manet — * qui dicet — * pande)

A *ulterius tendit; et post* SANCTUS, *hæc quoque recitanda præscribit:* Iste hymnus, Domine, in excelsis ab Angelis, iste hymnus a Sanctis præcinitur [in terris] omnibus. Vere est sanctus, vere benedictus D. N. Jesus Christus, filius tuus: a quo est roboratus Pelagius, ut nec mori timeret, neque veritatem interrogatus taceret, persuasus * frustra a Præside, ut copiosa regni munera acciperet, et Christum negaret, et ita Regi corpus servaret honorandum. Unde petimus per hujus interventum hæc serventur munera [et] data, ac multiplici [benedictione] ditentur tuo altari sacrificia imposita; qualiter omnis, qui ex his * gustaverit muneribus, per te..... [defend]atur ab adversis.... in honorem Martyris tui Pelagii, qui a te adjutus, pœnas superavit, terrores vicit, gladium non timuit perferre, quo tecum sine fine regnare meruit. Iste tuus est, Domine, famulus, in agone præcipuus, in vita cautus, in doctrina strenuus, in morte laudabilis, in regno sublimis: per quem te petimus habere propitium, quo nos de manu eruas diaboli, et consortes efficias regni tui. Nosti, Domine quantum * nobis hostis insidietur antiquus. * Sed nullum de nobis habeat B quem lucretur, quos una mater Ecclesia per regenerationis undam * ablutos esse gloriatur. Floreat in nobis gratia doni æterni, a * qua hæc munera sanctificentur, et per quem sanctificata sumantur; redundetque in visceribus nostris oblatio, sicut multiplicius sancti Martyris tui Pelagii profuit ad coronam.

* namque
* jubaverit
* nos
* et ideo
* ablutus
* quo

25 *Sequuntur adhuc alia, quæ (quod dolemus) non nisi plurimis lacunis hiantia habentur in Tudensi codice, foliis ibidem vel exesis vel extritis; colligimus nihilominus, ex iis quæ supersunt quædam, magis integrum sensum facientia: in quibus occurrit* Oratio, *quæ in Missa* S. Jacobi *infra num.* 32 *nominatur*, Post pridie, *id est* Ante Consecrationem: *quia hæc conficitur verbis, a Christo pronuntiatis et præscriptis*, Pridie quam pateretur, *uti expresse habet Canon Romanus. Illa autem* Oratio post Pridie, *in Tudensi sic inchoatur:* Suscipe, omnipotens Deus, hujus preces fidelissimi conventus, qui se tuis quotidie acclinis commendat conspectibus: quo hunc Martyrem tuum beatissimum Pelagium, quem prompta celebrat obsequela, apud te habeat interventorem, * cui tu largiri dignatus es martyrii palmam.... Rescinde, quæsumus, dura nostræ mentis præcordia, et aridi-C tatem irriga benedictionis ubertate, quatenus, te favente, libera nostra tibi serviat vita.... Pelagii meritis beatissimi Martyris.... et qui non habemus bonorum operum fiduciam, susceptione ejus festivitatis remissionem criminum capiamus * obtentam. *Sequens porro Oratio omnino videtur habere formam* Post Communionis. *Qualis tamen in Missa de* S. Jacobo *infra propria nulla præscribitur, ut hic fit:* Deus, omnium Sanctorum splendor mirabilis, qui præsentem honorabilemque Martyrem prædicari jussisti; da populo tuo eruditionem gaudiorum; ut qui hunc colimus diem, et * voce psallimus, * vere munera capiamus regni cœlestis. Amen.

* regis
* obtentum
* voces
* verbis

§. V. *Missa de S. Jacobo ex MS. Toletano edita ab Eugenio de Robles.*

Ad *clariorem superioris Paragraphi quarti intellectum, serviet forma integræ Missæ, a Roblesio editæ, et sæpe jam in præmissis allegatæ. Initium illa sumit ab Oratione de Sancto, eadem quæ supra num.* 7 *est ultima in Vespertino, et num.* 11 *prima in Matutino Officio ante Missam,* Christe, cujus virtus *etc. ut verosimile sit Orationem eamdem, quæ in Sacramentorum libris proponitur ad initium Missæ, per omnes Officii ecclesiastici Horas, æque ac in Romano cursu*, regnare. *Responso dein* Amen, *dicit Sacerdos*, Per D misericordiam tuam Deus noster, qui es benedictus, et vivis et omnia regis in secula seculorum. ℟. Amen. *Dicit Sacerdos elevando manus.* Or. ℟, Agios, Agios, Agios, Domine Deus, Rex æterne, tibi laudes et gratias. *Sacerdos;* Ecclesiam sanctam Catholicam in orationibus in mente habeamus: ut eam Dominus fide, et spe, et caritate propitius ampliare dignetur. Omnes lapsos, captivos, infirmos, atque peregrinos in mente habeamus: ut eos Dominus propitius respicere, redimere, sanare, et confortare dignetur. ℟. Præsta æterne omnipotens Deus. *Postea dicit Presbyter.*

EX MSS.

Or. Vocantem nos ad se Jesum, Fratres dilectissimi, agnoscentes, qui beatissimum Jacobum Apostolum suum, retia componentem in navi, ad se vocans, ejusdem nos postmodum spiritualibus doctrinis admonet atque docet, ut postulantes in fide nihil hæsitemus: omni mentis devotione cum lacrymis eumdem Dominum flagitemus; ut postulatio nostra apud eum ea nobis obtineat adimplere, quæ in ipso Apostolo docente cognovimus. ℟. Amen. [Sac.] Per misericordiam tuam Deus noster, in cujus conspectu sanctorum Apostolorum et Martyrum, Confessorum E atque Virginum nomina recitantur. ℟. Amen.

Alia Oratio

27 *Dicit Sacerdos:* Offerunt Deo Domino oblationem Sacerdotes, nostri, Papa Romensis et reliqui, pro se, pro omni clero, et plebibus Ecclesiæ sibimet consignatis, vel pro universa fraternitate. Item offerunt universi Presbyteri, Diaconi, Clerici, ac populi circumadstantes in honorem Sanctorum pro se et suis. ℟. Offerunt pro se et pro universa fraternitate. *Dicit Sacerdos.* Facientes commemorationem Beatissimorum Apotolorum et Martyrum, gloriosæ sanctæ Mariæ Virginis, Zachariæ, Joannis, Infantium, Petri, Pauli, Joannis, Jacobi, Andreæ, Philippi, Thomæ, Bartholomæi, Matthæi, Jacobi, Simonis et Judæ, Mathiæ, Marci, et Lucæ ℟. Et omnium Martyrum. *Dicit Sacerdos.* Iem pro spiritibus pausantium, Hilarii, Athanasii, Martini, Ambrosii, Augustini, Fulgentii, Leandri, Isidori, David, Juliani, item Juliani, Petri, item Petri, Joannis servi Dei, Visitani, Viventi, Felicis, Cypriani, Vincentii, Gerontii, Zachariæ, Genapoli, Dominici, Justi, Saturnini, Salvati, Bernardi, Reymundi, Joannis, Genebruni, Gundisalvi, Martini, Roderici, Joannis Gutterii, item Sancii, Dominici, item Juliani, Philippi, Stephani, Joannis, item Joannis, Felicis. ℟. Et omnium pausantium. F

Diptychi Sanctorum sub Missa nominandorum, tabellæ duæ,

28 Annotatio. *Liceat mihi interfari paucula, et hocce Toletanum Dypticon considerare. Primo occurrit, quod tabella prima cum Apostolis desinat, idque signum mihi est, S. Isidorum, solos istos cum Baptista (hunc videlicet Christus ipse ut Martyrem canonizavit apud Matthæum et Lucam) ejus patre Zacharia, et sanctissima Regina Martyrum, voluisse in Canone nominatos, quamvis non deessent alii multi, etiam in Hispania illustres Sancti: quodque hanc abstinentiam S. Isidori reverita posteritas, non ausa sit tabulam illam extendere, additis aliis quibuscumque. In altera vero tabula* Pausantium *noto, solos sex nominari illustriores Doctores: quibus pia posteritas addiderit S.* Leandrum, *ipsumque* S. Isidorum; *Toletana autem Ecclesia* Julianum, *Episcopum et Patronum suum; ac nescio quem* Davidem, *sed verosimiliter de ipsa singulariter benemeritum ex primis fortasse Gothis ad Catholicam fidem reductis, potentem tempore Recaredi Regis, cujus liberalitate collapsa sub Arianis Metropolitana ædes, restaurata sit. Ita res manserit usque ad tempora Saracenorum: qui cum censuissent, Mozarabibus, inter se manentibus, sed diu Episcoporum cura et solatio destitutis, tandem unum aliquem indulgendum, qui omnibus in suo imperio manentibus consuleret,*

et quædam circa has observata

EX MSS. A *leret, Presbyteros ordinando, quos alias oportebat furtim inter Gallecos Asturesque consecrari, pro Ecclesiis, libertate Sacrorum ex condicto utentibus; consenserintque illos ordinarie Toleti residere, ubi sex ejusmodi ecclesiæ erant, et plures quam alibi uspiam Christiani. Cum hi vero Mozarabum Episcopi successive excederent e vivis, horum quoque nomina fuerint Diptycho huic adscripta a* Juliano II *usque ad* Sancium II *inclusive, sub cujus successore* Ferdinando, *circa annum* MCCCXXXV *ordinato, cum viluisset ritus Mozarabici dignitas, et in ipsismet, quas dixi, sex parochiis vix amplius retineretur; omissa sit cura alios adscribendi, maxime si ipsius exemplum unde hæc impressa sunt, vetustum erat, neque plurium nominum capax, qui possent poni ante nomina octo præcipuorum benefactorum ibidem jam descriptorum: neque enim quisquam ex illis Episcopus Toleto fuit post* Sancium II.

Post nomina. 29 *Dicit Presbyter post Nomina.* Or. Vivant in nobis, Jesu Domine, Apostoli tui Jacobi prædicamenta doctrinæ, quibus docemur illum beatum esse, qui illatas tentationes voluerit æquanimiter supportare: quo, dum præsentia mala patientissime toleraverimus, in pace et caritate nunc et in æternum B tecum sine fine vivamus. ℟. Amen. *Sacerdos dicit.* Quia tu es vita vivorum, sanitas infirmorum, ac requies omnium fidelium defunctorum, in æterna secula seculorum. ℟. Amen. *Ad Pacem.* Or. Suscipe, Jesu bone, in hoc natali Jacobi Apostoli tui offerentium vota; et refrigerium præsta spiritibus defunctorum; ut eo apud te intercedente, et viventibus et defunctis tuæ pietatis gratia impendatur; cujus doctrina duodecim tribuum * commorantium universitas edocetur. ℟. Amen. Quia tu es vera pax nostra et caritas indisrupta * qui vivis cum Patre, et regnas cum Spiritu sancto, unus Deus in secula seculorum. ℟. Amen. *Dicit Presbyter elevando manus.*

Ad pacem.

* Commemorantium
* vivit tecum.

Gratia Dei Patris omnipotentis, pax ac dilectio Domini nostri Jesu Christi, et communicatio Spiritus sancti, sit semper cum omnibus nobis ℟. Et cum hominibus bonæ voluntatis.

Deinde dicit. Quomodo astatis, pacem facite. ℟. Pacem meam do vobis. Pacem meam commendo vobis; non sicut mundus dat, pacem do vobis. ℟. Novum mandatum do vobis; ut diligatis vos invicem. *Reiteretur.* Pacem meam do vobis. ℣. Gloria et honor Patri, et Filio, et Spiritui sancto. P. Pacem meam, etc. *Interim quod Chorus dicit,* C Pacem meam, *accipit Sacerdos pacem de patena, dicendo sic;* Habete osculum dilectionis et pacis, ut apti sitis sacrosanctis mysteriis Dei.

30 *Postea inclinat se Sacerdos junctis manibus, et dicit:* Introibo ad altare Dei mei. ℟. Ad Deum qui lætificat juventutem meam. *Ponit Presbyter manus super calicem, et dicit;* Aures ad Dominum. ℟. Habemus ad Dominum. *Levat manus et dicit:* Sursum corda. ℟. Levemus ad Dominum. *Junctis manibus inclinando se in medium altaris dicit.* Deo ac Domino nostro, Jesu Christo filio Dei, qui est in cœlis, dignas laudes dignasque gratias referamus. *Et elevat manus in altum.* ℟. Dignum et justum est. *Et postea dicit Presbyter:* Dignum et justum est, nos tibi semper gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Jesum Christum filium tuum Dominum nostrum; in cujus nomine electus Jacobus, cum ad passionem traheretur, paralyticum ad se clamantem curavit, atque hoc miraculo cor illudentis sibi ita compulsit: ut eum sacramentis instructum fidei, faceret ad gloriam pervenire martyrii. Sic ipse post in confessionem filii tui, capite dejecto interemptus occubuit: perveniens ad eum in pace, pro quo hanc sustinuit passionem. Ipse est enim unigenitus filius, qui dedit animam suam redemptionem pro multis, per quem nostris tu Deus

Illatio.

pater jubeas parcere jam delictis, cui merito exercitus militiæ cœlestis non cessant clamare ita dicentes. *Respondet Chorus.* Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt cœli et terra gloria Majestatis tuæ. Osanna filio David. Benedictus qui venit in nomine Domini, Osanna in excelsis. Agios, Agios, Agios, Kyrie Otheos. *Dicit Presbyter.* Vere sanctus, benedictus Dominus noster Jesus Christus filius tuus, quem Jacobus relicto Zebedæo patre ita secutus est; ut eum obnixe diligendo, fieret electus, in vita, mundus in conscientia, probabilis in doctrina; postremo ita scientiam commendans ex opere, ut pro eo truncato interierit capite, quem pro se vel pro omnibus noverat animam posuisse, Christum Dominum, cui est honor et gloria, in secula seculorum. Amen. D

Post Sanctus.

31 *Deinde in silentio junctis manibus inclinando se ante altare, dicit Sacerdos.* Or. Adesto, Adesto, Jesu bone, Pontifex in medio nostri, sicut fuisti in medio discipulorum tuorum; et sancti ✝ fica hanc oblationem ✝, ut sanctificata ✝ sumamus per manus sancti Angeli tui, sancte Domine et redemptor æterne. Dominus noster Jesus Christus, in qua nocte tradebatur, accepit panem: et gratias agens, bene✝dixit ac fregit, deditque discipulis suis dicens: Accipite et manducate. E

Canon Missæ.

Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur

Hic elevatur Corpus. Quotiescumque manducaveritis, hoc facite in meam ✝ commemorationem ℟. Amen. Sac. Similiter et calicem postquam cœnavit, dicens. *Super calicem.*

Hic est calix novi Testamenti in meo sanguine, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

Elevatio

Hic elevatur calix coopertus cum filiola. Quotiescumque biberitis: hoc facite in meam ✝ commemorationem. ℟ Amen. Quotiescumque manducaveritis panem hunc et calicem istum biberitis: mortem Domini annuntiabitis, donec veniat in claritatem ✝, de cœlis. ℟. Amen.

32 Or. Subjuga Deus, nostras tuo jugo cervices: ut onus tuum, quod amantibus leve est, ita optabili devotione feramus, sicut Jacobus Apostolus tuus innexo collo fune ad passionem tractus est lætabundus; ut sanctificans hæc, quæ tibi offerimus, nos benedicas perceptione Hostiæ hujus. ℟. Amen. [*Sacerdos*]. Te præstante, sancte Domine, quia tu hæc omnia nobis indignis servis tuis valde bona creas, fructi✝ficas, vivificas, ✝, bene✝dicis ✝, ac præstas nobis: ut sit benedicta a te Deo nostro in secula seculorum. ℣. Amen. F

Post pridie.

Hic signat seipsum Sacerdos.

33 *Et tunc Presbyter accipit corpus Domini de patena, et ponit super calicem discoopertum, et dicit alta voce omnibus diebus, Festivis videlicet et Dominicis, præterquam in locis in quibus erit Antiphona propria, ad confractionem panis.* Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. Fidem, quam corde credimus, ore autem dicamus: *et elevat Sacerdos corpus Christi, ut videatur a populo, et dicit Chorus Symbolum, bini ac bini, videlicet:* Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli et terræ, visibilium omnium et invisibilium conditorem. Et in unum Dominum nostrum Jesum Christum, filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia secula; Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero; natum non factum omousion Patri, hoc est ejusdem cum Patre substantiæ; per quem omnia

Credo.

A nia facta, quæ in cœlo, et quæ in terra : qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cœlis, et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, et homo factus est; passus sub Pontio Pilato, sepultus tertia die resurrexit. Ascendit ad cœlos, sedet a dexteram Dei Patris omnipotentis; inde venturus est judicare vivos et mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum, Dominum vivificatorem, ex Patre et Filio procedentem, cum Patre et Filio adorandum et glorificandum, qui locutus est per Prophetas. Et unam, sanctam, catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confitemur unum Baptisma in remissionem peccatorum. Expectamus resurrectionem mortuorum, et vitam venturi seculi. Amen.

Fractio.

	1 *Corporatio.*	
6 *Mors.*	2 *Nativitas,*	7 *Resurrectio.*
	3 *Circumcisio.*	8 *Gloria.*
	4 *Apparitio.*	9 *Regnum.*
	5 *Passio.*	

B

34 *Post hæc frangit Presbyter Eucharistiam in medium, et ponit mediam partem in patenā, et de alia parte facit quinque particulas, et ponit in patena : et postea accipit aliam partem, et facit quatuor particulas, et ponit in patena similiter per ordinem,* [*ut hic ostenditur.*] *Et statim purgat bene digitos : et cooperto Calice facit Memento pro vivis.* [*Deinde*] *ad Orationem Dominicam* [*jamjam dicendam accedens Sacerdos dicit :*] OREMUS. Apostolo tuo Jacobo, Domine, edocente præmonemur : ut si quis nostrum indiget sapientia, postulet a te, qui das omnibus affluenter, et non improperas; sed quia ad te pervenire cupimus; per Christum, qui est virtus tua et sapientia, id agere præoptamus; poscentes Clementiam tuam, C ut per eum, qui apud te advocatus factus est noster, et pervenire nos ad te facias; et orationem, quam ipso Domino instruente didicimus, ad te introire permittas, proclamantes e terris. Pater noster, qui es in cœlis. ℟. Amen. Sanctificetur nomen tuum. *etc.* [*sicut in Vespero num.* 5 *et post ;* ℟. Sed libera nos a malo, *dicit Sacerdos.* Liberati a malo, confirmati semper in bono, *etc. ut supra num.* 6 *et* ℟. Amen. *Accipit particulam, Regnum, de patena, et mittit in Calicem, dicendo submissa voce.* Sancta sanctis, *et* Conjunctio corporis Domini nostri Jesu Christi sit sumentibus et potantibus nobis ad veniam, et defunctis fidelibus præstetur ad requiem. *Et cooperit Calicem, et dicit :* Humiliate vos benedictioni, *etc. ut supra num.* 6 *et post*; Dominus sit semper vobiscum, *atque* ℟. Et cum spiritu tuo. [*Dicit Sacerdos*] ad accedentes Communioni, Gustate et videte quam suavis est Dominus. Alleluia, Alleluia, Alleluia. ℣. Benedicam Dominum in omni tempore : semper laus ejus in ore meo. Alleluia, Alleluia, Alleluia. ℣. Redimet Dominus animas servorum suorum : et non relinquet omnes, qui sperant in eum. Alleluia, Alleluia, Alleluia. ℣. Gloria et honor Patri, et Filio, et Spiritui sancto, in secula seculorum. Amen. Alleluia, Alleluia, Alleluia.

Pater noster.

Communio.

35 *Quo dicto accipit aliam particulam, Gloriam, sequentem, et dicit sic.* Panem cœlestem de mensa Domini accipiam, et nomen Domini invocabo. *Dicit Memento pro mortuis, tenendo illam particulam super Calicem, et facto* [+] *dicit :* Domine Deus meus, da mihi corpus et sanguinem filii tui Domini nostri Jesu Christi ita sumere, ut per illud remissionem omnium peccatorum merear accipere, et tuo sancto Spiritu repleri, Deus noster, qui vivis et regnas in secula seculorum. Amen. *Et deinde :* Ave in ævum sanctissima caro Christi in perpetuum summa dulcedo. *Hic dicit ter,* Domine non sum dignus, *ut in Officio Latino. Et sumit illam particulam, Gloriam, et omnes reliquas per ordinem, et sumit Calicem dicendo :* Ave in ævum cœlestis potus, qui mihi ante omnia, et super omnia dulcis es. Corpus et sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiat corpus et animam meam, in vitam æternam. Amen. *Et ad Ablutionem dicit hanc orationem :* Domine Deus meus, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, fac me te semper quærere et diligere : et a te per hanc sanctam Communionem, quam sumpsi, numquam recedere, quia tu es Deus, et præter te non erit alius in secula seculorum. Amen. [*Hic fortassis communicantur si qui accesserint : sequitur enim Chorus, et canit.*] Refecti Christi corpore et sanguine, te laudamus Domine. Alleluia, Alleluia, Alleluia. E

D *Ex MSS.*

36 *Hic tollitur Missale quod vocatur Offerentium, et aliud Missale ponitur in cornu Epistolæ, et dicit sequentem Orationem.* Corpus Domini nostri Jesu Christi, quod accepimus; et sanctus sanguis ejus, quem potavimus; adhæreat visceribus nostris, æterne omnipotens Deus; ut non veniat nobis ad judicium, nec ad condemnationem; sed proficiat ad salutem, et remedium animarum nostrarum, in vitam æternam. ℟. Amen. Per misericordiam, etc. Dominus sit s. v. ℟. Et cum. [*Denique ibi in Romano* Ite Missa est, *in Mozarabico dicitur.*] Solennia completa sunt in nomine Domini nostri Jesu Christi, votum nostrum sit acceptum cum pace. ℟. Deo gratias. *In fine Missæ dicitur Antiphona in laudem gloriosæ Virginis Mariæ :* Salve Regina, Mater misericordiæ; vita, dulcedo, et spes nostra salve. Ad te clamamus exules filii Evæ : ad te suspiramus gementes et flentes in hac lacrymarum valle. Eia ergo advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte, et Jesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende. O clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria. ℣. Ora pro nobis sancta Dei genitrix. ℟. Ut digni efficiamur, etc. ℣. A morte subitanea et improvisa. ℟. Libera nos Domine. Dominus sit s. v. ℟. Et cum. OREMUS. Concede nos famulos tuos, quæsumus Domine Deus, perpetua mentis et corporis, etc. *Quo facto dat benedictionem dicendo ;* In unitate sancti Spiritus, benedicat vos Pater et Filius. *Ad hanc benedictionem vertit se Sacerdos ad populum, et benedicit illum ; et nil aliud agens, vadit ad sacristiam.* [*Sicut etiam fiebat in ritu Romano priusquam induceretur universali consuetudo addendi aliud Evangelium præsertim initium secundum Joannem.* F

Postcommunio.

Antiphona de Beata.

Benedictio.

37 *Hactenus forma et ordo Missæ, a primis Hispaniarum Apostolis, atque ipso forsitan S. Paulo institutæ, nec in substantialibus formulis variatæ unquam (hoc enim persuadet constantia gentis in tenendis semel cœptis, multo quam apud alias quaslibet gentes major) cui S. Isidorus videtur adjecisse Orationes,* Post sanctus *atque* Post Pridie : *talium enim, utpote propriarum cuique Sancto nullum alibi apparet indicium. Nec alio ritu usa est Hispania tota, donec anno* MLXXXIII, *recepto Toleto, Alfonsus VI Rex Legionis et Castellæ, suasu uxoris Constantiæ, et Bernardi Electi Toletani, auctoritate Gregorii VII, induxit usum Liturgiæ Romanæ*

Huic ritui usque ad annum 1085 ubique per Hispaniam servato.

EX MSS. deinde cum indignatione subditorum abolito,

A *manæ sive Franciæ; populo et Clero tam invito, quam narrat Rodericus Archiepiscopus Toletanus, annis dumtaxat* CXXV *posterior, lib.* 6 *cap.* 26; et tunc, *inquit*, cunctis flentibus et dolentibus, inolevit proverbium, Quo volunt Reges, vadunt leges.... *Addit tamen*, quod in aliquibus monasteriis fuerit aliquanto tempore custoditum *Toletanum seu Mozarabicum Officium: de quo vide accuratius agentes Joannem Vazarum, in Chronico ad an.* 717; *et Alvarum Gomezium, lib. de rebus gestis Francisci Ximenii; Hispanice autem Eugenium Roblesium, in eorumdem Gestorum compendio, excuso sub annum* MDCIV, *qui materiam istam tractat prolixissime a cap.* XIX *usque ad finem, per Capita deinceps* XVII; *quorum præcipua Latine reddenda curavit Margarinus Binius, inseruitque tomo* 2 *Auctarii Bibliothecæ Patrum, editionis Parisinæ anni* 1610.

præterquam 6 ecclesiis,

38 *Agit etiam accurate Roblesius de sex ecclesiis Sanctorum Marci, Lucæ, Sebastiani, Torquati, Eulaliæ, et Justæ, in quibus Isidorianus ritus vel inter hostes tamdiu duraverat; et ex Gomezio docet, etiam post mutatos alibi ritus, eisdem hanc a Rege et Archiepiscopo Bernardo relictam prærogativam; quod cum aliarum ecclesiarum, præsertim parochialium, sui cui-* B *que limites per vicos domosque definirentur;* solis illis sex nulli præscripti sunt: sed sui cuique Mozarabes illorumque posteri, ubicumque illos intra extrave urbem morari contingeret, assignati fuerunt. Sed paulatim, *inquit Gomezius*, familiis illis deficientibus, ritus etiam ille deficere; et Romanus, etiam in sex illas ecclesias introduci cœpit: tandemque factum est, ut, non nisi statis festisque diebus, eo ritu in illis sacrificaretur, *puta a morte Sancii II anno* MCCLXXXV *obita; donec prælaudatus* Franciscus Ximenius Mozarabum ritus instaurandi curam suscepit; adhibitisque viris ejus rei peritis *(Antonio Rodriguez S. Justæ, Alfonso Martini de Yepez S. Eulaliæ, et Hieronymo Guitierrez S. Lucæ Curatis)* primum libros omnes, quibus sacra illa continerentur, in vulgaris litteraturæ formam redigendos, impressoriisque formis exprimendos curavit. Quibus vulgatis, ad extremam templi Metropolitani partem, Occidentem versus, in ædicula

et ab anno 1285 fere exoleto,

Corporis Christi, satis eleganti structura sacellum D ædificavit, in quo tredecim Sacerdotum Collegium, adjunctis tribus ministris constituit, quos Mozarabes Sodales appellavit, atque idoneis annuis proventibus instructos sub Capituli Toletani patrocinio constituit: ipsis porro demandavit, ut eo ritu singulis diebus sacrificare, horariasque preces concinere solenne esset: ad quos et sex Mozarabum ecclesiarum Sacerdotia pertinere voluit, quæ quoties vacua esse contingeret, ipsi optarent Sacerdotes, quibus illa Archiepiscopus conferret.

consulitur institutione 13 Capellanorum Mozarabum,

39 Sic ergo sacra illa per Ximenium restituta et ab interitu vindicata sunt: in cujus restitutionis memoriam, cœnotaphium reparatori in medio sacello honorifice erectum cernitur. *Ita Gomezius. Addit Vazæus, eadem fieri* Salmanticæ, statis quibusdam diebus, in sacello Doctoris Talabricensis, quod est in peristylio templi summi; *Roblesius vero etiam docet, Toletanos istos Capellanos, diebus singulis præterquam Dominicis, post singulas Missas isto ritu dictas, Restauratoris sui, anno* MDXVII *defuncti, memoriam gratam renovare bene precando illius animæ per hoc.* ℣. Scio Domine, quia nihil in terra sine causa. P. Quia homo nascitur ad laborem, et avis E ad volandum. ℟. Ego vero deprecabor Dominum, et ad eum ponam eloquium meum. P. Quia homo etc. OREMUS. Pium et exaudibilem Dominum nostrum Jesum Christum cum omni supplicatione rogemus, ut spiritum et animam famuli sui, Francisci Cardinalis Pontificis, in locum lucis, inter agmina Beatorum, propitius collocare dignetur. ℣. Præsta æterne omnipotens Deus, Kyrie, Christe eleison, Kyrie. Pater noster. *Totum secreto.* OR. Tibi Domine commendamus animam famuli tui, Francisci Cardinalis Pontificis; ut defunctus seculo tibi vivat, et quæ per fragilitatem mundanæ conversationis peccata commisit, tu venia misericordissimæ pietatis absterge. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. Dominus sit semper vobiscum ℟. Et cum. In nomine Domini nostri Jesu Christi anima ejus, et omnes animæ fidelium defunctorum, per misericordiam Dei, sine fine requiescant in pace. ℟. Amen.

qui suo restauratori quotidie parententi

DE S. WAMBERTO MART.

C IN MONASTERIO S. PETRI AD DIVAM F

D. P.

SAGIENSIS DIOECESIS IN NORMANNIA

Ejus cultus, et cultus antiqui locus.

SEC. IX AUT X.

Ecclesia S. Petri ad Divam

Diva rivulus est haud contemnendus, Normanniam inferiorem irrigans, et leucis quinque Cadomo distans, juxta Oceanum, habens cœnobium Ordinis Benedictini constructum in honorem beatissimæ Dei genitricis Mariæ Virginis, et S. Petri Apostolorum Principis. *Ita Arturus a Monasterio, Ordinis Minorum Recollectorum professus Rotomagi, in egregio opere, cui* Neustriæ piæ *titulum fecit, acturus* de omnibus et singulis Abbatiis et Prioratibus totius Normanniæ, deque sanctarum istarum domorum rectoribus, privilegiis, et aliis quoquomodo ad ipsas spectantibus. *De Divensi ille incepit agere pag.* 496 *et consequenter loci fundationem enarrat, ex ipsius Manuscripto; interque alia ex eo refert, quod fuit* Sacerdos quidam vitæ venerabilis Gislemarus, qui ecclesiæ B. Petri, a quo et locus nomen acceperat, a multis annis in Presbyteratus Officio ministrabat. Hic die quadam,

juxta prophetiam Gislemari Parochi

cum circumstantibus incolis juxta consuetudinem loqueretur; Videtis, ait, quam sit locus iste despicabilis, quam nullius fere nominis et honoris. Dico vobis, quia futurum adhuc est, ut videatis in eo conventum primo Sanctimonialium, ac deinde religiosorum Deo servientium Monachorum.

2 *Quomodo ea contigerint, opera nobilis Matronæ Lescelinæ, viduæ Guilielmi Comitis Augensis (erat hic frater nothus Richardi II Normanniæ Ducis) sub annis* MXL *et* LXVI, *ibidem prolixius deductum vide: hæc sufficit adduxisse ad firmandam conjecturam, qua moveor ut opiner præfatum* S. Wambertum, *cujus in dicta Abbatia olim requievit corpus, ibidem loci Presbyterum fuisse, et tempore Normannicarum irruptionum in Gallias, seculo* IX *aut* X, *mortem cruentam obiisse, ideoque* Martyris *titulo a pia posteritate honoratum. Notitiam ejus primus nobis suggessit Edmundus Martenæus, Presbyter Congregationis S. Mauri, in*

erecta in monasterium colit caput et corpus S. Wamberti m.

A *in opere de Antiquis Monachorum ritibus, ubi lib.* 6 *agens de Festis Junii, ad* VI Kal. Julii *indicat*, in Ordinario S. Petri super Divam *(quod ex Præfatione intelligitur scriptum anno* MCCLXXIII*)* notari festum S. Wamberti Martyris, solenniter celebrandum in Cappis; cum secundo Nocturno, Memoria et Matutino de sanctis Martyribus Joanne et Paulo; et ante Majorem Missam processio facienda describitur in hæc verba: Sacerdos Missam celebraturus cum Stola et Manipulo deferat Caput S. Wamberti: deinde duo in Cappis sequantur, ferentes feretrum cum corpore, præcedentibus aqua benedicta, cruce, candelabris, et incenso, ac ceteris ad hoc pertinentibus. Cum vero pervenerint ad januam Galilææ *(porticum ea voce notari aliis* Galeriam, *judicat Cangius in Glossario, et notissimum Monachis nomen fuisse indicant testimonia, quæ producit.)* Cum, *inquit*, venerint ad januam Galilææ, transeant omnes subtus feretrum, et sic venientes in Chorum, Cantor incipiat Officium Missæ.

ignoti hactenus etiam scriptori Neustriæ piæ,

3 *Hactenus tota, sed evidentissima, cultus antiqui notitia; cujus quod nulla pars ad prælaudatum Arturum pervenerit, non hujus indiligentiæ, sed potius diu-* B *turnitati temporis et rerum etiam sacrarum conversionibus adscribendum; per quas factum sit, ut hoc seculo nulla* Wamberti *memoria supersit; nec superesset, nisi vetus monasterii Ordinarium a tenebris eruisset* D *Martinæus. Fuit enim Arturi diligentia, in pervolvendis libris typo impressis prorsus admirabilis, uti cognoscere licet, non solum ex opere Neustriæ piæ, sed vel maxime ex ejus Martyrologio Franciscano et Gynæceo sacro, toties in nostro opere citatis ac porro citandis, ubi accuratissime allegat Auctorum omnium loca, in quibus vel solum occurrit nomen personæ istic laudatæ. Utinam in his usus fuisset minori libertate, in addendo singulis Beati aut Beatæ titulo, et notitia aliqua diei cuique adscribendæ in iis quos citat auctoribus reperta! Nunc, cum primus pro suo arbitrio deprehenditur definivisse dies, alibi nusquam inventos; quomodo possumus id non dolere, et manifestare nescientibus ejus institutum, ne porro pergant aberrare credendo, veros ab eo Natales notari? Si, exemplum secutus Thomæ de Herrera, Alphabetum Augustinianum texentis, viros suæ familiæ et feminas, fama sanctitatis illustres, ordine Alphabetico digessisset; eodem labore, majorique tum Religionis suæ, tum aliorum quorumcumque commodo et satisfactione, fecisset opus omni laude dignissimum. Hoc autem faceret quisquis talem ordinem operi isti inducere vellet alia nulla re mutata, et omisso beatitatis titulo ac diei numero ubi is ex allegatis auctoribus vel aliunde nequit probari.* E

AUCTORE D. P.

viro alias diligentissimo.

DE SANCTO ANTHELMO

EPISCOPO BELLICENSI IN GALLIA

ORDINIS CARTUSIANI

G. H.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

De Vita per coævum scripta, et nupera corporis Elevatione.

AN. MCLXXVII.

Scriptores rerum gestarum.

Bellica *sive* Bellicium, *vulgo* Bellay, *urbs Galliæ Episcopalis, Baugesiæ ditionis caput, duobus millibus a Rhodano fluvio dissita, habuit seculo Christi* XII, *inter suos Episcopos*, S. Anthelmum, *ex Ordine Cartusiano assumptum: cujus virtutes extollunt Scriptores Ordinis hujus, et potissimum Petrus Dorlandus, lib.* 4 *Chronici cap.* 34 *ac tribus sequentibus; et Theodorus Petræus, in suis Notis* C *sive Elucidationibus ad dicti Dorlandi Chronicon; item Arnoldus Bostius Carmelita, de Viris illustribus Ordinis Cartusiani, cap.* 4. *et ubique indicatur, res ejus præclare gestas extare apud Laurentium Surium ad hunc* XXVI *Junii; sed is præfatur* se stylum mutasse, et pleraque paraphrasticωs edidisse. *Fuimus nos anno* MDCLXII *in ipsa magna Cartusia, benevole excepti a Reverendissimo Patre Generali; ejusque Scriba Reverendo Patre Joanne Chauvet: qui omnem diligentiam appromisit ut nobis submitteret, quæ sciret adhuc superesse monumenta de Sanctis sui Ordinis. Neque liberalius pollicitus, quam prompte executus, mox anno sequente* MDCLXII, *misit nobis Vitam sancti istius Antistitis ex veteri manuscripto Domus Majoreni desumptam, aliquanto accuratiorem alia quam habuit Surius, qui eam asserit* editam a quodam ejus æquali et familiari: *in quo consentit ipsi jam laudatus Scriba, præfatus* ab ejus contubernali et contemporaneo fideliter descriptam esse. *Auctor etiam ipse in Prologo fatetur,* se ejus contubernio seu visitatione ædificari meruisse.

Vita ex MS. auctore coævo.

2 *Joannes Molanus, in prima editione Auctarii ad Usuardum scripsit, dictam Vitam haberi manuscriptam Lovanii, apud Canonicos Regulares cœnobii S. Martini, et hoc elogium Sancto dedit:* Item sanctæ memoriæ Anthelmi, Episcopi et Confessoris, Ordinis Cartusiensis, qui ex Priore majoris Cartusiæ, Bellicensis factus Episcopus, innumeris claruit miraculis, inter quæ et puerum in aquis præfocatum vitæ reddidit. *Præiverat auctor Florarii MS. et Grevenus sive Colonienses Cartusiani in Auctario Usuardi excuso, annis* 1515 *et* 1521. *Secuti sunt Canisius in Martyrologio* F *Germanico, Baronius in Martyrologio Romano, et cum magno elogio Saussayus in Gallicano. Samuel Guichenon parte secunda Historiæ Bresseanæ et Bugeanæ pag.* 24 *et sequenti de eodem* S. Anthelmo *agit, ubi ex Catalogo virorum illustrium Ordinis Cartusiani, apud Majorenenses reperto, verba hæc profert;* S. Anthelmus, ex Cartusiano Bellicensis Episcopus, magnis haud impar Apostolicis viris. *Idem exhibet sequens diploma Archiepiscopi Lugdunensis Falconis.* Falco, Lugdunensis Ecclesiæ Minister, dilecto Fratri Anthelmo Cartusiæ Priori, cunctisque Prioribus sub Cartusiensi Ordine militantibus, et qui cum eis sunt Fratribus, Paupertatis præmium a Domino obtinere. Domum Portarum et Domum Majoreni vestræ Religionis, pro voto et petitione sua, ad tenorem et confirmationem Ordinis vestri, sicut communi consilio Capituli decretum fuerit, concedimus et tradimus vobis et successoribus vestris in perpetuum corrigendas. *Fuit* S. Anthelmus *Prior magnæ Cartusiæ ab anno* MCXXXIX *ad annum usque* MCLI, *cujus tempore, circa annum* MCXL *et proxime sequentes, Falco præerat Lugdunensi Ecclesiæ Archiepiscopus. Eamdem Falconis epistolam reperies in serie chronographica Episcoporum Bellicensium, quam idem Guichenonus*

Memoria in Fastis

Data ei administratio monasteriorum:

A AUCTORE G. H. *chenonus, octennio ante Historiam prædictam, id est anno* MDCXLII, *in lucem emiserat; ubi post acceptam a Surio Epitomen addit;* Ejusdem *S. Anthelmi* tunica adhuc hodie servatur in Cartusia Portarum.

Epistola ejus ad Ludovicum VII Regem. 3 *Scripsit ipse Sanctus epistolam Ludovico VII Regi Francorum, inter hujus epistolas apud Chesnæum, tomo 4 Scriptorum historiæ Francorum pag.* 650 *excusam, hoc modo :* Excellentissimo Domino suo Ludovico, Dei providentia Regi Francorum, Anthelmus, Bellicensis Ecclesiæ humilis Minister, sic terrenum regnum regere, ut in cœlis cum Sanctis valeat regnare. Ex quo, Illustrissime Rex, vestræ Serenitatis sublimitas parvitatem Cartusiensis Domus, suam nobis præsentiam exhibendo, visitare dignatus est, in armariolo nostri pectoris, ea qua potuimus dilectione suscipimus. Tunc enim, ut ita dicamus, nostris visceribus incorporati estis, verum nec facile eruemini. Nunc quoque Dei voluntate, nescio an disponente aut permittente, Ecclesiæ Bellicensis qualiscumque designatus Episcopus, in nostris orationibus vestri memoriam habentes, preces pro vobis et regni stabilitate fundimus ad Deum. Proinde Magnificentiæ vestræ suggerimus, ut humanis favoribus plus quam vobis non credatis, misericordiam et B judicium, benignitatem et mansuetudinem, ac similia imitemini; quæ scilicet insignia sunt Regiæ dignitatis. De cetero Majestati vestræ supplicamus, quatenus cuidam nepoti nostro carnali, Parisius studenti, pro Dei et nostri amore, unde sustentari et sapientiæ intendere possit, subvenire dignemini. Valete.

Historia elevationis anno 1650. 4 *Corporis Elevatio facta est anno* MDCXXX, *hoc* XXVI *Junii. Hanc Gallice descripsit aliquis rei gestæ spectator et particeps; et Latine quarto post anno Bruxellis impressam, Ulisipponensis in Lusitania Cartusiæ Initiatoribus dedicavit,* Ordinis *ipsorum* municeps et particeps I. G. a R. ex Lycæo Belgii, *Lovanium intelligo, et initiales nominis litteras interpretor* Josephum Geldolfum a Ryckel, *Abbatem Canonicorum Regularium S. Gertrudis Lovanii, a cujus erudito calamo deinde accepimus ipsius S. Gertrudis historiam, multifarie illustratam anno* MDCXXXVII. *Quam ille fuerit amans Religiosorum omnium, atque imprimis Cartusiensium, fortassis adhuc Patres Lovanienses meminerunt; et quomodo Ordini eorum quasi aggregatus, meritorumque universorum particeps factus sit, patentibus ea de re litteris. Ego ex isto ejus labore, cui Compendium Vitæ S. Anthelmi præposuit, et supplicem in* C *fine orationem, solam Elevationis historiam recudi facio, moneoque testes in ea citari tum alibi, tum num.* 14 Franciscum Monyer, *Canonicum Theologalem Bellicensem, qui sub ipsa pompa Panegyricam habuit de Sancto orationem; et* Franciscum Genardum *Capucinum, unum ex Commissariis Episcopalibus, ad cognoscendam æquitatem supplicationis Episcopo factæ, pro Elevatione ipsa persuadenda, ipsius forsitan Gallicæ Relationis auctorem, alias nobis ignotum : cui Relationi numero nono interjecimus Decreta duo Episcopalia, una cum Processu relata a Guichenono, in serie Episcoporum pag.* 117 *et* 124.

VITA

Auctore coævo et familiari.

Ex magna Cartusia nobis submissa.

PROLOGUS.

Sanctorum Acta scribenda, Novimus, Gentiles antiquitus majorum suorum imagines, sculptas seu depictas, statuere solitos, ut eas intuens posteritas, ad appetendum virtutes seu probitatis gloriam virorum fortium exemplis incitaretur; D fideles vero Dei veri cultores, firmius atque apertius multoque dignius, sanctorum Patrum, tam Beatorum Martyrum invictissimos agones et excellentissimos triumphos, quam Sanctorum Confessorum gloriosa certamina conflictusque cum hoste diuturnos, virtutes quoque ac miraculorum insignia, scripturæ (quæ omni sculptura vel pictura incomparabiliter præstantior est) laudibus extollere, et memoriæ posterorum tradere curaverunt. Nec immerito : si enim illi, de quibus præmisimus, quantalibet potentia eminentes laude digni videntur; isti utique omnino honorandi, laudandi, glorificandi *et virtutes laudandæ,* sunt ac venerandi, ad Dei, qui in illis operatus est, laudem, gloriam et honorem. Illi hostes; isti totum mundum vicerunt; illi mortales et infirmos; isti immortales et fortes subegerunt; illi divitias et possessiones perituras; isti thesauros indeficientes et regnum sine fine possidendum acquisierunt. Est igitur nobis necessarium, ut eos qua possumus devotione deprecemur venerantes, ut sint nobis semper *patrocinium implorandum.* et ubique patroni et defensores, ut in quacumque regni ejus parte mereamur adscribi.

2 Ipsum itaque mirabilem in Sanctis suis Deum laudemus, gratias agentes, qui nostris quoque temporibus B. Anthelmum, Bellicensem Episcopum ceterorum meritis coæquatum Sanctorum, patenter E *Auctor sub S. Anthelmo vixit.* indicavit; manifestis Sanctum suum signis crebrisque miraculis longe lateque clarificans. De cujus vita sanctaque conversatione (ne de negligentia arguamur, qui ejus contubernio seu visitatione ædificari meruimus) ego, licet sensu tenuis et ad tanta insufficiens, amore tamen ejus, Patronum ipsum habere desiderans, paupere quidem stylo, sed fideli mente et devota, etsi digna non valeo, de multis saltem pauca scribere tentabo : non ex me, sed de eo confisus, qui bruti animalis labra ad loquendum aperuit, et linguas infantium facit disertas.

Capitula in MS. reperta hic simul damus, quibus ex latere respondent numeri divisionis nostræ.

1 De ejus pueritia et seculari vita. 3
2 De ejus ingressu in domo Portarum. 5
3 De ejus ad majorem Cartusiam vocatione. 7
4 De ejus institutione in Procuratorem Cartusiæ. 8
5 Quomodo efficitur Prior Cartusiæ. 9
6 De ejus absolutione ab officio Prioris. 13
7 De institutione ejus in Priorem Portarum. 15
8 Quomodo Archiepiscopus et Clerus Lugdunensis ad Domum Portarum confugerunt. 17 F
9 De ejus absolutione a Prioratu Portarum et reditu in Cartusiam. 18
10 De schismate contra Alexandrum Papam III. 19
11 De ejus electione in Episcopum Bellicensem. 21
12 De ejus susceptione in Ecclesia Bellicensi et conversatione. 26
13 De ejus zelo versus Ecclesiam. 28
14 De excommunicatione lata in Comitem Sabaudiæ. 29
15 De ejus sancta conversatione usque ad ultimum vitæ annum. 33
16 De ultimo vitæ suæ anno et ejus obitu. 36
17 De quibusdam miraculis ejus post obitum. 39
18 Exhortatio ad cultum S. Anthelmo tribuendum. 46

CAPUT I.

Pueritia secularis, dein vita Cartusiana, et Procuratura magnæ Cartusiæ.

Celsa magnaque progenie claris in seculo parentibus,

A bus, tali prole felicibus, patre videlicet *a* Anduino, de Castello Sabaudiæ quod dicitur *b* Chignins, matre ex nobilissimis suæ patriæ progenitoribus, *c* ortus est B. Anthelmus, qui Deo, cui placuit, devotus servire studuit; et qui erat genere nobilis, factus est Christi servitute nobilior. Hic igitur puer, postquam tempus visum est, Deo qui ei providebat disponente, traditur a parentibus sacris litteris erudiendus. Cumque jam adultus bonæ indolis appareret; tanta eum Dominus perfuderat gratia, ut omnibus placeret, et ab omnibus qui noscerent diligeretur. Sed cum jam Deo gratus esset, non tamen statim religiose incedere curavit, faventis sibi seculi blandimentis illectus; neque enim adhuc providebat novissima, quorum sedula cogitatio retrahit a peccatis. Quod nimirum Dei actum reor sapientia, qui fortiter suaviterque disponit omnia : ut ex quo abundantibus seculi prosperitatibus a Patre cœlesti tractus foret ad Christum, eo majoribus esset sanctitatis meritis adscribendus.

Natus nobili prosapia, a b c

eruditione et gratia excellit.

4 In ecclesia itaque *d* Gebennensi et Bellicensi ascitus, in brevi magnis crevit terrarum et ecclesiarum redditibus, honoribus quoque et dignitatibus; B ita ut provectioris ætatis viris, gravissimis etiam senibus, præferretur. Nam in Gebennensi Ecclesia Præpositus et Secretarius ordinatus est : cumque plurima possideret, non divitias congregare, sed largiri et honeste expendere curabat. Delectabatur quippe (ut talium mos est pretium habere cupientium) laudibus et honoribus humanis illectus, sed non captus. Transeuntes vero vel adventantes illustres viros, tam religiosos quam seculares, reverenter suscipiens ac trahens, honorifice procurabat, ceteraque opportuna officiosissime exhibebat obsequia. Itaque secundum Sapientis sententiam *e* regno utilius, meritis innumeros longe lateque acquisierat amicos : unum quoque ceteris multo utilius dicitur habuisse, pauperibus videlicet et afflictis pius extitisse semper. Et est certum quod una virtus qui eam habuerit, ad cetera bona perducit; maxime caritas, sine qua aliæ virtutes sunt nullæ, cujus est eleemosyna maximum membrum; quam qui sectatur, Dei amorem et ineffabiles sibi comparat thesauros, temporalia quoque commoda et dies longos; amicos sibi facit fidos, certos, magnos atque perpetuos. Vir iste, de quo agimus, licet vanus et temporalibus irretitus, inhonestum quid agere summopere fugiebat. Pauca hæc de seculari ejus vita sufficiant præmissa : jam nunc de his quæ vere beatum faciunt, C quantum Deus præstare dignabitur, referamus.

d Gebennensis Ecclesiæ Præpositus,

e hospitalis et liberalis audit.

5 Cum jam approximaret tempori, quo Christo conformari habebat, futurus in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi; cœpit religiosorum, maxime ordinis Cartusiæ, loca invisere, vitam eorum discutere ac libenter eos audire : nondum tamen conversationis æmulatione, sed quadam curiositate. Submonebatur quidem ab his quos visitabat servus Dei, sed quis speraret eum facile converti posse, cui tanta prospere cedebant, et altiora quam adeptus fuerat parabantur? Cum autem quibusdam coævis suis comitantibus, *f* Portarum Eremum adisset, Fratres inibi Deo famulantes visitandi gratia; et a Domno *g* Bernardo venerabili Priore verbum salutis audisset, cœpissetque eum memorandus Prior (per cujus manum innumeri a deviis erratibus ad Deum sunt conversi, ac per diversa locati) nec non Fratres aliqui ad conversionem hortari magnopere, Dei gratia regnum promittentes æternum, non acquiescebat, sed pro se rogans, et orationibus eorum se recommendans, ac valedicens recedebat. Cumque ad inferiorem *h* domum devenisset, retentus est a Fratribus, et a Bosone Procuratore, mirabilis industriæ viro, cognato suo, usque in crastinum.

CAP. II. Cartusianos curiose invisit,

f in domo Portarum, g

petit pro se orari; h

6 Mane itaque facto repedans superius, Fratres D iterum vidit, cellasque omnes sibi perscrutari licuit : cumque mollitum cor ejus percepissent, tempus rati; de contemptu mundi verbum repetentes Prior sive Fratres, hortantur, ut parva pro magnis, pauca pro multis, falsa pro veris, peritura pro æternis, pro salutiferis noxia, mortemque pro vita, mundum pro Deo mutare non dubitaret. Quid multa? Timoris Domini Spiritu correptus, Spiritu consilii et fortitudinis roboratus, subito mutatus (amicus quippe Dei mox futurus) cuncta mundi abjiciens, soli Deo adhærens, totum se contulit ejus servitio mancipandum. Nec mora; continuo misericordiam *i* postulans, devotissime est susceptus cum Dei gratia. Cumque hortarentur eum, ut prospere dispositis rebus redire non tardaret, diemque statueret; non incongrue ratus secundum Domini sententiam, manu semel ad aratrum missa, retro non esse respiciendum, quo minus aptus foret regno Dei, respondit : Dies hæc est cum Deo perpetuo remanendi : est unde debita solvantur, et sunt amici fideles ad omnia disponenda. Sumpto itaque religionis habitu gaudens, cum pietate et devotione magnoque fervore conversatus est, et in regularibus disciplinis et propositi ordinis observantia in brevi instructus atque perfectus. E

AUCTORE CO.EVO. CAP. I. in inferiore domo pernoctat,

adhortatione illectus,

i petit admitti,

et Habitum suscipit.

7 Eo tempore, cum Cartusiæ domus Monachis, maxime probis viris, indigeret, (paucissimos enim habebat) Domnus Hugo Gratianopolitanus Episcopus vir prudens et magnarum virtutum, *k* B. Hugonis successor, qui postea factus est Archiepiscopus Viennensis, magnis apud Portas exegit precibus, S. Anthelmum tunc novitium Cartusiæ concedi ac dimitti. Qui susceptus, Regulam propositi Ordinis constanter et indeclinabiliter exequi, pluresque Deo de se victimas offerre curabat : ita ut ceteris Religiosis præberet vita ejus exemplum; sed impossibile videbatur eis ipsius imitari studia, qui ultra humanum modum se exercere non desinebat : quod quidem ipse non posset, nisi virtus Dei, patrantis per ipsum, operaretur in ipso. Crebris pernoctabat vigiliis, orationi et lectioni, sanctæ meditationi, Deique laudibus die nocteque vacabat assiduis. Labori tamen manuum, (ne unquam vacuus existeret, dicit enim Scriptura, Otiositas *l* inimica est animæ) multo magis vero spiritualibus insistebat. Lacrymarum tantam habebat abundantiam, ut in orationibus et meditationibus, quibus indesinenter studebat, seu pro suorum aliorumve recordatione peccatorum, seu F pro afflictis vel quacumque necessitate, seu pro cœlestis regni desiderio; ex intimo cordis affectu ab oculis ejus ubertim quasi fonte fluerent rivi. In ecclesia quoque cum divina psallerent Officia, lacrymarum sibi erumpebant torrentes : ad Missam vero, se totum Deo mactans in holocaustum, totus spiritualis, totus Deo inhærebat. Frequentissime die noctuque pectus tundens, genua flectens vel toto corpore prostratus terram osculans, se humiliabat. Crebris se quotidie virgarum correctionibus per dorsum cædebat et latera; adeo ut plagis plagas infligendo numquam caro ejus absque livoribus, numquam cutis ejus integra posset inveniri. Cellæ assiduitatem, abstinentias, silentium, obedientiam, ceteraque Ordinis instituta intemerate servabat.

CAP. III. Missus ad Cartusiam magnam, k

accurate statuta Ordinis observat :

l

dono lacrymarum abundat,

corpus affligit :

8 Cum talibus atque amplioribus, quæ nec memorare sufficimus, se exerceret Dei servus studiis sanctis; Prior cum Fratribus, non abs re arbitrantes ejus industriam in cura exteriorum fore necessariam, Procuratorem ipsum constituunt : quam obedientiam, ne inobedientiæ culpam incurreret, humiliter suscipiens, prudenter ac strenue administravit. Noxia quæque vel inutilia, si invenit, aut forte si insurgerent, non distulit abjicere, contraria

CAP. IV. Procurator constitutus

A. COÆVO,

A contraria demoliri, inhonesta corrigere, Fratres ab illicitis arcere. Si quem dissolutum, vagum aut negligentem invenisset, arguendo, increpando, corripiendo emendare satagebat; nec quemquam a Regula deviare sinebat. Pauperibus et egentibus, secundum sibi divinitus insitam pietatem, magno compatiebatur caritatis affectu: esurientes cibo refocillans, nudis præbens vestimenta, miseris et afflictis consolationem, quin et seipsum impendens. His et similibus cum diligenter intenderet, diligentius tamen ad sibi dilectam cellæ quietem tranquillumque laborem velut nutricis et omnium magistræ devotissimus, recurrebat assidue. Sicque Marthæ, bonum quidem, sed laboriosum implebat ministerium, ut Mariæ partem, quam elegerat, optimam non desereret. Sic solicitus erga plurima, ut uni quod est necessarium, quod cœperat, inhæreret; indeficiens in utroque: nam et abstinentias, vigilias, correctiones et cetera superius memorata multiplicabat. Mira sunt hæc: homini quippe per se impossibilia, sed solus omnium largitor et auctor bonorum cum dederit velle, addit et posse.

sic intendit externis,

ut interna nihilominus curaret.

B

ANNOTATA G. H.

a *Surius* Arduino.

b *Idem* Castello Signino, *Guichenono* Chignin in Sabaudia, *in Indice Gentilitiorum Symbolorum ad Historiam Bressiæ et Bugeiæ, ubi hujus familiæ insignia explicat.*

c *Joannes Chauvet manu sua apposuerat* circa annum 1117: *et sic infra num.* 5 *Novitium factum an. ætatis* 25, *et mox missum ad Cartusiam majorem an.* 1133, *ac num.* 9 *Priorem factum* 1139: *quæ cum non congruant anno prius notato, videtur error calami is esse, natusque ex Chauveti mente fuisse Sanctus circa annum* 1107: *ita an.* 1132 *Novitius factus fuerit, annorum* 25.

d *Distant hæ urbes,* Geneva et Bellica, 40 *millibus passuum, suntque conterminæ Ducatui Sabaudiæ.*

e *Videtur respicere Auctor ad istud Eccli.* 616: Multi pacifici sint tibi, et consiliarius sit tibi unus de mille: *est tamen difficile ex verbis hic scriptis aptum sensum formare, unde suspicor aliquid a librario corruptum, quod qua ratione emendari commode possit, non divino.*

f Portarum eremus *in Bugeia, a Geneva* 30 m. p. *a Bellica* 30 *circiter dissito, in mappa sub nomine* Cartruses *indicatur, haud procul ab oppido S. Ramberti.*

C

g Bernardus *ex Ambroniacensi Monacho, de licentia Desiderii Abbatis, impetrato ab hoc loco et terris adjacentibus, erexit hanc Cartusiam, cum socio Pontio. Diploma Desiderii Abbatis extat apud Guichenonum inter Probationes pag.* 222. *Ecclesiam autem domus superioris fuisse anno* 1125 *consecratam ab Humbaldo Archiepiscopo Lugdunensis, et Humberto Episcopo Genevensi, docet idem Guichenon.*

h *Ecclesia vero domus inferioris fuit consecrata anno* 1128, *ab S. Hugone Episcopo Gratianopolitano, et Pontio Episcopo Bellicensi.*

i *Consueta apud Cartusianos phrasi petentium Habitum, sic etiam cum petunt absolvi ab officio regiminis (ut petere statis temporibus jubentur a Constitutionibus) orant ut sibi fiat misericordia, et respondet Generalis:* Fratri N. fiat *vel* non fiat misericordia, *ut infra num.* 12.

k *Vitam hujus Senioris* S. Hugonis *illustravimus ad Kalendas Aprilis, cui anno* 1132 *mortuo successit* Hugo II, *quem ante* in Cartusia majore professum fuisse *asserunt Sammarthani.*

l Multam malitiam docuit otiositas, *dicitur Eccli.* 33, 29, *nec alibi verbum istud legitur: oportet igitur, ut valde laxe dicatur scripturas allegare auctor, non verba sed sensum exprimendo.* D

CAPUT II.

Prior Cartusiæ, ac postea Domus Portarum factus, illustria utrobique exempla præbet.

Cum autem tempus esset a Deo dispositum, quo non tam de se quam de aliis quamplurimis copiosiorem Deo redderet fructum; vir devotissimus, cedente, imo cogente, qui tunc erat, *a* Priore cum Fratribus, Cartusiæ Prior assumitur. Fuerat Cartusiæ Prior memoria dignus æterna *b* Guigo vir venerandus, qui ob divinitus sibi collatam mellifluæ doctrinæ gratiam, hanc obtineret prærogativam, ut Bonus Prior nominetur ab eis qui de ipso loquuntur. Is Cartusiensis Ordinis religionis modum, certosque statuit terminos; nam Regulam ipse scripsit, quam ex humilitate Consuetudines vocavit; subditos instruxit, verbo docens et exemplo, solerti ac vigilanti cura; cum sobrietate et honestate religiose ad se pertinentia disposuit; omnibus quoque se consulentibus utiliter consulens; erat quippe vir prudens et ingenii velocitate mirabilis. Hic hujus memorandi ac venerandi viri ideo mentionem fecimus, quia Dei famulus Anthelmus hunc imitari studuit, et secundum ipsius instituta subditos fecit conversari, et lapsa reædificare curavit. Intepuerat enim Ordo post decessum memorati Prioris, nec erat is qui fuerat fervor religionis seu rigor disciplinæ: quia deerant viri animo fortes, ex quo beatorum ille Sanctorum conventus paucissimis superstitibus, una simul die sive hora præmium percipere laboris meruere, *c* nivium de altissimis montibus super cellas ruentium mole oppressi.

CAP. V. Prior Cartusiæ factus,

a

b Guigonis Prioris gesta imitatur:

E

c

10 Studuit ergo novus Prior vetera, morum magis, quam ædificiorum renovare; sed et quod sancti Ordinis pristina religio passa fuerat detrimenti, ad pridem institutam Regulam restaurare. Si quem Fratrem negligentem invenisset aut contumacem, monitis, blanditiis, præceptis, minis, correctionibus emendare satagebat; incorrigibiles vero de medio auferre non dubitabat. Quidam etenim sanam doctrinam non sustinentes, qui sibi magni videbantur, malignæ mentis, rixosi, ausi sunt illi resistere. quorum nod ferens arrogantiam, ne pacem quietemque turbarem, expellere non distulit. Sub ejus itaque manu et disciplina perseverando proficientes, indeclinabiliter regularia servabantur instituta; non solum in ea domo, sed et in ceteris ejusdem Ordinis locis: ipso suadente Priore, florebat Cartusiensis Ordo, crescebat et multiplicabatur. Et si forte a paucis nimiæ videbatur austeritatis vel districtionis in subditos; plures tamen, qui sanioris erant mentis, tali Patre gaudebant, et sanctorum delectabantur exercitatione studiorum; nec erat aliquis qui rectitudini ejus auderet obviare.

ad normam Regulæ restaurat omnia

F

11 Cumque omnium salutem quæreret, propriam tamen [carnem] non despexit: e duobus enim fratribus carnalibus quos habebat, suis monitis unum post se traxit ad Christum (alter enim ipsum in eadem via præcesserat) post quem proprium genitorem ad eamdem pœnitentiam reduxit. Felix Pater! qui triplici filiorum funiculo colligatus, post ipsos, imo cum ipsis secutus est Christum! Felix, inquam, qui tales filios meruit habere! qui caduca hereditate contempta, sibi et Patri compararunt æternam! Ad ejus etiam bonæ famæ et domus Cartusiæ odorem volavit magnificus et potens Dominus Comes Nivernensis Guilielmus, et maxima devotione attractus Cartusiam venit; spretoque tam amplo et magnifico Comitatu, per manus Anthelmi, Cartusiæ

ad ordinem suscipit fratrem suum:

item Comitem Nivernen.

A tusiæ Conversus est effectus, *d* fineque laudabili et sancto in eodem est cœmeterio sepultus.

d Nihil suis vult deesse,

12 Multarum interea bonarum consuetudinum Cartusiæ vir sanctus extitit auctor et institutor. Instituit namque, ut de his quæ Regula poscebat nil, quantumcumque esset carum, Fratribus unquam deesset : sed quantumcumque constarent, omnia præpararentur administranda temporibus ordinatis Terminos Cartusiæ dilatavit et limitavit ; ac mulieres quos ingredi terminos ad id usque tempus prædecessores [prohibere] non potuerant, a limitibus prædictis totaliter exclusit. Officinas vero seu ædificia, prout visum est, alia melioravit ; alia in melius transmutavit ; alia autem nova construxit. Aquæductum, multo et fatigabili labore, longis meatibus faciens fabricari ; ad cellas Monachorum et coquinam ceterasve officinas tantarum aquarum abundantiam direxit, ut jugi lapsu defluentium copia sufficeret molendino, inibi pro tunc constituto. His et multis aliis, quod nimis esset longum indagare, per ipsum dispositis et patratis, Cartusia in spiritualibus et temporalibus multum profecisse probatur. Sed cum talis et tantus esset ut difficile quis reperiri posset, qui eidem secundum utrumque hominem comparari valeret ; tamen nil se arbitrans facere, imo tempus suum perdidisse timens, secretum quietis ac contemplationis [expetens,] et quietus cum Maria ad pedes Domini sedere, misericordiam ab officio Prioratus procurare curavit.

feminas excludit,

aquæ ductum construit.

B

13 Igitur cum omni diligentia et solicitudine, strenue ac religiose vir Dei Anthelmus domum Cartusiæ in Prioratu duodecim annis gubernasset ; cum haberet unum Monachum miræ sanctitatis et devotionis virum, Domnum videlicet *e* Basilium (qui *f* S. Hugonem Lincolniæ Episcopum postea, ad Ordinem recepit) malens obedire quam imperare, subesse quam præesse, ipsum sibi substituens sive substitui a Conventu procurans, ad desideratæ cellæ solatium et continuam habitationem cum maximo gaudio remeavit. Ubi quantam gratiam in spiritualibus theoriis quotidie haurivit, quantamque dulcedinem spiritualis allocutionis ex mutua collectione Fratribus convenientibus interdum impertiret, nemo expectet litteris explicari ; cum nec ipsemet, si præsens esset, verbis posset effari. Cum vero successor suus totaque domus et Conventus in eum intenderent, consiliumque in agendis expeterent ; opem numquam nec consilium denegavit : sed nec inhonesta arguere, seu inordinata corrigere unquam cessavit ; totiusque Ordinis ipse corrector, custos, protector atque defensor, quoad vixit semper fuit. Quasi totum Ordinem ipse construxisset, ac ejusdem personas genuisset ; sic de ipsis, ne quid contra Ordinis instituta aut animarum salutem procederet, solicitus erat. Hic solus nisi fuisset Catusianus, Ordo in suo rigore non stetisset : sed sicut de nonnullis aliis Ordinibus videmus, laxo sinu nimium defluxisset. Quid de Ordine dicam, cum et de aliis Religiosis solicitudinem, ne caderent, continuam haberet ? Nam sancta correctione et exhortatione plura loca sancta, quæ dilapsa fuissent, in emendationem vitæ et religionis augmentum novimus profecisse.

CAP. VI. Post annos 12 regiminis e f

abdicat se Prioratu :

C

et nihilominus Ordinis vigorem curat et consilio sustinet

14 Erat tunc (ut superius est præfatum) in Eremo Portarum primus Prior *g* Domnus D. Bernardus, qui virum Dei Anthelmum ad Ordinem recepit. Hic quanti apud Dominum meriti existat, quantaque memoria dignus, multa mira, imo miracula potius dicenda, quæ in vita pariter et post mortem operatus est, necnon et alia opera sancta, quæ in spiritualibus exercuit, manifeste testantur. Nam locum ipse construxit ; amplissimos terræ circuitus acquisivit ; domum strenuissime gubernavit, ac abundantissimis bonis replevit : Fratrum ipse diligens cura et regularis extitit disciplina : boni mores in tota domo puraque religio ab ipso processerunt : largam manum in Christo et ad dandum indigentibus porrectam habebat : plura loca maxime religiosa, sibi non sufficientia, crebris ac magnis beneficiis fovebat, quæ nisi eo suffragante usque nunc consistentes, non stetissent. Hic, inquam, vir talis et tam sanctus, ætate jam senili confectus, ab exteriorum labore quiescere volens, ut Deo attentius vacaret : simul et indignum judicans, qui semper dominaretur ; subesse tandem maluit quam præesse. Depositis itaque sarcinis et nomine Prioris, D. Anthelmum sibi substitui procuravit, ac reverenter petens impetravit ; timens ne aliter Ordo a suo fervore tepesceret, sub cujus a manu a regulari disciplina tendere non posse sciebat.

g Bernardo Priori Portarum viro sancto.

D

AUCTORE A COÆVO

substituitur :

15 Anthelmo igitur pro bono obedientiæ, licet contra voluntatem, coacto ad recipiendum Prioratum, regimen in spiritualibus et temporalibus est commissum. Qui qualiter sibi commissa gubernaverit, retexere non multum necessarium videtur, cum superius ejus conditiones et mores sint expressi. Non tamen silentio prætermittendum est, quod domum, quam plurimis bonis temporalibus reperiens abundantem, ex his fœnerando melioribus studuit impendiis cumulare. Cum enim pecuniæ massam invenisset, frumenti quoque et universi generis leguminum, annonæ quoque acervos, ac horrea plena ; cogitare cœpit sic congesta manendo nil valere, nisi ea ad Evangelicam commodaret usuram. Erat autem panis inopia et egestas magna, quam, instante tempore messis, homines de frugibus novis jam carpentes temperabant ; sed in montanis illis grandinis tempestas agricolarum fructus novos destruxerat, præter ipsorum Eremitarum divina misericordia reservatos : nec dicti agricolæ qui manducarent, quidve seminarent, habebant. Quod perpendens providus fœnerator, extractum frumentum fecit ipsis distribui ; alii plus, alii minus, prout expedire videbatur ; fidejussorem solum habens, qui non mentitur, Deum, certus cum inæstimabili usura se præstita recepturum. Acceptis igitur pauperes partibus distributis, laudaverunt Deum, qui per famulum suum tanta eis beneficia præstitisset ; et qui exinde seminaverunt ex ipso, uberum spe frugum credimus non fuisse frustratos.

CAP. VII

E

jumenta distribuit in pauperes agricolas :

19 Post hæc mittens manum ad mille aureos quos invenit, diversis locis religiosis pauperibus tam sui Ordinis quam aliorum divisit. Ornamenta quoque Ecclesiæ superflua et aliam supellectilem variam domui suæ non necessariam locis religiosis indigentibus similiter impertivit. Sed nec otio torpens, magnum exercuit laborem in possessionibus Domus ampliandis. Nam silvarum, quarum ipsa Domus magnam habet copiam, magna strage facta, latitudinem aperuit pro pratis creandis, ac reddidit agros agriculturæ patentes : arborum quoque diversi generis copiosum nemus inseri fecit atque plantari. Diligebant autem eum Fratres amore filiali, quia longe sanctiorem et humaniorem repererunt quam credebant : nam eloquio dulcis, conversatione mitis, verbis sancti joci familiariter plenus, ac subditis se humilem Fratrem exhibens, non Prælatum ; prædicto etiam Domno Bernardo plurimum deferebat, præferens eum sibi ; ac eo adveniente reverenter assurgens, numquam dimisit, etiamsi Episcopi seu Abbates adessent, seu quantæcumque personæ. Erga afflictos vero quantæ pietatis fuerit, quantæve compassionis super tribulatos, ac postremo quantæ liberalitatis ad omnes tam magnos quam minimos, unius facti exemplo, ut cetera prætermittam, non incongrue potest adjici.

F

item mille aureos et ornamenta superflua,

ob comitatem valde amatur :

AUCTORE A COÆVO

CAP. VIII *Archiepiscopum Lugdunensem cum suis excipit et alit.*

A 17 Eo siquidem tempore Comes Forensis Lugdunensem urbem dolo captam vastavit, cunctaque depopulans malignitatis suæ rabiem erga Ecclesiam potissime demonstravit. Nam cum Clerici Deo propitio ejus manus, tamquam fugitivi et exules, evasissent, eorum Domos ira succensus subvertit. Dominus vero *h* Eraclius, dictæ urbis Archiepiscopus ceterarumque dignitatum venerabiles personæ, Eremum Portarum adierunt, ubi venire consueverant de magnis negotiis consulturi, sed post acceptam de hujusmodi casu consolationem ab ipso, ipse vir magnanimus et fortis in Domino Anthelmus addidit, dicens : Nolite, Domini mei, alio divertere, vel errando vagari ; sed hic manete : si vero pro negotiis vestris fueritis egressi, huc redite : Nos enim personas vestras cum Presbyteris et Clericis, quamdiu necesse fuerit, procurabimus : nam et hoc nobis valde erit gratum, vobisque magis honestum. Quibusdam vero ipsorum euntibus et redeuntibus, aliis autem sedulo manentibus, largis impensis, alacri cum gratia, victus necessaria diligenter sunt ministrata; donec in brevi, non sine grandi miraculo, Dei nutu, hostibus expulsis, Clerici ad propria remearunt.

CAP. IX. *Post duos annos absolutus ad Cartusiam redit.*

B 18 Demum cum servus Dei in administrationibus temporalibus nimis se cerneret occupatum, ac propter impedimentum partis Marthæ, Mariæ vacationem, quam toto corde anhelabat, impediri ; vix duorum annorum spatio evoluto, ex quo Eremum adierat Portarum, Prioratum, ad quem necessitas mandati compulerat, relinquens; ad cellæ tutum semperque dilectum penes matrem Cartusiam refugium properavit : ubi licet habitando secum semper cuperet ab humanis colloquiis segregari, tamen multi et magni viri (audiebatur enim longe lateque nomen ejus) ad eum pro consiliis animæ recurrebant, fructumque copiosum et consolationem maximam reportabant.

ANNOTATA G. H.

a Hugo I *ab imperio monastico alienus præfuit ab anno* 1137 *ad* 1139, *quo absolutus vixit usque ad annum* 1146.

b Guigo V Prior *præfuit annis circiter* 37, *mortuus anno* 1137, *die* 27 *Julii. De eo nonnulla diximus* I *Aprilis ad Vitam S. Hugonis Episcopi, quam jussu Innocentii II Papæ scripsit.*

C c *Ante obitum Guigonis sesquianno anni* 1136, *initio aut fine præcedentis. Consule Chronicon Dorlandi.*

d *Anno* 1148, *addit Chauvet. Fuit autem* Guilielmus *iste filius Renaldi II, secundus etiam ipse sui nominis, pater Guilielmi III, qui obiit anno* 1160.

e Basilius Prior *declaratus anno* 1151, *qui inter alia Capitulum generale singulis annis convocari voluit. Huic Petrus Venerabilis scripsit Epistolam* 40 *et* 41 *libri* 6, *et Petrus Ablas Cellensis laudat eum Epistola* 9, 11 *et* 12 *libri* 5. *Præfuit usque ad annum* 1173, *quo mortuus est* 14 *Junii.*

f *Colitur* S. Hugo Episcopus Lincolniensis 17 *Novembris.*

g Bernardus *laudatur a S. Bernardo Abbate Claravallensi Epist.* 249. *Mortuum esse anno* 1152, 12 *Februarii asserit Guichenon ; Chavetus vero absolutum a Prioratu notat an.* 1151.

h Heraclius, *frater Petri Venerabilis Abbatis Cluniacensis, ad Archiepiscopatum evectus dicitur an* 1153. *Severtius in Chronologia Archiepiscoporum Lugdun. cladis istius non meminit, nec alius quisquam. Miræus vero in Historia universali civili ac profana ejus regionis quæ a Foro Secusiorum vulgo Feurs nominatur, nec unum quidem caput de Comitibus Forensibus habet : adeo parum aliquando explent libri, quod eorum tituli speciose promittunt. In re certa, non probationem, sed lucem aliunde quærimus.* D

CAPUT III.

Labores in schismate pro Alexandro III assumpti. Episcopatus Bellicensis diu invito collatus. Acta contra concubinarios.

CAP. X. *In schismate*

Eodem tempore, cum magnum schisma esset de Papa ortum in Ecclesia Dei ; totius bonitatis et justitiæ Anthelmus æmulator, pro Catholicæ unitatis defensione, constanti animo ut fortis pugil in Christo, contra schismaticos viriliter noscitur laborasse. Nam cum Romanæ Ecclesiæ Cardinales totaque pariter Curia *a* Alexandrum Pontificem summum elegissent et constituissent ; *b* Octavianus, qui primus fuerat de eligentibus, diabolica ambitione cæcatus, Apostolicam Sedem invasit de facto ; ac Ecclesiam, quod magis execrabile fuit, Imperatoriæ tradidit potestati. Erat enim vir potens ac magnarum opum, ex magno genere procreatus, ac multos sequaces et fautores habebat ; Catholico vero Præsuli, pauci quidem, sed meliores et saniores adhærebant. E Cumque universa pæne anceps Ecclesia vacillaret, ac tota consimiliter Christianitas magno turbine fidei quassaretur ; Cartusiensis Ordo in Ecclesia occidentali ante omnes, ut innotuit manifeste, Alexandro Papæ adhærens, eumque verum esse Pontificem prædicans ac confirmans, ei per omnia obedire curavit.

sustinens partem Alexandri III Papæ

20 Sed quis hujus rei extitit operator ? Anthelmus, cum egregiæ facundiæ viro atque in Scripturis valde erudito *c* Gaufredo consocio suo. Hi sunt, qui plurimum laboraverunt, ut diu nutantes sui Ordinis Priores Catholico Pontifici obedientiam profiterentur : hi sunt, qui quamplurimos Ecclesiastici Ordinis Prælatos cum suis subditis, in schismate pronos vel dubios, a devio errore revocantes, Pontifici Catholico adhærere fecerunt ; reprobum reprobantes, reum damnantes, ac schismaticum cum suis fautoribus execrantes. Imperatori igitur, qui non nisi sua electione summum Pontificem procreari volebat, notum factum est, quidquid verus fidei cultor et defensor Anthelmus fuerat operatus : ob hoc ab ipso plurimum odio est habitus, *d* et ab Apostatico intruso, qui maledicendi vel benedicendi potestatem non habebat, extitit execratione damnatus. Præcedentibus itaque Cartusiensibus et Cisterciensibus, Alexander Papa Ecclesiam, in partibus Galliæ, Britanniæ atque Hispaniæ, cito meruit obedientem habere. F

ab Antipapa frustra excommunicatur.

CAP. XI.

21 Pace vero Ecclesiæ nondum reddita, cum servus Dei Anthelmus multum delitesceret in eremi latebris, Deo et sibi vacare studens ; ille, qui facit in tenebris lumen splendere, lucernam sub modio nolens latere, super candelabrum eam studuit collocare. Cum enim Ecclesia Bellicensis suo fuisset orbata *e* Pastore, Canonicorum pars potentior adolescentem quemdam nobilem genere elegit, Episcopalem sibi Domum tradens; altera vero pars contradicens, Monachum quemdam elegit, mittens ad Dominum Papam *f* qui tunc in Galliarum partibus morabatur, ut eum sibi in Episcopum confirmaret, ductore quodam Sigibodo facundissimo et astuto viro, diversarum scripturarum scientia non indocto, cujus ornatis verbis atque politis Curiam cito sibi meruit habere faventem. Sed cum utraque electio Papæ innotuisset, in neutram consentiens, damnavit primam, secundam quoque statuit irritandam. Dum autem his qui venerant responsum dare differret, quia et alios venturos sperabat, sic suspensum remansit negotium.

Duobus ad Episcopatum Bellic. propositis, neque a Papa admissis,

22 Clericis itaque dictæ Ecclesiæ in vota sic disparia

A disparia remanentibus, quidam ex ipsis moderatores, pauci tamen, quibus neutra electio sapiebat, ceteros ad concordiam reducere satagentes, magnum illum Anachoretam Anthelmum eligere studuerunt. Commendatur ejus sanctitas, ejus discretio et affabilitas, ejusque religio attollitur in immensum. Quid multa? Omnes assentiunt, omnes gaudent; ipse etiam prior Electus cum amicis, erat enim consanguineus ejus. Itaque quem in hoc ipsum elegerat Dominus ab æterno, ab hominibus eligitur tempore præfinito: sed quia hunc non sine magna vi ab eremo evelli posse sciebant, ad Alexandrum Papam pro confirmatione properare studuerunt, ipso interim in eremo latitante, et quid de se ab aliis ageretur prorsus ignorante. Qui cum eorum electionem audisset, gavisus est in immensum, dicens illos de tali Pastore fore felices, et hoc a divino proposito consilium concessisse. At Sigibodus, qui necdum a Curia recesserat, cunctaque sibi pro velle contigisse putabat, tam sanctam electionem destruere nitebatur; multis astruens argumentis, suam stare debere, istam vero penitus reprobari. Sed a tanto Præsule blande admonitus atque rogatus, cum eidem resistere non valeret, assensum tandem præbuit vel invi-B tus.

s Anthelmus eligitur

cum gaudio et approbatione Papæ.

23 His itaque peractis, Dominus Papa auctoritate Apostolica dictam electionem confirmans, prædicto Anthelmo præcepit atque mandavit, quatenus Ecclesiæ Bellicensis, ad quam electus erat, suscipere curam nulla occasione deficeret. Illud idem Priori et Conventui Cartusiæ Eremi præcepit, quatenus Legatis eum postulantibus traderent, ac per obedientiæ sanctæ virtutem cogerent, si aliter ire recusaret. Cumque rem nosset Anthelmus, et e s qui eum adducere vellent advenisse; subducens se per latebras dictæ eremi se occultare disponens, fugæ præsidium requisivit: nec intelligens quod negotium a Deo ageretur, necessarium ministerium evitando, propriæ voluntati parere volebat. Perquirentes autem eum Fratres, et inventum educentes, vix in Conventum venire compellunt. Referunt ei Domini Papæ mandata, tradunt litteras; jubet Prior ex præcepto, rogant Legati ex persona totius Ecclesiæ Bellicensis; monent Fratres, ut curam, ad quam, Deo disponente, erat electus, suscipere non negaret, nec voluntati divinæ in sua perseverando resistere vellet.

e latebris eductus,

24 Sed quid ageret vir Sanctus, qui consilio Psalmistæ vacaverat et viderat quam suavis est C Dominus? Qui juxta Hieremiam sederat solitarius, et super se tacendo fuerat elevatus, quid ageret? Amore Dei inebriatus et perfusus, abnuit omnia; in tam arduo opere se nec scire, nec occupari velle, seque in perpetuum de eremo non egressurum contestatur: cumque id flens diceret, nec ad tale onus subeundum flecti ullatenus posset; Priores et Fratres callide loquentes, dixerunt ei: Unum tibi, Frater, e duobus incumbit, aut ex Apostolici mandato Præsulis injunctum ministerium suscipere; aut ipsum te oportet adire, qui postquam tuam noverit voluntatem, tali onere te minime prægravabit. Hac igitur spe ductus, iter arripuit ad Papam, non deserentibus eum Legatis. Quo perveniens, a Præsule et tota Curia venerabiliter est susceptus: noverant quippe eum magni esse meriti apud Dominum. Ut autem ad colloquium ventum est, Anthelmus non ob aliud dixit se venisse, nisi ut misericordiam inveniret; nec ad id ullo modo debere cogi dicebat, quod nec sibi, nec Ecclesiæ, quod exequi expetebatur, expedire sciebat. Cœpitque se in multis accusare, illitteratum, idiotam, et indoctum proclamare; inhonestumque, inutilem, ac indignum ad tale onus subeundum se esse: votum etiam se vovisse testabatur de eremo se numquam egressurum, nec invitum contra tale propositum cogi debere.

P... ...ditur ...mum,

...m apud ...pam ...exandrum;

AUCTORE COEVO.

25 Cumque magnis precibus et fletibus misericordiam imploraret, summus Pontifex ei respondit: Noli, fili, noli occasionem fingere excusationes prætendere, quas non decet; quoniam tuam novimus industriam qua refulges. Ut quid nunc inerti pusillanimitate tuus animus conquassatur? Obedire te oportet: quod scripsi, scripsi. Attende Scripturam dicentem; Quasi idolis immolare est, non obedire; et quasi peccatum ariolandi, nolle acquiescere. Quanta sit virtus obedientiæ, quam professus tenuisti, animadvertere debes; qui temetipsum abnegare, Christumque es sequi professus, non tuam, sed ipsius sequi voluntatem necessario teneris. Talibus similibusque athletam Christi, pusillanimum et formidolosum effectum, inducere et mulcere curavit. Quibus auditis confusus tacuit, nec ob Patris reverentiam ulterius reniti vel se excusare præsumpsit. Consecratur igitur sexto Idus Septembris in Nativitate Beatæ Mariæ die *g* Dominica a Præsule Sedis Apostolicæ Alexandro; mansitque in Curia diebus aliquot, ipso eum Papa retinente. Cumque in communi colloquio sermo esset de multis, ipse frequenter de Scripturis idonea testimonia proferebat; E unde audientes dicebant; Non est hic indoctus et illitteratus, ut asserere nitebatur, sed vir prudens et doctus: qui cum esset solicitus a Curia recedendi, actis quidem gratiis, munusculis eum honestis dotatum cum benedictione Papa dimisit in pace.

a quo monitus acquiescere.

1 Reg. 15

g consecratur die 8 Septembris.

26 Dum autem Ecclesiæ suæ esset redditus, ac cum magna solennitate et gaudio in Episcopali Ecclesia Cathedratus; observantias regulares morumque gravitatem et virtutum constantiam, necnon et cetera religionis suæ exercitia nullatenus prætermisit, imo potius augere curavit. Divinum enim Officium, non in capella sua seu loco secreto, sed in majori Ecclesia cum Canonicis suis humiliter frequentabat. Omni fere die salutarem Deo Hostiam offerebat, præ nimia devotione lacrymarum abundantia communiter repletus. Mirabantur omnes, contra usum humanæ felicitatis, hominem ex humili ad summa provectum, plus humilitate quam dignitate, plus devotione quam dominatione crevisse. Sed non minus suorum subditorum cœpit zelare salutem, ad quorum opitulationem noverat se promotum. Sacrorum enim Ordinum ministros, quam maxime Sacerdotes, summo honore digno asserens, omni reverentia a suis auditoribus venerari præcepit; prædicans eis, mandans atque suadens, quate- F nus sine criminis nota, ut boni dispensatores Dei, honestos atque pudicos, pro tanto ministerio celebrando, se studeant exhibere. Sed longe aliter servus Dei de ipsis extitit informatus, pro quo dolens remansit et tristis. Nam quidam eorum, quod etiam memorare pudor est, publice erant concubinarii notati, alii vero adulterii reatu infamati.

CAP. XII. Episcopus instar Monachi vivit:

Sacerdotes vult honorari,

27 Primo igitur suæ Ordinationis anno, in synodo Presbyteris collectis, precibus terrores admiscens, admonuit eos, dicens in hunc modum: Audite me, stirps levitica, germen sacerdotale, propago sanctificata, Duces et Rectores ovilis Christi: audite me rogantem vos pariter et monentem. Quantæ dignitatis, quantique sit honoris ministerium sanctum vestrum, advertere debetis; sicut beatissimus Apostolus Petrus dixit; Genus electum, regale Sacerdotium estis. Vos inter Deum et homines mediatores, vos dii inter homines, vos estis Angeli nuncupati: vos in altario consecratis et tractatis, quod Angeli adorant et timent. Sed cum honoris prærogativa monstratur, merita congrua requiruntur: nam dignum existit, ut dignitas sacerdotalis sic

in synodo prædicat contra concubinarios.

1 Petri 2

A sic servetur a vobis : ne, quod absit, illud verbum tremendum audire contingat, Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis. Quod enim dolens et corde gemebundo dico, quidam ex vobis existunt, quibus hujus honoris nomen in aure, et crimen in manu ; deifica professio, et illicita actio ; gradus excelsus, et deformis excessus : qui filium Mariæ Virginis cum immunditia Veneris hospitari non verentur ; qui sicut Sacerdotes in altario non consistunt, sed potius sicut carnifices in macello, aut scurrones in communi loco. Sufficiat talibus hucusque quod fecerunt : studeant, rogo, vitam suam in melius emendare. Licet enim bonis Ecclesiæ et ordine privari deberent, nihilominus emendationem præstolando pro nunc postpone reatum punire. Qui vero se ex hoc noluerint emendare, districta eos sententia ferire non parcam : nolo enim, qui tales estis, vestris communicare peccatis. Parcite vobis et miserebitur vestri Deus. Secundo autem anno, cum plures luxuriæ fæcibus involuti se castigare non curarent, sed potius infamibus semper fæcibus procederent obvoluti ; sex seu octo Sacerdotes ordine et beneficiis privavit ; sic-B que quod per mansuetudinis lenitatem non potuit corrigere, per justæ severitatis asperitatem studuit emendare.

AUCTORE COÆVO. Ps. 47, 13.

Obstinatos punit,

ANNOTATA G. H.

a Alexander III *in Papam electus fuit anno* 1159 7 *Septembris.*

b Octavianus *electus fuit a* 2 *Cardinalibus,* Victor III *dictus, et habuit favorem Frederici Imperatoris.*

c Gaufredi *hujus alibi miramur nullam reperiri mentionem.*

d Fredericus Barbarossa, *nihilominus* S. Anthelmo *addictus, plurima privilegia anno* 1175, *languente jam schismate, pacem optans vel optare simulans, ei ejusque Ecclesiæ et urbi Bellicensi concessit, quorum diplomata edidit Guichenon parte* 2, *pag.* 25.

e Pontius de Thoine *vita functus est circa an.* 1162, *aut initium sequentis.*

f Alexander Papa *præsedit in Concilio Turonensi* 18 *Maji anni* 1163, *et* 30 *Septembris venit Senonas, et in hoc Archiepiscopatu mansit sesquianno.*

g *Ergo anno* 1163, *littera Dominicali* F.

h *Ab eodem Alexandro Papa* S. Anthelmum *Legatum in Angliam anno* 1169 *missum fuisse scribit* C *Guichenon, citata auctoritate Episcopi Salutiarum id asserentis.*

CAPUT V.

Zelus pro justitia et immunitate Ecclesiastica, contrarii excommunicati; bona variis monasteriis collata : miracula.

CAP. XIII. Juris Ecclesiastici violatores excommunicat :

Cum vir Dei non solum in sua diœcesi, imo in toto Sabaudiæ Comitatu, non paucos malefactores et raptores esse conspexisset , qui suos suaque , necnon Sacerdotes, Clericos, viduas, orphanos et pauperes molestare et offendere non timerent ; hic solus, cum nemo adhuc Prælatorum id facere præsumpsisset, in eorum præsumptionibus coercendis, illato etiam ab eis terrore constantior, incunctanter et perseveranter huc illucque discurrendo, gladium spiritus tota cum libertate infurentes et frementes, seu in aliquo præmissorum offendentes, vibravit ; tradens contumaces satanæ anathemate solenni, ut spiritus mereretur salvari. Quantæcumque enim essent potestatis, nulli contra justitiam deferebat vel parcebat ; etiamsi martyrium, quod valde desiderabat, pati debuisset. Cujus magnanimi D audacia, necnon et protegentium Angelorum custodia, ipsiusque divinæ virtutis armatura fracti et pœnitentes ei cesserunt vel inviti ; rebelles vero quosque et juris Ecclesiastici violatores, ac de sua insolenter potentia præsumentes, et præ tumore mentis ad minas interdum procaciter erumpentes, anathemate ligatos ab ipso, numquam voluit absolvere, nisi satisfactione digna meruissent absolvi.

CAP. XIV. a a Comite Sabaudiæ Sacerdotem captivum erindicat, b

29 Hinc est, quod, cum Comes Sabaudiæ *a* Humbertus, Amedei filius, quemdam ejus Sacerdotem capi fecisset, eumque sibi Episcopus reddi petiisset, nec impetrare valuisset ; præpositum ejus, qui eum ceperat, cum omni domo sua excommunicavit. Cum vero audiisset, ubi Presbyter teneretur ; misit qui arriperet eum, Episcopum videlicet Maurianensem Dominum *b* Guilielmum ; qui eo invento, monuit Præpositum, qui aderat, ut dimitteret eum. Quo nolente, Episcopus de custodia Presbyterum assumens, eduxit eum, Præposito contradicente et vociferante ; Ego, inquit, non resisto vobis, sciet autem Dominus, quis ei abstulerit captivum suum. Sed postea cum essset eidem Sacerdoti intimatum, quod ei insidiæ fierent, ut iterum caparetur, fugæ E præsidium sumpsit. Quod quidam de pueris Præpositi sentientes, in insidiis præparati, cum ladiis occurrerunt ei ; ac ipso se defendente, graviter vulneratus ab eis, infra paucos dies est defunctus. Dictus etiam Comes quædam regalia in Ecclesiæ possessionibus calumniabatur sibi deberi : licet eadem occasione injuriam facere in eamdem seu exactionem, Anthelmo Episcopo vivente , non auderet.

et ex insidiis occisum ulciscitur,

Comitem excommunicando;

30 Super præmissis igitur cum eum Episcopus appellasset, indignatus magis cœpit minari, asserens non diutius se passurum, quin ea quæ sui juris esse asserebat, obtineret. Cum autem ipsum iterato moneret, et ei Excommunicationis sententiam minaretur, nisi calumniæ abrenuntiaret, et propter Sacerdotis mortem Deo satisfaceret, quantum ad ipsum pertinebat ; Comites monita ejus spernens, a nullo se excommunicari posse respondit, cum a summo Pontifice super hoc privilegium ratum haberet. Nec mora, illum magnum Principem excommunicare non est veritus, etiam eo præsente. Qui totus in ira succensus, cum eidem mala minaretur, et, qui cum ipso erant, dicerent, quod pro tantæ temeritatis usu in Principem statim puniretur ; ille constantior effectus, sententia repetita, pertinacem F attentius et expressius a Christo et ejus corpore, quod est Ecclesia , segregans, ipsum satanæ tradens, anathematis vinculo fortius innodavit,

c d quem absolvere renuens,

eodem a Papa absoluto,

31 Qui autem aderant, timentes ei stupebant, cum ipse intrepidus remaneret. *c* Sed cum dictus Comes Apostolicæ Sedis Præsuli , contra sibi privilegium indultum, ab Episcopo Bellicensi se excommunicatum intimasset ; Dominus Præsul per Archiepiscopum Tarentasiæ *d* Petrum et alium Episcopum eidem mandavit, quatenus filium suum carissimum Comitem prædictum, quem satis temere excommunicasset, absolvere non differret ; præcipiens eisdem, quod si nollet (noverat enim viri constantiam) ipsi eum absolvere non differrent. Perlatis itaque mandatis, ac multis admonitus verbis, ut summo Pontifici ex debito obediret, et iratum sibi Principem absolvendo placeret, respondit: Qui juste ligatus est, solvi non debet, nisi pro læsa caritate læsor pœnitens satisfaciat ; etsi non digne pro meritis, misericordia tamen occurrente, Ecclesiæ reddi Catholicæ mereatur : neque enim vel B. Petro sic est potestas attributa, ut vel non solvenda solvere, vel ligare debeat non liganda. Quanto igitur minus nobis ? Sciatis itaque certissime,

A me, quod a semel juste prolata sententia non movebor, sed firmam tenebo, nisi satisfaciat de offensa. Tum eum Episcopi dimiserunt, nec juxta quod eis fuerat injunctum, Comitem absolvere præsumpserunt. Sed cum Dominus Papa rescisset, eum absolvit; mandans Episcopo, auctoritate Apostolica Comitem absolutum. Motus igitur animo vir fortis in Christo, ac moleste ferens tantam injuriam contra indemnitatem Ecclesiasticam impunitam pertransire, relicta Cathedra solitarius sedere desiderans, ut soli Deo vacaret, cellæ dilectam requiem repetivit.

dimittit Episcopatum:

32 Sed Dominus, qui ad id oneris eum traxerat et honoris, ibidem eum diutius remanere non permisit. Nam cum Bellicensis Ecclesia et tota patria illa de ipsius essent absentia desolatæ, Clerici sui Papam interpellantes, litteris Apostolicis eum cogunt iterato redire; sicque eum reducentes, debito eum recipiunt cum honore. Comes vero prædictus, non se tenens pro absoluto, nec Ecclesiam ingredi præsumpsit, donec coram ipso viro Dei humiliatus, et satisfacere promittens, Ecclesiæ redditus, et absolutus est ab eo. Quem semper licet valde *e* dilexerit, etiam cum eum ab Ecclesia removeret; nunc vero propensius et familiarius, tum suavibus colloquiis, tum verborum duris stimulis eum frequenter ad bonum exhortari curabat. Sed cum eum negligentem videret, ut nec promissa implere, nec mala vellet corrigere, sed potius augere, cœpit eum super his durius appellare, ac mala quæ per eum vel sub eo, ipso permittente fiebant, improperare, et fidem quam per pactum sibi promissam debebat postulare. Ob hæc Comes contra eumdem odio fuit maximo concitatus; contestans hominem non esse sub cœlo, quem sic exosum haberet. Minabatur autem ei valde, vixque se continens, mala ei impendere cogitabat; sed reverebatur eum, valde sanctitati ejus deferens vel invitus: siquis vero eidem malum intulisset, satis ei placebat. Cum autem aliquando eum Episcopus appellasset super commissi satisfactione reatus et aliis prætaxatis; Comes dixit eidem, se forensi jure respondere paratum. Cui Episcopus: Tu me (inquit) jure fori; ego te convenio jure poli, diemque determino novissimum ante Justum judicem Deum.

ad quem Papæ jussu regressus,

e

B

satisfacere promittentem absolvit:

at negligentem arguit.

33 Dum vero tam fideliter ac diligenter, secundum misericordiam et veritatem, curam Sacerdotii gereret S. Anthelmus; non minus pristinæ religioni vacabat, et necubi toto in Ordine Cartusiensi sanctarum constitutionum rigor flecteretur, fervorque tepesceret, attente et solicite curabat; ad ejus siquidem nutum Priorum oculus intendebat, et sanctorum dispositio negotiorum penes eum consistebat. Ad domum vero Cartusiæ vir sanctus sæpius remeabat, manebatque more aliorum in cella solitaria, quæ semper ei absque habitatore vacua servabatur: in qua meditabatur et orabat, reficiebatur cibo, et somnum capiebat; ibique non Episcopi majestatem, sed humilis Monachi subjectionem exhibebat. Cilicio, ut semper, tegebatur ad nudum; hinc tunicam in medio superinduto pellicio velabat. Lectisternia ejus hæc tantum erant: sagum, cervical, et pelles. Annulo Pontificali excepto, a consuetudine Cartusiensium in nullo penitus discrepabat. Ecclesiam potissime horis nocturnis, ac refectorium diebus festivis frequentabat; diebus Dominicis post cœnam cum ceteris monachis ad ostium refectorii cum silentio et gravitate procedebat, ubi panis unus singulis, ad totius hebdomadæ victum, a fratre interius consistente præbebatur. Religiosa etiam loca sibi domestica frequentius visitans, Fratribus convocatis melliflua Dei verba proponebat, magnorum exempla virorum quos viderat ipse, de quibus audierat, ad eorum instructionem narrando. Deinde cum magna hilaritate et humilitate singulos vicibus succedentibus, aut juxta se vocabat, aut ipse loco motus eisdem assidebat, omnibus se conformans, non plus majori deferens quam minori: sicque familiari et dulci exhortatione, ad delectabilis propositi perseverantiam et profectum animabat: ipsorumque opera se asserens indigere, ut pro ipso orarent, suppliciter exorabat. Ad quamcumque autem servorum Dei congregationem devenisset, se in Fratrem recipi humilitate et precibus precabatur, nam et per omnes Domos Cartusienses Ordinis hoc ipsum meruit obtinere.

... xv ... ... servari ... rigorem a ... Cartusianis,

C

frequens apud eos, tamquam unus ex ipsis,

... ad profectum horta... tur,

D

AUCTORE COÆVO

singulorum preces petit:

34 Consiliis aut quibuscumque negotiis Ecclesiasticis seu secularibus si contingeret interesse, non Episcopus, non quævis persona tam magna existebat, quæ eidem se præponere auderet: omnes enim eum reverebantur, etiam Curia Romana. Si quid vitiosum aut reprehensione dignum in aliquo videret, quantæcumque auctoritatis vel potestatis esset, arguere non dubitabat; tantus ei inerat zelus animarum et honoris Dei. Quantum vero super peccatores pœnitentes misericors extiterit et pius, norunt qui eidem confessi sunt, et per manum illius Deo reconciliari meruerunt. Totis enim eisdem compatiens visceribus pietatis, ex lacrymarum profluvio quas pro eis dolendo producebat, veniam eos ac Dei gratiam asserens consecutos, ad pœnitentiam et meliorem vitam, etiam in peccatis valde obduratos, promovebat. In pauperes vero seu miseros et afflictos, quis magis pius eo extitit vel benignus? quis magis eisdem misertus aut super eorum indigentia solicitus fuit? Foris Beati Job exemplo peregrinus non mansit, ostium suum cum manu larga et liberali patuit indigenti; nam præter victum moderatum, omnia in Eleemosynis pauperum et quam maxime locorum religiosorum erogabat. Duas siquidem pauperum Congregationes speciali quadam prærogativa diligens, sibi copiosis eleemosynis vendicaverat, in omnibus necessariis sustentandas; ancillas videlicet Christi, viduas cum virginibus, in loco qui dicitur *f* Buntzis Eremiticam vitam ducentes; et leprosorum congregationem sub regula degentium, quam devotus et miræ humilitatis Guigo miles Christi, in loco qui dicitur Inter-saxa, *g* super ripam Rhodani statuit et construxit. Has duas Domos vir sanctus frequenter visitabat, animarumque eorum et corporum curam solicite gerebat; eorum enim colloquiis plurimum delectabatur, feminarum accessum vir castissimus non formidans, et familiaritatem leprosorum vir mundissimus non evitans.

magnates fidenter redarguit,

E

pœnitentes benigne excipit:

Jo. 31.

inopes fovet,

f

potissimum sanctimoniales et leprosos:

g

F

35 Cum autem vir Dei, quodam negotio mediante, Gebennas devenisset; Bugremundus quidam amicus ejus magnis precibus ipsum meruit hospitari. Cumque pariter consedissent, Episcopus ait, Ubi est Domina? volo eam videre: qua ingressa, utrumque de fide conjugii et legitimo exhortabatur amore, ac de bonis actibus et timore Dei. Respondit ei maritus: Domine, prospera cuncta nobis procedunt; sed, quod maxime cupimus, prole caremus. Tunc Episcopus vocans ad se mulierem, signum Crucis in fronte ejus fecit ac quasi jocando dixit: In nomine Domini nostri Jesu Christi fac mihi unum filium. In virtute ergo sanctæ Crucis fides mandatum, fidemque est subsecutus effectus: nam parum post de viro suo concipiens, infra annum nato eisdem filio sunt gavisi. Die autem altera dum servus Dei iter faceret, quidam homo a serpente percussus, veneno per corpus diffuso in tumorem versus, vicinæ mortis timore, nimio dolore angebatur; cumque Sanctus ad locum devenisset, quo jacebat infirmus; rogant qui aderant paululum subsistere virum Dei, consilium ab eo quærentes, quid eidem infirmo

signo Crucis mulierem a sterilitate liberat,

et hominem a serpente percussum sanat.

AUCTORE COÆVO

A infirmo medicinæ posset adhiberi. Tunc ille lacrymabiliter homini compassus, signo Crucis super eum edito, veneno statim fugato, tumor omnis et dolor absque mora est ablatus. Sociis vero suis præcepit, ne cui hoc præsumerent manifestare, asserens illorum fide, qui hoc postulabant, non suis meritis hoc esse concessum. Non enim fur magis timet deprehendi, quam vir sanctus metuebat laudari; ac sic quasi quamdam pestem miracula facere in sua vita fugiebat, ne ab aliis alius crederetur quam seipsum reputabat.

ANNOTATA G. H.

a *Hic est* Humbertus III, *qui Amedeo patri, Kalendis Aprilis anni* 1149 *Nicosiæ in Cypro defuncto, successit, mortuus* IV *Martii anni* 1188.

b Guilielmus, ex alumno majoris Cartusiæ, assumptus anno 1167 *dicitur apud Sammarthanos.*

c *Erat* Humbertus *addictissimus Sedi Apostolicæ, atque Alexandri III defensionem contra Fredericum Imperatorem assumpserat.*

d *Hic est* S. Petrus, Tarentasiensis Archiepiscopus, *cujus varia Acta illustravimus ad diem* 8 *Maji.*

B e *Erant in dicto Humberto plurimæ qualitates piæ, omnia more dignæ. Plurimas ab eo donationes et privilegia concessa variis ecclesiis et monasteriis, docet Guichenon in ejus elogio, et in Probationibus varia de iis diplomata profert, etiam de fundata Cartusia Aillonensi in Sabaudia.*

f Buntzis *vulgo* Bons, *Abbatia Ordinis Cisterciensis in Bugeia, constructa a Margareta Sabauda, sorore dicti Humberti Comitis, circa annum* 1155, *ubi et ipsa Margareta habitum sumpsit. Consule Guichenonum par.* 2 *Historiæ Bugesii pag.* 40 *et in Historia Genealogica Sabaudiæ pag.* 231.

g Inter-saxa, *vulgo diei* Entrocessei, *indicavit nobis laudatus Chauvetus.*

CAPUT V.

Morbus, pius obitus, miracula.

CAP. XVI.

In fame publica succurrit miseris :

Eo igitur anno, quo servus Dei de hac vita migravit, fames fuit valida ac miserabilis egestas. Tunc quasdam Sanctorum congregationes, in magna necessitate constitutas, suis beneficiis adjuvit; ac C confluentium undique pauperum multitudinem, usque ad tempus messis, quotidiana eleemosyna sustentavit. Mirum in modum cunctis videbatur, unde illi tanta quæ tribuebat. Determinaverat autem diem, usque ad quem eleemosynam continuare volebat; igitur Domino, qui eum de mundi hujus exilio ad patriam reducere parabat, ut votum suum impleret, eodem præstolante; ultimo die perseverantis eleemosynæ designata et persoluta, vocatus a Domino de labore ad requiem pertransivit. Itaque vitæ hujus occiduæ termino jam imminente, et æternæ, pro qua fideliter laboraverat, initio propinquante, ex febre quæ dicitur acuta correptus, in lecto decumbens vi ægritudinis, interdum dum erraret in verbis, de necessariis tamen interrogatus, rationabiliter et discrete respondebat. Flebant igitur sui, pietate magis quam dolore commoti, quia de ejus morte magis gaudendum sentiebant quam dolendum. Benedictionem autem ab eo flagitantibus et consilium, hoc eis impertiri studebat; ac bona cunctis imprecans, eos verbis sanctis admonere non cessabat. Admonitus autem, dum languor ingravesceret, ut conficeret testamentum, ac res suas distribueret quibus vellet; respondit: Absit a me, ut testamentum faciam, qui quoad animum meum, omnimodis aut [non] possedi unquam, aut possideo, quod meum

febre acuta correptus,

Testamentum condere renuit :

esse censerem; quin potius Ecclesiæ propriæ quam D regebam. Hucusque per ministerium Sacerdotii commissis fruendi, ac licentiam habui ministrandi: jam vero, quia frui non licet, nec ministrare oportet.

37 Cœperunt autem eum rogare, ut Comiti, adversum quem querelam habebat, remittere offensam vellet. Quod se numquam facturum asseruit, nisi calumniam ipse dimitteret quam faciebat, et nullam exactionem in Episcopi vel Ecclesiæ possessionibus fidem faceret se facturum; insuper et recognoscens culpam suam pœniteret de Sacerdote interfecto. Cum hoc Comiti (ipse enim erat in vico) dicendum fore censerent, non erat qui auderet. Aderant autem ex Cartusiæ Fratribus duo genere nobiles, sed humilitate ac fidei firmitate nobiliores; Aymo videlicet, vir quondam in seculo magnificus ac potens, et Girardus ei virtute non impar. Hi Principem adeuntes, quæ audierant ei intimare studuerunt; consulentes ei, ut omnem calumniam dimittendo, tanti Patris veniam studeat implorare, quo ipsius benedictione perfunctus felicem se non immerito valeat reputare. Quod audiens, (Deo sibi in hoc consulente, et sancti Patris intercedentibus meritis, qui utique salutem optabat) timore correptus et corde compunctus in lacrymas erupit; statimque E ad eum veniens, propriam confessus culpam, omnem calumniam dimisit; Ecclesiam quoque se defensurum promisit, jurejurando hoc confirmare paratus: humiliatusque coram viro sancto, ac veniam implorans, gratiam impetravit. Impositisque ei manibus vir Dei benedicens eum, ait; Deum omnipotens, Pater et filius et Spiritus sanctus, benedictionis suæ et gratiæ tibi tribuat largitatem, crescere te et multiplicari faciat et filium tuum. Et tamen filiam habebat unicam non filium: cumque suggereretur ei, ut filiam, non filium nominaret, eum errare putantes; iterum et tertio signanter repetivit et filium tuum. Quam prophetiam, nato sibi filio non multo post tempore fore novimus adimpletam, nato sibi filio ut diximus, scilicet *a* Thoma. Clericos vero suos ab eo consilium de eorum salute requirentes, de mutua monuit caritate ac concordia, et unitate in vinculo pacis, sicque glorioso cursus sui agone peracto, gloriosus Christi Confessor Anthelmus æternum bravium consecutus est.

Comiti, nisi resipiscenti, dimittere recusat,

pœnitenti benedicit,

et filio licet adhuc nullum haberet.

a Clericis commendata concordia,

38 Expletis igitur circa eum obsequiis, quæ debebant, inter Litanias et Cantica, sexto Kalendas F Julii migravit ad Dominum, anno ætatis suæ plus septuagesimo, Episcopatus vero quinto decimo. *b* At ubi de mundi hujus caligine perpetuam migravit ad lucem, Dominus Sanctum suum patentibus miraculorum signis non est latere perpessus. Dum ejus venerabiles exequiæ celebrantur, dumque sepulcro sacrum conderetur corpus; omnium qui aderant oculis ac devotis mentibus ad eum intentis, signum mirabile apparuit et gloriosum, ut hoc mortuorum suscitationi nemo dubitet adæquandum. Erant ibidem, ubi fuit sepultus, videlicet in introitu Chori, in sinistra parte sub Crucifixo, in arcta Capella ante altare tres lampades extinctæ, noctibus accendi consuetæ non diebus, præcipuis solennitatibus exceptis; sed erat hujus funeris celebritas præclara, imo non funeris, sed triumphi. Vident enim omnes statim, divino miraculo, *c* in unam lampadum illarum ignem succrescendo flammescere, et immenso lumine coruscare, stupentibus ad hæc et admirantibus cunctis. Ecce et alias duas oculatim cernunt similiter accendi, pariterque plus solito omnes nitore micantes: erant autem una, quam quidam usurarius ministrabat, quæ non est accensa. Fit clamor præ lætitia in ecclesia ab omnibus, ac plurimum exultantes Dominum in sancto suo benedicebant. Concurrunt unique tam cives quam advenæ, ad

mortuus 26 Junii :

b

sepelitur sub Crucifixo,

c lampadibus 3 ultro accensis

A ad tam mirum sanctumque spectaculum inauditum; pariterque cum eis Comes Humbertus, et socer ejus *d* Girardus Viennensis, et Illustres viri non pauci, qui cum eis erant. Nec immerito vir sanctus tam jucundo luminis honore, Trinitatis cultor, trium signo lampadarum apparuit decoratus; qui corde, ore, et opere; in fide, spe, et caritate, Dei mandata noscitur adimplesse. Comes vero præfatus tanta mirabilia cum vidisset, tremefactus, Episcopi domum, quam jam ingressus cum his qui intus erant sibi vendicaverat, statim abscedens reliquit.

CAP. XVII. *Ex plurimis miraculis pauca proferuntur:*

39 In prædicta vero Ecclesia Bellicensi, meritis S. Anthelmi, multa sunt miracula perpetrata; quæ tam propter negligentiam assistentium, quam eorum quibus collata fuerunt, scripta non existunt. Cum enim quotidie miraculis miracula succederent, homines potius in stuporem vertebantur, quam per scripturam posteris aliquid nuntiare curarent. Sed quomodo faciliter scripto colligi potuissent, quæ præ multitudine et assiduitate non poterant memorari? Confluentibus enim undique turbis ad ejus sacrum et venerabile corpus, innumera credentibus assidue beneficia præstantur; cæcis visus, claudis gressus, B diversarum ægritudinum mole gravatis sanitas, ac multa alia juxta fidem postulantium desiderata: ex quibus quatuor aut quinque, in sui et ceterorum memoriam, subjiciam; reliqua miracula aliis qui præsentes fuerunt, vel quibus fuerunt collata, enarranda dimitto.

sterilis concipit,

40 In territorio Gratianopolitano quidam vir nobilis erat, Deum timens cum conjuge sua, quos dilexerat totius boni amator Anthelmus. Hic uxore diu sterili remanente, liberos desiderabat habere. Cum vero uterque tantam miraculorum famam audisset, ait Domina viro suo: Ibo ad Dominum nostrum S. Anthelmum, credo enim quod ejus sepulcro humiliter adorato, mihi conceptum impetrabit. Ad quod cum fide firma et spe devota devenisset, oratione facta domumque reversa, de viro proprio prolem in brevi meruit obtinere.

sanatur adolescens infirmos irridens et ipse infirmatus,

41 Quidam nobilis adolescens, militiæ nondum insignitus, oderat Sanctum virum, quia fortasse aliquando increpaverat eum de excessibus suis. Hic cum ante reverendum ejus sepulcrum die quodam pertransisset; cerneretque ibi jacentes infirmos; stultitiæ deputans fidem illorum, incredulus cachinnans ibat: subitoque febrium valido et intolerabili ardore vexatus, mori confestim arbitratur. Tunc C demum correctus pœnitere cœpit manibusque suorum ad Sancti sepulcrum [delatus], humiliter veniam postulans, vota vovit et liberatus abcessit.

et epilepticus.

42 Alius etiam nobilis juvenculus duro hemitritæo, id est quotidiana cum tertiana febribus laborans, simulque epilepsia, id est passione caduca; cum de vino, unde sacrum Corpus fuerat ablutum, bibisset, statim extitit liberatus. Cujus potu vini, multi alii a diversis sunt ægritudinibus liberati.

Mercator submerso cum mercibus equo,

43 Mercator quidam, ab extera rediens regione, cum mercibus suis venditis omnia in pretium auri et argenti et quam plurimi serici redegisset, dum Rhodani fluvium transiret; equus super quem erat omnis substantia ejus, a navi in dictum fluvium cecidit sic onustus. Primo assistentes eum viderunt, dum a fluminis impetu raperetur: sed magno pondere statim ad gurgitis ima demersus, ulterius non est visus. Ut autem cassus labore, de inventione desperans, eum quærere cessavit, [est enim ibi quædam abys-

post votum Sancto factum

sus.] Nomine B. Anthelmi audito, et quæ per eum miracula fiebant, spe ductus et fide, venit ad mausolæum, ubi Sancti corpus quiescebat; ponensque candelam quam ejus fecerat in honore, vigilavit et oravit; munera obtulit, vota devovit. Mane facto, post divina mysteria celebrata, de Divina clementia per piissimi Confessoris preces confidens, venit ad D locum a quo tristis abscesserat, spe bona factus hilarior, tristitia mitigata *e*.... Mirabile dictu! Quem longius viderat raptum ab imis ad summa, ab inferioribus ad superiora reciprocatum, in portu equum invenit; remque suam omnem de cadavere pendentem, ac sericum reperit in nullo madefactum vel læsum. Resumptis itaque, non dubius quin B. Anthelmi meritis, rebus, pro quibus multo labore sudaverat; solius equi jacturam parvipendens, Deo et piissimo Confessori gratias agens, lætus abscessit.

AUCTORE COÆVO.

e ipsum mortuum, merces adhuc siccas invenit.

f puer trimulus aqua præfocatus,

44 Rure quod Fictiliacum *f* dicitur, ab oppido Bellicensi sex millibus distans, puerulus quidam annorum circiter trium, matre ipsius aliis occupata, domo egressus, longiusque prodiens, huc illucque vagari cœpit. Hora vero tardiori, mater pignoris sui recordata, undique circumspiciens nec videns, suspecto tremens animo, solicite circumquaque diu indagando quærebat; eumque tandem, ad præterfluentis rivi alveum descendens, reperit in gurgite lapsum. Quem cernens a longe ab aqua moveri, ipsum adhuc viventem putans, in hanc vocem erupit: Deus et S. Anthelme, peto filium meum a vobis. Accedensque et levans eum, ac extinctum inveniens, E crinibus diruptis et vestibus conscissis, genas unguibus lacerans pugnisque pectus tundens, mœstis clamoribus totam vallem replevit, miseram se clamans ac seipsam necare volens. Mœstus pater accurrit, vicini ad tam miserandum spectaculum concurrunt, miseris parentibus condolentes. Cumque domi delatus diu foveretur nec calefieret, nihilque in eo spiritus vitalis sentirent, jamque dies ad vesperum vergeret, (erat enim mane quando mortuus est), sublatum ad sepeliendum eum deferre parabant. At vero mater prohibuit, et contestans ait: Non ita fiet, sed illum deferam B. Joanni ac Domino meo B. Anthelmo: credo enim quod eorum meritis, mihi Dominus reddet filium meum, quem peccatis meis exigentibus mihi fraus abstulit inimici. Qua vehementius urgente, tollentes corpusculum pater cum ipsa, comitantibus vicinis, delatum in Ecclesia Bellicensi ante sepulcrum B. Anthelmi posuerunt.

ad sepulcrum Sancti suscitatur.

45 Aderat de ipsa civitate virorum ac mulierum multitudo, qui in Ecclesiam eos fuerant secuti, quos misera lamentatio et fidelis oratio ad lacrymas provocabat. Post pusillum autem puer cœpit moveri, matre tremefacta ab ipso se retrahente, et eventum rei præstolante: demum quosdam leves vagitus F emisit. Parvo autem intervallo facto, nemine ad eum accedente et stupentibus omnibus, surrexit; assumptoque baculo, qui ad mensuram corpusculi ejus juxta se erat, ambulans ad Sancti sepulcrum se vertit et resedit. Tunc matrem aliis circumstantibus allocutus, cœpit loqui incolumis, et nil mali habens, ac tanti periculi inexpertus. Fit gaudium cunctis et lætitia, cum admiratione et timore. Flent parentes præ gaudio; universi pietate moventur. Clerus et nobilitatis cum plebe conveniunt, gaudent universi, cum exultatione Deum laudantes et magnificantes, qui per Sanctos suos tanta mirabilia operatur: cujus imperium et potestas non desinit nec deficit, per omnia secula seculorum. Amen.

Exhortatio ad cultum S. Anthelmo tribuendum.

46 Lætare Bellicensis Ecclesia cum tota patria, tanti Patris eximiis illustrata ac fulta patrociniis: lætamini cives et affines, quia quem in hac vita meruistis habere Pastorem, multo magis nunc habetis protectorem et pium apud Deum intercessorem. Lætamini vos maxime Canonici, qui tantum ac talem possidetis thesaurum, quo ditati non egebitis, si tamen cognoveritis, quantus et qualis, quantumve venerandus. Ipse vobis providere non desinet in perpetuum: per ipsum, Deo donante, omnem prosperitatem habebitis et Dei gratiam, nisi forte (quod absit!)

AUCTORE COÆVO.

A absit!) circa eum negligentes fueritis. Oportet vos igitur toto eum annisu diligere, colere, ac venerari; si vere Deum diligitis, si Deo placere curatis: cui placet ipse Sanctus, de quo loquimur, ad quod vos invitat ipse optimus retributor, quo miris eum virtutibus ac signis, sicut patet, decorare dignatur. Quem Deus potenter atque magnifice; vos, in quantum valet humana fragilitas, honorare curate: qui vos desiderat habere socios, devotos habeat famulos: quidquid a vobis ei honoris impensum fuerit, vestrum erit. Ipse vobis, vos ei nihil conferre potestis: vestra non indiget ope, qui summo fruitur bono. Sanctis [honorem] deferre nihil aliud est, quam Deum ipsum honorare, qui in eis est, et cujus sunt membra corporis. Cum enim magni esset meriti iste gloriosus Confessor, in vita sua miracula, quasi quamdam pestem, decrevit fugere, ne Sanctus æstimaretur. Nullam enim ex se vel in se, sed in Domino habebat gloriam; et talia præsumere se peccatorem, indignum magis quam justum judicabat, licet mira virtutum et Sanctorum operum magnitudo, Dei per eum operantis magna erant miracula. Et quamvis se occultaret, multi tamen per ejus merita molestiarum suarum sentiebant relevamen;
B prout aliqua breviter supra retulimus; quamvis in Bellicensi Ecclesia meritis ipsius multa sint facta miracula, et fiunt frequenter, quæ per negligentiam non sunt scripta; sed nec præ multitudine et assiduitate, vel scripto comprehendi, vel memoria possunt retineri. Confluentibus enim undique turbis ad ejus venerabile sepulcrum sive corpus, innumera fidelibus præstantur beneficia: cæcis visus, claudis gressus, diversarum ægritudinum mole gravatis sanitas, et cetera multa desiderata in fide postulantibus.

Sequuntur Versus contra sepulcrum ejus affixi.

Hic locus est arctus quo sunt Antistitis artus
Anthelmi, cujus laus est ædis decor hujus.
Hunc post claustralem vitam, Cartusia talem
Exhibuit mundo atque Deo, quod pectore mundo,
Bellicii plebi, summi lustramine Phœbi,
Sit datus in Patrem, cui se dedit in quasi matrem.
Officium Marthæ jungens cum spiritus arte,
Doctrina pavit, vita fovit, prece lavit.
Innumeris signis fulget pius hic fide dignis:
In quibus ipse fidus, rogo, Præsul, sis mihi sidus
C Per mundi tenebras; vitiorum pelle scatebras,
Te duce, post cursum, ferar hinc ad sidera sursum.
Amen.

ANNOTATA G. H.

a Thomas *successor, Comes Sabaudiæ a Guichenono dicitur natus* 20 Maji anno 1177, *sed mallem legi* annum 1178, *quod prioris anni* 20 *Maji, adhuc viveret S. Anthelmus, et potuit sub mortem S. Anthelmi conceptus fuisse. Ante hunc ex* 3 *uxore Humberti nata fuerat Eleonora præmortua Agnete, ex priori thoro tunc filia unica, primum Guidoni Vintemiliensi, deinde Bonifacio Montferratensi nuptæ.*

b *Ergo anno Christi* 1177, *et sic in Episcopatu a die consecrationis factæ* 8 *Septembris anno* 1163, *vixit annos* 14, *menses* 9, *dies* 14.

c *Hæc de lampadibus accensis confirmant, Guilielmus Nangius apud Guichenonum, et Gaufredus in Vita S. Petri Tarentasiensis.*

d *Duxerat nempe* Humbertus *tertiam uxorem* Beatricem, *filiam Comitis Viennensis Gerardi, ex qua, quos dixi, Eleonora et Thomas.*

e *Addebatur*, Tum esse spe magis: *quod sensum nullum faciebat.*

f Fictiliacum *esse in Delphinatu vicino, sed in diœcesi Bellicensi, indicavit Chavetus.* D

HISTORIA ELEVATI CORP.

Ex Gallico Latine edita Bruxellis.

CAPUT I.

Occasio petitæ Elevationis, et prævius ad illam Processus.

Post visionem æditui factam

Visio quædam præcessit, quæ huic Elevationi S. Anthelmi occasionem dedit, fuitque talis. Excubabat æditus super tholum ecclesiæ majorem: cum subito strepitum audit, velut transeuntis turbæ. Despectans autem e sublimi pegmate, videt ecclesiam coruscationibus plenam. Obstupescensque ad lumen tam insolitum, cum susque deque circumtulisset oculos; conspicit turbam venerabilium personarum, ex composito procedentium cum funalibus per S. Joannis basilicam. Ut autem e regione tumbæ S. Anthelmi constiterunt; cernuo vultu, profundam tumulo reverentiam exhibuerunt, et mox E disparuerunt. Hæc urgens quidem erat, sed quam hic annecto, urgentior fuit translationis occasio. Annus agebatur MDCXXX, felix, faustus, et de hac Elevatione lumen immortale sibi mutuatus: quo Reverendissimus et Illustrissimus Dominus Joannes de Passelaigue, non ita *a* pridem inauguratus Bellicensis Antistes, volens more majorum, sui Præsulatus initia celebritate aliqua consecrare, Pontificatumque feliciter auspicari, decrevit sibi Patronum aliquem, ex illa beatissima Sanctorum omnium universitate adsciscere. nec propinquior illi quisquam visus est S. Anthelmo gentili et decessore suo. Sed nec tam præsentes alibi cognoscere Divos posse se judicabat, quam ejusdem S. Anthelmi congeneres, concorporesque Bellicensis olim Ecclesiæ Præsules, ejusdem Ordinis Patres ac professos, Pontios, Raynaldos, Artaldos, Bernardos, Bonifacios *b*: quorum alii S. Anthelmo posthumarunt, alii synchroni fuerunt, omnes denique virtutem et dexteritatem ab ipso fere hauserunt. Hæc illi cogitanti veluti faces quasdam subdidere Reverendi admodum Viri, Decanus et Canonici Bellicenses: libellum supplicem eidem offerentes pro nova apotheosi seu solenni S. Anthelmi Elevatione. Tenor libelli talis est. F

a affectui Joannis Episcopi

b

concurrente Capitulum Bellicense cum Syndicis,

2 Illustrissimo et Reverendissimo Domino, D. Joanni de Passelaigue, Episcopo Bellicensi, Sacri Romani Imperii Principi. Humiliter exponunt Decanus et Canonici Cathedralis Ecclesiæ Divi Joannis Baptistæ, et Syndici Bellicensis civitatis, S. Anthelmi, ex Ordine Cartusianorum delecti Bellicensium Episcopi, venerandum corpus, in dicta ecclesia indecoro tumulo, fumo, squalore, et aranearum telis obsito, hactenus jacuisse; numquam fortasse, aut sero nimis honori debito restituendum, nisi clarissimis et lucentissimis, infinitisque miraculis, maxime vero ob conservatam toties civitatem a sæviente per universam Galliam pestilentiæ morbo, multisque varie afflictis restitutam sanitatem, sese apertissime manifestasset. Quorum beneficiorum non immemores, et ne ipsi majorum suorum delicta tantæque negligentiæ pœnas luant; meritos honores tanto viro, Episcopo Bellicensi dignissimo, Patrono et Domino suo meritissimo, tamquam tutelari Numini, restituere decreverunt; ne suo ipse altari careat, cum Sanctus ab omnibus certissime habeatur; et talis auctoritate sanctissimæ matris Ecclesiæ, quæ errare nec scit nec potest, cognoscatur; ejusque festus dies annis singulis, et in hac et in aliis diœcesibus, solenniter celebretur. Quamobrem

petit elevari et transferri corpus,

A Quamobrem obnixe expostulant, et te Dominum Episcopum, sancti viri æmulum et meritissimum successorem, humiliter supplicant; ut sacrum ejus Corpus et Reliquias rite relevari, decora capsula honorifice recondi, et sacello suo donari jubeas et cures; ad publicam utilitatem et majorem Dei gloriam, qui in Sanctis suis gaudet venerari. Sic signatum: I. Vallon, Decanus; I. Mermetius, Archidiaconus; Perre, Thesaurarius; Constantin, Sacrista; Salteur, Archipresbyter; du Poysat; H. des Escelles, Primicerius; I. Bondon, L. de Sayssel, Reydelet, I M. Borsier, De Maillans, Des Roys, Mellieret, Tricaud; Mellieret, Consul; Gariod, Consul. *Supplicantibus responsum his verbis est.* Fiat prius diligens et sincera perquisitio de veritate in suprascripta supplicatione contentorum, præsertim de identitate corporis. Pro quibus rite et convenienter perquirendis, committimus Venerabilem Virum Magistrum Benedictum Jantet, Vicarium nostrum Generalem; et Reverendum Patrem Franciscum a Camberio, alias Genan, Capucinum, Sacræ Theologiæ Professorem et Concionatorem; et pro actis recipiendis, et testium juridice citatorum et productorum depositionibus, Magistrum Claudium Ribod Notarium Regium; qui omnes corporale in manibus nostris juramentum præstabunt, se cum omni circumspectione, diligentia, fidelitate, sinceritate et zelo, circa hujusmodi gravissimum negotium se habituros. Quibus, rite canonice et juridice peractis, omnia in manus nostras consignentur. Datum Bellicii, die c XIX mensis Maji, anno Domini millesimo sexcentesimo trigesimo. Joannes Episcopus Bellicensis.

et coram institutis Commissariis

ac Notario publico

B

C

3 In nomine Domini Jesu Christi, Amen. Anno a Nativitate ejusdem Domini nostri Jesu Christi, millesimo sexcentesimo trigesimo, Indictione tredecima, die vigesima mensis Maji, Pontificatus vero sanctissimi Domini nostri Urbani Papæ VIII anno octavo. Coram nobis, Benedicto Jantet, Juris Canonici Doctore et Vicario Generali Diœcesis Bellicensis; et Fratre Francisco a Camberio, Capucino Concionatore, et Sacræ Theologiæ Professore; ad instantiam et requisitionem venerabilis Domini Joannis Reydelet, Canonici Cathedralis Ecclesiæ; et honorabilis et discreti viri Joannis Carrel, Procuratoris in tribunali Beugesii, congregatis in domo habitationis dicti Vicarii Generalis; comparuerunt iidem Venerabilis Dominus Joannes Reydelet, et C discretus Joannes Carrel: qui nobis exhibuerunt libellum ex parte R. R. D. D. Decani et Canonicorum Cathedralis Ecclesiæ S. Joannis Baptistæ, nec non Spectabilium DD. Syndicorum civitatis Bellicensis; exponentium et requirentium, ut venerandum corpus beatæ memoriæ S. Anthelmi, Episcopi quondam Bellicensis, auctoritate sanctæ Matris Ecclesiæ, ob sanctitatem vitæ titulo sanctitatis donati et miraculis clari, honoratius reponatur, sacello particulari donetur, et ejus festum quotannis solenniter celebretur, cum decreto Illustrissimi et Reverendissimi supradicti Domini, D. Episcopi Bellicensis; de perquirenda prius veritate contentorum in dicto libello, præsertim de identitate corporis dicti S. Anthelmi, pro quibus nos supranominatos commisit die decima nona præsentis mensis et anni. Nobis etiam iidem Venerabilis Dominus Joannes Reydelet, et honorabilis et discretus Joannes Carrel exhibuerunt mandatum suæ constitutionis, ad procurandum et probandum contenta in supradicto libello nomine dictorum Dominorum: quod quidem cum supradictis libello et decreto jussimus hic inseri, et de verbo ad verbum transcribi. Tandem instanter rogaverunt nos, ut commissioni injunctæ incumbere quamprimum dignaremur.

rogatis exequi mandatum Episcopi,

probant deputati Procuratores,

4 Cui petitioni libenter annuentes, eadem hora D mandavimus dictis procuratoribus, ut si quæ in promptu habeant pro probatione contentorum in memorato libello, proferant. Jussis obsequentes, pro probatione primi articuli, videlicet, quod beatæ memoriæ S. Anthelmus sancte vixerit, Sanctus communiter habitus fuerit, et quod auctoritate sanctissimæ Matris Ecclesiæ titulum Sancti merito obtinuerit, sequentibus clarum esse asseruerunt. Primo quod sancte vixerit, in medium protulerunt librum R. P. Theophili Reynaudi e Societate Jesu, quem inscripsit de Sanctis Lugdunensibus; in quo describens vitam S. Stephani Episcopi Diensis, antea Cartusiani, circa medium, verba faciens de S. Anthelmo, illum sanctitate vitæ et miraculorum gloria insignem prædicat. Quod Sanctus communiter habitus sit, obtulerunt Surium auctorem approbatum et fidem facientem, qui Sanctorum Vitas describens, illiusque vitam enarrans, ipsum titulo Sancti decorat vigesima sexta Junii, tomo tertio. Quod auctoritate sanctæ Matris Ecclesiæ obtineat, probant ex Martyrologio, quod produxerunt, in quo vigesimo sexto Junii hæc verba leguntur: Item memoria S. Anthelmi, Episcopi Bellicensis. Ex quibus auctoritatibus luce clarius constat S. Anthelmum sancte vixisse, Sanctum esse, et Sanctum declaratum. Veniens postmodum ad secundum articulum, videlicet, quod corpus illud, requiescens in ecclesia Cathedrali S. Joannis Baptistæ a latere dextro ante portam Chori, sit vere corpus S. Anthelmi; antequam dicti Domini Procuratores procedant ad ampliores probationes, enixe requisierunt, ut nos transferre dignaremur ad illius sepulcrum; cujus situm, statum, et formam, cum donativis ex voto affixis, petierunt describi.

ex mss. sanctitatem personæ,

E

et identitatem corporis,

5 Absque mora igitur iter nostrum direximus ad ecclesiam Cathedralem S. Joannis Baptistæ; ad quam cum pervenissemus, dicti Domini Procuratores indicaverunt nobis S. Anthelmi tumulum, ante fores Chori ad dextram ingredientium; quem lapideum invenimus, duorum circiter pedum latitudinis, et sex longitudinis, cum antiqua effigie Episcopi ex gypso aliquantulum in facie deformata, habente desuper arcellam ferream, et in circuitu quadrato opere cancellos ligneos, armatos in superiori parte acuminibus ferreis; decoratur insuper tumulus iste imperiali thalamo diversi coloris, habente in columna sinistra a parte anteriori hujusmodi inscriptionem: D. O. M. B. Anthelmo Thaumaturgo, F libertatis Ecclesiasticæ strenuo vindici, Cartusiæ majoris septimo Priori, totiusque Ordinis item septimo Generali præposito, Sacri Imperii Principi, Civitatis Bellicii quadragesimo tertio Præsuli, primo Dynastæ, et tutelari pientissimi clientuli, D. et D. Et ex columna dextra ab eadem parte anteriori sequens Epigramma sive tetrasticon pendet.

Hactenus illæsum per bella, incendia, pestes,
Bellicium hoc Anthelme tibi debere fatetur.
Et ne nulla tuis referatur gratia donis,
Urbs tua perpetuos tibi voto sacrat honores.

Et superius plurima ex voto donativa affixa cernuntur, pro majori parte cerea. *Hanc sepulturæ descriptionem tamquam adhuc integræ pro probatione corporis S. Anthelmi, satisfacere in aperto est.* Ad alias *tamen* probationes dd. Domini Procuratores procedendo, denuo produxerunt Surium, qui in primo miraculo, eorum quæ in calce Vitæ S. Anthelmi recenset, indicat illum in ecclesia S. Joannis Baptistæ inhumatum fuisse: atque per eumdem Auctorem constat de loco, cum miraculum trium vicinarum lampadarum, tempore inhumationis divinitus accensarum, refert: illasque nobis ante pulpitum concionum indicaverunt.

A 6 Demum pro superabundanti probatione addiderunt, publica voce et fama ex antiqua patrum nostrorum traditione, hoc sepulcrum dici sepulcrum S. Anthelmi : omnesque qui ad ejus intercessionem recurrunt, hic vota sua depromere, ut per testes omni exceptione majores probare parati sunt, et quos canonice citatos producunt. *Sic signatum*. B. Janiet, Vicarius Generalis. F. Franciscus, Capucinus indignus : I. Vallon, Decanus. I. Mermerius, Archidiaconus. Perret, Thesaurarius. Vulliet. Constantin. Reydelet, du Poysat. H. des Eschelles, Primicerius. Tricand. M. Borsier. F. Monnier. Bondon. des Roys. de Mallians. Carrel, Procurator. Ribod, Secretarius commissus. *Tali autem processu relato ad Episcopum respondit ille per hoc decretum.* Nos Joannes de Passelaigue, Dei et sanctæ Sedis Apostolicæ gratia Episcopus Bellicensis, visis suprascriptis informationibus et depositionibus, quibus nobis constitit et certissimo constat, S. Anthelmi Seiguni, alias de Cheignin, ex Ordine Cartusianorum, quondam hujus civitatis et diœcesis Bellicensis Episcopi, verum esse corpus, quod jacet in antiquo et a terra aliquantulum elevato sepulcro, B prope portam Chori ecclesiæ nostræ Cathedralis Bellicensis, ad dexteram ; illudque miraculis claruisse hactenus, sicut et modo ; dignumque quod honoratius collocetur ; decernimus declaramusque et judicamus : ideoque nos ad illius Elevationem et Translationem, ex humili in quo jacuit loco, ad sacellum, recens ad hujusmodi opus erectum, die XXVI mensis præsentis, qua ejus festum hac in diœcesi solenniter colitur, auxiliante Domino, procedemus. Actum Bellicii, die XII mensis Junii, anno Domini MDCXXX.

ex MSS. quibus rite subsignatis,

ANNOTATA G. H.

a *Consecratus* 24 *Martii dicti anni* 1630.

b *Ex his omnibus, præter* S. Anthelmum, *solum* Bonifacium *retulit Saussayus in Supplemento ad* 14 *Julii. Fuit hic Thomæ Comitis Sabaudiæ et Beatricis filius, a S. Althelmo prædictus. Apud Sammarthanos* Altaldus, ex Cartusiano Bellicensis Episcopus, *ut* Sanctus *indicatur ; cujus corpus anno* 1640 *inventum est : dicitur* pridie Nonas Octobris anno 1206 obiisse, *de cujus et aliorum veneratione Ecclesiastica, singulorumque eorum Actis, si quæ olim fuerunt conscripta, optamus a Bellicensibus instrui.*

C c *Impressum*, Vigesima prima mensis Maji : *sed et videtur legendum* XIX, *quia mox bis allegatur dies* XX, *ut posterior, et plura similia menda hic occurrent, istud quoque corrigendum censui, ut etiam infra ubi legitur* dies vigesima, *cum congruum sit, commissionem præcessisse uno saltem die executionem.*

CAPUT II.

Quo modo, et qua pompa celebrata Elevatio sit.

Elevationi dies 26 Junii

Diem Elevationi dignissimus antistes dixit XXVI Junii, S. Anthelmo natalem. Fama ergo Translationis longe lateque vulgata, magis hactenus semper optata quam sperata (nam procrastinatio illius spem fere omnem eliserat) illico plurimorum concitavit animos, ut pompam quisque, quoad posset, cohonestaret. Incredibile dictu est, quot et quantos hæc fama populares conciverit, et velut classico resonante Bellicium adduxerit. Vidisses omnis generis, sexus, ætatis, conditionis homines ad limina Divi properare ; in tantum, ut Basilica S. Joannis, quantumvis vasta non caperet omnes. Cunctantius autem itum est in avitam hanc translationis cærenoniam, quod Antistes esse prudentis judicaret, prius explo- D rare tumuli fidem et constitutionem. Ne quid ergo tumultuarie fieret, pridie quam ad publicum Actum procederet, mandavit aperiri sepulcrum. Itaque testibus ad id idoneis vocatis, Decano, Canonicis, et Syndicis, aliisque, jussit lapidem sepulcralem elevari. Et mox quasi galbanum aut stacten dies afflasset, cœpit odor suavissimus ex ejus hypogæo diffundi. Et vero purpureas spirabat locus ille rosas, testis orationum ejus ; quæ, ut in Apocalypsi legimus, phialæ plenæ odoramentorum merito dici possunt ; fueruntque pignus quoddam illius, quæ per totum diem illum exundavit, spiritualis suavitatis et gratiæ. Porro in illa positione reperta est sanctissima gleba, in qua condita fuerat figura cum Pontificali pedo ad latus ; cum mitra, licet aliquantulum exesa in capite ; cum reliquis item Sacerdotalibus indumentis, sed pæne consumptis. Denique calix ejus et acerra, seorsum sub abside sepulcrali recondita, conspiciebantur : quorum omnium virtutem, si homines diutius siluissent, lapides clamassent.

pridie apertus tumulus

cum odore suavissimo

exhibet corpus :

8 Quis tunc adstanti coronæ, cernenti talia, sensus? Prorsus avidior multo fuit, quam sit hodie nimiis profanarum antiquitatum admiratoribus : qui si inciderint in statuas vel colossos veteres, nu- E mismata vel alia Græcanicæ vetustatis monumenta, immane dictu quantum stupent. Sed multo majori dignum admiratione visum est, quod post tot annos sepulturæ, velut ex insperato redivivus S. Anthelmus, Collegis suis redditus est : cum nemini dubium esset, utrum ille ipse foret, qui videretur. Quamvis enim ex præcedente aliqua (ut verosimile est) tumuli tentata alias apertione, detritum sit aliquid de vestimentis et corpore, tamen de identitate nulli dubium fuit. Igitur cum omni reverentia, detractis veteribus exuviis, novis induitur. Mitram Collegæ Capituli dedere : Sebastianus Possatius, casula sua augustiore vestivit illum : atque sic comparatum, traducunt in aliud mausolæum. Testatur ipse, qui interfuit Monyer, Canonicus et Theologalis Panegyristes ; cum tanto animorum sensu transactam hanc Elevationem sacræ glebæ fuisse, nil ut simile vel æquale viderit Bellicium ab immemorabili tempore. Audet dicere (sed tropo forte liberiore) terram lacrymis innatasse, suspiriis aerem animatum fuisse, topiaria nulla tam suavem unquam odorem exhalasse, sicut extractæ illæ e tenebris sepulcralibus Reliquiæ.

quando illud novis vestibus indutum,

9 Loculamentum interim novum apparatur, quod Bellicenses Religiosæ Visitationis tam subtiliter F aptarant, totque beatillis (ut auctor Gennandus loquitur) ornarant, ut de eo dici potuerit, Materiam superabat opus. Cumque traduceretur ex loco in locum, atque inde in loculamentum prædictum, providus Antistes Procuratoribus præcepit, ut in testes vocarent omnes adstantes, et quæ fiebant, in Acta referrent per manum Actuarii. Quod et expedite fecerunt, signatumque fuit instrumentum manu M. Laurentii Vianii, Notarii Regii. Pæne prætermieram, quod idem prudentissimus et religiosissimus Præsul, ut pompam ornaret, non omiserit advocare quatuor vicinarum Cartusiarum Priores. Hoc enim studio fuit illi cum primis, ut vivam S. Anthelmi in priore Portarum spirantemque imaginem repræsentaret. Sic quippe sibi persuaserat futurum, ut omnes visis illis Patribus, redivivum S. Anthelmum se conspicere arbitrarentur, maxime viso P. Priore Cartusiæ Portarum, cujus Anthelmus fuisset Novitius ; et septimus inde Ordinis totius Generalis. Atque ita quidem destinarat animo ; sed duo tantum præsentes adfuere, D. Prior Domus Portarum et P. Prior Petræ-Castri : reliqui duo, utpote ad quos serius pervenisset

loculo ornato imponitur.

Translationi adsunt Priores Cartus. duo.

A set hoc verbum, minine interfuere. Nihilominus instar omnium unus erat P. Prior Portarum, cujus veneranda canities, et vultus ad pietatem compositus totus, honorabilem diem illum et cæremoniam omnem fecisse videbatur.

Cantantur Vesperæ,

10 Sed ut ad id, unde digressi sumus, revertamur, Reliquiæ in loculamento decenter repositæ, stragulis thalami Imperialis contectæ fuere. Secessit interea Præsul in sacristiam, ut solennia, cæremonias, et quidquid ad decorem translationis spectabat, ordinaret. Statuit igitur in primis, ut Vesperæ, et Completorium solenniter decantarentur alternantibus vices Phonascis et duobus Choris; ad quod etiam Camberiaco præstantissimos accivit Musicos, idque propriis sumptibus. Statuit insuper pervigilium celebraretur: itaque noctem in quatuor partitus est Vigilias. In prima (quæ ab hora octava inchoabatur, et terminanda erat nocte concubia) quatuor Canonicos, quatuor Presbyteros honorarios, cum aliquot Sacellanis et Musicis præsto adesse voluit; quibus injunctum fuit, ut primum concinerent Nocturnum, cum Lectionibus desumptis ex Epistolis Apostoli ad Timotheum et Titum. In secunda Vigilia, id est ab hora noctis decima usque ad duodecimam, parem numerum Canonicorum, Presbyterorum, et Musicorum designavit, qui secundum concinerent Nocturnum; Lectiones desumptæ sunt ex Surio, qui Vitam S. Anthelmi edidit. In tertia Vigilia, nimirum ab hora consequente duodecima usque ad secundam, totidem Ecclesiastici Psalmodiam tertii Nocturni, cum Homilia B. Gregorii Papæ super Evangelium Matthæi, Homo quidam peregre profectus, prosecuti sunt. In ultima denique, videlicet ab hora secunda usque ad quartam antelucanas Laudes cecinere. Nocte in hunc modum exacta paulo post horam quartam, Prima cantatur et Tertia. Quinta suggestum ascendit Franciscus Monyer, Canonicus et Orator Bellicensis, qui de S. Anthelmi præclaris apud Deum et homines meritis tam copiose, fortiter, suaviterque disseruit, ut et seipsum tunc superasse credendus sit. Oratione hac (quæ etiam extat) habita, Reverendissimus Antistes consecrationem aræ, quam in sacello novo, quod suo et collegarum ære in conditivum erexerat, auspicatus est, cum officio et cæremoniis Translationi propriis. Itum est deinde ad locum, in quo requiescebant S. Anthelmi Reliquiæ. Sed priusquam eas elevaret, annuit R. P. Francisco Gennando Capucino, ut ad populum diceret. Ejus thema fuit ex arena et re nata desumptum de vita ac virtutibus S. Anthelmi, de identitate corporis, de miraculis, aliisque. Conclusit denique, dixitque meritis ejusdem cæcos videre, leprosos mundari, mortuos resurgere, dæmonia quoque expelli, in eumque vere convenire, quod canit Ecclesia in Hymno:

et Matutinum per partes. — B

Sacellum consecratur, — C

iterum concio habita,

Ad sacrum cujus tumulum frequenter
Membra languentum modo sanitati,
Quolibet morbo fuerint gravata,
Restituuntur.

et post panegyrim

Exhortatus est denique morbidos, afflictos, frigoreticos, ut ad Sancti tumulum cum fide ac fiducia confugerent, et opem (pæne certam) expectarent. Placuit hic sermo, tam in substantia, quam in phrasi, etiam in affectu accentuque quo pronuntiabatur.

instituitur processio,

11 Concionem excepit amburbalis Processio; quam condecorarunt Scholares cum Regentibus et Præfectis, Sodales sacrosancti Rosarii, Sodales item Sanctissimi Corporis Domini; Patres Capucini devotissimi, PP. Minoritæ; turba magna Sacerdotum secularium superpelliceis albicantium, Decanus et Canonici pretiosissimis infulis induti. Quatuor Canonici ferculum gestabant apertum, non opertum: hoc enim ita fieri oportuit, ut satisfieret sitientissimo videndi populo: qui nihil magis urgebat et ambiebat, quam sanctissimum illum suum Præsulem, velut post quatuor secula et quod excurrit, e tenebroso sepulcri ambitu erutum videre redivivum. Ante et pone sequebantur innumeri cum funalibus ceræ virgineæ. Aderat in centro pompæ Reverendissimus Pontificalibus vestitus. Præcedebat ejus Accensus, pedum ei præferens: Diaconi ac ejus Subdiaconi a lateribus, Eleemosynarii illius in superpelliceis adhærebant eidem, syrma gestantes: denique tota familia in decentissimo habitu immediate sequebatur ejus vestigia. Syndici et Scabini urbis, Prætorii quoque complures Officiales, qui Corpus justitiæ constituunt; item alii (quos Electos vocant) Officiarii Salinarum; maxima præterea caterva nobilium virorum et feminarum, ex circumvicinis locis, etiam extimis aderat: denique claudebat agmen populus Bellicensis. Omnium autem Ordinum in se oculos atque ora convertit devota S. Anthelmi Confraternitas. Hæc addextrabat, et sinistrabat circum secus ferculum, stipabatque Ecclesiasticorum latera, non sine notabili modestia ac gravitate juncta pietati. His omnibus armabatur dextera face virginea, jubari solis (sit verbo venia) invidiam factura. Turma sane conspicua, quæ splendore suo, ad pietatem et D. Anthelmi gloriam egregie comparato, quotquot eos aspicerent, accendebat: flos Bellicii, probitatis omnis decus, novum agmen ætate et dignitate in primis reverendum, congruentissima serie subsequens alios, quos diximus, Sodales sanctissimi Rosarii et Corporis Christi. Hi omnes antelucente face colluminabant, vel pæne prope ferculum ipsum aderant. Jus tamen vicinioris gradus dederant his alii omnes Ordines, quod honorarii stipatores S. Anthelmo dati viderentur a Deo.

D — *Ex Mss.*

et Confraternitas erigitur, — E

12 Amburbalibus his finitis, Missa solennissime cantata est. Qua expirante, ferculum in ara repositum fuit, super injectitia ornamenta panni concoloris ibi admodum lata, præquam alibi speciosa. Denique Sexta Nonaque diei consequenter decantata, unusquilibet suavissima pietatis suæ mercede cohonestatus, recessit ad propria. *Et Episcopus authenticum de re gesta instrumentum hoc tenore signavit:* In nomine Domini. Amen. Anno salutis MDCXXX, die vero XXVI Junii. Nos Joannes de Passelaigue, Dei et sanctæ Sedis Apostolicæ gratia Bellicensis Episcopus, S. R. I. Princeps, juxta decretum, declarationem, et ordinationem nostram, diei XII mensis et anni præsentium, et in executione ejusdem, ad ecclesiam nostram Cathedralem in Pontificalibus accedentes, assistentibus nobis venerabilibus Decano et Capitulo d. nostræ Cathedralis ecclesiæ, multisque aliis tam regularibus quam secularibus cum maxima populi multitudine; tumulo in quo huc usque S. Anthelmi Bellicensium Episcopi corpus jacuit, jussu nostro aperto, sacras d. Corporis, Pontificalibus induti et ornati Reliquias, inter se pro majori parte adhærentes in eo inventas, ea qua decuit reverentia a nobis recollectas, et in capsam novam reconditas, in sacellum et super altare, ad nomen et memoriam ejusdem S. Anthelmi per nos consecratum, cum solennitatibus in talibus requisitis, ad majorem Dei omnipotentis (qui in Sanctis suis gaudet venerari) gloriam, devote reposuimus et collocavimus. In cujus rei fidem præsentes, propria manu subscriptas, per Mag. Claudium Ribod Notarium regium et publicum, pro Secretario nostro in hac parte assumptum, confici et subsignari, sigillique nostri fecimus affixione muniri. Datum et actum loco, die, et anno præfatis.

conditurque rei gestæ instrumentum

F

Joannes Episcopus Bellicensis.

Ribod Not. Rpro Secretario assumptus.

13

A 13 Quod S. Joannes, nuncupatione Chrysostomus, post fata sua redux ad ecclesiam suam, et in sua Cathedra locatus, acclamantibus sibi populis: Cape sancte Pastor, cape Sedem tuam, respondit; Pax vobis, idem utinam vobis, Bellicenses, post Elevationem suam ipse, qui jam vindicatus a pulvere et putredine calcat colubri caput, S. Anthelmus impertiat; pacem, inquam, temporum et pectorum; et post hujus vitæ decursa stadia, immortale præmium, pro tot congestis ac exaggeratis honoribus, quibus eum coaccumulastis. Potens est Deus restituere Ecclesiæ vestræ quo meretur, centuplum videlicet Evangelicum, et augere incrementa frugum justitiæ vestræ. Et quis potest similiter sic gloriari sibi, Belliciuni? quæ sustulisti mortuum tuum de sorte mortis, de pulvere sepulturæ, in verbo Domini Dei? Hic est ille qui dejecit Regulos ad perniciem, et confregit facile potentiam ipsorum: Qui inscriptus est in judiciis temporum lenire iracundiam Domini, conciliare cor patris ad filium, et restituere tribus vestras. Beati qui eum vidistis, et in amicitia ejus decorati estis. Nos vita vivimus tantum, post mortem autem non erit tale nomen nostrum. Nam ex B divina interminatione, serpenti terram comedenti cibus adhuc sumus, et per omnia momenta de salute suspensi. Quod superest, oratorio more post argumenta, vos testes horum miraculorum vocabo, quæ hic recenseo.

EX MSS. Apostrophe ad Bellicenses.

CAPUT III.

Miracula ad invocationem S. Anthelmi innovata.

Recenset ex multis pauca Franciscus Gennandus Capucinus, et Monyer Canonicus; quæ ex eorum fide refero. Ac primum, quod celebrant, beneficium beneficiorum est, oppidi Bellicensis perpetua sub D. Anthelmi tutela sospitas, et a lue securitas. Patuit id manifeste eo potissimum anno, quo regius exercitus ex Allobrogibus revertebatur. Cum enim in S. Mauritii municipio pestis atrocissima grassaretur, per quod transitus erat, laxatis ordinibus, et plerique omnes amissis sodalibus et calonibus ægri redirent, alii tabe, alii lue certissima tacti; mox ut in agro Bellicensi constiterunt, confestim ægritudine depulsa, ab infirmitate sua respirarunt. Cum cohor- C tes D. Riberacii et Pampadovicii, relicta Casalensi urbe, per Pedemontanam regionem contagioso laborantes morbo transierunt, ut Bellicii metarentur hospitia, ubi et mensibus totis hæserunt; perculit Bellicenses eorum adventus, quia constans rumor præcesserat, eos certissimam invehere pestem, quocumque penetrarent. Itaque cum eos avertere non valerent, ad Sancti tutelaris sui Anthelmi patrocinium confugerunt. Nec frustra: siquidem, Deo et S. Anthelmo miserante, præsidiarii, cives, adeoque milites omnes alii, qui in finibus constituerunt, contagionem evaserunt; nullis omnino, aut certe paucissimis ex tanto numero desideratis. Circa idem tempus Barbara, uxor viri nobilis Georgii Ferrani Toparchæ Cortinii, Consiliarii Regii, mulier erat S. Anthelmo singulariter devota, propter præsentissimam ejus, quam frequenter experta fuerat, opem. Huic filius erat, cui corpus enormiter intumuerat. Cumque malum ingravesceret, vocatus est chirurgus, ut quid de eo sentiret, ediceret. Ille considerata tumoris circumstantia dixit, id quod res erat, ignem sacrum, aut luem certam sibi videri. Verum nihil mota mater, ad S. Anthelmi confugit auxilium, sibi familiaque conciliandum. Interim stylo jubet ulcus aperiri, ex quo mox purulentæ fæces et sudoris grumi tam copiosi, non sine compunctionibus acerrimis, secuti sunt, ut in sinu lugentis et afflictæ matris D animam posuerit. Ad miraculum autem illud referendum est, quod nullus omnino domesticorum, ex ejus contactu vitium valetudinis aut mortis periculum incurrerit.

Urbs a peste servata semel, iterumque et familia Sancto devota.

15 Paupercula ruralis mulier, orta vico Genevrensi, non ita procul ab Abbatia S. Sulpitii dissito, dicta Claudia Morniera, jam inde a quadriennio, ut credebatur, possessa (nec gestus, et in fœda omnia degenerans vultus, aliud de ea enuntiabat) monita est a Bellicensi Præsule, ut ad S. Anthelmi convolaret monumentum. Nec ad hanc vocem obduravit cor suum; sed profecta est, eoque pervenit XXIV Julii. In crastinum rei divinæ interfuit: quam dum peragit Pater quidam Capucinus juxta S. Anthelmi sepulcrum, subito post aliquot agitationes in soporem illa resolvitur: ut autem evigilavit, reperit se quietam, nec ulli deinceps gesticulationi obnoxiam. Quapropter in gratiarum actionem novemdiale jejunium celebravit, et sacellum, in quo S. Anthelmi corpus requiescit, sæpius visitavit. In loco de Regina dicto Georgius Faguet fuit, cui quadriennis erat filia maleficiata, tot convulsionibus obnoxia, ut frequenter pro mortua haberetur. E Sæpe totos quatuor menses elinguis erat, et penitus obmutescebat. Quid faceret illi pater afflictus? Jam in medicos expenderat bonam patrem peculii sui, nec tamen medelam invenerat: itaque vovet eam S. Anthelmo, et triduo post solutum est vinculum linguæ ejus, et in solidum redintegratur sanitas. Ad XVII Augusti venit Bellicium, et pro ea soteria decantata. S. Gregorius Theologus, orator in Cyprianum, loquens de pulvere sancti Martyris, ait: Omnia potest pulvis Cypriani: quod miraculorum occasione dictitabat, quæ ad ejus sepulcrum titulum fiebant. Idem pæne dixero de pulvere S. Anthelmi, qui collectus ad ejus sepulcrum in ipsius Translationis die, colloque tredecennis pueri phrenetici appensus, saluti fuit. Hic insultare merito possem ejus tortori malo genio, verbis ipsius S. Hieronymi; Tu sæpius hoc vilissimo tortus es pulvere. Sed ne longior sim, plura non addo.

Liberantur, energumena, maleficiata, phreneticus,

16 Vir honoratus Antonius de Faxino, a ponte Boni-vicini cognominatus, IV Novembris, MDCXXIX gravi morbo tentatus fuit, quo et afflictatus est assiduo usque ad XXII Junii MDCXXX, cujus vehementia sese intendente penitus visum amisit. Triduo post in apoplexiam labitur, quam convulsiones hor- F rendæ comitabantur, in tantum, ut sinciput in occiput rediret. Sentiens ergo nihil amplius sibi superesse quam funus, inclamavit S. Anthelmum corde, quia voce non poterat. Fida conjux similiter, cernens eum in hac lucta positum, vovit eum S. Anthelmo, pollicita se facem, quæ staturam ejus adæquaret, Sancto oblaturam, si vir vitæ redderetur. Res mira! qui jam funus putabatur, cœpit respirare, et lumina sursum tollere, circumstantes intueri, notas audire et reddere voces. Denique intra dies quatuor tollit grabatum suum, surgit, et ambulat, qui totis octo mensibus in eo volutatus fuerat. Undecimo a convalescentia die venit cum uxore Bellicium, ibique quod debuit exsolvit. Marinus, filius M. Joannis Begginotii Bellicensis, vix vitæ limina contigerat, cum subito catarrho obruitur; quo graviter oppressus, semianimis, frigidus, et rigidus per mediæ spatium horæ relictus est: nec cura, nec curatio proficiebat: quidquid demum in commune pro revelatione ejus consultaretur. Mater, cernens puerum funus mox futurum, devovit illum S. Anthelmo, in cujus etiam honorem Missam addixit et facem. Vix votum emiserat, et ecce catarrhus in momento subsidit, puer ad ubera redit nutricis, salvus et incolumis. Martinus Retiotus

apoplecticus, moribundus; item apoplecticus,

A tiotus, vico Toyensi oriundus, ex parœcia Arbignea, gravissima tactus apoplexia, ut nec apertis quidem oculis adstantes agnosceret, inter graves angustias luctabatur. Hunc gener suus Benedictus Angelierius devovit S. Anthelmo, pollicitus ad aram ejus Sacrificium se oblaturum. Et quidem eo die toto ac nocte consecuta inter summas angustias versatus est, usque ad horam Sacrificii : quando sibi redditus ad officia vitæ rediit, conscientiam expiavit, ac sacra Synaxi se refecit, nec ultra quatriduum ægritudo deinceps illum tenuit.

surda et diarrhæa laborans,

17 Humberta Drivet, filia Ludovici Drivet Sabaudi, undeviginti annos nata, vitio aurium ac diarrhæa vehementissime torquebatur ; in tantum, ut parentes, abjecta spe salutis ejus, præpararent sandapilam, et reliqua ad funus necessaria. Pater tamen, non immemor veterum S. Anthelmi beneficiorum, vovet se Bellicium eam adducturum, si sanitati pristinæ reddatur. Audiit votum Deus et S. Anthelmus ; illicoque quæ obsurduerat, auditum recuperat, ut jam dicere posset ; Auditui meo dedisti gaudium et lætitiam : atque adeo intra paucos dies, perfecte confirmata valetudine, Bellicium venit cum noverca sua Jaquelina Grossi, voti causa.

B *clauda,*

Vir honestus, domi forisque spectatus, Petrus Norbalier Campanus, filiam habebat quadrimam, sed gradiendi facultate destitutam : quod parentes male habebat. Ut ergo vulgatum fuit ad XXVI Junii celebrandam esse Translationem S. Anthelmi, ad eum quidem diem Bellicii non potuit se sistere parens puellæ; sed ad proximum templum Campaniæ perrexit, ubi fidem firmam erigens in Deum et S. Anthelmum, rogavit obnixe pro filiæ sospitate : moxque, ubi sui cordis ardori satisfecit, ad propria remeavit; et quam nusquam et numquam adhuc in pedes erectam viderat, obviam sibi venientem vidit filiam suam.

curantur afflicta tibia,

Reverendus D. Curatus de Haran, excitus fama futuræ Translationis S. Anthelmi, venit Bellicium : et licet esset afflicta tibia, tamen per confertissimam turbam penetravit et pervenit usque ad loculamentum, in quo recenter locatum erat corpus S. Anthelmi. Tanta spes et fiducia fuit impetrandi beneficii, ut etiam proserperet, quo vegetus et valentior alius forte nec attingeret. Itaque ut coram sacro ferculo stetit, tibiam admovit, et subito detumuit : cumque ad latus secessisset, subligari detracto crus suum inspexit, non jam lividum et purulentum ut prius, sed nova cute vestitum.

C *[isch]iadicus,*

18 Claudius Renatus, ex parœcia S. Symphoriani in Delphinatu, ischiade tactu in sinistro femore, tam acerbo dolore cruciabatur, ut parum abesset ab impatientiæ vel desperationis graviori contagione. Vidisses illum subinde per terram volutari in cœno ac sordibus, seipsum cædere, pectus ac latera tundere. Monitus tandem ut mentem ad Deum ac S. Anthelmum levaret, votum vovit thaumaturgo S. Anthelmo : quod implevit. Dum ergo Missam in sacello devotius audit coram sacris Divi Reliquiis, extemplo dolorem se remittere jurat. Nec mora ; plenissima potius sanitate, relictis ibi fulcris pro anathemate, lætus et hilaris ad propria regressus est. Rem ita gestam constat ex instrumento publico, desuper confecto XXII Junii MDCXXXI.

paralysis [d]uorum :

Benedicta filia M. Stephani Moutonii, Commissarii ruralis vici de Bregnez, diœcesis Bellicensis, duodeviginti annos nata, jam biennio paralysi dissoluta fuerat, adeoque membrorum usu destituta, ut illi præter linguam liberum relictum membrum nullum esset. Parentes, qui tenere eam diligebant, propter prudentiam et optimam indolem; nullum intentatum remedium, quo mederentur illi, prætererant : sed fatale ac insuperabile malum nulli cedebat remedio. Delata est Bellicium ad tumulum S. Anthelmi, ubi monita est, ut primo conscientiam expiaret, quod ad actutum præstitit. Novemdialia sua exercitia bis ibidem repetivit, frequentiusque sacra mensa Eucharistica pasta est. Quibus expletis, perfecta sanitas consecuta est. Hoc miraculum ut testatissimum, tota diœcesi Bellicensi celebratum fuit.

D *EX MSS.*

alia 14 annorum

Petro Boysset, ex parœcia Ponciniana, filia fuit quatuordennis paralytica, gradiendi loquendique facultate penitus destituta : quam voto facto commendavit Deo et S. Anthelmo. Vix verba finierat; puella progressa est et locuta : profectaque Bellicium quod promiserat parens, exsolvit. Testes adhibiti sunt Castellanus et Syndici.

muta et mutila,

19 Sub idem tempus venit Bellicium voti rea Geofrida Guinet, ex Delphinatu oriunda, quadrimulam secum adducens filiam, mutam et mutilam. Pro qua cum faceret Sacerdos ad aram S. Anthelmi, et cereum (quem Arnaldus parens Lugduno petierat) obtulisset ; obstupescentibus omnibus surrexit ; et, quod nullus unquam viderat, incessit ; extra limen prodiit, et Deo ac S. Anthelmo lingua soluta gratias egit XVII Maji MDCXXXIII, præsentibus contribulibus Margareta Oberta, Claudina Garrap-prit, Matthæa Guetat, aliisque.

E *fere cæca,*

Claudia, filia viri spectabilis Adami Montey Bellicensis, defluentibus in oculos peccantibus humoribus visum penitus amiserat. Quam cum mater ad S. Anthelmi tumulum adduxisset, confestim visum recepit.

cæcus,

Quidam alius censu pauper, sed fiducia in Deum dives, cujus nomen non proditur, ipsa solenni die Translationis S. Anthelmi similiter visum recepit. Unde tanto cœpit gaudio repleri, ut velut enthusiasmo quodam raptus, per confertissimam turbam discurrens, nullum faceret modum jubilo, plausibus manuum, et enarrationi indepti miraculi.

et cæca,

Antonia Laynat vidua Stephani Boz, oculorum lumine penitus amisso, votum sancto nuncupavit Anthelmo : ad cujus tumulum adducta conscientiam rite expiavit, et Eucharistiam sumpsit; expletisque precationibus regressa est ad propria, cum bona spe sanitatis secuturæ : nec enim credere potuit frustra se quidquam fecisse. Et vero non est fraudata voluntate labiorum suorum : sed dum adhuc in via est, officium visus recepit, et auctius etiam quam prius.

pupillæ dolor.

Perretta Barbara Albergemannica, graviter afflicta in pupilla oculi, novemdialia obivit precum exercitia circa tumulum S. Anthelmi. Quæ priusquam domum esset regressa, perfecte curatam se reperit.

F *Plures sanati a febri varia,*

20 Francisca du Puissat, uxor nobilis viri Marci du Plastre, Toparchæ Veygerii, jam triduo continua febri laborabat. Cum autem ad S. Anthelmi memoriam confugisset, et in ejus ara Sacrificium offerri curasset, non multo post perfecte curata est. M. Laurentius Vianus Actuarius Regius et civis Bellicensis plures jam menses febris æstus malignæ passus fuerat : contra quam undique quæsita remedia nihil profuerant. Suggestum est illi, juberet ad S. Anthelmi tumulum (necdum enim elevatus erat) pro se Sacrificium offerri. Postera die ex instinctu sui consultoris, in ara, quæ proxima tumulo fuit, celebrari jussit. Sed sacrificaturo minister deerat, cujus ipse Vianus vicem supplevit usque ad Elevationis Horam, quando vehementissime cœpit contremiscere, totusque velut a se discedere. Circumspiciens ergo, cum neminem videret, quem sibi substitueret, præter senem quemdam ex primoribus civitatis ; nec eum auderet, ut sibi succederet in ministerio Sacerdotis, interpellare; contra vim morbi luctari debuit, usque ad finem Sacrificii. Mirum dictu ! finito Sacro, finem quoque febris habuit. Ennemunda Coletta, uxor M. Petri Tetemps de Rumilly, febri violenta, calida, pestilente tenebatur, adeoque maligna

A ligna et periculosa, ut quotquot ipsi ministrabant, similiter afflarentur, et cum ea febricitarent, ac periclitarentur. Monita tandem a devoto Patre Capucino, ut se familiamque totam S. Anthelmo devoveret, cujus eo die celebrabatur Translatio : confestim se suosque devovit, et post votum rediit valetudo.

Ex MSS.

21 Joanna Borsier Bellicensis, longis fatigata tertianæ febris accessibus et recessibus ; cum patrocinium S. Anthelmi per pœnitentiæ, precum, et Sacramentorum præviam frequentationem implorasset, (in cujus etiam honorem Missam celebrari curavit) mox a Sacro perfecte convaluit. Sed longe illustrissimum est, quod hic addo. Femina totius provinciæ nobilissima ac notissima, post multorum mensium febris autumnalis æstus quartanos toleratos, Bellicium venit ad memoriam S. Anthelmi : cui postquam vitam ac valetudinem suam unice commendasset, ipso die quo reciprocare solebat æstus, adscendit rhedam, ut ad suos rediret : sed bonus Deus noluit eam ab expectatione sua confundere. Mox igitur ut Bellicio excessit, febris eam quoque reliquit. M. Michael Pellicier, Castellanus Transserranus in Delphinatu; et Gaspar Pellicier B filius ejus, Advocatus in Gratianopolitana Curia Parlamenti ; uterque graviter affligtabatur, hic pleuritide, ille febri ; adeoque periculosus erat status illius, ut conclamata eorum haberetur vita et valetudo, nihilominus prævaluit adversus morbum et mortem imminentem S. Anthelmi patrocinium, cui se voti rei stiterunt Bellicii XXIII Aprilis MDCXXXI. Vir nobilis in Delphinatu, totis mensibus novem, febrim quartanam prece et pretio depellere conatus, nihil profecerat. Itaque S. Anthelmo supplex factus, vovit se Bellicium voti causa profecturum. Liberatus est, sed fefellit : rediit febris, sed restaurato voto, perfecta curatio secuta est. Joannina Grenier, Bellicensis, novem hebdomadibus autumnali quartana febre laborarat. Varia, sed frustra, remedia tentaverat : ad extremum S. Anthelmi supplex ambit patrocinium, et ut certiorem ejus opem sibi conciliaret, in ejus sacello, sui cordis æstum, et in seipsa effudit animam suam ; cum tanto fidei et caritatis ardore, ut mox, quod maxime optabat, impetrarit.

item alii.

22 Nisi brevitatis studium cogat finem imponere, poteram plures paginas farcire nudis nominibus eorum, qui ope S. Anthelmi curati sunt : pauca tamen summatim adhuc hic attigisse satis erit. Stephana Savigni Lugdunensis, a febribus liberata. C Philibertus de Boursier de Rothenad, similiter quartana liber. Laurentius Migieu, et Claudius du Rochatz, a Medicis conclamati, ad vitam retracti. Anonymus, judicio medici leprosus judicatus, curatur. M. Franciscus Reydelet Advocatus, et Laurentius Migieu testes sunt, lagenam, vino ad Sacrificia necessario repletam fuisse, interveniente miraculo, Junii XXVIII MDCXXXI. Soror Claudia des Anges Monialis, colica passione mirabiliter liberata. Claudia de Bouvent e mortis faucibus eripitur. Amatus de Migieu hydropicus, conclamatus revalescit. Antonius Perrier a gravi incommodo corporis ereptus. Henricus Poncinus a ventris passione curatus. Anonyma mulier nobilis, epileptica sanata. Petrus Videt fluctibus eripitur ope S. Anthelmi. Franciscus d'Hyeres pæne suffocatus, sine noxa respirat. Adriana Violet, ex præcipitio sine læsione placide cadit. Denique plures in utero matris extincti, beneficio S. Anthelmi ad aquas salutis adducti, aliique innumerabiles ejus opem sunt experti.

Alia miracula.

APPENDIX D

De reciprocis inter Episcopum et Ordinis Generalem officiis, ex Guichenono.

Quia B. Anthelmus erat de Ordine Cartusiensi, Generalis Cartusiæ, in tanti honoris, quem Ordo ex translatione corporis B. Anthelmi receperat, memoriam, litteras gratulatorias, et orationum exercitiorumque omnium spiritualium participationem continentes, ad Joannem misit, quas hic subnectere, cum responsoriis ejus litteris, non indignum censui, *inquit in sua Chronologica serie Guichenonus, quem hic libenter imitabor. Prima sic procedit.*

Generalis Ordinis,

24 Frater Justus. Prior Cartusiæ, ac totius Ordinis Cartusiensis Minister generalis, Illustrissimo ac Reverendissimo in Christo Domino, Domino Joanni de Passelaigue, Episcopo ac Domino Bellicensi, S. R. I. Principi, salutem in Christo Jesu, qui est Salus et Amen. Ecce, Illustrissime Domine, res quasi mira nobis visa est, quod quem Deus elegit inter viventes Pontificem, offerre sacrificium sibi, placare, benedicere, et orare, pro populo ; ipse E tamen a nobis, licet indignis, et inter Levitas humilioribus, etiam orationum nostrarum benedictionem et suffragia deposcere non sis dedignatus ; Cum, ut ait Apostolus, sine ulla contradictione, quod minus est, a meliore benedicitur. At vestram in hoc fatemur et miramur humilitatis virtutem, quæ prudenti et pia meditatione considerans ex verbis ejusdem Apostoli, legem omnes constituisse Sacerdotes infirmitatem habentes, ac propterea necessitatem quotidie prius pro suis delictis hostias offerre deinde pro populi ; inde etiam a ceteris fidelibus Christianis quamdam mutuari devotionem, ac propitiationis apud Deum auxilium non aspernatur ; ut sic Pastores populum, invicemque populus Pastores, tamquam caput et membra, mutuis sese Christianorum operum et orationum juvent auxiliis. Sed et in hoc quoque vestram veneramur, et cum multo honore suscipimus erga nos benevolentiam, simulque pietatem, quibus Ordinem nostrum proniori affectu complectimini. Nec forte immerito, qui talem Pontificiam Sedem nunc juste occupatis, in qua septem Præsules Ordinis nostri professos digne olim sedisse sancteque rexisse, eidem Ordini nostro gloriosum est. Quos inter præcipuos commemorare F licet magnum illud, et monasticæ perfectionis et Ecclesiæ lumen, B. Anthelmum ; cujus nuper sanctissimum corpus, communi sepulcro diu reconditum, tandem exerere et attollere, altiusque in sanctiori loco super unum Altare collocare, toto spectante Clero vestro ; et abhinc quotidie summo cum honore ac devotione sanctum olim Antistitem suum venerante, a Deo meruistis.

suas suorumque preces petenti Episcopo

Hebr. 7, 7

et 7, 27.

25 His igitur justis rationibus permoti, ut locuples inde firmumque grati nostri atque humillimi erga Illustrissimam Dominationem vestram affectus, in quantum pro conditione possumus, testimonium reddere conemur ; præsentium tenore, Illustrissimæ Dominationi vestræ, pro suo desiderio, imo et jussu, plenam omnium orationum nostrarum atque spiritualium exercitiorum participationem impertimur. Cur insuper, ut ejusdem memoria apud posteros nostros æterna perduret, addimus et concedimus Anniversarium perpetuum, ad formam Ordinis in Calendariis domorum nostrarum, sub die obitus (quem felicem, et adinstar Sanctorum, Deus optimus efficiat) describendum. Interim elevatis in cœlum manibus cordeque expanso, Deum ipsum obsecramur, ut piis Dominationis vestræ votis ac desideriis in omnibus favere, masculumque animum, ad æmulationem virtutum

communionem bonorum operum addit

cum Anniversario.

A virtutum et sanctitatis beatorum Pontificum antecessorum vestrorum, jugiter addere dignetur; ut cum Pontifex ille magnus, qui penetravit cœlos, Jesus Filius Dei apparuerit, pro Pastorali cura et solicitudine vestra rite perfuncta, det ipse ingredi in requiem suam, et requiescas a laboribus tuis; ibique induaris ab ipso stola gloriæ, et coroneris in vasis virtutis, corona aurea supra mitram tuam, expressa signo sanctitatis et gloria honoris. Datum Cartusiæ 12 Januarii, millesimo sexcentesimo trigesimo tertio. Sigillentur. Frater Justus, Prior Cartusiæ. *Quibus Episcopus sic respondit.*

quod Episcopus grataner accepta,

26 Joannes, Dei et sanctæ Sedis Apostolicæ gratia, Episcopus Bellicensis; Admodum Reverendo Patri in Christo, Domino Justo Perrot, Priori Cartusiæ, totius sui Ordinis Generali Præposito, salutem et ab auctore bonorum omnium totius gratiæ et benedictionis plenitudinem. Benedictus Deus, qui non amovit orationem meam et misericordiam suam a me, sed replevit in bonis desiderium meum. Maximam namque erga beatissimum Præsulem Anthelmum pietatem, et erga ejus indignissimum successorem vestri animi affectum, ex vestris elegantiæ singularis litteris conspexi, quibus non solum plenam B omnium orationum vestrarum atque spiritualium exercitiorum participationem, verum etiam anniversarium perpetuum addentes, ad formam sacri Ordinis in Calendariis domorum vestrarum, sub die obitus mei (quem felicem, et adinstar Sanctorum Deus efficiat, describendum, nimia caritate concessistis. Longe mihi hæc verba dulciora super mel et favum; hæc recordatus sum, et effudi in me animam meam. Benedictus sanctus Angelus vester, qui pio pectori vestro suggessit; Benedictus Deus noster, qui persuasit. Utinam sicut præsentem epistolam, ita refectus de abundantia suavitatis pectoris vestri, mentem meam vobis mittere possem! Sine dubio tunc clarissime legeretis, quid in corde meo, de amore vestri, digitus Dei scripserit, quid meis D impresserit medullis.

EX MS.

suumque affectum Ordini offert.

27 Non sane verbo, neque lingua, (Deus scit) sed veritate et opere, si res tulisset, semper dilexi, colui, et veneratus sum vestram Reverentiam, sanctosque viros sub vestro regimine omnipotenti Deo in spiritu et veritate servientes; feci huc usque, facio adhuc, faciam quamdiu fuerit spiritus in naribus meis. Proinde amplector in funiculis Adæ, in vinculis caritatis, universum Ordinem vestrum integerrimum, adeoque sanctissimum, singulosque Patres veneror tamquam Angelos Dei; ut quibus is, quem inviti colimus, mundus dignus non sit; ideo remoti a curis hujus seculi, expeditiores in solitudinibus erratis. Sed non ita vobis singularis est solitudo, ut sæpe animo vobiscum agere mihi non liceat; neque adeo cœlis propinquiores infimum hunc orbem despicitis, ut non identidem vestra subsidia ad nos transmittantur. Mortui quidem estis mundo, verum neque illud ignoraverim, vitam vestram absconditam esse cum Christo in Deo; quandoquidem ab illo per vos, uti frequenter per Beatissimum vestrum (nostrum etiam dixero) Anthelmum, qui terræ mortuus cœlo vivit, singularia beneficia E in nos derivantur. Igitur non immerito accidet, si in vobis plures Anthelmos observavero; et quem unum hic in sarcophago clarissimo deosculamur, multiplicem in solitudinis vestræ tumulo reconditum intelligamus. Superest, ut consepulti cum Christo, quem hisce diebus patientem et vobiscum morientem spectamus; cum ille apparuerit, qui est vita vestra, simul appareatis cum ipso in gloria; repositamque coronam justitiæ accipiatis, quam reddet vobis in illa die justus Judex. Datum Bellicii, die Mercurii hebdomadæ sanctæ, vigesima tertia mensis Martii, anno Domini millesimo sexcentesimo trigesimo tertio.

DE SANCTO DIONYSIO

BULGARORUM ARCHIEPISCOPO,

D. P.

PROPE KIOVIAM IN RUSSIA SEPULTO.

C

F

Ev Synaxario Slavo-russico.

AN. MCLXXX

Floruit is sub Manuele Imp. Orthodoxo,

Fidem *Christianam fuisse, sub exitum seculi decimi, a Græcis Doctoribus Constantinopoli submissis plantatam in Russia, docui in Præfatione ad Ephemerides Græcomoscas, ante primum tomum Maji num.* 12 *: et quia Græci tunc cum Ecclesia Romana optime conjuncti fuerint, censui non tam cito ac putant aliqui, eamdem fidem fuisse superinductis cum schismate erroribus obfuscatam. Quia autem gens rudis erat, oportuit identidem eam in suscepta religione confirmari per Apostolicos viros, indidem submissos, unde et Metropolitis suis solebat accipere confirmationem. In his fuit seculo* XII *sanctus hic* Dionysius, *quem Synaxarium an.* MDCLXXIX, *a Barone de Sparwenfelt inde nobis allatum atque Latine redditum, post* S. P. N. Davidis Thessalonicensis nomen sic proponit : Item S. Dionysii Archiepiscopi Suchedalici, qui in urbe Nisi-Novogrod ædificavit monasterium Peischericum, et Kioviæ obiit, in catacumbis subterraneis conditus, anno MCLXXX sub Manuele.

... orthodoxus etiam ipse,

2 *Regnavit Imperator Constantinopolitanus* Manuel, *sive* Emmanuel Comnenus, *ab anno* MCXXXV *usque ad Octobrim anni* LXXX, *Romanæ Ecclesiæ unioni constanter inhærens, Romanisque Pontificibus multum et officiose utens; laudatur quoque egregia tum virtus, tum fides eorum, quos primos ultimosque habuit Patriarcharum. Michaelis scilicet Oxitæ, Cosmæ Æginetæ, et Theodosii; quorum primus præ desiderio dilectæ solitudinis, a qua abstractus fuerat, dignitate cessit; secundus etiam spiritu prophetiæ donatus, Contostephano, manum contra se elevanti, mortem prædixit, et Imperatrici defectum prolis masculæ, uti apud Nicetam Choniatem est legere; tertius cum sese Imperatori, in Theologia quidpiam innovare volenti, constanter opponeret;* minabatur *Imperator,* quod communicata sententia cum Papa Romæ veteris, coactaque synodo majore, eam rem quæstionemque curaret considerandam ac decidendam. *Hoc autem eo facit, ut intelligatur, quanti pars utraque disceptantium faceret Romani Pontificis auctoritatem, sine cujus assensu non crederent posse cogi Oecumenicam Synodum.*

sicut et Patriarchæ CP. ejus coævi :

et Bulgari, quorum Archiepiscopus fuisse probatur.

3 *Quod autem* Dionysius *fuerit* Bulgarorum Archiepiscopus, *adeoque non nisi Evangelii causa in Russiam transierit, ex ipso* Archiepiscopi Suchdalacensis *titulo colligo : nam neque* Archiepiscopos *ullos*

Russia

A AUCTORE D. P. *Russia habet, præter suum Metropolitam; neque civitatem, cui* Suchsdala *nomen sit. Nicetas autem Curopalates, in suo de Officiis opere, post expositionem Andronici Palæologi, qui anno* MCCLXXXIII *imperare cœpit, de Ordine Metropoleon, subjectarum Throno Patriarchæ Constantinopolitani, transiens ad eos, qui postea ex Archiepiscopis et Episcopis Metropolitæ facti sunt:* Sugdæa, *inquit, et* Phullæ duo erant Archiepiscopatus; adunatæ autem factæ sunt una Metropolis, ideoque Sugdææ et Phullarum dicitur. *Huc autem proxime accedit nomen* Sugda *vel* Sugdala, *et hæc Archiepiscopalis civitas erat diu ante tempora Andronici. Ast, inquies, quomodo ea probabitur fuisse in* Bulgaria? *Ita asserit Michael Antonius Baudrand in sua Geographia: sed auctorem unde id hauserit adhuc requiro: verum tamen dicere ex eo conjecto, quod in antiquis Notitiis Provinciarum, in Geographia sacra Caroli a S. Paulo productis, nusquam compareat* Bulgaria; *adeoque nec ejus Episcopi Archiepiscopique, quorum proinde Sedes mirum non est ibi haud reperiri, quales fuerint tum* Sugdæa *et* Phullæ, *tum aliæ apud Curopalatem. De Kijoviensibus catacumbis, ex Guilielmi Vassorii relatu, egi* 11 *Junii, ubi de S. Joanne Martyre Bialogrodi agens, occasionem sumpsi describendi monasterii Pieczarensis, ad quod illæ proprie spectant,* dimidio intra Kijoviam milliario. *Causam ex qua is ibi sepultus sit, non possumus honestiorem divinare, quam zelum stabiliendæ apud Moschos religionis, adhuc recentis; quem cum magna vitæ sanctitate conjunctum miraculis multis ornaverit Deus, itaque reddiderit venerabilem Moschis, etiam post mortem et sepulturam.* D Fidei causam in Russiam profectus.

DIES

DIES VIGESIMA SEPTIMA JUNII

SANCTI QUI V KALENDAS JULII COLUNTUR

Sanctus Crescens, discipulus S. Pauli Apostoli, Martyr in Galatia.

S. Felix,
S. Spinella, } Martyres Romæ.

SS. vii Germani,

S. Crescens,
S. Julianus,
S. Nemesius,
S. Fratria,
S. Primitivus,
S. Justinus,
S. Satthæus,
S. Novatianus,
S. Clemens,
S. Marcellinus,
S. Zeddinus,
S. Felix,
S. Venustus seu Hinnusticus,
S. Zoilus,
S. Marcellus,
S. Italica, } Martyres, Cordubæ in Hispania.

S. Lellus,
S. Capito,
S. Tinnus,
S. Timaraus seu Tuscus,
S. Silvanus, } Martyres, Cordubæ in Hispania.

S. Anectus Martyr, Cæsareæ in Cappadocia.

S. Crispus vel Crispinus Presb.
S. Crispinianus Clericus,
S. Benedicta Virgo, } Martyres Romæ.

S. Deodatus, Episcopus Nolanus, in Campania.

S. Sampson, Presbyter, pauperum exceptor, Constantinopoli.

S. Majorinus, Episcopus, Aquis in Liguria.

S. Lucas Eremita, apud Græcos.

S. Arialdus, Diaconus,
S. Herlembaldus Miles, } Martyres Mediolani in Insubria.

S. Ladislaus, Rex Hungariæ, Varadini.

S. Benvenutus Eugubinus, Corneti in Apulia Ordinis Minorum.

S. Ferdinandus Aragonius, Episcopus Calatinus in Campania Italiæ.

PRÆTERMISSI ET AD ALIOS DIES REJECTI

Opera Rev. Godefridi Henschenii p. m. nisi aliud indicent litteræ in margine appositæ.

D. P. Sanctus Cyrillus Episcopus Alexandrinus *hodie commemoratur in Hagiologio metrico Habessinorum : festum ejus apud Latinos agitur* xxviii Januarii.

S. Joannes Presbyter in agro Turonico, *inscriptus est Martyrologio Romano, et aliis Fastis, cujus elogium cum ex Gregorio Turonensi de Gloria Confessorum præparassem, reperi eumdem esse, cujus aliqua Acta sub nomine* S. Joannis Monasteriensis *dedimus* v Maji.

D. P. S. Agatho, Episcopus Liparitanus, Martyr *apud Leontinos sub Decio, refertur a Ferrario et Cajetano, ut qui hoc die in Sicilia colatur, ex Actis sanctorum Alphii, Philadelphi et Cyrini num.* 74 *et* 89. *Quibus, an et quatenus adhibenda fides sit, vide* x Maji.

S. Godricus Eremita, Archiepiscopus S. Andreæ. De eo vide Matthæum Paris in Richardo secundo, Westmonasteriensem et alios. *Ita audaci suo calamo Camerarius in Menologio Scotico. Agit de eo Matthæus Paris ad* annum 1170 in Henrico secundo, *non Richardo secundo, qui ducentis annis serius regnavit. Secundo idem Parisius ista scribit :* Sanctum Andream in Scotia orationis gratia devotus petivit, nec minori devotione ductus Romam perrexit. *Hæc Camerario sufficiebant, ut eum Archiepiscopum* S. Andreæ *crearet, quidni et* Pontificem Romanum *ordinavit ? Tertio Parisius asserit*, Godricum obiisse xii Kalendas Junii, in Octavis scilicet Dominicæ Ascensionis. *Qua ergo ratione transtulit ad* v Kalendas Julii, *an tum etiam in ejus cerebro celebrata Octava Ascensionis ? Dedimu Vitam* S. Godrici *auctore Galfrido Monacho coævo accurate scriptam* xxi Maji.

S. Joanna Unguentifera *refertur in Synaxario Divionensi, tamquam hodie mortua* in pace, ejusque nunc assistens throno, cujus olim sepulcro adstitit. *Est* uxor Chuzæ, *de qua egimus* xxiv Maji. D. P.

Morandus Abbas *profertur in scripto Kalendario Benedictino. Est is Monachus Cluniacensis, pluribus illustratus* iii Junii.

S. Adeleida Vidua, *Bergomi hoc die colitur. De ipsa simul et de ejus marito* S. Lupo, *egimus* ix Junii.

S. Adelinus, *discipulus* S. *Landelini, cum eo Crispinii quiescit et colitur. Memoratur in MSS. Leodiensibus S. Lamberti et S. Laurentii, et a Molano, Galesinio, Miræo, Saussayo et aliis. De eo egimus, ad Vitam S. Landelini,* xv Junii. D. P.

S. Simplicius, Episcopus Augustoduni, *indicatur in MS. Florario. Acta illustravimus* xxiv Junii.

S. Prosperi, Episcopi Regiensis, *Officium* sub ritu duplici secundæ classis cum Octava *recitandum, in Officiis propriis Ecclesiæ Regiensis seu Rejensis, præscribitur a Ludovico Donio d'Atticby Episcopo Regiens in Gallia, Lectionibus desumptis ab Ecclesia Regiensi in Italia, uti docuimus ad diem, quando is colitur,* xxv Junii.

Zoilus, Presbyter Aquileiensis, *qui corpus S. Chrysogoni Martyris sepelivit ; occasione Sancti cognominis, Cordubæ passi, refertur in Martyrologio Germanico Canisii.* D. P.

Costus Martyr *in MS. Florario,* Sostus *in Kalendario quodam, nobis ignotus, forsan aliter scribendus, et ad aliam diem referendus.*

Agapius,

D. P. Agapius, Episcopus Cordubæ, *cui S. Zoili M. corpus revelatum fuit, refertur a Constantino Ghinio in Natalibus SS. Canonicorum. At neque Roa neque Tamayus Sanctum faciunt*

D. I. Maria Ascetria, *in Fastis Æthiopicis, a Jobo Ludolfo collectis, notatur ex Hagiologio gentis metrico; quod ipse nobis Latine redditum misit; ubi illa laudatur ab afflictionum tolerantia, quæ cum velum texuisset libris sacris contegendis,* Data mihi fuit, *inquit,* quemadmodum optaveram, nubes lucida ex curru : *quæ Œdipo indigent, donec Acta appareant.*

D. P. Christianus, *ibidem ex eodem metrico relatus, in hoc laudatur, quod cum recessisset ab hæreticorum quorumdam fide, eosque in officio constitutos,* Jonacdisio *cuidam (Episcopo, vel Abbati, non divino) indicasset, meruit in somnis videre Angelum sanitatis custodem, cui nomen Raphael, et Jonacdisio prædicto succedere.*

Egebricus, Episcopus Dunelmensis, exul, Londini in Westmonasterio cum opinione sanctitatis vixit : cujus tumulus nec votis, nec frequentia petitorum caret. *Quæ aliaque habet Malmersburiensis lib.* 3 *de Pontificibus Anglorum, § de Episcopis Dunelmensibus. Hunc Menardus, ut* Sanctum *inscripsit suo Martyrologio Benedictino.*

Rodophus Abbas de Cantavos in Hispania, Ordinis Cisterciensis, *ut* Beatus *proponitur ab Henriquez, sed absque tali titulo a Chalemoto.*

D. P. D. Menendus hujus monasterii Prior *(S. Salvatoris de Ribas Canonicorum Regularium in Lusitania)* qui numquam dum vixit pedem movit, nisi in obsequium Dei, obiit XXVII Junii, Æra MCXCVIII ; *id est an. Chr.* 1160. *Ita Epitaphium, tumbæ elatiori insculptum : quam cum loci Commendator anno* 1565 *aperiri fecisset, reliquo corpore resoluto, inventa sunt crura et pedes incorrupta, cum suavi odore. Ita Cardosus in Hagiologio, ex Pennotti historia Canon. Reg. L.* 2 *cap.* 61 *num.* 3 *et miraculosas curationes secutas asserit ; libenter intelligam, an cultus aliquis etiamnum perseveret.*

D. P. Joannes de Hecque, *in Dommartinensi Ord. Præmonstraten. cœnobio juxta Hesdinium ab hæreticis occisus, ut* Beatus *refertur in Natalibus Chrysostomi vander Sterre.*

Daniel, ex Canonico Coloniensi Monachus et Prior Hemmenrodensis et Abbas Schonaugiensis, Ordinis Cisterciensis, *ut* Beatus *indicatur ab Henriquez et Chalemoto, ut* Venerabilis *a Gelenio. In Catalogo, Divione excuso, dies hic vacat.*

Anselmus Ordinis Prædicatorum, ab Innocentio IV Papa cum aliis missus ad convertendos Tartaros : qui cum non contemnendam operam fecisset in Tartaris docendis ; in intima Persidis penetrans, multis pro Christo perlatis cruciatibus, vitam cum sanguine profudit. *Ita Bzovius ad annum* 1245 *num.* 13, *et refertur hoc die in Anno sancto dicti Ordinis.*

D. P. Elizæus Petri, *Prior Carmeli Antiocheni, quem incendium cœnobii deprecantem gladio suo mactarit Saladinus anno* 1268, *refertur in Acie bene ordinata Ordinis Carmelitarum : et in Notis ad ipsam ab Auctore MSS. allegatur quoddam Kalendarium pro justificando titulo* Beati, *sed ignotum collectoribus Novi-speculi.*

Blasius Aquitanus in Aprutio, anno 1440 }
Cherubinus Torniellus in Insubria, an. 1442 } Ordinis
Sanctia Martinez in Hispania, anno 1440 }
S. Francisci, *ut* Beati *ob illustres virtutes relati ab Arturo.*

P. D. Piæ memoriæ celebratio et festivitas de classe Turcarum, Barbarossa Duce, miraculose disjecta, inter Amalphim et Salernum, *anno* 1544, *a feriato populo agenda præcipitur inter Officia propria festorum Salernitanæ Ecclesiæ, anno* 1594 *cum propriis Antiphonis, Hymnis et Lectionibus, approbante Archiepiscopo Mario Bolognino, excusa.*

Golveneus, Leonensis Episcopus in Aremoricis, *inscriptus est Menologio Scotico Dempsteri, supra* 24 *hujus, et iterum hoc die : at colitur* I Julii.

Visitationis B. Mariæ festum, Parisiis olim peractum, *indicatur in Auctario Molani ad Usuardum primæ editionis : a Canisio etiam et Colvenerio in Kalendario B. Mariæ. Jam agitur* II Julii.

S. Symphorosa, }
S. Crescens, }
S. Julianus, }
S. Nemesius, }
S. Primitivus, }
S. Stacteus, }
S. Eugenius, }
Mater et filii, Martyres Tibure, *memorantur ab Usuardo, Adone, Notkero et aliis. Verum in antiquis S. Hieronymi Martyrologiis, et aliis, ipsoque Romano* XVIII Julii.

D. P. S. Guddene, Virgo Martyr Carthagine, *relata in MSS. S. Maximini Trevirensi, S. Gudulæ Bruxellensi, et Florario Sanctorum. Et aliis* Gundene, *et colitur* XVIII Julii.

S. Maximianus, }
S. Malchus, }
S. Martianus, seu Martinianus, }
S. Dionysius, }
S. Joannes, }
S. Serapicus, }
S. Constantinus, }
Septem dormientes Ephesi, *referuntur a Rabano, Notkero, Beda supposititio, et in nonnullis Breviariis et Fastis MSS. atque* Maximianus *a Saussayo. Verum in Martyrologio Romano et aliis* XXVII Julii.

D. P. S. Poma, Virgo Catalauni, soror S. Memmii Episcopi, *indicatur a Molano in Auctario et hunc secuto Ferrario, item a Saussayo in Martyrologio Gallicano. De annuo ejus cultu certos nos fecit D. de Gyves ad S. Memmii Canonicus Regularis et S. Theologiæ Professor, anno* 1670 *scribens, habere se illius Vitam, sed cum ipso forsitan mortuo, necdum sit allata et sæpius frustra postulata, Saussayus autem ipsam referat iterum cum S. Memmio ; commodius simul de utroque agetur,* V Augusti.

S. Florentii Confessoris translatio, in insula *Oceani Aquitanici, adjuncta insulæ majori Retæ, indicatur in MSS. Barberiniano, in Vallicellano, et variis sub nomine Usuardi, atque in Additamentis ad MS. Corbeiense, Lucense et Blumianum Martyrologii Hieronymiani : item in Auctario Greveni et Molani ad Usuardum, et aliis.* In Oia monasterio, *legunt MSS. Centulense et Leodiense S. Laurentii ; et* Florentium Abbatem *faciunt Wion, Dorganius, Menardus, Bucelinus cum Saussayo, putantque depositionem cadere in* XXII *Septembris, quo die Philippus Labbe in Hagiologio Franco Galliæ celebrat* S. Florentium Presbyterum in agro Pictavensi. *Hæc latius deduximus, si possit his tenebris lux affundi aut aliqua Vita erui : sin autem, poterit novum examen institui dicto* XXII Septembris.

D. P. Recollectio ossium S. Wenceslai *celebratur in Breviario Pragensi, impresso Venetiis anno* 1515, *uti et in Missali, ibidem edito anno* 1507 : *sed in Proprio Sanctorum Bohemiæ, anno* 1653, *jussu* Eminentissimi Principis Ernesti Cardinalis ab Harrach, Archiepiscopi Pragensis, *typis dato Pragæ, memoria* Recollectionis *istius prætermissa est. Nos de* S. Wenceslao *agemus cum Martyrologio Romano* XXVIII Septembris.

D. P. Cherubim et Seraphim *hodie invocantur in Hagiologio Habessinorum, cujus notitiæ usus esse poterit ad festum* S. Michaelis, XXIX Septembris.

S. Livini Martyris elevatio, et translatio secunda corporis ipsius, in Gandavo ; *celebratur a Molano et aliis recentioribus : a Saussayo adjungitur et S. Briccius. Eorum natalis est* XII Novembris.

S. Nicolai Episcopi nativitas *recolitur in MS. Bruxellensi*

A *lensi S. Gudilæ et nonnullis aliis, repetenda ad diem depositionis* VI Decembris.

SS. Fusciani, Victorici, et Gentiani Martyrum, inventio corporum *describitur a Rabano, Notkero, et in nonnullis MSS. Dies natalis eorum est* XI Decembris. D

Nov. 12

DE S. CRESCENTE

DISCIPULO S. PAULI APOSTOLI

SYLLOGE HISTORICA.

De ejus apud Græcos et Latinos cultu, assertoque ad Viennenses et Moguntinos Apostolatu.

D. P

CIRCA AN. C.

Secundam ad Timotheum epistolam creditur Romæ scripsisse S. Paulus, haud diu post suum illuc adventum, quem Henschenius ad annum primi seculi LVI *refert. In hac illum edocet de statu suorum discipulorum quorumdam, cum in sua peregrinatione comitatorum; et,* Demas, *inquit,* abiit Thessalonicam, Crescens in Galatiam, Titus in Dalmatiam, Lucas est mecum solus. *Hæc una et certissima est illius notitia, quam in sacris habemus Litteris, et in hoc satis solide fundatur cultus, quem ei Græci ad* B XXX *Julii, Latini ad hunc* XXVII *Junii deferunt. Ulteriorem ejus notitiam non videntur habuisse Græci, nisi ex Dorothei Synopsi, in qua dicitur* Chalcedonis *fuisse* Episcopus, *cujus rei fides, quam perexiguam suppositiitius ille habet, penes ipsum sit. Hinc tamen fieri potuit, ut vicinissima trans fretum Constantinopolitana Ecclesia, cum SS. Silvano ac Syla, Andronico* et Epenæto, *æque Pauli discipulis, colendum eum assumeret, Officio per S. Josephum Hymnographum composito: in cujus Canone, Ode* VI. *Strophe* VI *sic canitur:* Νευρώσας σου χριστὸς τὸν λογισμὸν Κρίσκε χρίσματι τῆς ἀγαλλιάσεως, Χαλκήδωνος Ἀρχιποίμενα, ὡς τούτου μαθητὴν, εὐσεβῶς ἀπέδειξε, πλανωμένοις τὴν τρίβον δεικνύοντα. Mentem tuam confirmans Christus, o Crescens, unctione exultationis, te velut discipulum suum Chalcedonis Archipræsulem declaravit, errantibus viam demonstrare aptum. *De ejus istic obitu aut Reliquiis nihil porro Græci. Sed neque constanter* Chalcedonem *nominant: nam Catalogus, Hyppoliti Mart. nomen præferens in MS. Vaticano, facit* Crescentem Episcopum Κάρχης ἐν Γαλλίαις; *Dorotheus vero Ducalis Bibliothecæ Monachii* Χαλκίδος τῆς ἐν Γαλλίᾳ Episcopum Crescentem *facit; in Gal-* C *liis autem nulla vel* Carche *vel* Chalcis *est; neque vel ipsæ, vel etiam* Chalcedon *in Galatia; sed hæc in Bythinia, ista in Eubæa et Ætolia; ut de Syria taceam, tres enim* Chalcides *inveniuntur.*

In Dorothei Synopsi dicitur Episcopus Chalcedonis,

et a Græcis colitur cum aliis 30 Julii,

a quibus etiam Galliæ adscribitur.

2 *Ado Viennensis Episcopus,* Apud Galatiam *inquit,* B. Crescens, Discipulus S. Pauli Apostoli, qui in Gallias transitum faciens, verbo prædicationis multos ad Christum convertit; [et Viennæ, Galliarum civitate, per aliquot annos sedit; ibique Zachariam discipulum pro se Episcopum ordinavit]: rediens vero ad gentem, cui specialiter fuerat Episcopus datus, Galatas, usque ad beatum finem suum, in opere Domini confortavit. *Desunt verba [] inclusa MS. Lobiensi; et absque illis cetera omnia verbatim transcripsit Usuardus, solitus Adonem contrahere, corrigere, et novis Sanctis augere; uti manifestius nobis patuit, eum ex suggestione Claudii Castellani recognoscentibus; cum antea, nihil alterum scivisse de altero, ideoque eodem fonte ambos usos esse censeremus. Adonis tamen vere esse verba illa apparet; nam et in Chronico dicit, quod Paulus, ex libera sua Romæ custodia, ubi biennio manserat, ad prædicandum dimissus,* necdum Nerone in tantam persecutionem erumpente, quantam de eo narrant Historiæ, creditur ad Hispanias pervenisse; et Arelate Trophimum, Viennæ Crescentem, discipulos suos ad prædicandum reliquisse.

In hæc eum sibi Viennenses arrogant,

3 *Habemus ex Viennensi MS. his de rebus Sermonem in natali ipsius recitandum, ubi dicitur, quod* ingressus ejus atque adventus IV Kal. Januarii, quod est hodie, celebratur. Martyrium vero V Kal. Julii. *Tum recitatis verbis Adonis de S. Paulo, Crescentem Viennæ relinquente; addit Auctor:* Hujus Vasis Electionis Reliquias per Joannem Papam recipere meruit Ecclesia nostra, sicut Epistola ejus subterscripta demonstrat. Joannes Episcopus Eoaldo Viennensi Episcopo. De officiis Missarum, de quibus in litteris vestris requisivisti, sciat Caritas vestra, quia varie apud diversas Ecclesias fiunt. Aliter Alexandrina Ecclesia, aliter Hierosolomitana, aliter Romana facit: cujus tenores et instituta debet servare Ecclesia sua, quæ fundamentum sancti habitus ab illa sumpsit. Venerandi Pallii usum per sanctum B. Petri Presbyterum nostrum Felicem tibi destinavimus, nolentes te privari antiquo B. Petri munere: simul mittentes de Capillis S. Pauli, ut esset Ecclesiæ vestræ illius intercessione solatium, per cujus discipulum suscepit primum religionis honorem. Et alia manu. Lectio Apostolorum vos ab imbre malignorum custodiat. Sed et Papa Constantinus (*Joannis, mediante Sisinnio dierum* XX *Pontifice, successor usque ad an.* DCCXXV) eidem Eoaldo Viennensi Archiepiscopo. Reliquias Sanctorum, Ecclesiæ tuæ, sicut rogasti, per Archidiaconum tuum destinavi, de spongia Domini, de vestimentis Domini, de vinculis Apostolorum, de sartagine ærea Machabæorum, de Cineribus S. Joannis Baptistæ. Quæ omnia capsella argentea clausimus, et sub signaculo Sanctitati tuæ commisimus. Rogamus ut eo studio venerentur, quo de munere Petri ad Sanctitatem tuam transmissa esse noscuntur. Et alia manu. Jesus Christus te, Frater, sanctificando custodiat.

E *assentiente Joanne PP. VII,*

ab eodem et Constantino Papa Reliquiis donati.

F

4 *Utramque Epistolam, quia alibi non invenitur, hic addere placuit, in gratiam illius Ecclesiæ, quæ* Crescentis *apud se Apostolatum Pontificio isto testimonio confirmare gaudet, nec tamen eum in Galatiam Asiæ provinciam redisse negat; uti nec hodiernum Romanum, suprapositis Usuardi verbis, nescio unde acceptis, concludens,* Demum sub Trajano Martyrium consummavit. *Hoc additamento citato, refert* Crescentem *Baronius ad annum Trajani* XIX, *qui nobis est Christi* CXVI: *de quo nolim absque auctore disputare. Moguntini apud Serarium ex Gallia ad se venisse Sanctum volunt, eumque suum primum Episcopum faciunt, et apud se mortuum. Hinc* in novo præclaroque Moguntinæ arcis sacello, *inquit lib.* 2 *cap.* 2 *Serarius,* hi cum sancti Præsulis appicta imagine versus:

Fatentur tamen redisse in Galatiam

Crescentis fecit clarum sacra Pagina nomen,
Dum tibi fidus erat, Paule beate, comes.
Inde sed occiduas Gallorum cessit in oras,
Ut Christi prompto spargeret ore fidem,

Moguntini, inde ad se venisse dicunt,

Bisque

AUCTORE D. P.

A Bisque Maguntinis undenis præfuit annis,
Et vita clarus, clarus et eloquio.
Martyriumque tulit, Trajano Principe, Christi
Cum decades denas auxerat una trias.

Qui esset secundum hunc calculum annus CIII.

et apud se in æde S. Hilarii sepultum,

5 *Interim loco præcitato fatetur Serarius, quod* nulla S. Crescentis in ritualibus Moguntinorum libris, Breviariis, Missalibus et similibus mentio uspiam est. *Sanctitatis vulgo creditæ et cultus indicium aliquod præbet S. Maximi Episcopi Vita ex Thrithemio, apud Serarium prælaudatum illustrata, a cap.* 10 *lib.* 2 *ad cap.* 17. *Obierat is (ut Trithemius scribit) anno Christi* CCCLXXVIII, XVIII *Novembris, quo die Chronologiam Trithemii examinabimus; nunc ex eo sumimus, quod* beatissimi Pontificis Maximi corpus, a discipulis in ecclesia divi Præsulis Hilarii, postea nuncupata in Dalheim, ubi civitas Moguntina eo tempore legitur fuisse constructa, debito cum honore, juxta tumbam S. Crescentis primi Episcopi, fuit sepultum : in quo quidem loco humatum permansit annis quingentis quinquaginta septem, usque ad tempora Hildeberti, post S. Bonifacium Moguntinensis Archiepiscopi duodecimi, qui anno

et an. 935 translatum a S. Albani :

B Dominicæ nativitatis DCCCCXXXV, Indictione Romanorum VIII, die mensis Martii quarta decima, decem Moguntinorum Pontificum ossa de capella D. Hilarii memorata, solenni cum processione cleri et populi, ad ecclesiam divi Martyris Albani transtulit, et in choro summa cum reverentia collocavit.

sed hic Crescens forte alius a Pauli discipulo.

6 *De Moguntinæ urbis destructione, sub Attila Hunnorum Rege anno* CCCCLI, *egi ad Acta SS. Aurei et Albani,* XVI *et* XXI *Junii : per illam autem, et diuturnam exinde desolationem loci, factum puto, ut, servata dumtaxat Episcopali serie (si tamen hæc quoque servata recte est) primorum* XVIII *Episcoporum eatenus interierit notitia, ut (quamvis omnes nominentur Sancti) nullius tamen dies vel mortis vel cultus inveniatur adscriptus Fastis; ne quidem* S. Hilarii, *cujus tamen nomen ferebat prima Moguntiæ veteris ecclesia Cathedralis; ut de* S. Crescente *non adeo miremur, sed miremur potius, qua fiducia præsumpserit aliquis, singulorum definire annos Sedis. Equidem qualicumque traditioni haud ægre concesserim primum Episcopum* Crescentem : *sed ut hunc quoque credam Pauli discipulum fuisse, quod de primo Viennensi Episcopo creditum antiquitus fuit; multo difficilius Moguntini, quam Viennenses persuaserint, utpote testes non ita antiquos proferentes. Nam si Viennenses potuit in errorem inducere fortassis identitas nominis; multo facilius id potuit contigisse Moguntinis; et semper fortior*

C *stabit pro Galatis Asiaticis opinio, quod ad illos a Paulo remissus vel ultro profectus, apud eos consenuerit, interque illos obierit in pace, et ideo minus celebris fuerit posteritati, ab eaque minus cultus, quam si Martyr obiisset.*

Si tamen Galatas unquam adivit Crescens,

7 *Franciscus Bosquetus, Prætor Narbonensis ac postea Episcopus Lodevensis, Historiarum Ecclesiæ Gallicanæ lib.* I *cap.* 5, *sic scribens, ut quæ de eo hactenus habentur, satis incerta esse ostendat.* Crescentem, *inquit,* ipse Paulus ad Timotheum ait, in Γαλατίαν misisse : quo loco Theodoretus Gallias interpretatur ; et Epiphanius illos arguit erroris, qui Galatiam seu Gallogræciam, non Galliam intelligunt. Hæc autem Crescentis missio in annum primum Pauli, Romam advecti incidit : idcirco Viennæ a transeunte, Paulo relinqui non potuit, nisi jam ante Vienna Romam redierat. *Quod sane non est absimile vero, imo videtur convenientissimum, ut in Hispania per Galliam cogitans Sanctus Apostolus, adhuc in vinculis positus præmiserit qui prætentaret populorum istorum animos, et quæ in iis esset dispositio ad Evangelicam prædicationem cum fructu excipiendam; qua occasione Viennam usque penetraverit* Crescens, *et reversus suaserit magistro suo eodem accedere, et nonnullis ibi jam conversis vel converti promptis, Ecclesiam ordinare.* Quocumque tamen modo res se habuerit, *inquit Bosquetus,* Crescentem destinatum Gallogræcis, in transitu per Gallias, Viennensem et deinde Moguntinam ecclesiam instituisse, referunt Martyrologia, quibus ambarum Ecclesiarum tabulæ consentiunt. *De Moguntinis jam vidimus eas vel nullas, vel recentissimas esse : Viennensium primus auctor* E *censeri potest Ado, qui, vel decessorum ejus aliquis, cum de* Crescentis *apud Viennenses Apostolatu nihil dubitaret, nec tamen apud eosdem obiisse crederetur, sed in* Galatiam *missus (qua nomine ipsam* Galliam *intelligendam nemo ibi cogitabat) obitum ejus Gallogræciæ adscripsit.*

aut lustrata Moguntia

in Gallogræciam transiit,

8 *Pergit Bosquetus :* Verum non recta ibat Crescens in Gallogræciam, per Gallias et Germaniam iter habens : et stupenda illa miracula, in peregrinatione nimis flexuosa a Crescente patrata, historiæ fidem minuerunt. Atque adeo fuit obscura hæc de Crescente narratio, ut Latini et Galli Crescentem in Gallogræcia obiisse uno ore affirment ; Græci vero in diversas eant sententias, et eorum aliqui illum in Gallia sub Nerone decessisse referant. *Hos utinam nominasset ! mire enim favent Moguntinis, quando constantissimum apud omnes est, ex S. Hieronymo aliisque apud Serarium lib.* I *cap.* 2, quidquid Oceano et Rheno includitur, Galliam appellari : *et Galliarum Episcopis, apud Athanasium et alios antiquos, accensentur Moguntini æque ac Trevirenses; primaque et secunda Germania, ad quas pertinent, Gallicanis Provinciis accensentur. Ut autem Vienna in Gallogræciam flexuosum sit iter Moguntia; hinc tamen illud rectissimum haberi potest usque ad Pontum Euxinum, trans quem illa jacet, ut consideranti* F *patebit. Sed hoc tam vasto procursu opus non erit, si* Moguntiæ *liceat* Crescentem *retinere cum Græcis, et credere quod pro ea obrepserit* Chalcedon *vel* Chalcis. *Interim libenter videbo* stupenda illa miracula, *quorum meminit Bosquetus : neque enim hactenus ullum potui indicium reperire. Nam etiam ex talibus subinde elicitur aliquid lucis historicæ, tamquam scintilla ex silice.*

cum solius Galliæ meminerint Græci aliqui,

qui in ea pro Chalcedone Chalcidem statuunt

DE SS. FELICE ET SPINELLA,

AC SEPTEM GERMANIS

MARTYRIBUS ROMÆ.

G. H.

Ex Martyrologio S. Hieronymi et aliis.

Memoria in antiquis Fastis,

Q*uatuor antiqua Martyrologii Hieronymiani apographa hunc* XXVII *Junii auspicantur ab his Martyribus Romanis; et vetustissimnm Epternacense his verbis :* Romæ natalis septem germanorum, Crispi, Felicis, Crispiani, Spinellæ. *Verum ordo in aliis tribus apographis immutatur, et in Blumiano hoc modo :* Romæ milliario nono, Crispi, Crispiani, Felicis, Spinellæ, et septem germanorum.

A manorum. *Apographum Corbeiense loco* Crispiani *habet* Crispiniani. *Apographum vero Lucense* Crispini, Crispiniani. *MSS Vaticanum S. Petri, Casinense, et Altempstanum :* Romæ via Tiburtina milliario nono, Crispi, Crispiani, Felicis, et septem germanorum. *MSS. Barberinianum et Trevirense S. Maximini :* Romæ passio Crispi et Crispiniani, Felicis, Sponelli et septem germanorum.

VII Germani, num 7 Dormientes Ephesini?

2 *Similia habentur in MSS. Richenoviensi, Rhenoviensi et Ultrajectino ecclesiæ S. Mariæ ; et ubique apponuntur* Septem germani. *At hi soli referuntur in MS. Reginæ Sueciæ : de quibus cœptum postea quæri, quales illi fuerint. Videntur autem aliqui conjectasse, illos forsan esse* Septem fratres dormientes, *relatos hoc die in nonnullis Breviariis, et MS. Trevirensi S. Martini, necnon apud Rabanum et Notkerum. Verum hi non urbi Romanæ, sed Ephesinæ in Asia tribuuntur : de quibus agendum erit die* XXVII *Julii. Alii intellexerunt* Septem germanos, filios SS. Getulii et Symphorosæ, *qui videntur propterea ad hunc* XXVII *Junii relati ab Usuardo, Adone et aliis. Verum isti, in jam citatis quatuor antiquis Martyrologii Hieronymiani apographis et aliis Fastis, memorantur die* XVIII *Julii, assignatis aliis singulorum nominibus, ut mox dicetur. Et vero quidni fuerint Romæ alii illustres* germani septem, *isto tunc vocabulo celebres? In re dubia relinquimus illos, prout in veteribus monumentis reperiuntur.*

an filii S. Symphorosæ?

B

D AUCTORE G. H.

an alii? D. P.

3 *Sed* Crispum *vel* Crispinum, *et* Crispianum *vel* Crispinianum, *putamus eos esse, qui post SS. Joannem et Paulum Romæ passi sunt cum Benedicta : de quibus infra, et ideo in titulo eos prætermisimus. Dum autem sic conjungimus* Felicem Spinellæ, *augetur mihi dubium de* Felice, *virne an mulier censenda sit ; et, si mulier ; an ipsarum* Germani *fratres forte non fuerint qui sequuntur, tamquam cum iisdem vel paulo post passi, et sororum exemplo ad agonem animati. Denique liberæ conjecturæ relinquere placet, an omnino non sit retinenda Lectio Epternacensis apographi, suppletis aliunde nominibus, acsi scriberetur :* Romæ natalis septem germanorum Crispi, Felicis, Crispini, Crispiani, Crispiniani, Felicis et Spinellæ, *ut quinque fratribus junctæ sorores duæ septenarium compleant. Novum certe Romanis non fuisse inter fratres iterare idem nomen sub modica terminationis diversitate, exemplo sit familia Flavia,* Constantes, Constantios, Constantinos, Constantias et Constantinas, *etiam ex eodem patre, nominans. Atque etiam inter Sanctos relati leguntur die* XXXI *Maji,* Cantius, Cantianus, et Cantianilla fratres. E

DE SANCTIS MARTYRIBUS CORDUBENSIBUS

CRESCENTE, JULIANO, NEMESIO, FRATRIA,

PRIMITIVO, JUSTINO, STATHÆO, NOVATIANO,

CLEMENTE, MARCELLINO, ZEDDINO, FELICE,

VENUSTO SEU HINNUSTICO, ZOILO,

MARCELLO, ITALICO, LELLO, CAPITONE,

TINNO, TIMARŒO SEU TUSCO, SILVANO.

COMMENTARIUS HISTORICUS

G. H.

§. I. *Cultus in Fastis. Controversia circa septem filios S. Symphorosæ.*

C XXVII JUNII,

Horum memoria in MS. Reginæ Sueciæ,

Vetustum *MS. Serenissimæ Christinæ Reginæ Sueciæ, ab Holstenio laudatum, et insertum suis Animadversis in Martyrologium Romanum, ista de his Martyribus profert :* Cordubæ in Hispania natalis sanctorum Crescentis, Juliani, Nemesi, et aliorum octodecim ; *quos hic suis nominibus in titulo expressimus, acceptos ex antiquis quatuor Martyrologii Hieronymiani apographis : in quibus omnibus attribuuntur* Hispaniæ, *et in Epternacensi etiam* Cordubæ : *in quo pro* Nemesio *legitur* Remesio, *et subjungitur* Fratria : *quod nomen deest in aliis tribus apographis : et in his* Primitivus, *qui in Epternacensi abest : tum pro* Justino *et* Stathæo, *legitur etiam* Justina *et* Tacteus ; *uti pro* Zeddino, Zebdinus ; *et pro* Zoilo Zoelus. *Demum in solo Corbeiensi est* Silvanus, *quo sublato posset* Timaræus, *alius a* Tusco *statui, et numerus* XXI *Martyrum consisteret.*

et 4 Apographis S. Hieronymi,

aliisque fastis.

2 *Varii ex his referuntur in aliis Martyrologiis MSS. et in Richenoviensi quidem sic :* In Corduba Crescentis, Juliani, Nemesi, Primitivi, Eugenii. *Verum de* Eugenio *mox agemus. MSS. Augustanum S. Udalrici et Parisiense Labbei hæc indicant :* Spania, Crescentis, Crispiniani, Justini, Felicis, Juliani, Primitivi, Clementis. *Sed* Crispinianus, *aliis* Crispianus, *supra relatus est, vel potius infra refe*retur inter Martyres Romanos. *MS. Barberinianum :* In Hispaniis Crescentis, Juliani, Eugenii, Novatiani. *Coloniense S. Mariæ ad Gradus :* In Hispaniis SS. Zoeli, Juliani et aliorum novemdecim. *Quæ, omisso* Juliano, *leguntur in MS. Trevirensi S. Martini, et apud Adonem, Notkerum, aliosque recentiores cum hodierno Martyrologio Romano, ubi ista sunt :* Cordubæ sanctorum Martyrum Zoili et aliorum decem et novem. *Atque in his Antesignanus omnium non* Crescens, *sed* Zoilus *censetur, propter inventionem corporis, de qua infra agemus.* F

An extrahendi aliquot Martyres et adscribendi filiis S. Symphorosæ,

3 *Difficillimæ porro solutionis nodum occurrere hic vidit Florentinius in suis Notationibus, num scilicet ex priore classe sit tollendum nomen* Septem Germanorum ; *et ex hac expungenda nomina* SS. Crescentis, Juliani, Nemesii, Primitivi, Justini, Stathei, *aliis* Stactei, *cum addito in MS. Richenoviensi et Barberiniano nomine* Eugenii; *quod ad hunc etiam* XXVII *Junii referantur septem filii SS. Getulii et Symphorosæ. Nam apud Adonem ita legitur :* Apud Tiburtinam Italiæ civitatem natale S. Symphorosæ, B. Getulii Martyris uxoris, cum septem filiis, Crescente, Juliano, Nemesio, Primitivo, Justino, Stacteo, Eugenio, cum quibus simul passa est sub Adriano Principe, *et subjungitur enarratio martyrii singulorum, prout*

AUCTORE G. H.

A *prout habetur in Actis, quæ apud Mombritium et Surium leguntur, quasi ab Africano (cujus meminit Eusebius lib.* 6 *Hist. Eccl. cap.* 31) *forent conscripta. Eadem habet Notkerus, imo et Usuardus; sed minore cum elogio. Hinc dubitavi plurimum, num a priore classe removerem illud,* Septem-Germanorum; *ac ponerem novum titulum ex Adone, Usuardo et aliis;* Tiburtina civitate Septem-Germanorum Crescentis, Juliani, Nemesii, Primitivi, Justini, Stactei, Eugenii; *ac postea reliquos tribuerem* Cordubæ in Hispania.

sed alii huic tribuuntur filii in MS. Reginæ Sueciæ,

4 *Verum ne facerem, absterruerunt antiqua monumenta, quæ habentur pro die* XVIII *Julii, quo illorum Martyrum natalis recolitur. Ac primo vetus Martyrologium Christinæ Reginæ (quod ipsi Romæ descripsimus, et a Luca Holstenio plurimum laudatur) ista habet :* XV Kalendas Augusti, Romæ Semperosæ matris Septem-Germanorum, id est, Petri, Marcelliani, Januarii, Dionysii, Sempronii, Clementis, Germani. *Dein antiqua apographa Martyrologii Hieronymiani habent primo loco :* XV Kalendas Augusti, Romæ via Tiburtina milliario nono, natalis S. Sempherosæ, matris Septem Germanorum, quæ cum ipsis est passa, *aliis*, posita. Nomina vero Septem-Germanorum sunt hæc : Petrus, Marcellianus, Januarius, Dionysius, Sempronius, Clemens, Germanus. *Ita hi in casu nominativo recensentur in MS. Corbeiensi, Parisiis excuso : ac deinde addebantur in casu genitivo nomina* Hirenæ, Magni, *ut a septem Germanis diversorum, licet forsan simul cum iis essent passi. In apographis aliis tribus referuntur in genitivo casu simul cum nomine* Herenæi, *ut aut octo censerentur, aut* Germanus *esset pro adjectivo sumendus, quod minus placet, cum omnes septem fuerint germani. In antiquissimo apographo Monasterii Epternacensis (quod ante nongentos saltem annos et diu ante tempora Usuardi et Adonis exaratum est, cujus ipsosmet characteres exhibuimus æri incisos ante tomum secundum Aprilis) ista leguntur :* Romæ Semphorensiæ Martyris, septem germanorum, Petri, Marcelliani, Januarii, Dionisii, Sempronii, Clementis, Germani : Et Hætenæi.

in Martyrologio S Hieronymi,

B

etiam in MS. Epternacensis,

5 *Notkerus vir doctrina et sanctitate eximius, cujus Vitam et Processum pro Canonizatione edidimus* XI *Aprilis, diximusque eum in suo Martyrologio conficiendo sumpsisse illud, quod Ado conscripserat, partim contrahendum, partim supplendum, videtur ad hunc* XXVII *Junii Adonis verba fere conservasse; ad diem vero* XVIII *Julii seipsum et Adonem correxisse, ubi ista habet :* XV Kalendas Augusti. Romæ via Tiburtina, milliario octavo, natalis S. Symphorosæ Martyris, matrisque septem germanorum, quæ cum ipsis est posita. Nomina vero germanorum hæc sunt, Petri, Marcellini, Januarii, Dionisii, Sympronii, Clementis, Hirenæ. *Hæc ille, omisso nomine* Germani, *ne pro septem videretur octo Martyres exhibere.* Hirenæam *arbitramur non esse ex septem Germanis; sed cum* Magno *martyrii coronam eodem die assecutam : et ita excluditur nomen* Hirenæ, *in antiquo MS. Reginæ Sueciæ supra relato, et alio MS. etiam antiquo Carmelitano Coloniæ, in quo ista leguntur :* Romæ natale Sanctorum septem fratrum Petri, Marcelliani, Januarii, Dionisii, Symphroni, Clementis, Germani Martyrum et matris eorum Symphorosæ. *MSS. Richenoviense in Suevia et Rhinoviense in Helvetia, in quibus solent pauca nomina extrahi, et quasi præcipui Sancti proponi, habent :* Romæ Symperosæ, Petri, Marcelliani, Januarii.

item in MS. Notkeri,

C

et in aliis MSS.

6 *In apographis Lucensi et Blumiano, relatis (ut supra diximus) hisce Sanctis Martyribus, hæc toties repetita nomenclatura subjungitur,* Quorum gesta habentur. *Utinam illa reperiri possent, in quibus prædicta nomina continerentur, tunc videremus, an eadem sint Acta, quæ modo extant, et tantum nomina alia fuerint substituta : quod modo nequimus definire. Deficientium tamen in veris Actis nominum forte indicium sit, quod in Usuardo, aucto in Alsatia, non repetantur nomina : sed dicatur* primus in gutture transfixus, alius in pectore punctus, tertius in corde fixus etc. *Aliquibus forsan in Actis dicitur eorum natalis* XV Kalendas Augusti; *et apud Usuardum et Adonem, referuntur ad hunc* V *Kalendas Julii, quando hi sancti Martyres in Martyrologio S. Hieronymi habentur adscripti Cordubæ in Hispania : quod et nos, stante hac controversia, facimus; sententiam mutaturi, ad diem* XV *Kalendas Augusti, si meliora documenta, quod optamus, nobis fuerint proposita.*

Gesta eorum optantur.

D

§. *II. S. Zoili Martyrium, inventio corporis, cultus peculiaris.*

His ita deductis, redimus ad S. Zoilum, *de quo Usuardus, cum (ut supra dixi) elogium* Crescentis, Juliani, Nemesii, Primitivi, Justinæ, Stactei et Eugenii, *tamquam* filiorum S. Symphorosæ, *tradidisset, ista subjungit :* Cordubæ S. Zoili Martyris : cujus corpus cum longo tempore, ubinam sepultum fuerit, latuisset, venerabili Episcopo ejusdem loci, nomine Agapio ex divina revelatione manifestatum est. *Ambrosius Morales, libro* 10 *Chronici generalis Hispaniæ anno* 1574 *excusi, cap.* 15 *asserit, Acta hujus Martyris magna cum conformitate inserta esse omnibus passim Breviariis et Sanctoralibus Hispanicis : quæ sic leguntur in Breviario Burgensi anni* MDII, *quomodo ille ait eadem haberi in Breviario Cordubensi.*

Elogium S. Zoili ex Usuardo.

E

8 Igitur Beatus Zoilus, Cordubensis civitatis, præclarissimis parentibus progenitus, ab infantia Christianus; cum esset in adolescenti ætate, et Christum publice confiteretur, subito a Paganis arreptus, ad prætorium cujusdam Principis est præsentatus, atque ab ipso, ut ad culturam dæmonum rediret, diu est exhortatus. Qui dum per multa dierum spatia tam sermonibus quam muneribus esset admonitus, Christianum se promittens; a pessimo Judice, ut capite plecteretur, est damnatus, et in cœmeterio præfatæ civitatis cum peregrinorum corporibus a Gentilibus est sepultus, ne a Christianis aliquando cognosceretur, et digna veneratione coleretur. Sed cum, Christo donante, pax Ecclesiæ esset reddita, temporibus Sisebuti Regis Catholici, quidam vir nobilis, Gothorum propagine clarus, Agapitus nomine, ex laico vitam amplexus monachi, sic ad summum Sacerdotium est electus : et quia pro amore Christi seculum dimiserat, non distulit illum fraudari bonis suis. Dum vero is corpus suum jejuniis maceratum in cilicio et vili stramine declinaret, per quietæ noctis silentium ostensum est illi, quo loco corpus prædicti Martyris jaceret, et quo nomine uteretur, atque pro cujus amore est plexus. Dum mane facto, convocatis Fratribus et vulgi multitudini quæ viderat indicavit, atque cum omnibus Christianis ad ostensum sibi locum sine mora perrexit. Quo cum pervenisset, rastrum manu arripiens, effodere cœpit; quousque ad beatissimum corpus Martyris, sicut a Paganis fuerat absconditum, Deo juvante, pervenit. *Hactenus dictæ Lectiones, quibus præfigitur, dicenda Antiphona,* Iste Sanctus, *cum Versiculo,* Gloria et honore, *ac postea hæc Oratio.* Beati Martyris tui Zoili, nos, quæsumus, Domine, interventio gloriosa commendet, ut qui nostris actibus non meremur, ejus precibus gratiam consequamur. Per Dominum. *Evangelium :* Si quis vult venire post me : *reliqua vero præscribuntur de Communi unius Martyris.*

et Breviario Burgensi et Cordubensi:

Martyrium,

sepultura,

F

corporis inventio,

veneratio,

9 *Lucius Marinæus Siculus, qui tempore Caroli V Imperatoris floruit, lib.* 5 *de Rebus Hispaniæ, eadem, quæ ex dictis Lectionibus protulimus, habet; et ista adjungit :* Quo *(corpore)* invento, gaudio magno repleti sunt

frequentius Reliquias osculatus, dentes amittit.

A sunt omnes. Præfatus denique Episcopus præ amoris magnitudine, cum corpus B. Zoili demulceret osculis, et indignum se judicaret, ut manibus suis tanti viri tangeret Reliquias, subito, osculando crebrius, caruit primorum dentium adjutorio. Quos ab oris officio ut minutos esse conspexit, in sarcophago, ubi sancti viri corpus humatum fuerat, projecit. Peracto inventionis obsequio, sequenti nocte per visum S. Zoilus ita affatus est : Cur me sæpius osculando verberasti? Jam pro eis, quæ a me poposceras, intercedens, a Domino Jesu Christo impetrasti, et nunc certus esto, quia dimissa tibi sunt peccata. *Hæc ibi.*

Tempus inventionis Agapio Ep.

10 *Joannes Tamayus de Salazar ad diem* XVIII *Maji edidit Catalogum Episcoporum Cordubensium, in quo ista leguntur :* Agapius hujus nominis primus, Episcopus Cordubensis septimus ex milite effectus, interfuit in Concilio Toletano et primo Hispalensi ad annum Domini DXC, qui corpus S. Zoili divina revelatione, jejuniis interpositis, invenit. *Huic successit Eleutherius, qui Toletano anno* MXCVII *congregato adfuit. Hinc in elogio* S. Zoili *supra ex Usuardo relato, melius abest nomen Regis, sub quo inventio corporis ab Agapio Episcopo est facta, et nomen Sisebuti perperam*

et Reccaredo Rege.

B *in Acta videtur intrusum, utpote qui tantum anno* DCXI *regnare cœpit. Huic Ambrosius Morales, Martinus de Roa de Sanctis Cordubensibus aliique substituunt Reccaredum Regem, qui regnavit anno* DLXXXVI, *usque ad annum* DC, *sub quo summa pax Ecclesiæ erat, supra indicata.*

Ecclesia S Zoili constructa,

11 *Extant Acta uberiora apud Tamayum ex MS. Legendario Segobiensi et Legendario Hispalensi, in quibus colloquium Judicis et S. Zoili narratur, quod ibidem legi potest; cum non videatur Martyr, apparens Agapito sive Agapio Episcopo, illa indicasse. Ibidem sub finem de translatione corporis ista habentur :* Ergo sacrum beati Martyris corpus in lectica compositum, in S. Felicis Martyris basilicam delatum, ibidem tunc temporis requievit; donec sanctissimus Agapius aliam pulchriorem et ampliorem imposterum extruxit, et sacras exuvias una cum S. Felicis honorifice collocavit, Sanctique nomini dedicavit : quæ postmodum, stante Arabum imperio, plurimorum extitit sepultura Martyrum Christi. *Hæc ibi, et consentiunt citati Morales, Roa, aliique. S. Eulogius Martyr, lib. 2 Memorialis Sanctorum cap.* 11 *recensens martyrium SS. Christophori et Leovigildi* XX *Augusti passorum,* Eorum corpora, *inquit,*

in ea sepulta corpora SS. Christophori et Leovigildi,

C suppositis adusta incendiis, antequam penitus urerentur, fidelium cura erepta, apud basilicam S. Zoili sepulta. *Idem cap.* 6 *ejusdem libri* 2, *narrat vitam et martyrium S. Pauli Diaconi,* XX *Julii coronati, asseritque, illum* apud basilicam, quæ corporali beati Martyris Zoili præsentia illustratur, spiritualibus fuisse enutritum disciplinis.... cujus cadaver inhumatum, et ante fores palatii derelictum, post nonnullos dies quorumdam fidelium curiositate clam sublatum cum B. Theodemiri Carmonensis monachi corpore, apud Sanctuarium prædicti Martyris Zoili, conditum est. *Illustravimus* XI *Martii Vitam ipsius S. Eulogii, auctore Alvaro teste oculato : in qua num.* 2 *dicitur,* ecclesiæ ministerio mancipatus, *in* sancti ac beatissimi Zoili æde deservisse, et in ejusdem collegio Clericorum vitam deduxisse : *et num.* 16 *dicitur,* nocturnas vigilias appetens, et in basilica Zoili terra tenus prostratus orans, noctes insomnes duxisse.... *Cujus* beatissimi caput, *additur num.* 22, curiositas Christianorum redemit : corporis vero Reliquias tertio die collegit, et sub umbra beatissimi Martyris Zoili tumulavit : *contigit id anno* DCCCLIX. *Eo ergo tempore hæc basilica* S. Zoili, *sub Saracenis adhuc extabat, uti et aliæ quædam in iisque Sanctorum corpora. Quamquam enim Rasis Maurus, apud Moralem lib.* 10 *ubi de S. Vincentio Valentiensi pag.* 335 ;

SS. Pauli Diaconi et Theodemiri,

et S. Eulogii.

D *Abderrameno II sub finem seculi* VIII *Christianos persequenti, ad laudem vertat, quod omnes ecclesias Sanctorumque Reliquias, quocumque veniret, solitus sit dissipare, id tamen intelligendum est de iis quas ipse occupabat; non de illis, quas in subacta ab aliis Corduba reperiebat.*

AUCTORE G. H.

Prudentius meminit S. Zoili.

12 *Videtur quoque ejusdem Martyris meminisse Aurelius Prudentius, inter carmina* περὶ στεφάνων *hymno quarto, in honorem decem et octo Martyrum Cæsaraugustanorum, a nobis edita* XVI *Aprilis ; ubi sub initium recenset præsidium urbibus per Reliquias et cultum Sanctorum collatum, et quinta strophe est hujusmodi.*

Afra Carthago tua promet ossa,
Ore facundo Cypriane Doctor.
Corduba Acisclum dabit, et Zoellum,
Tresque coronas.

Ubi per tres coronas intelligitur S. Victoria, *quæ totidem de cœlo delabi vidit ; ideoque duobus istis sic tertiam adjunxit. Coluntur* SS. *Acisclus et Victoria, Martyres et Patroni Cordubenses,* XVII *Novembris, quando simul agi poterit de inventione corporum* SS. Aciscli, Zoili *et aliorum, facta* XXI *Novembris anno* MDLXXI. *Habent* XII *Martyres Syri venerationem*

E XXIV *Maji, quorum Antesignanus est* Zoelus, *et alius sub ipso* Zoilus : *quod nomen etiam* Zoellus *et* Zoillus *scribitur ; ut hic* Zoellus *apud Prudentium non possit censeri alius, quam* Zoilus *apud alios hoc die memoratus.*

Hymnus ex Breviario Mosarabum.

13 *In vetustissimo Mosarabum Breviario iste de eo Hymnus recitatur : quem in lectoris gratiam primigenio nitori conamur per conjecturam restituere, sublatis, quæ plura irrepserant, mendis.*

Martyris gestans * Zoili coronam
Obviam Christo properanter ibit
Civitas, quoque pretiosa portans
Dona victoris.
* Hunc colunt cives, velut ipsa membra
Cespes includat suus, et paterno,
Servet amplectens tumulo, Beati
Martyris ossa.
Noster, et nostra Puer in palæstra,
Arte virtutum fideique olivo
* Unctus, horrendum didicit domare
Viribus hostem.
Martyrum nulli, remanente vita,
Contigit terris habitare nostris :
Solus tu morti propriæ superstes,
Vivis in * urbe.
Solus occurrens, * vitiisque sine
Temet virtutum Domino parasti :
Solus prædives pietate, multa.
Luce frueris.

* *al.* Martyris gesta Zoylique corona,
* hoc
* vinctus

F
orbe
* vitamque sine reatu,

Alluditur hic ad genus Martyrii; cui aliquamdiu supervixit, quando (ut Acta apud Tamayum habent) quidam *satellitum*, aliquid inexcogitati doloris tormentum adversus Martyrem experturus, in extrema dorsi cæsi parte, renes illius et ilia crudelis tortor extraxit : *quæ projecta fuerunt in puteum quemdam, qui, teste Morale in descriptione Cordubæ, reverenter monstratur. Neque incredibile est aliquamdiu superfuisse carnificinæ isti Zoilum ; cum ad* XVI *Aprilis viderimus S. Encratidem laudatam a Prudentio, ut* juge viventem Martyrem, *post* revulsam jecoris partem, *adeoque ad menses saltem aliquot.*

Martyris credas, Patriam coronis
Debitam sacris, Chorus unde surgens
Tendit in cœlum, niveæ togatus
Nobilitatis.
Inde, Zoile, tua palma nota est ;
Clerus hinc tantum peperit triumphum,
Hinc Domus infulata Sacerdotum
Celebrat votum.

Gloria

A

AUCTORE G. H.

Gloria summo celebret Parenti,
Gloria Christo, Spirituique sancto
Prædicet trinum pia voce nomen
Omne per ævum.

alius hymnus apud Martinum de Roa.

14 *Habemus libellum Martini de Roa, ab eo ad Andream Schottum missum, de Antiquitate et auctoritate sanctorum Martyrum Cordubensium, in quo sæpius meminit S. Zoili, et sub finem sequentem Hymnum habet :*

Salve decus Hispaniæ, Zoile Martyr nobilis,
Nobilitatis candidæ exemplar admirabile.
Credulitas, quæ intrepida, præcepsque quondam [fuerat,
Perterrefacta militis, vultuque grandi et animo,
Adversus horrens congredi, aversus illum corripit,
Et tremebunda gladium, dorso recondens dis- [secat.
Hiant aperta viscera, amore Christi fervida,
Atque in revulsis renibus dant signa continentiæ.

§. *III. De translatione Corporis, et variis Reliquiis S. Zoili.*

D. P.

B

Fundato a Comitissa Tarasia monasterio Carrionensi,

Quamquam *promittat Henschenius supra, ad* XVII *Novembris agendum de* Translatione SS. Aciscli et Zoili *(addere potuerat et* plurium aliorum*) facta anno* MDLXXV ; *videns tamen in illa Ossium indiscretorum, nunc inventorum, confusione nihil esse, quod* Zoilum *magis quam* Acisclum *aliosque supra nominatos tangat; non omisit mihi notare, propius huc pertinere longe antiquiorem translationem corporis ad monasterium ipsius* S. Zoili *nomine insignitum, cujus historiam essem inventurus lib.* 10 *Ambrosii Morales tom* I *p.* 366 ỳ. *Ibi ille, Chronicæ Generalis Hispaniarum a Floriano Docampo ad sextum usque seculum deductæ Continuator,cap.* 15 *agens de posteris Veremundi Regis, ex Ruderico Toletano et Luca Tudensi, cum ex his dixisset, quod Regis illius proneptis* Comitissa Tarasia, *Comitis Gomezii uxor*, cum esset Domini Carrionis, *in campestri Regni Legionensis tractu*, ibi ecclesiam S. Zoili ædificavit. Nihil, *inquit*, amplius dicunt Scriptores isti : sed Monachi insignis illius monasterii, quod est Ordinis Benedictini. habent chartam, qua docent, quomodo Ferdinandus Comes Carrionis, filius Tarasiæ, transtulit illuc corpus sancti Martyris, una cum corpore S. Felicis, alterius Martyris, æque Cordubæ passi, sed tempore Maurorum *(quo de egimus* XIV *Junii).* Obiit autem Comes Ferdinandus, *quemadmodum ex ejus ibi sepultura liquet*, XIV Martii anno Domini MLXXXIII ; unde apparet, non multis annis antea fuisse factam translationem sacri illius corporis. Ex monumentis vero loci habetur, quod cum Eques iste annis aliquot moratus esset apud Maurorum Cordubensium Regem, militando ei contra inimicos suos ; pro fideli obsequio aliud nihil mercedis petierit, quam corpus sanctum ; et sic ipsum Carrionem adduxerit ad monasterium, quod deinde sumpsit nomen a S. Zoilo, cum ab initio disceretur S. Joannis Baptistæ, sicut ex ipsorum Fundatorum scripturis liquet. Posteri illorum, in suis ipsi monasterio factis donationibus, illud appellant SS. Zoili et Felicis, uti etiam Historia Compostelana, scripta ante quadringentos annos *(nunc quingentos et amplius numeramus).* Sunt autem prædicta duo corpora in duabus arcis argenteis, perquam vetustis, intra loculos tabulæ, supra majus altare positæ, maxima cum veneratione : ubi Monachi servant multa grandiaque miracula, per duos istos Sanctos patrata.

filius ejus Ferdinandus ante annum 1083

C

transfert eo corpus Sancti

pluribus ibi miraculis clarum

16 *Hoc ubi legi, nolui occasioni deesse, quam offerebat contracta mihi feliciter amicitia cum R. P. Josepho Perezio, Monacho S. Facundi, sacrarumque Litterarum in Salmantina Academia Professore ordinario, inita per ejus Dissertationes Ecclesiasticas (unde libens profiteor multa me dedicisse de Benedictinorum Monasteriorum in Hispania antiquitatibus hactenus ignota) et oblatum humaniter obsequium requisivi ad obtinenda prædicta miracula, cujus diligentiæ dum fructum eo jam mortuo frustra expecto, cetera ex Morali accipe.* Extat Cordubæ prope ecclesiam Parochialem S. Michaelis, domus antiqua, cujus ab immemorabili tempore magna est in populo veneratio, cum puteo et memoria Sancti. Devotionis hujus causas varii varias afferunt. Quidam enim ipsius S. Zoili domum fuisse affirmant : alii istic martyrio affectum ; ipsiusque renes, exectos a corpore, in eum, qui ibi est, puteum fuisse conjectos. Quidquid sit ; aqua ista religiose sumitur contra renum hepatisque dolores, a quibus liberati multi Deo gratias referunt. Paucis vero abhinc annis ejusmodi devotio novum vigorem sumpsit, erectione confraternitatis honoratæ in ipsa S. Michaelis ecclesia, sub titulo S. Zoili, cujus ibidem structum est sumptuosum sacellum.

D

uti et puteus Sancti Cordubæ.

17 *P. Martinus de Roa, postquam prædicta omnia transcripsisset in suo Flos-Sanctorum Cordubensium anni* MDCXV, *addit sequentia :* Anno MDC nuper præterito, egit civitas Cordubensis cum Ordinis totius Benedictini in Hispaniis Generali, Fr. Joanne de Arcubus; et cum Abbate S. Zoili Carrionensis, Fr. Placido de Osca ; ut nobis gratificarentur, communicando partem aliquam ejus, quod apud ipsos est, corporis. Quamquam enim nihil dubitaremus de veritate earum, quæ ad S. Petri servantur Reliquiarum ; tamen videbantur non posse, indistinctæ ab aliis aliorum Sanctorum, cultu tam speciali honorari quam mereantur. Hac occasione visitavit Generalis prædictum monasterium : et aperuit arcam, et (sicut Cordubam desuper scripta epistola continet) summa cum animi voluptate vidit sacra Sancti istius ossa, cum indusio sanguine tincto, toga et cingulo, omniumque testimonium in charta pergamena, *cujus originarium tenorem, una cum integra ipsius Generalis Epistola hic apponerem, si nancisci potuissem ; æque ac litteras patentes Abbatis ac Monachorum rite signatas, quibus profitentur,* ægre inductos se, ut ex sancto corpore, annos fere sexcentos possesso, paterentur aliquam particulam tolli.

Ea civitas anno 1600 *Reliquias Carrione petiit,*

E

18 Fr. Alfonsus Barrantes, ejusdem Ordinis Religiosus, et nunc, *inquit Martinus,* ipsius Generalis, cujus diligentia debemus obtentam Carrione Reliquiam ; inter alia eodem anno scripta, XXIX Septembris, dicit nunc demum securum se esse de possessione tam grandis thesauri, totius scilicet Corporis, vestis atque tumbæ sanguine tinctæ. Verumtamen Corporis istius integritati non pauca deesse, dubitabit nemo, qui aliquam notitiam habet monumentorum veterum. Constat enim enim S. Eulogium Martyrem, a Willisindo, Pampilonensis Sedis Episcopo rogatum, ut Cordubam reversus ipsi dirigeret Reliquias S. Zoili Martyris, et hoc munere Pampilonenses populos illustraret ; illico se satisfacere petitioni respondisse, et ejus rei debitorem se in veritate promisisse ; deinde datis XVII Kal. Decembris Æra DCCCLXXXIX id est anno Christi DCCCLI, per Galindum Eniconis, virum illustrem, ad propria remeantem, præfati Martyris Reliquias destinasse; sed et S. Aciscli, quas non postulaverat, transmisisse, ut sponsionis suæ votum feliciter adimpleret, eorum beatæ memoriæ construendo basilicam. Imo in Eremitorio S. Jacobi de Via dicto, apud Medinam Sidoniam, vidi ipse lapidem sic sculptum : Hic sunt Reliquiarum conditæ..... Stephani, Juliani, Felicis, Justi, Pastoris, Fructuosi, Augunii, Eulogii, Aciscli, Romani, Martini, Quirisci, et Zoili Martyrum. Dedicata hæc basilica XVII Kal. Januarias

non est tamen prorsus integrum corpus,

F

cum an 851 *aliqui Pampelo missum,*

antea ad an 630 *Medinæ Sidoniæ repositum si*

A rias, anno II Pontificatus Pimeni. Æra DCLXVIII.

19 *Hactenus Roa : qui deinde narrat, quomodo ipsemet deputatus fuerit a Civitate Cordubensi Carrionem, ut desideratas Reliquias acciperet, una cum authentico exemplo scripturæ in pergameno, repertæ intra arcam.* Verum placuit divinæ Majestati, *inquit*, ipso quo iturus eram anno MDCII civitatem hanc nostram, uti et plures in Bætica alias, affligere pestilentia. Successit deinde mors sancti Episcopi nostri D. Francisci Reinosi, in bonum Ecclesiæ suæ zelosissimi ; qui desiderium civitatis prædictum fovebat, atque ita suspensa mansit executio consilii tam laudabilis. *Sic ille : neque hactenus didici quidquam postea actum esse. Ipse vero addit, non solum sedandis renum doloribus, sed etiam tertianis febribus pellendis, utilissimum remedium haberi haustam ex puteo prælaudato aquam.* Et ego ipse, *inquit*, unus ex illis sum, qui aquæ haustui jungentes votum de visitanda ipsius Sancti capella vel sepulcro, eumdem favorem experti sunt. Invocato enim simili in necessitate sancti Martyris patrocinio, tunc cum minime id sperabant medici, tertiana et dolore liberatus fui. Cumque paucis diebus post, alium eodem infirmitate detentum viderem, suasi, ut ad Sanctum devote recurreret, et sumptam de puteo aquam biberet cum voto curandi Missam in ipsius capella : quo facto, liberatum similiter se testatus est, simulque ivimus ad sepulcrum, vota nostra impleturi.

Cur promissa Cordubensibus particula necdum perlata sit.

D AUCTORE G. H.

DE S. ANECTO SEU ANICETO

MARTYRE CÆSAREÆ IN CAPPADOCIA

Acta ex Græcorum Menæis et Maximo Cytheræo.

D. P.

B

SUB DIOC.

Nominis diversa scriptio in editis,

Ambiguum *Martyris hujus nomen faciunt, hinc Collector Menæorum Venetiis excusorum, eumque secutus Sirletus, et Sirletum Baronius Anectum scribendo ; inde Maximus Cytherorum Episcopus in Vitis Sanctorum in hodiernam Græcam linguam (quam Romanam dicunt) translatis de veteri Græca, ex similibus ambo MSS. Synaxariis, sed in nomine diversis, quod* Anicetum *scribi Maximus iste invenit. Nec est unde statuam, quid potius sit tenendum ; cum in nullis, quæ plurima vidi, Synaxariis aliis Sanctum istum repererim, adeoque ex pluralitate codicum facere conjecturam non possim. In Menæis Distichon elogio præfigitur, priori lectioni inhærens.*

Οὐκ ἦν ἀνεκτὸν Ἀνέκτῳ, μὴ στέγειν
Τὸν διὰ Χριστὸν θάνατον μέχρι τέλους.
Non erat Anecto tolerabile, propter Christum
Tormenta mortis ferre non usque ad finem.

Passio diu post scripta,

2 *Tormenta illa, longe plura quam passim soleant in genuinis Martyrum Actis repereri cum iteratis Angeli apparitionibus, alibi rarissimis, vereri me faciunt, ne sicut in Actis S. Georgii aliisque sequioris notæ, sic in his quoque plurimum luserit scribentis in-* C *genium, Præsidialium Actorum ductu ac luce destitutum ; cui plus curæ fuerit admirationem ciere, quam fidem mereri non nisi certo comperta scribendo. Græcum prius, deinde et Latinum textum accipe : cumque* Urbanum Præsidem *legeris carnificinæ istius auctorem, discerne utrum suspicari malis, nomen insigni crudelitate diffamatum, esse mutuo acceptum ex Eusebio, qui libro de Martyribus Palæstinæ sub Maximino Diocletiani et Maximiani successore cap. 7, immanitatem illius, tunc Palæstinæ Præsidis, fuse describit, dignamque mercedem relatam ab eodemmet, cui ut placeret, ita sævierat, exitumque inglorium ; an vero, cum Baronio et Collegis Romani Martyrologii reformatoribus, pro* Cæsarea Cappadociæ, *quam concorditer habent Auctor Menæorum et Maximus Cytherorum Episcopus ; substituere* Cæsaream Palæstinæ, *quam legere hic suaderet nomen* Urbani. *Mihi propius factum videtur, ut notum pro ignoto tyranno substituerit aliquis (id enim frequentissimum est in Passionibus diu post scriptis) quam ut erraverit in nominanda Provincia is, cui non videtur causa alia scribendi fuisse, quam desiderium iis gratificandi, apud quos* S. Anectus seu Anicetus *mortem pro Christo passus populari traditione celebrabatur, originariis Actis nullis extantibus. Græca sic sonant.*

adscribitur Cæsareæ Cappadociæ, et Urbano Præside.

in alterutro corrigenda.

3 Οὗτος ἦν ἐπὶ τῆς βασιλείας Διοκλητιανοῦ, καὶ Οὐρβανοῦ Ἡγεμόνος Καισαρείας τῆς Καππαδοκίας. Διὰ οὖν τὸ τοὺς Χριστιανοὺς διδάσκειν, καὶ παραινεῖν μὴ ἐκλύεσθαι τοῖς δεινοῖς, ἀλλὰ μᾶλλον ὑπὲρ τῆς ἀληθείας ἀντέχεσθαι καὶ ὑπεραποθνήσκειν τῆς εὐσεβείας, διαβληθεὶς τῷ Ἡγεμόνι, συλλαμβάνεται. Καὶ πρῶτον μὲν φρουρεῖται· ἔπειτα παραστὰς τῷ Ἡγεμόνι, θυσίαν προσενεγκεῖν τοῖς εἰδώλοις ἀναγκάζεται· ὁ δὲ δι' εὐχῆς τὰ εἴδωλα κατέβαλε. Τείνεται οὖν ἐκ τεσσάρων, καὶ βάκλοις ὑπὸ δέκα στρατιωτῶν τύπτεται· εἶτα κρεμᾶται ἐπὶ ξύλου, καὶ ξυρῷ τοὺς δακτύλους τῶν χειρῶν καὶ τῶν ποδῶν ἀφαιρεῖται, καὶ σιδηροῖς ὄνυξιν ἅπαν τὸ σῶμα καταξαίνεται. Ἐπιφανείᾳ δὲ θείου Ἀγγέλου ὑπεράνω τῶν βασάνων γενόμενος, ὑγιὴς ἀπεκατέστη. Ἀλλὰ καὶ αὖθις τοῦ ξύλου κατενεχθείς, τρυπᾶται τοὺς ἀστραγάλους περόναις σιδηραῖς, καὶ τήγανον πυρωθὲν δέχεναι κατὰ τοῦ στήθους, καὶ ἐν βόθρῳ σιδηρῷ πυρωθέντι λίαν κατεσθῆναι κελεύεται, καὶ σουβλαῖς σιδηραῖς πεπυρακτωμέναις τοὺς πόδας διατιτρώσκεται, καὶ τῇ εἱρκτῇ ἀποῤῥίπτεται. Καὶ αὖθις Ἄγγελος αὐτῷ ἐπιφανεὶς, τῶν δεσμῶν ἀπαλλάττει καὶ ἀνακτᾶται· διὸ καὶ πολλοὶ τῶν θεασαμένων αὐτὸν οὕτως ὑγιῆ, φοιτῶντες πρὸς αὐτὸν ἐβαπτίζοντο, καὶ νοσημάτων ὧν εἶχον, ἀπηλλάττοντο. Μετὰ ταῦτα ἐξαρτᾶται τοὺς πόδας καὶ τὰς χεῖρας λίθοις βαριτάτοις καὶ ξύλῳ ὀρθίῳ μετεωρίζεται ἐπὶ τρισὶν ἡμέ[ρα]ις· εἶθ' οὕτω τὴν γαστέρα τύπτεται βάκλοις, καὶ λαμπᾶσι πυρος καταφλέγεται, F καὶ λίβητι καχλάζωντι ἐμβάλλεται· εἰς τὸ στόμα μόλυβδον δέχεται, καὶ κασίδα πειρωθεῖσαν σφοδρῶς τῇ κεφαλῇ ἐπιτίθεται, καὶ εἰς κάμινον πυρὸς ἐμβάλλεται. Ἀλώβητος δὲ τῶν ἁπάντων διαφυλαχθείες, πολλοὺς τῶν ἀπίστων ἐπὶ τὴν εἰς Χριστὸν πίστιν ἐπεσπάσατο, οἳ καὶ τὰς κεφαλὰς ἀπετμήθησαν. Ὁ δὲ Ἅγιος δυσὶ λώροις ἀπὸ τοῦ τραχήλου ἄχρι πτέρνης ἀποδαρείς· ὧν τὸν ἕνα λαβὼν τῇ τοῦ δικάζοντος ὄψει ἠκόντησε· δι' οὗ καὶ τὴν κεφαλὴν ἀπετμήθη, γάλακτος ἀντὶ αἵματος τῆς τομῆς ἐξελθόντος, καὶ [τοῦ Ἁγίου] ταῖς οἰκείαις χερσὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ ἀπαλοβόντος, καὶ ἐπὶ δύο σημείων περιπατήσαντος, εἰς δόξαν καὶ αἶνον τοῦ ἀληθινοῦ Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν.

E *Illius epitome ex Menæis,*

4 Hic fuit imperio Diocletiani, Urbano Cæsareæ in Cappadocia Præside : et quia Christianos docere, atque ne in afflictionibus deficerent, hortari delatus fuit Præsidi, comprehensus est : ac primum quidem carceri traditus, deinde coram Præside constitutus, compellebatur sacrificium idolis offerre, quæ ille cum oratione dejecisset, ad quatuor palos extensus, verberatus est baculis a militibus decem ; deinde elevato in equuleum manuum pedumque digiti novacula abscinduntur, totum corpus ferreis unguibus lancinatur. Verum apparente ipsi sancto

propter multitudinem tormentorum,

Auctore D. P. et miraculorum merito suspecta,

A sancto Angelo, omnibus tormentis superior sanusque adstitit. Iterum nihilominus in lignum sublato terebris ferreis perforantur calcanei, et candens sartago imponitur pectori, et in ferreo puteo vehementer ignito, stare Sanctus jubetur, ferreisque subulis similiter ignitis pedes ei terebrantur, atque sic demum Martyr in custodiam retruditur. Rursus autem Angelus ibi apparens, a vinculis solutum recreavit : unde factum, ut multi conspicati illum ita repente sanum, baptismatis causa eum accederent ; et ab iis quibus tenebantur infirmitatibus liberati, discederent. Postea rursum sublatus, cum gravissimis ad pedes lapidibus, recto in ligno sublimis pependit, totis tribus diebus. Ventrem deinde baculis cæsus, accensis lampadibus ustulatur, et lebeti bullienti immergitur. Plumbum quoque liquefactum ore suscepit, et galeam valde ignitam capite tulit, et fornacem ignis subiit. Cumque etiam ex his omnibus illibatus evasisset, multos infidelium pertraxit ad Christi fidem : quibus mox capita abscissa sunt. Sancto denique lora duo a cervice ad D calces detracta sunt; quorum unum cum manu arreptum judici in faciem projecisset, capite plexus est. Tum vero ex cæso collo lac pro sanguine effluxit; erectusque truncus, sumpto in manibus capite, per duo stadia ambulavit ; ad laudem et gloriam Christi veri Dei nostri.

5 *Potestne in aliqua alicujus Martyris passione legi tam singulare et atrox quidpiam, quod huc adductum non fuerit? Unum igitur solum hic habere nos putabimus, in* Cappadocia *passum fuisse Martyrem : quanta vel a quo incertum esse opinabimur, imo etiam quando. Quanti autem facienda sint, quæ hinc Sirletus in suum Menologium retulit, ac porro in Romanum Martyrologium transierunt, æstimet Lector. Optandum sane fuerat, ut illius Reformatoribus ea Græcorum Synaxariorum copia adfuisset, quanta opus erat ad delectum prudentem faciendum, certaque ab incertis discernenda.*

quæ melius abessent a Rom. Martyrologio.

DE SANCTIS MARTYRIBUS ROMANIS

CRISPO VEL CRISPINO PRESBYT.

CRISPINIANO CLERICO,

ET BENEDICTA VIRGINE

SYLLOGE HISTORICA.

Ex Actis SS. Joannis et Pauli, ac Martyrologio S. Hienonymi.

D. P.

An. CCLXII. A Sanctis ad Martyrium se parantibus accersiti,

E*x veteri MS. Corbeiensi edita superiori die* Passio sanctorum Joannis et Pauli, *aliquam horum Martyrum notitiam nobis dedit, quam hic placet integram proferre, ex MS. nostro membraneo, quod olim Valcellensis monasterii fuit, quodque ne ad typographicos usus in officina Plantiniana discerperetur, redemimus, continens Acta Sanctorum Maji et Junii. In utroque dicitur, quod* sancti Joannes et Paulus, *scientes, post decem dies, aut abnegandum sibi Christi cultum, aut moriendum esse ;* miserunt et rogaverunt ad se venire Crispum Presbyterum, et Crispinianum Clericum, et Benedictam venerabilem feminam, quibus narraverunt omnia quæ gesta erant, et obtulerunt sacrificia in domo sua ; *nec dubium, quin per eosdem erogaverint facultates suas. Decimo autem die transacto, quo essent Sancti agonem suum consummaturi,* audito beatus Presbyter Crispus, quia constricti essent intra domum suam Joannes et Paulus ; venit ad eos cum Crispiniano et Benedicta, ut eos confortarent. Qui cum venissent, non sunt permissi introire, aut videre, aut loqui. *Ipsis autem ibidem clam necatis,* B. Crispus Presbyter, et Crispinianus, et Benedicta lamentabantur in domo sua, et orabant quotidie, et non cessabant lacrymæ ab oculis eorum, die noctuque ; poscentes, ut aliquod signum Dominus Jesus Christus ostenderet eis de sanctis Martyribus, ubi fuissent sepulti : et manifestavit illis Deus, juxta desiderium eorum. *Ita in majori nostro membraneo legitur, haud paulo distinctius quam in Corbeiensi, reliqua autem prænominatorum Martyrum passio, in Corbeiensi prætermissa, sic in eodem nostro membraneo extenditur.*

post distributa eorum bona,

petunt doceri divinitus locum ubi sepulti ;

2 Tunc Julianus *(Juliani fortassis Imperatoris avunculus, aut alius quivis tyranni minister, Domini sui nomen hic perperam substinens)* tunc, *inquam, qualiscumque* Julianus, jussit eos teneri et ante conspectum suum præsentari. Qui cum præsentati fuissent, dixit ad eos Julianus : Dicite ex ore vestro, quo nomine vocamini? Tunc applicatus Crispinus *(sic enim, non Crispus, in hoc MS. legitur, ubi præcedentia de illis tribus non habentur)* dixit ; Crispinus dicor. Julianus dixit : Quo honore fungeris? Respondit B. Crispinus dicens ; Peccator Presbyter. Julianus dixit : Immolate diis, et sacrificate : sin autem, sciatis acerrima tormenta in vobis expendi, si non sacrificaveritis diis. Tunc B. Crispinus Presbyter dixit : Ego semper sacrificium offero Domino Deo meo Jesu Christo die noctuque : nam idolis tuis ego numquam sacrifico. Tunc Julianus iratus amoveri fecit Crispinum, et applicari Crispinianum. F Dicit ad eum Julianus : Dic nobis et tu nomen tuum. Respondit, Crispinianus dicor, servus servorum Christi. Julianus dixit : Quo honore et tu fungeris ? Edicito. Crispinianus respondit; Clericus sum. Dicit ei Julianus : Sacrificate diis, ut amicos meos habeam vos. Respondit B. Crispinianus dicens. Numquam bene tibi sit, miser. Nos autem Dominum nostrum Jesum Christum adoramus : nam idolis tuis numquam sacrificamus. Tunc Julianus et hunc amoveri fecit, et admoveri Benedictam : cui et dixit: Dic nobis et tu nomen tuum. Respondit : Benedicta dicor peccatrix. Julianus dixit : Sacrifica diis, et accipe maritum. Tunc B. Benedicta exclamavit voce magna, dicens ; Christiana sum ego, et Christum habeo sponsum : deos autem tuos, acsi lutum quod pedibus calcatur, abjicio. *Hactenus noster codex, pergit porro Corbeiensis cum illo.*

fidem confitentur,

3 Tunc iratus Julianus jussit eos capitalem subire sententiam, et corpora eorum canibus derelinqui. Tunc occulte noctu rapuerunt corpora eorum Joannes Presbyter et Pimeneus Presbyter, et Fabianus vir illustris ex prætorio urbis ; sepelieruntque eos in domo Joannis et Pauli, non longe ab ipsis,

et capite plectuntur 27 Junii.

A ipsis, v Kalendas Julias. *Videntur autem nobis esse iidem, a quibus hunc diem ordiuntur omnia Hieronymiani Martyrologii apographa, de quibus supra, ideoque eos ab istic pariter nominatis* Felice *atque* Spinella *distinximus. Quod* S. Benedictam *attinet*, Virginem *dixi; quia ad nuptias invitata*, sponsum Christum *habere se respondit ; superius autem* Venerabilem feminam *dici censeo, propter ætatem, qua juventutem prætergressa fuerit, necdum tamen inepta conjugio, si virum suscipere animus esset. Siquis tamen malit credere, ipsam florentis ætatis ac formæ* viduam *defuncto marito fuisse, quando hæc acta sunt ; per me licet, ut* Matronæ *titulum ei appingat.* D

prædicta, Virgo an Vidua?

AUCTORE D. P.

DE S. DEODATO

EPISCOPO NOLÆ IN CAMPANIE

COMMENTARIUS PRÆVIUS

De Sancti Vita post translationem corporis scripta, denique ordine decessorum ac successorum ejus reformando.

D. P.

AN. CCC. LXXIII

Nova Topographia in Romanum Martyrologium, anno MDCIX *Venetiis edita a Philippo Ferrario, prima quod sciam fuit in dilatanda hujus Sancti per orbem Christianum notitia,* B *quæ Nola et Benevento, insignibus duabus Neapolitani Regni urbibus, eatenus continebatur. Ibi enim sub nomine* Nolæ, *allegatis* ecclesiæ Beneventanæ tabulis, *ad* XXVII *Junii, ponitur* Deodatus Ep. S. Paulini discipulus. *Idem deinde Ferrarius, edito post quadriennium Catalogo Sanctorum Italiæ, sub ejusdem diei nota, ex* monumentis *prædictæ* Ecclesiæ, *inseruit epitomen quamdam Vitæ : qua citata* Deodatum *inscripsit Natalibus sanctorum Canonicorum, editis anno* MDCXXII, *Constantinus Ghinius, addens quod* hac die feliciter animam Deo reddidit anno circiter CCCCLI, *quod apud Ferrarium non invenit. Similem Ferrarianæ epitomen Vitæ anno* MDCXXXV *edidit Marius de Vipera, Archidiaconus Beneventanus, in Catalogo Sanctorum, quos Ecclesia Beneventana Duplici ac Semiduplici celebrat ritu, idque* ex Bibliotheca Beneventana, in MS. Codice de gestis Sanctorum part. I signata num. 167 pag. 149. *Est autem verosimiliter ab illo diversus* MS. Codex Longobardicus Monialium S. Victorini de Benevento, *unde Ughellus Ital. sacræ tom. 8 sub annum* MDCLXII *eruit Passionem SS. MM. Felicitatis et Filiorum, a Mombritiana satis diversam, nobisque futuram usui* X *Julii ; nec non* Vitam et Acta *quæ mox hic dabimus*, S. Deodati Nolani, cujus corpus extat Beneventi. C

Vitæ compendia ex MSS.

ipsa integra apud Ughellum.

2 *Tempus quo Vita hæc, si non scripta primum, saltem in codicem prædictum transcripta fuit, satis patenter colligitur ex his ad finem verbis :* Multa Deus operari dignatus est ad ejus intercessionem miracula, ut et nos hodie Deo dante fieri cernimus, et summus vir Apostolicus Paschalis fere quotidie ad ejus sepulcrum fundere preces non desistit : *nempe cum hic* anno MCXVII Beneventi Synodum celebravit mense Aprilis, *ut auctor est Franco Beneventanus, usque ad annum* XL *ejusdem seculi suum Chronicon pertexens. Ad hunc autem locum Camillus Peregrinus ostendit, litteras, quas Patriarchæ Hierosolymitano Benevento Paschalis scripsit,* XV *Kal. Aprilis usque ad* VII *Idus Augusti, datas fuisse, non anno* XV *(ut vult Tyrius sibi ipsi contrarius) sed* XVII ; *adeoque totis fere* IV *mensibus eo anno Beneventi Pontificem fuisse. Et hac forsitan causa rescripta cum isto additamento sit Vita; absque speciali recensitione miraculorum,* in quibus illud narratur, *inquit Ferrarius,* quod cum ecclesia incendio cremaretur, ædituo ad S. Deodati tumulum orante, ignis mirabiliter, ad columbæ apparitionem, extinctus est ; cumque Miles quidam (nomen illi Richardus) ecclesiæ illius bona occupasset, ex S. Deodati minaci apparitione perterritus, omnia restituit : *quæ utrum ante vel post tempus Paschalis Papæ sic scripta sunt, ex utriusque Codicis collatione discerni forte poterit; interim optarem accipere integrum eum quoque textum, in quo miracula adsunt, cum alio fortassis Prologo.* E

transcripta anno 1117,

sed sine miraculis, quæ optantur.

3 *In eo quem nos sequimur codice, dicitur Translatio Nola Beneventum, facta* tempore religiosissimi Beneventanæ urbis Principis Sichardi. *Tenuit hic Principatum urbis vix sex annis, ut constat ex Chronico Erckenberti scriptoris coævi, ea Sichardi scelera narrantis, quibus haud sane meruit* Religiosissimus *dici ; sed crudeliter trucidari ; quod anno* DCCCXXXIX *factum, in Additionibus marginalibus colligit ejusdem Chronici editor Camillus prælaudatus. Vipera eamdem Translationem factam scribit, ipsomet* anno a partu Virginis DCCCXXXIX, Gregorio Papa IV, ac Urso Electo Beneventanæ Ecclesiæ. *Electus fuit* Gregorius *anno* DCCCXXVIII, Ursus *circa annum* DCCCXXXIII, *et ultra prædictum annum* XXXIX *diu sedit uterque. Existimo autem Nolanam urbem ea tempestate eversam fere jacuisse, sub potestate Longobardorum : nam et S. Paulini corpus, eadem fere tempestate, putatur Beneventum fuisse delatum, unde postea Romam transierit. Idem de Frequentina civitate dixerim, unde prædictus Ursus etiam corpus S. Marciani, Episcopi ejus urbis, transtulit; et in ipsa, ubi Caput S. Bartholomæi collocarat, Ecclesia metropolitana deposuit, colendum* XIV *Julii, inquit Ferrarius, licet obierit* XVIII *Kal. ejusdem. Hinc mihi suspicio nascitur* S. Deodato *dicatum diem istum esse, non quia tunc obierit (hoc enim in Vita non dicitur) sed quia tunc Beneventum sit translatus.* F

Translatum Nola Beneventum fuit corpus an. 839,

cum Nola tunc forte destructa jaceret.

4 *Primum dubium, de statu Nolanæ urbis seculo* IX *sub Longobardis, resolveret nobis fortassis Ambrosius Leo; si ipsius libri, anno* 1614 *Venetiis excusi de Nola patria, ad manum forent : secundum expediret Epitaphium Sancti, si integrum haberetur. Sed et de hoc, quod Andreas Ferrarius, Ecclesiæ Nolanæ Canonicus Thesaurarius edidit Neapoli anno* 1644, *in libello cui titulus Cœmeterium Nolanum pag.* 110, *ambigit Ughellus, an Episcopi sit : sic enim legitur ad manum dexteram ejus capellæ, quæ Sancta Sanctorum Nolæ dicitur, in ecclesia majori, ad eam concham quæ sepulcrum continet :* Adeodatus indignus Archipresbyter Sanct. Nol. Eccl. requiescit hic. *Verum sicut* τὸ indignus, *satis indicat, ita adhuc viventem curavisse de seipso scribi, ex Christiana humilitate ; reliquo lapide vacuo relicto, ut postea adscriberetur tempus vitæ ac mortis : sic nihil prohibet credere, eumdem de quo hic agimus* S. Deodatum *sibi monumentum istud curavisse fieri, cum esset adhuc Presbyter : cui postea Episcopo defuncto epitaphium pertexturi, quidam religioni duxerint sibi expungere verba, ante Episcopatum tanto prius jussa sculpi, ac fortassis a moriente prohibita immutari ;*

Videtur Sanctus adhuc Archipresb. sibi ipse posuisse cœnotaphium,

quod, post ejus, deinde Episcopi, mortem,

AUCT. EE D. P.

A *ri; ea tamen addiderint, quæ Episcopum fuisse declararent, sic enim porro sculpi fecerunt, cum insigni defuncti elogio.*

pertexuit alius, quale habetur

5 Dilectus a Deo et hominibus in Sacerdotium *(quo Episcopatum, non Archipresbyteratum intelligi, dubitare vix possum)* erat enim in sermone verax, in judicio justus, in commisso fidelis; omnia in se habuit quæ Christus amavit, fidem, caritatem et cetera: dulcis et benesuadus in verbis suis: semper adduxit munera copiosa, quando ingressus est in San. Felicem: tempore quo nullus fuit pretioso illo *(puto integre* pretiosior *legendum)* S. *(sanctus)* Sacerdos vixit cunctis diebus vitæ suæ, ante ordinationem.... *(quæ desiderantur: cum autem adhuc essent integra, videntur inde in Vitam num.* 3. *translata, et sic porro legi posse)* ante ordinationem in Presbyterum annis XXX, XX post Ordinationem; in Episcopatu XXX, a nativitate LXXX. *Neque hic finem puto fuisse Epitaphii, sed ex more additum diem et annum depositionis. Diem ego non divino, si fuit alius a* V Kal. Julii. *Annum sic conjecto signatum fuisse;* CONS. LEONE AUG. V. *Hic enim solus anno* CCCCLXXIII *Consulatum tenuit et Fastis inscriptus est. Nolani quidem Beneventanique scriptores mortuum* Adeodatum *statuunt anno* B CCCCLXI, *sed communi errore decepti, quo immediate succesisse ipsum putaverunt S. Paulino hujus nominis primo, quem solum videntur novisse, et quem constat an.* CCCCXXXI *obiisse. Ignorabant scilicet Paulinum Juniorem, quem nunc demum agnoscimus immediatum successorem usque ad annum* CCCCXLII, *juxta illius epitaphium quo dicitur depositus* IIII *Idus Septembris Fl. Dioscoro viro Clarissimo. Hic enim est Dioscorus Eudoxius solus ordinarius Consul anno Christi* CCCCXLII. *Isto ergo anno Paulino Juniori successerit* S. Deodatus *in Episcopatu, eatenus tantum Archipresbyter. Correctionis istius necessitatem certam nobis facit* Valentiniani *(utique* III) Imperatoris *ætas; qui anno* CCCCXIX *natus, moriente Paulino I, solum erat undennis; et tamen de illo Imperatore legitur num.* 2, 3, 4, *quod* biennio, *antequam* Deodatus *Episcopus ordinaretur, cum ad se accersitum carcere ac dein exilio mulctarit; sed mox absolutum exorarit, ut sibi filiam a dæmone liberaret. At si anno circiter* CCCCXL *res acta dicitur, annos* XXI *tunc natus Valentinianus, et anno* XXXVII *istius seculi conjunctus cum Eudoxia Theodosii junioris filia, duas ex ea filias suscepit; Eudoxiam et Placidiam; quarum saltem primam tunc natam fuisse oportet; quippe quam anno* CCCCLV *Hunnericus Wandalus,* C *capta Roma, sibi uxorem sumpsit.*

sed fine mutilum, et ex conjectura integrandum.

Male creditur successor S. Paulini senioris immediatus;

qui primum potuit fuisse ordinatus circa 442,

6 *Sit ergo Deodatus anno* CCCCXLII *ordinatus Episcopus, jam inde ab anno* CCCCXXII *consecratus a Paulino I Presbyter; sub ejus autem successore, uno aut pluribus, eo munere functus, usque ad annum* LXXIII *istius seculi vitam propagarit: tunc ei successisse potuit* S. Felix *junior, ad cujus tumulum hæc verba leguntur in præcitato Cæmeterio.* DEP. SANC. FELICIS EPISC. V. ID. FEBRS. POS. CONS. FAUS. FL. V. C. *id est,* Depositio S. Felicis Episcopi, V Idus Februarias, post Consulatum Fausti Flavii viri clarissimi, *id est anno* CCCCLXXXIV.

ideoque obiit circa an. 473,

quando ei successerit Felix II. an. 484 defunctus.

VITA

Ex editione Ughelli tom. VIII.

S. Paulini Archipresbyter

In tam magno mysterio, in tam admirabili Sacramento, quis valeat linguam compescere, ita ut B. Deodati Nolanæ urbis Archipresbyteri vitam meritaque eximia, ad fidelium ædificationem non referat? Fuit hic Archiepresbyter tempore Paulini, Nolanensis urbis Episcopi: qui cum normam Magistri omnimodo sequi studeret, ad perfectionis culmen brevi itinere pervenit. Ingressus itaque B. Martyris *a* Felicis ecclesiam, acervos divinorum charismatum consecutus est: erat siquidem nomine jam Deodatus; sed multo illustrior fuit gestis, et vita mirificus. Spiritus namque Dei oculos mentis ejus imprimis aperuit, ita ut quæ non viderat, sciret; et quæ viderat, ultro adaperiret: sicque prophetico spiritu ante omnia præcelluit. Ex quo factum est, ut omnium Presbyterorum et Clericorum consensu, totius Ecclesiæ Nolanæ administratio, in redditibus exigendis ac dispensandis [ei] committeretur: et sic quodammodo Episcopus erat. Ad ipsum namque pro consilio concurrebat multitudo; pro subventione, egenorum viduarumque non spernenda copia assidue advolabat, quibus omnibus benigne verbo et pecunia succurrebat: unde non immerito a B. Paulino, Nolanensi tunc Episcopo, et populo universo diligebatur. D

a

mire cunctis probatur.

2 At humani generis hostis, qui semitas Deum timentium offendiculis sæpe obversat et respergit, callida fraude perfecit, ut nonnulli iniquitatis viri eum omnino vexare inceperint; et apud *b* Valentinianum, tunc temporis Romani Imperii gubernacula tenentem, accusaverint, quod non bene circa res Nolanensis Ecclesiæ se gereret, sed pro arbitrio et ad proprium usum multa bona destinaret. Quod E Imperator ubi rescivit, ea qua erat in ministros Ecclesiæ cupiditate dominandi excitatus, ad se Deodatum, Nolanensis ecclesiæ Archipresbyterum, jussit adduci: cui dixit: Nisi ad illa, quæ adversum te multorum testimonio comprobantur, satisfeceris, scias indignationem nostram omnino te incursurum; et pœnas, quas pro talibus delictis mereris, absque dubio subiturum. Cui respondit Deodatus: Absit, o Imperator, quod ego vel contra Imperii tui statum aliquid sim molitus, vel quod Ecclesiæ Nolanensis facultates in alios quam in pios usus converterim, sicut illas dici a majoribus meis erogare. Nec de hac re alios imploro testes, quam meos Nolanenses concives. Verum cum Imperatori alto insedisset, Deodatum contra suam injustitiam *c* in Ecclesiasticos sæpe palam reclamasse, et ob id suspicaretur eum aliquid adversus Imperialem statum moliri, continuo jussit intrudi in carcerem, dicens; Nisi omnia per ordinem, quæ in me ausus et molitus es, pandes, scito te fame periturum in hoc carcere.

b Valentiniano accusatus de peculatu,

primo in carcerem,

c

3 Interim dum hæc aguntur, Nolæ S. Paulinus *d* Episcopus, qui absens erat, nuntio de sui Archipresbyteri incarceratione audito, Nolam convolavit. Quod ubi nuntiatum est Valentiniano, ob reverentiam tanti viri, Deodatum clam exire fecit de carcere, et occulte in exilium asportari. Interim Valen- F tiniani filia *e* a malo dæmone corripitur: et sic per multos dies vario furore agitata, nocte quadam ejus pater, dum in lecto sopore teneretur, veluti a longe audivit vocem, ei minitantem casum Imperii, et postmodum mortem, nisi ab injusto judicio, contra Deodatum suscepto, desisteret. Qua voce perterritus et expergefactus, valde mane suos vocavit Consiliarios; et quid sibi per soporem in aures obstrepuerit, per ordinem narrat, et sic de revocando ab exilio Deodato, omnium consiliariorum unanimis fuit sententia.

d deinde in exilium mittitur:

e

4 Ad locum itaque exilii directi sunt qui revocarent Deodatum. Quo cum advenissent, et mandata Imperatoris, de ipso ad aulam reducendo, exposuissent; grataner admodum eos Deodatus respexit et audivit, sperans tunc sui obitus advenisse horam: sicque sæpius in itinere verba illa repetebat; In manibus tuis, Domine, sortes meæ. Verum cum ad præsentiam Imperatoris advenisset, ipso et omnibus qui aderant obstupescentibus, Imperator ad Deodati se prostravit pedes, obsecrans, ut sibi ignosceret, et

sed ab Imperatore divinitus territo,

AUCTORE F. V.

et filiam suam a dæmone quantocius liberaret. S. Deodatus, insperata cernens, Deo gratias egit, dicens; Si Deus pro nobis, quis contra nos? cujus visitatio nulli fideli in tribulatione denegatur, sed eos jugiter miserando consolatur. Interea Valentiniani filia plusquam antea dire cruciabatur a dæmone, qui lamentabatur, se plus Deodati præsentia quam ab igne torqueri. Cui S. Deodatus præcepit, ut illico, per omnipotentis Dei virtutem, puellam relinqueret, quod et dicto citius factum est. Restituta itaque puella saluti, voluit Imperator S. Deodatum suis ditare divitiis, quas constanti ipse respuit animo; lautiores se asserens habere thesauros: et sic honorifice dimissus ad propria remeavit, ingentique suorum civium lætitia, intra Nolanæ urbis mœnia est receptus.

ejusque filiam a dæmone liberat.

5 Ubi biennio *f* commoratus, S. Paulino vita functo, omnium votis in Episcopum designatur Deodatus. Quo in munere constitutus, adeo omnium virtutum conatus est acquirere culmen, ut certatim in eo contenderent caritas, humilitas, benignitas; et quidquid in eo, qui curam gerit animarum, desiderari potest. Vixit in Episcopatu triginta annis, ab ordinatione in Presbyterum viginti, et a nativitate ad Sacerdotium triginta: sicque curriculus suæ vitæ in hac mortali luce, fuit octoginta annorum *h*: et sepultus est apud *i* Nolanam urbem, ubi per multos annos coruscavit miraculis; usque dum tempore religiosissimi Beneventanæ urbis Principis *k* Sicardi, Paldus *l* quidam Nobilis Beneventanus, ad portam civitatis, ad ejus honorem ædificavit ecclesiam: in quam deferri corpus ejus impetravit a prædicto Principe. Quo in loco multa Deus operari dignatus est, ad ejus intercessionem, miracula *m*; ut et nos hodie Deo dante fieri cernimus: et summus vir Apostolicus *n* Paschalis, fere quotidie ad illius sepulcrum fundere preces non desistit; quo magis fidelium corda, per mirabilia Sanctorum, in Dei amorem excitentur, qui est benedictus per infinita secula. Amen.

Denique factus Episcopus 30 annos sedit.

Corpus transfertur Beneventum.

ANNOTATA D. P.

a S. Felix *hic colitur* 14 *Januarii.*

b *Imperatoris nomen dissimulavit Ferrarius, videns cum S. Paulini senioris ætate componi non posse, quæ hoc vivente ab Imperatore fuisset* Deodatus *passus.*

c *Minime hoc abludit a moribus* Valentiniani *jam adulti, utpote ex instructione Arianæ matris haud satis æqui Catholicis Episcopis, et in luxuriam proclivis; quod ei, stuprata per vim Maximi pudicissima uxore, etiam exitium attulit.*

d *Paulinus scilicet Junior.*

e *Puta* Eudociam *Juniorem, anno* 438 *natam.*

f *Usque ad annum* 442.

h *Natus circa an.* 393.

i Apud, *id est,* in; *nisi ex suburbano cœmeterio in urbem translatum corpus velimus, una cum decessorum ac successorum trium corporibus, sub Felice juniore, sequenti seculo inchoato.*

k *Anno, ut ait Vipera,* 839; *sed* Sicardus *iste non valde bonus fuit.*

l *Idem ait ecclesiam istam ædificatam a* Tatone et Tazone *patruelibus* S. Paldonis]; *et tamen primum ad an.* 729, *alterum* 739 *obiisse. Omnium trium Acta a fere coævo scripta, possemus in supplemento dare ad* XI *Januarii, quo* Tato *coli dicitur, vel* XI *Octobris quo* Paldo: *ibi autem iidem anni notantur. Præstat igitur hic alium* Paldum, *uno seculo posteriorem, intelligere.*

m *Miracula aliunde optamus nancisci.*

n *Anno* 1117, *quo Paschalis II Beneventi fuit* 4 *fere mensibus.*

DE S. SAMPSONE XENODOCHO

CONSTANTINOPOLI

COMMENTARIUS PRÆVIUS

R. P. FRANCISCI VERHOVII S. J.

§. *I. Auctor Vitæ S. Sampsonis Symeon Metaphrastes.*

… DXXX vel XXXI.

L*eo Allatius, in sua de Symeonum Scriptis Diatriba, ubi de Symeone Metaphraste fusius agit, varias Sanctorum Vitas, quæ sub ejusdem nomine passim veniunt, tum quod alios Auctores præferant, tum quod a scribendi methodo et stylo atque ætate Metaphrastis multum aberrent, ei plane abjudicat; alias vero nonnullas tamquam genuinos illius fœtus designat, ex quibus de ceteris fieri possit judicium: de Vita tamen* Sampsonis *Xenodochi nihil pronuntiavit, forte quod græcum textum videre ei non licuit: difficile enim est de genuino auctoris fœtu judicium ferre, nisi eum proprio idiomate loquentem audias. Nos Vitam eam græce conscriptam, quam ex MS. Bibliothecæ Mediceæ Regis Franciæ nacti sumus, infra dabimus. Ut autem appareat eam a Symeone Metaphraste esse compositam, quæ fuerit illius scribendi formula et modus, ex Psello ejusdem encomiaste, iisdemque temporibus vicino, paucis hic juvat apponere, ut est apud Leonem Allatium in Diatriba prælaudata.*

Methodus et stylus

2 Τὰ γὰρ προοίμια τῶν λόγων αὐτοῦ ἁπτόμενα εὐθὺς τοῦ ὑποκειμένου, καὶ βραχύ τι προϊὼν, τὸν τοῦ συγγράμματος ἀναφαίνει σκοπόν· καὶ τὴν πᾶσαν ἐπ᾽ ἐνίοις τῶν λόγων ὑπόθεσιν κεφαλαιοσάμενος εὐθὺς κατὰ μέρη τέμνει, πρός τε τὰ πρόσωπα καὶ τοὺς καιροὺς μεθαρμόζεται. Καὶ τὸ μὲν χρῶμα τοῦ λόγου τὸ αὐτὸ πᾶσι, καὶ ἡ ποιότης μία τῆς φράσεως, ἡ δέ γε τοῦ ἤθους μεταβολὴ ποικίλη, καὶ ὡς ἂν εἴτη τις, τεχνικὴ, οὐ διὰ τὴν τέχνην τὰ πράγματα μεταβάλλουσα, ἀλλὰ τῷ ἑκάστῳ τῶν παραπιπτόντιων πραγμάτων τε καὶ προσώπων οἰκεῖον ὑφερμηνεύουσα· ὡς πρὸς ἀρχέτυπα [δὲ τὰ ἀρχαιότερα τῶν πραγμάτων ἐνατενίζων, ἐκείνων τε οὐκ ἀφίσταται, ἵνα μὴ δόξῃ ἄλλο τι ποιῶνῖ καὶ παρὰ τὸ παράδειγμα, καὶ τὴν ὅλην ἰδέαν μετατυποῖ, οὐκ ἐναλλάττων τὴν ὕλην, ἀλλὰ τὸ ἡμαρτημένον τῶν εἰδῶν διορθούμενος, οὔδε καινοτομῶν τὰς ἐννοίας, ἀλλὰ τὸ τῆς λέξεως σχῆμα μετατιθεὶς, ἀνωμαλίαις τὲ περιπίττων διηγημάτων ὁ λόγος αὐτῷ, καὶ μεταλλαγαῖς ὑποθέσεων οὐ συγχεῖται, οὐδὲ ταράττεται. *Quæ ita vertit Allatius.*

Symeonis Metaphrastis,

3 Principium ejus Orationum statim attingit subjectum, et parum procedens, ostendit sui scripti scopum; et in nonnullis orationibus, cum totum argumentum recapitulet in summam, id statim in partes dividit. Se autem accommodat personis et temporibus: et est quidem omnibus idem color orationis

ex Psello hujus laudatore,

A tionis et una qualitas dictionis; morum autem varia est mutatio, et, ut dixerit quispiam, artificiosa, non per artem res mutans; sed, quod unicuique rei et personæ incidenti conveniebat, interpretans. Tamquam autem ad archetypa exemplaria ad res antiquiores intuens, nec ab illis recedit, ne videatur aliquid aliud facere, et ad exemplar quoque totam transmutat dicendi formam, non diversam faciens materiam; sed quod in dicendi genere peccatum erat, corrigens; neque sententias innovans, sed convertens figuram dictionis, et ei incidens oratio in diversitatem narrationum et varietatem argumentorum non confunditur neque perturbatur. etc.

AUCTORE F. V.

cum auctore Vitæ conveniunt;

4 *Hæc qui cum Procemio Auctoris contulerit, in eo Metaphrastem agnoscet: in ipso enim initio scriptionis suæ scopum, intentumque significat; deinde, quæ documenta ad* Sampsonis *Historiam texendam habuerit, exponit; quæ quamvis inerudite et barbare essent composita, secuturum tamen sese profitetur; quamquam ea meliori stylo metaphrastice exornet. Deinde si totam hujus scriptionis formam, stylum, frequentemque adagiorum, hinc inde erudite intercurrentium, usum consideres, atque ea omnia cum genuinis illius ac germanis fœtibus, de quibus constat apud Allatium in præfata* B *Diatriba, ubique Metaphrastem invenies. Præterea certos nos reddit Auctor Vitæ hujus in Proœmio, se multorum aliorum Sanctorum, Martyrum quidem labores et certamina, Confessorum vero vitas et res gestas diligenter conscripsisse, idque Constantinooli, ubi* S. Sampsonis *tumulus cœlestibus clarebat prodigiis; inde et ea narrat miracula, quæ aut ipse oculis suis conspexit, vel ab oculatis testibus ipse audivit: quæ cui istius temporis auctori adscribentur, nisi Metaphrasti?*

ut et institutum,

5 *Hunc non ludimagistrum trivialem fuisse, ut quidam somniarunt, sed summa in Republica dignitate excelluisse, utpote qui* Magistri *et* Logothetæ *nomine appelletur; quod eorum munus est, qui rationes fiscales vel publicas cognoscunt et disceptant, sumptusque vel et reditus ita dirigunt, ut Reipublicæ potius quam privatorum munus sustineant. Hujus, inquam, dignitatis fuisse Metaphrastem, evidenter demonstratum Lector inveniet apud Bollandum nostrum in Præfatione gen. ad Vitas Sanctorum cap.* 1. §. 3. *et fusius apud Allatium in Diatriba prædicta. Nostrum vero auctorem conspicuæ fuisse in Republica dignitatis, ex eo licet conjicere, quod in Vita num.* 12 *asserat, se amicum fuisse, et perquam familiarem viro in summa dignitate constituto, Leoni scilicet,* ὃν ὁ πατρικίων τε καὶ πραι- C ποσίτων εἶχε χόρος, καὶ ὃς μετῆλθε μὲν τὴν τοῦ Δρουγγαρίου τὴν τῶν πλοίμῶν, μετῆλθε δὲ καὶ τὴν τοῦ Λογοθέτου τοῦ Δρόμου ἀρχὴν, qui in Patriciorum Præpositorumque ordinem relatus fuit, quique rei maritimæ præfecturam ac Logothetæ. Cursus publice Magistratum gessit, *quæ sunt inter suprema Reipublicæ Constantinopolitanæ munera.*

dignitas,

6 *Cum vero alius quidam Leo, qui Leonis Patricii ministerio suberat, quique erat Protospatharius (id est Princeps eorum, qui ad corporis custodiam erant deputati) Domini sui gratia ac favore, quam ob causam nescio, excidisset, nullusque pro misero intercedere auderet, quod difficilis ad Patritium pateret aditus, et asper esset in sermonis congressu, præsertim inter famulos; solus hujus Vitæ auctor, pro sua scilicet qua apud Leonem Patricium pollebat auctoritate et gratia, pertinacem animum ad impetrandam misero veniam interpellare sustinuit, ut ipsemet refert loco præcitato. Inde inferre licet hunc quoque fuisse eximiæ dignitatis atque auctoritatis, dignumque qui in tanti Viri amicitiam familiaritatemque admitteretur. Convenit igitur Auctori nostro stylus et scribendi formula Symeonis Metaphrastis, convenit vitæ institutum, convenit dignitas: nunc superest, utrum cum ætate ejusdem convenire possit, perspicere.*

auctoritas,

7 *Floruisse Metaphrastem ultimis annis imperii* D *Leonis Philosophi, qui obiit anno* DCCCCXI, *constat ex ipsiusmet testimonio in Vita S. Theoclistes, ubi ait:* Γενομένῳ 'μοί ποτε κατὰ τὴν Πάρον. Γέγονα δὲ, καὶ γὰρ ἐπὶ Κρήτην διέπλεον ὑπὸ τοῦ μακαρίτου Λέοντος ἐκεῖσε πεμφθείς. Λέοντός, φημι, τοῦ εὐτυχοῦς ὄντως Βασιλέως, καὶ τὴν εὐτυχίαν Ῥωμαίων τῷ τάφῳ ἀνατάψαντος· ἐπεμπόμην δὲ συστρατεύομενος Ἡμερίῳ τῷ πάνυ, τῷ στρατηγικωτάτῳ δηλαδὴ, καὶ ἄρχοντι τοῦτε Δρόμου, καὶ τοῦ στόλου παντὸς.... Ἐστελλόμην τοιγαροῦν τοῦτο μὲν ἐκείνῳ συστρατευόμενος, καὶ προβιβαζόμενος εἰς πεῖραν στρατηγικὴν, οἷα πῶλος μητρὶ πρὸς τὰ γενναιότατα τῶν στρατηγημάτων συσκαίρων. Οὕτω γὰρ ἦν ὁ τοῦ μακαρίτου μου Βασιλέως σκοπός· τοῦτο δὲ πρεσβευόμενος πρὸς τοὺς τὴν Κρήτην ἔχοντας Ἄραβας. *Quæ sic Latine sonant Allatio.* Cum aliquando in Paro essem insula: fui autem, nam in Cretam navigabam a Leone beatæ memoriæ eo missus; Leone, inquam, illo vere fortunato Imperatore, qui ipsam Romanorum felicitatem secum videtur in sepulcrum intulisse. Mittebar autem una militans cum clarissimo illo Hemerio, utpote ducendi exercitus peritissimo, Dromi Præfecto, qui et universæ classi imperabat...... Mittebar igitur partim cum eo militans, et ad Imperatoriæ artis documentum aliquod promovendus, ut equulus matri, ad præclara E ejus stratagemata assiliens: id enim præcipue Augustus spectabat: partim, ut ad Arabas Cretam obtinentes legatione fungerer.

atque ætas ejusdem;

qui tempore Leonis Philosophi,

8 *Ex his infert Bollandus noster, in prædicta præfatione, Metaphrastem id temporis non adeo fuisse natu provectum, ut qui Imperatoriæ virtutis tyrocinium ponere sub veterano Duce juberetur, eique additus fuerit* οἷα πῶλος μητρὶ velut equulus matri, *solumque ei tribuit* XX *aut* XXII *annorum ætatem. Allatius vero hanc similitudinem non ad ætatem, sed ad docilitatem et disciplinam referens ex ultimis verbis* τοῦτο δὲ πρεσβευόμενος πρὸς τοὺς τὴν Κρήτην ἔχοντας Ἄραβας Partim, ut ad Arabas Cretam obtinentes legatione fungerer, *concludit, ea in expeditione Metaphrastem provectioris ætatis fuisse, quæ capax esset sustinendæ auctoritatis atque illius prudentiæ, quæ in Legato requiritur; quare annos* XXXX, *aut minimum* XXXV *ei tribuit. Multa quidem ille præter alia eaque gravissima erudite congerit, unde opinionem suam verosimilem reddat.*

annos 22 natus, esse potuit Legatus

9 *Omnia tamen, quæcumque affert, rem plane non conficiunt, idque solum convincunt, communiter id con-* F *tingere secundum ordinarium rerum humanarum cursum, non vero absolute ita factum numquam esse. Capax etenim est nonnumquam adolescentia rerum maximarum, tum in militia tum in republica, præsertim si prudentia et exterior corporis species, ut quandoque factum vidimus, ætatis defectum suppleat. Ut alias prætеream, Scipio Africanus, quod Romana habet historia, annos* XXIV *natus, Imperator missus est in Hispaniam, quam quatuor mensium spatio Carthaginensibus eripuit, Pompeius Magnus, teste Cicerone in Orat. pro Lege Manilia,* ineunte adolescentia summi ipse exercitus Imperator *fuit: et tamen quanta in moderando dirigendoque exercitu prudentia rerumque usus requiritur? Juvat hic annectere quod refert Beyerlinck in Theatro Vitæ hum. verbo* Legatus. Venerant, *inquit,* superiori ævo ad Imperatorem Orientis imberbes Legati, quos cum ille despiceret, quod adolescentiores missi essent, libere et audacter dixerunt: Si ex menti lanugine æstimanda sit aptitudo et dignitas, hircos potiores partes habituros.

10 *Quod igitur in paucis contigit, in Metaphraste contingere potuit, præsertim cum Michael Psellus ipsius encomiastes, ejus in prima ætate ingenium, innatamque quasi prudentiam extollat hisce verbis:* Καὶ τὸ κατὰ πάντων ἀσύγκριτον κράτος καὶ ἀπαράμιλλον,

propter ingenii maturitatem,

A λού, ἦν μὲν εὐθὺς τὸ ἐκ πρώτης, ὡς εἰπεῖν, γενέσεως, καὶ ἐξ ἀνθούσης ἤδη τριχὸς, ὥσπερ οἱ τῶν λεώντων σκύμνοι, εὐθὺς τὴν ὀφρῦν παραδεικνύοντες, καὶ τῶν ἐπαυχενίων τριχῶν τὸ λάσιον. Ὑπήνθει γὰρ αὐτῷ τὰ τῆς συνέσεως ἄνθη, καὶ τὸ φρόνημα ῥίζαν τινὰ εἶχε βαθεῖαν, καὶ ὁ νοῦς ἐξήστραπτέ τι θαυμάσιον. Ταῦτα δὲ τοῖς μὲν ἄλλοις ἀρκοῦντα ἐτύγχανεν εἰς τελείωσιν, ἐκείνῳ δὲ προχαράγματα τῆς τελείας ἐγνωρίζετο φύσεως. *Quæ ex interpretatione Allatii ita sonant :* Et vires quidem (ingenii) incomparabiles statim et a primo, ut semel dicam, ortu, etiam florente capillo ostendebat ; non secus atque leonum catuli ostendunt protinus supercilium et densam colli jubam. Etenim flores pullulabant intelligentiæ ; et habebat prudentiæ profundam quamdam radicem, et quodam admirabili fulgore mens micabat. Hæc aliis quidem suffecissent ad perfectionem ; in illo autem agnoscebantur veluti quædam prius descriptæ figuræ, quæ perfectam ejus indolem præsignificabant. *Quid miri igitur, si Metaphrastes id temporis legatione aliqua perfunctus fuerit, prudentia magis quam ætate provectus? forte etiam aliis Legatis senioribus honoris causa additus, ut quemadmodum* B *sub Himerio veterano Duce rei militaris, ita sub iis rei politicæ inter exteras nationes rudimentum poneret.*

vel aliis legatis additus honoris causa,

11 *Quod igitur fieri potuit, factum tantisper supponamus, atque ultimo Leonis Philosophi anno, æræ communis* DCCCCXI, *Simeoni Metaphrasti* XXX *aut* XXXII *annorum ætatem tribuamus. Poterit tunc ad tempora Nicephori Phocæ pervenisse (qui anno* LXIII *ejusdem seculi imperium Orientis adeptus fuit) atque octogenario major aliqua etiam elucubrasse. Hoc supposita videamus an Chronologia hæc convenire possit nostro auctori, qui num.* 19 *narrans miraculum quod Bardæ Protospathario accidit, ait.* Σφόδεα δὲ οὗτος Ῥωμανῷ βασιλεῖ τῷ ἐπεικεῖ τε καὶ χρηστῷ προσῳκείωτο, ὃν καὶ ἴασι πάντες, υἱὸν Κωνσταντίνου γενέσθαι, τοῦ, τὰ πάντα σωνελόντα εἰπῶν, Βασιλικωτάτου. Ei vero *(Bardæ)* magna intercesserat familiaritas cum Romano Imperatore benigno et clemente, quem sciunt omnes fuisse filium Constantini, qui (ut omnia semel dicam) fuit Imperator egregius, *quibus verbis de Romano Constantini Porphyrogeniti filio, ut jam mortuo loqui videtur, nisi forte verti possit :* Ei vero magna intercedebat familiaritas cum Romano Imperatore, quem sciunt omnes esse filium Constantini ; *atque ita ad Romani Imperatoris tempora, qui ab anno* DCCCCLX *ad* LXIII *Imperium tenuit, referri posset, alias ad successoris illius Nicephori Phocæ tempora transferen-* C *dus, adeoque nihil hic est, quod cum ætate Metaphrastis pugnet.*

et ad tempora Nicephori Phocæ Imp. pervenire,

quod conveniret potest cum auctore Vitæ,

12 *At terruit me quod num.* 15 *legatur, ut apud Surium translatum est, scilicet :* Petit a bono Joanne (ille enim tunc obtinebat imperium) ut cura hujus domus sibi demandaretur : *ubi Joannes Zemisces indigitatur, qui anno* DCCCCLXIX *regnare incepit, ad cujus tempora Metaphrastes ægre potest pertingere, nisi eum nonagenario majorem, Vitam hanc scripsisse fateamur. Quam ob rem pro* Joanne *scribendum puto* Constantinum : *idque eo facilius adducar ut credam, quia in Ecgrapho nostro græco nomen* Joannes *integre scriptum non habetur, sed duabus tantum initialibus litteris* Ἰῶ. *In authentico igitur nomen* Constantinus *per compendium scriptum fuerit, duabus aut tribus primis litteris* Κῶν *tantum expressum : unde extritis edacitate temporis, in prima littera* K, *duabus transversis lineolis et ultima forte littera* ν, Ἰῶ *remanserit; ex eoque* Joannem *fecerint. Cum igitur illa ita commode explicari possint, ceteraque omnia Metaphrasti conveniant, nihil obest, quo minus Vitam* S. Sampsonis *ei adscribamus, quam in decrepita sua senectute composuerit, postquam plurimorum Martyrum et Confessorum, ut ipsemet confitetur, res gestas in lucem ediderat.*

in qua pro Joannes erit scribendus Constantinus.

13 *Notatum invenio in Indice nostro viatorio, Vitam* Sampsonis, *quæ incipit,* Ἀλλὰ μὲν χάριτος ἔργον καὶ θεραπείας, τῆς πρὸς τὸν μέγα Σαμψὼν *etc. servari manuscriptam in Bibliothecis, Vaticana et Vallicellana Romæ ; item in Florentina et Taurinensi. Nobis illa pridem extracta fuit ex codice MS. ut jam dixi, Medicæo Regis Christianissimi, sub hoc titulo,* Βίος καὶ πολιτεία τοῦ ὁσίου Πατρὸς ἡμῶν Σαμψὼν τοῦ ξενοδόχου. Vita et conversatio sancti Patris nostri Sampsonis, exceptoris hospitum. *Latinam impresserunt Lipomannus tomo 6, et ex ipso Surius tomo 2; juxta interpretationem Gentiani Herveti : quam eamdem ego quoque hic retineo; in paucis tamen aliquibus, cum textu græco collatis, mutatam.* D

AUCTORE F. V.

§ *II. Tempus mortis.*

Quod ad ætatem Sampsonis *attinet, Metaphrastes, Menologium Basilii Porphyrogeniti, Menæa excusa, Origines Constantinopolitanæ ineditæ Parte* 2, *eum floruisse aiunt sub Justiniano Imperatore, utpote qui ab eodem Sancto in vivis existente ab immedicabili morbo fuerit liberatus; atque, ut pro tanto beneficio grates referret, magnificum eidem ædificaverit xenodochium, quod deinde Hospitale* S. Sampsonis *est appellatum. Ast Cardinalis Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum, hoc die ea omnia erroris arguit, ex eo quod Procopius, qui illis temporibus vixit, eaque ob oculos habuit, lib.* 1 *ædifi. Justiniani Imp. cap.* 2 *testetur, Hospitale* Sampsonis *nomine, ab eodem* Sampsone *erectum, olim incendio conflagrasse ; cumque vix quædam remansissent vestigia, illud ipsum hospitale ab eodem Justiniano Imperatore munificentius instauratum fuisse, censuque annuo ingentis pecuniæ locupletatum. Cum autem Metaphrastes num.* 11 *testetur, dictum incendium contigisse post obitum Sampsonis, quando et Sophiæ nobile templum exustum est ; ac pariter testetur Marcellinus in Chronico, id contigisse temporibus Anastasii Imperatoris ; concludit prælaudatus Cardinalis, longe ante Justiniani Imperium Sampsonem diem suum obiisse : atque ex eodem Procopio multo magis redarguit Cedrenum, dum ait conflagrasse Domum Sampsoneam anno penultimo Justiniani.* E

Metaphrastes et Mænea sub Justiniano Imp.

Baronius sub Anastasio mortuum volunt.

15 *Has difficultates dissolvit Nicolaus Alemannus in Notis ad cap. 4 Historiæ Arcanæ Procopii. Juvat ejus verba hic annectere.* Longe antiquiorem Justiniano Sampsonem credit Cardinalis Baronius in Notis ad Martyrologium, et vacillare fidem illius historiæ putat quæ habeat, Nosocomium Sampsonis, eodem rogante, a Justiniano erectum, cum Procopius dicat, restauratum, quod jam antea idem Sampson exædificasset. Verum adeo exiguum fuit primum illud Sampsonis ædificium, tam illustre vero tamque magnificum a Justiniano factum, ut nihil veritati detraxisse Metaphrastes videri possit. Quod addit *Baronius* de conflagratione ejus Nosocomii, quam tum contigisse arbitratur, cum sub Anastasio sanctæ Sophiæ templum exustum fuit ; clarum est in historiis, non semel illud templum incendiis obnoxium fuisse ; Justiniani vero anno v illud Nosocomium incensum esse idem Procopius refert lib. 1 ad ædif. et 1 belli Pers. cap. 24 et Theophanes ad annum v Justiniani. Fortasse majoris momenti sit in hac re, quod Procopius de Sampsonis ætate ait : Ἀνήρ τις θεοσεβὴς ἐν τοῖς ἄνω χρόνος Σαμψὼν ὀνόμα. Vir quidam pius qui superioribus annis floruit. At hoc etiam nihil est : nam Procopius librum illum de ædificiis, ubi hoc habet, extremo Justiniani Imperio scripsit, nempe sex et triginta atque amplius annos post mortem Sampsonis. Vigebat tamen adeo ejus memoria, ut Justinianus, Novella 59 et 131, ubi de Sampsone loquitur ; Ὁ τῆς ὁσίας μνήμης Σαμψὼν dicat, F

Hujus sententia minus probatur,

AUCTORE F. V.

A dicat, Sanctæ memoriæ Sampson; quod (ut obiter notem) cum in antiquis manuscriptis, litteris singularibus S. M. notatum esset, male in latinis editionibus Novellæ 131 exceptum, sanctæ Mariæ Sampson. Quod autem in Metaphraste corrigendum plane censeo, est ratio temporis vitæ Sampsonis et annorum Imperii Justiniani: nam Antistite Mena Sampsonem superfuisse, haud bene Metaphrastes narrat, cum ante Consulatum Belizarii obiisse, ex Novella 59 perspicue constet. Porro ejusdem Novellæ publicatio, atque electio Menæ, fere in idem tempus incidunt; nempe circa annum Justiniani XI; at vero ante annum ejus V mortuum Sampsonem fuisse nemo dubitet. Ad hunc calculum revocanda sunt quæ de incendio Nosocomii a Metaphraste narrantur.

et difficultas explicatur.

16 *Hæc erudite Alemannus: at vero, contra quod hic existimat, Auctor Chronici Alexandrini amplissimum ea tempestate (anno scilicet quinto Justiniani) fuisse, ait, Nosocomium Sampsonis; cum dicat,* ξενὼν τοῦ Σαμψὼν ὁ μέγας ἐκαύθη, καὶ ἀπώλωντο οἱ ἐν αὐτῷ ἀνακείμενοι ἄῤῥωστοι. Xenodochium Sampsonis magnum conflagravit, unaque periere qui in eo erant
B infirmi. *Reparatum autem et reædificatum a Justiniano haud diu postea stetit; siquidem anno XXXVII ejusdem Imperatoris rursum arsit, ut scribit Theophanes et ex eo Cedrenus:* Τῷ λζ' ἔτει γέγονεν ἐμπυρισμὸς μέγας, καὶ ἐκαύθη τελείως ὁ ξενὼν τοῦ Σαμψών. Anno (Justiniani) XXXVII factum est incendium magnum, et conflagravit penitus xenodochium Sampsonis. *Quamvis postea reædificatum constet.*

Moritur S. Sampson anno Christi 530 *vel* 531,

17 *Quare frustra redarguit erroris Cedrenum Baronius, quod penultimo Imperii Justiniani anno incendium hoc posuerit; cum non unum, sed duplex illius xenodochii constet fuisse incendium. Dum igitur hæc omnia recte sic explicari possunt, non est cur recedamus a Metaphraste, Synaxariis, Menæisque Græcorum, Sampsonem sub Justiniano vixisse asserentibus. Porro cum primum xenodochii illius incendium accidisse, ex supradictis constet, anno Justiniani quinto, idque a Metaphraste nom. II post mortem Sampsonis evenisse asseratur; anno ejusdem Imperatoris III aut IV (id est anno Christi DXXX vel DXXXI) Sampsonem ad Superos emigrasse statuimus.*

non tamen a Mena Patr. C. P. ordinatus est Sacerdos.

18 *At vero jure merito Alemannus Metaphrastem arguit erroris (qui error etiam est in Synaxariis Menæisque Græcorum) quod num. 4 Sampsonem a Patriarcha C. P. Mena, Sacerdotem ordinatum esse re-*
C *ferat; tum propter rationes superius ab Alemanno allatas, tum præterea quod Menas ille, antequam dignitatem Patriarchalem consequeretur, eodem Justiniano imperante præfuerit, xenodochio Sampsonis, cui Sampson ipse usque dum vixit, præfuit, ut refert Nicephorus C. P. in Patriarchis C. P. vocans eumdem* Ξενοδόχον τῶν Σαμψὼν: *et Liberatus Diaconus de eodem ait cap.* 21: Fuit iste Menas Præpositus xenodochii majoris, quod vocatur Sampson, genere Alexandrinus, *adeoque post mortem Sampsonis solum ad dignitatem Patriarchalem est evectus.*

§ III. *Cultus ex Menologiis, Menæis, aliisque Fastis.*

Solennitas Sampsonis Constantinopoli.

Celebris apud Græcos semper fuit S. Sampsonis *memoria, utpote cujus sepulcrum statim a morte miraculis claruerit, et salutarem morbis omnigenis liquorem stillare inceperit; unde illius festum inter solenniora Constantinopolitanæ Ecclesiæ numeratur, in hoc enim festo a judiciis vacandum erat usque ad Officii Divini finem, ut constat ex constitutione novella Emmanuelis Comneni Imperatoris de Feriis lata anno* MCLXVI. *Synaxarium Imperatoris Basilii Porphyrogeniti in MS. Cryptæ Ferratæ hoc de illo habet elogium.*

Σαμψὼν ἐν ἁγίοις Πατὴρ ἡμῶν ὑπῆρχε μὲν ἐκ τῆς πα- D λαιᾶς Ῥώμης, συγγενὴς τοῦ μεγάλου Κωνσταντίνου. Παρασχόμενος τὸν πλοῦτον αὐτοῦ πάντα τοῖς πτωχοῖς, καὶ πτωχικὸς διὰ Χριστὸν, Κωνσταντινούπολιν κατέλαβε, καὶ τοῖς ναοῖς τῶν ἁγίων Προφητῶν ἐν αὐτοῖς προσευχόμενος διετέλει. Ἡσυχίας δὲ λαβόμενος, καὶ ταῖς Θεοπνεύστοις γραφαῖς ἐμμελετήσας, φάνερος ἐγένετο δι' ἀρετὴν τῷ ἁγιωτάτῳ Πατριάρχῃ Μηνᾷ καὶ χειροτονεῖται παρ' ἐκείνου πρεσβύτερος τῆς μεγάλης ἐκκλησίας. Καὶ λοιπον ἦν λεμὴν σωτήριος τοῖς πενομένοις καὶ ἀσθενοῦσι, μετέχων καὶ τέχνης ἰατρικῆς. Θεραπεῦσας δὲ καὶ τὸν Βασιλέα Ἰουστινιανὸν ἀπὸ πάθους δυσιοτάτου ἐφιλοφρονήθη παρ' ἐκείνου τὰ μέγιστα. Καί κτίσας ξενῶνα εἰς ἀνάπαυσιν τῶν πτώχων καὶ ἀσθενῶν, καὶ πολλὰ κατορθώματα καὶ θαύματα ποιήσας, ἐκοιμήθη ἐν εἰρήνῃ· τὸ δὲ λείψανον αὐτοῦ ἐτέθη ἐν τῷ ναῷ τοῦ ἁγίου μάρτυρος Μωκίου.

Elogium in Menol Basil. Imp.

20 Sanctus Pater noster Sampson ex antiqua Roma ducebat originem, Magni Constantini consanguineus: divisis vero inter pauperes omnibus suis facultatibus, et propter Christum mendicans, Constantinopolim se recepit, atque in ipsis sanctorum Prophetarum ecclesiis orationi assidue vacavit. Cum autem privatam et obscuram ageret vitam, Scripturarum divinarum meditationi intentus; virtutibus E suis, sanctissimo Patriarchæ Menæ enotuit, et ab ipso ordinatus est Sacerdos magnæ Ecclesiæ. Ceterum portus salutaris erat pauperibus et infirmis, scientia artis medicæ imbutus. Cum vero Imperatorem Justinianum a difficili morbo sanasset, ab hoc maxime dilectus est; ædificatoque xenodochio, ad pauperum et infirmorum solatium, post multa recte facta ac miracula, obdormivit in pace; ipsius vero corpus depositum est in templo S. Martyris Mocii.

21 *Similia habent MSS. Collegii nostri Divionensis et Claromontani, nunc Ludovici Magni. Huic insuper sequens additur Distichon.* *aliisque*

Ἐξῆγεν ὁ πρὶν ἐκ γνάθου Σαμψὼν ὕδωρ,
Ὁ νῦν δὲ Σαμψὼν ἐκ τάφου βλύζει μύρους.
Aquam dedit maxilla Sampsonis prius;
Sampsonis at nunc busta stillant balsamum.

In Menæis vero excusis Officium habet proprium et Canonem sub hac acrostichide,

Ὑμνῶ σε Σαμψὼν πίστεως θείοις λόγοις. ΙΩΣΗΦ.
Sermone, Sampson, te sacro fidei cano. JOSEPH.

Cum autem Canon hic nihil habeat particulare, nisi quod in elogio habetur, eum prætermittimus. Elogio duo hi præmittuntur versus:

Σαμψὼν Ὁμόῤῥους ἐτροποῦτο μὲν πάλαι· F
Σαμψὼν δὲ θραύει δαίμονας ἄρδην νέος.
Sampson fugavit olim Homorræos quidem:
Sed vulnerat nunc dæmonas Sampson novus.

Additurque etiam præmisso disticho hexametrum istud, ex quo cognoscitur præcipuus Sampsonis *hoc die cultus,*

Ξεινοδόχος δ' ἐνὶ εἰκάδι ἑβδομάτῃ θάνε Σαμψών
Xenodochum Sampson vigesima septima tollit.

22 *Elogium vero ita habet:* Οὗτος ὁ Ἅγιος [Σαμψὼν] ὑπῆρχε Ρωμαῖος τὸ γένος· ὃς διασκορπίσας τὸν καταλειφθέντα αὐτῷ πλοῦτον ὑπὸ τῶν γονέων, τοῖς πένησι καὶ πτοχοῖς, τὴν Βασιλεύουσαν κατέλαβε· καὶ τοὺς εὐκτηρίους οἴκους καὶ σεβασμίους καταλαβὼν, καὶ ὁσίως αὐτῶν καταπολαύσας, ἡσυχίαν λαβόμενος, ταῖς θεοπνεύστοις γραφαῖς ἐνετρύφα, μόνῳ Θεῷ προσανέχων. Ὅθεν κατάδηλος γενόμενος τῷ τιμιωτάτῳ Πατριαρχῇ Μηνᾶ, χειροτονεῖται ὑπ' αὐτοῦ πρεσβύτερος, εἷς τῶν τοῦ Κλήρου γενόμενος· Καὶ ἦν σωτήριος λιμὴν τοῖς πενομένοις καὶ χρήσουσι βοηθείας· καὶ τῆς ἰατρικῆς ἐπιστήμης ὢν ἐν πείρᾳ αὐτὸς, καὶ τὸν Βασιλέα Ἰουστινιανὸν ἀνιάτῳ πάθει περιπεσόντα ἐλευθέρωσεν. Ἐκ τούτου ὁ βασιλεὺς ὑπεραγασθεὶς τὴν ἀρετὴν τοῦ ἀνδρὸς καὶ σέβας αὐτῷ ἀπονέμων, τὸν μέγιστον οἶκον καὶ περιβόητον δι' αὐτοῦ ἀναγείρας, ξενῶνα κατεσκεύασε, καὶ σκευοφύλακα τῆς μεγάλης ἐκκλησίας τὸν Ἅγιον τοῦτον κατέστησεν. Αὐτὸς δὲ καλῶς καὶ θεοφιλῶς πολιτευσάμενος, καὶ πολλοῖς πρόξενος

et in Menæis excusis.

A πρόξενος σωτηρίας γενόμενος, καὶ πολλοὺς πρὸς ζῆλον καὶ μίμησιν τοῦ αὐτοῦ ἀκραιφνοῦς βίου διαναστήσας, ἐκεῖ μὲν ἀνεπαύσατο, κατετέθη δὲ τὸ τίμιον αὐτοῦ λείψανον ἐν τῷ μεγίστῳ ναῷ τοῦ ἁγίου Μωκίου, καθ' ἑκάστην βρύον ἰαματοφόρα νάματα εἰς δόξαν καὶ αἶνον Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν.

23 Sanctus ille (Sampson) genere Romanus erat. Hic distributis inter pauperes divitiis, quæ sibi a parentibus erant relictæ, ad Imperatoriam civitatem venit, atque in oratoria et basilicas sese recipiens, pie locorum illorum sanctitate fruebatur, privatamque atque obscuram ducens vitam, divinarum Scripturarum lectione animum oblectabat, soli Deo intentus: unde cognitus a dignissimo Patriarcha Mena, ab eodem Sacerdos ordinatur, factus unus ex Clero. Erat vero portus salutaris pauperibus atque ope indigentibus. Cumque rei medicæ esset peritus, ipsum etiam Imperatorem Justinianum immedicabili morbo laborantem liberavit. Inde Imperator admiratus viri virtutem, eumque magno in honore habens, maximam et celebrem domum ipsius suasu ædificatam in xenodochium erexit. Sanctum præterea supellecti sacræ majoris ecclesiæ præfecit. Tandem post honestam piamque conversationem; postquam plurimis salutis auctor fuisset, multosque ad zelum et vitæ suæ inculpatæ imitationem excitasset, ibidem quievit, pretiosumque ipsius corpus repositum est in maximo templo S. Mocii, indies salutari scaturigine medelam morbis adferens, ad laudem et gloriam Christi Dei nostri. D AUCTORE F. V.

Memoria Sancti in Kalendario Syriaco,

24 *Hujus quoque Sancti hoc die nomen inscriptum reperitur Kalendario Syriaco seu Chaldaico, Romæ impresso anno* MDCXXIV, *quod olim anno* MDCLXI *Latine reddidit D. Josephus, Italice vero Symon Moyses, ambo Collegii Maronitarum alumni. Hujus præterea meminit Martyrologium Arabico-Ægyptium, quod ex Arabico transtulit Gratia Simonius Maronita, postmodum Tripolitanus in Syria Archiepiscopus. In hoc Martyrologio sequentem Orationem habet cum S. Joanne Eleemosynario communem.* Possedisti omnia, o Pater sancte Sampson, dum in omnibus fuisti semper assiduus, ditans pauperes, ipsosque alens, et sublevans, precare Christum Deum, ut liberet animas nostras.

ei Martyrologio Arabico-Ægyptio.

B

E

VITA

Auctore Metaphraste interprete Gentiano Herveto.

Ex Codice MS. Medicæo Regis Christianissimi.

PROLOGUS.

Ἀλλὰ μὲν χάριτος ἔργον καὶ θεραπείας, τῆς πρὸς τὸν μέγαν Σαμψὼν ἐκπληροῦντες, ἅμα δὲ καὶ μέμψιν τὴν ἐξ ἀνθρώπων ἐκκλίνοντες, εἰς τὸν παρόντα λόγον καθήκαμεν ἑαυτοὺς, καὶ τὸν ἐκείνου συντάξασθαι βίον εὐγνωμόνως ὑπέστημεν. Καὶ πῶς γάρ; οὐ μέμψις εὔλογος καὶ δικαία, εἰ πολλῶν ἑτέρων Ἁγίων, τῶν μὲν μαρτύρων, τῶν δὲ καὶ ἄλλως εὐαρεστηκότων Θεῷ, τῶν μὲν ἄθλους καὶ πόνους, τῶν δὲ καὶ βίους καὶ πράξεις κατὰ σπουδὴν συνταξάμενοι· τούτου δὴ τοῦ μεγάλου Σαμψὼν φαινοίμεθα κατολιγωροῦντες, καὶ μάλιστα οὕτως ἐγγυτάτω κειμένου καὶ ὅσον ἀπὸ τοῦ παραδοξοποιοῦ τάφου γειτονοῦντος ἡμῖν; Καὶ ταῦτα, μηδένα τῶν πρὸ ἡμῶν εὑρόντες τῆς αὐτῆς ἡμῖν γενόμενον διανοίας, καὶ τὸν ἐκείνου βίον συγγραψάμενον φιλοπόνως. Καί με οὐ λέληθε τὸ
C τοῦ θεοφιλοῦς ἀνδρὸς καὶ ἀρχιερέως, ἀλλὰ καὶ παιδείας οὐ [μικρὸν] ἔχοντος, εἰς τὸν Μέγαν συντεθὲν ἐγκώμιον. Ἐγὼ δὲ βίον λέγω, κατὰ μέρος συντεταγμένον, καὶ τὰ ἐκείνου διαλαμβάνοντα πρὸς ἀκρίβειαν, πρὸς δὲ καὶ τῶν θαυμασίων μνήμην ἀρκούντως ποιούμενον· Τοῦτο γὰρ οὔθ' ἑτέρους ἔγνωμεν, ἄχρι καὶ νῦν δράσαντας, οὔθ' ἡμεῖς ποιῆσαι δυνατοὶ τυγχάνομεν ὄντες, πάμπολυ τοῖς χρόνοις ἀπολειπόμενοι· καὶ ἀκριβώσασθαι τάγε τοῦ β καλῶς μὴ δυνάμενοι, πλὴν ὅσον ἐπιμελέστερον αὐτὰ διελθεῖν, καὶ ὀλίγα τῶν θαυμάτων εἰς δόξαν Θεοῦ παραθέσθαι τοῖς φιλοθέοις· ὧν γὰρ ἐνετύχομεν ἐκ τοῦ Κλήρου λαβόντες μικρῷ συντάγματι βίου, τοῦτο δὲ οὐδὲ ῥαθύμως μόνον ἔδοξε συντετάχθαι, ἀλλὰ καὶ παιδείας τὸν συνθέμενον ἐνδεῶς ἔχοντα μαρτυρεῖ, μᾶλλον δὴ ταῦτα περὶ ὧν πεποίηται τὴν ἐξήγησιν, οὐ μὲν οὖν ἐντελῶς ἔχουσιν οὐδ' ἠκριβωμένως, πολλῷ δὲ μᾶλλον ἀκριβείας ἀπολιμπάνονται· πρὸς δὲ καὶ ᾧ συντάγματι πάλιν ὡμιληκότες ἐσμὲν, παραπλησίως εὕρομεν ἔχον καὶ τῆς, ὥς φασι, κεραμείας πεποιημένον ἐγκώμιον μὲν εἶναι τοῦ θείου Σαμψὼν ἐπιγεγραμμένον, καὶ μερικὴν ἔχον τινὰ διήγησιν τῶν ἐκείνων βεβιωμένων, πάνυ δὲ φειδωλῶς καὶ μικρολόγως τῶν αὐτοῦ θαυμάτων ἀπογεύων τοὺς φιλοκάλους. Ὃ δὲ πλέον ἐστὶ πάντων, τὸ ταράττον ἡμᾶς, ὅτι καὶ αὐτοὶ ὅσον ἀπὸ τῆς τῶν πεπραγμένων ἐξηγήσεως (οὐδὲ γὰρ παρὸν ἄλλοθεν) ἀκολουθεῖν αὐτοῖς μέλλομεν. Ταύτῃ τοι καὶ συγγνώμην ἀπὸ τῶν ἐντυγχανόντων τοῖς

Ratio cur scribatur hæc Vita,

Partim quidem magno Sampsoni gratitudinem, et cultum debitum exhibentes, partim autem hominum justam vitantes reprehensionem, ad hanc accessimus orationem, et illius scribendæ Vitæ onus lubenter suscepimus. Quomodo enim non optimo jure reprehenderemur, si, qui multorum aliorum Sanctorum, tum Martyrum, tum aliter Deo placitorum; illorum quidem labores et certamina, horum vero vitam et res gestas diligenter conscripsimus; hunc magnum Sampsonem videamur contemnere, præsertim cum is adeo nobis propinquus, et sepulcro, ubi mirabilia operatur, propemodum vicinus sit? Adde quod nullum ex iis, qui nos præcesserunt, invenerimus, qui fuerit ejusdem, cujus nos animi, et Vitam illius scriptis exacte mandaverit. Non quidem me latet, a viro pio et Pontifice, et non parum erudito, F magni Sampsonis compositum fuisse Encomium. Ego autem de Vita loquor distincte composita, quæ et res ab illo præclare gestas accurate tractet, et miraculorum ejus mentionem faciat sufficientem. Hoc enim qui præstiterint, in hodiernum usque diem, neque alios novimus; neque nos præstare possumus, qui ab illis temporibus sumus multum remoti; neque possumus ejus vitam perfecte prosequi, sed solum eam referre paulo diligentius, et pauca ex ejus miraculis viris piis ad Dei gloriam exponere. Ejus enim parvum Vitæ opusculum, in quod, a Clero acceptum, incidimus, visum nobis est non solum negligenter compositum, sed ipsum etiam testatur, eum, qui id composuit, nihil habuisse eruditionis; imo vero nec ea ipsa, quæ narrat, satis perfecte et absolute traduntur, et longe absunt a summa perfectione. Quin etiam illud opus, quo diu usi summus, comperimus se habere similiter, et ex eadem (ut aiunt) factum esse fidelia; idque inscriptum quidem esse Encomium divini Sampsonis, et habere singularem quamdam narrationem eorum, quæ ab illo in vita gesta sunt: sed parce admodum, et tenuiter viris bonis præbens gustum ejus miraculorum. Quod autem nos

ab aliis ante scripta.

EX MSS.

A nos omnium maxime conturbat, est, quod ipsi illorum narrationem (neque enim aliunde quidquam habemus) sequi debeamus. Ea de causa petimus nobis dari veniam ab iis, qui legent ea, quæ sunt a nobis elaborata, ut nos non condemnent negligentiæ, neque hanc minime exterminatam rejiciant narrationem. Neque enim nostrum est hoc opus, ut prius diximus, sed illorum potius, quos sumus secuti. Illud itaque Herodoti hic poterit commode dici, esse potius Istiæi calceum, etiamsi ipsum induerit Aristogatas. Ista autem habet.

πεπονημένοις ἡμῖν αἰτοῦμεν, ὥστε μὴ ἀμέλειαν, μηδ' D ὀλιγωρίαν τῆς ἀβασανίστου ταύτης καταψηφίζεσθαι διηγήσεως· οὐδὲ γὰρ ἡμέτερον, ὥσπερ ἔφημεν, τὸ προκείμενον ἔργον· ἀλλ' ἰχνῶν ἑτέρων παρακολούθημα. Τοιγαροῦν κἀνταῦθα τὸ Ἡροδότειον ἐκεῖνο λέγεσθαι χώραν ἕξει, Ἰστιαίου τὸ ὑπόδημα μᾶλλον εἶναι, εἰ καὶ Ἀρισταγόρας αὐτὸ ἐπεδύσατο. Ἔχει μέντοι τόδε οὕτως.

CAPUT I.

Sampsonis genus, patria, studium, benignitas, in pauperes et ægrotos, erga imperatorem beneficium, obitus.

Sampsonis patria, genus et parentes.

Hic ergo magnus, et cujus omnem orbem terræ pervasit fama, Sampson, genus quidem duxit ex illa celebri et inclita Roma. Ortus est autem non B ex ignobilibus nec vulgaribus parentibus, sed valde honestis et claris: quorum magnæ quidem erant opes, genus autem ducebatur ex sanguine Imperatoris *a*. Sed cum viri hujus maximi res externæ ita se haberent, neque internas unquam neglexit. Nam et virtutis magnam curam gerebat, et divinæ Scripturæ lectioni erat intentus, et tamquam jucundissimo cibo ei diligenter adhærebat, et brevi tempore venit ad omnem ejus cognitionem. Verum cum neque medicinam, quæ ars valde conducit humanæ saluti, vir humanissimus neglexisset, sed se etiam ei diligenter dedisset, etsi arte parum admodum ad quæstum sit usus, in pauperibus tamen cessit divinæ gratiæ ministerio, morbos curans immedicabiles, et tamquam gratiæ velamento arte utens propter summam humilitatem.

a

Studet medicinæ;

Ὁ Μέγας οὗτος καὶ διὰ πάσης βεβοημένος τῆς οἰκουμένης Σαμψὼν, ἕλκε μὲν τὸ γένος ἐκ τῆς περιωνύμου καὶ διαφανοῦς Ῥώμης, προῆλθε δὲ οὐκ ἐξ ἀσήμων ἄρα τινῶν, E οὐδὲ τῶν ἐπιτυχόντων, ἀλλὰ καὶ λίαν εὐγενῶν τε καὶ περιδόξων· πλούτου μὲν περιωσίαν βαθέως ἐχόντων, βασιλικῷ δὲ αἵματι κατὰ γένος φαιδρυνομένων. Πλὴν ἀλλὰ τῶν θύραθεν ὁ Παμμέγας οὕτως ἔχων, οὐδὲ τῶν οἰκείων ἠμέλει πόθεν· καὶ γὰρ ἀρετῆς ἐφρόντιζε λίαν, καὶ τῇ τῆς θείας γραφῆς ἐντεύξει σπουδῇ προσέκειτο, καὶ ὡς τινος ἡδίστης τροφῆς ἐμμελῶς εἴχετο, καὶ δι' ὀλίγου πρὸς πᾶσαν αὐτῆς τὴν γνῶσιν ἀφίκετο. Μηδὲ ἰατρικῆς, τῆς φιλανθρώπου τέχνης, ὁ φιλανθρωπότατος ἀμελήσας· Ἀλλὰ καὶ αὐτῇ φιλοπόνως προσενεχθείς, κα τοι ὀλίγα μὲν ὑπῆρχε τῇ τέχνῃ χρώμενος, τῶν δ' ἄλλων παρεχώρει τῷ θεουργῷ τῆς χάριτος νοσήματα καὶ πάθη ἀνίατα θεραπεύων, καὶ ὡς προκάλυμμα τῆς χάριτος ἐπιχηρῶν τῇ τέχνῃ διὰ ταπεινοφροσύνης ὑπεριβολήν.

Matth. 19 et 6 *liberalis in pauperes,*

3 Postquam autem ejus parentes e vita excessissent, non amplius cunctabatur, nec differebat; sed apta usus occasione, utpote quod nullus esset prohibiturus, ea faciebat, quæ sibi videbantur, et breves periturasque divitias commutabat cum æternis, obtemperans voci Dominicæ: jubenti vendere ea quæ quis habet, et præbere eleemosynam, et hinc parare crumenas quæ minime veterascunt. Dabat vero opes non parce, idque nec tenuiter nec guttatim distillans, C sed profuse admodum et large, ambabus, ut dicitur, manibus effundens in ventres pauperum, aut esurientium; idque non semel, aut bis, sed per totam vitam: connata enim cum ipso et connutrita usque ad mortem fuit eleemosyna. Servorum autem greges nolebat amplius apud se manere, neque in servos uti arroganter imperio: sed potius libertate ingenue dignabatur, eis abunde præbens, quod ad victum sufficeret. Quid enim ei opus erat servitute hominum, qui se verum et germanum servum Domino consecraverat? Sic itaque erga facultates affectus, rebusque temporalibus tamquam vinculis exutus, erat revera levis et accinctus, et una quidem tunica, uno autem famulo contentus. Deinde Roma relicta hic vir egregius in hanc novam venit Romam, divini, inquam, Constantini civitatem. Atque quænam quidem eum causa permoverit, nequaquam possum dicere. Sed non sine Dei numine, neque omnino inutiliter versatus in hac regia est civitate, in qua est etiam sacrum ejus corpus repositum, thesaurus sacrosanctus, divitiæ, quæ minime consumuntur, omnium morborum remedium.

CPolim venit.

3 Ὡς δὲ καὶ οἱ πατέρες αὐτοῦ τὸν βίον ἀπέλιπον, οὐκ ἔτι μέλλων ἦν, οὐδ' ἀναβαλλόμενος, ἀλλ' ὡς καιροῦ λαβόμενος ἐπιτηδείου, ἅτε μηδενὸς ὑπέρχοντος τοῦ κωλύσοντος, τὰ κατὰ γνώμην ἐποίει, καὶ πλούτου μὲν φθαρτοῦ καὶ προσκαίρου πλοῦτον αἰώνιον ἀντηλλάττετο κατὰ τὴν θείαν τοῦ Δεσπότου φωνὴν, ἢ τὰ ὑπέρχοντα πωλῆσαι κελεύει καὶ παρασχεῖν ἐλεημοσύνην, ἐντεῦθέν τε βαλάντια μὴ παλαιούμενα κτήσασθαι. Ἐδίδου δὲ τὸν πλοῦτον, οὐ κατὰ μικρὸν οὐδὲ φειδομένως, οὔτε μὴν κατὰ στράγγα ῥέων, ἀλλὰ καὶ λίαν χύδην καὶ ἀνειμένως, ἀμφοῖν χειροῖν, τὸ τοῦ λόγου, πρὸς τὰς τῶν πενήτων F ἢ πεινώντων ἀπαντλῶν γαστέρας, καὶ τοῦτο οὐχ ἅπαξ, οὐδὲ δὶς, ἀλλὰ διαπαντὸς τοῦ βίου ποιούμενος· ἡλικιῶτις γὰρ αὐτῷ καὶ σύντροφος ἄχρι τέλους ἡ ἐλεημοσύνη. Τὰς δὲ τῶν δούλων ἀγέλας οὐκέτι μένειν παρ' ἑαυτῷ ἠξίου, οὐδὲ τῶν ὁμοδούλων ὑπερηφάνως κατ' αὐθεντιάν· ἀλλ' ἐλευθερίας μᾶλλον εὐγενῶς ἠξίου, αὐτάρκεις αὐτοῖς παρέχων καὶ τὰς πρὸς τὸ ζῆν ἀφορμάς. Τί γὰρ ἐδεῖτο τῆς ἐξ ἀνθρώπων δουλείας ὁ δοῦλον ἑαυτὸν τῷ Κυρίῳ γνήσιον ἀφοσιωσάμενος; Οὕτω γοῦν περὶ τὰ ὄντα διατεθεὶς τῶν προσκαίρων καὶ οἱονεὶ δεσμῶν τινων ἀναθεὶς κοῦφος ἦν ἀτεχνῶς καὶ εὔζωνος, καὶ τῷ ἑνὶ μὲν χιτῶνι, ἑνὶ δὲ τῶν οἰκετῶν ἀρκούμενος. Εἶτα καὶ τὴν Ῥώμην ἀπολιπὼν ὁ Γεννάδας, πρὸς τὴν νέαν ταύτην ἀφικνεῖται Ῥώμην, τὴν τοῦ θείου Κωνσταντίνου, φημί· ἀφ' ἧς μὲν αἰτίας κινηθεὶς πρὸς τοῦτο λέγειν οὐκ ἔχω· πλὴν οὐκ ἄθεοί πάντως, οὐδ' ἀλυσιτελῶς τῇ λαμπρᾷ ταύτῃ καὶ βασιλίδι τῶν πόλεων ἐνδεδημηκὼς, ἧ καὶ τὸ ἱερὸν αὐτοῦ ἐναπόκειται σῶμα θησαυρὸς ἄσυλος, πλοῦτος ἀδάπανος, νοσημάτων πάντων ἀλεξιτήριον.

Morbidos excipit hospitio.

4 Hic ergo omni ex parte magnus Sampson, cum ad hanc pervenisset civitatem, in quadam parva et humili domo habitabat, in proximi cura

4 Ὁ γοῦν τὰ πάντα μέγας Σαμψὼν τὴν μεγάλην τὴν δε πόλιν καταλαβὼν, ἐν σμικρᾷ μέν τινι φαύλῃ διῆγεν οἰκίᾳ, ἐν δὲ τῷ πλησίον κήδεσθαι πολὺς ἦν· τὴν γὰρ

A γὰρ οἰκίαν ταύτην φιλανθρωπίας ὑπόθεσιν καὶ ἰατρεῖον ἄμισθον ποιησάμενος, τοὺς νόσῳ πιεζομένους ξενίζων ἦν καὶ φιλαδέλφως ὑποδεχόμενος, καὶ μὴ μόνον ἐπιμελείας ἀξιῶν πάσης, ὥσπερ οἱ τῆς τέχνης βούλονται νόμοι, ἀλλὰ καὶ τροφῆς κοινονῶν καὶ στρωμνῆς, ἀκολούθως ταῖς τοῦ Χριστοῦ ἐντολαῖς, καὶ τοῦτο μὲν τὰ τῆς τέχνης, τοῦτο δὲ μᾶλλον καὶ τὰ τῆς χάριτος ἐνδεικνύμενος. Ποῦ γὰρ τέχνης ἔργον δαίμονας ἀπελαύνειν, καὶ παθῶν ἀνιάτων θαυματουργεῖν ἴασιν, ἃ ἐκείνῳ δρᾶσαι, οἷα δὴ καὶ τὸ θελῆσαι ῥᾴδιον καὶ ἁπλῶς; Ἄλλου μὲν ἄλλο τι· Σαμψὼν δὲ ἡ ξενοδοχία καὶ φιλανθρωπία καὶ ὁ περὶ τοὺς ἐνδεεῖς οἶκτος τὸ ἰδιαίτατον, ὡς μικροῦ καὶ εἰς φύσεως ἀποβαίνειν ἀναγκαιότητα, οἷον ἡλίῳ μὲν τὸ φωτίζειν, πυρὶ δὲ τὸ καίειν. Ἐντεῦθεν καὶ τῷ τηνικαῦτα Ἀρχιερεῖ τοῦ Χριστοῦ δῆλος γίνεται (ἀρετὴ γὰρ πρᾶγμα ἴσα φωτὶ λάμπων, ὅθεν καὶ ταχὺ λίαν ἀνακηρύττει τοὺς μετιόντας). Μήνας οὗτος ἦν ὁ τὴν ἀρετὴν οὐκ ἄδηλος, καὶ Ἱερεὺς ὑπ' ἐκείνου χειροτονεῖται τριάκοντα ἤδη γεγονὼς ἔτη, καὶ μικρόν τι πρός. Εἶτα καὶ τῷ τὴν βασιλείαν διέποντι φανερὸς γίνεται· παρ' αἰτίαν δὲ τοιαύτην.

5 Ἰουστινιανὸς μὲν ἦν ὁ κρατῶν, οὗ καὶ ὁ τῆς ἀρ-B χῆς χρόνος πολύς, καὶ ὁ βίος ἐπιφανής· τούτῳ νόσος ἐνσκήπτει μάλα βαρεῖα, τῶν αἰδοίων αὐτῷ πονήρως ἐχόντων, καὶ τῆς κύστιως ἕλκει χαλεπῷ κακωθείσης. Ὁ μὲν οὖν ἔπασχέ τε καὶ ἔκαμνε καὶ τὰς ὀδύνας φέρειν οὐ δυνατὸς ἦν· ἰατρῶν δὲ σμῆνος αὐτῷ περιέχυτο καὶ περὶ αὐτόν, ὥσπερ ἔθος, σπουδαιολογούμενοι παρῆσαν, οἳ ἐπαγγείλασθαι μὲν καὶ ἀγαθῶν ἐλπίδων πληρῶσαι κομιδῇ πρόχειροι, ἅτε δὴ καὶ τὴν χεῖρα τοῦ κάμνοντος ἐντεῦθεν ὑποκινοῦντες, καὶ προθυμοτέραν εἰς ἐπιδόσεις εἶναι παρασκευάζοντες· εἰς ἔργον δὲ τὸ ἐπαγγελθὲν ἀγαγεῖν, καὶ τοῦ λυποῦντος ἀπαλλάξαι τὸν πιεζόμενον, οὐ μόνον οὐκ ἐν ὀλίγῳ δυνατοὶ ποιεῖν, ἀλλ' οὐδὲ τριβῇ καὶ μελλήσει πολλάκις, οὐδὲ τὸν μακρὸν χρόνον λαμβάνοντες εἰς βοήθειαν· ἀλλ' ἕτοιμοι μᾶλλον τοὺς πάσχοντας αἰτιᾶσθαι τῆς βραδύτητος, ἢ καὶ τὰς πρὸς τὸ χεῖρον συμβαινούσας περιπετείας ὡς ἢ μὴ τοῖς παραγγέλμασιν εἴκοντας, ἢ περὶ τὰς βρώσεις ἢ πόσεις ἀφυλάκτως ἔχοντας· ἑαυτοῖς δὲ καὶ οἷς κέχρηνται εἰς θεραπείαν φαρμάκοις, μέμψιν οἱ βέλτιστοι προσάπτουσιν οὐδεμίαν. Τί οὖν ὁ βασιλεύς; ἐπὶ πολλὰ μὲν αὐτοὺς λέγοντας ἑώρα καὶ μεγαλορρημονοῦντας, οὐδὲν δὲ πρὸς θεραπείαν ἀνύοντας, ὅτι μὴ καὶ βλάπτοντας καὶ ἀκεσίαν ἅπαντας ἀποδεικνυμένους, αὐτός τε ὀδύναις ἐβάλλετο μέν, φέρειν δὲ οὐκ ἠδύνατο· ἰατρῶν μὲν ἐπ' ἴσης πάντων τὸ ἀνωφέλητον καταγνούς, οἰμώζειν ἔφασκε· προσφεύγει δὲ μᾶλλον Θεῷ, καὶ αὐτοῦ λίαν ἐμμελῶς περιέχεται, καὶ τὴν ἐκεῖθεν ζητεῖ βοήθειαν. Ἔστι C γάρ, ὅτε δὴ καὶ ἡ ἀπορία διδάσκαλος ἡμῖν τοῦ λυσιτελοῦντος γίνεται, καὶ ὅθεν ἡ ἀψευδὴς ἥκει βοήθεια, μανθάνειν ποιεῖ· Ἡ γὰρ βοήθειά μου, φησι, παρὰ Κυρίου.

6 Θερμῶς τοιγαροῦν αἰτήσας, οὐ βραδέως ἐπιτυγχάνει. ἀλλὰ κατ' ὄναρ αὐτῷ δείκνυται ἰατρῶν πλῆθος στιχηδὸν παριστάμενοι, τὴν μέντοι στολὴν ἱεροπρεπῶς περικείμενοι· εὐνοῦχον δέ τινα παρελθόντα ἑώρα, χρυσουφῇ μὲν περιβεβλημένον, Πραιποσίτῳ δὲ τὴν ἀναβολὴν ὅμοιον, ὃς καὶ ὑποδεικνύειν αὐτῷ ἐῴκει τῶν ἰατρῶν ἕκαστον, ὅπως ἔχει προσώπου καὶ ἡλικίας καὶ παραστήματος, ἐφ' οἷς ἕνα ὄντα τὸ πρόσχημα ταπεινόν, τὴν πολιὰν εὐπρεπῆ, τὴν ἔνδυσιν εὐσταλῆ, γνωρίσαι τε τοῦτον τῷ Βασιλεῖ ἐμμελέστερον καὶ οἷός ἐστι πάντων παρασκευάσαι καταμαθεῖν καὶ ὡς αὐτὸς μόνος, οὐ μέν τοι τῶν ἄλλων οὐδείς, φάναι δυνατός σοι δοῦναι τοῦ πάθους ἀπαλλαγήν. Ἐπεὶ οὖν καὶ ὕπνου ἀνέβη ὁ Βασιλεὺς ἀληθῆ κρίνας τὸν ὄνειρον (ἐποίει γὰρ πιστεύειν καὶ ταῦτα οἰκονομήσας ἰδεῖν καὶ μέλλων ἐξ ἔργου τὰ ὁραθέντα πιστώσασθαι) χαρᾶς μὲν πληροῦται· μετακαλεῖται δὲ τοὺς ἰατροὺς εὐθέως. Καὶ οἱ μὲν συνῆλθον καὶ εἰς ὄψιν αὐτῷ παρέστησαν ἅπαντες· ὁ δ' ἐπῄει ἕκαστον φιλοπραγμονῶν

gerenda assiduus. Nam cum hunc domum benignitatis argumentum, et gratuitam fecisset officinam, eos, qui morbo premebantur, hospitio excipiebat, et fraterne tractabat: nec solum in eos omni utebatur cura et diligentia, ut volunt leges artis, sed et cibum, et cubile eis impertiebat, secundum Christi præcepta, partim quidem artis suæ, partim vero divinæ gratiæ beneficia impertiens. Quid enim? An artis opus est dæmones expellere, et morborum mirabilem efficere curationem? Quæ quidem ei facere, non minus quam velle, erat facile. Et alteri quidem aliquid aliud, Sampsoni autem hospitalitas et benignitas, et in egentes misericordia, erat adeo propria, ut propemodum ipsi naturalis fieret, sicut soli quidem est illuminare, igni autem urere. Hinc etiam innotuit ei, qui tunc erat Christi Pontifex: bonitatis enim splendor et decus eos, qui eam exercent, cito propalat. Is autem erat Mennas, *b* virtute non obscurus. Ab illo ordinatur Sacerdos, triginta jam annos natus, et paulo plus. Deinde et ei innotuit, qui administrabat Imperium. Id autem ex eo accidit.

D EX MSS

b Initiatur sacerdotio.

5 Justinianus quidem erat, qui imperabat, cujus et Imperii diuturnum fuit tempus, *c* et vita illustris. Ei morbus incubuit valde gravis, cum ei male affecta essent pudenda, et vesica gravi laboraret ulcere. Atque ille quidem patiebatur, et laborabat, nec dolores ferre poterat. Ei autem erat circumfusum examen medicorum, et circa eum, ut mos est, aderant magno studio disputantes: qui ad promittendum quidem, et ad bona spe implendum sunt valde prompti, ut qui et ejus manum, qui laborat, hinc incitent, et efficiant, ut sit ad dandum alacrior: ut autem promissa deducant ad effectum, et laborantem liberent ab eo, quod eum male habet, non solum brevi non possunt efficere, sed neque longa mora et dilatione, neque longi temporis utentes auxilio: sed parati quidem sunt eorum, qui laborant, accusare tarditatem, aut etiam ad id, quod est deterius, proclivitatem, ut qui vel præceptis non acquiescant, vel in cibo et potu non ea, qua par est, cautione utantur: se autem, et ea, quæ ad curandum adhibent, medicamenta minime reprehendunt. Quid ergo Imperator? Postquam vidit eos multa quidem dicere, et magna verba loqui, nihil autem conferre ad curationem; imo vero lædere, et majores dolores afferre; ipse agitabatur quidem doloribus, ferre vero non poterat. Atque omnes quidem medicos ex æquo condemnans, ut inutiles, in malam rem abire jussit: ad Deum autem confugit, et ei magno studio adhæret, et illinc quærit auxi- F lium. Nonnumquam enim egestas docet, quid nobis sit utile; et efficit, ut discamus, undenam verum veniat auxilium, Auxilium enim meum, inquit, a Domino.

E

c Justiniano Imp. gravi morbo laboranti

6 Cum itaque vehementer petiisset, non tarde consequitur, sed ei in somnis ostenditur multitudo medicorum, qui ordine quidem adstabant, honesta vero, et quæ Sacerdotibus conveniebat, erant veste induti. Vidit autem quemdam accedentem eunuchum, ex auro quidem contexta veste indutum: Præposito vero amictu similem, qui visus est ostendere unum quemquam ex medicis, quo sit vultu, ætate et habitu; inter quos unum, qui erat specie humilis, canis decorus, vestitu honestus et compositus, diligentius curare, ut notus esset Imperatori; et efficere, ut sciret qualis esset in omnibus, et dixisse: Hic solus, et nullus ex aliis, tibi potest dare, ut a morte libereris. Postquam autem a somno fuit excitatus Imperator, verum judicans esse somnium (ut crederet enim, effecerat is, qui providerat ut videret, et quæ visa fuerant, erat re ipsa confirmaturus) impletur quidem gaudio: accersit autem statim

per visionem ostensus,

EX MSS.

A tim medicos. Et illi quidem convenerunt, et se ei omnes coram stiterunt. Ille vero unumquemque lustrabat, diligentissime perscrutans, et non minus examinans, quam aurum lapis Lydius, vultumque et figuram, et ætatem, secundum signa, quæ erant ostensa per somnia. Postquam autem nullum vidit tale signum in eis qui aderant, dolore afficiebatur, et perplexo erat animo, multoque factus est avidior, quod nondum esset promissum assecutus. Hinc diligens facta est inquisitio, donorumque et maximorum honorum promissio, quos esset accepturus, qui virum ostenderet ex iis indiciis quæ viderat Imperator. Hic quidem diligenter quærebatur; signum autem, quo cognosceretur erat, non quomodo Pelopidis (ut narrat fabula) humerus ; sed virtus in signis, et præcipue moderati mores et compositi.

ἐσχάτως, καὶ βασανίζων οὐχ ἧττον, ἢ τὸν χρυσὸν ἡ Λυδία λίθος, προσωπόν τε καὶ σχῆμα καὶ ἡλικίαν κατὰ τὰ ὑποδεχθέντα παράσημα διὰ τῶν ὀνείρων. Ὡς δὲ οὐδὲν τῶν παρόντων ἑώρα τοιόνδε γνώρισμα, λύπῃ καὶ ἀπορίᾳ συνείχετο, καὶ οἷα διψητικώτερος ἔτι καθίστατο τοῦ ἐπαγγελθέντος ἀποτυγχάνων. Ἐντεῦθεν πολλή τε καὶ θερμὴ καὶ ὀξεῖα ζήτησις, ἐπαγγελίαι τε δωρεῶν καὶ τιμῶν μεγίστων, ἃς ὁ τὸν ἄνδρα τὸν ζητού· μενον ἐμφανίσων, ἀκολούθως οἷς εἶδε συμβόλοις ὁ βασιλεύς, ἔμελλεν εὐθὺς λήψεσθαι. Ὁ μὲν οὖν ἐζητεῖτο λίαν ἐκθύμως, καὶ τὸ γνώρισμα ἦν, οὐ κατὰ τοῦ Πελοπίδος, ὥσπερ οἶδεν ὁ μῦθος, ἀπὸ τοῦ ὤμου, ἀλλ' ἀπὸ τοῦ περιόντος τῆς ἀρετῆς καὶ προηγουμένως ἀπὸ τοῦ μετριοπαθοῦς καὶ συνεσταλμένου. D

7 Cum autem esset difficilis inventio (celabatur enim, non formam mutans, ut fingunt Proteum, sed quodam divino hoc eveniente consilio, ut tardior ostensio eum redderet magis desiderabilem) vix tandem unus ex medicis Imperatoris, notus quidem Imperatori, magno autem Sampsoni familiaris, et qui res illius optime noverat, non virtutis solum, sed etiam gratiæ et miraculorum, eum manife-

ad hunc. adducitur,

B stum reddit. Hinc autem illi facile erat conjicere, eum esse, qui illum erat curaturus. Hic ergo ipse magnum illum Sampsonem notum reddit Imperatori, et ei tantam conciliat lætitiam, quantam ii, qui laborant morbo corporis, et ab eo cupiunt liberari, soli possunt intelligere. Atque statim quidem venit admirabilis Sampson : neque enim inter visum et auditum intercessit tempus vel brevissimum : tantum ejus videndi Imperatorem ceperat desiderium. Cum vero eum vidisset, ex iis, quæ noctu visa fuerant, pulchre recognovit ea, quæ cernebantur interdiu, utpote oculorum mansuetudinem, formæ hilaritatem, morum honestatem, barbæ squalorem, adspectus tristitiam, et quæ eum decebant signa moderationis. Hæc cum ille, admirabili accedente Sampsone, esset contemplatus, non potuit amplius contineri, sed surgens præ immoderata lætitia, eum, qui specie vilis erat et abjectus, ipse, qui erat insignis Imperio, amplectitur, et suaviter admodum osculatur, non os solum, sed etiam caput, dicens ; Certe, o pater, tu es ipse, qui mihi admirabiliter in somnis apparuisti ; quin etiam te morbum meum pollicitus es curaturum. Hæc cum dixisset, statim ingressus est in regiæ penetralia, Sanctum illum manu tenens. Neque enim existimabat se magnum quid facere, illum honorans, cujus admirabilem virtutem mox esset experturus.

7 Ἐπεὶ δὲ καὶ ἔτι δυσχερὴς ἦν ἡ εὕρεσις (ἐκρύπτετο γὰρ οὐ τὴν μορφὴν μεταβάλλων, οἷα δὴ καὶ τὸν Πρωτέα πλάττουσιν, ἀλλ' οἰκονομίᾳ τινὶ θεοτέρᾳ τούτου συμβαίνοντος, ἵνα καὶ ἡ βραδεῖα δήλωσις ἔτι μᾶλλον αὐτὸν ἐπιπόθητον καταστήσῃ) ὀψὲ καὶ μόλις τῶν ἰατρῶν τις τῶν βασιλικῶν, τῷ μὲν Βασιλεῖ γνώριμος, συνήθης δὲ τῷ Μεγάλῳ, καὶ τὰ ἐκείνου ἄριστα συνειδώς, οὐ τὰ τῆς ἀρετῆς μόνον, ἀλλὰ καὶ τὰ τῆς χάριτός τε καὶ τῶν θαυμάτων, ἔνθεν αὐτῷ καὶ συμβαλεῖν ῥᾴδιον ἦν ἐκεῖνον E εἶναι τὸν ἰασόμενον. Αὐτὸς οὗτος δῆλον εὐθὺς τὸν Μέγαν τῷ Βασιλεῖ καθιστῆσι καὶ χαρᾶς αὐτῷ γίνεται πρόξενος, ὅσης οἱ πάθει σωματικῷ κάμνοντες καὶ ἀπαλλαγῆς ἐφιέμενοι, δυνατοὶ μόνοι συνεῖναι. Εὐθὺς μὲν οὖν εἰς ὄψιν ὁ θαυμαστὸς αὐτῷ παρῄει Σαμψών· οὐδὲ γὰρ οὐδὲ βραχὺ τὸ μέσον ἀκοῆς φημι, καὶ τῆς θέας γενέσθαι παρῆκεν· οὕτως αὐτὸν ἡ τοῦ ἰδεῖν ἰσχυρῶς εἷλεν ἐπιθυμία. Ἰδὼν οὖν ἀνέγνω καλῶς ἀπὸ τῶν νυκτὸς ὁραθέντων τὰ μεθ' ἡμέραν φαινόμενα, οἷον ὀφθαλμῶν ἡμερότητα, μορφῆς ἱλαρότητα, ἠθῶν εὐκοσμίαν, πώγωνος αὐχμηρίαν, ὀμμάτων κατήφειαν, σύμβολά τε αὐτῷ ἐπιτρέποντα μετριοφροσύνης. Ταῦτα ἐκεῖνος, προσιόντος τοῦ θαυμαστοῦ, θεασάμενος, οὐδὲ καθεκτὸς ἦν ἔτι, ἀλλ' ἀναστὰς ἐξ ἀμέτρου περιχαρείας περιβάλλει τε τὸν εὐτελῆ τὸ φαινόμενον, ὁ τὴν βασιλείαν περίβλεπτος, καὶ φιλεῖ ἄγαν ἡδέως, οὐ στόμα μόνον, ἀλλὰ καὶ κεφαλήν, ἦ μὴν αὐτὸς εἶ, λέγων πάτερ, αὐτὸς εἶ, ὁ κατ' ὄναρ μοι παραδόξως ἐπιφανείς, ἀλλὰ καὶ τὸ πάθος τὸ ἐμὸν ἐπαγγελθεὶς ἰάσασθαι. Οὕτως εἰπών, εὐθὺς εἰς τὰ προσωτέρω συνεισῆει τῶν βασιλείων ἐγκρατὴς ὢν ἐκείνου τῆς τε Ὁσίου χειρός, οὐδὲ γὰρ ᾤετο μέγα τι ποιεῖν ἐκείνην τιμῶν, ἧς ἀπολαῦσαι θαυματουργήσης ἔμελλεν.

F

8 Postquam autem ingressus est Imperator, et eum habuit secum sedentem, nondum sua erga eum benignitate satiatus, plura adhuc faciebat. Ejus manus capiens, suis imponebat oculis; et eas cum maxima voluptate deosculans, et in eas distillans lacrymas, lætabatur. Morbi enim, qui eum premebat, necessitas efficiebat, ut homo appareret potius, quam Imperator, et qui humanis flectebatur miseriis, quam qui Imperatoria efferebatur magnificentia. Verum enim vero hæc magna Imperatoris moderatio et religio, gravem Sancto injecit molestiam, et perinde acsi ei fieret injuria, et in eum nimia exerceretur modestia, non potuit tenere silentium : sed ; Ne sic feceris, o Imperator, neque tam demisse et abjecte : exclamabat ; nec eo, quod te ipse immodice dejicias et deprimas, efficias, ut damner arrogantiæ. In quo enim sum communibus hominibus superior, qui sum miser, et peccatis obnoxius, et opus habeo magna Christi benignitate et clementia? Verum enim vero hæc tua fidei abundantia et fervor, est futuri a Christo auxilii certus nuntius, qui est Rex Regum, et potest omnia facere. Cum hæc

8 Ἐπεὶ δὲ καὶ εἰσῆλθεν ἔνδον βασιλεύς, καὶ συγκαθήμενον αὐτὸν εἶχεν, οὔπω κόρον δεχόμενος τῆς φιλοφροσύνης, ἔτι καὶ πλέον ἐποίει, λαμβάνων αὐτοῦ τὰς χεῖρας, ὄμμασιν ἐτίθει τοῖς ἑαυτοῦ καὶ καταφιλῶν μεθ' ὅσης εἴποι τῆς ἡδονῆς, καὶ δάκρυα καταστάζων αὐτῶν ἥδετο· ἡ γὰρ τοῦ πιέζοντος πάθους ἀνάγκη ἄνθρωπον αὐτὸν ἐποίει μᾶλλον ἢ βασιλέα δείκνυσθαι καὶ ἀνθρωπίναις καλυπτόμενον ἀθλιότησιν ἢ μεγαλοπρεπείαις βασιλικαῖς ἐπαιρόμενον. Πλὴν ἀλλ' ἡ πολλὴ αὕτη τοῦ βασιλέως μετριοπάθεια καὶ τὸ σέβας βαρύτητα καὶ λύπην ἐμβέβληκεν τῷ Ὁσίῳ, καὶ ὥσπερ ἄδικόν τι πάσχων, καὶ εἰς μετριοφροσύνην πλεονεκτούμενος οὐκ ἤνεγκε σιωπᾶν· Ἀλλά, Μὴ οὕτω ποίει, ὦ βασιλεῦ, μὴ οὕτως ἠρέμα καὶ ταπεινῶς, ὑπεφώνει, μηδὲ τῷ ἀμέτρως ἐθέλειν αὐτὸν ταπεινῶσαι, ἐμοὶ κρίμα προξενήσας ὑπεροψίας. Τί γὰρ πλέον ἔχω ἐγὼ τῶν κοινῶν ἀνθρώπων ταλαίπωρος ὢν καὶ ἁμαρτίαις ὑπεύθυνος, καὶ πολλῆς τῆς παρὰ Χριστοῦ χρηστότητος καὶ φιλανθρωπίας ἐπιδεής; Πλὴν ἀλλὰ τὸ ἄφθονόν σου τοῦτο τῆς πίστεως καὶ θερμὸν ἄγγελός σοι γίνεται ἀψευδὴς τῆς ἀπὸ Χριστοῦ βοηθείας, τοῦ βασιλέως δὴ τῶν βασιλευόντων καὶ πάντα δυναμένου ποιεῖν. Οὕτως εἰπών, χεῖρα ἐπετίθει τῷ πάσχοντι

μερει

A μέρει· καὶ ἡ μὲν ἐνήργει τὰ ἑαυτῆς· ὁδὲ κρύπτειν ἐθέλων ταπεινοφροσύνης περιουσίᾳ χάριτος ἀφθονίαν, ἐπιθέμασί τισι τῆς ἐκ τέχνης, ἃ τῷ ἀλγοῦντι μέρει ἐπέϐαλλεν, ἐπιγράφειν ἐπειρᾶτο τὴν ἴασιν. Ἀλλ᾽ ἐνίκα ἐπιπλαττομένην οὕτω θεραπείαν ἡ ὑποκρυπτομένη ἀλήθεια, καὶ ὁ ἐν πολλοῖς καὶ ἄλλοις θαυματουργὸς γνωρισθεὶς κἂν τούτῳ δὴ θαυματουργῶν ἐγνωρίζετο. Ὀυ πολλαὶ παρῆλθον ἡμέραι καὶ ὁ βασιλεὺς ὅλως ἀπηλλάγη τοῦ πάθους καὶ καθαρᾶς ἀπέλαυσεν ὑγείας, πλήρης τε ἦν εὐφροσύνης καὶ θαύματος, τῆς μὲν διὰ τὴν ἀναστρωσιν, τοῦ δὴ διὰ τὴν τοῦ ὑγιάσαντος πρὸς Θεὸν οἰκείωσιν,

9 Ἔπειτα καὶ ὡς ἀμειψόμενος τὸ μέγα τῆς θεραπείας δωρήμασιν ἐπικαίροις, χρυσόν τε ἐδίδου μεγαλοψύχως, καὶ ἄλλα ὅσα δὴ ἐπιθυμίαν οἶδε παρακαλεῖν τοῦ κατὰ σάρκα ζῶντός φημι· ἐκείνῳ δὲ τὸ λιτῶς οὕτω καὶ ἠμελημένως ζῆν, αὐθαίρετον ἀγαθὸν, παντὸς μὲν πλούτου μακαριώτερον, πάσης δέ δόξης ἀξιωματικώτερον. Ἀμέλει καὶ τὸ τοῦ βασιλέως φιλότιμόν τε καὶ μεγαλόδωρον εὐκαίροις καὶ ἰσχυραῖς διεκρούσατο ταῖς ἀπολογίαις· Ἐκεῖνά μοι δίδως, ὦ βασιλεῦ, εἰπὼν, ὧν αὐτὸς ἡδέως ἐξέστην διὰ
B Χριστὸν, πολλὰ μὲν ἐν κτήμασι, πλεῖστα δὲ καὶ ἐν χρήμασι κεκτημένος. Πῶς οὖν ἐγὼ λήψομαι ταῦτα, ὧν τὸ ζῆσαι χωρὶς φανερῶς εὗρον ὠφελιμώτατον, καὶ ὧν τὸ ἀποστῆναι φρονίμως, Θεῷ οἰκειωθῆναι καθαρῶς ἀποδέδεικται. Ἐι δὲ βούλει διὰ πολλὴν χρηστότητα καὶ φιλανθρωπίαν κεχαρισμένον ἡμῖν τι γένεσθαι, μᾶλλον [Θεῷ γινέθω] καὶ οὕτω δὴ καὶ πρὸς ἡμᾶς τὸ γεγονὸς διαβήσεται. Ἔσται δὲ τοῦτο, εἰ πλησίον τοῦ ἐμοῦ οἰκίσκου, ὅν τε αὐτὸς οἰκῶ, καὶ τινας τῶν νοσήματι κατόχων εἰσάγων ἐπιμελείας ὡς ἐμὴ δύναμις ἀξιῶ, οἶκον τοῖς νόσῳ κάμνουσιν ἐπιτήδειον αὐτὸς ἐγερεῖς. Τοῦτο γάρ σοι καὶ ἀοίδιμον ὄνομα σθήσει καὶ προξενήσει μισθὸν ἀναφαίρετον. Ἤκουσεν ὁ βασιλεὺς, καὶ τὸ αἰτηθὲν ὡς δωρεὰν μᾶλλον ἢ αἴτησιν ἀσμένως προσήκατο. Καὶ παραχρῆμα (καὶ γὰρ ἦν τότε καὶ τὸν θεῖον ἐπ᾽ ὀνόματι τῆς τοῦ θεοῦ σοφίας ναὸν κατασκευασόμενος) καὶ αὐτὸν ἐπέταττε συνοικοδομεῖσθαι προθυμίᾳ τε ψυχῆς, καὶ οἰκοδομούντων πολυχειρίᾳ, καὶ δαψιλείᾳ παντὸς ἀναλώματος, αὐτοῦ μὲν παρέχοντος φιλοτίμως, κατὰ δὲ τὸ ἀρέσκον τῷ Μεγάλῳ τῆς οἰκοδομίας τελευτουργουμένης. Ἐπεὶ δὲ καὶ ᾠκοδόμητο λίαν φιλοκάλως καὶ μεγαλοπρεπῶς, καὶ ὀνόματος αὐτοῦ ἠξιοῦτο, εὐθυς ἐκείνῳ τε ἐπετράπετο, καὶ αὐτὸς ἦν ὁ θεῖος Σαμψὼν, ὁ τὴν τοῦ οἴκου προστασίαν πεπιστευμένος.

C

10 Προστίθησιν ὁ βασιλεὺς καὶ ἕτερον, βασιλικῆς ἄξιον μεγαλοδωρίας, ἀπόμοιραν οὐκ ὀλίγην, οὐδ᾽ ἐξ ὀλίγης προαιρέσεως τῷ ἁγίῳ τούτῳ οἴκῳ καθιεροῦν, ἐκ προνομῆς, δήπου διαιρεθεῖσαν, ἧς ὁ θαυμαστὸς Βελισάριος ἀπὸ τῆς τῶν Ἀσσυρίων γῆς ἐκείνῳ προσαγαγὼν ἦν, λαμπρᾶς τῷ ὄτι καὶ φιλοτίμου. Εἶτα καὶ στημάτων δωρεαῖς κρατύνει τὸν οἶκον, ἱκανῶς ἐχόντων εἴς τε ἄλλας αὐτοῦ δαπάνας καὶ πρὸς ἰατρῶν σιτηρέσια, καὶ τῶν ἑτέρας ἐπιτετραμμένων αὐτοῦ λειτουργίας. Ἐπὶ πολλοῖς οὖν τοῖς χρόνοις οὕτως ὁ Μακάριος διαρκήσας ἐν ταῖς τῶν καμνόντων ἐπιμελείαις, καὶ πατρικῶς πάντων καὶ λίαν κηδεμονικῶς προμηθούμενος, ἐπεὶ καὶ εἰς βαθὺ γῆρας ἤδη παραδὺς ἦν, καὶ ἀδυνάτως ἔχον αὐτῷ τὸ σῶμα τὴν τελευτὴν ὤδυγε, νοσοῦ μὲν ὀλίγα καὶ οἷα προοίμια δείκνυσθαι ταῦτα καὶ ἀφορμὴ θανάτου. Θνήσκει δε οὐκ ἀθυμῶν, οὐδὲ βαρυνόμενος, οὐδὲ τὴν μετάθεσιν δυσχεραίνων κατὰ τὰς φιλοσωμάτους ψυχάς τε καὶ φιλοκόσμους, ἀλλὰ πρᾴως καὶ ἱλαρῶς, ἅτε γοῦν δ᾽ ἀκριϐῶς ἐπιστάμενος ὑφ᾽ οὗ καλεῖται, καὶ ἐξ οἵας περιφορᾶς εἰς ἵαν κατάστασιν μεταϐαίνει, καὶ οἷαι τὴν μακαρίαν αὐτοῦ ψυχὴν ἀπολαύσεις, ἐκδέξονται· ἐκ γὰρ τῶν πόνων τὰς ἀντιδόσεις, ἐκ τῶν σπερμάτων τε ᾔδει καὶ τοὺς καρπούς. Ἡ μὲν οὖν ἀξιόθεος ἐκείνου καθαρὰ ψυχὴ πρὸς οὐρανίους οἰκήσεις

dixisset, imposuit manum parti affectæ. Et ea quidem suo fungebatur officio. Ipse autem copia humilitatis volens celare abundantiam gratiæ, quibusdam rebus, quas parti laboranti ex arte imposuit, curationem conabatur adscribere. Sed medicinam, quæ applicabatur, vincebat, quæ celabatur, veritas : et qui in aliis fuerat cognitus rerum effector mirabilium, in hoc quoque fuit cognitus fecisse miraculum. Non multi enim dies præterierunt; et Imperator fuit omnino liberatus a morbo, et est integram assecutus sanitatem, repletusque est lætitia et admiratione, illa quidem propter recuperatam valetudinem, hac autem propterea, quod qui eum sanum fecerat, Deo esset familiaritate conjunctus. D

Ex MSS. et eumdem sanat

studens celare miraculum.

9 Deinde etiam, ut tantæ curationis beneficio responderet, B. Sampsoni aurum donavit splendide ac magnifice, et quæcumque poterant incitare desiderium ejus, qui secundum carnem vivit. Illi autem tenuiter et frugaliter vivere, erat bonum per se expetendum, omnibus quidem divitiis beatius, quavis vero gloria ac dignitate excellentius. Imperatoris certe liberalitatem et munificentiam opportunis et validis recusavit excusationibus; Illa mihi das, dicens, o Imperator, quæ lubenter reliqui propter Christum, ut qui multas possiderem pecunias, et multas haberem possessiones. Quomodo ergo ea accipiam, sine quibus vivere aperte comperi utilius esse, et a quibus prudenter discedentem Deo esse conjunctum, dilucide est ostensum? Quod si pro summa tua benignitate et humanitate nobis aliqua in re gratificari cupias, id fiat Deo potius, et ita quod factum fuerit, ad nos quoque transibit. Fiet autem hoc, si prope meam domunculam, quam et ipse habito, et aliquos ex iis, qui morbis laborant, eo introducens curo pro viribus, ægrotantibus domum aptam excitaveris. Hoc enim tibi et clarum nomen pariet, et conciliabit mercedem, quæ auferri non poterit. Audivit Imperator, et quod petitum fuerat, lubenter admisit, tamquam donum potius, quam petitionem. Et statim (tunc enim divinum construebat templum nomine Dei Sophiæ) jussit, ut id quoque simul ædificaretur prompto et alacri animi studio, et eorum, quæ ædificabant, magna multitudine, et omnium impensarum copia, ipso quidem suppeditante liberaliter, ex magni vero Sampsonis sententia effecto ædificio. Postquam autem pulchre et magnifice fuit ædificatum, et ab ejus fuit nomine denominatum, protinus illi fuit præmissum. Et ipse erat divinus ille Sampson, cui commissa fuerat domus administratio. *d*

Recusat munera,

E

efficit tamen ut sibi hospitale ædificetur.

d

10 Adjicit autem Imperator aliud quoque dignum Imperatoria munificentia. Non exiguam enim suorum bonorum partem, et non sine egregio proposito, huic ædi sanctæ consecrat, sumptam scilicet ex prædis, quas admirabilis ille Belisarius ad eum attulerat e terra Assyriorum, *e* quæ revera erant præclaræ et opimæ. Deinde domum quoque munit donis possessionum, quæ et ad alios ejus sumptus sufficiebant, et ad alimentum medicorum, et eorum, quibus erant alia commissa munera. Cum multos autem annos sic *f* transegisset ille Beatus in cura gerenda ægrotorum, de quibus omnibus erat instar patris solicitus, et jam ad gravem devenisset senectutem, et corpus imbecillum ei mortem parturiret, parum quidem ægrotat, et quod posset ostendi esse procemium et occasio mortis. Moritur autem non tristis, neque graviter et ægre ferens decessum, ut solent animæ, quæ corporis et mundi nimio tenentur amore : sed placide et hilariter, ut qui pulchre sciret, a quo vocaretur, et a qua perturbatione ad quam transiret requiem, et quantæ voluptates essent beatam ejus animam excepturæ. Ex laboribus enim remunerationes, F

e

f

S. Sampsonis obitus.

et post mortem

A tiones, et fructus noverat ex seminibus. Atque Deo quidem digna et munda illius anima ad cœlestem transit habitationem : sacrum vero et sanctum ejus corpus deponitur honorabiliter in maximo templo Mocii Martyris, g utpote quod magnus ille Sampson ex eo diceretur trahere cognationem, non corpore solum, sed multo magis animo et moribus. Quam multis autem clarus fuerit miraculis, quæ est in rebus omnibus maxime admirabilis, non in vita solum, sed etiam multo magis post mortem, neque lingua potest dicere, neque auris admittere. Quomodo enim, cujus nec in hodiernum quidem diem constiterunt fluenta miraculorum? Imo vero nec consistent quidem, donec ille idem fuerit, et ejusdem misericordiæ ad intercedendum pro hominibus apud Deum. Pauca ergo, si videtur, ad Dei gloriam, et eorum, qui audiunt, delectationem ac utilitatem ex iis, quæ post ejus hinc excessum facta sunt, prosequatur oratio.

miracula.

μεταφοιτᾷ· τὸ δὲ ἱερὸν σῶμα καὶ ἅγιον τῷ μεγίστῳ ναῷ D Μωκίου τοῦ μάρτυρος πανσέπτως ἐγκατατίθεται· ἅτε δὴ καὶ συγγένειαν ἕλκειν ἐκεῖθεν τοῦ Μεγάλου φημιζομένου, καὶ οἰκείως ἔχειν, οὐ κατὰ σῶμα μόνον, ἀλλὰ καὶ πλέον κατὰ ψυχὴν δηλαδὴ καὶ τοὺς τρόπους. Ὅσοις δὲ τοῖς θαύμασιν ἐδοξάσθη ὁ τὰ πάντα θαυμασιώτατος, οὐ κατὰ τὴν ἐνταῦθα ζωὴν ἁπλῶς, ἀλλὰ μετὰ τὸν θάνατον πολλῷ μᾶλλον, οὔτε γλῶττα δυνατὴ λέγειν, οὔτ᾽ ἀκοὴ παραδέχεσθαι. Πῶς γάρ; οὗ μὴ δὲ μέχρι καὶ νῦν οἱ τῶν θαυμάτων ἔστησαν ῥύακες· μᾶλλον δὲ οὐδὲ στήσονται, ἕως ἂν ἐκεῖνος ὁ αὐτὸς ᾖ, καὶ τοῖς αὐτοῦ χρῆται σπλάγχνοις ὑπὲρ ἀνθρώπων πρὸς Θεὸν διαπρεσβευόμενος. Ὀλίγα τοίνυν, εἰ δοκεῖ, πρὸς δόξαν Θεοῦ καὶ τὴν ἀκουόντων ἡδονὴν καὶ ὠφέλειαν, τῶν μετὰ τὴν ἐντεῦθεν αὐτοῦ μετάθεσιν γενομένων τῷ λόγῳ μεταληπτέον.

ANNOTATA F. V.

a *Menologium Constantini Porphyrogeniti habet, eum fuisse consanguineum Constantini Magni Menæa excusa* B *nihil habent de ipsius familia.*

b *A Patriarcha Mena non potuisse Sampsonem ordinari Sacerdotem dictum est in Comment. prævio num.* 18. E

c *Regnavit Justinianus Magnus ab anno Christi* DXXVII *ad* DLXV.

d *Erat hoc xenodochium, ut habet Cangius in Constantinopoli Christiana lib.* 4. *inter ædem Sophianam et ædem Irenes. Et, ut ibidem ait Cangius, extat Epistola Innocentii III Pontificis lib.* 13. *Epist.* 17 *qua confirmat præceptori et Fratribus hospitalis* S. Sampsonis *Constantinopolitani donationem castelli, quod Garelis nuncupatur, factum ab Henrico Imperatore CP. Meminit etiam istius xenodochii Jacobus de Vitriaco in Hist. Occiden. cap.* 29 *his verbis :* Quemadmodum sunt Hospitalia sancti Spiritus in Romana urbe et S. Sampsonis in Constantinopolitana civitate, et B. Antonii in ipso capite, et B. Mariæ Ronsciovallis in introitu Hispaniæ, et alia quædam Deo grata et pauperibus peregrinis seu infirmis valde necessaria.

e *Transferri id oportet post mortem* Sampsonis : *vivente etenim Sampsone xenodochium hoc satis misere habebat, ut habetur infra sub finem num.* 17 : *quamvis, quod ad structuram attinet, satis magnificum fuerit, ut dictum est in Commentrio prævio num.* 15.

f *Hæc non intelligenda sunt post conditum a Justiniano xenodochium : verum de cura et solicitudine quam etiam prius ægrotis et pauperibus impenderat : post structum enim xenodochium unum alterumve annum tantum supervixit.*

g *De S. Mocio Martyre actum est die* XI *Maji.*

CAPUT II.

Miracula post mortem.

ncen divm Constantinopoli divinitus extinguitur, a

C Et primum quidem sit, quod et multæ linguæ canunt, et libri ferunt, et omnes credunt; quod in populari tumultu, adversus Justinianum, magnum illum et clarissimum Imperatorem excitato, a accidit. Illo tempore audacissimorum atque imprimis temerariorum hominum manus, ignem ferentes, præclarissimas et ditissimas ædes aggrediuntur : atque principium incendio dant a maximo templo Dei Sophiæ, quod cum in orbem omnia exedisset, deinde serpens venit usque ad præclaras ædes divini Sampsonis, et tectum arripit celeriter, et fremens ulterius procedit : existimabaturque fore, ut mox tota domus omnino interiret. Quid ergo est postea consecutum? Multæ quidem ex adverso in eo movebantur manus gratæ et piæ, nihil non facientes, nihil non molientes eorum, quæ possunt fieri ad ignis cohibendum impetum. Sed malum erat inexpugnabile, et omne superabat auxilium. Vincitur tamen, et eo fuit potentior cura magni Sampsonis. Fuerunt enim, fuerunt, qui tunc digni sunt habiti divinum videre Sampsonem per tectum circumcirca cursitantem, et ignem increpantem, et veluti frementem, et admirabiliter ejus impetum retardantem. Cujus quidem aspectu ignis veluti obstupefactus retrocessit : deinde cum tonitru repente erupisset, co-

F Καὶ πρῶτόν γε τοῦτο, ὃ καὶ γλῶτται πολλαὶ ᾄδουσι, καὶ βίβλοι φέρουσι, καὶ πάντες πιστεύουσι, καὶ ὃ κατὰ τὴν τοῦ μεγάλου, φημί, καὶ μέγα ἐν βασιλεῦσι λάμψαντος Ἰωστινιανοῦ τοῦ δήμου φοράν, ἥτις γε κατ᾽ αὐτοῦ συνέστη, γενέσθαι συνέβη· καὶ ὅπως παντολμοί τινες χεῖρες, καὶ φιλοκίνδυναι, πῦρ ἀνάψασαι, τοῖς λαμπροῖς τῶν οἴκων καὶ πολυχρύσοις, κατὰ τὸ ἐξαίρετον ἐπιτίθενται. Ἄρχεται μὲν οὖν τὸ κάκὸν ἀπὸ τοῦ μεγίστου ναοῦ τῆς τοῦ Θεοῦ Σοφίας, καὶ τὰ κύκλῳ διανεμηθέν, ἅπαντα εἶτα καὶ μέχρι τοῦ λαμπροῦ τοῦ δὲ οἴκου τοῦ θείου Σαμψὼν ἕρπον ἔρχεται, καὶ τῆς ὀροφῆς ὀξέως ἐπιλαμβάνεται καὶ τὸ προσωτέρω βρέμον ἐπῄει, ἐπίδοξόν τε ἦν ὅσον οὔπω, καὶ πάντελῶς θέσθαι τῷ οἴκῳ φθοράν. Τί τοίνυν τὸ μετὰ ταῦτα; πολλαὶ μὲν ἀντιστρόφως ταῖς προλαβούσαις ἐκινοῦντο περὶ αὐτὸν χεῖρες φιλοχαίριστοι καὶ φιλάνθρωποι, τί μὴ ποιοῦσαι, καὶ τί τῶν γενέσθαι δυναμένων, οὐ μηχανώμεναι πρὸς ἐπίσχεσιν τῆς τοῦ πυρὸς ῥύμης· ἀλλὰ τὸ δεινὸν ἀείμαχον ἦν, καὶ πάσης ἰσχυρότερον βοηθείας· ἡττᾶται δ᾽ οὖν ὅμως, καὶ κρείττων ἡ τοῦ Μεγάλου προστασία γίνεται. Ἦσαν γάρ, ἦσαν, οἱ τὸν θεῖον τότε Σαμψὼν ἠξιῶντο θεωρεῖν, κύκλῳ τῆς ὀροφῆς περιθέοντα ἐπιτιμῶντά τε τῷ πυρί, καὶ οἱονεὶ ἐμβριμώμενον, καὶ τῆς ὁρμῆς αὐτῷ παραδόξως ἀναχαιτίζοντα, οὗ καὶ τὴν θέαν ἐκείνου ὥσπερ καταπλαγέν, εἰς τοὐπίσω τε ἐχώρει, καὶ ἀνεκόπτετο· ἔπειτα βροντῆς ἀθρόον καταῤῥαγούσης, ὄμβρος,

A βρος, οἷος δαψιλὴς ἐπεῤῥύη, ὡς ἐντεῦθεν, τὸ μὲν πῦρ ἀποσβῆσαι, διασωθῆναι δὲ καὶ τὸν οἶκον πλὴν τῆς ὀροφῆς ἀπαθῆ·

12 Προσκείσθω καὶ ἕτερα τῶν θαυμάτων, οὐ τὰ πολλοῖς πρότερον γενόμενα χρόνοις, δι' ἀπορίαν καινῶν καὶ προσφάτων (οὐδὲ γὰρ ἐλείπουσιν ἄχρι καὶ νῦν τῶν ποταμῶν μιμούμενα τοὺς ῥέοντας ἀεννάως) ἀλλὰ τὰ μικρῷ πρόσθεν γεγενημένα, ἵνα καὶ πλέον οὕτω πιστὰ εἴη, τὰ μὲν αὐτοὺς ἐκείνους διηγουμένους ἔχοντα, τοὺς τῶν χαρίτων ἀποναμένους, γλώττας φιλαλήθεις καὶ τῷ ψεύδει παντάπασιν ἀπεχθανομένας· τὰ δὲ τοὺς γένει προσήκοντας ἢ ὑπηρετήσαντας ἢ ἄλλως ᾠκειωμένους αὐτοῖς ἐκείνοις τοῖς τῶν θαυμάτων πεπειραμένοις. Αὐτίκα γοῦν Θεοδώριτος, ὁ τῷ τῶν Σπαθαροκουβικουλαρίων διαπρέπων τάγματι, ᾧ πολλήγε ἡ ἀρετὴ μαρτυρεῖται, χρηστότης μετὰ τῆς ἀληθείας, καὶ μετριοπαθὴς ἐπιείκεια. Οὗτος ὑπηρέτης ἦν, καὶ ὑπηρετῶν οἰκειότατος, Λέοντος ἐκείνου φημί, ὃν ὁ τῶν Πατρικίων τε καὶ Πραιποσίτων εἶχε χορός, καὶ ὃς μετῆλθε μὲν τὸν τοῦ Δρουγγαρίου τῶν πλοΐμων, μετῆλθε δὲ καὶ τὴν τοῦ Λογοθέτου τοῦ δρόμου ἀρχήν, ἐφ' ᾗ καὶ τέθνηκεν οὐ πλέον μετὰ τὸν ἐκείνου θάνατον ἢ μῆνες τὸ μέγιστον, πέντε. Τούτῳ τοίγαροῦν τῷ Θεοδωρίτῳ καὶ ἕτερος ἦν [Λέων τοὔνομα] τῶν συνυπηρετούντων τῷ περιφανεῖ Λέοντι, ἀλλὰ καὶ οἰκείως ἐχόντων καὶ B ἰδιωτῶν τις, Πρωτοσπαθαριός τε γὰρ ἦν, καὶ ὡς σύνηθες ὀνομάζειν, ἐπὶ τοῦ Μαγκλαβίου, φίλος τε τῷ Θεοδωρίτῳ εὖ τὰ μάλιστα καὶ συνυπηρέτης ὁμόψυχος. Τούτῳ τοίνυν τῷ Λέοντι ὁ Δρουγγάριος κατά τινα πρόφασιν χαλεπήνας, ἐξ ὄψεώς τε ἔθετο, καὶ παῤῥησίας αὐτὸν ἀπέστησε τῆς συνήθους, χρόνον οὐχὶ βραχύν. Μάρτυς εἰμὶ καὶ αὐτὸς τῆς πρὸς τὸν Λέοντα χαλεπότητος τοῦ ἀνδρός, καὶ τὴν ἀποστροφὴν οἶδα καὶ τὴν χρονίαν ἀπόστασιν· Καὶ γὰρ καὶ αὐτὸς ἠξίουν ὑπὲρ τοῦ Λέοντος, φίλος ὢν καὶ συνήθης τῷ Δρουγγαρίῳ. Ἠνιᾶτο τοίνυν ὁ Λέων μάλα σφοδρῶς καὶ ἀθυμίᾳ συνείχετο, καὶ τὴν λύπην εἶχε, καὶ αὐτῶν ὀστέων ἁπτομένην καὶ μυελλῶν, καὶ ἰσχυρῶς τήκουσαν. Ἦν δὲ τὸ λυποῦν οὐ μόνον τοῦ Λέοντος, ἀλλὰ μὲν καὶ Θεοδώριτος τὸν αὐτὸν εἷλκε ζυγὸν τοῦ λόγου, καὶ συνήλγει αὐτῷ καὶ συνέπασχε, νόμοις εἴκων φιλανθρωπίας, ἅτε δὴ φίλος ὢν καὶ συνυπηρέτης, ὥσπερ ὁ λόγος φθάσας ἐδήλωσεν.

13 Ταύτη τοίνυν μὴ δὲ φέρων οὕτω πάσχοντα τὸν Λέοντα καθορᾷν, ἀπετόλμα δηλαδὴ καὶ παρεκινδύνευε τοῖς λόγοις τοῖς πρὸς τὸν ἑαυτῶν δεσπότην (σφόδρα γὰρ δυσπρόσοτός τε καὶ δυσομίλητος ὁ ἀνήρ, καὶ μάλιστα ἐν ὑπηρέταις) καὶ ἠξίου περὶ αὐτοῦ τρόπον τὸν ἔμφρονα· C Οἴχεται, λέγων, ὁ Λέων οἴχεται· δέος μὴ καὶ δράσαι μέν τι τῶν χαλεπῶν, ὅσπερ ἄντικρυς οὐ βουλόμεθα, μὴ δὲ θανάτου καταστῶμεν αἴτιοι· τέτηκε γὰρ ὁ δυστυχὴς ἤδη καὶ δεδαπάνηται, τὴν ἀποστροφὴν οὐ φέρων τὴν σήν, καὶ ὅσον οὔπω ἀποβάλλει καὶ τὴν ψυχήν. Τοῦτο οὐχ ἅπαξ εἰρηκώς, ἀλλὰ καὶ πολλάκις, τῷ συνεχεῖ καὶ εὐκαίρῳ πείθει, καὶ τὴν καταλλαγὴν πρεσβεύει καλῶς τῷ Λέοντι. Εἶτα καὶ εἰς ὄψιν αὐτὸν ἀγαγεῖν κελευσθείς, ἐκεῖνος ἐκ τῆς ἄγαν περιχαρείας (κλίμακα οὕτω συμβὰν κατιὼν) καὶ τῷ τάχει συμποδισθείς, διάστροφός τε καὶ ἔξεδρος τὴν τοῦ ποδὸς ἁρμονίαν γίνεται· καὶ εὐθὺς ἄφωνός τε καὶ ἀκίνητος ἦν, ὑπὸ τῆς περιωδυνίας ἀποῤῥαγείς, ἡ κλίνη τε εἶχε τοῦτον, μόγις πρὸς αὐτὴν ἐκκεκομισμένον· Τρεῖς παρῆλθον ἡμέραι, καὶ αὐτὸς οὕτως ἔκειτο, ὕπτιος, ἄφωνος, ἄυπνός τε καὶ ἀχανὴς καὶ ἄσιτος, οὐδὲ ὕδατος προσιέμενος οὐδαμῶς, οὐδὲ κινηθεὶς ὅλως· ἀλλ' οἱονεὶ τῇ κλίνῃ προσηλωμένος καὶ τῆς ἀψύχου διαφέρων οὐδέν. Δεόμενος μέντοι καὶ σιωπῶν τοῦ Ἁγίου, ὁρᾷ τοῦτον παρὰ τοὺς πρόποδας ἑστηκότα τῆς κλίνης, τοῦ ἀστραγάλου τὸν ἐπαφώμενον τοῦ πεπονθότος ποδός, καὶ Ἔγειραι, εἰρηκότα, κακὸν γὰρ ἐστί σοι τὸ παράπαν οὐδέν· ἅμα τε ἔφη τοῦτο, καὶ ἅμα ἐξῄει, βλεπόντων τοῦ Θεοδωρίτου τῶν ὀφθαλμῶν, τοῦ στόματος μηδὲ φθέγγεσθαι δυναμένου. Ἐπειδὴ καὶ ὁ Μέγας πόῤῥω τῶν ὀφθαλμῶν ἦν, ἐπάνεισι μὲν εἰς ἑαυτὸν ὁ Θεοδώριτος, καὶ οἱονεὶ ψυχοῦται, καὶ

piosa quoque affluxit pluvia, quo factum est, ut D
ignis extingueretur, et domus conservaretur illæsa EX MSS.
præter tectum. *b* *b*

12 Adjiciantur alia quoque miracula, non quæ multis ante annis facta sunt, quod desint nova et recentia (non enim in hodiernum usque diem deficiunt, utpote perennes imitantia fluvios) sed ea, quæ paulo ante contigerunt, ideoque sunt magis credibilia; quæque relata fuerunt, tum ab iis ipsis, qui beneficia consecuti sunt, viris veridicis, et omnis mendacii osoribus: tum ab illis, qui aut consanguinei, aut famuli, aut aliter familiares fuerunt iis, in quibus miracula patrata sunt. Adsit igitur Theodoritus, Spatharocubilarius *c* insignis, *c*
cujus testatissima est virtus, probitas, veracitas, et summa animi moderatio. Is erat famulus, et famulorum familiarissimus, et fidelissimus Leonis illius, qui erat ex ordine Patriciorum, et Præpositorum, quique gessit Magistratum Drungarii *d* Classiariorum, nec non Ratiocinatoris *e* cursus; in quo *d* *e*
diem clausit extremum, non amplius quam menses, ut summum, quinque post obitum illius. Erat Theodorito huic etiam socius ex numero secum famulantium illustri Leoni, et ipse Leo dictus. Domino E
suo carus atque familiaris. Erat enim Protospatharius, *f* et ut mos est nominare, in Manclabio *g*. *f g*
Hic summus erat Theodoriti amicus, et unanimis socius in ministerio. Huic autem Leoni cum aliqua de causa succensuisset Drungarius, eum habuit suspectum, et tempore non parvo eum a consueta removit familiaritate, et ab ea, quam prius habebat, fiducia. Sum quoque ego testis Drungarii adversus Leonem indignationis, vidique aversionem ejus et diuturnam separationem. Imo ego quoque rogavi pro Leone, ut qui essem Drungario amicus et familiaris. Valde itaque angebatur Leo, et magna afficiebatur animi ægritudine, dolorque vel ipsa ossa et medullas tangebat, et valde consumebat. Quin etiam Theodoritus idem jugum trahebat, ut dicitur, ejusque movebatur misericordia, gravique dolore afficiebatur, legibus cedens amicitiæ, ut qui esset amicus, in ministerio socius, ut prius est ostensum.

13 Cum itaque ferre non posset, Leonem sic affici, ausus est verbis suum aggredi Dominum (neque enim facilis ad eum patebat aditus, et asper erat in sermonis congressione, maxime inter famulos) et prudenti inita ratione, pro eo rogavit: Perit, dicens, Leo perit: timendum est, ne sibi F
grave aliquid faciat: quod quidem certe nolimus: neque simus auctores ejus mortis. Miser enim jam extabuit, et est sane consumptus, non ferens tuam aversationem; et statim amittet etiam animam. Hoc cum non semel, sed sæpe dixisset, assiduitate et opportuna persuasione belle reconciliat Leoni Dominum suum; jubeturque ipsum adducere in conspectum ejus. Ille vero præ nimio gaudio ac festinatione (dum forte debebat per scalas descendere) impeditum alicubi pedem graviter luxat, jacetque sine voce, immobilis et dolore fractus; ac ægre tandem delatus est ad lectum. Tres dies præterierant, et ipse sic jacebat supinus, mutus, stupefactus, somni et cibi expers, nec aquam quidem admittens, nec omnino se movens, sed veluti lecto affixus, et a re inanima nihil differens: Sanctum tamen etiam tacendo rogans, videt eum stantem ad extremum lecti, tangentem talum pedis affecti, et dicentem: Surge; nihil erit tibi amplius mali. Simul autem atque hoc dixit, simul disparuit, spectante Theodorito, et præ stupore nihil loquente. Postquam vero magnus ille Sampson procul fuit ab oculis, ad se redit Theodoritus, et novo veluti spiritu animatur, sibique restituitur; oris quoque et linguæ

S. Sampson per visum curat Theodoritum

EX MSS.

A linguæ usum recipiens, læta voce glorificabat Deum subsusurrabatque, Sanctus iste est Sampson : et statim ministrum est allocutus, dicens : Surge Basili (ita enim is vocabatur) et da mihi vestem, ut me induam : et simul pedem tetigit. Eum autem videns sanum, alteri manum admovit, qui erat illæsus ab initio. Rei enim admirabilitas eum reddebat prope emotæ mentis, et erat tamquam sui oblitus, et dubitans, et hæsitanti similis. Nimium enim gaudium et bonum inexpectatum ac præter opinionem eveniens, mentem solet dimovere. Ubi autem comperit ambos esse sanos, alacri statim animo et pedibus tendit ad sepulcrum ejus, qui misero curationem impertierat, et beneficium ei refert acceptum, gratiasque pie agit, ut solet gratus et memor animus.

14 Huic vero Theodorito accidit, ut Sanctus ille in alio quoque miraculo, quod circa Dominum ejus factum est (quisnam autem is sit, jam ostensum est) inserviret. Sed quomodo id accidit? Cum Drungarius hic Leo aliquando equitaret, evenit, ut equus illius pedem muro allidens, eum feriret graviter. Male autem se habebat pes, non B brevi aliquo tempore, sed multis diebus. Deinde cum sic affectus ostenderetur medicis, eos ad necessariam sectionem et chirurgicam operationem propellebat. Atque erat quidem dies quartus, quo medicis visum fuerat sic facere. Et Nicolaus (erat autem is quoque unus ex iis; qui serviebant Drungario, et ejus domum complebant) statuerat ipse afferre sectionem. Illa vero nocte apparent Theodorito viri tres, domum Drungarii ingredientes, habitu et amictu Romani. Quibus factus obviam, Quonam itis ? rogavit. Illi autem voce et aspectu placido : Ad Dominum tuum accedimus. Ad hæc autem Theodorito venit in mentem, ut diceret : Sed vos, o Domini, latet, quanto in præsentia dolore laboret Drungarius, et quod sint hodie medici illius pedi sectionem adhibituri? Illi autem ; Nequaquam, inquiunt : et tu id ne credideris. Nos enim ad ipsum venturi sumus in Parasceve, et malum ejus inspecturi. Mane ergo medicos jam volentes manum admovere operi, et pedi inferre sectionem, prohibuit Theodoritus, statim recordatus visionis, et eis narrans, quemadmodum ea se habuisset. Quam cum ipsi intellexissent, et visionem non esse despiciendem pie judicavissent, abstinuerunt. Cum vero jam adesset Parasceve (o tua Christe magnalia ! Quam ad- C mirabilis Deus in Sanctis tuis!) pes erat qualis antequam læderetur, purus, et totus sanus, non modo nulla sectione, sed nec ulla alia indigens curatione.

Pes Drungarii sanatur semel,

15 Non hoc solum insignis hic Leo, sed aliud quoque a magno Sampsone est consecutus miraculum. Morbo enim gravissimo laborans, alias quidem corporis sui partes habebat plane impeditas ; genua vero propemodum inutilia, et quæ suo officio minime fungi poterant. In loco enim plano et æquali utcumque fortassis ingredi poterat : scalas autem ascendere, aut per locum acclivem incedere, erat ipsi labor Herculeo major. Ex medicis vero omnibus, et ceteris qui aliquam ei opem ferre pollicebantur, nihil præter promissa et spem bonam est assecutus. Deinde cum eum subiisset memoria Sancti, agitat animo aliquid magis pium, et magis aptum ad medelam. Aliis omnibus despectis, tamquam inutilibus, accedit ad illius sepulcrum. Ad quod cum venisset, non utitur quidem aliquibus negotiosis vacationibus, neque multos alioqui dies illic assidet, sed sola precatione et unctione unguenti, quod illinc scaturit, utitur liniens genua male habentia. Quod cum factum esset, continuo morbi incommodis liberatus, pedibusque novo

iterumque,

κινουμένῳ παρόμοιος δείκνυται, φωνὴν δὲ καὶ τὸ στόμα D ὥσπερ πρότερον εἶχε, δοξάζων τε ἦν τὸν Θεὸν, φωνῇ φαιδροτέρᾳ, ὡς δὲ καὶ ὑποφθεγγόμενος, Ὁ ἅγιός ἐστι Σαμψών. Καὶ αὐτίκα [πρὸς] τὸν ὑπηρετούμενον, Ἀνάστα, ἔφη, Βασίλειε (οὕτω γὰρ ἐκαλεῖτο) καὶ τὸ ἱμάτιόν μοι δὸς ἐπενδύσασθαι. Καὶ ἅμα τοῦ ποδὸς ἥπτετο, καὶ ὑγιῆ τοῦτον ὁρῶν, τατέρῳ τὴν χεῖρα προσῆγε τῷ ἐξ ἀρχῆς ἀπαθεῖ· ἔδεικνυ γὰρ αὐτὸν μικροῦ καὶ ἔκφονα ἡ παραδοξοποία τοῦ πράγματος, καὶ ὥσπερ ἐκλαθόμενος ἑαυτοῦ, καὶ ἀμφιγνοῶν διέκειτο, καὶ ἀπορουμένῳ ἐῴκει. Ἄλλως τε δὲ καὶ ἡ περιχάρεια καὶ τὸ ἀδόκητον ἀγαθὸν, οἶδεν ἐξιστᾶν οὐ μετρίως. Ὡς οὖν καὶ ἀμφοτέρους ἐῤῥῶσθαι διέγνω, αὐτίκα πρόθυμος προθύμοις ποσὶ, πρὸς τὸν τοῦ θεραπεύσαντος τάφον, ὁμολογεῖτε τὴν χάριν, καὶ τὴν εὐχαριστίαν, ὥσπερ οἶδεν εὐγνώμων ψυχὴ, θεοφιλῶς ἀποδίδωσι.

14 Τῷ Θεοδορίτῳ δὴ τούτῳ καὶ ἑτέρῳ θαύματι, ὃ περὶ τὸν ἑαυτοῦ πέπρακται κύριον (δῆλος δὲ ἤδη, τίς οὗτός ἐστιν) ἐξεγένετο ὑπουργῆσαι, ἀλλ᾽ ὅπως ἄρα καὶ ἐξεγένετο. Τοῦ Δρουγγαρίου Λέοντος, τοῦ δὲ ἱππαζομένου ποτὲ, συμβαίνει τὸν ἵππον τοίχῳ προσαῤῥάξαντα τὸν ἐκείνου πόδα πλῆξαι χαλεπῶς. Εἶχε τοιγάρουν πονήρως ὁ ποῦς, οὐ παρ᾽ ὀλίγον, ἀλλ᾽ ἐν ἡμέραις συχναῖς. Εἶτα καὶ τοῖς ἰατροῖς οὕτως ἔχως ἐπιδεικνύμενος, πρὸς τομὴν E αὐτοὺς ἀναγκαίως παρεκάλει καὶ χειρουργίαν. Ἡ μὲν οὖν ἡμέρα τετρὰς, ὅτε οὕτω δέδοκται τοῖς ἰατροῖς δρᾶν· καὶ ὁ Νικόλαος (εἷς δὲ καὶ αὐτὸς τούτων ἦν, τῷ Δρουγγαρίῳ τε ὑπηρετούμενος καὶ τὸν αὐτοῦ οἶκον συμπληροῦν) ὡρίζετο ἐπενεγκεῖν αὐτὸς τὴν τομήν. Κατὰ δὲ τὴν νύκτα ἐκείνην, ἐπιφαίνονται τῷ Θεοδωρίτῳ ἄνδρες τρεῖς, τὸν οἶκον εἰσιόντες τοῦ Δρουγγαρίου, τὸ σχῆμα Ῥώμαίοι καὶ τὴν περιβολήν. Οἷς ὑπαντήσας, Ποῦ δὲ ἡ ἄφιξις; ἤρετο. Καὶ αὐτοὶ πραείᾳ ἅμα φωνῇ πράῳ δὲ καὶ τῷ βλέμματι, Πρὸς τὸν κύριον σου τόνδε πάριμεν, εἶπον. Πρὸς ταῦτα τῷ Θεοδωρίτῳ λέγειν ἐπῄει· Ἀλλ᾽ ἠγνόηται καὶ ὑμῖν τοῖς κυρίοις, οἵα λύπη τῷ Δρουγγαρίῳ τῷγε νῦν ἔχε, καὶ ὡς τήμερον μέλλον τοῖς ἰατροῖς τομὴν τῷ ποδὶ ἐκείνου ἐπενεγκεῖν; Οἱ δὲ, οὔ, φασιν, ἀλλὰ τοῦτό σοι μὴ παραδεκτέον· ἡμεῖς γὰρ πρὸς αὐτὸν ἐλευσόμεθα τῆς Παρασκευῆς, καὶ αὐτὸν ἐποψόμεθα. Ἕωθεν οὖν τοὺς ἰατροὺς ἔργου ἔχεσθαι βουλομένους, καὶ τῷ ποδὶ ἐπαγαγεῖν τὴν τομὴν, εἶργεν ὁ Θεοδώριτος, ἐπιμνησθεὶς αὐτίκα τῆς ὄψεως, κἀκείνοις ὅπως εἶχεν ἐξηγησάμενος, καὶ αὐτοὶ δὲ μαθόντες, καὶ οὐ παροπτέαν εἶναι τὴν ὄψιν εὐσεβῶς κρίναντες, ἐπεῖχον. Ὡς δὲ καὶ ἡ Παρασκευὴ παρῆν (ὢ Χριστὲ, τῶν σῶν μεγαλειῶν, ὡς θαυμαστὸς εἶ ὁ Θεὸς ἐν τοῖς σοῖς Ἁγίοις!) ὁ ποὺς ἦν, οἷος πρὸ τοῦ παθεῖν ἀκραιφνὴς καὶ ὅλος ὑγιεινότατος, οὐχ ὅπως τομῆς, ἀλλ᾽ οὐδέ τινος ἄλλης ἐπεμελείας δεόμενος. F

15 Ὀυ ταύτης μόνον οὗτος ὁ περιφανὴς Λέων, ἀλλὰ καὶ ἑτέρας ἀπέλαυσε τοῦ Μεγάλου θαυματουργίας· νόσῳ τῶν βαρυτάτων περισχεθεὶς, τοῖς τε ἄλλοις τοῦ σώματος μέρεσιν ἀδυνάτοις, τοῖς δὲ γόνασι μᾶλλον ὡς σχεδὸν ἀχρήστοις αὐτοῖς, καὶ μὴ δὲ ἐνεργοῖς οὖσιν, ἐκέχρητο· ἐν μὲν γὰρ ὁμαλεῖ τόπῳ καὶ πεδινῷ βαδίζειν ἴσως αὐτῷ κατὰ σχολὴν, οὐκ ἀδύνατον, κλίμακα δὲ ἀνελθεῖν, ἢ ὁδεῦσαι πρὸς ἄναντα, εἷς τῶν ἡρακλειῶν ἄθλων αὐτῷ τὸ ἐγχείρημα. Ἰατρῶν οὖν πάντων καὶ τῶν ἄλλως βοηθειῶν ἐπαγγελλομένων οὐδὲν πλέον τῶν ἐπαγγελιῶν ἀπέλαυσε καὶ τοῦ ἐλπίσιν ἐνησθῆναι μόναις. Εἶτα τῆς τοῦ Ἁγίου μνήμης ἐπιλαβούσης, φρονεῖ τι θεοσεβέστερον καὶ πρὸς τὸ ὠφελεῖν ἀληθέστερον τῶν ἄλλων πάντων ὡς ἀνοήτων ὑπεριδὼν τῷ ἐκείνου πρόσεις τάφῳ, ἐν ᾧ γενόμενος πραγματείαις μὲν οὐ χρῆταί τισιν, οὐ δὲ πολυημέροις ἄλλως προσεδρείαις, εὐχῇ δὲ μόνῃ τότε καὶ ἀλοιφῇ, τοῦ ἐκεῖθεν βλύζοντος μύρου ἐπὶ τοῖς γόνασιν αὐτοῦ τοῖς πεπονηκόσιν· οὗ γενομένου, ἀποβάλλεται μὲν εὐθέως τὰς τῆς νόσου πέδας, ῥώννυται δὲ τοὺς πόδας ῥῶσιν ἐντονωτάτην. Ἔπειτα καὶ ὑγιαίνοντι ὅλῳ σώματι καὶ ἡδομένῃ ψυχῇ, πρὸς τὸν οἶκον ἐπάνεισι τὸν οἰκεῖον. Πλὴν ἀλλὰ δεῖξαι βουλόμενος,

A βουλόμενος, ὅτι μὴ πρὸς ῥάθυμον ψυχὴν περὶ τὰς χάριτας ἡ εὐεργεσία, ἀλλὰ πρὸς εὐγνώμονα μᾶλλον καὶ θεραπευτικὴν, ἐπείπερ ὁ τοῦ θείου τοῦ δε Σαμψὼν οἶκος κάμνων ἦν τότε καὶ εἰς γόνυ κλιθεὶς, ὅσον ἐν χρήμασι καὶ ἀναλώμασι τοῖς εἰς δέον, αἰτεῖται τὸν χρηστὸν Κωνσταντῖνον (ἐκεῖνος γὰρ ἦν ὁ τοτε κρατῶν) ἐγχειρισθῆναι οἱ τοῦ οἴκου τοῦ δε τὴν προστασίαν. Ὁ μὲν οὖν ἐδίδου, ᾔδει γὰρ οἷος τὴν ἐπιμέλειαν ὁ ἀνήρ. Αὐτὸς δὲ λαβὼν, οὐκ ἀνίει, καὶ χειρὶ, τὸ τοῦ λόγου, καὶ ποδὶ συμβαλλόμενος, καὶ πᾶσαν εἰσάγων ἐκεῖ τὴν σπουδὴν, ἕως ἀνέστησέ τε καὶ ἁρμοζόντως ἔχειν καθ' ἑαυτὸν παρεσκεύασεν.

robore firmiter confirmatus fuit: et mox toto sanus corpore, et lætus animo domum revertitur. Verum enim vero cum vellet ostendere, non in ignavum hominem, et beneficii accepti immemorem, id fuisse collatum, sed in virum gratum et pium; quoniam divini hujus Sampsonis domus tunc male sarta tectaque ruinam minabatur, oblatis pecuniis ac sumptibus opportunis, quod attinebat ad pecunias et sumptus opportunos, petit a bono Constantino *h* (ille enim tunc obtinebat Imperium) ut cura illam restaurandi sibi demandaretur. Atque ille quidem dedit. Sciebat enim quanta esset viri industria et diligentia. Ipse autem cum accepisset, non remittebat, sed omnem rudentem apte movebat, et manibus, ut dicitur, pedibusque contendebat, et omne ad id studium adhibebat, donec eam restituit, et quantum in se fuit, effecit, ut satis bene se haberet. D EX MSS.

k

16 Οὐ δὲ τοῦτο παραλιπεῖν ἄξιον, ὃ καὶ τὸν ἰασάμενον καὶ τὸν αὐτὸν ἐπὶ ἄμφω ἰαθέντα σημαίνει, ὁ μὲν γὰρ ἦν ὁ περιφανὴς Λέων, Σαμψὼν δὲ ὁ θεῖος ὁ ἰασάμενος. Ὑέλωψ τὸ πάθος, ἕν ἐστι καὶ τοῦτο τῶν ὀφθαλμοὺς ἀνθρώπων ἐπισαινόντων, ὃ καὶ τῷ ἐκείνου κανθῷ ἐσισκήψαν, ἐπίεζεν ἰσχυρῶς. Τοῦτο ἰατρῶν τις ἐκκόψας, βλάπτων ὑπῆρχε μᾶλλον ἢ ὠφελῶν, καὶ τούτῳ μόνῳ δηλαδὴ B μὴ πονηρευόμενος, ὅτι μὴ ἑκὼν ἐπῆγε τὴν βλάβην· μεγίστη γὰρ ἡ τομὴ γίνεται καὶ ἄκρως ἐπιφαλὴς, ἣν καὶ αὐτὴν ὁ θεῖος ἰᾶται Σαμψὼν, τῷ ἐκείνου μύρῳ θαμινώτερον ἐπιχειρομένην, μικρᾶς τίνος ἄγαν ὑπολειφθείσης ὀπῆς, καὶ αὐτῆς κατὰ πρόνοιαν δηλαδὴ καὶ τοῦ ὠφελεῖν ἕνεκεν· Διὰ τῆς γὰρ ἰκμάς τις εὐχερῶς ἀποῤῥέουσα, τὰ μεθ' ὅλα τῷ τε ὀφθαλμῷ καὶ τῇ κεφαλῇ συνέτεινε.

16 Nec hoc quoque prætermittendum, quod eumdem habet, qui passus est, et eumdem, qui curavit. Nam qui passus quidem est, fuit insignis Leo: Sampson autem divinus, qui curavit Hyelos *i* est unus morbus ex iis, qui corrumpunt oculos hominum. Qui cum in illius canthum incubuisset, eum valde premebat. Eum cum aliquis exsecuisset medicus, lædebat potius, quam juvabat: in hoc solo excusandus, quod non sua sponte damnum attulit. Fit enim sectio maxima, et valde periculosa, quam ipsam quoque divinus curat Sampson, dum illius unguento ungitur frequentius, quodam admodum parvo relicto foramine, idque dedita opera, et propter utilitatem. Nam per ipsum humor quidam facile effluens, et oculo et capiti multum profuit.

i

ejusque oculus per olei unctionem. E

17 Προσεθήτω καὶ τὸ τοῦ Γενεσίου τοῖς ἄλλοις τοῦ Μεγάλου θαύμασιν· ἔχει γὰρ μετὰ τοῦ φοβεροῦ καὶ τὸ χαρίεν, καὶ ἔστιν ἐπιεικῶς ἀξιάκουστον. Ὁ τοίνυν Γενέσιος οὗτος, ἦν μὲν εἷς τῶν τοῦ Κλήρου, ἦν δὲ καὶ ὑπουργῶν περὶ τὰς τοῦ ξενῶνος τοῦδε λειτουργίας, ἔτη συχνά· καὶ γὰρ οὐ ἐλάττων ἢ χρόνοι τριάκοντα ἡ ὑπηρεσία· Ἐτύγχανε δέ ὢν ἀμελὴς περὶ αὐτὰς, καὶ ἀτεχνῶς ῥάθυμος. Ταύτῃ τοι καὶ μιᾶς τῶν νυκτῶν, ἐπιστὰς αὐτῷ ὁ Ἅγιος, πληγὰς ἐντείνει πολλάς· Διὰ τί μὴ, λέγων, παρέχεις ὧν χρείαν οἱ κάμνοντες ἔχουσι; καὶ διὰ τί περὶ ταύτην σου τὴν διακονίαν ὀλιγώρως ἔχεις; Ταῦτα δὲ, οὐκ ὄναρ οὐδὲ μέχρι καὶ ψιλῆς φαντασίας ἔτυχεν εἰργασμένα, ἀλλ' ἐπ' αὐτῶν ἄντικρυς τῶν ἔργων καὶ ἡ ἀπόδειξις φανερά· ἕωθεν γὰρ ἄφωνον μὲν ἦν τῷ Γενεσίῳ τὸ στόμα, μελανίαι δὲ καὶ πελδνώσεις περὶ τὸ σῶμα C διαφανεῖς, γλώττης οὐκ ἔλαττον ἀπαγγέλλουσαι τά πραχθέντα. Ἐπεὶ οὖν καὶ ἐρωτώμενος ὃ πεπόνθοι, διασαφῆσαι ἀδύνατος ἦν, χάρτης αὐτῷ δίδοται, καὶ τούτῳ ὅπως, εἶχεν, ἐντίθεσι τὰ γεγεννημένα. Τρεῖς τὸ μεταξὺ παρῆλθον ἡμέραι, καὶ ὁ μὲν ἄγλωττος. Τῷ δὲ Δρουγγαρίῳ τῶν πεπραγμένων ἀκουστῶν ἤδη γενομένων, οἷος ἐκεῖνος οὐδὲ καθεκτὸς ἦν ἔτι, ἀλλὰ πρὸς τὸν ἱερὸν οἶκον τὸ παραυτίκα γίνεται, καὶ διψῶν μὲν διὰ πεύσεως καὶ ἀποκρίσεων ἀκοῦσαι τρανέστερον τὰ γεγενημένα· ἀπορῶν δὲ διὰ τὰς ἐγκειμένας ἔτι πέδας τῇ γλώσσῃ τοῦ πεπονθότος εὐχὴν τὰ τοῦ πράγματος ἐπιτρέπει. Ἅγιε τοῦ Θεοῦ, λέγων, εἴμου σύνοιδας τὴν πίστιν ὅση πρός σε, καὶ ὅπως ἐμμελέστατος ἐγὼ περὶ τὴν λειτύργειαν, δὸς αὐτῇ γλώττῃ μοι τὸν Γενέσιον ὃ πέπονθεν ἀπαγγεῖλαι· Οὕτω ἐκεῖνος εὐξάμενος, οὐ διήμαρτε τῆς αἰτήσεως, ἀλλ' ἐρωτώμενος ὑπ' αὐτοῦ ὁ Γενέσιος, πρῶτα μὲν ὑποβατταρίζων ἦν, ἀμυδρῶς τε καὶ διακεκομμένως ὑποφθεγγόμενος καὶ ἧττον συνετὰ λέγων· κατ' ὀλίγον δὲ ἀνεθείσης αὐτῷ τῆς γλώττης πάντα διασαφεῖ, προσθεὶς καὶ τὰ περὶ τῆς Μεγάλου οἰκίας· δι' ἐκείνην γὰρ καὶ μᾶλλον ἡ ἀγανάκτησις, ἥτις ζῶντι μὲν τῷ Ἁγίῳ, καὶ ἔτι περιόντι τῷ βίῳ, φαύλως εἶχε καὶ ἱκανῶς ἐξουτενοῦτο· μεταστάντος δὲ πρὸς Θεὸν, καὶ ἤδη φανεροῦ γενομένου τὴν ἁγιότητα, ἔδει πάντως αὐτὴν καὶ τιμῆς ἀξιοῦσθαι καὶ ὡς ἐκείνου οἰκίαν λογίζεσθαι, ὃ δὴ καὶ γέγονεν εὐσεβῶς τε καὶ φιλοθέως, εἰς γὰρ ναὸν μεταβέβληται καὶ ἁγιστείας ἀξιοῦται τῆς προσηκούσης.

17 Adjiciatur aliis magni Sampsonis miraculis miraculum quoque Genesii. Nam præter terrorem, habet etiam in se jucunditatem, et est auditu dignissimum. Hic ergo Genesius erat quidem unus ex Clero: fuit autem multos annos minister xenodochii; non minus enim, quam triginta annorum fuit ejus ministerium. Erat autem in eo admodum socors et negligens. Una itaque nocte accedens Sanctus, multas ei plagas inflixit; dicens, Cur non ea præbes, quibus egent infirmi? et cur negligenter versaris in hoc tuo ministerio? Hæc autem non in somnis, neque per nudam solum visionem facta; sed opere ipso mox manifestata fuerunt. Mane enim mutum quidem erat os Genesio, livor autem et vibices manifesti in corpore, non minus, quam lingua, quod factum fuerat, significabant. Cum itaque quidnam sibi accidisset, rogatus explicare, non posset, ei datur charta, in qua scripsit, quomodo se habuissent ea, quæ facta fuerant. Tres interim dies præterierunt, et ille quidem adhuc erat elinguis. Cum hæc autem jam audiisset Drungarius, non amplius contineri poterat, sed ad sacram domum statim accedit, cupiens per interrogationem et responsionem audire apertius, ea quæ facta fuerant: sed modum non inveniens propter vincula, quibus adhuc erat adstricta lingua ægrotantis, rem committit precibus: Sancte Dei, dicens, scis, scis quanta mea sit in te fides, et quam fuerim in tuo ministerio diligens, concede, ut Genesius sua ipse lingua, quæ passus est, enuntiet. Cum ille sic esset precatus, non fuit fraudatus sua petitione: sed ab ipso rogatus Genesius, primum quidem balbutiebat, exiliterque et intercise loquebatur, et ea dicebat, quæ minus intelligi poterant. Lingua autem ei paulatim relaxata, omnia explicat, adjiciens etiam aliquid de domo magni Sampsonis: propter illam enim indignatio præcipue orta erat: quæ quidem domus, dum vir Sanctus adhuc vivebat inter homines superstes, nullius pretii *k* erat et contemnebatur; post mortem vero ejus et manifestatam sanctimoniam, debebat omni veneratione honorari

Negligens in ministerio xenodochii

verberatur et loquelam perdit, F

qua alio orante restituitur.

l

EX MSS.

A honorari ac veluti ipsius domus reputari. Quod quidem factum est pie et religiose: mutata enim est in templum, et assecuta est eam, quam par est, venerationem.

Non mittenti subsidium, hospitali promissum

18 Sed neque quod in Eustratium factum est miraculum, qui est in Prothospathariorum quidem relatus numerum (est autem adhuc vivus et superstes) parvum est et vulgare; et indignum commemoratu. Nam ei quidem valde dolebat alter ex oculis. Cum ei autem esset amicus et familiaris Leo Protospatharius, quem prius diximus ministrasse Drungario, cui etiam fuerat ab illo commissa cura xenodochii, et vidisset eum affici tanto dolore oculi: Si feceris, inquit, o amice Eustrati, id quod ego tibi suggessero, nihil habebis, quod prohibeat, quo minus sanum habeas oculum. Cum vero rogasset Eustratius, dicens: Quidnam est, quod sum facturus? Oleo, inquit, opus est xenodochio: quod si præbueris, convalesces citra ullam dubitationem: et, si ita velis, id ego mandabo litteris; quod tibi polliceor. Sic ait, et verba non in solis verbis constiterunt, sed etiam processerunt ad opus. Magni enim Sampsonis virtute fretus, et iis, quæ ab eo vidit fieri, miraculis, Eustratio fidem facit per scripturam, quæ sic habebat: Ego Leo fretus virtute sancti Sampsonis, et fide, qua sum in eum confirmatus, spondeo ac fidejubeo tibi Eustratio, quod præbenti tibi ad usum ejus domus oleum, præbebit quoque magnus Sampson a Deo misericordiam, neque tibi amplius dolebit oculus. Atque Sanctus quidem prævenit illius donationem, illæsumque et omnis doloris expertem oculum habuit Eustratius. Ille autem simul (ut vulgo dicitur) et misericordiam est assecutus, et memoria ejus illi mortua est. Contempsit enim quæ erat pollicitus, postquam, quæ voluit, est consecutus, indigne admodum et periculose; et sanctæ domui ne minimum quidem præbuit oleum. Sed cum Magnus illi noctu apparuisset, (oportet autem uti ejus verbis) Me, inquit, habes ludibrio? Efficit vero hæc visio, ut ad se redeat Eustratius, timore correptus. Nam cum diluculo totum oleum misisset ad Leonem: Jam, inquit, exsolvi tibi debitum: tu autem placa mihi Sanctum. Neque enim possum ferre ejus minas.

oculis obturatus,

et negligens promissa exequi, a Sancto terretur.

A medicis destitutus

19 Quod autem in Protospatarium Bardam factum est, fidem prope superat. Erat hic frater Joannis Patritii, qui ducebat genus ex Macedonia, et magna ei intercesserat familiaritas cum Romano Imperatore, benigno et clemente; quem sciunt omnes fuisse filium Constantini: *l* qui (ut omnia semel dicam) l

C fuit Imperator egregius. Huic ergo Bardæ morbus incumbit in latus, isque longe gravissimus (eum morbum medici vocant carbunculum *m*) qui totum fere latus comprehendebat, et quinque habebat foramina: laboranti vero afferebat dolores intolerabiles. Etenim neque hic mali constitit acerbitas, sed etiam usque ad mamillam ex latere dimanavit, aut etiam propagatum est quoddam aliud tuber acerbissimum, quod eam maxime tumefecit: ex quo crevit morbus, itaque invaluit; ut videretur etiam medicis superari non posse; ipsique omnem spem longioris vitæ abjicerent. Cum autem Sancti appropinquaret festivitas, medici omnes, et qui vocantur Chartularii, *n* et quicumque die sequenti erant, ut mos est eis, venturi in templum præclari Martyris Mocii, et solitas peracturi precationes, vespere, eo relicto, plane animum despondente, et omni bona spe vacuo, recesserunt. Ipse autem mane quemdam accersit ex Chartulariis, Michaelem nomine, ostiarium, qui hæc mihi narravit. Xenodochio vero tunc præerat Bardas, qui ipse morbo laborabat: ad quem cum venisset ostiarius ille, vidissetque stantem erectum, mundis indutum vestibus et sanum, impletur admi-

m

n curatur Bardas

D

18 Ἀλλ' οὐδὲ τὸ πρὸς τὸν Εὐστράτιον θαῦμα, ὃς τοῦ καταλόγου μὲν τῶν Πρωτοσπαθαρίων ἐστὶν (ἔτι δὲ ζῶν καὶ πριὼν δείκνυται) μικρὸν οἷον καὶ τὸ τυχὸν καὶ οὐδὲ μνήμης ἄξιον. Ἤλγει μὲν γὰρ ἐκεῖνος ὀφθαλμῶν δὴ τὸν ἕτερον, καὶ λίαν σφοδρῶς· φίλος δὲ ἦν αὐτῷ καὶ συνήθης ὁ πρωτοσπαθάριος Λέων, ὃν καὶ ὑπηρετεῖσθαι τῷ Δρουγγαρίῳ φθάσαντες ἐδηλώσαμεν, ὃς καὶ τὴν τοῦ ξενῶνος προστασίαν ἐπιτετραμμένος ἦν ἐξ ἐκείνου, ὀδύναις οὕτω βαλλόμενον ταῖς ἐκ τοῦ ὀφθαλμοῦ ἐπιδὼν, Εἰ ποιήσεις ἔφη, φίλε Εὐστράτιε, ὅπερ ἐγώ σοι ὑπόθωμαι, οὐδενὶ ἕξεις τὸ κωλύον ἔχων τὸν ὀφθαλμὸν ὑγιᾶ· ἐραμένου δὲ τοῦ Εὐστρατίου καὶ τί ποτέ ἐστιν ὃ ποιήσω; Ἐλαίου δεῖται ὁ ξενὼν, ἔφη, καὶ εἰ παρέξεις τὸ πρὸς τὴν χρείαν, ἀναμφιλέκτως ὑγιανεῖς· ὅμως εἰ βούλει, καὶ ἐγγράφους σοι τούτου παρέξω τὰς πίστεις. Οὕτως ἔφη, καὶ οἱ λόγοι οὐ μέχρι καὶ λόγων ἔστησαν, ἀλλ' ἤδη καὶ εἰς ἔργον ἐξέβαινον. ἐπιθαρσήσας τῇ τοῦ Μεγάλου δυνάμει, καὶ οἷς ἑώρα ὑπ' αὐθοῦ θαυματουργουμένοις ὁ Λέων πιστοῖ τὸν Εὐστράτιον διὰ γραφῆς, οὕτως ἐχούσης· Ἐγὼ Λέων πεποιθὼς ἐπὶ τῇ τοῦ Ἁγίου δυνάμει, καὶ ῇ πρὸς αὐτὸν ἐμβεβαίωμαι πίστει, ἐγγυῶμαί σοι τῷ Εὐστρατίῳ, παρέχοντι γάρ σοι τό γε πρὸς τὴν χρείαν τοῦ οἴκου ἔλαιον, E παρέξει σοι καὶ ὁ Μέγας τὸν ἐκ Θεοῦ ἔλεον καὶ τὸν ὀφθαλμὸν ἀλγήσεις οὐκέτι. Ὁ μὲν οὖν Ἅγιος ἔφθανε τὰ παρ' ἑαυτοῦ, ποιῶν τὴν ἐκείνου δόσιν, καὶ ἀπαθῆ καὶ ἀνάλγητον εἶχε τὸν ὀφθαλμὸν ὁ Εὐστράτιος. Ἐκεῖνος δὲ κατὰ τὸ ᾀδόμενον, ἅμ ἠλέητο, καὶ τέθνηκεν ἡ χάρις· ὠλιγώρησε γὰρ ὧν ἐπηγγείλατο, μετὰ τὸ τυχεῖν ὧν ἠβούλετο, λίαν ἀναξίως καὶ σφαλερῶς, χορηγός τε ἐλαίου τοῦ πρὸς τὸν ἱερὸν οἶκον, οὐδὲ βραχέος ἦν. Ἀλλ' ὁ Μέγας νυκτὸς ἐκείνῳ ἐπιφανεὶς (δεῖ δὲ χρήσασθαι τοῖς αὐτοῦ λόγοις) Ἐμοὶ, ἤφε, ἐμπαίζεις; φρενοῖ τὸν Εὐστράτιον ἡ ἀλεθὴς αὕτη ὄψις, καὶ δέους αὐτὸν ἐμπίπλησιν· ἅμα γὰρ φωτὶ τὸ ἔλαιον ἅπαν πρὸς τὸν Λέοντα ἐπιπέμψας, Ἀπέτεσά σοι, φησὶν, ἤδη τὸ χρέος, αὐτὸς δὲ μοι ἐξιλέου τὸν Ἅγιον. οὐδὲ γὰρ δυνατὸς ἐγὼ φέρειν τὰς παρ' αὐτοῦ ἀπειλάς.

19 Τὸ δὲ περὶ τὸν Πρωτοσπαθάριον Βάρδαν γεγονὸς, μικροῦ καὶ πίστεώς ἐστι κρεῖττον, ὃς ἐτύγχανε μὲν ἀδελφὸς ὢν, Ἰωάννου φημὶ, τοῦ Πατρικίου, τοῦ ἐκ Μακεδόνων τὸ γένος ἕλκοντος· σφόδρα δὲ οὗτος Ῥωμανῷ Βασιλεῖ, F τῷ ἐπιεικεῖ τε καὶ χρηστῷ προσωκειοῦτο, ὃν καὶ ἴσασι πάντες υἱὸν Κωνσταντίνου γενέσθαι, τοῦ, τὰ πάντα συνελόντα εἰπῶν, βασιλικωτάτου. Τούτῳ, τοι γάρ οὖν τῷ βαρδᾳ πάθος τῇ πλευρεῖ ἐπισκέπτει, παντάπασι χαλεπὸν (ἄνθρακα τὸ πάθος ἰατρῶν παῖδες κατηνομάζουσιν) ὃ καὶ ἅπασαν αὐτοῦ τὴν πλευρὰν μικροῦ περιέσχε, καὶ εἰς πέντε μὲν ὀπὰς διετέτρητο, ὀδύνας δὲ ἀφορήτους ἐδίδου τῷ πάσχοντι· καὶ γὰρ οὐ μέχρις ἐκείνου τὸ τῆς κακίας πικρὸν ἔστη· ἀλλὰ μὲν καὶ εἰς τὸν μαστὸν εἴτ' ἐκ τῆς πλευρᾶς διεδόθη, ἢ καὶ ἑτέρα τις ἀνεδόθη πικροτάτη παραφυάς, καὶ μέγαν αὐτὸν καὶ ἐξωδηκότα διέθηκε· καὶ τὸ πάθος ηὔξετο καὶ ἰσχυρὸν ἦν, ὡς καὶ τοῖς ἰατροῖς κρεῖττον ἰάσεως εἶναι δόξαι, καὶ τὰς τῆς ζωῆς αὐτῷ ἐλπίδας ἀπαγορεῦσαι. Ἐπεὶ δὲ καὶ ἡ τοῦ Ἁγίου μνήμη ἐγγίζουσα ἦν, ἰατροὶ πάντες, καὶ οἱ οὕτω καλούμενοι Χαρτουλάριοι, καὶ ὅσοι ἕτεροι ἔμελλον εἰς τὴν ἐπιοῦσαν, ὥσπερ εἰθισμένον αὐτοῖς, εἰς τὸν τοῦ λαμπροῦ μάρτυρος Μωκίου ναὸν ἀφικέσθαι, καὶ τὴν συνήθη λιτὴν ἐκτελέσαι· τὴν δὲ τὴν ἑσπέραν ἀπολιπόντες αὐτὸν ἤδη ἀπειρημένον, καὶ ἀγαθῶν ἐλπίδων ἔρημον, ἀπιόντες ᾤχοντο· ἕωθεν δὲ οὗτος μετακαλεῖταί τινα τῶν χαρτουλαρίων (ὁ Ὀστιάριος Μιχαὴλ οὗτος ἦν) ὃς καὶ ταῦτά μοι διηγήσατο· ξενοδόχος δὲ τηνικαῦτα ὁ Βάρδας, ὁ τῷ πάθει τούτῳ κατηλεμένος, ἐτύγχανον ὤν· ἐπεὶ οὖν οὗτος ἀφίκετο πρὸς αὐτὸν ἑστηκότα ὁρᾷ, καθαρά τε ἱματισμένον, καὶ ὑγιεινῶς διακείμενον οὕτως ἰδὼν ἔχοντα, πληροῦται μὲν

θάμβους

A θάμβους, παραφρονεῖν δὲ αὐτὸν οἰόμενος καὶ ἐξεστηκέναι, Οὐαί μοι, φησί, τί σοι γέγονεν; καὶ ὅς· Ἀλλα σύγε ἀπολιπὼν, ἔφη, νὸ δόξαν, ὥσπερ ἄρα χρὴ, τῷ Θεῷ προσάγειν, οἰμώζεις μᾶλλον, καὶ ὅμοια τοῖς θρηνοῦσι βοᾷς; Πλὴν ἀλλ' ὁ Μιχαὴλ καὶ ἔτι πλέον τῷ παρ' ἐλπίδα θεάματι ξενιζόμενος, ἠρώτα τε καὶ διεπυνθάνετο ἐμμελῶς, καὶ ἐδίψα παθεῖν τὸ γενόμενον. Ὁδὲ, λέγειν εὐθὺς ἤρξατο λαμπροτέρᾳ γλώττῃ καὶ πομπικῶς· τοιοῦτον ὄντως ἡ περιχαφεια.

20 Ἐπεί μέ, φησι, καταλιπόντες οὕτως ἔχοντα, οἴκαδε αὐτοὶ ἐχωρεῖτε, ἐγὼ ὑπό τε τῶν τοῦ πάθους ὀδυνων βαλλόμενος, ὑπό τε τοῦ ἀπεγνῶσθαί μοι τὰς τῆς ζωῆς ἐλπίδας, ἀθυμίᾳ νικώμενος, καὶ μᾶλλον ὅτι μὴ καὶ αὐτὸς ἠξιώμαι σὺν τοῖς ἄλλοις εἰς τον τοῦ Ἁγίου τε τάφον οἴχεσθαι, καὶ τὰ τῆς μνήμης συνεορτάσαι, ἄγρυπτος μετὰ ἅπασαν τὴν νύκτα διῆλθον. Οὕτω δὲ κείμενος, ὁρῶ γέροντά τινα τοῦ ναοῦ τοῦ οἴκου μου ἐξεληλυθότα (ἐῴκει δὲ καὶ μοναχὸς εἶναι) οὗτος μέσον τῆς οἰκείας ταύτης παραστὰς, καὶ ἀπιδὼν πρός με, Σοί λέγω, φησί, ἔγειραι. Ἐμοῦ δὲ, Πῶς τοῦτο ἔφης, οὐδὲ γὰρ δύναμαι; φθεγξαμένου, ἐκεῖνος καὶ δὶς καὶ τρὶς προσετίθει, οὑτωσὶ λέγων. Τελευταῖ δὲ, Ἐγώ σοι λέγων φησί, ἔγειραι καὶ εἰς τὸν τοῦ ἁγίου Σαμψὼν τάφον ἄπελθε πρὸς τάχοις· Οὕτως εἰπόντος, εὐθὺς ἐγὼ μικρόν τι τῆς κλίνης ἐμαυτὸν ἀνέ-
B σχον· κἀκεῖνον ἐθεώμην εἰς τὸν ναὸν, ὅθεν μοι ἐξελθὼν ἐφάνη, αὖθις ἐπανελθόντα, καὶ τέλος, ἀφανῆ γενόμενον. Καὶ τότε δὴ ὅλος ἐξανέστην, καὶ ἐῴκων ὀδύνης ἀπηλλάχθαι πάσης· τότε οἴδημα τοῦ μαστοῦ ἀμφοῖν ἐπισφίγγων, πνευματος ἠσθόμεν ἀπὸ τῆς πλευρᾶς ὄπισθεν ὑπαφιομένου. Εἶτα καὶ τὴν σύνοικον ἡδέως φωνήσας, δοκῶ μοι, ἔφην, μηδεν ὀδυνᾶσθαι· ἀλλὰ σὺ τοὺς ἐπικειμένους τῇ πληγῇ δεσμοὺς λῦσον ἠρέμα. Καὶ αὐτὴ οὕτως ἐποίει, καὶ ἀηδία πολλὴ ταύτην εἶχε, καὶ οἴμοι [ἔφη] τίς οὕτως ὁ ἀμανίτης ὁ τῇ πληγῇ ἐπικείμενος; τὸ δὲ ἦν διασεσημμένη σάρξ καὶ ἀπόβλητος τοῖς ἀμφίοις συνεκσπασθεῖσα. Οὕτως ἰαθεὶς ἐγὼ καὶ παραδόξως ἀναῤῥωσθεὶς, οὐκ ἔτι οἷός εἰμι ἐμαυτὸν ἐπίσχειν, ἀλλὰ τῇ τοῦ ἰασαμένου πειθόμενος ἐντολῇ, πρὸς τὸν αὐτοῦ ἄπειμι τάφον, τοῖς ἄλλοις συνεορτάσων. Οὕτως εἰπὼν, οὕτω δὴ καὶ παραχρῆμα ἐποίει, καὶ πρὸς τὸν Ἅγιον πλήρης ἡδονῆς καὶ χαρᾶς ἀπῄει, τοῖς συναντῶσι μέν τοι, καὶ ἀπιστόν τι χρῆμα ἐδόκει, καὶ τὴν ὄψιν ἀμφισβητήσιμον.

21 Συντετάχθω τοῖς προλαβοῦσι καὶ αὐτὸ τοῦ Γεωργίου τὸ θαῦμα, οὐ φαῦλον γὰρ, οὐδὲ τὸ τυχὸν, οὐδ' ὥστε καὶ παριδεῖν ἄξιον. Οὗτος οἰκέτης μὲν ἐτύγχανεν
C ὢν μοναχοῦ τινος καὶ ἱερέως, Ἐφραὶμ τοὔνομα, τῷ τοῦ ὕδρωπος δὲ περισχεθεὶς, πάθει, καὶ τῷ ἱερῷ οἴκῳ τοῦ Μεγάλου ἀνακλιθείς· ἔπειτα τὴν χρονίαν κατάκλισιν δυσχεράνας, ἀπολιπὼν τὸν ἱερὸν τοῦ δεσπότου οἰκίσκον ἄπεισιν. Ὁ μὲν οὖν δεσπότης οὐκ ἀνίει παραινῶν αὐτῷ καὶ ὑποτιθέμενος ἀνελθεῖν αὖθις, καὶ τῷ τοῦ Ἁγίου οἴκῳ προσμεῖναι, ἐπεὶ δὲ μὴ ἔπειθεν (ἐφείδετο γὰρ αἰστηροτέρων ῥημάτων διὰ τὴν τοῦ πάθους βαρύτητα) κἂν γοῦν εἴσω τοῦ εὐκτηρίου εἴσελθε, ἔφη, αὐτὴν τὴν τοῦ Ἁγίου προσκυνήσων εἰκόνα· εἶτα τοῦ ἐλαίου λαβών τε καὶ ἀλειψάμενος τῇ κοίτῃ τῇ σῇ, ἀνακλιθητι. Καὶ ὃς ἐποίει τὸ κελευσθέν· ἐπεὶ δὲ καὶ ἡμέρα ἦν, ἐκελεύετο μὲν παρὰ τοῦ δεσπότου καὶ ἔτι τὰ ὅμοια ποιεῖν. Ὁ δέ· Ἀλλ' ἐγὼ, φησι, ἔῤῥωκα, καὶ τῇ τοῦ Ἁγίου δυνάμει καθαρᾶς ἀπέλαυκα ὑγιείας· ταυτῆς γὰρ τῆς νυκτὸς κατ' ὄναρ ἐπιφανείς μοί Ἅγιος, τῆς τε κοιλίας μου ἥψατο, καὶ εἴρεκέ μοι· Ἄπιθι ὑγιαίνων, οὐδὲν γὰρ ἔτι σοι τῶν κακῶν ἐνοχλεῖ· Οὐδ' ἤρκει πρὸς πίστιν αὐτὰ τῷ δεσπότῃ· ἀλλὰ καὶ πεῖραν προσῆγεν, καὶ περιειργάζετο πρόσωπόν τε ἐκείνου, καὶ κοιλίαν, καὶ πόδας, καὶ τὰ λοιπὰ μέλη τε καὶ μέρη, καὶ ἐπεὶ οὐδὲ λείψανόν τι ἑώρα οὐδὲ ἴχνος τοῦ πάθους οὐδὲν, δόξῃ τῇ πρὸς Θεὸν ἐχρῆτο καὶ εὐχαριστίᾳ τῇ πρὸς τὸν Ἅγιον, ἰατροῦ τετυχὼν ἀμίσθου καὶ ἀψεύδους, καὶ ὑγιῶς ἔχοντα τὸν οἰκέτην ὁρῶν.

ratione. Putans autem eum desipere, et esse emotæ D
mentis : Hei mihi, inquit, quid tibi accidit? Sed tu, EX MSS.
respondit Bardas, cur omittens Deo, quam par est, dare gloriam, fles potius et vociferaris, perinde acsi lugeres? Michael autem eo, quod præter spem acciderat, spectaculo magis obstupefactus, diligenter eum interrogabat, et ardebat discere, quod factum fuerat. Ille vero clara et elata voce statim cœpit dicere. Res enim ejusmodi est nimia exultatio.

20 Postquam, inquit, me ita affectum relinquentes, domo recessistis, ego a morbi doloribus agitatus, et quod nulla relicta esset spes vitæ, victus ægritudine, et maxime quod non mihi liceret cum aliis venire ad Sancti sepulcrum, et cum ipsis celebrare festivitatem ejus, totam noctem transegi insomnis. Sic autem jacens, video quemdam senem, egressum e templo domus meæ (videbatur vero esse monachus) procedere usque dum venisset in medium hujus domus : qui me adspiciens ; Tibi dico, inquit, surge. Cumque ego responderem ; Quomodo hoc mihi imperas? non enim possum : ille bis et ter eadem repetiit. Tandem autem ; Ego tibi dico, inquit, surge, et ad sancti Sampsonis sepulcrum vade quam primum. Cum hoc dixisset, ego statim me parum e lecto extuli, et illum vidi rursus reversum in templum, ex quo mihi visus fuerat egressus, et E
tandem omnino sublatus est ex oculis. Tunc vero plane surrexi, et visus sum liberatus esse ab omni dolore : et mamillæ tumorem ambabus adstringens manibus, sensi spiritum quemdam retro emitti e latere. Deinde conjugem hilariter allocutus ; Mihi videor, inquam, nihil mali sentire : sed tu sensim solve vincula plagæ imposita. Ea autem sic fecit, non sine magna, qua afficiebatur, molestia : et, Hei mihi, dixit ; Quis est hic amanites, o qui plagæ est impositus? Id vero erat caro putrefacta et separata, quæ una cum pannis evulsa fuerat. Sic ego sanatus, et præter spem et opinionem pristinæ restitutus valetudini, non me potui amplius continere, quin parerem Curatoris mei præcepto, et me conferrem ad ejus sepulcrum, cum aliis festum celebraturus. Cum sic dixisset, statim quoque sic fecit, et ad Sanctum abiit plenus gaudio et lætitia. Iis autem, qui ei fiebant obviam, res videbatur incredibilis, et vel de suis dubitabant oculis.

qui visionem narrat.

o

21 Conjungatur præcedentibus Georgii quoque miraculum : non est enim leve, nec vulgare, neque ullo modo contemnendum. Is erat minister Monachi cujusdam et Sacerdotis, nomine Ephraim. Cum autem hydrope laboraret, et in sacra magni Sampsonis æde esset repositus, omnia quidem repulit, quæ ei a medicis prius erant ad medelam adhibita, utpote a quibus omnibus nihil opis sensisset. Deinde cum ægre ferret, quod tamdiu illi decumberet, sacra illa æde relicta, abiit in Domini domunculam. Non cessabat autem Dominus eum monere et hortari, ut revertatur, et in Sancti domo adhuc maneat. Cum vero non persuaderet (a verbis enim abstinebat asperioribus propter morbi gravitatem.) Oratorium, inquit, saltem ingredere, adoraturus ipsam Sancti imaginem : deinde cum oleum acceperis, et te unxeris, in tuo lecto recumbe. Ille autem fecit, quod jussus fuerat. Postquam vero advenit dies, jubebatur quidem a Domino adhuc facere similiter ; ille autem ; Sed ego, inquit, jam convalui, et Sancti virtute sum integram assecutus sanitatem. Hac enim nocte mihi apparens in somnis Sanctus, meum ventrem tetigit, et dixit mihi : Abi, cum sis sanus : nihil enim mali te vexat amplius. Hæc autem ad fidem Domino faciendam non suffecerunt : sed ipsemet periculum voluit, facere et diligenter scrutatus vultum ejus, et ventrem, et pedes, et reliqua membra ; cum nullas morbi reliquias, aut vestigia

Ab hydrope sanantur unus, F

A stigia reperiret, Deum laudavit, et Sancto egit gratias, quod in ipso medicum nactus fuisset, qui certissimam famulo suo sine mercede reddidisset salutem.

EX MSS.

22 Similis fuit Irenæ cujusdam morbus, quæ etiam ipsa hydrope laborabat, eoque gravissimo; ac ideo magis solennis magisque miranda fuit ejus curatio. Habebat illa maritum ex eorum numero, qui ædi sacræ inserviunt, in qua et ipsa decumbebat, desperans salutem a medicis obtinendam. Sanctus autem noctu apparens cum aliis duobus, cum quibus ut plurimum solebat apparere (eos vero esse dicunt divinos illos, qui sine ulla medentur pecunia, Cosmam et Damianum) eam primum interrogavit, quidnam mali pateretur. Illa autem videbatur ipsum malum ostendere: Sanctus vero unum e sociis suis alloqui, et dicere: Oportet ejus femori adhibere sectionem. Et ille quidem sic fecit, Mulier autem, ut quæ dolorem quemdam senserat, e somno est excitata: nihil vero cognovit ex iis, quæ passa fuerat. Cum autem diluxisset, ad eam accedens famula, vidensque aquam sub lecto fusam, arbitrata, ut erat verosimile, eam esse urinam; exprobravit ipsi, quod turpiter et indecore se gereret, et quod B neque surrexisset, neque ullam vocasset ex ancillis, sed inquinasset et vestes et stragula. Illa autem negabat, dicens, se nihil tale fecisse. Deinde remota tunica, cum visa esset sectio, et humor effluens, cognitus inde fuit medicus: et ipsa sana extitit, et domum cum gaudio est reversa.

atque alia :

22 Ἀλλὰ καὶ τὸ τῆς Εἰρήνης πάθος ὁμοίως ἦν ἔχον. ὕδρωψ γὰρ καὶ αὐτὸ πάθος τὸ χαλεπώτατον, ὃ καὶ ἀστείας δὴ καὶ θαυμασιωτέρας ἔτυχε τῆς ἰάσεως. Ἡ μὲν οὖν Εἰρήνη γυνή τις ἦν ἑνὸς τῶν τῷ ἱερῷ οἴκῳ διακονούντων, ἐφ᾽ ᾧ καὶ ἀνακλιθεῖσα, πρὸς μὲν τῶν ἰατρῶν, ἀπείρητο τὴν ὑγίειαν. Ὁ μέν τοι Ἅγιος νυκτὸς ἐπιστὰς μετά τινων καὶ ἑτέρων δύο, μεθ᾽ ὧν μὲν εἴωθεν ὡς τὰ πολλὰ ἐπιφαίνεσθαι, τοὺς θείους τε ἀναργύρους εἶναι, τούτους φασί, Κοσμᾶν καὶ Δαμιανὸν, ἤρετο πρῶτον αὐτὴν ὁ Ἅγιος, τί ἂν καὶ πάσχουσα εἴη· ἡ δὲ ὑποδεικνύναι ἐδόκει· καὶ ὁ Ἅγιος ἑνὶ τούτων προσλαβὼν ὑπεφαίνετο· Τὸ μὴν αὐτῆς δεῖ τῷ μηρῷ ἐπιθεῖναι· καὶ ὁ μὲν οὕτως ἐποίει. Ἡ δὲ ὥσπερ ὀδύνης αἰσθομένη τινὸς, διυπνίζετο, ἔγνω δὲ οὐδὲν ὧν πέποιθεν. Ὡς δὲ καὶ ἡμέρα ἦν, ἡ ὑπηρέτις αὐτῇ προσελθοῦσα, καὶ ὕδωρ ὑπὸ τῇ κλίνῃ κεχυμένον ἰδοῦσα, οὐράν τε αὐτὸ εἶναι, ὡς τὸ εἰκὸς, οἰηθεῖσα, τὸ ἄκοσμον αὐτῇ ὠνείδιζε, καὶ ἀτεχνῶς ἄσχημον, καὶ ὅτι μὴ ἀνέστη, καὶ μὴ ἐκάλεσε μηδεμίαν τῶν ὑπηρετουμένων, ἀλλὰ καὶ τὰ ἱμάτια ᾔσχυνεν οὕτω μετὰ τῶν στρωμάτων. Ἡ δὲ ἠρνεῖτο μηδὲν τοιοῦτον εἰργάσθαι, λέγουσα. Μηδαμῶς. E Ἔπειτα τοῦ χιτῶνος ἀνασταλέντος, τῆς τομῆς τε διαφανείσης, καὶ τοῦ ὑγροῦ καταῤῥέοντος, ὁ μὲν ἰατρὸς δῆλος ἦν, αὐτή τε ὑγιὴς ἐδείκνυτο, καὶ οἴκαδε καλῶς ἐπανήρχετο.

23 Atque hæc sufficiunt ad cognoscendam gratiam quæ magno Sampsoni data fuit. Quid enim (ut est in Tragœdia) numerare oportet innumerabilia p? Etenim qualia facta sunt, numquam cessant fieri, sed fluminum instar se habent; atque ideo miraculum unum sufficit pro omnibus, tamquam flumen divinitus fluens, quod procedit e sepulcro viri sancti, e quo et oritur tamquam e fonte. Procedit autem non semper: sed paucis diebus ante festum Thaumaturgi quidam veluti humor apparet, qui deinde paulatim augetur, et remanet post festum, sic scaturiens, donec aliquot dies præterierint: deinde cessat. Atque hoc modo, ut opinor, majori est in honore et admiratione, quam si perpetuo flueret. Quoniam sic servare certum, et numquam aberrans tempus fluendi et deficiendi, præterquam quod id gratius et admirabilius sit, est etiam magis venerabile. Quod enim est perpetuum, affert fortasse etiam satietatem; satietas autem inducit contemp- C tionem.

p miraculum quotannis stillantis tumuli.

23 Ἀρκεῖ τούτοις γεύματος τὴν ὅλην ἀποδειχθῆναι τοῦ Μεγάλου χάριν. Τι γάρ; κατὰ τὴν τραγῳδίαν ἀναρίθμητα μετρήσασθαι δεῖ; καὶ γὰρ οὐδέποτε ταῦτα γινόμενα λήγουσιν· ἀλλὰ τοῖς τῶν ποταμῶν ῥεύμασιν ἔχουσιν ὁμοίως· ἄλλως δέ τε καὶ ἑνὸς ἀντὶ πάντων ἀρκοῦντος, τοῦ θεοῤῥύτου, φημι, νάματος, ὃ πρόεισι μὲν τοῦ τάφου, καὶ τοῦτον ἔχει γέννησιν καὶ πηγήν· Πρόεισι δὲ, οὐ ἀεί, ἀλλ᾽ ὀλίγαις μὲν πρότερον ἡμέραις τῆς τοῦ θαυματουργοῦ ἑορτῆς, οἷα νοτὶς ὑποφαίνεται· ἔπειτα καὶ τὸ ὀλίγον αὔξεται, καὶ διαμένει μετὰ τὴν ἑορτὴν, οὑτωσί πηγάζον ἕως καὶ τινες ἡμέραι παρέλθοιεν, εἶτα παύεται. Πλὴν οἶμαι ταύτῃ θαυμαζόμενον καὶ τιμώμενον, ἢ εἰ διηνεκῶς καὶ ἀλήκτως διετέλει ῥέον· ἐπεὶ τόγε συντηρεῖν οὕτως ἀπλανῆ τε καὶ ἀδιάψευστον τὸν καιρὸν τὸν τῆς ἐπιῤῥοῆς, φημι, καὶ τὸν τῆς ἐκλείψεως μετὰ τοῦ θαυμασιώτερον καὶ χαριέστερον εἶναι, μᾶλλόν ἐστι καὶ σεβασμιώτερον· τὸ γὰρ διηνεκὲς, ἴσως καὶ προσκορὲς, ὁ δὲ κόρος πρᾶγμα φέρον εἰς καταφρόνησιν. F

24 Hoc est, quod tibi a nobis offertur donum, maxime Pater Sampson, nescio quidem, an ex tui animi sententia, sed certe pro nostris viribus. Quod quidem benigne et placide accipias, qui es benignissimus: morborumque nostrorum, atque ideo animæ potius, quam corporis, bonus sis medicus, dux et custos totius nostræ vitæ, Christum reddens mihi propitium. Quem ipse quidem insigniter dilexisti, ego autem peccatorum multitudine, hei mihi, plusquam dici possit, provocavi ad iram: quem decet omnis gloria, honor et adoratio nunc et semper, et in secula seculorum, Amen.

Epilogus auctoris.

24 Τοῦτό σοι τὸ παρ᾽ ἡμῶν προσαγόμενον δώρημα, μέγιστε πατρῶν, Σαμψὼν, οὐκ οἶδα μὲν, εἰ κατὰ γνώμην τὴν σὴν, κατὰ δύναμιν δὲ πάντως τὴν ἡμετέραν, ὃ καὶ δέχοιο προσηνῶς τε καὶ φιλανθρώπως, ὁ πανταχοῦ φιλάνθρωπος, καὶ τῶν παθῶν καὶ νόσων τῶν ἡμετέρων καὶ μᾶλλον τῶν ψυχικῶν, ἰατρὸς εἴης χρηστὸς, καὶ ἡγεμὼν καὶ φύλαξ παντὸς τοῦ καθ᾽ ἡμᾶς βίου· ἵλεών μοι τιθεὶς τὸν Χριστὸν, ὃν αὐτὸς μὲν διαφερόντως ἠγάπησας, ἐγὼ δὲ πλήθη ἁμαρτιῶν, οἴμοι, ἀδιηγήτους παρώργισα· ᾧ πρέπει πᾶσα δόξα, τιμὴ καὶ προσκύνησις, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

ANNOTATA F. V.

a *Hæc seditio facta est anno* v *Justiniani, atque excitata est a Victoriatis, ita appellatis, quod pro thessera* τὸ Νίκα, Vince, *assumerent. Hanc fuse describunt Procopius de Bello Pers. lib.* 1 *cap.* 24, *et Chronicon Alexandrinum ad annum* v *Justiniani etc.*

b *Hoc miraculum ægre conciliari potest cum eo, quod habet Chronicon præcitatum, asserens, quod in prædicto tumultu populari,* Ξενὼν τοῦ Σαμψὼν ὁ μέγας ἐκαύθη, καὶ ἀπώλοντο οἱ ἐν αὐτῷ ἀνακείμενοι ἄῤῥωστοι. Magnum Sampsonis xenodochium conflagravit, et interierunt qui in illo decumbebant infirmi.

c Spatharii *erant, qui custodiæ corporis Imperatoris erant deputati, a voce* Σπάθα, *quæ majorem* gladium *significat,*

A *significat, quo illi armabantur. Vide Cangium in Glossario Græco-barbaro.* Spatharocubicularius, *qui simul* D
Spatharii *et* cubicularii *munere fungebatur.*

d Drungarius, *id est* Præfectus, *a voce* Δροῦγγος, *quæ* Globum militum *significat, Leunclavius in Onomastico Turcico ita Græcis appellari ait* Baculum Tribuni, *quem instar septri gerit, forte a voce Latina* Trunco, *ut ait Cangius; quem consule in utroque Glossario. Hic* Drungarius *ad classis Præfecturam refertur.*

e Λογοθέτης τοῦ Δρόμου *erat is, qui rationes cursus publici expendebat. Vide Cangium ibidem.*

f Πρωτοσπαθάριος, *Præfectus custodum Corporis.*

g Μαγκάβιον Clavam *significat, qua armabantur qui erant Imperatoriæ cohortis: hic vero sumitur pro ipsa cohorte Imperatoria. Rursum vide Cangium.*

h *In Ecgrapho nostro Græco scriptum erat* Ἰῶ, *pro quo* Constantinum *posui, scilicet Porphyrogenitum, qu ab anno* DCCCCXII *usque ad* LX *tenuit imperium. Vide Comment. Præv. num.* 12.

i Ὑελοπή, *inquit Cangius in Glossario Græco-barbaro, est vitium in accipitribus cum scilicet oculos quasi vitreos habent. Idem videtur significare* Ὑέλωψ.

k *Non adeo scilicet xenodochio* Sampsonis *(dum hic viveret) prospectum erat de reditibus et censibus, quamvis structura satis esset magnificum.*

l Romanus *Imperator, Constantini Porphyrogeniti filius, regnavit ab anno* DCCCCLX *ad* LXI.

m Ἄνθραξ Carbunculus, *est ulcus crustosum a sanguine, in atram converso et infervescente excitatum.*

n Chartularii *sunt, quibus chartarum publicarum custodia mandabatur. De his vide Cangium.*

o Amanites, *fungi species.*

p *His Annotatis minime contentus fuisset Eruditus Commentator, sed quoque novam versionem adornare voluisset, si per vitam licuisset; quæ versio minus presse inhærens Græcorum verborum ordini, et periodis usque ad fastidium aurium Latinarum prolixis; multo clarius exhibuisset sensum Auctoris, magisque intercisa minus fatigasset Lectorem. Sed quod hic non potuit, morte immatura præventus; neque nos modo possumus,*
B *prælo moram non ferente: quamvis tamen negare nolimus, plura etiam nos in textu emendasse inter corri-* E
gendum typothetarum errata.

DE SANCTO MAJORINO

EPISCOPO AQUENSI IN ITALIA

G. H.

Notitia ex Ughello et Ferrario, Tabulas Ecclesiæ propriæ secutis.

XXVII JUNII

Diœcesis magna.

Duos *habet* Ecclesia Aquensis *Episcopos, Sanctis adscriptos,* Majorinum, *de quo modo; et* Guidonem, *cujus Acta illustravimus ad diem secundum hujus mensis Junii, ubi plura de hac urbe Episcopali, quæ* Aquæ, *olim* Aquæ Statiellæ *sive* Aquæ Statiellorum *appellata fuit.* Constat hæc diœcesis *(verba sunt Ughelli)* nunc centum partim pagis, partim castellis, subjectis politico jure variis Principibus. Nam ex oppidis octoginta sex, quæ in ea habentur, novem Mediolanensi Ducatu, undecim Sabaudiæ Ducatu, duo Januensi Dominio continentur: reliqua numero LXI in Ducatu Montis-Ferrati posita, Duci Mantuæ parent. *Hujus urbis et diœcesis*
C *primus Episcopus* S. Majorinus *collocatur ab Ughello, qui præfatus se certam seriem Episcoporum non potuisse assequi, de eo ista scribit.*

Elogium ex Ughello

2 S. Majorinus sive Malerius, cujus corpus in nova Cathedrali quiescit, e veteri S. Petri illuc translatum, ejusque festum celebratur die XXVII mensis Junii: cujus Acta desiderantur, de quo Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, et eorum qui in Martyrologio non sunt ex Tabulis ejusdem Ecclesiæ. *Hæc ibi. At Ferrarius ista habet.* Majorinus, qui et Meliorinus ab aliquibus appellatur, Episcopus Aquensis in Liguria eam Ecclesiam ante S. Guidonem administravit: qui etsi Acta illius intercide- runt, ab Ecclesia Aquensi hoc die coli jam dudum consuevit. Corpus ejus ex ecclesia S. Petri, quæ olim Cathedralis erat, in novam Cathedralem translatum multis abhinc annis quiescere antiqua scriptura docet, licet hoc tempore locus proprius reconditionis haud indicetur. *Hæc Ferrarius. Quod autem dicit ante* S. Guidonem *administrasse dictam Ecclesiam, si de immediata successione agitur, omnino non convenit cum serie Ughelli, qua inter utrumque tredecim collocantur Episcopi, et eorum sextus* Francus, *dicitur præ-* F
fuisse anno DLXXIX, *atque ex nonnullis hujus urbis traditionibus, quas inde accepimus, dicuntur* Aquenses accepisse fidem Christi, et dotati infula Episcopali per B. Silvestrum Papam: *proinde si ab Ughello statuatur primus S. Majorinus, esset referendus ad seculum Christi quartum: quod viris ibidem eruditis decernendum relinquimus.*

et Ferrario.

Tempus Sedis.

DE SANCTO LUCA.

EREMITA APUD GRÆCOS.

D. P.

Notitia ex Synaxario MS. Collegii Divionensis.

Quod *Petrus Franciscus Chiffletius noster, Divione in Burgundia commorans anno* MDCLXII, *illac transeuntibus nobis commodavit Collegii istius Synaxarium MS., dum Parisiis subsisteremus, describendum quatenus opus censeremus; id exhibuit nobis, alibi nusquam repertum, hunc* S. Lucam Eremitam; *ut qui præsenti die vitam* in pace *consummavit,* ἐν εἰρήνῃ τελειοῦται, *eidemque hoc Distichon accinendum præscribit:*

Παρῆλθε Λοῦκας· ἀλλ' ἐμοὶ τούτου λόγοι,
Καὶ τοῖς ἐφεξῆς σαλπίσουσιν, ἐν βίῳ.
Lucas recessit: ejus sermones mihi,
Eosque postea celebraturis, vivunt.

Videtur is scripsisse sermones,

Quæ non videntur de Sermonibus ore prolatis debere intelligi;

A telligi; alioqui distichon, statim a morte compositum, non magnum haberet ad cultus probationem momentum: et τὸ ἐφεξῆς, deinceps futuros respiciens, voventis potius esset quam asserentis.

AUCT. RE. D. P.

idque in Europa medio ævo;

2 Proximum ergo est, ut de jam olim mortuo, passimque Sancto habito, atque in scriptis a se Homiliis adhuc vivente, accipiatur istiusmodi Versus. Solum autem restat optandum, ut illæ ipsæ Homiliæ alicubi sint conservatæ, productæque in lucem augeant Bibliothecam Græcorum Patrum. Et tali casu fortassis ex iis eliceretur aliquid de loco temporeque quo vixit. Si ex ipso, cui soli invenitur hic Sanctus adscriptus Synaxario, liceat formare conjecturam; illud cum se faciat variis indiciis videri in aliqua Europæ Græcanicæ Provincia (Macedonia forsitan vel Achaia) scriptum; existimari posset etiam ad quamdam earum spectare. Nec admodum magnam ætatem ejus audemus opinari, cujus neque nomen, neque scripta, florentioribus Imperii Orientali temporibus innotuere.

3 Et quia, cum de Sanctis Græcis seculi IX vel X agitur, ex Synaxariis seculo XI vel XII scriptis, non satis certo probatur vera eorumdem sanctitas: quia proclivi tunc in schismata et hæreses Oriente, non satis certum relinquitur judicium de talium orthodoxia (constat enim sic aliquos Synaxariis inscriptos Anachoretas et Monachos, Palamæ et similium erroribus inquinatos) vel ideo magis optamus prodere hujus Lucæ scripta, de ejus doctrina testimonium perhibitura. Sub hac cautela Lucam inter Sanctos relinquimus, ut invenimus; certius judicium Deo ac tempori dimittentes. Quos de Vitis et Dictis Patrum habemus libros, usque ad Pratum spirituale Joannis Moschi, ultra VII seculum non pertingunt; et fere agunt de Monachis et Anachoretis, in Oriente celebribus: de Occidentalibus, Patriarchatui Constantinopolitano subditis, nihil habemus simile, præter paucas in Atho et alibi celebrium Vitas, et ea quæ sæpius allegamus Menæa ac Synaxaria: quibus hanc gratiam facimus, ut in iis laudatos, licet aliunde ignotos, pro veris Sanctis habeamus; donec ratio aliqua certa faciat de quopiam specialiter dubitari. D

quo satis dubia fuit talium Orthodoxia,

adeoque et vera eorum sanctitas.

B E

DE SANCTIS MARTYRIBUS

ARIALDO DIACONO

ET HERLEMBALDO MILITE

MEDIOLANI IN INSUBRIA.

D. P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

De veneratione antiqua sepulcrorum, Actorum scriptoribus, et certaminum socio Luitprando Presbytero.

ANNIS, MLXVI ET MCXIII

Testimonia sanctitatis a Puricello collecta;

Joannes Petrus Puricellus, Laurentianæ Mediolani Collegiatæ Archi-Presbyter, cum anno MDCXLV Ambrosianæ ibidem Basilicæ ac Monasterii monumenta evulgasset, ordine Chronologico digesta, ubi haud parce delibantur Acta prænominatorum Sanctorum, biennio post proprium de his evulgavit opus, libris quatuor distinctum, quorum primus continet Testimonia, pro ipsorum sanctitate collecta, quæ quidem pleraque Historicorum sunt, ordine ætatis a seculo XI usque ad XVII propositorum per Capita XXX, et eorum potiores suo indicabuntur loco. Præ istis huc potissimum spectat Archiepiscoporum Mediolanensium Catalogus, anno MCCCXVIII collectus, ubi ad Guidonis Archiepiscopi LXXII nomen, sic notatur: Isto tempore passus est B. Arialdus, Martyr et Levita, scilicet millesimo sexagesimo sexto. Jacet in corpore ecclesiæ S. Dionysii Beatus quoque Heribaldus Miles, qui amasias et filios Sacerdotum persequebatur. Fundatur autem hujusmodi testimonium in utriusque monumentis diu superstitibus, et Epitaphiis in eorumdem erectione sculptis, atque infra producendis. Proximum illi Catalogo locum meretur Kalendarium Ambrosianum, anno MCCCLXXXI præfixum membraneo Codici Epistolarum, ad Missas per annum legendarum; ubi ad XXVIII Junii sic habetur: S. Arialdi Levitæ et Martyris. Jacet ad S. Dionysium. Accedit liber ipsius Puricelli proprius annis præcise centum post illum Codicem scriptus, de Indulgentiis quæ concessæ sunt Mediolani ecclesiis, deque corporibus Sanctorum in eadem urbe atque ipsius diœcesi quiescentibus: ubi folio 16 ỳ. dicitur. In S. Dionysio S. Dionysius, S. Arioldus, S. Aurilius, alias Arialdus et Aurelius scribendi.

C

in quibus Catalogus Episcopalis anni 1318,

et Kalendarium anni 1381,

2 Sed si ibi præmittitur S. Herlembaldus, is alibi etiam absque Arialdo refertur ut Sanctus; videlicet in tabula perantiqua Collegiatæ ecclesiæ S. Babylæ, ex asseribus compacta, ad istud sacellum, quod capellæ primariæ sinistrum est, ubi medium locum tenet S. Ambrosius, indumentis Archiepiscopalibus ornatus, flagellum minaciter elatum dextera manu gestans, sinistra vexillum: in quo pictæ sunt sanctissimæ Trinitatis Personæ, nihil inter se forma vel ætate differentes. Ambrosio dexter assidet sanctus Miles armatus, gentilitium familiæ Cottæ stemma præferens supra pectus in latere dextero, Cottam scilicet albam, et his litteris indicatus Sanctus Arembaldus; sinistra quoque martyricam gestans palmam; dextra vero vexillum album rubra Cruce interposita variatum. Simile porro vexillum et palmam similiter gestat alter ille, in sinistro assidens latere, ac Sanctus Julianus appellatus. Sed hic quis sit, hactenus non divino; habitus certe alium indicat ab istius nominis sancto Diacono, qui cum fratre S. Julio Novariæ Presbytero colitur XXXI Januarii.

ac vetus pictura in S. Barnabæ

F

3 Secundus prælaudati operis liber, S. Arialdi Vitam continet: quam Constantinus Cajetanus Puricello communicavit, ex veteri Codice acceptam, scriptam autem, non a Syro Sacerdote (cujus extat ad calcem epistola, et cui ipsam perperam addixit Baronius ad an. 1066) sed a B. Andrea, primum S. Arialdi usque ad obitum discipulo, deinde Monacho Vallumbrosano atque Abbate S. Fidelis de Strumis, cujus quædam Acta colligere studui die X Martii. Scripsit quidem aliquid Syrus prædictus statim ac cædes patrata fuerat, cum Socio Herimberto, uti in epistola ad eum ait ipse Andreas; sed quod scripsit, non invenitur: quia vero ille multa omiserat, plenius et accuratius scripsit Andreas, jussu Abbatis sui Rudolfi, decimo post mortem Sancti anno; incompletos scilicet (ut alibi ostendam)

S. Arialdi Vita auctore B. Andrea:

A *dam) annos numerando, id est anno* MLXXV; *cum recenter obiisset, similis martyrii laurea coronatus*, S. Herlembaldus, *cujus ille Passionem* alteri tam volumini quam scriptori *relinquere se professus num.* 44, *necessitatem nobis imposuit ejus Acta colligendi, ex auctorum coævorum, sed ferme adversariorum Historiis seu Annalibus, quos in lucem edendos promisit quidem Puricellus, sed morte præventus longum eorumdem desiderium adhuc post se reliquit.*

Reliqua de S. Herlembaldo colliguntur ex Arnulfo et Landulfo coævis,

4 *Sunt autem illi, primum* Arnulfus *quidam, quatuor libris Historiam patriam complexus; et a libro* 2 *professus ea se deinceps scripturum, quæ ab Ariberti Archiepiscopi electione facta anno* MXIX, *ipsemet videndo cognovisset; sicut fecit usque ad* MLXXVII. *Deinde* Landulfus, *respectu alterius infra nominandi,* Senior *appellandus, qui scribebat circa annum* MLXXX, *in his ob quæ* Arialdum et Herlembaldum *laudamus, quæque ad invidiam utrique conflandam ipse detorquet, tanto magis credendus quoad rei gestæ substantiam, quanto iniquiori animo ea scripsit, etiamsi manifeste* mendax, dum asseruit, et Arialdum et Alexandrum Papam II, pœnitenter indoluisse omnibus, quæ contra Nicolaitas et Simoniacos Mediolani Clericos ante egissent; dum etiam tria confinxit miracula, quæ Deus patravit in favorem causæ, quam uxorati Sacerdotes pertinaciter tutabantur, quamque toties Ecclesia Catholica Romana damnavit. *Ita Puricellus in Præfatione ad librum* I, *merito redarguens Tristanum Calchum, Carolum, Sigonium, Josephum Ripamontium, recentioris ævi historicos Mediolanenses, quod in explicandis turbis, quibus, seculo* XI *ultra medietatem procurrente, agitata Mediolanensis Ecclesia est, et quarum causa isti publice habiti Sancti vitam amiserunt, Martyrii titulo a Romanis Pontificibus consecratam, maluerint auctores Schismaticos sequi, ipsosque Sanctos inculpare: quam* Landulfum Juniorem, *qui sub annum* MCXV *scribebat, qualia ex* Venerabili Liprando, *avunculo suo, didicerat, pro eadem in causa naso auribusque mutilato.*

licet schismaticis et Sanctorum adversariis.

Obiit Arialdus 27 non 28 Junii 1066,

5 *Damus hic primam* S. Arialdi *Vitam ex ista Puricelli editione, cum eaque mortem adscribimus anno* MLXVI, *et quidem hoc ipso quo Andreas passum* Arialdum *affirmat die,* quinto Kalendas Julii; *qui tamen dies, cum esset, celebranda S. Baptistæ Octava occupatus, translatus sit in præcitato Kalendario ad* IV Kalendas. *Neque ad diem mutandum cum Puricello nos movet numerus* 67, *quod captivum abductum Sanctum,* ante horam diei tertiam, in quo Vigilia S. Petri

C celebrabatur, per totum Mediolanum est divulgatum. *Cum enim Lacus Major, ad quem ductus et in quo eadem die interfectus est Sanctus, ad quinquaginta aut plura passuum millia distet Mediolano, nec ita procul inde captus ille sit, horarum paucarum intervallo; satis mirum fuit, proditionem eam, per quam in hostium manus ipse venit, postridie mane personuisse in urbe, licet adhuc sine ulla de nece vel necis modo certitudine; quam primum die* XXIX *consecutus est Auctor, totam diem noctemque ambulando illuc progressus. Tunc siquidem consceleratus Sacerdos ei obviam factus, dixit:* Ex terna die vox lætifera, *id est lætitiæ plena,* loco nostro insonuit: Arialdus, Clericorum adversarius, vinctus habetur in navi et in ripa laci, *eodemque die peractam cædem describit. Ubi non lego cum Puricello* Externa, *ut videri posset* Hesterna; *sed* Ex terna, *sive* Ex tertia die, *id est, Nudius tertius, tunc* V *Kal. Julii. Quoniam autem de* S. Herlembaldo *nihil distincte scitur, quoad diem mortis, obitæ (ut satis probaturum me puto) anno* MLXXV, *non* VI, *haud diu post Dominicam in Albis, tunc* XII *Aprilis actam; congruum censui, quorum conjuncta fuerunt et viventium acta, et mortuorum monumenta cultusque, non dirimere historiam, sed Vitæ Arialdi subtexere reliqua usque ad* Herlembaldi *cædem acta.*

Herlembaldus 1075 in Aprili vel Junio

D 6 *Quoniam etiam extremi discriminis socius illi fuit* Liprandus Presbyter *prælaudatus, dictus etiam* Luitprandus *et* Leoprandus, *anno* MCXIII *die* VI *Januarii, in senectute et confessione bona defunctus, in Pontidio S. Jacobi monasterio, sed Sanctis necdum annumeratus; quæ de illo supererant plane admiranda, et ad idem prorsus argumentum facientia, per modum Appendicis historiæ Sanctorum duorum placuit adjungere. De hujus aliquo cultu apud Pontidienses Monachos, apud quos obiit et sepultus est, si quid invenisset Puricellus, fuisset haud dubie studiosus expensurus. Attentis tamen iis, quæ nepos istius Luitprandi narrat viventis mortuisque miraculis; atque imprimis animi fortitudine, divinitus inspirata, ad subeundum ultro ignis judicium: dubitare vix possum, quin hunc Beatis suis accensuerint, et ossa defuncti, Pontidienses habuerint in honore, sed per bellicas aliasve calamitates, destructo aliquando vel incenso monasterio, suspicor periisse ipsius sepulcri memoriam, et quidquid facere posset ad eumdem sine scrupulo vocandum* Beatum, *imo et* Sanctum, *si constaret ejus esse ossa, quæ Papiæ inter alias Reliquias nominantur. Talem de Pontidiensium erga Luitprandum affectu opinionem, confirmat mihi memoria cultus a Vallumbrosanis Monachis delati S. Petro, quem* Igneum *cognominant, ab eo* E *eventu, quo simile ignis judicium subiit Florentiæ anno* MLXIII, *id est annis* XXXVIII, *antequam id subiret Luitprandus; siquidem Petri istius Reliquias pridem honorifice conditas habent Monachi sui in altari, pluribus ejusdem professionis Beatis communi, et nunc etiam obtinuerunt a Sacra Rituum Congregatione, ut festum ejus possint cum Officio agere* VIII *Februarii.*

AUCTORE D. P.

Liprandus simili cultu dignus 1113 6 Januarii.

7 *Andreas Alciatus Jurisconsultus celeberrimus, qui anno* MDXXX *florebat, in quodam suo Antiquario, per N. Fontanam in MSS. allegato apud Puricellum pag.* 15, Arialdi ex Alciata gente sepulcrum *indicare dicitur; et addere,* cujus conciones, disputationes, necem, miracula, Arnulfus Historicus Mediolanus descripsit. *Sed quoniam Arnulfus iste fuit, sicuti vidimus, periniquus* Arialdo, *non est verosimile quod ille seorsim a sua historia, qualem diximus, Vitam Sancti voluerit scribere, licet ad extremum emendatus et reconciliatus Ecclesiæ; cum ne tunc quidem dimoveri potuerit quin sentiret, Sanctos prælaudatos bonam causam minus bene discreteque egisse, adeoque nec in morte sic obita laudandos. Utut est, ejus non potest esse Vita, quæ Puricello facit librum tertium, et quo in Annotatis frequenter utemur. Præterquam enim quod ubique Sanctorum acta probet vehementer, sese* F *indicat auctor scripsisse post annum* MC, *quando de* ecclesia Rozonis *loquens addit,* quæ nunc dicitur S. Sepulcri, *quod nomen illa primum assecuta tunc est. Plura in hanc rem congerit Puricellus in Præfatione ad istum lib.* 3; *censetque ex stylo, eam esse* Landulfi, a S. Paulo *dicti,* Junioris *per nos appellandi; qui lecta accurate Vita per Andream scripta (hanc autem legisse Arnulfus vix potuit, nedum et tam contraria prius scripsisse, quin postea distinctius retractaret) eamdem redegerit in compendium, quædam paulo melius ordinans et supplens ex eadem scientia; et suos tunc etiam Annales scribens, in Appendice nobis potissimum sequendos.*

Alia S. Arialdi Vita omittitur,

non Arnulfo sed Landulfo Juniori adscribenda.

8 *Idem Alciatus aliam Vitam* S. Arialdi *vel scripsit, vel scribere inchoavit. Superest enim ejus initium, quod Puricello facit libri* I *caput* 12, *sicut illud hic habuit, suppeditatum sibi a Matthæo Valerio, Cartusiæ Papiensi Priori, et simili prorsus exemplo vidit in Musæo Aloysii ab Ecclesia, quondam Secretarii Urbani. Hoc quoque Fragmentum, Annotatis nostris insertum, Lector inveniet: uti etiam quædam Petri Azarii, viri (ut apparet) militaris, qui anno* MCCCLVI *Militiæ reformandæ adhibitus, Annalium Mediolanensium opus, quale apud Cartusiæ Priorem prælaudatum servabatur in*

Attinguntur Alciati et Azarii testimonia.

A *in MSS. perduxit ad annum* MCCCCII *plane grandævus.*
AUCTORE D. P. *Reliquos auctores, quorum loca ac testimonia implent librum* I *Puricelli, communem* SS. Arialdo et Herlembaldo *(quem aliqui* Arembaldum, Hernebaldum *et* Erjbaldum *nominant) vide sis apud ipsum. Vide etiam ejusdem librum quartum; qui unius quidem* Herlembaldi Vitam *profitetur dare, sed revera historiam continet totius schismatis, quod seculo* XI *Ecclesiam laceravit, Cadolo et Guiberto in Antipapas elevatis, per rebellem ecclesiæ Henricum, ejus nominis Regem* IV, *Imperatorem* III.

VITA

Auctore B. Andrea Vallumbrosano Sancti Discipulo,

Ex editione Joannis Petri Puricelli.

PRÆFATIO.

Rodulfo Generali jubente scribit Auctor

Præcepisti, venerande Pater Rudolfe, ut Beati Martyris Arialdi passionem describerem. Quod licet facere conatus sim, (in veritate, non pro humi-
B litate sola, ut plerique Sapientes solent, loquor) quidquid in ea est, quod conveniens sit, etiam in ipsa verborum compositione, non meæ sapientiæ, (quæ sic est parva, ut pæne sit nulla) sed soli Dei gratiæ, meritisque ipsius, atque tuæ orationi tribuo. In qua sciat, eam quicumque legerit, me prorsus nihil dixisse, nisi quod viris certis narrantibus didicerim: a Marchione videlicet, ipsius germano fideli, vel a Bonovisino ejusdem fidissimo famulo, qui ei a cunabulis est famulatus fideliter; imo de quibus tot existere possunt testes, quod illo in loco cum ætate perfecta sanoque sensu sunt homines.

certissime cognita,

2 Verum per totum hunc libellum, meum nomen celetur; qui talis sum, ut magis conveniat nesciri, quam sciri; cui jure congruit illud Isaiæ: Claude, inquit, ostium tuum, et absconde te post illud donec transeat ira Domini; tuum vero nomen in ejus fronte habeatur; quoniam, velis nolis, super candelabrum, ut omnibus luceas, te posuit Christus: quatenus is qui scripsit, si ignoratur; ad quem scriptus est, non ignoretur. Porro quia in hoc plura sunt in verbis et factis ædificationi utilia; duodecim Monasteriis, quibus te supernus Judex præposuit, oro, ut ad legendum tribuas; quatenus, dum audierint in defensione veritatis, quod alii nostro in tempore dixerunt et perpessi sunt; accen-
C dantur et ipsi, ut talia dicant; et, si necesse fuerit, pro eadem veritate similia patiantur.

Is. 26, 20

ad exemplum Ord. Vallumbrosani.

CAPUT I.

Arialdi natales, institutio, prima contra Clerum incestum concio.

Licet jam sic senex sit mundus, ut jam jamque vicinus ejus cernatur occasus; tamen quia ab universis mortalibus ignoratur, quando finiatur; libet novorum constantiam Sanctorum, supparem antiquorum, sævitiamque perfidorum, qui eos usque ad necem, nostris temporibus immoque nostris sub oculis, persecuti sunt, scriptis tradere, atque posteris ad eorum ædificationem intimare.

4 Igitur in Cutiaco *a* quodam vico, inter Mediolanum Comumque sito, milliario vigesimo distante a majore, quinto vero a minore [civitate] ut vulgari fertur opinione, Bezo quidam cum Beza sua uxore extitit, *b* nobiles utrique natione, sed nobiliores probitate. In quorum profecto laude parumper immorari, ex Sanctorum gestis quamplurimis instruimur; et cuncti scimus, liberiorem fore laudem cel-

a Cutiaci nobiliter ortus,

b

si ædificii, si certitudo manifesta habeatur firmi ipsius fundamenti. Hi namque causam reproborum, quæ est rapacitas, tam exosam habebant, ut inter cetera eorum bona, cum in servis equisque nimis abundaret; nullus erat audax ex ipsis servis, qui manipulum quidem vi furtimve alienæ segetis raptum deferre auderet equis coram eisdem. Porro superbiam, quæ est causa diaboli, ita execrabantur; ut cum libere modis omnibus sui vicinis imminerent, atque a nemine eorum si nollent constringi possent; ceu essent ex illorum minimis, sic se ultro subdebant ipsorum omni justæ conventioni. D

parentibus justitiæ et comitatu raræ,

5 Verum quoniam unicuique parum est non agere prava, nisi in bonis operibus exercitationem ponat; pauperum infirmorumque necessitati intendebant, ut ex vicinis nemo infirmitate oppressus in strato jaceret, qui a Beza memoria digna non visitaretur; et suis, si egeret hujusmodi, substantiis non aleretur. Præterea in ceterorum orphanorum egenorumque beneficiis, quæ illis sedule impendebat, Deo et hominibus ejus vita sic erat grata, ut ipsi pauperes invicem conferrent, dicentes: Si hæc obierit, profecto nobis vivere non expedit. Hoc quippe exercitum sanctæ actualis vitæ, per multorum curricula annorum, in venerabilis Bezæ nativitate... rumque ejus desudatione, viro ipsius jam defuncto, egomet vidi, ceteraque perplura ædificationi congrua: quæ ideo prætermitto; quia velociter ad ea, quorum causa hoc opus assumpsi, venire concupisco. E

matre pauperibus addictissima,

6 Huic utique, sicut illius relatione didici, nocte quadam dormienti, ejus adhuc vivente viro, ex quo tunc in utero habebat filium, admirabile lumen in visione, ceu solis meridiani splendor, desuper illuxit: cujus claritas, omnibus tenebris ab ea expulsis, totam domum, ubi erat jacens, implevit. Mane autem facto, insolitam secum visionem admirans, antiquis matronis pandit: a quibus protinus audit, habere se in utero infantem sexus masculini, meritique futurum celsi. Quem cum enixa est, apto præstolato tempore, Arialdum vocant: Clericum faciunt: scholis diligenter eo usque tradunt, quousque provinciales magistri, qui eum possent instruere, deficiunt. A quibus cum per tempora, ut scholaribus moris est, reverteretur (sicut a matre ejus jam sæpe dicta cognovi) et puellæ ipsius *c* ornatiores more solito nitidioresque se ejus vultui præsentarent; quemadmodum esset videre, sic exterminabat a sua facie; dicens, Captio hæc est satanæ. Indesinenter denique, in diversis terris, scholasticis se studiis tamdiu tradidit, donec optime tam liberalium quam divinarum litterarum haberet scientiam, simulque ætatem perfectam *d*. F

post lucem, omnia collustrare visam,

natus eruditusque,

c puellarum conspectum fugit:

7 Erat enim tunc Ordo Ecclesiasticus in tot erroribus seductus, ut ex illo vix quispiam existeret, qui in suo loco veraciter reperiri posset. Nam alii, cum canibus et accipitribus huc illucque pervagantes, suum venationi lubricæ famulatum tradebant; alii vero tabernarii, et nequam villici, alii impii usurarii existebant: cuncti fere cum publicis uxoribus sive scortis suam ignominiose ducebant vitam; omnesque, quæ sua erant, non quæ Christi, quærebant. Nam, quod sine gemitu dici vel audiri nec potest, nec debet, universi sic sub Simoniaca hæresi tenebantur, impliciti, quatenus a minimo usque ad maximum nullus Ordo vel Gradus haberi posset, nisi sic emeretur, quomodo emitur pecus. Et, quod est nequius, nemo tunc, qui tantæ perversitati resisteret, apparebat: sed, cum lupi essent rapaces, veri putabantur esse pastores.

d cumque Clerus totus perversissimus esset,

8 Ad quorum nimirum perversitatem detegendam et corrigendam, Mediolanum, ubi hæc iniquitas tanto erat copiosior, quanto urbibus ceteris ipsa est populosior,

Mediolani ad concionem progressus,

A populosior, a Deo procul dubio præfatus missus est Arialdus; divinis, ut prædiximus, legibus bene eruditus. Qui ingressus *e* urbem, populum pæne universum, ad ejus verba confluentem, fari sic adorsus est: Volo, Dilectissimi, vobis dicere in nostri sermonis exordio, quæ scire vos scio; ut paulatim sic vos introducam ad ea, quæ nescitis, et vobis scire magnopere necessaria sunt. Veraciter credo vos nosse, humanum genus usque ad Christi Domini nostri adventum cæcum fuisse, non oculis corporis, sed cordis. Quod ideo erat cæcum, quoniam, quod erat falsum, credebat verum: dicens lapidi lignoque et metallo. Deus meus es tu. Cujus cæcitati et miseriæ in tantum summa Lux et æterna compassa est (per quam omnia facta sunt, et in qua universa consistunt) ut non ad hanc a cordibus hominum auferendam Angelum mitteret; sed per semetipsam de cælo descendit, carnem assumpsit, et ut eam ab hominum cordibus penitus expelleret, usque ad Crucis mortem libenter accessit. Qui in diebus carnis suæ homines tot de mundo elegit, quot sufficere ad universitatis illuminationem ante secula posse, prævidit. Quos, omnibus falsitatis tenebris ab eorum cordibus expulsis, æterna luce illuminavit; eosque B per mundum universum misit; et lucem, quam acceperat, ubique deferre præcepit: sicque ad Patrem, a quo venerat, rediit.

e — *docet, Christum ad illuminandum mundum* — *hominem factum*

9 Hæc quippe summa et æterna vivaque Lux duas in terra causas reliquit: in quibus omnes, qui erant illuminandi, illuminarentur, et usque in finem seculi semper permanerent lucidi; tam isti qui adhuc erant illuminandi, quam qui jam fuerant illuminati. Vultis nosse, eæ res quæ fuerunt? Verbum scilicet Dei, et Doctorum vita. De Verbo autem Dei, quod lux sit: non meum, sed Psalmistæ audite testimonium; Præceptum (inquit) Domini lucidum, illuminans oculos. Et item; Lucerna pedibus meis verbum tuum. De vita vero Doctorum, quod esse debeat lux in verbis suis, ipsa per se Veritas aperte manifestat: Vos, inquit, estis lux mundi: et protinus addidit; Sic lucat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui est in cœlis. Ex his itaque unam idem Dominus posuit ante illos, aliam ante vos. Hi vero, quibus scientiam Scripturæ, dedit, sibique ad ministrandum elegit, ut ad lumen verbi sui ludici semper viverent, constituit; et, ut eorum vita esset vestra lectio, qui litteras nescitis, ordinavit. Sed, C inimico humani generis insidiante, pariterque nostra negligentia et peccato operante, illi, se convertendo retrorsum, perdiderunt suam, vos autem lucem perdidistis vestram.

dedisse se verbum Patris, — Ps. 18, 9 et 118, 105. — Matt. 5, 14 et 16 — *et vitam Doctorum:*

10 Verumtamen, ut securius vos idem inimicus deluderet, qui societatis ab eis abstulit veritatem, eis promisit in exteriori habitu sanctitatis habere similitudinem: quod gemens dico, non ad vestram ignominiam, sed ad cautelam. Nonne ad eamdem cæcitatem estis reversi, pro qua ab hominibus auferenda Christus de cœlo misericorditer descendit? Si enim ideo humanum genus ante ipsius adventum, ut diximus, erat cæcum, quia sumebat pro vero mendacium; quicumque nunc opus simile facit, nonne causam eamdem incurrit? Nam sicut illi decepti, lapides et ligna credebant Deos; ita vos vestros Sacerdotes putatis veros, quos incunctanter esse constat falsos. Unde hoc scire possumus? Vultis nosse inde? In tenebris sumus: ut hoc patenter cognoscamus, ad lucem eamus. Ad quam lucem? Ad verbum videlicet Dei, Ecce Christus dicit; Qui mihi ministrat, me sequatur. Quod est aperte dicere; A nemine quippe mihi ministratur, nisi ab eo qui me sequitur. Vestrorum vitam Sacerdotum scio vos nosse: et quo Christus pergat, et quid dicat audite; atque tunc plenius cognoscetis, utrum isti sint ejus D ministri, an ipsius potius adversarii. Ecce Christus clamat: Discite a me, quia mitis sum et humilis corde. Et iterum de se dicit: Filius hominis non habet ubi caput reclinet, Et item: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum Cœlorum.

his vero a dæmone perversis, — *rursum in tenebras recidisse homines;* — Ioan. 12, 26 — A. ANDR DISCIP. — Matt. 11, 29 — Luc. 9, 58 — Mat. 5, 3

11 E contra vero, ut inspicitis, vestri Sacerdotes, qui effici possunt ditiores in terrenis rebus, excelsiores in ædificandis turribus et domibus, superbiores in honoribus, in mollibus delicatisque vestibus pulchriores, ipsi putantur beatiores. En ipsi, ut cernitis, sicut laici, palam uxores ducunt; stuprum, quemadmodum scelesti laici, sequuntur: atque ad nefandum hoc opus patrandum tanto sunt validiores, quanto a terreno labore minus oppressi; videlicet viventes de dono Dei. Christus autem in suis econtra ministris tantam munditiam quærit et exoptat, ut non solum in opere, verum etiam stupri scelus damnet in corde: dicens; Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo. Redite, Dilectissimi, ad corda vestra, redite: et sumere verum, falsumque respuere discito. Nam conatus sum reos reducere ad suam lucem; sed nequivi. Ut enim vos ad vestram reducam, huc ideo veni: et hoc aut fecero, aut pro E vestra salute paratus sum animam meam tradere gladio. Hæc et hujuscemodi complura vir Dei dum disceret; in verbis ejus plebs fere universa sic est accensa, ut, quos eatenus venerata erat ut Christi ministros, damnans proclamaret Dei hostes, animarumque deceptores.

nec esse habendos pro ministris Christi — *Sacerdotes incestos.* — Matt. 5, 28

ANNOTATA D. P.

a *Landulfus Junior in* loco Cuzago, prope Canturium; *vulgo* Cantu, *quod notatur in tabulis, istud non item. Alciatus* Cucciacum *nomina* sub Canturiensi Præfectura, *triplo propius Como quam Mediolano, inter Lambrum et Luram fluvios.*

b Nobilibus parentibus de Alzates, *quo nomine invenitur vicus* 6 p. m. *ultra Novariam: alii familiæ nomen faciunt, et* Alciatos *Latine reddunt; sed prælaudatus Alciatus in fragmento Vitæ, Andreæ verbis contentus, tacere id maluit; an quia gentilem suum* S. Arialdum *non audebat asserere? At postea id fecit in Antiquario suo, allegato num. 7 Comm. prævii, de* Alciata gente *eum fuisse dicens. Verum hæc verba fortassis Fontanæ sunt: et oportet non admodum nobilem fuisse, de quo ait Senior Landulfus, quod* Landulfum, F *majorem Canonicum* sibi prævidit applicare quasi generosiorem, *quia ipse erat* humiliter natus: *qua in re credo noluisset mentiri scriptor ille, licet subinde minime verax, cum agitur de causa Clericorum, quam tuetur contra Sanctum. Igitur qui in Prologo attribuitur Sancto Germanus* Marchio; *eum reor ita dictum proprio nomine a Baptismate, non autem appellativo a dignitate æque ac alium, quem apud Puricellum pag.* 237 *ex Arnulfo legimus ab alta rupe præcipitatum. Diamans Marinonus, in MS. de originibus surbis et familiarum Mediolanensium, apud Puricellum lib.* 1 *cap* 12, *nomen ab* Alcatho, *Regis Æoliæ filio, Hippodamiæ proco; vel ab* Alceo, *Herculis avo petit, quæ pro deridiculis habuisset credo eruditissimus Alciatus, si legere potuisset: hic tamen, nescio ubi vel quomodo, dicitur* Alciato Regiæ stirpis fidem facere. *Italice* Alzatis *idem est quod* Elevatus; *unde* Inalzare, *est* Elevare, *quod satis esse ad verum nominis etymon reor, ablegatis fabulis.*

c *Landulfus Junior:* Vidit sorores in lascivo habitu cum matre: *quod hujus probitati non satis convenit; potuit tamen puellis suis, et (si quas habebat) filiabus plus ornatus indulgere mater, qui tamen lascivus non esset.*

d

A. ANDR. DIS. IP.

A d *Alciatus*, Prius, *inquit*, dedit operam omnibus liberalibus studiis, in quibus, ut tempora erant, multum profecit. Perierant enim ea tempestate, et assiduis bellorum tumultibus, et ira Dei, bonæ litteræ; nullaque Gymnasia per omnem Italiam habebantur: quapropter in Galliam ad Parisiorum Academiam se contulit: in eaque diutius versatus, magnum nomen consecutus est. (*Sic etiam Landulfus Junior in Monum. Ambros. pag.* 530 *dicit, Olricum Vice-Dominum Mediolanensem, et Anselmum de Pusterla* Leodunum. I. *Laudunum Galliæ ivisse*, ad præcipuum magistrum Anselmum de Monte *audiendum, quibus gratum fuerit ipsummet Landulfum secum ducere.*) *Et* tradunt, *inquit Alciatus de S. Arialdo*, in divinarum rerum professione, quam Theologiam vocant, tantum profecisse, ut omnes collegas post se relinqueret. Dialecticam vero, quam doctrinæ superficiem quamdam appellabat, contempsit magis quam ignoravit. *Landulfus Senior ei infensus, apud Puricellum quasi ingratitudinis Sanctum arguit, dum ait pag.* 179, *quod* penes Guidonem Antistitem multis fotus deliciis, multisque cumulatus honoribus, dum litterarum vacaret studio, severissimus est divinæ legis factus interpres, dura exercens in Cle-
B ricos solos judicia.

e Varisii, ubi morabatur *Arialdus, cœptam prædicationem, ait uterque Landulfus: neque id negat Syrus infra num.* 84. *Est autem* Varisium, *inter Anglerium et Comum, ad* 30 *fere* p. m. *distans Mediolano, nostra ætate, a Dominicæ Passionis mysteriis, vicino in monte expressis, celebratissimus religione locus, Canturio propinquus intervallo* 10 *milliarium aut eo amplius. Alciatus ibi habitasse Sanctum non dicit, sed eo* pro tempore secessisse, *quod imparem adhuc se crederet factioni improborum Sacerdotum. Uterque Landulfus* Arialdum *tunc ait* ex Decumanis Canonicis *fuisse. Tales autem nunc vocari* Canonicos titulares, *docet Puricellus in monumentis Ambrosianis: alibi* Canonici ei minores *seu* Vicarii *vocantur, prout condistincti a* Majoribus *seu* Ordinariis. *In Dissertationibus vero Nazarianis pag.* 444 *idem Puricellus docet*, Decumanos *istos numero* centum, *fuisse* distributos in undecim ecclesias Collegiatas, et alias decem capellas. *Et sic ipse* Arialdus, *jurans in verba S. Petri Damiani, incipit:* Ego Arialdus, dictus Diaconus de Capella Mediolanensis Archiepiscopi: *ubi* S. Arialdum *intellige ceteris præire exemplo.*

C

CAPUT II.

Arialdus, socium Landulfum nactus, Romam abit: et ambo injuriis impiorum vexantur.

Factum est autem, dum agerentur hæc, de medio multitudinis surgens quidam Clericus, nomine Landulphus, *a* de urbanis excellentibus tam ordine quam natione, nimis potens in voce et sermone, silentium petiit. Quo concesso, hujusmodi lætiferam vocem prompsit. Gratias (inquit) coram vobis Omnipotenti Deo ago, qui nunc me ea audire permittit, unde meum cor per innumera tempora ignescit. Nam olim hæc sciens dolensque, ideo tacebam, quoniam cum quo ea dicerem, non habebam. Nunc vero, Domine Arialde carissime, quia Dei donum te dedit mihi; scito, me ab ipso collatum tibi; et exinde quidquid hac de re dixeris fecerisve, me facere et dicere; et me meam animam, sicut tu professus es tuam, pro salute fratrum ponere esse paratum, incunctanter te nunc reddo securum. Populus jam fidelis hæc audiens, in Dei laudem crescens, hilarescit: pars adversa tabescens, deficit: Dei voto famulus Arialdus, oculis ac manibus sursum erectis, omnium bonorum Largitori immensas ac debitas reddit gratias.

a Eadem sentire pridem professus Landulfus, socium Arialdo se offert:

13 Denique post hæc quidam Laicus surrexit D alius, nomine Nazarius, officio monetarius, cujus vita valde erat ab omnibus laudabilis, licet conjugalis: qui silentium petiit. Quo accepto, coram omnibus tale responsum dedit: Domine Arialde, ea quæ dicis esse vera et utilia, non solum advertere possunt sapientes, verum etiam et vecordes. Quis tam insipiens est, qui non lucide perpendere possit, quod eorum vita esse altius debeat a mea dissimilis? quos ego in domum meam ad benedicendum eam voco, juxta meum posse reficio, et post hæc manus deosculans munus offero: et a quibus mysteria, pro quibus æternam vitam expecto, omnia suscipio. Sed, ut omnes inspicimus, non solum non mundior, verum etiam sordidior perspicue cernitur. Verumtamen hoc scelus sic scito inter nos radicatum et inveteratum, quatenus aut vix aut cum grandi labore poterit evelli. Nunc autem, quia Largitor omnium bonorum mihi tanta contulit bona, quæ satis et mihi sufficere possunt et tibi; obsecro te, per eumdem omnipotentem Dominum, ut in domum meam ingredi digneris, et exhinc bonis omnibus meis, ut ego, ita et tu fruaris; quatenus tua exhortatione assidua ab hoc errore liberari, et in omni veritate confirmari possimus, tam ego, quam hæc plebs universa. Cave, ne ad sanguinem altum E de quo ortus es, et ad opem multam qua polles, inspicias; ne forte sacramento, pro quo te adjuravi, spreto, non quæ Dei, sed quæ tua sunt, quærere videaris.

Nazarius laicus offert eis suam domum et substantiam,

14 Vir autem Domini hæc audiens, et magnitudinem conjurationis, et famam viri optimam considerans, omnia terrena, quæ sibi resistere possent, conculcans, in domum se juste invitantis libenter intravit: et per plura tempora Marthæ opus ab eo fideliter sumpsit; et quod operatus est Petrus in Cornelio suisque amicis, operatus Arialdus est in Is. 41, 19. Nazario ejusque vicinis. In quibus utique tunc arbustis, quæ se Dominus per Prophetam pollicitus est in deserto simul positurum, scilicet vitem et ulmum, proculdubio est completum; quatenus altera mentes debriaret, altera vero debriantem sustentaret. Exhortantibus denique Arialdo Landulphoque *b* populum fideli et assidua doctrina, stupra Clericorum nefanda et execranda eorum connubia, sic ab eodem populo intra aliquanta tempora sunt persecuta et deleta, ut nullus existeret, quin aut cogeretur tantum nefas dimittere, vel ad altare non F accedere. *c*

et omnes in Sanctum opus conspirant.

b Sic cohibiti concubinarii

c

15 Per idem tempus decrevere fideles Romam ad Synodum *d* Landulphum mittere; quoniam, ut eos mendaciter eorum æmuli accusarent, illo pergebant. Quem [ultra] urbem Placentinam progredi non licuit; quia ibi a quodam profano est in oppido percussus, et sic Mediolanum regressus. Sed Arialdus, Dei famulus, sumpto itinere, omnium adversariorum fraudem, circumquaque positorum ad eum necandum, scienter declinavit: atque Romam, Deo illum protegente, incolumis pervenit. Qui coram summo Pontifice se offerens, cum causam jam cœptam ei retulisset; post multam honorificentiam, quam ipsi idem impendit, jussit, a quibus Sacerdotibus divina Mysteria dehinc sumeret, et sub inevitabili jussu ei præcepit ad opus cœptum regredi, et tamdiu in eo vehementer insistere, donec nefanda opera, quæ tunc inerant in Ecclesiastica familia, aut penitus deleret, aut sanguinem pro Christo proprium inimicis fundendum præberet. *e* Qui in omnibus obediens regreditur, jam sæpe dictam causam competenter persequitur et constanter, cum suo socio divinitus sibi collato, habentes dehinc doctrinam, tam plenam auctoritate, quam veritate.

d Landulphum ex insidiis lædunt, Arialdus accepta fiducia potestate redit.

e

16 Hoc quippe impii civiles Clerici perpendentes, quasi

A quasi occulte in unum conveniunt : ideo, quia progenie altior erat Landulphus, eum occidere disponunt : putantes, timore perterritum sic silere posse Arialdum. Ad patrandum vero tam scelestum opus, quemdam audacem et impium conveniunt Clericum, et nimio prætio reddunt securum, si jam dictum extingueret virum. Qui acquisito grandi carnificis gladio (quem sæpe ego postea vidi) simulque toxico ad necandum citissimo, cœpit eum prosequi per Cœnam Domini, et Parasceven, *f* Sabbatumque sanctum clanculum, necnon et sanctum diem Paschæ. Vera utique me dicere scio ; utrum rei gestæ ordinem teneam, ignoro. Cumque ipsum in diebus his reperire minime potuerit absque turbis ; in secunda tandem de Albis feria, ad impium et diu optatum pervenit votum. Nam in ipsius diei crepusculo solum illum ante quoddam reperit altare orantem : mixturam impiam, quam secum ferebat, permiscuit illico, scilicet gladium cum toxico ; et post tergum clam veniens, eum in collo graviter percussit, et sic fugam protinus petiit. Sed, volente Deo, licet esset nimis velox ad fugiendum, in egressu basilicæ per quemdam captus est *g* claudum.

Iterum Landulphus, a conducto ad scelus Clerico,

f percussus gladio veneuato

g

B 17 Clamor igitur vehemens attollitur, ab omnibus concurritur : quæ esset causa tanti clamoris inquiritur. Cognita namque causa, nefandum Clericum circumdedere, eumque cornu toxico plenum habentem reperiunt. Mœrentes ergo, percussum et eum qui percussit accipiunt; ac sic ad domum Landulphi pergunt, et ipsius obitum protinus præstolantur affuturum. Sed magni prodigii evidentiam tunc ostendit Deus omnipotens, ut servo suo nihil plus venenum officeret, quemadmodum si aqua esset. Nam isdem professus est Clericus, se illud in pluribus pecudibus probasse; quæ ut deglutivere, cunctæ post paulolum vita caruerunt. O mira Domini potentia ! Hunc virum postquam tetigit, etiam deglutitum nulli nocere quivit. Unde ipse reddens debitam Deo laudem, percussorem Clericum dimisit incolumem ; admonens, ne ulterius tantam conaretur præsumptionem. Idem vero Clericus, sua cernens molimina, nimio studio exquisita, a Dei evidenter virtute exinanita, sibique ab ejus famulo pro malis impensa bona ; corde compunctus, veniam petiit ; tanti sceleris incentores prodidit ; se ulterius tale quid minime conari promisit, et postremo sic discessit.

manet incolumis,

veneno vires omittente,

et Clerico ad miraculum paudente.

C 18 Per idem tempus Clerici suburbani, in unum convenientes, ad invicem dicunt : Quid facimus? En Arialdus, qui nos nostrasque familias conturbavit et dispersit, in urbe conclusus, atque a populo circumdatus, inhabitat ; ideoque, ut eum perimamus, nequaquam pertingere valemus. Si autem hoc nequimus ; damnum dedecusque, quod possumus, illi saltem inferamus. In loca nostra nunc revertamur ; et exquisitis gladiis bene acutis, rursum nocte alia conveniamus ; una illuc, ubi idem est ortus, pergamus, et ubi adhuc cum suis magna pollet possessione parentibus ; atque ad ignominiam ejus, ecclesiam, quam olim impendio proprio construxit, violemus, et dissipemus ; arbores vero castaneas, quas habet innumeras, decorticemus ; vineas autem, quibus nimis abundat, incidamus. Interim quidem ex nobis aliqui illuc pergant in die, qui ipsius substantiæ plene habent notitiam : vineas ejus et silvas evidenter designent ; ut non tunc quid appareat, in quo quis errare debeat.

Suburbani Clerici similiter conspirantes

19 Nocte igitur convenient condicta : ecclesiam extra vicum *h* reperiunt, quam ruptis ostiis intrant. Altare frangunt et violant, ceteraque utensilia dissipant : et dedecus, quod infelices nequibant famulo, facere non sunt veriti Domino. Porro cum ad designatas arbores vineasque vellent accedere ; sicut ipsi postea professi sunt morientes, cum ingenti terrore tanta a justo Dei judicio sunt perculsi cæcitate, ut neque ubi essent, neque rem designatam invenire possent. O mira Domini pietas ! Suam demoliri casam permisit ; servi vero sui optime tutari novit. Sed ne miseri illam noctem inanem ducerent, vineas et silvas introgressi, alienas incidunt et decorticant. Verumtamen Deo gratias agens profiteor, postea me vidisse persæpe ipsas arbores suis cultoribus uberrimos fructus reddere, easque adhuc similiter credo facere. *i*

h

Arialdi ecclesiam violant ;

D

A. ANDR. DISCIP.

possessionibus nocere nequeunt.

i

ANNOTATA D. P.

a *Landulfus Junior*, Landulfum de Cottis, Levitam ordinarium Mediolanensis ecclesiæ, *appellat. Alciatus primum utriusque congressum Varesio adscribit, latiusque sic deducit.* Vigebat tum in urbe magnæ existimationis vir Landulfus, primoris ecclesiæ Ordinarius, et perquam eloquens in concionibus, populo gratissimus. Hunc Arialdus vetere amicitia junctus fuerat : quapropter secum congressus, multa de Vidone [Archiepiscopo,] plurima de sacri Ordinis nimia licentia queritur ; populorum etiam et omnium interesse, ut meliores fierent. Landulfus causæ non defuturum spopondit, et ausurum, ubi rem ex voto succedere posse cognovisset. Interim Arialdus ipse per vicos et conciliabula concionetur ; eosque Sacerdotes, qui ab urbanis * munditiis separati, et idcirco antiquam probitatem retinentes, sibi aggregare studeat : tunc enim et se id in urbe facturum, quod in pagis ipse fuerit aggressus. Ab hoc colloquio Arialdus Varesii creberrimas orationes in corruptelam Sacerdotum habere cœpit, in mores acerrime invehi, nullo metu arceri, omnia pro veritate exponere. Faciebat et id Landulfus ; sed parcius, et non nisi cum se obtulisset occasio.

E

an immunditiis?

b *Landulfus senior apud Puricellum pag.* 179 *Arialdi socium Landulfum culpat,* quod nullis ecclesiasticis Gradibus alteratus, usurpato sibi contra morem Ecclesiæ prædicationis officio, grave jugum Sanctorum imponebat cervicibus ; *et* inter alia, quæ quotidie plebis auribus inculcabat, die una taliter concionatus est in populo : Carissimi Seniores, conceptum in corde sermonem ultra continere non valeo. Nolite, Domini mei, nolite adolescentis et imperiti verba contemnere : revelat enim sæpe Deus minori quod denegat majori. Dicite mihi. Creditis in Deum trinum et unum ? Respondent omnes, Credimus. Et adjecit : Munite frontes signo Crucis. Et factum est. Post hæc ait : Condelector vestræ devotioni, compatior tamen imminenti magnæ perditioni: multis enim retro temporibus non est agnitus hac in urbe Salvator ; diu est quod erratis, cum nulla vobis sint vestigia veritatis. Pro luce palpatis tenebras, cæci omnes effecti, quoniam cæci sunt duces vestri. Sed numquid potest cæcus cæcum ducere ? nonne ambo in foveam cadunt ? Abundant enim stupra multimode : hæresis quoque illa Simoniaca in Sacerdotibus Levitis ac reliquis Sacrorum Ministris : qui cum Nicolaitæ sint et Simoniaci, merito debent abjici : a quibus, si salutem a Salvatore speratis, deinceps omnino cavete, nulla eorum venerantes officia.... Et ego plectenda plura commisi ; sed quod pejus fuit, indignis usque modo communicando Regem cœlorum offendi : nunc autem, propitia divinitate, ago pœnitentiam, talia provisurus in posterum. Igitur imitatores mei estote, carissimi ; et ita ambuletis, sicut habetis formam nostram. *Hanc orationem Landulfo adscribit ille, præ studio in partem Cleri, ipsi Landulfo et Arialdo ubique iniquior ; et huic impingens, quasi non solum dixisset, Nicolaitarum et Simoniacorum* Sacrificia idem esse, acsi essent canina stercora,

F

A cora, eorumque basilicæ jumentorum præsepia AUCTORE D. P. *(quod vere dici poterat, quatenus talia sacrificia, vera licet et valida, quantum est ex parte Sacramenti a talibus confecti, communicantes tamen coinquinant, quia notorie hæreticis et excommunicatis communicare est nefas) sed etiam quasi addidisset,* ut ipsis amodo reprobatis bona eorum omnia publicentur; sitque facultas omnibus diripiendi universa in urbe vel extra: *quod per meram calumniam vel exorbitantem auxesim pio zelatori affingi, extra dubium esse debet; cum nihil tale fuerit factum a populo; sed e contrario ejusmodi gravamina ab adversariis passi fideles sint; nec ultra progressi, quam quod vim vi parati fuerint propulsare, ut ex sequentibus apparebit.*

c *Alciatus (cujus reliquum fragmentum hic juvat attexere) porro prosequitur hinc secutas calumnias, et quid inter hæc egerit Archiepiscopus Guido sive Wido:* Fuere, qui existimaverint, Widonis exauctoramentum ejusque dignitatem ambientem Landulfum, Arialdo consensisse. Sed nulla certe fuit unquam innocentia, quæ invidiam maledictaque vitaverit. Igitur improbi quidam, delationis magnam mercedem a se præstitum iri existimantes, utrumque apud Widonem accusant; crimina in eos congerunt; B læsam contumeliis summi Sacerdotis Majestatem exclamant, novis seditionibus quæsitam causam. Non audebat Wido tunc in eos animadvertere, quod summæ opinionis apud populum utrumque cognoverat. Quare in cubiculum ad se accitos, humaniter excipit; precibusque minas commiscet; suam Sacerdotumque causam tuetur. Non decet, inquit, Sacerdotem Sacerdoti maledicere; sic enim suis se telis confoderent: expeditque etiam indigna factu perpeti, ne inconsulte dissidium aliquod oriatur. Nec enim fratrem suum damnare æquum est, cujus salutem Christus Deus redemit. Oportet prius, qui in alium dicere paratus sit, ab omni se labe vindicare; nisi quisquam credat eum, qui æger ipse sit, recte medicari aliis posse. An sine stomacho armatum militem aliquis de pace disserentem audiet? num Græcanice sapienter dictum illud quilibet potius probaverit? Quin tu prius, inquit, cum uxore et liberis in gratiam redis, tuo exemplo tum demum ad pacem nos vocaturus? Ejicienda prius oculo tuo trabs est, ut citra opprobrium festucam de alieno extrahas. Aperta et publica reprehensio, non correctionem, sed odium vituperiumque ostendit. Condemnare aliquem velis, coC ramque populo objurgare; illud tibi primum ante oculos proponendum est, an tu simili culpa umquam laboraveris; vel, cum quandoque captus esses, abstinueris. Si delicto illi unquam obnoxius fuisti; est quod cogites, te hominem esse, et ejus conditionis, ut eo peccato potueris capi. Si, cum ei culpæ servires, in libertatem provocasti; communis infirmitatis te memoria subeat; neque hominem palam objurga, sed secreto admone, ut ad tui similitudinem et ipse curet resipiscere. Hæc cum Wido placide dixisset; eo finem orationis direxit, ut Sacerdotibus fas esse diceret uxores ducere; interminareturque, si contraria profari ipsi auderent. *Videtur autem indicare ipsummet* Landulfum *antea concubinarium vixisse in Clero, saltem uxoratum antequam Tonsuram susciperet, ejusque rei causa secessisse a conjuge liberisque; ipsa verosimiliter consentiente, sed nihilominus idonea visa causa criminandi hominem, quasi propter dissidia domestica ab ea disjunctum. Pergit porro Alciatus:* Tum Arialdus Landulfusque, Nihil, inquiunt, interest, quo genere mortis, et quo tempore occumbamus pro veritate enim mori pugnantes juvat. Nobis sententia hæc insedit, ut scelerum perpetui hostes, dum supererit vita, in facinorosos quotidie concionemur. Quid enim prædicandi istud oneris assumamus, si vera subticere, si prævaricari in Christianorum omnium causa compellimur? Equidem si Sacerdotes isti tui secreto delinquerent; D nemo nostrum probasset, ut publice castigarentur: sed cum ejusmodi sint scelera, ut non satis habuerint ea perpetrare, nisi etiam auctores ipsi divulgatoresque operum suorum forent; non est, quod nos admoneas, uti eos clam accusemus. Manifestæ enim noxæ reum, palam quoque pœnitere æquum est: et veluti, ubi morbus levioribus medicamentis non cedit, ferrum aut ignis adhibetur, sic obstinatis istorum animis, cum cetera remedia consumpta sint, publica animadversione opus est. Ab hoc sermone digressi, indignantem Præsulem reliquerunt. Ceterum veriti, ne iratus Vido quandoque aliquid in perniciem ipsorum moliretur, subsidia partibus quærunt. Erat tunc Mediolani summæ auctoritatis Anselmus, ex Badagiorum familia, quem innocentiæ virtutisque causa Lucensibus Antistitem Cæsar dederat. Hunc Arialdus cum Collega adiit. *Hactenus fragmentum istud.* Anselmus *autem hic laudatus, anno* 1056 *factus erat Lucensis Episcopus: et hunc* Arialdo *potius auctorem fuisse suscipiendæ prædicationis docet coævus, et in hoc fide dignior Landulfus Senior, Capite 4 libri* 3 *Historiarum suarum hunc titulum ponens apud Puricellum pag.* 273. Qualiter Anselmus de E Badagio, ex Ordinario Ecclesiæ Mediolanensis, sollicitat Landulfum et Arialdum, ut uxores a Sacerdotibus separandas prædicarent: *et Capite* 5. Qualiter Arialdus cœpit suum propositum prædicationis reserare: *ac porro cap.* 7 *inquit,* Hac eadem tempestate horror nimius Ambrosianum invasit Clerum... cujus initium et seriem cum res nostris adhuc versetur sub oculis, prout possumus, enarremus. Finem ipse provideat, qui cum sit Alpha et Omega, mirabiliter omnia dispensat: *atque ita ingreditur in materiam Landulfus hic ab Andrea tractatam.*

d *Anno* 1057 *Victor Papa II, Kal. Maji, Generale Concilium Romæ celebravit in Constantiniana Basilica, ut constat ex Epistola* 2 *successoris Stephani; ubi verosimile est, non minus quam antea sub Leone IX anno* 1051, *de Nicolaitis et Simoniacis actum esse. Sed et* Stephanus *prædictus, eodem anno,* 3 *Augusti consecratus, laudatur in Vita sua, quod* habitis in urbe plurimis conciliis, contra concubinatum et alia Cleri vitia plurima, mores Ecclesiæ reformavit; *utique eodem anno et initio sequentis, quo Florentiæ obiit* 29 *Martii. Legatur Baronius ad annum præfatum num.* 9, *ubi dicuntur Synodi illæ crebræ celebratæ intra* 4 *menses, quibus Romæ est commoratus Papa; usque* F *ad festum S. Andreæ; et iterum num.* 16. *Ad hunc autem, non ad Victorem, qui obierat* 28 *Junii, accessisse* Arialdum *vult Landulphus Junior, qui ait, quod* Arialdi *et* Landulfi *concionibus* Clerus multipliciter afflictus, primo cum Provincialibus Episcopis, demum cum Romano Pontifice sit conquestus. Et Præerat tunc Romæ, *inquit,* Stephanus Papa, qui super hac re Synodum Provincialem congregari jubet. *Mihi verosimile est, causam sub Victore Papa inchoatam, sub successore continuatam, utrique adscribi posse. Ex alterutrius autem mandato,* factus est Synodalis Præsulum conventus per Guidonem Archiepiscopum Novariæ (*Alius addit* in loco qui dicitur Fontanetum, *Novariensis diœcesis, pari quo Novaria, intervallo a Mediolano) ubi habitum a Guidone sermonem pathetice deductum lege apud Puricellum pag.* 183 *verbis scilicet Landulfi Senioris, plus æquo faventis Clero vitiato.* Cumque *ut Junior Landulfus prosequitur,* triduo prædictis vacarent negotiis; placuit pluribus, Landulphum et Arialdum absentes excommunicandos: factumque ita est. Unde Landulphus, volens ire Romam, in Placentino oppido (*abest id Mediolano p. m.* 36 *circiter*) cæditur graviter, sicque Mediolanum rediit.

e

A e *Rem eamdem idem Landulfus multo distinctius sic prosequitur :* Romam proficiscitur Arialdus, et coram Papa Stephano adulteria simoniamque Clericorum Mediolanensium accusat, qualiterque ipsius prædicationibus Sacerdotes ab uxoribus populus separaret ; eosque asserit inobedientes Romanæ Ecclesiæ : se autem cum Landulfo devotum et pro veritate certantem. Iis auditis, multi ex fautoribus adversariorum surgunt stomachati : inter quos Dionysius Cardinalis surgens, multa contra Arialdum dixit : deinde cum multi alii faventes adversariorum contra Arialdum clamarent ; Stephanus Papa silentium imperavit : qui pauca loquens, Cardinalem non laudavit, nec Arialdum condemnavit; quinimo sententiam excommunicationis Synodalis annullavit, hortaturque Arialdum ut probitatem prædicare non desinat, et super hujusmodi lites Legatos Mediolanum mittit, scilicet Hildeprandum Cardinalem, Petrum Ostiensem, Anselmum de Badagio Lucanum Episcopum, ut per ipsos in reorum præsentia veritas cognoscatur. Ii Legati cum Mediolanum attigissent, congregato Clericorum cœtu, ipsorum culpas cognoscunt; Guidonem Simoniacum vocant, ejusque Clerum

B adulteriis malisque moribus inquinatum judicant ; asseruntque, Arialdum vera Romano Pontifici retulisse, et eum ad perseverationem cœpti propositi cohortantur. *Fuerunt autem Legati, sanctitate et auctoritate præcipui;* Hildeprandus *postea Gregorius Papa VII ; S. Petrus Damiani ; et Anselmus, postea Alexander II, ut jam dixi, tam noti omnes quam hactenus ignotus* Dionysius , *Ciacconio ejusque interpolatoribus præteritus. Puricellus pag.* 187, *ex Seniore Landulpho asserit,* a pueritia nutritum *fuisse* in ecclesia Mediolanensi : *et longam ejus contra* Arialdum *invectivam profert, ad quam (ut ille fingit) is* tremens et pallidus quasi mortuus obriguerit, cognoscens adstantium animos omnium ecclesiæ Mediolanensi compatientes. *Miratus sit credo Arialdus talia præter opinionem sibi dici Romæ, et quidem coram Pontifice : sed hic eum statim recreavit, ut ipse Landulfus tandem agnoscit.*

f *Pascha anno* 1058 *celebratum fuit* 19.

g *Landulfus addit,* Mendicum.

h *Vicum* Cotiacum, *Sancti patriam, intelligo.*

i *Ad hunc eumdem annum* 1056 *referendum puto, quod inter initia sic refert Landulfus Junior :* Cumque Translatio B. Nazarii *(10 Maji)* a cunctis Clericis et Civibus devote celebraretur ; cœpit Arial-

C dus detrectare familiariter conjugia et stupra Clericorum. Quod audiens quidam Sacerdos nomine Anselmus, dixit : Ergo tu es ille, qui nos Sacerdotes inter populum diffamas ? An in te solo remansit virtus ? Quibus dictis Arialdum colapho percussit. Arialdus autem dixit : Non solum hoc, sed etiam mortem pro veritate pati paratus sum.

CAPUT III.

Acta S. Arialdi contra Simoniacos, quos tamquam hæreticos fugiendos docebat.

Simoniacos etiam aggressus Arialdus,

Per idem tempus Christi famuli, cernentes omnem populum ad sequendum quidquid dicerent esse promptissimum ; de Simoniaca, quam eatenus reticuerant, palam loqui incipiunt. Quorum primus in virtute scientiæ et sanctitatis, scilicet Arialdus, licet illo eloquentior esset Landulphus, de Simoniaca et contra ipsam tale exordium protulit ad populum. Gratias, inquit, Dilectissimi, omnipotenti Deo reddere debemus, qui dedit vobis velle, quæ vult ipse. Scire vos quidem volumus, quod laborem non modicum, quem usque modo contra insolentiam conjugatorum adulterorumque sumpsimus Sacerdotum, magis nos fecisse necessitate, quam voluntate. Nam, D utrum hæretici uxores habeant, an non, parvi pendimus. Aspicientibus ergo ad invicem se turbis, et admirantibus cur hoc diceret ; adjecit : Audistis, Carissimi, dum legeretur liber Actuum Apostolorum, venisse Simonem Magum ad B. Apostolum Petrum, et postulasse per pecuniam Spiritus sancti gratiam. Lucas Evangelista, qui hoc scripsit, quid Beatus ei Petrus responderit, protinus adjunxit. Pecunia (inquit) tua tecum sit in perditionem ; quia existimasti, donum Dei pecunia possideri. Quid est hoc ? Nonne iste ille Petrus, cui septuagies septies peccanti fratri dimittere jussit Dominus? Est utique. Sed hunc non prospexit in se nec in hominem peccare solummodo, sed in Deum. Nam nimis iisdem B. Petrus peccasset, si auctorem tanti reatus silendo proficere sineret, et æstimationem tantæ nequitiæ in ipsa sua radice minime damnasset.

A. ANDR. DISCIP. cum iis minime dissimulandum docet,

Act. 8, 20.

21 Quod lacrymabiliter validoque dolore profero. Ecce nefas, quod Apostolorum Princeps in ipsa æstimatione æternæ perditioni tradidit, per universum pæne mundum sic obtinet principatum, quatenus nullus ad regimen Pontificale vel Abbaticum, sive ad officium qualecumque Ecclesiasticum perveniat, nisi per ipsum. Quis, quæ dicturus sum audit, et dolens non obstupescit? En Christus, verus Dominus, Pastor bonus, suo gregi solenne et salutare bonumque dedit præceptum ; quod oblivioni tantæ projectum est, ut nemo appareat, qui ejus jam reminisci audeat. Vultis audire, quid est illud ? Gratis (inquit) accepistis; gratis date. Econtra vero impia cogitatio, quæ maligne semel est exorta in impii Simonis corde, et quæ illico est damnata a tanto Apostolo cum suo auctore, ubique sic est sparsa solenniter, ut nemo fere ad Altaris officium accedat, nisi prius agat opere, quod idem cogitavit nequiter corde ; et donec eidem maledictioni tanto profundius se subjiciat, quanto esse noscitur pejus malum facere quam cogitare. E

Matt. 10, 8.

utpote damnatis in Simone Mago :

22 Utinam hæc maledictio illos percuteret tantummodo, qui Dei donum vendere aut emere præsumunt audaci corde et impio. Verumtamen hic tam noxius est reatus, ut non solum qui faciunt et qui consentiunt, verum etiam eos qui facientibus non resistunt et obpugnant, sic pœnaliter obliget, quatenus maledictione, quæ Simoni a Petro est illata, minime procul dubio careant. Ne forte mentiri me arbitremini, quid de hac re noster Patronus F sentiat B. Ambrosius, audite : ait enim ; Nam et lepram cum Giezi a sancto suscepisse se credant Elisæo, qui gradum Sacerdotalem se existimant pecuniis comparare. Nam sicut validioribus morbis capite vitiato, reliquum necesse est corpus inundatione superioris morbi letaliter irrigari ; ita et ii, qui caput videntur esse Ecclesiæ, morbo pestifero fraternum vitiant corpus ; ut nihil ex totius corporis compage insauciatum possit evadere. quod negligentium Sacerdotum vitiositatis mortale non infecerit virus ; ita ut videas in Ecclesia passim, quos non merita, sed pecuniæ ad Episcopatus Ordinem provexerunt. Verumtamen, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum, audite, quid super hac re Beatus dicat Gregorius. Cur (inquit) non videtur, cur non perpenditur, quia benedictio illi in maledictionem convertitur, qui ad hoc, ut fiat hæreticus, ordinatur ? Et iterum : Quisquis contra hanc Simoniacam et Neophytorum hæresim vehementer pro officii sui consideratione non exarserit, cum Simone Mago se non dubitet habere portionem, qui prius commisit hoc piaculare flagitium.

et universo gregi noxiis;

23 Quoniam locus ille hoc B. Gregorii sermone, ubi præcipitur unicuique pro sui officii considera-tione

B. ANDR. DISCIP.

A *vomitum! ut infra apparebit: et hoc verosimiliter solum egit in ea Synodo* Arialdus, *ut probaret, jure et ordine acta omnia a Legato Petro Mediolani fuisse, non autem, ut nequaquam recipiendum in gratiam Archiepiscopum suaderet. Tacent interim de eo* Arialdi *itinere auctores alii; uti et de omnibus supranotatis* Andreas, *ideoque ea fusius hic dicenda fuere.*

CAPUT IV.

S. Herlembaldi ad Arialdum accessus, et munus Defensoris ei ab Alexandro Papa commissum.

Landulfi frater Herlembaldus,

Per idem tempus Landulfus obiens, superstitem germanum, nomine Herlembaldum, prudentem et fidelem virum, licet laicum, reliquit. Hic nuper Jerosolyma reversus, volebat tunc seculum relinquere, et se tradere vitæ monasticæ. Cujus fidem et constantiam Arialdus agnoscens, cœpit ei promittere, quod sibi potiorem apud Deum gradum acquireret, si Monasterium ingredi differret, et fidem Catholicam secum defenderet, atque cum ipso B hæreticis et Christi hostibus resisteret. Qui volens probare, utrum in his, quæ a B. Arialdo sibi promittebantur, veraciter auderet confidere; sumptis aliquantis fidelibus perrexit Romam, non per viam regiam gradiens, sed per Dei cultores, in eremo et in monasteriis circumquaque degentes, de re jam dicta omnes interrogans. Cumque cuncti, in vera et pura fide accensi, sententiam ei concordem una cum B. Arialdo promerent; tandem pervenit Romam; ubi sub inevitabili imperio ab Alexandro Papa et a Cardinalibus ei præceptum est redire, et Christi adversariis in defensione justitiæ, usque ad proprii sanguinis effusionem, viriliter cum B. Arialdo resistere: cui etiam ex B. Petri parte mirificum vexillum dedere; ut quotiens hæreticorum vesania ultra modum insaniret, illud in manu tenens, eos reprimeret. Quod quam constanter per decem et octo fere annos impleverit, nec lingua plene promere, nec stylus meus exprimere, est profecto idoneus.

persuasus Ecclesiæ militare in habitu seculari

ejus creatur vexillifer,

34 Erat enim Nobilis Herlembaldus coram seculo quasi Dux, in vestibus pretiosis, et in abscondito coram Deo, sicut Eremita agrestis, indutus erat laneis. Hunc in pedum ablutione pauperum agere vidi, quod in alio nemine me reminiscor vidisse. C Nam cum alicubi per urbem, vallatus magna multitudine fidelium sibi gratis obsequentium incederet, et horrendos pauperes et debiles inspiceret; clam alicui ex suis famulis innuebat persistere, atque pauperem post ipsum ad domum secum ducere. Dimissis igitur extraneis, allata aqua, cinctusque linteo, egeni pedes nimia cum veneratione abluebat et extergebat. Post hæc autem, corpore in solo prostrato, sub ipsius pedibus caput ponebat, et tali modo mendicum et pauperem faciebat se modicum conculcare divitem: denique honorifice et abundanter ipsum reficiebat secum. Nam hoc opus sanctum interdum in numerum duodenum explere vidi pauperum. Verumtamen Dei zelo sic erat accensus, ut de eo in ejus absentia plerumque vir Dei Arialdus, suspirans diceret: Pro dolor! Præter Herlembaldum et Nazarium, Clericum vix quemquam reperio, qui quoquomodo mihi sub falsa discretione tacere non suadeat, quatenus Simoniaci et adulteri libere possint peragere opera diaboli. Multa namque bona de hoc viro familiariter cognovi; sed quia nuper in defensione justitiæ Martyrio est coronatus, ea alteri tam volumini quam scriptori relinquo; quia B. Arialdi vitam perficere velociter cupio.

ministrat pauperibus

cum magna humilitate,

ac denique Martyr obit.

EMBOLISMUS

D

De ejusdem Herlembaldi principiis, et Landulfi obitu.

Cum propositum sit S. Herlembaldi *Vitam una cum Vita* S. Arialdi *prosequi; prætermittere non possum, quin tali proposito importunam Andreæ brevitatem aliunde suppleam, secutus auctores a Puricello subministratos. Hic pag.* 221 *ex Annalibus Petri Aruzii, circa annum* MCCCCII *finitis, narrat, quomodo sede Mediolanensi vacante per mortem Ariberti laudatissimi Præsulis (obiisse autem hic in suo Epitaphio legitur* anno MXLV, XVII die mensis Januarii, Indictione XIII) *et* Lanzone de Curte exulante, *qui scissa in factiones civitate contra Nobilitatem partes plebis sustinebat cum titulo* Capitanei, pars Populi ad nihilum redacta est. Tunc, *inquit*, Capitanei sex Portarum, cum suis Vassallis, dominium civitatis usurpaverunt; et congregantes universos amicos in Palatio Communitatis, duo statuta fecerunt in odium Populi. Primum statutum fuit istud, quod Lanzo de Curte, Nobiles proscriptus, cum tota parentela illorum de Curte numquam habitare posset in civitate Mediolani, nec E in comitatu, nec possessiones habere in æternum. Secundum statutum fuit istud, quod si aliquis nobilis interficeret aliquem popularem, solveret septem libras tertiolorum et duodecim denarios; quos cum solvisset, ab omni culpa et offensa liber esset, propter quod innumerabiles de Populo infra paucos dies trucidati sunt. Hac de causa populares iterum alium Capitaneum elegerunt quemdam virum ex numero nobilium, qui dictus est Herlembaldus Cotta. Hic fuit vir, genere clarus nimis, in armis strenuus, gracilis corpore, leonino pectore fervens. Ejus domus quasi domus regalis (cum curte mirabili et viridario delectabili, *inquit Dacius, anno* MLXXX *scribens)* fuit ex opposito ecclesiæ S. Victoris ad quadraginta Martyres. Contradicente igitur parte Nobilium ne ipse Herlembaldus esset Capitaneus, contra Nobiles ipsos multum prævaluit.

Mediolanensis plebs exulante Lanzone Capitaneo suo,

et Portarum Capitaneis dure agentibus,

Capitaneum eligit S. Herlembaldum

36 *Ergo vacante (ut dixi) sede,* Hernebraldus *(sic enim scribit præcitatus Dacius, cujus verba apud Puricellum pag.* 215 *recitata prosequor)* procuravit cum Clero, quod eligerentur quatuor, et Imperator. *Henricus Niger seu potius Rex (nam sequenti anno exeunte, regni sui septimo coronatus primum Imperator fuit)* quem vellet in Archiepiscopum confirmaret. F Et fuerunt electi Landulphus Cotta, sacri Palatii Notarius, frater carnalis ipsius Hernebraldi: alter dictus est Anselmus de Badagio, ecclesiæ Mediolanensis Cardinalis, *id est Canonicus Ordinarius:* tertius dictus est Arialdus, ex Capitaneis de Carimate, *plane diversus a nostro Sancto:* quartus dictus est Atho, Ecclesiæ Mediolanensis Cardinalis. Ex alia parte, pars Nobilium elegit Guidonem de Velate, Imperatoris Secretarium. Facta relatione ad Imperatorem, ipse, ceteris exclusis Guidonem de Velate investivit, per baculum et annulum de Archiepiscopatu Mediolanensi, quem Papa cum Cardinalibus Pallio Archiepiscopali investivit, *Romam fortassis advectum anno* MXLVI *in Comitatu Henrici Regis, Imperialem coronam suscepturi in Natali Domini. Dacii brevitatem, in narranda Guidonis institutione, supplevit Alciatus in supralaudato Fragmento, simul et occasionem indicavit subsecutarum cum* S. Arialdo *et sociis contentionum. Cum enim dixisset, quod Henricus* astu et blanditiis, qui advenerant Oratores Mediolanensium impulit, ut suam electionem laudarent: *sic progreditur.*

qui mittit legatos pro Episcopo ad Regem:

hoc rejectis sibi propositis Guidonem nominat

37 Tulit id, æque ac debuit, ægerrime Populus; vixque adduci potuit, ut advenientem Præsulem cum

A cum dedecore non repelleret: sed corruptis largitione Sacerdotum primoribus, facillime deinde impetratum est, ut plebs ipsa acquiesceret. Prætendebant illi religionem divinique cultus profanis non obnoxium arbitrium... Durabat et tunc summa caritas, et ejus comes pestis, quæ non nisi vigesimo tertio demum anno extincta est. His calamitatibus conflictati Insubres omnia Sacerdotibus permittebant. Hi igitur Widonem pro justo Præsule agnoscentes, insignia dignitatis in eum contulerunt, honoribus augent, jussis obtemperant. Sed et comis natura liberalisque ore Wido, sibi ipsi non deerat. Sacerdotes et Ministros quoslibetque Initiatos libenter amplecti, delicta eorum dissimulare, æqua atque iniqua pati: quibus actibus omnes sibi non difficulter conciliavisset, nisi licentiam hanc tandem Arialdus repressisset. *Ea res quemadmodum se habuerit, hactenus vidimus, usi etiam Alciati verbis, quatenus ea servata ab injuriis temporum sunt. De* Herlembaldo *hic subjungimus, quod præsente jam Archiepiscopo, penes quem ex more regimen civitatis erat, et Sacerdotum opera, conciliata utcumque cum Nobilibus plebe; minus huic necessarium esse se videns, Hierosolymam*

B *peregrinus abiit; fortassis ne immisceretur novis turbis, quas prospiciebat excitandas, occasione eorum quæ contra incestos simoniacosque a* S. Arialdo *ac fratre suo* Landulfo *movebantur. Quomodo autem Alexandri II tempore inde reversus, iisdem se adjunxerit, fervente vel maxima contentione propter Stephani et Nicolai Papæ judicia; placeat ex Landulfo Juniore discere, apud Puricellum pag.* 140 *sic prosequente* S. Arialdi *vitam.*

qui ægre receptus,

laxat fræna Clero impudico

Herlembaldus Hierosolymam abit:

38 Iisdem temporibus Herlembaldus de Cottis, Frater Landulfi ab Hierosolymis redierat, Miles factus. Vir equidem magnæ nobilitatis et consilio prudens magnanimusque semper fuit. Hic Arialdo et Landulfo visus est idoneus, ad ipsos defendendum contra Clericos arma moventes. Unde cum visitandi hortandique gratia ad eum venissent, talibus orsi sunt verbis: O Herlembalde, in omnibus venerande, pro tuo reditu nos Deum collaudantes, gratias ei referimus immensas: sic enim Deus, in mari et in terra multis quassatum procellis, te nobis redire sua benignitate disposuit. Vitiis modo seculi Miles fuisti, decens ratio est, ut Dei Ecclesiæque Catholicæ Miles efficiaris strenuissimus; et quod efficere non potuimus, tua dextera perficere valeamus. Esto nobis quasi Mathatias et filii ejus, qui

C pro templo Dei et populi libertate mortui sunt, et vitam habentes æternam in Christo sunt feliciter coronati. Liberemus Ecclesiam Dei, multis temporibus obsessam, et uxoratis Sacerdotibus inquinatam; tu lege gladii, et nos Dei. Visitasti sepulcrum ejus, libera igitur Ecclesiam ejus. His auditis Herlembaldus aliquantulum supersedit, dubitans Clericorum actionibus immisceri. Tandem hortatu Landulfi cum Arialdo Romam proficiscitur, promittens se id acturum, si Papa Alexander, qui de Badagio erat, confirmaret. Ea namque tempestate, mortuo Nicolao Papa, Anselmus, Mediolanensis civis de Badagio, Lucanus Episcopus, ab omnibus Cardinalibus in Papam est electus, vocatusque Alexander secundus.

inde regressus invitatur ut Ecclesiæ miles esse velit,

ad Cleri depravati correctionem.

39 Hic dum esset Ordinarius Mediolanensis Ecclesiæ, scientiis et moribus laudabilis fuit, et in sermone potens; cujus facundia scientiaque plurimum civibus grata erat: cœpitque tunc in prædicationibus suis Clericorum vitam vituperare, nec verbis Archiepiscopi Guidonis, ipsum hortantis ad scandala Clericorum minime publicanda, consentiebat. Unde Archiepiscopus, dissimulans quid agere vellet, cum Anselmo ad Imperatorem pergit: qui consilio Archiepiscopi curiose satis ab urbe expulit Anselmum: nam ei Lucanum Episcopatum dedit. Itaque Guido, se tutum putans absentia Anselmi, magis fallitur. D Nam Anselmus, vocato Landulfo Levita Ordinario, familiariter hortatur, ut in prædicationibus suis vitia exprobret Clericorum: idem domestice satis facit Arialdo, ostendens eis modos quos tenebat antequam fieret Episcopus. Sicque hæc proclamatio contra Clericos lascivos et simoniacos, per Arialdum et Landulfum diutius continuata, a præfato Anselmo de Badagio sumpsit exordium. Hac igitur familiaritate confisus Arialdus, ad Alexandrum Papam cum Herlembaldo sese transtulit.

Idem suadet Alexander Papa,

AUCTORE D. P. qui ante Lucensis Episcopus

eodem induxerat Arialdum et Landulfum:

40 Cum vero Alexandro Papæ eorum foret nuntiatus adventus, eos ad se in cubiculari thalamo vocari jubet: ubi super eorum colla ruens, plurimum gavisus est; Arialdo antiquam ostendens familiaritatem, quam solent amici ad alta ascendentes negligere. At Arialdus, mutuo amore monstrato servataque debita reverentia, ita cœpit effari: Pater sanctissime. Creatori omnium gratias refero immensas, quod Te in tanto honoris culmine, per Dei misericordiam, sublimare et exaltare disposuit. Nunc itaque animus meus, multis attenuatus angustiis, agnoscit, quod olim mihi tua Dilectio promittebat: et, ut omnia omitterem, Sanctitatis tuæ clementiam reverenter exoro, ut hunc Militem Herlembaldum, bello E probum consilioque strenuissimum, in omnibus virtutibus confirmatum, Dei favore tuoque munitum, mihi tribuas defensorem; et a te Vexillum accipiat, ut securius militans nos possit defendere, et tuos olim rebelles humiliare. Quibus auditis Alexander Hildebrandum Cardinalem, olim legationis suæ Collegam, vocari jussit: consentientibusque ceteris Cardinalibus, annuente id Hildeprando, Alexander in publico Consistorio Vexillum sanctum, quod nominavit Vexillum S. Petri, Herlembaldo dedit; eumque Romanæ et universalis Ecclesiæ Vexilliferum fecit. Quibus feliciter completis, Arialdus cum Herlembaldo Mediolanum repedavit; factusque securus tali defensore, vitia Clericorum extirpavit acrius.

et præsentatum sibi ab Arialdo Herlembaldum,

creat Ecclesiæ Defensorem.

41 Cum autem Herlembaldus vidisset Clerum arma moventem; utramque partem ad diurnam disputationem convocat, eo pacto, ut quæcumque pars ratione convinceretur, alteri subjaceret. In medium prolatis Doctorum sententiis maxime Ambrosii Protectoris nostræ clarissimæ urbis, ibique per Guibertum Archidiaconum, Antonium Bissum, Andream Decumanum, multa prolata sunt contra Arialdum et Landulfum; qui prædictorum trium verba, Pauli Apostoli et Sanctorum auctoritate refellunt. *Hactenus Landulfus Junior. Puricellus autem lib. 4 cap. 92 prolixe expendit locum S. Ambrosii, sumptum ex libro 1 de Officiis capite ult. quem prædicti conjugiorum clericalium defensores corruperint, et corruptum pejus intellexerint; docens istis solum ventilari quæstionem tunc inter Patres controversam, utrum ante baptismum bis conjugatus, post illum deberet censeri ligatus, adeoque a sacris Ordinibus arceri: et non arcendum existimante S. Hieronymo, contrarium tenuisse Ambrosium, Innocentium atque Augustinum.* F

Hic Arialdum jubet disputare cum Clericis,

qui pro retinendis uxoribus objiciunt locum Ambrosii,

42 *Quando igitur Ambrosius dicit quod Clericis* una tantum nec repetita permittitur copula, *quo sensu id dicat, mox explicat his verbis:* Plerisque mirum videtur cur etiam ante baptismum iterato conjugio, ad electionem Muneris et Ordinationis prærogativam impedimenta generentur, cum etiam delicta obesse non soleant, si lavacr remissa sint Sacramento. Sed intelligere debemus, quia in baptismo culpa dimitti potest, lex aboleri non potest; *ea scilicet, quæ non nisi unius uxoris virum ordinari permittit. Quod autem etiam unius uxoris viros ab uxorio commercio arceat castimonia, in Subdiaconatu suscipiendo promissa, nedum uxorem quantumvis virginem ducere prohibeat,*

docentis bigamiam etiam ante baptismum impedimentum esse ad Ordines sacros

A patet, hunc, qui tam sanctum opus damnat, esse hæreticum Deique inimicum. Et his dictis, levaverunt pariter voces et fustes; omnique plebe commota, in ecclesiam beati viri, quæ Canonica nuncupabatur, cum magno impetu irruunt; quidquid inveniunt, diripiunt, domumque destruere incipiunt: servum vero Dei ideo non interfecere, quia non invenere. Hæc ut nobilis Herembaldus ceterique Fideles audiere; sumptis armis in audacem plebem et temerariam irruere: quos protinus sic exterminavere omnes, quasi essent vilissimæ pecudes. Imo cum virtute magna et potestate ad ecclesiam majorem venientes, violenter ab impiis abstulere quidquid de domo Domini rapuerant: et sic ecclesiæ Dei pæne cuncta sunt reddita, operante Christo per zelum piorum, quæ ab ea fuerant rapta, operante satana per furorem impiorum.

A. ANDR. DISCIP. diripitur ejus ecclesia

sed ab Herlembaldo recuperantur ablata.

53 Sicut Arialdus quotidie Christi causas erigere et exaltare contendebat; ita Christus de virtute in virtutem Arialdum assidue provehebat. Nam tam potentem in oratione numquam reminiscor me vidisse alium quemquam: cujus qualitatem si dixero; gratum fore diligentibus Deum, profuturumque spero. B Tot enim Sanctorum nomina de ipsius ore non solum semel in die, sed etiam bis terque audiebam procedere, quot numquam scripta in codice vidi, nec alium proferentem audivi. Nam licet divinis ac liberalibus litteris sic imbutus esset, ut vix alicubi ejus par inveniri posset; nullatenus plus in sua scientia confidebat, quam velut nec unam sciret litteram. Sed cum esset cum aliquo de Fide altercaturus in publico, priusquam ipsa haberetur congressio, studebat per se, sive per Fratres directos, circumquaque corpora Sanctorum requirere; atque eorum patrocinia, ubi omnem suam spem collocarat, obnixe flagitare. Nam quotidie vallatus fraterna acie, Sanctorum corpora circumibat, atque coram eisdem Deo gemebundam fundebat precem.

Frequenter Sanctos invocare solebat Arialdus,

studiosus autem cum ei erat disputandum:

54 Exeuntes enim a domo, singulatim privatimque orando incedebamus, donec populi tumultum transissemus. Quo transito, Psalmos cantabamus reciproce, quos incipiebat ipse; et hoc agebamus, quousque ecclesiæ januis proximi essemus, ad quam pergebamus: ubi relicta Psalmodia, ejusque parte ultima memoriæ tradita, quos ad laudem illius Sancti pertinere Cantus vel Hymnos sciebat, sumebat; sic quidem dicendo moderate lenique voce, ut, quod dicebat, possemus audire, atque cum eo dicere; et cum hoc C sancto canore ante sanctum veniebamus altare. Quo venerabiliter adorato, si dies solennis vel Paschalis non esset, utraque genua in terram ponebat, manus expandebat, oculos in cœlum figebat: et sic in Crucis modo ante altare stans, pro Romano summo Pontifice, atque pro pace, pro salute universalis Ecclesiæ, ac pro ejus Adversariorum conversione, et pro ceteris hujusmodi utilitatibus multis, Deum exorabat cum gemitibus et lacrymis. Nos vero post ipsum procumbentes, quod dicebat, audiebamus, et respondebamus. Tunc demum silenter paululum orabat, idque unumquemque nostrum agere sinebat. Denique se erigebat, altare honorifice adorabat, et nobiscum jam regrediendo dicebat; Angelum pacis et gratiæ dona nobis Domine Deus noster: *e* et tunc ibi Psalmos dicere in ecclesiæ exitu incipiebat, ubi eosdem in ingressu reliquerat: cumque ad aliam veniremus ecclesiam, hoc in ea agebamus, quod in alia feceramus. Et notandum, quod in loco quo Psalterium finiebat, in eodem protinus idem incipiebat; etiamsi præter Psalmos *f* tres minime ei exordio * tunc dicere liceret. Clericum enim fatebatur semper debere inter Psalmodiam esse.

quotidie supplicatum egredi solitus,

assumptam in via psalmodiam

e interrumpebat ingressus ecclesiam, dein resumebat.

f

* *an ex ordine?*

ANNOTATA D. P. D

a *Landulfus Junior hic allegat Isidorum, lib. 6 Etymolog. sic scribentem:* Nox Paschæ ideo pervigil ducitur, propter adventum Regis et Domini nostri; ut tempus resurrectionis ejus nos non dormientes, sed vigilantes inveniat.

b *S. August. lib. 8 de Civit.* Extra castra Mediolani jacet monasterium, plenum bonis Fratribus, sub Ambrosio nutritore: *sed inter hos fuisse tres illos, a quibus Ambrosinorum ibi Ordo, et inde decerptus Ordo Apostolinorum, sumpserunt originem sub S. Augustini Regula, nequaquam nobis verosimile videri, diximus ad Vitam S. Placidi die 5 Junii: esto id scribant Morigia atque Maurolycus, hic in Oceano, iste in Historia originum Religiosarum. Situm designat Morigia* in Burgo Portæ Comensis. *Petrarcha in libro de Vita solitaria,* Nunc quidem silva excisa, *inquit,* manet tamen Ambrosii nemus.

c *Scilicet dies* Letaniarum, minorum *ut vocant, sive* Rogationum, *quos triduo ante Ascensionem Domini jejunare, non quidem universalis Ecclesiæ usus obtinet, ut putant aliqui, cum Romæ totaque Italia id non fiat; sed transalpinarum omnium Ecclesiarum, sumpto a Gallis principio, institutore S. Mamerto Viennensi Episcopo, circa annum 470; cujus in ea re zelum quantum laudent sancti Sidonius Apollinaris, Gregorius Turonensis, Avitus et Ado Viennenses Episcopi, ad 11 Maji deduxit Henschenius: quibus addi potest B. Alcuinus, aliique plures, citati apud Cangium in Glossario.* E

d *Auctore forsitan Guidone Archiepiscopo, hujusmodi observationi apud Imperatorem assueto, eoque religiositatis laudem apud populum captante.*

e *Hanc Orationem necdum potui in veteri Missali vel Breviario Mediolanensi invenire; libenter accipiam integram, et discam unde accepta sit.*

f *Id est, licet solum tres ultimi Psalmi superessent.*

CAPUT VI.

Archiepiscopus cum suis Arialdum et fideles armatus aggreditur, vinciturque.

Peractis igitur novem annis in exercitio tam grandi atque admirabili, ventum est ad decimum, in quo pervenit ad votum diu nimis optatum. Nam sic pro Christo mori ardenter cupiebat, ut, cum quemlibet se Deumque cerneret pure diligentem, magna F cum prece deposceret, dicens: Obsecro te per Christum, ut pro me precem fundas apud ipsum, quatenus sanguine proprio testari merear verbum ejus, quod prædico: ad quod adipiscendum ei hæc occasio fuit. Juraverat illi omnis Clerus, tam majoris quam minoris Ordinis, necnon ipse Guido, qui Pontifex dicebatur, quatenus cum eo deberent hæresim Simoniacam ac Neophytanam damnare, et in Catholica fide ulterius persistere. Sed cum ecclesiarum regimina eidem Guidoni sine Rectoribus apparebant, illico quod juraverat oblivioni tradebat; et, ceu canis ad vomitum, sic revertebatur ad suum antiquum reatum. Quod vir Dei Arialdus cernens, litteras per manus Herlembaldi ad Apostolicum direxit, quatenus ipse decerneret, quid de Guidone adultero et simoniaco atque perjuro fieri oporteret.

Archiepiscopus cum suis

ad vomitum reversus,

56 Tunc etiam duo Clerici Modicenses *a* ad Christi famulum venere, spondentes velle se relinquere opera et consortium diaboli, et deinceps firmiter tenere et prædicare opera et fidem Christi: nam unus ex his tantæ fuerat audaciæ et perversitatis, ut quasi ductor existeret adversæ partis. Quibus vir Dei ait; Tot quippe sunt, qui hoc dicunt

a Clericos duos, quia concubinas ejecerat:

A dicunt mendaciter, ut jam pæne nemo sit cui possit credi veraciter. Vos vero si vultis ut vestris credam sermonibus; ite, et operibus me firmum reddite. Regressi igitur domos, connubio illico a se repulso, cœpere palam et constanter profiteri, B. Arialdi verba esse plena veritate, quæ hactenus erant professi fore plena falsitate. Hæc ut Guido audierat, sævos illuc protinus apparitores mittens, eos capere jussit, atque in Alpes ad Castrum, quod dicitur Leucum, *b* deportari. Ibi namque in tam dirum carcerem sunt missi (sicut ipsi nobis sunt postea professi) ut numquam eos contigerit audisse, Sanctos a Paganis duriora perpessos. Quod Christi famulus dum audisset; convocata in unum civitatis multitudine, ait: Volo vos, Dilectissimi, scire, quod Christianus pro nulla causa gladium debeat ferre, nisi pro fidei defensione. Si ita est; vos, qui Christiani estis, et arma fertis, cogitate quid nunc vos oporteat facere. Ecce enim duo Clerici, quamdiu in perfidia persistentes, opera diabolica sunt secuti, honorifice ab eo qui Pontifex Mediolanensis dicitur, sunt habiti; cum vero eamdem perfidiam diabolicamque nequitiam decrevere contemnere et Christum sequi, tunc sunt capti, tunc in B dirum carcerem trusi.

b in exilium facit deportari:

57 Hæc cum cives Christiani audissent; obstupefacti, tantam perfidiam cum magno clamore cœperunt damnare, ad arma currere, et ad vindicandum tantum scelus contra Guidonem exire. Christi vero famulus, timens ne ad fidei detrimentum pro absentia Herlembaldi populus præmio aut timore corrumperetur, eos præcessit, in manu portans Vexillum sanctæ Crucis. Guido autem, spe nimiæ multitudinis equitum, pugnaturus occurrit in ruribus Modicensibus, millibus fere decem ab urbe distantibus. Vociferantibus itaque partibus utrisque, infidelem aciem protinus tantus invasit timor, quatenus ei nulla quidem remaneret spes fugiendi vel bellandi: sed dantes statim obsides, Clericos spoponderunt captos quantocyus se reddituros. Et sic in eodem die reversi sunt gaudentes, Deumque laudantes. Tertia etiam die post hæc ad ecclesiam viri Dei vox insonuit, dicens: En jam veniunt rudes Martyres Christi, Clerici scilicet, qui fuerant capti. Quibus Christi famulus cum multis fidelibus illico occurrit obvius; eosque deosculans, cum magno gaudio suscepit: et excelsa voce Te Deum laudamus cum fratribus cantare cœpit, illosque sic in C ecclesiam introduxit, Quos tunc consterna.... *c*

contra eum egressi in armis Fideles

ipsos reddi faciunt.

58 Postquam autem Herlembaldus Roma rediit, litterasque excommunicationis detulit Archiepiscopo; subito prædictus Archiepiscopus per totam urbem nuntios misit in Sabbato [ante] Pentecosten; nuntians universis civibus, ut si inaudita scire cuperent, in Pentecoste *d* summo diluculo venirent ad majorem ecclesiam. Hoc autem ideo fecit, ut contra Sanctos Dei Arialdum et Herlembaldum populus insaniret. Mane fit concursus populi; Herlembaldus supra *e* cancellos sese contulit, ita ut ab omnibus videretur. Cœpit igitur Guido, tenens manu excommunicationis Bullam, ad populum conqueri de Arialdo et Herlembaldo, dicens: Turbatio pestifera per hos disseminata est, ita ut videam in his scriptis omnium nostrum perniciem contineri. Hæc enim civitas, ob reverentiam B. Ambrosii, numquam Romanæ paruit Ecclesiæ. Ergo tollantur de terra viventium hi seminatores verborum, qui quotidie laborant, ut hæc urbs pristinam et propriam perdat libertatem. Ad hæc cœpit populus exclamare: Occidantur velociter, occidantur. His dictis, Guido cum magna Clericorum caterva cœpit descendere, ut Sanctos Dei opprimeret. Sed cum nimia plebis densitate ad eos non pateret accessus, cœpit Guido exclamare: Omnes qui S. Ambrosii honorem diligunt, ab ecclesia exeant; ut nostri adversarii evidentius cognoscantur, citiusque conterantur et opprimantur. Subitoque ecclesia evacuata est, ita ut ex septem millibus virorum tantum duodecim remanserint in subsidium servorum Dei. Arialdus autem et Herlembaldus super cancellos stantes, flexis genibus Dominum exorabant: in quos pars adversa clamore magno irruit, Laici in Herlembaldum, Clerici vero in Arialdum; quem percutientes deorsum præcipitant, et percussum credunt occisum. Tenebatur autem sceptrum militare ante Herlembaldum, super quo se appodiare solebat; quo sibi propinquantes mirabiliter prosternebat, ita ut nullus auderet sibi proinquius accedere.

d Redit Herlembaldus cum litteris excommunicationis, *e*

quos populo ostendens Guido tumultum concitat in ecclesia:

D *A. ANDR. DISCIP.*

59 Cœpit igitur volare fama per urbem, mortem nuntians Arialdi: unde sequaces sui ira commoti, arma capiunt; venientesque non ad ecclesiam, ubi tumultus erat, sed Pontificalem aulam ingrediuntur, quæque reperiunt, dissipant, et per aulæ ingressum intrant ecclesiam ....) tos cruentosque. Cœperunt itaque Herlembaldum cohortari, ut descenderet, et Christi adversarios cum eis prosterneret. Quibus nullo modo acquiescens, nec descendit, E nec manus deposuit. Ipsi vero irruere protinus in adversarios: et sicut ante validissimum ventum fumus, sic ante eos omnis illico infidelis evanuit populus. Guidonem vero ante januas in equo reperiunt; quem juste fustigantes spoliant, atque eorum manus vix evadere potuit, in cœnaculum quoddam tractus potius quam delatus. Tot namque ocyus tunc apparuere pro veritate certantes, quasi eisdem nulli essent in eadem urbe resistentes. Magno igitur cum trophæo ecclesiam intrantes, Herlembaldum descendere faciunt: imo læti valde sunt effecti, eo quod B. Arialdum quem credebant mortuum, reperiunt vivum. Quem tollentes in atrium ecclesiæ, quæ dicitur Rozzoni *f*, deveniunt: ibique protinus tanta armatorum multitudo est congregata, quatenus inimicorum non solum corpora prosternere, verum etiam ipsorum possent libere omnia ædificia subruere. Ad quod patrandum dum anxie anhelarent; Herlembaldus, jam Vexillum in manu tenens erectum, ait; Oportet, ut Dominum Arialdum inquiramus, et cujus domum evertere primitus debeamus. Hæc vero ut Christi Martyr audiit; in locum, unde a cunctis posset audiri, se jussit deferri; eoque innuente manu, silentium factum est magnum.

ad nuntium cæsi Arialdi convolant fideles,

feliciter profligant adversarios,

f

sed ne de iis vindictam sumant,

F 60 Carissimi, inquit, si in linguas verterentur nostra omnia membra, nullo modo valerent Dei laudare magnalia, vobis hodie cœlitus ostensa. Hodie enim, ut scitis, talis hora fuit, in qua nullus vestrum unum saltem pro veritate valebat verbum proferre: nunc autem nullus est, qui vel etiam contra vos, ut inspicitis, audeat mutire. Equis vero est hæc operatus, nisi Christus? Si igitur Dominus hodie cognovit famulos ad tuendum; dignum est, ut famuli noscant Dominum ad venerandum. Nam si inimici Dei et nostri hodiernam noscerent solennitatem; quod egerunt, nullatenus essent conati. Nos vero et Dei scire solennitatem venerando, et ejus audire præcepta obsequendo oportet. Ait enim; Diligite inimicos vestros: benefacite his, qui odere vos. Per ipsum ergo vos oro, ut nunc arma deponatis, mecumque ad B. Ambrosii sacrum corpus veniatis, et ibi Deo grates debitas pariter reddamus, nostrosque æmulos diem hodiernum ducere lætiferum sinamus, nec non pro ipsis Deum suppliciter exoremus. Nam a quibus hæc aguntur, alta celsitudo acquiritur; quia de filiis hominum Dei filii, testante Christo, efficiuntur. Hæc illa multitudo dum audisset, alii videlicet sapientiores, B. Arialdum totum cruentum et seminecem spectantes, pacem

prohibentur a Sancto,

Matt. 5, 44.

licet graviter saucio.

A. ANDR. DISCIP. quod ductus in solitudinem,

A ti; et profitearis Dominum nostrum esse verum Pontificem? Nam si hoc faceres; forte adhuc vivere posses. At ille; Absit, inquit, ut coronam, quam verum dicendo in mea acquisivi vita, in fine mentiendo amittam. Nam me utrum nunc ducatis ad mortem, ignoro: quod si facitis; scitote, vestro Domino meam mortem valde nocituram, non solum in futura vita, sed etiam in præsenti. Et illi: Videsne, inquiunt, illum magnum montem? Si ipse profecto esset aureus et tuus, totumque dares; ultra nullo modo viveres. Ille autem hæc audiens se erexit, et Hymnum sanctorum Apostolorum Petri et Pauli alta voce decantare cœpit: quo finito, ad solitudinem ad quam tendebant, pervenere. Quem tollentes de nave, supra quoddam saxum vinctum posuere ad sedendum. Seorsum denique paululum remoti hæc dicere cœperunt ad invicem: Quid faciemus? Si tantum occiderimus virum, nostræ animæ nullum ultra poterunt adipisci remedium; et hoc si non fecerimus, nihilominus moriemur. In his enim dum hæsitarent, aspexere naviculam concite venientem, duosque homines deferentem. Et aiunt ad invicem: Hos expectemus: hi forsitan boni nuntii bajuli sunt. B

a dubitantibus an eum occiderent,

71 Prædicta vero mali Guidonis Neptis, quæ exhinc Jezabel, et Herodias est nuncupata, postquam quinque ad Dei famulum necandum direxerat servulos; duos Clericos, quos in ejus mortem præcipue inhiare cognoverat, ad se vocatos sic allocuta est: Assumptis gladiis vestrum persequimini velociter inimicum; ne forte ceteros seducat, et ulterius vivat. Hi vero erant, qui cum nave tunc veniebant. Qui cum ad ceteros venissent: egressi de nave dicunt: Ubi est Arialdus? qui responderunt dicentes; Mortuus est. At illi: Nobis, inquiunt, jussum est videre illum, sive vivum sive mortuum. Et aspicientes, viderunt illum eminus vinctum, sedentem super saxum. In quem sic anxie irruunt, quomodo leonum catuli super prædam famelici. Evaginatis igitur gladiis, ipsius unus unam, alter vero auriculam arripit alteram, dicentes: Dic furcifer, si Dominus noster verus est Archiepiscopus *m*. Qui respondit: Nec fuit unquam; quia opus Archiepiscopi in ipso nec est nunc, nec fuit unquam. Tunc immites ejus utrasque amputant aures. At ille, oculis in cœlum elevatis, ait: Gratias tibi ago, Christe, qui me hodie inter tuos Martyres dignatus es connumerare. Interrogatur denique iterum, si Guido verus esset Archiepiscopus. Qui solitam constantiam animi tenens, ait: Non est. Quapropter nasus ipsius protinus cum labio superno est abscissus: deinde ambo oculi sunt effossi. Postea vero dexteram detruncant manum, dicentes; Hæc est, quæ faciebat Epistolas, Romam directas. Dehinc radicitus membrum amputant genitale, dicentes; Prædicator castitatis hactenus fuisti, exhinc et tu castus eris. Postea vero de sub *n* gutture linguam extrahunt, dicentes; Modo sileat, quæ Clericorum familias conturbavit et dispersit. Et sic illa sancta anima carne est soluta: corpus vero ibi quoquomodo terræ traditum est.

et a submissis 2 malis Clericis

adhuc vivere repertus,

m cum nollet Guidonem Archiepiscopum verum fateri,

C

varie mutilatus exspirarit.

n

ANNOTATA D. P.

a *Eo loco decollatum fuisse* S. Victorem, *dixit Henschenius* 8 *Maji ad illius Acta; estque suburbanus locus: in eoque ecclesia etiamnum superest.*

b *Abest Mediolano* Papia 15 p. m. *sita ad fluvium Ticinum, unde vetus urbi nomen: is autem post pauca passuum millia infra urbem illabitur Pado.*

c *In Æmiliam scilicet, ut per statum Pontificium tutum iter tenerent.*

d *Landulfus*, sub quodam Placentino oppido, *primum autem Papia venientibus post* 16 p. m. *occurrit* Parpanessus, *nec procul inde longius a ripa* Castrum S. Joannis, *quo forte deductus Sanctus est.* D

e Legnanum *appellat Landulfus, ad Olanam fluvium,* 14 p. m. *Mediolano; Canturio autem* 20 *et a Lacu Majori solum* 12.

f *Scilicet* 23 *Junii.*

g Major *dicitur* Lacus, *olim* Verbanus, *quem Ticinus efficit evolutus ex Alpibus, initio sumpto circa S. Aurigii oppidum; ubi stagnare incipiens seque diffundere, per milliaria fere* 50 *deducitur usque Sextum, et rursus intra ripas coercetur, ipsum autem Sextum Mediolano distat* p. m. 26.

h *Exolevit* Stationæ *nomen, solis tunc forte eruditis notum: sic enim* 31 *Januarii in Vita, S. Julius et Julianus dicuntur venisse* in diœcesim Novariensem ad insulam Verbani lacus, qui subjacet Stationæ, quo nomine Angeram observavimus appellatam, *alii* Angleriam *vocant; et sic vocat etiam Landulfus, estque oppidum in Orientali lacus ripa* 6 p. m. *supra Sextum.*

i *Hoc est* Nudiustertius: *nec enim placet corrigere legendo, ex Puricelli mente,* Hesterna.

k *Landulfus Senior apud Puricellum pag.* II, Olivam *nuncupat, et fatetur, eam* omnium nequissimarum artium maximeque incantationum scientia fultam *fuisse; addens, quod Arialdus,* ejus vultui in arce Arona, *ex adverso Angleriæ posita,* repræsentatus, eadem illico imperante et patrui sui dolorem reminiscente, in insula quadam juxta Lacum Majorem quam secretissime ductus est. E

l *Carolus a Basilica Petri, in sua Novaria pag.* 154, *describit* insulam S. Victoris, in medio fere lacu, in quo olim erat ecclesia S. Victoris, parochialis Isellarum, propius ripæ adjacentium, *quæ habitatoribus fere vacavit semper, eamdemque insulam in Actis SS. Julii et Juliani num.* 7 *putat indicari, potius quam alteram Isellarum* multis piscatoribus incolis *habitatam; atque a S. Julio reprobatam, ne ibi mori et condi vellet, ubi* lupus et vulpes accipient suem gallumque in prædam; quia, quod in eadem insula debuerat evenire in futurum, in præsenti cognoverat, *quod de scelere in* S. Arialdum *patrando, nescio quo modo, interpretatur prælaudatus Carolus.*

m *Idem Carolus:* Interrogatus *(Arialdus)* si Guidonem teneret Archiepiscopum, quem Ecclesia Romana Pallio et Cardinalibus firmaverat; respondens dixit: Donec linguam in ore portavero, et anima incolumis fuerit, ac mens mea serena, non tenebo ipsum pro Archiepiscopo, nec habebo. F

n *Idem*, Linguam ejus de sub mentone trahentes, in insula eum semi mortuum reliquerunt.

CAPUT VIII.

Corporis, per decem menses incorrupti, deportatio Mediolanum.

Cœperunt denique illic post hæc luminaria præclara per noctes piscatoribus apparere: quod ut impia Jezabel audivit, protinus in aliam insulam *a* eum nocte transferri jussit. Sed cum eadem lux ibidem similiter crebro appareret, in locum tertium *b* eumdem asportari fecit. Videns igitur, quod non posset sanctum occultare corpus, nec sub terra neque super terram, quia illud ubique lux eximia comitabatur; irata valde fecit saxa ingentia circa ipsum innecti, et in profundum Laci dimergi. Verumtamen ibi, ubi est projectum, tanta est aquæ altitudo (sicut didici a viris illius loci) ut vix fune centum cubitorum quisquam possit fundum attingere: nam idem Lacus pro sui magnitudine Major nuncupatur, et plus quinquaginta milliaribus in longum

a Cadaver, ob lucem desuper noctu visam, varie translatum, b

cum saxis immergitur lacui:

A gum extenditur. In quo tam innumerabiles procul dubio immanesque sunt pisces, ut per tres menses facile devorarent quot in eadem parochia sunt pecudes. Verum quia omnia hæc occulte fuerant peracta; de illo hæsitatio et altercatio ubique erat non parva. Alii dicebant, quod esset mortuus: alii, quod in vinculis clam detineretur. In cujus amorem tunc sic omnis populus est accensus, ut cuncti se sub jurejurando constringerent, quatenus illum aut essent vivum sive mortuum habituri, aut pro ipso ad mortem usque certaturi. Sed Deus Omnipotens, cujus causam ipse patefecerat, nec illum passus est a pisce contaminari, nec in lacu profundo occulte morari.

idem post decem menses repertum integrum, c

73 Transactis namque mensibus decem, quidam vir fidelis, nomine Algisius, per urbem cœpit anxie discurrere, dicens: Nuper in die inventionis *c* sanctæ Crucis, mei causa negotii juxta littus transibam Laci majoris. Et ecce aquila eadem supervolitabat littora, cetera expellens volucria. Quod ut viderunt pastores, qui ibi pascebant suas pecudes, illuc festine cœpere currere; cum quibus cucurri et ego. Et ecce Beatissimus Arialdus, ex aqua projectus, ibi B integer, præter octo membra, quæ ei erant cum ferro amputata, jacebat, mirifice candidus. Quem ego videns, optime illico agnovi; hisque qui aderant lacrymabiliter omnibus dixi: Videte, inquam, ut hic salvus sit; quia iste est B. Arialdus, quem mœstus universus quærit Populus. Dum enim ibi aliquantulum moraremur, subito de arce *d* Arona missi sunt servi, qui inde nos ejecerunt; et in quamdam, quæ ibi erat, foveam leniter humavere. Hoc ego qui hæc scripsi, dum audissem; sumpto comite, illuc perrexi concite. Repertosque pastores, utrumnam vera essent quæ audieram, diligenter cauteque inquisivi. Qui, cuncta esse procul dubio vera, responderunt asseruerunt. Et ego: Si vera sunt, inquam, ubi ergo est ille? At illi: Ecce, inquiunt, locus, ubi nobis videntibus sero est positus: mane vero revertentes, locum quidem invenimus; de eo autem nihil. Hoc tantum putamus, quod nocte sursum delatus sit in arcem.

d et in arce oblatum,

varieque deformatum,

74 His auditis velociter reversus, Herlembaldo, viro prudenti, quæcumque audieram, per ordinem cuncta narravi. Qui festine omnibus convocatis civibus, jam in appetitu Martyris, quem patefactum audierant, vehementer inhiantibus: ex illis viros elegit, atque ad sanctum requirendum corpus direC xit. Qui post biduum reversi, professi sunt, hostes veritatis dixisse: Mori potius parati sumus, quam quod quæritis reddere corpus. Hoc autem ideo dicebant, quia idem dissipare tentarant. Nam nocte, qua ad se illud detulerant, cernentes ejus integritatem et decorem, dixere ad invicem: Si enim hic fuerit quæsitus, et ab omni populo tam decorus inspectus; semper quidem ipse erit in laude, nos vero in opprobrio. Quapropter cutem cum capillis de ejus radamus capite; pellem vero corporis albescentem ferreis dilaceremus ungulis; pedes abscindamus utrosque, et in furno denique nimis candente illum aduramus; quatenus, si ad eum videndum missum fuerit, horridus et ignotus potius respuatur quam quæratur.

repetituri fideles magno numero conveniunt;

75 Verum, licet hæc diabolica machinamenta in eo cuncta complessent, in deteriorem quam putarant ignominiam ceciderunt: quia non missum est ad videndum, sed petendum. Nam auditis nuntiis, tintinnabulis tubisque concisius sonantibus, omnis civitas in unum convenit. Tunc dixit Herlembaldus: Quoniam inimici Dei et nostri gratis sanctum nolunt reddere corpus; decet, ut ab eis per nos violenter auferatur. Sed quia res, quam prosequimur, Dei creditur et dicitur esse; volo, ut illuc juste et cum ipsius incedamus honore. Non enim cum raptu et D pauperum detrimento innocentium pergamus; sed nobiscum feramus, unde vivere debeamus. Discurrant itaque nuntii circumquaque velociter, qui omnes ad bella aptos cum armis, rusticosque huc venire hortentur cum plaustris, quatenus illi nobiscum pugnent, isti vero nostra arma et victus deportent. Congregata igitur post paululum tanta sunt carra, ut per septem fere milliaria vix posset per publicam et communem viam turba pedestris vel equestris incedere. Confluebat autem undique quasi arena maris multitudo innumerabilis, arma ferens et victus supra dorsum famulorum sive jumentorum. Et sic incedentes, secundo tandem die ad vesperum reperimus pratum, quarto fere *e* milliario a loco quo incedebamus distans, bene humectum amplumque. Ibique, quia ad hoc aptum erat, castra metati sumus.

A. ANDR. DISCIP.

et optimo cum ordine illuc profecti e

76 Hinc Herlembaldus, vir prudens, iterum delegavit, *f* blandeque sanctum corpus quæsivit. Perterriti itaque hostes a sonitu pavendo frementis multitudinis super se venientis, prohibere quod petebatur ultra non ausi sunt. Et ecce die altero illucescente, vox lætifera per castra insonuit, dicens: E In littore quidem Ticini directum est in navem corpus B. Arialdi. His auditis, certatim omnes arripuerunt cursum: ille namque habebatur tunc beatior, qui ad currendum erat promptior. *g* Eo igitur levato in feretrum, cum tanta gloria et laude reverti cœpimus, ut eas nullo modo exprimere possem; vocem etiamsi linguamque ferream haberem. Nam de Castellis, quibus se concluserant pro civium timore, exibant senum, juvenum atque mulierum infinitæ multitudines, Cruces cereosque atque situlas aqua plenas (ut potarent æstuantes) deferentes: et unusquisque, prout valebat, voce excelsa immensas Deo gratias reddebat. Tintinnabula quippe personabant undique: arbores quoque quamplurimi scandebant, ut ipsum saltem videre possent.

f corpus a terrefactis recipiunt;

piaque cum pompa

77 At ubi Mediolano propinquavimus, totam pæne urbem obviam habuimus: matronas, nobiles et ignobiles, cereos innumerabiles deferentes; infantes et senes, omnesque Deo laudem dantes: etiam ipsos, quos in vita sua habuit æmulos, scilicet Clericos, invenimus paratos, non Officium cantantes Mortuorum, sed (ut decebat) Martyrum. Et sic in sancto die *h* Ascensionis Domini posuimus illum in medio ecclesiæ S. Ambrosii. Tunc nobilis Herlembaldus F in loco eminenti progressus, hæc omnibus audientibus est locutus: Videtis, inquit, Dilectissimi, quantum valet fides, quam inter nos per decem annos docuit B. Arialdus. Certe, ut videtis, ipsa eum servavit defunctum incolumem in profundo Laci, inter innumerabiles immanesque pisces, per decem menses. Hæc autem coram vobis ipsum per decem hos dies æstivos conservet, videlicet usque ad sanctum diem Pentecosten; quatenus de longinquo et proximo sexus diversæ ætatis uterque huc venire, et nostram fidem, nostrorumque impietatem æmulorum evidenter possit contemplari. Clamabant tunc, nobis audientibus, ad illum dæmonia, dicentia; Quid contra nos latras? Non potes tantum latrare, ut te non faciamus interimere; sicut tuum fecimus socium: et ut pingues et iniqui Episcopi, Abbates, et Presbyteri non sint nostri.

deferunt in S. Ambrosii;

h

quod usque in Pentecosten servari suadenti Herlembaldo

paria minantur dæmones:

78 In his quidem diebus ibidem undique veniebat maxima multitudo, plurima munera offerens corpori sancto, quibus ad eum intuendum fas erat per dies: per noctes vero Clericorum Monachorumque veniebat maxima multitudo, easque pervigiles ducebat psallendo. In una autem harum noctium, timens valde, ne forte ad opprobrium Christi servorumque ipsius, ibi per æstivum tempus diu permanens fœteret; assumpto

Auctor noctu explorans cadaver,

A. ANDR. DISCIP.

A assumpto lumine, paucis admodum vigilantibus, ad ipsum accessi; et reperto foramine, quod ejus germanus ipsi sub ascella fecerat, ut sciret, qualiter illius haberentur interiora, interius prospexi; et ecce ejus exta ut nix erant candida, jecur vero æreum habebat colorem. Quæ cum intromissis duobus digitis tetigissem et confricassem, eosque retractos naribus apposuissem; testor Veritatem, quæ Deus est, tantam talemque odoris fragrantiam ex ipsis digitis emanare sensi, qualem quamtumve numquam me alibi sensisse reminiscor. Et sicut mea conscientia tunc testabatur, et nunc testatur; si ipsi digiti gladii bis acuti acumen habuissent nares absque vulnere nullo modo evaderent: quia odoris suavitas tam erat delectabilis, ut nares valentiores essent ad odoriferos digitos intra se attrahendum, quam brachii virtus ad retrahendum: nam quamplures dies, ut diu delectarer tanto odore, eos ab omni custodivi liquore.

integrum et mire suaveolens invenit.

79 Congregata igitur est iterum, in die sancto Pentecostes, tanta virorum ac mulierum diversæ ætatis multitudo de proximo et longinquo, ut numquam se tantam vidisse etiam senes dicerent: et sic B cum magna gloria laudeque ineffabili, ad monasterium delatus est S. Celsi. Ibi in locum mirabiliter aptum, traditus est sepulturæ: siquidem ex una parte habet ecclesiam, in qua S. Celsi venerabile nunc adoratur corpus; ex altera vero ecclesiam *i*, ubi quondam (ut fertur) diu sanctus perlatuit Nazarius. Exhinc quippe ibi a multis Fidelibus adoratur et colitur; ab infidelibus autem, nec Christus universorum Dominus, nec Arialdus ipsius famulus.

i

80 Decem igitur annos beatus Levita et Martyr Arialdus duxit, pro Christi Lege viriliter certando: decem membra eidem post hæc per manus obtulit iniquorum; octo, cum occideretur; decem vero menses in profundo Laci incolumis jacuit: decem autem milliaria illum nobis proximiorem Lacus projecit, quam acceperit. Per dies etiam decem æstivos ipsum in ecclesia S. Ambrosii, videntibus cunctis, Christus conservavit: eique post hæc decimo *k* anno Herlembaldum fidelem socium associavit (ut veraciter credo) in regno cœlorum, peremptum scilicet per eorumdem manus iniquorum. In quo decimo anno hæc scripta sunt, ad laudem Christi ejusque famuli Arialdi. Passus ergo est beatus Levita et Martyr Christi Arialdus, quinto *l* Kalendas Julii, anno ab Incarnatione Domini millesimo sexagesimo sexto, præsidente Sedi Apostolicæ Secundo Papa C Alexandro, regnante Domino nostro Jesu Christo cum Patre et Spiritu sancto, per omnia secula seculorum. Amen.

Notat denarii numeri in eo mysterium

k

et passum esse anno 1066. *l*

ANNOTATA D. P.

a *Alteram fortassis Isellarum prædictarum, quas æque ac illam S. Victoris, Comitis Borromæi in jus deinde cessisse, tradit prædictus Carolus a Basilica Petri.*

b *Idem Senior Landulfus:* Quin et altera die jubente eadem Oliva, ne a suis vel mortuus inveniretur, et ab Herlembaldo durissime ipsa obsideretur, in arce Trevali *(vulgo* di Val travaglia, *inquit Puricellus)* in apotheca S. Ambrosii, cautissime humaverunt defunctum. Transactis vero diebus aliquantis, ejus cadaveris fœtor castellum omne, ita ut omnes nausearent fugientes, occupavit. *Quod ultimum, si confictum non est; non cadaveri debuit imputari, sed alteri et altiori causæ in detestationem facinoris: nam cadaver ipsum etiam post decem menses suaveolentissimum inventum est, ut mox dicetur.*

c *Die* 3 *Maji, anno* 1067. *Sunt autem qui dicant, eatenus dissimulasse* Herlembaldum, *quia Guidoni* D *Mediolani præsenti favebat omnis populus: eo autem deinde digresso, incubuisse in ultionem sumendam. Sed calumnia hæc est; satis enim habuit recuperasse* Arialdi *corpus; eoque motus populus fuit miraculis.*

d Arcem Trevali *nominari a Landulfo, jam vidimus.*

e *Media circiter via inter Aronam, et fauces lacus, in fluminis modum se denuo coarctantis.*

f *Landulfus Junior,* ad Olivam *legatos directos, ait.*

g *Addit idem,* Tandem cunctis expectantibus sacrum corpus per Ticinum ad littus dejectum est: *tacet autem de navi: sed fieri potest ut ad usque lacus fauces navigio devectum corpus, ejectum in ripam sit ab iis, quibus commissum erat; non audentibus illis expectare quemquam, cui ipsum traderent.*

h *Cum anno illo* 1067 *Pascha celebratum sit* 8 *Aprilis, Ascensio fuit* 17 *Maji, et Pentecoste de quo mox,* 27 *ejusdem.*

i Parvam *hanc vocat Landulfus, dictamque ait,* ecclesiam S. Nazarii in campo.

k *Annos incompletos sumi, et* Herlembaldum *cæsum esse anno* 1075, *infra docebo.*

l Quarto *legendum censet Puricellus; agnoscit tamen etiam in altera Vita et alibi legi* Quinto; *quod* E *retinendum supra docui. Idem ait, esse qui teneant,* 29 *Junii mortuum Sanctum; sed merito prævalet auctoritas utriusque Vitæ.*

CAPUT IX.

Appendix litterarum Auctoris ad Syrum, priorem scriptorem: et hujus ad illum, cum quibusdam miraculis.

Syro, venerando et fideli Sacerdoti, Andreas. Legente me olim ea, quæ cum socio Herimbarto *a* de venerabili Arialdo scripsisti; reperi vos multa præterisse, quæ dici opporteret. Unde factum est, ut, jubente beatæ memoriæ Rodulpho *b* Patre, cujus anima jam cum Christo gaudet, multa tam de his quæ omisistis, quam quæ dixistis, exprimere conatus sim: quæ ad te mittens, obsecro per caritatem, ut diligenter inspicias; et, si vera sunt, testimonium feras. Nam sicut ipsum habui, ut hæc facerem, præceptorem; sic te habere volo, ut vera sint, assertorem; quatenus si jure, pro inculto sermone ejus putredinis et vermis qui composuit, contemnitur; pro reverentia duorum sanctorum Sacerdotum, unus præcipientis, alterius asserentis F suscipiatur. Tu enim tanto tempore ejus esse frater familiaris *c* meruisti; ut pæne quidquid de eo dixerim proprio intuitu inspiceres: imo, quia Sacerdos es; mentiri non vales: ideoque digne justeque te elegi fore testem hujus rei.

a Auctor quæ scripsit, mittit Syro approbanda: b

c

82 Presbyter Syrus, Andreæ Christi famulo. Miror, Carissime, quod de illis requiras rebus unum testem, quam testari possunt non solum multa millia Fidelium, sed etiam infidelium. Et si nullus superesset alius, qui harum rerum existere posset testis idoneus: quis tam vecors inveniretur, qui diceret, te scripsisse falsa? Si sciret, te ideo reliquisse seculum, ut non solum a verbis vacares mendacibus, sed etiam ab otiosis; præsertim cum non civilia monasteria et dissoluta petisti, sed famosum et celebre Vallisumbrosæ cœnobium, itinere dierum quinque a naturali solo semotum. Porro de obitu ejus clam peracto quis te certior existit, qui pro hoc mortis periculo ter te dedisti? Etenim semel utcumque incaptus evasisti: alia vero vice, quia dicebatur, quod in Travallia *d* arce inexpugnabili occulte detineretur; ejus desiderio accensus, longo itinere confecto, multis montibus transactis, te ante ejusdem

hic miratur, cur testem petat,

testis ipse certissimus

d

A ejusdem portas obtulisti. In quam, quia inspicere es ausus; quis esses cognitus, ideoque captus, atque in altissimam ejusdem turrem deductus; per foramen cum funibus in ipsis es depositus profundum, quod magis videbatur esse sepulcrum quam habitaculum. Nam lectuli fulcrum erat cœnum, capitale saxum. Nec enim ibi erat, unde digestio occultaretur, nec desuper tectum a quo pluvia pelleretur. Ibi quippe præ nimio horrore vultus tuus et stomachus sic elanguit et emercuit, ut cibum per funes tibi dimissum gustare minime posses: ideoque nocte media te subtraxere, et sic semivivum dimisere. Altera autem vice Lacum transfretasti; iterum cognitus et captus; donec te pretio non emisti, evadere nullo modo potuisti. Quæ cum ita sint, quis tam crudelis erit et durus, ut tuis sermonibus existat incredulus?

et bis inter explorandum captus,

cum periculo vitæ:

83 Verumtamen, licet multum læter super cuncta quæ dixisti, quia sunt vera et ædificationi utilia; tamen valde doleo, quia omisisti præcipua, tibique notissima; et cur hoc feceris, sic admiror, ut velim ex his aliquantula coram te prodere, et quare dimiseris addiscere. Ante quippe quam introisset Mediolanum ad prædicandum, publice ad B Varisiensem plebem Clericorum multitudinem convocavit; eisque, sub quibus essent erroribus, indicavit; et, ut ab eis recederent, benigne admonuit. Qui ejus verba sprevere, dicentes: Nobis ideo hæc loqueris, quia ineruditos cognoscis: ceterum, si Doctor haberi vis credibilis; vade, et in urbe hæc loqui noli timere. Quod si agere ausus fueris; quæ dicis, credenda comprobabis. Et tunc urbem ingressus, et populum, sicut tu dixisti, est allocutus. In ipso etiam exordio suæ prædicationis, tamdiu, cum aliquantis Fidelibus, per venerabilia loca, Santorum flagitans suffragia, nudis incessit pedibus, donec sic intumescerent, ut super eos nullo modo consistere posset.

item cum plura omiserit;

atque imprimis de actis cum Clero suburbano,

84 Duo denique sapientissimi Clerici, audita ejus fama, de longinquis regionibus ad eum venere; ut cognoscerent, quomodo ipse scientia polleret. Quorum unus ei se in altercatione obtulit, et a mane usque ad horam fere nonam, altero penitus silente, utcumque restitit; et tunc sic est devictus, ut nec quid insolubile objicere, nec posset objecta exsolvere. Alium vero, quia nimis eruditum reperit, die eodem devincere non potuit; sed in altero prostra- C vit. Quos, licet devictos; quia valde doctos invenit, multum dilexit; eisque omnem benigne humanitatem impendit, et sic tandem abire permisit. Accidit etiam, ut semel transiret per plateam quamdam, juxta domum Pontificalem sitam: aliquantos autem viros, quos ibi reperit, admonere cœpit. Erant enim tunc Guido et Ordinarii, multique alii Clerici, in eadem domo pariter congregati. Quod cum audissent; sapientiorem omnibus elegere, eumque ad ipsum direxere, quatenus ei resisteret; et, quæ dicebat, fore vana diceret. Nam in paucis sic protinus verbis conclusus est, ut retro turpiter rediret velociter. Quem cum sui interrogassent, quid egisset; ait: Scitote, aut ipsum non esse hominem, aut alterum fore qui ab ejus loquitur ore. Hæc omnia, quamvis non interfuisti, e Bonovicino narrante pleniter didicisti.

duobus Clericis peregrinis,

eoque quem Archiepiscopus miserat disputandi causa.

85 Illum præterea famosissimum zelum, quo hæreticum quemdam ab altari repulit, cur non dixisti? Timuisti forsitan, ne in eo aliqui scandalizarentur? Scito Carissime, quia dicta factaque Arialdi, imo et Christi, incredulis et perversis plena scandalis, piis vero fomenta sunt ardoris et lucis. Ea igitur istis pandamus; de illis vero Salvatorem dicere audiamus; Sinite, inquit, eos; quia cæci sunt, et duces cæcorum. Transeunte ergo per majorem ecclesiam cum Fratribus Arialdo Christi famulo; audivit, quod in eadem hora quidam adulter et simoniacus ad quoddam ipsius basilicæ altare accesserat, ut se simularet ibi canere Missam: Eamus, inquit, illuc. Ad quem cum pervenisset, ait: Cum enim tu sis talis, quali ecclesiæ valvæ pateret minime deberent; cur sanctum altare præsumis pollutus contingere, et illa Mysteria agere, quæ solummodo innocuis et castis sunt commissa, te fingere? Aufer te hinc quantocius, putride. Qui cum inde se non amoveret; vir Dei manum ad Planetam misit, eamque ab ejus tergo extraxit, et ipsum ab altari expulit: erant enim tunc in circuitu ejusdem ecclesiæ, causa negotiandi, tam civiles viri quam suburbani pariter congregati. Qui exiit, et per forum querimoniam fecit. Commoto itaque populo, dimissisque negotiis, ac fustibus elevatis, per ostia irruunt; ut ipsum quærant, et perimant. Ipse vero sciens quæ ventura erant, non fugerat; sed gradum ascenderat, ibique Populum expectabat. Videntes ergo eum in gradu stantem, sacraque manu innuentem, omnes deponebant fustes, et se ad audiendum parabant, super ipsos innitentes. Facto denique silentio magno, prædicationem sic mellifluam composuit, ut E corda, quæ fuerant commota et conturbata per falsi verba Sacerdotis, operante et instigante adversario; sedarentur et dulcorarentur per verba veri Christi famuli, operante et flante Spiritu sancto: et ora, quæ intrando vesane proclamaverant, Moriatur, moriatur; exeundo dicebant orando, Faciat te Christus per multa tempora vivere, qui huic loco te pro nostra salute est dignatus dirigere.

Item de zelo contra sacrilege ausum ad altare accedere,

Matt. 15, 14

D *S. ANDR. DISCIP.*

unde eum abstraxit;

concitatumque ideo populum,

efficaci sermone placavit.

86 Quis etiam Laicorum, suam in conjugio habens consanguineam, audebat ecclesiam ingredi, in qua morabatur Arialdus, famulus Christi? nam tales ex ea personas pro hoc pepulit: ut non solum fecisse, sed etiam æstimasse, obstupendum sit. Monachos autem, consortium Simoniacorum Abbatum falsorumque Fratrum fugientes, benigne suscipiebat: sed numquid eorum aliquis in ejus præsentia erat ausus vacare? quatenus aut non legeret, vel non oraret, aut aliquid non ageret: nam si interdum in ejus vacarent absentia; sic pavide, illum sentientes venire, ad prædicta recurrebant opera; quemadmodum solent in scholis pueri vacantes ad lectionem recurrere, magistrum sentientes venire. Quis F etiam dum prædicaret, in eodem loco mutire audebat? nam qualiscumque persona esset, illico audiebat; Sive tu tacebis, sive ego: quia scriptum est: Nolite mittere margaritas vestras ante porcos. Sed licet tam severus esset contra delinquentes, quis mitior erat in suscipiendo pœnitentes? Cum enim viri, qui dicebantur Presbyteri, in adulterio deprehenderentur, et a facie Populi persequentis locus eis tutus minime pateret alibi; ad ipsum confugiebant. Quos si pure confessos cerneret; protinus eos in omnibus omnino locis, excepto Altaris Officio, suos faciebat participes; nec deinceps apparebat quisquam, qui dicere contra eos præsumeret quidquam. Die vero Parasceve, in cubiculo clauso, nudus confitebatur coram ceteris Fratribus, quidquid a cunabulis deliquerat; et pro culpa unaquaque se faciebat verberari acerrime. Nemo enim id facere cogebatur invitus; sed permittebatur, si quisquam hoc agere vellet spontaneus. Hæc quia tibi sunt nota, et ædificationi utilia; cur omisisti, obsecro, ne sileas, sed mihi super hoc nimis admiranti prodas.

De prudentia, qua suscipiebat refugientes ad se;

Matt. 7, 6.

et mansuetudine erga pœnitentes:

deque ejus hebdomadaria Confessione

87 Andreas Syro. Æstimas, Venerande Syre; æstimas, me dixisse, quidquid me contigerit de B. Arialdo scisse? Audi adhuc, qualia tria prætermisi; ut ex his intelligas, me multa alia evidenter de eo cognovisse, et scienter omisisse, Perrexerat aliquando

Respondet Andreas multo etiam plura omisisse:

A quando invitatus ad ecclesiam Cumanæ Civitatis, ut pacificaret dissidentes Clericos ipsius urbis : erat quippe tunc tempus Quadragesimale. Cumque ad unum altare convenissemus, ut Officium vespertinale persolveremus; unum quid (non recordor modo, utrum fuisse[e] de Antiphonis vel Responsoriis) sic elapsum est ab omnium memoria, ut penitus inveniri nequiverit. Salubri igitur consilio reperto, signum salutare sibi in fronte impressit, juxta altare se prostravit, rem perditam a Domino petiit : quam sic protinus invenit, acsi in loco, quo posuit occultum, id quod petebatur, haberetur descriptum.

A. ANDR. DISCIP. puta de suppleto memoriæ lapsu in Vesperis

88 Aliud vero signum factum est, dum illum, ex aqua Laci projectum, ad urbem duceremus. Erat enim in quodam vico quidam rusticus, per multa tempora morbo paralysi dissolutus ; cui cum audisset, quod Christi Martyr per viam duceretur ; fidem habens firmam, in eamdem fecit se viam ferri, ibique dimitti. Transeunte itaque turba, quæ feretrum præcedebat, Martyrem infirmus expectabat. Ad quem cum pervenissent, qui ipsum portabant; ab infirmo eodem obnixe rogati, persliterunt, eumque coram ipso deposuere. Et (nescio utrum ex solo visu an tactu sanitati sic est protinus redditus, ut, B qui vix aliorum manibus deferri valebat, statim suis firmiter incederet plantis. Nam ego tunc aderam inter subsequentem turbam : sed cum audissem hoc, fortiter firmavi gressum, ut veniens ante feretrum virum inspicerem firmiter incedentem, Deumque laudantem.

paralytico curato,

89 Tertium vero quod narro miraculum, non quidem egomet vidi, sed , quadam persona valde fideli narrante, didici. Erant aliquanti viri, ad portam Tricinensem simul congregati : cœperunt itaque confabulationem habere, tam de Arialdo Christi famulo, quam de his qui ejus venerandum adorabant sepulcrum. Tum unus, superbo malignoque spiritu afflatus, tale execrandum protulit verbum : Majus, inquit, desiderium est mihi super ipsum mingere, quam illum adorare. Quem tam sævus internorum viscerum illico dolor apprehendit, ut neque quiescere, neque mingere ei licuerit ; donec, nimio dolore cogente, pariterque cohortatione virorum consiliante, munus ad B. Arialdi sepulcrum obtulerit, ibique adoraverit : et sic pristinam sospitatem adeptus est humiliatus, quam juste amiserat superbus. Si autem bona omnia, quæ de eo noverim, scribere vellem, prius dies et charta deficeret, quam sermo. C Verum quia tanta de eo scripta sunt, in quibus satis potest dignosci, quis vel unde fuerit, quidve docuerit, vel quid pro Christo perpessus sit ; metam ponamus, Deumque trinum et unum benedicamus ; cui sit honor et gloria, in secula seculorum. Amen.

blasphemo punito.

ANNOTATA D. P.

a *Credibile est, hunc quoque fuisse Monachum Vallumbrosanum, nec non ipsummet* Syrum.

b *Ad Acta B. Andreæ,* 10 *Martii, dixi , Rodulphum obiisse an.* 1076 12 *Novembris.*

c *Imo et unicus socius assumptus, ad fugam ab urbe ineundam paulo ante mortem.*

d *Jam dixi, arcem Aronensem videri.*

e *Et hic et in Prologo, per idiotismum Italicum ,* Bonvisino *scribitur.*

ANALECTA D

DE S. HERLEMBALDO

Ex antiquis Chronologis apud Puricellum.

CAPUT I.

Pacem ægre constitutam turbat Guido, Gothofredo simoniaco pro se substituto; contra hunc Mediolanenses educit Herlembaldus.

Desinente *hic Andrea, Landulfus Junior, unum adhuc addit;* De Arialdi, *inquiens,* morte doluit Papa Alexander : unde anno sequenti, scilicet millesimo sexagesimo septimo, cum idem Papa iret ad Synodum, quam Mantuæ celebravit, Mediolanum venit : multaque fecit statuta de statu Mediolanensis Populi et Cleri, beatumque Arialdum sanctorum Martyrum catalogo annotavit. *Quæ etiam verba ex autographo transcripta Joannes Mabilio digna censuit tomo* 1 *Analectorum suorum. De Synodo ejus anni, testis habetur Sigebertus Gemblacensis, non totis quinquaginta annis post, cum ait,* Romæ duobus de Papatu contendentibus *(nam Cadolus Parmensis Episcopus, ab Henrico Rege petentibus Romanis submissus contra Alexandrum, anno* MLXI *inthronizatum* XXX *Septembris, non multis mensibus post, scilicet* XIV *Aprilis, conatus frustra fuerat Sedem occupare ; seque, licet variis Synodis condemnatus, pergebat gerere pro Pontifice)* contendentibus *ergo* duobus, Mantuæ Synodus colligitur ; et, mediante Annone Archiepiscopo Coloniensi, Alexander se jurejurando de Simonia expurgans, in Sede Apostolica subrogatur, *id est confirmatur, seu declaratur jure subrogatus :* Cadolus vero, ut Simoniacus repudiatur. *Eumdem Synodi istius annum confirmat Franciscus Maria Florentinius, inter Memorias Comitissæ Mathildis pag.* 88, *ex ipsius Alexandri Epistola ad Gervasium Remensem , affirmante, quod Cadolus* Romanam ecclesiam per quinquennium, nunc callida tergiversatione, nunc hostili invasione, oppressit : *ut corrigendus omnino sit Ptolomæus Lucensis, ducentis annis Sigeberto posterior, et biennio serius rem actam referens ; nec probandus Baronius, cum triennio citius factam statuit. Interim tamen ex Ptolomæo discimus, quod* Concilium *prædictum* Alexander celebravit præsente Imperatore, *utique S. Annonis opera jam reconciliato,* omnesque Episcopos schismaticos cum Cadolo ad gremium Ecclesiæ retulit, ipsosque sibi reconciliavit, totumque populum sibi faventem ; contraxitque moram in toto spatio illius anni, pro majori firmitate pacis et unitate.

Alexander, Synodo Mantuana

E

anno 1067, extincto schismate,

et reconciliatis Lombardiæ Episcopis ;

F

2 *His ita se habentibus, nihil mirum fuerit , si Mantua rediens Alexander, Mediolani substiterit diebus pauculis ; et absque ceremonia ulla, ac solo forsitan vivæ vocis oraculo, approbavit venerationem , quæ* B. Arialdo *a fidelibus deferebatur, tamquam Martyri ; idque ad instantiam* Herlembaldi, *aliorumque* Arialdo *devotorum : quamvis, etiam ante Concilium, vel ibi vel alibi in gratiam recepisset Archiepiscopum Guidonem. Hic enim, quemadmodum in priori judicio coram Petro Damiani,* ut est professionis, *Legatis deferendæ,* admonitus, *non solum acquievit Petro Cardinali sinister assidere, Alexandro, tunc Anselmo Lucensi, dexteram obtinente ; sed* impiger obtulit ultro etiam, ut, si *Petrus* præciperet, in scabello, quod ejus suberat pedibus, sine controversia resideret, *similique promptitudine admisit, signavit , juravitque implere quidquid idem Legatus tunc ordinavit, sicut ipse S. Petrus Damiani prolixe narrat : ita idem Guido nihilo* nunc

Mediolanum venit, et Arialdum declarat Martyrem

omissa de reis quæstione:

A *nunc minori profitendæ vel simulandæ pœnitentiæ atque obedientiæ promptitudine, potuit videri meruisse a Pontifice, pacis cupientissimo, indulgentiam : ut ab excommunicationis vinculo absolutus, Mantuano interesset Conventui, et suum ibi gradum teneret. Quod autem ad statuta attinet, quæ Mediolani fecisse Alexandrum, dicit Landulfus ; ea non alia esse existimo, quam quæ Legati sui, post Synodum ad res ordinandas missi composuerunt, quæque superveniens postea Pontifex potuit confirmasse, nullo de* Arialdi *causa, deque cædis auctoribus instituto judicio ; ne pax, noviter coalita, dissolveretur.*

per Legatos deinde pacem componit,

3 *Ea quomodo composita tunc quadamtenus fuerit, breviter apud Puricellum pag.* 248 *tradit Historiographus Arnulfus, his verbis :* Nulla interim erat requies prædonum in diripiendis substantiis Clericorum. *Ita malevolus ille interpretatur zelum* Herlembaldi *in persequendis cædis reis pro suo Defensoris munere, et in exigenda a Clericis, quam se observaturos juraverant S. Petro Damiani, vel continentia, vel cessatione a ministeriis, quæ non nisi per impollutos tractanda sunt.* Ad quod sedandum litigium tunc temporis *(Alexandro adhuc in Lombardia præsente et ordinante) dicit Arnulfus,* Maynardum Episcopum B Silvæ-candidæ et Minutium Cardinalem Episcopum *(ipse* Joannem Cardinalem Presbyterum *subscribendo se nominat)* Romanas Legatos venisse Mediolanum. Qui dum præcepto Apostolico Alexandri pacem Evangelizarent omnibus, consulte satis provident de nece Arialdi fœdus componere: deinde inter Clerum judicantes et Populum, eleganti scripto constituunt, quid fieri debeat imposterum. *In hoc illi,* Quia per Confratrem nostrum, *inquiunt,* D. Petrum Ostiensem Episcopum, reverendæ sanctitatis virum, quædam sunt olim in hac urbe correcta; non opus est, ea, vel præteritas lites, omnibus notas, replicare ; sed quæ nunc sunt canonica disciplina a nobis statuta, ad futurorum memoriam litteris exarare. *De Guidone etiam, ut vere Archiepiscopo, adeoque ut reconciliato, loquuntur honorifice, dum art.* 15 *jubetur* Laicus quiscumque, Clericos *potestatis suæ, quos* sciverit feminam retinere vel in fornicationis crimen casu incidisse, indicare Archiepiscopo et Ecclesiæ Ordinariis, quibus cura ista commissa fuerit : si vero Archiepiscopus vel sui Ordinarii, postquam audierint, hoc neglexerint ; ipse Laicus, nec officium facere, nec beneficium alicui ex illis C permittat tenere ; donec culpam deserat, et digne Domino per pœnitentiam satisfaciat. *Et rursum num.* 18, *jubetur* Antistes, qui nunc est, vel quicumque deinceps fuerit, semel aut bis per omnes plebes circumire. *Totum statutum legi apud Baronium potest, aut ex eo in libris Conciliorum ; ubi illud invenietur, factum* anno ab Incarnatione D. N. Jesu Christi MLXVII, Pontificatus vero Domini Alexandri II Papæ VI, Indict. V, die I mensis Augusti.

condito salubri decreto,

ejusque executione commissa Archiepiscopo reconciliato.

Herlembaldus Roma rediens,

4 Nec tamen his contentus Herlembaldus *(inquit apud Puricellum pag.* 237 *prædictus Arnulfus) utpote jam experientia doctus, quam parum vel nihil esset fidendum Guidonis pœnitentiæ, vel simulatæ vel inconstanti ;* sed pergens Romam *(anno, si non fallor* MLXVIII) novum init cum Romanis consilium. Vetus quippe fuit Italici Regni conditio, perseverans usque in hodiernum *(id est annum* MLXXVII) ut defunctus Ecclesiarum Præsidibus, Imperator vel Rex provideat successores Italicos, a Clero et Populo decibiliter invitatus. Hoc Romani Canonicum esse negant; sed instantius Archidiaconus Hildeprandus : qui cum abolito veteri novum tentaret inducere Constitutum *(verius dixisset, abolito subreptitio, vetus reducere)* palam fatebatur haud secus sedari posse Mediolanense dissidium, quam Canonicum habendo Pastorem, ad quem eligendum necessarium fore dicebat

cum proposito abolendi investituram secularem,

Romanum consensum. His instructus assertionibus D Herlembaldus, Mediolanum veniens, quæ audierat, festinanter exequitur. Prius ergo secreto paucos convenit ex amicis : a quibus cum exigeret sponsionem celandi credita, caute subintulit juramento causam futuri eligendi Pastoris, post decessum præsentis : deinde diu noctuque laborans, Laicos quosque et Clericos eidem juramento reddidit obnoxios. Interim tamen a persequendo Præsulem Guidonem non destitit, omnesque suæ consanguinitatis affines. *Ita ille in* Herlembaldum *invidiose atque calumniose, porro tamen describendus, ut substantia historiæ habeatur, discreti Lectoris judicio facile separanda a scoria sequioris erga Romanæ Ecclesiæ jurisdictionem affectus. Sic ergo progreditur.*

EX VARIIS D. P. *incipit ea de re tractare.*

5 Archiepiscopus autem, cum tot nequiret imminentes tolerare pressuras, æternam maturus, et diuturno languore membris omnibus dissolutus ; arbitratus est fore conveniens, ut quod ille *(Herlembaldus)* faciendum præviderat, ipse quoque faciendum præveniret ; scilicet ut dignitatem propriam alteri se vivente concederet. Per idem tempus fuerat quidam Ordinarius Ecclesiæ Subdiaconus, nomine Gothofredus, illius a secretis præ omnibus E unicus : qui, ex quo Domini sui penetraverat mentem, in se transferendum omnimodis satagebat honorem. Secreta igitur facta conventione cum eo, Præsul, datis communis pacti ex alterutro Sacramentis, dignitatem deponit absens, Virga cum Annulo Cæsari per legatos directa. Gothofredus autem, cum jam pridem labore multo Regis concilias-set affectum, recenti tamen pacto ab eodem Augusto gaudens adeptus est Præsulatum. Verumtamen juxta Scripturæ veritatem, Mixtus est dolori risus, et extrema gaudii occupavit luctus. Reprobatus enim a civibus, nullis in locis Episcopatus vel ad hospitandum suscipitur, ipsis etiam factus invisus agricolis. Hunc Romani Domini cum Apostolico, jure statim condemnant Canonico, judicii sui litteras Mediolanensibus super illo mittentes. *Si ejusmodi litteræ superessent, certius definiremus annum quo acta hæc sint : interim videmur non multum aberraturi, si anno* LXX *currentis secuti acta dicamus : pergit porro apud Puricellum pag.* 259 *et seqq. Arnulphus.*

Id sentiens Guido,

Archiepiscopatum resignat Imperatori,

in favorem Gothofredi.

6 Qua elatus Herlembaldus fiducia, acrius insurgit, non solum in illum *(Gothofredum)* verum etiam in fautores omnes, universa ferro et flammis demoliens : contra quem etiam per vicos et castella multorum exegerat sacramenta. Unde fit, ut si F quando de facultatibus Ecclesiæ aliquod præsumere nititur, ab omnibus penitus interdicatur; quemadmodum factum est in aliquibus, de quibus enarrare per singula longum est, imo superfluum est indicare. Interea Guido fatebatur se Gothofredi delusum insidiis, communis pacti transgressorem illum appellans. Qui cum amissum vellet reparare honorem, cum Herlembaldo pacis fœdera sociavit. O mens cæca mortalium ! Veniens enim illo duce Mediolanum, non ad urbem ut voluit, sed ad S. Celsi monasterium ducitur, de privato factus privatior ; ibique commendatus custodibus, multis diebus ibi vixit, gloriosus hac vice delusus, *qui multos deluserat.* Gothofredus autem pluribus jam coarctatus obstaculis, cum parte suorum aliqua, suo se collegit in oppido, quod vulgo Castellio dicebatur, inexpugnabile, revera præsidium, mœnibus ac loci natura munitum.

Hinc ne recipiatur, impedit Herlembaldus;

Guidonem recludit in monasterio

7 Ex eo sæpius erumpens *(Gothofredus)* cum supra modum prædis inhiaret ac cædibus ; indignati Mediolanenses, proponunt arcem illam protinus expugnare. Nec mora, instructo exercitu, et iis quæ ad usum militiæ fuerant necessaria paratis, procedunt

et Gothofredum obsidet anno 1071.

EX VARIIS D. P.

A dunt omnes; castra metati ad radicem montis (aberat enim ab urbe vigesimo paulo plus milliario) mox undique circulantes, incessanter oppugnant: ad hoc cunctos regionis illius instant congregare agricolas, diuturnam jurantes obsidionem. Constituunt ergo petrarias, et omnis generis bellici machinas; sciridas quoque, ballistas, milleque mortis parant insidias. Obsessis vero ad posse repugnantibus, multa quotidie cruoris fiebat effusio, adeo ut in ipsa Quadragesimæ venerabilis observantia, nulla fuerit cædis humanæ abstinentia. Hac itaque tempestate cum rarus in urbe populus sua frueretur securitate, repentina calamitas improvisam invasit urbem. Horresco referens. Primo namque Quadragesimæ Sabbato *(fuit id anno* MLXXI *die* XIX *Martii, cum Pascha tunc fuerit celebrandum* XXIV *Aprilis)* magno civitas conflagravit incendio. Cumque vehemens tunc flaret turba ventorum..... O quæ et qualia domorum ædificia, quamque decora combusta sunt mœnia!..... sed quod est omni damno deterius, plures Sanctorum crematæ sunt basilicæ, in urbe et extra.. ... *Distinctiora vide apud Puricellum in Monumentis Ambrosianis pag.* 461: *ego ad* Herlembaldum *festino.*

Interim conflagrat Mediolanum 19 Martii,

B 8 Ubi autem rumor tam dirus castris insonuit, *inquit Arnulfus,* quam plures illico, relicta obsidione, eunt ad tenues ab igne reliquias, et miseram visitare familiam. Herlembaldus vero cum aliis retenta parte castrorum, perseverat obnixius, quotidie belligerare non desinens. Gothofredus autem, tribus jam obsessus mensibus, ut vidit tenuem castrorum exercitum, clam vocare suos et caute satis procurat amicos. Cumque Paschales instarent feriæ, convenientes in unum, constructa acie protinus in castra consurgunt, impetu et clamore non modico; nec minus obsessi, ruptis claustris, undique prosiliunt. Herlembaldus autem, tanto positus in discrimine, arreptis armis audet cum suis paucis juxta vires obsistere, signifer ipse factus: et nisi sua suorumque pugnasset audacia, dies illa sibi fuisset extrema. Videntes autem multi paucorum constantiam, ultro recedunt, educentes secum ab oppido Gothofredum. Hos longe prosecuti sunt Mediolanenses, conglobati repente similiter, et qui in castris fuerant, et qui in urbe remanserant; nec a prosequendo diebus aliquot cessarunt et noctibus, donec in summa constitutos necessitate coegerunt illos iterum Castellionem intrare. Post hæc redeuntes Mediolanenses ad urbem, jurejurando definiunt, Gothofredum numquam recipiendum, imo alterum de Catalogo majoris C Ecclesiæ communiter eligendum. Jam enim migraverat a seculo Archiepiscopus ille Guido, *die* XXIII *Augusti,* sepultus in loco qui vocatur Burguli vulgo *(nunc Alexandria civitas ibi fundata creditur)* ubi post urbis incendium, *per ipsum elapsus vel abire permissus e custodia S. Celsi,* in amaritudine animæ diem clausit extremum.

et Gothofredus facta eruptione, evadit periculum, sed declaratur numquam recipiendus.

CAPUT II.

Canonicam electionem procurat Herlembaldus, Gothofredum intrusum et excommunicatum coercet: a Gregorio Papa VII juvatur per litteras.

Ab illo die Herlembaldus omni instat conamine, modo cum Clero, modo cum Populo, de eligendo agens Episcopo, nova a Romanis accepta licentia, spreta vero Regum veteri providentia. Verumtamen major civitatis portio ex Clero ac sapienti Populo, priscæ consuetudini ac Regio intendebat honori. Ipse autem, neglectis omnibus et juramento communi, solum Romani illius Ildeprandi auscultabat consultum. Itaque dies appropinquabat, quam ad hoc agendum ipse providerat, sancta scilicet Theophaniæ solennitas. Studet ergo solicite præsentes vocare, absentes [quoque] Clericos ac Laicos, Abbates et Monachos, amicam sibi [non] omittens agrestium turbam. Cumque dies instaret festus, factus est multorum in ecclesia hiemali conventus; illis tamen absentibus, cum quibus istam se facturum electionem juraverat. Celebratis itaque Missarum solennibus, primo concionatus ad libitum, ac multa de eligendo Pastore commemorans, adstante quodam Bernardo Legato Romano, elegit Athonem, adhuc tantummodo Clericum, ac tenera ætate juvenculum, invito Clero et multis ex Populo, adeo ut stomachati redirent ab ecclesia. D

Herlembaldus satagens pro Canonica electione, Athonem promovet,

10 *Hic merito interfatur Puricellus pag.* 265, *et quam amaro animo, ad invidiam* Herlembaldo *conciliandam, hæc scripserit Arnulfus, jubet vel ex eo æstimare; quod* Athonem *appellat* tenera ætate juvenculum. *Fuerit is juvenis respectu Gothofredi, forsan valde grandævi; pro certo tamen tenet Puricellus, habuisse illum requisitam a sacris Canonibus ætatem, adeoque tricenario majorem fuisse cum eligeretur. Movetur autem ad hoc sentiendum, attenta præsentia Legati Apostolici, et Hildeprandi ingenio; qui postea factus Papa Gregorius VII, duabus ad Britanniæ Episcopos Epistolis recusavit ordinare Dolensi Archiepiscopatui, ab illis ad se directum* juvenem quemdam, satis præclarum genere: Cui quidem petitioni, *inquit in una,* quoniam sacri Canones contradicunt, assensum præbere nequaquam potuimus: *in altera;* Cujus causam sicut oportuit examinantes, honestos quidem mores, sed nondum satis maturos aut instructos ad portandum Episcopale pondus, in eo probavimus. *Quod autem certius competentis in* Athone *ætatis possit optari indicium, quam quod idem Gregorius, electum anno* MLXXV *Theodaldum noluerit approbare, quia penes se habebat Athonem,* Quem, *inquit,* in eadem Ecclesia electum certo cognovimus; sed cur reprobari debeat, nulla adhuc deprehendere potuimus ratione; *qualis omnino fuisset minor quam Canones patiantur ætas. Redeamus ad Arnulfum, qui libro suo 3 finem facit apud Puricellum pag.* 27, *in hisce verbis:*

non tam juvenem, quin esset ad Episcopatum E *idoneus per ætatem.*

14 Cumque cum suis Atho ad convivandum Episcopalem conscenderet aulam (fuerant enim jam in mensis ampla parata convivia) inflammati cives invadunt repente domum, interiora, exteriora scrutantes. Ipse autem Electus noviter, cum cameræ unius lateret in angulo, inventus capitur, discerpitur, ac misere dilaniatur, demum per suras et brachia a summo ad ima pertrahitur. Qui cum staret in ecclesia, metu mortis altari prostratus, clamante Populo in pulpitum ascendit; ibique, facto in omnium auribus sacramento, abrenuntiavit Sedi Ambrosianæ in præsens et in perpetuum. Interea quique fautores sui diversas fugere per latebras: ipse quoque Romanus Legatus vix, discerptis vestibus laceratus, evasit. Ceterum Gothofredus et Atho remanserunt privati pariter ambo, propriis tantum contenti laribus atque substantiis. *Post hæc librum 4 sic orditur Arnulfus.* Igitur auditis his quæ Athoni contigerant, præfatus ille Archidiaconus Hildeprandus, sua cum Cardinalis esset auctoritate, illico juramentum illud violentiæ, omnimodis judicavit habendum invalidum....., Unde factum est, ut collecto Romæ cœtu Pontificum, instante ipso, Athonem juste prædicaret electum, prostrato anathemate Gothofredo. Quæ omnia Hildeprandus suis litteris sæpe jam dicto retulit Herlembaldo......

Hic mota seditione cogitur F *electioni renuntiare,* *et Gothofredus excommunicatus a Papa.*

12 Interea suffraganei Sedis Ambrosianæ Pontifices, accepto a Rege mandato, apud urbem convenientes Novariam, Gothofredo manum consecrationis imponunt,

jussu Regis ordinatur,

A imponunt, illum prout quiverant roborantes. Licet [autem] præceptio Regia multis dicatur impetrata muneribus; constat tamen Regem postea pœnituisse atque interventorem penitus odisse legatum...... Dum hæc taliter geruntur, defungitur Apostolicus *Alexander II, anno* MLXXIII, *die* XX *Aprilis;* cui parvo dierum (IX) intervallo succedit Hildeprandus, mutato nomine dictus Gregorius (VII) in quo revixit Athonis illico spiritus, adeo ut Romam pergens, illius sese subderet contubernio. Ipse autem cum in priori radicitus inhæreret proposito, indicta Romæ generaliter Synodo, cum suis sectatoribus Gothofredum excommunicavit. *Hic recitat Puricellus quas in eadem causa Gregorius scripsit Epistolas, Thusciæ ac Liguriæ Dominæ Beatrici ejusque filiæ Mathildi, ut a communione illorum abstineant Episcoporum, a quibus Gothofredus fuit consecratus; Guilielmo Papiensi Episcopo, Mediolanensem causam commendans, contra Pseudo-Archiepiscopum ejusque fautores; itemque omnibus S. Petri fidelibus in Longobardia commorantibus: quæ omnes epistolæ inveniuntur datæ* Indictione XI, VIII Kal. Junii, III Kal. Julii, *et ipsis* Kal. Julii, *id est anno* MLXXIII. *Sed iis hic prætermissis, propius ad rem nostram faciunt, quas* Herlembaldo *scripsit eodem anno* Capuæ, V Kal. Octobris, indictione XII, *recens scilicet inchoata, in hæc verba.*

Ordinatores ejus excommunicat Papa Gregorius 7,

13 Gregorius Episcopus, Servus servorum Dei, Herlembaldo, Mediolanensi Militi, salutem et Apostolicam benedictionem. Sciat prudentia tua, nos, Deo miserante, sanos et lætos non sine magna Ecclesiæ Dei utilitate, apud Capuam commorari... Henricum Regem præterea scias dulcedinis et obedientiæ plena verba nobis misisse... Quidam etiam ex majoribus fidelibus suis promittunt nobis ex parte sui, eum de causa Mediolanensis Ecclesiæ sine dubio consilio nostro obedire... Tu igitur omnino confidens in Domino et in Matre tua Romana Ecclesia, viriliter age, confortatus in Domino et in potentia virtutis ejus: sciens quia quanto nobis nunc insurgit gravior perturbationis tempestas, tanto postmodum, Deo favente, jucundius arridebit serenitas. *Videsis apud Baronium, ad an.* 1073 *num.* 43 *Henrici pœnitentis ad Gregorium litteras, quibus se* criminosum et infelicem *confitetur,* partim pueritiæ blandientis instinctione; partim potestativæ et imperiosæ potentiæ libertate; partim eorum, quorum seductilis nimium secutus sit consilia, seductoria deceptione, *peccavisse in cœlum et coram Pontifice:*
C Et nunc, *inquit,* imprimis pro Ecclesia Mediolanensi, quæ nostra culpa est in errore, rogamus, ut vestra Apostolica districtione canonice corrigatur; et exinde ad ceteras Ecclesias corrigendas auctoritatis vestræ sententia progrediatur. *Rursus autem Herlembaldo Gregorius, etiam Capuæ,* VII Idus Octobris, ita scribit, pluribus ejus quæsitis simul respondens. Piæ solicitudinis studio, in defensione fidei sanctæque religionis restauratione, donec occupatus fueris, legationes tuas libenter audire teque adjuvare voluntas non deerit. Multiplici quidem vestræ interrogationi, aliis quia intenti sumus, paucis respondere disponimus.

et Herlembaldum animat ad constantiam,

indicata Regis de erratis pœnitentia,

atque benigne respondens illius quæsitis,

14 De sociis itaque illius excommunicati, qui accepta pecunia ad te redire volunt; et de filiis quorum patres, aut de patribus quorum filii ipsi Gothofredo excommunicato adhærent; atque de iis, quorum correctionem absque pecuniæ attributione fieri non vultis (erga quos tamen clementes vos existere monemus, siqui vestræ parti se applicare cupiunt) vestræ prudentiæ, ut melius scitis et valetis, disponendum committimus. Quicumque autem bonorum, erroris sui pœnitentes, ad vos redire remedii gratia desideraverint; benigne se suscipi ac misericorditer tractari noverint. Episcopos præterea, inimicum vestrum fulcire conantes, non multum D metuatis; cum Beatrix ac filia ejus Mathildis, cum quibusdam maximis Regni Proceribus, laborent, nostrum atque Regis animum firmiter unire; contra quem quidem nullum odium neque debemus neque volumus exercere; nisi (quod absit) divinæ religioni contrarius voluerit existere. Quem Regem omnino confidunt, voluntati nostræ de ceteris negotiis ecclesiasticis satisfacere, præsertimque de vestro nostræ dispositioni assensum præbere. Denique Gregorium Vercellensem Episcopum quoquo honesto pacto vales, stude tibi conciliare; quia nostræ ex toto jussioni se profitetur parere. De cetero itaque confortamini in Domino et in potentia virtutis ejus, precibus et eleemosynis ac puritate cordis indulgentiam illius postulantes, quatenus votum nostrum ac vestrum ad perfectum perducere dignetur.

monet clementer agere cum resipiscentibus:

EX VARIIS D. P.

15 *Similiter* Capuæ III Idus Octobris, *scribens* Alberto Albensi Episcopo, *ex Gothofredi quidem Ordinatoribus uni, sed quem fideli relatione excusatum intellexerat, ad reparandum Mediolanensis Ecclesiæ honorem, habere zelum;* In nullo, *inquit,* magis debitorem S. Petrum et Nos religio tua potest sibi facere; quam si contra Simonem Magum, qui ecclesiam B. Ambrosii venalitatis suæ mirabiliter veneno infecit, scuto fidei et galea salutis armatus, nobiscum prælieris; et si Herlembaldo, strenuissimo Christi Militi, in his, quæ ad Dei cultum et ad religionem sanctæ Ecclesiæ pertinent, manum auxilii præstiteris. *Item* Guilielmo Papiensi Episcopo, *die et loco eodem:* Litteræ Fraternitatis tuæ nobis directæ simulque Herlembaldi Mediolanensis verba evidenter ostendunt, quod tu sanctæ Apostolicæ Sedi, eam quam debes, velis obedientiam fideliter exhibere, et exhortationibus nostris sicut decet parere. Sed nihil est quod Fraternitati tuæ promptius injungamus, nihil est quod te libentius facere velimus; quam si Ecclesiam tuam gregemque tibi commissum ab hæresibus, quæ in sancta Ecclesia pestifere videntur pullulare, pastorali vigilantia studeas defendere... et Clericos a turpis vitæ conversatione ad castitatem revocare. Hoc etiam scias, te rem admodum Matri tuæ Romanæ Ecclesiæ commendabilem facere, si præfato Herlembaldo, in his, quæ nostro consilio, imo omnipotentis Dei timore operatur, manum adjutorii præstiteris; et inimicis sanctæ Ecclesiæ, bellum Dei secum præliaturis restiteris. F

commendat ipsum Episcopo Albensi E

et Epis. Papiensi.

CAPUT III.

S. Herlembaldi cædes, Liprandi Presbyteri mutilatio, Tedaldi in Episcopatum intrusio.

T*alibus Apostolicæ Sedis judiciis probata* S. Herlembaldi *integritas, non recusat, quo minus Acta sua (quando amicus nullus ea scripsit) vel inimici calamo scripta, maligne licet explicata, proponantur; facile ab æquo lectore in meliorem accipienda partem. Arnulfum ergo audiamus, post verba de electo ad Pontificatum Hildebrando, superius prolata num.* 101, *res anni* MLXXIII *sic prosequentem apud Puricellum pag.* 299: Dum Gothofredus Brebiæ solius immoraretur præsidio; Atho, propria neglecta domo ac patria, Romæ degebat, solius Papæ mancipatus obsequiis: cui Herlembaldus apud Mediolanum totis favebat viribus, diu noctuque laborans, datis etiam ac promissis muneribus. Insuper omne collegium Gothofredi flammis ac ferro persequebatur, interdum nihil intentatum juxta posse relinquens; præsertim cum nec Regiæ, nec suorum parium aliorumque multorum cederet voluntati, Romana tantum fretus atque contentus

Anno 1073 schismaticis generose resistens Sanctus,

EX VARIIS D. P.

A contentus fiducia; ad hoc etiam prorumpens, ut Ambrosianæ Consecrationis (*sic ille schismaticam ordinationem vocat*) Episcopos blasphemaret, asserens, Apostolice excommunicatos, quorum omne reprobat officium. Unde fuit, quod sancto Pentecostes die (*cadebat ille in* XIX *Maji*) prohibuit in urbe Baptisma.

anno 1074 prohibet usum Chrismatis ab eorum uno missi.

17 Postea vero, *id est anno* MLXXIV, *quando Pascha celebrandum erat die* XX *Aprilis*, Chrisma sacrum (quod unus illorum, Dominicæ Cœnæ mysterio Metropolitanæ direxit Ecclesiæ, sicut mos est deficiente Pontifice) profusum humi coram omni populo calcibus conculcavit; suum producens in medium, a quo confectum vel unde, incognitum *(utique a Catholico aliquo, puta Papiensi Guilielmo, de quo supra num.* 101*)* ac sic postposita, Sabbati illius authentici apparatibus tradita prærogativa, sexta in Albis feria suum fecit celebrari Baptisma, ... unde contigit, ut Paschale gaudium suum nesciret lavacrum, ac multo post tempore plures Catechumeni Baptismi carerent gratia. *Quam recte in his omnibus et ex Theologorum sententia processerit* Herlembaldus, *probare contendit Puricellus cap.* 48. *Crescebat interim Clericorum contumacia tanto magis, quanto Rex Henricus diutius differebat Apostolicæ Sedi in negotio Mediolanensi satisfacere, sicut promiserat: ob quam rem Gregorius denique se coactum vidit acriori remedio uti. Itaque* habitæ Romæ, *sicut Arnulfus scribit*, Synodo, *per Quadragesimam anni* MLXXV, in qua palam interdixit Regi jus deinde habere aliquod in dandis Episcopatibus, omnesque laicas ab investituris submovit personas, insuper facto anathemate cunctos Regis damnavit Consiliarios, idipsum Regi comminatus, nisi in proximo huic cedat Constituto.

Post Synodum, qua fuerunt investituræ damnatæ anno 1075,

B

18 *Sed nihil Synodi reverentia Mediolanenses Schismaticos movit, quo minus de suscipiendo* Gothofredo, *vel quemcumque alium Rex jussisset, consilia agitarent. Quod profecto eis impune non fuit. Nam* transactis quatuor a memorato superiori incendio annis, propinquante sanctissimo Paschæ festo, secunda videlicet hebdomadis authenticæ feria (III Kalendas Aprilis) miseranda iterum civitas divinam persensit iracundiam, experta quam sit horrendum incidere in manus Dei viventis. Celebratis namque Missarum solenniis, vergente jam sole, in urbis apparuit medio densæ fumus caliginis, flante ventorum violentia nimia per aerem volitans. Siquidem plures velut fulmina faces, ab illo maximo et inextinguibili erumpentes igneo globo, totam subito micuerunt per urbem; ut quod civitatis residuum jam dictum illud evaserat incendium, totum fere flammis adureretur præsentibus. . . . . Quid enim dici valet ulterius? quam quod ignis hic instar fuit alterius, hoc tamen crudelior, quod multo plures ac majores combussit ecclesias, ... quarum parietinæ annis apparebunt ut reor plus mille. . . . .

novo urbis suæ incendio turbati Ecclesiæ rebelles

C

19 *His inter Monumenta Ambrosiana pag.* 462 *ex Arnulfo relatis, nunc ubi de Herlembaldo agit Puricellus, pag.* 300 *prosequitur cœptam narrationem his verbis.* Inter tot angustias tantasque, cum tota foret in urbe luctus omnis ordinis et ætatis utriusque sexus; solius Herlembaldi intrepidus perseverabat et inflexibilis animus. Siquidem instantibus Albis Paschatis Baptismi *(Pascha autem tunc recurrebat* V *Aprilis)* satagebat, sicut præterito fecerat anno, ignoto Chrismate inchoare mysterium. Cumque Cardinales ecclesiæ, quorum intererat sacrare Fontes, nollent contra solitum agere: adstat illico Luitprandus quidam, Presbyter nuncupatus, a progenitoribus vernula, qui jussu ac virtute illius Ordinariorum usurpavit officium, venientes inconsulte baptizans.

et quia iterum repudiabatur schismaticum Chrisma,

20 Et hæc quidem violentia, recenti juncta incensæ civitatis memoriæ, quamplurimos offendit graviter cives, præcipue Milites. . . . . Unde factum est (*pag.* 325) ut simul diebus aliquot extra urbem exeuntes, suam sibi jurarent, magna plebis cum parte, justitiam et S. Ambrosii honorem, ac dono Regis accepturos sese Pastorem. Cumque ingrederentur communiter urbem; Herlembaldus, ut semper consortis impatiens, adstantibus sibi concionabatur more suo. Ut vero cohibere furorem ultra non valuit; facto cum suis impetu et clamore, festinanter arripit arma, vexillum, quod S. Petri dicebat, dextra gerens; et contra cives, dum parte surgunt ab omni, armatus prorupit in medium: quem in momento ac prima fronte belli tanta adversariorum oppressit incursio, ut nihil memorabile posset ab illo fieri. Ubi vero circumventus est undique, illico crebris configitur ictibus; dictoque citius moriens corruit, comitatu ejus exiguo circumquaque dispérso. Cujus cadaver exanime, prostratum humi, discerptis exuitur indumentis, nudatumque fustibus undique tunditur ac petris; ut qui vivens multis terrori fuerat, multorum subjaceret lusibus moriens: et cum gestaretur humandus, nulla illum exequiarum est prosecuta devotio. Posthac Luitprandus Presbyter *(qui cum* Herlembaldo *in hostem processerat Crucem præferens)* dum fugeret, auribus truncatur et naso; ut qui alienum præsumpsit officium, quod habere videbatur, amitteret. . . . Eadem hora, post hoc insigne trophæum, cives omnes triumphales personant hymnos, Deo et Patrono suo Ambrosio, armati adeuntes ipsius ecclesiam. In crastinum vero simul cum Clero laici, in Litaniis et Laudibus, ad sanctum denuo procedentes Ambrosium, reatus præteritos confitentur alterutrum: absolutione vero a Sacerdotibus, qui præsto aderant celebrata, reversus est in pace Populus universus ad propria.

D

seditionem conflant contra Herlembaldum,

eoque cæso

Luitprandum Presbyterum naso et auribus mutilant,

E

21 *Si tamen pax aliqua potest esse impiis, per magis impios Sacerdotes magis magisque ad schisma fovendum obligatis: unde (verius quam intenderit Arnulfus apud Puricellum pag.* 315*) ad porro secuta progredi se ait;* prædictis rebus, non plane compositis, sed involutis. *Quænam autem porro secuta?* Sæpe jam dicti Mediolanenses, *inquit*, pro petendo Episcopo ultra montes Henrico Regi legationem dirigunt, mandantes Herlembaldicæ interfectionis triumphum. Quo cognito, lætatus est Rex ille supra modum, quemcumque vellent se daturum promittens Episcopum. *Et paulo post:* Interea Legatis Mediolanensium ex Clero et Populo super re præfata Regem adeuntibus, Tedaldus quidam, Mediolanensis Ecclesiæ Subdiaconus, capella militabat in Regia. Cui Rex, multa volvens ac revolvens consilia, proprio tandem indulgens arbitrio, Ambrosianum tradidit Præsulatum, posthabita Gothofredi illius adhuc viventis investitura et unctione, Athonis quoque Romæ tunc degentis electione. Quid plura? Susceptus est Præsul ille a Clero et Populo . . . . . cui etiam Suffraganei, iidem ipsi, qui Gothofredum consecraverant, manus imponunt, *die* IV *Februarii* MLXXVI *(uti ostendi in Exegesi de Episcopis Mediolanensibus) non obstante quod* Gregorius *Papa, per datas* VII *Idus Septembris prægressi* Tedaldo *mandasset, ut Romam veniret, electionis suæ rationem redditurus, interim vero sacros Ordines ne susciperet;* VI *quoque Idus Octobris scribens Vercellensi, Taurinensi, Astensi, Iporediensi, Laudensi et ceteris suffraganeis sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ, significaverat, quid Tedaldo scripserit; eisque præceperat eum ad sacros Ordines ne promoveant. Hic vero non se potest continere Arnulfus, quantumvis partis Regiæ studiosus, quin exclamet;* Res mira, et cunctis retro temporibus inaudita, ut urbis unius uno electo Antistite, sacrato altero, uno eodemque tempore tertius erumpat!

F

et Archiepiscopum petunt a Rege,

a quo missus Tedaldus,

frustra reclamante Papa consecratur anno 1076.

neque huic calculo repugnat Andreas,

A 22 *Falli hic Arnulfum vult Puricellus, dum ipso incendii secundi anno, et ante Tebaldi electionem atque ordinationem schismaticam, interfectum* Herlembaldum *dicit, atque id factum contendit paulo post Pascha anni* MLXXVI, *id est mense Aprilis. Sed quomodo falli potuit is, qui tunc cum res agebatur scribebat, et scribendi finem fecit anno post sequenti* LXXVII? *Me certe ad id dicendum non cogunt verba Andreæ, dicentis num.* 80, *quod martyrii palmam assecuto* Arialdo, *Deus*, decimo post anno Herlembaldum fidelem socium associavit in regno cœlorum; in quo decimo anno ista scripta sunt ad laudem Dei ejusque famuli Arialdi. *Non, inquam, hæc me movent: quia ibi video solicitum Andream, ut in iis quæ* Arialdum *spectant, inveniat denarium numerum; quem ut reperiret in annis utrique morti mediis, potuit incompletos eos sumere, primumque numerare ipsum quo cæsus* Arialdus *est, licet jam media ex parte decursum; et sic decimus post, erit ipse quem statuit Arnulfus, quemque ei disputare nequeo, annus* MLXXV. *Biennio autem post Henrico Rege ad Communionem ecclesiasticam recepto*, Mediolanensis Populus, Theodaldi societate culpabilis (divina prohibente lege communicare cum ex communicato) missis Domino Papæ legatis, solutionem imploravit. Cui legationi, *inquit Arnulfus*, etiam ipse interfui, de præteritis satisfaciens in futuro castigari promittens; *adeoque ea quæ contra* Sanctos Arialdum et Herlembaldum *acerbius scripserat correcturus, si denuo scribere eamdem historiam debuisset vel potuisset; nisi forte etiam tunc adhuc persistebat in priori opinione, quod illi, justum quidem, sed non juste fuerint prosecuti, modum et terminos suo cujusque Ordini præfixos excedendo. Hanc certe opinionem retinebat, jam quadamtenus emendatus, cum scriberet apud Puricellum pag.* 329, Si quæ sunt aliorum bene dicta vel acta, non improbamus, nec ullo modo dissentimus ab omnibus illis, qui venales reprobant Consecrationes et sacrorum incontinentias Ordinum; ea tamen ratione, ut a Paulo non discrepemus auctore; ait enim: Honeste et secundum ordinem fiant.

in annos sed incompletos numerans, a morte Arialdi ad cædem Herlembaldi,

B *quos indiscreti zeli male arguunt aliqui:*

23 *Nihil contra hanc legem, ne ab* Herlembaldo *quidem peccatum censuit Andreas, cum* in defensione justitiæ Martyrio coronatum *pronuntiavit num.* 34; *nihil etiam Gregorius Papa, scribens* Wifredo Mediolani Militi; quem, *post Herlembaldi cædem*, ad confortandos Christi milites, animum et fortitudinem resumpsisse *intellexerat. Mentem autem suam manifestius luculentiusque declarat, in epistola ad præfatum* Liprandum, *quam ex ejus nepote Landulfo a S. Paulo sic recitat Puricellus pag.* 327. Gregorius Episcopus Servus servorum Dei, Liprando Sacerdoti, salutem et Apostolicam benedictionem. Si Sanctorum memoriam veneramur, de quorum legimus morte et abscissione membrorum; si patientiam laudamus eorum, quos a Christi fide nec gladius, nec ulla pœna divisit, tu quoque, abscisso naso et auribus pro Christi nomine, laudabilior es, qui ad eam gratiam pertingere meruisti, quæ ab omnibus desideranda est; qua a Sanctis (si perseveraveris in finem) non discrepas. Integritas quidem corporis tui diminuta est: sed interior homo, qui renovatur de die in diem, magnum sanctitatis suscipit incrementum. Forma visibilis turpior: sed imago Dei, quæ est forma justitiæ, facta est in diminutione jucundior, in turpitudine pulchrior: unde in Canticis Canticorum gloriatur Ecclesia, dicens: Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem. Quodsi interior species nihil passa est detrimenti iis abscissionibus; non est abscissum a te Sacerdotale officium, quod proprium est sanctitatis; et non tam consideratur in integritate membrorum, quam in integritate virtutum. Unde Imperator Constantinus Hierosolymitani Episcopi cujusdam oculum *(S. Maximi scilicet, de quo actum* V *Maji)* pro Christi nomine erutum sæpe osculabatur: et exemplo patrum atque documento majorum, didicimus non auferre sacrum officium Martyribus, pro hujusmodi cæsura membrorum.

non ita Gregorius Papa,

C

Liprandum superstitem ut Martyrem laudans,

Cant. 1, 4.

D *EX VARIIS D. P.*

24 Proinde, Martyr, Christi, confortare in Domino. Magis credas, in te nunc esse Presbyteratus officium, quod prius olei unctione, nunc tui est sanguinis tinctione commissum: et quanto minus habes quod possit auferri; tanto minus timeas prædicare quæ vera sunt, seminare quæ centuplicata reddentur. Scimus quidem te ab inimicis sanctæ Ecclesiæ semper inimicari et affligi; sed tu ne eos timeas, neque perterrearis: quia nos, non tam te, quam tua omnia, sub nostra et sub Apostolicæ Sedis tutela cum magna caritate tenemus. Etsi in aliquibus tibi necessarium fuerit Apostolicam Sedem appellare, concedimus: et si ad nos et ad nostram Sedem veneris, cum gaudio et magno honore suscipere parati sumus. *Utinam sic etiam haberentur litteræ, quas, intellecta* Herlembaldi *morte, ad eos qui ipsam significabant, dedisse Gregorium credibile est, plenas æstimationis et affectus, nec non comprobationis actorum ab eo, quibus obstrui similiter possent ora, de eo æque ac* S. Arialdo *loquentium iniqua. Nunc quod superest, quidquid ex Puricello colligere possumus, ad utriusque honorem pergamus decerpere, adductis Auctorum, quæ repræsentat, verbis.*

et ad perseverantiam animans.

E

CAPUT IV.

SS. Herlembaldo et Arialdo erecta in S. Dionysii monumenta.

Obiit Gregorius *Papa VII anno* MLXXXV, *decimo post* Herlembaldi *cædem anno; cujus ut Sancti Vitam illustravit Henschenius* XXV *Maji. Obiit etiam eodem anno eodemque die, aut saltem sequenti, Aronæ Tedaldus, Pseudo Archiepiscopus Mediolanensis. Huic suffectus* Anselmus *est, Romana Sede per duos fere annos vacante. Non audet Puricellus liberare ejus institutionem a vitio electionum præcedentium: cum ipsa illa quam dixi Apostolici culminis vacatio, Henrico, manutenendæ Investituræ studiosissimo, commodum occasionem præberet usurpandi juris, a Gregorio VII abjudicati. Quomodo autem in Ordinatione suscipienda sese gesserit* Anselmus *iste; a quibus, et quando illam susceperit, nihil hic attinet discutere; satis sit dicere, quod Bertholdo Constantiensi, Pontificiarum partium scriptori, dicatur obiisse anno* MXCIII, in causa S. Petri studiosissimus; *adeoque a Victore Papa II, qui anno* MLXXXVI *in Pentecoste ordinatus est, vel ab Urbano Papa II, qui postea annis* XI *et mensibus aliquot tenuit Ecclesiæ Catholicæ gubernaculum, receptus et agnitus fuit, verus S. Ambrosii successor. Etenim illius ad hunc extat apud Ivonem parte* 6, *cap.* 406 *Rescriptum hujusmodi*: Discretioni nostræ videtur, quatenus, secundum præcepti nostri tenorem, quando secundum Ecclesiæ vestræ morem sacros daturus quibuslibet aliis Ordines, benedicere cœperis; eos, quos tua duxerit solertia reconciliandos, inter benedicendum et manus imponendum, facias interesse: quibus cetera omnia Consecrationis instrumenta, præter Unctionis explebis, et sic ad sancta ministeria reconciliabis.

Tedaldo suffectus anno 1085 Anselmus,

saltem postea Romæ approbatur,

F

et alios reconciliare permittitur

26 *Anno* MXCV *Placentiæ Synodum celebravit Urbanus*: Huic, *teste Bertholdo Constantiensi*, interfuerunt Saltzburgensis Archiepiscopus, et Pataviensis Episcopus de Bojaria, de Alemannia vero Constantiensis: qui et Arnulfum Mediolanensem Archiepiscopum, diu quidem electum, sed nondum consecratum, eodem tempore ex concessione Domini Papæ Mediolani consecravere. *Supervenit deinde illuc Pontifex*

Illi an. 1095 substitutus Arnulfus,

ÆX VARIIS D. P.

A *tifex ipse, qui quid tunc egerit Mediolani, colligit Puricellus ex quodam MS. Marginali additione, ad caput ult. libri* 3 *Annalium Landulfi Senioris, nihil quam Arnulfus fuit æquioris ad memoriam* Herlembaldi; *Ibi post hæc scripta in margine verba*, Occiditur Herlembaldus ab Arnaldo de Raude; *sic insuper legitur :* Versus super sepulcro Herlembaldi in S. Dionysio, quem Sanctorum Martyrum Catalogo annotavit Urbanus II : qui cum Arnulfo Archiepiscopo millesimo nonagesimo primo, corpus ejus tumulavit *(ubi* nonagesimum quintum *annum legendum merito censet Puricellus)* quia ipse Herlembaldus, Vexillifer Ecclesiæ ac Tutor, ab adversariis Ecclesiæ, occisus est.

Herlembaldi ab Urbano 2 canonizati

corpus transfert,

Hic Herlembaldus, Miles Christi reverendus,
Occisus legitur qui cœli sede potitur.
Incestus reprobat, Simonias et quia damnat,
Hunc Veneris servi perimunt Simonisque maligni,
Urbanus, summus Præsul dictusque secundus :
Noster et Arnulfus, Pastor pius atque benignus.
Hujus membra viri tumulant translata Beati.

B 27 *Quod autem primæ sepulturæ locus non fuerit alius, quam quo ipsum postea Papa detulit, intelligendum nobis præbet Petrus Azarius apud Puricellum pag.* 22, *ubi primum narrat, quod* audientes nobiles Milites, de Mediolano proscripti, bona nova de dato sibi Archiepiscopo (*etsi revera necdum datus esset, sed solum promissus)* confortati sunt valde; et congregantes amicos ex omnibus partibus civitatis Mediolani, ipsam civitatem aggressi sunt. Quod sentiens Herlembaldus Gotta, Dominus populi primus, exivit obviam inimicis : cui occurrit in campo Herlembaldus *(aliis* Arnaldus *dictus)* de Raude, miles proscriptus, atque ipsum de equo dejecit et decapitavit. *Addit deinde Azarius :* Et sic in sancta confessione moriens sepultus fuit in ecclesia SS. Portasii et Aurelii, id est, S. Dionysii inter Martyres. *Hieronymus Montius, Mediolanensis Jurisconsultus et Orator, postea etiam Senator et Præses Sanitatis, in panegyrico quem recitavit anno* MDXLVII, *cum* Herlembaldum *quoque ex eo laudasset, quod* legem in Ecclesia Mediolanensi promulgari procuravit, ne Clerici uxores ducere, neve matrimonio jungi possent.. Ea causa, *inquit*, offensos Clericos *(melius dixisset eorum fautores Nobiles)* necem homini intulisse reperio apud auctores; a populo vero divinos illi

in eadem ubi prius sepultus erat S. Dionysii ecclesia.

Jacebat illud anno 1547

C honores, ob tam celebris facti memoriam exhibitos; inclusumque ferrea arca cadaver, divi Dionysii templo, in nostram usque diem servatum novimus.

in arca ferrata;

28 *Bernardinus Corius cap.* 9, Arcam *appellat*, ferreis laminis circumdatam. *Paulus Morigia, in suo Sanctuario Mediolanensi anni* MDCIII, *inter corpora, tunc adhuc quiescentia in æde S. Dionysii, recenset quidem* corpus S. Herlembaldi Martyris; *sed ex fide antiquorum Chronicorum, potius quam ex præsenti conspectu; idque quia* anno MDXLIX Ferdinandus Gonzaga Mediolanensis Gubernator, volens civitatem mœniis cingere ex artis militaris præscripto; cœpit ab extruendo S. Dionysii propugnaculo, cujus licet noviter structam ecclesiam, bona tamen sui parte truncavit; tota scilicet tribuna cum Sanctuario sive crypta sacra. *Ex qua occasione abolita fuisse* SS. Arialdi et Herlembaldi *monumenta, videtur agnoscere Puricellus pag.* 384; *sic enim loquitur :* Si quis tandem requirat, utrum Sanctorum corpora etiamnum in hac S. Dionysii, si non ædicula subterranea (quam utique dirutam fassi sumus) certe saltem ecclesia utcumque perseverent, nec alio translata unquam fuerint : ego quidem adhuc nihil habeo causæ, cur de corpore quiddam Herlembaldi ambigam.

quæ anno 1549 videri desiit,

29 *Ad* S. Arialdum *autem quod attinet*, Landulfus *Senior, coævus illi, sed studio partium infensus historicus, apud Puricellum pag.* 12, *post nescio quæ scripta de corporis inventione vel ostensione (nec enim placuit Puricello ea publicare) deinde* multis, *inquit*, dubitantibus, multisque congaudentibus, plurimisque credentibus, tandem pallio superimposito, lectica compositus est. Quo assumpto et quasi Levita cum Stola ornata, summis cum Litaniis magnisque exultationibus plurimisque confrequentationibus, in monasterio S. Celsi humatum est. His itaque peractis, Herlembaldus suis cum omnibus magnisque ceremoniis, quasi novum Martyrem celebrantes, phantastica delusi imagine (ut postea in tempore quarti Anselmi Archiepiscopi apparuit) sedulo ac devote colebant. Cum enim post biennium suæ consecrationis *(id est anno* MCXIX *secundum meum alibi calculum, etiam a Puricello pag.* 382 *probatum)* Cum, *inquam*, Domnus Anselmus Arialdi ossa ac corpus, qualiter male olim in veritate fuissent humata, comperisset, curialiter cum paucis Clericis ad locum tendens, ossa quæ habere potuit colligens, in ecclesia S. Dionysii humavit. *Quibus verbis videtur indicari, istud quod* Herlembaldus *transtulit, et apud S. Celsum tumulavit corpus, non fuisse verum corpus* S. Arialdi.

D *Arialdus in æde S. Celsi sepultus,*

anno 1099 translatus ad S. Dionysii

E 30 *Sed in hoc* splendide mentiri *Landulfum, censet Puricellus æque ac ubi dixit, quod* transactis aliquantis *a prima* in arce Travali deportatione diebus, ejus cadaveris fœtor castellum omne, ita ut omnes nausearent fugientes, occupavit. *Sane quam hoc certo falsum est ut supra vidimus ex veraciori teste B. Andrea; tam illud quoque, de ablatis clam ex arce prædicta ossibus, debet confictum ab inimicis censeri. Utrumque fortassis pedem, mortuo abscissum num.* 74, *ex prædicto loco requisivit Archiepiscopus; vel ex loco carni ficinæ dexteram auresque et cetera membra viventi amputata, eaque junxerit reliquo apud S. Celsum tumulato corpori, ac pariter ad Dionysii transtulerit, monumentum eis daturus prope monumentum* S. Herlembaldi. *Qui Landulfi istius ac deinde Arnulfi historias transcripsit librarius, apud Puricellum pag.* 11, *sic notavit in margine;* Nec mirandum, si iste Historiographus, et sequens, non laudent istum Arialdum, quia ipsi erant fautores Sacerdotum uxoratorum, concubinariorum et simoniacorum, a quibus B. Arialdus passus est. *Deinde in eodem margine describit versus* super sepulcro S. Arialdi *repertos, sed veluti consequenter legendos ut infra, cum verosimile mihi sit, duplex, aut etiam triplex epigramma hic haberi, quorum alterum arcæ, alterum lavello seu absidi appictum vel insculptum fuerit; tertium, communis fuerit, et inter utrumque duorum monumentum scriptus titulus.*

et forte etiam membra olim præcisa aliunde allata.

Versus sepulcro inscripti,

F 31 *Indicasse hoc videtur scriptor cum addit :* Tres isti versus loquuntur de Arialdo et Herlembaldo, *scilicet tres ultimi, sic descripti :*

ac primum tres communes gemino monumento,

Sanctos thesauros venerare per omnia caros,
Hos pugiles Christi, gens inclita Mediolani,
De cujus Sancti sunt isti sanguine nati.

Arcæ ipsi tres primos versus sic adscripserim, ut eis addere velim unum, ex Herlembaldi *Epitaphio assumptum, et ad supplendum defectuosum sensum perquam utilem.*

alii vero Arcæ.

Martyr Levita jacet hac Arialdus in urna.
Truncatus moritur : sed vitæ dona meretur,
Hoc Mausoleo reverenter condita digno :
Incestus reprobat, Simonias et quia damnat.

Similiter tribus aliis versibus super lavello locandis, deesse videtur caput; quod ex eodem Arialdi *epitapho sic mutuabor :*

alii lavello additi

Dum Veneris servos reprimit Simonisque maligni;
deinde subjungam, sensum utcumque habituros tres :

His

A His geminis causis Arialdus passus ab istis,
Martyr in Ecclesia Levita reconditur ista.
Transtulit Anselmus Pastor venerabile corpus.

32 *Istæc utcumque se habeant, allegat pag.* 14 *Puricellus, commodatum sibi MS.* de Archiepiscopis Mediolanensibus, a S. Barnaba usque ad Joannem Arcimboldum, *id est usque ad annum* MDL; quibus addita sunt quædam ex collectis per N. Fontanam: *hic vero* ex Andreæ Alciati Antiquario, *ad nomen Guidonis Archiepiscopi, sic notat,* Sub hoc Guidone de Velate Valvassorio, Arialdi ex Alciata gente sepulcrum. Relatus est inter Divos ab Alexandro II. Sepultus in D. Dionysii tumulo marmoreo: sed millesimo quingentesimo octavo, a Ludovico duodecimo Francorum Rege, Parisios pro corpore S. Dionysii translatum est. *Melius tamen fortassis notaretur annus* MDIX, *quando in Insubria Regem fuisse constat, Maximiliano Imperatori Pontificisque Julio contra Venetos fœderatum; ubi initio ad flumen Adduam prælio, victoriam ingentem retulit. Videtur autem Rex petiisse corpus S. Dionysii Mediolanensis, ut ipsum jungeret duobus aliis SS. Dionysiis, Parisiensi scilicet, quem Areopagitam vulgus credebat, et* B *Corinthiorum Episcopo, de cujus corpore illuc sub annum* MCCXV *translato egit Henschenius* VIII *Aprilis, sed deprecantibus ne illo Tutelari suo privarentur Mediolanensibus, corpore* S. Arialdi *contentus abierit: hoc vero quid porro factum sit, hactenus non potui invenire.*

Corpus an. 1509 translatum Parisios.

32 *Aliud Epitaphium, sed nescio an non ad ipsomet Alciato compositum, certe in prælaudato illius Antiquario a Fontana transcriptum, et forte nusquam positum, sic recitat Puricellus pag.* 15.

Epitaphium ejusdem recentius.

ARIALDO DIACONO

Qui, nemo ut melius, divinis mystica verbis
Tradidit, et populi solus in ore fuit;
Qui lapsos mroes discipli namque cadentem,
Et Thyasi errores corrigere ausus erat;
Hic Arialdus adest. Heu noxia vita nocentum,
Quæ censorem ullum ferre molesta nequit!
Clam raptum, appensumque molæ, projecit in undas
Verbani, ut rapidis piscibus esca foret:
Deinde sed inventum, atque illæso corpore, templis
Est dignata novo Martyre posteritas.

C

APPENDIX

De venerabili Liprando Presbytero Confessore.

§. I. Grossulanus Anselmi successor Simoniæ convincitur judicio ignis.

Cum *Senior Landulfus* Leoprando Sacerdoti, *Herlembaldum extremo discrimini se* cum paucis armatis *objicientem comitato, crimini ducat apud Puricellum pag.* 13, *quod* et ipse crucem manu gestabat propria; non ut bellantes sedaret, sed ut bellantes suos potius incitaret, hostibus et ipse hostis; *quem propterea naribus auribusque mutilatum vidimus, et Martyribus a S. Gregorio Papa VII comparatum; placet ejusdem acta, quatenus colligi ex Puricello poterunt, ad extremum prosequi, et Landulfi istius maledicentiam rebus ipsis coarguere: ob quas et ob Confessionis Catholicæ meritum, primus fuit in æstimatione, apud omnes Apostolicæ Sedis fideles: quod Landulfus Junior pag.* 388 *apud Puricellum nobis testatur, ubi ita scribit.* Cono Rex, qui dum Henricus pater ejus, *Ecclesiæ rebellis et excommunicatus,* viveret, *suadente Urbano Papa II,* per contractationem Mathildis Comitissæ, et officium Anselmi de Chode *Mediolanensis Archiepiscopi,* et Armani Brixiensis, fuit coronatus Modoetiæ in ecclesia S. Ambrosii *an.* MXCIII, ad horum Pontificum ordinationem non respexit; sed regnans in loco, qui Burgus S. Domnini dicitur (*oppidum est medium inter Placentiam et Parmam*) vidit Presbyterum Liprandum, propter Patariam naso et auribus truncatum, euntem ad Urbanum Romanum Pontificem: cui Presbytero Rex ipse cum devotione inquit; Cum sis Magister Patarinorum, quid sentis de Pontificibus et Sacerdotibus, regia jura possidentibus, et Regi nulla alimenta præstantibus? Et Presbyter ipse absque ullo rancore in beneplacito Dei et ipsius Regis respondit.

Conradus pro patre Henrico Rex Italiæ coronatus, D

EX VARIIS D. P. devote Liprandum consulit,

ut magistrum Patarinorum,

2 *In quibus verbis ante omnia notandum, ex Hugone Flaviacensi apud Cangium in Glossario, quod,* siquis esset, qui Gregorio communicaret *(idemque de Urbano intellige, ejus post Victorem successore)* hic hæreticus, destructor regni, et quodam adinventitio nomine Paterinus dicebatur. *Hoc deinde nomen ad Waldenses aliosque hæreticos transiit, de quibus vide loco citato Cangium, opinantem, ita tunc primo dictos fideles,* quod Papæ, quem Patrem appellabant, adhærerent. *Et hoc in sensu pag.* 300 E Herlembaldum *Landulfus Senior inculpabat, quod per ejus potentiam, schismaticis Regi adhærentibus exosam,* Patarinorum in tantum excrevit numerus atque virtus, in pagis et oppidis, ac quibusdam duce ipso in auribus, ut suorum videretur omnium Dominus concivium. *Ego seniorem Landulfum ita loqui non miror; sed juniorem, scriptorem Catholicum, et* Liprandi *nepotem uti* Patariæ *vocabulo. Rex vero, inter excommunicatum patrem suum et Urbanum Papam quasi medius; videtur suspectos habuisse dictos in patris aula* Patarinos; *illoque nomine etiam usus in sua, quatenus per eos videbatur Regia potestas imminui, atque pro parte in Papam transferri. Et* Liprandus *quidem interroganti Regi responsum haud ingratum visus erat reddidisse;* verumtamen altera die faciens iter suum, cum Presbytero Arnaldo Magistro Scholarum Mediolanensium, et Syro Sacerdote ecclesiæ S. Mariæ Podoni, captus est ab hominibus Parmensis Episcopi; *quem hinc apparet schismaticum fuisse, ut dolere magnopere non debuerit Ughellus, tom.* 2 *col.* 213, *quod* nomen *ejus* delevit invidiosa vetustas.

id est Pontificiorum:

eique visus satisfecisse,

tamen in via capitur et spoliatur,

3 *Ita interceptus ab hostibus* Liprandus, *ut porro ait Landulfus Junior,* ducebatur, digerens pœnam ad locum qui dicebatur... ibique per quatuor dies retentus et expoliatus, inde Mediolanum rediit. Rex vero ipse, prout audivi a raptoribus illis, emendam (*id est mulctam seu satisfactionem pro facta Sacerdoti injuria*) et mulam ipsius Presbyteri suscepit, *eoque se complicem facinoris fecit, quod debuisset severe ulcisci. Neque id etiam impune tulit:* mox *enim* in Tusciam adire tentavit: et cum Florentiam pervenisset Rex, ipse alias prudens et sapiens atque decorus specie adolescens... vitam finivit. *Id cum Domnizo in vita Mathildis dicat factum anno* tertio, ex quo Urbanus Papa transierat; *oportet ut injuria ista* Liprando *sit illata anno* MCI, *eunti, non ad Urbanum, qui anno* MXCIX *obierat, sed ad successorem ejus Paschalem II. Verum hic facile fuit et ignoscendus Landulfo isti memoriæ lapsus; sicuti etiam quod famæ credidit, Regem obiisse* accepta potione ab Aviano Mathildis medico: *cum Domnizo dicat, quod* post pacem *cum Mathilde reformatam,* febre tactus (Julius autem mensis erat) moritur Chonradus. *Si quid tamen in* Liprando *non vindicando is peccavit, oportet ipsum finali pœnitentia eluisse; si (uti scribit Urspergensis) vere* testati *sunt, qui morienti* aderant, in brachio corporis exanimi Crucis signaculum subito exortum se vidisse, ipsasque ejus exequias miraculis

F

nec vindicatur a Rege;

ideo præmature mortuo, in Julio anni 1101,

pie tamen

EX VARIIS D. P.

A lis quibusdam honorificatas fuisse. *Nec immerito, quandoquidem debitam Pontifici obedientiam paterno affectui et reverentiæ prætulit.* ideoque plena fide et bona confessione, a regno transitorio, ad æternum creditur regnum transisse.

Grossulanus Anselmi peregrinantis Vicarius,

4 *Interim contigerat* Anselmum *Archiepiscopum suscipere peregrinationem Hierosolymitanam, sibique Vicarium substituere quemdam* Grossulanum, *Electum Saonensem; qui* commonuit gentem, ut per singulas hebdomades in secunda feria ad S. Ambrosii convenirent, et pro Archiepiscopo illo Anselmo ejusque exercitu Litanias facerent: ipse vero non solum in ipsis feriis, sed per singulas festivitates, magnæ civitatis genti luculente sermocinabatur, et sermocinando non magis affectabat ipsam sibi, quam asperitate vestitus et cibi... *et sic* per duos annos laboravit, *donec* certitudinem accepit de morte prædicti Anselmi, *Constantinopoli obita anno* MCI, *die* XXX *Septembris. Accepta autem certitudine, præcepit* Primicerio et ordinariis, *inquit,* majoris ecclesiæ, ut præsente se eligerent sibi et populo Archiepiscopum convenientem, priusquam rediret ad Episcopatum Saonensem.

eo mortuo curat se eligendum Archiepiscopum,

Tunc Primicerius, habito consilio cum B nobilibus Clericis et viris Mediolani, coram populo et ipso, alterum de Landulfis Mediolanensis Ecclesiæ Ordinariis, a Hierosolymis redeuntibus, elegit: sed Grossulanus de absente persona electionem fieri prohibuit. Pars itaque Cleri et Populi, ad nutum Arialdi, Abbatis Monasterii S. Dionysii, clamavit et laudavit Grossulanum sibi in Archiepiscopum. Ipse vere, statim ut vidit, se a quadam magna vulgi et Nobilium multitudine conclamatum, et ab Abbate illo plaudatum, Archiepiscopalem Sedem ascendit et sedit; et illum Abbatem, de Abbatia in Abbatiam, majorem videlicet Clavatensem, transtulit.

et frustra contranitente Liprando,

5 Sed ante hujus translationem contigit quod quidam qui videbatur in vita et moribus [præstantiores] viri et Clerici Mediolanenses, quædam turpia de Grossulano et ejus electione Presbytero Liprando notificaverunt. Quibus Viris et Clericis Presbyter ipse consilium dedit, ut litteras et duos idoneos Clericos mitterent Romam, rogando Papam, quatenus Grossulanum in Archiepiscopatu non firmaret, donec seipsos mittentes litteras, in proximo tempore videret et audiret. Bernardus autem Abbas Umbrosæ-vallis et Cardinalis Romanus, ad has litteras et nuntios, coram Apostolico et Curia Romana C non respexit: sed accepta Stola Curiam Comitissæ Mathildis intravit; ibique inito consilio, in beneplacito Arderici de Carimate, qui pro Grossulano et Stola Romam iverat, Abbas ille Bernardus Romam adire festinavit.

Pallium Romæ accipit:

Et cum procul vidisset Mediolanum Ardericus, idem [Stolam] in protensi virga (*umbellæ forsitan genus* Protensum *est*) usque ad majorem ecclesiam civitatis portavit clamans, Hecco la Stola, Hecco la Stola: et in hoc clamore plenitudo vulgi fuit et acclamavit, Moriatur quicumque contradixerit. Clamor iste ingens et continuus fuit, donec Abbas ille Cardinalis, et Grossulanus pulpitum majoris ecclesiæ Mediolani ascendit. Et cum uterque ibi videbantur in victu afflicti, in vultu demissi, in sermone præclari, tantum plausum audierunt sibi, veluti si pure forent Angeli Dei. Ibique Grossulanus Stola indutus, et Abbas in suo tempore remuneratus, quievit et recessit, et post paucos dies in gratiam prædictæ Comitissæ Mathildis, idem Abbas Parmensem Episcopatum suscepit: *vir plane sanctus, uti docebit Vita danda* IV *Decembris; quare ex ipsius parte nullum hic possumus Simoniæ vitium suspicari.*

Simoniæ tamen eum arguit Liprandus,

6 *Non acquiescebat interim* Liprandus *Grossulanum suscipere: hic vero,* quoscumque non potuit sibi blandiri, tentavit minis terrere, Presbyterum Liprandum præcipue, *ut legitur in Monum. Ambros. pag.* 493. D *Cumque compescendis tumultibus contra se invalescentibus, Synodum convocasset Grossulanus, accito in concionem Populo dixit:* Si quis adversum me vult dicere aliquid, nunc dicat: quod si modo tacuerit, amplius adversum me audientiam non habebit. Hoc cum Presbytero Liprando renuntiatum fuit, et ipse plures cives ad ecclesiam S. Pauli vocavit in die, quibus dixit; Videtis me abscissum naso et auribus pro nomine Christi, unde mihi magna retributio est promissa, si in finem perseveravero. Pro amore itaque Christi vestraque salute et pace, rogo vos, ut ad me et ea quæ vobis dixero intendatis. Et cum hæc et plura, benedicta beneque sonantia, præsertim adversus Simoniam dixisset; proposuit dicens: Grossulanus, qui pro Archiepiscopo tenetur, est simoniacus de Archiepiscopatu Mediolanensi, per munus a manu, per munus a lingua, per munus ab obsequio.

et crimen offert probare per ignem

Et cum in suo proposito procederet, sæpissime hortabatur omnes, ut convenirent ad veram cognitionem hujus propositi per divinum judicium, approbatum in vita vel morte sua, manifestata per ipsum. Sed Grossulani turba E hoc perturbabat auctoritate Pontificum, qui Mediolanum venerant ad celebrandam Synodum cum Grossulano. Verumtamen Presbyter ipse, adversus Episcopos disputans, rationibus et exemplis suam sententiam sustinuit nec dimisit. Grossulanus vero, parvipendens hujus Presbyteri verba, velut in præsentia ejus non essent prolata, Synodum suam in ecclesia S. Mariæ per duos dies tractavit...

quod cum probavit, irritatus injuria populus,

7 Attamen Grossulani turba, dimicans adversus Primicerium Landulfum, ejusdem Primicerii Clericum cum lapide occidit: deinde, quasi in consensu totius civitatis, dictum fuit Presbytero, ut ad faciendum judicium multa ligna congregaret in prato, quod clauditur in muro juxta S. Ambrosii monasterium. Et Presbyter ipse, plenus magno spiritu, annonam et vinum quæ ad edendum habebat, suamque de lupi pelle tunicam pro lignis pignoravit; cetera vero quæ possidebat in libris et aliis rebus, statuit ut conservarentur Landulfo nepoti suo et alumno (*hæc ipsa deinde scripturo*) qui tunc temporis discebat Aureliani, ab egregio Magistro Alfredo et Nobili Jacobo.

ipse ignem progreditur:

Statuit etiam, si contigerit illum mori in illo judicio, si quid corporis ejus residuum fuerit, portaretur ad ecclesiam S. Trinitatis, quam ipse in alodio suo fundavit, et B. Petro tradidit. F His ita statutis et ordinatis, idem [Presbyter ad S.] Ambrosii ecclesiam ivit.

sed impeditur:

Et cum ipse facturus judicium [esset], manus Grossulani prævaluit, et ipsa ligna in prato disposita dispersit, ipsumque Presbyterum separavit ab illa dispositione ignominiose. Deinde ipse Presbyter in domo sua et S. Pauli ecclesia siluit et quievit, donec pueri et puellæ, mares et feminæ, in proximo tempore clamaverunt; Foras, foras, Grossulane.

8 Hunc clamorem Grossulanus cupiens compescere, habuit consilium cum satellitibus suis, quibus dixit: Ite et vos, et publice eligite viros de populo, qui dicant illi Liprando, aut ad satisfactionem meam veniat, aut de terra ista exeat, aut judicium quod se facturum promisit, faciat. Consiliarii itaque de latere ejus venientes ad concionem populi, in vespertina hora Dominicæ diei de ramis palmarum seu olivarum (*id est* XXX *Martii: annus enim erat* MCII *et Pascha celebrandum* VI *Aprilis*) publicaverunt quæ audierant a Domino suo Grossulano.

deinde in Grossulanum provocatur ad rogum,

Quapropter non solum viri, in concione electi, venerunt ad Presbyterum hanc legationem dicere; sed innumera multitudo hominum venit hanc legationem confirmare. Ad quorum clamorem, clamantem. Veniat Presbyter ipse Liprandus; ipse humilis exivit: et ut legationem

A legationem audivit et intellexit, manus ad cœlum levavit, et Deo gratias egit; et interrogando legatos, inquit; Vult et mandat ipse, quod mihi dicitis? Qui omnes respondentes, dixerunt : Utique vult et mandat. Et Presbyter ad eos : Terram non exeo, sed in istis duobus diebus jejunium ago, et in quarta feria faciam judicium, præstante Deo; sed unde ligna emam, non habeo.

9 Tunc Grossulani et Reipublicæ ministri quercina ligna, ad flammam et calorem aptissima, triginta solidis denariorum emerunt : quæ in campo ante atrium ecclesiæ S. Ambrosii in duabus congeriebus, respicientibus se, composuerunt; longitudo quarum decem cubitorum fuit, et altitudo et latitudo major statura hominis cubitorum quatuor; via vero inter ipsas congeries unius et semis cubiti. Iis ita dispositis, et quibusdam lignis in via interpositis, in quarta feria Presbyter indutus cilicio, camisio atque casula, more Sacerdotis, ab ecclesia S. Pauli usque ad ecclesiam SS. Martyrum Gervasii et Protasii et beatissimi Ambrosii, nudis pedibus Crucem portavit . super quorum altare, ceteris Sacerdotibus deficientibus, ipse sibi Missam cantavit. Et Missa cantata Grossulanus quoque gerendo Cru- B cem, eamdem ecclesiam intravit; et pulpitum, cum Arialdo de Meregnano et Berardo Judice Astensi, ascendit. Et facto silentio in populo, et Presbytero stante nudis pedibus super lapidem marmoreum, qui in introitu Chori continet Herculis simulacrum, idem Grossulanus ait ad populum : Attendite, quia in tribus verbis hunc hominem vincam, et ejus confusionem ostendam. Et ad Presbyterum inquit; Proposuisti quod ego sum simoniacus per munus a manu. Modo dic : Cui dedi.

in atrio S. Ambrosii structum,

10 Tunc Presbyter super populum oculos aperuit, et digitum ad eos, qui stabant in pulpito, extendit, dicens, Videte tres grandissimos diabolos, qui per ingenium et pecuniam suam putant me confundere. Et nonne diabolus ille, qui suasit illum fieri simoniacum per pecuniam, suadere potest, ut adhuc majorem pecuniam daret, et veritatem occultaret, et testes et judices mundanos mihi auferret? Et nonne scitis, quia propter vitandam astutiam diaboli et pravorum hominum, ego elegi Deum judicem, qui neque per pecuniam corrumpi, neque aliquo modo potest falli in judicio? ad cujus judicium si vultis venire, paratus sum quod promisi facere. Et Grossulanus ad eum ; Modo dic, de qua Simonia dicis? C Et Presbyter ad illum : Modo dic tu, quæ est bona? Et Grossulanus aliquantum subsiluit, et ait : Est simonia, quæ simoniacum non deponit. Et Presbyter ait : Ego dico de illa, quæ deponit Abbatem de Abbatia, Episcopum de Episcopatu, Archiepiscopum de Archiepiscopatu, in quo est. Et cum his verbis satisfecisset omnibus, audivit populum clamantem, Exito foras ad judicium : exito foras ad judicium. Et Presbyter in hoc multiplicato clamore, licet senex; desuper lapide continente Herculis simulacrum prosilivit, et una cum populo in campo, in quo erant lignorum congeries, venit : ibique, dum ignis lignis accendebatur, dixit : Vos præter me non cernitis Sacerdotem, qui hunc ignem benedicat : sed cernitis chartam hanc quam teneo, in qua sancta verba et signa sanctæ Crucis continentur. Et ego minister hæc signa inferius dicam et faciam; et Deus, qui est Dominus meus, desuper ignem benedicat. Et audientes et bene intelligentes dixerunt; Amen.

ubi hunc ille publice accusat ;

et procedit ad rogum,

11 Atque cum in circuitu ignis hæc verba dixisset, et signa fecisset, et aquam benedictam et incensum super ignem, astante ibi Grossulano, aspersisset; dubitabatur de ordinando sacramento apud Grossulanum et Arialdum de Meregnano, qui erat quasi potentissimus princeps Grossulani et procurator judicii, et expectans, Presbyterum per ignem D morte finiri, vel per nimium terrorem ad Dominum suum converti. Ipse namque Berardo Judici Astensi, hanc legem non solum per mortem, sed etiam per quamlibet ignitam læsuram in Presbytero factam condemnanti, dixerat ; Absit quod læsura : sed ignem adeo magnificabo, quod procul oculos ignis de capite ejus eruet, et ipse igne ardens cinis putrefiet. Attamen Presbyter, cum vidisset eos de ordinando Sacramento dubitare, dixit ad eos, Sinite me, quod ego bene ordinabo; nec finiam Sacramentum, donec dixero tantum, quantum vobis satisfecerit. Et illico consensu eorum apprehendit cappam Grossulani, ipsamque quassavit, dicens : Iste Grossulanus, qui est sub ista cappa, et non de alio dico, est Simoniacus de Archiepiscopatu Mediolani, per munus a manu, per munus a lingua, per munus ab obsequio. Et cum illis videbatur sufficere, addidit : Et ego, ad fiduciam maleficii aut incantationis vel carminis, non intro hoc judicium.

quo rite benedicto,

EX VARIIS. D. P.

iterum juratus confirmat accusationem,

12 Facto hoc sacramento Grossulanus concorditer equum ascendit, et ad ecclesiam S. Joannis quæ dicitur ad Concham venit; Arialdus vero prædictus de Meregnano, inquirens et expectans plenitudinem ignis, Presbyterum tenuit; et tenendo, E manum suam læsam ab ipso calore ignis sensit; et tamen ad Presbyterum inquit : Presbyter Liprande, vidi mortem tuam in igne : convertere ad Dominum meum Archiepiscopum, habita securitate vitæ tuæ : alioqui vade et ardeto cum Dei maledictione. Et Presbyter ad illum : Satana, retro vade. Illo retrocedente, Presbyter prostratus a terra se levavit; et signo Crucis sibi apposito, ingens flamma ignis in Meridem et Septemtrionem se divisit, et via apparuit quam Presbyter intravit. Et transiens per ipsos carbones ignis, ceu arenam calcaret, sensit; et dum per ipsam viam transibat, flamma post ipsum coibat. Et ipse mihi dixit, et bene intellexi, donec in via hujus ignis fui, hanc orationem Deo protuli : Deus in nomine tuo salvum me fac, et in virtute tua libera me : Deus in nomine tuo salvum me fac, et in virtute tua libera me : Deus in nomine tuo salvum me fac , et in virtute tua libera me. Et dum tertio proferret hoc verbum, Fac; se extra ignem vidit; nec in se , nec in suis Sacerdotalibus vestibus lineis ac sericis, quibus erat indutus, sive in cilicio, læsionem ullam sensit. Tunc populus plene, quasi ex uno ore, laudem Deo et huic Presbytero, extra et infra civitatem , contulit : F Grossulanus vero intrepidus Sedem Archiepiscopatus deseruit et civitatem : quia aperto communi civitatis ore juratum erat, quod neutri eorum , nec alicui de parte illorum, pro hac actione malum fieret, nisi quod Dominus sibi faceret. *Hactenus Puricellus pag.* 399 *et seqq.*

ignemque luculenter ardentem

constanter ingressus

ab eodem illæsus egreditur.

§. *II. Reliqua Liprandi vita et mors miraculis illustrata.*

Tam *luculentum miraculum non habuit continuo omnem, qui sperabatur effectum* : sed quia præsentia Episcoporum Suffraganeorum huic legi et triumpho favorem integre non præbuit; et quia ignis manum Presbyteri, in projiciendo aquam et incensum super ignem , læsit; et quia pes equi Joannis de Rode nudum Presbyteri pedem , de igne exeuntis, dure calcavit; turba, tristis de casu et ruina Grossulani, in Presbyterum et ejus legem post pauca scandalizavit , et scandalizando , hortatu quorumdam Sacerdotum, prælia et homicidia multa commisit. Interea Grossulanus Dominum Papam Paschalem gratum sibi invenit. Landulphus vero de Vareglate, *unus de supradictis Electis, sed rejectis propter absentiam,*

Vacillanti circa judicium plebi

EX VARIIS D. P.

tiam, rediens a Hierosolymis Romam pervenit; atque de Grossulano jam inde regresso didicit (*uti legere est in Monumentis Ambrosianis pag.* 496) non solum quod actum fuerat Mediolani propter concertationem Presbyteri et Grossulani; sed et quam solenniter Romanus Pontifex post alia facta Grossulanum susceperat... Sed tamen Landulfus ille de Vareglate veniens Mediolanum, non Presbyterum nec ejus legem directe contempsit; sed Clero et Populo Mediolanensi promittens deponere Grossulanum ab omni ecclesiastico Officio, juxta Canonum rationem, inquit: Cur de lege Presbyteri Liprandi et Grossulani contenditis, et prælia et homicidia in vobis facitis? En vobis certissime dico, et per Joannem Vicomercatensem Grossulano mando, quod ego apud Domnum Papam Paschalem, ejusque Curiam vel Synodum, certis cum rationibus et justis et sanctis Canonibus comprobabo illum non posse subsistere in numero Episcoporum vel Presbyterorum, aut etiam in aliquo ordine Clericorum. Clerus vero et Populus huic authentico, et secundum quamdam novitatem Canonice S. Nazarii Præposito, et majoris ecclesiæ Mediolanensis Ordinario credulus, una cum Grossulano ad Romanam Synodum pervenire studuit. Unde rigidus et sapiens Capitaneus Mediolanensium Amizo de Landriano, ait: Vos ludriam (*id est lutram, amphibium animal*) in aqua negare (*seu mergere*) vultis, *id est, frustra laboratis.*

Præpositus Landulfus, pollicetur Romam ire;

14 Sed Grossulanus, ad pedes Apostolici provolutus, sibi et suis iterum refugium suscepit. Presbyter vero Liprandus, cum jam senex esset, et duo anni post legem ab ipso factam transissent, *adeoque anno* MCIII, provocatus, et quasi compulsus Romam ad Synodum venit; in qua prædictus Landulfus de Vareglate, qui post ipsam Synodum fuit Astensis Episcopus, *prece fortassis vel pretio in favorem rei corruptus,* neque ante Papam vel ejus Curiam seu Synodum adversus Grossulanum verbum ullum ignominiosum protulit; *contra quam Mediolani promiserat:* sed Presbyter Liprandus causam, quam adversus Grossulanum habuit, pure notificavit; et Apostolicus non legem, per ipsum Presbyterum datam, et sacramento et igne notatam, laudavit; sed gratiam et officium Presbyteratus in illo firmavit, et dixit: Si hic Presbyter juraret et duodecim Sacerdotes cum illo jurejurando affirmarent, quod Grossulanus coegit ipsum Presbyterum ire per ignem, sustineret Grossulanus depositionem: atque super hoc spatium consulendi per unam noctem dedit. Nocte autem illa transacta, Apostolicus coram Synodo a Grossulano suscepit sacramentum, in quo sacramento Grossulanus sic ait: Ego Grossulanus gratia Dei Archiepiscopus, non coegi dictum Liprandum Presbyterum ire ad ignem. Tunc et Ardericus, Laudensis Episcopus, jurejurando firmavit id ipsum; Azoni vero Aquensi Episcopo, proferenti id ipsum jurare ex parte Grossulani, ab Apostolico fuit condonatum. Grossulanus itaque accessit ut acciperet gratiam restitutionis: et cum ad accipiendam restitutionem accederet, Gabuta et Pastoralis virga, quam idem Grossulanus sua tenebat manu, coram Synodo ad terram corruit: quod signum, quampluribus fuit indicium, quod sacramentum ejus fuit sacramentum mortis. Verumtamen nec Papa, nec ejus Synodus ad hoc tunc respexit: sed ipsum Grossulanum Azoni Aquensi et Arderico Laudensi, atque Jordano de Clivi, et ceteris Mediolanensibus tam Clericis quam Laicis, verum etiam Episcopis ejusdem Ecclesiæ Suffraganeis, volentibus eum habere in Archiepiscopum, licet otiose, restituit.

ubi anno 1103 causam urget Liprandus; sed Landulfo tacente pejeranti Grossulano dignitas sua confirmatur,

15 Presbyter ille Landulfus, licet occasione hujus restitutionis foret suspectus Grossulano restituto et restitutum suscipientibus; tamen in ecclesia S. Pauli suaque domo, fuit Sacerdos idoneus in suo officio per septem annos post ipsam restitutionem *usque post annum* MCXV. Cum *autem sic* alter alterum suspectum haberet, contigit quod Heribertus de Bruzano, valde aggravatus febribus, venit ad dictum Presbyterum, supplicando ut adversus infirmitatem daret sibi remedium. Ministri vero Presbyteri ministraverunt cibum et lectum convenientem illi ægrotanti, donec Dominus virtutum, per impositionem manuum ejus Presbyteri, præbuit salutiferum remedium ægrotanti. Unde Grossulanus stimulatus, ait ad Presbyterum: Quia participasti Heriberto, meo excommunicato; præcipio tibi ut Missam non cantes, quousque pœnitentiam inde susceperis, mihique satisfeceris. Et Presbyter ad illum: Quod feci in Heriberto, bonum fuit, et a Deo venit; atque de bono et Dei opere non novi pœnitere. Et si non habes super me potestatem, tamen propter scandalum vitandum, tibi obtemperabo.

a quo ac Liprando sacerdotium suum. qui ob sanatum ægrum, hostem Grossulani, ab hoc se patitur suspendi a Missa,

16 *Porro* Grossulanus, gratia Guilielmi Abbatis S. Ambrosii, et Andreæ Mediolanensis Primicerii, et aliorum multorum prudentum tam Clericorum quam Laicorum, nec sedem, nec aliquam munitionem Archiepiscopatus, post legem primam a Presbytero factam, sive restitutionem a Synodo celebratam, habuit. Meus vero sæpe dictus avunculus, infra unius anni et dimidii spatium, homines, qui non pro amore divinæ legis et ecclesiasticæ disciplinæ litigabant, dimisit, et eorum civitatem exivit, atque Vatellinam vallem, a Mediolano ultra septuaginta milliaria distantem, habitavit. *Quid autem hinc post aliquantum tempus revertenti acciderit pag.* 417 *sic narrat apud Puricellum Landulfus.* Assumpto equo Anselmi *fratris* et meo, una cum *dicto* fratre meo ad ipsum meum patronum festinavi. Et cum processissem viginti quinque milliariis, mihi Angelus occurrit dicens: Presbyter Liprandus rediens a Valtellina, infirmus jacet ad monasterium de Clivate. Citius igitur quam sperassem, inveni illum in lecto sedentem et lac comedentem. Qui cum me vidit, ambas levavit manus, et gratias Deo dixit. Arialdus vero illius monasterii Abbas, postquam audivit me advenisse, consolationemque ipsi ægroto dedisse; me meumque fratrem extra cameram vocavit; et per plura verba se trepidare fidelitatem, quam juraverat Grossulano, nobis notavit: atque nescientibus Monachis, nos admonuit, ut ipsum deportaremus ægrotum a monasterio, saltem duobus milliaribus.

et in Valtellinam secedit anno 1110, unde rediens anno 1111 in mon. Clivate decumbit æger,

17 Infirmus autem ut sensit, me meumque fratrem solicitari super sua infirmitate et portatione ait: Nolite turbari: quia per gratiam Dei nunc mihi multo est melius; et in crastino, Deo annuente, in civitatem iter habebimus. Et mane facto ocrudatas quasdam suas vestes induit, et cibum sumpsit, et quasi sanus factus super mulam sedit. Puer quoque ejus, habens suum asinum oneratum pellibus, licet de solito bis aut ter in die torqueretur caduco morbo, tamen Presbytero sedente super mulam, puer idem venit nobiscum in una die usque ad S. Damianum de Baraza, absque ullo illius infirmitatis impedimento. Ibi gratia Dei et beatissimi Ambrosii, cujus locus iste cella est, bene recepti pernoctavimus, et alteram diem dimidiavimus; et ante solis occasum ecclesiam S. Pauli domumque nostram intravimus, atque familiam, quæ ibi aderat nostram, lætam fecimus. *Bellum tunc contra Laudenses Mediolanensibus erat: de quo agens Landulfus apud Puricellum in Monumentis pag.* 528, Innumera mala quæ operata sunt per quatuor annos in ipsa guerra non enumero,

hinc vero egredi rogatus a meticuloso Abbate, subito convalescit et Mediolanum redit, exulante tunc inde Grossulano

A enumero, inquit, sed mortem Anselmi germani mei, et aliorum multorum propinquorum meorum ac civium, per illam guerram manifestatam lugeo; nec cœptum iter penitus desero. Quia dum civitas illa Laudensis adhuc staret, et resisteret Mediolanensibus, conantibus eam destruere; Grossulanus a Mediolano exulabat: et Laudensis ille Ardericus suam civitatem perraro intrabat, sed Mediolanum frequentabat: Presbyter vero Liprandus, in sua domo suaque ecclesia [vicina] S. Pauli ecclesiæ, consolationem Regni et Ecclesiæ expectabat.

ad cujus causam finiendam electi 18 viri

18 *Nec frustra expectavit : anno siquidem* MCXI *Octobri mense occasione sic excrescentium per continuam pluviam fluminum*, quod non solum villas, sed et ipsam civitatem mirum in modum perturbarent; *et quidam dicerent*, discordiam de Grossulano esse malitiam altero diluvio dignam; *ad eam finiendam electi octodecim viri. omnes sic jurarunt*, Usque ad istas Kalendas proximi Januarii concorditer dabimus justam et rectam sententiam secundum Canones, de discordia Grossulani, si possit esse Archiepiscopus Mediolani, sive non; et si non poterit esse, de alia persona faciemus concorditer Catholicam electionem in eodem die; B *eamque* sententiam tenere *similiter jurarunt, qui fuerunt ab eis nominatim ad hoc petiti, Sacerdotes, Milites.* Sed cum in ultimo die Decembris, *inquit Landulfus in Monum. p.* 541; Ardericus ille, *relictus a Grossulano, Hierosolymam profecto, in civitate Vicarius*, et septemdecim alii essent in concordia eligendi Jordanum; ego jussu Andreæ, Primicerii Presbyterorum Decumanorum et Clericorum Mediolanensium, ad eos veni; et ut ipse Primicerius mihi præcepit, eis dixi, quod male consiliati erant. Verumtamen ipsi consilium non mutaverunt; sed mane facto, videlicet Kalendis Januarii *anni* MCXII, *uti porro legitur apud Puricellum ex Landulfo in Vita Herlembaldi pag.* 412, Ardericus idem cum Vicedomino et ceteris sibi conjuratis... pulpitum ascendit; et facto silentio in populo, coram illa maxima multitudine loquens, dixit: Nos, salva reverentia Papæ, secundum auctoritatem et justitiam Canonum, dicimus, quod Grossulanus non potest esse Archiepiscopus Mediolani. Isto dicto et confirmato, illico Presbyterum Jordanum de Clivi elegit in Archiepiscopum.

frustra obnitentibus Canonicis minoribus,

Grossulanum abdicant et Jordanum eligunt,

19 Hoc cum Presbyter Liprandus audivit, ægrotus e lecto surrexit; et in altera die illi Electo C piscem obtulit, dicens: Gratias Deo, quod nunc mihi testimonium perhibetis. Sed hi qui te elegerunt in Archiepiscopum, male fecerunt, et Deus illis misereatur: quia tu posses esse unus bonus Presbyter de claustro, nunc autem masculus esto. Cum autem Electus ille, nec aliquis ex tot circumstantibus, ipsi Presbytero respondisset; Presbyter ipse propinquius accessit, et osculatus Jordanum, sicut unum de ceteris Sacerdotibus, reliquit. *Februario deinde mense, Jordanus a Suffraganeis, Landulfo Astensi, Arialdo Januensi et Mamardo Taurinensi consecratus fuit : utique assentiente* Paschale *Papa, et tandem in* Grossulani *depositionem consentiente per sententiam, qua* prohibuit Grossulanum Mediolanensem Ecclesiam inquietare, et ad Episcopatum *Saonensem, cujus olim sumpserat possessionem*, dixit eum redire: *addita ratione, quod cum* translationes Episcoporum duobus fieri modis *possint, appareret manifeste Grossulani* translationis utilitatem quæ videbatur, in animarum et corporum damna conversam. *Peracta igitur consecratione Jordani*, Mamardus Taurinensis illico Romam adivit, et Stolam petiit: et rediens inde Stolam et chartam, continentem sacramentum quod Papa poscebat a Jordano, attulit; alioqui Stolam dari Jordano Papa prohibuit, sicut idem Mamardus notavit. At Jordanus per sex menses jejunus fuit, et Stolam non habuit. D

cui se jungit Liprandus,

et ille approbante Papa ordinatur,

Grossulano ad suam Saonensem Sedem remisso.

EX VARIIS D. P.

Tunc Liprandus,

20 *Tunc, ut refertur pag.* 415, Presbyter Liprandus, in summa sua senectute positus, *inquit ejus nepos Landulfus*, mihi ait: Video te aliquantulum super me erubescere, propter ea, quæ adversum Grossulanum dixi et feci. Sed ut minus idem erubescas, vere dico tibi, quod ego illam causam reservo soli Deo omnipotenti: et dum superest spes, multum desidero hujus mundi vitam meam finire in manibus eorum, quorum protectione corpus et anima, præstante divina gratia, protegatur a manibus eorum, qui protegendo Grossulanum, voluntatem Dei occultare voluerunt et volunt. De ecclesia autem ista Mediolanensi, in qua consulis mihi manere et vitam finire, dico, quod illa est mihi, cupienti Hierosolymam adire, ceu navis, sine nauta et remige in portu putrescens: quodsi vixeris secundum ætatem tuam, eam talem experieris. Hujus mei magistri consilium sequens, cum vellem prorsus dimittere Jordani administrationem; delatus est ipse Presbyter ad Pontidii monasterium, me nesciente. E *Est illud, teste Puricello pag. 419, trans Adduam fluvium, S. Jacobo nuncupatum, cujus solius nomine notatur in mappis ad* 30 *m. p. Mediolano. Fundator ejus Albertus anno* MXCV *obierat, adeoque recens ibi adhuc disciplina erat.* Presbytero autem Liprando posito in Pontidii monasterio, fama de Grossulano, redeunte a Hierosolymis, aures Jordani et Ordinariorum ejus implevit; et Mamardus Taurinensis Episcopus iterum Mediolanum venit; atque Stolam, quam in præcedenti Junio *(ita legendum, non autem anno, ut habet MS. res ipsa loquitur)* sine sacramento Jordano dare noluit, neque dedit; nunc, videlicet in festo S. Nicolai, quando Presbyter Liprandus Pontidium intravit, super altare S. Ambrosii posuit: et Jordanus, osculans eam de ipso altari sumpsit: quæ positio et assumptio, absentibus Ordinariis et Primiceriis, facta fuit.

ecclesiasticam jactationem pertæsus,

defertur ad Pontidiense monasterium;

ubi, Jordano interim Pallium accipiente,

21 Presbyter *autem* Liprandus, in *isto* monasterio, coram Monachis et Fratribus a festo S. Nicolai usque ad festum Epiphaniæ Domini, *anno* MCXIII, splendide, *id est, cum magna ædificatione* vixit: atque in ejusdem festivitatis nocte, quando spiritum emisit, magnus et suavis splendor domum in qua jacebat, admirantibus circumstantibus, illustravit: et sic ipse prædixerat Fratribus. In illa hora, quando corpus ejus efferebatur ad sepulcrum, solis splendor aerem illuminavit, et nubes cum nive cessavit. F Ipso quoque Presbytero existente in vita, cum Grossulanus et ceteri Grossulanistæ calumniabantur eum et suam legem; nobilis Miles Placentinus de faucibus mortis, ad laudem ejus ereptus est. Quia, cum Miles ille esset quasi in somno, sensit hunc Presbyterum palpare guttur suum; et statim evomuit os piscis, quod suffocabat eum. Eodem etiam tempore cum domus cujusdam affinis et sibi attingentis, arderet; repente imber fuit, et paleam et domum ipsius Presbyteri integre servavit. Quod si currerem per singula quæ fecit, ad laudem ejus, deficeret spiritus meus... Sed Deus, qui per omnia secula vivit et regnat, nunc et semper, animæ ejus benedicat. Amen.

moritur anno 1113, 6 Januarii

in vita et morte miraculis clarus,

22 *Hactenus Landulfus* Liprandi Presbyteri *ex sorore nepos, a Puricello transcriptus, partim in Monumentis Ambrosianæ Basilicæ, partim ac præcipue in lib. 4 de SS. Arialdo et Herlembaldo, quorum librorum citavi paginas, quoniam ipse auctor hactenus ineditus manet, æque ac Historiæ Senioris Landulfi et Arnulfi, a Puricello promissæ quidem et luci paratæ, sed numquam editæ, quod equidem sciam. Ceterum nec ipse nec alius quisquam meminit ullius cultus* Liprando *ut* Beato *post mortem impensi; sed neque superesse videtur*

nullum tamen cultum nactus,

AUCTORE D. P. nisi forte Papiæ, ubi anno 1504 inventa ossa S. Liprandi.

A *tur in ecclesia Pontidiensi, intra vel juxta quam sepultum opinari licet, monumentum defuncti ullum : quando nihil hujusmodi adducit Puricellus, omnia huc spectantia studiosissime scrutatus. Mihi tamen ad diem præcedentem, ubi actum de S. Davide Solitario Thessalonicensi, Papiam verosimiliter translato, conjectura venit, illuc Pontidio translatum etiam corpus aut ossa quædam* Liprandi Presbyteri : *siquidem inter Reliquias, istic repertas apud sepulcrum Regis Luitprandi, anno* MDIV *die* XXIV *Julii ; præter* ossa *et* cineres ipsius S. David, *censentur etiam aliqua* S. Thomæ Martyris et S. Liprandi, *nec facile est alium hujus nominis invenire, cui potuerit datus fuisse titulus* Sancti. D

DE SANCTO LADISLAO

HUNGARIÆ REGE,

VARADINI IN TRANSILVANIA.

D. P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

De ejus cultu, Actisque et Reliquiis sacri corporis non impune violatis.

ANNO MXCVI, Sanctus in civitate a se fundata sepultus,

Varadinum, *munitissimam hodiedum civitatem, idem qui vivus fundavit* S. Ladislaus *Rex, circa annum* MLXXXIII *etiam sepulcro miraculisque nobilitavit, mortuus anno* MXCVI. *Huic* B *licet dies ultimus fuerit penultimus Junii teste Bonfinio aliisque, annua tamen veneratio obtigit* XXVII *Junii; credo quia corpus ejus tunc, per Apostolicæ Sedis sententiam, anno* MCXCII *fuerit elevatum de terra, vel quia natalis dies solenni S. Pauli commemoratione impeditus erat, æque ac priores duo communi Principum Apostolorum festo, ejusque Vigilia, sicuti etiam sequentes plures per Octavam eorumdem. Eodem circiter tempore,*

elevatur 1191 *hac die :*

certe non diu post annum MCC, *scripta etiam Vita est, quam ex Corsendonkano Canonicorum Regularium in Brabantia MS. misit Bollando nostro D. Joannes Hoybergius, istius cœnobii Procurator, jam antea habenti a P. Joanne Gamansio exemplum aliud, sed prorsus simillimum, ex Legenda Sanctorum Patronorum Hungariæ, impressa Cracoviæ anno* MDXI. *Hanc inde damus : de corpore autem sacro monemus, ipsum istic in-*

in eadem anno 1240,

violatum mansisse, quoad Belæ Regis IV anno V, *Christi circiter* MCCXL, *Tartari in Hungariam irrumpentes, urbem expugnarunt, diripuerunt, incenderunt, solis eis salvis qui in arcem refugerunt : hanc vero, dissimulato recessu, cum jam urbem restaurari cœptam a residuis civium intellexerunt, fraudulenter regressi simili violentia occupavere, totamque una cum prægrandi et munitissima basilica, ad quam debilior sexus ætasque* C *confugerant exusserunt, ad internecionem omnium communem sævientes, sicut late describit Antonius Bonfinius Rerum Hungaricarum Dec.* 2 *lib.* 8.

et 1285 *vastata,*

2 *Anno deinde* MCCLXXXV *repetiisse Hungariam superiorem Tartari leguntur, et restauratos paulo ante pagos iterum desolasse, omnia ferro flammaque vastantes usque Pestum; nulla facta Varadini apud Bonfinium mentione speciali, quod credibile est suis adhuc ruinis involutum jacuisse. Inter has tamen, utcumque salvum mansisse videtur* S. Ladislai *monumentum : supra quod novum tandem assurrexit templum : lauda-*

nova honoratur basilica,

tur enim a Bonfinio, sub finem lib. 1, *Varadinensis* Basilica, ubi divi Ladislai Regis corpus quiescit, spectaturque ex ære equestris illius statua. *Tunc crediderim compositam propriam de sancto Rege Missam, quæ post similem de S. Stephano itidem Rege, habetur in Missali Votivo regni Sueciæ, ante annos circiter ducentos quinquaginta excuso, sub communi quidem aliis Confessoribus introitu : sed cum Lectione ex lib. Ecclesiastici cap.* 47, *ubi sanctus Rex David insignibus hisce laudatur elogiis.* Dedit Dominus confessionem Sancto et excelso in verbo gloriæ. De omni corde suo laudavit Dominum, et dilexit Deum, qui fecit illum, et dedit illi contra inimicos potentiam : et stare fecit cantores contra altare, et in se eorum dulces fecit modos : et dedit in celebrationibus decus, et ornavit tempora usque ad consummationem vitæ, ut laudarent nomen sanctum Domini, et magnificarent mane Dei sanctitatem. Dominus purgavit peccata ejus, et exaltavit in æternum cornu ejus ; et dedit illi testamentum regni et sedem glo- E riæ in Israel. *Quam apte hæc omnia cadant in sanctum Regem zelantissimum divini cultus, per pias fundationes promovendi, res ipsa loquitur, nec minus convenit Evangelium sumptum ex cap.* XI *Lucæ, exordio tali.* Nemo accendit lucernam et ponit eam sub modio, sed super candelabrum ut luceat omnibus qui in domo sunt ; *quemadmodum Hungariæ regno toti præluxit Ladislaus Christianarum virtutum exemplis.*

3 *Lubet etiam hic annotare tres proprias Missæ isti orationes, sicut in dicto Missali leguntur hoc ordine* I. Deus qui B. Ladislaum, Regem piumque Confessorem tuum gloria immortalitatis sublimasti ; præsta quæsumus, ut ejus suffragantibus meritis, et ab omnibus muniamur adversis, et gaudiis perfruamur æternis. II. Sacrificium, Domine, quod tuæ Majestati offerimus, quæsumus, ut B. Ladislao, Rege et Confessore tuo interveniente, ad nostrarum remedium transeat animarum. III. Sumptis muneribus tuis ab omnibus nos quæsumus, Domine, peccatis, intercedente B. Ladislao Rege et Confessore tuo, absolve; ut percepta venia peccatorum, liberis tibi mentibus servire mereamur. *Utinam Sueciæ regnum, ex cujus vetusta religione Missa ista ad usum Hungarorum hic restituitur, eadem denuo sacra apud se restauret, hæresi schismateque obscurata; et qui Hungariæ regno tantum bonum sub Rege Josepho gratulamur receptum, ejusdem quoque religioso studio videamus regnis Septemtrionalibus redditum.* F

4 *Ad hunc modum cœpit aliarum quoque gentium Fastis nonnullis (ut de Hungaricis taceam, quorum particularis notitia ad me non pervenit) inscribi venerabile Ladislai nomen; unde illud Bellinus de Padua in Martyrologio, secundum morem Romanæ Curiæ excuso Venetiis sub nota anni* MCCCCXCVIII, *sic posuit :* In Hungaria, civitate Varadiensi, S. Ladislai Regis et Confessoris, qui clarissimis miraculis usque in hodiernum diem coruscat, *quæ verba etiam in Romano nunc leguntur; brevius Carthusiani Colonienses atque Molanus, ex antiquioribus utique manuscriptis, ex quibus etiam MS. Florarium sic habet :* In Hungaria S. Ladislai Regis et Confessoris Depositio, anno salutis MXCV. *Eo etiam anno illum obiisse scribit Abraham Bakschay, in Chronologia Regum Hungariæ usque ad annum* MDLXVII *perducta, ubi sic paucis ejus gesta perstrinxit :* Hic Dalmatiæ et Croatiæ regna Hungarorum Regum junxit imperio. Gessit multa bella contra Tartaros et alios adversarios, æmulos regni. Decessit absque liberis III Kal. Augusti, *(imo Julii)* sepultus honorificentissimis exequiis in ecclesia

et ex hinc fastis inscriptus est.

A sia Varadiensi, ab eo extructa : *ubi etiam anno* MCCCCXXXIII *sepulturæ traditum dicit Sigismundum Imperatorem, eumdemque Hungariæ et Bohemiæ Regem.*

Post antiquam Vitam datur prolixior ex Bonfinio

5 *Sed omnium luculentissime sancti Regis historiam descripsit, supralaudatus Antonius Bonfinius, Asculi in Piceno natus, qui Græcæ ac Latinæ scientissimus, cum Andreæ Corvino, Hungariæ Regi, litterarum ac litteratorum amantissimo, se junxisset; ejus hortatu Res Hungaricas scribendas suscepit, divisasque in Decades quinque, perduxit ad annum usque* MCCCCXCV : *Decadis autem 2 lib. 2 ac 3 de* Ladislao *ejusque fratre majore atque in regno decessore Geiza, multa locutus, utrumque successive Regem ac præcipue* Ladislaum *exhibet lib. 4. Igitur ex hoc tam laudato Historico, et antiquiores Hungarorum scriptores diligenter scrutato, placet excerpere prolixiora sancti Regis Acta. Joannes Pauli Masini in sua Bononia perlustrata ad hunc diem notat* Reliquias S. Ladislai *aliquas haberi in ecclesia S. Stephani et Metropolitana S. Petri; in ecclesia autem S. Jacobi Mandibulam integram; sed latentibus translationis donationisve instrumentis difficile est divinare, utrum occasione invalescentium per Hungariam hæreseon, an aliquo ex prioribus seculis allatæ Bononiam*

Mandibula Bononiæ esse dicitur.

B *Reliquiæ sint. Quia tamen Masinius operis sui primam editionem vulgavit anno* MDCL, *adeoque decennio prius quam urbs a Turcis caperetur; hoc saltem scimus, ante postremam illam calamitatem, communicatas Bononiensibus, et aliis fortasse locis pluribus sancti Corporis particulas esse.*

6 *Hactenus scripseram, et quas indicavi Vitas paraveram prælo sub annum* MDCXCI; *postquam victis in Hungaria rebellibus, et Transilvania ad Cæsaris clientelam reducta, sperare cœpi per nostros istis in partibus Missionarios, resciri aliquid posse; nec frustra. Siquidem ab illustri viro D. Gabriele Kapi, rerum patriarum scrutatore curioso, interrogato, num quid de corpore sancti Regis nosset, responsum hoc elicuerunt, datum* XVI *Octobris* MDCXCI. Fateor quidem me Varadini numquam fuisse, nec oculis meis visa referre posse : sed tamen fere a quadraginta annis versatus in Transilvania (*cujus finibus Varadinum includitur*) ac etiam frequenter ibidem habitationem continuans, sæpe sæpius inquisivi et sciscitatus sum ex hominibus, qui et oculis suis viderunt et plenam notitiam habent, quomodo processum sit cum sacro corpore sancti Regis Ladislai. Ab his accepi, quod senior Georgius Rakoczi, auri argentique cupidissimus,

Ob arcem sacri corporis a Georgio Rakoczio spoliatam,

C postquam Princeps Transilvaniæ factus, intellexisset Varadini esse sepulturam sancti Regis, jussit cryptam ejusdem aperiri; tumbamque argenteam et coronam Sancto consepultam abstulit, corpus vero ligneæ inclusum arcæ eidem loco cryptæque restituit. *Fuit* Georgius Senior, *filius Sigismundi, ante Gaborem Betlen Principis Transilvaniæ, ejusdem Gaboris successor electus anno* MDCXXXI; *et anno* MDCXLVIII *moriens, cognominem filium* Georgium Juniorem *habuit successorem. Quomodo autem sacrilega illa patris cupiditas, in ejus auctore posteris fuerit vindicata, ita narrat prælaudatus Gabriel.*

post annum 1631

7 A quo tempore facti hujus notitiam accepi, perpetua animi reflexione observavi, quod ex familia illa ne unicus quidem fuerit, cujus corpus post mortem in crypta quiescere permissum sit. Nam ante quadraginta et quod excedit annos, dum idem Georgius Rokoczi bellum contra Cæsarem movisset, eique cum Cæsareis, Germanicis atque Hungaricis copiis obviam progressus regni Hungariæ Palatinus Nicolaus Esterhazi optimæ memoriæ, ipsum circa castrum Ezaranes præstolaretur, miles ejus invadens ecclesias Szevenisiensem et Vadasziensem (quæ castra familiæ Rakoczianæ erant) totius familiæ sepulcra evertit, et forte etiam ibidem humata cor-

nec ipse nec suorum aliquis

pora in cineres redegit. Ipse vero Georgius paulo post mortuus, et post ipsum filius Sigismundus anno MDCLI; ante ipsum vero junior filius Nicolaus sepulti erant Albæ Juliæ : quam cum ante triginta duos annos Turcicus atque Tartaricus exercitus occupasset, arcem exussit, cryptas in templo S. Michaelis evertit, Georgii ac Sigismundi Rakocziorum tumbas in frusta comminuit, corpora eorum rogo imposita in cineres redegit : Nicolai etiam corpus, quod in crypta alterius Transilvaniæ Principis (Stephani Boscay vel Betlemi Gaboris ibidem sepultorum) repositum erat, inde extulit et pariter flammis consecravit, aliorum Principum cryptis inviolatis permanentibus. D

AUCTORE D. P. permissus est in tumulis requiescere;

8 Ejusdem Georgii Rakoczii filius, itidem Georgius, ex vulnere obiit Varadini; et pro securiori inhumatione corpus ejus translatum est Patakinum : ubi mansit quidem intactum ab hostibus; sed postquam Cæsareus miles arcem Patakiensem occupavit, pro ea munienda conducere visum fuit, si ad ejus ingressum porta aperiretur per mediam ecclesiam, et hac occasione moveri loco corpus debuit. Postquam Varadinum Turcis cessit, Ladislaus Rakoczi (*an senioris Georgii ex filio Sigismundo nepos?*) ex improviso illud recuperare tentans, ibidem occisus fuit, neque adhuc sciri potest quid ejus corpore factum sit. Georgii Rakoczii Junioris filius Franciscus, in arce Zbero mortuus, una cum filiolo prius defuncto, ibidem sepultus fuerat : sed et illi locum mutare debuerunt : nam simul levati Zboravia, Cassoviam deinde vecti sunt ad ecclesiam Societatis Jesu, ubi etiam immunis non mansit Franciscus iste. Nam, ut fama fert, Rebelles occupata Cassovia Collegium possidentes, perfregere cryptam, et a defuncti digito pretiosum annulum extraxerunt. *Ita in quartam usque generationem transiit divina ultio; quæ utinam hic finem habeat, parcatque ex eadem familia superstiti Comiti melioris spei juveni, duabusque sororibus Comitissis.*

sed vel dissipati combustique,

E

vel saltem loco moti fuerunt.

9 *Porro cum* Varadinum, *anno* MDCXCII, *die* XX *Maji, in Cæsaris Leopoldi potestatem feliciter concessit, cæsis* XII *Turcarum millibus fame laboranti loco suppetias ferentium; castris aderat noster Franciscus Xaverius Mazoll, qui* XXVI *Julii ad P. Matthiam Soutermans talibus invigilare rogatum, Viennam sic scripsit.* Ante sex hebdomadas, dum Varadinum advenissem, prima inter ceteras cura mihi fuit, inquirere per memetipsum aliosque in sancti Regis sepulcrum, effigiem, aut alia quæcumque ibi relicta monumenta : sed nec rudera quidem aut vestigia ecclesiæ reperi; dicitur autem hæc Borzkaionorum tumultuum tempore eversa funditus fuisse, et ejus loco interior arx splendidius ædificata.

Urbe anno 1692 recuperata

nihil reliqui inventum.

F

10 *Quatuor post menses, videlicet* XVII *Novembris, de eadem re, postquam melius investigari potuit, non valde dissimilia perscripsit P. Georgius Bandovicz, Societatis nostræ tunc Superior Varasdini, ita loquens :* Hoc unum dolendum, quod nec foris, nec intus in arce, sit ullum templum. S. Ladislai sacram ædem curiosus investigavi, sed nec vestigium illius reperi, nec ullus vetulorum senum pagensium recordatur, ubinam fuerit; putatur, quod Borzkai anno MDCIV, dum nostros Patres post XX annorum inhabitationem exinde expulisset, eamdem ædem ruinaverit. *An sub ruinis novæ ac splendidius ædificatæ arcis, de qua num. 9, lateat sacri Corporis arca lignea, suo fortassis tempore aperiet Deus, quando omnibus utriusque Hungariæ ac vicinarum provinciarum locis a Turcica expurgatis fæce, pristinum ubique splendorem receperit avita religio, et solus Dominus agnoscetur Leopoldus Imperator, quod utinam cito faxit Deus. Interim sancti Regis Caput aut potius Calvariam, ruinis prædictis et avaritiæ subductam vidit Janningus noster, anno* MDCC *mense Septembri,*

A *Septembri, Jaurini in æde Cathedrali in argenteo busto decore inclusam; redemptam olim, ut aiebant Canonici, ab hæreticis Transilvanis; per Episcopum loci Reverendiss. D. Demetrium Napragium anno* MDCXIX *in illa Sede sua Episcopali mortuum: ipsumque bustum argenteum illius tempore actum videri potest. Fortasse hæc pretiosa Reliquia contulit aliquid, quod a pluribus jam annis, curante pientissimo Cæsare quem dixi, Leopoldo, Hungarici regni Patronus electus* Ladislaus, *Viennæ in æde Metropolitana S. Stephani, annua celebretur panegyri, in quibus successive habitæ orationes, uno tomulo impressæ leguntur.*

AUCTORE D. P.

VITA

Ex MS. Corsendonkano et editione Cracoviensi.

Beatus Rex Ladislaus, Christianæ fidei cultor eximius, pura mentis devotione Christo servire studuit. Illustratus enim sancti Spiritus gratia, arridentis sibi atque blandientis mundi gloriam caducam reputans et transitoriam, esurivit et sitivit justitiam, ut ad æternam felicius perveniret patriam. Quamvis B enim mundus sibi florens alluderet, in ejus corde tamen aruerat, cujus ipse concupiscentiis crucifixus fuerat. In hoc itaque mortali corpore vivens, jam non ipse, sed in ipso Christus, fidem rectam, veram, Catholicam, in Christo fundatam, in cordibus Patriarcharum et Prophetarum radicatam, Apostolico præconio commendatam, tota mente fideliter amplectendo tenuit. Super hoc fundamentum, gratum omnipotenti Deo habitaculum, sancti Spiritus sacrarium, ex auro gemmisque et lapidibus pretiosis, secundum Apostolum, ædificavit. Erat enim copiosus in misericordia, longaminis in patientia; pietate Rex serenus, gratiarum donis plenus; cultor justitiæ, patronus pudicitiæ, consolator afflictorum, sublevator oppressorum, miserator orphanorum; pius pater pupillorum, subventorque miserorum; et inopum necessitatibus, misericordiæ visceribus affluens, subveniebat.

Christianis virtutibus omnibus,

1 Cor. 3, 12 *misericordia imprimis et liberalitate ornatus,*

2 In naturalibus autem bonis, divinæ miserationis gratia, speciali eum prærogativæ præeminentia, supra communem hominum valorem prætulerat. Erat enim manu fortis, visu desiderabilis; et secundum physiognomiam, leonis magnas habens extremitates: statura procerus, ceteris hominibus ab C humero supra præeminens: ita quod exuberantem in ipso donorum plenitudinem, ipsa quoque corporis species imperio digna declararet, examinandis judiciis, non tam judicare quam judicari, sibique magis terribile judicium imminere credebat, quam iis qui ab eo judicabantur. Unde rigorem justitiæ, lenitate temperans misericordiæ, talem se erga subditos exhibebat, ut potius ab eis amaretur quam timeretur. Regni quippe gubernaculum non solum honori sibi erat, sed oneri. Non enim sua, sed quæ Jesu Christi sunt, quærebat: propter quod a proprietate rerum et nominum, quasi mutato nomine, ab omni gente sua pius Rex vocabatur. jejuniis et orationibus jugiter insistebat; peccata populi plangebat, et in ara cordis semetipsum Deo hostiam vivam offerebat. Quod si nocturnis vigiliis et prolixioribus orationibus ipsum fatigari contigisset, non delicatum thorum repetebat, sed in exedris ecclesiarum paululum pausabat.

specie quoque Rege digna,

æquitatisque ac pietatis studiosissimus,

3 Quadam nocte Waradinense monasterium ingressus est, ut oraret. Factum est autem, dum prolixius oraret, quidam cubicularius ejus, qui foris eum solus expectabat, præ nimia mora tædio affectus, surrexit et introspexit; viditque Dominum suum, glorificato corpore, sursum in aere mirabiliter elevatum. Vere beatum virum, quem adhuc in D carne constitutum carnea moles non premebat, sed meritorum sanctitas ad consortium supernum sublevabat! Post hæc latrunculi Bissenorum, a confinia Hungarorum irruperunt, et illinc viros et mulieres captivos abduxerunt: quos ipse cum exercitu suo persequens, venit in solitudinem magnam, nec habebant quod manducarent. Et dum fame periclitaretur exercitus, avulsus est ipse ab eis seorsum; et in oratione prostratus, implorabat misericordiam Dei; ut qui quondam filios Israel manna de cœlo pluens paverat, Christianum populum fame perire non sineret. Cumque ab oratione surgens reverteretur, ecce grex cervorum et bubalorum obviavit ei, et cum ipso simul in medium exercitum, deposita feritate, convenit. Tulit ergo unusquisque ex animalibus quantum sibi sufficiebat, laudantes et glorificantes Deum in Sancto, per quem misericordiam talem consecuti fuerant.

noctu orans conspicitur elevatus a terra;

a

fame laboranti exercitui annonam precibus impetrat,

4 Cum itaque pius Rex Ladislaus armatus esset humilitate, et potens in pietate, præcipuus tamen erat in largitate: omnes enim Ecclesiæ et Monasteria regalia, sive ab ipso, sive a quocumque alio fundata, eleemosynis ejus sunt locupletata: unde merito usque in hodiernum diem eleemosynas ejus enarrat E omnis Ecclesia Hungarorum. Duos quoque Episcopatus ordinavit, et Regia largitate locupletavit: erat enim magnus et munificus secundum nomen suum gloriosum. Nam si etymologiæ nominis ejus alludamus, Ladislaus quasi laus divinitus data populis dicitur, b Laos enim populus interpretatur; Dosis autem, dans vel datum sive datio; prima vero syllaba nominis ejus, Laus est per paragogen. Hierosolymam se iturum voverat, ut ubi sanguis Domini nostri Jesu Christi pro redemptione nostra fusus, ipse ibi sanguine suo contra inimicos Crucis Christi dimicaret. Duces autem Francorum, Lotharingorum et Alemannorum, qui cum exercitu Domini illuc profecturi erant, omnes pariter pium Regem Ladislaum, digne dignum sibi Ducem ac præceptorem præficere concorditer disposuerant.

loca pia fundat aut dotat:

b

belli sacri cupidus,

5 Prius autem quam de Francia et Alemannia ceterisque occidentalibus regionibus exercitus Domini in Hungariam convenirent, pius Rex, urgente necessitate, contra Bohemos in expeditionem profectus est: ibique repentina ægritudine correptus, viribus corporis cœpit omnino destitui: convocatisque Regni Principibus indicavit, dissolutionem sui corporis imminere. Quo clamor multitudinis, F plangentium, lamentantium, et gementium mortem piissimi Regis Ladislai, usque in cœlum extollitur. Sed pius Rex, accepta Eucharistia corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi, in quem fideliter credidit, et quem tota mente dilexit, feliciter migravit ad Dominum. Planxit autem eum universa multitudo Hungarorum, clerus et populus, simul in unum dives et pauper, juvenes et virgines, continuo trium annorum spatio, in vestibus squalidis, choreas non duxerunt, et omne genus musicorum et delinitiva dulcisona ultra tempus luctus siluerunt.

cogitur contra Bohemos proficisci,

in eaque expeditione pie mortuus,

6 Cum autem fideles sui corpus ipsius Waradinum efferrent, præ labore et mœrore defatigati dormierunt. Cumque sopore gravati plus justo demorarentur, currus in quo positum fuerat corpus ejus, sine subvectione et absque omni adminiculo cujuslibet animalis, recto itinere Waradinum ducitur. Vigilantes autem, et currum non invenientes, contristati cœperunt per loca discurrere: inveneruntque currum, versus Waradinum ultro currentem, et sanctum corpus in eo positum. Videntes itaque miraculum, quod corpus beati Confessoris ad locum, quem ipse præelegerat, divinitus deferretur; Deo gratias agentes, laudaverunt Deum. Cum autem multitudo magna,

Varadinum defertur sepeliendus.

In eum blasphemus graviter punitur,

A magna, officium humanitatis exhibendo, sepulturæ ejus assisteret; quidam de circumstantibus dicebat corpus fœtere, reliquis omnibus suavissimam odoris fragrantiam sentientibus: retortumque est illico mentum illius ad dorsum ejus, et reflecti non poterat. Qui seipsum divina ultione debilitatum videns, miserabiliter clamabat; Peccavi in Sanctum Dei: et procidens ante sepulcrum B. Ladislai misericordiam ejus imploravit. Avulsa est itaque cutis cum carne menti sui, quæ dorso ejus inhæserat: et ipse quidem sanitatem recuperavit, sed cicatrix ruptæ cutis in mento ejus occalluit.

ubi etiam perjurus ad ejus sepulcrum.

7 Quidam Miles, necessitate urgente, argenteam scutellam suam, quam patri suo pius Rex donaverat, Comiti venalem exposuit; quam idem Comes, ardore cupiditatis tactus, a se furtim sublatam esse confinxit. Per sententiam itaque judiciariam dictum est, quod eadem scutella poneretur super sepulcrum Ladislai, ut comprobaret Dominus, uter eorum eam juste deberet habere. Comes ergo nimium de se præsumendo, scutellam accepturus sepulcro appropinquavit: statimque cecidit quasi mortuus, et vehementer attonitus, nec scutellam accipere, neque de terra poterat surgere. Pauper vero miles, ad
B sepulcrum similiter accedens, quod suum erat, Deo gratias agens, accepit.

c Canonizatus an. 1192,

claret miraculis,

8 Nostris quoque temporibus Deus multis mirabilibus sanctum Confessorem suum Ladislaum glorificavit. Nam anno Domini millesimo centesimo nonagesimo secundo, sanctum corpus *c* ejus canonizatum est. Tunc itaque ex causis superioribus lege naturæ mutata, privationem ordine regressibili sequi cœpit habitus. Plures enim cæci, per merita beati Regis Ladislai, sunt illuminati; cecideruntque ab eorum oculis tamquam squammæ albuginis scedulæ; quas etiam viri religiosi viderunt, qui etiam veritati testimonium perhibuerunt. Multi quoque, relaxatis linguæ vinculis, facultatem recte loquendi ceperunt. Claudi, paralytici, variisque languoribus diuturno tempore attriti, ad sepulcrum ejus venientes, implorato ejus adjutorio, sanati sunt. Singuli quoque piissimum Confessorem pro suis necessitatibus invocantes, optata beneficia perceperunt.

et stellam supra locum apparente.

9 In ipsa etiam hora Canonizationis, quidam puer, cui loco manuum et pedum, tumida carnis massa, ossibus penitus carens, fluitabat; meritis ejusdem Sancti, ossibus increscentibus, perfectam
C manuum et pedum sanitatem suscepit. Eadem etiam hora diei quasi sexta rutilans stella præclari fulgoris stetit supra in directo Monasterii, ubi sanctum corpus positum fuerat. Hoc autem maxima multitudo contra Monasterium congregatorum, per spatium duarum fere horarum, perspicue videntes; quidam, ad solennitatem ejus veniens, in via mundatus est.

Anno 1200 curatur contracta.

10 Post hæc autem; anno millesimo ducentesimo, quarto Kal. Junii, ipso die *d* Pentecostes, Canonicis orantibus et primæ Horæ Officium celebrantibus, quædam mulier, cujus manus et brachia pectori suo connexa fuerant, ad sepulcrum B. Ladislai sanata est. Sed et in aliis multis partibus late patentis Hungariæ, et circumadjacentibus regionibus, plurima miracula et copiosa beneficia fidelibus, ejus patrocinia implorantibus, exhibita sunt: quæ non sunt scripta in hoc libro, ne tædiosa prolixitas legentibus fastidium ingereret. Hæc autem scripta sunt, ut audientes et legentes, per intercessionem piissimi Ladislai, sic transeant per bona temporalia, quod et æterna consequantur gaudia; præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

D

ANNOTATA D. P. AUCTORE D. P.

a *Ita etiam impressum est;* Bessenos *tamen mallem scribere, vix enim dubito quin nomen a* Bessis *Thraciæ populis deductum sit in eam regionem, quam, hodiedum* Bessarabiam *dictam, Danubius dividit a Bulgaria, quamque sub Turcarum dominio possident Tartari Budziacenses, quos utinam inde tandem Poloni expellant, graves et perpetuis incursionibus infestos vicinos. Bonfinius* Chunos *appellare maluit.*

b *Nunc eruditi rident etymologicas ejusmodi nugas; tantoque magis quanto certius tenent, Slavicæ originis nomen esse, et ex ejus linguæ radicibus petendam onomatopϾ rationem.*

c *Phrasis hæc est illius temporis, inde sumpta, quod Canonizationis decretum sequi soleret corporis de terra elevatio. Ita Balbinus noster, in Epitome Rerum Bohemicarum pag.* 188, *adducit vetus MS., quo narratur, quod, cum ad tumulum S. Guntheri in Brzenote innumera miracula operaretur Deus, congregati Antistites Alexandrum Papam duxerint supplicandum,* ut talis et tanti viri corpus, qui mundum sua vita illustrabat, in catalogo Sanctorum dignaretur adscribere. *Colitur is* 9 *Octobris. Pontifex autem qui anno* 1192 S. Ladislaum *canonizasset, fuerit* Cœlestinus II. E
Bonfinius anno centesimo tertio post mortem inter Divos *relatum esse scribit, quo indicaretur annus* 1198, *quando Cœlestinus III obierat* 8 *Januarii, et jam successerat Innocentius III.*

d *Imo* quinto Kal. Junii, *vel* Feria II Pentecostes; *anno enim* 1200 *litt. Dominicali A. Pascha fuit celebratum* 9 *Aprilis, adeoque Pentecoste* 28 *Maji.*

ACTA PROLIXIORA

Ex Antonii Bonfinii Rerum Hungariæ Decade I.

CAPUT I.

Geizæ et Ladislai fratrum reditus ex Polonia in Hungariam, victoriæ de barbaris atque Salomone patruele.

Sancti Stephani, *primi Hungariæ Regis, ex fratre* Ladislao Calvo *pronepos* S. Ladislaus *fuit, una cum majori fratre* Geiza *natus ex* Bela *Duce ac postea Rege,* F
apud avum Maternum Miesconem; ad quem Bela se receperat, exulare a sancto Rege cum fratribus jussus. Fratrum senior Andreas *erat; hic anno* MXLVII *regno potitus, cum satis in eo firmus sibi videretur, Christianam religionem, suo permissu paulo ante abolitam, restituit; et unicam haberi jussit; deinde cum se ad senium vergere ac liberis carere animadverteret, fratrem* Belam, *missis in Poloniam legatis, ad se venire cum liberis et uxore fecit, ac tertiam ei partem Regni attribuit cum titulo Ducis. Ducta deinde Agmunda, Ruthenorum Ducis filia, ipse Andreas* Salomonem *genuit: quem cum sibi successorem designasset, neque fratri satis se fidere ostendisset; hic insidiarum metu ad socerum Polonum refugit: armisque adjutus, cum regnum fraternum invasisset, jamque campo excessurus esset, prælio victus; deficientibus subito ad se Hungaris qui Andream sequebantur, et hoc paulo post mortuo, assumptus in Regem est anno* MLVI. Salomon *ad socerum Henricum IV Imperatorem se recepit cum uxore Sophia.*

Geiza et Ladislaus nati in Polonia

Bela patre exule,

ac postea Rege,

contra Salomonem patruelem in Hungariam vocantur.

2 *Obiit nono Regni anno* Bela, *Christi* MLXV, *statimque in defuncti patrui locum successit* Salomon, *Henrico summis viribus adnitente: et quamvis eo ex Hungaria digresso, patrueles ejus* Geiza *et* Ladislaus *armati*

A EX BONFINIO. *armati rediissent*, Desiderius tamen Episcopus, fœdus hac conditione ineundum persuasit; ut Salomoni, quamvis juniori, regno cederet Geyza, et veluti legitimo Regi pareret, ipse vero paterno Ducatu potiretur. Hujus monitis precibusque victus Geyza, una cum Ladislao fratre, in totius Hungariæ conspectu in Jauriensi urbe Salomoni se reconciliat. *cum eoque reconciliati,* Fœdus inter eos solenne ictum mutuoque juramento munitum; quod, dum Fabiani Sebastianique anniversaria celebrantur, percussum fuisse ferunt. Reconciliatis animis, Regi cum Geyza Duce et Ladislao mutua caritas et assidua consuetudo intercessit. Subsecutum Pascha in Quinquecclesiensi urbe ab his, cum universa Aulicorum ac Primatum multitudine, celebratum: ubi in D. Petri Basilica inter solennia, Salomon, iterum conclamante populo, a Geyza coronatur. Quod tanta Hungarorum omnium lætitia celebratum, ut diem publicæ hilaritatis inter Fastos retulerint...

victoriam de Chunis insignem referunt. 3 *Gerendum deinde bellum fuit cum Chunis, semel iterumque Hungariam cum agmine populabundo ingressis Duce Osule, Giulæ Regis Chunorum Præfecto: qui congressum decretorium declinans sese in montem* B *Cherhelem editissimum recipit, ibique communit. Scandunt eum nihilominus, cum equitatu, sub Salomone Hungari arduum montis clivum;* Geyza longe consideratior, faciliorem clivum prudentissime captat; quem ubi equitatui suo facilem et benignum invenit, ea subit; repente cum sagittariorum acie congreditur. Ladislaus imprimis se inter confertissimos hostes inserit, primo impetu quatuor in fronte pugnantes interficit: dum quintum subinde petit, gravi *Ladislaus licet vulneratus,* ab eo vulnere læditur; sed ne impune quidem, quando hominem stantem obtruncat. Divina mox ope virum, Deo gratissimum curatum ferunt. Hoc impetu consternati sagittariorum animi cedere occepere. Instant eo magis illi, atque in rasa Chunorum ex more capita desæviunt, eaque cucurbitarum more districtis gladiis plane diffringunt.

a barbaro raptam virginem eo casu liberat, 4 Sed hic præclarum quoddam Ladislai facinus præterire non possum: qui cum equitem quemdam raptam virginem equo auferre conspiceret, hominem continuo insectatur, ut sanctæ virginitatis assertor esse videretur. Fugit hostis: hic pro viribus a tergo instat; et cum vulnere impeditus raptorem capere non posset, ad virginem exclamat, mira venustate præditam, ut se præcipitem ex equo dedat, hostemque secum trahat. Dicto celerius imperata C præstitit puella, quam Varadiensis Episcopi filiam esse rebatur, opinione deceptus. Postquam Chunum equo deturbatum Dux magnanimus conspicatur, indignum fore ratus, non æquo cum hoste et præsertim singulari certamine dimicare; ex equo desilit: eumque securi, quam Hungarico more gestabat, aggressus trucidavit. Nonnulli virginem a tergo Chunum, cum Ladislao colluctantem, surrepta securi percussisse, ac assertori suo succenturiatam *ceteros ingenti strage fundit:* fuisse ferunt: contra alii pro hoste supplicasse scribunt. Adjiciunt alii, equum Ladislai, non tam viribus et pernicitate quam natura fuisse præstantem; quippe qui Domini mandata nutumque mirifice observaret; cui mos erat hostem morsu calceque impetere, numquam deserere dominum, et in periculo maximo miram ingenii dexteritatem adhibere. Superato jam medio clivo, cum hostes se ab Hungaris circumventos conspexere, defectis animis, quo fugerent, nesciebant. Dum feruntur diversi, captivorum multitudo, facta seditione et elato clamore, subreptis armis in hostium terga desævit, eos in infesta Hungarorum arma rejicit. Tanta Chunorum strages in monte patrata, ut nuntius non superfuisse dicatur. Salomon igitur et Geyza cum Ladislao victoria potiti, et gloriosa lætitia exhilarati, in Hungariam rediere. Is publicæ hilaritatis dies inter fastos relatus: gratiæ Deo immortali sacris hymnis actæ, et celebratæ supplicationes. D

5 Tres circiter annos in otio permansere, magnaque inter Principes concordia viguit. Vix tertium annum exegerant, cum ecce e Mysia bellum grave suboritur *a Bessis et Bulgaris: quibus profligatis captaque Alba, cum ibi repertum thesaurum quadrifariam partiri placuisset,* Geyzæ quarta cessit, unde is indignatione summa corripitur... Cumque inter Salomonem et Geyzam simultates et odia hostilis prædæ partitione redintegrarentur, majora indies incrementa invenere. *Hinc insidias veriti fratres Reguli, hoc imprimis caverunt, ne simul utrumque Rex occupare posset; ad Ruthenos placuit auxilii causa abire Ladislaum, tum ad Bohemos. Salomon e contra solitarium Geyzam pugna aggressus vincit et fugat; qui* cum Vaciam contenderet, Ladislaum et Otthonem Bohemiæ Ducem ex sorore affinem cum validissimo auxilio properantem offendit: quos cum vidisset, in lacrymas statim effusus est... Ladislaus contra præstanti virtute munitus, modo fratrem consolari, modo femineos ejulatus severius increpare, magnitudinis, patientiæ ac fortitudinis admonere... et quando potestas omnis a Deo est, definiendam divino judicio controversiam præstoletur. Prælium hoc ab ineunte vere, paulo ante Quadragesimale jejunium, in Camyensi agro gestum: ubi... Salomon victoria potitus... in campos, præter Danubium Pestumque diffusos... quarto die descendit. *rupta inter patrueles concordia* *Ladislaus in Bohemia se recipit,* *et fratri auxilia adducit;* E

6 Contra Geyza, Ladislaus et Ottho in silvam, ubi Vacia nunc est, quæ viginti millibus passuum aberat, contendere. Magnum quondam ibi nemus fuisse aiunt, ab uno tantum Eremita nuncupatum, cui Vacio nomen erat. Hic humanæ vitæ miseriam abominatus, veraque resipiscentia percitus, in solitudinem istam se receperat, quo saluti suæ commodius ac tutius inserviret: quare virum sanctissimum evasisse, ac Geyzam victoria deinde potitum, locatam ibi cum basilica civitatem ab eo Vaciam nominasse ferunt. Cum in hac silva Ladislai ac Geyzæ copiæ constitissent, ibique Duces, ubi nunc divi Petri ædiculam esse vidimus, de ineundo cum Salomone prælio disceptarent; ecce Ladislaus, quem Deo carissimum successus ostendit, cum Angelum, delatam e cœlo coronam fraterno capiti imposuisse, aspexisset; Vidistine frater, inquit, quo te honore benignitas divina honestavit, et quam dextris nunc auspiciis victoriam portendit? Cœlestis e cœlis internuntius, aureum tuo capiti diadema imposuit. Proinde bono nunc esto animo, quandoquidem propitia sunt nobis numina. Salomonem insolentia sua furentem fundemus, regnoque cedere cogemus. Contra vero Geyza: Sic Deus omnipotens prodigia ista confirmet, quæ tuis tantum oculis patuere: quod si tua te auspicia frustrata non fuerint, nunc divæ Genitrici vota rite suscipio, me rerum potitum celeberrimam hic basilicam ædificaturum. *victi tamen, in Vaciam Ins. se recolligunt* *ibique cœlitus de victoria certificati,* F

7 Vix hæc dixerat, cum vexilla tolli jussit, ut postero die cum Salomone congrederetur. Inter utrumque Monjurodus mons assurgebat, quem ubi superassent, manum statim cum hoste conserere decreverunt: sed imminente nimia nubium obscuritate remorati, neque montem superant neque pugnæ se commisere. Insequenti nocte in sua quisque statione permansit, hostem expectans. Illucescente die Salomon instructa acie montem ascendit, seque e vertice inimicis ostendit... contra Ladislaus et Geyza, qui suberant planitiemque tenebant; ubi Salomonis copias suspexere, aciem prima hora diei diligentius instruere, Ladislaus sinistrum, Otho dexterum cornu tenere, Geyza in medio se statuere... Divo Martino Ladislaus, ante initam pugnam, ædem vovit, *redeunt in pugnam;*

A vovit, si victoria potiretur; votoque potitus, haud ignobilem fundavit... Referunt *etiam de eo* prodigium, a viri sanctitate haud absonum : quippe qui cum equum arrepta lancea conscendisset et vertisset in gyrum, ut et oratione et exemplo militum animos confirmaret, veprem forte inter flectendum hasta tetigit : cui cum mustella candidissima insedisset, veluti imminentis victoriæ nuntia, per hastam in Ducis gremium gratulabunda delabitur. Spectate, inquit, hæc signa, socii, quæ præsentem nobis victoriam promittunt... proinde fortissimis dimicate animis, atque ex auspicato victoriam capessite : me autem recipio, si Deus annuerit, ita hodie pro regni commodo et salute pugnaturum, ut aut victorem Ducem, aut inter confertissimos hostes pulchre occumbentem spectaturi sitis.

et omine felici animati

8 Mox dicto celerius pugnæ signum dari jubet, ipseque imprimis magno impetu in hostem fertur : quod ubi viderunt milites, pari quisque ferocia in hostem procurrit. Otho Bohemorum Dux, qui in dextro cornu præsidebat, haud quaquam minori impetu pugnam confert. Salomon, qui e monte in campum descenderat, in sinistro cornu Vidum cum Bachiensibus, in dextro Erneum, se cum validissima acie in medio collocarat.... Ladislaus ingenti pietate ductus, dum Fratri Geyzæ admodum timet, ex industria signa cum illo commutarat, ratus (ut accidit) Salomonem imprimis Geyzæ Ducis agmen, quem paulo ante devicerat, extremis conatibus invasurum : quare fraternæ saluti intentus, omnem belli vim in se convertit. Neque consilio frustratus est : Rex enim extemplo, prospectis Geyzæ signis, maximo furore in ejus aciem fertur, sperans superatum quandoque hostem facilius inclinaturum. Vix ipse manum conserere cœperat, cum sibi non cum Geyza, sed cum Ladislao, viro fortissimo ac invictissimo, rem esse intellexit, et commutata vexilla novit..... Quare dato tergo in Geyzam repente se convertit : Ladislaus..... e vestigio eum insequitur, instat a tergo, a fronte Geyza.... ad postremum Salomon, cæsa maxima parte suorum, reliquaque capta, cum paucis elabitur.... Ladislaus ac Geyza, a secunda hora diei ad serum usque Regem prosequuntur....

per singularem Ladislai industriam

B

Salomonem fundunt fugantque.

9 Pius autem Ladislaus, insigni victoria potitus, ubi utcumque se collegit, et eorum qui ceciderunt, corpora lustravit, in profundissimas lacrymas conversus est, dum secum reputat, omnes qui ceciderant in Christo fuisse fratres..... Ast ubi satis ploratum est; cuncta cadavera rite sepelienda curavit; justa cuique pro dignitate, ac votam divo Martino ædem in Moyorod, adjectis hostium exuviis exolvit; proventus quoque non mediocres adjecit, quibus assidue mortuorum celebrarentur exequiæ..... Ne illa quidem Ladislai pietas silentio præteriri potest; cui enim porrecta humi cadavera obequitaret, ne quem sui officii relinqueret expertem, ubi inter confertos hostes jacentem Erneum cognovit, non mediocrem pacis amatorem; equo repente desiliit : cruentumque ejus caput amplexatus osculatusque miserabiliter : Hiccine jaces Erneu, inquit, amator pacis, et fraternæ concordiæ publicæque salutis assertor unice? Non hoc probitas, non æquitas tua merebatur. Pacem quam in hac vita non invenisti, in altera bene merendo et monendo comparasti..... Quare continuo ejus mandato, succolantibus Ernei corpus militibus, eo delatum, ubi nunc Vacia est, honorificeque sepultum. Paulo ulterius inter cadavera agnoscenda victor ipse prodierat, et ecce e latere Vidi corpus offertur, non modo pectore, sed et capite saucium; quod ubi est agnitum : Doleo equidem, inquit, morte tua, Vide, quamvis iniquum in nos animum numquam dissimulasti. Utinam tibi ultra vivere licuisset, ut post resipiscentiam nos Salomoni reconciliare potuisses!

Ille curata cæsorum hostium sepultura,

C

S. Martino votum solvit,

et luget duces Salomonis defunctos.

D

EX BONFINIO,

CAPUT II.

Post Geyzæ regnum triennale, Ladislaus, excluso Salomone, eligitur.

Postquam Geyza et Ladislaus victoria potiti, mortuorum corpora nullo sepulcri honore pro cujusque dignitate fraudarant, et justa persolverant; motis castris Danubium transmittunt, ut ad Albam Regalem contendant..... Ibi exauctoratis militibus castra solvunt, atqua civilius inter Hungaros sese gerunt, ut his liberum esset eum coronare Regem, quem potissimum optarent. Succendebat Pontificum et Optimatum animos hæc haudquaquam simulata modestia : nam quod ceteri anhelarunt, hi virtute potius quam ambitione petere videbantur. Proinde habito frequentissimo conventu, Geyza major natu, omnium consensu et acclamatione, Rex Hungariæ declaratur, et insequenti die ex more coronatur : Ladislaus ab eo Dux Regni pronuntiatur [anno circiter MLXXIV.]

Geiza Rex electus,

E

11 Rerum potitus vir ille optimus, non ad sævitiam vel ad voluptatem, sed ad religionem ac solvenda Deo vota animum convertit. Non immemor enim divinæ benignitatis, cum Ladislao in Vaciensem agrum redit, ubi frater ei delatam cœlo coronam Angelum imposuisse dixerat : et cum de statuenda ibi Divæ Genitrici basilica cum fratre loqueretur, ubi D. Petri sacellum est; ecce cervus, expansis cornibus insignis, quæ ardentissimæ faces circumsederant, præ oculis apparuit; mox in fugam conversus silvam petiit ininvestigabilis; ibique tantum vestigia fixit, ubi ædes deinde collocata : quem cum milites sagittis insequerentur, in Danubium se projecisse, nec unquam postea visum fuisse memorant. Ladislaus ostenti admiratione correptus : Nimirum, inquit, Dei Angelus erat iste. Sed quid faces in cornibus? ait Geyza. Mox Ladislaus : Non cornua, sed alæ, frater, inquit; neque illæ quas ardentes appellas, sunt faces, sed fulgentissimæ pennæ. At ubi fixit vestigia, nobis locum ostendit, ubi basilicam exædificaturi sumus. Quare ubi prima die auguria visa sunt, ne locus numine plenus legitima religione careret, ibi D. Petro ædiculam dicarunt; mox delubrum magnæ Matris statuerunt; multisque villis et ornamentis donarunt. Divæ quoque Virginis ædem Budæ fundaverunt, cui pestana vectigalia et tres in Symigiensi agro vicos addixerunt, elaboratissimisque eam et aureis vasis exornatam reddidere. Post ubi religioni ac votis factum satis arbitrantur, ad componendum regnum animum advertunt : gravissima in sicarios ceterosque facinorosos promulgata sunt edicta, salutares quoque leges editæ inhibitæque injuriæ.

Vaciensem ecclesiam Deiparæ condit, cum ædicula D. Petri,

loco prodigiose monstrato,

F

item aliam Budæ.

12 *Supererat in Mosoviensi agro Salomon * Posonium solum retinens; hunc debellandum poposcit sibi Bessenorum Dux Zultan : ille Leopoldum Austriæ Ducem, S. Leopoldi patrem, in auxilium evocat; Zultanum fundit : Leopoldo pactam subsidii mercedem negat; Henricum quartum Imperatorem contra Hungaros sollicitat frustra; nam hic quoque re infecta reduxit exercitum in Germaniam. Posonium iterum Salomon recipit :* Geyza ubique pacato regno potitur, Magnus ex cognomento dictus. Illuc Salomonem se recepisse cum Ladislaus accepisset, haud inscius patruelis insidiarum, nequaquam respirandi tempus illi dandum esse censuit, ea vel maxime tempestate, qua a Germanis destitutum audiverat : proinde Posonium continuo obsidendum decernit, non ut fratrem ad extrema redigat, sed ut invitum fraternam caritatem doceat.

Salomon post aliquam victoriolam

obsessus Posonii a Ladislao,

EX BONFINIO.

A doceat. Quod ubi factum est, ingens Salomoni ex obsidione accessit desperatio..... sed illud quod in hac obsidione contigit, quæ diebus aliquot solvi non potuit, silentio nequaquam prætermittendum.

13 Ladislaum memorant, mutatis armis, meridie solum mœnibus appropinquasse, velut aliquid exploraturum: contra spectantibus cunctis, tamquam ad singulare certamen, prodiisse Salomonem; quippe qui hominem non agnoscebat, sed Ladislai militem esse arbitrabatur; cumque ad eum venisset, divino quodam ostento deterritum, pedem retulisse. Interrogantibus deinde militibus, cur hostem, præter institutum et audaciam suam aufugisset? continuo respondisse, se non hominem, sed Divos infestos perhorruisse: spectasse duos Angelos, hostis humero desidentes, qui candentibus et infestis ensibus hominem propugnarent. Tali miraculo eo magis posthac milites reformidasse et observasse ferunt. Item quicumque milites aut bello capti, aut ab ingenti rerum caritate deinceps ad Ladislaum pervenere, ad Salomonem tuto remissi, et ne pro meritis quidem ac dignitate indonati: quare apud hostes tantum gratiæ promeruit, ut apud eos pro amico ac Duce exoptatissimo habe- B retur.

Angelos ei assistere conspicit:

14 Post hæc cum Salvatoris nostri Natalitia appropinquassent, hæc in Saxardia Rex Geyza celebranda curavit. Eum Desiderius Strigonensis Metropolita, cum universo Pontificum collegio Procerumque manu secutus, inter sacrificandum de fraterna concordia, de humana caritate, de publica pace concionem habuit, neque se, neque auditoribus indignam. Hac usque adeo Regis animus commotus, et ita resipiscere visus est; ut, spectante populo, lacrymabundus ad Metropolitæ pedes se dejecerit, suum scelus ingenue professus, quod Salomonis legitime coronati regnum usurparit, quod verum Regem exegerit, quod jus denique alienum occuparit: proinde se pœnitentia ductum publice polliceri, usurpatum Salomoni regnum hac æqua conditione continuo redditurum, ut ipse tertiam regni partem ex suscepta corona retineat, quæ Ducalis quondam juris erat; Salomon duas cum primario diademate possideat, quemadmodum olim possidebat quæ juris Regii esse solent. Hac Geyzæ resipiscentia ac dignatione spectatorum animi usque adeo, prægestiente lætitia, exhilarati sunt, ut divinis Regem laudibus extollerent, vere Magni cognomento dignum prædi- C carent, hunc patrem patriæ ac pacis auctorem ingeminarent. Legati ad Salomonem extemplo creati, qui pacis ac restitutionis conditiones deferrent; quæ si placerent, tunc ei fore integrum Hungarici regni recipere potestatem. Legati mandata peragunt, responsa referunt, quæ de proposita conditione aliquid deterebant. Sæpe utrimque oratores missi, et ultro citroque conditiones variæ tentatæ, nulla tamen reconciliato fieri potuit.

Geysa ad pacem inclinatus, offert Salomoni reddendum regnum: dumque conditiones tractantur

15 Dum agitur de pace Geyza, adversa valetudine correptus, quamvis nil antequam decederet hac reconciliatione avidius affectabat, impos tamen desiderii, VII Kal. Maji rebus humanis excedere coactus est; desideratus æque et deploratus ab omnibus, quando non minus virtutibus quam orthodoxa fide præstabat. Corpus Vaciam delatum, ac celeberrimo funere in basilica D. Virginis, quam exædificarat, sepultum est. Regnavit tres annos.... Post funeratum honorifice Geyzam, de Rege eligendo Hungari cogitare cœperunt: et quamvis Salomonem legitimum Regem in finibus haberent, quem tuto revocare potuissent, et ut id facerent quotidie litteris ac precibus quandoque et largitionibus solicitarentur; nequaquam tamen Ladislaum mente obliterare poterant: nam quoties de regni commodo et salute consultabant, nil sanctissimi Ducis probitate ac for- D titudine succurrebat optatius.

moritur 25 Aprilis. Hungari, diffidentes Salomoni;

16 Viri namque justitiam, pietatem, prudentiam, fortitudinem, et imprimis sanctitatem animo repetebant: quippe quem neque arridentem hujusce seculi fortunam magni facere, nec ambitioni obnoxium, nec pravis libidinibus æstuantem; sed mortalia cuncta fastigia contemnentem, et perpetuæ castitatis observantissimum intellexerant. Accedebat animi magnitudo, robur corporis indomitum, item rerum verborumque constantia inaudita, popularitas comitasque, et suorum ac ceterorum caritas ineffabilis: quæ quidem omnia tantam sibi gratiam conciliabant, ut nuncupatissimis hunc votis expeterent et pronuntiarent. Ne miracula quidem viri memoria exciderant; neque fortissima gesta, quæ Ladislaum non solum imperio, sed divinis dignum honoribus præstabant. Item succendebat animos profusæ beneficentiæ liberalitatisque memoria, quam oblivioni nemo tradere poterat. Plerique hunc unicum Hungaricæ pudicitiæ assertorem, confugium miserorum, sanctitatis exemplar, ac suæ gentis liberatorem ingeminabant: humanorum officiorum hunc unicam alii officinam prædicabant. Mendici miseria libe- E rati, depressi qui ejus ope levati fuerant, virgines a raptu vindicatæ doteque donatæ, item coloni illius tutela servati, ceterique ex omni genere hominum et ex universis ordinibus ejus beneficiis affecti, ad regalia comitia certatim convenere, ut sine ambitione et nomenclatore ultro suffragia redderent. Hortabatur ad id omnes majestas aspectus, cum summa venustate conjuncta; item proceritas corporis, ex membrorum consensu valde spectabilis ceteros homines humerorum tenus præ altitudine eminebat; et in dicendo jure tanto temperamento utebatur, ut non minus justum quam misericordem reputares; quare Pius ex cognomento dictus.

et in Ladislaum propensiores animi ac corporis dotibus dignissimum regno,

17 Postquam ad ista comitia Pontifices Optimates, et ex oppidis ac vicis Magistratus omnis convenere; Ladislaum uno consensu Regem declarant; et antequam in comitia descendisset, omnes Regem consalutarunt; dignitatemque hanc obnixius recusantem, urgentissimis precibus acceptare coegerunt.... [anno circiter MLXXVII] regio tamen diademate coronari non permisit, quia Salomonem adhuc vivere intellexerat: iniquum enim reputabat legitimi Regis usurpare coronam; futuram sibi cum eo con- F cordiam sperabat, quam ex hac modestia promanaturam esse confidebat: nec unquam id insigne suscepit, quousque se legitime hoc accipere non posse intellexit. Plerique id ob contemptum humanæ gloriæ factum memorant. Ad regni fastigium jam evecto, nihil profecto fuit antiquius, quam basilicas fundare, incumbere religioni, Sacerdotum collegiis abunde prospicere, ad divinum cultum exemplo suo alios invitare, et nihil colere vehementius quam pietatem, cujus officia ne minima quidem ex parte deseruit. At illud in divo Principe admirabile minus est habitum, quod divino cultui ac gerendis rebus juxta satisfecit, neque alterum alteri impedimento fuit; quandoquidem utrumque præstare difficillimum putetur. Imprimis namque data occasione res Hungaricas amplificavit; quandoquidem Dalmatiam cum Croatia perpetuo jure regno Hungarorum adjecit.

detrectantem licet ad solium evehunt, qui citra coronam pro Rege se gerens, et recte omnia administrans

18 Ea tempestate Zelomirus Rex Dalmatiæ imperabat, cui Ladislai soror uxor erat. Vir sine liberis, legato conjugi Regno, vita decessit. Regina, variis inimicorum injuriis affecta, et eorum præcipue qui ad tyrannidem aspirabant, a potentissimo fratre petit auxilium. Ladislaus habito delectu exercitum parat, Dalmaticamque expeditionem affinitatis jure suscipit: trajecto Dravo Valeriam universam, quæ inter

sororis a se defensæ dono

A inter Savum Dravumque protenditur, in Dalmatas concitat : sororis inimicos continuo fundit fugatque: occupata oppida recipit : pacatum denique regnum, quod brevi bello recuperarat, integrum sorori restituit. At illa liberorum orbitate laborans, cum neminem haberet cui regnum æquius legaret, fratri repente ac posteris addixit, jussitque deinceps Dalmatiam et Croatiam universam Hungaricæ ditionis haberi. Ex quo quidem tempore Dalmatis et Croatis Hungari jure imperare cœperunt.

Dalmatiam et Croatiam Hungariæ jungit.

CAPUT III.

S. Ladislai de Salomone perjuro, et Chunis ei adjunctis victoriæ.

Ad Salomonem revertamur, qui e Posonio, Romana colonia, assiduas regno incursiones minitabatur. Omnes Antistites Proceresque Pannoniæ, nihil majore solicitudine quotidie cogitabant, quam de reconciliandis Principibus, e quorum concordia pax perpetua sperabatur. Nec res ista confici potuisset, nisi Ladislaum cum justitia, tum pietas ingenita vicisset ; siquidem trucem ingenio, et animo inexorabilem Salomonem intelligebat; sed non præteribat B illud, patrueli potius quam sibi, nisi viri ferocia et crudelitas inhibuisset, regnum hereditario jure competere. Maluit tandem fraternæ caritatis, quam privati commodi habere rationem. Hac igitur conditione fœdus ictum et quarto regni sui anno inita concordia, ut ea quotannis Salomoni stipendia penderet, quæ regiam addecerent dignitatem ; adeundi tamen regni potestate careret, unicus Hungariæ Ladislaus imperaret. Pacis conditionem Salomon accepit. Verum si fratrem constantem fore sensisset, Ladislaum aiunt Regio muneri ultro cessurum, Ducalique tantum dignitate contentum omnino futurum fuisse; sed intercessere Proceres Pontificumque collegia, qui Salomonis restitutionem sanctissimique Regis abdicationem sibi calamitosissimam fore rati, nullam regni partitionem fieri passi sunt ; quin etiam prius extrema quæque se subituros prædicabant, quam pientissimum fortissimumque Regem, e cœlo datum ac propugnatorem invictissimum deserant. Nec ignorabant quidem, quanta Hungaris mala imminerent, si in sævi Regis manus forte reciderent : inexorabilem ejus iracundiam intelligebant, quod mox rei exitus ostendit.

Cum Salomone Posonii manente

Rex pius concordiam sancit :

C 20 Reconciliatus namque fratri dirus Salomonis animus anliquantisper acquievit; sed mox vindictæ occasionem e concordia nactus, de parandis insidiis cogitare cœpit..... Proinde Ladislai colloquium in Mosoviensi agro litteris exorat, quo perpetuam inter se concordiam vehementius confirment, sperans sub hoc prætextu eum per insidias se facile circumventurum. Ad statum diem se adfuturum recipit Ladislaus ; at is, cum sub divina tutela foret, paucis post diebus clandestino monetur internuntio, in colloquio cum Salomone sibi caveat, paratos a fratre dolos esse sciat, quibus ni prospexerit, mortis sibi periculum imminere sentiet. Commonefactus ad hæc Rex, pari arte cum Salomone certandum esse intellexit. Quare, postquam ad colloquium perventum est, Ladislaus, munitiore præsidio fretus, quod dissimularat, deprehensum in fraude Salomonem circumvenit cepitque. Qui ubi se arte sua captum vidit, neminem profecto alium quam seipsum incusare poterat ; et nisi imposita custodia foret prohibitus, de consciscenda sibi morte cogitasset. Captus igitur Salomon Vissigradum ducitur, quæ vetus olim Regia fuerat, conjectusque est in carcerem, non ad dehonestandam dignitatem, sed atrocitatem molliendam..... Quamquam autem in fratrem plus æquo Ladislaus sævire videbatur, ut D indomitam ejus iram sedaret; numquam tamen diu noctuque a divina oratione cessabat, ut in fraternæ pietatis officium cœlesti ope restitutum hominem intueretur. Regnoque sæpe ultro cessisset, in Ducatumque se libentissime radegisset, si resipiscentem quandoque fratrem intellexisset ; quem ne regnum assiduo interturbaret publicæ salutis gratia, etiam invitus carcere coercere cogebatur.

qua abusus ille,

et in facinore deprehensus

capitur ;

EX BONFINIO.

21 Sed quam Deo abominabilis sit fraterna discordia, id potissimum ostendit. Nam cum D. Stephanus, in veneratione corporis, quod annis quinque et quinquaginta delituerat, suum numen indicaturus esset; haud mediocre Ladislao Regi promerendarum hujuscemodi Reliquiarum desiderium inspiravit, ut pro nepotis beneficio divinos sibi honores compararet. Quare Patrum consulto et edicto Regis, triduo viris æque ac mulieribus jejunium indictum, et in delubris omnibus lectisternia ; item supplicia apud omnes aras, ut aliqua divinitus signa darentur, quibus omnipotentis Dei voluntatem intelligerent. Quarto die ad ejus sepulcrum frequentissimi convenere, ut e subterraneo fornice sanctissimi Regis corpus exponerent : quod cum tentassent, lapis vi nulla moveri potuit. Consulta Virgo miræ sanctitatis, quæ in Salvatoris cœnobio assiduo versabatur, E respondit; eos frustra niti, donec Salomon carcere liberetur. Ladislaus oraculo Virginis auscultans, continuo liberari jubet ; jejunium quoque triduanum cum supplicationibus indicit. Quibus rite peractis, cum in basilicam, cum universa Pontificum Procerumque manus iterum convenisset ; tactus lapis, qui sepulcro diu inhæserat, facile amoveri passus est, et divi Regis erutæ Reliquiæ.....

qui S. Stephano R. intercedente,

nec aliter corpus suum elevari patiente

liber dimissus ;

22 Salomon e carcere emissus, paucos cum Ladislao dies egit : nam in solitum furorem iracundiamque recidens, ad ulciscendas injurias animum advertit : et cum, fraternis, item Antistitum Optimatumque consiliis ac precibus parum obaudiret, dissimulata fuga missionem petit. Diversas trahebatur [in partes] infelix, et quem in Hungaros ac fratrem Potentatum suscitaret , e Christianis nemo sibi offerebatur : quare ad profanos animum adjecit. Succurrit, Guthescum Chunorum Principem, barbara manu potentissimum vicinum, regni ac Transilvani dominatus avidissimum, ad hoc bellum facile suscitari posse. Itaque barbaricum clam auxilium exorat ; quo si in pristinam dignitatem restitui possit, pollicetur ac juramento affirmat, se Transilvaniæ regnum Chunorum ditioni perpetuo concessurum, accepturum quoque filiam in uxorem, et F æternum cum eo fœdus percussurum. Barbarus, inani spe tractus, coacta ingenti multitudine in Hungariam irrumpit; imprimis duo castella adoritur, quorum uni Ong, alteri Borsua nomen erat. De Chunorum irruptione tumultus exoritur : Ladislaus confestim cogit exercitum, contendit in Barbaros. Vix rumori credere poterat, qui Salomonem cum Chunorum gente conspirasse referebat. Desperata tandem fraterna salute, continuatis itineribus ad hostium castra pervenit. Curatis corporibus ita forti animo hostem aggreditur, ut dare terga coactos continue fuderit fugaveritque. Ex Chunis decem millia, ex Hungaris vix mille desiderati. Guthescus cum Salomone clandestina sibi fuga salutem comparavit, Rex clara potitus victoria, cum ingenti præda rediit; fecit apud omnes aras rem sacram, et supplicationes pro agendis Deo gratiis celebratæ. Spolia templis Divorum affixa in monumentum victoriæ, divina ope comparatæ : Salvatori erecta ædes.

Chunos in Ladislaum suscitat

promissa iis Transilvania ;

sed una cum ipsis vincitur

23 *Interim Salomon cum superstitibus Chunis in Bulgariam convertitur ; cæsus a Græcis, et in deserto, ad quod se receperat, oppido obsessus, erumpit evaditque trans*

nec ultra comparet fuga elapsus,

A *trans Istrum : mox in proximam silvam delatus, sociorum conspectui se subripuit, nusquam ultra visus : nisi forsitan postea semel in Hungaria, atque post longam in eremo pœnitentiam Polæ in Istria sepultus tempore Regis Colmanni seculo forsitan* XII *inchoato, ubi ut Sanctus colitur* XXVI *Septembris.* Ladislaus, eum jam diu mortuum fuisse ratus, cum nusquam extaret, ad defensandum ab hostili impetu regnum omnes ingenii nervos intenderat, quando in dextera salutem publicam se ferre, commissamque sibi gentem omni studio gubernandam esse intelligebat. Interea ecce iterum Chunorum furor erupit, et Copulclio Duce Crubi filio in Hungaria sævitur. Primo impetu hæc innumera multitudo Transilvaniam invadit ... ea populata superatoque Carpathio monte, in Bithoriensem agrum, ubi Varadinum est, properatur. Ad flumen, cui nunc Unsoer est nomen, castra locata diebus aliquot : post hæc Tibiscum trajicere visum... exercitumque in tres partes dividere..... Depopulatis igitur ex composito regionibus, ad vicum quemdam aquamve convenere, quam Rechen appellant ; ubi intolerabili præda onusti, confestim redeundi consilium ineunt, gloriose inter se jactantes, Belligerando venimus et venando revertimur. Ex immensa prædæ magnitudine, qua nil majus ante fuerat auditum, hæc insolentia exorta ; quando innumera liberorum matronarumque nobilium multitudo captiva abducebatur. B

EX BONFINIO.

Regressos Chunos

et Transilvaniam depopulatos

24 Ladislaus, qui in Illirico tunc agebat, et Slavoniæ regnum, a sorore legatum et ab ipso antea propugnatum, ditioni Hungaricæ adjecerat, quando longe aberat, his rebus præsto adesse non potuit. Ast ubi edoctus est, in Transistriana Hungariæ parte a fera gente omnia diripi, initum iter properat, celerem præmittit equitatum, cum cataphractis ipsos diu noctuque subsequitur. Abeuntes Chunos continuatis itineribus ad Themesium amnem cohibet, qui trajecto jam fluvio ad proprias sedes tuto se redire posse credebant. Postquam eo perventum est ; unde miserabilis præda spectari poterat, advocata concione ; Heu miserabile spectaculum Ladislaus exclamat. *Tum in rem præsentem pacis hortatus suos*, lacrymarumque profluvio confusus, concitato in hostem equo fertur, rubraque simul vexilla inferri jubet : ceteri pari dolore perciti fortissimum ducem, ne minore quidem animo, subsequuntur. Chuni, postquam se a tergo peti vident, agmen sistunt, seque in aciem instructam redigunt. Acerrima confestim pugna conseritur, quando his timor, illis suorum caritas et indignatio captivitatis animos obfirmabat. In confertissimum se prælium Rex ingerit : et dum indulget pietati, neque sibi parcit, neque pericula ulla reformidat ; cadunt a principio utrimque multi. C

assecutus, Ladislaus,

cum eis confligit,

25 Interea captivorum agmen properare jussum, a tergo sibi opem adesse prospectans, in adurgentes reluctatur. Viri ac mulieres æque se expedire student, solvunt revinctas manu mutua ope, ut a fronte suis opitulentur : quod ubi factum, cum gratulatione voces edunt intensissimas..... Chuni in angustias se redactos vident, a tergo gravissime cæduntur, a fronte impedimentis et captivo vel maxime agmine impediuntur..... Quare a latere tergo dare cœperunt, palantes fugiunt omnes, insequuntur Hungari. Quod ubi a pientissimo Rege visum est, continuo exclamavit : Parcite humano sanguini, parcite milites : sat cruoris hostilis effusum : fugientem capite multitudinem, ut si forte ad orthodoxam fidem animum advertere voluerit, Dei populum amplificemus. Defervente his verbis ira militum, quicumque superfuerant ex Chunis capti ; unus tantum servus qui Escenilus dictus est, veluti memorandæ cladis nuntius evasit : Capulchus cum præstantibus initio pugnæ occubuit : parta victoria. Hungari ad carissimum captivitatis agmen, in libertatem dudum assertum, convolarunt : reperit quisque suos, et non tam nomine quam voce agnoscebantur omnes. At ubi publicæ congratulationi satis aliquantisper factum, subito Regis edicto supplicationes Divis indictæ..... Deo gratiæ passim actæ ; et in perpetuum victoriæ monumentum, cognominatur Themesus amnis, in hodiernum usque diem, a clara infidelium cæde Paganus. D

et captivis in hostem conversis

victoria potitur.

26 Chunorum populi, cognita ab eo qui evaserat strage suorum, publico luctu indicto justitio, Capulchi Ducis ac ceterorum interitum deplorarunt : cumque innumeram suorum manum apud Hungarum captivam detineri sensissent, uno eodemque bello et Ducis mortem ulciscendam, et eam a servitute vindicandam decrevere. Itaque copias instaurant, et ad redintegrandum exercitum servitia quoque solicitant : pro virili parte auxilia undique contrahunt, Cumanos, Hamaxobios et Ruthenos in Pannoniam ciere conantur. Post hæc legatos ad Ladislaum mittunt, quibus mandata dedere, ut Regem captivos reddere jubeant, aut recusanti subinde bellum indicant, diemque pugnæ præstituant. Cum hi in Ladislai conspectum venissent, ex mandato captivos insolentissime repetunt, nulla præreverentia usi...., Ad futilia verba Rex subrisit ; imperiosa verba dicens non decere victos, et tum vel maxime cum a benigno victore sint aliquid petituri, quod magni momenti esse videatur. Commemorat Chunorum injurias, qui nullo Pannonum bello lacessiti, jam tertio Hungariam invaserint, et animo plus quam hostili homines ac pecora abegerint. Proinde hujuscemodi superbiæ nihil indulgendum esse affirmat, ac re infecta abire jubet. Qui prius quam pedem retro ferrent, e vestigio belli diem indicunt. E

Iterum superbe provocantes,

et pugnæ diem præstituentes,

27 Quam primum, Rex munitissimum cogit equitatum, oppidatim et pagatim homines evocat : ad regni fines quam ocissime contendit, ut ante diem hostibus occurrat, neve hos regnum ingredi patiatur. Contra ad præstitutum diem illi cum innumera multitudine adfuere ; haud procul ab Istri ripa Sabbathi die ex composito pugnam ineunt : et cum collatis utrimque signis et obstinatissimis etiam animis pugnarent, nihil tunc Ladislao occurrit antiquius, quam cum eorum Duce singulari bello certare. Quare declinato cum plerisque congressu, passim Chunorum Regem inquirit et usquequaque discursans, Acum, Acum ingeminat. At ille, peculiare prælium detrectare non ausus, extemplo adfuit. Inito congressu et tentatis Ladislai viribus, ita animo concidit, ut ad primum securis ictum capite nutarit, et adjecto mox ense transfossus expirarit. Spectata Ducis Aci morte, Chuni animis consternati, instantibus Hungaris terga dare coacti : palantes deinde fugiunt, passimque cæduntur : in insolentissimam Rex barbariem usque adeo sævit, ut paucos captivos fecerit ; nec minus suorum ferociam præter morem in hostem sævire permisit, ne ulterius Chunico bello vexaretur Hungaria. Ad postremum insigni victoria potitus, opima divo patri Stephano spolia retulit, cumulatissimasque Deo gratias indictis supplicationibus exolvit... F

aggressus Sanctus,

cæso ipsorum Rege Alco,

ad internecionem deleti

CAPUT IV.

Regno undequaque pacato Dux sacri belli postulatus Ladislaus, in ejus procinctu moritur.

Post Chunorum a stragem, Roxanorum bellum exortum est, quos Ruthenos nunc appellant, regionem vero Ruxiam dicunt, Roxolanos Latini frequentius

a Data Ruthenis supplicibus pace

A quentius nominant. Ladislaus autem tatritis Chunis, Rutenos aggreditur, quando eos in se Chunos suscitasse, misisse auxilia, ac hominibus commeatibusque jam ter bellum fovisse noverat. At illi, meliori consilio freti, non armis, sed obsequio nobilissimum Principem superandum censuerunt. Nec consilio falsi sunt : nam cum supplices eum adivissent, ingenueque culpam faterentur, et imperata se cuncta plane facturos reciperent; ipse confestim errata remisit, et clementi ita animo omnes amplexatus est, ut non tam vi quam pietate hostem sibi omnino reconciliarit.

29 Polonicum deinde bellum exarsit, quia cum Rutenis et Chunis in Hungaros conjurasse rumor erat. Ladislaus igitur, cum hostem potius audacia quam cunctatione deterendum censeret, post cæsos ad internecionem Chunos, et acceptos in deditionem Rutenos, in Polonos se convertit : quos neque necessitas sanguinis, neque vetus amicitia, neque vicinitatis jura in officio retinuerant. Jam Sarmatiæ fines penetrarat, cum Polonorum occurrit exercitus. Aliquamdiu acerrime pugnatum est, et utrimque multi cecidere, Polonica tandem acies inclinavit. Instat vehementius crescente spe Hungarus : sed B cum in fugam effunderetur hostis, illius impetus ultra remorari non potuit : fugientem usquequaque cædit, et e victoria tantum animi victor accipit, quousque Graccoviam, *b* a Gracco Romano cive conditam, et Polonorum Regiam non pervenerit, nusquam pedem sistere voluerit. At ubi ad metropolim perventum est, Ladislaus urbem acerrima obsidione circumvenit.... Jam in tertium mensem propagabatur obsessio, ac magna fames et rerum fere omnium egestas, juxta obsessos et obsidentes incessit : commentum vero novum invenit ingeniosa necessitas. Intempesta nocte Regis edicto quisque miles, ocream galeamve effossa terra completam ante urbis mœnia conferre jubetur : quod ubi factum est, congestæ terræ mox tumulus haud mediocris exurgit, quem farina quam primum Rex aspergi jubet. Illucescente die, oppidani editissimum farinæ montem ante muros arcis aspiciunt, hostium commeatibus invident ac pariter admirantur, urbanam commiserantur inopiam. Publicæ mox salutis consilium ineunt : se cibariorum egenos et ad extrema redactos, longam hostium obsidionem, qui re frumentaria diutissime se muniverant, ultro tolerare C non posse; imo tanta jam fame laborare, ut vix in horam resistere liceat : quare insequenti die sese cum arce dedunt. Rex, castigata aliquantulum eorum pervicacia, post humilem deditionem, jus omne cum civitate restituit; in posterum admonuit, ne contempto amplius amicitiæ jure, in Hungaros quidquam molirentur : quod se facturos omnes recepere.

Ladislaus socios eorum Polonos prælio superat,

Cracoviam obsidet,

b

et simulata annonæ suis in castris copia,

ad deditionem inducit,

30 Deinceps in Bohemiam declinatum iter; ubi cum aliquot infestos habuerit olim sibi populos, exacta injuriarum ultione, multisque in captivitatem assertis, cum dexterrimo ubique ejusdem fortunæ tenore, veluti gloriosissimus victor, in Hungariam cum ditato jam exercitu se recepit. Cum post bella se in otium revocasset, in Bithoriensi agro inter venandum cœlesti admonetur internuntio, ut ad Chrysium fluvium Divæ Virgini basilicam dicaret, eamque adjecto populo muniret, quem locum magnæ Matri gratissimum futurum significabat. Divina statim mandata præstitit, magnificentissimam ædem erexit, eique Pontificem præfecit; oppidum fundavit, Varadinumque jussit appellari; Pontificiam ædem amplissima donatione, divini cultus gratia, exornavit. Cum Henrici summique Pontificis discordiam Germani iniquo animo tolerarent : eum ad capessendum Romanum Imperium multis etiam precibus invitarunt : sed cum obstinatissime recusantem invenissent, Rodulfum declararunt, Saxoniæ Principem. D

ac denique etiam Bohemos castigat,

Varadinum condit,

oblatum a Germanis imperium recusat.

EX BONFINIO.

31 Nihil avidius anhelabat Ladislaus, quam expeditionis Hierosolymitanæ præfecturam... Augebat spem jam rumor effusus, Petrum Eremitam, Gallica gente natum ac mira vitæ probitate præditum, e sancta peregrinatione reversum, D. Petri *c* jussu non modo Romanum Pontificem, sed Gallos, Hispanos ac Germanos monuisse, Palæstinam et augustissima illa loca, ubi Salvator mundi et natus et mortuus est, omnino a Saracenis asserenda... quem et Urbanum, in Galliam profectum, ad Montemclarum in Arvernis frequentissimam habuisse synodum, cunctisque qui aderant Principibus suscipiendam hanc expeditionem persuasisse; Gothofredum, Eustachium et Balduinum præstantissimo Bulioniorum genere natos, Bononiæ Gallicæ Regulos; item Podiensem Antistitem, Raymundum S. Ægidii Comitem; præterea Hugonem magnum Philippi Gallorum Regis fratrem; duos Robertos, alterum Normanniæ, alterum Flandriæ Principem; et Stephanum denique, Carnoti Regulum, sanctissimæ militiæ ultro nomina dedisse; quin et trecenta hominum millia promulgato bello, deposita toga sumpsisse sagum, dextrumque humerum signo Crucis inscripsisse, quod anno nonagesimo quarto supra millesimum plerique contigisse memorant... Ad Ladislaum, salutari hac gloria succensum, et ad Bodrogum oppidum Paschalia festa celebrantem, ecce ex Gallia, Hispania et Britannia legati veniunt... qui Regem instantissime orabant, ut, cum Pontificia auctoritate ac populi Christiani jussu, pro asserendo a Saracenorum potestate Salvatoris nostri sepulcro, hanc susciperet expeditionem; delegatam sacrosancti exercitus præfecturam et gubernationem libenter acciperet; neque sacrarum legionum recusaret Imperium, quæ inexpiabiles infidelitatis injurias sint ulturæ. E

c

Ad Petri Eremitæ prædicationem

pro recuperanda Terra sancta armati Christiani,

ducem sibi optant Ladislaum :

32 Rex pluribus exorari se non permisit : Jesu Christo optimo maximo, quod tam præclarum facinus suæ plebi optimatibusque inspirarit; deinde Christianorum Potentatibus, vel his maxime qui legationis officio gloriosissimam Præfecturam detulerint gratias egit : sacram expeditionem laudavit; ac demum hilari fortique animo sanctissimum accepit imperium, legatosque honorifice tractatos et ample donatos remisit. In illis item solemnibus, cunctis Hungariæ Antistitibusque Optimatibusque, F se expeditionem Hierosolymitanam eo anno perfecturum, significavit : quare omnes amplexatus, commendata regni salute, tristes lacrymabundosque dimisit. Deinde ad Conradum Boemorum Ducem *d* Othonis filium, suumque ex sorore nepotem ex templo tabellarium mittit; qui delatum sibi expeditionis Hierosolymitanæ imperium significaret, juberetque juvenem se militiæ accingere, componere domum, exercitum ad ulciscendas Salvatoris injurias pro sua virili comparare. Libentissimo animo imperata suscipit nepos, ad statum diem adfuturum pollicetur, salutari expeditione admodum exhilaratus.

qui adjuncto sibi Bohemiæ Duce, nepote suo,

33 Dum peregrino uterque bello se accingit, ecce Sentapolcus, *e* qui arcta juvenem necessitate contingebat, Conradi Ducis nomine, ac intempesta nocte Pragam adit capitque. Postero die a conjuratis honorifice susceptus, favente Pontifice Pragensi, tyrannidem occupat; Conradus dominatu exactus, ad avunculum effugit, consanguinei facinus enarrat, implorat auxilium, paternamque fidem et antiqua beneficia memorat. At Rex, meritorum *f* Othonis haud quaquam immemor, non modo auxiliares copias, sed pro restituendo nepote se et imperatorem

e

dum eidem suorum p[...] dia expul[...]

f

EX BONFINIO. *una cum nepotibus Geizæ filiis succurrere parat,*

A peratorem et militem fore pollicetur. Exercitum igitur continuo cogi jubet, et validissimum parat equitatum : quin et alios ex fratre Geyza nepotes duos bello se accingere præcipit; quorum alteri Golomanno, Almo vero alteri nomen erat. Almum Colomanno magis amabat, quando hunc multi sanguinis effusorem, contra vero illum mitiorem e sapientia sua fore prospexerat. Quare Colomannum Sacerdotio destinarat, ut dirum religione mitescere ingenium, et hoc consilio motus Agriensem Episcopum declaravit. Quod ubi nepoti significatum est, in sequenti nocte in Poloniam effugit, ingenita ferocia ductus, neque veterum rerum ignarus patrem et avum a Polonis olim honorifice exceptos : plerique juvenem nobiles secuti. Colomanni fugam iniquo animo Rex tulit, improbitatem indolis abominatus : comparatisque tandem copiis, in Bohemiam contendit.

morbo corripitur,

34 Vix fines attigerat, ecce eum morbus incessit et languor ingens; quare Principes Antistitesque omnes confestim imperat acciri, ut rebus consulat Hungaricis, et antequam humanis excedat, de futuro Rege disponat. Item ad Colomannum, Marcellum Presbyterum magna sanctitate præditum et B Petrum Comitem oratores mittit, qui suo nomine eum e Polonia revocent. Increbrescente deinde ægritudine, convocatis Optimatibus, Almum, mitiore ingenio ac præstantiore indole adolescentem, regno sibi succedere jubet. Mox ex testamento quæcumque apud eum bona comperta sunt, omnia basilicis cœnobiisque sacris legat; nullamque in Hungaria ædem beneficentiæ suæ reliquit expertem. Postero die Rex ille, sanctissimus omnium populorum judicio habitus, anno salutis nonagesimo quinto *g* supra millesimum, tertio Kalendas Augustas, anno regni sui *h* undeviceno, in Domino obdormivit. Sine liberis aliqui decessisse ferunt, neque an uxorem duxerit satis constat; nisi quod ex epitaphio quodam sepulturæ inscripto ad Vispriniensem basilicam, in quam Antistes quidam Geslæ et Olhait Reginarum ossa congessit, [probari videatur ipsarum ultimam Ladislao junctam fuisse.] Epigramma tale est, [Stephani] *i* et Ladislai, sanctissimorum Pannoniæ Regum, consortum hic ossa quiescunt. Quod ego haud difficulter crediderim, cum Pyriscam Ladislai filiam, et Constantinopolitano Imperatori collocatam, Annales C plane tradant : nomen Imperatoris prætermittunt, quem Emmanuelem *k* fuisse puto. Corpus Ladislai Varadini honorificentissimis exequiis sepultum est. Almus autem, bono simplicitate ductus, Colomanno, e Polonia redeunti, regno cessit, ne primogenituræ fratrem jure defraudare videretur.

Almum nepotem declarat successorem, — *g h et moritur 1095,* — *i mascula nulla prole suscepta,* — *k Varadini sepultus.*

ANNOTATA D. P.

a Χοῦνοι *Ptolomæo, aliis* Uni *et* Hunni, *qui et* Avares *medio ævo, aptius in vita, et congruo mediæ ætati vocabulo* Besseni.

b *Communius* Cracovia. *Verum de hujusmodi obsidione, aut ullo omnino Hungarorum adversus Polonos motu, nihil in hujus gentis historiis legas : et mortuo Boleslao Rege, S. Stanislai interfectore, vel eadem qua Salomon Hungarus fortuna alicubi delitescente, haud omnino infeliciter Polonos regebat Wladislaus Dux.*

c *Certum est, rediisse* Petrum *ex Palæstina an.* 1093, *aditoque* Urbano *Papa, totum sequentem annum impendisse concitandis Principibus Christianis; hinc infra corrigo manifestum errorem, quo res hæc acta dicitur* 1084, *et scribo* 1094 : *non enim possum persuaderi sic exorbitasse Bonfinium : melius tamen notaretur annus* 1095, *cujus mense Novembri celebrata est Synodus Claromontana hic commemorata et Crucem Principes accepere.* D

d *Ex Cosma Pragensis Ecclesiæ Decano, usque ad annum* 1126 *historias Bohemiæ prosecuto, constat,* Brevoslao *Duci Bohemiæ ex* Juditha *Teutonica fuisse filios quinque,* Sbigneum *et* Wratislaum, Conradum, Jaromirum, *et* Ottonem, *natos omnes ante annum* 1040 : *quorum tres primi mutuo sibi sucessere in Ducatu seu mavis Regno; et secundus, maluit* Conrado *fratri ipsum relinquere, quam filio* Bretislao, *ex* Adilita *Hungara genito. Sed* Conradi *brevis dominatus fuit, septem scilicet mensium et dierum septemdecim : post quos, ipso adhuc anno* 1092 *mense Augusto, successit* Bretislaus II; *quem, non vero* Conradum, *potuit* S. Ladislaus *suum ex sorore nepotem vocare; sive* Adilita *soror ejus germana fuerit, seu potius patruelis; filia (ut Balbinus ait) Andreæ Regis Hungariæ. Hic etiam juvenis dici potuit, non autem* Conradus, *jam quinquagenario major.* E

e *Idem Cosmas ad annum* 1091 *meminit duorum* Ottonis *prædicti, et ceteris fratribus præmortui, filiorum* Zuatopluk *et* Ortik, *quibus, suo in Moravia patrimonio exclusis a patruo Wratislao, quia favebat* Conradus, *nonnullam fratris sui indignationem incurrit : hic ergo* Zuatopluk, *sua recuperaturus, potuit astu aliquo Pragam occupasse Bretislao excluso, et hæc* Ladislao *causa fuisse movendi in Bohemiam : nihil tamen horum scribit Cosmas.*

f *Multa quidem præclara* Ottonis Bohemi *facta recensentur a Bonfinio, sed hæc non debebant* Ladislaum *movere, ut contra* Zuatoplucum *ejus filium accingeretur. Erraverit igitur tota Bohemicorum Ducum et Principum stirpe Bonfinius.*

g *Imo* nonagesimo sexto; *alias legi non potuisset Dux belli sacri, primum Claromonte sub hiemem conflati.*

h *Ergo ex sententia Bonfinii regnare cœperat circa annum* 1077, *et frater ejus Geyza circa* 1074; *atque ita constant quæ supra num.* 10 *et* 17, *ex nostro calculo interjecimus tempora.*

i *Evidentem, et librariorum incuriæ imputandam lacunam ex certa scientia supplere fuit facile, cum constet S. Stephano Regi uxorem fuisse* Gisilam, *S. Henrici Imperatoris sororem.* F

k *Ast* Emmanuel *primum an.* 1143 *patri* Joanni Comneno *successit in Imperium; sciturque uxorem habuisse Bertham, Conradi Imperatoris affinem, et vixisse usque ad an.* 1180. *Melius Cangius inter familias Augustas Byzantinas* Joannem *seu Calo Joannem ipsum intelligit, qui, teste Zonara, superstite adhuc parente* Joanne *seniore, ante annum* 1105 *uxorem duxerat Irenen, Hungariæ Regis filiam : excessit autem hæc e vivis, marito adhuc superstite, anno* 1124. *Ubi notat Cangius moris Græcorum fuisse, nomina Imperatricum suarum a barbaris acceptarum, utpote ipsis Barbara mutare in alia sibi familiariora, uti etiam Emmanuelis prædicti uxori factum; et plerumque placuisse nomen* Irenes, *quod pacem significat, quia tales plerumque assumebantur, pacis ineundæ vel firmandæ causa.* NOT. XIII

DE BEATO BENEVENUTO

ORDINIS MINORUM CORNETI IN APULIA

SYLLOGE HISTORICA.

D. P.

De ejus approbato cultu, vitæque et miraculorum epitome.

CIRCA MCCXXXII

Duplex Cornetum

Duplex Cornetum *memorant Ordinis Seraphici Annales, a Waddingo conscripti, et ab Haroldo contracti; unum ab altero ibidem non aliter distinctum, quam quod aliter distributio Provinciarum ex Bartholomæo Pisano apud Haroldum ad an.* 1540, *scripta sub annum* 1400, *Custodiæ Capitanatæ in Provincia S. Angeli adscribat* Cornetum *ultimo loco; et Custodiæ Viterbiensi sub Provincia Romana tertio loco, etiam* Cornetum; *quod postremum ne Patres Romani dimitterent propter aeris inclementiam, intercessit Julius II, anno* MDVI: *et ad annum* 1291 *dicit Waddingus num.* 12, *quod* ibi S. Franciscus mortuum puerum revocavit ad vitam: *id quod Petrus Rodulfius Tossinianensis, fol.* 85 *Historiarum Seraphicæ Religionis, alteri loco adscribere videtur, cum ait*: Est autem Cornetum Apuliæ oppidum, ubi B. P. Franciscus puerum octennem, Bartholomæum nomine, ingenti pondere oppressum, et letali ostii cujusdam prægrandis collisione quassatum, quasi a somno suscitatum liberavit: *quæ verba dum ad annum* 1232 *num.* 18 *transcribit Waddingus, vel pueros duos distinxit vel loca non discrevit.*

B non satis distinctum ab auctoribus.

In eo quod apud Apulos sit mortuus B. Benevenutus,

2 *In hoc Apuliæ* Corneto, *inter confinia Melfiensis, Rapollanæ, et Venusinæ diœceseon, invicem propinquissimarum, circa annum* MCCXXXII *creditur a Waddingo obiisse* B. Benevenutus, *pro cujus Canonizatione mox actum anno quarto post; et a Gregorio Papa IX commissum examen* Melfiensi, Melfitensi, et Venusino Episcopis *(Rapollario tunc forte reprobato ut illegitimo,* qui *quidem* non segniter in opus incubuerunt, *inquit Waddingus et constat ex Lectione* IX *Officii proprii*; sed temporis turbulentia, et rerum magnarum agendarum pondus fecerunt, ut differretur ulterior de hac re tractatus. Interim concessum a Pontifice (teste Mariano) ut in tribus vicinis C Episcopatibus ejus celebraretur festum, et de eo divinum recitaretur Officium. *Ex si de vita sumptæ fuerunt, adhuc desiderantur: nam de solis miraculis sunt illæ novem, quas infra damus et invenimus Neapoli apud Patres Theatinos S. Pauli inter Collectanea MSS. Antonii Caraccioli tomo* I *de Vitis sanctorum Confessorum; ex quibus discimus, habuisse quidem* Corneti Fratres Minores conventum et ecclesiam S. Antonii; *apud eos tamen tumulatum* Benvenutum *non fuisse, sicut dicit Tossinianensis, sed in Collegiata vel saltem Parochiali ecclesia S. Petri ejus extitisse sepulcrum; nisi forte hinc illuc facta est translatio aliqua; de qua ne quid nunc sciri possit, facit desolatio loci tanta, ut non modo vestigia amplius nulla, sed nec memoria supersit vicinis, quemadmodum nobis anno* MDCLXXVI *scripsit Bariensis nostri Collegii tunc Rector Ignatius Zacharias. Sed neque anno* MDXVI, *quando scripta est posterior Distributio Conventuum apud Haroldum, ulla supererat talis conventus notitia.*

a Sede Apost. coli permittitur

in Lectionibus propriis quæ deduntur

Breve Gregorii

3 *Gregorii Papæ IX Breve ad prædictos Episcopos hujusmodi recitat Waddingus*: Mirabilis Deus in Sanctis suis, ut suæ virtutis potentiam mirabiliter manifestet, et salutis nostræ causam mirabiliter operetur; fideles suos, quos semper coronat in cœlo, in mundo etiam frequenter honorat; ad eorum memorias signa faciens et prodigia, per quæ pravitas confundatur hæretica, et fides catholica confirmetur. Nos ergo quantas possumus, etsi non quantas debemus, omnipotenti Deo gratiarum referimus actiones, qui in diebus nostris, ad confirmationem catholicæ fidei, et confusionem hæreticæ pravitatis, evidenter innovat signa, et mirabilia potenter immutat; faciens illos coruscare miraculis, qui fidem Catholicam tam corde et ore, nec non et opere tenuerunt. *de vita et miraculis ejus* Sicut enim dilecti Filii, Clerus et Populus Cornetanus, nobis per dilectum filium Balsamum Diaconum, et Jacobum Judicem, nuntios suos, et litteras E intimarunt; et quorumdam Episcoporum ac Religiosorum litteræ continebant; Dominus tantam piæ memoriæ Fratri Benevenuto gloriam contulit, quod sepulcrum ejus tot et tantis dat coruscare miraculis, ut inter alios Sanctos ejus non invocari suffragium est indignum. Quare nobis humiliter supplicarunt, ut super miraculis, quæ per eum Dominus operatur, *cognoscere jubentis Episcopos,* testimonia recipi faceremus. Verum, quia in tam sancto negotio non est nisi maturitate et gravitate debita procedendum; de discretione vestra plenam in Domino fiduciam obtinentes, mandamus, quatenus, adscitis vobis viris religiosis et Deum timentibus, de virtute morum et veritate signorum, operibus videlicet et miraculis, diligentissime inquirentes, depositiones Testium receptorum, sub sigillis vestris, servetis inclusas; ut cum a nobis fueritis requisiti, eas ad Sedem Apostolicam fideliter transmittatis etc. Datum Viterbii VIII Kalendas Aprilis, anno decimo.

4 Melphiensis Episcopus *tunc fortassis fuerit* Richerius, doctrina ac vitæ sanctimonia insignis *ab an.* MCCXIII: qui *ejusdem seculi anno* XXIV Moniales S. Benedictæ *vasta solitudine, ab ecclesia S. Venerii, ad ecclesiam* S. Joannis de Iliceto *transtulit, teste Ughello, eamque sedem tenuit usque ad Rogerium, an.* MCCLII *ordinatum. Dixi, fortassis, sub dubio, ne quis alius, hactenus nobis ignotus, intercesserit; sicut in sede* Melfitensi *post* Joannem *indicatum pro anno* MCLXXIX, *haud dubie sederunt ignoti nobis plures ante* Ricardum, *integro fere seculo post defunctum: qui tamen huic examini potuit dedisse operam, si ultra triginta annos Ecclesiam istam rexit.* Venusinus *verosimiliter fuit ille, re ac nomine* Bonus, *sub quo cœnobium S. Francisci, ab ipsomet Sancto designatum, surrexit; quique sub prælaudato Gregorio IX injuste cæsus ab iniquo Clerico quodam, multis Martyribus similem mortem obiit. Quem illi, vel duo eorum, Processum formaverunt, mittendum Romam, abolevisse tempus videtur; nunc certe nusquam invenitur, nec est qui illum sibi visum indicet post Bartholomæum Pisanum, apud quem in libro Conformitatum vitæ S. Francisci atque Christi, ille sic legitur contractus in compendium fol.* 86 *et seqq.*

Melfiensem, F Melfitensem, et Venusinum.

5 In Corneto jacet Fr. Benevenutus de Eugubio, vita sanctissimus et signis stupendus. Hic fuit laicus, litteras ignorans: qui spretis quæ sunt mundi, B. Francisci vestigiis inhæsit toto nixu. Receptus ad Ordinem, humilitatis suæ exempla declarans, de mandato B. Francisci, ad serviendum leprosis accessit: quibus, ipsorum abominationibus posttergatis,

Synopsis virtutum Benevenuti ex Pisano,

A AUCTORE D. P. gatis, sine querela, uti Christo, servivit. Obedientiæ culmen sic ascendere est conatus, ut ad omnia Prælatorum mandata impiger, et sine mora ac sine querela, pareret. In suis infirmitatibus, quibus a Domino fuit probatus, patientiam supra modum et habere et ostendere est conatus. Amator fuit paupertatis sanctissimæ et zelator, vix extrema victus et habitus requirens, silentii cultor, pietatis visceribus super afflictos, affluens. Orationi et contemplationi fuit deditus, adeo ut usque ad horam Tertiam in publicum nullatenus exiret, ne occupatione aliqua perfectas delicias minus pateretur mutari. Honestatis adeo fulsit virtute, ut nec verbo aut facto, aut signo inhonesti quid sit aliquando deprehensum de eo. *Et hæc quoad primam examinis imperati partem; quæ eadem, mutata dumtaxat phrasi, habent Tossinianensis et Waddingus ad an.* 1222 *num.* 21 : *hic autem (verosimiliter ex Mariano)* Militis *titulo eum ornat, tantumque* lacrymarum donum *ei tribuit, quod* noctes integras flens orabat : *additque :* Sacrosanctam Eucharistiam toto venerabatur affectu, et vere Deum latentem sub velo comperit ; dum ex eodem augustissimo Sacramento multoties prodibat bellus infantulus, ejusque se ingerebat brachiis suaviter stringendus.

et Waddingo,

B

6 *Quoad secundam partem Processus de ea hæc nobis proponit idem Pisanus :* Sanctitatem suam adstruunt miracula, per ipsum divinitus operata : de quibus signis non est hæsitandum, cum per Bullam Apostolicam directam a D. Gregorio IX MCCXXXVI ab Episcopis Melfiensi et Venusino sint collecta, examinata et authenticata. Duos mortuos suscitavit, duos liberavit a faucibus mortis ; epilepticos quatuor, leprosos duos, dæmoniacos duos, a squinantia unum, contractos et aridos septem. Tres cæcos illuminavit, tribus surdis auditum præbuit, hydropicis et ingratis duobus sanitatem indulsit. Ab infirmitatibus duos, mutum unum, mulierem ulceratam graviter in mamilla, guttosos et apostematicos quinque eripuit. Fr. Joanni de Alto passo, pecuniam perditam, sibi apparendo habentem, indicavit. Fr. Ægidium de Ordine Minorum, a carnis tentatione sibi apparendo, cinguloque suo cingendo, liberavit. A bruchis campum, cimino plenum eripuit, sibi a quodam commendatum ; et alia multa vel plura miracula hic Sanctus peregit. *Horum pleraque, cultiori non nihil phrasi, etiam tradit Waddingus ad annum* 1232 *num.* 18, *sed prætermittit in particulari duo quædam ex Tossinianensi, Marianum verosimiliter secuto his verbis :*

item miraculorum aliquot,

C

7 Amillina de Corneto, lepræ morbo percussa erat, supercilia pilis penitus denuda calvebant, et humore ab oculis defluente lumina caligabant : vox raucitatem sonabat, unguesque cadebant a digitis, unde horrori maximo omnibus effecta erat. Ex quo ad preces B. Benevenuti adhuc viventis spe concepta, mox eo mortuo ad tumulum delata, jungens manum [suam manui] S. Benevenuti, cœpit, corporis impedimento paulatim abscedente, [liberari], et sic incolumis evasit. Torta Cornetana, tibiarum contractionem passa, ac doloris angustia amens effecta, meritis Sancti liberata, ad propria rediit. Guilielmus Forzedis, tribus diebus pernoctans, pristinæ sanitati est restitutus. *Hæc ibi, quorum primum si fuit ex ore ipsius Amillinæ curatæ exceptum ab examinatoribus, satis certos nos reddit, quod proxime ad veritatem accesserit conjectura Waddingi, mortuum* Benevenutum *statuentis circa annum* MCCXXXIII. *Utinam æque certo indicio Arturus a Monasterio in suo Martyrologio Franciscano elegisset hunc diem* XXVII *Junii : quem tamen retinemus, quoad veri diei certior notitia emergat, nescio unde speranda, si non detur Melfia, ubi a Clero et populo festum solenniter agi scribit Marcus Olissipponensis in Chronicis Minorum parte* 2 *lib.* 1 *cap.* 9 *agens de hoc servo Dei.*

ac specieliter duorum,

Hincutcumque habetur annus mortis

non item dies cultus,

D

8 *Dicit etiam quod* eidem Corneti fuit ædificata pulchra ecclesia, sed quæ una cum oppido destructa deinde fuit : *ac porro pergens,* Clerici *inquit,* Illicitani, a prædicta ecclesia abstulerunt brachium unum B. Benevenuti, et paulo postea invenerunt vas, in quo ipsum posuerant, plenum liquore fragrantissimo : mansit tamen abscondita prædicta Reliquia propter inimicitiam, quæ versabatur inter Cornetanos et Ilicitanos, sub titulo Prioratus spectantes ad Equites Hierosolymitanos S. Joannis Rhodiensis. Interim monstrabantur et in veneratione magna habebantur sindones duæ liquore isto miraculoso tinctæ, ad quarum contactum complura etiam miracula fiunt. Corpus autem ejus sanctum fuit inventum hoc modo. Blasius quidam vir nobilis a Duce Melfiensi missus ad ipsum perquirendum, cum noctu incumberet precibus, ac Beatum precaretur, ut sibi revelaret, ubinam in conventu et ecclesia ista desolata inveniri possent ejus sanctæ Reliquiæ ; apparuit ipsi humilis Religiosus, dixitque : Ego sum Frater Benevenutus, qui tuas exaudivi preces : vade ad ecclesiam, et ubi invenies plantam thapsi barbati præ ceteris herbis viridantem, istic scito inventurum te quod optas ; utque id alio transferas, jubeo. Dictum, factum : invenit desideratum thesaurum, et reverenter sustulit, detulitque Ilicetum, ubi nunc ab incolis honoratur. *Ita ille anno* MDCXIII.

E

NOT. H

MIRACULA

Jam olim in Lectiones IX distributa.

Ex schedis MSS. Antonii Caraccioli.

Beatus iste Sanctus, miraculorum luce coruscans, suscitavit mortuos in hunc modum. Miles quidam de Corneto, Turellus nomine, cernens quod uxor sua Bellucea sibi jam septem filias peperisset, S. Benevenuto, cui valde devotus erat, vovit ; quod si conjux sua sexum pareret masculinum, non nisi Benevenuti nomine vocaretur. Et quia voti merito nomen Sancti nato pater imponere non curavit, factus est in toto corpore parvulus adeo pustulosus, quod distulerunt parentes ipsum propter enormes pustulas baptizare. Demum nocte quadam, cum lactandi causa mater in latere ejus infantem collocasset, obdormiens, ex incauta custodia puer de lecto super tabulam decidit, et nemine vidente expiravit. Pater autem, velut excitatus ab altero, dum solicitus in cunis quærit puerum et non invenit ; excitat matrem, diligenter ab ea sciscitans, ubi parvulum collocasset.

Puer ex voto natus,

F

eoque neglecto mortuus sine baptismo,

2 Ipsa vero cunas vacuas inveniens, cum viro gemebunda surrexit ; et lumine filium conquirentes, invenerunt ipsum super tabulatum juxta parietem, cruentum pariter et defunctum. Dolentes autem ex casu tam lugubri, consanguineos convocant et amicos super defuncti tumulatione, pro eo quod Christianus non fuerat, consilium petituri. Qui venientes, et patrem qui baptizari parvulum non fecerat increpantes, consuluerunt, ut sepeliretur mortuus præter honorem sepulturæ. Quorum pater consilium parvi pendens, mortuum, consanguineis irridentibus, ad Ecclesiam S. Petri *a* detulit, ipsumque supra sepulcrum Sancti collocans, lacrymabiliter clamabat dicens ; S. Benevenute, nisi mihi restituas filium vivum, quem ad te detuli mortuum, servire tibi de cetero non curabo. Cujus luctum compatientes quidam, in terram prostrati, Sancto Dei cum lacrymis supplicabant, ut patri filium suscitaret. Quibus

ac delatus ad sepulcrum Sancti,

a

A Quibus orantibus, atque gementibus, et Fratribus ad Matutinum in Ecclesia S. Antonii pulsantibus, mortuus emisit parvulam vocem, divina gratia factus vivus. Parentes autem et astantes ceteri cum magna lætitia suscitatum parvulum reportantes, baptizato puero, et Sancti nomine nuncupato, Deo et S. Benevenuto præsentato, pro tam mirabili beneficio reddiderunt gratiarum debitas actiones.

resuscitatur:

3 Puella quædam triennis, cujusdam Militis de Corneto, qui vocabatur Alpherius, vindemiarum tempore cecidit in puteum : quam aquarum nimietas suffocavit. Quidam vir dictus Cornetus, tunc temporis *b* Comestabilis, excitatus vocibus clamantium propter casum, cucurrit ad puteum, qui erat in sepe vineæ fratris sui : et casus lugubris factus ignarus, velox ad puteum descendit, ut puellam a submersionis periculo liberaret. Descendens autem, sub aquis mortuam puellam reperit ; ipsamque gemens extrahens locavit in horto Judicis Peregrini. Et dum deliberaret, cum astantibus de puellæ tumulo, et de parentibus, qui præsentes non aderant, convocandis ; memores novorum beneficiorum, quæ B tunc temporis Dominus per S. Benevenuti merita faciebat, unanimiter eidem Sancto suscitationem puellæ cum lacrymis et suspiriis supplicabant. Quorum supplicationibus exauditis puella flebilem vocem dedit, a morte Domino liberam se demonstrans. Dictus autem Dominus, una cum astantibus et parentibus, qui gementes advenerant, adducentes puellam ad sepulcrum S. Benevenuti ; sic ipsam vivam receperunt, quod cum magno præconiorum jubilo populi concursu et campanarum pulsatione, puella suis pedibus remeavit ad propria, cum tota prædicta comitiva.

item puella in puteum lapsa *b* *indeque extracta mortua.*

4 Gilbertus de Corneto cum duceret onustum currum lapidibus ad opus fabricæ S. Petri, in qua corpus S. Benevenuti quiescit ; deviantibus bobus et per insolita loca discurrentibus, quia boum non poterat impetum substinere sedens in temone currus, in ipso casu nomen S. Benevenuti, dicto Domino et aliis ejus casum cernentibus, invocavit ; ad ejus invocationem de mortis periculo mox liberatus est, licet per dorsum ejus rota currus desperabiliter pertransistset. Rogerius Forbilla Miles, cum multis aliis ad scriptam fabricam veniens cum duobus curribus, ad lapides dictæ fabricæ deferendos, dimisit unum de curribus lapidibus oneratum in C cacumine montis, et ejusdem custodiæ juvenem deputavit.

lapsus sub curru onusto non conteritur:

6 Cum autem Rogerius ipse cum sociis, in exportatione cujusdam magni lapidis pro altari, magnis vocibus conclamaret ; juvenis incautus, equo curruque dimisso, ivit ut laborantes in extractione dicti lapidis adjuvaret. Equus autem provocatus hinnitibus jumentorum, quæ in valle pascebant, de montis cacumine se dimittens cum curru vallem versus per præceps super laborantes homines ferebantur ; qui tamquam in arcto positi, non valentes mortis periculum, quod eis imminebat ex transitu currus, ad sinistram vel dextram declinare ; cum lacrymis simul clamaverunt : S. Benevenute, adjuva nos : mox currus in medio præcipitio stetit, ac si murus factus esset sibi obvius ; et resilientibus cannulis, quibus corrigiæ, per quas currus trahitur, adhærebant, equus a temonibus illæsus exivit. Illi autem homines, tanto beneficio congaudentes, venerunt cum omni devotione ad Sancti sepulcrum, laudes immensas Deo et sibi pro tantæ liberationis miraculo reddituri.

alii a simili curru obterendi *liberantur,*

6 Puer quidam, filius Militis, sedens super asinum, currui, quem ducebat equus, onerato frumento præcipite venienti sic obviavit incautus ; quod ir- D ruerunt in asinum rotæ ; quarum una per pueri curam transivit. Puero vero clamante cum astantibus, S. Benevenute succurre, credens auriga illum mortuum, præ timore aufugit. Volentibus autem puerum de sub rotis velut mortuum tollere, dixit puerulus : Nolite timere, quia me S. Benevenutus, ut ipsum invocavimus, liberavit. Surgens autem incolumis, priusquam rediret ad propria, suis ivit pedibus ad S. Benevenuti sepulcrum, pro tantæ liberationis beneficio gratias redditurus. Henricus, filius Nicolai Pallani *c* Scalensis, de sub trabe, quæ etiam de arcu tribunæ cecidit, ecclesiæ S. Petri, semivivus extractus, dum fertur ad sepulcrum S. Benevenuti, cunctis orantibus qui astabant, illico sanitatem recepit.

item puer sub rota *EX MS.* *c* *et alius sub trabe collapsa:*

7 Filius Joannis Ferrarii de Castro *d* S. Agathæ, per anniversariam solennitatem S. Benevenuti, vadens ad præcidendum ramos de arboribus, pro umbraculis faciendis in platea ecclesiæ S. Petri : sub ejus pedibus arboris excelsæ, quam conscenderat, fracto ramo, se tenens altero ramusculo, exclamabat cum sociis dicens, S. Benevenute adjuva me ; cum vero vellet descendere, prædicti ramusculi E tentione cadens, pectus cuidam stipiti, a terra modice surgenti, sic vehementer illisit, quod astantes de ipsius vita penitus desperarent. Ipse vero Sancti meritis illico surgens, sine aliqua læsione reascendit incolumis arborem, ramorum præcisionem continuans, ut incepit.

d *lapsus ex arbore* *sine noxa surgit.*

8 Salubria de Corneto, Caduco morbo quinquennio fatigata, vadens ad exequias S. Benevenuti, audivit de Cœlo dicentem sibi : Dic, Sanctus, Sanctus est ; ad cujus auditum se commendans Sancto, ab ægritudine liberata est. Bella Suguerra de Corneto simili morbo per sex annos laborans, quia simile Salubriæ fecit, simili remedio gratulata est. Bella de Corneto, similiter fatigata, dum orat coram Sancti corpore liberata est. Filius Stillantiæ de Corneto, morbo simili per decennium quotidie tormentatus, die quodam propter morbum de solario cecidit in cellarium, et in modum crucis est fractum sic terribiliter Caput ejus, quod ipsius casus horror matrem in infirmitate filii per quinquennium sociavit : sed venientes ad Sancti sepulcrum ambo, pariter liberantur. Margarita de Ordona, *e* morbo simili sexennio molestata, dum vovit, quod si S. Benevenuti meritis liberaretur, ipsius imaginem *f* depingi faceret, et coram ejus sepulcro ad ipsius F memoriam collocaret, illico liberatur.

Sanantur epileptici, *e* *f*

9 Amelina de *g* Melfica, plena lepra, veniens ad Ecclesiam S. Petri, dum manus Sancti per membra sui Corporis ducit, restituitur pristinæ sanitati. Similem gratiam recepit filius Jovennis mulieris, faciens ut fecit Amelina. Benemajuta, triennio surda, pedem Sancti per aures ducens, recuperavit auditum, validum sentiens ventum de suis auribus exeuntem. Orans Ata de Melfica coram Sancti sepulcro, a surditate, quam per annum unum et menses tres passa fuerat, liberatur. Vicinis autem de sua liberatione sibi congratulantibus, dum matri diceret quod velle esse potius hydropica, quam vicinarum frequentationibus molestari ; mox efficitur hydropica sicut vovit. Veniens autem ad Sancti sepulcrum, quia pœnituit, secundario liberatur. Cum ergo mater sibi proponeret, quod opponeretur ipsi, nisi coram Episcopis, qui examinabant Sancti Miracula, compareret ; dum proterve respondet, se nullo modo comparituram, nocte sequenti perpetitur ægritudinem tam gravem, quod facto mane pœnitens ivit ad Episcopos liberata. Item Euglielmus Jogitanus liberatur ab hydropisi, dum votum solvit, quod voverat, Sancto Dei.

g *leprosi 2,* *surdi* *et hydropici.*

A

ANNOTATA D. P.

a *Topographica Basilicatæ tabula, trans rivulum pari fere a Melfia et Venusia intervallo milliarium quatuor, ponit locum* S. Petri, *solum fortassis ex destructo Corneto reliquum.*

b *Ducis forsitan Melfiensis minister, et sub illo titulo præfectus Corneti.*

c Scaleam *in citeriori Calabria notant tabulæ, quæ an huc faciat non divino.* D

d S. Agathæ castrum, *trans Aufidum in Capitanata, distat Melfia in Boream ad* XV m. p.

e Ordonæ *situm non invenio.*

f *Utinam similis imago alicubi supersit, nobisque accurate delineata mittatur, æri insculpenda!*

g Melfica *aliis* Melfictum, *vulgo* Molfetta, *civitas Episcopalis maritima* XI p. m. *Bario Melfia ad* XXVI.

DE S. FERDINANDO ARAGONIO

EPISCOPO CALATINO IN CAMPANIA

J. B.

COMMENTARIUS JOANNIS BOLLANDI

De ejus cultu antiquo, ætate, Actis recentius collectis.

FORTE SEC. XIII. B

Calatiæ, sive Cajazzi,

Calatia *urbs est Campaniæ perantiqua, cis Vulturnum sita omnem, vulgo nunc* Cajazza *et* Cajazzum, *Italis* Cajazzo *dicta; ornata throno Episcopali, et quidem (si Georgio Braunio creditur, neque enim sacra ejus monumenta lustravimus) ab ipsis Christianæ religionis cunabulis. Ita ille tom.* 5 *Theatri urbium.* Fuit Calatia in primis ipsis crescentis Ecclesiæ temporibus Episcopatus titulo insignita, ut patet ex publicis tabulis, ab usque anno salutis humanæ CCC confertis, ubi mentio habetur Episcopatus Calatini.

duo Episcopi Sancti, Stephanus et Ferdinandus,

2 *Deinde recenset idem Braunius duos ejus Ecclesiæ Antistites sanctos, quorum alter est* S. Ferdinandus. Fuerunt, *inquit,* inter illius urbis Episcopos duo sancti viri, pietate et miraculis clari; S. Ferdinandus scilicet, et S. Stephanus. Ferdinandus, qui jam dudum ante Stephanum illam Ecclesiam rexit, Hispanus ex regali Aragoniæ prosapia fuisse traditur, quo tempore claruerit ignoratur: ejus corpus servatur in templo suo nomini dicato, in oppido Albiniano Calatinæ diœcesis. *Uterque pridem publicum obtinet cultum. Edidit namque Paulus Filomarinus, e Congregatione Clericorum regularium, Episcopus Calatinus,* Officia antiqua SS. Stephani et Ferdinandi de Aragonia, Episcoporum ac Patronorum Ecclesiæ Calatinæ: *in quorum præfatione* ad Clerum et populum Cajacensem, ejusque diœcesim *ista prædicat:*

iidemque ab antiquo culti ut Patroni. C

Hæc nostra Ecclesia duobus, Deo auctore, est ornata Episcopis, et Patronis admirandis, ac vitæ sanctitate conspicuis, sanctis nempe Stephano et Ferdinando de Aragonia: qui tamquam duæ lucernæ a Deo super hoc candelabro positæ fuerunt, ut posteris sanctorum gestorum lumine, eorum perfectæ vitæ exempla relinquerent, et veram cœli viam demonstrarent.

S. Ferdinandus quando vixerit, incertum:

3 *Quod Braunius ait,* jam dudum ante Stephanum, *illi Ecclesiæ præfuisse* Ferdinandum, *multis haudquaquam probatur. Obiit* S. Stephanus, *uti ad ejus Vitam* XXIX *Octobris dicemus, anno Christi* MXXII, *cum* XLIV *sedisset annos. De* S. Ferdinando *isthæc olim Calatia accepta nobis communicavit Antonius Beatillus noster, vitæ sanctitate et scriptis clarus:* Alter urbis Patronus est Divus Ferdinandus, regali ex progenie Aragonum ortus, ut constat per multas scripturas in Episcopali archivio Calatino. Obiit die XXVII mensis Junii, sed quo tempore vixerit, ignoratur. Creditur tempore S. Dominici Gusmanensis, simul cum eo, ab Hispania venisse. Nec invenitur mentio de eo, nisi solum ab anno MCCCXLIII tempore Joannis Episcopi, et Rogerii Episcopi anno MCCCLXV.

creditur Hispanus fuisse,

4 *Monuit nos idem Beatillus, inde videri manasse conjecturam eorum, qui S. Dominico æqualem faciunt, quod hujus ætate vixerit Rex Hispaniæ* Ferdinandus, Sanctus *appellatus. Erit fortassis, qui venisse olim in Italiam suspicetur Episcopum hunc nostrum, extorrem ab Africa, ubi primum usurpatum nomen legitur* Ferrandi, *sive* Ferdinandi. *Et sane plurimi, Wandalis in Africa dominantibus, ac postea quoque in Italiam venerunt Episcopi aliique Clerici omnium graduum.* E

propter nomen

Quærenti cur deinde Hispanus et quidem Aragonius dicatur fuisse, respondebit, quod posterioribus seculis solis fere Hispanis familiare erat Ferdinandi *nomen, ideo Hispanum esse habitum: cumque id Calatini Alfonso Regi narrassent, hunc ea occasione devinciendi sibi populi gavisum, ultro pronuntiasse ex sua eum esse prognatum familia, uti infra ex Michaelis Monachi schedis dicemus; eamque gratiam hospitali civitati retulisse, ut qui in regni amplissimi possessionem illic erat adoptatus, ipse in suam eum adoptaret cognationem, majorem quam daret, ex ea adoptione hausturus splendorem.*

et judicium Alfonsi Regis,

et quidem ex Regum Aragoniæ familia,

5 *Sed quia id alienum ab sapientissimi Regis gravitate videri potest, malim ego, (quando in re obscura licet divinare) ex aliqua ortum familia, Aragoniorum Regum stirpi, quodam affinitatis titulo conjuncta. Uti fuere, suntque etiamnum in eo regno familiæ complures, quæ præter gentile nomen majorum, sibi Aragoniorum vindicent cognomentum, a matre acceptum, quandoque ex fratria dumtaxat, aut alia sibi quovis alio vinculo affinitatis conjuncta persona. Ita in recognitione Sanctuarii Capuani memorat Michael Monachus, quod* cum neptis Ferdinandi I Regis, ex ejus primogenito Alphonso*, nupsisset Honorato Cajetano Fundorum Comiti, Rex eidem Honorato privilegium fecerit, ut ipse, filii, nepotes, posterique omnes essent et vocarentur e domo Aragonia: *imo et speciale privilegium Jordano Cajetano, Capuano Archiepiscopo, Honorati fratri, collatum recitat, in quo idem Ferdinandus Rex ita eum alloquitur:* Jure ipso commoti atque adducti sumus, ut te ipsum egregiasque virtutes tuas et honoribus exornemus, et titulis illustremus. Et quamquam ad ampliora insigniora que in te ipsum conferenda voluntas nostra intendat; te tamen in præsentia eumdem Rever. Jordanum, quem affinitatis vinculo neptis nostræ ex illustrissimo et carissimo primogenito et Vicario Generali Alfonso de Aragonia antea devinximus, ad majorem amoris nostri declarationem, licet ipse per te sis satis nobilis et illustris, tenore præsentium, de certa nostra scientia, proprioque animi nostri motu, meritis quidem tuis hoc exposcentibus, in familiam nostram et in Domum de Aragonia adsciscimus, adscribimus et F

aut alia Italica affinitate juncta,

et in nominis communionem adscita.

A et annumeramus : volentes quod de cetero et in futurum sis et appelleris de domo et prosapia De Aragonia, atque in omnibus actibus, titulis, negotiis, et gerendis atque agendis rebus inscribaris et appelleris De Aragonia, et de eadem nostra domo et familia sit et appelletur tuum cognomen.

S. Ferdinandi sepultura,

6 *Ista hactenus de gente familiaque* S. Ferdinandi *divinasse sufficiat. De ejus sepultura habebantur sequentia in citato Beatilli schediasmate :* Sepultus fuit in basilica almæ Virginis in Cornello, prope terram Albiniani, Calatinæ diœcesis. In cujus sepulcro hæc verba leguntur :

epitaphium,

Hæc requies mea in seculum seculi.
Hic habitabo, quoniam elegi eam.
Gaude cum lætitia, urbs Calatina,
Lætare pellens vitia plebs diœcesana.
Nam pretioso munere estis decoratæ,
Ferdinandi sacro funere estisque dotatæ.
Ad quod ægri conveniunt, sine sanitate,
Et sanati redeunt cum jucunditate.

Acta,

7 *Testatur Philippus Ferrarius in Notis ad* XXVII *Junii, Vitam* S. Ferdinandi *a Mauritio Siculo Ordinis Minimorum scriptam esse. Hanc nondum vidimus;* B *nec remur multo plura assecutum eum auctorem, quam eruere e vicino potuerit diligentissimus Michael Monachus, Canonicus Capuanus ; e cujus adversariis, quem subjiciemus tractatum, nobis transmisit ejus e sorore nepos Silvester Ajossa, Presbyter Capuanus, vir humanissimus juxta et Sanctorum honoris amplificandi studiosissimus. Ipse locum adiit, et num quæ Acta extarent perquisivit, nec alia comperit, quam quæ Ferrarius tradit in citatis Notis :* Extat ecclesia illi dicata apud Vulturnum flumen, quam vidimus, dum Calatia Allifas pergeremus. *In Catalogo vero Sanctorum Italiæ ista habet :* Ferdinandus natione Hispanus, ut nomen ipsum testatur, cum in Italiam venisset, ac in Campaniæ urbem Calatiam se recepisset, eam doctrinæ et sanctitatis laudem assecutus est, ut mortuo Episcopo Calatino, illi subrogatus fuerit. Multis clarus miraculis apud Albinianum Calatinæ diœcesis oppidum obdormivit v Kalend. Julii : ibique honorifice conditus est. Ubi etiam, ob ejus super ægrotis signa virtutum, magnam venerationem habet. Extat illi ecclesia campestris dicata apud oppidum prædictum.

ecclesia, miracula in vita et ad sepulcrum.

Natalis.

8 *Colitur anniversaria celebritate* XXVII *Junii, uti ex Ferrario jam retulimus : extatque ejus nomen in* C *veteri Kalendario circa annum* MCCC *exarato, quod Michael Monachus exhibet, sed quod postea alia manu scriptum indicatur, addita notula* †. *Ejus diei antiquum Officium, ab Antistite Calatino typis vulgatum, lubet subjicere; ea excerpendo, quæ Sancto propria sunt, in quibus patrocinium ejus adversus febres aliaque morborum genera commendatur. Ad* Magnificat, *Antiphona:* Dominus induit fortitudinem cum decoris virtute B. Ferrandum : firmavit eum; et non commovebitur in æternum. *Oratio.* Majestatem tuam, Domine.

Officium.

D. P. Nomen antiquius Fredenandus.

9 *Hactenus Bollandus, ipso fortassis anno* MDCLVIII, *quo prælaudatum tractatulum Capua acceperat, per epistolam transmissam aut ipsi Ayossæ aut P. Beatillo, aut etiam utrique. Ego quod addam nihil invenio, ne apud Ughellum quidem; cujus tomus* VI, *biennio post, isthæc a Bollando scripta, primum prodiit : solum ergo hic dixerim quod de nomine ejusque etymo multis disserui* §. 2 *Commentarii prævii ad Acta* S. Fernandi *Regis : quibus nunc addi velim, duobus ante sanctum Regem seculis, primum ejus nominis Castellæ ac Legionis Regem, non* Ferdinandum *sese, sed* Fredenandum *scripsisse in suis diplomatis; quale unum ex Ambrosio Morales, autographam chartam secuto, exhibui præcedenti die in Appendice ad Acta S. Pelagii Martyris num.* 7 : *quod diploma datum legitur Æra* LXI post millesimam, *id est anno Christi* MXXIII. *Id vero ex veteri Francica ac Teutonica dialecto, cui* Frede D *pax est;* Pacis manum *seu* Pacem in manibus *ferentem significaret ; relatum autem ad veterem Gothicam, non ita Christianum sensum faceret, sed ferociam, Gothis adhuc gentilibus laudatam, denotaret, ab eadem verosimiliter radice, unde Teutonica lingua habet adjectivum* Vreeden, crudelis, *producta vocali.*

AUCTORE J. BOLL.

SCHOLION HISTORICUM

Ex Adversariis Michaelis Monachi.

Ferdinandus *non solum natione fuit Hispanus, sed ex antiqua regiaque Aragoniorum familia traxit originem. Narrant Calatini, Regem Alphonsum primum, Calatiæ aliquando morantem, asseruisse,* S. Ferdinandum *ex Aragonia suaque ortum cognatione; et propter ejusdem devotionem accepisse sibi ab ecclesia Cathedrali lancem et urceum, quibus Sanctus ipse vivens dicebatur usus, sed fecisse ecclesiæ compensationem. Confirmatur hoc ex quadam supplicatione, reperta in archivio Ecclesiæ Calatinæ, facta circa annum* MDVII, *cujus hæc verba sunt.*

Ferdinando Regi apud se moranti

E 2 Catholice Rex, Ferdinande de Aragonia, vestræ inclitæ Catholicæque Celsitudini humiliter supplicatur, et reverenter exponitur, pro parte venerabilis ecclesiæ S. Ferrandi, existentis in territorio castri Albiniani, in quo jacet glorificatum corpus S. Ferdinandi de Aragonia, innumeris clarissimisque miraculis insignitum : cum sit quod alibi non reperitur glorificatum corpus nominis vestræ Celsitudinis, et una ex antiqua regiaque Aragoniorum familia oriundus sit hic divus Ferdinandus ; vestræ Celsitudinis unicum præsidium imploratur, ut ipsius D. Ferrandi templum, quod labitur, et jam ruinam minatur, illa dignetur permittere sibi commendari, et tamquam Christi fidelis providere, ut de fructibus ipsius ecclesiæ, quæ nunc est de mensa Episcopatus, omittatur atque segregetur ab Episcopatu, et monasterium in ea constituatur : ex quo idem S. Ferrandus existat perpetuus defensor vestræ Celsitudinis, et omnipotens Deus eamdem ad votum conservet per infinita secula seculorum. Amen.

supplicant Calatini, pro restauranda ecclesia Sancti synonymi et gentilis.

3 *Quando autem in Italiam venerit et Episcopatum acceperit, ignoramus, sed D. Octavianus Melchicis, Archipresbyter Formiculæ, qui de Antiquitatibus Calatiæ diserte scripsit, post tempora S. Stephani sedisse S. Ferdinandum satis probabiliter ostendit. His Sanctus* F *in Ecclesia Calatina cultus est Officio ex Communi Confessorum Pontificum, sed cum propria Oratione ac Responsoriis. Responsorium* I *ita supplicat :* Alme Pater Ferrande, digne Præsul venerande, tibi devotis precibus supplicamus, ut tuo pio interventu a pestifera sarcina urentium febrium liberemur... et da ut consequamur optatam salutem. *Responsorium* II *nihil habet particulare, uti nec* VI, VII, *et* IX. *Responsorium* III *sic eum affatur.* Confessor Christi Ferrande, terminus febricitantium, eorumque ultimum remedium; infirmantium optata salus et medicina, refugium omnium male habentium, ora pro nobis, tuam solennitatem devote celebrantibus. *Responsorium* IV *affimat, quod* in Basilica almæ Virginis in Cornello sacrosanctum ac venerabile Episcopi corpus, jacens in quadam tabulata specu, fatur et dicit ; Hæc requies mea in seculum seculi ; hic habitabo quoniam elegi eam. *Responsorium* V *gratulatorium est,* Gaude cum lætitia urbs Calatina, lætare pellens vitia plebs diœcesana ; nam pretioso munere estis decoratæ, Ferrandi sacro funere estisque dotatæ. *Responsorium denique* VIII, Vere mirabilis, *inquit,* Deus, qui assiduis B. Ferrandum Episcopum facis coruscare miraculis : ad sepulcrum ejus ægri veniunt et sanantur.

Responsoria Officii proprii testantur ejus multa miracula.

A AUCTORE J. BOLL. *Corpus an. 1620 translatum,*

4 Cornellum *vero locus erat, alias* Combolterra, *nobile feudum Ecclesiæ Calatinæ; quæ autem ibi dicebatur* ecclesia S. Mariæ, *cœpit deinde dici* S. Ferrandi, *ut testantur Instrumenta anni* MCCCXLVIII, LXVII, *et* XCVII. *Sepulcri locus, ex temporis cursu factus, erat minus decens : quapropter anno* MDCXX, *Paulus Filomarinus Episcopus transtulit corpus die* IX *Augusti ad altare majus illiusmet ecclesiæ, aliquas tamen Reliquias, cum solenni et devota processione, adduxit in civitatem, et in altari S. Stephani condidit : dentes tamen extra reliquit, qui in ejus festo populo ostenderentur.*

vinum miraculo effusum.

5 *Non est prætereundum mirabile, quod a Sancto recordamur nostro tempore factum.* Tribuna ecclesiæ S. Ferrandi minabatur ruinam : fideles pro sua devotione reparare voluerunt : conductæ operæ illuc adduxerunt vini cadum, et super sepulcrum collocaverunt. Mirabile visu! Ex juncturis tabularum cœpit vinum affluenter effluere. Illico vas amovetur, ut videatur ubi sit vitium. Sed ecce, illo amoto, constitit vinum. Operæ mirantur magis; et quasi volentes Sancti virtutem experiri, reponunt vas in primo loco. Ecce mirabilius. Lignei circuli, qui cadum vinciebant, illico disrumpuntur, et vinum effunditur. Voluit Sanctus sepulturæ suæ loco reverentiam haberi. D

DIES VIGESIMA OCTAVA JUNII

SANCTI QUI QUARTO KALENDAS JULII COLUNTUR

Sanctus Irenæus Martyr, Episcopus Lugduni in Gallia

Lupercius, seu Luperculus, Martyr apud Elusates in Novempopulania.

S. Serenus,
S. Theodorus,
S. Pastaphus,
S. Tytirus,
S. Dionysia,
S. Parsimus,
S. Phesicus,
S. Dista,
S. Ambenius,
S. Ariusus,
S. Dioscorus,
S. Orion,
S. Turbanus,
S. Capitulinus,
S. Orion II,
S. Simerus,
S. Plutarchus,
S. Hirenæus,
S. Heraclius,
S. Heron,
S. Potaminus,
S. Marcellus,
S. Basilides,
S. Leonides,
S. Panosus,
S. Pece,
S. Sidistus,
S. Pambonus,
S. Oriosus,
S. Panuberus,
S. Tilinus,
S. Nonnica,
S. Sinidus,
S. Memmius,
S. Julius,
S. Leonides II,
S. Plutarchus II,
S. Serenus,
S. Potamiena,
S. Marcella,
S. Rais sive Herais,

Martyres Alexandriæ in Ægypto.

S. Fabianus,
S. Felix,
S. Arion,
S. Capitolinus,
S. Nisias,
S. Elaphas,
S. Venustus, eunuchus,
S. Crescens,
S. Alexander,
S. Theonas,
S. Pelosus,

Martyres

S. Asthesius,
S. Appollonius,
S. Amphanion,
S. Phisocius,
S. Meleus,
S Dionysius,
S. Hinus,
S. Pannus,
S. Plebrius,
S. Panubrio,
S. Dioscorus,
S. Tubonus,
S, Capitulinus.
S. Nicas,
S. Gurdinus,

in Africa.

S. Macedonius, SS. Duo Pueri, Martyres apud Græcos.

S. Lucianus, S. Paulus Medicus, Confessores apud eosdem.

S. Pontamus,
S. Nemesius
S. Secundinus,
S. Maximus,

Martyres.

SS. Septuaginta Martyres, Scythopoli in Palæstina.

SS. Tres Martyres, in Galatia.

S. Benignus, Episcopus Martyr, Ultrajecti honoratus.

S. Pappius seu Pappianus, Milis in Sicilia

S. Theodechildis, Virgo Regia, Deo devota, apud Senones in Gallia.

S. Leo II, S. Paulus I, Pontifices Romani.

S. Argimirus monachus, Martyr Cordubæ in Hispania,

S. Sergius Magister, Fundator monasterii Nicetiatæ in sinu Nicomediensi.

B. Heymeradus, Presbyter in Hassia.

PRÆTERMISSI AUT IN ALIOS DIES REJECTI

Opera et studio R. P. Henschenii p. m. nisi litteræ margini adjectæ aliud indicent.

Sanctorum Cyri et Joannis Martyrum repositio Reliquiarum, *celebratur a Græcis in Menæis et Menologiis et a Molano, Galesinio atque Ferrario, nec non in Hagiologio Metrico Æthiopum. Eorum Acta et miracula aliqua dedimus, longe plura habemus danda in Supplemento* XXXI Jan.

S. Juliana, Virgo et Martyr Nicomediensis, *coli hoc die solet in diœcesi Hispaniæ Burgensi, uti ad ejus Vitam num.* 25 *diximus* XVI Februarii.

D. P. S. Moyses Anachoreta, *in Synaxariis nostrorum Collegiorum Divione et Parisiis, comparatur cum Propheta synonymo in monte mortuo, unde verosimile fit, ipsum esse, de quo una cum aliis relato dicitur,* quod in edito quodam vertice *Syriæ,* supra Ramam vicum, vitam asceticam coluit, XXIII Februarii.

Jonas discipulus discipulorum S. Columbani, vir sanctissimus, *inscriptus est Menologio Scotico Dempsteri, ut* Scotus. *Sed is Segusii, vulgo Susa, in Alpibus, juxta radices montis Cinisii, natus est, uti diximus ad Vitam S. Attalæ Abbatis Bobiensis,* X Martii.

Petrus de Honestis, *cognomento propriæ humilitatis* Peccator, *institutor et primus Prior Canonicorum Regularium prope Ravennam, unde Classensis Congregatio prodiit, dicitur hac die obiisse a Pennotto ; sed satis constat ex Epitaphio, apud Hieronymum Fabri legendo, in antiquis memoriis Ravennatium, obiisse ipsum ea die, qua de illo ut* Beato *agemus, si aliquis cultus publicus probatus fuerit, sicut jam diximus inter Prætermissos* XXIX Martii. D. P.

Guda conversa Ordinis Cisterciensis in Hovenes prope Tolbiacum, *ut* Beata *indicatur ab Henriquez et Chalemoto. De ea, sed tecto nomine ejus et loci, in Vita B. Hermanni Josephi Ordinis Præmonstratensis cap.* 7 *num.* 38 *agitur* VII Aprilis.

S. Leo primus Papa *magnis encomiis celebratur a Rabano*

Rabano, Notkero, Greveno, et aliis Fastis excusis et manu exaratis. Nos cum aliis eum honoravimus XI Aprilis.

D. P. SS. Agathodorus et Agathonica, *alio nullo verbo addito, memorantur in MS. Synaxario Taurinensi, post* S. Paulum Medicum. *Videntur esse famulus et soror* S. Pauli Diaconi, *alias* Papyli, *cum S. Carpo Episcopo passi, et a nobis relati* XIII Aprilis.

S. Stanislaus Episcopus *refertur in scriptis additionibus Carthusiæ Bruxellensis ad Grevenum. Videtur esse Episcopus Cracoviensis in Polonia, cujus Acta illustravimus* VII Maji.

Murenus, Abbas Benchorensis, *indicatur in Menologio Scotico Camerarii. De eo inter Prætermissos egimus* XII Maji.

D. P. S. Potamiæna, Virgo Martyr, Alexandriæ, *junior illa, quæ colitur hoc mense die* 28, *relata fuerat inter Prætermissos* 23 Febr. *et huc dilata: sed egi de ea, quando ipsam reperi in duplici MS. Synaxario,* VII Junii.

Agatha, Monialis Winbrunæ in Germania, *indicatur in Martyrol. Angl. Wilsoni secundæ editionis. Consule quæ de ea diximus inter Prætermissos* XII Junii.

D. P. S. Medicus M. *propter ejus aliquas Reliquias Bononiæ refertur a Masinio. De eo egi, quando colitur Utriculi, ubi passus est* XXV Junii.

D. P. S. Arialdus Diaconus Martyr Mediolani, *licet hoc die occisus, colitur tamen pridie, quando Acta dedi* XXVII Junii.

Benedictus et Benignus, Episcopi Carnotenses, *a Ferrario protrusi, et a Saussayo relati, infra rejiciuntur in Actis* S. Benigni, Episcopi et Martyris, Ultrajecti honorati.

Columbanus *inter illos,* qui vita sancte, exemplo sincere, et doctrina solide Scotiam illustrarunt, *recensetur a Leslæo lib.* 4 *in Donaldo* 53 *Rege. Is a Wione et Meinardo in Appendice, quod dies natalitius ignoretur, refertur: et inde translatus est ad Martyrologium Anglicanum Wilsoni primæ editionis, cujus exemplo Ferrarius ipsum celebrat. In secunda editione habetur* XVIII *Junii, prout auctori commodius erat, ut aliquem Sanctum singulis diebus proferret.*

Gero Archiepiscopus Coloniensis *anno* 976 *hoc* 28 *Junii mortuus, in Vita S. Maurini Abbatis et Martyris* 10 *Junii num.* 8 *appellatur ab auctore coævo* sanctæ memoriæ, *sed nullis æstimandis Fastis sacris adscriptus reperitur. Interim Gelenius in Fastis Coloniensibus eumdem titulo* Sancti *honorat, et pag.* 257 *recensens festa Metropolitanæ Ecclesiæ, indicat* S. Geronis obitum 28 Junii, *et pag.* 247 *aliqua Acta ejus refert, quæ ibi legi possunt, uti et in Hierotheca ejusdem edita an.* 1634. *Interim reperio Epistolam Wilthemii nostri, qua significat an.* 1647, *Canonicum D. Eyschen dixisse sibi, quod* brevi *esset* elevaturus corpus S. Geronis, quod in ejus capella in humo sub vetustissima tumba jacet. *Dempsterus* 19 *Februarii eumdem Menologio Scotico inscripsit, sed forsan phantasia sua abreptus,* ex Suevia, *ubi Duces dicitur habuisse parentes, credidit posse* Scotiam *facere. Camerarius ad* 16 *Junii* S. Jeronem *aut* Geronem *facit* Abbatem S. Pantaleonis, *cujus mentio esset in Vita S. Maurini* 10 *Junii; cum fuerit* Archiepiscopus, *frustra ad Scotos relatus.*

Andreas monachus Romanus, cujusdam cœnobii Virginum Christi *Director, ut* Sanctus *insertus est scripto Kalendario Benedictino, absque ulteriori notitia, quam optaremus nancisci.*

Rainaldus, Abbas in Pesiniaco, *insertus Catalogo Cisterciensi Divione excuso, et cum titulo* Beati *relatus ab Henriquez et Chalcmoto; qui appellat cœ*nobium de Persignia, apud Cenomanos. *Saussayus inter Pios collocat. Bollando nostro indicatus est quidam* Reginaldus Abbas Melinensis *Ordinis Fontis-Ebraldi et B. Roberti de Abricello discipulus, cujus corpus in finibus Cenomannorum prope Flexiam magna totius Provinciæ Andegavensis concursu colatur* 1 *Dominica Augusti, de quo plura doceri cupimus pro ipso mense* Augusto.

B. Incognitus *aliquis, refertur ab Arturo, propter sarcophagum quemdam, in conventu S. Francisci prope oppidum S. Mariæ de Ornano in Corsica, devote visitari ab incolis solitum. Antonius Terrinca illud putat esse* Joannis Parentis, *primi post sanctum Fundatorem Generalis, in Corsica, primoque istic a se erecto Conventu mortui, et ab eodem Arturo inter Beatos relati* 1 *Januarii, absque notitia loci in quo obierit: sed agnoscit idem Terrinca, propter Urbani VIII decretum, ossa decenter collecta intra arculam, fuisse delata in sacristiam, et publicæ venerationi subducta. Id sane Decretum Urbani non exigebat, si ab immemorabili habebat cultum. Sed hunc semel intermissum difficile erit legitime restaurare: diem interim utrumque arbitrio Arturi electum opinamur.* D. P.

B. Petrus Areatinus, *melius Jacobillo dictus* Reatinus, *an.* 1464, *prope S. Urbani, diœcesis Narniensis, obiisse dicitur, et corpus hodiedum incorruptum servari. Expectanda distinctior informatio de cultu, quem sua privata auctoritate huic diei affixit Arturus; ne hoc quidem docens, uti nec docet Jacobillus ipsum secutus, utrum corpus illud ita publice habeatur in ecclesia, an privatim in Sacristia; licet multum id referat ad aliquem absolute adscribendum Beatis, publicum cultum habentibus, quales solos opus hoc admittit.*

Andreas Dulcis, Arimini,
Laurentius in agro Cremonensi,
Damianus a Campania, in Lucania,
Josephus a Colleamato, Forosempronii
Francisca de Belen, Virgo Placentiæ.
} Ordinis S. Francisci, *ut* Beati *inscripti Martyrologio Franciscano Arturi: et* Francisca *etiam ejus Gynæceo, ob aliquas eorum indicatas virtutes, et quorumdam miracula.*

Mauritius, Episcopus Florentinus, a Totilæ militibus per magna tormenta sublatus e vivis, jacet in S. Reparatæ, *inquit Joannes Villanus initio lib.* 2 *Chronic. Florent, et quia urbs dicitur excisa a Totila an.* 450, *die* 28 *Junii idem* Mauritius, *cum titulo* Sancti Martyris, *aliis Hetruriæ Sanctis accensetur a Razzio et Ughello: optamus certiora veteris cultus indicia in Martyrologiis Florentiæ scriptis aliisve antiquioribus monumentis inveniri.* D. P.

Mariæ Pisanæ, Sanctimonialis Ordinis S. Dominici, res gestæ valde illustres, *late deducuntur a Seraphino Razzio et ex eo a Michaele Pio lib.* 2 *cap.* 63, *ejusque elogium est in anno sancto ejusdem Ordinis, et ab eodem* Venerabilis Soror, *ab aliis* Beata Soror *compellatur. Arturus retulerat eam ad* 2 *Februarii, cum absoluto titulo* Beatæ, *quod etiam fecit Marchesius in Diario, sed ex communiori auctorum assertione mortuam ait in solenni festo Assumptæ Virginis. Habita igitur ratione majoris, qua hic posterior usus est circumspectionis, differimus illam, si forte interim distinctius probetur cultus usque in* XV Augusti.

S. Cassianus, Episcopus Tudertinus et Martyr, *memoratur in MSS. Florentinis Medicæis et Strozzianis; ab aliis* XIII Augusti.

SS. Pappiani, Gregorii, Acacii depositio, *Mylis, Messanæ, Columnæ, et Asculi, celebratur apud Octavium Cajetanum. De primo eorum, qui in Menæis* Papius *est, agimus hic loco suo; secundi cultum abolitum nuperque restauratum idem Cajetanus ait,*

ait, de duobus aliis nihil certi explicans; et res tota suspecta fabulositatis habetur, ideoque hic prætermittitur, examinanda ad festum S. Bartholomæi, cum quo illi pariter ex Armenia per mare allapsi dicuntur, xxiv Augusti.

B. Hedwigis *suggeritur in scriptis additionibus Carthusiæ Bruxellensis ad Greveni Usuardum. Colitur illa* xv Octobris.

D. P. S. Joseph Martyr cum sociis, *inscriptus Taurinensi cuidam Synoxario Ducis Sabaudiæ, et Parisiensi Cardinalis Mazarini, is forsitan est, qui cum SS.* Acepsima et Aithala *passus colitur* iii Novembris.

Malchus, monachus Mellifontis, Ordinis Cisterciensis in Hibernia, *ut* Beatus *refertur ab Henriquez et Chalemoto. Quæ de eo sciuntur in Vita S. Malachiæ, a quo conversus est, legenda* iii Nov.

S. Livini elevatio in Hautem *indicatur a Dempstero, uti pridie ejusdem translatio. Dies natalis celebratur* xii Novembris.

S. Sophonias Propheta, *cum* Prophetis Israel omnibus, *hodie invocatur in Hagiologio Habessinorum. De singulis suo cujusque die egimus vel agemus:* Sophonias *colitur a Græcis* iii Decembris.

SS. Maximiani Junioris Abbatis, Viatoris Diaconi, Constantii seu Constantiani, Frambaldi, Maximi, Florentii, Ruffini, Euchardi, Leonardi, Ducati, Linentii, et aliorum Monachorum cœnobii Miciacensis, in pago Aurelianensi, festivitas Dominica infra octavam sancti Sacramenti *indicatur hoc* xxviii *Junii a Menardo in Martyrologio Benedictino, qui addit lib. 2 Observationum,* illorum memoriam pæne excidisse. *Hinc a Saussayo, ab Andrea minori charactere, quasi inter Pios, solum referuntur. Carolus Saussayus, in Annalibus Ecclesiæ Aurelianensis lib. 3 pag.* 100, *asserit* diversis locis coli. *De* S. Linentio *egimus* xxv Januarii. S. Leonardi de Vendopera *Acta varia habemus, danda* xv Octobris. Frambaldus *aliquis refertur* xxiii Augusti. *De* SS. Viatore et Duberdo, *qui videtur* Ducatus *supra appellari, agit Mabilio in Appendice ad tomum* i *Benedictinum pag.* 614, *et fatetur de illis* nihil in antiquis Martyrologiis legi, *at* coli S. Viatorem in Tremuli vico in Pertico, *et* Dulcardum Ambiliani apud Bituricenses. *Utinam et diem, quo coluntur, adjunxisset! Mentio fit* S. Viatoris *Diaconi in Vita* S. Læti *etiam Monachi Miciacensis, cui poterit adjungi* vi *Novembris. Aliquis etiam* Constantianus *memoratur prima Decembris. Miramur Meinardum et Mabilionem, qui Parisiis scripserunt, non curasse ut certiorem venerationis notitiam adipiscerentur.* S. Maximinus junior, *poterit seniori adjungi ad diem* xv Dec.

DE S. IRENÆO MARTYRE

EPISCOPO LUGDUNENSI IN GALLIA

COMMENTARIUS HISTORICUS

§. I *Antiquiores Sancti notitiæ; nomen quando adscriptum primi Martyrologii ecgraphis: cultus apud Græcos.* D. P.

ANNO CCI Y. VII

In priori Lugduni persecutione S. Photinus Ep.

Theophilus *Raynaudus noster, Indiculum Sanctorum Lugdunensium editurus, quatuor Prolegomena eidem præmittit, quorum duobus posterioribus crudite et copiose describit geminam, Lugdunensi Ecclesiæ suscitatam a Gentilibus Imperatoribus procellam, qua utraque civium fides singulariter emicuit.* Prior sub Marco Aurelio et Antonino Vero, *circa annum Dionysianæ æræ* clxxvii, S. Pothinum seu Photinum *urbis* Episcopum, cum Sociis, *sustulit;* C *quorum Acta Henschenius illustravit ad hujus mensis diem* ii; posteriori, sub Severi Principatu, S. Irenæus Episcopus, cum omni fere civitatis suæ populo, glorioso coronatur martyrio, *sicut scribit in suo Martyrologio Ado Episcopus Viennensis, Lugdunensi diœcesi proximus.*

in altera S. Irenæus triumphavit:

utrumque laudat Gregorius Turon.

2 *Tribus fere seculis Adone antiquior S. Gregorius Turonensis, utrumque agonem lib.* i *Hist. Franc. cap.* 26 *et* 27 *sic describit:* In Asia orta persecutione beatissimus Polycarpus..... per ignem Domino consecratur. Sed et in Galliis multi pro Christi nomine sunt per martyrium gemmis cœlestibus coronati, quorum Passionum historiæ apud nos fideliter usque hodie retinentur. Ex quibus et ille primus Lugdunensis ecclesiæ Photinus Episcopus fuit: qui plenus dierum, diversis affectus suppliciis pro Christi nomine passus est * Beatissimus vero Irenæus, hujus successor Martyris, qui a B. Polycarpo ad hanc urbem directus est, admirabili virtute enituit: qui in modici temporis spatio, prædicatione sua maxime in integrum civitatem reddidit Christianam. Sed veniente persecutione, talia ibidem diabolus bella per tyrannum exercuit, et tanta ibidem multitudo Christianorum confessionem Dominici nominis est jugulata, ut per plateas flumina currerent de sanguine Christiano, quorum nec numerum nec nomina colligere potuimus: Dominus autem eos in libro vitæ conscripsit. Beatum Irenæum, diversis in sua carnifex præsentia pœnis affectum, Christo Domino per martyrium dedicavit. *Hactenus Gregorius,* Francicæ historiæ Pater *merito suo dictus, immerito autem somniculositatis redargutus a Theophilo, ob librariorum socordiam, qui, quod vel ipse, vel interpolator ejus aliquis, ad marginem scripserat de* Vettio Epagato, *Episcopum suum ad coronam secuto; quodque ad signum * interjici debuerat, retulerunt post verba de* S. Irenæo, *temporis ordinem perturbantes.* F

3 *Hoc autem si excuses, non erit difficile in Gregoriano contextu geminæ persecutionis procellas distinguere; restabitque earum inter se examinare intervallum. Ac primo cave ne putes,* modici temporis spatium *inter utramque Passionem statui a Gregorio, sed id refer ad moram, quæ fuit inter adventum* Irenæi *et integram civitatis conversionem: illum enim sub* Severo *passum, omnes consentiunt, adeoque ut minimum ponunt* xx *aut* xxx *annos intermedios. Recentiores aliqui apud Theophilum posteriorem tragœdiam referunt ad annum* vi *istius Imperatoris; Christi* cxcviii, *quo victus prope Lugdunum Albinus est, Imperii competitor: fuit et civitas, ei favens, direptioni tradita: sed hoc nervose refutat Tertullianus, cap.* 35 *Apologiæ, Christianorum erga Cæsares fidem fidenter extollens: qua enim fronte is ex Romanis id est Gentilibus improperando quæsivisset.* unde Nigri et Albini? *aut quomodo lib. ad Scapulam cap.* i *ausus fuisset scribere?* Numquam Albiniani nec Nigriani inveniri potuerunt Christiani

et ab ultimo dicit brevi tempore conversam civitatem totam.

AUCTORE D. P.

A Christiani; *si talis civitas ac fere Christiana tota, propter studium erga Albinum visa fuisset mereri, ut tota exscinderetur, quod volunt illi, non id ignorare potuisset Tertullianus. Igitur rem Theophilus merito differt vel in annum* CCII, *quo* Severus *ab Ægypto exorsus est vexare Christianos, contra quos eatenus durius nihil statuerat, quin potius* et Proculum Christianum..... requisivit, et in palatio suo habuit usque ad mortem ejus; et clarissimos viros sciens hujus sectæ esse, non modo non læsit, verum et testimonio honoravit, et populo furenti in os palam restitit.

4 *Quid animum, eatenus benevolum Christianis, ab eisdem averterit, fuse ex Tertulliano aliisque declarat prælaudatus Theophilus: nec tamen sic probat primo imperatæ a Severo persecutionis anno passum S. Irenæum, ut non magis propendeat in posteriorem alium annum, ut scilicet annus ultimus Irenæi, fuerit Imperatoris decimus quintus, Christianæ æræ* CCVII, *quo idem Severus in Britanniam movit, bellum istic gesturus. Hac enim occasione potuit Lugduno transiisse Imperator; et quia ad ejus præsentiam civitas, jam tota fere Christiana, non effundebatur in omnem petulantiam atque lasciviam, qualem Tertullianus graphice* B *describit, a Gentilibus solitam usurpari, visa sit caput et salutem ac victoriam Principis amare minus: eaque res invidiosius per calumniatores delata ad Imperatorem, potuit hominem, re ac nomine* Severum, *ad istam promiscuam cædem mandandam impulisse. Certe credibile vix est lanienam tantam, ad illius simplex edictum vel rescriptum a quantumcumque feroci Præfecto exerceri potuisse, nisi ipsemet Imperator vel præsens vel propinquus eam præcepisset.*

vel potius 207,

præsente Severo Imp.

5 *Porro inter* Historias Passionum, *quas usque ad suum tempus fideliter retentas testatur Turonensis, fuisse* Passionem S. Irenæi, *nemo prudenter asseruerit. Cur enim hanc, non æque ac illam S. Photini, quam in omnibus fere Passionariis reperire est, Ecclesia Lugdunensis conservasset? conservatam autem quomodo non invenisset ejusdem Ecclesiæ Presbyter Florus, vacantes Auctorum defectu dies in Martyrologio Bedæ, ex repertis a sese prima vice suppleturus? Et tamen jam tum* Irenæi *nomen legebatur in variis Hieronymiani Martyrologii apographis, ut infra docebo: neque credibile est ipsius Hieronymi genuinum fœtum, librum, inquam, ejus de Scriptoribus Ecclesiasticis, ignotum tunc fuisse Floro, unde mutuari aliquid potuisset, si tulisset institutum ejus, ut alios com-* C *memoret, quam quorum integræ habebantur historiæ. Talem autem, ne diu quidem post aliquis præsumpsit conscribere, et Ecclesiæ Lugdunensi legendam tradere: traditam enim aliæ, præsertim Gallicanæ, certatim descripsissent sibi. Certe in centenis aliquot Passionariis, quæ per Galliam, Italiam, Germaniam, Belgiumque evolvimus, nihil invenimus de* S. Irenæo, *quod esset antiquitate aliqua et modica saltem prolixitate spectabile.*

Acta antiquitus nulla scripta.

6 *S. Basilius, lib. de Spiritu sancto cap.* 29 Irenæum *laudat, ut* vicinum Apostolorum temporibus. *Hieronymus, de script. cap.* 35. Photino, *inquit*, prope nonagenario Christum Martyrio coronato, in locum ejus Irenæus constituitur. Constat autem Polycarpi Sacerdotis et Martyris hunc fuisse discipulum.... Floruit maxime sub Commodo Principe, qui Marco Antonino Vero in imperium successerat; *id est ab anno* CLXXX *ad* CXCII; *de morte autem illius nihil habet, nec in Chronico quidem; uti nec Eusebius, quem ille Latinum fecit. Sanctus deinde Gregorius Magnus, lib.* 9 *Regesti cap.* 50, *ad Ætherium Episcopum Viennensem;* Gesta, et scripta, *inquit*, B. Irenæi, dudum est quod solicite quæsivimus: sed hactenus ex iis inveniri aliquid non valuit. *Unde ergo scribere potuerunt Ado et Usuardus verbis propemodum iisdem*

Laudatur Irenæus a SS. Basilio, Hieronymo,

Gregorio.

Ado quidem, Apud Lugdunum Galliæ [natale] S. Irenæi Episcopi, (qui B. Photino prope nonagenario ob Christi martyrium coronato in locum ejus successit:) quem [etiam] constat beatissimi Polycarpi Sacerdotis et Martyris fuisse discipulum, et Apostolicorum temporum vicinum: postea vero persecutione Severi, cum omni fere civitatis suæ populo, glorioso coronatur martyrio: *Usuardus vero, omissis illis pauculis quæ* [ ] *inclusi, eadem omnia habet.* D

Ado et Usuardus videntur secuti

7 *Existimo, Adoni, quem Usuardus more suo contraxit, præluxisse,* Flori venerabilis viri e pluribus, in eodem negotio Martyrologico, secundi libri commenta, *quæ se adhibuisse præfatur Usuardus.* Secundi, *inquam*, libri, *non* primi: *hunc enim dedisse me, puto, cum genuino textu Bedæ, ante secundum tomum Martii, absque ulla, sicut jam dixi, mentione* Irenæi; *unde colligo, eam a primo libro abfuisse, adfuisse in secundo. In hoc autem Florus suæ Lugdunensis Ecclesiæ respectu collocarit* Irenæum, *licet nulla adhuc propria Acta habentem; collegeritque verba SS. Basilii et Hieronymi, cetera ex populari traditione suppleverit. Atque hæc prima occasio mihi venit secundum librum Flori discernendi a primo; cujus discriminis nudam dumtaxat notitiam acceperam ex Usuardo, divinare vero necdum poteram, cum Martium edidimus. Nunc vero conjecto, in secundo libro plures accessisse, quorum celebris constabat cultus et aliunde quam ex Actis suis, nimirum ex sanctis Patribus, ecclesiasticaque historia Eusebii et Rufini, elogia concinnari potuerunt, sicut apparet collectum fuisse illud* S. Irenæi *elogium, descriptum ab Adone et Usuardo, quos secuti Notkerus aliique.* E

Flori librum 2 aliunde quam ex Actis collectum,

8 *Quod attinet ad vetustiora Martyrologia, ab omnium antiquissimi Hieronymo adscripti primis exemplaribus abfuisse puto* Irenæi *nomen; quemadmodum reipsa abest in apographo Corbeiensi, et desideratur etiam in decerpta minus integre Ecloga membranarum, nihilo minus vetustarum, Rhinoviensium, Trevirensium, Augustanarum, Cassinensium ac Romanarum S. Cyriacæ: adest autem in Epternacensi ante mille annos exarato, Lucensi ac Blumiano; necnon in ecloga sumpta ex tali aliquo in membranis, Richenoviensibus, Barberinis, Gellonensibus, Coloniensibus B Mariæ ad Gradus, Romanis S. Mariæ in Vallicella, aliisque; sed ita adest, ut appareat primum addendi exemplum factum esse in margine dumtaxat ejus loci, ubi enumerantur mox commemorandi Martyres Alexandrini: cumque ibi jam scriptum legeretur,* Lugduni, *vel,* Lugduno Galliæ, S. Irenæi, Erenæi, Hirenæi, Hierenei, *vel* Hyrenæi: *sic enim diversissime scribitur, addito nonnumquam titulo* Episcopi *vel* Episcopi et Martyris. *Cum autem sic legeretur in margine; fuisse puto, qui tam illustrem Sanctum, Martyrologia describendo, transtulerint in textum; ab eo præsertim tempore, quo S. Patiens, Lugdunensis Episcopus, inter annum* CCCCLXX *et* CCCCXC, *corpus* S. Irenæi *extulit ab eo, in quo defossum jacuerat loco, vel in aliam ecclesiam transtulit, hac fortassis die, cum de proprio passionis ipsius die nihil certi constaret; esto* Natalem *Ado vocet.* F

in Hieron. Martyrologii ecgraphis variis omissum nomen,

additum aliis,

videtur ex margine in textum transiisse,

9 *Verum iis, qui Hieronymiani Martyrologii contextum, assumpto istoc ex margine additamento, interpolavere, satis infeliciter accidit, ut inter Alexandrinos Martyres collocarent* Irenæum, *ante hæc verba,* cum aliis sex *vel* septem, Leonidis, Plutarchi, Sereni, Potaminæ, Marcellæ: *quæ nomina Epitomatores Richenoviensis et Barberinus omittentes, solum scripserint,* Lugduno Galliæ Erenæi Episcopi, cum aliis sex: *quod etiam in Atrebatensi, Lætiensi et Tornacensi ad Bedam Additamentis legere est: Gellonense vero insuper addidit solum nomen* Marcellæ: *in Epternacensi denique non solum ista inseruntur, sed etiam in*

interpolato Alexandrinorum MM. ordine,

A *in priori eorumdem Martyrum Alexandrinorum classe, ad decimum octavum inter illos*, Ereneum, *additur titulus* Episcopi. *Interim omnino censeo*, Irenæo *Lugdunensi nullos socios, sive nominatim, sive numeratim adjungendos esse ; sed solum relinquendum, sicuti in Eusebio solus passus legitur, et quidem ante tyrannum, civibus promiscua cæde prius sublatis de medio.*

quasi additis sex sociis.

10 *Inter Græcos Patres, præter supracitatos Eusebium et Basilium, laudarunt etiam* S. Irenæum, *ex libris Græce scriptis notum, Epiphanius, hæresi* XXXI, *quæ Valentinianorum est, dicens, quod* Senex Irenæus, vir omnino Spiritus sancti donis adornatus, tamquam generosus athleta a Domino productus, et cœlestibus gratiis veræ fidei et scientiæ inunctus, omnem istorum nugacem doctrinam oppugnavit ac debellavit. *Theodoretus Dialogo* I *appendit, quod* Doctrina Polycarpi fruitus, fuit lumen Gallorum Occidentalium. *Georgius Syncellus in Chronico, ad tempora Commodi Imperatoris, dicit, quod* divinis verbis et actibus coruscavit. *Hinc Collectores Synaxariorum quorumdam recentiorum, Parisiis et in Crypta ferrata repertorum, una cum excusis Menæis, occasione* S. Irenæi Syrmiensis Episcopi sub Diocletiano passi *ad* XXIII Augusti ; *retulerunt etiam* S. Irenæum Lugdunensem,
B *cum hujusmodi disticho :*

Laus Irenæi apud Epiphanium, aliosque Græcos ;

Σπεύδει λιπεῖν γῆν ἐκ ξίφους Εἰρηναῖος,
Ἐρωτιᾷ γὰρ τῷ πρὸς οὐρανοὺς πόθῳ.
Linquere per ensem terra Irenæus studet,
Nam cœli amore totus ardenti flagrat.

Elogium historicum nihil dicit, quod non aliunde hauserimus certius ; nec ullum proprium locum assignat cultus, illi Constantinopoli vel alibi delati ; ut appareat, ex sola occasione synonymi Sancti relatum eum, cujus dies nullus sciebatur.

In Menæis autem 23 Augusti.

§. II. De gestis et scriptis S. Irenæi.

P*etrus Halloix noster, inter Vitas et documenta illustrium Ecclesiæ Orientalis Scriptorum, qui sanctitate juxta et eruditione secundo Christi seculo floruerunt, tertium locum* S. Irenæo Lugdunensi *attribuit: suumque de eo Commentarium, per Capita omnino triginta tria, extendit, additis Notationibus paris fere amplitudinis, sic ut tertiam unius tomi partem illæ cum Vita impleant. Hunc adeat lector, qui plura cupiet : nobis satis est ex originariis fontibus pauca illa haurire,*
C *quæ proprie ad Historiam pertinent. Igitur Smyrnæ in Asia minore natum* Irenæum, *inde malim opinari, quia urbis ejus Episcopum a pueris habuit magistrum; quam id confirmare auctoritate Galesinii, in talibus non magna ; aut ex* Primi, *imo Joannis, Cabilonensis Episcopi Topographia. Non etiam operose refutabo scriptores neotericos, qui S. Joannis Evangelistæ fecere discipulum, tunc, cum is vel obiit vel translatus est, necdum forte natum. S. Hieronymo, Epist.* 29 *ad Theodorum,* Irenæus vir *quidem* Apostolicorum temporum est; *sed latius accepto vocabulo, sic ut secundum etiam seculum comprehendat, hoc autem declarat, cum addit, quod etiam* Papiæ auditoris Joannis Evangelistæ discipulus *fuit. Nam ut fuit* Irenæus *S. Polycarpi discipulus, licet anno primum* CLXIX *coronam adepti ; sic non probatur, ætate dispar Papiæ fuisse, cujus successor sub idem tempus, id est sub M. Antonini et Lucii Veri Imperio dumtaxat cognoscitur floruisse. Colitur hic, qui Hierapolitanus Episcopus fuit,* XXII *Februarii, iste* XXIII *Januarii, ubi de utriusque ætate Bollandus disputat.*

Creditur Smyrnæ natus, quia Polycarpi discipulus,

qui fuit Joannis Evang. sicut et Papias;

12 *Ipse* Irenæus *Florino scribens :* Vidi te, *inquit,* adhuc puer cum essem, in inferiore Asia apud Polycarpum, cum... ei te probare quam sedulo nitereris. Nam ea quæ tunc gerebantur (quemadmodum cognitio, quam a teneris combibimus, una cum ætate crescit, et cum animo ipso coalescit) multo D
firmius inhærent memoriæ, quam ea quæ nuper præterierunt. Quin et locus mihi observatur, in quo Polycarpus, tum cum dissereret, sessitabat; et illius eodem adventus atque introitus, et vitæ ratio et forma corporis : possemque et sermones illius referre, quos ad multitudinem habebat : et quam ipse sibi, cum Joanne et cum aliis qui Dominum viderunt, intercessisse consuetudinem atque usum memorabat ; et quo item pacto ea quæ ab illo dicta et de Domino ipso relata præsens inaudisset, solitus erat enarrare : quo etiam modo ea quæ de ejusdem Domini miraculis et doctrina, ab iis qui Verbum vitæ oculis suis vidissent, accepisset, omnia Scripturis esse conformia affirmaret, mihi posse videor recensere. Hæc enim ego (quæ divina fuit erga me miseratio,) sane quidem diligenter tum auscultabam, non chartæ quidem illa inscribens, sed cordi meo imprimens, quæ et nunc per Dei gratiam semper ingenue nomino menteque recogito. *Hinc magnæ videri posset auctoritatis ex talium magistrorum relatu attribuentis Christo ætatem, cum fuit crucifixus communi sententia majorem; et esset reapse, magna si*
E *sincera ; sed locum omnino corruptum haberi, atque in ipsiusmet* Irenæi *sententia, Christum tricenarium prædicare exorsum, tria paschata numerasse nec plura, erudite ostendit in Criticis Pagius ad an.* 32 *num.* 5, *atque adeo non debere talem opinionem* Irenæi *erroribus adnumerari.*

audito Polycarpo in pueritia,

AUCTORE D. P.

qualis is ex Joanne audierat, fideliter retinuisse,

etiam quoad ætatem Christi annorum 33.

13 *Inter ejusmodi documenta adultus, sacrisque ac profanis litteris egregie instructus* Irenæus, *præsumitur a S. Polycarpo per omnes ecclesiasticos gradus, ad Presbyteratum usque promotus ; et eo, quo ipsi sic adhærebat tempore,* librum *scripsisse, putat Halloix,* contra Gentiles, quo demonstrata idolorum et totius ipsorum superstitionis vanitate, a multis falsis Diis, ad unum verum Deum revocaret. *De hoc libro sic loquitur Eusebius lib.* 5 *Hist. Eccl. cap.* 25 : Circumfertur et alius ejus liber contra Gentes, brevissimus ille quidem, maxime tamen necessarius, de disciplina ; inscriptus περὶ ἐπιστήμης, *quod*, de scientia, *Valesius vertit divisionis suæ cap.* 26 : *quem Eusebii locum aliter legens vel intelligens Hieronymus infra*, Scripsit, *inquit,* contra Gentiles volumen breve, et de disciplina aliud. *Sed ejus nec fragmentum quidem unicum superest apud Græcos Latinosque Patres. Felicior eorum librorum fortuna fuit, quos contra hæreses scripsit in Gallia, et ad amicum, nusquam*
F *adhuc nominatum, misit in Asiam : totum enim fere librum primum Epiphanius in suum simile opus transtulit, aliaque multa : quæ ut dubitare nos non patiuntur quin eos* Irenæus *Græce scripserit, etsi subdubitarit Erasmus , ita ægre permittunt, ut sine scrupulo assentiamur Halloisio, quod liber contra Gentiles fuerit primus* Irenæi *fœtus ; cum in illorum præfatione sese excuset, veluti* μήτε συγγράφειν εἰθισμένον, μήτε λόγων τέχνην ἐσχηκοτα, *id est,* neque scribere quidquam assuetum, neque artis oratoriæ peritum. *Quæ autem* Irenæo *occasio fuerit in Gallias transeundi, idem Halloix sic exponit.*

Liber ejus contra Gentiles,

non videtur scriptus ante libros contra hæreticos,

14 Cum temporibus Antonini Pii Imperatoris et Aniceti Pontificis, (*quorum hunc ab anno* CLIII *ad* CLXII *sedisse opinamur*) Valentiniana hæresis invalesceret, nec in Asiam modo, sed et in Galliam penetrasset ; proclive creditu est, S. Photinum Lugdunensem Episcopum, gravi ævo fatiscentem, ac jam laboribus et vigiliis contra grassantes lupos imparem, a beatissimo Polycarpo submitti sibi ab eo auxilia missis litteris postulasse : hunc autem acceptis pridem eruditionis ac sanctimoniæ Irenæi experimentis, illum ex omnibus ad ejusmodi provinciam perquam aptum et idoneum judicasse atque eo destinasse. *Deinde addit, quod* Primus illi, in terram ingresso, labor

editis post transitum in Gallias,

maximeque

A maximeque necessarius is fuit, quem ipse in addiscenda ejus gentis lingua impendit. *Et hoc ex præcitata contra Hæreses præfatione intelligitur ; ubi amico excusans simplicitatem inornati sui styli*, Neque vero facies, *inquit*, ut a nobis qui inter Gallos degimus, atque in barbara lingua ut plurimum operam ponimus, verborum requiras artificium ; *Sed ibi nequaquam intellexerim ego veterem Celticam, prævalente in provinciis illis Latina lingua, tunc prorsus abolitam, etiam interrusticos. quamvis hi ea corrupta uterentur; sed ipsammet Latinam, Græcis habitam* barbaram ; *qui adeo eam domi suæ non curabant discere, ut etiam Romæ, ubi cultiores quique Græce loquebantur, eadem magnopere non egerent.*

Auctore D. P. et opera linguæ, non Celticæ, sed Latinæ impensa ;

15 *In his occupato Irenæo*, Florinus et Blastus, *teste Theodoreto lib.* I *hæretic. fabul. in* Presbyterorum Romanorum numerum computati, in Valentini sectam declinarunt, quorum morbum deplorans ter beatus Irenæus, adversus Valentinum scripsisse dicitur. *Homines illi erant, vel origine Græci, vel Græcæ linguæ (ut reliquus Romæ Clerus) bene periti ; ut propterea non debeat quis dubitare, utrum* Irenæus *suos illos libros Græce primum scripserit. Sed quid vetat*

edidit autem illos Græce,

B *cogitare, quod eosdem mox fecerit a suorum domesticorum aliquo in Latinam linguam traduci ; aut potius exercitii causa ipsemet Latine transtulerit, quales postea habuit S. Augustinus, et loco non uno allegat? Certe ab hac conjectura non dimoveor translationis istius nonnulla barbarie et styli asperitate : cui enim mirum videatur hominem, licet cultissimum, sed ab incunabulis Græcum, qualis fuit* S. Irenæus, *qui in provecta ætate Latinæ linguæ primum cœperit animum applicare, etiam post diligens studium in ea positum græcizare, et minus eleganter loqui?* Est, *inquit Raynaudus*, qui ad S. Irenæum ejusve decessorem Pothinum referat institutionem Divini Officii, ritu Asianorum Græce celebrandi Lugduni, quod confirmat ex Græce exarato codice pervetusto in cortice, asservato in Lugdunensis Ecclesiæ tabulario; eo siquidem Codice Psalmi et Hymni universumque divinum Officium continetur..... Ægre tamen suadetur id usu receptum in provincia Romani juris, cui Græcum idioma esset exoticum ; et cui ut se accommodaret S. Irenæus, necesse habuit suum opus contra Gnosticos, *Valentinum et discipulos*, utcumque Latine edere vel edi curare. *Interim nihil vetat credere, si vere tam antiquus est liber, ab alterutro prædictorum Sanctorum allatum ex Asia : eum-*

ac postea forte ipsemet vertit Latine.

Non putatur tamen ritu Græco usus in Sacris,

sed solo Latino.

C *que prælo committi ac publici juris fieri tanto erit optabilius, quanto divini Officii ordo magis differre invenietur ab eo, quem postea SS. Basilius aut Chrysostomus ordinavere; sicuti gaudemus videre Sacramentarium Gelasianum, et ipsum cum Gregoriano ac deinde cum hodierno Romano conferre.*

16 *Ceterum utcumque* Irenæus *Græce libentius meliusque scriberet quam Latine; hujus tamen linguæ satis norat, ut posset absque interprete commissum sibi negotium agere, quando* Pothini Episcopi *adhuc* Presbyter a Martyribus ejusdem loci ob quasdam Ecclesiæ quæstiones legatus Romam missus, honorificas super nomine suo ad Eleutherum Episcopum pertulit litteras. *Sedit* Eleutherus, *juxta veteres Catalogos, a nobis explicatos ab anno* CLXXI *ad* CLXXXV, *cujus anno* VI *cum S. Photinus ac plures alii illustre martyrium consummassent,* II *Junii explicatum ; relatrices rei gestæ litteras scripsere* servi Christi, qui apud Viennam et Lugdunum Galliæ degunt, Fratribus per Asiam et Phrygiam constitutis : *cujus exemplar cum etiam Romam perferendum* Irenæo *dedissent, ad earum calcem ita Pontificem alloquuntur :* Te per omnia ac perpetuo valere optamus, Pater Eleuthere. Has litteras ad te ut perferret, fratrem et collegam nostrum Irenæum hortati sumus ; quem quidem ut commendatum habeas, rogamus, utpote æmulatorem testamenti Christi. Quod si nobis compertum esset, locum cuiquam conferre justitiam : eum tamquam Presbyterum Ecclesiæ (hunc enim gradum obtinet) tibi imprimis commendassemus. *Ad quid autem? An forte ut a se electum Pontifex consecraret Episcopum? Ita opinor.*

Post S. Photini Martyrium Romam legatus,

cum litteris ea de re scriptis,

tunc tantum Presbyter erat,

D 17 *Adeo interim clarum videtur testimonium istud, ut nullum superesse putem locum dubitandi, utrum* Irenæus *fuerit consecratus* Episcopus, *vel Romæ, vel post suum Roma reditum, Lugduni. Frustra Halloix huc allegat locum ex Vita S. Augustini, cui persuasum fuit, Valerio Episcopo rogante,* ut Hipponensi Ecclesiæ ordinaretur Episcopus, qui suæ Cathedræ, non jam succederet, sed Consacerdos accederet, dum fieri solere ab omnibus suaderetur, atque id transmarinis et Africanis Ecclesiæ exemplis probaretur. *Frustra etiam eodem allegaretur Beda, lib.* 2 *cap.* 4 *narrans, quomodo Cantuariensi* Augustino successit in Episcopatum Laurentius ; quem ipse idcirco adhuc vivens ordinaverat, ne se defuncto status Ecclesiæ tam rudis, vel ad horam Pastore destitutus, vacillare inciperet : in quo et exemplum sequebatur primi Pastoris Ecclesiæ, hoc est beatissimi Apostolorum Principis Petri, qui fundata Romæ Ecclesia

necdum Episcopus;

talem tamen si eum fecisset Photinus senex,

E Christi, Clementem sibi adjutorem evangelizandi simul et successorem consecrasse perhibetur. *Frustra, inquam, talia allegarentur ad anticipatam ordinationem suadendam : neque enim quoties id rationabiliter fieri potuit, factum etiam esse prudenter quis dixerit : fieri tamen sæpius potuisse, visum Henschenio est, omninoque evinceret auctoritas antiquissimi Catalogi Pontificii, qua ille nititur, si ea tanti nunc Romæ esset, quanti fore credidit. Quamquam in istis etiam casibus existimaverit non fuisse tales Vicarios ordinatos, cum pleno jure successionis ; sed ita ut ad perfectum Pontificem habendum requisitus fuerit novus a jus habentibus ad electionem consensus.*

rem tunc nec vetitam nec inusitatam fecisset.

18 Scripsit *autem* S. Irenæus, *post susceptum Episcopatum, fortassis etiam ante, apud Hieronymum,* quinque adversus hæreses libros ; et contra gentes volumen breve ; et de disciplina aliud ; ad Martianum fratrem, de Apostolica prædicatione ; et librum variorum tractatuum ; et ad Blastum, de schismate ; et ad Florinum, de Monarchia ; sive quod Deus non sit conditor malorum ; et περὶ τῶν ὀγδοαστῶν egregium Commentarium, in cujus fine significans, se Apostolicorum temporum vicinum fuisse, sic subscripsit, Adjuro te, qui transcribis

Alia S. Irenæi scripta :

F librum istum, per Dominum nostrum Jesum Christum, et per gloriosum ejus adventum, quo judicaturus est vivos et mortuos, ut conferas postquam transcripseris ; et emendes illum ad exemplar, unde transcripsisti, diligentissime ; hanc quoque obtestationem similiter transferas, ut invenisti in exemplari *(Quæ Auctoris tam singularis pro hoc suo libro solicitudo facit, ut eum excidisse dolendum sit magis)* Feruntur ejus et aliæ, ad Victorem Episcopum Romanum de quæstione Paschæ Epistolæ, *sub annum* CXCVI *scriptæ* in quibus commonet eum non facile debere unitatem collegii scindere : siquidem Victor multos Asiæ et Orientis Episcopos, qui decima quarta luna cum Judæis Pascha celebrabant, damnandos crediderat ; in qua sententia, hi etiam, qui discrepabant ab illis, Victori non dederunt manus.

cura cavendo schismati impensa,

19 *Præconceptum igitur rigorem temperavit Pontifex ;* et Irenæo, *vere juxta vim nominis sui* Pacifico, *successit quod optabat, ut schisma tunc caveretur : nihilo tamen segnius Victoris probavit sententiam,* Pascha non XIV luna primi mensis, sed potius die Dominico, post XIV lunam et vernale æquinoctium occurrente ; prout ab Apostolis *(Petro scilicet et Paulo)*

et legitimi paschatis observationi.

A *Paulo)* traditum est, celebrandum esse. *Itaque* divina et sacra provincialis synodus, collecta Lugduni Galliæ ab Irenæo, sanctissimo ibidem Episcopo, aliisque tredecim Episcopis, similiter de divino mystico Pascha constituit. *Ut autem ecclesiam a schismate vivus servavit* Irenæus, *ita mortuus hæresim Lutheranam quadamtenus stitit, quando (sicut scribit Florimundus Remundus, de orto progressuque hæreseon cap. 7)* Regem Franciscum I, mellitis hæreticorum sermonibus et personatorum Catholicorum artibus prope actum in muscipulam, Cardinalis Turnonius, fraudi, unaque Galliam universam ruinæ subduxit; ostentato, sui (ut aiebat) in Lugdunensi sede decessoris volumine; et Regi (ut erat litterarum et librorum amantissimus) de industria suggessit, quæ S. Irenæus lib. 3 cap. 3 de Apostolorum et Apostolicorum virorum in hæreticos odio, et diligenti eorum devitatione, quancumque speciem pietatis obtendant, scripta reliquit. *Ita ille a Raynaudo Latine redditus.*

Multitudo civium cum Irenæo passorum,

§. *III. De martyrio, sepultura et translationibus Sancti.*

B Crudelitatem *persecutionis, in qua* S. Irenæus, *post gregem fidelium communi internecioni traditum, coronam retulit ipse, singulariter per varia probatus supplicia, describens Gregorius Turonensis, cæsorum* nec numerum, nec nomina, *ait colligi potuisse. Quod sane non est mirum, si vere, scripsit Ado, sanctum Pontificem,* cum omni fere civitatis suæ populo, *coronatum martyrio.* Vetustissimum tamen MS. ecclesiæ Lugdunensis apud Severtium, *sicut illud appellat Halloix in Notis ad cap.* 12; *sive,* MS. Codex ecclesiæ S. Irenæi, *ut nominat Raynaudus in Prologum* 4 *Indiculi*; *vel, ut alibi dicitur,* Homiliarium *(quibus omnibus suppono nihil indicari seculis* IX *vel* X *antiquius) præsumit definire,* interfecta ibi decem et novem vivorum millia, exceptis parvulis et mulieribus. Qui numerus, *inquit Raynaudus,* in his quoque versibus exprimitur, quos in reliquiis magnificentissimæ quondam Basilicæ, in primo pavimenti aditu, etiamnum legere ex parte licet, musivo opere vermiculatis tesserulis obducto, expressos; recens autem, ne ab edaci rerum ævo prorsus exederentur, ostii fronti adscriptos.

antiquitus æstimata 19000:

Ingrediens loca tam sacra, rea pectora tunde;
Posce gemens veniam, lacrymas hic cum prece
C funde.
Præsulis hic Irenæi turba jacet sociorum,
Quos par martyrium traduxit ad alta polorum.
Millia dena novemque fuerunt sub duce tanto.

21 *Halloix pag.* 684 *allegat Auctorem libri* de sex ætatibus mundi, *ætate sexta fol.* 116 *dicentem, quod* Irenæus a Severo positus inter duos colles, cum in uno Crucem in alio idolum posuisset, ut mortem per Crucem vel vitam per idolum eligeret: cum populo tamen ad crucem venit, et omnes martyrio coronati sunt IV Kal. Julii. *Nescio quantæ auctoritatis sit Auctor, aut potius liber ille, apud Halloix. Non omnibus saltem probabitur, quod habet de duobus collibus: quamvis idem prudentior aliis fuerit in non definiendo præcise numero Martyrum; contentus dicere,* Irenæum *cum* populo omni, *secum inter colles posito, (is enim videtur sensus esse) martyrio coronatum fuisse. Iste autem* omnis populus, *non debet necessario valde numerosus putari. Liber ex variis scriptis collectus fuit anno* MCCCCXCIII, *et quidem* brevi tempore, *ut fatetur impressor, simul indicans collectoris nomen, et alia quædam folio* CCLXVI, *his verbis*; Completo in famosissima Nurembergensi urbe Operi de historiis ætatum mundi, ac descriptione urbium, felix imponitur finis. Collectum brevi tempore auxilio Doctoris Hertmanni Schedel, qua fieri potuit diligentia, anno

ii inter crucem idolum positi ad istam dicuntur cucurrisse,

ex auctore de ætatibus mundi anno 1493 impresso

D Christi millesimo quadringentesimo nonagesimo tertio, die quarto mensis Junii. Hæc ibi. *Nos alium quoque similis argumenti librum, sex ætates complexum, habemus, annos* XVIII *citius impressum Lubecæ; cujus quia non admodum multi, ante annum* MCCCCLXXV *typis formati, reperiuntur libri, Conclusionem hic juvat describere, aliquid forte lectori utilitatis allaturam. Sic habet:* Anno secundum carnem Filii Dei a nativitate MCCCCLXXV, ipso die sanctissimi Regis et Martyris Oswaldi, qui est V Augusti; sanctissimo in Christo Patre ac Domino, D. Sixto Papa quarto; illustrissimo præclarissimæ Domus Austriæ Frederico tertio, Romanorum Imperatore invictissimo semper Augusto, ac pro nunc Coloniæ existente; Imperiali nobili in urbe Lubecana, arte impressoria, speciali gratia divina, animarum ob salutem fidelium inventa; Epitoma istud, partes in sex, juxta mundi sex ætates divisum, prius alibi non repertum, quod placuit, Rudimentum novitiorum intitulari; Dei adjutorio, qui supernas res ac subternas fortiter, suaviter tranquilleque dispensat; per Magistrum Lucam Brandis de Schasz, feliciter est excusum et finitum; veteris novique Testamentorum ac aliarum incidentium historiarum contentivum, a Protoplasto non solum usque ad Christum, ut in Prooemio est promissum; sed etiam omnium Imperatorum ac summorum Pontificum, usque ad annum præmemoratum, omnibus cum Doctoribus famosis, Poetis, et sapientibus contemporaneis earumdem ætatum, cum memorabilioribus eorum gestis, ceteris præcisis, in quantum unico fuit possibile volumine concludi; ut pauperes, multos solvere libros non valentes, unum tamen haberent enchiridion, loco multorum semper ad manum librorum. Nec talis quemquam moveat abbreviatio, cum Christus, Fons omnis sapientiæ, multa fecerit, quæ scripta non sunt.

AUCTORE D. P.

Alius liber illo antiquior

E

anno 1475 cusus,

in quo nil legitur de 2 collibus,

22 *Hoc in codice fol.* CCCXXVI *sic legitur:* Decimo anno Marci Aurelii Antonini Veri *(sic enim quasi unum appellat, qui duo sunt)* Hirenæus, Polycarpi discipulus, Fotino Lugdunensi Episcopo martyrizato, in locum ejus substituitur, ut dicit Hieronymus, de viris illustribus cap. XXXV. Hic multa scripsit, ut patet ibidem. Iste martyrizatur, post multas virtutes cum Clero suo. Nam Lugduni in uno puteo, in monte Martyrum, decem et novem millia corpora Martyrum requiescunt. *Et infra, agens de quinta post Neronem persecutione, quam Severus, exercuit,* F decimo Imperii sui anno, *addit:* Item, hoc anno passi sunt Hirenæus Episcopus et Clerus suus, IV Kal. Julii. *Clerici autem cum Episcopo suo post ceterorum stragem seorsim passi, sex fortassis numero fuerint; et sic apographis Hieronymianis tribus, aliisque vetustioribus Martyrologiis num.* 9 *allegatis, passus ille dicitur* cum aliis sex, *qui cum Alexandrinis, quibus intermiscentur, nequaquam confundi debeant.*

sed solum numerus 19000 tenetur.

23 *Ado, in suo Martyrologio, elogium* S. Irenæi *sic finit:* Sepultus est a Zacharia Presbytero, in crypta Basilicæ B. Joannis Baptistæ sub altari: cui ab uno latere Epipodius, ab altero Alexander Martyr est tumulatus. Hujus cryptæ tam reverenda est claritas, ut meritum Martyrum signare credatur. *Accepta sunt hæc ex Gregorio Turonensi lib.* I *de Gloria Martyrum cap.* 50 *sic scribente; ubi cum egisset de S. Fotino, et dixisset quod ei* et merito et sanctitate condignus Irenæus successit Episcopus, per Martyrium et ipse finitus; *sic prosequitur:* Hic in crypta Basilicæ B. Joannis sub altari est sepultus, et ab uno quidem latere Epipodius, ab alio vero Alexander Martyr est tumulatus: de quorum monumentis si pulvis cum fide colligitur, extemplo medetur infirmis. Magna enim claritas in crypta illa

Nihilo certius dicit Ado, sepulturam curatam a Zacharia Presb.

AUCTORE D. P.

A illa continetur, quæ (ut credo) merita Martyrum signat. *Prudenter tacet de* Zacharia *Gregorius, qui eum retulerat inter Martyres jam inde ab anno* CLXXVII *id est annis* XXX *ante* S. Irenæum *Martyrio coronatos: sed licet hoc dubium sit, eo quod ex sensu Epistolæ Martyrialis, ab Eusebio relatæ, ibi nominetur aliquis* Presbyter Zacharias, *sed* Vettius Epagatus *intelligatur, eadem laude dignus, quæ seniori Zachariæ patri Joannis Baptistæ in Evangelio tribuitur; non evadit certum, in silentio antiquiorum Scriptorum et defectu Actorum genuinorum, Lugduni floruisse ætate illa aliquem* Presbyterum Zachariam, *et quidem talem, qui, sicut idem Ado in Chronico sustinet,* tempore Paracodis Episcopi Viennensis, *superstitis* usque ad Imperium Maximini, *id est usque ad annum* CCXXXV, Lugdunensis Episcopus floruit.

in crypta S. Joannis

nam illum alii dicunt cum S. Photino passum:

24 *Dicitur quidem in præcitata Lugdunensis Ecclesiæ homilia, apud Raynaudum;* Postquam S. Irenæus noctem pervigil in oratione transegerat, supplicante secum B. Zacharia Presbytero; medio fere noctis spatio, Angelus Domini cum ingenti adstitit claritate, et sancto Sacerdoti locutus est; Zachariam Presbyterum solicite latere facito, qui post tuum abscessum tibi successor existens, con-
B firmet Fratres in Christo. *Dicitur etiam in quibusdam Actis S. Benigni Divionensis,* I *Novembris examinandis, quod ipse et socii* Lugdunum *pervenientes,* quæ est urbs metropolis Galliarum, illic sanctum Presbyterum Zachariam repererunt; qui tunc, gravissima sub Severo Imperatore persecutione dominante, inter Martyrum sepulcra delitescens, fluctuanti Ecclesiæ divinum advenire precabatur auxilium. *Sed neutrum scriptum idoneum est ad veram talis Episcopi existentiam certo comprobandam. Nam hoc quidem (ut alia taceam) dicit quod* S. Polycarpo quiescenti, *quem constat anno* CLXIX *obiisse, annis* XXXVIII *ante S. Irenæum,* subito cum innumera sanctorum Martyrum turba S. Irenæus apparuit; qui, quondam alumnus et minister ipsius, tunc Lugdunensem Ecclesiam, cui Episcopus sederat, gloriosus Martyr meritis triumphalibus exornabat: quem etiam rogare cœpit monereque, ut sanctos Sacerdotes Benignum, Andochium, simulque Thyrsum Diaconum in Gallias dirigeret. *Homilia vero (ut fatetur Raynaldus in Indiculo ad elogium S. Irenæi) dicit, quod hunc S. Polycarpus legavit in Galliam,* addicta ipsi primaria urbe Lugduno, ut B. Pothini jam de-
C mortui loco Ecclesiam Lugdunensem gubernaret; *quem tamen Pothino adhuc vivente constat Lugdunum advenisse.*

et alius Zacharias, successor Irenæi

non nisi ex Actis suspectis habetur,

24 *Ut ut est, nullus ejus temporis, quo* S. Irenæus *triumphavit,* Zacharias *potuit illius corpus condidisse* in crypta Basilicæ B. Joannis Baptistæ sub altari, *cum ea Basilica ante Constantini tempora nulla fuerit, nedum crypta, tam reverendæ claritatis, qualem Ado indicat, et Sidonius Apollinaris celebrat suis versibus lib. Epist. 10. Vide de istis agentem Raynaudum in Indiculo, ad Elogium S. Patientis, multoque distinctius Chiffletium, æque nostrum in Observationibus Claudianis* VI *Junii num.* 34 *et seqq. Hic ibi docet, Martyrum quidem corpora persecutionis tempore latuisse in subterraneis suburbanisque Christianorum cœmeteriis, aut dumoso quodam profundo quale describitur in SS. Epipodii et Alexandri Actis* XXII *Aprilis, cum dicitur, quod* erat in colle superposito civitati concretis densatus stipitibus locus, ibique in modum speluncæ conclusa frutetis ac sentibus vallis latebat; quo in recessu venerabilia corpora religiosa provisione demersa sunt; quia Gentilium furor externam denegans sepulturam, etiam in corpora inanimata sæviebat: *quo etiam illatam magnam illam civium multitudinem, sub Severo passam cum* Irenæo *docet idem Chiffletius:* Postea vero venerabilem locum religiosorum cultus servavit, et prodidit reve-
D rentia deducta per posteros, *donec in vicino loco constructa fuit SS. Machabæorum, postea S. Justi dicta ecclesia, in quam ejus conditor, quisquis is fuit,* S. Irenæi, *et aliorum nonnullorum corpora transtulit.*

seculo autem 3 ineunte necdum erat talis ecclesia,

sed dumosa vallis, ex qua elata sec. 4 corpora ad ædem S. Justi.

§. IV. De ecclesia et crypta a S. Patiente Episcopo constructa, et S. Irenæi veneratione in eisdem.

Seculo V *ad finem vergente, Lugdunensis Episcopus* S. Patiens, *supra ostium præmemorati antri, seu dumosi profundi, in quod tot millium sub* Irenæo *Martyrum defossa erant corpora, duo templa tecto sub uno fundata extruxit, hoc est cryptam eique impositam ædem S. Joannis, postea dictam* Irenæi; *quam esse ipsam, cujus majestatem Sidonius Apollinaris ornavit hendecasyllabis suis, clare demonstrat prælaudatus Chiffletius. Ipsos hic accipe, nativo suo quo habentur Ordine, inserti lib. 2 Ep. 10 ad Hesperium; in qua sic præfatur:* Ecclesia nuper constructa est Lugduni, quæ studio Papæ Patientis ad summum cœpti operis accessit..... Hujus igitur ædis extimis, rogatu præfati Antistitis, tumultuarium carmen inscripsi, tro-
E chæis triplicibus, adhuc mihi familiaribus. Namque ab hexametris eminentium Poetarum, Constantii et Secundini, vicinantia altari Basilicæ latera clarescunt: quos in hanc paginam admitti, nostra quam maxime verecundia vetat; quam, suas otiositates trepidanter edentem, meliorum carminum comparatio premit..... Sed quorsum ista? Quin potius paupertinus flagitatæ cantilenæ culmus immurmuret.

Fundatæ sunt illæ circa an. 480

quales describit Sidonius Apollinaris,

27 Quisquis Pontificis Patrisque nostri
Collaudat Patientis hic laborem;
Voti compote supplicatione
Concessum experiare quod rogabis.
Ædes celsa nitet, nec in sinistrum
Aut dextrum trahitur: sed arce frontis
Ortum prospicit æquinoctialem.
Intus lux micat, atque bracteatum
Sol sic solicitatur ad lacunar,
Fulvo ut concolor erret in metallo.
Distinctum vario nitore marmor
Percurret cameram, solum, fenestras;
Ac sub versicoloribus figuris
F Vernans herbida crusta, saphyratos
Flectit per prasinum vitrum lapillos.
Huic et porticus applicata triplex,
Fulmentis Aquitanicis superba:
Ad cujus specimen remotiora
Claudunt atria porticus secundæ;
Et campum medium, procul locatas,
Vestit saxea silva, per columnas.
Hinc agger sonat, hinc Arar resultat;
Hinc sese pedes atque eques reflectit;
Stridentum hinc moderator essedorum;
Curvorum hinc chorus helciariorum,
Responsantibus Alleluia ripis.
Ad Christum levat amnicum celeuma.
Sic sic psallite, nauta vel viator:
Namque hic est locus omnibus petendus,
Omnes quo via ducit ad salutem.

sitas ad Ortum æquinoctialem,

opere splendidissimo

super Ararim,

28 *Simili majestate aut saltem forma stetisse tunc etiam S. Justi ecclesiam idem Sidonius indicat lib. 5 Epist 17 ubi ait:* Conveneramus ad S. Justi sepulcrum..... Processio fuerat antelucana, solennitas anniversaria, populus ingens sexu ex utroque, quem capacissima basilica, non caperet, et quamlibet cincta diffusis crypta porticibus. *Non hanc tamen, sed illam* S. Irenæi *a Sidonio versibus suprascriptis depingi, Gregorio Turonensi sub nomine S. Joannis designari,* ab

quibus etiam fuit vicina sed antiquior S. Justi,

A *ab Adone ad Zachariæ ætatem perperam evehi, demonstrat loco præcitato Chiffletius; et in hac* SS. Alexandri, Epipodii et Irenæi corpora *a tempore S. Patientis quievisse, usque ad tempora iconoclastarum; contra Audoyni Chorepiscopi sententiam, anno* DCCCCVIII *affirmantis ipsa in restaurata a se S. Justi basilica requiescere. Quæ controversia cum anno* MCCCCX *a Canonicis S. Justi esset resuscitata, eo quod Petrus Cardinalis de Thuræo, Apostolicæ Sedis legatus, translatis in novas arcas* Sanctorum Irenæi, Epipodii et Alexandri *corporibus, in diem* v *Aprilis fideles in* S. Irenæi *invitasset ad Indulgentias, ea causa propositas. Anno tandem post tertio pronuntiatum pro Sanctis Irenæensibus est: et nonnullis aliis deinde repertis ibidem corporibus, ipsaque festivitate a die* v *Aprilis, ad primam post octavam Paschæ Dominicam translata, sequens est instituta Oratio, sub Missam et Officium divinum recitanda,* Omnipotens sempiterne Deus, qui hodierna die beatissimos Martyres tuos Irenæum Pontificem, Epipodium atque Alexandrum, cum sociis eorum, gloriosissime relevari voluisti; concede propitius, intercessionis ipsorum auxilio, nos ab omnibus malis mentis et corporis liberari, et de eorum societate in æterna beatitudine consolari.

In hac, non ista, corpus S. Irenæi repertum an. 908;

translatio 5 Aprilis facta

B 29 Illic, *inquit Halloix cap.* 12, tanta olim *S. Irenæi* veneratio fuisse fertur, ut nec ipse Canonicorum Lugdunensium Ordo sacer, ad sanctum illud pignus attrectandum, nisi nudis pedibus et expiata in Sancti honorem peccatorum sordibus anima, auderent accedere; neque item quisquam civium aut peregrinorum, nisi eadem servata religione, ad illud visitandum admitteretur. Religionem porro comitabatur tanta Martyris gratia, tantaque prodigiosorum beneficiorum multitudo, ut tres de iis conscripti libri extitisse ferantur: qui quidem libri, illa temporum iniquitate, qua hæreticorum efferata rabies rerum potiebatur, una cum aliis multis cimeliis interierunt. *Ita Halloix, ex instructione, ut profitetur in Notis, nostri P. Antonii Grenu, sui quondam contubernalis Duaci, anno autem* MDCXX *sacræ Theologiæ apud Lugdunenses Professoris; deinde ex Severtio parte* I *de Lugdunen. Archiepiscopis num.* 2 *addit sequentia.*

agitur Dom. 2 post Pascha.

Illud ibi reverentissime habitum, multis miraculis claruit,

30 Annus erat a Domini natalitiis MDLXII, cum ad diem Aprilis XXIX Lugdunensis urbs ab hæreticis capta, miserum ac lamentabile improbitatis ac nequitiæ spolium fuit; templa autem, aræ, imagines, C reliquiæ, et quidquid sancti erat, summæ impietatis ludibrium. Tunc siquidem et beatissimi Irenæi venerandum corpus, ereptum ex adytis, projectum in compita, in partes distractum, partim flumine disperditur, partim ad contumeliam reservatur. Capitis enim cranium homines sceleratissimi, per vicos et plateas, pilæ instar, quæsita e flagitio voluptate, pedibus pertruserunt; donec tandem e rivulo quopiam, pro re nihili derelictum, a certo chirurgo, insignis probitatis viro, clandestine asportatum, tam diu solicite conservatum est, donec eadem urbe, ab Carolo IX Francorum Rege, depulsis hæreticis recuperata, pristino honori per publicam supplicationem restitutum omnis ordo vidit; omnis populus, ut de reperto thesauro, applausit. *Prælaudatus Antonius Grenu, qui prædicta submisit, in aliis ad Ambrosium Silvium, suum et Haloisii quondam Superiorem, litteris, huic indicatum voluit;* extare etiam tum, *id est anno* MDCXX *die* XV *Januarii,* integrum magni Irenæi cranium, quod hesterno die, *inquit,* hisce oculis meis vidi, et ea qua par est devotione complexus fui. *Hic juvat annectere Deductionem historicam Controversiæ Lugduni agitatæ super possessione corporis sancti Irenæi et aliorum Sanctorum, inter ecclesias S. Justi et S. Irenæi, concinnatam a P. Chifletio* p. m. *et dein ad nos transmissam.*

sed fuit an. 1562 dissipatum a Calvinistis,

unde solum caput recuperatum in honore manet

D

DEDUCTIO HISTORICA

Controversiæ agitatæ inter Ecclesias Lugdunenses S. Justi, et S. Irenæi, super possessione sacrorum corporum S. Irenæi, S. Epipodii, et S. Alexandri Martyrum: a die XXI Junii, anni MCCCCX, usque ad nonam diem Augusti, anni MCCCCXIII.

§. I. *Petri Card. deThureyo anno* MCCCCX *pro Irenensibus præjudicium.*

Ecclesiam S. Irenæi extruxit S. Patiens Episcopus Lugdunensis: ea prior fuit Ecclesia S. Justi, olim sanctorum Machabæorum dicta, quippe in qua non tantum S. Patiens, sed etiam ejus decessores, S. Justus, S. Alpinus, S. Antiochus, et S. Elpidius sepulti essent. Utriusque Ecclesiæ, S. Justi et S. Irenæi una olim erat familia, quam in duas primus divisit Hugo ex Episcopo Diensi et Apostolicæ Sedis Legato Lugdunensis Archiepiscopus, inter ævi sui E illustres viros numerandus: et Ecclesiam quidem S. Justi auctoritate Apostolica secularem et collegiatam esse statuit, multis eam libertatibus et immunitatibus donando, sibique et suis successoribus Archiepiscopis nomen Abbatis ejusdem Ecclesiæ retinendo: unde et ejus Capituli Præsidi Obedientiarii nomen inditum. Ecclesiam porro S. Irenæi regularem esse voluit sub S. Augustini Canonicorum regula; cujus caput Prioris appellatione gauderet, cujus tanta esset dignitas atque auctoritas, ut in divinis Officiis mitra uteretur, ut Bellævillæ Abbatem ejusdem Augustiniani Ordinis sibi haberet obnoxium, ut in triduo Passionis, tubæ clangore populum ad suam Ecclesiam convocari faceret; ut denique in suburbio sibi subdito, die mensis Junii vigesima septima (quod erat S. Irenæi privigilium) jejunium indiceret, sequenti XXVIII (quæ erat Apostolorum Petri et Pauli vigilia) eademque S. Irenæi festivitas minime ex debito observandum.

SS. Justi et Irenæi Ecclesiarum

olim una familia

dividitur in Canonicos seculares et Regulares

2 Anno MCCCCX VIII Idus Aprilis Petrus tituli S. Susannæ Presbyter Cardinalis, de Thureyo vulgo nuncupatus, Apostolicæ Sedis Legatus a latere, adstantibus Ghilippo de Thureyo Archiepiscopo Lugdunensi ejus germano, et magno Clerici ac populi F Procerumque cœtu, in Ecclesia S. Irenæi, sanctorum Irenæi, Epipodii, et Alexandri Martyrum corpora e plumbeis loculis exempta in elegantiores hierothecas transtulit: damnata S. Justi Canonicorum arrogantia, qui eorum Sanctorum corpora in crypta Ecclesiæ suæ se habere jactabant. Hinc dedit Petrus Cardinalis rescriptum quod sequitur.

Anno 1410 Card. de Thureyo

3 Petrus miseratione divina, tituli sanctæ Susannæ, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis de Thureyo vulgariter nuncupatus, in Lugdunensi et certis aliis regni Franciæ provinciis, cum plena potestate Legati a latere, Nuntius Apostolicus specialiter destinatus. Universis Christi fidelibus, præsentes litteras impecturis, salutem in Domino sempiternam. Gloriosos Christi Martyres, qui ejus amore, victo terrore seculi, ac spretis pœnis corporis, sanguinem proprium fundere non timentes, cœlestis sunt effecti beatitudinis possessores, et in choro sanctitatis coruscant; decet per Christi fideles magnis attolli præconiis, ac solicitis et indefessis studiis honorari. Ipsi namque eisdem fidelibus, cum ad eos humiliter recurrunt, benignas aures exhibent, et pro eis (utpote gentium devotarum inclyti defensores) apud Regem Regum suis excellentibus meritis, et devotis orationibus sedule intercedunt.

dato diplomate

4

AUCTORE D. P.

A 4 Cupientes igitur, prout juris exigit autoritas, et exposcit judicium rationis, veritati testimonium perhibere; eisdem Christi fidelibus clara notitia notum fieri volumus, quod nuper, videlicet anno Domini millesimo quadringentesimo decimo, ad notitiam nostram deducto, inclyti Christi Martyres, sancti Irenæus olim Lugdunensis secundus Archiepiscopus, Epipodius et Alexander, pro fide orthodoxa glorioso martyrio coronati, per beatum Zachariam in basilica sive Ecclesia monasterii, sancti Irenæi Lugdunensis, Ordinis sancti Augustini, in terra fuerant tumulati: et quod dilecti nobis in Christo Prior et Conventus dicti monasterii, asserentes dictorum Sanctorum corpora in eorum ecclesia fuisse tumulata, multipliciter affectabant dictorum Sanctorum corpora exhumari, et in loco notabiliori relevari; quamquam pro parte nonnullorum Canonicorum ecclesiæ sancti Justi assereretur, dicta Sanctorum corpora non in basilica sancti Irenæi, sed in dicta ecclesia sancti Justi fuisse tumulata.

5 Nos cum de præmissis aliquam notitiam non haberemus, cupientes de hujusmodi varia assertione plenarie informari, die datæ præsentium, una cum B Reverendissimis in Christo Patribus, Dominis Philippo de Thureyo Archiepiscopo et Comite Lugdunensi, atque Galliarum Primate, germano nostro, Petro de Saluciis Mimatensi; Jacobo Crepigniaci Divionensi Episcopis, necnon Joanne de Archerio Savigniaci, Ludovico de Varambone Ambroniaci, Guillermo Malumpsi sancti Ruphi Valentinensis, Emardo de Cordone Insulæ Barbaræ, Anthonio de Verona Athanacensis Lugdunensium monasteriorum Abbatibus, ac Domino Petro de Monteoco Decano Ecclesiæ Lugdunensis, et pluribus aliis viris tam litteratis quam nobilibus et laicis in multitudine copiosa; primo personaliter accessimus ad ecclesiam sancti Justi Lugdunensis, in monte supra civitatem situatam: et ibidem ipsius ecclesiæ Canonici, scientes quod pro informatione hujusmodi facienda principaliter veneramus; ad probandum quod dicta Sanctorum corpora Irenæi, Epipodii, et Alexandri, in eorum ecclesia sancti Justi requiescunt, quamdam scripturam privatam, in qua continebatur, quod prædicta corpora Sanctorum in dicta eorum ecclesia sancti Justi requiescebant, in pergameno coram nobis produxerunt: cujus lecto coram nobis ac intellecto tenore, nos postmodum una cum eisdem C Prælatis, litteratis, nobilibus, et aliis supradictis accessimus, intravimus et visitavimus, inspectionique oculorum subjecimus ipsam cryptam ecclesiæ sancti Justi.

omnibus diligenter inspectis tum S. Justi,

6 Quo facto, subsequenter ad dictam basilicam sive ecclesiam sancti Irenæi direximus gressus nostros, dictis Priore et Conventu processionaliter et honorifice obviam exeuntibus omnibus nobis: et ad probandum quod supradicta Sanctorum corpora in eadem basilica sive ecclesia sancti Irenæi requiescerent, nonnullos libros antiquos, Martyrologia nuncupatos, Legendas Sanctorum, et nonnulla alia scripta, tam in archivis ipsius monasterii, quam metropolitanæ Lugdunensis, quam sancti Nicetii, et Athenacensis Lugdunensium ecclesiarum reperta, coram nobis produxerunt. In quibus quidem scripturis coram nobis diligenter perlectis, inter cetera cavebatur, dictorum sanctorum Martyrum corpora (videlicet sanctus Irenæus dudum per beatum Zachariam sepultus in dicta sancti Irenæi basilica, videlicet in crypta basilicæ sancti Joannis Evangelistæ, sub altari; et sanctus Epipodius a parte dextra altaris sancti Irenæi, et sanctus Alexander a parte sinistra) tumulata extitisse. Hoc etiam scriptura antiqua in dicta crypta posita, et fama publica referebat: et ipsa crypta quam vidimus et visitavimus, seipsam manifestat. Attestabantur hæc D etiam tria altaria in eadem ecclesia, videlicet altare sancti Irenæi quasi in medio, et altaria Sanctorum Epipodii et Alexandri a duobus lateribus: ad quæ collegium Ecclesiæ Lugdunensis singulis diebus festivitatum dictorum sanctorum ibant processionaliter, Missam magnam celebraturi.

tum S. Irenæi, utriusque ecclesiæ monumentis

7 Subsequenter vero, ut res majoris formitatis et approbationis existeret, vocari fecimus Capitulum sancti Justi supradicti, ut venirent ad certificationem et apertionem tumulorum dictorum Sanctorum, et ad visionem scripturarum sculptarum in dictis eorum tumulis; ut super discrepatione hujusmodi, quam ipsi de sancto Justo prætendebant, viderent, nos cum multitudine Prælatorum, Doctorum, et Licentiatorum in utroque Jure, ad dictorum Corporum sanctorum relevationem processuros. Unde comparentibus coram nobis pro Capitulo sancti Justi dilectis nobis in Christo Amedeo de Thatam Decretorum Doctore Canonico, et Gaufrido de Cholis dictæ ecclesiæ sancti Justi Magistro chori, ac etiam Canonicis ejusdem ab una parte; ac præfatis Priore et Conventu sancti Irænei ex altera: habitaque E super his matura deliberatione cum dictis Prælatis, et aliis solemnibus Clericis in utraque facultate peritis; videlicet venerabilibus et religiosis viris Magistris Joanne Bard, et Joanne Ploteti, Magistris in sacra Pagina, ac etiam venerabilibus viris, Dominis Joanne de Burgo Camerario sancti Pauli, Petro Papa Sacrista Viennensi, et Cantore sancti Nicetii Lugdunensium ecclesiarum; Legum Doctoribus Hieronymo de Balrad Judice Ressortorum Regis Lugdunensium, Anthonio Grandis legum Doctore, Anthonio de Furano, Jacobo de Meysiaco Judice Metropolitano, in Decretis Licentiato, et Petro de Auxilliaco Licentiato in Legibus; et pluribus aliis viris litteratis et expertis ibidem existentibus: ac materia hujusmodi per nos una cum ipsis diligenter examinata, manifeste comperimus, indubitatum et notorium esse, attentis antiqua fundatione dictæ ecclesiæ sancti Irenæi, ac scripturis Martyrologiorum, et sculpturis lapideis, fama publica, ocularique visione, et aliis præmissis, dictorum Sanctorum corpora non in dicta ecclesia sancti Justi, sed in ecclesia sancti Irenæi fuisse et esse tumulata: et ideo ad revelationem dictorum Sanctorum processimus in hunc modum.

ac matura habita deliberatione cum plurimis. Corpus S. Irenæi et aliorum ejusdem ecclesiæ adjudicat,

8 Primo ad monumentum dicti sancti Irenæi, pluribus facibus cereis accensis accessimus; et capsam F plumbeam in qua corpus sancti Irenæi jacebat, per dilectum nobis in Christo Joannem de Han aurifabrum fecimus aperiri. Infra quam ossa capitis ejus invenimus, quæ per dictum Episcopum Mimatensem cum magna reverentia recipi et levari, et in mappa alba quam tenebant Abbas monasterii Ambroniaci, et Decanus Ecclesiæ Lugdunensis, poni, et nobis fecimus apportari. Quod caput infra quamdam capsam fusteam argento tectam posuimus; ac ossa alia sui corporis reponi fecimus in eadem. Deinde ad tumulum sancti Epipodii accedentes; et aperta sua capsa plumbea per aurifabrum prædictum; invenimus in ea ossa sui corporis: cujus caput super humerum suum dextrum existebat, et ab ipso capite in cerebro vulnerato cruor sanguinis adhuc apparebat. Quod caput cum aliis ossibus sui corporis in quadam capsa fustea reposuimus. Ad tumulum vero sancti Alexandri postmodum accedentes, capsam ipsum fecimus aperiri; in qua capsa dicti sancti Alexandri corpus, quasi in carne, cum capite prorsus piloso repertum, levari et extrahi, et nobis apportari, et in quadam alia capsa fustea ad hoc parata reponi fecimus et recondi; ac per Priorem et Canonicos dicti

revelatisque Reliquiis

A dicti monasterii præcepimus, prout decet, dictorum Sanctorum corpora honorifice custodiri.

9 Et ne de cetero ubi dicta Sanctorum corpora requiescant, in futurum valeat hæsitari, præmissa ad perpetuam gestorum memoriam publice attestamur. Ideoque cupientes, ut Christi fideles ad exhibendam eisdem sanctis Martyribus reverentiam et honorem eo devotius invitentur, quo ex his donis gratiæ spiritualis uberius conspexerint se refectos; de omnipotentis Dei misericordia, et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, et ex potestate a Sede Apostolica nobis tradita, omnibus vere pœnitentibus et confessis, qui in sanctorum Irenæi, Epipodii, et Alexandri prædictorum festivitatibus, ac in sermone generali qui ibidem fiet, et in die revelationis hujusmodi, videlicet sexta die Aprilis, prædictam ecclesiam et loca, in quibus dictorum Sanctorum corpora sunt collocata devote visitaverint annuatim, singulis videlicet festivitatum ipsorum ac relevationis diebus, quibus ecclesiam, et loca prædicta visitaverint, et in dicto sermone interfuerint, ut præfertur; tres annos, et tres quadragenas de injunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxamus; præsentibus tamen quoad indulgentias B hujusmodi post decennium minime valituris. Datum Lugduni apud sanctum Irenæum prædictum, octavo Idus Aprilis, Pontificatus Domini nostri, Domini Alexandri Papæ quinti anno primo.

indulgentias concedit.

10 Errabant Irenæenses dum asserebant, sanctos Irenæum, Epipodium, et Alexandrum Martyres, per beatum Zachariam in basilica sive Ecclesia monasterii sancti Irenæi Lugdunensis, Ordinis S. Augustini fuisse tumulatos. Passi enim erant Epipodius et Alexander viginti fere annis ante S. Irenæum: neque hi Martyres in S. Irenæi basilica sepeliri poterant, quæ nulla tunc extabat; sed in Lugdunensium Christianorum cryptis seu cœmeteriis subterraneis. Vetus hic error etiam Martyrologos, et Sermonis de S. Irenæo auctores afflavit, qui tertiam horum Sanctorum sepulturam cum prima confuderunt. Super tumulos trium Sanctorum qui in S. Irenæi crypta relevati sunt, erant ipsi jacentes, antiquissimo opere depicti, S. Irenæi directe sub altari superioris ecclesiæ S. Joannis, S. Epipodius a dextris, S. Alexander a sinistris.

Error Irenæensium,

11 Anno MCCCCX, XXXI Junii dies dicitur Irenæensibus a S. Justi Canonicis, ad tribunal Joannis de Castrolucio Seneschalli Lugdunensis: unde provocatur ad Senatum Parisiensem pro possessione C exponendi in publico trium Sanctorum relevata corpora; Romam deinde pro summa rei causa pertrahitur. Deputatur a Joanne Papa XXII Judex Henricus Episcopus Sabinensis Cardinalis Neapolitanus. Diu lite agitata tum in Curia Romana, tum in regia Parisiensi, ac Lugdunensi Præfectura, tandem arbiter eligitur anno MCCCCXIII Joannes Patriarcha Constantinopolitanus.

Rei Romam delatæ arbiter statuitur Joannes Patriarcha C. P.

§. II. *Prolata testimonia pro S. Justi Canonicis.*

Anno Christi DCCCLVIII venerabilis, et in omni pietatis ac religionis opere strenuus vir, nomine Audinus, sive Audoynus, sub beato Remigio Lugdunensi Archiepiscopo Chorepiscopus, cum Ecclesiam S. Justi quasi funditus reædificasset, adeoque ejus structuram majori ex parte immutasset; multa in eam bona de patrimonio suo contulit, et inter cetera villam S. Justi, cum omnibus juribus ad eam spectantibus; *In honorem*, inquit, *sanctorum Irenæi et Justi, in basilica dictæ villæ quiescentium.*

Canonici S. Justi pro se adferunt

13 Anschericus Lugdunensis Archiepiscopus, anno DCCCCXXVII, donavit Ecclesias S. Clementis et Vallisvannæ Collegio Ecclesiæ S. Justi, *in honorem S. Irenæi, et S. Justi, in una illa basilica requiescentium.* D

ex vss.

14 Archandus Comes Forensis, et Dominus Bellyoci anno DCCCCXCIII, dedit Ecclesiæ S. Justi, locum de Lectra, et castrum Yreysiaci: et elegit sepulturam suam ante valvas Ecclesiæ S. Irenæi in Monte sancto, ubi condita erat multitudo Martyrum. Verum hoc magis favet Irenæensibus, qui tum unicam familiam cum S. Justi Canonicis constabant.

varias Donationes antiquas,

15 Versus olim inscripti in cryptæ S. Justi propylæo.

versus inscriptos propylæo cryptæ S. Justi

Idola res vana (plebs) et simulacra profana.
Yreneus pulchro jacet hic testante sepulcro.
Sanctus Alexander, et Ypipodius hic requiescunt,
Atque Polycarpus, quorum semper bona crescunt.
Martyrii florem passi fudere cruorem.
Yreneum Procerum sociant bis millia dena,
Sed tria centena desunt: istud scio: verum
Excipias numerum puerorum et mulierum.

16 Hos versus merito explodit Irenæensium patronus, asserens vix a centum et viginti annis conscriptos: et certo nihil habent comparandum cum iis quos Constantio et Secundino nobilibus Poetis a Sidonio tribui monuimus Illustrationum Claudianarum capite quinto. Neque vero admodum vetusta censeri possunt carmina Leonino rhythmo decurrentia, quorum usus ante seculum Christi undecimum tam rarus vel potius nullus fuit, quam frequens deinceps. Innocentius Papa IV data bulla Lugduni, XV Kalendas Januarii, Pontificatus anno IV, Christi MCCXLVI, hortatus est universos fideles per Remensem, Bituricensem, Lugdunensem, Rotomagensem, Senonensem, Turonensem, Viennensem, et Bisuntinam provinciam constitutos, ut suis eleemosynis promoverent structuram Ecclesiæ S. Justi: (*quam*, inquit, *ædificare inceperant opere non modicum sumptuoso*) propositis unius anni Indulgentiis. Ejusdemque argumenti commendatitias dedit VI Kal. Septembris, anno Pontificatus VI, Christi MCCXLVII ad fideles in Cantuariensi, et Eboracensi provinciis degentes. Hæc ipsa est S. Justi nova basilica, materia, opere, et amplitudine spectabilis, quæ supererat anno MCCCCX, et anno demum MDLXII a furentibus Calvinianis funditus diruta, planeque solo æquata, centum amplius annis in ruinis suis jacet.

qui parum ad rem faciunt. E

Chronicam Sanctorum ecclesiæ suæ,

17 Chronica Sanctorum, quorum corpora in Ecclesia S. Justi habentur, quæ ita habet. Item hic habentur reliquiæ et corpus beati Irenæi. Narrat historia Ecclesiastica, sanctum Irenæum beati Polycarpi fuisse discipulum: qui missus in Galliis a prædicto sancto Polycarpo, una cum Zacharia Diacono, et duobus clericis intrantes mare, ut venerunt Massiliam aurora jam rutilante, Irenæus igne quem Dominus Jesus misit in terris, accensus, suis ait; Eia, fratres, surgamus, et quam citius ad Lugdunensem urbem, quo a sancto magistro dirigimur, tandem pergamus. Ingrediens autem prædictam civitatem nobilissimam Galliarum, (ubi quo major populus Idolorum cultui deditus degebat, eo copiosior humani generis hostis rabies in Christianos sævebiat) paucos invenit, qui ob gentilium furorem latebris ac tuguriis occultabantur: quibus paterno amore blandiendo inquit; Dilectissimi fratres, nosse debetis Dominum dixisse discipulis suis, Nolite timere eos qui occidunt corpus, sed potius etc. Quid dicam? Spiritus sanctus ipsum ita decoraverat, ut quacumque morbi peste quispiam infirmorum langueret, invocato Jesu nomine, sibi divina gratia subveniret: cæcis visum, claudis gressum, surdis auditum, ægros pristinæ sanitati reddebat; mortuis vitam præstabat, dæmonibus imperabat etc. Post hæc

F

in qua

Vitæ S. Irenæi compendium,

EX MSS.

A hæc ad rogatum cleri et populi ivit Romam ad Eleutherum Papam, qui tradidit ei Sedem Pontificatus, post mortem beati Photini. Deinde rediit ad propriam sedem, ubi innumerabilem populum Domino acquisivit. Audiens hæc Severus Imperator, jussit militibus civitatem circumdare; conditionem proponendo, ut siquis ullum Christianorum dimitteret seu defenderet, similem sententiam damnationis exciperet. Cædebantur ergo passim universi; nullusque sexus, nulla ætas, nulla conditio omittebatur; tanta fuit effusio sanguinis, ut plateæ fluerent pretiosi sanguinis rivis, et vicina flumina nimio interfectorum cruore infecta rubescerent. Fuerunt autem interfecti cum beato Irenæo XIX millia, et DCC exceptis parvulis et mulieribus, etc.

et memoria Reliquiarum

18 Item hic habentur reliquiæ Innocentium, qui passi sunt sub Herode; item de sanguine Martyrum plenum sepulcrum marmoreum juxta altare beatæ Mariæ; item Reliquiæ Sanctorum Machabæorum, in quorum honore fuit fundata Ecclesia sancti Justi a principio: hic autem habetur corpus beati Justi Lugdunensis Archiepiscopi XII; miræ humilitatis et B prophetici spiritus viri, et Confessoris. Justus iste tanta puritate, tanta patientia, tanta cura pauperum, tanta diligentia fulsit in Ecclesia, ut præiret cœlestes et virtutum gratia, et divinæ mandatorum legis observantia. Item corpus beati Viatoris Comitis sancti Justi. Item corpus beati Alpini Lugdunensis Episcopi XIII, qui construxit Ecclesiam beati Stephani Protomartyris, et baptisterium. Item corpus beati Antiochi Lugdunensis Episcopi XV; Item corpus beati Elpidii Lugdunensis Episcopi XVI; Item corpus beati Patientis Lugdunensis Episcopi XXI; Item corpus beati Lupicini Lugdunensis Episcopi XXII; Item corpus B. Stephani Lugdunensis Episcopi XXIV, Confessoris; Item corpus beati Arigii Lugdunensis Episcopi XXXIV; Item corpus beati Remigii Lugdunensis Episcopi LIII; Item corpus beati Eusebii Lugdunensis Episcopi. Multa siquidem alia corpora Sanctorum et Reliquiæ hic habentur, quorum nomina ad præsens non habentur. Item Reliquiæ beati Peregrini, Capellani primi Ecclesiæ sancti Petri veteris Lugdunensis.

S. Justi, S. Viatoris, S. Alpini, S. Antiochi, S. Elpidii, S. Patientis S. Lupicini, S. Arigii, S. Stephani, S. Remigii, S. Eusebii. Episcoporum Lugdun.

19 Bonifacius de Augusta Canonicus Lugdunensis, nomine Petri de Augusta Lugdunensis Electi, Guillelmum Viennensem Archiepiscopum rogat, ut corpus S. Justi, aliorumque Sanctorum in S. Justi C Ecclesia quiescentium, ex antiquis tumulis in præparatas hierothecas transferre ne gravetur VII Idus Augusti, MCCLXXXVII. Hic Petrus de Augusta inter Lugdunenses Archiepiscopos locum non habet, quia morte præventus est antequam institueretur. Fuerat Archidiaconus in Ecclesia Lugdunensi, ut notat Severtius in Rodulpho II Lugdunensi Archiepiscopo. Sed mendum irrepsit apud illum, ubi dum obiisse refert XIII Kal. Julii MCCLXXXVII, cum eum adhuc superstitem fuisse ex præmissis constat. Ejus obitum evenisse putamus anno MCCLXXXVIII. Instrumentum hic subjungimus.

instrumentum anni 1287,

20 Reverendo in Christo Patri ac Domino Dei gratia sanctæ Viennensis Ecclesiæ Archiepiscopo, Bonifacius de Augusta, Canonicus Lugdunensis, Procurator generalis Reverendi in Christo Patris ac Domini Dei gratia primæ Lugdunensis Ecclesiæ Electi, se ipsum cum omni reverentia et honore. Venerabilium virorum, Obedientiarii et Capituli sancti Justi Lugdunensis devotis precibus inclinati paternitatem vestram ex parte dicti Domini nostri requirimus et rogamus; quatenus ad Ecclesiam Sancti Justi prædicti (si placet) personaliter accedentes, viro et auctoritati dicti Domini nostri, sacratissimum corpus sancti Justi, et alia corpora Sanctorum in dicta Ecclesia requiescentia, ad requisitionem dictorum Obedientiarii et Capituli; ad D alia loca dictæ Ecclesiæ, ad honorem dictorum Sanctorum et venerationem relevare et transferre per vos vel per alios fide dignos dignemini; prout vobis et dicto Capitulo videbitur faciendum. In cujus rei testimonium, sigillum officialatus Lugdunensis præsentibus fecimus opponi. Et nos Magister Jacobus Symeonis Officialis Lugdunensis prædicto Domino Electo, ad mandatum dicti Domini Bonifacii dictum sigillum præsentibus apposuimus in testimonium præmissorum. Datum VII Idus Augusti: anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo septimo.

quo postulabatur Archiepiscopus Viennæ

Corpus S. Justi et aliorum SS. ex ejusdem ecclesia

examinare et transferre,

21 Ad hujus requisitionem quatuor Doctores Ordinis Prædicatorum, totidemque Ordinis Minorum, Guillelmi Vidunensis Archiepiscopi mandato, corpora aliquot Sanctorum in sancti Justi basilica quiescentium, e sepulcris antiquis in novas thecas transferunt IV Kalendas Septembris MCCLXXXVII, ac subsequens instrumentum desuper confecere.

quod factum per 4 Doctores,

22 Ad honorem omnipotentis Dei, et exaltationem nominis et fidei Domini nostri Jesu Christi, qui bonum odorem notitiæ suæ per Sanctorum suo- E rum merita in fidelium corda diffundit. Notum sit universis, quod anno Incarnationis ejusdem Domini nostri Jesu Christi MCCLXXXVII IV Kalendas Septembris. nos Frater Hugo de Lausanna Lector Claustri Lugdunensis, Frater Hugo de Vienna, Frater Richardus de Peziaco, et Frater Jacobus de Romanis de Ordine Fratrum Prædicatorum Conventus Lugdunensis; itemque Frater Joannes de Vivariis Lector Fratrum Minorum Lugdunensium, Frater Guillelmus de Corbano, Frater Marcus de sancto Boneto, et Frater Joannes de Mornant Ordinis Fratrum Minorum Conventus Lugdunensis, ad instantiam et requisitionem Obedientiarii et Capituli Ecclesiæ sancti Justi Lugdunensis, nec non ad requisitionem et rogatum, seu etiam commissionem Reverendi in Christo Patris Domini G. Dei gratia sanctæ Viennensis Ecclesiæ Archiepiscopi, cui super revelatione sacratissimi corporis sancti Justi, et aliorum Sanctorum in dicta Ecclesia sancti Justi Lugdunensis requiescentium, a prædictis Obedientiario et Capitulo instanter fuerat supplicatum; accessimus personaliter ad prædictam Ecclesiam sancti Justi, Priore Prædicatorum Lugdunensium, et Fratre Joanne de Tarantasia ejusdem Ordinis, et Gardiano Fratrum Minorum prædictorum, qui etiam F super hoc requisiti fuerant, absentibus et agentibus in remotis.

qui confecto desuper instrumento

23 Quoniam igitur, teste Scriptura, opera Dei revelare honorificum est, ne lucerna memoriæ Sanctorum diutius lateret sub modio, quæ ad promotionem fidei, et ampliandam devotionem populi Christiani potius erat super candelabrum Ecclesiæ exaltanda, reserato tumulo sancti Justi ad manum prædicti Domini Archiepiscopi, aliorum Sanctorum circa eumdem jacentium fecimus aperiri sepulcra, inventasque ibi sacrosanctas reliquias in capsis singulis ad hoc specialiter deputatis, una cum Sacrista, et pluribus aliis ejusdem loci Canonicis reposuimus, et inclusimus sigillatim: de singulis tamen Reliquiis seorsum in sacculis posuimus de voluntate Capituli supradicti, ad ostendendum populis, cum fuerit opportunum: prædictorum autem Sanctorum nomina sunt ista. In primo tumulo reperimus corpus beati Arigii Confessoris et Lugdunensis Archiepiscopi, et juxta ipsum in eodem tumulo corpus beati Viatoris Confessoris et Comitis sancti Justi, cum scriptis vel chartis antiquis, de iis facientibus expressam mentionem. Item in alio tumulo corpus beati Patientis Confessoris et Archiepiscopi Lugdunensis, cui suprascriptus erat titulus marmoreus

testantur

A reus exprimens nomen ejus. Item in alio tumulo corpus beati Eusebii Confessoris, cujus nomen lapis supra eum positus prætendebat. Item in alio sepulcro reperimus corpus sancti Stephani Confessoris et Archiepiscopi Lugdunensis, cujus nomen lapis rotundus marmoreus demonstrabat. Item in alio sarcophago repertum est corpus beati Remigii Confessoris et Archiepiscopi Lugdunensis, cujus sepulcrum marmoreum versibus ipsum exprimentibus ab antiquo fuerat adornatum.

præter alia Sanctorum Corpora

24 Item in alio sepulcro corpus beati Alpini Confessoris et Archiepiscopi Lugdunensis inventum est, quod juxta tumulum gloriosi Confessoris sancti Justi prædicti situm erat, cujus etiam veritas sepulcri propalatur per ejusdem epitaphium, quod nomen ejus cum præclaris meritis manifestat. Item in alio tumulo repertum est corpus sancti Antiochi Confessoris et Archiepiscopi Lugdunensis, cujus sacrarum vestium, quibus indutus fuerat, sicut et plurimum ceterorum adhuc vestigia manifesta restabant, super cujus etiam tumulum, secundum antiquam prædictæ Ecclesiæ sancti Justi consuetudinem, in festo ipsius, quod colitur Idibus Octobris, Sacerdotes et Clerici ejusdem loci candelam ponere consueverunt. B Item in alio sepulcro reperimus corpus beati Helpidii Confessoris et Archiepiscopi Lugdunensis, cujus sacrarum vestium, quibus indutus fuerat, sicut supra dictum est de beato Antiocho, adhuc vestigia manifesta demonstrabantur, cujus etiam sepulcri locum epitaphium suprapositum ostendebat. Item sub altari beatæ Virginis ejusdem Ecclesiæ repertum est corpus beati Peregrini Presbyteri et Confessoris, cum quadam charta Græce conscripta, juxta quem reperimus corpus beati Constantini Martyris, qui fuit pro fide Christi a Barbaris interfectus, secundum quod quædam scriptura lapidea sepulcro ejus supraposita declarabat. Reperitur etiam quoddam vas lapideum sub prædicto altari beatæ Virginis, in quo multus sanguis Martyrum fuerat recollectus. Item in alio tumulo juxta altare antiquum sancti Justi, reperta sunt ossa, quæ pie et probabiliter creduntur esse beati Lupicini, præsertim eo quod secundum antiquam hujus Ecclesiæ consuetudinem, sicut circa reliquos Sanctos inibi quiescentes hactenus observatum, fiebat processio in fèsto ejusdem cum candela accensa supra eum posita, et commemoratio de eodem. C Insuper juxta sepulcrum prædictum inventum est fragmen lapidis marmorei, quod partem sui nominis, videlicet duas primas syllabas continebat. In apertione etiam prædicti tumuli mirabilis et suavis odoris fragrantia testibus astantibus emanavit.

ibidem quoque servari corpora SS. Irenæi, Alexandri et Epipodii:

25 His peractis processimus una cum Sacrista et Canonicis ejusdem Ecclesiæ sancti Justi ad quamdam cryptam juxta portam ejusdem Ecclesiæ principalem, sub altari beati Joannis Evangelistæ, in qua crypta credebant dicti Canonici, sicut acceperant ab antiquis Prædecessoribus suis, infra quemdam tumulum marmoreum perpulchrum, super quem Missæ celebrari consueverunt, corpus beati Irenæi Martyris contineri. Ad habendam igitur certitudinem ampliorem, prædictum sepulcrum fractis ferraturis et cæmentis, quibus fortiter ab antiquo fuerat obseratum, fecimus aperiri, ibique reperimus, et oculata fide perspeximus una cum Canonicis, et pluribus Ecclesiæ ejusdem Sacerdotibus et Clericis, caput et reliqua ossa humani corporis cum quadam antiqua scriptura, quæ continebat hæc verba: Hic jacet sanctus Irenæus, secundus a beato Photino. Quibus visis, et charta reposita in suo loco, tumulum clausimus et sigillavimus diligenter. Invenimus etiam in duobus tumulis lapideis, qui erant alter a dextris, et alter a sinistris prædicti sepulcri sancti Irenæi, ossa quamplurima, inter quæ D creduntur esse ossa sancti Alexandri et sancti Ypipodii, qui secundum eorum legendas, dicuntur esse sepulti juxta sanctum Irenæum, unus a dextris, et alius a sinistris: in sinistro vero tumulo est quoddam vasculum ligneum, ubi est pulvis cum sanguine coagulato et indurato, qui creditur esse beati Polycarpi, secundum quod ab antiquis et fide dignis suis Prædecessoribus dicti Canonici memorant. In quorum omnium testimonium sigilla nostra duximus præsentibus apponenda: ego tamen prædictus Frater Jacobus de Romanis, quia sigillum proprium non habebam, sigillo Fratris Joannis Seneschalchi usus fui: et ego prædictus Frater Joannes de Mornant, quia sigillum proprium non habebam, sigillum Gardiani Lugdunensis feci apponi. Datum in Capitulo prædictæ Ecclesiæ sancti Justi, anno et die, quibus supra.

EX MSS.

26 Post hæc Guillielmus Archiepiscopus Viennensis corpus S. Justi ex antiquo tumulo in capsam marmoream quatuor fultam columnis marmoreis transfert IV Nonas Septembris, MCCLXXXXII, unde sequens confectum monumentum.

27 G. divina miseratione sanctæ Viennensis Ecclesiæ Archiepiscopus, universis præsentes litteras inspecturis, salutem et pacem in Domino sempiternam. Cum venerabilis vir Dominus Bonifacius de Augusta Canonicus Lugdunensis, Procurator generalis Reverendi in Christo Patris ac Domini de Augusta, Dei gratia primæ Lugdunensis Ecclesiæ Electi, ad preces et supplicationes instantes venerabilium virorum G. Obedientiarii et Capituli sancti Justi Lugdunensis, requisierint nos et rogaverint, quatenus ad Ecclesiam sancti Justi prædicti personaliter accedentes, vice et auctoritate prædicti Domini electi, sacratissimum corpus sancti Justi Lugdunensis, et alia corpora Sanctorum in dicta Ecclesia requiescentia, ad alia loca dictæ Ecclesiæ per nos vel per alios fide dignos relevare et transferre vellemus. E

deinde facta fuit

28 Nos attendentes quod nos prædicta omnia per nos de facili facere non possemus; requisivimus et rogavimus religiosos viros, Priorem fratrum Prædicatorum Lugdunensium; fratrem Hugonem de Vienna, fratrem Joannem de Tarantasia, et fratrem Jacobum de Romanis, ejusdem Ordinis Prædicatorum; ac etiam religiosos viros Gardianum fratrum Minorum Lugdunensium Lectorem ejusdem loci, fratrem Marcum de sancto Boneto, et fratrem Guillielmum de Corbano ejusdem Ordinis fratrum Minorum; quatenus vice nostra ad dictam Ecclesiam sancti Justi personaliter accederent, quandocumque a prædicto Capitulo super hoc requisiti fuissent: prædictaque Sanctorum corpora relevanda excepto sacratissimo corpore sancti Justi prædicti in capsis ad hoc ordinatis et deputatis vice nostra imponerent et includerent fideliter et distincte. F

ab Archiep. Vienn.

29 Ita etiam quod si omnes prædicto negotio personaliter interesse non possent, alii nihilominus ab executione hujusmodi non cessarent. Cumque Prior ejusdem Ordinis Prædicatorum, et frater Joannes de Tarantasia, itemque Gardianus fratrum Minorum prædicti, in remotis agentes, dicto negotio non potuerint interesse; reliqui quibus mandatum hujusmodi dederamus, loco absentium, fratre Hugone de Lausanna Lectore claustri Lugdunensis, et Fratre Richardo de Piziaco Ordinis Fratrum Prædicatorum, itemque fratre Joanne de Marnam Ordinis fratrum Minorum secum ad uberiorem cautelam assumptis, ad prædictam Ecclesiam sancti Justi personaliter accesserunt, et juxta mandatum per nos super hoc eis datum, corpora Sanctorum ibidem

translatio Corporis S. Justi

EX MSS.

A ibidem jacentium relevarunt, et in capsis ad hoc deputatis fideliter incluserunt. Quorum nomina sunt hæc: Videlicet corpus Beati Arigii, sancti Viatoris, sancti Patientis, sancti Eusebii, sancti Stephani, sancti Remigii, sancti Alpini, sancti Antiochi, sancti Helpidii, sancti Peregrini, sancti Constantini, et sancti Lupicini; reservato nobis sacratissimo corpore sancti Justi; prout in quadam littera super hoc ab eisdem fratribus confecta et sigillata plenius continetur. Quibus juxta, mandatum nostrum rite peractis.

in capsam marmoream,

30 Nos in festo ejusdem Sancti, quod colitur IV Nonas Septembris, ad prædictam Ecclesiam propter hoc personaliter accedentes, assumptis nihilominus nobiscum venerabilibus et religiosis viris Abbate Savigniacensi, Abbate Attanacensi; Abbate Insulæ Barbaræ, Lugdunensis diœcesis, præsentibus quamplurimis religiosis, ecclesiasticis et secularibus personis; cum reverentia et solennitate debita, prædicti sancti Justi reverendum corpus de sepulcro ubi hactenus jacuerat, transtulimus ad quamdam capsam marmoream super quatuor columnas marmoreas, retro majus altare pro ipso specialiter fabricatam; et ibidem ipsum instituimus diligenter.

B

atque in eadem ecclesia

31 Accessimus insuper cum prædictis Abbatibus ad quamdam cryptam juxta portam dictæ Ecclesiæ principalem, ubi prædicti Canonici credebant, secundum quod a suis prædecessoribus acceperant, intra quemdam tumulum marmoreum, corpus seu ossa beati Irenæi Martyris contineri: et ad habendam super hoc certitudinem ampliorem, prædictum sepulcrum fecimus coram nobis personaliter aperiri: ibique reperimus et oculata fide perspeximus, caput cum reliquis ossibus Sancti prædicti, prout quædam antiqua charta per nos ibidem inventa continebat, his verbis; *Hic jacet sanctus Irenæus, secundus a beato Photino.* Quibus visis et charta veteri cum nostra de eadem faciente mentionem, in eodem loco repositis, sepulcrum prædictum iterum claudi et firmari fecimus diligenter. In quorum omnium testimonium et æternam memoriam sigillum nostrum præsentibus duximus apponendum. Datum et actum anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo septimo, IV Nonas Septembris.

Corpus S. Irenæi asservari asseritur.

§. III. *Prolata testimonia pro Ecclesia S. Irenæi, et sententia pro eadem.*

C

Irenæenses pro se offerunt

Irenæenses pro sese attulerunt varia ex Martyrologiis antiquis Ecclesiarum Lugdunensium, quæ totidem verbis refert Ado in suo Martyrologio. Quæ hic subsequentur. X Kalend. Maji, Lugduni Galliæ Natale sancti Epipodii, qui persecutione Antonini Veri, post gloriosos XLVIII Martyrum agones, qui in eadem urbe passi sunt, cum Alexandro charissimo collega tentus, ipso interim in carcerem truso; primo os diu pugnorum ictibus cæsus, deinde equulei extensione vexatus, postremo Martyrium capitis abscissione complevit.

varia ex Martt. antiquis eccl. Lugd.

33 VIII Kalendas Maji, Lugduni Galliæ Natale sancti Alexandri, qui tertio post passionem beati Epipodii die productus ex carcere, primo ita est laniatus crudelitate verberantium, ut crate soluta costarum, patefactis visceribus secreta animæ panderentur: deinde crucis affixus patibulo beatum spiritum exanimatus reddidit. Passi sunt cum eo et alii numero XXXIV. Sepulti ambo ex utroque altaris latere in crypta quæ in colle superposito civitati, pulchro et antiquo opere extructa est.

quæ totidem verbis refert Ado,

34 X Kalendas Septembris Lugduni Galliæ Natale Sanctorum Martyrum Minervi et Eleazari, cum filiis octo: quorum corpora in crypta quæ urbi supereminet condita habentur.

35 IV Kalendas Julii, apud Lugdunum Galliæ, D Natale sancti Irenæi Episcopi, qui beato Photino prope nonagenario, et Christi martyrio coronato, in locum ejus successit: quem etiam constat beatissimi Polycarpi Sacerdotis et Martyris fuisse discipulum, et apostolicorum temporum vicinum. Postea vero persecutione Severi, cum omni fere civitatis suæ populo, glorioso coronatus martyrio, sepultus est a Zacharia Presbytero in crypta basilicæ beati Joannis Evangelistæ, sub altari: cui ab uno latere Epipodius, ab altero Alexander Martyr est tumulatus. Hujus cryptæ tam veneranda est claritas, ut meritum Martyrum signare credatur.

36 Deinde ex homilia seu sermone in divinis Officiis legi solito in festivitate S. Irenæi et sociorum Martyrum. Si Martyribus regionis extraneæ pia votorum debita etc. Inter alia sequitur; Beatum itaque Christi Martyrem Irenæum, Pontificem Pontificum, gemmam Martyrum, Galliarum lumen, speculum fidelium, sancta Lugdunensis Ecclesia licet totum anxie sibi retineat, mundo tamen in benedictione transmisit, reliquiis sociorum ejus fere per E universam Ecclesiam in monumento veræ fidei et copiosæ benedictionis diffusis.

deinde ex homilia

37 Tum circa medium hæc habentur. Unde et beatus Irenæus Pontifex egregius, et Doctor eximius, vir totus Deo plenus, gemma Martyrum, lumen Galliarum, speculum fidelium, cujus linguam Spiritus sanctus ubique rexit, cujus corpus possessio atque habitaculum Dei semper extitit, cujus hodie gloriosam de mundi hoste Victoriam universalis Ecclesia festiva exultatione concelebrat; cum tempore gentilitatis persecutio Severi quam maxime in Lugdunensi civitate insaniendo debaccharetur, interfectis ibi decem novem virorum millibus, exceptis parvulis et mulieribus, quorum major fuit numerus, longo atque gloriosissimo coronatus martyrio, tandem hostia Christi factus est: Hic Christi athleta, flos omnium Christi athletarum, in crypta quæ in colle superposito civitati, pulchro et antiquo musivi et auripetri opere exstructa est, a beato Zacharia Presbytero noctu honorifice est tumulatus: cui ab uno latere Ypipodius, ab altero Alexander Martyr est sepultus. Juxta quos positi Minervus et Eleazarus cum filiis octo quasi luminaria splendide lucentia, et seorsum sanctissimæ sanctissimi Polycarpi Reliquiæ exstant. Et in hac eadem crypta parvissimo spatiolo distans ab ipsis Sanctis puteus miræ magnitudinis et altitudinis, odorifero sanctorum Martyrum sanguine repletus. Quot et quanta F sanctorum Martyrum membra in hac eadem crypta sint posita, nemo scit, nisi qui scrutatur renes et corda. Hujus vero cryptæ per totum mundum tam eminens et reverenda est claritas, ut meritum tot Martyrum signare credatur.

legi solita in festivitate S. Irenæi.

Denique fertur sententia

38 Post hæc subsecuta est hæc sententia Joannis Patriarchæ Constantinopolitani, pro Irenæensibus sic prolata anno 1413, die IX mensis Augusti, ut sancti Justi Canonicos omni malæ fidei suspicione liberet. Hæc autem sic habet.

39 Joannes miseratione divina Patriarcha Constantinopolitanus, ad Castellæ, Legionis, Aragoniæ, Navarræ, et Granatæ regna, necnon ad Armagniaci et * Fuxi Comitatus, cum plena potestate Legati a latere et facultate utendi in civitate et diœcesi Lugdunensi, ac certis aliis partibus, Nuntius Apostolicus specialiter destinatus: arbiter, arbitrator, et amicabilis compositor, reique dubiæ veritatis indagator a partibus communiter electus, et etiam nominatus, universis Christi fidelibus præsentibus et futuris salutem in Domino etc.

* *vel Furi aut Turi*

a Joan. Patriarcha C. P.

40 *Meminit exortæ controversiæ inter Ecclesias S. Justi, et S. Irenæi, super sacris corporibus sanctorum Irenæi,*

A *Irenæi, Epipodii, et Alexandri; ac primum in Romana Curia; tum pro possessione venerationis, in Curia regia Parisiensi agitatæ. Deinde describit ipsas compromissi tabulas, anno Christi* 1413, *die sexta Augusti datas, quibus declarant litigantes, se causæ totius arbitrarium Judicem eligere,* Reverendissimum in Christo Patrem ac Dominum, D. Joannem digna Dei gratia Patriarcham Constantinopolitanum: *datis illi duobus Consiliariis, civibus Lugdunensis, Hieronymo de Balardis, regiæ Lugdunensis Præfecturæ judice, ab Ecclesiæ S. Irenæi partibus; a: Joanne Patermi Licentiato in Legibus, a S. Justi Ecclesia designato; a quibus de partis utriusque juribus plenius edoceretur: et compromittunt centum in singulos argenti markis, se arbitri judicio statutos. Re igitur studiose discussa, expensisque quam diligentissime partis utriusque probationum momentis, eodem anno Christi* 1413 *Indictione sexta, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris Joannis divina providentia Papæ XXIII anno quarto, die vero Mercurii, nono Augusti, Vigilia beati Laurentii, in choro Ecclesiæ Lugdunensis (qui locus liti dirimendæ dictus erat) in magno virorum gravium cœtu sic decernit Patriarcha.*

41 Cum debatum, et grandis controversia dudum B exorta fuerint inter venerabiles viros, Dominos Obedientiarium et Capitulum Ecclesiæ Collegiatæ sancti Justi, et honorabilem ac religiosum virum Priorem et Conventum sancti Irenæi Lugdunensis, de et super corporibus sanctorum Martyrum, Hyrenæi secundi Archiepiscopi Lugdunensis, Ypipodii, et Alexandri; utrisque asserentibus ea existere penes se, et in cryptis Ecclesiarum suarum reposita, ut ipsorum singuli asserebant: quorum occasione in Romana Curia primo, et demum super possessione venerationis, in venerabili Curia Parlamenti lis fuit introducta. Tandem partes ipsæ, attendentes Apostoli consilium, qui hominem deditum litigiis detestatur, et quod mancipatos divinis servitiis convenit a talibus esse alienos, etiam remittendo pallium, petendi vestem injuste; maxime vero ut scandalum de medio sublevetur; in nos tamquam in amicabilem tractatorem communiter descenderunt; sed et ultimo ut arbitro et arbitratori plenariam nobis potestatem certo duraturo tempore relaxarunt.

qua declaratur

Canonicos S. Justi

42 Nos qui in ipsa civitate a primæva ætate pabularia nutrimenta recepimus, et quæ pro parte utraque deducuntur, facilius [menti] imprimere potuimus, utroque nobis concesso tempore a partibus, C ad ipsorum Ecclesiarum et cujuslibet cryptas sæpissime, ac diversis et aliquando successivis diebus personaliter transtulimus: et cum revolutione plurium et diversorum librorum, bullarum, instrumentorum antiquorum utrimque exhibitorum, visione characterum et litterarum in lapidibus sculptarum, versuumque in muris descriptorum, visitatione etiam locorum, in quibus jacere corpora dicebantur, quantum diligentius potuimus, veritatem quæsivimus. Quodammodo ita reperimus pro utraque parte probationes possibiles, et præsumptiones resultantes dubias, quod pars illorum de sancto Justo causam probabilem atque justam litigandi et prosequendi, absque suspicione doli mali, calumniæ, aut alterius machinationis indubitanter habuit, et prosequi potuit, quinimmo et licuit, maxime ex eo quod (ut asserebant per quædam asserta scripta, atque testimonia quorumdam antiquorum, qui ab aliis antiquioribus suis prædecessoribus se habuisse referebant) ipsorum Sanctorum corpora primo in crypta Ecclesiæ sancti Justi prædicti reposita fuere, quæ post per beatum Patientem ad Ecclesiam sancti Hyrenæi translata sunt, ut dicebant. Tamen ea in crypta ejusdem Ecclesiæ sancti Hyrenæi, de directo sub altari beati Joannis Evangelistæ (quemadmodum quædam Martyrologia continebant) volta tantummodo media, prout lineari D fecimus, et per filum, primo desuper, et deinde inferius ad sensum personaliter probavimus, solenniter atque reverenter fuisse posita reperimus. Igitur hinc inde curiose ponderatis, ad nostram arbitralem sententiam proferendam processimus in hunc modum.

fide bona processisse:

EX MSS.

43 Christi nomine invocato, habito consilio et deliberatione cum Consiliariis a partibus electis, pronuntiamus, decernimus, et declaramus, corpora sanctorum Martyrum prædictorum, Hyrenæi, secundi Archiepiscopi Lugdunensis, Ypipodii et Alexandri, de quibus contentio erat inter partes prædictas, fuisse et esse in crypta Ecclesiæ sancti Hyrenæi antedicti: venerationemque ipsorum sanctorum Martyrum, ratione ipsorum corporum, fuisse, esseque et intelligi debere in prædicta Ecclesia sancti Hyrenæi: nec deinceps super ipsis corporibus, et eorum veneratione, præfatos Priorem et Conventum sancti Hyrenæi, eorumque successores, per prædictos de Capitulo sancti Justi esse molestandos, neque molestari debere. Non propterea negantes, ut siquis in Ecclesia sive crypta sancti Justi prædicti velit aut cupiat venerari dictos gloriosos Martyres devotionis causa, quin hoc sibi liceat. E

Corpora autem in S. Irenæi esse,

44 Eademque sententia pronuntiamus, decernimus et declaramus, omnes et singulas causas, lites, controversias et quæstiones, præmissorum occasione inter prænominatas partes, et quascumque alias personas, emergenter sive incidenter, dependenter, aut alias motas, et quovis modo pendentes, ubicumque motæ sint vel pendeant, et quæ moveri sperarentur sive possent horum prætextu in futurum; rancores, odia, injurias verbales, reales, et personales; convitia, damna, et interesse quæcumque; cessare extinctas et perpetuo remissas, et remissa, abolitasque et abolita esse et intelligi debere. Quodque prænominati de sancto Justo possint, et sibi suisque successoribus liceat, in suis vexillis, sigillis, juramentis, orationibus, ac etiam processionibus, imaginem sancti Hyrenæi; bonaque, terras, loca, villas, castra, possessiones, jura, reditus, valores atque census, quæ sub vocabulo sanctorum Justi et Hyrenæi, aut alterius ipsorum data vel concessa fuerint, portare, exprimere, nominare, retinere, ac etiam possidere, sicut tempore motæ litis faciebant; cum antiquitus altera ipsarum Ecclesiarum sanctorum Justi et Hyrenæi, prout scripta tradunt, ab alia F processerit; expensas hinc inde quovis modo factas et sustentas, eadem sententia remittendo, et etiam compensando; quodque etiam partes ipsæ teneantur et debeant hanc nostram pronuntiationem et sententiam, in continenti singulares personæ, quæ sunt præsentes, et infra diem crastinam usque ad meridiem in eorum Capitulis ratificare.

sine præjudicio ecclesiæ S. Justi in bonis suis

45 *Subdit, prædictam sententiam laudatam, approbatam, ratificatam, emologatam et confirmatam fuisse ab adstantibus litigatoribus, præstito etiam juramento super sancta Dei Evangelia: ac postridie, decima Augusti, die Jovis, hora primæ ab utriusque Ecclesiæ Capitulis pari consensu receptam et approbatam.*

46 Raynaldus, Baronii Annalium Continuator, ad annum 1413 numero 18 meminit ex tabulis Vaticanis, Joannis Patriarchæ Constantinopolitani in Hispanias hoc anno a Joanne Papa XXIII missi. Porro Joannem de Rupescissa, qui et Cardinalis et Rotomagensis ac Bisuntinus Archiepiscopus fuit, asserit Ciaconius fuisse quoque Patriarcham Constantinopolitanum: cujus opinioni, licet a plerisque neglectæ, libens assentior, cum in hoc rescripto fateatur Patriarcha, se *in civitate Lugdunensi a primæva ætate pabularia nutrimenta recepisse,* quod et Joanni

A Joanni de Rupescissa convenire omnes fatentur. Hæc igitur legatio Hispaniensis, Patriarchatui illi umbratico juncta, viam Joanni straverit ad pinguiora illa beneficia, quæ ei sequentibus annis delata sunt. D

NOT. 15

DE S. LUPERCIO VEL LUPERCULO

MARTYRE APUD ELUSATES IN NOVEMPOPULANIA

AD DIŒCESIM S. PAPULI IN GALLIA NARB. TRANSLATO

SYLLOGE CRITICA.

D. P.

De ejus ætate, cultu, ac distinctione a S. Luperco Mart. Cæsaraugustano.

SUB IMP. DECIO

Extima versus Hispaniam ad Occidentem Galliæ Provincia, Novempopulaniæ *nomine dicta antiquitus, Metropolim olim venerata est* Elusam, *passim Claudiano penultima correpta* Elysam, *vulgo* Euse *dictam; exiguum nunc oppidum, dignitate Metropolitica Augustam Auciorum, vulgo,* Aux *translata.* B Elosanun *et* Elosanensem *Antistitem quædam vetera Acta scribunt, de quibus vide erudite disserente Guilielmum Catellum, Memoriarum Languedociæ, id est Occitaniæ pag.* 445; *ubi ex illius Ecclesiæ Catalogis ita recenset primos ejus urbis Episcopos, ut post* Paternum *atque* Servandum, *tertium memoretur* Luperculus; *et pag. seqq. allegat Scaligeri Notas in Ausonium, asserentis hujus Sancti, vulgo* Saint Louberc *dicti, ipsius ecclesiæ Elosanensis Patroni, Vitam sibi lectam in antiquo de Vitis Sanctorum Aquitaniæ manuscripto; eodem fortassis, quod Ferrarius, in Catalogo Generali eorum qui Romano Martyrologio non sunt adscripti, allegat in Notis, veluti reperiendum in Bibliotheca Dominicanorum Tolosæ.*

Elusa olim metropolis Novempopulaniæ, inter primos Episcopum habuit S. Lupertium,

2 *Ex hoc, vel ex eodem fonte,* Petrus Episcopus S. Papuli *Epitomen eam sumpsit, quam, una cum aliis Sanctorum in ista diœcesi quiescentium elogiis, sub trium Canonicorum attestationibus, et authentica Vicarii Generalis fide, facta anno* MDCLXXXII, *nobis Tolosa misit P. Petrus Possinus piæ mem. Fuerunt autem ejusdem nominis et cognominis* de Crosso, *ibidem successive fratres germani (quod mireris) duo Episcopi, quorum prior, ex Lemovicensi S. Martialis monasterio, per varios gradus ad Cathedram istam promotus anno* MCCCLXXVI, *videtur mox animum appulisse ad istius suæ diœceseos sanctuaria illustranda. Vix* C *enim ab ordinatione biennium transierat, quando ad Archiepiscopatum Bituricensem, ac denique ad Arelatensem, et Cardinalitiam sub Clemente VII Antipapa Purpuram transiit; primæ autem sponsæ suæ reliquit multos libros, quos inter videtur fuisse MS. istud, in quo de* S. Lupercio *sic legitur :*

cujus Vita contracta in Epitomen,

3 Item quiescit in eadem diœcesi *(S. Papuli)* corpus S. Lupercii Martyris, seu major pars corporis, ad conventum Fratrum Minorum Castri-novi de Arrio translati : *vulgo* Castel-nau d'Arry, *duabus circiter leucis ab urbe in occasum.* In Cæsaraugusta nobilibus ortus parentibus, virtutibus plenus, in Domino crevit; in castitate pollens, miraculis in vita coruscans, ferrum ignitum manibus suis sine læsione levavit, cæcos illuminari a Deo obtinuit, indefesse corpus maceravit, paralyticum curavit, multos ad fidem Christi attraxit. Cujus fructum ferre non valens Dacianus Præses, persecutor Christianorum; ut Dominica seges absorberetur a partibus Hispaniæ, ipsum beatissimum Lupercium, contra edictum Diocletiani Imperatoris et Daciani ejus ministri, in medio funestorum sacrificiorum, idolo Apollinis a Præside et Paganis oblatorum, clamantem, ad consolationem Christianorum gementium.... fecit eum Dacianus in equuleo suspendi, ungulis ferreis viscera dilaniari, foras civitatem cum galea ferrea candenti super aculeos ferri acutos nudis pedibus ambulare, flagellis cædi, malleo contundi. Invictissimus autem Christi miles, inter tot tormenta invocabat Deum, et Angelos sibi assistentes ad mitigationem dolorum. Cujus constantiam Pagani videntes, multi, cum Anatalio Magistro militum, ad fidem conversi sunt. E Apud Helyzonam, urbem Vasconiæ, plumbum liquefactum velut aquam frigidam vomebat, fumum fœtentem naribus appositum sustinebat : cujus flatu in abyssum idola cum dæmonibus sunt absorpta. Tandem die quarta Kalendarum Juliarum, in eadem urbe, jussu Daciani gladio percussus, feliciter obdormivit in Domino. Tractu temporis pars membrorum suam ad ecclesiam nunc desertam S. Columbæ, Mirapicensis diœcesis, transducta, inde ad Conventum prædictum fuit translata, ubi honorantibus eam a Deo dabuntur magna præmia.

dicit eum a Daciano Cæsaraugustæ dire cruciatum, rursumque Eluzonæ in Vasconia, corpus delatum in diœcesim S. Papuli.

4 *S. Saturnini Tolosatium Apostoli,* XXIX *Novembris recolendi, Passionem et Acta quædam vetera allegat Hadrianus Valesius in notitia Galliarum, ubi fit mentio* Elyzonæ, *et hanc putat esse* Elusionem Mansionem, *quæ in veteri a Burdegala usque Hierusalem Itinerario ponitur inter* civitatem Tolosam et Castellum Carcassionem, a Carcassione distans XXXIII passuum millibus : *quo intervallo præcise topographica mappa Occitaniæ seu Languedociæ ponit vicum* Luzes, *ut istic fuisse Mansionem prædictam nequeat dubitari. Verum in Actis S. Saturnini qualibuscumque non* Mansio *aliqua, sed* Civitas *nominatur, qualis Elusatium metropolis fuit, in hodierna Vasconia, quadruplo longius Tolosa distans* F *ad Occasum, quam prædicta mansio indidem distat versus Ortum. Teneo igitur* S. Luperculi *seu* Lupercii *passionem, huic, non illi adscriptam; et censeo, occasione barbaricarum per Occidentalem Aquitaniam incursionum, corpus vel partem corporis translatum in Narbonensem provinciam, primum quidem* Mirapicum, *ex novis a Joanne XXII institutis Episcopalibus Sedibus unam, ad ecclesiam fortassis Metropolitanam S. Mauritio sacram; deinde ad Conventum prædictum, leucis quinque versus Septemtrionem remotum.*

Ibi male Eluzona confunditur cum Elusa.

5 *Non etiam dubito, quin ex jam relatis qualibuscumque Tolosani MS. Actis, Saussayus acceperit et Martyrologii sui Gallicani supplemento inseruerit hujusmodi Elogium.* Quarto Kalendas Julii, in Vasconia apud Elosatium civitatem, Passio S. Luperculi Martyris. Hic ortu Cæsaraugustanus irradiatus fide Christiana, in ipsa pueritia jam divinis prodigiis micans, gloriam ut fugeret, eremum petiit : unde abstractus, proque prosapiæ (qua ingenua prodierat) dignitate, militiæ seculari adscriptus, crescenteque ætate et robore, numeroso agmini armatorum præfectus; cum Dacianus, sævus Præses, in cultores Christi atrocibus tam terriculamentis quam suppliciis

Ipsam sequens Saussayus,

A pliciis fureret, palam prodiit, pro fide Christiana conflicturus: increpatoque tyranno, delusis pseudonuminum simulacris, nefandæque superstitionis ritibus; ob assertæ pietatis præconia nexibus constrictus, equuleo suspensus, ungulis dilaceratus aculeos ferreos nudis pedibus calcare compulsus, horrendisque tormentis excruciatus; his omnibus confortatione Angelica superatis, tandem triumphans, multis divinæ virtutis sibi assistentis prodigiis; datis fortiter, non tam ad percussionem, quam coronam cervicibus, ovans evolavit ad præmium.

sed absque titulo Episcopi,

6 *Nihil hic de Episcopali dignitate, cum qua* S. Luperculus *sive* Lupercius *apud Sammarthanos tom.* I *Galliæ Christianæ pag.* 96 *Elusianis Archiepiscopis adscribitur, tertius post Ceratium atque Paternum,* ecclesiæ Elusanæ divus tutelaris et Patronus, *qui* in hac urbe passus dicitur sub Decio, ut est in Vitis Aquitanorum Martyrum a pervetusto et elegantissimo Auctore conscriptis, quæ citantur a Josepho Scaligero lib. 2 cap. 7 ad Lectiones Ausonias. *Agnoscunt tamen etiam illi* tabularia antiqua, *qui* expuncto Luperculo interserunt Optatum et Pompidianum *Minus etiam capio, cur iidem Sammarthani (nisi alia* B *quam quæ protulimus Acta invenerint a Scaligero allegata)* Decium *Imperatorem nominent, sub quo passus sit Sanctus, circa annum Christi* CCL, *pro* Daciano, *Hispaniæ Præside anno* CCCIII.

quo ex Actis ... Sammarthani,

confundentes eum cum S. Luperco Ep. Cæsaraug.

7 *Omnia interim consideranti satius videtur, suum Cæsaraugustæ* S. Lupercum *relinquere aliisque Cæsaraugustanis Martyribus, de quo ex Prudentio egi die* XVI *Aprilis; et illo seniorem* S. Luperculum *pro hoc die dare Elusatibus Martyrem, non item Episcopum, quando nec ipsismet hoc certum est. Quod autem ad torturæ multiplicis species Sancto adhibitas attinet, vereor ne in his exaggerandis posterorum, veris Actis carentium, et solas majorum traditiones sequentium credulitas, potius addere quam detrahere solita, plusculum sibi indulserit: sicut etiam Joannes Tamayus abusus Saussayo est, quando assertam ab eo primum anachoresim extendens, dixit, quod Sanctus* a pueritia eremum incoluit, ubi multos in suum contubernium discipulos attraxit. *Ita ingenia ad exornandas narrationes prona, inventis fere semper addunt aliquid. Quam autem sæpe contingat propter nominum affinitatem ab uno ad alterum Sanctum quidpiam traduci absque certo ullo fundamento, quod hic factum videtur, in Cæsarau-* C *gustana origine, Dacianoque Præside,* Elusati Luperculo *adscribendis, frequentissimis in hoc opere exemplis docemur, et cogimur falsitatem plerumque suspicari.*

a Martyre Elusate verosimilius alio,

San-papulensium Patronorum uno,

8 *Finit prælaudatus Episcopus Petrus suum istud opusculum, de quinque eadem in diœcesi Sanctis;* Papulo *scilicet,* I *Octobris occurrente;* Berengario, *a nobis ad* XXVI *Maji laudato;* Puellis duabus, *a S. Saturnino instructis, quarum festum agitur* XVI *Novembris;* S. Lupertio *præfato; et* B. Raymundo *Milite, cujus corpus in Podio Siurani Ordinis Hierosolymitani quiescit, nescio ad quem diem referendo. Finit, inquam Episcopus Petrus opusculum istud, commemoratione mirabilum, quæ sunt in eadem diœcesi: quorum primum censet* rupem de Nauroza, *quæ triplex olim homini equiti patuisse dicebatur; nunc vero transitum nulli præbeat, jugis inter se junctis; idque in signum exulantis jam mundo pudicitiæ; alterum e contrario memorabile sit monasterium Virginum Provilhanarum, sub Regula S. Augustini a S. Dominico institutarum, Camera Deiparæ dictum: deinde concludens;* Ego, *inquit,* Petrus, indignus S. Papuli Episcopus, earum puritatem et merita frequenter expertus, testimonium perhibeo, coram Deo et universo mundo, cessante adulatione pro filiabus carissimis danda. Quare si corpora Sanctorum, cum quibus de vicinis cœmeteriis resurrecturi sumus, a

quibus accen- [illegible] Virgines monasterii Provilhani.

domesticis suis laudum præconiis annotanda [censuimus]; possumus gloriosas Virgines, vultibus et D operibus Angelicis in vita descriptas, rutilanti fama in virtutis pulchritudine, tamquam patronas magnificare, quarum memoria in benedictione sancta permanet gloriosa. *Hactenus ille, nescio an potius Synonymi sui successoris in Episcopatu S. Papuli, patruus credendus quam frater; utpote mortuus, idque in provecta ætate, uti ex variis muniis quæ gessit, consequi videtur, anno* MCCCLXXXVIII, *prout legitur in Epitaphio ejus apud Sammarthanos in Archiepiscopis Bituricensibus; cum alter pervixerit usque ad an.* MCCCCXII.

AUCTORE D. P.

Acta auctori Epitomes et Saussayo visa,

9 *His jam prælo paratis, dum pro S. Martiale Lemovicensium Apostolo, ad* XXX *hujus mensis diem illustrando, accuratius pervolvo librum Historiarum Gallicanæ Historiæ, a Francisco Bosqueto viro doctissimo editum cum auctario Partis secundæ: inter antiquas Sanctorum Vitas, ibi ad probationem vel judicium collectas, ex Codicibus MSS. reperio pag.* 161 Vitam vel Passionem S. Lupercii Martyris, qui fuit miræ beatitudinis in Vita, et perfectæ virtutis in agone; et passus est in Helisona civitate; in provincia Galliæ, IV Kalendas Julii. *De hac Vita agens idem Bosquetus pag.* 159 *lib.* 4 *partis seu tomi* 1 *cap.* 13, E Ejus Acta, *inquit,* eleganti stylo descripta se legisse, ait Scaliger in Notis ad Ausonium: quæ eadem cum his, quæ ex MS. Codice edimus, esse non arbitramur. *Cur autem non? Stylus certe, pro rudi illo quo scripta sunt seculo* XII *aut* XIV *(neque enim videntur antiquiora censeri) satis elegans est. Cur igitur non? Credo, quia* quod *insulse conficta sunt, ut vir eruditus, qualis S.* sensit. *rat, probare ea non potuerit. Verum aliud est stylum, aliud rem ipsam stylo descriptam laudare: aliam profecto non viderunt Petrus S. Papuli Episcopus et Saussayus, quorum inde sumptam Epitomen supra dedimus. Hoc ut clarius appareat, non gravabor ipsa Acta hic inserere, ut* apocrypha, *et in adjunctis Censuris ac Notis talia demonstrare.*

licet apocrypha dantur ex Bosqueto.

ACTA MINUS PROBA,

Ex MS. edita a Franc. Bosqueto.

Auctor excusat tenuitatem suam, Deo fretus.

Pretiosa sunt Domino et expectata Martyrum certamina, quæ digna sunt pro miraculorum dignitate conscribi: sed tamen sine fortitudinis trepidatione, ad scribendum inchoari non possunt: quia F cum magnarum rerum consideratur assumptio, non est mirum, si suscipiendi operis timeatur multitudo: et quamvis sermone tenui explicari non valeat, quantum de se dicat veritas passionis, ponitur tamen rei ipsius propositum, licet continere arduum, et habere videatur initium, et in hoc trepidationis aliquid habere dicitur: sed speratur quod per opificem summum, et divinam instructionem informetur inchoantis initium, et ingenii perstatione perducatur ad effectum.

Cæsaraugustæ natus

2 Hic ergo beatissimus Lupercius, natus in Cæsar-Augustana urbe, mediocribus parentibus, sed meritis excelsus fuit, humilis in terris, in cœlis electus, cui hoc fuit nobilitatis lumen insigne, Christo sine culpa servire; et non de generis intumescens superbia, sed habens de moribus ornamenta: et non sumens de parentali laude jactantiam, sed gratiam agens in virtutibus, exemplo intrans summum exemplum, thesaurum retinens Domini, mundo corde ipsum complectens, sed et cum Christo pauper regnavit in humilitatis conversatione, in charitatis ubertate, in castitatis lumine, in divinorum præceptorum pinguedine; et ita se Domini totum tradidit disciplinæ, ut ab ipsa infantia Domino accederet; et positus in corpore, quasi nihil de carne

EX BOSQUETO, a sancteque educatus Lupercius,

A carne portaret. Hac itaque beatissimus instructione succinctus, et venerandis operibus magnus *a* Sacerdos; cum, inquam, electus Dei, calcata mundi culpa divinis armis initiandus accederet, felicibus artibus ad palmam, de hoste publico relatam, in militia Christi exercitandus, optimus bellator effectus est; ac se ipsum in templo Christi primitus offerens voluntarium sacrificium et devotum, scilicet hostiam victimæ carnis puræ mentis ingenio Deo reddit, clarior mente quam nomine, et merito major quam gradu, sine offendiculo suum gerens officium. Cupivitque in merito crescere, et quod acceperat augere, cujus occulto facto citius velut in vite palmites cœperunt fructificari virtutes: nec pertulit in eo Christus sua dona diu abscondi, quæ de sursum venerant, et ab eo humiliter videbantur amplecti.

jussus candens ferrum manu tollere,

3 Denique cum adhuc Christianorum tyrocinium exerceret, miraculis [virtus] ejus proditur, et signis cœlestibus illustratur. Ipse namque accedens quadam vice ad officia fabrilia, extracta de ardenti camino ferri massa candente, despectus ab artifice cogitur, ut manu sua ferrum accensum attolleret, B et quanti esset ponderis enarraret. Tunc vir beatissimus Lupercius, non ignarus, *b* quod cum esset in veris virtutibus potens, præstans erat omnibus obedire: mox supposita manu (tantum de Christo præsumebat) ferrum altius elevavit dicens: De calore, calet, sed novem pondera habet, quot postea habere tantum, in statera inventum est, ut vox libera prædixerat; et sic in una specie duplex miraculum propagavit, cum nec foci calor læderet, nec ferri pondera fefellissent. Tandem fractis vitiis in se libidinis vaporem non habuit, qui tam liber diu portavit incendia: nam qui elementum ignis vicit, ante flammas carnis extinxit: et ut in ipsa pensa probaret ferri pondera, fuit hoc ex virtute divina, ut populus incredulus potius crederet Dei famulum esse Lupercium. Itaque cum esset annorum decem adveniens *c* Holoronam civitatem, invenit ibi quinque cæcos, qui ab annis nativitatis suæ numquam viderant, et sedebant ad stipem quotidie. Ut autem Sanctus vidit flentes ante januam, ex sputo linivit oculos eorum, et illuminati sunt per orationem, et credulitatem sancti Lupercii. Tunc multitudo populi signaverunt se signaculo Domini, et credebant in Deum, quia videbant magnalia, quæ operatus est Dominus Jesus in virtute famuli sui Lupercii; C et quod eorum qui a nativitate lumen non viderant, per orationem famuli sui aperti sunt oculi.

b id facit illrsus et pondus definit.

c Decennis 5 cæcos Holoronæ illuminat,

duodennis eremum petit,

4 Cum vero esset annorum duodecim, eremum concupivit, ibique afflicto corpore, diu Deo servivit. Postea captus est et catenatus exinde rediit, pervenitque ad urbem Helisonam, super fluvium *d* Gelisam; ubi erat vermis, qui vocabatur Echina *e*, cujus timore in quatuor et dimidio miliiaribus nullum facere iter homines præsumebant, et erat in cavernis montium et petrarum. Dixit autem sanctus Dei Lupercius circumstantibus civitatis; Eamus ad serpentem, et ejiciamus eum de agro quem possidet. Ad quem cum venisset S. Lupercius, exivit, et voluit comprehendere eum. Tunc Sanctus Dei orans, adversus serpentem tulit orarium suum, quo erat indutus, et alligavit eum per collum ejus, pertraxitque eum usque ad fluvium Gelisæ, et contestatus est eum, nullam tangeret ripam fluminis, usque dum ingrederetur mare. Tunc multitudo populi laudantes Deum, cognoverunt, quod gratia Domini in famulo suo Lupercio fuerat revelata, tantam virtutem ostendendo contra magnum serpentem. Cumque viginti sex esset annorum, venit ad eum paralyticus, cui erat nomen Astericus, ab annis XXVIII habens lepram multam: pro quo oravit S. Lupercius horis duabus, signavitque illum signo Crucis, et D osculatus eum dixit: Sta super pedes tuos. Eadem hora stetit, et factus est sanus. Ecce quomodo S. Lupercius in nomine Domini nostri Jesu Christi operatus fuit multa bona, unde crediderunt multi in Dominum Jesum Christum Salvatorem nostrum. Sed tamen pauca sunt scripta, nam adhuc majores sunt virtutes ejus, quam hinc sint scriptæ.

d e

Elisonam serpente liberat.

Anno ætat. 26 paralyticum sanat.

f Dacianus sæviturus in Christianos,

5 In illo tempore arripuit diabolus Præsidem *f* Dacianum civem Helisonæ: qui regnabat super quatuordecim Sedes. Tunc misit edictum per omnem terram, ut omnes Senatores convenirent in unum. Cum vero congregati fuissent septuaginta *g* Senatores, sedente eo pro tribunali, et omnes Principes et milites in circuitu ejus astarent, quorum non erat numerus, jussit ipse Dacianus omnia tormenta ferrea quæ præparaverant Christianis, ante conspectum populi afferri, ut omnes qui viderent opera tormentorum, timerent Præsidem offendere. Attulerunt itaque compositos gladios et acutos, sartagines, cacabos, serras acutissimas, boias acres, uncinos ferreos, galeas ferreas, et alia multa tormenta, quorum non erat numerus, et cœpit dicere: Si quis contradixerit, ut non sacrificet Diis nostris, E incidam linguam ejus, et oculos evellam, aures obturabo, maxillas separabo, dentes eruam, cerebrum a capite dispergam, brachia separabo, cervicem contundam, tibias et pedes secabo, et etiam superiora corporis vermibus tradam. Quo audito, multi qui in Deum credere cogitabant, videntes tormenta apposita, præ timore vertebantur, ita ut nullus fere diceret, Christianus sum.

g

exponit tormentorum instrumenta.

Sistit eidem se omnibus abdicatis Sanctus,

6 Unde cum congregatus fuisset inæstimabilis populus; ecce sanctus Dei Lupercius, videns multos Senatores et Principes Daciani congregatos, blasphemantes Christum, et dæmones adorantes, omne aurum, et quidquid in seculo obtinuerat pauperibus distribuit, et exuit se chlamyde qua erat præcinctus, et projiciens eam in terram, intra se cœpit dicere. Excæcavit diabolus oculos istorum, ut non cognoscant Deum. Nam ipse sanctus Dei Lupercius erat Comes *h* super multa millia hominum et acceperat aurum multum, et pervenerat ad Dacianum, ut cum eo procederet. Stans autem in medio populi, cœpit voce magna dicere: Imagines tuas præscinde, o Præses, quia nihil prævalent, quia non sunt Dii quos adoras, sed opera manuum hominum. Dii qui non fecerunt cœlum et terram, pereant. Audiens autem Præses vocem ejus, silentium fecit, et respiciens in eum dixit: Tu homo F non solum injuriam facis, sed et diis imperas*: hi sunt quibus oportet gratias agere. Ideo modo ingredere, et sacrifica Appollini, qui continet omnem terram, et gubernat seculum. Dic mihi tamen, de qua civitate es tu, et quod est nomen tuum, vel pro qua causa huc venisti? Respondit S. Lupercius: Ego ab hominibus vocor Lupercius, et in Christo Christianus sum; generaliter autem Cæsaraugustæ miles fui super multum numerum, sed revertens ad Christum, bene ago cum ipso. Dixit iterum Præses. Ingredere, ut sacrifices magno Apollini. S. Lupercius dixit, Non sacrificabo dæmonibus. Erubesce Præses, quoniam non sunt dii, sed sunt surda et muta opera hominum, manu fabricata.

h

** an improperas?*

seque profitetur Christianum,

et ideo varie excarnificatur.

7 Tunc iratus Præses jussit eum in equuleo suspendi, et ungulis vexari, ita ut intestina ejus disrumperentur, et has pœnas fideliter in Christo sustinuit. Tunc eum deponi, et foras civitatem duci jussit: et per quatuor partes carnes de corpore ejus cadebant exterminatæ, quas cilicio aspero abstergi jussit. Rursus applicuit ei galeam ferream, et jussit discalceatum duci super aculeos, et sanguis defluebat de pedibus ejus, quasi de fonte. Iterum jussit eum

A eum civitatem ingredi, et videns quod nulla tormenta ei prævalerent, jussit fieri arulam magnam, et collum ejus acutis configi clavis ab intus, et uno ferro acuto nervos ejus evelli; et videns quod non ei nocebant illa tormenta, jussit eum deponi, et malleo ferreo caput ejus tundi, donec cerebrum ejus per nares distillaret, et ipse plus in Christo confortabatur. Deinde eum jussit in carcerem trudi, et in arcto cyppo extendi. Iterum jussit Præses columnam quam vix decem, et octo viri portabant, superponi ventri ejus: et dum in custodia fuisset, benedicebat Dominum, qui ejus animam et membra confortabat, ut vinceret inimicum diabolum. Et ecce lumen præclarum fulsit in custodia: in eadem vero nocte apparuit ei Dominus, dicens: Confortare, Luperci, ne deficias, quoniam ego tecum sum. Per meipsum juro, et per Angelos meos ac per potentiam meam, quod inter natos mulierum non est major Joanne Baptista, qui intercedit pro te. Esto fortis in veritate, et noli deficere, quoniam ego tecum sum, et non derelinquam te; statimque Dominus ascendit in cœlum. Sanctus vero Lupercius non cessabat deprecari Dominum; nec per somnum vidit, quia hæc visio apparuerat ei, luce facta.

A Christo apparente confortatus,

B 8 Tunc jussit Præses Sanctum Dei produci de carcere, et ante conspectum suum venire, et ipse psallebat Domino dicens: Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina. Ingressus vero ad Præsidem dixit ei: Tu sis cum Apolline, ego sum cum Deo quem invoco. Jussit eum iterum Præses extendi et flagellari, cæsusque accepit in dorso centum plagas, et in ventre quadraginta, et scripsit Præses epistolam per orbem *i* terræ, dicens: Si quis magus poterit solvere magicas artes Christianorum, veniat ad me, et dabo ei auri pondera ducenta, et argenti sexcenta, ac possessiones multas, et erit secundus in Regno meo. Tunc sanctus Lupercius voce magna clamavit dicens: Domine Jesu Christe, qui dignatus es descendere de cœlo in terram, libera omnes, qui a diabolo detinentur, et libera animam meam, et da mihi signaculum, ut merear ingredi portas Paradisi. Videns ergo Præses Sanctum orantem, jussit eum a lictoribus cædi, et iterum in custodia detineri. Alia vero die jussit Præses maganam *k* fieri, et acutis eam clavavit clavis, et in medio ejus S. Lupercium mitti præcepit. Tunc unus ex Principibus, cui nomen erat Georgius, videns maganam, ac rotam volventem et rugientem, intra se cœpit dicere: Putas liberari de isto tormento? Tunc aspiciens eum Dominus dixit ei: Luperci, memor esto temporis, in quo Christus inter duos latrones crucifixus est. Et respiciens in cœlum dixit ei: Memor sum Domine, mandati tui; et dixit: Domine Jesu Christe, cujus imperium permanet in seculum seculi, corona te laudantium, virtus sustinentium credentium fortitudo, sperantium vita, auxiliator subveni mihi in hac tribulatione. Tu, Domine, antequam cœlum et terram faceres, ipse es, cujus spiritus super aquas ferebatur et requiescebat, et nullus hominum vidit Majestatem tuam, neque videre potest; perpetua sapientia cœlum fundasti, et nubes adimplesti, qui pluis super justos et injustos. Domine, qui creasti cœlum et terram, et montes ex tua virtute magnificasti, qui imperas congregationi ventorum, et eos qui non crediderunt in te, in tartarum tradidisti. Domine Deus, qui in posteriori tempore misisti nobis unicum filium tuum, quem intra Mariæ ventris cubiculum, per tuam pietatem inclusisti quod nullus hominum potest intelligere; qui ambulasti super aquas maris, et non apparuerunt vestigia tua in mari; qui de quinque panibus quinque millia hominum saturasti; nunc exaudi me, Domine, et accelera, ut eripias me de doloribus qui D circumdederunt me, quia in te confidit anima mea, cui est gloria in secula seculorum, Amen.

iterumque et tertio tortus

i

k

C

in rotæ applicatus,

Christum invocat,

D EX BOSQUETO.

9 Completa vero oratione missus in rotam et maganam constrictam. Elevans autem Præses se, dixit omnibus Principibus suis: Videtis quia non est alius Deus, nisi Apollo et Hercules, et Diana, et Athena, *l* et Amandorus, *m* et Ypoculus, et Neptunus qui cœlos palmo continent, per quos Reges regnant, et potentes obtinent Regna. Et adjecit: Ubi est Deus tuus Luperci, Christus crucifixus, quem Pilatus et Judæi interfecerunt? Quare non venit, ut liberet te de manibus meis? Statimque venit Dominus in medio, et dixit: Putas, possum te liberare de hac magana, ut credant ac confidant atque cognoscant, quoniam tu es servus meus, Luperci? Ecce manus quæ plasmavit protoplastum, ipsa tibi sufferentiam dabit: et confortatus est B. Lupercius. Videns autem unus ex militibus, Anatholius nomine, qui fuit Magister militum, quod famulus Dei cuncta tormenta pro Christo sustinuerat, credidit cum omni exercitu suo, clamans, Luperci famule Christi, et nos credimus in Dominum Jesum Christum crucifixum, qui potest liberare nos de isto periculo. Audiens vero Præses, jussit eos ejici E foras civitatem, in eremum locum; et statuens eos in præcipitium, factoque signaculo Christi ab illis, eos percuti præcepit. Tunc jussit venire S. Lupercium ante conspectum suum, et afferri lectum æneum, et in illum extendi; et liquefieri plumbum præcepit, et aperiri os venerabilis Lupercii, et superinfundi: quod factum est ut aqua frigidum, et nihil mali sensit. Tunc jussit eum solvi Præses, et clavos igneos in capite ejus infigi, et lapidem magnum insculptum capiti ejus applicuit, et sic eum volvi præcepit. Et jussu Domini evulsum est omne genus pœnarum, et plumbum velut aqua factum est frigidum, et nulla plaga in Sancto apparuit. Quod videns Dacianus Præses, iratus est, et jussit eum a capite deorsum suspendi, et in collo ejus lapidem magnum ligari, et fumum naribus ejus applicari. Quo facto, jussit Præses bovem æreum apportari, et infixit in eo clavos ferreos acutissimos, et intra eum Sanctum misit, ut membra ejus disrumperentur, et fieret tamquam pulvis: se ipse intus gratias agebat Deo.

Hinc nihil læsum cernens Magister militum

l m

cum toto suo exercitu convertitur

Post liquatum plumbum,

bovem æreum etc.

10 Quo viso, jussit Præses ejici inde Sanctum, et in custodiam mitti, et nervo ferreo constringi, donec excogitaret quomodo eum perderet, quia nullum tormentum ei prævalebat. In eadem vero nocte F in custodia apparuit ei Deus, dixitque ad eum: Confortare Luperci, ne timeas tormentum quodcumque tibi additum fuerit; ego enim tecum sum. Confortare in virtute, et vera confessione. Et hoc dicens, Dominus ascendit in cœlum. Ipse vero non cessabat dicere, Gratias tibi ago Domine Deus meus, quoniam apparuisti mihi. Tunc jussit eum Præses adduci, et inter maganas retrudi, et fortiter constringi, et in capite ejus serram poni et secari, ut facilius membra ejus disrumperentur: sed ipse amplius in Christo confortabatur, et dixit Dominus ad eum: Confortare, ne deficias, quoniam ego tecum sum in omni passione tua. Cui mulier quædam dixit: Domine sancte, natus est mihi filius cæcus, surdus et paralyticus, et ecce confundor coram vicinis meis; sed si per orationem tuam salvabitur filius meus, credam in Deum tuum. Videns ergo Sanctus Dei fidem mulieris, dixit ad eam; Affer mihi filium tuum, et accipiens infantem posuit eum super genua sua imponensque ei manum oravit ad Dominum, et completa oratione insufflavit in oculos ejus, et continuo aperti sunt, et visum recepit; et dixit ei mulier: O famule Dei, præsta ut ipse audiat et ambulet: dixitque

nocturna Dei visitatione confortatus

puerum cæcum illuminat,

EX BOSQUETO.

A xitque ad eam S. Lupercius: Sufficit ei: nam gressus ejus non erit cognitus, usque ad diem quo eum vocavero: tunc audiet vocem Domini, et veniet ad me. Et amplius ei non est locuta mulier: timuit enim eum, quia vidit vultum ejus sicut Angeli Dei.

multosque convertit;

11 Præses vero cœpit deambulare in palatio suo, respiciensque vidit Sanctum stantem in signo mirabili, et multitudinem populi circa eum: qui facto signo Christi, percussit terram pede, et exivit fons aquæ vivæ, et baptizavit eos in nomine Patris et filii et Spiritus sancti; et introierunt cum eo in civitatem. Baptizati sunt autem tunc a S. Lupercio mille sexcenti et octo, qui statim crediderunt in Dominum Jesum Christum, et ingressi ad Præsidem dixerunt: Tu sis cum Apolline, et nos cum Domino nostro Jesu Christo. Et respiciens Sanctos Dei Præses, conturbatus est sicut leo, et jussit eos suspendi pedibus, et gladio percuti. Coronati sunt autem in nomine Domini per sanctum Lupercium illi omnes. Tunc Præses ad Sanctum Dei dixit: Per solem et septuaginta et octo deos, *n* et matrem eorum Dianam, te obtestor, consenti mihi, fili Luperci, ut patri, et sacrifica Apollini, qui continet omnem terram, et carebis tormentis horrificis. Dixit ad eum Sanctus

contemnit blanditias, n

B Dei: Ubi fuerunt absconsa verba ista mansueta? Tanto tempore in manibus tuis sum, et tormentis variis tradidisti me. Nam et per te gratiam Dei mei acquisivi, et omnes, qui in Deum meum crediderunt; sed sermones mansuetos, et verba dulcia a te huc usque non audivi. An ignoras, Præses, quia genus Christianorum immortale est, et contra omnia tormenta diaboli resistit, sufferens omnia? Quare suades mihi ut Apollini tuo sacrificem, et faciam voluntatem tuam?

simulans sacrificaturum se;

12 .....Tunc Præses lætus factus est, et cœpit caput ejus osculari. Sanctus vero Lupercius non permittebat dicens: Non est talis consuetudo urbis Helisonæ, sacrificabo primum diis, et sic meum osculaberis caput. Rursumque dixit Præsidi; Tu es morbidus, et sol declinabit; non possum hodie sacrificare diis tuis; sed præcipe me hodie in custodiam retrudi, ut cras sacrificem diis. Respondit Præses: Non eris in custodia ut pœnis tradaris, sed pro his plagis, quas tibi jussi imponi, indulge mihi, ut patri tuo. Tunc flexit genua famulus Dei, et oravit dicens Quis Deus magnus, sicut Deus noster? tu es Deus qui facis mirabilia. Tunc dixit Præsidi, Congrega omnes seniores et principes tecum, et stabo in pa-

C latio tuo ego, et Sacerdotes deorum, et omnis exercitus militum, ut omnes videant quando sacrificavero Apollini. Tunc præcepit Præses præconi, ut clamaret voce magna dicens: Convenite omnes populi ad templum deorum, quia Lupercius famulus Christi sacrificabit magno Deo Apolini. Quod mulier audiens, cujus filius cæcus fuerat natus, et per orationem S. Lupercii illuminatus, confestim dissipavit crines capitis sui, et scidit vestimenta sua; attollensque filium suum, transibat clamans voce magna, et dicens: Væ tibi, Luperci, qui mortuos suscitasti, cæcos illuminasti, et claudos curasti, et multa bona operatus es adversus inimicum quomodo vis sacrificare Apollini, avertens omnes populos, qui credere desiderabant in nomine Jesu Christi Salvatoris? Non permittat hoc Deus fieri. Væ tibi diabole et operibus tuis! Sanctus vero audiens vocem mulieris, silentio facto vocavit eam ad se, et dixit: Pone infantem ante me. Et dixit infanti: Christus, qui illuminavit abscondita tenebrarum, ipse tibi imperat, ut stes super pedes tuos; et veni, et loquere omnibus.

increpatur a matre cæci illuminati,

eumque paralyticum erigit.

13 Eadem hora surgens infans venit ad famulum Dei, et ille dixit ei: Tibi dico puer, ingredere in templum paganorum, et dici dolo Apollinis: Tibi dicit famulus Christi, exi velociter. Et ingressus puer

D in templum, dixit idolo: Tibi dico idolum surdum et cæcum, ac mutum; deceptio ac perditio animarum in te credentium; Lupercius servus Christi vocat. Et cœpit Apollo clamare: O Jesu Nazarene, omnes ad te traxisti, et nunc contra me manifestasti infantem trium annorum. Unde hoc, ut talis puer ad me ingrederetur? Adveniens idolum stetit ante famulum Dei. Dixit ad eum S. Lupercius: Tu es Deus Paganorum? [Respondit idolum;] Nonne cognoscis, Luperci, quod ego sum? Sustine me una hora, et indicabo tibi omnia. Dixitque ei famulus Dei; Quidquid volueris dic. Respondit idolum, et dixit; Quomodo Deus cœlum et terram creavit, plantavit Paradisum ad Orientem, et dixit, Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram? Sed et Princeps noster dejectus est de cœlo, et nos omnes cum eo, quia dixit in corde suo; In cœlum ascendam, et super astra exaltabo solium meum; sedebo in latere Aquilonis, regnabo in nubibus, et similis ero Altissimo. Ideo iratus Dominus abstulit a nobis gloriam nostram, et projecit nos ut pluviam super faciem terræ; et propterea facti sumus minimi omnium creaturarum, et ob hoc ego maneo in statuis istis;

per quem adesse jussus in idolo suo dæmon

fatetur impotentiam suam.

E et si potero aliquem seducere, hoc mihi lucrum est. S. Lupercius dixit: Miser, tu cum sis miserrima creatura, et tuo de merito sis damnatus, cur decipis mentes hominum, et a veriate deviare voluisti? Ego te mittam in infernum; et eris ibi usque in diem judicii, quando eris rationem redditurus ante tribunal Christi. Et ingressu in templum, insufflavit idolum Herculis, et omnium simulacrorum statuas, et facta sunt velut pulvis. Rursum dixit: Ite omnes dii Paganorum in perditionem, et nusquam appareatis. Tunc dæmones rugientes cœperunt fugere, dicentes; Magnus est Deus Christianorum, qui potest eripere credentes in se de tribulatione.

Sanctus, idolis ceteris statu dispersis,

14 Ideoque Sacerdotes Paganorum confusi vehementer, et levantes Sanctum Dei, adduxerunt ante Præsidem, et indicaverunt perditionem deorum suorum, quomodo in inferiorem infernum misisset eos. Igitur Præses dixit ad S. Lupercium: Induratum est cor tuum, ut video, Luperci, quia non vis adorare deos nostros: quamobrem jubeo te extra civitatem ab apparitoribus duci, et capitalem subire sententiam .... *p* die IV Kalendarum Juliarum, *p* regnante D. N. Jesu Christo, una cum Patre et Spiritu sancto in secula seculorum Amen.

capite plectitur.

F

ANNOTATA D. P.

a *Nescio quid hic faciat titulus* Sacerdotis, *nisi forte ut auctor gratificetur iis, qui Episcopis Elusatibus nomen* Lupercii *recentius admiscuerunt, antiquioribus Catalogis reclamantibus.*

b *Hinc exemptam Parenthesim, quæ sensum turbabat, suo (ut credo) loco nativo posui.*

c Illuro *hæc est Antonino; et libello veteri Provinciarum*, Eloronensium civitas; *Sidonio* Oloronensis, *ad cognominem sibi fluvium in Bearnia, sub radicibus Pyrenæorum, quæ Elusa distabat circiter ad* 24 *leucas.*

d *Mallem* Gerisam *legere, vulgo enim* Giers *dicitur, et in Vita S. Saturnini* Gertanus *fluvius nominatur.*

e *Melius forte*, Echidna: *nam* ἔχις, ἔχιδνα, vipera est.

f *Bosquetus apte hæc adnotat.* Aquitaniam Galliarum, et Tarraconensem Hispaniarum, provincias rexisse hac tempestate (*id est sub annum* 292) Dacianus legitur in Actis Martyrum: quod verum esse non ausim affirmare. Nam diversæ semper fuerunt Galliarum et Hispaniarum administrationes, quæ et duorum

A duorum Vicariorum dispositioni postea subditæ sunt. Fieri tamen potest, ut Daciani nomen, propter varias Christianorum in Hispaniis cædes, vicinis Aquitanis et Narbonensibus cognitum, Gallorum Martyrum Actis a posterioribus scriptoribus insertum sit: *quod hic omnino factum apparet. Sed quomodo* Dacianus *hic fingitur* civis Helisonæ*? et quid sunt* 14 Sedes *super quibus regnaverit? In utroque Codice,* Sedes *nomen est dignitatis, Præfectis Prætorio fere tribui solitum, unde* Sedes vestra illustris, præclara, eminentissima *etc; sicuti nunc diceretur* Celsitudo *vel* Majestas vestra. *An hoc voluit, uni Daciano parem potestatem fuisse* 14 *Prætoribus vel saltem Præfectis?*

g Senatorum *in Gallia sub imperatoribus dignitas magna fuit, et Romanæ nobilitati propria, de quibus vide pluribus Glossarium Cangii: de* Senioribus *autem Francorum Germanorumque, Hadrianum Valesium, in Notitia Galliarum, ad nomen* Rotomagus.

h *An obliviscitur Auctor, quod paulo ante duodennem Sanctum miserit ad eremum? Ubinam autem aut in quos hanc exercuisset potestatem, Helisonam adductus,* captus et catenatus; *et antequam decennis esset patria sua egressus: idque, ut apparet, prædicandæ fidei causa, non arma tractandi?*

B i *Enormis hyperbole, nam quid de ipso Imperatore Diocletiano dici amplius potuisset? Hic vero numquam sic insanivit, suæque æstimationis tam prodigus fuit, ut tali causa edictum proponeret, palam contestans suam* D *suorumque deorum adversus magias Christianorum impotentiam.*

EX BOSQUETTO

k Magana, *alias* Mangana, *medio ævo dicebantur machinæ bellicæ jaculatoriæ, numero tam singulari quam plurali, videturque a Græcobarbaris deducta vox.*

l Ἀθήνη *Græcis, Latinis* Pallas, *solo nomine distinguitur ab ea quæ his* Diana, *istis* Ἄρτεμις *est: sed ut Græca Latinis, ita hæc illis inusitata vocabula sunt.*

m Amandorus *utrisque ignotus, unde huc irrepserit nescio. Fortassis opinio quorumdam fuit* Rupem-Amatoris *vulgo* Roquemodour, *in vicino Cadurcensi agro oppidum, cujus nomenclaturam alii aliter reddunt, a patrio et Aquitanis proprio nomine nuncupatam: opinio mere conjecturalis, nec in ullo auctore fundata. Quid porro de* Ypoculo *dicam; nec conjectura quidem suggerit.*

n *De* LXXVIII *diis, quorum mater* Diana *diceretur, hactenus nil legi apud Poetas: et omnes* Dianam *faciunt Virginem.*

o *Oportet ut hic exciderit aliquid, quo dicebatur Sanctus, quasi mutata mente, simulasse quod vellet sacrificare.*

p *Hic rursum videtur excidisse aliquid, puta,* Passus est autem S. Lupercius.

DE SS. MARTYRIBUS

SERENO, THEODORO, PASTAPHO, TYTIRO, DIONYSIA,

PASSIMO, PHESICO, DISTA, AMBENIO, ARIUSO,

DIOSCORO, ORIONE, TURBANO, CAPITULINO,

ITEM ORIONE, SIMERO, PLUTARCHO, HIRENEO,

HERACLIO, HERONE, POTAMINO, MARCELLO, BASILIDE,

LEONIDE, PANOSO, PECE, SIDISTO, PAMBONO,

ORIOSO, PANUBERO, TILINO, NONNICA, SINIDO,

C MEMMIO, JULIO, LEONIDE, PLUTARCHO II, SERENO, F

POTAMINA VIRGINE, MARCELLA MATRE,

RAIDE SIVE HERAIDE

ALEXANDRIÆ IN ÆGYPTO.

Notitia nominum ex Martyrologiis, Acta quorumdam ex Eusebio. D. P.

ANNO CCII.

Plurimi sub Severo Alexandriæ passi

Eusebius Pamphili *auspicatur librum sextum Historiæ Ecclesiasticæ, a persecutione sub Severo Imperatore Alexandriæ facta, et mox caput* 2 *ab Origenis institutione, et cap.* 3 *ab hujus prædicatione, ac variis Martyribus per eum confortatis; ubi sub finem scribit,* multos ex Gentilibus, tum in omni genere doctrinæ, tum in philosophia præstantissimos ejus se magisterio submisisse: eosque cum fidem Christi sincere atque intimo mentis affectu ab ipso accepissent, persecutionis illius tempore inclaruisse usque adeo, ut quidam ex ipsis comprehensi, martyrio perfuncti sint. *Dein cap.*4 *et* 5, *novem ex illis eligit, quorum martyrium ab eo descriptum infra damus, ac sub finem addit* plures quoque alios ex Alexandrinis civibus ad fidem Christi subito transiisse.

Antesignani Serenus et Theodorus.

2 *Horum Martyrum nomina suggerunt quatuor antiqua Martyrologii Hieronymiani apographa sæpius a nobis indicata: quorum Antesignanus* Serenus, *etiam litteris transpositis* Senerus, *memoratur. Secundus* Theodorus, *etiam* Tardorus *scriptus, idemque primo loco refertur in vetusto codice Reginæ Succiæ, per Holstenium vulgato his verbis:* In Alexandria natalis S. Theodori, cum aliis viginti septem; *nos aliquanto plures damus. In MSS. Barberiniano, Atrebatensi, Tornacensi, Lætiensi, et Trevirensi S. Maximini, hi* duo

AUCTORE D. P.

A *duo ita proferuntur : In* Alexandria natalis SS. Sereni *et* Theodori ; *at solius* Theodori *mentio fit in MS. Rhinoviensi.*

Alii 38,

3 *Sequuntur nomina* Pastaphi, Tytiri, Dionysiniæ, Passimi, Phesici ; *cui cum aliqua varietate sunt,* Postaphus, *seu* Pastophus, Tyrus, Donysima, *seu* Dosimia, Pasimius, Pleficus *seu* Sicus. *In decuria proxima sunt nomina* Distæ, Ambemi, Ariusi, Dioscori, Orionis, Turbani, Capitulini ; item Orionis, Simiri, Plutarchi. *Ex his omissum nomen* Ariusum, *atque ex voce* Ambeni, *factum* Ambeniari *et* Ambeniani : *et denique loco* Simiri, *scriptum* Gimiri, Simeri. *Sequuntur* Hiereneus, *perperam in apographo Corbeiensi* Episcopus *habitus, a quo alius est* S. Irenæus, Episcopus Lugdunensis, *in omnibus apographis etiam hoc die relatus. Tum* Heraclides *et* Heron *ab Eusebio infra relati, qui ab aliis fere* Heraclius *et* Herorus *appellantur:* Potaminus, Marcellus, *pro quo etiam* Marcella *habetur ; sed ea mox referetur.* Basilides *etiam historiæ Eusebianæ inscriptus; et in Martyrologio Romano ad diem* XXX *Junii relatus. Tum* Leonides *etiam* Leonodes *scriptus : ac dein hi tres,* Panasus, Pece, Sedistus, *in solo Epternacensi relati,* B *ex quibus* Pece *videtur femina, cujus genitivus sit* Peces. *Sequuntur* Pambonus, *seu* Pambunus ; Oriosus, *aut* Orosus ; Panuberus, Tilina, *seu* Tilinus : *tum* Nonnica *et* Spiridus, *in tribus apographis relati ; pro quibus in Epternacensi, in* Nicæa Finidus, *quasi hic aliis non esset adjunctus. In MSS. Augustano S. Udalrici et Parisiensi Labbei conjunguntur nomina* Sereni, *et* Senidi ; *atque ita ea servamus. Quis tamen* Nonnicam *excludendam putaverit, nolumus pro ea contentionis funem trahere. Interponebatur in omnibus apographis Martyrologii Hieronymiani,* S. Irenæus Episcopus Lugdunensis, *cum* sex *aut* septem sociis Martyribus, *de quibus seorsim agimus : ac tunc sequebantur huc referenda nomina,* Leonidis, Plutarchi, Sereni, Potamienæ *et* Marcellæ ; *de quorum martyrio mox ex Eusebio agemus. In MS. Richenoviensi ex relatis pauca nomina sic proponuntur :* In Alexandria Theodori, Pastasi, Titiri, Pasi, Misæ ; *ubi pro penultimo ab aliis* Passimus *habetur : ac pro* Missa, *forsan* Dista *dicitur.*

aliqui relati ab Usuardo

4 *Alii quosdam ex Martyribus ab Eusebio relatis prolixius celebrant, et ex relatione Rufini ita eos commemorat Usuardus :* Alexandriæ sanctorum Martyrum Plutarchi, Sereni, Heraclidis, Herois, Potamiænæ, Marcellæ, cum aliis tribus : inter quos C præcipue emicuit Potamiæna Virgo, quæ primo immensos et innumeros agones pro virginitate desudans, deinde etiam pro martyrio exquisita et inaudita tormenta perpessa, ad ultimum igne consumpta est. *Apud Adonem, Notkerum, et supposititium Bedam aliosque post* τὸ Marcellæ *interponuntur memoria* catechumenæ, Heræ nomine, baptismum martyrii consecutæ. *Baronius pro hodierno Martyrologio Romano hoc eis elogium statuit :* Alexandriæ, in eadem Severi persecutione, sanctorum Martyrum, Plutarchi, Sereni, Heraclidis catechumeni, Heronis neophiti, et alterius Sereni, Raidis catechumenæ, Potamiænæ et Marcellæ ejus Matris ; inter quos præcipue enituit Potamiæna Virgo, quæ primo immensos innumerosque agones pro virginitate desudans, deinde etiam exquisita et inaudita tormenta pro fide perpessa, ad ultimum una cum matre igne consumpta est. *Hæc ibi, et quæ supra apud Adonem et Notkerum* Hera *dicebatur, a nonnullis Ætra et Rais seu Herais appellatur, cum Eusebio apud Christophorsonum, et Nicephoro Callisto lib.* 5 *cap.* 7. *Ast Henrico Valesio ex MSS. Regio et alio Parisiensi,* Herais *appellatur, quam in vetustis apographis Martyrologii Hieronymiani desideratam, reliquis sub finem tituli apposuimus.*

Adone aliisque et Martyrol. Rom.

adjuncta Ætas, Rais, sive Herois.

D

ACTA MARTYRII.

Ex libro VI *Eusebii.*

Cap. 1

Porro cum Severus persecutionem adversum Ecclesias excitasset, per omnes quidem ubique locorum Ecclesias, ab athletis pro pietate certantibus, illustria sunt confecta martyria. Præcipue tamen Alexandriæ increbuerunt, cum ex universa Ægypto ac Thebaide lectissimi pugiles eo, tamquam in amplissimum Dei stadium, deducerentur ; et cujusquemodi tormenta mortesque invicto animo perpessi, immortales a Deo coronas acciperent... Igitur Severo *a* annum Imperii decimum agente... persecutionis ardentissimum flagravit incendium, atque innumerabiles martyrio coronantur.....

In persecutione Alexandriæ mota

Cap. 2.

a anno 10 Severi Imp.

Cap. 3.

2 Interea vero cum nemo superesset Alexandriæ, qui tradendis fidei nostræ rudimentis operam daret, omnibus ob persecutionis metum pulsis ac fugatis ; quidam ex Gentilibus Origenem, scholæ etiamnum vacantem atque affixum, adierunt, verbum Dei ex ipso audituri. Inter quos primum fuisse testatur Plutarchum, qui post vitam honeste transactam, sacro etiam martyrio coronatus est. Secundum *b* Heraclum, ejusdem Plutarchi fratrem, qui cum ipse quoque philosophicæ vitæ ac districtioris cujusdam disciplinæ documenta plurima apud ipsum præbuisset, urbis Episcopatu dignus est habitus. Annum porro ætatis octavum decimum agebat tunc, cum catechumenis instituendis præfectus est. Quo in munere maximos fecit progressus, tempore persecutionum illarum, quæ Aquila præfecturam gerente, Alexandriæ contigerunt. Tunc siquidem apud universos fideles maximam nominis celebritatem adeptus est, ob sedulæ benevolentiæ atque humanitatis officia, quæ omnibus sanctis Dei Martyribus, notis pariter atque ignotis, promptissime exhibebat. Neque enim solum illis hactenus comes aderat, dum in vinculis essent, aut dum ad extremam usque sententiam interrogarentur ; sed post latam quoque sententiam, cum sanctissimi Martyres ad supplicium abducerentur, ipse incredibili fiducia præditus, et pericula ipsa provocans, adstabat : adeo ut sæpenumero audacter accederet, et Martyres summa cum libertate osculo salutaret.... Multi vero cum fidem Christi sincere atque intimo mentis affectu ab ipso accepissent, persecutionis illius tempore inclaruerunt ; usque adeo ut quidam ex ipsis comprehensi, martyrio perfuncti sint.

ab Origene conversi

SS. Plutarchus E

b et Heraclus :

ab hoc Martyres adjuti

et confortati

F

Cap. 4. ab Origene Plutarchus,

3 Horum primus fuit is, quem paulo supra memoravimus, Plutarchus. Qui cum ad mortem duceretur ; iterum hic de quo loquimur Origenes, dum Plutarcho ad extremum usque vitæ terminum individuus adhæret, parum abfuit, quin ab illius occideretur civibus : utpote qui necis illius auctor fuisset. Verum divina providentia tunc quoque illum conservavit. Post Plutarchum, secundus ex Originis discipulis Martyr fuit Serenus, qui fidem quam acceperat, igne examinatam ac probatam exhibuit. Tertius ex eadem schola Martyr extitit Heraclides, ac deinde quartus Heron : ambo securi percussi ; prior dum adhuc esset catechumenus, alter vero neophytus. Præter hos quintus, ex eodem auditorio, Christianæ pietatis athleta, victor renuntiatus est Serenus, prioris illius cognominis : qui cum plurimos cruciatus fortissime pertulisset, tandem capite truncatus fuisse dicitur. Sed et ex mulierum numero *c* Herais quædam adhuc catechumena, per ignem baptismum adepta, ex hac luce migravit.

Serenus, Heraclides, Heron, Serenus alter, c Herais,

Cap. 5. Potamiena Virgo,

4 Septimus inter hos recenseatur Basilides, is qui celeberrimam illam Potamiænam ad supplicium abduxit. Cujus quidem mulieris fama, apud earum regionum

A regionum incolas, etiamnum pervulgata est: quippe quæ pro castitate corporis, et pro virginitate qua præcipue excelluit conservanda, innumera adversus amatores certamina subierit (nam præter animi pulchritudinem, mirabilis quoque totius corporis venustas in ea efflorescebat) innumera etiam pro Christi fide pertulerit, tandemque post acerbissimos vel dictu ipso horribiles cruciatus, una cum matre Marcella, igne consumpta sit. Porro Aquila, (id enim Judicis nomen fuit) cum eam toto corpore excruciasset, ad extremum interminatus ei esse dicitur, se illam gladiatoribus violandam traditurum. At illa cum paulisper secum ipsa rem perpendisset, interrogata quid consilii caperet, ejusmodi fertur dedisse responsum: quod impium esse Gentilibus videbatur. Protinus igitur Judicis sententia damnatam Basilides, unus ex apparitoribus, ad supplicium abducit. Cumque vulgus eam vexare, et obscœnis verbis illudere ei conaretur; Basilides quidem eos, qui contumeliam Virgini faciebant, absterrens propellebat, multaque misericordiæ et humanitatis erga illam præbebat indicia. Illa vero, benignitatem hominis erga se libenter amplectens, bono animo eum esse jussit: se namque post obitum salutem ipsius a Domino impetraturam, et collata in se beneficia brevi remuneraturam esse. Hæc cum dixisset, ferventi pice per varia corporis membra, ab imis pedibus ad ipsum usque capitis verticem, lente ac paulatim circumfusa, mortem constanti animo pertulisse memoratur. Et hujusmodi quidem certamen nobilissima Virgo decertavit.

cum Marcella matre

a Basilide protecta:

addicit ei preces,

B

igne consumpta:

5 Brevi autem postea Basilides, cum ob nescio quam causam a contubernalibus suis sacramento adigeretur, nefas sibi esse affirmavit, omnino jurare: quippe Christianum se esse, idque palam profiteri. Illi primo quidem hominem jocari arbitrabantur: verum cum id constanter asseveraret; ad Judicem est perductus; apud quem fidei suæ constantiam professus, in vincula conjicitur. Cumque quidam in Domino Fratres eum adiissent, et causam subitæ illius atque insperatæ conversionis interrogarent; dixisse fertur, Potamiænam *d* tertio post martyrium die, noctu sibi assistentem, coronam capiti suo imposuisse; dixisseque, se ipsius causa Dominum orasse, atque id quod petierat impetrasse; nec diu postea ipsum ad superos migraturum. Posthæc signaculo Domini a Fratribus accepto, postridie Christum gloriose confessus, capite truncatus est. Plures quoque alii, ex Alexandrinis civibus, eodem tempore ad fidem Christi subito transiisse memorantur: quos scilicet *e* Potamiæna in somnis apparens, ad id faciendum provocaverat. Verum de his hactenus. *f*

Basilides factus Christianus,

D

EX EUSEBIO.

d

et ab apparente Potamiæna coronatus,

Martyr obit

e

f

ANNOTATA G. H.

a *Annus decimus Severi Imp. qui creatus fuit anno Christi* 193 *incipit in ejusdem anno* 202.

b S. Heraclus, *colitur* 14 *Julii.*

c *Aliis* Hera, *Ætra, et* Rais, *ut supra diximus sub finem Commentarii nostri.*

d *Hinc Baronius* Basilidem *retulit ad diem* 30 *Junii. Sed gesta ejus non potuerunt ab aliis sejungi, ideoque ibidem lectorem huc remittimus.*

E

e *Omittimus hic quæ de* SS. Potamiæna, *ejusque matre* Quinctia Marcella, *et* Q. Sereno, *et* M. Sereno *quasi* ex Hispania oriundis *congerit Tamayus de Salazar in Martyrologio Hispanico, adversariis, ne dicam fabulis Luitprandi et Epigrammate Auli Hali nixus. Qui hisce delectantur ineptiis, abeant ad Auctores citatos.*

f *Hæc omnia, et alia plura ex antiquiori quadam Eusebii versione habet insigne nostrum Junii mensis Passionale membraneum, quod olim Valcellensis monasterii fuit; nec propter solam styli differentiam visum est huc transferendum, cum Eusebii textus Græcus præ manibus sit, ad quem collatæ versiones alio judice non egent.*

DE SANCTIS MARTYRIBUS AFRIS

FABIANO, FELICE, ARIONE, CAPITOLINO, NISIA,

ELAPHA, VENUSTO EUNUCHO, CRESCENTE, ALEXANDRO,

C F

THEONA, PLEOSO, ASTHESIO, APOLLONIO, AMPHAMONE,

PHISOCIO, MELEO, DIONYSIO, HINO, PANNO, PLEBRIO,

PANUBRIO, DIOSCORO, TUBONO, CAPITULINO,

NICA, GURDINO.

G. H.

Ex Martyrologio S. Hieronymi et aliis.

Memoria in Martyrologio S. Hieronymi

Hanc *classem Martyrum Afrorum adducunt quatuor antiqua Martyrologii Hieronymiani apographa, sub nonnulla scriptionis varietate. Ac primo quidem* Arion *post* Theoniam *collocatur;* Capitolinus et Nisia, *quarto ac quinto loco positi, solum sunt in MS. Epternacensi, desunt in aliis; quasi* Capitulinus et Nica, *sub finem collocati, ab his prioribus non essent alii: eos tamen ut distinctos, cum antiquissimo illo apographo servamus. Dein loco* Ploesi *et* Asthesii, *leguntur nomina* Ploeius, Pleosi, Astecii *et* Astefri. *Ita pro* Amphamone *habetur* Ampamon *et* Amphimontus; *et pro* Phisocio *et* Meleo, Philosisus, Astisus, *et* Melatus. *Pro* Hino *et* Panno *ibidem est,* In Spanis, *quasi altera sequeretur classis Hispaniæ tribuenda. Postea pro* Panno *et* Plebrio *sunt* Pen us, Pheursus, *et* Benverus: Panubrius *vero est in solo Epternacensi, et loco* Nicæ *est* Bicca.

2 *Multi horum Martyrum consignantur in aliis MSS. et in aliquo Reginæ Sueciæ per Holstenium vulgato, sunt ista;* In Africa Fabiani, Felicis, et aliorum viginti duorum. *Ita etiam Notkerus* In Africa Fabiani Felicis, cum aliis multis Martyribus. *MS. Aquisgranense:* In Africa natalis Fabiani, Felicis. Arionis, Capitulini, Theonis, Gurdini. *MS. Barberinianum:* In Africa Fabiani, Felicis, Venusti, Crescentis. *MSS. Richenoviense et Rhinoviense:* In Africa Fabiani, Arionis

et variis aliis Fastis

A Arionis, Capitulini. *MSS. Augustanum S. Udalrici et Parisiense Labbei :* Africa Fabiani, Theoni, Gurdini, Alexandri, Venusti Eunuchi, Apollioni, Dionysi. *MS. Trevirense S. Maximini :* In Africa Fabiani, Felicis, Nemisi, Crescentis. *Ubique palæstra eorum nominatur* Africa, *et horum Athletarum Antesignanus* Fabianus ; *cum ex reliquis varii a diversis tribuuntur socii. At* Nemisius *seu* Nemesius *huc non spectat, infra cum aliis dandus.* D

DE SANCTO MACEDONIO

ET DUOBUS SANCTIS PUERIS

MARTYRIBUS APUD GRÆCOS

ITEM DE SS. LUCIANO ET PAULO MEDICO

D. P.

CONFESSORIBUS APUD EOSDEM

Ex MS. Synaxario Divionensi.

Macedonio præcisi manuum ac pedum digiti.

Conjungo *hos Sanctos, licet ad diversa verosimiliter loca temporaque spectantes, quia in uno eodemque Divionensi Synaxario simul eos reperio, cum proprio cuique Disticho, genus mortis explicante. Et de primo quidem sic ibi legitur ;* Ὁ ἅγιος Μακεδόνιος, τοὺς δακτυλους τῶν χειρῶν καὶ τῶν ποδῶν ἐκκοπ εἰς τελειοῦται. S. Macedonius, manuum ac pedum digitos sectus, vitam finivit, *eique sic canitur :*

Μακεδονίου Μάρτυρος τοὺς δακτυλους
Τέμνουσιν ἀνδρῶν δάκτυλοι μιαιφόνων
Digitos rescindunt Martyris Macedoni,
Digiti virorum sanguine inquinatorum.

Lucianus in pace mortuus,

2 *Deinde laudatur quidam* S. Lucianus, in pace defunctus eadem die : *ac primo quidem,* Οὐλκιανὸς, *in titulo appellatur, sed in subsequenti disticho corrigi videtur librarium sphalma, dum ita scribitur :*

Εισέλθε χαίρων, Λουκιανὲ παμμάκαρ,
Τὴν οὐρανῶν ἄνοιξε Χριστός σοι πύλην.
Ingredere gaudens, Luciane, in cœlum,
Cujus recluditur a Christo tibi porta.

uti et Paulus Medicus,

Eadem *quoque* die Paulus Ιατρὸς, Medicus, ἐν εἰρήνῃ τελειοῦται *in pace requievit: et additur,*

Ἔπαυε Παῦλος πρὶν τομῇ καὶ καύσει χρήσῃ,
Τὰ νῦν δὲ παύει πάθεα πρεσβείᾳ πάντα.
Et ferrum et ignem priusquam experiretur,
Paulus quievit : et passiones cunctas
Quiescere facit, precibus ad Deum fusis.

Hinc suspicio oritur captum quidem pro fide fuisse Paulum, *sed priusquam tormenta ei admoverentur, defunctum : quod idem de* Luciano *suspicatus, utrique titulum* Confessoris *addidi.*

E *2 Pueri crucifixi.*

4 *Denique* οἱ ἅγιοι δύο παῖδες σταυρωθέντες τελειοῦνται. Sancti duo Pueri crucifixi moriuntur ; *et de ipsis hoc distichon recitatur.*

Ἐν τοῖς χρόνου πίναξι παῖδας δύο
Σταυρωμένους γράφουσιν παῖδες ζωγράφων.
In temporum tabulis crucibus fixos duos
Pueri pictorum pingere pueros solent.

Ubi non aliæ tabulæ mihi videntur significari, quam Ephemerides figuratæ, quales a Græcis accepisse Moscos docui ante Acta Sanctorum Maji, quasque Ecclesiæ variæ habebant, non nihil varias æque, ac Synaxaria ; et ut sua Latini Martyrologia diversa, dum proprios Sanctos unaquæque Ecclesia in iis præcipue locari curat.

DE SANCTIS MARTYRIBUS

C

PONTAMIO, NEMESIO, SECUNDINO, ET MAXIMO,

F

G. H.

Ex Martyrologio MS. Monasterii Casinensis.

XXVII JUNII.

Cum *nos anno* MDCLXI *in monasterio Casinensi magna humanitate excepti, excuteremus codices charactere Longobardico exaratos, quibus integra Bibliotheca erat referta ; reperimus duo antiqua Martyrologia, quæ nobis curavimus describi, et in eorum altero ista invenimus ad hunc diem :* VI Kalendas Julii natalis sanctorum Martyrum, Pontamii, Nemesii, Secundini et Maximi. *Sunt horum nominum Martyres variis anni diebus inscripti Martyrologiis, et hoc die* Potaminus *inter Martyres Alexandrinos recensetur, sed arbitramur ab hoc* Pontamio *diversum.* Nemesius *quoque numeratur inter filios S. Symphorosæ, qui a variis* XXVII *Junii relati, in Martyrologio Romano die* XVIII *Julii commemorantur. Idem dicimus de* Secundino et Maximo : *sed quia hi quatuor Martyres non reperiuntur simul collocati, eos ob antiquitatem Martyrologii prælaudati hic damus.*

DE SS. SEPTUAGINTA

MARTYRIBUS SCYTHOPOLI IN PALÆSTINA

D. P.

Ex MS. Synaxario Divionens.

Eorum numerus in titulo omissus,

Turbata *sub annum* CCCCLII *Palæstina, ab iis qui Chalcedonensem Synodum suscipere recusabant, pro ejusdem defensione occisus fuit* S. Severianus, *Scythopolitanæ civitatis Episcopus, in hodiernum Romanum adscriptus* XXI *Februarii. Tali occasione pluribus de ea civitate egit Bollandus, ad quæ Lectorem remittens, indico ex Divionensi MS.* Martyres, *multo, ut ego quidem existimo, vetustiores*

habetur ex comparatione cum 70 Discipulis

Septuaginta

A Septuaginta. *Qui numerus, licet festinanti librario elapsus in titulo sit, et ibi legantur hæc sola verba*, Οἱ ἅγιοι Μάρτυρες, οἱ ἐν Σκυθοπόλει ξίφει τελειοῦνται, sancti Martyres in Scythopoli gladio consummantur; *comparatio tamen eorumdem cum Discipulis Christi, expressa adjuncto Disticho numerum ipsum requirit, hoc modo:*

Ἔχει Μαθητὰς ἑπτάκις, Σῶτερ, δέκα,
Ἔχεις Ἀθλητὰς καὶ τοσούτους ἐκ ξίφους.
Habes sequaces septies decem viros,
Totidem per ensem Christe, pugnantes habes. D

Auctore D. P. uti et genus mortis ex Disticho

An autem, ut Discipuli *et Scripturarum* interpretes *rotundo numero dicuntur* septuaginta, *licet fuerint* septuaginta duo; *sic etiam possit augeri numerus horum Sanctorum pugilum, non ausim definire.*

DE SANCTIS TRIBUS MARTYRIBUS,

EX GALATIA, ASIÆ MINORIS PROVINCIA.

Ex eodem Synaxario Divionensi.

D. P.

Dicuntur pariter gladio plexi.

N*ihilo minus quam Palæstina Martyribus abundavit Galatia, quorum nomina et certamina pluries occurrunt in hoc opere, quam ut operæ pretium sit hic ea commemorare, aut multa præfari de provincia, omnibus notissima. Hic ex prædicto Synaxario, præ ceteris quæ vidimus copioso, et* B *abundante Sanctis necdum aliunde notis,* Tres *prænominati* Galatæ *absque distinctiore Palæstræ martyrialis notitia indicantur, eodem modo quo Scythopolitani septuaginta.* Οἱ ἅγιοι τρεῖς Μάρτυρες ἐκ Γαλατίας, ξίφει τελειοῦνται. *Sancti tres* Martyres ex Galatia, gladio consummantur, *ubi vel quando non explicatur, sed additur Distichon.*

Τρεῖς ἄνδρες ἡμεῖς, ἀλλὰ συμπνοίας λόγῳ
Ὡς εἷς ἰδοὺ χωροῦμεν οἱ τρεῖς πρὸς ξίφους. E
Tres quamvis, unus ut vir, consensu pari
Venimus ecce subdere gladio caput.

DE SANCTO BENIGNO

EPISCOPO MARTYRE

QUI ULTRAJECTI IN BELGIO COLITUR.

C. J.

Reliquiæ Ultrajectum delatæ

J*oannes Molanus, diligens inquisitor Sanctorum Belgii,* ex Bibliothecis Ultrajectensium Ecclesiarum, *in Auctario Usuardi hæc solum habet:* Trajecti, Benigni Martyris atque Pontificis. *Verum in Natalibus eorumdem Sanctorum ea deducit hoc modo:* Trajecti, B. Benigni Martyris atque Pontificis. Hic propter Corporis aut Reliquiarum allationem, novem Lectiones habet in Vigilia SS. Petri et Pauli, in collegiatis Ecclesiis beatorum Martini et Petri. Sed cujus B. Benigni hæ sint Reliquiæ, vetus est controversia, nondum, quod sciam, reso- C luta; ideoque eam indecisam relinquo. Constat autem Reliquias allatas esse a Baldrico Pio, Clivensis Comitis filio, qui Ottonis primi Consiliarius et filii ejus Præceptor fuit. E regione enim Reliquiarum B. Agnetis, superest dicti Præsulis Epitaphium.

a Baldrico Episcopo

Trajectina feris urbs Danis versa, latebat;
Baldricus priscum reddidit iste decus.
Auspicio cujus jam Pontius, Agna, Benignus
Conservant urbem, fulget et ecclesia.

2 *Hæc Molanus. Joannes de Beka in suo Chronico sive Catalogo Episcoporum Ultrajectensium; in dicto Baldrico* XV *Episcopo, inter alia scribit ista:* Hic Episcopus, anno Domini DCCCCLXVI transcendens Alpes, devenit in Italiam; ubi pro quibusdam utilitatibus Ecclesiæ, Regis Ottonis exquisivit præsentiam. Demum idem Antistes valedicens Regi, corpora sanctorum Martyrum Pontiani, Benigni et Agnetis secum transtulit, ac eadem in Ecclesia Trajectensi cum ingenti devotione detulit. *Ex his* S. Pontianus *fuit* Martyr Spoleti, *cujus Acta dedimus* XIV *Januarii, ubi plura de itinere Baldrici et asportatis Reliquiis habentur: et ille solus videtur ex Italia allatus fuisse; non item duo alii; uti mox dicemus.*

circa an. 966.

3 *Acta Martyrii, a* S. Benigno *tolerati, habemus aliqua ex MS. Ultrajectino; et eorum compendium in Lectionibus Breviarii, anno* MDXVIII *excusi, ubi sic finitur Lectio* VI: Acta sunt hæc Kalendis Novembris. *Verum uti hic dies est, quo obiit coliturque* S. Benignus, *Martyr Divionensis; ita ex hujus quoque Actis desumpta sunt, quæ modo citavimus, et Ultrajectini recitant pro suo* S. Benigno *die* XXVIII *Junii, qui translationis habetur; adduntque hanc Orationem:* Omnipotens sempiterne Deus, qui nos B. Benigni Martyris tui atque Pontificis festivitate lætificas; præsta quæsumus, ut cujus commemoratione gaudemus, præsidio muniamur.

Acta Martyrii eadem quæ Benigni Divionen. 1 Novembris.

4 *Habemus quoque codicem manuscriptum complexum* Festa composita, *sive solenniora alicujus per Belgium Ecclesiæ, et puto, Antuerpiensis; in quo notatur die 2 Septembris* Translatio beatæ Agnetis *V. M. atque in Lectionibus narratur inventio Corporis ipsiusmet* Agnetis *et* S. Benigni Ep. Carnotensis et Mart. *desumpta narratione ex ampliori et veteri Historia MS. S. Pauli Ultrajecti de inventione ac translatione eorumdem* Agnetis *et* Benigni, *quam Bollandus* XXI *Januarii post Acta S. Agnetis impressit. In illa dicuntur prædictorum corpora, a Clodovæo Rege, ad fidem Catholicam sub annum* CCCCXCV *converso, illata fuisse in monasterium, ab ipso ad Ligeris ripam constructum et varie locupletatum.* F

Inventio Corporum S. Benigni et Agnetis

5 *Eo autem postea per Nortmannorum incursiones destructo, sacra Corpora diu abdita et in gloria latuerunt, donec* anno primo Ottonis Augusti, *Romæ coronati a Joanne Papa XII;* nono autem Lotharii Regis *(quæ tempora concurrunt cum anno æræ vulgaris* DCCCCLXII) facta est divinitus revelatio sanctorum Corporum B. Benigni Martyris atque Pontificis, nec non et S. Agnetis Virginis et Martyris Christi. *Inventa autem Corpora fuerunt ablata, volente S. Agnete, a Comite Thiadboldo, ac donata Baldrico Episcopo Ultrajectino; qui illa anno Incarnationis Dominicæ* DCCCCLXIV, *Indictione* VII, *pridie Kalendas Aprilis honorifice reposuit in ecclesia sua Cathedrali. Sed*

in Gallia ad Ligerim

quæ donantur Baldrico Ep. Ultraject.

A *plura de his uti et miracula ad corpus* S. Benigni *facta legi poterunt in ipsa Historia dicto die* XXI *Januarii.*

6 *Quod Episcopus* Carnotensis *fuerit* S. Benignus, *non video cur negari omnino debeat, etiamsi nomen ejus in Catalogis illius ecclesiæ non legatur. Non enim omnium ibi nomina primorum Episcoporum sunt, et quæ sunt, tantum nomine tenus indicantur. Quod autem Ferrarius in Catalogo generali* S. Benignum *Ep. Carnotensem, nominet* Benedictum, *errori tribue: quod vero ex ipso Saussayus,*Benignum *et* Benedictum *duos faciat, tribue socordiæ.* D

D. P.

DE S. PAPPIO SEU PAPPIANO

MARTYRE APUD MYLAS IN SICILIA.

Unde elogium S. Anecti pridie

Ex *eodem fonte, unde ad diem præcedentem, Menæorum majorum Collector, et Maximus Cytherorum Episcopus acceperunt tormenta* S. Anecti *seu* Aniceti; *acceperunt similia* S. Pappii, *supra verosimilitudinem fere exaggerata; et in hoc istis etiam imperfectiora, quod nec locum quidem certaminis exprimant; in eo autem paria, quod necdum memoriam talis Martyris aliis ullis in Synaxariis invenire nobis contigerit; quodque ea Sirletus in Menologium suum retulerit, unde eis contigit in hodiernum*
B *quoque Romanum referri, cum prolixiori Elogio inde sumpto. Græcus Menæorum contextus hic est.*

etiam damus S. Pappii, isti simile,

2 Οὗτος [ὁ Πάππιος] ἦν κατὰ τοὺς χρόνους Διοκλητιανοῦ καὶ Μαξιμιανοῦ, ἄνωθεν ἐκ προγόνων τὸν Χριστὸν σεβόμενος καὶ κηρύσσων. Διαβληθεὶς οὖν συλλαμβάνεται, καὶ παραστὰς τῷ Ἄρχοντι θύειν προτρέπεται· μὴ εἴξας δὲ ἀλλὰ μᾶλλον τὸν Ἡγεμονα ἐξυβρίσας, εἰς ὀργὴν ἀνῆψεν. Αὐτίκα οὖν αἴρεται ἐκ τεσσάρων καὶ τείνεται, καὶ νεύροις ὠμοῖς μαστίζεται ἐπὶ πολύ. Εἶτα λέβητι μεγίστῳ ἐλαίου καὶ στέατος ἐπὶ τρισὶν ἡμέραις ἐμβάλλεται· καὶ ἦν θαῦμα καὶ ἔκπληξις τὸ ὁρώμενον, ἄνθρωπος ὡς ἱμάτιον ἀναβαλλόμενος τὸ πῦρ, καὶ ἐπὶ ἑπτὰ ἡμέρας τῇ βασάνῳ ταύτῃ ἐγκαρτερῶν. Πολλοὺς οὖν τῶν ἀπίστων πρὸς τὴν εἰς Χριστὸν πίστιν ἐξεκαλέσατο. Ἐκεῖθέν τε ἐκβληθεὶς, αὖθις ἐπὶ τριβόλων σιδηρῶν γυμνὸς σύρεται, καὶ ἵπποις ἀγρίοις προσδεθεὶς ἐπὶ τραχέσι καὶ δυσβάτοις τόποις ἐλαύνεται. Ἔπειτα κρεμᾶται ἐν τῷ δοκῷ ἐπὶ τρισὶν ἡμέραις κατὰ κεφαλῆς, λίθῳ μεγίστῳ ἐξαρτηθέντος αὐτῷ τῷ τραχήλῳ, καὶ μετὰ τρίτην ἡμέραν δρεπάνῳ τὸ σχοινίον διακοπὲν, ἐπὶ τῆς γῆς ὁ Ἅγιος προσαράσσεται. Αὖθις οὖν ἀνθρακίαν ἐπὶ πλείστην ἐκφορεῖται καθ' ὅλου τοῦ σώματος, καὶ λίθοις ἄνωθεν ἐπιχώννυται. Ἀγγέλου δὲ ἐπιστασίᾳ ἀβλαβὴς τῶν λίθων ἐκβάλλεται, καὶ ὑγιὴς ὅλος ἀποκαθίσταται, καὶ τοὺς δημίους πρὸς τὴν
C πίστιν ἐπισπᾶσαι, καὶ ὄχλον ἱκανὸν, οἱ καὶ τὰς κεφαλὰς ἀπετμήθησαν. Εἶτα ὁ Ἅγιος τὴν διὰ ξίφους δέχεται τελευτὴν, εἰς δόξαν καὶ αἶνον τοῦ ἀληθινοῦ Θεοῦ ἡμῶν. Ἀμήν.

exaggeratis supra fidem tormentis.

3 Hic [Pappius] erat temporibus Diocletiani et Maximiani, ex progenitoribus Christum colens ac prædicans; delatus autem comprehenditur; et coram Præside assistens jubetur sacrificare. Quod cum recusaret facere, imo ipsummet Præfectum contumelia afficiens, ad iracundiam concitaret; statim ex quatuor palis suspensus tenditur, atque crudis nervis cæditur perquam diu: deinde maximo lebeti injicitur, ad tres dies oleo atque adipe incoquendus. Tunc miraculum erat et stupor, videre hominem, qui ignem velut vestem indutus, ejusmodi supplicium totis septem diebus sustinebat invictus: quapropter infidelium multi ad Christi fidem convertebantur. Inde igitur ejectus, super ferreos tribulos nudus raptatur; equisque silvestribus alligatus, per loca aspera et invia trahitur: postea ex trabe triduum suspenditur in caput, cum magno ad collum saxo: tertia vero die funis falce resectus est, et Sanctus in terram corruit. Rursus autem totum corpus copia prunarum perfusus, lapidibus desuper injectis defoditur. Verum assistente sibi Angelo inde erutus, et sanus illæsusque assistens, suos lictores ad fidem pellexit, et multam simul turbam; qui capite etiam plexi sunt. Deinde vero et Sanctus ipse certaminum finem gladio cæsus accepit, ad laudem et gloriam veri Dei nostri. Amen.

Hic relatum in Rom. Martyrologium

4 *Agnosco haud dubio stylum scriptoris, ejusdem qui* S. Anecti *Elogium texuit; et cujus verba a Sirleto contracta, in Romano etiam contractiora sic leguntur.* Eadem die S. Pappii Martyris, qui in persecutione Diocletiani flagris cæsus, et in lebetem oleo et adipe ferventi plenum injectus, aliaque horrenda supplicia perpessus, demum datis cervicibus coronatur. *Tam illustre martyrium, nulli certo adscriptum loco, non* E
debebat præteriri ab Hispanicorum figmentorum fabricatoribus, certis in Hispaniam trahere adespota quæque. Itaque Pseudodexter Segisamone *anno* CCC *decollatum Martyrem scripsit:* Simancam *vertit interpres ejus Villanovanus.* Arbucariæ *in Celtiberis (hodie* Albacar) *eumdem adscribunt Adversaria Pseudo-Luitprandi, æque commentitia, quæ cum illo ita conciliare conatur Tamayus, ut uno loco natus, altero passus Sanctus sit: deinde prolixiora adducit Acta* ex MS. Legendario Segobiensi: *quæ quoniam proferre profitetur,* additis *dumtaxat* originis et agonis locis; *placet sub hac cautela illa huc transcribere ad commodius judicandum de re tota.*

ad se trahunt Hispani,

cum Actis ex Segociensi MS. sumptis,

5 Pappius ab ineunte ætate Christi fidem amplexus, eam toto vitæ tempore absque diminutione sustinuit. Sed eveniente, cum jam probatæ esset vitæ vir, persecutionis procella, qua Dacianus, Imperatorum Diocletiani et Maximiani auctoritate suffultus, universas Occidentalium partium urbes, Christianorum excidio penitus depopulari conabatur; Sogessam urbem, in qua natus fuerat, relinquens, Præsidi obviam ire proposuit. Quo invento, ad Brucam oppidum, cum suis adesset conspectibus, forti corde et intrepido sequentia protulit verba.
Cur, insane, adversus Christi membra tanto furore F
inflammaris? ut sic sæve Sanctorum corpora discerpseris? Nonne vides, quod in eo ipso quo defatigaris acerbe, glorias Martyribus sempiternas, te ignorante, multiplicas? Forte non experimini, quod humus Sanctorum irrigata sanguine, pro uno, quem enecas, multorum fidem pullulat indelebilem? Ergo, ut quid insanis? Desine quippe furoris progressum: et qui vidisti tot etiam in fragili sexu constantiæ miracula et virtutum prodigia, abstine ab itinere incepto: et Jesum Christum Deum verum, qui te ad nihilum reducere potest, adora, ut sic vitam consequaris æternam. His Præses auditis fremens, Papium comprehendi jussit, satellitibus imperans, ut subito denudatis vestibus, illum durissimis flagellarent nervis, donec verborum insolentiam una cum anima inter verbera evomeret. Paruit satellitum manus, et tamdiu Martyrem flagris cædere persliterunt, ut vix pellis minima circumspectaretur illæsa. Ad hæc sanctus Martyr Deum semper læta fronte laudabat; et aliquando Præsidis cæcitatem increpans, ut in Christum crederet, persuadebat. Tunc Dacianus, Martyris corpus dissectum contuens, lebetem oleo et adipe plenum accersiri jubens, illum super ignem fecit apponi, quousque materia

ubi dicitur sub Præside Daciano

A teria illa liquefacta et fervens appareret; illamque supra corpus poni præcepit, una cum prunis et titionibus, ut etiam ignis violentia citius animam efflaret. Sed, o insignis Dei providentia! septem dies in hoc tormento permansit, in unoquoque pluries repetitis olei et adipis ferventium liquoribus, quousque Præses devictus, sanctissimum Athletam decollari præcepit, quo Martyr gloriosus in cœlos corona redimitus ascendit IV Kal. Julii, anno CCCIII.

Bruccæ passus, natus Sogessæ:

6 *Habes verbotenus Acta, quæ Tamayus* ex MS. Legendario Segobiensi *accepisse se ait, omissis dumtaxat, quæ suo ex Pseudodextero appinxerat, verbis, ipso statim principio; Papius* natione Hispanus ex Segisamone in Vaccæis urbe oriundus. *Velui etiam expungere nomen* Arbucaræ; *fictitium agonis locum, sed non reperi Actis insertum a Tamayo, tantumque nominatum in contextu Martyrologii ab eo concinnati, hoc modo;* Arbucaræ in Celtiberia Hispaniæ Tarraconensis S. Papii *etc. In Commentario autem meo reprehendi Acta, quod locum certaminis* Brucam *nominent, quia hoc est Siciliæ oppidum littorale inter Catanam et Syracusam, hodiedum* la Brucca *dictum; locum vero nativitatis* Sogessam, *qualis in Hispania nulla invenitur, cum tamen Hispanum fuisse Martyrem, extra dubium esse putet Tamayus. Ego igitur dum considero eadem in Sicilia, sed opposito in littore inter Drepanum et Panormum veterem urbem* Segessam, *censeo fieri facillime potuisse, ut ejus nomen in* Sogessa *verteret imperitus librarius; minus facile, ut hoc substitueret pro* Segisamone *aut* Brucam *pro* Arbucana. *Cum autem stylus recens ipsamet Acta recentia quoque esse doceat, haud ægre concipio, quomodo suadente Hyguera, vel complicum ejus in fingendis antiquitatibus aliquo, irrepserit Legendario minime antiquo,* Dacianus Præses, *in Hispanicis martyriis nominatissimus atque ad* Pappii *nomen additum sit,* natione Hispanus *(si tamen utrumque in Breviario adest) cetera vero quoad substantiam sic relicta sint, prout ex Sicilia Segobiam allata fuerant, fortassis una cum Reliquiis; alias enim nulla causa apparet, qua illa Acta contigerit tali loco inveniri.*

sed uterque locus in Sicilia potius inveniretur, B

ubi videtur notus sub nomine Papini aut Pappiani,

7 *Ut ut fuit: accipio libenter, sic præter intentionem Tamayi eorumque qui Hispanum facere* Papium *voluerunt, oblatum nobis Siciliæ indicium, in eaque patriam et palæstram Sancti: et hunc eum ipsum esse opinor, quem (teste Cajetano in Animadversis* ad depositionem SS. Pappiani, Luciani, Gregorii et Acacii C Martyrum) *huic diei adscriptum, Mylenses in eadem Sicilia,* Papinum *dicunt, quemque in Translatione S. Bartholomæi ad Liparam insulam Mylis objectam, vocatum legimus* Pappianum. *De hujus autem apud illos cultu sic scribit idem Cajetanus in dictis Animadversis num.* 8. Qua parte Chersonesus *Mylensis* in Occasum flectitur, extat vetus ædicula D. Pappiano sacra: illuc loculum ejus ejectum conditumque fama est: nec famam refutaverim; quippe illic a majoribus ædificata ædes, et plurima in eo loco miracula, quæ non modo urbem Mylas, sed ipsum littus prope ædiculam, in D. Pappiani tutela esse, ostendunt. Etenim cum scabiosi ulcerosique, scrobe istic defossa, affectas partes corporis arena contegunt, et aquam maris superinfundunt, continuo vermiculi quidam illinc existunt, atque ita ægri sani fiunt. D

apud Mylas propriam ædem habens,

AUCTORE D. P. oppidum a Turcicis piratis tutatus,

8 Memorant incolæ, haud multos ante annos, piratarum triremes quasdam (Turcæ aut Mauri, hostes nostræ fidei erant) Mylarum direptionem molitas, qua parte littoris, ædes est, D. Pappiano sacra. Militem vero exponere jam festinantibus, armatas equitum acies ac peditum visas totas ea ora maritima, ac ducem agminum Pappianum: metuque perculsos trepidantesque in altum revectos. Miraculi testes multi sunt: inter ceteros Vincentius Jacius Mylensis, qui captivus in iis triremibus habebatur, cum Turcæ viso in littore exercitu, in altum se recepere. Nam incerti rerum Vincentium interrogavere, numne in ora Mylarum miles ad custodiam staret? Respondit is, nullum illic militem esse, sed D. Pappianum Mylarum præsidem et custodem. Idem Vincentius tota de re consanguineos per litteras docuit, monitis civibus, ut ædiculam S. Pappiani summa in veneratione haberent. Paucos ante annos superstites erant Sacerdotes duo, Oliverius Virgilius et Franciscus Bittus, qui litteras legerant. Ejusdem rei testis est Didacus Morales, miles Hispanus, qui cum in Turcarum triremibus captivus tum teneretur, armatas in littore cohortes contuitus est: libertate dein donatus, Mylas ultro adiit, diuque pro sua in D. Pappianum pietate, ejus ædi famulatus est. Porro Divus Pappianus Mylensis urbis Patronus habetur, magnoque cultu anniversario festo die ad XV Kal. Julias, celebratur. E

et cultus ut Patronus 17 Junii,

corpore illuc per mare intra arcam allapso,

9 *Hactenus Cajetanus, Tomo* I *de Actis Sanctorum Siculorum, anno* MDCXX *vita functus: qui etiam notat, credere incolas, arcam lapideam cum sacro corpore illuc adnatasse per mare; et ipse inter Acta Depositionis præfatæ, ex Menæis, ad* XXV *Augusti describentibus adventum corporis S. Bartholomæi ad Lyparam insulam ejusque ibidem inventionem, Theophilo imperante; portentosæ illuc transvectionis meminit, ibique dictam* Ἄμυλλαν πόλιν Σικελίας, Mylas *esse satis verosimiliter sentit. Miraculo tamen ipsi perquam antiquo, ut præfertur, et cujus etiam meminit S. Gregorius Turonensis libro de Gloria Martyrum cap.* 34, *eidemque circumstantiis in speciem fabulosis non aucto magnam fidem facit relatio, seculo primum* IX *vel serius etiam scripta; maxime cum Theodorus et Joseph (a quibus Translationem prædictam habemus non multo citius scriptam, et unde sua sumpsit Menæorum collector) corpus quidem Apostoli per mare affluxisse dicant in comitatu arcarum quatuor, quæ suo deinde officio functæ, ad destinata sibi divinitus loca adnatarint; non tamen vel ipsa loca vel corpora nominent; et perperam omnia exprimantur in Menæis. Proinde interpolationem istam gratis confictam sentio, et* Pappiani, *ut* Amyllam *advecti, ideo tantum usurpatum nomen, quia ex Mylensium traditione habetur per mare illuc allapsum corpus, quod ego potius quam credam ex Armenia in arca saxea affluxisse, dixerim* Bruccæ *projectum in mare nudum et absque capite, ac deinde, Deo sic disponente, Mylensi in littore a fluctibus depositum; idque* XXVIII *Junii, quo Synaxariis inscriptum* Pappii *nomen est, magis integre legendum* Pappiani; *diem autem ejusdem mensis* XVII *esse novæ alicujus translationis vel dedicationis apud Mylas celebratæ.*

quod de S. Bartholomæi corpore tradunt alii. F

Quid si illud Bruccæ projectum in Mare, Mylas allapsum sit?

DE

DE S. TECHILDE SEU THEODECHILDE

FILIA CLODOVÆI I, REGIS FRANCORUM,

VIRGINE AC FUNDATRICE S. PETRI-VIVI APUD SENONES

COMMENTARIUS HISTORICUS

D. P.

§ I. *Diploma Clodovæi, quo Sancta, ipsius filia, et monasterii fundatrix esse sustinetur.*

SEC. VI.

Fundatricis titulus constat ex Epitaphio,

Vivus, *Senonensis civitatis vicus suburbanus erat, ubi sanctis Apostolis Petro et Paulo dedicata ecclesia, cum monasterio plane regio, quod vulgo dicitur,* S. Petri-Vivi. *Fundatricem anno* MDCXLIII *adhuc loquebatur Epitaphium suum, parieti Chori ad latus Evangelii insertum, post quod sacrum ejusdem corpus inventum tunc est, sic descriptum.*

Hunc Regina locum Monachis construxit ab imo
B Techildis, rebus nobilitando suis.
Cujus nunc licet hoc corpus claudatur in antro,
Spiritus astrigero vivit in axe, Deo,
Implorans rectis Pastoribus, Euge beatum;
Det rapientibus hinc, heu male! digna Deus.

aliisque propinqui temporis documentis.

Epitaphio consonat Basoli Comitis, istic etiam depositi Epitaphium, de quo infra; necnon Privilegium Emmonis, Episcopi Senonensis, anno Chlotarii III tertio, qui fuit DCLIII, *fortasse necdum centum annis a morte Sanctæ elapsis, concessum* Agnileno Abbati et Fratribus secum consistentibus de monasterio sancti Petri et Pauli, quem Domna Theodechildis Regina quondam suo opere construxit, vel ipsa ibidem suum videtur habere sepulcrum, sub oppidum Senonis civitatis. *Quod Privilegium integrum legere est parte 2 seculi 3 Benedictini pag. 613, itaque congrue illustratum ab eruditissimo Mabilione, ut nullus relinquatur locus dubitandi de ejus sinceritate, licet transcribentium imperitia stylum fortassis pluribus exasperarit solœcismis, quam fuerant in originali membrana.*

Dicitur ipsa fuisse Clodovæi R. filia

2 Clarius, *ejusdem loci Monachus et Chronologus, qui anno* MCVIII *vixisse se indicat, et usque ad* MCXXXIV *scribendo pervenit, incipiens ab anno* CCCCXLVI, *post narratum* Chlodovæi primi *inter Francos Christiani Regis baptismum, et filios ex* Chrothilde Christianissima Regina *susceptos:* Fuit, *inquit,* præfato Regi
C et Reginæ filia nomine Techilda, quæ baptizata vovit Deo virginitatem..... Quæ adhuc vivente patre et fratribus, cœpit ædificare ad orientalem plagam urbis Senonicæ cœnobium, in honore Apostolorum Petri et Pauli. *Clarium secutus seculo* XIII *ineunte* Robertus Antissiodorensis *in Chronico; et eodem seculo exeunte* Gaufridus a Collone *in tractatu de Reliquiis ecclesiæ ipsius similia habent; tum quotquot exinde cœnobii istius meminerunt. Quin etiam Romani Pontifices (quorum agmen ducit* Paschalis II, *initio seculi* XII *Ecclesiæ clavum tenens) identidem hæc verba dicuntur repetere,* Quod videlicet monasterium Theodechildis, Chlodovei Regis filia fundasse, et rerum suarum muneribus ditasse cognoscitur: *nec omnino quemquam dubitasse existimo, donec hoc curioso seculo cœperunt omnia, etiam antiquissima, rerum præteritarum monumenta adduci in examen; non quidem absque levi eorum molestia, quibus injustum videbatur cogi se ad reddendam rationem, non semper facilem, rerum suarum; sed non sine magno ipsorummet emolumento, dum agitata contradictionibus ejusmodi rerum veritas, elucescit magis; ac tandem deterso pulvere, quem adduxerat nimium sui secura antiquitas, certa ab incertis, verosimilia a certo falsis discernuntur.*

in Chronicis monasterii et Bullis Pontificum,

de quo tamen cœptum dubitari hoc seculo:

3 *Quod sane videtur accidere primis illi* Clodovæi Regis *et* Theodechildis Virginis *Regiæ tabulis, quibus fundatio prædicta continetur. Has enim criticorum plurium, judicio ventilatas, ac pæne communi consensu eruditorum rejectas, D. Hugo Mathoud, a suppositionis calumnia dicitur vindicasse, in opusculo necdum mihi viso de vera Senonum origine Christiana et de Episcopis Senonensibus edito sub an. 1687. Ne autem ipsum desiderarem, fecit diligentia D. Tossani du Carroy, ibidem anno* MDCXCI *Supprioris, prolixa epistola dignati* E *respondere dubiis a me motis in Propylæo ad tom. 2 Aprilis; quatenus ea videbantur prædictorum instrumentorum sinceritati officere. Sed multis eorum jam satisfecerat in suo eruditissimo opere de re diplomatica D. Joannes Mabilio; accedente autem, quam ex epistola illa hausi luce, quamque ex prædictis opusculis facile erit haurire ipsa habentibus; mihi opus non est operosius hic reproducere; sola remansit difficultas salvandarum, quæ in iis sese offerunt Chronotacticarum notarum, vel vitii si quod irrepsit antiquis originalium veterum jamque evanidarum transumptis, corrigendi per veram temporum rationem. Incipio ab ipsius Regis diplomate, cujus hic est tenor, ex duplicis ecgraphi collatione descriptus, omissa discrepantium leviter lectionum varietate, quam exemplar nobis missum accurate habet notatam in margine.*

præsertim circa instrumentum Regis,

4 In Christi nomine Clodoveus, Rex Francorum, omnibus Christi fidelibus, qui consistunt in universo regno meo. Pax et veritas sit semper nobiscum. Anno tertio, postquam baptismi gratiam percepi, per manus Patris mei Remigii Remorum Episcopi, et catholice imbutus sum omnem legem Christianam; residente me in urbe Parisiaca, cum uxore mea Crothilde, per cujus exhortationem ad F Christianam legem perveni; una cum filiis meis, Theodorico videlicet, Chlodomiro, Childeberto et Chlotario, ceterisque Proceribus Francorum; venit ante præsentiam meam filia mea charissima Theodechildis, quæ se devovit virginem in Christo, postulans a me multis precibus, ut ei quantamcumque portionem condonarem de hereditate mea, seu de hereditate matris suæ; postulans insuper, ut in ipsa hereditate ei liceret ædificare monasterium Monachorum, in honorem Apostolorum. Audiens igitur ego tam justam postulationem, tradidi illi partem de hereditate mea, quæ venit in sorte mea, ex parte uxoris meæ Crothildis quæ hereditas fuit patris ejusdem uxoris meæ, Chilperici Regis Burgundionum.

qui dicit, se anno 3 post baptismum, suum

dedisse filiæ bona hereditatis maternæ, ex parte patris R. Burgundionum,

In primis igitur trado ei ecclesias meas duas, unam in honorem beatorum Martyrum Saviniani et Potentiani, alteram in honorem B. Serotini Martyris, cum omni decimatione, et quidquid ad ipsas pertinere videtur: distant enim ipsæ ecclesiæ ab urbe Senonica milliario uno; inter autem ipsas ecclesias sunt passus fere quinquaginta. Igitur in cœmeterio ipsarum ecclesiarum.... Est enim in ipsis ecclesiis beatorum Martyrum, ab antiquis temporibus, sepultura Præsulum Senonum seu Clericorum S.

sita in agro et urbe Senonensi,

A S. Stephani, et Procerum ejusdem urbis, populique ipsius pagi, ob corpora Martyrum; successoresque eorum, venerandi Pontifices Senonicæ urbis, id est, Leontius, Severinus, Audatus, Eraclius, Lunanus, Simplicius, et Theodoricus Archidiaconus, cum aliis sanctis viris. Trado etiam illi villam meam indominicatam, Vicum nomine, cum appendiciis suis: in qua, sicut diximus, ædificare desiderat filia mea charissima monasterium suum, id est, Planta, Malfiacum subteriorem, et aquam Venandam, quæ ibi currit, cum Molendinis, et silvam; terram etiam quæ est ad Spinetum, vel quidquid in circuitu ipsius vici S. Petri habere et possidere videor. Mercatum etiam in ipso vico in feria v concedo illi: Feriam autem annualem similiter concedo illi, in festivitate Apostolorum Petri et Pauli etc. *Sequuntur nomina plurium ecclesiarum et villarum, quibus in Senonensi diœcesi positis, hactenus ex parte fruitur monasterium, ceteris per Archembaldum Episcopum aliosque Optimates (ut antiqua ferunt Chronica) injuriose distractis et retentis, quorum enumerationem, alibi facile reperiendam, operosius transcribere superfluum Tossanus credidit. Ego vero interesse reor ejus,* B *qui de scriptura tota judicaturus est, sincerane ea sit an non et quatenus; ut totum contextum præ oculis habeat. Igitur ex Miscellaneis curiosis Labbei nostri pag.* 389 *sequentia habe.*

cum omni immunitate sicut ea Burgundi tenuerunt,

6 Feriam autem annualem similiter concedo illi in festivitate Apostolorum Petri et Pauli, quæ est tertio Kalendas Julii. Item, ut nullus ex Ministris nostris, neque Comes, neque Vicecomes, neque ullus Judex, publice in mercato, neque in ipsa feria annali, ullam consuetudinem accipiat, nisi ipsi Monachi qui ibidem Deo deservierint, neque rotaticos, neque homines distringendos: sed teneant secure absque ulla contradictione, sicuti antecessores mei Reges Burgundionum tenuerunt. Trado autem illi terram quæ vocatur Castellum-Britonis, et Villam-Mari. Ecclesiam autem meam, quæ est in honore Martyrum Saviniani et Sociorum ejus, cum omni decimatione, concedo illi. Villam etiam quæ vocatur Saucerys, cum silva quæ in ea est. Trado illi similiter et villam, quæ vocatur Seligniacus major, una cum silva, quæ in ea est; et villam, quæ vocatur Seligniacus minor concedo illi. In civitate autem (ut sciat omnis populus, quia Catholicus factus sum, et hoc quod facio libenti animo facio) juxta portam quæ C est ad Orientalem partem, trado illi capellam meam indominicatam, in honore sancti Petri dicatam, quam construxit uxor mea Crothildis: areas quoque sexaginta in civitate. Ultra Igaunam autem terras cultas et incultas cum vineis: item pontem qui est supra ipsum flumen, et areas subtus pontem; piscatoriam habentem perticas quadraginta sex, et dextros duos: Retineo autem in manu mea areas plurimas in ipsa civitate, et Massiliacum-majorem cum appendiciis suis.

7 Extra res quas trado per hanc chartam filiæ meæ carissimæ, adhuc alias res trado, quarum hæc sunt nomina. Ecclesiam quæ est in villa quæ vocatur Vianaretum, cum decimatione; et totam ipsam villam, cum appendiciis suis, et silvam quæ in ea est. Similiter Ecclesiam, quæ vocatur Villa-Jaso cum omni decimatione; et totam villam, cum silvis sibi subjectis. Ecclesiam quoque quæ vocatur Ciconias, in honore S. Petri dicatam, et totam decimationem; totam ipsam villam, cum silvis sibi subjectis, et cum omnibus appendiciis suis, quarum hæc sunt nomina. Villa quæ vocatur Bardellus, super Igaunam fluvium, cum molendinis et piscatione, cum pratis, vineis, terris cultis et incultis etc. Hæc omnia cum mancipiis desuper manentibus, mansis, domibus, ædificiis, cultiferis, mundiscapis, vineis,

item alia multa proprii juris sui

silvis, campis, pratis et pascuis, aquis aquarumque D decursibus, totam et ad integrum rem inexquisitam cum omni soliditate, ad prædictum monasterium ad honorem peculiaris Patroni nostri Apostoli, fundatum illis, qui ibidem die noctuque deinceps Deo famulari noscuntur, proficiat in augmento. Præcipimus igitur atque statuimus idem monasterium, quod filia mea carissima fundare cupit, cum omnibus ad se pertinentibus, sub nostra defensione atque mainburdio; et hujus nostræ regiæ auctoritatis confirmationem, ab omni strepitu et judiciariæ potestatis auctoritate, adeo liberam et securam esse decernimus; ut nullus Judex publicus, vel quilibet judiciariæ potestatis auctoritate suffultus, in ecclesias, aut loca, vel agros, seu aliquas possessiones, quas præsenti moderno tempore, in quibuslibet territoriis infra ditionem regiminis nostri, juste et legaliter præfatum monasterium possidere videtur, vel in ea quæ deinceps ipsius Monasterii dominio devenerint, ad causas audiendas, vel freda aut tributa exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, aut fide jussores aut homines ipsius monasterii, tam ingenuos quam servos, super ejusdem terram commanentes, sua temeritate restringendos; nec ullas re- E dhibitiones aut illicitas exactiones requirendas; per laticos, nec teloniarios, nec rotaticos sive portaticos aut ripaticos tollendos, nostris vel futuris temporibus, ingredi vel auferre præsumat: sed omnia sint secura et pacifica plenissima defensione: et sic ea teneant Monachi, sicut antecessores mei Reges Burgundionum tenuerunt secure et quiete, et plenissima libertate absque ulla contradictione. *His ex Labbeo transcriptis, pergo cum ecgrapho Tossaniano.*

AUCTORE D. P.

ad constructionem monasterii; sub mundibordio regio,

8 Trado illi etiam Ducem Basolum, admodum superbum et tumidum, modo vero humiliatum, quem catenatum retineo, cum omni hereditate sua, cum castellis, vicis, terris, ecclesiis, et reliquas possessiones suas, eo tenore, ut ab hodierna die et deinceps totum et ad integrum rem inexquisitam, ad prædictum monasterium S. Petri Senonensis, omnibus temporibus permanere decernimus, in alimoniam servorum Dei, qui ibidem per tempus successerint, et assiduam pauperum acceptionem et luminaria continuanda, et Sacrificium offerendum, vel ipsa domo Dei dirigenda, ipsæ res in futuro permaneant. Sunt autem ipsæ res Basoli in Arvernica provincia, et in Lemovicino, et in Caturcensi F pago, et Petragorico pago, et in Galvoduno pago.

item possessiones Ducis Basoli in Aquitanicis Provinciis,

9 Postulo igitur ego Clodoveus Rex Francorum, successores meos Reges hanc donationem, quam contuli Deo et Apostolis ejus, et filiæ meæ carissimæ Techildi, Monachisque ibi Deo servientibus, ut firmam et stabilem permanere faciant per cuncta secula. Amen. Si quis autem contra hanc scriptionem venire tentaverit, imprimis iram Dei incurrat, et nullo modo evincere valeat: omnipotens autem Deus, qui dixit, Mihi vindictam, ego retribuam; ipse illum condemnet, qui hanc nostram chartam in aliquam calumniam immiserit. Amen. * Actum publice in urbe Parisiaca coram filiis. † Ego Chlodoveus in Dei nomine Rex Francorum, manu propria firmavi et subscripsi. † Ego in Dei nomine Crothildis Regina. † Ego in Dei nomine Theodoricus filius Rex. † Ego in Dei nomine Clodomirus Rex, filius ejus. † Ego in Dei nomine Childebertus Rex filius ejus. † Ego in Dei nomine Clotarius Rex filius ejus. † Ego in Dei nomine Theodechildis, filia ejus carissima. † Ego in Dei nomine Eraclius Archiepiscopus Senonum.

subscribentibus Regibus eorumque liberis 5 *et* 8 *Episcopis,*

10 † Ego in Dei nomine Remigius, jam senex, Remorum Episcopus. † Ego in Dei nomine Principius, Suessionis Episcopus. † Ego in Dei nomine Medardus

Auctore D. P. etiam post tempus datæ.

A Medardus, Noviomensis Episcopus. † Ego in Dei nomine Vedastus, Atrebatensis Episcopus. † Ego in Dei nomine Germanus, Parisiorum Episcopus. † Ego in Dei nomine Austregisilus, Bituricensis Archiepiscopus. † Ego in Dei nomine Genebaudus, Lauduni primus Episcopus. *Hi septem ultimi præsentes non fuerunt cum scriberetur instrumentum; quidam etiam nec esse potuerunt, per temporum et ætatum rationes, sed postea rogati (secundum morem, a Mabilione probatum lib.* 2 *cap.* 20 *et exempla proferente tabularum ipsarum, ad autographum sculptarum, lib.* 5 *tab.* 17 *et tab.* 21 *num.* 2 *) septem, inquam, illi nullo ordine subscripserunt, spatio eum in finem vacuo relicto; signantibus denique primo Regis Consiliario (Majorem domus posteri dixere) et Cancellario sive Notario* † Ego in Dei nomine Aurelianus, Consiliarius Regis. Geilebertus hoc testamentum scripsi et subscripsi. † Data mense Octobris, Indictione prima in Dei nomine Parisius in urbe regia. *Consideratu hic digna sunt quædam signa præfixa subsignationibus fere singulorum. Solus eo caret* Vedastus: *et* Crothildis *ipsum nomini suo postponit. Ipsa signa, quæ typorum tam singularium defectu exprimi suo loco non potuerunt, invenies infra Epitaphium Basoli, ex Duce monachi.*

§. II. *Diplomatis quoad substantiam fides asseritur, interpolationes notantur, annus Sanctæ natalis quæritur.*

Alicubi intrusus annus Christi 500

B Hæc *fidelissime ex duplici legali apographo, altero an.* MCCCLXVIII, *altero* MCCCCLXXXV, *sua manu descripsit mihi D. du Carroy, ubi ad * solum legitur,* Actum publice in urbe Parisiaca coram filiis meis. *Aliud ecgraphum minus sincerum habuit Labbeus, ex quo insuper legit,* Anno Domini quingentesimo; regni vero sexto decimo; a baptismo autem anno tertio. *Ubi tria convenit notari. Primum, quod tunc de* anno Domini *notando necdum cœperat cogitare, fortassis necdum studio ulli graviori idoneus, Dionysius Exiguus, Abbas Romanus, primus annorum ab Incarnatione numerandorum inventor, circa an.* DXXXIII; *Secundum, quod annus regni, qui ponitur* XVI, *tunc esse debuisset* XXI *secundum Henschenium; secundum alios saltem* XIX: *obiit enim juxta Turonensem Rex anno regni* XXX, *ætatis* XLV; *Christi juxta Henschenium,* DIX; *juxta alios,* XI. *Tertium, quod circa Baptismum istum varie hallucinati medii ævi chronologi sunt: sed omnem ambigendi locum sustulit Anastasii II Papæ Epistola, de illo suscepto gratulatoria: hic enim Pontifex sedere cœpit anno* CCCCXCVI *die* XII *Septembris, nec vixit ultra* VIII *Septembris anni* CCCCXCVIII, *sicut puto me satis probasse. Ex hoc autem fundamento, nihil contradictionis est, quo minus potuerit facta esse Donatio anno suscepti baptismi* tertio, *eodemque* anno Domini quingentesimo. *Sed manet, quod hic annus fuerit intrusus a posteris, et quidem vacillantibus circa initium regni; gravius autem lapsis, cum characteribus illis præsumpserunt addere* Indictionem I, *quæ Octobri anni* D *omnino numerabatur* Indictio IX. *Legitur illa* Indictio I, *non solum sub ecgrapho quo Labbeus est usus, sed etiam sub iis quæ Viviani Monachi servant et æstimant; unde certo apparet neque hæc omnino esse ab interpolationibus pura. Equidem non existimo pro omnimoda suorum ecgraphorum sinceritate pertinacius pugnaturos Vivianos, cum Mabilio, inter Benedictinos eruditissimus, numquam sibi potuerit persuadere veracia esse, ne quidem quoad substantiam, nusquam ausus fundatricem ipsorum* Theodechildem, *filiam Chlodovæi asserere, quam, inquit,* alii Chlodovæi, alii Theodorici filii ejus nothi, filiam; alii virginem, alii nuptam dicunt.

cum Ind. I, quæ non consistunt: Regni 16

C

quare nec Mabilio sincerum diploma credit.

12 *Qui* Chlodovæi filiam *negant, fere etiam sustinent, nec esse potuisse saltem ex* Chrothilde, *vix octo annis ante diem diplomatis, ut ipsi quidem existimant, ducta. Prius ergo ductam si sustineri possit, poterit eatenus verum esse diploma; quod ego in tam constanti Vivianorum Chronologorum asseveratione negare nolim, nisi evidenti ratiocinio convictus. Videamus ergo an Chrothildis matrimonium, et (quod consequens foret)* Theodechildis *nativitas usque ad annum* CCCCXC *differri necessario debeat, ex mente S. Gregorii Turonensis. Narrat hic lib.* 2 *cap.* 27, *quomodo Rex adhuc Gentilis multa bella victoriasque fecit*: nam decimo, *inquit,* regni sui anno Thoringis bellum intulit, eosdemque suis ditionibus subjugavit: *deinde ad ejus baptismum transiturus, cui occasionem dedit uxor, ex Burgundionibus sumpta, incipit Regum illorum historiam texere; quorum unus Gundobadus, fratris a se occisi filias duas exilio damnavit*, quarum junior Chrothildis vocabatur. Porro Chlodovæus dum legationem in Burgundiam sæpius mittit, Chrothildis puella reperitur a legatis ejus: qui cum eam vidissent elegantem atque sapientem, et cognovissent quod de regio esset genere, nuntiaverunt hæc Chlodovæo. Regi. Nec moratus ille, ad Gundobadum legationem dirigit, eam sibi matrimonio petens: quod ille recusare metuens, tradidit illam viris: illique accipientes puellam, Regi velociter repræsentant. Qua visa, Rex valde gavisus, suo eam conjugio sociavit, habens jam de concubina filium nomine Theodoricum. *Hinc consequi vult eruditus Annalista saltem biennium intercessisse inter bellum Turingicum et regium istud matrimonium: ex quo licet prima supponeretur processisse Theodechildis, ante Ingomerum, statim a baptismo per matrem procurato mortuum, et Chlodomerum baptismo superstitem; vix potuit ipsa in illa sententia fuisse octennis tertio post baptismum patris anno; tres autem ejus fratres debuissent fuisse gradatim minores, quando leguntur subscripti paternæ donationi.*

D *Si dicatur Sancta esse nata ex Chrothilde*

ducta non anno 492

E

(quod ex Turonensi assumitur,

13 *Ego, quanto attentius considero Turonensis historiam, libris præsertim duobus primis; tanto minus invenio observatum ab eo ordinem annorum. Res ille potius summatim et conglobatim perstringit: et sic nihil cogit matrimonii Burgundici tractationem bello Turingico posteriorem facere. Ponamus ergo octodennem Regem cum genuit Theodoricum, vicennem cum duxit Chrothildem; annus tunc fuerit regni quintus, Christi* CCCCLXXXIV *vel* VI; *adeoque proles regia jam cœperit adolescere tertio post baptismum susceptum anno, Christi* D. *Huic tamen* tertio anno *cur mordicus teneamur adhærere, non video. Tam enim hic annus potuit vitiari in ecgraphis præcitatis, vel ex ingenio transcribentis fuisse adjectus, quam nota Indictionis, stirpis Merovingicæ Regibus insuitatæ, aliaque nonnulla. Inhærendo igitur communi eruditorum sententiæ, Regium Baptismum referenti ad Natalem Dominicum anni* CCCCXCVI, *posset pro* anno *abinde* tertio, *substitui annus* tertius decimus, *et Donatio signata credi mense Octobri anni* DIX *etiam in calculo Hensceniano; quo Rex obiisse dicitur ipsomet anno, die* XXVII *Novembris; nedum in sententia aliorum, eam mortem in annum* DXI *differentium: quando non solum* Theodechildis, *sed etiam minor omnium natu* Chlotarius *potuit pubertatem attigisse.*

ast male intellecto)

sed circa 486;

F *et si pro an. 3 post baptismum sumatur 13, Christi 509,*

14 *Talis mutatio* anni tertii, *in* tertium decimum, *evadit molestiam minime levem, quam contra ipsius donationis substantiam oggerit eruditus Annalista, Labbeum nostrum secutus, dum quærit* quid juris Chlodoveo per Aquitaniam esse potuit anno Christi quingentesimo, bello Gothico, quo Regem Alaricum sustulit, et universam Aquitaniam subegit, nondum suscepto? *Nam teste Gregorio Turonensi* migravit Chlodoveus post Vogladense bellum, *quo victus Alaricus fuit,* anno quinto, *adeoque commissum prælium istud primum est anno* DIV *vel* VI. *Atqui* Arvernica provincia, Lemovicinusque, Caturcensis, Petragoricus

subacta jam pridem Aquitania ab an 504 vel 6,

A ricus, et Galvadanus, Pagi, *in quibus suas, Theodechildi transcriptas, habebat* Basolus *possessiones, ad Aquitaniam spectant : ipse vero* Dux Basolus *ex suomet Epitaphio intelligitur proditionis titulo conjectus in vincula, utique post fidem Regi datam, compertus cum Gothis Aquitania pulsis res novas moliri, ut merito captivitas ejus ad ultimos Chlodovæi annos omnino referenda videatur. Neque hic nobis objiciat aliquis mortem* Eraclii Episcopi Senonensis, *ad annum* DVII *relatam a Baronio, qui proinde non potuisset tanto serius factæ donationi subscripsisse vivus; invenitur autem non solum subscriptus instrumento* Chlodovæi , *sed etiam alteri* Theodechildis, *anno post patris obitum nono. Isti enim in Episcopatu suus frater successit, ac verosimiliter brevi supervixit tempore; proximus autem ab iis Senonensis Episcopus Leo, non ante annum* DXXXIII *notus habetur; ac proinde gratis dicitur* Eraclius *obiisse anno* DVII, *et quod sine argumento ac teste dicitur, libere negatur, cum hactenus nihil obstet, quo minus ille vixerit ad annum* DXXII *et ultra.*

et Basolo in vincula dato.

Potest etiam Eraclius Episc.

vixisse ultra an. 520,

15 *Carolus le Cointe, certus antiquitati isti indulgere nihil, sed utrumque instrumentum ut* ridiculum ac falsum *habere, fidenter pronuntiat* ista non aliam ob causam inventa, quam ut monasterium S. Petri, quod virorum est, antiquitate par credatur cœnobio B virginum, quod Eraclius Antistes in suburbio Senonensi condidit. *Sed prius ostendendum ei erat, aliquod puellare cœnobium ab Eraclio conditum, Chlodovæo adhuc vivente. Ejus enim monasterii alia nulla memoria superest, quam in quadam Chronica Senonensi, per D. Tossanum nobis allegata, ubi legitur, quod* S. Eraclius fundavit monasterium; et quia virginitatem diligebat, in honore B. Apostoli et Evangelistæ et Virginis, fundavit ibidem Sanctimoniales Virgines, ponendo illud prope S. Petri vivi. *Idem Vita ejus ad* VIII *Junii edita confirmat, dicens*, quod Ecclesiam supradictam idem Pontifex de rebus propriis pulchre dotavit; et quæ digne Deo in ea deservirent Virgines aggregavit. *Addit Tossanus, quod ipsæ* ibidem permanserunt usque ad annum DCCXXXV. *Quo posito, verba hæc Emmonis Archiepiscopi in prænotato privilegio, ut nullus Episcoporum*, nisi rogatus a Congregatione ipsa vel Abbate, audeat adire secreta aut feminea septa, *intelligi debebunt de Sanctimonialibus, contiguas majori ecclesiæ S. Petri mansiones habentibus, et proprium seu privatum oratorium S. Joanni Evangelistæ dicatum*, non longe a majori C cœnobii area, ubi, *inquit Tossanus*, Crux etiamnum stat erecta ab antiquis temporibus. *Sed et in ipsa majori ecclesia videntur eædem habuisse supra primariam portam chorum pensilem, unde prospectus eis esset in majus altare ad Missas audiendas aliaque divina Officia; sic tamen, ut psallentes monachos non viderent Virgines, nec ab ipsis conspicerentur : nam in Processionali anni* MDCLXI *etiamnunc nominatur* Sedes B. Theodechildis, quam habet in Choro Virginum.

nec probatur puellare monasterium diu ante fundasse

cum satis sit si concedatur id aliquando fecisse,

16 *Sed horum nihil firmat censuram prædictam, quamdiu non probatur puellare aliquod monasterium prius fundatum quam virile : quin potius ipsum antiquorum diplomatum silentium de eo quod alias virili cœnobio subjiciendum fuerat; satis verosimile facit non nisi post fundatos viros de Virginibus aggregandis cogitatum fuisse, quarum primæ præsumi possunt fuisse eæ, quæ* S. Theodechildi, *citra professionem monasticam Deo servienti, et Reginæ titulum statumque retinenti ad familiare ministerium aderant; quasque ea mortua vel adhuc vivente*, S. Eraclius *per veli impositionem consecravit. Quod velum ipsam quoque Reginam ante mortem suscepisse, uti nihil vetat credere, ita nec suadet ulla idoneæ antiquitatis auctoritas. A puellari quidem ætate* Devotam Deo *ipsa et Pater Rex appellant, sed ejusmodi appellatio Monasticam professionem nequaquam importat, prout ingenue agnoscit Mabilio ad vitam S. Ebbonis num.* 6, *allegans verba* D *Clarii narrantis, quomodo* Donna Ingoara Deo sacrata soror S. Ebbonis, *et alia ejusdem soror* Leotheria sive Mummia, similiter Deo sacrata, dederunt cunctam hereditatem suam S. Petro... *et ibidem* jacent in oratorio S. Mariæ, ubi et ipse S. Ebbo consepultus, innumerabilibus post mortem claruit virtutibus *ante annum* DCCXLIV *defunctus, uti demonstrat Mabilio, nec ullis hactenus Fastis sacris adscriptus, eo quod dies ignoretur.* Ingoaræ *nullum instrumentum proditur, unde discernatur, fueritne illa vere soror Ebbonis, ut Clarius præsumit; de utraque addens, eas sic disposuisse* vivente adhuc et confirmante Ebbone fratre suo : *de* Leotheria *merito dubitatur, cum ejus*, de æterna retributione et sepulturio suo *solicitæ, testamentum signetur anno quinto regni Chlodovæi Regis, scilicet Junioris, concurrente cum anno Christi* DCXCV. *post quod tempus Ebbo annos fere quinquaginta supervixit.*

idque post fundatum monasterium virile a Sancta;

AUCTORE D. P.

quæ non videtur facta Monialis, sed solum ex voto Virgo vixisse

17 *Restat ultima difficultas, eaque meo judicio gravissima, quia ipsammet rei substantiam propius attingit, neque est per numeri mutationem corrigibilis. Fundi omnes, hac donatione comprehensi, præter eos qui Basoli Ducis fuerant, intra diœcesim Senonicam comprehenduntur, in qua Burgundionibus, antequam Francis subjicerentur, nec unus quidem pes terræ obtigit : et tamen profitetur Chlodovæus, se filiæ tradere* partem de hereditate *sua*, quæ venit in sorte *sua* ex parte uxoris *suæ* Chrothildis; quæ hereditas fuit patris ejusdem uxoris *suæ*, Chilperici Regis Burgundionum. *Deinde bis præcipit idem rex, eos fundos teneri a Monachis*, secure et absque ulla contradictione, sicut antecessores *sui* Reges Burgundionum tenuerant. *Merito hic interrogat Annalista*, quis veterum scripsit, Senonense territorium a Burgundis ad Francos transiisse, quia Clotildis Burgunda Clodoveo Francorum Regi nupserat? *Equidem non existimo, quemquam esse qui sustinere velit, ita Regem scripsisse; sed multos fore, qui interrogatos Vivianos velint, quomodo putent scriptori suo in mentem venire potuisse, ut notaret rem adeo ab omni verisimilitudine alienam et falsi condemnandum a quocumque vel modice in Francorum gestis versato. Ego rem factam hoc modo concipio.*

Non potuit Rex dicere, quod Senones teneret ex Parte S. Chrothildis E

(in quos Burgundis Regibus nihil juris fuerat)

18 *Puellam sibi Rex petierat acceperatque nulla facta dotis mentione, nedum paternæ hereditatis, quam sciebat a Gondebado non posse absque armis recuperari. Hæc dum parat contra tyrannum, qui fratrem suum Regem occiderat, et filias orphanas competenti singulis parte spoliatas dimiserat; cesserit Chrotildi Senonum partem pro jure quod hæc in Burgundia habebat hereditarium, eodem jure possidendam, quo possedisset, si illam revera Childericus pater tenuisset. Sic inceperit eosdem Clodoveus non jam proprio, ut antea, sed uxorio jure tenere, ipsosque* hereditatem Chrothildis *appellare, per quamdam juris fictionem, quo illi directum dominium Senonum, Regi vero marito indirectum dumtaxat competere censebatur : vi cujus cambii Burgundicum regnum vindicaret sibi Rex pleno ac directo jure. Hoc vero cum terminis perquam obscuris insinuaret donatio originaria, nec satis caperet ejusdem forsan amissæ secundus vel tertius scriptor, ita loqui maluerit, acsi revera Chilpericus ejusque majores Senonum Reges fuissent. Usitata antiquis, præsertim Longobardis, ac verosimiliter etiam Francis erat Donatio propter nuptias* ; Morghengabam *illi dicebant, eo quod post primam noctem sponsæ a sponso dabatur* pro bono mane, *ut loquitur Ernestus Bavariæ Dux, apud Cangium in Glossario. Respondebat autem ejusmodi donatio doti, quam sponso attulerat sponsa : lege tamen cautum apud Longobardos erat, ne ejusmodi donatio excederet quartam partem bonorum sponsi. Sed hujusmodi titulus, non habebat rationem hereditatis,* adeoque

nisi forte ex cambio facto, cum illa F

vel donatione eidem facta a se causa nuptiarum.

A *adeoque minus aptus est huic loco; ubi quæritur, quomodo de Senonibus disponere Clodovæus potuerit, tamquam de suæ uxoris hereditate; quod habetur per titulum cambii cum ipsa hereditate facti.*

AUCTORE D. P.

§. III. *Prædicta fundatio, proprio Theodechildis testamento completa, nono post mortem patris anno.*

Certius probatur Chlodovæi filia Theodechildis,

ex hujus sinceriori testamento :

Præmemorata Chlodovæi donatio sic excusata, ut quoad substantiam dumtaxat possit verificari, non autem quoad cetera adjuncta; adeoque non debeat pro originaria vel ex originariis sincere transcripta haberi; haud magnam videbitur vim habitura, ad probandum quod Regis istius filia fuerit revera fundarix sæpe dicti monasterii; nisi id aliunde certius probaretur. Probatur autem, ut supra dixi ex Epitaphiis et antiquissima traditione ipsius loci, cujus nihil intererat, an Fundatrix sua fuerit Chlodovæi filia vel neptis, an seculo VI *ineunte vel adulto floruerit, ut propterea vellent Deo consecrati homines ex integro comminisci Chartas et Epitaphia. Hæc certe suam adhuc antiquitatem loquuntur aspi-* B *cientibus; et istarum primæ, imbecilliori ad fidem, suffragatur altera longe sincerior, et in qua redarguere nihil possis præter* Indictionis annum, *a transcribente intrusum.* Testamentum, *inquam, ipsius* S. Theodechildis, *quod ex transsumpto anni* MCCXXI *prælaudatus Tossanus sic mihi transcripsit.*

quo cedit monasterio

20 Domino [et] sacrosancto monasterio, in honorem beatorum Apostolorum Petri et Pauli, sub oppido civitatis Senonum, nostro opere [a] fundamentis constructo. Ego in Dei nomine Theodechildis filia Clodovei quondam Regis.

multos fundos et ecclesias in Senonico,

Illud unusquisque ad mercedis augmentum, sibi Domino retribuente, confidat pertinere, si aliquid de rebus propriis, erga loca Sanctorum, plena animi devotione, cum inspiratione divina, futuris temporibus, in alimoniis servorum Dei vel pauperum, voluerit delegare. Igitur ergo, pertractans casum humanæ fragilitatis, pro amore D.N.Jesu Christi, et meorum facinorum parentumque nostrorum abluenda discrimina, per hanc epistolam cessionis, cedo ad ipsum locum sanctum, cessumque in perpetuum esse volo, et de jure meo in jure et dominatione ipsius ecclesiæ transcribo atque transfundo, hoc est rem proprietatis meæ, quæ a progenitoribus nostris in hereditatem nobis successit. Id est Massiliaco subteriore et Planea, vel quod in circuitu in ipso C vico S. Petri habere et possidere videor seu in pago, tam de comparato vel de quolibet attracto, ad nos noscitur pervenisse. Item villas, quarum nomina sunt, Saliniaco, Sanciacas, Vicinias, Cicunias, Fontanas, Villacato, Curtemauro, Fusciaco, Villare, Tresmonte, Parido, Vogadro, Baionæ medietatem. In Geminiaco ecclesiam in honore S. Petri, et quidquid ibidem aspicere videtur cum integritate; Baniaco cum integritate : aream quoque piscatoriam in Igauna fluvio, subtus pontem, habentem perticas XL et VI, et dextros duos, quam a genitore meo præfato Chlodoveo pro hoc ipso impetravi. In pago Maglidonensi, villa quæ vocatur Villa-vetus Campaniæ, Silviniaco cum integritate; et in pago Althiodrense locello cognominato Misciaco. Hæc omnia cum mancipiis desuper manentibus, mansis, domibus, ædificiis, curtiferis, vineis, campis, silvis, pratis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, totum ad prædictum locum in honore peculiaris Patroni nostri Petri Apostoli fundatum, illis qui deinceps diu noctuque Dei ibidem famulari noscuntur, proficiat in augmentum.

21 Illud quodque nobis in præsenti epistola cessionis addere complacuit; ut res quas homo aliquis, nomine Basolus, pro redemptione vitæ suæ, in Aquitania nobis per suum Instrumentum condonavit, in locis quorum nomina subtus continentur inserta, pleniter ad supradictum locum perpetualiter in Dei nomine proficiat in augmentum. Id est in pago Alvernico in vicaria Mauriacensi, in primis in ipso vico Mauriaco [ecclesia] in honore S. Thyrsi Martyris constructa, vel quidquid in ipso vico portio mea videtur ad integrum; et casam indominicatam, in loco nuncupante Cuciniano cum appendiciis; id sunt Turpiaco, Cartigias, Muntefugo, Albolo, Viriliaco, Carice, Fagido, Farro, Abbierolas, Ternesugo, Bolon, Erausino superiore cum integritate, Montetredente, Nova-villa, Villa-barbarorum, Carmina, Biavera, Areas, Magniaco, Rigniaco, Surigniaco, Bion, Montesagin, Metiaco, Toliniaco, vel quidquid ad ipsa loca pertinere videtur, tam [in] mansis, domibus, ædificiis, servis et liberis, terris cultis et incultis, silvis, ingrediciis, pratis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, totum et ad integrum rem enexquisitam. Etiam et in pago ipso Albernico, villa quæ vocatur Ursicide, cum mansis et servis ibidem commanentibus, et vineas indominicatas cum integritate. D

cum bonis a Basolo sibi cessis in Arvernia

22 Similiter et in pago Lemovicino Sancticiaco ecclesias quatuor, una in honore S. Mariæ, S. Petri et S. Sulpitii, alia in honore S. Joannis Baptistæ, tertia in honore S. Juliani Martyris, quarta in honore S. Martialis : ad quas subjecta sunt loca denominata Logunzanicas, ubi casa indominicata memorato Basolo fuisse dignoscitur; villa quæ vocatur Pungum super alveum Dornoniæ; villa Rigato, Clusa, Vapra, Villa-hibernalis, Monte majorinas, Casanica; item Monte-cisternas, Vuarado, Papulanias, Pomenus, Lonena Riberia, Eredia, Culippia, Luco, Fanzanicas, Eugavicas, Casanicas, Clanciaco; item Monte-villa quæ vocatur, Latissima, Marimilla, Ursinanicas, Adilla, Fagia; item Jasunias, Marisco, Transmonte, Cabianias, Reufenias, Halmabras, Milla, Milla-Vetula, nec non etiam et in ipso pago Lemovicino Ingrafia, Canteleuse, Brutia, Luco, Vuapra, Nubriaco, omnia et ex omnibus quidquid in prædictis pagis aut territoriis habemus, tam in mansis, coloniis, ædificiis, silvis, vineis, campis, pratis, pascuis, aquis aquarumve decursibus cum itibus, reditibus, ad ipsa loca superius nominata adspicientibus, totum et ad integrum rem inexquisitam, ad prædictum monasterium S. Petri omnibus temporibus permanere decernimus, in alimonia servorum Dei, qui ibidem per tempora successerint, et assidua pauperum receptione; in eleemosyna videlicet Domini et Genitoris mei Clodovei, et remedio animæ meæ, habeat luminaria continuanda, vel ipsa domo Dei dirigenda, ipsæ res permaneant. E F

et pago Lemovicino,

sub diro imprecatione

23 Si quis vero contra hanc conscriptionem nostram, qua [supradicta ad] memoratum monasterium plena et integra voluntate conscribere rogavimus, et præsentialiter tradidimus ullo unquam tempore de heredibus nostris, aut ulla opposita persona aliquid opponere aut repetere vel contradicere tentaverit; imprimis iram Dei omnipotentis incurrat, et a populo Christiano sequestratus, et a communione alienus fiat: et insuper inferat, partibus ipsius monasterii, distringente fisco, auri libras XV, argenti pondera L; et nihilominus quod cupit evendicare non valeat: sed hæc cessio voluntatis nostræ, auctore Domino perpetem obtineat firmitatis vigorem, cum stipulatione subnexa. Actum Senon. in mense Septembr. anno nono regnante Chlotario germano meo, indictione secunda, in Dei nomine feliciter Amen.

in invasores,

attestantibus Episcopis et Abbatibus variis,

† Ego in Dei nomine Theodechilda, Deo devota, manu propria firmavi.

† In Dei nomine Heraclius Senonens. Archiepiscopus

A scopus. In Dei nomine Geritus Episcopus rogatus. In Dei nomine Helatius Abbas. In Dei nomine Moschardinus Archidiaconus. In Dei nomine Gualdebertus Abbas. In Dei nomine Tudebertus Diaconus. Sig. Guinemarus. Signum Waldebertus. In Christi nomine Germanus Parisiorum Episcopus. In Dei nomine Medardus Episcopus Noviomensis.... Agedulphus. Sign. Doannus. Sign. Ragnardo. Sign. Elario. Sign. Adrebertus. Sign. Ecreberti. Sign. Elerico. Sign. Aistulpho Comiti. Sign. Boniverto Defensori. Ego in Dei nomine Amalbertus peccator Abba, hoc testamentum rogante Domina mea Theodechilde scripsi.

24 *Annus* IX *Clotharii, apud Suessiones regnantis*
an. 518 vel 520, *a morte patris numeratus est annus Christi* DXVIII *vel* XX, *ut supra indicavimus: tunc vero necdum Episcopos fuisse SS. Germanum et Medardum in confesso est: sed illam difficultatem ex Mabilione solvimus, dicendo eorum plerosque, qui inter Eraclium Episcopum et Amalbertum scribam signarunt, successivis temporibus id fecisse, prout contingebat illis prædictum testamentum confirmandum offerri. Ad hoc tamen non animadvertens Odorannus, a le Cointe, nescio unde, nec propriis suis verbis citatus (nam prior pars Chronici ejus, apud Andream* B *du Chesne excusi tom.* 2 *Francorum, adhuc desideratur) Odorannus, inquam, apud le Cointe ad annum* 564 *num.* 36 *scribere dicitur* monasterium S. Petri conditum *esse, cum Clotharius universæ Franciæ dominabatur, id est post annum Christi* DLVIII, *unde ductus annus nonus, esset* DLXVII; *non quidem negando primam donationem, filiæ a Clodovæo patre tanto prius*
non autem ad 567. *factam; sed complementum operis differendo usque ad ultimos annos Theodechildis; quam annis* LXXV *vixisse tenet ex vulgari opinione adscribentium Fundatrici S. Petri annos, quos Fortunatus adscribit illius, ut infra dicemus, synonymæ nepti.*

§. IV. *Servati per S. Theodechildem Basoli Ducis monachatus et sepultura. Mauriaci ecclesia in ejus fundis erecta seculo* IX. *Clodovæi diploma iterato expensum.*

Ad Basolum Ducem *captivum, atque* Theodechildi *cum omnibus possessionibus suis traditum, quod attinet;* D *nullum is habet in hac charta difficultatem, cum ea* AUCTORE D. P. *solum supponat id factum post Aquitanicum bellum. Quia tamen Annalista tacitus eum præterit, quasi indignum in Francica historia nominari, cujus vera existentia tota pendeat a fide prædictis chartis præstanda, quam his ipse nullam habet; placet huc referre de eo communicatam nobis per litteras a Tossano notitiam.* Susurros, *inquit ille,* quorumdam novæ critices alumnorum volentium esse spuriam aut dubiam Clodovei donationem Ducisque Arvernorum Basoli cessionem, pro nobis refellunt parietes ipsi cœnobiales, dum adhuc retinent exhibentque antiquissimum illius Epitaphium, priori sepulcro B. Theodechildis contiguum, et pari fere charactere in lapide sculptum, sub quo quiescit etiamnum ipsius corpus in arca, quam anno MDCXLIII, translatis B. Theodechildis ossibus, aperuit Octavius de Bellegardo Senonensis Archiepiscopus: sed cum non constaret, eum sacris honoribus et fidelium votis dignum esse, corpus intactum ibidem reliquit, nec de ejus detectione in verbali Processu mentionem faciendam judicavit. Hoc porro Epitaphium ea qua potui similiori forma, *inquit Tossanus,* a me missum, tanti fecit doctissimus Sirmondus, et ipse Arvernus, ut sinceram illam E venerandæ antiquitatis tesseram publico bono dari voluerit in æs incisam.

Anno 1643 reserata capsa S. Theodechildis,

recognitum etiam fuit corpus Basoli Monachi,

26 *Non gravabor ego doctissimi viri judicium sequi: et quod ille faciendum censuit, opere ipso exhibitum dare. Eccum ergo, sicut ipsum licuit ex Tossani fide sculpere. Inscriptos lapidi versus, servata orthographiæ regula, sic legere expeditius potes.*

quem a Clodoveo captum adhuc loquitur Epitaphium,

Dux Aquitanensis, Monachus tandem Senonensis,
Hic tegitur Basolus, Petre beate, tuus,
Quem Techilda tuus Pater et Rex dat Chlodo-[veus,
Cum multis patriæ rebus Aquitaniæ,
Quas tibi qui tulerit Paradisi flore carebit;
Augens hæc, habeat cum Basolo valeat.

+ DVX·AQVITANENSIS · MONACHVS · OΩO
TANDEM ·: SENONENSIS ·
HIC·TEGITVR·BASOLVS ·PETRE·BEATE TVVS
QVEM·TECHILDA·TVVS · PATER
ET·:REX·DAT·:CHLODOVEVS
CVM·MVLTIS·PATRIE·REB, AQITANIE
QVAS·:TIBI·QVI ·TVLERIT
PARADISI FLORE·:CAREBIT
AVGENS HEC HABEAT CVM·BASOLO·VALEAT

Signa Subscribentium Chartæ Chlodovæi num 9

+ Clodov. Rex. Crot. R^a. Theod. f. R. Clodom. R. f. Childeb. R. f. Clotar R. f. + Theoderh. f. + Erad. Arch. + Remig. Ep. + Princ. Ep. Vedast Ep. + Germ. Ep. + Aulrig. Ep. Gindol. Ep. Aurel. Cons. Goybert. sign.

non solum recentius positum sec. 13;

27 *Ista legens Sirmondus, quamvis eodem fere charactere exarata, quo dabimus infra Epitaphium Theodechildis, æri incisum, licet supra jam datum sit typis impressum; potuit quidem laudare felicitatem manus, vetustatem sic assimilantis, ut ambo Epitaphia nunc videri possint eodem tempore sculpta: sed non potuit pariter non animadvertere, quam multo post seculum* VI *receptus sit rhythmorum usus, ad concinnanda ejus generis poemata. Cum ergo constet, ipsa corpora, eo in quo nuper reperta sunt loco, collocata fuisse (ut infra dicetur) intra annos* MCCXL *et* LXIX; *credibile est,* Theodechildis *quidem Epitaphium una cum corpore translatum fuisse, atque esse ipsummet quod primitus appositum fuerat; pro veteri autem* Basoli *Epitaphio, quod perierat, aut inter rudera combustæ ecclesiæ ejectum a non agnoscentibus fuerat, novum istud compositum sculptumque, ad vetustatis*

sed etiam antiquius, postea inventum,

AUCTORE D. P.

vetustatis imitationem fuisse seculo XIII. *Non esset igitur hujus lapidis magna apud me auctoritas, nisi verum* Basoli *Epitaphium bona nobis fortuna servasset, si non in lapide, saltem in MSS. Gaufridi de Collone, anno* MCCXCVII *enumerantis ecclesiæ suæ Reliquias; quale scilicet lectum olim fuerat in Oratorio S. Bartholomæi, in quo primum ille tumulatus fuisse dicitur. Ipsum ex Gaufrido transcripsisse videtur Urbanus Raversey, ex cujus Historia MS. Senonensis ecclesiæ, ita ipsum recitat Mabilio, ante Vitam Ebbonis præcitatam.*

ubi dicitur ipse res suas monasterio cessisse,

28 Consulis hic artus recubant, Arvernia tellus
Magnifici Basoli quem dedit esse suis.
Dux Aquitanensis felix quod rura beavit,
Pacis in augmento consolidans populos.
Francorum Regem Chlodoveum corpore vincens,
Abdicat esse suum hunc proprium Dominum.
Artibus * et variis tandem Rex quem proditorem*
Constrictum tenuit carceris in tenebris.
Regia sed meritis proles Regina Techildis
Ereptum precibus, constituit Monachum.
Pagus Aquitaniæ, vel quantum Arvernia [tellus]
Hujus habebat opes, contulit hic Monachis;

* *Al.* A tribus et Proditoris.

videlicet quod jure belli ereptum ipsi, Rex donavisse filiæ dicitur; hæc vero monasterio cessisse; id ipse quantum in se erat datum voluerit in sua Professione: quam eum fecisse in ordine Conversorum opinor, uti fere ceteri Principes a seculari militia ad spiritualem transgressi et sacrarum litterarum plerumque rudes, etiam in ipsis quæ fundaverant monasteriis. Puto autem quod, sicuti in sepulcro Theodechildis *repertus fuit laterculus, diem obitus significans, prout infra: sic etiam repertus sit in sepultura* Basoli *unus, sic notatus,* XIII KAL. MARTII TRANSIIT DONNUS BASOLUS MONACHUS: *et ex tali fundamento scripserit præfactus Raversey apud Mabilionem, quod idem* Basolus obiit XVII Februarii.

B

defunctus 17 Februarii.

29 *Strumentum sive instrumentum cessionis a* Basolo *factæ, supra indicatum a Sancta, adhuc latet; certius prædicta definiturum, si aliquando prodeat in lucem. Interim apparet, primo ac præcipue nominata ibi fuisse, quæ idem* Basolus *possederat in vico* Mauriaco. *Hinc Clarius in chronico tom. 2 Spicilegii pag.* 710, *narrata ordinatione Hieremiæ ad Archiepiscopatum Senonensem, tempore Ludovici Pii;* Ipse, *inquit,* ædificavit cellam in Aquitania, in loco qui dicitur Mauriacus, mutans nomen ejus et vocans Noviacum, in honore S. Petri, in proprio fundo ipsius S. Petri Senonensis, quem Theodechildis filia Regis Chlodovei, et Basolus Comes Arverniæ, ob amorem Dei, ad stipendia Monachorum reliquerant; per deprecationem Frodberti Abbatis S. Petri Senonensis, ipsam cellam construxit, eo quod homines ipsius pagi terras et prædia S. Petri diriperent, et sibi retinerent. Instituit autem et Monachos Regulares de ecclesia S. Petri Senonensis, qui illic Deo servirent; quatenus locus ipse, prædia et terras, quas ibi adhuc possidebat, ex toto non perderet; et ut ipsa cella, Deo auctore, per cuncta tempora, sub custodia Frodberti Abbatis et ejus successorum esset, et ibi gubernarent villas et ecclesias, quæ conjacent in Aquitania et Arvernia et in Lemovicensi pago, sicut antecessores sui gubernaverunt. Postulavit autem idem Hieremias Archiepiscopus et Frodbertus Abbas Privilegium de eadem cella.

In ejus bonis ædificata cella Mauriacensis,

C

traductis illuc ex Senonensi Monachis

30 *Ad hæc verba prælaudatus Tossanus notat, ipsum Privilegium servari in archivio Archiepiscopatus Senonensis, et anno* DCCCXXIV *signatum dici: ad quem annum fundationem istam etiam notet Gaufredus de Collone. Deinde subjungit idem Tossanus, quod* Mauriacensis cœnobii constitutionem confirmarunt Paschalis, Honorius, Lucius, Innocentius, istis nominibus Secundi, Alexander III et Lucius item III, his omnes verbis: Mauriacensem cellam in Arvernico pago constitutam, sub jure semper et directione monasterii vestri permanere sancimus, cum rebus omnibus et possessionibus ad ipsam pertinentibus, sicut juste et pacifice possidetis, monasterio vestro confirmamus. Idem Honorius III anno MCCXVI confirmavit Abbati et monasterio S. Petri jus instituendi Decanum Mauriacensem, cui Cardinalis Ottobonus anno MCCLXIX leges præscripsit, quibus erga S. Petri vivi Abbatem teneretur, quas postea summus Pontifex factus confirmavit. Inter illas septima talis erat; Abbatis est visitare monasterium Mauriacense, corrigere, statuere necessaria; idque poteri quotannis; per alios vero non nisi de trienno in triennium: et veniens Mauriacum Abbas, cum solenni processione a Monachis et villanis seu oppidanis recipietur, ut Dominus illorum in spiritualibus et temporalibus. Item obeunte Decano, alium ejus loco subrogandi facultatem petebat Conventus Mauriacensis ab Abbate S. Petri Vivi, cujus etiam erat Decanum electum confirmare, a quo tum obedientiæ sacramentum secundum statutas leges exigebat.

sub privilegio anno 824,

D

et directione Abbatis Vivi-ni.

31 *Porro ex præmissis de testamento* S. Theodechildis, *ac* Basoli *cessione, videor mihi tandem distinctius aliquid pronuntiare posse de Charta Clodovæi, et dicere; eam videri ex duabus, quæ perierint, conflatam, salva rerum substantia, circumstantiis autem ex ingenio scribentis parum feliciter investitam. Primam Rex et Regina dederint, anno post baptismum tertio, Christi* CCCCXCIX; *qua* Theodechildi, *jam pubertatem adeptæ, atque ut minimum duodenni, post virginitatem Deo oblatam cesserint illi possessiones eas, quas Rex Reginæ in Senonico dederat, vel concambii titulo, vel causa nuptiarum; idque fortassis absque ulla expressione loci, in quo puella conditura monasterium erat, et juxta illud victura. Interim cœperit illud procedentibus annis apud Senonas condi; et circa ultimos Regis annos conjectus in vincula* Basolus, *ac* Theodechildi *donatus, et Monachus factus, ipsi pro vita sua obtulerit juris sui allodia in Arvernico et alibi, de quibus si non ipsemet Basolus, Rex saltem scribi fecerit instrumentum secundum; cui subscripserint nati ex Crothilde filii, nam primo ut summum subscribere potuit natus ex concubina ante conjugium* Theodoricus. *Sic ejus, quod nunc habemus, diplomatis initium sumptum sit ex primo instrumento, vel potius ex memoria illius, cujus textus non amplius habebatur; idque cum turpi illa de Burgundiæ Regibus apud Senones aliquando dominantis hallucinatione; sic forsitan ex mente Regis corrigibili:* Tradidi illi partem de hereditate mea, quæ venit in sorte uxoris meæ Crothildis, pro hereditate quæ fuit Patris ejusdem uxoris meæ Chilperici Regis Burgundionum. *Et hac correctione admissa, istic ubi jubentur Monachi possidere sicut* possederant antecessores Reges Burgundionum, *substitui debebunt* Reges Francorum. *Atque hæc in prima parte: pars autem secunda invariatum servabit finem chartæ secundæ; quia omnes Regis filii huic potuerunt per ætatem subscripsisse, non item primæ.*

Clodovæi diploma

E

videtur ex duobus conflatum,

et in paucis corrigendum.

F

§. V. *De Theodechilde Juniore, filia Theodorici Austrasii, a Fortunato laudata, a multis confusa cum amita sua.*

Fortunatus circa 565 advectus in Galliam,

V*itam S. Germani Parisiensis, a Venantio Fortunato compositam, ad* XXVIII *Maji daturus Magister noster Godefridus Henschenius, de Auctoris ætate sic præfatur:* Hic ille est, scriptis poematis ævo suo celebratissimus, ex Italia in Germaniam, indeque in Galliam advectus, circa annum DLXV: ubi post contractam cum Gregorio Turonensi amicitiam, S. Radegundi adhærens, Pictavis sibi domicilium fixit, ejusdem

A ejusdem Ecclesiæ factus Presbyter; in eoque gradu perseverasse videtur, quamdiu S. Radegundis vixit, sub annum DXC defuncta ; ipse fortassis nec ante obitum Gregorii, *anno* DXCIV *mortui*, factus Episcopus Pictavensis, *et sub annum* DC *vita functus. Hæc resumere mutatis pauculis hic oportuit, quoniam* Theodechildem *quamdam* Reginam, *vivam Elogio, mortuam laudavit Epitaphio idem Fortunatus. Et dubitari potest, primo, unamne an duas laudet. Secundo, utra earum, vel an omnino aliqua, fuerit fundatrix monasterii, cujus causa hæc tractamus. De primo dubium movet ordo ipsorum poematum, dum* Epitaphium *legitur lib.* IV, Elogium *vero lib.* VI. *De secundo ac tertio dubitari potest, quia tam in uno, quam in altero scripto Fortunati indicari videtur* nupta : *suam vero fundatricem Viviani ut* Virginem *colunt : et jam inde a prima adolescentia* Deo devotam *fuisse, indicat pater suus in Donatione præmemorata.*

et Pictavensis Ep. factus post 594,

33 EPITAPHIUM THEODECHILDIS REGINÆ,

In quo versuum ordinem a transcribentibus turbatum judicans, primum et secundum distichon facio, quod hactenus fuit quartum et quintum, atque ita lego.

Inclita nobilitas, genitali luce coruscans,
Hic, properante die, Theodechilda jacet;
B Cui Frater, Genitor, Conjux, Avus, atque Priores,
Culmine succiduo Regius ordo fuit.
Quamvis ætatis senio jam flecteret annos,
Multorumque tamen spes cito rapta fuit.
Si precibus possent naturæ debita flecti,
Plebs ageret lacrymis hanc superesse sibi.
Gaudia quanta inopum tumulo sunt clausa sub isto!
Votaque quot populis abstulit una dies!
Orphanus, exul, egens, viduæ, nudique jacentes,
Matrem, escam, tegmen hic sepelisse dolent.
Unica res placuit, cumulo mercedis opimæ;
Antea cuncta dedit, quam peteretur opem.
Occultans sua dona suis, ne forte vetarent;
Sed quæ clausa dedit, Judice teste, docet.
Templorum Domini cultrix, pia munera præbens;
Hoc proprium reputans quidquid habebat inops.
Una mori sors est, et terræ reddere terram,
Felix, cui meritis stat sine fine dies!
Actibus his instans, terrena in luce relata,
Ter quino lustro vixit in orbe decus.

laudavit Epitaphio, Theodechildam Reginam,

Majoribus, avo, patre, fratre, marito Regibus claram,

defunctam æt. an. 75,

Tossanus putat versu nono, (nobis hic tertio epitaphii) quod per vocem conjux *non necessario debeat* maC ritus *intelligi; sed* uxorem patris *posse sumi; quia ut* Mater *poneretur, non permittebat ultima brevis, inepta cum voce* Avus *dactylum facere : sed si hoc spectasset Poeta, poterat* Genitrix *scripsisse. Elogium vivæ datum hoc est.*

34 ELOGIUM THEODECHILDIS REGINÆ.

Inclita progenies, Regali ex stirpe coruscans,
Cui celsum a proavis nomen origo dedit :
Currit in orbe volans generis nova gloria vestri,
Et simul hinc Frater personat, inde Pater.
Sed quamvis niteat generosa propago Parentum,
Moribus ex vestris multiplicatur honor.
Cernimus in vobis quidquid laudatur in illis :
Ornasti antiquum, Theodechilda, genus.
Mens veneranda, decens, solers, pia, chara, benigna,
Cum sis prole potens, gratia major adest.
Evitans odii causas : micat ampla potestas;
Qua terrore minus, plus in amore venis.
Mitis ab ore sonus, suavissima dicta resultant :
Verbaque colloquii, sunt quasi mella favi.
Femineum sexum quantum præcedis honore,
Tantum alias superas et pietatis ope.
Si novus adveniat, recipis sic mente benigna,
Acsi servitiis jam placuisset Avis.

sicut diu antea laudaverat vivam,

a gloria patris ac fratris,

ab indole præclara,

a liberalitate in egenos

Pauperibus fessis tua dextera seminat escas, D
Ut segetes fructu fertiliore metas.
Unde foves inopes, semper satiata manebis;
Et quem sumit egens, fit tuus ille cibus.
Pervenit ad Christum quidquid largiris egeno :
Etsi nemo videt, non peritura manent.
Cum venit extremus finis concludere mundum,
Omnia dum pereunt, tu meliora petis :
Ecclesiæ sacræ, te dispensante, novantur :
Ipsa domum Christi condis, et ille tuam.
Tu fabricas illi terris, dabit ille supernis :
Commutas melius, sic habitura polos.
Stat sine fraude tuum, quod mittis ad astra, talentum :
Quas bene dispergis, has tibi condis opes.
Quæ Domino vivis, summos non perdis honores :
Regna tenes terris, regna tenendo polis.
Sit modo longa salus, pro munere plebis, in urbe :
Felix, quæ meritis lucis perennis eris.

AUCTORE D. P.

et in ecclesias :

35 *Nunc ad primum propositæ dubitationis punctum, utrum in utroque illo scripto una laudetur, an duæ. Si utrumque conferas attente inter se, comperies eadem præcipue laudari utrobique, Regiam progeniem, solicitam ornandi ecclesias curam, caritatem liberalitatemque in egenos et plebem : cujus mercedem Poeta in* E *Elogio quodammodo promittit viventi, ut plura præstet; in Epitaphio autem extollit præstita. Sic ut de una eademque videantur intelligi omnia posse ac debere. Neque obstat, quod Epitaphium legatur libro* IV, *Elogium sexto. Eo relata fuerunt, vel ab ipso Fortunato, vel a Collectoribus opusculorum ejus; non quia prius compositum ab illo sit Epitaphium et totus liber quartus, quam Elogium et liber sextus : sed quia quartus totus est Epitaphiorum; ideoque et istud eo fuerit relatum : sextus vero totus impenditur Regum Reginarumque viventium laudibus : ita ut non temporis, sed argumenti oratio et congruentia in librorum partitione spectanda sit, atque præ oculis fuerit iis, qui carmina illa, per se disparata, in certum ordinem et libros redegerant. Sed cui igitur ista conveniant? Pleraque in se considerata videntur applicari posse* Theodechildi *nostræ, Clodovæi et Clothildis filiæ, Theodorici Regis Austrasiæ sorori non uterinæ; nisi qua parte suam Theodechildem Poeta facit* potentem prole. *Id enim competere non potest nostræ; sed neque potest* proles *hic intelligi (ut quidam vult) quasi sit* progenies, *ac* Theodechildis *fuerit* progenie potens *ex parte majorum suorum. De majoribus quippe et progenie ejus ex regali stirpe proavo-* F *rum, jam scripserat Poeta, tum in primis duobus distichis, tum in primo versu tertii; incipiens in secundo referre quæ ad ipsam propius spectant :*

Sed quamvis niteat generosa propago parentum;
Moribus ex vestris multiplicatur honor.

Ac deinde pergit dotes atque laudes, Theodechildi *proprias, enumerare, mentem venerandam, decentiam, solertiam, pietatem, charitatem, benignitatem : easque, ait, majorem habere gratiam in illa, quæ est* prole potens, *cui tales dotes impendat. Præterea in secundo disticho Elogii, totum genus* Theodechildis *et gloria videtur restringi in patre et uno fratre : quod nostræ minime quadrat, quæ quatuor fratres eosque gloriosos habuit : quadrat vero in ejus neptem ex fratre Theodorico; cui unicus solum frater fuit, et is gloriam in bello, vivente adhuc patre, maximam consecutus. Denique si nostram Senonensem Poeta laudandum sumpsisset, quomodo in tam prolixis Elogio et Epitaphio summam ejus laudem conticuisset virginitatem tam constanter servatam?*

Eædem in utroque scripto laudantur

et pleraque convenire possunt nostræ, præter prolem

quam non habuit :

habuit autem fratres plures, non unum tantum.

36 *Censeo igitur cum Mabilione, de eadem quidem persona Elogium atque Epitaphium fuisse concinnatum; illud autem facile viginti annos citius, quam hoc : sed qua de persona? Invenisse eam puto apud Flodoardum Hist. Rem. lib. 2 cap. 4. agentem de Mapinio, ab an.*

Conveniunt. Theodechildi filiæ Theodorici

DLIX

AUCTORE D. P.

A DLIX *et citius, ad* DLXXII *Remensi Archiepiscopo.* Hujus, *inquit*, temporibus Suanegotta Regina, Remensi Ecclesiæ tertiam partem villæ Vireziaci, per testamenti paginam delegasse reperitur. Quam partem villæ ipse quoque Præsul Theudechildi, præfate Reginæ filiæ, per precariam, salvo Ecclesiæ jure, concessit; ita dumtaxat, ut post ejus obitum, absque ullo præjudicio, sicut ab eo meliorata fuisset, ad ditionem Remensis reverteretur Ecclesiæ. Quæ scilicet Theodechildis Regina, postmodum nonnulla, per testamenti sui auctoritatem, tempore Domini Ægidii, Remensi contulit Ecclesiæ prædia, *id est, intra an.* DLXXII *et* XC, *quo Ægidius iste exauctoratus et abdicatus fuit.* Non opus est alio calculo, *inquit le Comte*, ut Theodechildem Theodorici Regis *Austrasiæ Metis commorari soliti, filiam* a Theodechilde, ipsius Theodorici sorore. *Clodovæi et Clothildis filia*, distinguas. *Similiter existimo ego, ut huic abjudices, illi adjudices Epitaphium, atque adeo etiam Elogium; non alio opus esse argumento præter jam dicta, quam quod filiæ Theodorici, non sorori, possit convenire hic versus,*

circa 580 de Remensi ecclesia bene meritæ

cui etiam hic versus competit

Frater, Genitor, Conjux, Avus atque Priores, *quibus pariter omnibus*, culmine succiduo; *id est, ex* B *successione hereditaria*, Regius ordo fuit.

37 *Ast* Conjux *ejus, Rex idemque Regis filius quæritur: et invenitur in Procopio lib.* 4 *c.* 20 *Historiæ Gotthicæ, ubi Theodechildis junior Theodorici Regis Austrasiæ filia, Theodeberti, qui ab anno* DXXXIV *ad* DXLVIII *regnavit, soror, duobus Varnorum Regibus Hermegisclo et Radigeri successive nupsit: ex primo nulla suscepta prole, an susceperit ex secundo, non meminit Historia. Cum neutro videtur diu vixisse, ut verosimiliter tertius deinde in Gallia adiverit nuptias pepereritque prolem, de qua in Elogio, si ex secundo nullam habuit.* Varni, *inquit Procopius*, Transdanubianus populus, pertingunt ad Oceani septemtrionalia et amnem Rhenum, qui ipsos a Francis aliisque, sedes Francis vicinas habentibus nationibus, secludit. . . . . Illis nuper imperaverat Hermegisclus quidam, qui firmando regno, Theodeberti Francorum Regis sororem conjugio sibi sociaverat; amissa non ita pridem quam habuerat uxore, filii unius matre, quem illa moriens marito reliquerat, nomine Radigerem. Huic filio pater virginem Brittia e gente desponderat. . . *sed paulo post* mori se videns, nullos ex secunda uxore habentem liberos, filium vero ad eum usque diem expertem nuptiarum; *considerans autem quanto conducibilior Varnis foret cum Francis, quam cum Britiis contracta affinitas; edicit suis*, quæcumque sponsalium C nomine Brittia virgo accepit, sibi habeat, spretæ conditionis suæ gentium ex jure solatium: Radiger apud novercam deinceps habitet, ut mos patrius jubet. Hæc postquam dixerat, præsignificata die quadragesima fatumexplevit. *Repudiata sic Brittia trajicit fretum maris cum ingenti suorum exercitu, ac duce fratre suo; Varnos prælio vincit, Radigerem capit, supplicem recipit; qui* vinculis exsolutus dimittit Theodeberti sororem, et illam prius pactam rite uxorem capit.

et fuerunt duo saltem mariti.

Metas remissam ad fratrem Regem circa an. 540,

38 *Nihil erat* [illegible]*ronius, quam ut ex Austrasia petita Regina reverteretur Metas, ubi nata erat, et unde vicinæ Remensi ecclesiæ ac metropoli suæ benefacere matrem ejus in proclivi erat. Illam autem faciamus annorum fuisse circiter triginta quinque, cum a Varnis rediit, natam circa annum* DIV, *patris sui in regno illo anno* XV; *potuit illi Fortunatus, quam sexagenaria majorem laudaverat, defunctæ anno* LXXV *ætatis, Epitaphium scribere anno circiter* DXC, *adeoque ante mortem Gregorii Turonensis, cui Carmina sua ipse inscribit. Ita optime conciliantur, quæ de Remensis Ecclesiæ benefactrice* Theudechilde *Flodoardus, et de Varnorum Regina, bis sponsa, numquam matre, narrat Procopius; cujus in Historia Gothica multos errores* D *frustra conquirit Carolus le Cointe, ut probet errasse illum, Theudeberti Regis* ἀδελφὴν sororem, *appellando, quæ fuerat* πατράδελφος, amita; *et ut S. Petri-Vivi fundatricem titulo virginitatis frustrando, faciat* Reginam Varnorum *credi; simulque evertat antiquiora illius monasterii Monumenta et Epitaphia, Clodovæi filiam* Theodechildem *Senonensem facientia: quod idem ad Vitam S. Ebbonis e converso etiam facit Mabilio, secutus Hadrianum Valesium lib.* 7 *rerum Franc. dum se fatetur, prolatum istic* Basoli Epitaphium *(et consequenter etiam* Epitaphium Theodechildis) *æstimare* non omni ex parte verum; *et* Theodoricum pro Clodovæo substituendum videri: *cum in nostra sententia nihil contortum, nihil Vivianis injuriosum appareat, sed liquida omnia.* NOT. 16

anno circiter 515 natam

et circa 590 defunctam,

39 *Verum, inquies, ipse Clarius, et ceteri post eum, de Fundatrice sua dicunt, quod* vovit Deo virginitatem, et tenuit septuaginta quinque annis vivens; *hunc autem annorum numerum conficiunt* ter quinque lustra, *in Epitaphio præmisso notata. Respondeo, quod jam inde a seculo* X, *vulgari opinione receptum apud Senones fuerit.* Theodechildis *Senonensis Epitaphium a Fortunato compositum fuisse; cumque in hujus li-* E *bris nullum aliud inveniretur, quam Theudechildis Metensis Epitaphium, hujus ætatem transtulerit Clarius ad Theudechildem fundatricem Senonensen cum aliis, nescientibus utramque distinguere. Sic cum* Archembaldus, *latro potius quam Archiepiscopus dicendus, circa annum* DCCCCLX canes suos et accipitres faciebat quiescere in claustro S. Petri..... quadam die duxit illum quidam Canonicus S. Stephani, Candacer nomine, qui erat studiosus in omni philosophia, ad sepulcrum Domnæ Theodechildis Reginæ, dicens illi: Lege hoc Epitaphium, quod edidit S. Fortunatus Episcopus. Cœpit autem Archembaldus legere sic:

cujus annorum 75 ætas

perperam tributa sit Senonensi a credentibus, quod hujus Epitaphium scripserit Fortunatus,

Hunc Regina locum Monachis construxit ab imo.
Techildis rebus nobilitanda suis etc.

Dixit illi Candacer: Perspice et intellige; Perspice et intellige, quoniam non ad usus canum, sed servorum Christi, cœnobium hoc constructum esse videtur. *Illud autem revera Fortunati esse, hactenus nemo dixit, fortassis nec esse potuit; si prius mortua* Theodechildis, *Senonensis sit, quam in Gallias, aut saltem Senonas, Fortunatus appelleret; quod satis verosimile mihi videtur; non autem, Epitaphium eidem ab eodem diu postea conditum fuisse. Cur enim id non æque apposuisset libro Epitaphiorum reliquorum?* F

40 *Nulla certe auctoritas, si modo dictam excludas, suadere potest, fratri suo Clothario supervixisse Sanctam, quamvis etiam sic ætatis annum sexagesimum accesserit vel excesserit, uti ex præmissis de ejus nativitate liquet. Interim illo monarchiam tenente, aut etiam citius, accidisse potuit, quod Turonensis de gloria Confess. cap.* 14 *narrat, Nunnino Tribuno actum*, tempore Theudechildæ Reginæ, *cum* is ex Arverno de Francia, post reddita Reginæ tributa, revertetur. *Sed locum, verborum transpositione corruptum, sic restitui debere puto;* Cum de Francia, post reddita Reginæ ex Arverno tributa, reverteretur. *Quamquam autem Arvernia, ab obitu Chlodovæi, ejus filio Theodorico ac deinde nepoti Theodeberto paruerit, usque ad hujus mortem et annum* DXLVIII *Austrasiæ regno attributa; non eo tamen minus debuit Senior* Theodechildis, *soror Theodorici et amita Theodeberti, ex iis quæ Basoli in Arvernia fuerant, recipere tributa seu reditus suos. Quamquam etiam Juniori* Theudechildi *pater suus potuerit in eadem Arvernia assignasse hereditatem, dum tamen id non probatur, præsumptio pro ea manet, de cujus ibi possessionibus constat; et quæ, cum scriberet Turonensis, jam pridem obierat, ut ex ejus phrasi videtur colligi; cum e contrario* Metensis Theodechildis, non

licet prius mortuæ quam ille veniret in Gallias.

Hujus, non illius videtur meminisse Gregorius Turon

A *non multis ante Gregorium annis possit fuisse defuncta, defuncta tamen ante illum: quod nescio quomodo impossibile visum fuerit jam sæpe citato Annalium Scriptori.*

§. VI. *De cultu Theodechildis Senonensis, et nupera corporis inspectione ac translatione.*

Sanctæ memoriæ dicta a Romanis Pontificibus,

Licet supramemorati Romani Pontifices, Paschalis II et successores ejus quinque, in suis de Viviano monasterio Bullis, fundatricem ejus appellent* sanctæ Memoriæ Theodechildem; *expressiora tamen antiquæ venerationis testimonia nobis collegit Tossanus, ex supra allegato aliquoties Gaufredo a Collone, qui anno* MCCXC *sedulo collegit edidítque Tractatum de Reliquiis S. Petri-vivi, et in Codice ibidem MS. pag.* 65 de sancta Theodechilde Virgine et Fundatione monasterii *sic habet:* Chlodovæus vero Christianissimus quatuor habuit filios..... filiamque Theodechildem nomine, quæ infra annos pueriles constituta, Deum colere studuit et amare. Videns autem pater ejus tantum amorem Dei in puellæ animo crescere, cœpit eam amplius adamare, et ad virginitatis decus observandum exhortatione paterna diligenter exhortari. Quæ obtemperanter obaudiens, voluntarie se Dei servitio, votum castitatis faciendo, cœpit ampliare, et * ad cumulum suæ perfectionis, misericordiæ operibus insistere, et pauperum misericordiis insudare. Pater vero, ipsius puellæ bonis operibus delectatus, dedit ei possessiones, promittens ampliora, si in cœptis perseverantiam exhiberet. His bonis operibus perseverans prædicta S. Theodechildis, voluntate patris sui cœpit ædificare monasterium S. Petri, in vico qui Vivus dicitur: quod perfecit Deo concedente, ibique Monachos instituit, qui Deo deservirent, vivendo sub Abbatis imperio. etc.

cum Deo se virginem obtulisset a pueritia; B

** an applicare?*

42 *Deinde pag.* 67, *acturus* de majori altari et consecratione altariorum, *sic progreditur:* In diebus illis regebat Sedem Apostolicam vir vitæ venerabilis S. Felix Papa, *hujus nominis* IV, *ab anno scilicet* DXXVI *ad* DXXX; *qui quomodo* Sanctus *vulgo habeatur alibi exposui.* Misit autem S. Theodechildis nuntios, cum Legatis fratris sui Clotharii, Regis illustrissimi Francorum, ad prædictum S. Felicem, pro Reliquiis Apostolorum et Martyrum obtinendis. Cujus preces suscipiens S. Felix, quod mandaverat ipsa Virgo et Rex, per nuntios studuit adimplere. Susceptas vero sacras Reliquias prædicta Theodechildis jussit in monasterio S. Petri reverentissime conservari. *Ad hæc Tossanus:* Extabant eæ Reliquiæ nuper adhuc in eodem scrinio ex ære confecto, in quo allatæ fuerant: cujus plurimam partem, nondum vetustate prorsus consumptam, testantur se vidisse D. Victor Cotronius in Chronico MS. S. Petri-vivi, et D. Hugo Mathoud in sua Dissertatione typis mandata pag. 73, ubi Reliquiarum ipsarum referunt inscriptiones, uncialibus litteris efformatas. S. PETRUS, S. JOANNES. etc. Perseverat autem earumdem cultus aliis in Thecis, cum iisdem inscriptionibus. *Hæ Inscriptiones licet Gaufridi ætatem non excedant, ipsarum tamen ex originariis fideliter transcriptarum testis est idem Gaufredus in Prol. pag.* 1 *dicens, quod* videns *Prior loci,* prædecessorum scripturas, super reliquiis Sanctorum et Sanctarum, in monasterio S. Petri vivi Senonensis honorifice servatis, longævis temporibus jam transactis editas, adeo veteratas, ut absque difficultate non valeant recognosci.... viro religioso Priori nostro placuit renovare.

condito S. Petri cœnobio,

eidem impetrat Reliquias a Felice 4, C

hodiedum ibi asservatas;

43 *Denique* de morte et sepultura B. Theodechildis Virginis *pag.* 68 *ita scribit Gaufredus. B. Theodechildis* quæ Virgo et Deo sacrata extitit a pueritia, vitam virginalem ducens, in justitia et sanctitate permanens, dignum habitaculum sui cordis Spiritui sancto præbuit perseverans. Fuit eleemosynis larga, jejuniis, abstinentiis, disciplinis et orationibus dedita; mitissimoque corde Domino serviebat. Quæ postquam cursum vitæ hujus laudabiliter explevit, migravit a seculo vivens in Christo, et sepulta fuit in monasterio S. Petri vivi.... Dies anniversarius memoriæ ejus ducitur in Vigilia Apostolorum Petri et Pauli. Postea vero D. Gaufredus Abbas, qui novum opus monasterii construi fecit, *et cujus notitia habetur apud Sammarthanos pro anno* MCCXL *et* LXIX, sacrum Corpus dictæ sanctæ Virginis transtulit in locum in quo est, *una cum veteri Epitaphio; sicut et corpus Basoli Monachi, faciens id quoque charactere simili, sed stylo sui ævi, Epi.. phium poni (ut supra censui)* et honorifice caput ipsius Reginæ in argento, ad modum faciei fabricato fecit conservari. *Ita ille, cum initio operis pag.* 2 *hæc scripsisset,* Corpus S. Theodechildis Virginis, quæ monasterium nostrum fundavit, habemus decenter a sinistris majoris altaris in muro, sub lapide sui Epitaphii tumulatum; et caput ipsius Virginis argento, ad formam suæ faciei fabricato. *His consonat vetustum Inventarium anni* MCCCCXXXVIII, *die* VI *Septembris signatum; et aliud scriptum Gallice anno* MDLII, *ubi etiam indicatur* Brachium S. Techildis, inclusum argento; *necnon* costa S. Techildis, *similiter cooperta.*

et vitam sancte concludens,

D *AUCTORE D. P.*

28 Junii ibidem sepulta fuit, translata sec. 13.

E

44 *Porro ad probandum ecclesiasticum cultum, alicui ut Sancto Sanctæve delatum, imprimis faciunt ii libri, quorum usus est inter divina Officia cantanda, vel ad ea regulanda, puta Martyrologia, Ritualia, Ceremonialia, Processionalia etc. Hujusmodi ante quadringentos aut quingentos annos conscripta, et* Theodechildim *Sanctis adscribentia, habentur apud Monachos Vivianos complura.* Ceremoniale, S. Thoma Aquinate vetustius, ubi festum B. Petri venerit die Dominica, assignat diei præcedenti tres Missas, primam de B. Theodechilde, secundam de B. Maria, tertiam de Jejunio; *et pag.* 274, *ubi præscribitur modus incensandi altare post Offertorium,* debet Diaconus post incensatum Sacerdotem, incensare altare matutinale et cassas; locum ubi ponitur corpus Christi, et caput beatæ Thechildis, et per altare B. Potentianæ *etc. In veteri ipsius ecclesiæ Martyrologio, ad* IV Kal. Julii *post Vigiliam Apostolorum, aliosque Sanctos istius diei, notatur;* Eodem die depositio Donnæ Theodechildis Reginæ, quæ cœnobium B. Petri Apostoli ab imo fundavit, *et in libro* de reditibus Anniversariorum *scripto sub nota anni* MCCXCVIII *(ubi singulæ festivitates anni per menses sunt distributæ) similiter ad* IV Kal. Julii, *sic legitur:* Obit S. Theodechildis Virgo, hujus ecclesiæ fundatrix: *et in Rituali, ejusdem cum Martyrologio ætatis ac manus, ad Litanias, recitandas in agone Religiosorum, dicitur;* S. Thecla, ora pro eo, S. Juliana, ora pro eo, S. Thechildis, ora pro eo. *Idem fit in Litaniis prolixioribus et brevioribus, contentis in Processionali recentiori, anno* MDCLX *recognitis editisque, et in Breviarii Senonensis Kalendario:* eamdemque festivitatem celebrant Mauriacenses, ac Rotomagenses, *uti nobis scribit sæpe laudatus Tossanus.*

Probatur cultus ex antiquis 500 annorum Ritualibus,

Martyrologiis, F *et Litaniis.*

45 *Recentiorum Breviariorum Ritualiumque impressionem præcesserat solennis translatio corporis, de qua extat Processus verbalis (ut appellant) Gallice scriptus, quem Latine sic reddo.* Anno MDCXLIII, die XVI Octobris Nobis Octavio de Bellegarde, Dei et Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopo Senonensi, Primati Galliarum et Germaniarum, in Palatio nostro Archiepiscopali, stitit sese Domnus Severinus de Lanchy, Presbyter, Religiosus reformatus Ordinis et Congregationis S. Benedicti, atque Superior Abbatiæ S. Petri-Vivi Senonensis d. Ordinis; humiliter supplicans, ut Nos conferre dignaretur ad ecclesiam

Corpus anno 1643 transferre rogatur Archiepiscopus,

AUCTORE D. P.

A clesiam d. Abbatiæ, eo fine, ut post solennem quatuor campanarum benedictionem visitaremus et inspiceremus Reliquias S. Theodechildis, quæ clauduntur intra parietem majoris Chori ipsius ecclesiæ. Quod ei libenter annuentes, circa horam secundam post meridiem illuc accessimus, comitantibus nos infra nominandis: et post dd. Campanarum benedictionem completam, ad supplicationem prænominati de Lanchy aliorumque Religiosorum reformatorum Congregationis præd. ingressi sumus in majorem Chorum ipsius ecclesiæ coram infra nominandis aliisque pluribus notabilibus personis, assumpto nobiscum Mag. Gabriele Garsement Notario Apostolico et Secretario nostro.

qui viso veteri Epitaphio

46 Venientibus porro ad quoddam oratorium in forma sacelli, post factam ibi orationem, d. Domnus Severinus de Lanchy ostendit Epitaphium quoddam intra parietem majoris Chori ad latus sinistrum ejus loci, ubi quondam steterat ara princeps, incisum lapidi quadro, pedum circiter duorum, *sicut in hac pagina.* D

47 Post hujusmodi Epitaphium inventa est capsa plumbea, in qua præd. de Lanchy affirmabat contineri Reliquias S. Theodechildis. Revera autem facta apertura ipsius capsæ plumbeæ, invenimus plenam ossibus involutis serico diversi coloris, una cum laterculo sic inciso, *uti infra lapidem grandiorem notatur.* Ea reseratione sic facta, jussimus ut præd. de Lanchy jurata fide nobis ediceret, an ipsa essent ossa, de quibus nobis locutus erat, et an nihil additum demptumque esset. Qui cum jurejurando affirmasset, esse eadem, nec quidquam additum ablatumve; continuo quam potuimus reverentissime, sigillatim accepimus ossa omnia, et transposuimus in cistam arcuatam, serisque munitam; quam deposuimus inter manus præd. Lanchy, inferendam gazophylacio monasterii; donec a nobis super ea re aliter constitutum foret.

post ipsum reperit capsam plumbeam,

et in eadem sanctæ Techildis Reg ossa;

B

✠ HVNC : REGINA : LOCVM.
MONACHIS : CONSTRVXIT : ABIMO:
TECHILDIS : REBVS :
NOBILITANDO : SVIS :
CVIVS : NVNC : LICET : HOC : CORPVS
CLAVDATVR : IN : ANTRO
SPIRITVS : ASTRIGERO :
VIVIT : IN : AXE : DEO :
IMPLORANS : RECTIS :
PASTORIBVS : EVGE : BEATVM :
DET : RAPIENTIBVS : HINC :
HEV : MALE : DIGNA : DEVS :

E

IIII : KL · IVLII
TRANSIIT
DONNA
TECHILDIS
REGINA

quibus in gazophylacium ablatis,

48 Super quibus scribi jussimus Processum verbalem, in loco et tempore convenienti serviturum; coram Excellentissimo ac præpotente Domino, D. Roger, Duce Bellæ-guardiæ, Pari Franciæ, primo Nobili in Camera Domini Filii Regis Franciæ, patrui Regis et Ducis Aurelianensis; D. Joanne Antonio de Gondrin, Priore commendatario Prioratus C S. Aurintii Ordinis Cluniacensis; venerabili et scientifico viro... du Rollet, magno nostro Vicario et Cellerario ecclesiæ metropolitanæ S. Stephani Senonensis; Reverendo Patre in Domino Fr. Claudio du Chats, Abbate Abbatiæ S. Pauli Ordinis Præmonstratensis; Venerabili et scientifico viro Carolo de Rys, Presbytero Canonico ecclesiæ metropolitanæ Senonensis; Nobilibus viris, Mag. Baptista Driet, Advocato in Parlamento et Majore civitatis Senonensis; et... Poncy Consiliario Regio atque Electo in Electionibus Senonensibus, aliisque magno numero et auctoritate nobilibus ordinis utriusque tam secularis quam ecclesiastici. Factum est etiam, ut d. de Lanchy id requirente separaremus os unum notabile, ad instantiam præfati Domini Bellæ-guardiæ, consignandum Reginæ; aliud item pro monasterio S. Columbæ, et aliud pro præd. Priore S. Aurintii cum nonnullis particulis anno et die præsignatis. (Signatum) O. de Bellegarde Archiep. Senon.

authenticatur Processus super eo actu scriptus:

et ossa quædam separantur.

Eadem permittuntur exponi cultui publico,

49 *Infra libellum supplicem, eidem Octavio Archiepiscopo directum a Priore et Monachis S. Petri-Vivi, die* XXVI *Octobris anni* MDCXLIII, *eo fine, ut ipsis liceret extractas ex capsula plumbea Reliquias, exponere publicis votis et cultui populorum, diemque obitus, necnon translationis mox faciendæ novo ritu celebrare; subscriptum Gallice invenitur:* Permittimus supplicantibus exponere dd. sanctas Reliquias, et ossa d. S. Theodechildis in ipsa S. Petri Vivi ecclesia, ut honorentur et colantur a fidelibus Christianis. Permittimus etiam iisdem supplicantibus facere et celebrare divinum Officium in honorem S. Theodechildis, tam in ejus die festo qui est XXVIII Junii, quam in die quo præfata ejus sancta ossa transferentur per ipsos Supplicantes. Datum in oppido F Chasson nostræ diœcesis die XXVI Octobris MDCXLIII. (Signatum) O de Bellegarde A. S.

50 *Post hoc indultum, Corpus* B. Theodechildis, *anno ex subsequentibus aliquo, translatum fuit in novam thecam, aureis liliis undique ornatam, in qua supra scriptorum libellorum exempla originalia, cum sequenti attestatione reposita.* Nos infrascripti, Fr. Severinus de Lanchy, humilis Prior Abbatiæ S. Petri-Vivi Senonensis, Ordinis S. Benedicti et Congregationis S. Mauri; assistente nobis Donno Mauro du Rhu, Sacristano, Presbytero professo ejusdem Ordinis et Congregationis; certificamus omnibus quorum intererit, quod hodie XXVIII Junii MDCXLVIII Reliquiæ S. Theodechildis, filiæ Clodovæi I, Regis Franciæ Christianissimi, et fundatricis hujus monasterii, fuerint a nobis positæ et locatæ intra hanc arcam, ut in ea perpetuo conserventur: In quorum fidem etc. *Ita dum apud Senones transferebantur prædictæ Reliquiæ; Mauriacenses Monachi, una cum Clero et populo, iteratis precibus petierunt sibi concedi os unum, e sancto Corpore decisum. Quorum votis annuentes Monachi Viviani, sanctæque* Theodechildis *cultum*

intra novam thecam:

unde unum petentibus Mauriacensibus,

A *cultum latius propagare cupientes, suæ petitionis, tum a Congregationis S. Mauri Superiore Generali, tum ab illustrissimo Senonensi Antistite postularunt confirmationem, et obtinuerunt sub sequenti tenore, sic accipiendo, ut ubi dicitur Monasterium Mauriacense vivens ipsa dotasse, intelligatur id fecisse mediante donatione facta monasterio Senonensi, cujus doti attribuerat omnia, quæ ex possessionibus Ducis Basoli ad ipsam devenerant, et in quibus Mauriacensis cella fundata est tempore Hieremiæ Archiepiscopi. Tenor talis est.*

51 Ludovicus-Henricus de Gondrin, miseratione divina Senonensis Archiepiscopus etc. dilectis nostris, Monachis, Priori et Conventui monasterii S. Petri Mauriacensis, a monasterio S. Petri-Vivi prope Senonas dependentis, salutem in eo, per quem Sancti regnant in gloria. Etsi venerandas ubique et ab omnibus Christianis Sanctorum Reliquias, fide catholica profiteamur; æquum tamen est, et omni rationi consentaneum, ut ibi præcipua quadam religione sacra eorum pignora colantur, ubi, dum vel in vivis agerent, virtutes maximæ effulserunt; vel ubi patratis quibusdam ad eorum commendationem miraculis, testatam Deus voluit et observatam eorum sanctitatem. Cum itaque, sicut B accepimus, vestrum monasterium S. Theodechildis, Chlodovæi primi Francorum Regis filiæ, dum adhuc inter mortales viveret, opibus ac pietate dotatum, Deo postmodum, sub invocatione ejusdem sanctissimæ Virginis, consecratum sit; desiderium vestrum, D tamquam pium et religiosum, laude dignum censuimus; quo instantissime postulastis, a religiosis Priore et Conventu S. Petri-Vivi, prope civitatem nostram Senonensem, ubi sacra ejusdem Virginis pignora observari, huc usque veneranda traditione creditum est, partem quamdam insignem ad vos transmitti, quæ vestram totiusque regionis incolarum in d. Sanctam Virginem devotionem fovere vel etiam augere possit. Porrecto itaque nobis ex parte d. Prioris et Conventus S. Petri-Vivi supplici libello, concessimus, ut una vertebrarum, jam olim seposita a prædecessore nostro fel. record. Octavio de Bellegarde, pro vobis Monachis Mauriacensibus die XVI Octobris anni MDCXLIII, cum ejusdem sacræ Virginis ultimæ translationi operam dedit, ad vos mitteretur: quam nobis a d. Priore oblatam, interposito juramento eam ipsam esse affirmante, eidem d. Priori dedimus, ad vos majori qua possit reverentia transmittendam, cum præsentibus nostris litteris: quas quidem Illustrissimo vestro Ordinario simul cum sacris Reliquiis exhibebitis, ut non nisi cum ejus approbatione et consensu, fidelibus Christianis venerandas exponere possitis. Datum in castro nostro de Nolone, die XXX mensis Julii. A. E D. MDCLXIII. SS. de Gondrin A. Senonensis. De Mandato etc. d'Aignan.

in ejus possessione fundatis,

AUCTORE D. P. *successor Archiep. permittit donari vertebram,*

anno 1663.

DE SANCTO LEONE II

ROMANO PONTIFICE.

SYNOPSIS CHRONOLOGICA PRÆVIA.

D. P.

AN. DCLXXXIV.

D*ie* XXVIII *Junii, vetus Ecclesia Romæ celebrabat festum* S. Leonis Papæ I, *ob quamdam ejus translationem: quod deinde visum est celebrari potius debere annuatim ipso, quo primum in basilica S. Petri sepulturæ traditum fuerat Corpus, die* XI *Aprilis; quo etiam nunc colitur; licet alioqui mortuus sit die* XXX *præcedentis Octobris, anno* CCCCLXI. *Eodem die* XXVIII *Junii, annis abinde* CCXXIII, *anno Christi* DCLXXXIV, *ibidem solenniter tumulatus fuit* S. C Leo II; *mortuus (ut nobis quidem videtur)* XXIII *Maji præcedentis, et ad tempus depositus in Basilica Lateranensi, sicut alii passim; pluribus sæpe mensibus, primam inter et secundam depositionem labentibus; atque secunda sola Fastis Vaticanis adscribebatur, sicut alibi fuit ostensum.*

Quo die translatus fuit Leo I,

depositus in Vaticano fuit Leo 2,

2 *Fatetur Labbeus, libris pluribus in lucem editis clarus, et historiæ Pontificum atque Conciliorum, siquis alius, sciens;* in tota Pontificum Romanorum serie, vix quidquam occurrere intricatius initio, gestis, atque obitu Leonis Papæ secundi. *Ego ad ipsius inventa addens modicum, expedivisse omnia mihi visus sum, commutando inter se spatia, tum vacantis antea Sedis, quod definiebatur unius anni, mensium* VII, *dierum* V; *tum ejusdem obtentæ, quod dicebatur fuisse mensium* X, *dierum* XVIII. *Ita post mortem decessoris* Agatonis, *obitam* I *Novembris anni* DCLXXXI, *per dictos menses* X, *dies* XVII, *perveniens usque ad* XIX *Octobris anni sequentis, quo fuerat ordinatus* Leo *in die Dominica; per annum* I, *menses* VII, *dies* V, *perduri illum ad* XXIII *Maji anni* DCLXXXIV: *post quem diem, et vacationem aliam mensium* XI *et dierum* XX, *successerit in Sede Apostolica ordinatus* Benedictus II, *die* XIV *Maji, similiter in Dominica. Hactenus autem in hac Chronologia persisto: quia necdum aliquid efficax in oppositum vidi: per eam autem evasisse mihi videor omnes difficultates, quæ Labbeo inexplicabiles videbantur.*

cujus intricatissimum Pontificatum

videor extricasse, commutando tempus, vacanti Sedi adscriptum, cum eo quo ipsam tenuerit.

3 *Non libet illa pluribus hic retexere, nec reproducere Sermonem, quem Leo habuit in die Ordinationis suæ, vel ejus Octava, ut censet Lucas Holstenius; sub hoc principio:* Hodierni diei festi jucunditas invitat nos, Dilectissimi, vestram in Christo fraternam humili voce exhortari concordiam etc. *Neque magis libet reproducere Formulam Decreti, de ejusdem Leonis electione ad Principes missi; ad quod dum expectatur Constantinopoli responsum, contingebat sæpe ætate illa Interpontificia haberi longiora; cum nempe non a* F *die Electionis, sed Consecrationis censerentur Pontificatuum initia. Incipit Decretum:* Cum non sine divinæ misericordiæ nutu sit, ita post mortem summi Pontificis, in unius electionem omnium voto concurrere *etc. Transeo potius ad Vitam, sicut apud Anastasium Bibliothecarium descripta habetur, Notis illustrandam: si verbum unum præmisero de cultu. Habebat eum hoc die, ut dixi; translatus* Leo primus, *jam ante medium seculum* VIII, *quo scriptum est vetus Romanum Kalendarium, a Joanne Frontone Parisiis editum. Gregorius Magnus, in suo Sacramentario (si hic nihil est ab interpolantis manu) pro voce* Translatio, *scripsit* Natalis S. Leonis Papæ, *utique* Primi, *siquidem* Secundus *octoginta fere annos post Gregorium sedit. Eumdem, nec alium, intellexit Wandelbertus Prumiensis, in suo metrico Martyrologio, ubi ait:*

Electionis decretum missum CP.

sermo in die Ordinationis

pro primo Leone olim hoc die Fastis inscripto

Præsule quartus *(ante Kalendas Julii)* ovat, verbi
et Doctore, Leone.

Non alio etiam sensu loquitur, auctus apud S. Genovefæ Monachos Usuardus, eodem die, Natalis beati Leonis Pontificis et Doctoris.

4 *Ast vero, postquam hujus nominis* Secundum, *de sua*

AUCTORE D. P.

Successit apud recentiores Secundus, translatus a Paschale 3.

sua elevatum sepultura, una cum Tertio Quartoque, in oratorio Leonis IV Papæ, sanctæ recordationis D. Paschalis Papa II recondidit; *sicuti in descriptione Romanæ Basilicæ, ex relatu testium oculatorum scripsit Romanus Presbyter, tempore Eugenii Papæ III (sedit autem Paschalis iste ab anno* MXCIX *ad* MCXVIII) *cœpit in pluribus Usuardi exemplaribus MSS. et apud plurimos recentiores, pro* Primo, *ad Aprilem relato, celebrari* Secundus, *juxta Anastasium hoc die depositus : quod denique ex Bellino aliisque retentum est in hodierno Romano, ubi legitur :* Romæ S. Leonis Papæ secundi : *de quo etiam, fortassis a tempore prædicti Paschalis, Officium præscribitur cum Lectione propria ex Anastasio, sicut reperimus in excuso anni* MCCCCLXXIX *aliisque deinceps. Tumulus ejus sicuti et aliorum duorum, destructo Oratorio prædicto, ne novæ basilicæ ædificandæ officeret, nunc monstratur in cryptis Vaticanis, absque aliquo singulari honore. An autem habeantur alibi acceptæ inde Reliquiæ, me latet; dum omnes fere* Primi *esse volunt, si quas habent.*

Tumulus in cryptis Vaticanis.

Patria Siculus,

5 *Patria* Siculum *fuisse hunc Pontificem, cum asserat Vitæ Auctor, ambigit nemo :* Messana *autem, sicut scripsit D. Antoninus Languidara, nostri istic operis studiosissimus, quodam proprio jure suum esse credit. Etenim, antiquitus huic civitati ex parte septemtrionali accrevit suburbium, quod usque in hunc diem vulgus* S. Leonis *nominat : in quo etiam vetustissima stat ecclesia, ejus nomini nuncupata : et in antiquo Messanensi ac Gallicano Breviario, quod usque ad tempus Pii V servatum legimus, præscribebatur ejusdem ad hunc diem facienda Commemoratio : et* Papaleonum : *familia indidem cognomentum sumpsisse putatur a Cajetano, in memoriam communis cum illo originis. Quamobrem ei quæ ad prædictum suburbium ducit portæ, hæc inscriptio incisa legitur ;* D. O. M. D. Leoni II Pont. Maximo, populari suo, S. P. Q. M. Portam Leonam P. D. D. Q. mense Decembri anno Christi. *In eamdem sententiam conspirant Silvester Maurolycus, in Oceano Religionum pag.* 92; *Stephanus Maurus, in sua Messanæ Proto Metropoli pag.* 239; *Placidus Samperus S. J. in Iconologia Mariana pag.* 92 *Siculi omnes; et Carolus Jongolinus, Italus Fanensis, in sua Hendegraphia disc. 3 cap.* 104, *mihi a Languidara indicati : qui deinde addit,* ejusdem sancti Pontificis Reliquias reverenter servari in ecclesia Patrum Clericorum Minorum, sub titulo S. Agathæ; famamque ad hæc usque tempora perductam vigere, natalem ipsius domum extitisse eo loco, ubi nunc exurgit celeberrimum cœnobium Montis-Virginum, a beata Eustochio Messanensi fundatum. *Hæc ille ad me Idibus Maji, anni* MDCLXXXVII. *Nolim tamen ex Cajetano dissimulare Aidonensis oppidi incolas apud Leontinos, similiter ac Messanenses de nato apud se* S. Leone *gloriari, eoque titulo habere ecclesiam ipsi dicatam, cum inscriptione* D. Leoni Papæ II, Civi et Patrono, Ordo Populusque Aidonensis, Basilicam hanc erexit. *Non quod ipsorum oppidum tam sit antiquum (utpote conditum a Lombardis, Rogerium Comitem in Siciliam secutis, circa annum* MXC) *sed quod ex veteris Herbitæ ruinis, splendidæ quondam urbis, uti residua adhuc rudera monstrant, surrexisse credatur, et Herbitensis* Leo *fuerit : quod Siculis porro disceptandum relinquo.*

creditur fuisse Messanensis,

ubi suburbium et ecclesia ab eo dicta ac Papaleonum familia.

Aidonenses quoque apud se natum dicunt.

ACTA

Ex Anastasio Bibliothecario.

Leo, natione Siculus, ex patre Paulo, sedit menses decem, *a* dies septem et decem; vir eloquentissimus, et in divinis Scripturis sufficienter instructus; Græca Latinaque lingua eruditus, cantilena ac psalmodia præcipuus, et in earum sensibus subtilissima exercitatione limatus; lingua quoque Scholasticus, eloquens, et majori lectione politus : exhortator omnium bonorum operum, plerisque florentissimam ingerens scientiam : paupertatis amator; et erga inopum provisionem, non solum mentis pietate, sed et studii sui labore solicitus.

2 Hic suscepit sanctam sextam *b* Synodum, quæ per Dei providentiam nuper *c* in Regia urbe celebrata est, Græco eloquio conscriptam, exequente ac residente piissimo magno Principe Constantino *d* intra regale Palatium ejus, quod appellatur Trullus. Simulque cum eo Legati Sedis *e* Apostolicæ, et duo Patriarchæ, id est Constantinopolitanus et Antiochenus *f*, atque centum *g* quinquaginta Episcopi; in qua condemnati sunt Cyrus, Sergius, Honorius *h*, Pyrrhus, Paulus et Petrus; necnon et Macarius cum discipulo suo Stephano; sed et Polychronius novus *i* Symon, qui unam voluntatem et operationem in Domino Jesu Christo dixerunt et prædicaverunt, aut qui denique prædicaturi fuerint et defensaverint : sed [statutum est], ut et nunc duæ voluntates et operationes ipsius dispensatoris Christi et Servatoris Dei nostri dicantur; sicuti eadem Synodus, studiosissime in Latinum translata declarat. Verumtamen de suprascriptis defensoribus majores, *k* scilicet Macarius, Stephanus, Polychronius et Anastasius, dum nollent a suo recedere proposito, Romæ *l* per diversa Monasteria sunt retrusi.

4 Qui prædictus sanctissimus vir Leo, absolvit duos viros in percipienda communione, qui de Regia urbe cum supradicto Macario et ceteris in Romanam directi sunt civitatem; qui necdum a Synodo anathematizati erant, id est Anastasium Presbyterum et Leontium Diaconum Ecclesiæ Constantinopolitanæ, in die S. Theophaniæ; exponentes videlicet per propria scripta fidem suam, juxta quod et sancta Synodus determinavit, anathematizantes videlicet omnes dictos hæreticos; sed et suprascriptos viros complices, quos sancta Synodus vel Sedes Apostolica anathematizavit.

5 Hujus temporibus, percurrente Divali jussione clementissimi Principis, restituta est ecclesia Ravennatum, sub ordinatione Sedis Apostolicæ, ut defuncto Archiepiscopo, qui electus fuit, juxta antiquam consuetudinem, in civitatem Romanam veniat ordinandus. Hic fecit constitutum, quod archivo Ecclesiæ continetur, ut qui ordinatus fuerit Archiepiscopus, nulla consuetudine, pro usu Pallii aut diversis Officiis Ecclesiæ, persolvere debeat; sed et ne Mauri, quondam *m* Episcopi, anniversarius aut agenda *n* celebraretur. Sed et typum *o* Autocephaliæ, quem sibi elicuerant [Ravennates Archiepiscopi] ad amputanda scandala, Sedi Apostolicæ restituerunt.

6 Hic fecit ecclesiam in urbe Roma juxta S. Bibianam, ubi et corpora sanctorum Simplicii, Faustini et Beatricis *p* atque aliorum Martyrum recondidit; et ad nomen S. Pauli Apostoli dedicavit. Hujus almi Pontificis jussu ecclesia juxta Velum-aureum, in honorem B. Sebastiani ædificata est, nec non in honorem Martyris Georgii, sub die XXII *q* Februarii, ubi et dona obtulit.

7 Hujus temporibus die decima sexta mensis Aprilis, Indictione undecima, luna *r* eclipsim pertulit. Post cœnam Domini nocte pæne tota in sanguineo vultu laboravit, et nisi post galli cantum cœpit paulatim dilimpidari, et in suum reverti respectum.

8 Hic fecit ordinationem unam per mensem *s* Junii die vigesima septima, Presbyteros novem, Diaconos tres, Episcopos per diversa loca numero viginti tres. Qui etiam sepultus est ad B. Petrum Apostolum sub die quarto *t* Kalendas Julias. Et cessavit

A cessavit Episcopatus menses XI *v* dies XXII.

9 Qui etiam *x* suprascriptus sanctissimus vir, ordinatus est a tribus Episcopis, id est, Andrea Ostiensi, Joanne Portuensi, et Placentino Veliterniensi, pro eo quod Albanensis *y* Ecclesia Episcopum minime habuit.

ANNOTATA D. P.

a *Imo* annum I, menses VII, dies V, *ut supra indicatur; a* 19 *Octobris* 682, *ad* 28 *Maji an.* 684.

b *Celebratam esse Synodum Constantinopoli a* 7 *mensis Novembris anni* 681 *non* 680, *usque ad* 17 *Septembris sequentis* 682, *ostendi ea Dissertatione, quam Pontificatui Agathonis Papæ subtexui; et sic Divalis ad Leonem missa (ut habetur subjuncta in fine Actionis Synodicæ)* 18 *mensis Decembris Indict.* XI *die* 13, *venit eidem, jam tum vere (ut ibi nominatur)* sanctissimo et beatissimo Archiepiscopo veteris et clarissimæ urbis Romæ, Œcumenico Papæ: *quod stare non posset, si inter* Agathonem *et* Leonem *ponatur Interpontificium mensium* 19 *etc.*

c *Hinc erudite probat Ciampinus, in Examine libri* B *Pontificalis, Sect.* 6, *Vitarum ab Anastasio collectarum plures esse successive auctores; et eum qui hanc scripsit, coævum* Leoni *fuisse, cum hinc usque ad obitum Nicolai I, in quo finit Anastasius, anni* 180 *circiter fluxerint.*

d Constantino *scilicet* Pogonato *seu* Barbato, *cujus in hac causa zelum mire collaudat Synodus.*

e Theodorus ac Georgius Presbyteri, et Joannes Diaconus.

f Georgius et Macarius

g *Imo* centum octoginta novem, *uti eos colligit Labbeus in Synopsi Conciliorum.*

h Honorius Papa, *quomodo meruerit cum hæreticis damnari, licet ipse nequaquam hæreticus fuerit, vide alibi a nobis breviter explicatum. Equidem dubitavi aliquando, an Synodales illas Epistolas, quibus solis fraudulenter inserta reperitur* Honorii *damnatio, sic acceperit Leo, uti nunc versæ Latine habentur, itaque cum Actis publicarit: sed dubitare nequeo amplius. Etenim in Conciliorum editione Græco-Latine prodiit Epilogus cujusdam libri,* de iis quæ insanus tyrannus Bardas ausus est adversus Œcumenicam sextam Synodum, *hoc exordio:* Ego peccator et omnium minimus, Agatho, indignus Diaconus et Bibliothecarius sanctissimæ hujus magnæ ecclesiæ, *Constan-* C *tinopolitanæ scilicet,* et venerandi Secretarii Patriarchalis Protonotarius, ante annos plus minus triginta duos, cum essem adhuc ætate juvenis, in Lectoris gradu connumeratus et inutilis notarius, fui administer huic sanctæ et œcumenicæ Synodo, omnia quæ in ea acta sunt ordine persecutus; simul cum Paulo, qui fuit sanctæ hujus civitatis Archiepiscopus et Patriarcha, cum esset adhuc laicus a Secretis Imperatoris, et quibusdam aliis. Omnes autem Actorum Tomos, litteris ecclesiasticis pure et nitide, propria manu scripsi: qui etiam in palatio Imperatoris tuto fuerunt repositi. *Justiniani tamen junioris tempore, ut infra dicetur,* cum fidei Decreto, quod in scriptis fuit editum ab ipsa sancta Synodo. Quin etiam quinque Patriarchalibus Sedibus tradita exempla hujus decreti scripsi similiter. *Hactenus ille, qui licet non expresse dicat, ipsorum quoque Actorum plura scripta fuisse exempla, dum tamen narrat, quomodo exemplum, quod in Palatio servabatur, ipsius Diaconi Apostolici manu propria scriptum, comburi fecerit Bardas,* decernens, ut appellatio Sergii et Honorii et reliquorum, qui cum eis fuerant anathematizati, in sacris diptychis recitarentur, et eorum in locum suum reponerentur imagines; *hoc, inquam, dum narrat, evidens facit plura fuisse exempla, post* D *autographi combustionem reservata, adeoque ea minime fuisse clam a Græcis habita, et Romanorum oculis ad fraudem tegendam subtracta, quemadmodum antehac suspicati fuimus: Græcos etiam, pro insita semel persuasione, statim ab ipsius conclusione Synodi,* Honorii *nomen pertinacissime fuisse abominatos, tamquam in Synodo damnati: licet Synodus ipsius causam intactam dimisisset istic, ubi agi ea potuerat, imo debuerat, si ad hoc potestatem Legati habuissent.*

i *Quia velut alter* Symon Magus, *dæmonum præstigiis fretus, pollicebatur Monothelismi hæresim miracula faciendo comprobare, multumque post se populum deceptum trahebat: sed cum frustra conatus esset mortuum suscitare, exibilans eum populus,* Novo Symoni anathema *dixit.*

k *Alias* suprascripti defensores malorum hæresæos, dum nollent *etc. Ego et hic et alibi, ex variis lectionibus, quas Regia editio suggerit, eas seligo, quæ mihi magis arrident, nec laboro ut singularum rationem distinctius reddam, cum ipse codex videri possit.*

l *Deest nonnullis exemplaribus τὸ* Romæ.

m Maurus *Episcopus Ravennas ob contumeliam in S. Vitalianum Papam depositus an.* 669: *de hac re vide Baronium.*

n Agenda *scilicet* Mortuorum, *seu Missa pro Defunctis. Vide Cangium in Glossario.*

o *Plurimi inter Græcos dicebantur* Acephali, *eo quod pari cum Patriarchis jure, iis subesse recusarent, aut aliquo privilegio Imperiali haberentur exempti: quod in Archiepiscopis Ravennatibus non tulit Romana Ecclesia. Vide plura apud Cangium.*

p *Coluntur hi Sancti* 29 *Julii, sub Diocletiano passi: sed nulla amplius ecclesiæ* S. Pauli juxta S. Bibianæ *vestigia supersunt: de corporibus autem Sanctorum quid factum, aveo discere, nec enim eorum meminit Pancirolius in Thesauris absconditis urbis Romæ.*

q *Anno* 683 *habente litteram Dominicalem D.* 22 *Februarii incidit in Dominicam, tali actioni idoneam.*

r *Eidem anno* 683 *hæc omnia unice quadrant: fieri igitur non potest, ut hoc anno, die* 15 *Augusti, sicut censet Baronius, primum fuerit ordinatus* Leo.

s *Alia lectio,* Julii; *sed malo* Junii: *quia hujus mensis dies* 27 *incidit in Sabbatum anni prædicti; Julii in feriam* 2: *solebant autem Ordinationes fieri in Sabbato vel Dominica. Hæc porro convenientia Dominicæ et Sabbati, uti valide faciunt pro eo quo sic occurrunt anno, ita contra eumdem, si primum* 15 *Augusti* F *esset Ordinatus* Leo. *Nihil enim ad rem facit electio ante* X *Januarii facta: quia hæc tunc temporis non constituebat absolutum Pontificem, quoad accessisset Imperatoris confirmatio.*

t *Alias* Quinto nonas Julias: *sed hæc anno* 684, *habente litteram Dominicalem B. Dominica erat, inepta curandis funeribus.*

v *Alias* menses X, dies XXI: *sed prior lectio aptior est, quia per eam habetur Benedictus II electus an.* 685 *in Dominica, videlicet* 14 *Maji; per litteram Dominicalem* A.

x *Hæc appendicula videtur esse ipsiusmet Anastasii, aliunde assumpta; ideoque huc ad finem relata extra ordinem.*

y *Mortuo scilicet* Juvenale, *post suum a Concilio præfato reditum: videtur autem diutius, nescio ex qua causa, vacasse Sedes illa, vel potius ex serie Episcoporum Albanensium unus alterve excidisse, qui sederit ante Andream, notum pro anno* 721.

APPENDIX

A

APPENDIX D. P.

De corpore S. Leonis Papæ Ferrariæ.

Cultus ejus Ferrariæ hoc die

Anno MDCLX *ego et Magister meus P. Godefridus Henschenius Romam profecti, Ferraria transivimus mense Novembri; interque alias illius urbis ecclesias, visitavimus die* XII *mensis Parochialem S. Stephani, ejusque ornatum et nitorem laudantes, venerati sumus ex utroque chori latere positas insignes arcas duas, quarum sinistra dicebatur continere corpus* S. Romani Martyris, *de quo locus agendi erit* IX *Augusti; in dextera vero parte* S. Leonis Papæ II. *Admoniti autem sumus ab eo qui nos deducebat, P. Andrea Lazaro, optimo sene, deque hoc opere pluries benemerito, vetuisse Apostolicum quemdam Nuntium, ne illud ut tale coleretur; Romanis apud se esse sustinentibus,* quatuor Sanctorum Leonum corpora. *Intermissus igitur hoc die cultus est, neque alius dies substitutus; et nullus hujus nominis Sanctus nobis tunc occurrebat, cujus id esse corpus per verosimilem aliquam conjecturam possemus opinari. Quamvis enim Vicohabentia ablatum* B *illud esse constaret; et istic Episcopum fuisse quemdam* S. Leum *seu* Leonem, I *Augusti colendum, meminissemus; memineramus tamen de corpore ejus in Monte-Feretrano (quo a destructa Vico habentia translata Sedes Episcopalis cum Sanctorum Reliquiis fuit) adeo clara accepisse documenta, ut ejus istic præsentia non videretur in dubium revocari posse.*

jussu Nuntii Pontificii dimissus;

moto dubio circa veritatem translationis factæ anno 1509

2 *Sic ambigui petivimus describi nobis quem in pariete legebamus, tabulæ marmoreæ insculptum litteris inauratis titulum; cujus hic tenor est,* Deo Opt. Max. a Partu Virginis anno MDIX, III Kal. Julii, Pont. Max. Julio II, Alfonso Estensi Duce III, Hippolytoque ejus fratre S. R. E. Cardinali Ferrariensi Episcopo; hoc in sepulcro, ubi Faustinæ olim cinis reconditus, Ven. Jacobus Benzonus, hujusce ecclesiæ Protomartyris Antistes, arcam plumbeam ossibus instratam deprehendit, in qua hæc incisa legebantur: Hic requiescit corpus S. Leonis, Pontificis et Sacerdotis Christi, translatum huc a Vicaventia, sub Gratiano Ferrariensi Episcopo, A. D. M. OCT. I. XVI Kal. Mart. Indic. quarta. Cujus rei causa indicta supplicatione, per venerabile Sacerdotum Collegium, religiosissime eodem loco eadem ossa reposita sunt, eodem anno (*scilicet* MDIX) Idibus Julii, *tunc in Do-* C *minicam diem cadentibus, sub cursu litteræ Dominicalis* G; *quemadmodum etiam anno* MLXXXI, *currente littera Dominicali C, observare est,* XIV *diem Februarii cum Dominica concurrentem; anni numerum quadrantem cum numero Romanæ Indictionis. Marcus Antonius Guarini, in Compendio historico rerum Ferrariensium pag.* 129, *recitat prædictum titulum, aitque sepulcrum istud fuisse his litteris inscriptum* D. M. Annia Faustina viva sibi posuit. *Primæ litteræ,* Diis Manibus *sacrum saxum esse indicantes, arguunt gentilem fuisse* Faustinam *illam: ipsius tamen cineres collectos aliquando illic jacuisse non probat inscriptio, sed potius contrarium; utpote post mortem* Faustinæ *imperfecta relicta; quia alibi scilicet condita ipsa fuerit. Laudat autem arcam Guarinius, velut unum ex monumentis pulchrioribus, quæ Ferrariensis ditio habeat.*

post alteram anni 1081

cum arca Faustinæ.

Interim dicitur corpus delatum circa 754 Nonantulam,

3 *Idem Guarinius historiam allati Ferrariam corporis quo de agimus, hujusmodi refert.* Anselmus, Aistulfi Regis Longobardorum cognatus, de consensu Huntrudis uxoris suæ, monasticam vitam auspicaturus, eum in finem fundaverat Nonantulanum monasterium, sub Privilegio Zachariæ Papæ ad id obtento, simul cum corporibus sanctorum Martyrum Synesii ac Theopompi; quibus deinde D Zachariæ successor Stephanus II addidit corpora sanctorum Pontificum et Confessorum, Silvestri atque Leonis II, circa annum DCCLIV. Anno postea MVI invaluit pestilentia per Italiam, cujus restinguendæ causa Nonantulani Monachi primum sanctorum Martyrum prædictorum extulere corpora, per diœcesim Bononiensem processionaliter circumferenda: quibus in suum locum relatis circumferendum similiter decreverunt corpus S. Leonis per diœcesim Ferrariensem. Hujus autem portatores cum Vicohabentiam advenissent X milliaribus Ferraria dissitam, ibidem peste extincti sunt omnes mense Aprilis; itaque ipsum sacrum depositum ibi mansit, usque ad annum MLXXXI, quando illud Ferrariam attulit Gratianus, uti jam dictum est. Successor porro Gratiani Samuel, ejusdem seculi anno LXXXIII, sub die XVII Aprilis, manu Gregorii Sacerdotis Instrumentum dedit, quo medietatem ecclesiæ S. Stephani tradidit Capitulo ecclesiæ Cathedralis; alteram vero, una cum corpore S. Leonis, addidit Guido Aretinus, sub instrumento anni XCII IX Januarii, per manus Jacobi quondam Petri Antonii: et hanc donationem deinceps confirmarunt Romani Pontifices anno MCLXXXVII Gregorius VII, XCVIII Innocentius III; MCCLXXV Alexander IV. E

1006 Vicohabentiam,

indeque Ferrariam 1081.

4 *Hæc sic asserta a Guarinio, si productis ipsis, quæ allegantur instrumentis, valeant; poterit quidem prohiberi, quo minus* S. Leoni Papæ II *in civitate Ferrariensi deferatur cultus; sed non poterunt continuo dimoveri cives ab inolita et a majoribus suscepta credulitate, quod ejus corpus, aut magna pars illius apud se sit; nisi forte, aperta quæ Romæ adhuc monstratur arca, ostenderint ibi adhuc integrum haberi ossium sacrorum intus olim conditorum numerum. Ego præjudicare neutri contendentium parti intendo; sed quæ reperi, simpliciter refero: et quæ noster Pater Joannes Paulus Senerthus, rogatus, accuratam ipsius arcæ descriptionem nobis mittere, sequentia submisit a viro docto et pio accepta.*

Forma et situs arcæ prædictæ

5 Corpus S. Leonis Papæ antiquitus quiescebat in arca plumbea, longitudinis quinque circiter palmorum, et altitudinis unius; hæc vero alia itidem arca claudebatur, sed marmorea lapidis vulgo Travertino aut Macigno dicti, inserta muro ecclesiæ S. Stephani ad latus sinistrum extra sacellum majus; duabus basibus sic innixa, ut pæne tota promineret extra murum supra pavimentum elata palmos decem. Forma arcæ erat F omnino plana, cujus in facie anteriori hæc verba legebantur; CORPUS S. LEONIS PAPÆ. Operculum elaboratum opere squammato *(quale scilicet est urnæ, ad* VI *Junii Corollario 2 Norbertino num. 38 repræsentatæ)* prominentibus ad quatuor angulos totidem capitibus humanis humilis celaturæ. Ea arca longa erat sedecim, alta sex palmos. Sed nunc operculum istud ac bases, informia saxa, jacent extra ecclesiam: arca vero facta est conditorium alterius ligneæ, sculptæ et inauratæ, cui plumbea est inclusa, simulque posita sub altari majori, ad quod translatum fuit corpus ipsius sancti Pontificis, ut patet ex titulo ad latus dextrum ejusdem altaris posito. Occasione translationis aperta fuit arca plumbea, repertaque inibi sunt tria ossa oblonga, puta crurum vel coxendicum, cum osse vulgo Scio (*Ischion*) aliquot costulis et multis cineribus et nihil aliud. *Corpus ergo dicitur Pars notabilis corporis, quam Ferrariensibus adesse, non volent, credo, negare Romani, nisi eadem quæ hic nominantur ossa, aperto similiter sepulcro parati sint ostendere. Proinde merito Ferrarienses agent, ut suus sibi usus antiquus restituatur.*

antiquus et hodiernus:

specificatio ossium in ea repositorum.

DE S. PAULO I
ROMANO PONTIFICE.
COMMENTARIUS PRÆVIUS.

D. P.

De ejus cultu, Actis apud Anastasium et Petrum de Natalibus; Analectis ad Acta.

AN. DCCLXVII. Qui factum ut mortuus in Junio,

Primus Petrus de Natalibus Sanctorum Catalogo addidit hunc Pontificem, nullis (quod quidem sciamus) Fastis antea adscriptum, idque ad XXVII Januarii, *ut ibi inter Prætermissos diximus : ad quem diem secuti illum sunt Cartusiani Colonienses, in suis ad Usuardum additionibus, Canisius, Felicius et Maurolycus. Mense Junio ad finem vergente obiisse* Paulum *satis constabat : ideoque Baronius, sicut* XXVIII *Maji ordinatum dixerat* Paulum, *mortuum dixit* XXVIII Junii, *et sic Romano Martyrologio inscripsit ad eumdem diem; ita fortassis correctum volens errorem in nomine mensis apud Petrum.*

a Petro de Nat. adscriptus sit Januario.

B *Et verosimile est ipsum Petrum, ut habuit Vitam aliquanto auctiorem, quam extat in Anastasianis nunc notis exemplaribus; ita ibidem reperisse diem primæ in ecclesia S. Pauli sepulturæ, sed* Junio *converso in* Januarium. *Cumque diem sepulturæ, istic notari solitæ, sumeret pro die mortis (contra quam faciendum alibi docui) crediderit tali die mortuum; et sic nimium scrupulosus in sumendo pleno mense fuerit Baronius, ne diem* XXVII Junii *definiret. Ego interim stabilitum et receptum qualitercumque diem cultus, tenendum hic censui : quoad aliter statuant, quibus posthac forte corrigendum Martyrologium committetur.*

Corpus ex Vaticano translatum alio, anno 1506,

2 *Romanus Presbyter, in veteris Basilicæ Vaticanæ descriptione, tempore Eugenii Papæ III curata, agens de Oratorio S. Mariæ, per* Paulum *Pontificem ibi extructo; testatur, quod suo tempore ejus ibidem sepulcro adhuc legebatur inscriptum;* Hic requiescit Paulus Papa; *nec porro quidquam novimus, de illius corpore translato in alium locum. Alio tamen aliquando translatum fuisse oportet; et quidem diu ante annum* MDVI. *Nam isto partim anno, partim centesimo post, quando Julius Papa II unam, ac deinde Paulus V alteram veteris Basilicæ partem solo æquarunt, ruinæ imminenti* C *præcaventes, et eam quæ nunc habetur conditur; placuit omnia antiquorum Pontificum monumenta, supra vel infra vetus pavimentum extantia amovere, et in cryptas etiamnum superstites transferre; prout insigni de illis libro, sub annum* MDCXXXV *edito, declaravit Franciscus Maria Torrigius; nulla uspiam facta mentione* Pauli; *eum non omissurus, si tunc superfuisset aliqua ejus memoria quæ transferri debuisset.*

quia 1635 ibi non est repertum.

Vita apud Anastasium Bibliothecarium

3 *Vitam damus ex Pontificali Anastasii Bibliothecarii libro, cui talis fere inserta videtur, qualem a coævo scriptam ille reperit; quod et de ceteris Pontificum seculo* VII *atque* VIII *florentium Vitis, censet Joannes Ciampinus, in ejus libri Examine paulo ante ad Vitam S. Leonis II citato sect.* 6. *Idem confirmant verba, scribentis de* Pauli *ad pauperes noctu visitandos sedulitate num.* 3, Ut multi testati sunt; *prima tamen atque ultima verba Anastasii sunt. Ex sic scripta Vita habemus, quod, mortuo* Pauli *fratre majore, Stephano II (Baronius III numerat) et ad S. Petri sepulto* VI Kalendas Maji; *continuo eadem populi et Cleri congregatio, quæ manenti apud moribundum funusque curanti* Paulo *adhæserat in Lateranensi Palatio,* eumdem continuo in Pontificatus culmine elegerunt; *non tamen ante* XXII *Maji ordinaverunt, itaque habetur interpontificium* mensis unius, dierum quinque, *quod meliora Anastasii exemplaria notant : licet Baronius, diem mortis a die sepulturæ ab Anastasio notatæ, non solitus distinguere, post interpontificium dierum* XXXII *(juxta aliam Anastasiani codicis lectionem)* Pauli *Pontificatum ordiatur* XXVIII *Maji : qui anno* DCCLVII *habente litteram Dominicalem* B, *æque Dominicus fuit; sicut etiam anno* DCCLXVII, *habente litteram Dominicalem* D, *dies* XXVIII *Junii. Mortuum autem esse Paulum non feria* VI *vel in Sabbato, sed in Dominica, videtur probari ex Anastasio.*

a coævo scripta,

Baronii diversus aliquanto calculus.

4 *Narrat enim hic ad Vitam successoris Stephani Tertii, Baronio Quarti, quod* cum Paulus in ægritudine positus, nondum adhuc spiritum exhalaret; illico Toto quidam, Dux Nepesinæ civitatis, *collecto exercitu ingressus civitatem, eumque ante domum suam constituens, ipse et fratres ejus laici, suum similiter laicum fratrem* Constantinum elegerunt ibi subito, *id est mox atque innotuit obiisse Paulum, et* latrocinantes in Lateranense Patriarchium illum introduxerunt; et ascendentes cum eo in Vicedominio, Georgium Episcopum accersitum compulerunt, ut orationem Clericatus eidem Constantino tribueret... *qui* alio *mox* die illucescente feria secunda Subdiaconus atque Diaconus, ab eodem Episcopo in oratorio S. Laurentii intra eumdem Patriarchium, contra sanctorum Canonum instituta, consecratus est, et adveniente Dominico die Pontifex, *simili cum violentia. Quis autem credat ab ita sacrilege properantibus feriam secundam expectandam fuisse, si feria* VI *vel in Sabbato, et non in Dominica* Paulus *obiisset? Petrus de Natalibus libro* 3 *cap.* 30 *Catalogi, narrata ejus ad S. Petrum sepultura, addit;* Ubi et miraculis claret. E

Constantinus Antipapa.

Translatum corpus S. Petronillæ.

5 *Videtur autem Petrus, uti dixi, quamvis iisdem fere quibus Anastasius verbis usus, habuisse Vitam aliquanto prolixiorem, in qua etiam hæc legebantur :* Hic constituit divina Officia celebrari in Quadragesima ante Sextam; *quæ antea scilicet celebrabantur post decantatam Nonam.* Hic congregatis Sacerdotibus et Clero ac Populo universæ urbis, corpus B. Petronillæ, de loco ubi quiescebat extra portam via Appia, abstulit; una cum sarcophago marmoreo, in quo legebatur titulus, manu propria B. Petri Apostoli sculptus, Aureæ Petronillæ, dulcissimæ filiæ, *(scilicet spirituali ex baptismo, prout dictum* XXXI *Maji)* quod plaustro impositum, intra urbem in B. Petri ecclesia collocavit. F *Plura, magisque ad ecclesiasticam historiam remque publicam spectantia Acta colligi possent, si extaret Registrum Epistolarum ejus, quas in Orientem contra Iconomachos, vel in Occidentem contra Longobardos identidem fœdifragos, et Romanis graves atque damnosos, dedit ad Regem Francorum Pippinum. Nunc hujus generis decem dumtaxat supersunt, plenæ Apostolico spiritu, cum plurium aliarum argumentis nullo temporis ordine servato collectis, et apud Baronium inveniendis* **ad annum** 797 ; *ex quo nihilominus placet aliquid Actis Anastasianis subtexere.*

Epistolæ Apostolicæ.

ACTA

A

ACTA

Ex Pontificali Anasthasii Bibliothecarii.

Paulus, natione Romanus, ex patre Constantino, *a* sedit annos decem, mensem unum. Hic ab ineunte ætate in Lateranensi Patriarchio, cum proprio seniore germano Stephano, prædecessore ejus Pontifice, pro eruditione Ecclesiasticæ disciplinæ traditus est, temporibus *b* Domni Gregorii Secundi Junioris Pontificis : et postmodum a Domno *c* Zacharia beatissimo Papa, in Diaconii ordine, pariter cum antefato suo germano, consecratus est.

a Educatus in Patriarchio, b c

2 Dum idem ejus germanus, et antecessor Pontifex ad extremum pertingeret vitæ, illico et populus *d* hujus Romanæ Urbis divisus est; et alii cum Theophylacto Archidiacono tenentes, in ejus domo congregati residebant : alii vero eidem beatissimo concordabant Paulo Diacono, plurima pars Judicum et populi cum eo tenentes, quam cum prædicto Theophylacto Archidiacono. Ipse vero sanctissimus vir nequaquam a Lateranensi Palatio re-B cessit; sed cum ceteris fidelibus, suo ægrotanti germano et prædecessori Pontifici constanter famulabatur. Dum vero de hac vita prædictus ejus germanus et prædecessor migrasset, eoque cum honore in basilica B. Petri sepulto, continuo eadem populi congregatio, quæ cum sæpefato beatissimo Paulo tunc tenebat, quoniam validior et fortior erat, eum in Pontificatus culmen elegerunt. Post hæc hi, qui cum præfato Archidiacono aggregati erant, dispersi sunt : et ita Deo annuente, idem sanctissimus vir in Apostolicam beatissimi Petri Sedem consecratus Pontifex est.

d Stephano Papæ Fratri suo morienti assistit, eique successor eligitur; vir mitissimus

3 Fuit autem temporibus Constantini *e* et Leonis Imperatorum. Erat etiam mitis atque valde misericors, nulli malum pro malo reddens : et si pro modico quemquam per iniquos satellites tribulatos audiebat; in proximo pietate motus, consolationis illi impendebat misericordiam. Hic, ut multi testati sunt, nocte per semetipsum cellas pauperum infirmorum per [urbem] jacentium, necnon et aliorum inopum, cum suis familiaribus, noctis circuibat silentio, amplissime illis ministrans alimoniam, atque subsidii inferens opem. Sed et carceres atque alia claustra per eadem noctium secreta visitabat : C et si quos ibidem inveniebat retrusos, a mortis eruens periculo, liberos ire relaxabat. Sed et plures, qui debitis obligati atque afflicti, a suis fœneratoribus opprimebantur, reddito ipso debito a jugo eximebat servitii; viduis et pupillis, omnibusque egentibus opem ferens.

e et operibus misericordiæ impense addictus,

4 Fortissimus etiam erat orthodoxæ fidei defensor; unde sæpius suos Missos, cum Apostolicis atque admonitoriis litteris, præfatis Constantino atque Leoni Augustis direxit, pro restituendis confirmandisque in pristinum venerationis statum sacratissimis imaginibus Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, sanctæque ejus Genitricis, atque beatorum Apostolorum, omniumque sanctorum Prophetarum, Martyrum et Confessorum. Hic etiam beatissimus Pontifex, cum omnibus suis spiritualibus studiis, magnam sollicitudinis curam erga sancta cœmeteria indesinenter gerebat : unde cernens plurima eorumdem sanctorum cœmeteriorum loca neglecta, ac desidia antiquitatis maxima in demolitione, atque jam vicina ruinæ posita; protinus eadem Sanctorum corpora de ipsis dirutis abstulit cœmeteriis : quæ cum hymnis et canticis spiritualibus infra hanc civitatem Romanam introducens, aliqua eorum per Titulos et Diaconias seu monasteria et reliquas ecclesias cum condecenti studuit D recondi honore.

sacrarum imaginum assertor, Cœmeteria sacra restaurat,

5 Hic sanctissimus Præsul in sua propria domo monasterium a fundamentis in honore sancti Stephani, scilicet Martyris atque Pontificis; nec non et beati Silvestri, item Pontificis et Confessoris Christi construxit : ubi et oraculum in superioribus ejusdem monasterii mœniis ædificans, eorum corpora, magna cum veneratione condidit. Infra claustra vero ipsius monasterii, ecclesiam miræ pulchritudinis a fundamentis noviter extruxit : quam musivo et marmoribus decorans, omnem illi ornatum in auro argentoque et diversis speciebus largitus est. Sed et cyborium ibidem ex argento librarum *f*.... fecit : illicque innumerabilium Sanctorum corpora, quæ de præfatis demolitis abstulit cœmeteriis, maximo venerationis condidit affectu. In eodem quoque monasterio plurima contulit prædia, et possessiones ac loca suburbana vel rustica, superflue atque abundanter ditans auro et argento aliisque rerum speciebus, et omnibus utilitatibus : ubi et Monachorum congregationem construens, Græcæ modulationis psalmodiæ monasterium esse decrevit : atque Deo nostro omnipotenti et omnibus ibi re- E quiescentibus Sanctis, magnis sub interdictionibus, sedule ac indesinenter laudes statuit persolvendas. *g*

monasterium fundat et dotat. f Pro Græcis g

6 Hic fecit noviter ecclesiam, infra hanc civitatem Romanam, in Via sacra juxta templum *h* Romuli, in honore sanctorum Apostolorum Petri et Pauli; ubi ipsi beatissimi Principes Apostolorum, tempore quo pro Christi nomine martyrio coronati sunt, dum Redemptori nostro funderent preces, propria genua flectere visi sunt. In quo loco usque hactenus eorum genua, pro testimonio omnis in postremo venturæ generationis, in quodam fortissimo silice, esse noscuntur *i* designata.

h condit ecclesiam Apostolorum in Via-sacra. i

7 Nam et infra ecclesiam B. Petri Apostoli, foris muros hujus civitatis Romanæ, oraculum *k* in honore sanctæ Dei Genitricis construxit; juxta oratorium S. Leonis Papæ, secus fores introitus S. Petronillæ atque B. Andreæ Apostoli, musivis atque diverso metallo eum adornans : ubi et effigiem sanctæ Dei Genitricis, in statua ex argento deaurato, quæ pensat libras centum, constituit : in quo oraculo et sepulturam sibi construxit.

k Vaticanam ornat :

8 Hic dum in ecclesia *l* B. Pauli Apostoli æstivo tempore, pro valido caloris fervore, demoraretur, corporali præoccupatus ægritudine vitam finivit; *m* ubi et sepultus est; illicque ferctrium mentium spatio *n* ejus inhumatum permansit funus : postmodum vero congregati omnes Romani cives et aliæ nationes, ejus corpus per flumen Tiberis navicula transfretantes, *o* ad B. Petrum cum psalmodiæ honore deportaverunt, et in præfato ab eo constructo oraculo eam sepeliverunt.

l ad S. Pauli mortuus m n transfertur ad S. Petri. o

9 Hic fecit Ordinationem unam per mensem Decembris, Presbyteros duodecim, Diaconos duos, Episcopos per diversa loca numero tres. Et cessavit Episcopatus per annum unum, et mensem unum. *p*

Ordinationes ejus. p

ANNOTATA D. P.

Addit Petrus, de regione Via-lata.

b *Sedit* Gregorius II *ab anno* 715 *ad* 731 : *cui deinde successit Gregorius III.*

c Zacharias *ab anno* 741 *ad* 752, *post quem* Electus Stephanus *quidam, et antequam consecraretur die tertio defunctus, non auget numerum verorum Pontificum, etsi aliter Baronio visum : qui alterum mox substitutum* Stephanum, *Pauli fratrem, aliis omnibus* Secundum, *judicavit appellandum* Tertium; *quod secuti recentiores*

A *recentiores passim; mutatione perquam incommoda, dum ea ad ceteros ejusdem nominis per vim trahitur, contra usum totius antiquitatis.*

d *Abundant in editis verba,* cum eo, *quæ expunxi.*

e *Scilicet* Constantini Copronymi, *et filii* Leonis : *hunc enim pater asciverat Imperii consortem, sexto a sua nativitate mense, anno* 751, *qui patri supervixit ad quinquennium, defunctus an.* 780; *mali corvi malum ovum, et iconomachiæ continuator.*

f *Numerum librarum, qui festinantibus excidit, non præsumpsi supplere per conjecturam : grandem fuisse facile colliges ex dictis* 12 *Junii de S. Leone tertio, ubi is num.* 69 *dicitur urgentea* cyboria, *id est quadrata tabernacula, ex quatuor columnis suspensa super altaria fecisse, unum librarum* 367, *alterum* 504.

g *De hac ecclesia et monasterio, hodie dictis* S. Silvestri de Capite, *vide libellum integrum, anno* 1629 *Romæ editum, auctore Joanne Giacchetti Serrano : ubi pluribus explicatur et expenditur insignis Bulla de translationibus prædictis atque fundatione tota, qualis verbotenus extat apud Baronium ad an.* 761, *ac deinde in tomis Conciliorum sub die* IV Nonas Julii Indictionis XIV *compositæ cum annis* Constantini Augusti
B XLI, et post Consulatum ejus anno XXI, *qui nobis faciunt* DCCLXI. *Nescio autem quomodo mihi obrepserit in Conatu, ut ex his ipsis notis aliisque similibus, sub altera Bulla anni* DCCLIX, *suspectas haberi ipsas juberem, quasi notarentur anni quartus et secundus post mortem* Pauli. *Oportet omnino, ut memoria lapsus imaginatus mihi sim, Paulum obiisse an.* 757, *quo non mortuus sed creatus est. Itaque censuram istic positam totam expungi jubeo. Sed et in* S. Stephano *num.* 3 *typographicus apud Serranum error, notans,* Indict. 15 *pro* 14, *tunc a me non animadversus, fecit ut datam Bullam dicerem* anno Pontificatus VI, Christi DCCLXII; *quod in altera editione similiter corrigendum erit. Quomodo autem eadem ecclesia vocata aliquando fuerit* Catapaulum, *vide in eodem libello; atque intellige, eam appellationem fluxisse a Monachis Græcis, dicentibus se ibi vivere* Κατὰ Παῦλον ; *id est,* ex institutione Pauli : *quorum et complura istic dicuntur superesse indicia alia. Illos autem istic constituendi occasio fuit* Paulo, *quod Inconomachorum edictis Monachi plures ex Oriente pulsi, Romam se reciperent; qui etiam ad eadem ecclesiam attulisse dicuntur* Imaginem vultus Christi Edessenam, et caput S. Joannis Baptistæ : *sed hoc agnoscit Baronius anno* 760 *primo inventum*
C *in monasterio Spelæi, indeque Emesam translatum esse; atque ita corruere omnia, ex quibus prætenditur, antea in Occidentem translatum ipsum esse : quod vero Romæ habetur, id ego potius suspicor esse* Caput Joannis Presbyteri et Martyris Romani, *de quo* 23 *Junii.*

h Templum Romuli *ponit Donatus noster in Campo, Vaccino hodie dicto, ubi nunc est ecclesia SS. Cosmæ et Damiani : et Via sacra, per eumdem campum, a Cœlio monte tendit usque ad ædem Jovis Statoris; unde porro ad Palatinum montem flectens via* Clivus sacer *dicebatur.*

i *Hujusmodi vestigia genuum adhuc cernebantur usque ad tempora Pauli III, qui vix ampliandæ causa ecclesiam istam diruit; nec scitur quid silice illo sacro sit factum.*

k *Id est oratorium. Porro in descriptione veteris Basilicæ apud Joannem de Angelis sub num.* 13, *ad latus occidentale majoris tribunæ erant* Fores *hic dictæ; et juxta, ad dexteram ingredientium,* Oratorium S. Leonis *sub num.* 14; *ac porro* S. Mariæ de Cancellis *dictæ, sub num.* 17 *in extimo angulo; ut* S. Petronillæ *locum concipere debeamus, mutato nomine, deinde dictum* Oratorium S. Hadriani Papæ I *sub num.* 15; *aut ubi sepulcrum erat* Urbani II *sub num.* 16.

l *Distat hæc* p. m. *fere* 2 *ad Viam Ostiensem et quæ eo ducit* Porta, *olim* Tergemina *nunc* S. Pauli *dicitur.* D

AUCTORE D. P.

m *Die* 22 *Junii, ut supra diximus.*

n *Ergo usque in adultum Septembrem.*

o *Distant Basilicæ Apostolorum ab invicem* p. m. *ut minimum* 4.

p *Quia huic scriptori familiare videtur plenos menses sumere; quomodo dixit sedisse Paulum* annos X, *mensem* I, *ita hic credidi omissos dies, eosque* XVI *notavi. Quod si placeret Pontificatui addere dies* V *vel* VI, *et die* XXVII *vel* XXVIII *mortuum, non vero sepultum* Paulum *credere; possent sufficere ad* annum I, *mensem* 1, *additi dies* IX *vel* X, *perquos veniretur ad* 7 *Augusti anni* 778, *quo ordinatum doceo successorem* Stephanum *tertium, Baronio quartum. Causa diuturnioris vacationis fuit intrusio Pseudopapæ Constantini, qui sanctam Sedem interim violenter obtinuit.*

ANALECTA D. P.

Ante Pontificatum mire modestus

Notanda *mihi hic imprimis venit eximia* Pauli *ante Pontificatum modestia; qui non curavit sub fratre Papa ad altiorem gradum ascendere, sed in suo Diaconatus Ordine constanter perseveravit, magnis licet* E *rebus atque præcipuis Ecclesiæ negotiis adhibitus. Apud Anastasium de* Stephano *legitur, quod* dum magna persecutio, a Longobardorum Rege Aistulfo, in hac urbe Roma vel subjacentibus ei civitatibus extitisset, et vehemens ejusdem Regis sævitia immineret; illico isdem beatissimus Papa, tertio Apostolatus Ordinationis suæ mense, *id est Junio anni* DCCLII, disponens suum germanum sanctissimum, scilicet Paulum Diaconum atque Ambrosium Primicerium, plurimis cum muneribus, ad eumdem Longobardorum Regem Aistulfum, ad pacis ordinandum atque confirmandum fœdera, misit. Qui præfati viri ad eum convenientes, impertitis muneribus, quo facilius eadem pro re apud eum impetrarent, in quadraginta annorum spatia pacis fœdus cum eo confirmaverunt. *Quomodo autem idem* Rex post pæne quatuor menses in *perjurii crimen inciderit, et tributo subjicere Populum Romanum nisus sit,* per unumquodque caput singulos auri solidos annue *exigens; Ravennatem quoque exarchatum sibi subdens, aliasque plures contumelias et injurias Ecclesiæ inferens, quousque Pippini Francorum Regis armis bis compressus, coactusque fuit ablata restituere. Videsis Anastasium.* F

mittitur pro pace ad Aistulfum R. Longob.

qua cito per eumdem rupta

11 *Obiit denique infelix et sæpe pejeratus* Aistulfus *anno* DCCLVII, *eique* Desiderius *Dux, suffragante sibi* Stephano *Papa in regnum successit : qui etiam illius fratri* Paulo *promissam fidem aliquamdiu servavit : prudenter tamen agens Pontifex perfidæque genti ad totius Italiæ imperium aspiranti, nihil credendum esse sciens; Francorum Regem continuis colere officiis cœpit statim a sua electione; ita scribens;* Cum gravi gemitu et immenso mœrore cordis, innotescimus a Deo protectæ Excellentiæ tuæ, potentissime, victor Rex, Dei vocatione de hac luce ad æternam requiem esse subtractum, sanctæ recordationis Dominum et germanum meum Stephanum Papam, in cujus etiam transitu et ipsi lapides, si dici potest, nobiscum flentes lacrymaverunt. In cujus Apostolatus ordinem a cuncta populorum caterva, mea infelicitas electa est. Et dum hæc agerentur, convenit Romam Immo, Christianissimæ Excellentiæ Tuæ Missus; et cum eo loquentes una cum nostris Optimatibus, aptum perspeximus eum hic detineri, donec Dei providentia, sacra Apostolica benedictione illustrati fuissemus, et tunc plenius satisfactus, de nostra vel cuncti populi puritate et dilectione, quam erga tuam benignissimam Excellentiam, et cunctam gentem Francorum

similia metuens a R. Desiderio Paulus

mox a sua electione, cum Pippino, Francorum R.

AUCTORE D. P. decessoris sui fœdus innovat;

A Francorum gerimus, eum ad vos repedandum cum nostris Missis Apostolicis dirigeremus. Quoniam nos pro certo cognoscas, Excellentissime et a Deo protecte, noster post Deum auxiliator et defensor Rex, quod firmi et robusti, usque ad animam et sanguinis effusionem, in ea fide et dilectione et caritatis concordia atque pacis fœdere, quæ præfatus beatissimæ memoriæ dominus et germanus meus sanctissimus Pontifex vobiscum confirmavit, permanentes, cum nostro populo permanebimus usque in finem. Unde et indesinenter, extensis palmis ad cœlum, pro vitæ incolumitate Excellentiæ tuæ, atque dulcissimorum filiorum, et excellentissimæ Reginæ sospitate, Domini Dei nostri exoramus clementiam, ut semper tuum auxilium et firmissima protectio extendatur super nos. Incolumem Excellentiam tuam gratia superna custodiat.

ejus filiam ad baptismum suscipit,

12 *Eodem anno* DCCLVII *in Annalibus pervetustis ab an.* DCCVIII *ad* DCCC *deductis, notatur* Nativitas Gislanæ, *cui baptizandæ optatus a Pippino videtur patrinus novus Pontifex, itaque factus compater ejus spiritualis. Tali officio gratiam relaturus Rex misit Romam Wulfardum, Abbatem Martinianensem; qui, sicuti Epistola in tomis Conciliorum sexta, rescribit Paulus,* B pretiosissimum supernæ gratiæ munus attulit, Sabanum videlicet, in quo nostra, *inquit*, dulcissima atque amantissima spiritualis filia, sacratissimo lavacro abluta, suscepta est: quem et cum magna jucunditate, aggregata populi cohorte, infra aulam sacrati corporis auxiliatricis vestræ B. Petronillæ, quæ pro laude æternæ memoriæ nominis vestri nunc dedicata cognoscitur, celebrantes Missarum solennia, cum magno gaudio suscepimus; et per allatum eumdem sabanum, eam tamquam præsentialiter nos suscepisse gaudemus. *Inscribitur epistola, ac ceteræ deinceps omnes,* Excellentissimo filio et spirituali compatri, Pippino Regi Francorum et Patricio Romanorum. *Sola eo titulo abstinet illa, qua eidem Pippino concedit monasterium* beati Silvestri Confessoris atque Pontificis, situm in monte Soractæ, (*quod Zachariæ Papæ, a Carolomanno Pippini fratre datum fuerat*) cum tribus ei subjacentibus monasteriis: *quare vereor, ut ea Epistola recte jubeat concessionem valere* a præsenti decima quinta indictione, *quæ notaret annum Christi* DCCLXII; *mallemque legere simpliciter* decimam, *ut haberetur annus Christi* DCCLVII, *Pontificatus vero* I: *hoc autem etiam ex eo fit verosimile, quod in hac concessione nondum commemoretur protectio et defensio* Paulo: *impensa a Pippino, quam omnes aliæ epistolæ passim prædicant; solumque hæc additur causa, quod* quidquid venerabilium locorum requirit utilitas, iis committendum *credatur* esse personis, quibus divinæ illustrationis gratia diffusa, ea quæ pertinent ad laudem Redemptoris nostri, et ad maximum redintegrationis statum sanctorum locorum pertinere noscuntur, totis conatibus perficere nituntur.

et gratanter excipit sabanum, quo fuerat tecta.

Concedit ei monasterium in M. Soracte

C

seque iterum offert filio nato patrinum:

13 *Utut est, compaternitatis prædicta vinculum inter Regem et Pontificem geminatum fuit anno* DCCLIX, *quando natus est filius ultimus, patrio nomine Pippinus dicendus. Cum enim* Paulus *litterarum frequentia magis magisque devincturus benevolentissimum Principem, scripsisset Epistolam, quæ in Codice Carolino est* XIII, *embolum hujusmodi adjunxit, pariter a Georgio Episcopo in Franciam perferendum.* Sublimissime Regum, nostræ perlatum est notioni, quod novum Regem ex vestris visceribus ad exaltationem sanctæ suæ Ecclesiæ omnipotens Deus contulit, de cujus nativitate maximo gaudio sumus relevati; unde obnixe te petimus, ut a sacratissimi baptismi lavacro, eumdem maximum vestrum filium suscipere mereamur: quatenus duplex Spiritus sancti gratia in medio nostrum, et geminæ festivitatis nobis oriatur lætitia. *Gratum habuit Rex officium oblatum, et retentis qui cæremonia illa fungeretur apud se Apostolicis Missis, Georgio præfato atque Petro, misit Romam selectissimos viros Andream et Gundericum; in quorum adventu regiisque litteris recreatus Pontifex, et recordatus sacræ mensæ, quam decessor suus Stephanus a Pippino acceperat, S. Petri confessioni imponendam; eam, inquit,* cum hymnis et canticis spiritualibus litaniæ laudes solenniter referentes, infra aulam ipsius Principis Apostolorum introduximus; eamque vestri Missi in sacram Confessionem super corpus ipsius cœli Janitoris ex vestri persona obtulerunt: quam et Chrismate Unctionis sanctificantes, et sacram oblationem super ipsam imponentes, sacrificium laudis Deo omnipotenti, pro æterna animæ vestræ remuneratione et regni stabilitate obtulimus. D

et remissum ab eo munus

dedicat ad corpus S. Petri

14 *Peculiarium istarum inter Paulum et Pippinum officiorum non meminisse Auctorem Vitæ præmissæ, haud magnopere miror. Sed, si ipse est qui Vitam quoque decessoris Stephani scripserat, uti est verosimile, in eaque tam distincte meminit rerum cum Aistulfo Longobardorum Rege actarum, et auxilii contra eum a Pippino petiti impetratique; cogor suspicari, Vitam* Pauli *non integram pervenisse ad manus Anastasii; quomodo enim præteriisset ille acta cum Desiderio Aistulfi successore, auctoritate ejusdem Pippini Regis mediante, nihilo minus ad historiam Pontificiam spectantia, quam illa? quæque idem Pontifex, pro juribus Ecclesiæ sibi commissæ sollicitus, egit ad præveniendos conatus Græcorum, Ravennati Exarchatui recuperando imminentium. Præter paucula in Codice Conciliorum reperiendas Epistolas illic spectantes, plurium aliarum argumenta extant apud Baronium, ipsum codicem Vaticanum, ubi integræ illæ habebantur, periisse dolentem.* E

Pro vita non integre data ab Anastasio,

succedunt epistolæ a Gretsero editæ

15 *Dolori occurrit Jacobus Gretserus noster, quando easdem fere omnes an.* 1613 *excudit, ex Codice Cæsareæ Bibliothecæ, in quam anno* DCCXCI universas epistolas, quæ tempore bonæ memoriæ Caroli avi sui, necnon et gloriosi genitoris sui Pippini suisque temporibus, de summa Sede Apostolica Apostolorum Principis, seu etiam de Imperio (*quas ultimas, ut Hæretico missas, neglexit Gretserus*) directæ esse noscuntur; eo quod nimia vetustate et per incuriam jam ex parte dirutas atque deletas conspexerat, denuo memorabilibus membranis, summo cum certamine renovare ac rescribere decrevit, *ut habet ipsius Codicis inscriptio; ubi tamen alio omnes ordine relatæ referuntur, quam quem profert index argumentorum apud Baronium, sic tamen, ut neque ibi servatus inveniatur ordo temporum. ad quem nescio an reducturus ipsa fuerit, et an plures aliunde additurus Andreas du Chene, qui* omnes in lucem dandas promittebat *apud Ludovicum Jacob in Bibliotheca Pontificia anni* 1643. *Miror interim eas sic extantes, in post curatis Conciliorum generalium editionibus, non fuisse reproductas. Quod facturus Baronius fuerat, et historiam ecclesiasticam ex iis locupletaturus, si editas videre potuisset; fecit Carolus le Cointe in Annalibus Ecclesiasticis Francorum, ex cujus tomo* v, *sub an.* 1673 *edito, non gravabor excerpere aliquam et apud Anastasium neglectam* S. Pauli *historiam, circa Græcos et Longobardos, Pontificiæ ditioni et jurisdictioni molestos.* F

aliæque ex Codice Carolino insertæ Annalibus le Cointe,

ex quibus habetur

16 *Successerat, ut supra dixi, Aistulfo tyranno Desiderius, suffragio Stephani Papæ adjutus; moxque in* præsentia Folradi *Abbatis a Pippino missi*, sub jurejurando pollicitus est, restituendas B. Petro civitates, *ab Aistulfo ablatas*, Faventiam, Immolam, et Ferrariam, cum earum finibus, necnon et Auximum, Anconam, et Humanam; et postmodum reddendam spopondit civitatem Bononiam, cum finibus ejus. *Sed ex omnibus istis solum recepit Stephanus, Anastasio*

quod restitutionem promissam differente Desiderio:

A *stasio teste*, Faventiam cum castro Tiberiaco, et universum Ducatum Ferrariæ. *Cetera reddere cunctabatur Desiderius; cumque interim pacem cum Francis optaret, de exequendis promissis Pippino Regi obsides dederat: sed mortuo Stephano successor ejus* Paulus *coactus est, in eadem epistola qua filiæ suæ spiritualis sabanum a Rege missum accepisse significabat, eum rogare*, ut cœptum redemptionis Dei Ecclesiæ et plenariæ justitiæ B. Petri proficere jubeat opus bonum, *certum illum reddens, quod* solite perfidi et maligni illi, in magna cordis arrogantia permanentes, nequaquam inclinantur justitiam B. Petri restituere.

Paulus Pippini opem imploravit,

17 *Verum hujusmodi querelis supersedendum tantisper* Paulo *fuit, propter periculum a Græcis imminens; et pax cum Desiderio, sicut Pippinus suadebat, qualiscumque tenenda. Etenim* Constantinus Imperator, ut Ravennam totumque Exarchatum ad defectionem solicitaret, Leonem Missum Imperialem cum litteris eo direxit. Exemplar autem illius epistolæ Sergius Ravennæ Episcopus, Romano Pontifici deferendum curavit. Paulus acceptam transmisit Pippino cum litteris ipsius Sergii; rogavitque eumdem Regem, ut Desiderium hortaretur ad auxilium Ravennæ civitatibusque maritimis Exarchatus ferendum, si quid adversus eas Græci molirentur. *Convenit, autem, inquit, Epist.* 28 *Paulus*, ut pariter nos in Ravennatium urbe præsentare studeamus, ad perficiendum quasdam utilitates sanctæ nostræ Ecclesiæ, et pertractandum de Græcorum malitia, qui quotidie imminent in ipsam Ravennam ingredi civitatem. *Nihil tamen ille minus fecit*; *sed, uti ex Epist.* XV *Carolini Codicis summatim refert le Cointe*, igne ferroque vastavit provinciam Pentapoleos cum Ducatu Spoletano et Beneventano. Albinum Ducem Spoletanum nonnullosque proceres, qui se B. Petro Pippinoque Rege submiserant, gravissimis vulneribus excepit, atque in vincula detrusit: quia vero Dux Beneventanus Otrantum fugit, nec induci potuit ullis artibus, ut ex ipsa sua civitate pedem efferret, Beneventanis Ducem præfecit Argem. Præterea Georgium Constantini Legatum, qui prius in Franciam directus fuerat, accersivit Neapoli: communicatoque cum ipso consilio Imperatorem litteris solicitavit, ut Ravennatibus bellum directo in Italiam exercitu, Otrantanis Sicula classe gereret; seque subsidiarias copias utroque pro viribus missurum spopondit, ea tantum lege, ut postquam Ravenna et Otrantum in potestatem Augusti venissent, sibi dederetur Dux Beneventanus et ejus nutritor Joannes, qui capta Benevento se receperant Otrantum.

et mox etiam contra Græcos B *Ravennæ imminentes,* *quos Desiderius solicitabat;* C

18 Sciebat sane hæc non latere Pontificem: nihilominus ad eum Romam venit; rogantique restitueret Immolam, Bononiam, Auximum, Anconam et alias civitates, quas præsentibus Franciæ Legatis Folrado Abbate et Rodberto, se redditurum promiserat, haud acquievit: inventaque stropha simulate respondit, se pacem ultro amplexurum cum Sede Apostolica, modo sibi remitterentur obsides, quos Pippino Regi tradiderat. Papa periculum ratus in mora, Pippino scripsit semel atque iterum: veritusque ne utræque litteræ venissent in manus Longobardorum, tertias exaravit, transmisitque per Georgium Episcopum et Stephanum Presbyterum, quos in Franciam Legatos destinabat; et per Rodbertum, Pippini Regis Oratorem, qui res nefarie commissas a Desiderio testis oculatus viderat. Ut autem tutius ad Pippinum deferrentur, has commodavit ad mentem Desiderii, pro remittendis obsidibus; sed aliud agendum verbo legatis præcepit: imo contrarias prioribus supraindicatis litteras dedit, quibus auxilium a Pippino poposcit ad repetendas civitates, quas Rex Longobardorum Apostolicæ Sedi necdum restituerat.

interim pacem cum Ecclesia simulans; *sed solum eludit Paulus,*

19 *In Codice Carolino multæ* Pauli Papæ *leguntur Epistolæ, quæ res anno* DCCLVIII *gestas complectuntur.* Sub initium Pontifex, inquit Annalista, Wlcharium Episcopum et Felicem Religiosum, qui Romam anno superiori cum Roberto venerant, eoque ad Pippinum reverso remanserant in civitate Romana, remisit etiam in Franciam, ac paulo post adversus Græcos auxilium postulavit, *scripta Epistola* XXXIV *quia*, ut plenissime satisfacta est, *inquit*, vestra Excellentia, non ob aliud ipsi nefandissimi nos persequuntur Græci, nisi propter sanctam et orthodoxam fidem, et venerandorum Patrum piam traditionem, *circa cultum imaginum*, quem cupiunt destruere atque conculcare. *Nempe ut observat le Cointe*, Hoc potissimum intendebat Paulus, ut contra Græcos orthodoxam fidem suumque principatum tueretur; neque quidquam sibi videbatur acturus magis opportune, quam si Pippinum Regem ab Imperatore Constantino dissociaret. Ut id assequeretur nihil omisit aut intentatum reliquit: amorem singularem erga Pippinum, odium vehemens adversus Constantinum significavit; palam testatus in Pippino post Deum spem omnem se collocasse, ab uno Constantino metum sibi ac terrorem incuti. Ne litteras quidem ab Alexandrino Patriarcha per Monachum Acosmam accepit, quin earum exemplar Pippino ut Orthodoxo Regi et defensori fidei catholicæ transmitteret.

D *AUCTORE D. P. pergitque urgere Pippinum,* *ut contra utrosque auxilium ferat.* E

20 *His officiis effectum est, ut Desiderium per Missos suos non desineret urgere Pippinus, ad opem Pontifici ferendam justitiamque faciendam; quibus ut ille quadamtenus moveri videretur.* Autumnali tempore adiit Apostolorum limina, colloquium habuit cum Romano Pontifice, deque restituendis Ecclesiæ quibusdam in Tuscia et alibi Patrimoniis convenit. Paulo post Petrus Notarius Regionarius, et Joannes Mansionarius Confessionis Basilicæ S. Petri, quos Papa in Franciam direxerat, Romam reversi sunt cum regiis Nuntiis, Wilfrando jam laudato, et altero cujus nomen reticetur. Tunc Paulus e Pippini litteris accepit, suos Nuntios, qui simul cum Francis anno superiori Constantinopolim perrexerant, ibidem utrosque detineri; *moxque ad Pippinum epistolam misit, vigesimam sextam in codice, unde prædicta omnia diffuse haberi possunt.* Sub initium anni DCCLX pervenerunt in Italiam Remedius sive Remigius Archiepiscopus Rotomagensis, Pippini Regis frater, et Atharius sive Audegarius Dux, ejusdem Pippini Regis Oratores; quibus Desiderius Longobardorum Rex spopondit, se Paulo Romano Pontifici omnia B. Petri patrimonia, jura etiam, loca, fines, et territoria variarum civitatum plenissime restitutuurm, hac ipsa Indictione XIII, mense Aprili: atque reipsa partem reddidit, aliam partem pollicitus se paulo post quoque redditurum. Rogavit insuper Romanum Pontificem, ut Pippinum de rebus istis certiorem faceret. Quod quidem Paulus legitur præstitisse per Epistolam XXI, missoque in Franciam Petro Presbytero; ita tamen ut Regi Francorum supplicaret, ne desisteret a solicitando Desiderio, donec is rite suas omnes pollicitationes exolvisset.

Hinc cogitur Desiderius quædam restituere, F *et cetera restituenda polliceri.*

21 Anno DCCLXIII Haribertus sive Hasibertus, superiori anno Murbachiensis Abbas factus, et Dodo Comes, Romam directi sunt, ut Paulum Papam, qui sibi iterum timebat a Longobardis, certiorem redderent de firmo proposito magnaque constantia, quam Pippinus in causis Apostolicis perficiendis, et pollicitationibus exolvendis gerebat: pauloque post reversi sunt in Franciam cum Legatis Pontificis, Joanne Subdiacono et Abbate, ac Petro primo Defensore, gratulatoriisque litteris ad Pippinum, pro sincero atque constanti erga Sedem Apostolicam

Tum missi ultro citroque Legati inter Paulum et Pippinum

A *Auctore D. P et ab hoc etiam Constantinopolim:* stolicam studio: *quarum rerum fidem facit ipsius* Pauli *Epistola* XVIII *in sæpe jam citato Codice Carolino. Illud autem* suum studium ut indies magis ac magis testaretur, *anno* DCCLXIV Anthimum Spatarium et Synesium Eunuchum, Constantini Augusti Oratores, nec videre nec audire voluit nisi præsentibus Legatis Apostolicis, disputationibus interfuit, quas utrique inierunt inter se, de observatione fidei orthodoxæ, et pia Patrum traditione. Postea vero cum Anthimo, qui Constantinopolim redibat, suos quoque misit Oratores, per quos Imperatorem cunctis de rebus certiorem fecit. Romam vero direxit Flavinum Capellanum, una cum Legatis Apostolicis, Joanne Subdiacono et Abbate, atque Pamphilo Defensore Regionario, per quos deferri curavit ad Papam, non litteras modo, quæ gesti negotii seriem omnem complectebantur; sed et exemplar ipsarummet, quas acceperat a Constantino, vel eidem Imperatori rescripserat. Paulus amplissimas gratias egit, misso protinus Legato cum litteris, *quæ locum* XX *tenent in Codice*, *et sine quibus nihil horum sciremus.*

22 Anno DCCLXV Paulus Papa certior factus, B *quibus cum nihil proficeretur,* quod sex Patricii cum trecentis navibus Constantinopoli solverant, auctique classe, Siculi Romam properare, deinde in Franciam progredi decreverant; litteras ipsas quas ab amicis acceperat ea de re, Pippino transmisit, *cum Epistola* XXIV, per Conibertum hominem Francum, qui Romæ tunc erat. Præterea tres saltem Oratores in Italiam mitti rogavit, qui Desiderium apud Ticinum convenirent, atque inde Romam duo proficiscerentur, Ticino tertius in Franciam rediret, Pippino responsum Desiderii laturus: hic enim nihil eorum restituerat, quæ coram Francicis Legatis toties promiserat se redditurum; imo litteras scripserat minis refertas, quas Paulus æque Pippino deferendas curavit...... Sed *iterum de Longobardis queritur Paulus,* antequam hæ litteræ in manus Pippini venirent, ei scripserat Desiderius, nihil a Longobardis tentatum contra Romanum Pontificem. Quod ubi Paulus per Andream et Gundericum solertissimos viros, a Pippino Romam directos, resciit; eos cum Desiderii Legatis coram se vocavit in colloquium: totoque negotio palam facto, quam primum in Franciam remisit cum aliis litteris *(Epistolam* XIV *hæ faciunt)* quibus apud Pippinum de mendacio Desiderii graviter questus, auxilium petiit, quia Longobardi Se- C nogalliam ferro et igni vastarant, cæsis incolis abactaque præda: nec minori clade Castrum-Valentis in Campania jam percusserant. D

23 Anno DCCLXVI Paulus a Pippino duas accepit Epistolas; alteram per Petrum primum Defensorem, quem in Franciam legatum prius miserat; alteram per Widmarum et Gerbertum Abbates, atque Hugbaldum virum illustrem, quos Pippinus Romam Oratores dirigebat. Et hi quidem cum Legatis Desiderii Regis, necnon et Pentapolitanarum ac singularum civitatum quæ Pontificiæ ditionis erant, coram ipso Papa congressum habuerunt; constititque de nonnullis peculiis inter utrasque partes restitutis: sed quoad fines urbium Pontificiarum et patrimonia P. Petri, tamtum abest ut quidquam decretum fuerit, quin et Longobardi quæ prius Ecclesiæ reddiderant ea denuo invaserunt: conventum tamen fuit, ut Franciæ civitatumque Pontificiarum Legati Desiderium adirent. At Paulus nihil inde sperandum duxit; imo potius vereri cœpit, ne Longobardi ceteris Ecclesiæ bonis insidiarentur: quapropter opem enixe postulavit, *missa ad Pippinum Epistola* XVII. *eorumque legatis auditis* *pejora metuit,*

24 *Atque hæc fere sunt, quæ pro republica Ecclesiæ* Paulum *egisse contra Græcos et Longobardos, ex ejus superstitibus litteris colligere potuit Carolus le Cointe, a nobis descriptus, ne si ipsa Epistolarum verba more nostro voluissemus exhibere, actum ageremus. Plura ne haberemus, fecit mors Pontificis anno* DCCLXVII *obita, et apud Bituricas agenti Pippino nuntiata. Invadente deinde Apostolicam Sedem Constantino; et Pippino* XXIV *Septembris anni* DCCLXVIII *ad præmia fidelis auxilii referenda evocato, licuit Desiderio Ecclesiam solitis artibus ludificare, sub* Stephano *Papa III, legitimo* Pauli *successore, illius viribus retundendis impare: quoad sub Hadriano Papa descendens in Italiam Carolus Magnus, anno* DCCLXXIV, *Desiderio retribuit quidquid in Romanos peccaverat, pro eoque, in Franciam cum conjuge liberisque deportato, Longobardici Regni coronam sumpsit, dictus exinde* Rex Francorum et Longobardorum atque Patricius Romanorum. *Neque longum postea tempus abiit, quin scelerum suorum violatæque Religionis pœnas etiam lueret impius Constantinus Copronymus, alter* Pauli *Papæ adversarius anno mox sequenti* DCCLXXV *die* XIV *Septembris, duplici corporis et animi morte extinctus atque ad inferos raptus.* E *quæ et secuta sunt mortuis Papa ac Rege.*

F

DE S. ARGIMIRO MONACHO

MARTYRE CORDUBÆ IN HISPANIA

D. P.

Acta et notitia ex S. Eulogii Memoriali.

ANNO DCCDLVI.

Penultimus *Martyrum, quorum notitiam nobis reliquit S. Eulogius Cordubensis Presbyter, in suo Sanctorum Memoriali, tribus libris distincto, prænominatus Sanctus est; de quo ille, non* *Auctor triennio post Martyrio coronandus,* *multo post, id est anno* DCCCLIX, *fidem Christianam etiam ipse suo sanguine consignaturus, sic scribit lib.* 3 *cap.* 16 *post relatum Capite præcedenti Martyrium Heliæ Presbyteri, Paulique et Isidori, duobus ante* Argimirum *mensibus in persecutione Arabica ibidem Cordubæ coronatorum, de quibus egimus* XVII *Aprilis.*

2 Inde præterea Argimirus quidam Confessor, vir nobilis et ætate jam plenus, ex oppido Egabrensi *laudat Argimiri, fortitudinem.* cognationem ducebat; et quodam tempore Cordubæ Patritiæ Censor a Rege præfectus extiterat. Cum semotus ab administratione judicii, otium cœnobii incoleret quietus, quorumdam Ethnicorum dolo vel odio circumventus, accusatur coram Judice de subsannio Vatis sui, et exprobratur de professione divinitatis filii Dei; quodque isto omnipotentiorem nullum alium fateatur, et illum vanitatis auctorem ducemque asserat perditorum. Quem Judex coram se post aliquot dies jubens assistere, dum suis adhortationibus et lenocinio quodam verborum profano ritui mancipare studet, nec prævalet; pertinacem in sancto proposito militem Christi, equuleo viventem imposuit, enseque transfossum peremit IV Kalendas Julias Æra DCCCXCIV. Cujus corpus cum post multos dies ex præcepto Judicis de patibulo deponeretur, cujusdam Religiosi solertia S. Acisch basilicæ deportatur, ac digno Sacerdotum ministerio prope tumulum prædicti Martyris, et S. Perfecti humatum est.

3

A 3 S. Perfecti *Martyrium, unde Memoriale præ-laudatum S. Eulogius incipit, dedimus ex illo ad* XVIII *Aprilis, quo passus est anno* DCCCLI; *de* S. Acisclo, *antiquo Martyre sub Diocletiano, acturi* XVII *Novembris. Ambrosius Morales, qui scholiis Memoriale ipsum illustravit, suspicatur* Argimirum *jam alias Christi fidem confessum fuisse, eo quod* Confessor *prætituletur:* Egabram *autem, ubi Monachum egit* Argimirus, *dicit* Cabram *esse, oppidum* XXXVI *milliaribus Corduba dissitum, Græco scilicet nomine* Αἴξ, αἰγός, *quod* Capram *significat, Latine reddito. Sed aliis parum apta fortassis videbitur istiusmodi derivatio. Quis autem fuerit* Censoris Magistratus *apud Arabes, ignorare se fatetur ille; suspicatur tamen nomen hoc mutuatum Eulogium a Romanis, per relationem aliquam ad Censuram Romanam, quod facile admisero cum aliquid Judiciariæ potestatis, et quidem supremæ* Censores *habuerint: sed non confuderim* Censuram *cum* Censu; *quem qui faciebant, non* Censores *sed* Censitores *dicebantur, uti recte observat Tamayus, aliud nihil adferens quod huc faciat.*

Ambr Moralis observationes huc spectantes.

4 *Galesinius in annotando Fastis sacris* Argimiri *nomine, præivit Martyrologii Romani innovatoribus sub Gregorio XIII: hos autem secuti in suis Monasticis, Wion, Menardus, Dorganius, Bucelinus, jure prorsus optimo. Historiam ex Eulogio Hispanice reddidit Joannes de Marietta Dominicanus lib. 3 cap. 3 Historiæ Ecclesiasticæ Sanctorum Hispaniæ: noster vero Martinus de Roa, eamdem paraphrasticῶs explicavit: cum ea finiens suum de festis Sanctorum Cordubensium opus, excusum Hispali anno* MDCXV, *additque ad calcem hæc ad rem nostram notabilia verba:* Inventæ sunt hodieque servantur ejus sanctæ Reliquiæ in ecclesia Apostoli Petri, sicuti scripsimus in historia inventionis suæ. *Dignus erat hic locus, ad quem animadvertens Tamayus, doceret nos aliquid de tali historia; sed neque in Bibliotheca Societatis nostræ, etiam nuper recognita auctaque per Nathanaelem Sothuellum; neque in Bibliotheca Hispanica Nicolai Antonii, accuratius etiam scripta Martini recensente, quidquam indicatur quod huc faciat, unde vehementer vereor, ne frustra sit omnis opera, quam in ea Historia requirenda nunc ponent amici hagiophili a nobis rogati.* D

AUCTORE D. P. Nomen Fastis inscriptum

Desideratur historia inventi anno 1615 Corporis.

B

DE SANCTO SERGIO

MAGISTRO MILITIÆ

FUNDATORE MONASTERII NICETIATÆ

IN SINU NICOMEDIENSI PROPE BITHYNIAM.

Ex duobus MSS. Synaxariis.

D. P.

SEC. IX. Historici vitus Michaelis Imp. intenti,

E*x Italia per Galliam redeuntes in Belgium anno* MDCLXII, *invenimus et utenda accepimus illustria Synaxaria duo, alterum in charta linea, sed valde densa, scriptum, et a Petro Francisco Chiffletio Divionensi nostro Collegio comparatum; alterum Membraneum, a Jacobo Sirmundo illatum Parisiensis Collegii Bibliothecæ, tota Gallia instructissimæ. Utrique debemus Sancti, in titulo expressi, notitiam, qui sub Michaele Theophili filio Romanum exercitum duxit in Cretam, ibique videtur obiisse* DCCCLX; *de quo tamen nihil legitur apud Leonem* C *Grammaticum, Zonaram, Manassem vel Cedrenum, etsi Michaelis illius Imperium scripto prosecutos: quippe qui juvenis Imperatoris post retrusam in Monasterium sanctissimam matrem Theodoram, ineptum ingenium moresque et actus potius studuerunt explicare, quam bellicas sub eo expeditiones Ducum, contra Saracenos aliosque barbaros emissorum. Solus Zonaras relata Petronæ victoria de Saracenis, Romaniam ipsam cum agmine populabundo ingressis anno circiter* DCCCLVIII *facere huc videtur, cum ait, quod idem Petronas cum triumpho exceptus Constantinopoli,* Legionum Domesticus designatur (jam enim Manuel Magister et Legionum Domesticus in vivis esse desierat) neque multo post et ipse naturæ debitum persolvit: *ostendit autem sub Michaelis auspiciis nihil deinde boni gestum esse, contra Barbaros identidem infestos.*

vix loquuntur de Ducibus eorum ejus,

unus tantum meminit Petronæ,

2 Petronæ *ergo* Magistro Legionum Domestico, *in ejusdem tituli honorem successisse* Sergium *possumus credere, occasione expeditionis in Cretam directæ, uti in Synaxariis prædictis inter celeras viri sancti laudes legitur, sub hoc titulo,* Μνήμη τοῦ ἁγίου καὶ δικαίου καὶ μακαρίου Σεργίου Μαγίστρου, τοῦ συστησαμένου, τὴν μονὴν τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου, τὴν οὕτως ἐπονομασαμένην τὴν Νικητιάτου, τὴν ἐν τῷ κόλπῳ τῆς Νικομηδείας, μεταξὺ τῶν δύο ἐμπορίων Καλουαγροῦ καὶ Δόρκωνος, κειμένην. Memoria sancti justique ac beati Sergii Magistri, qui fundavit monasterium sanctissimæ Deiparæ Nicetiatæ cognominatum, in sinu Nicomediensi situm, inter duo emporia Pulchri agri et Dorconis. *Hæc tunc nomina erant, nunc esse desierunt, solaque restat in intimo sinus Astaceni recessu* Nicomedia, *vulgo* Europæorum Comidia *appellata; Turcis* Ismid, *sed pæne deserta, ad centum et amplius passuum millia distans Constantinopoli; ubi* Magni Domestici *(teste Codino Curopalata cap. 2) quarta erat in Palatio dignitas, ejusdemque Codini ætate alius* Domesticus Orientalium, *alius* Occidentalium Thematum seu Legionum, *de quibus vide Commentatores in Codinum, dum Acta expono sic breviter contracta:*

cui potuit Sergius successisse,

condito prope Nicomediam cœnobio clarus.

F

Οὗτος ἦν ἐκ τῆς Παφλαγόνων χώρας, ἀπὸ χωρίου λεγομένου Νηκέτια, ἔγγιστα πόλεως Ἀμαστρίδος, διὸ καὶ τὴν ἐπονομίαν ἡ αὐτοῦ μονὴ ἔλαχεν. Ὁ δὲ τοιοῦτος ἀνὴρ ἀγαθὸς ὢν, καὶ ἀγαθῶν γεννητόρων υἱὸς, ἔσχε καὶ συγγενεῖς τὴν Θεοδώραν τὴν ἀοίδημον Βασίλισσαν, καὶ τὸν ταύτης υἱὸν Μιχαὴλ τὸν Βασιλέα. Ὅς καὶ ζηλωτὴς διάπυρες τῆς ὀρθοδόξης πίστεως γέγονε, καὶ πολλὰ ἠγωνίσατο εἰς τὸ τὴν ὀρθοδοξίαν γενέσθαι τῶν ἁγίων καὶ σεπτῶν εἰκόνων. Τοῦ δὲ Ῥωμαϊκου στόλου κατελθόντος τῷ τοτε χρόνῳ τῇ Κρήτῃ, αὐτὸς ἀπεστάλη παρὰ Μιχαὴλ τοῦ Βασιλέως καὶ πάσης τῆς Συγκλήτου, μόλις εἰς τοῦτο αὐτὸν πεισάντων ἐξάρχειν καὶ κυριεύειν παντὸς τοῦ στρατοπέδου, δι᾽ εὐφυΐας, καὶ τὸ ἱκανὸν εἶναι τῶν Ῥωμαϊκῶν πραγμάτων προΐστασθαι. Ἐκεῖδε αὐτοῦ ἀπελθόντος καὶ κοιμηθέντος, τότε μὲν κατετέθη τὸ ἱερὸν αὐτοῦ λείψανον ἐν τῇ κατὰ τὴν Κρήτην μονῇ, τῇ μέχρι τὸ νῦν ἐπονομαζομένη τοῦ Μαγίστρου· ὕστερον δὲ διανεκομίσθη καὶ ἐτέθη ἐν τῇ παρ᾽ αὐτοῦ ἰκοδομισθείσῃ μονῇ, κατὰ τὸν κόλπον τῆς Νικομηδείας.

genere Paphlago.

Exercitui in Cretam misso præficitur,

ibique mortuus sepelitur

4 Hic oriundus erat ex Paphlagonum regione, in oppido quod Nicetia nuncupabatur prope urbem Amastrim, unde et cognomentum accepit ejus monasterium. Erat autem vir bonus et optimorum parentum filius, cognatos habens Theodoram reverendissimam

Fuerat Theodoræ Imp. cognatus.

AUCTORE EGBERTO.

A brantur etiam hæ stellæ cœli a caligine malitiæ nostræ. Nam divina et humana promiscua habentes, sacra profanis miscentes, eos qui latam et spatiosam viam, quæ ducit ad mortem, ambulant, beatificamus, et hos alicujus momenti æstimamus; arctam vero et angustam viam, quæ ducit ad vitam arripientes, nullius ponderis aut pretii computamus. Præterea cum per tales servos suos Dominum moderno tempore antiqua miracula resonare audierimus, dedignamur fidem accommodare; taliumque auctores non solum mendacii arguimus, sed et injuriis et contumeliis afficimus. Unde dum se circa finem seculi sub modio infidelitatis nostræ sic obscurandam Ecclesia prævidit, quasi vicem ejus dolentibus, zelo fidei ferventibus ait: Nolite me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me sol. Tamquam diceret: Non vos moveat, quod appropinquante mundi fine, prope secundum adventum Christi, propter pusillæ fidei homines, bonorum operum flammas exerere non valeo: quia non idcirco in virtutum profectibus, licet sub modio, licet in tenebris, ardere desisto. Supersunt multi adhuc magni meriti apud Deum, sed lucernæ non sunt positæ super B candelabrum. Verum ut tandem explicemus, cujus rei gratia hoc sermonis exordium arripuerimus; Sanctus, de quo hic nobis deinceps sermo habendus est, unum erat ex supradictis cœli luminaribus.

quam nostræ incredulitati imputandum est.

Cant. 1, 5.

4 Beatus igitur Heimeradus, eximios sanctitatis suæ radios vita comite passim spargebat in mundo: sed propter credentium penuriam, Lucerna Domini lucebat sub modio. Hic de Suevia oriundus extitit, de loco qui dicitur *a* Messankircha: de cujus conditione supervacuum visum est scribere, cum eum Dominus quotidie illustret virtutum et signorum nobilitate. Ubi enim spiritus Domini, ibi libertas, et non est Judæus, neque Græcus, non est servus neque liber, non est masculus neque femina; omnes enim in Christo unum sumus. Denique cum esset in obsequio cujusdam matronæ, et illa alterum quoque Presbyterum secum haberet; ipse libertati se donari petiit, sicubi rebus suis melius prospicere posset. Qua concessa, quasi mandato cum Abraham divinitus accepto, egressus est de terra et de cognatione sua, et unicum prædicandæ sanctitatis exemplar effulsit in Hassonum *b* provincia. Igitur inter suos nullius ponderis aut pretii æstimatus, eo quod non intenderent lucernæ in caliginoso loco lucenti; salubre sidus, ut ita dicam, visus est aliis gentibus. Nemo enim Propheta, testante Domino, C acceptus est in patria sua. Ea tamen res primos aditus difficiles habuit, videlicet ut hominibus, talium virorum desuetis, cujus fuerit sanctitatis inculcaretur. Nam ubi primum vita illius dissimilis aliorum apparuit, juxta quod scriptum est; Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei; non vera eum via ad virtutem niti, hypocritam esse, exterminata facie hominibus jejunantem apparere, sed corde tumido popularis auræ mercedem quærere, existimabant; et Spiritum sanctum, cujus vocem audiebant; cujus virtutes cernebant, in eo spirare non credebant. Servi revera inutiles et pigri, qui operari de accepto ingenii talento gravabantur, et propria illum conscientia metiebantur: unde accidit, ut pæne quocumque locorum devenisset, non sine contumelia evaderet: usquequo ascendit in illum montem, in quo beneplacitum erat Deo, ut habitaret in eo: sed hæc enucleatius, cum rerum ordo poposcerit, explanabimus.

Ita in B. Heimerado contigit: a

b in patria sua contemptus latuit;

Luc. 4, 24.

1 Cor. 2, 14.

5 Ergo ubi patriam parentesque deseruit, Romam peregrinationis simul et orationis gratia iter direxit. Ibi Sanctorum assidue terebat limina; ibi cum Clavigero cœli precum suarum mercimonia paciscebatur, de aperienda sibi vitæ janua; ibi electionis vas, ibi reliquos omnes cœlestis curiæ Senatores, in D extremo examine patronos sibi parabat, et testes non neglectæ vitæ suæ (dum comes vita fuit) rationis. Inde postliminio reversus, cum in patriam suam devenisset, nec precibus nec lacrymis suorum flecti potuit, ut domum suam vel quemquam ex familia sua visitaret, aut saltem respiceret; memorans illum sermonem Domini: Quia nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei: et illud: Dimitte mortuos sepelire mortuos suos; tu autem vade et annuntia regnum Dei. Deinde Hierosolymam petiit, ibi Pedes Jesu lacrymis rigavit; ibi Caput ipsius recumbentis cordis contriti et spiritus contribulati unguento, cum evangelica Unguentaria perfundens, domum in qua recubuit, psalmodiæ et orationum bono odore implevit. Crucem quoque post Jesum cum improperio ejus portans, crucifixum Dominum suum extra castra secutus est in Calvariæ locum, ut videret salutiferi trophæi titulum, Domini sui cruore inscriptum: quin etiam peractis suæ devotionis aromatibus, sepulcrum Domini sui invisere, cum devotis curavit mulieribus. Sic oliva fructifera in domo Domini, cognatum sibi montem, in quo Deo habitare in eo beneplacitum erat; montem in quo nobis pax nostra, ea E quæ pacis sunt, rogare Patrem consueverat; et euntem in cœlos Jesum forti pectore secutus, adoravit in loco ubi steterunt pedes ejus: sicque bonam spem reportavit domum, scilicet se caput suum, ut revera membrum ejus, quandoque secuturum. Bethleem quoque domum panis, ut gustaret, quam suavis est Dominus, cum Evangelicis transiit pastoribus; et panem Angelorum in præsepio adoravit, piis appositum pabulum animalibus, asinæ scilicet spirituali et pullis ejus, quorum insidere dignatur cordibus.

Roma regressus

Luc. 9, 62. Mat. 8, 22. *et Hierosolymis,*

6 Quidquid autem in eleemosynam accipiebat, eadem hora, eodemque momento, cum se pauper obtulisset, in simile opus expendebat. Quam maxime vero semper laborabat, salva tamen pietate, quantum poterat, ut injuriis quibuslibet et contumeliis afficeretur, castigandi videlicet corporis gratia: sciens scriptum esse, Curatio cessare faciet peccata maxima. Et cum alia se injuriandi occasio deesset, quidquid inter se et alios dividendum evenerat, eam partem quæ præponderabat, ipse usurpabat, ut eos sic ad contumeliam sui provocaret. Nihil autem erat, quod non statim pauperibus erogaret; nec quidquam sibi ex omnibus reservans, de crastino non cogitabat. Sanctus etiam Heimeradus omnem cogitationem suam, omnem spem, omnem animum suum illo intendit, ubi misericordes beatitudi- F nem misericordiæ consequentur; usque adeo, ut præsens illi et dies, et cibus, et vita simul sæpe de memoria tollerentur. Cum autem socius itineris ejus, functus ipse ministerio Marthæ, dum ille fungebatur Mariæ, nonnumquam tentandi gratia diceret; Domine Heimo *c* (nam id ei proprium nomen erat) quid hodie manducabimus? nihil residui in marsupiis, cras enim jejunandum est nobis; respondere solebat: Ergo jejunemus hodie; cras manducemus: sic carni, sic spiritui consulebat. Canes etiam ad lacerandum se invitabat vere martyr, quia ipse magis ullo carnifice semetipsum sponte propter Dominum cruciabat.

insigni paupertatis

Eccl. 10, 4.

et mortificationis studio exercitus, c

7 Igitur emensis tot tantisque terrarum spatiis, satis jam in camino fatigationis, sicut aurum in fornace, excoctus; demum cum Psalmista optabat sibi pennas dari, sicut columbæ, ut volaret, et requiesceret in solitudine. Quem Hersfeldensis Abbas, nomine Arnoldus, in uno cœnobiorum suorum, *d* Mimilebo *e* nomine, invenit: sciscitatusque patriam, gentem, causamque adventus ejus; Hersfeldiam eum ante se præmisit; statimque obsecutus, ei

Psal. 54, 7. *Hersfeldiæ recipitur; d e*

A ei sanctæ conversationis habitum tradere voluit: sed ille nullo modo consensit. Cumque tamen in Regulari proposito regia via, neque ad dexteram, neque ad sinistram incederet, animo et oculis semper in cœlum intentus, ut peritus siderum nauta, cum vela ventis commiserit; una die, nihil minus suspicantibus Monachis atque Abbate, in conventu Fratrum ad Capitulum (ut est consuetudinis,) terræ prostratus licentiam abeundi petiit. Interrogatus ergo, quid causæ haberet; hoc tantum respondit; quod animam suam ibi pro voto salvam facere non posset. Igitur iratus Abbas, et objiciens illud de trivio, videlicet, pedem ei rursus titillare; invitis Fratribus, ejecit eum cum indignatione. Qui ejectus, cum in cella hospitum ad portam equum suum expectaret, quem Præpositus monasterii, profectus in obedientiam suam, secum habebat; fertur interea in hanc vocem prorupisse: non recte se, nec satis honorifice pro natalibus suis tractatum fuisse a Monachis atque Abbate; latuisse illos generis sui nobilitatem, Imperatoris fratrem se esse. Quod verbum ut insonuit rimosis auribus discipulorum portarii, statim cum irrisione; Itane, inquiunt, res est, Domine? At ille affirmavit, ita se rem habere. Et B quare, aiunt, hoc tam diu celatum habuisti, nec jam olim sub divum protulisti, ut congruus honor tuæ habitus esset nobilitati? Nec mora, proripientes se ad eumdem Abbatem, ei exposuerunt sermonem, camino adjicientes oleum, qui mediastinus incanduerat adversus eumdem virum, cujus favillæ longe in posteros essent duraturæ; nam peccans Abbas in Deum et in animam suam, admisit in sanguinem innocentem, quod et sibi in scrupulum cordis, et in singultum animæ suæ, et succedentium Fratrum foret posteritati in laqueum et ruinam.

unde dimitti petens

8 Ut enim hic sermo; Velut cancer serpens, ejus non obturatis auribus irrepsit (non enim meminerat sententiæ Salomonis, ut Aures suas sepiret spinis) continuo evocatum Dei servum exactori, qui carnificibus præerat, contradidit; eumque per sacramentum, quo se ipsi obligaverat, admonuit, ut illum taliter sibi adornaret, qualiter sibi placeret, cum eum ipse inspicere vellet. Qui mox susceptum, pro dolor, et pro nefas! ad sepem alligatum verberibus crudeliter per suos officiales macerari fecit. Verum ipse sibi has plagas castigandi corporis causa ultroneus adscivit: rem tamen altiore sensu pertractantibus, inventus est nihil falsum *f* dixisse; C neque enim fas est vasis electionis, in quibus mansionem facere solet spiritus veritatis. Denique Apostolo teste, Sive servus, sive liber, omnes in Christo unum sumus: et ipsius Domini testimonio, unum patrum omnes in cœlis habemus. Ideoque et ab ipso D. N. Jesu Christo unum fraternitatis vocabulum omnes de Evangelio sortiti sumus. Qua etiam appellatione nos dignatur in Psalmis: Narrabo, inquiens, nomen tuum fratribus meis. Qui autem missus ab Abbate, huic ejus macerationi intererat, Anzo Monachus, referre solebat, quia inter flagella nihil aliud ex ore ejus resonabat, nisi quinquagesimus Psalmus, Miserere mei Deus: quem tamen ad finem usque non perduxit: usque eo enim in eum sævitum non est. Erat autem prædictus Frater Anzo tantæ religiositatis tantæque morum gravitatis, quod sibi vel ab incredulis fidem extorqueret. Cum hac ergo contumelia de Monasterio ejectus, tuguriolum cujusdam paupercule mulieris foris murum est ingressus: quam cum inconsolabiliter plorantem vidisset, et causas percunctatus, super illatis sibi tam crudelibus plagis commotam audisset; Cessa, inquit, mulier, meam vicem dolere, magisque super tuis peccatis compungere; hæc enim poterunt tibi pluris esse.

Eccl. 28, 28. — *crudeliter flagellatur,* — f — Eph. 6, 8. — Matt. 23, 9. — Psal. 21, 23 — Psal. 50, 2. — *atque ejicitur.*

D

ANNOTATA D. P.

a *Vulgo* Meskirch, *Comitum Zimmerensium residentia, media fere inter Zimmeringam ad Danubium et Memmingam ad Ileram via; itemque inter Ulmam, et Lacum Constantiensem; ab his tamen quam ab illis remotior.*

b Hassones, *communius* Hassi *vel* Hessi.

c *Usitatum Germanis fuit composita nomina truncare, et trunca per* o *terminare, uti jam sæpe observavimus.*

d *Ex Vita* S. Godehardi 4 *Maji num.* 15, *habetur, quod ipse an.* 1012 senio et labore jam fessus, Hersfeldense regimen Arnoldo, suo prius eo loci Præposito, commendavit.

e Mimilieba *Schaffnaburgensi, Dithmaro* Miminleve *et* Mimmeheben. *Vide Vitam S. Mathildis* 14 *Martii Annot.* k *ad cap.* 2, *ubi* Memleben *scribitur. Distat ab Hersfeldensi Abbatia, leucis circiter* 40. *Notat autem Adolfus ipsum monasterium Hersfeldensi subjectum fuisse an.* 1016.

f *Ergo* Christum Imperatorem *intellexit Sanctus, cujus se* fratrem dixit; *vel eam, quæ in Christo est, Christianis omnibus communem fraternitatem, uti infra explicat Erinherus, significatam voluit.* E

CAPUT II.

Convitia et flagra patienter tolerata, contumeliosorum pœna, secessus in Hasungen.

Igitur Hersfeldia egressus, imo expulsus, ad augmentum suæ futuræ gloriæ, quæ in illo relevanda erat, villam Kircheberg *a* nomine, in Hassia sitam, petiit: ubi cum aliquamdiu commoratus fuisset, accusatus quod conscius esset fractæ ibidem capellæ, et facti in ea sacrilegii; cum neque fateri, neque se expurgare vellet (memor illius versiculi; Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator adversum me) inde quoque a villanis expulsus est cum injuria. Post hæc venit in villam Deitmelle, *b* ubi cum essent duæ ecclesiæ, una baptismalis, et altera vetus neglecta, hanc sibi Heimeradus a Presbytero loci illius impetravit ad celebranda ibidem divina mysteria. Res ita non multum temporis transiit, cum adeo cunctis per circuitum populis fama sanctitatis innotuit ejus, ut omnes viri ac mulieres jam dictum Presbyterum negligerent, et ad hunc certatim cum oblationibus suis convenirent. Inter quos et uxor *c* Vicarii Presbyteri una die veniens, F suam quoque viro Dei oblationem obtulit: quam ille respuens accipere noluit. Tunc illa, facie rubore perfusa animoque consternata, ceteris supervenientibus matronis supplicare cœpit, ut ei causam indicaret suæ refutationis. At ille respondit: se non sponte, vel ipsi confusionem, vel populo scandalum facere: ut palam daretur intelligi, aliquid ei revelatum esse de illa, quod non libenter proderet, secreti. Cumque adhuc illa non quiesceret, sed eo magis explicandi sui reatus causa ei instaret: Sciens, inquit, scito, quod nec anima, nec oblatio tua Deo curæ sit, nisi vitam tuam moresque correxeris. Videns autem supradictus Presbyter, se despici, illum amari; se negligi, illum studiose ab hominibus visitari; multis eum primo aggressus injuriis, postremo eum canibus expulit de locis illis.

10 Itaque proceritas corporis, et facies lurida propter crebra jejunia, et vilitas vestium, quamdam deformitatem viro effecerant; sed difficile est dictu, quantum ei decoris et dignitatis intus præpararint: Etsi exterior noster homo corrumpitur, inquit Apostolus, interior tamen de die in diem renovatur. Qui cum Paderburnam venisset, et eum Episcopus *d* Meginwerc

a *Ex Hassia pulsus,* — Psal. 38, 2. — b *in Westphaliam transit,* — c *ubi pro Sancto habitus, invidiam sustinet,* — 2 Cor. 4, 16. — d

AUCTORE EGBERTO. *et a S. Meinwerco despectus,*

A Meginwerc in cute, non intus, vidisset; interrogavit unde ille diabolus emergeret? Ille gratulabundus crucem contumeliarum post Jesum portans (nam et ipsum Judæi dæmonium habere dixerunt) humiliter respondit, Se dæmonium non habere. Solido nimirum gaudio triumphabat, quod socius factus sit Dominicæ passionis: cum procul dubio sciret, Apostolo teste, socium se futurum consolationis. Sed ut probatio patientiæ ipsius inveniretur multo pretiosior auro, quod per ignem probatur; perseveravit Episcopus asserere, illum diabolum esse. Percunctatusque, an esset Presbyter: postquam audivit ipsum eodem die mysteria divina celebrasse, jussit sibi libros dari in quibus cantasset: quos eodem momento in ignem projicere jussit, eo quod incompti essent et neglecti, et nullius ponderis viderentur aut pretii; quem etiam ipse se verberibus cædi jussit. Audivimus etiam eum Cunizæ *e* Imperatricis jussu vapulasse, quæ ibidem tunc aderat simul cum D. Imperatore Henrico: qui fundator extitit Babenbergensis Ecclesiæ, suæ religionis et flagrantis in Deum animi evidens ibidem dans indicium, ipsum videlicet locum, ædificiis, opibus, B magnitudine, gloria; præterea, quod primum est, divinis laudibus die noctuque ibi personantibus reddens florentissimum. Sed admirabilis patientiæ vir S. Heimeradus, omnes corporis plagas omnesque injurias, ita æquo animo tulit, ut ne mutiret quidem contra, imo gauderet se pro nomine Jesu propterque spem cœlestium præmiorum a falsis fratribus perpeti talia; edoctus a Domino regnum cœlorum vim pati, et non nisi a violentis diripi.

jussu S. Cunigundis flagellatur.

e

Calumniatores ejus castigati.

11 Porro multorum veridica relatione comperimus, quod nonnulli qui hominem Dei calumniati sunt, ad sepulcrum ejus impetrandæ veniæ causa accedere avide cupierunt (postquam lucerna sanctitatis ejus, super candelabrum posita, lucere cœpit omnibus) sed nullo modo montis ascensum promereri valuerunt. Judicia Dei abyssus multa! Ecce ad sepulcrum unius justi calumniator ejus pœnitens accedere non meruit, super quo majus gaudium esse Angelis Dei in cœlis, quam supra nonaginta novem justis Dominus ipse promisit. Et tamen absque ulla ambiguitate credendum est, quod Dominus illis pœnitentibus peccata dimiserit; quia non potuit nisi verum esse, quod dixit: sed quia non erant defuturi, qui virum Dei jam in cœlis cum Christo regnantem, jam in terris miraculis coruscantem, C blasphemarent (uti post liquido clarebit, scilicet exemplo) ad ampliorem his incutiendum terrorem, si forte quiescerent (dum nullum opus Dei vacat a mysterio) tali in eos usus est sententia. Verum hoc conjiciendo protulerimus, non affirmando: quia sicut præmisimus supra, judicia Dei abyssus multa: et sicut confabulator Sapientiæ dixit, Sensum Domini quis cognovit?

Luc. 15, 7.

Psal. 35, 7.

Rom. 11, 34

Abbas Hersfeldensis ab officio depositus

12 Non multum temporis fluxit, postquam Abbas Hersfeldensis Arnoldus, nesciens quid faceret, beatum virum sic indigne tractari fecit; cum dissilientibus membris a capite, tumultuantibus pueris contra senem, et servis contra Dominum suum, tunica Christi inconsutilis, quam milites pagani scindere voluerunt, discissa est a Fratribus atque Abbate. Rerum autem potiebatur tunc temporis Conradus *f* pater Henrici II Imperatoris: hic zizania discordiæ, quæ inter Fratres et Abbatem succreverant, inimico homine seminante acuta sententiæ falce taliter demessuit; eumdem Abbatem Arnoldum *g* deponerent, et piæ memoriæ Rudolphum de Monasterio, quod dicitur Stabulaus, *h* postea Paderbonensem *i* Episcopum, loco ejus subrogarent. Qui cum totum se divinæ religioni mancipasset, fratrum studiis erga divinum servitium, et sanctum

f

g

h

i

D quod professi erant propositum, adeo congratulabatur, ut quæcumque posset caritatis officia, ac si indulgentissimus pater, eis impenderet. Depositus vero Abbas Arnoldus, reliquam ætatem suam degebat privatus; cum tamen numquam ad mentem reduceret, quod pro injuria, quam viro Dei ingesserat, deponi meruisset. Quod si nosmetipsos dijudicaremus, inquit Apostolus, non utique judicaremur. Sed præcipitium in quod ceciderat, ideo Abbas videre non poterat, quia lucerna sub modio latebat; quia nullus meritorum adhuc viri Dei splendor emicuerat; quia oleum, quo lampades suas reficere solebat, in vasis conscientiæ, usquequo veniret Sponsus, reservare studebat juste. Ne autem ipse Arnoldus cum hoc mundo damnaretur, sed a Domino correptus hic judicaretur; credimus illum meritis S. Joannis Baptistæ adjutum, cui monasteriolum venustissime construxerat versus Australem plagam urbis, in monte qui exinde appellatur *k* Mons S. Joannis. Sed et ille locus celeberrimus, ubi beatus Heimeradum tam crudeliter verberibus est actus, Hersfeldia scilicet, non longe post abitum ipsius Arnoldi *l* cum basilica, et universis simul E ædificiis incendio conflagravit; sive ob injuriam hominis Dei, sive etiam aliis culpis exigentibus. Verum non abs re est, si inusitatum et inauditum miraculum ad medium deducamus, quod Dominus ad consolandum Fratrum ibidem degentium mœrentia corda ostendere est dignatus. Nam cereus, qui in Sabbato sancto consecratus est, ut initio incendii, ut solet, ad propulsanda pericula, coram altari fuerat accensus: sed altera die, cum totum ædificium in cineres consedisset, integer inventus est atque illæsus, carbonibus atque semiustis roboribus adusque summum cacumen circumdatus: qui exinde per singulos annos donec aliquid superfuit, particulatim novo cereo est adjectus.

1 Cor. 11, 31 *pœnas luit flagellati Sancti:*

k

ipsa Abbatia incendio perit,

l

salvo tamen cereo Paschali.

13 Sed ut ad propositum revertamur, hucusque vir Dei mortificationem Jesu in corpore suo circumferens, tandem ad montem Hasungen pervenit, ubi deinceps et vita Jesu in corpore ejus manifestanda fuit. Ibi ergo decrevit circuitioni suæ ponere modum; ibi post tanti laboris fatigationem quiescere; ibi expectare eum, qui se salvum faceret a pusillanimitate spiritus et tempestate; ibi cœlum sibi vidit apertum, sicut ipse referre solebat: quia scilicet cum primum montem illum intueretur, non aliter sibi visum fuerit, quam si interiora cœli contemplaretur. Haud dubitamus eum tunc (utpote in F litterarum studiis satis exercitatum) non immemorem illius Jacob versiculi; Quam terribilis est locus iste, non est hic aliud, nisi domus Dei, et porta cœli. Certus igitur ex hac visione locum hunc sibi cœlitus prædestinatum fuisse, petiit ab incolis, ut sibi jus concederent inhabitandi montis: quod cum libenter annuissent, quid ibi laboris, quid sudoris insumpserit; quam totus in servitio, quam creber in oratione, quam assiduus in lectione, quam largus in eleemosynis, quam compatiens miseris, quam omnibus affabilis extiterit; quomodo corpus suum jejuniis et vigiliis maceraverit, qualiter carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifixerit; interrogent miracula, qui nobis fidem derogant; respiciant etiam Dominum suos incredulos ad miracula mittentem. Si mihi non vultis credere, inquit, operibus credite: et, Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, ipsa testimonia perhibent de me.

Ad montem Hasungen digressus,

Gen. 28, 17.

suæ sepulturæ destinatum intelligit,

Joan. 10, 38 et 5, 36.

14 Quoties eum incentiva carnis titillabant, cum psalmos caneret, aut aliquid aliud divini officii persolveret; subito non sine miraculo intuentium proripiens se de ecclesia, quanto citius saltum dedit in piscinam, quæ ibi erat; ibique tamdiu vadabat, donec stimulus carnis ejus quiesceret. Fertur etiam una

stimulos carnis gelida compescit

aut spinis:

A una vice nudum corpus suum per spineta traxisse; sicque dum pœnaliter arderet foris, restinxisse incendium, quod exitialiter vivebat in medullis. Peractis vero Missarum solennium officiis, hæc ei erat consuetudo, ut populum, qui convenerat audiendi gratia divinum, talibus exhortaretur monitis, ut domum reversi, quæcumque haberent, omnia in eleemosynam expenderent. Cumque aliqui subridendo interrogarent, expensis omnibus quid de se futurum esset, quibus rebus vitæ indigentiæ consulerent; Bonus homo de bono cordis sui thesauro protulit verba bona, verba consolatoria; reposita eis esse in cœlis, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Tum ne morderentur hic curis, Dominum esse solicitum pro eis; numquam exhauriri posse fontem divinæ misericordiæ. Qualis arbor, talis fructus. Doctrina concordabat cum vita: non enim ipse, vel sibi vel rebus eleemosynarum gratia parcebat, certum tenens, quod mercedes suas non in saccum pertusum congregabat. Ipsa quoque femoralia sæpe in usum eleemosynarum distrahebat. Verum hanc vicissitudinem pulchre sibi fœneratam vidit etiam super terram; brevi quippe fama sanctitatis ejus totam evocavit provinciam, ad videndam quæ in finibus illis apparuit, novæ claritatis stellam; ad considerandam, quæ abscondi non poterat, civitatem in monte positam. Nemo sibi deerat, nullus sexus, nulla ætas, nulla conditio; non nobilitas, non dignitas domi se continebat: quasi ad nundinas, sic quisque post alterum, cum mercibus oblationum ruebat, ut præoccuparet benedictionem servi Dei, ejusque Deo complacitæ se commendaret orationi. Pæne nullus dies, nulla hora, nullum momentum præteriit, quo non aliquis visendi hominis Dei gratia concurrerit.

eleemosynas verbo suadet et exemplo.

B

15 Interea Comes quidam Dudecho nomine, de monte qui vocatur Wartberg, *m* super festivitate S. Andreæ Apostoli, Paderbornensem Episcopum Meinwercum invitavit ad convivium: erat enim capella in eodem monte sita, in honorem S. Andreæ Apostoli consecrata. Cumque in vigilia ipsius Apostoli ad cœnam convenissent, et prædictus Comes, B. Heimerandum simul invitatum, contra se ad mensam sedere fecisset; indignatus Episcopus interrogavit, quid sibi vir tantæ prudentiæ hoc facto vellet? cœpitque in ore suo beatum virum injuriare, eumque delirum apostatam appellare. Cum ille contra ne mutiret quidem, sciens scriptum esse: Patientia vobis est necessaria, ut reportetis promissiones. Confusus itaque vice illius Comes qui vocaverat eum, valde enim venerabatur eum; respondit, se nescisse, quod adversus illum quidquam haberet controversiæ: cœpitque animum ejus mitigare, et viro Dei veniam postulare. At Episcopus in sua perseverans sententia, juravit, quod ab hominibus Sanctus putaretur; debere eum die altera sine dubio Alleluia ad Missam cantare, ut in hoc sanctitatem ejus experiretur: statimque ei coram omnibus sub interminatione plagarum id injunxit officii. Cumque Comes pro eo obnixius supplicando, et ei hujus actionis remissionem petendo nihil ageret, nisi quod oleum flammæ adjiceret; noctu finita Matutina, tulit hominem Dei secreto, et consolans eum obsecrabat, ut prima tentamenta non refugeret, sed saltem in nomine sanctæ Trinitatis incipiens, cetera Deo committeret. Qui licet multum renitens, seque ad hospitiolum dimitti flagitans; tamen non cessante a precibus Comite, tandem consensit. Veniente itaque hora, cum Episcopus nullo modo abduci posset a sententia: processit ille; et incipiens, tam solemniter, tam jucunde Alleluia cantavit, et ad finem usque perduxit (sicut ipsius loci Clericus testatus est) ut omnes mirarentur, seque ex nullius unquam hominis ore suaviorem modulationem audivisse faterentur: ut Episcopus finita Missa, eo secretius assumpto, ad pedes ejus corrueret, et veniam postulans, deinceps perpetuus fieret ei amicus.

m

Iterum contemptus a S. Meinwerco,

C Heb. 10, 39

et canere Alleluia jussus,

miro successu eum placat.

D AUCTORE EGBERTO.

ANNOTATA D. P.

a Kirchberg *in Nidensteinensi Ambacto, media fere via inter Nidenstenium et Fritislariam.*

b Dietmelle, *Lemgoviensis Comitatus oppidum, intervallo 4 leucarum respicit Paderbornam, sibi ad Austrum adsitam.*

c *Ea scilicet tunc erant tempora, ut Presbyteri concubinarii uxorem habere dicerentur, veluti legitime ductam.*

d *Narrantur hæc eadem in Vita S. Meinwerci* 5 *Junii num.* 16, *uti et illa quæ hic infra ponuntur num.* 14.

e Cuniza, *abbreviate pro* Kunigundis, *cujus Vitam illustravimus* 3 *Martii.*

f Conradus *S. Henrico successit an.* 1027.

g *Chronicon Hildesheim. ad an.* 1031 Arnolfus, Pater monasterii Hersfeldensis, præcipuus in divinis et humanis rebus, quorumdam Fratrum eo loci cujusdam criminis objectione accusatus, miserabiliter proprio est honore privatus. *Et ad an.* 1032 Arnolfus Abbas Herocampiæ obiit 5 Kal. Januarii, *Gellingæ sepultus, sed jussu successoris Hersfeldiam mox translatus.* E

h Stabulaus *monasterium in Belgio, vulgo* Stavelo, *de quo multis ad Vitam conditoris S. Sigeberti Regis* 1 *Februarii et S. Popponis ibidem Abbatis* 25 *Januarii.*

i Rotho, *Bruschio* Rothardus, *S. Meinwerco suffectus an.* 1036, *cujus an.* 1052 *defuncti imago cum radiis pingitur, uti dicemus ad diem* 6 *Novembris quo obiit.*

k *Intervallo unius fere leucæ, seu dimidii milliaris Germanici.*

l *Imo quinquennio post: nam Lambertus Schaffnaburg.* incensum monasterium *fuisse scribit* anno 1037, *quo anno Pascha celebratum fuit* 10 *Aprilis: intelligi autem videtur, ex mox sequenti miraculo Cerei Paschalis, inter ipsum et Ascensionem* 19 *Maji celebratam incendium contigisse.*

m *Hodie* Warburg, *ad sinistram Dimelæ ripam, distat Paderborna leucis* 6.

CAPUT III. F

Quædam viventis Sancti miracula.

Reverso demum B. Heimerado ad hospitiolum suum, finito convivio, cum ei sublimes quoque et in fascibus agentes personæ, onerantes jumenta quantum portare poterant, munera transmitterent, (ut etiam ratiunculas suas pro Christi amore derelictas, hic videatur recepisse centuplicatas,) ipse tantum panem cum sale et aqua, raroque leguminibus contentus, nihil in proprios usus servabat, sed omnia pauperibus, ut sæpenumero jam inculcatum est memoriæ. Quod cum pergeret facere, una vice jam inclinata ad vesperam die, cum nihil ei superesse minister ejus vidisset; cœpit tumido ore debacchari, et baculo contumeliæ aures ejus tundere, cur et secum ea quæ offerebantur non participaret? se fame cruciari, qui ei sedulus ministerium die noctuque non sine sudore vultus sui impenderet; ipsum vero universa in alios profundere, de se autem prorsus nullam curam habere. Tum et columba, licet sine felle sæviens, eum cum jurgio tacere præcipit dicens: Non idcirco mittit ea nobis Dominus, ut omnia a nobis devorentur. Ecce pedes missi a Domino ad

Conquerentem famulum

omnia in pauperes profusa,

AUCTORE EGBERTO. corripit impetrata subito alimoniæ copia,

A ad januam, qui deferat nobis de rore cœli et de pinguedine terræ abundantiam : inquirentes enim Dominum non minuentur omni bono. Sed sive hoc spiritu prophetiæ providerit, seu sola fide obtinuerit, quam maxime Dominus in Sanctis suis laudari consuevit, pollicitatione sua fraudatus non est. Nam ecce, eo tempore quo solent homines nocte interceptis laboribus propria corpora curare, et domesticis suis prospicere ; supervenit homo cum jumento vario ciborum genere, quantum portare poterat, onerato. Tunc increpata pusillanimitate discipuli, ex omnibus sufficienter tribuit ei. Erat autem ibi vas, modicum fabæ continens ; hoc eum igni apponere, sibique dum reverteretur parare jussit ; ecclesiam intravit, ibi more suo plurimum noctis transegit. Demum reverso cum minister mensulam apposuisset, et ille corpus inedia maceratum reficere cœpisset, subito scintilla igne crepitante prosiliens mensale perussit : at ille quanto citius surgens iter ad ecclesiam acceleravit, ibique reliquum noctis ad gallicinium usque perduravit. Cumque minister jam reditum ejus desperasset, et cubitum ire decrevisset, ex insperato adveniens denuo mensa apposita B cibum sumpsit. Interea, qui ei ministrabat, cœpit eum modeste interrogare, cur læso ab igne mensali tam festinus ecclesiam intrasset ? At ille ; Angelus Domini, ait, cum scintilla me vocatum advenit : cumque ecclesiam intrassem ita omni genere decoris ornatam, ita superno lumine illustratam inveni, ut decuit revera palatium Domini. Ibi S. Martinum et S. Mainulphum inveni, qui et meæ fidei montem istum commendaverunt ; et si eum bene custodirem, me in regnum cœlorum se introducturos fide mutua promiserunt.

et fatetur visos sibi SS. Martinum et Mainulphum.

17 Jam in medio discurrentium pedes nomen ejus ad exteras quoque nationes deportaverant, multumque venerationis ei apud Saxonum gentem conquisierant. Habebat autem unum ex vicinis familiarem, et excepta una re, quæ modo introducenda est, alias sibi fidelem ; qui frequenter ejus legatione fungebatur, quocumque res postulasset. Huic nomen erat Yemmo, quem dum ex more cum mandatis ad Abbatem *a* Corbeiensem direxisset, misit ei Abbas duo sagmata omnium, quorum usus indiget, plena : qui unum domi abscondit, alterum viro Dei attulit. At ille gratias agens, interrogavit ; siquid ei amplius miserit : quo negante : Vade, ait, et istud quod mihi attulisti, adde illi, quod domi C abscondisti, habens utrumque. Qui licet alias fidelis extiterit, tamen quia in hoc uno prævaricatus est, prævaricationis suæ pœnas justissimæ censuræ debuit; scriptum est enim : Quicumque totam legem servaverit, offenderit autem in uno, factus est omnium reus. Verum quoniam viro Dei, alias, ut dictum est, familiaris et fidelis permansit, meritis ipsius hic recipere meruit, quidquid in legem familiaritatis deliquit : denique non multo post dexteram maxillam ejus, et ita deorsum, usque ad humerum, vermis adeo depastus est, ut os nitens et dextera arteria nuda appareret : æqua vero lance illam partem vermis absumpsit, qua ille, quod furatus fuerat, absumere habuit. Cum una vice jacens in atrio ecclesiæ quiesceret, subito qui simul aderant, viderunt formicarum gregem de terra, ut solet, ebullientem, supra eum ascendere; quas cum abigendo nihil proficerent, sed, eo animosius, quasi conjuratæ, in bellum acies, conserto agmine super eum irruerunt ; turbati his monstris, suscitato ei rem indicaverunt. At ille inquit, Nihil periculi est, nolite turbari : sicut enim videtis nunc formicarum gregem, præsagium scilicet futurorum, super me irruere : ita paulo post decessum meum, visuri estis homines de cunctis per circuitum nationibus gregatim montem istum cum votis et oblationibus D suis ascendere.

Ministri furtum absens novit:

a

Jac. 2, 10

prædicit frequentiam ad se venturorum,

18 Erat quoque ibi Clericus, in juvenili ætate vernans, sed superbus admodum et arrogans. Hic jam a principio multas viro Dei, ob invidiam, faciebat injurias. Quadam itaque die cum pergeret illi molestus esse, vir Dei dixit ad eum : Propius medullis accipe quæ prædico tibi : dives quidem futurus es, sed postquam omnia congregaveris, veniet satanas, et omnia tibi teque simul auferet. Utinam jam in ipso non impleta sit ista prophetia, quod pace hujus Sancti, salva verborum ejus fide, optaverimus : quam impletam, rerum exitus docuit, in ipsius substantia. Nam postquam vir Dei rebus humanis excessit, cum jam multa Clericus coacervasset, ad ultimum ancillam cujusdam præpotentis hominis ejusdem loci indigenæ corrupit : qui statim domum ejus omnemque suppellectilem invasit, nihilque ex omnibus præter miseram vitam relinquens; insuper ad Frietestar apud generalem *b* Synodum eum accusavit. Cumque in eo esset, ut Episcopus ad degradandum eum baculum levare debuisset, subito prorumpens sanguis de naribus ejus cum impetu super Episcopum venit : illico ejectus tam diu E sanguinem fudit, usque quo aliis, quæ introducenda erant, introductis et determinatis, eo oblivioni tradito, Synodus illa solveretur. Quis ambigat eum in tantæ necessitatis articulo beati Viri miseratione liberatum ? qui profecto cum vidisset prophetiam suam in rebus suis esse impletam, ne amisso pariter sacerdotali gradu funditus omni spe nudaretur, subveniendum ei censuit exemplo Domini sui, qui, cum iratus fuerit, misericordiæ recordabitur.

et Clerico molesti damnationem

b

19 Quidam ex habitatoribus ejusdem loci, cum jam senex esset et plenus dierum, rarum admodum, sed jucundum, prodidit miraculum, sibi ad beneficium, Deo ad laudem et gloriam, ab eodem servo Dei gestum. Nam cum homo idem esset junior tempore, et erga virum Dei miro flagraret amore, ejusque sedulo fungeretur obsequio; quodam die duxit eum ad proprium hospitium, et ostendit ei suum gallum extinctum, quem quidam malæ mentis adolescens, misso lapillo occidit deambulantem in atrio. Cumque nimium querulosis vocibus suum casum exponeret, quod scilicet jam non esset, qui sibi gallicinia caneret ; qui se pro festis diebus ad suum officium, matutinalibus horis ad divinum officium excitaret ; quod non esset, quo domum in parte juvaret ; F pullos educeret; sobolis fœturam suppleret. Tandem motus his querelis Dei servus, elevata dextera signum Crucis contra jacens cadaver edidit; statimque gallus, quasi nihil læsionis pertulisset, sed de somno excitatus esset, nimia velocitate surgens abiit. Quod ideo signum non nisi major natu, non nisi perfectioris ætatis, sub divum proferre prudenter cum animo suo statuit ; eo quod vix his annis parum quid fidei sit, eo quod mendacium inundaverit, eo quod omne verum a terris ad superos remearit.

Gallum mortuum suscitat,

20 Cum quadam die in villa Elheno, *c* quæ monti vicina est, divinis mysteriis insisteret, et his quæ præcedere solent, finitis, Evangelium legi rationis ordo deposceret : dum tenacius inhæreret Deo, subito raptus in extasi, unus quoque spiritus, ut ita dixerim, effectus est cum ipso. Diu vero populo exspectante, ut is qui mente excesserat (juxta Apostolum) Deo, sobrius fieret illis. Jamque omnibus fatigatis, cum domum reverti placuisset, is qui ad impendendum Christi Sacerdoti adjutorium adstabat, Diaconatus officio functus, stola sumpta legit Evangelium; ne cujus causa advenerat populus, divini Officii penitus expers rediret. Deinde aliis digredientibus, remansit unus Hemmo cum sua uxore; qui, ut tenaces anchoræ, familiarius et propinquius viro

c

Sub Missæ ... rum populi

2 Cor. 5, 13

A viro Dei adhærebant; quique illi propensius servitium impendere solebant. Cum vero jam inclinata esset ad vesperam dies; ad se reversus, quod reliquum fuerat Missæ, percelebravit; sicque simul cum ipsis ad hospitium illorum intravit. Cui cum ex more mensam apposuissent, ac si Dominum non in suis membris, sed in se ipso excepissent, [et uxor, velut] altera Martha circa frequens ministerium satageret, cœperunt ab eo humiliter exposcere rationem, cur in medio Missæ tam diu fuisset moratus. Tunc ille, ut nihil erat quod illorum caritas ei non extorqueret; Haud, inquit, tunc temporis aderam: videbar quidem vobis præsens corpore, sed spiritus Dei legatione functus eram. O admirabilis sanctitatis virum! licet adhuc corporaliter cum hominibus conversantem, jam tamen inter illos cœlestes spiritus superne deputatum; quos cum Domino libuerit, Psalmista testante, Angelos facit.

in extasi permanet,

usque ad vesperam..

Ps. 103, 4

21 Solebat idem Hemmo fascem lignorum domui suæ arefactum propriis humeris ad hospitiolum sancti Heimeradi, absente ministro ejus, circa vesperam deportare; focum accendere, aream purgare, sedile ponere, aquam afferre, vasa mundare, lectum sternere: dumque ille his, quæ secundum Deum B sunt, vacaret, ipse, quæ secundum hominem sunt, ei providebat; sicque omnibus, quæ usus postulabat, rite perfectis, ad sua regrediebatur, cum alacri spe recipiendæ a Domino vicissitudinis. Quod cum una die ex more faceret, jam ascensurus in montem, vidit diabolum levato ingenti saxo, arbores ibidem stantes lapidare. At ille signaculo sanctæ Crucis se undique muniens, alacriter cœptum iter pergebat: certus quod ejus orationum clypeo tutus erat ab omni periculo, cui humanitatis officium impendebat. Non eget, nisi fallor, admonitione, quid veternosus serpens hoc facto voluerit: videlicet, ut incuteret homini terrorem, si vel sic eum posset a pietatis officio, quod intenderat, impedire; dum unius caritati, alterius invidebat utilitati. Videbat enim hominem caritatis loricam et galeam salutis indutum; ideoque pugnam cominus lacessere, et frontem fronte conterere metuebat: quia toties sibi male tentatum, adversus hujusmodi viros, armaturam Dei indutos, certamen secus cesserat. Cognovit autem id ipsum vir Dei per spiritum, accitumque tantæ devotionis erga se hominem admonuit, ne formidaret, siquid in silva adversi deprehenderet; sed signo Crucis fronti suæ impresso, securus pertransC iret; dicens, contra hoc signum nullum stare periculum.

Virum pium, sibi ministrare solitum,

munit contra dæmonem.

ANNOTATA D. P.

A Mensale *intelligo* Mappam, *qua mensa insternebatur.*

a Druthmarum *scilicet, deposito ad an.* 1015 *Walone, Corbeiæ Saxonicæ Abbatem, usque ad an.* 1046.

b *Difficile est hujus Synodi, a Moguntino Archiepiscopo apud Fritislariam celebratæ, annum definire: sub Aribone tamen vel Bardone rem actam oportuit, quorum prior an.* 1020 *cœpit, alter* 1051 *desiit Ecclesiam regere.*

c *Adolfo videtur esse* Elenen, *locus memoratus a Schafnaburgensi ad an.* 1075.

CAPUT IV.

Mors Sancti, et frequentia ad sepulcrum miracula.

Cum autem instaret tempus resolutionis ejus, per aliquot dies in stupore mentis videbatur, adeo ut a supradictis flagrantis erga se studii hominibus solicite custodiretur: triticum enim, in horrea Domini D aggregandum, non poterat absque tribulis et ventilabro separari a paleis. Jam vero in ultimo positus spiritu, cum devotas, ut solent, mulieres circa se congregatas, totas (ut aiunt) effluere videret in lacrymas; interrogavit, quænam causa esset tanti ploratus. Quæ cum respondissent, pro ejus morte se dolere; Imo, ait, gaudete, quia patronum me habere meruistis, et juge gaudium, quasi ad perennes nundinas ac festivitates amodo in monte hoc celebraturæ estis. Præterea non post longum tempus videbitis monasterium hoc loco constructum, et coadunatam in sancto proposito non parvam Fratrum catervam, ad divinum servitium solenniter explendum. a Igitur quarto Kalend. Julii rebus humanis exemptus, indutus est cœlestibus, ut luce clarius constat ex signis et virtutibus, quas per eum solet operari Dominus.

Moriturus prædicit

monasterium eo loco condendum:

a

23 Quidam de gente Hassonum, Benno nomine, prætergrediebatur locum, in quo sancti Confessoris Christi Heimeradi requiescit corpus, undecima post obitum ejus die. Hic, quoniam scutum fidei abjecerat, sagitta diaboli cor ejus penetrante, Sancto illi detrahere, et vitam ejus cœpit derisui habere. Qui statim invasus a diabolo, totus ei in prædam cessit; utpote abjectis militiæ suæ armis spiritualibus, quibus ei resistere debuit. Quem illico sui ad sepulcrum viri Dei adducentes, ac pro eo jejuniis et orationibus die noctuque insistentes; et corporis ei sanitatem, hoste depulso, et pristinam mentis obtinuerunt libertatem. Sed quasi unus non satis dedisset exempli, quantum peccet in Deum et in animam suam criminator Sanctorum Dei; alius quidam occurrens duabus mulieribus, sacros Cineres trigesimo die cum oblationibus suis invisere, vel currentibus, vel volentibus; causasque itineris cognoscens; cum imitari studium earum deberet, hoc miser non fecit, sed immittente satana, turpibus dictis et factis ipse etiam hominem Dei injuriavit: quapropter perpetua ariditate statim mulctatus in crure, coram omnibus claudicando, satis vel ipse de hujusmodi sceleris enormitate indicii dedisset, nisi quoddam genus hominum indurata cervice et indomabili corde esset. Igitur quasi nihil actum sit, una infelix mulier Bethzcha nomine, iterum studium et devotionem quorumdam circa sanctum sepulcrum deridere cœpit; sed sicut temeritas culpam, ita et culpa auxit vindictam: ut videlicet in eam illata correptio, omnem deinceps adimeret injuriandi Sanctum Dei præsumptionem. Nam tam diu inimicus sua in eam usus est potestate, quousque omnibus longe lateque innotesceret, quod propter illatam Christi Sacerdoti injuriam, huic sævæ subjaceret sententiæ. E

mortuo detrahentes

alter usu mentis

alius cruris mulctatur,

tertia a dæmone invaditur:

24 Tandem post exclusas pestes animarum, post eliminata infidelitatis impedimenta, via facta est fidei ad excludendas et eliminandas quoque ægritudines corporum. Siquidem duo paralytici, vir unus scilicet et mulier, diverso tempore sepulcrum viri Dei cum marcibus fidei adierunt; et suffragantibus meritis Sancti, commutationis suæ pretium, plenam scilicet sospitatem reportaverunt. Viro nomen erat Poppo, Machtilt fuit nuncupata mulier ejusdem loci, oriundo originem trahens de Fresonum provincia. Pari modo duæ aliæ mulieres provinciales de Saxonia, diversis incommodis detentæ (nam una oculorum, altera linguæ carebat officio) diverso tempore, licet pari devotione, sanctum locum adierunt; et ope beati Viri, quod eis de humana natura defuit, fidei commercio reparare meruerunt. Prior erat de Geitzlacher, villa quæ sic appellatur: altera vero de Leimbach. Item claudus quidam adolescens, ex servitiis Bertæ Comitissæ, ad prædictum portum salutis scammellis est deportatus: adeo enim totus dimidius

paralytici curantur,

item cæca,

muta,

ns; claud

A dimidius naturæ vitio sibimet erat inutilis : sed meritis viri Dei adjutus, mutato officiali, relictis ibidem scammellis, propriis pedibus suis est reversus. Berngerus Presbyter de Willichashuson, quæ villa sita est in Hassia provincia, incertum quo reatu, dæmonium incurrit, permittente illo qui etiam beatum Job, quamquam longe diverso modo, satanæ tentandum concessit: qui et ipse ad commune propugnaculum, viri Dei sepulcrum adductus, citius dicto ab obsidente peste est liberatus. Quid verbis opus est? si singillatim personas, loca, tempora ponere velimus ad coacervanda testimonia, nullus modus erit, nulla mensura. Tres cæci, duo muti, claudus unus, vel negatam naturæ vitio, vel corruptam, ad sacros cineres meruerunt recipere quisque suo tempore, integram sanitatem.

AUCTORE EGBERTO. Presbyter energumenus, et alii plures.

25 Accidit interea Præfectum Magdeburgensem Meginfridum cum multis aliis Hierosolymam tendentem, vento sibi contrario Laodiceæ *b* diu esse moratum; denique primo, secundo, ac tertio die, et sæpius navigia repetentes, cum in altum processissent, subito mutata aura, quasi quadam vi detenti divina, nusquam promovere potuerunt. Cumque res B in desperatione esset, præfectus Meginfridus et nonnulli alii decreverunt domum reverti. Sed Roding miles ejus et Bebo, et Sibertus, cum aliis plerisque constanter agentes, definierunt apud se rem potius per terram pedibus tentare, et extrema omnia, persecutionem etiam infidelium, si immineret, experiri, quam iter cœptum relinquere. In hac igitur definitione superveniente nocte cubitum itum est. Tunc Roding, ut ipse asserebat, nondum in somnum resolutus, vidit clare virum veneranda canitie, in vestitu candido sibi, suæque remorationis causas prædicere; quod videlicet idcirco detenti essent, quia B. Heimeradum domi sibi in vicino positum, in monte videlicet Hasungen, eatenus neglexissent. Quapropter, inquit, si obstinato animo Hierosolymam decrevistis petere, crastino mane ecclesiam S. Georgii in hac urbe ingressi, voto vos constringite, quod petita Hierosolyma nullus vestrum, qui indigenæ estis, prius domum suam ingrediatur, quam hujus sancti Viri visitet sepulcrum; ejusque patrocinio vos committite; quia nisi vobis ipse apud Deum obtinuerit, nullus vestrum Hierosolymam videbit. Quam visionem cum ille ceteris retulisset, in tantam consolationem et mentis alacritatem devenerunt, non solum ipsi, sed et alienigenæ, qui se illis conjunxerant; ut altero die primo diluculo om- C nes pariter supradictam ecclesiam adirent, et illi quibus justum fuerat in prædictam urbem intrantes, non solum sibimetipsis, sed omnibus suis sociis in salutem fierent. Nam vix vota impleverant, cum ecce nauclerus adfuit; et prosperum ventum venisse nuntians, eos ad naves invitavit; quas ingressi, per illud dimidium quod superfuit diei spatium, sicut ipsius naucleri relatione cognoverunt, quatuor dierum cursum impleverunt. Et deinceps adeo prospera fuit navigatio, ut (quod mirum dictu est) iter quod ante se alii vix duodecim hebdomadis mari terraque currerent, isti sex tantum diebus currerent: et illi præcessores, duorum intervallo tantum dierum Hierosolymam, priores illis intrassent. Itaque peractis Hierosolymæ votis, Meginfridus *c* Præfectus, Roding, Sibertus, et qui cum illis erant, postquam domum suam reverterunt, promissa factis exequentes, Hasungen petierunt; et visitato beati Viri sepulcro, hæc omnia proprio ore narraverunt.

b

Vento contrario prohibiti Hierosolymam accedere,

facto voto adeundi, cum redissent, sepulcrum Sancti,

ac citissime perferuntur.

26 Quædam mulier, dum linum carperet manibus, sicut mos est mulierum, tertio die post anniversariam Sancti hujus commemorationem, repente contraxit se utraque manus, digitis in volam arctius defixis: accurrerunt, qui aderant, ut linum ei de manibus eriperent, sed non erat facultas. Tandem D vi doloris cogente, accessit mulier ad altare sancti Viri; seque perpetuo mancipans ecclesiæ, ejusdem ita demum manus reseratas ad consuetum usum meruit accommodare. Quod miraculum pro gloria Dei et propagandis beati Viri meritis constat factum; cum neque legitimæ essent feriæ, in quibus nullum servile opus fieri liceret; neque aliud quodlibet peccatum mulieris, neque parentum ejus, in illius temporis articulo manifestius appareret. Duo contracti, unus de eadem regione, alius de villa quæ appellatur Geitzlæde, dum corde credunt ad justitiam, ore autem confessionem faciunt ad salutem; statum rectitudinis, quem natura negaverat, ibidem exteriori homini fide obtinuerunt interioris. Similiter duæ mulieres, una paralytica, alia oculorum sensu mulctata, fidei suæ pretium ad eamdem memoriam obtulerunt, nec aliquanto tardius salutis dono ditatæ, gaudio triumphantes redierunt: quarum altera de villa quæ Weidere appellatur; alia de Grincenbach procreata dicebatur. In Vigilia Natalis Domini duæ ibi candelæ sunt divinitus accensæ, una in absentia, altera in præsentia Cleri, qui ibidem congregatus fuerat, ad agendas sacras excubias in tabernaculo Domini. E

Curantur contracti tres,

paralytica, cæca.

Candelæ ultro accenduntur.

27 Quidam ex Fratribus de eodem cœnobio, admodum religiosus, in adolescentia sua gravem inciderat ægritudinem, quam nullo modo evadere potuit, usquequo suum votum, modo fidelium devotorum S. Heimerado devovit. Quo facto, visus est ei vir Dei in somnis adesse, eumque utrisque manibus complecti: evigilans vero sensit se melius habere, statimque non mediocri accensus est desiderio, ut totum se Deo in servitium devoveret, et S. Heimerado. Quo crescente desiderio, crescebat etiam valetudo: usquequo abrenuntians seculo desiderium suum implevit, et sic omni ægritudine illa deinceps in perpetuum caruit. Missus deinde cum mandatis in Wormatiam, cum vidisset ephebos studio deditos liberari, delectabatur rursum in seculum redire, seque ludo reddere liberali. Qua re definita, in Parasceve ante Pascha invasit eum tentatio diaboli in tantum, ut et ipso die lecturus lectionem, cujus initium est, In tribulatione sua mane consurgent ad me (nam lector deerat, ipse autem Levita erat) et postea quoties Evangelium lecturus esset, videretur sibi pagina quasi nigro quodam panno obducta, nullamque litteram poterat cognoscere; seque sentiret a quodam totis viribus abstrahi a lectione, ut ipse rejecto libro confugeret ad altare, seque prosternens Sacerdoti, cum summo populi totius qui assistebat terrore, se postularet adjuvari. F Cubitum etiam iturus, cum signo salutari se undique muniret, cantando illum versum, sancti Spiritus adsit nobis gratia; audiebat vocem altius dicentis sibi, quod se non deberet signare, eo quod sibi traditus esset. Nonnumquam vero sedens inter alios repente videbatur sibi quasi ab aliquibus ad infernum trahi, ita ut tremeret, clamaret, et omnes in terrorem verteret. Hoc stimulo colaphizabat eum Angelus satanæ sine intermissione diu noctuque, a Parasceve usque ad Pentecosten.

Juvenis Monachus ex voto factus,

deinde ad seculum regressus,

28 Tunc vero Frater ille in se rediens, intellexit ideo se talia perpeti, quoniam ad seculum reversus Deo ausus sit mentiri, cœpitque pœnitere facti. Jam inde rarius quidem, interpositis videlicet aliquot diebus, ipsa tamen passione per duos et semis annos, graviter est afflictus, nec ullis remediis sive orationibus sive jejuniis, seu confessionibus creberrimis, his curari potuit infestationibus. Solebat accedente passione Hymnum Athanasii, Quicumque vult salvus esse, et Sequentiam sancti Spiritus adsit nobis gratia, adversus imminens periculum decantare;

et rursus ad monasterium,

A cantare; sed utrumque satanas novissime ita funditus ei velut lethargum passo e memoria eliminaverat, ut non nisi vix primum Versum utriusque carminis animo retineret. Tandem reversus jam ad cœnobium suum, confugiens ad nota præsidia, seque prosternens juxta sanctum sepulcrum, multis lacrymis et precibus beati Viri flagitabat auxilium; tota devotione promittens, se deinceps stabiliter in eodem loco permansurum, et numquam ulterius ad seculum reversurum. Cumque hoc votum corde et ore prompsisset, visum est ei quasi aliquis clara voce, Amen responderet. Nec mora; omnis tentatio illa diabolica evanuit, et sanus factus, illa peste in perpetuum caruit. Referebat nobis idem Frater, in præsentia sui, circa sepulcrum Viri Dei, mulierem primo sanguinem ex oculis fudisse, et visum recepisse. Quo hæc referente, intulit alius Frater de eodem cœnobio, alio tempore in suis obtutibus in alia muliere miraculum simile factum fuisse.

a dæmonis diuturna infestatione liberatur:

duæ cæcæ illuminantur.

29 Successu temporis in anniversario S. Heimeradi, quod est in Vigilia SS. Apostolorum Petri et Pauli, innumerabilis multitudo ibidem confluxerat, juxta prophetiam viri Dei, quæ totum montem occupaverat. Plenum tunc erat de languentibus templum B omni genere morborum, dæmoniacorum, leprosorum, cæcorum, claudorum, aridorum. Appropinquante autem divinæ visitationis hora, erat videre miseriam, quomodo (ut solent dolore correpti) per atrium ecclesiæ volutarentur, se invicem complexi: cum quisque collum alterius, quasi gulam ei fracturus, brachiis constrinxisset, et terram manibus foderet, dentibus roderet: tamen qui fortiores erant in populo, densato agmine columnis se circumposuerunt, ne quis ad patientes accederet de vulgo. Eo die triginta duo sanitati donati sunt, Clero spectante et populo. Est vulgi pia, et non contemnenda, imo fidelis opinio, quod SS. Apostoli Petrus et Paulus in virtutibus cooperatores existant B. Heimerado; sive quod in eorum Vigilia maxime se prodat in his operibus divina virtus; sive quod eorum honori et patrociniis sit attitulata et consecrata ejus loci ecclesia.

32 sanantur die uno

Sancti anniversario.

30 Cum taliter soleat Dominus suos beare amicos, facilis conjectura est, quantam illis gloriam contulerit jam in cœlis secum regnantibus: unde oportet, ut tanto impensius studium circa illorum obsequia exhibeamus, quanto constat iram Dei adversum nos excitari, si negligamus; maxime ubi eos corporaliter requiescere voluit Dominus beneficii gratia civibus [impendendi], interim moram dum facit Sponsus. Nec est ambigendum, quin tanto vicinus, tanto familiarius quisque illorum, et in præsenti beneficio, et in ultimo futuro perfruatur consortio; tantoque facilius et celerius si fides non titubaverit, divinam impetret misericordiam, urgente necessitatis articulo; quanto illis plus reverentiæ, quanto plus studuerit exhibere honoris, quanto majorem operam in illorum expenderit famulatu. Finem scribendi facere me compellit styli et linguæ tardioris imperitia, non miraculorum penuria; quæ pæne quotidie profluunt, ex eadem virtutum divite vena, ad laudem et gloriam Domini nostri Jesu Christi, qui cum Deo Patre, et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia secula seculorum. Amen. D

AUCTORE EGBERTO. Epilogus

ANNOTATA D. P. E

a *Id quomodo impletum sit, jam dictum est in Commentario prævio num.* 2.

b Laodicea, *urbs Syriæ littoralis, proxima Cypro,* Ladikia *Arabibus dicta; abest a Joppe, sanctæ urbis portu, leucis ferme* 90.

c *Notat Adolfus, quod hic* Meginfredus *pro libertate patriæ strenue pugnavit, occubuitque in prælio Fladicheimensi contra Henricianos, quod anno* 1080 v *Kal. Februarii accidisse invenio in nostro Chronico Saxonico MS. ubi idem vocatur* Magenfridus, Comes Magdeburgensis.

d *Fortassis in tabulis dictum* Wilberichausen, 18 *circiter leucis a Monte, versus confinia Westphaliæ ad Occasum.*

DIES VIGESIMA NONA JUNII

SANCTI QUI TERTIO KALENDAS JULII COLUNTUR

Sanctus Petrus Apostol., S. Paulus Apostolus, Romæ.
S. Maria, mater Joannnis, cognomento Marci.
S. Marcellus, S. Anastasius, Martyres Argentonii in Gallia.
S. Syrus Episcopus Genuæ in Liguria.
S. Hilarius, S. Leolinus, Episcopi, Patavii in Italia.
S. Cassius, Episcopus Narniæ in Umbria.
S. Beata seu Benedicta, Virgo, in territorio Senonensi.
B. Judith, B. Salome. Reclusæ in Bavaria, Ordinis Benedictini.
B. Hemma, Fundatrix Ecclesiæ Gurcensis in Carinthia.
B. Angelina Virgo, Ordinis S. Claræ, Spoleti in Umbria.

PRÆTERMISSI ET AD ALIOS DIES RELATI

Opera et studio R. P. Henschenii p. m. nisi litteræ margini adjectæ aliud indicent.

D.P. Discipulorum LXX *memoria agitur ab Æthiopibus hoc die, juxta eorum Hagiologium: a Græcis* IV Jan.

S. Agricola Episcopus Nivernis *proponitur in MS. Usuardo Reginæ Sueciæ, et in Hagiologio Labbei. Acta ejus dedimus* XXVI Februarii.

S. Vincentii Ferrerii Ordinis Prædicatorum Canonizatio *indicatur in MS. Florario. De ea egimus ad Vitam illius* V Aprilis.

S. Henricus puer, Martyr a Judæis hoc die anno 1270 Wissenburgi in Abbatia occisus. *De hoc egimus, cum de Rudolpho puero etiam a Judæis occiso ageremus* XVII Aprilis.

S. Suiberti Episcopi Verdensis translatio *inscripta est Martyrologio Coloniæ et Lubecæ anno* 1490 *excuso, in Auctario Greveni, et apud Canisium. Acta ejus dedimus* XXX Aprilis.

S. Catharinæ de Senis Canonizatio, facta per Papam Pium II anno salutis 1461, *indicatur in MS. Florario. De ea egimus ad illius Vitam* XXX Aprilis.

Petrus, ex Abbate de Firmitate Ordinis Cisterciensis, Archiepiscopus Tarentasiensis senior, mortuus anno 1175, *ut* Beatus *refertur ab Henriquez et Chalemoto. ut* venerabilis *a Saussayo. De eo agitur in Vita S. Petri Tarentasiensis junioris* VIII Maji.

S. Maximini Episcopi Trevirensis inventio *indicatur a Saussayo in Supplemento, additurque*, ejus natalem coli XXIX Maji.

S. Fortunatus Episcopus et Confessor, *nulla loci facta mentione, refertur in MS. Ultrajectino Ecclesiæ S. Mariæ. At quis fuerit, non possumus dicere. Coluntur hoc mense Junio* Fortunatus Episcopus Fanensis VIII Junii,
Et Fortunatus Episc. Neapolitanus, IX Junii,
Et Fortunatus Vercellensis, XVIII Junii.

J. B. Simon a Torsiano *hoc die* Beatus *indigitatur ab Arturo in Martyrologio Franciscano. Ab Illustrissimo D. Augustino Carleno, Canonico Amerino didicimus, de Porchiano dicendum; et spectari quidem illum in monasterio FF. Minorum cum radiis circum caput inter plures Sanctos et Beatos illius Ordinis, ceterum nihil de publica ejus veneratione constare. Jacobillus asserit, obiisse, quando inter Prætermissos de eo egimus,* XXIII Junii.

Sakuel *Archangelus, in Hagiologio Æthiopico potestatem habens in spiritus malignos et clavem pluviarum, rogatur* aperire promptuarium pluviæ hac hieme, ut plantæ omnes germinent, et agri uberes fructus ferant; *sed hujusmodi Angelus necdum nobis in sacris Litteris innotuit.* D. P.

Marcellus, *pollinctor corporis S. Petri*, Caustus et Acrosia, *constantes in prædicata ab eo fide;* Deuris et Caria, Askama et Acrabonia *uxores Agrippæ,* Axitiana *uxor Altalii Romani, ut ab impura vita ad castitatem per eumdem Apostolum traductæ salutantur in eodem Hagiologio, ex nescio quibus S. Petri Actis.* D. P.

S. Mustiola Virgo in territorio Senonensi, *apud Maurolycum et Saussayum addita* S. Beatæ, *ignota est in hujus Actis.* D. P.

S. Foeldavarius, Episcopus Clochorensis in Hibernia, *in Domino pausavisse hoc die dicitur a Colgano in Append. ad Vitam S. Macarthenni* 24 *Martii cap.* 6, *ubi agitur de Ecclesia Clochorensi ejusque Præsulibus; requirimus aliquanto distinctiorem notitiam cultus. In quodam Kalendario Benedictino MS. reperitur aliquis* S. Foderoldus. D. P.

Scellanus Presbyter, qui suos ad Romanum Paschatis celebrandi ritum deduxit, *memoratur in Menologio Scotico Dempsteri, et in ejus historia Ecclesiastica pag.* 384; *sed ibi diem natalem non indicat.*

Patres monasterii Assa, qui omnem mundi ornatum spreverunt: Maskel-Quebra, post multas domi ac foris toleratas ærumnas, Jesum cum matre obvium in exitu suo habere meriti, *laudantur et invocantur in Hagiologio Æthiopico, digni de quorum ætate et actis plura optemus habere, ut eos huc securius referamus. Ipsa certe* Maskel-Quebra *non ita vocari videtur nomine proprio, sed honorifico cognomento, quod interpretatur* Crux gloria ejus; *quasi illud Apostoli ad Galatas* 6, Mihi absit gloriari nisi in cruce D. N. Jesu Christi, *semper in corde et ore habuerit.* D. P.

S. Petri Czari Rostoviensis *memoria in Synaxario Ruthenico diœcesis Kijoviensis, quod nobis Latinum fecit P. Georgius David anno* 1688 *Missionarius Moscuæ. Acta, ætatemque ipsius ubi acceperimus, poterit certius aliquid de ejus cultu pronuntiari.* D. P.

Cuno Monachus Hemmenrodensis apparuisse inter alios moribundo Isenbardo Sacerdoti *dicitur a Cæsario*

sario lib. II *c.* 3, *et cum titulo* Beati *inscriptus est Menologio Cisterciensi Henriquez et Chalemoti.*

Teresia de la Serda sanctimonialis Ordinis S. Dominici Giennæ in Hispania Bœtica post vitam sancte peractam mortua est hoc die. *Res ejus gestæ habentur apud Joannem de Rechac tomo* 2 *lib.* 3 *cap.* 14, *et encomium in Anno sancto dicti Ordinis.*

D. P. Joannæ d'Arc, *vulgo* Puellæ Aurelianensis Martyrium Rothomagi, *hodie refertur a Saussayo, nescio quo argumento; cum alii scriptores passim id referant ad* XXX Maji, *quando publico in foro* 1431 *exusta ab Anglis est. Retractato deinde Apostolicæ Sedis auctoritate judicio, declarata quidem est innocens, et toti Galliæ per ipsam miraculose liberatæ venerabilis memoria ejus mansit; sed cultus ecclesiasticus institutus nullus : cineribus enim in flumen sparsis caverant Angli, ne quid superesset, quod tali honore veneraretur grata posteritas gentis inimicæ.*

D. P. Aletha, Alexia, *sive* Aleza, *cognomento* Burgotta, *in cœmeterio S. Innocentis Parisiis Reclusa vixit annis circiter* 46, *ibique sepulturam nacta an.* 1466, *honorata post mortem fuit a Ludovico XI, icone ærea, versibus et eleganti musivo; ideoque refertur ab Arturo, tam in sacro ejus Gynæceo, quam in Franciscano Martyrologio, utpote in habitu Tertiariæ expressa, licet Augustiniano Ordini eam Brulius adscripserit: sed absque notitia diei mortualis, vel alicujus singularis cultus. Ideoque Saussayus in Supplemento ipsam retulit inter eos, quorum mortis et cultus dies nullus habetur.* NOT. 17

Urraca Rodriguez Bezerra, Tertiaria Ordinis S. Francisci, Ulmeti in diœcesi Hispaniæ Abulensi, *ut* piissima femina *laudatur a Waddingo tomo* 7 *ad annum* 1491 *num.* 83, *quæ ab Arturo ut* Beata *adscripta est Martyrologio Franciscano et Gynæceo sacro.*

Petrus de Corbuda primus Superior Ordinis S. Dominici in America, herbis et radicibus terræ potissimum vesci solitus, *refertur hoc die in Anno sancto dicti Ordinis.*

Petrus a Mura, *seu* de Gandavo, *Flander an.* 1552 *in Mexicum missus maximos fructus fecit in convertendis Ethnicis, ac tandem laboribus fractus, magna cum opinione sanctitatis anno* 1572 *vita functus est. Ejus Acta descripserunt Barezzus* 4 *par. historiæ Seraphicæ lib.* 6 *cap.* 21, *et Rapinæus decade* 5 *historiæ Recollectorum par.* 1 §, 7, *qui abstinent a titulo* Beati, *quem illi tribuunt Arturus in Martyrologio Franciscano, et Raissius in Auctario Molani ad Natales Sanctorum Belgii.*

D. P. B. Humberga, *soror S. Theobaldi, refertur a Saussayo in supplemento. De hac quidquid dici poterit, commodius referetur ad Vitam fratris* XXX Junii.

S. Carilefius Abb. *inscriptus cuidam Kalendario Benedictino, colitur* I Julii.

Ethelwinus, Lindisfarnorum Episcopus in Anglia, *inscriptus est Martyrologio Anglicano primæ editionis; quod secuti sunt Ferrarius et Camerarius. Ast in secunda editione ejusdem Martyrologii, et apud Michaelem Alfordum refertur ad* XXIX Julii.

D. P. S. Ursinus Nathanael, *adscriptus est Aciei Carmelitanæ, velut qui* ab Eliana schola egressus, sepulto S. Joannis Baptistæ corpore, Christi discipulis computatus *sit, ut in Notis MSS. auctor indicat.* Nathanaelem *ex Evangelio novi; scio autem ipsum a Græcis æstimari* Judam Zelotem, *unum ex* XII, *itaque apud eos coli* XXII Aprilis. *Inter Latinas autem Gavanus contendit, quod idem sit, qui aliis* Bartholomæus, *colitur* XXIV Aug. *Denique* S. Ursinum *Bituricensium Apostolum ab ipsis credi* Nathanaelem *et coli die* IX Nov. *Hac extrema in Junio occasione liceat mihi declarare, quam nullo sinistro affectu ductus, sed voluntati Auctoris obsecutus, toties inter Prætermissos et in hoc mense et in Majo meminerim* Aciei bene ordinatæ, *quam P. Fr. Philippus a Visitatione, discretus ex ipso sacro Ordine Carmelitano Alumnus, scripsit : et, si cui libitum fuerit videre, ostendam exemplar libelli ejus, ad frontalem imaginem propria Auctoris manu adscripta perferentis hæc verba.* Rogatur P. Papebrochius, ut dignetur assumere aliquos Sanctos aut Beatos ex hac Acie bene ordinata, et saltem adscribere inter Prætermissos suorum Actorum. Sic toti Carmelo placebit, et favebit singulariter P. Philippo Visitantino, ejusdem Ordinis Historiographo. *Rursus autem in Præfatione ad Notas MSS. idem Auctor sic loquitur ad me aliosque Societatis Jesu Scriptores:* Ne R. P. Papebrochio, sacris litteris apprime intento, aut cuidam alteri, quædam Aciei bene ordinatæ, plurium Sanctorum Beatorum Ordinis Carmelitarum, in scriptis R. P. Philippi Visitantini Carmelitæ Gallo-Belgæ sparsim et passim memoratorum, et bis impressa, primo in occursu displiceant, quasi male fundata; quasdam Annotationes familiares et manuscriptas hic damus; ut ipsi Sancti melius noscantur. Quinimo ipse P. Philippus Visitantinus humiliter precatur R. P. Papebrochium, ut dignetur in Actis suis operosissimis, Sanctos hic adjunctos recensere, saltem inter Prætermissos, respectu habito ad præsentes Annotationes. Sic orabat, et propria manu scribebat P. Philippus a Visitatione sive Visitantinus Carm. Gallo-Belga : *non ex vulgo aliquis ; sed variis in Conventibus Supprior ac Prior, qui si nunc viveret (cum vir fuerit sincerissimus) posset testari ore, quod scripsit manu, non suo unius ex judicio. Ab illo si alii fortasse nunc dissentiunt, maluntque prædictæ* Aciei *suæ mentionem nullam fieri, id saltem mihi innotescere debet amicabiliter ut quod rogatus facio rogatus prætermittam.*

Hugo puer, a Judæis Lincolniæ circa festum Apostolorum Petri et Pauli furto surreptus, et lacte aliisque puerilibus alimentis nutritus, convocatis ex omnibus Angliæ civitatibus Judæis, post varia tormenta crucifixus, *ad hunc diem memoratur in secunda editione Martyrologii Anglicani Wilsoni. Verum quia antequam potuerint adesse undique evocati Judæi, multum temporis elapsum est; mallem cum priore editione et Ferrario, nisi forte aliquis certior occurrat dies in antiquioribus Fastis, differre ad* XXVII Julii.

S. Petrus, Episcopus Spoletinus, *dicitur apud Ughellum hodie defunctus anno* 599, *sepultusque in Cathedrali, corpus autem an.* 1500 *inventum et translatum ad majus altare, cum corpore S. Joannis decessoris sui, de quo pariter agendum nobis* XIX Sept. D. P.

S. Melonis Episcopi Rotomagensis translatio et repositio apud Pontæscam, *indicatur in Supplemento Saussayi. Dies natalis est* XXII Octobris.

SS. Simon et Judas Apostoli *memorantur in Martyrologio S. Hieronymi et Notkeri. Acta illorum erunt danda* XXVIII Octobris.

Sophonias Propheta, *una* cum aliis Prophetis Israelis, *hodie salutatur in Hagiologio metrico Habessinorum. De Prophetis singulis suo cujusque die agimus.* Sophonias *solenni Officio a Græcis colitur* III Decemb.

Vener. Mater Isabella de Jesu, Ord. S. Mariæ de Monte Carmelo Tertiaria, *hoc die obiit an.* 1682, *habeturque excusa Madriti Vita* 1685, *per Emmanuelem de Paredes, tota fere contexta ex revelationibus, quas ipsamet dicitur ex obedientia scripsisse; sed tales, ut ex eis nihil solidæ probationis haberi possit ad historicas, quæ ibi plurime attinguntur, controversias. Rationem in genere dedi in Parergo ad Vitam S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis; isti vero Vitæ specialiter obest genius Emmanuelis, qui in Prolegomenis* D. P.

Prolegomenis Apologeticis totum se intentum ostendit, ad stabiliendas quasdam sui Ordinis opiniones, quas quia amant, veriores sibi persuadent esse, quam recta ratio probat; quibusque ex Vita illa lib. 4 cap. 14 additur, quod S. Leocadia, Virgo Martyr Toleti *sub Diocletiano,* ab infantia gestavit scapulare Ordinis, eidem in Carmelo adjuncta : *quod ne incredibile videatur,* Notandum est, *inquit Emmanuel,* quod in capella subterranea S. Leocadiæ, quæ hodiedum manet in conventu RR. PP. Capucinorum Toleti, inveniatur imago Sanctæ in habitu Carmelitico, annis sexcentis antiquior; estque ea hodie renovata *(retocada)* in eodem habitu; quamquam non defuerit qui ipsum intenderit abolere *(borrar)* ad obscurandam ejusmodi veritatem : verum passus id Deus non est. *Rogavi mox ego, ut ista legi, Collegii nostri Toletani Rectorem, R. P. Petrum Pantojam, adiret Conventum, et quid rei esset renuntiaret, expressisque ad vivum coloribus declarare dignaretur. Is hanc misit iconculam, non pictæ imaginis, sed sesqui pedalis statuæ (cui sculptor noster parerga loculi addidit, ut spatium tabellæ congrue impleretur) quæ imago quam similis prototypo sit, quamque diversa a prædicti Auctoris relatu, testari poterunt Capucini Toletani sub quorum oculis sumptum ectypon est : quando autem statua illa ibidem posita ac sculpta sit, poterit quæri ad Acta* S. Leocadiæ IX Decembris. *Interim vide quæ de hoc argumento et origine conventus dixi in Responsione ad Exhibitionem Errorum, mihi imputatorum, Art.* 16 *num.* 73.

B. Matthia de Nazaræis, Clarissarum Abbatissa Matalicæ in Piceno, *in Martyrologio Franciscano et Gynæceo sacro refertur hoc die : sed meo rogatu ipso die illuc accedens Pœnitentiarius noster Laure*tanus, *intellexit, tunc quidem nihil ibi fieri; nec sciri, unde hic dies Arturo sit indicatus. Fieri autem de illa festo SS. Innocentium, quando obiit. De ea ergo agendum erit* XXVIII Decembris.



vetus hæc lapidea statua apud Capucinos est In subterranea Sanctæ ædicula antea nativo colore ..., nuper infra chlamydem cerulea tincta, coronataque.

DE SANCTIS PRINCIPIBUS APOSTOLORUM

PETRO ET PAULO

G H.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. *Vitæ horum Apostolorum a variis scriptæ; ex his aliquæ rejectæ, aliquæ dandæ indicantur.*

AN. LXV.

C

Præter ea quæ novo Testamento continentur,

Quemadmodum universo mundo notissima semper fuit hodiernæ diei solennitas, neque aliquam partem latere potuit celeberrima natalis horum Apostolorum devotio; ita innumera de eorum Actis et Passione feruntur scripta monumenta, sed quæ inter sese non minus rebus quam verbis discrepant, et magna sunt cum discretione et solertia discernenda. Primæ notæ et præcipua fide dignæ, quam plane certissimam apud Christianos omnes suo jure obtinerent, colligi possent ex quatuor Evangeliis et Apostolicorum Actuum libro, per S. Lucam Evangelistam scripto : sed quia passim notus et omnium in manibus sacer textus est, nihil attinet eum hic describere ac recudere ; eoque minus, quia pleraque ejus infra leguntur inserta Actis Græco-Latinis. Proximus scriptoribus sacris esset S. Clemens, qui Periodos sive Itinerarium Petri, forsitan ab Antiochia Romam usque scripsit. Inde enim secutus Petrum creditur. Verum istud Itinerarium, non modo corruptum fuisse ab Ebionitis demonstrat Epiphanius hæresi 30, *qui* paucis veris cetera supposuisse *convincuntur per tunc extantes veras ipsius Clementis* Epistolas circulares, longe diversa docentes ab iis, quæ ipsi fingunt: *sed nec hæ, neque istud, extant amplius. Nam quod nunc sub ejusdem Clementis nomine conscriptum legitur opus Recognitionum in decem libros divisum, neque formam Itinerarii habet, a Jerosolyma Antiochiam dumtaxat Sanctum ducens ; neque eos errores continet, quos redarguit Epiphanius, neque omnino S. Clementis est; sed supposititium totum, et veluti per modum dramatis, ingeniose concinnati, utiliter satis compositum ab aliquo Philosopho Christiano, acute et erudite disputando res fidei confirmare aggresso : quod tamen ipsum quia Rufinum Aquilejensem, Origenis sectatorem, interpretem habuit, suspectum in nonnullis haberi possit.*

scripsit Itinerarium S. Petri Clemens

ab Ebionitis vitiatum, et nunc deperditum,

F

2 *Post* Petri *mortem, per voluntariam Clementis cessionem, successit in Pontificatu* S. Linus, *quem in tractatu præliminari ad tomum primum Aprilis ostendimus annis novem fuisse S. Petri Vicarium sive Chorepiscopum, et post hujus martyrium præfuisse Ecclesiæ verum Pontificem annis duobus, mensibus duobus, diebus sex et viginti. Hic in antiquis Actis SS. Nerei, Achillei et Domitillæ, a nobis ad diem* XII *Maji illustratis, dicitur num.* 14 Græco sermone omnem textum passionis eorum *(SS. Petri et Pauli)* ad Ecclesias Orientalium scripsisse. *Verum in Breviario Romano, jussu Pii V edito, legitur ad* XXIII *Septembris solum* scripsisse res gestas B. Petri, et ea maxime quæ ab illo acta sunt contra Simonem magum. *Verum sincera talium Actorum exempla jam pridem deperdita esse videntur, pro iisque, sub S. Lini nomine, duplicis generis scripta reperiuntur, quæ Jacobus Faber Stapulensis*

scripsit etiam aliqua S. Linus,

non tamen quæ ut talia ediderunt Faber Stapulensis,

A *Stapulensis primus illustravit Commentariis in Epistolas S. Pauli opusque absolvit anno* MDXII ; *sed id primum Parisiis excusum fuit anno* MDXXXI. *In hoc, quia jam dictos S. Lini libellos subinde citarat Faber, ad calcem Commentariorum ipsos subjunxit, compertos in pervetusto codice bibliothecæ Majoris-monasterii apud Turonenses, sub his titulis;* Lini Episcopi de passione Petri, tradita Ecclesiis Orientalium, et deinde in Latinum conversa, liber primus. *Item;* Lini Episcopi de passione Pauli, tradita Ecclesiis Orientalium, et deinde in Latinum conversa, liber secundus. *Similia sub finem utriusque libri repetuntur. Successit alter horum libellorum eruderator Guilielmus Malerbault,*

Gulielmus Malerbault,

Theologus et Prior Sorbonicus, asserens in epistola præfixa, Acta Lini de passione SS. Petri et Pauli, *a dicto Fabro edita, fuisse* hæretica pravitate conspersa, et ob id rejecta, *atque propterea eadem se,* inter omnes totius orbis nobiles bibliothecas recensita, *edidisse seorsim Parisiis anno* MDLXVI : *et sic ea deinde recusa sunt in Bibliothecis Patrum, ab anno* MDLXXV

et Laurentius la Barre

usque ad nostra tempora : sunt etiam a Laurentio de la Barre, Doctore Sorbonico, relata in sua historia Christiana veterum Patrum, Parisiis anno MDLXXXIII

B *excusa. Verum* neque ista sincera *æstimantur a Baronio, ad annum* 69 *num.* 6; *sed* Manichæorum tincta fuligine *judicantur. Bellarminus, de Scriptoribus Ecclesiasticis in* Lino, *plura in iis aperte falsa irrepsisse arguit his verbis :* Inter alia scribit auctor, Agrippam fuisse Præfectum Urbis tempore passionis S. Petri, atque ab isto Agrippa fuisse Petrum occisum sine consensu Imperatoris Neronis, a quo etiam id factum, postea fuisse improbatum. Sed neque constat, Præfectum Urbis tunc fuisse Agrippam : et necem S. Petri Neroni displicuisse, repugnat omnibus veteribus Patribus. In eadem narratione scribit auctor, uxorem Albini, secundum doctrinam S. Petri, repudiasse thorum viri sui ob amorem castitatis, invito et reclamante marito. Hæc vero doctrina S. Petri esse non potest, cum repugnet doctrinæ Coapostoli ejus Pauli I Cor. 7.

a Baronio et Bellarmino rejecta,

3 *Hæc Bellarminus. Et ista sufficiunt de prioribus Actis sub nomine S. Lini protrusis : ex quibus utramque* Vitam sanctorum Petri et Pauli, *habemus in illustri codice nostro MS. et in duplici MS. Ecclesiæ Cathedralis S. Audomari, sed in nullo istorum codicum, Lini auctoris mentio invenitur. In vetusto MS. S. Viti in Gladbach Auctor indicatur sub hoc titulo :* Vita et Martyrium S. Petri, Principis Apostolorum,

probatiora aliquanto extant in MSS. Gladbacensi,

C a Lino Episcopo Romano Græca lingua compositum, et ab eo Ecclesiis Orientalibus destinatum. *Ubi hoc Præfationis initium habetur :* Licet plurima de Apostolicis signis sacra Evangeliorum, vel illa quæ ab ipsis Actibus nomen accepit, narrat historia. *Historia vero incipit :* Igitur post corporeum Dominicæ nativitatis adventum, cum ipse Dominus Jesus Christus vera lux mundi, mundanis illuxisset tenebris. *Ita ibi. Extant eadem Acta, ut a Lino conscripta, Romæ in bibliotheca Barberiniana in magno Sanctuario signato* 926 *fol.* 181, *eisdem initiis. Joannes Jacobus Chiffletius, parte* 2 *Vesontionis pag.* 14, *asserit,* Acta SS. Petri et Pauli a Lino Papa conscripta, in antiquissimis Bisontinis codicibus haberi, sincera et tanto auctore digna. *Sed ista esse eadem, quæ jam indicavimus, ex conjectura aliqua videmur assequi : quam confirmat codex pervetustus, quadrato litterarum ductu, et discrimine diphthongorum vocalium accurate servato exaratus, quibus indiciis intelligitur liber ante annos sexcentos scriptus. Olim is pertinuit ad monasterium SS. Petri et Pauli in Wissenburg diœcesis Spirensis : deinde autem fuit Amplissimi Domini Henrici Julii Baronis de Blum, S. C. M. in Appellationum tribunali Pragæ, dum viveret, Consiliarii, sæpius memorati a nobis, ob vetustum Martyrologii*

Barberiniano,

Bisontino,

et Blumiano,

D *Hieronymiani apographum, Florentinio communicatum. Illius jam dictum vetustum codicem, continentem Acta virtutum et passionum Apostolicarum, nobis anno* MDCLXVI *manu sua transcripsit Reinoldus Dehnius noster, recte judicans* interesse ecclesiasticæ antiquitatis ; ut, quoniam paucissima extant sincera ex iis quæ Apostoli gesserunt ; saltem quam emendatissima producantur etiam illa, quæ constat jam olim adulterata fuisse, quando nec Cretes quidem fingunt omnia. *Incipiunt autem ista, quæ dixi, Apostolica Acta,* a virtutibus SS. Petri et Pauli : *quæ quatenus ad Petrum spectant, adeo non possunt judicari esse Lini, ut collata cum Latina Recognitionum Clementis versione, a Rufino adornata, evidenter monstrentur ex illis pro majori parte sumpta esse, et quidem verbotenus, uti pronum est unicuique cognoscere. Damus tamen illa ex MSS. prædictis, Blumiano præsertim, ut Dehnii judicium in hoc sequamur. Quæ porro sub Abdiæ nomine habentur S. Pauli Acta, nobisque ex Blumiano Codice transcripsit idem Dehnius, vix aliquid continent, quod in Apostolorum Actibus non legatur distinctius, ideoque ea omnino dimittimus.*

AUCTORE G. H.

sed ex Clementis libris sumpta.

E 4 *Vixit eodem primo seculo* Marcellus, *Marci Præfecti Urbis filius, initio Simonis Magi, dein S. Petri Apostoli discipulus ; qui a SS. Nereo et Achilleo rogatus, scripsit illis aliquam altercationem Romæ habitam, inter Simonem Magum et S. Petrum Apostolum, et ab hoc resuscitatum puerum, aliaque, quæ in illorum Actis referuntur* XII *Maji, capite tertio, et pleraque in aliis Actis hic annotantur. Interim sub nomine ejusdem Marcelli, S. Petri discipuli, extat Passio* Apostolorum Petri et Pauli, *in codicibus MSS. S. Viti in Gladbach, Trevirensi S. Martini, prædicto Wissenburgensi seu Blumiano, duplici Reginæ Sueciæ num.* 482 *et* 1603 *signato, item duplici nostro valde etiam egregio. Eamdem anno* MDXXXI *typis vulgavit Fredericus Nausea* inter rapsodias Anonymi Philalethi Eusebiani, in vitas, miracula, passionesque Apostolorum. *Iterum anno* MDCLXVIII *Passionem vulgavit Joannes Maria Florentinius, ante Martyrologium Hieronymianum in Indiculo Apostolorum a pag.* 103, *et suas subjunxit Notationes. Passionis hujus illud est exordium :* Cum venisset Paulus Romam, convenerunt ad eum omnes Judæi. *Mox ab his, sed frustra, contra S. Petrum concitatur Paulus ; et subjungitur longa altercatio, coram Nerone, inter Simonem Magum et Apostolos ; et ab his volatus illius impeditus, morsque primum Simonis, tum Apostolorum, et horum sepultura : atque sub finem additur*

Omittuntur alia sub nomine Marcelli

F *in aliquot MSS.* Ego Marcellus, discipulus Domini mei Petri Apostoli, quæ vidi, scripsi. *Verum hæc clausula deest in MS. Wissenburgensi seu Blumiano : et apud Fredericum Nauseam adduntur varia de Constantino Imperatore, quomodo hic leprosus a Silvestro curatus, templa Christianis concesserit, potissimum S. Petri in Vaticano, et aliud S. Pauli ; eorumque sacra corpora deponi curavit, variisque donis exornavit : unde intelligitur, talia diu post Apostoli tempora fuisse scripta ; et sic non mirum est, fabulose istic dici, Neronem in fuga a lupis devoratum esse : hujus vero uxorem Libiam, cujus alibi mentio non reperitur, et Agrippinam Agrippæ Præfecti Urbis uxorem, a latere suorum maritorum ablatas fuisse. Sed hæc fere sunt, qualia supra num.* 2 *cum Bellarmino rejecimus. Ipsa longa altercatio coram Nerone displicet, cum Epistola Pilati, veluti data ad Claudium Imperatorem : dum ea ad Tiberium scripta dicatur a Tertulliano, Eusebio, Gregorio Turonensi et aliis ; ipseque Pilatus mortuus tradatur sub Caio Caligula, ante tempora Claudii. Denique verior* Marcellus, *in responso ad SS. Nereum et Achilleum, asserit se conflictum Apostolorum cum Simone superfluum æstimare, ut referat, cum ipsi eum viderint, et textus passionis a Lino scriptus sit.*

A *AUCTORE G. H. quæ etiam inveniuntur Hegesippo attributa,*

5 *Extant libri quinque de Bello Judaico et excidio urbis Hierosolymitanæ sub Tito Vespasiani Imperatoris filio, in quibus cum libro 2 capite primo flagitia Neronis essent indicata, capite secundo describuntur Acta quædam SS. Petri et Pauli, certamen cum Simone Mago, apparitio Christi Petrum ad mortem subeundam adhortantis, et utriusque martyrium. Trithemius libro de Scriptoribus Ecclesiasticis eos libros attribuit S. Hegesippo, qui seculo Christi secundo floruit, cujus Acta die* VII *Aprilis dedimus. Scripsit hic S. Hegesippus historiam libris quinque distinctam a Passione Domini usque ad suam ætatem, Ecclesiasticorum Actuum texens narrationes: sed illi cum magno reipublicæ Christianæ damno perierunt, præter aliqua fragmenta, quæ collegit Petrus Halloix tomo* 2 *de Vitis Scriptorum Ecclesiasticorum Orientalium. Huic ergo Hegesippo suppositi fuerunt supra indicati libri quinque de Bello Judaico, a temporibus Machabæorum usque ad ruinam urbis et templi sancti Hierosolymitani; et in plerisque sunt purum putum compendium Josephi Judæi, qui cum forsan ab aliquibus* Josippus *appellaretur, inde formatum sit nomen* Hegesippi, *quem Baronius* juniorem Hegesippum *nuncupat, alii* Pseudo-Hegesippum. *Extant hujusmodi libri, primum Coloniæ anno* MDXXV *excusi, et ut in frontispicio additur,* divo Ambrosio Mediolanensi Episcopo interprete: *extant etiam recusi a Laurentio de la Barre, in Historia Christiana veterum Patrum, et passim in Bibliothecis Patrum; sed absque mentione S. Ambrosii interpretis. Interim Gronovius, in Monobiblo observatorum in Scriptoribus Ecclesiasticis, Daventriæ anno* MDCLXI *excuso, censet* S. Ambrosium illorum librorum auctorem, *quod varia eisdem verbis et sententiis tam in his libris, quam aliis S. Ambrosii operibus, legantur. Gronovii sensum non improbabilem arbitratur Philippus Labbe de Scriptoribus Ecclesiasticis in Hegesippo. Quidquid de ea re sit, videtur auctor circa tempora S. Ambrosii vixisse, qui lib.* 3 *cap.* 5 *cum descripsisset Antiochiam, metropolim Syriæ, ista addit:* Urbs Antiochia tertio loco ante ex omnibus, quæ in orbe Romano sunt, civitatibus æstimata, nunc quarto, postquam Constantinopolis excrevit civitas Bysantinorum. *Est autem hæc prærogativa Constantinopoli delata in Concilio, in ea urbe anno* CCCLXXXI *habito; ad quod tempus particula* nunc *alludit. Daremus ergo ex dicto auctore de S. Petro recensita, nisi ea omnia continerentur in narratione, S. Lino supra tributa, quorum aliqua, uti ibidem annotamus, in aliis operibus S. Ambrosii leguntur.*

B *et S. Ambrosio ut interpreti.*

C *Præmittitur Commentarius de utroque Apostolo*

6 *In MS. Medicæo Græco Regis Christianissimi extant alia Acta, et Rosweido nostro missa sunt sub hoc titulo;* Ὑπόμνημα, διαλαμβάνον μερικῶς τοὺς ἀγῶνας καὶ ἄθλα, ἀποδημίας τε καὶ τελείωσιν τῶν ἁγίων καὶ κορυφαίων Ἀποστόλων Πέτρου καὶ Παύλου. Commentarius, qui tractat singulatim certamina, laboresque et peregrinationes ac consummationes Sanctorum et Principum Apostolorum Petri et Pauli. *Eadem Græce Romæ reperta in Latinum transtulit, Guilielmus Sirletus, cujus versionem inter ejus Manuscripta in Bibliotheca Vaticana repertam dare hic maluimus, quam minus elegantem, aliam, ab Aloysio Lipomanno juxta MS. Venetum editam tomo sexto Vitarum sanctorum priscorum Patrum, atque ex Lipomanno recusam a Laurentio Surio ad hunc* XXIX *Junii. Hujus etiam Commentarii exemplar Græcum, ex Græcia in Britanniam delatum, citat Patricius Junius, in Notis ad S. Clementis epistolam ad Corinthios pag.* 14, *ubi de S. Petri Prædicatione apud Britannos agit. Quis hujus Commentarii auctor fuerit, non indicatur in autographis. Quia vero nomen Simeonis Metaphrastis a Lipomanno et Surio præfixum est, videtur a Leone Allatio de Simeonum scriptis pag.* 76 *istud factum*

sub nomine Metaphrastis editus,

D *improbari, his verbis:* Viri de antiquitate Ecclesiastica bene meriti, Vitas Sanctorum, quæ Auctorem sibi præfixum non præferunt, omnes, non sine erroris atque inscitiæ nota, Simeoni vindicarunt, quæ vere Simeonis non sunt. *Et pag.* 79 *ista repetit:* Illas profecto omnes Vitas, Metaphrastæ si vindicaveris, acerbissime insaniveris; si nullas, multa impie scelerateque commiseris. Observandum vero est ante alia, male a nonnullis dici, cum alicujus Sancti Vitæ nomen præfixum non habetur, eam Vitam legi apud Metaphrasten; quasi vero collectiones omnes Vitarum ab eodem Metaphraste confectæ sint, quod ego existimo falsissimum. *Hæc ibi. Quia vero auctor dicti Commentarii præfatur, se ex variis collegisse, quæ* de SS. Petro et Paulo *dicit, atque interim diversis temporibus acta parum congrue in unum idemque tempus compingit, ideo et propter alia* σφάλματα *ab eodem commissa arbitramur potius alium fuisse a Metaphraste: damus tamen ipsa, quia varia a* S. Petro *in Asia et Syria peracta tradit, quantum conjicere licet ex variarum Ecclesiarum traditionibus collecta; et Actorum* S. Pauli *compendium ex Actis Apostolorum, satis concinnum exhibet.*

cum sit Auctoris anonymi.

E 7 *Jam quod ad sanctos Patres Græcos Latinosque attinet, eorum qui Homilias scripsere, nemo fere est qui non sanctos Apostolos peculiariter sibi laudandos sumpserit: præcellit tamen omnes* S. Joannes Chrysostomus, *celeberrima quadam Oratione apud Combefisium, quam Wastelius suo saltem Joanni Hierosolymitano perperam adscribit. Editis autem anno* MDCLXVI *Homiliis, accessit Sermo* S. Sophronii, *Archiepiscopi Hierosolymitani, ex nostri Francisci Turriani apud Professam Domum Romæ deposito MS. Latine redditus, studio Clarissimi tunc adolescentis* χεραμικὴν *(ut præfatur)* ἐν πίθῳ μανθάνοντος, *et* rudimentum Græca interpretandi ea ipsa in scriptiuncula ponentis. *Hic deinde S. R. E. Cardinalis* Joannes Franciscus Albanus Urbinas, *et dum hæc imprimimus,* Clemens Divina providentia Papa XI, *cui plurimos annos ad suam majorem gloriam Catholicæque Ecclesiæ utilitatem Deus addat. Ejusdem erga hoc opus de Sanctis præclarum extat apud nos Monumentum, Majus scilicet mensis Synaxarii Basiliani Latine redditus. De Homiliis porro taceo, quas Allatius et alii recensent;* Asterii, *Episcopi Amaseni;* Hesychii *et* Leontii *Presbyterorum,* Procli, *Patriarchæ Constantinopolitani;* Nicetæ *Rhetoris:* Theoderici Scutariotæ.

Indicantur orationes SS Patrum,

et Vitæ recentius compositæ.

F 8 *Latini passim obvii sunt: inter quos, ætate posterior, diligentia prior omnibus fuit,* Paulus Æmilius Sartorius *Casertanus, Julii Antonii Sanctorii S. R. E. Cardinalis Patruelis: a quo scripta erudite et eleganter utriusque Apostoli Vita, et ab Aldo Manutio, puerioris Latinitatis apud Italos instauratore anno* MDXCVII *Romæ agente impetrata typisque vulgata, nisi prolixior esset, vel ideo in hoc opere nomen mereretur, ut de præcipuis istis Sanctis, de quibus Anonymus Græcus succinctius egit, saltem hoc extaret documentum, quo refutarentur* qui negant insigni eloquentiæ stylo celebrari posse res sacras. *Merentur etiam saltem nominari hoc loco* Carolus Stengelius, *et* Thomas Massucius; *quorum prior Ordinis S. Benedicti Augustæ Vindelicorum apud S. Udalricum professus ac deinde Abbas, an.* MDCXX *edidit amplum* Commentarium rerum a S. Petro gestarum e sacris Litteris, sanctis Patribus et probatissimis Scriptoribus, *in capita plus quam* LX *distinctum, et Paulo Papæ V dedicatum; alter, Societatis nostræ Sacerdos, decennio post Romæ scripsit, et anno* MDCXXXIII *Lugdunensibus in Gallia typis evulgatum dedit* Paulum Apostolum, sive ejus Vitam, quindecim libris historice et dogmatice explicatam. *Simile quid etiam Romæ conatus est* Sigismundus Laurentii *Cremonensis, ex Congregatione*

Clericorum

a Paulo Æmilio Sartorio,

Carolo Stengelio.

Thoma Massutio,

Sigismundo Laurentio.

A *Clericorum Regularium sancti Pauli, quos vulgo Barnabitas vocant, editis anno* MDCXLI *duobus in folio tractatibus, quorum unus Vitæ Acta secundum Baronii atque Spondani Chronologiam deducta complectiturr, alter Virtutes symbolis quinquaginta ornatas, utrumque Italice. Neque omittendus* Michael Angelus Lualdus *Romanus Sacerdos, qui anno* MDCLI, *duobus tomis Italice editis, sub titulo Propagationis Evangelii per Occidentem, tomi 2 partem maximam implevit Actis Apostoli utriusque, et eorumdem Romæ exitu rebusque illuc spectantibus, quam minutissime examinandis, et copiosissime explicandis. Denique* P. Hieronymus Xavier, *Apostolicus Societatis nostræ in Mogore missionarius, Persica lingua scripsit* S. Petri *Vitam anno* MDC ; *quam una cum Vita Christi, biennio post similiter ab eodem scripta, Hollandus quidam novi ac deformati Evangelii seminiverbius Latine reddidit haud infideliter ; additis tamen Notis quibus Pontificatui Petri detraheret, scriptori vero insultaret, quod ad contexendam historiam etiam receperit Recognitiones Clementis aliaque similia non certissimæ fidei : quasi id magnum crimen fuerit initio hujus seculi, necdum ita discussis paleis, a quibus historiam ecclesiasticam conamur expurgare. Alii alios* B *fortasse suggerent non minori cum studio ac laude versatos in hoc argumento. Ego Henschenii mandato obsequens Analecta quædam post Vitas dabo de Apostolorum Reliquiis, miraculis, et ecclesiis, quibus hæc de illis tractatio tota claudatur.*

Angelo Lualdo,

Hieronymo Xaverio.

§. II. *Tempus vitæ et Martyrii duorum Apostolorum.*

Annis quinque ad Æram vulgarem additis

F*undamentum hujus dissertationis jactum est in Tractatu præliminari ad tomum primum Actorum Aprilis, in quo egimus de antiquis Pontificibus Romanis, eorumque tempora stabilivimus ex vetustis eorumdem Pontificum catalogis, et Actis illorum certioribus, principium autem duximus a Christo summo Pontifice ac Sacerdote in æternum : cujus Vicarii fuerunt* S. Petrus *et alii hujus successores. Ostendimus ibidem, Christum pro redemptione generis humani incarnatum esse* XXV *Martii in utero virgineo Mariæ sacratissimæ, et* XXV *Decembris natum,* D. Lælio Balbo et C. Antistio Vetere Consulibus, *quinque integris annis Æram vulgarem præveniendo. Quia vero annos triginta tres et menses tres in hac vita Christus mansit ; statuimus cum antiquis Patribus, eumdem anno* XXIX *Æræ vulgaris* Rubellio Gemino et Rufo Gemino Coss. XXV *die Martii, Feria sexta in Parasceve, in cruce mortuum* C *fuisse, et die* XXVII *victorem a mortuis resurrexisse. Qui in dicto Tractatu præliminari antiquior Catalogus proponitur, a S. Damaso Papa ad S. Hieronymum missus : ejus prior pars videtur a aut sub S. Antero Papa, circa annum* CCXXX, *in istum ordinem redacta, et hoc prooemium habet*. Imperante Tiberio Cæsare passus est Dominus noster Jesus Christus, duobus Geminis Consulibus, VIII Kalendas Aprilis, et post ascensum ejus beatissimus Petrus Episcopatum suscepit. Ex quo tempore per successionem dispositum, quis Episcopus, et quot annis præfuit, vel quo imperante. *Hæc ibi. Ipsi autem anni certissima methodo indicantur per duo paria Consulum, quibus initium et exitus singulorum Pontificum adstringuntur.*

dicitur Christus mortuus an. 29,

et post Ascensionem S. Petrus Episcopatum suscepisse

10 *Verum* S. Petri *Episcopatus, post Christi ascensionem susceptus, non erat ullius loci, sed significabat ejus præeminentiam supra alios Apostolos, et potestatem collatam pascendi oves et agnos Christi. Quot tunc* S. Petrus *annos natus fuerit, nusquam exacte indicatur. Quid ergo si anni ætatis tribuantur ei pro isto tempore circiter triginta. Tunc qui post Christi ascensionem adhuc vixit annos triginta septem, pervenisset ad annos ætatis sexaginta septem, laboribus perferendis, itineribus conficiendis adhuc sufficientis. Tribus ergo annis Christo* D *Domino junior, natus Bethsaidæ, et sub patre Jona sive Joanne in quæstu piscatorio educatus, uxore ducta aliquamdiu in matrimonio vixit : postea a Christo vocatus, triennio in ejus comitatu fuit, sanctissimam novæ Legis scientiam edoctus. Post Ascensionem Christi Princeps Apostolorum constitutus, apud alios peroravit de uno in locum Judæ proditoris sufficiendo : ubi præmissis precibus sorte electus est Mathias. At post effusum supra discipulos Spiritum sanctum die Pentecostes,* S. Petrus, *habita concione, convertit tria circiter millia : claudum in porta templi Speciosa sanavit, atque Ananiam et Saphiram morte punivit. Eodem adhuc anno post septem Diaconos electos, S. Stephanus die* XXVI *Decembris est lapidatus, pro fide Christi Protomartyr : et in magna tunc exorta persecutione dispersi sunt fideles, Saulo devastante Ecclesiam : sed hic, Domino Christo apparente in via Damascena, conversus est anno proximo post Christi ascensionem. Quot annos ætatis tunc habuerit* Saulus, *deinde* Paulus *vocatus, in Actibus Apostolorum non indicatur. S. Chrysostomus, Oratione de SS.* Petro *et* Paulo, *de hujus ætate ista habet :* Triginta quinque annis Paulus Apostolus Christo Domino cum omni E promptitudine servivit : cursum autem pietatis consummavit, cum esset annorum sexaginta octo. *Hæc ille. Nos dictos* triginta quinque annos *sumimus ab anno Æræ vulgaris trigesimo usque ad annum sexagesimum quintum. At qui supersunt triginta tres ætatis, ut perveniatur ad annos vitæ sexaginta octo, sunt illi, quos habebat in sua ad Christum conversione. Verum, inquies, quomodo lapidaturi Stephanum dicuntur deposuisse vestes* secus pedes Sauli adolescentis, *si tunc erat annorum triginta trium? Respondeo : quod Græce pro* Adolescente, *legitur* Νεανίας, *quæ vox sæpe significat* ferocem et protervum, *sive* juvenili protervia et ferocia præditum. *Consule Thesaurum linguæ Græcæ, ab Henrico Stephano constructum, cum eoque passim sentientes Interpretes. Imo eodem capite Ananias eum* virum *appellat :* Audivi, *inquit,* de viro hoc, quanta mala fecerit Sanctis in Jerusalem.

AUCTORE G. H

tunc annos 30 circiter natus,

anno Christi 30 convertitur S. Paulus,

ætatis suæ 33.

11 *Anno Æræ vulgaris trigesimo tertio,* S. Paulus, post tres annos *a sua conversione (quos fere totos in Arabia traductos censet Massutius libro 3 cap. 4)* venit Hierosolymam videre Petrum ; *causa, ut Ambrosius scribit,* honoris primo Apostolo deferendi. *Ad quem etiam annum* S. Petrum *cathedram suam Antiochiæ collocavisse colligimus ex Anastasio Bibliothecario de Vitis Pontificum, asserente,* Petrum primum sedisse Cathedram Episcopatus in Antiochia annos septem : F *qui tamen* post ascensum Christi Episcopatum susceperat, *uti supra ex Procemio Catalogi primarii diximus : in quo de* S. Petro *illud elogium habetur.* Petrus annis viginti quinque, mense uno, diebus novem. Fuit temporibus Tiberii Cæsaris et Caji, et Tiberii Claudii et Neronis, a Consulatu Vinicii et Longini, usque Nervæ et Vestini. Passus autem cum Paulo die tertia Kalendas, Julias, Consulibus supradictis, imperante Nerone. *Hæc ibi quæ sunt aliquantulum elucidanda.* Duobus Geminis Consulibus *ascendit Christus, cui dignitatis causa dictus Geminorum Consulatus relinquitur ; et, quamvis* Petrus *tunc susceperit Episcopatum et præeminentiam supra alios Apostolos ; Consules tamen anni sequentis, scilicet* C. Cassius Longinus et M. Vinicius Quartinus, *qui anno Æræ vulgaris trigesimo illam dignitatem gesserunt,* S. Petri *initio tribuuntur. Quem modum procedendi in priore parte dicti Catalogi semper observari, ibidem monuimus, ut iidem Consules non repetantur. In MS. codice Anastasii Bibliothecarii, qui olim servabatur inter libros Cardinalis Mazarini, ista leguntur :* Post passionem Christi tenuit Petrus Apostolus in partibus Orientis Cathedram annis quatuor, *scilicet ab anno Æræ vulgari*

SS. Petrus et Paulus conveniunt Hierosolymis an. 33,

Cathedram Antiochiæ S. Petrus habuit ab an. 33 ad 40,

A *garis* XXIX *usque ad annum* XXXIII. Deinde venit Antiochiam, ubi sedit annis septem, diebus octo, *scilicet usque ad annum quadragesimum.* Deinde venit Romam, ubi sedit annis viginti quinque, mensibus septem, diebus octo, *scilicet usque ad annum sexagesimum quintum: quando* Consules *erant* P. Silius Nerva et C. Julius Atticus Vestinus *supra indicati, sed loco* Vestini *facili lapsu legebatur* Veri.

Antiochiæ 7, dein Romæ usque ad 65,

ad varias interim regiones peregrinatus:

12 *De hoc ultimo martyrii anno mox latius agemus. Primo autem monemus,* S. Petrum *neque Antiochiæ septem continuos annos, neque Romæ viginti quinque perstitisse, sed ad varias regiones peregrinatum subinde Hierosolymam invisisse. Interim, Caio Caligula Imperatore, qui anno* XXXVII *Tiberio successerat, a Chærea et aliis conjuratis* IX *Kalendas Februarii anni* XLI *occiso, subrogatus est patruus Tiberius Claudius; qui Herodi Agrippæ, filio Aristobuli, regnum amplificavit, addita Judæa et Samaria. Hic cum tertio anno Judæam obtineret, ab Angelo percussus interiit, anno* XLIII *aut initio sequentis. Hic est, qui* (ut affligeret quosdam de Ecclesia) occidit Jacobum fratrem Joannis gladio. Videns autem quia placeret Judæis, apposuit ut apprehenderet et Petrum, volens post Pascha producere eum populo; *sed is Angelico eductus auxilio, abiit in alium locum. Erat præterea anno* XLII *ingens fames, ab Agabo Propheta prædicta, quando* SS. Paulus *et* Barnabas *stipem collectam Hierosolymam portarunt, quod neci S. Jacobi et captivitati* S. Petri *præponitur in Actibus Apostolorum cap.* XI, *et reliqua capite sequenti narrantur. At prout cap.* 15 *refertur, orta Antiochiæ seditione, propter Judæos, qui volebant Gentes ad Deum conversas circumcidi; Paulus et Barnabas Hierosolymam profecti sunt: ubi facta conquistione* Petri *et Jacobi suffragia, communi decreto statuerunt, Gentes conversas non obligari lege Moysi. Tempus videtur colligi posse ex Epistola* S. Pauli *ad Galatas, ubi primo scripsit, se* post annos tres venisse Hierosolymam videre Petrum, *scilicet a sua conversione, anno Æræ vulgaris* XXXIII, deinde post annos quatuordecim iterum se ascendisse dicit Hierosolymam cum Barnaba, *quod proinde contigit anno* XLVII, *et teste S. Hieronymo in cap.* 2 *ad Galatas, anno* XVII *a conversione S. Pauli.*

Hierosolymæ anno 42 e carcere per Angelum liberatur,

B

et an. 47 Concilio Hierosolymitano præfuit.

13 *Discesserunt inde* Paulus *et Barnabas Antiochiam, ibique demorati evangelizabant verbum Domini. Facta dein dissensione,* Paulus, *electo Sila profectus,* perambulabat Syriam et Ciliciam, confirmans Ecclesias, præcipiens custodire præcepta Apostolorum et Seniorum. *Inde* pervenit Derben et Lystram.... Transeuntes autem Phrygiam et Galatiæ regionem, vetiti sunt a Spiritu sancto loqui verbum Dei in Asia. Cum venissent autem in Mysiam, tentabant ire in Bithyniam, et non permisit eis Spiritus Jesu. Cum vero pertransissent Mysiam, descenderunt Troadem.... *et* navigantes a Troade, pervenerunt Samothraciam, inde Neapolim et Philippos. *Excipiuntur hospitio apud Lydiam, sed ejecto spiritu Pythone virgis cæsi, mittuntur in carcerem: at dimissi* cum perambulassent Amphipolim et Apolloniam, venerunt Thessalonicam: *et facto per* Pauli *prædicationem magno fructu, concitatur adversus eum a Judæis seditio, similiter et* Berœæ. *Inde perductus est* Athenas, *ubi cum Judæis et Philosophis disseruit, ac Dionysium Areopagitam cum quibusdam aliis convertit. Quæ omnia cap.* 15 *et duobus sequentibus inter Actus Apostolorum recensentur: facta sunt autem ab anno* XLVII *usque ad annum* XLIX, *qui est Claudii Imperatoris nonus; quando, teste Orosio lib.* 7 *cap.* 6, *expulsi per Claudium Urbe Judæi fuerunt. In iisdem porro Actis Apostolorum cap.* 18 *ista leguntur;* Post hæc egressus Paulus ab Athenis venit Corinthum, et inveniens quemdam Judæum nomine Aquilam, Ponticum genere, qui nuper venerat ab Italia, et Priscillam uxorem ejus (eo quod præcepisset Claudius discedere omnes Judæos a Roma) accessit ad eos.... Sedit autem ibi annum et sex menses, docens apud eos verbum Dei. *Hæc ibi, absque ulla mentione* S. Petri, *de quo quid actum sit, incertum, fueritne tunc Romam reversus, ibique manserit, et si discesserit, quonam versus? Saltem tunc non habuit Concilium, licet cum Baronio plures ita senserint, hoc enim biennio ante factum diximus.*

S. Paulus dein varias regiones obit

C

anno 49 cum Judæi pellerentur Roma, venit Corinthum,

D

14 *Interim S. Paulus,* Corintho *digressus navigaturus in Syriam, devenit* Ephesum, *inde* Cæsaream *et* Antiochiam, *unde Fratribus in Judæa eleemosynam detulit. Deinde regressus in* Galatiam et Phrygiam, *iterum* Ephesum *venit, ubi biennium integrum docendo consumpsit. Postea rursus navigaturus in* Syriam, *profectus est in* Macedoniam *et* Græciam, *ubi tres menses mansit. Hinc* Troadem *venit, ubi Eutychum e lapsu mortuum resuscitavit. Tum insulas et littora Asiæ attingens, Presbyteros ex Epheso evocatos exhortatus, post variam navigationem in* Syriam, *dein* Tyrum, *ac tandem* Hierosolymam *venit. At Claudio Imperatore interim per venenum sublato* XIII *Octobris anni* LIV, *regnabat Domitius Nero. Judææ autem præerat Felix Procurator: ad quem* S. Paulus *post varias Hierosolymis injurias a Judæis illatas, Cæsaream missus est, quod ad Cæsarem provocasset. A Felice successori Portio Festo traditum, et ab eo Romam destinatum* Paulum, *asserit Hieronymus in lib. de Scriptoribus,* post passionem Domini vigesimo et quinto anno, id est secundo Neronis; *ubi ille quidem melius scripsisset* vigesimum sextum a Passione Domini; *confirmat tamen sententiam nostram, anno* XXIX *passum Christum docentium, non* XXXIII *vel* IV: *alias esset differenda Pauli navigatio in annum* LVIII *vel* IX, *qui fuisset Neronis annus quintus vel sextus mense Octobri inchoatus. In ea navigatione, importuno plane tempore suscepta, naufragium pertulit* Paulus *mense Februario circiter ineunte, et ad* Melitam *insulam evasit, ubi tribus mensibus hiemalibus peractis, navigavit* Syracusam, *tum* Rhegium, *inde* Puteolos; *ac tandem* Romam *venit anno* LVI, *benevole a Christianis exceptus.* Mansit autem biennio toto in suo conducto, et suscipiebat omnes, prædicans regnum Dei, et docens quæ sunt de Domino Jesu cum omni fiducia sine prohibitione. *Et his verbis absolvit Lucas Actus Apostolorum in anno Æræ vulgaris* LXIII.

post alias iterum peregrinationes

Hierosolymam adit,

E

et vinctus anno 55 navigat,

Romam venit, an. 56,

absolvitur, an. 58.

15 *Ante hunc* LVIII *annum fuerunt scriptæ a Paulo pleræque Epistolæ, e quibus prima omnium censetur* ad Thessalonicenses *directa nomine Pauli, Timothei et Silvani, qui in Actis Silas appellatur: illi enim adfuerunt ipsi tum Athenis, tum Corinthi, ubi sesquianno substitit, et videtur otium scribendi habuisse. Scripta ergo foret illa circa annum* XLIX, *et anno sequente secunda* ad *eosdem* Thessalonicenses, *antequam Corintho discederet. Ast* prima ad Corinthios, *scripta Ephesi est, cum ibi biennio subsisteret, anno* LI *aut sequente. Ea quæ* ad Titum *missa est, et in qua eum evocat Nicopolim, ubi statuerat hiemare (uti cap.* 3 *ver.* 12 *dicitur) videtur exarata adhuc Ephesi aut vicino aliquo loco anno* LII, *quo adhuc anno Nicopoli scripta* secunda ad Corinthios. Prima *vero* ad Timotheum, *Laodiceæ Phrygiæ metropoli, uti sub finem in Græca et Syra lingua additur, et consentit Theodoretus. Sanctus autem Athanasius e Macedonia missam ait, idque circa an.* LIII, *quo tempore e Macedonia in Græciam venit, et ibidem tres menses fecit: tum autem videtur scripsisse* ad Romanos, *quando sub ultimis annis Claudii cessarat persecutio contra Judæos, et Aquila cum conjuge redierat Romam, Romæ e vinculis plures scripsit, et forsan primo loco* ad Timotheum secundam, *qua illum ad se evocat; tum* ad Ephesios *per Tychicum Diaconum;* ad Philippenses *per Epaphroditum, ab his missum;* ad Colossenses *et* ad Philemonem *per unum et eumdem*

Epistolas scripsit

F

duas ad Thessalonicenses, duas ad Corinthios et Titum.

primam ad Timotheum,

ad Romanos, secundam ad Timotheum, ad Ephesios, Philippenses, Colossenses, Philemonem,

A eumdem bajulum Onesimum, omnes anno LVI aut proxime sequentibus. *ad Galatas,* Ad Galatas Roma etiam scriptam esse, habent Græca et Syra sub finem, item Hieronymus, Athanasius, Theodoretus: sed quia vinculorum non meminit, videtur circa annum LIX scripsisse, postquam libertati restitutus esset, idque jam ubique haberetur notum. *ad Hebræos.* Denique ad Hebræos censetur novissima, et Romæ, dicto aut sequenti anno, dictata.

16 *S. Petrus scripsit 2 Epistolas:* Apostolus Petrus inter suos labores duas Ecclesiæ reliquit Epistolas, Romæ scriptas, primam sub primos sui apud Romanos Pontificatus annos, inscripsit electis advenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ et Bithiniæ; alteram ad conversos ex Judaismo, et forsan circa finem vitæ. Interim cum Romæ Ecclesiam constituisset, et alias quoque regiones lumine fidei vellet illustrare, *S. Linum constituit Vicarium an. 56,* Linum successorem ordinavit Episcopum, et suum in urbe Romana constituit Vicarium sive Chorepiscopum. Tempus indicat præfatus antiquus Catalogus, scilicet Consulatum Q. Volusii Saturnini et P. Cornelii Scipionis, qui illam dignitatem gesserunt anno Æræ vulgaris quinquagesimo sexto. *peregrinatur,* Tam addunt Acta, e Græcis translata S. Petrum venisse Tarracinam, et Epaphroditum Episcopum ordinasse:
B et varias ejus peregrinationes deinde indicant per Africam, Ægyptum, Britanniam, et Hispaniam: unde plurimæ et urbes et regiones Occidentis fidem Christi a S. Petro, et ab eo submissis Episcopis allatam ad se fuisse glorianlur: et nos toto hoc opere de variis ejusmodi Sanctis sæpissime agimus, existimantes tamen, multos a Petro ordinatos aut missos dici, primos Sedium certarum Episcopos, quarum certa initia ignorabantur, vel quia a Petri successore aliquo ordinati vel aliis de causis missi fuerunt. Observat autem Eusebius lib. 2 Historiæ Ecclesiasticæ cap. 22, Neronem circa initia Imperii clementius se gessisse, et defensionem pro fide nostra benigne suscepisse, quando videtur per totum Imperium late diffusa ac propagata Christiana religio ac fides vera fuisse. *suborta persecutione* At vero, subjungit Eusebius cum Nero postea ad teterrima quæque facinora prorupisset, Apostoli quoque cum ceteris sævitiam ejus experti sunt. Variæ hujus persecutionis causæ adferuntur: harum aliqua est, Urbs incensa anno LXIV; nec, teste Tacito lib. 15 Annalium, sisti ignis potuit, quin et palatium, et domus Neronis, et cuncta circum haurirentur. *post urbem incensam,* Neronem ipso tempore flagrantis urbis inisse domesticam scenam, et cecinisse Trojanum excidium, rumor pervaserat: videbaturque condendæ urbis novæ et cognomento suo appellandæ
C gloriam quærere, et sic jussum incendium credebatur. Ergo abolendo rumori subdidit reos, et quæsitissimis pœni affecit, quos per flagitia invisos, vulgus Christianos appellabat. Pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi in usum nocturni luminis urerentur. Hæc aliaque Tacitus. Suetonio cap. 16 dicuntur afflicti suppliciis Christiani, genus hominum superstitionis novæ ac maleficæ. Coluntur Martyres, tunc occisi, XXIV Junii.

17 *ob Simonem magum extinctum, et Neronis pellices baptizatus,* En persecutionis motæ prima causa. Accessit in Apostolis altera, ob Simonem magum devictum atque per S. Petrum a præsumpto volatu in terram dejectum ac mortuum, uti infra late referetur. Additur et tertia causa ob castigatam impudicitiam et lasciviam Neronis, et impeditum incestum impurumque congressum Christianæ mulieris, quam pellicem ab eo desideratam avertisse Paulum infra ex S. Chrysostomo dicetur: ubi et S. Petrus duas feminas Imperatoris, fide imbuerat, quæ pudice vivere statuerant, quaproter libidinosissimus et impudicissimus Nero furebat adversus omnem Ecclesiam, maxime in S. Petrum, utpote qui auctor servandæ pudicitiæ fuerat feminis, quæ crediderant in Christum. Habemus ergo causas; habemus et annum persecutionis in Christianos cœptæ, scilicet Imperii Neroniani deci-

D mum, Christi sexagesimum quartum, quo plurimi Christiani fuerunt martyrio coronati; quibus S. Leo Papa *AUCTORE G. H.* sermone primo in Natali SS. Petri et Pauli hos videtur præponere, aut saltem adjungere, dum ita scribit: Duo ista præclara divini germina seminis in quantam sobolem germinarint, beatorum millia Martyrum protestantur, qui Apostolicorum æmuli triumphorum, urbem nostram Romam purpuratis et longe lateque rutilantibus populis ambierunt, et quasi ex multarum honore gemmarum conserto uno diademate coronarunt. Hæc ibi. *occiditur cum sancto Paulo an 65.* Verum anno persecutionis secundo coronatos Apostolos expresse docet antiquus Catalogus Pontificum his verbis: Passus est Petrus cum Paulo die tertia Kalendas Julias, Consulibus supradictis (Nerva et Vestino) imperante Nerone: quo anno, ob detectam in ipsum Neronem conspirationem, plurimi occisi fuerunt. inter quos C. Piso, conspirationis caput, Lucanus poeta, Seneca Philosophus, et Vestinus Consul, in cujus locum substitutus Cerealis Anicius. Omnia hæc late prosequitur lib. 15 Annalium Tacitus, et lib. 16 tragœdiam istam hoc epiphonemate concludit: Tantum sanguinis domi perditum fatigant animum, et mœstitia restringunt.

18 Passi itaque sunt SS. Petrus et Paulus anno
E Æræ vulgaris sexagesimo quinto, Neronis undecimo, *Ratio temporis confirmatur in successorum Actis.* qui mense Octobri inchoaturus erat annum Imperii duodecimum. Hoc Martyrii tempus confirmant successores in Pontificatu Linus, Clemens, Cletus, Anacletus, Evaristus et Alexander; ex quibus Linus temporibus Neronis ordinatus Episcopus, et constitutus S. Petri Vicarius, Consulibus Saturnino et Scipione anno LVI, Martyr decessit Consulibus Capitone et Rufo anno LXVII, Tum Clemens præfuit usque ad Consulatum Vespasiani VII et Titum V, id est annum LXXVI, quando cessit Cleto, cujus ultimus annus assignatur Consulibus Domitiano IX et Rufo, anno autem sequenti LXXXIV idem Cletus Martyr decessit XXVI Aprilis. Hujus successor Anacletus superfuit usque ad Consulatum Domitiani XVII et Clementis, sive ad annum XCV. Ordinatus dein Evaristus sedit usque ad annum CVIII, quo Consules erant Gallus et Bradua: cui successit anno sequenti S. Alexander coronatus Martyrio, die III Maji anno CXVII, sub Trajano qui eodem anno post mortem S. Alexandri nutu Dei defunctus est, ut dicti Alexandri sincera Acta indicant, a nobis ad dictum III Maji illustrata: et consentiunt in omnibus hactenus prolatis antiqui Catalogi Pontificum cum Anastasio bibliothecario, et aliis monumentis in tractatu præliminari ante tomum primum Actorum Aprilis prolatis; ubi in
F Præfatione ostendimus Eusebium de Romanis Pontificibus non mereri fidem, qui duos omiserit, Cletum et Marcellum, et aliis ex mera conjectura ordinavit tempus Sedis.

§. III. Anamnesis P. D. de sua et Henschenii Chronologia circa Passionem Christi et annos Petri.

Sive Christus passus sit an. 34 Huic Henschenianæ commentationi, jam tum prælo paratæ, quando sub prælo sudabat Aprilis, post operam minime perfunctoriam impensam antiquis Pontificum Catalogis, ante mensem prænominatum productis circa annum MDCLXX, addere vel demere aliquid vix præsumens, malui seorsim alibi proponere posteriores meas circa idem argumentum cogitationes; quarum summa in eo consistit, quod sive Christus mortuus statuatur anno vulgaris Æræ XXXIV cum communi, sive cum antiquis anno vulgaris Æræ XXIX, *sive 29 Æræ vulg.* Duobus Geminis Consulibus, quam sententiam, ab Henschenio resuscitatam (non obstantibus Grandamici nostri a Possino breviter recollectis argumentis) tuendam susceperunt eruditissimi viri, Emmanuel Schelstratius in Antiquitate illustrata, Henricus, nunc Eminentissimus Cardinalis Norisius,

AUCTORE G. H.

A *risius, in Cænotaphiis Pisanis; Antonius Pagius in Critica ad Annales Baronianos: utrum inde statuas, inquam; docere conor, utraque in hypothesi subsistere Historiam Apostolicam, ex libro Actorum petitam; et quod ab anno* LVIII, *ubi illa desinit, restat temporis quoad annum ac diem mortis* Petri, *adeo certum esse, ut convelli nulla ratione possit; consequentium autem Pontificum seriem exinde ordinatissime fluere; tantum in communi sententia curandum esse, ut ad quinquennium differantur omnia, quæ a Passione Christi usque ad dimissam a Petro Antiochiam, dixit Henschenius.*

male sumitur Cathedræ Rom. initium ab an. 2 Claudii,

20 *Hanc dimissionem affigit ille anno Christianæ Æræ* XL, *et exinde mox numerat* XXV *annos, Romanæ Cathedræ in Catalogo vetustiori adscriptos: qui numerus retineri omnino non posset, si ultra dictum* XL *annum Antiochiæ moratus fuisset* Petrus. *Ego autem censui, cum annorum* XXV *numerum ex erroneo illorum calculo sumptum, qui ab anno* II *Claudii, eodemque vulgaris Æræ* XLII, *usque ad ultimum Neronis, producebant* Petrum, *adeoque ex principio per Henschenium subruto, nihil sequi contra communem: item duodecim annos Apollonii, quibus ante divisionem Apostoli manserint Hierosolymis, sive (ut Henschenius benigne interpretatur) in Syria,* B *non esse magni faciendos; sed potius tenendos duos, quos ille solos scripserit, alii vero cum transcribentes auxerint perperam ad duodecim. Dicebam ergo,* Petrum *Romæ sedisse annis* XV *dumtaxat quod vero a dimissa Antiochia fluxit temporis, usque ad annum* L *primi seculi, id relinquendum liberæ Petri per orbem prædicationi; sive ea Cathedra dimissa fuerit anno* XL, *ut vult Henschenius; sive* XLVI, *ut ex communi de morte Christi sententia et Apollonii duodennio sequeretur. Neque quidquam ea movebar ratione, qua ad tenendum Claudii annum secundum valde movetur Natalis Alexander, quod alias dici nequeat cujus interim Ecclesiæ fuerit Episcopus* Petrus, *si non erat Antiochenæ quam dimiserat, nec Romanæ quam nondum susceperat. Erat enim, ut ab initio, prius etiam quam Antiochenam susciperet Cathedram, universalis Ecclesiæ non solum Episcopus, sicut ceteri Apostoli; sed etiam Pontifex supremus, et ceterorum Caput. Hunc vero quid miratur Alexander annis aliquot circumduci, nullius particularis Ecclesiæ titulo affixum; quando ceterorum undecim Apostolorum nemo propriam sibi Sedem fixit uspiam; nec enim his annumeramus Jacobum Fratrem Domini, Hierosolymitanæ Ecclesiæ ordinatum ab Apostolis Episcopum. Hunc enim supernumerarium* C *existimamus Apostolum, distinctum a Jacobis Zebedæi et Alphæi; sicuti supernumerarii fuerunt Paulus et Barnabas, qui nec ipsi Cathedram sibi usquam posuerunt.*

cum Petrus liberæ per orbem prædicationi antea diu vacarit,

annus tamen 29 etiam probatur ex Lactantio.

21 *Et hæc ego tunc quidem: nunc vero, ab Eruditissimo Pagio ad an.* 43 *num.* 3, *constituendo certius Cathedræ Romanæ initio auctorem adduci video Firmianum Lactantium, libro de mortibus persecutorum: quem librum Henschenius videre numquam potuit, utpote qui ante ejus mortem ad nos prælatus non sit. Scripsit eum Lactantius circa annum* CCCXVI, *integro quidem seculo junior Tertulliano (qui primus ex editis, auctor citatur ab Henschenio, ad Consulatum Geminorum Christi morti adscribendum) sed ceteris deinde citatis Patribus seculo similiter integro senior, ideoque dignus cujus integer locus hic transcribatur, ad confirmationem Henschenianæ, seu verius omnium in Ecclesia antiquissimæ sententiæ, a qua quod posteriores discesserint, accidisse ait Pagius ad an.* 32 *num.* 7, ex nimia historiæ gentium incuria, et ex nimia astrologiæ fiducia. *Et quidem quoad historiam peccatum dupliciter ait, primum in anno Olympiadis, a Phlegonte memoratæ explicando; deinde in Imperio Tiberii Proconsulari confundendo cum anno monarchicæ ejus post mortem Augusti dominationis, de quibus legere ipsum quilibet potest: interim fateor ego in Henschenii Magistri mei sententia non vacillaturum me fuisse, si magnam illam solis obscurationem a Phlegonte notatam ad annum* D *XXIX reduci posse tunc credidissem. Nunc Lactantii locum accipe, sic ordientis caput suum secundum.*

asserente Christum passum duobus Geminis Coss.

22 Extremis temporibus Tiberii Cæsaris, ut scriptum legimus, Dominus noster Jesus Christus a Judæis cruciatus est, post diem decimum Kalendarum Aprilis, duobus Geminis Consulibus: cumque resurrexisset tertio die, congregavit discipulos, quos metus comprehensionis ejus in fugam verterat: et diebus quadraginta cum his commoratus, aperuit corda eorum et Scripturas interpretatus est, quæ usque ad id tempus obscuræ et involutæ fuerunt, ordinavitque eos et instruxit ad prædicationem dogmatis ac doctrinæ suæ, disponens Testamenti novi solennem disciplinam. Quo officio repleto, circumvolvit eum procella nubis, et subtractum oculis hominum rapuit in cœlum. Et inde discipuli, qui tunc erant undecim, assumptis in locum Judæ proditoris Mathia et Paulo, dispersi sunt per omnem terram ad Evangelium prædicandum, sicut illis magister Dominus imperaverat; et per annos XXV usque ad principium Neroniani Imperii, per omnes provincias et civitates Ecclesiæ fundamenta miserunt. Cumque jam Nero imperaret, Petrus Romam advenit; E et editis quibusdam miraculis, quæ virtute ipsius Dei, data sibi ab eo potestate, faciebat: convertit multos ad justitiam, Deoque templum fidele ac stabile collocavit. Qua re ad Neronem delata, cum animadverteret, non modo Romæ, sed ubique quotidie magnam multitudinem deficere a cultu idolorum, et ad religionem novam damnata vetustate transire; ut erat execrabilis ac nocens tyrannus, prosilivit ad excidendum cœleste templum delendamque justitiam; et primus omnium persecutus Dei servos, Petrum cruci affixit, et Paulum interfecit.

et Petrum post 25 ab inde annos venisse Romam,

sub Nerone, ab eoque cæsum fuisse cum Paulo.

§. V. *Chronologiæ Henschenianæ in Petro claritas. Statua Simoni Mago Romæ erecta. Convincitur is a Petro sub Nerone.*

Lactantius de Petri Romam adventu nobis facet,

Adjecta hac ad Commentarium Henschenianum Anamnesi P. Papebrochii; videntur desiderari nonnulla posse ad idem argumentum, et ad citatum ab ipso Lactantii contextum facientia. Cœpit Nero imperare anno vulgaris Æræ LIV, *post diem* XIII *Octobris, quo Claudius obiit. Ab illo autem anno* LIV *si retrogradiaris per annos* XXV, *quos Lactantius ait Apostolos* F *post Passionem Domini et Ascensionem ejus impendisse, ponendo* per omnes provincias et civitates Ecclesiæ fundamenta; *pervenies ad annum Christi vulgaris Æræ* XXIX, *affixum Consulatui duorum Geminorum, sub quibus passum fuisse atque ad cœlos ascendisse Christum Dominum, clamat tota antiquitas, consentientibus, quos modo nominavit Papebrochius, viris eruditis, partim nuper mortuis, partim adhuc superstitibus. Porro hac sententia, etiam a P. Papebrochio resumpta, tamquam veriore, remitto Lectorem ad Henschenii* Diatribam præliminarem in Catalogos veteres Romanorum Pontificum, *præmissam tomo primo Aprilis, in qua cum receptis passim opinionibus de annis* Petri *in sedibus Antiochena et Romana, de adventu ejus Romam aliisque eo spectantibus, adeo verosimiliter conciliat chronotaxin, ut nihil aptius videatur posse dici; et patebit in paucis, quæ subjicio, speciminibus.*

uti etiam duodennium Apollonii;

24 *Sublato igitur post passionem suam in cœlum Christo, anno vulgaris Æræ* XXIX, *Consulibus duobus Geminis,* Petrus *gerere supremum Pontificatum incepit. Anno sequenti* XXX *exorta fuit persecutio in Discipulos; et Saulus, in* Paulum *tunc conversus, post* tres annos venit Hierosolymam videre Petrum, *videlicet anno* XXXIII. *Scripsit apud Eusebium lib.* 5 *cap.* 18 *Apollonius, sub annum* CLXXXV *martyrio coronatus,*

A *ronatus*, tamquam ex veterum traditione; Christum præcepisse Apostolis suis, ne intra duodecim annos *a sua Passione* discederent Hierosolymis; *sumpta civitate primaria pro tota regione Palæstinæ vicinaque Syria; sic ut per intervalla recurrerent Hierosolymam. Duodecimus porro annus a Passione Domini, in nostra sententia est quadragesimus vulgaris Æræ. Illo igitur anno divisi dispersique fuerint Apostoli; ejusque rei memoria pluribus in ecclesiis et Martyrologiis celebratur* XV *Julii, sub hac formula*, Divisio Apostolorum; *et tunc singulis in diversas mundi plagas abeuntibus, exivit in omnem terram sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.*

septennium Sedis Antiochenæ,

25 *Interea tamen* Petrus *anno* XXXIII, *quo* Paulus *eum vidit Hierosolymis, qui quartus est a Passione Christi, Sedem Pontificiam collocaverat Antiochiæ in metropoli Syriæ, tenueratque per annos* VII, *ut habet communis sententia cum libro Pontificali. Illis autem in anno* XL *seu Divisione Apostolorum finitis, profectoque mox Antiochia* Petro, *postquam illic pro se constituerat Episcopum Evodium, recte numerari cœperunt anni Sedis Romanæ, ad quam tendebat; sive recta Romam tetenderit* Petrus, *sive per viam aliis quoque nationibus Christum annuntians, eo primum pervenerit*

anni 25 Sedis Romanæ.

B *anno secundo Claudii, quadragesimo secundo Christi, quæ Eusebii et Hieronymi doctrina est. Certe a dimissa Sede Antiochena et Apostolorum Divisione usque ad annum Christi* LXV, *Neronis* XI *nondum finitum; quo Martyrium subiisse* Petrum *sustinemus. fluxerunt anni* XXV *integri, quot huic attribuuntur Sedis Romanæ, post Eusebium ac Hieronymum, communi fere consensu ab omnibus. Denique totum spatium, quod a Passione Christi Domini supervixit* Petrus, *circumscribitur annis* XXXVII, *juxta calculum Hieronymi, Pontificalis Romani, Chrysostomi, Honorii, Isidori, Bedæ, Rabani et aliorum, apud Henschenium in citata Diatriba num.* 35: *totidem vero numerantur ab anno* XXIX *quo Christus passus, ad annum* LXV, *quo mortuus* Petrus, *ut tam hic quam in supradictis omnibus, cum sententia nostra aptissime concilientur, quæ ab antiquis temporibus velut quadam continuata traditione in Ecclesia magis retenta fuerunt.*

et anni 37 vitæ Petri post Passionem Christi.

Non obest nobis, Petrum sub Nerone Romam venisse,

26 *Neque obest nobis præcitatus Lactantii textus;* Cumque jam Nero imperaret, Petrus Romam advenit. *Illo enim stante potest etiam citius, et plus quam semel eo venisse. Videtur autem hic adventus* Petri *Romam indicari a Lactantio ultimus, post quem*

C *deinde Roma non discesserit, saltem longius; quia* convertit *ibi tunc* multos ad justitiam, Deoque templum fidele ac stabile collocavit, *non tantum quod ecclesia, quam tunc ibi collocabat, futura esset stabilis et perseveraret usque ad finem mundi (talem enim jam tum a primo suo Romam ingressu posuerat) sed quod* Petrus *ipse deinceps stabiliter ibidem manserit: id quod etiam rationi perquam consentaneum est. Fundaverat quippe* Petrus *spatio* XXV *annorum post Passionem Domini per Asiam atque Europam Ecclesias plurimas tum per se, tum per Discipulos suos: in quibus necesse fuit identidem nasci dubia et oriri contentiones, sive inter fideles ejusdem Ecclesiæ, sive inter Ecclesias diversas, aliis aliud sequendum (ut initiis maxime solet fieri) contendentibus. Pro hujusmodi autem dubiorum atque contentionum decisione, cum recurrendum sæpe esset ad primarium et infallibilem Magistrum; debebat is, videlicet* Petrus, *certo loco conveniri posse; nullo autem poterat conveniri facilius quam Romæ, unde per totum mundum commercium litterarum patebat. Siquis tamen ex Commentario Græco-latino, quem mox daturi sumus, malit sustinere,* Petrum *usque ad ultimos ante passionem suam annos peregrinatum fuisse, et longinquas percurrisse regiones; is pariter admittet, a* Petro *Linum Romæ tamquam Vicarium suum ordinatum et relictum fuisse; ad quem aliæ Ecclesiæ recursum habere possent.*

D 27 *Jam vero quem* Petrus *convictum et confusum e Palæstina Syriaque pridem compulerat excedere Simonem Magum, quomodo et quando aggressus sit conviceritque denuo Romæ, priusne an postquam eo ipse extremum advenit, vivendum est. Eusebius tametsi in iis, quæ Romanam spectant Ecclesiam, auctoritatis non magnæ sit: quando tamen illuc spectantia docet ex sanctis Apollonio, Justino, Dionysio Corinthiorum Episcopo; tantæ omnino debet esse auctoritatis, quantæ sunt illi ipsi Sancti. Docet igitur Eusebius lib. 2 Hist. Eccl. cap. 13, citans verba Justini, in Apologetico ad Imperatorem Antoninum, ipsummet sic alloquentis:* Post Domini nostri in cœlos ascensum immissi sunt a dæmone homines quidam, qui se deos esse dicerent. Quos quidem homines tantum abest, ut persecuti sitis, quin potius maximis honoribus affecistis. Ex iis fuit Simon quidam Samaritanus, ortus ex quodam vico, qui Gitton dicitur, qui principatu Claudii Augusti, cum per operationem dæmonum multa magicæ artis miracula in urbe vestra, quæ imperii caput est, edidisset; Deus a vobis est habitus, statuamque illi perinde ac Deo posuistis, in insula Tiberina inter duos pontes, cum hac inscriptione: SIMONI DEO SANCTO.

AUCTORE C. J. *quo et prius venerit post Simonem Magum,*

E 28 *His de Simone aliisque de Helena quadam, impurissima illius sectatrice, ex Justino relatis, subnectit pauca Eusebius de doctrina hæretica ejusdem Simonis, atque cap.* 14 *negat, prospera* illi diu ex voto fluxisse. Confestim enim, *inquit*, ipsis Claudii Augusti temporibus, benigna et clementissima Dei providentia fortissimum et maximum inter Apostolos Petrum, et virtutis merito reliquorum omnium Principem ac Patronum, Romam adversus illam generis humani labem ac pestem perducit. Qui tamquam strenuus divinæ militiæ ductor, cœlestibus armis munitus, *lucem Evangelicam ab Oriente in Occidentem portavit:* cumque Dei doctrina Romanos adventu suo illustrasset, Simonis quidem vis ac potentia cum ipso simul auctore brevi extincta atque deleta est. Tantus autem veritatis fulgor emicuit in mentibus eorum qui Petrum audierant, ut parum haberent semel audiisse... sed Marcum Petri sectatorem, cujus hodieque extat Evangelium, enixe orarent, ut doctrinæ illius, quam auditu acceperant, scriptum aliquod monumentum apud se relinqueret: *quod et reliquit rogatus, scriptum a se Evangelium, a Petro approbatum; ut prosequitur Eusebius.*

quem etiam convicit.

F 29 *Hujus interpres Valesius tantum isti loco tribuit, ut Simonis convictionem Romæ ac interitum, temporibus Claudii putet adscribendum: Icarium vero ejus volatum, et e volatu præcipitium, in dubium revocet. Contra autem negat, Simoni statuam Romæ erectam fuisse tamquam Deo. Ratio cur neget, est; quia* jam dudum viri docti observarunt *(nullum tamen citat)* imperitia linguæ Latinæ lapsum esse Justinum, qui statuam Semoni Sanco positam, Simoni Mago sacratam fuisse putaverit, vicinitate nominum deceptus. *Ac pergit:* Certe statua illa, quam in insula Tiberina viderat Justinus, non ita dudum effossa est, cum ea inscriptione, quam dixi, SEMONI SANGO DEO FIDIO: *qui apud Sabinos pactis fæderibusque præerat, a sanciendo dictus. Si* non ita dudum *effossa fuit statua illa, non potuerunt viri docti* jam dudum *observare errorem Justini, quem suspicantur in illa statua fundatum. Velim etiam doceri aliqua verosimilitudine; primo, Justinum vidisse statuam illam Dei Fidii, aut ejus tempore hanc stetisse in insula Tiberina. Deinde, ipsum in eo deceptum fuisse, quod statuam* Semonis Sangi Dei Fidii, *putaverit*, Simonis Dei Sancti *esse. Certe imperitia linguæ Latinæ, quantumvis magna, facere non poterat, ut vir sapiens discrimen inter duas illas Epigraphas non dignosceret. Ad hæc, noverat saltem Latinos characteres Justinus.* Hos

Valesius negat absque sufficienti ratione

statuam Simoni Romæ positam fuisse,

AUCTORE C. J.

A *Hos enim ipsos in Græcos convertit, retentis vocibus Latinis, sic illas scribens in contextu orationis Græcæ,* Σίμωνι δέω σάγκτω, *idque Græcis mox interpretatur Græce,* Σίμωνι Θεῷ ἁγίῳ, *uti videre est apud Eusebium loco citato. Denique quis credat, Justinum, in Samaria natum, Imperii Romani subditum, pluribus scientiis, etiam divinitus infusis (uti in Vita ejus die* XIII *Aprilis num.* XI *legi potest) imbutum; in urbe Romana diutissime moratum, cum Romanis quotidie tractantem, et veritatem fidei Catholicæ propugnantem; adeo imperitum Romanæ linguæ fuisse, ut tria eorum vocabula legere, aut a quatuor distinguere non potuerit?*

ac refellitur

30 *At* fefellerunt Justinum Samaritani quidam, qui statuam illam, Simoni Samaritano positam fuisse, ei persuaserunt. Quasi vero Romani Magum ac præstigiatorem adhuc viventem consecravissent; aut Deum, adjecto epitheto, Sanctum vocaverint. *Cur potissimum fefellerint Justinum Samaritani? Quia promores in laudem Simonis, gentilis sui? Sed Justinus æque gentilis eorum erat, et ipse Samaritanus natione. Quamobrem eadem causa, quæ moverit Samaritanos ad commendandum gentilem suum Simonem; debuit ipsos absterrere ne fallerent Justinum. Porro, vel supererat statua Romæ tempore Justini, quam ei persuaserint* B *Samaritani positam Simoni suo fuisse; vel non supererat amplius. Primum videtur colligi posse ex eo, quod Justinus tam accurate voces latinas Græcis characteribus exceperit. Imo superfuisse supponunt ipsi, qui nobis hic adversantur, dum aiunt, Justinum deceptum esse in inscriptione statuæ quæ tunc extabat; quamque illi sine fundamento, ut vidimus, sibi persuadent, fuisse* Semonis Sangi Dei Fidii. *Admisso igitur quod statua superfuerit, opus non est ulteriori disputatione ad monstrandum, ipsam Simoni Deo sancto positam fuisse. Ipsamet enim statua id locuta fuit Justino, epigraphen describenti. Si non supererat statua; dicendum est, Justinum, quæ scripsit, didicisse fama publica, quæ multum auctoritatis tunc habebat, nondum elapsis ab interitu Simonis centum annis; quæque propagata fuerit non per Samaritanos tantum, vile hominum genus, sed per Christianos præcipue et ipsos gentiles Romanos; quorum auctoritate ausus fuerit Justinus, illud scripto proponere, et quodammodo exprobrare ipsi Imperatori.*

confirmata istius facti veritate;

31 *Romanos Simoni posuisse statuam* adhuc viventi, *non dicit Justinus, sed Eusebius auctoritate sua, latius explicans Justini contextum quam verba sonent. Tum vero dixerit illud ipse Justinus: quod inde contra* C *veritatem rei? Novum non fuit illis temporibus statuas hominibus, etiam tum viventibus, poni tamquam diis: imo et aræ ipsis consecrabantur. Audi Eusebium in Chronico ad annum* I *Caii Caligulæ Imperatoris.* Cajus, *inquit,* se ipsum inter deos refert. *Atque iterum ad annum ejusdem tertium:* Cajus Petronio Præfecto Syriæ præcepit, ut Hierosolymis statuam suam sub nomine Jovis Optimi Maximi poneret. *Et paulo post sic pergit loqui Eusebius:* Toto orbe Romano, sicut Philo scribit et Josephus, in Synagogis Judæorum, statuæ et imagines et aræ Caji Cæsaris consecratæ. *Erat quidem* magus et præstigiator *vaferrimus Simon: sed talis non apparebat iis, qui statuam tamquam Deo posuerunt, illusi ac decepti per opera ejus, quæ videbant, mirabilia. Et vero quales fuerunt Romanorum dii deæque præcipui? nonne præstigiatores, flagitiosi, nefarii? Denique, varia variis diis sæpe addiderunt epitheta, Jovem appellantes* fulminantem; *Apollinem,* intonsum; *Janum,* bicipitem; *Mercurium,* volucrem; *Junonem,* Regiam; *Dianam,* castam; *cur non etiam aliquem vocaverint* sanctum? *Et, si sapientes Græci Athenis aram erexerunt* Deo ignoto, *quid mirabimur, si Romani erexerint statuam* Deo sancto? *in illa civitate, quæ etiam tum maxima parte* ignorans suæ provectionis auctorem, cum pæne omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium serviebat erroribus; et magnam sibi videbatur assumpsisse religionem, quia nullam respuebat falsitatem; *ut vere S. Leo prædicavit.* D

uti etiam Pagius

32 *Pagius visa Valesii critica, eam continuo approbat in sua Critica Baroniana ad annum* XLII *num.* VI; *sed cum nihil novi ad probandum argumenti afferat, nulla nova ratione ejus approbatio est refellenda. Ego utriusque eruditissimi viri opinionem tantum abest ut sequendam putem; ut mihi persuadeam, nihil deinceps in historia humana credi prudenter posse, si isti Justinianæ assertioni, de statua, Simoni Deo sancto collocata, fides deroganda sit propter argumenta tam levia. Etenim sapientissimus juxta ac prudentissimus fuit scriptor Justinus, uti docent ejus opera quæ extant. Res, quam affirmat, publica fuit, in plena luce urbis Romanæ, nondum elapsis centum annis, gesta: marmoribus, ad tempora Justini verosimiliter servatis, incisa, quæ omnibus poterat nota esse. Hanc Justinus, vir sanctus, gloriosus Christi mox Martyr futurus, in publica Apologia, ipsi Imperatori oblata, tota urbe mox publicanda, dum veritatem Catholicæ Religionis probare vult, finxerit? (falli enim aut errare non poterat prudentia ejus in re tam certo vera aut certo falsa) fingere autem non patiebatur viri sanctitas, nec* E *ausa fuisset fingere tam impudenter impudentia ipsa. Qui me vult recedere in præsenti quæstione a Justino et sequaci ejus Eusebio, antiquissimis auctoribus; afferat necesse est, aut argumenta fortiora, quam allata sunt; aut testes istis contrarios, auctoritate pares.*

An volaverit Simon Magus?

33 *Verisimilior Valesii opinio sit, non admittentis volatum Simonis, et consequenter præcipitium ejus; nixa silentio tum Justini ejusdem, tum Irenæi atque Eusebii. His enim, ætate proximis (cum de Simone ejusque convictione pluribus agunt) nullam de volatu ejus mentionem facientibus, quam fieri, instituti ipsorum ratio postulabat, si vere volasset Simon; quid auctoritatis congruæ aut sufficientis superest ad illud persuadendum? Sustinet idem Valesius,* Eusebii sententiam veriorem *opinatus,* Simonis magi interitum Romæ contigisse principatu Claudii Augusti. *Id vero contra communem est; sustinentibus Baronio atque Sigonio, interitum illum Simonis contigisse sub Nerone; habentibusque etiam ejusdem sententiæ suæ auctores, Severum, Augustinum, Philastrium, et Maximum Taurinensem; ut ipse Valesius fatetur, qui nihilominus præfert iis omnibus locum citatum Eusebii: quia Justinus et Irenæus affirmant,* Simonem sub Claudio Romam venisse, et fraudulenta edidisse F miracula. Cumque etiam constet, *inquit,* Petrum ejusdem Claudii temporibus Romam se contulisse ad Simonis fraudes confutandas, verosimile non est, Simonem tam diu præsente atque instante Petro, insultasse fidei Christianæ.

Utrum sub Claudio, an sub Nerone

a Petro convictus, interierit

34 *Venerint tum Simon Magus, ad fallendum, tum Petrus Apostolus, ad illum confutandum, Romam, imperante Claudio; nondum constat quod sub eodem Claudio extremum congressi fuerint, atque interierit Simon. Quod Eusebius scribat,* παραχρῆμα brevi, *ut interpretatur Valesius, aut etiam,* statim, *si ita vis,* Simonis potentiam cum ipso simul auctore extinctam atque deletam fuisse, *latitudinem habet; neque restringi debet necessario ad paucissimos annos. Possunt Justinus et Irenæus forte explicari de adventu Petri Romam extremis Claudii annis; atque ita, illo mortuo, congressus sit Petrus cum Mago sub Nerone. Certe neuter dicit sub Claudio Petrum et Simonem Magum inter se congressos fuisse; etiamsi dicant, utrumque sub illo venisse Romam: atque adeo auctoritas illorum, quæ pro uno plurimum valet, pro altero nihil obtinet. Neque magis audiendus est Eusebius, dum scribit, initio cap.* 15, *quod* cum Petrus Romanos adventu suo illustrasset, Simonis potentia cum ipso simul auctore

A ctore brevi extincta atque deleta est. *Si enim permittere quis nolit, illud,* brevi, *extendi ad tempora Neronis, meminerit is, Eusebium in rebus Romanis non tantæ auctoritatis esse, quantæ est in orientalibus, sibi vicinioribus; præsertim ubi loquitur ex persona propria, destitutus auctoritate aliorum, in Romanis rebus melius versatorum.*

§. V. *De tempore ac loco, quibus passi sint Apostoli.*

Apostolos Petrum et Paulum,

P*ostquam docuerat Eusebius lib.* 2 *Hist. Eccl. cap.* 25, *ex Tertulliano; Neronem, primum omnium Imperatorum in Religionem Christianam,* tum maxime Romæ orientem, Cæsareano gladio ferociisse : *et ex Caio,* viro Catholico, qui Zepherini, Romanæ urbis Episcopi tempore, *ineunte seculo* III, floruit ; *Apostolos* Petrum *et* Paulum Romæ *passos fuisse, eorumque trophæa superesse* in Vaticano *et* Via Ostiensi : *pergit porro docere ex Dionysio Corinthiorum Episcopo, qui seculo secundo celebris fuit ;* ambos *Apostolos* uno eodemque tempore Martyrium subiisse, *hæc citans verba ex Epistola ejus, ad Romanos scripta* : Ambo *Apostoli,* etiam in urbem nostram Corinthum ingressi, B sparso Evangelicæ doctrinæ semine nos instituerunt; et in Italiam simul profecti, cum vos similiter instituissent, eodem tempore Martyrium pertulerunt ; *Græce,* Κατὰ τὸν αὐτὸν καιρόν. *Ad quem locum ita notat Valesius pag.* 42 : Non dicit aperte Dionysius, Petrum ac Paulum uno eodemque die passos fuisse ; sed tantum, eodem tempore ; quod de plurium dierum intervallo explicari potest.

uno eodemque die passos,

36 *Fateor, si adest ratio sufficiens aut necessaria sic explicandi. Potest tamen etiam intelligi de* uno eodemque tempore ; *quemadmodum eadem verba Græca, ab Eusebio ante contextum Dionysii posita, interpretatus est ipsemet Valesius : qui autem simpliciter dicit, aliquid* uno eodemque tempore *factum esse, ab iis qui simul in eodem versabantur loco, non magis videtur alium atque alium diem intelligi velle, quam alium atque alium annum. Cum vero Valesius istud* Κατὰ τὸν αὐτὸν καιρόν, *non ausit extendere ad annos diversos, ut patet ex citata ejus explicatione, nescio quid argumenti habere possit, ipsum extendendi ad diversos dies contra communem omnium sententiam, eodem die mensis Apostolos passos asserentium ; ne ipsis quidem in eo dissentientibus Prudentio, Augustino et Aratore ; qui citantur a Valesio,* C *et annum dumtaxat passionis diversum ponunt, non diem mensis; sustinentes, uno post* Petrum *anno supervixisse* Paulum. *Textus tam illustrium Auctorum, quos Valesius non descripsit, ad majorem rei elucidationem hic accipe.*

negant Prudentius,

37 *Aurelius Prudentius, natione Hispanus, anno Christi* CCCXLVIII, *natus atque initio sequentis seculi superstes, Hymno* 12 : περὶ Στεφάνων, *sic canit :*

Festus Apostolici nobis redit hic dies triumphi,
Pauli atque Petri nobilis cruore,
Unus utrumque dies, pleno tamen innovatus anno,
Vidit superba morte laureatum.

Augustinus,

Augustinus Afer et Ecclesiæ Doctor, ad annum usque XXX *ejusdem seculi* V *superstes, Sermone* 28 *de Sanctis;* Currunt, *inquit,* uterque *Apostolus* ad palmam Martyrii, et uterque perveniunt ad coronam ; non quidem eodem temporis cursu, sed eodem anni vertentis occursu. *Arator Subdiaconus sanctæ Romanæ Ecclesiæ anno* DXLIII *obtulit Vigilio Papæ, ejusque jussu recitavit in ecclesia* S. Petri *ad Vincula, compositum a se poema libris duobus de Actibus Apostolorum, et in secundo sic loquitur.*

et Arator :

Hæc etiam germanus amor, quibus amplius actus,
Quam natura dedit : geminos quos addidit astris,
Non eadem, tamen una dies ; annique voluto
Tempore, sacravit repetitam Passio lucem :
Et tenet æternam socialis gloria palmam.

38 *Magna profecto isthæc auctoritas est : et nata* D *prudentem virum pertrahere in ejusdem rei assensum,* AUCTORE C. J. *si seorsim consideretur. Attamen trecenti et fortassis quinquaginta a Martyrio Apostolorum anni fluxerant, cum illorum primus ætate, Prudentius sua isthæc scripsit : a quo Martyrio vix centum annis abfuit Dionysius Corinthiorum Episcopus, cujus supra memini, asserens,* Κατὰ τὸν αὐτὸν καιρόν, uno eodemque tempore passos *Apostolos : quod multo magis de eodem anno, quam de eodem die mensis intelligendum est, atque intellectum fuit ab Eusebio, centum forte annis ante Prudentium scribente, eoque historico, ad quem propius spectabat talia distinctius noscere quam ad Poetas. Intellexisse autem Eusebium per citatum Dionysii locum, eumdem annum, declarat ipse manifestius in Chronico suo ; ubi sub anno* XIV *Neronis scribit,* Petrum et Paulum gloriose Romæ occubuisse.

aiunt vero Dionysius Corinth. Ep.

Eusebius Cæsareen.

39 *Idem sentit Auctor Catalogi antiquissimi Pontificum Romanorum, sedente Liberio Papa sub annum* CCCLIV *scripti, aut potius ex antiquioribus aliis Catalogis concinnati : qui, cum ex professo Chronologiam tractet, singulorumque Pontificum initia ac fines per Consules Romanos definiat, majoris sane auctoritatis esse debet, quam quivis alius ; qui de illis tantum obiter et* E *quasi per transennam loquitur. Is vero sic habet :* Passus est Petrus cum Paulo die III Kal. Julias Consulibus suprascriptis, *Nerva et Vestino,* imperante Nerone. *Idatius quoque Lemicensis Episcopus et accuratus Chronologus, qui eodem, quo Prudentius et Augustinus obierunt, seculo* V *floruit ac mortuus est, in Chronico suo, quod perduxit ad annum Christi* CCCCLXVI ; *sub Consulibus* Nerone III et Messalla Corvino *ponit passionem Petri et Pauli eodem die* III *Kal. Julias. Adde tertium Chronologum, Magnum Aurelium Cassiodorum, qui Theodorico Ostrogothorum Regi a litteris secretis, et anno* DXIV *solus Consul Romanus fuit ; sic scribentem :* Silvano et Othone Coss. Romæ SS. Petrus et Paulus Apostoli trucidati sunt a Nerone. *In his animadversione dignum est, quod citati Auctores diversis consulatibus et diversis Consulum paribus singuli adscribant Martyrium Apostolorum ; ex quo deducitur, nullum eorum alterum descripsisse, sed aliunde sua didicisse singulos. Et tamen conveniunt in eo, quod omnes et singuli Martyrium illud affigant uni eidemque anno ; sicut uni eidemque consulatui, et uni eidemque Consulum pari.*

Catalogus Pontificum Rom. antiquissimus,

Idatius Ep. Lemicen.

Cassiodorus Consul Rom.

40 *Addi merito potest Chronologis S. Hieronymus, ubi de scriptoribus Ecclesiasticis agit, præcipue intentus, ut mortis cujusque tempus recta definiat ; cujus* F *ordinem sequitur in præponendo aut postponendo unum Scriptorem alteri. Hic in Paulo Apostolo sic loquitur:* Paulus decimo quarto Neronis anno, eodem die quo Petrus, Romæ pro Christo capite truncatus, sepultusque est via Ostiensi ; anno post Passionem Domini XXXVII. *Qui supra Eusebianum illud,* eodem tempore *passos esse* Petrum *et* Paulum, *extendere voluerunt ad annos diversos ; quid ni etiam hic illud,* eodem die, *extendant ad eumdem diem Junii diversis annis recurrentem ? interpretantes verba Hieronymi,* Paulus *capite truncatus sit* decimo quarto Neronis anno, eodem die, quo Petrus, *anno præcedenti confixus fuerat cruci.*

Hieronymus, qui et

41 *Verum occlusit ipse Hieronymus effugium istud, cum paulo ante in* Petro *dixit, hunc Romæ* annos XXV Cathedram Sacerdotalem tenuisse usque ad ultimum annum Neronis, id est (*ait*) decimum quartum ; a quo et affixus cruci, Martyrio coronatus est : *et iterum paulo post in* Seneca : Hic, *inquit,* ante biennium quam Petrus et Paulus coronarentur Martyrio, a Nerone interfectus est. *Sonat igitur Hieronymo illud,* eodem die, *sicuti sonare cuivis debet, simpliciter spatium temporis, iisdem* XXIV *horis circumscriptum; neque*

AUCTORE C. J.

que extendi potest ad alium et alium mensem, nedum ad alium et alium annum, nisi forte adjuncta id clare determinent. Nam si ego simpliciter enuntiarem : Paulus eodem die mortuus est quo Petrus : *qui quæso in illa enuntiatione secundum se est, quod alium annum aut mensem denotet? Dies unius anni, determinatus per certum solis motum, aut per certum mensis numerum, non est idem, qui alterius anni, licet hic recurrat sub similem solis motum et parem mensis numerum. Ex dictis confirmatur etiam, quod illud Eusebii*, eodem tempore, *constringendum sit ad eumdem annum et mensem et diem, quia Hieronymus in iis, quæ spectant ad* Petrum *ejusque adventum Romam, tempus Sedis ac mortis; Eusebium presse sequitur, atque est interpres ipsius, ubi obscurior alicui, opinionibus aliis præoccupato, videri possit.*

Eusebii hic interpres;

42 *Atque hæc abunde sufficiunt ad probandum, Apostolos anno, mense ac die eisdem passos fuisse. Ad refellendum vero objectos nobis Auctores, Prudentium, Augustinum, Aratorem, et si qui sunt alii ab eis stantes; sufficient, sanctus Leo Magnus Papa in Præfatione ad Codicem Canon. et Constit. tomo 2 Operum ejus ex editione Quenellii Parisiis* 1675; *S. Maximus, Episcopus Taurinensis Serm.* I *in Natali horum Apostolorum; S. Asterius, Episcopus Amasenus, Homilia in eosdem Apostolos apud Combefisium in Auctario Græcorum Patrum anni* 1648 : *qui omnes sanctis Prudentio atque Augustino contemporanei fuerunt; Aratore vero longe antiquiores; et nulli eorum sanctitate cedunt. Unius tantum Leonis locum produco, quia Pontificis Romani; quique propterea majorem habere hic debet auctoritatem. Sic igitur scribi loco citato* : Paulus uno die, unoque tempore, gloriosa morte cum Petro, sub Principe Nerone agonizans, coronatus est. *Et centum fere annis ante Leonem, Epiphanius in Panario hæresi* 27, *num.* 6 *ex editione Petavii scripsit*, Petri Paulique necem in annum Neronis XII : *qui utique, unus et idem est*, incurrere.

43 *Sed unde illa Prudentius, ex Hispania Romam peregrinatus, hauserit, et alii post ipsum idem scripserint? Certe videtur illius ætate talis opinio primum nata fuisse, tum quia nullus antiquior scitur ejus meminisse, tum quia contemporaneus ipsius Hieronymus; et mox Leo Magnus, et Gelasius Papa cum Concilio* LXX *Episcoporum, distinctius expresserunt tempus ac diem, quo Apostoli obierunt, quam fecerunt prædecessores eorum, determinantes illum per τὸ* unum, *aut* eumdem ; *ut videri possint refellere illo modo voluisse aliter sentientes. Et Concilium quidem Romanum, quod dixi, cum Gelasio, tribuit hæreticis originem male fundatæ opinionis, in Decreto de apocryphis scripturis sic pronuntians* : Petro data est etiam societas beatissimi Pauli Apostoli, vasis electionis, qui non diverso, sicut hæretici garriunt ; sed uno tempore, uno eodemque die gloriosa morte cum Petro in urbe Roma, sub Cæsare Nerone agonizans, coronatus est ; et pariter supradictam sanctam Romanam Ecclesiam Christo Domino consecrarunt.

opinionem de anno diverso hæreticis attribuit Concilium Rom.

44 *Stabilita sententia nostra eaque sola antiquissimis temporibus nota; Martyrium subiisse Apostolos uno eodemque ejusdem anni ac mensis die; stabilitum eadem opera sufficienter fuit, diem illum esse tertium Kal. Julias, sive* XXIX *Junii. Illum enim passim exprimunt sancti Patres, Chronologi, ac Romanorum Pontificum Catalogi, quos citavimus et produximus; nullo eorum diem alium nominante. Fuit tamen apud Pagium in Critica ad annum* 258, *qui Natalem sive Martyrium Apostolorum a prædicto die* III *Kalendas Julias ad* VIII *Kal. Martias transferendum censeat; ductus auctoritate Polemei Silvii in Laterculo, sacra profanaque festa continente, et anno Christi* CCCCXLIX *publicato; in quo*, VIII Kal. Martias *legitur* Depositio sanctorum Petri et Pauli ; *item auctoritate Indiculi, continentis Depositiones Martyrum, apud Bucherium; ubi sic* : III Kal. Julii Petri in Catacumbas, et Pauli Ostiense, Tusco et Basso Coss. *Si enim* VIII *Kal. Martias, seu* XXII *Februarii celebrabatur antiquitus* Depositio *sive* Martyrium Petri et Pauli : *die* III *Kal. Julias seu* XXIX *Junii aliunde debet festus, et eorum memoriæ consecratus fuisse, videlicet propter aliquam corporum translationem, quæ facta sit* Petri *in Catacumbas*, Pauli *in Viam Ostiensem, Consulibus Tusco et Basso; id est anno* CCLVIII. *Quo posito, salvabitur etiam multorum post Eusebium atque Hieronymum sententia, asserentium, Apostolos anno Neronis* XIV *sive ultimo passos esse. Illa quippe salva esse non potest, si cæsi sint die* XXIX *Junii : quia eo usque non pervixit Nero, utpote qui* IX *ejusdem violentas sibi ipse manus intulerat : vixit autem adhuc* XXII *Februarii, quando notatur in Laterculo Apostolorum* Depositio.

An die 22 Febr. passi sint Apostoli, ubi habet Laterculus Silvii;

45 *Verum ut salvetur illa sententia de necatis anno* XIV *Neronis* Petro *et* Paulo, *quæ Eruditis viris passim nunc absurda est, aliud absurdius admitti non debet. Quisquis autem Martyrium ipsorum adscribere vult diei* XXII *Februarii, quia in uno Silvii Laterculo legitur eorum* Depositio *tunc facta esse, sibi ipse contradicet, nisi idem Martyrium adscribat quoque diei* XXIX *Junii: quia illud*, Tertio Kal. Julii Petri in Catacumbas, et Pauli Ostiense etc. *venit etiam nomine* Depositionis *in Indiculo apud Bucherium, quemadmodum reliqua omnia, quæ ibidem annumerantur. Legitur enim ibi titulus generalis*, Depositio Martyrum : *sicuti etiam antecedenter ibidem videre licet alium Indiculum, præfixo titulo*, Depositio Episcoporum *Romanæ urbis, cui Indiculo non plura ibi nomina Depositorum subscribuntur, quam duodecim; adjunctis cœmeteriis, in quibus depositi fuerint: sub titulo autem*, Depositio Martyrum, *aliquanto plurium nomina recensentur, adscriptis similiter cœmeteriis: et tribus locis insuper adscribuntur Consules, sub quibus* Depositio *facta fuerit.*

qui nihil hic probare potest

46 *Habet igitur qui hic nobis apud Pagium obtrudere vult diem* XXII *Februarii, quo coronati sint Martyrio Apostoli; in suis ipsius allegationibus, duplicem eorumdem Apostolorum* Depositionem ; *alteram* Petri et Pauli *dicto* die XXII Februarii: *alteram* Petri in Catacumbas, Pauli Ostiense, die XXIX Junii. *Hunc* XXIX *Junii tota antiquitas, media ætas, atque Ecclesiæ hodiedum omnes, veneratæ sunt ac venerantur pro die legitimo Depositionis sive Martyrii sanctorum* Petri *et* Pauli. *Quis ausit vel hiscere contra auctoritatem tantam, et usum Ecclesiæ universalis sine intermissione continuatum; propter Polemei (vix scio cujus) Laterculum sacro-profanum, nemine ante aut post ipsum idem sentiente? Dicat, amabo eum, quisquis Laterculum istum, seu catholico, seu hæretico spiritu ductus sequi vult; an Depositio alterutro adductorum loco, aliud; an utroque, idem significet. Si aliud uno, aliud altero significari vult, explicare id nobis ipse debet. Si idem significari utrobique mavult, fateatur necesse est*, Petrum *et* Paulum *bis passos mortuosque esse. Ea namque est notio passim recepta, maxime in scriptis ecclesiasticis, vocis* Depositio, *ut significet diem quo quis obiit, aut certe quo terræ mandatus fuit.*

contra unanimem omnium temporum consensum, nisi forte, quod bis mortui sunt Apostoli.

47 *Si porro velit, per* Depositionem *illam* Petri in Catacumbas XXIX Junii, *significari Translationem; præterquam quod nihil habeat, quo id probet hic potissimum: si tamen gratis concedatur, nihilo amplius habebit argumenti ad negandum eodem* XXIX *Junii Martyres obiisse Apostolos. Nam eodem die quo primitus Martyrio coronati fuerunt; potuerunt deinde etiam transferri Corpora eorum; atque est perquam verisimile (si tamen translatio intelligi istic possit) eodem quoque die translata fuisse. Obtinuit enim semper et usitatissimum fuit per omnes Ecclesias, pro Translationibus Sanctorum suorum faciendis, deligere festum aliquod, et sæpe*

Corpora Sanctorum sæpe translata fuerunt proprio ipsorum festo die;

A *sæpe ejusdem Sancti; ut majori concursu populi atque solennitate res illa perageretur. Testis sit dies* IV *Julii, quo recolebatur per Gallias Ordinatio S. Martini Turonensis Episcopi. Vidit B. Perpetuus post illum quintus, non satis honorifice conditum esse Sancti decessoris sui Corpus, et magnificam extruxit basilicam, in quam translaturus sacrum illud depositum, per miraculum prohibitus fuit transferre ante eumdem* IV *Julii; quo et ecclesiam novam dedicavit; atque ita uno eodemque die triplex festivitas celebrata ibidem deinceps fuit, Ordinatio S. Martini, Translatio Corporis ejus, et Dedicatio ecclesiæ, ipsius nomini ædificatæ.*

uti etiam de SS. Parthenio et Calocero factum legitur,

48 *Sed magis urget quod in prædicto apud Bucherium Indiculo ponitur,* XIV Kal. Junii, *Depositio* Parthini et Caloceri in Callisti, Diocletiano IX et Maximiano VIII Coss. *qui locus omnino similis est huic de quo disputamus; atque est unus e tribus jam dictis, quibus in toto Indiculo tantum adscribuntur Consules. Significet hic igitur* Depositio Parthini et Caloceri, *mortem, Martyrium, sepulturam, translationem, elevationem corporis aut aliud quodcumque vis. Certe facta fuit* Depositio *talis eodem* die XIV Kal. Junias *sive* XIX Maji, *Diocletiano* IX *et Maximiano* VIII *Consulibus, id est anno Christi* CCCIV: *quo die ante annos* B LIV *sub Decio palmam Martyrii obtinuerant: et sic duplici titulo dies ille deinceps festus fuerit. Pari etiam modo, quidcumque demum factum sit sanctis* Petro et Paulo *Consulatu Tusci et Bassi, anno Christi* CCLVIII *(quod ego fateri malim, me non satis assequi, quam multa per conjecturam congerere) id factum fuisse notatur, die* XXIX *Junii, eodem scilicet quo pridem colebantur et olim sub Nerone pro Christo cæsi fuerunt: quemadmodum constat, Depositionem qualemcumque Parthenii et Caloceri sub Diocletiano et Maximiano factam, incidisse in eumdem diem* XIX *Maji, quo pridem cæsi sub Decio fuerant, et quo Acta illorum nos illustravimus tomo 4 Maji.*

et factum fuerit in S. Petro.

Depositio in Indiculo

49 *Sed paulo attentius consideremus vocem* Depositio, *quid notionis in Indiculo præmemorato ei subsit. Jam dixi, Indiculo titulum præfigi* Depositio Martyrum; *ut vox* Depositio *ad singula, quæ deinde recensentur per singulos menses, subintelligenda sit, præter quam duobus locis, nempe,* VIII Kal. Januarias, Natus Christus in Bethleem Judæ. *Et,* VIII Kal. Martias, Natale Petri de Cathedra: *ubi vox,* Natus Christus, *et vox,* Natale, *casu Nominativo positæ, aliud per se significant, quam depositionem; ut cuilibet manifestum est. In reliquis exprimuntur Genitivo casu* C *nomina Martyrum, subintellecto titulo* Depositio, *hoc modo:* XIII Kal. Februarias. Fabiani in Callisti, et Sebastiani in Catacumbas, *nempe* Depositio *Et hic quidem, uti etiam in plerisque aliis, vox illa sumi potest in propria sua significatione, pro obitu, Martyrio, sepultura. sed universaliter ubique ita sumi non potest. Nam* VI Idus Augusti, *legitur in Indiculo;* Cyriaci, Largi et Smaragdi. *Is autem dies* VI *Idus Augusti, non Depositionis est propriæ dictæ seu obitus aut sepulturæ: cum Martyrium ipsorum incidisse in* XVII *Kal. Apriles constet: sed est Translationis, a Marcello Papa factæ; et propterea manserit is dies festivus deinceps, ac talis etiam fuerit tempore illo, quo scriptus fuit Indiculus anno* CCCLIV.

potest aliquando sumi pro Translatione,

50 *Similiter in Indiculo habetur,* V Idus Septembris. Gorgonii in Labicana. *Is autem dies videtur potius esse, quo Corpus S. Gorgonii translatum fuit Thessalonica (ubi cum S. Dorotheo passus fuerat) Romam, quam ipse dies Passionis ejus: etiamsi aliter innuat Baronius. Considera etiam, quod* VI Idus Julii *perquam solicite distinguat Indiculus Cæmeteria, ubi singuli septem filiorum S. Felicitatis, qui omnes simul dicto die passi sunt, depositi atque sepulturæ dati fuerint; videlicet,* Felicis et Philippi, in Priscillæ: Martialis, Vitalis, Alexandri, in Jordanorum: Silani, in Maximi: Januarii, in Prætextati: *ut non tam videatur velle exprimere diem mortis, quam locum sepulturæ, aut translationem Corporis in istum locum, aut certe festivitatem, quæ ibi locorum quotannis præcipue tunc agebatur. Atque ejusmodi festivitatem videtur Auctor Indiculi præcipue et ubique præ oculis habuisse, quotiescumque locum* Depositionis *indicat, notans videlicet festa, quæ in illis locis solennius celebrabantur, ut populus eo posset convenire; quacumque demum ex causa celebritas talium festorum habuisset originem suam. Non ausim pluribus his immorari, ne tædio sim bonis Catholicis, qui propter Laterculum unius Polemei Silvii numquam colent* XXII *Februarii Martyrium sanctorum* Petri *et* Pauli; *quod consuevit Ecclesia tota celebrare* XXIX *Junii.* D

sæpius videtur sumi pro sepultura, aut elevatione

AUCTORE C. J.

et ubique fere pro festiva celebritate

51 *Sed quid tandem prætendit Laterculus prædictus? Ait:* VIII Kalendas Martii *(id est* XXII *Februarii)* Depositio SS. Petri et Pauli. *Atque adeo isto die Martyrium illi subierunt; ut quidam innuunt. Vana enimvero et crisis et probatio! Jam vidimus, in Indiculo Bucheriano anni* CCCLIV, *vocem* Depositio *non accipi pro solo obitus aut sepulturæ die; sed etiam significare translationem, et festivitatem. Cur in Laterculo isto,* E *centum fere annis post scripto, credere debeamus, per eamdem vocem significatum voluisse Auctorem suum, solum mortis diem? Quid si aliud noluerit indicatum, quam festivitatem, quæ tunc (uti etiam nunc fit) illo die agebatur,* S. Petri *quidem, ob Cathedram ejus Antiochenam,* Pauli *vero per concomitantiam et commemorationem in Officiis divinis? Nulla Martyrologia, seu antiquiora Laterculo, seu recentiora, nulli Pontificum Catalogi, nulla Patrum scripta meminerunt; aliud festum sanctorum Apostolorum celebratum fuisse die* XXII *Februarii, quam Cathedræ* Petri; *ejus Martyrium, uti et* Pauli *conjungentes die* XXIX *Junii, ut sæpe jam dictum est.*

52 *Superest de loco, ubi passi sint Apostoli, pauca addere. Scribit Baronius ad annum* 69 *num.* 9: Habet traditio potius, quam certa assertione antiquorum Scriptorum veritas confirmata (nam quæ de his legitur a quibusdam Dionysii Areopagitæ nomine edita scriptio, non probatur, *utpote ineptissima)* ipsos Apostolos supplicium mortis subituros, e carcere simul eductos, extra portam Trigeminam perductos esse...... Cur autem extra illam potius portam ad subeundum supplicium ducti sunt, quid certi affirmare possimus, nihil est, nisi quod conjectura tenuibus quibusdam rimulis monstrat. *Et mox addit,* non *tamen* simul in eodem loco supplicio affectos F *fuisse, sed* ab illis, qui eos ducebant, mutato consilio, esse ab invicem separatos; quod Petrum in gratiam Judæorum in ea regione, ubi Judæi degerent, voluerint crucifigi: Paulum vero inter Christianos, non tamen crucifigi, sed (quod civis Romanus esset) placuerit subjici gladio. *Hæc Baronius, iterum declarans, se isthæc* conjectura potius, quam certa assertione affirmando proponere: *et subdit, divisos inter se Apostolos extra portam Trigeminam,* Paulum *recta processisse eadem via ad Aquas Salvias;* Petrum *vero ductum esse ad montem Janiculum; a quo scilicet tam prope aberat, quando e carcere Mamertino cœpit egredi, quam abfuerit, cum a* Paulo *fuit separatus; debueritque relegere partem viæ ac Tiberim transire, ut eo perveniret. Neque vero probabile videtur, in potestate illorum, a quibus ad supplicium ducebantur, fuisse,* consilium mutare et separare ab invicem *reos, quos (utique ex mandato et sententia Judicis) simul ducebant, ut simul in eodem loco afficerentur extremo supplicio, qui propter causam eamdem fuerant damnati.*

Incertum an morituri Apostoli simul exiverint porta Trigemina,

et locis diversis passi sint

53 *Malim ego assentiri Prudentio, qui Romæ fuit sub finem seculi* IV *aut initio sequentis, ibidemque videtur panxisse Hymnum* XII *libri* περὶ Στεφάνων, *in quo orsus*

In eodem mortuos fuisse,

A *orsus a festo die Apostolorum, ejusque gaudio et populi ad eum concursu: mox tempus et locum Martyrii describit: et tempus quidem annuo intervallo facit diversum, ut jam diximus; locum vero facit omnino eumdem, ita canens:*

scribit Prudentius,

Scit Tiberina palus, quæ flumine lambitur pro- [pinquo,
Binis dicatum cespitem trophæis,
Et crucis et gladii testis: quibus irrigans, eas- [dem
Bis fluxit imber sanguinis per herbas.

Easdem, *inquit Prudentius*, per herbas, *et eumdem per campum fluxit sanguis Apostolorum, et* bis *fluxit, quia* Petrus *anno uno, et* Paulus *sequenti, juxta ipsius sententiam, cæsi fuerunt. Et palus Tiberina, una eademque, testis est utriusque Martyrii, in uno per crucem, in altero per gladium consummati: atque inde eumdem cespitem seu locum binis trophæis et victoriis illorum vidit gloriosum et sacratum.*

nemine antiquorum contradicente.

54 *At Prudentius, uti in diverso tempore Martyrii utriusque statuendo non admittitur, ita non videtur plus fidei mereri, in definiendo locum utriusque eumdem. Meretur enimvero, quia per se gravis Auctor est, antiquus, prudens et sanctus, et fuit in loco, de quo* B *scribit; neque habet ante aut post se scriptorem ullum, nisi forte his ultimis temporibus ortum, qui contrarium doceat: habet autem plures et antiquiores, et chronologiam ex professo tractantes, qui docent, eodem anno ac die Apostolos subiisse mortem, uti late deduximus. Sed ubi, quæso,* palus *illa* Tiberina, *crucis et gladii et Martyriorum testis? Id ego non præsumo definire. Locus unus est, juxta Prudentium, in quo per crucem ab uno,* D *per gladium ab altero victoria Martyrio relata est: atque id tantum, in tenebris tot seculorum, et ambiguitate Baronii, per lumen, quod præfert Prudentius, ostensum volui; relinquens Romanis antiquariis accuratiorem indagationem istiusmodi loci.* Palus Tiberina, *fortassis ideo vocatus fuit locus, quia pluvio cœlo aut hiemali tempore excrescente fluminis alveo inundabatur; aut aliter in eum immittebatur Tiberis: aut potius aqua e locis superioribus adducta, ut hodiedum Paulina (uti vocatur a Pontifice Paulo V) in summo monte Janiculo colligitur; ita et illa ibi colligebatur ac dimittebatur.* Nam ibidem non procul a monte deorsum in plano prope Tiberim, *uti scribit Baronius ad annum* 69 *num.* 18, posita naumachia erat, quæ ab aliis Julio Cæsari, ab aliis vero Augusto adscribitur. Nam auctor est Dio, naumachiam ab Augusto factam. Tacitus vero eumdem locum nominat stagnum Agrippæ, ubi in navibus Nero epulum lautissimum exhibuit. *Hæc Baronius. Quibus positis, an procul aberraret a vero, qui locum illum diceret vocari a Prudentio* paludem Tiberinam, *(alluitur certe a propinquo Tiberi;) et eodem jure* Palus *vocari potest, quo* Stagnum *a Tacito* E *appellatur: atque porro existimaret, eumdem fuisse testem non non tantum crucis, sed etiam gladii, quibus in eodem proximo Janiculo cæsi Apostoli bis irrigaverunt sanguine suo easdem herbas: corporibus deinde, unius quidem in viam Ostiensem, aut etiam ad Aquas Salvias, si ita malis; alterius vero in Vaticanum delatis? Certiora doceri cupio.*

An locus, quem ille designat, sit Janiculus?

COMMENTARIUS DE SS. PETRO ET PUALO

Ex MS. Medicæo Græco Regis Christianissimi, et Jacobi Sirleti interpretatione MS. in Bibliotheca Vaticana.

CAPUT I.

S. Petri patria. Acta sub Christo et proximis post hujus Ascensionem annis.

Prologus profitentis hæc se ex variis collecta dare.

Non eos solum, qui initio artes invenerunt, nos admittimus, neque eorum tantum labores amplectimur; sed si quid aliud a posteris est rebus inventis adjectum, id quodque fovemus et amplexamur; quosque supra diximus, non ob aliud quidpiam honore C afficimus et celebri memoria repetimus, nisi quia, quæ dispersa erant et sigillatim ab aliis inventa, ea ipsi connectentes atque concinnantes, artes ipsas in corpus ac formam unam redactas perfectiores posteris reliquerunt. Itaque et nos, illorum exemplo, quæ pertinent ad explenda fidelium vota, ea ipsa consecrantes, veluti materiam quampiam informem, quæ ab hoc aut illo auctore decantata circumferuntur, comprehendentes; formam illis componimus et coagmentamus, membrisque perfectum corpus aliis exhibemus. Cum igitur id nobis propositum sit, iisque rebus dicendis studeamus: inde exordiendum est, unde Christi Discipulus primus ad vitam fuerit ingressus.

Καὶ τῶν τεχνῶν τοὺς ἐξ ἀρχῆς πατέρας ἀποδεχόμεθα, καὶ τοὺς τούτων μόνους ἀσμενίζομεν πόνους· ἀλλ᾽ εἴ τι καὶ ἄλλο τοῖς μετέπειτα προσεξεύρηται, περιθάλπομεν τοῦτο καὶ ἀσπαζόμεθα. Καὶ αὐτοὺς δὲ τοὺς προρρηθέντας οὐ δι᾽ ἄλλο τι διὰ τιμῆς ἄγομεν καὶ μνήμης εὐφήμου, F ἢ διότι τὰ σποράδην καὶ τοῖς ἄλλοις καθ᾽ ἓν εὑρεθέντα συνάψαντες οὗτοι καὶ συναρμόσαντες, ἐσωμάτωσαν καὶ ἐμόρφωσαν, καὶ τοῖς μετ᾽ αὐτοὺς ἀπηρτισμένας τὰς τέχνας κατέλιπον. Καὶ ἡμεῖς τοίνυν, κατ᾽ αὐτοὺς ἐκείνους, τὸν τῶν πιστῶν ἀφοσιούμενοι πόθον, ὥσπερ ὕλην ἀμόρφωτον, τὰ τῇδε κἀκεῖσε περὶ τῶν κορυφαίων Πέτρου καὶ Παύλου περιαδόμενα μεταχειριζόμενοι, μορφὴν αὐτοῖς ἐπιτίθεμεν, καὶ σῶμα διηρθρωμένον ἀποδεικνύομεν. Ἐπεὶ οὖν ἡμῖν τὰ τῆς προθέσεως οὕτως, καὶ περὶ τηλικούτων τὰ τοῦ σπουδάσματος, αὐτόθεν ἀρκτέον, ὅθεν καὶ τοῖς πρώτοις τῶν Χριστοῦ μαθητῶν ἡ πρὸς τὸν βίον εἴσοδος γέγονε.

S. Petrus natus Bethzaidæ, patre Jona,

2 Petrus igitur (ut prius de illo, cui primum Ecclesia commissa est, mentionem faciam) genere fuit Hebræus, qui regionem Palæstinæ Galilæam habitabat. Patria vero huic erat Bethzaida, parvum quoddam et humile oppidulum, tribulis etiam eorum erat, qui ad Simeonem patriarcham genus se referre gloriantur: patre Jona, non illo, qui a ceto absorptus fuit et redditus, sed qui per filium a ceto intelligibili multos extraxit, et ad superos revocavit. Fuit hic sub Hyrcano *a* Rege, cui una cum regno

2 Πέτρος τοιγαροῦν (ἵνα πρῶτον περὶ τοῦ τὴν ἐκκλησίαν πρώτου πιστευθέντος μνησθῶ) γένει μὲν ἦν Ἑβραῖος, χώραν δὲ τῆς Παλαιστίνης ᾤκει τὴν Γαλιλαίαν, πατρὶς δὲ τούτῳ Βηθσαϊδᾶ, μικρόν τι καὶ εὐτελὲς πολίχνιον, φυλέτης καὶ συμπατριώτης τῶν Συμεὼν Πατριάρχην αὐχούντων· πατὴρ δὲ Ἰωνᾶς, οὐχ᾽ ὁ [καταποθεὶς καὶ] ἐκ τοῦ κήτους ἀναδοθείς, ἀλλ᾽ ὁ διὰ τοῦ παιδὸς ἐκ τοῦ νοητοῦ κήτους ἀνελκύσας πολλούς. Ὑπῆρχε δὲ ἐν ταῖς ἡμέραις Ὑρκανοῦ, τοῦ τὰ ὦτα μετὰ τῆς βασιλείας ἀφαιρεθέντος παρὰ τοῦ ἀδελφοῦ· οὐ μόνος δὲ τῷ πατρὶ γέγονεν οὗτος

A οὗτος, ἀλλὰ καὶ Ἀνδρέας αὐτῷ συνῆν ἀδελφός· λαβὼν δὲ τὴν θυγατέρα Πέτρος Ἀριστοβούλου ἀδελφοῦ Βαρνάβα τοῦ Ἀποστόλου· ἔτεκεν ἐξ αὐτῆς υἱὸν ἕνα καὶ θυγατέρα μίαν. Καὶ ὁ μὲν Ἀνδρέας τὸν ἀπράγμονα καὶ ἄζυγα μετιὼν βίον, τῷ προδρόμῳ Ἰωάννῃ μαθητεύεται τῷ εἰς μετάνοιαν κηρύσσοντι βάπτισμα, παρ' οὗ τὸ, Ἴδε ὁ ἀμνὸς τοῦ Θεοῦ, ἀκούσας, πρὸς τὸν σωτῆρα Χριστὸν δακτυλοδεικτήσαντος, καταλιπὼν τὸν Βαπτιστὴν Ἰωάννην, ἠκολούθησε τῷ Ἰησοῦ· ὁ δὲ μέγας Πέτρος, θερμότατος ὑπάρχων καὶ εὐτρεχέστατος, τοῖς βιωτικοῖς μᾶλλον ἐνησχολεῖτο πράγμασιν, ἅ τε καὶ γυναικὶ συνοικῶν, καὶ πατέρα γηροτροφῶν.

3 Εὑρὼν δὲ αὐτὸν ὁ Ἀνδρέας εὐσχολήσαντά ποτε, προσήνεγκε τῷ Χριστῷ· ὁ δὲ τοῦτον προσηκάμενος, Πέτρον ἐκάλεσε, τὸ στερρὸν τῆς αὐτοῦ γνώμης διὰ τοῦ ὀνόματος παραδηλῶν. Ἐπεὶ δὲ εἰς μαθητείαν ἐξελέγη, εὐδόκιμός τις αὐτίκα καὶ ζέων τῷ πνεύματι ἀναφαίνεται· διὸ καὶ τὰς κλεῖς τῆς οὐρανίου βασιλείας πιστεύεται, καὶ ἐπὶ νώτου τῆς θαλάσσης καθάπερ τις ἀσώματος οἰκείοις διαπορεύεται ἴχνεσιν, τῆς τοῦ Κυρίου μεταμορφώσεως θεατὴς ἀναδείκνυται, τῆς πνευματικῆς φωνῆς αὐτήκοος γίνεται,
B ἀνεξικακεῖν ἐπὶ τοῖς ἁμαρτάνουσιν ἐκπαιδεύεται, καὶ τὴν προστασίαν τῆς οἰκουμένης ἐγχειρίζεται. Ἀλλὰ ταῦτα μὲν καὶ τὰ τούτων πλείονα, διεξοδικώτερον τῶν Εὐαγγελίων βίβλος διαλαμβάνουσα, καὶ αὐτὰς δηλαδὴ τῶν πραγμάτων ἡμῖν τὰς αἰτίας ἀριδήλους καθίστησιν· ἃς ἐπὶ τοῦ παρόντος οὐκ ἐξεθέμεθα, τοῦ λόγου τὴν ἐπιτομὴν μᾶλλον ἢ τὸ πλάτος πρεσβεύοντος.

4 Ἄρτι δὲ τοῦ μεγάλου Θεοῦ καὶ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ διὰ τοῦ ἑκουσίου καὶ σωτηρίου πάθους αὐτοῦ τὸν τὸ κράτος ἔχοντα τοῦ θανάτου τὸν διάβολον καταργήσαντος, καὶ τὰ δεσμὰ τοῦ θανάτου διαρρήξαντος, καὶ τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἀναστάντος, Πέτρος οὗτος, ὁ κορυφαῖος τῶν Ἀποστόλων, τὴν προεδρίαν τοῦ διδασκάλου πλουτήσας, στόμα τῶν λοιπῶν Ἀποστόλων καθίσταται, διδάσκαλος δὲ μᾶλλον εἰπεῖν οἰκειότερον. Καὶ δὴ λοιπὸν τὴν μὲν τῶν μαθητῶν δωδεκάδα διὰ τῆς τοῦ Ματθίου ἀντεισαγωγῆς ἀναπληρώσας, δημηγορίας δὲ πλείστας, ὅσας τοῖς ἐπὶ τῇ τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἐπὶ τοὺς Ἀποστόλους ἐκχύσει παροῦσιν Ἰουδαίοις, καὶ γλεύκους μεμεστωμένους αὐτοὺς, οἰομένοις διὰ τὸ ἑτέραις γλώσσαις τὰ μεγαλεῖα τοῦ Θεοῦ διαγγέλειν, καταχεάμενος, ἑτέροις δὲ λόγοις αὐτοῖς διαμαρτυρησάμενος, τρισχιλίους αὐτίκα πρὸς τὴν εἰς Χριστὸν
C πίστιν ἐξεκαλέσατο· Καὶ τὸν ἐκ γενετῆς χωλὸν, τὸν ἐπὶ τῆς Ὡραίας τοῦ ἱεροῦ πύλης, ἅμα Ἰωάννῃ τῷ Εὐαγγελιστῇ θεραπεύσας, αὖθις τοὺς συνειλεγμένους ἐλεγκτικῶς κατηχήσας, καὶ πρὸς σωτηρίαν ἐκκαλεσάμενος, καὶ Θεὸν ἀληθινὸν, ἀπό τε Μωσέως καὶ Προφητῶν, τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν ἐναργῶς ἀποδείξας, οὐ μόνον τῷ μεγαλείῳ τοῦ θαύματος, ἀλλὰ καὶ τοῦ λόγου τῇ ῥύμῃ πάντας κατέπληξε, καὶ πρὸς τὴν εἰς Χριστὸν ἐπεσπάσατο πίστιν, καὶ μυρίανδρον ἐν Ἱερουσαλὴμ ἐκκλησίαν συνέστησεν. Ἀνανίαν δὲ καὶ Σαπφείραν, τὴν αὐτοῦ γυναῖκα, τὸν καινὸν νοσφισαμένους νοσφισμὸν, τὰ οἰκεῖα φημὶ καὶ ἅπερ ἑκόντες ἀφιέρωσαν τῷ Θεῷ, τῷ μετ' ἐμβριθείας ἐλέγχῳ παραχρῆμα τοῦ ζῆν ἀπεστέρησεν.

5 Ἡ σκιὰ αὐτοῦ οὐ μόνον ποικίλας νόσους ἐξ ἀνθρώπων ἀπήλασεν, ἀλλὰ καὶ νεκροὺς ἀνέστησεν. Ἐν Λύδδῃ τὸν παράλυτον Αἰνείαν, λόγῳ ἐθεράπευσεν. ἐν Ἰόππῃ τὴν φιλόπτωχον Δορκάδα θανοῦσαν ἀνέστησεν· ἐν Καισαρείᾳ τὸν ἑκατοντάρχην Κορνήλιον, ἐθνικὸν ὄντα, πρὸς τὴν εἰς Χριστὸν πίστιν ἐξεκαλέσατο πανοικὶ, καὶ Πνεύματος ἁγίου διὰ τοῦ βαπτίσματος ἔπλησεν· ἀλλὰ καὶ θύραν

et aures a fratre fuerunt abscissæ. At Jonas non D hunc solum habuit filium, sed et Andream Petri EX MS. fratrem. Cum vero Petrus duxisset conjugem, filiam *a fratre S. Andrea,* Aristobuli, fratris Barnabæ Apostoli, ex ea duos suscepit *b* filios, unum marem, alteram feminam. *b* Andreas, cum vitam quietam et cœlibem sibi delegisset, Præcursoris Joannis discipulus efficitur; qui Joannes pœnitentiæ baptismum prædicabat. A quo cum Andreas audivisset; Ecce Agnus Dei, digito Salvatorem Christum monstrante; et Joannem Baptistam reliquisset, Jesum secutus est. *ex discipulis S. Joannis Baptistam Christæ secuto,* Petrus vero ille magnus, cum ardentior et eo solertior ad res gerendas esset, in vita negotiis magis occupabatur; quippe qui cum uxore viveret, et patrem senem aleret.

3 Cum vero Andreas eum negotiis vacuum aliquando offendisset, et ad Christum adduxisset: *ad hunc adducitur,* hic eum admissum, Petrum nominavit, eo nomine ejus mentis atque animi soliditatem atque constantiam significans. Posteaquam is in discipulorum Christi numerum fuit cooptatus, se probum virum et spiritu ferventem ostendit: *rebus adhibetur præcipuis,* quamobrem et regni cœlorum claves ejus fidei committuntur, E et in maris dorso velut incorporeus quispiam propriis inambulat vestigiis, Dominicæque Transfigurationis spectator efficitur, et paternæ vocis auditor: item illud edocetur, ut peccantes homines patienter ferat, atque orbis terrarum præfectura illi in manus traditur. Sed hæc et his plura sacer Evangeliorum liber latius ac distinctius enarrat, qui videlicet et ipsas rerum causas manifestius exponit, quas nos in præsentia omisimus, cum breviores esse studeamus, non longiores.

4 Cum autem nuper magnus ille Deus ac Servator noster Jesus Christus salutaribus suis cruciatibus, *et a resurgente Christo Magister aliorum statutus,* quos volens passus est, imperium mortis habentem diabolum destruxisset, atque inanem reddidisset, suæque ipsius mortis vincula perfregisset, ac tertio die resurrexisset; Petrus ipse, Apostolorum summus, Præfecturæ illius, quam a Magistro accepit, compos factus, reliquorum Apostolorum os constituitur, vel (ut magis proprie dicam) magister. Cumque deinceps duodecimum discipulorum numerum, Matthia in Judæ locum introducto, explevisset; orationibus, quas plurimas habuit coram iis Judæis, *tria millia convertit;* qui præsentes fuerunt, cum Spiritus sancti effusio in Apostolos facta est, eosque criminabantur quod musto pleni essent, propterea quod diversis linguis F magnalia Dei (ut Scriptura inquit) loquebantur, multis aliis sermonibus ipsos obtestatus, tria millia hominum confestim ad Christi fidem allexit: et eum qui ab ipso ortu claudus fuerat, in templi janua, quæ Speciosa appellatur, una cum Joanne Evangelista integrum reddidit; ac rursus eos, qui convenerant, redarguendo instruens, et ad salutem vocans, *claudum sanat:* Deumque verum esse Dominum nostrum Jesum Christum, tum ex Moyse, tum ex reliquis Prophetis aperte demonstrans; non miraculi solum magnitudine, sed orationis etiam vehementia omnes stupore affecit, et ad Christi fidem attraxit; Ecclesiamque in Hierosolymis constituit, quæ ex infinito prope numero constaret. *Ananiam et Sapphyram morte punit,* Ananiam quoque et Sapphyram ejus conjugem, qui novam illam rapiendi fraudem commiserant, ea bona subtrahentes, quæ sua sponte Deo consecraverant, gravissime objurgans, confestim vita privavit.

5 Idem Petrus non solum morbos varios umbra sua ab hominibus abegit, sed etiam mortuos ad vitam revocavit. *alia miracula patrat,* Lyddæ paralyticum Æneam sanavit verbo; in Joppe Dorcadem feminam pauperum studiosam mortuam suscitavit. Cæsareæ Cornelium Centurionem, hominem ethnicum ad Christi fidem cum tota familia convertit, eumque per baptismum Spiritu

EX MS.

A Spiritu sancto implevit : quin etiam gentibus fidei januam patefecit, vase illo velut linteo quodam per visum instructus, in quo vase omnes erant terræ ipsius feræ; item voce, quæ una cum vase e cœlo dimissa, illum adhortabatur, ut surgens immolaret et comederet, nihilque commune reputaret. Ab Herode Agrippa duabus catenis vinctus, et in carcerem conjectus, et caute a quatuor quaternionibus militum custoditus, a divino Angelo a vinculis et custodia eripitur, foribus ultro patefactis. Causa deinde illius detestandi Simonis magi, omnes urbes Cœlesyriæ peragrat, etiam Pontum et Asiam, quin et Galatiæ regionem : cumque ibi fidei verbum seminasset, Romam usque pervenisset. Ut vero has regiones tamquam percurrentes enumeremus ; illæ sunt.

Gentibus fidem annuntiat :

6 Ab Hierusalem in Cæsaream Stratonis urbem profectus, cum unum ex iis, qui illum sequebantur Presbyter, *c* Episcopum illic constituisset, in Sidonem *d* venit : ubi cum multos curasset, et Episcopum constituisset, venit Berytum *e*. Hic quoque cum unum ex iis, quos secum ducebat, Episcopum delegisset, Biblum *f* proficiscitur, deinde in Tripo- B lim, et apud Maronem virum quemdam prudentem conversabatur : quem Episcoporum constituens Tripoleos Phœnicæ urbis fidelibus, Orthosiam *g* venit ; deinde Antaradum ; et mox in Aradum insulam ita dictam; deinde in Balanæas, illinc Paltum, inde Gabalam, deinde Laodicæam : ubi cum multos morbis vexatos et a dæmonibus detentos curasset, atque Ecclesiam constituisset et Episcopum ; in Antiochiam Syriæ venit; ibi Simon Magus, cum eos qui ad se inquirendum missi fuerant Imperatoris ministros vitasset, ad Judææ urbes sibi confugiendum esse proposuerat. Petrus vero Domini Apostolus, cum primum urbem ingressus est, multas curationes Antiochiæ perfecit ; unumque Deum in tribus personis iis qui convenerant annuntiavit, Episcoposque delegit, Martianum *h* Syracusis Siciliæ Urbi, Pancratium vero Tauromenio. Post hæc venit Tyana Cappadociæ urbem, atque illinc Ancyram Galatiæ : ubi cum per orationem mortuum hominem excitasset, ac multos fide et baptismo initiasset, Ecclesiamque et Episcopum constituisset, Sinopem *i* Ponti urbem venit : deinde Amasiam, Hellesponti mediterraneam ; hinc Gangram Paphlagonum, tum ad Claudiopolim Honoriadis ; et Nicomediam Bithyniæ, atque Nicæam. Cum vero festinaret Hierosolymam ascendere diei festi causa, Pisinuntem *k* venit.

varias regiones peragrans Episcopos constituit.

πίστεως τοῖς ἔθνεσιν ἀνέωξεν, διὰ τὴν φανεῖσαν αὐτῷ τοῦ D σκένους τῆς ὀθόνης ὀπτασίαν, ἐν ᾧ πάντα ἦν τὰ θηρία τῆς γῆς, καὶ τὴν ἐνεχθεῖσαν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ σὺν τῷ σκένει φωνὴν, καὶ προτρεψαμένην αὐτὸν θῦσαι, καὶ φαγεῖν ἀναστάντα, μηδὲν τούτων κοινὸν ἡγησάμενον. Ὑπὸ Ἡρώδου δὲ τοῦ Ἀγρίππα δυσὶν ἁλύσεσι δεσμευθεὶς, καὶ φυλακῇ βληθεὶς, καὶ ἀσφαλῶς τέσσαρσι τετραδίοις στρατιωτῶν φυλασσόμενος, ὑπὸ θείου Ἀγγέλου τῶν δεσμῶν καὶ τῆς φυλακῆς ἀπολύεται, τῶν θυρῶν αὐτομάτως ἀνοιγέντων αὐτῷ· καὶ τῇ προφάσει Σίμωνος τοῦ καταράτου Μάγου, πάσας τὰς πόλεις τῆς Κοίλης Συρίας διέρχεται, ἔτι τε Πόντον καὶ Ἀσίαν, ἀλλὰ μὴν καὶ τὴν Γαλατικὴν χώραν καὶ ἐν αὐταῖς κατασπείρας τὸν τῆς πίστεως λόγον, μέχρι Ῥώμης αὐτῆς καταγένεται· ἵνα δὲ ὡς ἐν παραδρομῇ ταύτας διέλθωμεν, εἰσὶν αὗται.

6 Ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ εἰς Καισάρειαν τῆς Στράτωνος γενόμενος, καὶ τῶν ἑπομένων αὐτῷ Πρεσβυτέρων Ἐπίσκοπον αὐτῇ καταστήσας, εἰς Σιδῶνα παραγίνεται ἐν ᾗ πολλοὺς θεραπεύσας, καὶ Ἐπίσκοπον στήσας, εἰς Βηρυτὸν ἔρχεται· ἔνθα τῶν ἑπομένων ἕνα Ἐπίσκοπον χειροτονήσας, εἰς Βίβλον παραγίνεται, Ἔπειτα εἰς Τρίπολιν, καὶ παρὰ Μαρώνῃ τινὶ ἀνδρὶ συνετῷ κατάγεται· ὃν Ἐπίσκοπον τοῖς ἐν Τριπόλει τῆς Φοινίκης πιστοῖς καταστήσας, ἐν Ὀρθωσίᾳ γίνεται, εἶτα εἰς Ἀντάραδον, εἶτα εἰς Ἄραδον οὕτω λεγομένην νῆσον, εἶτα εἰς Βαλαναίας, κἀκεῖθεν εἰς Πάλταν, εἶτα εἰς γάβαλα, ἔπειτα εἰς Λαοδίκειαν, ἐν ᾗ πολλοὺς ὑπὸ παθῶν ὀχλουμένους καὶ δαιμονῶντας ἰασάμενος, ἐκκλησίαν τε συστησάμενος, καὶ Ἐπισκοπον ἔνθα καταστήσας εἰς Ἀντιόχειαν τῆς Συρίας παραγίνεται· E ἔνθα Σύμων μὲν ὁ Μάγος, τοὺς ἐπὶ ζήτησιν αὐτοῦ σταλέντας βασιλικοὺς ἐκκλλίνων, εἰς τὰς πόλεις τῆς Ἰουδαίας φεύγειν προῄρητο. Πέτρος δὲ ὁ τοῦ Κυρίου Ἀπόστολος, ἅμα τῇ εἰσόδῳ παλλὰς ἰάσεις ἐν Ἀντιοχείᾳ ἐπιτελέσας, ἕνα τε Θεὸν ἐν τρισὶν ὑποστάσεσιν τοῖς συνειλεγμένοις εὐαγγελισάμενος, Επισκόπους τε χειροτονήσας, Μαρκιανὸν μὲν ἐν Συρακούσῃ τῆς Σικελίας, Παγκράτιον δὲ ἐν Ταυρομενίῳ, ἔρχεται εἰς Τυάνα τῆς Καππαδοκίας, κἀκεῖθεν εἰς Ἄγκυραν τῆς Γαλατίας· ἐν ᾗ διὰ προσευχῆς νεκρὸν ἀναστήσας· πολλούς τε κατηχήσας καὶ βαπτίσας, ἐκκλησίαν τε συστησάμενος καὶ Ἐπίσκοπον χειροτονήσας, εἰς Σινώπην τοῦ Πόντου γίνεται, εἶτα εἰς Ἀμάσίαν πόλιν Ἑλλενοπόντου μεσόγαιον, εἶτα εἰς Γάγγραν τῆς Παφλαγόνων, εἶτα εἰς Κλαυδιούπολιν Ὀνωριάδος, εἶτα εἰς Νικόμήδιαν τῆς Βιθυνίας· εἶτα εἰς Νίκαιαν. Σπεύδων δὲ ἀνελθεῖν εἰς Ἱεροσόλυμα, τῆς τοῦ πάσχα ἑορτῆς ἕνεκα, ἀνακάμψας εἰς Πισινοῦντα ἔρχεται. F

ANNOTATA G. H.

a *Hic est* Hyrcanus, *Alexandri Jannæi filius, cui auriculæ amputatæ fuerunt ab Antigono Aristobuli filio. Habuerunt autem et Hyrcanus et Antigonus ævum eumdem, scilicet seniorem Hyrcanum ; fuerunt proinde non fratres, sed fratrueles. Sed moris Judæis erat etiam hos* fratres *nuncupare, ut patet ex sacris libris. Fuit autem junior* Hyrcanus *jussu Herodis occisus, post Actiacum bellum circa annum ante Æram vulgarem* 29. *Quo tempore parens SS. Petri et Andreæ potuit vixisse.*

b S. Petrum *fuisse conjugatum scimus, sed quod genus uxori fuerit, alibi proditum non legimus. Neque constat aliunde, an liberos genuerit.* S. Petronillam *solum fuisse filiam ejus spiritualem ex nobilissima apud Romanos Petroniorum familia, docuimus ad Vitam ejus* 31 *Maji : ita et* Marcum filium suum *vocat Petrus in Epistola, cap.* 5, *ubi Evangelistam quidam interpretantur, filium etiam spiritualem. Videntur tamen,* Marcus *et* Petronilla *ab hoc auctore intelligi. Præterea* Barnabas, *ex insula Cypro oriundus fuit ; et socrus S. Petri, id est mater uxoris decumbebat febricitans Capharnai, in domo Simonis et Andreæ, et sanata est a Christo, Marci* 1 *v.* 31. *Potuit nihilominus sane alius quidam Barnabas fuisse levir Petri, et huic ex ejus sorore nati liberi, qui sicut et mater eorum prius obierint, quam ipse ad Christi transiret discipulatum, Deo sic disponente, ut ab omni vinculo carnali expeditus, aptior esset prædicando Evangelio.*

c *Episcopum* Cæsareæ *constitutum* Corneliumo, *stendimus ad ejus Vitam* 2 *Februarii.*

d Sidon *urbs Episcopalis Phœniciæ primæ, sub Metropoli Tyro, a qua* 24 m. p. *distet.*

e Berytus *ibidem, cui* Quartus *Apostolorum discipulus Episcopus adscribitur apud Dorotheum in Synopsi ; sed an diversus ab eo* Quartus Episcopus *Athenarum ?*

f Biblus *et* Biblys *ibidem, ubi primus Episcopus* Marcus, *qui et* Joannes, *sancti Barnabæ Apostoli comes. Colitur is* 27 *Septembris. Hunc tamen Ægyptii et Habessini non admittunt, ut diversum ab Evangelista : quod*

A *quod etiam verosimilius teneri posse docuimus* 11 *Junii, ubi de S. Barnaba.*

g Orthosia *aliquibus eadem quæ* Antaradus *prius dicta, et hic* Antaradus *ut distincta collocatur, prope quam insula et urbs* Aradus, *hic subjuncta. Sunt etiam ibidem in Phœnicia* Balanææ *et* Pelra *seu* Paltos, *Græcis hic* πάλτα, *pro qua Latine est* Panta *ibidem ignota. Videntur autem omnes hæ civitates gloriatæ, quod fidem a S. Petro doctæ fuerint, uti et* Gabala *ac* Laodicea *Cœlesyriæ urbes.*

h *De* S. Marciano *egimus* 14 *Junii, et de* S. Pancratio 3 *Aprilis.* D

i Sinope *urbs Episcopalis ad oram Ponti Euxini, sub metropoli Amasia in provincia Helenoponti, quæ solet Paphlagoniæ adscribi.*

k Pessinus *sea* Pisinus *metropolis Galatiæ secundæ, in Phrygiæ magnæ confinio; unde Cybele apud ethnicos Pesinuntica dicta fuit.*

CAPUT II.

S. Petri cum S. Paulo congressus. Varii Episcopi constituti. Romæ acta contra Simonem Magum.

Ἔπειτα διὰ Καππαδοκίας καὶ Συρίας, αὖθις εἰς Ἀντιόχειαν γίνεται, κἀκεῖθεν ἀπάρας, εἰς Ἱερουσαλὴμ παραγίνεται, ἔνθα τρίτου ἤδη τῆς κλήσεως τοῦ μεγάλου Παύλου χρόνου παρεληλυθότος, ὑπ᾽ αὐτοῦ δὴ Παύλου ἱστορεῖται, Ὅ που φησὶ αὐτὸς ἐκεῖνος, Ὅτι μετὰ ἔτη τρία ἀνῆλθον εἰς Ἱεροσόλυμα ἱστορῆσαι Πέτρον, καὶ ἔμεινα πρὸς αὐτὸν ἡμέρας δεκαπέντε· ἐν αἷς κανόνας καὶ διατάξεις ἐκκλη-
B σιαστικὰς ἐκθέμενος, ὁ μὲν μακάριος Παῦλος εἰς ὃ ἔργον ἐκλήθη πεπόρευται, ὁ δέγε μέγας Πέτρος, εἰς Ἀντιόχειαν αὖχις ὑπέστρεψεν. Ἔνθα τὸν Εὐόδιον Ἐπίσκοπον καταστήσας, εἰς Σύναδα πόλιν τῆς Φρυγίας ἔρχεται· εἶτα εἰς Νικομήδιαν, ἐν ᾗ τὸν Πρόχωρον Ἐπίσκοπον χειροτονήσας, εἰς τὴν Ἴλιον πόλιν Ἑλλισπόντιον γίνεται· ἔνθα τὸν ἑκατόνταρχον Κορνήλιον Ἐπίσκοπον καταστήσας, αὖθις εἰς Ἱερουσαλὴμ ὑπέτρεψε. Ὤφθη δὲ αὐτῷ ὁ Κυρίος ἐν ὁράματι τῆς νυκτός, λέγων· Ἀναστας, Πέτρε, τὴν ἑσπέραν κατάλαβε· χρήζει γὰρ σου τῆς δαδουχίας καὶ ἐγω μετά σου ἔσομαι. Ὁ γὰρ Σίμων παρὰ τῶν ἐπιζητούντων αὐτὸν, ὡς φθάσαντες ἐξεθέμεθα, μικρὸν ὕστερὸν ἁλοὺς ἐπὶ τὴν Ρώμην ἄγεται, δίκας τῶν τετολμημένων εἰσωράξασθαι· ἐν ᾗ γενόμενος, καὶ πολλοὺς ταῖς μαγείαις ἐκστήσας, οὐ μόνον δίκην οὐκ ἔτισεν, ἀλλὰ καὶ Θεὸς τοῖς πολλοῖς ἐνομίσθη· τοσοῦτον γὰρ ὁ τοῦ σατανᾶ πρόδρομος τοὺς Ρωμαίους ταῖς μαγείαις ἐξέπληξεν, ἀλλὰ μὴν καὶ αὐτὸν Κλαύδιον, ὡς ἀνδριάντα στήσαντας αυτοῦ μεταξὺ τῶν ἐν τῷ Τιβέριδι δύο γεφυρῶν ἐπιγράψαι, SIMONI DEO SANCTO, ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον, Σίμωνι Θεῷ ἁγίῳ· Καὶ ταῦτα μὲν Ἰουστῖνος καὶ Εἰρηναῖος πλατύτερον διεξέρχονται, ἡμεῖς δὲ τῆς ἀκολουθίας τοῦ λόγου ἑπόμεθα.

8 Τὰ τοίνυν ὁραθέντα ὁ μέγας Πέτρος τοῖς ἀδελφοῖς
C ἀπαγγείλας, καὶ συνταξάμενος αὐτοῖς, εἰς Ἀντιόχειαν αὖθις παραγίνεται, τὰς ἐκκλησίας ἐπισκεπτόμενος· ἔνθα τὸν μέγαν Παῦλον εὑρηκὼς, οἰκονομικῶς ὑπ᾽ αὐτοῦ διελέγχεται. Εἶτα εἰς Ταρσὸν τὸν Οὐρβανὸν Ἐπίσκοπον καταστήσας, καὶ τὸν Ἐπαφρόδιτον ἐν Ἀνδριάκῃ τῆς Λυκίας, καὶ τὸν Φύγελον εἰς Ἔφεσον (ὅν φασιν μετατραπῆναι τῆς εὐθείας καὶ τὰ τοῦ Σίμωνος φρονῆσαι) καὶ εἰς Σμύρναν τὸν Ἀπελλῆν, ἀδελφὸν ὄντα Πολυκάρπου, εἰς Μακεδονίαν ἔρχεται. Ἐν Φιλίπποις δὲ τὸν Ὀλυμπᾶν καταστήσας Ἐπίσκοπον, καὶ ἐν Θεσσαλονίκῃ τὸν Ἰάσονα, καὶ ἐν Κορίνθῳ τὸν Σίλαν, αὐτοῦ που τοῦτον εὑρηκὼς τῷ μεγάλῳ Παύλῳ προσμένοντα, εἴς τε Πάτρας τὸν Ἡρωδίωνα, εἰς Σικελίαν κατέπλευσε. Καὶ ἐλθὼν εἰς τὸ Ταυρομένιον παρὰ Παγκρατίῳ ἀνδρὶ σωφωτάτῳ κατάγεται· ἔνθα Μάξιμόν τινα κατηχήσας καὶ βαπτίσας, καὶ Ἐπίσκοπον χειροτονήσας, εἰς τὴν Ρώμην ἀνάγεται ἐν ᾗ καθ᾽ ἑκάστην συνάξεις ἐπιτελῶν, ἕνα τε Θεὸν Πατέρα παντοκράτορα καὶ ἕνα Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν υἱὸν ἀληθινὸν ἐκ Θεοῦ ἀληθινοῦ, καὶ ἓν Πνεῦμα ἅγιον κύριον καὶ ζωοποιὸν, ἐν ταῖς συναγωγαῖς καὶ κατ᾽ οἶκον διδάσκων, πολλοὺς πρὸς τὴν εἰς Χριστὸν πίστιν ἐπεσπάσατο, καὶ διὰ τοῦ ἁγίου βαπτίσματος τῆς τῶν εἰδώλων ματαιότητος ἠλευθέρωσεν, ὥστε ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ προσδραμεῖν τῷ ἁγίῳ βαπτίσματι μικροῦ δεῖν πάντας, καὶ πιστεῦσαι τῷ Θεῷ διὰ τῆς τοῦ Ἀποστόλου διδασκαλίας.

Deinde per Cappadociam et Syriam rursus Antiochiam proficiscitur, atque inde discedens venit Hierosolymam; ubi a Paulo, qui tertium jam annum ad fidem conversus fuerat, visitur, ut quodam loco ipse testatur: Post tres, inquit, annos ascendi Hierosolymam videre Petrum, et mansi apud illum dies quindecim. His diebus cum Ecclesiasticos Canones et constitutiones edidissent, beatus quidem Paulus E ad opus, quo antea vocatus fuerat, rediit; magnus vero Petrus Antiochiam revertitur, ubi Evodium *a* Episcopum constituens, Synada Phrygiæ urbem venit: deinde Nicomediam, ubi Prochorum *b* Episcopum deligens, Ilium Hellesponticam urbem venit; ubi cum Episcopum constituisset Centurionem *c* Cornelium, revertitur Hierosolymam. Apparuit autem illi Dominus nocte per visum; Surgens Petre, inquit, Occidentem occupa: eget enim te, luminis facem præmonstrante, et ego tecum ero. Simon enim ille ab iis, a quibus inquirebatur, ut supra diximus, mox captus, Romam *d* ducitur, ut eorum quæ ausus fuerat pœnam judicibus exolveret. Quo cum venisset, præstigiisque multos decepisset, atque in stuporem adegisset, non modo pœnam non dedit; sed etiam a multis pro Deo est habitus, adeo enim Satanæ præcursor Romanos suis præstigiis, quin etiam Claudium ipsum stupidum reddidit; ut illius effigiem statuentes intra duos Tyberis pontes, inscripserint, SIMONI DEO SANCTO, cujus inscriptionis Græca interpretatio hæc est, Σίμωνι Θεῳ ἁγιῷ. Atque hæc quidem Justinus et Irenæus latius enarrant: nos vero reliqua sequamur.

Hierosolymis conventus a S. Paulo Petrus,
Gal. 1, 18.

post varios variis locis ordinatos Episcopos,

8 Cum igitur magnus Petrus visionem Fratribus nuntiasset, constitutionesque illis reliquisset; Antiochiam venit, ut Ecclesias viseret. Ubi cum magnum F Paulum invenisset, œconomice ab illo *e* redarguitur. Cum vero Tarsensibus Urbanum Episcopum præfecisset, *f* et Andriacæ Lyciæ urbi Epaphroditum, Ephesoque Phygellum (quem aiunt, a recto defecisse, Simonisque dogmata secutum fuisse) et Smyrnæ Polycarpi fratrem Apellem *g*; Macedoniam adit; Philippis etiam constituto Episcopo Olympa *h*, et Thessalonicæ Jasone *i*, et Corinthi Sila, quem ibi invenit magnum Paulum expectare, itemque Patris Herodionem; ad Siciliam navigavit. Ibi Tauromenium veniens, apud Pancratium virum sapientissimum diversatur; ubi cum Maximum *k* quemdam instruxisset et baptizasset, eumdemque Episcopum delegisset, Romam venit: ubi quotidie concionem habens, unumque Deum Patrem omnipotentem, et unum Dominum Jesum Christum filium verum ex Deo vero, et unum Spiritum sanctum Dominum et vivificantem, tum in Synagogis tum domi docens, multos ad Christi fidem attraxit, et per sanctum baptisma eos ab idolorum vanitate liberos fecit: ita ut brevi tempore omnes fere ad sanctum baptisma accurrerent, et Apostolica ipsius doctrina allecti in Deum crederent.

venit Romam Petrus multosque convertit.

EX MS

l Simonis Magi præstigias dissolvit,

A 9 Hæc cum videret Simon ille Magus, *l* non satis habuit tacere suamque nequitiam tegere; sed de sua gloria aliquid detractum iri existimans, si permitteret Apostolum iis qui Romæ erant omni cum studio veritatem annuntiare; audacter simul atque imperite in media urbe cœpit liberius loqui, Petroque insipienter contradicere conabatur; cum umbras quasdam sequi ac se antecedere ostenderet, quas mortuorum animas esse aiebat, ex mortuis scilicet resuscitatos, sibique ut Deo honorem tribuentes; claudosque et mutilos homines a se integros reddi, recte ambulare et saltare; denique ut Proteus, qui in fabulis est, in multas formas se vertebat; interdum quidem bifrontem se ostendens, mox in capram transferebatur, serpentem et volucrem, qualem denique videri par est qui servit appetitibus ratione carentibus; sæpius igni se similem faciebat, ac simpliciores homines quoquo modo decipere minime desistebat. Sed magnus ille Salvatoris nostri Apostolus, cum primum apparuit, omnes ejus machinas facillime dissolvit, et in nihilum redegit. Multis igitur, ut par est, ab utroque factis contentionibus, cum nihil reliquum haberet Simon, quod amplius faceret; lauro coronatus in aram
B quamdam ascendit, unde iracundius primum ad turbas orationem habens; Quoniam, inquit, Romani, adeo amentes facti estis, ut, me derelicto, Petrum sectari velitis, en, vobis spectantibus, Angelis præcipiam, et in manibus tollent me, et ad Patrem qui in cœlis est, ascendam, atque inde extrema pœna vos afficiam; quippe qui meis verbis stare noluistis. Mox manibus plaudens, in aerem se immittens, volare cœpit; umbris quibusdam, imo vero pravis dæmonibus eum sursum impellentibus ac gestantibus.

eumque ex aere detractum præcipitat.

10 Magnus vero ille Apostolus Petrus, Paulum immoratus, omnibus audientibus, cœpit dicere; Domine Jesu Christe, ne permittas eum perficere quod sibi proposuit, ne petram scandali et lapidem offensionis injiciat hic nequam in eos qui in te crediderunt. Cumque oculos ad Simonem extulisset, elata voce clamans; Vobis, inquit, ministris Sathanæ præcipio, non amplius illum gestare, sed ibi dimittere in quo nunc est loco. Ac repente, quæ circa Simonem esse videbantur, umbris subterfugientibus atque evanescentibus, Simon ipse ab aere delapsus, miserabili atque infelici casu in terram præceps fertur; cumque totum miserum illud corpus con-
C fractum haberet, altero die infelicem animam abrupit, acerbis doloribus atque intensis cruciatibus. Qua re facta, turbis per multas horas clamantibus; Magnus ille Deus est, qui a Petro nobis prædicatur; Petrus cum in sublimem quemdam locum ascendisset, manuque innuens silentium populis indixisset, ex Moyse et Prophetis Dominum nostrum Jesum Christum Deum esse prædicavit, qui est ante secula; plurimosque dæmones ab hominibus fugavit; cumque varios morbos curasset, turbas dimisit.

9 Ταῦτα ὁ Σίμων θεώμενος, οὐκ ἠγάπα σιγᾶν καὶ τὴν D
οἰκείαν ἐπικρύπτειν κακίαν· ἀλλὰ παρευδοκιμεῖσθαι δόξας εἰς τὸν Ἀπόστολον, καταλιπὼν παντὶ σθένει τοῖς ἐν Ῥώμῃ τὴν ἀλήθειαν καταγγέλειν, θρασέας ἅμα καὶ ἀπαιδεύτως ἐν μέσῃ τῇ πόλει [παῤῥησιάζεσθαι ἤρξατο, καὶ ἀντιλέγειν αὐτῷ ἀμαθῶς ἐπεχείρει, ἔνθα δὴ καὶ σκιάς τινας ἕπεσθαι καὶ προάγειν αὐτοῦ παρεδείκνυ, ἃς ἔλεγε τῶν τεθνεώτων εἶναι ψυχὰς, καὶ νεκροὺς δεῖθεν ἐγηγερμένους, καὶ ὡς Θεῷ τὴν τιμὴν ἀπονέμοντας· καὶ κυλλοὺς ὀρθῶς βεματίζειν καὶ ἄλλεσθαι, ἑαυτόν τε κατὰ τὸν μυθικὸν ἐκεῖνον Πρωτέα, πολύμορφον μεταβάλλων, ἐδείκνυ ποτὲ μὲν διπρόσωπον· ἔπειτα διαλιπὼν ὀλίγον, εἰς αἶγα μετεμορφοῦτο, καὶ ὄφιν καὶ πτηνὸν, καὶ οἷον εἰκὸς φαίνεσθαι τὸν ἀλόγοις ἐπιθυμίαις δουλεύοντα· καὶ πρὸς πῦρ πολλακις παρεκάλλετο καὶ τοὺς ἁπλουστέρους πλουστέρους παντὶ τρόπῳ ἐξαπατᾷν οὐκ ἐπάυετο. Ὁ δὲ μέγας τοῦ Κυρίου Ἀπόστολος μόνον φαινόμενος, ἅπαν αὐτοῦ μηχάνημα ῥᾷστα διέλυε. Πολλῶν οὖν ὡς εἰκὸς ἀμφισκητήσεων ἐφ' ἑκατέραν γεγενημένων, μὴ ἔχων ὅ τι καὶ δράσοι λοιπὸν ὁ Σίμων, ἐπὶ βωμόν τινα δάφναις ἐστεφανωμένος ἄνεισι, ἐξ οὗπερ τοῖς ὄχλοις ὀργίλως πρῶτον διαλεχθεὶς, Ἐπειδήπερ, ἔφη, τοσοῦτον ἠφρονεύσασθαι, ὦ Ῥωμαῖοι, ὥστε καταλιπεῖν μὲν ἐμὲ, τῷδε Πέτρῳ ἀκολουθῆσαι, ἰδοὺ ἐνώπιον ὑμῶν ἐντελοῦμαι τοῖς ἀγγέλοις μου, καὶ ἐπὶ χειρῶν ἀροῦσί με, καὶ πρὸς τὸν πατέρα μου εἰς τὸν οὐρανὸν ἀνα E
πτήσομαι, κᾀκεῖθεν ὑμᾶς ἐσχάτως τιμωρήσομαι, ὡς τῷ λόγῳ μου μὴ ἐμμείναντας· Ταῦτα εἰπὼν, ἔπειτα κροτῶν τὰς χεῖρας, ἐπαφεὶς διὰ τοῦ ἀέρος ἤρξατο πέτεσθαι σκιῶν τινων, μᾶλλον δὲ πονηρῶν δαιμόνων ἀνωθούντων καὶ διαβαστάζόντων αὐτόν.

10 Ὁ δὲ μέγας Ἀπόστολος Πέτρος βραχύτι ἐπισχὼν, ἀκουόντων πάντων ἤρξατο λέγειν· Κύριε Ἰησοῦ Χριστὲ, ὁ Θεός μου, μὴ ἐάσῃς αὐτὸν πληρῶσαι ὃ προέθετο, ἵνα μὴ πέτραν ἀφήσει σκανδάλου καὶ λίθον προσκόμματος ὁ πονηρὸς ἐπι τοὺς εἰς σὲ πιστεύσαντας· Καὶ πρὸς τὸν Σίμωνα τὸν ὀφθαλμὸν ἄρας, φωνῇ γεγωνοτέρᾳ ἐβόησεν· Ὑμῖν τοῖς ὑπηρέταις τοῦ σατανᾶ προσαγγέλλω, μὴ διαβαστάζειν, ἀλλ' ἀφεῖναι αὐτὸν ἐν ᾧ νῦν ἐστι τόπῳ· Καὶ αὐτίκα τῶν φαινομένων περὶ αὐτὸν σκιῶν ὑποχωρησασῶν, καὶ εἰς τὸ μὴ ὂν ἀναλυθεισῶν, ὁ Σίμων τοῦ ἀέρος ἐξολισθήσας, κατὰ γῆς ἐλεεινῶς φέρεται, καὶ αθλίῳ τῷ πτώματι συντριβεὶς ἅπαν τὸ δύστηνον σῶμα, δευτεραῖος τὴν ἀθλίαν ψυχὴν ἀποῤῥήγνυσι δριμείαις αλγηδόσι κατατεινόμενος. Τούτου οὖν γενομένου, καὶ τοῦ ὄχλου ἐπὶ F
πολλαῖς ὥραις τὸ, Μέγας ὁ Θεὸς ὁ ὑπὸ Πέτρου ἡμῖν κηρυσσόμενος, κράζοντος, ὁ Πέτρος ἐπί τινος ὑψηλοῦ βάθρου ἀνελθὼν, κατασείσας δὲ τῇ χειρὶ καὶ σιωπὴν τοῖς ὄχλοις ἐγκελευσάμενος, ἀπό τε Μωσέως καὶ τῶν Προφητῶν, τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν Θεὸν προαιώνιον καταγγείλας, δαίμονάς τε πλείστους ἐξ ἀνθρώπων ἀποδιώξας, καὶ πάθη ποικίλα θεραπεύσας, ἀπέλευσεν αὐτούς.

ANNOTATA G. H.

a S. Evodii *Acta dedimus* 6 *Maji.*

b S. Prochori *Vitam et Martyrium illustravimus* 9 *Aprilis.*

c Ilium *quod et* Troia, *urbs Episcopalis fuit sub metropoli Cyzico. Verum* S. Cornelium *fuisse Episcopum Cæsareæ in Palæstina, jam ante diximus.*

d *Hinc bis* Simonem *fuisse Romæ colligunt viri eruditi; et sub Claudio ibidem floruisse, etiam S. Hieronymus scribit: quid autem si semel receptus, numquam inde discessit; sed mansit usque ad tempus Neronis, tunc primum ibi victus a Petro?*

e *Hæc redargutio in Epistola ad Galatas cap.* 2 *refertur.*

f Urbanum *interim velut Episcopum Macedoniæ, colunt Græci* 29 *Novembris. De* Epaphrodito *consule dicta* 22 *Martii, ubi adscribitur Tarracinæ, ex hoc solum Commentario: at plures eum* Andracæ, Andriacæ *sive* Adrianæ *adscribunt, et videtur hic indicata* Andriaca, *sita in* Lycia *prope Myram, ubi primo potuit Episcopus fuisse, antequam S. Petrus abiret Romam, ac dein post annos* 16 *constitutus Tarracinæ.* Phygellus *autem hic attributus Epheso, nusquam alibi nominatur, et merito, si a fide defecit.*

g *Acta* S. Apellis *illustravimus* 22 *Aprilis.*

h Olympas *ex* 70 *discipulis, cum* S. Rhodione *sive (ut hic infra)* Herodione, *qui S. Petrum secuti Romam*

A *mam sub Nerone capite plexi, coluntur a Græcis* 10 *Novembris. An hic censendus Episcopus Philippensium ante aliquamdiu fuisse?*

i *Hic videtur* Jason *esse, qui in Actis Apostolorum cap.* 17 *excepit Thessalonicæ in domo sua SS. Paulum et Silam, et ipse ibidem factus Episcopus, et* Silas *Corinthi, de quibus agendum erit* 12 *et* 13 *Julii.*

k Maximum *aiunt fuisse ordinatum Episcopum, ut S. Pancratio aliquando succederet. Colitur is* 12 *Januarii. Plura habet Octavius Cajetanus in Vitis Sanctorum Siculorum post editionem nostri Januarii excusis, in supplemento ejus mensis examinanda.* D

l *Sequentia de Simone Mago fidelius narrantur in supra relata narratione, et ad Neronis tempora melius referuntur.*

CAPUT III.

Ultimæ peregrinationes, reditus Romam, et Martyrium.

Προσμείνας δὲ τοῖς Ῥωμαίοις χρόνον οὐχὶ συχνὸν, καὶ πολλοὺς τῷ ἁγίῳ ἀναγεννήσας βαπτίσματι, ἐκκλησίαν τε συστησάμενος, καὶ τὸν Λῖνον Ἐπίσκοπον καταστήσας, εἰς Ταῤῥακίνην παραγίνεται· ἐν ᾗ τὸν Ἐπαφρόδιτον Ἐπίσκοπον χειροτονήσας, εἰς τὸ Σίρμιον πόλιν τῆς Ἰσπανίας παραγίνεται· ἔνθα τὸν Ἐπαινετὸν Ἐπίσκοπον καταστήσας, τῇ Καρχηδονέων πόλει τῆς Ἀφρικῆς ἐπιβαίνει· ἐν ᾗ τὸν Κρήσκεντα Ἐπίσκοπον χειροτονήσας, εἰς Αἴγυπτον ἔρχεται· καὶ ἐν μὲν ταῖς ἑπταπύλοις Θήβαις Ῥοῦφον, ἐν δὲ Ἀλεξανδρείᾳ Μάρκον τὸν Εὐαγγελιστὴν B ἐπισκοπεῖν τοὺς μαθητευθέντας προχειρισάμενος, εἰς Ἱεροσόλυμα πάλιν, κατ' ἀποκάλυψιν, ἐπὶ τῇ μεταστάσει τῆς θεοτόκου Μαρίας παραγίνεται. Ἔπειτα εἰς Αἴγυπτον ἐπιστρέψας, διὰ τῆς Ἀφρεικῆς αὖθις εἰς Ῥώμην ὑπέστρεψεν· ἐξ ἧς εἰς Μεδιόλανον καὶ φωτικὴν πόλεις ἠπειρώτιδας ἔρχεται, ἐν αἷς Ἐπισκόπους καὶ Πρεσβυτέρους καταστησάμενος, εἰς Βρεττανίαν παραγίνεται. Ἔνθα δὴ χειροτριβήσας, καὶ πολλὰ τῶν ἀκατονομάτων ἐθνῶν εἰς τὴν τοῦ Χριστοῦ πίστιν ἐπισπασάμενος, ἀγγελικὴν ὀπτασίαν κατεῖδε· Πέτρε, λέγουσαν, ὁ καιρὸς τῆς ἀναλύσεώς σου ἐφέστηκε, καὶ δεῖ σε εἰς Ῥώμην ἀπελθεῖν, ἐν ᾗ τὸν διὰ σταυροῦ θάνατον ὑπομείνας τῆς δικαιοσύνης ἀποκαλήψῃ τὸν στέφανον.

12 Δοξάσας οὖν καὶ εὐχαριστήσας ἐπὶ τούτῳ τὸν Θεὸν, ἐπιμείνας τε τοῖς ἐν Βρεττανίᾳ ἡμέρας τινὰς, καὶ πολλοὺς τῷ λόγῳ φωτίσας τῆς χάριτος, Ἐκκλησίας τε συστησάμενος, Ἐπισκόπους τε καὶ Πρεσβυτέρους καὶ Διακόνους χειροτονήσας, δωδεκάτῳ ἔτει τοῦ Καισαρος, αὖθις εἰς Ῥώμην παραγίνεται. Ἔνθα δὴ τὸν Λῖνον τελειωθέντα εὑρηκὼς, τὸν Κλήμεντα ἀντ' αὐτοῦ κεχειροτόνηκεν ἀπαναινόμενον καὶ τὴν προστασίαν παραιτούμενον· ὃν καὶ λόγοις ἱκανοῖς πείσας, καὶ θαῤῥεῖν προτρεψάμενος ἐπὶ τὴν αὐτοῦ τῶν λόγων ἀναβιβάζει καθέδραν. Ὃς καθάπερ τις μόσχος τὸν ἑαυτοῦ τράχηλον τῷ χρηστῷ ζυγῷ ἐπιθεὶς, εἷλκε σὺν τῷ διδασκάλῳ τοῦ λόγου τὴν ἅμαξαν ὅθεν πολλοὶ μὲν τῶν ἐπιφανων προθύμως τῇ C πίστει ὑπήκουον, πολλαὶ δὲ τῶν εὐγενίδων γυναικῶν προσθήκη τῶν σωζομένων ἐγίνοντο.

13 Δύο δὲ τῶν τοῦ Βασιλέως γυναικῶν, τῶν πλέον τῶν ἄλλων ἀγαπωμένων αὐτῷ, προσεθεισῶν τῇ πίστει, καὶ σωφρονεῖν αἱρησαμένων· ἐπεὶ καθ' ὑπερβολὴν ἀσελγέστατός τις καὶ λάγνος ὁ Νέρων ἦν, κατὰ πάσης τῆς ἐκκλησίας, μάλιστα δὲ κατὰ Πέτρου τοῦ πρώτου τῶν Ἀποστόλων ἐμαίνετο, ὡς αἰτίου τῆς σωφροσύνης τῶν ἐπὶ τὸν Κύριον πισθευθεισῶν αὐτοῦ γυναικῶν γενομένου. Διὸ καὶ τῷ θυμῷ ὑπερζέσας, ἀποφαίνεται κατὰ πάντων τῶν εἰς Χριστὸν ἠλπικότων τὸν διὰ ξίφους θάνατον. Οἱ οὖν στρατιῶται παραχρῆμα πάντας συλλαβόμενοι, ἐπὶ τὸν τῶν καταδίκων ἄγουσι τόπον· καὶ τοῦ μὲν Κλήμεντος, ὡς συγγενοῦς τοῦ Καίσαρος, φειδονται· Ἡρωδίωνα δὲ καὶ Ὀλυμπᾶν σὺν ἅμα πλήθει πολλῷ τῇ τοῦ ξίφους ὑπάγουσιν ἐκτομῇ. Πέτρον δὲ, τὸν μεγαν τοῦ Κυρίου Ἀπόστολον, ἀντιστρόφως τῷ σταυρῷ προσπιγνύουσιν· ἐφ' ᾧ τὰς ἐκ τῶν ἥλων ὀδύνας παραπλησίως Χριστῷ τῷ Θεῷ ἡμῶν καὶ αὐτὸς ὑπομείνας, τὴν καθαρὰν αὐτοῦ ψυχὴν καὶ ἀμόλυντον εἰς χεῖρας Θεοῦ παρατίθεται· Κλήμης δὲ ὁ μαθητὴς αὐτοῦ καὶ Ἐπίσκοπος, τὸ πολύτιμον αὐτοῦ καὶ ἅγιον σῶμα μεγαλοπρεπῶς ἐνταφιάσας, ἐν τόπῳ ἐπισήμῳ κατέθετο. Ἀλλὰ περὶ μὲν τῆς πολιτείας καὶ τοῦ κηρύγ-

Cum Romæ non multo tempore permansisset Petrus, et multos sancto baptismate regenerasset, Ecclesiamque constituisset, eique Linum *a* Episcopum præfecisset, Tarracinam proficiscitur. Ubi cum Epaphroditum Episcopum delegisset, Sirmium *b* petiit urbem Hispaniæ; ubi constituto Episcopo Epæneto, Carthaginem urbem Africæ adit, cui cum Crescentem *c* Episcopum præfecisset, in Ægyptum venit; cumque Thebis cognomento *d* Heptapylis Rufum, Alexandriæ vero Marcum Evangelistam iis, quos Christi discipulos effecerat, Episcopos reliquisset; revertitur Hierosolymam, adfuturus in transitu *e* Dei Genitricis Mariæ, quem per revelationem didicerat. Deinde in Ægyptum reversus, per Africam iterum Romam venit: deinceps Mediolanum et Photicam *f* mediterraneas urbes, in quibus cum Episcopos ac Presbyteros constituisset, Britanniam adit; ubi diu moratus, cum innumeras gentes ad Christi fidem attraxisset, Angelica visione est admonitus, quæ talia illi dixit; Petre, tempus tuæ resolutionis instat, tibique Romam redeundum est; ubi cum crucis mortem sustinueris, justitiæ coronam recipies.

a Lino Episcopo ordinato b c d E *excurrit usque in Britanniam. e f*

12 Qua de re cum Deo gratias egisset atque eum glorificasset, in Britanniaque per aliquot dies substitisset, et multos gratiæ verbo illustrasset, Ecclesiamque constituisset, denique Episcopos, Presbyteros et Diaconos delegisset, anno XII Cæsaris Neronis *g* Romam revertitur, ubi Linum ipsum inveniens Martyrem *h* factum; Clementem pro illo delegit, quantumvis renuentem et præfecturam recusantem. Cui cum persuasisset verbis satis multis, ac bono animo esse jussisset, sua illum oratione ad cathedram perducit. Qui tamquam vitulus quispiam suavi Christi jugo cervicem submittens, una cum magistro prædicationis currum ducebat: qua ex re multi viri illustres prompto animo fidei obtemperabant, multæque generosæ mulieres ad eos qui salvi sunt, accesserunt.

Romam reversus g h ordinat Clementem, F

13 Duabus vero mulieribus, ex iis quibuscum Imperator rem habebat, quæque præter ceteras alias ab eo diligebantur, ad fidem accedentibus, ac sibi castam vitam deinceps proponentibus; cum Nero ipse mirum in modum incontinentissimus ac libidinosus esset, contra omnem Ecclesiam, maxime vero contra Petrum Apostolorum Principem insaniebat; quippe qui auctor extitisset mulieribus illis caste vivendi. Quamobrem furore valde accensus, adversus omnes qui in Christum credebant, capitalem pœnam decernit. Milites ergo ipsos comprehendentes, eo ducunt, ubi damnatorum locus erat. Sed Clementi quidem, ut Cæsaris consanguineo, pepercerunt: Herodionem vero et Olympam, una cum ingenti multitudine, *i* ensis ictui subjiciunt; Petrum vero, magnum Christi Apostolum, capite ad terram inverso, cruci affigunt. Ubi cum et clavorum dolores, eo modo quo Christus noster Deus, et ipse sustinuisset; animam illam puram, neque ulla macula labefactatam, in Dei manum deponit. Clemens *k* ejus discipulus et Episcopus corpus illud pretiosum

sub Nerone ob conversas ejus pellices, i crucifigitur

A sum et sanctum magnifice scpeliens, in locum insignem deposuit. Sed de Principis Apostolorum vita, prædicatione, et martyrio, hæc a nobis compendiosius dicta, satis sint. Necesse est, nunc quoque eo modo quo possumus celebris ac beati Pauli Apostoli facta percurrere.

EX MS. et a S. Clemente sepelitur.

ματος, καὶ τοῦς τελους του μεγάλου τῶν Ἀποστόλων Πέτρου τοσαῦτα συντετμημένως ἡμῖν εἴρηται· ἀναγκαῖον δὲ καὶ τὰ περί τοῦ ἀοιδίμου καὶ μακαρίου Παύλου τοῦ Ἀποστόλου τρόπον τὸν δυνατὸν διελθεῖν. D

ANNOTATA G. H.

a *Ordinatus est* Linus, *Saturnino et Scipione Consulibus, id est án.* 56, *et sic novem annis vivo adhuc* S. Petro, *fuit hujus Vicarius seu Chorepiscopus. Consule Tractatum præliminarem ante tomum* I *Aprilis.*

b Sirmium *in Pannonia novimus : non item in Hispania; Tamayus tamen in suo Martyrologio Hispanico die* 15 *Julii, ubi de* S. Epæneto, *illud se putat invenisse sub nomine* Sexifirmium : *quod ad dictum diem erit examinandum.*

c *Certius est,* Crescentem *in Gallia prædicasse : Schelstratius autem in eruditissimo suo de Ecclesia Africana libro evidenter probat, conspirantibus Catholicorum et Donatistarum sententiis, creditum ibi fuisse, quod primum post* Apostolorum *tempora Africa fidem* B *receperit.*

d Thebæ, *Thebaicæ regionis caput, quia* centum portas *habebat, Græcis* ἑκατόνπυλος *dicta, non* ἑπτάπυλος, *ut hic legitur. Eorum Episcopus* Rufus *videtur is esse, qui* 21 *Novembris colitur.*

e *S. Birgittæ revelasse Deipara scribitur, quod filio novem annis supervixerit, alii etiam multo plures statuunt; ast S. Elisabethæ Schonaugiensi indicatum legitur* 18 *Junii num.* 110, *quod uno dumtaxat anno. Estque omnino verosimile, eam mortem priorem fuisse divisione Apostolorum, prout suo tempore ostendemus : hic sufficiat dixisse, quamcumque rationem reddideris, cur Joseph Virginis sponsus obierit, ex communi sententia, antequam Christus prædicare inciperet; et quare post datum Apostolis Spiritum sanctum nulla amplius fiat Mariæ mentio in sacris litteris; eam omnem facturam pro sententia illa, quæ proximo a Christi morte anno obiisse illam tenet, idque* XVIII *Januarii, quando omnium vetustissimo Martyrologio Hieronymiano inscribitur* Depositio sanctæ ac gloriosæ B. Mariæ matris D. N. Jesu Christi : *qua de re videnda Dissertatio Florentinii ad eum diem : nam diem* XV *Augusti sero et prorsus arbitrario assumptum esse constat, ad augendam celebritatem depositionis sacræ vestis CP. n Blachernis.*

f Photice *an Græcis, quæ Latinis* Luca? *Nam* φῶς, φοτὸς, *Latinis* Lux, Lucis *est : et ibi putatur a sancto Petro constitutus Episcopus* S. Paulinus, *uti Mediolani* S. Barnabas. *Coluntur, iste* 12 *Julii, hic* II *Junii.*

g *Jam ostendimus, et constat, anno* XI *Neronis adhuc currente, passum esse* Petrum.

h S. Linum *ultra duos annos superfuisse verum* E *Pontificem jam ante diximus. Quidni tamen* Petrus *eo vivente etiam consecrarit* S. Clementem, *uti Tauromenii Maximum, successorem S. Pancratii futurum, licet hic diu adhuc vixerit? Certe etiam Cletum a* Petro *ordinatum Episcopum diximus, seu potius Chorepiscopum, qualis etiam fuit Linus, quoad Petrus vixit, solus Ecclesiæ Catholicæ Pontifex, uti et ipsi singuli suo tempore.*

i *Coluntur hi omnes* 24 *Junii, et fere de incendio Urbis per calumniam accusati; non ense, sed exquisitissimis tormentis enecti sunt : de* Herodione *vero et* Olympa *Romæ cum* Petro *passis, nihil alibi legimus.*

k *A* Marcello Petri *discipulo de cruce depositus et ad sepulturam delatus in aliis Actis dicitur.*

CAPUT IV.

S. Pauli persecutio, conversio, peregrinationes usque Thessalonicam.

Magnus itaque et beatus Domini Apostolus Paulus ipse quoque genere fuit Hebræus, de tribu Ben- C jamin, nobilibus ortus parentibus, Pharisæus institutione, patria Tarso Ciliciæ urbi adscriptus. Moysis legem a magistro Gamaliele ad summum usque edoctus, paternarum constitutionum fervens æmulator; jam inde a puero Saulus Romanus vocatus, persequens atque vastans insciens ecclesiam : quamobrem Protomartyris Stephani necem comprobavit, cum omnium eorum qui eum lapidabant vestes servandas accepisset, ut in illo cædendo omnium uteretur manibus. *a* Porro autem primus quoque ubique aderat cum iis, qui agitabant seditionem, studens destruere novam Religionem : multaque erant et magna, quæ ab ipso fiebant adversus Ecclesiam, et nihil ei ad summam deerat insaniam. In hoc enim pietatem exercere, et se præclare gerere arbitrabatur, sicut ipse fatetur in Epistolis, et Lucas refert in libro qui inscribitur Actus Apostolorum. Etenim non solum is, quemadmodum multi Judæi, odio habebat et aversabatur veram Religionem; sed etiam majorem totius gentis iram provocabat adversus Prædicatores ejus. Postquam enim ipsam vidit repente refulsisse, et fidei præcones evasisse minis superiores, æmulatione percitus, et ratus se maxima affici injuria, si præconium quidem per universam terram diffunderetur, præcones autem persecutorum parvifacerent periculum ; omne studium adhibuit, ut hos

S. Paulus persecutus Ecclesiam,

a

Ὁ μέγας τοίνυν τοῦ Κυρίου καὶ μακάριος Ἀπόστολος Παῦλος, καὶ αὐτός Ἑβραῖος μὲν ἦν τὸ γένος, φυλῆς δὲ Βενιαμίν, ἐξ εὐγενῶν φὺς γεννητόρων, Φαρισαῖος τὴν F αἵρεσιν, πατρίδα Ταρσὸν πόλιν τῆς Κιλικίας ἐπιγραφόμενος· τὸν Μωσέως νόμον ὑπὸ διδασκάλῳ Γαμαλιὴλ εἰς ἄκρον ἐκπαιδευθείς, διάπυρος ζηλωθὴς τῶν πατρίων ἐθῶν, ἐξ ἔτι παίδων Ῥωμαῖος Σαῦλος καλούμενος· διώκων καὶ πορθῶν ἐν ἀγνοίᾳ τὴν Ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ· διὸ δὴ καὶ συνευδοκῶν ἦν τῇ ἀναιρέσει Στεφάνου τοῦ Πρωτομάρτυρος, πάντων τῶν λιθοβολούντων αὐτὸν τὰ ἱμάτια καταδεξάμενος φυλάττειν, ἵνα ταῖς πάντων χερσὶ χρήσηται πρὸς τὸν ἐκείνου φόνον. Καὶ πρῶτος δὲ μετὰ τῶν στασιαζόντων ἐφίστατο πανταχοῦ, σπουδάζων καθαιρεῖν τὸ τῆς εὐσεβείας κήρυγμα· πολλάτε ἦν καὶ μεγάλα τὰ παρ' αὐτοῦ κατὰ τῆς Ἐκκλησίας γινόμενα, καὶ οὐδὲν εἰς ὑπερβολὴν μανίας ἐνέλιπεν· ἐν τούτῳ γὰρ εὐσεβεῖν καὶ τὰ μέγιστα καθορτοῦν ἐνόμιζε, καθὼς αὐτός τε ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς ὁμολογεῖ, καὶ Λουκᾶς ἱστορεῖ ἐν τῇ τῶν Πράξεων ἐπιγεγραμμένῃ βίβλῳ. Καὶ γὰρ οὐ μόνον οὗτος κατὰ τοὺς πολλοὺς τῶν Ἰουδαίων ἐμίσει τε καὶ ἀπεστρέφετο τῆς ἀληθείας τὸ κήρυγμα, ἀλλ' ἤδη καὶ μείζονα παντὸς τοῦ ἔθνους ὀργὴν ἐνεδείκνυτο κατὰ τῶν τούτῳ διακονούντων· Ὡς γὰρ εἶδεν ἀθρόον διαλάμψαν αὐτό, καὶ τοὺς τῆς πίστεως κήρυκας κρείττους φαινομένους τῶν ἀπειλῶν, ζηλοτυπήσας πρὸς τοῦτο, καὶ νομίσας ἀδικεῖσθαι τὰ μέγιστα, εἰ τὸ μὲν πανταχοῦ γῆς ἐξαπλοῖτο, οἱ δὲ τοὺς παρὰ τῶν διωκόντων κινδύνους ἐν ὀλίγῳ ποιεῖντο· πᾶσαν ἐτίθει σπουδήν, τοὺς μὲν ἀνελεῖν, τὸ δὲ ἐπισχεῖν

A ἐπισχεῖν· διὸ καὶ κομισάμενος παρὰ τῶν Ἱερέων καὶ Διδασκάλων ἐπιστολὰς, κατ' ἐκείνου καιροῦ, πρὸς τοὺς ἐν Δαμασκῷ Ἰουδαίους, ὥρμησε κατὰ τῶν ἐν αὐτῇ μαθητῶν.

15 Ἀλλ' ὁ ἐκ κοιλίας μητρὸς ἀφορίσας αὐτὸν εἰς οἰκείαν διακονίαν, εἰδὼς ὅτι ἄδικον μανίαν ἐκ δικαίᾳ δῆθεν προαιρέσει ἐκέκτητο, κατὰ μέσην τὴν ὁδὸν ἐπιφανεὶς αὐτῷ, πειροῖ μὲν αὐτοῦ τὰς σωματικὰς ὄψεις, τῷ μεγέθει τοῦ ἐπιφανέντος αὐτῷ ἀκραιφνεστάτου φωτὸς, φωτίζει δὲ αὐτοῦ τὸν νοῦν καὶ τὴν ψυχὴν εἰς τοσοῦτον, ὥστε τον πάλαι διώκτην, ἀγαπητὸν αὐτοῦ παραχρῆμα καὶ πιστοτ⁻⁻τον ποιήσασθαι κήρυκα· καὶ Παῦλον ἀντὶ Σαύλου μετ⁻νομάσας, ἔκ τε τοῦ σάλου τοῦ διωγμου μεταθεὶς εἰς τὴν ἀνάπαυσιν τῆς αὐτοῦ πίστεως, πέμπει πρὸς Ἀνανίαν τινὰ μαθητὴν ἐν Δαμασκῷ· παρ' οὗ τ ἅγιον ὁ Παῦλος εἰληφὼς βάπτισμα, τῶντε ἀχράντων μυστηρίων κοινωνὸς γενόμενος, σύμμαχος ἀξιόχρεος τοῦ κηρύγματος γίνεται. Τοσαύτην οὖν μεταβολὴν ὁ Μακάριος οὗτος ἐπεδείξατο μετὰ τὴν κλῆσιν, καὶ εἰς τοσοῦτον πρὸς Χριστὸν ἐξέκαυσε πόθον, ὥστε τοὺς ἀληθείας κήρυκας, οὐ μόνον διὰ λόγων, ἀλλὰ καὶ δι' ἔργων βεβαιῶσαι, δεδιότας αὐτὸν ἔτι καὶ ὑφορωμένους, ὡς πάσαις ταῖς προθυμίαις πρὸς τὴν δεσποτικὴν στοργὴν ἐξεῤῥάγη. Διὸ δὴ καὶ μετὰ
B τῶν ἐν Δαμασκῷ μαθητῶν γενόμενος, εὐθέως ἐν ταῖς συναγωγαῖς ἤρξατο κηρύσσειν τὸν Χριστὸν, συγχέων τοὺς Ἰουδαίους, καὶ αὖθις συμβιβάζων, ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ Χριστός.

16 Γνωστῆς δὲ αὐτῷ ἐπιβουλῆς γενομένης παρὰ τῶν Ἰουδαίων, διὰ τοῦ τείχους ἐν σπυρίδι χαλᾶται παρὰ τῶν μαθητῶν· καὶ ἐν Ἱερουσαλὴμ πρὸς τοὺς Ἀποστόλους παραγίνεται· ἐν ᾗ παῤῥησιαζόμενος, ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐλάλει τε καὶ συνεζήτει πρὸς τοὺς Ἑλληνίστας. Ἀλλὰ καὶ αὖθις ἐπιβουλῆς αὐτῷ δηλωθείσης, εἰς Καισάρειαν ὑπὸ τῶν ἀδελφῶν κατάγεται· κἀκεῖθεν εἰς Ταρσὸν ἔρχεται· ἔνθα Βαρνάβας παραγενόμενος, καὶ εὑρων αὐτὸν ἤγαγεν εἰς Αντιόχειαν. Ἐνιαυτῷ δὲ ὅλῳ τὰς συνάξεις ἐκεῖσαι ποιούμενοι, καὶ ὄχλον ἱκανὸν διδάξαντες, τούς τε μαθητὰς Χριστιανοὺς πρῶτον ὀνομάσαντες ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ πρὸς τοὺς ἀδελφοὺς μετὰ διακανίας στέλλονται, διὰ τὸν ἐπὶ Κλαυδίου Καίσαρος γεγενημένον λιμόν. Πληρώσαντες δὲ τὴν διακονίαν, ὑπέστρεψαν εἰς Ἀντιόχειαν ἔνθα λειτουργοῦντες τῷ Κυρίῳ καὶ νηστεύοντες, πρὸς τοῦ ἁγίου Πνεύματος εἰς τὸ ἔργον ὃ προεκλήθησαν ἀφορίζονται. Καὶ ἐκπεμφθέντες κατῆλθον εἰς Σελεύκειαν, κἀκεῖθεν εἰς Κύπρον ἀπέπλευσαν. καὶ γενόμενοι ἐν Σαλαμίνῃ κατήγγελλον τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ.
C Διελθόντες δὲ τὴν νῆσον ἄχρι Πάφου, τὸν ψευδοπροφήτην Βαριησοῦν ἀποτυφλοῦσι διαστρέφοντα πολλούς. Οὗ γενομένου, παραχρῆμα συνέβη πιστεῦσαι πολλούς· ἀλλὰ μὴν καὶ αὐτὸν τὸν ἐν τῇ νήσῳ ἀνθυπατεύοντα. Ἐκεῖθέν τε ἀναχθέντες, εἰς Πέργην τῆς Παμφυλίας ἔρχονται· κἀκεῖθεν εἰς Ἀντιόχειαν τῆς Πισσιδίας, ἐν ᾗ τῇ ἡμέρᾳ τῶν σαββάτων ἐν τῇ συναγωγῇ δημηγορήσας ὁ Παῦλος, πολλοὺς πρὸς τὴν εἰς Χριστὸν ἐπεσπάσατο πίστιν· ὅθεν ζήλου πλησθέντες οἱ Ἰουδαῖοι, τῆς πόλεως αὐτόν τε καὶ Βαρνάβαν ἐξέβαλον· οἱ δὲ ταύτης ἐξερχόμενοι, τὸν κονιορτὸν τῶν ἐκείνων ἀπετινάξαντο ποδῶν, κατὰ τὸ δεσποτικὸν παράγγελμα.

17 Καὶ ἐλθόντες εἰς τὸν Ἰκόνιον χρόνον τε συχνὸν ἐκεῖσε τελέσαντες, καὶ πολλοὺς Ἰουδαίους τε καὶ Ἕλληνας, ἀλλὰ μὴν καὶ τὴν μακαρίαν Θέκλαν, πρὸς τὴν τοῦ Κυρίου πίστιν ἐκκαλεσάμενοι, ὑπὸ τῶν ἀπειθησάντων Ἰουδαίων τε καὶ Ἑλλήνων ὑβρίζονται καὶ καταλεύονται· καὶ εἰς Λύστραν καὶ Δέρβην πόλεις Λυκαονίτιδας καταφυγόντες, τὸν ἐκ κοιλίας μητρὸς χωλὸν θεραπεύουσι, διὸ δὴ καὶ Θεοὶ τοῖς βαρβάροις ἐνομίσθησαν· καὶ θυσίας αὐτοῖς προσφερομένας ἐκώλυσαν· ἔπειτα παραγενομένων Ἰουδαίων ἀπὸ Ἀντιοχείας καὶ Ἰκονίου, καὶ πολλὰ λοιδορησάντων αὐτοὺς, ἀναπεισθέντες παρ' αὐτῶν οἱ ὄχλοι, καὶ λιθάσαντες τὸν Παῦλον, ἔσυραν ἔξω τῆς πόλεως· ὅπου φησὶν αὐτὸς, οἷά μοι ἐγένοντο ἐν Ἰκονίῳ, ἐν Ἀντιο·

quidem de medio tolleret, illud vero retardaret ac D
reprimeret. Quamobrem cum a Sacerdotibus et Doctoribus illo tempore accepisset epistolas ad Judæos, qui erant Damasci; iter ingressus est contra eos, qui erant in ea, discipulos. EX MS.

15 Sed qui ex utero matris eum segregavit ad suum ministerium, videns eum injusta teneri insania, dum justum se putat habere animi propositum, et in media via properanti apparens, corporeis quidem eum orbat oculis, magnitudine purissimæ lucis, quæ apparuit; mentem vero atque animam ejusdem adeo illuminat, ut ipsum, qui erat olim persecutor, dilectum statim et fidelissimum fecerit suum præconem. Sauli itaque nomine in Pauli nomen transmutato, eoque ex salo persecutionis traducto ad quietem ejus fidei, mittit ad Ananiam quemdam discipulum in urbe Damasco. A quo cum Paulus sanctum accepisset baptismum, et Christi intemeratis communicasset Sacramentis, efficitur fidelis socius prædicationis. Tantam ergo mutationem ostendit hic Beatus post vocationem, et ad tantum in Christum exarsit desiderium, ut præcones veritatis non solum verbis, sed factis etiam confirmaret: qui eum adhuc timebant, et suspectum habebant; ostendens se toto animi studio erupisse in amorem Domini. Quocirca E
cum fuisset cum iis, qui erant Damasci discipulis; statim cœpit prædicare Christum in synagogis, Judæos confutans, et rursum confirmans, eum esse Christum. *conversus, et baptizatus ab Anania prædicat Damasci,*

16 Cum autem ei fuissent cognitæ, quæ a Judæis parabantur insidiæ, per murum in sporta dimittitur a discipulis, et in Hierusalem accedit ad Apostolos. In qua libere loquens in nomine Domini Jesu, disserebat et disceptabat adversus Gentiles. Sed cum ei quoque rursus significatæ fuissent insidiæ, a Fratribus deducitur Cæsaream, et illinc venit Tarsum: quo cum venisset Barnabas, et eum invenisset, deduxit Antiochiam. Cum toto autem anno illic cœtus haberent, et satis magnam docuissent multitudinem, et discipulos primum nominassent Christianos; in Judæam ad Fratres mittuntur cum ministerio, propter famem, quæ fuit *b* tempore Claudii Cæsaris. Cum implessent autem ministerium, reversi sunt Antiochiam *c*; Domino sacrum obeuntes ministerium, et jejunantes, a sancto Spiritu segregantur ad opus, ad quod vocati fuerant. Emissi autem, venerunt Seleuciam, et illinc in Cyprum navigarunt: et cum fuissent Salaminæ, Dei verbum annuntiarunt. Cum vero pervasissent insulam usque ad Paphum, excæcant pseudoprophetam Barjesu, qui multos pervertebat: quod cum factum esset, evenit statim ut multi crederent, atque etiam ipse Proconsul, qui erat in insula. Illinc autem profecti, veniunt Pergen Pamphyliæ, et illinc Antiochiam Pisidiæ: in qua cum die Sabbatorum concionatus esset Paulus in synagoga, attraxit multos ad fidem in Christum. Quamobrem Judæi pleni æmulatione, eum et Barnabam ejecerunt e civitate: ipsi vero ex ea egredientes, excusserunt pulverem e suis pedibus, juxta præceptum Domini. *Hierosolymis, Cæsareæ, Antiochiæ, b c Seleuciæ, Salaminæ,* F *Paphi, Pergæ, Antiochiæ in Pisidia,*

17 Et cum venissent Iconium, et illic longo tempore versati essent, multosque Judæos et Gentiles, atque etiam beatam Teclam *d* ad fidem Domini vocassent; a Judæis, qui non crediderant, et Gentilibus, afficiuntur contumeliis, et appetuntur lapidibus. Cumque Lystram et Derben confugissent, quæ sunt urbes Lycaoniæ, medentur ei, qui fuerat claudus a matris utero; [*e* cumque propterea dii esse a barbaris putarentur, offerenda sibi sacrificia prohibuerunt. Deinde cum venissent ab Antiochia et Iconio Judæi, multasque ipsis injurias intulissent, persuasæ ab iis turbæ Paulum lapidaverunt, raptaveruntque extra civitatem. Unde et ipse ait; Qualia mihi *Iconii, d Lystris, Derbæ, e*

A *EX MS.* mihi facta sunt Antiochiæ, Iconii et Lystris; quales persecutiones sustinui, et ex omnibus eripuit me Dominus. Ægre autem consurgens mane, regressus est in urbem: rursumque egressus cum Barnaba venit Derben: illique prædicantes civitati, et multos discipulos facientes, iterum reverterunt Lystram et Iconium et Antiochiam]: quo in loco cum Presbyteros ordinassent, et Pisidiam pervasissent, venerunt in Pamphyliam. Et cum Pergæ locuti essent sermonem, descenderunt in Attaliam. Cum autem *Antiochia Syriæ,* venissent Antiochiam, et congregassent Ecclesiam, annuntiarunt quæcumque cum eis fecisset Dominus. Illinc dimissi, pervaserunt Phœniciam et Samariam, narrantes conversionem gentium. Cum venissent autem Hierusalem, revertuntur Antiochiam, ab Apostolis afferentes epistolam, quod non oporteat circumcidi, neque vesci sanguine, et abstinendum a suffocato et immolatis. Quo cum venissent, et satis longum tempus illic egissent, abierunt, Barnabas quidem in Cyprum, Marco assumpto; Paulus autem in partes Syriæ et Ciliciæ cum Silam elegisset, et Ecclesias quæ erant in civitate, confirmasset; venissetque iterum Derben et Lystram, et Timotheum *f* assumpsisset discipulum; eum circumcidit. Deinde B cum obiissent Phrygiam et Galatiam, a sancto Spi- *et variis locis,* ritu loqui sermonem in Asia prohibiti, venientes per Mysiam, tentarunt proficisci in Bithyniam, neque sivit eos Spiritus sanctus.

18 Transita autem Mysia, descenderunt in Troadem: et cum illinc accessisset in Samothraciam, *Troade Philippis,* veniunt Neapolim: et accedentes Philippos Macedoniæ, versati sunt illic dies aliquot. Quo in loco cum credidisset Lydia *g* purpuraria, in domum ejus venientes gratia precationis, spiritum pythonicum ejiciunt ab ancilla. Quamobrem ab ejus Dominis appetiti maledictis, ut qui alienos mores annuntiarent, cæduntur virgis a Magistratibus, et in carcerem conjiciuntur, eorumque pedes ligno caute et diligenter stringuntur. Ubi cum media nocte orarent, et Deum laudarent; [magnus extitit terræ motus, ostiisque custodiæ patefactis, vincti omnes soluti sunt]; et custos carceris *h*, effectus fidelis cum tota familia, a Paulo accepit salutarem baptismum. Egressi autem e civitate, cum Amphipolim transmisissent et *Thessalonicæ.* Apolloniam, venerunt Thessalonicam: in qua multis acceptis in disciplinam, Judæos ad iram provocarunt: qui etiam collecta multitudine, conturbarunt C civitatem. Et cum accessissent ad ædes Jasonis, quærebant eos producere ad populum: iis autem non inventis, traxerunt Jasonem, et aliquot ex Fratribus ad Magistratus civitatis, qui eos satisfactione accepta dimiserunt.

χεία, ἐν Λύστροις, οἵους διωγμοὺς ὑπήνεγκα, καὶ ἐκ πάντων μοι ἐρρύσατο ὁ Κύριος. Μόλις δὲ τῇ ἐπαύριον D ἀναστὰς, εἰσῆλθεν εἰς τὴν πόλιν, κἀκεῖθεν ἐξῆλθεν σὺν τῷ Βαρνάβᾳ εἰς Δέρβην· εὐαγγελισάμενοί τε τὴν πόλιν ἐκείνην καὶ μαθητεύσαντες ἱκανοὺς, ὑπέστρεψαν αὖθις εἰς Λύστραν καὶ Ἰκόνιον καὶ Ἀντιόχειαν· ἔνθα Πρεσβυτέρους χειροτονήσαντες, τὴν Πισσιδίαν τε διαβάντες, ἦλθον εἰς Παμφυλίαν· καὶ λαλήσαντες ἐν Πέργῃ τὸν λόγον, κατέβησαν εἰς Ἀττάλειαν. Παραγενόμενοι δὲ εἰς Ἀντιόχειαν, καὶ τὴν ἐκκλησίαν συναγαγόντες, ἀνήγγειλαν ὅσα ἐποίησεν ὁ Θεὸς μετ' αὐτῶν· ἐκεῖθεν δὲ προπεμφθέντες διήρχοντο τὴν Φοινίκην καὶ Σαμάρειαν, ἐκδιηγούμενοι τὴν ἐπιστροφὴν τῶν ἐθνῶν. Παραγενόμενοι δὲ εἰς Ἱερουσαλὴμ, αὖθις εἰς Ἀντιόχειαν ὑποστρέφουσι, τὴν περὶ τοῦ μὴ δεῖν περιτέμνεσθαι, καὶ μὴ μεταλαμβάνειν αἵματος, καὶ ἀπέχεσθαι πνικτοῦ καὶ εἰδωλοθύτων, κομιζόμενοι παρὰ τῶν Ἀποστόλων διαλαμβάνουσαν ἐπιστολήν. Ἔνθα παραγενόμενοι, καὶ χρόνον τελέσαντες ἱκανὸν, ὁ μὲν Βαρνάβας εἰς Κύπρον, Μάρκον παραλαβών· Παῦλος δὲ εἰς τὰ μέρη Συρίας καὶ Κιλικίας τὸν Σίλαν ἐπιλεξάμενος, καὶ τὰς κατὰ πόλιν ἐκκλησίας ἐπιστηρίζων. Καὶ ἐλθὼν εἰς Δέρβην καὶ Λύστραν, τὸν Τιμόθεον εἰς μαθητείαν παραλαβὼν, περιέτεμεν. Ἔπειτα διελθόντες τὴν Φρυγίαν καὶ τὴν Γαλατικὴν χώραν, κωλυθέντες ὑπὸ τοῦ ἁγίου Πνεύματος λαλῆσαι τὸν λόγον ἐν τῇ Ἀσίᾳ, E κατὰ τὴν Μυσίαν ἐλθόντες ἐπείραζον κατὰ τὴν Βιθυνίαν πορεύεσθαι, καὶ οὐκ εἴασεν αὐτοὺς τὸ ἅγιον Πνεῦμα.

18 Παρελθόντες δὲ τὴν Μυσίαν κατέβησαν εἰς Τρωάδα· κἀκεῖθεν εἰς Σαμοθράκην παραγενόμενοι, ἔρχονται εἰς Νεάπολιν. Καὶ ἐλθόντες εἰς Φιλίππους τῆς Μακεδονίας, διέτριβον ἐκεῖσε ἡμέρας τινάς. Ἔνθα τῆς Πορφυροπώλιδος πιστευσάσης Λυδίας, εἰς τὸν οἶκον αὐτῆς εὐχῆς χάριν πορευόμενοι, τὸ πυθονικὸν πνεῦμα τῆς παιδίσκης ἀπελαύνουσιν· ὅθεν ὑπὸ τῶν Κυρίων αὐτῆς λοιδορηθέντες, ὡς ἐθῶν ἀλλοκότων καταγγελέντες, ῥάβδοις ὑπὸ τῶν στρατηγῶν τύπτονται, φυλακῇ τε βάλλονται, καὶ τοὺς πόδας ξύλῳ ἀσφαλίζονται. Ὅπου κατὰ τὸ μεσονύκτιον εὐχομένων αὐτῶν, καὶ τὸν Θεὸν ὑμνούντων, σεισμὸς γίνεται μέγιστος, αἵ τε θύραι τῆς φυλακῆς ἀναπετάννυνται, καὶ οἱ δεσμῶται πάντες ἀνίενται καὶ, ὁ δεσμοφύλαξ πιστὸς πανοικὶ ἀναδείκνυται, τὸ πρὸς σωτηρίαν ὑπὸ Παύλου εἰληφὼς βάπτισμα. Ἐξελθόντες δὲ τῆς πόλεως διοδεύσαντές τε τὴν Ἀμφίπολιν, καὶ Ἀπολλωνίαν, ἦλθον εἰς Θεσσαλονίκην,· ἐν ᾗ πολλοὺς μαθητεύσαντες, εἰς ὀργὴν τοὺς Ἰουδαίους ἐξεκαλέσαντο, οἱ καὶ ὀχλοποιήσαντες, ἐθορύβουν τὴν πόλιν, καὶ ἐπιστάντες τῇ οἰκίᾳ Ἰάσονος, ἐζήτουν αὐτοὺς προαγαγεῖν εἰς τὸν δῆμον καὶ μὴ εὑρόντες ἔσυραν F τὸν Ἰάσονα ἐπὶ τοὺς πολιτάρχας καὶ τινας ἀδελφοὺς, παρ' οὗ τὸ ἱκανὸν εἰληφότες, ἀπέλυσαν αὐτούς.

ANNOTATA G. H.

a *Hic nos destituit Sirleti versio: reliqua ergo sumimus ex Lipomanni versione.*

b *Anno* 2 *Claudii, ac Christi* 42.

c *MS. Venetum, ex eoque interpres Zinus,* εἰς Ἱεροσόλυμα, Hierosolymam: *quod correximus ex manifesto textu Actuum Apostolicorum cap.* XI *in fine.*

d *Colitur* S. Thecla 23 *Septembris, ut Protomartyr feminarum habita.*

e *Desunt hæc omnia in MS. Veneto, a nobis ex Parisiensi suppleta.*

f *Acta* S. Timothei *illustravimus ad diem* 24 *Jan.*

g *Est etiam* Lydia *inscripta Martyrologio Romano ad diem* 3 *Augusti.*

h *Hæc rursum deerant Lipomanno; Lipomanni interpres* Strongylam *verterat, quæ est insula maris Tyrrheni longe a Græcia.*

CAPUT V.

Reliqua Pauli itinera usqueRomam.

Berææ, Illinc autem egressus Paulus, cum iis qui cum eo erant, venit Berœam. Quo in loco cum multos accepisset discipulos, Timotheus quidem et Silas illic remanent, magnus autem Paulus per mare venit *Athenis,* Athenas. Transiens autem, et ea contemplans, quæ ab eis colebantur; aram quoque invenit, in qua erat

Καὶ ἐξελθόντες ἐκεῖθεν οἱ περὶ τὸν Παῦλον ἔρχονται εἰς Βέροιαν· ἔνθα πολλοὺς μαθητεύσαντες, ὁ μὲν Τιμόθεος καὶ Σίλας αὐτοῦ που προσμένουσιν· ὁ δὲ μέγας Παῦλος διὰ θαλάσσης εἰς Ἀθήνας παραγίνεται. Διερχόμενος δὲ, καὶ ἀναθεωρῶν αὐτῶν τὰ σεβάσματα, εὗρε καὶ βωμὸν ἐν ᾧ ἐπεγέγραπτο, Ἀγνώστῳ Θεῷ· ἐξ οὗ μικρᾶς προφάσεως

λαβόμενος

A λαβόμενος, εὐαγγελίζεται αὐτοῖς μέσον τοῦ Ἀρείου πάγου τὸν Κύριον καὶ Θεὸν ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν καὶ ἱκανοὺς αὐτίκα πρὸς τὴν εἰς Χριστὸν πίστιν ἐπεσπάσατο, ἐν οἷς καὶ Διονύσιον τὸν Ἀρεοπαγίτην, καὶ γυναῖκά τινα σέμνην, ὀνόματι Δάμαριν, καὶ ἑτέρους σὺν αὐτοῖς. Μετὰ δὲ ταῦτα τῶν Ἀθηνῶν ὁ Παῦλος ἀπάρας, ἔρχεται εἰς Κόρινθον, καὶ Πρίσκιλλαν καὶ Ἀκύλαν εὑρὼν, καὶ ὁμοτέχνους ὄντας αὐτῷ, κατάγεται παρ' αὐτοῖς· ἔνθα ἐνιαυτὸν ἕνα καὶ μῆνας πέντε ποιήσας, πολλούς τε τῷ λόγῳ τῆς χάριτος Ἰουδαίων καὶ Ἑλλήνων φωτίσας, καὶ πρὸς τὴν τοῦ Κυρίου πίστιν ἐκκαλεσάμενος, Πρίσκιλλάντε, καὶ Ἀκύλαν παραλαβὼν, ἔτι μὴν καὶ Τιμόθεον, εἰς Ἔφεσον ἔρχεται· κἀκεῖσε καταλιπὼν αὐτοὺς, εἰς Καισαρείαν σὺν ἅμα Τιμοθέῳ παραγίνεται· καὶ ἀσπασάμενος τὴν Ἐκκλησίαν, κατέβη εἰς Ἀντιόχειαν· ἐν ᾗ ποιήσας χρόνον τινὰ, ἐξῆλθε διερχόμενος καθεξῆς τὴν Γαλατικὴν χώραν.

20 Καὶ διὰ τῶν ἀνωτερικῶν μερῶν εἰς Ἔφεσον παραγενόμενος, ἐπὶ μησὶ τρισὶ τοῖς Ἰουδαίοις διαλεγόμενος περὶ τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ ἀνέπειθε, μὴ προσανέχειν τοῖς σκιωδῶς ὑπὸ τοῦ νόμου λεγομένοις, , ἀλλ' ἐπὶ τὸ πνεῦμα μεταῤῥυθμίζεσθαι. Ἐν ἄλλοις δὲ δυσὶν ἔτεσι καὶ B μικρόν τι πρὸς τοῖς Ἐφεσίοις προσμείνας, καὶ σχεδὸν τὴν Ἀσίαν πᾶσαν πρὸς τὴν τοῦ Κυρίου πίστιν ἐπισπασάμενος, δυνάμεις τε οὐ τὰς τυχούσας, οὐ δι' ἑαυτοῦ μόνον, ἀλλὰ καὶ διὰ τῶν σουδαρίων καὶ ἡμικινθίων αὐτοῦ τελέσας, νόσους τε παντοίας καὶ δαίμονας ἀπελάσας, τόντε Τιμόθεον Ἐπίσκοπον αὐτοῖς καταστήσας, ἐξῆλθε πορευθῆναι εἰς τὴν Μακεδονίαν. Διελθὼν δὲ τὰ μέρη ἐκεῖνα, εἰς τὴν Ἑλλάδα παρεγένετο· καὶ ποιήσας τρεῖς μῆνας, καὶ πολλοὺς μαθητεύσας ἔρχεται εἰς Τρωάδα· ἔνθα τὸν Εὔτυχον νυστάξαντα ἐν τῇ διαλέξει, καὶ ἀπὸ τοῦ τριστέγου κάτω πεσόντα καὶ θανόντα ἀναστήσας, εἰς τὴν Ἄσσον ἀνάγεται, εἶτα εἰς Μιτυλήνην καὶ τῇ ἐπιούσῃ ἀντικρὺ Χίου γενόμενος, τῇ ἑτέρᾳ εἰς Σάμον παρέβαλε.

21 Καὶ μείνας ἐν Στρογγύλῃ τῇ ἐχομένῃ, εἰς Μίλητον παραγίνεται· ἐξ ἧς πέμψας εἰς Ἔφεσον, μετεκαλέσατο τοὺς Πρεσβυτέρους τῆς Ἐκκλησίας· ὡς δὲ παρεγένοντο, περὶ ταπεινοφροσύνης καὶ ἀνεξικακίας αὐτοῖς διαλέγεται, ἔπειτα περὶ ἐκκλησιαστικῆς καταστάσεως καὶ τῆς τοῦ ποιμνίου ἐπιμελείας, αὖθις περὶ τῶν μελλόντων αὐτῷ τε, εἰς Ἱερουσαλὴμ ἥκοντι, συμβαίνειν καὶ αὐτοῖς μετὰ τὴν αὐτοῦ ἄφιξιν προφητεύσας, καὶ περὶ τοῦ δεῖν γρηγορεῖν ἐπὶ τοῖς, δίκην λύκων μέλλουσιν ἀφειδῶς τὴν ποίμνην διασπᾷν, ἐπισκήψας αὐτοῖς, τῷ Θεῷ τε αὐτοὺς παραθέμε- C νος καὶ ἐπευξάμενος, πλοίῳ εὐθὺς ἀνάγεται· δι' οὗ εἰς τὴν Κῶ νῆσον παραγενόμενος, εἰς τὴν Ῥόδον ἀπέλευσε, κἀκεῖθεν εἰς Πάταρα· ἔνθα πλοίου ἐπιβὰς ἑτέρου, τὴν Κύπρον καταλιπὼν εὐώνυμον, τὴν Συρίαν παρέπλεε· καὶ γενόμενος ἐν Τύρῳ (ἐκεῖσε γὰρ ἦν τὸ πλοῖον τὸν γόμον ἀποφορτιζόμενον) μαθητὰς εὑρηκὼς, ἐπέμεινε πρὸς αὐτοὺς ἡμέρας ἑπτά, αὖθίς τε τῷ πλείῳ χρησάμενος, εἰς Πτολεμαΐδα γίνεται, κἀκεῖθεν εἰς Καισάρειαν, καὶ παρὰ Φιλίππῳ τῷ Εὐαγγελιστῇ, ὄντι ἐκ τῶν ἑπτὰ Διακόνων, καταγεται· Καὶ μεθ' ἡμέρας τινας ἐπισκευσάμενος, εἰς Ἱερουσαλὴν παραγίνεται, καὶ ἀφαγνισθεὶς ἡμέρας ἑπτά, εἰς τὸ ἱερὸν εἰσεῖσι, διαγγέλων τὴν ἐκπλήρωσιν τοῦ ἁγνισμοῦ.

22 Ἔνθα οἱ ἀπὸ τῆς Ἀσίας Ἰουδαῖοι, θεασάμενοι αὐτόν, συνέχεον πάντα τὸν ὄχλον, καὶ ἐπέβαλλον τὰς χεῖρας αὐτῶν ἐπὶ τὸν Παῦλον, κράζοντες· Ἄνδρες Ἰσραηλῖται, βοηθεῖτε. Γενομένης δὲ συνδρομῆς τοῦ λαοῦ πλείστης, ἤρξαντο κατ' αὐτοῦ λέγειν ταῦτα· Οὗτός ἐστιν ὁ κατὰ τοῦ νόμου καὶ τοῦ τόπου τούτου πάντας πανταχοῦ διδάσκων, ἀλλὰ καὶ Ἕλληνας εἰς τὸ ἱερὸν εἰσήγαγε καὶ κεκοίνωκεν αὐτοῖς. Καὶ αὐτίκα κινηθὲν τὸ πλῆθος ὥρμησεν ἀνελεῖν αὐτόν· ἀλλ' εὐθὺς ὁ χιλίαρχος Λυσίας, τοῦτον ἐπιστὰς ἐξαιρεῖται, κατὰ μετὰ στρατιωτικῆς βοηθείας εἰς Καισάρειαν πρὸς τὸν Ἡγούμενον ἐκπέμπει, καὶ πρὸς τὸν Ἐθνάρχην Φῆστον ἄγει. Αἰσθόμενος δὲ συσκευὴν κατ'

D scriptum, Ignoto Deo : unde parva accepta occasione, annuntiat eis in medio Areopago Dominum nostrum et Deum Jesum Christum, [initium a ducens et ipsa aræ inscriptione :] statimque satis multos baptizavit ad fidem in Christum. Inter quos Dionysium b quoque Areopagitam, et honestam quamdam mulierem, nomine Damarim, c et cum eis alios. Post hæc vero Athenis abiens Paulus, venit Corinthum : et cum Priscillam d et Aquilam invenisset, ejusdem, cujus ipse erat, artis, apud eos diversatur. Quo in loco cum annum et menses quinque transegisset, et multos tam ex Judæis, quam ex Græcis, gratiæ verbo illuminasset, et ad Domini fidem evocasset, Priscilla et Aquila et Timotheo assumptis, venit Ephesum; eisque illic relictis, Cæsaream una cum Timotheo. Cumque salutasset Ecclesiam, descendit Antiochiam : in qua aliquantulum temporis versatus, egressus est, transiens deinceps per Galatiam et Phrygiam.

Corinthi,

Ephesi,

20 Cum autem per superiores partes venisset Ephesum, tribus mensibus cum Judæis disserens in synagoga de regno Dei, persuasit ne iis attenderent, quæ adumbrate dicebantur a Lege, sed ea ad spiritum transferrent. Cumque apud eos alios duos E annos et paulo plus mansisset, et fere totam Asiam ad fidem Christi attraxisset, virtutesque minime vulgares, non per se solum, sed etiam per sudaria ac semicinctia sua perfecisset, et omne genus morbos et dæmones exegisset, atque Timotheum Episcopum eis constituisset; egressus est, ut iret in Macedoniam. Illis autem partibus transmissis, venit in Græciam : et cum tres illic menses transegisset, et multos accepisset discipulos, accessit Troadem. Hoc in loco Eutychum, qui sub sermone dormitaverat, et ex tertio cœnaculo deorsum ceciderat, ac mortuus erat; suscitavit, et ivit Assum, deinde Mitylenen : cumque die sequenti esset ex adverso Chii, altera die appulit Samum.

plura patrat miracula

21 Et cum mansisset Strongilæ e die sequenti, venit Miletum. Ex qua cum misisset Ephesum, accersiit Presbyteros Ecclesiæ. Postquam autem accessissent, cum eis disserit de humilitate et malorum tolerantia, deinde de constitutione ecclesiastica, et gregis cura. Et rursus, cum ea, quæ et sibi, Hierusalem eunti, et eis post ejus recessum erant eventura, prædixisset; et, vigilare contra eos, qui instar luporum sunt gregem avide divulsuri, mandavisset, eosque Deo commendasset, ac precatus F esset, navem ascendens, statim solvit. Qua vectus, cum venisset in Coum f Insulam, Rhodum navigavit : et illinc Pataram. Quo in loco cum alterum ascendisset navigium, Cypro relicta a sinistris, præternavigavit Syriam; et cum venisset Tyrum (illic enim navis impositum onus exonerabat) et invenisset discipulos, mansit apud eos septem dies. Et navi rursus usus, venit Ptolemaidem, et illinc Cæsaream, apud Philippum g Evangelistam, qui erat ex septem Diaconis, diversatus. Et post dies aliquot, sublatis sarcinis, venit Hierusalem : et per septem dies purificatus, templum ingreditur, annuntians impletos esse dies purificationis.

Post varia lustrata loca

Hierosolymam venit;

22 Hic qui erant ex Asia Judæi, cum eum adspexissent, conturbarunt omnem multitudinem, et manus suas in Paulum immiserunt, clamantes : Viri Israelitæ, ferte auxilium. Facto autem maximo populi concursu; cœperunt dicere : Hic est, qui adversus legem et locum hunc, omnes ubique docet : quin etiam Gentiles introduxit in templum, et communicavit cum ipsis. Statim ergo mota multitudo, incitata est, ut eum tolleret de medio : sed mox adveniens Tribunus Lysias, eum liberat, atque cum militari auxilio mittit ad Præsidem Felicem, cui successit Festus. Cum sensisset autem Paulus

A Paulus a Judæis in ipsum strui insidias, pro tribunali ad Cæsarem statim provocat. Et tunc quidem dimittitur a judicio, cessant autem, quæ in eum a Judæis parabantur insidiæ, et deinceps a Præsidibus mittitur ad Cæsarem. Cum vero esset constitutum, ut Paulus navigaret in Italiam, eoque accepto Centurio quidam, nomine Julius, una cum aliis vinctis navem Adrumetinam ascendisset venit Sidonem, et illinc in Cyprum. Præternavigato deinde pelago, quod est ex adverso Ciliciæ et Pamphyliæ, veniunt Myram *h* urbem Lyciæ. Et cum navem ascendissent Alexandrinam, vix Gnidum perveniunt. Unde subnavigantes Cretam per Salmonem, *i* venerunt in locum, qui dicitur Pulchri portus. *k* Ex quo cum solvissent, et Cretam præterlegerent spirante vento typhonico, qui Euroaquilo dicitur, prope Caudam sic dictam insulam, decurrunt.

ex MS ad Cæsarem provocat; h in itinere Romam vehendus i k

23 Cum autem vehementi tempestate exagitati, navis armamenta suis manibus ejecissent, et omnes magna affecti tristitia mortem expectarent, surgens Paulus in medio eorum, jussit eos esse bono animo, eo quod nullius animæ facienda esset jactura, sed solius navis; hortatusque est eos, ut cibum sumerent, quia jam quatuordecim dies manserant B jejuni. Cumque servati essent ii, qui erant cum Paulo, nave dissoluta ab undarum violentia, descendentes in terram, cognoverunt insulam vocari Meliten. Quo in loco dum congregaret Paulus sarmentorum multitudinem, vipera ejus manum apprehendit: quam in ignem excutiens, et nihil mali passus, Deus existimatus est a Barbaris. Quin etiam cum patrem Publii liberasset ab eo, quo laborat tormine intestinorum, et plura alia fecisset miracula, cum iis, qui secum navigabant, alia nave venit Syracusas, et illinc Rhegium, deinde Puteolos, ac denique Romam ipsam. Cum autem cognovissent Fratres adventum ejus, iverunt ei obviam usque ad Forum Appium, et tres Tabernas. Et Centurio quidem reliquos vinctos tradidit duci exercitus, Paulus autem toto biennio servabatur ab uno milite, omnes qui ad ipsum veniebant excipiens, et Dei Regnum cum omni fiducia prædicans absque impedimento.

patitur naufragium. Romæ vinctus prædicat regnum Dei.

αὐτοῦ γενομένην ὑπὸ τῶν Ἰουδαίων ὁ Παῦλος, εὐθὺς ἐπὶ D τοῦ βήματος ἐπιβοᾶται Καίσαρα· καὶ ἀνίεται μὲν τέως τοῦ κριτηρίου, ἀργεῖ δὲ ἡ κατ᾽ αὐτοῦ τοῖς Ἰουδαίοις μελετωμένη ἐπιβουλὴ, καὶ λοιπὸν ὑπὸ τῶν Ἀρχόντων ἐκπέμπεται πρὸς Καίσαρα. Ὡς δὲ ἐκρίθη τοῦ ἀποπλεῖν τὸν Παῦλον εἰς τὴν Ἰταλίαν, παραλαβὼν αὐτὸν ἑκατόνταρχός τις, ὀνόματι Ἰούλιος, σὺν ἅμα ἑτέροις δεσμίοις, ἐπιβὰς τε πλοίῳ Ἀδρυμυτηνῷ, εἰς Σιδῶνα παραγίνεται, κἀκεῖθεν εἰς Κύπρον. Παραπλεύσαντες δὲ τὸ κατὰ τὴν Κιλικίαν καὶ Παμφυλίαν πέλαγος, εἰς Μύραν τῆς Λυκίας ἔρχονται· καὶ ἐμβάντες εἰς πλοῖον Ἀλεξανδρινὸν, μόλις εἰς Κνίδον παραγίνονται· καὶ ὑποπλεύσαντες τὴν Κρήτην κατὰ Σαλμώνην, ἦλθον εἰς τόπον καλούμενον Καλουςλιμένας, ἐξ οὗπερ ἀναχθέντες καὶ τὴν Κρήτην παραλεγόμενοι, ἀνέμου τε τυφονικοῦ τοῦ καλουμένου Εὐροκλήδωνος πνεύσαντος εἰς Κλαύδην οὕτω λεγομένην νῆσον ἔρχονται.

23 Καὶ σφοδρῶς χειμασθέντες, καὶ τὴν σκευὴν τοῦ πλοίου αὐτόχειρες ῥίψαντες, πάντων ἐν ἀνθυμίᾳ ὄντων καὶ θνήξεσθαι προσδοκόντων, ἀναστὰς ὁ Παῦλος ἐν μέσῳ αὐτῶν, εὐθυμεῖν αὐτοῖς παρεκελεύετο, ὡς μηδεμίας ψυχῆς ἀπολουμένης πλὴν τοῦ πλοίου, καὶ τροφῆς αὐτοὺς μεταλαβεῖν προετρέπετο, τέσσαρες καὶ δεκάτην ἡμέραν νήστεις διαμένοντας. Καὶ διασωθέντες οἱ περὶ τὸν Παῦλον ἐκ τοῦ πλοὸς, τῆς νηὸς διαλυθείσης ὑπὸ τῆς βίας τῶν κυμάτων, ἀποβάντες εἰς τὴν γῆν, ἐπέγνωσαν ὅτι Μελίτη ἡ νῆσος καλεῖται, Ἔντα φρυγανιζομένου τοῦ Παύλου, ἔχιδνα τῆς χειρὸς αὐτοῦ καθάπτεται, ἣν εἰς τὸ πῦρ ἀποτιναξάμενος, μηδὲν πεπονθὼς ἄτοπον, Θεὸς ὑπὸ των βαρβάρων νενόμισται· ἀλλὰ καὶ τὸν πατέρα τοῦ Κύβλίου τῆς συνεχούσης αὐτὸν δυσεντερίας ἀπαλλάξας, καὶ ἕτερα πλείω θαυματουργήσας, εἰς Συρακούσας πλοίῳ ἑτέρῳ ἅμα τοῖς συμπλωτῆρσι παραγίνεται, κἀκεῖθεν εἰς Ῥήγιον, ἔπειτα εἰς Ποτιόλους, εἶτα εἰς Ῥώμην αὐτήν. Ἐγνωκότες δὲ οἱ ἀδελφοὶ τὴν παρουσίαν Παύλου, ἐξῆλθον ἀπαντήσοντες αὐτὸν ἄχρις Ἀππίου φόρου καὶ Τρίων-ταβερνῶν· καὶ ὁ μὲν ἑκατόνταρχος τοὺς λοιποὺς δεσμίους παρέδωκε τῷ στρατοπεδάρχῃ, ὁ δὲ Παῦλος ἦν φυλασσόμενος ὑφ᾽ ἑνὸς στρατιώτου διετίαν ὅλην, πάντας τοὺς εἰς αὐτὸν πορευομένους ἀποδεχόμενος, καὶ κηρύσσων τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ μετὰ πάσης παῤῥησίας ἀκολύτως. E

ANNOTATA G. H.

a *Deerant hæc in MS. Regio, aderant Lipomanno.*

C b *De S. Dionysio Areopagita, uti etiam de Parisiensi agetur in Octobri.*

c *Mirum est, hanc* Lydiam *nullis, Græcorum saltem, Fastis additam.*

d *Coluntur* Aquila *et* Priscilla *conjuges* 8 *Julii.*

e *Græce,* Καὶ μείνας ἐν Τρογγύλῃ. *Desunt in textu Latino Actuum cap.* 20. *At in textu Græco ita leguntur versu* 15. Καὶ μείναντες ἐν Τρωγυλλίῳ. *Est autem* Trogyllum *promontorium Asiæ : haud procul Samo insula, a Ptolomæo memoratum.*

f *MS. Regium male,* Κονῆσον, *dividenda vox erat;* Κῶς *autem Insula est cum civitate ejusdem nominis.*

g S. Philippi *hujus gesta discussimus* 6 *Junii, dici autem videtur* Evangelista, *quia, Eunucho baptizato, dicitur Evangelizasse civitatibus* cunctis, *ab Azoto usque* Cæsaream. *Act.* 8.

h *In Latino textu est* Lystram Lyciæ *cap.* 27 *Actuum ver.* 6. *Verum ante cap.* 14 *ver.* 6 Lystra et Derbe civitates Lycaoniæ *dicuntur, et hoc loco* F *ubique, et textu Græco, Syriaco, et apud S. Chrysostomum legitur* Myra, *quæ haud procul a littore distat, inde forsan suos Lystræ invisit, dum alterius navis apparatus fieret.*

i *Salmona promontorium Orientale Cretæ, etiamnum* caput Salamoni *dictum. Ptolomæo* Sammonium *promontorium ab oppido vicino adhuc* Samoni *dicto.*

k *Græci appellant* Καλοὺς λιμένας. *Hujus loci situs conjicitur ex dicta* Salmona, *unde venerant, et Cauda insula, ad quam dein navigarunt : hæc* Cauda *adhuc appellatur, haud procul a littore Cretæ, aliis* Claudos *et* Clauda ; *vulgo* il Gosso.

CAPUT VI.

Pauli profectio in Hispaniam, reditus Romam, et Martyrium.

Atque hæc quidem hucusque narravit Lucas *a* in Actibus Apostolorum, qui librum eo tempore composuit : quæ autem sunt postea consecuta, postquam Paulo Romæ relicto profectus est Thebas *b* Bœotiæ, minime composuit. Eusebius autem, qui in

a Prædicat in Gallia et Hispania, b

Τὰ μὲν οὖν μέχρι τούτου Λουκᾶς ἐν ταῖς Πράξεσι τῶν Ἀποστόλων ἱστόρηκε, κατ᾽ ἐκείνων καιρῶν τὸ βιβλίον συντάξας· τὰ δ᾽ ἑξῆς, ἐπεὶ Παῦλον ἐν Ῥώμῃ καταλιπὼν, πρὸς τὰς Βοιωτίας Θήβας ἀπῆρεν, ἥκιστα συνέταξεν· Εὐσέβιος δὲ, τῷ δευτέρῳ τόμῳ τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἱστορίας ἀκριβῶς

A ἀκριβῶς περιεργασάμενος, φησὶ, τὸν Παῦλον τότε μὲν ἐπὶ Νέρωνος ἀπολυθῆναι, καὶ τὸν τοῦ Θεοῦ λόγον ἄνετην ἐν Ρώμη διατρίβοντα κηρύξαι ἐφ᾽ ὅλοις ἔτεσι δέκα, ἐν οἷς λέγεται ἀποδημίαν εἴς τε Ἱσπανίαν καὶ Γαλλίας καὶ Ἰταλίαν στείλεσθαι τὸν τοῦ Χριστοῦ κήρυκα, καὶ κατασπεῖραι τὸν λόγον, καὶ πολλοὺς τῶν πατρώων ἀποσπᾶσαι θεῶν, καὶ τῇ ποίμνῃ τοῦ Κυρίου ἐπισυνάψαι. Καὶ δὴ πρὸς τῇ Ἱσπανίᾳ γενομένῳ τότε, τοῖον δέ τι τούτῳ συμβῆναι λέγουσιν.

25 Γύναιόν τι τῶν ἐπιστήμων, ἐπί τε περιφανείᾳ γένους καὶ πλούτου βάρει καὶ σοφίᾳ τῇ περὶ λόγους, τὴν ἀκοὴν ἔκπαλαι τὴν ἀποστολικὴν δεξάμενον, ἐπεθύμει καὶ αὐταῖς ὄψεσιν ἰδεῖν τὸν κήρυκα τῆς ἀληθείας, καὶ τοῖς ὠσὶ τὰ τῆς ὄντως ζωῆς ἐνηχηθῆναι δόγματα. Δόξαν οὖν αὐτῇ, κατά δή τι θεῖον εἰς τὴν ἀγορὰν προκόψαι, καθ᾽ ὃν καιρὸν, καὶ ὁ ἐκ μόνης φήμης αὐτῇ Παῦλος ἀγαπώμενος, μέσην διήρχετο ταύτην. Ἰδεῖν δὲ αὐτὸν λέγεται ταύτην πρᾴως βαδίζοντα (ὡς ἐκεῖνος κεχαριτωμένον ἔχων οὐ μόνον τὸν ἄλλον τρόπον, ἀλλὰ καὶ αὐτὸ τὸ βάδισμα) καὶ θέοθεν ὁρμηθεῖσαν, πεῖσαι τὸν ἑαυτῆς ἄνδρα, Πρόβον τοὔνομα, τῶν ἐκεῖσε πρωτεύοντα, ἐντὸς οἴκου τοῦ οἰκείου τὸν ξένον δέξασθαι· ἐπεὶ δὲ καὶ προσεβλήθη, καὶ πλησίον αὐτοῖς ἐγεγόνει, θαῦμά τι περὶ τὴν γυναῖκα συμβῆ-
B ναι τοιοῦτον. Ἀνακαλυφθέντων αὐτῆς τῶν τοῦ νοὸς ὀφθαλμῶν, ἰδεῖν περὶ τοῦ μετώπου τοῦ ἐπιξενωθέντος αὐτοῖς, ἐπίχρυσα γράμματα, Παῦλος ὁ τοῦ Χριστοῦ κήρυξ, διαγορεύοντα. Τὴν δὲ τῷ ἀνελπίστῳ τῆς ὄψεως ἡδονή τε καὶ δέος εἰσῄει, καὶ δακρύων περίπλεως, τοῖς ποσὶ τοῦ Ἀποστόλου προσέπιπτε, κατηχηθεῖσα τε παρ᾽ αὐτοῦ, πρωτον μὲν αὐτὴ τὸ βάπτισμα δέχεται, Χανθίππη κληθεῖσα· μετὰ δὲ ταῦτα Πρόβος ὁ ταύτης ἀνὴρ, Νέρωνι γνωστὸς ὤν· ἔπειτα καὶ Φιλόθες ὕπαρχος, καὶ καθεξῆς πάντες οἱ τῆς χώρας ἐκείνης οἰκήτορες. Ὅτι δὲ ἐν Ἱσπανίᾳ γέγονε κηρύττων ὁ Παῦλος, ἐν τῇ πρὸς Ῥωμαίους τοῦτο διαγορεύει, γραφων ὧδε. Νυνὶ δὲ μηκέτι τόπον ἔχων ἐν τοῖς κλίμασι τούτοις, ἐπιποθίαν δὲ ἔχων τοῦ ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς ἀπὸ πολλῶν ἐτῶν, ὡς ἐὰν πορεύομαι εἰς τὴν Ἱσπανίαν, ἐλεύσομαι πρὸς ὑμᾶς. ἐλπίζω γὰρ διαπορευόμενος θεάσασθαι ὑμᾶς. Ἐπεὶ οὖν καὶ πρὸ τοῦ ἐ Ρώμῃ γενέσθαι, μελέτην εἶχεν ἐν Ἱσπανίᾳ κηρύξαι, εὐωδοθὲν αὐτῷ, πρὸ τὴν πρώτην καταντῆσαι τῶν πόλων· οὐκ ἠμέλησε τῶν προδεδογμένων· εἰ καὶ πάλιν ἀνακάμψας εἰς Ῥώμην, ἐν αὐτῇ τῶν μακρῶν ἀναπάυεται πόνων. Τὸν δὲ τρόπον ὅπως, καὶ τὴν αἰτίαν δι᾽ ἣν, ἔρχομαι δηλώσων·

C

26 Εἰς τὸ τῆς μανίας ἀκρότατον ὁ Νέρων ἀφικόμενος, ἀνεῖλε μὲν Ἀγριππίναν πρῶτα, τὴν ἰδίαν μητέρα, ἔτι δὲ καὶ τὴν ἀδελφὴν τοῦ πατρὸς, καὶ Ὀκταύιαν τὴν αὐτοῦ γαμετὴν, καὶ ἄλλους μυρίους τῷ γένει προσήκοντας· μετέπειτα δὲ καθολικὸν ἐκίνησε διωγμὸν κατὰ τῶν χριστιανῶν, καὶ οὕτως ἐπὶ τὰς τῶν Ἀποστόλων ἦλθε σφαγάς· ἔνθα δὴ συνέβη καὶ τὸν Παῦλον, τριακοστῷ ἕκτῳ ἔτει τοῦ σωτηρίου πάθους, τρισκαιδεκάτῳ δὲ Νέρωνος μαρτυρῆσαι, ξίφει τὴν κεφαλὴν ἐκτμηθέντα. Γάϊδος δέ τις ἐκκλησιαστικὸς ἀνὴρ, καὶ Σεφυρῖνος Ἐπίσκοπος Ῥώμης, καὶ Διονύσιος Ἐπίσκοπος Κορίνθου, γράφουσι, καθ᾽ ἕνα καιρὸν καὶ ὁμοῦ μαρτυρῆσαι Πέτρον καὶ Παῦλον, τρισκαιδεκάτῳ ἔτει τῆς βασιλείας Νέρωνος. Τοῦτον γάρ, φησι, τὸν χρόνον κατὰ χριστιανῶν κινηθῆναι Νέρωνα, διὰ τὰς πεπις ευκύιας αὐτοῦ γυναῖκας ἐπὶ τὸν Κύριον, καὶ σοφρονεῖν αἱρουμένας, καὶ μὴ ἀνεχομένας τοῦ λοιποῦ συνελθεῖν αὐτῷ, καὶ οὐ διὰ Σίμωνα τὸν μάγον. Καὶ μαρτυρεῖ τῷ λόγῳ καὶ Ἰωάννης ὁ χρυσοῦς τὴν γλῶτταν, ὁ πολὺς τὰ θεῖα, ὁ πνεύματος πλήρης τὸν νοῦν, ἐν τῷ πρὸς τοὺς κωλύοντας μονάζειν λόγῳ τοιάδε γραφων· Τὸν Νέρωνα πάντως ἀκούετε, καὶ γὰρ ἐπίσημος ὁ ἀνὴρ ἀπὸ τᾶς ἀσελγίας ἐγένετο, πρῶτος καὶ μόνος εὑρὼν ἐν ἀρχῇ τοιαύτῃ καινούς τινας ακολασίας καὶ ἀσχημοσύνης τρόπους. Οὗτος οὖν ὁ Νέρων, τὸν μακάριον Παῦλον

secundo libro historiæ Ecclesiasticæ hæc est accu- D EX MS.
rate perscrutatus, *c* dicit, Paulum, cum tunc qui- *c*
dem causam dixisset apud Neronem, fuisse absolutum, et Dei verbum, cum esset relaxatus, Romæ agentem prædicasse totis decem annis : per quos dicitur peregre profectus in Hispaniam, Galliam et Italiam, Christi præco verbum disseminasse, et multos a diis patriis abduxisse, ac gregi Dominico adjunxisse. Jam vero cum esset in Hispania, tale quid dicunt accidisse.

25 Mulier quædam et genere, et opibus, et doctrinam insignis, cum jam olim auditionem accepisset Apostolicam, cupiebat ipsis quoque intueri oculis præconem veritatis, et auribus institui in veræ pietatis dogmatibus. Cum ergo ei visum esset, divina quadam inspiratione, in forum proficisci, quo tempore qui vel ex sola fama ab ea diligebatur, Paulus per medium ejus transibat; dicitur eum vidisse, leniter et placide ingredientem (ut qui non solum gratiam plenos mores haberet ceteros, sed etiam ipsum incessum) et divinitus impulsam marito suo (cui nomen erat * Probus ; eorum
autem qui illinc erant, erat facile *d* princeps) per- *d*
suasisse, ut intra ædes suas hospitem exciperet. E
Postquam vero accersitus fuit prope illos, ejusmodi aliquod miraculum accidisse mulieri. Apertis mentis suæ oculis, vidisse in fronte ejus, qui fuerat hospitio acceptus, litteras aureas, quæ dicebant, Paulus Christi præco. Illam autem propter visionem inseratam invasit et voluptas et timor : et lacrymis plena procidit ad pedes Apostoli, et catechesi ab eo instituta, primum quidem suscepit baptismum,
appellata *e* Xanthippe. Postea autem Probus ejus *e*
maritus, qui erat notus Neroni; deinde etiam *f* *f*
Philotheus Præfectus et deinceps omnes, qui illam habitabant regionem. Quod autem in Hispania prædicaverit Paulus, hoc aperte dicit in Epistola ad Romanos, sic scribens : Nunc vero ulterius
locum non habens in his regionibus, cupiditatem 15 ✝. 23
autem habens veniendi ad vos a multis annis, cum proficiscar in Hispaniam, veniam ad vos : spero enim transiens vos videre. Quoniam ergo etiam antequam fuisset Romæ, in animo habuit prædicare in Hispania : cum ei feliciter successisset, ut ad primam veniret, quam dixi, urbem Romam ; non neglexerit, quod prius animæ statuerat, venire in Hispaniam : tametsi Romam dein reversus in ea
cessaverit a longis laboribus. Quomodo autem, et F
quanam de causa, jam sum declaraturus.

26 Cum ad insaniam summam processisset Nero, primum quidem sustulit Agrippinam matrem propriam; præterea vero patris quoque sororem et Octaviam uxorem suam, et alios innumerabiles, qui genere ad eum attinebant. Postea autem generalem movit persecutionem adversus Christianos : et sic venit ad cædem Apostolorum. Nam eodem tempore accidit, ut Paulus quoque, tricesimo sexto anno salutaris passionis, tertiodecimo autem Neronis, fieret Martyr, gladio caput sectus. Gajus vero qui-
dam vir Ecclesiasticus, *g* et Zephyrinus Romanus *g*
Episcopus, et Dionysius Episcopus Corinthius, scribunt, uno tempore, et simul Petrum et Paulum subiisse martyrium, tertio decimo anno Imperii Neronis. Dicunt etiam Neronem eo tempore fuisse motum adversus Christianos, propter feminas, quæ in Dominum crediderant, et pudice casteque vivere statuerant, nec cum eo congredi deinceps sustinebant : non autem propter Simonem Magum. Ei vero, quod ab eis dicitur, fert testimonium Joannes quoque ille lingua aureus, in rebus divinis egregius, et cujus mens est plena spiritu; scribens in oratione adversus eos, qui prohibent, ne fiant monachi : Neronem omnino auditis : fuit enim vir insignis libidine,

Nero sævit in suos,

et S. Paulum gladio cædi mandat,

idque ob pelices ad eo conversas,

A libidine, qui primus et solus invenit in tali imperio intemperantiæ et turpitudinis novos quosdam modos. Hic ergo Nero beatum Paulum (fuit enim iisdem, quibus ille, temporibus) eo modo criminans, quomodo vos nunc hos viros sanctos (ejus enim pellici valde dilectæ persuasit, ut simul acciperet verbum fidei, et liberaretur ab immunda illa congressione) hoc modo (inquam) ille criminans, corruptoremque et seductorem, et ea, quæ vos nunc loquimini, Paulum vocans, primum vinxit inclusum in carcere; deinde autem non persuasit, ut desisteret puellæ dare consilium, cum ei caput amputavit. Et hæc quidem his, qui moribus et sermone est vir Apostolicus, de beato fine divini Pauli.

EX MS.

(καὶ γὰρ ἔτυχε κατὰ τοὺς αὐτοὺς ἐκείνῳ γενόμενος χρόνους) τοιαῦτα ἐγκαλῶν, οἷάπερ ὑμεῖς νῦν τοῖς ἁγίοις τούτοις ἀνδράσι, Παλλακίδα γὰρ αὐτοῦ σφόδρα ἐπέραστον τὸν περὶ τῆς πίστεως δέξασθαι λόγον ἔπειθεν, καὶ τῆς ἀκαθάρτου συνουσίας ἀπαλλαγῆναι ἐκείνης· ταῦτα οὖν ἐγκαλῶν ἐκεῖνος, καὶ λυμεῶνα, καὶ πλάνον, καὶ ταῦτα ἅπερ ὑμεῖς νῦν φθέγγεσθε, τὸν Παῦλον ἀποκαλῶν, τὸ μὲν πρῶτον ἔδησε, τῇ εἱρκτῇ ἐγκλείσας· ὡς δὲ οὐκ ἔπειθε τῆς πρὸς τὴν κόρην ἀποσχέσθαι συμβουλῆς, τέλος ξίφει τὴν κεφαλὴν ἀπέτεμε. Καὶ ταῦτα μὲν ὁ τὸν τρόπον καὶ τὸν λόγον ἀποστολικὸς ἀνὴρ, περὶ τοῦ μακαρίου τέλους Παύλου τοῦ θείου. D

27 Principes ergo et divini (ut prius diximus) Apostoli decimotertio anno Neronis consummantur: execrandum vero Simonem circa medium annorum Claudii aiunt mortem subiisse teterrimam. Dicunt vero quidam, præcessisse quidem Petrum anno uno, et beatam illam et Dominicam suscepisse perpessionem, cum animam posuisset pro ovibus: eum autem fuisse consecutum magnum illum Apostolum Paulum, ut dicit Justinus et Irenæus, cum totis quinque annis synaxes et deceptationes per se facerent ante B resolutionem ad Christum. Atque ego quidem eis magis assentior. Eusebius autem Pamphili dicit, Petrum duodecim quidem annos versatum in Oriente, viginti autem et tres annos transegisse Romæ, et in Britannia, et in civitatibus, quæ sunt in Occidente: adeo ut sit totum tempus prædicationis Petri triginta et quinque anni. Paulum autem ipsum quoque viginti et unum annum prædicasse pietatem in Christum, et alios duos annos Cæsareæ transegisse in carcere. His vero conjungit duos quoque priores annos, quos egit Romæ et ultimos decem: ut ejus quoque prædicationis et vocationis universum tempus sint triginta quinque anni *h*.

cum annis 35 prædicasset sicut et Petrus.

h

27 Οἱ μὲν οὖν κορυφαῖοι καὶ θεῖοι Ἀπόστολοι, ὡς φθάσαντες ἐξεθέμεθα, τρισκαιδεκάτῳ ἔτει τοῦ Νέρωνος τελειοῦνται, τὸν δὲ κατάρατον Σίμωνα περὶ τὰ μέσα που νων χρόνων Κλαυδίου τὸν ἔχθιστον μόρον ἀπενέγκασθαι. Λέγουσι δέ τινες, προλαβεῖν μὲν τὸν Πέτρον ἐνιαυτὸν ἕνα καὶ τὸ μακάριον ἐκεῖνο καὶ δεσποτικὸν δέξασθαι πάθος, τὴν ψυχὴν τῶν προβάτων προθέμενον· ἀκολουθῆσαι δὲ τούτῳ τὸν μέγαν Ἀπόστολον Παῦλον· ὡς Ἰουστῖνος καὶ Εἰρηναῖός φησιν, ἐφ' ὅλοις ἔτεσι πέντε τὰς συνάξεις καὶ τὰς ἀντιθέσεις πρὸ τῆς εἰς Χριστὸν ἀναλύσεως καθ' ἑαυτοὺς ποιουμένους· καίγε τούτοις ἐγὼ μᾶλλον πείθομαι. E Εὐσέβιος δὲ ὁ τοῦ Παμφίλου, δώδεκα μὲν ἔτη διατρίψαι τὸν Πέτρον λέγει ἐν τῇ Ἀνατολῇ, εἴκοσι δὲ καὶ τρία πεποιηκέναι, εἴς τε Ῥώμην αὐτὴν καὶ Βρεττανίαν, καὶ τὰς περὶ τὴν Λύστραν πόλεις ὡς εἶναι ἅπαντα τὸν χρόνον τοῦ κηρύγματος Πέτρου τριάκοντα καὶ πέντε ἔτη· τὸν δὲ Παῦλον καὶ αὐτὸν εἴκοσι καὶ ἓν ἔτος κηρύξαι τὴν εἰς Χριστὸν εὐσέβειαν, καὶ ἕτερα δύο ἔτη διατελέσαι ἐν τῷ κατὰ Καισάρειαν δεσμωτηρίῳ· ἐπισυνάπτει δὲ τούτοις τὰ ἐν Ῥώμῃ πρότερα δύο ἔτη, καὶ τὰ τελευταῖα δέκα, ὡς εἶναι καὶ αὐτοῦ τὸν ἅπαντα χρόνον, τοῦ τε κηρύγματος καὶ τῆς κλήσεως, ἔτη πέντε καὶ τριάκοντα.

28 Atque hæc quidem nostra sunt hujusmodi, ut possint nostrum in vos desiderium ostendere, o Apostoli, et fraternum amorem in eos, qui sunt congregati: hæc enim est vestra lex, et communis Domini et magistri, ut nos invicem diligamus, et quæramus multorum utilitatem. Vos autem vicissim curam gerite nostrarum rerum; adjuvate, ut victoriam reportemus de pravis animi affectionibus, utque resistamus dæmoniis; date nobis animi quietem, pacem erga omnes, atque adeo etiam ipsos, qui nulla de causa sunt nobis inimici, animi simul C lenitatem ac patientiam, beneficentiam et mutuum amorem. Vos certe rogamus, in quocumque demum universi loco sitis, seu etiam in universo, ut credimus; nos quoque respicite, et deducite ad animi tranquillitatem nostram vitam, peccatorum expertem, rectis factis et bonis operibus plenam, divinis dignam oculis: ut in hac vita vobiscum festum perpetuo celebrantes, in futuro bona quoque promissa consequamur: gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri simul et sancto Spiritui gloria, potentia et honor sint, nunc et semper et in secula seculorum. Amen.

Epilogus.

28 Τὰ μὲν οὖν ἡμέτερα τοιαῦτα, καὶ οἷα τόν τε πρὸς ὑμᾶς, Ἀπόστολοι, πόθον ἐνδείξασθαι, καὶ τὸ πρὸς τοὺς συνειλεγμένους φιλάδελφον· ὑμέτερος γὰρ καὶ τοῦ κοινοῦ Δεσπότου καὶ Διδασκάλου οὗτος ὁ νόμος, ἀλλήλους ἀγαπᾷν, καὶ τὸ τῶν πολλῶν συμφέρον ζητεῖν. Ὑμεῖς δὲ ἀντιδοίητε ἡμῖν τὴν κηδεμονίαν, τὴν κατὰ παθῶν νίκην, τὴν κατὰ δαιμόνων ἀντίταξιν, τὸ τῆς γνώμης εἰρηνικὸν, τὸ πρός πάντας καὶ αὐτοὺς τοὺς ἐχθραίνοντας εἰκῇ μακρόθυμον, ἅμα τε καὶ φιλάλληλον. Ναὶ δεόμεθα ὅπου τε τοῦ παντός ἐστε, εἴ τὸν ἐν τῷ παντὶ ὡς πιστεύομεν, καὶ ἡμᾶς ἐποπτεύοιτε, καὶ τὸν βίον ἡμῖν ἐξάγοιτε πρὸς τὸ εὔθυμον, ἁμαρτημάτων ἀμέτοχον, κατορθωμάτων ἔμπλεον, τῶν θείων ἐπάξιον ὀφθαλμῶν. F ὡς ἂν ἐν τῷ βίῳ τούτῳ διαπαντὸς ὑμῖν συμπανηγυρίζοντες, ἐν τῷ μέλλοντι τῶν ἐπηγγελμένων τύχωμεν ἀγαθῶν, χάριτι καὶ φιλανθρωπίᾳ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, μεθ' οὗ τῷ Πατρὶ ἅμα τῷ ἁγίῳ Πνεύματι, δόξα, κράτος, τιμὴ, νῦν, καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

ANNOTATA G. H.

a *Cum obvia cuique loca essent, superfluum censui onerare Margines citationibus; utinam porro tam certa forent quæ deinceps sequuntur.*

b *Ad diem* S. Lucæ 18 *Octobris, quæri poterit, quo fundamento nitatur hæc profectio. Œcumenius in Lucam, incertæ ætatis auctor, ait Roma digressum* revertisse in Orientem, rursumque Libyam petiisse, et Thebanos Christiana imbuisse *religione; ubi videri possent* Thebæ Ægyptiæ *indicari.*

c *Eusebius lib.* 2 *cap.* 21 *post finem narrationis addit:* Tandem vero cum causam suam apud Judices perorasset, rursus prædicandi causa peregre profectus esse dicitur; postea vero cum Romam iterum venisset, vitam Martyrio finisse. *Reliqua de suo adjunxit hic Auctor.*

d *Hispani quidam fabulatores* Lucium Sabinum Probum *nominant*, Provinciæ Arenatum Gubernatorem, *ac deinde* Ravennatium in Italia Episcopum, *quem hi colunt* 10 *Novembris.*

e Xantippa *hæc ejusque soror* Polyxena *inscriptæ sunt*

A sunt *Martyrologio Romano ad diem* 23 *Septembris; de iisque varia diximus* 16 *Februarii ad Vitam S. Onesimi* §. 2.

f *Miror quomodo hic* Philotheus *effugerit oculos prædictorum fabulatorum, ut ejus nomine non augerent numerum Hispanorum Sanctorum, aut ei aliquem alibi Episcopatum invenirent.*

g *Non sunt hæc fideliter descripta: adducitur enim ab Eusebio testimonium* Caji (qui Zephyrini Romanæ urbis temporibus floruit) et Dionysii Corinthiorum Episcopi; *sed neuter allegat* annum 13 Neronis, *aut reliqua, quæ hic subjiciuntur, ex supra deductis corrigenda, quoad temporis rationem.*

h *Ut ut recte subducantur numeri, abundat tamen unus alterve annus, qui inter Christi Ascensionem et conversionem* Pauli *intercessit; debetque* Petro *adscribi supra tempus, ex quo* Paulus *fuit conversus: atque ita factum esse non potest, ut uterque Apostolus Domino servierint post Ascensionem ejus, an.* 35, *ut supputat Auctor; siquidem eodem anno mortui sint, ut ipse nobiscum tenet; sed debet superaddi* Petro *unus alterve annus: idque etiam concordat cum sententia communi, uti supra notavimus, extendente vitam* Petri *post Ascensionem Domini ad annos universim* 36 *vel* 37.

B

ACTA S. PETRI

S. Lino ejus discipulo et successori supposita.

Ex MS. Henrici Julii Baronis de Blum.

*Post collecta quæ de vocatione Petri, actis cum Christo, et post ascensionem ejus partim Evangelica, partim Apostolica refert historia, usque ad liberationem ex carcere Herodiano, quæ omnia, in sacris litteris et magis integra legi possunt sequentia addit Auctor, quisquis is fuit; cujus sententia quanto melius habeatur in eo quod sequimur MS. quam in editis sub nomine Abdiæ, demonstrabit diversitas lectionis, per** notata in margine. Textus autem genuinus sic progreditur, post ea quæ jam indicavi:*

1 His ita gestis, surrexit quidam Simon, Samarius genere, qui dudum visis miraculis Petri, pecunia comparare voluit donum spiritale, qui se* magnum et perpetualiter stantem esse dicebat, promittens eos, qui in se crederent, prorsus * solvi non posse. Hic enim Petri cupiens evertere vias, et ea quæ docebat ad irritum revocare, diem statuit, in quo convenientibus turbis, ad disputandum cum Petro præsens adesset. Erat autem tunc Petrus apud Cæsaream Stratonis. Igitur illucescente statuta die, Zachæus, qui erat Prior civitatis, astitit Petro, dicens: Tempus est ut procedas ad disputandum, Petre: turba autem, in medio atrii congregata, opprimitur te operiens, quorum in medio multis fultus * asseclis constitit Simon. Tum Petrus ut hæc audivit, orationis gratia recedere aliquos jubens, qui nondum erant * abluti a peccatis, quæ in ignorantia commiserant, ait ad reliquos: Oremus, fratres, ut Deus per Christum filium suum pro ineffabili misericordia sua adjuvet me exeuntem pro salute hominum, qui ab ipso creati sunt. Et hæc cum dixisset, oratione facta, processit ad atrium domus, in quo erat multitudo plurima populi congregata.

* magum

* dissolvi

C

Cæsarea Stratonis evocatus Petrus contra Simonem magum

* ad se

* diluti

facta ad Christum oratione

2 Qui ubi omnes summo cum silentio esse attentos videt, et magum Simonem in medio eorum velut signiferum; statim hoc modo cœpit: Pax vobis sit omnibus, qui parati estis dare dextras veritati. Quicumque enim obediunt ei, videntur quidem sibi aliquid gratiæ conferre Deo; porro autem ipsi ab eo donum summi muneris consequuntur, justitiæ ejus semitas incedentes. Propter quod et primum est D omnium, justitiam Dei regnumque ejus inquirere: justitiam quidem, ut recte agere doceamur; regnum vero, ut quæ sit merces posita laborum et patientiæ noverimus. In quo est bonis quidem æternorum bonorum remuneratio; his autem, qui contra voluntatem ejus egerint, pro uniuscujusque gestis, pœnarum digna restitutio. Hic ergo, hoc est in præsenti vita positos, oportet vos cognoscere voluntatem Dei, ubi et agendi locus est. Nam si quis velit, antequam actus suos emendet, de his requirere, quæ non potest invenire; stulta et inefficax erit hujuscemodi inquisitio. Tempus enim breve est, et judicium Dei * gestorum causa agitur, non quæstionum. Ideoque ante omnia hoc quæramus, quid nos aut qualiter agere oporteat, ut æternam vitam consequi mereamur. Mea ergo ista sententia est, sicut et vero Prophetæ visum est, ut primum de justitia requiratur, ab his maxime qui Deum se nosse profitentur. Si ergo habet aliquis quod esse rectius putet, dicat, et cum dixerit audiat, sed cum patientia et quiete: propter hoc enim ab initio salutationis speciem pacis cunctis * precatus sum. Ad hæc Simon respondit: Nos pace tua opus non habemus. Si enim pax et E concordia sit, ad inveniendam veritatem nihil proficere poterimus. Habent enim inter se pacem et latrones et scortatores, et omnis nequitia cum semetipsa concordat. Et nos ergo si ob hoc convenimus, ut pacis causa omnibus quæ dicuntur præbeamus assensum; nihil auditoribus conferemus: sed e contrario, illusis eis, nos amici discedimus. Propter quod noli invocare pacem, sed magis pugnam: et si potes expugnare errores, ne requiras amicitiam, injustis assentationibus paratam. Hoc enim te ante omnia scire volo, quia duobus inter se dimicantibus, tunc erit [pax], cum alter ceciderit superatus.

et adhortatione ad populum,

* ex vs.

* digestorum

* imprecatus

arguit eum pacis recusatæ,

3 Et Petrus ait: Quid times crebro audire pacem? aut ignoras, qua perfectio legis pax est? Ex peccatis enim bella nascuntur et certamina: ubi autem peccatum non fit, pax in disputationibus, veritas in operibus invenitur. Et Simon: Nihil momenti continent hæc verba quæ loqueris: sed nunc ostendam virtutis ac divinitatis meæ potentiam, ut repente procidas et adores me. Ego sum prima virtus, qui semper et sine initio sum. Ingressus autem in uterum Rachel, natus sum ex ea ut homo, qui ab hominibus videri possim. Ego per aerem volavi, igne commixtus unum corpus effectus sum, statuas moveri feci, animavi exanima, lapides panes F feci, de monte volatu transmeavi, manibus Angelorum sustentatus sum, ad terram descendi. Hæc non solum feci, sed et nunc facere possum; ut rebus ipsis prober omnibus, quia ego sum filius Dei, stans in æternum, et credentes mihi similiter in perpetuo stare faciam. Tua autem verba vana sunt omnia, nec ullum potes opus ostendere veritatis; sicut et ille qui misit te magnus, qui nec seipsum potuit liberare de crucis pœna. Possum enim facere, ut volentibus me comprehendere non appaream, ut rursum volens videri palam sim; si fugere velim montes perforem, et saxa quasi lutum pertranseam. Si me de monte excelso præcipitem dedero, tamquam subvectus in * terras illæsus deferar; vinctus memetipsum solvam, eos vero qui vincula injecerint vinctos reddam, in carcere colligatus, claustra sponte patefieri faciam, statuas * animatas reddam, ita ut putentur ab his qui vident homines esse, novas arbores subito oriri faciam et repentina virgulta producam; igni meipsum injiciam ut non ardeam, vultum meum commuto ut non agnoscar. Sed et duas facies habere me, possum hominibus ostendere; ut ovis aut capra efficiar, puer parvus barbam producam, in aere volando invehar, aurum plurimum

et sua vana miracula venditantem,

* intrans

* inanimatas

A plurimum ostendam, Reges faciam, adorabor ut
EX MS. Deus, publice divinis donabor honoribus, ita ut simulacrum mihi statuentes tamquam Deum colant et adorent. Et quid opus est multa dicere? quicquid voluero facere potero. Multæ enim jam mihi experimento causæ intimatæ sunt. Denique aliquando, inquit, cum mater mea Rachel juberet me exire ad agrum ut meterem, ego falcem videns positam, præcepi ei ut iret et meteret, et messuit decuplo amplius ceteris. Multa jam nova produxi virgulta de terra, et comare ea feci sub momento temporis, et montem proximum ego secundo perforavi.

ostendit magum esse

4 His dictis a Simone, Petrus respondit: Ne aliis aliena. Tu enim quod sis magus, ex ipsis quæ gessisti confessus es et manifestatus. Noster autem magister, qui est filius Dei et hominis, manifeste bonus est. Quod autem vere sit filius Dei, quibus oportuit dictum est et dicitur. Tu autem si non vis confiteri quod magus es, cum omni hac turba pergamus ad domum tuam, et tunc apparebit quis sit magus. Hæc autem Petro dicente, Simon blasphemiis et maledictis agere cœpit, et seditione facta perturbatis omnibus argui non potuit. Et Petrus,

et ob seditionem ab eo motam

B ne quasi blasphemiæ causa secedere videretur, perstitit immobilis, et arguere eum vehementius cœpit. Tum populus indignatus, Simonem de atrio ejectum extra januas domus repulit: eoque depulso, unus secutus est solus. Facto autem silentio, Petrus alloqui populum hoc modo cœpit: Patienter, Fratres, malos sufferre debetis; scientes quia Deus, cum possit eos excidere, patitur tamen durare usque ad præstitutam diem, in qua de omnibus judicium fiet. Quomodo ergo nos non patiemur quos patitur Deus? Vos ergo qui ad Deum convertimini per pœnitentiam, curvate ei genua. Hæc cum dixisset, omnis multitudo genua flexit Deo. Et Petrus respiciens ad cœlum, cum lacrymis orabat super eos, ut Deus pro sua bonitate suscipere eos dignaretur, confugientes ad se. Et postquam oravit et præcepit, ut die postera maturius convenirent, Missam * fecit: tum deinde secundum consuetudinem quievit.

victor persistit.

et pro reliquis orat

* Sacrificium

5 Mane autem facto, veniens quidam ex discipulis Simonis, clamabat dicens: Obsecro te, Petre, suscipe me miserum, et a Mago Simone deceptum, cui ego velut cœlesti Deo intendebam, pro his quæ ab eo fieri mirabilibus videbam: auditis tamen sermonibus tuis, cœpit jam homo mihi videri, et quidem

Discipulum Simonis

C malus. Veruntamen cum hinc exisset, ego eum subsecutus sum solus, nondum enim ad liquidum impietates ejus agnoveram. Cum autem vidisset me subsequentem, beatum me dicens, perduxit ad domum suam. Circa medium vero noctis, ait ad me: Omnibus hominibus te faciam meliorem, si volueris usque ad finem perseverare mecum. Cui cum promisissem, exegit a me sacramentum perseverantiæ; eoque accepto imposuit super humeros meos polluta quædam et execrabilia secreta sua, ut portarem, et secutus est me. Ubi vero ventum est ad mare, navigium quod forte aderat ingressus, sumpsit a cervicibus meis quod portare me jusserat; et paulo post egressus, nihil extulit, certum quod in mare dejecerat. Rogabat ergo me, ut cum ipso proficiscerer, dicens se Romam petere: ibi enim in tantum placiturum, ut Deus putetur, et divinis publice donetur honoribus, Tunc, inquit, te omnibus divitiis repletum, si huc redire placuerit, plurimus fultum ministeriis remittam. Hæc ego audiens, nihil in eo secundum hanc professionem videns, sed magum et deceptorem eum intelligens, respondi: Quæso te, ignosce mihi, quia pedes doleo, et propterea exire Cæsaream non valeo. Præterea est mihi uxor, sunt parvuli liberi, quos relinquere omnino non possum.

post audita ex hoc ejus scelera

At ille hæc audiens, et ignaviæ me incusans, profectus est Romam, dicens; Cum audieris, quanta D
mihi gloria in urbe Roma erit, pœnitebit te. Et post hæc ipse quidem, ut aiebat, Romam petiit: ego autem confestim redii huc, orans ut me suscipias ad pœnitentiam, quia ab eo deceptus sum. Cum hæc dixisset is, qui a Simone regressus est, jussit eum Petrus in atrio residere. Procedens autem ipse, et turbas videns multo plures quam superioribus diebus, stetit in loco solito; et ostendens eum qui a Simone venerat, ait: Iste, Fratres, quem videtis, paulo ante venit ad me, de Simonis mihi malis artibus nuntians, quomodo ipsam sceleris sui officinam projecerit in profundum; non quasi pœnitentia ductus, sed metuens, ne deprehensus publicis legibus subjaceret. Hæc dicente Petro, populus videns hominem, qui venerat a Simone, stupebat.

et discessum versus Romam,

admittit:

6 Igitur Petrus a Cæsarea digressus, Tripolim venit, et ingressus domum Maronis, vidit locum aptum ad disputandum. Ut autem vidit turbam velut ingentis fluvii inundasse lenem meatum; ascendens supra basim quamdam, quæ forte juxta horti parietem stabat, primum religionis more populum salutavit. Quidam autem ex his qui aderant, et longo E
tempore a dæmonibus fuerant fatigati, in terram proruunt; obsecrantibus spiritibus immundis, ut vel uno die indulgeretur eis in obsessis corporibus permanere. Quos Petrus increpans, statim jussit abscedere, et sine mora discesserunt. Post hos alii, longis afflicti languoribus, rogabant Petrum, ut reciperent sanitatem. Pro quibus se supplicaturum Domino, populo pollicetur, cum prius sermo doctrinæ fuisset expletus. Sed statim ut promisit, languoribus resoluti sunt, et jussit eos seorsim tendere cum his, qui a dæmonibus fuerant curati, quasi post laboris fatigationem. Petrus autem egressus a Tripoli pergebat Antiochiam, et venit ad insulam *a* Antaradum nomine, ubi erant in æde quadam columnæ *b* viteæ, miræ magnitudinis. Ad quas contuendas cum multi abiissent cum Petro, et Petrus miratus eas egressus esset, præ foribus vidit mulierculam quamdam stipem ab introeuntibus deposcentem; quam attentius considerans ait: Dic mulier, quod tibi membrum corporis deest, quod huic injuriæ te subjecisti, ut stipem petas, et non potius manibus tuis, quas a Deo accepisti, operans, cibum quæras? At illa suspirans ait: Utinam mihi F
quidem manus essent, quæ moveri possent! nunc autem species tantum servata est manuum: nam ipsæ sunt mortuæ, et meis motibus debiles et sine sensu redditæ. Tunc apprehensis Petrus manibus ejus sanavit eas: erat autem hæc mulier mater Clementis, a quo et in eodem loco cognita est. Nam per virtutes Petri et alios filios recepit, Faustinum et Faustum, qui mutatis nominibus, Aquila ac Metia appellabantur: et virum suum Faustinianum, qui multo a se tempore fuerant separati.

Tripoli Christum prædicat,

dæmoniacos liberat:

ægros curat:

a

b

Antaradi mulierem contractam sanat:

7 Et cum vellent navigare ex illa insula, mater ait ad Clementem: Fili dulcissime, rectum est, ut valedicam mulierculæ quæ me suscepit: est enim egens et paralytica jacens in lectulo. Quibus auditis, Petrus et omnes qui aderant, admirati sunt bonitatem et prudentiam feminæ; et continuo jussit Petrus adire quosdam, et deferre mulierem in lectulo ut jacebat. Cum fuisset allata, et in medio turbæ astantis collocata, in conspectu omnium Petrus ait: Si veritatis ego sum præco, ad confirmandam fidem horum omnium qui assistunt, ut sciant et credant quia unus est Deus qui fecit cœlum et terram; in nomine Jesu Christi filii ejus, surgat hæc mulier. Et statim ut hæc Petrus dixit, surrexit mulier sana, et procidit ad pedes Petri; atque amicam suam

item paralyticam:

A suam ac familiarem suam osculis appetens, gratias Domino referebat. His expletis, volente Petro ut iret ad hospitium, Dominus domus ait ad eum : Turpe est et impium tali sancto viro manere in stabulo, cum ego pæne omnem domum vacantem habeam, lectosque stratos quamplurimos, et quæ necessaria sunt, parata. Sed Petro contradicente, uxor patrisfamilias, una cum liberis suis, prostravit se ante eum, et exorabat dicens : Obsecro te, mane apud nos. Sed nec sic quidem acquiescebat Petrus : donec filia eorum qui rogabant, ab immundo spiritu temporibus multis vexata et catenis vincta, quæ fuerat in conclavi clausa, effugato a se dæmone et ostiis patefactis, cum catenis suis veniens, procidit ad pedes Petri, dicens : Rectum est, mi Domine, ut agas

et dæmoniacam furibundam liberat:

c hodie hic salutaria *c* mea, et non contristes me, neque parentes meos. Petro autem requirente catenarum sermonumque ejus causam ; parentes, præter spem læti effecti de filiæ sanitate, et velut stupore quodam attoniti, ipsi quidem dicere nequeunt; astantes autem familiæ aiunt : Hæc a septimo ætatis anno dæmone tentata, omnes qui accedere tentassent ad eam, scindere, dilaniare, morsibus etiam

B disrumpere conabatur, et hoc a viginti annis usque ad præsens facere numquam destitit, nec ab aliquo potuit curari, sed nec accedere quidem quisquam valebat ad eam : multos enim inutiles reddidit, alios interemit : omnibus enim viris validior erat, sine dubio viribus dæmonis nixa. Nunc autem, ut vides, ex præsentia tua dæmon quidem fugit : ostia vero, quæ summo cum munimento clausa fuerant, aperta sunt ; et ipsa sana stat ante te, rogans ut diem salutarium suorum lætum et ipsi et parentibus ejus facias, et maneas apud eos. Hæc cum ita unus ex familiaribus enarrasset, ipse etiam catenæ de manibus ejus ac pedibus fuissent sponte resolutæ ; Petrus, certus quod per ipsum sanitas hæc reddita sit puellæ, acquievit ut maneret in domo patris ejus.

8 Post hæc autem Petrus Romam veniens, in

d ipsis diebus *d* [quibus] sibi finem vitæ imminere præsensit : in conventu Fratrum positus, apprehensa Clementis manu, repente consurgens, in auribus totius Ecclesiæ hæc protulit verba : Audite me, fratres et conservi mei, quoniam, sicut edoctus sum ab eo qui misit me, Domino magistro Jesu Christo, dies mortis meæ instat ; Clementem hunc Episcopum vobis ordino, cui soli meæ prædicationis et doctrinæ credo Cathedram ; qui mihi ab ini-

Romæ S. Clementem Episcopum ordinat ;

C tio usque ad finem comes in omnibus fuit, et per hoc veritatem totius meæ prædicationis agnovit ; qui in omnibus tentationibus meis socius extitit fideliter perseverans ; quem præ ceteris expertus sum Deum colentem, homines diligentem, castum, discendi studiis deditum, sobrium, benignum, justum, patientem, scientem ferre nonnullorum etiam ex his qui in verbo Dei instruuntur injurias. Propter *e* quod ipsi trado a Domino mihi datam potestatem ligandi atque solvendi, ut de omnibus quibuscumque decreverit in terris, hoc decretum sit et in cœlis : ligabit enim quod oportet ligari, et solvet quod oportet solvi. Et hæc cum dixisset, manus ei imposuit, eumque in Cathedra sua sedere compulit ; multum eum instruens, qualiter aut Ecclesiam sibi commissam regeret, aut oves susceptas, aleret. Tunc et Paulus Apostolus Romam veniens, Chri-

f stum Dominum prædicabat. Temporibus *f* igitur Neronis Cæsaris erant Romæ salutiferi doctores Christianorum, Petrus et Paulus Apostoli; per quos dum fides Domini Jesu Christi in omnium cresceret mente, et religionis propagarentur augmenta, quia essent sublimes operibus, clari magisterio, ob virtutem Divinæ gratiæ ; Nero per magum Simonem vehementer adversari cœpit Apostolis; quia diver- D sis illusionibus dæmonum ita magus Cæsaris animum obtinuerat, ut eum salutis suæ Præsulem vitæque custodem remota ambiguitate confideret, Nam et bellorum victorias, et subjectiones gentium, et prosperitatem rerum se per eum in omnibus habiturum esse credebat. Sed Petrus Apostolus vanitates ejus et flagitia universa detexit, quia veritatis lux, et verbi divini claritas, quæ ob salutem hominum nuper effulserat, totius mendacii caligine de humanis mentibus discussa per Apostolos, ignorantiæ tenebras effugabat. Tunc Simon magus, veri luminis fulgore perculsus, cæcitatem continuo male sanæ mentis incurrit ; quippe qui jam in Judæa per Apostolum Petrum de his quæ gerebat sceleribus confutatus, transmarinam ingressus est fugam; et qui in aliis terrarum partibus Petri erat expertus potentiam, tamen præveniens Romam, ausus est se jactare, quod posset mortuos suscitare.

EX MS. Simonis Magi, apud Neronem gratiosi ineptias et scelera detegit ;

9 Ipso tempore erat quidam defunctus adolescens nobilis, propinquus Cæsaris : ubi cum multa turba propinquorum advenisset, sciscitabantur invicem, si esset aliquis, qui possit mortuum suscitare. Celeberrimus scilicet tunc Petrus in his operibus habebatur : sed apud gentiles nulla hujusmodi firmabatur E fides ; dolor tamen exegit inquiri remedium. Perrectum est ad Petrum. Fuerunt equidem, qui etiam Simonem accersendum putarent, ut uterque adesset. Tunc Petrus ait ad eos ; ut Simon, qui de sua se jactabat potentia, prius si posset mortuum suscitaret : si ille nequivisset, se non ambigum, ut Christus opem ferret defuncto. Simon vero, qui putabatur apud Gentiles magnæ esse potentiæ, conditionem interposuit, ut si ille mortuum suscitaret, Petrus occideretur, qui tantæ potestati verbis audacibus lacessendo irrogasset injuriam : si vero, illo nihil agente, Petrus mortuum suscitasset, Magus sententiæ, quæ in Apostolum data fuerat, subjaceret. Talis cum esset interjecta conditio, quievit Petrus. Exorsus est Simon, accessit ad lectulum defuncti, incantare atque immurmurare dira clam carmina sœpit. Visum est circumstantibus caput *g* agitare g defuncti ; clamor gentilium ingens attollitur, quod jam viveret, quam jam cum Simone loqueretur. Mira indignatio in Petrum esse omnium cœpit, eo quod esset ausus se tantæ potestati conferre. Tunc S. Petrus fieri silentium postulavit, et ait ad eos : Si vivit defunctus, loquatur ; si suscitatus est, surgat, ambulet, fabuletur. Phantasma hoc [dico], non F veritatem esse quod cernitis commotum caput esse defuncti. Denique, inquit, separetur magus a lectulo, et ad plenum figmenta diaboli denudabuntur. Abducitur itaque Simon a lectulo ; sine ulla spe vitæ manet defunctus immobilis. Astitit Petrus a longe, et intra se orationi paulisper intentus, cum magna voce ait : Adolescens, tibi dico, surge : sanat te Dominus noster Jesus Christus. Et statim surrexit adolescens, et locutus est, et ambulavit, et dedit eum Petrus matri suæ viventem. Qui cum rogaretur, ut ab eo qui illum fecit ex mortuis surgere, vivens quoque deinceps custodiri mereretur, ait : Custodiat illum Dominus Jesus Christus, cujus nos servi sumus. Et ait matri ; Secura esto, mater, de filio, et non verearis, habet enim custodem suum. Et cum vellet populus Magum Simonem lapidare, ait Petrus : Satis est ad pœnam ejus, quod agnoscit se in suis artibus superatum : vivat, et regnum Christi crescere videat vel invitus.

puerum mortuum,

quem Magus tantum movere caput facit

invocato Christo suscitat ;

10 Torquebatur Magus, et Apostolica perculsus gloria discedit, seseque ad omnem excitat carminum suorum potentiam. Congregat populum, offensum se dicit a Galilæis, relicturum urbem quam tueri solebat. Diem statuit, quo per volatum *h* supernis sedi- h bus

A [illegible] *eumdem e Capitolio volantem*

bus satis se jactanter promitteret invehendum; quin etiam, quando velit cœlum petere conscendens, in sua potestate consisteret. Statuto die montem Capitolinum ascendit, ac se de rupe dejiciens volare cœpit. Mirari populus ac venerari cœpit. Plerique dicebant, Domini esse potentiam, non hominis, qui ita corpore volaret ad cœlum; nihilque tale Christum fecisse dicunt. Tunc Petrus in medio stans ait: Domine Jesu, ostende virtutem tuam; et ne permittas his vanis artibus decipi populum, qui tibi est crediturus. Sic decidat, Domine, ut vivens se contra tuam potentiam nihil potuisse cognoscat. Cumque hæc cum lacrymis orasset, ait: Adjuro vos in nomine Jesu Christi, qui eum fertis, ut nunc dimittatis. Et statim ad vocem Petri dimissus a dæmonibus, implicitis remigiis alarum quas sumpserat, corruit. Nec statim exanimatus est, *i* sed toto fractus corpore debilitatisque cruribus, post parvum horarum spatium *k* inibi expiravit. Quod ubi Neroni compertum est, deceptum se ac destitutum dolens, sublatumque sibi virum utilem ac necessarium rei publicæ indignatus: quærere cœpit causas, quibus Petrum occideret. Denique dato a Nerone præcepto, ut Petrus comprehenderetur, sanctus Apostolus rogabatur ab omnibus, ut sese alio loco conferret. At ille resistebat dicens, nequaquam hoc esse facturum, ut tamquam metu mortis territus fugeret: quippe cum sciret sibi et omnibus pro passione Christi immortalitatis gloriam provenire. Cumque hæc talia Petrus obtexeret, plebs lacrymans ne se relinqueret, ne imminente procella Christianorum despiceret lacrymas, victus populorum fletibus acquievit, et promisit se urbe egressurum.

oratione dejicit, qui mox expirat:

i

k

B

ob preces Christianorum discessurus

11 Proxima igitur nocte salutatis Fratribus, celebrata oratione, proficisci solus cœpit. Ubi ventum est ad portam, vidit Christum sibi occurrere, et adorans eum ait: Domine *k* quo vadis? Cui Dominus: Venio Romam iterum crucifigi. Intellexit Petrus de sua passione hoc dictum, in quo Christus passurus videretur, quem pati constat in singulis, non dolore corporis, sed misericordiæ contemplatione et pietatis affectu. Itaque Petrus ad urbem rediit, captusque a custodibus cruci adjudicatus est. Quo audito, ingens subito populi concursus est factus, ita ut plateæ non reciperent homines utriusque ætatis et sexus, qui summa voce clamabant dicentes: Cur occiditur Petrus? quid admisit criminis? quid læsit urbem? Innocentem damnare nefas est; et metuendum est, ne tanti viri necem ulciscatur Christus, et nos omnes perire præcipiat.

k

a Christo apparente monitus redit.

Captus, consolatur fideles,

C

12 At vero Petrus mulcebat plebis animos, ne adversus Principem desævirent, dicens eis: Viri Romani, qui in Christo creditis, et in illo solo speratis, in mente habetote ejus patientiam et consolationem. Quanta signa et remedia vidistis per me? Sustinete itaque eum advenientem, et retribuentem unicuique secundum opera sua. Hoc autem, quod nunc in me videtis fieri, jam antea mihi a Domino est proditum; non esse discipulum supra magistrum nec servum supra Dominum: et hoc ipsum me festinare [facit], ut jam carne exutus Domino assistam. Sed quid moror, inquit, et non accedo ad crucem? Teneant persecutores corpus, ego Domino meo spiritu adhærebo. Et accedens ad crucem rogavit, ut cruci inversis vestigiis figeretur, ea reverentia, ne ita servus crucifigi videretur ut Dominus. Quod ubi factum est, cœpit de cruce ad populum loqui: O ineffabile ac profundum mysterium crucis! o inseparabile vinculum caritatis! istud est lignum vitæ, in quo Jesus Dominus exaltatus traxit omnia ad se. Istud est lignum vitæ, in quo crucifixum est corpus Domini Salvatoris: at in eo confixa est mors, et mundus totus æternæ mortis est vinculis absolutus.

Matt. 10, 24

cruci inversæ affigitur,

et oratione facta

D

O gratia incomparabilis, et amor crucis irrecessibilis! Gratias itaque tibi Domine Jesu, filius Dei vivi, non solum voce et corde, sed spiritu, quo te diligo, quo te alloquor, quo te interpello, quo te teneo, quo te intelligo, quo te video. Tu mihi omnia et in omnibus: tu mihi totum, et nihi mihi aliud præter te solum, qui es bonus et verus Dei filius Deus, cui cum æterno Patre et Spiritu sancto honor et gloria est, in cuncta semper secula seculorum. Et cum magna voce omnis populus respondisset, Amen, emisit spiritum. Cujus corpus Marcellus, unus ex discipulis ejus, nullius expectans sententiam, propriis manibus de cruce deposuit, et pretiosissimis aromatibus conditum, in suo ipsius sarcophago collocavit in loco qui dicitur Vaticanus, juxta viam triumphalem, ubi totius urbis veneratione celebratur in pace.

moritur.

a Marcello in Vaticano sepultus.

ANNOTATA G. H.

a *Hæc omnia vide in suppositis S. Clementi Recognitionum libris, et in eorum Epitome, latius deducta, sed fabulæ potius quam historiæ adscribenda, sicut ostensum est* XI *hujus in S. Barnaba. Est autem* Antaradus, *urbs Episcopalis in Phœnicia, prima sub Tyro metropoli.* Tarada *dicitur in Itinerario Willebrordi ab Oldenburg, qui tradit a* SS. Petro *et* Paulo *ibi ecclesiam S. Mariæ ex incultis lapidibus compositam. S. Antoninus par.* 2 *tit.* 19 *cap.* 9, §. 31 *a S. Petro extructam Antaradi ait. Oratorium aliquod ibi dedicaverit* Petrus, *quo postea etiam* Paulus *usus sit, nam simul iter fecisse aut prædicasse nusquam leguntur: eo autem loco, constituto Christianismo in pace sub Constantino, ædificata sit sub nomine S. Mariæ ecclesia; et isto quem dixi, non alio modo originem suam ad Apostolos referens.*

E

b *MS.* Vitreæ: *sed in Epitome Clementina, unde multa in Recognitionum libris contracta supplentur pag.* 397 *Parisiensis editionis dicuntur* columnæ ex vite: *et Nicephorus Callistus lib.* 2 *cap.* 35 *eadem compendio describens* κατὰ θέαν τοῦ ἀμπελίνων στύλων *egressum* Petrum *ait, quod Latine reddens Fronto-Ducæus noster,* Vitiferas *evertit, quasi eas concipiens, quæ trochleatim intortæ circumducuntur sculptis per concavitatem pampinis, qualesque Anastasius Bibliothecarius in Silvestro* Vittineas *videtur nominare, a Constantino* de Græcia *perductas ad ornandam* S. Petri *confessionem. Verum nihil ea explicatione hic opus, cum Plinius lib.* 14 *cap,* 1 Jovis simulacrum in urbe Populonia ex una *vite* conspici, Metaponti templum Junonis vitigineis columnis stetisse, tectum Dianæ Ephesiæ scandi scalis ex vite una Cypria, ut ferunt, quoniam ibi ad præcipuam amplitudinem exeunt. *Nec sane multum admirabilitatis habuissent marmoreæ columnæ, usitatissima sculptoribus ratione pampinis in trochleam circumductis insculptæ. Vitreæ autem non fuissent in tantam molem ulla arte conflabiles.*

F

c *Id est,* Soteria, *festum pro sanitate recuperata.*

d *Hoc addo ex mente, ut puto, Auctoris, qui nimium insulsus foret, si cum adventu Romam hæc componeret.*

e *MSS. codices Anastasii Bibliothecarii, Regius Mazarinicus et alter Freheri, cum Gestis MSS. Pontificum in Vita S. Petri ista habent:* Ordinavit Episcopos duos, Linum et Cletum, qui præsentialiter omne ministerium Sacerdotale in urbe Roma populo vel supervenientibus exhiberent. *At postea* Petrus sentiens diem mortis imminere, Clementem Episcopum consecravit, eique Cathedram vel Ecclesiam omnem disponendam commisit, dicens: Sicut mihi ligandi et solvendi tradita est a Domino meo Jesu Christo potestas, ita et ego tibi committo *etc.*

f *Eadem leguntur hinc transcripta in lib.* 3 *de Excidio Hierosolymitano capite* 2, *ubi sub initium hæc*

contracta

A *contracta magis, dein alia eisdem verbis narrantur*

g *Marcellus, Magi ante discipulus, dein* S. Petri, *scribit eamdem historiam, et* corpus *motum ait.*

h *Hæc de volatu præclare describit S. Ambrosius Serm.* 12, *ac* 3 *de his Apostolis.*

i *In citato libro de Excidio sequentia ita leguntur :* sed fracto debilitatoque crure Ariciam concessit atque ibi mortuus est : *et hoc confirmat Simonis ibi sepulcrum, ut fert incolarum traditio.*

k *In hujus rei memoriam ostensum nobis Romæ erectum extra portam Appiam sacellum, appellabant* Domine quo vadis. *Eamdem historiam habet S. Ambrosius concione prima de Basilicis non tradendis hæreticis, contra Auxentium invasorem.*

ANALECTA D. P.

De monumentis, Reliquiis, miraculis, apparitionibus, festis, et ecclesiis Sanctorum Petri et Pauli.

§. I. *De locis, viventium Apostolorum memoriæ consecratis in Syria, quædam etiam Petro in Italia.*

B

Domus Caiphæ versa in ecclesiam D. Petri,

Locorum *istorum priora suggeret Franciscus Quaresmius, Elucidatorii Terræ sanctæ tom.* 2 : *quem novissimum scriptorem eo allegabo libentius, quod apud ipsum poterunt facilius inveniri, tum unde sua accepit, auctores, tum aliæ circumstantiæ plures, brevitatis causa hic prætermittendæ. Ac primo Hierosolymis occurrit* Domus Caiphæ, *in qua Christum negavit* Petrus *: hanc enim* Helena Constantini mater in templum Christianorum convertit, D. Petro dicatum..... sed et monasterium ibi extructum est, quod Armeni inhabitant..... Extra ecclesiam, prope fores ejus ad dexteram, ingredienti apparet columnæ pars, supra quam gallus cantavit, *aut verius, supra quam stetit æneus gallus, in memoriam ejus positus, qui tempore negationis cantando, Petrum recordari fecit verbi Domini,* Quia antequam gallus cantet bis, ter me negabis. *Hæc autem columna vel ejus pars superior, una cum ipso gallo æneo Romam translata, cum diu in Lateranensi basilica stetisset, et vulgo nimis crasse acciperetur, quasi gallus* Petri *steterit supra columnam istam dum caneret ; eoque risum potius quam devotionem nata esset ingerere, præsertim hæreticis, sanctissima quæque, nedum talia, in derisum Catholicorum accipere solitis ; placuit Innocentio X,* C *ipsius Basilicæ anno* MDCL *restauratori, eam et quædam alia similia, e conspectu amoveri. Scribit Rasponus lib.* 1 *cap.* 14 *de Basilica et Patriarchatu Lateranensi,* columnam *illam fuisse* porphyreticam : *et opinatur ideo tantum ibi positam fuisse,* ut Pontifices humanæ imbecillitatis admonerentur, et culpas aliis facilius condonarent, quando ipse Princeps Apostolorum a culpa immunis non fuit... In medio *autem* atrii, *ubi ille ad ignem stabat se calefaciens,* sub dio est arbor mali aurei... valde æstimata ab incolis et peregrinis. *Ab hoc domo,* quartam circiter milliarii partem, ad dextram, ad radices cujusdam monticuli, quem ascendimus, dum ingredi volumus civitatem, per portam quæ nunc appellatur Sterquilinea, est locus quidam exiguus, sive modica spelunca ; in qua (ut habet vetus traditio) S. Petrus, post trinam Domini negationem, flevit amare : cujus tam facti quam loci memoria ut conservaretur, fuit ibi nobile extructum sacellum, quod tamen modo est destructum penitus : sola spelunca cum quibusdam ruinis visitatur.

ante eam columna cum gallo æneo,

Romam postea translato,

et ante civitatem spelunca, ubi flevit Apostolus.

Locus Conversionis Pauli,

2 *Ut hæc Hierosolymis celebrantur, propter pœnitentiam* Petri ; *sic alia Damasci, propter conversionem* Pauli ; *quam medio circiter a civitate milliario accidisse, verosimilior est sententia :* et hodie, *inquit S. Augustinus*, in illis regionibus etiam ipsa loca testantur, quod tunc gestum est, et nunc legitur et creditur. *Ac primo ubi putatur divinitus in terram prostratus*, grata posteritas in honorem ejus templum erexit, ubi etiamnum Christiani, qui habitant Damasci, sepeliri solent. Locum hunc a Syris Mangisafer dici invenio ; atque Christianorum exercitum, Damascum petentem, ipso Conversionis die huc pervenisse, et ibidem biduo commoratum esse .. *De* conversionis festo, *quando et quomodo institutum sit, dicetur infra ubi de corporis Translatione sub Silvestro ; eo quod ex hujus commemoratione originem suam ipsum habuerit.* Paulus *porro civitatem ingressus per portam, quæ nunc clusa manet, divertit ad* domum Judæ in Vico, qui *merito* vocatur Rectus : unius *enim* milliarii longitudine et amplius, velut sagitta, *tenditur*, utrimque ædificiis officinisque instructus... tectus totus et altus, *ob mercantium commoditatem, sed* aliquantulum obscurus.... *Ibi est* domus satis ampla et commoda, quæ Domus Judæ usque in hodiernum diem nuncupatur.... in qua fuit ecclesia ædificata, ut ejus signa manifeste demonstrant. sed illa in communes habitationes nunc conversa est.... Ostenditur in ea parva habitatio ; latitudo, quantum homo brachiis se extendit, duplo major est. In ista cellula mansit Paulus tribus diebus, non manducans neque bibens : quo tempore plerique eam illi contigisse visionem putant, de qua 2 Cor. 12 scribit, Scio hominem...., raptum usque ad tertium cœlum..... Non longe et fere in principio vici est fons, in quo fuit idem Apostolus baptizatus ..... Olim ibi erat magna et pulchra Christianorum ecclesia, nunc in Turcarum mesquitam conversa : probabileque est illam olim fuisse ecclesiæ baptisterium..... *Rursum extra prædictam portam,* præter Christianorum sepulcra *prædicta, ipsa* in via *occurrit* prominens congesta materia, ex parvis lapidibus et terra compacta, intra quam parvum est antrum, in quo, dicitur, D. Paulum se abscondisse et quievisse aliquantulum, quando dimissus a Fratribus, per fenestram e civitate, versus Hierusalem aufugit.

D *AUCTORE D. P.*

hospitium Damasci,

E

fons baptismali,

et latibulum

3 *Interim Lyddam excurrerat* Petrus, *indeque accersitur Joppen ; a cujus* ruinis non longe versus Jerusalem eundo, monstrantur fundamenta et residuum domus Tabithæ, *quæ ab illo* a mortuis revocata fuit ; *in ipsa vero urbe* Simonis Coriarii domus, sub rupe posita juxta mare, quo loci postea sacellum in honorem S. Petri constructum fuit. *Is Hierosolymam regressus, ab Herode conjectus in carcerem legitur. Est autem hic* in ea parte quæ antiquitus Civitas inferior dicebatur, non longe a templo Dominicæ Resurrectionis, quantum bis jacit arcus..... Carcer magnus et patens, altus sed obscurus, ex fornice per modicum foramen sive fenestellam modicum illuminatus. Est ad ipsum ingressus per ostiolum, quod respicit mœnia Hierusalem ad Aquilonem. Intus est prominens rupes, ubi adhuc est annulus, cui insertæ erant catenæ, quibus sontes vinciebantur. Ante ipsum, magnum est atrium. Olim pii fideles ab ejus dextro latere et Orientem versus egregiam extruxerant ecclesiam, cujus adhuc, præter magna fundamenta, superior pars restat, multum ruderata. Tres continet capellas : quæ in medio, ceteris major est ; cui aliæ persimiles sunt. Supra portam ejus sunt in lapide excusæ figuræ Angelorum aliorumque : sed quia multum destructæ, non facile mysterium deprehendi potest....... Creditur Helena eam ædificasse, eamque ad ipsum usque carcerem pertinuisse. *Atque hæc ibi : nam de catenis dicetur infra ; Antiochiæ vero, ubi primam Cathedram Apostolus statuit,* ex altera parte civitatis supra montem

Apud Joppen domus Tabithæ,

F

carcer Hierosolymis,

Antiochia ecclesia.

A montem ædificata erat illius ecclesia; nunc, superiori parte excepta, collapsa tota.

AUCTORE D. P.

Ille ad sinum Tarentinum appulsus

4 *Antiochia dimissa, multisque per Asiam fundatis Ecclesiis, tandem Romam cogitavit* Petrus, *et (sicut scribit Joannes Juvenis libro* 8 *de varia Tarentinorum fortuna)* vi ventorum ab incepto cursu deflexus, sinum Tarentinum intravit. Visitur hodie ad XII m. p. ab Acra Japygia vetustissimum templum, sancto ipsi Petro dicatum, quem locum primum in Italia attigisse creditur, ibique (ut aiunt) rem divinam fecit. *Hunc locum cum mihi per litteras indicaret anno* MDCLXXIV *Carolus Rozzi, Nobilis Liciensis, occasione quorumdam Sanctorum suæ patriæ, distantis a loco ad* XXX p. m. *addidit* Portam Bivaniæ *dici, et* turrim *ibi* antiquam *esse, vulgo* San Pietro di Vagna *nuncupatam,* ad quam ex tota regione diebus primo secundo ac tertio Aprilis ingens fiat concursus, in memoriam adventus prædicti, causa lavandi in flumine illic mare subeunte, non solum hominum sed etiam animalium, quibus omnes simul ablui infirmitates sperantur, fiducia crebræ experientiæ nixa. Eodem in flumine iisdem diebus, quæruntur et leguntur a fidelibus inter arenas lapilli candidi quidam, quos vulgus lacrymas S. Petri nominat, neque extra dies illos facile est quærentibus invenire. Ejus devotionis nullum præter traditionem antiquissimam fundamentum quis assignaverit; cui suffragatur frequentissima sanitas, relata ab ægris, in pulverem comminutos lapillos sumentibus. *Hæc ille, simul et numerum aliquem Epistolæ inclusit, unde eorum formam cognovi; majoribus minoribusque pisis similem, sed compressis et plerumque una ex parte leniter turbinatis.*

ubi sacellum habet,

B

lapillis initio Aprilis legendis celebre.

Fuit et ibi lapis ejus genibus signatus,

5 *Pergit porro Juvenis, et* ad insulas, *inquit, Tarentinæ scilicet urbi objectas,* expositus *Petrus* indeque urbem prospiciens, existimavit Christi virtute huc se devectum. Flexit igitur Apostolus ad orationem genua: lapis servi Dei pondere pressus, ita mollis redditus, ac si cereus esset, recepit Sanctorum genuum vestigia. Vulgus piscatorum hodie Sanctum appellat, Petrum Veteranum, in illo majoris insulæ eminentiori loco, unde prospectare solent inimici piratæ, ne præda ipsimet fiant. Audivi a multis majorum traditione dicentibus, lapidem illum ita Apostoli genibus concavatum, a Venetis nautis ablatum, Venetiasque asportatum. *Multa deinde addit Juvenis de colossæa statua, ad preces Petri comminuta, deque homine incurvo per ipsum erecto; et quomodo, eo baptizato,* ratem denuo ingressus Petrus ad eam urbis partem venit, ubi Porta major dicebatur: ibique inter urbem et arcem antiquissimam, de ingenti marmore ad hæc usque tempora a posteris reverenter servato, verbum Dei cœperit populo prædicare: *ac menses aliquot eo in opere expenderit, non sine magno fructu, quem conciliabant miracula istic patrata, et nominatim Eucadii Reguli filia, a dæmone per S. Marcum discipulum liberata. Atque* hæc, *inquit,* ita scripta sunt, veluti patrum nostrorum traditione percepta; et manuscripti etiam cujusdam codicis lectione, quem Tarentini Clerici pro Officio S. Cataldi in choro asservabant. *Egimus de S. Cataldo* X *Maji; et historiam inventi translatique corporis dedisse contenti, extremam dumtaxat Vitæ partem delibavimus; omissis ceteris, velut admodum dubiis incertisque, quare etiam illa de* S. Petri *inter Tarentinos actis, apud Juvenem malo quam in hoc opere legi.*

C

et alius ex quo prædicavit.

Altare in quo sacrificavit Neapoli:

6 Dicendum etiam esset, *inquit idem Juvenis,* de adventu B. Petri Neapolim, et conversione populi; de S. Candida, quæ prima illi eo venienti occurrit; de S. Aspreno, qui ab ipso Apostolo de infirmitate curatus et deinde baptizatus, ejusdem civitatis Episcopus ordinatus fuit; deque basilica, cui nomen est, S. Petrus ad Aram, ubi Sacrificium Deo obtulit idem Christi Vicarius, et ubi degunt religiosi viri, qui Canonici Regulares dicti sub D. Augustino militant: sed hæc omnia, ab aliis pluribus scripta, *ut ille satis habet perstrinxisse; ita nos putamus reservanda ad* III *Augusti et* IV *Septembris, quibus prædicti Sancti Asprenus Candidaque coluntur. Porro sunt Terracinæ qui credunt, majores suos, in transitu illo per Apostolum conversos, primum tunc Episcopum suum S. Epaphroditum ab eodem accepisse, de quo vide diem* XXI *Martii nostri; Romæ vero hospitio exceptum a S. Pudente Senatore; atque hinc factum, ut in ejus ædibus primum sacrificium Apostolus obtulerit; easque deinde, rogante S. Praxede, S. Pius Pontifex in ecclesiam consecrarit titulo S. Pudentianæ, ibidem commemoratæ defunctæque. Ibi certe, ut Panvinius in libello de septem ecclesiis ait,* a parte dextera est Sacellum, musivo opere decoratum, a quodam Maximo illustri conditum, in quo vulgo S. Petrus primam in urbe Missam celebrasse traditur: *item* mensa lignea super qua Apostolorum Principem celebrasse antiqua est et recepta traditio; *ut habet liber Visitationis, a Prælatis per Urbanum VIII deputatis institutæ anno* MDCXXVII, *et plures ibidem sculptæ inscriptiones.*

D

item Romæ a S. Pudentianæ;

E

sed adductum ex Senioris Pudentis domo,

7 *Verum, ex earumdem Pudentianæ et Praxedis Actis, objicit Florentinius, Pudentem earum Patrem, non* Petri, *sed* Pauli *discipulum dici. Adde insuper, hunc eumdem illarum patrem, quando* Paulum *audivit, juniorem fuisse, alteriusque Pudentis Senatoris Romani filium vel nepotem ex fratre: qui senior Pudens* Petri *potuit hospes fuisse; proindeque nihil obesse, quo minus hujus domus fuerit eadem, quam primam Romæ ecclesiam fecerit* Petrus, *sub titulo Pudentis, converso deinde in titulum Pastoris, ac denique in ædem S. Petri ad Vincula, de qua infra. Vide interim dicta a nobis* XIX *Maji, et Florentinium ad* I *Augusti, quando* primæ Ecclesiæ a B. Petro constructæ et consecratæ Dedicatio *in antiquissimo Hieronymiano Martyrologio commendatur. Fieri autem facillime potuit, ut prædictam* ligneam mensam *impetraverit Praxedis, in Titulum suæ sanctæ Sororis transferendam. Nec obest quod S. Silvester dicatur, in ecclesia Lateranensi collocasse Altare* ligneum instar arcæ concavum, *quo* S. Petrus *ac successores ejus fuerant ad Sacrificia usi; ubi hodiedum sic servatur, ut soli summo Romano Pontifici super illud fas sit sacrificare. Nihil hoc, inquam obest, prioris mensæ veritati: Altare enim in forma arcæ potest ille postea confecisse, quando jam suam Romæ Cathedram collocavit: antea autem usus fuerit* mensa, *non* arca, *maxime sub primum suum in urbem adventum: sed et in æde S. Priscæ dicitur conservari* altare aliud, *in quo* S. Petrus *sacrificaverit, cum ipsam ibi sanctam baptizavit. Id quod Innocentius III Papa confirmat, in epistola ad Amelium Abbatem, libertatem sibi servans ad ecclesiæ, ipsi concessæ, Titulum promovendi Presbyteros Cardinales,* ut super altare B. Petri consuetum agant Officium, sicut a sanctis Patribus provida fuit deliberatione statutum.

nunc S. Petri ad Vincula.

Aliud in Lateran. basilica

F

et ad S. Priscæ

8 *Guillielmus Lindanus Ruremondensis in Belgio Episcopus; in Apologia pro Liturgia S. Petri cap.* 17 *de Pudente (eo nempe quem seniorem puto) ita scribit:* Tam erat Pudens iste B. Petro carus hospes, ut ipsi tabellam donarit, quæ Domini Jesu effigiem babebat, non coloribus depictam, sed opere Mosaico tessellatam: cujus fragmentum etiam hodie ad sanctæ Præxedis videre est. Verum ipsa facies Domini (sublatis spectantium peregrinorum pia cupiditate tesserulis) est convulsa, imo tota revulsa. *Celebrantur insuper apud antiquos scriptores loca, in quibus S. Petrus baptizabat, Ac primo ex Actis SS. Liberii et Damasi Pontificum allegat Torrigius in sacris*

A *cris Trophæis cap.* I *verba hæc :* Erat autem non longe a Cœmeterio Novellæ, cœmeterium Ostriani, in via Salaria, *ut ait Baronius,* ubi B. Petrus Apostolus baptizavit. *Secundo in Actis SS. Papiæ et Mauri* XXIX *Januarii legitur, quod eorum* corpora collegit Joannes Presbyter noctu, et sepelivit in via Numentana ad Nymphas, ubi Petrus habitabat et baptizabat. *Panvinius autem illas ponit* in prædio Severæ, inter septimum et octavum *ab urbe lapidem. Denique, ut scribit Ugonius in Historia Stationum Romanarum,* in ecclesia S. Priscæ ad murum minoris navis et manum dextram supra capitellum veteris columnæ positum est vas *(liber Visitationis prædictæ* Fontem baptismalem *appellat)* eo loco, ut fert traditio, quo S. Petrus baptizabat.

§. II. *De S. Pauli ad Melitam naufragio, ejusque ibi cultu.*

Ex quo Paulum Melitæ serpens momordit,

Petro *hæc et alia Romæ ponente initia Ecclesiæ,* Paulus, *qui Cæsarem appellaverat, ut Judæorum violentas effugeret manus, vinctus Romam mittitur. Facto autem ad Melitam insulam naufragio, eamdem ille convertit, miraculo serpentis, qui manum ejus apprehenderat, citra noxam excussi in ignem ; adeo autem venenati, ut mox exanimandum omnes crederent.* Ex hoc tempore, *inquit Baronius ad an.* 58, *num.* 172, loco fuit divinitus impertitum, ut serpentes omnes veneno carerent, et quantumlibet aliquem momorderint, nihil prorsus inferant detrimenti... sed et terra ibi contra venena parat antidotum. *Candida ea est argilla, eruiturque ex crypta, urbi veteri vicina, ac pæne mœnibus inhærente ; et in massulas varie signatas coacta, per orbem dispergitur inter fideles Sancto devotos. Sinum ipsum exinde nominatum* S. Pauli, *ubi hic naufragium passus est, rudi arte expressum nobis proponit Commendator Joannes Franciscus Abela, Ordinis sacri Vice-cancellarius, in descriptione Melitæ edita an.* 1647 *pag.* 225 : *accuratior elegantiorque confici posset ex Atlante Blaviano, in eaque ex ista rudiori notari quibus locis istic nunc stent ecclesiæ S. Apostolo dicatæ, ipsaque metropolis, ubi Publii insulæ Principis, primique ibi postea Episcopi, ut fertur, domus in Cathedralem conversa est.*

B

omnes ibi veneno carent, eique terra ipsa medetur.

Locus naufragii.

10 *Idem Abela pag.* 252, *ex Archivio Messanensi producit excerptum de Martyrio* SS. Petri *et* Pauli, *interprete Constantino Lascari, ubi dicitur, quod* Judæis, qui tunc temporis Romæ erant, *mox atque* intellexerunt Paulum affuturum, placuit Neronem adire ; *et quod,* offerentes munera, *persuaserint* scribere per omnia loca, ut Paulus in partes Italiæ non accedat : *quare* Petrus *ad eum duos ex Fratribus in Melitam miserit, nuntiaturos,* auditum a Judæorum Magistris, eos a Cæsare petiisse, ut omnibus Provinciis scriberet, interficiendum ubicumque inventus esset. *Quo tamen non obstante,* vigesima die mensis Maji, promptus factus, *post trimestrem in Insula moram,* et navigans a Melita et Gaudisio *(Melitæ proximo vulgo* Gozo *dicto)* non per Africam in Italiæ partes, sed in Siciliam Syracusas se contulit, cum duobus viris, missis ad eum, ac inde Rhegium Calabriæ. *Non displicet dies notatus discessui, nam et Panvinius ita subducit tempora, ut* VI *Julii Sanctus Romam ingressus sit ; at antea Melitam appulsus mense Februario, post quatuordecim dierum toleratam tempestatem, subortam initio Februarii. Solverat enim navis a Creta insula, contra* Pauli *consilium ;* cum jam non esset tuta navigatio, eo quod et jejunium præteriisset ; *scilicet* jejunium decimi mensis, quod *Hebræis* qui Aprilem primum mensem computant *(teste Petro Comestore cap.* 118 *in Actus Apost.)* fiebat

C *adventus Romam,*

an a Nerone prohibitus?

an dies discessus ab insula 20 Maji?

mense Januario. *Hactenus igitur bene procedit Græci scriptoris, quiscumque demum ille fuerit, Chronologia : sed quod ait, Judæos Neroni suggessisse contra Paulum dicentes :* Non satis est omnes Fratres nostros affecisse molestia in Judæa, Samaria, et Palæstina, nisi huc quoque veniat ; *id falsitatis convincunt ipsorummet* Judæorum primi, *Act.* XXVIII, *respondentes* Paulo ; Nos neque litteras accepimus de te a Judæa, neque adveniens aliquis Fratrum nuntiavit aut locutus est quid de te malum. D

AUCTORE D. P.

11 *Ante MS. præcitatum allegat Abela, hactenus ineditam historiam S. Publii, ejus quem dixi Principis Melitensis, quemque recolunt tabulæ Romani Martyrologii* XXI *Januarii, acsi idem postea fuisset Episcopus Atheniensis : quod merito, veluti dubium, Bollandus retulit. Auctorem, a quo liber scriptus sit, indicat Abela quemdam sui Ordinis P. Manducam, et pag.* 250 *hæc ejus verba adducit :* Villam hospitalem S. Pauli, vicinam rupibus Dithalassis (quibus Act. XXVII navis quassata maris tempestate, stetit impacta donec solveretur) fuisse in clivo ad maximi ædificii ruinas supra prospectum maris : *istic credo, ubi in tabula nunc ecclesia notatur proxima mari ædicula* Pauli ; *ubi etiam Abela* Paulum *igni adstantem exprimit, e regione ejus rupis, ad quam navis alliditur. Ab ista ædicula, ad tria* p. m. *procedendo, notatur ejusdem nominis ecclesia altera ; ac denique quinto a mari milliario Civitas vetus, juxta quam esse dixi cryptam* Pauli; *sic nuncupatam, non quia Apostolus ibi habitaverit, aut Synaxes egerit, ut putant aliqui ; sed quia istuc se recipere ad nocturnas orationes sit solitus, uti verosimilius esse censet Abela. Hic quoque pag.* 26 *indicat, eo loci adhuc anno* MDCX *stetisse capellam, a Desquanezia et Bordina familiis ædificatam ; deinde vero ab Ordinis Magistro Wignacurtio, a fundamentis majori ambitu, atque in formam ecclesiæ restauratam. De altera, urbi viciniore, nihil dicit ; uti nec de tertia, quam juxta hortos Episcopales trans urbem notat tabula.*

Sancti istic hospitium ;

E

ejusdem crypta ;

12 *Ast de crypta jam dicta significat Abela pag.* 348 *et seqq. ejus venerationem valde crevisse, ab anno* MDCVII, *quo illuc appulit Nobilis quidam Cordubensis, sub schemate Peregrini, Fr. Joannem a S. Paulo sese nominans; qui ibi habitare in ipsa Crypta elegit, ac supra eam fecit ædificari sacellum S. Publio dicatum, quod Religiosis quibusdam custodiendum traditurus, obtinuit anno* MDCXI *a Paulo Papa V Breve, quo ipsum a Parochiæ urbanæ jurisdictione eximeretur : et collatis illuc variis Reliquiis, Breve alterum, quo idem Pontifex* conservationi sacrarum Reliquiarum, quæ in crypta S. Pauli, in ecclesiæ formam redacta, asservantur, consulere volens, supplicationibus Joannis de S. Paulo, Clerici Cordubensis, cui ipsam Cryptam nuper in administrationem concesserat, inclinatus ; ne quis prædictas Reliquias aut earum partem extrahere quomodolibet audeat, interdicit. *Ipsam deinde cryptam, jam Ecclesiam, suo Ordini a fundatore Joanne oblatam, acceptavit Magister Wignacurtius anno* MDCXVII ; *et Clericos ibi a se constitutos secundo post anno dotavit amplo in insula Gaudiosa prædio : ac denique a Duce Mantuano obtinuit partem Apostolici Brachii, sub hoc testimonio, per ipsummet Ducem aliosque signato die ultimo mensis Julii* MDCXX : Fidem facio et attestor ego Æmilius Mascara, Canonicus ecclesiæ Ducalis S. Barbaræ Mantuæ, et Præfectus Reliquiis consistentibus in d. ecclesia ; qualiter die XXVI mensis Maji, currentis anni MDCXX in præd. S. Barbaræ ecclesia, præsente Sereniss. Ferdinando, Duce Mantuæ et Montis ferrati, et de ejus expresso mandato, et amplius, assistentibus Reverendiss. D. Gregorio Carbonello, Episcopo Diocesariensi et Abbate d. Ecclesiæ, ac Perill. D. Octavio Morbiolo ejusdem ecclesiæ Archidiacono, secui os brachii S. Pauli Apostoli, quod custodiebatur in loco

cui anno 16 accessit capella S. Publii,

F

et anno 1620 pars ex brachio S. Pauli.

A loco Reliquiarum d. ecclesiæ ad id destinato; illudque ab altera majori parte separatum, quæ in ædibus d. ecclesiæ remansit, tradidi Serenissimo, transmittendum, ut asseruit, Mediolanum.

Ibidem ecclesia Cathedralis.

13 *Denique describit Abela pag.* 331 *et seqq. ecclesiam Cathedralem totius insulæ, sitam in veteri civitate, quæ illius quasi centrum tenet, quinque vel sex* p. m. *a mari, etiam dedicatam sub titulo Conversionis* S. Pauli, *eo ipso quidem loco verosimiliter, quem ecclesiæ construendæ ipse Apostolus olim destinavit; operis autem fere Gothici, fabricati post expulsionem Saracenorum; cujus tectum, ut ceterarum fere illius insulæ ecclesiarum, humilium ferme et obscurarum, immediate incumbebat columnis octo. Postea ait, ipsam productam fuisse, et in formam Crucis deductam, opere ante annum* MCCCCXIX *cœpto, et absoluto sub annum* MDIX; *tectum vero mediæ navis altius sublevatum fuisse dicit anno* MDXX, *et naves laterales anno post id* XV; *atque ita lucidiorem redditam ecclesiam universam; ejus deinde thesaurum et œconomiam explicat, prolixius quam hic vel delibare sit conveniens.*

§. *III. Reliqua utriusque Apostoli Trophæa Romæ.*

Lapis unus et alter cui genua Petri,

B Trophæa *appello cum Francisco Maria Turrigio, seculo exemplum Gaji, veteris sub S. Zephyrino Papa Theologi, in libello quem ipse Turrigius edidit anno* 1644, *sub titulo Sacrorum Trophæorum Romanorum. Primum sit, Ecclesia* SS. Petri et Pauli in Silice Via sacra, *de qua ita scribit Anastasius in Vita Pauli Papæ I, qui sedit ab anno* DCCLVII *ad* LXVII. Hic fecit noviter ecclesiam infra hanc civitatem Romanam, in Via sacra, juxta templum Romuli, in honorem SS. Apostolorum Petri et Pauli, ubi ipsi beatissimi Principes Apostolorum, tempore quo martyrio coronati sunt, dum Redemptori nostro funderent preces, propria genua flectere visi sunt: in quo loco usque hactenus eorum genua, pro testimonio omnis imposterum venturæ generationis, in quodam fortissimo silice esse noscuntur designata. *Communior opinio habet, fuisse templum Romuli; ubi nunc est ecclesia* SS. Cosmi ac Damiani *ad eamdem viam sacram, in campo, uti nunc appellatur, Vaccino; non recte a Turrigio vocata,* S. Cosmatis, *tametsi verum foret, quod ait, ita legi in antiqua inscriptione in Ecclesia S. Martinæ. Est enim alia SS. Cosmi ac Damiani Ecclesia,* Cosmatis *olim et nunc passim dicta, multum*
C *inde remota, in vico aureo ad radices Janiculi montis sub ipso loco, ubi Petrus creditur cruci confixus fuisse, ejusque rei monumenta hodiedum supersunt.*

contra Magum orantis

15 *Ait quidem Turrigius ex Anastasio, Apostolos e carcere eductos, illic orasse, et vestigia genuum impressa saxis reliquisse: sed alii, id prius contigisse asserunt, cum ibidem loci orans* Petrus *(sunt qui etiam* Paulum *tunc adfuisse, orasse, et genua lapidi impressisse affirment) positis genibus præcipitem dedit Simonem Magum. Sed maluit multiplicare Turrigius saxa istiusmodi miraculosa, tametsi suum illud supradictum fateatur nesciri ubi sit; quam explicare textum Anastasii. Scribit enim cap.* 14, *in Ecclesia* S. Mariæ Novæ, *quæ etiam ipsa prope abest a supradicto Romuli templo, conservari hodiedum lapidem cum impressis* a S. Petro *orante, dum volabat Magus, genuum signis, infixum muro, et obducta crate ferrea defensum a rapacibus pii populi manibus ac scalpellis; superposita inscriptione tali:* Super hanc petram inflexit genua S. Petrus, quando cacodæmones tulerunt per aera Simonem Magum. *De eodem aut simili, S. Gregorius Turon l.* 1 *cap.* 28: *de gloria Martyrum:* Extant hodie apud urbem Romam duæ in lapide fossulæ, super quo B. Apostoli deflexo poplite, contra ipsum Simonem Magum, orationem ad Dominum fuderunt. *Addit*

impressa fuerunt;

D *vero etiam hoc:* In quibus *fossulis* cum de pluviis lymphæ collectæ fuerint, a morbidis expetuntur, haustæque mox sanitatem tribuunt. *Et hoc miraculum de impressis tunc saxo ab orante* Petro *genibus agnoscunt multi eorum, qui admittunt volatum Simonis. Sunt autem tot, non modo horum temporum scriptores, sed etiam sancti Patres, et quidem antiqui, qui volatum istum admittunt, ut videatur prudenter in dubium vocari non posse, ob silentium illorum qui in Commentario prævio num.* 33 *citantur. Meminit idem Turrigius etiam tertii saxi, quod præcipitem Simonem excepit, ejusque sanguine commaculatum fuerit; citatque pro illo Canonicum Benedictum, qui anno* MCXLIII, *in suo MS. Ceremoniali, quod est in Archivio S. Petri, describens viam Pontificis a Vaticano in Lateranum die secundo Paschæ;* Transit, *inquit,* per Silicem, ubi cecidit Simon Magus, juxta templum Romuli; *de quo loco Nicephorus Callistus.* Locus sane ipse in quo luctuosum hoc spectaculum incidit, ad hodiernum usque diem Simonium vocatur: *et Petrarca in epistola ad Philippum de Vitriaco;* Cernes lapidem, infando Simonis cerebro maculatum: *ab hoc autem non longe aberat Apostolicis genibus notatum saxum de quo supra.*

tertius lapis super quem Simon cecidit


16 *Scribit S. Ambrosius contra Auxentium, quod,*
E cum Petrus victo Simone præcepta Dei populo seminaret, doceret castimoniam, excitavit Gentilium animos: quibus eum quærentibus, Christianæ animæ deprecatæ sunt, ut paulisper cederet: et quamvis esset cupidus passionis, tamen contemplatione populi precantis inflexus est: rogabatur enim, ut ad instituendum et confirmandum populum se reservaret. Quid multa? Nocte muro egredi cœpit (*ita prosequitur Ambrosius*) et videns sibi in porta Christum occurrere Urbemque ingredi, ait; Domine, quo vadis? Respondit Christus, Venio Romam iterum crucifigi..... Intellexit ergo Petrus, quod iterum Christus crucifigendus esset in servulo: itaque sponte remeavit, interrogantibus Christianis responsum reddidit, statimque correptus per crucem suam honorificavit Dominum Jesum. *Hinc extra portam via Appia majorum pietas sacellum consecravit, vulgo dictum,* Domine, quo vadis? *cujus delineationem vide sequenti pagina ex tabulis anni circiter* MDCII.

Sacellum, Domine quo vadis?

17 *In Actis Visitationis anni* MDCXXIV *dicitur* Oratorium *istud* S. Mariæ de Plantis, *quarum* vestigia in Silice impressâ reliquisse Dominus creditur. *Et*
F lapis *iste* hodie in ecclesia S. Sebastiani inter ceteras reliquias custoditur, relicto hic exemplo ad formam originalis. *Addit Joannes Lupardus, quod* servatur hic lapis in altari privilegiato ubi plurimæ servantur Reliquiæ. *Est autem illa de Christi vestigiis traditio testatior, quam quæ in ecclesia SS. Silvestri et Dorotheæ ad portam Septimianam, juxta alium ibi positum lapidem sic in marmore sculpta legitur:* Lapis hic, super quo visi sunt Angeli genu flexi in martyrio B. Petri, de ruinis S. Angeli in Janiculo erutus a Juliano de Dathis, *Episcopo S. Leonis et Pœnitentiario Basilicæ Lateranensis,* ecclesiæ hujus Antistite pietati vestræ expositus anno Jubilæi MD. *Visionis istius meminit Petrus de Natalibus lib.* 6 *cap.* 22, *et Breviarium Dominicanum anni* 1530: *sed uti nihil dubitandum, quin apocrypha sit tota, sic etiam talis censenda est huic innixa traditio, et quæ in eo lapide signantur vestigia, humanarum manuum opus censenda sunt: quamquam aliis impossibile non sit, Angelos, licet in aerio dumtaxat corpore apparentes, vera quasi verorum corporum relinquere monumenta.*

et Christi in lapide vestigia,

alibi etiam Angelorum an vera?



Titulus Fasciolæ unde sumptus

18 *Acta SS. Processi et Martiniani, præfectorum custodiæ, in Mamertino Apostolis appositæ, ab iisque ibi conversorum, in diem* II *Julii relata, supponunt, utrumque Apostolum simul vinctum, simulque clam dimissum fuisse ; et tunc contigisse quod narratum est. Verum sequenti die de S. Lucina acturus, ostendam, quam exiguæ fidei Acta illa sint ; certe inidonea ad probandum, simul eo in carcere Apostolos fuisse, simulque exivisse vel ad fugam vel ad mortem. Interim ex eisdem assumitur, quod* beatissimo Petro Apostolo, cujus pedes attriverant compedes ferrei, excidit fasciola, *qua vulnus obligaverat*, apud sepem in via nova : *alia MSS.* apud septem; *et Turrigius* septem solia, *vel* septi solia, *aut* septi zonium *intelligit. Stabat hoc* ad Clivum Scauri, *et quod ejus reliquum erat demolitus est Sixtus V ; sed restat ecclesia SS. Nerei et Achillei, ab antiquo* titulum Fasciolæ *gerens ; quam cum Diaconiæ ibi Cardinalitiæ titulo Baronius nactus, insigniter restauravit.*

Mamertinus carcer

C

19 *Verum nimis cito dimisit stylus* Custodiam Mamertinam : *regrediendum ergo eodem est, atque ex præcitato Baronio ad* XIV *Martii discendum, quod* sic appellatus reperitur carcer ille, qui nobilitatus fuit vinculis sanctorum Apostolorum Petri et Pauli aliorumque sanctorum Martyrum, ad radices Capitolii, supra locum quem hodie forum dicunt, positus ; subterraneos habens descensus, a Christianis, statutis diebus, religionis ergo frequenti cœtu invisitur, atque in honore habetur. *Tum infra :* Carcer itaque Mamertinus..... ex quo desiere superstitiosæ Gentilitatis Imperatores, desiit esse criminosorum ergastulum, ac mutatus est in ecclesiam. Nam ex quo Christiani homines sumpserunt habenas Imperii, non amplius invenies detrusum quempiam in carcerem Mamertinum, sed atrocium criminum rei in Tiberinam insulam conjiciebantur. *Ipsa Ecclesia,* S. Petri in carcere *nuncupatur, ubi* adhuc *(uti scribit Joannes Baptista Paulianus libro 3 de Jubilæo)* ob Pauli *(Turrigius* Petri *substitui jubet)* capitis percussionem, ab impio custode factam, in marmore effigies stat excisa, dum ex miraculo saxa ipsa tanto viro cesserint. *Joannes Lupardus libro de mirabilibus Urbis,* formam capitis S. Petri *appellat.* Ibidem, *inquit Turrigius,* est columna quam vidi, crate ferrea cincta, ad quam catenis alligatus fuit Petrus. *De qua in tabella appensa, et Visitatoribus Apostolicis sæpe probata, legitur, quod* eam devote tangentes osculantesve multas a Christo referunt gratias. D

versus in ecclesiam :

ubi capitis saxo impacti vestigium,

AUCT. RE D. P. columna ad quam vincti Apostoli ;

20 Ibidem etiam, *inquit Paulianus,* Apostolico miraculo, ad inibi conversorum *baptismum, fons saluberrimus in pavimento surrexit : de quo fonte notat Thomas Bosius lib. 1 cap. 15 de signis Ecclesiæ velut alterum miraculum, quod etiam Cardinalis Baronius ad annum 68 animadvertit ; videlicet post* annos MDXX *(dicamus nos* MDCXXVII) e sicco marmore fluentem non exaruisse. Quod vero superat omnia, *inquit ille,* et quivis experiri potest, et plurimis est experimentis compertum, quantumvis inde haurias, numquam tamen contingit exhauriri. Altitudo est cubiti unius, latitudo fere palmi. Quotannis eo totius urbis Romæ concursu ventitatur : nemo est qui non de ejus lymphis potet sumatque : nihil imminuitur tamen. Atque ut magis obstupescas, etiamsi nullus ex eo hauriat, in eodem tamen permanet statu, non exuperat aut redundat.

et fons indeficiens a Petro elicitur.

21 Porro, antequam mortis supplicio afficerentur *Apostoli,* ambo more Romano virgis cæsi fuisse traduntur, *teste Baronio. Et* de Petro, *inquit,* quod vilis persona haberetur, nulla potest esse dubitatio; cum more majorum, qui ultimo supplicio damnati essent, antea virgis cæderentur : de Paulo vero, quod civis Romanus esset, et Lege Valeria primum, ac deinde Porcia haberetur immunis, addubitari posset. Verum constat, tam ex Lege duodecim Tabularum, quam etiam Lege sacra, cum aliquod a civibus immane fuisset perpetratum delictum ; tunc eosdem centuriatis comitiis condemnatos, affectos verberibus primum, capite deinde truncandos. Cum igitur apud omnes gravissimum scelus habeatur impietas, Paulum ejus criminis judicio postulatum et condemnatum, antequam ultimo supplicio subjiceretur, virgis cæsum fuisse nullus jure poterit dubitare : cum præsertim adhuc Romæ, in ecclesia S. Mariæ trans pontem. extent, et in honore habeantur columnæ illæ, quibus ambo Apostoli alligati et virgis cæsi feruntur. *Est ea ecclesia nunc Patrum Carmelitarum in Urbe præcipua, trans pontem S. Angeli, quo itur ad Vaticanum, ubi (sicut ex præcitata Visitatione habetur)* ab utroque latere altaris duæ lapideæ columnæ, tabulis ex ligno nucis circumvestitæ, in quibus asseritur beatos Petrum et Paulum fuisse flagellatos : *addit Joannes Lupardus ;* Juxta quas carmina quædam leguntur marmori insculpta, *hæc videlicet :* F

E

Columnæ aliæ duæ, ad quas flagellati ambo,

in ecclesia Transpontina Carmelitarum

Hic sunt, lucentes Petri Paulique columnæ
Sanguine, tantorum nunc monumenta virum.

22 *Hactenus delibata eorum fere summa est, quæ in suo Trophæorum libello prolixius deduxit Turrigius, Italico illo quidem, sed Auctorum Latinorum verba Latine proferente ; sequitur ibidem Appendix, non indigna memoratu,* de æneo, *quod in Vaticana Basilica visitur,* S. Petri simulacro, *de quo Maffeus Vegius, in MS. de rebus antiquis memorabilibus Basilicæ Vaticanæ, quod in ipso ejus archivio asservatur, sic ait :* Ad sinistram partem ingressus Basilicæ veniamus, inveniemusque ibi locum, quo nullus propinquior altari majori, ubi situm erat monasterium S. Martini.... cujus etiam oratorium, cum aliquibus adjunctis domunculis, ante hæc tempora vidimus : nunc omnia...... funditus dejecta sunt. Erat sane oratorium ipsum summæ apud omnes devotionis, maxime quod esset posita in eo imago ænea S. Petri; transportata postmodum ad aliud oratorium SS. Processi et Martiniani. Neque in tota basilica, post altare majus, ullus locus erat, ad quem major, præ devotione fieret concursus populorum, majoraque oblatæ etiam stipis commoda susciperentur. *Floruit Maffeus*

Ænea Petri statua,

ex Oratorio S. Martini translata ad aliud SS. Processi et Martiniani,

A *Maffeus tempore Martini Papæ V, initio seculi* XV : *Cardinalis autem Richardus de Oliveriis, cujus insignia exprimuntur in basi, primum donatus Purpura fuit a Callisto III, sub annum* MCCCCLVI ; *ut necesse sit dicere, ipsum solius basis, non etiam fuisse auctorem statuæ, quæ jam pridem in tanta veneratione habebatur : et merito suspicabatur Fr. Nicolaus Richardus, ex Ordine Prædicatorum, tam celebris Orator, ut a portentosa ingenii excellentia Monstrum cognominaretur, ipsum esse, de qua impiissimus Leo Isauricus ad Gregorium II minitabundus scribebat;* Mittam Romam, et imaginem S. Petri confringam : *sunt etiam qui existiment, ipsam conflatam ex statua Jovis Capitolini, verso in meliorem usum metallo per Constantinum Magnum, vel aliquem ex proximis ejus successoribus.*

AUCTORE D. P.

merito creditur vetustissima:

23 *Anastasius Bibliothecarius de Leone Papa IV scribit, quod puer fuit* a parentibus ad studia litterarum in Monasterium B. Martini Confessoris Christi, quod foris muros civitatis Romanæ intra ecclesiam B. Petri Apostoli situm est, quousque sacras litteras didicit, sponte concessus. *Hoc autem, in quadam Peregrinorum instructione antiqua et manu scripta, sic explicatur, ut Ecclesiæ nomine intelligatur ejus circumcirca districtus, dum dicitur, ipsum monasterium esse* ad ferratam retro Basilicam. *Sane, secundum ichnographiam veteris novæque basilicæ infra dandam, Oratorii in fine monasterii positi absis distabat a Confessione* S. Petri, *non plus quam trecentis palmis ; totumque cum ipso monasterio situm fuit inter Confessionem prædictam et absidem novæ basilicæ ; atque adeo, si nunc staret, vere staret intra ipsum ecclesiam. Non potuit ergo fundamenta novi templi moliri Julius II, nisi omnia æquaret solo illa, quæ initio seculi* XV *vidisse se Maffeus meminit. Sumpta vero inde imago apte fuit translata ad veterem et adhuc totam stantem Basilicam, in oratorium Sanctorum prænominatorum : quia illud erat positum in ala basilicæ ipsius meridionali, ubi circa chorum stabat Oratorium S. Adriani, cum Cathedra* S. Petri, *sicut in eadem ichnographia et infra dicendis apparebit.*

Oratorium illud fuerat proximum veteri basilicæ,

B

ideoque ob novam condendam destrui debuit,

24 *Quando autem proficiente opere destruenda etiam fuit veteris ecclesiæ pars posterior, crucis habens formam, cujus brachium unum ala prædicta faciebat; alibi altare ipsorum Martyrum cum statua positum fuit in anteriori, quæ intacta remanebat, basilicæ media navi ad partem Aquilonarem, idque a Paulo III, qui sedit intra annum* MDXXXIV et XLIX. *Testatur hoc Tiberius Alforanus, ecclesiæ ipsius Beneficiatus sub Gregorio XIII, cui et librum suum hactenus ineditum dedicavit :* A sinistro Basilicæ latere, *inquit*, ad Aquilonem Paulus III transferri fecit organum ex priori loco, sex porphyreticis columnis suffultum; sub quo transferri fecit et corpora SS. Processi et Martiniani Martyrum, simul cum altari, et statua B. Petri in throno sedentis, ex priori oratorio, ubi olim erant. *Idem altare propter statuam, ante et post hanc Paulinam translationem invenitur in Instrumentis anni* MCCCCLXXXIV *et* MDLXXIX *nominatum*, Altare S. Petri de Bronzo, alias SS. Processi et Martiniani. *Digna proinde statua, cujus hic exemplum habeat lector, ex libro Pauli de Angelis, sæpe infra laudando.*

sicut et oratorium SS. Processi et Martiniani,

C

quod una cum statua ad navim anteriorem transtulit Paulus 3

25 *Eadem statua sub Paulo V circa annum* MDCXX, *reliquo novæ Basilicæ opere jam consummato, posita fuit ad unam e quatuor majoribus pilis tholum sustentantibus ; illam videlicet, quæ ingredienti templum a dextris est, antequam ad Confessionem sub medio tholo perveniatur. Stat autem ibi in eadem Cardinalis Richardi basi, ad eam altitudinem elevata, ut quivis accedentium commode possit osculari pedem, quod passim faciunt quotquot ad Apostolicam Confessionem, intra prædictas pilas stantem, accedunt : cui piæ devotioni illusurus anno* MDCCXXVIII *Joannes Antonius Stafetta, procax adolescens, cum ipsum pedem fœtenti quodam lacte oblivisset, ad risum ex aversantium post oscula motu captandum ; cecidit ex ænea illa quæ superstat Confessioni machina, dispersoque cum sanguine cerebro totum pavimentum inquinavit, ad aliorum exemplum, sane horrendum, a Turrigio relatum.*

ac denique etiam Paulus 5.

Ejus irrisor punitur.



§. IV. *Ubi primum sepulti a morte Apostoli, quando et a quo translati ad Catacumbas?*

Eusebius Pamphili, *lib.* 2 *Eccl. Historiæ cap. penult. relata Sanctorum Apostolorum passione*; Hanc, *inquit*, narrationem *abunde confirmant Petri Paulique nomine insignita monumenta*, quæ in urbis Romæ cœmeteriis etiamnum visuntur. Sed et Cajus quidam vir Catholicus, qui Zephyrini Romanæ urbis Episcopi temporibus floruit (*id est in confinio secundi ac tertii seculi*) in eo libro quem scripsit adversus Proculum, patronum sectæ Cataphrygarum, de loco in quo prædictorum Apostolorum sacra corpora deposita sunt, ita loquitur. Ἐγὼ δὲ τὰ τροπαῖα (*lubet enim tam antiqui scriptoris ipsa originaria verba dare*) τῶν Ἀποστόλων ἔχω δεῖξαι, ἐὰν γὰρ θελήσῃς ἀπελθεῖν ἐπὶ τὸν Βατικανὸν, ἢ ἐπὶ τὴν ὁδὸν τὴν Ὠστίαν, εὑρήσεις τὰ τροπαῖα τῶν ταύτην ἱδρυσαμένων τὴν Ἐκκλησίαν. Ego Apostolorum Trophæa possum ostendere : nam sive in Vaticanum, sive ad Ostiensem viam pergere libet, occurrent tibi Trophæa eorum, qui Ecclesiam illam fundaverunt. *Hæc quocumque modo intellexeris ; sive de locis primæ eorum sepulturæ, uti intellexit Eusebius; sive de locis passionis, uti alicui videri possit verosimilius (siquidem diversis locis, ut passim nunc creditur, aliter olim sentiente et scribente Prudentio ; passi fuerint ambo Apostoli) Trophæa merito dicebantur loca illa; cum piis Christianis semper manserint etiam inter*

Trophæa Apostolorum dixit an. circ. 200 *Gaius,*

eorum sepulcra Christianis tota:

A *inter persecutiones venerabilia utraque, hæc supra, illa infra terram.*

27 S. Petrum *quod attinet; habuit ille ab antiquis temporibus in summitate Janiculi, qui contiguus Vaticano est, et eodem cum ipso nomine sæpe venit (uti pluribus demonstrat Baronius) habuit, inquam,* Petrus *ecclesiam, dictam* S. Petri in Montorio, *id est,* Monte Aureo, *sive* Aurelio, *a porta Aurelia nunc S. Pancratii sibi propinqua; cui ante restaurationem adhærebat rotundum sacellum, ductum (ut traditur) circum vestigium depactæ ibi olim Crucis, cujus vestigii memoriam semper recentem servaverint Christiani, quoad ipsum, Constantino imperante, fuit ejusmodi sacello ornatum ac deinde ecclesia. Hæc cum collapsa penitus esset, a fundamentis nova surrexit initio seculi* XVI, *quod hujusmodi testatur inscriptio marmoris.* B. Petri Apostolorum Principis martyrio sacrum. Ferdinandus Rex Hispaniarum et Helisabeth Regina Catholica, post erectam ab eis ædem, posuere anno salutis MDII. *Et centum annis post, sicut alius testatur titulus in fronte sacelli,* Apostolorum Principi Philippus III Hispaniarum Rex, ædem hujusce sacelli, vetustate collabentem, diligentia ornatissimi viri Joannis Fernandes Paceco Marchionis Villenæ, piam operis

Petri scilicet in Janiculo passi,

ubi adhuc vestigium crucis ejus,

B avitі memoriam hereditaria religione renovavit MDCV. *Depositus autem de cruce* Petrus, sepultus *fuit* via Aurelia in templo Apollinis juxta Palatium Neronianum in Vaticano, inter Zetarium, *id est,* Triclinium triumphale : *neque multis annis post* Anacletus *Pontifex* memoriam B. Petri construxit, et composuit, ubi et Episcopi reconderentur; *et sic tam ipse quam plerique successorum ejus, usque ad S. Zephyrinum, dicuntur* sepulti juxta corpus B. Petri in Vaticano, *prout legitur in Catalogo secundo quem dedit Henschenius, scriptum tempore Justiniani Imperatoris post annum* DXXX.

et in Vaticano tumulati :

28 *Similiter et* S. Paulus *decollatus hic esse traditur Via Ostiensi, loco,* Ad guttam jugiter manantem, *dicto; qui fortassis post cædem* Pauli, *quia plures ibi salutem consequebantur infirmi,* Ad aquas Salvias, *nunc vero* Ad tres fontes; *quos exstitisse ferunt a terno capitis decussi saltu. Vidi locum, et considerata dispositione fontium, quorum primus secundo, secundus tertio, pari intervallo scaturit; in suspicionem veni, quod aquæ illæ, jam ante* S. Pauli *ætatem* jugiter manantes, *ac deinde ob memoriam decollati vel sepulti ibidem Apostoli frequentatæ ac salutiferæ, ut dicebant,*

Pauli ad aquas Salvias decollati;

hæ an fuerint miraculo tunc excitæ,

C *factæ, indeque Salviæ nominatæ, humana industria tandem fuerint ductæ in tria receptacula sive labra, ad majorem utentium commoditatem; quæ deinde obtecta in modum fontium suo quæque tubulo se exonerent, et speciem trium fontium præbeant; cum revera unicus idemque fons videri possint, non miraculo sed natura natus in declivio collis, eo loco assurgentis. Major auctoritas foret pro alia Traditione dicentium, amputato Apostoli capite pro sanguine lac effluxisse; si Acta quæ dedimus sub nomine Lini apocrypha, id evincere possent (Baronius certe auctoritatem illam noluit allegare hic) aut probarentur scripta, quæ sub nominibus Ambrosii atque Chrysostomi talia testantur, istorum vere auctorum esse, et non potius Anonymorum, qui aliud fundamentum taliter scribendi non habuerint, quam apocrypha, quæ dixi, et Lino supposita Apostolorum Acta.*

vel potius manu ex uno fonte in tres deductæ?

29 *Ut ut hæc sunt : Corpus Apostoli* Pauli *mox a cæde videtur translatum fuise (ubi ubi tandem illa facta sit) in arenariam Ostiensi via, idoneam cœmeterio; quoad inde subductum fuit conjunctumque Corpori* S. Petri *in Catacumbis, inter Ostiensem et Appiam vias; huic tamen multo quam illi vicinioribus; supra quas extructa est Basilica S. Sebastiani. Quæritur autem hic, quando et quomodo ad Catacumbas delati sint Apostoli : fuisse enim ibi aliquando, communis consensus est. S. Gregorius lib.* 3 *Epist.* 30 *data Indictione* XII, *id est, anno Christi* DXCIV *rescribens Constantiæ Augustæ, caput* S. Pauli *petenti, pro ea quam Constantinopoli sub ejus nomine fabricarat ecclesia; et causas reddens cur nefas putet Sanctorum Reliquias loco movere; post alia circa alios Sanctos divinæ prohibitionis argumenta,* De corporibus vero beatorum Apostolorum quid ego dicturus sum? *inquit,* dum constet, quia eo tempore quo passi sunt, ex Oriente fideles venerunt, qui eorum corpora, sicut civium suorum repeterent : quæ ducta usque ad secundum urbis milliarium, in loco qui dicitur Catacumbas collocata sunt. Sed dum ea inde levare omnis eorum multitudo conveniens niteretur; ita eos vis tonitrui atque fulguris nimio metu tenuit atque dispersit, ut talia denuo nullatenus attentare præsumerent. Tunc autem exeuntes Romani, eorum corpora, qui hoc ex Domini pietate meruerunt, levaverunt, et in locis quibus nunc sunt condita, posuerunt.

Inde ad Catacumbas translata corpora

D

AU TORE D. P.

an a Græcis clam ablata,

30 *Torquet se Lualdus, ut* τὸ tempus quo passi sunt *Apostoli, faciat intelligi anniversarium aliquem Passionis eorum diem, pacata jam ecclesia per Constantinum, sub quo vel successorum ejus aliquo talia acta sint. Sed mera isthæc violentia est. Malim ego admittere, sanctum Pontificem, plerumque magis sollicitum de rebus quas tractat, quam de tempore, quo res præcise contigerint; hic quoque intellexisse* tempus quo passi sunt *Apostolo, cum aliqua latitudine, quæ extendi etiam possit ad tempora sequentia, quibus alii atque alii Christiani sub variis Persecutoribus eorum exemplo passi sunt. Certe ita restringi furtum ad tempus Passionis non potest, ut non fuerint cadavera ante in Vaticano et via Ostiensi deposita, quam fuerint (ut prætenditur) ab Orientalibus sublata. Quomodo enim hi in ipso præcise Martyrii tempore venerint Romam, tam longum iter emensi, ut corpora raperent, de quorum cæde nihildum potuerant in patria sua vel in ipso itinere inaudivisse; cum supponatur, ipsis jam Romæ præsentibus, cædes peracta et corpora simul sublata fuisse? Quomodo etiam S. Anacletus Papa* memoriam B. Petri (*quod diserte asserit secundus noster Pontificum Catalogus, de quo ante tomum primum Aprilis, et Liber Pontificalis*) construxerit et composuerit, dum Presbyter factus fuisset a B. Petro, ubi Episcopi reconderentur. et ipse tandem sepultus est, *in Vaticano videlicet; si jam tempore Passionis, suffurati corpus Apostoli fuerant Orientales? Quomodo denique, stante prædicto furto,* sepeliri *potuerunt* juxta Corpus B. Petri in Vaticano (*quod as erit idem Catalogus et liber Pontificalis*) *successores ejus omnes a Lino usque Zephyrinum exceptis tantum duobus aut tribus, qui peculiarem ob causam alibi sepulturam habuerunt?*

E

quod non videtur potuis se fieri

F

31 *Mansit igitur in Vaticano et in Memoria, ab Anacleto ibi erecta,* B. Petrus *usque ad Zephyrinum, aut potius ad successorem ejus Callistum, qui* fecit aliud Cœmeterium via Appia *(ut habet citatus Liber Pontificalis) in illudque intulit decessoris sui Zephyrini Corpus, non in Vaticanum; imo hic nullus deinceps Pontifex legitur depositus fuisse usque ad Leonem Magnum, quando iterum sepeliri cœperunt successores* Petri *cum ipso* in Basilica *ejus* in Vaticano : *nempe* Leo *ipse,* Simplicius, Gelasius, Anastasius; *et deinceps omnes usque ad finem Catalogi præter unum* Joannem, *qui obiit Ravennæ. An igitur prima consuetudo tam diuturna sepeliendi Pontifices* juxta corpus B. Petri in Vaticano, *interrupta et mutata sit nulla de causa? Non opinor. Mutatus fuerit ipse locus, ubi successores* Petri *sepelirentur. qui eatenus juxta ipsum in Vaticano depositi fuerant; quia* Petrus *ipse non amplius in Vaticano manebat, ad Catacumbas translatus : quo et plerique Successores ejus multo deinceps tempore portati fuerunt; cum ipso suo post Christum capite ibidem quieturi, quemadmodum primi Successores*

sed potius mansisse in loco primæ Depositionis

Anno ... usque ad Pontificem Callistum,

A *res depositi cum ipso fuerant in Vaticano, ubi tunc ipse jacebat, et jacuisse etiam anno ducentesimo æræ vulgaris et aliquanto post, testis est Caius theologus Romanus apud Eusebium, a nobis hic jam non semel citatus. Hæc* Petri *et hoc tempore ad Catacumbas translatio, multo probabilior videbitur consideranti, primo, quod Callistus novum fecerit Cœmeterium : 2 quod deinceps usque ad Cornelium Papam nulla apud idoneos auctores mentio, quantum sciam, fiat* Petri *in Vaticano : 3 quod nullus deinde Pontifex, ut eatenus consuetudo obtinuerat, memoretur in Vaticano sepultus fuisse, nisi post relatum eo corpus* B. Petri : *4 quod Successores Callisti usque ad Cornelium et ultra,* Urbanus, Pontianus, Anterus, Fabianus, Cornelius *ipse, et alii post eum, in cœmeterio Callisti (quod et Prætextati nomine venit) ad Catacumbas depositi fuerint : quinto denique quod legatur in Catalogo secundo et Libro Pontificali,* Cornelius Corpora Apostolorum beati Petri et Pauli de Catacumbis levasse noctu, *et potuisse alterum in Vaticano, alterum via Ostiensi.*

qui præfuit Ecclesiæ sub Heliogabalo

32 *Lucem fortasse hic nobis affundet aliquam Historia profana, docebitque causas ob quas Ossa Apostolorum, saltem unius, movenda loco suo ; utriusque vero abdenda fuerint in locum secretiorem, ac magis reductum*

B *ab oculis et notitia gentilium, quam erant sepulcra et* trophæa, *ut vocat Caius,* Petri *in Vaticano; Pauli via Ostiensi ; tunc passim omnibus nota. Duas causas subministrat nobis Ælius Lampridius in Heliogabalo, sub quo Ecclesiæ præsedit S. Callistus ab anno vulgaris Æræ* CCXVIII *usque ad* CCXXIII. *Fuit Imperator ille vanissimus homo atque addictissimus cultui Solis, a quo et cognomen sibi assumpsit; ac inter alias multas ineptias dicitur apud Lampridium,* elephantorum quatuor quadrigas in Vaticano agitasse, dirutis sepulcris quæ obsistebant. *Quidni et* S. Petri *Memoria, simul etiam destructa, aut metu tam vicinæ ruinæ sacra ejus ossa inde tempori ablata ac in tuto posita fuerint ? Scribit præterea citatus Auctor, quod Imperator,* ubi primum ingressus est urbem, omissis iis quæ in Provincia gerebantur, Heliogabalum in Palatino monte juxta ædes Imperatorias consecravit, eique templum fecit, studens et [Deum] Matris typum, et Vestæ ignem, et Palladium, et Ancilia, et omnia Romanis veneranda, in illud transferre templum; et id agens ne quis Romæ Deus nisi Heliogabalus coleretur. Dicebat præterea, Judæorum et Samaritanorum religiones et Christianam devotionem illuc transferendam, ut omnium culturarum secretum Heliogabali Sacerdotium teneret.

etiam Christiana sacra volente transferre ad suam idoliam,

C *Cumque ut cogitaverat dicebatque, ita et faceret, sicut pluribus idem Lampridius describit;* nec Romanas tantum extingueret Religiones, sed studeret etiam ut per orbem terrarum Heliogabalus Deus unus ubique coleretur... omnes *enim* deos sui Dei ministros esse aiebat ; cum alios ejus cubicularios appellaret, alios servos, alios diversarum rerum ministros. *Cum, inquam, sic insaniret ille ; justus metus potuit debuitque incessere ejus temporis Christianos, eorumque summum Pontificem Callixtum; ne sanctorum Apostolorum corpora, præ ceteris omnibus venerabilia, Heliogabalus requireret, ipsumque moveret, ut ea in tutum subduceret locum, non nisi paucissimis consciis, ubi ceteros omnes Christianos laterent, nec prodi aliquando possent ab infirmioribus ad gentilismum subinde revertentibus; eoque idoneæ visæ sint Catacumbæ.*

Callisto id præcavente.

Catacumbæ unde dictæ?

33 *Sunt autem Catacumbæ Græco nomine dictæ a* κατακύπτω, deprimo, defodio, excavo ; *sive a* κατὰ juxta, ad, *et* κύμβος, cavus recessus, *quales habet plures cœmeterium Callisti, juxta quod sunt Catacumbæ, sic descriptæ ab Aringo lib. 3 Romæ subterraneæ cap.* 12. locus subterraneus, fornice desuper obductus, ac semicirculari constructus forma ; et ut ex ipso aspectu credibile nobis fit, quoddam Ethnicorum ædificium extitit, quod a vetustissimis illis

D Pontificibus in sacros subinde rei ecclesiasticæ usus redactum est : quo Christi cultores, quibus illibatos religionis Christianæ ritus peragendi haud libera adhuc facultas suppetebat, pro ipsa temporis opportunitate ad sacram, ut mos erat, Synaxim convenirent. Hinc porro ad proximum cœmeterium (*Callixti scilicet via Appia*) patuisse aditum conjicitur, cum illud in ejusdem loci planitie consistat. Porro ad Catacumbas, quarum mentio est, per binas scalas quæ pluribus quidem gradibus constant, descenditur. Harum altera ecclesiam *S. Sebastiani*, altera Ardeatinam viam respicit. Fenestræ ibidem vel certe foramina, in oblongum ac satis angustam deducta formam, suspiciebantur, quæ lumen ad inferiora loca demittebant.

eorumdem forma, ejusque tempore persecutionum.

34 Decem et quatuor locus olim iste suo continebat ambitu monumenta, quorum tamen ad præsens duodecim dumtaxat visuntur: Et hæc quidem haud in topho, cœmeterialium modo excavata, quamvis eamdum intuentibus formam præseferant, sed lateritii operis calce circum oblinita sunt, paucis admodum exceptis, quæ artificum olim manu eleganter exornata fuisse, ex quibusdam adhuc vestigiis manifeste cognoscitur. Porro in eorumdem monumentorum ambitu, marmorea quædam hinc inde sedilia porriguntur, in quorum media parte, Pontificalis ac marmorea

quæ ibi monumenta

et sedilia.

E Sedes vetustissima extat, in qua summi ac sanctissimi olim Pontifices (uti veneranda piorum hominum traditio fert) considebant, dum funesta illa persecutionum tempora ingruerent; in reliquo autem sedilium ambitu Sacerdotes, qui Pontifici adstabant, ac Romanum insuper Clerum, tunc potissimum temporis cum sacræ ibidem synaxes peragerentur, sedisse, pie utique ex ipsius loci conspectu existimandum est.

35 Marmoreum e regione ipsius Pontificiæ sedis altare quoddam, et quidem vetustatem redolens, adhuc cernitur (*quale ipsemet anno* MDCLX *vidi, et hoc schemate repræsentatur*) super quo altari haud ab ullo, præter Romanum Pontificem, Missæ sacrificium celebrari consuevisse, ex recepta item inolitaque apud posteros traditione accepimus. Verum

Altare vetus,



A super eodem sacro altari, hac nostra ætate, ex Pauli V Pont. Max. indultu, cuilibet ex approbatis Sacerdotibus sacra peragendi mysteria, facultas impertita est.

sub eoque puteus, ubi corpora latuerunt

36 Hic præterea, ipso sub altari, putei adinstar foramen conspicitur, ubi quondam veneranda beatorum Apostolorum corpora.... aliquamdiu delituere. *De S. Damaso Papa scribit Anastasius Bibliothecarius in ejus Vita, quod* fecit Basilicam via Ardeatina, ubi ipsemet sepultus requiescit in Catacumbis; et ædificavit platoniam, *id est marmoreum pavimentum,* ubi corpora Apostolorum jacuerunt, et versibus ornavit, *quorum ex Gruteri inscriptionibus hoc initium accipe:*

Hic habitasse prius Sanctos cognoscere debes,
Nomina quisque Petri pariter Paulique requiris.

Quod licet de mortuis, non de vivis, intelligendum sit; satis tamen apparet causæ, cur hic locus præ aliis lectus sit abscondendo pretioso illi thesauro, et cur Callistus illic sui decessoris Zephyrini corpus humaverit, et alii post eum Pontifices, usque ad Marcellinum, fuerint juxta cœmeterium *vel* in cœmeterio Callixti via Appia tumulati.

B

et juxta Callisti cœmeterium

37 *Videtur autem* Callixti cœmeterium *continuatio quædam fuisse ejus, quod extra portam Appiam via eadem pridem effossum fuerat, et* Prætextati *dicebatur, jam olim S. Quirini atque Balbinæ, deinde SS. Cæciliæ, Valeriani atque Tiburtii, nec non ipsius Urbani Papæ sepultura nobilitatum: ipse tamen Callistus in cœmeterio Calepodii Via Aurelia sepultus fuit. Ne autem ob duarum viarum, quibus* Catacumbæ *adscribuntur, diversitatem ambiguus hæreas, lege eumdem Anastasium in Hadriano I sic scribentem:* Ecclesiam Apostolorum, foris portam Appiam milliario tertio, in loco qui appellatur Catacumbas; ubi corpus B. Sebastiani Martyris cum aliis quiescit, in ruinis præventum, a novo restauravit: *et in Nicolao I;* Via Appia cœmeterium sancti Christi Martyris Sebastiani in Catacumba, ubi Apostolorum corpora jacuerunt, quod multis ab annis ruerat, renovavit. *Verbo, ut dicam,* Viam Ardeatinam *Catacumbæ:* Appiam *ecclesia respiciebat, inter utramque positæ ambæ.*

E Catacumbis relata Corpora

38 *Ad Catacumbas igitur jam descriptas translata fuerint Corpora Apostolorum tempore S. Callisti potius, quam quovis alio, propter rationes, quas adduximus. Jam vero quando inde relata suisque primis Memoriis restituta sint, videamus; et quamdiu aliunde certior* C *veritas non affulget, sequamur Catalogum secundum sæpe memoratum, quem et liber Pontificalis et Anastasius secuti sunt. Ita ibi legitur in Cornelio, ab anno* CCLI *usque ad* LIII *Romano Pontifice, sub Decio tyranno et successoribus ejus Gallo atque Volusiano:* Hic

a S. Cornelio Papa sub annum 251,

Cornelius temporibus suis rogatus a quadam Matrona, Corpora Apostolorum beati Petri et Pauli de Catacumbis levavit noctu; primum quidem Corpus B. Pauli acceptum beata Luciana posuit in prædio suo via Ostiensi, juxta locum ubi decollatus est. B. Petri Apostoli Corpus accepit beatus Cornelius Episcopus, et posuit juxta locum, ubi crucifixus est, inter corpora Sanctorum, in templo Apollinis in monte Aureo in Vaticano palatio Neronis, III Kal. Julii. *Ut hæc et alia in Catalogo relata de S. Cornelio, desumpta sint ex ejusdem Actis, in eo quod Cornelium, aiunt, Romæ et sub Decio securi percussum esse, parum fidis et a veritate alienis; non continuo sequitur reliqua omnia, et hæc ipsa, quæ modo protuli, non majorem quam illa mereri fidem. Cum enim constet, Apostolorum Corpora in Catacumbis aliquando latuise, ac deinde ad loca, ubi hodiedum sunt, fuisse relata, idque ante imperium Constantini Magni, neque ab Auctore Catalogi aliove ullo idoneæ auctoritatis, quod sciam, citetur alius Pontifex quam Cornelius, qui Cor-*

(non obstante quod Actis ejus apocrypha sint)

pora retulerit, aut indicetur aliud tempus relationis; D *hanc a Cornelio factam fuisse tam diu credemus Catalogo isti, et Libro Pontificali, et Anastasio Bibliothecario, quamdiu fortior ratio aliter credendi producta non fuerit.*

AUCTORE D. P.

occasionem præbente Deciorum morte.

39 *Occasionem referendi Corpora dedisse Cornelio potest mors utriusque Decii, crudelium Christiani nominis persecutorum, et sperata inde aliqualis cessatio cruentæ tempestatis: quæ licet ex toto non cessaverit sub successoribus illorum; non tamen ita sæviit, quin potuerit ad extinguendum Novati schisma Cornelius unam alteramque cogere synodum Romæ, quarum ultima perquam numerosa fuit, sic descripta ab Eusebio Phamphili lib. 6 Historiæ Ecclesiast. cap. 43 editionis Valesianæ: Sub Cornelio* Romæ congregata est Synodus maxima, in qua sexaginta quidem Episcopi; Presbyteri vero ac Diaconi multo plures convenerunt. *Quod si talia fieri potuerunt, et facta sunt Romæ a Christianis, non obstante persecutione Gentilium post Decium continuata: quanto facilius fuit duo corpora clam, noctu et extra urbis muros, tuto transferre ex uno in alium locum.*

40 *Posset tamen aliquis opinari, ambo corpora, uti simul latuerant, ita simul in alio, sed uno eodemque* E *loco abscondita tunc fuisse; at paucos post annos denuo inde translata,* Pauli *quidem Corpus concessum fuisse Lucianæ seu Lucinæ, recondendum in prædio ipsius via Ostiensi; Corpus vero* Petri *relatum ad Catacumbas: posset, inquam, ita opinari aliquis, motus Indiculo, continente Depositiones Martyrum apud Bucherium (de quo nos in Commentario prævio §. V) atque isthæc habente:* Tertio Kal. Julii, Petri in Catacumbas, Pauli Ostiense, Tusco et Basso Coss. *Hæc enim, inquiet, translationem notare videntur, et indicant ejus tempus per Consules* Tuscum et Bassum, *id est annum* CCLVIII. *Possunt illa quidem, fateor, et fassi sumus paragrapho citato, notare Translationem Apostolorum ad Catacumbas atque ad viam Ostiensem. Verum quæ causa excogitari potest, cur eo tunc potissimum translata sint, et quidem secundo, saltem* Petri *in Catacumbas? Cur hæc translatio potissimum exprimi debuit in Indiculo isto, ubi ne quidem Martyrium ipsum Apostolorum exprimitur, aut primæ depositionis eorum locus? Quæ ratio cur* Petrus *solus eo delatus fuerit, ubi prius cum* Paulo *latuerat, ut supponimus; aut certe in eodem cum ipso fuit loco, antequam illuc* Petrus, *in prædium Ostiense* Paulus *migrarent? Cur separati fuerunt? Denique quando et per quem rediit in Vaticanum Petrus? Aliquid vel per rimam luminis affunde, si vis* F *admittam translationem illam secundam in Catacumbas; alioquin fassurus sum potius, me non capere, quid citata ex Indiculo verba significatum velint.*

An denuo ad Catacumbas relatus sit S. Petrus?

§. V. *Quam reverenter et procul a conspectu deinceps habita sancta corpora; ac proinde dubiæ pleræque Reliquiæ, quæ de illis haberi dicuntur.*

P*ossent deinceps ex Anastasio aliisque commemorari Pontifices, qui Basilicas Apostolorum, extra urbem sitas, crebrisque barbarorum ac temporum injuriis variam passas fortunam, restaurarint ornaverintque; verum iis omissis, et ad eos Auctores remisso lectore, qui de Romanis ecclesiis ex professo tractaverunt, Onuphrium, Pancirolium et Severanum; ordior Paragraphum hunc de Reliquiis, observando, quanta cum cautela processum sit inter innovandum atque ornandum Confessiones Apostolorum, sub quibus eorum corpora olim condita jacent, ac honorantur, ita ut ea nec videri nec tangi possint a quoquam, imo nec ipsi tumuli definite monstrari. Hoc vero, si non sub Silvestro, certe tunc factum fuerit, cum barbarorum incursiones pati Roma cœpit,*

Infestantibus suburbia barbaris,

A *cœpit, quibus quia potissimum obnoxiæ erant Apostolorum Basilicæ, utpote Urbis mœnibus exclusæ, necessaria videbatur ejusmodi provisio, quæ spem omnem excluderet quæcumque ratione auferendi thesaurum, procul hominum oculis et manibus, ipsaque eorum conscientia subductum. Itaque veneramur sacras Basilicarum prædictarum cryptas, sub quibus reconditos servari Sanctos credimus; et partem religionis existimamus, distinctiorem notitiam loci non requirere.*

AUCTORE D. P. cœpti secretius haberi tumuli Apostolici.

42 *Quomodo ea se res habuerit tempore S. Gregorii Magni seculo* VI, *declarat ipsemet, in quadam ad Constantiam Augustam Epistola:* Corpora SS. Petri et Pauli Apostolorum tantis in ecclesiis suis coruscant miraculis atque terroribus, ut neque ad orandum sine magno illuc timore possit accedi. Dum beatæ recordationis decessor meus, argentum, quod supra sacratissimum corpus B. Petri Apostoli erat, longe tamen ab eodem corpore fere quindecim pedum spatio, mutare voluit; signum ei non parvi terroris apparuit. Sed et ego aliquid similiter, ad sacratissimum corpus S. Pauli Apostoli, meliorare volui: et quia necesse erat ut juxta sepulcrum hujusmodi effodi altius debuisset, Præpositus loci ipsius ossa aliqua, non quidem eidem sepulcro conjuncta, reperit: quæ quoniam levare præsumpsit, atque in alium locum transponere, apparentibus quibusdam tristibus signis, subita morte defunctus est..... Quis ergo nunc, Serenissima Domina, tam temerarius possit existere, ut hæc sciens, eorum corpora non dico tangere, sed vel aliquatenus præsumat inspicere? .....

Illis a tempore S. Gregorii Papæ

fere inaccessis

B

43 *Ita Magnus Gregorius; cui consonans synonymus ejus et synchronus Turonensis lib.* 1 *Mirac. cap.* 28, *post enumeratas Vaticani templi et Ciborii sepulcro Apostolico imminentis columnas;* Hoc, *inquit*, sepulcrum sub altari collocatum, valde rarum habetur. Sed qui orare desiderat, reseratis cancellis quibus locus ille ambitur, accedit super sepulcrum, et sic, fenestella parvula patefacta; immisso introrsum capite, quæ necessitas promit, efflagitat: nec moratur effectus, si petitionis tantum justa proferatur oratio. Quod si beata auferre desiderat pignora, palliolum aliquod, momentana *(id est libra)* pensatum, jacit intrinsecus: deinde vigilans ac jejunans, devotissime deprecatur, ut devotioni suæ virtus Apostolica suffragetur. Mirum dictu! Si fides hominis prævaluerit, a tumulo palliolum elevatum ita imbuitur divina virtute, ut multo amplius quam prius pensaverat ponderet: et tunc scit qui levaverit, ejus gratia sumpsisse quod petiit. *Ipse porro Gregorius Magnus, in Epistola præcitata, Augustæ excusans, cur parere nequeat jubenti,* ut propter eam Ecclesiam, quæ in honorem S. Pauli in palatio ædificabatur, caput ejusdem S. Pauli, aut aliud quid de corpore ipsius deberet transmittere..... Sudarium vero, *inquit*, quod similiter transmitti jussistis, cum corpore ejus est, quod ita tangi non potest, sicut nec ad Corpus ipsum accedi..... Cognoscat autem, tranquillissima Domina, quod Romanis consuetudo non est, quando Sanctorum Reliquias dant, ut quidquam tangere præsumant de corpore; sed tantummodo in pyxide brandium mittitur, atque ad sacratissima corpora Sanctorum ponitur; quod levatum, in ecclesia quæ est dedicanda, debita cum veneratione reconditur; et tantæ per hoc ibidem virtutes fiunt, acsi illuc specialiter eorum corpora deferantur..... In Romanis namque vel totius Occidentis partibus intolerabile est atque sacrilegum, si Sanctorum corpora tangere quisquam fortasse voluerit: quodsi præsumpserit, certum est, quia hæc temeritas impunita nullo modo remanebit.

solum per fenestellam pallia seu brandea admovebantur.

C

Idem excusans se Augustæ,

petenti caput S. Pauli,

44 *Pergens porro Gregorius ad objectionem, sibi ex contrario Orientalium exemplo faciendam;* De Græcorum, *inquit*, consuetudine, qui ossa levare Sanctorum se asserunt, vehementer miramur, et vix credimus. Nam quidam Monachi Græci, huc ante biennium venientes, nocturno silentio juxta ecclesiam S. Pauli, corpora mortuorum in campo jacentia effodiebant, atque eorum ossa recondebant, servantes sibi ea dum recederent. Qui cum deprehensi, et cur hoc facerent diligenter fuissent discussi; confessi sunt, quod illa ad Græciam essent tamquam Sanctorum Reliquias portaturi. Ex quorum exemplo, sicut prædictum est, major nobis dubietas nata est, utrum verum sit quod veraciter levare ossa Sanctorum dicantur. *Sed nimius rigor est, ex tali exemplo universim dubitare de Græcorum consuetudine fundata in Constantini Magni studio, ad novæ suæ civitatis ornamentum et tutelam, complura illustrium Sanctorum corpora transferentis, quem successores ejus ac præcipue Theodosius junior, Leo, Justinianus imitati, Regiam locupletarunt ejusmodi pignoribus; sed ferme ex Oriente, non autem ex Occidente petitis: ut pro hoc saltem maneat verum, quod dicit Gregorius, usque ad sua tempora intolerabile atque sacrilegum visum Romanis, collocata semel et alicui ecclesiæ addicta Sanctorum corpora inde auferre aut delibare; excepto semper casu ruinarum vel incendiorum, vel simili aliqua necessitate, qualis fuit, cum Callistus Papa sanctos Apostolos ad Catacumbas detulit, occultandos; qui iterum publico cultui redderentur tempore opportuno.*

D

improbat, Græcos corpora Sanctorum levare,

imo dubitat an vere id faciant,

saltem circa Sanctos Occidentales:

E

45 *Potuit autem tali aliqua occasione, aut sub Silvestro Papa factum esse, ut partes aliquæ, etiam notabiles, a reliquis abjunctæ ossibus, ad alias ecclesias intra extraque urbem deferrentur, eoque nunc vere de talium possessione glorientur. Potuerunt quoque eædem ita semel separatæ Reliquiæ, ad varias transalpinas ecclesias migrasse: quamvis in genere maneat justa formido, ne multæ earum per aliquam similem illi quam Gregorius detestatur fraudem, sint suppositæ. Tales tamen dum bona possidentium fide proponuntur venerandæ, non dedignantur Deus colentium eas fidem attendere potius, quam immediatum objectum istius cultus, qui semper in primarium suum fertur objectum, ipsum scilicet Sanctum, cujus esse Reliquiæ simplicitate Christiana creduntur. Ut igitur veræ liberalitatis adversatur virtuti, nimis anxie exquirere pauperum quibus benefacere vis necessitatem, et tamen reprehensibiles sunt qui eam mentiuntur; sic neque damnabilis fraus aliquorum suspectas debet reddere Reliquias omnes, de quorum legalitate post tot seculorum decursum sum nec habentur, nec haberi possunt idoneæ probationes. Interea tamen dum exhibentur translatarum Reliquiarum historiæ, laudabiliter faciunt viri eruditi eas examinando, quam verosimiles sint, quia contra veritatem nulla datur quantivis temporis præscriptio.*

licet sub Callisto aut Silvestro possint inde sumpt e esse partes,

sed ut probentur opus est moderato examine:

F

46 *Sic, absque ulla cujusquam injuria, discutietur scriptura quædam, Canonica dicta, in Pennensi S. Joannis apud Aragones monasterio, cujus bonam partem ex Latino vetustissimo originali transcribit Hieronymus Blancas, sub initium sui Commentarii rerum Aragonensium; integram vero habuit Joannes Brizius Martinez, in illius sui monasterii historia lib.* 4 *cap.* 20. *Sed satis ille habuit potiorem ejus substantiam Hispanice reddere, atque ita non possumus, nisi summatim exhibere ex Hieronymo primæ partis portionem, qua narratur, quomodo, tempore S. Gregorii Papæ et Recaredi Hispaniarum primi Catholici Regis, allatum sit* Brachium S. Petri, *satagente S. Isidoro Hispalensi Episcopo, et legationem communi nomine obeunte Cyriaco Cæsaraugustano. Dicitur autem audita petitione, Gregorius certus ei non consentire, neque sepulcrum aperire, consulendo per orationes Deo inducias petiisse; et interim in somnis ab apparente sibi Apostolo monitus, ne dubitaret ea de causa illuc accedere quam*

sic incredibilis videtur modus,

quo se dicunt Aragones

A *quam secretissime, et Hispano Episcopo facere satis. Additur autem accedentem Pontificem vidisse super sepulcro posito os brachii, quod gaudens tradiderit Cyriaco, hic vero retulerit Hispaniam; sed mortuum inveniens Isidorum, abstulerit secum Cæsaraugustam; ubi manserit usque ad invasionem Saracenorum, quando Bencius, Cæsaraugustanus Episcopus, cum sancto Brachio aliisque Ecclesiæ suæ Reliquiis fugiens, contulerit sese ad Comitem Armentarium, qui ipsum cum illis receperit in ecclesiam S. Petri de Taberna, juris sui; hanc autem Bencius consecraverit coram septem Episcopis ipsoque Comite Armentario, et coram eo qui omnia moribundus dictavit Belasculo, Monacho ipsius loci, tempore Caroli Francorum Regis: ad quem missus idem Belasculus pro obtinendo contra Saracenos auxilio;* Et ego juro vobis, *inquit ille dictamen finiens*, Fratribus meis dilectissimis, per diem tremendi judicii, quod hoc quod vobis exposui, in veritate dixi, quia oculis meis vidi, et aliqua quæ non vidi, de ore fidelium audivi.

accepisse brachium S. Petri.

47 *Ultimæ parti, de qua ut oculatus testis referre Belasculus potuit, quamque solam Hieronymus descriptam dedit, quia sola ad suum pertinebat argumentum, subjungit Hieronymus;* Quibus quæ fides adhibenda B sit, affirmare non ausim: affirmabo autem nimis vere, me ea ita aomnia exarata invenisse, antiquis litteris atque adeo veteri pergameno descripta, ut magnam speciem præseferant veritatis.....Sed eorum nullam aliam præter eam mentionem observavi...... Tot autem Sanctorum Reliquias, et quod magnum est, S. Petri Apostoli brachium ad nos unquam allatum stupesco; tamdiuque (si ita est) in eodem Tabernæ monasterio asservari; cum tantæ rei nullam memoriam, neque in priscis Annalibus, neque in posterioribus tum nostris, tum etiam externis inveniamus. Audio tamen, dum hæc scribo, in Ovarræ monasterio, cui dictum Tabernæ monasterium attributum fuit, Brachium quoddam in maximo honore haberi, sub nomine S. Petri Eremitæ, non autem Apostoli. Fortassis a nominis similitudine ortus est error.

Dubitat de eo etiam Hieron. Blancas,

et suggerit S. Petrum Eremitam, cujus id forsan sit,

48 *Ita sinceræ et antiquæ fidei scriptor, in Commentario sub annum* MDLXXXVIII *primum Cæsaraugustæ excuso: qui priorem scripti Latini partem fortassis non tam ideo omisit referre, quod ad rem suam minus faceret; quam quod incredibile judicaverit miraculum, tam contrarium priori judicio Gregorii de Reliquiis non transferendis, tacendum fuisse in libris* C *Dialogorum, quos totos fere de argumento tali sub finem vitæ scripsit, misitque Theodolindæ Longobardorum Reginæ gentisque Apostolæ. Accedebant justa dubitandi argumenta, quod S. Isidorus, etsi S. Gregorii ætate consecratus Episcopus; ipsi tamen plus quam triginta annis supervixit: Cæsaraugustanæ autem ecclesiæ nullus invenitur fuisse Cyriacus Episcopus, imo tunc temporis invenitur Episcopus Vincentius, sub Leovigildo quidem Arianus, sed sub Recaredo Catholicus: cujus interim loco Catholicis ordinatum Cyriacum, postea nudum titulum tenuisse, etsi impossibile non sit, non deficientibus quibu d probetur exemplis; factum tamen esse haud satis certo probatur, ex auctore audita narrante, non sine nominum temporumque confusione. Nescio autem quid habeat Cyriaci nomen, ut præ aliis idoneum visum sit ornandis fabulis; sic enim Cyriacum Romanum Pontificem, aliis ignotum, reperimus Ursulano Martyrio adjunctum; et alium ejusdem nominis Episcopum Jerosolymitanum, Dominicæ Crucis monstratorem et Martyrem sub Juliano, sub quo nullus illi locus est in vera historia.*

certe id a S. Gregorio non videtur potuisse obtineri,

et in relatione non conveniunt personæ cum tempore indicato

49 *Ut autem Hispani, Brixius, Tamayus aliique etiam post lectum Hieronymum Blancas, decipiuntur in Brachio* S. Petri, *quasi Apostoli certo sit; ita Græci nonnulli decipere tentaverunt Francos, Caput aliquod, fortassis* S. Pauli *Constantinopolitani Episcopi (si tamen Sancti alicujus) quasi esset Apostoli, ferentes in* D *Galliam, eodem munere voluerunt demereri B. Isabellam, S. Ludovici Francorum Regis Sororem, monasterii Longi campi prope Parisios fundatricem, sancte defunctam anno* MCCLXX, *die* XXIII *Februarii, quando de ejus vita cultuque in Supplemento agemus. Hæc ne porro deciperetur, scripsit ad eam Clemens Papa IV sequentem Epistolam:* Dilectæ filiæ, nobili mulieri, Isabellæ, carissimi in Christo Filii, illustris Regis Francorum, Germanæ. Scias filia, Apostolorum capita Romæ indubitanter haberi, quæ felicis Recordationis Gregorius Papa IX prædecessor noster, de Sanctis Sanctorum suis manibus extrahens, Romano Populo patenter exhibuit, et in locum suum restituit cum debita reverentia, præsentibus et scientibus universis. Quod si forsitan caput B. Pauli Apostoli apud te esse putas, depone conscientiam, ne fallaris, neve ponas scandalum Matri tuæ Romanæ Ecclesiæ, quæ deceptionem hujusmodi non posset æquanimiter tolerare. Si vero Græci aliquo tempore se illud habere dixerint, ne mireris: nam odio Latinos habentes, facile tibi formaverunt mendacium, qui de fide mentiri Catholica, quod est E majus, minime dubitarunt.

AUCTORE D. P.

Sic merito negavit Clemens 4,

esse verum Caput S. Petri;

50 Bene igitur facies, si, quod habes, dilecto Filio nostro Simoni, titulo S. Cæciliæ Cardinali, Apostolicæ Sedis Legato, nomine nostro reddideris, nobis perinde mittendum; ne, si ad alias manus devenerit, possit inde, cum erroris periculo, scandalum suscitari. Datum Viterbii XIV Kal. Maji, anno IV *Pontificatus, inchoati* VI *Februarii* MCCLXV, *adeoque anno Christi* MCCLXIX, *vitæ ipsius Isabellæ penultimo: quam non dubitaverim accurate implevisse Apostolici sui Patris mandatum. Certe nulla talis Capitis mentio invenitur apud Francos scriptores. Credibilius est, quod de clavis, quibus cruci affixus est Petrus, suggerit Joannes Molanus lib.* 3 *de Picturis et imaginibus sacris cap.* 22, *dum ait,* Clavum B. Petri Christi fidelibus ostendi Lemovicis in basilica B. Martialis, seque etiam alterum vidisse in Mortaing, cœnobio Monialium Ordinis Cisterciensis diœcesis Abrincensis. *Tertium quoque in Cathedrali Spirens apud Francones seu Francos Orientales, indicat in Chronica ejus diœcesis Guilielmus Eisengenius: et alibi forsitan invenietur quartus. Sicut enim pæne certum est* clavis *confixum fuisse Apostolum; sic omnino credibile, ipsos aut corpori ejus consepultos ac postea erutos, aut aliter asservatos fuisse a fidelibus; æque ac* lignum Crucis *ejus, unde nonnullæ Romanæ ecclesiæ habere* F *se dicunt; aut* cultellum *quo Reginam Longobardorum Theodelindam, per* Petrum *Diaconum donavit S. Gregorius, uti scribit Bartholomæus Zucchi in Gloria civitatis Modoetiæ, ubi ille cultellus servatur, cap.* 22.

quod ut tale in Gallias tulerunt Græci;

verosimilius credentur veri istic esse clavi crucifixionis,

sicuti et alibi lignum Crucis,

atque cultellus S. Petri.

51 *Ex dictis apparet, quam non sit operæ pretium referre sigillatim omnes eas ecclesias, in quibus dicitur esse, vel reipsa ostenditur aliquid Reliquiarum sub nomine* S. Petri. *Nam quod ad vetustiores attinet, plurimorum altarium consecrationibus adhibitas, nec unquam evolutas; eas possumus plerasque censere sumptas ex Brandeis, quorum meminit Gregorius: quo modo etiam de Corporali, qua usus in Missa Apostolus, Ludovico XI Regi Francorum misit Sixtus IV, ut scribit Philippus Argentonius; vel ex cineribus subinde collectis, dum corpora a Callisto aut Silvestro moverentur; vel denique ex eorumdem terra sepulcrali. Sic dum Confessionem* S. Petri *marmoribus exornaret anno* MDCXV *Paulus V, egesta inde terra fuit reverenter comportata in locum decentem, intra cryptas Vaticanas sub triplici fornice, ac verosimiliter etiam impertita multis. Id certe factum anno* MDCXXVI, *tempore Urbani VIII, cum pro fundanda ænea prægrandi*

Aliæ Reliquiæ multæ ex brandeis,

cineribus,

vel terra sepulcrali :

A *supra eamdem Confessionem machina, esset necessario multum vicinæ terræ exhauriendum, quando præsentes Canonici plures, aliique ipsius Basilicæ ministri inde sibi devote sumpserunt : reliquum vero repositum est similiter, sub titulo sic sculpto ;* Terra eruta e fundamentis prope sepulcrum S. Petri sub Urbano VIII, *uti refert Turrigius in libro de Cryptis Vaticanis pag.* 344. *Si de ossibus agitur, E. G. de dente, costa, maxilla vel brachio, fracto vel integro ; justa erit causa dubitandi, utrum id non alterius* sancti Petri *aut omnino alicujus sit ; eo tamen loco retinendum quo reperitur; nec temere commovenda fidelium credulitas, majorum traditioni innixa. Idem dixerim de Reliquiis* S. Pauli, *quæ nihilo paucioribus locis creduntur haberi.*

de ossibus prudentius dubitabitur,

et præsertim de Gutture S. Pauli Catanæ.

52 *Ceterum quæcumque* SS. Petri *vel* Pauli *ossa tolerabilius ostentantur, et in bona possidentium fide recipiuntur ut vera ; quam Catanæ apud Siculos* Guttur S. Pauli, *in Basilica S. Agathæ ; ut habet Joannes Baptista de Grossis, in Catanensi Decachordo pag.* 52. *Legimus Passionem* S. Pauli *miraculosis nonnullis circumstantiis adornatam, puta quod rescissum caput ter Jesu nomen pronuntiaverit, tripliciqne subsultu* B *totidem elicuerit fontes, de quibus credimus posse absque piaculo dubitari, propter antiquorum silentium ; quanto magis de parte carnea seu cartilaginea, qualis est guttur, quod nisi ex corpore adhuc integro haberi non potuit : incorruptum autem* Pauli *corpus aliquamdiu mansisse, nemo adhuc dixit.*

C. J.

§. VI. De Capitibus Apostolorum usque ad Urbanum PP. V.

Corporibus Apostolorum per Silvestrum divisis,

A*d Trophæa Apostolorum, de quibus supra, referri quoque potest, quod Turrigius, in alio suo libro Italico,* Le sacre grotte Vaticane *inscripto, impressoque Romæ anno* 1635, *docet, in Grottis sive Cryptis illis, inter sexcenta antiquitatis Christianæ monumenta, servari lapidem porphyreticum, longum palmis Romanis octo, latum quinque, crate ænea decore cancellatum, in quo characteribus antiquis sculpta legitur istiusmodi epigraphe :* ✝ Super isto lapide porphyretico fuerunt divisa ossa sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et ponderata per beatum Silvestrum Papam, sub anno Domini CCCXIX, quod facta fuit ista ecclesia. *De illa divisione, ait Guilielmus Durantus, Episcopus Mimatensis, qui seculo* XIII *floruit, in Rationali Divi-* C *norum Officiorum lib.* 7 *cap.* 15 *quod* quidam faciunt festum Officium in Nonis vel octavo Idus Julii : quia tali die facta fuit. *Interea non antiquissima est epigraphe præcitata, sed mediæ ætatis ; quando certior notitia haberi adhuc potuit facti quod refertur, quam habita fuit anni, quo fundata est ecclesia a Constantino : et perquam verosimile est, post ædificatas ab Imperatore præcipuas tres basilicas, Christo Salvatori in Lateranensi palatio,* Petro *Apostolorum Principi in Vaticano, et* Paulo *Gentium Doctori via Ostiensi ; Silvestrum Papam solenni ritu elevasse corpora duorum Apostolorum, eaque per novas basilicas distribuisse, ac tuto loco, unde auferri non possent, collocasse : quemadmodum crediderunt etiam illi, qui super altare majus in ecclesia* S. Pauli *via Ostiensi scripserunt sequentia, a Turrigio pag.* 49 *citata :* Sub hoc altari requiescunt gloriosa corpora Apostolorum Petri et Pauli pro medietate : reliqua autem medietas reposita est in S. Petro : Capita vero in S. Joanne de Laterano. *Similia illis scripsit apud Soresinum Nicolaus Processus, annis ante ipsum facile trecentis, sic referens :* Hoc præcipuum profecit *Silvester Papa,* ut super lapidem porphyreticum ossa sanctorum Apostolorum divisa et portiones in basilicis, ipsorum nominibus dedicatis, reposuit ; retentis Capitibus in æde habitationis suæ Laterani. *Nos de Corporibus jam diximus sat multa : superest, ut de Capitibus agamus.* D

Capita feruntur in Lateranum,

54 *Dubitatur, ubinam locorum in Laterano Capita illa primitus reposita fuerint, an in ecclesia ipsa Patriarchali sancti Salvatoris ; an in ecclesia S. Laurentii, deinde Sancta Sanctorum appellata ; an denique in ecclesia Theodori. Hæ enim duæ ecclesiæ etiam ipsæ, in Laterano fuerunt ; et, ut ego existimo, in continuo, certe in contiguo ædificio omnes. De ultimo nominata, quæ non amplius extat, sic scribit Martinellus Floravantes in sua* Roma sacra *cap.* 12, *de templis Sanctorum obsoletis :* S. Theodori basilica INTRA VELUM juxta domum cultam Sulpitianam, erat in Laterano, fuitque a solo renovata ab Hadriano I ; eidemque basilicæ (quam IN SABELLO, corrupto vocabulo Bibliothecarius appellat) Crucem de auro donavit Stephanus V. *Ecclesiam vero S. Laurentii ad Sancta Sanctorum collocat ; idem Auctor* apud Lateranensem basilicam, *imo* olim intra Lateranenses ædes a Nicolao III a fundamentis conditam *fuisse, ait ;* priore jam vetustate collapsa : *atque etiam addit,* eumdem Nicolaum, sanctorum Petri et Pauli Capita ibidem condidisse, donec basilicæ Constantinianæ restitutio absolveretur. *Sed hic aberraverit Floravantes. Nam dictum oportebat, Capita, quæ Nicolaus, collapsam vetustate ecclesiam S. Laurentii a fundamentis renovaturus, in palatio Lateranensi tantisper deposuerat, ab eodem in novam deinde ecclesiam relata fuisse ; ut infra videbimus.* E

sed dubitatur in qua ecclesia fuerint recondita :

55 *Qui primitus sacra Capita in Theodori ecclesia fuisse recondita persuadere cupiunt, nituntur præcipue et unice illo Anastasii Bibliothecarii, in Sergio I textu, sic relato apud Soresinum pag.* 67 : Tunc Sergius PP. egressus foris basilicam Theodori, apertis januis sedit sub Apostolis. *Quæ Rasponus in sua Basilica Lateranensi lib.* 4 *pag.* 366 *sic refert :* Sergius egressus foris basilicam, quæ dicitur Theodori Papæ, apertis januis sedit in sede sub Apostolis ; *additque de suo intra parenthesim,* Ego Apostolorum Capita fuisse non dubito. *Anastasius vero ipse vocat basilicam* Domni Theodori Papæ : *et de sede, in qua consedit Sergius, ait,* quæ vulgo appellatur sub Apostolis. *Hinc noto* 1, *ecclesiam, quam supra ex Floravante descriptam dedimus, non esse sancti Theodori, a quo tamquam Patrono suo denominata sit ; sed esse Theodori Papæ, a quo tamquam fundatore suo sic appelletur, per eumdem S. Silvestro dedicata. De hac idem Floravantes (opinamur enim utrobique eamdem ecclesiam intelligi debere) ita scribit pag.* 401 : S. Silvestro Theodorus Papa fecit Oratorium intra Episcopium Lateranense. *Noto* 2, *vix futurum esse, ut considerantibus citatos textus persuadeatur, Sergium, dum sedit in sede sub Apostolis, sive quæ vulgo appellatur sub Apostolis ; sedisse sub Capitibus Apostolorum. Neque enim conceptu facile est, quomodo extra ecclesiam, sive in aperto ac propatulo loco, sive sub porticu aliqua, voluerint Pontifices tam sacrosanctum thesaurum servari : certe Papa egressus basilica, extra illam sedit. Noto* 3, *quod etsi aliunde fortius probaretur, in illa S. Silvestri ecclesia, a Theodoro ædificata, aliquando fuisse sacra Apostolorum Capita ; nondum potuerint illa ibi primitus deposita fuisse : cum structor dictæ ecclesiæ Theodorus anno* DCXLII *Pontifex creatus, illam ædificare non potuerit, nisi trecentis et amplius post annis, quam Capita sub Silvestro Pontifice creduntur in Lateranum translata fuisse.* F

non in ecclesia Theodori,

S. Silvestro dicata :

56 *Alibi igitur toto illo tempore fuerint conservata. Ubi autem potius, quam in ipsa Patriarchali et primaria ecclesia S. Salvatoris? Quemadmodum enim corpora dimidiata eorumdem Apostolorum manserunt in sua cujusque ecclesia præcipua, a Constantino exædificata ; non vero fuerunt posita in alia extra illas sive ecclesia sive oratorio : ita pariter verosimile est, Capita non*

sed potius in ipsa Patriarchali,

A *non fuisse reposita extra ecclesiam primariam. Imo qui id sustinere velit, primum ostendat oportet, tempore Silvestri Papæ aut Constantini Imperatoris aut aliquanto post, fuisse minores ecclesias in Laterano tam prope a Patriarchali, nisi forte in baptisterio; in quo tamen prædictæ Ecclesiæ Theodori Papæ, et S. Laurentii; ad Sancta Sanctorum nusquam fuerunt. Præterea congruentiæ, quæ post secula aliquot suaserunt Urbano Papæ V, ut reperta a se Capita in oratorio ad Sancta Sanctorum, reponeret in ecclesia Patriarchali; possunt etiam movisse Silvestrum, ut ipso initio ibidem illa collocaret; quia videlicet* congruum *erat (refert illa Nicolaus Processi apud Soresinum pag.* 65 *tamquam ab Urbano dicta)* ut Capita Apostolorum, qui sanguine suo Ecclesiam Catholicam plantaverunt in orbe, in prima Ecclesiarum omnium Matre et Capite quiescerent. *Et vero quam ex primæva institutione sua ecclesia Lateranensis præeminentiam supra reliquas omnes ecclesias habuit; potuit illi multum confirmare præsentia Capitum Apostolicorum, quæ toti Christianitati quodammodo testatum facerent, tantum ecclesiam suam eminere ceteris in mundo, quantum caput in corpore humano reliquis membris.*

et alii quoque Scriptores testantur.

B 57 *Pro eadem sententia citantur a Soresino etiam Auctores alii, mihi ignoti, pag.* 62 *his verbis* : Rutilius Benzonius, Sebastianus Fabrinus, et alii, non ad Sancta Sanctorum, *nedum ad ecclesiam Theodori Papæ*, dicta Capita translata volunt; sed a S. Silvestro in sacrosancta Lateranensi Ecclesia inquiunt fuisse collocata. *Imo idem ait, esse et citari a Cardinali Raspono, qui asserat, collocata fuisse a Silvestro sub ara*, super quam mirifica omnium devotione ad præsens venerantur; *atque id ipsum* etiam affirmare Joannem Severanum. *Minus igitur subsistunt, saltem pro prima parte, quæ apud eumdem Soresinum pag.* 68 *habet Nicolaus Processi, licet Codex ejus ab annis facile trecentis, ut Soresinus ait, scriptus sit; dum asserit, Capita fuisse* asservata usque ad Sergium I in basilica Theodori Papæ, super Sedem Pontificiam, vulgo sub Apostolis dictam : usque dum in basilicam S. Laurentii ad Sancta Sanctorum translata fuere.

Inde translata fuerunt in ædem S. Laurentii

58 *Translata aliquando ad Sancta Sanctorum fuisse, certissimum est : quando autem et a quo translata eo sint, obscurissimum. Fortassis id contigit anno* DCCCXCVI *sub Stephano VI, quando, teste Ciaconio,* ingenti terræ motu concussa basilica Constantiniana, magna ex parte procubuit, et tota ab altari ad portam usque C ruinæ subjacuit; *quamobrem debuerint Reliquiæ alium in locum transferri, et translatæ fuerint ad S. Laurentium, cognomine Sancta Sanctorum. Fuerunt certe ibi Capita Apostolorum sedente anno* MCCXXVII *Gregorio IX, qui illa* de Sanctis Sanctorum suis manibus extrahens Romano populo patenter exhibuit, et in locum suum restituit cum debita reverentia, præsentibus et videntibus universis; *uti scripsit Clemens IV, anno* MCCLXV *creatus Papa, in Epistola sua, de qua supra ad Isabellam, Francorum sancti Regis Ludovici sororem. Sed antiquius est Rituale Cencii Camerarii,* anno Domini MCXCII, *uti dicit Soresinus,* descriptum, *quando præsidebat Ecclesiæ Cœlestinus III. In illo sic legitur inter alias cæremonias feria* VI *Parasceves obiri solitas in S. Laurentii ad Sancta Sanctorum* : Sexta hora Dominus Papa cum omnibus Cardinalibus intrat basilicam S. Laurentii, ubi facta oratione accedit ad altare, eoque aperto extrahit inde Capita Apostolorum Petri et Pauli, et duas Cruces; quæ omnia postquam D. Papa cum Cardinalibus osculatus fuerit, reponit ibidem, excepta una Cruce. *Hæc Cencius, qui deinde Pontifex Romanus fuit, sub nomine Honorii III, creatus anno* MCCXVI : *atque eadem fere habet de Reliquiis sive Capitibus prædictis, inter Cæremonias, quæ tunc temporis peragebantur in Exaltatione sanctæ Crucis mense Septembri :*

ostensa ibi populo a Gregorio 9,

et ante ipsum ab aliis Pontificibus.

D *quando etiam, tum capita, tum lignum sanctæ Crucis, dabantur a Papa Cardinalibus deferenda ad ecclesiam S. Silvestri vicinam, eoque et Pontifex cum suo comitatu accedebat; ac finitis divinis Officiis,* ante portam in tabula quadam, ab Ostiariis posita, mappis, sicut convenit, honorabiliter cooperta, ipsæ Reliquiæ deponebantur : quibus primum a Papa et Cardinalibus adoratis, eas postmodum populus omnis in eodem loco adorabat. *Ex quo colligitur etiam tum superfuisse ecclesiam S. Silvestri; illam eamdem opinor, quam vidimus ex Floravante extructam ei fuisse a Theodoro Papa.*

AUCTORE C. J.

Eadem Innocentius 3 honorifice includit,

59 *Ante Pontificatum Honorii jam dicti, Innocentius III et ipse Reliquias Apostolorum, de quibus agimus, aliasque plures in eadem ecclesia S. Laurentii veneratus est; ipsasque sub uno ex tribus altaribus, quæ ibidem tunc erant, honorifice in æneis armariis conclusit, uti ex variis auctoribus et antiquo Codice MS. Nicolai Processi refert Soresinus, sic inquiens :* Altare, quod nunc adest, hactenus retinet in medio duas æneas laminas, in quibus anaglypta Capita eorum cum nominibus incisa existunt, subtusque divi Pauli Capite ex characteribus haud omnino obsoletis legitur : HOC OPUS FIERI FECIT DOMINUS INNOCENTIUS PAPA III. *Eorumdem armariorum aliarumque rerum huc spectantium meminit etiam Ciaconius in Nicolao III;* Sacellum, *inquiens,* S. Laurentii, quod dicitur Sancta Sanctorum, in porticu Lateranensi, a fundamentis dirutum, totum refecit, et opere vermiculato atque picturis exornavit, et marmoreis tabulis texit; ac in eo æneis armariis, ab Innocentio III factis, Capita Apostolorum Petri et Pauli, argenteis thecis inclusa, sub altari cui sancti Salvatoris ἀχειροποιήτη, *id est, non manu facta,* imago superstat, cum multis aliis Reliquiis solenni totius populi Romani supplicatione recondidit. Quo die, qui fuit pridie Nonas Junii, eamdem basilicam dedicavit. E

uti et Nicolaus 3, renovata ecclesia

postquam ipsa ad tempus deposuerat

60 *Ex his patere potest error, quem num.* 54 *notavi in verbis Martinelli, Platinam secuti; qui scribunt, tempore Nicolai Papæ prædicti, sacra Capita quasi ad tempus deposita fuisse in S. Laurentii ad Sancta Sanctorum, donec reædificaretur ecclesia Patriarchalis; cum in hac Patriarchali ecclesia, aut potius in Palatio, temporariam tantummodo stationem habuerint, donec diruta S. Laurentii ecclesia denuo reparata esset. Patet enim ex dictis, longo ante Nicolaum tempore propriam sibi fixamque sedem habuisse Capita ac venerationem, in Laurentiana, non in Patriarchali ecclesia.* F *Id ipsum clarissime explicat Nicolaus Processi sæpe citatus, his verbis :* Nicolaus III Ursinus, basilica ad Sancta Sanctorum vetustate collapsa, ipsemet sanctissima Capita Apostolorum ad Lateranensem basilicam cum custodibus asservari mandavit, donec funditus dicta basilica ad Sancta Sanctorum renovaretur. Qua reædificata, palam adstante Curia tota ac populo Romano, sanctissima Capita prædicta suis manibus cum Cardinalibus sub altari ejusdem basilicæ ad Sancta Sanctorum reverenter reposuit. *Imo accuratius etiam, atque ex contemporaneo auctore Ptolemæo Lucensi, Episcopo Torcellano rem eamdem tradit; dictaque nostra confirmat Onufrius Panvinius lib. 4 c. 21 fol. 169 apud memoratum Soresinum sic scribens :* Nicolaus III, Ursinus ruinosum *oratorium ad Sancta Sanctorum,* a solo, opere perpetuo cum lateribus marmoreis stabilivit; ac in superiori testudinis parte, picturis pulcherrimis ornatum, refundari jussit, Capitibusque Apostolorum cum Præputio Christi, Capillis beatæ Virginis et Capite beatæ Agnetis, seorsim positis : quarum Reliquiarum unaquæque in propria theca erat, ac deinde manu Pontificis in palatium novum Lateranense ab se renovatum de nocte transtulit, et a religiosis personis custodiri, donec oratorium completum fuisset,

in Basilica,

aut potius in palatio Lateranensi.

A set, jussit. Quo perfecto, adstante universo populo Romano, Prælatis cunctis et Cardinalibus, ipse manibus suis ejusdem basilicæ altari easdem argenteas Reliquiarum thecas reposuit, quod altare pridie Nonas Junii consecraverat. Ita frater Ptolemæus Lucensis Ordinis Prædicatorum, qui eo tempore vixit. *Hæc Panvinius ex MS. Ptolemæi.*

AUCTORE C. J.

Religio Pontificum et populi annua,

61 *Hactenus celeberrima fuit, non solum populi, sed ipsorum quoque Pontificum religio erga Capita sacrosancta, quæ juxta Rituale Cencii Camerarii, de quo supra, quotannis in festo Exaltationis sanctæ Crucis, cum venerandæ Crucis Dominicæ ligno, extrahebantur ex armariis suis in ecclesia S. Laurentii; ab ipso Pontifice tradebantur Cardinalibus, deferenda ad ecclesiam S. Silvestri; exponebantur ante ejus portam publicæ venerationi; portabantur a junioribus Cardinalibus processionaliter, comitantibus senioribus et Papa, per viam communem usque ad basilicam S. Joannis Lateranensis; obviam ad longum spatium venientibus Canonicis ejus cum Cruce, Primicerio et Schola Cantorum : in basilica vero ipsa Reliquiis super altare positis, celebrabat Missam Pontifex : qua rite perfecta, cum iisdem Reliquiis per palatium ad basilicam S. Laurentii revertebatur. Et hæc quidem annuatim peragebantur.*

et extraordinaria erga sancta Capita;

B 62 *Contingebat vero etiam circumferri eadem sacra Capita ad remotiores basilicas; si quando gravis aliqua necessitas Ecclesiæ universalis aut urbis Romanæ incidebat, ipsumque comitari Pontificem nudis pedibus, cum Cardinalibus, Clero populoque. Sic anno* MCCXVII *Honorius III, audito quod exercitus Christianorum Cruce signatorum, sub auspiciis Andreæ Hungarorum Regis et Leopoldi Austriæ Ducis, Syriam atque ipsam* terram Babyloniæ *intrasset; pro incolumitate illorum et propagatione fidei*, populum Urbis, *inquit Pontifex in Epistola quadam sua apud Raynaldum ad annum* 1017 *num.* 28, convocavimus in basilica Salvatoris, atque inde ad venerandam gloriosæ Matris ejus ecclesiam, prælatis Capitibus beatorum Apostolorum Petri et Pauli, pedibus nudis processionaliter ivimus; ut præfatis Jesu Christi Athletis, ejus Genitricis obtentu, supernum impetraremus auxilium. *Similiter nudis pedibus eadem Apostolorum Capita detulit in supplicatione ad S. Petrum in Vaticano Gregorius IX anno* MCCXXXIX, *implorans e cœlo opem contra insultus Frederici II Imperatoris, Italiam depopulantis et Romanis infensi. Ibi autem cum ipsis Capitibus ambonem conscendit; populumque, illorum conspectu non minus, quam suismet lacrymis et paterna oratione ad defensionem Ecclesiæ et Urbis exhortatus est miro cum motu*
C *animorum. Tandem inde Capita referens in Lateranum, armariis, ab Innocentio III sub altari factis, unde amoverat, ipsa restituit.*

usque dum illi migrarunt Avenionem.

63 *Perduraverit istiusmodi religio Romæ usque ad Nicolaum III, reparatamque per ipsum a fundamentis novam ecclesiam S. Laurentii, aut etiam diutius; usquedum migrarunt Pontifices Roma Avenionem : ex quo tempore Urbs viduata Pastore suo, deficere opibus, squalere, et pristinæ pietatis oblivisci; adeo ut sine veneratione latuisse in armariis suis veneranda Apostolorum Capita videantur; nisi forte etiam in abstrusiorem locum abdita fuerint, per illas temporum calamitates in armariis minus tuta; donec tandem Urbanus, nomine isto quintus, numero autem eorum, qui Avenione commorati fuerunt, septimus, inde Romam invisit anno* MCCCLXVII; *et sub medium Octobris illam ingressus, pridie festivitatis Sanctorum omnium, quæ tunc Dominica erat, Missam in S. Petri celebravit : eodemque adhuc anno, aut certe initio sequentis invenit a se quæsita sanctorum Apostolorum Capita.*

§. VII. *Inventa et ornata ab Urbano Papa V Capita.* D

Soresinus scribit de Capitibus

J*osephus Mariæ Soresinus, Protonotarius Apostolicus, Doctor utriusque Juris, ac Beneficiatus Presbyter ecclesiæ S. Joannis in Laterano, excudendum curavit Romæ anno* MDCLXIII Opusculum de Capitibus sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, in sacrosancta Lateranensi ecclesia asservatis. *Auctor ille, quem sæpe jam citavimus, orditur opusculum suum de inventione ac translatione Capitum prædictorum, factis sub et ab Urbano V Pontifice, anno* MCCCLXVII *Avenione Romam profecto; et mox producit ad illa probanda textum cujusdam Leonis Casellæ, olim in Oratorio* Sancta Sanctorum *(S. Laurentii nomine fere desiit appellari ultimis hisce seculis) Sacellani ex codice MS. et alterum Francisci Bosqueti e vita ipsius Urbani, cum aliorum Pontificum nationis Gallicæ vitis impressa. Tum sic procedit* : At hic transeunda non sunt verba codicis Vaticani, ævo Urbani V, *imo ipso vivente et Romæ agente,* conscripti a Nicolao Processi, Beneficiato Lateranensi : qui de sanctis Capitibus compendiosam relationem composuit, quam, licet divisam et distinctam, congruis locis referemus. E *Recte quidem ille pro suo instituto : at melius merebitur de Historia ecclesiastica, quisquis totam Relationem illam Auctoris contemporanei continua serie in lucem emiserit.*

ex Leone Casella, Francisco Bosqueto, Nicolao Processi,

cujus contextus datur,

65 *Ex illo igitur Codice MS. quem miscellaneum vocat, et in bibliotheca Vaticana extare ait, isthæc de inventione Capitum ac novis eorum veteribusque thecis argenteis producit* : Tandem propter temporum injurias cum populos laterent dicta sanctissima Capita, isto nostro tempore, omnium ingenti plausu et gaudio inventa sunt in capsis argenteis. Dominus Urbanus Papa, quem Deus conservet, eorum dignitati invigilando, pretiosas statuas argenteas cum Capitibus aureis, saphyris, adamantibus, gemmisque, propriis sumptibus per manus aurificis fabri Joannis Bartholi de Senis fabricato, inde in Basilica Lateranensi ferculo marmoreo, sub arcu majori solenniter collocavit; congruum esse dicens, ut Capita horum Apostolorum, qui sanguine suo Ecclesiam Catholicam plantaverunt in orbe, in prima Ecclesiarum omnium Matre, et Capite quiescerent, et pœnam excommunicationis circa absportantes bona præfata sanctissimorum Capitum suo diplomate fulminavit, incipiens : Sacrilegorum damnanda præsumptio, sub Dat. apud Montem Flasconem v Kal. F Augusti Pontificatus nostri anno octavo : quod diploma jussit conservari in Archivio Laterano.

et alius ex Processu pro Canonizatione,

66 *Post hæc profert pluscula Soresinus eamdem in rem,* ex Processu pro canonizatione Urbani V, in archivo secreto Vaticano fol. 123. *Habemus et nos talem Processum, quem ipse annis abhinc fere* XX *describendum curavi ex Vaticano Codice non optimæ scripturæ, signato* 4026, *et in ipso loco collatum cum originali morose, quantum potui, correxi. Processus ille noster, appellatur in memorato Codice,* Liber de Vita et miraculis beati Urbani Papæ V, *estque potius principium Processus, et Articuli, quos Procurator in causa Canonizationis, Petrus Olivarii, offert Deputatis a Sede Apostolica pro eadem causa*; petens super eis testes et alias probationes per eos recipi et examinari; et ipsas probationes ac attestationes in scriptis redigi; *atque insuper identidem declarans, quod* de omnibus et singulis, *quæ deponit,* fuit et est publica vox et fama.

qui ex Vaticano nobis descriptus est,

67 *In hoc igitur Processu nostro de Vita Urbani, non diu post mortem ejus fabricato, legitur fol.* 17 *juxta divisionem codicis Vaticani;* quod Dominus Urbanus apud Capellam, quæ dicitur Sancta Sanctorum, præsente

A sente Senatore et Majoribus Urbis, cum certis suis Dominis Cardinalibus, Sacrosanctas Sanctorum Reliquias ibidem ab antiquo satis occulte reconditas personaliter cum humilitate et devotione maxima perquisivit, et demum inter ceteras Reliquias Capita Apostolorum in vasculis argenteis satis parvis, et judicio suo minus nobilibus quam decebat, reperit et invenit, quæ humiliter et devote flexis genibus veneranter osculatus fuit in reverentiam Dei et Sanctorum ipsorum.

Inventa Capita Urbanus

68 Item etiam præfatus D. Urbanus, prius dictis certis Antiphonis et Orationibus, reverenter manibus propriis et per manus Dominorum, tunc Ostiensis et Urgellensis Cardinalium, publice monstravit et monstrari fecit ad venerandum universo clero et populo Romano in magna platea subtus Capellam prædictam ad hoc specialiter convocatis.

exhibet populo veneranda,

69 Item præfatus D. Urbanus ad majorem reverentiam Dei et Sanctorum prædictorum statim fecit fieri suis sumptibus duas cassas seu statuas argenteas, unam scilicet in forma media personæ B. Petri, scilicet ab umbilico supra, ponderantem mille septingentas marcas argenti; et modo consimili aliam, ad formam S. Pauli, in consimili pondere B argenti; et ordinavit et fecit in singulis de illis reponi singula Sanctorum Capita supradicta, et postea illa collocari in loco patenti et eminenti, ubi a populis Christianis devotius honorarentur et viderentur.

jubetque novas fieri capsas argenteas,

70 Item quod præfatus D. Urbanus rogavit per suas litteras Illustriss. Principem Dominum Carolum, tunc Francorum Regem, necnon Dominam Joannam quondam Franciæ et Navarræ Reginam, et Dominam Joannam tunc Reginam Siciliæ et Jerusalem, ut tanto bono operi prædicto vellent esse participes. Qui quidem Dominus Rex duos flores aureos cum gemmis et lapidibus pretiosis magni valoris ultra quatuor millia florenorum, et Regina Franciæ Crucem auream cum margaritis et lapidibus pretiosis magni valoris, et Regina Siciliæ supradicta unum capelatum Reginale cum gemmis et lapidibus pretiosis etiam magni valoris, pro amore Dei et ornatu Capitum prædictorum Sanctorum transmiserunt. Item quod nonnulli Domini Cardinales ex pietate ad rogatum D. Urbani, nonnullos pretiosos lapides pro prædicto opere dederunt.

quas Principes viri ac feminæ

71 Item præfatus D. Urbanus omnia et singula jocalia supradicta et prædictos lapides pretiosos cum C magna quantitate auri sui proprii et plurimis de suis lapidibus pretiosis et margaritis magni valoris posuit in decus et ornatum cassarum prædictarum, et illas pulcherrime et nobilissime adornavit, decoravit et nobilitavit; adeo et in tantum, quod argentum et aurum et lapides pretiosi, per ipsum Dominum Urbanum in structura ornatus et cassarum seu statuarum prædictarum appositi, levi et vera communi æstimatione apud peritos illius artis æstimabantur valere ultra triginta millia florenorum de Camera, et ultra.

variis modis decoraverunt,

72 Item quod dictus D. Urbanus in Capella Papali apud Palatium S. Petri, prædictas duas cassas seu statuas in ornatu et forma, ut prædicitur, perfectas et consummatas, juxta formam, in Pontificali contentam, gaudenter et devote ore et manu propriis benedixit, et in continenti universo clero et populo Romano, ad hoc specialiter convocato, Dominis S. Petri et de Ursinis Cardinalibus illas tradidit: qui illas devote recipientes, cum plurimis luminaribus portari fecerunt publice, processionaliter procedentes cum clero et populo supradicto, usque ad Lateranensem; et ibidem juxta prædictam ordinationem prædicti D. Urbani, Caput. B. Petri in imagine seu statua S. Petri prædicta, et Caput B. Pauli in consimili forma B. Pauli seu statua prædicta devote et reverenter collocaverunt et reposuerunt, D et consignaverunt certis annulis et sigillis, et fortiter recluserunt, et postea supra majus altare Ecclesiæ Lateranensis in loco supra quatuor columnas ad hoc specialiter præparato, prædictas imagines seu statuas cum prædictis Sanctorum Apostolorum in eis reclusis Capitibus honorifice collocaverunt; ubi adhuc stant collocatæ ad Dei et Sanctorum ipsorum gloriam et decus, et devotionem totius populi Romani. Item quod de prædictis omnibus et singulis fuit et est publica vox et fama.

et ipsa Papa solenni ritu benedixit in S. Petri,

jussitque reportari cum supplicatione ad ecclesiam Lateran.

AUCTORE D. P.

73 *Interea factum est, ut* Pontifici ab aliquibus diceretur (*verba sunt ejusdem Processus*) Pater sancte, quare ista pretiosa Capita dimittitis in isto loco, non forti? Et est dubium, quod per aliquos discolos diripiantur, furentur et detrahantur propter pretiositatem suam. Tum idem Dominus Urbanus respondebat et respondit, cum quadam humilitate devote jocosa: Numquid videtis, quod ille S. Petrus habet in manu illas magnas claves; et ille S. Paulus habet magnum ensem? Defendant se ipsos. Et bene sperandum est quod ita facient, quia satis sunt prope Deum. *Et vero quod religiose jocando prædixit sanctus Pontifex, Apostoli re ipsa præstiterunt. Anno quippe* MCCCCXXXVIII (*uti refert Soresinus pag.* 53 *ex MS. archivii Lateranensis ejusdem temporis, aliisque magnæ* E *auctoritatis scriptoribus) sacrilegi quidam ecclesiæ Lateranensis Ministri, Dominicus de Tito, Capocciola Apulus, et Joannes Christophorus Garopholus Castri Vallis Montanæ, pretiosissimas quasque gemmas, triginta millibus aureorum æstimatas, ex ornatu sacrorum Capitum clam surripuerant; furtoque apud hujus patruum Nicolaum Andreuccium de Perusia deposito, abierant in Campaniam.*

ubi sese vindicant Apostoli ab injuria,

74 *Verum non tulerunt Apostoli scelus, nec defuerunt sibi.* Nam accidit (*verba refero Soresini*) ut nobilis quidam Venetus graviter decumberet; qui cum desperata valetudine properaret ad mortem, sanitatis recuperandæ causa, toto corde et affectu ad beatos Apostolos preces effudit humilissimas; et volens signum aliquod sui obsequii et reverentiæ erga illos ostendere, ex divina dispositione, margaritam maximi valoris, occulto sacrilegio a prædictis furibus ei venditam, quam inter gemmas sibi cariores conservabat, dono misit, collocandam inter alias, prædictorum beatorum Apostolorum Capita exornantes. Quo facto, quia infirmitas illa revera non erat ad mortem, sed ut manifestaretur gloria Dei, F statim convaluit. *Acceperunt lætanter Canonici submissum unionem, cumque reposituri apto loco, comperierunt vacuam ibi palam, ejusdem cum unione magnitudinis ac formæ, ut manifeste appareret illic aliquando insertum fuisse. Hinc inquiritur apud prædictum Nobilem, margaritæ donatorem, unde ipsum habuisset: venitur in notitiam venditoris: deteguntur fures; ac damnati meritas luerunt pœnas; quæ legi apud Soresinum possunt multis narrata.*

sibi per sacri legum furtum illatam,

auctoribus morte damnatis:

75 *Neque vero se solum suaque vindicare ab injuria noverunt Apostoli; sed ipsam quoque ecclesiam a direptione; et in ea ad se confugientes homines ab instanti morte, inter tumultus militares, mirabiliter conservaverunt. Res memoratu digna est, quam Soresinus noster, Josephus Maria, pag.* 88 *profert ex patrui sui Miscellaneis MSS. lib.* 2. *tit. de prodigiis campanarum, ita scribens :* Nicolaus Soresinus Mediolanensis, Canonicus basilicæ Liberianæ Urbis, insignis Theologus, ac patruus meus, casum refert, quo divina virtus in præservando Capita sanctorum Apostolorum, et Lateranensem Ecclesiam ab impiorum sacrilegorumque incursione mirabiliter effulsit.

conservant quoque ecclesiam et sibi devotos

76 Scripsit enim, quod cum quadam vice, urbe capta, hostis victoris copiæ, hinc inde divisæ, ad prædandum et occidendum raperentur, et omnes cives,

a direptione atque occisione;

A cives, Ecclesiarumque Ministri perterriti, latebras quærerent; factum est, ut dum magno impetu milites inhiantes basilicam Lateranensem ingrederentur; Clericus, qui solus in Ecclesia remanserat, inter crates ferreas, Capita beatorum Apostolorum ambientes, se recepit: et tremefactus, potius ex divino impulsu, quam ex proposito, campanulas, quæ pro signo ad præfatorum Apostolorum Capita veneranda et adoranda inservire solent, quarum funiculus tunc temporis inter crates pendebat, pulsavit: quo sonitu inopinate audito, non minus, acsi clangores obstrepentium inimicorum audissent, tanto inde timore et tremore cœlitus immissis repleti fuere milites, ut nemine persequente terga vertentes præcipites effugerint.

militibus qui talia tentabant,

77 Ista in fuga cum obviam habuissent alteras ejusdem exercitus militias, quæ etiam deprædare cupiebant Lateranensem Ecclesiam; illæ vero, ex violento occursu existimassent, cives paratos ad prælium aggressores habere, vel cupientes exuviarum partem possidere, sive alia de causa soli Deo nota, more Philistinorum, evaginatis hinc inde gladiis, inter se decertantes corruerunt. Digna tanti B sceleris ultio; dicente Domino: *Dabo pavorem in cordibus eorum, in regionibus hostium, terrebit eos sonitus folii volantis, et ita fugient quasi gladium; cadent nullo persequente, et corruent singuli super fratres suos, quasi bella fugientes.* Hæc ex traditione meus præfatus patruus Soresinus hausit. Certum tamen est prædicta beatorum Apostolorum Capita ex tunc quo reposita fuerunt in loco, ubi ad præsens venerantur, nullam incurrisse jacturam in tot tantisque Urbis depopulationibus, et malis quibus seculis elapsis Roma subjecta fuit: ex quibus patet eadem veneranda Capita manifesta Dei virtute præservata fuisse.

mutua in suos arma convertentibus

78 *Hactenus Josephus Maria Soresinus. Sed redeamus ad translationem prædictam, quæ contigit, et quot annis in Lateranensi ecclesia recolitur per Officium duplicis ritus* XVI *Kal. Majas: atque Cyborium, ut vocant, ubi sacra Capita cum argenteis bustis pretiosoque ornatu suo reposita fuerunt, inspiciamus, descriptum a Soresino pag.* 31 *his verbis*: Cyborium in quod venerabilia Apostolorum Capita fuere translata, supereminet altari pyramidali specie fastigiatum, et variis signis exsculptum Gothica architectura, atque hoc Clemens Octavus inauravit, estque bene ferratum et clausum, clavibusque duodecim firmatum, quarum tres apud summum Pontificem extant, tres penes insigne Capitulum Lateranense; tres Domini Conservatores Urbis, atque tres Domini Guardiani sanctissimi Salvatoris ad Sancta Sanctorum habent. D

Officium Translationis 16 Aprilis.

Cyborium, ubi Capita servantur.

79 *Ejusdem Cyborii minutiorem quoque descriptionem paulo post Italice profert Soresinus ex MS. Domini Urbani Millini, qui an.* MDCXLIX *jussu Innocentii X ibi Visitatoris munus obivit et omnia minutim et accurate, tum quæ ad prædictum Cyborium, tum quæ ad Capita ipsa spectant, meritura fortasse alias, ut a nobis latine edantur. Nunc sufficiat ipsa busta cum ornamentis suis, prout hodiedum sunt, et a Soresino repræsentantur, in æs incisa, oculis lectorum subjicere.*

hic incisa in æs.

80 *Multa illic considerari possunt. Pauca annoto: atque imprimis epigraphas, quæ arte sulptiora exprimi non potuerunt propter parvitatem operis. Legitur ergo sub statua Petri in summo basis margine:* Urbanus Papa V fecit hoc opus, ad honorem Capitis beati E Petri Apostoli anno Domini MCCCLXIX. *In margine autem infimo:* Carolus, Dei gratia Rex Francorum, qui coronatus fuit anno Domini MCCCLXIV, donavit præsens lilium, ad honorem Capitis beati Petri, quod est positum in pectore ejus. *Ex latere vero,* Joannes Bartoli de Senis aurifaber *nomen suum posteritati reliquit. Similia plane leguntur sub busto* S. Pauli, *mutatis tantummodo nominibus Apostolorum. Ante utriusque pectus micat lilium ex auro, sub quo pendet orbiculus, ceu bulla aut numisma argenteum, et in* Petro *quidem supra pallium Archiepiscopale seu Pontificium cum hisce versibus:*


Notanda in præmissis imaginibus nonnulla

circa inscriptiones

Erigat ut propriam Sedem, in sua, Petre, redibit
Huc, Vaticana Pastor ab arce Petri.

In altero, quod pectus S. Pauli *ornat, similiter inscripti leguntur versus isti:*

Cedit Apostolicus Princeps tibi, Paule, Vocaris,
Nam, Dextræ Natus, Vas, Tuba clara Deo.



A 81 *Et hinc existimant, dexteram illic tenere* Paulum, *ut sæpe alias, ubi cum* Petro *repræsentatur; quia* Benjamin *(quod interpretatur* Filius dexteræ) *est Christi, postremo loco vocatus ad Apostolatum, et ut ipse fatetur,* minimus Apostolorum: *præterquam quod e tribu Benjamin natus esse sciatur. Alii alias rationes hujusce prælationis* Pauli *excogitant; quod non plene satisfaciunt, uti nec allata. In priori disticho pro,* in sua, *uti nos legendum putamus ad firmandum aliquem sensum aptum; legitur apud Soresinum,* tua, *sine propositione; quod obscura et non recte intelligibilia reddit omnia. In nostro conceptu videtur Auctor distichi voluisse exprimere, quod Urbanus, ex quo Romæ agebat, inhabitans palatium Vaticanum, basilicæ S. Petri conjunctum; inde* huc *in Lateranum, tamquam* sua *et suam domum, ubi olim Pontifices habitabant, migraturus esset; posteaquam Sedem suam Avenione retulisset, quod credebatur facturus fuisse, si supervixisset.*

et Paulum, dexteram Petri tenentem

82 *Interea temporis cautum voluit, meliori quo potuit modo, sacris Capitibus per bullam, apud montem Flasconem datam, qua sub pœna excommunicationis aliisque gravissimis inhibet, ne quis vel minimum de ornamentis, nedum de Reliquiis, audeat subtrahere; præmittitque aliquam illorum descriptionem, in eo diversam* B *a relatione quam ex Processu dedimus supra, quod statuas seu busta argentea dicat pendere* mille ducentas marchas, *non mille septingentas, uti illic legitur; nec mille septuaginta, ut scribit Ciacconius. Bullæ exordium est tale:*

Cavet Pontifex securitati statuarum,

83 Urbanus Episcopus Servus servorum Dei: ad perpetuam rei memoriam. Sacrilegorum damnanda præsumptio eo est gravior, et durius castigari meretur, quo in locis venerabilioribus, rebusque sanctioribus fuerit perpetrata. Cum itaque nos ad reverentiam Dei, et beatissimorum Apostolorum suorum Petri et Pauli duas eorumdem imagines argenteas deauratas, ac margaritis, et lapidibus pretiosis ornatas ponderis mille ducentarum marcharum argenti (super quarum alteram, videlicet verticem B. Petri, est una Crux aurea parva, gemmis pretiosis ornata, in qua est de ligno Crucis Domini nostri Jesu Christi) decoro sumptuosoque opere fecimus fabricari, ac in Ecclesia Lateranensi supra Altare majus venerabiliter collocari, in eisque sacratissima Capita dictorum Apostolorum, et alias Reliquias Sanctorum, ibidem ad majorem venerationem ipsorum Apostolorum, et devotionem fidelium recondi perpetuis temporibus permansura; C dignum est, et ad cautelam reputamus expediens, quod, est ipsa Crux, Capita, Reliquiæ, et Imagines, duæ capsæ parvæ argenteæ, in quibus præfata sacratissima Capita olim in Ecclesia S. Laurentii ad Sancta Sanctorum, prope ipsam Lateranensem Ecclesiam consistente, retroactis temporibus fuerant; conservata, custodita, et intacta permaneant; pœnas graves contrarium præsumentibus inferamus. Omnes igitur, et singulos cujuscumque præeminentiæ, dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis extiterint, etiamsi Regali, Imperiali, Pontificali, vel quacumque alia præfulserint dignitate, qui dicta Capita... Datum apud montem Flasconem v. Kal. Aug. Pontificatus nostri anno VIII; *id est Christi* MCCCLXX.

per Bullam et excommunicationis pœnam.

§. VIII. *De inventione Brachii S. Pauli Misniæ in Saxonia, inde in Poloniam translati.*

Quamquam *dicta* §. 5 *de Reliquiis Apostolorum, communiter locum habeant in quibuscumque, magis tamen in grandioribus ac nobilioribus partibus; nihilominus existimo ne huic quidem negandam piam credulitatem, quamdiu dignatur Deus cultum in iis Sancto exhibitum habere gratum. Sic Mantuanis relinquitur imperturbata* D *possessio et veneratio Brachii S. Pauli, unde partem acceptam Melitensibus, ut supra dixi, communicavit ipse Mantuanus Dux Ferdinandus, illud tenens a majoribus suis, licet non valeat demonstrare, quando, unde, a quo acceperint illi. Idem valeat pro altero simili osse, quod quomodo nostra memoria Misniæ in Germania inventum, et Cracoviam in Polonia translatum sit, docebit sequens Instrumentum, a nostro P. Frederico Schembek, alias quoque memorato ob varias quas Polonice scripsit Sanctorum patriorum Vitas, missum P. Bollando, sub initia cœpti operis anno* MDCXXXIV.

Anno 1634 P. Freder. Schembek S. J.

AUCTORE C. J.

85 In nomine Domini. Amen. Per hoc præsens publicum Instrumentum cunctis pateat et sit notum, quod anno a nativitate Domini Nostri Jesu Christi millesimo sexcentesimo trigesimo tertio, Indictione prima, Pontificatus S. N. Domini Urbani divina providentia Papæ octavi anno decimo, Sabbatho post Dominicam secundam Quadragesimæ, quæ fuit dies vigesima sexta Februarii; circa horam quartam pomeridianam in mei Notarii publici et Testium infrascriptorum, ad id specialiter vocatorum et rogatorum præsentia, Cracoviæ in Oratorio Congregationis B. Mariæ Virginis Assumptæ, ad Ecclesiam S. Barbaræ Virginis et Martyris, Domus Professæ E Societatis Jesu, supra Sacristiam Ecclesiæ jam dictæ posito; constitutus personaliter Rev. Pater Fredericus Schembek, Professus Societatis Jesu et Præpositus jam dictæ Domus, protulit in forma patenti scriptum commissionis, a sacra ac serenissima Majestate Regia Vladislao quarto, Poloniæ et Sueciæ Rege etc. sibi commissum: subscriptione manus suæ Majestatis, et Sigillo ejusdem in Cancellaria Regni obsignatum, salvum et integrum: illudque a me Notario publico, in præsentia omnium qui aderant, voce alta legi fecit; cujus tenor de verbo ad verbum est talis.

86 Vladislaus Quartus Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lituaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæ etc. necnon Suecorum, Gottorum, Vandalorumque hereditarius Rex, electus Magnus Dux Moscoviæ. Reverendo Frederico Schembek Domus Professæ Societatis Jesu Cracoviæ Præposito, Gratiam nostram Regiam. Sincere nobis dilectus Generosus Jacobus Butler, Hibernus, Regni hujus nostri indigena, dum anno proxime præterito millesimo sexcentesimo trigesimo secundo, varia loca Dominii Saxonici, pro Ferdinando Imperatore avunculo nostro charissimo, jure belli strenue occupasset; inter cetera ex hostili regione spolia, nobilissimum præ omnibus aliis os brachii S. Pauli Apostoli, ferme integrum reportavit: quod in civitate Misnia, Misnensis Marchionatus Metropoli, milites ejus potestati subjecti (auri argentique inveniendi studio, cavernas murorum arcis, et ceterorum in ea ædificiorum investigantes) in cavernula quadam parietis Domus Decanalis, Cathedralis Ecclesiæ ibidem, muro olim inclusum, et hominibus tempore hoc prorsus ignotum, invenerunt. Cujus dimidium cum in promissis, a jam dicto Butlero (pro Basilica nostra Cracoviensi, eidem Doctori Gentium Apostolorumque Principi Petro a Serenissimo piæ memoriæ parente nostro Rege exstructa) habeamus; beneque sciamus, eumdem piissimum genitorem nostrum, non semel tua opera usum fuisse, in conquirendis variis sacris Reliquiis ad ornamentum Basilicæ ejusdem; negotium hoc, promissi nobis hujus pii muneris sibi præ ceteris committendum duximus; prout per has præsentes committimus; volentes, et id a te requirentes, ut quali olim fide et dexteritate, in similibus Serenissimo parenti nostro operam et industriam tuam navasti, modo in hac eadem occasione nobis naves eamdem; et partem

F

jussus a Rege Poloniæ Vladislao

legitime acceptare partem Brachii,

A AUCT. RE. C. J. tem hujus sacri pignoris nobis promissam, vel ipse propriis manibus a reliquo osse dividas; vel oculatus testis existens, per alium idoneum dividi facias; assumptis ad opus hoc tecum Notario publico, testibus idoneis; et persona in dignitate Ecclesiastica constituta, una vel pluribus: Instrumentumque publicum de tanti thesauri inventione, in regnum hoc nostrum Poloniæ deportatione, nobisque a præsenti possessore donatione, accurate confici cures; rem facturus honori divino et cultui Sanctorum propagando valde opportunam, piis manibus Serenissimi parentis nostri perjucundam, nobis gratissimam: et tibi merito magno apud Deum et Cœlites futuram, cui Gratiam Nostram Regiam pollicemur. Cracoviæ in arce nostra, anno MDCXXXIII die XIX Februarii, regnorum nostrorum anno primo.

Vladislaus Rex ✝ Locus Sigilli.

a Butlero Colonello quærit quomodo illud inventum sit:

87 Cujus commissionis vigore prænominatus Reverendus P. Fredericus Schembek, a jam dicto Magnifico Domino Colonello Jacobo Butler, homine annorum quadraginta, ad id data opera in prænominatum Oratorium, ex voluntate sacræ Regiæ Majestatis vocato, nomine Majestatis ejusdem requivit, B ut primo omnium, hujus sacræ Reliquiæ inventionis occasionem, modum, tempus, et certitudinis seu veritatis ejus indicia et signa referret, et ea fideliter ad posteritatis memoriam enarraret. Qui voluntati Serenissimæ Majestatis promptissime morem gerens, rogavit R. P. Davidem Kinardum Scotum, Societatis Jesu Sacerdotem Professum (quo a multis annis Confessario, tam ipse, quam ipsius cohortis milites Hiberni utebantur) ibidem præsentem, ut nomine suo hujus rei totam seriem, uti oculatus testis et magna pars, copiose exponeret, et postulationi auctoritate et nomine Regis Serenissimi factæ perfecte satisfaceret; cum ipse requisitus lingua Polona expedite loqui non valeret, Latinam non calleret; ipsius etiam materiam nec Reverendus Commissarius Regius, neque testes ad id vocati intelligerent. Ad cujus instantiam idem R. P. Kinardus, annum agens ætatis suæ sexagesimum tertium, rem totam Latino sermone statim retulit hoc qui sequitur modo.

pro eo suus Confessarius Latine respondet:

Butlerum pro Ferdinando Imp. arma in Misniam contra rebelles moventem

88 Cum Serenissimus Dominus Joannes Georgius, Princeps Elector Dux Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ, et Montium, Landgravius Turingiæ, Marchio Misniæ etc. inito fœdere cum Gustavo Pseudo-rege Sueciæ, ceterisque conjuratis, Rei Catholicæ in Imperio Romano hostibus, contra Ferdinandum secundum Imperatorem Catholicamque Ecclesiam, simul potenter insurrexisset, in conatibusque suis persistere C ret mordicus; et ex causa hac Exercitus Cæsaris ejusdem, anno Domini millesimo sexcentesimo trigesimo secundo, Saxoniam ceterasque Provincias, Principi prænominato subjectas, hostiliter popularentur; variasque civitates, arces et oppida potestati Imperatoris subjicerent; Magnificus Dominus Jacobus Butler Hibernus, hic præsens, Catholicæ Religionis a pueritia sectator, unus ex ejusdem Cæsareæ Majestatis ibidem Colonellis, inter alia celebria loca in eadem expeditione bellica occupata, Misnia quoque Civitate, Misnensis Marchionatus metropoli, feliciter potitus fuit: circa medium Octobris anni jam dicti millesimi sexcentesimi trigesimi secundi. In qua Misnensi civitate, inter cetera nobilia antiquæ Catholicæ pietatis monumenta, extat vetustissima eaque usque adhuc integra Cathedralis ecclesia, sepulchro S. Bennonis sui Episcopi (qui nunc in Bavariæ Ducatu Patronus singularis contra pestem colitur, ibidem quiescens) per plures centurias annorum, olim celeberrima, mœnibus arcis, in colle sitæ et civitati contiguæ, inclusa; et ad eam ædes variæ Canonicorum olim ejusdem, a variis titulis antiquitus Prælatorum ecclesiasticorum denomina-

anno 1632 occupasse Metropolim,

tæ, et hucusque eadem cognomenta retinentes, quas D pseudo clerus Lutheranus hactenus inhabitabat, gaudens eisdem denominationibus Ecclesiasticarum dignitatum Officiisque, ea sibi quoad speciem quamdam externam temere usurpans, instar simiarum homines imitantium.

ubi milites die 27 Octobris,

89 In his ergo Canonicis Domibus, dum milites Butlerianæ cohortis, vulgo Dragones dicti, rimas quasque curiosissime scrutarentur; ut metu hostis occultata ab incolis investigarent, variaque locis in variis cum militari exultatione reperirent; tandem die vigesima septima mensis Octobris anni jam dicti millesimi sexcentesimi trigesimi secundi, circa horam octavam antemeridianam, in domo Decanali supradictæ ecclesiæ metropolitanæ, cum armarium quoddam vetus ligneum, muro ab antiquo insertum, vi extraxissent; conspexerunt post illud in muro eodem foramen magnitudine volæ manus humanæ. Quod latebræ alicujus indicium esse rati, illico murum lateritium ulteriorem perfringentes, invenerunt riscum sive cavernulam, intra crassitiem supradicti muri longitudinis ferme ulnæ unius cum dimidia, altitudinis circiter dimidiæ ulnæ; latitudinisque E ferme altitudini æqualis; in eaque scriniolum seu thecam ligneam, opere simplici factam, cum operculo ligneo non affixo simili, longam duos ferme palmos, altam vero et latam digitos quatuor circiter.

in domo Decanali

repererint jam olim muro abditam thecam,

in eaque repositum ex brachio S. Pauli

90 Quam cum Mauritius Valles Hibernus, homo Catholicus, cohortium Butlerianarum Stationarius. Quartirmaster vocabulo militari, nostrate vero Stanowicty dictus e tenebris in lucem ab uno milite gregario prolatam, ad manus accepisset; introspiciens invenit eam interius charta munda convestitam, in eaque inclusum, charta quoque simili munda involutum, os brachii sanctissimi Gentium Doctoris Pauli Apostoli, ab humero ad cubitum, quod Anatomici Radium vocant, longitudinis ferme sesqui palmaris; ex parte, qua cubito conjungebatur integrum, sed vetustate vel piorum devotione non nihil attritum et diminutum, ab altera non item; obvolutum circa sui medium rubro serico, antiquitatis non parvæ teste qualitatibus suis, latitudinis digitorum septem, filo albo ab antiquo opere valde simplici consuto; supraque sericum membranam seu chartam pergamenam, albam, veterem, ejusdem antiquitatis testem, longam digitos septem, latam vero humanum pollicem: circumductam permodum conchili ossi jam dicto; assutamque (albo similiter filo sed aliquantum rubescente) ad omnes sui extremitates involucro eidem, in locis viginti duobus: in F membrana autem, charactere magno veteri (quem vulgus Monasticum vocat) atramento scripta hæc formalia verba: DE BRACHIO SANCTI PAULI APOSTOLI.

quod a Legionis Stationario accipiens Pater Confessarius,

91 Decumbebat tunc in arce eadem Misnensi æger unus ex commilitonibus Butlerianis, Orthodoxæ fidei quoque alumnus, Capitaneus Donatus Patricius Hibernus: qui illa die Sacramento Confessionis animum expiare et sacro Pane refici optans, me Davidem Kinardum Societatis Jesu Sacerdotem, hæc modo referentem, ad se vocari hunc ob finem fecerat. Ad quem dum vocatus arcem ingressus fuissem, illico conspexi supranominatum Mauritium Valles, Quartirmastrum, Catholicum virum, ad me cum lætitia accurrentem, manibus sacrum hoc Brachium gestantem, mihique illud tradentem; charta sola eadem in qua erat inventum obvolutum, theca lignea ad cavernulam seu riscum, ex quo fuerat extractum, relicta. Quod de manu illius cum accepissem, statim ex arce ad civitatem descendi, rectaque ad hospitium Magnifici Domini Colonelli Jacobi Butler veniens, illi id ostendi. Qui plurimum de tanta tamque sancta præda capta exultans, una cum

Colonello Butlero mox detulerit,

A cum aliquibus Capitaneis et Militibus Hibernis Catholicis præsentibus, magna cum reverentia illud est osculatus. Aderat et Vicarius Misnensis, seu locum tenens Serenissimi Saxoniæ Ducis in illa Civitate (quem illi judicem vocabant) homo Lutheranus, etiam post receptam jam in fidem Cæsaris Misniam graves ob causas officio eodem fungi permissus: sed is rei novitatem et spectaculum prorsus insperatum admirans, ne verbum prolocutus fuit.

qui ipsum eodem remiserit omnia rite examinaturum:

92 Invaserat tunc statim eumdem Magnificum Dominum Jacobum Butler cupido justa, rem totam prout gesta erat quam optime intelligendi, et in inventione tanti thesauri minime falli: ideoque postulavit a me, hæc modo hic referente, ut ad arcem supradictam ex qua immediate sacrum illud pignus apportans veneram, illico reverterer; domum illam Decanalem adirem, latibulum in quo prædictum Brachium occultatum fuerat, diligenter considerarem, rem totam ac omnes ejus circumstantias accurate investigarem: ipsum denique Quartirmastrum Mauritium Valles, rem tantam primo occupantem, graviter examinarem; et ad omnem veritatem circa id enarrandum, authoritate etiam et nomine ipsiusmet B Magnifici Domini Butler, tamquam Colonelli, juramenti sacramento adigerem. Quæ cum exacte peregissem, et Quartirmaster totius negotii veritatem (uti supra relata est) juramento confirmasset; hocque totum ego eidem Magnifico Domino Colonello retulissem; orta est inter eumdem et me suum Confessarium pia controversia de possessione hujus tantæ rei; ad quem nimirum ex nobis duobus hoc sacrum spolium pertineret; ad eum ne, tamquam Colonellum, et primarium spoliorum præcipuorum in civitate a se in potestatem redacta Dominum; an ad me, Confessarium ipsius, cui erat ab inventore seu primo accupante mox ab inventione in rem venienti ad manus traditum. Non defuere utrique nostrum prætensionis piæ fundamenta et rationes: sed imposuit controversiæ huic finem inventor ipse Mauritius: nam jussus a Magnifico Domino Butler suo Colonello fateri ingenue, depositionis modo, an vero doni, tantam rem mihi tradidisset, fassus est candide, non donum, sed depositum mihi a se traditum. Quare tandem inter nos conventum, ut sacrum hoc spolium ego servarem et fideliter custodirem, uti Ecclesiasticus et Religiosus, comesque ex voluntate Superiorum meorum a tot annis individuus peregrinationis militaris, mecum pie C altercantis Domini Colonelli Comilitonumque illius; ipse vero, uti Dominus, possideret: quod et factum fuit.

et post aliquam de illo utrius esset controversiam,

illi tradiderit custodiendum;

seque cum Colonello reversum Cracoviam,

93 Cum ergo pignus hoc sacrum penes me esset, evocatus fuit ex Germania in Poloniam, litteris serenissimi Poloniæ et Sueciæ Regis Vladislai Quarti, recentissime post mortem pientissimi sui parentis Divi Sigismundi Tertii in Regem Poloniæ electi, idem Magnificus Dominus Colonellus Butler, ut operam fidelem et strenuam suæ serenissimæ Majestati, contra Moschos fœdifragos arcem Smolenscensem gravissima obsidione prementes, tamquam regni etiam istius indigena, strenue navaret, et partem exercitus Regii duceret in provincias hostiles. Cum hoc Cracoviam veniente, veni quoque et ego anno Domini millesimo sexcentesimo trigesimo tertio, feria secunda post festum Nativitatis D. N. Jesu Christi, Octava S. Joannis Apostoli et Evangelistæ (quæ erat dies tertia Januarii) ferens mecum hoc sacrum Os; ad Domumque Professam Societatis nostræ ad S. Barbaram divertens, ibi per aliquot hebdomadas illud scrinio decenter inclusum debita cum diligentia servabam: interdum tamen variis tam Ecclesiasticis quam Secularibus, id pie a me postulantibus, reverenter ostendens.

os sacrum detulisse ad domum Societatis:

AUCTORE D. P. quod intelligens Rex,

94 Venerat sub id temporis Cracoviam prænominatus Serenissimus Rex Vladislaus Quartus, ut pos- D sessionem Throni Regii in hac metropoli regni acciperet, et sacro diademate coronaretur. Hic cum rem tantam, recenter in regnum apportatam, Cracoviæ esse intellexisset; desiderio cultus Divini propagandi incensus, paternæ Cracoviensis Basilicæ, honori Principis Apostolorum extructæ, talibus etiam decoribus, exornandæ studio incitatus; vocato ad se in arcem toties prænominato Magnifico Colonello Butler, postulavit ab eo magnam partem brachii istius ob dictos jam fines. Quam cum is animo libentissimo sacræ suæ Majestati Regiæ obtulisset, statim Majestas eadem per speciale scriptum, suæ manus subscriptione et Regio sigillo firmatum, dedit negotium R. P. Frederico Schembek, Domus hujus Professæ Societatis Jesu Cracoviæ ad S. Barbaram Præposito, ut suæ sacræ Majestatis nomine promissam sibi partem sacri hujus Ossis pro Basilica jam dicta reciperet; et Instrumentum publicum de tota negotii istius serie diligenter et legitime confici curaret, ut satis patet ex ipso Commissionis jam hic publice lectæ tenore.

petierit et obtinuerit partem.

Eadem confirmat Pater Socius Castrensis,

95 Quæ cum jam dictus R. P. David Kinardus, E Societatis Jesu Sacerdos Professus, nomine Magnifici Domini Butler id postulantis fideliter et sincere enarrasset, eademque juramenti sacramento, pectore de more Sacerdotum tacto, rite omnia confirmasset; R. P. Schembek, tamquam Commissarius Regius, institit, ut in confirmationem veritatis horum, a Reverendo Patre David Kinardo dictorum, eadem et modo eodem sua attestatione approbaret R. P. Joannes Braun Pruthenus, Societatis quoque Jesu Sacerdos, ætatis annorum triginta sex, et ejusdem Patris Davidis in Castris Cæsarianis socius; et enarratorum in Misnensi Civitate gestorum oculatus testis. Quod cum is libenter palam et publice illico præstitisset, Reverendus idem Pater Fredericus Schembek, hæc omnia ab his duobus Sacerdotibus Religiosis, relata et juramento confirmata repetiit materna lingua Magnifico Domino Colonello Butler, ut ea, si ita se habuerant, uti relata fuerant, ipse quoque coram Deo legitime suo testimonio rem probaret, quatenus in ore trium testium verbum veritatis hujus consisteret. Fecit is prompte et alacriter quod postulabatur; et sic in ore trium testium idem verbum veritatis inventum, et commissione Regis, quoad primam negotii partem; (intelligendi nimirum totam inventionis rei tantæ seriem) satisfactum.

ipseque Colonellus.

Ab hoc promissam Regi partem petit P. Schembek.

96 Quare ad secundam accedens idem R. P. F Schembek, vigore ejusdem Commissionis, petiit ab eodem Magnifico Domino Butler Colonello, ut stando promissis Serenissimæ Majestati Regiæ factis, de donanda parte Brachii istius pro Basilica Cracoviensi, Principibus Apostolorum a Divo Sigismundo patre olim suo exstructa: Brachium idem apportari, et sibi, nomine et auctoritate Regia id postulanti, ac dividendum tradi juberet. Ad quod postulatum statim idem Magnificus Colonellus innuit Reverendo Patri David toties prænominato, ut hoc sacrum pignus, hactenus apud se servatum, ad locum jam supranominatum Oratorii Congregationis beatæ Mariæ Virginis Assumptæ afferret. Qui ex Oratorio eodem egressus, brevi rediit, superpelliceo et Stola Sacerdotali indutus, cum præcedentibus et comitantibus se linteatis e Societate Jesu Patribus et Fratribus, cereos accensos devote manibus gestantibus, portans in pelvi argentea inaurata debito cum honore, intra varia velamina egregie elaborata, Os supradictum.

Exhibet totum Pater Confessarius,

97 Quod cum in mensa, ad id ante altare Oratorii prædicti data opera præparata, decenterque convestita, variis cereis ceræ candidæ super candelabra

A labra argentea hunc ob finem accensis, reverenter deposuisset; primo omnium, antequam ulterius ad dividendum illud procederetur, idem R. Pater David Kinardus, requirente Regio nomine et instante eodem R. P. Friderico Schembek, sancte juravit, hoc quod tulerat Os esse illud ipsum numero, in Misnensis civitatis arce et Decanali Domo in risco seu latebra parietis ejus, cum suo sericeo rubro involucro et inscriptione, per Mauritium Quartirmastrum (ut supra) anno Domini millesimo sexcentesimo trigesimo secundo, mense Octobri inventum, fideliter hactenus a se servatum, et Cracoviam (ut dictum est) in Domum Professam Societatis Jesu ad ædes S. Barbaræ apportatum, eodem involutum circa sui medietatem serico rubro, intacto et hactenus non dissuto, ut fuit repertum; membranaque illa seu charta pergamena, (id est titulo rem ipsam indicante,) integra, intacta, et non avulsa unquam post inventionem, circumductum.

AUCT. RE D. P. juratque ipsum esse quod ex Misnia attulerat :

98 Quæ sic asserta a R. P. Davide omnia et singula, tam Magnificus Dominus Colonellus Butler, quam R. P. Joannes Braun, Societatis Jesu Sacerdos supra jam nominatus, ejusdem R. P. David Kinardi in Missione ad Castra Cæsaris in Misnia B socius, postulante eodem Reverendo Commissario Regio, simili juramento confirmarunt. Quibus sic peractis, idem R. P. Fridericus Schembek, accepto prius Superpelliceo, et Stola more Sacerdotum exornatus, debita præmissa reverentia, Os supradictum de manu Reverendi Patris Davidis suscepit: illudque pie exosculatus, diligenter circumspexit inscriptionem seu verba illa, DE BRACHIO SANCTI PAULI APOSTOLI: prudenter consideravit involucrum supradictum ex serico rubro, cui prænominatus titulus assutus fuit: manibus illud palpavit, invenitque omnia ab antiquo integra, intacta, illæsa: et in omnibus et per omnia relationi Magnifici Domini Butleri et Confessarii illius Patris Davidis et Patris Braun Socii ejusdem conformia; illudque in primis mihi Notario publico infrascripto, deinde Illustrissimo ac Reverendissimo Domino Georgio Tyskiewicz, Dei et sanctæ Sedis Apostolicæ gratia Antistiti Metonensi, Suffraganeo Vilnensi, Episcopo Samogitiæ nominato, ad actum hunc vigore suprapositæ Commissionis Regiæ invitato; postea testibus supra nominatis, adhæc vocatis et rogatis, videnda et consideranda diligenter obtulit. Qui reverenter C et devote illud exosculantes, vera esse omnia, et singula quæ et R. P. Schembek et ego Notarius publicus adverteramus, observarunt ipsimet et oculis conspexerunt.

idem jurant Colonellus et Socius;

et coram testibus vera esse omnia judicant P. Schembek et Notarius,

99 Tandem idem R. P. Fridericus Schembeck, injuncto sibi a sua Sacra Majestate muneri satisfaciens, idem Os Brachii S. Pauli Apostoli (revulsa prius Inscriptionis membrana seu titulo, et detracto velo illo sericeo, quo magna ex parte ab antiquo convestiebatur) ipse a Capite seu ejusdem Ossis summitate manu propria, deinde reliquum, ob nimiam illius duritiem, adjuvante altero, per medium, serra ferrea in longum, non autem in transversum divisit; et magnum illius partem, longitudinis ferme palmi unius, nomine Regio accepit, Basilicæ Sanctorum Petri et Pauli Cracoviæ, ad Collegium Societatis Jesu, suo tempore tradendam, et ad eamdem ritu solemni transferendam. Tandemque de his omnibus et singulis, idem toties prænominatus Commissarius Regius R. P. Fridericus Schembek, Domus Professæ Societatis Jesu Cracoviæ ad sanctam Barbaram Præpositus, a me Notario publico unum vel plura Instrumenta publica more solito fieri postulavit. In quorum omnium et singulorum fidem taliter actis adfuerunt Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus Dominus Georgius Tyskiewiez Episcopus Metonensis Suffraganeus Vilnensis, Samogitiæ Nominatus; Admodum Reverendi Patres, Christophorus Tzcinsky Archipresbyter Infulatus ecclesiæ beatissimæ Virginis Mariæ Cracoviensis; Martinus Hinca, Societatis Jesu per Regnum Poloniæ; et Nicolaus Lancicius, ejusdem Societatis, per Magnum Ducatum Lituaniæ Præpositi Provinciales, testes ad hæc specialiter vocati et rogati, cum aliis pluribus. D

idem deinde os sacrum dividit,

deque re tota fieri instrumentum fecit

§. IX. De Vinculis S. Petri, et memoria primæ ab ipso dedicatæ ecclesiæ, conversa in festum ejus Ad vincula.

P*roducendus ab Herode, Judæis gratificaturo, ad mortem* Petrus, in ipsa nocte erat dormiens vinctus catenis duabus; *quæ, pulsante ejus latus Angelo,* ceciderunt de manibus ejus. *Unius harum* Adorationem *celebrant Græci* XVI *Januarii, pleno dici istius Officio, et quidem cum duplici Canone. Primi Canonis auctor videtur Byzas sive Byzantius, hic enim est Auctor Tractus sequentis post Versiculos similares, qui terni ordiuntur dies singulos. Canon iste Acrostichus* E *est, strophis singulis ad hujus trimetri litteras singulas aptatis.*

Græci Adorationem unius Catenæ celebrant 16 Januarii,

Πέτρου τὰ δέσμα προσκυνοῦμεν ἐκ πόθου.
Vincula devote, Petre, adoramus tua.

Alter, S. Josephi Hymnographi nomen, inclusum huic Acrostichidi suæ, sic prætendit :

Πέτρου γεραίρω τὴν ἅλυσιν Ἰωσήφ.
Petri Catenam versibus cano Joseph.

Historicæ Lectioni, post sextam Oden ex more recitandæ, præponitur tale Distichon :

Σὴν προσκυνοῦντες, Πέτρε, σειρὰν τιμία,
Σειρᾶς μακρᾶς λῦσον μου ἐγκλημάτων.
Sanctam Catenam, Petre, adorantem tuam,
Longa catena solve me delictorum.

101 *Historica Lectio hæc est.* Ἐν αὐτῇ τῇ ἡμέρᾳ, τῆς τιμίας ἁλύσεως τοῦ ἁγίου Πέτρου τὴν προσκύνησιν ποιούμεθα, ἣν αὐτῷ περ ἐθηκεν (ὡς ὁ Ἀπόστολος Λυκᾶς ἐν ταῖς Πράξεσιν ἱστορεῖ) ὁ Τετράρχης Ἡρώδης· λυθεῖσαν δὲ ταύτην ἐξ ἐπιφανείας Ἀγγέλου, τινὲς τῶν πιστῶν εὑρόντες, κατὰ διαδοχὴν διαφύλαξεν· ἥτις ὕστερον παρὰ τῶν εὐσεβῶν εἰς Κωνσταντίνου πόλιν ἀνεκομίσθαι, καὶ κατετέσθη ἐν τῷ ναῷ τοῦ ἁγίου Πέτρου, τῷ ὄντι ἔνδον τῆς μεγάλης ἐκκλησίας· ἔνθα καὶ ἡ σύναξις αὐτοῦ τελεῖται. Hodierna die adoramus Catenam S. Petri; quam ipsi (sicut in Actis narrat Apostolus Lucas) imposuit F Tetrarcha Herodes; Angelica vero apparitione solutam, reperientes fidelium aliqui, per traditionem servaverunt. Postea vero translata Constantinopolim, posita est in oratorio S. Petri, quod est intra majorem Ecclesiam, ubi et festum illius agitur.

eamque se dicunt accepisse Hierosolymis

102 *Pro hoc festo composita Oratio est, quæ sub nomine sancti Joannis Chrysostomi habetur edita, Baronio autem aliisque videtur potius esse S. Procli vel S. Germani, æque ac ille, Patriarcharum Constantinopolytanorum, sed ætate posteriorum. Græcum contextum nos quidem in Vaticana ac Vallicensi Bibliothecis Romæ, necnon Florentiæ in Laurentiana invenimus; non tamen curavimus describendum, quod ejus prolixitas instituto nostro non conveniret : ipsum nihilominus, si quis nova versione donatum voluerit Græcolatinum edere credo, rem publice gratam et utilem faciet, et habenti familiarem Chrysostomi usum, dabit facultatem dijudicandi ex stylo, ipsiusne an alterius sit. Hujus ego arbitrio libenter cedam; argumento Baronii non moveor : præsumit enim, ejusmodi Catenam fuisse allatam, cum aliis Reliquiis, ab Eudocia Theodosii Junioris uxore, adeoque post mortem ipsius Chrysostomi. Nicephorus Callistus lib.* 14 *cap.* 2, *agens de Hierosolymitano Eudociæ itinere, allatisque per eam Reliquiis,*

Oratio quæ de illo festo habetur,

A *quiis, Apostolicæ Catenæ non meminit; neque alius quisquam Græcorum quod sciam.*

cur Joannis Chrysostomi non sit, necdum apparet,

103 *Synaxariorum verba jam dedimus: Orationis prædictæ Auctor, Eudoxiam quoque nusquam nominat: sed utitur verbis, quæ præ oculis potuit habuisse Synaxarii compilator: sic enim ille ait:* Catenas illas in carcere derelictas, ipsi Herodis ministri, quibus divinæ cognitionis lumen effulsit, clam sustulerunt; et apud seipsos, veluti thesaurum quemdam, eas conservaverunt. Quod vero a patre suo (ut dicitur) traditum, et de catenis illis narratum sibi quisque acceperat, posteris suis deinceps credebat, et tuto in loco catenas illas occultas servabat: quoad et Judaica natio bello devicta, captis Hierosolymis ad nihilum redacta est; et superstitioso idololatriæ errore sublato, Romanorum sceptra ad Imperatores, qui Christi fidem sequebantur, translata sunt. His autem Christi et Apostolorum facta omni honore prosequi studentibus, hæc etiam Apostoli Petri Catena manifesta fata est *(nota in singulari Catenam dici, uti supra in Versibus)* et ab illis ad urbem hanc regiam translata, in Apostoli Petri templo reposita est: quam ut ejus ipsius miraculorum effectricem et veneramur et amplectimur. *Tacentibus ergo de Eudocia Græcis, uti gratis dicitur,* quod nondum B Petri Catenæ innotuissent *ætate Chrysostomi, cum Hierosolymis semper notas fuisse supponat Auctor, nec habeat quidquam unde intelligi possit Constantinopolim allatam esse Catenam vel ante vel post ætatem Chrysostomi. Huic cur ea Oratio abjudicetur, et alterius posterioris esse dicatur, nihil hactenus causæ occurrit apud Græcos.*

cum in ea nusquam mentio fiat Eudociæ quæ Catenam attulerit

Ea sacrarum Catenarum elogium

104 *Juvat interim ex ea delibare paucula, ad Apostolicarum Catenarum laudem ab Auctore sic deducta.* Si umbra et lintei morbos profugabant, certe Catenæ, quæ venerandum Apostoli corpus attigerunt, quanto propiorem tactum habuerunt, tanto abundantiorem miraculorum vim participarunt: catenæ, inquam, illæ omnino venerandæ ac pretiosæ, quæ Apostolicum illud ac beatum corpus colligarunt, quæ manus illas miraculorum effectrices adstrinxerunt, quæ divina gratia ab ipsis repletæ sunt; ex quibus miracula abunde scaturiunt, quæ ægrotos homines a morbis liberant, quæ homines illos sanctos efficiunt, qui cum fide ad eas accedunt; a quibus animarum maculæ mystico quodam modo expurgantur, morbidæ influentiæ reprimuntur; quæ denique in aeream celsitatem extensæ, et usque ad C cœlos ipsos pervenientes, a dominico illo et divino solio, tamquam ab anchora quadam, extenduntur. Has Catenas potentiarum, quæ a Deo ipso defecerunt, princeps exhorruit, et nunc etiam exhorret, ac multo cum timore illas subterfugiens comprimitur. Has aerea spirituum multitudo metuens ac tremens, jaculisque inde immissis percussa, longius profugatur: non enim ferre potest Spiritus sancti gratiam, hac ipsas Catenas obumbrantem, neque scintillas ex divino illarum igne exilientes sustinet; sed ab ipsis incenditur atque comburitur. Has composuit Dei Patris Verbum, ejusdem æternitatis et principii particeps, ut ejus de Deo confessionis præmium essent. Illas ignitas reddidit carbo ille, ab Esaia antea visus, et ad Deum intuendum efficacissimus. Spiritus sanctus Paracletus suo afflatu, ignem, e carbone illo exilientem, ad opus perficiendum maxime idoneum reddidit: quamobrem licet ferreæ sint naturæ, divina tamen gratia et potentia plenæ sunt.

insigne profert

105 Ab his dæmonum pravi spiritus illigati enecantur; ab his princeps mundi hujus pertractus, captivus ducitur, a fidelibus hominibus illuditur, hoc est ab iis qui antea peccatorum laqueis constricti, soluti et liberati sunt; et mortis retibus antea circumdati, ad vitam transierunt. Hæ divinæ D hereditatis terminos cingentes, et undique munientes, faciunt ne ab hostibus expugnari possint. Eædem Christianorum vertices coronantes, ab illorum hostium insidiis, qui corporeis oculis non cernuntur, intactos servant. Nam etsi a malignis hominibus pro tormenti genere adversus Apostolum sunt adhibitæ; tamen ad eos propellendos, qui malum aliquod inferre volunt, idoneæ sunt effectæ, non tam cruciantes, quam venerandum illud Apostoli corpus undique servantes ac munientes. His Catenis Apostolus ornabatur, his exultans ac gestiens se oblectabat, et tamquam regalem aliquem ornatum circumferens, animo exultabat. Has et pœnæ instrumentum cognoscebat, et coronarum multarum conciliatrices existimabat. His et nunc sanctissima, omnique ex parte incorrupta ac pura Christi sponsa Ecclesia, tamquam splendido monili et aureo quodam ornatu induta, velut corona quadam ex intactis floribus contexta, decorata est, et ad dexteram sui Sponsi partem assistit. Has, inquam, catenas et nos copiosissimus Christi populus hodierno die amplexamur: has reverentes veneramur et colimus, et pro animarum emendatione habemus: his omnem sensum E et membrum admoventes, illarum sanctitate implemur, et per mentis intelligentiam sancti Spiritus gratiam in animos ipsos admittimus. Deceret certe, deceret non solum catenas, quæ manus illas adstrinxerunt, magnopere venerari; sed etiam indicia omnia, ad quæ Apostoli membra accesserunt, singulatim amplecti ac revereri, et in illis singulis diem festum ac panegyrim celebrare.

AUCTORE D. P.

Latini Neronianas Catenas servarunt,

106 *Ad Latinos quod attinet, simili modo quo Herodianas Catenas Hierosolymis servarunt facti ex Judæis Christiani, Neronianas quoque servasse videntur Romani, ab Apostolis conversi; saltem ab anno* CXVI, *S. Alexandri Papæ penultimo; quando* S. Balbinæ sæpe osculanti boiam, per quam salvata fuerat, dixit S. Alexander; Desine hanc boiam osculari; sed potius require B. Petri vincula, et ea osculare, et boiam meam osculari desine. Tunc data sibi opera, cum studio ac desiderio magno, pervenit ad illa S. Balbina, deditque ea Theodoræ illustrissimæ, sorori S. Hermetis Præfecti Urbis. *Quid hæc de illis egerit, non exprimunt S. Alexandri Acta, a nobis illustrata* III *Maji. Venerabilis Beda, Serm. de Vinculis inter Varios, Hierosolymis quæsita Vincula illa supponit; quod gratis conjectasse eum censeo; cum post annos dumtaxat quinquaginta, quibus Apostoli vincti jacuerant in Mamertino carcere, facilius fuerit, ea vel ibi,* F *vel inter manus Christianorum inveniri. Quare Romanis vinculis aptandum puto, quod idem Beda deinde addit:* Sicque B. Alexander exiens de carcere *(simili forte miraculo, quo antea ad Balbinam curandam exiverat)* constituit hanc celebrari festivitatem Kalendis Augusti, in honore S. Petri; et ejus nomine ædificavit ecclesiam, quæ dicitur ad Vincula; *seu potius a Theodora constructam dedicavit;* in qua Catenæ ejus deosculantur a populo devoto. *Hæc vero crediderim Bedam sumpsisse ex ipsiusmet ecclesiæ libris.*

an. 116 inventas a S. Balbina,

et dicitur S. Alexander iis festum statuisse I Augusti,

quando S. Petrus dedicarat primam Romæ ecclesiam.

107 *Dicitur autem ipsa prima in Europa fuisse ædificata a S. Petro: qua de re insignem Exercitationem post Notas ad* I *diem Augusti scripsit Franciscus Maria Florentinius, docens, haud absimile vero id esse, licet ea Neroniano incendio conflagrarit: et ideo fortassis in ipsam, a fidelibus restauratam, sacras Catenas, potius quam alibi, reponi Alexander jusserit. Equidem non ausim affirmare, festum istud adeo esse antiquum: nequeo tamen dubitare, quin sacra Vincula, ex eo saltem tempore, magna in veneratione fidelibus fuerint; et vel ex tunc, vel ex tempore S. Silvestri Papæ, aut proximorum ejus successorum, cœperint Romani*

AUCTORE D. P.

A *Romani Pontifices, pro singulari benedictione, impertiri aliquid de rasura illorum, et per Ecclesias etiam remotas distribuere: de hac enim, aut festo Vinculorum loqui videtur Augustinus, Serm. 39 de Sanctis, cum ait, quod* merito per omnes Christi Ecclesias auro pretiosius habetur ferrum illud pœnalium vinculorum: *in quorum deinde laudem excurrens*, Felices, *inquit*, Catenæ, quæ nudatis pæne ossibus inhærentes, vivas reliquias de sanguinis sudore, jam attrita carne, rapuerunt; tactuque membrorum cruciatus sui sanctificatur instrumentum; in quo dum afflictio crescit ad pœnam, causa pœnæ proficit ad gloriam. Felicia vincula, quæ reum usque ad Christi crucem, non tam condemnatum, quam consecratum miserunt! *Ubi de vinculis Neronianis agi perspicuum est.*

Commendat illas S. Augustinus:

108 *Verum ut eo nomine antiquius Romæ Oratorium fuerit, cujus Dedicatio jam olim ab ipsis Alexandri vel Silvestri temporibus cœperit celebrari, titulus tamen* Eudoxiæ *eidem ex nova aliqua dedicatione accessit primum seculo* V, *quando vixit hujus nominis Imperatrix, Valentiniani III Imperatoris uxor et filia Theodosii Junioris atque Eudociæ; de qua legitur in* B *veteribus quibusdam MSS. continentibus miraculum quoddam S. Cæsarii Martyris Tarracinensis, in Valentiniani prædicti filia patratum, et* I *Novembris proferendum, quod* tantum in Christi fide et amore profecerat, ut B. Petri Apostoli amore Basilicam, quæ ad Vincula nuncupatur, in Urbe construeret, quæ usque hodie Eudoxiæ nuncupatur.

Ecclesiam restauravit Eudoxia Imp.

109 *Confundit illius MS. auctor, Valentinianum III Eudoxiæ maritum, cum Valentiniano I Damasi Papæ coævo, ut videatur seculo* IX *vel* X *vixisse; in eo tamen quod de Titulo ait, fidem meretur obtinere; cum Adrianus Papa I, in sua apud Anastasium Vita legatur, seculo* VIII *ad finem vergente,* templum Apostolorum, quod appellatur Eudoxiæ ad vincula, totum a novo *restauravisse. Priorem sub Eudoxia restaurationem Baronius refert ad annum* CCCCXXXIX; *quia eo anno Theodosii uxor Eudocia Hierosolymis fuit, et Reliquias supra memoratas accepit; in quibus fuisse Herodianum Catenam, ipsius Ecclesiæ traditio habet; secundum quam Romani Breviarii Reformatores annis ab hinc centum, pro Lectionibus secundi Nocturni, sumi solitis ex quadam Homilia S. Ambrosii, substituerunt historiam, quæ hodiedum sic legitur:* Theodosio Juniore imperante, cum Eudocia ejus uxor Hierosolymam solvendi voti causa venisset, ibi multis est C affecta muneribus: præ ceteris insigne donum accepit ferreæ catenæ, auro gemmisque ornatæ, quam illam esse affirmabant, qua Petrus Apostolus ab Herode vinctus fuerat. Eudocia Catenam pie veneratu, eam postea Romam ad filiam Eudoxiam misit, quæ illam Pontifici maximo detulit; isque vicissim monstravit illi alteram Catenam, qua Nerone Imperatore idem Apostolus constrictus fuerat. Cum igitur Pontifex Romanam Catenam cum ea, quæ Hierosolymis allata erat, contulisset; factum est ut illæ inter se sic connecterentur, ut non duæ, sed una catena ab eodem artifice confecta esse videretur.

ac deinde Hadrianus primus

non tamen probatur illius mater Eudocia

misisse Catenam Hierosolymis acceptam;

110 *Hoc miraculum, ipsaque Herodianæ Catenæ Romam deportatio, fuerunt Breviario innovato inscripta ex Petro de Natalibus. Is enim, cum lib. 7 cap. 3* festum *hoc* institutum *dixisset,* in memoriam liberationis Petri, et in memoriam inventionis Catenæ *sub Alexandro Papa; atque ut Romani averterentur ab honoribus quodammodo divinis, Octaviano Cæsari, tali die appellationem Augusti adepto, exhibendis, sicut fecerunt* usque ad tempus Theodosii Imperatoris, *utique Junioris* [et Valentiniani III] qui regnare cœpit anno Domini CCCCXXV *(sic enim supplendus defectus et corrigendus error numero 325) cum, inquam, ista dixisset* Petrus *de Natalibus, ita progreditur:* Eudoxia D igitur filia ipsius Theodosii, uxor Valentiniani, Hierosolymam ex voto perrexit, ubi quidam Judæus pro magno munere Catenam ei obtulit, qua sub Herode Petrus Apostolus vinctus fuit. Cum ergo Romam redisset, et Romanos in honorem Augusti Cæsaris in Kalendis ipsius mensis solennizare videret; cogitans quod non de facili eos a tali errore revocare posset, cogitando tractavit, ut observantia quidem sic staret, sed in honorem B. Petri fieret, et ipsum diem populus, Ad vincula, nominaret. Habitaque collatione cum Pelagio multis exhortationibus populum induxerunt, ut memoria Principis paganorum transiret ad memoriam Principis Apostolorum. Tunc Imperatrix Catenam, quam de Hierusalem attulerat, protulit, et Papa eam, qua Petrus Romæ vinctus fuerat, eduxit. Hæc igitur illi sociata, ita miraculose una catena facta est, acsi semper una et eadem extitisset. Ipsa igitur vincula Papa et Regina in ecclesia S. Petri Ad vincula posuerunt, et ipsam multis privilegiis ditaverunt, ac prædictum diem ubique celebrem fore statuerunt, videlicet Kalendis Augusti, *anno Domini* CCCCLX.

ideoque ab aliis melius dicitur

ipsamet Eudoxia Hierosolymas ivisse

et attulisse Catenam, Romanæ miraculose unitam,

111 *Annus hic est extremus S. Sixti III, quem usque ad* XXV *Julii vixisse docui, licet colatur* XXVIII E *Martii, sequenti aliquo anno sepultus in crypta ad S. Laurentium. Pro eo, nescio qua ratione, obrepserit* Pelagius Papa, *centum annis junior Eudoxia prædicta; nisi quod Pancirolius alleget inscriptionem, unde iste Pontifex intelligatur ipsam ecclesiam reparasse. Interim uti in hoc corrigendus Equilinus memoria lapsus, sic idem recte correxit errorem antiquorum de illo festo manuscriptorum, quibus pro Eudoxia Valentiniani uxore, ponitur ejus avia, Eudoxia, uxor Arcadii Imperatoris, et quidem veluti marito jam vidua: quorum neutrum cum historia consistit. Quamquam autem nusquam legatur Eudoxia junior Hierosolymam peregrinata, idque sciatur fecisse ejus mater Eudocia, non video tamen necessitatem corrigendi Equilinum in eo quod allatam a filia Catenam dicat: cum eo studio quo mater, etiam filia duci potuerit, visendi et honorandi loca sancta; et Græci taceant de Catena vel Catenis, quas Eudocia revexerit.*

sed in hac relatione menda aliqua corrigenda.

112 *Utinam autem talis itineris, et secuti in Catenis miraculi, antiquior certiorque testis inveniretur, quam vel Petrus de Natalibus, vel quæ ille correxit MSS. quamquam nec in his miraculum legitur; sed hoc solum, quod* quidam inter alios Judæus, super F topazium et aurum obrizum pretiosas, ferreas donat Catenas.... *quas* Eudoxia Romanis opibus intulit, *ac populo dixit;* quoniam et sub Neroniana custodia Apostolus Catenam tulit, quam et sanctus Alexander, quinto loco Papatus minister, in frugem medicinæ et candidationem animæ salutarem', docuit: qua Pontifex appetita, Catenis triadem fecit; et in templo fundato et chrismato, in monumentum Apostolicæ victoriæ, recondidit; et Kalendis Sextilibus primæ luci hæc sacramenta perdonavit. Sic ex iniquo principio salubris conflata est religio: sed Augusticolis ut carius coleretur ([quia] in die lauri Octaviani id erat moris, ut nemo ex conflua turba abiret, nisi simplicem panis et vini sumptum libasset) hanc formam Papa Ecclesiis imaginavit, ut populus Nazaræus eo die Corpore Christi et Sanguine reficeretur. *Ita vetus istæc Scriptura, seculo forsitan* X *aut* XII *composita, ad usum ipsius Ecclesiæ, de qua agimus, indeque reperta in Legendariis Romanis a Baronio, Neapolitanis a Beatillo, Belgicis a Rosweido; unde sumpsimus verba, ex Marchianensi, Audomarensi et Metensi Codicibus inter se collatis. Non autem puto debere iis objici, quod Romani totum Augustum Cæsari Octaviano dedicarint, non solas Kalendas. Potuit enim primo mensis diei propria fuisse ista*

Tacent de miraculo, vetera Legendaria

ex usu ipsius ecclesiæ descripta.

A *ista panis ac vini festiva libatio, quæ sola etiam apud Christianos fuerit continuata, sicuti hodiedum continuatur festiva missio strenarum Kalendis Januarii.*

Geminatum festum, adscriptum antiquis Fastis,

113 *Hieronymiani Martyrologii apographa duo, Corbeiense et Lucense, post Passionem septem Fratrum Machabæorum, etiam in vetustissimis Epternacensi ac Blumiano commemoratam, addunt;* Romæ Dedicatio primæ ecclesiæ, a B. Petro constructæ et consecratæ; et absolutio ejus a Vinculis. *Atque ad hunc geminatum unius festi titulum respexit S. Leo Papa, Sixti III successor proximus, sic exordiens Homiliam, tunc dictam ad populum:* Gratias, dilectissimi, agamus Domino Deo nostro, quod quanta sit hujus diei solennitas, etiamsi ego taceam, conventus vester ostendit. Tam enim conspiranti studio et devoto animo convenistis, ut festivitatis magnificentiam, etsi sermo non indicet, congregatio tamen ipsa testetur: duplex enim causa lætitiæ est, in qua et Natalem Ecclesiæ colimus, et Martyrum passione gaudemus. *Vix autem possum dubitare, quin hic dies sit, non solum primæ dedicationis factæ a Petro, cujus ipsius causa et vinculorum ejus ab Alexandro repositorum, dicta fuerit etiam* Absolutio Petri a vinculis B *(licet hanc constet factam esse circa Pascha) sed etiam tertiæ, si non et secundæ. Non enim de* S. Petro *intelligenda sint Leonis verba sub finem Homiliæ ejusdem, sed de Sixto,* solennem hanc diem celebratis, et non solum Martyres ac matrem Martyrum; sed etiam illius memoriam justo honore veneramini, qui hoc die antiquam festivitatem, hujus loci consecratione geminavit; magnificus quidem structor parietum, sed magnificentior extructor animarum, ultra ævi sui terminos opera pietatis extendens, ut utilitatibus [substructionum et] institutionum ejus etiam in ipso frueretur devota posteritas, et habitando quod condidit, et faciendo quod docuit.

a S. Leone I commendatur,

ex causa dedicationis a Sixto 3 factæ,

114 *Sane magnifica, quæ hic indicatur, structura parietum, neque primitivæ sub* Petro *Religioni, neque tribus primis seculis inter persecutiones actis convenit, quamvis etiam tunc ecclesias ad conveniendum ædificatas habuerint Christiani, sed crebro reficiendas, quia crebro eversas, multoque minores quam quæ postea sub Constantino fundatæ sunt magnificentia plane regia, qualis etiam Sixtina hæc fuit,* Eudoxiæ *fundatricis titulo ornata. Qualiscumque enim antea ecclesia ibi fuit, Titulum non habebat: et sunt qui a Leone præfato Tituli initium ducant: cui cum S. Gregorius Magnus addidisset Stationem, pro Feria* II *post* I *Dominicam* C *Quadragesimæ, etiam ordinavit propriam Missam, pro festo* Vinculorum, *inserendam Sacramentario Romano, qualis in antiquiori Gelasiano et veteri Franco-Gothico, nulla invenitur. Ex hinc vero videtur notitia festi etiam extra urbem diffusa, per Martyrologia etiam Hieronymiana, apud varios descripta. Et sic etiam vetus Germanicum Kalendarium potius quam Martyrologium, nuper Augustæ Vindelicorum editum a Bechio,* Vincla sancti Petri, et VII Fratrum, *exhibet, et quidem Rubricatum festum, sicuti SS. Laurentii, Bartholomæi et Paulini Episcopi (utique Trevirensis) cum Decollatione S. Joannis; dum Assumptio S. Mariæ notatur Nigris, tamquam tunc adhuc ordinis minoris habitum.*

post quam accessit Titulus et Statio,

ac propria Missa de Vinculis.

§. X. *De Catenis Apostolicis, et annulis atque rasura eorum inclusa clavibus, S. Petri dictis.*

Utriusque Apostoli Catenæ plures;

S*ervatum fuisse Hierosolymis* Petrum vinctum Catenis duabus, *Apostolica asseverat historia: quare earum alteram Constantinopolim, alteram fuisse perlatam Romam, utriusque urbis traditioni credi citra scrupulum potest: licet tempora et auctores translationis prædictæ certo nequeant designari. Similiter et* D Paulum *Act.* XXI jussit *Tribunus* alligari Catenis duabus. *Sed hoc abundantioris cautelæ fuit; alias sufficiebat vinctis singulis catena una, et quidem plerumque tibiarum uni per numellam adstricta, cujus alterum caput parieti carceris aut cippo affigebatur; vel, si libertas ambulandi concederetur, circumduci collo vel lumbis poterat, ut minus impediret gradientem: et sic idem* Paulus *Act.* XXVIII, vinctus ab Hierosolymis *adductus Romam, convocatis ad se Judæis,* Propter spem Israel, *inquit,* Catena hac circumdatus sum, *ejusdemque* Catenæ *in suis ad Ephesios et Timotheum Epistolis meminit.*

116 *Atque hanc esse* Catenam *arbitror, qua Romæ solutum existimo, mox atque Neroni sese stitit, et nemine contra eum agente inventus est innocens. Eamdem, aut aliam, aut plures asservari in ipsius Basilica extra muros Urbis ait Pancirolius: atque inde accipere voluisse, opinor, S. Gregorium, quando Constantiæ Augustæ sic scripsit:* De Catenis, quas ipse S. Paulus Apostolus in collo et in manibus gestavit, ex quibus multa miracula in populo demonstrantur, partem aliquam vobis transmittere curabo; si tamen hanc tollere limando prævaluero. Quia cum E frequenter, ex Catenis ejusdem, multi venientes benedictionem petunt, ut parum quid ex limatura accipiant; assistit Sacerdos cum lima: et aliquibus petentibus ita concite de Catenis ipsis excutitur, ut mora nulla sit; quibusdam vero petentibus diu per Catenas ducitur lima, et tamen ut aliquid exinde exeat, non obtinetur. *Ubi Gregorius plures catenas innuere videtur, alteram videlicet, quæ collo; alteram, quæ manibus adstrictæ fuerint: et credi potest, altera vinctum fuisse per viam, quando ex Oriente Romam ductus fuit, ut diximus; altera, quando inclusus sedebat in carcere Mamertino; nisi malis, utrumque in hoc loco gestasse, alterum in collo, alterum in manibus: quemadmodum duæ* Petri *catenæ (et forte plures) olim repositæ fuerunt in ecclesia ejus, titulo* Eudoxiæ, ad Vincula, *altera Hierosolymitana, altera Mamertina; quæ et mirabiliter unitæ fuisse creduntur.*

una a Paulo allata Romam,

in ipsius videtur servari ecclesia,

et forte altera.

117 *Miraculum anni* DCCCCLXIX, *quod narrat Sigebertus Gemblacensis in Chronico, ex eoque Equilinus et Breviarium, sic unius Catenæ meminit, ut duas olim fuisse, vel unicam tantum tunc Romæ asservatam, eruere ex eo non possis. Ipsum sic narratur.* Quidam comes Otthonis Imperatoris, *hoc nomine Tertii,* et familiaris, Romæ ante oculos omnium a diabolo arreptus, ut seipsum dentibus decerperet; jussu Imperatoris ad Papam Joannem (XIII) adductus est, F ut Catena S. Petri collo ejus circumdaretur. Dum a fallacibus Clericis semel et bis alia Catena adhiberetur, nec quidquam remedii proveniret, ubi nihil erat virtutis; tandem vera S. Petri Catena allata, et collo furentis circumdata; diabolus, clamans et spumans et multum ejulans, abscessit. Quam Catenam Deodericus Metensis arreptam, cum diceret se eam, nisi manu abscissa, non dimissurum; tandem Imperator, sedato litigio, a Papa Joanne obtinuit, ut annulum hujus Catenæ exectum Episcopus mereretur. *Eadem habemus iisdem verbis in antiquo ejusdem temporis MS. Chronico Saxonico, ut non dubitemus quin fere coævi scriptoris verba ista sint, a Sigeberto et Chronographo illo transcripta.*

Catenæ Petri contactu an. 969 liberatur energumenus

et annulum inde accipit Ep. Metensis,

118 *Non fuit tamen hac primum vice imminuta annulo uno vel etiam pluribus Catena istæc. Etenim in Vita S. Brunonis Archiepiscopi Coloniensis, intra primum ab ejus obitu seculum scripta, sic legitur apud Surium* IX *Octobris cap.* 26: Baculum et Catenam S. Petri, quo fervore, quo gaudio Coloniam, alterum Metis, alteram Roma adduxerit, omnes noverunt. *Ægidius Gelenius in libro de Magnitudine Coloniæ Agrippinæ pag.* 237 *de istis agens, ubi de Metropolitana*

plures cum baculo S. Petri Bruno Colon. Archiepiscopus,

tropolitana ecclesia : Secunda hierotheca, *inquit*, baculum S. Petri, non integrum, sed superiorem ejus partem concludit, ejus scilicet baculi, quo S. Maternus (alii S. Martialem dicunt) in itinere mortuum fertur resuscitasse.... Ex illa suspensus est oculus, in quo continentur aliquot unci vinculorum S. Petri. *Addit idem Gelenius :* Hanc credo Catenæ partem esse eam, quam Carolo Martello Francorum Regi, Coloniæ palatium tenenti, una cum Dominici sepulcri clavibus et fascibus Consulatus Romani Gregorius Papa transmisit. *Fuisset is Gregorius II : qui (sicut in fine Chronici sui inquit Gregorii Turonensis continuator Fredegarius cap.* 110*)* bis a Romana Sede S. Petri claves venerandi sepulcri, *Apostolici scilicet, non Dominici,* cum vinculis S. Petri, *id est cum limatura earum*, memorato Principi destinavit; eo pacto patrato, ut a partibus Imperatoris *hæretici* recederet *Pontifex*, et Romanum Consulatum præfato Principi Carolo sanciret. *Longe igitur abest, ut hinc Catenas suas, id est, earum annulos Bruno acceperit, quem, Vita ait, ipsos Roma accepisse.*

haud tamen quos Carolo Martello miserit Gregorius,

non solitus mittere nisi rapsuram clavibus inclusam :

119 *In Catalogo Reliquiarum Avenionensium, inde nobis transmisso a Ricardo Josepho de Cambis Domino de Fargues, notantur* quinque annuli ferrei, ex Catenis S. Petri Apostoli, *asservati ibidem* in sua ecclesia Collegiata. *Dont nec auctor nec tempus exprimitur, uti nec Aquisgrani scitur a quo vel quando allata sit* pars Catenæ S. Petri Apostoli, *notata in Indiculo Reliquiarum loci. Verosimile tamen esset, tam plerasque earum, quam istam, Carolo Magno deberi, si constaret, ejus tunc truncari seriem annulis ablatis cœpisse. Idem dixerim de aliis alibi inveniendis ejusmodi* Annulis, *quorum omnium mensuram et formam si quis haberet delineatam, posset, facta earum inter se, et cum vera Catena collatione, dijudicare, quinam annuli sint ejusdem catenæ, quinam diversarum ; quinam veræ, quinam alterius, sed fortassis contactu veræ, aut alia de causa, in veneratione habiti : qui propterea quoque (ut in rebus similibus sæpe fit) simpliciter vocantur* Catenæ Petri, *aut* Annuli Catenæ Petri, *usu ita obtinente.*

alii quinque annuli Avenione, item Aquisgrani. B

120 *Baronius in Notis ad Martyrologium :* De limatura, *inquit*, Catenarum Petri, pro ingenti munere, ad Reges et Principes aliosque viros primarios de Dei Ecclesia bene meritos, a Romano Pontifice mitti solita, quam plurimæ Epistolæ S. Gregorii fidem faciunt. Moris enim erat eam includere aureæ clavi, ab altari Petri Apostoli acceptæ, et ad absentes transmittere : hi vero ad quos ea mittebatur, religiose accipientes, eam suspendebant de collo, ut Apostoli muniti præsidio a malis imminentibus tuti essent. *Sic ille lib.* 5 *Epist.* 6 *scribens Childeberto Francorum Regi :* Claves, *inquit*, S. Petri, *in quibus de vinculis Catenarum ejus inclusum est*, Excellentiæ vestræ direximus, quæ collo vestro suspensæ a malis vos omnibus tueantur. *Et lib.* 6 *Epist.* 25. *Theodoro Medico Constantinopolitano*, Benedictionem S. Petri . . . clavem a sacratissimo ejus corpore vobis transmisimus, in qua ferrum de Catenis ejus clausum est, ut quod illius collum ligavit ad Martyrium, vestrum ab omnibus peccatis solvat.

Limatura Principibus mitti solita, C

D

intra aureas claves de altari sumptas :

121 *Sic et Gregorii successor Vitalianus, apud Bedam lib.* 3 *c.* 19, *scribit uxori S. Oswii Northanhumbrorum Regis, se ei dirigere* Clavem auream habentem de sacratissimis vinculis beatissimorum Apostolorum Petri et Pauli. *Neque plus misisse, credo, Hormisdam Papam Justiniano, tunc Consuli, postea Imperatori, quando Apostolorum templum titulo Hormisdæ condituro Constantinopoli, et eorum Reliquias petenti, desiderata Sanctuaria misit, juxta Epistolam ejus, anno* DXIX *adscriptam a Baronio. Quanto in pretio Claves ejusmodi essent habendæ, declaravit idem Gregorius lib.* 6 *Epist.* 23, *primariis duobus apud Mauritium Imperatorem viris, Theoctisto atque Andreæ, sic scribens :* Benedictionem S. Petri Apostoli, Clavim a sacratissimo ejus corpore, transmisi, de qua videlicet Clavi hoc est gestum quod narro miraculum. Dum eam quidam, Longobardorum civitatem ingressus in transpadanis partibus, invenisset; quia S. Petri clavis esset despiciens, sed pro eo quod eam auream vidit, facere sibi ex ea aliquid aliud volens, eduxit cultellum ut eam incideret. Qui mox cultellum, cum quo eam per partes mittere voluit, arreptus per spiritum sibi in gutture defixit, eademque hora defunctus cecidit. Et dum illic Rex Longobardorum Autharith atque alii multi ejus homines adessent, et is qui se percusserat, seorsim mortuus, Clavis vero seorsim jaceret in terra; factus est omnibus vehementissimus timor, ut eamdem clavem de terra levare nullus præsumeret. Tunc quidam Longobardus Catholicus, qui sciebatur orationibus et eleemosynis deditus, Minulfus nomine, vocatus est, atque ipse hanc levavit de terra. Autharith vero, pro eodem miraculo, aliam clavem auream fecit, atque cum ea pariter ad sanctæ memoriæ decessorem meum (*Pelagium II*) transmisit, indicans quale per eam miraculum contigisset. Ipsam ergo vestræ Excellentiæ transmittere studui, ut per eam vos, qui eum timetis et diligitis, et præsentem saltem et æternam habere valeatis.

quæ quanti faciendæ E

insigni miraculo didicerunt Longobardi, F



122 *Ut autem minores istæ claves de sepulcro S. Petri sumptæ et ex collo gestandæ habebant inclusum aliquid de limatura Catenarum, sic videntur etiam majores aliæ, in eo qui post caput manubrium succedit globo, ejusmodi aliquid continuisse, quo venerabilius exciperentur. Ita Gregorius Papa III anno* DCCXL *a præfato Carolo Martello auxilium postulans;* Conjuro, *inquit*, te per ipsas sacratissimas claves Confessionis B. Petri, quas vobis direximus. *Ita Leo Papa III ad Carolum magnum anno* DCCXCVI *munera dedit*, claves scilicet aureas ex S. Petri Confessione *ex more acceptas, inquit Baronius num.* 16. *Hoc autem etiam probat Magno Gregorio coævus Turonensis his verbis, lib.* 1 *mirac. cap* 28 *:* Multi etiam et Claves aureas ad reserandos cancellos beati sepulcri faciunt, quas ferentes, pro beneficio accipiunt priores, quibus

Majores etiam aliquæ erant,

quibus aperiebatur Confessio S. Petri :

A bus infirmitati tribulatorum medeantur : omnia enim fides integra præstat.

123 *Ejusmodi unam esse credimus illam, quæ in basilicæ Servatianæ, sacrario Trajecti ad Mosam asservatur, vulgo credita ab ipsomet* S. Petro, *redeunti in Belgium S. Servatio data ; qua de egimus ad* XIII *Maji cap.* 3 *Actorum ejus num.* 24 *et seq. ubi et censuimus, S Damasi Papæ munus ipsam esse. Virtutem autem ejusdem, ad pellendos ab agris sorices, sæpius comprobatam ; et quo miraculo eamdem furtim ablatam confractamque, Trajectenses receperint integram, ibidem lege cap.* 8 *num.* 67. *Nunc vero illius formam fideliter expressam contemplare, ut inde similium aliarum ideam distinctam concipere animo possis : credibile enim est, similes fere omnes fuisse, tam minores quam majores. In hoc an verum sentiam, hæc visa potuerunt æstimare Corsi, apud quos prælaudatus Pater Joannes Baptista Verax aliquando concionatus, invenisse scripsit anno* MDCXLIII *Clavem ejusmodi in quadam* S. Petri *ecclesia, ad morbidarum ovium curationem præsentissimum instrumentum ; eoque mirabilius, quod in ejus aliquando amissæ locum substituta alia eamdem vim recipit. Id cum Urbano Papæ VIII ipse quodam die narB raret, ille præ lætitia exclamans, interrogavit solicite ;* An id etiam scripsisti P. Bollando? *Sed si Clavis illa non est individualiter eadem cum illa quæ primum allata ab Urbe fuit, non potest intento nostro efficaciter servire. Usus autem, inquit Verax, Clavis istius talis est.* Appenditur ad ostiolum ovilis ejus, in quo grex morbidus continetur ; et per quod transeuntes singulas necessario tangens, omnibus subitam impertit sanitatem : sed hac de re procuro authenticum testimonium, *inquit ; quod tamen vel non obtinuit, vel ad nos non pervenit, ipso Mediolani defuncto sub annum* MDCLX.

et harum una videtur a S. Servatio allata Trajectum.

clara miraculis

§. *XI. De Clave S. Petri; quæ Laude veteri servatur, antidotum contra morsus rabidorum canum.*

C. J.

Laude Pompeia, nunc veteri,

B*ollandus in primordiis sui operis, die* XIX *Januarii acturus de S. Bassiano, Episcopo Laudensi, eodem tempore quo S. Ambrosius Mediolani fuit : sic orditur :* Laus Pompeja Insubriæ oppidum fuit, Bojorum opus ; sed a Cn. Pompejo Strabone, Magni patre, vel instauratum vel auctum ; unde et nomen seculo Christiano XII a Mediolanensibus eversum, dispersis quoque, ne rursus coalescerent, incolis. Sed Fredericus Ænorbabus Imperator tutiori loco ad Adduam C flumen reædificavit, priori nomine, Laudis, sive Laudæ; vulgo Lodi. Tribus inde millibus passuum vicus Lodeve (quasi Laudem veterem dicas) in prioris oppidi ruinis cernitur *: quod hic Bollandus* Lodeve *dicit, atque recte interpretatur* Laudem veterem, *nunc etiam magis explicite Italis appellatur,* Lodi vecchio.

124 *Fuerunt istic loci jam priscis temporibus Episcopi, quorum tertius ordine creditur fuisse* S. Julianus; *tertius vero quorum nomina extant* S. Bassianus, *de quo modo. Huic, ut in vita ejus legitur,* dum quodam tempore animo revolveret, quod Domino acceptabile munus præter solitum offerret; placuit in suburbio orientali, ad honorem et reverentiam Apostolorum, oratorium condere : datisque sumptibus ad fabricam perficiendam, opus quod cœperat, non multum distulit consummare. *Ad dedicationem vero ejus,* beatissimum Ambrosium Mediolanensem *Episcopum, qui etiam de hac dedicatione meminit Epistola sua* LX*:* et Felicem, Comanum Pontificem, venire persuasit : *narraturque porro, inter dedicandum sanctos Præsules orationibus suis dæmonem, multa quiritantem, expulisse e corpore cujusdam puellæ, ibidem præsentis.*

templum a SS. Bassiano et Ambrosio Epp. consecratum,

125 *Oratorium illud (uti lego in quodam MSS. Laude veteri mihi submisso, de quo mox) sive* ecclesiam S. Petri, quæ erat Canonica antiquitus, anno Dominicæ incarnationis DCCCXXXII. Indictione X. tempore Gregorii Papæ [IV], et Ragletti Episcopi *Laudensis,* Dominus Ludovicus Imperator, filius Domini Caroli Magni Imperatoris ; per Imperialem auctoritatem, ditatam in monasterium firmavit atque ordinavit : et hæc precibus jam dicti Episcopi et Ambrosii et Guidestri et aliorum Clericorum ejusdem ecclesiæ fecit ; secundum quod continetur in Privilegio uno, facto ex præcepto præfati Domini Ludovici, quod sic incipit : In nomine Domini nostri Jesu Christi, Dei æterni. Ludovicus gratia Omnipotentis etc. *Idem monasterium cum prædiis suis reditibusque Gregorius Papa XIII applicuit instituto a se, ingenti Religionis Catholicæ bono, nationis Hungaricæ Germanicæque Collegio Romæ.* D

AUCTORE C. J.

a Ludovico Imp. an. 832 datur Monachis, petente Episcopo

126 *Ejus loci pro Collegio prædicto nunc Procurator e Societate nostra P. Franciscus Marianus, promovendæ Sanctorum gloriæ, siquis alius, studiosus; ex archivo monasterii mecum nuper communicavit duo quædam MSS. seculo* XII *ab* Anselmo Vairano, *tunc ibidem Monacho, compilata ; non quod ipse scriptis istis multum fidei existimaret deberi : sed potius ut nostrum de iisdem sensum perquireret. Inter alia mentionem faciunt scripta illa* Clavis S. Petri, *cujus causa hæc de origine loci, ubi servatur, tam alte deduximus. Auctor in iis, quæ ex Diplomatibus Principum (uti supra e Privilegio Ludovici Imperatoris) aliisque probæ notæ scripturis promit, omnem meretur fidem : quæ vero de origine primisque temporibus monasterii sui, aut potius ecclesiæ, commemorat, talia sunt, ut nec credi possint, nec refutari mereantur, tametsi citet libros antiquiores; affirmetque iis contenta, et plura alia, confirmata esse per manifestationem dæmonis,* permanentis in quadam nobilissima Domina Beldies, filia Domini Robacastelli de Arminulfis de civitate Mediolani ; *eamdemque Manifestationem approbaverit Episcopus Laudensis* Albertus de Rivalta, *qui obiit anno* MCLXXIX, *et cum illo præsentes fuerint plus quam trecentæ personæ quando dæmoniaca liberata fuit.*

Eo illatum fuisse Clavim S. Petri a S. Silvestro, E

habetur in scriptura

127 *Qualia enim sunt illa, quæ in unius prædictorum MSS. statim subjunguntur Exordio?* Igitur sciendum est, quod fama est, et quod semper fuit, quod ecclesia S. Petri *(loquitur de oratorio, quod a S. Bassiano dedicatum diximus)* una est de septem primis ecclesiis, quæ fuerunt ædificatæ ab Apostolis. Unde dicitur, quod S. Joannes et S. Jacobus hanc ædificaverunt ecclesiam cum altari in honorem sanctæ Mariæ Virginis et sanctorum Apostolorum Petri et Pauli et aliorum Sanctorum. In quo altari posuerunt de Velo gloriosæ Virginis Mariæ ; et brachium dexterum cum manu S. Petri Apostoli ; et de membris prædictorum Apostolorum dicuntur posuisse. Et ego Anselmus cum multis aliis Fratribus vidimus et legimus quoddam memoratum scriptum, in libro qui vocatur Bonzino, in quo Canones continentur, prædictam ædificationem et reliqua declarantes : nec non in Martyrologio mortuorum Regulæ; in quo sunt scriptæ Reliquiæ hujus ecclesiæ. Ac omnia ista et plura alia affirmavit quidam dæmon, nomine Peneclaustrum..... qui propter hanc manifestationem faciendam, virtute S. Petri et S. Mariæ Virginis dicitur intrasse Dominam illam. *Quis talibus libris, prætermissa manifestatione dæmonis ; et tali Scriptori, de rebus a se visis testanti, fidem non adhibeat, nisi plane ἀδύνατα forent quæ citavimus? Qualia etiam sunt, quæ in altero MS. de sanctis Apostolis Joanne et Jacobo, prætensis ecclesiæ fundatoribus, leguntur ; quasi dixerint :* Sicut sumus socii in temporali vita, sic volumus de nostris membris cum brachio S. Petri in hoc altari recludi : F

multis titulis incredibili.

eoque

A *eoque dicto truncaverint sibi* duos digitos auriculares; *quos et posuerint* in altari cum præfatis Reliquiis.

AUCTORE C. J.

Clavis non potest, quo modo hic narratur,

128 *Porro quod ad rem nostram et* clavem S. Petri *spectat*; dixit iterum dæmon, quod Dominus noster Jesus Christus misit Angelum suum Romam ad B. Silvestrum Papam: et dixit Angelus; Voluntas Dei est, quod fabricari facias unam clavem et consecrari ad similitudinem clavis Paradisi; et deferas eam in Italiam ad civitatem, quæ dicitur Pompejana, in locum ubi S. Joannes Apostolus et Evangelista, et S. Jacobus Apostolus ecclesiam constituerunt ad honorem S. Mariæ Virginis et S. Petri Apostoli, et consecrabis eamdem ecclesiam cum illa clave; et cum fuerit consecrata ecclesia, depones clavem super altare: et ex illa die, si quis dæmoniacus fuerit, signatus illa clave, liberabitur; et si quis patiens malum rabiæ fuerit, tactus illa clave liberabitur. Fecitque S. Silvester sicut dixerat ei Angelus, et cum S. Helena venit ad civitatem Pompejanam etc. *Porro per* Clavem Paradisi *intelligit Auctor clavem materialem, quam Christum Dominum dedisse* Petro *opinatur, cum ei tribuit potestatem solvendi atque ligandi; uti explicat alio in loco,* B *scribens, quod magna voce dæmon clamabat per mulierem*, se videre velle paradisi clavem. Erat *autem* quædam clavis super altare Apostolorum, quam S. Silvester Papa Romæ fabricari jussit et consecrari fecit ad similitudinem illius clavis, quam Dominus noster dedit Petro Apostolo: quæ sicut B. Petrus Apostolus ligat et solvit quos vult; ita, eodem dæmone manifestante, siquis signatus fuerit ex hac clave signo Crucis, et siquis patiens rabiem, tactus fuerit ex hac clave, liberabitur. *Tum aliquis Monachorum accepit clavem ex altari et attulit in conspectum energumenæ, quæ ipsam prona adoravit et osculata est: et interrogata, qua de causa Dominus misisset clavem illam, respondit, aut potius dæmon per os ejus:* Quia volebat Dominus, ut homines cognoscerent virtutes S. Petri, quæ sunt in isto loco, ut visitent eum.

allata fuisse in templum Laudense,

129 *Atque hinc haberemus originem clavis, et auctorem certum, qui ipsam tulerit in locum istum, si dæmonio crederemus. At quæ de Clavi a S. Silvestro consecrata, deque virtute ejus, quæ* fuit et est usque hodie, *diximus, ait Auctor; jam antea legebantur etiam in libro* Bonzino, in quo sunt Reliquiæ hujus ecclesiæ scriptæ; necnon in Martyrologio Regulæ approbari videntur. C *Ut ut est; fieri non potuit res narrata, cum illis adjunctis, quibus vestitur: neque credi potest libris citatis simplex consecratio clavis, quam fecerit S. Silvester; ejusque per ipsum missio ad ecclesiam Laudensem; nedum ipsiusmet Pontificis accessus, et quidem in comitatu S. Helenæ, ad eum locum. Neque enim aliunde indicium habetur ullum, quod tempore Silvestri, aut multo post, cœperint istiusmodi amuleta, contactu sepulcri S. Petri sacrata, aut catenarum ejus scobem inclusam ferentia, mitti ad viros Principes aut ad ædes sacras; quemadmodum frequenter factum fuisse legitur a S. Gregorio Magno et deinceps. Interim ex qualicumque traditione, in scripturis illis fundata, manet populus Laudensis in eadem fere opinione, aliquanto tamen castigatiore ac minus aliena a verosimili; prout discimus ex litteris nostri P. Joannis Baptistæ Verax, qui clavem illam vidit, deque eadem varia coram audivit, anno* MDCLIII *Mediolani datis ad Bollandum.; quæ sic habent: Clavem istam* Hierosolymis allatam a S. Helena, post inventam Crucem redeunte Romam, ad filium Constantinum visendum; et apud Laudem-veterem in transitu depositam pro dedicatione Apostolici istic templi, asserunt incolæ, qui quotidiana inde experiuntur beneficia in iis, quos vel rabidi canes vel serpentes momorderunt, mox ubi supra affectam partem Crucis signum cum ea D clave efformatum est.

et incertum est, quando allata sit ante seculum 12.

130 *Ego de tempore et modo, quibus clavim illam suam acceperit ecclesia* S. Petri *Laude-veteri, malim non conjectare plura, quam in medium afferre æque incerta. Illud fundari in prædictis MSS. certo potest; ante seculum* XII Clavem, S. Petri *dictam, et mirabilium contra venenatos morsus operatricem, in templo ejus Laudensi, honorem et sacrum usum habuisse: fuisse autem eamdem cum illa, quæ ibidem loci hoc tempore in simili honore et usu est, probant, et certior traditio, et sensus communis, et iidem in curandis morsibus venenatis salutares effectus. Ectypon ejus delineatum in pergameno mihi misit idem qui supra P. Marianus, sed triplo grandius, quam quod hic oculis Lectorum subjicio. Nihil fere clavis illic in ferro vides; et est perquam dissimilis præmissæ Servatianæ; Clavis tamen vulgo appellatur, æque ac ista; nec minorem habet virtutem contra rabidos canes, quam illa contra* E *sorices. De statu ejusdem præsenti, et incerta origine aliisque nonnullis, quæ diximus, compendio testatur, adm. R. D.* Franciscus Maria de Poverello, Vicarius perpetuus Parochus terræ Laudæ-veteris, Laudensis diœcesis et Vicarius foraneus, *in quodam suo Scripto anni* MDCXCIX, *authenticato per* Jacobum Andream Finettum Notarium Apostolicum, *addito etiam solito ejus signo. Scriptum autem tale est.*



Testimonium authenticum de ejus illic præsentia et virtute.

131 In statu Mediolani est Oppidum, vulgo Laudæ veteris, Italis Lodi vecchio, ubi olim Laus Pompeja, deleta demum anno MCLVIII; ruderibus, quæ passim per agros effodiuntur, urbem testantibus. Ejus templum parochiale, B. Petro Apostolo dedicatum, titulus est Abbatiæ, Collegio Germanico et Hungarico de Urbe unitæ, cujus sumptibus, vetustate collapsum, a fundamentis restitutum fuit. In hoc templo tum Corpus S. Titiani Episcopi Laudensis Confessoris sub ara maxima; tum SS. Innocentium ab Herode interfectorum cineres aliquot theca argentea; tum maxime Clavis S. Petri Apostoli asservantur. Ferrum scilicet quod manicis, seu pedicis concludendis usui esse potuerit, ut est figura, quæ additur. Quando et unde allatum sit in hoc templum, neque monumento aliquo, præter picturas nec satis veteres, neque traditione satis firma doceri possumus. Illud F tamen est certum, et singulare, quod contra morsus, præsertim rabidorum canum habeatur pro præsentissimo remedio, convenientibus etiam procul, infectis eo morsu, ut ea clave devote a sacerdote attingantur: neque scimus a duodecim retro annis, dum hæc scribimus, dumque hic Parochum agimus, ex plurimis eo morsu infectis, et hac clave pie obsignatis, quemquam nisi unum tantum, ea lue mortuum esse. Quin puellam XIV ferme annorum, viperæ morsu ictam, venenoque, quod aliquod horæ spatium hauserat, spumantem; hac clave rite pieque signatam, ipsi incolumem dimisimus.

Publicæ venerationi bis in anno exponitur, die festo S. Petri ad Vincula, et die S. Silvestri Papæ, a quo nempe Pontifice id munus huic Ecclesiæ processisse, aliqua, sed non firma traditio est. His scilicet diebus magnus est e vicinis pagis concursus, et ea clave Sacerdos ante aram, signo Crucis facto, singulos pie attingit.

In quorum fidem, hanc paginam manu nostra subscripsimus. Laude veteri, die vigesima mensis Februarii anno Domini millesimo sexcentesimo nonagesimo nono.

132 *Lubet adhuc, tametsi ad* S. Petrum *nullatenus spectent*

A *spectent, hic subnectere quæ iisdem in Scriptis leguntur de S. Titiano Episcopo, præcipue propter epitaphium ejus illic exhibitum: quia quando de Sancto isto egimus die* IV *Maji, quo colitur, mortuus* I *ejusdem; notitiam istius epitaphii nullam habuimus: et quam modo hic adscribimus, poterit aliis occasionem dare certiora indagandi. Sic igitur ibi scriptum legitur:* tempore quo S. Helena et S. Silvester venerunt ad istum locum, *Laudem veterem et ad ecclesiam S. Petri,* portaverunt prædictas Reliquias, et miserunt diversos nuntios per diversas provincias, intendentes ad Archiepiscopos et Episcopos huc conducendos et de ligno sanctæ Crucis accepturos: ex quibus unus de Titia Episcopus sanctus et religiosus, nomine Titianus, venit, et ibidem ad altare sanctæ Crucis Missam celebravit: qua celebrata spiritus suus cœlum ascendit, et corpus ejus ibidem ad altare sanctæ Crucis honorifice est tumulatum, sicut legitur in epitaphio suo, quod ita dicit: Titianus vates, Christi doctrina peritus, emeritus miles, Christi de Cruce requirens, membra solo posuit, cœli perrexit ad astra, excelsas congregavit opes, mundique Sacerdos biennio rexit populos; post annos B numero vitæ LV quievit in pace, sub die Kal. Maji Domino Basilico ** Aug. Bes. et Armato Vic. Coss.

ab Helena evocatus Laudem,

ibi mortuus sit an. 475:

133 *Nihil fere ex his probari nobis potest præter epitaphium neque hoc ipsum ex omni parte. Ubi duo asterisci ** hic impressi sunt, ponuntur in MS. duo PP. habentia infra semicirculum transversam lineolam: qualem formam typi nostri non exprimunt.* Si Basilico II et Armato Consulibus, *ut videtur notare epitaphium,* quievit Titianus, *quievit anno vulgaris æræ* CCCCLXXVI *non* LXXVII, *ut ponit Ugellus in Episcopis Laudensibus. Interim non video quo pacto cum istis annis conciliari possit, quod dicitur in præmissis, Titianum evocatum cum aliis Episcopis fuisse ab Helena Constantini matre; et innuitur in epitaphio, ipsum venisse ut* de Christi Cruce requireret. *Helena quippe sesqui seculo ante jam obierat. Præterea, si præmissis fides, non videtur Titianus ille, Episcopus fuisse Laude, sed aliunde evocatus eo venisse, ac ibidem obiisse post moram non longam. Interea temporis de Episcopatu ejus Laudensi nullus dubitat Ugellus; ac totidem ei adscribit annos, tum Sedis Episcopalis, tum ætatis, quot in Epitaphio recensentur. Colunt etiam Brixienses sanctum Episcopum suum Titianum die* III *Martii; quem utique negaturi sunt evocatum fuisse Laudem, atque ibi diem supremum obiisse,* C *utpote sustinentes suum usque ad vigesimum saltem, seculi* VI *annum, superstitem fuisse, et apud se sepultum esse: neque volent ex eo, quod ambo populi fateantur suum Titianum ex Germania in Italiam venisse, quidquam alteri alteris concedere de suo. Ipsi, qui propiores sunt, si suum quique Titianum magis illustraverint, et manifestior diversitas apparebit, et Sanctis magis honorabuntur.*

an Episcopus fuerit Laudensis.

D. P.

§. XII. *De lignea S. Petri Cathedra in Vaticano.*

Cardinalis Baronius, *in Notis ad festum Cathedræ Romanæ, e cujus institutione agetur* §. XIII; *multa præfatus de Episcopalium Cathedrarum Natalibus sive Ordinationum Anniversariis; de materiali ipsa seu lignea* S. Petri *Sede, qua Romæ sederit, dicit, eam adhuc in Basilica Vaticana servari.* Nec quis hoc miretur, *inquit:* si enim sedes ipsa lignea, cathedra S. Jacobi Apostoli Hierosolymitani Episcopi, post tot tantaque Judaici populi naufragia, post illud pavendum Hierosolymorum excidium, servata nihilominus est integra usque ad tempora Constantini Magni, ut scribit Eusebius lib. 7 cap. 14, quam et successores Episcopi decenti honore cultam sunt venerati: quid

Si Cathedra Jacobi fuit Hierosolymis servata,


quidni etiam Petri Romæ?

tam mirum Apostolorum Verticis Cathedram par D saltem fuisse diligentia conservatam? Ipsa etenim, quis super se sederit, virtute miraculorum prædicat, in ligno arido viridem gratiam curationum consecuta; cum per eam Deus divinam opem implorantibus, beneficia præstare non desinat. Conservatam etiam Alexandriæ novimus Cathedram Marci, Petri discipuli, in qua successores, ob cœlestem in ea splendorem divinitus ostensum, insidere in posterum non sunt ausi.

AUCTORE D. P.

135 *Franciscus Maria Phœbeus ab anno* MDCXXXVI, *Cæremoniarum in Pontificio Sacello Magister; anno exinde* XXX, *sive Christi* MDCLVI *ex quodam suo majori opere et tunc necdum edito, decerpsit Dissertationem* de identitate Cathedræ in qua S. Petrus Romæ primum sedit: *cui illius effigiem præfixit, haud paulo diversam ab ea quam sacris suis Trophæis anno* MDCXLIV *præposuit Franciscus Maria Turrigius. Quamquam autem pro illa quæ est posterior tempore, ut magis accurata, merito stet præsumptio, in priori tamen nescio quæ major apparet species vetustatis. Placuit igitur, priusquam alterutram sculptori traderem, hic apponendam; scribere Romam, et novam amplioremque, ubi etiam cælaturæ veteres distinctius exprimerentur, delineationem expectare, si ea ex propius conspecto et inspecto protypo obtineri posset, auctoritate et gratia, Illustrissimi Emmanuelis Schelstratii, Vaticanæ Basilicæ Canonici, et Bibliothecæ Custodis. Sed hic respondit, pridem eam nemini conspiciendam præberi, neque facile sperandam licentiam denuo eam delineandi. Damus igitur hic illam, quam supra memoratus Auctor Dissertationis de identitate Cathedræ operi suo præfixit.* E

Hujus forma



136 *Habes hic sculptam Cathedræ imaginem, juxta typum Phœbei: accipe nunc etiam ex ipso ejusdem Cathedræ verbalem descriptionem, depromptam ex optimis et oculatis auctoribus tribus. Primus Maffeus Vegius in MS. de rebus memorabilibus et præstantia Basilicæ Vaticanæ;* Lignea est, *inquit,* emblematibus et quibusdam eburneis sigillis ornata. *Jacobus Grimaldus in Tabula Reliquiarum asservatarum ibidem, sub Urbano VIII descripta;* ornatur eburneis phrygiis, duos digitos latis, ad flores et homines et animalium capita elegantissime sculptis. Frons tota, quantum quadratum continet, pulchris operibus eburneis artificiose cœlatis et auro segmentatis pariter decoratur. *Et hi quidem Latine: prælaudatus autem Turrigius ex tractatu Italico de eadem Basilica cap. 21 sic Latine redditur:* Pars anterior inferiorque larga palmos quatuor, alta tres cum dimidio, ex lateribus duos cum medio palmos latitudinis habet. Posterior cum dorsali

et ornatus anaglyphus eburneus.

AUCTORE D. P.

A dorsali alta est palmos sex, fulta columellis arcus parvos sustinentibus, quæ columellæ altæ sunt palmum unum uncias duas; arcus vero procurrunt per spatium duorum palmorum ac semis, anterius sculptæ apparent in ebore et ære historiolæ octodecim, intra totidem tessellas operis anaglyphi exquisitissimi, cum multis figuris exiguis. Dorsale quatuor pollices crassum, quia tamen ætate fatiscit, vinculis ferreis cinctum, etiam lignis quibusdam fulcitur. *Ita ille, oblitus numerare arcus quos tabulæ, a tergo quatuor, in lateribus tres repræsentant; deceptus etiam in æstimatione metalli anaglypha percurrentis, quod sub Alexandro Papa VII curiosius exploratum inventum fuit aurum esse.*

Sunt qui putent Antiochiæ adductam,

137 *Ab hac Cathedræ Romanæ descriptione transit Phœbeus ad quærendum qualis ea et unde sit. Ac primo producit quemdam libellum de mirabilibus Romæ ibidem impressum anno* MDXI *atque dicentem*, *quod* ad sinistram partem chori est tabernaculum, in quo hodierne *(id est anno* MDXI*)* servatur illa Sedes seu Cathedra, quæ facta fuit B. Petro, quando adhuc sedem tenuit in Antiochia. *Hinc Angelus Rocca, ex Ordine Augustiniano Episcopus Tagastenus et Pontificii Sacelli Præfectus, in Append. libri sui de Vaticana Bibliotheca,* ex Antiochia translatam *dicit : quod sequens Turrigius in App. ad librum de Cryptis Vaticanis, probare nititur verbis S. Clementis Romani, libro* 10 *Recognit. referentis, quod ejecto Antiochia Simone Mago et sanatis quotquot se obtulerant infirmis, Antiochenis quoque intra septem dies ad decem millia baptizatis*, Theophilus, qui erat cunctis potentibus in civitate sublimior, domus suæ ingentem basilicam ecclesiæ nomine consecrarit : in qua Petro Apostolo constituta est ab omni populo Cathedra. *Sed hanc ipsam alio traductam, non possunt probare libri prius scripti (si tamen Clementis vere sunt) quam Antiochia discederet* Petrus *septem ibi annis moratus.*

alius Sellam esse curulem,

138 *Hac ergo rejecta sententia, existimat Phœbeus, eam quæ Romæ spectatur esse ex illarum genere, quas Magistratibus Majoribus indulsit antiquitas Romana, et* Sellas curules eburneas *nuncupabat ; quamquam eædem non solum impositæ currui sedentem vehebant, sed, trajectis per annulos laterales vectibus, etiam erant gestatoriæ, quomodo Procopius lib.* 2 *de bello Wandal. dicit; quod triumphans* Belisarius curuli sella humeris captivorum invectus est. *Tales plures fuisse apud Pudentem Senatorem,* Petri *primum, ut creditur, Romæ hospitem, sanctarumque Praxedis et Pudentianæ passim creditum patrem, revera autem (ut* XIX *Maji docui) avum aut propatruum, verosimile facit amplitudo familiæ, et claritas tanta, ut præsumi possit sæpius curules Magistratus gessisse: et talem unam potuit* Petro *ad usus Pontificios commodasse idem Pudens atque ille deinde ea usus fuisse. Nec refert quod anni* DXVII *sellæ Consulares; insculptæ Diptychis a Wilthemio illustratis, sint multo altiores, signisque extantibus ornatiores videantur : quia decursu seculorum quinque multum potuit variasse forma et augeri splendor; aliæ quoque Consulibus, qualis nullus Pudens invenitur; aliæ Ædilibus in usu fuisse, ut ex forma sellæ Magistratus internosceretur.*

B

C

Romæ commodatam Petro a S Pudente,

sed cur tali non potuit etiam Antiochiæ usus fuisse,

139 *Sed et Antiocheni, in Romanos mores transgressi toti, potuerunt similibus sellis usi fuisse: et anaglypha ejus de qua agimus Cathedræ, Herculeos labores exprimentia, Græcanicum potius, artificium, quam Latinum sapiunt. Nec videtur ab omni verosimilitudine alienum, sed congruum potius ut* Petrus, *jam certus Romæ Pontificium constituere, ipsum quoque materialem suam Cathedram, qua fuerat Antiochiæ usus, advehi illuc jusserit, itaque subtraxerit Antiochenis occasionem aliquando de primatu contendendi cum Romanis, ut vel ideo magis fundatus videatur usus unici olim festi mense Februario, quo etiam* Cathedra S. Petri posita *cernebatur* ante cancellos in Choro majori *anno* MCCCCCXI per totam Missam, postea in loco prope Crucifixum reposita, ut moris est, *et infra dicetur. Michael Lonigus, qui sub Urbano VIII composuit librum de situ Confessionis* S. Petri, *uti MS. extat in Bibliotheca Barberina, idemque Phœbei decessor in Officio Magistri Cæremoniarum, asserit*, Romanam Petri Cathedram prope ejus corpus olim conditam indeque erutam fuisse. *Fatetur quidem Phæbeus nescire se, ex quo Auctore id sumpserit Lonigus : putat tamen id verosimile reddi exemplo S. Stephani Papæ,* cujus corpus sepelierunt cum ipsa Sede, sanguine ejus aspersa. *Verum nulla paritas argumenti est, et solicitudo aliarum Apostolicarum Ecclesiarum Hierosolymitanæ, Aquileiensis et Alexandrinæ, circa primas Cathedras conservandas, prohibet credere minus fecisse Romanam, cum de omnibus æqualiter Tertullianus dicat lib. de Præscript. cap.* 36. Percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ adhuc Cathedræ Apostolorum suis locis præsident..... repræsentantes faciem uniuscujusque.

D *eamque transferri Romam jussisse?*

Non est credibile sepultam cum corpore ac postea erutam

140 *Moris ferme fuisse iis in locis, ubi Apostolicæ Cathedræ servabantur, recens Electos Episcopos in ipsis collocare, et ut sic loquar inthronizari, ac deinde sæpius iisdem insidere, tum pluribus exemplis probari potest, tum luculentissime ex Actis* S. Petri *Alexandrini, quem etiam mortuum, cum esset ad sepulturam efferendus,* in S. Marci Sede collocarunt; *digne profecto, quippe vivus interdum insidere ei abnueret,* et in scabello ejusdem residens Clero populoque acclamanti, In tua sede Cathedra, Episcope, respondisse: Plerumque cum Throno illo approximare volo, video quamdam in eo divinam sedere virtutem, fulgore luminis admodum radiantem; moxque inter gaudium et pavorem agnosco me tantæ sessionis prorsus indignum. *Ergo de* Romana *quoque* Petri Cathedra *similiter intelligatur scriptum ab Anastasio de Benedicto Papa III, ad annum* DCCCLV *creato, quod* Dominico die diluculo in Basilicam B. Petri Apostoli, ab Episcopis, Clero, Proceribus deductus est, et in conspectu omnium in Apostolica Sede (ut mos et antiqua traditio dictat) consecratus ordinatusque Pontifex. *Sic Otto Frisingensis cap.* 67, *anno* MCLIX *scribit, Octavianum Cardinalem S. Cæciliæ,* electum et immantatum, et in Cathedra B. Petri, *collocatum : et rursum cap. 72; Episcopi partis* Victoris *(quo nomine Antipapa ille dicebatur)* ipsum undecim diebus antequam Alexander (III) immantaretur, immantatum fuisse, et in Sede B. Petri absque reclamatione sedisse Victorem, asserebant. *Neque tunc tantum, sed etiam* in Cathedra S. Petri, Dominus Papa debet sedere in Cathedra ad Missam, *inquit Benedictus Basilicæ ipsius Canonicus, in libello MS. ad Guidonem S. Marci Presbyterum Cardinalem creatum anno* MCXXX. *Cum ergo* Petrus *de Natalibus, ubi de festo prædicto dici ait, quod nullus Papa in ipsa Sede aliquando sedere præsumpsit, intelligendus est de sua ætate, qua id jam usu exoleverat, postquam Clemens V, Lugduni in Gallia coronatus, Ecclesiam inde gubernare cœpit ; exemploque præivit successoribus in eadem Gallia commorandi; de materiali* S. Petri *Cathedra, Romæ asservata parum solicitus. Cum autem nihilominus statis diebus pergerent Canonici eam ante Cancellos producere, cœpit fidelium pietas eamdem vel tum magis velut Reliquiam venerari; ideoque regressi Romani Pontifices non sunt ausi eidem amplius insidere, sed soli venerationi eam reliquerunt.*

E *cum inthronizandis successoribus servire debuerit,*

et ad alia quædam officia

F

141 *His, quæ strictim libavimus, erudite deductis, incipit Phœbeus pag.* 41 *Chronologice proponere eos Auctores, unde probari putatur ipsamet materialis* S. Petri Cathedra *fuisse semper conservata. Ac primum, pro anno* CCIII, *allegat Tertullianum, jam supra citatum; deinde pro anno* CCCCLXV *Optatum Milevitanum, ex*

Illius Sedis meminerunt Tertullianus,

Optatus Milevit

A *ex Africa testem citat: qui contra Parmenianum Donatistam scribens;* Si, *inquit*, Macrobio vestro *(Romæ Episcopo)* dicatur, ubi illic sedeat; numquid potest dicere, In Cathedra Petri, quam nescio si vel oculis novit; *oculis autem nosci non potest nisi res materialis. Pro anno* DIII *allegatur Ennodius, cujus verba infra expendemus, indicantia usum mittendi recens baptizatos ad* Petri Cathedram; *eoque spectare putatur S. Leo Papa I, cum ait, quod* Petrus, qui in propria sede sedet et vivit et præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem. *Omitto Hadrianum Papam I, anno* DCCLXXII *creatum, de quo Jacobus Grimaldus asserit, quod in* dextro brachio templi in honorem S. Hadriani Martyris, ubi post obitum sepultus fuit.... loco decentissime ad hoc fabrefacto, prædictam B. Petri Cathedram populi devotioni exposuit. *Accurate recenset Anastasius Bibliothecarius, quidquid Pontifex iste fecit in Ecclesia* S. Petri, *et in Ecclesia atque Diaconia S. Adriani, longissime a Vaticano posita in* I *Regione urbis, Campitelli a Capitolio dicta; sed nusquam verbum ullum facit de Sacello S. Adriani, vel Cathedra istic ab eo posita. Itaque malo ignorare, quo tempore eo loci posita sit; satis est mihi ex Maffæo Vegio* B *scire, quod ejus tempore, id est sub medium seculi* XV, in ipso altari S. Adriani *(hoc autem ichnographia veteris ecclesiæ Vaticanæ, apud Joannem Severanum de septem Ecclesiis, monstrabit sub num.* 15*)* factus est locus egregie ornatus, ubi collocata est Cathedra, super quam sedere B. Petrus, dum solemnia ageret, consueverat.

Ennodius, Leo I,

eratque sec. 15 in oratorio S. Adriani,

quæ antea steterat prope Crucifixum,

142 *Antea locum illa suum habebat* prope Crucifixum, *uti notatur ex Diariis Antonii Petri Beneficiati Basilicæ Vaticanæ, describente, quomodo* anno Domini MCCCCXI mense Februario, die Dominica, XXII ejusdem mensis, quæ fuit Dominica de Quinquagesima, ac etiam festum Cathedræ S. Petri, Cardinalis..... Legatus in Urbe *pro tunc absente Joanne XXIII*, celebravit Missam in altari majori S. Petri, *id est supra ipsam ejus Confessionem*, admodum Pontificaliter. Item Cathedra S. Petri fuit posita ante cancellos in choro majori per totam Missam, quam celebravit Dominus Cardinalis. Item post Missam fuit posita in suo loco prope Crucifixum, ut moris est, *videlicet, in navi prima a latere sinistro ingredientis templum per portas medias frontispicii; si nomine* Crucifixi *recte intelligo* altare Crucifixi, *quod in ichnographia veteris ecclesiæ Vaticanæ, apud Joannem Severanum de septem Ecclesiis, videre licet numero* 65, *in prædicta* C *navi, notata litt.* D. *Porro moris illius ponendi Cathedram prope Crucifixum, antiquitatem notat Nicolaus Papa II, anno* MCCLXXIX *statuens*, Ne denarii, qui dabantur Canonicis, portantibus ad altare et reportantibus Cathedram S. Petri, computarentur inter residua applicata novis erigendis portionibus Canonicalibus, sed dividerentur, et de eis fieret sicut hactenus consueverat.

et in festo Cathedræ solebat exponi ante Chorum,

143 *Auctor de Mirabilibus Romæ, jam citatus, scribit anno* MDXI: Ad sinistram partem chori est unum tabernaculum *(ipsum esse opinor, quod supra Vegius scribit in altari S. Adriani egregi eornatum fuisse)* in quo hodierne servatur illa Sedes...pulchre decorata, et in festo, quod dicitur Cathedra Petri, ponitur foras ad Chorum, cum solennitate; ubi omnes homines pro sua devotione eamdem attingere possunt. *Sed quoties et quomodo locum mutaverit sancta ista Sedes distinctissime explicat Turrigius in libro de Cryptis Vaticanis, dum pag.* 564 *ait; quod* antiquitus altare ipsius stabat, ubi nunc fere est Porta sancta; inde autem translata est ad altare Adriani Papa I, eo fere loci ubi nunc est altare Vultus sancti seu Veronicæ: postea autem translata fuit ad oratorium S. Mariæ, a Febribus dictæ, ubi nunc sacristia est, et altare S. Annæ: ac denique ad capellam SS. Servatii et Lamberti, prope altare Reliquiarum. *Ita* D *ille allegatis MSS. Tiberii Alfarani et Jacobi Grimaldi: cum antea fuse exposuisset, quibus ritibus e sacristia ad cancellos Apostolicæ Confessionis soleret ipsa Cathedra a Canonicis deportari utroque Cathedræ ipsius festo.*

ad publicam venerationem.

Translata deinde ad sacristiam,

AUCTORE D. P.

144 *Porta sancta, sicut nunc et olim, in frontispicio templi extima est versus Septemtrionem et Pontificale palatium, quo loco si olim stetit Crucifixus, uti nunc prope stat, a Petro Caballino summæ pietatis pictore et sculptore e ligno fabrefactus; stetit* Cathedra, *antequam ad S. Adriani altare promoveretur, ad ingressum ecclesiæ, ut introeuntibus ac* S. Petrum *veneraturis, prima quasi offerretur a dextris. Inde* XV *seculo, tempore Vegii, translata illa sit ad sinistrum latus Chori sive aram S. Adriani, sub Nicolao Papa V, ut propior esset sacræ Confessioni; et ibi eam invenerit* Sixtus Papa IV, *quando, sicut in MS. Diario refert Raphael Volaterranus apud Phœbeum pag.* 82 *anno* MCCCCLXXX, die XXII Februarii visitavit Basilicam S. Petri, et obtulit Sacrario basilicæ aureum pannum ad operiendam Cathedram Apostoli Petri, quæ et in eodem templo cum summa veneratione servatur; ac se E præsente jussit illam operiri eo munere, et taliter ornatam in locum suum deferri mandavit a majoribus templi Sacerdotibus, incensis cereis præcedentibus, cantantibus quoque nonnulla ad cæremoniam pertinentia.

antea tamen a Sixto 4 ornata fuit,

145 *Cum vero Julius II, sub annum* MDV, *novæ basilicæ fundamenta jacturus, necesse haberet sacellum S. Adriani destruere; delata fuerit* Cathedra *ad oratorium S. Mariæ de quo supra, nunc versum in sacristiam, ut dixi, et imposita primum altari SS. Servatii et Lamberti; deinde transposita ad proximum S. Annæ; ubi stetit usque ad annum* MDCXXXIV, *et ultra. Tunc enim, sicut scribit Turrigius de Cryptis Vatic. pag.* 564 ex adverso altaris Crucifixi, in capella ubi est fons baptismalis, de mandato S. D. N. Urbani Papæ VIII cœpit ædificari altare pro Cathedra S. Petri, decentius et loco omnibus conspicuo collocanda. *Ea capella nunc prima occurrit, ad sinistram ingredientibus posita, cui ex adverso respondet capella Crucifixi supradicti, huc denique translati; in qua capella ipsam venerati sumus anno* MDCLXI, *quando jam* F *erigebatur admirabile illud opus, quo* Alexander VII Pont. Max. Cathedram S. Petri in interiori templi fronte, ingredientibus ab ipso limine e regione aspectabilem, decentius collocavit exornavitque, Sancti Ecclesiæ Doctores Athanasius, Joannes Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus, colossæa statura, unica æris figura expressi, thecam sustinent, qua includitur. Angeli, nubes, radii, de cœlo ambiunt. Spiritus sanctus, columbæ specie supereminens, opus coronat. Basis ex Jaspide, vario pretiosoque distincta lapide. Cetera ex ære auro superinducto, anno MDCLXVI, *uti legitur sub iconismo elegantissime sculpto.*

tum anno 1634 proprio Sacello donata,

ac denique in fronte basilicæ anno 1666

magnificentissime collocata.

147 *Petrus Manlius, qui vixit Alexandro III Pontifice, sub an.* MCLIX *creato narrat se in Joanne Caballino (utique vetustiori, licet ignoto nobis Auctore) legisse apud Phœbeum pag.* 51, quod sedente Alexandro II, *post annum* MLXI lignea Cathedra, exorto forte incendio et omnia circumcirca late depascente, in mediis flammis, divina (uti credimus) virtute, illæsa permansit. *Hoc igitur inter cetera miracula numeres licet, quorum in genere meminit Baronius; et hoc allegato,* supervacaneum non erit scire, *inquit Phœbeus pag.* 77, in utriusque Cathedræ (Romanæ et Antiochenæ) solennitate, et interdum in aliis etiam anni diebus, ad basilicam a fidelibus deferri varii coloris cingula, tum holoserica, tum materiæ alterius, quæ Cathedræ S. Petri applicita, et domos postea relata, ceu divinam virtutem ab illo Cathedræ tactu hauserint, passim

Servatur miraculose ab incendio,

A passim miracula patrant; et feminas potissimum in partu laborantes juvant, vitæ periculo eximunt; et, fœtibus feliciter in lucem editis, pristinæ sanitati restituunt : quæ B. Petri intercessione evenire certius est, quam ut probatione indigeant; idque præ ceteris in suo tabulario distinctius narrat Grimaldus. Hujusce rei testis sum ego, *inquit Phœbeus*, utpote Basilicæ Vaticanæ Canonicus, qui eam vidi sæpissime, nec semel Cathedræ ipsi, confluentium eo devotionis causa fidelium oblata cingula admovi.

AUCTORE D. P. *eidem admota cingula juvant puerperas.*

§. *XIII. De festis utriusque Cathedræ S. Petri.*

Natalem Cathedræ Antiochenæ *(quem diu soli celebraverant Antiocheni ; exemplo forsan Hierosolymitanorum, S. Jacobi Cathedram sub titulo Ordinationis recolentium die* XXVII *Decembris : quomodo etiam aliæ per Orientem ecclesiæ suum quæque Natalem verosimiliter recolebant, nihil de aliarum Natalibus curantes; hoc enim probat tam Græcorum quam Coptorum Habessinorumque de Cathedra illa silentium in Fastis)* Natalem *inquam primus S. Hieronymus, quod Antiochiæ et Hierosolymis fieri viderat, suo inseruit Martyrologio ; quo per Occidentem vulgato, videtur S. Ambrosius, pro suo erga* S. Petrum *affectu, rem ita probasse, ut Sacramentario suo inserendam etiam Missam componeret, cum iis Orationibus sive Collectis , quas nunc etiam ex Romano Missali usurpamus, et cum præfatione :* Omnipotens æterne Deus, et te laudare mirabilem Deum in Sanctis tuis, in quibus glorificatus es vehementer, per quos Unigeniti tui sacrum corpus exornas , et in quibus Ecclesiæ tuæ fundamenta constituis, quam in Patriarchis fundasti , in Prophetis præparasti, in Apostolis condidisti : ex quibus B. Petrum Apostolorum Principem, ob confessionem unigeniti Filii tui, per os ejusdem Verbi tui vocatum in Apostolatum, et mutato nomine confirmatum in fundamento domus tuæ, cœlestium claustrorum præsidem custodemque fecisti : pro cujus honore et gloria hodie hæc Majestati tuæ festa persolvimus , et gratiarum hostiam immolamus , per Christum etc.

Antiochenæ Natalem primus Fastis adscripsit S. Hieronymus,

B

S. Ambrosius Missam ordinavit,

148 *Ignorabant etiam festum illud Africanæ Ecclesiæ (quemadmodum ex pervetusto Carthaginensi Kalendario apud Mabilionem apparet) quoad usque Mediolano veniens Augustinus, ipsum illuc introduxit; in eoque Homiliam habuit, cujus initium, Romano nunc Breviario insertum, causam suscepti cultus sic indicat :* Institutio hodiernæ solennitatis Cathedræ nomen accepit, ideo quod primus Apostolorum Petrus hodie Apostolatus Cathedram suscepisse referatur. Recte ergo Ecclesiæ Natalem Sedis illius colunt, quam Apostolus pro Ecclesiarum salute suscepit... Quod Natalis ergo Cathedræ hodie colitur, Sacerdotale officium honoratur. *Progreditur deinde ad improbandam ex gentilismo relictam. consuetudinem, qua fideles quoque* super defunctorum tumulos, cibos et vina conferebant , quasi egressæ de corporibus animæ carnales cibos requirerent. *Id ipsum scilicet quod Mediolani quoque fecisse matrem suam Monicam, alibi refert, eamque ideo ab Ambrosio reprehensam : non quia ipsa prænotato tenebatur errore , quæ pauperibus cibos illos in memoriam defunctorum dumtaxat adferebat, ut his ipsi bene precarentur ; sed quia paria cum gentilibus faciens, eadem quæ illi sentire videbatur simplicibus ; quibus an tunc ibi notæ fuerint* Epulæ S. Petri, *de quibus superius; an vero earum usus necdum Urbem egressus fuerit (si tamen revera tam antiquus est) non habeo unde definiam.*

Augustinus cultum traduxit in Africam

C

improbans tamen, epulas super mortuis eo die consuetas.

149 *Galli quoque, et per Gallos Hispani atque Germani idem festum susceperunt. Pro Germanicis testatur vetustissimum a Beckio Augustæ editum Kalendarium; ubi* Cathedra S. Petri *Rubrica notatur, tamquam unum ex præcipuis. Pro Gallis Hispanisque facit Gallo-Gothicum Missale , ubi liturgia plane solennis describitur, hic digna referri.* Introitus *talis est.* Solennitatis prædicandæ diem , præcipue nobilem, in quo fide præcellenti , filius excelsi Dei ore Petri monstratus est; et inter Coapostolos, interrogante de se Christo quis esset, vere confessus est [Petrus], cum Beatus Barjona , voce Redemptoris , voce devota prælatus est ; et per hanc Petri petram basis Ecclesiæ fixa est ; venerantes, Fratres dilectissimi, deprecemur, ut quam gloriosa laude fidem Petri prætulit; ipse beatitudinis auctor plebem corroboret, per D. N. *Collectio sequitur.* Deus, qui hodierna die B. Petrum post te dedisti Caput Ecclesiæ; cum te ille vere confessus sit, et ipse a te digne prælatus sit; supplices exoramus , ut qui dedisti Pastorem, ne quid de ovibus perderet, ut grex effugiat errores, ejus intercessione quem perfecisti salvifices. *Post Nomina.* Deum, qui B. Petro tantam potestatem * in hoc seculo contulit, ut si ipse ligaverit, non sit alter qui solverit , et quæ in terra solverit, item cœlo soluta sint , precibus imploremus ; ut eductis e tartaro defunctorum spiritibus non prævaleant sepultis infernæ portæ per crimina, quas per Apostoli fidem vinci credidit Ecclesia. *Collectio ad Pacem.* Clementissime Pater, qui tanta caritate condidisti discipulum, ut se de nave jactato ad te celer festinaret pede nudo per pelagus ; et videns hanc dilectionem, claves ei das * siderum ; voces inspice suggerentium, ut quicumque ex præcepto junguntur ad osculum, livore pectoris excluso, illuc per gratiam ducantur, cujus cœli Petrus est janitor.

Ipsum etiam receperunt Germani

D

et Galli, ac Gothi in Hispania

cum proprio Introitu,

* discipulo

E

Collectis,

* dans

150 *Contestatio denique sive Præfatio in eodem Missali, Actorum Apostoli synopsim amplexa, sic procedit :* Dignum et justum est, qui dives infinitæ clementiæ, plasma tuæ creaturæ in tantum dignaris erigere, ut... homini de terrena compage claves cœli committeres, et ad judicandas tribus solium excelsæ Sedis in sublime componeres. Testis est dies hodierna, B. Petri Cathedra Episcopatus exposita, in qua fidei merito revelationis mysterium filium Dei confitendo, prælatus Apostolus ordinatur : in cujus confessione est fundamentum Ecclesiæ, nec adversus hanc petram portæ inferi prævalent, nec serpens vestigium exprimit, nec triumphum mors obtinet. Quid vero B. Petro, diverso sub tempore, accessit laudis et gloriæ, quæ vox quæ lingua explicet ? Hinc est quod mare tremulum fixo calcat vestigio, et inter undas liquidas pendula planta perambulat. Hinc ad portam speciosam contracti tendit vestigia; et tactus Petri digito claudus, non indiget baculo. Hinc carceratus dum dormitat, Christus cum ipso pervigilat ; et retrusus ergastulo , foras procedit per Angelum. Hinc paralyticum erexit decubantem in lectulo, ac debilitato dedit verbo vestigium. Hinc Tabitham mulierem revocavit de funere ; et [in] virtute imperanti , prædari [Ananiæ et Saphiræ] non licuit. Hinc tanta fidei dote inter Apostolos præiit, ut curaret universos languores dum præterit; et cadavera viverent , umbra salubris quæ tetigit. Per Christum D. N. cui etc. *Istis omnibus Ecclesiis, in Natali Cathedræ prædictæ colendo, sic prægredientibus; non dedignata Romana est tandem sequi exemplum sub Gregorio magno; qui ipsam, una cum Missæ Ambrosianæ Collectis, atque Præfatione nunc quoque usurpari desita , assumpsit in suum Sacramentarium. Ante Gregorium nihil tale apud Romanos invenitur, neque in Gelasiano, quod habemus, Sacramentario, neque in Kalendario quod ante Gregorium forte exaratum Joannes Fronto Parisiis edidit.*

Præfatione;

F

exemplum secuto tandem sancto Gregorio

151 *Multo minus quodquam ibi invenitur de Natali* Cathedræ Romanæ , *ad* XVIII *Januarii : ubi nec in Gregoriano*

A *Gregoriano quidem notatur festum ejusmodi, quamvis notetur in Hieronymiano, Epternacensi atque Lucensi immediate post* Depositionem B. Mariæ : *in Corbeiensi atque Blumiano absque illa, jam translata ad* XV *Augusti per legem Mauritii Imperatoris. Epternacense sic habet :* Depositio S. Mariæ, et Cathedræ Petri in Roma ; *ubi legendum esse*, et Dedicatio Cathedræ Petri in Roma, *soliusque librarii vitio factum, ut verbum* Dedicatio *absit, persuadent ecgrapha cetera tria. Sic Blumiani Codicis scriptori excidit ponere*, in Roma. *Corbeiense, phrasi ampliori sic :* Dedicatio Cathedræ S. Petri Apostoli, qua primum Romæ sedit. *Facit interim nomen* Dedicatio *dubium me, intelligendane hic omnino sit ipsa a* Petro *facta Cathedræ constitutio; an vero ejus, ex loco ubi ante servabatur, in Basilicam Vaticanam illatio, ac verissime dicta* Dedicatio. *Hæc autem quia prorsus localis festivitas erat, in aliis urbis ecclesiis non colebatur; ideoque non solum S. Ambrosius et Gallo-Gothici Missalis Compilatores ab ea suscipienda abstinuerunt; sed ipse etiam S. Gregorius eamdem prætermisit.*

Romanæ mentio in Hieronymiano 18 Januarii,

sub titulo Dedicationis :

152 *Et vero, cum* S. Petrus *Antiochiæ Episcopalem suscipiens Cathedram, eam ipsi urbi non affixerit, sed deinde Romam transtulerit; non videtur is habuisse* B *causam duos Natales celebrandi : et sic debuit diei* XXII *Februarii observantia videri ac mansisse præcipua. Duplex autem Cathedra tunc primum nominari cœpta sit, cum ipsa materialis Sedes, in qua Romæ sederat, Romæ quoque dedicata fuit, fortassis etiam a Silvestro vel proximorum successorum aliquo. Ex eo certe quod Romano* Petri *Pontificatui, supra annos ipsi tributos, solum adscribantur* mensis unus et dies octo *vel* novem, *in omnibus omnino Catalogis; satis apparet, quod a* XXIX *Junii non possit per illos retrocedi ad* XVIII *Januarii, atque adeo is dies nequeat dici primus sedentis Romæ* Petri. *Hoc intelligentes Beda et Florus, Martyrologio suo adscribere hanc festivitatem noluerunt ; quamvis* VIII Kal. Martii *notetur ab illis;* Apud Antiochiam Cathedra S. Petri. *Aliter visum Adoni est, qui cum* venerabile et perantiquum Martyrologium, ab urbe Roma Aquileiam cuidam sancto Episcopo missum *(ipsum scilicet quod Hieronymianum dicimus, certe Occidentalis Ecclesiæ antiquissimum) Ravennæ descripsisset, omisso titulo* Dedicationis, *scripsit simpliciter in capite diei* XVIII *Januarii;* Cathedra S. Petri, qua primum Romæ sedit.

diu tamen ea suo festo caruit,

nec vocari potuit Natalis.

Cathedram simpliciter scripsit Ado,

153 *Adonem more suo secutus est ejus epitomator Usuardus, aliique posteriores, in quibus et supposititius* C *Beda. Usuardi autem Martyrologio in usum communem recepto, tum Romæ, tum passim per Occidentem universum, communiter quoque* Cathedra S. Petri Romæ *commemorari cœpit ubique, sed absque speciali ullo aut ulteriori cultu; nisi forsitan in Capella Pontificia, si ejus usui servierint antiquiora illa Breviaria, unde Baronius recitat hanc propriam Orationem :* Omnipotens sempiterne Deus, qui ineffabili Sacramento Apostolo tuo Petro principatum Romanæ urbis tribuisti, unde se Evangelica veritas per tota mundi regna diffunderet; præsta quæsumus, ut quod in orbem terrarum ejus prædicatione manavit, universitas Christianæ devotionis sequatur. *Verum difficile est divinare quibus in Breviariis id repererit Baronius. Nam si de typo excusis sermo ei est (uti esse persuadet: quod ibidem Martyrologium MS. allegans, non omisisset idem dicere de Breviariis, si ipsa quoque MSS. invenisset) non credo ea esse vetustiora, quam habemus nos excusa Venetiis anno* MCCCCLXXIX, *Norimbergæ* LXXXIV, *Capuæ* LXXIX, *rursum Venetiis* MCCCCXC; *item Venetiis* MDVIII, XI, XXII, XXIV, *et Coloniæ* XXXVI : *in quorum omnium Kalendariis,* XV Kal. Februarii *solum legitur nomen* S. Priscæ, *cum hac Rubrica :* Ante diem S. Priscæ numquam deponitur Alleluia. *Idem solum nomen habetur in Breviariis Cardinalis Quignonii excusis Lutetiæ Parisiorum an.* MDXLI, *Antuerpiæ* XLII, *Lovanii* XLVI; *rursumque Parisiis* LVI, *et Antuerpiæ* LVII; *ut vere dici possit pro seculo* XV *et* XVI hanc sacram solennitatem, *non solum* in aliquibus ecclesiis, *sed passim in omnibus* exolevisse.

et post eum alii?

semper tamen abfuit a Kalendariis

D AUCTORE D. P.

154 *Verum ipso anno, quo ultimo citatum Breviarium prodiit Antuerpiæ*, Paulus Papa IV restituit, *imo omnibus communem esse* instituit, *datis ea de re litteris Apostolicis,* anno Domini MDLVII, octavo Idus Januarii : *et sic in postea editis omnibus Kalendariis Rubrica notatur,* Cathedra S. Petri Romæ. Duplex, et Commemoratio S. Priscæ Virg. et Mart. *Allegat in Notis etiam Baronius Sanctorum Augustini et Leonis Sermones : sed Antiochenam Cathedram auctoritates istæ spectant : piæ autem cogitationis dumtaxat, non autem gravioris ponderis est, quod sic ille addit :* Verum hac die, non ista tantum solennitas agi videtur, qua Petrus Romæ sedere cœpit : sed etiam sacrosancta illa recolitur institutio, qua a Domino Petrus, petra fundamentalis Ecclesiæ constitutus, perpetuæ stabilitatis promissionem, et claves regni cœlestis accepit : quod in omnibus præ se fert sacrum Officium ecclesiasticum, ac præsertim in antiqua Præfatione, quæ scripta reperitur in Sacramentario S. Gregorii, quod vetustissimum habetur in Vaticano. E *Ita sane; sed an ad mensem Januarii? minime existimo: verum ad Februarium : unde si in Curiali aliquo Missali etiam ad Januarium Missa illa cum sua Præfatione invenitur, inveniri eam oportet bis ; vel, sicuti in hodierno Missali fit, Presbyterum moneri de ea in alterutro mense requirenda.*

usque ad an 1557,

quando Paulus 4 festum esse jussit,

155 *Pauli Decretum totum dedit Bollandus in Januario ideo hic non repetendum : sufficit audire rationem festi ejus condendi, quam Pontifex reddit, scilicet quod,* licet, Urbs ipsa multo plus debeat eidem Petro, qui eam, per Cathedram Episcopalem in ea constitutam, regnis cœlestibus inserendam condidit, quam illis quorum studio prima mœnium suorum fundamenta jacta fuerunt; ex quibus is qui illi nomen dedit, fraterna eam cæde fœdavit; festivitatem tamen ipsius Cathedræ, quæ, juxta anquissimorum sanctorum Patrum nostrorum testimonium, quinto decimo Kalendas Februarii fuit, et in diversis orbis Christiani, et præsertim Galliæ et Hispaniæ partibus, dicta die solenniter celebratur, minime observet, celebretque solum festivitatem Cathedræ Antiochenæ, quæ octavo Kalendas Martii, juxta eorumdem Patrum testimonium fuit ; tamquam idem Salvator noster, qui sæpe infirma eligit, ut fortia quæque confundat, F festivitatem Cathedræ, qua ipse Petrus Apostolus Romæ primum sedit, nostris temporibus celebrandam seu potius antiquæ celebritati restituendam reservaverit.

adducto aliarum Ecclesiarum exemplo.

156 *Quod ait Pontifex*, festivitatem Cathedræ Romanæ *antiquitus celebratam fuisse, confirmari potest ex Joanne Beleth Theologo Parisiensi, qui floruit ineunte seculo* XIV. *Agens enim ille in suo Rationali divinorum Officiorum*, de festis, quæ sunt in principio Septuagesimæ, *reponit inter illa etiam Cathedram* S. Petri, *et sic orditur Caput* 83 : Hoc item tempore celebrari solet Cathedra S. Petri, tam quæ Romæ fuit, quæque tempore posterior est ; quam illa quæ fuit Antiochiæ. *Non æque clarum est, festivitatem illam ante tempora Pauli solenniter celebratam fuisse die* XV *Kalend. Februarias in diversis orbis Christiani et præsertim Galliæ et Hispaniæ partibus; quamvis illo die commemoretur in antiquissimis Martyrologiis, ut dixi. Si in Breviariis, Fratrum Minorum opera vel ad eorum usum antiquitus excusis, festum istud notaretur; per eosdem everisse crederem, ut pluribus cis et trans Alpes Ecclesiis fuerit factum olim commune ; si, teste Radulpho de Rivo,* Nicolaus Papa III, qui cœpit anno Domini MCCLXXVII, fecit in ecclesiis Urbis amoveri

Sed qur illæ fuerint, non apparet nobis,

AUCTORE D. P.

A amoveri Anthiphonarios, Gradualia, Missalia et alios libros Officii antiquos quinquaginta, et mandavit ut de reliquo Ecclesiæ Urbis uterentur libris et Breviariis Fratrum Minorum : *si, inquam, in antiquis Minorum Officiis festum Cathedræ Romanæ notaretur ; consequens quoque videretur, ut eos secutæ fuerint aliæ cis et trans Alpes Ecclesiæ, maxime post repertos typos, quorum beneficio singulæ propemodum seculo* XV *cœperunt sua excudere Breviaria. Nunc vero non apparet quarumnam ecclesiarum exemplum sequi se dixerit Paulus : nullum enim hactenus reperire potui vel MS. vel excusum, ubi poneretur* Cathedra S. Petri, *de qua agimus, nisi unicum Raceburgense anni* MDVI ; *ubi post Officium* S. Priscæ *trium Lectionum, præscribuntur* Suffragia, *id est Commemoratio* S. Petri Apostoli, *cum eadem ipsa Collecta, quam supra Baronium, dixi, reperisse in aliquo veteri Breviario.*

plurimarum Breviaria undique collecta habentibus.

157 *Habemus tamen ex tota fere Europa excusa Breviaria et Missalia, quamplurima scilicet ex Italia, Romanum anni* MCCCCLXXIX *aliaque deinceps, superius allegata ; ex Hispania Burgense et Eborense, annorum* MDII *et* MDXLVIII ; *ex Gallia Æduense, Ambianense, Aptense, Avenionense, Autissiodorense, Bisuntinum, Ebroicense, Forojuliense, Laudunense Lingonense,* B *Remense, Rotomagense, Sagiense, Tullense et Veromanduense, jam inde ab initio seculi* XVI *usque post Tridentinum Pauli IV Decretum, et annum* MDCXXX, *quorum novissimum Remense etiam est : omnia autem et singula diligenter scrutatus, nullum inveni hujus festi vestigium ; uti nec in Moguntino, Herbipolensi, Spirensi, Passaviensi, Constantiensi, Ratisponensi, Wormatiensi, Bambergensi, Argentinensi, Erfurtensi, Coloniensi, Hildesiensi, Osnabrugensi, Mindensi, Warmiensi, Sleswicensi, Caminensi, Lubecensi, atque Regnorum septemtrionalium Kalendario; non etiam in Belgicis Antuerpiensi, Atrebatensi, Audomarensi, Brugensi, Insulensi, Morinensi ; vel in antiquioribus ipsorummet Regularium Canonicorum Lateranensium et Præmonstratensium, Carthusianorum et Prædicatorum, ut de Franciscanorum Breviariis taceam.*

Patres etiam antiquissimi allegati a Paulo videntur esse soli Martyrologi.

158 *Hoc autem argumento cogor credere, admodum paucas ex Gallia vel Hispania nominari Ecclesias coram Paulo potuisse, quarum ea revera fuerit consuetudo ; et fortassis etiam* sanctorum Patrum antiquissimorum testimonium, *quo decretum nititur, non sese extendit ultra usum Martyrologii, in quo jam inde* C *ab ætate S. Hieronymi cœperat* Cathedra Romana *commemorari. Interim Saussayus ne hanc a Paulo oblatam sibi Galliæ suæ commendandæ occasionem dimitteret, scripsit, quod* dies ipsa Cathedræ Romanæ, apud Christi cultores benedicta, totoque orbe celebris habere jam olim cœpit, et peculiari cultu solennis in Gallia diu perseveravit : *quod non simpliciter dici, sed probari ab eo voluissem. Tamayus, in talibus nihil solitus cedere Saussayo, omisit tamen eo titulo laudare Hispaniam ; credo quia post excussa Breviariorum Hispanicorum, quæ plura toto opere allegat Kalendaria, nusquam aliquid reperit, quo Pauli verba confirmaret illustraretve. Ejus interim sanctio suum nunc ubique pondus et effectum merito habet, in omnibus Ecclesiis, quæ ex consilio Synodi Tridentinæ Breviarium Romanum, abolitis propriis, susceperunt : quæ vero id non fecerunt, eo Officio caruerunt diu ; nec proprium hactenus vidi ullum ante Constantiense in Germania anni* MDCX, *quod suo Kalendario novum festum inseruerit.*

Susceptum interim recte festum est.

§. XIV. De Gladiis Apostolorum, aliisque eorumdem Reliquiis.

A*uctor Sermonis ejus, de quo supra egimus, sive is S. Joannes Chrysostomus, sive eo junior aliquis fuit ; postquam de Catena* S. Petri *Constantinopolim allata egisset, quærit ;* Sed quidnam gladius ? *sibique respondet :* Hoc gladio Petrus, cum Jesus a Judæis caperetur, Pontificis servum percussit, et ejus aurem amputavit. *Deinde cum explicasset cur Dominus Apostolis mandarit gladios emere :* Ita, *inquit,* gladium Petrus possidens, secum et in prædicatione afferebat, tum ut sicubi opus esset illo uteretur, tum vel maxime, ut ipsum videns, ad Magistri admonitionem memoria tenendam revocaretur ; et eo modo tempus illud, quo Jesus crucem passus est, et ea, quæ postea secuta sunt, secum cogitaret ; invidiam scilicet, odium, insidias, proditionem, injustum judicium, injustiorem mortis sententiam, crucem, sepulturam, et reliqua omnia, quæ homicidæ Judæi facere ausi sunt. Hæc, cum gladium illum Apostolus videret, contemplabatur : hæc assidue animo revolvebat : hæc secum repetens meditabatur, gladio ipso memoriam suggerente, et ad prædicationem exequendam illum alacriorem efficiente. Hoc gladio et ad omne periculum pro Christo subeundum armabatur Apostolus, et ad pericula omnia suscipienda, tum vel maxime ad sacras illas catenas induendas, et iniquorum hominum carcerem habitandum ; denique ad crucis martyrium subeundum E firmior ac promptior effectus est.

D *S. Petri gladius quo Malchum cecidit.*

velut ab eo ad memoriam passionis servatus,

160 Quamobrem hic gladius, ut res quædam pretiosa, et omnino veneranda, Apostolicisque manibus deserviens, ac eas tangens, eodem honore et veneratione, qua et catenæ ipsæ in Regali palatio, ubi Apostolo Petro sacrum templum erectum est, velut sacratus quidam et cœlestis thesaurus, in intimo loco repositus servatur, ut scimus : qui fidelibus Imperatoribus et fidelium virorum multitudini ad sanctitatem proponi solet. Cœlestem enim gratiam confert, variarum curationum copiam suppeditat, sui cultores salutariter custodit, seque amplectentes erigit, animas ipsorum elevans. Quod si brevis et informis videtur gladius ille, non est propterea despiciendus : Apostolicam enim miraculorum vim et potentiam secum continet. Nam hunc Apostolus, ut potentis Dei frameam possedit, et ut ancipitem gladium cognovit ; sic et aliæ Apostolicæ vestes atque indumenta, multum illa quidem vilia sunt atque abjecta : sed si quis eorum decorem et magnificentiam, quæ mente comprehenditur, inspexerit, divina et cœlesti gratia repleta esse, et Apostolicis miraculis nihilo inferiora inveniet. Sed perinde valet, cum quis hæc ipsa recordatur, acsi F Apostolum invocet. Ego et carcerem ipsum, in quo Apostolus custoditus est, omni præconio dignum censeo, quippe qui omni veneratione plenus est : dignus enim habitus fuit, qui tantum sanctitatis domicilium intra se acciperet. Ego et solum illud, in quo decubuit, et vinctus dormivit, sanctitate decorum existimo, et Apostolica gratia refertum.

in honore habetur Constantinopoli :

161 *Idem Namurcensis in Belgio Cleri est sensus, religiose servantis vetustissimum quemdam Pileum, instar cassidis oblongum, quem* S. Petri *appellant ; quemque accuratius considerans, censeo habuisse usum Episcopalis mitræ, primis Ecclesiæ seculis necdum acuminatæ. Arnoldus Rayssius in Hierogazophylacio Belgico, ubi de Cathedrali Namurcensi, S. Albano Martyri Moguntino dicata, pag. 8 ait, esse* febribus depellendis remedium ; *et ex subsequenti instrumento intelligimus, illuc allatum ex veteri* S. Petri Collegiata ecclesia. *Hanc cum Joannes Baptista Gramaius, Namurcensis Historiæ tomo 2 extructam dicat ante seculum* XIII, occasione capitis S. Petronillæ illuc delati ; *suspicionem mihi ingerit, cum illo allatum istiusmodi Pileum, et hujus causa dicatum fuisse templum potius* S. Petro *quam* S. Petronillæ. *Meretur res illa, quamvis sola traditione fulta, absque distinctiori*

Pileolus ejusdem Namurci in Belgio,

allatus sec. 13, efficax contra febres :

A *stinctiori veteris alicujus scripti notitia, legi verbis ipsius Episcopi, anno* MDCLI *publica fide rem totam explicantis, et confirmantis hoc tenore.*

cui translato ex Collegiata sancti Petri,

162 Engelbertus Desbois, Dei et Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Namurcensis, omnibus præsentes inspecturis testatum facimus, nos examinasse Pileolum S. Petri, Apostolorum Principis, magno populorum recursu celebrem, et plurimis gratiis illustrem : quem in nostra S. Albani Ecclesia Cathedrali religiose asservamus, acceptum ex arce Namurcensi de ecclesia sancti Petri Collegiata, ibidem fundata a Comitibus Namurcensibus ; idque in præsentia RR. DD. Remigii du Laury Decani, Gaudentii de Pollein Archidiaconi, Canonicorum Ecclesiæ nostræ Cathedralis ; Joannis Adriani Rectoris Collegii Societatis Jesu Namurcensis, et Jacobi Swerts ejusdem Societatis Sacerdotis : et mei infrascripti Reverendissimi Domini præfati Secretarii, etiam Canonici præfatæ Ecclesiæ Cathedralis : atque illum deprehendisse in hanc formam. Summum Pileoli exornat crista, modice assurgens ; quasi crassior tantum sit sutura. Medii pollicis, qua magis eminet in apice, latitudo est : adeo ut cassidis ad caput appressæ forma esse videatur. Interior ejus pars, multo gossipio suffulta, crassiore B cærulei coloris tela contegitur : quæ diuturno usu et capitis sudore imbuta atque infecta est. Materia exterior est tenue punicei coloris corium, ex partibus sex consutis, quarum duæ inferiores limbum faciunt, quatuor aliæ superiores figuræ quasi rhomboidis ita leniter assurgunt, ut continendo capiti concavum præbeant : diceres melopeponis in longum secti partem esse dimidiam. Color magno temporis lapsu ita obscuratus est, ut ad nigrum accedat. Sex illæ partes elegantibus mæandris, ex corio inaurato et argentato adpictis, ita cooperiuntur, ut referant phrygium opus. Alterna serie, pars ima argentea, altera aurea tecta est. Color mæandrorum aureus, suam adhuc obtinet dignitatem : argenteus, prope totus effugit. Ipse Pileolus, quantulus et quantus, antiquissimam oculis refert antiquitatem : nunc servatur involutus nobili materia holoserica. In quorum omnium fidem hasce manu nostra signavimus, sigilloque nostro communiri fecimus ; et penicillo pictoris in tabella pingi, ut vere repræsentaretur, curavimus. Datum Namurci in Palatio nostro Episcopali, anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo primo, Idibus Majis. *Hactenus Episcopus ille :* C *cujus verbis descriptum Pileum, seu mavis Mitram, hic etiam in ære cælatum lubet exhibere spectandum.*

atque a se recognito,

attestans Episcopus an. 1651, formam ejus describit,

et pictam mittit.



Pragæ pars Pallii S. Petri,

163 *Joannes Pessina de Czechorod, Decanus Pragensis, postea Samandriensis in Hungaria Episcopus, in suæ metropolitanæ S. Viti ecclesiæ Phosporo, Diarium texens Reliquiarum in ea asservatarum, post nominatas insignes quasdam* partes ossium SS. Petri et Pauli, *Roma allatas a Carolo IV Imperatore ; indicat etiam* partem Pallii, *per eumdem Carolum illuc missam; non item unde vel quando accepta ea sit ; solum ex Epistola scripta Decano, Scholastico, totique Capitulo Pragensi, datur conjicere, jam pridem ejusmodi* D *Pallii partem Pragæ fuisse. Cum enim enumerando Reliquias Treviris acceptas, circa medium Epistolæ dixisset Imperator;* Habuimus partem Baculi B. Petri in latitudine trium digitorum, scilicet inferioris partis baculi ; quam manu propria serra præcidimus, quo resuscitatus fuit B. Maternus, sicut nostis ; *cum, inquam, hæc aliaque dixisset, sic concludit :* Præterea scire velitis, quod intentionis nostræ sit et omnimoda voluntas, ut partem illam Baculi inseratis Baculo Pastorali Archiepiscopi Pragensis ; ut sicut Pallio B. Petri vestiri dignoscitur, sic et suo Baculo ipse Archiepiscopus et successores sui, in ipsa Pragensi ecclesia, utantur temporibus perpetuis in futurum : quod novum erit in prædicta ecclesia Pragensi, nec alibi in toto orbe terrarum credimus posse huic simile reperiri ; facturi nobis in præmissis omnibus et singulis et eorum quolibet gaudium singulare. Datum Treviri..... die XVII mensis Februarii, Regnorum nostrorum anno VIII, *id est Christi anno* MCCCLIV. *Extat Epistola integra in præfato Phosphoro pag.* 438 *et seqq. ubi plus aliquid videtur intelligi, quam Archiepiscopale Pallium, a Romano Pontifice de sepulcro* S. Petri *sumptum, et cuivis Ar-* E *chiepiscopo mitti solitum. In Diario autem additur, quod* anno MCCCLXX allata est pars Baculi S. Pauli *(una cum insigni parte Brachii)* quam idem Imperator in monasterio S. Pauli Romæ dono accepit, et Baculo seu Pastorali Archiepiscopi Pragensis inclusit : cum quo Baculo (ita habet Martyrologium Ecclesiæ Pragensis) officiante Archiepiscopo Pragensi, solet sibi Subdiaconus concelebrare.

AUCTORE D. P.

item baculi Treviris accepti,

baculi quoque sancti Pauli Romam allati.

Ejusdem gladius in Hispania,

164 *Denique sicut Græci habere se credunt* Gladium S. Petri, *sic Hispani gloriantur* Gladio sancti Pauli, *quem* Sislensi Hieronymianorum prope Toletum cœnobio donasse fertur Eminentissimus et numquam satis laudatus Ægidius Albornozius, S. R. E. Cardinalis, Legatus et Defensor, *sicuti in Notis ad hunc diem scribit Tamayus, postquam in Notis ad* IX *Januarii nonnulla præfatus de monasterii vetustate, ita scripsisset :* Hic veneratione debita custoditur gladius, quo S. Paulus Apostolus fuit decollatus. Hunc ego invisi anno MDCXLV. De illo dixisse fertur B. Joannes Chrysostomus : *Quisnam gladius sanctum guttur tuum pervasit? Dominicum, inquam, instrumentum, quod e cælo habetur in admiratione, et quod terra reveretur. Sit mihi gladius ille pro corona, et clavi Petri pro gemmis infixis in diademate.* Forma hujus aut mucronis, aut gladii, a cuspide ad pomum habet F quatuor palmos (quæ mensura Hispanis dicitur *Vara*) duos digitos in latitudine. Forma ejus quasi antiquum Periconium, sed in eo differt, quia cuspidem habet. Est nondum integre rectus, quin potius lunatim ad cuspidem flectitur. Pro marca (ut nos dicimus) est serpens biceps, et circa horas superiores adsunt litterulæ, quasi croceo metallo interlitæ, quæ ex una mucronis parte ostendunt hanc particulam : MUCRO NERONIS CÆSARIS. Ex adversa adsunt hæc : QUO PAULUS TRUNCATUS CAPITE FUIT ERA CVIII.

an is fuerit ipsiusmet Neronis?

165 P. Siguenca autumat, hunc mucronem signatum fuisse ad opus judicii, et internecionem damnatorum. Don Franciscus de Quevedo in Prologo ad Vitam S. Pauli, contendit fuisse proprium Neronis ensem. Nam impius Imperator ira accensus, propter resistentiam Pauli in traditione mulieris, cujus amore ardebat, non solum capite plecti jubet, sed et ipsum præstitit gladium, quo decollaretur. Ad hoc allegat Tertullianum in Apolog. cap. 5 sic : *Consulite Commentarios vestros, illic reperietis, primum quoque Neronem, in hanc sectam, tum maxime Romæ orientem, Cæsareo gladio ferocisse. Tali dedicatore damnationis nostræ etiam gloriamur : qui enim*

A AUCTORE D. P. *enim scit illum, intelligere potest, non nisi aliquod grande bonum a Nerone damnatum.* Ego vero potius Patris Siguenca opinioni adhæreo, ad cujus comprobationem irrefragibilem judico textum, desumptum ex Martyrologio Romano die XIV Martii, hisce verbis : *Romæ natalis SS. Martyrum, qui baptizati sunt a B. Apostolo Petro, cum teneretur in custodia Mamertini, cum Coapostolo suo Paulo, ubi novem menses detenti sunt, qui omnes sub devotissima fidei confessione Neroniano gladio consumpti sunt.* En Neronis gladius, aliorum extra Paulum cervices feriens Martyrum. Ergo non peculiariter ad internecionem Pauli, ut Quevédo, sed communiter ad omnium damnatorum supplicium consignatus fuit. *Hactenus Tamayus contra Quevedum, nimis profecto materialiter atque crasse accipiens Siguencæ, Tertulliani ac Martyrologii verba ; quisquis enim quocumque et cujuscumque lictoris gladio cæsus tunc fuit jussu Neronis Cæsaris, is omnino et* Cæsareo *et* Neroniano gladio *percussus intelligitur, æque ac is, qui sic laqueo strangulatus, dici posset* Cæsareo *et* Neroniano laqueo *periisse.*

166 *Ad formam quod attinet, ex ea omnino datur* B *intelligi, ejusmodi Gladium eum esse, qualem ignotum Romanis fuisse ante Ciceronem natum, ex Polybi silentio colligit Lipsius de Militia Romana lib.* 3 *cap.* 3 acie simplici ac superne leniter pandum ; *Cæsarum autem ætate non infrequentem in priscis ait apparere monumentis, vulneri cæsim potius quam punctim ferendo idoneum, eoque similiorem Acinaci Persico quam ensi Hispanico. Sed quid* antiquum Periconion *vocet Tamayus, non capio ; quia hujusmodi vocabulum necdum alibi reperi. Quisquis autem litteris eum insculpi fecit, notando Æram Hispanicam* CVIII, *quæ anno Christi* LXX *respondet ; inhæsit vulgato Eusebii per Hieronymum Chronico dupliciter falso, tum quod Apostolorum mortem differat ad ultimum Neronis annum, tum quod eamdem biennio serius quam par sit ponat, scriptor in Occidentis historia neutiquam accuratus. Itaque præ verbis, gladio Paulino inscriptis, haud magnæ forsan antiquitatis, legere optarem donationis a Cardinali factæ, si quod extet instrumentum, docendus ex eo unde ipsum acceperit ille ; qui anno* MCCCL *donatus Purpura a Clemente VI, in eadem superfuit, multa præclarissime gerens, per ditionem Ecclesiæ Romanæ, pontificius in Italia legatus usque ad annum* MCCCLXVII.

ejusdem forma et usus,

quomodo ei insculpta Æra 108.

C

§. XV. *Sanctorum Apostolorum apparitiones nonnullæ, ac nominatim B. Petri.*

Non est mihi animus undequaque colligere apparitiones omnes, quibus jam in cœlis Beati Apostolorum Principes, hominibus mortalem adhuc vitam degentibus consuluisse leguntur ; nedum beneficia sanitatum per eosdem impetrata, cum vel soli librorum nostrorum Indices plurima possint suppeditare. Illustriora tamen quædam seligere licet, quale imprimis videtur illud, quod scribit Gentis Anglorum historiographus Beda lib. 4 *cap.* 14, *prout ipsemet illud* reverentissimus Antistes *Hagulstadensis* Acca *(de quo agemus die* XX *Octobris)* sæpius referre, et a fidelissimis *Heleusevensis* monasterii, *a S. Wilfrido fundati* Fratribus sibi relatum asserere solebat. Eodem ferme tempore quo ipsa *Australium* Saxonum provincia, *prædicante Wilfrido (uti præcedenti capite narrat Beda)* nomen Christi susceperat, multas Britanniæ provincias mortalitas sæva corripiebat. Quæ cum præfatum monasterium, cui tunc regendo religiosissimus Christi Sacerdos vocabulo Eappa præfuit, nutu divinæ dispensationis attingeret ; multique, sive de his qui cum Antistite illo venerant, sive de illis qui de eadem provincia Saxonum nuper ad fidem fuerant vocati, passim ex hac vita raperentur ; visum est Fratribus triduanum jejunium agere, et divinam jugiter obsecrare clementiam, ut misericordiam sibi dignaretur impendere, sive periclitantes hoc morbo a præsenti morte liberaret, seu raptos e mundo a perpetua animæ damnatione servaret. D

Grassante in Anglia pestilentia,

et inchoato triduano Monachorum jejunio,

168 Erat tunc temporis in eodem monasterio parvulus quidam de natione Saxonum, nuper vocatus ad fidem, qui eadem tactus infirmitate, non pauco tempore recubans, in lecto jacebat. Cum ergo secunda memorati jejunii ac supplicationum dies ageretur ; contigit forte ipsum puerum, hora ferme secunda diei, in loco in quo æger jacebat, solum inveniri. Cui, divina dispensatione, subito beatissimi Apostolorum Principes dignati sunt apparere : erat enim puer multum simplicis ac mansueti animi, sinceraque devotione Sacramenta fidei quæ susceperat servans. Salutantes ergo illum verbis piissimis Apostoli, dicebant : Noli timere, fili, mortem pro qua solicitus es : nos enim te hodierna die ad cœlestia sumus regna perducturi : sed primum expectare habes, donec Missæ celebrentur ; ac Viatico Dominici Corporis et Sanguinis accepto, sic infirmitate simul et morte absolutus, ad æterna in cœlis gaudia subleveris. Clama ergo ad te Presbyterum Eappam ; et dicito illi ; Quia Dominus exaudivit preces vestras, et devotionem ac jejunia propitius adspexit ; neque aliquis de hoc monasterio, sive de adjacentibus illi possessiunculis, hac clade ultra moriturus est : sed omnes, qui alicubi ex vestris hac ægritudine laborant, resurrecturi a languore, pristina sunt sanitate recuperandi ; præter te solum, qui hodierna die liberandus es a morte ; et ad visionem Domini Jesu Christi, cui fideliter servisti, perducendus ad cœlum : quod divina vobis misericordia, per intercessionem religiosi ac Deo dilecti Regis Oswaldi, qui quondam genti Northanhumbrorum, et regni temporalis auctoritate, et Christianæ pietatis quæ ad regnum perenne ducit devotione, sublimiter præfuit, conferre dignata est. Hac enim die idem Rex, ab infidelibus in bello corporaliter extinctus, mox ad sempiterna animarum gaudia assumptus in cœlum, et electorum est sociatus agminibus. Quærant in suis codicibus, in quibus defunctorum est adnotata depositio : et invenient illum, hac (ut diximus) die, raptum esse de seculo. Celebrent ergo Missas per cuncta monasterii hujus oratoria, sive per gratiarum actionem exauditæ suæ deprecationis (sive etiam in memoriam præfati Regis Oswaldi, qui quondam ipsorum genti præerat ; ideoque pro iis, quasi suæ gentis advenis, supplex orabat ad Dominum) et cunctis convenientibus ad ecclesiam Fratribus, communicent omnes Sacrificiis cœlestibus ; et ita, soluto jejunio, corpus quoque suis reficiant alimentis.

apparent Apostoli infirmo puero,

in ipsoque cessaturam mortalitatem pollicentur,

E

propter merita S. Oswaldi Regis,

cujus tunc erat anniversarium.

F

169 Quæ cum omnia, vocato sibi Presbytero, puer verba narrasset ; interrogavit eum solicitus, quales essent habitu vel forma viri, qui sibi apparuissent. Respondit, Præclari omnino habitus et vultus erant, lætissimi ac pulcherrimi, quales numquam ante videram, neque aliquos hominum, tanti decoris ac venustatis esse posse, credebam. Unus quidem attonsus erat, ut Clericus ; alius barbam habebat prolixam ; dicebantque, quod unus eorum Petrus, alius vocaretur Paulus ; et ipsi essent Ministri Domini ac Salvatoris nostri Jesu Christi, ad tuitionem nostri monasterii missi ab ipso de cœlis. Credidit ergo verbis pueri Presbyter : ac statim egressus, quæsivit in Annali suo, et invenit, eadem ipsa die, Oswaldum Regem fuisse peremptum : vocatisque Fratribus, parari prandium, Missas fieri, atque omnes communicare more solito præcepit ; simul et infirmanti puero, de eodem sacrificio Dominicæ

Res Abbati nuntiatur,

moritur puer.

A nicæ oblationis particulam adferri mandavit. Quibus ita gestis, non multo post, eadem ipsa die puer defunctus est; suaque morte probavit vera fuisse verba quæ ab Apostolis Christi audierat. Sed et hoc verbis ejus testimonium perhibuit, quod nemo præter ipsum, tempore illo, ex eodem est monasterio raptus de mundo. Ex qua nimirum visione multi, qui hæc audire potuerunt, ad exorandam in adversis divinam clementiam, et ad salutaria jejuniorum remedia subeunda, sunt mirabiliter accensi: et ex eo tempore, non solum in eodem monasterio, sed et in plerisque locis aliis, cœpit annuatim ejusdem Regis ac Militis Christi natalitius dies, Missarum celebratione venerari.

convalescunt celeri.

170 *Et hic quidem ambo Apostoli simul apparuere; solus autem* Petrus *eo in casu, quem* S. Petrus *Damiani, lib.* 3 *Epist.* 20, *refert his verbis:* In Babyloniæ partibus *(Ægyptiæ, ut reor, hodie Cayro)* possessionem Apostolica Sedes habebat, unde tantum balsami reditum per annos singulos capiebat, quod indeficienti fomite sufficeret lampadi, quæ videlicet ante altare beati Apostolorum Principis rutilabat appensa: quam possessionem accepta pecunia Papa B distraxit; canonemque aromatis, quem percipere solebat, amisit. Aliquanto post, cum idem Papa prædicto sacrosancto altari quasi devotus assisteret et oraret; ecce quidam terribilis et grandævus senex, in cujus etiam facie barbirasium videbatur, elato brachio colaphum sibi vehementer incussit, et ait: Tu extinxisti lucernam meam ante me, et ego extinguam lucernam tuam ante Deum; moxque disparuit. Ille vero protinus corruit, et paulo post diem clausit extremum. *Quamquam defuncti nomine abstineat* Petrus, *facile tamen est intelligere, quod res acciderit ante annum* DCXXXIV; *quo Saraceni Ægyptum occupaverunt, numquam deinceps recuperatam a Christianis. Quæ autem de Sabiniano Papa, sub annum* DCVI *Pontificatus sui* II *defuncto, invaluit fabula quasi is ita a decessore suo S. Gregorio percussus in somnis, ob male administratum officium, non multo post obierit; fortassis originem inde sumpsit; licet alias laudabilis Pontifex fuerit, et publicæ famis levandæ causa fortassis fundum istum alienarit. Verum si* S. Petrus *apparuisse creditur, quomodo insolens ejus picturis statuisque* barbirasium *in eo apparuit? Tale forsitan id fuit quale Clericorum supra indicatum a Beda; partiale utique, non totale, nec simile monastico; forsitan etiam ea specie apparendo monstrare voluit Sanctus, suo se de-* C *core spoliatum ab eo quem castigabat: ideoque id veluti res insolita scriptum fuerit. Interim notat Turrigius de Cryptis pag.* 463 *adhuc anno* MDCXXXII, III, *et* IV *arsisse ibidem lampades, plenas balsamo, a devotis oblato.*

Fundum reddentem ad lampades balsamum vendens Pontifex morte punitur a S. Petro,

forte Sabinianus.

171 *Alias etiam demonstravit* S. Petrus, *quam suæ Basilicæ curam gereret: quod ipsis verbis Innocentii Papæ III, ad Octavianum Ostiensem Episcopum, relictum ab ipso ad Spoletanum Ducatum inspiciendum digresso Vicarium, placet proponere.* Paucis diebus ante nostrum ab urbe recessum, Sacerdos quidam ætate longævus, timoratus, ut creditur, ad præsentiam nostram accessit, secreto proponens, quod in visione nocturna per somnium ei apparuit B. Petrus Apostolus, dicens: Accede ad Pontificem Innocentium, et ex mea sibi parte significa, quod a nativitate sua quasi filium illum dilexi, et per diversos gradus promotum, in mea tandem sede constitui: quapropter et ipse decorem et honorem domus meæ debet diligere, studioque vigili promovere. Sciat ergo, quod in ecclesia mea pauca sunt altaria consecrata: unde contingit quod in altaribus dissecratis divina Mysteria celebrantur. Faciat igitur ea saltem cum debita reverentia consecrari, super quæ noverit frequentius Officium celebrari divinum. Verum cum semel et iterum eadem sibi fuisset visio revelata, nec ipse quod mandabatur impleret; tertio D tandem idem Apostolus, velut offensus, intulit dicens: Quia meum non obaudisti mandatum, ego tuum tibi tollam auditum. Ex tunc ita surdus effectus est, ut penitus non audiret.

Similiter apparens S. Petrus, jubet moneri Innocentium 3,

AUCTORE D. P.

172 Gemens ergo vehementer et plorans, ad Confessionem B. Petri devotus accessit, cum lacrymis postulans, ut misertus sui restitueret auditum, quia mandatum ipsius illico adimpleret. Quo per Dei misericordiam exaudito, quod acciderat ei, nobis per ordinem indicavit. Licet autem secundum Apostolum non sit credendum omni spiritui; quia tamen in tali negotio angelus sathanæ non transfiguraret se in angelum lucis, et melius est pie credere quam temere dubitare; cum honestum sit quod proponitur faciendum, etsi verum non esset quod asseritur revelatum; Fraternitati tuæ, de qua plenam fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta mandamus, quatenus altaria SS. Philippi et Jacobi, Simonis et Judæ, B. Gregorii et S. Andreæ, quæ dissecrata dicuntur, tu ipse consecres, vel per alios auctoritate nostra facias consecrari: credimus enim, quod per hæc nobis fructus æternæ retributionis accrescet. *Spectant hæc ad annum* MCXCVIII, *Pontificatus autem illius primum; uti viderê est in Continuatione Annalium Baronii, per ejus dignissimum tanto in opere successorem, Odoricum Rainaldum, hæc eadem referentem.* E

ut dissecrata adhuc altaria resecret.

173 *Alterum, anni pluribus quam centum posterius, in Suevia actum refert Martinus Crusius Annalium Suevicorum Decade* 3 *lib.* 4 *cap.* 9; *refert autem his verbis:* Si placet, aliqua hujus temporis quoque legendam, ut vocant, cognoscere: recitetur sane quam ex veteri quodam Missali, Monasterii in oppido Eccensi Ouva, M. Levio Schentzio procurante nactus, brevius sic, sed bona fide contraxi. Anno Domini, feria II post Pentecosten (inquit Henricus quondam Decanus in Ouven) inter publicam Missam, post pulsum Canonicum, apparuit quidam senex peregrinus Adelhaidi, defuncti postea Clysrenii uxori domi, cum ipsa esset sola. Hic sedens ad cunas filioli ejus, panniculum, quo facies hujus tecta erat, removit, aitque; Salve carissime puer; et statim sanatus est, cum antea herniosus fuisset. Jussit autem mulierem dicere Decano, juberet subditos suos pœnitentiam agere: Dominum enim nunc ostensurum uberiores fructus, quam antea viginti annis; de quibus nemo, qui non pœnitentiam ageret, gustaturus esset. Non volebat vesci cibo, quem libenter mulier datura erat: sed exibat per posticum domus, per quod ingressus erat, ex horto F adjuncto. Dixit, vestigia baculi sui, Decano fore satis signo evidenti se adfuisse. Tunc evanuit. Mulieri autem tristitia horrorque ablatus est, ratæ dæmonem aliquem fuisse; eaque domo excurrit: cui obviam veniebant homines ex Missa jam peracta. Reperta sunt tredecim vestigia; duo in domo juxta focum, et undecim extra domum, in solo propter æstatem torridam duro. Profunditas eorum erat, quanta latitudo digiti indicis, ungui finito proxima: circulique eorum erant integri sine ulla ruptura.

Idem anno 1332 in Suevia apparens sanat puerum herniosum, et relinquit sui baculi vestigia,

174 Hæc omnia (inquit Decanus) erant mihi omnino ignota: donec post prandium honestus vir Geroldus Lamershaim, et alii mihi indicarunt: quos ergo duriter increpui, cur tam cito talia crederent. Rogatu tamen eorum, veni in rem præsentem. Judicavi ex vestigiorum impressione et figura fieri non potuisse, ut homo simplex ea fecisset baculo in tam dura terra. Veritus sum contradicere metu Dei: metuebam etiam diaboli fraudem. Vesperi adhortatus sum populum ad pœnitentiam (sive res mulieris vera esset, sive minus) exemplo Ninivitarum:

quæ recognoscens Decanus Ouvensis,

Auctore D. P. hortatur populum ad pœnitentiam.

A vitarum : et quod Joannes dicit, mentiri eum, qui se neget sine peccato esse : ideo confitemini peccata vestra, mi popule. Singulis pro satisfactione impono, ut centies oretis, Pater noster; centies, Ave Maria ; et ut jejunetis feriam quartam, sextam, et diem Sabbati ex præcepto Ecclesiæ ; et ut detis communem eleemosynam. Ita absolvi eos, benedicens ipsis : nec quidquam amplius secretorum cognovi.

Mater pueri Parocho narrat iteratam visionem Sancti,

175 Feria mox tertia, ego Hainricus, Kircham ob negotia ivi : ibique mansi a mane ad pulsum usque verpertinum. Inde redeunti mihi, obviam facti sunt xx homines utriusque sexus, et dixerunt iterum apparuisse mulieri, de qua dixi, S. Petrum, et quidem specie Sacerdotis. Sedebat ea cum aliis mulieribus ante domum : surgensque mihi obviam ivit. Gratulabatur sibi, me redire, nec aliud quidquam effari poterat, quam nomen Virginis Mariæ, et Salutationem Angelicam : quoties aliud dicere velle, in corde suo maximos cruciatus sentiebat. Ita coactus sum etiam ego cum ea flere. Postea mater ipsius mihi dixit, eam omnia, quæ sibi accidissent, narravisse D. Conrado Pfaffo. Tunc ego ad parochialem Ecclesiam iens, ex eo de re quæsivi. B Respondit is, completa publica Missa, cum ipse adhuc staret ante aram Virginis venisse parentes mulieris, dicentes, eam, cum mane surgeret, mutam factam esse. Ivi ergo (inquit Conradus) cum eis ad mulierem, quæ nihil loqui poterat, antequam ex hypocausto ejus exirent homines.

cui parere recusans obmutuerit.

176 Tum demum, matre ipsius, et Conrado intus remanentibus, loqui cœpit, sed difficulter. Non potuit (inquit illa) dormire (quippe tristis) usque ad mediam noctem, sed postea arcte. Excitata autem ejulatu pueruli mei, recepi eum ad me. Vidi enim senem sacerdotali habitu fulgentissimum. Hic in proximo scamno assidens, reprehendit me, quod heri negotium aliis hominibus citius aperuissem, quam Decano. Veniam tamen simplicitati meæ deprecanti dedit : addiditque recte fecisse Decanum, qui illam adhortationem habuerit ad populum. Nam Dominus (inquit) pœnitentiam populi admittit, eique benigne vult facere. Hanc gratiam a filio impetravit Domina nostra, facta pace inter ipsum et vos. Dices Decano, ut alios etiam ad pœnitentiam adhortetur. Negavit mulier, se quidpiam dicturam ; C quia plurimum doloris acceperit. Ergo muta eris, inquit, donec dixeris. Ego sum S. Petrus a sancta Virgine ad vos missus, non Jacobus, aut Nicolaus, sicuti vulgus putat. Si Decanus et Sacerdos nolint loqui, erunt ipsi muti. Decano itaque Conradus narret : et ipse aliis prædicet. His dictis, evanuit. Dixit hæc mihi, inquit Decanus, D. Conradus.

Rem vulgatam confirmant miracula.

177 Tunc ego, pulsata adhuc vesperi campana, pro concione hæc multitudini dixi. Mulieri itaque facultas loquendi rediit : eaque dixit : Vere omnia, quæ dixistis, ita sunt. Tunc alii Deum laudare, alii perterreri, atque plorare ; miracula inde secuta. Octo circiter pueris (ut parentes eorum asserebant) mortuis, vita restituta fuit. Sanati sunt epileptici, herniosi, et aliis morbis laborantes. Oblationes multæ fiebant : quas ego fideliter collegi, nec quidquam mihi reservavi : nec Dominus Ludovicus, Dux de Eck, bonæ memoriæ, ulla in re me impedivit : sed honorem S. Petri pro viribus promovit. De oblatis donis ædificavi ego Sacellum in loco, ubi S. Petrus incesserat, vestigia baculo suo faciens. Testati sunt hæc cives Ouvenses, Vischlinus et Kletterus, tres item mulieres, ex proximo vico Tettinga. *Hæc Crusius, postquam lib.* 1 *ejusdem Decadis Cap.* XI *multa dixisset de Eccensis Arcis Ducumque inde nominatorum origine, docuissetque Eccensem Ducatum Wirtembergico coalitum, nomen habere a monte,* Eck, *id* D *est* Angulus *dicto; quia is sit Alpium Suevicarum angulus, ab eoque omnem subtus regionem* Under d'Eck, *id est Subangulo dici,* et Ouvang *esse caput istius olim Ducatus.*

S. Ignatius anno 1521 decumbens

178 *Paragraphum hunc claudat recentius unum, quod quia in S. Ignatio, Societatis nostræ Fundatore gestum, quæ ideo* S. Petrum *Patronum veneratur, prætermitti a me, eamdem Societatem professo, non potest, ut cetera prætermittam omnia. Narrant ipsum omnes scriptores nostri, quotquot sancti Patriarchæ Vitam attigerunt; breviter autem Petrus Maffeus lib.* 1 *cap.* 12 *his verbis :* Cum jam Ignatius, *ex vulnere ad Pampelonem recepto decumbens in fraterna apud Loyolam domo, anno* MDXXI omnes fere cibos haustusque stomacho fastidiente respueret, aliaque in eo cernerentur letalia signa ; suorum admonitu, sacris quæ ad expiandum animum pertinent, rite procuratis, ipso B. Betri Apostoli pervigilio, cunctis mœrentibus eo deductus est, ut medici prorsus actum affirmarent, nisi ante mediam noctem vis morbi remitteret. Venerabatur jam dudum Ignatius præcipuo quodam cultu Principem Apostolorum, quin etiam ejus laudes militariter olim carmine Hispanico celebraverat ; cujus profecto pietatis E fructum non exiguum tulit. Siquidem illa ipsa decretoria nocte, per quietem videre sibi visus est eumdem Apostolum, optatam sibi valetudinem divinitus afferentem. Nec sane in irritum ea visio cecidit, quippe continuo levari doloribus, ciboque refici est cœptus.

a S. Petro apparente sanatur

§. *XVI. Pauli singulares quædam apparitiones.*

Ottoni 3 apparens S. Paulus.

Nihilo minus, *quam pro sua ecclesia* Petrus, *solicitum se pro suis ostendit* Paulus. *Exemplum memorabile accipe ex Glabro Rodulpho lib.* 1 *cap.* 4. Contigit ipso tempore (*quo Otto III Gerbertum Ravennatensem Romanæ urbis sublimavit Pontificem Gregorium V, et ipse vicissim ab eodem cornatus fuit Imperator, id est anno* DCCCCXCVI) ut idem Imperator, suggerente tam ipso Pontifice, quam aliis quibusque, zelum profectus religionis domus Dei gerentibus, ut in B. Pauli ecclesia nomine tenus Monachos, ceterum prave degentes, expellere deberet; ac alterius instituti, quos Canonicos dicimus, in eodem loco serF vituros substituturus esset. Cumque hoc appeteret implere decretum, apparuit ei per visum beatissimus Apostolus Paulus, atque eumdem Imperatorem hujusmodi [verbis] monere curavit : Si vere, inquiens, zelus divinæ servitutis et optimi operis te adurit, vide ne hujus propositi institutum præsumas in Monachis expellendis immutare : non enim omnino expedit, cujusque ecclesiastici Ordinis, quamvis ex parte depravati, propositum unquam abjici vel immutari : in eo namque unusquisque judicandus est Ordine, in quo se primitus vovit servire, reemendari tantum licet corrupto cuique in eadem propriæ vocationis sorte. Taliter monitus Imperator retulit suis quæ audierat ab Apostolo : curamque agens qualiter eorumdem Monachorum institutum quivisset ad melius informare, non expellere a loco [statuit] sed immutare. *Et sic hactenus ibi perseverant Monachi Congregationis Cassinensis.*

vetat ne in sua ecclesia Monachis substituat Canonicos

Ecijæ in Bætica

108 *Quatuor et amplius seculis post contigit in Hispania apparitio, quoad fructum plane similis ei, quem supra relatum vidimus a S. Petro apparente in Suevia ; siquidem res accidit seculo* XV *in Bætica, civitate* Astigi *vulgo dicta* Ecija. *Eam ex apographo Hieronymi de Guzman scribæ Capitularis, Martinus de Roa insignis Societatis nostræ scriptor producit in*

A *suo de Sanctis et Antiquitatibus Astigitanis opere, lib.* 2 *cap.* 2, *et ego ex Hispanico Latine hic reddo.* Quoniam ingratitudo mater est omnium vitiorum et peccatorum, in eo præcipue sita, quod homo obliviscatur gratias reddere Deo nostro, pro beneficiis ab ejus Majestate receptis, eoque sese indignum facit aliis porro recipiendis : deinde ut fideles atque Catholicos civitatis hujus Astigitanæ inquilini pro tam singulari beneficio non reperiantur ingrati, sed Deo ac Domino nostro juges agant gratias, quia ipsis dedit adeo excellentem Patronum, qualis est gloriosus ac beatus Apostolus Paulus; in nomine Jesu Christi Redemptoris nostri et gloriosæ Virginis S. Mariæ matris suæ nostræque advocatæ, nec non S. Dominici Patris nostri colendissimi, totiusque Curiæ cœlestis ; sequitur miraculum quod in hac civitate contigit, et cujus tenor talis est.

ad publicam ædificationem scribitur,

quomodo anno 1436

181 In nobili Astigitana civitate, die lunæ eademque vigesima mensis Februarii, anno a Nativitate D. N. Salvatoris Jesu Christi MCCCCXXXVI, hora Tertiarum plus minusve, congregatis in loco Capitulari nobilibus et honoratis, D. Guiterio de Sotomayor Magistro Ordinis Calatravæ, aliisque Equi-
B tibus Ordinis ejusdem; necnon Tello de Aguillar, Prætore hujus civitatis; Laurentio de Figueroa, Ruderico Martinez de Prado, Petro Fernandes de Saavedra, Justiciariis ordinariis; Alfonso de Zayas, Ferdinando Diaz de Eslava, Joanne de Godos, et Didaco de Malaver, Rectoribus civitatis; Alfonso Coronato et Joanne Sanchez, Juratis Collationis S. Crucis; Sancio Garciæ et Joanne de Ortega, Juratis Collationis S. Mariæ; Joanne Gonzalez et Gundisalvo Martinez, Juratis Collationis S. Barbaræ; Didaco et Ruderico Fernandez, Juratis Collationis S. Ægidii; Joanne de Santaella et Ferdinando Martines, Juratis Collationis S. Jacobi; coram me Alfonso Fernandez de Gusman, scriba publico Regis Domini nostri et Consilii hujus Civitatis, comparuit et stitit se coram Capitulo dictæ Civitatis Didacus Fernandez de Carmona, inquilinus hujus civitatis in Collatione S. Jacobi; secum ducens filium quemdam suum, nomine Antonium, annorum circiter quatuordecim.

coram testibus multis

comparens cum patre puer annorum 14,

182 Adolescens hic prædictis Dominis dixit et notum fecit, quod nocte præcedente, paulo ante auroram, adhuc lecto decumbens, bene vigil conspexit oculis suis hominem admirabilis, pulchritu-
C dinis, vestitum albis : addiditque, quod eum intuens correptus fuerit terrore magno; sed qui apparebat, jussit metum ponere, dixitque se esse S. Paulum, Apostolum Jesu Christi Redemptoris nostri, qui primum fuerat persecutor Catholicæ fidei et Ecclesiæ Christi, postea autem tam magnus prædicator ejusdem. Mandabat autem ut iret ac diceret, civitate tota publicandum, quod Dominus valde iratus erat plebi, tum ob alia peccata multa, tum specialiter propter neglectum observandæ Dominicæ festivarumque dierum; deinde quia tolerabantur tot perjuria atque blasphemiæ contra suam divinam Majestatem ac Sanctos suos; ac denique propter defectum caritatis erga pauperes, quos oporteret juvari eleemosynis, etiam propriæ commoditati subtractis. Diceret ergo eis Dei nomine, agerent omnes pœnitentiam, confiterenturque et communicarent devote, atque corrigerent vitia et peccata sua, auferendo occasiones blasphemiarum, puta aleatorias tabulas similesque ludos; nisi enim ipsi se emendarent, futurum ut civitatem universam ultio memorabilis divinitus implicaret. Ne autem talia audituri dubitarent fidem puero dare, mandavisse Sanctum dixit, ut manum dexteram sibi porrigeret : quam ille stringens fortiter, illius digitos colligavit ad invicem, et eorum quatuor sic immobiliter cohærentes

asseruerit visum sibi S. Paulum,

qui denuntians Deum populo iratum,

jusserit agere pœnitentiam;

D monstravit, ut satis appareret altioris virtutis opus id esse, quam artificii industriæve humanæ. Insuper mandavit ei gloriosus Apostolus, ut postquam sic notum fecisset casum, iret ad monasterium S. Dominici Ordinis Prædicatorum hujus civitatis; ibique sic colligatam manum duceret supra Crucem, quæ in dicto monasterio servatur; statimque resolvendos ei digitos ad motum usumque priorem. Dixit etiam puer idem, quod interim dum gloriosus Apostolus secum loquebatur, loqui ipse præ consternatione grandi non potuerit; quin etiam postquam ille disparuerat, aliquamdiu impotem loquelæ fuisse se. Tum prænominati Domini interrogaverunt præd. Didacum Fernandez, utrum prædictus suus filius habuerit antea manum sanam. Affirmavit ille, addiditque, quod idem filius suus, quodam die Conversionis S. Pauli, visu fuerit privatus : quapropter uxor sua promiserit Missam curandam in honorem S. Luciæ. Hac vero dicta cum impetraretur nihil, dixerit ei quædam vicina sua, offerret filium S. Paulo; illi enim id malum forsitan evenisse, quia ipsa nendo violaverat ejus festum. Mulierem vero paruisse bene consulenti, promittendo pingendam sua impensa tabulam, quæ historiam S.
E Pauli contineret, et in monasterio S. Dominici collocaretur; denique mensuram ejus sumpsisse cerato filio, et visum continuo rediisse puero. Cumque eidem subinde rursum auferretur loquela; flexam genibus uxorem auxilium Sancti denuo invocasse, et linguæ usum expeditum statim redivisse.

AUCTORE D. P. et digitos duos insolubiliter sibi colligarit in signum.

Addidit pater, eumdem antea visu privatum,

quia mater festo Sancti neverat.

183 His auditis, continuo decreverunt prædicti Domini quædam communiter utilia ad Dei servitium correctionemque peccatorum, atque in proximum diem Martis indixerunt processionem, ab universo Clero et Populo civitatis ducendam ad monasterium S. Dominici, pro exoranda divina clementia, quatenus dignaretur et offensas remittere, et eorum quæ dicebat puer veritatem declarare. Die autem sequenti omnes Domini prænominati, comitante plebe universa sexus utriusque, processionem instituerunt : celebrataque Missa et Sermone finito, quidam ex Religiosis et Clericorum nonnulli acceptam ipsius monasterii Crucem reverenter collocarunt super majus altare : ad quod progressus puer, flexis ante illam genibus adoravit, tum manibus contingens subjectum Cruci globum, paulatim eas sursum sustulit versus iconem Crucifixi : quam statim atque tetigit, aperuit manum, æque sanam atque antea F unquam habuerat, nisi quod ad memoriam miraculi grossiores aliquanto ei manserint digiti duo : id quod omnes præfati viderunt, testimonium perhibente omni populo qui aderat. Actum id anno ac die prædictis. In cujus tam grandis miraculi memoriam, et quia per ipsum videtur gloriosus S. Paulus se Patronum hujus civitatis declarasse, quod ipsa magnæ felicitati ducere sibi debet; decreverunt iidem Domini quotannis instaurandam solennem processionem in festo Conversionis ejus die XXV Januarii, ad quam omnes civitatis Rectores cum cereis accensis convenirent, et cunctus populus devote concurreret, quod et voto firmarunt. Deo gratias.

Indicta autem processione

soluti puero digiti sunt.

184 Concludat hunc quoque Paragraphum apparitio alia, magis privatim acta, quam fuerint hactenus relatæ. Eam sic refert S. Gregorius Turonensis lib. I de Mirac. Martyrum cap. 29. Factum est in quodam loco, ut homo laqueum sibi, ad extorquendam vitam, instigante diabolo, præpararet. Cumque secretum cellulæ in qua hoc ageret reperisset; funem trabi transmissum in laqueum cœpit innectere; nomen tamen semper Pauli Apostoli invocabat, dicens; Adjuva me S. Paule. Et ecce umbra, squalida atque funesta, quæ nihil minus vultu quam diabolum

Laqueum sibi nectens et interim S. Paulum invocans,

A lum simulabat, apparuitei, hortans ac dicens; Eia, age, ne moreris : expedi celerius quæ cœpisti. At ille cum opus hoc, id est vitæ extorquendæ, pararet; semper aiebat; Beatissime Paule esto adjutor meus. Denique expedito jam laqueo, cum vehementius urgeretur ab umbra, ut collum immitteret; subito adfuit alia umbra huic similis, dicens ei quæ cum homine erat, Fuge, miserrime; en Paulum Apostolum huc venientem : invocatus enim ab hoc homine, ecce adest. Tunc evanescentibus umbris, hic ad sensum suum reversus, et Crucem virtutis Dominicæ pectori nutanti depingens; pœnitentiam, genis lacrymarum imbre perfusis, agebat cur ista tentasset. Unde manifestum est, hunc eumdem hominem, per virtutem beati Apostoli, ab hoc sævæ mortis præcipitio fuisse salvatum.

AUCTORE D. P. fugato tentatore liberatur.

§. XVII. Festum Conversionis S. Pauli, et veteres de Apostolo utroque liturgiæ.

Occasione apparitionis Astigitanæ superiori §. memoratæ, ob quam decretum ea in urbe fuit, Festo Conversionis innovare solenniter susceptum Apostoli patrocinium; placet hic pluribus de eodem agere : sed ante B *omnia notandum venit, ipsum sub ejusmodi titulo ignotum esse omnibus quatuor Hieronymiani Martyrologii apographis, solumque ad* VIII Kal. Februarii, *post prima hæc verba*, In Nicomedia Biti, *legi sequentia*, Romæ translatio Pauli Apostoli, *ea scilicet quam a Silvestro Papa factam infra dicemus : sed quia ejusmodi festum locale omnino erat atque Paulinæ Basilicæ proprium, ideo in Gelasiano Sacramentario, quod erat omnibus urbis Ecclesiis commune, nihil de eo ponebatur. Gregorius autem Magnus, exemplis infra proponendis notus, instituit eo die Missam legendam sub titulo* Conversionis *S. Pauli, omisso titulo* Translationis, *quæ omnibus suo Sacramentario usuris foret communis. Jam pridem tamen dies iste fuerit a fidelibus memoriæ talis mysterii consecratus, nec forsitan sine certo fundamento, ab Ecclesia Damascena accepto : quandoquidem* Conversio Pauli, *non diu post S. Stephani lapidationem successit, quæ facta recolitur* XXVI *Decembris; et ideo crediderim prædictum diem* VIII Kal. Febr. *a S. Silvestro electum fuisse prædictæ Translationi faciendæ.*

In Hieronymiano Martio notatur 25 Jan. Translatio S. Pauli,

forte tunc facta ob memoriam Conversionis,

186 *In ordinanda porro Missa illa videtur S. Gregorius secutus S. Ambrosium, seculo uno antiquiorem* C *Gelasio, cujus Sacramentarium supplere intendebat; uti et in aliis multis Romanum ex Mediolanensi locupletatum agnoscimus. Nam et Collectæ eædem utrobique sunt, quales etiam hodie recitantur; et propria (nunc in Romano abolita) Præfatio, post verba*, Omnipotens æterne Deus, *in Mediolanensi sic pertexitur* : Qui Ecclesiam tuam, in beati Apostoli tui Pauli prædicatione * constantem nulla sinis fallacia violari : quia nihil in vera religione manere censetur, quod ejus non convenerit disciplinis : quem hodie vas factum electionis, magistrum et doctorem gentium vocandarum, mutato in Paulum nomine, collocasti. *Eodem ergo modo exorditur Gregorius, sed in progressu ampliori usurus encomio, reliqua sic deflectit :* Et sicut nihil in vera religione manere dignoscitur, quod non ejus condierit disciplina; ita ad peragenda ea quæ docuit, ejus obtentu Fidelibus tribuatur efficacia; sentiatque credentium gentium multitudo, eum pro se apud te intercessorem, quem habere cognovit magistrum atque doctorem. *Proprium etiam* Benedictionis *formulam, qualem præcipuis dumtaxat solennitatibus quibusdam invenimus, adscriptam, sic ordinavit idem Gregorius :* Deus qui gratia sua B. Paulum ex persecutore fecit Apostolum, ipse vobis compunctionis piæque conversionis spiritum dignetur impertire. Amen. Quique ei secretorum cœlestium mysteria dignatus est revelare, ipse vobis scripturarum suarum abdita dignetur aperire. Amen. Et qui perseverantiam fidei constantiamque in persecutionibus inflexibilem dare dignatus est, eisdem vestram infirmitatem donis roborare atque munire dignetur. Amen. Quod ipse præstare dignetur etc. D

pro qua Missam ex Ambrosiano

* B. edoctam

assumpsit S. Gregorius aucta Præfatione,

et addita Benedictione.

187 *Porro non solum Mediolanenses : sed etiam Galli, in ita solenniter recolenda* S. Pauli conversione, *videntur fuisse priores Romanis; ab Gallis siquidem acceperunt conversi in Hispania Gothi ordinatum antiquissimo instituto Sacramentarium et cujus exordium non est invenire, quale nunc extat ex vetustissimo Reginæ Sueciæ MS. excusum Romæ, atque Missam orditur ab hac Oratione :* Deus qui B. Pauli Apostoli dignitatem ubique facis gloriosam; præsta quæsumus, ut et doctrina semper ejus foveamur et meritis. *Qui volet totum Liturgiæ istius Gallo-Gothicæ ordinem, apud Musarabes postea conservatum, distinctius cognoscere, legat quæ dedimus de S. Pelagio Martyre die* XXVI *Junii, utpote ad Isidoriani Missalis ritum et formam composita omnia; hic nobis satis fuerit, et dignum operæ pretium videtur, describere veteres istius Liturgiæ ad hoc festum* Collectas, *sive (ut ibi vocantur)* Collectiones, *quæ in illo perquam antiquo Codice tales* E *sunt.* COLLECTIO POST INGRESSAM, *sive ut nos dicimus, Introitum.*

Alia in veteri Gallo-Gothico,

188 Sanctorum decus, remunerator justorum, Deus; qui super omnia, et per omnia, et in omnibus nobis, et cui sacrificium est cor contritum, et oratio purum incensum : tribue nobis, per intercessionem beatissimi Pauli Apostoli, sanctificationem cordis, fervorem spiritus, corporis puritatem : ut mortificatis terrenis vitiis, immaculato spiritu et corpore tibi semper laudis hostias referamus, quod ipse præstare digneris, qui cum æterno Patre vivis et regnas. COLLECTIO POST NOMINA. Deus qui * Apostolo tuo Paulo, insolescenti contra Christiani nominis pietatem, cœlesti voce cum terrore perculso, hodierna die vocationis ejus, mentem cum nomine commutasti; et quem prius persecutorem metuebat Ecclesia, nunc cœlestium mandatorum lætatur se habere doctorem; quemque adeo foris cæcasti, ut introrsus videntem faceres, cuique post tenebras * incredulitatis ablatas, ad evocandas gentes divinæ legis scientiam contulisti; sed et tertio naufragantem, pro fide quam expugnaverat jam devotum, in elemento liquido fecisti vitæ discrimen [evadere]; sic nobis quæsumus, ejus et mutationem et fidem colentibus, F post cæcitatem peccatorum, * da te videre in cœlis, * quomodo illuminasti Paulum in terris; et munera præsentia libens accipe, quæ Apostoli tui precibus sint accepta. COLLECTIO POST PACEM. Deus qui Justitiæ leges in cordibus scribentium digito tuo scribis; quique in * Paulo, hodierna die vocationis ejus de cœlis, non atramento, sed Spiritu tuo vivo, caritatis tui fervorem ita * imprimis, ut proprium quassandum corpus pro Ecclesiæ tuæ tradat membris, qui ipsius Ecclesiæ olim contriverat membra; sic nobis, ipsius interventu doctoris et fidelis magistri, fraternæ caritatis sincere consortium dona; et de tuæ dilectionis, quam ille habuit, multiplici flamma vel unam scintillam dignare largiri; ut sequamur per dilectionem ferventem Magistrum, cujus fragrantia in caritate frequentamus præcepta.

cum propriis Collectis,

* Apostolum etc.

* Crudelitatis

* fac

* qui

* Paulum

* scribis

189 *Nihilo minus hic lectu digna est* Immolatio Missæ, *sive* Præfatio *(ut nos appellamus) post quam cetera omnia fiunt ex communi apud veteres ordine Liturgiæ sacræ, et alibi (ut jam dixi) notato. Sic ergo habet, post* Dignum et justum est *a ministro responsum* Vere æquum et justum est, nos tibi gratias agere, Domine sancte Pater omnipotens, æterne Deus. Qui ut ostenderes te omnium cupere indulgere

et Præfatione singulari.

A gere peccatis, persecutorem Ecclesiæ tuæ, ad unum verbum vocationis tuæ, lucratus es, et statim fecisti nobis ex persecutore doctorem. Nam qui alienas epistolas ad destructionem Ecclesiarum acceperat, cœpit suas ad restaurationem earum scribere : et ut seipsum Paulum factum esse ex Saulo monstraret, repente architectus sapiens, fundamentum posuit, ut sancta Ecclesia tua Catholica eo ædificante gauderet, a quo fuerat ante vastata ; et tantus ejus defensor existeret, ut omnia supplicia corporis et ipsam cædem * capitis non timeret. Nam factus est caput Ecclesiæ, qui membra Ecclesiæ conquassaverat : caput terreni corporis tradidit, ut Christum caput in suis omnibus membris acciperet : per quod etiam vas electionis esse meruit, qui eumdem D. N. Jesum Christum in sui pectoris habitatione suscepit. Per quem Majestatem tuam laudant Angeli etc.

* Corporis

190 *Videtur hujus Præfationis Auctor antiquiorem aliam habuisse præ oculis, et quidem eam, quam S. Ambrosius pro communi* Petri *et* Pauli *festo sic composuit, ut inde dictus Auctor desumere potuerit, quæ ad solum Paulum spectantia dedimus legenda : quare Ambrosianam quoque hic integram accipe.* Æquum et B salutare, nos tibi semper hic et ubique in honore Apostolorum Petri et Pauli, gratias agere : quos ita electio tua consecrare dignata est, ut B. Petri secularem piscandi artem in divinum dogma converteret; quatenus humanum genus de profundo inferni præceptorum tuorum retibus liberaret. Nam coapostoli ejus Pauli mentem cum nomine mutasti, et quem prius persecutorem metuebat Ecclesia, nunc cœlestium mandatorum lætatur se habere doctorem. Paulus cæcatus est ut videret, Petrus negavit ut crederet. Huic claves cœlestis imperii, illi ad evocandas gentes divinæ legis scientiam contulisti ; nam ille introducit, hic aperit : ambo igitur virtutis æternæ præmia sunt adepti. Hunc dextera tua gradientem in elemento liquido, dum mergeretur, erexit; illum autem tertio naufragantem, profunda pelagi fecit vitare discrimina : hic portas inferni, ille mortis vicit aculeum : et Paulus capite plectitur, quia gentium caput fidei probatur : Petrus autem præmissis vestigiis caput omnium secutus est Christum : quem una cum Angelis etc. *Ita Ambrosius; quæ eadem omnia pro ipso Apostolorum communi festo leguntur in Gallo-Gothico : itaque confirmatur quod initio dixi, Ambrosianas Missas in Galliam penetrasse;* C *Collectæ tamen utrobique diversæ sunt, tam inter se quam a Gelasianis et Gregorianis, quas licebit editas legere, interque se conferre.*

sed quadamtenus sumpta ex Ambrosiana,

utrique Apostolo communi :

191 *Sed nullam in Gallo Gothico vel hic vel alibi invenies notatam ante festa* Vigiliam ; *quam tamen non omisit Ambrosius propria insignire Missa, cujus hæc est Præfatio.* Æterne Deus, apud quem licet Beatorum Apostolorum Petri et Pauli continuata festivitas et æterna felicitas, atque triumphi cœlestis perpetuus sit Natalis ; nos tamen, beatæ confessionis initia recolentes, frequenti tribuis devotione gaudere : ut crebrior honor sacratissimæ Passioni repensus, majorem nobis retributionis gratiam largiatur. Per Christum etc. *Similiter Vigiliam ordinavit Gelasius eumque secutus est Gregorius, qui et illi et Ambrosio inusitatas proprias pro festo Benedictiones videtur Gallorum exempla instituisse ; cum tales in Gelasiano et Ambrosiano Missali nullæ inveniantur, frequentes in Gallo-Gothico, ubi pro Natali Apostolorum præscribuntur hæ :* Deus qui membris Ecclesiæ velut gemellum lumen, quo caveantur tenebræ, fecisti Petri lacrymas et Pauli litteras coruscare. Amen. Hanc plebem placidus inspice, qui cœlos facis aperire Petrum * in clave, * Paulum in dogmate. Amen. Ut * præviantibus ducibus, illuc grex possit accedere, quo pervenerunt pariter, tam ille Pastor suspendio,

ubi etiam Vigilia propriam habet Missam.

Benedictiones addiderunt Gallo-Gothi

* Petro * Paulo * præviantur

quam iste Doctor per gladium, in congressu. Amen. D Per D. N. *Gregorianæ autem Benedictiones, nunc usurpari desitæ, sic efferebantur :* Benedicat vobis omnipotens Deus, qui vos B. Petri saluberrima confessione in ecclesiasticæ fidei fundavit soliditate, Amen. Et quos B. Pauli sanctissima instruxit prædicatione, sua tueatur gratissima defensione. Amen. Quatenus Petrus clave, Paulus sermone, utrique intercessione ad illam nos certent patriam introducere, ad quam illi, alter cruce, alter gladio, hodierna die pervenere, Amen. Quod ipse præstare dignetur, cujus regnum et imperium sine fine permanet in secula seculorum. Amen. Benedictio Dei Patris et Filii et Spiritus sancti, et pax Domini sit semper vobiscum. *Hæc autem dicebantur vel post* Pater noster *ante* Agnus *Dei, vel post Postcommunionem ante Collectas, quæ* ad complendum *præscribuntur.*

AUCTORE D. P

et post hos Gregorius:

192 *Sed si in istis habuit Gregorius quos sequeretur, prævivit ceteris in* S. Paulo, *cui per communicationem cultus et Officii cum* Petro *videri poterat non fuisse plene factum satis, postridie rursus honorando ; quando instaurari jussit ejus cultum sub titulo* Natalis; *quem hodiernus usus cum Romano Martyrologio vertit in titulum* Commemorationis, *exemplum præbente Usuardo; qui, alias Adonem sequi solitus, minus hic probasse* E *videtur, quod scripserit,* Natalis et celebratio iterum S. Pauli Apostoli. *Aliam quoque phrasim elegit Notkerus, simul et palam fecit ubique receptum Gregorianum institutum his verbis :* Romæ, imo per totum orbem Christi, festivitas S. Pauli Apostoli. *Novi festi instituendi causa colligitur ex Prudentii Hymno* 12, *Peristephanōn, ubi geminam unius diei festivitatem, sive, ut ipse versu ultimo appellat,* diem bifestum, *hisce commendat verbis :*

qui et Commemorationem S. Pauli instituit 30 Junii;

Aspice per bifidas plebs Romula funditur plateas,
Lux in duobus fervet una festis :
Nos ad utrumque tamen gressu properemus concitato,
Et his, et illis perfruamur hymnis.
Ibimus ulterius, qua fert via pontis Hadriani,
Lævam deinde fluminis petemus.
Transtiberina prius solvit vota pervigil Sacerdos,
Mox huc recurrit (*ad S. Paul*) duplicatque vota.
Hæc didicisse sat est Romæ tibi : tu domum reversus
Diem bifestum sic colas memento.

cum antea, (uti intelligitur ex Prudentio)

193 *Hinc Baronius colligit,* consuevisse *Prudentii ætate, id est ultra initium seculi* v, Romanum Ponti- F ficem una eademque die Pontificias functiones in utraque Basilica exercere. Cum autem hoc, propter nimiam locorum inter se distantiam, *quæ etiam expedito pediti est unius horæ,* non sine nimio et intolerabili fere labore perfici posse videretur, *idque per æstivos calores;* consultius est visum, *post festum in Vaticano peractum, ubi præcipue* S. Petrus *coli videbatur,* prima *exinde* die, in Basilica Pauli sacra peragere, uberiusque persolvere, quod pridie ea de causa ibidem loci videretur omissum. *Non solum autem ipso festo consueverat antea Pontifex bis celebrare, sed id etiam ei liberum erat in Vigilia ; non tamen sic, quasi duplicem Vigiliam ageret, sicuti bis celebrando Missam celebrabat duplex festum ; sed ratione S. Leonis, cujus Natalis tota urbe celebrandus, ac præsertim in Basilica Vaticana, concurrebat cum prædicta Vigilia, quo casu in omnibus majoribus ecclesiis solent duæ Missæ dici, sed a diversis Sacerdotibus, una de Festo, alia de Vigilia. Quod autem tali casu, ac nominatim tunc, licuerit Pontifici binare, ut vulgo loquimur, probat Rubrica Sacramentarii Gregoriani, inter utramque Missam sic posita.* Quando Apostolicus duas Missas celebrat una die, inter eas non lava, nisi post Officium : sed absque intervallo finita priore, incipitur altera, *utique in loco eodem.*

uno die fieret Officium geminum,

bis eodem die sacrificante Pontifice,

quod etiam faciebat in Vigilia, propter S. Leonem.

§ XVIII

§. XVIII. De Basilicis tribus præcipuis, a Constantino extrui jussis, et a Silvestro Papa dedicatis.

Anastasius Bibliothecarius, cum libro Pontificali, in Vita S. Silvestri Papæ sic scribit : Hujus temporibus fecit Constantinus Augustus basilicas istas, quas et ornavit. Basilicam Constantinianam, ubi posuit ista dona. *Quibus descriptis pergit :* Item his temporibus, fecit ex rogatu Silvestri Episcopi basilicam B. Petro Apostolo in templo Apollinis : *et postea :* Eodem tempore fecit basilicam B. Paulo Apostolo, ex suggestione Silvestri Episcopi. *Constat apud Chronologos, Constantinum anno* CCCXII *debellasse Maxentium prope pontem Milvium, dimidia fere leuca ab Urbe instratum Tiberi; ex quo hic præcipitatus, aut ruinis ejus involutus, aquis periit. Diem, quo hæc acciderunt, exprimere videntur Kalendaria Romana antiqua, et filio Constantini imperante primitus scripta; non tantum Hervagianum, a Gothofredo in Chronologia ad Leges Codicis Theodosiani citatum, sed etiam Philocalinum, a Furio Dionysio Philocalo, qui ipsum* titulavit, *ita appellandum; quod Bucherius noster in suo ad Victorii Canonem Paschalem Commentario, mutilum; Lambecius vero in Commentariis de Bibliotheca Cæsarea libro 4, integrum edidit. Isthæc tria Kalendaria* v *Kal. Novembris (qua die imperium invaserat Maxentius, et, ut aliunde etiam scitur, cæsus fuit) habent,* Evictio tyranni, *et sequenti die,* v *scilicet Kalendas ejusdem,* Adventus Divi : *quæ de evicto tyranno Maxentio, contra quem a Romanis invocatus ac invitatus fuerat Constantinus, deque Victoris postridie in Urbem, a qua prope aberat, adventu intelligi commodissime possunt, ac omnino debere videntur; dignaque fuerunt, si qua alia, quæ Fastis publicis adscriberentur ab iis, qui summam inde felicitatem se consecutos esse, publice professi sunt; et accepti beneficii memoriam erecto triumphali monumento ad posteros et nostram usque ætatem transmiserunt, insculptis in marmore hisce versibus :*

Constantinus anno 312,

victo Maxentio die 28 Octob.

ingreditur Romam die sequenti;

IMP. CAES. FL. CONSTANTINO MAXIMO,
P. F. AUGUSTO. S. P. Q. R
QUOD INSTINCTU DIVINITATIS, MENTIS
MAGNITUDINE CUM EXERCITU SUO,
TAM DE TYRANNO, QUAM DE OMNI EJUS
FACTIONE, UNO TEMPORE JUSTIS
REMPUBLICAM ULTUS EST ARMIS,
ARCUM TRIUMPHALEM INSIGNEM DICAVIT.

Intra fornicem arcus præterea legitur ex una parte, LIBERATORI URBIS, *nempe per necem Tyranni; ex altera,* FUNDATORI QUIETIS, *per justitiam et clementiam novi Imperii.*

195 *Citatus Gothofredus meminit etiam alterius Kalendarii, quod* descriptum, *ait,* ex Fastis Ambrosii Navidii Fracci Ferentinatis, *et sic habet mense Novembri :* Die IX Constantinus dotat Ecclesiam ædesque suas templum fecit; *et* die XV Constantinus corbibus terram egerit. *Quæ eodem anno* CCCXII, *atque intra mensem a suo victoris in Urbem adventu, Constantinum fecisse, certissimum est, ut mox ostendam. Noluit videlicet pius Imperator, cœlitus beneficiis plurimis præventus, stimulante gratia Spiritus sancti, tardus esse in agendo referendoque gratias Benefactori Deo : sed mox quinta Idus Novembres, quæ erat undecima a suo in Urbem ingressu et Dominica,* ædes suas templum fecit, *et consecrari curaverit per Melchiadem tunc Pontificem Romanum, donec ampliorem a fundamentis ibidem excitaret basilicam,* Salvatori, *consecrandam,* Lateranensem *a loco,* Constantinianam *a fundatore perpetuo deinde appellatam; pro cujus fundamentis jaciendis ipse, sexta post die,* XV *ejusdem mensis Novembris et anni* CCCXII, corbibus egerere terram *voluit. Hæc autem, indicato jam anno facta esse, patet ex dictis : quia illo solo scitur Constantinus mense Novembri Romæ fuisse. Eo ipsum reducit quidem Chronologia Gothofrediana, annis* CCCXV *et* XXVI, *sed indidem pariter habetur, alio profectum fuisse ante Novembrem, imo ante Octobrem, utroque isto anno.*

ædes suas in Laterano templum fecit 9 Novemb.

donec basilica ibidem amplior ædificaretur;

196 *Atque hæc prima fuit basilica, quam pius Imperator ædificavit; inscribiturque jam a multis seculis ex parte exteriori porticus, frontispiscio prætensæ,* cunctarum mater et caput ecclesiarum. *Ipsam quis dedicaverit, non omnino constat : opinor, Silvestrum Papam. Cœpta enim ædificari anno* CCCXII *exeunte, non videtur ante Februarium anni* CCCXIV, *cujus Kalendis, aut pridie Pontificatum adiit Silvester, absolvi potuisse opus tam grande ac regium; atque adeo hic solennia Dedicationis, ut par erat, peregerit; et quidem illa ipsa* V *Idus Novembres, qua primum ædes suas templum fecisse Constantinum diximus : aut potius in Dominica ipsam dedicaverit, dedicationis vero memoriam annuam prædictæ diei* V *Idus Novembres reliquerit. Illa certe, Dedicatio ejus et nunc recolitur quotannis per Ecclesiam universam, et videtur in Lateranensi perpetuo celebrata fuisse : in quam etiam intulisse Silvestrum sacra Apostolorum Capita, jam diximus §. 6. Absoluto isthoc opere ac dedicato sub titulo* Salvatoris, *processerit Imperator ad ædificandum basilicas Apostolorum* Petri *in Vaticano, et* Pauli *Via Ostiensi, idque* ex rogatu et suggestione Silvestri, *jam tum* Episcopi *seu Pontificis Romani, ut initio hujusce Paragraphi indicant verba Anastasii, nihil simile habentis, ubi de ædificatione basilicæ Lateranensis loquitur, quasi hanc a Constantino constructam innuere voluerit, non alterius rogatu aut suggestione, sed motu ac zelo ejus proprio.*

quam sub Melchiade cœptam dedicaverit Silvester.

cujus rogatu Imperator etiam extruit

197 *Porro si coram Romæ Constantinus, rogatu Silvestri, ecclesias Apostolorum exædificare cœpit, aut* sumpto ligone, *ut habet traditio et Breviarium Romanum,* terram eruit, *ad jacienda fundamenta;* indeque duodecim terræ cophinos, honoris causa duodecim Apostolorum, *exportavit; id debet factum fuisse anno secundo Silvestri,* CCCXV *Christi; quando iterum Romam venit Constantinus, ibique aliquamdiu, mensibus Augusto et Septembri moratus fuit, ut docet citata aliquoties Chronologia, nusquam indicans, ipsum eodem rediisse ante annum* CCCXXVI, *quando extremum ibi consedit, æstate propemodum tota; qua et Helena mater ejus ibidem mortua est ac tumulata; et* Senatum populumque Romanum, *ut loquitur Gothofredus in Chronico historico ad hunc annum,* Sibi inconciliavit propter eradicandæ videlicet in ea superstitionis gentilitiæ studium. Hinc et postea de Constantinopoli excitanda consilium; hinc ornamentorum e Roma postea translatio; hinc populi Romani in eum convitia; de quibus Libanius Oratione ad Theodosium 13 p. 412. *Hæc ille, quæ non potuerint Imperatori suadere, ut tunc nova ornamenta, ecclesias tam magnificas Romæ adjiceret; sed neque Silvestri pro gloria Religionis et Apostolorum zelus distulerit tam diu rogare Imperatorem basilicarum Apostolicarum ædificationem; neque hanc eatenus differri tulerit pietas Imperatoris, adeo ardens hac in re, ut vix ingressus Romam, excitarit Lateranensem.*

basilicas SS. Petri et Pauli an. 315,

198 *Anno igitur* CCCXV *ponamus, donec certiora nobis innotescant, jacta fuisse basilicarum* Petri *et* Pauli *fundamenta; easque, quadriennio extructas, potuisse anno* CCCXIX *solenniter dedicari, et corpora sanctorum Apostolorum, ornatiore jam loco seu Confessione, ibidem recondi. Neutrius tamen dedicatio antiquis reperitur adscripta Fastis sacris; sed mansit privata et propria ipsismet ecclesiis, sicut et aliis deinde per Urbem ædificatis, dedicatio cuique sua, usque ad seculum* XIV. *Tunc enim, ante annum* MCCCLX, *ut ex certis indiciis colligere datur, scriptum habemus in membrana Martyrologium*

dedicatas anno 319,

A *Martyrologium ad usum Fratrum Minorum provinciæ Daniæ; quod anno* MDCLXXXVIII *in nostra Pragensi Professorum Domo repertum, cum facultate Superiorum inde Antuerpiam ipse mecum attuli. In illo,* XIV *Kal. Decembres, ultimo loco, sed eadem, qua reliqua manuscriptum legitur :* Dedicatio basilicarum Apostolorum Petri et Pauli. Minus duplex : *quemadmodum ad* V *Idus Novembres, similiter ultimo loco habetur :* Ipso die Dedicatio basilicæ Salvatoris, *nullo hic addito ritu, quo celebrari debeat. Eadem (nempe non fuisse Dedicationes illas ante seculum* XIV *relatas in sacros Fastos) confirmat qui seculo* XV *ineunte floruit Radulfus de Rivo, Decanus Tungrensis, libro de Canonum observantia, Propos.* 22. *docens,* Festum de Nive, utrasque Dedicationes trium majorum basilicarum, *aliaque Romæ localia, non pertinuisse ad Ordinem seu Missale Romanum.* Nec sine mysterio, *inquit,* de omnibus prædictis nihil proprietatis habetur in Officio Gregoriano, quasi generaliter non sint tenenda. *Interea tamen credibile est, a principio inserta fuisse dedicationum illarum festa Pontificali Romano. quia ad Officium Papæ spectabant : atque inde Fratres Minores ipsa transtulerint postea ad suos rituales libros Fastosque sacros; et propagata latius illorum observantia in Breviarium Romanum illata reperiuntur jam ab anno* MDL, *et quidem sub ritu Duplicis, ex mandato, ut puto, Julii Papæ III; Dedicatio quidem basilicæ Salvatoris,* V *Idus Novembres ; sanctorum vero Apostolorum,* XIV *Kal. Decembres.* B

cujus rei memoria annua in propriis tantum ecclesiis servata

usque ad seculum 15

199 *Sed an istis etiam diebus dedicationum solennitates primitus peractæ fuerint? De basilica Lateranensi jam dixi, ipsam die* V *Idus Novembres dedicatam fuisse, quatenus illa die ædes ibi in templum conversæ fuerunt, utique per dedicationem et celebrationem Missæ. Apostolicarum ecclesiarum, certe* S. Petri *dedicationem primitus eadem quoque die, qua nunc celebratur,* XIV *Kal. Decembres contigisse, testatur Romanum Breviarium, cum die* XVIII *Novembris Lect.* V *ait,* novam S. Petri *basilicam* eadem die, *qua vetus olim dedicata fuerat,* recurrente, *ab Urbano VIII, anno* MDCXXVI *solenni ritu consecratam fuisse. Currebat anno isto littera Dominicalis D, ac dies* XVIII *Novembris, atque adeo Dedicatio Urbaniana incidit in feriam* IV; *qua feria si etiam suam dedicaverit olim Silvester (quod vix puto) uti eam dedicasse dicitur die* XVIII *Novembris; factum id fuit anno* CCCXIX, XXIV, *aut* XXX : *illis enim solis tenente ipso Pontificatum, habetur littera Dominicalis D, ac proinde etiam dies* XVIII *Novembris incidit in feriam* IV. *Illis porro admissis, annus* CCCXIX *dedicationi Silvestrinæ variis de causis tribuendus esset potius, quam alii duo : et nostræ imprimis opinioni congrueret optime; utpote qui statuimus, jacta fuisse basilicarum utriusque Apostoli fundamenta ab Imperatore anno* CCCXV, *tunc ibi præsente; et ostendere cupimus, earumdem dedicationem, nec non Corporum Apostolicorum ibidem in nova Confessione depositionem, factam fuisse anno* CCCXIX. C

deinde etiam ad publicum usum transiit pro die 18 Novemb.

licet illa die basilica hæc forte dedicata non sit,

200 *Verum illis etiam admissis, hæreret mihi scrupulus, quod tam solennes actiones primis Ecclesiæ seculis peractæ fuerint extra Dominicam; puto enim ejusmodi actiones propter celebritatem suam tunc non minus consuevisse fieri in Dominica, quam fiebant tali die ordinationes Episcoporum. Hasce autem in Dominica peragi consuevisse, saltem in Ecclesia occidentali, pluribus docet Eminentiss. Card. Norisius in sua Historia Pelag. lib.* 2 *cap.* 24 *aliique. Quamobrem opinari mihi liceat* Memoriam S. Petri, *quam Anacletus construxit, et Constantinus deinde in basilicam convertit, decima quarta quidem Kal. Decembres consecratam olim fuisse ab Anacleto aut alio, sed tali aliquo anno, ubi ea dies incidit in Dominicam; et sic ipsam diem* XIV *Kalendas dedicationis primæ pro annua festivitate dedicationis a Silvestro factæ, per hunc retentam fuisse; licet alia die, seu feria, seu potius Dominica, ob majorem solennitatem, ipsam dedicaverit. Quemadmodum etiam nunc obtinet per totam Ecclesiam, ut facta templi alicujus solenni consecratione, ipsa dies, qua hæc facta sit, non necessario debeat annua ejus rei memoria ac festo celebrari; sed possit eligi alia cum approbatione consecrantis. Et sicuti Urbanus VIII, ut loquitur Breviarium Romanum,* novissimam S. Petri *basilicam consecravit* eadem die recurrente, *qua Silvester olim suam dedicaverat, aut, ut nostra fert opinio, dedicationis festum quotannis celebrari mandaverat : sic etiam respexerit Silvester ad diem, qua primitus oratorium, seu Memoria* S. Petri *consecrata fuerat, eamque, si minus pro nova solennissima dedicatione sua servare potuerit; voluerit tamen eam pro annua ejus memoria retineri : quemadmodum etiam videtur statuisse, ut paulo ante insinuavimus, in dedicatione basilicæ Lateranensis, cum ejus dedicationis alia dies anniversaria nesciatur, quam qua ante in Lateranensi palatio ædes aliquæ Imperatoris in templum commutatæ et consecratæ fuerant* V *Idus Novembres; eademque dies etiam hodie in Breviario Romano recolitur pro annua memoria dedicationis basilicæ ipsius Lateranensis.* D

sed quod prius ibi stetit oratorium,

AUCTOR C. J.

cujus anniversaria dies retenta sit.

201 *Sed si ipsa solennis actio dedicationis basilicarum* Petri *et* Pauli *facta non fuit a Silvestro die* XIV *Kal. Decemb. qua, quæso, facta fuerit? Opinor primo factam fuisse utramque, uno eodemque anno* CCCXIX : *secundo, utramque seorsim et diversis diebus factam fuisse : tertio, basilicam* S. Pauli *a Silvestro consecratam festo conversionis ejus* XXV *Januarii; basilicam vero* S. Petri *festo ejus Cathedræ* XXII *Februarii, ambobus festis illis anno* CCCXIX *in Dominicam incidentibus; iisdemque simul etiam deposita et inclusa utrobique corpora dimidiata Apostolorum fuisse. Opinor quarto, utriusque dedicationis memoriam tunc a Silvestro jussam esse deinceps simul recoli una die : ut qui una die passi fuerant Apostoli, eademque tamquam natali sua colebantur in Ecclesia, quique simul, dimidia sui parte, in utraque basilica quiescebant, earumdem basilicarum dedicationem haberent una die, mutua solennitate communem. Harum opinionum mearum ratio ex jam dictis haberi fere potest sufficienter; et porro colligetur ex mox dicendis de depositione Corporum utriusque Apostoli.* E

Dedicatio basilicarum.

§. *XIX. De tempore Depositionis sacrorum Corporum in basilicis utriusque Apostoli, et festis B. Petri epularum.* F

C. J.

Hanc *Depositionem Corporum, numquam amplius deinde movendorum, adscribendam quoque existimo, propter rationem jam dictam, et ad majorem actionis tam sacræ solennitatem, Dominicæ, aut alteri, ipsorum Apostolorum festæ diei, aut utrique simul concurrenti : atque propterea huic actioni æque ac dedicationi basilicarum eligo annum* CCCXIX : *quo habente litteram Dominicalem* D, *duo Apostolorum festa,* Conversio Pauli, *et* Cathedra Petri , *antiquissimis Ecclesiæ Fastis jam tum adscripta, inciderunt in duas Dominicas. His igitur ipsis affigo duplicem corporum dimidiatorum utriusque Apostoli depositionem, non ex mera conjectura. Depositionem quidem, quæ facta est in ecclesia* S. Petri *Vaticana, affigo diei* VIII *Kal. Martias, tunc Dominicæ, et ipsi Cathedræ* Petri *consecratæ : quoniam illa die lego in Laterculo Polemei Silvii, sacra et profana apud Romanos festa complexo, et sub medium seculi* V *scripto,* Depositio S. Petri et Pauli, *nimirum ratione dimidii utriusque corporis, in* S. Petri *ecclesia tali die depositi. Diei vero* VIII *Kal. Februarias affigo depositionem factam in ecclesia* S. Pauli *via Ostiensi alterius dimidiæ partis utriusque corporis : quod etiam confirmant antiquissimi Ecclesiæ Romanæ Fasti,* S.

Præter Dedicationem facta etiam Depositio Corporum,

die 22 Febr. in S. Petri,

25 Jan. in S. Pauli.

AUCTORE C. J. A *S. Hieronymo attributi; quorum quatuor vetustissima exemplaria ad prædictam diem* VIII *Kal. Februarias sic scribunt* : Romæ Translatio S. Pauli Apostoli : *solius Apostoli* Pauli *mentionem facientia tamquam potioris, quia translatio ad ipsiusmet ecclesiam facta fuit : mansitque eadem dies ipsius nomini perpetuo consecrata, quamvis secutis temporibus festum* Translationis *in* Conversionis, *quo nomine etiamnum celebratur quotannis mutatum sit, ut initio paragraphi* XVII *dictum est.*

cur illis diebus potissimum

203 *Denique refero illud,* Depositio S. Petri et Pauli, *potius ad ecclesiam Vaticanam, quam ad Paulinam extra muros Urbis; et istud,* Translatio S. Pauli, *potius ad ejusdem ecclesiam, quam ad Vaticanam; tum quia Depositio corporum commodius intelligitur facta in eodem loco, ubi jam tum ipsa aderant : et aderunt in Vaticana.* Translatio *autem fere indicat terminum ad quem, remotiorem a loco ubi prius quiescebant : tum etiam, quia ut* Depositio *utriusque affigitur festo* Petri *solius, nempe Cathedræ ejus; ita videtur quoque aptius referri ad ejusdem ecclesiam : et similiter* Translatio, *affixa festo solius* Pauli, *nempe ejus Conversioni, ad hujus quoque ecclesiam aptius referetur. Neque debui* B *Depositionem prædictam in Vaticana ecclesia, potius referre ad festum Cathedræ* Petri *Romanæ, quod* XVIII *Januarii nunc colitur, quam Antiochenæ; quantumvis illud æque ac istud anno* CCCXIX *inciderit in Dominicam; quia Cathedræ Romanæ festum seorsim minus antiquum est quam Antiochenæ; et illa ipsa die, qua perpetuo memoria Cathedræ Antiochenæ celebrata fuit in eccclesia Romana, olim etiam celebrabatur Cathedræ ipsius Romanæ memoria, uti testatur Beletus in Rationali divinorum Officiorum cap.* 83 : *atque adeo antiquitus nihil habebat dies* XVIII *Januarii, cur illa deponerentur aut transferrentur Corpora Apostolorum potius, quam quavis alia Dominica.*

et cur dies 22 Febr. etiam appelletur B. Petri epularum?

204 *Idem Beletus testatur festum Cathedræ* S. Petri *die* VIII *Kal. Martias, etiam appellatum fuisse* Festum B. Petri epularum, *ex eo quod consuetudo veterum ethnicorum fuerit ponendi illo tempore epulas ad parentum suorum tumulos, quibus ridicule credebant animas sive umbras eorum refici; cum potius a dæmoniis aut sacrificulis nocte absumerentur : quodque* viri sancti, *ut idem ait,* consuetudinem illam extinguere volentes, instituerint festum de Cathedra S. Petri, tam de illa quæ fuit Romæ, quam quæ Antiochiæ; idque illo eodem die quo abominanda illa ab ethnicis fiebant : ut solenni hoc festo pravæ istius con- C suetudinis festum omnino extingueretur. Unde etiam ab illis epulis festum hoc appellatum est beati Petri epularum. *Nempe eadem illa die* VIII *Kal. Martias in Kalendario antiquo, quod Bucherius dimidium, Lambecius integrum exhibet, notatur festum* Caristiorum : *de quo Valerius Maximus ita scribit* : Convivium etiam solenne majores instituerunt, idque Caristia appellaverunt; cui præter cognatos et affines nemo interponebatur. *Atque huc etiam spectat quod in laudato Silvii Laterculo, eadem die, post* Depositionem S. Petri et Pauli, *sic additur* : Cara cognatio, ideo dicta, quia tunc, etsi fuerint vivorum parentum odia, tempore obitus deponuntur. *Sive igitur ab his conviviis, seu potius ab epulis Feralibus, quas pridie consueverunt gentiles, festa Feralia celebrantes, opponere sepulcris defunctorum suorum, et sic parentare manibus eorum; quasque, ut ait citatus Beletus,* nocte dæmones consumebant : *sive, inquam, ab illis conviviis, seu potius ab his epulis, festum Cathedræ, etiam* B. Petri epularum *videri possit appellatum fuisse : mihi tamen credibilius est, id nominis illi festo adhæsisse; quod primi ejus institutores permiserint etiam Christianis illo die quasdam inter se et propinquos suos epulas, tamquam Agapas, in primitiva ecclesia perquam usitatas, ad fovendam atque augendam inter fideles mutuam caritatem; et sic antiquam supersti-* D *tionem convertendam in profectum veræ Religionis.*

Hæc tunc permissæ fuerunt,

tamquam Agapæ primitivæ ecclesiæ,

205 *Erat autem* Agape *convivium Christianorum publicum, et solennioribus quibusdam diebus institui batur, initio ipsis in templis, ac fere post sumptam Eucharistiam, ad fovendam, ut dixi, mutuam caritatem, et reficiendos etiam pauperes. De his et primis Christianis ita scribit Chrysostomus homil.* 27 *in Epistolam* I *ad Cor.* Statis diebus mensas faciebant communes, et peracta synaxi, post Sacramentorum communionem, omnes commune inibant convivium, divitibus quidem cibum afferentibus, pauperibus autem, et qui nihil habebant, etiam vocatis et omnibus communiter vescentibus. *Peragebantur autem tam decenter omnia, ut ne ipsi quidem gentilium sapientiores haberent, quod ibi carperent; scribente sic Plinio ad Trajanum in Epistola, ubi de cœtibus Christianorum* : Coeunt ad capiendum cibum, promiscuum tamen et innoxium. *Sed Tertullianus in Apologetico cap.* 39 *uberius et explicatius ea tractat* : Cœna nostra, *inquit,* de nomine rationem sui ostendit. Vocatur enim Ἀγάπη, id quod Dilectio penes Græcos est. Quantiscumque sumptibus constet, lucrum E est, pietatis nomine facere sumptum. Siquidem inopes quoque refrigerio isto juvamus.... Non prius discumbitur, quam oratio ad Deum prægustetur. Editur, quantum esurientes capiunt : bibitur, quantum pudicis est utile : ita saturantur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum sibi esse; ita fabulantur, ut qui sciant, Dominum audire. *Plura huc facientia videri possunt loco citato.*

etiam in dedicationibus templorum usitatæ;

206 *Sed aliis quoque locis, aliisque de causis Agapæ institui deinde cœperunt : puta in Dedicationibus templorum, in Natalitiis Martyrum, in Depositionibus Reliquiarum. Pulcherrime in rem nostram hæc tractat Gregorius Magnus Epist.* 71 *libri* 10, *qua per Mellitum Abbatem Augustino suo, ad conversionem gentilium Anglorum incumbenti, nonnulla mandat; quæ quisquis attente consideraverit, facile inducet animum ad credendum, talia prius a Silvestro permissa fuisse Romæ in dedicatione et depositione Apostolorum, quam a Gregorio præscripta fuerint Augustino inter Anglos observanda. Habebunt quoque ibidem ad quod animum intendant, qui in Sinis, aliisque cultioribus regionibus, primos Christianorum leges utiliter inducere inter gentiles cupiunt. Sic igitur mandat Gregorius* : Dicite, *Mellite, Augustino,* quod diu mecum de causa Angelorum cogitans tractavi, videlicet quia fana idolorum destrui in eadem gente minime de- F beant; sed ipsa, quæ in eis sunt, idola destruantur; aqua benedicta fiat, in eisdem fanis aspergatur; altaria construantur; Reliquiæ ponantur. Quia si fana eadem bene constructa sunt, necesse est, ut a cultu dæmonum in obsequium veri Dei debeant commodari : ut dum gens ipsa, eadem fana sua non videt destrui; de corde errorem deponat, et Deum verum cognoscens ac adorans, ad loca quæ consuevit, familiarius concurrat.

jubente Gregorio magno, in illis

sacrificia gentilium mutari

in convivia Christianorum :

207 Et *(propius hæc ad rem nostram faciunt)* qui boves solent in sacrificio dæmonum multos occidere, debet his etiam hac de re aliqua solennitas immutari; ut die dedicationis, vel natalitii sanctorum Martyrum, quorum illic Reliquiæ ponuntur; tabernacula sibi circa easdem ecclesias, quæ ex fanis commutatæ sunt, de ramis arborum faciant, et religiosis conviviis solennitatem celebrent. Nec diabolo *(huc iterum reflectant animum Præcones fidei inter gentiles)* jam animalia immolent, sed ad laudem Dei in esu suo animalia occidant, et donatori omnium de satietate sua gratias referant : ut dum eis aliqua exterius gaudia reservantur, ad interiora gaudia consentire facilius valeant. Nam duris mentibus simul omnia abscindere impossibile esse, non dubium est:

uti Deus præcepit Israelitis, ipsa animalia,

A est: quia is qui locum summum ascendere nititur, gradibus vel passibus, non autem saltibus elevatur. *Et libet alterere exemplum quod Gregorius subdit, ostendens, Deum ipsa animalia, quæ dæmonibus immolabantur, etiam sibi præcepisse offerri, non mutata sacrificiorum materia, sed solo fine. Prosequitur ergo:* Sic Israelitico populo in Ægypto Dominus ipse quidem innotuit; sed tamen ei sacrificiorum usus, quos diabolo solebant exhibere, in cultu proprio reservavit; ut eis in sacrificio suo *Dei, seu quod sibi Deo fiebat,* animalia immolare præciperet; quatenus commutantes, aliud de sacrificio amitterent, aliud retinerent: ut, etsi ipsa essent animalia quæ offerre consueverant; verumtamen Deo hæc, et non idolis immolarent; jam sacrificia *gentilium* ipsa non essent.

quæ dæmoni immolare consueverant, sibi offerri,

et cibos erogari pauperibus.

208 *Epistola quoque* 54 *libri* I, *idem Gregorius, volens oratorium beatæ Mariæ, recenter ædificatum, solenniter dedicare; quia tenuitas loci præstare non poterat sumptus, ad caritatem, pauperibus tali tempore in cibo et potu exhibendam fieri solitos; ita præcipit Petro Subdiacono:* Volumus, ut ad celebrandam dedicationem dare debeas, ad erogandum pauperibus, in auro solidos X, vini amphoras XXX, annonæ modios CC, olei orcas II, verveces XII, gallinas C. *Atque hæc occasione festi epularum* S. Petri *plus quam satis: et abunde docent, in dedicationibus ecclesiarum convivia instrui, et cibos pauperibus erogari consuevisse: ut vel inde probari etiam possit, die* VIII *Kalendas Febr. in festo Cathedræ ecclesiam* S. Petri *dicatam fuisse; quia dies et festum illud,* Epularum S. Petri *dictum fuit; et re ipsa epulas tunc parari solitas fuisse quotannis, præsumitur.*

B

In dedicatione ponebantur olim Reliquiæ

209 *Redeo ad dedicationem nostram et depositionem corporum, quas eadem die factas, sic ulterius ostendi potest ex eo quod sciamus, solicitos fuisse primævos Pontifices, ut in dedicationibus ecclesiarum deponerent Reliquias illorum Sanctorum, quorum nominibus ecclesiæ consecrabantur, si haberi possent. Sic laudatus Gregorius Papa, Epist.* 150 *libri* 5, *mittit Palladio, Episcopo Sanctonis,* Reliquias sanctorum Petri et Pauli *(puta brandea, de quibus supra* §. 5*)* nec non Laurentii atque Pancratii Martyrum, *collocandas in totidem altaribus, ipsorum quidem honori erectis, sed defectu Reliquiarum propriarum nondum dedicatis. Sic idem Epist.* 58 *libri* 2, *dedicaturus Romæ ecclesiam in honorem S. Severini, postulat a Petro Subdiacono Campaniæ, ut sibi Reliquias ejusdem Sancti debita cum veneratione transmittat. Sic Epist.* 85 *libri* 7, Januaria, religiosa femina, sibi postulat concedi Reliquias beatorum Severini Confessoris, et Julianæ Martyris; quatenus in eorum nomine oratorium, propriis sumptibus constructum, possit solenniter consecrari: *quasi sine illis non possit. Alia his similia habet alibi Gregorius, et duobus ante ipsum seculis eadem docuit S. Ambrosius, ita scribens sorori suæ:* Cum ego basilicam dedicare vellem, multi tamquam uno ore interpellare cœperunt, dicentes; *Sicut in Romana (est nomen ecclesiæ Mediolani, a S. Ambrosio structæ et consecratæ)* sic basilicam *hanc tuam* dedices. Respondi; Faciam, si Martyrum Reliquias invenero; *satis innuens, sine illis id sibi non licere. Invenisse autem, addit, divino quodam instinctu, corpora sanctorum Martyrum Gervasii et Protasii; eaque intulit in novam ecclesiam, ab ædificatore* Ambrosianam *jam tum dictam; eorumdemque Sanctorum Martyrum nominibus ipsam consecravit, sicuti antea ecclesiam quoque* Romanam, *quam dixi, consecraverat in honorem Apostolorum, depositis eorumdem in illa Reliquiis, quas Roma allatas habebat.*

illorum Sanctorum, quibus ecclesiæ dedicabantur:

C

eaque Dedicatio fieri solebat in Dominica,

210 *Addere etiam debeo, quod in prædicta ad sororem suam Epistola narrat Ambrosius,* acclamasse populum, ut in Dominicum differretur diem Martyrum Depositio: sed tandem obtentum, ut sequenti fieret die. *Quod utique indicat, invaluisse tunc usum, solennes Depositiones Martyrum facere in Dominicis: atque hic in casu præmisso, non nisi gravibus de causis, quibus etiam populus cedere debuerit,* tandem obtentum *fuisse, ut præter morem id fieret. Non tamen concludi ex eo velim, etiam Dedicationem basilicæ extra Dominicum diem contigisse, ut concludit Pagius in Critica ad annum* CCCLXXXVII. *Possunt enim rationes fuisse, quæ suaserint anticipandam Depositionem Corporum; non, anticipandam Dedicationem*[1]*: et propterea hanc reipsa, ut moris erat, in Dominica proxima peractam, illam vero anticipatam, una quidem die, juxta sententiam Baronii, referentis Inventionem ac Depositionem sanctorum Gervasii et Protasii ad annum vulgaris æræ* CCCLXXXVII; *duabus vero diebus, juxta Pagium loco citato, et juxta nos ad Acta eorumdem Sanctorum die* XIX *Junii; rectius opinantes, prædicta contigisse anno* CCCLXXXVI. *Depositio autem illa sanctorum Corporum, utra demum anticipatarum dierum facta sit; potest censeri quædam præparatio ad Dedicationem fuisse. Certe malim solennitates Dedicationis ecclesiæ, et Reliquiarum in ea Depositionis, quæ simultaneæ plerumque sunt, separare inter se, quam extra Dominicam admittere Dedicationis solennitatem; quamdiu gravior ratio aliter sentiendi allata non fuerit, quam affertur a Pagio.*

D

E

quæ a vesperis sabbati sumebat initium:

211 *Quin imo sententia, quæ una tantum die anticipat Depositionem Reliquiarum, ac proinde Sabbato eam collocat, nihil officit consuetudini jam laudatæ; quamvis etiam admitteretur, tunc dedicatam quoque ecclesiam fuisse, aut saltem dedicari cœptam. Complectitur quippe Dominica (quod attinet ad ejusmodi functiones sacras ordinationesque sacerdotales) etiam noctem præcedentem et quidquid post Sabbati vesperas labitur temporis: de quo mox clarius. Interim in Dominica olim solitos fuisse conferri sacros Ordines, innuimus num.* 200, *citato pro illa doctrina Eminentissimo Cardinali Noris; qui sic loquitur:* Juxta antiquos Canones et Latinæ Ecclesiæ ritum, Episcopi Dominica tantum die consecrabantur. *Ritum illum S. Leo Magnus Papa ab ipsis Apostolis derivat, hortans Dioscorum Alexandrinum, ut etiam ipse in Dominica consecraret Sacerdotes suos; sic* pie et laudabiliter Apostolicis morem Institutis gesturum. *Nunc vero quod Dominica a primis vesperis initium sumat, docet idem Leo Epist.* XI *ad prædictum Dioscorum scribens, illumque claris verbis monens,* ut his, qui consecrandi sunt, numquam benedictio nisi in die resurrectionis Dominicæ *(id est in die Dominica)* tribuatur; cui a vespera Sabbati initium constat adscribi. *Et Epist. mihi* 10 *ad Episcopos per Provinciam Viennensem:* Non passim, sed die legitimo ordinatio celebretur. Nec sibi constare status sui noverit firmitatem, qui non die Sabbati vespere, quod lucescit in prima Sabbati, vel ipso Dominico die fuerit ordinatus. *Et sic deponens Ambrosius Reliquias Sanctorum suorum die Sabbati, id facere potuit post vesperas; atque ita implere consuetudinem in Ecclesia receptam.* F

ac tali die SS. Apostolorum dedicatæ fuerint.

212 *Jam vero cum obtinuerit usus antiquissimis temporibus, Dedicationes ecclesiarum fieri in Dominica, deponerenturque tunc in illis etiam Reliquiæ Sanctorum, et illorum quidem plerumque, quorum nominibus ipsæ ecclesiæ consecrabantur, si obtineri possent: cur dubitemus in Dedicatione duarum præcipuarum totius orbis basilicarum sanctorum* Petri *et* Pauli Apostolorum, *ubi horum corpora ad manum erant, et reipsa in illis deposita circiter hæc tempora fuisse constat, aliter factum esse a Silvestro, quam fecerint successores ejus, Leo aliique Pontifices, qui credi debent in illa re proposita sibi habuisse exempla decessorum suorum; et quorum potius quam S. Silvestri, qui initio*

A *initio publicæ libertatis Ecclesiæ Romanæ primarias duas basilicas solennissimo ritu dedicaverat, corporaque Principum Apostolorum ibidem recondiderat?*

AUCTORE C. J.

§. XX. *Passi, necne, sint Apostoli die* XXII *Februarii.*

C. J.

P*ræmonendus hic, Lector, es, Tomum hunc usque ad hanc paginam 434 impressum fuisse jam inde ab anno secundo hujus seculi, quando ob ingruentia bella et huic urbi imminentia, jussimus sisti præla. Interea consuluit me familiariter, pro antiqua consuetudine nostra per litteras, anno* MDCCV *Romæ datus, P. Joannes Baptista Tolomeus, super quæstione in titulo proposita. Summa litterarum ejus facile intelligetur ex responso meo, quod hunc fere in modum reddidi; quodque ad solvendam quæstionem propositam sufficere poterit; præterquam quod de eadem sat multis egerimus a num. 44. Hæc igitur sunt ad confirmandam in aliquibus sententiam nostram, ibi assertam.*

Laterculus Silvii

214 *Verum est, in Laterculo Polemei Silvii, anno* CCCCXLIX *conscripto, sic notari apud Bollandum in* B *Præfatione generali:* VIII Kal. Mart. Depositio SS. Petri et Pauli. *Verum quoque est, promisisse Bollandum, fore ut Laterculum istum aliquando vulgaret integrum. Sed neque vulgatus deinceps fuit, neque amplius (quod summopere doleo) penes nos est. Commodatus fuit, antequam ego ad hæc studia accessi, P. Alexandro Wilthemio, viro erudito, Luxemburgi tunc commoranti, qui non multo post excessit e vita, et Laterculus noster numquam nobis restitutus est, licet pluries repetitus. Quæ jactura cautiores debet facere æstimatores antiquarum scripturarum, ut non sinant eas sibi e manibus elabi, nisi forte descriptas denuo.*

non probat

215 *Ceterum locus præmissus, e Laterculo Silvii a Pearsonio, ut ais, citatus, valde debilis est, aut plane nullus, ad probandum, sanctos Apostolorum Principes* VIII *Kal. Martias laurea martyrii coronatos fuisse. Ego Pearsonium quidem non legi: legi autem Carolum le Cointe, quem Pearsonius videtur secutus esse, eadem de re sic scribentem tomo 2 Annalium Franciæ pag.* 73: In illo *Silvii* opere *sive Laterculo*, quo christiana ethnicaque continentur; VIII Kal. Martii consignatur Depositio SS. Petri et Pauli, nulla Cathedræ facta mentione. Tertio *autem* Kal. Julii, quo prædicta Depositio nunc celebratur, aliove die, nulla ejusdem (*Depositionis*) extat aut Cathedræ memoria, C *nempe in Laterculo isto. Sit ita: quamvis tamen aut le Cointe, aut Pearsonius Laterculum numquam viderint, quam qua parte editus est a Bollando in Præfatione generali ante tomum* I *Januarii. Quid porro?* Hinc collige, *inquit le Cointe*, temporibus Silvii solenne festum de Cathedra B. Petri nondum fuisse: et Depositionem Principum Apostolorum coli solitam esse VIII Kal. Martii.

SS. Petrum et Paulum 22 Febr. passos esse:

216 *Pessima collectio et sequela. Silvius, qui nonnulla tantum Romanorum, tum gentilium, tum Christianorum festa annotavit in suo Laterculo, nusquam meminit Cathedræ S. Petri: igitur temporibus Silvii solenne festum de Cathedra illa non fuit. Item;* III *Kal. Julii, aliove die, quam* VIII *Kal. Martii, non fit mentio in eodem Laterculo Depositionis SS. Petri et Pauli, ergo alio die quam* VIII *Kal. Mart. Apostoli non sunt passi martyrium.*

quia dies Passionis a festo Cathedræ,

217 *Scripsit Laterculum suum Silvius temporibus S. Leonis Magni Papæ, anno pontificatus* IX: *Leo autem solenne festum Cathedræ S. Petri et celebravit ipse, et pridem celebrari consuevisse indicat, et a festo Martyrii S. Petri expressis verbis distinguit. Probat hæc Sermo ejus, ipso Cathedræ festo ad populum habitus, e Christianissimi Regis bibliotheca, inter alia Leonis opera, anno* MDCLXXV *Parisiis impressus;* D *cujus hoc est initium:* Adest, Dilectissimi Fratres, beati Apostolorum Principis gloriosa solennitas, quam tota debemus animi alacritate, tota mentis devotione celebrare. Cum enim dies martyrii ejus merito habeatur in toto orbe clarissima; hæc non impari est totius Ecclesiæ sanctæ gaudio celebranda. In illa siquidem, alternantibus hymnidicis Angelorum choris, est ineffabiliter coronatus; in ista vero, exultantibus undique fidelibus turmis, pontificali Cathedra cum magna gloria est sublimatus.

quod ante Silvii tempora solenne fuit,

218 *Antiquius etiam Silvio celebratum fuisse festum Cathedræ, clamant apographa Martyrologii Hieronymiani antiquissima: et non uno tantum die celebratum fuisse, æque clamant. Inter illa nostrum MS. sic legit:* VIII Kal. Mart. Cathedra Antiochiæ. *Antea vero dixerat:* XV Kal. Febr. Depositio Cathedræ Petri Romæ. *Similiter MS. Corbeiense:* VIII Kal. Mart. Natalis Cathedræ S. Petri, quo sedit apud Antiochiam. *Et:* XV Kal. Febr. Dedicatio Cathedræ S. Petri Apostoli, qua primo Romæ sedit. *Plura videri possunt apud eruditissimum Florentinium, impressa ad utrumque diem prædictum.*

distinguitur.

219 E *Centum fere annis ante Laterculum Silvii, conscripti fuerunt Romæ duo Indiculi, alter,* Depositio Episcoporum; *alter,* Depositio Martyrum, *appellati: Utrumque non ita pridem descripsi ipse ex vetusto codice bibliothecæ Cæsareæ Viennæ; quamvis scirem, utrumque ex alio nostro MS. olim jam impressum esse a P. Bucherio, pag. 267 Commentarii ejus in Victorii Canonem Paschalem. Ibi sub Depositione Martyrum legitur, mense Februario* VIII *Kal. Martii,* Natale Petri de Cathedra, *tamquam festum illo die jam tum celebrari solitum. Atque hinc abunde constat falsitas collectionis seu sequelæ Cointii et aliorum, cum ipso sentientium, Cathedræ festum temporibus Silvii nondum fuisse solitum coli.*

Passi sunt die 29 Junii

220 *Nunc alteram sequelæ partem, videlicet* Depositionem *(id est* Martyrium, *uti ille intelligit)* Principum Apostolorum coli solitum fuisse VIII Kal. Martii, *æque falsam esse, monstratum eo. Ex citato Indiculo Depositionis Martyrum, et apographis Martyrologii Hieronymiani certum est,* VIII *Kal. Martii celebratum fuisse festum Cathedræ S. Petri ante tempora Silvii: et S. Leo eodem die memoratum Sermonem suum de eadem Cathedra, ad populum dixisse censendus est. Jam vero idem Leo, qui unum habet Sermonem.* in Cathedra S. Petri Apostoli *(ita enim inscribitur in Codice MS.) alium habet,* in Natali Apostolorum Petri et Pauli; *ac tertium,* in Octava Apostolorum Petri et F Pauli; *atque hos duos diversis utique a primo festivitatibus dixit; quod et manifeste declarat verbis suis supra allatis, distinguens festum Cathedræ a festo Depositionis seu Martyrii. Dies qui Cathedræ S. Petri Apostoli solennis fuit jam inde a quarto seculo, supra definitus est octavus Kal. Martias; et alius,* XV *Kal. Februarias. Quis Natali Apostolorum Petri et Pauli debeatur, docent Martyrologii Hieronymiani citata apographa, dum nostrum quidem et Corbeiense* III Kal. Julias *scribunt primo loco,* Romæ Natalis Apostolorum Petri et Pauli. *Videtur Leo Sermonis sui, in Martyrii Apostolorum anniversario dicti, titulum inde sumpsisse, quia iisdem verbis usus est. Eamdem quoque lectionem habent apographa, Lucense ac Blumianum; sed insuper addunt,* Petri in Vaticano, Pauli vero via Ostiensi.

ex antiquissimis

atque ac medii ævi Martyrologiis;

221 *Eodem die* III *Kal. Julias statuunt Natalem Apostolorum, quotquot Martyrologia scripserunt uspiam, Beda, Florus, Ado, Rabanus, Notkerus, Wandelbertus, ut prætermittam recentiores. Ac ne putes, Natalem in prædictis Martyrologiis sumi simpliciter pro sola festivitate, non pro martyrio aut obitu; audi Hieronymum in Scriptoribus Ecclesiasticis. Dicet*

A *cet, Paulum eodem* XIV *Neronis anno*, eodemque die quo Petrus, *Romæ martyrium consummasse. Quo autem die? Illo utique quo Natalem eorumdem Apostolorum signat in Martyrologio suo, nempe* III *Kal. Julias: quo die nonnulli ex citatis Martyrologiis expressius notant, pro Natali,* Passionem, *ut Rabanus; aut* Martyrium, *ut Wandelbertus. Florus adhuc clarius explicat, quid ibi sit Natalis, sic scribens:* III Kal. Jul. Romæ Natalis Apostolorum Petri et Pauli; qui jussu Neronis Imperatoris, Petrus crucifixione, Paulus capitis plexione. martyrio coronati sunt. *Notandum porro venit, citatos Martyrologos omnes præter hoc festum Natale Apostolorum diei* III *Kal. Julii, etiam meminisse Cathedræ Petri apud Antiochiam* VIII *Kal. Mart. Præterea celebrant utrumque illud festum dictis diebus Liber Sacramentorum S. Gregorii Magni, per Menardum; et missale Gothicum vetus, per Thomasium edita: nec non Responsoriale et Antiphonarium, Romæ excusum non ita pridem, curante Josepho Maria Caro.*

ex Catalogo Pontificum Romanorum,

222 *Accedat his, nec ulli prædictorum auctoritate cedat hac in parte, Catalogus Romanorum Pontificum antiquissimus, sub annum vulgaris æræ* CCCLIV *scriptus, aut potius ex aliis antiquioribus Catalogis tunc concin-* B *natus; atque ex professo designans principia ac terminos cujusque Pontificatus. Ibi de Principe Apostolorum hæc leguntur:* Passus est Petrus cum Paulo die III Kal. Julii, Coss.... imperante Nerone. *Eumdem diem designant Fasti Consulares Idatiani, paucis post editum Silvii Laterculum annis desinentes: quos Labbeus noster in nova bibliotheca librorum MSS. vulgavit integros. Ita autem habent: Nerone* III, *et Messala Corvino Coss.* Petrus et Paulus passi sunt die III Kal. Julias.

et ex majore festi celebritate.

223 *Ad hæc, celebritas ipsa major Natalis SS. Petri et Pauli, qui ritu solenniore quam reliqua eorum festa, priscis etiam temporibus, colebatur, et in ecclesiasticis tabulis atque Officiis tertio Kal. Julii indicatus est, verum eorumdem Natalem seu Martyrii memoriam tunc agi solitam fuisse, probat. Sic in Martyrologio Hieronymiano Cathedra S. Petri, tam Antiochena, quam Romana; item Vincula ejus; et Translatio S. Pauli, nec Vigiliam habent, nec Octavam: at eorum Natalis habet utramque. De Natali Octavam quoque celebrat Leo Papa, non item de Cathedra. Ante Leonem scripsit S. Augustinus multos Sermones in eorumdem Natalem, et unum in Vigiliam ejus: nullum vero in Cathedram. Nam qui illi* C *de Cathedra attributi pridem fuerunt, passim nunc ei negantur, et merito, ab Eruditis.*

224 *Adde Codicem Sacramentorum Romanæ Ecclesiæ,* annis DCCCC *(ita loquitur ejus editor Josephus Maria Thomasius supra memoratus)* vetustiorem. *Is nihil habet de Cathedra; Natalem vero amplissime celebrat, proponens sub tertio Kal. Julii Missas quatuor diversas; unam,* In Vigilia Apostolorum Petri et Pauli; *alteram,* In Natali S. Petri proprie; *tertiam,* In Natali Apostolorum Petri et Pauli; D *quartam,* In Natali S. Pauli proprie: *atque insuper adjungit quintam pridie Nonas Julii,* In Octava Apostolorum. *Sed neque in Officiis tantum Ecclesiasticis major fuit priscis temporibus hæc solennitas Natalis seu Martyrii, sed etiam in populo; ita canente Prudentio, qui anno Christi* CCCXLVIII *natus fuit, Hymno* XII Περὶ στεφάνων:

AUCTORE C. J.

Plus solito coeunt ad gaudia. Dic, Amice, quid sit.
Romam per omnem cursitant ovantque.
Festus Apostolici nobis redit hic dies triumphi,
Pauli atque Petri nobilis cruore.

Agit hic Prudentius de die Natali Apostolorum, quo sanguinem suum pro Deo fuderunt, ut patet. Ait autem, tunc lætitiam populi et concursationem ad festum, atque ovationem solito majorem esse quam festis aliis, atque adeo designat diem III *Kal Julias.*

Quid per vocem Depositio, intelligi possit.

225 *Quid igitur tandem sibi vult* Depositio SS. Petri et Pauli, *notata in Laterculo Silvii* VIII Kal Martii? *Velit quidlibet, dummodo non diem obitus aut Martyrii, quem certum est significare ibi non posse: idque satis est nobis in rem præsentem. Neque tamen propterea velim assentiri Quesnello, et cum ipso Laterculum ibi* vel suppositionis arguere vel depravationis. *Potest enim Depositio istic loci, æque ac* Natalis *in supradicto Indiculo Martyrum, significare festivitatem S. Petri de Cathedra, cum commemoratione S. Pauli, si Ecclesia tunc (uti postea, atque etiamnum) consueverit utrumque Apostolum, in alterutrius festo proprio, simul colere. Aut significabit, uti sæpe alias, Translationem aliquam Corporum SS. Petri et Pauli, illo die quo Cathedra colebatur factam: quemadmodum in festo Natali eorumdem* III *Kal. Julias admitti debet (ex citata Depositione Martyrum) Translatio alia,* Petri in Catacumbas et Pauli via Ositensi, Tusco et Basso Coss. *Quid enim aliud ibi significet* Depositio? *Et cur aliud significet in Laterculo vox eadem, ubi diem Martyrii significare non potest? Neque vero mirum cuiquam videri debet, duas solennitates diversas ejusdem Sancti uno celebrari festo die. Id perquam usitatum fuit olim; atque etiam ternas ejusdem S. Martini uno die* IV *Nonas Julii celebravit (ac celebrat hodiedum ni fallor) Ecclesia Turonensis, teste Adone, videlicet,* Translationem S. Martini Episcopi, *et* Ordinationem ejus, *et* Dedicationem basilicæ ipsius. E

226 *Agere adhuc oporteret, prout promissum est* *pag.* 429 *in titulo Analectorum, de Ecclesiis Sanctorum* Petri *et* Pauli *præcipuis; illis nempe, quæ in Vaticano et via Ostiensi ædificatæ fuerunt a Constantino Magno, et dedicatæ a S. Silvestro Papa. Verum quia tractatus ille sub manu mihi crevit in molem majorem, quam ut hocce loci inter Acta Sanctorum inseri videatur debere; illum, cum aliis nonnullis, transferemus ad calcem Tomi hujus, si illic capi commode possit.* F

NOT. 24 AD CALCEM HUJUS TOMI.

DE SANCTA MARIA

MATRONA HIEROSOLYMITANA,

MATRE JOANNIS QUI ET MARCUS.

D. P.

Synopsis de ejus Hierosolymis domo, et cultu in Romano hodierno.

Pro Petro captivo

A *postolo Petro in carcerem conjecto, de quo supra est actum,* Oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo, *ut dicitur Actorum* XII, *neque fiebat frustra: qua enim nocte extremum ibi dormiebat, crastino producendus ad populum, solutus est ab Angelo. Ab hoc etiam inde eductus, et* considerans *se vere liberatum,* venit ad domum Mariæ matris Joannis, qui cognominatus

AUCTORE D. P. oratum in Mariæ domo, nunc ecclesia:

A minatus est Marcus, ubi erant multi congregati et orantes. *Idem pluribus civitatis locis eodem tempore factitatum, ubi fideles convenire solebant, dubium nullum esse potest : isti tamen domui mansit honor peculiaris memoriæ et religionis, ut monstretur etiam hodie, in ecclesiam satis speciosam conversa; eo etiam titulo, quod ibi putetur fuisse cœnaculum, in quo Christus ultimam cœnam celebravit, et Apostoli Spiritum sanctum acceperunt. Traditioni huic adstipulatur Alexander Monachus, is qui circa annum Christi* D, *aut saltem* VI *seculo, Laudationem S. Barnabæ scripsit, ad* XI *diem hujus editam a nobis et Notis illustratam; ubi ex peritorum consensu correximus dicentem, domum istam, deinde ecclesiam, esse sitam in sancta Sion, cum in civitate inferiori monstretur ab omnibus.*

ibidem creditur facta cœna et datus Spiritus sanctus:

2 *Idem Alexander de* Maria *dicit num.* 15, *quod a suo ex sorore nepote Barnaba Christi in templo præsentiam edocta, magnifica ibidem edentis miracula, seque Messiam comprobantis, continuo* admirabilis illa mulier, relictis omnibus quæ habebat in manibus, templum Dei adiit. Ubi cum Jesum templi Dominum vidisset, ad ejus pedes se abjecit, eumque sic precata est : Si gratiam inveni, o Domine, in conspectu tuo, veni ad domum ancillæ tuæ, ut ingressione tua famulis tuis benedicas. Ejus petitioni Dominus assensus est : quem mulier illa valde læta in B cœnaculum suum accepit. Ex illo igitur die, quoties Dominus Jerosolymam venisset, illic una cum discipulis suis diversabatur; quibuscum et Pascha illic fecit, ubi et mysteriorum sacramenta eosdem discipulos suos edocuit. *Hæc ille, traditionem supradictam confirmans, quam tamen parum solidam mihi*

ibidem Christus dicitur hospitari solitus,

sed hoc minus credibile.

videri fateor, dum considero, quam indefinite quæsierint a Christo Apostoli, Ubi vis paremus tibi Pascha? D *quasi supponendo nullum certum Hierosolymæ hospitium ipsi esse : unde etiam, postquam in templo prædicasset, aliquando sese in Bethaniam recepit, ibi pernoctaturus. Sed et Christus, quasi ad domum hominemque alias ignotum, eos videtur direxisse cum ait :* Ite in civitatem; et occurret vobis homo lagenam aquæ bajulans : sequimini eum, et quocumque introierit, dicite Domino domus, quia Magister dicit, Ubi est refectio mea etc.

3 *Utut est, nihil porro de* Maria *vel Scriptura sacra, vel alia ecclesiastica tradit historia; ita ut nec Græci quidem, passim soliti quoscumque, in divinis novi Testamenti paginis nominatos, commemoratione aliqua prosequi, ullum ei diem assignaverint; tantum abest, ut post tot seculorum silentium definire aliquis cum fundamento possit, quando et ubi mortua* Maria *sit. Placuit tamen recentioribus Martyrologis nonnullis, ipsam simul cum sanctis Apostolorum Principibus, tamquam eorum hospitam, hoc die commemorare his verbis :* In Cypro S. Mariæ, matris Joannis, qui cognominatus est Marcus, cujus domus Hierosolymis fuit prima ecclesia Christianorum. *Hoc ultimum, incertissimum est : et omitti posset determinatus Natalis locus,* In Cypro, *quasi* Barnabam *atque* E Marcum, *in Cypro prædicantes, illuc secuta fuerit* Maria, *forte multo prius mortua; aut, si vivebat, cur non etiam secuta sit filium Alexandriam, quem vero similiter esse* Marcum Evangelistam, *ibique sedem fixisse, censuimus in Notis ad Alexandrum præfatum, in S. Barnabæ Laudatione.*

Græcorum fastis ignota illa

inscripta est Romano Mrtio,

et Cypro attributa.

G. H.

DE SS. MARCELLO ET ANASTASIO

MARTYRIBUS ARGENTONII IN GALLIA

Comm. prævius. De eorum cultu, actis, ætate.

SUB AURELIANO

Argentonii Biturigum,

Argentonium, *oppidum agri Bituricensis inferioris, ad Crausiam fluvium, haud procul a confiniis ditionum Pictaviensis et Lemovicensis, infra in Actis* Argentomachus *dictum, vulgo* Argenton; *caput est Archipresbyteratus Argentoniensis, de quo agitur in Registro beneficiorum diœ*C *cesis Bituricensis* §. *octavo, et ibidem assignatur* parochia S. Marcelli prope Argentonium, *vulgo* Saint Marceau proche Argenton. *Philippus Labbe ad Vitam ejus, appellat* Prioratum et oppidum S. Marcelli, quod veluti ad radices Argentomachi jacet. *Jure Patronatus gaudet* Abbas S. Gildasii. *Illustravimus ad* XVII *Januarii duplicem Vitam S. Genulphi Episcopi; et in secunda, ex Bibliotheca Floriacensi Joannis Reslii, ista num.* 14 *leguntur :* His præterea Decii temporibus, alii etiam a Sede Apostolica æque Gallias directi traduntur. Ex quibus præstantissimus atque sanctissimus Saturninus, urbis Tholosanæ primus Episcopus fuit; qui post aliquod tempus sui adventus, ibidem Martyr emicuit gloriosus : Marcellus quoque, qui apud Argentonium castrum eo usque pro Christo viriliter certavit, donec palmam martyrii victor gloriose obtinuit. *Hæc ibi.*

S. Marcelli martyrium,

2 *Colitur S. Saturninus* XXIX *Novembris, qui in Actis martyrii* venisse Tholosam dicitur Decio et Grato Consulibus. *Is est annus* CCL. *At* S. Marcellus martyrium complevit in loco Argentomago, mense Junio, tertio Kalendas Julii. *Quo die, post relatum martyrium SS. Petri et Pauli, ista addit Usuardus :* Eodem die S. Marcelli Martyris, qui apud castrum Argentomachum pro fide Christi, una cum

et cultus 29 Junii.

Anastasio militari viro, martyrio coronatus est, *sive, ut cum martyrologio Romano, habent Bellinus et varia MSS.* capite plexus est. *In antiquioribus, Casinensi et Vaticano, solum indicatur memoria* S. Marcelli Martyris. *Verum ob solennitatem SS. Petri et Pauli observat Labbe,* SS. Marcelli et Anastasii festivitatem differri in aliquem proxime sequentis Julii diem, *illudque etiam fieri* in Collegio Bituricensi ob F insignes Reliquias. *Gaufredus Prior Vosiensis, in Chronico Lemovicensi cap.* 15, *asserit,* Ecclesiam de Favars gaudere, non modicam partem corporum Marcelli et Anastasii de Argentonio se tenere. *Interim cum Labbeo miramur, cur Saussayus in Martyrologio Gallicano, ad hunc* XXIX *Junii, celebrari asserat* Inventionem corporum SS. Marcelli et Anastasii, *et* agonis claram esse memoriam die XI hujus mensis : *quo die, ait,* ex altæ turris fastigio dici præcipitatos. Cujus trophæi monumentum in hunc usque diem turris ipsa, eorum cruore tincta, perstat conspicuum. *Verum nulla isto die* XI *Junii in Martyrologiis mentio eorum celebratur : et capite plexus* Marcellus *dicitur, tam in Actis, quam in Martyrologiis, absque mentione dejectionis e turri.*

Reliquiæ.

3 *Philippus Labbe tomo* 2 *Novæ bibliothecæ, inter Vitas et Elogia Sanctorum Bituricensium, edidit duplicia* Acta Passionis S. Marcelli Martyris, ejusque socii S. Anastasii. *Priora habere se profitetur ex* apographo R. P. Jacobi Sirmondi Societatis Jesu Theologi : *eadem nos ante habebamus ex MS. codice Reginæ Sueciæ, numeri* XIII *notam præferente, et ex MS. Nicolai Belfortii, ubi apparebant abbreviata. Posteriora*

Posteriora Acta prioribus adjunxit dictus Labbe cum duobus Hymnis, arbitratus ea ex prolixioribus contracta. *Neutra carent suis mendis circa initium, sed minora in posterioribus apparent, nec alia fere quam ex Actis S. Laurentii sumpta, dum componitur Pontificatus S. Sixti II cum Imperio Decii. Possent autem hæc verba*, sub Decio Imperatore, *sic explicari, ut intelligantur passi Sancti* in persecutione a Decio cœpta, et a Valeriano et Gallieno continuata : *tunc enim omnia illa sensum commodum obtinerent; essentque fratres* S. Marcelli, *quorum statim initio Actorum fit mentio, a* S. Stephano *Papa, decessore S. Sixti, missi in Gallias; non vero a Clemente; uti inepte legitur in prioribus Actis, exemplo illorum, qui viros illustres, quos Gregorius Turonensis, lib.* I *historiæ cap.* 28, *post Decii persecutionem in Gallias missos asserit, adscripserunt temporibus Clementis Papæ. Nos cum hac observatione damus initium ex posterioribus Actis, et a numero* 2 *cum aliis Actis progredimur.*

ACTA MARTYRII

Ex codicibus MSS. et editione Labbeana.

B

MARCELLUS puer, fidelissimus Christianus, litteris bene eruditus et moribus, filius Ægei infidelis, et Marcellinæ Christianæ, discipulus S. Sixti Episcopi, sub Decio Imperatore Romæ morabatur : qui videns magnam in Christianos persecutionem, consilio S. Laurentii Gallias petiit, cum Anastasio viro Christiano, ad requirendos fratres suos, a S. Stephano Episcopo Romano in eas partes missos, ad prædicandum Christi Evangelium. Qui cum ad Argentomachum usque pervenisset, ubi Heraclius Præses residebat, magnam exercens in Christianos crudelitatem : ad hospitium mulieris venit cujusdam, quæ filium habebat circiter annorum trium, cæcum, claudum, et mutum ; quæ viso Marcello ait : Domine, in te video vultum Angelicum ; obsecro te ut per orationem tuam restituas incolumem filium : credo namque in Deo tuo, quod obtinere hoc possis. Ut vidit Marcellus fidem mulieris, dixit illi : Affer filium tuum ad me, et accipiens eum, super genua sua posuit ; et imponens ei manum, oravit ad Dominum. Completa autem oratione, oculis apertis visum recepit ; et restitutis gressibus, auribusque reseratis, ruptis linguæ vinculis, reddidit eum matri suæ incolumem.

Sanat cæcum claudum, mutum ;

C

2 Tunc cum venisset Heraclius Præses ; quidam nomine Tranquillinus, dixit ei : Ingressus est in regnum tuum homo quidam, qui signa facit ; filium mulieris surdum, mutum, claudum et cæcum audire, loqui, videre, et pedibus ambulare fecit. Tunc Heraclius Præses, ira commotus, jussit illum sibi præsentari, et interrogavit eum dicens : Dic mihi, unde es ? aut de qua provincia vel civitate huc venisti ? et quæ signa facis ? S. Marcellus respondit ; Christianus sum ; ab urbe Roma exivi, et propero ad civitatem Tolosanam, ubi fratres mei Saturninus et Dionysius *a* commorantur. Tunc Heraclius ait : Dic mihi vocabulum patris et matris tuæ. Respondit puer, et dixit : Pater meus Ægiathes, et mater mea Marcellina. Respondit Præses, et dixit : Quantum video, latuisti nobis ? mutos loqui facis, magnum Apollinem despectum habes : dic mihi, quem Deum colis ? S. Marcellus respondit : Ego adoro Dominum Jesum Christum, Salvatorem nostrum. Præses dixit : Die crastina ingredere, et sacrifica Apollini, et Herculi, et Dianæ matri deorum *b*. S. Marcellus dixit : Deos quos tu dicis, non sunt Dii, sed sunt perditio animarum et credentium in eis. Tunc jussit Præses S. Marcellum comprehendi, et in eculeum extendi, et a lictoribus cædi ; jussitque eum deponi, et dixit : Aurelianus Imperator, singulis Administratoribus atque Rectoribus qui cum eo sunt, jussit membra eorum, qui se Christianos dicunt cacabo comburi, et in craticula assari *c* : tu vero audi nos, et non multa tormenta patiaris. Sanctus Dei Marcellus respondit : Tormenta tua ego, Præses, non timeo ; quia habeo fidem meam, quam per baptismum accepi. Tunc Præses jussit in renibus ejus lapidem magnum imprimi, ut facile membra Beati disrumperentur. Ut vidit Præses quod tormentis suis nihil famulo Dei noceret, jussit eum in craticula assari. Et dum assaretur Sanctus Dei Marcellus, dixit de craticula ad Præsidem : Præses, jam assata est caro mea ; *d* comede.

a

fidem professus.

b

cæditur in eculeo,

D

c

lapide premitur,

in craticula assatur

d

3 Et dixit ad eum Præses : Per Deum Solis, et per septuaginta et septem deos, et Dianam matrem Deorum, quia variis tormentis faciam te interire, si non sacrificaveris magno Apollini et Herculi ; et, si eis sacrificare volueris, secundum te faciam in regno *e* meo. Dixitque ei S. Marcellus : Si vis ut sacrificem diis tuis, congrega omnes Principes tecum, et adsistam in Palatio ego et sacerdotes deorum tuorum, ut omnes videant quia sacrificem Apollini. Tunc Præses jussit ministros circumire, et dicere ut omnes populi convenirent in templum deorum, quia Marcellus famulus Christi sacrificabit deo magno Apollini. Mulier vero, cujus filius per orationem S. Marcelli restitutis oculis, auditu, et gressibus erat incolumis ; dissolvens crines capitis sui, et scindens vestimenta sua, et tollens filium suum, transivit per mediam turbam populorum, et clamavit voce magna dicens : Væ tibi, Marcelle, qui mortuos suscitasti, cæcos videre fecisti, claudos ambulare, et nunc ingressus es Apollini sacrificare? Destruis hodie populum, qui per te in Christo credere desiderabat. Tum dicebat : Domine, non permittas hoc fieri : dicebat etiam ad idolum : Væ tibi, diabole, et operibus tuis. Sanctus vero Marcellus, audiens vocem mulieris, obstupuit. Facto silentio vocavit eam, et dixit ei : Depone infantem in terram ; et cum dimisisset infantem, dixit : Christus qui illuminavit abscondita tenebrarum, ipse tibi imperat ; Sta super pedes tuos, et veni huc. Eadem hora statim surgens, venit ad famulum Dei ; et inclinans Sanctus, manu levavit infantulum, et dixit ei : Tibi dico, puer, ingredere in templum Paganorum, et dic Apollini ; Exi velociter, vocat te famulus Christi. Et ingressus puer in templum, dixit diabolo : Appollo, tibi dico, diabole surde, sine voce mute, absque manibus et pedibus, qui es perditio animarum rite credentium, famulus Christi vocat te foras. Eadem hora exivit foras, et cœpit clamare : Jesu Nazarene, omnes ad te traxisti, et infantulum istum de potestate mea eripuisti. Et veniens dæmon, stetit ante famulum Dei, dixitque ad eum S. Marcellus : Tu es deus Paganorum ? Respondit dæmon, et dixit : Nonne cognoscis, Marcelle, qui sum ? Ego sum verus deus in me credentium, et non maneo super statuas. S. Marcellus dixit : Miser, tu contra te egisti, et projectus es de regno Dei ; impero tibi ut in abysso consistas, et ibi esto usque in diem magnum judicii, quando redditurus eris rationem pro animabus quas perdidisti. Et ingresso S. Marcello, omnes statuæ Herculis *f*, quæ ibidem aderant, ceciderunt, et in unum factæ sunt sicut pulvis : et dixit S. Marcellus : Fugite dii Paganorum, descendite in inferiora terræ cum patre vestro diabolo. Et dixit Præses ; Marcelle, ego te rogaveram, ut tu diis meis sacrificares ; nunc tu eos comminuisti, et læsisti eos.

e

Ironice sacrificaturum se spondens

E

per puerum evocat diabolum ex Apolline,

F

et ad inferos mittit,

statuasque verbo dejicit :

f

4 Iratus Præses, jussit eum extendi, et cædi fustibus ; et jussit venire ministros suos, et dixit : Exhibete

A *a cacabo ferventi illæsus* Exhibete cacabum, et infundite in eum sulfur, picem, et stuppam et bitumen; præcepitque Sanctum in cacabum mitti. Et tunc ebulliens cacabus, levavit flammam cubitis quindecim, et nihil mali gessit; et jussit Sanctum in craticula deponi. Et stetit super pedes suos, et surrexit S. Marcellus sicut fuerat et nulla in eo apparuit plaga. Et dixerunt circumstantes; Dei misericordia est apud hominem istum, quia superavit omnia opera tormentorum, et comminuit omnem stabilitatem eorum. Et cum hæc dixissent, iratus est Præses; et jussit S. Marcellum in custodia teneri, quousque cogitaret quomodo eum perdere posset *decollatur.* Tunc dixit Præses ministris, ut producerent Sanctum foris de custodia, et ducerent eum in montem, et decollaretur, quia nullum tormentum famulo Dei Marcello nocere potuit. Complevit autem S. Marcellus martyrium suum in bona confessione, in loco Argentomago, mense Junio, tertio Kalendas Julii, sub Aureliano Imperatore, et Heraclio Præside.

5 Cum vidisset B. Anastasius, qui erat minister S. Marcelli, quod eum interfecissent; flectens genua sua, oravit ad Dominum horis duabus, et dixit: B Domine Jesu Christe, qui eduxisti nos de terra *S. Anastasius* ubi nati sumus, et eripuisti nos de manu inimici diaboli, quia secuti sumus te, Domine Deus omnipotens, et glorificavimus nomen sanctum tuum; noli me separare a famulo tuo Marcello, ut cum ipso merear ad agnitionem veritatis introire. Tunc ait *in eculeo cæsus moritur.* Præses: Anastasi, sacrifica diis, ut non per multa tormenta pereas, quæ Marcellus magus in nostra præsentia passus est. Dixit ei Anastasius: Diis tuis ego, Præses, abominationem facio, quia fidem habeo, quam per baptismum accepi. Tum Præses iratus jussit eum in eculeo suspendi, et dum cæderetur tradidit spiritum. Complevit autem beatus Anastasius martyrium, una cum beatissimo Marcello, quinta *g* sabbati hora nona, regnante Domino nostro Jesu Christo, cui imperium, virtus et potestas D in secula seculorum. Amen.

ANNOTATA D. P.

a *Si* SS. Saturninus et Dionysius, *hic Parisiensis, ille Tolosanus primus Antistes, intelliguntur; fictitia est hujusmodi fraternitas, alios vero nullos Tolosani noverunt.*

b Dianam, *nemo Gentilium Poetarum vel Rhetorum* Matrem Deum *nuncupavit; etsi* Diana *Ephesiorum multimamma pingatur.*

c *Non est credibile quod* Aurelianus *vel alius quispiam Imperator, in suo contra Christianos edicto, specifice designari tormenta, quibus essent excruciandi; crudelissima quæque in genere præscripserunt aliqui ex posterioribus.*

d *Ex Actis S. Laurentii mutuo id sumptum.*

e *Inepte* regnum suum *dicit; qui solum Præses Provinciæ erat.*

f *Si plures Herculis statuas uno in templo imaginatus est sibi Auctor, vel etiam uno in templo deos plures cultos; næ ille prorsus ignoravit superstitionem, qua diligentissime cavebatur, ne dubium esset cui adscribendum esset portentum, si quod ibi accideret, dignum publico piaculo procurari.* E

g *Unde potuit, in re tam antiqua, tam distincta notitia haberi Feriæ* quintæ Sabbati, *id est, hebdomadæ uti ego interpretor, sicuti Matthæi* 28, 1, *Dominica dies dicitur,* quæ lucescit in prima Sabbati? *Si certa ea esset, certum quoque foret, passos fuisse Sanctos anno Aureliani* 2, *Christi* 271: *neque enim alius quam hic, sub cursu litteræ Dominicalis* A, *concurrere vidit diem* 29 *Junii cum feria* 5; *quia Aurelianus periit an.* 275.

Ad extremum moneo, ex eorum genere hæc Acta esse quæ, deficientibus veris ac certis, plura post secula compilata fuisse, pro ingenio eorum, qui talia malebant habere quam nulla, jam sæpe censuimus.

D. P.

DE S. SYRO

EPISCOPO GENUENSI IN LIGURIA

De die mortis et cultus; scriptore Vitæ; ecclesia et ætate Sancti.

C *Post an. MCXXX.* Martyrologium *Gregorii XIII jussu anno* MDLXXXIV *editum, vir Genuam pervenerat: cum Civitas illa clarissima doluit, Sanctorum apud se Episcoporum, quorum illa annue celebrabat festa, positum istic neminem, præter* Salomonem, *relatum ad* XXIV *Septembris, ex unius Petri de Natalibus Episcopi Equilini Catalogo Sanctorum; qui tamen catenus nullo cultu publico a ferialis civibus solenniter colebatur, præteriri autem* S. Syrum, *omnibus notissimum, et ecclesiæ apud se olim Cathedralis Patronum titularem. Cum igitur ecclesia hæc quæ, anno* MDLXXV *Clericis Regularibus, quos Theatinos dicimus, tradita fuerat, ab iisdem insigniter restituta esset antiquo splendori; eorum ibi Præpositus Marcus Palescandalus (ut sui eum vocant, non Parascandalus) scripsit Baronio, augendi corrigendique Martyrologii præcipuo curatori; deque* S. Syro *monumenta quædam misit sub* publici Notarii fide, *in* cujus authentica scriptura *expressum habebatur;* Anno Domini MCCLXXXIII, die VIII Januarii, cum ab Ogerio Abbate ejusdem ecclesiæ primarium restitueretur altare, quod ejus mensa lapidea fracta esset; tres distinctos loculos repertos esse, in quibus tria Sanctorum corpora recondita erant.

Secundæ Romani Mrlii recognitioni additus hac die est,

ex fide Epitaphii an. 1283 retecti,

2 In eorum primo, lamina plumbea, quid intus lateret, his descripta litteris, significabat ✝ M. S. HIC REQUIESCIT CORPUS SANCTI SYRI, EPISCOPI JANUENSIS. OBIIT III KALENDAS JULII. FILIUS ÆMILIANI. F In secundo autem loculo, alia plumbi lamina, sic scripta, inventa est. ✝ M. S. HIC REQUIESCIT SANCTUS FELIX EPISCOP. JANUENS. QUI VIXIT ANN. LXX. REXIT EPISCOP. XX. RECESSIT VII IDUS JULII. In tertio autem loculo nulla erat inscriptio; sed *(ut habent eadem publica Acta)* corpus illic positum, existimatur esse S. Romuli, ejusdem civitatis Episcopi. *Hactenus Baronius, in Annotationibus ad hunc diem; postquam Martyrologio ipsi, proximo post Martyres loco, sic inscribi curasset;* Genuæ Natalis S. Syri Episcopi: *quod intelligi vult, cap.* VIII *Commentarii sui prævii, uti et in pauculis aliis sic additis,* ejus cujus summa est in Ecclesia auctoritas, constanti voluntate se fecisse. *Cur idem non fecerit pro* SS. Felice et Romulo, *quorum hic* XIII *Octobris, iste* IX *Julii colebatur, aliam causam non invenio; quam quod pro his, solum ex occasione nominatis, non institerit prædictus Palescandadus; qui nec de* S. Joanne Bono, *nec de* S. Valentino, XIX *Januarii et* II *Maji commendandis, solicitus fuit, utpote ad suam ecclesiam non spectantibus: quia* S. Joannes *in hodierna Cathedrali sepultus,* Valentinus *autem ab ecclesia* S. Syri *ad eamdem Cathedralem translatus fuit anno* MCCXL.

omissis aliis sanctis Episcopis Genuæ,

3

A

ubi ab olim colebatur 6 Julii,

3 *Quam illa Palescandali cura, pro solo* S. Syro, *grata acciderit Genuensibus, nescio : ut dubitem, facit Instrumentum per omnia simile ei, unde in Appendice ad* II *Maji dedi Vitam* S. Valentini *præfati ; in quo ita, ut hæc ibi, refertur Transumptum Vitarum S. Syri et S. Romuli,* ex *eodem* libro magno chartæ pergamenæ manuscripto, et in sacristia ecclesiæ majoris Genuæ asservari solito, *factum et lectum coram Notario et testibus, affirmantibus,* quod alias (jam sunt plures atque plures anni) Vitæ prædictorum S. Syri et S. Romuli respective legebantur et recitabantur in choro dictæ ecclesiæ, in recitatione Officii. *Transumptum autem istud, sic authentice factum notatur,* anno a Nativitate Domini MDCVIII, Indictione V, secundum Genuensem cursum, die Lunæ XXIV in Vesperis ; *id est anno nostro* MDCVII. *Sic transcripta* S. Syri *Vita, prorsus convenit cum ea quæ extat apud Mombritium Tomo* 2 ; *nisi quod, ubi hic legit num.* 7 : Diem autem obitus ipsius esse cognoscite in die Passionis beatissimorum Apostolorum Petri et Pauli.... *et rursum infra num.* 9 : Depositio beatissimi Sacerdotis et Confessoris Syri constat esse tertio Kalendas Julias ; *ibi ex Genuensi MS. utrobique legitur,* secundo Nonas Julii. *Primum, genuinum esse puto Auctoris ipsius contextum ; secundum vero, ab ipsius Codicis scriptore substitutum, quia ecclesia Genuensis, tunc cum Codex iste scribebatur, colebat* S. Syrum *in die Octava Apostolorum.*

juxta Vitam ibi in Legendario scriptam,

B

4 *His consideratis, vehementer dubito, placueritne Clero Genuensis Cathedralis, quod alio quam quo is* S. Syrum *colebat die, quoque in suo Legendario mortuus legebatur, fuerit Romano Martyrologio inscriptus. Quo enim alio, nisi ad petendam mutationem diei, potuit servisse diligentia hæc transcribendæ ex suo codice Vitæ, quæ jam ex Mombritio habebatur, et a Palescandalo videtur fuisse ad Baronium missa ? Sic enim hic in iisdem Annotationibus scribit :* Accepimus ab eodem ejusdem sancti Syri Acta quædam MSS. *in quibus si fuisset aliqua ab Epitaphio differentia diei, haud omisisset annotare Baronius, fortassis etiam dubitasset utrum diem tenere præstaret. Fueritne tamen Romæ res illa mota, ipso quo transcripta Vita notatur anno, an vero dumtaxat aliquot annis post, non possim definire : nec enim habemus primum istud Transumptum, sed ex hoc acceptum secundum, sub authenticatione hujusmodi.* † Et quia ego Jacobus Cunctis qu. Lazari, publica Apostolica, Imperiali et Genuensi auctoritatibus Notarius, suprascriptum Transumpti instrumentum, ex protocollis instrumentorum, compositorum per tunc Marcum Antonium Meltinum, Notarium et Curiæ Archiepiscopalis Genuensis Cancellarium, existentibus penes me Jacobum. Notarium et ejusdem Curiæ Archiepiscopalis Cancellarium, extrahi feci ; ideo me subscripsi, signumque meorum instrumentorum, hac die XI Maji MDCXII, apposui consuetum, in fidem et testimonium præmissorum. *Ipsius autem legalitati mox testimonium addit,* Papinianus Dinalius Regiensis, I.V.D. Protonotarius Apostolicus, Canonicus ecclesiæ S. Mariæ in Via-lata almæ Urbis, Illustriss. et Reverendiss. D. Horatii Caroli Spinulæ, Archiepiscopi Genuensis, Vicarius Generalis ; *idem, coram quo constitutus* Magnif. D. Antonius Maria Montebrunus, qu. Francisci, Patricius Genuensis, *primum Transsumptum authenticari fecerat : cui posteriori authenticationi* sigillum Curiæ Archiepiscopalis *affixum, repræsentare videtur* S. Syrum, *cum libro in sinistra, mitra, pedo, ac pluviali Episcopaliter stantem ; subscribitque* Silvester Marcellus, Notarius et Curiæ Archiepiscopalis Genuæ Cancellarius. *Atque hoc est instrumentum, quod Romæ inventum Janningus redemit, fortassis anno* MDCXII *primum ad informationem causæ illuc allatum.*

qua Romam missa actum videtur de mutando die ;

C

anno 1612.

D

AUCTORE D. P. Vitæ scriptor Episcopus Genuensis,

5 *Auctor Vitæ, vel omnino nomen suum tacuit, vel per solam litteram initialem, a transcribentibus non intellectam, ideoque omissam, indicavit ; nunc autem absque eo sic legitur :* Ego pusillus, orthodoxus quidem Episcopus... ineffabilem clementiam... humo stratus obsecravi, ut ea quæ a præcessoribus meis didici... Christianæ huic plebi ad memoriam revocarem. Quocirca sermo mihi est de S. Syro, hujus quidem Genuensis Ecclesiæ Sacerdote, cujus Vitam... propagavi, sed et Notario meo scribendam dictavi, et... in simplicitate sermonum, beatissimi viri innotescendam virtutem deprompsi. *Ex his primum apparet, scriptam esse Vitam ante annum* MCXXXIII, *quo* Syrus, *hujus nominis II Genuensis Episcopus, ab Innocentio Papa II titulum Archiepiscopi sibi ac successoribus suis gerendum accepit, per Bullam quæ extat apud Ughellum tom.* 4 *col.* 1186. *Deinde ex illa, quam præfatio præfert, Auctoris humilitate et singulari erga* S. Syrum *devotione, fundamentum datur suspicandi, quod ipse sit, qui anno* MLII, *Indictione* V, *Chartulæ donationis quarumdam Decimarum, ecclesiæ S. Syri attributarum, subscribitur,* Obertus humilis Episcopus ; *eumdem autem sic orditur* Obertus, Dei gratia Januensis Ecclesiæ Præsul indignus.

fortassis fuit Obertus,

E

6 *Devotionem porro suam idem ostendit, cum chartulam sic orditur :* Facile intelligimus omnes, ad officium Episcopi pertinere, erga omnes qui illius curæ commissi sunt, paternam pietatem impendere et de salute omnium pervigilem curam et solicitudinem gerere, et omnibus misericordiæ auxilio indigentibus manum misericordiæ prout potest extendere ; et illis præcipue, qui relicta hujus seculi vanitate, omnipotentis Dei servitio corpus et spiritum intelliguntur consecrasse. Nos igitur, qui cunctarum Januensis Episcopatus ecclesiarum curam suscipimus, B. Syri Confessoris ecclesiam negligere non debemus, quæ et Episcopatus hujus extitit caput. Nam hujus Pontificatus sanctissima atque gloriosissima Sedes ea fuisse cognoscitur ; et inopia et paupertatis onere premitur, [et ibi] juxta sanctissimi Patris Benedicti instituta diligentissime vivitur, et spiritualis militiæ disciplina sub Domino Ansaldo Abbate non instrenue custoditur. Pro his itaque aliisque rebus, dignum satis et justum esse videtur, ut abundantiori circa illam caritate flagremus ; et ejus beatæ paupertati misericorditer condescendentes, aliquod solatium præstemus. Ergo dum apud nosmetipsos cogitando revolvimus, quid prædictæ ecclesiæ, unde ejus paupertas temperetur, addere valeamus ; ecce subito ad nos quidam, [divina] ut credimus inspiratione commoti, venerunt, precantes et postulantes, ut ipsorum Decimas eidem ecclesiæ concedamus ; et rogant ut pro anima Domini Imperatoris hoc faciamus, et ibi se libenter, si hoc fecerimus, summa cum devotione, Decimas daturos promittunt, ubi parentum suorum defunctorum corpora requiescant. *Fuerant nempe Decimæ illæ controversi inter possessores et Episcopos juris ; ideoque rogandus* Obertus *fuit, ut eas donaret etiam ipse.*

anno 1052 bene meritus de ecclesia S. Syri,

ejusque monasterio Ord. S. Benedicti,

F

7 *Sciendum est autem, quod cum* Joannes II Januensis Episcopus, circa annum DCCCCLXXXV, sedem Episcopalem transtulisset ex eadem S. Syri ecclesia, ad ædem S. Laurentii intra urbis mœnia, Landulfus ejus successor anno DCCCCXCIV, in eadem S. Syri ecclesia Benedictini Ordinis Monachos constituit, sub Abbate Petro ; ubi per multa secula summa religione monasticus viguit Ordo ; donec Commendatariorum injuria cœnobium pene collapsum est ; et amotis Monachis, anno MDLXXV ecclesiam illam Clerici Regulares Theatini in laxiorem firmioremque formam redegerunt, nobili e regione constructo cœnobio,

fundato sub an. 994 :

AUCTORE D. P.

ubi tertius loculus, an. 1263 retectus,

non potest fuisse S. Romuli;

A cœnobio, ubi pristinam illam Apostolicam vivendi formam, ex integro redditam, sancte pieque colunt. *Ita Ughellus col.* 1158, *ubi et Catalogum texit Abbatum ipsius loci; et secundum statuit pro anno* MXXXVI Ansaldum; *decimum tertium vero* Ogerium, *sub quo in lucem reproducti anno* MCCLXXXIII *fuerunt loculi Sanctorum* Syri *et* Felicis, *alteriusque Anonymi. Hic autem mihi non recte videtur credi esse* S. Romulus: *nam qui illud circa annum* DCCCC *ex villa Matutiana, primæ suæ sepulturæ loco, Genuam transtulit* Sabbatinus, Pontifex Januensis, Epitaphium hexametris et pentametris versibus peregit, mormoreæque inscriptos [tabula] fronti arcæ, qua Beati corpus Romuli continetur, imposuit. *Tale autem nihil inventum est cum tertii corporis loculo.*

sed alterius anonymi ex 5 primis.

In his alias credidi S. Valentinum fuisse,

8 *Hunc ergo potius dixerim* S. Salonis *vel* Salominis *esse (si talis aliquis olim Genuæ fuit) vel alicujus ex iis quinque, qui S. Felicem,* S. Syri *decessorem, creduntur præcessisse; vel etiam ex successoribus, quorum a* S. Romulo *usque ad* Joannem I, *anno* DCLXXX, *Concilio Romano sub Agathone Papa subscriptum, solum duo nominantur; scilicet* Diogenes, *qui anno* CCCLXXXI *Aquileiæ adfuit; et* Paschasius, *qui* CCCCXL
B *sub S. Leone I vixit. Equidem conatus fui tomo* 7 *Maji in Appendice ad diem ejus* 2, *sic ordinare* S. Valentini *Chronologiam, ut eum quem* annis XII, mensibus XI *tenuisse Episcopatum constabat ex Epitaphio, et* Indictione XIII *defunctum; anno* CCCXXV *vel* XL *mortuum statuerem; ac deinde succedere ei facerem* SS. Felicem, Syrum, *ac* Romulum; *qua ratione oportuisset omnes implicari sævissimis illis tempestatibus, quibus post Orientem jam inde ab anno* CCCXV *concuti cœpit, involutusque etiam Occidens est sub Imperatore Constantio; et in Arelatensi atque Mediolanensi Synodis, anno* CCCLIII *et* LV *in Gallia Italiaque congregatis, sus deque actus, compulsis exulare Episcopis, qui Athanasii damnationi recusabant subscribere.*

nunc SS. Syro et Romulo postponendum censeo,

ordinatum circa annum 342,

et obiisse an. 355.

Syrum autem cœpisse an. 323,

9 *Nunc vero, cum attentius considero singulorum Vitas, nullamque in iis mentionem reperio Arianorum Occidentem turbantium, cum quibus illis aliquid negotii fuerit; tum etiam relegens nomina Episcoporum, qui Concilio Romano qualicumque, sub S. Silvestro Papa, anno Christi* CCCXXIV, *interfuisse scribuntur plusquam ducenti octoginta; nominanturque in Actione prima, apud Labbeum tomo* I *Conciliorum, col.* 1546; *et inter primos inveniens nominatum* Syrum; *pene cogor credere, hunc ipsum esse, de quo hic agimus,*
C *tunc recens* S. Felici *suffectum. Cumque hic aliquot annis Episcopatum tenuisset, atque post illum* Romulus, *usque ad annum circiter* CCCXLII; *successerit* Valentinus, *defunctus* die secunda post alendas Maji, Indictione XIII, *adeoque ipso anno* CCCLV; *grandi sua* LXXV *annorum ætate facile excusabilis, si Arelaten accedere non potuit, et ipsa sua morte præreptus exilio; quod alioquin eum Mediolani manebat, cum SS. Dionysio. Eusebio atque Lucifero si parem cum iis constantiam tenuisset, uti facturum fuisse ejus sanctitas persuadet. Sit igitur, ex eorum opinione, qui in ordine Episcopali sextum* Felicem *statuere antiquitus didicerunt, non quintus, sed nonus,* Valentinus; *cujus successor, in Ariminensi Concilio seductus cum ceteris, meruerit tradi oblivioni, et quisquis alius ante* Diogenem *sedit. Maneant etiam septimus atque octavus,* Syrus *et* Romulus, *quibus non virtus, sed occasio tolerandorum gravium malorum defuerit: quæ occasio defuisse non potuit quinque decessoribus* Felicis, *gravissimarum persecutionum tempore ecclesiam illam moderatis, fortassis etiam Martyrio coronatis; quorum tamen et acta et nomina perierint, in sævissima ac novissima Diocletiani et Maximiani persecutione.*

et obiisse post 330 Genuæ

ubi nunc colitur 7 Julii cum Octava.

† M. S. in Epitaphio quid sint?

10 *Ex quibus omnibus tandem conficio,* S. Syrum *intra annum* XXX *et* XL *seculi* IV *defunctum fuisse,* in die passionis beatissimorum Apostolorum Petri et D
Pauli, quorum doctrinam Præsul optimus adeptus est: quo equidem die cœlesti meruit coronari triumpho *(ut legitur in Vita apud Mombritium) sed pridem coli cœptus Genuæ sit die* VI *Julii, in Octava eorumdem Apostolorum; ac denique, ne hæc quoque imminutionem aliquam pateretur, die* VII *ejusdem Julii; quando etiam ordinatum fuit, ut* S. Syrus, *velut ex præcipuis Patronis unus, celebraretur cum Octava; quemadmodum invenimus in Officiis propriis sanctæ Genuensis Ecclesiæ, ex Apostolica concessione, et Stephani Cardinalis Duratii Archiepiscopi jussu recognitis, atque iterum editis anno* MDCXL. *Quærat ad extremum aliquis, quid in Epitaphiis* SS. Syri *et* Felicis, *sicut apud Baronium leguntur impressa, velint sibi tres primæ notæ* † M. S. *nusquam alibi sic inveniendæ quod sciam, inter tot centenas a Grutero collectas Inscriptiones antiquas. Si divinare sit opus, dicam, æquivalere posse huic sententiæ;* Crux mundi salus, *vel* Christus mundi salvator: *sed optabo ut prodeant plura exempla, quæ probent hujusmodi formulas in Liguria vel Insubria usitatas in Christianorum sepulcris fuisse: feliciorem autem conjecturam si proferat aliquis, libenter amplectar.* E

An Genuæ alius S. Syrus

Episcopus junior,

seu Episcopus, seu Martyr.

11 *Porro* Syrum, *quem supra dixit, sui nominis secundum Episcopum Genuensem, Ughellus* Sanctum *nominat æque ac primum; et post plura illius præclara acta, per annos* XXXIII, *quibus Sedem tenuit, decessisse, ait col.* 1202, anno MCLXIII, postrema die mensis Decembris. *Ego in Kalendario festorum illius Ecclesiæ, quod Propriis Officiis prælaudatis præmittitur, unicum tantum* Syrum Sanctum *reperio; si tamen illi absque Officio impenditur cultus aliquis, qualis,* Beatis *multis solet, idque nobis explicetur, non gravabimur ei locum in nostro opere ad Decembrem dare: ideoque placuit hoc indicare. Augustinus Justinianus, Nebliensis in Corsica Episcopus sub Archiepiscopo Genuensi, lib.* 1 *Annalium Genuensium Italice scriptorum et Senatui oblatorum anno* MDXXXV, *cap.* 25 *agens, de* S. Valentino *ejusque successoribus, usque ad* Theodulfum, *qui sub medium seculi* X *floruit, existimat errare eos, qui credunt,* Ecclesiam S. Syri *(e qua, S. Gregorius narrat lib.* 4. *Dial. cap.* 23, *noctu per dæmones extractum fuisse hominis cujusdam libidinosi, jam sepulti, cadaver) esse* S. Syri Episcopi, *de quo hic agimus. Ratio Justiniano est, quia S. Gregorius ecclesiam ibi nominat* S. Syri Martyris, *et non meminit, illum fuisse* Episcopum Genuensem. *Infirma ratio. Quia jam alibi diximus, S. Gregorium in hujusmodi titulis* F
parum accuratum, occasionem dedisse geminandi Sanctos Herculanos, Zenones, Juvenales *absque ulla verisimilitudine. Validior igitur probatio sit; quia ecclesia, quæ nunc S. Syri, quo de agimus, Episcopi est, priscis temporibus* Sanctorum Apostolorum *appellata fuit; nec S. Syri nomen accepit, nisi ab inventione sacri corporis ejus, diu post tempora S. Gregorii. Fuerit igitur alius olim Genuæ* S. Syrus Martyr, *cujus memoria deinde oblitterata, aut cum celebriore S. Syri Episcopi confusa sit. Nota, Lector, num.* 3 *hujus Commentarii* ℣ 16 *post* — XXIV — *addendum esse* — Martii.

VITA

Auctore verosimiliter Oberto Episc.

Ex Mombritio et MS. Ecclesiæ Genuensis.

Auctor Episcopus,

Crescit in augmentum fœnoris fides, Catholicæ Ecclesiæ spes roboratur, futura præmia pensantur, et caritas in Trinitate propagatur atque solidatur, quando sanctorum Patrum gesta narrantur. Idcirco ego Pusillus, Orthodoxus quidem Episcopus, nulla eloquentiæ scientiæque fultus doctrina, parvi quin imo

A imo ingenii, divinarum Scripturarum perscrutator, denique solummodo Sanctorum fruens amore; Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, qui docet hominem scientiam *a* obsecravi; sicut etiam per semetipsam Veritas dicit; Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Igitur quia Catholicus et amator rectæ fidei inspicior, attamen non carens contagio vitiorum, quorum sub pondere delictorum angor; Dei omnipotentis ineffabilem clementiam fusa prece atque lacrymabili voce, humo sæpe prostratus, obsecravi: ut ea quæ a prædecessoribus meis didici, Spiritu sancto revelante, Christianæ huic plebi ad memoriam revocarem. Quocirca mihi oritur sermo de sancto ac beatissimo Confessore Syro, hujus quidem Januensis Ecclesiæ Sacerdote, cujus Vitam, Christo præsule, mecum summa cum veneratione ac diligenti cura conferendo, propagavi; sed et meo Notario scribendam notavi; non in sublimitate, aut fallaci verborum adulatione, quibus semper veritas occultatur et defraudatur; sed tantummodo in simplicitate sermonum, Acta beatissimi Viri innotescenda christianæ Congregationi deprompsi.

a Mat. 10, 20

accepta a Majoribus Acta

facit a Notario suo scribi.

2 Beatissimus Syrus, ortus ex loco, quæ nuncupatur Imiliana *b*, non longe a civitate Januensi, B plus minus millia quatuorbina; in quo loco, proprio cespite, oraculum *c* nomini ejus usque in præsentem diem constat esse fundatum. Quæ cum ita sint, absque ulla ambiguitate verum esse constat. Qui cum ab infantia *d* sua sanctæ meditationis floreret fructibus, a genitoribus suis sancto Felici Januensi Antistiti oblatus est: quem vir Dei certe, ut mos Sacerdotum est, omni cum divina traditione instruxit. Erat enim Beatissimus Syrus in cunctis bonis operibus præditus, ita ut a cunctis veneraretur, et diligeretur. Unde factum est, ut sanctus Sacerdos Felix dignum officio ministerii altaris sublimaret. Et *e* dum lætus juxta ordinem suum, in titulo qui vocatur hactenus Dextera, sacrificium Sacerdos libaret; et in eodem die ad mensam Dominicam assistens, ibi sanctus minister Syrus ministraret, [et] idem Antistes Christianæ plebis vota persolveret, super holocaustum protinus splendor emicuit, atque radiavit. In quo fulgere dexteram *f* Domini meruit videre S. Syrus: qua visa trepidus beatus minister, humo se prostravit, donec Sacrificium suppleretur.

b

c Natus in agro Genuensi,

d

et a S. Felice ordinatus Levita,

e

dexteram Dei videt supra Hostiam.

f

3 Quod factum Sacerdos *g* pensans, solicitus ne forte post visa miracula, ut assolet; extolleretur, præfatum ministrum sanctum ad exilium *h* destinavit. Quod vir Dei non ægre ferens, jussu Patris lætus, C ad locum, qui vocatur Matutiana *i* perrexit. Ibique inveniens Hormisdam Coepiscopum *k* ordinatum a B. Felice Præsule supradicto; honorifice ab eo susceptus est. Cum quo aliquamdiu commoratus, in Dei laudibus et servitio ambo persistentes, mirabilia ostenderunt super his qui infirmabantur. Inter quæ Galionis Fisci Exactoris filiam, B. Syrus orationibus suis a dæmonio liberavit. Cui statim præfatus Galio curtem, quæ Tabia *l* nuncupatur, devotissime obtulit, subscripta cautione, positam juxta flumen Tabiæ et littus maris, usque ad jugum Alpium cum massariciis *m*, et familiis utriusque sexus suo juri pertinentibus, cum capella inibi ædificata in honorem B. Petri Principis Apostolorum; quæ curtis distat a Matutiana villa, quæ nunc S. Romuli dicitur, fere milliaria quatuor.

g Matutianas relegatus, h

i

k

energumenam liberat;

l

m

4 Præfatus denique Beatissimus Syrus, mirabilibus coruscans, in eadem villa persistens, usque quo a Beatissimo Felice revocaretur ad urbem Januensem; prædicatione sua plebem ab errore revocans, Domino sociabat. Et post dies multos Pater ministrum præcepit reverti; quem Sacerdos paterno affectu, et divinæ caritatis verbo affatus est, dicens, sibimet

revocatus in urbem prædicationi insistit,

miracula apparuisse: unde factum est, ut uterque D majori urgerentur divinæ jucunditatis amore, fulgentes in sacro ministerio. Eorum ergo temporibus florebat Catholica Ecclesia, et lætabatur in suorum firmitate membrorum; et jussu Domini Sacerdos, merito et nomine Felix, migravit ad Christum. Post hæc autem cuncta Plebs Januensis urbis, unanimiter et consona voce, sanctum ministrum Syrum in Sacerdotem subrogaverunt: quod ita [divinitus] factum manifestissime esse constat. Erat enim in cunctis bonis operibus prospere agens, ita ut opitulationibus suis plebi sibi commissæ subveniret.

EX MSS.

et Felici subrogatur successor,

5 Eodem quoque tempore affligebatur populus a flatu validissimi serpentis, qui vulgo dicitur Basiliscus. Ipse quoque serpens jacebat in puteo, non longe ab atrio Basilicæ Apostolorum, quæ nunc S. Syri appellatur. Et cum sæpe serpentis flatu populus elideretur, sanctus Sacerdos, plebem divinis hortamentis et spiritualibus armis adorsus, manebat, ita ut universus populus cum jejuniis et orationibus atque fletu, per triduum pari modo cum Sacerdote Christum Dominum obsecraret. Tertia vero die, ad locum, ubi anguis jacebat, cum universa multitudine perrexit: ibique in oratione coram cuncto populo prostratus, auctorem [salutis] E Dominum postulavit. Completa vero oratione surgens, situlam simul et funem præcepit afferri: stans vero super os putei, suis manibus ea in puteum immersit; et hujuscemodi verbis serpentem affatus est, dicens: Serpens venenose, atque deceptor animarum, attrahe nocibilem flatum tuum ad te, et claude os tuum, et ascende in situlam istam. In Nomine Domini nostri Jesu Christi Nazareni juberis ascendere. Quo audito serpens confestim ad imperium Sacerdotis in situlam, quam tenebat Sacerdos, se conglomeravit: quam Sacerdos trahens sursum, universo populo monstravit: et emicuit serpens Erat autem nimis terribilis, cujus caput cristam habebat ad similitudinem galli.

Basiliscum publice noxium,

eduxit ex puteo in quo residebat,

6 Quo viso universi populi, consona voce Deo omnipotenti gratias agentes, Sacerdotes magnificabant, dicentes: Vere hic est, de quo David vaticinatus est, dicens; Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem. Etenim his quatuor vocabulis [designatum] diabolum, hostem humani generis, Christo auctore prostravit: sicut et Veritas per semetipsam dicit; Ecce dedi vobis potestatem calcandi super omnem virtutem inimici. Hæc, et his similia, dicentibus, sanctus Dei Sacerdos silentium petiit: quo facto, sic populum adorsus est, dicens: A Christo vobis hæc salus F præstita est; quod cuncti videntes, serpentis videlicet os, a sancti Viri imperio esse obstructum, ita ut nulli valeret ultra nocere, benedicebant Dominum Jesum Christum. Et coram omnibus Sacerdos serpenti præcepit, ut se in mare præcipitaret. *n*. Quod cum factum fuisset, omnes eum justum et sanctum acclamabant, dicentes: Vere hic est Dei famulus, per quem divinæ operationes monstrantur.

Ps. 90, 15

Luc. 10, 17

unde gratiæ Deo redduntur:

n

7 Post hæc vero assidue illum comitabatur gratia curationum, usque ad diem vocationis suæ: diem autem obitus *o* ipsius esse cognoscite, in die Passionis beatissimorum Apostolorum Petri et Pauli, quorum doctrinam Præsul optimus Syrus adeptus est: quo equidem die cœlesti meruit coronari triumpho. In die igitur exitus ejus, dum corpus illud sanctum ad basilicam Apostolorum in grabato gestatum est, et infinitus populus lacrymabili voce præ nimia veneratione vestimenta ipsius carpebant, ita ut portitores præ turbæ eminentia lectum ab humeris deponerent: inter quos etiam nauclerus Lybiæ Provinciæ, plenissimam fidem agens, cum appropinquasset ad sanctum illud corpus; illico vidit de

o moritur Sanctus 6 Julii:

EX MSS. *sanguis de naribus mortui exceptus.*

A de naribus ejus sanguinem effluentem. Qui festinus tollens sudarium, quod habebat super caput, sanguinem emanantem detersit. Postquam vero corpus illud sanctum sepulturæ traditum est, nauclerus ad navem regressus, sudarium cum veneratione, et diligenti cura reposuit; expleto namque negotio ad propria velificantem comitabatur eum prosperitas. Cumque appropinquaret propriæ patriæ, adhuc procul posito occurrerunt ei obviam multitudo infirmorum, qui a spiritibus immundis vexabantur, dicentes : Ecce S. Syrus venit, qui nos habet mundare. Et quantum plus navis portui appropinquabat, tantum illi majori urgebantur stimulo, etiam ut in mare præcipitarentur, dicentes : Quia nunc venit qui nos liberaturus est.

8 Cumque in portum introisset, fixis anchoris nauclerus ad littus egreditur. Videns igitur turbam stantem, et infirmos clamantes et dicentes; Venit liberator noster : et cum a populo sciscitaretur nauclerus, utrum haberet Reliquias Sanctorum; admirabatur, quidnam esset, quod infirmi ad littus concurrissent. Nauclerus autem oblivioni tradiderat ea, quæ acta fuissent in urbe Januensium : a vocibus quippe infirmorum, B. Syrum attestabatur venisse. B Et cum se vellent in mare præcipitare, eamdem scilicet virtutem nauclerus ad mentem reduxit; quomodo cum sanctum corpus beati Viri fuerat sepultum, interfuisset; et adstantibus plurimis dixit : Sic rite recordatus sum : Quadam die, cum essem in Provincia Italiæ in civitate Januensium, quidam Sacerdos civitatis ipsius migravit ad Dominum : et dum corpus illius ad basilicam sanctorum Apostolorum deduceretur, turbis irruentibus, qui deducebant lectum, ab humeris deposuerunt. Cumque Christianus populus mergeret *p* se ad ejus corpus sanctissimum præ nimia veneratione, carpebant fimbriam vestimenti ejus. Inter quos ego famulus vester, appropinquans ad sanctum corpus ejus, vidi sanguinem egredientem de naribus ejus, et cum meo sudario cruorem detersi : et præter hoc actum, aliud nescio. Nomen videlicet ipsius, qui migraverat ad Christum, Syrus beatissimus vocabatur : forsitan hic est, de quo infirmi clamant, ut nunc vobis aperte datur intelligi.

9 Abiit ergo nauclerus ad navem; et sudarium, quo sacrum sanguinem deterserat, mox ad littus detulit. Cumque se in eum mergerent qui vexabantur, ipse vero de sudario quod habebat tangeret eos; C confestim cuncti ab infirmitatibus suis mundabantur. Quo ita facto, universa plebs loci illius, ad ecclesiam simul cum nauclero perrexerunt; agentes gratias omnipotenti Deo; et dicentes, Vere salus præstita est nobis de cœlo. Quo viso Episcopus loci illius, una cum Christiana plebe, basilicam ad nomen ejus fundaverunt : ibique sub tegmine templi sudarium condiderunt : de cujus tactu infirmi a languoribus curati sunt, et nunc usque in præsentem *q* diem curantur : cujus depositionem Beatissimi Sacerdotis et Confessoris Syri constat esse tertio Kalendas Julias : regnante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria, per infinita secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Mombritio*, Observavi.

b *Justinianus*, In villa, *inquit*, Morazana, seu mavis Stroppa. *Marianus* : In villa olim dicta Æmiliana, vulgo autem appellata nunc Stroppa, ubi ad memoriam Sancti servatur domus propria, quam incoluit; *seu potius, Alius eodem loco ex vulgi traditione ædificavit. Interim* Stroppæ *nomen nusquam apparet in tabula, sed* Morasana, *intervallo tamen 3 milliarium dumtaxat ad Septemtrionem civitatis.* D

c *Id est* Oratorium. *Pro nunc* Vicus S. Syri, *unius fere horæ, seu 3 milliarium spatio.*

d *Cum* S. Felix *solum* 20 *annis rexerit, eique S. Syrus successerit, oportet ut nomine* Infantiæ *intelligatur* pueritia, *usque ad annum* 14 *ætatis; ita* S. Syrus *solum triginta quatuor annorum fuerit, cum est consecratus Episcopus.*

e *MS. Genuense sic breviter,* Et ad Missam *(melius,* Mensam) Dominicam adstanti sibi Sanctus etc.

f *Marionus,* Vidit majestatem divinam in forma pueruli, festivi prorsus et jucundi : *cujus mutationis nullum apparet fundamentum.*

g *MS.* Quo igitur facto Sacerdos, caute pensans ejus solicitudinem.

h *In pœnam scilicet turbati per intempestivam istam religionem, Officii divini.*

i *Mombritius,* Munduciana : *quæ autem sequuntur his [ ] inclusa, ille sic paucis perstringit :* Ibique assiduis orationibus vocabat, ita ut ejus suffragiis ægris salus præstaretur : et post dies non multos; *in MS. autem dicitur,* et post dies multos, *omisso,* Non. *Marianus addit prædictam villam hodie a* S. Romulo, *istic mortuo, uti in ejus Vita apparebit, nomen habere. Justinianus dicit, eam esse ad* maritimam oram oppidi S. Remi : *quod Genua versus Occasum distat ad* 80 p. m. E

k *Mallem legere* Chorepiscopum, *id est,* Episcopum regionarium, *quales nobis nunc fere sunt* Decani rurales; *nam tales sub uno Episcopo plures olim erant. Marianus explicationis causa addit, fuisse ibi positum,* ut Rectorem *(id est Parochum)* sive Vicarium *Episcopi. In vita S. Romuli nominatur* B. Hormisdas : *sed nusquam invenio Fastis adscriptum.*

l Tabia, *in tabulis male notata* Taggia, *distat, secundum Leandrum Alberti, ab oppido S. Remi* 5, *a littore* 2 p. m.

m *Id est, Villicis;* Massa, *villa.*

n *Fallor si hoc miraculum non sit ex eorum genere; quæ posteritatis memoriæ prius traditæ per picturam sunt, quam per scripturam. Sicut igitur usus obtinuit ut volentes exprimere, quomodo S. Joannes Evangelista sine noxa poculum venenatum hauserit, solent eum pingere in actu signantis calicem, unde serpens emicat : ita factum hic suspicor, ut aquam putei cujusdam, pestiferum exhalantis vaporem, sanaturus Sanctus, quam situla haustam exorcizaverit, exorcizatamque in mare effundi jusserit, quasi simul mergens illius malignitatis auctorem dæmonem : quod deinde ad litteram sumptum, istiusmodi verbis explicatum sit, quasi materialem basiliscum inde extraxerit, et in mare præcipitaverit Sanctus.* F

o *MS.* Diem autem obitus beatissimi Syri secundo Nonas Julii esse cognoscatis : *qui locus cur ita mutatus sit, sicut rursus in fine hujus Vitæ, jam supra dixi.*

p Mergeret, *id est, constiparet comprimeretque, quo sensu necdum alibi legi usitatum hoc verbum.*

q *Si seculo, ut puto,* XI *scripta hæc Vita, non potuit de suo tempore sic loqui auctor; potuit ita ex Libya scripsisse aliquis, antequam ea in Saracenorum veniret potestatem, vel potius ante irruptionem Wandalorum in Africam; idque verbotenus transcripsisse hic noster : nisi pro Libya velis* Liburnum *intelligere, portum Heturiæ eodem in littore. Fuerunt quidem et* Libici *in Italia transpadana, quorum urbs Vercellæ Livio ac Plinio nominatæ : sed medio, quo hæc scripta, ævo ignoti, et ita mediterranei, ut nec fluvium quidem habeant quo possint Genuam pervehi.*

DE SS. LEOLINO ET HILARIO

EPISCOPIS PATAVINIS IN ITALIA

J. B.

SYLLOGE HISTORICA.

SECULIS III ET IV.

Dies horum natalis ignoratur.

Philippus Ferrarius, in Catalogo Sanctorum Italiæ, ad diem x Septembris, posteaquam de S. Hilaro Papa (quem minus recte Hilarium ipse vocat) egisset; subjungit illi S. Hilarium Episcopum Patavinum, et huic S. Leolinum, ejusdem Sedis Episcopum; non aliam, uti ego mihi imaginor, ob causam, quam ob Synonymiam, qua alter Hilarius ad alterum nomine tenus relationem habet: nec aliam ob causam videtur Hilario Episcopo subnectere Episcopum Leolinum, quam quia ejusdem Sedis Patavinæ Episcopi fuerunt ambo. Fatetur enim ipse Ferrarius, illorum Natales ignorari; et causam, cur Hilaro, seu Hilario Papæ ipsos subjungat, nullam affert. Possemus nos potiori jure Hilarium nostrum ob synonymiam B retulisse ad diem XIII Januarii, aut XVI Martii, aut etiam V Maji; quibus ejusdem nominis celeberrimi Episcopi, Pictaviensis, Aquileiensis et Arelatensis coluntur.

Cur hic referantur.

2 Sed maluimus Hilarium Episcopum Patavinum ad hunc diem XXIX Junii referre, quia tunc præcipua celebritate coli in ecclesia propria et olim consuevit, et nunc eodem die major ibidem solennitas agitur, quam alio quocumque, totius anni decursu. Cur autem S. Leolinum cum S. Hilario hic conjungamus, facit exemplum Ferrarii, et ratio, quam adduxi, quia in eadem episcopali Cathedra ambo sederunt. Antiquissima memoria (quæ tamen ratione Auctoris vix appellari antiqua debet) de S. Leolino Episcopo Patavino legitur apud Bernardinum Scardeonium, ejusdem urbis Patavinæ Canonicum, impressum Basileæ anno MDLX, hoc modo: In eadem Sede Patavina successit Suadero B. Leolinus, Episcopus XI, obscuro forsitan loco natus: tanta tamen et tam illustri sanctitate perfulsit, ut non immerito nunc a cunctis fidelibus honoretur. Extat ei sacellum sacrum juxta Pratum-Vallis, ubi sepultus est in arca lapidea, et nunc vulgo Violinus appellatur. Vixit in Episcopatu an-C nos XII, quem susceperat anno Domini CCXXXII. Ferrarius, qui se sua hausisse, ait, e prædicto Scardeonio et aliis Ecclesiæ Patavinæ monumentis, ita scribit ad diem x Septembris: Leolinus, quem alii Leoninum; vulgus vero Violinum vocat, obscuro loco natus, ob ejus vitæ sanctitatem, undecimo loco, Maximino Imperatore, Ecclesiæ Patavinæ præfuisse fertur: qui in ea temporum acerbitate Ecclesia administrata, sanctitate celebris, in pace obdormivit, apud S. Prosdocimi oratorium sepultus: unde non longe in proprium delubrum, quod adhuc extat, translatus est. Dies obitus illius ignoratur. Sequitur hos Ughellus in Episcopis Patavinis, et B. Leonium seu Leolinum vocat, definitque tempus Episcopatus ejus ab anno CCXXXII ad CCXLIV; doctus nempe erat a Scardeonio, accepisse episcopatum anno CCXXXII, et annos XII tenuisse: unde necessario consequitur, terminasse anno CCXLIV. Et hæc quidem de S. Leolino. Nunc pluscula de S. Hilario, ejusque ecclesia.

Elogium S. Leolini,

Idem S. Hilarii:

3 Prænominatus Scardeonius, lib. 2, Classe 6, pag. 105, hæc de illo commemorat: Ad procurandam populi Patavini salutem Hilarius, a Domino electus Episcopus fuit, qui et signis et miraculis supra modum claruit; et ob id in numerum Divorum relatus est. Is quidem natione Romanus fuerat; sed factus Episcopus, tamquam Patavii regeneratus, visus est mihi, ad decus civitatis; ut hic, sicut inter Episcopos, ita et inter Patavinos cives sit merito recensendus; et eo magis, quod in hujus honorem dicatum fuit ei celeberrimum templum, juxta æstuaria Adriatici maris, olim Baduasiorum, Principum Reipublicæ Venetæ, sepulcris insignitum: a quo postea usque hodie vicus, de hujus Sancti nomine, S. Hilarius nominatur. Annumeratur is inter Episcopos Patavinos decimus septimus. Defunctus est anno Domini CCCXLVI. Ferrarium hic describere nihil attinet, quia in nullo a Scardeonio recedit. Recentiores, Ferdinandus Ughellus et Sertorius Ursatus, recedunt in anno mortis. Ughellus quippe annum CCCXLVI, quo Scardeonius obiisse Hilarium notat, ejus Ordinationi E adscribit; addensque, præfuisse Ecclesiæ Patavinæ annos XXII, obitum necessario differt usque ad CCCLXVIII. Recedit ab utroque Ursatus, in sua Historia Patavina, anno MDCLXXVIII in lucem edita, referens Sancti mortem ad annum CCCLXIII. Sed non video, cur duobus hisce recentioribus major fides, quam Scardeonio tribuatur; cum nullius antiquioris auctoritatem aut aliud argumentum pro suo afferant asserto in re tam antiqua.

Hujus ecclesia

4 De ecclesia, quam S. Hilario prope æstuaria maris Adriatici extructam fuisse dicit Scardeonius interrogavi pridem P. Joannem Baptistam Romagnolium Societatis nostræ, tunc Patavii degentem, deque Actis Sanctorum sac nobis bene meritum, quo loco illa consisteret, qualis fuisset olim, et nunc foret. Respondit is mihi distincte ad interrogata: sed diu multumque sudavit, priusquam in quæsitæ ecclesiæ notitiam venerit, lustratis frustra Patriarchatus Veneti et Episcopatus Patavini Catalogis, subjectas sibi ecclesias continentibus. Nusquam enim mentio fiebat ecclesiæ S. Hilarii: quia nempe neutrius diœcesis illa est, sed immediate subjacet Pontifici Romano. Plura sigillatim de illa explicat citatus Romagnolius in suo ad me rescripto, hunc fere in modum. Navigantibus Patavio Venetias occurrunt sub finem F itineris Portæ, uti appellantur, Moranzani, a quibus extrorsum, versus Meridiem, abest ecclesia S. Hilarii, passus circiter mille et quingentos; a Fusina vero æquali propemodum distat spatio versus Occasum; uti etiam signant situm utriusque loci passim Geographi: Ursatus tamen, in nova antiqui agri Patavini Chorographia, quam Historiæ suæ inseruit, recta linea in Austrum respectu Fusinæ collocat S. Hilarium: quem Itali passim, S. Ilaorio; ipse, S. Elero, scribunt.

Pontifici Romano subjecta,

ubinam sita,

et qualis nunc sit.

5 Cingitur locus undique gleba frugifera et bene culta, præter plagam orientalem, quæ inculta est et paludosa e stagnante illic maris æstu; qui tunc præcipue supereffunditur, cum Euronotus mare inflans ad aliquod mille passus terram inundat. Ecclesia perparva nunc est, longitudine pedes continens non amplius XXIX, latitudine vero novem tantum; quamvis e certis parietinis appareat, fuisse olim ampliorem. Circum adjacet plagula terræ herbosæ instar prati; quæ, ut existimat Romagnolius, sic relicta est ad denotandum, locum esse sacrum; quod et circumsita terra, quæ aliquanto elatior est, indicare videtur. In hac eminentia loci, qua respicit ortum solis, cœperant aliqui non a multo tempore terram effodere, scrutaturi quid tandem istic lateret; et detexerant jam re ipsa aliquot arcas marmoreas pervetustas; cum id quod gerebatur ad aures serenissimæ Reipublicæ

A *Reipublicæ perlatum, et ab hac operis ulteriori molitione* AUCTORE C. J. *interdictum fuit.*

Ejus recens inscriptio, 6 *Supra portam ecclesiæ introrsum, isthæc legitur inscriptio :* Beatissimæ Virgini Divoque Hilario hanc ecclesiam, vetustate collapsam, in qua serenissimi Principes compluresque viri Patricii humati fuere, *restauratio,* Marinus Marius, utriusque signaturæ Referendarius et Abbas, pro animi affectu, ex integro restauravit; et loco, serpentibus maxime frequenti noxiisque animantibus, facto salutifero, hominum cœlestiumque commercia restituit. Anno Domini MDCXXXI. *primi fundatores, Ecclesia prior* vetustate colapsa, *de qua hic mentio fit, fundatorem habuisse dicitur a Sansovino Ducem Venetiæ, Angelum Participatium, cujus familia modo sub nomine Badoeræ claret, inter Patricias Venetas nobilissima. Constat autem indicata fundatio ex disticho, quod Sansovinus producit e tabula, Angelum Participatium repræsentante, quæ olim in Palatio civitatis Venetæ extabant. In illa ipseAngelus ita loquitur de ædificiis a se constructis.*

Tecta palatina Communis pervula fundo;

Ædifico sanctum Zachariamque, Hilariumque.

Corpus Angeli, anno DCCCXXVII *demortui, in ecclesiam* B S. Hilarii *illatum fuit; ac filium Justinianum, uti in* *tempus fundationis.* *Ducatu collegam et successorem, ita in tumulo socium ibidem ab anno* DCCCXXIX *habuit; eodem Sansovino teste : qui et in chronico Veneto ad annum* DCCCXVI *notat,* Abbatem S. Servuli transtulisse Monachos suos in ecclesiam S. Hilarii, positam in insula Gambararum, in confiniis Rivialti. *Adeo ut ante prædictum* NOT. 21 *annum* DCCCXVI, *non tantum ecclesia* S. Hilarii, *sed et monasterium ibidem exædificatum fuerit. Meminerunt etiam* S. Hilarii *Cortusii, lib.* 9 *cap.* 10 : *uti et Sabellicus, qui libro* 1 *de urbis Venetæ situ, ait,* Hilarii turrim, supra amnis Brentæ deflexum, locis minus stagno obnoxiis, *consistere.*

Frequentabatur olim solenniter 29 Junii, 7 *Tradunt Veneti, ut scribit idem Romagnolius, consuevisse olim Ducem cum universo Senatu conferre se quotannis, in festo SS. Petri et Pauli Apostolorum, ad ecclesiam* S. Hilarii. *Quos tum quidem tanto splendidiori cum pompa festum ejus egisse credidero, quanto nunc minori cum apparatu celebratur. Nam eodem sanctorum Apostolorum die, præter aliquot Sacrificia Missæ, quæ istic offeruntur, nihil omnino fit nunc temporis; et reliquo toto anno ne unum quidem Sacrificium* *nunc exiguo concursu,* *illic unquam offertur, nisi fortassis a transeunte quopiam Sacerdote, qui ex itinere celebrandi causa eo deflectat. Quæ desolatio fortassis inde oritur, quod ecclesia ista nullius diœcesis sit, utpote subjecta immediate* C *Pontifici Romano; quemadmodum etiam subjecta* *postquam facta Commenda.* *illi est ecclesia S. Gregorii et S. Benedicti : quibus Pontifex præficit quem sibi lubitum fuerit, titulumque ei tribuit* Abbatis SS. Gregorii, Hilarii et Benedicti de Venetia, *cum colore vestium cæruleo. Gaudet modo titulo illo, uti et reditibus trium istorum monasteriorum sane opulentis, Eminentissimus Cardinalis Chisius; nempe illo anno quo hæc rescripsit mihi Romagnolius, dum adhuc vivebat Cardinalis iste.*

8 *Ut autem dignitas ecclesiæ ac monasterii* S. Hilarii, *eorumque amplitudo, divitiæ, prædia, quanta olim* *Privilegium Lotharii 2 pro abbatia S. Hilarii,* *fuerint, aliquatenus innotescat; non abs re fuerit hic apponere Privilegium Lotharii II, anno* MCXXV *Romanorum Regis electi, et anno* MCXXXIII *Imperatoris coronati : quo* Abbati SS. Hilarii et Benedicti *confirmat privilegia sua. Illud autem eo libentius hic appono, quod enumeret varia loca, Monasterio obnoxia; quodque Abbatem illius temporis nominatim indicent; nec non* *an.1383 transcriptum* *quod Tarvisinorum Episcopum nominent, Ughello ignotum. Fuit porro privilegium ipsum anno* MCCCLXXXII *ex originali transcriptum notarialiter, et examinatum collatumque cum illo, coram Patriarcha Gradensi Urbano, uti sequens Scriptura, Privilegium ipsum complexa, pluribus sic testatur;* Hoc est exemplum cujusdam Privilegii authentici Lotharii Tertii (*imo Secundi*) Romanorum Imperatoris Augusti, reperti in archivio publico, scilicet Cancellaria Communis Venetiarum, ex quodam libro authentico et antiquo, in quo Privilegia et Instrumenta authentice sunt conscripta; cujus tenor per omnia talis est. D *ex libro authentico.*

9 In nomine sanctissimæ et individuæ Trinitatis. Lotharius, divina favente clementia electus Romanorum Imperator Augustus. Scientes in hoc maxime consistere salutem animæ nostræ, et stabiliri honorem Imperialem, si ecclesiarum pauperum Christi solertem curam habuerimus; omnium fidelium nostrorum, tam futurorum, quam præsentium industriam noscere volumus; qualiter Venerabilem Abbatem, Ugerium nomine, ecclesiarum sanctorum Hilarii, et Benedicti de provincia Venetiæ, in finibus Rivoaltensibus juxta flumen Diræ, pro petitione sua satis benigne exaudivimus, ad exemplum Prædecessorum nostrorum Imperatorum omnium, a tempore elapso; confirmantes ei et ecclesiis suis omnia, quæ vel per donationes, seu oblationes, aut quoquo modo legaliter ipsis collata sunt, colonos eorum, videlicet in Ceresaria, et in Pladano, et in finibus illis. Similiter cum capella, in ipso Pladano in honorem Petri Apostoli fundata; et decima de Ceresaria in Pladano, et aliorum colonorum pertinentium ad ipsam capellam, cum vineis, terris, silvis, campis, pratis, pascuis, paludibus, pontibus in prædicto Pladano constitutis, cum ritratibus * tallonariis, quatisoniis, et cum omnibus ad prædicta loca pertinentibus.

Imp. ille — *Abbati S. Hilarii id petenti* — E *confirmat privilegia sua* — * *forte,* intratibus,

10 Testificantur quoque Præcepta Caroli, quod iste eadem loca per commutationem retrocessisse a Tarvisino Episcopo, Landulo nomine, et eisdem ecclesiis obtulisse; ipseque et omnes successores sui fore, per Præcepta hæc confirmaverint. Hæc quoque omnia, ob devotionem præfati Abbatis, rata esse volentes, confirmamus ipsis ecclesiis prænominata loca, cum pertinentiis ad jura ipsorum, xenodochii beati Patri, et Viti Martyris, quæ in Crusiana civitate, et ex omnibus, quæ ad prædicta loca pertinent; Ceresaria, et Pladano, et prænominata capella; cum prædicta donatio cum designatis, atque descriptis lateribus, uno latere firmante in flumine Curcatiæ juxta prænominatam villam Zitu, a latere uno Aurelia, tertio latere a Cronio, quarto vero in Aquis falsis. Hæc omnia ipsis ecclesiis confirmamus, cum terris, vineis, pratis, pascuis, silvis, novationibus *, aquis aquarumque [decursibus] paludibus, molendinis, riparibus, portubus, ripis, teloneis; quartisinis, decimis, cum omnibus prædicto [monasterio] pertinentibus. Sub eadem quoque confirmatione non minus comprehendimus, et concedimus ipsis ecclesiis, curtem Torsoculis et aliam, quæ dicitur Aureliaco, et curtem S. Mariæ, quæ jacet juxta Pedraorem in comitatu Tarvisiano, et cum omnibus appendentiis suis, et cum omnibus mansis ad easdem jure appertinentibus, cunctasque alias terras... legaliter attributas, percipiendi cum omnibus .... Regali et Imperiali auctoritate.

et præcepta Caroli rata habet, — * *an venationibus?* F

11 Videlicet, ut nullus dehinc Patriarcha, neque Episcopus, aut Tarvisinus Episcopus, nullusque Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, vel aliqua magna persona, ut prædicta donatio.... vel in similibus, vel in possessionibus, seu in aliis rebus, prædictas ecclesias inquietare, molestare.... audeat sine Regali judicio, contradicimus; homines earumdem ecclesiarum et terrarum inhabitantes, universis judicialibus personis; ita ut de ipsis hominibus placitum nullum pronuntient, seu aliquod publice ab eis exigant, aut etiam tollant, nullamque eis violentiam inferant; sed in potestate ipsius Abbatis libere remaneant. Si quis autem, quod non credimus, hujus

vetans nequis hunc privilegio contraveniat

A jus Præcepti violator extiterit, sciat se compositurum auri puri libras mille, medietatem Cameræ, et aliam medietatem prædictis ecclesiis. Quo autem verius credatur.... custodiatur hoc Præceptum per scripturam cartarum sigillo nostro insigniri... Lotarii tertii Romanorum Imperatoris invictissimi. Ego.... Anno Incarnationis Dominicæ millesimo centesimo [trigesimo] sexto, Indictione tertia decima, anno vero Regni Regis Lotharii undecimo, Imperii quarto. Actum apud Castrum sancti Bassani. In Christi nomine feliciter.

subgravissima mulcta.

12 In nomine Domini nostri Jesu Christi. Amen. Anno nativitatis ejusdem millesimo sexentesimo octuagesimo secundo, Indictione quinta, die vigesimo sexto mensis Martii, hoc exemplum ex authentico per me subscriptum, Joanninum de Andalo Notarium scriptum fuit; per me, et alios subscriptos Notarios diligenter auscultatum, in præsentia Reverendi in Christo Patris Domini Urbani, Dei et Apostolicæ Sedis gratia Patriarchæ Gradensis Ecclesiæ, Venetiis in Patriarchali Palatio ipsius: et quia idem Reverendus Pater Dominus Patriarcha repererit idem cum authentico concordare, in ipsius exempli plenam fidem, et testimonium, suam auctoritatem interposuit; et decretum mandavit idem sui sigilli, quo B nunc utitur, appensione muniri. *Alii subscripti Notarii, qui diligenter auscultasse hic dicuntur; id ipsum testantur etiam subscriptione sua, et asserunt concordare transumptum cum orginali. Sunt autem eorum nomina*, Desideratus Lucius, Guilielmus Philippi de Claratis Joannes Plumatius.

Fides Notarii transcribentis

et aliorum qui præsentes fuerunt.

13 *Habes hic, Lector, Privilegium Lotharii Imp. ecclesiæ* S. Hilarii *datum, prout mihi submissum fuit,* D *cum suis mendis et lacunis; probum tamen, quamvis In dictio perperam, vitio verosimiliter librariorum, notata sit* tertia decima; *cum* quarta decima *notari debuerit. Absque Indictione enim sit; adhuc sufficienter innotescit, anno* MCXXXVI *datum fuisse Privilegium, et quidem inter diem* VI *Julii, quo cœpit annus* IV *Imperii Lotharii, ac diem* XIII *Septembris, quo desiit Regni ejus annus* XI: *quibus simul currentibus, subsignatum est Privilegium; et concurrere numquam alias potuerunt.*

AUCTORE C. J. Privilegium hoc,

etsi aberret Indictio,

14 *Quod* Tertius *in Privilegio vocetur Lotharius, cum passim nunc nominetur scribaturque* Secundus; *nihil ominis mali habet. Quia id obtinuit illorum temporum usus; et in Diplomatibus Lotharii pluribus, quæ vidi,* Tertius *vocatur nominis sui, non tantum dum Rex Italiæ erat, verum etiam postquam Imperator coronatus fuit. Diplomata istiusmodi videri possunt in Annalibus Paderbornensibus P. Nicolai Schaten ad annum* MCXXIX; *apud Miræum in Diplom. Belg. pag.* 323 *et* 325; *in Donationibus Belg. pag.* 116 *Dum Rex Italiæ tantum fuit, poterat* Tertius *scribi; quia inter ipsum et Lotharium* I, *Caroli Magni nepotem, intercesserat alius Italiæ Rex Lotharius, filius Hugonis, Provinciæ Comitis. Cur vero, postquam Imperator coronatus fuit, etiam* Tertius *istius nominis dictus sit, equidem ignorare malo, quam multa divinando proferre. Certe nullus antecessit ipsum Imperator* Lotharius Secundus. *An Cancellarii Scribæque Curiæ, qui ternum numerum nomini Regis adscribere solebant, ex mera consuetudine perrexerint eumdem addere nomini jam Imperatoris?*

censetur probum esse. E

DE S. CASSIO

EPISCOPO NARNIENSI IN UMBRIA

D. P.

COMMENTARIUS HISTORICUS.

§. *I. Nomen in Fastis, Acta ex S. Gregorio, tempus Sedis ex Epitaphio.*

ANNO DLVIII S Cassii nomen hodierno Romano inscriptum,

Narniæ, *civitate Umbriæ (qua de pluribus egimus* III *Maji, festo primarii urbis Patroni S. Juvenalis) diem agi* S. Cassii, *ejusdem civitatis Episcopi, indicant tabulæ Romani Martyrologii* C *reformati, etiam primæ sub Gregorio XIII editionis; et additur, quid de eo, ferme quotidie sacrificante, referat Gregorius; strictius quidem, lib.* 4 *Dialogorum cap.* 56; *prolixius vero, Homilia* 13 *in Evangelia. Reformatoribus præluxerat Molanus, in suis ad Usuardi Martyrologium Additionibus editionis primæ; sed quæ illic addiderat de* S. Cassio, *mox in editione secunda ac tertia, nescio cur, prætermisit omnia. Interim videntur ei præluxisse ad illud addendum, Carthusiani cujusdam Coloniensis scripta, necdum nobis visa, sed quibus simile unum habemus Bruxellis, auctum ad usus ecclesiæ S. Gudulæ; qualia etiam vidisse potuit Galesinius, qui (sicut et ceteri omnes) locum S. Grægorii indicant: Florarium autem Sanctorum MS. expresse notat Homiliam præfatam. Philippus Ferrarius, in Catalog. Sanctorum Italiæ, prolixius indidem elogium sumpsit, adhibito etiam libri* 3 *Dialogorum capite* 6; *et annotavit, quod* Natalis S. Cassii, *utpote festo Apostolorum impeditus*, solenniter Narniæ colitur die IV Julii, ut in tabulis illius Ecclesiæ *reperitur*.

aliisque, cum elogio ex S. Gregorio,

3 *Gregorius, cum libri* 3 *caput* 4 *sic finivisset; sed* jam, ut priora taceamus, ad ea quæ nostris temporibus sunt gesta veniendum *est; capite* 5 *narrat, quomodo Sabinum, Canusinæ urbis Episcopum, expertus sit Totilas Rex Gothorum circa annum* DXLII *habere spiritum prophetiæ; deinde capite* 6 *subdit:* Neque hoc sileam, quod multi nunc, qui hic de Narniensi civitate adsunt mihi, sedulo testificantur. Eodem namque Gothorum tempore, cum præfatus Rex Totila * Narniensis venisset, ei vir vitæ venerabilis Cassius, ejusdem urbis Episcopus, occurrit. Cui quia ex conspersione semper facies rubere consueverat; hoc Rex Totila, non conspersionis esse credidit, sed assiduæ potationis, cumque despexit. Sed omnipotens Deus, ut quantus vir esset qui despiciebatur, ostenderet; in Narniensi campo, quo Rex advenerat, malignus spiritus coram omni exercitu ejus Spatharium invasit, eumque vexare crudeliter cœpit. Qui cum ante Regis oculos ad venerandum virum Cassium fuisset adductus; hunc ab eo vir Dei, oratione facta, signo Crucis expulit, qui in eum ingredi ulterius non præsumpsit. Sicque factum est, ut Rex barbarus servum Dei ab illo jam die veneraretur ex corde, quem despectum valde judicavit ex facie.

narrante quod suo tempore

F * an Narniam?

ex Spathario Totilæ R. dæmonem expulerit.

3 *Cetera Sancti viri gesta et virtutes nos latent: nam qui Lucæ extat apud Florentinium MS. sermo, in ejus festo legendus, præter locos Gregorii duos, non alia complectitur, quam qualia de quovis sancto Episcopo præsumi debent, in hunc modum:* Festum S. Cassii Confessoris, Narniensis Episcopi, celebrandum nobis advenit, in cujus laudibus immorari libenter debemus: sed quamvis scientia nostra, ad manifestandas ejus mirificas virtutes et sanctitatem, succumbat; ipsi

Sermo de eodem ex MS.

A ipsi vos, Fratres, intelligite, quæ et quanta illius fuerint, quia et omnibus hominibus irreprehensibus semper ejus vita extitit; et Deus omnipotens, in hac vita et post ejus transitum, per multa miracula, eum sese amare, demonstravit aperte. Prælatus in gradu Sacerdotii sui existens, non pro tanto honore elatus, magis prodesse subjectis sibi studuit quam præesse. Fuit namque Pastor, non tantum nomine, sed opere: et quia gregem sibi commissum vitia devitare instanter docuit, frequenter memoria revolvens, illud quod in libro Sapientis legitur: Rectorem te posuerunt? noli extolli: esto in illis quasi unus ex istis, et curam illorum habe, ut accipias coronam gloriæ. Pro subjectorum etiam qualitate temperantiam et discretionem adhibuit; suæ doctrinæ lac administrans invalidis, firmiores reficiens esca validiore; vita vero ipsius conveniebat prædicationi; ut juxta Apostolicum præceptum, ne ipse reprobus fieret, cum aliis prædicabat. Refrenabat enim carnem suam jugiter, eam macerando jejuniis et vigiliis; ut sic continuo crucem portando, sequeretur vestigia sui Salvatoris. Quantum etiam in eleemosynis erga egenos semper extiterit largus, commemorare longum est, B cum ipse ad hoc operam dederit, [ut lateret]: sæpe quod suo subtrahebat corpori, pauperibus erogabat. Erat itaque lucerna non sub modio, sed super candelabrum posita; ut omnes in eo viderent, unde sibi iter sumerent virtutis. Claruit namque in seipso in sua vita recta: sed Deus per multa ejus miracula clariorem hominibus reddidit. Quis referre potest, quod cæcis visum, surdis auditum, claudis gressum Dominus per eum reddidit?

AUCTORE D. P. laudat exemplarem in Episcopatu vitam, — Eccli. 32, 1 doctrinam salutarem, — 1 Cor. 9, 27 rigorem pœnitentiæ, — eleemosynæ largitatem, — miraculorum gratiam;

4 *His præmissis additur, quod* dæmonia etiam ex obsessis corporibus depulit, *idque prænotatis S. Gregorii verbis probatur ex 4 Dialogorum; et subjungitur,* Quod idem B. Gregorius alias demonstravit dicens, *Homilia 37 præfata;* Multi vestrum, Fratres carissimi, Cassium Narniensis urbis Episcopum noverunt, cui mos erat quotidianas Deo Hostias offerre, ita ut pæne nullus dies vitæ ejus abscederet, quo non omnipotenti Deo Hostiam placationis immolaret. Cui cum Sacrificio valde etiam concordabat vita: nam cuncta quæ habebat, in eleemosynis tribuens, cum ad horam offerendi Sacrificii venisset, velut totus in lacrymis difluens, semetipsum cum magna cordis contritione mactabat. Cujus et vitam et exitum, quodam venerabilis vitæ Diacono, qui fuerat ab eo nutritus, referente cognovi.

et ex S. Gregorio morem quotidie sacrificandi.

C 5 Aiebat enim, quod quadam nocte ejus Presbytero per visum Dominus adstitit, dicens: Vade, et dic Episcopo: Age quod agis, operare quod operaris: non cesset pes tuus, non cesset manus tua: Natali Apostolorum venies ad me, et retribuam tibi mercedem tuam. Surrexit Presbyter: sed quia e vicino Apostolorum natalitius dies imminebat, tam propinqui exitus diem Episcopo nuntiare pertimuit. Alia nocte Dominus rediit, ejusque inobedientiam vehementer increpavit, atque eadem jussionis suæ verba retexuit. Tunc Presbyter surrexit ut pergeret: sed rursus infirmitas cordis impedimento facta est indicandæ revelationis: et ad admonitionem quoque iteratæ jussionis obduruit pergere, et quæ viderat, manifestare neglexit. Sed quia magnam mansuetudinem contemptæ gratiæ, major sequi solet ira vindictæ; visione tertia Dominus apparens, jam verbis addidit verbera; et tam districta cæde mactatus est, ut in eo duritiam cordis emollirent vulnera corporis. Surrexit ergo eruditus ex verbere; perrexit ad Episcopum; eumque jam ex more, juxta B. Juvenalis Martyris sepulcrum, ad offerendum Sacrificium consistentem reperit. Secretum a circumstantibus petiit, seque ejus pedibus stravit. Cumque eum ubertim flentem Episcopus vix ad se levare potuisset, lacrymarum D causas cognoscere studuit.

Tum quomodo per Presbyterum ter divinitus monitum,

6 Ille vero, relaturus ordinem visionis, prius vestimento ex humeris devoluto, detexit plagas corporis, ut ita dicam testes veritatis et culpæ: monstravit quanta animadversionis districtione membra illius accepta verbera livore inflicto sulcaverant. Quæ mox ut Episcopus vidit, exhorruit; et quis sibi talia facere præsumpsisset, cum magnæ obstupefactionis vocibus exquisivit. At ille respondit, hæc se pro ipso fuisse perpessum. Excrevit cum terrore admiratio: sed nullas jam Presbyter inquisitioni ejus moras adjiciens, secretum revelationis aperuit; eique jussionis Dominicæ ea quæ audierat verba narravit; dicens: Age quod agis, operare quod operaris: non cesset manus tua, non cesset pes tuus: Natali Apostolorum venies ad me, et recipies mercedem tuam. Quibus auditis Episcopus, se in orationem, cum magna cordis contritione, prostravit: et qui oblatum Sacrificium ad Horam tertiam venerat, hoc pro extensæ orationis magnitudine ad Horam nonam usque protelavit: atque ex illo jam die magis magisque aucta sunt ei lucra E pietatis; factusque est tam fortis in opere, quam certus ex munere: quippe qui eum, cui debitor fuerat, ex ea promissione jam cœperat habere debitorem.

et inflictis plagis coactum, intellexerit moriturum se in festo Apostolorum:

7 Huic autem consuetudo fuerat, annis singulis, Natalis Apostolorum die, Romam venire: jamque ex hac revelatione suspectus, venire juxta morem noluit. Eodem ergo tempore solicitus fuit; secundo quoque anno vel tertio in mortis suæ expectatione suspensus; quarto, quintoque, et sexto similiter; qui desperare jam de veritate revelationis poterat, si verbis fidem verbera non fecissent. Cum ecce anno septimo, usque ad expectati Natalis sacras Vigilias incolumis pervenit: sed levis hunc in Vigiliis calor attigit; atque ipso die Natalitio, Filiis suis se expectantibus, Missarum solennia implere se posse recusavit. Illi vero qui de ejus erant pariter egressione suspecti, simul ad eum omnes venerunt; sese unanimiter adstringentes, ut die eodem nequaquam acquiescerent Missarum solennia celebrari, nisi pro eis apud Dominum idem Antistes suus intercessor accederet. Tunc ille compulsus, in Episcopii oratorio Missas fecit, et manu sua Corpus dominicum Pacemque omnibus tribuit. Qui, cuncto ministerio oblati Sacrificii peracto ad lectulum rediit: ibique jacens, dum Sacerdotes suos ac F Ministros circumstetisse cerneret, quasi vale ultimum dicens, de servando vinculo caritatis eos admonebat, et quanta debuissent inter se concordia uniri prædicabat. Cum subito inter ipsa sanctæ exhortationis verba, voce terribili clamavit, dicens: Hora est. Moxque assistentibus ipse suis manibus linteum dedit, quod ex more morientium sibi contra faciem tenderetur. Quo tenso, spiritum emisit: sicque sancta illa anima ad gaudia æterna perveniens, a carnis corruptione soluta est.

quod dum annuatim expectat, septimo demum contigit anno, ipso post Missam intra loculum se componente,

8 *Idem in mortis suæ tempus sepulcrum sibi præparaverat, proxime sepulcro S. Faustæ, sororis potius quam uxoris suæ. Virgo enim cum viro vixisse et obiisse creditur. Istius Epitaphium, supra ingressum ad vetus S. Juvenalis sepulcrum, etiamnum legitur, marmori oblongo incisum, quod Crux æquilatera ampla medium percurrit; sub utraque Crucis ala duobus Agnis se mutuo respicientibus insculptum; superne vero tribus utrimque versibus, sic ordinate legendis, et indubitabile testimonium prædictorum præbentibus:*

† Cassius, immerito Præsul de munere Christi,
Hic sua restituo terræ mihi credita membra.
Quem fato anticipans consors dulcissima vitæ,
Ante meum, in pace requiescit Fausta sepulcrum.
Tu,

juxta loculum uxoris Faustæ cum communi a se scripto Epitaphio.

A Tu, rogo, quisquis ades, prece nos memorare [benigna,
Cuncta recepturum, te noscens, congrua factis.

Ipso autem vita functo, curatores funeris addiderunt sequentia : SD. ANN. XXI. M. IX. D. X. RQ. IN PACE. PRID. CAL. IVL. P. C. BASILI. V. C. ANNO. XVII : *qui Post-consulatus notat annum Christi* DLVIII. *Unde, per annos, menses, dies, hic indicatos retrogradiendo, intelligitur ordinatus fuisse* S. Cassius Episcopus, *anno* DXXXVI, XIX *Septembris ; qui ipso anno, habente litteram Dominicalem C, Dominicus fuit, et observantiam Dominicæ, ad Ordinationes Episcoporum, sæpe a nobis inculcatam, confirmat.*

§. II. *Reliquiæ Lucæ petitæ et impetratæ, anno* 1679.

Relato Narniam corpore S. Juvenalis,

Quantumcumque incerta et intricata sit historia, de modo ac tempore Translationis Sanctorum Juvenalis, Cassii, atque Faustæ, *a civitate Narniensi in Lucensem, ad S. Frigidiani ecclesiam, (de quibus vide Commentarium nostrum ad* III *Maji) de hoc tamen inter omnes convenit,* S. Juvenalis *corpus denuo relatum Narniam fuisse ; Lucæ mansisse corpus* S. Cassii, *una cum corpore* S. Faustæ, *sive hæc fuerit Virgo et Martyr* B *Cyzicena, quæ* XX *Septembris ex Romano Martyrologio colitur (ut vult Franciottus) sive, quod longe verosimilius est, uxor* S. Cassii, *cui ab initio proprius fuerit dies* XXV *ejusdem mensis, quando Lucæ de ea Officium sit. Nescitur tamen quo loco et quo modo deposita primum Narniæ illa fuerit ; solum habemus ex Franciotto, quod factum id sit anno* MCLII *die* XXVIII *Junii, tunc in Dominicam cadente sub cursu litteræ* E, *cum solennis fieret S. Frigidiani translatio, in digniorem ipsius ecclesia locum, coram quatuor Cardinalibus, tribus Archiepiscopis, Episcopis septem, tunc Lucæ præsentibus, ibidem aut in vicinia etiam agente Romana Curia, una cum Papa Eugenio III, seditionum Romanarum pertæso. Habemus etiam ex Franciotto, quod eodem tempore et eadem occasione pariter inventa sint corpora* SS. Richardi Regis, Cassii Episcopi et Faustæ, *et in suis singula altaribus collocata, ubi hodiedum requiescunt. Quod porro his superioribus annis actum sit, declarabit Epistola* Caroli Stephani Bucciarelli, Cathedralis Ecclesiæ Canonici Pœnitentiarii, *quæ post gratam commemorationem mei laboris, impensi illustrandis S. Juvenalis Actis, sic progreditur.*

Lucæ mansere corpora SS. Cassii et Faustæ,

ibidem inventa an. 1152

Illius saltem partem petentibus Narniensibus an. 1675.

C 10 Laboravit sæpius civitas Narniensis, ut, si non totum *S. Cassii* corpus, partem saltem aliquam recipere a Lucensibus mereretur. Novissime vero anno MDCLXXV, missis ad Illustrissimam Lucensium Rempublicam libellis litterisque supplicibus Illustriss. D. Octavii Avii Narniensis Episcopi, Magistratusque et Capituli, commendatione plurium Eminentissimorum Cardinalium Principumque virorum suffultis, ac deprecatione potissimum Illustriss. D. Francisci Spadæ Equitis Hierosolymitani, atque D. Leonis Santuccii, Patriciorum Lucensium, id tandem effectum est, ut, superatis difficultatibus omnibus, die XXIV Martii, omnium fere conspirantibus votis, Excellentissimus ille Senatus sanciverit ejusdem sacri corporis præcipuam unam partem Narniensibus esse attribuendam : quod mox etiam indicandum curavit per humanissimas litteras, Illustrissimo D. Episcopo et Canonicorum Capitulo atque Magistratui scriptas. Primæ, in ipsius Episcopi morte deperditæ, non amplius inveniuntur ; secundæ breviores fuere ; tertiarum ex Italico hic tenor erat.

Lucenses humaniter annuunt,

" 11 Tenerrimo devotionis affectui, quem vestræ " Dominationes servant erga suum quondam dilectissimum Pastorem S. Cassium, hujus nostræ " Reipublicæ Tutelarem Patronum, negari a nobis " non potuit tantopere desiderata consolatio ; per D " quam nihil detraheretur de obsequio nostro erga " ipsum Sanctum, neque de gloria, Deo ex veneratione suorum Sanctorum proveniente. Quapropter plena voluntate libenter condescendimus ad " instantissimas preces vestras, ut vobis largiremur partem Reliquiarum ejus : sperantes, quod, " sicuti nobis ex majorum nostrorum pietate contigit celebrare nomen suum, acquisitione tantorum thesaurorum, ad tutelam Reipublicæ suæ ; " ita Sanctus ipse gratam habiturus sit gratiosam " nostram liberalitatem, erga populum adeo devotum ac religiosum ; nobisque continget multiplicari " intercessores apud divinam misericordiam, ad " perpetuam conservationem nostræ felicis libertatis. Id enim nobis pollicemur a reciproca vestra " humanitate ; interim dum præstolamur opportunitatem promissionis nostræ ad effectum deducendæ ipsa actuali sacri pignoris traditione (qua " de agere poteritis et convenire cum D. Episcopo " vestro) omnem vobis prosperitatem apprecamur, " Lucæ XXVIII Martii MDCLXXIX, ad obsequia Illustriss. Dominationum vestrarum, Anciani et " Confalonerius Reipublicæ Lucanæ. *Signatum autem erat,* Bartholomæus Bocella : *et infra*, Petrus Fanucci.

AUCT. RS. D. P.

anno 1679,

E

magno cum solatio Narniensium ;

12 Quinta die Aprilis felix hic nuntius Narniam perlatus ; et buccinarum, sacrique æris tota urbe concentu, balistarumque fragore indicatus est civibus de mandato Episcopi : neque credi potest, quantum inde gaudium per omnium corda diffusum sit. Concurrebat excitus undique populus ad Cathedralem, pro agendis Deo gratiis ; potissimum vero ad ædiculam, ab eodem *S. Cassio* ad S. Juvenalis sepulcrum conditam, ad quod ipse solebat orare ; ubi et voluit tumulari, quemadmodum testatur titulus, super ipsum ostium ab illo sculpi jussus, et ibi hodiedum superstes. Postera deinde Dominica die, in eadem basilica decantatus fuit Hymnus Ambrosianus, *Te Deum*, cum eximio vocum instrumentorumque musicorum concentu, præsentibus Episcopo, Gubernatore, Senatu et Clero universo.

et aperta sacri corporis arca,

13 Lucensi autem in civitate non cessabatur ; sed a Senatu designati Proceres, cum Reverendiss. D. Vicario Generali, perrexerunt ad gloriosi corporis tumulum, qui sub erecto ad honorem ejus sacello existit in S. Frigidiani ecclesia : et patefacto F altari, ipsum invenerunt [corpus] in quadam urna, quod cujus esset indicabat additum nomen S. CASSII NARNIENSIS EPISCOPI. Erat illud, propter longævitatem nimiam, redactum ad parvam ossium quantitatem, ceteris in cineres resolutis, qui continebantur in sericeis sacculis : quorum unus, cum majori ossis cujusdam potioris frusto, coram Priore et Canonicis suis, per duos eorum ad id delectos, servatis ceremoniis ad talia solitis usurpari, repositus fuit intra scrinium seu arculam argenteam : quam ab iisdem Proceribus et Canonicis susceperunt, Excellentiss. D. Vexillifer Justitiæ Ancianique, servandam in Palatio, ac deinde tradendam ei, quem ad ipsius exceptionem Narnienses deputarent. Quibus de omnibus conditum est hujusmodi publicum instrumentum.

inde sumunt os unum majus cum sacculo cinerum ;

" 14 In nomine Domini. Amen. Anno Nativitatis " ejusdem MDCLXXIX, Indict. II, die vero XXVI mensis " Aprilis, Pontificatus sanctiss. in Christo Patris D. " P. Innocentii XI, anno ejus III, stylo Lucano ; constituti personaliter coram Illustriss. et Excellentiss. " Dominis Antianis et Vexillifero justitiæ Sereniss. " Lucensis Reipublicæ, in eorum Palatii sacra æde " et oratorio collegialiter congregatis, meque Notario " et ipsorum Cancellario ac Testibus infrascriptis ; " Nobiles Domini Carolus Guinigi, Franciscus Guffarini

A AUCTORE D. P.

» farini, ac Carolus Spada, Lucenses, ad infrascripta specialiter deputati decreto Excellentiss. Senatus, emanato XXIV Martii proxime elapsi; cum assistentia et de societate adm. RR. DD. Laurentii de Raphaelis Vicarii; Mauritii, Ferreri, et Urbani Trenta, Canonicorum Regularium Lateranensium Ordinis S. Augustini; iisdem Excellentiss. Dominis præsentaverunt, exhibuerunt, et super altare ejusdem oratorii relaxaverunt sacrum os et cineres S. Cassii Episcopi Narniensis, delatum ac delatos per dictos adm. RR. DD. Canonicos, extractosque e deposito altaris, eidem Sancto dicati, in quo ejusdem venerabiles et sacræ Reliquiæ servantur, in templo S. Frigidiani de Luca dd. RR. adm. DD. Canonicorum Lateranensium; et sibimetipsis DD. Nobilibus deputatis traditas a Reverendiss. D. Joanne Francisco Sardini, moderno digniss. dd. DD. Canonicorum et præfatæ ecclesiæ Priore, cum interventu et præsentia Reverendiss. D. Flaminii de Nobilibus, in spiritualibus et temporalibus Eminentiss. ac Reverendiss. D. Julii Cardinalis Spinolæ Episcopi Lucani Vicarii Generalis (de qua extractione et consignatione constat manu Egregii D. Dominici

B *repositas intra scrinium argenteum,*

Carelli N. P. L. sub hac præsenti die publicum instrumentum, ad quod habeatur relatio) clausas et repositas in argenteo scrinio, de mandato dd. DD. Deputatorum constructo, et d. D. Priori ad id exhibito, undique ex partibus clauso præter ab anteriori, unde sacræ apparent Reliquiæ, crystallo velatæ: quod sericeo violacei coloris vinculo alligatum, tribusque sigillis firmatum et obsignatum erat, cum insigniis duobus ab inferiori parte. d. D. Vicarii Generalis, et in superiori, altero Monasterii S. Frigidiani; in capite vero ejusdem scrinii incisa et inscripta sunt verba, OS ET CINERES S. CASSII EPISC. NARNIENSIS; in altero laterum legitur, REIPUBLICÆ LUCENSIS MUNUS; et in opposito, NARNIENSIUM EXIMIÆ PIETATI; et in posteriori parte Reipublicæ Lucensis insignia sunt sculpta cum litteris LIBERTAS: et in arcula ex nucis ligno constructa, nigrisque cornicibus exornata custoditur. Quod scrinium, in d. arcula repositum, dd. sacras Reliquias S. Cassii continens, præfati DD. Antiani, debita cum reverentia et veneratione receperunt, ad effectum de quo in enuntiato decreto Senatus; et reponi, collocari, recludi et custodiri mandaverunt, in eorum Palatii sacræ ædis altaris stipite, ubi aliorum Sanctorum, in diversis custodiis et urnis, servantur Reliquiæ, prout repositum et clausum fuit; et penes D. Signiferum clavibus ad fidam custodiam remanentibus, prædictis omnibus semper assistentibus dd. DD. Deputatis et Canonicis. Et de his omnibus publicum conficere instrumentum iidem DD. Antiani, ad perpetuam rei memoriam et veritatis testimonium, mandaverunt mihi... præsentibus Nobilibus DD. Laurentio Matroni I. V. D. Cambo Bandini, Laurentio Bondava, et Joanne Bapt. Colli, Lucensibus, et quam plurimis aliis testibus. Ego Franciscus Macarini etc.

arculæ nuceæ inclusum,

C *servandas tradunt Antianis ad id deputatis:*

15 Ad thesaurum tam præclarum inspiciendum, ire optabant non pauci: sed eum honorem proprium sibi, pro eximia sua erga Sanctum devotione, facere voluit Illustriss. D. Episcopus Avius: et sexta die Maji ejusdem anni Narnia digressus, Lucam appulit decima quinta ejusdem mensis. Ubi, post non exiguos a munificis illis hominis receptos honores, tradita ei est sacrarum Reliquiarum S. Cassii arcula prædicta, secundum infra scriptum instrumentum, Hieronymi Lippi sigillo et manu signatum subscriptumque.

pro quibus recipiendis Lucam profectus Episcopus Narnien.

16 In nomine Domini. Hoc publico instrumento cunctis pateat evidenter, quod anno a Nativitate D. N. Jesu Christi MDCLXXIX, die vero XVII mensis Maji.... Illustriss. et Excellentiss. D. Joannes Guinigi, Vexillifer, et Illustriss. DD. Antiani, Maximilianus Pissini; Joannes Pottini, Jacobus Cittadella, Jacobus Burlamacchi, Dominicus Fandora, Joannes Baptista Bianchi, Hieronymus Deodati, Jo. Hieronymus Raphaelli; inhærendo votis ac supplicibus piisque litteris Civitatis Narniensis, et in executione decreti, emanati die XXIV Martii, non minus pie quam liberaliter, dono dederunt, ac manu eorum Sacerdotis, eidem sacello inservientis, consignari fecerunt Illustriss. ac Reverendiss. D. Octavio Avio Narniensi Episcopo præsenti, maximaque animi hilaritate ac reverentia recipienti, id ipsummet argenteum scrinium, in se continens sacrum os et cineres S. Cassii, olim Narniensis Episcopi, sibi ipsis relatum ac relaxatum, sub die XXVI Aprilis proxime elapsi;.... recognitis prius signaculis, cum quibus d. scrinium firmatum erat.... Quas Reliquias idem D. Episcopus manu sua recepit, et gratias quas potuit maximas ipsis DD. Antianis cumulatissime egit, rogans Deum opt. max. ut illorum ac Senatus piæ munificentiæ æterna merita reddat. Super quibus omnibus etc. His autem sic actis, reditum ad sponsam suam Ecclesiam maturavit Illustrissimus, iter ingressus XVIII Maji, comitantibus ipsum per millaria aliquot non paucis e Lucensi nobilitate. *Hactenus Epistola, cujus alteram partem placet sequenti Paragrapho reservare.*

D *ipsas accipit 17 Maji,*

de manibus Lucensium,

E

§. III. *Reliquiæ honorifice exceptæ, et collocatæ a Narniensibus.*

Expositis quæ Lucæ acta sunt, regreditur cum suo Episcopo Avio prælaudatus Bucciarellus, et Epistolæ suæ relationem sic prosequitur: XXVII Maji advenit Episcopus noster Capitonium, civitatis hujus castrum, ubi noctem illam quieti dedit; quam tamen multam ei non sivit magna populi caterva, eodem per impatientiam moræ progressa, et sacrum pignus venerandi cupida. Postera die, quæ sanctissimæ Trinitati festiva erat, ad eumdem locum properavit bene instructa equestris turma, cum viris Patriciis duobus ceremoniarum Magistris: quibus comitatus Illustrissimus ad S. Hieronymi, in Patrum Minorum Observantium S. Francisci ecclesiam, prope et extra hanc civitatem Narniensem sitam, declinavit; expectatus ibi a duplici militum, istic castra metatorum, agmine. Ibidem ille Gubernatorem et Magistratum, cum magna populi multitudine obvios, excepit; atque lectica desiliens, Reliquias in summo altari collocavit tantisper, donec Pontificalibus indueretur. Subinde advenit universus Clerus, una cum Confraternitatibus ordinata processione egressus, sub ecclesiæ Cathedralis vexillo; quod primo Confraternitates, tum Religiosorum cœtus omnes, Clerus deinde secularis, sequebantur, cum interposito musicorum, tibicinum et fidicinum choro; ac denique Canonici, Albas atque Cappas pluviales induti. Pone succedebat argenteæ telæ dives umbella, a civitatis totius nobilioribus viris, mutuo sibi succedentibus gestata; sub eaque, Diaconalibus Dalmaticis induti, quatuor bajuli culcitræ elegantissimæ, in quam cum sacrum ferculum excepissent, circum lucente numerosa tædiferorum caterva; sequebatur cum Mitra, Pluviali et Pedo Episcopus, suam cunctis benedictionem impertiens; pompam vero claudebat Gubernator, cum Magistratu, atque innumera populi multitudine.

Die 28 Maji ab obviam egressis Deputatis exceptus Episcopus,

F

ad suburbanam Minorum ædem

orditur Processionem,

A 18 Processit hæc pompa, inter pias multorum lacrymas, urbem versus; per ejusque præcipuas vias ducta, templum tandem Cathedrale subiit, inter tubarum clangores, boatus tormentorum, æris campani sonitum, et concentum organorum. Tunc repente exauditæ sunt mulieres duæ, pridem notæ a dæmonibus possideri, vociferantes horrendum: quæ vi pertractæ ad sacras Reliquias sunt, easque capitibus impositas tolerare coactæ. Hoc facto exanimes cecidisse visæ, paulo post ab importunis hospitibus liberæ surrexerunt; nec potuerunt satiari deosculandis salutiferis lipsanis, ad quæ deinde per multos dies rediere frequenter, gratias suo liberatori agentes: qua re mirum est quantum fuerit inflammata devotio popularis et lætitia cumulata. Supplicationem secuta est Ambrosiani hymni decantatio: jam enim in meridiem provectus sol celebrandæ Missæ tempus non dabat. Dimissus ergo populus est ab Episcopo, cum Reliquiis benedictionem impertiente, conventurus, post prandium sumptum, ad Vesperas: quibus interveniens ipse Episcopus, eamdem benedictionem iteravit, et porro Reliquias ipsas singulis præbuit osculandas, suis ipse manibus et labore non exiguo. Denique reliquit B illas expositas in altari, ubi ad commune solatium remansere usque ad primam horam noctis, quæ frequenti per totam civitatem lumine fuit illustrata.

versus Cathedralem

sub qua liberantur energumenæ 2

ubi expositæ palam Reliquiæ,

19 Postero die, cum nihilo minor populi turba concurrisset, expositæ iterum Reliquiæ sunt ad publicam venerationem. Tum votivum de Sancto Episcopus cecinit; ac deinde, post Vesperas solenniter decantatas, inclinato jam die, iterum ad osculum præbitæ Reliquiæ sunt; quas deinde Episcopus detulit ad majoris aræ sanctuarium, inter alias Reliquias tantisper servandas, donec proprius eis locus definitus communi consilio esset. Etenim deliberabatur de construendo illustri sacello in honorem S. Cassii: verum consideratis omnibus, visum fuit, nuspiam aptius illas posse collocari, quam in ipso quod S. Juvenalis extruxerat oratorio, et ubi tot annis sepultus jacuerat. Decretum igitur est, marmoribus pretiosis vestiendum altare, quod ibi erat. In quod opus cum essent expensi aurei circiter sexcenti, ex eleemosynis eo collatis; tandem anno sequenti deportatæ illuc Reliquiæ sunt, et eleganti, quæ sub altare constructa erat, lapideæ urnæ inclusum fuit scrinium plumbeum, continens argenteum C Luca allatum. Qua de re confectum sequens Instrumentum.

die 29 deferuntur ad sacrarium

et loco primæ sepulturæ splendidius ornato,

» 20 Anno a Nativitate D. N. Jesu Christi » MDCLXXX, Indict. III, die vero XXIII mensis Maji... » Cum fuerit et sit quod Illustriss. et Reverendiss. » D. Octavius Avius, Episcopus Narniensis, die » VII currentis mensis Maji, tradiderit et consi» gnaverit in Episcopii oratorio, Perill. ac Rev. » Adm. D. Carolo Stephano Bucciarello, Canonico » Antiano hujus Cathedralis ecclesiæ S. Juvenalis, » capsulam cum Reliquiis S. Cassii, Episcopi Nar» niensis et Patroni, clausam et sigillis munitam, » ad effectum reponendi et conservandi in sanctua» rio hujus ecclesiæ, donec et quousque fuerit ab» solutum altare, quod in eadem ecclesia in hono» rem ejusdem Sancti construi debebat, ubi dd. » sacræ Reliquiæ collocari deberent, prout reposi» tæ sunt per d. D. Canonicum....

ibi collocandæ an. 1680 23 Maji

» 21 Et quia urna, intra d. altare novum jam » est absoluta et firmata, omniaque parata ad repo» nendas et asservandas dd. Reliquias, idcirco » Perill. et Reverendiss. D. Vincentius Sinibaldus, » Protonotarius Apostolicus et Episcopi Narniensis » Vicarius generalis, accedens et ingrediens d. Ec» clesiam, comitatus a suis familiaribus, et reve» renter receptus a Perillust. et RR. adm. DD. » Canonicis, Jo. Carolo de Alexandris, Jo. Petro D » Sepellio, Vincentio Picciuino, Vincentio Caldoro, » Francisco de Alexandris, Car. Stephano Buccia» rello, Septimio Pellegrino, Jo. Bapt. Mancinello, » Ludovico Bonetto, Franc. Andrea Cossara, » Luantonio Jubileo, et Jo. Bernardino Scotto. Et » primo ad sanctiss. Sacramentum, postea ante » Sanctuarium, ubi asservantur dd. Reliquiæ, pre» cibus effusis, et interim supervenientibus Illustriss. » DD. Prioribus Residentibus Franc. Antonio de » Meis, Alexandro Germanello, et Francisco Buc» cardino; ac Dominis Raphaele Conestabile; » Equite Paulo Erulo, Capitaneo Honuphrio Cal» derino, Ignatio Masseo, ac Francisco Brandolisio, » Deputatis, illisque omnibus præsentibus ac testi» bus infrascriptis, nobisque Notariis; idem D. » Vicarius mandavit extrahi d. capsulam a loco » ubi relicta fuerat per. d. D. Bucciarellum, prout » per eumdem Pluviali coloris albi indutum, ex» tracta fuit, et ejus manibus elevata, et apportata » ad altare majus, præcedentibus DD. Canonicis et » Presbyteris d. Cathedralis ecclesiæ, cum cottis » et intortitiis ardentibus, psalmosque canentibus; » et subsequentibus DD. Prioribus et Deputatis, etc.

AUCTORE D. P.

efferuntur e sanctuario;

E » 22 Et ita perventi ad d. altare majus, super » eo fuit posita d. capsula: et sic exposita, iidem » DD. Canonici Jo. Carolus, Jo. Petrus, et Caro» lus Stephanus, ac D. Raphael, Eques Paulus, D. » Joannes Bucciarellus, et Joseph Paratinnus, duo » ex testibus habitis in traditione, consignatione et » repositione prout supra; viderunt et recognove» runt, coopertam panno albo serico, et fimbria » aurea circumductam, ac vittis sericeis albi coloris » alligatam, et in cera rubea in parte superiori duo» bus sigillis D. Episcopi, et in parte inferiori duo» bus aliis impressam... eamdemque esse asserue» runt, prout ultima vice fuit relicta. Et propterea » idem D. Vicarius d. exteriorem capsulam mandavit » aperiri, et ex illa extrahi capsulam interiorem; » prout, per manus d. D. Canonici Antiani, fuit aper» ta exterior, et extracta interior. Et hac plumbea » (longitudinis, ut vulgo dicitur, un piede incirca; » latitudinis, tre quarti e mezzo; altitudinis, tre » quarti, cum litteris in parte superiori sculptis, » OS ET CINERES S. CASSII EPISC. NARNIENSIS) su» per altari pariter exposita, illam dd. Domini.... » illibatam viderunt et invenerunt.... Eamque d. » D. Canonicus Antianus præ manibus accepit, et F » elevavit; et cum illa ante altare omnes adstantes » signo Crucis benedixit, post quod omnes et sin» guli eam venerati et osculati fuerunt.

et ad majus altare delatæ,

atque recognitæ;

» 23 Postmodum, ordinante d. D. Vicario, idem » D. Canonicus ipsam introclusit in aliam capsu» lam, ex ligno cupressi præparatam, altitudinis et » latitudinis, ut vulgo dicitur, cinque sesti di un » palmo; longitudinis, di un palmo e mezzo; et » cooperculo statim clausam, alligavit vittis sericeis » coloris rubei, superimposita cera, et superius in » medio sigillo D. Episcopi, ab uno latere sigillo » Communitatis, et ab alio, sigillo Capituli impres» sa et munita. Et sic devote ad altare noviter » erectum apportavit, præcedentibus pariter DD. » Canonicis et Presbyteris etc.

ipso scrinio argenteo in cupressinam arcam transposito,

» 24 Et ita perventis ad urnam lapideam, ve» natam colore albo et rubeo, intus altare novum » firmatam, in capella antiqua, ubi quievit olim » corpus S. Juvenalis, intus cryptam in qua re» manet sepulcrum vacuum d. Sancti Juvenalis; » idem D. Canonicus assistens, omnes adstantes » denuo benedixit; eamque capsulam statim intro» clusit, reposuit, ac locavit, in d. urna lapidea. » Postremo, incensatione facta, et devota venera» tione, cum omnibus adstantibus habita, per can- tores

portantur ad novum altare,

et urnæ marmoreæ includuntur,

AUCTORE D. P.

A » tores cantata Antiphona, et per d. D. Canonicum » absoluta oratione S. Cassii; idem D. Vicarius » claudi et obserari, cooperculo ex eodem lapide ad » id insculpto et parato, et ferros hinc inde cum » plumbo liquato firmari mandavit.... Quibus om» nibus sic ut supra peractis, intonato per d. D. » Canonicum Antianum hymno Te Deum Lauda» mus, prosequentibus DD. Canonicis et Presbyte» ris, dictaque Oratione pro gratiarum actione, » recesserunt omnes lætantes. Super quibus omni» bus etc. publicum instrumentum rogatus Alexan» der de Angelis Urbevetanus, Notarius et Can» cellarius Narniensis, se subscripsit etc.

exindeque multis miraculis clarent.

25 *Hactenus Epistola et instrumenta, sub nota anni* MDCLXXXV *nobis missa a sæpius memorato D. Canonico, Carolo Stephano Bucciarello; cum ad finem Epistolæ addidisset, a tempore præfatæ solennis translationis, multas miraculosas gratias obtentas referri, quæ tamen scripto exceptæ non sint, solisque argenteis, cereis, ligneisque anathematis testatæ habeantur; accurrentibus ad præfatum sacellum fidelibus, etiam ex longinquo.*

Refutatur translatio S. Cassii Astam,

26 *Monet etiam idem Canonicus, verum esse non* B *posse, quod in libro de S. Juvenale Fossanensi pag.* 26 *scribit Joannes Niger, ex Paulo Britio Albensi Episcopo, in Progressibus Ecclesiæ Occidentalis, seculo* VI *num.* 123, *allegante Topographiam Sanctorum Martyrum, sub nomine Primi Episcopi Cabillonensis vulgatam a Maurolyco, videlicet, quod* corpus S. Cassii Luca fuit translatum Astam in Pedemontio, cum Reliquiis S. Cerbonii Episcopi Populoniensis, et S. Fulgentii Episcopi Utriculani, tempore Gundibaldi Ducis Astensis et fratris Theodolindæ Reginæ: quod etiam Jacobillum decepit, in Appendice ad Acta Sanctorum Umbriæ tomo 3. *Topographiæ istius verba sunt:* Asta Colonia, civitas Italiæ. Hic Cassius Narniensis, Fulgentius Utricolensis, et Cerbonius Populoniæ Episcopi, sub Totila Gothorum Rege Martyres.

ex Pseudo-Primo Cabilonensi asserta.

27 *Nulla apud nos est Topographiæ istius auctoritas, cum* Primus Episcopus *non solum nullus Cabilone fuerit, anno (ut præfert titulus)* MCCCCL, *sed nec tota Gallia, vel tunc, vel unquam, qui quidem in Episcopalibus apud Sammarthanos Catalogis notus sit. Fictum est igitur nomen Auctoris, vel ex initiali littera* I, *posita pro nomine* Joannes, *male acceptum fuit nomen numerale.* Primus. *Habuit autem Cabilonensis Ecclesia duodecim omnino Episcopos,* Joannes *dictos, quorum* C *penultimus, cognomine* Germain, *ab anno* MCCCCXXXVI *ad* MCCCCLX *sedit, et potuit sub titulo*, I Episcopi Cabillonensis, *scripsisse Topographiam præfatam, anno quem Maurolycus notat* MCCCCL. *De ea videsis Theophilum Raynaudum nostrum Tomo* II, *pagina* 287; *et intellige creberrimis illam mendis et erroribus respersam, adeo ut non solum titulus, sed etiam substantia libri, frequenter vacillet. De* S. Fulgentio *egimus* XXII *Maji; de* S. Cerbonio *agemus die* X *Octobris: hunc sub Longobardis floruisse scimus: an Totilam viderit,* D *non definimus: vidit Fulgentius, tantumque non obiit Martyr, terræ infossus: sicca tamen morte ambo, sicut et* Cassius, *defuncti sunt. Quid factum S. Cerbonii corpore necdum comperimus.* Utriculo, *inquit Bucciarellus,* Reliquiæ S. Fulgentii numquam fuerunt remotæ. Cum enim ad illud diœcesis nostræ Narniensis oppidum, anno MDCLXXIII die III Augusti, mecum accessisset Episcopus Avius; ibidem me præsente extrahi fecit priscum valde et simplex depositum, sub altare restaurato decentius reponendum; intra quod ejus jussu apertum, inventum est corpus, omnibus ossibus bene servatis integrum, cum plumbea lamella; his verbis notata. HOC EST CORPUS S. FULGENTII EPISC.

sed æque ficta atque translatio S. Fulgentii.

an. 1681 adhuc manentis apud Utriculum,

28 Volens autem ego, *inquit Canonicus prælaudatus*, de prænotata re certius doceri, anno MDCLXXXI egi per litteras cum D. Josepho Maria Pichi, Canonico Albensi, amico meo, ut Astæ inquiri faceret in eas, quæ istic esse prætenduntur, Reliquias, si forte revera istic esset aliquid S. Cassii Luca allatum; quandoquidem istic solum pauca ossa habentur, cetera creduntur redacta in cineres. Ad hasce E litteras sic mihi rescripsit Canonicus Pichi: « Dum » Asta expecto responsum de Reliquiis in quæs» tionem adductis, oblata mihi occasio est eodem » excurrendi; ubi mihi contigit omnes et singulas, » tam Cathedralis quam Collegiatæ ecclesiarum » Reliquias pio osculo venerari. Quærenti mihi an » aliquæ ibi essent SS. Cassii, Fulgentii et Cerbo» nii; responsum est negative. Dominus autem » Præpositus Astensis deduxit me in capellam » quamdam obscurissimam sub altari majori, ubi » grandem marmoream arcam ostendit, cui oper» culo item marmoreo insculptum erat, HIC REQUIES» CUNT CORPORA SS. sed nomina extrita et abolita » sunt: quantum autem potui comprehendere ex li» bro impresso, enumerante omnes Reliquias civi» tatis Astensis, quem idem Præpositus mihi exhi» buit; intra arcam prædictam fuit aliquando » corpus S. Secundi, Astensium Protectoris, postea » translatum alio: in præsentiarum vero ibidem » dumtaxat continentur arculæ duæ, cum Reli» quiis innominatorum Sanctorum, quæ possent » censeri eorum de quibus me interrogas, si Astam » translatos ex toto vel ex parte alicunde constaret. » Distinctior notitia haberi non potest: et in toto » libro, quem diligenter perlegi, nusquam illi no» minantur quos requiris. Promisit mihi tamen F » Præpositus ulterius inquisiturum se, et si quid » invenerit fideliter relaturum. » Ita ille, a quo cum nihil porro acceperim, pro certo argumento id sumo quod nihil ultra reperiri potuerit. *Neque nos aliquid ulterius speramus, sed gaudemus tali occasione cognovisse certius, præsentiam* S. Fulgentii *apud Utriculum, et absentiam* S. Secundi *a sua veteri arca.*

cum Astæ solum sint Reliquiæ SS. Anonymorum,

intra arcam olim S. Secundi.

DE S. BEATA SEU BENEDICTA

VIRGINE DIOECESIS SENONENSIS IN GALLIA.

D. P.

Sylloge ex Martyrologio Usuardi, et recentioribus.

Ut Beata nota Usuardo;

G*enuinum Usuardi Martyrologium, in Monasterio S. Germani de Pratis, ubi ille Monachus fuit, asservatur, cui consentiunt ecgrapha quatuor alia. Nostrum, ex autographo descriptum exemplum, post sanctos Apostolos, sanctosque Marcellum et Anastasium, aliud hoc die non habet quam hæc:* In territorio Senonico, Beatæ, Virginis. *Quod idem, nec aliud nomen inveniri, scribit Claudius Castellanus, Cathedralis Parisiensis Canonicus, in omnibus antiquis MSS. Litaniis, Breviariis, Missalibus, nullo prorsus (in Gallia scilicet) discrepante. Addit autem, sub eodem nomine* S. Beatæ, *haberi Senonibus*

A *nibus in suburbano pervetustam ecclesiam cum crypta, ubi festum, propter concurrentiam Natalis Apostolorum, agatur* VI *Septembris, die S. Sanciani, quem Saussayus putat ejus fuisse fratrem. Habemus ex Legendario Senonensi aliquam S. Sanciani sociorumque passionem, ubi ejus soror appellatur* Beata Columba Virgo, *et ante illum sub Aureliano tyranno dicitur capite plexa; hæc autem colitur* XXXI *Decembris: sed in illius ad eum diem descriptis Actis, nulla omnino Sanciani fit mentio; ut ea germanitas gratis conficta videatur. Quamvis autem vera illa foret, nihil faceret ad hanc, de qua agimus, proprio nomine* Beatam: *pro Saussayo tamen facit Clarius, ejusdem cœnobii antiquus seculo* XII *scriptor, cum ait, quod* subsequenti tempore corpus S. Beatæ Virginis translatum fuit juxta fratrem suum B. Sancianum.

quibusdam dicta soror S. Sanciani;

2 *Carthusiani Colonienses, cum eisque Molanus, nec non MS. Florarii auctor, et Galesinius, pro* Beata *nominant* Benedictam, *atque in hanc scriptionem consentiunt plura per Belgium MSS. exemplaria Usuardi, quod propter Molani auctoritatem etiam secutus Baronius est. Claudius prælaudatus, ac hæc concilianda, suspicatur nomen Virginis fuisse* Bene acta; *quod Senonense vulgus* Beatte *pronuntiaverit, itaque facta sit* Beata; *exteri vero* Benedicta *legerint.*

ut Benedicta, Belgicis MSS.

vulgo S. Beatte,

B

3 *Utut est, unam eamdemque Sanctam in utrisque exemplaribus notari, pro certo habeo: non capio autem unde Maurolyco suggestum sit, ut scriberet,* In agro Senonico. S. Benedictæ Virginis, cruci appensæ; *cum hoc de nulla, istic nota legatur; et tali casu Martyr dicenda foret. Addit Maurolycus:* Et ibidem SS. Mustiolæ et Beatæ Virginum. *Simile quid invenimus in MS. S. Victoris Parisiis, et alio quod fuit Reginæ Sueciæ; sed ad* XXXI *Maji, ut istic inter Prætermissos est dictum. Dum tamen* Mustiolæ *nulla apud Senonenses apparet notitia, non ausim numerum Sanctarum eo nomine augere, ex testimoniis adeo recentibus aut incertis.*

alicubi ut socia S. Mustiolæ,

D

AUCTORE D. P.

4 *Saussayus, Maurolycum imitatus, primum* Benedictam, *deinde* Mustiolam, *et* Beatam *ponit, castitatis studium, omnibus Christi Virginibus commune, prolixa verborum ambage in iis laudans, quasi ad ostentationem eloquentiæ. Miserabilius etiam se jactat Tamayus in* Benedicta; *quo nomine inveniens unam, in S. Fructuosi Bracarensis Vita, num.* 15 *et* 16 XVI *Aprilis, valde laudatam a constantia in sponso repudiando; atque ex fide recentioris cujusdam poetastri, sub nomine Auli Hali se occultantis; asserit,* Nonæ in Gaditanis *fuisse Abbatissam; et pro* Senonensi *territorio apud Usuardum,* Nonense monasterium *legi vult: nemine interim reperto, qui* Nonam in Gaditanis *ante illum nominaverit; et ignarus quam longe absit genuinus Usuardus, a nomine* Benedictæ. *Tamayi somnia assumens Auctor Cadis illustratæ, facit de ea Caput* 15 *libri* 4, *quod satis sit hic indicasse.*

et in Saussayo ut diversa a Benedicta.

Tamayus Hispanam facit.

E

NOT. 22

DE B. SALOME VIRGINE

ET JUDITHA VIDUA,

RECLUSIS APUD ALT-AICH IN BAVARIA.

D. P.

Commen. prævius de earum ætate, genere, cultu et Vita conscripta.

SEC. IX

Situs duplicis Altaich:

Alt-aichense *in Bavaria ad Danubii ripam* cœnobium *duplex est, vulgo* Alt-aich, *id est,* Annosa quercus; *superius unum infra Straubingam, inferius alterum infra Deckendorffium, inter Ratisbonam et Passavium ambo. Communes ambo habuere fundatores circa annum* DCCXXXIX, *Tassilonem Ducem et S. Pirminium Episcopum; sed suos singula Abbates diversos, quorum seriem in sua Metropoli Salisburgensi proponit Wiguleius Hundius, tom.* 2; *Inferioris quidem pag.* 4; *Superioris pag.* 53. *De Superiori agendum hic nobis videtur: nam Inferius S. Mauritio Martyri sacrum erat; istud vero, ad quod* B. Salome *peregrina venit, visitatura* limina S. Ægidii, *huic videtur sacrum fuisse. Inferioris nullus nominatur Abbas* Waltherus, *quo tamen nomine dicitur is qui ipsam inclusit; in Superiori sic appellatur Abbas* XXIV, *idemque penultimus ante desolationem, factam ab Hungaris anno* DCCCCVII, *post quam ipsum in ruinis suis jacuit usque ad* MCII, *stante interim Inferiori; Abbatemque* XXI *nominante* Walkerum *sive* Walgerum, *sed pro anno* MLXIX *usque ad* LXXIX *quando Anglia alium Regem non habuit quam S. Eduardum, perpetuo Virginem, eumque Canuti Dani filium; cujus proinde filia non potuit esse* B. Judith, *amitinæ* Salomes *exemplum secuta, sicut Vita narrat.*

C

Superiori Abbas Waltherus sec. 9

Salomen excepit:

2 *Igitur præter* Waltheri Abbatis *prædicti nomen, nullam temporis notam reperio in illa Vita: quæ apparet eodem, quo ille vixit,* IX *seculo scriptam fuisse, superstitibus* adhuc tam Fratribus quam Secularibus, quibus tempore incolatus sui cohabitavit Salome, *ut dicitur num.* 4. *Mortuæ autem, juxta num.* 25, diutius supervixit B. Judith. *Rursus autem aliquantos annos oportet effluxisse, prius quam ambarum corpora, propter conspecta super* Salomes *tumulum nocturna luminaria, levata de locis, in quibus primum sepulta fuerant,* secus altare S. Ægidii *collocarentur, ut dicitur num.* 27, *quo testimonio nititur appellatio* Sanctarum *et* Beatarum, *illis in MS. ante et post Vitam tributa, et locus eisdem in hoc opere dandus. Vastato enim (ut dictum est) ab Hungaris monasterio, et abolitis sacrorum corporum tumulis, ad quos verosimiliter frequens accurrebat populus; abolitus etiam videtur fuisse cultus, nisi quod eum nuper instaurare docuerit Gabriel Bucelinus, in Menologio Benedictino ad hunc diem, ex MSS. monumentis monasterii, diversis ab hac Vita: quam si habuisset, non omisisset* B. Juditham; *et ex ea Vita sola non poterat habuisse diem vel mortis vel cultus: nullum enim illa definit.*

huic ibidem supervixit Judith:

utriusque corpora sub altari.

Cultus ex Bucelino notus.

F

3 *Jam quod ad Regium utriusque genus attinet, nemo est inter Anglo-saxones, seculo* IX *dominatos, quem avum illarum potius fuisse censeam, quam Egbertum, qui anno Christi* DCCCX, *ex Regibus inter Occiduos Saxones, ab Inæ Regis fratre per rectam seriem ductos, totius fere insulæ dominos, quatenus ea a Saxonibus, Anglis et Jutis tenebatur, Angliam vocari præcepit. Hic anno* XXXVII *ejusdem seculi* IX, *uti et sui regni moriens, filium reliquit Athelwolfum, quatuor deinde Regum patrem futurum; quidni etiam filiæ unius, cui* Judith *nomen fuerit, etsi hujus nullæ Anglorum historiæ meminerint? Sic eædem non meminerunt alterius filiæ, ex eodem Egberto natæ; quam tamen æque habuisse potuit, matrem* Salomes; *uti præsumi debet, plures habuisse filios, sed præmortuos sibi. Quomodo enim alias permisisset Atheltwolfum Clericum fieri, et Subdiaconum ordinari, unde postea necesse habuit, solutionem voti, eidem, jam soli ad successionem*

Potuerunt illæ ab Egberto Angliæ Rege descendisse,

educatæ sub R. Athelwolfo

AUCTORE D. P.

A *cessionem reliquo, petere a Leone Papa III, uti docet Alfordus noster? Regnavit autem Athelwolfus usque ad annum* DCCCLVI, *Rex pientissimus et clementissimus. In hujus igitur aula educata ejus neptis* Salome, *potuit ante medietatem seculi istius patriam deseruisse, adhuc juvencula formæ præstantis; et post annos aliquot impetratæ a Deo deformitatis, in Altaichensi cœnobio fuisse reclusa a Walthero, post mortem Egberti, regnante fratre Athelbaldo, circa annum* DCCCCLX. *Sub eodem Walthero, vel successore Abbate Arnoldo, eodem accesserit* Judith, *pauculis adhuc annis cum* Salome *victura, et diutius supervictura; obiisseque saltem ante annum* DCCCLXXX; *ut et translatio facta fuerit, et Vita scripta, ante seculi istius finem.*

Mortuæ ante 880.

4 *Inventa est Vita* in secunda parte Legendarum Sanctorum Ordinis S. Benedicti, circa annum MCCCCLXXX a Fr. Bartholomæo Krafft elegantissime exarata, *descriptaque a nostro Joanne Gamans*, ex prægrandi pergameno Blaburensis apud Ulmam cœnobii, *atque ad Henschenium nostrum missa anno* MDCLXIII, *sub hoc titulo:* Incipit Prologus in Vitam Sanctarum Judith et Salomes Reclusarum; *et cum hac in fine clausula*, Explicit Vita Beatarum Virginum Salomæ et Judith: *quod arbitrio scriptoris fa-*
B *ctum, rati fortassis ab hac virginitatem servatam etiam in matrimonio; quia num.* 21 *nominatur* Convirginalis *alteri, licet dicatur* Marito tradita. *Verum si in his verbis fundatur præsumptio continentis thori; labefactatur addito, quod fuerit* utriusque sexus herede viduata. *Sufficiat ergo Viduam dixisse, eatenus autem Convirginalem credere, quatenus in aula patris virgo cum virgine* Salome *vixit.*

Datur ex MS. Vita, a supparis ævi Monacho edita.

5 *Adscripserat Gamansius, vixisse circa annum* MLXIX sub Abbate Walkero: *sed ad Abbates Superioris Altaich, qui tunc nulli erant, non videtur respexisse, solumque consuluisse seriem Abbatum Inferioris monasterii; eo quod in charta 26 apud Hundium pag.* 26, *huic monasterio ab Henrico IV data anno* MXLVIII, *nominetur* Udalricus filius Thiemonis Comitis. *Verum gratis præsumpsit hunc esse Ethelberti Ducis socerum; et (sicut jam dixi) Anglo-saxonicæ stirpis Reges tunc desierant; non est autem facile Regi Canuto, Danicæ in Anglia Dominationis auctori, neptes eas dare, quarum una apud patrem alterius fuerit educata: nam Haraldus et Hardecanutus atque Alfricus, fratres Eduardi, modico post patrem vixerunt tempore, intra quintum annum omnes defuncti, ipse vero Eduardus liberis gignendis operam nullam dedit. Denique non*
C *probatur, apud Inferius monasterium fuisse aliquis S. Ægidii cultus. Videtur tamen fieri potuisse, ut Superiori monasterio destructo, Sanctarum corpora fuerint ad Inferius delata, ibique etiam cultum aliquando habuerint, de quo optamus certius edoceri.*

Non vixerunt in Altaich inferiori: huc tamen possunt allatæ fuisse Reliquiæ ex Superiori.

VITA

Auct. Monacho Altaichensi, fere coævo.

Ex MS. Blaburensi eruta a Jo. Gamans S. J.

PROLOGUS.

Ad supernæ visionem pacis, de valle lacrymarum; ad multas mansiones quæ sursum est paternæ domus, de Regno Pharaonis, de loco horroris et vastæ solitudinis vocati; dum a corpore, quod lege peccati repugnante legi mentis corrumpitur, prægravati retardamur, audientes illam Apostoli sententiam; Qui dicit se in Christo manere, debet, quemadmodum Christus ambulavit, et ipse ambulare; mox divinæ potentiæ nostræque simul infirmitatis consideratione, quasi ex opposito, percellimur; ac velut ad divini sub signaculo nobis loquentis tonitrui vocem, nec aspirare audentes, a medela doctrinæ salutaris D avocamur. Etenim dum lippis nostræ infirmitatis sensibus occurrit, quod orta de terra veritate, in eo quod infirmum est Dei misericordia et veritas obviaverunt sibi, justitia et pax osculatæ sunt; acsi cœlestis lucis fulgore nimio, rationis nostræ scintillaris accensio perfusa dissipatur, et suæ scilicet corruptionis posse reniti obstaculis, ad imitationem sui creatoris, in quo solo paternæ justitiæ censura sibi complacuit, fide majus esse sibi videtur.

Imbecillitati humanæ ad Christum sequendum 1 Joan. 2, 6

2 Sed licet fidem nostram instruere, spem roborare, caritatem accendere possit, quod eumdem mediatorem Dei et hominum, secundum ipsam carnem, qua solus inter mortuos liber mortalis apparuit, tentatum autem per omnia pro similitudine, subaudito carnis peccati, sed absque peccato, Apostolus asserit; ne tamen inter hujusmodi cunctationum fluctus, vitam nostram naufragosa charybdis absorberet; electorum suorum nobis vitam exposuit; quorum intuitu spe resumpta, nostra fragilitas, ad faciendos dignos justitiæ vel pœnitentiæ fructus, non segniter assurgat. Etenim non solum virilis, sed etiam fragilioris sexus quam plures, Spiritus consilii et fortitudinis erudiens scientia, et viam eis prudentiæ ostendendo, ita etiam in bonorum E operum perseverantia confortavit; ut, dum similes essent nobis passibiles, induti denuo virtute ex alto, instar cœlestium animalium, ubi erat impetus Spiritus illuc gradiendo, conversationem suam in cœlo collocarent.

animos faciunt exempla Sanctorum. Heb. 4, 15

CAPUT I.

Regi Angliæ affinis Salome, deliberat cum duabus ancillis suis, de patria seculoque deserendo.

Talium ergo dilectorum et electorum Dei, cujuscumque fuerint sexus (infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia) et exemplo vitæ, intercessionis ejus auxilio, de torpore nostræ desidiæ merito expergisci, ac de incerto fluctuationis nostræ respirare debemus; cujus rei scilicet vivax et præsens exemplar, nostris profecto temporibus cognitum, piæ ac beatæ memoriæ famulam Christi Salomen habemus. Hæc etenim electione potius, quam terrena nativitate, filia summi Patris, ad vocem vocationis ejus inclinavit aurem suam, cordis utique; ac videns, F quia concupisceret ipse Rex speciem suam, egressa de cognatione sua, et de domo patris sui terreni, ad terram nostram Altaha, demonstratione nimirum divinæ voluntatis advenit; eamque in habitationem sibi et requiem in seculum seculi, subsecuturum utique præsens, acsi desertum, finitimum terræ promissionis seu terræ viventium, eligens, velut in ipso introitu patriæ, in ea in pace obdormiens, requiescit.

Salome divinitus destinata Altahæ,

4 Hæc sane beata virgo Salome, sicut in nostram præcedentium, tum ad hæc tempora usque manentium Fratrum nostrorum, secularium quoque testium, notum est multitudine, quibus profecto omnibus, tempore incolatus sui, aliquamdiu Dei nutu manifesta cohabitavit, Regis Anglorum a sororis filia extitit. Quam teneris sub annis, dum pueritiæ adhuc viveret affectibus, propriis orbatam progenitoribus, ipse Rex avunculus ejus in filiam sibi adoptavit; et heredem quidem paternarum rerum, coheredem autem sui regiminis, eam legibus adscripsit. Carissimo enim circa eam tenebatur affectu: et merito. Tantæ namque pulchritudinis erat; ut roseo sanguine liligeram imbibente sibi albedinem, operans in ea natura in nullo erraverit, nisi quod mortalem statuerat, in qua nimirum (ut cum stoma-
cho

in familia Regis Angliæ, a

specie insigni adolescit,

sed magis interiori virtute proficit;

A cho dicenda dicantur) velut in pictura, præsertim rationali, operante summi Artificis manu, ex artis ejus divina industria, imago quasi cœlestis emerserat. Divino quoque præventa munere, annos ætatis teneræ maturitate nobili morum operumque cœpit præcedere. Regio namque, ut regiam decuit prolem, educata cultu, ab animo resecuit decorem, quo enituit spectabilis in vultu. Omnis enim gloria filiæ Regis superni fuit ab intus, minus amantis hoc in se, quod Sponsi sui cœlestis oculis sciebat multum placere non posse.

quæ cum duabus ancillis secedere solita,

5 Habuit autem beata Virgo Salome in obsequio suo, duas de paterna sumptas domo puellas; quamquam non ingenuas, ministerialis tamen gradus honore præstantissimo ingenuitati contiguas: quæ sobrietatis ejus fideles testes; et pietatis in eleemosynarum distributione propensiori, sed occulta, frequentius idoneæ sibi fuerant adjutrices. Cum his igitur, ad devitandum familiarem domibus Regum
b secularis pompæ tumultum, ad absolutiora *b* et quietiora loca se contulit: ibique in vanitates et insanias falsas respicere, tum corporaliter tum mentaliter declinans, exosi sibi ac perniciosi tripudia gaudii alleviavit. Hanc enim ante urbem re-
B giam, his virginalis otii solenniis convenientia, nemorosa sparsim, sed undique florida Tempe, quorum vernalis amœnitas et venusta gratia, quo magis fructuum pulchritudine visum et animum pascebant, eo magis (quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum) sicut carnalibus incentiva causa transgressionis, ita sibi ad salutem acquisitionis animæ adhortativa provocativaque materia semper existebant. Illuc itaque eum cohærentibus sibi puellis, ad diei malitiam, et periculosorum (ut Apostolus dicit)
1. Tim. 3, 1 temporum levanda fastidia, quoties ingressa fuit, inter consuetas muliebrium dictaminum confabulationes (quoniam ex abundantia cordis os loquitur) istis aliter sentientibus, illa de bono cordis sui thesauro divinæ curialitatis dragmam decentius inseruit.

magna cum discretione occultabat

6 Porro id moderatius, ne videlicet inventam unam pretiosam regni cœlestis margaritam, pro cujus comparatione jam omnia sua cordetenus dederat, tum favoribus mundanis, tum spiritalium nequitiarum in cœlestibus prædonibus invidis expositam perderet. Per mare namque fluctuantis seculi, ubi mundanæ diabolicæque cooperantis sibi atque confusæ invicem pompæ reptilia, quorum non est numerus, iter omnium electorum more peragens;
C instar cœlestium animalium, oculos ante ac retro habentium, præterita rememorando, præsentia dirigendo, futura providendo, diligenti se cautela circumspiciebat; ne, dum spiritalia carnalibus coacte semper inculcaret, fœcundæ pietatis sacros ac multiplices fructus, aut favor (ut dictum) humanus, aut pirata diabolicæ fraudis dissiparet.

suum seculi deserendi propositum;

7 In auro igitur regali circumspecta semper et ostro, jam tunc draconis infesti (quem formavit, ad illudendum ei ab Angelis et electis suis, Deus) tetrum ac horridum hiatum devitavit; atque caput ejus, ne patratione operis, quasi ventre ac pectore, postmodum reperet ad animi sui affectiones, in prima congressione contrivit. Sic ergo habitans inter eos, qui quotidie cruciabant animam ejus operibus non bonis, dum auditu et visu horum ambusta esset; jamque tandem ad nubiles annos venisset, vitæ immortalis æmula; thalami, mox variis doloribus, gemebundis casibus, miseris divortiis obnoxii, corruptibilibus tædis despectis, proles regia, nuptiarum cœlestium præelegit habere privilegia. Igitur optat, amat, cœptisque piis vigilantius instat, ac velut di-
c vinæ dialecticæ magisterio sibi assumpta; videns *c* quia nemo potest duobus Dominis servire, unum horum, id est servire Deo et adhærere illi, necessa- D
rium et utile judicando, præoccupat. At quia difficiles aditus impetus omnis habet; cœpit interdum frequentius anxia solicitari, ac totis mentis conatibus, grande quid novumque moliri; et quanam ratione, quibus modis posset, factam jam in animo ejus mutationem dexteræ Excelsi adoriri.

A. COÆVO LX MS.

id eis tandem apertura,

8 Cum quadam die dilecta sibi loca, spatiatum curamque levatum repetens, solito tristior appareret; a puellis suis inquiritur, quid nam causæ existeret, quod regalem faciem tam indebitæ tristitiæ subjiceret; fundentesque de se stellantis visus dulcedinem oculos, humi deprimeret. Quid plura? Tandem illa Beata, quæ jam in cella vinaria Dilecti, osculo oris sui, abundanter gustaverat, quam suavis est Dominus; memor abundantiæ suavitatis ejus, et quem in accubitu suo nardus sua odorem dederat; percunctantibus se puellis sui largiter effragrat. Prior enim ipsa audiens, quod loquebatur in ea Dominus Deus, eructat etiam eis de corde suo verbum bonum: dicit, id est, voto addicit, opera sua Christo Regi: sed ut habitum zelum Dei, secundum scientiam Dei proferat; prius proditionis E
fraudem, divini humanique sacramenti pacto, fieri prohibens, simul consensum earum in sua secum vota, pro placito tamen propriæ voluntatis, efflagitat: et acceptis, in consummationem pacti fœderis fidelibus earum dextris; docta Dei digito, per creaturam Creatorem, invisibilia quoque ejus et sempiternam Divinitatis ejus potentiam per ea quæ facta sunt, fide potius, quam per philosophiæ inflantem scientiam, intellecta conspicere.

exigit prius secreti fidem;

tum jubet rerum creatarum considerare speciem,

9 Videtis, ait, non ancillæ, sed dilectæ in Christo Sorores, splendorem firmamenti, solarem lampadem, lunaremque globum, astrorum choros et dispositiones, fulgentium in perpetuas æternitates. Videtis etiam ut cuique suus color sit insitus, alii quidem rutilus, alii candidus, alii vibrans, alii gaudens, alii obscurus, alii profusus: qualitatem deinde aliis aliam: nam quædam eorum sunt flammea, quædam frigida, quædam desiccativa, quædam modo pluviala, modo roscidi humoris plenissima. Sed ut omittamus arcana Dei cœlumque inquirere, quid sit; et, cum simus mortales, quæ sunt mortalia curemus; videtis, his quæ supra nos sunt intermissis, eam demum, quæ infra nos est pulchritudinem, rationalium et irrationalium, sensibilium et insensibilium, diversa genera, diversas proprietates, adjutoria multa, varias voluptates, multimodas species, vires complures, fructus F
multiplices; sata, plantata, sponte nascentia; quædam ex his delectabilia ad esum, quædam grata ad visum, quædam apta ad risum; quædam ad gloriam proficua, quædam ad medicinam salubria; universa vero valde bona.

indeque ad Dei amorem assurgere,

10 Quod si hæc omnia ratione potius quam oculis carneis videtis, ex horum consideratione advertere necessario debetis, quia si tanta suavitas, talis jucunditas, tanta utilitas est in his quæ descendunt in corruptionem, quorum utique corruptio mentitur his qui diligunt mundum et ea quæ in mundo sunt [putantes,] in his constare summi boni summique gaudii perfectionem; quanto magis (ut sæpius a Doctoribus Ecclesiæ cognovimus, et sensibus cernere licet) potior, pulchrior, suavior est horum creator, dispositor atque gubernator. Creaturarum enim tam bonarum, ut dictum est; imo melior, quam dici potest, omnium ratio, in ipsa vita permanens est, habens omne delectamentum et omnem saporem suavitatis, ex cujus vitæ arce vivacia et vivifica processerunt quæque. Per species suas, omnia ista corruptibilia florum præsentium arborumque, velut subjectum oculis exemplar conspicite. Non laborant neque

A. COÆVO EX MS.

A neque nent, et unde obsecro crescunt, unde florent? Quia ipse profert ea de thesauris. Quid igitur restat, nisi ut ista, licet valde bona, respectu summi boni nec alicujus momenti esse credamus? et quæ nobis ut lucra futura videri poterant, nunc arbitrantes ut stercora, vel nudæ de medio hujus perituræ Babylonis exeamus.

atque pro eo mundum contemnere;

11 Tum illæ; Cur igitur, o Domina, inquiunt, dulcissima, stemma regium, gemma specialis pulchritudinis perspicua; cur a bono Deo tam bona creata sunt, si velut execranda, fugienda sunt? Absit hoc, inquit: non enim execranda sunt, sed sobrietatis et continentiæ causa interdum vitanda. Nam illicita sæpius præscientes committere, facimus nobis licita minus licere. Sic vinum, quod exhilarat cor hominis, in jucunditatem vel necessitatem creatum, per intemperantiam in contumeliam Creatoris vertitur; sic sacra lex conjugii, fornicationis et adulterii vitio sordidatur; sic annulus aureus impressa gemma pretiosior, in arrham sponsæ colendam, amandam, servandam, non pro auri, sed pro sui amore a casto et fideli sponso committitur; quem si pro pretio sui dilexerit polluto amore Sponsi, nonne

quibus sic persuasis,

B meretricii amoris rea jure notatur? Sic ergo, per inordinatam dilectionem temporalium elongantes se a Deo, peribunt, perdetque omnes sic fornicantes abs se. Quapropter, o dilectæ mihi Sodales, si pro comparando regno Dei omnia hæc mecum, ut Christum peregrinando sequamur, dimittere volueritis (gloria illi, cui soli debetur) sin autem; et hoc vobis salvis animabus vestris donetur; mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino spem meam.

omnes vestem mutant,

12 Mirum dictu, mox tetigit Spiritus sanctus corda earum, quæ audiebant hoc verbum: in eadem enim vota convenire cum Domina sua cœlitus animantur; et quasi virgula fumi ex aromatibus, incendio pii amoris Domino concremantur. Ad hoc autem propositi sui arcanum peragendum, quamdam Monialem suburbanam, divinæ sapientiæ caritas providerat illi: cui electa Dei se suaque omnia, sub obtestatione fidei commendans; pro faciendo eis huic negotio habitu opportuno, strictis eam precibus compellant. Annuit illa petentibus, et simul ancillæ, cum Domina sua unum in Christo futuræ, dum vestes ab ea viles et humiles acceperunt, suas illi pretiosas dederunt, quæ tempore opportuno manifestandi facti causa fuerunt. Unicæ igitur Trinitatis laude ac confessione, in una professione, in corde uno, et anima una, sacrum furtum peragunt; quo scilicet se diabolo et pompis ejus subtrahentes, Regi regum et Domino dominantium se consignarunt.

peregrinaturæ.

C

ANNOTATA.

a *Bucelinus*, Sororem Angliæ Reginam habuit, *quod ne per præcipitantiam exciderit, vereor.*

b *Forte*, obscuriora *vel* abstrusiora.

c *Ecgraphum Gamansianum*, idem, *sed hæc aliaque plura, evidenter mendosa, præsumpsi per conjecturam corrigere. Apparet autem quod toto hoc capite rhetoricæ suæ indulserit Auctor; ut eam orationm sanctæ adscriberet, quam tali rei congruam existimabat.*

CAPUT II.

Jerosolymam peregrinata Salome, visum in Bavaria amittit, factaque leprosa apud Altaham recluditur.

Sic ergo regia et delicata membra passim peregrinando mortificantes, et exules viæ vitæque, varias necessitates patientes, sanctam Jerusalem adierunt; ibique in auro et argento secum allato, vel potius in spiritu contribulato, vota sua solverunt. Domino itaque replente in bonis desiderium earum, moram inibi facientes, omnia Dominicæ Dispensationis Sacramenta, singula singulis in locis, scilicet annuntiationis et incarnationis Nazareth, nativitatis Bethlehem, passionis Jerusalem venerantur: virtutum quoque illius ubicumque patrata insignia adorantes in loco ubi steterunt pedes ejus, fideli dispensatione complexantur. At quia patriam futuram potius inquirentes, nec ibi manentem civitatem habuerunt; ad peragendum peregrinationis officium, iter inde, non animum moventes, per *a* Bavariam, ut devitarent prorsus cognatos et notos domumque paternam limina B. Ægidii ejusque fidelia suffragia petitum, iter disposuerunt. Hoc ipso itinere beatæ puellæ, quarum caritatem aquæ multæ procellosi seculi et molestæ infestationes, quin cum Domina sua in omnibus tentationibus suis fideliter permanerent, extinguere non potuerunt; naturæque ultimum debitum solventes, reddentes terræ corpora, beatas cœlo animas intulerunt.

D *Jerosolymis rediens per Bavariam Sancta,*

a

14 Tum demum pauper et exul regalis filia, in Domino et in potentia virtutis ejus confortata, cœptum iter peractura, pie progreditur; sed casu impedita est, non tamen casualiter accidente, quoniam apud Dominum gressus hominis dirigentur. Inter eundum namque illa civitati Ratisbonæ appropinquans, in villa, quæ non longe ab ipsa urbe sita, Wissena *b* dicta est, hospitio recipitur: ubi a juvene Milite, mundi hujus amatore, gestu amatorio, verbisque illicita dulcedine mellitis, publice tamen lacessitur. Quæ mellitos super oleum sermones ejus audiens, sed eos esse jacula advertens, timuit, indoluit; et sicut filiæ seculi de opprobrio deformitatis solent erubescere, plus illa de laude pulchritudinis erubuit.

E *prope Ratisponam comite excipitur*

b

ibique impudice solicitata,

15 Deliberatione igitur Spiritus sapientiæ et intellectus habita, ne, ardens oleo lætitiæ spiritalis, bonæ conscientiæ suæ lampas extingueretur; post modicum temporis intervallum, nescientibus qui aderant, vel quo tenderet, vel quid intenderet, fugiens odiosas *c*, imo nocivas verborum nænias egreditur. Veniens autem in pratum, vidensque humana se ibi posse vacare frequentia, genibus provolvitur; et tamquam torrens, quem Spiritus Domini cogit, lacrymis longioribus, ex imo cordis petitis perfusa, Deum precatur; ut ne pulchritudo, scilicet quam carnis species prætendebat, sibi scandalo foret; alicujus sibi nævum deformitatis imponeret. Mox votum facta sequuntur; et quæ patria bona cum ipsa patria sponte reliquerat, convirginalium suarum votivo deinde adjutorio, ad extremum ipsius naturæ solatio, luminis utriusque visibus extinctis, orbatur.

deformari petit suppliciter a Deo

c

F *et visu privatur,*

16 Hic cuique fideli solerter advertendum est, quod plerumque reprobi exaudiantur, ad voluntatem non ad salutem, prout ipse reproborum caput diabolus flagellandum Job petiit et accepit; electi autem ad salutem semper, non etiam interdum ad voluntatem, uti Paulus Apostolus, orans ut colaphizans eum angelus satanæ auferretur ab eo; quod sufficeret sibi gratia Dei, virtusque in infirmitate perficeretur, audivit: hæc autem famula Christi Salome, ad voluntatem simul et ad salutem exaudita sit. Accedens enim ad servitutem Dei, usque adeo præparavit animam suam ad tentationem, ut, mirum dictu! etiam preces et supplicationes fundens Deo, ejusdem rei gratia, exaudita sit pro sua reverentia. Omne itaque gaudium existimans, quod in tentationes varias sua cæcitate incidere habebat; dum passim, nescia quo iret, vagatur, fluctibus Danubii præceps

salubriter exaudita

2 Cor. 12, 9

Hinc in Danubium lapsa,

A præceps illabitur; sed Dei providentia faciente cum tentatione etiam proventum, a duabus piscatoribus, modica celoce mox allabentibus, elevatur, ignibus applicatur, frequenter hinc inde volutatur; haustisque fluctibus denuo refusis, recalescens reanimatur.

indeque ægre servata,

17 Tum insuper tota possidenda Deo, penitus autem alienanda sibi; ex imbibiti, ut simpliciores autumant, humoris abundantia; imo potius Dei nutu, flagellantis omnem quem recipit; delicatissimi dudum corporis ejus serenissima complexione detemperata *d*, lepra respergitur: ut in ea, quod Apostolus dicit, Corpora vestra templum Christi sunt, et non estis vestri, compleretur veraciter. Dum igitur a planta pedis usque ad verticem non esset in ea sanitas; necessario jam, ut ipse eam enutriret, totum cogitatum suum in Domino jactavit. Quapropter miseratione quorumdam, antequam tetra species in ea penitus appareret, Pataviam *e* navigio est advecta; ibique miseranda, non misera, circumquaque circumeundo, quorumque fidelium eleemosynis aliquamdiu sustentata.

lepra corripitur: *d* *1 Cor. 6, 19* *Pataviæ excepta, e*

B 18 Accidit autem ut ibi domum cujusdam matronæ, quæ Heilka dicebatur, intraverit; cujus maritus, Udalrici Comitis Præpositus extitit, ejusque filiam (ut aliquantula digressio *f* explanandæ historiæ causa fiat) Engilbertus Dux Istriæ conjugem habens, eos, qui nunc supersunt, Ortembergenses Comites præclaros, præclarus avus, profudit. Ingressa igitur domum, offendensque pedibus canalem canum, apposita sibi tunc ad præsens cantabra mandentium, incidit; nullusque, licet impedimento sibi mandendi esset, vel latratu saltem, nedum morsu, eam appetere ausus fuit. Quæ, canes attactu experta, percellitur; clamansque mox a clientibus, jubente matrona, canibus eripitur suisque conspectibus præsentatur: quam benigne, ut erat liberalis, refovit; secumque circiter annos tres detinuit.

ibi in canes vescentes innoxie incurrit, f

19 Ubi quantæ frugalitatis fuerit, quantum jejuniorum vigiliarumque exegerit, quantum denique hiemis pertulerit, si finetenus retexere liceat, prius scribentem tempus, quam materia deseret. Nam quotidie ingruentibus horrida chao tenebris, sacras petitum ecclesias exiit, et pernox in orationibus erat; quoad usque, perecta Matitunarum synaxi, jam prope mane facto, repedavit. Unde plerumque accidit, ut sub hiemis tempore immergentibus medullis, carnique et sanguini ejus tantum frigoris C retulerit; quod, ipsa matrona providente sibi semper aquam frigidam, in eumque sua crura pedesque ponendo, sic frigore pellere frigus necesse habuerit.

et vitam severam valde instituit, *tolerantissima frigoris;*

20 Eo tempore Altahensem regebat ecclesiam venerabilis Abbas Waltherus: cui, quoniam cognatus ejus erat, contubernalem suam, Dominam Salomen, jam manifestatam, devote commisit: quam ille, annuente totius Congregationis senatu, suscipiens; cellulam ei ad parietem chori; forinsecus versus Austrum, construxit. Ibi tandem Beata illa, post multas mansiones mundanæ eremi, velut in dimidio dierum requietionum, sola soli Deo vacabat; in æternam tamen transitura requiem, per ascensiones virtutum, quas in corde suo in valle lacrymarum disposuerat. Manifestata est autem sic.

et ab Altahensi Abbate excipitur *atque recluditur.*

ANNOTATA.

a *Nescio quos* cognatos et notos *devitare potuerint itinere illo. Si rectum a Jerusalem in Angliam volebant, non poterant rectius illud capere, quam per Hungariam inferiorem.. Et sic per Austriam prima occurrebat* Bavaria, *in ecgrapho nostro perperam scripta*, Patria.

D *A. COÆVO EX MS.*

b *In tabulis* Wissens, *horis quinque infra Ratisbonam, una fere a sinistra Danubii ripa.*

c *Alias* Otiosas.

d *Ecgraphum* discrepata.

e *Spatio fere* 20 *horarum, si cœli intercapedinem metiaris: sed rapidior fluvius ipsam potuit breviori tempore illuc pervehere.*

f *Hæc digressio videtur, non Auctoris esse, sed transcribentis Bartholomæi circa* 1480. *Lucem porro suggerat, et tum Ortembergenses Comites, tum Stiriæ Duces deducat, qui potest, nosque edoceat.* Ortemburgum *invenio in Carinthia ad Dravum fluvium*, 16 *leucis a Salisburgo in Meridiem: et Gamansius noster, in charta quadam scriptum reliquit, quod* Ottacherus Junior, Stiriæ Dux primus fuit, circa annum MCLVII a Friderico Ænobarbo declaratus, magno suorum omnium applausu, *ut hoc loco præmature usurpata videatur* Ducis Stiriæ *appellatio:* Comitem *dixisse sufficeret.*

CAPUT III.

Accipit Salome sociam consanguineam Judith: moritur utraque: corpora in ecclesiam deferuntur. E

Primo discessionis ejus tempore, Rex avunculus ejus, cum viro eam discessisse ratus, in cunctis regni sui finibus illam perquiri fecit. Quam cum non invenisset, tandem visæ vestes ejus, quas dudum dictæ Moniali pro vili sibique tunc apto habitu commutaverat, proditioni sibi fuerunt, quid de ea factum fuisset. Tum mirum in modum pars domus regiæ gemere, pars gaudere, omnes autem insimul mirari cœperunt, Deumque mirabilem in Sanctis ejus benedicere, Convirginalis autem ejus, filia Regis, Judith dicta, marito tradita, sed utriusque sexus herede viduata, nimio jam diu exulantis cognatæ urgeri affectu cœpit: et tacta dolore cordis intrinsecus, ad usque inventam eam, perennem sibi de loco ad locum peregrinationem indixit.

Per conterraneum quemdam agnitam *Judith cognatam requisitura egreditur;*

22 Assumptis ergo pro magnificentia Regali Proles regia militibus atque puellis, nobilium simul ac mediocrium natalium, primo quidem Jerosolymam, quo illam primitus iter arripuisse per Monialem sæpe dictam didicerat, intentionem direxit; et inter eo proficiscendum, in istas partes veniens, a Luitwaldo quodam illam manifestatam reperit. Hic enim ex eadem oriundus prosapia, ut generatio rectorum benediceretur, hoc ipsum propositum adorsus fuerat: qui quoties in istius provinciæ venisset partes, cujusdam patrismilias in Helingersperge, Reginhardi nomine, quia largus rerum suarum erat, familiare sæpius hospitium habebat. Hic itaque recognitus, advenienti cognatæ Judith cognatam Salomen cognitam fecit: illaque lætabunda et laudans, quod voti sui compos fuerit effecta, visa et cognita et salutata dilecta sua, Dominum Abbatem omnemque sacrum sacri loci chorum allocuta, quo facta sibi e vicino alia cellula, cum comparticipe carnis ac spiritus habitaret, impetravit.

F *et Jerosolymis rediens,* *inventæ se jungit:*

23 Ingressa vero electa Dei Judith cellulam, tantas extrinsecus illa, quantas et intrinsecus in carne sua Domina Salome, tentationes patiebatur. Nam timore nocturno et dæmonio meridiano acerrime infestabatur. Tetræ quippe visionis horroribus, flagellationibus quoque, tantum in eam sævire Dæmones cœlitus permissi sunt, quod quilibet Fratrum audiens, ad ejus sæpius liberationem, etiam meridiano diei tempore, accurrere cogeretur. Unde etiam contigit, ut quidam intromisso brachio, ex humeris

pariterque reclusa,

A. COÆVO EX MS.

A humeris ejus per dæmonem extracto, pene debilitaretur; idcirco forsitan, quia pusillæ fidei existens, eum, qui ita factus est, ut nullum timeret, carnis, non fidei virtute, superandum credidisset.

dire vexatur a dæmone :

24 Item puerum quemdam, ejusdem Ecclesiæ professum, Adelbertum nomine, pro magna illius simplicitate adoptaverat in filium : cui cum quodam die humanitatis curam, pro necessitate puerili, solito adhibuit (ut ipse postea sæpe fassus est) invidus omnium bonorum diabolus, in speciem obscœnissimæ avis quæ bubo dicitur, ut eam a caritatis opere absterreret, capiti ejus insedit. Quem illa, jam docta secum judicio fidei congredi, correptum ante se positum projiciens in ignem, ignes ejus æternos suis sacris ignibus auxit : moxque ille, cum ejulatu teterrimo disparens, cellulamque intolerabili fœtore complens, congruum suæ præsentiæ testimonium reliquit.

quem in forma bubonis apparentem

igne plectit.

25 Interim B. Salome, quæ, Domino faciente sibi cum tentatione proventum, singulis festis beatæ Dei Genitricis Mariæ dumtaxat, visum recipere solita fuit ad videndum Regem in decore suo Dominum Christum, hujus vitæ incolatui, tamquam tabernaculis Cedar, et habitatoribus ejus, plena operibus bonis, ultimum in gaudio vale fecit. Beata vero Judith, cum Babylonico, imo diabolico potius Holoferne, adhuc pugnatura, diutius supervixit : eoque demum feliciter triumphato, conopæoque terreni ejus regni cum omnibus suis in anathema oblivionis traditis, tabernacula ejus mundanæ habitationis per depositum corpus exiens, cœlestem Hierosolymam laureanda adivit. Sepultæ sunt autem pro testimonio conversationis suæ, utraque in loco cellulæ suæ; B. Salome quidem ad superiorem partem chori, forinsecus in latere versus Austrum ; venerabilis autem Judith, ad occidentem, in medio turrium Ecclesiæ forinsecus ; animabus earum in abundantia virtutum in turribus cœlestis Jerusalem collocatis.

Salomæ præmortuæ

B

diu superstes,

ei tandem consepelitur.

26 Accensam autem cœlitus in B. Salome virginei meriti lampadem cœlestis ejus Sponsus, quasi sub modio latere noluit : sed ad accendendam fidem spemque fidelium, mirabili signo, visi scilicet frequenter in loco sepulturæ illius miri luminis indicio, declaravit. Quidam enim ejusdem loci Frater illitteratus religiosus, sane ac testimonium habens bonum ab omnibus, dum primus sæpissime ad ecclesiam, postremus inde per ipsum transitum digreditur; ad videndam frequenter circa sepulcrum ejus mirifici fulgoris claritatem, divinitus ipse illuminabatur. Quæ profecto lux mirum in modum, nulla cerea substantia nulloque liquore nutriente apparebat : sed mirum dictu! vetus accidens sine subjecto lucebat. Nam dum visu probaretur habere lucendi locum, ipsa sui visa est non habuisse fundamentum : quod cum servatu difficile sit, creditu difficile non erit : quandoquidem impossibilium patrator omnipotens, credentibus omnia possibilia esse asserit. Nisi forte opinari vel credere potius liceat, quod ibi fuerint excubiæ Angelicæ, quæ ibidem hujusmodi fulgoris coruscos [radios] suæ indicium præsentiæ reliquerint.

D

Visis ad Salomes sepulcrum nocturnis luminibus

27 Tunc Reverendus Altahensis Ecclesiæ chorus, divina revelatione lætificatus, sacra ejus ossa, nivis instar (ut fertur) incandidata, de humili primarum exequiarum loco transtulit ; simulque comparticipis suæ in regno et Jesu, sanctæ Judith, tum ob cognati sanguinis confœderationem, tum ob ejusdem in uno proposito spei ac præmii elaborationem, Reliquias levans; in Australi parte monasterii utrasque, secus altare S. Ægidii, cum gaudio recondidit. In hymnis igitur et confessionibus insimul omnes Deo benedixerunt, et debitas iterato super eas exequias cum gratiarum actione celebraverunt. Sic itaque ut unum nobile par acquisitionis Caritatis Christi, unius fidei, unius propositi, unicæ dilectionis, comparticipes carnis ac spiritus, uno in loco requiescunt, in Christo Jesu Domino nostro, cui sit laus et gratiarum actio, in secula seculorum. Amen.

utraque exhumatur,

E

et in ecclesiam transfertur.

DE B. HEMMA VIDUA

FUNDATRICE GURCENSIS IN CARINTHIA ECCLESIÆ.

D. P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

C

De ipsius loci situ et fortuna, Epitaphio seculi XII, *recentiorique Vita.*

F

ANNO MXLV. *Gurcense monasterium, fundatricis miraculis clarum ab an.* 1045,

Gurka, *Episcopalis in Carinthia civitas, sub Salisburgensi metropoli, nomen debet præterfluenti fluviolo, qui Olezæ junctus in Dravum denique evolvitur. Villa olim principalis,* Gurkhoven *dicta,* B. Hemmæ *dotale solum. Hæc filiis orba et marito viduata, cum duplex ibi sub S. Augustini Regula monasterium condidisset, et in communi utrique a se structa ecclesia tumulum accepisset anno* MXLV ; *tantis mox ibidem miraculis claruit, ut affluxu peregrinorum frequentior indies locus, brevi idoneus visus sit constituendæ Cathedræ Pontificiæ, Carinthiam omnem sub se habituræ. Itaque* Gebhardus Salisburgensis Archipræsul, supplicatione ad Henricum IV Imperatorem directa circa annum MLXXII, de consensu Starchardi Marchionis, Abbatiæ Advocati, Clerique ac populi, persuasit impetravitque, ut loco Abbatis, Episcopus in prædicta Ecclesia constitueretur Guntherus, auctoritate Alexandri Papæ II confirmatus. *Ita legitur in brevi relatione, quam circa annum* MDCL *scripsit R. D. Mag. Fridericus Raidestorfer, Gurcensis Canonicus, quamque P. Philippus Alegambe, Societatis nostræ Sacerdos. Græcio huc misit ad P. Bollandum ; ubi idem Canonicus recte notat, non consistere, cum prædictæ erectionis tempore, per Diploma Imperatorium indubitabili, quod volunt aliqui, eumdem* Guntherum *factum postea esse Archiepiscopum Salisburgensem ; quos oportet deceptos dicere similitudine nominis, cum eo qui S. Henrici antea Cancellarius, sub annum* MXXIII *Archiepiscopatum adiit, tenuitque annis quatuor.*

an. 1072 in Episcopium mutatur :

2 *Similis confusio ex nominis identitate obrepere potuit circa fundationem Altimontensis monasterii in Stiria, anno* MLXXV *adscriptam ; quam Gebehardus Archiepiscopus, idem qui Gurcensem Episcopatum instituit,* fundavisse *legitur, apud Hundium in Metropoli pag.* 8, auspiciis Hemmæ, quæ uxor fuit Comitis Wilhelmi in Friesach et Zeltschach, *utpote tanto junior Fundatrice Gurcensi, quanto hæc junior fuit socru sua, etiam Hemma, S. Henrici nepte, de qua infra in Analectis num. 2, ut jam tum istis in partibus frequentissimum videatur fuisse nomen* Hemmæ, *etiam absque respectu ad hanc nostram Beatam.* NOT. 23

Nomen Hemmæ eo seculo frequens,

3 *Vita hujus nostræ* Hemmæ, *antiquitus scripta nulla fuit ; solum penes tumbam in vetustissima tabella legebatur*

ibi Epitaphium,

A *legebatur Epitaphium, quod idem Canonicus sic transscriptum misit, versibus parum bene tornatis conceptum.*

Anno milleno post quadragintaque pleno,
Cum tot fluxissent post Christi nativitatem,
Hemma beata, Wilhelmi comitis consors,
In pace quievit, cœlorum nactaque sortem.
Cœnobii hujus, Augustino Patre beati,
Et Sedis Gurcensis Fundatrix dicta fidelis.
In tantis donis sua stat constructio [grandis]
Quam Domino cœli commisit corde fideli.
Munere pro tali fac illam, Christe, beari
Sede tui regni, servans in pace perenni.

Sed interpolatum videri hoc Epitaphium potest, et primitus solum hi versus lecti fuisse, quos in vetustiori membrana dedit idem.

O Felix Hemma, virtutum maxima gemma,
Gurcensis Sedis Fundatrix dicta fidelis :
Divitiis magnis tua stat possessio grandis,
Quam Domino cœli etc.

Ubi versus Leonini satis perfecti omnes, adeoque possunt seculo XII *compositi fuisse.*

Vita ex MS. Lambertino,

4 *Minus etiam antiqua est Vita, quam ex Lambertini monasterii in Stiria codice, jussu Reverendiss. Abbatis sui Francisci, anno* MDCLXXV *nobis transcripsit,* B *ejusdem cœnobii tunc Supprior, postea Prior, R. D. Christophorus Iager. Auctor præfatur, quod ipsamet Beata* quemdam pauperculum *(seipsum intelligit)* ad hanc sui Legendam componendam pluries admonuit, qui sermone præcedenti materiam ampliando, verbis sequentibus Vitam ejus sic breviter compilavit. *Constant ergo hæc Acta tribus partibus ;* Sermone prævio, *quem Prologum nominare possis ;* Vita *et* Miraculis *usque ad annum* MCCXXVII *deductis , quorum secundum num.* 15 *relatum, in Actis aliis solum ex antiquis refertur, velut* ex Officio divæ Hemmæ sacro *sumptum ; unde intelligitur, prima hæc Acta ad talem usum fuisse composita, et in novem Lectiones distributa, prout tunc usus ferebat.*

seculo 13 ad usum proprii Officii scripta.

Ex processu, pro Canonizatione anno 1464 fabricato,

5 *Duobus post hæc seculis, ad instantiam Frederici III Imperatoris, et Pauli Papæ II auctoritate, formatus fuit pro Canonizatione Processus, ad quem ex deputatis unus, anno* MCCCCLXIV *venit,* Joannes Abbas S. Lamberti : *quare eum crediderim inde attulisse Actorum sive Officii jam dicti exemplar ; sicut eodem missa deinde fuerunt Acta alia, hoc seculo compilata, quæ Gamansii nostri manu descripta habeo. Ea Vitam paulo prolixius deducunt, deinde miracula ex Processu collecta, et aliis hoc seculo patratis aucta, usque ad annum* MDCXXXIV. *Hæc cum accepisset prælaudatus Ga-* C *mansius anno* MDCLXIX, *etiam ipse Vitam aliquam composuit; quam similiter habeo, et ad ejus calcem in autographo reperio, esse* ex rebus gestis B. Hemmæ MSS. auctore Paulino Waldnero, I. V. D. Presbytero Tirolensi, anno MDC. Item ex relatione MS. adm. Rev. et Eruditiss. D. Friderici Raidlstorffer, Canonici Regularis in Gurk ; Lazio, lib. 12 Reipublicæ Romanæ, et de Bojis lib. 7 fol. 406, et lib. 6 de Taurusiis fol. 235 ; Martino Zeilero, in Itinerario part. I cap. 28, § 2 ; Megisero lib. 7 cap. 30, 31, 43 ; et Ulrico Chemnicensi, in Fundatione Lambertina fol. 29. *Hæc placuit annotare, tum ut sciatur quinam ex impressis Auctoribus* Hemmæ *meminerint ; tum quia existimo hic nominari ipsum secundorum Actorum scriptorem, scilicet* Waldnerum *ejusque ætatem ; cujus lucubrationem cum Præpositus suique Capitulares vellent imprimendam dare, addita sit eorum ad Lectorem Præfatio, cum miraculorum recentiorum sylloge ex Notariali protocollo. Sed cogitata impressio successum non habuit ; quem defectum hic libenter supplens, totum Tractatum ut accepi subjungo.*

compilata an. 1600 Vita alia,

cum miraculis postremis usque ad 1634.

Cultus an Sanctæ.

6 *Ad cultum quod attinet, isne impediret festivitatem Apostolorum, in qua* Hemma *obierat; pridem est quod placuit Gurcensi Ecclesiæ, festum prævertere, et in Vigilia* B. Hemmam *venerari, officio* IX *lectionum, quod* D *etiamnum in Bibliotheca Gurcensis Capituli extare manuscriptum indicat Canonicus Fridericus, cum Antiphonis, Hymnis, Responsoriis etc. propriis. Actorum recentiorum Auctor num.* 27 *ait, quod licet secuta Canonizatio non sit,* nihil pietas popularis deferbuit. Multi enim quotannis e Croatia, Stiria, Carniolia et Carinthia superiori et inferiori magno numero affluunt : cultus autem memoratus non sola continetur Gurcensi Basilica ; sed aliis etiam, tum Carinthiæ, tum aliarum ditionum locis, Ecclesiæ, Ædes sacræ, Capellæ, Divæ Hemmæ nomini et honori consecratæ, pia celebratione frequentantur ; variisque indigenarum et advenarum peregrinationibus memoria Divæ posteros in annos perennatur. *Nunc pro Appendice sit memoria* Venerabilis Beatricis Carinthiæ Ducissæ, *quam Lambertinus codex* B. Hemmæ *sororem facit, Gurcensi Codice refragrante. Certe si Luitburga Beatricis mater, fuit Henrici IV filia, ut volunt Lambertini (quamquam hanc alii Birtham vocant, matri cognominem) necdum nata illa erat, quando jam obierat* Hemma, *S. Henrici coætanea, ejusque* ex matre neptis ; *quod ita intelligendum videtur, ut* Hemmæ *mater fuerit soror Henrici, filia Henrici Bavari et Gislæ Burgundæ. Appendicem alteram faciet Carthusiæ Scitzensis in Stiria memorabilis fundatio, B. Hemmæ perperam attributa.* E

A. COÆVO EX MS.

Appendix de Ven. Beatrice.

ACTA

Ex MS. S. Lamberti in Stiria.

SERMO PRÆVIUS.

De laude Sanctitatis Matronalis.

LECT. 1

Laudabilis sæpe Vita Sanctorum, ratione humilitatis eorum, et præsumptione arrogantiæ eos deprimentium, oblivioni traditur ; et sic tandem sermo propheticus Sapientiæ, tamquam ore malignantium dicentis, comprobatur : Hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum, et in similitudinem improperii : ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter Sanctos pars illorum est. Completur etiam in illis sermo Veritatis, dicentis ; Nemo Propheta acceptus est in patria sua. Per Patriam enim, universalem seculi hujus conversationem Dominus significat ; Propheta vero, quemlibet Sanctum nobis designat. Sancti enim, nobiscum adhuc carnaliter viventes, si a paucis, Dei militiam considerantibus, sunt accepti ; a pluribus tamen despecti sunt ; quia mundus non nisi quod suum est memorat et diligit, et se abnegantes oblivioni tradit et despicit. Fidelis autem Dominus illos non obliviscitur, tamquam mundus, sed meritis eorum præmia largitatis accumulans, nomina eorum scripta, inviolabilis æternitatis sigillo corroborat ; ut in libro memoratæ Sapientiæ, tamquam ex abundantissimo pietatis suæ thesauro, prædicens demonstrat : Hi sunt, quorum justitiæ oblivionem non acceperunt, et vivent nomina eorum in secula.

Sap. 5, 3

Sanctos, mundo contemptos

Luc. 4, 24,

F *memoria æterna honorans Deus,*

2 Si ergo Dominus, nulla sibi existente indigentia, Sanctos suos tam frequenti perpetuaque confœderatione sibi curæ esse commemorat ; quanto magis nos, illorum suffragatione semper egentes, non solum accommodata, sed etiam nova laudum genera, eis memorialiter exhibenda, fingere discamus ? quia quælibet virtus cuilibet Sanctorum rite adscribitur, qui jam in cœlis, a cunctorum bonorum Largitore, plena perfectaque eruditione virtutum sibi donata petitur. Possumus etiam seculari eorum conversationi, quælibet justitiæ opera tali ratione convenienter adscribere : Nullus sanctus, nisi Dei dilectio in illo : dilectio autem, Paulo testante, cunctorum

a nobis quoque vult laudari

A cunctorum præceptorum ac virtutum complexio est : et ideo cuique Sanctorum digne attribuuntur totius puræ fructificationis opera. Igitur quoque Sanctis omnibus dilectio est una; et unus in omnibus, et omnes in uno commendant; et Dominus in omnibus; et omnes in Domino gloriantur. Generosa itaque Sanctorum turma, cœpti sermonis causa existens, si Dei præceptorum ornamentis induta fuerit, non immerito commendatur : quia cuncti viventes, tam vitam præsentem, quam ejus alimenta percipimus, et vitam æternitatis nobis fidelibus in Christo donatam suscepisse gaudemus.

EX MS.

pro plenitudine virtutum.

3 Quid autem altioris approbatione testimonii adhuc perfrui nitimur? cum totius creationis Gubernator et Rector, cunctarum creaturarum genus nobilissimum sibi principaliter ad amandum eligere voluit; sexum scilicet femineum, non solum virginalem, sed etiam conjugatum ac vidualem, in una eademque substantia super omnia sublimatum? Et idcirco quælibet sancta matrona, sive conjux fuerit, sive vidua, digne laudis obsequio colitur : quia excellentissima cœlorum Regina, in veneratione cunctarum glorificata extollitur, et omnes ad hoB norem ejus dignissime venerantur. Sed quoniam tantarum virtutum circumstantias, condigna verborum descriptione et propria commendatione fulcire, humano deficit intellectui ; propterea diversis rerum mundi virtutibus, ut amplius honorentur, illa expedit comparari. Quasi enim tellus, imbrium suavitate rigata, innumerabilia florum ac frondium exuberat germina; sic Matrona sancta, variis utilitatum fructibus pullulat, Dei rore perfusa. Quasi Hortulus, diversarum specierum rosis ornatus, visum lætificat, et herbarum odoriferarum plantulis odoratum delectat; sic Mulier sancta, speciosis uteri sui fructibus populo, et orationum devotione complacet Domino. Quasi Vitis, ubertatis suæ liquore corpus hominis recreat, et intelligentiæ acumen augmentat, et tandem per copiam cor ad lætandum exaltat; sic Mulier sancta, non solum naturali suo alimento, sed etiam disciplinæ moribus enutrit, ad Deique timorem, quæ sapientiæ initium est, instruit, et ad desiderium supernorum suadendo inducit. Quasi Tilia, tempore æstus, lassitudine oppressos obumbratione sui protegit, et apum multitudini ad pascua colligenda se latam extendit; sic Mulier sancta, senio et infirmitate laborantes obsequio consolationis C visitat, prædicationisque officio utentibus obsequia commoditatis ministrat, et turbis pauperum dulcis eleemosynæ largitatem ostentat.

Femineum vero sexum valde extulit,

ex eo sibi matrem deligendo.

Mulier autem sancta, recte comparatur horto,

viti,

arbori umbrosæ,

4 Numquam muliebris fœcunditas, tanto pietatis studio firmata, non erit laudanda; cujus etiam ministerio, nobiscum commanendo Pastor fidelissimus frequenter se obtulit; cuique, tumulo incumbens, sinceram ungendi voluntatem præstitit; et ab inferis resurgendo, se primo redivivum et immortalem ostendit : bene quippe Altissimo amicabili servitute complacita, honestatum titulis est a nobis ornanda. Quasi Turtur, naturali castitate solius mariti societatem cupiens, eoque mortuo cuncta viventia spernens solaque volitans, voce lugubri auditur concinens; sic Matrona sancta, solius Christi amori innititur, et pro occisione illius recompensanda, cuncta mundi amabilia dedignatur; et contemplationis causa se alienans Dominum desiderando lamentatur. Quasi Cithara, dulci symphonia chordarum dæmones depellendo, ab eorum sævitia homines liberat, valoremque capitis amissum reparat, et ad exultationem elationis cor occulte provocat; sic sacræ Mulieris admonitio, ab errore idololatriæ animum per fidem revocat, et renovatam salubris spei subjunctione consolidat, et consolidatam perfectione optatissimæ caritatis exaltat.

turturi,

citharæ,

5 Quasi Speculum, perspicuitatis suæ claritate, D se intuentium oculos clarificat, vitiaque macularum tergenda repræsentat, et ornamenti cujuslibet cautelam capiti insertam insinuat; sic assumpto sanctæ Mulieris exemplo, Dominicæ virtutis altitudo datur intelligi; quidque vitiorum intrinsecus debeat extirpari, quibusque virtutibus nobilissimæ creationis animam deceat exornari. Quasi Coronæ, excellentiæ dignitatem, imperii potestatem, et totius puritatis signat habilitatem ; sic Mulier sancta, generositate spectabilis, verborum venustate desiderabilis, et jucunditatum sinceritate commendabilis. O multa et innumerabilis virtus sacræ Mulieris, quæ devotionis mota desiderio, ad effundendas lacrymas prompta, ad deprecandum Altissimum facunda, ad quævis opera puritatis exhibenda est subtilissima. Ista, contra mundi pericula provida, contra hostiles nequitias astuta, semper sacræ fidei provisione munita, corpore munda, mente lucida, virtutum decore redimita, quasi aurum clarum, ornatum pretiosa margarita, prædictis vere virtutibus una plene decorata, quemdam pauperculum, ad componendam hanc sui Legendam, pluries admonuit; qui sermone præcedenti materiam ampliando, verbis sequentibus E Vitam ejus sic breviter compilavit.

speculo,

coronæ.

et talis fuit Hemma.

SUMMA VITÆ,

Piis operibus jugiter impensæ, una cum facultatibus.

Erat quædam valde nobilis Comitissa, Hemma nomine, serenissimi ac sancti Regis Henrici consanguinea ; quæ claritatem parentum præfulgentium, in se possessam, tam mente quam corpore, ostendit. Nam decor virtutis, decorem speciei in ea crescendo comitabatur; sic ut nobilitas mentis, naturæ dignitatem excelleret; et claritas cordis, formæ pulchritudini præpolleret. Hæc cuidam Lantgravio, Wilhelmo nomine, a parentibus est legitime copulata : qui annis aliquibus secum deductis, peregrinandi licentiam ab ea petiit; et sic magnis rerum ac honorum divitiis in Dei amore relictis, ad visitanda Sanctorum limina sine reversione recessit. Illa vero, viro dimisso, et duobus filiis suis tempore adolescentiæ de mundo sublatis, Christum Jesum pro sobole suscipiens ; ipsum super cuncta bona sua heredem constituit, credens verbis suis, quæ nobis in F lectione Evangelica in hunc modum prædixit : Si quis propter me hujus seculi amata reliquerit, centuplum accipiet et vitam æternam possidebit.

Lect. I

S. Henrici Imp. consanguinea,

liberis, et viro peregre profecto, orbata,

Christum heredem optat,

Mat. 19, 29

7 His aliisque sermonibus, ab amantissimo nostræ salutis Auctore prolatis, edocta, thesaurum in agro absconditum reperit, quem a Domino comparatum, in sinu cordis sui cum exultatione recondidit. Quod autem corde gerebat, hoc operibus plene patefactum, latere non potuit : nam spretis vanis blandimentorum gaudiis, et relicta castrorum altitudine, ad humilia se declinans, monasteria ædificare cœpit. Unde primo, vitam religionis cupiendo, in Vallem-silvestrem, quæ nunc Gurcka nominatur, se transtulit ; ibique chorum septuaginta Dominarum, sub religionis habitu et victu perpetuo, constituit; et Sacellanos viginti, qui divina quotidie coram iis Officia celebrent, adjunxit. Post aliquod autem temporis, dictæ Congregationis numerus, partim in Canonicos Regulares Ordinis S. Augustini, sub specialis stabilitate monasterii, est commutatus : quibus etiam Rev. Pater et Dominus Metropolitanus, scilicet Gebhardus Saltzburgensis Ecclesiæ tunc Archiepiscopus, de favore Regis supradicti Henrici, præfecit Antistitem, qui Gurcensis nominatur, usque in hodiernum diem.

Lect. II

et Gurcensem Parthenonem fundat :

ubi deinde constituti Canonici Regular.

8

A

LECT. III sed et aliis Monasteriis munifica Hemma,

8 Beata quoque Hemma multitudine prædiorum abundabat: propterea pluribus ecclesiarum locis, a se late distantibus, larga donavit munera. Babenbergensi etiam aliquorum bonorum obtulit facultatem: Admundensi quoque prædia ad suæ fundationis exordium præbuit: religiosisque Fratribus in Schiz ad trecentarum marcarum redditus in perpetuo assignavit. Insuper sibi vicinis divinarum structionum cultibus auxiliata, et quotidianis eleemosynarum largitionibus insistendo, cuncta Deo placita cum discretione et sapientia, die noctuque studiosius peragebat. Tantæque constantiæ ac seriositatis extitit, ut omnia suis subditis semel imperata, mox sine omni contradictione adimpleri voluerit. In tali itaque honestatis industria, simplicitas ei columbæ non defuit: quia divitias, a manibus parentum sibi congregatas, tamquam columbæ, pullos alienos cum suis nutriens, erogabat. Visa est quoque in labore studiosa valde: unde, quasi arbor frondosa atque fructifera, cujus folia non defluunt et fructus non putrescunt, sic illa continue bonorum operum germina procreabat.

B

LECT. IV omniumque commune refugium effecta;

9 Fuit etiam ad se confugientibus protectionis et securitatis refugium: nam quasi castrum in petra solidatum, sibi adhærentes, in tempore commotionis, ab insidiantium rapacitate tutabatur. Erat quoque in devotione affectuosissima; ita ut in conspectu Domini, tamquam thuribulum aureum thymiamate incensum, semper odorem suavitatis efferebat; ex quo, viventibus adhuc pacis et salutis subdit auxilium, et mortuis remissionem obtinet peccatorum. Cur autem opus esse videatur, ut virtus supra in generali commendata, rursum in speciali memoretur? Sed illud sciri nequaquam prætermittendum, quod, quamvis multarum virtutum operatione erat continuata, tamen in quatuor summe necessariis virtutum sanctificationibus est sine cessatione juncta. Sparsit enim visu, fletum; manu, Deo munera; lingua, preces; corde, votum in perseverantia: nec spe sanctificationis est defraudata, quia lætitiam Sanctorum jam metit in gloria.

obit an. 1045.

10 Complevit autem cunctos labores suos B. Hemma, anno Domini millesimo quadragesimo quinto tradens Domino spiritum, qui sanctificaverat illum. Corpus vero in valle Gurcensi, in monasterio, quod ad honorem beatissimæ Virginis ædificare cœperat, est sepultum: ubi postmodum multis miraculis claruit, quorum pauca recitanda præsens littera subsequenter ostendit.

C

MIRACULA

Usque ad annum 1228 inclusive.

a LECT. V Gurcensi Episcopo Werenhero

Quidam, a Præpositura *a* Newnburgensis Ecclesiæ, in Sedem Gurcensem pro Episcopo, Werenherus nomine, est receptus; qui ibidem præbens exempla bonorum verbis et operibus, finem laudabilem suis laboribus, quos etiam quondam vita solitaria, longitudine annorum quasi triginta, exercuerat, applicuit; et sic, adveniente dissolutionis ejus tempore, in Domino fideliter obdormivit. Cui cognatus suus, Otto nomine, in Episcopatu successit electus.

succedens cognatus Otto,

Qui amicum prædecessorem suum sacris moribus diligenter imitans, varias amicorum suorum nobilium adulationes et mundi commoda despexit; imo potius jejuniis, vigiliis, et prædicationibus institit; et cum timore Dominum votivis, ut decuit, precibus requisivit. In talibus itaque perseverans, cum negotiorum causa ab ecclesia sua aliquantulum extitit, latens invidiæ fons, ex cordibus impiorum prosiliens, sibi toxicum propinavit.

et veneno potatus,

Ille vero læsum se sentiens, statim domum reverti cœpit cum festinatione: et veniens in castrum, Strasburgum dictum, quod ab ecclesia Gurcensi medii *b* milliarii distat itinere; ibique lectulo infirmitatis, decumbens, et nimio de mortis pœna gravatus timore; Capellanum suum, virum devotum sibique fidelem, advocat; dicens ei: Care Arnolde, Gurcam hac nocte venire non desine; et noctis silentio, una cum Custode Vulschalcho, monasterium, ad tumbam avunculi mei Werenheri Episcopi pergens, ingredere; ipsumque ex parte mea deprecare, ut in cœlis experienda mihi renuntiet, utrum me adhuc amplius vivere sit possibile, an mori necesse.

D

EX MS. b

mittit qui Wernheri tumbam consultum eat:

12 Fecit itaque Capellanus ut sibi præceptum fuerat. Nam Gurcam veniens, et assumpto sibi Custode, noctu monasterium, cunctis exinde venientibus, ingrediuntur simul: et acceptis candelis ardentibus ac thuribulo, Werenheri Episcopi sepulcrum adeunt. Quod apertum [inveniunt,] et Episcopum diu defunctum, foris desuper stantem. Illos vero accedentes, et timore obmutescentes, Episcopus, ambos nominatim suscipiens, ne timerent admonuit; et talia subdidit, dicens: Scio, quod cognatus meus Otto infirmatur; et mortem nimis abhorrens, vos huc ad me direxit; ut per me intelligat, utrum ipsum jam mori oportuerit, an adhuc longius vivere possit. Quamvis autem dies requiei et tempus gaudium, potius quam hujus seculi vita, sint optanda; tamen, ne preces ejus gratis fuisse videantur, mecum, o Custos, Capellano hic expectante, cryptam ingredere; ut per fidelem, sanctam hujus ecclesiæ Fundatricem, Hemmam, quæ plura apud Dominum meruit, audiamus, quid de Confratre nostro Ottone fieri oportebit.

is apparens Misso, cum ducit ad tumbam B. Hemmæ:

E

13 Intrarunt igitur cryptam Episcopus pariter et Sacrista, pergentes ad B. Hemmæ sarcophagum, valva ferrata circumdatum, quæ ultro aperiebatur. Et egressa Domina, religionis in habitu et copioso lumine rutilans, duos ad se venientes, piæ salutationis ordine præmisso, alloquitur dicens: Nosco vos legationem Ottonis, mortem timentis, afferre: qui tamen mortem, tamquam recte vivens, non debet timere: sed ut preces ejus effectuosæ noscantur, mecum vos. Episcope, Custode foras exeunte, Reginam cœli accedite; ut, per potentissimam Christianæ fidelitatis adjutricem, detur intelligi, quid amico nostro Ottoni videbitur responderi. Accesserunt igitur B. Hemma et Episcopus aram beatissimæ Virginis prope existentem: et ecce mox altare, se in medio scidit, et lumen immensum exinde se protraxit, in quo electissima totius honoris ac virtutum Regina prodiit. Quæ dilectis sibi advenientibus dulcium verborum alacritate salutem exhibens, talia verba subjunxit; Ne timeat dissolvi ab hoc seculo, cujus finis extat in præmio: nam qui juste in carnis vita vixerit, carnis dormitionem secure gustabit. Morietur enim fidelis noster Otto, diei tertiæ, proxime advenientis, hora tertia, securus existens, quod in tempore exitus sui sibi adero, et animam suam ab omni angustia liberabo.

et cum hac, inde prodire visa, abit ad altare Deiparæ:

F

quæ respondet Ottonem moriturum.

14 Talibus auditis, B. Hemma et Episcopus, capita sua gloriosæ Reginæ, altare suum reintranti, inclinando, abierunt; illa sarcophagum intrans, ille vero cryptam exiens, et duobus foras expectantibus, ea quæ ipsi, per fenestram introspicientes, partim intellexerant, enarrat: et statim tumbam suam ingrediens, se deposuit, et eam super se clausit. Illi vero abeuntes, percepta retulerunt Domino suo Episcopo: qui die tertia, tempore sibi prædicto, migravit a seculo. Cappellanus autem, servitia fidelitatis Domino suo adimplere cupiens, circa tumbam ipsius mansiunculam sibi construxit; in qua per integrum annum singulis diebus, ab ortu diei usque ad vesperam remanendo, sacrificia orationum obtulit; et nisi

tertia (sicut evenit) die,

A si arduis naturæ commodis exigentibus, a loco illo numquam recessit.

ex MS.

c LECT. VI *Pr. Dominicanus, ab apparente sibi B. Hemma*

15 Iterum sciendum est, quod Bononiæ *c* fuit quidam Prædicator in Studio, et incidit in infirmitatem maximam, ita quod inunctus fuit, et jacuit in agone. Et circa mediam noctem venerunt tres Dominæ: et una tulit pyxidem, et dixit ad eum; Vis sanari? At ille; Libentissime. Tunc statim unxit eum in corde, et fecit ei Crucem in pectore, cum unguento quod tulerat: et statim sanus factus fuit. Et cum exirent, ille sentiens se esse sanatum, festinanter surrexit; et sequebatur eas, et clamabat: O venerandæ Domine, quæ estis, quæ me ita celeriter curastis? Dicatis mihi propter Deum; et si usquam in mundo habetis cœnobium? Quæ valde leniter et benigne respondit; Ego sum Hemma de Gurcka: et statim evanuerunt. Interim cœperunt Fratres Matutinas cantare: et ille sanatus cucurrit ad chorum, et fortissime clamabat; O dulcissimi Fratres, juvate me omnes regratiare Deum et S. Hemmam de Gurcka, quæ me sanum fecit. Et statim senserunt Fratres odorem suavissimum de isto Fratre procedere: et interrogaverunt eum, quid ei fecisset? Et cum dixit de unguento, laverunt eum Fratres B in pectore: et quemcumqne infirmum liniebant cum lotione illa, statim sanatus fuit. Ille vero idem Frater, statim accepta licentia, cum socio sibi adjuncto, processit ad viam, et venit huc ad sarcophagum S. Hemmæ: et statim cecidit, clamando et plorando fortissime, ante sepulcrum B. Hemmæ: et retulit omnibus qui ibi aderant, gratiam, quam B. Hemma in ipso penetraverat.

subito sanatus venit ad ejus sepulcrum.

d LECT. VII *Mulier 15 annis infirma*

16 Item aliud accidit. In Reichenvelse *d* jacuerat quædam honesta matrona, quindecim annis infirma, et quasi curva et paralytica. Et una die in æstate, cum omnes exivissent ad opera sua, illaque sola permansisset in domo, et fleret et tristaretur; intravit quidem senex multum solennis, et dixit ei, Velles sanari? At illa: Libentissime, venerande Domine: quis estis vos? [Qui respondit:] Ego sum S. Petrus: sequere me statim. Et exivit illa; et sentiens se sanam incontinenti, festinavit currere post illum. Et non valens ita festinanter, sequebatur tamen umbram, quam vidit præcedere se; quæ resplenduit quasi ille senex, qui apparuit illi in do- C mo; et sic sequebatur usque huc ad montem ibi proxime in Passeck *e*. Ibi perstitit et expectavit eam; et monstavit ei annuendo manu [ac] digito, huc inferius ad monasterium: et dixit ei: Ecce ecclesia in qua B. Hemma requiescit, quæ te sanavit: descende, et refert ei grates. Et ibi statim evanuit forma istius senioris: illa autem matrona festinanter descendit montem, et venit ad cryptam, cadens ante sepulcrum, flendo et gratias referendo; et dixit omnibus qui ibidem reperti fuerant, qualiter ei accidisset. Et longo tempore jacuit in terra, prostrata ante sarcophagum B. Hemmæ, quod vix aliæ mulieres supplicando levaverunt eam.

a S. Petro apparente sanatur,

e *et mittitur ad idem sepulcrum.*

LECT. VIII. *Hemmæ natales.*

17 Sancta itaque Hemma, quam Deus præscivit ad suam imaginem et prædestinavit, Christianis parentibus, de bona et prudentissima Regum prosapia, in Carinthia orta, patreque Engelberto Comite et matre ejus Tutta genita, a sua pueritia bonarum rerum studio inolevit. Electa enim ex Deo, moribus sobria, castitatis ac puditiţiæ plena, in meliora semper crescebat. Et quis sua opera ac virtutes plenaliter possit enarrare? Sed hæc pauca, et de innumerabilibus exempli causa posita, demonstrabimus.

f *An. 1227 sanatur contractus,*

18 Anno ab Incarnatione Domini MCCXXVII, præsidente Gregorio Papa *f* [Romanæ] et Ulrico Episcopo, Gurcensi Ecclesiæ, regnante Imperatore Friderico, facta sunt hæc signa in Gurcensi ecclesia, in crypta apud aram beatissimæ Virginis, et apud sarcophpgum beatæ fundatricis Hemmæ Gurcensis D ecclesiæ. II Idus Septembris, in Nativitate beatissimæ Virginis, præsente Episcopo, Decano, Canonicis, et aliis quam pluribus adstantibus, dictis matutinis; quidam puer de *g* Steyrberg, contractus facie, manibus, pedibus; est liberatus.

g

19 Sequenti anno, II Kal. Maji *h*, apud aram beatissimæ Virginis, quædam mulier, totaliter in corpore contracta, est liberata. XVI *i* Kal: Junii, quædam mulier paralytica, capite, brachiis, manibus; apud aram beatæ Virginis est liberata. Eodem die, cum populus multus causa orationis a remotis partibus afflueret; quædam mulier, in comitatu populi sana veniens, ornato capite et collo, peplo subtili et colorato; Sacerdos, dum esset in Canone apud sarcophagum B. Hemmæ; eadem mulier cecidit in terram semiviva, præ tumore quem patiebatur in collo. Cumque peplum removere vellent a collo, minime poterant: arreptoque cultello, pars pepli collo adhærens est abscissa: quo facto mulier vires recepit.

h i *1228 contractæ duæ*

20 Kal. Junii, quædam puella paralytica, Hora nono celebrata, est liberata. Et circa horam Completorii, infans cæcus de Strasburg, apud sepulcrum B. Hemmæ, visum recepit. IX Kal. Junii recidiva venerat circa horam Completorii: et sequenti die, in festo S. Urbani, eadem mulier, circa Horam primam, cum Sacerdos celebraret in ara beatissimæ Virginis, est liberata, multis videntibus VI Kal, Junii, quædam juvencula virgo, cæca ab infantia, de S. Stephano apud Strasburg. circa Horam vespertinam visum recipit.

curantur plures aliæ mense Majo E

21 In prima Dominica *k* post Octavam Pentecostes, dum publica celebraretur Missa, juvencula quædam, curvam habens manum, liberata est ante sepulcrum B. Hemmæ. Iterum die eodem infra publicam Missam, quædam juvencula, curvum habens crus et pedem aridum, apud sepulcrum B. Hemmæ liberata est. Item eodem die, puer sex annorum, paralyticus et curvam habens manum, apud aram beatæ Virginis infra publicam [Missam] est liberatus. Iterum IV Nonas Junii, in festo Marcellini et Petri, quædam mulier de Frisaco *l*, surda et cæca, auditum recepit apud sepulcrum B. Hemmæ, et visum apud aram beatæ Virginis.

k l

22 Item secunda Dominica *m* post Octavam Pentecostes, infra Matutinas, mulier de Glodniz, *n* curvum habens pedem, apud aram beatæ Virginis recepit sanitatem. Iterum Nonis Junii, in die S Bonifacii, quidam infans curvus, de novali Neson, tam manibus quam pedibus a nativitate [contractus,] infra publicam Missam liberatus est, apud aram beatæ Virginis. Iterum VI Idus Junii, quædam mulier, sex annis manibus et pedibus in tantum contracta, quod usum manuum et pedum habere non potuit, et in grabato adducta; in Vesperis SS. Primi et Feliciani, apud sepulcrum B. Hemmæ, est liberata. Sub secundis Vesperis SS. Primi et Feliciani, quædam mulier contractam habens manum, apud sepulcrum B. Hemmæ, est liberata. Iterum II Idus Junii, in festo Basilidis et Cyrini, quædam mulier, cujus.... adhæserant quinque annis, ad sepulcrum B. Hemmæ est liberata. Iterum mulier a capite *o* jejunii muta fuit, et contractam habuit manum, usque in Vigiliam S. Joannis Baptistæ: circa Horam Vespertinam usum loquendi accepit, et sanam manum apud sepulcrum B. Hemmæ.

m n *ac Junio* F

o *tum reliquo mense,*

23 Item sequenti die *p* Dominico, quidam servus simplex, contractam habens manum, apud aram beatæ Virginis, est liberatus. Item in festo SS. Joannis et Pauli, secundis Vesperis, quidam puer de Syroniz, qui erat cæcus anno et dimidio, apud aram beatæ Virginis, visum recepit. Iterum in Vigilia SS.

p *contracti varii,*

A SS. Petri et Pauli, quidam de Griffen, qui incedebat more bestiali, cum aliis complebanis suis, qui causa orationis venerant, circa Horam Nonam, in cœmeterio foris apud fenestram, juxta aram beatæ Virginis, ad proprium reformatus est incessum. Iterum in festo SS. Processi et Martiniani, quædam mulier de *q* Veltkirken, curva erat dorso et crus [habebat] contractum : liberata est ad aram beatæ Virginis, infra Missam quæ ibi celebrabatur. Et quidam servus de Sebtenhaim, erat surdus et mutus tribus annis, et paralyticus a capite jejunii, usque in secundam *r* Feriam in diebus Rogationum : circa Horam Primam, apud aram beatæ Virginis, auditu et locutione sanatus est; et VII Idus Julii, in Translatione S. Nicolai, a paralysi liberatus, apud sepulcrum B. Hemmæ.

q ac paralyticus.

r

ANNOTATA D. P.

a Newnburgensis *vulgo* Citizensis *ecclesia, Magdeburgensis Metropoleos suffraganea, alias* Naumburg. *Hinc assumptum* Wernherum *Bucelinus, tom.* 1 *Germ. sacræ parte* 1, *pag.* 40, *electum statuit an.* 1191, *defunctum* 1212; *et huic subrogatum* Henricum II *perducit usque ad annum* 1219. *Sed interponendum* Ottonem, *ad unum saltem alterumve annum, hinc discimus.*

B

b *Idem nec amplius spatium confirmatur infra num.* 46. *Corrigenda ergo Carinthiæ tabula, pene duarum horarum spatium interjiciens. Est autem* Strasburg *istud, ad eumdem fluvium, qui Gurcæ nomen dat, infra ipsam.*

c *Jam inde a principio Bononiæ celebrem scholam Prædicatores habuerunt, ubi suus Fundator obiit, et sepultus jacet. Hoc autem miraculum solum ex antiquis, inseritur Actis aliis, veluti sumptum ex Lectionibus Officii proprii, quod hic nos habere suspicor.*

d *Crediderim ab eodem fluviolo dictam rupem (hoc enim* velse *seu* felz *significat) unde dicitur* Richenaw *superior pars Gurcensis territorii.* Reich *alias, est* Dives, *unde pluribus per Germaniam locis appellatio.*

e *Locum hunc oportet Gurcæ vicinum concipere, licet eum nunc non exprimat tabula.*

f Gregorius IX *hoc ipso anno fuit electus* 19 *Martii : et* Ulricus *(Bucelino* Udalricus*) dicitur successisse Henrico II an.* 1219, *tempus mortis non*

C *indicatur : sed Henricus intelligitur vixisse adhuc anno* 1227.

g Steyrberg, *in tabulis* Steyrburg, *sed ponitur in monte, ut prior scriptio verior videatur. Distat Gurca duabus circiter horis in meridiem.*

h *Dies hæc, anno* 1228, *habente litteram Dominicalem* A, *et Pascha* 26 *Martii; fuit Dominica* V *post Pascha : quod ideo observo, quia ex sequentibus apparebit, plura miracula in Dominicis facta, confluente tunc ad ecclesiam populo.*

i *Ecgraphum nostrum habebat* VIX; *quod ex* sexto decimo *factum apparuit rursum infra, num.* 42 *præter naturalem ordinem litterarum numeralium; fuerit autem hæc Feria* 3 *Pentecostes, quæ celebrata fuit eo anno* 14 *Maji.*

k *Adeoque* 28 *Maji ut colligitur ex dictis.*

l Frisacum, *distat* 4 *horis Gurca civitate in Ortum, ad Olezam fluvium, paulo supra ejus confluentiam cum Gurca fluvio.*

m *Tunc illa incidit in diem* 4 *Junii.*

n Glodniz, *aut hic aut in tabulis; forsitan male scriptum* Glokniz, *supra Gurcam sesquileuca.*

o *Id est a Feria* IV *Cinerum, quæ eo anno Bissextili, fuerat* 9 *Februarii.*

p *Id est* 25 *Junii.*

q *Distat Gurca* 6 *circiter horarum spatio.* D

r *Die* 2 *Maji, quando Ascensio Domini subsequens, celebranda erat die* 4.

ALIA MIRACULA

Ex Processu pro Canonizatione.

Ego Georgius, pauper Presbyter, Capellanus in Gombs, prope Marchpurgk Saltzburgensis Diœcesis, minus idoneus ad referendum ea, quæ Dei laudis sunt, præsentibus recognosco, ac quæ mihi acciderunt, veritatem dico, ac in perpetuum dicere non desino. Cum anno Domini MCCCCLXI, Ego præfatus Gregorius, essem cum Reverendiss. in Christo Patre, D. Udalrico Gurcensi Episcopo in Castro Straspurg, in profesto B. V. Mariæ Conceptionis ; audiensque de vita B. Hemmæ viduæ conversari, ac Legendam ipsius perlegissem, vovi ad ecclesiam ejus me iturum, ubi corporaliter requiescit, et sepulcrum visitaturum : et cum jam essem surdus una aure; quasi per unum annum gravi surditate; volensque satisfacere, die Veneris proxime festum Conceptionis sequenti, quæ erat undecima mensis Decembris, veni ad ecclesiam B. Hemmæ, cum venerabili viro D. Georgio Swendenkrieg, Plebano in Marchburgk; et cum idem Vener. Pater Divina celebraret in specu seu crypta ejusdem ecclesiæ, in qua B. Hemma videtur sepulta; cumque prædictæ Missæ celebrationi assisterem ; omnipotentem Deum, ac Filium ejus D. N. Jesum Christum cum sancto Spiritu, totamque sanctam et individuam Trinitatem, suppliciter et devote deprecarer, ut meritis B. Hemmæ me miserum peccatorem a surditate liberaret; redeundo in Castrum Straspurg incepi surda aure, in parvo temporis spatio, sicut altera aure audire.

Anno 1461 toto, una aure surdus convalescit

in crypta.

E

25 Dominus Jacobus Sam, in Decretis Doctor ecclesiæ Collegiatæ montis S. Virgilii Frisaci, Saltzburgensis Diœcesis Præpositus, Carinthiæ inferioris Diaconus, juratus asseruit, quod eo, anno MCCCCLXV, die XXV Octobris, cum duobus suis familiaribus, et Presbytero Leopoldo, tunc in Gurca Rectore scholarum, de Frisaco Villacum proficiscente, virga, quam manu gestabat, se in oculum dextrum casualiter percusserit, tantum inde læsus, quod se oculo eodem omnino privari timebat. Cumque ad persuasionem dicti Presbyteri, pro sanitate ejusdem oculi, ad tumbam B. Hemmæ se devoveret ; eadem nocte, post aliquantulum somnum, pristinæ sanitati fuit restitutus.

Sanatur oculus læsus.

F

26 D. Herduidus, Plebanus ecclesiæ S. Leonardi in Jetniz Gurcensis Diœcesis, Presbyter annorum LXIX, testis juratus asseruit ; quod cum scholaris decennis esset, pestem in civitate Marchpurgk fugiens, dum post aliquod tempus repatriare vellet, currum vase vini onustum insedit. Perfecta itaque una diæta, nocte in somno apparuit ei quædam mulier, habitu monastico induta, prohibens ei, ne in curru prædicto repatriaretur. Cum autem testis, aliter ad partes se venire non posse respondisset, ait mulier; quod die sequenti cuidam albo equo, in curru vehenti, qui eadem nocte infirmaretur, insideret. Ipso ab ea perquirente, quænam esset, respondit mulier : Ego sum Hemma de Gurca, et tu eris mihi perpetuus Capellanus ; adjiciens, ne visionem illam cuiquam revelaret, donec de ipsius canonizatione ageretur. Mane vero alterius diei testis ipse currum refutans, ad equum album, qui præ infirmitate, quam ea nocte incidit, currum trahere non valebat, positus fuit. Et dum ad quemdam viam arctam in silva, Trabalt nomine, pervenirent ; casu accidit, quod currus una cum vino et equis ad Dravum fluvium

Puer apparente Sancta, monetur de instante sibi periculo,

A EX PROCESSU.

vium cecidit. Memor itaque testis visionis hujusmodi, gratias immensas Deo. et B. Hemmæ referens, se perpetuo eidem B. Hemmæ famulaturum devovit : neminique visionem hanc publicavit, donec causa examinis testium ad partes commissa fuit.

Brachium aridum uni alterique

27 Dominus Henricus Himelperger, Miles Carinthianus; ætatis annorum XL, testis juratus, asseruit, quod ante annos viginti, eo de partibus Athesis repatriante, cœpit brachium sinistrum arescere : cumque usu brachii se quodammodo privatum, ope Medicorum non relevari cerneret; tanquam inhabilis ad actus militares, a genitore suo petiit, ut sibi Ordinem Teutonicorum B. Mariæ Virginis Hierosolymitanum ingrediendi licentiam præberet : de quo pater plurimum contristatus, ipsum, ut hujusmodi propositum mutaret, allexit. Termino itaque deliberandi stante, venit quidam Armiger nobilis, Mainhardus Verber nomine, ipsius Testis consanguineus : qui testi suasit, ut pro sanitate ad tumbam B. Hemmæ se devoveret; referens, quod paucis annis effluxis, se propter nimium dolorem brachii sui dextri, ad prætactam tumbam votivus transtulit; positoque eodem brachio super tumbam, illud, oblatione et oratione peractis, illico sanum sustulerit. B His itaque suasionibus testis ipse, una cum eodem Mainhardo et genitrice sua, votivus cum oblatione sua, ad tumbam prædictam pergens, oratione profusa, statim melius in dicto brachio habere cœpit, et post paucos dies integræ sanitati est restitutus.

tacta tumba revalescit.

Sanantur infirmi duo,

28 Jacobus de Ernau, Vice-Dominus Ducatus Carinthiæ, testis juratus, asseruit, se in præterita septimana audisse a civibus oppidi S. Viti, quod duo viri de Veldkirchen Salzburgensis diœc. gravibus oppressi infirmitatibus, invocaverint B. Hemmam, votum de ipsius tumba visitanda emittentes : qui voto hujusmodi facto, continuo sanati fuerunt. Dixit etiam, quod ante decem annos quidam faber de Capell, dictus Nies Nak, Aquileiensis Diœc. sibi retulit, quod idem per annum et ultra gravem dolorem capitis sine interpellatione passus, tandem, ad consilium cujusdam, voverit se visitaturum tumbam B. Hemmæ : qui dum ad fores cryptæ venisset, prohibuerit eum vetula mulier, custos sarcophagi, ne ingrederetur; sed illa tandem precibus victa admissus fuerat; ingressusque, flexis genibus applicaverit caput ad tumbam, ipsius B. Hemmæ patrocinia C invocando, et statim sanatus fuerit.

et cephalalgia laborans.

Prægnans, in altum jactata, cum fœtu servatur.

29 Kunegundis Dierenpacherin de Villa Syronitz, annorum XL, testis jurata, dixit, quod anno Domini MCCCCLIV vicina partui, per unum ex bobus suis cornibus in altum projecta, in terram ita decidit, quod tam de fœtu, quam tam de propria salute desperavit : et dum in lecto præ nimio dolore in extasi jaceret: apparuit ei mulier, dicens : Ego sum Hemma, Ecclesiæ Gurcensis fundatrix; si ex hac infirmitate supervivere, et felicem partum consequi volueris, fœtui tuo, qui femella est, nomen Hemma impone. Cumque testis ipsa ab extasi hujusmodi, quasi a gravi somno excitaretur; votum emisit, et sanitati restituta, post paucos dies felici partu puellam genuit, cui nomen Hemma imposuit. *In Actis recentioribus num.* 29 *additur :* Eidem mulieri non multo post, iterato apparuit B. Hemma, ac sub comminatione acriori morituræ filiolæ præcepit, ut beneficium impetratum Gurcæ revelaret. Venia itaque a marito impetrata, quantocius Gurcam abiit, ac ibidem perpetrati seriem miraculi publico testimonio patefecit.

Sub equo lapso obtritus reviviscit.

30 Leonardus Aigl, civis in Murau, retulit, qualiter, dum ipse, anno MCCCCLX, cum sua uxore a peregrinatione [D. Virginis Aquilejensis] repatriaretur, in monte Zomolsperg [Sabbato sancto Paschæ] D equus suus, quem propter declivitatem montis, manu post se traxerat, eum in terram miserabiliter conculcavit. Qui dum deformiter cruentatus jaceret, uxor repulso equo maritum suum hinc inde revolvit; nullum autem spiritum vitæ in eo videns, [flexis genibus] ipsum ad tumbam B. Hemmæ devovit ; et voto facto, mox ipse testis cruentatus, oculos aperuit; et eadem die veniens ad tumbam prædictam statim melius habuerit; et eadem nocte quiete dormiendo, [toto licet corpore sugillato] altera die sanus domum abscesserit. Idem testis juratus affirmavit, quod ipsa uxor sua eodem tempore pestilentia tacta, ab omnibus mori putabatur. Audita interea fama de canonizatione B. Hemmæ, quæ res tunc agebatur, ad ejus tumbam se devovit, et voto emisso statim convaluit.

ejusque uxor sanatur a peste.

Furiose amens sibi restituitur :

31 Catharina in valle Griffen [annos nata XXIII] retulit, qualiter anno MCCCCLXIV [ipsa die Nativitatis B. Virginis] tantam mentis insaniam incurrerit, quod catenis ferreis, ne se ipsam et alios læderet, ligabatur, et quatuor integris hedomadibus ita furebat. Cumque per ipsius amicos ad Monasterium Ossiach, Ordinis S. Benedicti Salsburgensis diœcesis, ubi frequenter mente capti juvabantur, E ac plura alia pia loca duceretur ; nihil efficientes, tandem eam ad tumbam B. Hemmæ devoverunt; voto itaque emisso, statim compos rationis est effecta : et catenam prædictam ad tumbam eamdem detulit; et tempore Examinis cicatrices manuum, quæ ex catenæ vinculo remanserant, pro majore fide suæ depositionis ostendit. *Atque hic ex Bucelino notatum velim,* Ossiacense monasterium *esse haud procul Villaco, ubi ille* anno 1649 vidisse *se dicit,* globum ex crystallo, quem aiunt inter caput solemque manu retentum, ipsa adustione curare ægros capite amentesque. *Ibidem quoque veneratum se ait,* tumulum Boleslai Poloniæ Regis, *ejus qui S. Stanislaum occidit, et hic factus Conversus delituerit, usque ad mortem protracta pœnitentia: qua de re egi* 17 *Maji, initio Notarum ad cap.* 13, *sed monasterium nescivi nominare.*

puer cæcus illuminatur,

32 Joannes, Rusticus de villa Griffen, retulit, quod fida suæ matris relatione perceperit, qualiter in XII suæ ætatis anno, albumine oculorum penitus excæcatus, per multum temporis nihil viderit : pater vero ipsius testis ipsum ex voto ad tumbam B. Hemmæ perduxerit, factaque oratione oculos annulo B. Hemmæ, qui pro Reliquiis veneratur, F liniverit; indeque mox et incontinenti lumen oculorum receperit, utaturque hodie eo sano : ipseque testis factum idipsum fuisse, bene recordetur.

tacto annulo Beatæ.

Puella ad sepulturam composita,

33 Quidam Villanus de villa Kruskavitz [nomine Georgius] prope Castrum Reichegg Aquileiensis diœc. filiam septennem habuit, quæ anno MCCCCLXIII gravi morbo pressa, diem clauserit extremum ; et ipse pater filiam mortuam super asserem ponens, et panno lineo tegens, mane alterius diei sepeliendam ordinavit. Vicinis itaque ad deflendam ejusdem filiæ mortem concurrentibus, pater instinctu, ut creditur, divino, flexis genibus ad B. Hemmam supplex oravit, vaccam unam pro ædificio Capellæ B. Hemmæ se oblaturum vovendo. Oratione et voto facto, puella manibus disjunctis panum lineum a se amovit, et in assere viva et sana resedit : quod miraculum ad divini nominis reverentiam in ambonibus ecclesiarum publice pronuntiatum fuit. [Uti juratus asseruit Paulus de villa Weintziel, parochiæ S. Crucis diœcesis præd. haud vulgariter pius ac gravis.

resuscitatur

Sanatur contracta manus.

34 Quædam puella de Rochesch Aquileiensis diœc. manum dexteram contractam habens, voto emisso de visitando capellam, in honore B. Hemmæ prope

A prope Castrum Landsperg erectam, mox et in continenti sanitatem manus recepit; et postmodum proprias capillorum tricas abscidit, et in memoriale præstiti beneficii ibi reliquit.

Blasphema in Sanctam pænitenti visus redditur.

35 Joannes de villa Pristowa, prope castrum Rochesch, dixit, qualiter mater sua, dum in campis laborans videret viciniam suam vepres, ubi capellam in honore B. Hemmæ, prope castrum Landsperg erigere proposuerat, succidentem, in verba derisoria proruperit, dicendo : Quid hi homines faciunt? Ob pigritiam suam depauperati, capellam ædificare nituntur, ut suæ inopiæ, propter populorum ad eamdem recursum, subveniatur, his verbis prolatis mox cæcitate sit percussa, sic quod ad ædes proprias remeare non poterat; indeque rubore verecundiæ perfusa, petierit a filio, teste deponente, ut eam, non per communem stratam, sed per vineas domum duceret. Quam cum filius sic perduxisset, per integram hebdomadem cæca permansit, nihil penitus videns. Quæ tandem super hujusmodi temeritate compuncta, petiit a Deo sibi ob merita B. Hemmæ peccatum dimitti, devovens se ad ædificationem dictæ capellæ posse tenus suf-
B fragaturam : quodque ex tunc mox visum receperit, adjungens hoc miraculum esse cognitum toti viciniæ ejusdem parochiæ.

Manu et pede contracta

36 Barbara ex parochia Mospurg, retulit, quod ejus sinistra manus, a pugno usque ad cubitum brachii ejusdem lateris, et sinister ejus pes, a calce usque ad juncturam genu ejusdem lateris, cohærebant; ut nullum horum membrorum movere posset, imo integro biennio sic contracta jaceret in lecto. Cumque in feretro ad plura Sanctorum limina duceretur; contigit, dum una die decumberet in lecto; audire vocem quamdam dicentem; Vove peregrinationem ad me, et sanaberis. Virgo vocem admirans, et neminem videns, quorsum peregrinandum esset, non intellexit. Anno vero MCCCCLXV decumbenti apparuit mulier, flavo vestitu induta, et peplo albo velata, annulum argenteum in digito habens, dicensque ad eam : Vove te ad tumbam meam in Gurca, et sanaberis. Revelata hac visione matri, vovit se testis ad eamdem turbam profecturam. Itaque de lecto se movens, et induta ut ad feretrum prædictum deportaretur; mox manus a brachio, et pes ab ante soluti sunt; sic ut propriis pedibus, baculi dumtaxat sustentatione, ad tumbam S. Hemmæ, per alti et declivis montis abrupta,

sana redit a tumba

C et quatuor milliarium distantiam, a domo sua ambularet. Demum aliquoties prædictam tumbam adiit, et perfectam sanitatem reportavit, ut sine baculo gradiatur ad nutum. Ejusdem manus digiti interius cohærebant volæ : ostenditque pro hujusmodi sanationis certificatione cicatricem, quæ ex manus solutione indeleta remansit.

Carnositas ab oculo tollitur.

37 Conradus Beslaher Frisacensis, retulit, qualiter filius suus Ægidius, infans duorum annorum, cœperit habere super oculum dextrum massam carneam, ad magnitudinem ovi gallinæ foris prominentem. Cumque pater, post multorum adhibitionem medicamentorum, non potuisset hanc massam removere; fecit eam a phlebotomo incidi : qua incisa creverit ex puriori oculo alia caro, longa ad modum ducilli, protendens foris usque ad nasi medium. Adhibitis vero iterum medicamentis, et nihil in eis proficiens; tandem ad tumbam B. Hemmæ cum puero profectus; cum ibidem ejus oculum cum annulo B. Hemmæ linivisset, et aqua fontis ejus lavisset; cœperit tunc puer melius habere, et ducillus indies disparuerit, nulla cicatrice tantæ carnositatis ibi relicta : quodque puer hodie vivat, perfectæ sanitati restitutus.

38 Joannes Vasser Muraviensis, juratus retulit, qualiter suinantia adeo prægravatus fuerit, quod D cibum deglutire non poterat, et sic suffocatus citius moreretur. Sed cum audivisset, evocari testes super miraculis B. Gemmæ in Gurca comparentes; statim emiserit votum de visitando tumbam ejusdem : quodque ex tunc mox et incontinenti cibum deglutiverit, et paucis ex post diebus plene sanatus fuerit, referens, se hodie huc venisse, ut votum hujusmodi persolveret.

EX PROCESSU. Angina suffocandus liberatur,

39 Joannes Preyer, civis Gurcensis, juratus dixit, quod quinquennis filia sua Petronella subito maximam inciderit infirmitatem, ita quod spumam ex ore emittens a mane usque ad medium noctis decubuerit semimortua, omnium membrorum officio destituta : sed ipso patre pro ea votum emittente de dando unam candelam pro elevatione Sacramenti Altaris ad tumbam B. Hemmæ in Gurca, ipsa puella respirans, mox et incontinenti pristinam receperit sanitatem : nihilque ex post doloris conquesta, hodie agat in humanis incolumis.

semimortua subito sanatur.

40 Quidam juvenis lapicida, nomine Joannes, Vennæ; cæcitatem omnimodam incidens oculorum, in Gurcam venit peregrinando. Sed cum post quatuor septimanas nihil remedii fuisset assecutus, Custos seu Magistra Sarcophagi hortata fuit ipsum, E quatenus Confessionem peccatorum facere deberet, et sic facilius gratiam sanitatis consequeretur. Qui dum ad hanc informationem peccata sua confessus fuisset, et ad tumbam ipsam rediens in oratione prostratus paululum obdormisset, surrexit; et coram Canonicis et multis aliis, se meritis B. Hemmæ visum et plenam sanitatem accepisse recognovit. Quod miraculum late divulgatum, et passim omnibus notum fuit.

Cæcus, non nisi post confessionem illuminatur

41 Paulus Eybeswalder, Armiger nobilis, Castellanus in Londsperg in Marcha Stiriæ, juratus asseruit, quod in eo loco erecta sit quædam Capella in honorem B. Hemmæ, ad quam ex Hungaria, Stiria, et aliis diversis partibus magnus fidelium concursus habeatur, multique recognoscant, se in variis infirmitatibus gratias sanitatum, ad invocationem B. Hemmæ, miraculose percepisse. Signanter autem dixit, quod filia cujusdam Georgii de S. Georgio prope Anderpurg, septennis, mortua quasi per integrum diem fuerit, et in feretro posita. Agentibus autem vicinis juxta morem patriæ planctum, pater ipsius puellæ coram ipsis invocaverit B. Hemmam, vovens dare ad ipsius capellam unam F vaccam : quo facto filia, statim signa vitæ exhibens, velum quo facies erat operta abjecerit, et resederit viva, et pristinæ sanitati restituta : sitque hoc miraculum publicum, et in multis ecclesiis per Sacerdotes in ambonibus publicatum.

Resuscitatur jam jam tumulanda.

42 Alia complura ejus generis miracula, juratorum testium assertionibus comprobata, referuntur in eodem processu Delegatorum Apostolicorum, inferius referendo; quæ brevitatis causa, quamvis numero et magnitudine insignia, prætermittuntur. *Ita finitur hoc MS. unde nonnulla illustrantur prolata in Actis Recentioribus, mox dandis, et fides fit aliis pluribus, ibi ex eodem fonte collectis.*

ACTA RECENTIORA

Auctore Paulo Waldnero, Presb. I. V. D.

ex MS. Canonicorum Gurcensium.

PRÆFATIO.

Præpositus et Capitulum Cathedralis Ecclesiæ Gurcensis, Lectori salutem.

Quo gratior esse solet ac debet posteritati memoria

A ria Divorum, eo nos amplius invitant avitæ jura pietatis, ut Divam Hemmam, multis olim et nostra hac ætate sanctimoniæ notis atque miraculis insignem, typo excudamus, jam pridem sua virtute ac fama sanctitatis excusam in animis ac veneratione populorum. Habuit hanc celeberrima Gurcensis Basilica, magno Parenti nostro Augustino primitus initiata, Fundatricem; ac demum ejusdem Canonici Lateranensis Instituti, novo virtutis exemplo, professam. Quod vivere desiit septimum agitur seculum, magno sui relicto apud omnes desiderio, vitæque rarioris illustri opinione. Et merebatur illa quidem jam tum Sacri Romani Præsidis hac in parte suffragium; quin imo et piorum ardentissimis votis et patronorum optimorum studiis, ex Urbe proxime transcribenda erat in Album Sanctorum (quod hodie adhuc docent authentica scripta facti super ea re examinis) sed quæ successit iniquitas temporum, bello multisque aliis casibus injuriosa pietati, moram attulit negotio; ac aliis etiam, qui opus urgebant, vel senio vel immaturo fato decedentibus sua paulatim mole cœpit interdum declinare; operæque tandem tardatæ interventu, dum non promovetur, retrovertitur ab instituto negotium: eo B casu inclinatiore, quo quisque, ut erat illis temporibus vicinior, ita recentia Divæ Hemmæ facta imitando, quam vindice calamo ab oblivione eripiendo, fuit studiosior.

EX MS. Typis mandaturi suæ Fundatricis Acta, dolent injurias temporum peractam non esse canonizationem

2 Quæ res fecit, ut ex amplissimis Divæ Hemmæ monumentis, pauca admodum postero orbi supersint, ceteris majori ex parte longa annorum intercurrente serie obliteratis; quorum tamen gloriam et magnitudinem abunde testatam facit etiamnum visenda populi pietas; cujus in singulos annos e variis nationibus frequens omnino est accursus ad tumulum, religione et miraculis apprime venerandum. Atque ut tantæ, tamque impensæ pietatis studium non solum conservetur, sed amplius etiam promoveatur, quidquid manuscripti ac pervetusti codices fecere residuum; quidquid vox populi, et res ipsa loquitur, typo evulgandum duximus, ad memoriam Divæ nostræ Fundatricis et Patronæ, in posteros annos uberius recolendam, transmissuri. Fave, Lector, non tam nobis quam divæ honori, ac eam accipe sub hoc vitæ factorum et miraculorum brevi paradigmate *Qui nobis hunc Tractatum misit Christophorus Jager, in altero elegantiori quod servamus* C *ecgrapho*, Præpositum *dicit* Franciscum Carolum, illustri Kemeterorum familia prognatum, virum litteratum et litteratorum amantem.

et vetusta monumenta pauca superesse.

Dividitur autem ipse Tractatus in Capitula XII, *breviora quam operis nostri ratio fert: eorum numerum habebis in margine, hic titulos accipe, et cui nostro numero quisque eorum respondeat.*

Cap. I.	Genus et Natales. *num.*	3
II	Educatio.	5
III	Conjugium.	7
IV	Liberi et eorum educatio.	9
V	Cædes filiorum.	11
VI	Peregrinatio et mors Wilhelmi.	14
VII	Status viduitatis.	16
VIII	Consecratio Basilicæ.	18
IX	Susceptus habitus Regularis.	21
X	Extrema rerum et mortis B. Hemmæ dispositio.	23
XI	Canonizatio B. Hemmæ, et cultus propagatio.	26
XII	Miracula B. Hemmæ.	28

D

CAPUT I.

Natales, educatio, matrimonium Hemmæ, et natorum ex eo liberorum atque mariti mors.

Quæ de genere et natalibus ad posteritatem manarunt, populi magis traditione, quam rei ipsius certitudine comperta tenemus. Megiserus e neotericis heterodoxus, in Historia Carinthiaca, parentem assignat Marquardum Comitem in Murtztall et Afflenz, Dominum in Eppenstein; matrem vero Limburgam; quorum iste post Berchtoldum, Zeringiæ Comitem, ab Henrico IV Imperatore, sub annum Christi MLXXIII, Carinthiæ Dux sit esse jussus; illa vero memorati Henrici et Berthæ Augustæ filia, compluribus e Marquardo susceptis liberis, hanc etiam, de qua agimus, Hemmam genuerit.

CAP. I Non fuit Marquardi et Limburgæ filia:

4 Verum in hac re satis ancipiti, suadent aliter sentire pervetustæ manuscriptæ relationes, ex antiquissima bibliotheca Gurcensi; quibus et multum inesse potest auctoritatis ad probandum, et non leve monumentum fidei ad credendum. Juxta has nata est Hemma in celeberrimo, ac hodie serenissimæ Austriacæ Domui gentilitio Carinthiæ Archi- E ducatu, cum annus Christi numeraretur supra nongentesimum, tertius et octuagesimus; patre Engelberto de Peillenstein (quæ putatur ejus familiæ gentilitia sedes extitisse) matre vero Tuta; Comitibus, non ordine, sed origine sanguinis e Principum ac Regum prosapia; cujus, ut cetera prætercam, omni comparatione majus testimonium, anno Christi MXV, sub Augusto dedit chirographo S. Henricus I, Romanorum Imperator: qui in publico remuneratoriæ donationis instrumento memorati anni, Calendis Maji conscripto, suam a matre *a* neptem compellat. Id vero in rem nostram facit illustrius, quod Hemma tantam avis atavisque assertam generi nobilitatem, sua virtute et fama sanctitatis longe fecerit illustrissimam.

sed Engelberti et Tutæ; an. 923 nata, S. Henrici Imperat. neptis,

5 Quæ familiaris alias est et prima parentum cura, ut probe soboles educetur, ea vel maxime enituit in parentibus Hemmæ, omni probitate conspicuis: quibus nihil erat antiquius, quam datam sibi a Deo prolem, non minus ad morum honestatem, quam honoris aviti propagationem efformare. Ejus consilii luculentius incitamentum dedit ipsa lectissima indoles suscepti pignoris: erat enim F Hemma in omni virtute capessenda adeo facilis, ut ad recti bonique formam magis nata quam formata videretur, et cum lacte, totius honestatis germen imbibisse. Jamdum scilicet efflorescebat in herba spes magnæ segetis, et jacta feliciter sementis ostendebat futuri fructus ubertatem.

CAP. II optimæ indolis,

6 Postquam ergo Hemma amplius adolevit, et ætatis maturitate, et sui cultura; pro debita sollicitudine totum suum consilium eo verterunt parentes, ut in tanta exspectatione nulla usquam fovendæ virtutis ac etiam promovendi generis deesset occasio. Adfuit optimis conatibus singulari providentia Deus, qui vota pietatis nutu suo moderatur; nec sinit esse irrita, quæ honori ipsius ac virtuti suffragantur: ejus enim dubio procul directione accidit, ut ad aulam Imperatoriam Divi Henrici Augusti, sanguinis necessitudine propinqui traducta, Cunegundis Augustæ, jam tum fama sanctitatis conspicuæ, gynæceo, verius vivæ virtutum scholæ, assereretur. Hic illa, ut erat præter ætatem et sexum sagacis ingenii, atque eximiæ indolis, vitæ universæ rationes pia metiri cœpit æmulatione, totam se componere ad Imperatricis arbitrium, ejus effingere mores, exprimere pietatem, imitari virtutem, ab illius vestigiis ne vel latum unguem discedere; ac, ut erat pretiosa

recepta in gynæceum Cæsareum.

A pretiosa in paucis, luculento vitæ ferventioris exemplo, magnis passibus ad virtutis apicem contendere: didicit nempe tanta ductrice et magistra formam futuræ quondam sanctitatis.

CAP. III inde a Wilhelmo Landgravio expetito,

7 Sub idem tempus, quo in aula Cunegundis Augustæ versabatur Hemma, florebat ætate et genere, ac etiam Landgravii titulo clarus, Wilhelmus, Dominus in Friesach et Celtschach, utroque in Carinthiæ ac Stiriæ dominatu. Ei, ut consilium erat, genus avitum propagare conjugio, ita totus in eo ferebatur, ut adscisceret thalami sociam, parem genere nec minus virtute. Accidit opportune, ut hac super re deliberanti mentio incideret Hemmæ, prosapia ac pietate spectatissimæ Virginis: nec multum moratus est Wilhelmus: ad primam statim famam placuit ejusdem rogare consortium. Missis igitur honoratissimis viris et internuntiis ad parentes, agit ut sibi conthoralis detur Hemma. Ipsi vero, jam ante perspectum habentes genus Wilhelmi, et virtutis nobilitatem, facile petentis annuunt desiderio, atque hanc filiæ suæ actutum voluntatem denuntiant. Ipsa, ut erat tota ad nutum parentum, magis ipsis morem gerendi, quam nubendi studio, prompta lubensque obsequitur, nec multo post nuptui datur Wilhelmi votis ac voluntati.

eidem traditur

B

cum ampla dote;

8 In dotem, ac liberalem, etiam Henrici et Cunegundæ Augustorum donationem, assignantur castella et oppida in Comitatu Ciliensi, Pillenstein, Weidtenstein, Wisel; in Landsperg, Anderburg; in Carniolia Nasenfues: sed maxima donatio et dos erat, Hemmam accepisse, piam, et divina ordinatione jam inde sanctitati dotalem. Nobile vidisses par conjugum, cœlo, sibi ac suis donatum: tanta erat vitæ morumque similitudo, ut una quasi mens esset in duobus, essetque unum utriusque velle et nolle. Constabat erga Superos par in omnibus religionis studium. Adesse quotidie Missæ sacrificio, animum octavo quoque die religiosius expiare, sacram Synaxim frequentare, atque alia omnia Christianæ pietatis officia quam diligentissime obire, utrique domesticum erat et familiare: ut non tam vitæ et sanguinis, quam virtutis individuum dici posset conjugium.

cui, studio pietatis par,

CAP. IV duos filios parit,

9 Ne qua vero parte felicitas huic connubio deesset et benedictio; Deus, qui rerum omnium momenta ponderat et novit æstimare sui impense studiosos, binam favit sobolem masculam: spe quidem prima in fulcrum posteritatis, sed altiori consilio in pietatis illustre monumentum. Nomen erat alteri a patre, Wilhelmus, Hartwicus alteri: duæ veluti gemmæ pretiosæ, tanto divinitus insertæ generi, in æternum prosapiæ totius ornamentum. His tamen lectis pignoribus, ab ipsa infantia, tum sedula formatione, tum exemplo parentum inspirata pietatis favilla, cum ætate magnis admodum fervere cœpit incrementis; et indoles ipsa generosa animi, ductricem pietati jungebat prudentiam. Quam cum pater, annis provectioribus satis maturam, ac egregiæ virtuti conjunctam advertit; sui loco filium utrumque, ad operas, quas circa Frisacum, principem familiæ sedem, in argenti et auri fodinis alebat copiosas, operis inspiciendi et urgendi causa, non infrequenter expedire consueverat. Quin imo, cum ipsum domo abesse graviora cogerent negotia, filiis universam rem committebat, tamquam provide ad omnem nutum parentis et prudentiæ normam instructis vicariis.

C

qui matura prudentia,

Frisacensibus auri et argenti fodinis intenti,

dum mores operarum corrigunt,

10 Ipsi igitur, ut erant in operis lustrandis accurati, ita virtutis ductu, non minus segniter inquirebant in vitam et mores operariorum: cumque forte fortuna e fideli quopiam suorum intelligerent, plerosque vitam agere profligatam, nonnullos etiam impuris amoribus irretitos teneri; et ex iis unum aliquem, conjugali furto, domus alienæ thorum probroso scelere contaminasse; tanti tamque abominandi facinoris impatientes, virtutis amantissimi Comites, ne transiret impune justitiæ zelo ducti, instituunt super ea re judiciale examen; satisque comperto scelere, neutiquam segnes in expeditione (ut Cyrus a suo quondam Xenophonte studio umbratili suum cuique tribuere didicit: ita juvenes, a teneris e ludo pietatis docti reipublicæ interesse, sartam tectamque conservare justitiam, sua ut esset æquitatis tutela, justaque sceleris vindicta) reum capitis damnatum, infami jubent arbore affigi.

D

A. WALDNERO PR. EX MS.

et adulterum suspendio necant,

CAP. V a conjuratis mactantur.

11 Accepere justam ultionem animo periniquo necessarii, capitis unius dedecus suum reputantes; nec satis certi qua via vel arte vindictam quærerent, vulnus interim alto pectore tantisper sepultum tenent, dum intestini odii livorem, sua cæde sanguis innocentissimus expiaret. Perfidæ machinationi consilium dedit furor, audacia successum, et nefas ipsum fodinæ; quas cum more suo Comites subirent, operas lustraturi; nihil minus opinantes cumulatis fustibus ac plagis adoriuntur; usque dum crudelis vindicta, sanguine innocenti saturata, spem geminam magnæ posteritatis, duos lectissimos fratres, plus quam parricidali manu, pariter flore ætatis gaudentes, uno eodemque tumulo nefandum in modum tumulat. Vix acta et peracta tragœdia, funestæ rei nuntius, scelere nihilo segnior, e fodinis in urbem et arcem, ad matris aures accedit, eo ipso tempore quo sacris intererat, jam pridem familiari devotione.

E

Id sibi nuntiatum mater ad Dei voluntatem refert;

12 Hæc ubi filiorum cædem inaudit, ceteroqui excelsæ ac heroicæ mentis, humanum aliquid passa erupit in voces inconditas, quas inadvertenti dolor maternus extorsit. Verumtamen ex subito illo motu statim reddita sibi, ratum jussit casum omnem e voluntate summi Numinis; nihilque postmodum sæpe aiebat, sibi acerbius accidisse ad funebrem pignorum mœstitiam, quam quod repentino confusa nuntio, rem divinam suis lamentis muliebri voce imprudens interpellasset. Id vero crebrius dicere solita fuit, se filiorum amantissimorum occasum eo ferre mitius, quo meliore pietatis causa sciret occubuisse.

Pater ulturus crimen

F

13 E matris porro ore et imperio, quam celerrime nuntius idem advolat ad patrem absentem: quem inexspectata orbitas tanto perculit vehementius; quanto plus erat in filiis e virtute exspectationis, quantoque amplior in utroque resederat spes alendæ et propagandæ nobilissimæ posteritatis; cum præsertim ablata hac sobole, domum suam abavis, atavisque illustrissimam (quæ duobus hisce capitibus velut columnis nitebatur) quasi a stirpe revulsam cerneret. Ne vero impunis abiret temeritas immanissimi sceleris, quod justitia dictabat, et paternus erga filios affectus, re inter conjunctissimos mature deliberata, atque ex eorumdem consilio vindictam sumpturus, numerat de familia sua expeditam ab armis manum; junctisque subsidiis familiarium Comitis Marquardi de Malentein; et Dominorum Colniz et Dietrichstein, citatissimo itinere Frisacum contendit, ut facinorosos opprimat ex improviso. Verum reperit ibidem plagiarios illos et parricidas, conscientia sceleris sui male feriatos in armis; quasi sanguinariam sitim nondum satis explevissent in sanguine filiorum, sed patris etiam ac totius familiæ spirarent exitium. Eosdem igitur sic perperam animatos armatus invadit: ac ut ferme bona causa triumphat, compressis et superatis feliciter parricidis, rei summam obtinet. Ex iis quos in potestatem redegerat, sola factionis capita merito damnat supplicio; ceteris pro innata mansuetudine ad pristinas

copias Frisacum ducit;

et victor sola capita factionis punit.

A. WALDNERO PR. EX MS.

A stinas operas abire jussis. Ita scilicet et suam facinus tulit ultionem, et de severiore sententia, quam omnes meruerant, clementia viri Principis triumphavit.

CAP. VI *Romam ex voto peregrinus*

14 Rebus ad quietem compositis, ex orbitate filiorum altiora secum cœpit agitare consilia. Multis ultro citroque disceptatis, incessit Wilhelmum cupido visendi sacra limina, Apostolorum Petri et Pauli sanguine purpurata, tum ut principes Religionis debito venerationis anathemate sibi devinciret; tum ut ex Urbe et arce fidei, signa afferret et exemplar ac magisterium avitæ pietatis. Quam cogitationem quo retineret arctius, prosequeretur impensius, voti se reum fecit, Romanæque addixit peregrinationi. *cum bona uxoris gratia,* Re tamen ante cum conjuge communicata, facile copiam impetravit ab ea, cujus tantus animus et affectus erat animare et amare studium religionis. At, quod mireris in tanta nobilitate, cum, famulari Wilhelmus obsequio posset, aliisque viæ commoditatibus instructus, exsequi destinatum consilium; seposita procul omni pompa nobilitatis, vilique penula, pera et scipione contentus, vulgaris peregrini formam assumit; tanto sibi visus felicior B excedere patriæ sede, quanto minori abscederet apparatu. Sic igitur conjuge valere jussa, viam solus aggreditur. Nihil interea ducebat alienum a statu suo, *pedes obit;* obvias quascumque pedestris itineris subire difficultates, tenuiorum hominum comitatu familiariter uti, vulgari quadra contentum vivere: quin etiam interdum se plebis egenæ quisquiliis immiscere; id enim sibi persuasum habebat, summum esse honorem Dei causa magis magisque vilescere.

15 Ex omnibus autem, quod solet animus generosus, magnanimiter eluctatus, Romam felix appulit; *ubi suæ obsecutus pietati* quo jam pridem flagranti voto præcesserat affectus pietatis. Ibidem, simulata semper peregrini vilioris persona, in eo totus erat, ut ignotus omnibus, Deo familiarius innotesceret; sic multo amplius in divinæ sapientiæ schola profecturus. Neque ipsum sua fefellit opinio. Nam inter pia Apostolicæ venerationis obsequia, sensit se totum immutari, mentem supernis tangi inspirationibus, cumulari gratiis, exsultare gaudiis; nec satis capere poterat, quas cœlum affatim et sancti Apostoli suo peregrino suggerebant, *redit in patriam;* delicias. Id nempe proprium est veræ pietatis stipendium, in auctorem cumulato fœnore redundare. Ad extremum Summum Præsidem, D. Petri Vicarium more majorum debita reverentia C veneratur; peractisque omnibus in urbe religionis obsequiis, jam plenus ardore pietatis ad propriam sedem remeabat; sed magis placuit divinæ bonitati Wilhelmum, cœlo maturum e pia peregrinatione in cœlestem patriam transferre.

CAP. VIII

16 Priusquam ergo ad suos perveniret, in valle Lavantina *b* morbo corripitur; mortemque præsen- *b et in via mortuus* tire visus, ea quæ Christiani sunt officii rite explevit, expiata solerter conscientia; solitoque instructus Viatico, ac demum sacro Oleo delibutus athleta Christi, ex agone heroicæ virtutis ad coronam transivit. Corpus ejus repositum in ecclesia, vulgo *c Graeberna sepelitur,* Graebern *c*, Divi Leonardi tutela celebri, quam ille vivens in ejus Sancti honorem exstruxerat; uti Catholicæ pietatis insigne monumentum, ita beati corporis exuviis dignissimum sepulcrum. Et quidem ea sanctitatis opinione decessit Wilhelmus, quod, cum septimum ab obitu seculum excurrat, recentissimam in hoc usque tempus memoriam tenuerit apud incolas, et adhuc hodie familiari usu *d Sanctus vulgo dictus.* Beatum ac Sanctum *d* nominare consueverunt. Digna omnino compellatione, ut, quam virtus jure meruisset, vox et populi sensus perenni recordatione stabiliret.

17 Simul atque certior facta est de morte conjugis Hemma, tametsi inter humanarum rerum vi- D cissitudines nihil accidere poterat gravius, plus *Casum hunc fortiter excipit Hemma.* quam heroica tamen animi fortitudine factum excepit; non quasi novum aut improvisum, sed animo jam pridem et cogitatione prospectum. Non solvi in lacrymas, non in ejulatus muliebres erumpere, non incusare lectissimi conjugis præproperam mortem; sed, ut erat veterana et excelsa virtute, nihil omnino visa est tanto casu moveri, humanis omnibus eventis longe superior; id certo sibi persuasum habens, tamquam indubitatum veritatis oraculum, nihil eorum casu fieri, quæcumque sors humana tulisset: geri equidem omnia magni optimique Dei nutu ac numine, a cujus infallibili providentia penderet rei cujusque momentum. Et vero jam altas egerat apud Hemmam radices, id unum esse Deo gratissimum, voluntati ipsius nostras unire voluntates.

ANNOTATA D. P.

a *S. Henrici Imperatoris diploma, infra in Analectis primo loco dandum, quo niti putabatur hæc assertio; si recte intelligatur, non B. Hemmam illius neptem fuisse, sed ipsius synonymam socrum, Gulielmi Comitis matrem indicat; de qua vide istic consequenter notanda.* E

b *Vulgo* Lavanthal, *nomen habens a fluviolo Lavanto, qui Dravo ad* Lavanmund *se infundit, procul Gurca p. m.* 60 *et amplius, terrestri itinere ex Italia per ditionem Venetam redeuntibus. Tabulæ aliud non exprimunt, quam* Lavendorff, *ab eodem fluvio dictum oppidum.*

c *Non longe a loco mortis abfuisse ecclesiam credo* Graebern.

d *Nullo tamen observato die cultus, alioquin hic ille exprimeretur.*

CAPUT II.

Vita Hemmæ vidualis, fundatum monasterium, pia mors et post mortem cultus.

CAP. VIII *Vidua totam se dare pietati decernit,*

Legibus ac vinculo matrimonii soluta, rationem inire cœpit Hemma, qui dein melius et ardentius in omne studium religionis et pietatis incumberet. Multa igitur secum versare consilia, eo dirigere universa, ut se suaque omnia ad unius Dei gloriam quam liberalissime impenderet, thesaurum sibi [comparans] indeficientem et æternum, in cœlis præparatum. F Hinc sublevare largis stipendiis egentes, sacras ædes a ruinis instaurare; ecclesiarum, alias novis dotare vectigalibus, alias cumulatioribus augere quinimo, ut facultates, quas habebat amplissimas, optimo loco collocaret. Matrem Dei, quam principe semper colebat studio, bonorum omnium ex asse heredem instituero. Fidelis itaque suæ hujus piissimæ voluntatis executrix futura, Basilicam [condere] decrevit in Divæ Parentis honorem, adhuc hodie religiosæ majestatis splendore inclitam, duobus simul adjunctis domiciliis, altero Virginum, altero Canonicorum Lateranensium ad divina peragenda; sanctum autem voluit utrumque cœtum sub instituto Divi Augustini, ut par esset vitæ ratio, par exercitium professionis.

19 Porro cum de loco secum ageret, quo conve- *et utriusque sexus monasteria condere,* nientissime pios parietes emoliretur; fama vetus habet, ad hæc usque tempora traducta, Hemmam consilio ancipitem, nec satis resolutam, emisisse libero campo jugales boves, plaustro superimposita Divæ Virginis statua: eos deinde adeo firmiter ibi, *ubi boves sine duce dimissi,* ubi nunc in crypta subterranea parthenia visitur ara, constitisse, non sine portenti singularis indicio, ut

A ut nullis stimulis, nullo conatu, nullis viribus avelli potuerint. Hoc veluti divinæ voluntatis omen cordi sibi accepit Hemma; et convocatis undequaque omnis generis murariæ ac fabrariæ artis magistris, evestigio tanti operis jecit fundamenta; id unum precibus crebris obsecrans Deum immortalem, ut vota sua communi religionis bono et piæ posteritati vellet juberetque salutaria. Interim quò moles inchoata magnis assurgeret incrementis, ipsa insistere curis, instare operis, advigilare laboribus, nihil non adhibere conatus et industriæ, cœpto ut operi quam citissime summam manum imponeret.

statuam Deiparæ sisterent:

20 Jucundum hic fuit attexere, quod Divæ Hemmæ memoratur inter operas solvendas fuisse perfamiliare. Inclinato videlicet die consedisse in saxo quodam, loculis palam expositis, ac singulis copiam fecisse, ut quantum quisque manu inserta posset arripere, id sibi haberet loco mercedis. Verum, quæ res miraculi *a* speciem non obscuram habet, nullum ex omnibus plus capere potuisse, quam diligentiæ exactisque laboribus deberetur: ipsum quoque lapidem, cui insidebat Hemma, quasi mutata natura, ita facilem effectum esse, ut, dum Beatam exciperet, instar ceræ tractabilis, concavi sedilis formam B indueret; uti nostro adhuc tempore videre licet præ foribus ecclesiæ Gurcensis. Ex quo sane jam tum clarum elucebat in Hemma sanctitatis indicium; quippe cui res ipsas inanimatas, animato veluti obsequio, faceret famulari Creator.

miraculum in persolvenda operarum mercede.
a

21 Fabrica ad apicem feliciter perducta, Walduinum, *b* Archipræsulem Salisburgensem, litteris interpellat, ut ritu consueto Basilicam divino Numini velit consecrare. Is, ut erat Antistes apprime zelosus, piissimæ ipsius petitioni facile annuens, Gurcam advenit: et ecclesiam ipso die, qui gloriose in cœlum assumptæ Virgini sacer est, in ejusdem honorem, magno Ordinum omnium populique totius adgratulatione et lætitia, dedicavit. Hac simul occasione, perfectionis exoptatæ desiderium expletura Hemma; dum sub publica Dedicationis pompa Sacris operatur Archipræsul, sua pariter et semetipsam Deo dedicatura, prodit ad aram principem, habitu religioso, cum aliis septuaginta, quas ex earum voluntate vitæ socias delegerat: memorati Pontificis auctoritate Divi Augustini Canonicum *c* Institutum magna animi veneratione suscipit, facultatibus amplissimis perpetua dotatione in censum ecclesiæ collatis: unde septuaginta deinceps Virgines, et ad rem divinam peragendam viginti Canonici diverso domicilio alerentur. Ipsa vero statim, tamquam primiceria, sancti C consilii cogitationes suas omnes cœpit defigere in magisterium virtutis.

CAP. IX
b
Inter dedicandæ ecclesiæ solennia,
c
ipsa cum 70 sodalibus habitum Religiosum sumpsisse dicitur,

22 Equidem non satis erat Hemmæ, rerum cœlestium studiosissimæ, patrimonii universi heredem instituisse Divam Virginem; nisi etiam, cum lectissimo septuaginta Virginum cœtu, semetipsam servitiis ejusdem, ac Deo imprimis, jurata religione in perpetuum addiceret; in quo uno ponebat omne momentum ejus, quam desiderare posset, felicitatis. Descripta jam in sacram Divi Augustini familiam, velut virtutis et cœnobii magistra, suis omnibus raro prælucebat exemplo; precibus assiduis, abstinentiis frequentissimis, vigiliis indefessis; ut multas sæpe noctes divinis laudibus totas impenderet. Nihil ea demissius, cum tamen præmineret omnibus; nihil studiosius, quia tota semper erat intenta studio pietatis; devotione admirabilis, patientia singularis, misericordia insignis, caritate tum Dei tum proximi vel maxime apud omnes, et virtutum omnium raro exercitio commendabilis.

optimo omnibus exemplo prælucens.

23 Hac ratione, cum per duos et viginti *d* annos vitam religiosam multis perfectionis thesauris locupletasset, in morbum incidit, mortis secuturæ prodromum. Quod cum et ipsa, senio jam *e* gravis viribusque attrita, sentire sibi videretur; ad ea confugit, quæ decessuris solent esse solatio et præsidio. Obtenta igitur ab Archipræsule Salisburgensi Walduino humiliter venia, de reliquis quæ Deo Deiparæque adhuc dicanda supererant disponendi *f*, ultimæ quasi suæ voluntatis (quod dein idem etiam Archipræsul confirmavit) fecit testamentum, in quo Salisburgensi et Bambergensi Ecclesiis, Admontensi, et RR. FF. Carthusianorum *g* in Seitz monasteriis celeberrimis, aliisque insuper locis plurima destinavit vectigalia, quæ in hodiernum usque diem Divam nostram magnam deprædicat benefactricem. Obita dein piaculari Confessione, quam jam dudum in familiarem usum verterat, Pane Angelorum ad iter extremum, sacroque Liquore roborari petiit: ut quæ pietatis studia semper impense coluerat, morti propinqua tanto repeteret ardentius, quanto in hujusmodi statu plus solet inesse momenti et præsidii.

d
D
A. WALDNERO PR. EX MS.
CAP. X
Anno 22 status vidualis, mori se sentiens,
e
f
testamentum condit:
g
et extremis munita,

24 Sic animæ rebus bene perfecteque dispositis, in magna suarum Virginum frequentia, relicto eximio sanctitatis odore, feliciter evolavit ad paradisum æternæ voluptatis, cœlo nata MXLV, ipsis E natalibus Principum Apostolorum Petri et Pauli: femina beatæ immortalitatis stipendio dignissima, tanto religione et pietate illustrior, quanto genere nobilior, quantoque humilior in sublimitate: quibus præsidiis perseverans in admirabilis sanctitatis et innocentiæ splendore, veram sibi in cœlo constituit, nullis seculis extinguendam, nobilitatem. Magnifice, quod vita ejus postulabat, parentatum est, non solum ut Matri et Fundatrici, sed etiam veluti sanctissimæ Dei Famulæ, solennibus officiis: frequentissimo omnium Ordinum conventu mors ejus celebrata; ac corpus ad ædem Divæ Virginis, inter festivas hymnorum laudes, deportatum est; justisque honoris pro debito peractis, sacra lipsana sepulcro honorifico, quod hodie adhuc similitudinem *h* gerit altaris, in cryptam, centum marmoreis columnis visendam, sunt illata, ad perpetuam memoriam et venerationem.

pie moritur an. 1045,
atque congruo funere sepelitur.
h

25 A morte statim, meritissimo sanctitatis jure, variis apparitionibus, miraculis, et prodigiis inclarescere cœpit Hemma, et unanimi voce populi, Sancta audire: quod ipsum deinde varia se invocantibus auxilia et beneficia eventu perfelici comprobarunt, allato sæpe præsentissimo in malis diversis remedio. Ea fama, cum suis continuo auctior et auctior incrementis, longe lateque vulgaretur ad exteros etiam et remotiores populos; frequenti eorum ad tumulum accursu, qui propter opem a Diva Hemma F acceptam, votis se reos agnoscebant; accidit, ut inscriberentur templi Gurcensis Hemmæ elogiis; imago ejusdem Beatæ, titulo ac fulgenti aurea lunula caput decoraretur: Vita sacris versibus, certisque precibus et Hymnis, quin etiam publico Chori officio, celebraretur. Qua in re singulari non vacat admiratione, quam initialis ille cultus, populi suffragio excitatus, jam ultra sexcentos annos, ad hoc usque tempus, non leviter presso, sed ad sempiternam memoriam fixo vestigio, constanter in suo vigore perseveret, non secus atque si in Sanctorum Catalogum, publica Romanæ Pontificiæ vocis auctoritate; jam pridem foret rescripta. Videtur autem hanc populorum in ejus veneratione constantia Deus, peculiari sua providentia, debitam voluisse famulæ suæ, eo fine, ut Diva Hemma, cujus virtus ad maximam sui laudem dum viveret eviruerat; post mortem immortali, non cœlis solum, sed etiam terris, memoria triumpharet; ejusque tumulus gratiarum ubertate, ceu præstantissima odorum fragrantia haustæ sanctitatis, redoleret.

Publica B. Hemmæ veneratio
usque in præsens seculum continuatur.

A. WALDERNO EX MS. CAP. XI *Propter miraculorum copiam*

A 26 Cum igitur frequentato miraculorum numero, passim apud cujusque ordinis, generis, et sexus homines Beata audiret, ac prodigiosa sacris virtutibus Hemma, et suis pro se quisque in illam certaret obsequiis; studio religionis accensus Fridericus III Romanorum Imperator, anno reparatæ salutis millesimo quadringentesimo et sexagesimo, [quinto vel sexto] *i*, XXVIII mensis Octobris, apud Summum Pontificem Paulum II et Purpuratorum Patrum venerabilem [Cœtum] diserta eaque prolixa contendit epistola, ut in Sanctorum Album assereretur, ac cœlestes ei honores, quos populi pietas hactenus exhibuerat, Romana Sedes etiam decerneret *k*. Idem pari fervore et sensu pietatis urgebat interpellationibus amicis Augusta Leonora, Friderici Augusti conjux: suas etiam postulationes et auctoritatem interposuere Status provinciales Archiducatus Carinthiæ, tanto impensius, quanto majorem sentiebant in ea ditionis suæ Patronam. Facilis annuit his tantis tamque cumulatis et piis votis Sanctissimus Pater; ac, ut odor ille gratissimus propagatæ jam per ora hominum sanctitatis, Ecclesiæ testimonio spargeretur uberius, Guillermo *l* Episcopo Ostiensi, Bernardo *m* titulo S. Sabinæ Præsbytero, B et Francisco *n* titulo S. Eustachii Diacono, sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, causam hanc promovendam committit. A quibus deinde nominati Reverendissimi Domini, D. Georgius *o* Seccoviensis, D. Sigismundus *p* Labacensis, Dei gratia Episcopi, Joannes *q* S. Lamberti in Stiria Ordinis D. Benedicti, Gerardus *r* Victoriensis, Ordinis Cistertiensis, Abbates; qui instituto, ut fieri solet, examine rem accurate pertractandam susciperent.

circa an. 1465 petitur Canonizatio,

et Apostolici Commissarii nominantur.

Processus conficitur;

27 Neque vero ipsi, ut erant religionis omnis observantissimi, commisso defuere officio: facere proclamata, citare testes, examen instituere, notare quæ quisque, quibusve circumstantiis adjiceret. Quibus omnibus consueto juris ordine ad amussim peractis, tabulas omnes, confecti super ea re examinis, subscriptione et sigillis firmatas, Romam transmisere. Quo minus tamen actio, feliciter huc usque deducta, supremum fuerit sortita effectum, gravissimæ Turcarum *s* incursiones obstitere, variæque bellorum calamitates; quibus cum Carinthia aliæque Provinciæ et regiones tenerentur infestæ, patronis interim negotii extinctis, res universa decernendi honoris publici in hodiernum usque diem infecta permansit. Quod quamquam C magnopere dolendum sit, mirabiliter tamen Deo sic disponente evenit, ut nihil pietas et vota populi deferbuerint; is enim quot annis e Croatia, Stiria, Carniolia, Carinthia, superiori et inferiori, multo numero affluit, ad debitam Divæ Hemmæ venerationem; atque in eodem novisque beneficiis confirmatur et miraculis, quorum aliqua, in stimulum devotionis, paulo post recensebimus. Cultus porro memoratus, non sola continetur Basilica Gurcensi; sed aliis etiam, tum Carinthiæ, tum aliarum ditionum locis, ecclesiæ, ædes sacræ, capellæ, Divæ Hemmæ nomini et honori consecratæ, pia celebratione frequentatur, variisque indigenarum et advenarum peregrinationibus memoria Divæ posteros in annos perennatur. Ita scilicet honorantur, quos Deus voluerit honorare.

qui licet effectu caruerit,

non deferbuit tamen popularis devotio.

ANNOTATA D. P.

a *Simile narratur die 3 Martii, Comm. prævio ad Acta S. Cunegundis, num. 25, de lance illius crystallina.*

b Walduinum, *aliis* Balduinum, *Wiguleius Hundius ait, ordinatum Archiepiscopum anno* 1040, *defunctum* 1060.

c *Cum ipsamet Hemma in suo quodam instrumento* D *dando inter Analecta num.* 7, *profiteatur, se Gurcensem Abbatiam fundasse eo animo, ut ipsa ibidem habitum Religionis indueret, ambigi non potest quin vere fuerit Religiosa: Benedictini, an Canonici instituti, loco præcitato discutiemus. Satis sit hic notasse, præmature nunc nominari Canonicos Regulares Lateranenes, quorum Congregatio seculo undecimo necdum nominabatur. Interim notat Gamansius*, annulum, cingulum, pileum, *quibus utebatur Hemma*, miræ quidem simplicitatis monumenta, sed prodigiosæ virtutis cimelia, *testari quam serio omnem seculi pompam dimiserit. Quamvis enim* Congregatio, *quæ* Lateranensium Regularium *hodie dicitur, disciplinæ suæ vel principium vel restitutionem. Luca acceperit ab iis Canonicis: qui sub Alexandro II adhuc Lucensi Episcopo cœperant Regularem in communi vitam ducere, haud diu ante annum* 1061, *ipsorum Priore Romam traducto; et quamvis eodem tempore ac sequentibus annis, ad illud exemplum plura ubique Canonicorum Collegia Regularem vitam amplexa sint, tamen degebant sub suis quæque Episcopis, absque ulla a Lateranensibus dependentia. Talis autem primum invaluit et propagari cœpit, post novam Luca acceptam a Frigidionariis seu Frisionariis reformationem, post annum* E 1400, *uti deduxi ante Vitam S. Ubaldi Eugubini* 16 *Maji num.* 6.

d *Numerandi sunt hi* 22 *anni ab obitu mariti (quem hinc colligimus accidisse an.* 1023*) non a dedicatione ecclesiæ quæ, non potuit* 1040 *accidisse, quo diximus ordinatum eum qui ipsam consecravit. Supra num.* 4 *dicitur nata an.* 983.

e *Quo calculo pervenisset illa ad annum ætatis* 63.

f *Ea nempe venia opus fuit, ex hypothesi religiosæ Professionis, quæ vel hinc credibilior redditur.*

g *Notaverat in ecgrapho suo autographo Gamansis, quod dubius sibi sit hic locus, quia Carthusia Zeitz longe post incepta fuit; et quia juratus ad Canonizationem testis asseruit, Beatam sibi apparuisse in habitu monastico.*

h *Hujus sepulcri forma, fortassis non indigna, quæ æri incidatur, posset hoc loco a pie curiosis optari.*

i *Electus fuit* Paulus II *an.* 1464; *et* 9 *Septembris coronatus, sedit annos fere* 7: *unde apparet corrigendus annus cœpti apud Paulum negotii; sed ante* 1467; *quia tunc die* 1 *Septembr. obiit* Eleonora Lusitana, *secundis nuptiis a Frederico Imp. ducta an.* 1453.

k *Hujusmodi litteræ, si ante Processum inveniantur scriptæ, utiliter etiam publicarentur.* F

l Willermus *sive* Wilhelmus de Estoutevilla *Gallus, a Portuensi ad Ostiensem Ecclesiam transiit anno dumtaxat* 1461, *quo confirmatur prænotatæ correctionis necessitas.*

m Bernardus, *aliis* Berardus, *Episcopus Spoletinus, simul Cardinalis creatus et titulo Sabinensis ecclesiæ donatus a Pio II anno* 1458; *ut probat Oldoinus ad Ciacconium, contra Ughellum, qui a Sixto IV et anno* 1474 *collatum cum titulum ipsi vult: sed tunc Imperatrix diu obierat.*

n Franciscus Piccolomineus *hic est, Pio II avunculo factus Cardinalis, postea Pontifex* Pius III.

o *Sedit hic juxta Bucelinum ab anno* 1453 *ad* 1477. *Est autem* Seckau *castrum in Stiria, ad confluentes Geylæ in Muram prope Leibnitz, titulo Episcopatus donatum an.* 1119; *Gurca distans horis circiter* 50 *in Orientem.*

p *Etiam hic* Sigismundus *confirmat correctionem, factus dumtaxat anno* 1463 *Labacensis Episc. primus justa Bucelinum. Est autem* Labacum *civitas Carniolæ, veteribus* Æmona, *ut integro Commentario probavit Jo. Ludov. Schonlebius. Baudrand in Lexico Geographico primum institutum Episcopatum vult anno* 1468, *sed error zyfræ corrigendus hinc est. Distat autem Gurca*

A *in Euro-Africum* 30 *circiter horarum intervallo.*

q *Abbas Lambertini monasterii trigesimus, ab anno circiter* 1448 *usque ad* 1518; *sed qui non nisi a Paulo II confirmationem accepisse traditur, multa passus, ut habent illius monasterii Annales, a Georgio Ulrico Chemnicensi editi an.* 1604; *Si addidisset confirmationis istius annum, verosimiliter etiam confirmaturus correctionem præmissam fuisset.*

r *Jongelinus docet Abbatiam* Victoriæ in diœcesi Gurcensi, *fundatam a Villariensi in Brabantia Abbate Henrico, ex Carinthiæ Comitibus oriundo, sub annum* 1144. *Abbatum seriem adhuc requirimus.*

s *Stante adhuc Hungariæ regno, nullus Carinthiæ metus a Turcis fuit, et* Fridericus Imp. *vixit usque ad an.* 1493. *Causa ergo intermissi negotii melius refunderetur in mortem* Eleonoræ Imperatricis, *pro sexus sui honore solicitæ.*

CAPUT III.

Miracula, ex Processu pro Canonizatione collecta.

B CAP. XII Ut luculentior adstrueretur sanctitati fides, quam alias in Sanctis suis consuetudinem Deus optimus maximus tenere solet, tenuit in Diva Hemma, ut populi scilicet vocibus ac votis, miraculorum claritas accederet: quorum fama crebrescente, illustrior simul gloria sanctitatis emanaret.

Sanantur moribundus Bononiæ

29 Inter prima autem et antiquissima fere miracula habetur illud, quod in Officio Divæ Hemmæ sacro refertur, de Prædicatore quodam Bononiensi, Ordinis S. Dominici. *Sed quid attinet hic iterare, quod in ipsis dicti Officii Lectionibus jam habetur in primis Actis num.* 15? *Eo igitur Lectorem remittens, moneo, simili modo hic omittenda alia quædam, tum immediate ex Processu relata num.* 24 *et sequentibus ibi, tum nisi hinc aliquid lucis accedere possit: et solum hic addo præfati miraculi clausulam hanc.* Et quidem quæ initio rariora, successu temporum, crescente populi devotione, frequentiora extitere miracula, quorum pleraque juratis testibus vulgata sunt, in processu examinis propter Canonizationem instituti.

et plures superius notati:

30 *Tale est, quod ibidem narratur num.* 29, *et hic omittitur, de muliere gravida a cornupeta bove, cum periculo fœtus excussa in altum, servataque, apparente eidem bis Sancta. Item quod hic sequebatur, de Leonardo Aich, et ibi refertur num.* 30; *deque uxore ejus* C *liberata a peste. Tum ex num.* 33, *resuscitatio puellæ mortuæ; et alterius ex num.* 41; *atque mens sana, cuidam Catharinæ furenti reddita, ex num.* 31; *et sculptoris cæci illuminatio, ex num.* 40; *atque mulieris cæcitate punitæ, quia irridebat pro struenda Beatæ capella laborantes; ex num.* 35 *deinde miserabilis contractio manus ac pedis ex num.* 36; *et angina curata ex num.* 38.

suscitatur infantula, a matre dormiente oppressa.

31 Joannis Port civis Strasburgensis filiolam, ægræ valetudinis, mater Dorothea cum ulnis suis noctu fovendam accepisset, per somnum oppresserat: experrecta, reperit prolem exanimem, et continuo præ dolore in voces clamoresque inconditos erumpit. Attonita accurrit familia, nullumque in parvula deprehendens vitæ vestigium, divino instinctu, nuncupatis simul precibus et votis, magnæ Matri et Beatæ Hemmæ Gurcensi commendant oppressam infantem: ipsoque momento vitam et salutem videre restitutam.

Juvantur lapsu arboris fere extinctus,

32 Colonorum aliquis, ex improviso casu, quam secabat, arboris, in terram prostratus, mortuo nihil erat absimilis. Rei tam tragicæ spectaculo moniti, adsunt amici, ac in desperatis naturæ subsidiis apprecantur opem Beatæ Hemmæ: moxque cœpit vigor omnis redire, et ille reviviscere.

D *A. WALDNERO EX MS. febri letali laborans,*

33 Joannes Pruner, civis Gurcensis annorum LX, letali morbo depositus habebatur: ille tamen spem firmam melioris valetudinis habebat in B. Hemma: neque vano eventu. Nocte concubia, extreme periclitanti se visendam exhibet, amictu candido; hisque verbis amice affatur; Eia, quem deinceps mihi exhibiturus es honorem; si, quod contendis, per me vires pristinos retuleris? Præter statas quoque die preces Dominicæ et Angelicæ salutationis, ad tumulum spondet etiam par candelarum e cera virgine. Disparet inter hæc B. Hemma: æger vero febri exæstuans, ceu frigida suaviter perfusus, e strato surgit; nulloque notatus morbi vestigio, mane suum integer resumit officium.

peste contactus,

34 Quidam nomine Simon, ex oppido Scheifling, pestifera lue tactus, agebat animam; sed ille superno confisus præsidio, spem vitæ longioris alebat in Diva Hemma; et voto actutum edito, desperatam, quod mireris, salutem in integrum asseruit. Ex Aquileiensi districtu faber quidam tenebatur acuto capitis dolore: hujus levandi causa Gurcam pergit, caput applicat ad tumbam D. Hemmæ magna animi fiducia, piaque animi submissione fretus sanitatem retulit.

capite dolens,

E *ex pestilentia moribundus,*

35 Depopulabatur agrum in Hochenegg Aquileiensis ditionis, et omnem circa regionem pestilentissima lues; et jam uni colonorum sex filios in brevi confecerat: septimum tenebat eadem labes, ægre spirantem, ut manifesta apparerent propinqui funeris præsagia. Parens opis humanæ nescius ad Divæ Hemmæ, cui alias pie semper adhærebat, invocationem vertitur: et ecce subito moribundus, ad se redire, Divam Hemmam laudare; ejus auxilio, quæ sibi coram sit visa, vitam donatam asseverare.

annis 15 cæcus, a

36 Memorandum est illud in alio genere miraculum, quod vir claro genere natus, Paulus ab Aubesholt *a*, jurejurando testatum fecit, de quodam, qui XV annos luminibus orbus extitit. Etenim cum ædiculam, in Landtsperg Divæ Hemmæ sacram, religiosius devenerando, ut mos vulgaris habet, iterum ac tertio circumivisset; profluente statim ex oculis pituita et puris copia, adjutricem in Diva Hemma manum expertus, visum recepit. Simile est quod accidit sub annum MCCCCLXVI, mense Novembri, cum Georgio Wochenauer de Gombs prope Marburgum, viro pietate ac gravitate spectabili: qui septem annos captus oculis, in medicinæ vicem usus est patrocinio B. Hemmæ; cujus cum Reliquiam Gurcam ductus pie veneraretur, caligini F lux clarissima gratulantibus omnibus successit.

alius annis 7,

et una 6 mensibus;

37 Idem beneficium experta est Elisabetha, conjux Pauli Stengler, e diœcesi Gurcensi, dimidium annum luminis expers; cui cum subiisset in memoriam, qua passim celebratione prædicarentur merita beatæ Hemmæ, Gurcam dirigi voluit; ac prope sepulcrum genibus supplex, cæcitatem inter preces abstersit. Henricus opificio cerdo, civis in Strasburg, ut hebetatam a teneris oculorum aciem exacueret, multa in medicos erogaverat, irrito prorsus, immo deteriori eventu. Cum igitur humana defecissent media, recurrit ad pervulgatum divæ Hemmæ auxilium: ejusque sepulcro advolutus, inter suspiria et vota obdormit; somno autem placide discusso, discussas pariter sensit tenebras oculorum.

item cerdo cæcutiens.

b Curantur, carcinoma in oculo;

38 Ægidio *b* Beslocher e Frisacensi oppido, secundum dextrum oculum excreverat turpe carcinoma: nec ulla medicorum opera videbatur emendari posse; quin imo medicinis adhibitis, reddebatur indies malum infestius. Hic mira fretus fiducia, annulum, quem diva Hemma gestaverat, oculo vitioso admovit, ulcusque nullo amplius relicto vestigio detumuit. Prope vallem Lavantinam, in oppido Griffen, civis fuit, cui facultas ambulandi sic impedita erat,

gressu privatus quidam,

A. WALDNER PR. EX MS.

A erat, ut nec suis vestigiis insistere, nec erectus incedere valeret; sed bruti instar pedibus manibusque inambularet. Qui nimiæ pertæsus molestiæ, Gurcam deduci petiit: ibique sub tertiam noctis vigiliam prorepit ad cœmeterium; et per fenestram (templi enim aditum prohibebat id tempus) in ardentissimas preces effusus, divam Hemmam, qua maxima potest contentione, rogat adjutricem; eamque expertus benevolam, repente solidatur pedibus, humoque se attollit, ac deinde ut ceteri homines recta incessit.

c *alius usu manuum,* 39 Rudbertum Panger *c*, civem in Murau Stiriæ oppido, diuturna manuum paralysis ad omne opus, et cibi potusque sumptionem fecerat inutilem. In hac tanta calamitate obstrinxit se voto peregrinationis annuæ ad divam Hemmam: ex quo melius indies valere cœpit; tamdemque plene restitutus, opificium manu-balisticum, quod egregie callebat, libere exercuit. *hydropicus,* Vir quidam hydrope graviter affectus, ut lecto se neutiquam movere posset, audiens affinem suum avocari in negotio Canonizationis divæ Hemmæ, vovit peregrinationem Gurcam ad ejus tumulum. Votum sine mora secutus effectus est; cœpit enim monstrosa inflatio remittere, ipseque infirmus B primo baculi sustentatione commode incedere; tum demum, exhausta sensim tota pituita, sanitati pristinæ restitui.

d *phreneticus,* 40 Leonardum de villa Reichwang *d* phrenesis molesta et frequens tenebat: monitus ut se divæ Hemmæ devoveret, Sanctamque edoctus, et variis in morbis auxiliatricem; promisit se aditurum ejus sepulcrum, adjecto simul penso quinæ salutationis Angelicæ quotidie recitandæ. Ex quo, cum sanitati restitutus, incaute sponsionem negligeret; accidit, ut sinistrum pedem, plana terra lapsus, confringeret. Adhibitis porro curis, nihil proficientibus, Hemma in somno apparuit; votique neglecti redarguens, excitavit ad implendam sponsionem. Votum igitur evigilans renovat, ipsoque momento pes in tantum consolidatus est, ut pedes adire tumbam potuerit: ad quam dum orat ferventius, post editum ingentem strepitum, dolor omnis residuus abscessit, crure toto in integrum restituto.

cæcus, 41 Cum prope castrum Landsperg cappella (*cujus facta mentio num.* 35) ædificaretur, quidam ad ejusdem cappellæ labores vocatus, suos sibi labores curæ esse dictitabat. Levitatem pœna cæcitatis C excepit; ac die integra nihil oculis videns, mentem aperuit facti pœnitentia; votoque pietatis divæ Hemmæ nuncupato, caliginem lætus excussit. *cæca,* Catharina Frisacensis oppidi, defluxu humorum excæcata, multum fiduciæ reponebat in meritis divæ Hemmæ. *ac muta;* Linteo igitur, divis ejus Reliquiis applicato, sæpe tergens oculos, cæcitatem abstersit *e*. *e* MCCCCLXVI, Walpurgis, villana parochiæ *f* Celschachiensis, *f* officio loquendi destituta, tumulo divæ Hemmæ supplex, inter orandum, quo ante caruerat, linguæ beneficio muneratur.

g *capite et oculis laborans,* 42 Bartholomæus, civis Villacensis, inciderat forte fortuna in patentes *g*, pro templi valvis de citatione testium, super gratia sanctitatis divæ Hemmæ et miraculorum ejus. Quam rem cum parum pensi habuisset, non multo post [fuit,] gravissimo capitis dolore tactus, tantoque aurium tinnitu, quasi sentiret in se malleatorum officinam; protuberantibus insuper ex nimia doloris acerbitate oculis, ut exilire viderentur. Frustra autem quæsitis compluribus remediis, mali pertinacia memorem reddidit præfatæ intimationis de meritis B. Hemmæ et gratia miraculorum. Nec male suspicatus, id genus afflictionis accidisse sibi ex rei istius exigua cura; constituit ad diem, a Commissariis indictum, Gurcæ comparere. Quo cum votum soluturus advenisset, capiti et oculis annulum divæ Hemmæ applicando D perfectam in amuleto sanitatem invenit. Idem beneficium expertus est in annuli applicatione civis quidam de S. Vito in Carinthia, Wolfgangus nomine, Procurator publici Judicii. Qui cum petiisset hanc sibi gratiam, ut annulum ad tempus jam accommodatum, sæpius applicare posset oculis; *et alius oculis,* relevatus ab omni molestia, Gurcam advenit; eumdemque cum magna gratiarum actione restituit, recognoscens divam Hemmam sanitatis magistram.

43 Scholaris quidam, Christophorus nomine, filius viri nobilis, subita infirmitate videbatur in *juvenis moribundus,* extremis positus. Turbatæ hac insolenti mutatione quædam mulieres, recurrunt ad patrocinium divæ Hemmæ; votumque pro eodem facientes, ipsum commonefaciunt, ut ejus opem devoto corde imploret. Quo facto, statim respirare cœpit juvenis; dumque B. Hemmæ nomen, voce adhuc ex ægritudine balbutiente, emittit, intra pauculas horas plenam sanitatem recuperat. Tanti beneficii memores parens et filius, sæpius deinceps tumulum divæ Hemmæ, cum oblationibus, inviserunt. Filius viduæ cujusdam, parochialis in Gluneck *h* Gurcensis E dioecesis, annorum XX, vesania mentis a domo materna profugus, *h* *et alius amens.* hinc inde per avia et devia oberrabat, cum præsentissimo vitæ periculo; nec usquam, tametsi diligenti inquisitione, repertus, anxiam valde reddebat matrem, plenamque timoris. Consilii inops recurrit ad Plebanum: suadet is, ut filium cum anathemate divæ Hemmæ devoveat. Paret monenti; et continuo alterum filium cum munere destinat ad sepulcrum Gurcam. Pauculis diebus ab ab exacto voto sibi restitutus insanus, menti præsentissimus in domo fratris reperitur.

44 Habebat Michael Elsenpek, civis Straburgensis, filiolum triennem: is cum desperata laboraret *Puer ad extrema deductus,* valetudine, mortique [esset] quam vitæ propinquior; pater ad Divorum subsidia conversus, abit Gurcam amaricato animo. Ubi postquam divæ Hemmæ vota persolvisset, in reditu filium a morbo liberum reperit, et patrem voce hilari compellantem, qui ante ne verbum quidem efferre poterat. Claudus quispiam, duobus ligneis sustentaculis peregri- *claudus,* nationem instituerat, ad divam Hemmam; ibique mensem integrum versatus, frequens orabat ad sepulcrum; tandem exauditus, relictis in memoriam grallis, pedes cum gaudio domum repedavit.

45 Fuit Joanni Grever civi Gurcensi filiola quin- *epileptica,* quennis, Petronella nomine; hæc per epilepsiam F ore horridum spumabat; sensuumque omnium officio destituta, decumbebat a mane ad medium usque noctis; sed fratre pro ipsa votum emittente, de offerendo cereo ad tumbam divæ Hemmæ, dolor omnis et languor abscessit: Joannes filiæ restitutionem votivæ pietati acceptam tulit. Simili morbo laborabat oppidani cujusdam filius de Weitensfeldt. Desperatis humanis auxiliis, tandem eum parens ad *epileptici duo,* divam Hemmam Gurcensem devovit cum cerei obligatione: morbusque ad voti nuncupationem, non secus ac cera, defluxit. Idem in eodem morbi genere beneficium expertus alius quispiam de villa Metniz.

46 Dorothea in Wirbniz, prope Castrum Kraig, *fulmine icta,* fulmine pestilenti afflata, jacebat mortuæ similis. Videbatur interim videre sibi, velut in somno, quasi in cryptam deduceretur divæ Hemmæ Gurcencis, inter Religiosos ejus loci super se psallentes, sex pro ara succensis luminaribus. Ad se redeunti subiit animus voti, de visitanda divæ Hemmæ tumba: vovit, et a pestilenti afflatu, nihil amplius passa, salutem obtinuit. Cunegundis, villana in Oberhoff, de *cæca,* parochia Metnix, dolore et uredine ingenti oculorum, per tres hebdomadas orba luminibus, votum emisit de

A de visitanda tumba beatæ Hemmæ; ac mox, quasi levi vento secundum oculos afflata, fugatoque sensu doloris, videndi copiam recepit.

excutiens; 47 Georgius Prunsleder, pari doloris affectione pressus ab oculis, verebatur ne visi penitus orbaretur. Edoctus interim a puella, qua ratione avus ejus Frisacensis, in simili [casu] se devoverit ad tumbam divæ Hemmæ, ac melius habere cœperit; ipse pariter, exemplo hoc incitatus, voti se reum facit; et mitigato mox dolore, totus revalescit; oculisque serenis ecclesiam Gurcensem visitans. Deo omnipotenti ac divæ Hemmæ debitam retulit gratiarum actionem.

pedem graviter dolens, 48 Unus aliquis primariorum civium in Murau, gravissimis repente puncturis pedes tenus correptus, majus aliquod metuebat exitium. Inaudiens autem forte fortuna in hominum consortio, multis B. Hemmam, in diversissimis et periculosissimis morborum casibus, attulisse subsidium; ipse statim genu flexus Deum orat, divæ Hemmæ opem sibi adesse faceret. Vixdum finita oratione, remisit acutus dolor, et omnem mali ulterioris metum abegit.

i *diu excutiens unus* 49 Alius e S. Vito, Carinthiæ *i* antiquissima civitate, prope visus omnis expers quinquennium, B ceteros Gurcam adeuntes comitatus, preces votivas ad tumbam divæ Hemmæ peragit, ejusdemque annulo linit pessime affectos oculos. Et ecce, quod mireris, sentit notabile visus incrementum: nec multo post adeo vivaces nactus est oculos, quasi nulla umquam ægritudine laborasset. *et altera:* Idem ab eodem annulo accidit puellæ cuidam ex oppido Frisacensi, quæ a matre commonefacta intercessionis B. Hemmæ, Gurcam se contulit; ubi fusis ad tumbam precibus, annuloque signatis oculis; sanitatem optatam reperit in signo salutis. *atque surdus.* Eodem beneficio potitus alius, quem cum sex septimanarum surditas afflictum tenuisset, devovit se divæ Hemmæ, gratiamque quæsitam felix obtinuit. *Curatur grave apostema,* Christinam, Frisacensis civis filiam, capitis apostema ad extrema deduxerat. Ei sic laboranti apparet matrona, elegantis staturæ et amictus, jubetque se obligare voto ad visitandam Gurcensem ecclesiam. Concipit ergo votum, et in hoc sibi reperit optatam salutem.

50 Non in corporalibus tantum, sed etiam in spiritualibus morbis, adfuit invocantibus se diva Hemma. *k* Dominum Jacobum Ezipsen *k*, Cappellanum Episcopi Gurcensis, magna ariditas et duritia cordis obsederat, ut neque in Sacrificio, neque in C precibus Canonicis, aliisque pietatis exercitiis ullum posset habere sensum devotionis, quantumcumque ad eum eniteretur. *et ariditas spiritus,* Veritus ergo ne progressu temporis majus ex eo periculum salutis immineret, consilio secum inito, constituit indies e castro Strasburg, medio a Gurca milliari distante, divam Hemmam precibus votivis salutare. Accidit porro quodam die, ut obserata jam sub vesperam crypta, divam Virginem pro ara principe ferventius interpellaret, in spirituali sua necessitate, commemorando simul quotidianas peregrinationes, ad divam Hemmam sine fructu institutas. Inter querulas voces et suspiria, visus est sibi velut urna calida perfundi; tantamque animi sensit compunctionem, ut lacrymis ubertim fluentibus, imposterum liber fuerit ab omni ariditate et duritie, diuque optatam mentis tranquillitatem obtinuerit.

ANNOTATA D. P.

a *Jagero*, Eibiswald.
b *Alias*, Bestacher.
c *Alias*, Pagnes.
d *Ibid.* Zeuchelwang.
e *Lambertinum MS. addit, hoc accidisse* anno MCCCCLXV, *et progreditur hac forma : Hoc eodem* anno Bartholomæus; *transiliendo num.* 63 *et* 64. D *A. Waldnero Pr. ex MS.*
f Zelzachiensis.
g *Subintellige*, litteras affixas.
h *Jagero*, Guetenegg.
i S. Viti *oppidum inter Gurkam et Dravum ad Euro-africum, intervallo* 5 *horarum.*
k *Alias*, Erpisem.

CAPUT IV.

Miracula recentioris memoriæ.

Pauca hæc ex plurimis allegare placuit miracula, quæ juratis testimoniis edixere testes, pro examine Canonizationis divæ Hemmæ *a*. Sed ut commonstretur, quod perquam multis, etiam nostra memoria, patrocinetur diva Hemma, operæ pretium videtur aliqua, quæ in hos viciniores annos inciderunt, noviterque comperta, ac a Protonotario in codicem Miraculorum asserta sunt, in exemplum subjicere. *a*

52 Principalem locum tenet Bartholomæus *b* Tantschus, e parochia S. Pauli superioris Labaci. *b* *Amentia depulsa, viro* Is anno Christi MDCXXXII, Dominica secunda Quadragesimæ, tepida aura afflatur. Equidem dixerim E esse a venefico; veneficioque petitum, sive ab ipso adeo maligno genio obsessum. Ipso enim illo temporis puncto, mens e statione omnis moveri; mira et atrox cogitationum non optimarum tempestas aut intemperies subire; Deum et Superos summe aversari, atque infandas in illos voces jactare; præterea furere in tantum, et usque eo impotenter bacchari, ut plane fuerit compingendus in carcerem. Annum jam tenuerat ea insania; cum illi, tacito nescio quo murmure sive instinctu, suggeritur convaliturum, si vota et animum ad divam Hemmam converterit; ejusque honori Sacrum fieri Gurcæ curaverit. Annuit ille, et dicto citius mens medicata redire in ordinem, furor remittere, et omnis ille ceu infernalis turbinum æstus mox defervescere. Qua causa Numini et divæ Hemmæ non longe post debitas grates et vota exsolvit, et rem ex ordine (uti est gesta) jurejurando confirmavit.

53 Per mensem porro Decembrem eodem anno, furiarum seu insaniæ œstro, Brigitta filia Achatii *et mulieri.* Dencisching, parochiæ S. Stephani infra Bischofslac, inquietata, e potestate mentis exiverat. Pro hac afflicta atque affecta sua filiola parens solicitus, B. Hemmæ supplex est factus. Jam, ecce tibi, hujus F mulieris mens serenari, furor restingui, sicque in totum illæ ærumnæ pelli et abigi.

54 Anno post Christi natalem MDCXXVI, X Junii, *Salvantur oppressus arboris succisæ,* Mathias quidam fuit Kaweschnig, e parochia divi Viti non longe a Labaco. Iste in silvas lignatum abiit, arborem cædit, truncum evertit; ejus ruina et pondere inopinato opprimitur, pectore rupto vox intercipitur, ipsaque vita et animus ferme eliditur. Capit consilium, pro sanitate voto decernere peregrinationem in annos singulos ad divam Hemmam. Jam ecce tibi, proxima luce, vox ab exilio reverti, dolor levari, sicque ut antea homo pancratice valere.

55 Anno seculari *c* MDCXXXI, Georgius Gottschnig, *c* *pedibus æger,* e parochia Neustifft, pedibus æger, ad ipsas decem hebdomadas lecto affigitur. Ut faciendum B. Hemmæ Sacrum receperat, dat se in pedes; et sine mora factus est iterum athleta in illis partibus, quæ videbantur emortuæ.

56 In parochia Eissenbergensi provinciæ Car- *parturiens,* nioliæ, per annum Christi MDCXXXI, Agnes uxor Georgii Præsl, nullis artibus, nullis mortalium experimentis edere fœtum valebat. Illa orare, ut opem sibi in ultimo discrimine adferret B. Hemma; si voti compotem efficiat, sacrum Officium et peregrinationem

A nationem Gurcam promittere. Nulla interponitur mora: enititur femina, sacro lavacro infans abluitur, deinde ipso in vitæ limine statim extinguitur.

A. WALDNERO PR. EX MS.

desperate infirma,

57 Hoc ipso anno Cunegundim, uxorem Caspari Taschger, e parochia S. Petri prope Labacum, morbo gravissimo, eoque incognito, ipsos sex annos obsessam, medici omnes deposuerunt. Ergo humanis valere jussis, B. Hemmæ implorat opem, nuncupat vota. Mirum auditu! Mulier confestim meliuscule valere, et Gurcam usque iter intendere; redux in patriam, ceteras etiam morbi reliquias plane abigere.

oculis et capite dolens,

Anno MDCXXXII, Blasius Geroching, extra civitatem Stain, oculis sævissimoque capitis dolore laborans, votum ad divam Hemmam concepit; et non longa intercessit mora, cum oculos correctos, et omnem languorem capitis abstersum persensit *d*.

d

toto corpore tumens,

58 Anno MDCXXXIII, Martina uxor Bartholomæi Gernig, ex parochia S. Helenæ Valtsch, quatuor annis infirma, tandem toto corpore ita intumescebat, ut maritus omnem humanam opem deficientem cernens, ad divam Hemmam confugerit; pristinumque bonæ valetudinis statum uxori impetravit.

contritæ duæ,

59 Anno prædicto, octavo Idus Junii, quidam Margareta, filia legitima Leonardi Schmit, infra B Bischofslac, ex alta ceraso, forte fallentibus pedum vestigiis, præceps est acta; suoque pondere, aliam ad truncum illius arboris opperientem, Gertrudem nomine, inopinato oppressit. Ab illo casu hæc, qua de dico, Gertrudis plurimum sanguinem ex ore aliisve corporis partibus fœdum egerere, et Margareta nimium quantum ex intestinis laborare. Harum parentes preces concipiunt B. Hemmæ: mox virgines hæ persanari, jamque quasi a funere perquam feliciter ad vitam redire.

parturiens,

e

60 Eodem anno decima septima Octobris, Elisabethæ, uxori Nicolai Kolman, e parochia S. Martini, prope Gronburgum *e*, laboranti in partu, opem roganti contra periculum vicinæ mortis, ex insperato beata Hemma saluti fuit. Anno nominato, XV Decembris Christophorus Costelz, civis in Stain, cum uxore sua Magdalena derepente insanire cœperunt, vicinis autem divæ Hemmæ auxilium implorantibus, statim actus ille insaniæ ab eis discessit.

conjuges amentes,

gressu privati,

61 Anno MDCXXXIII et XXXIV, Pancratius Pachman et Margareta filia Urbani Joschga, facultate ambulandi amissa, præsidio divæ Hemmæ restituti sunt. Eisdem annis MDCXXXIII et XXXIV, Georgius C Gruden, per integram hiemem; Joannes Pischgiz, per mensem; et Joannes Lienner, tribus septimanis, dolore cholico distinebantur; ut divæ Hemmæ se crediderunt, statim se frangit hæc intemperies, illique salvi atque incolumes suum officium repetierunt.

colica laborantes,

phreneticus,

62 Anno MDCXXXIV, Petrus Supan de Rattenstorff. ex parochia S. Udalrici, phreneticum filiolum; Primum nomine; divæ Hemmæ devovit; et extemplo manifestum advertit auxilium. Eodem XXXIV anno, Matthias Orch, e parochia S. Petri prope Cronburgum, ad ipsos septem annos; alia femina, per unum annum perpetuum; alia denique ad duos menses, morbo difficili, eoque plane incognito affligebantur. Supplices adeunt B. Hemmam, nec ceciderunt irritæ preces: etiam omnes, præquam sperassent velociter, e diuturna hac ægritudine sunt recreati.

tres diu infirmi,

frigore extinguendus

63 Ad secularem annum XXXIV, circa solennia Purificationis B. Virginis, Petrus Tabet, ex parochia S. Petri in Ramanstorff, per Alpes iter habebat; ubi vitalem suum calorem, tantum non frigore jam expugnatum, animadvertit. Hoc ancipiti mortis periculo ad divæ Hemmæ tam pervulgatum asylum confugit: cum derepente fugitivus ille calor redire, et tantus quantus homo convalescere.

64 Annus millesimus sexcentesimus trigesimus D secundus, tertius et quartus, multis infaustus, multos ardentibus febribus adortus, ad usque mortis necessitatem deduxerat. Sed vix dum supplices accubuerunt in preces Beatæ Hemmæ, cum, præ quam dici possit, prolixe celeriterque, e capitali ejuscemodi morbo, peneque e faucibus leti ereptos, pristinæ suæ sanitati nostra Beata asseruit.

et plures alii periclitantes.

ANNOTATA.

a *Si ipsum Processum, aut inde excerpta miracula omnia, nobis mittat aliquis; non gravabimur numero, non solum veterum, sed etiam recentiorum (qualia hic sequuntur) hujus ævi miraculorum, in mox allegando Notariali codice descriptorum.*

b *Jagero*, Fanstschur.

c *Nescio quo titulo* Secularis *dicatur annus* 1631, *et infra num.* 66, *annus* 1634. *Jubilæum celebraverat Urbanus VIII* 1625.

d *Miraculum hoc, in Gurcensi ecgrapho omissum, ex Lambertino suppleo.*

e *Alias*, Crainburgum.

ANALECTA

E

Veterum monumentorum MSS. ad Acta S. Hemmæ.

§. *I. Affinitas ejus cum S. Henrico Imp. et Gurcensis Abbatiæ erectio ac dotatio.*

Henricus Imp.

Qui Acta et Miracula S. Hemmæ nobis transcribi fecit, varia eodem spectantia monumenta addidit, sed ordine nullo. Hunc in præsentiarum placet sumere a ratione temporis, quo singula pertinent. Primum igitur sit Charta S. Henrici Imperatoris, suam aliquam neptem, nomine Hemmam *agnoscentis; diversam (ut mox apparebit) a Gurcensi, cujus causa hæc tractamus. Tenor hic est.* In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis Henricus divina favente clementia, Romanorum Imperator Augustus. Notum sit omnibus Christi nostrisque fidelibus, præsentibus scilicet et futuris, qualiter Nos, pro petitione dilectissimæ conjugis nostræ Chunegundis Imperatricis, ac interventu Hereberti Archiepiscopi Coloniensis, et Eberhardi Episcopi Bambergensis; Wilhelmo Comiti; nec non et Dominæ Hemmæ matri suæ, nepti autem nostræ, contulimus tertiam partem Salinæ nostræ in valle Admuntense cum omni jure, sicut illam in usibus nostris habuimus; et mercatum dedimus eis, in suo prædio, ubicumque placuerit eis habendum; atque telonium in qualicumque loco; sicut mercatum in Comitatu suo, qui vocatur Tusach, in perpetuum tradidimus cum moneta: nec non omnes fodinæ cujuscumque metalli, et salinæ, quæ in suis bonis reperientur, usibus eorum subjaceant: universumque jus, ad Imperium spectans, eis remisimus, et proprietati ipsorum Imperiali clementia assignavimus; ea ratione, ut liberam inde habeant potestatem faciendi quod velint. Datum XIV Kal. Maji, Indictione XIII, anno Dominicæ Incarnationis MXV, anno vero D. Henrici regnantis XIII, Imperii autem anno II. Actum Babenburch feliciter. Amen.

Guilielmo Comiti, neptis suæ Hemmæ filio, Sanctæ marito,

F

jura quædam donat an. 1015.

2 *Hinc apparet, quomodo sanctus Imperator agnoverit Guilielmum Comitem,* B. Hemmæ *maritum, filium fuisse alterius* Hemmæ, *ex aliquo ipsius vel fratre vel sorore progenitæ. Sororem ejus Giselam, S. Stephano Hungariæ Regi nuptam, liberos ei aliquos procreasse, non est inverosimile: fratrem Brunonem, anno* 1003 *in Hungariam profugum, nuptias ibi liberosque nactum, in quibus Agatha, S. Margaritæ Scotorum Reginæ mater, in Propylæo ad hujus Vitam*, §. 1 *litt.* 3, *probabile*

Alterutrius Hemmæ frater religiose servatur.

A *babile esse censui die* x *Junii. Ex alterutro nata Hemma sit, ejus de qua agimus socrus; itaque correctus maneat error Actorum recentiorum, duas Hemmas num. 4 confundentium. Nihilo facilius definiverim, utrius Hemmæ crater ille sit, qui inter cimelia Gurcensis Ecclesiæ asservatur, his litteris, per circumferentiam limbi, auro inscriptus.*

Plus omni gemma tuus hic crater nitet, Hemma.

Fundandi Gurcensis parthenonis suasor Archiep. Salsburgensis,

3 *Illa autem Ecclesia quomodo erecta et dotata fuerit, docebit epistola Walduini, ab anno* MXLII *ad* MLXI *Juvavensis, id est Salisburgensis Archiepiscopi, ad ecclesiæ Gurcensis jam perfectæ dedicationem invitati, hoc modo :*

Ego Waldwinus, Ecclesiæ Juvavensis Archipastor indignus, Christianæ revelo Universitati, egregiam liberalitatem cujusdam nobilissimæ Dominæ Hemmæ, Comitis Guilielmi quondam uxoris, sed plures annos jam in viduitate permanentis : quæ tota mente cœlo intenta, Basilicam in Carinthia, in meo Episcopatu, in pago Gurcha dicto, in honorem S. Mariæ construxit, Congregationem Monialium Christo jugiter servientium, ex meo consilio inibi constituens, ad quam consecrandam me Salzburg B caritativis precibus allexit.

constitutam illi dotem acceptat

4 Ibi tum in præsentia Clericorum ac Laicorum, nobilium ignobiliumque, per manum Advocati sui Scwickeri, dotali munere eidem Ecclesiæ in proprietatem dedit, quidquid ad Gurkhoven habuit, cum mancipiis aliisque utensilibus, stabili traditione communiens ; statimque ipsam Ecclesiam, cum dote et omnibus quæ data, et quæ adhuc eidem erant danda, S. Petro Sanctoque Rudperto commendavit.

perpetuo conservandam,

Addens tamen hanc legem et conditionem, ut, si ego vel successores mei bona ejusdem Ecclesiæ, destructo Dei servitio, aut Militibus in beneficium tradere, aut in proprietatem quolibet usu velimus redigere ; consanguineus ejus Ascwin, xv nummis prædictum Monasterium, cum omnibus ad id pertinentibus, sibi ab Episcopali potestate redimere jus habeat, et pristinæ libertati restituere, et divinum servitium reintegrare. Eodem die, post consecrationem Altaris, legando tradiderat eidem Ecclesiæ, quidquid sibi proprietatis erat in toto tractu Frisach cum mercatu. Postremo traditiones suas manibus Advocatorum, et auribus testium conclusit : tradens proprietati ejusdem Ecclesiæ, quidquid non legatum nominatim alicui, extremo vitæ suæ reliquerit tempore. Acta sunt hæc XVIII Kal. Septembris ; celebrantibus nobis Assumptionem S. Mariæ, quo etiam

15 Aug.

et Abbatissam N. consecrat :

C die eamdem Ecclesiam consecravimus, et sanctificando ibi Abbatissam N. ita statuimus, de cœnobio S. Erentrudis in nostra civitate, communi omnium Clericorum ac Laicorum [consensu] assumptam. Ut autem ejusdem libertatis lex futuris temporibus non ignoretur, rogatu ejusdem memorabilis Dominæ Hemmæ, hanc paginam inde conscribi feci.

4 *His præmissis, addo quem accepi Codicillum, ab eademmet Hemma adjunctum litteris fundationis, hoc tenore :*

qua de re condito testamento,

Ego Hemma, divina misericordia licet indigna, fundatrix ecclesiæ Gurcensis, notum facio omnibus Christi fidelibus, tam præsentibus quam futuris. Cum marito beatæ memoriæ viduata, et filiis meis male peremptis orbata, omnem possessionem meam, tam in hominibus quam et in aliis rebus, pro remedio animæ meæ, et mariti mei et foliorum meorum salute, ecclesiis erogarem, et habitum Religionis Gurcæ induerem ; omnem familiam meam eidem ecclesiæ taliter delegavi, ut, quicumque primogenitus illius familiæ a proprietate liberari vellet, dimidium talentum et quindecim denarios ipsius ecclesiæ Abbatissæ donaret ; reliqui autem pueri, hanc libertatem habere cupientes, secundum placitum totius Conventus se redimerent. Ministeriales quoque, D quos eidem ecclesiæ donavi, eisdem hominibus ab EX MS. ecclesia inbeneficiatis hoc jus infringere non valeant : ceteri vero filii redimi vetentur, alioquin ecclesia in familia magnum damnum consequerentur. Acta sunt hæc apud Gurkhoffen, anno ab Incarnatione Domini MXLIII, Indict. IX, IV Nonas Februarii, feliciter. Amen.

codicillum addit B. Hemma.

6 *Codicillum dixi : nec enim speciem habet pleni testamenti, continentis et specificantis, quæ Waldwinus Episcopus suo diplomate confirmavit : in quo diplomate transcripta verbotenus videtur fuisse tota, quæ nunc requiritur, charta fundationis; sed quia extendebatur, aut extendi interpretando posset ad plures, quam utile erat ecclesiæ ; visum fuerit hoc codicillo jus redimendæ libertatis limitare. Interim ex ejus data intelligitur, Dedicationem ecclesiæ et Abbatissæ benedictionem, quarum annus in præfato diplomate non exprimitur, factam fuisse mense Augusto, immediate præcedentis anni* MXLII ; *et postremo signati codicilli actui vix sesquianno superfuisse beatam Fundatricem.*

§. I. *Cujus Instituti, Canonicine an Benedictini fuerit Parthenon B. Hemmæ; eique subservientes, Clerici an Monachi : et quomodo his inducta Regularitas Augustiniana hactenus perseveret.* E

Licet Sanctimoniales fuisse Canonicæ,

Quo tempore parthenonem suum sic instituebat et dotabat Hemma, non solum Benedictinæ Regulæ monasteria insigniter vigebant, sed etiam restaurari incipiebant Canonicæ disciplinæ Collegia, in multis similia cœnobiticæ. Hinc controversia nata, utri Ordini adscribenda illa sit. Reverendiss. Albertus Reichart, initio hujus seculi XVIII *Abbas monasterii S. Pauli in Carinthia, licet Benedictinus, tamen in suo Breviario Historiæ Carinthiacæ (quod mihi necdum videre contigit) pag.* 123 *fatetur,* Canonicos Lateranenses S. Augustini, ab ipsis Ecclesiæ Gurcensis primordiis inibi institutos dici ; *idemque supponut Litteræ Imperiales, ad Curiam Romanam datæ pro Canonizatione sanctæ Fundatricis; ut taceam de Actis recentioribus, ad quæ num.* 21 *lit. c, notare cœpi, nonnisi per prolepsim nominari hic posse Canonicos Lateranenses S. Augustini.*

pro Benedictinis tamen facit Abbatissa, ex illis sumpta,

8 *E contrario Instructor noster Lambertinus, cum Gabriele Bucelino æque Benedictino, pro certo tenuit, Hemmam cum Virginibus suis professam esse Regulam S. Benedicti. Sane vix dubitari potest, quin Abbatissa N. de cœnobio S. Erentrudis in civitate Salisburgensi* F *assumpta, idem quod ibi tenuerat Institutum Gurcam traduxerit, neque appdret unde probari possit, Salisburgensem Parthenonem seculo undecimo, in quo versamur, aliam quam Benedictinam Regulam tenuisse.*

etsi subservientes eis Clerici, tales forte essent.

Non tamen necesse est, ut Fratres, eidem deservientes, ipsi quoque fuerint Benedictini : solum ex præmisso Codicillo constat, ipsos cum suo Præposito ad jurisdictionem Abbatissæ pertinuisse, quali hodiedum gaudent variæ nobilissimarum Virginum Abbatissæ, Montibus Hannoniæ, et Nivellis, ac Thoræ in Brabantia, et alibi in pluribus Germaniæ locis; quæ omnia nunc saltem Canonici Instituti sunt, atque ad ministerium ipsarum Canonissarum, adjunctos sibi habent in ædibus, non iisdem, sed proximis, Clericos, quos nunc usus obtinet Canonicos etiam dici, una cum suo Præposito, Abbatissæ in multis subjecto.

Idem suadet habitus apparentis Hemmæ flavus

9 *Interim Benedictinis etiam favere videtur, quod in miraculis post Acta vetustiora num.* 36, *apparuit Beata anno* MCCCCLXV, *non tantum* in habitu monastico, *uti apparuerat num.* 26 ; *sed* flavo vestitu induta, et peplo albo velata. *Etenim qui hic indicatur color flavus, non videtur intelligendus lucidior ille ad candorem*

A EX MSS. *candorem vergens, quem nulli Religioso Ordini possimus adscribere; sed aliùs magis furvus, et ad nigredinem tendens, qualis foliorum mortuorum vulgo appellatur et est. Talem ego notasse memini in ea, quæ adhuc Bingii in Germania religiose servatur, cuculla S. Hildegardis, Benedictinæ circa controversiam Abbatissæ. Quid vero* peplum album, *potius quam velum nigrum, quod velatis Sororibus ad chori ministerium solenniter imponitur ab Episcopis vel Abbatibus? Existimo eo indicari, quod beata Hemma, licet nequaquam illitterata, uti ex ejus Codicillo Latino probatur, maluerit in gradu Conversarum* (Laicas *vulgo dicimus) contineri, ad domestica ceterarum ministeria. Verum hoc Sororibus omnibus Conversis, quocumque in Ordine, commune est; adeoque nihil obest prætensæ Gurcensium traditioni, B. Hemmam adscribentium Canonico Ordini: quare nolim iis pertinaciter refragari, siquod antiquum monumentum aliquando proferant pro causa sua.*

cum velo albo velut Conversæ.

10 *Utcumque hæc de B. Hemmæ et Sanctimonialium ab ea institutarum professione, nec non de statu virorum eis Sacra ministrantium, se habeant; certum est, quod defuncta beata Fundatrice, et Parthenone extincto, ecclesia cum possessionibus omnibus eidem attributis, manserit sub eorumdem potestate, a solo Archiepiscopo dependente;* B *ipsique, si non antea, saltem ex tunc habiti fuerint, et appellati Canonici: hanc enim appellationem ipsis tribuit Henricus IV, in Diplomate de intitutione Episcopatus, inferius proferendo. Ad Regularitatem quod attinet, Canonicorum appellationi superinductam, habemus constitutionem Hildeboldi Episcopi Gurcensis, hujus tenoris.*

Fuerunt certe post extinctum Parthenonem Canonici:

eisque Hildeboldus Ep. Gurc.

Regularitatem vitæ communis induxit,

11 In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, semper adorandæ in substantia Unitatis. Notum sit omnibus, tam præsentibus, quam futuræ posteritatis fidelibus, quod ego Hiltebold, Gurcensis Ecclesiæ, Dei gratia Episcopus, in præfata Ecclesia Clericos Apostolicæ paupertatis, secundum Regulam B. Augustini, communis vitæ dignitatem juxta Apostolicorum Actuum institutionem reparantis, ordinavi; in quibus nulli fas est aliquod jus obtinere proprietatis, quibus omnis possessio in subsidium cedit communis utilitatis. Hanc autem ordinationem, in honorem D. N. Jesu Christi, ejusque genitricis semper virginis Mariæ, nec non et Apostolorum, et omnium Sanctorum, instituere decrevimus, tam pio remedio meæ salutis, quam Dominæ Hemmæ, beatæ in Christo recordationis, quæ præfatum locum fundavit, et divina prosperante clementia consummavit, et liberalissima rerum suarum dote ditavit. C

exemplo Conradi Salisburgensis,

12 Porro hujus institutionis auctor et adjutor fuit Venerabilis, et in Christi membris spectabilis Conradus, Saltsburgensis Archiepiscopus, qui in Ecclesia sua hujus beatæ paupertatis formam, et ad tanti boni cumulandum specimen, multos provocavit. Prædictis vero Fratribus, pro transigenda præsentis vitæ necessitate septuaginta mansos contradidimus, cum omnibus, ad eorum usus et reditus pertinentibus. Acta sunt hæc apud Gurk, anno Incarn. Dominicæ MCXX, Indict. II feliciter. Amen.

absque respectu ad Lateranenses,

13 *Hic ego pro anno* MCXX, *legendum puto,* MCXXIV, *nisi forte sit error in numero Indictionis, quæ prænotato anno* MCXX, *censebatur* XIII. *Vixit autem Conradus, hujus nominis I, in suo Archiepiscopatu usque ad annum* MCXLVII; *de eoque scribit Hundius in sua Metropoli pag.* 9, *quod* communem vitam Canonicorum Regularium S. Augustini Juvaviæ instituit: *Hiliboldus vero, secundus Episcopus Gurcensis, ab anno* MLXXXV *usque ad* MCXXXII *Cathedram istam tenuit; ut nihil magnopere referat indagare, in tam longo utriusque Antistitis regimine, quis annus potissimum conveniat Reformationi Gurcensi; sed notandum bene sit, nullam in utriusque Actis fieri Canonicorum* Lateranensium *mentionem.*

14 *Invenimus hanc apud Gurcenses pro anno* MCCCCXCVI, *quando Alexander VI ipsis hujusmodi Privilegium expedivit.* Alexander Episcopus, servus servorum Dei. Dilectis filiis Præposito, et Capitulo Ecclesiæ Gurcensis, Ordinis S. Augustini, salutem et Apostolicam benedictionem. Sacræ Religionis, sub qua in humilitatis spiritu devotum et sedulum exhibere studetis Domino famulatum, promeretur honestas; ut super iis, quæ prosperi status incrementum afferre valeant, gratiosum Apostolici favoris præsidium libenter impendamus. Hinc est, quod Nos, vos, qui, ut asseritis, Ecclesiæ vestræ Gurcensis, inter alias illarum partium Cathedrales Ecclesias insignis, Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini, de Observantia nuncupatorum, cujus Canonici Congregationis Lateranensis existunt, existitis; et quod ea ratione, ut pari privilegio, quo Canonici dictæ Congregationis potiuntur et gaudent, potiamini et gaudeatis, indecens esse non censeatur; gratioso favore prosequi volentes, ac vestrum quemlibet a quibusvis excommunicationis etc. vestris hac in parte supplicationibus inclinati, vobis, ut omnibus et singulis privilegiis, indulgentiis, gratiis et immunitatibus in genere, concessis Canonicis dictæ Congregationis, quibus ipsi potiuntur, E utuntur, et gaudent, ac uti, potiri, et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, dummodo alias licita et honesta, ac sacris Canonibus, et Regularibus institutis Ordinis prædicti, vestroque statui contraria non existant, uti, frui, et gaudere libere et licite valeatis. Non obstantibus etc. Nulli ergo etc. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCVIII, VIII Kal. Maji Pontificatus nostri anno VI.

D *quibus eos postea aggregavit Alexander VI,*

anno 1498.

B. de Rizonibus..

15 *Addit porro Instructor noster, quod* Nicolaus V Papa, ad instantiam Friderici III Imperatoris, per litteras datas Romæ anno MCCCCLIV, dedit Indultum, Episcopo Gurcensi directum, vi cujus Præpositi, Decani, et Canonici Gurcenses Ord. S. Augustini, adinstar Præpositorum, Decanorum, et Canonicorum Ecclesiæ Salzeburgensis dicti Ordinis, sub eisdem, vivendi modo, nec non disciplina, et institutis Regularibus vivere, et in illis eidem Salzeburgensi Ecclesiæ se conformare valeant. Verum eisdem Canonicis Salzeburgensibus (uti videre est in Chronica Salisburgensi Mezgeriana) postea sub Cardinali Matthæo Langio, Archiepiscopo Salisburgensi, ad F normam secularium Canonicorum redactis, ipsi Gurcenses Canonici sub pristino Regulari statu persistiterunt, et usque hodie perseverant. *Addit etiam prælaudatus Instructor, quod* supradictas Hiltboldi Episcopi litteras Julius II Papa confirmavit, Romæ III Id. Frebruarii, Indictione VII, annno Incarnationis Dominicæ MDIV.

et Nicolaus V an. 1454 indulserat liberam electionem Præpositi,

quam Julius II confirmavit:

16 *Ex jam dictis patet, quare asseruerim, Regularitatem Canonico-Augustinianam, ab Episcopo Hilteboldo Gurcæ inductam exemplo Salisburgensium, nullum habuisse respectum ad Congregationem Canonicorum Regularium Lateranensem S. Salvatoris, quæ primum cœpta est seculo* XV. *Quamvis enim jam inde ab initio seculi* XI *quidam seculariter viventes Canonici, cœperint ad Apostolicæ disciplinæ normam Lucæ in Hetraria reformari; eorumque exemplo reformati sint paulatim alii aliique, Ravennæ, Eugubii atque alibi per Italiam, adnitentibus eorum sanctis Episcopis; nulla tamen inde consecuta fuit monasteriorum inter se dependentia aut congregatio; usque ad Martinum Papam V, qui per Constitutionem anni* MCCCCXI, *sanxit,* ut Canonici omnes Regulares, de Frisionario vulgariter nuncupati, eorumque Collegia unum corpus, unaque Congregatio similiter et invicem connexa censeantur; ac sub una et eadem lege ac observantiæ

ambo post susceptam unionem cum Lateranensibus,

in unam Congregationem sub isto titulo collectis,

A tiæ regularis unitate, morumque conformitate, et eisdem consuetudinibus, privilegiis, ordinationibus ac statutis subsint. *Frigidionariis interim istis non prius accessit* Canonicorum Lateranensium S. Salvatoris *appellatio, quam Basilicam hanc Eugenius Papa IV, evocatis Lusa Frigidionariis reformandam regendamque commisit, anno* MCCCCXLVI; *decernens*, ut deinceps omnes dictæ Congregationis conventus et loca, ab hujusmodi sanctæ Basilicæ titulo, et totius Congregationis capite, nomen accipiant, et S. Salvatoris Congregatio appelletur. *Sed neque hoc durabile fuit, Frigidionariis ea Basilica semel iterumque ejectis, et secularibus denuo subingressis; usque dum Sixtus Papa IV, anno* MCCCCLXXVI, *eisdem, quos frustra conatus erat in Lateranum reducere, tradidit novam, quam tituloS. Mariæ pacis condiderat, ecclesiam cum monasterio: confirmavitque ipsis titulum* Congregationis Lateranensis, *et privilegia omnia, ut sequitur:* Ne in dubium revocari possit, an, ex quibusdam Callixti Papæ et suis, *Sixti*, litteris, nomen et intitulatio Congregationis Lateranensis, suppressa et sublata essent, ac immunitates, gratiæ, privilegia et indulta, eidem Congregationi Lateranensi, tam per ipsum B Eugenium, quam per alios Romanos Pontifices concessa, censerentur revocata.....*declarat Sixtus, ipsis* in nullo præjudicatum aut derogatum fuisse, aut esse quoquomodo.

anno 1411 ac potissimum 1444

etiam post Lateranensem basilicam secularibus redditam.

§ *III. Quomodo et quando Gurcensis Ecclesia Episcopalis facta sit.*

Veter Parthenonis Gurcensis defectus

Mortuo *Waldwino, Archiepiscopo post S. Rutpertum Bavariæ Apostolum, vigesimo quinto, successit an.* MLXI Gebhardus, natus ex nobili familia Suevorum Comitum de Helffenstein, *Scriba Henrici IV, sicut asserit Hundius in Metropoli pag. 7, et an.* MLXXIII, II Maji Gurcensem dedicavit ædem, *novam scilicet et ampliorem ex eleemosynis, ad S. Hemmæ sepulcrum collatis,* ubi antea erat cœnobium sanctarum Virginum; et constituens in ea Sedem Episcopalem, Guntherum Episcopum ordinavit. *Extat ea de re, ipsius Henrici, tunc adhuc solum Regis, postea autem Imperatoris, insigne Diploma: quod priusquam exhibeam, considerare lubet, quomodo factum sit, ut Abbatia Virginum, vix ab annis triginta per B. Hemmam fundata et dotata, adeo cito esse desierit; et quidem sic, ut Archiepiscopus tantam mutationem inducturus, solum cavere sit monitus,* ne aliquam vim Ecclesiæ inferret; sed cum consensu et bona voluntate tam Cleri quam C populi, sibi Coadjutorem inibi constitueret; *et nullam fecerit mentionem Monialium (quibus* LXXII *Præbendas ab Hemma constitutas, præfatus fuerat) vel Abbatissæ earum, quasi quæ jam pridem esse desiissent.*

intra 30 annos ab obitu Fundatricis;

non est adscribendus periculo,

18 *Instructor noster causam opinatur fuisse, quod in Ecclesia Catholica tunc minime probarentur duplicia istæc virorum ac mulierum monasteria; nonnullosque allegat Canones ea prohibentes. Sed hi revera solum cavent publicæ inter viros ac mulieres honestati; neque vel tunc vel postea ejusmodi monasteria, tam Benedictini quam Canonici Instituti, haberi desierunt. Quin etiam Præmonstratensis Ordo, per S. Norbertum in Gallia prope Laudunum, hoc eodem* XII *seculo fundatus, moxque per Galliam et Germaniam propagatus, sub ipsius sancti Patriarchæ regimine, proxima monasteriis virorum, habuit sacrarum virginum contubernia, non nisi sub ipsius successore B. Hugone, ex judicio Capituli Generalis, sublata, vel longius remota. Et eodem seculo exeunte S. Robertus de Arbriscello, sub eadem forma Regiminis, qua nostra hæc Hemma, seculo* XII *instituit Ordinem nobilissimum Fontis-Ebraldi in eadem Gallia, a variis Pontificibus et Abbatibus vehementer laudatum, sicuti explicuit Bollandus noster ad ejus Vitam* XXV *die Februarii; cujus etiam instituti*

ex utriusque sexus conjunctione timendo,

pluribus ejusmodi monasteriis et tunc et nunc laudabiliter exstantibus,

in Gallia, Italia et Germania;

Defensorium, contra veteres et novas calumnias, sub titulo clypei Ebraldini, iterato tribus Tomulis anno D MDCLXXXIV *vulgavit Joannes de la Mainferme. Quin etiam Tomo III hujus Junii die* XVIII, *datur Vita* B. Elizabethæ Schonaugiensis, *quæ anno* MCXL *in diœcesi Trevirensi rexit monasterium, solius Ecclesiæ communis interjectu discretum a cœnobio virili ejusdem Ordinis Benedictini; eidemque coævus in Italia* S. Guilielmus, *Fundator Eremitarum Montis-Virginis in Regno Neapolitano, varia utriusque sexus monasteria, tum ibi tum in Sicilia condidit, quorum amplissimum Guletanum prope Nuscum, a Virginibus nunc desertum adhuc vastissimas sacri Parthenonis ruinas monstrat, cum ecclesia, deposito istic sui Fundatoris corpore, frequentique ad illud concursu honorata, sicut docui ad ejus Vitam die* XXV. *Denique ut alia exempla taceam, ipse D. N. Jesus Christus sanctissimæ Birgittæ pro suo Vastenensi utriusque sexus in Suecia monasterio, seculo* XIV *dictavit Regulam, sub qua instituendus ab ea S. Salvatoris Ordo, ex Suecia usque in Italiam propagaretur, qualis hodiedum adhuc insigniter floret.*

EX MSS.

19 *Omnia porro consideranti, nulla verosimilior mutationis Gurcensis apparet causa, quam quod sancta piæ Fundatricis consilia, cita ejus morte intercepta, designatum successum non habuerint; et nova Abbatissa* E *Salisburgo evocata, vel cito obierit, vel alia ex causa redierit ad S. Erentrudis, unde venerat monasterium, cum iis quas forte adduxerat sociabus; locum viris relinquens, quibus ad ipsarum ministerium* XX *præbendas constituerat Hemma. Fieri etiam potest, ut ipse Archipræsul Waldwinus, ad annos, fere* XXX *superstes Hemmæ, necdum plene constitutis quas hæc conceperat animo rebus, cum consilio sui Cleri Salisburgensis, utilitati novæ Ecclesiæ majora quotidie incrementa capientis, et subjectarum ei plebium, magis congruum judicaverit, dignitatem Canonicorum augere, constituta eis omnimoda a muliebri imperio libertate, sub regimine unius Præpositi, a se solo dependentis, ad normam Capituli sui Salisburgensis; cui novum hoc Gurcense assimilari voluerit, Præbendis etiam auctis ex portione aliqua earum, unde Virgines sacræ cum sua Abbatissa eatenus alebantur, et sublata Religiosorum votorum (si tamen ea emiserant unquam) obligatione.*

sed præpropere morti Fundatricis

et majori utilitati,

acquirendæ

20 *Ita constitutis, rebus fortassis etiam cœptum sit cogitari, de nova istic diœcesi constituenda, quæ esset ipsius Salisburgensis, nimium late patentis, suffraganea. Hoc certe consilium maturitatem suam accepit sub Waldwini successore Gebhardo, prout constat ex subjecto præfati Regis diplomate, quod ita sonat.*

ex Abbatiæ in Episcopatum mutatione;

F

Henricus, divina favente Clementia Rex, Regiam decet dignitatem, honores Ecclesiarum Dei sublimare ac stabilire, ut postea cum Christo in æterna requie liceat feliciter vivere; unde cunctis Christi nostrisque fidelibus, tam futuris quam præsentibus, notum esse volumus, qualiter dilectus noster, Gebehardus Juvavensis Archiepiscopus ad nos veniens, petivit, ut ex auctoritate nostra sibi concederetur Cathedralem Sedem in Episcopatu suo constituere, scilicet in Gurkhoven; ubi quædam nobilis Comitissa, Hemma nomine, divinæ (ut credimus) admonitionis stimulo compuncta, de prædiis, quæ Dei gratia hereditarioque jure parentum in suæ possessionis dominium pervenerant, et in proprietatem mariti sui Wilhelmi Comitis devenerant, ad Dei servitium Abbatiam instituerat, cum septuaginta duabus Præbendis Monialium, et viginti Canonicorum; asserens, propter nimiam amplitudinem suæ Parochiæ, durosque labores viarum, gregi sibi credito in divinis se non posse sufficere.

quæ ut fiat Henricum Imp. rogit Episcopus Salisburg.

21 Nos itaque dilecti nostri jam dicti Archiepiscopi petitioni per omnia annuentes, mandavimus, ut adiret locum, illorum pariter audiret et investigaret assensum; acceptis secum venerabilibus Episcopis,

qui jubetur adire locum,

A EX MSS. Episcopis, Ottone Ratisbonense, et Altmanno Pataviense; nec non et Starchardo Marchione, ejusdem Ecclesiæ Advocato, aliisque Regni Principibus, prudentia et consilio conspicuis, nec aliquam vim illi Ecclesiæ inferret: sed secundum Domini timorem et Ecclesiæ illius honorem, cum consensu et bona voluntate tam Cleri quam populi, sibi Coadjutorem inibi constitueret; mandavimus supradicto Archiepiscopo, quatenus in hoc solicitus foret, ut Ecclesia tam nobilis, et a supradicta Comitissa tam magnis donis dotata, de suis etiam, id est, plebibus et decimis, si Episcopatus fiat, honeste augmentetur et ditetur. [Igitur] sæpe jam dictus Archiepiscopus Gurcensem adiit Ecclesiam, assumptis secum præmemoratis Episcopis et Advocato, aliisque alti consilii viris; [atque] cum consensu et voluntate bona, tam Cleri quam populi Gurcensis Ecclesiæ, pari quoque voto ac libera electione, D. Guntherum, nobilem virum, in Episcopum elegerunt.

Episcopumque ordinare,

itaque ordinato Gunthero confirmat Privilegia sua,

22 Et quoniam speciali prærogativa dilectionis et gratiæ Gurcensem Ecclesiam amplectimur et diligimus, ejusdem Ecclesiæ Clerum, familiam, possessiones, et omnes res mobiles et immobiles, quas ipsa nobilissima Comitissa Hemma, pro ardore cœléstis patriæ, ibidem larga manu contulit, ea ratione B confirmamus; ut fidelis noster Guntherus, nunc ejusdem loci primus Episcopus, ejusque in perpetuum successores, eas secure possideant, et liberam habeant potestatem ejusdem Ecclesiæ res et proprietates, cum consensu Cleri et populi sui, ordinare, componere, et augmentare. Sit ille Episcopus liber, et ab omni extranea potestate securus: præter hanc, quam supradicto Archiepiscopo et suis successoribus debet, obedientiam ac reverentiam, pro Vicaria Juvavensis Ecclesiæ et terminis Ecclesiarum, ac Decimis ab eis possidendis: quatenus ibidem famulantes primæ fundationis memoriam digne agere, et antecessorum nostrorum perpetuam salutem; nosque fautores et corroboratores possint et velint Deo precibus commendare; universum quoque jus in his omnibus ad Regnum spectans, locum illum honorare in Domino et exaltare cupientes, ob reverentiam beatæ Dei Genitricis Mariæ, et per interventum dilectissimæ conjugis nostræ Berthæ, nec non fidelium nostrorum, Annonis Coloniensis Archiepiscopi, et Gebehardi Juvavensis Archiepiscopi, Attonis Ratisbonensis, et Altmanni Pataviensis, prælibato Episcopo suisque successoribus in C ævum remittimus.

cum subjectione ad Ecclesiam Salisburg.

et nova quædam addit.

23 Nunc etiam liberalitate nostra eidem Episcopo et Ecclesiæ suæ, villam in Bavaria, et quidquid prædecessores Reges et Imperatores Augusti, Arnolphus et Ludovicus, Otto, Henricus, et Conradus, sæpe jam dictæ nobilissimæ Hemmæ, ejusque retro parentibus concesserunt, et quidquid ex his amplificari potest, concedimus; ac monemus, et in Domino Jesu rogamus, ne aliquis successorum nostrorum, ea quæ nos, pro remedio animæ nostræ et Antecessorum nostrorum et successorum, Gurcensi Ecclesiæ indulsimus, temerario ausu velit infringere; aut si quis infregerit, Deo et ejus Genitrici judicandum committimus. Hoc etiam rogatu utriusque Ecclesiæ, auctoritate nostra servari in perpetuum statuimus, ut obeuntibus in utraque Ecclesia Episcopis, eorum successores in electione alterius Episcopi vicissim et primi audiantur, et primas voces habeant; Gurcensis vero Ecclesia, metuens, ne imposterum ab ipso Archiepiscopo, vel a successoribus læderetur, petivit, ut omnem conventionem, societatem, ac factum utriusque Ecclesiæ, Dominus Archiepiscopus privilegio suo subnotaret, et sigillo communiret: quod et fecit. Nosque regali auctoritate ratum et stabile in perpetuum esse volumus: privilegio quoque nostro ac sigilli impressione corroboramus et munimus. D

24 Signum D. Henrici IV Regis, Sigehardus Cancellarius, Vice Sigefridi Archi-Cancellarii recognovi. Data V Idus Januarii anno Dominicæ Incarnationis MLXXII, Indictione X, anno Ordinationis D. Henrici IV, Regis XIX, Regni XVI. Actum Ratisbonæ, in nomine Domini feliciter. Amen.

§. *IV. Series Episcoporum Gurcensium usque ad finem seculi* XVII.

Anno igitur Christi MLXXII mense Martio, cœnobium Gurcense Monialium Ord. S. Augustini, fundatum a beata Hemma, consensu Alexandri secundi Pontificis, et voluntate Henrici IV Romanorum Imperatoris, per Gebhardum Archiepiscopum Salisburgensem, atque Ottonem Ratisbonensem, et Altmannum Passaviensem, Episcopos, transmutatum fuit in Sedem Episcopalem.

Primus omnium Episcopus, anno et mense supradictis, nominatus, et paulo post Salisburgi consecratus fuit GUNTHERUS, vir nobilis de Krapfeldt, assistentibus supradictis Episcopis. Præfuit Ecclesiæ E Gurcensi annis XIII, mortuus anno MLXXXIV, sepultus in templo Cathedrali.

II HILDEBOLDUS sive HILDEBALDUS successit Gunthero; is vitam Regularem Canonicorum S. Augustini in sua Gurcensi Ecclesia instituit, stabilivitque Capitulum ibidem, cui etiam facultatem eligendi Præpositum concessit; addiditque Præposito munus et titulum Archidiaconi, Capituli vero bona septuaginta subditis auxit: præfuit Ecclesiæ Gurcensi annis XLVII, mortuus anno MCXXXII.

III ROMANUS hujus nominis I, præfuit annis XXXV, mortuus anno MCLXVII, sepultus in ecclesia Cathedrali.

IV HENRICUS, hujus nominis I, antea Abbas ad S. Petrum Ord. S. Benedicti Salisburgi: hic corpus B. Hemmæ Fundatricis transtulit e Cœmeterio in cryptam templi Cathedralis, et sarcophagum nobilem construxit: præfuit annis VII, mortuus anno MCLXXIV.

V ROMANUS, hujus nominis II, primum Præpositus, præfuit annis IV, mortuus anno MCLXXVIII.

VI DIETHERICUS, annis VI præfuit, mortuus anno MCLXXXV.

VII WERNERUS, præfuit annis X, mortuus anno MCXCV. F

VIII ECCARDUS, sive EGEHARDUS, præfuit annis V, mortuus anno CC .

IX WALTHERUS, præfuit XIII annis, mortuus anno MCCXIII.

X OTTO, hujus nominis I, designatus quidem Episcopus, ast non confirmatus, administravit tamen Ecclesiam annis VII. Vir innocentis adeo vitæ, ut sanctitatis fama passim fulgeret; cujus etiam mentio miraculis B. Hemmæ inserta reperitur. Mortuus anno MCCXX; sepultus est in Cathedrali ecclesia.

XI HENRICUS II, præfuit VII annis, mortuus anno MCCXXVII.

XII VOLSCALCUS sive UDALSCHALDUS, præfuit annis IV, mortuus anno MCCXXXI die S. Urbani.

XIII UTRICUS sive UDALRICUS I, præfuit annis XX; mortuus anno MCCLIII, in festo Exaltationis S. Crucis.

XIV DIETHERICUS II, obtinuit, per sententiam Rudolphi Imperatoris et Udalrici Ducis Carinthiæ, Dominium Albeck a Comite de Pfannenberg, idque Episcopatui adjunxit anno MCCLIV. Præfuit annis XXV, mortuus anno MCCLXXVIII, die S. Martini Papæ.

XV JOANNES I, antehac Episcopus Chiemensis, præfuit annis III, mortuus anno MCCLXXXI.

XVI

A xvi Hardivicus, alias Hartwindus, præfuit annis xvii, mortuus anno MCCXCVIII.

xvii Henricus III, vir nobilis ab Helffenberg, Alberto Rudolphi Imperatoris filio percarus, præfuit annis xxviii, obiit anno MCCCXXVI.

xviii Geroldus, oriundus Frisaco, Collegiatam ecclesiam S. Nicolai in oppido Strasburg fundavit, et arcem ædificiis amplioribus ornavit. Præfuit annis vii; mortuus anno MCCCXXXIII: sepultus Frisaci, ubi Vice-Dominus erat, in templo S. Bartholomæi.

xix Laurentius I, de Grunung oriundus, obiit anno MCCCXXXVII Avenione in Gallia, ubi tunc Sedes erat Papalis, legationibus Ducum Austriæ Alberti et Ottonis functus, et ibidem defunctus: præfuit annis iv.

xx Conradus I, Ordinis Cisterciensis, præfuit annis vii, mortuus in Grades arce Episcopali, anno MCCCXLIV.

xxi Ulricus II, de Waldhausen, præfuit annis vi, mortuus anno MCCCLI.

xxii Paulus Praunspeck, Ducum Austriæ Cancellarius, non diu præfuit, sed ab ea Sede mox ad Brixinensem postulatus fuit.

B xxiii Joannes II, dictus a Plagheim, Ducum Austriæ Cancellarius, ad Brixinensem Episcopatum et ipse evocatus est.

xxiv Joannes III, cognomine Tockhaimer, Regis Hungariæ Sacellanus, Fundator Missæ matutinæ in Collegiata Ecclesia ad S. Nicolaum Strasburgi; obiit anno MCCCLXXVI.

xxv Joannes IV, cognominatus Mayerhoffer, primum Præpositus Viennensis, præfuit annis xix, obiit anno MCCCXCV.

xxvi Conradus II, cognomento Hebenstreit, Præses primum Cameræ Austriacæ, præfuit annis x; postea ad Frisingensem Episcopatum assumptus, dum ad suscipiendam ibi rerum curam se pararet, a Cubiculario suo in oppido Carinthiæ, Bischoflack dicto, interemptus est: de cujus mirabili obitu plura memorat Historia Frisingensis.

xxvii Ernestus Avei, Nobilis e Bavaria, Ducum Austriæ Cancellarius, præfuit xxii annis, mortuus anno MCCCCXXXII.

xxviii Laurentius II, cognomine Leichtenberger, ab Episcopatu Lavantino ad Gurcensem vix promotus, a Nuntio Apostolico Joanne Schallerman hinc iterum ejicitur. Factus deinde Patriarcha Aquilegiensis, obiit anno MCCCCL.

C xxix Joannes V, dictus Schallerman, Nuntius Apostolicus; Friderici tertii Imperatoris benevolentia nixus, Episcopatum Gurcensem obtinuit anno MCCCCXXXIII: præfuit an. xxxii: resignat et moritur anno MCCCCLXV.

xxx Ulricus III, cognominatus Sonnenberger, Friderici Imperatoris Consiliarius, præfuit annis v, mortuus Viennæ in Austria.

xxxi Laurentius III, cognomento Freiberger, ex Præposito Gurcensi Episcopus, præfuit annis xvii: obiit anno MCCCCLXXXVII.

xxxii Raymundus Bertrandus S. R. E. Cardinalis, præfuit annis xviii, mortuus in itinere legationibus fungens, anno MDV.

xxxiii Matthæus Lang de Wellenburg, sanctæ quoque R. E. Cardinalis, ad Archiepiscopatum postulatus Salisburgensem MDXIX, ibidem anno MDXL mortuus est.

xxxiv Hieronymus Balbus Venetus, primum Præpositus Possoniensis, Episcopus Gurcensis anno MDXIX denominatus, et Venetiis anno MDXXV mortuus.

xxxv Antonius de Hoyos Hispanus, Episcopatui bene præfuit xxvi annis, postmodum a suo cubiculario nefarie trucidatus in oppido Koniglohn, ibidemque sepultus, anno MDLI.

D xxxvi Joannes VI de Schonburg, Bavarus, ex Canonico Passaviensi, Ordinis Benedicti Abbas Melicensis in Austria; postea Episcopus Gurcensis; œconomus optimus, tribus solum præfuit annis. Obiit anno MDLIV. EX MSS.

xxxvii Urbanus, prius Ecclesiastes aulicus Imperatorum Ferdinandi I et Maximiliani II, præfuit annis xix; deque Ecclesia sua optime meritus, obiit anno MDLXXIV.

xxxviii Christophorus Andreas, Baro de Spager antea Decanus Brixinensis, a Joanne Jacobo Archiepiscopo Salisburgensi denominatus Episcopus Gurcensis, præfuit magna cum laude xxix annis; demum ad Episcopatum Brixinensem evocatus, resignavit Gurcensem anno MDCIII.

xxxix Joannes Jacobus, Baro de Lamberg, Canonicus Salisburgensis et Passaviensis, præfuit annis xxvii; obiit vii Februarii anno Domini MDCXXX.

xl Sebastianus, Comes de Lodron, Tridentinus, Archiducis Leopoldi Guilielmi antea supremus Aulæ Præfectus, post Episcopus Gurcensis, optime de Ecclesia sua meritus, obiit iv Septembris Concessii in Italia, anno MDCXLIII; ibidemque sepultus fuit.

xli Franciscus, Comes de Lodron Antecessoris sui Germanus frater, ab Archiepiscopo Salisburgensi Paride in Episcopatum Gurcensem suffectus, in difficilia tempora incidit; mortuus Tridenti anno MDCLII. E

xlii Sigismundus Franciscus, Archidux Austriæ, denominatus anno MDCLIII, præfuit xii annis, Episcopus simul Augustanus et Tridentinus; et dum resignat Episcopatum Gurcensem, moritur Œniponti die xxv Junii anno MDCLXV.

xliii Wenceslaus, Comes de Thun, Episcopus Passaviensis, denominatus quoque Gurcensis ab Imperatore Leopoldo, x Augusti anno MDCLXV; præfuit annis viii et mensibus v: Obiit vi Januarii MDCLXXIII.

xliv Polycarpus, Comes de Khinburg, ex Præposito Salisburgensi denominatus anno MDCLXXIII; Moritur in mense Julio anno MDCLXXV.

xlv Joannes VII, Comes de Gors, Leopoldi Romanorum Imperatoris Consiliarius, variis perfunctus legationibus, denominatur anno MDCLXXV: post ab Innocentio XI S. R. E. creatus Cardinalis, obiit Romæ anno MDCXCVI, mense Decembri, postquam præfuisset xxi annis. Hic Palatium Episcopale, jam olim a veteri Sanctimonialium in civitate Abbatia translatum in oppidum Strasburgense, quatuor passuum millibus Gurca dissitum, una cum arce eidem circumdata magnifice reparavit, ac suis deinceps successoribus suo exemplo habitandum reliquit. F

xlvi Otto II, Ordinis S. Benedicti, ad S. Petrum et Dionysium in Banth Abbas, Leopoldi Romanorum Imperatoris Consiliarius, nec non ad perplures S. R. I. Electores et Principes Legatus, denominatur Episcopus anno MDCXCVII, x Januarii. Quem Deus opt. Max. Ecclesiæ Gurcensi diu incolumem servare dignetur.

Ita optabat anno MDCCI *Christophorus Jager, hujus Catalogi auctor, quem profitetur ad se derivatum ex fonte ipsiusmet Episcopalis Archivii, ideoque existimat sinceriorem censendum eo, quem habet Hieron. Meginserus in Chronica Carinthiæ lib. 7 c. 26; Fratres Mezgeri, in Chron. Salisburgensi lib. 5. pag.* 1144; *præter alios etiam Gabriel Bucelinus.*

§. V. *Cultus B. Hemmæ, sub Episcopis et Canonicis insigniter auctus.*

Tam cita et magna rerum commutatio in Gurcensi Ecclesia, per S. Hemmam fundata, adeo nihil obfuit defunctæ

A *defunctæ cultui promovendo, ut auctior jam, tam in capite, quam in membris, multum eo contulerit. Quartus enim Episcopus Henricus, uti jam dictum est, ipsius Beatæ Corpus ex cœmeterio communi transtulit, circa annum* MCLXX, *in cryptam templi Cathedralis, et sarcophagum nobilem construxit : de quibus in Processu pro Canonizatione formato sub annum* MCCCCLXV, *sic loquuntur Commissarii Pontificii.*

EX MS. Crescente veneratione elevatur Corpus circa annum 1170

28 Tumbam B. Hemmæ accessimus, ac ipsam una cum picturis, figuris, atque tabulis, orationibus S. Hemmæ inibi descriptis, et aliis ipsam tumbam respicientibus, una cum cereis ibi oblatis et accensis, ad oculum vidimus, lustravimus, legimus atque conspeximus, quæ talia habentur. In Ecclesiæ choro est quædam crypta, ad ejusdem chori longitudinem et latitudinem, de centum minoribus rotundis, et sex majoribus quadratis columnis, ex lapidibus marmoreis sectis, et æqualiter sub testudine erectis, mirifice constructa, ac quatuor, altaribus ornata. Vidimusque in eadem ad caput quarti altaris, quod communiter altare B. Hemmæ nuncupatur, ad latus dextrum anterioris columnæ quadratæ, versus plagam meridionalem, Tumbam annexam e similibus lapidibus sectis, ad B modum monumenti constructam, et a terra in altitudine quasi semicubiti, sex sustentaculis marmoreis varie sculptis elevatam : in superiori vero parte integro lapide consimili factam, et in juncturis cæmento subtili combinatam, desuperque pallis lineis contextis ac depictis ad modum altaris tectam; unamque tabulam ligneam super ea positam, in qua B. Hemma Ecclesiam cum duabus turribus, et Wilhelmi Comitis ejus mariti ad modum viri armati, lanceam in manu dextra gestantis, imago decenter depicta cernitur ; nec non quædam peciæ lini et lanæ oblatæ : ipsaque Tumba, ex aliis tribus lateribus cancellis ligneis vetustis circumdata, cum ostiolis duobus versus Orientem et Occidentem, pro ingressu et egressu ad clausuras, cum seris disposita apparebant : et inter ipsam Tumbam et ostiola truncus lapideus clausus et seratus, pro conservatione annuli et gemmæ ipsius B. Hemmæ ; et ex opposito lampas cum luminari ardenti. In cancellis vero et quibusdam appendiciis, ab intus et extra, imagines cereæ diversorum membrorum humanorum, quæ in signum perceptæ gratiæ meritis B. Hemmæ, et alias ex votis fidelium frequenter afferri, et processu temporis in candelas pro cultu divino converti dicebantur. C Sub ipsa etiam Tumba, et juxta eam fragmenta candelarum et cineres et vestigia luminarium videbantur, et sella lignea, in qua Custos ipsius Tumbæ, et cancelli, tempore cultus divini: et concursus fidelium sedere consuevit. Ab extra vero cancelli, super ostiolum, versus Occidentem tendens, Oratio ac metra conscripta appensa reperiuntur.

et in cryptam elegantem,

ad proprium altare defertur :

29 Et hæc facies, inquit noster Instructor, est loci antiqua, modernæ per omnia consimilis, præterquam quod, I, numerus columnarum non sit recte expressus : sunt enim columellæ minores non nisi XCIV, majores vero sex, totam arcuatam testudinem sustinentes. II, quod Tumba non solum sit facta ad modum altaris, sed nunc revera pro ordinario altari deserviat. III, quod pro ingressu et egressu sacelli non sint duo, sed unicum ostiolum, altari obversum : annulus quoque et gemma non conservetur in illo sacello, sed in sacristia Ecclesiæ; nec sit vestigium aliquod sellæ ligneæ, cui Custos insideat. IV, quod sacellum prædictum magnæ antiquitatis, eleganti incrustatura et lemniscis statuariis, una cum gratiis, manu pictoria effigiatis, sit exornatum. Quod si totam cryptæ stucturam libeat penitius cognoscere, ea talis est. I, Singulæ columellæ inter se paulo amplius quatuor pedibus Viennensibus distant. II, Sacellum B. Hemmæ occupat spatium sex columellarum. III, Altitudo earum est sex pedum cum dimidio : rotunditas vero fere sesquipedalis. IV, Longitudo Tumbæ seu Altaris sex pedum. D

sunt illa in paucis nunc mutata,

30 *Hæc ille : quibus motus ego, petii omnia sigillatim et accurate delineari, æri incidenda, usq tenus operæ pretium videretur, potius quam quod huc missum fuerat ectypon tabulæ grandioris, sed recentissimi operis, quæ totum sacelli latus implet repræsentatque septem præcipua Sanctæ miracula, totidem scutis impressa. Sed responsum est, quod accuratiorem ipsius picturæ delineationem, nec copia periti pictoris, nec fere res ipsa patiatur, ex consueta eruditorum antiquariorum infrequentia ; aliorum vero morositate, nimiam scrutaturorum diligentiam sæpe suspectam habentium, quandoque etiam in sequiorem partem accipientium. Interim significatur, quod imago altaris, uti nunc est, repræsentat Sanctam, intra Monacharum et Canonicorum pie orantium coronam, morientem in lectulo, Angelis in cœlum deferentibus animam expirantis : utrimque vero e latere eamdem ex una et maritum Wilhelmum ex altera parte, cum forma Gurcensis ecclesiæ ipsorum, manibus sustentata. Denique missi sunt versus, circa sarcophagum scripti, parum belle tornati, hoc modo,*

et picturis recentioribus ornata.

Anno mille post quadragintaque quino,
Cum tot fluxissent post Christi Nativitatem, E
Hemma Beata Wilhelmi Comitis consors
In pace quievit : cœlorum nactaque sortem,
Cœnobii hujus Augustini Patris Beati,
Et Sedis Gurcensis, Fundatrix dicta fidelis,
In tantis donis sua stat Constructio firma.

Epitaphium vetus,

31 *Paris antiquitatis, cujus est Tumba et Altare potest videri Missa, ad B. Hemmæ honorem ordinata. Ipsa talis est.*

Missa propria.

INTROITUS. ALLELUIA.

Virtutum Gemma, larga Fundatrix Hemma,
Pro nobis Deum ora, mundi ne nos prora
Fallaciter submergat, sed pie nos abstergat,
Ab omnibus peccatis, demum jungens Beatis.

ORATIO. Deus, dator gratiæ et gloriæ, tuæ nobis propitius sinum aperi pietatis ; et præsta, ut qui manentem civitatem hic non habemus, ad futuram quam quærimus, B. Hemmæ interveniente suffragio, perducamur. Per Dominum etc.

SECRETA. Vultu placido, Domine, nos respice, ea tibi, quæ de manu tua recepimus, offerentes ; et ut ipsa munera tibi placeant, quod in nobis oculis tuis F displicet, B. Hemmæ precibus, gratia tuæ benignitatis abstergat. Per Dominum etc.

POSTCOMMUNIO. Sumpta, quæsumus Domine, Hostia salutaris ab adversis omnibus nos tueatur incursibus : et post labores hujus exilii, S. Hemmæ intercedentibus meritis, ad requiem tandem ducat opulentam. Per Dominum etc.

32 *Ad hanc Missam respexisse videntur, qui ex Romana Curia, apud Avenionem consistente, in favorem Gurcensis Ecclesiæ desideratas Indulgentias signaverunt anno* MCCCLIX, *ut sequitur* : Universis Sanctæ Ecclesiæ filiis, ad quos præsentes litteræ pervenerint. Nos Raphael Archadiensis, Franciscus Lapsacensis, Petrus Valenensis... Episcopi, Salutem in Domino sempiternam. Splendor paternæ gloriæ, qui sua mundum illuminat ineffabili claritate, pia vota fidelium, de clementissima ipsius majestate sperantium, tunc præcipue benigno favore prosequitur, cum devota ipsorum humilitas Sanctorum meritis et precibus adjuvatur.

cum Indulgentiis

33 Cupientes igitur, ut Capella S. Spiritus et S. Annæ, sita ante Capitulum Ecclesiæ Gurcensis, congruis honoribus frequentetur, specialiter vero, qui Missis B. M. V. et S. Hemmæ, Fundatricis Ecclesiæ

A Ecclesiæ Gurcensis ac ipsius Cryptæ, singulis diebus interfuerint, et septem Angelicas salutationes, et totidem Pater-noster devote dixerint; et dum Salve-Regina decantatur; quotiescumque prædicta devote fecerint, aut fieri procuraverint; de omnipotentis Dei misericordia, et BB. Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, singuli nostrum, quadraginta dies Indulgentiarum de injunctis eis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus: dum tamen Diœcesani voluntas ad id accesserit et consensus. In cujus rei testimonium sigilla nostra præsentibus litteris duximus apponenda. Datum Avinione, sub anno Nativitatis Domini MCCCLIX, Indictione XII, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris et Domini, D. Innocentii Divina Providentia Papæ VI, anno VII. *Sequitur sub ipsa bulla, ut præfertur sigillata, subscriptio Episcopi, ipsas Indulgentias, prout requirebatur, ratas sic habentis*. Et nos Joannes, Dei et Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Gurcensis Ecclesiæ, incliti Principis D. Rudolfi Ducis Austriæ Cancellarius, prædictas Indulgentias et concessiones ratas habemus et gratas; ipsas auctoritate Ordinaria sigillo nostro appendente, ex certa scientia confirmantes. Datum Strasburgæ, die S. Augustini. B Anno Domini MCCCLXI.

per Cardinales Avenione signatis an. 1359

et ab Episcopo Gurcensi confirmatis.

34 *Triennio post accessit annuæ in perpetuum Missæ fundatio, hoc Capitulari Actu signata.*

In nomine Domini. Amen. Albertus Decanus, Germanus senior Canonicus Otto Sacrista, Otto Plebanus, totumque Capitulum Ecclesiæ Gurcensis, omnibus, ad certitudinem præsentium, et memoriam futurorum. Quia R. P. D. Georgius, noster et Ecclesiæ nostræ Gurcensis Præpositus et Archidiaconus, ultra possessiones dispensationi suæ creditas, pervigili providentia alias, quinquaginta marcarum redditus Frisacensium denariorum annis singulis continentes in valore, in suo regimine comparavit; abinde æternæ remunerationis præmium a Deo devotus exspectans; ac petens, ut ordinationi infrascriptæ pro Missa B. Hemmæ perpetua, quam pro sui Anniversarii memoria instituere decrevit, nostrum præbere consensum, ac ad eamdem ordinationem perpetuo obligare, et quantum in nobis sit, robur perpetuæ dignemur apponere firmitatis etc. In cujus rei testimonium præsentes litteras præfati P. D. Georgii, Præpositi nostri, ac nostri Capituli Sigillorum munimine fecimus roborari. Datum et Actum in sacristia Ecclesiæ nostræ Gurcensis, anno C Domini MCCCLXII, VI Idus Novembris.

Accedit perpetua Missa

a Præposito Gurcensi fundato,

et a Capitulo toto accepta, an. 1362.

§. VI. *Postulata a Pontifice Canonizatione, formatur ad eam Processus.*

Non stetit in præmissis cura honorandi B. Emmam, sed tempore Ulrici III, Episcopi XXX, ipso haud dubie instante et suggerente, Fredericus III Imperator, anno MCCCCLXV, solennem Canonizationem petiturus, hujusmodi supplicationem expedivit ad tunc summum Pontificem.

Fredericus III Imp.

Sanctissimo in Christo Patri et Domino, D. Paulo, sanctæ Romanæ et universalis Ecclesiæ summo Pontifici.

Beatissime Pater, Domine Reverendissime. Non ambigimus Sanctitatem vestram, ex credito sibi officio, ad ea præcipue tendere et inclinari, quæ Divini cultus augmentum Sanctorum honorem, devotionemque ac salutem Christi fidelium promovere noscuntur. Cum itaque longissimis retro temporibus, fama B. Hemmæ sanctitatis, quondam nobilis Comitissæ, Fundatricis Gurcensis Ecclesiæ, in Ducatu nostro Carinthiæ situatæ, adeo inolevit, quod a fidelibus populis hactenus Sancta communiter habita est et reputata, habetur et reputatur ab eis D dem; consideratis præclaris virtutum operibus, quibus præsentem vitam religiosa observantia confirmavit, et in morte, et ex post, visionibus et miraculis variis claruisse et clarere comprobatur, ita quod fideles iidem ipsi, ad locum sepulturæ ejus in dicta Ecclesia Gurcensi frequenter confluere consueverunt, et indies confluere conspiciuntur, sperantes se ipsius meritis in variis suis necessitatibus crebrius relevari, prout quamplurimi etiam se recognoscunt propensius consolatos; indignum ferentes, quod ab Ecclesia Dei communiter in veneratione solenniore non habeatur; maxime cum in quibusdam locis aliis, etiam distantibus, in ejus honore capellæ erectæ sint, et plurimum frequententur. Ejus ita claris miraculis, et virtuosis operibus, ac precibus Prælatorum et Provincialium præfati Ducatus nostri Carinthiæ, quibus, ut ipsius Canonizationem apud Sedem Apostolicam intenderemus, nos quotidie exhortantur, moti, ad Sanctitatem vestram latius deducendis; tum ad Altissimi et Sanctorum ejus laudem et honorem, tum nostri intuitu ad Canonizationem ipsius B. Hemmæ procedere, ejus venerationem in Ecclesia sancta, Apostolica Auctoritate E clementer et pie instituere, et mandare dignetur: quatenus ad ipsius patrocinia, cum aliis Sanctis Dei, in adversitatibus, quibus jam mundus varie concutitur, tutior a nobis ac ceteris fidelibus recursus habeatur, propensioraque salutis animæ et corporis subsidia (ut certo speramus) inde provenire sentiamus. Id Altissimo et Sanctis ejus ad gloriam et honorem, ad augmentum divini cultus, et nobis ad complacentiam cedet, apprime grata vicissitudine erga Sanctitatem vestram promerendam; quam Altissimus, pro suæ Ecclesiæ sanctæ regimine longævo, felicem conservare dignetur. Datum in Nova-Civitate die vigesima octava mensis Octobris. Anno Domini MCCCCLXV.

exponit Pontifici famam sanctitatis et Miraculorum B. Hemmæ,

ex MSS

ac populorum devotionem erga illam,

ideoque ipsam petit canonizari an. 1465.

36 *His litteris sic integre transcriptis, Instructor noster ita subjungit cetera exinde secuta. Similis fere tenoris alias idem Imperator sub eodem die, anno, et loco dedit ad Collegium Cardinalium, hoc modo.*

Fridericus, divina favente clementia Romanorum Imperator semper Augustus etc. Reverendissimis in Christo Patribus S. R. E. Collegio Cardinalium, Amicis nostris carissimis, salutem cum incremento omnis boni.

Cardinalibus quoque

RR. Patres et Amici carissimi, scribimus in præsentiarum S. D. N. Paulo Pontifici, pro Canonizatione B. Hemmæ, Fundatricis Gurcensis Ecclesiæ; F quæ, propter multimoda virtutum opera et gratiarum merita, quibus in vita et morte claruit, a Christi fidelibus inter Sanctos frequentatur. Hortamur igitur Paternitates vestras Reverendissimas magnopere, quatenus pro Dei et Sanctorum honore, communique Christi fidelium salute ac devotione amplius dilatanda, super effectu Canonizationis hujusmodi, et veneratione ecclesiastica ipsius B. Hemmæ, apud præfatum S. Dominum Nostrum, favorem, studium, et operam adhibere velint, ad gloriam et laudem Altissimi, Sanctorum ejus honorem, et nobis ad complacentiam singularem, vicissim erga Paternitates vestras Reverendissimas remerendam. Datum in Nova civitate, die XXVIII mensis Octobris anno MCCCCLXV. *Sub eadem formula scriptum etiam fuit ab eodem Imperatore, Cardinali Nicæno, sancti Angeli, Senensi, Dominico Brixinensi, et Episcopo Ferrariensi.*

causam commendat.

37 *Maritum imitata Imperatrix Eleonora has dedit.* Beatissime Pater, Domine Reverendissime. Scribit inpræsentiarum Sanctitati Vestræ Serenissimus et Invictissimus Princeps et Dominus, D. Fridericus sacri Romani Imperii semper Augustus. Conthoralis

Idem facit Eleonora Imp

A EX MSS. Conthoralis noster carissimus, in facto concernente Canonizationem B. Hemmæ, nobilis Comitissæ, Fundatricis Ecclesiæ Gurcensis : cujus sanctitatis fama a longissimis retro temporibus adeo inolevit, quod a fidelibus populis hactenus Sancta communiter habita et reputata est, habeturque et reputatur ab eisdem, quemadmodum (ut non ambigimus) eadem Sanctitas Vestra ex ejusdem Conthoralis nostri litteris satis intellexerit. Verum quia Canonizatio B. Hemmæ, propter præclara ipsius virtutum opera, quibus et in vita et post mortem claruit, et indies clarere perspicitur, plurimum nobis cordi est, cum per eam et divinus cultus, et Christi fidelium devotio augeatur; et nos ejus meritis participes fieri, et in adversitatibus nostris indubie relevari speramus; Sanctitatem Vestram magnopere rogamus, ut tum pro Altissimi Dei et Sanctorum honore et gloria, ac Christi fidelium salute et devotione amplius dilatanda, tum præfati nostri Conthoralis, ac precum nostrarum intuitu, ad Canonizationem ipsius procedere, ejusdem venerationem generalem in Ecclesia sancta, Auctoritate Apostolica clementer et pie instituere et mandare dignetur; quatenus ad ipsius patrocinia, cum aliis Sanctis Dei, in adversitatibus, quibus jam mundus multipliciter concutitur, tutior a nobis ac ceteris fidelibus recursus habeatur; propensioraque salutis animæ et corporis subsidia (ut certo speramus) exinde provenire sentiamus. Id ad Altissimi Dei, et Sanctorum ejus laudem et gloriam, et nobis ab eadem Sanctitate Vestra ad complacentiam cedet singularem; quam quidem Sanctitatem Vestram Altissimus, pro ipsius Canonizationis consummatione, et Ecclesiæ suæ sanctæ regimine longævo feliciter conservare dignetur. Datum in Nova Civitate, die XXVIII Mensis Octobris. Anno MCCCCLXV.

cum spe patrocinii sibi et aliis conciliandi.

B

38 *Idem quod Imperator et Imperatrix, apud eumdem Pontificem et Cardinales præstiterunt Status Carinthiæ, Canonizationem B. Hemmæ suppliciter exposcentes. Ad quorum proinde instantiam dictum Dominorum Cardinalium Collegium, habito SS. Pontificis vivæ vocis oraculo, et mandato, sub die ultima Januarii anno* MCCCCLXVI *emanato, suggerente Imperatore, Commissarios in Partibus, ad capiendam de vita, morte, et miraculis informationem, subdelegavit, Dominos Georgium Secoviensem, et Sigismundum Labacensem Episcopos; necnon Dominos, Joannem S. Lamberti Ordinis S. Benedictini, et Gerardum Victoriensem, Ordinis Cisterciensis in Carinthia, monasteriorum Abbates : tradita eisdem subdelegatis Commissariis Rotula punctorum, in examine proponendorum et verificandorum, videlicet,*

His et accedentibus Statuum Carinthiæ precibus

C

motus Pontifex an. 1468

commissarios nominari jubet et formari Processum,

I. Quod dicta B. Hemma, circa annum Domini DCCCC, de nobilibus ac illustribus parentibus Christianis sit progenita, nata et baptizata, ac in fide Catholica religiose educata; et quod ab ineunte ætate virtuose adoleverit, et postmodum cuidam potenti Comiti in partibus Carinthiæ et Marchiæ Stiriensis, in et sub Dicœcesi Salisburgensi, fuerit a parentibus nuptui tradita; cum quo fideliter et sanctis operibus inhærendo vixerit, eamdemque vitam cum magna austeritate post mortem mariti continuaverit; et præsertim, quod in viduitate sua magnas eleemosynas fecerit, et duplex monasterium Ordinis S. Augustini tam Canonicorum quam Canonissarum Regularium, in separatis tamen claustris, de propriis bonis suis exstruxerit : cum quibus ipsa B. Hemma vixit, et religiose mortua est, in loco, qui dicitur Gurca, in dictis partibus Carinthiæ.

circa Beatæ vitam, miracula, altaria, et capellas,

II. Quod post mortem crebris miraculis claruerit, hodieque clarescat, et communiter habeatur pro Sancta; et ad ipsius sepulturam in crypta ejusdem ecclesiæ Gurcensis, seu ad ipsius monumentum, ibi sub clausura, et cancellis, sicut moris est fieri ad memorias Sanctorum, magnifice constructum, dietim, et præcipue in anniversario ipsius obitus die, populi illarum et circumvicinarum partium, cum oblationibus et votis suis, tamquam ad locum sanctum conveniant; ubi Dominus indies multa mirabilia, ad intercessionem B. Hemmæ, in diversis infirmitatibus et necessitatibus operetur. D

III. Quod in honorem B. Hemmæ, tamquam Sanctæ, nonnullæ capellæ et altaria in partibus Stiriæ et Marchiæ, longe ab ecclesia Gurcensi distantibus, dudum erecta, a fidelibus zelo devotionis, attenta præsertim coruscatione miraculorum, plurimum frequententur.

IV. Quod in ejusdem B. Hemmæ honorem, ab immemoriali tempore, multi filiabus suis baptizandis nomen Hemmæ, ex singulari devotione, fecerint et faciant imponi.

usum frequentem nominis in Baptismo,

V. Quod ipsius B. Hemmæ Psalterium, Annulus, Pileus, Vestimenta, et similia per ipsam relicta, honorata sint veluti Reliquiæ sanctæ, et sic honorentur de præsenti.

Reliquiarum et tumuli venerationem,

VI. Quod ad ipsius sarcophagum, in crypta ecclesiæ Gurcensis situatum, et diversis locis, processiones, et vota fieri consueverint, et hucusque fiant: et quod de sanctitate vitæ, virtuosis operibus, fundatione et structura Gurcensis Ecclesiæ, et miraculis, aliisque præmissis omnibus, fuerit et sit publica vox et fama. E

publicamque de omnibus famam :

39 *Quæ quidem omnia in ipso Commissionis examine sic reperta, et per juratos testes, et ocularem inspectionem deposita, et recognita fuerunt. Quo facto idem Augustissimus Imperator, nec non incliti Ducatus Carinthiæ Status et Proceres, per litteras eodem anno* MCCCCLXVI *datas, pro ipsius Canonizationis executione, apud summum Pontificem et Cardinalium Collegium instilerunt. Sed quo minus eorum vota suum consecuta sint effectum, Turcarum incursiones, aliæque calamitates publicæ obstiterunt. Non propterea tamen devotio erga B. Hemmam in hæc usque tempora refrixit, siquidem ad ejus tumbam e Carinthia, Croatia, Stiria, Carniolia, quam plurimi quotannis, turmatis agminibus, Deo eorum devotioni frequentibus signis suffragante, voti causa confluant.*

quæ licet successu caruerint, non desiit tamen sed crevit popularis devotio,

40 *Hactenus Instructor noster : qui rogatus ex originali Processu colligere distinctiorem notitiam Altarium et Sacellorum, B. Hemmæ erectorum, de quibus erat Quæstio tertia ; respondit, quod primi quidem duo Testes,* Nihil sibi constare, *dixerunt ; Tertius Heinricus Himmeberger, Miles terrigena Carinthius, respondit, credere se,* Articulum fore verum ex fama. *Tum addit Instructor, quod D. Ludovicus Schoonleben, Diaconus Carnioliæ etc. in Anno sancto Habspurgico ad diem* XXIX *Junii asserat, erectas ab antiquo diversas ædes, B. Hemmæ sacras, ast non nisi duas nominet ; alteram Landbergæ, de qua tamen nec ex Carinthiaca Meginzeri, nec ex Carniolica D. Valvassoris Historia quidquam cognosci possit; alteram vero justæ magnitudinis, de qua Patres Societatis Collegii Græciensis scripserunt, ipsam unius diei itinere distare Græcio, sitam in prærupto monte, sub parochia Globaisniz diœcesis Aquileiensis, sesquihora dissito a Præpositura Eberendorffia, in valle Junensi, fundata anno* MCXCVI *a Comite Achatio Jozelino ejusque conjuge C[illegible]de ;quam Præposituram anno* MDCIV *Ferdinandus Archidux, postea Imperator sui nominis II, Collegio Societatis Clagenfurtensi assignavit. Cultum denique frequentissimum perseverare, ait Informator, non tantum privatarum, sed etiam publicarum ad ædes prædictas supplicationum.* F

etiam procul Gurca in sacellis S. Hemmæ.

APPENDIX

A

APPENDIX PRIMA

De Ven. Beatrice Carinthiæ Ducissa, B. Hemmæ, si non carne, moribus soror.

sepulcrum in Hoff,

Licet ostenderim, fieri non posse, ut B. Hemmæ *germana soror fuerit* Beatrix *prætitulata, quæ illam potuisset aviam habere per ætatem; placet tamen (tum propter vitæ morumque similitudinem, tum quia* Sancta *etiam ipsa vocetur ab aliquibus, tum quia dies mortis ejus ignotus sit) hic adnectere saltem* Epitaphium *quod ex libro Fundationis Lambertinæ fol.* 29 *Gamansius noster olim transcripsit, quia in margine scriptum reperit* S. Beatricis sepulcrum in Hoff : *quin et ipsas antiquas effigies, in hoc Epitaphio commemoratas, libens hic exhiberem; si æque ac versus, earumdem testes, ad posteros perdurassent.*

cum Epitaphio prolixo,

42 Visere non levium si tu spectacula rerum
Appetis ; huc volita, Lector amande, cito :
Laudibus omnigenis dignum, vitaque Deorum,
Ecce tibi Henricum parva tabella tenet.
Nobilitate micans istic Marquardus, avitæ
Telluris Princeps Carinthiæque Pater;
B Innumeris claram donis fortunæ animique,
Nomine Luitpurgam progenuisse ferunt.
Verum quæ vultu Matrona est picta modesto,
Sanctior hac ævo non erat ulla suo.
Principis Henrici soror hæc tituloque Beatrix,
Insignis multa non probitate fuit.
Est igitur docti sententia vera Platonis,
Rebus qui haud frustra nomen inesse putat.
Expers hæc vitii, cœlebs et casta remansit,
Connubium postquam mors violat rigida.
Res autem verbis, miracula grandia, Lector,
Enumerabo, typus quæ tenet iste brevis.
Abjectis opibus, Christo sacrata Beatrix.
Fit mendica, Dei fida ministra satis.
Legiferæ cereris collegit munera passim,
Ærumnas prompto pectore mille ferens.
Non tulit hoc frater : germanam sicce rogavit
Sæpius, ut caveat ducere vitam inopem.
Dedecus esse putat nam mendicare sororem,
Stemmate quæ fuerat, divitiisque potens.
Obvia germano facta est aliquando Beatrix,
In gremio panis frustula tecta ferens ;
Vidit ubi frater, Gentis quid nescia, dixit,
Nostræ, nos turpi vis maculare nota?
C Pauperiem cur sponte subis? quid egena vagaris
Per varias nulla cum ratione domos?
Frusta sinu nec ferre pudet, panesque rogatos ?
Perge, tuo videam quid lateat gremio.
Flores respondit se collegisse Beatrix :
Ecce, rosas (panes quæ ante fuere) videt.
Attonitus subito Divum miracula noscens,
Germanam ad libitum vivere deinde sinit.
Hæc ubi facta : Deo penitus Matrona dicata,
Se dedit huic templo divitiasque suas.
Atque sub hoc saxo, postquam mens astra petivit,
Cum nato jussit corpus humare suum.
Ergo ne miseris noceat Caro, Mundus et Orcus,
Cœlica pro nobis numina sæpe roga.

sub effigie Henrici Fratris atque ipsius,

merito dictæ Beatricis,

quæ rebus omnibus abdicatis,

mendicato quæsitos panes

fecit rosas videri.

APPENDIX II

De Carthusia Seizensi in Stiria, B. Hemmæ ut Fundatrici perperam adscripta.

Carthusiam hanc dicitur dotasse B. Hemma,

Una cum monumentis ad Gurcensem Ecclesiam pertinentibus, accepi etiam alia ad Seizensem Carthusiam spectantia, eo fine, ut dijudicare possem, an et quatenus credibile sit, quod dicitur in 'Actis posterioribus, B. Hemmam *Domui isti firma destinasse vectigalia,* D *quorum causa Religiosi illi prædicant ipsam Benefactricem suam : quod ita* ex obscura dumtaxat traditione haberi, *invenio ad marginem Seizensium Monumentorum adnotatum. In his præcipuum locum et auctoritatem obtinent, Ottochari primi, ac secundi, Patris ac Filii (quorum prior Marchio, posterior primus Dux Stiriæ fuit) necnon Ottochari Bohemiæ Regis privilegia, annis* MCLXV *et* MCCLXX *signata; in quibus nulla Hemmæ mentio; sed expressa declaratio, quod senior Ottocharus, annis* XX *post mortem Hemmæ cœperit fundationem loci; priusque obierit, quam absolvere eam posset; quod facere se dicit filius, tenuitatem paternæ donationis supplendo pluribus novis juribus, reditibus ac fundis quam ejus dispositionem, annis centum post, Ottocharus Rex proprio Privilegio confirmat, et de suo auget.*

Ex MSS.

sed ea 20 annis prius obierat:

44 *His accurate perlectis, considerans, terminos Seitzensi Cellæ a patre designari* ex parte una usque ad prædium Gurcensis ecclesiæ ; *videor mihi ex vicinia loci suspicari posse, quod prædicta traditio utraque in Ecclesia, aliud nullum fundamentum habeat, quam quod præfatum prædium unum fuerit ex possessionibus, Gurcensi Ecclesiæ a B. Hemma attributis, ac fortassis postea translatum in jus ipsius Seizensis Carthusiæ : nisi quis malit tertiam unam Hemmam hic* E *introducere, multoque juniorem; quæ ipsa quoque Seizensibus benefecerit, sitque cum Gurcensi fundatrice confusa, licet Ottocharis tribus, talis Hemma ignota sit. Primi Privilegium hoc est.*

Ipsam, Gurcensi vicinam.

In nomine Sanctæ et individuæ Trinitatis, Ottachar Marchio, Dei gratia.

Divina favente Clementia, ego Ottachar Marchio de Stiria, omnibus præsentis et futuri temporis Christi fidelibus memorandum trado; et ut nubem oblivionis omnibus detergam, Privilegio inscribi jubeo, et impressione sigilli mei corroboro; qualiter Ordinem Carthusiensis Eremi in Marchia meæ ditionis transplantaverim. Igitur, ad laudem omnipotentis Dei, et virginis perpetuæ Dei Genitricis Mariæ, votum desiderio animi diu prælibatum, divina cooperante gratia, feliciter consummavi; et, ut voti celerius compos fieri potuissem, missis legationibus Apostolicam Clementiam interpellavi; quatenus, ipsius auctoritate interposita, monendo, rogando, exhortando in Domino, Patres sanctos prædicti Ordinis ad petitionem meam inclinaret; sicque, tanto fretus patrocinio, cœptum opus per Dei mise- F ricordiam tandem elaboravi. Est pagus, qui vulgo dicitur Gunivitz, in Patriarchatu Aquilegiensi, ubi situm est prædium, eminentioribus montibus circumseptum, antedicto Ordini aptissimum, quod a Leopoldo ministeriali meo, legitimo concambio conquisivi, retribuens ei quatuor villas, istas videlicet; Malchen, Cobilenbach, Lonche et mansum unum in Windisch-Gratz, sibi et uxori suæ et liberis suis, in jus et proprietatem hereditariam. In quo prædio, in honorem Domini nostri Jesu Christi et sanctæ Genitricis ipsius perpetuæ virginis Mariæ, et S. Joannis Baptistæ, omniumque Sanctorum, reverendissimi Ordinis Cellam fundavi, et prædium cambitum ibidem super altare potenti manu legavi, cum omnibus usibus et appendiciis ad id pertinentibus, quæsitis et acquirendis, cultis et colendis, pascuis, piscationibus, aquis, aquarumque decursibus : solvi præterea terminos illius cellæ, sicut aquæ et nives decurrunt, ab apicibus montium usque in vallem ipsam in parte una, et in parte altera usque ad prædium Gurcensis Ecclesiæ.

Ottocharus 1 Marchio Stiriæ

Et tale Præceptum dedi, ne quis terminos Eremitarum

EX MSS. *ab omni subjectione liberam,*

A mitarum ibidem inhabitantium, venationibus, piscationibus, vel pascendis gregibus, vel lignis succidendis, neve ullis tumultuosis accessibus contemplatores Dei inquietare, vel ordinem illorum perturbare præsumat. Siquis vero hujus nostræ constitutionis edictum recognoscens, contemptor temerarius extiterit; Advocato loci, si liber vel ministerialis est, x libras componat; si de ordine plebeio est, xxx solidos persolvat. Hujus etiam institutionis meæ seriem nulli successorum meorum liceat infringere. Nolo etiam, et omnimodis contradicto, ne Patriarcha, vel aliquis Episcoporum, potestatem habeat immutandi Ordinem Carthusiensem in loco memorato. Quod si Ordo prædictus, causis intervenientibus (quod Deus avertat) in eodem cœnobio aliquando non fuerit; prædium idem in usus meos vel heredum meorum redigatur. Ad confirmationem hujus traditionis et legationis meæ, testes subscripti sunt, per aurem tracti. Ego Ottachar Dei gratia Marchio de Stiria. Heinricus Pris, Erchenbertus gener ejus, Leopoldus de Stoenech, et Fratres ejus; Wergandus Alram, Richarius Gotschalech, Otto Wulvich, Otto Dietmar, Albert Ulrich, Ortolf Ulrich, Liutwin Ulrich, Juvam, Liutolt, Marcuart, B et alii quamplures. Acta sunt hæc anno Dominicæ incarnationis MCLXV, Alexandro III Apostolicæ Sedi præsidente, Friderico Imperatore regnante, Udalrico in Cathedra Aquilegiensi præsidente, Basilio Priore in Eremo Carthusiensi, Beraramundo Priore loci hujus existente, feliciter. Amen.

fundavit anno 1165;

47 *Sequitur Privilegium Ottochari Regis, integro quidem seculo posterius priori, sed complectens Ottochari Junioris Privilegium, Paternam donationem confirmantis et augentis, absque nota datæ, quam tamen nequeas ultra paucos annos differre. Utriusque sic conjuncti hic est tenor.*

Nos Ottocharus, Dei Gratia Rex Bohemiæ, Dux Austriæ, Stiriæ, Carinthiæ, Marchioque Moraviæ; Dominus Carnioliæ, Marchiæ, et Egræ; scire volumus universos, præsentes litteras inspecturos, quod Frater Jacobus, Prior Monasterii Seiz, exhibuit nobis quoddam Privilegium, sub sigillo Ducis Ottochari piæ memoriæ, non cancellatum, non vitiatum; cujus tenor est talis. In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Ego Ottocharus, Dei gratia Dux Stiriæ, omnibus Christi fidelibus, tam futuris quam præsentibus, per præsentia scripta notum fieri volo; quod Pater meus memoriæ felicis, Ottocharus, Marchio Stiriensis, ad laudem et gloriam C omnipotentis Dei et ejus Genitricis ac perpetuæ virginis Mariæ, sancti Joannis Baptistæ, omniumque Sanctorum, consilio et auxilio Reverendissimi Papæ Alexandri, Fratres de Ordine Carthusiensi adduxit in Marchiam nostræ ditionis, eosque in loco, qui nunc Vallis S. Joannis Baptistæ dicitur, collocavit.

filius Ottocharus Stiriæ Dux I

48 Nos vero, nominis et hereditatis ipsius successores, votum desiderii animi sui prælibatum, sed morte, quæ nulli parcit, præveniente minus præfectum, plenius consummavimus. Fratres autem, qui primo venerunt, morem gentis nescientes; terra utrum fœcunda, an infœcunda esset, minus caute attendentes; multo minus quam eis sufficere poterat acceperunt, cum pater meus plura eis dare voluisset: unde ad tantam penuriam post mortem patris mei devenerant, quod locus pene destructus fuerat. Nos vero hoc congnoscentes, ad restitutionem eorum citius manum porreximus. Pater meus dederat eis XII modios salis in Grouscar, viginti massas ferri Leubensis, et unam saumam olei ibidem, XIX mensuras mellis in Tiver, et alia quamplura. Nos vero addimus ad hæc, cutes et pelles

considerans tenuitatem dotis paternæ,

omnes, quarum carnes consumimus de tribus præpo- D situris, Marchburch, Rackerspurch, et Tiver, absque Dominicis diebus, et tribus diebus, in Natali Domini, et Paschæ et Pentecostes. Dedimus etiam eis villam, quæ sibi contigua est, nomine Seiz, et omnes servos et ancillas, qui tunc temporis in eadem erant villa. Dedimus quoque eis quidquid in villa, quæ Rogom dicitur, habebamus, et mansum unum Oplotniz.

multos novos census addidit,

Præterea constituimus eis singulis annis dari octo marcas de eleemosyna patris mei, Grætz unam, Ruckerspurch unam, Marchburch unam, Rohazz unam, Tiver unam, Diernstein unam, Lescenich dimidiam marcam, Leuben dimidiam, Judeburch dimidiam, Saxenvelde dimidiam. Adhuc autem, quia pascua, quæ infra terminos eorum sunt, pecoribus eorum non sufficiunt, concessimus eis pascua per terram nostram, tam in alpibus quam in campis planioribus. Concessimus etiam, si quis Ministerialium nostrorum prædia sua vel alia quælibet, quæ absque consensu et licentia nostra dare non possunt, eis conferre voluerit; quod libere et absque ullius contradictione faciat, et ipsi libere et absque ullius infestatione perpetuo jure possideant. Ortolphus quoque de Gonwiz, et Ottocharus ac E Leopoldus fratres ejus, pro remedio animarum suarum atque omnium prædecessorum suorum, Fratribus, in præfato loco Deo servientibus, libere et absolute concesserunt piscationem per totam aquam, quæ Oplotniz dicitur; et per illam similiter, quæ Treuna nuncupatur; et hoc ad memoriam perpetuam in hoc Privilegio notari præceperunt.

et confirmat donata ab aliis,

49 Hæc et alia, quæ sive pater meus, sive Nos eis contulimus; quæsita cum acquirendis, culta cum colendis, et cum omnibus usibus ad ea pertinentibus, agris, vineis, pratis, pascuis, piscationibus, venationibus, libere et absque omni secularium inquietudine tradidimus. Tale quoque Præceptum statuimus, ne quis terminos Eremitarum ibidem habitantium venenationibus, piscationibus, vel pascendis pecoribus, vel lignis succidendis, sive aliis quibuslibet tumultuosis accessibus, contemplatores Dei inquietare, vel quietem tantæ religionis audeat perturbare. Siquis vero hujus nostri edicti temerarius contemptor extiterit, Advocato loci, si liber vel Ministerialis est, x libras componat; si de ordine plebeio triginta solidos persolvat. Advocatiam vero ejusdem loci, neque Pater meus, neque Nos alicui tradere volumus, nisi nobismet ipsis. Ut autem hæc rata et inconvulsa permaneant, Privilegio confirmamus, et impressione nostræ imaginis arctius roboramus. Adhuc autem ad supra- F dicta addidimus, et firmum ac ratum esse decernimus, si quando Deus eis, in prædiis eorum, argentum vel aliquid tale invenire donaverit, libere et absque alicujus infestatione possideant. Hujus rei testes sunt, Otto de Chunersperch, Heinricus de Trus, Leutwinus de Sunenberch, Heinricus de Buten, Leopoldus frater Ducis, Dietmarus et Ulricus frater ejus de Butenow, Arnoldus de Rustdorf, Arnolfus de Wartenburch, Otto Sun et filii ejus, Duringus, Otto, Heinricus, et Hergninguer; Popo de Chlam, Pertholdus de Stegue, Rudolfus de Chindenberch, et alii multi.

plenamque decernit loco libertatem,

et jus in metalli fodinas, si quæ reperiantur.

50 Sane quia divinæ Clementia bonitatis tanto majora tribuit, quanto per ea suæ dignitatis religionem viderit ampliari; Nos; æternæ felicitatis intuitu, nec non pro nostrorum progenitorum salute, universas donationes, libertates, gratias, cum juribus universis, prædictis Fratribus et Domui in Seiz, per memoratum Ottacharum Ducem Stiriæ, et Patrem ejusdem Ottacharum factas, ratas habentes, eisdem Fratribus et Domui in Seiz duas villas, videlicet

Confirmat et auget omnia Ottocharus R. Bohemiæ

A licet Præpuhet et Præpuel, sitas in officio Marchburg, proximas Petow, habentes XLVI mansus, cum omnibus attinentiis, pratis, pascuis, silvis, agris, cultis et incultis, in recompensationem octo marcarum denariorum, quas divisim recipiebant in locis seu officiis diversis, prout superius est expressum, proprietatis titulo donamus, et concedimus, et etiam tradimus perpetuo possidendas, similibus libertatibus, quibus dicti Fratres alia bona sua hactenus possederunt. Insuper octo massas ferri ponderis majoris dictis Fratribus et Domui in Seiz donamus, et apud Officiales in Leuben, quicumque pro tempore fuerint, ordinamus, pro viginti massis ferri, quas in Leuben prius recipere consueverunt : volumus etiam, ut deinceps præfati Fratres, prædictas octo marcas a nostris Officialibus non requirant. In cujus rei testimonium, præsentes litteras nostrorum jussimus sigillorum munimine roborari, præsentibus testibus infrascriptis, qui sunt, Ulricus Capitaneus de Durrenholz, Otto de Haslanue, Otto de Perhtoltsdorf, Herthengerus Dapifer de Landense, Gundacharus Pincerna de Hauchspach, Heinricus de *anno MCCLXX,* Hawenvelde, Ulricus de Hauchspach, Heinricus de B Helfenberch, Fridericus de Petovia, Fridericus de Græz, et frater ejus Ortolphus ; Chrafco Plebanus, Ortolphus de Gurchvelde, et alii quam plures. Datum per manum Magistri Ulrici Protonotarii, anno Domini MCCLXX, XIII Indictione.

51 *Hæc sunt originum Seizensium monumenta certissima; quibus quæ traditio addit mirabilia, utinam æque certa forent : et forent fortassis, nisi Turcico incendio anni MDXXX, et rabie hæreticorum, cuncta anno MDCXXX depopulatorum, pleraque loci scripta periissent : monasterio tamen postea restaurato in eam, quæ nunc spectatur formam, inventus est, qui seniorum traditiones scripto colligeret, orsus a principio, et pertexendo ad calcem, Priorum catalogum perduceret usque ad annum* MDCLXXXIV; *prudenter dissimulando Benefactricem Hemmam, quam judicabat gratis adduci. Ejusmodi collectionem placet hic etiam legendam dare, in gratiam Ordinis, humili silentio plurima sua decora occultantis, et in honorem S. Joannis Baptistæ, cujus admirabili viso senior Ottocharus permotus dicitur ad prædictam fundationem. Narratio talis est.*

Narrant Seizenses de suo fundatore, 52 Quoniam attestante sacro Eloquio, Generatio præterit, et generatio advenit ; et facta, tum divina, tum humana, nisi litteris mandentur, oblivione depereunt ; et nequaquam ad posteros transfunduntur ; C et quidem sacramentum Regis abscondere bonum est, opera autem Dei revelare honorificum : ea propter, ad ejusdem omnipotentis Dei honorem, hujus nostræ Seizensis Carthusiæ prodigiosum ortum, præsentibus et futuris tenore sequentium memorandum tradere complacuit. Eugenio igitur tertio Romano Pontifice naviculam Petri, habenasque Romani *quod anno 1147 Cruce signatus* Imperii Conrado, itidem tertio, gubernante ; Stiriæ (quam, Æneа Silvio teste, Valeriam quidam dixere, ab Ottone III anno M, Idibus Aprilis, in Marchionatum erectam) Ottocharus ab Orneck, residens in principali hujus regionis civitate olim dicta Savaria, præfuit ; ortus patre Lui, quem fata, Innocentio secundo Pontifice, et Lothario pariter secundo, eripuere ; matre vero Sophia, filia Henrici Ducis Bavariæ, cognomento Nigri, de stirpe Caroli Magni. Hic Ottocharus, anno a partu virgineo MCXLVII, Eugenii vero III Romani Pontificis anno III, et Conradi III Regis Romanorum anno IX, Indictione X, *et 1149 regressus ex Syria* cum eodem Conrado Rege, Friderico Duce Sweviæ postea Romanorum Imperatore hujus nominis primo, aliisque Principibus, ad prædicationem S. Bernardi Abbatis Claravallensis cruce signatus, ad Terram sanctam recuperandam profectus est ; anno vero salutis nostræ MCXLIX Eugenii III anno V, Conradi Regis anno XII, Indictione XII, cum eodem Rege D Romanorum rediit. *EX MSS.*

53 Cumque tempore quodam animum curis gravatum levare vellet, venationi ut sese pararent, *et in Seiz obdormiscens,* sibi subditis præcepit. Factum est autem ut exeunte eo ad longinqua, in opacas montium deveniret convalles ; ubi cervam miri candoris videns, equum ad insequendam dejiciendamque eam, calcaribus urgere cœpit. Festinans igitur quo eam caperet, ad locum ubi nunc monasterium constructum cernitur, devenit : ubi, quam insequebatur, cerva ex oculis ejus evanuit. Quod Deo devotus Marchio cernens, equo *viderit Jo. Bapt. in habitu Carthusiano,* cui insidebat, desilit : projiciensque se subtus quamdam de prope arborem, pressus sopore Domini, subdormire cœpit. Quo intervallo, mirabilem quæ sequitur, visionem vidit. Quidam enim, solis jubare clarior, camelorum vestitus pellibus, desuper cucullam mirabilis formæ, nivei vero coloris, gestans, e supernis delapsus, et fixus in aere astitit, dicens : Fili Ottocare, salve : esto vir fortis, et noli timere. Et te, o Pater sanctissime, respondit, ad me peccatorem venire dignatum exulto. Quis tamen sis, *monentem ut structo ibi monasterio adducat illius habitus Religiosos,* quave de causa veneris, effare precor. Ecce enim coram te sum ; et omnia, quæ voles, jube ; et Dei gratia suffragante, aliquando completa videbis. Cui Sanctus : Ego sum ille Domini Baptista Joannes, E Zachariæ filius, quem Herodes, ob veritatis præconium, decollari fecit : et tibi (omnium conditori Deo placere, quo hac vasta in eremo qua nunc jaces, servorum Dei construas monasterium, ejus ad honorem, meique nominis memoriam ; qui pro te, curis alioquin seculi implicato, tuisque et omnibus, qui Christi ejusque Matris nomen vel norunt vel venerantur, orent) veni nuntiare.

54 Ad hæc Marchio ; O quam lubens, ait, hoc *ab annis 66 institutos a S. Brunone;* Dei mandatum opere prosequerer, si cujus Religionis alumnos, hunc in locum collocandos, scirem. Sed tamen nec succenseas mihi, precor : quid sibi hæc alba, qua vestiris, mirabilis cuculla velit, edicito : etenim quam camelorum pilis, alia te veste usum Evangelica ex lectione didici nusquam. Cui Sanctus : Ea, quam cernis, vestis, eorumdem est servorum schema, quorum secundum Dei præceptum hoc in loco domicilium fundare debes. Respondit Marchio : Quomodo fiet istud : peregrinus est mihi hic Habitus, ignotus Ordo, et quo in loco, talis schematis reperiam viros nescio. Sanctus ; Noli timere, ait, meo consilio obsequere, et bono F claudentur fine omnia. Ante hos enim LXVI annos, Bruno natione Germanus, exemplo quodam terribili salubriter compunctus, cum paucis urbe Parisiensi comitibus egressus, ad eremum Carthusiæ secessit ; ubi a divo patre Hugone, Gratianopolitano Episcopo, habitum cum suis accepit ; Ordinemque, qui Carthusiensis diceretur et esset, a loco ubi initium habuit, inchoavit. Est autem hic locus, seu eremus, in ultimis Sabaudiæ finibus in diœcesi Gratianopolitana, inter altissimos montes, adque cœlum usque porrectas asperrimas petras, sex a Schemerino oppido, quod Camerinum* aliqui vocant, milliaribus constitutus. Cujus accessus difficilis est valde : per ardui enim montis jugum, per medium duarum sibi invicem oppositarum petrinarum molium, desuper casum terribili petra minitante, transeundum est. Illuc nuntios, qui Fratres a Priore loci, Basilio dicto, hoc in loco collocandos petant, mitte. Exhilaratus Marchio, ait : Fiet, fiet. Quo dicto Sanctus disparuit.

* *imo* Camberium

55 Interim Marchionis comitatus, feras insequens, *quodque, prope locum illum monasterio jam ædificato,* cum strepitu, fragore, clamore, ululatuque magno (ut in talibus mos est fieri) loco, ubi Marchio visione præcedente attonitus adhuc jacebat, propinquare cœpit. Interea lepus (mirabile dictu ! et tamen ita factum

A factum est) persequentium canum ora fugiens, in sinu dormientis Marchionis, quasi securo sub asilo sese tutare volens, abscondere cœpit. Qui leporem simulque venatorum sentiens clamorem, expergefactus, clamore intonuit, Sclavonica lingua dicens: Seiz, on Seiz. Quo ex facto, loco, eo quod per leporem (qui Seiz Sclavonice dicitur) excitatus fuerat, Seiz indidit nomen. Magnanimus itaque Ottocharus Marchio, visa complere satagens, animum ædificando monasterio ferventi intendit zelo. Sed quia locus, in quo sibi Joannes Baptista apparuerat, mandans in eodem Monasterium construi, nimis angustus videbatur; a Leopoldo de Gonabiz, ministeriali suo (qui post multa beneficia monasterio collata, demum et se ipsum, in eodem habitum Ordinis Carthusiensis suscipiens, Deo obtulit; implens illud divi Hieronymi; Totum Deo dedit, qui se ipsum obtulit) villam Gonabiz comparavit, ubi amplior et spatiosior locus erat ædificando monasterio. Comparata villa Gonabiz, in ea monasterium, anno a reparata salute MCLI, Eugenii tertii Pontificatus anno septimo; Conradi vero Regis Romanorum anno XIII, Indictione XIV, fundavit, et ad perfectum fere

B una cum ecclesia perduxit: cum tamen locus ædificandi monasterii a beato Joanne Baptista (ut prædictum est) is ei declaratus fuisset, in quo visionem habuit de hac Domo Dei ædificanda.

EX MSS.

novo visu monitus sit,

56 Cum autem ecclesia et monasterium fere perfecta essent; apparuit denuo divus Joannes Baptista fundatori, jubens destrui ædificium; dicens: Non in hoc loco ædificandum mandavi monasterium, sed in loco primæ revelationis. Nisi autem Deus, te simplici animo ac bono fecisse cognosceret, in te ejus ira desæviret. Opus ergo ædificatum pro parte, ocius destrue. Tunc inclitus Marchio, præcepto divino parens, in loco primæ revelationis sibi factæ monasterium construxit, nomenque Seiz imposuit; eo quod eo loco dormienti lepus, qui Sclavonice Seiz dicitur, in sinum suum accurrerit, exclamansque, Seiz, on Seiz, locum Seiz compellarit. Ædificato monasterio Seiz, quod nunc est, licet necdum perfectum esset; Romanum Pontificem Alexandrum tertium legatis missis obsecravit, ut e Carthusia ejusdem instituti Religiosi mitterentur, qui ædificatum monasterium juxta Dei præceptum incolerent. Alexander, Archiantistes summus, precibus lubens assensum præbens, Monachos e Carthusia ad hoc Seizense cœnobium suo præcepto mitti jussit: quod

ad locum primæ visionis transferre omnia:

quo facto Carthusianos accersit,

C Alumni Carthusiæ non minus gaudentes quam obedientes susceperunt: illicoque plantatores, qui monasterium inhabitarent, miserunt.

et fundationis chartam signat an. 1165.

57 Factus igitur Ottocharus Marchio voti compos, gaudio perquam maximo excepit eos, et veneratione: ac monasterium incolendum tradidit, atque suæ fundationis testimoniales litteras, sigillo suo corroboratas, dictis Patribus in manus resignavit; adhibitis super his, multis Proceribus in testimonium, idque anno Salvatoris nostri millesimo centesimo sexagesimo quinto, Alexandro tertio Apostolicæ Sedi præsidente ejusque anno sexto; Friderici primi, Imperatoris Romanorum, cognomento Ænobarbi sive Barbarossæ; anno XI: Indictione XIII; Udalrico Diœcesano in Cathedra Aquileiensi præsidente, atque anno ejus IV; Basilio, Priore Eremi Carthusiæ octavo; Veremundo Priore loci hujus Seizensis existente; incepti ordinis Carthusiensis anno LXXIX, ab obitu vero S. Brunonis Fundatoris Ordinis sæpedicti anno LXIV, ante confirmationem ejusdem Ordinis anno II.

Filius anno 1180 fundat Hospitale.

58 Monasterio Patribus tradito, licet necdum penitus absoluto, Ottocharus Marchio, decurso vitæ suæ stadio; a Domino evocatus de ergastulo carnis est, ultima die mensis Decembris, supernis associatus spiritibus, recepturus a Deo, remuneratore bonorum omnium, præmia condigna: sepultus sub albo marmore, una cum thori consorte, in sacristia, ubi primam visionem habuit de monasterio hoc construendo. Quo ex hac mortali ad immortalem ac cœlestem vitam translato, Ottocharus filius ejus ex Joanna Wladislai primi Regis Bohemiæ filia, nominis et hereditatis successor, qui anno Domini MCLXXX primus Dux Stiriæ dici cœpit; structuram continuans, ei feliciter brevi tempore ultimam manum imposuit, et ad perfectum perduxit. Et quia iram Dei de inobedientia Patris facta pertimuit, ob id in convalle, locum (qui nunc Hospitale dicitur) ex quadris lapidibus, specialiter semper protectum a beatissima Dei Genitrice Maria, ecclesiolam suam, in consolationem nostram et plurium sibi devotorum, consecravit. Est vero locus is sacer, et ab Angelicis spiritibus frequentatus. Nam sæpius a Sacrista, aliisque rusticis, locum illum accolentibus, in vigiliis festisque Beatissimæ Virginis Mariæ, intempesta nocte campana trahi auditur; et signum, tamquam ad conveniendum in ecclesiam ad divinas laudes, manifeste et præclare dari; affirmante id præcipue Sacrista, se audito campanæ sono, quantocius ad ecclesiam properare; nullum tamen se ibidem reperire hominum; quin insuper ipsam ecclesiam ferris obseratam et clausam invenire. D E

Stiria ad Auctriacos translata,

59 Ottocharus autem, filius Fundatoris nostri, qui primus (ut dictum est) Dux Styriæ dici cœpit, communi fato mortalium, vitam suam cum morte, seu potius mortem cum vita æterna commutavit; relinquens post se filium nomine Ottocharum; qui sine liberis obiens anno Domini MCLXXXVII, Ducatum Stiriæ cognato suo Duci Leopoldo Austriæ, nepoti S. Leopoldi Marchionis ex filio, reliquit: qui Græcii Stiriæ metropoli obiit, anno Salvatoris MCXCV. Ex eodem inde tempore et anno videlicet MCLXXXVII, Ducatus Styriæ apud Austriacos illos Duces veteres Austriæ permansit; quoadusque anno Domini MCCXLVI, Fridericus, ex ea familia ultimus, in bello Hungarico occubuit: Postea vero anno Domini MCCLXXXII, in Comitiis Augustanis, consentientibus Principibus Romani Imperii, Rudolfus primus, Augustus, Habspurgius, filio suo Alberto, post primo hujus nominis Imperatori, una cum Ducatu Austriæ tradidit; permanetque sub eorumdem serenissimorum Austriacorum Habspurgensium dominio hoc ipso tempore. Locus monasterii hujus, qui anno MCLXV a divo Joanne Baptista revelatus et monstratus, F anno sequente MCLXVI ab Ottocharo Marchione Stiriæ dotatus est, et traditus primis, e majori Carthusia missis Fratribus, pro ut litteræ fundatitiæ attestantur: et quia amborum Ottocharorum patris et filii sancte facta fundatio, pro sustentandis Eremicolis vix et tenue nimis sufficiebat; piissimi Comites Cilienses, Fridericus et Hermannus, aliquot mansis, decimis et insignibus privilegiorum gratiis adauxere MCCCCXLIV; unde dein decem et duodecim Monach numerabantur. Magnas calamitates perpessa est hæc, totius Germaniæ prima, et sanctæ Religionis decima quinta, Carthusia, bellorum et hæresum tempore, unde bis deserta in manus alienas devenerat.

anno 1464 novis fundis augetur locus,

qui postea varias clades passus,

60 Sic anno MDXXX, sub D. Andrea, Priore loci XLII, a Turcis et Tartaris devastata est et exusta, ipseque venerandissimus Antistes beate martyrizatus Ottomanico gladio, cum aliquot suorum occubuit, ad pedem summi altaris. Dein anno MDLXIV, Zachariæ Cardinali Delphino Veneto, traditam, anno MDLXXX nona Februarii, magna persoluta pecunia, ab eodem Cardinali recuperavimus. Non multo post, MDLXXXVIII, nova interveniente abalienatione, religiosissimi Patres Societatis Jesu post biennium accepere;

A accepere; qui, causam agente eximio patre Francisco ab Aquitana, ædificio quidem collapsum, sed juribus integrum, monasterium cesserunt anno MDXCIII; cui postea anno MDXCV Reverendissimus Vianus Gravellius præfectus est: cujus industria pristinæ soliditati, in spiritualibus et temporibus, Domus ista reddita est. Anno vero MDCXXX, sub Domino Joanne Uto seu Otto, in Comitatu Cilliensi sævientibus confœderatis rusticis, et rebellantibus Sclavis, Carthusia ista a duobus ferme millibus rebellium petebatur: qui distracto armamentario, ruinatis granariis, spoliatis cellariis, omnia utensilia distrahentes, ita ecclesiam et monasterium cum prædiis exspoliaverunt, ut non remanserit vel clavus parieti. Soli successioni, propter supervenientes Cæsareas copias, parsum est.

et semel iterumque restitutus

Priores habuit Domus ista, usque in præsentem diem, numero sexaginta septem, ex quibus Generales sacri Ordinis fuerunt tres, Joannes secundus, Christophorus secundus, et B. Stephanus Senensis; Martyr unus, Andreas nomine. Et licet fundatio tantum sit pro decem monachis, aluntur tamen et B sunt actu, cum duobus Novitiis, octodecim. Cellæ duæ adhuc sunt in opere; et sic hujus anni æstate vigesimus Cellarum numerus adimplebitur. Statuerunt pœnam centum marcarum auri contra eos; qui solitudinem nostram turbaturi essent, aut impugnaturi, Duces Albertus et Lupoldus, fratres.

sub Priore 67 cœpit insigniter restaurari ab an. 1684.

NOMINA ET SUCCESSORES PRIORUM IN SEIZ.

I Domnus Beremundus, Cornubiæ Comes, ex Regia Anglorum stirpe, anno MCLXVI, introductus a S. Hugone Episcopo Gratianopolitano, et Domino Petro Cardinali in Gunovitz, ubi prius Carthusia stetit quindecim annis, donec divino jussu postea translata est ad modernum locum.

II D. Joannes hujus nominis I MCLXXXV
III D. Nicolaus hujus nominis I MCCVII
IV D. Petrus hujus nominis I MCCXLI
V D. Burchardus MCCLX
VI D. Jacobus I MCCLXX
VII D. Ludolphus MCCLXXXI
VIII D. Ludovicus MCCXCVIII
IX D. Gottofridus I MCCCVII
X D. Petrus II MCCCXXI
XI D. Colomanus MCCCXXXII
XII D. Gottofridus II MCCCXXXVI
XIII D. Conradus MCCCXLII
C XIV D. Nicolaus II MCCCLI
XV D. Conradus II MCCCLXXVIII
XVI D. Paulus I MCCCXC
XVII D. Joannes hujus nominis II, ac Ordinis Generalis, primus in hac domo residens MCCCXCI
XVIII D. Christophorus I, Generalis II Seizii residens MCCCXCVIII
XIX D. Beatus Stephanus Senensis, hujus nominis I Prior, ac tertius Generalis hic residens MCCCCX D
ex mss.
XX D. Conradus III MCCCCXV
XXI D. Benhardus MCCCCXXIV
XXII D. Andreas I MCCCCXXXIV
XXIII D. Christophorus II MCCCCXLIII
XXIV D. Marcus MCCCCXLVI
XXV D. Bartholomæus MCCCCLIII
XXVI D. Nicolaus III MCCCCLXVIII
XXVII D. Henricus MCCCCLXXIII
XXVIII D. Christophorus III MCCCCLXXV
XXIX D. Casparus MCCCCLXXIX
XXX D. Michael I MCCCCLXXX
XXXI D. Thomas MCCCCLXXXIX
XXXII D. Conradus IV MCCCCXCI
XXXIII D. Sixtus MCCCCXCVII
XXXIV D. Mathias MCCCCXCVIII
XXXV D. Matthæus I MDX
XXXVI D. Wilhelmus MDXI
XXXVII D. Michael II MDXX
XXXVIII D. Philippus MDXXII
XXXIX D. Balthasar I MDXXIII E
XL D. Petrus III MDXXVII
XLI D. Bruno MDXXIX
XLII D. Beatus II, Andreas Martyr, a Turcis occisus MDXXX
XLIII D. Matthæus II MDXXXVIII
XLIV D. Blasius MDXLII
XLV D. Balthasar II MDXLV
XLVI D. Virgilius MDXLVII
XLVII D. Jacobus II MDXLVIII
XLVIII D. Nicolaus IV MDXLIX
XLIX D. Augustinus MDXLIX
L D. Wolfgangus MDL
LI D. Andreas III MDLII
LII D. Albertus MDLV
LIII D. Hermannus MDLXI
LIV D. Andreas IV MDLXIII
LV D. Hugo MDLXVIII
LVI D. Joannes III MDLXXXII
LVII D. Joannes IV MDLXXXVIII
LVIII D. Primus Rector MDXCI
LIX D. Franciscus Quintana MDXCIV
LX D. Vianus MDXCVI
LXI D. Paulus II MDCXXII
LXII D. Theodorus MDCXXIX
LXIII D. Joannes Otto MDCXXXIX
LXIV D. Joannes Serpentinus MDCXL
LXV D. Hugo Scornus MDCLXIII F
LXVI D. Georgius Hoffnerus, qui primus a Cæsarea potestate in Prælatum institutus est MDCLXXIX
LXVII Nunc præest D. Joannes Baptista, electus MDCLXXXIV

DE B. ANGELINA VIRGINE

ORD. S. CLARÆ SPOLETI IN UMBRIA.

SYLLOGE HISTORICA

Ex Jacobillo, sepulcro, et picturis. D. P.

An. MCCCCL. In monasterio Dominarum de Palatio,

Tempore Gregorii Papæ IX, extra Spoletanæ civitatis muros in Colle, Florito *vulgariter nuncupato, erectum fuit anno* MCCXXIX *monasterium Clarissarum,* S. Mariæ inter Angelos, *appellatum; cujus aliquoties meminit in Annalibus Waddingus, occasione Pontificiarum litterarum, quibus illud munitum, instructumque fuit. Adductæ illuc fuerant Monachæ ex primario S. Damiani prope Assisium monasterio, et ex veteri quod isto in colle fuerat Palatio, dictæ communiter sunt,* Dominæ de Palatio: *sub eaque appellatione perseverant illæ usque hodie, licet jam inde ab anno* MCCCXX *translatæ in urbem ad ecclesiam*

ad urbem translato,

A AUCTORE D. P.

ecclesiam S. Gregorii Minoris, intra ruinas Romani cujusdam Amphiteatri extructam; et dedicatam, ibidem passo, S. Gregorio Martyri Spoletano, de cujus ibi corpore agendum XIV *Decembris. In hoc monasterio, jam facto urbano, sed (quod mireris) apud Gonzagam et Waddingum nusquam memorato, sub annum* MCCCCXL *Abbatissam agebat soror Francisca, quando illuc ingressa est* Angelina, *de qua hic, illius neptis, et Spoleti nata.*

annis 10 vixit Angelina,

2 *Decem circiter annis hanc ibi vixisse scribit Ludovicus Jacobillus, de Sanctis ac Beatis Umbriæ, tomo* I *ad hunc diem; Franciscanis auctoribus, etiam Arturo a Monasterio, de ipsa tacentibus. Movisset me sane hoc illorum silentium, ut eam tacitus præterirem, nisi ipsemet anno* MDCLX, XX *Decembris fuissem Spoleti, et sepulcrum ejus marmoreum in prædicta ecclesia fuissem contemplatus; vidissemque habere ipsum formam altaris, supra quod olim sacrificium Missæ offerri solebat; sub arcu autem, desuper ducto, effigiem ejusdem in pariete pictam, cum variis circum miraculis, quæ loco historiæ imperitis esse possint ad probationem veteris cultus. Hunc ad Urbani VIII decreta eatenus intermissum, ut ibi non amplius sacrificetur, religiositati nimiæ merito adscripseris; cum illa decreta nihil aboleant eorum, quorum usus ab immemorabili tempore, id est annis abinde centum obtinuerat; quod de* B. Angelinæ *veneratione probari haud ægre potuisset a Fratribus, si verum gestarum congruam notitiam habuissent, ad supplendam bonarum Sororum imperitiam, earumque veterem consuetudinem manutenendam.*

post mortem habita Sancta,

B

cultu quadamtenus perseverante adhuc.

3 *Manserunt tamen integra cetera omnia, et perseverat popularis cultus, sufficiens nobis ad inserendam huic operi* B. Angelinam, *cujus monumento hunc ex uno latere adscriptum titulum ipse legi;* Virgo divi Francisci Ordinis, Angelina Spoletina, innumeris decorata miraculis, in hoc templo corporis tumulum, in æthere empyreo animæ sedem habet. V. A. *(id est, Vixit annis)* XXV, obiit A. G. *(anno Gratiæ)* MCCCCL, die vero XXIX Junii. *Ex altero latere hæc verba notabantur:* Sorores piæ hoc opus fieri voluerunt, A. salutis MDVIII : *ex quo tempore præsumi merito poterant istic factæ Missæ: quo enim alio spectasset lapis tumulum claudens, formamque et consecrationem altaris habens? Patet ergo casum fuisse exceptum in Bulla temporis immemorabilis, quod centum annorum censeri idem Pontifex definivit; possetque locus dari gratiæ restitutionis in integrum, si ea apte postularetur.* D

Encomium ejus MS. Italice nihil habet historicum,

4 *Qui Sanctimonialibus ibidem Sacellanus et Confessarius erat, exhibuit nobis scriptum quoddam Italicum sub titulo Vitæ, humaniterque suam obtulit operam ad curandam descriptionem: nec minus quam promiserat præstitit. Sed exemplar nunc relegens, nihil invenio quam sermonem encomiasticum, applicabilem cuilibet sanctæ Monachæ, studiosæ votorum suorum et regularis observantiæ in se aliisque promovendæ. Concluditur autem res tota his verbis:* Verum quidem est, quod nulla inveniatur scriptura, explicans plene vitam et opera hujus famulæ Dei; qualia tamen ea fuerint, sufficienter intelligitur ex altari, in ejus nomen dedicato, atque ex picturis ibidem declineatis, quæ simplicibus esse pro scriptura solent, rerum præteritarum memorativa.

finitur descriptione sacelli,

altaris et picturæ

E

repræsentantis quædam miracula.

5 Altare siquidem compositum cernitur in modum sacelli, in cujus medio pingitur ipsa Beata, venusta quidem specie, sed simplici; et puritatem, simplicitatem, virginitatemque spirante, atque devotionem intuentibus afflante. In media pictura ipsa consistit, circumdata a numerosa multitudine infirmorum, cæcorum, leprosorum, aridorum, opem postulantium et recipientium. Ad dexteram cernitur Angelus, sponsalitium annulum sacræ Virgini deferens; et infra eum est energumenus, dæmonio liberatus; ac denique pingitur ibi, quomodo (die XV post mortem id accidit) scaturiverit ex defunctæ naribus sanguis, acsi viva fuisset. Ad sinistram videre est juvenem mancum et sanatum; et quomodo mulierem, accedentem ad feretrum expositæ in templo, aversata Sancta, retraxerit manum suam ab osculo; quod illa, per peccatum quoddam indigna, ferre impudenter volebat: atque infra hanc, feminam aliam, cui manibus captæ, etiam in gutture plaga hærebat. Præterea spectantur circumcirca varia diversarum gratiarum votiva testimonia, istic appensa ab iis, qui undique accurrentes anathemata attulere. *Quæ eadem leguntur apud Jacobillum, nec amplius quidquam.*

DIES

DIES TRIGESIMA JUNII

SANCTI QUI PRIDIE KALENDAS JULII COLUNTUR

Sancta Lucina, Matrona Romana.
S. Martialis, Episcopus et Apostolus Lemovicis in Gallia
S. Timotheus,
S. Zoticus,
S. Italica,
S. Zoilus,
S. Gelatus,
S. Corsicus, seu Caius Presb.
S. Leo Subdiac.
} Martyres in Africa
S. Asclinus, sive Asclepius,
S. Pamphilus
} Martyres Coloniæ Agrippinæ.
S. Diomedes,
S. Eulampius,
S. Melito,
S. Petrus,
S. Asclepiades
} Martyres apud Græcos.
S. Donatus, Martyr Romanus, Monasterium Eyfliæ delatus.
S. Æmiliana, titularis unius ecclesiæ Romanæ.
S. Ostianus, Presbyter, in Vivariensi Galliæ territorio.
S. Petrus Confessor, Astæ in Lombardia.
S. Erentrudis Virgo, Abbatissa Salisburgi in Bavaria.
S. Marcianus, Episcopus Pampelonensis, in Hispania Tarraconensi.
B. Clotsendis, Virgo, Abbatissa Marchianensis, in Gallo-Flandria.
S. Adilia, Virgo, Orpii in Brabantia.
S. Theobaldus, Presbyter, Eremita, diœcesis Vincentiæ in Italia.
B. Arnulfus, Conversus Ord. Cisterc. Villarii in Belgio.
B. Henricus Erem. Veronæ in Italia.
B. Raymundus Lullus, Solitarius, Martyr in Africa.

PRÆTERMISSI AUT AD ALIOS DIES RELATI

Studio et opera R. P. Godefredi Henschenii P. M. nisi litteræ, ad marginem positæ, aliud indicent.

Sancti Sigeberti Confessoris, *imo Regis*, Translatio Metis, *indicatur a Greveno et Canisio. De ea egimus* I Februarii.

S. Sabini, Episcopi Canusini, Translatio a veteri villa in urbem, *legitur in ejus Actis* IX Februarii.

Leo et Paregorius, Martyres Pataræ in Lycia, *hoc die passi dicuntur in titulo Actorum, quæ dedimus* XVIII Februarii.

S. Eleutherius, Episcopus Tornacensis, *refertur in MS. Florario. Acta ejus varia dedimus* XX Februarii.

S. Algiva, alias Elfgeva, Edmundi Regis Angliæ uxor, *et* Edwii atque Eadgari Regum mater, *memoratur ad hanc diem per modum Appendicis, ab Edouardo Maihew in Trophæis Benedictinis : nos, cum antiquis Martyrologis, præclara hujus Reginæ gesta illustravimus* XVIII Maji.

D.P. S. Fridericus Episcopus Leodiensis, *ex Chapeavillio refertur a Ferrario, qui merito suspicatur eumdem esse, de quo actum* XXVII Maji.

S. Martialis, Episcopus Spoletinus, *veteri Kalendario inscriptus hoc die, a Jacobillo, quem secuti sumus, refertur* IV Junii.

D.A. S. Bertrandus, Cœnomanensis Episcopus, *apud Saussayum in Supplemento : est is* S. Bertichramnus, *hoc die mortuus; sed qui potissimum colitur die suæ Translationis, quando Acta dedimus* VI Junii.

D. P. Basilides, Martyr Alexandriæ, *cum longo elogio refertur in hodierno Romano. Quidquid de eo dici ex Eusebio poterat, relatum jam est occasione* S. Potamiœnæ, *cujus exemplo conversus, et triduo post eam passus narratur* XXVIII Junii.

D. P. S. Mennas, cognomento Paulus, quod aromatis valde bonis corpus S. Petri, *verosimiliter Alexandrini* pollinxit; et judici offerenti electionem mortis, qua mallet defungi, respondit : Quomodocumque volueris occide me; *salutatur in Hagiologio Æthiopico, ex nescio quibus S. Petri Actis.*

Synaxis Sanctorum duodecim Apostolorum *solennissime agitur hoc die apud Græcos, relatos uniuscujusque brevi elogio. uti et aliorum aliquot, similiter dictorum apud eos* Apostolorum : *de quibus egimus aut agemus suo cujusque die.* D. P.

S. Æmiliani Mart. *Reliquia aliqua habetur Bononiæ, apud Confraternitatem Pauperum Reginæ Cœli, cognominatam in Nosadella, uti scribit Masinius in Bononia perlustrata : ei colendo, credo, lectum hunc diem, propter* S. Æmilianam, *relatam hodie in Romano Martyrologio.* D. P.

Hieronymus, Episcopus *(Salamantinus)* servus Christi fidelis, *hoc die anno* 1125 *defunctus Salamanticæ; in historia Cidi, cujus plurium victoriarum particeps fuit, dicitur* in sua Cathedrali honorificentissime sepultus, et quod Deus per eum multa operatur miracula. *Super ejus tumulum collocata imago* Sancti Christi, a præliis *cognominati, cum anno* 1607 *novis prodigiis magis quam antea unquam inclaresceret, ideoque augustissimum sacellum eidem esset ædificatum; apertum monumentum fuit, et suavissima inde fragrantia emanavit : apparuit etiam interior circulus, litteris aureis (ut supra) descriptus : quare* collecta ossa cineresque, intra novam capsulam, sub ejusdem capellæ altari reposita sunt, cum Vita ipsius Sancti et historia manifestationis prædictæ imaginis miraculosæ, *ut testatur, qui Translationi interfuit Ægidius Gonzales Davila in Theatro Ecclesiæ Salamantinæ : absque alia probatione* D. P.

batione cultus, eidem Hieronymo, *ut* Sancto, *decreti.*

Dominicus, Alphonsi VII Regis Castellæ, cognomento Imperatoris, frater, monasterio Vitis B. Mariæ, in diœcesi Oxomensi, Ordinis Præmonstratensis, primus cum magna sanctitatis laude vixisse *dicitur in Natalibus Sanctorum Præmonstratensium Chrysostomi vander Sterre, ad hanc* XXX *Junii : ast* die XVIII Martii vita functum *asserit Joannes la Paige, lib.* 2 *Bibliothecæ Præmonstratensis pag.* 488. *Ambo, more suo,* Beati *titulo eumdem honorant.*

Joannes, Guardianus Spiræ in Germania, Ordinis S. Francisci, ob virtutem et plurima miracula, *laudatur a Waddingo ad an.* 1245 *num.* 28; *et ab Haroldo, eodem anno, num.* 9 : *sed abstinent a titulo* Beati, *quo eum honorat Arturus a Monasterio.*

D. P. Vener. Arnestus, primus Archiepiscopus Pragensis, *Glacii tumulatus in Parochiali Crucigerorum ecclesia an.* 1364, *variis decoratus prodigiis fuit, ac potissimum oleo fluente de sepulcro. Vitam coævus Auctor scripsit, qualis Pragæ an.* 1651 *edita, extat ante ipsius Mariale. Hanc deinde ex aliis monumentis auctam, et eruditissimis Annotationibus illustratam, in justum volumen extendit noster Bohuslaus Balbinus an.* 1664. *Jacobus autem Crugerius, æque noster, an.* 1669, *cum ejus memoria finit Bohemiæ suæ sacros Pulveres mensis Junii, eaque occasione congessit in unum insigniores viri sanctissimi memorias. Dignus profecto fuit, qui Sanctorum Catalogo adscriberetur; nisi calamitates per hæresim subingressæ, omnem promovendæ canonizationis cogitationem exclusissent. Videat ergo Lector præcitatos tres libros.*

D. P. Frescendis, Virgo Ord. Cistercien. Duaci, *solum inter Pios refertur a Saussayo : a Chalemoto nec nominatur quidem : neque nos de ea quidquam invenimus.*

Rolandus, Tertiarius in Monte-Alverno 13 sec.

Theobaldus seu Theodatus Spoleti, an. 1319.

Petrus a Clavibus, in Lusitania an. 1326; Ordinis S. Francisci, *ut* Beati *memorantur ab Arturo, eos laudante ob præclaras virtutes : et exemplo Arturi,* Theobaldus *etiam refertur a Jacobillo.*

D. P. B. Bonus, Confessor Rocchæ-Siccæ in Campania, *refertur a Ferrario in Catalogo generali, ex monumentis Ecclesiæ Aquinatis. In Notis dicitur vixisse* circa vel paulo ante tempora S. Thomæ Aquinatis : *sed cum de eo nihil scriptum invenitur, omnem cultus speciem cessare jussit Innocentius XI, sub pœna excommunicationis vetans ad sepulcrum orari : unde nunc eum vix audent nominare accolæ, ut nobis inde scribitur.*

B. Petrus Jacobus Pisaurensis, *sub annum* MCCCCXCVI *Prior Conventus S. Nicolai Vallis-manentis, ab Augustinianorum Pisaurensium Conventu dependentis; post vitam ibidem sancte actam, sancte obiit; sepultusque sub mensa altaris majoris, corpore diu integro permansisse dicitur : nunc vero illius caput, magno cum populi concursu, exponi et honorari tertia Dominica Junii, Pisauro ad Bollandum olim scripsit Salvator Salvatorius, de quo postea aliud nihil comperimus.*

S. Otto, Episcopus Babebergensis, *inscriptus est Martyrologio, Coloniæ et Lubecæ anno* 1490 *excuso, et Auctario Greveni : ab aliis refertur ad diem* II Julii. D. P.

Odo, Episcopus Urgellensis *in Hispania, refertur in Additionibus Molani ad Usuardum, sed a Tamayo* VII Julii.

S. Theodosia mater,
SS. Matronæ duodecim, D. P.
SS. Præfecti duo,
constantia S. Procopii *animati ad martyrium, invocantur in Æthiopico Hagiologio. Ipse* S. Procopius *colitur, quando et de illis agemus,* VIII Julii.

S. Esdras, ultimus Prophetarum, *commemoratur in eodem Hagiologio, etiam Romano martyrologio adscriptus* XIII Julii.

S. Deusdedit, Archiepiscopus Cantuariensis, *inscriptus est Martyrologio Anglicano Wilsoni, cum approbatione Alfordi. Obiit is anno* 664, *aut pridie Idus Julii, uti scribit Wigorniensis (quo die refertur in MS. Florario) aut ipsis Idibus, uti asserunt, Gervasius in Actis Pontificum Cantuariensium, Thornius in Chronico, Capgravius in Vita ejus : quo etiam die celebratur ejus memoria in vetusto MS. Ultrajectino ecclesiæ S. Mariæ, circa annum* MCXL *in Anglia conscripto. Hoc secuti sunt Grevenus, Molanus, et alii recentiores Martyrologi, cum quibus nos quoque ejus Acta dabimus* XV Julii.

S. Hermetis Martyris Translatio apud Flandriam, *memoratur in MS. Florario. Dies natalis est in Mrlio Romano* XXVIII Augusti.

S. Albinianus
S. Austriclianus D. P.
Presbyteri, *Socii S. Martialis in evangelica prædicatione, huic diei cum illo adscribuntur ab Usuardo, sub nominibus* Alpiniani et Stratocliani ; *et consequenter, sed correctius scripti in hodierno Romano; licet proprios singuli dies habeant* ; Albinianus, *quando de eo egimus,* XXVII Aprilis.

Austriclinianus *vero, ubi post hac de illo,* XV Octobris.

S. Joannes, Episcopus Mechelburgensis, *inscriptus est Menologio Scotico Camerarii : ab aliis refertur* III, *aut* VIII, *et potissimum* X Novembris.

S. Severi Episcopi et Confessoris Translatio, *adscripta MS. Florario : sed cujus Severi? An Trevirensis, qui colitur* XV Octobris.
An alterius, ibidem relati XVIII Novembris.

B. Mathia a Nazaræis, Abbatissa Clarissarum Matelicæ in Piceno, *hoc die ponitur ab Arturo in Martyrologio Franciscano : sed qui anno* MDCXCIII, *meo rogatu, locum adiit noster Laureti Pœnitentiarius, ipsoque hoc die Corpus vidit : didicit quoque, Arturum, more suo, definivisse quod ignorabat. Addebat Beatam coli solenni Magistratus illuc accessu, et votivi cerei oblatione, festo SS. Innocentium, quo obiit : et in quem expectabimus quidquid de ejus miraculis (nam Vita nulla superest) haberi poterit cum ipsius sacri Corporis delineatione* XXVIII Decembris. D. P.

DE SANCTA LUCINA

MATRONA ROMANA,

DISQUISITIO HISTORICA.

D. P.

Duæne, an una, extiterint colanturque Lucinæ.

SEC. I, AN IV ?

Q*uam diversa sunt tempora* Neronis *et* Diocletiani, *tam diversas etiam oporteret credere* Lucinas, *si de utraque æque magna haberetur certitudo. Pro prima allegantur Acta SS. Processi et Martiniani, danda die* II *Julii : ibi enim legitur, quod illis in Carcere Mamertino positis, ubi fuerant a sanctis Petro et Paulo baptizati,* Matrona quædam, venerabilis femina, Lucina nomine, incessanter

A santer ministrabat; *cumque ad supplicium ducerentur,* beatissima Lucina sequebatur eos, cum familia sua, usque dum perveniret juxta formam aquæductus, ubi etiam decollati sunt. *Denique, quod* sanctissima femina Lucina collegit corpora eorum, et condivit cum aromatibus pretiosis, et sepelivit in prædio suo, in arenario, juxta locum ubi decollati sunt, via Aurelia.

In Actis SS. Processi et Martiniani nominatur Lucina sub Nerone,

2 *Actis hisce insistens Ado Viennensis, post iteratum S. Pauli Natalem;* Item, *inquit,* Natalis beatissimæ Lucinæ, Discipulæ Apostolorum. *Quod ipsum secutus more suo ac stylo Usuardus, totidem verbis refert,* Romæ Natalis *etc. atque sub hac forma etiam Romanis ecclesiis, Usuardi Martyrologio passim usis, commemorata* S. Lucina *fuit, usque ad Gregorianam reformationem: cujus Curatores imitandum sibi censuerunt Petrum Galesinium, prolixiori hoc elogio usum, sub aliqua tamen restrictione. Galesinius, justo proclivior ad circumstantias rerum aut temporum, valde notabiles, suo judicio mutandas aut novas addendas, ita scripserat:* Romæ S. Lucinæ Martyris: quæ matrona Romana nobilis, a beatis Apostolis Petro et Paulo fidei religione imbuta, suscepto baptismo, eos qui ob fidei confessionem in vinculis essent, facultatibus suis sublevare; eorum denique, ubi martyrium sub-

Apostolorum discipula, Adoni et Usuardo,

Galesinio etiam Martyr:

B ierant, corpora in sepulturam tradere studuit. Quo pietatis officio sæpe perfuncta, tandem martyrio coronatur; eo loco sepulta, quem ipsa pro Martyrum corporibus sepeliendis extruxerat. *In Notis additur:* Ut in Acta sanctorum Martyrum Processi et Martiniani relatum est. De ea præterea scribunt Beda *(supposititius scilicet)* Ado Trevirensis *(imo Viennensis)* et Usuardus; *quorum omnium jam verba dedimus, absque ulla tamen martyrii mentione.* Est Romæ crypta, ab illa constructa, ad sepelienda sanctorum Martyrum corpora.

3 *Romani Martyrologii Reformatores, cautius agunt, dum omissa martyrii mentione, cetera ex Galesinio sumpserunt, servatis initio Usuardi verbis, ab antiquo legi solitis.* Romæ S. Lucinæ, Apostolorum discipulæ, quæ de facultatibus suis Sanctorum necessitatibus communicans, Christianos in carcere detentos visitabat, ac Martyrum sepulturæ inserviebat; juxta quos et ipsa, in crypta a se constructa, sepulta est. *Sed neque hoc de crypta probatur. Acta enim SS. Processi et Martiniani nihil habent de crypta. Acta vero S. Stephani Papæ, quæ in confirmationem non una loco Romæ suæ subterraneæ adducit Aringhus,*

quod recte omissum in Romano Mrlio.

In Actis S. Stephani Papæ non Lucina, sed Lucilla dicitur.

C *licet in aliquibus MSS. dicant, quod e persecutorum manibus elapsus, facto tonitruo et templo Martis corruente,* perrexit ad proximum cœmeterium Lucinæ. *Apud Surium tamen, et in aliis MSS. nominatur* cœmeterium Lucillæ, *sic ut hinc nulla haberi probatio possit.*

4 *Baronius in Notis ad hunc diem:* Alia insuper, *inquit,* vixit Lucina Romana, temporibus Diocletiani Imperatoris: quæ non minus quam ista, pietatis operibus addicta, celebris fuit; de qua sæpius in Actis S. Sebastiani, atque in rebus gestis S. Marcelli Papæ agitur. *Passus est S. Sebastianus circa annum* CCLXXXIV, *ex sententia Baronii, quem Bollandus noster sequitur: in cujus Vita, S. Ambrosio auctori adscripta, num.* 36, *dicitur, quod, converso cum familia tota sua Nicostrato Urbis Præfecto,* feminarum *in baptismo* matres factæ sunt Beatrix et Lucina; *et hanc coli* XXX *Junii, istic notat Bollandus. Deinde, completo S. Sebastiani martyrio, dicitur num.* 88, *quod Sanctus* apparuit in somnis S. Lucinæ, matronæ cuidam religiosissimæ, dicens; In cloaca illa, quæ est juxta Circum, invenies corpus meum, pendens in gompho. Hoc tu dum levaveris, perduces ad Catacumbas, et sepelies in initio cryptæ, juxta vestigia Apostolorum. Tunc B. Lucina, ipsa per se,

Alia sub Diocletiano habetur ex Actis S. Sebastiani,

quem ipsa sepelivit ad Catacumbas,

cum servis suis, medio noctis abiit; et levans eum, posuit in pavone suo; et perduxit ad locum ubi ipse imperaverat, et cum omni diligentia sepelivit. Ipsa autem Lucina per XXX dies a loco sancto ipso non discessit: quæ statim ut ecclesia gloriam pacis accepit, et domum suam fecit ecclesiam; cui omnes suas opes ad Christianorum requiem relinquens, fecit ipsam ecclesiam heredem in Christo. D

AUCTORE D. P.

5 *Hic aliquis interposuit.* Post aliquot autem annos pax Ecclesiæ est reddita; *vere quidem, sed importune ad contextum, ideoque expungendum. Anni enim numerandi sunt circiter* XXVIII, *a morte S. Sebastiani scilicet, usque ad* CCCXII, *quando Constantinus, victo cæsoque Maxentio, Urbem ingressus, persecutionem omnem cessare in ea fecit. Interim prius conditum testamentum, domumque ecclesiam dedicatam, indicant Acta S. Marcelli Papæ, data* XVI *Januarii; et simul ubi fuerit illa Domus, quando post narratam S. Cyriaci et sociorum cædem, ac sepulturam,* XVII *Kal. Aprilis anno* CCCIX *curatam, Caput* V *sic orditur Auctor:* Post dies autem octo veniens Marcellus Episcopus, cum Lucina Matrona Christianissima, condivit corpora Sanctorum cum aromatibus et linteaminibus, et imposuit noctu in pavone cum eunuchis suis... VI Idus Augusti. Eodem tempore B. Lucina fecit donationem de facultate sua ex omnibus, sanctæ Ecclesiæ Catholicæ. Hoc audiens Maximianus Augustus, indignatus, proscriptione eam damnavit. Beata autem Lucina rogavit S. Marcellum Episcopum, ut domum ejus ecclesiam consecraret: quod cum omni devotione fecit Marcellus Episcopus. At ubi frequenter in eadem domo Missas celebrasset, in media civitate, Via-lata; audiens hoc Maximianus Augustus, iratus misit in eamdem ecclesiam, et fecit præceptione sua, ut in eadem ecclesia plancæ sternerentur, ad animalia catabuli publici; et eumdem Marcellum Episcopum ad servitium animalium deputavit, cum custodia publica: ubi etiam post multos annos serviendo, indutus amictu cilicino, emisit spiritum, sub die septimo decimo Calendas Februarii. Cujus corpus rapuit Joannes Presbyter noctu cum B. Lucina, et sepelivit in cœmeterio Priscillæ etc.

et domum suam fecit ecclesiam consecrari anno, non 312,

E

sed 309, si credi possit Actis S. Marcelli Papæ:

6 *Verum Acta hæc, licet antiqua, et Bedæ visa atque descripta, quam exiguæ tamen auctoritatis sint, agnovit ostenditque Bollandus, propter Marcellinum et Marcellum Pontifices, Maximianumque Augustum et Maxentium Cæsarem, fœde confusos; et indicavit plura alia contra certiorem historiam errata; quibus etiam adjungi possint,* Ecclesiæ Catholicæ *nomen, præmature applicatum* Romanæ, *et multi anni servitii in catabulo, affictos Marcello, qui paucos menses vel hebdomadas egisse istic potuit, sequenti mox anno* CCCX *defunctus, et successorem Eusebium nactus. Quibus animadversis verosimile fit, quod ex præcitatis S. Sebastiani Actis, hactenus fidelibus judicatis, nec S. Ambrosio auctore indignis, mutuo sumpta* Lucina *sit, quæ sic temere consarcinandis S. Marcelli Actis serviret. Quidni autem in simili præsumptione fundetur suspicio, de Actis Sanctorum Processi et Martiniani? Hæc sane esse illis recentiora, inde colligitur, quod Beda, præcipuo studio Romanorum Martyrum Acta consectatus, ut ea in suo genuino (quod primi protulimus) Martyrologio delibaret; de Marcello quidem synopsim texuit, ex jam productis verbis sumptam; ad sanctos autem Processum et Martinianum veniens, sola eorum posuit nomina, sicut inveniebat Romanis Kalendariis inscripta, propter propriam eorum in Urbe ecclesiam. Ignoravit etiam ea Acta Florus, et primus eis usus invenitur Ado, tum Usuardus, sicut supra dixi.*

verum hæc pessime consuta probantur.

F

Quidni ex Actis S. Sebastiani mutuo sit sumpta Lucina?

eademque intrusa Actis SS. Processi et Martiniani, nec fidis, nec antiquis:

7 *Deest igitur fundamentum duas Lucinas stabiliendi; et primam videri potest sola Adonis conjectura induxisse, eo die quo forsitan in sacra æde S. Sebastiani* ad

atque adeo unica solum fuerit?

AUCTORE D. P.

A *ad Catacumbas, fiebat aliqua ejus commemoratio annua. Hanc certe ibi sepeliri voluisse, ecclesiæ istius traditio habet, et Pancirolium in thesauris absconditis urbis Romæ pag. 434 dicit, quod juxta S. Sebastianum condita fuit in cœmeterio Calisti; quodque* in ultima Basilicæ istius restauratione, *facta initio seculi* XVII *a Cardinali Scipione Burgesio,* licet corpus S. Sebastiani, *e loco profundiore in altum, ubi nunc ornatissima ejus Confessio spectatur, elatum sit;* corpus tamen S. Lucinæ remansit primo sepulturæ suæ loco, crate ferrea desuper contectum : non tamen potest ibi superesse totum, eo quod Joannes Episcopus Lucensis, sui nominis primus, anno DCCLXXXVII partem inde habuerit. *De translatione partis hujus agit etiam Franciottus, in libro de sanctis Lucensibus; additque, ea de causa apud suos festum in Cathedrali celebrari die* I *Julii, utpote die primo non impedito, post ultimum Junii, qui impeditur festiva Commemoratione S. Pauli Apostoli.*

eaque uxor Piniani Proconsulis,

8 *Dedimus ad diem* XI *Maji SS. Anthimi et Sociorum Martyrum Romanorum Acta, talia, ut bonam eorum partem judicaverit Henschenius a Notariis Romanis fuisse descriptam, tempore ipsiusmet persecutionis;* B *alia paulo post a Fidelibus, actorum consciis, addita; adeoque fidei optimæ omnia. Hic statim in principio agitur de* Lucina, *Sergii Terentiani, bis Urbis Præfecti, filia, ex nepte Gallieni Imperatoris, Faltonio Piniano Asiæ Proconsuli nupta : cujus opera conversus vir Pinianus, baptizatusque cum tota familia a S. Anthimo Presbytero, ipso sociisque varie interemptis, pie defunctus sit.* Relicta *vero* ejus uxor, die noctuque in oratione perdurans, castissimum Deo exhibebat obsequium. *Dicitur illa sepelivisse, primo* S. Sebastianum ; *tum suam contubernalem* S. Beatricem, *supra nominatam ex illius Actis, sororem SS. Simplicii et Faustini Martyrum,* XXV *Julii commemorandorum; ac denique* SS. Cyriacum, Largum atque Smaragdum; *quorum Acta, illustranda* VIII *Augusti, satis conveniunt cum præfatis S. Anthimi Actis, quæ sic concluduntur :* Ipsa autem Lucina complevit ætatem annorum nonaginta quinque, in quo omni spatio non cessavit ab opere eleemosynarum, ab oratione et jejunio, in hymnis et canticis, in perfectione fidei et castitatis; et cum omni bono et sancto, ipsa etiam bona et sancta, perrexit ad Dominum. *Ubinam autem sepulta, potius, quam ibi ubi S. Sebastianum ipsa sepelierat, et ubi etiamnum dicitur haberi corpus vel pars corporis? cum e contrario de illa, quæ SS. Processum et Martinianum sepelivisset, nihil* C *uspiam inveniri legatur.*

quæ plures etiam alios Martyres sepelivit;

ad S. Sebastiani sepulta in pace,

9 *In hujus ædibus in Regione quinta Urbis, Campo Martio attributa, crediderim ego, conditam ecclesiam* S. Laurentii in S. Lucina, *sic dictam; ut alia, in Regione* XII, Laurentii in Damaso *appellata est, quia ab hoc ædificata fuit, verosimiliter in ipsis quas ante Pontificatum incoluerat ædibus. Nam quod de ecclesia S. Marcelli in Via-lata dicitur, cum non alio nitatur fundamento quam Actis illius, pariter cum illis ruit; donec aliunde firmetur melius, quod sperandum vix est. Cetera possunt in Majo legi, atque ex hic dictis ista suppleri, simulque hic dies teneri ex mente Bollandi, tamquam ejus quæ S. Sebastianum sepelivit; interque Acta Sanctorum, quibus* Lucina *sepulturam impendit, potius ista censebitur quam S. Marcelli; quamvis dubitare vix possim, quin huic quoque tanto majora impenderit obsequia, quanto potior erat illius dignitas in Ecclesia.* D

in cujus ædibus condita ecclesia S. Laurentii in Lucina,

quæ et S. Marcello servierat.

10 *In secundo Pontificum Romanorum Catalogo usque ad Bonifacium II annumque Christi* DXXX *deducto, indeque apud Anastasium Bibliothecarium, legitur de* S. Cornelio Papa, *quem anno* CCLI *exeunte Aprili ordinatum docui, anno sequenti mortuum; legitur, inquam, ibi de* S. Cornelio, *quod ejus* rogatu a quadam Matrona *(Anastasius* Lucinam *appellat)* corpora Apostolorum Petri et Pauli de Catacumbis levavit noctu : *et* corpus B. Pauli acceptum B. Lucina posuit in prædio suo via Ostiensi, juxta locum ubi decollatus est : *ac denique ipsius* Cornelii, *Romæ* ad templum Martis *decollati,* corpus, noctu collegit B. Lucina, et sepelivit in crypta, juxta cœmeterium Callisti, via Appia in prædio suo. E

Fingitur sub Cornelio Papa Apostolorum corpora transtulisse,

11 *Verum sicuti hoc repugnat antiquiori meliorique Pontificum Catalogo, pro secunda sui parte a Pontiano usque ad Eutychianum scripto, si non successive statim post cujusque Pontificis mortem, saltem simul circa annum* CCLXXX *(ibi enim dicitur, quod* Centumcellas expulsus, ibi cum gloria dormitionem accepit, *non Martyr, sed Confessor) sic istud contradicit Actis* S. Sebastiani, *jubentis sepeliri se* juxta vestigia Apostolorum, *adeoque adhuc in Catacumbis jacentium tempore Diocletiani. Sunt igitur etiam* S. Cornelii *Acta, unde istæc desumpta, Actis* S. Marcelli *simillima, etiam in hoc quod mortem S. Cornelii adscribant Decio, cujus exilium fuerat Gallo et Volusiano imputandum, aliaque frivola plura continent; ideoque ex iis nihil certi potest de* Lucina *haberi, quæ nata ex nepte Gallieni Imperatoris, anno* CCLIV *cum patre Valeriano imperare exorsi; moriente paulo ante Sebastiani Martyrium viro juncta, fuisse debuit plane juvencula, annorum fortassis* XIV *aut* XVI, *nata circa annum* CCLXX, *mortuo haud pridem* Cornelio; *nec enim potuit nisi annis viginti post illius obitum nasci, et vixisse debuit usque ad annum circiter* CCCLXV; *si quidem ex Actis S. Anthimi vidimus ipsam complevisse ætatem annorum* nonaginta quinque. F

quæ diu post adhuc erant in Catacumbis,

et ipsa necdum nata,

licet defuncta ætatis anno 95.

DE SANCTO MARTIALE

D. P.

LEMOVICENSIUM IN GALLIA APOSTOLO ET EPISCOPO.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

De ejus ætate et Actis apocryphis.

Dictus Lemovicum Apostolus,

Lemovicum, *Julii Cæsaris ætate potentium, civitas Episcopalis vetus, in Aquitania prima, inter Bituricensem et Burdegalensem metropoles sic media est, ut hujus Parlamento subsit in temporalibus, istius Archiepiscopo suffragetur in spiritualibus. Hæc fidei Christianæ lumen accepisse gloriatur, prædicante* S. Martiale : *quem non contenta primum suum* Episcopum *dicere, etiam* Apostolum *appellat, post rem gemina in Synodo Lemovicensi anni* MXXIX, *et Bituricensi anni* MXXXII *acriter ventilatam, ac denique Apostolicæ Sedis auctoritate definitam, pro parte affirmante. Hæc tamen definitio non processit ex sola causa jam indicata, et nunc communi usu recepta ad fundandum* Apostoli *titulum; sed etiam ex supposito, non probato, quod idem* S. Martialis *fuerit ex numero* LXXII *Discipulorum Christi, quos etiam Græci appellant* Apostolos; *unde prætendebant aliqui, in Litaniis publicis nominandum illum cum Apostolis; quem*

non solum quia creditur primus illis fidem prædicasse,

A quem alii contendebant retinendum in ordine Confessorum Pontificum. Levis sane momenti controversia, nec tanti strepitus judicio digna. Itaque, eo insuper habito, cœptum est inquiri superiori et curiosiori seculo, in originem et fundamenta præjudicii illius, meritoque dubitari, utrum S. Martialis ætas certius definiri possit, quam ex S. Gregorio Turonensi, Historiæ Francorum lib. 1 cap. 30, secundum Acta S. Saturnini, statuente, missum cum aliis sex in Gallias, cœpisse Tolosatium Episcopum agere Decio et Grato Coss. id est, anno Christi CCL, atque adeo Martialem, unum ex illis, non multis antea annis Lemovici sedem Episcopalem statuisse : quod etiam verosimile reddit exiguus successorum, eidem in antiquissimis Catalogis adscriptorum numerus, usque ad tempora Constantini ; quam sufficiens uni seculo implendo, tam nihil faciens ad implenda tria. Nam si constaret, tertium inter illos Actium sive Acticum vixisse (ut habent Sammarthani) anno CCCX vel CCCI, nihil foret inconsultius, quam primum ante illos Martialem ad Christi, in terris versantis, ætatem subvehere, solis Aureliano et Emelio intercurrentibus.

sed quasi unus ex LXXII Discipulis.

Bosquetus tantæ antiquitati diffidens,

2 Magister noster Godefridus Henschenius, quamquam in istam sententiam propensior, cavit tamen ne B definiret quidquam, et contentus fuit in S. Paulo Narbonensi ad XXII Martii iis, quæ collegit ex Francisci Bosqueti, Prætoris Narbonensis, Gallicanæ ecclesiæ Historiarum tomo primo, sub annum MDCXXXVI ; cum Auctario veterum monumentorum recuso ; quæque jam ille subjecerat eruditorum judicio et plerisque probaverat. Idem Bosquetus, cum libro 1 de S. Petri in Gallia discipulis creditis, sigillatim agere instituisset ; tandem num. 22, istam assumpti argumenti partem conclusurus, ita pronuntiat ; Quamvis traditionem, quæcumque illa sit, reverear ; hæc tamen omnia (quæ scilicet de Sanctis, Memmio Catalaunorum, Frontone Petrocoriorum, Georgio Velaunorum, Clemente Mediomatricum, Saturnino Tolosatum, Mansueto Leucorum, Euchario, Valerio et Materno Trevirorum, Saviniano, Potentiano et Altino Senonensium Apostolis, velut a Petro missis, circumferuntur) hæc, inquit, omnia adeo ab historica veritate aliena, mihi non persuadeo. Nam tot erroribus priscas narrationes obduxit antiquitatis amor... ut, qua agendum sit, non agnoscam. Itaque accelero... et unum Martialem, Petri discipulum præcipuum absolvo.

profert synopsim Actorum,

3 Martialis (secundum ea quæ circumferuntur Acta C ejus) a Petro consanguineo, jussu Christi, cum Marcello et Elizabeth parentibus baptizatus, præcipuis Domini actionibus interfuit. Petrum Antiochiam, inde Romam secutus, in Gallias, cum Alpiniano et Austricliano, Christi fidem prædicaturus, mittitur ; in itinere mortuum Austriclianum, apud Elsam vicum, accepto Petri baculo, suscitat ; Tulli, Arnulfi filiam a dæmone liberat ; Nervæ, Castri Domini, Neronis Imperatoris consanguinei, filium, a dæmone necatum, in nomine Jesu vitæ restituit ; et cum tribus millibus hominum baptizat. Ad Ergedium vicum idola destruens, a Sacerdotibus templorum cæditur ; qui imminente vindicta Dei obcæcantur ; neque prius lumen recipiunt, quam Christum Deum fatentibus dæmonibus, simulacris omnibus confractis, ipsi pedibus Martialis obvoluti sunt. Lemovicum urbem ingressus, a Susanna hospitio excipitur ; eam cum filia Valeria baptizat ; furiosum sanat ; a Flaminibus cæsus in carcerem conjicitur. Pro Martialis libertate natura conspirat, undique fulgura et tonitrua cœlum turbant, terra motibus quatitur, Flamines fulgure tacti cadunt, et prodigiis commotus populus accurrit ad carcerem ; Martialis de dæmone triumphans egreditur, turba acclamante ; Flamines suscitat ; eorumque de Christi divinitate audito testimonio, viginti duo hominum millia baptizat.

quibus dicitur Christi discipulus,

a Petro Lemovicum missus,

per multa miracula,

4 Vixit Susanna, bonis suis Ecclesiæ relictis ; D ejusque filia Valeria, se Virginem Deo consecrat : at cum ejus sponsus Stephanus Dux (hæc sunt Actorum verba) tenens Principatum a fluvio Rhodani usque ad mare Oceanum, Vasconum atque Gothorum gentem regendi habens potestatem usque ad montes Pyrenæos, eam ducturus Lemovicum venisset ; Valeria, jam Christo desponsata, nuptias renuit, et Stephani jussu capite plectitur. Pœnituit tamen Stephanum, et ad Martialis pedes provolutum, Christi misericordia recepit. Baptizat illum Episcopus cum omni comitatu ; munera in ecclesiam conferuntur ; Clero annonæ et redditus destinantur ; Hospitales domus construuntur, et ad Valeriæ sepulcrum ecclesia a Stephano ædificatur. Interea a Nerone Stephanus cum exercitu evocatus, Romam pergit ; Petrum Apostolum invisit, et nudis pedibus, cum omni exercitu, coram eo prosternitur. Lætatur Apostolus tantam multitudinem a Martiale in Jesu Christi numeros adscriptam ; et acceptis discipuli prodigiis, Stephano cædis Valeriæ veniam indulget. Ducentas libras auri, a Nerone sibi datas, Petro Stephanus offert : ille ad Martialem deferri, et ecclesias ædificari jubet. Redit exercitus in Gallias, et Stephano duce ad Martialem properat, pro reditu gratias acturus. Cum ad Vigennam fluvium E consedisset, Arcadii Comitis filius Hildebertus a dæmonibus demersus est. Martialis dæmonibus imperat ; corpus ripæ restituitur ; ipsi dæmones Æthiopum habitu videntur, et mira de inferno ac suis nominibus declarant. Excitatur tandem Hildebertus ; quæcumque in inferis vidisset, ipsumque purgatorium ignem describit ; deinde caput totondit, exercitationem severam professus : Arcadius pater, in tanti beneficii gratiam, Ecclesiæ bona confert.

AUCTORE D. P. post necem Valeriæ, a se conversæ,

fundasse ecclesiam,

et pulsis dæmoniis,

5 Stephanus, missis per omnes nationes sibi subditas edictis, idola destrui et Christum coli imperat ; ac reliquam religioso cultu vitam transigens, quatuor vicibus, per anni quatuor tempora, quotannis, cum subditis populis Martialem invisit ; et in cilicio et cinere et jejunio tres dies in ecclesia S. Stephani orationibus vacat. Jam per omnes Gallias, miraculorum fama et vitæ sanctitate notissimus Martialis, Sigebertum Comitem Burdegalensem paralysi liberat, dato suo baculo Benedictæ illius uxori. Hujus hortatu diruuntur Burdegalæ idola ; F Ignoti, qui colebatur, Dei templo servato : cuncta Regia Christi fidem accepit, et multa hominum millia a Martiale baptizantur. Insignis iterum miraculis ejus baculus, qui religiose a Benedicta servatus, in hodiernum diem custoditur. Hic est ille Martialis baculus, quem is a Petro accepisse vulgo creditur. Accepto beatorum Apostolorum Petri et Pauli martyrio, inceptam ecclesiam perficit Martialis : aptat sibi, Stephano, et Valeriæ sepulcra ; Protomartyri et Apostolis oratoria dedicat ; lampadibus, crucibus aureis, et pretiosissimis cimeliis ecclesiam ornat ; et magno cum apparatu, præsente Stephano Duce, et convivis peregrinis ministrante, illius dedicationem celebrat, dæmonum ejectione et miraculis illustrem, quæ in ultimum Neronis annum incidit. Quadraginta Clericos in illa ecclesia instituit ; hospitalem domum in quingentorum pauperum victum ædificat ; et Aurelianum futurum sibi successorem consecrat. Tum pedibus omnem Galliam circumire, et verbum Domini prædicare, tandem lato decreto, ut omnes Aquitani quotannis vicibus quatuor Lemovicensem ecclesiam adirent ; instanti dormitionis suæ die Aquitanos convocat ; Missa celebrata, orationem habet ad Portam Calcineam ; benedicit populo, et animam Deo reddit, Episcopatus sui anno XXVIII, Christi LXXIV, Vespasiani

totam Aquitaniam convertisse ad fidem

et A. C 74 obiisse.

AUCTORE D. P.

A spasiani anno III, ætatis suæ LIX, pridie Kalendas Julii.

Auctor præfertur Aurelianus successor, sed falso:

6 Hæc ex Actis S. Martialis, quæ Aurelianus, discipulus et successor scripsisse dicitur. Verum, quis vel ea percurrens, legitimum Auctoris nomen agnoscet?.... Certe Aurelianum, Martialis discipulum, hæc scripsisse, manifestissime falsum est; atque ipsi illorum assertores, ex Actis Aureliani solum excerpta fuisse, scribunt. Quo autem tempore, illa primum visa sint, incertum: nisi tamen conjectura nos fallat, paulo ante secundam Martialis translationem, quæ anno Christi DCCCCXCIV contigit, composita fuisse videntur. Nam scriptor miraculorum, quæ in secunda Translatione visa sunt, Acta S. Martialis antiqua periisse, a barbaris nationibus Aquitaniam vastantibus direpta, ipsisque alia substituta fuisse, declarat. Ergo post pulsos Aquitania Barbaros, restituta fuit Martialis Vita, aliquot ante secundam Translationem annos. Inde nata Apostolatus in vulgi animis opinio, tandem Concilio Aquitanorum anno MXXXI asserta; quidquid contra Jordanus Lemovicensis Episcopus, ex veteri suæ diœceseos consuetudine, pro certissima lege in medium proferret. Nam ad ea tempora a B Romano Episcopo Martialis missus fuisse, et circa Decii annos in Galliis vixisse, infraque hos annos per Gallias ejus discipulos prædicasse, credebatur: quos inter Ausonius Engolismensis Episcopus, sub Chroco Wandalorum Rege, circiter annum Christi CCCLX, passus est. Neque alia latissimæ Martialis prædicationi tempora succurrunt, quam XXXVIII anni ecclesiasticæ pacis, a Severo ad Decium.

cum sint Acta illa multo serius scripta.

Idem sustinet Joan. Cordesius

7 *Hactenus Bosquetus, et ad pleniorem dictorum confirmationem, Parte 2 Historiarum, producit Dissertationem,* de tempore quo S. Martialis in Aquitaniam missus est, ex Gallico MS. D. Joannis Cordesii, Presbyteri Canonici Lemovicensis, in Latinum sermonem versam: *credo, ut sententia sua mollior accideret Lemovicensibus, cum eam viderint suomet civi inter ipsos eruditiori probatam. Dissertationis ejus, necdum compositæ, sed inter Auctoris manus versantis, meminit Claudius Robertus in sua Gallia Christiana, anno* MDCXXVI *excusa; professus ex illius MS. dari a se Catalogum Episcoporum Lemovicensium, correctiorem quam ante quinquennium dederat Joannes Chenu. Sammarthani autem, cum eamdem Dissertationem jam editam a Bosqueto legissent, Roberti argumentum in quatuor tomos, sub eodem Galliæ* C *Christianæ titulo extendentes anno* MDCLVI, *omissa Actorum* S. Martialis *synopsi, quam ille proposuerat; maluerunt lectorem suum ad Dissertationem istam remittere. Rarissimus jam pridem est Bosqueti liber et mole sua exiguus, extra Galliam ad paucos delatus; quare operæ pretium censeo, Dissertationem totam inserere hic loci.*

per Dissertationem hic dandam ex Bosqueto;

a Marca, pro fide citius prædicata scribens,

8 *Quia tamen, ultra ipsiusmet Bosqueti mentem, ultra certe quam probare ipse possit, extendit Cordesius auctoritates Gregorii Turonensis atque Sulpitii, quorum ultimus fidei Christianæ prædicatiònem universam in Galliis diutius videtur differre quam conveniat, subtexam eidem Epistolam Archiepiscopi Tolosani, postea Parisiensis, Petri de Marca, ad Henricum Valesium,* de tempore quo primum in Galliis suscepta est fides Christi: *quæ Epistola quam facile persuadebit, nimis severum fuisse Cordesium; sic ostendet, quoad* S. Martialem, *nemini, quantumcumque conanti, sufficere posse solidum aliquod, in quo tanta ejus ætas fundetur. Huc enim veniens a Marca;* Unum illud, *inquit,* habetur in Martyrologiis veteribus, eum Lemovicæ fuisse Episcopum. Verumtamen antiqua ejus Vitæ Acta *(qualia jam scilicet nobis in synopsi dedit Bosquetus)* unum fuisse e LXX Discipulis Domini, et a Petro Apostolo ad Aquitanos missum, docent: quam traditionem amplexa est Synodus D Lemovicina: *sed utrisque quam parum hic credi possit, liquet ex præmissa synopsi.*

circa S. Martialem languet:

quem vetera Mrlia solum dicunt Episcopum,

9 *Ad Martyrologia quod attinet, Hieronymiani ecgrapha omnia, ad calcem diei hujus, adscriptum habent,* Lemovicas depositio S. Martialis Episcopi; *et Lucense atque Epternacense vetustissimum, ante mille annos exaratum, addunt,* et Confessoris; *sicut etiam Ado, Rabanus, atque Notkerus. Beda, cum Acta nulla invenisset, ejus commemoratione abstinuit, in eo quod genuinum dedisse nos credimus; sed qui Bedam in Atrebatensi, Lætiensi ac Tornacensi MSS. supplevit Lugdunensis Florus, Adone et Usuardo antiquior, ad præcitata vetustiorum MSS. verba addidit;* Qui a Romana urbe a B. Petro in Gallias missus, in urbe Lemovicina prædicare exorsus est; eversisque simulacrorum ritibus, repleta jam urbe Dei credulitate, emigravit a seculo *Hæc si vere sunt Flori, ut esse opinamur; oportet ut opinio, quæ S. Petri discipulum* Martialem *credidit, undecumque vel quomodocumque nata, ipso Floro antiquior sit; et quod in Actis quoque, qualia sub nomine Aureliani ante Normannorum irruptiones legebantur, idem assertum fuerit; atque adeo ut illa originem suam habuerint, non a* E *Monachis, Canonicis; sed a quorum, jam inde a tempore Pippini Regis ecclesiam* S. Martialis *tenentium, meminit Ademarus infra plenius allegandus.*

usque ad Florum, Acta secutum,

sicut et Usuardus

10 *Usuardus (quem Claudius Castellanus, satis certis argumentis, demonstrat Adonis Martyrologio sic usum, ut illud abbreviarit, auxerit, correxeritque) scribens sub medium seculi* IX, *satis ostendit, lecta sibi quædam* S. Martialis *Acta, cum ait;* Lemovicas civitate S. Martialis Episcopi, cum duobus Presbyteris Alpiniano et Stratocliniano, quorum vita miraculorum signis admodum effulsit*: quæ verba usque hodie etiam in Romano leguntur, nisi quod pro* Alpinianus, *scribatur* Albinianus; *et, conformiter ad Acta et Lemovicensium scriptorum usum,* Austriclianus *nominetur. De primo seorsim egimus proprio suo die* XXVII *Aprilis; de altero agent posteri, die* XV *Octobris. Igitur utroque hic prætermisso, pergo de solo* Martiale *hic agere; præterita etiam Vita, tam fabulose insulseque compilata, quamvis eam ex variis MSS. inter se operose collatam a Rosweido dare possemus; cum satis sit eam post Abdiam et in omnibus Surii editionibus legi. A Dissertatione Epistolaque jam promissis, transibo ad* Miracula, *danda ex vetusto nostro codice Pergameno; ubi primum narrantur patrata ad sepulcrum, nulli adscripta tempori, ac verosimiliter facta omnia ante Translationem anni* DCCCXXXII. F *Sequuntur alia sub novo exordio, a tempore Clotharii II Regis, et seculo Christi* VII *repetita; quibus subnectuntur secuta prædictam Translationem, Auctore (ut apparet) coævo.*

Actis omissa dantur Miracula,

sed optantur scripta an. 994.

11 *Post hæc optanda nobis restat collectio eorum, quæ in secunda Translatione anni* DCCCCXCIV *visa, allegat Bosquetus supra num.* 6, *hactenus autem non potuimus adipisci: eorum tamen defectum utcumque supplebunt, quæ ex MS. S. Martini Tornacensis nobis descripsit Josephus Ignatius a S. Antonio, Carmelita; ubi inveniuntur Acta et Miracula* S. Martialis, *concinno satis stylo abbreviata, ab Auctore seculi (ut apparet)* XI; *qui finit in eo, quod sibi ipsi contigit, sermonem habenti de S. Martiale in Agennensi diœcesi. Hic Abbreviator, a primis in ipsa sepultura factis orsus, nullo servato temporis ordine, ad suam usque ætatem progreditur; potiora dumtaxat aliqua colligens, partim ex prædictis, nequaquam hic iteranda; partim ex aliis, quæ sola excerpere curæ nobis fuit.*

Datur etiam historia Monasterii,

12 *Post Miracula dabo Historiam Monasterii S. Martialis (in cujus ecclesia, S. Salvatori dicata, a suo fundatore Ludovico Pio, hodiedum servatur corpus*

A *pus Sancti) collectam ex Chronographis duobus seculi* XII, *Ademaro et Gaufrido, hoc S. Martialis, isto S. Eparchii Engolismensis, Monacho, cum subsidio Brevis Chronici Lemovicensis : quæ omnia, nec non Gesta Episcoporum Lemovicensium per Bernardum Guidonis, Philippus Labbe inseruit tomo* I *novæ suæ Bibliothecæ ; et continuatam* S. Martialis *venerationem, variasque corporis deportationes, elevationesque, et miracula certius nos docebunt, quam Gregorii Lombardelli Appendix, ad Italice redditam, mireque amplificatam Vitam, et Senis editam anno* MDXCV. *Ille enim solum scripsit et amplificavit oretenus audita a quodam peregrino Presbytero, secum Roma Neapolim proficiscente, et gratuiti viatici causa multa commento, quibus videbat bonum Gregorium inhiare. Ademarus et Gaufridus domesticis usi scripturis, eoque in loco ubi fidei suæ habebant tot arbitros quot incolas, breviter omnia et succincte narrant, quæ partim legerant partim viderant, fide optima atque sincera, uti res ipsa docebit, collata cum synopsi eorum, qaæ recitata sibi Lombardellus ait, ad finem apponenda.*

DISSERTATIO

B

Joannis Cordesii, Presb. et Canon: Lemovicensis,

De tempore missi in Aquitaniam Sancti, ex Gallico Latine reddita a Franc. Bosqueto.

Lectori Daniel Papebrochius.

Dissertationem hanc, uti et sequentem Epistolam, sicut impressam reperi, daturus recudendam ; licere mihi velim, ut eam dividam in Paragraphos tres ; et Capitum numeris omissis, more nostro articulos partiar ; nec tantum, marginali synopsi addita, faciam rem usui nostro aptiorem ; sed etiam, posita ad cujusque Paragraphi calcem Animadversione, interpolem, quatenus utile visum fuerit.

§. *I. Proponitur opinio, asserens a S. Petro missum Martialem ; et demonstratur ætas Epistolarum, et Vitæ, Aureliano successori ejus adscriptæ.*

Vulgaris est omnium opinio, Martialem, non solum Lemovicum, sed etiam Aquitanorum esse
C Apostolum ; cum primus Christi fidem promulgaturus, in Aquitaniam venerit. Ipsum etiam primum Lemovicum Episcopum fuisse, apud omnes constat, cum Sedem Episcopalem in urbe Lemovicina fixerit. De tempore quo missus est, solum disputatur. Qua in re duas animadverto sententias. Una, illum ex septuaginta Discipulis, Petrum secutum Antiochiam, tum Romam ; inde cum duobus Presbyteris, ad fidem Christi prædicandam, ad Lemovicas missum, ibique tandem anno resurrectionis Dominicæ quadragesimo, vita excessisse refert ; quæ hodierna vulgi est opinio. Alia, Decio imperante circa Christi annum CCL missum asserit : atque hæc est Doctorum sententia, profitentium illam dignitate et pondere victricem, at impugnantium numero victam.

Ex duabus hac de re opinionibus,

2 Utra harum opinionum, veritati magis consentanea sit, ut deprehendere possimus, sigillatim illæ examinandæ sunt. Atque ut a vulgari incipiamus ; duæ Martialis nomine vulgatæ Epistolæ, ad Burdegalenses et Tolosanos ; ipsiusque Vita, quæ ab Aureliano successore scripta fertur, certiorem hujus opinionis originem nobis demonstrant. Hujus ergo tota ratio, ex earum veritate pendens, accuratius examinanda est. Primum, an illæ Epistolæ vere a Martiale scriptæ fuerint ; [deinde] an illa, quam modo habemus, ejusdem Vita, eadem ipsa D
sit, quæ ab Aureliano composita dicitur ; investigare debemus. Etenim si de illis certissime constet, Martialem, secundum vulgaris opinionis calculum, in Gallias missum a Petro fuisse ; non erit amplius dubitandum. Sin vero contra, illis Auctorum nomina falso supposita pateat ; diruto fundamento, quibus illæ innixæ sunt, eas quoque ruere necesse erit.

vulgaris, nititur Epistolis et Vita :

3 Quantum ad Epistolas : primum occurrit illud, quod ad earum calcem in veteri manuscripto ecclesiæ S. Martialis scriptum legitur : « Hæc duæ « Epistolæ, Domitiani persecutione adversus om- « nem Dei Ecclesiam ubique fervente, reconditæ « fuerunt in sacrario B. Petri, videlicet in Basilica « prædicti Apostoli, in tumulo cujusdam, in quo « etiam Pontificum sepultura antiquitus solebat « haberi ; ubi hactenus (ut in titulo scriptum re- « perimus) latuerunt ; nostro autem in tempore, « Philippo Rege regnante, sunt repertæ : quæ ni- « mia vetustate consumptæ, signis et litteris, « pene nobis incognitis (ut mos antiquorum fuerat) « scriptæ, vix tamen legi potuerunt, largiente Do- « mino nostro Jesu Christo, cui laus debetur, ho- « nor omnis, et victoria, in secula seculorum. E
« Amen. » Quæ verba falsitatis eas arguunt, et vere apocryphas (quæ nempe seculis tot absconditæ) fuisse demonstrant. Cur enim ab eo quo scriptæ fuerunt tempore, ad hæc posteriora secula, quibus visæ sunt, nemo illarum meminit? Quibusque modis alte in terra defossæ, per mille annos imputridæ et illæsæ evaserunt ? Ceterum si ad Burdegalenses et Tolosates scriptæ ; non adeo ab illis neglectas, quin aliquod, fragmentum aliquave penes eos memoria superfuerit, credendum est. Usque adeone miserabile fuit illarum fatum, ut cum Gentilium persecutionibus et barbarorum direptionibus tot chartæ superstites fuerint, earum nec vestigium, nec memoria ad nos usque pervenerit ? Plurimorum scripta desideramus ; at illa scimus nos desiderare, cum ab his scriptoribus, qui aliquando illa se legisse, scriptis suis testantur, illa extitisse discimus. Verum harum Epistolarum, Hieronymus, Gennadius, Isidorus, Honorius Æduensis, Abbas Trithemius, Henricus Gandavensis, aliique Scriptorum ecclesiasticorum collectores, inter tot antiquitatis monumenta, diligentissime conquisita, nusquam meminerunt. At ille qui hisce Epistolis posterorum fidem conciliare tentavit, statuariorum et sculptorum more, qui statuas et numismata altius F
fodiunt, ut rubigine tandem antiquitatis opinionem illis conferant, illas absconditas voluit ; infausto tamen eventu ; cum sagacissimi scriptorum æque ac numismatum exploratores, commentum facillime detexerint.

illæ, primum circa an. 1060 inventæ,

ex ipso inventionis modo arguuntur fictitiæ

4 Ex his criticis Cardinalis Bellarmini judicium afferam, doctrina et dignitate aliis omnibus anteferendi. Illius in lib. de Scriptoribus ecclesiasticis verba hæc sunt : « S. Martialis, primus Episcopus « Lemovicensis, dicitur scripsisse duas Epistolas, « unam ad Burdegalenses, alteram ad Tolosanos, « quæ extant in Bibliotheca SS. Patrum. Sed multa « sunt, quæ eas Epistolas supposititias esse, indi- « care videntur. Primum enim, Auctor harum « Epistolarum dicit, se cum Christo vixisse, ante- « quam crucifigeretur. Martialis autem, Episcopus « primus Lemovicensium, missus fuit ad eam ur- « bem, Decio Aug. et Grato Coss. anno Do- « mini CCLIV *, ut Gregorius Turonicus testatur « lib. I histor. capit. X. Quare necesse est, vel Martialem vixisse ferme trecentis annis, vel « titulum Epistolarum esse falsum, qui auctorem « præfert Martialem, Episcopum Lemovicensem ; vel

multisque aliis rationibus reprobantur a Bellarmino.

* Lege 250

A « vel Epistolas esse confictas. Deinde in secunda
AUCT. CEBES. « Epistola cap. 8. scribit auctor, a se baptizatum
« Stephanum Regem, et quemdam alium tyran-
« num cum Satrapis suis. Atqui tempore Aposto-
« lorum, et etiam tempore Decii Imperatoris, non
« habuit Gallia ullos Reges; sed Imperio Romano
« subjecta erat etc. Tertio, dicit idem Auctor eodem
« loco, templa idolorum eversa fuisse, et ecclesias
« ædificatas auctoritate Regia ipso suo tempore;
« quæ videntur manifeste falsa : certe pugnant cum
« historiis Gregorii Turonici, Adonis et aliorum.
« Quarto in eadem Epistola cap. 9. citantur verba
« scripturæ Geneseos, secundum S. Hieronymi
« versionem, quod etiam in utraque Epistola pas-
« sim cernitur. Id vero signum est apertissimum
« novitatis. Quinto, in eadem Epistola cap. 23,
« scribit Auctor, se interfuisse cum aliis discipulis,
« quando Judas osculo Dominum prodidit. Atqui
« hoc videtur repugnare Evangelio, siquidem Mar-
« cus cap. 14, et Lucas cap. 22, dicunt, Christum
« cum duodecim ultiman cœnam celebrasse, et cum
« undecim in hortum ingressum, ac deinde Judæ
« obviam ivisse. Sexto, in Epistola eadem cap. 8,
B « dicit, Valeriam quamdam, in ipsa Gallia mar-
« tyrio coronatam Id vero repugnat Sulpitio lib. 2
« sacræ Historiæ, et Gregorio Turonico lib. 1
« cap. 28 Histor. Franc. qui scribunt, temporibus
« M. Antonini primum intra Gallias martyria visa.
« Hactenus Cardinalis Bellarmini de Epistolis Mar-
tialis rectum judicium.

sicut et Vita ab Hesselio,

5 Quantum autem ad ejusdem Martialis Vitam
pertinet, illam scilicet, quam ex manuscriptis Co-
dicibus primus Carmelita Beauxamis, Apostolicis
vitis, quæ sub Abdiæ Babylonici nomine circumfe-
runtur, attexuit ; illa non majoris æstimanda est,
quam illæ Apostolicæ, quæ judice eodem Cardinali
fabulis similiores sunt, quam veræ narrationi : cum
propter errores historiæ, tum ob fidei labes, quibus
aspersa est. Jure itaque merito Joannes Hessels
Lovaniensis Theologus, ab eodem Cardinali lauda-
tus, illam hac » censura notavit : Vita S. Martialis
« [quæ incipit] *Prædicante Domino Jesu Christo apud*
« *Judæam, in tribu Benjamin convenerunt ad eum* :
» non placet propter valde multa. Inter cetera erro-
« nea, dicuntur Martialis et Cleophas, cum aliis
« multis discipulis Domini et Apostolis in cœna mi-
« nistrasse cibi et potus copiam, aquamque et lintea-
C « mina ad discipulorum pedes abluendos et deter-
« gendos, cum uno linteo dicatur Christus fuisse
« præcinctus : et Apostoli putarint, Judam missum
« Domino, ut egenis aliquid daret, aut ut emeret
« necessaria ad diem festum; quod non designat
« multitudinem ministrantium ibi fuisse. Rursus di-
« citur Martialis, a Domino, post resurrectionem ,
« parem potestatem et ligandi et solvendi accepisse
« cum Apostolis, et sic missus ad prædicandum in
« universo mundo : quod si verum esset, numquam
« Mathias in locum Judæ successisset, sed Martialis
« electus fuisset. Et vocatur Martialis Coapostolus
« et Condiscipulus Petri, quod tolerandum non vi-
« detur : etsi possit vocari Apostolus, sicut Epa-
« phroditus et Andronicus a Paulo vocantur Apostoli
« alicujus particularis gentis. Rursus inducitur An-
« gelus dicere de Martiale, quod duodecim Angeli,
« deputati ei, non permittunt eum fatigari et esurire,
« sitire, vel pati dolorem. Item, quod, sicut a con-
« cupiscentia carnali est alienus, ita et a dolore mor-
« tis fiet extraneus. Quæ omnia ridicula sunt : non
« est enim servus major Domino. Item, dicitur ipse
« multo auro et luminaribus ornasse ecclesiam, et
» instituisse qui divinum Officium agerent (quos
» nunc Canonicos dicimus) et præcepisse ut omnes
» populi vicini, quater in anno illud templum visi-
tarent etc. Huc usque docti illius Theologi censura, D
quæ Vitæ Martialis scriptorem, tot ridicula et Scri-
pturæ sacræ contraria permiscentem, æque imperi-
tum Theologum ac supinum Historicum fuisse de-
monstrat.

ut ineptiis scatens,

et falso Aureliani nomen præferens,

6 Quicumque ille fuerit, antiquitatem et fidem
captavit, his verbis, quibus finem imposuit, acsi
Aurelianus Martialis discipulus et successor ipse
« scripsisset : « Ego vero Aurelianus, licet non om-
« nia cognoverim, quæ, antequam ab ipso sacri
« baptismatis unda regenerari meruerim, plene
didicerim ; tamen postquam ab illo, ab inferni clau-
» tris liberatus, superis sum vitæ redditus : quæ-
« que audire relatu, ac videre potui visu, cognovi,
reticere minime curavi. « Quæ quam vera sint, in-
dicant verba hæc, quæ in veteri manuscripta colle-
ctione miraculorum translationis S. Martialis le-
« guntur in archivo ecclesiæ ejusdem Sancti. « Ab
« antiquis enim temporibus: sæva indique per Aqui-
« taniam procella irruit barbarica, gentium videlicet,
« Scytarum, inter quas Wandali, Slavi, Gothi etiam,
« Ariana perfidia maculati ; Aquilonales quoque,
« gentilitatis errore ebrii, debacchantes supra mo-
« dum, Norici, Danamarchii, cum Irescalibus Nor- E
« mannis, cuncta miserabiliter vexabant. Qua de re
« necesse fuerat, ut pretiosior thesaurus ecclesiarum
« perstudiose clam occultaretur. Barbari enim non
« modo captivos cum pecuniis, quin imo gloriosa
« Sanctorum corpora, a nostris finibus ad suos ve-
« nalia transferebant indigne, quod de plerisque
« contigit ; sed etiam ecclesiastica utensilia, libro-
« rumque divinorum multiplicia, a patria extrude-
« bantur. Terra sola, asportari non passa; ædificiis
« carebat superbis, utpote ignium favilla dissolutis.
« Fertur autem, quia liber, in quo per singula summi
« Patroni facta erant digesta, ab ipsa gente trans-
« latus fuerit. Si enim volumen Vitæ Apostoli
« apud nos non parvam præmonstrat prolixitatem,
« multo magis de quo istud, ut ferunt, defloratum
« dicitur, copiosius effluit : et quia excerptus, apud
« plurima innotuerat loca, non abolevit nobis ; sin-
« gulariter vero digestus per multa, ut singularis
« solitarios relinquendo deseruit. Ille autem excer-
« ptus liber, per universum pene orbem Europæ ,
« apud authenticos viros bene cognitus et proba-
« tus, eamdem quam Canonici libri veteris ac novi
« instrumenti, auctoritatem in Ecclesia Catholica
habet. « Ex quibus verbis infertur. Vitam Mar- F
tialis, quæ ab Aureliano scripta dicitur, non amplius
extare : idque Vitæ Alpiniani, socii Martialis hæc
verba confirmant : « Gesta etiam sancti Apostoli
« Martialis, quæ Aurelianus longissimis narrationi-
« bus persecutus est, ejus verbositate prætermissa,
« breviter collegimus, ut superius citata sunt, ne-
« cessaria tantum decerpentes, et verbosa ac super-
flua, licet vera, causa fastidii omittentes. « Unde
unum eumdemque Vitæ Martialis ac Alpiniani scri-
ptorem esse patet : non Aurelianum sed alium quem-
dam, qui se Aureliani compendiarium excerptorem
prædicat.

cum talis, si qua fuit omnino perierit,

quæ autem nunc habetur sit contracta ex alia,

quæ ipsamet non potest ab Aureliano scripta fuisse,

7 Itaque hoc unum modo expendendum est, an
hæc quæ nunc legitur Vita, ex illa prima et antiqua
Aureliani excerpta sit. Siquidem illius, a Barbaris
deperditæ, compendium fuerit, æqualem antiquæ
fidem obtinere censebimus : ut autem veram, quam
profiteri vult, antiquitatem redoleat narratio : neque
nationum, hominum, locorumve nomina, descripto
tempori incognita continere, neque alia certissima
ejusdem ævi historicorum fidei omnino contraria
narrare debet. In his tamen supine peccavit Vitæ
« auctor, præcipue his verbis : « Ingrediens Ste-
« phanus, denominatæ virginis (scilicet Valeriæ)
« sponsus et Dux, tenens Principatus a fluvio Rho-
dani

A « dani usque ad mare Oceanum, Vasconum atque « Gothorum gentem regendi habens potestatem, « usque ad montes Pyrenæos. » Et paulo post : « Habebat autem iste Dux, sicut jam diximus, Principatum a fluvio Rhodani usque ad mare Oceanum, possidens omnem Ligeris regionem, omnemque Aquitaniam seu Vasconum et Gothorum gentes. Rex tamen non vocabatur, licet Rex potentissimus Galliarum esset : quia nemo sibi alius proprie in Occidente hoc nomen tunc imponebat, nisi solummodo Nero, qui Romæ Imperii Principatum tenebat. » Quis enim ignorat, Ducis dignitatem, Vasconum et Gothorum imperium, demum Imperio Romano decidente, post Theodosium Magnum cognita fuisse? Nerone imperante, Gallias omnes ab ejus Proconsulibus, Præsidibus, et Legatis ejus sub nomine administratas fuisse, quis nescit? Et quamvis illa ad rejiciendum id scriptum sufficerent, Auctor tamen (quasi ad detrahendam scripto suo fidem totus incumberet) nominibus propriis illud aspergit, quæ eo tempore in usu fuisse nemo credet. Tale, Gentilis mulieris Susannæ nomen; Babyloniis aut Judæis cognitum; Arnulfi, Hildeberti, B Sigeberti item nomina, inter Burgundiones et Francos in Gallia tandem audita.

utpote omnino asystata narrans.

8 Nihilominus tamen, quidquid deliret scriptor, ejus Vita apud posteros tantam fidem obtinuit, ut inde supra hominum memoriam traditio nata sit; adversus quam qui disserat, fidem ipsam impugnare plerisque videatur. Absit autem ut tam infirmo fundamento innitatur nostra fides, quæ νόμῳ ἐγγράφῳ καὶ ἀγράφῳ solum stabilitur. Ut autem hæc traditio, a nimia credulitate progressa, examinetur; statuendum est, ad hoc ut certissima traditio habeatur, illam ipso tempore ad quod res ipsa refertur, nasci, et non interrupta serie ad posteriora tempora pervenire debere. An hæc igitur vulgaris traditio, a Martialis tempore, eo ordine ad nos usque derivavit? Primo in illa Vita, Martialis unus ex septuaginta duobus Christi Discipulis fuisse dicitur: nemo tamen veterum, qui nomina Discipulorum collegere, illius meminit : non Eusebius, non Hieronymus, non Severus Sulpitius, Dorotheus, aut Ado ex quo constat, eorum seculo incognitam fuisse illam de Martiale traditionem. Secundo, eadem Vita, a Petro missum fuisse Martialem ait, et in Galliis imperante Vespasiano decessisse. At Gregorius Turonensis, uno cum Saturnino Tolosate in Gallias C venisse, atque ideo Decio imperante, probat ex actis Saturnini. Quare neque anno sexcentesimo, quo vixit Gregorius, nota fuit illa Vita, quam vel impugnaturus vel approbaturus Gregorius retulisset. Neque Gregorii fidem minuit, quod ait Baronius, potuisse hoc loco æque ac alibi decipi Gregorium : non enim hac in re, qui peccat, in uno, factus est omnium reus; alioquin fluxa esset per omnem historiam Gregorii auctoritas. Ceterum Gregorius, Senatoria stirpe clarus, inter Arvernos, Lemovicibus finitimos, Martialis, quem plerisque locis laudat, dignitatem et ætatem ignorare non poterat. Hæc autem traditio, neque anno nongentesimo adhuc nata erat. Nam Lethaldus monachus, scriptor Vitæ S. Juliani Cenomanensis, cum aliis Episcopis sub Decio Martialem in Gallias venisse asseverat. Tertio. Anno XIV Neronis Imp. Martialem Basilicam construxisse, eadem Vita testatur : quod is facile non credet, qui demum sub Constantino, Christianis majores ecclesias ædificandi facultatem datam fuisse, non ignorabit. Nam prius intra cœmeteria et cryptas conveniebant fideles, donec a Constantino Basilica S. Salvatoris Romæ ædificata est, quæ a Nicolao I, in Epistola relata actione VII Concilii VIII, prima in toto orbe terrarum constructa esse dicitur.

D

ANIMADVERSIO D. P.

Non deest, quod postremis hisce censuris opponat Lector eruditus. Nam primo, Discipulorum LXXII *nomina, nemo fide dignus scriptor collegit aut tradidit; sed vel supposita habentur Auctoribus non suis, vel ab iis transcripta, qui titulis crediderunt non veris; et universim apparet, eadem nomina esse collecta ex Actis Apostolorum et Epistolis Pauli, quorum illi Discipuli fuerint, non autem Christi, nisi forsitan pauci. Ut ergo omnium aut fere omnium vera hactenus latent nomina, sic in illis latuisse diu potuit aliquis* Martialis, *si talis aliunde probaretur inter illos fuisse. Ad Gregorii Turonensis locum quod attinet, nec ipse Bosquetus vellet omnes ibi ex Actis S. Saturnini nominatos differre usque ad annum* CCL. *Nos vero ægre possumus credere, quod opinio, quam Cordesius Bosquetusque oppugnant, nec nata erat anno Christi* DCCCC; *tum quia putamus Florum, tanto seniorem, vidisse Acta, in quibus a Petro missus dicebatur Martialis; tum quia Ademarus, S. Eparchii Engolismensis Monachus, circa finem seculi* XII *scribens, in Commemoratione Abbatum S. Martialis sub finem, confidenter appellat* Gesta ejus canonica, semper ab Ecclesia recepta, *quæ* satis declarant, privilegium Apostolatus ejus, et quia sine dubitatione unus est de LXXII Apostolis, quos Dominus misit velut agnos inter lupos, quos LXXII non solum Græci, verum etiam Lucas Evangelista, et Paulus Apostolus in Epistola ad Corinthios prima, vocat Apostolos. *Experientia tamen doctus, quam non totis trecentis annis sit opus, ut aliqua vulgo placens opinio, certissima vetustissimaque credatur; sciens etiam potuisse Floro a transcribentibus addi aliquid, quod ipsius non sit; satis habeo Quæstionem de tempore, quo primum scripta seu verius ficta sint Acta, relinquere in medio; et ipsa solum non recipere ut authentica; idque tanto justius, quanto injustius Auctor assumpsit sibi nomen Aureliani, discipuli ac successoris. Sufficiat etiam repudiasse suppositas* S. Martiali *Epistolas, quarum etiam sic meminit Gaufridus Vosiensis cap.* 10; Tempore Petri Abbatis Vosiensis, duæ Epistolæ S. Martialis repertæ leguntur in sacrario S. Petri, in tumulo cujusdam, ubi sepultura Antistitum antiquitus fuit. *Illis autem additum testimonium, Auctoris sui declarat imperitiam; dum Domitiani ævo, quo ubique per Imperium usurpabantur Romanæ litteræ, etiam nunc notissimæ, adscribit morem utendi* signis et litteris, *seculo* XI pæne incognitis, quæ legi vix potuerint. *Item, cum eodem Domitiani ævo, quo nefas erat mortuos intra mœnia sepeliri, in oratorio urbano aliquo, quale fuisset illud ubi postea fuit condita Basilica S. Petri, prima Lemovicensium Cathedralis, fuerint tumuli mortuorum, in quorum uno tunc conditæ Epistolæ inventæ sint,* Philippo regnante.

Quod inter 72 discipulos non nominetur Martialis parvi faciendum,

neque constat quod sec. 10 primum prodierint Acta.

E

Interim illa et Epistolæ merito rejiciuntur.

F

§. *II. De tempore, quo scripta vulgaris Vita; et de modo, quo Apostoli, titulus S. Martiali confirmatus est.*

Probatum est, ut existimo, vulgarem hanc Martialis Vitam, ab Aureliano minime scriptam, neque traditionem antiquam esse : modo tempus illud, quo primum hæc opinio cœpit, perquiramus. Neminem, ante miraculorum secundæ Translationis scriptorem, hujus Vitæ meminisse reperio. Ille vero paulo post annum vicesimum supra millesimum scripsit. Nam referens ea quæ circa annum millesimum et decimum contigerant, hæc scribit. « Decursa multa generatione posthac mortalium, celebratur ab Aquitanis secunda Sublevatio summi viri

Primus qui Vitæ meminit anno circiter 1020,

AUCTORE CORDES.

A « viri moderna : cujus sublimitatem eo ausim fiducialiter commemorare, quo liquidum est nullius « figmenti nebulam adhibere. Omne etenim pene « genus hominum superest hactenus, quod oculis testificatur, quæ litteris inserere volo. « Et paulo post : » Nequis autem me existimet fabulosum, « digniores me, qui hodieque innumeri supersunt, « interrogans, comprobabit, hæc esse omnimode vera. Ex quibus manifestissime colligitur, Auctorem eas res, paulo postquam gestæ fuerant, descripsisse. Secundo loco, Martialem Apostolum lego in Synodo Francica, habita coram Rege Roberto, a Gausleno Bituricensi Archiepiscopo, Hugone Abbate S. Martialis, et quibusdam aliis Franciæ Episcopis anno MXXII. In illa Aquitani Francos, quod inter Apostolos Martialem numerarent, redarguebant his verbis: « Vos Franci non recte facitis, quia Martialem cum « Apostolis pronuntiatis. Nos recte agimus, quia « eum inter Confessores recitamus. Vos ultimum « Apostolorum dicitis : nos primum Confessorum « in Letaniis dicimus. « Quod jurgium compescuit Gauslenus, Martialem Apostolum asserens, sed non probans, et his verbis disputationem concludens ;
B « Nos Franci morem, quem Patres nostri, qui « primi monasterium S. Benedicti suo magisterio « innormarunt, plena nobis ratione subnixum tra- « diderunt de hac re, ratum conservamus.

ex fide Monachorum S. Martialis,

10 Quo sane verba hujusce traditionis Apostolatus auctores, Monachos S. Benedicti demonstrant ; qui eo seculo litterarum et bibliothecarum magistri, auctoritate qua apud populum pollebant, illi facile opinionem suam persuaserunt. Quemadmodum Hilduinus Abbas S. Dionysii sub Ludovico Pio, circa annum Christi DCCCXXX, arte Græcorum favorem ejus ambientium delusus, primus omnium Dionysium Parisiensem, Areopagitam Pauli discipulum, esse asseruit. Quamvis ad id usque tempus scriptores Ecclesiastici, Gregorius Turonensis, Fortunatus Pictaviensis, anno Christi DC ; Beda, anno DCC ; Usuardus anno DCCC, Dionysium solum Episcopum Parisiensem nominent, nulla Areopagiticæ dignitatis facta mentione. Imo et Gregorius, illis septem Episcopis annumerat, quos sub Decio circa annum CCL missos fuisse refert, quos inter et noster Martialis adscriptus est. Præterea antiqua omnia Martyrologia, scilicet ipsum quod Gregorii I Papæ tempore in usu erat, ab Heriberto Rosweido editum, et Bedæ, Usuar-
C di, Adonis, et Notkeri Monachi S. Galli, memoriam S. Dionysii Areopagitæ, Episcopi Atheniensis, qui, teste Aristide contemporaneo scriptore, sub Adriano passus est, die tertia Octobris recolunt : at Dionysii Parisiensis, cum Rustico et Eleutherio passionem, die nona ejusdem mensis commemorant. His omnibus insuper habitis, Hilduinus Areopagiticam dignitatem Dionysio affinxit ; neque tamen integram fidem apud posteros meruit, cum Lethaldus et Abelardus, quamvis hic S. Dionysii Monachus, illius opinionem impugnarint. Ergo Hilduini exemplo, cum Ecclesia Lemovicensis S. Martialis circa annum DCCCXLVIII, in potestatem Monachorum S. Benedicti venisset, Martialem fictæ antiquitatis illustriorem illi Monachi reddiderunt. Nam Hugo Abbas S. Martialis, ab illa Synodo reversus in monasterium, in Litaniis Martialem inter Apostolos primus omnium descripsit.

eodem quo circa S. Dionysium antiquitatis zelo ductorum,

et Apostolis annumerare S. Martialem volentium,

frustra reclamante Ep. Lemovicen. Jordano,

11 Hac re commotus Jordanus Episcopus Lemovicensis, novitatis Abbatem arguere, et Martialem Confessoribus, non Apostolis annumerandum ex veteri more, asserere ; ut patet ex epistola, Regis Roberti, Guillelmi Ducis Aquitaniæ, et Episcoporum nomine scripta Benedicto Papæ VIII, qui anno MXXIV obiit, e qua hæc verba Jordani describimus : « Sanctus Aurelianus successor illius (quem ipse « sanctus Martialis de inferno traxit) Ebulus, Atti- D « cus, Ermogenianus, aliique ejus successores usque « ad triginta sex, Ego vero trigesimus septimus, « qui vocor Jordanus, omnium infimus ; hi omnes « pro sanctissimo Confessore eum habuerunt ; simi- « liter omnes Abbates, in ejus monasterio habitantes, « usque in hodiernam diem. Iste Abbas qui nunc « est, novitate deceptus, superbia elatus, venit ad « me, qui sum vilior meis antecessoribus, deprecans « ut in Concilio meo et in Synodo, sanctissimum « Confessorem in numero ponerem Apostolorum. « quod facere nolui. Ille perseverans dictis, fidem « quam habuit cum duodecim Monachis illius Mo- « nasterii, mihi promisit, ut cum auctoritate in om- « ni Concilio [coram] me defenderet, hoc facere « non potuit in Concilio Guillelmi Ducis Aquitano- « rum, audiente Archiepiscopo Bituricensi, Isam- « berto Pictaviensi, ceterisque Consuffraganeis. Om- « nes Episcopi Francorum, Arvernorum, Vasconum « Aquitanorum, cum quibus ego fui locutus, com- « probant et affirmant, sanctissimum Confessorem « Martialem non debere tolli de illo loco, ubi san- « cti Patres et nostri antecessores eum posuerunt ; « et non esse Apostolatum, nisi auctoritate compro- « batum . « Et paulo post : Tibi vero ego Jordanus E « has litteras mitto de parte istorum prædictorum, « Regis scilicet Roberti, Guillelmi Ducis Aquitano- « rum, Archiepiscoporum omnium, videlicet Catho- « licorum, qui mihi contradicunt, ne S. Martialem « in numero ponam Apostolorum. Tu autem, si au- « sus es hoc facere, quod non fecerunt sancti tui « antecessores, Gregorius, Clemens, Bonifacius, « multique alii, ut ponerent Confessores inter Apos- « tolos ; si peccatum est, tuum sit ; ego vero liber « a culpa neque inquitas, neque peccatum meum ; « voluntatem omnium Aquitanorum tibi monstrabo : « quia ille Abbas seductor, nulla alia causa hoc fa- « cit, nisi quia vult destruere Sedem Episcopalem « primi Martyris, et Apostolatum S. Petri adnihi- « lare. Per istius chartæ portitorem litteras mihi « mitte, et per omnia tuam voluntatem mihi manda.

et Benedicti 8 judicium appellante;

12 Respondere non potuit Benedictus, morte præ- « ventus ; sed successoris Joannis XIX in veteri MS. « Lemovicensi, Epistola hæc legitur « Joannes Epi- « scopus, servus servorum Dei, Jordano Episcopo « et ejus Clero, cunctisque Episcopis Galliarum, F « salutem carissimam cum benedictione Apostolica « etc. In qua descriptis hic quæ in vulgari Martialis « Vita leguntur, hac ratione Martialem Apostolum « esse definit : « Cum igitur Apostoli nomen non « sit numeri, sed officii, quicumque revelante Deo « ad prædicandum mittitur, et sua pia exhortatione « et exemplo, commissum sibi divinitus populum a « potestate diaboli liberat, non incongrue Aposto- « lus dici potest ; quia Apostolus, Missus dicitur. » Quæ sane definitio in illa Episcopi et Abbatis controversia, recte lata est : nam illi in missione Martialis conveniebant, eumque ex septuaginta duobus Discipulis communi consensu asserebant, ac de solo Apostoli nomine disputabant. Accepta Joannis epistola, conveniunt Bituribus Episcopi, et decretum hujusmodi fecerunt : « In nomine Domini, Ego « Aymo Archiepiscopus, Anno Incarnationis Domi- « nicæ MXXXI, Indictione XIV, in Concilio Bituricen- « si, quod actum est Kalendis Novembris, cum con- « sensu Coepiscoporum seu Abbatum, et reliquorum « fidelium, qui ibidem præsentes adfuerunt, decrevi, « et auctoritate propria firmavi, ut privilegium Domi- « ni Joannis, Romanæ Sedis Papæ, quod isdem Do- « minus instituit, et Episcopis, Abbatibus, et reli- « quis fidelibus totius Galliæ misit, inconvulsum et « illibatum permaneat ; scilicet, ut beatissimus Mar- « tialis in numero Apostolorum, tam in Litaniis quam

annuit enim illis Joannes 19, edito decreto, an. 1031.

AUCTORE CORDES.

quod in Bituricensi Synodo suscipitur;

« quam in omnibus divinis Officiis computaretur, et « esset, nec immerito. « Hancque decreti rationem « reddit Aymo : » Est quippe dignum (sicut in Gestis « ejus reperimus insertum) illum videlicet tam in « cœna Domini quam in passione, nec non et resur« rectione, ascensione quoque, præsentem adfuisse, « et cum ceteris Apostolis Spiritum sanctum acce« pisse : » nullamque aliam auctoritatem, præterquam illam Martialis Vitam, citat.

et in Lemovicensi altera confirmatur, sed ex hypothesi,

13 Ut autem Decretum illud executioni mandaretur, Episcopi Lemovicas veniunt die decima octava ejusdem mensis Novembris, et inceptum apud Biturigas Concilium absolvunt. In hoc Jordanus, Lemovicensis Episcopus, examinandam affert in medium de Apostolatu Martialis sententiam. Tum quidam Presbyter et Canonicus Podiensis Engelricus, citat Hieronymum, in Epistolam ad Galatas, unde concluditur alios præter duodecim fuisse Apostolos; eos scilicet, qui cum Christum in carne vidissent, eum postmodum prædicarunt. Aliud tamen infert « his verbis : « Si illi, qui in carne Dominum viden« tes, eum postea prædicantes, Apostoli sunt ; quan« to magis Martialis, qui Domini in carne Discipu« lus fuit ? « Quod vix superioribus cohæret ; ac, si principium petere noluisset, prius hypothesim probare debebat : verum minime mali illi homines non ita accurate singula examinabant. Post Engelricum Azenerius Abbas, inter Grammaticos et postea in Palatio enutritus, non alio quam Apostoli sub nomine, in sui Ordinis monasteriis quæ erant in Francia Martialem cognitum usquam [dixit] audivisse : ac tandem, cum in Bituria, præcepto Regis Roberti, monasterio cuidam præpositus fuisset, contrariam illius consuetudinem se abrogasse, et Martialem inter Apostolos scripsisse. Unde patet nondum stabilitam eo tempore fuisse hanc traditionem, neque tantam obtinuisse auctoritatem Martialis Vitam. Quod etiam colligi posse videtur ex verbis corroborationis, factæ in Concilio Bituricensi de Apostolatu Martialis, quæ sunt : « Contestati sunt ergo omnibus, ut abjecta « ignorantiæ cæcitate, eum corde credant, et ore « fateantur Apostolum ; quia pravitas et negligentia « fuit his qui ante nos fuerunt, cur non omnino patefecerunt gloriam Dei, quæ in eo est pro Apostolatu. » Quare constans adhuc non erat pro S. Martialis Apostolatu traditio. Atque id ex MS. Homilia, dicta eodem tempore, in dedicatione Capellæ, S. Pe« tri juxta S. Martialis, aperte confirmatur. » Hoc « autem, inquit, quare dixi, nisi quia susurrones, « contra statuta Patrum agentes persensi, qui recte « mentiti in capita sua, in quantum ipsis est per « latibula garriunt, Martialem non esse unum ex his « qui Dominum prædicaverunt, Apostolis ; sed « unum ex postremis Confessoribus Episcopis, qui « longe post Apostolorum tempora extiterunt.

non omnibus etiam tunc probata, de ætate Sancti;

et perperam adductis antiquis Litaniis,

14 Et quamvis Odolricus, Abbas S. Martialis, præfati Hugonis successor, hoc in Concilio asseruerit, S. Martialem ab antiquis omnibus Patribus inter Apostolos fuisse connumeratum : nullum tamen profert, ex quo eam traditionem probare possit ; hanc levem silentii sui excusationem prætexens, ne ob Martialis ecclesiæ regimen, adulandi studio ea dicere videretur. Nihilominus tamen et veteres codices Litaniarum citat, in quibus S. Martialis inter Apostolos scriptus erat. Quasi vero illa esset in Litaniis antiquitus distinctio, nec promiscue nomina Sanctorum recitarentur : nam in Missali perantiquo anni millesimi ecclesiæ Lemovicensis, inque Litaniis quadruplicibus quæ diebus Paschalibus recitantur, commixti sunt Confessores, Martyres, et Apostoli, nullo ordine servato. In tribus earum primis, nulla Martialis est mentio ; in quarta recitatur post Paulum, et hunc Petrus et Silvester præcedunt ; unde apparet, aliam fuisse ab hodierna methodo, illam antiquam Litaniarum seriem. Quare non magni æstimanda sunt desumpta ex illis libris testimonia. Addit Odolricus, eam de Martiale sententiam etiam Abbonem S. Benedicti ad Ligerim Abbatem approbasse : at hujus paulo ante defuncti ætas recentissima, auctoritatem minuit. His præcipue rationibus S. Martiali, Apostolatus in eo Concilio decretus est. Verum quibus auctoribus ? probis sane et sanctis, at imperitis. Nam Sixtum secundum Papam, Laurentium, Dionysium Areopagitam, Clementem et Saturninum eodem tempore vixisse asserunt ; attamen et Saturninus, Imp. Diocletiano et Maximiano ; Decio et Grato Coss. martyrium tulit, ipsis ibidem testibus. Quod sane ridiculum est. Ille enim Consulatus non in Diocletiani et Maximiani, sed in Decii Imperium cadit, ut ex Fastis videre est. Præterea quicumque in eo Concilio Apostolatum Martialis excutere voluerunt, ut indocti notati et repulsi sunt ; illius vero assertores, quantumvis historiam confuderent, ut doctiores laudati. Nulla quoque Gregorii Turonensis de Martiale sub Decio Imp. disserentis mentio facta ; quod unum silentium ad retractandam causam valeret. Verumtamen tantum pondus ab hoc Concilio nova illa traditio obtinuit, jam paulo ante, Vitæ vulgaris S. Martialis editione, promulgata ; ut exinde major pars hominum, Martialem unum ex LXXII Discipulis, a Petro in Aquitaniam ad prædicandum Evangelium missum fuisse, crediderit. Atque ipse Cardinalis Baronius illam sententiam, quando Concilio Provinciali confirmata erat, approbavit ; licet aliunde Vitam S. Martialis merito suspectam, et multis historiæ sanæque doctrinæ maculis aspersam, primo Annalium tomo duxerit.

aliisque multis imperite confusis,

15 Ex his omnibus quæ examinandæ primæ opinionis causa dicta sunt, hæc colligere possumus. I. Vitam Martialis, quam modo habemus, non illam esse quam Aurelianus scripsisse dicitur ; neque ex illa exceptam. II. Illam, nullam sapere antiquitatem III. Erroribus, cum in historia, tum in fide et dogmate, esse refertam. IV. Nullum fide dignum auctorem, ante nongentesimum Christi annum, illius meminisse : unde sequi videtur, ab eo tempore fuisse conscriptam. V. Non patere, traditionis et opinionis hujus ullum extitisse fundamentum, ante annum nongentesimum. VI. Ab anno solum MXXXI et Concilio Lemovicensi, S. Martialem in Officiis divinis inter Apostolos recitatum, ante in Confessorum Episcoporum numerum conscriptum, quod antiquis Lemovicensis Ecclesiæ Missalibus et Breviariis, ante Concilium scriptis, confirmari potest.

unde nihil fidei accedit Vitæ paulo ante cusæ.

ANIMADVERSIO D. P.

Joannis XIX Papæ Decretalem Epistolam, integram Lector inveniet pag. 35 Galliæ Christianæ, editæ (ut dixi) per Claudium Robertum, Lugdunensis Ecclesiæ Præpositum, post Aymonis Bituricensis Statutum. Eam utinam legant expendantque, qui in Romanorum Pontificum epistolis, quatenus narrativæ sunt, et ex supplicantium tenoribus sumptæ, tantam vim ponunt ; ut, si apicem istic reperiant præjudicatis apud se opinionibus vel leviter faventem, cristas erigant, sibique adversantes, ut Pontificiæ auctoritatis contemptores proscindant. Ecce hic, non unum alterumve verbum, cui fortassis etiam alius, nec incommodus sensus dari possit ; sed integram prolixamque narrationem, desumptam ex imperitissime consarcinata S. Martialis Vita, eaque non valde antiqua ; ecce sententiam, omnibus quidem reverendam, quia ab Apostolica Sede profectam, et sano sensu veram ; hypothesi tamen, non modo non probata efficaciter, sed nec in examen quidem tunc vocata, et nunc passim explosa, innixam. Estne aliquis hactenus,

Joannis 19 decretalis,

quatenus compendio refert Acta S. Martialis,

A *hactenus, qui vel Cordesium vel Bosquetum, vel alium quemquam culpandum putaverit, etiam eorum qui putant, independenter a Vita, sustineri posse Discipulatum Martialis inter* LXX, *vel saltem ejus a S. Petro missionem? Expendant hic etiam rigidi illi censores conclusionum, in argumento negativo fundatarum vim; et quam rationabiliter hic Cordesius (quem Claudius Robertus pag.* 34 *appellat,* rerum ecclesiasticarum et totius antiquitatis peritissimum) *negando produci quemquam, qui Vitæ istius meminerit ante annum* DCCCC, *procedat ad adstruendam illius novitatem; excusans interim, pios magis quam eruditos Synodi Lemovicensis Patres, qui de illius Vitæ fide nec dubitaverint, nec dubitantes sustinuerint audire. Non autem objiciatur Cordesio, quod editum a Rosweido Martyrologium, alterumque, sub nomine Bedæ pridem excusum, alleget num.* 10, *ut antiquissima; quæ recentia satis esse nunc evidenter probatum est: semper enim novi aliquid docet posterior ætas, quod prior non noverit. Non etiam durum videatur, quod* Hilduinum *Abbatem dicat, in Dionysio Areopagitis adscribendo,* arte Græcorum, favorem ejus ambientium, *fuisse* delusum: *idem enim accidisse ostendimus anno* MXLIX B *Concilio Moguntino, circa S. Servatium, in Exegesi de Episcopatu Tungrensi ante Tom.* 7 *Maji, num.* XI. *Aliter tamen sentiendum de S. Simeone, cujus Vitam dedimus* I *Junii, ejusque socio Cosma, ex Monte Sinai venientibus; qui circa annum* MXX *Engolismæ expectantes (ut dictum cap.* 2 *Vitæ, annot.* 3*) ibique interrogati,* Utrum Orientales Martialem nossent; consono ore responderunt, dicentes; Utique Martialem novimus, unum ex Septuaginta duobus. *Absit ne tales viros, per adulationem vel ambitionem, sic locutos dicamus. Quod igitur non didicerant ex suis ritualibus libris, vel Discipulorum* LXX *Catalogis, in Oriente notis (nullus enim ibi* Martialis) *id hauserant ex antiquiori illa Vita, quam Floro Lugdunensi innotuisse censuimus, per advenas ex Europa in Orientem delata; interim inde de illius opinionis antiquitate, majori quam Cordesio videatur, certiores reddimur; et scrupulus minuitur, qui nobis dubium reddere poterat, utrum revera Flori essent verba, supra recensita, ut inventa inter ejus ad Bedam additamenta.*

AUCT. CORDES.

licite non admittitur.

Hilduino circa Dionysium Græci illuserint,

non tamen Francis S. Simeon circa Martialem,

bona fide secutus Vitam.

§. *III. Verosimiliter pro anno* CCL *opinio exponitur et declaratur.*

C Examinata priori sententia, rationem secundæ inquiramus; quæ nimirum S. Martialem anno ultimo Imperii Philipporum, Decii primo, ipso et Annio Grato Consulibus, Fabiano Romæ Episcopo, anno a nativitate Christi CCL, in Aquitaniam venisse refert: atque hæc tanto verisimilior erit, quanto illa prior a veritate magis aberrat. Hujus opinionis prima origo ex Actis passionis Saturnini Martyris et primi Episcopi Tolosatis ducitur, ut ab Gregorio Turonensi, circa annum Christi DC scribente, refertur, cap. XXX lib. 1. Histor. Franc. his verbis » Hujus (scilicet Decii) tempore, septem viri Epi- « scopi ordinati, ad prædicandum in Gallias missi « sunt, sicut Historia passionis S. Saturnini de- « narrat. Ait enim: Sub Decio et Grato Coss. sicut « fideli recordatione retinetur, primum ac summum « Tolosana civitas S. Saturninum habere cœperat « Sacerdotem. Hi ergo missi sunt, Turonicis Ga- « tianus Episcopus, Narbonæ Paulus Episcopus, « Tolosæ Saturninus Episcopus, Parisiacis Diony- « sius Episcopus, Arvernis Stremonius Episcopus, « Lemovicis Martialis destinatus Episcopus ». Quæ narratio, ex Actis publicis excerpta, in quibus socii Saturnini descripti erant, Martialem unum ex illis, eo solum tempore, non ante, missum fuisse convincit: quod satis confirmatum videtur auctoritate D Severi Sulpitii, qui libro secundo Historiæ sacræ ait: « Post Adrianum, Antonino Pio imperante, pax Ecclesiis fuit. Sub Aurelio deinde, Antonini filio, persecutio quinta agitata: ac tum primum intra Gallias martyria visa, serius trans Alpes Dei Religione suscepta ». Quæ verba duo indicant. Primum, eos, qui sub Aurelio Lugduni passi sunt; primos Galliarum Martyres fuisse; quare rejicienda vulgata Dionysii, Valeriæ, Saviniani, et aliorum priora martyria. Secundum, paulo ante Antoninorum imperium receptam in Galliis Christi religionem, primo Lugduni et Viennæ, Romanorum coloniis, proxime Italiam sitis, in quibus nova illa Religio suos primos habuit Martyres.

Nititur hæc Actis S. Saturnini,

et Severi Sulpitii auctoritatibus

17 Atque adducta a Severo ratio, visorum demum quarta persecutione martyriorum in Gallia, scilicet propter Religionem, tardius receptam, magnum hac in disputatione pondus habet. Neque illi Irenæus, Tertullianus, et alii scriptores antiqui adversantur; qui dum per Gallias promulgatam Religionem Christianam asserunt, non ad priora, sed E ad sua tempora, Severi nimirum Imperatoris ætate, a Sulpitio notata, posteriora, referendi sunt. In omnibus etiam late Galliis receptam fuisse illorum temporum Religionem, non existimare debemus; sed solum in aliquibus provinciis et urbibus; cum et Martini Turonensis tempore, anno CCCC, eodem teste Sulpitio in ejus Vita, dii Gentilium adhuc in Gallia colerentur. Enimvero recepta primum Lugduni et Viennæ Christi fides, in vicinas provincias paulatim diffusa est. Ac, cum benevolis erga Christianos per vices Imperatoribus, libera prædicandæ fidei facultas daretur; Episcopi, præcipue urbis Romæ, in hæc loca, excolendæ religionis causa, viros Christianos mittebant: ideoque Philippis Imperatoribus, Christianis faventibus, Fabianus Romanus Episcopus nominatos supra septem viros in Galliam Episcopos legavit. Ergo ex dictis constat, sexto seculo, Gregorio Turonensi scribente, Martialem pro Petri discipulo ipsiusque legato non fuisse agnitum. Nam et ipse Gregorius, pluribus locis libri de gloria Confessorum, de Martiale et aliis verba faciens, de Petro semper silet. Ita cap. XXVII: « Igitur S. Martialis Episcopus, a Romanis « missus Episcopis, in urbe Lemovicina prædi- « care exorsus est ». Et infra: Per sanctum enim F « Stremonium, qui et ipse a Romanis Episcopis, « cum Gatiano beatissimo et reliquis quos memo- « ravimus, est directus, primum Arverna civitas « verbum salutis accepit ». Neque alius, qui Gregorium antecedat, vel ducentos etiam post annos subsequatur, hujus circa Martialem novæ opinionis meminisse legitur. Atque ad hanc posteriorem Martialis ætatem confirmandam, sufficit Ausonii, Engolismensis Episcopi Vita, quæ illum Martialis discipulum, a Chroco, Valeriano et Gallieno imperantibus, Gallias depopulante, cæsum pro religione fuisse narrat. Quare Martialis, discipulum Ausonium, post annum CCLX passum, ducteis annis præcedere nequit; quod tamen asserere coguntur novæ hujus opinionis assertores, ad Petrum Apostolum Martialis missionem referentes.

minim[e] levibu[s]

antiquiorumque de majori Martialis vetustate silentio,

18 Tandem comparatis duabus hisce opinionibus, non arduum est nostræ antiquitatem, vulgarisque novitatem, animadvertere. Hæc enim ab nullo certissimo auctore confirmata, nullisque subnixa rationibus, merito rejicienda est: hac regula historiæ certissima, a Baronio allata primo Annalium tomo: » Quod enim a recentiore auctore, de rebus adeo « antiquis, sine alicujus vetustioris auctoritate pro- « fertur, contemnitur ». Ut autem magis hujus opinionis

maximi in talibus momenti argumento

A opinionis vulgatæ infirmitas appareat; investigandum est, unde illud invaluerit, a Petro missum Martialem; quod sane loquendi formula factum est. Cum enim Romana Ecclesia, Petri Sedes fuerit semper appellata; illi qui ab ea Sede legati sunt, a Petro missi fuisse dicti sunt, licet a Petri successoribus longa post tempora venerint. Quod pluribus Scriptorum locis manifestum, confirmatur dignitate Bonifacii, a Gregorio II in Germaniam Evangelii gratia legati; qui Missus sancti Petri dicitur in Caroli Martelli epistola, et cap. 2. lib. 5. Capitularium. Quare corrigendi sunt plerique auctores, qui circa annum millesimum, et ab eo, scripserunt; nam hanc loquendi formulam vix capientes, ad Petrum retulerunt, quod ejus successoribus adscribendum erat. Hac in re lapsus Flodoardus, Sixtum primum Remorum Episcopum a Petro missum scribens, ex Hincmaro corrigendus est; qui Flodoardo annis centum et quinquaginta anterior, Sixtum Remorum a Sixto Romano missum asserit, cap. 16 operis contra Hincmarum Laudunensem.

Contrarius error ex eo fluxit

quod a S. Petro missi dicantur quotquot Roma mittuntur,

19 Ea sunt quæ veritatis studio investigavi, et scripsi, Martialis aut alterius Sancti dignitati derogandi animo minime ductus (neque enim tempus,
B gratiæ, illis a Deo collatæ, aliquid addere aut demere potest; vel minor est eorum sanctitas, quod tardius vixerint) verum ut quorumdam facilitati succurram, qui fabulosis narrationibus, pietatis et religionis prætextu, toto animo incumbentes, sacram nostram historiam fœdissimis maculis aspergunt. Quod tamen mirum videri non debet, si naturale populorum omnium, veræ fictæve originis suæ referendæ desiderium repetamus. Nationes enim pleræque, cum nihil antiquius Trojæ excidio legerent, a profugis et Trojano incendio superstitibus originem suam se traxisse prædicarunt; ita et in causa religionis libenter quisque populus, ab ipso ore Christi, aut Apostolorum suam repetit. Atque inde tot traditiones exortæ, quæ a vulgi opinione in ipsum Sanctuarium, et Ecclesiasticam traditionem transierunt, quas notare facilius esset, quam evellere. Hoc unum possumus, ut indicemus; Deus, cum ipsi placuerit, veritatem docebit.

eumque fovit studium antiquitatis summæ, vulgo communissimum.

ANIMADVERSIO D. P.

Idem quod ille, profitemur in hoc opere; neque ferimus indigne, si, dum errores indicamus eorumque fundamenta convincimus manifestæ falsitatis, aut etiam inexcusabilis imposturæ, non æquis semper auribus excipiamur; obstante affectione, innata passim cuique populo ac cœtui, tuendi traditiones eas, quas a primis institutoribus suis fluxisse credunt, licet sæpe a paucis seculis notas. Quodsi illi etiam ad convitia execrationesque meliora suadentium prolabantur, suamque ita causam faciant apud moderatos lectores de mala pejorem; compatimur illis potius, quam indignemur; et quacumque possumus ratione excusamus intentionem, quando rem ipsam non possumus. Sed neque alicui sententiæ, quantumvis nobis probatæ, sic adstringimur, ut locum non demus contraria sustinentibus, maxime iis, qui ab altero nimiæ credulitatis extremo sic declinant, ut in alterum nimiæ severitatis non incidant. Talis autem apud eruditos omnes merito censetur is, cujus hic, ut promisi, subjicio Epistolam, Henrico Valesio, novam Eusebii editionem adornanti, scriptam; ubi Auctor suus pauca de Martyribus Lugdunensibus monens, ad affine illis argumentum sic progreditur.

C

Quomodo sustinendi qui ægre ferunt inolita dedoceri.

D

EPISTOLA

Petri de Marca Archiep. Tolosani,

De tempore prædicatæ primum in Galliis fidei.

Patria et veritatis tuendæ amor pupugit et adegit, ut apud te *(Henrice Valesi)* paucis conquererer, de injuria Galliis facta, non ab exteris quidem, sed a nostratibus; qui reconditioris et a vulgo semotioris, qua pollent, doctrinæ cupidine illecti, veritatem quæ in propatulo est, velut in puteo latentem, sibi quærendam putarunt. Galliis quippe detrahunt, quam Æthiopibus et Indis sciunt ab Apostolis ipsis exhibitam, Evangelii prædicandi curam: acsi florentissimæ et capiti Gentium Romæ, quam sanguine suo Petrus et Paulus consecrarunt vicinæ nationes, remotissimis illis, extraque Romanum Imperium sitis regionibus, posthabitæ fuissent. Alia fuit mens Apostolorum, qui Gallias in fide erudiendas, statim post adventum in Italiam, susceperunt. Beatus quippe Lucas, a Pauli comitatu discedens, magistri sui mandato se contulit in Gallias; ubi præcipuum fidei prædicandæ studium impendit. Deinde per Italiam E
et Dalmatiam in eodem opere industriam suam præstans, in Macedoniam, eodem functurus officio, se recepit. Auctorem habemus locupletem hujus narrationis, Epiphanium, qui hæresi LI, quod diximus, de Luca testatur, uno ex LXX discipulis, cui munus Evangelii prædicandi creditum ait: Κηρύττει πρῶτον ἐν Δαλματίᾳ, καὶ ἐν Γαλλίᾳ, καὶ ἐν Ἰταλίᾳ, καὶ Μακεδονίᾳ. Ἀρχὴ δὲ ἐν τῇ Γαλλίᾳ. *Idque ipse primum in Dalmatia, Gallia, et Italia, ac Macedonia præstitit; sed in Gallia, præ ceteris:* vel si malis; *principium vero in Gallia.* Principium fecisse prædicationis in Gallia, sive potiorem ejus curam egisse, disertissime testatur. Duplici quippe significatione hæc verba exponi possunt, ἀρχὴ δὲ ἐν τῇ Γαλλίᾳ. Quod autem *primum* in Dalmatia prædicasse dicatur, ad solam Dalmatiam referendum non est, sed ad Galliam etiam, atque Italiam; habita ratione Macedoniæ, in qua erudienda *demum* laboravit. Quæ dictio fortasse restituenda est in contextu, ut sit quod respondeat τῷ *primum.* Sicque illud τὸ *primum* non impediet, quin significet ultimis verbis Epiphanius, principium operæ suæ Lucam posuisse in Gallia. F

S. Lucam in Gallia prædicasse,

asserit Epiphanius;

2 Excipiunt viri eruditi, nescire se ab ullo veterum auctorum prodita, quæ scripsit Epiphanius. Scilicet. Sed non ideo minus sunt vera, quæ gesta refert. Petivit ille suam narrationem ex vetustiori scriptore, quo, ut plerisque aliis, caremus. Fortasse ex Hegesippo illud hauserat, qui in pandendis Ecclesiarum originibus se exercuit. Extabat integrum opus Hegesippi, non solum Eusebii, sed etiam Hieronymi temporibus, atque adeo Epiphanii. Supererat quoque Georgii Syncelli ætate, qui ejus auctoris fragmentum profert in Chronico, aliud a fragmentis quæ recitat Eusebius. Gravius doleo de viri illius eruditissimi, tibique ac mihi quondam amicissimi (Dionysii Petavii) glossemate; qui in Animadversionibus ad eum Epiphanii locum, vim testimonii illius nobis adimere conatur: de Gallia enim Cisalpina loqui Epiphanium notat. Scilicet apud illum auctorem Cisalpinam Galliam intelligimus, quæ nulla tunc erat, ab ipsius Augusti temporibus, qui novam provinciarum Imperii divisionem instituit. Amovit ab Italia nomen Galliarum, quas objectu Alpium terminavit; Italiam solidam in regiones XI partitus; Galliis, in quatuor provincias, Narbonensem, Lugdunensem, Belgicam, et Aquitanicam sectis; ut docent Strabo, Mela, et Plinius. Quam rationem quoque

fortassis ex Hegesippo,

ubi male Cisalpinam quidam vult intelligi:

AUCT. A MARCA

A quoque secutus est Ptolemæus in suis Tabulis ; ut et Ammianus ac reliqui, quos de Galliis et Italia disserere occasio coegit. Itaque non alia est apud Epiphanium Gallia, quam quæ post Christum natum ab omnibus auctoribus vocatur Gallia, juxta limites ab Augusto institutos.

3 Non solum autem Lucam adhibuerunt Apostoli, ad informandas in religione Gallias ; sed etiam Crescentem. Ejus rei testis ipse Paulus (2 *Timoth. cap.* 4,) qui missum fuisse docet Crescentem in Galliam. Certum quidem est, variam fuisse hujus loci Paulini lectionem, etiam apud veteres. Etenim Chrysostomus et Theodoretus apud Græcos, vulgatus interpres et Ambrosiaster apud Latinos, legerunt *Galatiam*, non autem *Galliam*. Sed vetustioris et verioris lectionis vindicem habemus Epiphanium, qui constanter scribit in hæresi LI, eos errare, qui hoc loco Pauli, *Galatiam* legunt, cum scribendum doceat *Galliam* : οὐ γὰρ ἐν τῇ Γαλατίᾳ, ὥς τινες πλανηθέντες νομίζουσιν, ἀλλὰ ἐν Γαλλίᾳ. Eodem modo ceteris antiquior Eusebius tuus, legit in codice Pauli, *Galliam*, quemadmodum Epiphanius ; si recte verba ejus expendantur, et vera apud B auctorem illum lectio retineatur ex Rufino, et omnibus codicibus MSS. ut tu diserte monuisti. Theodoretus sane, qui *Galatiæ* dictionem in contextu Pauli retinet, licet de Galatia Asiatica potuisset illam accipere, maluit ad Galliam nostram, id est ad Galatiam Occidentalem referre. Adeo certa erat apud omnes veteres, Crescentis in Gallia prædicatio : in quo cum veteribus Usuardi et Adonis Martyrologiis conveniunt ; qui post fidem a Crescente in Galliis promulgatam, meminere reditus illius in Galatiam Asiaticam. Enimvero quid vetat, quin Lucæ et Crescenti, assiduis Pauli comitibus, adjungamus et Paulum ipsum Apostolum ; qui testibus Græcis, Athanasio, Epiphanio, Chrysostomo, ac Theodoreto, et e Latinis Hieronymo, post primum adventum suum in Urbem, ubi biennium exegit a Luca memoratum, (quo temporis intervallo forsitan Lucas in Gallia prædicationem Evangelii auspicatus est) Hispanias adivit, ad promulgandam illis in regionibus Christianam fidem. Atqui Hispanias petenti, pergendum fuit per celeberrimam apud veteres viam illam publicam, quæ ab Italia per Gallias in Bæticam ipsam ducit. Ejus descriptionem exhibet non solum Antonini Itinerarium, a Nicæa per Arelatem, Narbonem, summum Pyrenæum, Juncariam, C Barcinonem, et reliqua loca ; sed etiam Strabo, qui sedulo se habuit in viæ illius explicatione ; quam in plerisque capitibus minus ab interpretibus intellectam, nos patefacere conati sumus libro primo Cataloniæ illustratæ, cujus editionem maturamus. Non iners fuit Paulus in Galliis erudiendis, qui Gentium salutem sibi specialiter commissam, tam flagranti studio peragratis regionibus undequaque procurabat ; qua de re statim uberius agemus.

idem ille dicit de Crescente

quidni his addatur et Paulus

4 Possumus quoque Philippi Apostoli operam Galliis vindicare, ipsisque Britanniis, ex Isidoro Hispalensi lib. de vita et morte Sanctorum cap. 74 : *Philippus Gallis prædicat Christum, barbarasque gentes, vicinasque tenebris, et tumenti Oceano conjunctas, ad scientiæ lumen fideique portum deducit.* Additque, hoc munere perfunctum Philippum, in Phrygiam migrasse, ubi Hierapoli occubuit. Sed quoniam hunc Apostolum Gallis quoque, tum Baronius, tum eo duce alii subtrahere conantur, narrationem istam ad Galatas Asiaticos traducendo ; non pigebit viri eruditissimi, licet e Novatorum grege, Usserii Armachani verba hic transcribere, e cap. 2. *de* Antiquitatibus Ecclesiarum Britannicarum. *Quod autem de Philippi in Galliis Apostolatu habet Freculfus, a Malmesburiensi citatus, ex Isidori libro de Patribus utriusque Testamenti, cap.* 74, *ad verbum expressit. Apud* D *utrumque enim legimus*, Philippum Gallis prædicasse Christum, barbarasque gentes, vicinasque tenebris et tumenti Oceano conjunctas, ad scientiæ lucem fideique portum deduxisse. *Neque hic mihi Baronii conjectura placet, Isidori ista a Gallis nostris ad Galatas Asiaticos traducentis ; multoque minus nuperi operum Isidori editoris, Jacobi Breulii temeritas*, Galatis *pro* Gallis *in ipso textu (sine ulla veteris lectionis commemoratione) reponentis. Nam præterquam quod Isidorus, in hoc ipso opere cap.* 82, *et in Officio Toletano (quod Gothicum et Mozarabum vulgo appellatur) itemque Julianus Toletanus Archiepiscopus, in Nahum Prophetam scribens ; et Beda (vel quicumque auctor fuit Collectaneorum et Florum) Philippo* Galliam *assignant :* Gallis *quoque* prædicavisse Christum *legitur in libello de festis Apostolorum, qui in Hieronymiano Martyrologio MS. habetur, ex quo pleraque omnia in librum suum de Patribus novi Testamenti transcripsit Isidorus : et illa barbararum gentium Oceano conjunctarum mentio, Europæos Gallos, non Gallo-Græcos ab Isidoro intellectos esse, satis evincit.*

et Philippus Apostoli ?

teste S. Isidoro.

(quem gratis de Galatia intelligit Baronius)

5 His adjungendum putavi testimonium vetustissimi codicis MS. ex Bibliotheca S. Germani Parisiensis, in quo iste tractatus Isidori, ante octingentos annos descriptus, una cum aliis ejusdem auE ctoris libris continetur ; ubi antiqua lectio disertissime præfert, Philippum *Gallis* prædicasse, quemadmodum cap. 82 habetur, *Galliam* illi fuisse assignatam. Nec dissimulandum est, in eodem codice legi, Hispaniam Jacobo Apostolo datam, eumque Hispanis fidem prædicasse. Quæ vetusti codicis auctoritas, a quibusdam conceptam suspicionem eximere debet vitiatæ forsitan in illo loco lectionis, in prioribus editionibus, ab aliquo Hispanarum partium studioso. Disceptatur quidem apud eruditos de Jacobi in Hispaniam adventu, ex eo præcipue capite, quod Apostoli nondum a Judæa, sortibus sibi apud Gentes prædicandi distributis, recessissent. Sed quemadmodum auctoritate Isidori, qui sua ex prioribus haurire potuit, se tueri possunt Hispani adversus opinionis conflictæ novitatem, quæ illis opponi solet ; ita nobis de Philippo disserere licet ; eo tamen securius, quod illius prædicatio apud Gallias, cum incidat post sortitionem provinciarum ab Apostolis factam, libera est ab eo telo, quo prædicatio Jacobi apud Hispanos impeti solet.

qui etiam Hispanis Jacobum assignat

6 Ceterum illud fuit Apostolorum propositum, ut F quaquaversum orbis patet, Evangelium diffunderent, ex mandato Christi. Quare, ut optime adnotavit Eusebius lib. 3 Demonstr. Evang. cap. 5, non solum Romam caput Imperii, atque Romanas provincias, sed etiam alia regna, tum Parthorum, tum Armeniorum, Scytharum, Indorum, Æthiopum, ipsimet prædicationibus suis instituerunt : adeo ut, quemadmodum subjungit Eusebius, *ipsis quoque Britannicis insulis, Oceanum prætervecti, fidei lumen intulerint.* Sane neminem puto tam insipidum, qui sibi persuadeat, de divisis toto orbe Britannis sollicitos Apostolos, negligentiores fuisse in Galliis, per quas iter est ad Britannias, per se aut per legatos veritate imbuendis. Quod egregie illi præstiterunt per Philippum, unum ex eorum collegio, Lucam, Crescentem, Trophimum, Paulum, Martialem, aliosque in tabulis Ecclesiasticis adnotatos ; et perfecit Clemens per Dionysium, Saturninum, Eutropium Santonensem, Ursinum Bituricensem, et alios. Neque sane infrugifera fuit Philippi, Lucæ, Crescentis, et reliquorum, quam in Galliis sparserant Christianæ fidei sementis ; Dei clementia, qui reliquas orbis regiones fovebat, Gallias non destituente. Dicet pro nobis Irenæus, qui circiter anno CXC scripsit (*in lib.* 1 *cap.* 3,) veram fidem probari ex ejusdem

Apostoli certe qui adierunt Britannos

quomodo Gallos, per quos illuc iter, neglexissent?

cum Celtis illatam fidem dicat Irenæus, an. 190 scribens,

A ejusdem doctrinæ professione, quæ in variis Ecclesiis per universum orbem constitutis constanter traditur, tum in Oriente, in Ægypto et Libya; tum in Germania, apud Hispanos et Gallos, atque alibi. *Nam etsi,* inquit, *in mundo loquelæ dissimiles, sed tamen virtus traditionis una et eadem est. Et neque hæ quæ in Germania fundatæ sunt Ecclesiæ, aliter credunt, aut aliter tradunt; neque hæ quæ in Iberis sunt, neque hæ quæ in Celtis, ueque hæ quæ in Oriente, neque hæ quæ in Ægypto, neque hæ quæ en Libya, neque hæ quæ in medio mundi sunt constitutæ. Sed sicut sol, creatura Dei, in universo mundo unus et idem est; sic et lumen et prædicatio veritatis ubique lucet, et illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem veritatis venire.*

æque ac Iberis et Germanis:

7 Illa tempestate, Germanis quidem et Hispanis suas Ecclesias nostri liberaliter absque una restrictione concedent, sed digladiabuntur de Celtis contra Irenæum; qui generaliter cum sit locutus de Celtis, ejus sententiam ad specialem tractum, Lugduno vicinum, invidiose coercebunt? Absit livor iste a Gallorum pectoribus; neque gentis honori manus violentas inferant, cui exteri parcunt; seque multum venditant eo nomine, quod paria nobiscum faciant in fidei susceptæ initiis. Sane quo in statu esset, Irenæi ætate, fides Christiana apud Gallos, ille facile conjiciet, qui Turtullianum, triginta post annis disserentem, expenderit de recepto Evangelio per omnes Orientis tractus; quibus mox subjunguntur ab auctore, *Getulorum varietates, et Maurorum multi fines, Hispaniarum omnes termini, et Galliarum diversæ nationes, et Britannorum inaccessa Romanis loca, Christo vero subdita; et Sarmatarum, et Dacorum, et Germanorum, et Scytharum, et abditarum multarum gentium, et provinciarum et insularum multarum nobis ignotarum, et quæ enumerare non possumus.* Per Galliarum diversas nationes, Tertullianus quatuor Galliarum provincias ex divisione Augusti, Narbonensem, Lugdunensem, Belgicam, et Aquitanicam intelligit: ex quibus corpus Galliarum tunc conflatum erat, quod postea in decem et septem provincias distributum fuit.

et Tertullianus an. 220 sine exceptione loquatur B

de diversis Galliæ nationibus.

ANIMADVERSIO D. P.

Traditæ hactenus doctrinæ magnopere non refragati essent, credo, Bosquetus et Cordesius, si ea sibi sic proposita fuisset; neque negassent, Galliarum conversionem a Paulo ejusque diseipulo Crescente, *quo de egi* XXVII *hujus, vel etiam a* Luca *et* Philippo *delibatam; licet forte negarent, eo id factum cum successu, ut pro numero provinciarum vel etiam majorum civitatum instituti fuerint Episcopatus; et ex iis, qui forte plures instituti fuerunt, non cito defecerint multi, unde factum sit, ut præter paucos, eosque controversos primi seculi secundique Episcopos, nulli nominentur. Idem autem cum fateri oporteat, de Britanniis, Hispaniis, Germanis; non videtur vehementius urgere instituta cum nationibus illis comparatio; et Irenæus atque Tertullianus, dici poterunt, nihil amplius velle, quam ubique gentium ab illis enumeratarum jacta aliqua Evangelii semina, quæ tunc cum ipsi scribebant adhuc erant in herba, inter persecutiones utcumque germinantia. Sic Bosquetus, in prævia Chronologia, ad an.* XCV *scribit, de Clemente Romano, quod eum* discipulos in Gallias misisse non incerta traditio est: *quod anno* CLII Episcopi a Sixto Romano in Gallias missi; *et circa* hæc tempora Polycarpus discipulos in Gallias misit; *quod anno* CLXV recruduit in Galliis persecutio, *ante decennium mitigata Imperatoris edicto; qua persecutione* Verus Viennensis coronatur; *quod* anno CLXXVIII Andeolus, Benignus, Thyrsus, Andochius, Flocellus, et alii pro Christi nomine occumbunt; *quod* anno CLXXXII, Commodo imperante, pax Ecclesiæ data est; qua vigente, Paulus Narbonensis et alii Episcopi in Gallias venire potuerunt; *quod mortuo Severo, pax Ecclesiæ reformata sit, per annos* XXX *duratura; quodque* per hujus pacis intervalla, Episcopi Roma in Gallias missi sunt, et fides latissime prædicata; *Decio autem persecutionem renovante,* annus, ipsius et Grati Consulatu notatus, Saturnini Tolosatis martyrio illustris fuit, *eademque* Deciana persecutione Dionysius Parisiensis, et plures alii in Galliis passi *sint. Ita ibi Bosquetus; utique traditæ ex Vita S. Saturnini Epochæ non ita scrupulose inhærens, ut ipsomet illo Consulatu primum missos septem viros, a Gregorio nominatos, aut etiam simul omnes, velit sustinere; sed agnoscat, Consulatui illi, ex traditione accepto, quo fuerat unius Saturnini martyrium a majoribus consignatum, affixam male illius missionem; nec illius tantum, sed etiam aliorum, qui æque ac ille primi credebantur, sua quisque in urbe, tenuisse Episcopatum, etsi alio alii tempore inducti et defuncti. Sed audiamus porro, pro iisdem ad primum Christi seculum attollendis, connitentem Archiepiscopum Tolosanum.*

Tale initium prædicationis non negat, C

sed lente progressam docet Bosquetus,

D *Auct. a Marca minime rigidus sectator Gregorii Tur.*

§. *II. Primorum in Galliis Episcoporum Epochæ, expenduntur, et in favorem antiquitatis stabiliuntur.*

E

Cum testimoniis vetustissimis ac firmissimis nitatur exordium prædicatæ fidei in Galliis ex Apostolorum delegatione, et susceptæ a Celtis (ut loquitur Irenæus) seu a diversis nationibus Galliarum (ut ait Tertullianus) ægerrime fero quorumdam in suam patriam acerbitatem, qui origines omnium Ecclesiarum Gallicanarum, præter Lugdunensem et alias paucas, ad medium tertii seculi detrudunt; affixo, ex Gregorio Turonensi, paulo ante Decii et Grati Consulatum, id est paulo ante annum CCL, initio septem sociorum Episcoporum, Gatiani Turonensis, Trophimi Arelatensis, Pauli Narbonensis, Martialis Lemovicensis, Dionysii Parisiensis, Saturnini Tolosani, et Stremonii Arvernensis, qui primi in illas Galliarum partes lumen Evangelii intulerunt, et in Ecclesiis a se constitutis stabiliverunt. Quin primi ille duces præcipui fuerint Christianæ expeditionis in provinciis Narbonensi et Aquitanica, et in remotioribus partibus Lugdunensis provinciæ, a nemine dubitatur; consentientibus tabularum ecclesiasticarum monumentis, et solennibus Sacris quæ in eorum memoriam annuo ritu, divino Numini peraguntur in singulis Ecclesiis. Illarum autem antiquæ traditioni, Bedæ, Usuardi, Adonisque Martyrologiis, et Actis veteribus fultæ in temporis consignatione, cur derogari debeat, plane non video; præsertim cum aliis quoque argumentis hæc veritas innitatur.

Septem a Turonensi nominatos primum venisse circa an. 250

negat Auctor F

9 Sumatur initium discussionis a Trophimo, et expendantur verba libelli, ab Episcopis provinciæ Viennensis Leoni Papæ oblati anno CCCCL. *Omnibus Gallicanis regionibus notum est,* inquiunt, *sed nec sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ habetur incognitum, quod prima intra Gallias Arelatensis civitas, missum a beatissimo Petro Apostolo S. Trophimum habere meruit Sacerdotem, et exinde aliis paulatim regionibus Galliarum bonum fidei et religionis infusum.* Quem Gregorius ponebat sub Decio Trophimum, cœtus Episcoporum provincialium, quibus perspectus erat census Ecclesiarum suarum, quique Gregorium centum et quinquaginta fere annis antecedebant, Trophimum a Petro missum docent, et ut rem omnibus perspectissimam narrant; subjiciuntque, *exinde aliis paulatim regionibus Galliarum, bonum fidei et religionis infusum.* Hoc ipsum significat Zosimus Papa epist. V: *Ad quam* (Arelatensem urbem) *primum ex hac Sede Trophimus summus Antistes, ex cujus*

Trophimum a Petro missum Arelatem probat,

et sensu Episcoporum anno 450,

cujus fonte totæ Galliæ fidei rivulos acceperunt, directus est. Porro hæc epistola Zosimi edita a V. Cl. Sirmondo, et laudata olim, tam in Concilio Francofurdiensi, quam etiam ab Usuardo et Adone, cum scripta sit anno CCCCXVII, Gregorii Turonensis testimonio potior esse debet, in ponenda Trophimi epocha, quam disertissime Synodus Episcoporum provincialium refert ad Petrum Apostolum ; a quibus non discedit Zosimus, cum doceat primum in Galliis Trophimum fuisse constitutum Episcopum. Libelli supplicis ad se ab Episcopis missi rationem habuit Leo Pontifex, rescripto quod ad eos statim dedit, quo veterem Arelatensis et Viennensis Ecclesiæ, de Metropolitica dignitate contentionem, Viennensis provinciæ divisione componit.

AUCT. A MARCA et Zosimi PP. ad eos rescripto, atque Leonis in illius Sedis favorem decreto.

10 Necesse est controversiæ illius statum compendio perstringere ; ut qui suborti sunt, ex eo non sane percepto, in eruditorum animis scrupuli, quod ad Trophimi antiquitatem spectat, facilius eximantur. Vienna civitas, metropolis erat provinciæ Viennensis in laterculo Imperii : unde, juxta Canones Nicænos, jus metropoliticum ad se pertinere in ordine ecclesiastico contenderat olim Simplicius, civitatis illius Episcopus, adversus Arelatensem, in Concilio Taurinensi, anno CCCXCVII. Qua in lite interlocuti sunt Patres, eam civitatem frui debere honore Primatus, quæ doceret se esse provinciæ Metropolim ; dato interim ad fovendam concordiam Episcopis consilio, ut quisque viciniores sibi civitates ad suam curam revocaret. Pessumdata erat hac interlocutione Arelatensis Ecclesiæ dignitas, quæ in ordine civilis dispositionis a metropoli civitate Viennensi absque dubio pendebat. Quare Zosimus, viginti post Synodum Taurinensem annis, interpellatus ab Arelatensi Episcopo, Simplicii Viennensis impudentiam damnat. epist. VII, quod in eo Concilio postulasset, ut sibi creandorum Sacerdotum in provincia Viennensi permitteretur arbitrium ; quod ait esse contra statuta Patrum, et S. Trophimi reverentiam : decernitque, juxta preces Patrocli Arelatensis, ut ejus civitatis Episcopus, *jam inde a Trophimo ordinationis seriem temporibus roboratam* possideat, non solum in provincia Viennensi, sed etiam in utraque Narbonensi. Cujus prærogativæ rationem quoque reddit epist. VIII ad Hilarium Narbonensem ; *Quoniam Trophimus, Sacerdos, quondam Arelatensi urbi ab Apostolica Sede transmissus, ad illas regiones* (scilicet utramque Narbonensem et Viennensem) *tanti nominis reverentiam primus exhibuit, et in alios non immerito, ea quam acceperat auctoritate, transfudit.* Totam ergo Primatus metropolitici causam, ἐν τῇ πρωτοκλησίᾳ, seu in priore vocatione ad fidem, et in vetustiore Episcopatus institutione, apud Arelatem a Trophimo facta, Zosimus diserte constituit.

Nempe privilegio πρωτοκλησίας, contra Viennensis metropoleos in Nicæno statutum jus, nixus Patroclus Arelatensis a Zosimo obtinuerat prærogativam ;

11 Ceterum, quoniam hæc Zosimi rescripta, consuetudine quidem vetusta, ut ipse ait, ex relatione Patrocli nitebantur ; sed disciplinam Ecclesiæ universalis, a Synodo Nicæna decretam, convellebant, quæ singulas provincias suis commiserat Metropolitanis, non autem plures provincias uni. Hinc factum, ut Bonifacius Papa non exprobrarit quidem Patroclo Arelatensi metropoliticæ potestatis usurpationem, sed potius integram illi relinquens in provincia Viennensi ; illius tamen temeritatem damnaverit, epistola data ad Hilarium Narbonensem anno CCCCXXII ; quod scilicet in Lutubensi Ecclesia ordinationem Episcopi celebrasset, *In aliena provincia*, inquit ; scilicet in Narbonensi, quæ a Viennensi erat distincta. Illud autem factum pertendit contra Synodi Nicænæ constitutionem, quam describit : commonetque Hilarium, ut metropolitico jure munitus, et præceptionibus suis fretus, quæ facienda sunt in Lutubensi Ecclesia præstet. Noluit Hilarius Arelatensis, Patrocli successor, fultus et Zosimi priori rescripto et consuetudine vetusta, parere decreto Bonifacii, restringentis intra Viennensem provinciam Arelatensis Episcopi potestatem.

hujus in Narbonensi Prov. usum improbarat Bonifacius. refragante Hilario Arelaten.

12 Hanc ob rem, et propter Chelidonii causam, aliasque gravissimas rationes, iratus Hilario Leo Papa, quod minus colere majestatem Romanæ Sedis videretur, acerbe in eum invehitur in epistola ad Episcopos Viennensis provinciæ, scripta anno CCCCXLV : interque cetera illi objicit, quod Projecto Episcopo, infirmo et nescienti, alium superposuisset Episcopum, idque *in aliena provincia*, scilicet extra Viennensem. *Quid sibi Hilarius quærit in aliena provincia?* inquit Leo, *et id quod nullus decessorum ipsius ante Patroclum habuit, cur usurpat? cum et ipsum quod Patroclo a Sede Apostolica temporaliter videbatur esse concessum, postmodum sit meliore sententia mutatum.* Quibus verbis Leo apertissime significat, priora Zosimi rescripta et posterius Bonifacii decretum, quo potestas Arelatensis Episcopi intra limites Viennensis provinciæ coercebatur, ut superius monui. Quæ autem exceptiones objicerentur adversus Zosimi rescriptum, in eo capite quod ordinationes in utraque Narbonensi, Patroclo concessas, respicit, idem manifeste docet, si ejus verba juxta regulas juris expendantur. Scilicet obreptum Zosimo per falsam Patrocli suggestionem, qui referebat ad consuetudinem vetustam, quam ipse primus usurpabat ordinandi potestatem in provincia Narbonensi. Deinde significat, ad summum prærogativam illam, a Zosimo ad tempus Patroclo concessam, intelligi debere. Denique utitur posteriore Bonifacii decreto, quod juxta Canonum præscriptum, ambitiosum illud et per fraudem elicitum Zosimi rescriptum, duas provincias uni Metropolitano concedens, resciderat.

unde offensus Bonifacii successor Leo, indultum Zosimi ostendit personale esse, imo sugillat ut subreptitium

13 Tandem præfracta Hilarii Arelatensis contumacia Leo Papa succensus, absque cognitione causæ, inauditis illis quorum intererat, jus omne metropoliticum, etiam in provincia Viennensi, ademit Episcopo Arelatensi, illudque Viennensi adjudicavit, acsi ad eum ex jure civilis Metropoleos juxta Canones pertineret ; quemadmodum Simplicius in Concilio Taurinensi a Patribus olim impetrare tentaverat. Hanc injuriam Arelatensi Ecclesiæ illatam, adversus vetustissimæ consuetudinis, ἐν τῇ πρωτοκλησίᾳ fundatæ, et a Trophimo ductæ, auctoritatem, Episcopi provinciæ Viennensis, hac novitate perculsi, amovere curarunt ; occasione arrepta ex obitu Hilarii, et electione a se facta Ravennii, viri gravissimi et Leoni pergrati. Itaque libello supplici ad Leonem dato, Primatus Arelatensis originem arcessunt a Trophimo ; qui missus a B. Petro, primus in Galliis Arelate Episcopatum instituit ; cujus quidem primævæ institutionis ratio potior sit habenda, quam civilis dispositionis, quæ Viennæ jus Metropoleos politicæ olim tribuerat. Quod telum, ex ordine civili petitum, ut repellant Episcopi, non dubitant civilem quoque dignitatem, qua temporibus illis florebat civitas Arelatensis, Leoni proponere : in ea nempe Sedem Præfecturæ Galliarum, a civitate Trevirorum eo translatam, consistere ; atque adeo urbem illam, *matrem omnium Galliarum* esse. Quod dictum, ut opponatur Viennæ, quæ pro matre Viennensis tantum provinciæ se gerebat ; addunt etiam, *quicumque intra Gallias*, scilicet jam inde a Constantino Maximo et Valentiniano, *ostentare voluit insignia dignitatis, in hac urbe Consulatum accepisse et dedisse* : hoc est, Consulatum Circensibus celebravisse ; quemadmodum egregie hunc locum interpretatur vir eruditissimis Hadrianus Valesius, litterarum et sanguinis germanitate frater tuus, o mihi carissime Henrice Valesi, in libro 8. rerum Francicarum,

ac denique ei aufert Primatum: quem successori Ravennio rogatus restituere, ad preces Episcoporum Prov. Arelaten.

A cicarum, quas doctissimis curis et ingenii sui solertia illustravit.

ita reddit Leo, jam de vero ejus jure persuasus,

14 Expensis tandem rationum monumentis, quæ libello Episcoporum Provincialium continebantur, auditis quoque *allegationibus* Episcopi Viennensis; Leo Papa privilegii Arelatensis rationem habendam censuit, restituendamque metropoliticam dignitatem illi Ecclesiæ; quæ, vitio Episcopi sui Hilarii, antiquo jure in perpetuum privari non poterat. Itaque rem totam, juxta Concilii Taurinensis consilium, datum olim contendentibus duarum civitatum Episcopis, sic temperavit, ut majorem partem Viennensis Provinciæ restitueret Arelatensi Ecclesiæ: solis quatuor civitatibus, penes Viennensem Episcopum relictis; ne honorem metropoliticum, quem ipsemet concesserat, adimere per inconstantiam aut injuriam videretur; et, ut ipse loquitur, ne Viennensis, cui potestatem metropoliticam Hilario ablatam deputaverat, *semetipso factus videretur inferior*. Sed tum de isthac controversia, tum etiam de dignitate civili Viennensis et Arelatensis civitatis, accuratam disceptationem dabimus in secunda editione libri nostri de Primatibus, quam adornamus.

utViennensem jubeat ejus partem retinere.

B 15 Ceterum hæc Trophimi antiquitas confirmatur epistola Cypriani ad Stephanum Papam, qua petit ut ab eo scribantur litteræ in Provinciam (id est Narbonensem solidam, quam veteri Provinciæ nomine nuncupat) quibus Marciano Episcopo Arelatensi abstento, alius in ejus locum substituatur; quoniam spretis collegarum monitis, Novatiani erroribus pervicaciter adhærebat. Necessum vero est, hanc Cypriani epistolam scriptam esse initio Sedis Stephani, quando inter duos illos Pontifices dissensio nondum ulla intercesserat. Initium autem illud Stephani cum cadat in annum CCLVI, sequitur Marciani exordia antecedere Decii Consulatum. Unde rectissime colligitur, missionem Trophimi in anteriora promovendam, invito licet Gregorio Turonensi, scilicet ad Petri ætatem, juxta libelli Episcoporum provinciæ Viennensis testationem. Sola falsi suspicione ultro excogitata, tum adversus Cypriani epistolam, tum adversus Zosimi rescripta, et Episcoporum libellum, nollem a manifestis illis probationibus se liberarent Gregorii fautores. Admissa quippe semel hac respondendi et præscribendi ratione, adversus scripta quæ stylo et vetustorum codicum editionumque fide, veterumque auctorum testimonio muniuntur; cadit omnis de quæstionibus C litterariis disserendi ingeniorum delectatio. Interim omittendum non est, assertam Cypriano epistolam a V. C. Rigaltio, in Notis ad Cyprianum, discussis falsi argumentis a viro doctissimo allatis. Operam quoque non indiligentem posuit vir eruditus Hugo Menardus, in refellendis argumentis adversus Cypriani epistolam, et Zosimi rescripta, atque libellum supplicem adductis.

Adde quod Arelate ante an. 256 sedebat Episc. Marcianus

teste S. Cypriano,

16 Quæ testimonia licet ad vindicandam veritatem sufficiant, non alienum erit, ad traditionis antiquæ seriem comprobandam, Adonem Viennensem testem laudare, cujus hæc sunt verba in Martyrologio, IX Kal. Januarii: *Apud Arelatem, natalis sancti Trophimi Episcopi et Confessoris, discipuli Apostolorum Petri et Pauli.* Idem Uberius in libello de festivitatibus Apostolorum: *Natalis sancti Trophimi, de quo scribit Apostolus ad Timotheum*, Trophimum autem reliqui infirmum Mileti. *Hic ab Apostolis Romæ ordinatus Episcopus, primus ad Arelatem urbem Galliæ ob Christi Evangelium prædicandum dictus est: ex cujus fonte, ut beatus Papa Zosimus scribit, totæ Galliæ fidei rivos acceperunt; qui apud eamdem urbem in pace quievit.*

et ante eum Trophimus ex Mrlio Adonis,

17 Errore Gregorii Turonensis, in consignanda Trophimi epocha, dispuncto; te impetrabiliore utemur, in probanda similis ejusdem auctoris hallucinationis confutatione. Paulum Narbonensem ad D Decii tempora Gregorius dejicit. Cui opponemus locupletissimum testimonium vetustissimi Martyrologii a Rosweido editi, quo Ecclesia Romana inter solennes ritus utebatur, teste Gregorio Magno lib. 7, Epist. 29. Martyrologii illius hæc sunt verba ad XI Kal. Aprilis: *Narbonæ, sancti Pauli Episcopi, discipuli Apostolorum.* En Paulum Episcopum Narbonensem, discipulum Apostolorum, id est ab ipsis Apostolis Christianam fidem edoctum. Causa cadam, nisi constans sit in eodem Martyrologio verbi illius, quam proposui, significatio; quæ alia certe esse non potest juxta proprium dictionis sensum. Referam loca, ex quibus hæc significatio verbi adstruitur: *Pridie Nonas Januarii, apud Cretam, Titi Apostolorum discipuli.* III *Kal. Maji, apud Paphum, Tychici Apostolorum discipuli.* VII *Kalendas Junii, apud Athenas, Quadrati Apostolorum discipuli. Pridie Nonas Augusti, Aristarchi discipuli Apostolorum.* IV *Kal. Decembris, Sosthenis discipuli Apostolorum,* VI *Kalendas Januarii, Trophimi Episcopi, discipuli Apostolorum.* Quare diserta est, ut dixi, Martyrologii veteris Romani testatio, ad figendum Pauli Nar- E bonensis Episcopatum in ipsis Apostolorum temporibus, quamvis Trophimi Episcopatu posteriorem. Celeberrimum quidem apud antiquos fuisse Pauli hujus nomen, docet Prudentius in Martyribus Cæsaraugustanis:

Auct. a Marca Narbonæ Paulus ex Veteri Rosweidi,

probatur fuisse Apostolorum discipulus,

Barcino, claro Cucufate fulta,
Surget, et Paulo speciosa Narbo.

18 Sed temporis veram consignationem, ex testimonio vetustissimo Romanæ Ecclesiæ supra laudato haurire debemus. Traditionis vero series petenda est, tum ex Usuardo, et ex Actis vitæ Pauli Narbonensis, tum etiam ex Adonis Martyrologio, atque ex ejusdem libello de festivitatibus Apostolorum, cujus hæc sunt verba ad diem XI Kalend. Aprilis; *Natalis sancti Pauli, quem beati Apostoli ordinatum urbi Narbonæ Episcopum miserunt: quem tradunt eumdem ipsum fuisse Sergium Paulum Proconsulem, virum prudentem, a quo ipse Paulus sortitus est nomen, quia eum fidei Christi subegerat; quique ab eodem sancto Apostolo, cum ad Hispanias prædicandi gratia pergeret, apud præfatam urbem Narbonam relictus, prædicationis officio non segniter impleto, clarus miraculis coronatus sepelitur.* Hic duo quædam observanda sunt. Ac primo quidem, Paulum Narbonensi Ecclesiæ præfectum Episcopum ab ipsis Apostolorum temporibus, absoluta est auctoritas, cum F eorum discipulus fuerit, ut dixi. Alterum respicit veterem famam, quæ Paulum illum cum Paulo Proconsule miscet, eumdemque facit. Præterea docet in possessione Episcopatus institutum a Paulo Apostolo, in Hispaniam proficiscente. Quæ quidem prudenter Ado non asserit, ut certa; sed ut fama vetustiore recepta: cujus narrationis auctore, Braulio, Leander, Julianus, et alii veteres scriptores Hispani, proferuntur in litteris Stephani Papæ, editis a viris clarissimis et eruditissimis Gulielmo Catello Senatore Tolosano, et Philippo Labbeo Societatis Jesu Presbytero; quarum exemplar extat etiam in archivis Ecclesiæ Tarraconensis, quarumque fidem et sententiam expendimus in secunda editione libri nostri de Primatibus.

sequuntur Ado et Usuardus

19 Quod attinet ad Martialem; illud unum habetur in Martyrologiis veteribus, eum Lemovicæ fuisse Episcopum. Verumtamen antiqua ejus vitæ Acta, unum fuisse e LXX discipulis Domini, et a Petro Apostolo ad Aquitanos missum, docent; quam traditionem amplexa est Synodus Lemovicensis anno MXXXIV, in discrepatione quæ de Martialis Apostolatu in Galliis habita est.

Pro Martiale stat Synodus Lemovic.

20

AUCT. A MARCA Pro Dionysio, Vita ejus,

A 20 Dionysii Parisiensis succedit, vexata disputationibus gravissimorum virorum, epocha; his, stantibus a Gregorio, et ad Decii tempora Antistitem illum detrudentibus, quo spes omnis Parisiensem Dionysium cum Areopagita permiscendi abscindatur; illis vero, contrario proposito, ad Clementem Romanum ejus missionem referentibus. Sane a Clemente in Gallias Dionysium missum fuisse, Beda et Usuardus docent in suis Martyrologiis: quam traditionem eos hausisse, certum est, ex Actis antiquis Vitæ S. Dionysii, quæ dudum ex MSS. codicibus edidit V. C. et eruditissimus Franciscus Bosquetus, nunc meritissimus Episcopus Ecclesiæ Monspeliensis. Nomen auctoris illius Vitæ deprehendi in codice MS. Turonensis Ecclesiæ, qui complectitur Vitas Sanctorum aliquot a Fortunato descriptas, et inter ceteras, Dionysii Parisiensis illam, quæ jam, ut dixi, edita est in publicum. Habemus ergo Fortunatum Pictavensem Episcopum, æqualem Gregorii Turonensis, qui Dionysii Parisiensis epocham ad tempora Clementis retrahit. Quam sententiam secuti sunt Episcopi Galliarum in epistola ad Eugenium Papam, scripta anno DCCCXXIV, B quæ habetur apud Baronium: a quibus, Fortunato teste adeo locuplete fultis, discedere, piaculum esse puto. De Saturnino, Gratiano et Stremonio mox agam, quoniam specialis illorum est causa.

a Fortunato scripta.

ANIMADVERSIO D. P.

De Crescente, Pauli discipulo vix dubitatur,

Prudenter hoc Paragrapho Auctor, in fronte aciei suæ litterariæ, ea collocat argumenta, quibus imbecilliorem oppugnandæ a se opinionis partem aggressus, prius evicisse causam universam videatur, quam cum fortioribus se commiserat. Itaque exorsus a S. Crescente *(de quo nihil pronuntiaverat Gregorius Turonensis, quemque Apostoli Pauli discipulum verosimilius teneri credimus, Bosqueto vix quidquam, nec nisi dubitanter contradicente, sicut vidimus* XXVII *Junii) totis nisibus intendit argumenta pro* S. Trophimo, *sane talia, ut novitatis nequaquam argui possit opinio, quæ habet assertores ipso Gregorio tanto antiquiores. Neque scio, an considerari mereatur, quod assumit Bosquetus ex Epistola Zosimi; quasi hic, dum a Romana Sede missum Trophimum ait, tacens de Petro, censeri debeat ab hoc missum negare; quodque censeri possint* C *Galliarum Episcopi, figurate locuti. Primogenituram certe Gallicanarum Ecclesiarum ei tribuunt, et ab ipsa ceteras fluxisse dicunt. Quo posito, non potest ea non senior esse Viennensi; quæ tamen diu constituta fuit ante tempora Decii, ipsomet fatente Bosqueto.*

multo minus de Trophimo misso per S. Petrum,

aut saltem I seculo,

Ut autem clarius appareat, quo fine eruditissimus Præsul tam operose hic deducat controversiam, Arelatensem inter et Viennensem Ecclesias, placeat audire Antonium Pagi tomo I Critices, anno 400 sic concludentem: Si ea traditio de S. Trophimi, primo Ecclesiæ seculo, in Gallias delegatione certa non fuisset, præsertim apud Patres Concilii Taurinensis, *anno* CCCXCIV hujus controversiæ judicibus; non solum Episcopus Arelatensis repulsam tulisset, sed etiam sese Patribus et aliquot post annis Pontificibus Romanis ridendum propinasset; quod, ad jus alterius usurpandum, missionem, quæ a seculo sesquimedio facta fuisset, quæque ideo a nemine fere ignorari posset, jam a Christianæ Religionis initiis contigisse affirmaret coram Episcopis, et postea coram Pontificibus Romanis, antiquitatis ecclesiasticæ non ignaris; eoque præsertim titulo Viennam, Metropolim in Laterculo Imperii, sibi subjiciendam postulare ausus esset. Res profecto recentioris memoriæ fuisset, *quam ut ea saltem* Episcopus Viennensis, aut omnes ex Concilio ignorare potuissent.

D *Interim non dissimulaverim, magnopere deceptum fuisse Rosweidum nostrum, cum Kalendarium quoddam a se repertum ante Adonis martyrologium, censuit esse Vetus Romanum, a S. Gregorio laudatum, Martyrologium; eoque titulo et Bosquetum et A Marca in errorem induxit. Agnovit illud Bollandus noster in apparatu ad Januarium; sed quale ipsum esset penitius excussit Florentinius, in Notis ad aliud antiquissimum, quod Hieronymi nomine passim a nobis insignitum, ipse tuetur vetus Romanum vere atque unice dici posse; illud autem Rosweidi Kalendarium, adeo non esse vetus, ut ante annum* MLXXIII *scriptum non sit, auctumque Sanctorum nominibus, et paucis prætera verbis, partim ex Adone acceptis, partim ex recentiorum compilatione mutuatis.*

sed hunc nil juvat Kalendarium editum a Rosweido,

In illius vere antiquis ecgraphis tribus nemo eorum, quos Kalendarium laudat, ut Apostolorum discipulos, *relatum videas, præter unicum* Paulum; *sed sub hac dumtaxat phrasi;* In Narbona civitate Natalis S. Pauli Episcopi, *pro quo titulo Corbeiense ecgraphum scribit* Confessoris. *Vetustissimum autem Epternacense et prædictis tribus multo antiquius, nihil horum habet: sed,* In Narbona civitate, Secundini, Paulini: *quod sane istius Martyrologii stylo, Martyres aut solos aut ante Confessores referentis, conformius est; nosque cogit credere, primitus aliud nihil scriptum fuisse, verosque Narbonenses Martyres indicatos: qui cum* E *istic amplius noti non essent, notissimus autem eodem die* Episcopus Paulus, *ipsum Martyrologium rescribentes Monachi Corbeienses (horum enim ecgraphum ab Epternacensi proximum est in antiquitate, Lucensium multo recentius, fortassis et Blumianum) ipsum illis omissis substituerunt: et sic omnino nullus eorum, qui in jam dicto Calendario nominantur, veteri Romano seu potius Occidentali inscriptus reperietur: et adversus argumenta Bosqueti restabit ex antiquis solus Ado, cum suo sequaci Usuardo, exiguæ ambo pro tanta vetustate asserenda auctoritatis: cum Florus, inter ipsos et Bedam medius, de eo solum scripserit,* Civitate Narbona, Natale S. Pauli Episcopi, quem ita labor domesticus et tribulatio exercuit, ut eum verum Domini famulum approbaret; *quæ vix dubitem ex antiquiori aliquo ejus encomiaste excerpta, suntque conformia Vitæ antiquæ a Bosqueto productæ, nec nullam Apostoli mentionem faciente.*

utpote compilatum post an. 1073.

Hieronymiano an adscriptus Paulus Narbon. dubitatur,

eoque dato, tamen nec inde

nec ex Floro aliquid pro ejus antiquitate habetur:

Et tamen idem ipse (ut videtur) Florus, habet aliquid de S. Martiale. *Sed hinc aliud nihil consequitur, quam Lemovicenses priores Narbonensibus fuisse, in* F *primo sibi noto suæ civitatis Episcopo ad Apostolorum ætatem provehendo: in quo tamen adversantem sibi habent Ausonii Engolismensis Vitam, quatenus hunc S. Martialis discipulum, a Chroco Alemannorum Rege interfectum dicit; licet etiam ipsa a S. Petro missum* Martialem *asserat, quod non potuit aliter nisi figurate scripsisse auctor, si Petri et Croci ætates noverat.*

qui tamen favet S. Martiali,

Restat ultimus Dionysius, *de quo ejusque sociis aliud non legimus, in Hieronymiani prælaudati vetustissimo ecgrapho, quam:* Parisius natalis SS. Dionysii Episcopi, Rustici Presbyteri, et Eleutherii Diaconi. *Plura non habet genuinus Beda: Florus addidit:* Qui Trinitatem gloriose confitentes, trino gloriose meruerunt coronari martyrio. *Quis hic non judicet, eum, cui, cupienti amplificare elogium de ipsis in ecclesia recitandum, aliud nihil notaturum fuisse quam numerum Martyrum; si vel eminus audivisset hunc Areopagitam Dionysium fuisse, aut saltem a S. Clemente in Gallias missum? Primum non habet antiquior Vita, a Bosqueto producta, et hic Fortunato adjudicata; secundum habet admodum dubie: nam, ubi codices aliqui dicunt;* qui tradente B. Clemente, Petri Apostoli successore, verbi divini semina gentibus eroganda susceperat; *ibi alii, ac verosimiliter sinceriores, solum legunt;* qui, ut ferunt, a successoribus

non etiam Dionysio

de quo solum ambigue vetus Vita.

A ribus Apostolorum *etc. quod aliquis intelligere generaliter possit de* Romanis Pontificibus , *conformiter ad mentem Gregorii Turonensis ; sicuti in Actis S. Firmini Ambianensis , sub Diocletiano et Maximiano passi, seque S. Saturnini discipulum professi , idem Saturninus vocatur* Discipulus Apostolorum. *Itaque nihil huc facit Fortunati auctoritas, Beda et Floro antiquioris; licet is Vitam istam scripsisset , uti sub ejus nomine eam a se repertam scribit A Marca : quæ tamen inscriptio mihi eo magis suspecta fit, ex silentio prædictorum , in talibus undique colligendis diligentium, quanto celebriori ex loco ea facilius potuit iisdem innotescere, si vere in rerum natura fuisset, cum illi sua Martyrologia colligebant. Prudenter igitur novissimi Reformatores Parisiensis Breviarii omisere, quidquid cum tanto fundamento controvertitur de suo illo Patrono; cumque Abbatissa Montis-Martyrum, consanguinea Regis, hujus interposuisset auctoritatem, ne omnino Areopagita taceretur, non consenserunt ut nominaretur; gratiæ tamen Regiæ posuerunt Capitulum pro Vesperis ac laudibus* , Stans Paulus in medio Areopago, ait, Viri Athenienses *etc. de ara ignoti Dei, tamquam aptum ei, qui gentilibus prædicavit.*

B

§. III. *Respondetur ad objecta ex Severo Sulpitio et Gregorio Turonensi, et contra hunc concluditur.*

Severus negans martyria in Galliis visa ante Aur. Antoninum,

Non me latet, quid eruditos viros, ad deprimendam in posteriora tempora septem Episcoporum epocham, veluti præcipites egerit; Severi Sulpitii nempe, atque Gregorii Turonensis auctoritas. Scripsit ille, *sub Aurelio Antonino visa primum in Galliis martyria, Dei religione trans Alpes serius suscepta*; unde tabulis ecclesiasticis fidem non esse habendam colligunt, quæ sub Domitiano, vel sub Trajano, aut Hadriano passos tradunt quosdam ex prioribus illis Pontificibus. Utinam maluissent interpretatione, ex ipsis juris et rhetorum principiis ducta, Severum cum diptychis ecclesiasticis in concordiam adducere. Generi quippe per speciem derogatur, ut docent Jurisconsulti. De martyriis generalibus loquitur Severus; scilicet de cæde tum Pontificum, tum plebis Christianæ, per supplicia consumptorum; ut accidit in Ecclesiis Viennensi et Lugdunensi sub Antonino, quo solum respiciebat Severus; cui cladi similis ante nulla contigerat in Galliis. Quod tamen non impedit, quin priores aliquot Episcopi pro Christo mortem obierint, absque ulla tamen generali plebis Christianæ strage. Neque vero sequitur, errasse Severum in pertexenda rerum serie, cum per compendium summa illarum capita attigerit, neque in se susceperit, origines Ecclesiarum Gallicanarum, quas omnino intactas reliquit, et singulorum Pontificum eventus tradere. Quod autem subjungit, *serius trans Alpes susceptam Religionem*, verum est, habita comparatione partium Orientalium, atque ipsius Italiæ, quæ prius imbuta est doctrina fidei, et fortassis cum uberiori et faciliori proventu, quam in Galliis, gentilium superstitionum retinentioribus.

de generalibus intelligi debet,

C

et lentiori fidei progressu in Galliis;

Gregorius erroris convictus ex antiquioribus,

22 Depulsa ex Severo petita machina, liberi esse possumus a metu Gregorii. Docet ipse duo quædam lib. I Hist. cap. xxx. Alterum, septem illos socios eodem tempore in Gallias pervenisse, et Ecclesias septem ab eo commemoratas primos constituisse: alterum vero, horum adventum referendum ad tempora Consulatui Decii et Grati vicina, id est ad annum CCL aut circiter. Quæ narratio manifeste pugnat cum Irenæo, qui sexaginta et amplius annis ante hunc Consulatum, Ecclesiarum apud Celtas fundatarum meminit. Pugnat quoque cum Tertulliano, qui triginta et amplius annis ante Decii epocham, diversas Galliarum nationes fidem Christianam profiteri testatur; quæ cum sit ex auditu, plane prædicantium missorum ministerio diversis illis nationibus infundenda fuit; qui quidem alii non sunt præter eos, quos tabulæ ecclesiasticæ, exhibent. Erravit ergo Gregorius prætextu Vitæ S. Saturnini, cujus verba laudat, in epocha Decii constituenda; quam scriptor ille cum soli. Saturnino affigeret, Gregorius de suo ad alios extendit, ex recepta jam tum opinione, de septem illorum societate. De suo addidisse dixi; quoniam in verbis Actorum Saturnini quæ Gregorius laudat, nulla fit sex Pontificum mentio; neque etiam in corpore Actorum quæ apud Surium extant, quæ plane sunt eadem cum iis Actis ex quibus locum a se laudatum Gregorius decerpsit, cum iisdem omnino verbis ibi locus ille descriptus reperiatur. Porro Acta illa composita sunt longo intervallo post obitum Exuperii Tolosani, cujus meminere; ut recte observat Hugo Menardus. Destituitur itaque Gregorius sui auctoris testimonio, in sex Pontificibus: adeo ut epocha Consulatus Decii, ad solum Saturninum Episcopum, ex illo Actorum scriptore referenda sit.

D

AUCT. A MARCA

quæ de solo legerat Saturnino Tolosano

applicavit sex aliis,

E

eaque non certa;

23 Quod autem ad Saturninum attinet; controverti non debet, quin Gregorii tempore duplex invaluisset opinio, et quin utraque sola relatione niteretur. Altera est, quam sequitur Gregorius hoc loco, passum esse Saturninum Decii Consulatu. Illud autem Auctor ab eo laudatus hausit, non ex vetustis Saturnini passionis Actis, sed *ex fideli recordatione*, ut loquitur. Vetusta enim passionis Acta, vel per incuriam tempore illo scripta non fuerant, vel ex Præsidum decreto temporibus Decii igne perierant; ut de Actis Martyrum generaliter testatur Prudentius. Altera sententia, sua quoque relatione fulta, (cujus testis ipse Gregorius lib. 1, cap. 48 de Miraculis) tradebat missum Saturninum a discipulis Apostolorum, id est plusquam centum et quinquaginta annis ante Decium. Adeo ut in ancipiti positis, liceat ultimam Gregorii sententiam sequi, quæ cohæret priori illi apud eum non controversæ, de non divellendis adeo prolixa temporum intercapedine a se invicem prioribus Episcopis; qui a Petro et Paulo, et deinceps a Clemente Apostolorum discipulo, non longo intervallo missi, exordia fidei per Gallias propagarunt. Hinc factum, ut Ado in Martyrologio, Saturninum scribat passum sub Decio, juxta primam Gregorii opinionem; Rabanus autem in suo Martyrologio sequatur secundam, usurpatis quoque Gregorii verbis: *Iste vero*, inquit, *Saturninus Martyr, ut fertur, ab Apostolorum discipulis ordinatus, in urbem Tolosatum est directus.* Quod intelligendum de Clemente, a quo missus dicitur Saturninus una cum Dionysio, in Actis veteribus S. Dionysii, compositis a Fortunato Pictavensi, qui secundam Gregorii sententiam disertissime confirmat. Quamquam vetusta S. Saturnini Acta missum a Petro doceant, et in Elusana urbe, Novempopulaniæ scilicet metropoli; deinde Pompelone, et in aliis Hispaniarum gentibus Ecclesias constituisse; et ex suis quoque Tabulis fatentur auctores Hispani. Sed satius est, ut hæreamus relatæ a Gregorio traditioni; scilicet a discipulis Apostolorum ordinatum, id est a Clemente, juxta Fortunatum.

cum duplex de eo tunc viguerit sententia,

F

duorum altera asserit ordinatum a discipulis Apostolorum,

24 Eadem explicatio adhibenda est alteri loco cap. 8 de gloria Confessorum, ubi tradit Bituricæ urbi verbum salutis prædicasse Ursinum Episcopum, *qui a discipulis Apostolorum in Gallias destinatus fuerat*, scilicet a Clemente, ut ejus vitæ Acta perantiqua testantur. Speciales vero quas adhibuimus probationes, pro fulcienda veteri epocha quinque Pontificum, Trophimi, Pauli, Martialis, Dionysii, Saturnini, quibuscum par est causa plurium aliorum qui Ecclesias

uti et Ursinum Bituricen.

AUCT. A MARCA

A Ecclesias in Galliis fundaverunt, generales probationes ex Irenæo, Tertulliano, et Eusebio de vetustate Ecclesiarum, ut juvant, sic mutuum quoque ex illis subsidium capiunt. Qua de re diligenter disseruit Juris utriusque celeberrimus Antecessor in Academia Tolosana, Antonius Dadinus Alteserra, lib. 4 Rerum Aquitanicarum cap. 9.

noluit forte Gregorius, Turonensi et Arvernica Ecclesiis priores alias credere:

25 Quod autem attinet ad Gatianum, Turonensis Ecclesiæ Episcopum; cum ejus successor Gregorius, cui perspecta erant Ecclesiæ suæ tabularia, doceat conceptis verbis lib. 9. Hist. cap. 31, Gatianum anno Decii primo a Papa Sedis Romanæ transmissum, additis quoque aliquot ejus Episcopi gestis; neque ulla nobis aliunde suppetat auctoritas, qua illum ad vetustiora tempora revocemus; temerarium censeo adversus Gregorium de propriæ Ecclesiæ statu disputare. Idem dicendum puto de Stremonii, Arvernensis Episcopi initiis; quæ Gregorium, utpote patria Arvernum, atque adeo in suis non peregrinum, latere non poterant. Quæ fortasse fuit occasio, cur negligentius se habuerit in aliarum Ecclesiarum investigandis negotiis. Quibus exordia duarum sibi cararum, Turonensis et Arvernæ, æquari non B posse cum videret, maluit ad harum tempora, priorum quinque fundationes indiscussas deprimere.

interim tenere possunt harum traditiones

26 Quare cum apud viros eruditissimos antiqua Ecclesiarum Gallicanarum diptycha, in quibus Pontifices, fidei prædicatæ, antesignani, descripti sunt, cum missionis Apostolicæ vetustissima epocha, ex eo solo capite nutarint in temporis assignatione, quod cum Severo et Gregorio pugnare viderentur; religiosissimi Episcopi, collegæ nostri, poterunt intrepide in suis Ecclesiis decessorum suorum traditam asserere vetustatem; securi de illa quæ nostris objici solet veterum auctorum ignoratione aut contemptu, tum etiam de aliquo veritatis historicæ dispendio: quæ alioqui laboraret, si Actis antiquis fides sua detraheretur. Itaque præter ceteros superius memoratos, Clementem a Petro Apostolo missum sibi vindicabunt Metenses, ex Actis, unde narrationem suam hausit Paulus Diaconus, mediæ ætatis, et non contemnendæ auctoritatis scriptor. Ejusdem Apostoli curæ, et postea Clementis, plures populi acceptam quoque ferre poterunt, ex veteribus Actis et Martyrologiis, primam Episcoporum suorum institutionem. Quorum labores si suis provinciis, ex Augusti instituto dispositis, reddantur: Tertulliani sententia quantopere vera sit, de diversis C Galliarum nationibus Christiana fide imbutis, patebit.

de missione primorum suorum Episcoporum,

per omnes Galliarum provincias,

27 Narbonensis quippe provincia, non solum a Crescente Viennensi, sed etiam a Trophimo Arelatensi, a Paulo Narbonensi, qui proxime secutus est Trophimum, et demum a Saturnino Tolosa exculta fuerit. Aquitanica a Martiale Lemovicensi; Ursino Bituricensi, Frontone Petragoricensi, et Eutropio Santonensi, atque etiam a Saturnino in Novempopulania, quæ pars erat Aquitaniæ, Belgicam curaverint Eucharius Trevirensis, Clemens Metensis, Xystus Remensis, et Memmius Catalaunensis. Quod attinet ad Lugdunensem provinciam; fidem in ea instituerint Dionysius Parisiensis, Savinianus Senonensis, Nicasius Rotomagensis, Caraunus Carnotensis, et Julianus Cenomanensis. Superest ut de Lugdunensi civitate quæramus: quæ quidem cum principia Episcopatus debeat Pothino, qui passus sub Antonino anno Christi CLXXVII, nonagenario major, sed inferior Trophimi Arelatensis institutione, non dubito quin hujus studio debeat primitias fidei. Siquidem, ut tradiderunt Episcopi, in libello oblato Leoni Papæ anno CCCCL, ex Trophimo velut ex fonte profluxerunt rivuli fidei in alias Galliarum partes: quod confirmat quoque Zosimi Papæ Epistola. Quare cum Arelas, Italiæ, Orientis, et Africæ D commerciis pateret, et ob eam rationem Lugduno florentissimo Galliarum emporio conjungeretur; obvium fuit Trophimo, per se et per alios legatos, fidei Christianæ sementem ibi serere, quæ tandem in eum fidelium cœtum crevit, qui a Pothino Episcopo regi mereretur.

licet quædam eorum Acta, mendosa aut fictitia,

28 Non me latet in quædam Acta, quibus vitæ Pontificum illorum describuntur, multa (quod attinet ad eorum res gestas) irrepsisse, quæ manu medica egeant, ut repurgentur; quemadmodum de Actis hujusce generis decreverat olim Concilium Francofordiense anno DCCXCIII. Id tamen non officit missionis veritati, de qua sola asserenda nunc agitur; omissis ceteris, quæ in quæstionem adducuntur a viris eruditis, de quibus alias fortasse sententiam meam aperiam. Interim amicos nostros obtestor, ut boni consulant, quæ, licet aliena ab eorum sententia, dixi, provocatus tuendæ veritatis desiderio, ad restituendam Ecclesiæ Gallicanæ majestatem, ali- E quo pacto imminutam, ex depressa originis illius vetustate; quæ in rebus sacris non vulgarem venerationem conciliare solet, tum Ecclesiis, tum etiam Imperiis Christianis, in quibus sunt constitutæ. Quare non evertendas, sed retinendas putavi, quæ veritate nituntur, traditiones nostras; præcipue cum in Ecclesia Romana, ac toto in orbe Christiano jam olim receptæ fuerint: adeo ut non egeamus prava illa diligentia, quam adhibuerunt illi, qui etiam falsis atque confictis, sub nomine veterum auctorum monumentis, vetustatem Christianæ religionis sibi arrogare nituntur, vel etiam receptam confirmare.

merito repudientur.

Tu vero VIR CLARISSIME, pro ea qua polles, non solum eruditione, sed etiam prudentia, de nostro isto conatu, prout par est, decernes, et dignitatem Ecclesiarum Gallicanarum robustius vindicabis. Vale. Lutetiæ Parisiorum Nonis Septembris, anno MDCLVIII.

ANIMADVERSIO D. P.

S. Ursini Bituricensis Vita,

Placet adhibita Severo Sulpitio explicatio; non item Gregorii, velut secum ipso inter diversas duas sententias pugnantis, asserta hæsitatio; quando jam ostendi, promiscue dici Successores *et* Discipulos Apostolorum; *nec aliter id intelligi necessario debeat apud eumdem Gregorium, de S. Ursino Bituricensi loquentem; cujus* Vitæ Acta *miror, ut* perantiqua, *a viro erudito laudari; si ea intelligat, quæ postea noster Philippus Labbe* F *dedit tom. 2 Biblioth. pag. 455, ex MS. Canonicorum Regularium S. Ursini in suburbano Parisiensi. Ea enim, aliud non sunt, tota priori sua parte, quam Actorum S. Martialis imitamentum, in iis omnibus, quibus iste in Christi Petrique discipulatu dicitur adfuisse: cetera vero quam futilia sint, facile intelliges, cum leges, quod Ursino Bituricas veniente,* erat *ibi* quidam Senator, Leochadius nomine, qui..... sub potestate Romani Imperatoris constitutus, in Burgundia et Aquitania potentissime principabatur, et quia Romanis subjiciebatur, ideo se Regem appellare non erat ausus. *Meministi, credo, eadem fere verba ex S. Martialis actis relata a Cordesio num. 7, meritoque explosa: idem ergo de his judica, et* Saturnini *ætatem potius æstima, ex ætate discipuli* Firmini, *et paucitate successorum qui ante Rodanium, pro anno* CCCLVIII *subscriptum Concilio Biterrensi, solum tres nominantur, sancti videlicet* Honoratus, Hilarius *et* Silvius, *et usque ad persecutionem omnium crudelissimam finemque seculi* III *sufficere potuerunt: post hanc vero annis aliquot Sedes vacaverit (unde nec in Arelatensi Synodo anni* CCCXIV *quisquam adfuit) qui autem postea ordinati sunt, videntur cum Arelatensi Saturnino deflexisse*

imitatur Acta S. Martialis,

A *deflexisse in hæresim Arianam, ideoque oblivioni dati esse.*

Utut est, quod ad Acta S. Saturnini *Tolosatis attinet, nulla antiquitus scripta fuisse, cum A Marca, sensit etiam Bosquetus, et lib.* I *cap.* 18 *triplicia recenset, quorum priora duo manifestissime fabulosa sint, dum* Egeæ Regis Achaiæ, et Cassandræ filiæ Regis Ninivitæ Ptolomæi, filium Saturninum *faciunt; eumque missum volunt a Petro,* sub Claudio Principe, qui curis potiebatur Imperialibus; Decioque et Grato, qui Consulatu fungebantur. *Tertia legi apud Surium possunt, vix etiam ipsa tolerabilia in multis; præstat autem ea ad* XXIX *Novembris discutienda reservare; uti et ceterorum Sanctorum num.* 27 *nominatorum Acta.*

nec ulla antiquitus extabat Vita S. Saturnini,

Interim mihi videor posse concludere, quod ad præsentem rem modo satis est; solam populorum prætensam traditionem non sufficere, ad constituendam Gallicanorum Episcoporum Epocham; dum apparet, exemplo Arelatensis Viennensisque Metropoleon, inter se de Primatu certantium, factum esse, ut ceteræ quoque civitates ad eamdem antiquitatis prærogativam aspirarent; deinde et Acta illi consentanea comminiscerentur, B *tanta sæpe cum verosimilitudinis sectandæ negligentia, ut non vererentur accipere mutuo, quæ alibi legerant de aliis; sicut supra contigit* S. Ursini *gesta ex* S. Martialis *Actis sumentibus; et horum Auctori, de* Austricliniani *suscitatione per baculum S. Petri, eadem scribenti, quæ Treviris legebantur de* S. Euchario, *ad vitam revocante* S. Maternum.

adeoque ex illis nil certi habetur.

MIRACULA

Ex vetusto nostro MS. Membraneo.

§. *1. Antiquiora aliquot patrata ad sepulcrum.*

Igitur beatissimus Martialis, quibus se virtutibus publicaverit, relatio contulit manifesta: quæque divina pietas operari dignata est post ejus obitum, ad venerabilis ipsius sepulcrum, huic paginæ inferendum esse videtur; quo fiat ut populus miretur attonitus.

1 Puella quædam, cum manus unius officio caruisset, in tantum ut ungularum acumina, transfoderent palmam, S. Martialis sepulcrum expetiit, et ut sui misereretur, exoravit. Quæ fusis orationum C precibus, solotenus inhærens pavimento, respectu divino pristinam manus aridæ meruit recipere sanitatem. Quod miraculum adstantibus populis, qui ad ejus festivitatem confluxerant, operatum est.

Curantur, puellæ manus contracta,

2 In eadem quoque nocte, quod ibi miraculum apparuit, nequaquam silendum putavi. Mutus a nativitate sua, etsi usu linguæ caruerat, tamen corde meditatus est beati Viri memoriam expetere: ubi illico ingressis liminibus, fusa Domino intra se oratione, rigens lingua dissolvitur, qui et colloquium statim meruit et auditum.

et mutus a nativitate:

3 Nec illud, quod operæ pretium occurrit, omittendum est. Solet enim pervicax cervicositas populorum [efficere,] ut aliqua sibi objecta crimina sacramentis expiare contendat. Accidit ut quidam, cum ecclesiam fuisset ingressus, oppositum sibi crimen misera libertate defensare deberet, quo manifestissimus habebatur. Mox rigente lingua ita os ejus seratum est, ut nequaquam mendacii sui potuisset exercere actionem: sed quasi balantium ovium voces similaret. Adveniens autem ad hujus Confessoris tumulum, prosternit se ad orationem: ubi cum diutius jacuisset, tamquam si guttur ejus aliquis tangeret, ei visum est. Qui innuens Presbytero, cui ibidem Officium agendi fuerat cura commissa, manu ostendit, ut gutturi ejus signum Crucis infigeret. D Quo facto iterum prostravit se homo ille, vacans orationi. Qui cum elevatus fuisset a pavimento, reddito vocis officio, omnia quæ sibi acciderant, proprio populis patefecit eloquio.

ob perjurium loquela privatus, cum recipit ad sepulcrum.

EX MS.

4 Mulier quædam, dum turpe miseriæ suæ ludibrium, carnis vitio exerceret; invento cum quo flagitii hujus causa commixta fuerat, præ facinoris sui verecundia, basilicam S. Martialis uterque expetiit, ne publice a judicibus disciplinis subderentur addicti: et cum a custodibus fugitivo gradu evasissent, ad sepulcrum beati Viri pervenerunt. Nesciente janitore, intra claustra obserantur: quos non dubium est, miseriam suam ibi pertinaciter exercere voluisse. Qui non reserato ostio, non pariete transfosso, non fenestræ disrupto speculo, sed nutu divino expulsi, in quadam aquæ illuvie, quæ vicina eminus basilicæ apparebat, redeunte luce frequentantibus populis utrique reperiuntur stantes; ita ut detecta eorum miseria appareret, et beatissimi Viri virtus ostenderetur in factis.

Ad illud fornicaturi, divinitus ejiciuntur.

5 Adjiciendum etiam est et illud, quod per eumdem Dominus operatus est. Mulier quædam, sitis ardore perculsa nocte, ut sitis incendium temperaret; E sine lumine vasculum, in quo aquam hauserat, arripuit: et dum avidissime biberet, cum haustu aquæ bibit nesciens et serpentem: quem diuturno tempore gestans interius, cœpit ægrotare gravissime. Quæ beatissimi viri, ut remedium sibi acquireret, basilicam adiit: ubi cum se orationi dedisset, commotis visceribus serpentem vivum evomuit; quo exempto, sanitatis commoda secum domum reportavit.

Mulier ab hausto cum aqua serpente liberatur.

6 Jungatur operi, quo præsens testatur auctoritas. Quidam de assistentibus Officio sancti Confessoris, nomine Marculfus, instinctu diabolicæ persuasionis armatus, cellulam in qua beati Viri clauditur sepulcrum ingressus, Crucem quæ supra sepulcrum ornatus causa dependebat, extensa manu clam furto subtraxit. Quæ res ut claro miraculo appareret, compita diversarum provinciarum perlustrans, Crucem nundinariis protulit, datis pecuniis vendendam: sed nullatenus eam quispiam ausus est emere. Qui dum diuturno tempore vagaretur huc atque illuc, nec quidquam sibi prolatæ speciei proficeret pretium; in se reversus, atque conscio pudore perculsus, Crucem insuper et semetipsum loco, de quo male per blandientis inimici F insidias, furtivo damno subtraxerat, post annum aut eo amplius, præsentavit: qui et professione sua causam sui operis publicavit; et publice satisfaciens, pœnitudinem admissi facinoris gessit.

Crucem de sepulcro furatus, vendere nequit et refert.

7 Ad huc recens virtutum clarescit insigne miraculum. Contigit ut quidam publice manciparetur custodiæ, et adstrictus catenarum nexibus teneretur. Oppressis somno custodibus nocte evasit custodiæ, et basilicam S. Martialis adhuc vinculatus expetiit; ubi tactis liminibus, sed tamen seratis januis, ita vincula sunt comminuta, ut statim absolveretur adstrictus: quæ etiam catenæ, teste populo, appensæ cernuntur pariter et confractæ. Simili causa alter, dum ei colla ligno fuissent constricta, et ad custodiam carceris duceretur; invocans sanctum Dei Virum, illico lignum de cervice manibusque ejus evulsum est, ut liber videretur a vinculo, qui fuerat fortassis deputatus mortis eventui.

Vincti duo liberantur,

8 Dum reliquarum virtutum facerem mentionem, oblata sunt mihi, quæ paginis conscribantur. Cum sæpe se Vir Dei manifestis demonstrarit miraculis, hoc tamen recens testatur auctoritas. Venientes duo, unus a Turonorum civitate, alter hujus incola regionis, pari vocabulo utrique, nomine Domoleni, una

eriguntur contracti duo;

una debilitate membrorum percussi: beatissimi Viri memoriam adstrictis membris, ita ut manibus magis quam pedibus ambularent, pro restituendis corpori usibus, expetiverunt. Qui cœperunt se assidua frequentatione sanctis inferre liminibus, precantes ut venarum nervorumque connexio solveretur. Quorum pro qualitate suæ fidei membrorum debilitas reparatur: et qui fuerant alienis manibus vectitati, gressu proprio revertuntur a tumulo.

EX MS.

illuminatur cæcus,

9 Addatur et illud quod potest adjungi mysteriis. Cæcus e regione Bituricorum civitatis, pro restituendis sibi luminibus, duce prævio viæ proficiscens, ad locum usque delatus est, ubi sancti Antistitis assidue clarescunt miracula. Qui cum sancti Confessoris limina fuisset ingressus, bajulans pro luce tenebras, poposcit se exponi ad Viri beatissimi tumulum. Qui diutissime inhærens pavimento, lucem quam amiserat sibi reddi precibus postulavit. Cumque fletibus vacaret et gemitibus, ac sanguineis lacrymis genæ essent infusæ; cessantibus guttis, omne quidquid noxium fuerat mundatur ab oculis, et lux cæco redditur, cui fuerant dies longo tempore pro noctibus æstimati: et qui alieno ducatu ad sepulcrum beati Viri fuerat introductus, gressu proprio est reversus ad patriam.

crebrescunt miracula.

10 Quantum de virtutibus beatissimi Confessoris a fidelibus Dei famulis, fama promulgante, meis probavi auribus, acsi non perito sermone, huic paginæ adscribendum putavi: ceterum aliæ etsi occultæ sunt populis, Deo clarescunt; [aliæ] assidue sunt manifestæ in purgatione et in reparatione debilium, in sublevatione languentium, in diversis donis omnium sanitatum. Sit ergo communis oratio; ut cum in futuro examine Agni ab hædis, justi [ab injustis] suprema sorte distabunt; ipse perpurgandorum criminum maculis advocatus noster assistat, ut ipso patrocinante de sinistra transire valeamus ad dexteram, præstante D. N. Jesu Christo, qui vivit et regnat per omnia secula seculorum. Amen.

§. II. *Miracula seculo* VII, VIII, IX *scripta.*

Claret Sanctus in vita et post mortem miraculis.

Cum D. N. Jesus Christus ad salutem humani generis in terras descendere dignatus est in carne humana, et discipulos suos docuit prædicare in universum mundum, dicens, Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis: tunc B. Petrus Apostolus jure beatissimum Martialem, cum duobus Presbyteris, in Gallias ad civitatem Lemovicinam [misit] et eam sibi commissam jussit prædicare; ut populum, qui a dæmoniis in ipsa urbe vexabatur, et idola turpissima nescienter colebat, ad aram Christi Domini revocaret. Quod ipse infra paucorum dierum spatia [secundum] ipsius jussionem, adimplevit: et in vita sua virtutes multas populis ostendit, et post obitum suum multa miracula per eum Dominus, in loco ubi ipse requiescit, dignatus est ostendere, cæcos illuminari [faciens,] surdos audire, et mutos loqui, manus aridas et membra dissoluta restitui, et qui a dæmonibus vexabantur, frequenter curari. Sed quia hoc in actibus suis scriptum est, studentes brevitati, repetere vitamus: sed quæ Dominus postea per eum operatus est, de multis aliqua, vobis indicare decrevimus.

a Ad Clotarium II missus pro Episcopo eligendo,

12 Cum quodam tempore Clotharius *a* Rex Francorum in suo regimine consisteret, et secundum consuetudinem Pontifex Lemovicum civitatis defunctus fuisset, ad venerabile sepulcrum S. Martialis concives urbis ejusdem deprecantes venerunt, ut quem in ipsa urbe ad Episcopatus culmen ordinare deberent, ostenderet. Sic eis visum fuit, ut *b* Matricularium, qui et Custos sepulturæ ejusdem erat, ad ipsum Regem *c* dirigerent, et nomina conscripta de duobus Sacerdotibus, Compresbyteris ejus, cum honore *d* Regio mitterent; et quem ipse vel Optimates sui consentiebant, ipsum in præfata urbe secundum pastorale officium surrogaret. Sed vix prædictum Matricularium, nomine Lupum, *e* compellere potuerunt ut prædictum Regem adiret. Qui cum iter cœptum ad aulam Regis festinus ageret, multos obviantes de sua petitione rogavit, ut in auribus Regis eam innotescerent: sed nullus acquievit. Cumque ille cum lacrymis diebus ac noctibus Dei misericordiam et beatissimi Martialis intercessionem petisset, ut locum potuisset invenire, quomodo Regi suam petitionem innotesceret; accidit, ut subito febris validissima filium Regis invaderet, et eum vehementer flagellaret; in tantum, ut vix cognosceret, utrum ejus anima in corpore ejus anhelaret. Cumque illius [mater] Regina *f* jejunium quotidianum cum gemitu et luctu celebraret, sic paululum aurescente cœlo obdormivit; et ei visum fuit, acsi prædictus Sacerdos, qui ex cœnobio S. Martialis advenerat, ibidem Missam celebrasset, et Communionem in ore pueri posuisset et quasi ipse expergefactus, Calicem complexasset, et quod in Calice sacrificium habebatur, totum bibisset, et sic sanus factus restitutusque fuisset. Et cum fervore præfata Regina evigilans, cœpit diligenter inquirere, num de Galliis Lemovicum ibidem Sacerdotem reperissent. Sed cum a nullo de ejus habitaculo certum faretur, surgentes ministri circumcursare cœperunt palatii sui amœnitatem, ut si quispiam eum invenire potuisset, festine ad cubiculum, ubi puer fessus jacebat, introducerent.

per visum ostenditur Reginæ,

sanans filium ejus ægrum:

quare requisitus,

13 Cum hinc et inde universa loca servi Regis perlustrassent, et ipsum non invenissent: Regina cœpit flere, et Dominum deprecari, ut ipsum famulum beatissimi S. Martialis ei ostenderet. Ipse vero hora diei nona, secundum morem, in oraculum Regis ingressus est; cumque preces cum lacrymis funderet, eumdem Optimates invenerunt, et velociter ante jam dictam Reginam ad cubiculum pueri perduxerunt. Et ipsa præsentialiter cognovit, quem in visu antea viderat, et provoluta ad pedes ejus, eum rogabat, deprecans ut festinanter Missam celebraret, et Communionem filio suo inferret. Sed et ipse cum lacrymis jussionem Reginæ implevit, et Communionem puero in ore porrexit; et amplexato Calice, totum quod ibidem Sacrificium invenit, velociter hausit, et sic sanus factus apparuit, quasi numquam infirmatus fuisset. Et statim ad Regem Clotharium puerum sanum eadem hora detulerunt: et quantus ei dolor antea accesserat, tantum gaudium tam ei quam universis assistentibus obvenit: et per singula petitionem suam jam dictus famulus Dei in auribus Regis intulit: cui ipse percunctanti omnem petitionem suam adimplevit, et honorem quem aliis pollicitus fuerat, intercedente S. Martiale, sibi Dominus multiplicavit: insuper mandatum quod * optaverat secum detulit; et multis muneribus tam a Rege quam a Regina acceptis, una cum calice aureo, et in ipso nomen ipsius scriptum S. Martialis, plenum solidis aureis, direxit: qui usque hodie ministerio ipsius basilicæ cernitur adesse. Et ipse Dei famulus, qui cum asello humiliter ad aulam Regis perrexerat; prædictus Rex equum cum sella, laminis aureis mirum in modum composita, eum sedere fecit: et cum magno triumpho, intercedente S. Martiale, auxiliante Deo, accepto Pontificatus officio, reversus est in pace.

sanato puero donatur Episcopatu.

* portaverat

g Tempore Ebroini,

14 Quodam tempore, cum Ebroinus *g* Comes Palatii, Major domus Francorum Regiæ, in aula Regis

A Regis adesset, et omnes nequitias seu iniquitates, quæ universa terra fiebant, superbos et iniquos homines super eorum facinoribus [puniens,] viriliter supponebat; pax per omnem terram plena et perfecta adrisit. Tunc surrexit puer unus, nomine Lupus, qui et auctor nominis sui adesse voluit. [Hic accessit] ad Felicem, nobilissimum et inclitum *h* Patricium ex urbe Tholosanensium, qui et principatum super omnes civitates usque montes Pyrenæos, et super gentem nequissimam Wasconum obtinebat. Eo defuncto supradictum Luponem *i* Principem super se omnes statuerunt, et omnes vagi profugique ad eum adhæserunt; et tanta turba apud eum assistebat, ut ex diaboli consensu illatio irreperet, ut Regem Francorum debellaret, et in sedem Regiam se adstare faceret, et cum universo exercitu iter arriperet, et illis in partibus festinanter incederet. Advenit, et Pontificem *k* ex ipsa urbe, et omnes concives ad se adunare jussit, ut fidem eorum extorqueret, et eos ad suum regimen perstringeret. Cum vero in cubiculum, ubi S. Martialis sepultura meruit tumulari, fuisset ingressus, cœpit perspicere ejus sepulcrum. Quod cernens, vidit ibi lumbare *l* aureum, cum pretiosis gemmis ornatum, et eum exinde cogitavit auferre. Sed cum B ingressus ad limen ostii ipsius speluncæ esset, sic jubente Domino et intercedente B. Martiale, quidam homunculus ex ipsa civitate, cui nomen Proculus, arripuit gladium, et eum in cerebrum ejus defixit. Cumque sui sodales hinc atque inde eum sustentare cœpissent, de oleo beati Viri, quod in lucerna accendebatur, in ipsa plaga jussit deferri. Sed eadem hora, multis cernentibus, flamma cum fumo de ipsa plaga exsilivit; et tantus tremor ibidem advenit, ut vix aliquis ex ipsis concivibus noctem se speraret attingere. Sed nutu Dei et intercedente beato Viro, hora nona diei, ipsis pax et gaudium inenarrabile advenit. Et jam palatium Regis Francorum, et omnes urbes et castella timor et tremor nimius et murmur ipsius invaserat, unde Domini misericordia, adjuvante et intercedente famulo Dei beato viro S. Martiale, pax restituta omnibus continuo fuit *m*.

Vasconiæ Principatum adeptus Lupus, Regi Franciæ rebellat,

et cingulum Sancto donatum tollere volens,

graviter læditur.

15 Nec prætereundum esse videtur, quod hujus Sancti meritis, circa quemdam hominem factum est, qui temere manu sacrilega furtim aurum, quod super ipsum pependerat, ausus fuit appetere. Nam cum inter populorum catervas, quorum frequentibus studiis hæc limina expetuntur, quidam rusticus, C magis furandi studio quam causa orationis, ad nocturnum Officium advenisset, ac in sacris divinisque cultibus male conscius mixtusque vigilaret, suæ animadversionis non immemor; cum finito Officio eundum ab ecclesia videretur, ipse furandi deliberatione aditum investigans, egressis aliis, in cryptam ubi conditum corpus sanctissimi Confessoris quieverat, introgressus, se in tertia cryptella, retro tumulum Ducis quondam Stephani *n* occultavit. Circumeuntibus igitur ecclesiæ loca custodibus, nullumque qui expelleretur videntibus, clauserunt pro solito januas. Quibus clausis atque seratis, post Matutinalem debitæ servitutis laborem, se sopori reficiendos dederunt. At latro, latibulo quo ante celabatur egrediens; poma quæ ibi odorandi gratia dependebant, suæ famis rabie, primo cœpit velut amens manducanda expetere; et sic ad rapienda aurea, quæ plurima tunc ibi et varia splendebant insignia, manum impavidus vulnerata mente porrigere; qua libere tantum sacrilegium sibi concilians, hirsuta manuum tegumenta, quæ manufollia rustice nuncupantur, pretiosis periculis compos voti adimplevit, quibus usque ad summum expletis, ipsius cryptæ ostium petiit, velut factor criminis egressurus. Cumque cetera ecclesiæ ostia D reserandi gratia circuiret, nullumque per quod egrediatur aditum invenisset; tanto dormiendi pondere est percussus, ut nec pedibus molem capitis sustineret. Cujus immanitate oblivia tantæ anxietatis, subjecta manufollia capiti exhauriens, dat ante ipsum cryptæ ostium membra somnifera pavimento, cœpitque perflare somnium stertens pectore toto.

Aurum de sepulcro Sancti furatus,

eodem chirothecas refercit,

EX MS.

qui ipso loco obdormiscens,

16 Quod expergefacti dum audirent stupidi janitores, quisnam in ecclesia remansisse, visuri, adeunt admirantes. Quem inventum dum calcibus ad evigilandum pulsarent; verbisque increpantibus, quare vel quomodo remansisset, edicerent; nihil econtra ille respondere tentabat, nisi ut dormire eum sinerent exposcebat. Quibus acriter ut se levaret instantibus, atque cur ibi obdormisset quærentibus; cum nullis monitis imperantium obediret, nec quidquam nisi quod somno gravaretur, quærentibus responderet; janitorum unus ei alapam non surgenti injecit. Cujus ictu manufollia, quæ sub capite auro fota posuerat, patefacta in pavimento ecclesiæ, acsi sacrilegii horrore impedita, ornamenta gemmarum in lucem coram testibus vomuerunt. Ad quod custodes domus expavescentes, latronali custodiæ eum mancipandum ira sæviente proclamant. Quam causam dum ad majores ecclesiæ E detulissent, communi omnium ac generali sententia invenerunt, ut nullo humano judicio damnaret, quem reum ultio detinebat divina. Unde beneficiis ei pro pœna criminis impertitis; et monitis salubribus ceteris audientibus, in quorum pro exempli gratia concilio ductus est) ministratis, correctus, divino munere abiit, denuo, ne ceteri talia facerent, exemplum factus ac via salutis est. Quod factum virtutibus sanctissimi Martialis omnes qui aderant retulerunt; cujus providentia salutaris vesanam mentem rustici, in furandis quæ male concupierat ornamentis, permiserat satiari; et post actam malitiam, nequaquam, quo facilius sanaretur, immisso somno voluit occultari: quatenus et perversam suæ nequitiæ voluntatem rusticus cerneret, et accepto remedio misericordissimam Sancti hujus clementiam cunctis malevolis prædicaret.

a custodibus depredenditur

et præda exutus, liber dimittitur.

17 Erat ex familia hujus sancti Confessoris quidam nuper homuncio, nomine Otrannus, ita omnibus membris debilis et contractus, ut quasi glomus lineus involutus, non homo sed ferinis monstris videretur simillimus. Cujus infelicitatis ejus proximi miserantes, in sportula virgea eum ad ejus Sancti limina detulerunt; spem in misericordia Domini F Salvatoris habentes, ut per S. Martialis merita sanitatis ac incolumitatis reciperet gaudia. Ubi dum multis temporibus excubaret, et bonorum hominum eleemosynis pasceretur; nisibus quibus poterat, sæpius ad ecclesiam gressu testudineo se trahebat, et pro captu intelligentiæ, sibi a Domino sanitatem geminam anhelabat. Erant enim suprema macie membra miseri jacentis confecta; singula suis ossibus [hærentia,] et dira illuvie omne corpusculum occupante, vix in ore languido vox tenuis resonabat. Dumque tali ægritudine laboraret, et prolixam miseriam condoleret; accidit ut plurima turba, orandi studio ad hæc limina veniente, hic inter languentes, quorum immensa agmina ad fores ecclesiæ excubabant, nocturnas causa suæ salvationis, vigilias expetisset. Quem dum nobilis quædam matrona inter reliquos cubantes conspiceret; timens ne calcibus multitudinis conculcaretur (quia, ut diximus, sicut catulus cernentibus videbatur) suorum manibus eum ad hospitium quo hospitabatur portari præcepit. Quæ dum signis excitantibus ad nocturnas vigilias, surrexisset, iterum suorum manibus fecit, quem ante tulerat, reportari; atque ne a populo læderetur, in crypta

In globum contractus,

et ad sepulcrum excubans,

A EX MS. crypta, ubi tunc temporis corpus S. Martialis *p* jacuerat, super pavimentum marmoreum præcepit poni.

magno cum cruciatu rectificatur, 18 Ubi dum languidus, jactans membra collocata, quiesceret; medio jam completo nocturnali Officio, cœperunt laxatis nervis se paulatim artus ejus erigere, et loca pristinæ sanitatis repetere. In quorum commotione durissimis æstuabat miser doloribus, et per pavimentum marmoreum in angustia maxima volvebatur: nulli enim, præ nimia lassitudine, palam vocibus suum dolorem querulus inculcabat; sed corporis torsionibus membrorum erigendorum maximum ostendebat dolorem. Virtute enim hujus sancti Confessoris et meritis, magnis corporis cruciatibus, ad erigendos nexus et nodos corporeos, torquebatur; et quasi quibusdam angustiis internis externisque, cœlesti medicamine sanabatur. In quo aliquamdiu dolore gravissimo demoratus, dum super pedum plantas, quia caro ossibus deerat, per se stare non posset, erectisque juncturis ambulandi officium adhuc penitus non haberet; intrante Custode, qui tum temporis fuerat, et solicite hæc vidente, cum eum intellexisset cœlesti visitatione curatum, et per merita Sancti in pristinam suam sanitatem erectum; humeris propriis, ab interioribus cryptæ, populis extulit ad videndum. Quem omnes qui ante noverant intuentes, dabant gratiarum actiones Domino Jesu Christo, qui per sanctum suum Antistitem tanta et talia in populo suo non desinit quotidie operari miracula: cujus si virtutum insignia, quæ per eum divina pietatis assidue innumera operatur, dicere cuperemus; aut ariditas nostri sermonis non posset excolere, aut memoria retinere.

et necdum suppleta carne aufertur adhuc debilis.

B

Ex Ludovici Imp. militibus unus, 19 Quodam denique tempore, residente Ludovico *q* Imperatore, cum magno Francorum exercitu, Geguntiaco *r* Palatio; plurima circumquaque loca vicina in rapinis et prædonum pascuis, quæ supradictus devastabat exercitus, vexabantur: erat enim usque ad hanc urbem Lemovicinam Francorum diffusus exercitus, et circumquaque residens, equis segetes et pascua depascebat. Nulla enim Sanctorum reverentia, quorum pignora urbs nostra excolit, eos ab hac populatione, licet pacifice ac religiose quasi naturaliter habeantur, frenabat: quippe quorum merita nec legerant, nec miraculis coruscantibus cognoscebant: qua de re sine differentia, etiam hujus sancti Confessoris segetem, cujusdam Franci famulus expetens, falce metendam adierat. Quam dum sine respectu divino carperet, et pugillarem manipulum abscidisset; acsi injuriam Sancto Dei faciens, cui in colligenda segete nullum honorem præsumptuosus detulerat, manum cum manipulo contractam aspexit. Qui dum facti pœnitens, vellet ab altera jam pavidus falcem projicere, et hanc simul obriguisse stupidus miratus indoluit: erat enim juxta murum, quo ipsum monasterium cingitur, campus aquilonaris, ubi divina ultione messis populator famulus horrescebat confusus.

segetem monasterii demessurus,

C

utraque manu contrahitur;

et sociis pro eo satisfacientibus, 20 Quo facto, Franci, qui audierant vel viderant, conturbati, non modica turba ad spectandum miraculum convenerunt. Ubi dum stupentem suæ gentis hominem conspexissent, et contractum ambabus manibus condolerent; ac lumine viduatum conspicerent; communi satisfactione suæ humilitatis ei implorare veniam, qui percussus fuerat, prudenti consilio elegerunt. Tunc discalceantes se pariter, cum magna mentis humilitate et ardentibus cereis, medium ipsum qui percussus fuerat, ante hujus Sancti præsentiam, nudis gressibus adduxerunt. Ubi dum lacrymabiliter veniam pro ignorantia suæ negligentiæ implorarent, non destitit solitam pius athleta Domini conferre postulantibus pietatem: nam et pro quo rogaverant sanum et incolumem reddidit, et suam ita eis cognitionem ab ipso tempore largitus D est ac donavit, ut nulla in pascuis ac segetibus ejus deinceps a Francis hæc videntibus populatio inferretur. Ita enim ab eis in omnibus venerabilis postea fuerat et colendus, ut sibi invicem prædicarent, ne ullus suorum in rebus sanctissimi Martialis aliquid tollere aut accipere, sine digno pretio, præsumpsisset. *sanatur.*

ANNOTATA D. P.

a *De Prologo nolim spondere, cum primi Auctoris esse.* Clotharius, *natus paulo ante mortem patris an.* 584, *primum cepit Monarchiam, mortuis patruelibus, an.* 614, *ætatis suæ* 31. *Sub hoc autem fuisset mortuus Episcopus* Asclopius, *seu Asclepiodorus, relatus in Martyrologio Lemovicensi ad* 23 *Decembris.*

b *MS. nostrum membraneum*, Mathuranum, *Ultraject.* Marcirarium: *utrumque, credo, ex abbreviatura male intellecta: cum enim hic ipse missus, dicatur renuntiatus a Rege Episcopus, nec alius quam* Lupus *infra nominatus, apparet erratum esse in transcribenda hac voce. Est autem* Matricularius ecclesiæ, *vulgo* Marguiller, *penes quem est Matricula Clericorum, viduarum ac pauperum, ex proventibus ecclesiæ alendorum.* E

c *Codex noster importune hic addebat*, Lupi et Compresbyteri ejus.

d *Ultraject.* cum muneribus copiosis.

e *Hoc nomine dictus Episcopus (nam infra eidem dicitur Episcopatus collatus a Clothario) invenitur an.* 638 *subscripsisse fundatione Solenniacensi.*

f *Præter* Haldetrudem, *incertum est, an concubinam, an uxorem, habuerit Clotharius II,* Bertrudem, *unde genuit Dagobertum I, monarcham denique etiam ipsum: ipsa autem obiit anno* 36 *viri sui, id est Christi* 619*: post quam ducta* Sichildis, *Charibertum, Regem postea Tholosanum, ei peperit, defunctum anno* 637, *relicto filio. Utra autem Regina et consequenter utrius filius hic intelligatur, non divino.* Clotharius *ipse anno* 628 *obiit.*

g Ebroinus *sub Clothario III officio illo cœpit fungi; laudatissimus initio Princeps, sed Clothario mortuo anno sui regni* 5, *Christi* 664, *plurium turbarum causa et auctor, tandemque occisus an.* 688.

h *MS. Membraneum*, Papam: *quo nomine nullus Tolosæ Episcopus fuit, nec si fuisset, tanta ei potestas secularis convenisset; itaque reposui* Patricium.

i *Historia expeditionis, a Rege Gotthorum Wamba an.* 607 *ductæ in Galliam, pluribus nobis describit turpem fugam* Lupi, *tunc* Ducis Francorum, *qui videtur hic indicari.* F

k *Inter Willegisilum pro anno* 630 *notum, et S. Erembertum pro anno* 690, *videtur aliquis anonymus interponendus.*

l Lumbare, *id est* cingulum, *quia lumbis adstringatur: de quo multa erudite Cangius in Glossario.*

m *Hic desinunt miracula, in MS. Ultrajectino passim abbreviata, et stylo diversa.*

n *Ejus fortassis, cujus nomen argumentum præbuit fabulosis sancti hujus Actis.*

o Manufollia, *Chirothecæ, necdum alibi nobis lecta sunt: suspicari quis posset,* Muffularum *nomen, vulgo* Moufles, *hinc natum esse.*

p *Hic indicatur Translatio aliqua sancti corporis, postquam hæc acta sint; quod infra clarius dicitur num.* 21.

q Ludovicum Pium *intelligo, Caroli Magni filium, qui an.* 813 *a vivente adhuc patre declaratus Imperator, cum exercitu in Aquitaniam rediit, eam contra Saracenos defensurus.*

r *Idem est in MS. Tornacensi. Bernardus Guidonis apud Labbeum tom.* 2 *bibliothecæ pag.* 266, palatium Johanneciacum *nominat; ipse,* Jogunciacum *in parenthesi*

A *parenthesi substituit. Valesius in Notitia Galliarum agnoscit, ita legi in Vita S. Genulfi; interim non dubitat, quin sit* Jucundiacum Palatium, *in Vita Ludovici Pii, pro anno* 796 *commemoratum, ut* in territorio Lemovicino situm; *alibi corruptius*, Andiacum, *vulgo* Joac.

§. III. *Miracula post annum* DCCCLII *facta et a coævo scripta.*

Hæc sunt ex multis pauca miracula, quæ pro merito Confessoris sui S. Martialis Dominus operatus est post Translationem corporis ipsius *a*, anno Incarnationis D. N. Jesu Christi octingentesimo quinquagesimo secundo, Indictione XV, regnante per provincias piissimo Galliæ Rege Carolo, filio Ludovici quondam Augusti, suffragantibus meritis et orationibus beatissimi Martialis Confessoris Christi; super diversos infirmos, in diversis locis, virtus divina pollere cœpit; præcipue tamen circa basilicam, ubi pretiosum corpus illius requiescit; adeo ut et videntes et audientes huc illucque attoniti mirarentur populi; fitque ibi concursio populorum B pene totius provinciæ; nec solum concives, verum etiam aliarum, quæ vicinæ sunt [provinciarum] habitatores, ardenti amore illuc properant. Inter quos et multitudo languentium concurrit, precibus et meritis illius desiderantes sanitatem recipere. Sed quia cuncta, quæ ibi a Deo acta sunt, præ multitudine, enarrare non possumus; ex his vel pauca commemoremus: neque enim alia a nobis dicenda sunt, nisi quæ aut oculis vidimus, aut a probatissimis viris cognita certissime scimus.

a — *Scribit Auctor suo tempore curatos varios,*

22 Quidam namque vir, nomine Petrus, qui et auditum pariter et loquelam amiserat, ab eodem populo ad basilicam supradicti Viri sancti venit, confidens de misericordia Dei: qui mox ut ingressus est sepulcrum, ubi ipse dudum quieverat, statim auditum recipere meruit. Mulier Fredildis *b* nomine, quæ Petragorico solo oriunda fuerat, filiam habebat nomine Ingelradam, quæ a nativitate sua officio linguæ caruerat; et cum per viginti et eo amplius annos per diversa loca, ubi corpora Sanctorum quiescunt, eam circumduxissent, nihil profuit. Cui quadam nocte revelatum est in visu, ut ad sepulcrum præfati Confessoris veniret, ibique hoc quod quærebat impetraret. Quod cum fecisset, etiam antequam ad ecclesiam pervenisset, insolita lingua C Deum laudare cœpit.

ac sigillatim, mutum et surdum, — *b* — *mutam a nativitate,*

23 Restat namque ut et illud ad medium adferamus, quod in ipso tempore, in alium Dominus operatus est. Vir quidam nobilis [Bernoldus nomine] in ipso Lemovicino pago, filium habebat adolescentem, nomine Warnaldum, qui a spiritibus immundis vexari consueverat; et ad tempus quidem cum patre manebat; ad tempus vero ignorante patre fugiens, silvas, montes, vallesque vel præcipitia gyrabat. Qui etiam curam gerens erga filium, quadam die montes vallesque cum familia perlustrans, comprehendit eum; statimque eum et ad ecclesiam Viri sancti venire coegit: sed ad eam antequam perveniret, sensum et intellectum recipere meruit.

energumenum,

24 Eodem nempe tempore, morbus qui podagra vulgari locutione dicitur, multitudinem populorum percussit; adeo ut manus et pedes illorum, vasto incendio *c* cremando, ad nihilum converterentur: ex quibus etiam multi ad præfatam ecclesiam delati sunt, qui etiam sanitatem recipere meruerunt. De quibus etiam fuit mulier, nomine Ermenildis, quæ etiam a supradicto malo in pede percussa est: et iterum ad sepulcrum beati Antistitis fugiens, sanitatem non minus accepit: quod usque tertio factum est. Huic contigit, ut in sanctissima nocte, qua nativitas nostri Redemptoris erat celebranda, canentibus ejusdem ecclesiæ Monachis obdormiret; dictumque est illi in somnis, ut linteum, quod ad operimentum gerebat, Monacho qui ad officium prædicationis erat constitutus, cum candela deferret, et mox sanitatem acciperet. Cui visioni certissime credens, statim ut dies perfecta venit, quod dictum ei fuerat, absque aliqua dilatione implevit; et ita quidem sanata est, ut ulterius nullum malum in pede sentiret.

multos podagra curatos, c — D EX MS. *uni apparente Sancto,*

25 Interea non est prætermittendum, quod in alia muliere Dominus ibidem operatus est. Puella quædam, Christiana nomine, ex solo Petragorico, filia Daiberti *d* a nativitate lumen non viderat: quæ audiens miracula eo in loco, per merita beati Viri fieri, ardenti animo ibidem venit, et lumen quod non viderat, vidit. Quæ repleta gaudio, percepto lumine, indiscreto revertere ad propria tentavit. Sed antequam ad domum propriam perveniret, perdito lumine quod acceperat, prout fuerat, in tenebris remansit. Sed non dubia de Dei pietate, summa cum velocitate, ad sepulcrum Viri Dei iterum pervenit; et lucem, quam prius acceperat, iterum accepit.

cæcam item bis illuminatam, — *d*

26 Eo namque tempore circumquaque Gallia Aquitanica a Normannorum *e* graviter vastabatur gente: qui pene omnia usque ad internecionem vastantes, quæ circa maritima fuerant; securitate accepta Lemovicas usque pervenerunt: cernensque populus terræ illius, se vim illorum ferre non posse, maxime quia inter se divisus tunc erat, relicta civitate huc illucque dispersus est. Quibus diebus in prædicta civitate quidam homo, nomine Elisæus erat, qui ex Albiensi solo ad sepulcrum beati Viri aliorum manibus fuerat delatus: cui obtigerat, ut die Dominico, dum somnum caperet circa medium diem, sicut ipse narrabat, officium eundi atque motum dexteræ manus perderet, maneretque sine gressu atque officio manus per octo annos. Poscebat autem per multos dies intercessionem beati Præsulis, frequentans illius basilicam. Fugatis siquidem civibus, cum nullus ei in eundo misereretur; nimio terrore permotus, metuens ne civitas, juxta [morem] ipsorum barbarum, ureretur igne, et ipse cum ea; divino nutu, una tantum manu atque genibus reptans, a civitate in plateam se subtraxit. Illisque circumeuntibus ac gyrantibus civitatem, ita ut pene pedum eorum calcibus tunderetur; sic divina eum protexit gratia, ut non homo ab eis, sed bellua vel aper videretur: et plurimis in civitate præsumptive remanentibus interfectis, iste illæsus permansit. Recedentibus vero illis a civitate, atque ad ea unde venerant revertentibus, et concivibus remeantibus; ipse aliorum manibus, ad sepulcrum prædicti Confessoris, iterum est deportatus. Non multum vero postquam una parte reversi, ibidem Dominicum solenniter ducerent diem; peracta hora Tertia, pulsatis juxta morem omnibus ad divinum Officium signis, simul et nos Deo laudes agere cœpimus; et Deus, per merita sanctissimi Viri sui, huic sanitatem tribuere: et sic divina ordinatione peractum est, ut una hora et agentes Missarum solennia finem facerent, et illius infirmitati Deus terminum daret; ut qui die Dominico, circa meridianam horam, a dæmone fuerat dormiens percussus; in ipsius Resurrectionis die, non dormierit; sed vigilans, atque in oratione persistens, circa horam tertiam, per virtutem sancti Spiritus, nec non et meritum nostri Confessoris, propriæ restitueretur sanitati; et ipse qui suis viribus ad audienda Dei beneficia venire non poterat, corporis recepta sanitate, gressibus propriis, quo voluntas eum duxit, properavit: quem postmodum inibi frequentantem, longum *f* crevimus per tempus.

E *in irruptione Normannica e* — *paralyticus ab annis 8,* — *solus derelictus, non læditur:* — F — *ac denique ad sepulcrum Sancti relatus, sanatur.* — *f*

A EX MS. *Ludovico Juniore Aquitaniam invadente*, g

27 Inter cetera virtutum suarum insignia, beatissimus Dei athleta Martialis, unum quod præcipue nostro in tempore gessit, stupendum visu miraculum, non est silentio transeundum. Cum fraternam pacem Ludovicus, filius Ludovici Regis Germanici, irrumpendo g Aquitanicos fines, dividerет; et patrui Caroli gubernacula sibi vindicare, et ad se transferre moliendo præsumeret; tyrannico more, ut in tali militia assolet, per hujus regni civitates et loca plurima, cupidus gloriæ, ferebatur. Cujus illicitos conatus perniciosa cohors subsequens imitata, agrestem manum cum urbanis populis, milite nefario devastabat. Erat enim ex Francis bello potentibus ac Toringis, Alemannis quoque ac Bajovariis promiscuæ multitudinis commixtus exercitus; nec erat, cunctis properantibus ad rapinam, reverentia aut modus temperans aut honestas. Quorum quidem unus, genere nobilis Alemannus, nomine Scrotulfus, dum in temeraria populatione præstantior, sine moderamine moribus indomitis grassaretur, ita quidem ut nec calce ecclesiarum ostia effringere formidaret, consona divinæ ultionis sententia, enormiter in toto corpore est percussus. Quod cum sui et omne sociorum ac propinquorum collegium tristi contemplarentur intuitu, et gemebundo pectore lamentarentur; vexationis illius magnitudinem, sancti hujus Martialis Antistitis meritis sacris et intercessionibus, judicaverunt absolvi. Erat quippe dolor intolerabilis et vicerum cruciatus enormis, in tantum quidem ut omnium membrorum destitutus officiis, vitalis animus solo palpitaret in pectore, et sola imago mortis cerneretur [potius,] quam aliqua pressura infirmitatis. Visum enim cum auditu perdiderat, et consueta locutio cum omni (ut dixi) membrorum naturali motu defecerat; adeo ut toto corpore rigidus, immotis palpebris jaceret et apertis luminibus.

militum unus insolentior,

B

totus exanimatur;

28 Talem itaque, id est omni parte emortuum, ad hujus Sancti venerabile ac salubre sepulcrum, collegarum tristis societas eum detulere curandum. Jacebat denique miserabilis, ac ab omnibus intuentibus mirabilis et plangendus: et sola, teste Propheta, vexatio intellectum dabat auditui. Mirabantur enim eum inter ceteros venientes Episcopi, et præ nimia tormentorum dolorumque pressura, stupore horribili aderant, hujus cladis et pestilentiæ trepidi patratores. Quod dum ad aures Regis sui, non solum propinquorum, sed et aliorum videntium relatio retulisset; rogaverunt ut ipse pro illo Monachos hic Deo servientes expeteret, ut pio Domino et sancto ejus Pontifici Martiali orationem petitionis funderent, et parentum lacrymis condolerent. Quod dum factum est, cum magna devotione et fide, ante hujus Confessoris sepulcrum prostraverunt sanandum. Interea dum post cursus rapidos et nefanda molimina, Carolus Rex cum Francis adveniens, junctis armis Aquitanicis [Alemannos] expulisset, nepotemque fuga præcipiti propria repetere compulisset; ingravescente morbo pestifero, pervasor hic unus, cum paucis dumtaxat hominibus suæ servitutis relinquitur; et [propter] malum quod sociorum consensu peregerat, hic anhelis gemitibus solo pœnaliter angebatur. Ubi dum premente ægritudine excubaret, et suorum manibus ante sanctissimi Confessoris sepulcrum frequenti solicitudine in vehiculo portaretur; quadragenario et eo amplius dierum spatio laborabat, in quo nihil alimentorum perceperat, præter aquam frigidam, quam cum fistula labris imposita pœnaliter deglutiebat; neque eum ad secessum ulla naturalis necessitas impellebat; quem præter aquam (ut diximus) nulla corporalis comestio sustentabat. Frequens circa eum suorum devotio, ad Missam et Horas vespertinas specialius præ ceteris Horis, per omne supradictum spatium, eum quotidie in sella gestatoria rigidum deferebat; et præsenti obsequio et cura piissima, ut Domini misericordiam reciperet, exorabat.

Is. 28, 29 *qui commendatus a Rege S. Martiali*,

C

et per 40 dies ad sepulcrum delatus,

D

29 Tanto autem in hac satisfactione tempore prætermisso, cum jam nulla apud humanos animos de ejus recuperatione spes ulterius haberetur; solita hic Confessor Domini pietate, non destitit, suarum intercessionum remediis, eum misericorditer visitare. Nam cum pro more, die quodam ante sepulcrum ejus, manibus portantium portaretur; et sola cœlestis medicina, votis bonorum hominum, et ipsorum hic tum degentium Monachorum, crebris et compunctivis orationibus, et jam quasi in ultimo, quæreretur; visa ei adstitit hujus sancti Confessoris præsentia. Videbatur ille vestimentis ecclesiasticis Pontifex, et dignitate sacerdotali Episcopus, qui manu sacratissima debilem per mentum accipiens, eum, ut sibi videbantur, ad adorandum Dominum incurvabat. A qua, ut credi fas, felici visione evigilans, nisu languido ac ægro conamine, prout in somnis viderat, se pavimento sternere, ac strato corpore Dominum adorare tentabat. Cujus voluntatem nutu famuli intendentes qui aderant, ante sepulcrum velociter eum famulanti obsequio prostraverunt. Ubi dum jaceret extensus, reddita voce patria, ad Dominum et Sanctum ejus Martialem Pontificem, gratias referens, paulatim cœpit supplicando collaudare: statimque visum cum auditu recipiens, supernum auxilium datis gemitibus anhelabat: et sibi pristinam cum futura correctione salutem, verbis, ac votis quibus poterat, exposcebat. Quod adstantes famuli dum viderent, et subita et insperata lætitia replerentur, cœperunt ritu et lingua barbarica, quod eorum dominus loqueretur, clamare. His auditis, Monachi, qui in sacris vigiliarum Officiis excubabant, nimio pro ostenso miraculo exultantes gaudio, signorum crepitu famam tanti operis divulgando, Domino laudes hymnidicas, pro viri hujus incolumitate, cecinerunt.

tandem apparente sibi Sancto,

sanitati redditur.

E

ANNOTATA D. P.

a *Incertum mihi est, utrum prioris Paragraphi clausulam hic habere nos dicam, an præsentis initium; cum appareat priorem quoque scriptum esse post Translationem. Lombardellus in Append. ad Vitam Italicam cap.* I, *factam Translationem, ait, annis* 600 *post Sancti mortem, adeoque seculo* 7, *in ejus sententia, mortem illam adscribentis seculo* I; *idque ad novam ecclesiam, Deiparæ et S. Stephano dicatam, quæ hodiedum dicitur* S. Martialis. *Utinam certius aliquid et antiquius de illa haberetur. Unum ex num.* 33 *dicere possumus, factam ante obitum aut etiam ordinationem S. Eligii, qui post medium istius seculi, Reliquias aliquas* S. Martialis *Parisios intulit, in ecclesiam ipsi istic dicandam.*

F

b *Hujusmodi passim sunt ceteræ Translationum particulæ; ubi* Namque *et* Nempe *etc. degenerant a propria significatione. Quod autem hic refertur miraculum, etiam occurrit in MS. Tornacensi (unde hic supplevi nomen patris) et ubi filii nomen scribitur* Walvardus.

c *Potius* Sacer ignis *talis morbus diceretur: et sic reipsa morbum hunc appellat auctor MS. Tornacensis; et ibidem dicitur morbus ille grassatus* in Axia, *vulgo* Aixe, *quæ Lemovicis distat una leuca trans Vigennum, utrique loco præterlabentem.*

d *Melius* Daiberti, *quam* Dalberti, *quod et* Dagoberti *scribitur, in MS. Tornac.*

e *Cœperunt Normanni Gallias infestare, classibus piraticis advecti, jam inde ab an.* 840, *annuis incursionibus molesti.*

f

A f *Id est*, Vidimus, *quasi præteritum a* Cerno, *video.* g *Venit Ludovicus nepos Caroli Calvi in Aquitaniam an.* 855, *rebusque non ex voto fluentibus, sub Autumnum rediit unde venerat. MS. Tornacensis scriptor compendium quærens, dispendium historiæ fecit, quando scripsit rem actam*, tempore Ludovici Regis, cum post mortem Caroli patris regnum occupare vellet.

§. *IV. Alia miracula ex MS. Tornacensi, eruta a Fr. Josepho Ign. de S. Antonio Carmelita Discalceato.*

Tempore Basilii *a* Imperatoris, tres Nobiles, de quadam civitate *b* Tarascone, quæ est ultra civitatem Tholosæ itinere trium dierum, ob devotionem, B. Martialis limina visitabant. Quibus in via procedentibus, quidam juvenis, ab utero surdus et mutus, eis in via affuit; et quibus poterat nutibus rogare cœpit, ut eum secum ducerent. Cumque hoc propter onus itineris facere recusarent; unus ex ipsis compassus dixit; Non dimittamus istum, vult enim ire ad Apostolum, petiturus ejus auxilium. B Duxerunt autem illum per diem, et in nocte faciebant sibi signa, quod rediret ad propria. Renuebat mutus, et quibus indiciis poterat flagitabat, quod eum secum ducerent, ad quod obtinendum se in terra humiliter prosternebat. Compassi igitur sibi duxerunt eum, et cum ad civitatem Petragoricam pervenissent, tamquam saluti propinquior, majora signa lætitiæ prætendebat; et quanto civitati Lemovicensi, quam numquam viderat, propinquabat, tanto in facie lætior videbatur, et suorum ductorum obsequiis apertissime occupabatur. Cum igitur coram sepulcro B. Martialis venissent, cœperunt pro muto suo S. Martialis clementiam instantius flagitare, et mirabilia quæ faciebat in aliis, allegare; orantes B. Martialem, ut ostenderet in hoc muto, quod possent in suis partibus enarrare. Mirabile dictu! juxta pullorum cantum, vigilantibus omnibus et laudes Matutinales cantantibus, abundantia magna sanguinis per os, et nares, et aures ejus exivit, et auditum et loquelam mutus continuo recepit: et qui mutus venerat, laudes Apostoli magnifice decantabat. Hoc autem miraculum scripsit, qui sanguinem in genis ejus recentem vidit.

a *b* *Surdus et mutus, in via repertus, et ad sepulcrum ductus, erumpente per organa sanguine gratiam obtinet:*

31 Quidam puer de Alvernia, qui fuerat mutus a pueritia, a parentibus ad S. Martialem est adductus, et ibidem cum custodibus derelictus; qui puer C diu Lemovicis perseveravit, nec loquelam recuperavit. Tandem cum populus festivitatem B. Martialis quadam die ageret, et puer juxta seplucrum B. Martialis oraret; sanguinem ab ore evomuit, et continuo loqui cœpit: qui puer postea non apparuit, sed sanguinis vestigia remanserunt, et os hominis et vestes sanguine sunt aspersæ.

item puer mutus.

32 Quidam homo de diœcesi Petragoricensi, dum quadam die in quodam fonte se lavare vellet, inimicus in fonte, in similitudine cujusdam mortui, apparuit; et aqua in oculos ingesta, visu oculorum eum privavit. Cumque diu cæcus fuisset, et divinam clementiam pro recuperandis luminibus frequentius invocasset, oculos amissos hoc modo recuperare meruit. Videbat siquidem per tres noctes in visione, quod erat in quodam palatio in civitate Lemovicensi coram B. Martiale; ubi recuperabat oculos perditos virtute beatissimi Martialis. Cum igitur cuidam litterato visionem retulisset; monuit ille vir eruditus, ut continuo viam aggrederetur, quod et fecit. Nec in via auxilium sibi B. Martialis defecit. Nam cum ad desertos quosdam vicos venisset, et quasi fame periret; non inveniens hospitium, intravit quemdam clibanum, ubi duos panes miræ magnitudinis et dulcedinis invenit, ex quibus per totam viam se refecit; quæ provisio in firma spe recuperandæ sanitatis eum mirabiliter confirmavit. Dum igitur ad civitatem Lemovicensem pervenisset, et orationem fundere non cessaret, differebatur ejus curatio, ut majori stupenda miraculo videretur. Continuante ergo cæco precum instantiam; in media Quadragesima, die quadam Dominica, de ejus oculis aqua fervens et fumosa abundantius emanavit: qua cessante, lumen perfecte rediit oculorum; et ad terram suam rediit videns, qui cæcus venerat ad terram alienam.

Vir quidam viso spectro excæcatus, in itinere ad Sanctum divinitus alitur. D EX MS.

33 Quodam etiam tempore contigit, quod B. Eligius capellam, prius constructam in civitate Parisiensi in honorem B. Martialis, quæ quasi lapsa et destructa fuerat, renovavit. Renovata igitur ecclesia, et plumbo etiam cooperta, cum magna multitudine comitantium, Reliquias B. Martialis B. Eligius *c* ad renovatam ecclesiam voluit deportare. Cum igitur rectius ire posset, ante carceres, ubi septem homines detinebantur vinculati, voluit cum Reliquiis beati Martialis suum transitum facere, non dubitans, quod in honore dictarum E Reliquiarum Dominus sua solita mirabilia indicaret. Portantur ergo Reliquiæ; et egregius Confessor Eligius, velut alter David ante arcam, coram Reliquiis B. Martialis corde et corpore exultabat. Cum igitur portans Reliquias ante carceris januam advenisset; non potuit se movere, nec passum facere; omnibus qui aderant instantibus, et compellentibus ut procederet, et Reliquias deportaret. Confessus est igitur qui Reliquias portabat, se non posse pedes movere. Cumque omnes starent attoniti, statim levis tonitruus cœpit in carcere audiri, ab imis concuti, et vincula et compedes cœperunt disrumpi; et confractis seris et clausuris januæ aperiuntur; exeunt captivi; et ecclesiam ingredientes, B. Martialis mirabilia prædicabant.

Dum illius Reliquiæ Parisiis portantur *c* *ad ecclesiam a S. Eligio dedicandam, solvuntur vincula captivorum.*

34 Dominus etiam Joannes Geraldus, *d* Episcopus Agennensis, retulit; quod cum de febre quartana infirmaretur, et in plena hieme multum affligeretur, et nullum posset cum mediis curationis remedium invenire; S. Martiali promisit cum summa devotione, quod si quartana eum dimitteret, quolibet anno cum oblationibus ejus ecclesiam visitaret. Quo voto emisso, finita febri quartana, continuo liberatus est; et ex tunc B. Martiali familiaris extitit et devotus.

d *Episc. Agennensis curatur a febri:*

35 Alio quoque tempore, cœpit urbs Parisiensis F tota valido ignis incendio concremari; nam flammæ ferebantur undique, et tam prope monasterium B. Martialis globus ignis singula devastabat, et prope erat, ut basilicæ tegumentum, (quod B. Eligius, fecerat plumbeum) funderetur. Quod videns B. Martialis auxilium invocavit; clamans, quod si B. Martialis ecclesiam cremari sineret, numquam ipse, qui eam semel reparaverat, repararet. Confestim igitur flamma in partem oppositam dirigitur, et B. Martialis ecclesia ab incendio liberatur.

invocante ipsum S. Eligio restinguitur ecclesiæ ejus incendium:

36 Quodam tempore, invalescente iniquitate, et refrigescente caritate, ira Dei peccatis exigentibus cœpit in populum desævire. Nam per omnes partes Aquitaniæ et Galliarum, ignis cremabat homines et mulieres, pueros et virgines atque senes. Non parcebat divina ultio ætati: nam in hoc adurebantur digiti, in alio manus, in alio brachia, in alio pedes et tibiæ, in alio ceteræ partes corporis ignis incendio cremabantur. Et si propter * refugium in loco doloris liquor aquæ poneretur, magis ac magis dolor augebatur, et fumus fœtidus emittebatur, qui aerem corrumpebat. Consulunt Præsules, quid facto opus sit: et tandem consilio definito una est vox omnium

in remedium ignis sacri

* *potius,* refrigerium.

A omnium, quod ad patronum Aquitaniæ B. Martialem pro auxilio recurratur, et corpus ejus de terra elevetur, ut ejus patrocinio omnis infirmitas expelleretur. Conveniunt Episcopi, confluunt populi; et ad locum, ubi corpus erat, accedunt: terra concutitur, aer suavitate odoris repletur: erigitur sancti Apostoli corpus, sanatur circumstans infirmus populus; et Sancti corpus defertur exterius, ut, qui accedere non poterat, sanaretur. Portatur ad montem, qui ex tunc Mons-gaudii est dictus, et omnis adstans populus est *e* sanatus. Gaudent sani populi, et magnificant laudes Apostoli, qui conferre potest infirmis sanitatem corporis. Redeunt Episcopi, redeunt populi, prædicantes ubique terrarum miram Apostoli potestatem.

EX MS. decernitur elevatio corporis: et delatio in montem. e

37 Traditur ab antiquis, quod dum B. Martialis iret in Mauritaniam, transivit per diœcesim Engolismensem *f*, ubi ecclesia tunc *g* fuit in ejus honore fabricata a Christicolis; in qua sunt Reliquiæ de capillis ejus: in qua est Deus mira in ejus honore continue operatus. In illa autem terra quidam Miles, juvenis corpore, qui diu vixerat impudice, a malignis spiritibus vexabatur: tantis enim furiis B agitabatur, ut se ipsum dilaceraret, et catenis ligneis stringeretur. Ad multorum igitur Sanctorum limina a parentibus fuerat deductus, nec per aliquem sanitati fuerat restitutus; imo dæmon clamabat per os ejus: In vanum, miseri, laboratis; non enim est in Aquitania Sanctus, qui me possit expellere, nisi unus. Cumque sub conjuratione Crucifixi, nomen Sancti illius requireretur; dæmon compulsus ait: Princeps vester Martialis, qui novem ex sociis, primum ex urbe Hurdeg *h*, tandem ex Mauritania, dum viveret, expulit, et in infernum cruciandos misit. Nos autem in isto homine novem sumus, et B. Martialem multum timemus. In crastinum miser ille obsessus ad ecclesiam prædictam adducitur, et a dæmonibus ante ostium pronus quasi mortuus projicitur, et vox dæmonum terribilis in ecclesia auditur: Quare, Hebræe Martialis, nobis tanta tormenta impendis? quare carnem luxuriosam defendis? Sic igitur miserum hominem per dies quindecim vexaverunt, nec recreari cibo vel potu permiserunt. Quibus completis, hora tertia, sanguine per os ejus emisso, ab eo recesserunt, non in eo ulterius reversuri. Cecidit homo in terram, et velut mortuus apparuit usque in horam nonam. Cum C ergo amici omnia funebria præparassent, et eum, ut moris est, vellent tradere sepulturæ; continuo surrexit sanus, ciboque et potu recreatus, dixit, se, a novem æthiopibus [deductum] ad os cujusdam profunditatis inferæ, unde flammarum fœtor exhalabat: cumque ibi profundum mergi debuisset; per quemdam indutum lineis et veneranda canitie, qui lilia in dextera manu, virgam ferream in sinistra gestabat, fuisse liberatum. Qui virga ferrea æthiopes percussit in cervicibus, et demersit in inferioribus putei, et animam jussit redire ad corpus, injungens ut ab immunditia abstineret. Nec dubium, istum fuisse S. Martialem, qui erat indutus lineis, propter Apostolicam dignitatem, et virgam ferream [tenebat propter eam] quam habet super dæmones auctoritatem.

Engolismensis adolescens f g propter luxuriam obsessus a novem dæmonibus h a solo Martiale ejiciendos se fassis, eodem conspecto liberatur:

38 Quædam etiam de Lemovicis oriunda, corpus suum dedit nimiæ voluptati, propter quod fuit tradita dæmonum potestati. Quæ a suis ante sepulcrum Apostoli adducitur; et dæmones per os in specie carbonum projiciens, liberatur.

item energumena.

39 In Alvernia prope Claromontem contigit, ut relatu fide dignorum audivi, quoddam mirabile, quod non est silentio transeundum. Sacerdos quidam B. Martialis indixerat parochianis suis, exhortans quod in festo tanti Sancti ab omni servili opere cessaretur. Contigit autem, ut quidam homo ejus parochiæ, D Sacerdotis sui edicto contempto, gerbas *i*, quas domi habebat ad solem poneret, ut eas humectas solis caliditas urendo siccaret. Cumque a vicinis cessantibus argueretur, contemnendo arguentes, sicut mandatum contempserat Sacerdotis, respondit; Quando Martialis de Lemovico veniret, erunt gerbæ penitus desiccatæ. Mirabile dictu. Serenitas erat maxima, nec in aere apparebat aliquod indicium nebulosum: vix tamen sermonem complevit, et ignis de cœlo descendit, et gerbas omnes sic penitus consumpsit, quod de ipsis solus pulvis remansit. Ex quo evidenter apparuit, quam velox fuit punitio, quia festum S. Martialis contempsit.

Sancti festum violans rusticus et blasphemans, i incendio manipulorum suorum punitur:

40 Prope S. Macarium *k* et Lingonium in quodam manso, homo quidam in festo B. Martialis, bladum *l* de agro meti fecit, et gerbas in quadam parte agri collegerat; et cum misisset ad domum, et præpararet asinum, volens gerbas cum asino deportare; descendit ignis de cœlo, et gerbas omnes et etiam stipulam agri usque ad solum combussit; et exinde ad domum, quæ distabat bene jactum balistæ, volavit, et domum combussit et asinum; et vix homo evasit, perterritus et dolens, quod in tanto festo fuisset ad S. Martialis injuriam operatus. E

k et alius similiter. l

41 Quodam tempore Stephanus *m*, Alvernorum Pontifex, in honore B. Martialis in Aurelianensi cœnobio altare consecravit: [nam] quidam beatus Geraldus. adhuc vivens, ibidem reliquias B. Martialis apportarat. Quod altare consecratum, ipso die jubente Episcopo decentius adornatur, pulcrius contegitur, et venerabilius decoratur. Quod quidam Miles, mente superbus, indigne ferens, et contra S. Martialem blasphemias proferens, dixit: Sanctus Martialis non est aliis Sanctis nobilior, et ideo altare ejus non decet ornatus decentior. Hoc dixit, et manum extendit; et pallium, quo tegebatur altare, auferre voluit. Vix fimbriam tetigerat, et statim cecidit resupinus, in utraque manu leprosus effectus, ore mutus, in amentiam versus, et toto corpore dissolutus; et sic stetit, donec jussu Episcopi coram altari consecrato adductus fuit, et Episcopus pro eo devote oravit, et sic sanitatem recepit, et B. Martialis magnalia prædicavit.

m Altare Sancti recens consecratum decentius ornari prohibens, castigatur:

42 Contigit et mihi, supradicta abbrevianti, quod cum in quadam ecclesia, in diœcesi Agennensi sita, prope Portum B. Mariæ *n*, quæ ecclesia dicitur Bassanes, et est in honore B. Martialis fundata; me ipso, assistenti populo, per diversa miracula, declarante, quod B. Martialis haberet super dæmones F potestatem magna ; tempestas fuit: nam tempestas tonitruorum et grandinis subito est exorta. Quod videns populus perterritus, emittere cœpit clamores validos et mugitus. Ego autem, sperans de solito adjutorio B. Martialis, dedi eis spem, quod si tacerent, et Sermonem B. Martialis audirent, B. Martialis eos a noxiis et incommodis custodiret: quod et fecit sua solita bonitate. Nam vineæ et blada convicinarum parochiarum perierunt, et metæ illius parochiæ illæsæ penitus remanserunt. Ex quo apparet, quod S. Martialem inhonorantes puniuntur, honorantes apud Deum et Sanctum petitionis suæ effectum et solatium sortiuntur. Cesset ergo lingua arida ab ejus miraculis recitandis, cujus potestas non cessat a continuis miraculis operandis; sed ejus precibus nos perducat Dei Filius ad incoinquinatum gloriæ corpus, ad quod ipse cum eodem Dei Filio pervenit perenniter regnaturus. Amen.

populus ad Sermonem de Sancto collectus n a tempestate damnum nullum patitur.

ANNOTATA D. P.

a *Regnarunt in Oriente* Basilius Macedo, *ab anno* 867 *ad* 886; *et Basilius, filius Romani Junioris, cum fratre*

A *fratre Constantino, ab anno* 975 *ad* 1025. *De priori potius hic agi crediderim : sed sciolus videri voluit, qui hæc scripsit, Monachus ; pro Rege Francorum, quem antiquior Scriptor haud dubie nominavit, substituens eum, cujus nulla apud Francos ratio habebatur.*

b *MS.* Cainone, *quod non est civitas, sed castrum, vulgo* Chinon, *ad Vigennam fluvium, in pago Turonico, distatque a sua Metropoli leucis* 8, *Lemovica autem leucis circiter* 50 ; *ast Tholosa altero tanto. Corruptissimus ergo hic locus est, nec video quomodo possit apte corrigi ; maxime cum ex mox nominanda Petragorica civitate, transeunda prius quam Lemovicum veniatur, appareat requiri locum, huic ad meridiem, non ad Septemtrionem positum. Tales autem sunt* Tarasco *et* Carcasso, *utraque supra Tholosam, respectu Lemovicensium, tridui itinere posita ; hæc Orientalior, sed primæ litteræ identitate propior* Cainoni ; *ista Meridionalior, unde euntibus Lemovicum, Tholosa et Petragorium in via sunt ; non item si Carcassone quis illuc eat.*

c S. Eligius, *Noviomensis Episcopus, secundum Henschenium, in Dagobertis, et alibi, ordinatus Episcopus anno* 646, *obiit an.* 665. *In Vita, per S. Audoenum scripta apud Surium* I *Decembris, simile quid*
B *narratur, alia occasione factum, cap.* 15, *quod ipse S. Simplicii meritis adscripserit.*

d *Apud Sammarthanos nullus* Aginnensis Episcopus *duplici hoc nomine reperitur* ; *sed* Geraldi *duo anno* 1103 *et* 1232 ; *deinde tres* Joannes *ab anno* 1281 *ad* 1383. *Ego ex prioribus unum, hic potius intellexerim. Distat autem Lemovica Aginnum leucis circiter* 30, *sic ut utrique medium Petragoricum sit.*

e *Hoc est miraculum, notatum in Chronico pro anno* 835, *atque hæc videtur a Cordesio appellari prima Translatio.*

f *Engolismensis diœcesis et Burdegalensis confinia proxime se contingunt, per hæc autem transeundum Sancto fuit, ituro in* Maritaniam, *id est Maritimum tractum Aquitaniæ circa Bajonam, et huic, quam Burdegalæ, propiorem, ubi et vicus* Marennes, *id est* Maritimæ *dictus, a quo nomen vulgare istius regiunculæ nomen,* le Marancin.

g *Imo potius diu postea.*

h Hurdaspalensis Cœnobii *meminit S. Eulogius, quem locum, ejus Commentator Ambr. Morales situm ait ad Pyrenæorum radices, in finibus Hispaniæ,* 5 *leucis Bayona ; vulgo dictum* Urdache, *quam hic indicari puto.*

C i Gerbæ, *id est frugum manipuli.*

k *Oppidum* S. Macarii *(de quo egimus ad ejus diem* 4 *Maji) ad Garumnam,* 7 *leucis supra Burdegalam est, cui trans flumen objacet locus,* Alengon *in tabula dictus, ut hic forte scribendum sit* Alingonium.

l Bladum, *cujusvis generis fruges, præsertim triticeæ, dicuntur.*

m *Intra annum* 1077 *et* 1095 (*quibus vixit* S. Geraldus Abbas, *post conditum* Silvæ-majoris *prope Burdegalam Monasterium, de quo actum* 5 *Aprilis*) *nullus alius fuit Episcopus Claromontanus dictus* Stephanus, *quam hujus nominis quintus, jam inde ac anno* 1064 *notus.*

n *Notatur in tabulis,* 4 *leucis infra Aginnum, ad eamdem dexteram Garumnæ ripam.*

ANALECTA

De Ecclesiis, Reliquiis, et cultu S. Martialis.

§. *I. De Collegiata Lemovicensi, sacri corporis custode, in monasterium versa, et de hujus primis Abbatibus.*

Licet *Acta fabulosa hujus Sancti, eidem adscribant fundationem, dedicationem, atque dotationem Cathedralis ecclesiæ S. Stephani, quales quarto quintove seculo convenirent ; non tamen ita insanivit Auctor, ut etiam ibi sepultum illum scriberet ; sed extra civitatem (pro more primorum seculorum, Gentilibus, Judæis et Christianis communi) tumulatum indicat, quando asserit oratorium seu ecclesiam S. Petri ædificatam in possessione Valeriæ, utique suburbana ; quodque in ea ipse,* ad Occidentem, tumulariam sibi statuit sepulturam... Cum vero ad sepeliendum, corpus illius deferretur, in hora egressionis a Basilica S. Stephani, cœli aperti sunt, viamque omnibus apertione sua ostenderunt, qua sancta membra ipsius tumulanda deferri debuissent. Semper illis pergentibus cœli aperiebantur, usque ad locum sepulturæ ; *cum scilicet noctu efferretur, ut congruum erat sub Gentilibus fieri : miraculi tamen fides potius sit penes traditionem quam Auctorem ; tam multa ex suo cerebro commentum.* D EX MS. *In suburbano cœmeterio sepultus Sanctus, non intra civitatem,*

2 *Crediderim interim, quod ecclesiastica pace per Constantinum stabilita, fidelis Lemovicensium populus eodem ipso intra urbem loco, ubi* S. Martialis *constituerat oratorium ad sacros, quando licebat, conventus agendos ; erexerat ecclesiam ampliorem et publicam sub nomine* S. Petri; *nunc de* Quadrivio *dictam ; ubi aliquamdiu consueverint suos Episcopos sepelire ; sicut moris fuisse scribit is, qui Epistolis,* S. Martiali *suppositis, testimonii sui calculum addidit. Crediderim etiam quod eadem ecclesia fuerit Cathedralis, usque post annum* CCCCXV ; *quando invento corpore S. Stephani, aliquæ ejus Reliquiæ Lemovicam sunt allatæ, ut infra num.* 11 *apparebit ; unde nata occasio novæ Cathedralis sub ejus nomine dedicandæ.* *ubi habuerat oratorium :* E

3 *Similiter et suburbani cœmeterii oratorium, ubi* S. Martialis *tumulatus jacebat et ejus primi successores, versum sit in basilicam dictam* S. Martialis, *postquam hujus ibi sepulcrum, decentius ornatum, frequentari cœpit, et miraculis illustrari ; aut saltem post aliquam ejusdem ecclesiæ restaurationem, factam seculo* VII. *Hujus enim rei indicium præbet S. Eligius, Reliquias aliquas* S. Martialis *Parisiis collocans, circa medium istius seculi, ut supra in miraculis num.* 33. *Tunc etiam ibi fuerint instituti Canonici, sicut et in ecclesia S. Stephani : utrorumque certe mentionem invenimus tempore Pipini Regis, in eo Chronico quod Ademarus, S. Eparchii apud vicinas Lemovicis Enculesmas Monachus, seculo* XI *scripsit, et Labbeus tomo* 2 *Bibliothecæ suæ MS. inseruit*; *ubi pag.* 157 *dicitur, quod Rex anno suo antepenultimo, qui fuit Christi* DCCLXV, quarto iter faciens in Aquitaniam, contulit S. Martiali bannum aureum, quod ceperat in prælio Waifarii, *Aquitaniæ Ducis sibi rebellantis ;* simulque donavit villam de S. Valerico Canonicis S. Martialis ; et Canonicis S. Stephani dedit villam, quæ dicitur Salanniacensis. *Basilicam accepit et Monasterium. Utrobique instituti Canonici sec.* 7 F

4 *Idem Labbeus eodem tomo, a pag.* 279, *aliud Chronicon edidit, auctore Gaufredo, S. Martialis cœnobita, postea Priore Vosiensi, ubi cap.* 59 *pag.* 312, *sic legitur* : In diebus antiquis, una Canonicorum Congregatio pariter possedit prærogativam ecclesiarum S. Stephani sanctique Martialis : et Congregatio quæ apud S. Martialem manebat, vigilia Natalis Domini apud S. Stephanum descendens, eidem ecclesiæ præsidebat usque ad Vigiliam B. Joannis Baptistæ. Itidem Conventus S. Stephani ascendebat apud S. Martialem, eidem Apostolo famulans usque ad Vigiliam ejusdem Præcursoris. Cumque hi exirent a S. Martiale, et alii a S. Stephano, signa pulsabantur utriusque ecclesiæ, usquequo hi istam intrarent ecclesiam, et isti alteram. Cum vero Canonici S. Martialis, cum consilio Caroli Calvi Regis, Monachi facti sunt, diviserunt cum Canonicis S. Stephani, possessiones antiquas. *aliquando in unum juncti Collegium :*

A EX MS. *qui post dedicatum Regale monasterium,*

5 *Prius autem quam hoc fieret, Caroli Calvi pater, et Magni filius,* Ludovicus, *cognomime* Pius, *qui* anno DCCCXIV, *mortuo patre,* regnum recepit; construxit monasterium Martialis S. Salvatoris Lemovicensis, *regia scilicet amplitudine, ut et* Regalis basilica *passim dicatur, et utroque nomine vel alterutro nuncupata inveniatur. Præcitata verba suggerit breve Chronicon Lemovicense, usque ad annum* MXXXVII *procedens, et ab eodem Labbeo similiter editum pag.* 332. *Absoluti autem et dedicati operis tempus sic porro indicat Ademarus, pag.* 159, *narratis prius quibusdam actis anni* DCCCXXIX, *et Normannica anni sequentis irruptione in Aquitaniam;* Tunc, *inquit* (*sed corrigendus error et legendum* biennio post, *scilicet anno* DCCCXXXII) Ludovicus Conventum generalem tenuit in Palatio Jogentiaco in Lemovicino, et cum gloria magna dedicari Basilicam jussit Salvatoris regalem mense Octobri: et levatum corpus S. Martialis.... eodem mense positum est post altare Salvatoris ad cryptam majoris vitreæ (*sive ut Bernardus Guidonis legit* majoris voltæ) præsente ipso Imperatore.

an. 829,

et Ludovicum a filiis captum,

6 Tunc etiam hiems asperrima fuit, et reversus Imperator Franciam, post modicum tempus (*anno scilicet* DCCCXXXIII, *circa* XXIV *Junii*) captus est in B traditione a tribus Regibus filiis suis, Lothario, Ludovico, et Pippino; et a Lothario missus est in carcerem apud S. Medardum; deinde apud S. Dionysium... et dum parvo post tempore Lotharius apud Viennam diu demoraretur, aggregati Franci, Ludovicum a custodia carceris juxta aulam S. Dionysii ejecerunt, et invitum in Regem iterum levaverunt (I *Martii anno* DCCCXXXIV :) et ab eo die, quo D. Martialis corpus positum est, ubi supra, in Basilica Salvatoris; usque ad eum diem, quo Imperator restitutus est in regnum, media Quadragesima (*imo Dominica* II *Quadragesimæ*) post asperrimam hiemem, incessanter diluvia aquarum et pluviæ nimiæ increverunt: ab ipso die restitutionis serenitas in Francia reddita est: sed in Aquitania pluviæ non defecerunt, quousque corpus B. Martialis sepulcro pristino iterum reconditum est. *Gratum id Deo accidisse, patuit sequenti mox anno* DCCCXXXV; *quando* (*ut habet præcitatum Chronicon Lemovicense*) miraculum fuit B. Martialis in Monte-gaudii.

corpus Sancti restituerunt suo loco,

7 *Decimo tertio post anno magna rerum mutatio accidit. Etenim* post mortem Domini Ludovici Imperatoris, *inquit Ademarus pag.* 161, anno octavo, ab Incarnatione vero Domini DCCCXLVIII, Ainardus, princeps de Basilica S. Martialis, cum aliis C omnibus Canonicis, Deo inspirante, projiciunt arma secularia, et de Canonicali habitu in Monachorum habitum seipsos mutant in eodem monasterio. Carolus enim Calvus Conventum suum generalem habuit tunc Lemovicæ, tempore Quadragesimæ, cum Episcopis Aquitaniæ et Primoribus ejus. Porro residente Carolo Calvo in throno Regali, Ainardus et omnes Canonici S. Martialis prostraverunt se subito ad pedes ejus, postulantes, daret sibi licentiam se fieri Monachos in eodem loco. Rex vero, Deo gratias agens, cum magno gaudio petitionem eorum adimplevit, et omnes Episcopos et Primates, eorum petitioni inclinavit. Sed Stodilus Episcopus Lemovicensis, cum hoc graviter ferret, et inflexibilis solus maneret; tandem Rege cogente consensit, victus muneribus; et Canonici ex seipsis Abbatem noluerunt ad præsens habere, sed præposuerunt sibi Odonem (sive Dodonem) S. Savini Abbatem. *In Chronico brevi excidit descriptori annus, sed res ipsa notatur, et facta dicitur* pridie Kalendas Aprilis, *id est, pridie Dominicam in Albis: nam Pascha ejus anni celebratum fuit* XXV *Martii. Porro (sicut Ademarus prosequitur)* Monachi S. Martini Turonis, nemine cogente, ante corpus ejusdem, abjecto Monachi schemate, schema induunt Canonicale, sacramentis D hoc firmato supra corpus B. Martini; et carnibus refecti, mox peste correpti, mane facto reperti sunt in lectis mortui omnes, a majore ad minorem; et de reliquo locus ipse a Canonicis habetur.

et an. 848 facti sunt monachi, qui erant Canonici.

8 *Ab ista mutatione habitus, exorditur idem Ademarus alium Commentariolum, editum etiam a Labbeo, pag.* 271, *sub titulo,* Commemoratio Abbatum S. Martialis; *ubi nonnulla Chronici sui errata corrigit; et, quod ibi non fecerat, suum spatium annorum definit Abbati cuilibet. Ac primo quidem,* Dodoni, *tribuit annos* III; *secundo,* Abboni, XI; *ejusque anno* V *adscribit unctionem* Caroli Calvi (*imo, filii ejus Caroli*) in Regem, *videlicet Aquitaniæ, factam Lemovicæ anno* DCCCLV: *tribuit porro Abbati tertio,* Benedicto, *annos* XI; *quarto,* Gonsindo XVIII; *quinto,* Fulberto, VI; hujus *autem* anno V, *ut ibidem scribitur,* obiit Odo Rex; et Carolus Minor, *sive Simplex,* regnum recuperavit. *Oportet igitur, ut annus* Fulberti *hujus sextus atque ultimus, sequenti anno Christi* DCCCXCIX *adscribatur. Hinc porro procedens ad obitum* Fulberti, *istius nominis secundi, Abbatis* VI, *per annos* XX *regiminis; comperies, illum occidisse anno* DCCCCXIX; *et hinc electum* Stephanum, *Abbatem* VII, *obiisse postquam annos* XVII *præfuerat, anno* DCCCCXXXVI. *Hujus* E *tempore* Francorum Proceres, *teste Ademaro in Chronico pag.* 164, iterato conspirati *contra* Carolum Minorem (*ita Simplicem ille consuevit nominare*) Robertum Ducem Francorum pro eo invitum constituunt Regem.... Carolus *autem* cum valida amicorum manu Lemovicam pervenit; et pervigil nocte prope fenestram S. Martialis, perstitit in orationibus; quotquot potuit de Aquitania secum fortissimorum bellatorum adduxit, et per Burgundiam ad Ottonem Imperatorem abiit, propter auxilium. Franci autem divisi sunt inter se; verum pars major Roberto favebat. Carolus denique accito ab Ottone auxilio, cum multo exercitu, partim de Theodisca gente, partim de Aquitania et Francia, regressus est Franciam: et commisit cum eo Robertus bellum *anno* DCCCCXXIII. Caroli erat signifer Fulbertus Comes: Robertus autem ipse sibi vexillum ferebat, dejecta barba, canitie plena, extra loricam. Fulbertus Robertum Regem, per medium cerebri dividendo confodit, et exercitus Roberti victus est.

Ab indicata mutatione Abbates aliquot recensentur

sub Stephano Abb. Franci Carolo Simplice ejecto,

Robertum Regem an. 922 suscipiunt,

eoque cæso

9 Et finito bello supervenit Ugo filius Roberti, cognomine Capetius, cum mille equitibus, et Carolum cum exercitu lasso fugavit: et postmodum suppliciter ad eum veniens, voluntati Regis assensit. F Nam Carolus regnum recuperavit, et ipsi Ugoni Capetio Ducatum permisit, sicut solitus erat regere pater ejus Robertus. Postea vero de spoliis, quæ ceperat Carolus, S. Martiali, sicut voverat, direxit quædam; id est de capella Regis Roberti Evangelium ex auro et argento, Dalmaticam pretiosam de veste serica, faltestalium argentatum, vestimentum integrum sacerdotale pretiosum, duos libros divinæ historiæ, librum pretiosum de computo, vexillum ex veste auro texta unum.

victor Rex Carolus offert S. Martiali spolia.

10 *Similiter* Stephanus (*uti in Commemoratione Abbatum scribit idem Ademarus*) composuit super altare S. Salvatoris ecclesiam (*id est arcam in forma ecclesiæ*) ex auro et gemmis et argento: turresque in castello Martialis duas fecit, unam contra Scutarios, nomine Orgoletam; alteram contra Arenas, nomine Fustiviam; præcipiente hoc Rege Carolo Minore ad repellendum Guilielmum Ducem Pictavinum Comitem; et ex nomine suo ipsum castellum nominavit Stenopolim, quasi Stephani civitatem, *ea scilicet dialecto, qua* Stephanus *Francis* Estien *est.* Obiit *autem Stephanus Abbas,* XVIII Kal. Decembris DCCCCXXXVI; *eique suffectus est* Aymo *abavunculus ipsius*

Stephanus Stenopolim ædificat.

A *ipsius Ademari Chronographi nostri; qui illum et Turpionem, Episcopum Lemovicensem, fratres, ait habuisse* neptem, Officiam nomine, *ex qua,* Patre Fulcherio, *natus fuit, post duos fratres* Adalbertum et Rotgerium, Raimundus, cujus ego, *inquit Ademarus,* filius fui, matre Hildegarde. *Præfuit Aymo Abbas,* annis sex, obiit Nonis Maji, *anni utique* DCCCCXLII. *Successit, si non ut Abbas, saltem titulo talis,* Aimericus; *cujus annus decimus, quo illic notatur conflagrasse monasterium, concurrit, secundum prædictum computum, cum anno Christi* DCCCCLII; *cui ab aliis quoque constanter et uniformiter adscribitur idem incendium, de quo mox; ut certior huc usque calculus optari nequeat, licet apud Sammarthanos Stephanus obiisse et Aymo successisse legantur anno* DCCCCXIX, *ex errore mox indicando.*

eique anno 936 succedit Aymo.

§. *II. Fortuna Abbatiæ S. Martialis ab anno* DCCCCXXXV *ad* MXXIII. *Corpus aliquoties circumlatum.*

B *Qui Aymoni successit* Aimericus, *in Chronico pag.* 167 *nominatur* successor Gonsindi, *non recte. Gonsindus enim fuit Abbas quartus, Aimericus vero ponitur nono loco; uti videre est in Commemorationem Abbatum pag.* 271 *et seq. Recte autem in Chronico sequitur, quod Aimericus* Abbas S. Martialis, non Monachus, in fine *tamen* Monachus extitit; quia Rex Ludovicus, *hujus nominis Quartus, cognomine Ultramarinus,* timens ejus tyrannidem, honorem S. Martialis ei commiserat, sacramentis acceptis ut Monachus esset futurus. *Hæc ibi Ademarus, ubi etiam de ejus morte agit. In Commemoratione vero sic eum describit:* Post Aymonem Abbatem, vacavit Abbatia XXXI annis, sine Pastore, *id est usque ad* LXXIII *vel* IV *seculi decimi annum, uti recte statuunt Sammarthani; non tamen recte opinati, tot annorum vacationem* Aimerici *nominationi præponendos, ideoque* Aymonis *initia, et quorumdam aliorum præcedentium, enormiter retro trahentes, contra expressam mentem ejus, quem tamen sequi profitentur, Ademari; jam satis supra subdictis annis explicantis sese, et hic rursum expressius significantis, quo sensu Abbatiam vacavisse dicat, cum addit:* Illum enim, qui tot annis, *id est* XXXI, præfuit tantum, non profuit; nolo in Catalo- C go Abbatum ponere, cum injustum hoc sit. Nam habitu nequaquam Monachali, sed Canonicali, imo Laicali, per tot annos principatum loci tenuit, solo nomine Abbas. Qui vult ejus nomen scire, Aimericus vocatus est.

Aymericus, solo nomine Abbas annos 31,

12 Anno ejus decimo *(breve Chronicon Lemovicense, Christi annum* DCCCCLII *notat)* Monasterium S. Martialis divino judicio igne crematum est [in quo, *ut ait idem Chronicon breve,* sancta altaria effracta sunt, et multa ornamenta perierunt.] Hic omnem terram monasterii hujus et ecclesias tam parentibus suis quam ceteris secularibus potestatibus dare non timuit. Hic tertio die ante mortem suam habitum Monachi induit, timens perjurium, quod Regi Clothario (*melius supra,* Ludovicum *nominavit, qui usque ad annum* DCCCCLIV *vixit, Clotharium filium tredecennem relinquens*) habitum, *inquam* Monachi induit, timens perjurium, quod Regi Ludovico in Francia firmaverat, quando ab eo Abbas constitutus est, *et Clotharius adhuc anniculus erat.* Nam juravit Regi se Monachum fieri: sed irrisor Dei, usque ad mortem distulit: qui, nisi scelus præsumptionis ejus deleret eum, nonus Abbas scriberetur.

sub quo an. 952 deflagravit monasterium: ipso autem præterito

13 Nonus *ergo, Aymerico præterito,* scribitur Guigo, *qui disciplinam haud dubie reperit sub tali, non Abbate, sed homine potius seculari, vehementer dissolutam, quæ etiam causa esse potuit incendii, ante annos* D *viginti divinitus permissi; uti et alterius, sub Guigone secuti; quia is, cum esset S. Eparchii Engolismensis Abbas, satis habuit in commendata sibi S. Martialis Abbatia Vicarium constituere pro se: ex quo neglectu factum fuisse potest, quod* sub ejus principatu crypta aurea S. Martialis, *quæ prioris incendii violentiam evaserat,* combusta est, mense Junio, *et quidem* ante festivitatem S. Martialis: *absumptumque haud dubie tunc etiam sanctum corpus fuisset, si non fuisset veteri suo sepulcro restitutum, ut supra dictum est num.* 6. *Casum hunc, ita summatim relatum in Brevi Chronico, Ademarus in Commemoratione Abbatum, ait accidisse,* media nocte, cadente candela una, minus restincta, inter multitudinem candelarum: et lapides pretiosissimi tunc ab igne corrupti sunt, et quidquid intra domum ipsam erat quod ardere poterat, flammis concrematum est: libri cremati, aurum et argentum liquefactum: et intra quindecim dies, crypta aurea cum gemmis a novo restaurata est a Josberto, custode sepulcri, Monacho. Idem Josbertus iconem auream S. Martialis Apostoli fecit, sedentem super altare et manu dextra populum benedicentem, sinistra librum tenentem Evan- E gelii. *Quæ omnia ingentem etiam tunc ecclesiæ opulentiam indicant.*

nonus Abbas dicitur Guigo; EX MS. sub quo exusta crypta:

14 *Guigonis Abbatis* anno XII, *Christi* DCCCCLXXXVI, Rex Clotharius Lemovicas venit, præcepitque Abbati, ut ædificaret muros Castri: qui reversus in Franciam, post paucos dies mortuus est, II *Martii; et progenies ejus, id est familia Carolidarum* deinceps regno privata est, *excluso fratre Clotharii Carolo, qui exul Trajecti ad Mosam obiit, anno* MI, *Interim regnum sibi vindicavit Hugo Capetius: et anno* DCCCCXCI Josfridus Abbas *Guigoni successit. Circa hæc tempora* Episcopus Lemovicæ Aldegerius, *filius Geraldi Vicecomitis Lemovicensis,* cum pretiosioribus ornamentis Sacerdotalibus de aula S. Martialis, abiit in Franciam, et ibi vita privatus *anno* DCCCCXCII; sepultus est apud S. Dionysium; et pro sepultura sua obtulit pretiosa, quæ a S. Martiali asportaverat ornamenta: successitque Pontifex Alduinus Frater ejus. *Non fuit diu a Deo dilata ultio tantæ iniquitatis, a Proceribus et populo toleratæ. Etenim* iisdem temporibus, *inquit idem Ademarus,* pestilentiæ ignis super Lemovicinos exarsit: corpora enim virorum et mulierum supra numerum invisibili igne depascebantur, et ubique planctus terram replebat. F *(Alibi ait, quod* mortui sunt plusquam quadraginta millia hominum) Josfredus ergo Abbas et Alduinus Episcopus, habito consilio cum Duce Willelmo, triduanum jejunium indicunt. Tunc omnes Aquitaniæ Episcopi in unum Lemovicæ congregati sunt; Corpora quoque et Reliquiæ Sanctorum undecumque solenniter advectæ sunt; et corpus S. Martialis Patroni Galliæ de sepulcro sublatum est unde lætitia immensa omnes repleti sunt, et omnis infirmitas ubique cessavit, pactumque pacis et justitiæ a Ducibus et Principibus vicissim fœderatum est.

et extincta Carolidarum successione, expilatur ab Episco gaza Sanc cujus sceleris tolerantia puniuntur incolæ igne sacro, qui circumlata capsa extinguitur.

15 *Hæc est procul dubio illa S. Martialis translatio, quam Bosquetus anno* DCCCCXCIV *factam scribit, quamque secuta miracula desideramus; secunda autem dicitur respectu prioris, factæ anno* DCCCXXXII. *Illius habemus memoriam inter Miracula postremæ collectionis num.* 36, *ubi dicitur* (*quod etiam Sammarthani habent*) *sacrum corpus tunc fuisse delatum* ad montem, qui ex tunc Mons-Gaudii dictus *sit: sed hanc nomenclaturam toto sesqui seculo, prius usurpatam invenimus in Chronico Lemovicensi. Meminit iterum hujus Translationis seu deportationis, et quidem ut factæ ad* Montem-Gaudii, *idem Ademarus in Commemoratione Abbatum, et addit, quod* exinde pridie Nonas Decembris, tumulo suo restituerunt *sanctum corpus;*

Josfredus Ab. arcam reparat,

A EX MS. *corpus*; *quodque prædictus Josfredus*, de icona aurea loculum fecit aureum cum gemmis, in quo *tunc* vectum est corpus S. Martialis.

sub Ab. Adalbaldo Dux Wilhelmus bene;

16 Dux *autem* Willelmus *prædictus* (*cum mortuo Josfredo Abbati successisset anno* DCCCCXCVIII Adalbaldus, regularis meriti vir) *ut erat* in dando liberalissimus, defensor pauperum, pater Monachorum, ædificator et amator ecclesiarum.... *monasterio Lemovicensi B. Martialis dedit ecclesiam in Alniensi pago, quam pater eidem* monasterio dederat ante, scilicet Anesio, quæ est in honore B. Petri. Fuit *eidem* Duci consuetudo, ut semper omni anno ad limina Apostolorum Romam properaret, et eo quo Romam non properaret anno, ad S. Jacobum Galiciæ recompensaret iter devotum. *Anno igitur* MX *vel sequenti, cum eodem* Romam ante Quadragesimam properavit etiam Alduinus Episcopus; et acceptis pretiosioribus S. Martialis ornamentis et vestimentis, et multa affluentia argenti, quia in manu sua habebat Abbatiam emptam a Widone, in tristitia magna Monachus reliquit. *Verum* mox eo recedente plurima ad sepulcrum B. Martialis cœperunt coruscare miracula, quæ lætitiam Monachis et cunctæ Aquitaniæ plenam ingresserunt: nam Aquitanorum

male, Aldui. Episc. 1010 ecclesiæ faciunt.

B nobilissimi et Francorum Principum atque Italorum, eo anno Lemovicæ Pascha cum frequentia S. Martialis gloriose celebraverunt. *Iisdem miraculis adscribi etiam possit, quod* Adalbaldus *Abbas, ut scribunt Sammarthani*, Basilicam S. Martialis recuperavit. *Scilicet* Episcopus *Alduinus, Roma* reversus, *postquam* Basilicam Sedis S. Stephani destruendam et amplificandam disposuit, lineasque ad fundamenta jecit, ut post dies XV insisteret operi; inde abiens ad ecclesiam de Agenno, unde Monachos extruserat, spiritum exhalavit, *Deo rationem redditurus pro expilata S. Martialis ecclesia.*

Josfredus 2 extorquet restitutionem ablatorum,

17 Adalbaldo (*Sammarthani nominant* Adebertum) *sub annum* MXII *defuncto, successit* Josfredus, *hujus nominis II, frater Hilduini Episcopi et Widonis Vicecomitis, patruus autem Giraldi Episcopi.* Iste, accito Bosone Comite cum militari magna manu, noctu Montanam abiens, corpus S. Valerici ab ecclesia, quam incolæ Principes S. Martiali abstollebant, secum detulit Lemovicam, ubi tamdiu Reliquias ejusdem Confessoris in Montegaudii tenuit, quoad Principes malefactum recognoscerent, et exhiberent restitutionem S. Martiali. Sicque possessione, non sine magna redemptione, recuperata,

C restitutum est sanctum corpus supradicto loco, et in præsentia Ducis Willelmi et Giraldi Episcopi, monastica ibi ordinata est disciplina. *De Sancto hoc Valerico egimus* X *Januarii, ubi illius erga* S. Martialem *devotio commendatur, et quæ ulterior de illo ibi requiritur notitia, hinc augeri potest. Non placuit autem Deo violentia istæc: ideoque permisit; ut, cum* iisdem diebus Vicecomitissa Lemovicæ Emma, circa festivitatem Apostolorum et S. Martialis, oratum abiisset ad S. Michaelem ad Eremum, et ibi a Normannis noctu captivata esset; pro ejus redemptione data sunt ex thesauris S. Martialis infinita argenti et auri pondera.

sublato corpore S. Valerici, sed malo suo.

An 1017 magnus ad S. Martialem fit concursus,

18 *Nihilominus idem* Josfredus Abbas Basilicam regalem *S. Salvatoris, sive Martialis*, majori opere cœpit renovare; *tantusque ad eam confluxus fuit anno* MXVII, *et sequenti, quod in* Quadragesima media, ad nocturnas Vigilias, multitudine populi, in eadem basilica, ad tumulum B. Martialis intrante, viri cum mulieribus plus quinquaginta invicem conculcati, intra ecclesiam exspiraverunt, et die crastina sepulti sunt. *Chronicon Lemovicense notat* Dominicum diem mediæ Quadragesimæ, *qui tunc (siquidem annus usque ad sequens Pascha protendebatur Aquitanis et Francis) fuit* VIII *Martii. Circa eumdem annum*, in Basilica Angeriacensi, in saxea theca, instar pyramidis turrita, inventum est caput S. Joannis... quod sanctum caput dicunt esse proprium S. Joannis Baptistæ..... Dumque inventum ostenderetur, omnis Gallia, Italia, et Hispania eo accurrere certatim festinavit.... Inter hæc festiva Reliquiæ corporis Principis summi, qui Pater est Aquitanorum et primus Galliarum Spermologus, videlicet B. Apostoli Martialis, simul cum Reliquiis S. Stephani Lemovicæ Sedis, illuc deferebantur. Protractis itaque pignoribus S. Martialis in vectorio ex auro et gemmis, foris basilicam propriam, mox omnis Aquitania, quæ jam diu nimis pluviarum inundationibus laboraverat, adventu Patris sui lætatur serenitate reddita. D

et mox Angeriacum, ad inventum ibi caput Jo. Baptistæ,

quare illius corpus eo defertur

19 Cum eisdem equidem pignoribus Abbas Josfredus atque Episcopus Giraldus, cum Principibus numerosis et omni populo innumerabili, diverterunt, eundo ad Basilicam Salvatoris S. Carophi; exieruntque eis obviam Monachi cum omni plebe foris, milliario uno: et cum apparatu honorifico, diem festum agentes, Antiphonas denique excelsa voce intonantes, deduxerunt eos usque ad altare S. Salvatoris; et Missa celebrata, simili modo prosecuti sunt eos. Cumque in basilicam sancti Præcursoris intrarent, celebravit ante Caput S. Joannis Episcopus Giraldus, de Nativitate ejusdem sancti Baptistæ, cum esset mensis October. At Canonici S. Stephani cum Monachis [S. Martialis.] alternatim tropos ac laudes cecinerunt festivo more. Et post Missam Episcopus cum capite S. Joannis benedixit populum. Sicque de miraculis S. Martialis, quæ per viam contigerunt, valde lætantes, quinto die ante festivitatem omnium Sanctorum, reversi sunt. *Non diu post* defuncto, *ut habent Sammarthani*, Josfredo, Hugo successit; sed Episcopus Giraldus ei restitit dari consecrationem, causa zeli, quia non poterat sibi vindicare Abbatiam, sed postea assensit; *moxque* in S. Caorfo ægrotatus obiit III Idus Novembris. E

et miraculis in reditu claret.

Succedit Hugo Abbas,

20 Post mortem vero supradicti Giraldi Episcopi (*ut cum Ademaro historiam prosequamur*) decertabant Principes Lemovicenses pro Episcopatu, cum Simoniaca hæresi Pontificatum vindicare conati. Tunc populus urbis Letanias, cum Monachis et Canonicis, propter hoc peregit: et Dux prudentissimus, cum suo consiliario Willelmo Comite Engolismensi, apud S. Junianum placitum habuit ex hac causa. Adfuit ibi Wido Vicecomes et omnes Principes Lemovicini. F Ibi Dei nutu eligitur in Episcopatus honore Jordanus, ecclesiæ S. Leonardi, magnæ nobilitatis et simplicitatis vir: surgensque mane a monasterio S. Juniani, cum duobus Episcopis, Islone et Isemberto, et multitudine Principum, devenit Dux ad urbem circa horam sextam. Cui obviam processit omnis civitas gaudens: et mox properat ad regalem basilicam, receptus a Monachis, vestibus albis et cappis holosericis amictis, cum textu sanctorum Evangeliorum et thymatherio, candelabris quoque et aqua benedicta, sicut semper ab eis ipse Dux solet excipi. Inde ad tumulum S. Martialis Missam audivit, et juxta illud monasterium eo die regaliter hospitatus est. Die crastino barbam Electo benedici jussit, et detondi, et sic ad Sedem S. Martialis in aulam S. Stephani Jordanum deduxit, et cum baculo Pastorali ibi eum gratis honore Pontificali vestivit; eratque finis Januarii mensis: et reversus est Pictavis, *anno nobis* MXXI.

sub quo electus Episc. Jordanus,

ad S. Martialis consecratur,

21 *Anno* MXXII duo Monachi S. Martialis ex primoribus [erant,] religione conspicui, sanctitate præclari, sapientia fulgidi, sacerdotio sublimati, qui se invicem præ omnibus diligebant, et omne monasterium velut duæ columnæ sustinebant, veluti

et anno 1022 ibidem moriuntur duo eruditi Monachi,

A luti etiam duo candelabra irradiabant, atque juxta se ad mensam sedebant, Rotgerius Cantor.... et Æmanus. Hi die sancto Paschæ (III *Aprilis*) ambo per visum viderunt se vocari a Christo; et ipsa hebdomada laudabilem vitæ finem acceperunt, correpti brevi, sed acri languore. Tertius Monachus, sanctitate probabilis Fulcherius; et mox Abbas Ugo, dilectione Dei fortissimus, eos ad cœlestia regna subsecuti sunt. *Hic est ille* Ugo, *qui (ut alibi idem Ademarus)* in Francia collationem fecit cum Rege Roberto, et Archiepiscopo Bituricensi Gausleno, et cum multis Episcopis et sapientibus viris Franciæ, de Apostolatu S. Martialis; cur alii in Apostolorum, alii in Confessorum numero eum tenere viderentur. Qui in numero Confessorum eum tenebant, ideo hoc agebant, quia non putabant aliquos esse Apostolos, præter duodecim : alii vero hoc agebant, quia nomen ejus in quatuor Evangeliis non inveniebant : qui vero saniori consilio intellecta sapiebant, affirmabant eum esse Apostolum unum præcipuum post duodecim, quia cum duodecim conservatus est, et eamdem gratiam Apostolatus, quam et illi, a Domino accipere meruit. In quo B Concilio ab omnibus definitum est, non eum numerari debere nisi in Catalogo Apostolorum, sicut et Joannes Evangelista, qui in pace migravit.... Hic a Francia rediens, mox sicut comperit veritatem in Concilio, Martialem scripsit in Litaniis inter Apostolos, non confidens disputationi propriæ, sed antiquis testimoniis; et exinde ex toto et non ex parte, Martialis acclamatus est Apostolus ab omnibus Catholicis. Mortuus est autem Abbas Ugo VI Kal. Junii anno sexto. *Ita Ademarus, Commemorationem Abbatum hic finiens.*

ac tertius cum dicto Abbate,

sub quo agitata quæstio de Apostolatu S. Martialis.

§. *III. Novæ Basilicæ, sub Odolrico Ab. absolutæ, dedicatio per Urbanum II.*

N*arrata Ugonis Abbatis morte, pergit Ademarus, in Chronico, dicens quod* succedit Abbas Udolricus, prudentia insignis, quem consecravit Jordanus Episcopus : quibus diebus mense Januario, circa horam sextam, eclipsis solis accidit per unam horam. *Calculavit eclipsim hunc Calvisius pro anno* MXXIII : *et* accidit, *inquit*, XXIV Januarii feria V, minutis XLIX ante meridiem; et non in Paschate, ut Sigebertus C habet, cum etiam Pascha in plenilunio celebretur. *Narrat Gaufredus in Chronico mox laudando, cap.* 16, *pag.* 287, *quod hujus* Abbatis Oldorici temporibus, *cum intenderetur novæ basilicæ, jam inde ab anno* MXVII *inchoatæ, ut diximus, ad finem complendæ*; quidam simplex actu, Simplicius nomine, principalis altaris lapidem ex urbe Narbonensi dicitur conduxisse : qui lapis pretioso de marmore candidissimo, quod vocatur Lios *(Græcanicum fortassis, nam* Λεῖος *Græce est* lævis, politus,) venustate sua multam aspicientibus admirationem infert. Tunc nuntiatum est Militibus de Capdenaco, quod lapis per aliud iter transire nequibat. Quo audito, Princeps castri non solum muros destruxit, sed ad conducendum plaustrum per terram, boves accommodavit : murosque postmodum ædificare distulit, dicens, pro muro auxilium B. Martialis semper habere : cujus spem fides pura non fefellit. Cumque devenissent ad vallem quamdam, tam arduam, ut multa boum paria addita carrum movere non possent : de virtute Apostoli Simplicius præsumens, duabus tantum vaccis trahentibus, ingentem lapidem de immenso illo præcipitio abstraxisse, fama vulgari cognovimus. Defuncto tamen Simplicio mansit lapis foras sub dio, usque ad tempora Ademari Abbatis, *qui quomodo eum tandem adhibuerit ad opus, cui erat*

Odolricus Ab. an. 1023 :

sub eo novæ Basilicæ fabrica

promovetur cum grandi miraculo,

divinitus præparatus, infra dicetur. Redeo ad Ademarum pag. 184 : D

EX MS.

23 Anno MXXVIII Odolricus, S. Martialis Abbas vigilantissimæ honestatis, Engolismam venit ad Alduinum Comitem; ipse vero tunc donavit S. Martiali ecclesiam S. Mariæ in territorio Burdegalensi, cum insula magna Dornoniæ, in qua est sita, abestque ipsa insula vel ecclesia uno plus milliario a castro Fronciaco... Pater vero Alduini Willelmus, reversus ab Hierosolymis; multis nobilibus, mediocribus, et pauperibus, bonum fuit incitamentum. Confestim enim Isembertus Episcopus Pictavinus, et Jordanis Episcopus Lemovicus, et Comes Fulco, pluresque Primatum, et infinita multitudo mediocrium, pauperum, ac divitum, Hierosolymam tendunt. *Hactenus Ademarus in Chronico, nescio an sub fidem satis integro : quomodo enim is omisisset narrare, quod hoc ipso anno, ante prædictorum profectionem actum, sic narrat Gaufredus, ex Lemovicensi S. Martialis Monacho Prior cœnobii Vosiensis, in eo Chronico, quod a Roberto Rege usque ad annum* MCLXXXIV *edidit Labbeus, in eodem quo Chronicon Ademari tomo a pag.* 305.

et possessionum incremento :

E

24 Dominus Jordanus de Laron, Lemovicensis Episcopus, antequam abiret Hierosolymas, consecravit monasterium de Arcano, in quo quiescit corpus almi Pardulsi, anno Dominicæ Incarnationis MXXVIII [pridie] Idus Julii, *tunc Dominica : et* ipso *eodem* anno consecrata est basilica regalis Salvatoris Lemovicæ, XV Kalen. Decembris, *itidem in Dominica, currente tunc littera* F, ab Episcopis undecim, quorum nomina hæc continet pagina; Gothefredus, Archiepiscopus Burdegalensis; Jordanus, Lemovicensis; Isembertus, Pictavensis; Roho, Engolismensis; Arnaldus, Petragoricensis; Petrus, Gerundensis; Deusdedit, Caturcensis; Amelius, Albiensis; Arnaldus, Rutenensis; Fulco, Carcassonensis; Isbus, Sanctonensis. Hoc factum est tempore Roberti Regis Francorum, Constantini Imperatoris Græcorum, atque Conradi Imperatoris Romanorum. Tunc quoque levatum est corpus S. Martialis Apostoli a Monachis ejus : ad cujus præsentiam delata sunt tunc multa nobilissima corpora Sanctorum Aquitaniæ Provinciæ, adstante Duce Aquitaniæ, Duce Vasconiæ, cum omnibus Principibus, et cum omni frequentia Aquitanorum. Post dies octo iterum relatum et reversatum est integrum corpus ejusdem Apostoli in sepulcrum pristinum.

ipsa vero consecratur

et corpus sanctum refertur 24 Novemb.

F

25 *Lemovicense porro Chronicon, in altero codicum quibus usus Labbeus est, finitur cum gemina monasterii clade, post annos ab hac dedicatione non adeo multos secuta : his verbis,* MLII Monasterium S. Martialis igne crematum est, et totum castrum una cum tribus Monachis extinctis, in quo igne libri, cortinæ, cartulæ terrarum plurimæ, perierunt. *Et,* MLX, XI Kal. Maji, idem monasterium crematum est in feria VI; et castrum intus et foris. *Utraque clades secuta est obitum* Odolrici *Abbatis, qui anno* MXL, X *Kal. Octobris acciderat; succedentibus in regimine* Petro, qui construxit portam, nuncupatam de Mommilier, *ut est in veteri Catalogo apud Sammarthanos; et* Mainardo, *qui usque ad annum* MLXIV *vixit, nulla re memorabilis, nisi utroque vel alterutro infortunio, fortassis ob relaxatam disciplinam immisso. Huic relaxationi adhibitum remedium quomodo sit tertio post anno (sic enim in uno exemplarium Gaufredi legit Labbeus, cum in altero, decennio citius res notetur, per omissionem unius* X) *sic porro invenio explicatum.*

monasterium conflagrat 1052 et 1060

sub Abbatibus Petro et Mainardo.

26 Anno MLXIII, Nonis Augusti invaserunt locum S. Martialis Cluniacenses, per fraudem Ademari filii Guidonis, Vicecomitis Lemovicensis, et Petri Escausarii,

An. 1063 inducitur reformatio Clun

A EX MS. Escausarii, qui pro hoc dedit eidem Vicecomiti equum optimum, qui appellabatur Millescus. Verumtamen ibi per dies plurimos monasterii reformata est disciplina, novisque honestatis floribus decorata Abbatia, sub Abbate Ademaro, qui erat de Lemovicino ex equestri genere, *et* Abbatiam anno MLXIV regendam suscepit *(verosimiliter Cluniaco adductus)* eamque præ ceteris religione et rerum temporalium copia ampliavit mirifice et odornavit, *ut legitur apud Sammarthanos. Prædictorum igitur incendiorum damna reparavit; cumque* Canonici *S. Stephani*, cupientes omnino acquirere lapidem, *ante annos circiter* LXX *a Simplicio Monacho miraculose adductum pro Majori altari, forisque relictum*, persuasissent Comiti, sequenti die dari sibi lapidem ab Abbate, cum quo erat placitum quoddam habiturus; idque relatum foret Abbati; vocato Matthæo cœmentario, patre Matthæi de Userchia, qui forte tum aderat, nocte illa cum luminibus, priori remoto, novum construxerunt altare. Et tunc solennitas Dedicationis postposita est: quo cognito, Comes vel Canonici a proposita quieverunt.

novum altare consecratur.

B 27 Anno Domini MXCIV, iterata lues subcutanei ignis plebem Aquitanicam atrocissime torrebat. Hi quantocius ad Patronum proprium confugientes, auxilium de Sancto accipere meruerunt. De toto nempe Lemovicino ad sanctissimum Martialem delata sunt Sanctorum corpora, confluentibus undique populorum ac Principum turmis..... Anno Domini MXCV Urbanus Papa II..... publicæ prædicationis causa Gallicas petiit oras, provocans populum Occidentis, ut ferrent auxilium filiis Orientis. Assumptionem S. Mariæ Anicii peregit: monasterium S. Roberti de Casa Dei.., xv Kal. Septembris consecravit; in festo S. Thomæ, Userchiæ hospitatus est; x Kal. Januarii Lemovicas devenit: Missam de Gallicantu [in Natali Domini] in ecclesia puellarum S. Mariæ, quæ dicitur ad Regulam, decantavit: Missam de luce in basilica Regali apud S. Martialem celebravit: inde triumphaliter coronatus, ad Sedem Apostolicam Episcopalem rediit, ubi reliqua solennitatis Officia peregit. Altera die, quæ est post festum Innocentium, Cathedralem ecclesiam in honorem Protomartyris Stephani dedicavit: sequenti die [*tunc Dominica*] quievit: pridie Kal. Januarii, basilicam Regalem, in honorem Salvatoris mundi consecravit, ejusque antiquam libertatem nobilemque prærogativam novis privilegiis roboravit. C

1094 invocatur Sanctus contra ignem sacrum,

Urbanus 2 eumdem visit,

28 *Id quomodo et quibus præsentibus factum sit, breviter describit Gaufredus cap. 27; sed ex tabulario Lemovicensi embolum capiti isti subnectit Labbeus, quo rei series plenius sic describitur:* Anno ab Incarnatione Domini MXCV, Indictione III, temporibus Philippi Regis Francorum, Willelmi ducis Aquitanorum, Humbaudi quoque Lemovicensium Episcopi, et Domni Ademari Abbatis monasterii S. Martialis, factus est Conventus permaximus in civitate Lemovicensi, diversi ordinis, utriusque sexus et ætatis. Huic nobili et præcipuo Conventui præfuit Domnus Urbanus, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Apostolicus, cum Archiepiscopis et Episcopis Abbatibusque secum comitantibus, qui eo tempore de partibus Italiæ in Galliam advenerat, pro diversis Ecclesiæ Dei utilitatibus, rectæque fidei statu, maximisque negotiis Christianæ religionis: præcipua tamen adventus illius causa extitit, quia Ecclesia Christi gensque Orientis, a perfida Saracenorum natione pervasa nimiumque afflicta, sub gravi persecutione manebat..... Cum ergo hujus rei gratia Gallias peragraret, x Kal. Januarii venit in hanc civitatem Lemovicensem; adfueruntque cum eo præcellentissimi ac religiosissimi viri, Archiepiscopi et Episcopi plurimi, quorum ista sunt nomina: Domnus Ugo, Archiepiscopus Lugdunensis; Domnus Audebertus, Archiepiscopus Bituricensis; Domnus Amatus, Archiepiscopus Burdegalensis; Domnus Dagbertus, Archiepiscopus Pisensis; Domnus Rangerius, Archiepiscopus Regiensis; Bruno quoque, Episcopus Signiensis; Præsul quoque Pictaviensis Petrus, Præsul quoque Santonensis Arnulfus, Præsul quoque Petragoricensis [Raynaldus,] Præsul quoque Rutenensis Raymundus, et Humbaudus Episcopus Lemovicensis. D

et Concilium Lemovicis celebrat,

in subsidium Orientis,

29 Hi omnes cum eo Christi Nativitatem celebraverant: et ipso die Nativitatis, diluculo cum omnibus illis ascendit ad ecclesiam Domini Martialis; et super altare S. Salvatoris Missam de luce cantavit: et post sermonem habitum ad populum, coronatus, ad Sedem S. Stephani rediit. Die vero sexta Nativitatis, quæ fuit Dominica, iterum ad monasterium S. Martialis venit: ibique diebus octo permanens, cum præfatis Archiepiscopis et Episcopis, basilicam Regalem, quam divæ memoriæ Ludovicus Imperator, filius Caroli Magni, a fundamentis construxerat; sed postea tam conflagratione ignis E quam variis casibus conquassata, a Domno Ademaro, Abbate tunc istius loci, interius exteriusque ad plenum reformata et ornata [erat,] Apostolica auctoritate solenniter dedicavit, secundo Kalendas Januarii. Et ipse quidem Aquam benedixit; Archiepiscopi vero interius exteriusque basilicam cum ipsa Aqua perlustrarunt. Deinde ipse Domnus Papa propriis manibus altare Domini Salvatoris Aqua benedicta lavit, Chrismate et Oleo sancto perunxit, pignora Sanctorum ibi reposuit, et mox in ipso altari Missam cantavit, innumera populi multitudine adstante et in perpetuo diem illum solennem et celebrem Dedicationis agi constituit. *Hæc ibi: addit Gaufredus:* Inde ad benedicendos populos in publicum processit; quorum tanta illic erat multitudo, ut in circuitu civitatis, citra unum milliarium, non nisi capita hominum viderentur; oblationum vero tanta copia fluxit, ut arca sepulcri Apostolici, quæ vulgo Gauteau appellabatur, præter alias, plena redundaret.

deinde novam basilicam dedicat,

et consecrat ipse summum altare:

30 Tunc Lemovicensis Pontifex Humbaldus ab adversariis accusatur, convincitur, et apud S. Martialem, in conspectu Ademari Abbatis, quo contradicente electus fuerat, a Domno Papa publice deponitur..... Igitur deposito Humbaldo, Guillermus, F Prior monasterii S. Martialis, Pontifex efficitur, sed non statim..... Eodem sub tempore, memoratus Papa Urbanus investivit solenniter ecclesiam S. Martialis, et Abbatem ipsius Ademarum, de ecclesia S. Petri Montandrensis, et de ecclesiis de Saliomo cum pertinentiis suis, ubi resquiescit corpus S. Martini Abbatis, illius terræ quondam Principis. Hujus Vita apud nos pleniter non habetur, quia in invasione Normannica substracta dicitur. Hinc perpendi potest, quantum Ecclesiæ conferat, qui Sanctorum gesta describere studet. Si enim Sancti hujusce Acta in pluribus ecclesiis scripta haberentur, tantum detrimentum cœnobium illius in amissione bonorum non pateretur. *Nunc autem et aliud damno isti accessit incommodum, quod neque cultus illius Sancti ullus supersit, deperdito forsitan vel ab Hæreticis dissipato corpore; quare optandum est ut Monachi* S. Martialis, *ad quos ecclesia illa fortassis etiamnum pertinet, perquirant quascumque ejus superstites memorias, si forte hic ille sit, quem Notkerus et alii, ad* VIII *Maji referentes, confuderunt cum* S. Martino Abbate Vertanensi, *prope Nannetes, cujus festum proprie agitur* XXIV *Octobris, et Vita satis copiosa habetur.*

deposito Humbaldo Ep. Guillermum substituit,

et monasterio confert ecclesiam S. Martini Abbatis,

ejus forte qui 8 Maji commemoratur.

§. IV.

A

§ IV. *Gesta sub Ademaro Abbate, et successoribus seculo* XII, *usque ad* MCLXVII.

Mortuo Episcopo Guillermo,

Porro cum Præsul *Guillermus*, zelo Dei tactus, pravorum moribus contrairet, infra tertium Sacerdotii sui annum ab eisdem veneno petitur, per manus cujusdam Martini, qui erat de urbe Lemovica, qui cognominabatur Christianus, qui in facto hoc extitit Paganus, imo pejor quam Paganus. Cumque gravari se Pontifex cerneret, Abbatem, quamquam tarde, expetiit, qui tali peste laborantibus subvenire solitus fuerat, si ad eum accessissent, antequam membra sopori dedissent. Quid memorem cuncta? sole ruente Præsul obivit. Tunc Abbas nuntium dirigit in civitate, qui diceret, Pontificem sanum factum Pontificalia velle ornamenta: quibus acceptis, lugubri pulsatione signorum mors Pontificis declaratur. Magnanimus tamen Abbas. non cupiditatis causa hoc fecisse perpenditur, sed, ut res acta, ad ignominiam inimicorum veritatis, notior haberetur. Corpus igitur Præsulis honore condigno, in basilica Salvatoris mundi, tumulatur, ante altare S. Austricliniani, quasi passibus octo; juxta cujus tumbam altaria duo, uno in honore S. Jacobi, aliud in honore S. Vincentii Levitæ et Martyris, constructa et consecrata sunt..... *Quomodo autem Willermo subventurus fuerit Ademarus, nisi serius ille petiisset auxilium, explicat cap.* 37 *idem Gaufredus; ubi narrat, quomodo* Guido, filius Ademari Vicecomitis... semel et iterum veneno petitus a noverca, vivente Abbate Ademaro, dato sibi ab eo Antidoto, bis mortem evasit; mortuo Abbate, tertio mense veneno interiit.

funus curat Ademarus Ab.

B

gratia pellendi veneni præditus,

32 MCI Dominicæ Incarnationis anno, Ademarus de S. Riberio, Terrassonensis Abbas..... sponte se ordinationemque sui monasterii Ademaro Abbati S. Martialis ejusque successoribus tradidit, ut errata corrigeret; Priorem, Sacristam, Cellerarium, Magistrum scholæ ex Monachis S. Martialis haberent..... Quod ut Monachi irritum, post mortem Bernardi, cognomine Vicarii, fecerunt, omni bono caruerunt. Nempe antea bonis omnibus affluebant. *Interim Burgensibus, id est circum Abbatiam S. Martialis manentibus accolis, jure Lemovicinæ civitatis utentibus, sic creverant animi, ut cum ipsis civibus ex æquo contenderent, et fiducia loci armis quandoque certarent. Unde* anno MCV, Kalendis Julii, combusta est civitas Lemovica, ab hominibus de castro S. Martialis: in qua combustiome concremata est mater ecclesia S. Stephani, cum omnibus officinis suis, et monasterium S. Mariæ similiter, et ecclesiæ S. Joannis Baptistæ, et S. Mauritii, et S. Trinitatis, et S. Genesii, et S. Domonoleni. *Ita Labbeus ex MS. pag.* 275.

Terrassonensem Abbatiam suscipit.

S. Martialis accolæ urbem incendunt,

C

33 *Periit ergo tunc fabrica Alduini Episcopi, de qua in Chronico Ademarus ait, quod Roma sub annum* MX reversus, basilicam Sedis S. Stephani, *quam ille a S. Martiale dedicatam credit, Actis fabulosis deceptus,* destruendam et amplificandam designaverat; *sed morte ejus intermissam fabricam, lentiusque promotam, quantum sacris usibus satis erat, tandem anno post* LXXXV *absolutam, Urbanus Papa consecrarat, ut vidimus. Fallitur ergo Bernardus Guidonis, cum in Gestis Lemovicensium Episcoporum apud Labbeum pag.* 266 *scribit, quod* basilica, *ab Alduino cœpta,* mansit inconsummata plusquam annis ducentis, usque ad annum videlicet MCCXXIII, quo ejusdem loci Canonici eamdem magnifice absolvere cœperunt, ut nunc est, *id est, anno circiter* MCCCXX, *quo scribebat Bernardus, ne hic quidem in reparationis anno notando accuratus; sed eum rectius signans in fine ejusdem tractatuli, ubi ait de Aymerico Episcopo, quod* hujus subsidio, ac tempore Synodi, anno Domini MCCLXXIII in hebdomade Pentecostes, Helias de Mala-morte, vir nobilis, Decanus S. Stephani, et Canonici, primum lapidem in fundamenta posuerunt, incipientes eam de novo ac magnifice, prout nunc cernitur, ampliare: Deus vero postmodum incrementum dedit. *Defunctus autem illo anno* Aymericus, primus Christianus, in ea ecclesia sepultus fuit, eo quod magnam pecuniam reliquerat pro eadem perficienda. *Dixerim ego, quod post incendium anni* MCV, *cœptæ fuerint parietinæ residuæ quadamtenus reparari, et usui Canonicorum aptari sub Eustorgio Episcopo, qui proxime successit incendio; itaque steterint usquedum a fundamentis nova erigi cœpit. post annos ab incendio* CLXVII. *Incendium autem ideo fortassis fuit immissum, quod civitas Anacleto Pseudo-papæ adhæreret, una cum Geraldo Engolismensi Episcopo, titulum Apostolici Legati gerente; Burgenses autem una cum Monachis, vero Pontifici Innocentio II.*

una cum Cathedrali S. Stephani,

D

EX MS. occasione schismatis Anacletiani.

34 *Illorum Abbas Ademarus, cum circa annum* MCXIII *ægrotaret, Abbas cujusdam monasterii, Ademaro subjecti,* Petrus, cognomento Abbanus, de Castro Malomortensi, ex equestri prosapia ortus, anno XXII ab ordinatione sua... hunc invisere veniens Ademarus Abbas, cognovit moriturum: et secessit Arnaco; donec ad obitum illius rediens, exequias solenniter expleret. Diligebat illum valde, quia pernecessarius ei fuerat in multis negotiis, maxime in Placito quod habuit de Salinis. Interim eo præsente a toto Conventu eligitur in Abbatem Rainaldus de Rofiniaco, qui erat Sacrista de S. Germano, qui dicitur las Verguas. Hic dicitur Monachus professus S. Martialis, sicut antecessor suus Petrus: quo electo, Ademarus Abbas fertur dixisse, Bonus, sed senex. *Titulus Capitis* 35 *quo hæc narrantur, est* de Abbatibus Usercensibus: *quo deceptus auctor Indicis ad tomos Labbei prædictos,* Petrum *et* Reinaldum *intitulavit* Abbates Usercenses. *Nempe a talibus incipit Caput istud, et indicata morte* Gauberti, *obita anno* MCVIII, *dicitur quod* successit Petrus cognomento Rechada de Turribus, per annos quinque, *id est usque ad* MCXII; *deinde de alterius monasterii Abbate, etiam Petro, agitur, qui sederit annis* XXII: *sed monasterii nomen videtur transcribentibus excidisse.*

Ademarus Ab. sui ecclesiæ utilissimus,

E

alterius, se ægrum visitantis, mortem prædicit,

35 *Porro ipsemet* Ademarus, anno ab Incarnatione Domini MCXIV, ab ordinatione sua quinquagesimo, mense nono, hora noctis S. Mauritii, *id est* XXII *Septembris,* qua Responsum cantabatur, *Deus Innocentiæ,* percussa est tabula pro illius exitu. Corpus positum est a parte Aquilonis, loco quo pueri sedent in Capitulo. Hujus tempore ecclesia S. Martialis in ædificiis, ornamentis, terrarumque redditibus, et, quod pluris est, religione honesta floruit... Bernardus, Prior Cluniacensis, cognomento Grossus, Ademaro Abbati succedit. Hic ad secularia negotia satis idoneus erat, verumtamen in Scripturis inventus est minus habilis. Quo in brevi Cluniaco regresso, Pontius [*Abbas Cluniacensis*] ad votum Abbatem eligere tentavit. Monachi contra, proprium Abbatem Bernardum sibi reddi, aut alterum creare juste postulabant. Pontius Papam expetiit, orans Ecclesiam S. Martialis ponere sub interdicto: quod summus Pontifex [*Paschalis*] injustum fieri judicavit. Pontius cum suis in quadam turre secessit, certans ocius perficere quod disponebat: cum repente solarium domus corruens, unius Monachi crus, alterius brachium contrivit, Gaucelino Noam Capellano Abbatis interempto: ceteri vix evaserunt, et a S. Martiale se terreri cognoverunt; quapropter Lemovicas velociter convenerunt, et ecclesiam Apostoli benignius tractaverunt. Electus nempe est a Monachis S. Martialis solenniter, Amlardus Prior Solenniacensis: instituitque

et ipsemet moritur an. 1114.

F

Succedit Bernardus

quo amoto Pontius Cluniacensis, alium constituere volens,

tantum non obruitur ruina domus,

A tuitque Abbas Pontius, ut haberent Lemovicenses Priorem ex Monachis S. Martialis, cum haberent Abbatem ex Cluniacensibus, et e converso. Acta sunt hæc tempore Paschali, anno Dominicæ Incarnationis MCXV.

EX MS. *eligiturque Amlardus.*

Anno 1123 ardet monasterium et Ecclesia.

36 Incarnationis Dominicæ anno MCXXII (*imo* XXIII) totum castrum Lemovicense, S. Martialis monasterium, signa clocarii, claustra, officinæ, ecclesia S. Petri de Quadrivio, et S. Michaelis de Leonibus, cœnobium S. Martini extra muros, incredibiliter igni cremata sunt. Nocte sequenti, erat enim Sabbatum et Kalendæ Septembris (*quando littera Dominicalis G indicat correctionis præmissæ necessitatem*) cum ingenti luctu cantata est Historia de Job, *Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non sustineamus*? Tunc per biennium sævissima fames, cum horribili mortalitate, populum adeo quassavit, ut non solum mediocres, verum etiam plerosque divites coegerit mendicare... Rivulus infra sepulcrum S. Martialis tam exuberans erupit, ut, nisi a populis ejiceretur, thalamus Apostoli aqua repleri crederetur. Fit igitur per mediam S. Petri basilicam meatus ex magnis lapidibus, sicque rivulus B ille ad ortum solis deinceps derivatur. Fontis vena, quæ de Cumba Ferrieriam profluens, ab Abbate quondam Adalbaudo in claustrum conducta memoratur, quodam tempore ita defecit, ut Monachi de ejus reditu desperarent. Unde ab universis ad Deum per ecclesias fusa est oratio, quoadusque laticem optatum divina redderet largitio. Nam et pueri publice per plateas civitatis clamabant, dicentes; Deus, aquam: Deus aquam: Sancte Martialis, redde nobis aquam...

Exundat rivulus sub tumulo Sancti:

Aquæ ductus deficit.

Caput S. Martialis,

et miraculis claret,

37 Postremo, (*non* primo, *ut male transcriptum*) Postremo, *inquam*, tempore Ludovici *Crassi*, filii Philippi Regis, *hoc nomine Primi, atque adeo ante Augustum anni* MCXXXVI *quo is obiit*; et novissimo (*an hic forte* primo *legendum*?) Guillermi, filii illius Guidonis, qui apud Pictavos monasterium S. Joannis, quod dicitur Novum, construxit, repertum est venerandum Caput Apostoli Martialis, in capsa aurea, quæ eminet altari Salvatoris, præsente Geraldo Legato Engolismensi Episcopo, Eustorgio Lemovicensi Pontifice, et Amlardo Abbate. Non desunt tamen, qui Apostoli corpus integrum in sepulcro haberi dicant. Horum sententiam ego approbarem, nisi ecclesiæ periculum considerarem. Si enim hoc Caput, Apostoli non esse, dixerimus; forsan Reliquiæ Apostoli, pro quolibet alio Sancto C quibuslibet petentibus dabuntur; sicque basilica Regalis fraudabitur debito honore paulatim. Quapropter filios Ecclesiæ solicitos reddere volo, ne proprium Dominum, a loco suo extraneum, faciant hospitem, pignora ejus aliis ecclesiis indiscrete largiendo. In ostensione præfati Capitis, ut esse probaretur Apostoli, quanta ibi patrata sunt prodigia miraculorum, testantur millia confluentium populorum. Capsa deinceps aurea, ad processionem in Ramis Palmarum, sicut antiquitus solebat majore necessitate urgente, delata non est: sed scrinium S. Austricliniani pro ipsa defertur...

Amlardus Ab. electus Episcopus,

causa cadit et moritur.

38 *Anno* MCXXXVII, Eustorgius, *Lemovicensis Episcopus*, apud S. Augustinum decessit, III Kalendas Decembris... Tumulato Pontifice, eligitur a quibusdam in Episcopum Amlardus Abbas: qui protinus Pontificalem thronum adscendit, quod et nocuit postea multum. Electus est [enim] ab aliis Geraldus S. Aredii Decanus, nepos Eustorgii: factaque est contentio inter singulorum fautores. Petrus Laures, qui propter ecclesiam Cayronensem amicorum stipatu pollebat, Pontificalem thronum Abbati ex parte summi Pontificis interdixit: quapropter a Bonifacio, Abbatis cliente, vulneratus; sanguinem in veste fusum ab eo, prout potuit, Eugenio Papæ D ostendit: *nempe anno* MCXLV, *quando ab hoc, in locum Lucii II substituto, Romæ decisa est causa, et Geraldo adjudicatus Episcopatus. Interim* Amlardus Romam ire disponens, Cluniacum petiit, auxilium ipsorum flagitans: sed in nullo ab ipsis auxiliatus, retrogradum conficit iter; *atque* anno MCXLIII obiit, XII Kal. Sept. *pro quo* in Exaltatione sanctæ Crucis eligitur D. Albertus... Prior de Peyraco. Geraldus *vero* ab ipso Papa, ante sanctum Pascha *anni prædicti* MCXLV, Presbyter et Pontifex consecratur, et post hæc in pace dimittitur.

Albertus Ab. quædam reformat,

39 *Sub hoc Pontificatu jam dictus* Albertus suis prohibuit Monachis, uti abstinerent adipe omni feria sexta exceptis festivitatibus quæ fiunt in cappis, Procuratore tantum dante oleum Conventui pro adipe... Olim namque in adventu Domini utebatur adipe in XII Lectionibus, quod omnino ab Alberto prohibitum est. Ipse instituit agi processionem solennem in festivitate omnium Sanctorum. Instituit etiam, obnixe a toto rogatus Conventu, ut ubicumque obiret Monachus S. Martialis, fieret pro eo trentenarium, ex integro Lemovico, per duas Missas. Prius enim, si obiret Monachus Arnaco vel Palnato, aut in loco in quo tot Monachi non essent, qui trentenarium non possent ordinate complere; unam tantum Missam in Conventu et aliam singuli pro defuncto Fratre celebrabant... In obedientiis vero præcipit, ut pro omnibus ubique Monachis decedentibus, faciant septenarium Missarum, aut septem diebus detur alicui pauperi præbenda in minimis.

etiam circa Missas pro Monachis defunctis, E

et moritur anno 1156:

40 Hominem exit Albertus *iste, non anno* MCLVII (*uti sequeretur ex calculo Gaufredi, anno* MCXLIII *electum, annos* XVI *præfuisse, scribentis cap.* 50) *sed ut habent Sammarthani*; MCLVI, V Kalendas Augusti: tumulatus vero est subtus lapidem, videlicet ante quinque imagines sepulcri, ad radicem parietis capituli. Die V Idus Septembris Dominica (*qui concursus annum supra notatum firmat*) eligitur Petrus, Prior Cluniacensis.. qui in Vigilia proximi Natalis, post Veniam Capituli, dum sermone mystico, Fratrum animos ad celebranda Salvatoris natalitia provocaret, repentina infirmitate correptus, voce penitus interclusa, circa gallicinium sacratissimæ noctis, spiritum exhalavit... Post hunc eligitur Hugo de Fusa, cui Petrus Grossus, a quibusdam electus, magnum intulit damnum: sed antequam diu illum vexaret, viam universæ carnis ingressus est; reatus sui venia petita.

sequens Petrus subito extinguitur:

Hugo æmulum passus,

F

Anglis largitur particulam Capitis S. Martialis,

41 *Sub isto Abbate circa* MCLXIII, tres Canonici ex Anglia venientes, cum litteris Episcopi de Lincolnia, postulaverunt Reliquias de S. Martiali, dari monasterio quod vocatur Præmonstratus locus. Hoc cœnobium novum, in honore Apostoli nostri nuper a quodam Principe constructum fuit, et novem Abbatibus jam dominatur. Dum Processio omnium Sanctorum ageretur, Abbas Petrus vice illorum, non sine lacrymis, populum orat, quatenus acquiescat eorum petitioni. Canonici revestiti, ad dexteram Abbatis stantes, universum gemitibus populum propulsabant. Quid multa? post Evangelium, Caput Apostoli cunctis qui adfuimus, Abbas ostendit; sumptisque Reliquiis ejusdem Sancti, simul et de B. Valeria desideranter lætificavit. Eisdem Canonicis Abbas in omnibus providit, et eo die in refectorio secum epulari rogavit. Capsam ex ebore præclaram Iterius de Crosent ipsis dedit, qua Reliquiæ conderentur; et Petrus de Forva ceram, qua usque mane illuminarentur. Post cibum a populo extra muros cum gaudio deducti sunt. *Conditum fuerat hoc monasterium sub nomine Novæ-domus a Petro de Gousla, circa ultimos annos Roberti Lincolniensis Episcopi, defuncti anno* MCXXIII.

42

A

pro quadam ejus ibi ecclesia,

42 *Extant in tomo 2 Monastici Anglicani pag. 58, istius fundationis dotationisque chartæ variæ, interque eas Abbatis Amblardi Epistola, hic satis digna recitari : indicat enim etiam istic miraculis claruisse Sanctum. Nam ubi impressum nunc legitur* nos, nostramque; *ibi omnino censeo legendum* Vos, Vestramque. *Eccum ipsam.* Frater Amblardus, S. Martialis servus indignus, omnisque loci ipsius Conventus, Chistianissimo Fratri nostro, Domino Petro de Gousla, salutem et fideles orationes. Suscepta legatione vestra, et perlecta descriptione, lætificati, omnipotenti Deo gratias, qui dilectum suum beatissimum Martialem, per miracula apud vos clarificare, fidemque vestram eadem confirmare dignatur. Dominum quoque R. (*credo Robertum, defunctum* x *Januarii*) Fratrem vestrum, qui B. Martialis Ecclesiam primus construxit, in Conventu, sicut Fratrem nostrum absolvimus ; et pro ejus anima debitas Deo orationes, Psalmos et Missas obtulimus. Vos quoque, quos olim in ecclesiæ nostræ beneficio susceperamus, amodo non beneficii tantum participes, sed sicut unos ex nobis, tam in vita quam in morte fatemur. Omnes etiam qui ecclesiæ vestræ vel servierint vel benefecerint, totius ecclesiæ nostræ beneficii socios esse concedimus. Præterea de eo quod ad B. Martialis et ecclesiæ ipsius claritudinem postulastis, pro certo ad præsens satisfecissemus, nisi vester nuntius longius esset profecturus : quod enim directuri eramus, vel cum locus fuerit dirigemus, nec tractari indecenter, nec portari, uti per provincias, oportebat. *Quod de postulatis Reliquiis, ac demum post annos quadraginta aut plures, sub Roberto II Lincolniensi Episcopo missis, congrue intelligetur.*

in participationem olim suscepta.

B

43 *Nescio autem, an de istis scribenti quæ viderat Gaufredo, detersa fuerit dubitatio supra indicata ; cui præsumpta corporis integritas in sepulcro, leve sane fundamentum hæsitandi dederat ; cum nihil usitatius sit, quam ex reconditis Sanctorum corporibus, tempore Translationis de una arca in aliam, auferre Caput vel similem insignem portionem, ad usum Processionum et publicarum Solennitatum, nec ideo minus integrum corpus dici. Quid? quod etiam S. Eligius, ubi de miraculis actum est, dicatur aliquid Reliquiarum S. Martialis Parisios attulisse, vel illic ab alio allatum invenisse. Reliquorum Abbatum seriem ex Gaufredo aliisque colligere nihil attinet, cum possit apud Sammarthanos reperiri, eorumque tempora nihil contineant ad S. Martialem, ejusque protectionem, loco illi suo impensam, pertinentia ; ad monasterii tamen historiam utcumque pertinet, quod* anno Dominicæ incarnationis MCLXVII, nocte quæ diem Baptistæ Joannis claudit, crematum est Lemovicense castrum, clocarium, signa optima, etiam ecclesia S. Michaelis de Pestaria ; verumtamen claustrum, officina et burgus de hortis S. Valeriæ, Deo miserante, salvantur.

Qua occasione separatum caput a corpore sit, aliæve Reliquiæ.

C

§. V. Alia quædam Lemovicis Acta circa Abbates, et thesaurum S. Martialis. Cultus in diœcesi Senensi. Vita Italice a Lombardello scripta.

Præter Chronicon quo hactenus usi sumus, quodque ut plurimum sacra continens, in ipsomet S. Martialis monasterio, votum vel pro majori parte, scriptum videri possit ; scripsit etiam aliquid Gaufredus de bellis suo tempore gestis in Lemovicino ; Alteram Chronicæ partem Labbeus appellat, et incipit ab anno MCLXXXII: *ubi statim in principio narratur, quomodo Henricus uterque, pater ac filius, Angliæ Reges, conciliata inter Philippos duos Franciæ Regem et Flandriæ Comitem pace, in Aquitaniam recesserint ; ubi* Henricus adolescens, veniens Lemovicas, a Monachis tripudianter suscipitur, exultante Clero simul ac populo. Tunc obtulit beato Apostolo pallium, in cujus ornatu scriptum est HENRICUS REX. Et quia imminebat solennitas, celebrato S. Martialis natalitio, prout res exigebat ; post prandium apud S. Aredium devenit, *ubi antea in Hebdomade Pentecostes, celebratæ* XVI *Maji,* Rex Senior..... commoratus per dies aliquot, vitam S. Aredii honeste suscepit, totamque ipse perlegit ac veneratus *est, illustrandam a nobis* XV *Augusti.*

Anno 1182 Henricus R.

D

EX MS.

45 *Sub idem tempus* accidit, Domnum Abbatem *Isembertum, anno* MCLXXVII *ordinatum*, dum esset in prosperitate præcipua, constituente divinæ providentiæ clementia, graviter ægrotare, ita quod ab omnibus jam desperatum esset de ejus salute. Cumque ipsa ægritudinis molestia quasi raptus in extasim videretur, clausurusque diem extremum reddere [spiritum] crederetur; Dominus de cœlo prospiciens, volensque constantiam ejus in infirmitate juxta Apostolum comprobare ; malignas malignorum spirituum circumstantium permisit eum visiones captare. Dominus autem Abbas, licet jam non esset cogitandum nisi de morte, Dei et servi ejus Martialis Apostoli, multum ejus esse se servum profitebatur : increpandoque et comminando dixit eis ; Auferte vos hinc, truculentæ bestiæ : conterat vos Dominus sub pedibus nostris : servus sum Jesu Christi et Sanctissimi Martialis Apostoli, qui animam et corpus meum circumdet clypeo salutis et protegat. Quo dicto, ad invocationem Dei et gloriosissimi Apostoli, aufugerunt spiritus, et Dominus Abbas restitutus est sanitati.

Isembertus Ab. moribundus

invocato Sancto dæmones apparentes repellit,

E

et Sanitati redditur.

46 Celebrata Domini nativitate, tres filii Regis invicem disceptaverunt : tunc conjuraverunt adversus Ricardum *Aquitaniæ Ducem, secundo genitum,* Henricus Rex *primogenitus*, et Gaufredus Britanniæ Comes *tertiogenitus :* et transacta Purificatione B. Mariæ Gaufredus Brito venit Lemovicas subito ; Deinde Rex frater.... Audiens *autem* Rex *pater*, seditionis pessima peste filios laborare, cum paucis admodum Lemovicas venit..... Populus cum armis exiit derepente, Regisque exercitum atrociter invasit..... Tunc jussu Vicecomitis juravit populus, in basilica B. Petri de Quadrivio, Regi minori fidelitatem : muniverunt burgenses castrum, *etc*.... Rex Senior Lemovicense Castrum potenter obsedit, totumque in circuitu munitione Regia cinxit Kalendis Martii.... Rex manebat in urbe : major filius in Castello, Dux Ricardus apud S. Valericum. Tunc Monachi cum Clero et populo intra muros totum castrum circumeunt, deferentes glebam S. Austricliniani, cum capsa aurea, qua conditum dicunt Caput S. Martialis, aliasque Reliquias Sanctorum deportaverunt; præsente Rege adolescente ; exorantes Deum, ut eorum patrocinio populum liberaret. Mulieres quoque infra muros totum castrum stuppæ filo cinxerunt, ex quo candelas multas fecerunt, quas S. Martiali aliisque ecclesiis diviserunt....

Bellantibus inter se filiis Henrici Senioris R.

F

hic superveniens obsidet Lemovicis Juniorem,

47 Henricus necdum terram aut thesaurum possidebat..... qui, quod ignoraret quo se verteret, arctatus undique irremediabili necessitate, thesaurum B. Martialis expostulat ad horam sibi præstari ; quod Monachi absque præcepto Abbatis non audere, justa responsione professi sunt : Domnus etenim Isembertus seditione urgente recesserat..... Quæ replicans cuncta Princeps, coegit Monachos dare thesaurum ; et ingrediens claustrum, foras expulit cunctos, etiam juvenes ; et parvos scholæ quosdam nocte prima foras retinuit..... Crastino solutis Monachis exponitur thesaurus. Tabula altaris sancti sepulcri, ubi erant imagines quinque, cum mensa majoris aræ, in qua erant sedes Majestatis cum duodecim

qui pro sua defensione thesaurum S. Martialis.

EX MS. pecunia æstimatum, mutuo accipit,

A decim Apostolis ex auro purissimo: calix aureus, cum vase argenteo, quod Arnaldus de Montasit dedisse narratur; crux altaris S. Petri, cum medietate scrinii ejusdem: capsa beati Austricliniani, cum cruce magna Bernardi Conversi, auri quinquaginta, argenti centum trium marcarum. Hæc omnia non recte pensantes nec appretiantes (plus enim valebant) pretio viginti duo millia solidos computavere. Rex tam multa se daturum spopondit, dato chirographo, sigillo suo roborato: pretium vero aurificum et aurum quod erat in auratione argenti, computata non sunt .... Quid dicam? proh dolor! Sacrosanctum thesaurum Rex dedit grassatoribus populorum, ut diuturniora mala diebus Quadragesimæ populo irrogarent. Tam inauditum scelus certe non credidissem, nisi oculata fide fieri conspexissem.....

cum gravi injuria Sancti:

48 Paschalem solennitatem (XVII *Aprilis elegit) et* peregit Rex in urbe Lemovicina: ejus filius Henricus tenuit Engolismam cum multitudine malignantium..... Recedente patre, filius urbem Lemovicam expugnabat: sed custodia murorum, non vocibus, sed lapidibus in eum jactis dixerunt; Nolumus hunc regnare super nos.... Interim Rex puer de cœnobio B Grandimontensi thesaurum violenter accepit: et, quod auditu horrendum est, non pepercit Columbæ aureæ, in qua Dominicum Corpus habebatur, quam pater ejus dederat olim. De cœnobio quoque quod dicitur Corona, in Engolismensi pago, et de quibusdam ecclesiis thesauros multos irrreverenter abstraxit. Numquidnam prolongabuntur dies talia exercentis? In Ascensione Dominica apud Userchiam devenit: inclinante jam die processionem Monachorum ægre suscepit, quia sperabat ab Abbate vel populo exigere argentum. Hic justo Dei judicio percussus, se pridie aliquantulum gravari cognoverat. Crastino, licet infirmus, apud Donseniac devenit: sabbato apud Martellum vicum..... Dehinc apud Roquamadour Rex abiit, gerens speciem peregrini, sed sævitate illic ferina tractavit, qualiter ab Abbate Obasinensi exigeret pecuniam; sic magis de ablatione quam de oblatione cogitabat.

et ægrotare incipit.

49 Regressus Martelli Rex ægrotavit.... Pentecostes celeberrimum festum egit absque ullo Ecclesiæ Sacramento. Guillermus de Tignera, Abbas quondam Dalonensis, tunc invisere venit apud Roquamadour Geraldum Pontificem Caturcensem; invenitque Pontium de Spalas, Priorem Royas, quod C est de cœnobio quod vocatur Chartosa. Hi condixerunt sibi invicem, ut visitarent Regem feria tertia. Æger legitime actus suos coram eis confessus est, nudusque exivit de lecto: sicque prostratus humo, adorans Deum, vivifica percepit mysteria: hostibus ac conventui malignantium ac guerræ paternæ abrenuntiavit..... Sabbati hora secunda ungitur; peccata confitens propalam; Viaticum accepit; humero suo Crucem imponi petiit; Dei misericordiam medullitus invocabat; Virginis Mariæ Sanctorumque omnium auxilium implorabat: B. Martialem subvenire sibi humiliter postulavit, ob cujus injuriam letaliter vapulabat.....

Conveniunt ad eum Episcopi:

a quibus extremis munitur,

50 Epistolam Rex moriens patri transmisit, sigillo suo et annulo signatam, in qua post salutationem scriptum erat; delicta mea et ignorantias meas ne memineris. Primo capitulo rogat patrem, indulgentius tractare matrem quam fere per annos decem apud Salesbeyriam tenuerat quasi captivam: orat liberaliter providere uxori jam viduæ, utpote Regis Gallorum Ludovici filiæ, et Fredenandi Hispaniarum Regis nepti, quæ sicut mater, vocatur Margarita: supplicat dari pacem Engolismensibus, Petragoricensibus, Sanctonibus, cunctisque inimicis, maxime Ademaro [Vicecomiti] vel populo Lemovicensi: obsecrat reddere damna afflictis, restaurare thesauros ecclesiis, quos rapuerat, maxime S. Martiali. Corpus suum transferri per Lemovicas præcepit; et quasi pro satisfactione, oculos, cerebrum, ventrem ante Apostolum projici, seque ibi retineri, quousque omnia rapinarum pretia a patre solverentur. Ultimo postulat Capitulo, corpusculum suum Rotomago, in basilica Dei genetricis Mariæ solenniter tumulari.

Patri commendat restitutionem ablatorum,

D *et interim jubet intestina sua ante S. Martialem projici.*

Funus Rotomagum defertur a famulitio,

51 Obiit Rex apud Martellum, in domo Stephani cognomine Fabre, præsente Bernardo Episcopo de Agenno, multisque aliis religiosis viris, instante festo S. Barnabæ Apostoli. Erat enim hora decima Sabbati magnæ hebdomadæ Pentecostes, luna XII, anno MCLXXXIII ab Incarnatione Domini. Crastina die per Brivam transeuntes, Userchiæ devenerunt foris. Vosienses, eminenti loco, qui dicitur la Guarde, et ego cum quibusdam monachis et laicis, per publicam stradam, cernebamus hora decima regales exequias transire. Tunc Ademarus Vicecomes, Gaufredus de Lesiniaco, et quidam Milites mortuum veniunt lugere. Usercensis Abbas Bernardus, in luminibus et procuratione, solvit expensas. Summo diluculo, ad Missam pro defuncto, vix duodecim denarii oblati sunt, quos Capellanus defuncti rapuit. Ut quid multa? Tota Regis familia fame laborabat: insuper equum Regis pretiosum, pro his quæ infirmo fuerant necessaria, pro arrhabone tradiderunt: et qui thesauros Martialis aliorumque Sanctorum large perfidæ tradiderat genti, paulo post proprii corporis portitores valde famelici a Monachis saturati sunt: in tantam siquidem inopiam deciderant, ut unus de regia clientela, braccas suas pro cibo, non sine pudore, dedisse profiteretur.

ad extremam paupertatem redacto.

E

52 *Sammarthani, dum reliquos Abbates ad sua usque tempora, et ultra seculi* XVII *dimidium, prosequuntur; ubi veniunt ad annum* MCCCXCII, *et ad successorem, Gerardo II tunc defuncto dandum, allegant* Chronicon S. Martialis nondum typis editum, *quod ibi finiri credo: quia nominatis deinde Abbatibus, non additur amplius ullius anni nota, ut præsumi possit hic finiri, cetera nomina manu altera fuisse adscripta. Istud si prodiret, fortassis ex eo disceremus, quod tunc Regalis istæc Abbatia devenerit in potestatem Commendatariorum Abbatum, sub quibus ita elanguit monasticus vigor, ut Lemovicensi in Cathedra sedente Joanne de Langeat, licet Ordinis Cisterciensis antea Abbate, viro pio et de ecclesiis variis bene merito (sedebat autem anno* MDXXXIV, *et obiit* MDXLI) Monachi S. Martialis in pristinum statum secularem restituti *legantur, apud prædictos Sammarthanos, tom. 2 de Episcopis; cum Abbatis titulum, magis quam rem, obtineret Robertus de Lenoncourt. Hic ex Priore Charitatis S. Mariæ ad Ligerim, factus etiam Abbas Barbellæ seu Sari portus, Ordinis Cisterciensis, tum ipso anno* MDXXXIV *Episcopus Cathalaunensis, et quadriennio post S. R. Ecclesiæ Cardinalis, denique et Arelatensis et Tolosanus Archipræsul, multis etiam ipse laudatur a scriptoribus Gallis; sed regiis negotiis et legationibus sic implicitus, ut parum curæ posset impendere Monachis sibi commissis.*

Chronici pars? adhuc inedita usque ad annum 1392 desideratur.

Abbatia in commendam data

F

Monachi in Canonicos mutantur sec. 16.

53 *Decimo quinto a Senensi metropoli milliario ad Occidentem; trans fluvium Elsam, ponte Grachiano instratum, milliario uno, oppidum fuit olim, nunc civitas est, ex re nomen habens ut,* Collis vallis Elsæ *dicatur; anno* MDXCV, *erectus in Episcopatum Clementis VIII auctoritate. Hic magna populi religione* S. Martialis *colitur, propter inolitum ibi opinionem, quod Roma in Aquitaniam transiens, Christi Petrique Discipulus, prima majoribus suis, vicinum tunc Grachianum incolentibus, fidei semina jecerit; quin etiam ostendunt ingens sepulcrum, quo conditus aliquando fuerit S. Austriclinianus, donec S. Martialis, ablato Roma*

In territorio Senensi

Ecclesia S. Martialis,

A *Roma S. Petri baculo, ipsum suscitavit; eodem prorsus modo, quo Trevirenses narrant, a suo S. Euchario vivificatum S. Maternum; sic ut dubitari possit ab utro ad alterum translata miraculi assertio et credulitas sit. Super hoc sepulcrum, vetus ecclesia, S. Martiali dicata, sic condita cernitur, ut os sepulcri foris pateat ad dexterum latus, ipsum deinde subter fundamenta porrigatur usque in ecclesiam, magnæ venerationi habitum a cunctis. Distat ecclesia illa proxime a Collensi civitate, quæ illuc solet devota excurrere, præsertim omnibus sextis feriis mensis Martii, propter frequentes gratias, quas inde referre fideles se credunt sani infirmique.*

ubi S. Austriclinianum ille suscitaverit,

54 *Ita pluribus et prolixe narrat Gregorius Lombardellus, cap.* 8 *Vitæ S. Martialis, quam anno* MDXCV *Italice scripsit vulgavitque, rogatu Nicolai Sabolini Archipresbyteri Collensis, multa præfatus de sua in plurium Sanctorum Vitis describendis ac dilatandis opera sæpius probata, nobis autem probanda magis et utiliore futura, si luxurianti stylo suo indulsisset minus, pressiusque institisset antiquis unde sua hauriebat monumentis, aut eadem etiam originaria dedisset: quædam enim ex illis desideramus, hactenus non inventa in ipsis unde ea habuit locis; nec alibi facile invenienda.* B *Unde nec sciri potest Certo, quantum originariis Actis de suo super addiderit Lombardellus. At possumus aliquid æstimare ex iis quæ reperta sunt, ac nominatim ex Actis S. Martialis, jam olim, ut initio dixi, impressis, et mole sua non superantibus molem primorum sedecim capitum ejus libri, quem ipse in Capita omnino quatuor et quinquaginta extendit; honesto quidem ac pio conatu, sed exigua cura examinandi veri, aut saltem verosimilia secernendi. Hinc fit ut suspecta nobis fiat hominis creduli nimium prolixa verbositas, etiam in Appendice illius Vitæ quam capitibus tredecim dilatavit, ex relatu verbali cujusdam Presbyteri Leonardi de Corliaco, parochiæ Pazzoliensis (Panozol notant tabulæ, duobus fere passuum millibus ad urbe Lemovica trans Vigennam) quocum Roma Neapolim proficiscens, cuncta ejus dicta memoriter notarit; neque postea comparentibus quæ ex Gallia scripto submissurum se spoponderat, ille typis mandare festinavit, eodem quo Vitam ediderat anno.*

unde Lombardello data occasio scribendi vitam,

55 *Quam fuerit difficile sic scribentem non errare, promptum cuivis est intelligere. Primo certe capite occurrit statim capitalis falsitas, qua asseritur primam Lemovicæ cathedralem ecclesiam, S. Martiali dedicatam,* C *etiam hodie ab illius nomine appellari: cum ex jam dictis certissimum sit, hanc esse S. Stephani; Abbatialem autem S. Martialis esse extra urbem, eo ubi primum sepultus Sanctus Austriclinianus fuisse creditur loco, unde nec unquam diu abfuit. Interim dicitur in prædictam Cathedralem, adeoque intra urbem, annis post Sancti obitum sexcentis, ex primæ sepulturæ loco, solennissima pompa translatum corpus, tunc inventum totum integrum, quasi dormientis, nec pilo quidem deficiente aut cute perstricta, cum cœlestis odoris fragrantia. Additur, quod Caput, seorsim extra tumulum servatum sit in vase pretiosissimo, a quo ideo Deus exinde permiserit carnem cutemque cum crinibus diffluere; ut in nudo osse deinceps apparerent signa quinque digitorum Christi, neque dum viveret, neque eatenus visa unquam, et invisibiliter tunc impressa, quando quinquenni manum imponens Salvator, dixit;* D *Nisi efficiamini sicut parvulus iste, non intrabitis in regnum cœlorum. Hic oblitum etiam se ostendit scriptor, quod in Vita cap.* 2 *dixit, quindecim annorum fuisse Martialem, quando ad Christi discipulatum venit: quamquam neque talis ætas sufficiens erat tot mysteriis, quibus prædicante et patiente Christo interfuisse refertur.*

non sine mendis,

et fabulis elevationem corporis incorrupti

EX MS.

post annos 600.

56 *Narrat deinde cap.* 7 *Auctor, quomodo dormientibus custodibus raptum aliquando sacrum pignus, cæcitate percussis raptoribus, nequiverit avehi ab ecclesia: alias armata vi idem tentantes pleno die alii, fuerint a Sancto apparente prohibiti; ac tertium denique corruptis pecunia custodibus, quidam aliud cranium pro ipso supposuerint, in quo fraudulenter easdem quinque digitorum notas depinxerant, qui tamen, deficientes in via et cæcitate percussi, coacti fuerint fraudem a se factam fateri, et verum caput restituere. Quod ultimum scribens Lombardellus, cogitasse debuit, notas istas etiam primo capiti induci pigmentis potuisse, ad fidem fabulæ præmissæ faciendam; quomodo credi potest ei, quod prope Massiliam ostenditur, tamquam Mariæ Magdalenæ capiti, affixam pelliculam, a persuadere volentibus integram illam servatam ex contactu Christi, ipsam repellentis dicentisque, Noli me tangere. Qualia* E *omnia melius tacite abolerentur, quam Sanctarum Reliquiarum veritas deliramentis ejusmodi obfuscata, dubitationis ac diffidentiæ justæ periculo exponeretur apud prudentiores Catholicos, ut de Acatholicis taceam, risum inde sibi captantibus.*

Auferre Reliquias conati puniuntur

57 *Tempus prætensorum illorum miraculorum nullum exprimitur; tantum additur, ultimi fructus fuisse, quod eo motus Clerus Episcopusque, qui eatenus contenti semel per annum festivissime colere Sanctum suum Patronum, exinde instituerint quot hebdomadis diem unum illi proprium habere, cum Missa et Officio solenni, sicut in festo; idque hodiedum servent: Talis sane usus, sumpto a Minoribus Prædicatoribusque exemplo, inductus, antiquus esse non potest; an autem revera sic observetur, scient dicere Lemovicenses, quibus circa talia certius credetur; uti etiam an apud se habeatur Sanctus peculiaris Patronus infantium; plurimosque ejusmodi ipsi commendatos credi a mortuis suscitatos, ac neminem porro tota diœcesi Lemovicina a dæmone obsideri. Item, aliquando apparuisse palam omnibus Sanctum, semel ut popularem seditionem compesceret, alias ut in ecclesia sua ac civitate incendium, omnia consumpturum, extingueret, quæ singula, cum exemplari pœna quorumdam blasphemorum, hic strictim indicata integrum caput Lombardello faciunt; digna, si vera sint, certiori relatu testimonioque cognosci.*

ad quas alia facta miracula.

58 *Formam tamen et ornatum ecclesiæ, tum altaris atque arcæ S. Martialis, quæ Capitibus tribus primis minutim describuntur, credere possemus, veraci relatione accepta, siquid tuto crederetur scriptori, sua vel aliena somnia tam facile venditanti. Veritas non indiget nostra fictione, et suus* S. Martiali *meritissimus constabit honor, absque laudatoribus tam indiscretis: quibus etiam accenseri posse videntur, qui ipsum a Discipulatu S. Joannis Baptistæ ad Christum transisse volunt, itaque adscribunt Carmelitis.*

DE SANCTIS MARTYRIBUS AFRIS

TIMOTHEO, ZOTICO, ITALICA, ZOILO, GELATO,

CURSICO SEU CAIO PRESBYTERO,

G. H.

ET LEONE SUBDIACONO.

Notitia nominum ex antiquis Martyrologiis.

Nomina in variis martll.

Duos priores Martyres consignant MSS. Rhinoviense, Richenoviense, Trevirense S. Maximini, Romanum Cardinalis Barberini, Bruxellense S. Gudulæ, et Notkerus, his ubique verbis :* In Africa SS. Timothei et Zotici. *MS. Reginæ Sueciæ, ab Holstenio vulgatum, quatuor profert : In* Africa natalis Sanctorum Timothei, Zotici, Italiæ, Galati. *Lucense apographum S. Hieronymi quinque indicat :* In Africa natalis Sanctorum Timothei, B Zotici, Italiæ, Cursini Presbyteri, Leonis Subdiaconi. *Apographum Blumianum eosdem habet, et præterea, post nomen* Italiæ, *interponit nomina* Gelati, Gittæ. *Cujus ultimi alibi non fit mentio.*

2 *Vetustissimum apographum monasterii Epternacensis septem enumerat :* In Africa, Sanctorum Timothei, Zotici, Italicæ, Zoili, Gelati, Cursici Presbyteri, Leonis Subdiaconi. *Apographum Corbeiense palæstram Africam, ab aliis indicatam, immutat his verbis :* Romæ natalis SS. Timothei, Italiæ, Gelati, Zoili, Italicæ, Cursini Presbyteri. *Aliud MS. Corbeiense, ex priore extractum, ita habet :* Romæ natalis SS. Timothei, Zotici : *unde liquet, nomen* Zotici *in priori fuisse incuria amanuensium omissum. Sed nomina* Italiæ et Italicæ *videntur simili errore duplicata : imo* Romæ *loco* Africæ, *præfixum est.*

plura in antiquioribus,

3 *Usuardus duos posteriores seorsim celebrat, hoc modo : Ipso die* Sancti Corsici Presbyteri, et Leonis Subdiaconi. *In aliquibus MSS. additur,* in Italia. *Maurolycus etiam abstrahit a palæstra, et eos ita commemorat :* Ipso die Sancti Visici Presbyteri, sive Corsici, et Leonis Subdiaconi, Martyrum. *Galesinius ita habet :* Romæ item Sanctorum Martyrum Corsici Presbyteri, et Leonis Diaconi : *sed* Subdiaconi *legendum monet in Notationibus. Baronius in Martyrologio Romano :* Ipso die Sanctorum Caji Presbyteri et Leonis Subdiaconi; *Atque in Notis allegat* Usuardum et recentiores omnes. *Nos sequimur antiquiora, antiquiorum Martyrologiorum ecgrapha.* E

in recentioribus pauciora.

DE S. ASCLINO SIVE ASCLEPIO

ET SANCTO PAMPHILO,

G.H.

MARTYRIBUS COLONIÆ AGRIPPINÆ

Ex Martyrologio Hieronymiano, aliisque.

C *Hoc par Martyrum celebrant quatuor antiqua Martyrologii Hieronymiani apographa his verbis :* In Agrippina, Asclini, Pamphili. *Quæ eadem habent MSS. Richenoviense in Suevia, et Rhinoviense in Helvetia, et aliud Reginæ Sueciæ.*

At Rabanus et Notkerus in suis Martyrologiis, ita nomina efferunt : In Agrippina, Asclepii, et Pamphili. *In MS. Florario et MS. Adone Leodiensi S. Laurentii, fit mentio* S. Asclini. *In Martyrologio, sub nomine Bedæ edito, ita legitur :* In Agrippina SS. Asclyppi Pamphili. *MS. Trevirense S. Maximini :* Colonia civitate S. Pamphili : *cujus etiam memoria celebratur in MSS. Casinensi, Altempsiano, alio S. Cyriaci et Aquisgranensi : pro quo nomen* Pauli *habetur in MSS. Bruxellensi S. Gudilæ, Augustano S. Udalrici, et Parisiensi Labbei. Verum quia is non adjungitur* Asclino *sive* Asclepio, *neque adscribitur* Agrippinæ, *sed aliis Martyribus immiscetur; potest intelligi* Apostolus Paulus, *cujus commemoratio hoc die solenni veneratione celebratur.* F

DE SANCTIS MARTYRIBUS

DIOMEDE, EULAMPIO, MELITONE,

D. P.

PETRO ET ASCLEPIADE,

APUD GRÆCOS.

Ex Synaxario Divionensi MS.

Græcorum tam Menæa excusa, quam Synaxaria MSS. omnia; etiam Constantinopolitanum istud ceteris prolixius, quod Parisiensi nostro Collegio P. Sirmondus comparavit, totum hujus diei Officium sic impendunt Synaxi duodecim Apostolorum, post eorum Coriphæos die præcedenti cultos, celebrandæ, additis quibusdam insuper Apostolorum Discipulis; ut alterius nullius Sancti meminerint

A *rint; præter unicum Divionense MS. unde prætitulatos Martyres sic consequenter descripsimus :*

2 Ὁ ἅγιος Διομήδης ξίφει τελειοῦται. S. Diomedes gladio consummatur.

Ἐκ σπονδύλων ἔσπεισεν αἷμα Κυρίῳ,
Ἄσπονδος ἐχθρὸς δαιμόνων Διομήδης.

Lusum in verbis σπονδύλη, vertebra , σπεῖσαι, libare, ἄσπονδος fœdere nullo obstrictus, *vel*, irreconciliabilis: *quæ omnia communem videntur in Græca lingua radicem habere, sed Latinis verbis nemo facile sic expresserit : sensum ita reddes :*

Domino cruorem libat ex collo suum,
Juratus hostis dæmonum, Diomedes.

3 *Sequitur alius, videlicet,* Ὁ ἅγιος Εὐλάμπιος ἐκ Τάρσου ξίφει τελειοῦται. S. Eulampius ex Tarso, gladio cæditur.

Τί τὴν κεφαλὴν, δήμιε, κλίνον λέγεις
Εὐλαμπίῳ, διδόντι πᾶν σπαθῃ μέλος;
Quid flectere caput, carnifex, Eulampio,
Qui cuncta ferro membra præbet , imperas?

4 Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ, ὁ ἅγιος Μελιτών, ξίφει τελειοῦται. Ipsa die eadem Meliton gladio cadit.

Εἶπον Μελίτων καὶ θεόῤῥητον μέλι
Ἔχρην ἐκεῖ βάψαντα συντομὴν γράφειν.
B Mel etsi Meliton ore divinum dedit;
Scribendus ille tamen hic in epitome fuit.

Melius reddat sensum qui potest : fateor me conjectando non assecutum id quod auctor intendit verbis, forsitan D *a librario non bene expressis.*

5 Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ ὁ ἅγιος Πέτρος, ὁ ἐκ Σινώπης, κατὰ πετρῶν συρόμενος τελειοῦται. Petrus, Synopensium unus, raptatus per petras consummatur.

Ἔχουσιν αἰδεῖσθέ σε καὶ θεῖοι νόοι,
Αἰδοῖε Πέτρε, δόντα τὴν σάρκα πέτραις.
Venerande Petre, te mentes Divum colant,
Dum membra petris sic discerpenda exhibes.

6 Ὁ ἅγιος Ἀσκληπιάδης ἐν τῇ θαλάσσῃ τελειοῦται. Sanctus Asclepiades in mari facit vivendi finem.

Ἀσκληπιάδης τὴν θάλασσαν εἰσίδυ,
Ζητῶν ἐφευρεῖν τὸν καλὸν μαργαρίτην.
Mare Asclepiades cupide ingreditur, volens
Ibi invenire pretiosam Margaritam.

7 *Bis iterata particula transitiva*, eadem die, *indicio est, non uno aut loco aut tempore passos, quos hic consequenter celebrat scriptor. Priores duos ad Ciliciam pertinere, et simul capite plexos, haud absurda fuerit conjectura, quando eorum alter* Tarso *dicitur oriundus fuisse. Alibi* Meliton *passus fuerit idem supplicium.* Synopensis Petrus *fortassis ad Ægyptum spectabit : qui si* Asclepiadem *socium habuit mari mersum, non abs re erit suspicari, in aliquo maritimo loco deprehensos ambos Christianos, furore gentilium et extra judicium, passos esse martyrium.* E

DE S. DONATO MARTYRE

ROMA MONASTERIUM EIFFLIÆ TRANSLATO

Ex monumentis Collegii Societatis Jesu ibidem. D. P.

Ad cohonestandam fundationem Collegii S J.

Romanos Martyres, recentiori memoria ex sacris cœmeteriis erutos, et ad publicam venerationem varias in regiones identidem translatos, annuoque festo deinceps honoratos ; neque perquirimus scrupulose (eo quod omnium vel eadem vel similis sit historia, et parum faciens ad finem huic operi præcipue intentum, id est ad illustrationem sacræ vetustatis) nec ultro se offerentes universim dimittimus; C *maxime quando circumstantiæ adduntur, actum, alias pluribus communem, spectabiliorem et relatu digniorem efficientes. Talis nobis visus est is, qui anno* MDCLII *festiviorem reddidit positionem primorum lapidum in novi templi fundamenta, quod Societati construebatur Monasterii Eiffliæ sive Eifaliæ, quæ ditiuncula est Juliacensi Ducatui inheræns, et serenissimo Neoburgico Duci, nunc etiam Electori Palatino, subjecta in temporalibus, in spiritualibus Archidiœcesi Coloniensi. Historiam sicut inde perscripta, et annuis Collegii litteris inscripta est, accipe.*

obtinetur Roma corpus S. Donati M.

HISTORIA TRANSLATIONIS

Ex litteris Annuis MDCLII.

Ex mandato Principis Neoburgici,

Magnum ad Dei Sanctique Martyris Donati gloriam, in hac Translationis celebritate momentum attulit Serenissimus Princeps Senior, datis ad Satrapam, Collegiatæ Ecclesiæ Capitulum, urbisque Magistratum, litteris, ut eo modo celebritatem hanc promoverent, quem et suaderet in Sanctum hunc pietas, et Principem suum observandi studium. Res igitur hoc modo peracta est.

instruitur pompa,

2 Pridie solennitatis, jussu generosi Domini Joannis Frederici de Goltstein, loci hujus Toparchæ, foris armatur lectissima rusticorum manus : centuriantur copiæ, quæ adventum Sancti Martyris in via præstolarentur. In urbe, sub horam septimam vespertinam , festiviore sono omnia totius civitatis æra campana, futuræ celebritati præluserunt. Postero ipso celebritatis die, intempestæ noctis silentio, sacra Lipsana templo parochiali in Wingarten, sesquihora hinc dissito, reverenter inferebantur, et principi aræ imponebantur, reliquumque noctis coram illis par Sacerdotum orando excubabat. Mox ubi dilucularat, lætissima compulsatione hujus pagi inquilini, frequentes ad Sancti hujus venerationem F convenere, suumque in eum amorem lætissima compulsatione testati sunt. Nec circumvicini pagi passi sunt diem senescere ; sed identidem, ubi vulgo percrebuerat sanctum Donatum advenisse, compulsando responsabant.

Sanctum depositum Wingartæ exceptura :

ipsum quadrijugo in curru deducit,

3 Re divina ab utroque de sancto Martyre peracta, et ope sancti Spiritus solenni hymno implorata, a nostris Sacerdotibus, comitantibus duobus aliis Parochis, et frequenti parochianorum turba, reliquiarum theca rhedæ eleganti, quæ a quatuor phaleratis equis trahebatur, imposita ; juxtaque duo Sacerdotes , linteati cum stola, custodiæ ergo assidebant. Triumphalem hunc currum pars præibat, pars sequebatur, magno eorum numero, qui diversis e pagis venerationis causa, longo pulchroque ordine, Sanctum hunc pie psallendo Monasterium usque deducebant. Ad Juliæ confinia ubi perventum centuriati rustici, frequenti explosione, novo Athletæ adventum gratulabantur ; et veluti sibi officii primas deposcerent, supplicantium ordinibus, qui proxime rhedam circumcingebant, comites succedebant.

et cœlo præter spem serenato,

excipitur ab armata festive juventute,

4 In urbe, ubi majore pompa se omnes ad Sancti Reliquias, honorifice excipiendas, apparaverant; coegissent ferme, pluvio cœlo depluentes imbres, devotionem venerationemque obnuntiare , aut in tempus opportunius protollere : at cum spes omnis serenitatis

A AUCTORE D. P. serenitatis decollasse videretur, simul ac sanctus hic novus Hospes urbi appropinquat, sol illico undantes nubes dissipare, lucidius intermicare et porro perrexit reliquo diei serenissimus illucere. Præmissis igitur obviam aliquousque extra portas militibus, armatoque sub suis signis juventutis flore, quæ variis opificiis vacat; ipsa supplicatio, hora circiter octava, e primaria æde magnifico apparatu educitur. Præibant agmenque ductabant catechetici pueri puellæque, et devota matronarum sodalitia; sequebatur studiosa gymnasii juventus; tum Patres Cappucini; totum deinde primariæ ædis Collegium Canonicorum, omnes pretiosissimis auroque intertextis pluvialibus induti; tunc Corpora SS. Chrysanthi et Dariæ: post Patres nostri linteati et stolis amicti, accensos manibus cereos tenentes; multi quoque venusta cum primis diligentique forma aligeri ephebuli, atque ii adolescentes, qui sancto Donato anagrammatismos erant acclamaturi. Inter hos ibant duorum Collegiorum Societatis nostræ Rectores, feretro, apprime ad elegantiam composito, cocco, auro gemmisque fulguranti, succollantes, quo Martyrem in urbem inferrent: postremo demum incedebant terni Principum legati, Comites magnates, ibidem ardentibus in manibus cereis conspicui: agmen claudebant effusa hominum multitudo, ea frequentia et numero, ut vias omnes, qua incedendum fuit compleverint.

piis sodalitiis et Clero ac Jesuitis,

B *cum nobilitate obviam progress s.*

5 Salutatus ad aram, foris proxime urbem exstructam, variis anagrammatis sanctus Donatus, indidem prædicto feretro imponitur; omnibusque novitate et celebritatis amplitudine attonitis, viamque priore ordine relegentibus, in urbem importatur. Stipabant utrimque supplicantium latera armati milites adolescentes, et eum in finem ex tribus Satrapiis auctorati rustici; qui omnes frequenti explosione, victorioso Christi Athletæ et novo hospiti, sibi et urbi propitium adventum gratulabantur; quibus circumquaque e turribus, et ex arce, edito in loco sita, duplonibus tormentis boatu magno, interstrepente festivo campanarum sono, cives respondebant; itaque lenta piaque itione, tota via ramalibus et floribus sparsa, ad locum, novo exstruendo Collegio apparatum, perrectum; ibidemque, in ara, elegantissime erecta, sacrarum Reliquiarum theca collocata fuit.

Itaque invectum urbi Corpus,

6 Hujus reclusio, sacerque inibi thesaurus, ut majorem apud omnes fidem venerationemque invenirent, e tota circumstante turba, palam quidam C J. V. Doctor, duo Licentiati, cum aliquot primariis viris seu testibus, et publicæ fidei Tabellione (Notarium vocant) thecæ signa, studiosius firmatæ, diligentius inspecturi et examinaturi, vocati sunt. Iis igitur coram tota multitudine testantibus, inspecta a se curiosius omnia; et perspecta tanta omnium integritate, nihil se vitii reperisse; prolatæ sunt in medium et apertæ litteræ. Admodum R. P. N. V. Generalis Florentii de Montmorency, et circumfusæ multitudini prælectæ; quæ Corpus Sancti Donati Martyris, Collegio Societatis Jesu Monasterii Eiffliæ, Superiorum licentia ex Urbe missum, significabant. Tum cedrina Reliquiarum arca aperta, et hæ res potissimum inibi repertæ fuerunt. Primo, Admodum R. P. V. Generalis litteræ, ejusdem plane argumenti, cum iis quarum supra meminimus. Secundo, Eminentissimi Cardinalis Ghinetti diploma. Tertio, integrum sancti Martyris Donati Cranium, cui quinque dentes integri inhærebant, sextusque dimidius. Sex septemve ossa majora, minutiora vero plurima, cum plurimis reliquiarum cineribus. Reperta præterea fuit, integra lapidea lampas, ad modum conchæ; ampulla item vitrea, et tres magni ex ferro annuli; quoddamque aliud, ut suspicamur martyrii instrumentum, cujus ansa incurva, altera D vero pars latior, striata, colore nigro, et materia simillima alabastro. Quinto denique, adjecta fuit charta, cui ea inscripta, quæ Martyris cippo incisa fuere.

deponitur in loco futuri Collegii:

leguntur instrumenta donationis,

reserata arca monstrantur Reliquiæ,

7 His cum magna spectatorum admiratione, nec minore devotione perlustratis, iterato invicto Christi Athletæ repetitis explosionibus triumphatum et applausum fuit; applausum secuta est concio, celebritati huic accommodata, in loco quo novi Collegii fundamenta rite ponebantur. His jactis, summa cum solennitate, pompæ priore ordine redintegrato, eucharisticum carmen Divorum Ambrosii et Augustini concinendo, purpuratum Christi Pugilem, velut triumphantem in Capitolinam arcem, in primariam sacram ædem seu ecclesiam Collegiatam Canonicorum, induximus; Missaque de eo ab Admodum Reverendo domino Decano solennissime decantata, plurimi, quantum per tempus licuit, venerabundi sacrum Martyris caput exosculati sunt: finitisque Missarum solenniis, sanctus Martyr ad nostrum sacellum est deportatus. Dramate, huic celebritati peropportuno et accommodato, statis Vespertinis precibus, festivitati illi finem imposuimus; ita tamen, E ut has octo deinceps consequentes dies, coram sacris lipsanis, non sine frequenti populi concursu, perpetuaverimus.

jactoque primo in fundamento lapide

8 Octavum diem festiviorem reddiderunt Euskirchienses cives; quos quia ipso Translationis die fœda tempestas remorata fuerat, hinc sua venerationis officia in hunc diem comperendinarunt. Octavo igitur die, elegantissimis instructi vexillis, longo perpulcroque ordine supplicabundi, Monasterium pervenere. Nec denuo officio suo defuerunt Monasterienses: sed iis, extra urbis portas obviam facti et sese illis adjungentes, eos ad sanctum Donatum usque præivere. Crederes utramque civitatem Sanctum hunc certatim veneratam fuisse; quod Euskirchiensibus, vergente ad occasum die, reditum domum maturantibus, Monasterienses reliquum diei, quin totum pomeridianum tempus, precibus coram sacris lipsanis insumpserint.

deducuntur ad ecclesiam collegiatam,

qu odie octava accedunt Euskirchienses.

9 Atque in hac tam celebri supplicatione, cum nemo fuerit, quin silentio et devotione maxima visus sit rem totam comprobare: repertus est degeneris factionis, et inter lætas plaudentium frontes homo effrons, hæresis labe infectus, qui, cum liventibus et lippientibus oculis celebritatem aspectaret, cynica dicacitate obstinabat, in dedecus et diei festi F probrum, sordidos suos centones elegantiore cultu non permutare. Verum, an illum festi celebritas vertigine confuderit, incertum; certum vero, illum de ponte bene lato in præterfluentem aquam lapsum fuisse; et nisi cœno oblitus, omnibus ludibrio haberi vellet, honestiore vestitu, usque dum sordes detergerentur, se amicire compulsum fuisse. Temerene illud accidisse, an certo Numinis consilio, injuriam Martyri illatam ulciscentis, sentiat quisque quod volet; cum non urgeat necessitas a signis forte dubiis illustriorem Martyris gloriam emendicare. Insigne enim et ferme meridiana luce clarius cœlitus præstiti beneficii monumentum exhibet, quod coronidis loco Annuis subjicimus.

Publicam pietatem irridens hæreticus

de ponte in cœnum labitur.

10 Missus fuerat, pridie solennitatem nostram, quidam e nostris Patribus dictus Herde, Euskirchium, ubi æstivo tempore doctrinæ Christianæ rudimenta exposuerat, ut indidem supplicantium turbam in occursum sancti Donati educeret, deduceretque. Postero ipso festivæ translationis die, ante matutinum diluculum, cœpere nubium caligines cœlum obtenebrare, et tempestatem sane maximam parturire: quæ mox erupit; coire nubes, tonare cœlum et fulgurare, inter turbines et fulmina copiosi

Euskirchæ exorta sub Missam tempestate,

A si nimbi decidere. Pater, quod supplicationem maturaret, bene mane de sancto Donato in templo Euskirchiensi ad aram divæ Virginis celebrabat; quo tempore, coortis in adversum tempestatibus, denuo crebra audita tonitrua, ictusque fulminis ad Elevationem et Communionem vi maxima evibrati, ad horrorem omnium, sacram Hostiam luculento igne interlucente, transierunt. Deposuerat Pater paucos ante dies, nescio qua occasione, Caravacanam Cruculam, quam contra ejusmodi casus gestare solebat. Tali ergo præsidio destitutum subiit cogitatio, pro se aliisque implorandi auxilium S. Donati, illumque in Patronum deligendi: quo rite præstito, infracto animo Sacrum prosequitur. Illo absoluto, cum se verteret, solenni benedictione populum missum facturus, fulmine gravissimo a dextra pectoris, velut globo, summa vi e tormento bellico evibrato, impetitus, humi semianimis prosternitur; sanctissimis nominibus, Jesus, Maria, Joseph; et præsidio sancti Donati Martyris in suprema vota vocatis.

Invocatur S. Donatus a Sacrificante:

11 Res sane quam terrifica et funesta, tam admiranda. Templum, quantum quantum, videre erat plurimo igne coruscum. Ex superiori parte B sublimis fenestræ excussa grandia cælata saxa; lapidem solidum fortiter tactum, et sinuoso volumine telam lineam statuæ divæ Virginis substractam, ac longo ductu circa calicem, mappas ipsius altaris incensas; hinc inde varios concussione disjectos. Hoc fulmen licet adusserit ex parte, perforaritque sacras vestes, quibus Sacerdos erat indutus; penetrarit etiam togam, et interiora vestimenta; vulnerarit præterea graviter pectus cruenta plaga, ad modum balthei, præcordia late cingente: deniqua duobus a tergo, quinque ad pedes in veste relictis foraminibus, eruperit recta linea per ipsum talum ad infimam sinistri pedis plantam, relicta sanguinea stria; et in dextri cubiti internodio orbiculari nota, extreme veluti a sulphure flava, in medio quasi a pulvere pyrio nigra; vitam tamen servavit sic ictus.

qui tamen fulmine corripitur,

12 Et ut evidentius constaret, hanc ei beneficio S. Martyris servatam fuisse, advertere est; quod Pater, sive humi prostratus, sive postmodum, aliorum opitulatrice manu erectus, et sacris vestibus exutus; in genua, quibus se valere maxime notabat, compositus porro, auxiliari Divo supplicaturus (quod unum postulabat ab aliis, triste hoc spectaculum C multa cum commiserationis significatione spectantibus) medium horæ aut eo amplius, tam ingentes senserit in pectore ardores incendiaque, ut ea vix exprimi queant, et igne usque et usque se exurendum putarit. Sed cum bono Deo, resumpta et confirmata adversus gravissimam diffidentiæ tentationem in sanctum Præstitem fiducia, ejusdem crebrius opem altum ingeminans; Sancte Donate Martyr, ora pro me; et contra maledicam suggestionem palam protestatus; Non diffido; cœpit paulatim respirare ab æstu, qui una cum graveolentissimo ac ferme intolerabili fœtore e pectore et vestibus evaporabat.

et toto notatus corpore,

13 Restabat malum aliud pedum, qui ita fulmine afflicti erant, ut iis insistere non posset; quod a talis inferne ossa propemodum viderentur absumpta, aut certe ceræ instar mollita. Tenuit præter propter horam malum hoc; donec tandem, post frequenter repetitam sancti Donati implorationem, et vota eidem concepta, plantæ firmantur, ut pedes et jejunus, nec admisso quod offerebatur balsamo aut unguento, Euskirchio Monasterium, per iter ferme trium horarum, commode sub meridiem redierit.

sed resumpta fiducia in Sanctum, erigitur;

curatisque citopedibus,

redit in urbem bene sanus.

14 Eapropter, prout se dant initia, non vane auguramur, haud commissurum Sanctum hunc, qui bono omine Donati nomen, non jam recens, ut quidam suspicari possent, verum tot retro seculis sor- D titus fuit, clientes sibi devotos deinceps a se indonatos abire; sed donaturum, ut (quemadmodum precati sunt quotquot diversis in locis de eo sacrificium Deo obtulere, mirabili consensione, non inito inter se consilio, inter tot diversas de Martyre propositas precandi formulas, ab illo precati sunt) a cunctis adversitatibus liberentur in corpore, et a pravis cogitationibus mundentur in mente. Ceterum, licet Translatio acta sit die XXX Junii, visum est tamen annuæ commemorationis festum affigere primæ Dominicæ Julii, pro majori populi tunc feriati commodo, et propter opportunitatem Indulgentiæ menstruæ in talem Dominicam concurrentis.

AUCTORE D. P.

Festum decernitur ad I Dominicam Julii.

15 *Huic narrationi adjungebantur authentica exempla litterarum, primum Patris Vicarii Generalis prænominati,* XXV *Novembris* MDCXLIX *affirmantis, a se mitti* corpus S. Donati Martyris ex Cœmeterio S. Agnetis, extra portam Nomentanam, debita cum Superiorum licentia extractum: *deinde Leonardi de Leonardis, civis Romani et Notarii in Curia Vicariatus Pontificii, testantis, quod eodem anno, die autem* XX.... *coram se comparuit præfatus* R. Vicarius, asserens et affirmans, fuisse in rerum natura Fr. Balthassarem Ballorum ejusdem Societatis Jesu, nuper in Urbe defunctum; inter cujus bona inventa sint E nonnulla Sanctorum Martyrum corpora et Reliquiarum partes, et signanter corpus S. Donati Martyris, eidem Balthassari donatam ab Eminentiss. et Reverendiss. D. Martio Card. Ginetti, S. D. N. Papæ Vicario Generali, ex quo idem Balthassar multos labores passus fuit per spatium multorum annorum, in inveniendo et extrahendo ex cœmeteriis et catecumbis de Urbe, sanctorum Martyrum sacra corpora; affirmans quoque ipse P. Vicarius, sibi, tamquam Superiori, spectare dictorum Sanctorum corporum dispositionem.

Extractum fuerat Corpus et cœmet. S. Agnetis,

et donatum Fr. Balloro

16 Et ideo, volens ad infrascriptam donationem devenire, imprimis et ante omnia asseruit d. sacrum Corpus S. Donati Martyris esse de eisdem et sic ut supra repertis et respective donatis. Illud igitur simul cum vase vitreo semifracto, sanguine d. beati Martyris asperso, ad majorem omnipotentis Dei et sancti Martyris gloriam et honorem, fideliumque devotionis augmentum donavit, concessit, largitus fuit venerabili Collegio Societatis Jesu Monasterii Eifflíæ Coloniensis diœcesis, et pro eo Fratri Jacobo Hannoto, suæ Paternitatis socio; ut idem Fr. Jacobus possit et valeat præfatum sacrum Corpus F extra Urbem et dicto venerabili Collegio transmittere, et in ejusdem Collegii ecclesia publice exponi et collocari facere, ut a piis fidelibus venerari possit. Quod quidem sacrum Corpus, repositum et collocatum in quadam capsula lignea, funiculo alligata, et duobus in locis cum sigillo Eminentiss. Card. Ginetti Vicarii sigillata, idem Fr. Jacobus, omni qua potuit devotione et reverentia, recepit, et gratias immortales retulit. Super quibus etc.

cum ampulla Sanguinis,

et legatum ab eo, collegio Eiffliensi,

acceptante illud Fr. Jacobo Hannot.

17 *Porro ad augendam venerationem novi sui Patroni, et quaquaversum diffundendam, curarunt sculpto ære exprimendam imaginem ejus cum hac epigraphe:* Sancte Donate Martyr, ora pro nobis, ut liberemur a fulgure, fulmine, et tempestate; *in cujus imaginis recessu conspicitur ecclesia cum campanili, quod fulmine pervaditur; ad significandum prænotatum casum istius Patris, qui primus in tali periculo Sanctum invocavit, aliisque ad idem faciendum præivit exemplo. Vidi litteras, Arimino ex Italia missas, anno* MDCLXXXIII, *quibus ectypa poscebantur, contactu sacri Capitis sanctificata, ad regionem suburbanam segetesque ab istis malis præservandas, iis expositis et usu devotissimæ orationis, quæ a tergo prædictæ imaginis expressa Teutonice, istic jam habebatur Latine reddita, inde in Italicum idioma vertenda.*

Sculpitur imago Sancti,

et late spargitur.

DE S. ÆMILIANA ROMANA

PRESBYTERALIS ECCLESIÆ TITULARI

D. P.

Notitia ex Synodo Romana anni CCCCXCIX.

Concilio anni 499, Romæ celebrato,

Post Consulatum Pauli, viri clarissimi *(id est anno Christi* CCCCXCIX*)* Kalendis Martii, in basilica B. Petri Apostoli, præsidente beatissimo Symmacho Papa, *celebrata est Synodus* LXVII *Episcoporum, ibidem subscriptorum,* de tollendo ambitu in comitiis Pontificiis *: cui etiam subscripserunt pari numero Presbyteri totidem Titulatarum Ecclesiarum, cum septem urbanarum Regionum Diaconis ; qui simul septuaginta quatuor, ostendunt eum fore qui nunc habetur, Cardinalium numerum, ultra numerum Discipulorum Christi binario uno extensum ; eoque ostendunt, eumdem numerum non esse recentioris ambitionis inventum sed veteris religionis* B *institutum, eumdem numerum quandoque etiam excedentis, utcumque medio ævo ille fuerit sæpe multo restrictior.*

subscribitur Eutyches, Presb. tit. S. Æmilianæ

2 *Inter Presbyteros, quorum sicut et Episcoporum nomina, ordine non ætatis (quod mireris) sed Alphabeti digesta inveniuntur, unus est* Euthyches tituli sanctæ Æmilianæ. *Qui titulus, sicut nobis indubitabile facit, hujus nominis* Sanctam *Romæ vixisse et claruisse, uti olim SS. Praxedis et Pudentiana, quarum ecclesiæ hodiedum supersunt ; sic dolorem justum nobis ingerit, quod vitæ virtutumque ejus omnis notitia sic interierit, ut nec ecclesia quidem ubi fuerit a nemine nunc sciatur.*

exinde Romano Mrtio additæ; occasione S. Lucinæ.

3 *Volentes igitur reformatores Romani Breviarii sub Gregorio XIII, Sanctæ de Romana Ecclesia bene meritæ resuscitare memoriam ; in secunda illius editione (in prima enim necdum fuerat de illa cogitatum) crediderunt, non aliam et melius conventuram diem, quam qua recolebatur* S. Lucina, *de qua supra egimus, suggerente verosimiliter Baronio. Prudenter id sane, non minus quam pie, nisi addidissent titulum* Martyris, *qui quo fundamento præsumi debeat ei competere, dum non apparuit, malui illum tantisper ego omittere, et* E *novæ Martyrologii ejusdem correctioni discutiendum relinquere. Idem factum vellem de* S. Crescentiana, *quam simili ex causa colendam accepimus* V *Maji, cum titulo pariter* Martyris, *necdum probato. Ut tamen in hac, sic et in* S. Æmiliana, *secuti Baronium sunt Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, et Brautius Sarsinæ Episcopus in Poetico Martyrologio, hujusmodi Distichon eidem aptans.*

Non potuit flecti, promissam prodere Christo,
Suppliciis ullis, Æmiliana fidem.

DE S. OSTIANO PRESBYTERO

IN VIVARIENSI GALLIÆ TERRITORIO.

G. H.

Cultus sacer,

Vivariensis *tractus, provincia est Galliæ in Occitania, ad Rhodanum fluvium, Viennensi et Avenionensi territorio medius, ubi olim* Helvii, *Galliæ Narbonensis populi, sederunt. Hujus tractus caput est, in colle situm,* Vivarium, *urbs Episcopalis sub Archiepiscopo Viennensi, credi-* C *turque crevisse ex ruinis* Albæ Augustæ Helviorum, *e regione Delphinatus. Usuardus, in suo Martyrologio ad hunc* XXX *Junii,* In territorio, *ait,* Vivariensi S. Ostiani Presbyteri *et* Confessoris. *Quæ eadem leguntur apud Bellinum atque Grevenum, et ex eis in Martyrologio Romano. In MS. Leodiensi S. Lamberti additur :* Cujus Gesta habentur *: quæ verba, inde accepta, adjunxerat Molanus in Additionibus suis ad Usuardum primæ editionis : sed quia nusquam potuit Gesta ista invenire, omisit eorum mentionem facere in editionibus posterioribus. Nos etiam hactenus nulla reperimus : dubitamus autem, an aliqua habuerit Saussayus, quando hoc de illo formavit elogium :* In agro Vivariensi, sub Viennensi prima, Natalis S. Ostiani, Episcopi et Confessoris ; qui huic oppido præcepta fidei, primus post S. Andeolum, S. Benigni asseclam, beatique Polycarpi discipulum, et Christi juratum testem, fideliter tradidit : omnibusque illic ad Domini gloriam et populi salutem, pie ac præclare constitutis, pacifico demum fine obdormivit in Domino.

An Episcopus, et post S. Andeolum prædicaverit?

2 *Hæc Saussayus, solitus pauca scriptorum priorum verba in longam paraphrasim extendere ; secutus autem hic est, quantum judicare possumus, Petrum de Natalibus, qui lib.* II *cap.* 130 *num.* 183 *ista scribit :* Ostianus Episcopus et Confessor, in territorio Vivariensi, eodem die (XXX *Junii*) in Domino dormivit. *Auctor MS. Florarii, ejus exemplo, etiam* Episcopum *appellavit. At* Presbyter *ab aliis dicitur. Unde autem habuerit Saussayus, eum post S. Andeolum ibidem præcepta fidei tradidisse, optaremus scire. Vitam* S. Andeoli *illustravimus ad Kalendas Maji, diximusque martyrii palmam obtinuisse anno* CCVII *: proinde* S. Ostianus *referendus esset ad seculum Christi tertium : nec tunc posset Ordini Benedictino adscribi, uti fecerunt Wion, Dorganius, Menardus, Bucelinus ; nulla addita cur ita facerent, ratione. Ghinius, ludens in nomine, eumdem in Natalibus Sanctorum Canonicorum hoc elogio ornat :* In territorio Vivariensi S. Ostiani Presbyteri et Confessoris, qui devote hostias offerens Deo, cœli ostium invenit apertum. F

an Ordinis Benedictini?

Corpus olim in ecclesia S. Martini.

3 *Joannes Columbus noster, inter varia opuscula historica edidit res gestas Episcoporum Vivariensium, et libro* I *num.* 17 *cum indicasset* ecclesias, quæ fuerunt intra urbem ; extra illam, *inquit,* steterunt omnino ad sex. Prima, S. Auli, Episcopi Vivariensis ; secunda, S. Martini ; tertia, S. Victoris ; quarta, S. Albani ; quinta, S. Victoreti ; sexta S. Juliani. Secunda illa servabat olim Corpus S. Ostiani Presbyteri ; tertia, quinta et sexta sunt dirutæ ; quarta vero semiruta, etiamnum per ignobilia cæmenta pendet, triste argumentum vesani furoris Calvinistarum. *An per hunc furorem corpus* S. Ostiani *perierit, an alio ablatum, non additur.*

4 *Brautius Sarsinæ Episcopus, in suo Poetico Martyrologio, ex* Ostiano Presbytero Vivariensi *fecit* Ostiarium Presbyterum in Hollandia, *nescio unde huc abreptus, et hoc Distichon ei panxit,*

Presbyter

A Presbyter accepit meritos defunctus honores,
Mortalem vitam, quos fugiebat, agens.

etiam nunc ibi latere putatur.

Plura discere cupiens, rogavi veterem Avenione amicum nostrum Patrem Carolum Faber, ut Vivarium scriberet; cui inde a Magistro Chori Domino Megge, ex Archivis ecclesiæ missa sunt hæc formalia verba: Pridie Kal. Julii, in territorio Vivariensi, in ecclesia S. Martini vallis Couspiensis *(vulgo* Couspie *dictæ)* ad unum milliare civitatis, versus Septemtrionem, in radice Montis-Turris S. Martini, jacet, usque in diem præsentem, corpus Hostiani Presbyteri, cum multis aliis.

4 *Ad hæc prælaudatus modo Chori Magister:* Utinam, *inquit,* placeret Deo nobis revelare ipsum præcise locum, ubi reconditum manet; quo possimus sacrum illud pignus prosequi honore condigno, æque ac alios Sanctos, inibi quiescentes! *Et prosequitur:* Ecclesia illa S. Martini, ruralis est, ad eamque processionaliter itur a Vivariensibus tempore siccitatis, pro impetranda pluvia. Major pleniorque notitia si suppeteret, libenter omnem communicarem. D AUCTORE G. H.

DE S. PETRO CONFESSORE

ASTÆ IN LOMBARDIA

Notitia cultus a Philippo Malabayla communicata. D. P.

B *Cum noster Philippus Alegambe, edita Scriptorum Societatis Jesu Bibliotheca notissimus, eamdem a se Romæ collectam anno* MDCXLIII *commendasset amico suo Joanni Bollando, typis Antuerpiensibus excudendam; vicissim eidem omnem operam contulit, ad conquirenda undecumque posset Sanctorum Acta. Sic affecto facile fuit amicitiam contrahere cum Domino Philippo Malabayla, Congregationis S. Bernardi (quam Fulliantium vocant) Visitatore generali per Italiam, jam pridem in simile studium intento: cui volupe fuit invenisse cui committeret lucubrationes de eo argumento suas, nostro operi dignius inserendas, quam si seorsim prælo mandarentur. Harum aliquas subinde dedimus, nunc addimus unam, collectam ex monumentis ecclesiæ Cathedralis Astensis, nec non ecclesiæ sub ipsiusmet* S. Petri *nomine ædificatæ, et Equitum Melitentium eamdem ecclesiam cum Sancti corpore possidentium. Apud hos tamen eorumque scriptores, Bosium et alios, non miraberis nihil fere de illo sciri; si intelligas, illum longe prius obiisse, quam in possessionem istam venisset Ordo, rebus agendis potius quam scribendis intentus; unde nec divinare possumus seculum quo vixit Petrus iste, nedum annum quo obiit; solumque succurrit opinari, seculo* XI *esse vetustiorem. Sic autem de eo Malabayla.*

Ecclesia sub nomine Sancti structa,

Equitibus Melitensibus

C 2 Si ea, quam in suis Sanctis, communi impensa colendis, adhibuerunt solertiam antiqui Astenses, ab aliquo ex eis in eorumdem Actis conscribendis fuisset adhibita, omni quidem ex parte istorum memoriæ ac venerationi consuluissent: nec volenti cujusque eorum Acta, ad ipsorum ac Dei gloriam, et ad aliorum exemplum proponere, opus foret, ex variis monumentis aliqua dumtaxat, ex multis quæ æterna memoria digna sunt, operose colligere. Quod in conscribendis aliorum Sanctorum Vitis magna ex parte egimus; et inpræsentiarum acturis de hoc S. Petro, incumbit faciendum. Cujus venerationi quanta pietate et liberalitate majores prospexerint, ecclesia, sub ejus nomine constructa ac dicata, aperte demonstrat: demonstrat præterea studium, quo hujus ecclesiæ servitio providerunt. Si quidem primo in ea Præposituram cum necessario famulatu, deinde Hospitalariorum S. Joannis recens erectum, militarem Ordinem ita instituerunt, ut in congruenti numero possent illi in divinis deservire. Unde etiam nonnullis post annis ecclesiam Militum S. Sepulcri, qui cum eisdem Hospitalariis in unum Ordinem coiverant, ipsimet ecclesiæ S. Petri uniri consenserunt anno MCLXIX, Indict. II, mense Junio; ea tamen lege, ut quotannis in die Assumptionis B. Virginis, quo sub titulo Astensis cathedralis est consecrata, unum Bizantium (erat hæc Græcorum Imperatorum aurea moneta) cum una candela, eidem Cathedrali offerrent; et publicis supplicationibus, quandocumque in iis incederent istius Canonici, interesse tenerentur. Demonstrant denique prædia, quibus eam ecclesiam ditarunt, ita opulenta amplaque, ut caput Magni Prioratus Lombardiæ habeatur. E

et sancti Sepulcri,

a Capitulo Astensi concessa,

sub annuo censu.

3 Et nihilominus adeo non fuerunt ipsius Sancti Acta posterorum memoriæ commendata; vel si fuerunt, adeo non custodita; ut quæ sequuntur, solummodo tuto referre possimus. Horum primum erit, fuisse eum ex familia de Cucarviis, prout in antiquissimo Breviario Cathedralis legitur; seu, ut habent notæ publicæ, et vulgo profertur, de Conzaviis. Eædem porro notæ perspectum faciunt, hanc familiam unam fuisse ex præcipuis oppidi Castagnoliarum, quarto ab urbe milliario distantis; tunc quidem Astensi, nunc autem Montis-Ferratensis dictionis. Astæne vero fuerit hic Sanctus editus, an Castagnoliis, incertum. Fuisse eum hominem ruralem, indicat forma, qua eum pictum cernimus; cum veste nimirum succincta, parum infra genua demissa, et ligone præ manibus. Quamquam appictum ligonem aliqui autumant in memoriam miraculi, quod unum accepimus de eo memoriæ proditum, et ipsa re adhuc exstante confirmatum.

Traditio habet fuisse Petrum ex familia nobili,

pingitur tamen ut fossor cum ligone

F 4 Inter mortales dum ageret hic sanctus Petrus, cœptum fuerat ædificari in suburbio sanctæ Mariæ Novæ ab Astensibus cœnobium Sanctimonialum, Benedictini instituti, cum ecclesia S. Seraphiæ Virginis et Martyris. Et jam a fundamentis assurgebant parietes; cum hujus operis Præfectis nuntiatur, diversis in locis intra septa, in usum putei, alte effossam egestamque humum, in nullo tamen scaturiginem reperiri, aut humoris indicium apparere. Hæc res in non paucas illos redegit angustias: non enim consistere poterat cœnobium, eo elemento destitutum; quod nisi superfluat, numquam sufficere videtur. In alium locum illud transferre erat omnino incommodum, quod præter jacturam jam factarum impensarum, non facile posset alius locus, æque opportunus, aut reperiri, aut comparari. Cum igitur quid consilii caperent explicare nequirent, non defuit qui proponeret, ad jam expertam vim orationum hujus servi Dei esse confugiendum. Quod cum illustranter fecissent, ipse ad locum accessit, Deumque precatus, ne famulabus suis rem humanæ vitæ adeo necessariam denegare vellet; ligonem apprehendit, et scrobem fodit: in qua cum statim apparuisset aqua, ad operarios conversus; Hic puteum cavate, inquit

quo creditur ad cœptum extrui monasterium elicuisse aquam,

diu frustra quæsitam.

A. PHIL. MALABAYLA.

A inquit; nec timete, ne Dominus aquam deficere unquam sinat. Quod cum illi exequi cœpissent, haud alte foderunt, cum vena abunde scaturiente, exiguæ profunditatis puteum formarunt. Qui puteus proinde S. Petri etiamnum appellatur : ipsaque aqua et sanis præ ceteris saluberrima; et infirmis, devotionis ergo undequaque venientibus, vel mittentibus, aperte proficua est.

Fertur etiam fundasse Hospitale Conzaviæ,

5 Traditur præterea ab eodem Sanctæ exædificatum Hospitale; in Notis publicis, Hospitale sancti Petri Conzaviæ appellatum : ad quod pertinent nonnulla prædia, in agro Castagnoliarum existentia; et ut vulgo creditur, ab eodem Sancto attributa eidem Hospitali : quod cum suis omnibus juribus et bonis deinde ipsius ecclesiæ unitum fuit: quæ ecclesia, antea Dianæ delubrum, beatissimæ Virgini, Dianæ merito comparatæ (quod gratia, qua plena fuit, in nocte peccatorum seu tribulationum, diem se præbeat) a priscis Astensibus olim fuerat dedicata. Verum cum in ea hujus S. Petri corpus fuisset humatum, sacrisque ministris illius obsequio destinatis, longe angustior visa esset ejus capacitas, parumque apta forma (rotunda scilicet, cum tholo item rotundo et columnato) divinis ministeriis pera-

ibique sepultus fuisse,

B

gendis officiisve celebrandis, nova continuo excitatur ecclesia : in quam ex priori inter duas columnas accessus patet : hacque ratione ex duabus una constitit ecclesia, S. Petri Conzaviæ dicta, tituloque magni Prioratus Lombardiæ, uti diximus, insignis. D

6 Contigisse autem ipsius mortem ipso die natali Principum Apostolorum pro certo habetur : ideoque in tabula, altari majori imposita, in medio hujus sancti Petri effigies consistens, a dextris sanctum Petrum, a sinistris sanctum Paulum depictum habet : ut eam ecclesiam visitantes, ad sanctorum Apostolorum, quibus ea dies præcipue sacrata est, venerationem præsidiumque invocandum, simul etiam instituerentur. Qua etiam ratione provisum fuit; ne sancti Petri nomen opinionem afferret, esse hoc templum S. Petro Apostolo dedicatum : cui longe in ipsa urbe propria templum, S. Petri de Strata appellatum, extabat constructum. Corpus denique hujus S. Petri Confessoris, in ara maxima ejusdem suæ ecclesiæ conditum creditur. Caput et brachium, thecis æreis deauratis inclusa, seorsum asservantur, piis osculis ea venerantibus exhibenda.

ubi est pictus inter Apostolos Petrum ac Paulum,

et Reliquiæ decenter inclusæ servantur.

E

DE S. ERENDRUDE VIRG.

ABBATISSA SALISBURGI IN BAVARIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

D. P.

Vitæ Synopsis ex Vita S. Ruperti. Monasterii situs et restauratio. Miracula a Cæsario Nunbergensi scripta.

CIRCA A. DCXXX.

De instante sibi morte monitus S. Rupertus

Sanctus *Rupertus, Bojorum Apostolus, idemque ex Wormatiensi in Palatinatu Rheni, Salisburgensis in Bavaria Episcopus, constituta ibidem circa annum* DCXVI *Cathedra, beatum laborum suorum Evangelicorum præmium* in die resurrectionis Dominicæ VI Kal. Aprilis, *anno istius seculi* XXIII *vel* XXVIII *recepit, sicut ante ejus Vitam demonstravi,* XXVII *Martii. Hic* cum obitum suum sibi *(ut num. 7 Vitæ 2 legitur)* divinitus revelatum longe ante præsciret, conveniens B. Erendrudam, dixit; Soror
C mihi carissima, sermo mihi secretus est ad te : oro te ne me vivente prodas alicui, quod tibi secreto revelare disposui. En Deo dignante revelatus est mihi transitus meus ex hoc mundo; et nunc peto, Domina Soror, ut ores pro anima mea, quatenus eam Deus in requiem suam collocare dignetur. Cui beata Virgo cum lacrymis respondit : Si ita est, Domine, ut loqueris, expedit mihi magis, ut ante te moriar. Cui Episcopus : Noli, Soror carissima, festinanter ac importune exitum vel transitum tuum optare, quia peccatum grande est : non enim in nostra, sed in divina dispositione finis noster constitutus est. Tunc beatissima Virgo, cum lacrymis pedibus Pontificis prostrata, oravit ad eum, dicens; Domine Pater, memento quæso, quod de patria mea huc me perduxisti, et nunc miseram et orphanam relinquere cupis. Unum et solum hoc a te peto, ut si non merear ante et vel tecum abscessum, saltem post tuum, citius in Domini confessione, te interveniente, optatum merear habere transitum. Annuit his precibus beatissimus Præsul Rupertus; et cum diutissime de vitæ æternæ dulcedine colloquia miscuissent, mutuis se lacrymis infundentes, ultimum vale lugubriter dederunt.

sorori suæ S. Erendrudi promittit, ipsam quoque cito secuturam.

2 *Votum Virginis adimplendum cum ita distincte promiserit Sanctus, satis jam videtur, illius mortem non esse ultra annum* XXX *seculi præfati differendam, fortassis etiam aliquantis annis citius contigisse. Quomodo autem Wormatia Salisburgum accersita, venerit* Erendrudis, *in eadem Vita num. 5 sic præmittitur:* Videns autem vir Dei per abrupta vitiorum, gregem Domini abire ex concupiscentia feminarum, oravit Dominum in corde dicens : Domine, si bonum est in oculis tuis, eligam mihi aliquas personas, tuo cultui et servitio aptas, per quas alliciantur, non solum feminæ, sed et viri ad bonæ vitæ exercitationem. Habebat autem in patria sua, videlicet Wangionum, in civitate Wormatia, quamdam cognatam nobilem virginem, a primis cunabulis Deo consecratam, nomine Erendrudam : quam ad se cum aliis ejusdem ordinis et religionis feminis accersire cupiens, locum et mansionem, Sanctimonialibus convenientem, in Vivariensi castro construxit, et eam beatæ Virgini deputavit. Quæ, omnibus perfectis, vocata ab ipso, venit; et super aspectu B. Ruperti multum gavisa est, quod eum videre mereretur ante diem suæ mortis.

Eam ille Wormatia evocarat,

F

3 Igitur beatus Pontifex ipsam in oratorium introduxit, quod B. Mariæ jam pridem consecraverat; et post hæc dixit ad eam : Domina Soror, scis quare accersivi te? At illa respondit : Scio, Pater, scio : nam et Dominus Jesus Christus revelavit mihi in spiritu, dicens : Vade in pace quo vocata es. Ecce ego ero tecum, et adducam mihi per te multas animas feminarum, quas cum tuo exemplo ad veræ religionis tramitem perduxeris, pervenies ad me. Audiens hæc beatissimus Pontifex, Deo gratulabundus laudes retulit. Post non multum temporis spatium, innumerabiles virgines atque matronæ nobiles ad virginem Erendrudam convenerunt : quibus ipsa præfuit tam discrete, ut in brevi tempore omnes ita instructas exhiberet, ut aptas religioni placitasque Deo

ad Virgines, in Bavaria constitutas,

A Deo redderet. Erat namque ipsa virgo Erendruda talis in moribus, ut sibi lucrum deputaret, quidquid solatii quæcumque ejus discipula ex divini respectus munere perciperet: talis erat in voto, ut omnium salutem, suam deputaret: talis erat in vultu, ut quidquid boni vel mali cuique homini accideret, sibi accidisse putaret. Quid memorandum de continentia et abstinentia vitæ ejus, de eleemosynarum largitione, de morum probitate, de vigiliarum assiduitate, deque omnigena sacræ religionis sanctitate? quæ omnia, quia exprimi non valent, omittenda sunt magis quam prosequenda.

4 *Hactenus illa S. Ruperti Vita; cui prædicta omnia, et mox de morte Virginis dicenda, intexta sunt: eademque inde in unum collecta, Canonici Regulares monasterii Bodecensis in Westphalia, insigni suo, nobisque sæpius laudato, Legendario mensis Junii inscripserunt sub hoc titulo;* Incipit Vita beatissimæ virginis Erendrudis, quæ in Salisburgensi ecclesia corporaliter requiescit, quæ celebratur pridie Kalendas Julii. *Habentur hic quoque, quæ de beato Virginis fine leguntur in Actis S. Ruperti; quod post illius transitum, B. Erendruda* nocte ac die in oratione persistens, preces Domino cum lacrymis pro anima B defuncti cognati sui, B. Ruperti, devote obtulit, excubias vigiliarum celebrans et promissæ consolationis munus expectans: *quodque* quadam nocte B. Rupertus ei in visu apparuit, eique dixit: Veni, Soror carissima, in regnum Christi, pro quo jam longo tempore laborasti. Evigilans illa Deo gratias retulit, et statim ægrotare cœpit. Convocatis itaque Sororibus, post verba exhortationis, post accepta sacrosancta Ecclesiæ Sacramenta, postque dulcia caritatis oscula, spiritum reddidit. Post hæc sacrum corpus ejus in Vivariensi civitate, conditum aromatibus, in monasterio B. Mariæ cum summa veneratione pridie Kalendas Julii sepulturæ traditum est. *Et sic finitur ipsa S. Ruperti Vita, a Bodecensibus fere verbotenus, sub nomine* Erendrudis, *descripta. Notandum vero est, hic* Vivariensem civitatem, *et supra* Vivariense castrum *appellari, ut MS. Bodecense docet,* propter vivorum fontium eruptionem, *nomine per ipsum S. Rupertum ut volunt indito: alii* Juvaviense *nomen, ex simili causa scribere maluerunt.*

ubi pie moritur, a Sancto per visum invitata,

sicut in hujus Vita legitur;

5 *De ipsorum Sanctorum patria Franconia, non Hibernia, satis in Martio egimus: ipsamque confirmat Vitæ recentioris Auctor, ex lib. 6 antiquæ Lectionis* C *Henrici Canisii a Surio et Mabillone recusæ; quam neque hic recudere opus est, cum ultra istic legenda non contineat nisi communes quasdam amplificationes, nihil ad historiam facientes; nisi forte ex certiori scientia, et non ex propria conjectura scripsit Auctor, quod* exemplo Christi solita est pedes pauperum humili devotione lavare, et benedictionem victus omnibus administrare; *sicut eleganti scalpro Raphaelis Sadelerii expressum cernitur in Bavaria pia Matthæi Raderi: qui cum in Notis Baronii ad nomen S. Ruperti legisset,* Virginis diem natalem agi pridie Kalendas Julii, *non inspecto Martyrologio ipso, scripsit eam tunc coli* ab ecclesia Romana, *quod hactenus non fit. In illa etiam quam omittimus Vita, proprium Auctoris inventum videtur esse; quod, sicut S. Rupertus, refractarium Clerum ac populum passus, discessit Wormatia; sic etiam* S. Erendrudis, jurgia, discordias, simultates declinans, *cum ipso discesserit; postquam inter eas Sanctimoniales, quas* regebat cum omni suavitate et sapientia; bonorum omnium inimicus, graviter ferens sanctarum mentium unanimitatem, superseminavit zizaniam, et prævaluit iniquitas et labor in medio earum. *Finitur Vita ista his verbis:* Sepulta est autem in crypta ejusdem monasterii cum decenti honore, ibique colitur maxime a Virginibus in virginali decore. Miraculorum autem signa, quæ per ejus merita Dominus dignatus est facere diversis tempo- D ribus in multis hominibus, præ multitudine non possumus scriptis commendare; sed neque visa neque audita præsentes valent enumerare, sed in omnibus beneficiis suis dator omnium bonorum, laudetur et glorificetur Deus, in secula seculorum. Amen.

unde accepta recentior alia,

licentius interpolata.

AUCTORE D. P.

6 *Wiguleius Hundius, in sua Metropoli, tom. 2 pag.* 594, monasterium *Erendrudis, ait,* situm extra muros Salisburgenses, in vicino colle, et Nonnarum-montis vocabulo cognominatum; *quod antiquitus* Cella dictum, bellicis tumultibus, incendio ac rapinis vastatum, reædificatum et quasi de novo fundatum ab Henrico II Imperatore; absolutumque est anno MXLI, quo ara maxima cum duabus, in crypta sitis, per D. Balduinum Archiepiscopum Salisburgensem consecrata est. *Hæc Hundius e Bruschio; et notat, annum* MXLI *Dedicationis,* non concordare cum Chronica Archiepiscoporum Salisburgensium *(quia nempe Balduinus tunc nondum erat Archiepiscopus) non tamen corrigit errorem. At ejus veluti Commentator, Christophorus Gewoldus, in suis ad Hundium Additionibus scribit,* S. Henricum Imperatorem, *anno* MXXIV *vita functum,* monasterium desolatum restaurasse, illudque per Hartwicum Archiepiscopum in sua præsentia dedicari fecisse. *Et hoc est verosimilius. Qui enim restauratio, a S. Henrico, ex omnium opinione saltem* E *fieri cœpta, tenuisset usque ad annum* MXLI, *aut ad Episcopatum Balduini? Addit quoque ibidem Gewoldus:* Quod etiam tempore *dedicationis jam dictæ,* S. Erenthrudis e primo sepulcro, in quo hactenus requieverat, magna cum reverentia et honore sublevata, in cryptam templi, ubi hodie tumulata cernitur, translata fuit.

Monasterium ejus Salisburgi

restauratum a S. Henrico.

7 *Idem Gewoldus, e libro MS. de prima monasterii ejusdem constructione, ita scribit:* Beatus Pontifex Rupertus cœpit una cum consilio et voluntate Domini Theodoberti Ducis, in superiori castro oppidi Juvaviensis construere ecclesiam ac monasterium sacris Virginibus, ad habitandum in servitio Dei et sanctæ Mariæ matris Domini: *ac porro describuntur ibi singula, quæ idem Dux* tradidit ibidem in alimoniam ancillis Dei, et in mercedem genitoris sui *Theodonis, quem idem Rupertus ad fidem Christi conversum baptizaverat; quæ illic legi possunt; uti et nominatim Abbatissæ, quæ quidem post Erendrudem, usque ad restaurationem Monasterii, nullæ innotuere: deinceps secutæ, ad annum usque* MCC, *non omnes recensentur; reliquæ melius ordinantur.*

8 *Miracula post mortem, imo post restaurationem* F *primum scribere cœpit sub initium seculi* XIV, *Cæsarius quidam* Capellanus in Nonberga... *prout* ex relatione antiquorum didicit *(hæc autem nulli temporis notæ adstringuntur; usque ad num.* 15) *et* certa comperit experientia, spatio viginti octo annorum, quibus in Officio divino in dicto monasterio desudavit; *unde horum cuique suus annus adscribitur: sed quia omnia reperit Canisius suo in Codice sub hoc titulo,* Sequuntur miracula, *absque eo titulo, quem Auctor ipse scripsit, fit ut desit, unde intelligatur nomen Archiepiscopi vel Abbatis, cujus* jussu *Cæsarius* infra scripta studuit comportare. *Nam ab initio quidem idem et Archiepiscopus et Abbas fuit monasterii S. Petri, a S. Ruperto conditi;* Fridericus *autem in ordine* XXIII, magna provisione et additione monasterio facta in Decimis aliisque proventibus, *Pontificatus sui anno* XXXII, *Christi* DCCCCLXXXIV, Abbatem constituit *ejusdem Monasterii Monachum Titonem; a quo vigesimus tertius Rudpertus, circa annum* MCCXCVII *consecratus, usque ad* MCCCXIV *præfuit: Archiepiscopus autem ab anno* MCCLXXXIX *erat Conradus, ad* MCCCXII; *quorum tempore omnia scripta arbitramur.*

9 *Inter recentiora miracula notabilius nobis est, quod anno* MCCCV *factum narratur num.* 16: *quia probat* diem

AUCTORE D. P. *cum notitia dedicatæ anno 1305 cryptæ.*

A diem depositionis S. Erendrudis, quæ etiam est dedicatio cryptæ in Nunberga, *non solum Officio annuo a Sanctimonialibus, sed etiam cessatione servilium operum celebratam fuisse a civibus. Nihil itaque hic moror veterum Martyrologiorum et Kalendariorum in Bavaria scriptorum defectum, ubi nomen* Erendrudis *non inveniri causatur Arnoldus Wion, uti nec invenisse in iis locum cultus videntur Carthusiani Colonienses, pro suis ad Usuardum Additionibus (alioquin enim non omisissent illum nominare) notantes tantummodo memoriam et nomen* Erendrudis, Virginis Abbatissæ, cognatæ S. Ruperti Vangionum Episcopi. *Auctor MS. Florarii;* Civitate Vivariensi depositio Erendrudis Virginis. *Clarius Philippus Ferrarius;* Salisburgi S. Erendrudis Virginis et Abbatissæ : *quos sequuntur Benedictini, Wion, Menardus, Bucelinus, et in Germanico Petrus Canisius longo cum elogio;* Sanctum ejus corpus requiescit Salzburgi in Monte-Nonnarum, ubi ejusdem gloriosa memoria celebratur. *Wion etiam* III Nonas Septembris *habet* Translationem S. Erendrudis Abbatissæ; *idque (ut ait in Notis)* ex quodam indice Ecclesiæ Salzburgensis, pro Horis canonicis rite persolvendis excuso anno 1585 : *unde intellexi, quod ea ibidem* celebratur cum novem Lectio-

Translatio 3 Sept.

B nibus : *quod nescio an intelligi debeat de ea Translatione, cujus fit mentio in miraculis num.* 5, *an vero de alia recentiori nobisque ignota.*

MIRACULA

a Cæsario Capellano Monasterii scripta,

Ex editione Henrici Canisii.

Præfatio Scriptoris.

Cum in his quæ ad cultum divinum, gloriam et laudem Sanctorum pertinere dignoscuntur, non maligna, sed potius benigna et devota interpretatio ac diligentia sit adhibenda; unde, Pater et Domine reverende, ego Cæsarius, Capellanus vester in Nunberga, vestris piis ac sanctissimis medullitus congaudens desideriis, non ausu temerario, sed pietatis vestræ jussu armatus benigno; miracula sanctæ Erendrudis Virginis gloriosæ, quantum parvitas ingenii mei sufficit, scribere nisus sum; prout ex relatione antiquorum didici, non solum Sanctimonialium, sed etiam extranerorum fide, dignorum; sicut etiam jam viginti octo annorum, quibus in officio divino in dicto monasterio desudavi, certa

C comperi experientia; infrascripta studui comportare.

Henricus Imp. ab epilepsia curatus, a

2 Primo et principaliter de curatione S. Henrici Imperatoris, cognomento Pii; qui, ut dicitur, permittente sive disponente Deo, morbum incidit phrenesis sive epilepsiæ *a*, et multa medicorum solicitudine curari non poterat; multorum etiam Sanctorum liminibus visitatis, tandem ad tumbam S. Erendrudis pervenit; et optatæ sanitatis sortitus effectum, Reliquias ejusdem gloriosæ Virginis impertiri sibi petivit, et easdem annulo aureo recludi fecit; collo suo jugiter portavit, et interim motum sive rabiem dictæ infirmitatis numquam sensit, et ad tumbam prædictam duo calcaria aurea obtulit; pro quibus curia quædam in Austria, dicta Vladniz, comparata, adhuc ipsi Monasterio deservit.

3 Accidit quoque, non longo tempore interposito, ut Monasterium Nunbergense, cum claustro adhærente, quod B. Rudbertus una cum Duce Theodoberto fundavit (quod tunc situm fuit in loco, ubi nunc est cella Sacerdotum, ut patet in ruina murorum et fundamentis ipsorum) per ignem penitus destrueretur; et eodem tempore præfatus Imperator balneum quoddam intravit, et Reliquiis perditis in infirmitatem sæpe dictam recidivavit; prædictique monasterii exustionem in spiritu cognovit, et quod D beata Maria sanctaque Erendrudis per eum ruinam monasterii supradicti vellent reparari, et ad meliorem statum et situm reduci. Unde factum est, ut pius Imperator, urgente eum infirmitate, ad tumbam S. Erendrudis devote remearet; vidensque locum desolatum et igne deformatum, vovit Deo omnipotenti, beatæ et gloriosæ virgini Mariæ, sanctæque Erendrudi, ut si ab ante memorata relevaretur ægritudine, monasterium a fundamento vellet reædificare, statim ad tumbam S. Erendrudis : et cum lacrymis et oratione ferventi provolutus, sanitati pristinæ est restitutus; et sicut voverat, monasterium cum adhærente claustro, ubi nunc situm est, pulchro schemate, ut liquido apparet, construxit : et donavit Ehrenprechtstorff, situm in Longee sive Longaw, cum omnibus suis attinentiis, ad honorem Dei omnipotentis et dictarum Patronarum S. Mariæ Virginis et S. Erendrudis, Sanctimonialibus ibidem Deo servientibus.

reædificat monasterium S. Erendrudis

cujus corpus transfertur.

4 Peracta quoque et ædificata structura, tam monasterii quam aliarum officinarum, et dedicata ecclesia in honore sæpe dictarum Patronarum, ipso Imperatore præsente, per B. Hertwicum *b* Archiepiscopum, corpus sanctæ Erendrudis, de antiquo E tumulo, in cryptam ubi nunc requiescit, summo cum honore translatum fuit, scilicet in altaris medio collocatum; licet antea per B. Virgilium *c*, miraculis plurimis attestantibus, fuerit canonizatum *d* et translatum.

Rapiens de Reliquiis ejus, excæcatur. e

5 Cujus translationi ultimæ etiam interfuit Mazalinus *e*, Abbas Sancti Petri, frater Wiradis Abbatissæ; qui præsumptuose rapuit os pectoris S. Erendrudis; quapropter cæcitate statim percussus, omnesque qui aderant, perterriti et obumbrati quibusdam tenebris, quasi eclipsi, stabant compuncti. Ipse vero Masalinus, reatum suum agnoscens, cum lacrymis et suspiriis B. Erendrudi supplicavit, ut sibi ignosceret, quod venerandas Reliquias ipsius ausu temerario præsumpsisset attrectare; promittens Deo sanctæque Erendrudi, si visum pristinum ejus meritis atque suffragiis impetraret, Abbatiam vellet resignare, et vitam eremiticam eligere. Qui statim illuminatus, Abbatiam resignavit, et in Monte caprarum usque ad obitum suum vitam solitariam duxit, et in monasterio memorato, circa cryptam S. Erendrudis, ad januam Aquilonarem est honorifice tumulatus; qui etiam Sanctus reputatur, quia multa beneficia ad sepulcrum ejus languidis et tribulatis F misericordia divina patrare dignatur. Legitur etiam de ipso Mazalino, quod cum jam obiisset, rustici ipsum currui imposuerunt. et ad ecclesiam S. Petri volentes eum vehere, quantumcumque boves stimularentur ad viam directam, tamen concito gradu ad monasterium S. Erendrudis properabant, quia vivens ibidem sibi elegerat sepulturam.

S. Mazalini sepulcrum et miracula:

in his quod infantem, dæmoni a matre traditum,

6 Fertur siquidem de prædicto viro Mazalino, quod cum soror sua Wiradis Abbatissa, subditas sibi Moniales rigide gubernaret, easdemque ipsa, via laudabili, et honesta conversatione semper præiret; quædam ex Monialibus concepit, et cum jam tempus parturiendi instaret, anxia et nimis turbata, nesciens qua via tegeret scelus commissum; et qualiter evaderet Abbatissæ acerbitatem, pœnamque sibi infligendam; et in oratione se prosternens in capella S. Viti, uberrimasque lacrymas effundens, angustiis et tribulationibus undique convoluta; non solum de sua pressura et dolore imminente, verum etiam de partu quid esset factura; et sic in oratione posita obdormivit. Cumque evigilasset, et nihil consolationis humanæ neo divinæ inveniret; in desperationem ducta, invocato spiritu maligno, dixit : O diabole, fer mihi auxilium in hac maxima

A ma tribulatione, et dabo tibi hunc fœtum quem producam, cum corpore et anima in damnationem sempiternam. Interea dæmones gaudentes transibant cellam viri Dei Mazalini, in eremo pernoctantis in oratione : et quæsivit ab eis, quo irent? Qui responderunt : Grande negotium habemus. Qui ait : Ite, et peracto negotio, per Deum viventem vobis præcipio, ad me redeatis. Qui euntes invenerunt puerum jam natum ; quem rapuerunt, et reversi sunt ad virum Dei, narrantes ei quæ gesta sunt ; quomodo mulier infelix et desperata, eis puerum cum corpore et anima tradidit in potestatem.

atque ab eo adjurato ad se delatum,

7 Hoc audiens Mazalinus; confisus in Domino, præcepit eis, per Deum vivum et verum, ut puerum sibi relinquerent. Qui statim puerum in cella Viri sancti projicientes, volantes per viam suam, abierunt. Eadem autem nocte vir Dei surrexit, puerum accipiens ; et mane ante diluculum venit ad portam monasterii, exspectans, quando veniret Abbatissa et januas reseraret, quod per se singulis diebus et noctibus faciebat. Qua veniente et vidente fratrem suum, multum attonita mirabatur, dicens ei ; Ad quid venisti, frater? Qui respondens dixit Abbatissæ : Propter austeritatem et malitiam vestram, B quam exercetis in subditas vestras (ostendens ei puerum) hæc anima in damnationem et potestatem diaboli fuerat tradita ; sed mediante gratia et misericordia Dei, eam eripui de manibus spirituum malignorum ; narrans ei omnia per ordinem gestæ rei : præcepitque ei in virtute Dei sanctæ obedientiæ, ut de cetero misericordius, exemplo B. Benedicti, cum subditis sibi ageret, et misericordiam judicio superexaltaret. Fecitque puerum statim baptizari, et tradi nutrici ad alendum, quousque in fide Catholica instrui posset, ac plenius informari : vir autem Dei in eremum ad cellam suam cum gaudio remeavit, gratesque Deo omnipotenti referens de ereptione animæ pueri a diabolica servitute.

educandum curaret.

8 Prætereundum etiam silentio non est, qualiter Patronæ gloriosæ, beata Virgo et S. Erendrudis, locum et possessiones sui monasterii suffragiis defensare jugiter, et a sævientibus luporum fraudibus sæpius eripere curarint. Temporibus Domini Friderici de Walchen *f*, Archiepiscopi Salzburgensis memoriæ venerandæ, accidit, ut de terminis sive metis mineræ salium, et de fodina salis, intra et extra, in monte Durienberg, inter Dominam Diemudem de Belben *g*, Abbatissam in Nunberg, ex una, C et Fratrum Conversorum de Salem, ex parte altera lis maxima esset suborta : ob quam litem, ad jussum prædicti Archiepiscopi, et consilium sapientum, ordinatum est, ut Magistri montium suis perticis et mensuris fideliter experirentur, quæ pars alteri præjudicaret. Quod cum factum esset, quidam Frater Albertus, salutis suæ immemor, dictos Magistros montium fraudis suæ malitia corrupit, ut perticas de fodina extractas indirecte collocarent in præjudicium ecclesiæ Nunbergensis. Quibus peractis, prætaxatus Archiepiscopus cum suis Optimatibus et Nobilibus montem ascendens, terminum partibus præfixit, ad litis discordiam decidendam. Nocte vero præcedenti, præfata Abbatissa Diemudis, cum antiquioribus Sanctimonialibus de Conventu, accedentes ad altare S. Erendrudis, lychnis ipsum altare per quadrum mensuraverunt, et exinde candelas formaverunt ; quibus accensis, in oratione prostratæ, usque ad consummationem luminum, in devotione perseverarunt : mane autem facto iter arripientes, dictum montem ascenderunt. Episcopus sæpe dictus, personaliter judicio præsidens, astantibus Nobilibus et universis qui aderant, primum vocavit Fratrem Albertum ante dictum, et ab eo requisivit, si bene et fideliter et sine fraude, tam in fodina quam in agro per terram, perticæ D sive mensuræ essent collocatæ. Ipse Frater, flexis genibus coram Archiepiscopo, erecta manu, et indicto sibi juramento, dixit ; Sic me Deus adjuvet, et beata Virgo, et sancta Erendrudis. Hoc dicto et juramento imperfecto, procidit ad pedes Archiepiscopi sæpe dicti, et mortuus est : cunctisque stupentibus et mirantibus, cum luctu deportabatur, mercedem suæ fraudis recepturus justo judicio Dei.

In præjudicium monasterii pejerans, *A. CÆSARIO MON.* *subito moritur.*

9 Quidam lepra infectus, pluribus videntibus, et a multis reprehensus, clara luce cryptam S. Erendrudis intravit ; et ad tumbam ejus prostratus in oratione, multo spatio diei ibidem peroravit, et sanus corpore et vultu hilari, coram omnibus ecclesiam exivit ; pruritus etiam in loco, ubi sanatus fuit, tamquam squamæ, inventus est a pluribus, miraculum volentibus indagare, omnipotentis Dei misericordiam et S. Erendrudis merita dignis laudibus excolendo.

Leprosus sanatur,

10 Mulier quædam de Halaberck, uxor Conradi, dicti Taurstayn, civis Hallensis, pustulis circa lumbos sauciata, in tantum quod ambulare non poterat, sed tantum portabatur hinc inde in grabato. Item eadem mulier, valde elata, etiam lepra elephantia percussa, nulla arte medicorum, quia dives erat, E nec per medicos, de Studiis generalibus vocatos, nec per magistrum Simonem, Monachum de Raytenhaslach, cujus nomen adhuc ibidem clarum habetur, liberari poterat. Sed consilio quorumdam inducta, in Tetingam in curru quodam vecta, pervenit, ad quamdam feminam sanctam, quæ habebat gratiam curationum ; et operibus misericordiæ plenam, quæ plurimos diversis infirmitatibus pressos curavit. A pauperibus nullam mercedem recepit, sed gratis eos pavit, et medicinam quam potuit impendit. Prædicta vero mulier leprosa, cum ad domum sanctæ feminæ venisset, in cathedra eam præ foribus coram se locavit ; et non multum eam considerans, præsente Magistro Simone et alia familia sua, dixit : Domina, omnes medicinæ de mundo, pro vobis impensæ, vobis prodesse non possunt : sed consulo ut eatis Salzburgum ad Sanctam Virginem Erendrudem, ibi sanitatem consequi potestis, divina gratia cooperante : quia dicta femina omnes infirmos ad se confluentes, quos curare non poterat, ad limina Sanctorum direxit. Memorata siquidem leprosa, aptatis curribus, ad consilium beatæ feminæ, ad S. F Erendrudem perrexit ; et ibidem tribus diebus in oratione et lacrymis devote persistens, sanata est a pustulis et lepra, mediante Salvatoris gratia et misericordia, suffragantibus sibi meritis S. Erendrudis Virginis gloriosæ. Quæ quidem cum gaudio ad propria remeavit, et post mortem mariti sui multis annis supervixit ; sed depauperata nimis, licet antea divitiis abundaret, nostris temporibus visa est ; et cognita a multis, inter homines et suos concives, sana et incolumis usque ad mortem est conversata.

item matrona opulenta, *ad Sanctam ab alia Sancta directa.*

11 Erat quidam mercator de domo et familia S. Erendrudis, nomine Martinus, qui voverat Deo et beatæ Mariæ, sanctæque Erendrudi, quod non contraheret cum aliqua, nisi cum ea quæ esset de patronicio ecclesiæ Nunbergensis. Qui tamen oblitus voti, cum aliena contraxit; et modicum post tempus fuit percussus lepra. Quam plagam quidem in se recognoscens, compunctus rediit ad cor; cogitavit quod Deus, propter voti fractionem, hoc in eo fieri permisit. Et veniens ad altare S. Erendrudis, cum fletu et gemitibus intimis supplicavit B. Erendrudi devote de recuperanda sanitate. Vocata etiam Domina Maria *h* Abbatissa, piæ memoriæ, de transgressione commissa veniam postulavit. Quæ compassione mota, preces devotas super eum fudit, et a Deo et beata

Item alius, fidei datæ temerator.

A. CÆSARIO MON.

A beata virgine Maria sanctaque Erendrude veniam eidem postulavit; qui in domum suam abiit, et vestigium lepræ amplius in eo non apparebat.

Viatores a latronibus liberati.

12 Quidam colonus monasterii sæpe dicti, de familia ecclesiæ, nomine Fridericus de Alchaming de territorio Titmaning, cum aliis septem volens visitare limina Apostolorum Petri et Pauli, transiens Salzpurgam, venit ad altare Erendrudis, ubi sacra ossa ipsius sunt recondita, se et sua devote recommittens B. Erendrudi; et profectus, venit in terram Latinam cum aliis sibi associatis. Qui dum prope Ferrariam in quodam hospitio pernoctassent, venerunt latrones, domum vallabant, de morte peregrinorum cogitantes. Quod audientes peregrini, intra se gementes et flentes, nimis angustiati sunt, nec quisquam eorum audebat verbum etiam minimum loqui; et sic per totam noctem anxii et perturbati [fuerunt.] Appropinquante vero die [cum] prædictus Fridericus captus somno [esset,] venit ad eum quædam Domina pulcherrima in veste religiosa, dicens : Surge : Quid dormis? Qui dixit : Quæ estis vos? Quæ respondit : Ego sum illa, cui te Salzburgæ devote commisisti. Vade securus, tu et comites tui et non timeatis. Quam visionem narrans fratri- B bus, qui surgentes per cancellos et rimas prospiciebant, neminem viderunt nec audierunt, et in viam suam læti et incolumes abierunt, Deo et B. Erendrudi grates debitas referentes.

Punitur injuria monasterio illata.

13 Vidua quædam, dicta Ruzenlacherin, juvenis et pulchra, de favore Ducum Bajoariæ, possessiones monasteriorum S. Petri, et Numberg, in silva, quæ dicitur Weylhart, per strepitum judicii secularis indebite contra Deum et justitiam occupavit; ad forum Ecclesiasticum auctoritate Papali citata venire contempsit; sed tandem per judicem spiritualem excommunicata et denuntiata, perstitit in malitia sua. Et cum quadam die mitteret nuntium sive præconem ad quemdam colonum monasterii Nunbergensis pro servitio extorquendo, equulum rustici volens sibi pro pignore violenter educere; rusticus clamans post eum, dixit; Dimittas hic equum usque post culturam agrorum, quod te Deus adjuvet et S. Erendrudis. Et præco respondit : Quid dicis de tua Erendrude? Equum pauperis eduxit; et cum transiret portam curiæ, de equo suo cecidit, judicioque Dei percussus expiravit. Mulier vero supra notata, nec sic compuncta, postmodum, licet juvenis, in contumacia sua persistens, in brevi vitam finivit.

Faber liberatur ab apoplexia.

C 14 Faber quidam Chunradus, dictus Rohtschmidt, civitatis Salzburgensis, in dextro latere percussus apoplexia, et tredecim hebdomadibus officio manus et pedis fuit destitutus, auxilium divinum et multorum Sanctorum jugiter implorando. Finaliter cum dolor et molestia et punctiones acutissimæ nimium ipsum urgerent, ad B. Erendrudem currebat, ejus suffragia fiducialiter expetendo et quo corporaliter ire non poterat, mentis devotione ferebatur. Vespere igitur quodam, finitis Vesperis, cum dolores infirmorum plus solito acuuntur, candelam suæ staturæ per matrem et uxorem suam ad S. Erendrudem direxit. Quibus cum introitus monasterii non pateret, ad januam in oratione se prosternentes, B. Erendrudem suppliciter invocando. Tum lumine accenso non multum morando, quia nox instabat, sed inde recedentes; antequam ad hospitium redirent, dolor viri sensibiliter fuit mitigatus; et eadem nocte ac die sequenti sanitas rediit, et officio manus et pedis, nec non totius lateris, de misericordia Dei et meritis S. Erendrudis, est integraliter restitutus; beneficium quoque sibi impensum plusquam novem annis occultavit, S. Erendrudem frequentius visitando, et pro modulo suo ipsam venerando.

Medicus a brachii dolore curatur tactu sepulcri.

15 Anno Domini millesimo trecentesimo decimo D *i* octavo, Magister Joannes *k* Parisiensis, artis medicinæ competenter instructus, per annum dimidium et ultra, in brachio dextro, dolore vehementi et continuo cruciabatur. Cum nec aliquo remedio per propriam solicitudinem, nec aliorum consilio posset relevari; tandem consilio inductus devotorum, altare S. Erendrudis Virginis, ubi corporaliter quiescit, præsentialiter accedens, se in orationem, sicut devotius potuit prostravit. Primo et secundo sanitatem peroptatam non consecutus, quia plerumque spes differtur, ut desiderium crescat; tertio rediens spe ampliori permotus, pio proposito altare accedens, talibus verbis Sanctam Dei est allocutus : O beata Erendrudis, Virgo gloriosa, si verum est, quod de vobis dicitur, cantatur, et legitur; quæso, a languore et dolore hujusmodi me dignemini liberare; et cum brachio tangens altare, sanatus est, et cum gaudio ad propria remeavit.

Festi violatrix, ideoque contracta,

16 Item anno Domini MCCCV, quædam mulier, nomine Haylbirg, lotrix et paupercula, in die depositionis S. Erendrudis, quia tunc etiam est dedicatio cryptæ in Nunburga, finitis Missarum solenniis accedens ad altare, S. Erendrudem sic est allocuta : Tu nosti, Virgo sacratissima, quod ego multum E indigens sum ac paupercula, et habeo multas vestes hodie abluendas; unde deprecor te in Domino, ut mihi non irascaris, quia vacare non possum. Quæ recedens, post prandium cœpit lavare vestes, sicut aliis diebus facere solebat : et cum ultimam vestem extergeret, incurvata est ejus manus dextera. Quæ anxia et turbata nimis, flevit amare, nesciens quid esset factura. Mane vero sequenti, spe divinæ misericordiæ armata, accessit altare S. Erendrudis, et sic oravit : O sancta Erendrudis, propter gaudium, quo tu frueris coram Deo cum omnibus Sanctis et Angelis Dei, lætifica me miserrimam peccatricem, *sanatur.* quia graviter deliqui et offendi te. Unde deprecor te, ignosce mihi, et restitue mihi manus meæ pristinam sanitatem. Et hoc dicto manum curvam ponens super altare, sanata est : et in signum hujus sanationis, infra juncturam ipsius manus statim apparuit quidam nodus subter cutem, ad magnitudinem nucis magnæ, per duos annos, et decrescebat et augmentabatur secundum cursum lunæ. Mulier vero prædicta, sanitatis avida, iterum recurrens ad S. Erendrudem, supplicavit, ut ejus meritis et suffragiis consequi mereretur integram et optatam sanitatem; quod et factum est; nodus disparuit, et hæc mulier F adhuc superstes cicatricem omnibus volentibus videre ad oculum ostendit.

Peccatrix, non valens sacram Hostiam intueri, liberatur.

17 Item anno Domini MCCCIX quædam mulier de Salzburga, peccatis suis exigentibus visu privata per annos quatuor, licet homines et alias creaturas hujus mundi plene videret, corpus Christi, nec in altari, nec pro curandis infirmis in manu Sacerdotis videre potuit, quocumque se diverteret. Tandem anno quinto, spiritu Dei ducta, quandocumque capta hora et die, et quotiescumque ipsa celebrantur Divina, apud S. Erendrudem per integrum annum devotabatur; Sanctæ Dei devote supplicando, ut apud Deum pro ipsa intercedere dignaretur. Cumque devotionem suam continuaret, Missas audiendo; anno sexto in manu Sacerdotis, celebrantis quadam die Dominica, circa altare sæpedictum, corpus Christi vidit; et postmodum semper, suffragante sibi gratia Dei et meritis S. Erendrudis; ob beneficium sibi impensum, Deo et B. Erendrudi grates quas poterat referens, locum frequentius visitavit; miraculum etiam in eadem factum, quantum potuit, occultando.

18 Item attavus Radekariorum dictus, Gerhohus, juvenis existens, vovit B. Erendrudi singulis annis pro censu quinque denarios se daturum : qui id

A id aliquibus annis fecit, videlicet quinque; sed postmodum tepescere cœpit. Unde factum est, ut una Sanctimonialis, dicta Harschicherin, eidem familiaris, una noctium audiret vocem sibi dicentem: Dic Gerhoho, ut solvat S. Erendrudi quod promisit, aut male habebit. Quæ de mane vocavit dictum Radekarium, quærens ab eo, quæ promiserit S. Erendrudi; qui confessus est de quinque denariis censualibus usque in finem vitæ suæ. Tunc Monialis, quod audivit, eidem narravit. Qui recedens, verba hujus non advertit. Altera vice venit vox, et eidem Moniali dixit: Dic Gerhoho, quod B. Erendrudi exsolvat quod promisit, aut damnum maximum sustinebit. Quæ, ut prius, ipsum præmonuit, sed minime curavit. Tertio advenit vox ad eamdem: Dic Gerhoho, quia jam admonitus bis, promissum suum adimplere neglexit, et votum transgressus est, jam tempus adimpletum est: et B. Erendrudis dilationem ampliorem sibi non dabit, quod ipse recipiet damnum, quod ipse et omnis parentela sua numquam recuperabit: quod et factum est. In brevi quidem postmodum castrum Matsce perdidit, et omnibus bonis spoliatus est, nec non possessionibus, equis, pecoribus, et aliis mobilibus et immobilibus, quibuscumque. Hæc tempore Dominæ Diemudis de Velben Abbatissæ inchoata sunt: sed tempore Dominæ Elisabeth *l* Abbatissæ, nepotes dicti Gerhohi, redeuntes ad cor, unam puellam militarem, dictam Dymudem Tuntingerin, super altare S. Erendrudis libere obtulerunt, ob dicti census refusionem.

Census debiti fraudator, privatur bonis suis.

ANNOTATA D. P.

a *Præfatur Canisius, nuspiam quidem legi, quod S. Henricus tali unquam morbo laboravit; ista tamen, non his tantum scriptis, sed etiam tabulis ecclesiasticis confirmari, et perantiqua figura in altari S. Erendrudis expressa cerni. Addo ego, totam vitam S. Henrici, in Ducatu actam usque ad obitum Ottonis III, obscuram latere: hanc autem restaurationem factam videri, aut altem cœptam anno* 1000, *quando notatur primus annus Wiradis Abbatissæ. Esto ecclesiæ dedicatio et et S. Erendrudis translatio, de qua infra, primum facta sit Henrico, non solum Rege electo, sed etiam Imperatore coronato.*

D *A. CÆSARIO MON.*

b *Hundius scribit, quod* Hartwicus claruit multis *miraculis, quorum etiam unum refert, de ramo arboris, qui in ejus manu floruerit;* et pro Sancto habetur, *inquit,* sepultus in sacello D. Gregorii: *sed necdum quod sciam, sacro ullo cultu honoratus.*

c S. Virgilius *Hibernus, ordinatus an.* 767, *obiit circa* 784, *et colitur* 27 *Novembris. Acta habentur, sed fere post mortem; perstricta brevissime Vita: nec aliud docent, quam ingressum ad Episcopatum et Carinthiorum instructionem; ut nec ibi mirum sit, istud de elevata S. Erentrude, æque ac de S. Ruperto taceri.*

d *Hæc scilicet ejus temporis canonizatio erat, elevatum de prima sepultura corpus collocare sub altari.*

e *Albertus Abbas S. Petri anno* 1646 *edidit suorum Decessorum Catalogum, ubi* Mazelinum, *ait,* Titoni *successisse anno* 1025: *sed verosimilius est errari in zyfra, scribendumque* 1015, *aut etiam* 1005, *cum ipsemet* Hartwicus *dicatur obiisse anno* 1023, *imo ipse* S. Henricus *obiit anno* 1024. *Itaque consequens videtur, ut non diu post Imperii Coronam susceptam, cœptum opus absolverit, per dedicationem ecclesiæ et translationem Sanctæ.* E

f *Rexit* Fredericus, *juxta Hundium (qui eum de* Wallen *cognominat) ab an.* 1270 *ad an.* 1284.

g *Gewoldus in Catalogo Abbatissarum ait, hanc obiisse* juxta Epitaphium, *an.* MCCLXX: *sed posterior numerus in lapide extritus fuit, aut a typotheta omissus, vel fallit series Episcopalis, in notando tempore Archiepiscopi.*

h *An ea, quæ in Catalogo post restaurationem est quarta, quasi defuncta circa annum* 1059? *Nempe nulluc hic ordo temporis servatur: et alia nulla* Maria *invenitur.*

i *Vereor ne numerus æque ac ceteri litteraliter scriptus fuerit,* MCCXCVIII, *sed litteras transpositas scriptor invenerit.*

k *Suspicatur Mabilio, eum esse, qui an.* 1304 *turbas super Eucharistiæ Sacramentum excitavit, non sine fidelium Scandalo.*

l Elisabetha Comitissa a Sunnenberg, obiit an. 1307 in die Epiphaniæ, *ita Catalogus Gewoldi.*

C

DE S. MARCIANO EPISCOPO

F

PAMPELONÆ IN HISPANIA TARRACONENSI.

D. P.

Notitia ætatis, ex Concilio Toletano XVI; cultus ex Prudentio Sandovallio.

CIRCA A. DCC.

Prudentius Sandovallius, Benedictini in Hispania Ordinis, vir eruditione scriptisque clarissimus, a Tudensi ad Pampelonensem Episcopatum translatus anno MDCXII, *sicut antea Tudensium antiquitates seriemque Episcoporum ibidem eruderaverat, eo opere quo plurimum usi sumus ad* XXVI *Junii, agentes de S. Pelagio Martyre, indidem oriundo; ita mox applicuit animum scribendo Episcoporum Pampelonensium Catalogo, quem habemus excusum anno* MDCXIV. *Ibi de Concilio Toletano* XVI, *ad annum* DCXCIII *ita habet:*

Suscriptus per Vicarium Toleti anno 693,

2 Hoc anno Flavius Egica, Hispaniarum Rex, Toleti celebravit Comitia Regni sui, sive Concilium Procerum Ordinis utriusque; cui pro parte Ecclesiasticorum interfuerunt, Episcopi LIX, Abbates V, et Vicarii Episcopales III; ex parte Nobilium, Comites XIV, Equites II. Huic concilio intervenit, idem qui cum Vicarii titulo, anno DCLXXXIII Concilio Toletano XIII intervenerat nomine Episcopi tunc Attilani; itaque signavit » Vincomalus Diaconus, vicem « agens Domini mei Marciani, Pampilonensis Sedis « Episcopi, subscripsi ». Atque hic est ultimus Episcoporum Pampilonensium ante perditionem Hispaniarum, quorum notitia ex Conciliis eruitur.

3 Fuit autem vir sanctus, atque virtutis tam notæ, ut ejus memoria hodiedum perseveret in hac civitate, et cultus die XXX Junii, in memoriam victoriæ, ad Noain tali die relatæ anno MDXXI, cum multis publicæ lætitiæ signis ad ignium festivorum luces crebras. Benedictum ejus corpus servatur inter Reliquias ecclesiæ S. Salvatoris Legeriensis, eumque antiqui Reges, in signandis piarum Donationum suarum tabulis, reperiuntur invocasse, æque ac sanctas Nunilam et Alodiam, Abbatemque S. Virilam

in monasterio Legeriensi quiescit,

AUCTORE D. P. ultimus Pampelonensium Epp.

A Virilam, Abbatem restauratoremque Samensis in Galicia monasterii, nec non Legeriensis. Vulgus S. Martialem appellat; et principalis porta ecclesiæ, quæ opus illius fuisse videtur, nominatur S. Martialis. Oportet autem ut credamus eum a Mauris, Pampilonem occupantibus, martyrio affectum, vel in Legeriensibus Montanis profugum obiisse. Etenim vigesimo post prædictum Concilium anno desolata a Mauris Hispania fuit, et Episcopi Pampilonæ haberi desierunt.

sub Maurica irruptione,

4 *Ita pag.* 8 *Sandovallius : ast pag.* 18, *ubi agit de translatis ad Legeriense monasterium, anno* DCCCXLII, *corporibus prædictarum Sanctarum, dicit translationis istius auctorem Regem Enecum Aristam, defunctum anno* DCCCLXVI, *voluisse coram eisdem aliisque Sanctis sepeliri, quorum istic sunt ossa;* ac nominatim S. Marciani vel Martialis, qui erat Episcopus, quando Mauri anno DCCXIV hanc civitatem destruxerunt ; et Reliquiæ ejus ad hoc monasterium allatæ sunt, absque notitia aliqua passionis ejus, quæ quidem ad posteros permanarit. *Unde ergo, quod prius sub dubio dixerat, nunc adeo definite scribit, Martyrem obiisse? Satis hoc tamen Tamayo fuit, ut Junium suum his verbis concluderet :* Pampilone in Navarra Hispaniæ, D S. Martiani, ipsius urbis Episcopi, qui in Hispaniarum excidio, a Saracenis pro fidei confessione et ovium defensione interemptus, ad gloriam cum martyrii laurea properavit æternam.

B

5 *Mihi vero ex veteri ipsius, ut* Sancti, *memoria plane persuadeo, aliquantis annis antea obiisse, et in Legeriensi monasterio conditum fuisse. In ista enim rerum omnium confusione cæsos a Mauris Episcopos aliosve Christianos, quos credibile est minime paucos fuisse, non invenias Sanctorum cultu a fidelibus, turbine illo involutis, honoratos, aut statim a morte aut paulo post; cum, dilapsis ad Montana primariis utriusque ordinis viris, sola plebecula, cum Monachis inter Mauros degere eligens, ægre retinerent aliquam Christianitatis speciem, absque Episcopis Principibusque et Magistratibus, sacris atque profanis. Crediderim etiam hunc* XXX *Junii colendo* S. Marciano *mutuo sumptum a* S. Martiale Lemovicensi, *cum cujus nomine illius nomen vulgo confundebatur, obliterata notitia veri Natalis, et sola sanctitatis appellatione perseverante in usu populari.*

illic verosimiliter profugus

et cum S. Martiale Lemovic. confusus.

E

DE B. CLOTSENDE VIRGINE

ABBATISSA MARCHIANENSI IN GALLOFLANDRIA

Ex Vita S. Rictrudis Matris.

G. H.

CIRCA DCCIII.

Inter illustriores sanctas Matronas Belgii, *merito censenda* S. Rictrudis, *a morte S. Adalberti mariti vidua, et dein Abbatissa Marchianensis in Gallo-Flandria : cujus Acta et miracula late deduximus ad diem* XII *Maji. In Vita ejus, auctore Hucbaldo Monacho Elnonensi, num.* 10, *ista huc spectantia leguntur :* Dati sunt istis filii secundum benedictionem Domini.... fuitque eis primogenitus nomine Maurontus, postea Abbas et Levita sanctus, et aliæ tres sacræ Virgines ; Clotsendis *(de qua hic agimus)* post obitum matris, ejus monasterii Rectrix, Eusebia et Adalsendis.... Clotsendem egregius Pontifex Amandus, quia sacris dignisque manibus e fonte salutari excepit, in omnibus Deo dignam reddidit. *Deinde num.* 17. S. Rictrudis, post professam Deo viduitatis continentiam, et post sumptum sanctum Sanctimonialis habitus indumentum, seipsam tantummodo exhibere oblationem vivam, sanctam, Deo placentem non contenta ; etiam terræ, id est ventris sui, sacras ac præcipuas sanctæ et individuæ Trinitati offert primitias, præfatas scilicet tres filias, candidas veluti columbas, gratissimas illi scilicet hostias ; ut corde et corpore immaculatæ, et perpetuam virginitatem servantes, Agnum, Virginis Matris filium, quocumque ierit sequantur, sinceritate cordis et carnis, vernantes flore illibatæ virginitatis in corpore, ac nitentes puritate inviolatæ veritatis in corde ; ut sint semper sine macula ante Dei thronum, cantantes ei canticum novum ; hoc est gaudentes cum eo de carnis incorruptione in perpetuum. Quod canticum licet possint audire, nemo tamen poterit dicere Sanctorum, nisi illa candida turba incontaminatorum.

S. Rictrudis filia,

a S. Amando instructa,

C

cum 2 sororibus Virgo permanens,

2 *Hæc ibi. Mortuam diximus* S. Rictrudem *circa annum* DCLXXXVIII *: cui tunc Abbatissa successit* B. Clotsendis *filia, a sancto Amando Pontifice salubriter instructa, uti Auctor Miraculorum S. Rictrudis, monachus Marchianensis num.* 2 *confirmat. At quamdiu* Clotsendis Abbatissa *vixerit, non satis constat. In Collectaneis Domini la Bar, Prioris Aquicinctini, dicitur,* in regimine monasterii ut minimum pervenisse ad annum quintum Childeberti Regis Francorum, *sive annum Christi* DCCIII; *et sic decessisset duobus annis post obitum S. Mauronti fratris, qui ad diem ejus Natalem* V *Maji ostensus est* obiisse anno DCCI. *Cumque ab hujus obitu* per trecentos viginti duos annos præfuisse Abbatissas, *indicetur in supra citatis Miraculis S. Rictrudis, lib.* 1 *num.* 14 *pervenitur ad annum* MXXIII, *quem sequenti, pro Sanctimonialibus introducti fuerunt Monachi, sub Leduino Abbate, uti constat ex Chronico Marchianensi. Interim Carolus le Cointe, in Annalibus Ecclesiasticis Francorum, mavult* Clotsendis *ejus obitum transferre ad annum* DCCXIV.

fuit post matrem Abbatissa,

mortua circa annum 703.

3 *In dictis Collectaneis Aquicinctinis dicitur ipsa,* cum sorore S. Eusebia, locum habere in magnificis atque ditissimis feretris Marchianensibus. *Fuit* S. Eusebia, *ejus soror, Abbatissa Hamaticensis, et inde ejus corpus ad Marchianense monasterium translatum est; annoque* MCXXXIII, *in novam capsam, ex auro et argento fabricatam, delatum, uti ad diem ejus natalem* XVI *Martii explicatum est, absque mentione* S. Clotsendis *sororis. Hujus tamen* corpore condecorari *Marchianas etiamnum, indicat Rayssius in Hierogazophylacio Belgico pag.* 292. *Ibidem ejus* Reliquias conservari *scribunt Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii, et Miræus in Fastis Belgicis ad hunc* XXX *Junii ; asseritque Molanus,* natalem ejus ex vetusto Martyrologio pronuntiari, non tamen in divino Officio aliter recoli, *unde eam solum titulo* Beatæ *honorat, sed elogium his verbis auspicatur :* Marchianis sanctæ Clotsendis Virginis. *Hoc secuti Wion, Dorganius, Menardus, Bucelinus, Clotsendem, cum titulo* Sanctæ, *inscripserunt suis fastis Benedictinis, et cum illis Ferrarius in Catalogo generali. Reliqua videnda ad Acta S. Rictrudis, matris et Abbatissæ, cui in eodem monasterio successit.*

Corpus servatum Marchianis. F

DE

DE S. ADILIA VIRGINE

SANCTIMONIALI ORPII IN BRABANTIA

D. P.

Ex Molani Natalibus Sanctorum Belgii.

Officium mutuatum ex Officio S. Othiliæ.

Qua *Namurcensis diœcesis in Hasbaniam Brabantiæ ditionem excurrit, trans Getam fluvium, duplex* Orpium *occurrit, sesquileuca Geldonia seu Geldenaco, vulgo Judoigne;* Minus *unum,* Majus *alterum. In hoc, Præfecturæ a se nuncupatæ capite, corporaliter requiescit et colitur* S. Adilia Virgo, *hac ultima Junii, cum Officio solenni, Antiphonis, Hymnis et Responsoriis, ut putantur, propriis; sed revera mutuo acceptis a* S. Othilia, *a Virgine Alsatica, cujus festum agitur* XIII *Decembris. Id quam sæpe contingat, ut scilicet, quorum Sanctorum nulla habentur Acta, ea aliunde sumantur solo nomine apta, satis frequenter deprehendimus in hoc opere ; ideoque non sumus* B *soliciti, ut partes contendentium quasi de una eademque conciliemus; sed relinquendo unicuique quod suum est, dividimus personas, cum Acta non possumus, et suo quamque referimus die. Itaque, omissa* Othilia, *cujus Vita utinam haberetur a fabulis repurgata, agendum hic est de* S. Adilia, *de qua in Natalibus Sanctorum Belgii Joannes Molanus ita scribit, ex narratione Domini Petri Longolii Pastoris, tunc Orpii.*

2 Die XXX Junii. Orpii, S. Adiliæ Virginis Sanctimonialis, quæ festum habet novem Lectionum, postridie SS. Petri et Pauli, et in dicti loci monte.... multis Sanctimonialibus præfuit. Sed cum esset hospitalitate præcipua, videretque pauciores, propter montis molestias, eo convenire ; in inferiori loco ædificavit ecclesiam S. Martini. et ad eam monasterium transtulit, cum hospitalitate, ad recipiendos Christianos.... Quievit vero in dicta S. Martini ecclesia, crypta ante altare S. Joannis Baptistæ: sed inde elevata est in feretrum. Monasterium autem et hospitalitas, quorum historia meminit, per bella omnino interierunt. Insigne autem ejus loci monumentum est fons S. Adiliæ, cujus aqua, ut a venerando et docto ejus loci Pastore intellexi, omnes ædes magni Orpii alluit. Idem asserebat, se de consensu Episcopi visitasse sacras Corporis Reliquias, in die S. Nicolai anno MDLXXI, præsentibus venerabilibus viris, indeque odorem fragrantissimum et longe gratissimum se percepisse : sed et miracula nonnulla se vidisse, ad invocationem S. Adiliæ, quæ sub idoneis testibus consignavit.

Hospitale S. Adiliæ et Fons,

C

Reliquiæ et miracula.

Acta incerta.

Ætas sub Pipinis.

Frater S. Bavo.

3 *Hactenus Molanus, a quo signata* tempora Childerici Regis, *pietatemque erga* viros ecclesiasticos de Scotia, *studiose præterivi ; certus hæc sumpta esse ex Vita S. Othiliæ, nec volumus sine probatione asseverare, ista utrique fuisse communia. Malim ergo ignorare ejus ætatem, aut opinari Pipinorum ætati, qua Brabantia nostra multis Sanctis florebat, vicinam fuisse. Testatur Molanus,* in quarumdam ecclesiarum Martyrologiis, *sic legi :* Ipsa die, S. Adiliæ Virginis, sororis S. Bavonis. *Hic nobili genere in Hasbania natus, multorumque fundorum possessione dives, obiisse dicitur anno* DCXXXI ; *a S. Amando Trajectensi Episcopo, multorumque per Belgium cœnobiorum conditore, sepultus Gandavi; et colitur die* I *Octobris. Vitam scripsit Theodoricus, S. Trudonis in eadem Hasbania Abbas, ab anno* MXCVIII *ad* MCVII ; *unde mirum non est, si is de genere S. Bavonis obscurius locutus, ita Adiliam sororem præterierit, sicut præterivit ejus patrem et matrem. Abest autem Trudonopolis solum tribus leucis Orpio, quod potuit* Adiliæ *allodium fuisse : quare non comtemnenda videtur ecclesiarum prædictarum traditio de tali germanitate.*

4 *Tali vel simili traditioni innixus Joannes Gillimannus, Canonicorum Regularium Viridis-vallis prope Bruxellas Supprior, ibique defunctus anno* MCCCCLXXXVII *descripturus in suo Hagiologio Brabantino, quod ibi MS. servatur, Vitam quam putabat S. Adiliæ Orpiensis esse, hunc eidem præfixit Prologum :* Sanctæ Adiliæ, Vitam et conversationem breviter ac succincte jam conscribere, me satis delectat : tum quia proposito meo congruit, quippe quæ dudum fuit de principibus Brabantigenis sive Francigenis propagata ; tum quia requiescit in Brabantia tumulata ; tum quia juxta tenorem Ordinis, quem professus sum, sicut ex sequentibus conjici potest, Canonicali seu Regulari tramite juste et irreprehensibiliter incedens, noscitur conversata. Quam virginem Christi, licet nobilem genere, longe tamen nobiliorem morum probitate et sanctorum operum exercitatione, Deus constituit super familiam suam ; ut ipsa tamquam fidelis dispensatrix, commissum sibi a Domino gregem verbo et exemplo confoveret, ac per hoc, ab ipso remuneratore omnium bonorum Christo, sui laboris condignam in cœlesti regno mereretur percipere portionem. Ipsa pro nobis ad Deum preces fideliter effundat, quatenus et scribenti gratia divina succurrat et audienti seu legenti profectus accrescat ; sicque fiat illis nostra relatio cognita, ut tamen evitetur recitatio prolixa.

Prologus Gillemanni ad vitam

E

quam falso putavit esse S. Adiliæ.

5 *Sequitur deinde Vita, quam dixi, nil huc faciens, sed ad diem* XIII *Decembris, quando colitur S. Othilia, veniet examinanda. Converti me igitur ad inquirendum in miracula, a centum et amplius annis describi cœpta: vero post multam inquisitionem, nihil eorum repertum est. Interim venit in manus meas* S. Adiliæ *vita quædam ex veteri MS. Lati o Orpiensi (ut præfert titulus) Gallice reddita; et anno* MDCXIV *Typis Leodiensibus Leonardi Streel impressa sub patrocinio Reverendissimi Domini et Patris Adriani Stalparts, Abbatis Tungerloensis. Verum traductioni isti, præter verba et voces, exaggeratasque circumstantias, in speciem fabulosas, nihil addit, quod vel in Notas referri mereatur, ne quidem circa præsentem cultum aut miracula. Quare satis fuerit hoc indicasse, quando nec nomen quidem Interpretis proditur, qui voluit ad calcem Dedicatoriæ latere sub litteris I. M. H. I.*

Vita Gallica.

F

6 *Augustinus Wichman, in sua Brabantia Mariana lib.* 1 *cap.* 3 *pag.* 690, *agens de Orpio majori, quod Walonibus* Orp le Grand, *Teutonibus* Adorp, *quasi* Aldorp, *vetus Orpium dicitur ;* Festo, *inquit* S. Michaelis incredibilis hic hominum concursus est, ut sæpe vidi, quando feretrum S. Adiliæ solenni supplicatione circumfertur. Anno autem MCCCXXXIX ecclesia Orpiensis pervenit ad cœnobium Tongerloo, idque via emptionis ab Abbate Bonæ-Spei, qui ab Abbate Florinensi emerat. *Plura vide apud Jacobum Baronem le Roy in Topographia Historica Gallo-Brabantiæ, edita anno* MDCXCIII, *lib.* 7 *pag.* 249, *ubi de Præfectura Orpiensi; et ex occasione Alpaidis, quæ Pipini concubina fuit, quæ istic pœnitens vixit et obiit, prolixe tractat de causa necis S. Lamberti, ab illius* patre

Annua supplicatio 29 Sept.

A *quidem fratre occisi; sed in ultionem consanguineorum, ab Episcopi nepotibus occisorum; nullam eo in scelere partem habente ipsa Alpaide, ne quidem occasionalem, ut posteriores scriptores passim credidere, contra proximioris, Godescalki fidem.* D

DE S. THEOBALDO PRESB.

EREMITA DIOECESIS VICENTINÆ IN ITALIA

G.H.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§. I. *Acta vitæ et translationum; ætas: cultus sacer.*

ANNO MLXVI

Acta dantur, priora quidem ex 6 MSS. et Surio,

Floruit *sanctissimus* Eremita Theobaldus *seculo Christi undecimo, pluribus miraculis in vita et statim post obitum clarus. Acta ejus duplicia habemus, forsan ex majori relatione, digesta ab antiquis et coævis auctoribus, intra sex et octo annos ab obitu Sancti, ex certissimo matris aliorumque familiarium relatu. Priora damus, ex codice MS. Reginæ Sueciæ; alio, monasterii Bonifontis in diœcesi Remensi; ac tertio, nostro. Eadem ipsi reperimus in Archimonasterio Cisterciensi, codici tertio inserta: et extant etiam in monasterio S. Huberti apud Arduennates; eademque Jacobus Mosander, in MS. codice reperta, edidit in Supplemento operum Surii, quæ dein secundæ et tertiæ editioni Surianæ, ad hunc* XXX *Junii reperiuntur inserta; ac denique contulimus ipsa cum aliis exemplaribus submissis a nostro Petro Francisci Chiffletio ex MSS. Montis S. Mariæ, et Accincti Monasterii. Posteriora Acta habemus in MS. codice pergameno nostro, in Lectiones, ad Matutinum recitari solitas distributa, et in his loco Prologi refertur Decretum Alexandri II Papæ, quo concedit ejus memoriam solenniter celebrari, adeo ut illud videri possit Bulla Canonizationis, vel Officium a Sede Apostolica approbatum; acceptum pro parte verbotenus ex Vita jam dicta; pro parte vero ex novis notitiis, ad causam promovendam allatis: quod ut clarius appareat, congruum duxi totum illud Decretum Pontificium, ut invenitur, excudere; cum res per se brevis sit, nec aliter facile concipi compositionis ordo possit. Illustre compendium inde sumpsit Vincentius Bellovacensis, libro* 25 *Speculi sui historialis cap.* 28, *quod et insertum fuit MS. Legendario Ultrajectino Ecclesiæ S. Salvatoris. Aliqua etiam ex hisce posterioribus referuntur apud Petrum de Natalibus lib.* 6 *Catalogi cap.* 36; *item in Breviario Æduensi sive Augustodunensi in Gallia, sub annum* MDXXXIV *excuso: et in Srmone de* S. Theobaldo, *a Judoco Chlichtoveo ex parte* 2 *Homiliarum impresso sub nota anni* MDXLI.

B

posteriora ex duobus.

Varia Compendia indicantur.

C

Obitus die 30 Junii

anno 1066.

2 *Ex omnibus locis prædictis certo constat,* S. Theobaldum *hoc* XXX *Junii diem extremum obiisse, quia in illis dicitur ex hoc seculo* migrasse pridie *aut* secundo Kalendas Julii. *Certo etiam colligitur* annus MLXVI, *quo erat, quæ indicatur in prima Vita,* Indictio quarta, *quando ex hac vita decessit,* circa vesperum *feriæ sextæ: ac dein ab obitu quarto die,* feria secunda, tertia die mensis Julii, *corpus illatum est solenniter in Ecclesiam Cathedralem Vicentinam. Nam dicto anno* MLXVI, *cyclo solis* XI, *littera Dominicali* A, *ea sic evenerunt. Præterea* Henricus, filius Henrici Augusti in Italia, et Philippus in Gallia regnabant. *Imo et* Alexander II Papa *præerat Ecclesiæ, qui post hujus obitum vixit annis sex et mensibus decem; quo tempore decrevit hujus venerationem,* ob multiplicia *(ut ait) quæ* fiebant miracula *Vicentiæ: quæ nos, intra sextum ab obitu annum scripta, ex quatuor supra citatis MSS. et Surio subjungimus, ubi referuntur undecim cæci meritis* S. Theobaldi *illuminati. Alexandro Papæ successit S. Gregorius VII, cujus Acta varia*

Miracula facta Vicentiæ,

illustravimus die XXV *Maji. Hujus Pontificis tempore fuit solennis* S. Theobaldi *cultus Latiniaci in Gallia, etiam variis miraculis exornatus; quæ immediate post litteris mandata, extant una cum posterioribus Actis in MSS. Cardinalis Mazarini, sicuti ea Parisiis descripsimus, nescii ea interim fuisse a Francisco Combefis Dominicano Antuerpiam transmissa ad Bollandum. Alia eodem tempore erat Ecclesia cum monasterio, ad honorem* S. Theobaldi *constructa, in diœcesi Remensi, in castro Bojolicensi; vulgo Bazoches dicto; ubi etiam claruit miraculis, quorum aliqua subjuncta erant in citato codice monasterii Bonifontis diœcesis Remensis, et alio nostro, quæ et nos damus, ex Auctore similiter coævo descripta.*

Latiniaci in Gallia,

E

et Bajolicis in diœc. Remensi.

3 *Memoria ejusdem ad diem* XXX *Junii inscripta est MS. Martyrologio monasterii Hilariaci in Lotharingia, S. Nabori Martyri dicati, quod Parisiis apud Patres Fullienses reperimus; ubi ista leguntur.* Ipsa die S. Theobaldi Confessoris Christi: *sed* Theubaldi Confessoris *memoria legitur in pervetusto Kalendario Trevirensi monasterii S. Maximini. Accuratius scribitur in MS. Florario:* Item S. Theobaldi, Eremitæ et Confessoris. *In Auctario Greveni ad Usuardum, annis* MDXV *ac* XXI *excuso, ista leguntur:* In territorio Constantiensi S. Theobaldi, Presbyteri, Eremitæ, *et* Confessoris. *Ubi pro* Constantiensi *arbitramur legendum* Vincentiensi *aut* Vicentino. *Interim hoc seculi sunt Canisius, qui plura ex Actis adjungit in suo Martyrologio Germanico; Cratepolius, de Sanctis Germaniæ; Ferrarius autem in Catalogo generali bis collocat* S. Theobaldum, *alterum Constantiæ, quem in Notis rejicit, et alterum Vicentiæ.*

Memoria Julii 30

4 *At sequenti die, ipsis Kalendis Julii, ejus memoria etiam celebratur, tum ob errorem Petri de Natalibus, qui ipsum scripsit in* pace quievisse Kalendis Julii, *quod ultimus dies Junii impediatur, tum solenni Commemoratione S. Pauli Apostoli, tum festo S. Martialis, ut supra diximus, per Gallias tunc solito in pluribus ecclesiis celebrari. Hinc ista apud Galesinium leguntur:* In Gallia S. Theobaldi Confessoris. Hic nobili loco natus, ad rerum humanarum despicientiam mirifice instructus, Vincentiæ, quo secesserat, in solitudine divinam vivendi rationem secutus, quam Deo gratus extiterit, miraculorum ostendit magnitudine. Ejus Reliquiæ ad eam provinciam translatæ, pie reconditæ, religiose coluntur. *Canisius, ipsis Kalendis Julii, eumdem iterum refert, addens, de eo pridie actum esse. Maurolycus ista habet:* In Galliæ castro Proviniaco S. Theobaldi Eremitæ. *Molanus:* In territorio Prævino S. Theobaldi Confessoris, *eo quod ibidem natus fuerit, et præterea colatur ob Reliquias aliquas ipsius eo delatas, uti infra dicetur. Eodem primo Julii festum* S. Theobaldi *celebratur officio Ecclesiastico, in citato supra Breviario Æduensi, præscriptis novem Lectionibus ex ejus Vita. In Tullensi vero anni* MDXXXV; *Andegavensi, anni* MDCXXIV; *et Senonensi, anni* MDCXXV, *præscribitur solum Commemoratio. Ad secundum diem Julii translatum*

F

et 1 Junii,

in Martyrologiis,

et Breviariis:

A tum est hoc festum in Breviario Ambianensi anni MDL, et tunc præscribuntur novem Lectiones, ex Vita desumptæ. Ast in Breviario Meldensi, anni MDCXL, et Parisiensi recentiori, anni MDCXXXVI, proponitur colendus hic Sanctus die VIII Julii; sed in antiquiore anni MDLXXXIV refertur die IX Julii: in his autem præscribuntur tres Lectiones ex Vita, et sub finem ultimæ ista leguntur: Cujus ossa, in Galliam translata, multam multis in locis venerationem invenerunt. *Demum in Lingonensi Breviario anni* MDCIV, *indicatur festum ad Kalendas Julii, sed præscribitur differendum ad diem* XII *ejusdem mensis. Et hæc ex nonnullis Galliarum Breviariis deprompsimus. At Saussayus ad Kalendas Julii, post longum ex Vita decerptum elogium, sub finem ista addit:* Cujus ossa, gemmis pretiosiora, mirisque rutilantia fulgoribus, in Gallias subinde translata, magnam ipsi Beato conciliaverunt honorificentiam: Metis maxime, ubi ejus festum cum Octavis ex more antiquo celebratur, ob recepta pridem ex sacris pignoribus patrocinii potentis præsidia. *Hæc Saussayus.*

AUCTORE G. H. *In his etiam die 2, 8, 9, et 12 Julii. Item cum Octava Metis.*

§. II. Cultus et Reliquiæ S. Theobaldi in Gallia et Belgio.

B

Carolus Jamotte anno MDCLXIX, *de* S. Theobaldo *tractatum Gallicum Leodii fecit excudi, divisum in tres partes: quarum prima continet Vitam, secunda venerationem in variis Ecclesiis, ac tertia miracula, ex quibus infra nonnulla dabimus, in pago Mercuro (ubi Parochum dictus Jamotte agebat) ultimis annis patrata. Ex secunda parte hic nonnulla delibamus. Ac primo, in Archiepiscopatu Senonensi cultum* S. Theobaldi *florere, constat ex Breviario supra indicato. In hoc Archiepiscopatu est* Provinum, *oppidum provinciæ Briæ seu Brioniæ, in quo natus et educatus est* S. Theobaldus; *et domus ejus paterna adhuc superesse dicitur cum parvo oratorio; ex regione vero illius est ecclesia duarum portarum, erecta ad hujus Sancti honorem. In hac asservatur statua medii corporis argentea, et pluribus locis inaurata, cum insignibus provinciarum Campaniæ et Briæ: unde putatur donum esse alicujus Comitis Campani, ex parentela* S. Theobaldi, *cujus aliquod os in ista statua continetur. Est ibidem et aliqua lipsanotheca lignea inaurata, in qua plura ejusdem Sancti ossa conservantur: imo ejusdem Caput ibidem aliquando depositum fuisse, fama est. Dependet in* C *sua jurisdictione hæc ecclesia a Regia et Collegiata S. Quiriaci ejusdem oppidi, ubi visitur argenteum Brachium cum Manu, gemmeis lapillis circum insignia Campaniæ et Briæ, exornatum, cui inclusum est aliquod os brachii* S. Theobaldi. *Ejus ibidem in altari extat solidi operis imago; et altera supra portam ex adverso domus paternæ, in figura nobilis equitis, qualis fuit ante suum ex illa discessum. Ex hac ecclesia die primo Julii, solenni cum apparatu, instituitur processio, qua ceremonia agnoscitur hujus loci Patronus. Est præterea extra oppidum* fons, S. Theobaldi *cognominatus, ex quo aqua desumpta variis ægris sanitatem contulisse dicitur. In ipsa quoque Senonensi civitate, apud S. Columbam majorem, habetur theca argentea magnificentissima, qua totum fere Corpus contineri (illuc forte Pruvino allatum) dicitur, uti nobis testatus est Claudius Castellanus, Parisiensis Canonicus.*

In diœc. Senonensi est Provini domus paterna cum oratorio, et altare in ecclesia S. Quiriaci;

6 *Sub eodem Archiepiscopatu Senonensi olim continebatur Lutetia Parisiorum, non ita pridem a Gregorio XV ad dignitatem Archiepiscopalem erecta; in qua solennem cultum* S. Theobaldo *exhibitum, declarant ejus Breviaria, uti etiam sermo Chlichtovei in ejus annuo festo habitus. In ea diœcesi est Latiniacum, miraculis ejusdem Sancti celebre, ad quorum relationem plura infra annotamus. In vicina Campania est Archiepiscopatus Remensis, in quo viget veneratio ejusdem* D S. Theobaldi: *et plures in ista diœcesi fuerunt illi erectæ Ecclesiæ, de quibus agimus infra ad Miracula, in parochia Bajolicensi ope illius patrata. Simili modo in Episcopatu Tullensi magni æstimatur patrocinium et veneratio* S. Theobaldi: *in cujus diœcesi est Abbatia Ordinis S. Augustini* Calmostratum, *extatque ibi sacellum* S. Theobaldo *dicatum, in quo servatur ejus* Caput cum duobus Tibiarum ossibus: *vinum etiam ad ejusdem honorem sacratur intinctis Reliquiis, quod a febricitantibus, ut sanitatem assequantur, solet potari. Suspicantur, has Reliquias olim fuisse asservatas in* Ambacuri pagi ecclesia, S. Theobaldo *sacra, cujus Parochus assumitur e dicto Calmostrato. Illius ibi* imago *est ad latus Evangelii, in eminenti loco ad murum exposita, in habitu equitis, corpore magno et juvenili, tenentis manu compressa avem captam; ibidemque a devotis peregrinis cerei et candelæ appenduntur. Paucis inde passibus distat* fons S. Theobaldi, *e quo, ut apud Senones, haustam aquam bibunt febricitantes, cum magno suo solatio. Nanceii etiam, primaria Lotharingiæ urbe, fuit prope mœnia capella* S. Theobaldi: *sed postea, causa urbis muniendæ, dejecta est. At Valculeriæ, oppidulo ad Mosam, Carislegiæ in Comitatu Valdemontio, et in suburbiis S. Michaelis in Conventu Minimorum, sunt ecclesiæ eidem* S. Theobaldo *sacratæ.* E *In urbe quoque et diœcesi Metensi celebrari festum cum Octava, supra ex Saussayo diximus; est autem in suburbio ecclesia Collegiata, in fundo Sanctimonialium Abbatiæ S. Glodesindis constructa, ideoque in controversiam traducta, quam sopivit Stephanus Episcopus Metensis per diploma anni* MCLXIII, *sicut in Historia Episcoporum Metensium Meurissii pag.* 400 *excusum legitur. Hujus Ecclesiæ Canonici, interposita auctoritate Episcopi Tullensis, impetrarunt anno* MCCCCLXXXIII, *ab supra nominatis Ambacurianis, particulam auricalem capitis, et aliam ossis collaris; ac priorem capiti argenteo, alteram capsæ item argenteæ incluserunt. Fuit hæc ecclesia, ob varias belli causas bis destructa, Canonicis in ecclesiam parochialem S. Martini translatis; et iterum alio in loco restructa. Ibidem denique una urbanarum portarum retinet nomen* S. Theobaldi.

et in Remensi variis locis: in Tullensi Calmostrati, Ambacuri, et alibi; in Metensi suburbio,

7 *Luxemburgi quoque est ad honorem ejusdem, in ecclesia Franciscanorum, confraternitas, a latomis, cæmentariis, vitriariis, textoribus, similibusque erecta. Præterea in illo districtu est pagus Lindensis, vulgo Lonieu, a Pitingo seu Pittango, ubi Sanctus aliquamdiu habitavit, haud procul dissitus. Ibi ecclesia est dicata S. Stephano, Deiparæ Virgini Annuntiatæ, et* F S. Theobaldo; *in qua sunt anno* MDXVIII, *a quatuordecim Cardinalibus concessæ centum annorum Indulgentiæ, visitantibus tribus diebus horum Sanctorum Ecclesiam. Sed et Rutiliæ apud Carthusianos asservari* juncturam S. Theobaldi, *indicat Raissius. In eodem Ducatu Luxemburgensi est antiquus* Comitatus Montis-Acuti, *vulgo* Montaigu, *ex cujus Comitibus Cono, anno* MLXVI, *post Ducem Lotharingiæ, Comitesque Namurcensem et Luxemburgensem, subscripsit cuidam privilegio Theoduini Episcopi Leodiensis, prolato apud Chapeavillum tomo* 2 *Episcopatus Leodiensis cap.* 1. *In castro hujus Comitatus, in ipso monte, fuit olim* Capella S. Theobaldi: *neque destructo castro evanuit vetus erga Sanctum devotio, sed circa initium seculi* XVII *etiam aucta est, ob expositam ibi ligneam imaginem unam alteramve, cui particula Reliquiarum ejus fuit inclusa. Postea anno* MDCXXXIX *cœpta est ibidem construi nova Ecclesia, quæ anno* MDCLX *consecrata fuit una cum duobus altaribus, quorum primarium dicatum fuit* S. Theobaldo, *illique aliqua ejus Reliquia est imposita. Ad radicem vero dicti Montis acuti est celebris pagus* Mercuria, *sive* Martis-Curia, *cujus Parocho, etiam subest prædictum in monte templum. Ibidem Parochus*

in Parisiensi, Latiniaci; Luxemburgi, Lindæ, Monte-acuto, Mercuriæ,

A *Parochus quoque fuit, quem initio hujus Paragraphi laudavimus, Carolus Jamotte, qui varia de* S. Theobaldo *ea occasione scripsit. Is, Tractatus sui parte* 2 *cap.* 16, *testatur, a Capitulo Metensis Ecclesiæ,* S. Theobaldi *insignem partem Cranii obtentam,* XXII *Septembris anno* MDCXLII : *antea autem cap.* 6 *dixerat, ab Abbate Calmostratensi sibi anno* MDCLXII *dono missam satis bonam partem Capitis ejusdem Sancti : quas Reliquias, una cum particulis sanctissimæ Crucis Christi, curavit inseri Cruci argenteæ, in eum finem fabricatæ. Thenis etiam, urbe Brabantiæ, est aliqua* S. Theobaldi *capella, prope portam Hugardiensem; ad cujus augendam celebritatem asserit dictus Pastor cap.* 8, *se misisse anno* MDCLXVI, *particulam aliquam.*

AUCTORE G. H. — *Thenis in Brabantia,*

8 *Huii insuper urbe Leodiensi* S. Theobaldo *sacram ædem fuisse anno* MCXI, *scribit Fisen, lib.* II *Historiæ Leodiensis, ad quam tunc ibidem Ordo Cruciferorum fuerit institutus : et hanc volunt a Theoduino Episcopo Leodiensi, sub annum* MLXXIV *mortuo, constructam, ac dein sæpius auctam; in qua etiamnum, prope chorum ad latus Evangelii, est altare, cum imagine Sancti in habitu Sacerdotis, tenentis altera manu librum, altera scipionem, peregrini tesseram, et sub* B *pedibus diabolum conculcantis : ubi quotannis festum solenni ritu celebratur, recitatis Lectionibus, quas inde accepimus ex priore Vita contractas. Quinque leucis inde distat Chinacum oppidum, in cujus suburbio, Saxeo dicto, fuit anno* MCCLXXXVI *erecta, a Ludovico Vicomite Chinacensi,* capella S. Theobaldi; *cui adjunctus postea fuit Prioratus, a Crucigeris Hujensibus dependens, et tam ibi quam in monte sunt fontes,* S. Theobaldi *cognominati, quorum aquæ dicuntur ægris præbere subsidium. Habet et Burgundiæ, tam Ducatus quam Comitatus, in veneratione* S. Theobaldum : *de cujus rebus gestis scripsit propterea Petrus Franciscus Chiffletius tractatum, anno* MDCLXIII *Divione excusum : et nos supra citavimus Breviarium Æduense sive Augustodunense, anno* MDXXIV *editum, quod Ludovicus Domnus Attichius probavit anno* MDCLXIII; *in qua diœcesi dicuntur plures parochiæ, ecclesiæ, et prioratus gloriari nomine* S. Theobaldi; *ac Semurii in ecclesia parochiali esse Sacellum ejusdem Sancti. In Comitatu autem sunt etiam varia sacella, altaria, et ecclesiæ etiam parochiales, puta prope Salinas et Jussey. Demum Viennæ in Austria, in suburbana ecclesia Patrum Carmelitarum, esse altare* S. Theobaldi, *cum ejus imagine sub habitu eremitæ, prælaudatus Jamotte scribit* C *cap.* 8.

Huii apud Crucigeros, — Chinaci, — in utraque Burgundia, — ac suburbio Viennensi in Austria.

§. III. *Controversa de S. Theobaldo potissimum an apud Camaldulenses Vangaditiæ quiescat.*

De *hoc Sancto varia controversa occurrunt, eo quod ab aliquibus aliis ejusdem nominis non fuerit distinctus. Primus potest censeri* S. Theobaldus, Archiepiscopus Viennensis, *avunculus aviæ hujus* Theobaldi Eremitæ, *quasi hic fuisset etiam Episcopali dignitate insignitus: unde in Martyrologio Coloniæ et Lubecæ anni* 1490, *ista ad Kalendas Julias leguntur* : In territorio Proviniaco B. Theobaldi, Episcopi et Confessoris. Hic seipsum seculo subripuit; et eremiticam vitam per novem annos expetens, pro Christo pauperrime vixit : quem propter vitæ sanctitatem Angeli de cœlo infula Pontificali decoraverunt. *Ex hoc errore imagines* S. Theobaldi *apud Luxemburgenses, Lindenses et Tenenses pinguntur cum cappa chorali seu pluviali, mitra et pedo Episcopali : et Rutilienses arbitrantur se habere* juncturam S. Theobaldi, Episcopi : *imo cultus* S. Theobaldi Episcopi *refertur etiam ad Kalendas Julii, uti ad ejus Acta diximus* XXI *Maji.*

S. Theobaldus per errorem Episcopus habitus,

10 *Alter* S. Theobaldus *est Italus, apud Vicum prope Montem Regalem natus et educatus, atque Albæ Pompeiæ mortuus; cujus ibidem corpus in Ecclesia Cathedrali asservatur. In hujus Vita, ad diem* XXVII *Maji edita, dicitur Costa furtim in Burgundiam delata; et cum moveri nequiret, in ecclesia ibidem constructa, fuit deposita; ubi mortuus resuscitatus inde Albam Pompeiam est peregrinatus. Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, ad dictum* XXVII *Maji in Notis, asserit, huic Beato Albensi tribui, quæ* S. Theobaldo Eremitæ *congruunt, puta, quod dictum est de mortuo suscitato. Sed quia nihil simile de hoc reperimus inter tot antiqua monumenta, quæ excussimus, illud* S. Theobaldi *Albensis Actis insertum relinquimus.* D

huic tributa ecclesia et miracula S. Theobaldi Albensis,

12 *Tertius est* S. Theobaldus Camaldulensis, *cujus sacrum Corpus quiescit in ecclesia B. Mariæ* Vangaditiæ *Ordinis Camaldulensis inter Ligniacum et Rodigium, posita in Hadriensi diœcesi, ac vulgo appellatur* la Badia. *Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ ad Kalendas Junii,* de S. Theobaldo, Eremita et Abbate Wangaditiæ, *ista scribit :* Theobaldus, natione Gallus, Pruvini (quod oppidum est insigne Trecassinæ diœcesis) nobilissimis parentibus ortus est, Pater Arnulphus et mater Guilla dicebatur. Hic ab E infantia terrena despiciens, adolescens relictis parentibus vitam eremiticam egit, miraque sanctitate, Henrico III Imperatore, floruit. Ut vero liberius Deo inserviret, patrium solum deserens, in Italiam venit; et Monachus Camaldulensis apud Vincentiam factus, intra colles illius vitam asperam degens, habitavit; quoad Vangaditiam (quod pagi et Abbatiæ in Hadriensis diœcesis finibus, Rodigio oppido x M. P. dissitæ, nomen est) veniens, multis ad eum confluentibus, Abbas efficitur; eique monasterio aliquamdiu multa cum laude et sanctitate præfuit. Denique piis operibus et ætate confectus, in eodem monasterio migravit ad Christum. Cujus corpus, ibidem tumulatum, in magna habetur veneratione. Agitur autem illius dies festus maxima celebritate, incolis undique affluentibus. *Hæc Ferrarius, asserens se ista scribere,* ex monumentis ejusdem Ecclesiæ, et ex Chronico Camaldulensi. *Eumdem Eremitam Ordinis Camaldulensis retulit ad dictas Kalendas Junii Arnoldus Wion, eumque secuti sunt Dorganius et Bucelinus. Hæc si conferantur cum Actis* S. Theobaldi, *quæ hic duplicia, et ex tam multis MSS. plane solida damus; plane alius censebitur a dicto Camaldulensi. Nam hic* Theobaldus, *de quo agimus, cum in* F *tugurio suo Salamiæ novem annis vixisset, ibidem pridie Kalendas Julii migravit, et quidem satis juvenis; ac decimo tertio die Julii corpus Vicentiam delatum, aliquamdiu in ecclesia Cathedrali requievit, celebratus per miracula, præstita ad ejus sepulcrum accurrentibus. Supra laudatus Carolus Jamotte, misso aliquo Vicentiam, hoc inde habuit responsum, a se editum part.* 2 cap. 3. Silvius Trissinus, Juris utriusque Doctor, Protonotarius Apostolicus, Archidiaconus Ecclesiæ Cathedralis Vicentiæ, et in ejusdem Episcopatus Illustrissimi et Reverendissimi Domini, Domini Josephi Civrans, Dei et Apostolicæ Sedis gratia Episcopi Vicentini, Ducis, Marchionis et Comitis, Vicarius Generalis, universis et singulis præsentes inspecturis fidem facimus et attestamur, in hac Cathedrali Ecclesia Vicentina existere Capellam et altare divi Theobaldi, Presbyteri et Eremitæ, cum imagine ejusdem Sancti, picta in pila, noviter constructa; per executionem legati Domini Fabricii Mutii, olim Canonici ejusdem Cathedralis; veterem vero iconem ejusdem Sancti translatam fuisse, ac modo existere in sacristia Cathedralis præfatæ; haberique per traditionem, ejus corpus quievisse in dicta Capella, et postea fuisse translatum ad locum Abbatiæ seu Vangaditiæ... In quorum fidem etc. Datum

alius ab hoc S. Theobaldus Abbas est, — (licet Acta confundantur) — Vangaditiæ mortuus: — est hic eremita Salamiæ defunctus et Vicentiam est translatus, — ubi adhuc altare et imago ejus, — non corpus, quod alio translatum.

A Datum Vicentiæ ex palatio Episcopali, die XXX Augusti MDCLX. *Et erat signatum :* Silvius Trissinus Archidiaconus, Vicarius generalis. *Et infra,* Paulus Cornelatus, Notarius Episcopalis. *Et sigillum Episcopi Vicentini inpressum ad latus. Hæc ibi : in quibus prior traditio, quod corpus ibidem quieverit, plane subsistit : at posterior, de corpore Vandagitiam translato, non congruit iis, quæ supra ex Ferrario et monumentis Vandagitiensibus diximus, quod istic Abbas, esset vita functus et depositus.*

13 *Ob hanc difficultatem Augustinus Florentinus, Monachus Camaldulensis, aliam viam ingressus est, parte posteriore historiarum Camaldulensium lib. 4 cap. 6. Ubi* S. Theobaldi, Eremitæ et Monachi, *Vitam describit, hoc exordio :* Requiescit in templo Abbatiæ Vangadiciæ corpus Venerabile S. Theobaldi, Eremitæ incliti, de cujus vita aliquid ex homilia Judoci Chlichtovei, lectionibus atque hymnis ejus Officii, hic enarrare consentaneum duximus. Ortus est Theobaldus Arnulpho, nobili Campaniæ in Gallia Comite *etc. Omittimus singula enarrare, licet alio modo proferantur quam in antiquis Actis sint* (*Alia Augustini Camaldulensis relatio.*) B *scripta. Solum excerpimus, quæ in favorem Ordinis Camaldulensis sic inserta leguntur.* B. Theobaldus, in regionem Vicentinam cum advenisset, quærens locum sanctæ conversioni commodum ; a Petro Venerabili Abbate Vangadiciæ hospitio susceptus est ; ubi sistere coactus, monastici Ordinis accepit consecrationem. *Dein, variis interpositis, ista habentur :* Postremo B. Theobaldus, et corporis imbecillitate et febri fractus, Petrum advocans Abbatem, Sacramentis suum transitum rite munivit devotissime ; ex istoque mirabili hospitio feliciter ad cœlos migravit Kalendis Junii, anno salutis millesimo quinquagesimo. Cum vero ingeminarent quotidie miracula ad ejus sepulcrum, Vicentini corpus rapiunt, uti ex ejus translatione habetur, et juxta muros occulto in loco sepeliunt. Ceterum Petrus Abbas et Oddo socius, de jactura amissi thesauri tristes, explorato loco, effossum sacrum corpus, intempestæ noctis silentio, ad suum monasterium detulerunt Idibus Junii : ubi jacet in basilica Beatæ Mariæ Virginis, cujus translationis celebritas quotannis immensis ad Deum laudibus Monachorum et Clericorum, agitur. Scripsit ipse Petrus, cum Vitam S. Theobaldi, tum Translationis seriem luculentissimo stylo, quam tamen in integrum videre non licuit.

C 14 *Hæc Augustinus Florentinus, plane diversa ab iis, quæ Ferrarius ex monumentis Vangaditiensis Ecclesiæ et Chronico Camaldulensi scripsit ; nec non ab iis, quæ in utraque Vita* S. Theobaldi, *ex tam antiquis et sinceris MSS. damus. Ac primo de Petro Abbate, ista in priore Vita habentur :* Ad extrema perductus, (*Quando et quale schema acceperit S. Theobaldus eremita,*) accersito Petro Abbate, præ omnibus sibi in amicitia familiariter juncto, qui ei eodem anno monachicum Schema sacraverat, commendat illi matrem suosque filios spirituales, cum totius eremi cura. *Eadem, paucis verbis omissis, leguntur in posteriore Vita, absque Ordinis Camaldulensis et Vangaditiæ mentione : et Schema, quale fuerit non judicatur, neque primo anno habitationis, sed nono sive ultimo Petrus illud sacravit. Quidni Monachicum Schema idem intelligatur, quod Eremiticum? At Res ista parvi momenti est. Progrediamur cum Augustino Florentino, a quo dicitur* ad cœlos migrasse Kalendis Junii, anno millesimo quinquagesimo : *quo tempore Theobaldus Eremita adhuc degebat Provini apud parentes : a quibus discessit anno* MLIV, *et* post annos tres peregrinationis *venit ad tugurium Salamicense ; cumque ibidem habitasset* annos novem, migravit ad cœlos (*mortuus, non anno 1050, 1 Junii ;*) pridie Kalendas Julii, anno MLXVI. *Præterea apud Augustinum dicuntur* Vicentini corpus rapuisse, et juxta muros occulto in loco sepelivisse. *At contra, secundum indubitata Acta,* Vicentini, comperto Sancti obitu, una omnes ad officium funeris ruere *dicuntur : postea autem,* feria secunda, die tertia mensis Julii, cum magna frequentia et tripudio populorum, conditum corpus sanctum in basilica S. Mariæ semper Virginis, ad cujus titulum functus est Sacerdotii honore : *atque ibidem ad sepulcrum accurrentes undique, cæci undecim sunt illuminati ; claudi, contracti et alii sanati : et hæc omnia ex authenticis instrumentis constant ; quæ dictus Augustinus se fatetur non vidisse : quod vero ea Petrus scripserit, in antiquorum silentio, nolumus asserere.* D (*AUCTORE G. H. sed anno 1066, 30 Junii, publice Vicentiæ depositus,*)

15 *Denique certissimum est, apud Vicentinos non fuisse corpus relictum ; sed in Gallias translatum esse arbitramur, scilicet Pruvinum, Latiniacum, Bajolicam, et ad alia loca, quæ supra indicavimus. Et hoc Sigebertus, in Chronico ad annum Christi* ML *clare indicat his verbis :* Sanctus Theobaldus, inter Nobiles Francorum non infimus, hoc tempore clarebat : qui mundo et semetipso abnegato, secutus Christum, in Vicentia Venetiæ urbe, reclusus, ibi duodecimo conversationis suæ anno, beato fine quievit. Qui quam accepto servierit Deo, post mortem ejus miraculorum prodidit magnitudo. Ossa ejus in Gallias translata, multam multis in locis venerationem E meruerunt. *Hæc ibi. Arnoldus Wion, ad Kalendas Julii, aliquod simile elogium formavit, et territorio Pruvino corpus attribuit, sed Ordini Camaldulensi adscribit Sanctum ipsum. Martyrologium, Coloniæ et Lubecæ anno* MCCCCXC *excusum, cum Greveno, et Molano in Auctario Usuardi, adscribit ejus venerationem, non Vicentiæ, sed Pruvino in Gallia, ob cultum isto in loco celebrem et Reliquias eo delatas ; fortassis ab ipsamet Sancti matre, paucis post annis a filii canonizatione in patriam regressa ; nec enim in Italia mansisse eam scimus, nec erat quod maneret, ablato inde Corpore. Præterea, ut infra dicitur, in Historia miraculorum Latiniaci factorum,* Translata *illuc* magna parte corporis ejusdem Sancti a Vicentia, cum magno tripudio et comitatu apud Latiniacum, magna miracula facta fuerunt, et basilica illi constructa. *Reliqua supra* §. 2, *et infra in Notis observantur. Hæc dicta sint absque ullo detrimento Ordinis Camaldulensis, cui concedimus ab hoc Sancto alium* S. Theobaldum, *qui, ut supra ex Ferrario diximus,* Vangaditiæ Abbas, multa cum laude et sanctitate vixit ; et piis operibus et ætate confectus, Kalendis Junii anno millesimo quinquagesimo, in eodem monasterio migravit ad Christum : cujus corpus ibidem tumulatum in magna habetur veneratione. *Ferdinandus Ughellus, tomo* 5 *Italiæ sacræ in Vicentinis Episcopis col.* 1109, *testatur hujus* ossa Vangaditiæ pridem, anno MCCCCXI die XXIII Junii ; et anno MDCXXVI solenni pompa in decentiorem locum in eadem Ecclesia translata fuisse. *Eadem referuntur a Francisco Barbarano, libro primo Historiæ Ecclesiasticæ Vicentinæ cap.* 57 ; *qui addit, in ultima anni* MDCXXVI *translatione, sacra ossa fuisse deposita in tabernaculo argenteo ; præter manum dexteram, quæ singulis annis in solenni processione circumfertur, in concursu omnium subditorum dictæ Abbatiæ. Aliquas hujus sancti Reliquias Veronæ in Ecclesia Sanctissimæ Trinitatis, et alias alibi asservari, indicat idem Barbaranus.* (*Corpus videtur in Gallias delatum, aliud autem esse Vangaditiæ,*) F (*anno 1411 et 1626 translatum.*)

VITA

Auctore coævo

Ex pervetustis quatuor codicibus MSS. et Surio.

PROLOGUS.

Armorum * dominos, et bellicosos gentium victores,

* *al.* Antiquos

AUCTORE COÆVO.

A ctores, vel civitatum conditores, novimus loquacium Poetarum præconiis (ut ita dicam) ad sidera tolli, et longissimis annalium sive historiarum ambagibus, ad memoriam posterorum, verbis crepitantibus audivimus frequenter vanissimo studio lectitando laudari. Quod si laudes falsorum deorum, seu suorum satellitum, tanta efficacia verborum adornantur: cur non potius, ad ædificationem audientium, Dei omnipotentis gratuita dona, quæ suis fidelibus quotidie præstare non desinit, omni elegantia sermonis, prout ipse annuerit, debemus enarrare? Verus enim Propheta et Salvator mundi, dum de quinque panibus et duobus piscibus quinque millia hominum satiasset, turbis quærentibus se constituere Regem, ait: Operamini, non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. Et post pauca; Pater meus, inquit, usque modo operatur: qui sine testimonio bonitatis suæ, nullum ordinem seculorum præterire patitur; qui Ecclesiæ decus in Patriarchis et Prophetis inchoat, in Apostolica firmitate solidat, in Martyrum victoria coronat, in Confessorum munditia decorat, in Virginum floribus exornat. Vere, inquam, usque modo operatur; qui Ecclesiam suam in bello rosis ambit, et in pace liliis vestit. Unde ipsa Ecclesia, sponsa scilicet Dei, B amoris telo vulnerata, sanctis prædicatoribus ait: Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo: per florem quippe tenera virtus inchoantium, per malum vero solida operatio perfectorum designatur. Ecclesia ergo fulciri se floribus postulat; quia infirmis quibusque inchoantium virtutem prædicari imperat: stipari malis appetit; quia perfectorum mira facta fidelibus imitanda proponit. Igitur ne studiosas aures audientium, circumlocutionibus verborum, offendamus; simpliciter ac fideliter, prout Deus concesserit, cur ita prælibaverimus, aperiamus.

Joan. 6.

Sanctorum Acta Ecclesiam exornant.

Cant. 3.

CAPUT I.

Ortus, educatio, peregrinationes.

Igitur *a* Theobaldus, bonæ indolis vir, gente Francorum, patre Arnulpho, matre vero *b* Willa, oriundus territorio *c* Senonensi, castro autem *d* Pruvino educatus, flos, ut ita dicam, e spinis erupit: parentibus vero, non solum nobilibus, verum etiam clarissimis atque ditissimis enituit. Cujus nativitatem, C a S. Theobaldo *e* Viennensi Episcopo, procul dubio veracium familiarium ejus relatione; et, quod firmius est, matris ejusdem beati viri assertione, prænuntiatam comperimus. Is etenim Præsul avunculus aviæ S. Theobaldi extitit, et ab eodem, æquivoci nominis vocabulum sortitus est. Qui dum aliquando colloquium haberet cum matre Dominæ Willæ, hujus beati viri genitricis, inter cetera ait: O generosa parens, gaude et lætare, quia ex te prodiet mater, quæ paritura est magni meriti filium; qui omnibus nostræ affinitatis hominibus præeminebit, et ante Deum et homines magnus vocabitur, et erit. Huic etiam præsagio testimonium perhibuit, quædam bonæ voluntatis paupercula; quæ jam gravidam matrem beati viri conveniens, verbis sic solatur amicis: Gaude, Domina, inquiens, quæ in utero gestas filium, qui apud Deum præcipuum obtinebit locum, et suorum erit gloria parentum. O decus, o dulcedo nectarea! Beatus Theobaldus a Præsule prædicitur sancto; a paupercula, illi evangelicæ viduæ æquiparanda, prænuntiatur: ut veraciter illius credatur esse membrum, qui a Prophetis est vaticinatus, ab Angelo annuntiatus, a militia cœlestis exercitus collaudatus, a stella declaratus, a Magis adoratus, brachiis senis Simeonis bajulatus, et ab Anna vidua D in templo est *f* Deus agnitus.

a b c d Provini claris parentibus nascitur, e

prophetatus ab Episcopo, matris proavunculo,

qualis sit futurus,

et a quadam paupercula.

3 Redeamus ad proposita, et videamus de loco, unde tantum decus emanavit. Demum vero ponamus nomina Regum vel Principum, quorum temporibus vir iste floruit; ut et chronicæ scientiam posteris relinquamus, et ad laudem hujus beati viri, ex quanta genealogia prodierit, et ex quali ambitione seculi ad voluntariam paupertatem conversus fuerit, clarius enucleare satagamus. Pruvinum castrum, ubi Sanctum prædiximus ortum, populosus locus est, juris quondam illius *g* Odonis famosi Comitis Campaniensis, cujus propinquum beatum virum fuisse clarum est. Viguit autem temporibus Henrici Augusti, et *h* Henrici Regis Francorum, et filii ejus Philippi. Qui ut adolescentiæ attigit metam, non lasciviam secutus est mundi, sed potius quidquid præceptorum Dei auditu percipere poterat, velut prudentissima apis, in alveari memoriæ studebat convehere. Movebat animum adolescentis maxime, Eremitarum solitudo, quorum initium extitit Elias, et Joannes Baptista: et post eos Paulus et Antonius. Æmulabatur victus eorum tenuitatem, vestium asperitatem, animi contemplationem, et Angelorum in solitudine contubernium. His igitur et hujusmodi facibus accensus, clandestina discessione adiit quemdam Eremitam, in quadam insula *i* Sequanæ latitantem; cui cordis sui aperuit ardorem, non comburentem, sed illuminantem. Cum quo inito consilio, assumptoque *k* Gualtero quodam Milite socio, ascensis uterque equis, cum singulis armigeris Remis civitatem pervenerunt. Miles ergo Christi Theobaldus, relicta domo, patre, matre, fratribus, mancipiis, amplissimisque prædiis, cum omnibus seculi pompis, quasi proximo Pascha accincturus militiæ cingulum, cum jam dicto socio iter arripuit. Cumque apud S. Remigium in prædicta civitate hospitati fuissent, occasione alloquendorum amicorum; armigeris atque equis in hospitio relictis, pedestri itinere noctu ad interiora pertentaverunt progredi.

f g h Amat eremiticam solitudinem, assumit sui instituti socium, E i k frequentat Remis ædem S. Remigii,

4 Inventis vero duobus peregrinis, exuti suis optimis ac militaribus indumentis, illorumque induti resarcitis (ut ita dicam) *l* tapinis, nudis pedibus pervenerunt ad locum, qui dicitur *m* Pitingo, in Teutonicorum videlicet regno: ibique multo tempore voluntariam paupertatem pro Christi amore sustinentes, cum multo labore victum sibi quæritabant. Nam, sicut generaliter, non specialiter, de Joseph canitur in Psalmo, Manus eorum in cophino servierunt; usque ad vilissima ac laboriosa rusticorum opera devoluti sunt: scilicet lapides ferendo, fœnum e pratis secando, stabula curando, et maxime (ut idem simpliciter postea referebat) carbones ad opera fabrilia faciendo, victum sibi cum parvo censu providebant. Tenuissimo igitur collecto nummorum quæstu, ad sepulcrum S. Jacobi in Galicia, Hispaniæ parte, nudis (ut jam diximus) pedibus perrexerunt. Cumque inde reverterentur, diabolus in itinere, humana specie assumpta, per obliquum in via se prosternens, compulit virum Dei ruere: illoque Christi nomen invocante, Crucisque signo se muniente, malignus hostis ut fumus evanuit. Nec mirum, si viro Dei præparavit casum, qui Domino nostro Jesu Christo ausus est suadere ruinam, dicens: Si filius Dei es, mitte te deorsum. Treveris demum urbem cum collega repetens, reperto ibi patre, admodum contristatus est. Romam deinde [profectus est, et inde *n*] regressus, desiderio videndi sepulcrum filii Dei, Venetiam, quasi mare transiturus, expetiit.

l m Pitingi assumit vilissima ministeria:

Psal. 80 F

peregrinatur Compostellam,

inde Trevirim redit. n

ANNOTATA

A

ANNOTATA G. H.

a *Omisso Prologo, Vita in MS. Coloniensi incipit:* S. Theobaldus, devotus Christi Confessor.

b Willa, *aliis etiam* Guilla, *Surio* Gifla; *oppidanis Provini* Guillemette.

c *MS. Reginæ Sueciæ,* Tricassino.

d Pruvinum *seu potius* Provinum, *oppidum in Bria seu Brionia provincia, cujus caput existit, ad amnem Vouziam, ubi rosæ sunt laudatissimæ.*

e S. Theobaldi *Episcopi Acta dedimus* 21 *Maji.*

f *MS. nostrum* præsentatus.

g Odo *sive* Eudes, *primus filius Theobaldi, etiam Comitis Campaniæ, traditur adhuc vixisse anno* 995, *et hujus filius, etiam ipse dictus* Eudes *sive* Odo II, *mortuus est anno* 1037.

h Henricus I, *Rex Francorum, Roberto patri successit anno* 1031; *mortuusque in Bria provincia anno* 1060, *successorem habuit Philippum filium, mortuum anno* 1108 : *quo tempore imperarunt* Henricus III, *filius et successor Conradi, Niger dictus, ab anno* 1039 *ad annum* 1056; *cui successit* Henricus IV *filius, mortuus anno* 1106.

B

i *Distat* Provinum *Sequana* VIII *M. P.*

k Gualtero, *aliis* Gualterio *et* Walterio.

l Tapinis, *id est vilibus et humilibus*, ταπεινὸς *humilis, hinc* tapinosis *et* tapinositas, *pro humilitate, aut humilis styli vitio sumitur.*

m *Jamotte,* Pitingen *aut* Pitange *asserit esse pagum, prope Luxemburgum in diœcesi Trevirensi : eumque exhibent tabulæ supra fluvium Prumiam, tribus Leucis a Treviris.*

n *Supplementi hujus necessitas apparet ex Vita altera num.* 4. *quamvis nec ibi satis integer textus sit, sed alicujus etiam supplementi egeat.*

CAPUT II.

Vita Salanicæ acta. Obitus. Translatio.

Salanicæ tugurium construit, a

Amabilis igitur Domini Theobaldus, hac intentione Italiæ fines oberrans, tandem pervenit ad locum, cui vetustas, *a* Salanica nomen indidit. Perlustrato vero loco, et divina, (ut credimus) dispositione adamato; reperit saltum spatiosum, et ruinas quasi veteris ecclesiæ. Ibi post longinqui itineris fatigationem resedit, et a dominis loci, habitationis domum sibi poscens, libenter illis concedentibus, impetravit. Compacto vero parvo tugurio, confidenter ibi habitare cœpit, et Angelicam vitam in terris actitare inchoavit. Primum a carne et omni pinguedine se abstinuit : demum vero pane hordeaceo et aqua tantummodo usus est : ad postremum a pane et omni potu se abstinens, fructibus tantum et herbis, earumque radicibus aliquantis annis vixit, semper usus cilicio. Divina igitur dispositione actum est, ut proficientibus meritis, omnes Ecclesiasticos gradus usque ad Sacerdotium in Vicentina Ecclesia adipisceretur, præsidente ejusdem Ecclesiæ Cathedræ *b* Sindekerio Præsule, viro in ecclesiasticis et secularibus negotiis strenuissimo.

C *in magna abstinentia degit:*

ordinatur Sacerdos:

b

non nisi sedens dormit,

6 Jam vero quis explicet digne, quas cruces corpori suo sævus persecutor induxerit? quomodo quotidie crucem suam bajulando Christum secutus fuerit, cum ex corio facto multifido flagello sæpius seipsum flagellaverit; quis digne valeat enarrare? Quinquennio igitur, ut ejus fideles et familiares contestantur, numquam jacendo, sed sedendo somnum percepit; et hoc tanta peregit cautela, ut, quasi tota nocte in somno mansurus, diligenter pannis tegeretur; post abscessum vero ministri sui, statim exurgens, conticinii tempora in precibus et laudibus Dei, extensis manibus continuabat : hora vero surgendi ad matutinos hymnos, ut suos lateret, ad stratum, proprium regrediebatur. Illud autem stratum primo quidem quædam arca æqualis superficiei extitit, substrato quodam lineo linteolo, et capiti admoto trunco durissimo, superadditoque laneo pileo, suæ peregrinationis ab æstu defensore : demum vero, cum omnia corporis sui membra armasset, supradicto linteolo supposuit cilicium, et pro arca usus est quodam lato et dolatili ligno. Biennio autem expleto, ex quo vir Dei jam dictum cœperat incolere locum; socius ejus Gualterus, cum bona confessione naturæ solvit debitum, et (ut credimus) conjunctus numero fidelium est.

D *AUCTORE COÆVO deinde supra tabulam:*

dæmonem noctu excitantem signo Crucis fugat:

7 Beato igitur Theobaldo non defuerunt tentamenta antiqui hostis, ne videretur illius beatitudinis expers, de qua Jacobus ait; Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. Nempe quadam nocte, ipso in strato recumbente, nec tamen dormiente; malignus spiritus, magna vi quatiens parietem, affuit; et virum Dei, ad nocturnales hymnos nominatim compellans, surgere hortabatur. Cumque ille motus his clamoribus, quemdam e Fratribus se vocantem putaret, ad cellulam ejus properavit; huncque quiescentem, obserato ostio, invenit. Diabolica igitur cognita illusione, Trinitatem sanctam invocavit; hostem, muniendo se signo Crucis, fugavit; et eum, quasi rusticorum multitudinem, securibus silvam prostrantium, discedere audivit.

Jac. 1. 12

E

ab eo nequit in flumen præcipitari:

8 Quodam tempore Sancto legationem pacis agente, dum in plaustro sedens, apud Leonicum castrum, flumen novum pertransiret (nam præ defectione pedum non valebat longius progredi) diabolus eum in flumen conatus est præcipitare; una enim ex rotis plaustri subito nusquam comparuit. Tamen non prævaluit inimicus, ut virum Dei aliquatenus humectaret; sed ita a voragine fluminis, acsi levis pluma, sive birota *c*, inhumectatus exilivit. c

visitatur ab Angelis,

9 Hactenus in nocte laborum vel tentationum narrationis iter direximus : nunc ad ea quæ plena sunt gaudiis, sicut in die honeste ambulantes, succingamur. Sæpe et frequentius, ut veraces et cauti ejus familiares, Christo teste, affirmant, visione Angelica hic Beatus meruit visitari; et aliquando in specie columbæ, aliquando in specie viri, et in aliis schematibus, quæ ipse solus noverat, spirituum supernorum affatibus dignus fuit mulceri. Quadam die, cum sua commissa lugeret, et more Caleph filiæ, irriguum inferius, et irriguum superius suspiraret; vox ad eum facta est; Noli flere, dimissa sunt tibi peccata tua. Eodem tempore *d* S. Hermagoras et S. Fortunatus, in quorum honore oratorium cellulæ habebatur consecratum, cum magna ei claritate apparuerunt, atque dixerunt; Gratiam et benedictionem a Deo consequaris, qui tam sedulo, nostri memoria, huic ecclesiæ deservis.

F

et a SS. Hermagora ac Fortunato;

d

ministrum sacrificio Missæ sanat,

10 Eadem tempestate quidam ejus minister, nomine Odo, nimiæ febris et fici addictus erat infirmitati, ita ut in promptu putaretur vitam exhalare. Cumque sæpius precaretur Sanctum pro se orare, primo quidem renuit, et columbina, ut erat, simplicitate respondit : Dei voluntati contraire timeo, cujus nutu te esse infirmum cognosco. At ubi vidit ingravescente morbo, mortem imminere fideli ministro, dolens de ejus absentia, jussit eum ferri ad ecclesiam. Cumque eo præsente Missarum sacrificia celebraret, mysteriis Christi illum participavit. Eadem hora frater ad cellulam suis pedibus rediit, qui aliorum adminiculo fuerat delatus.

a parentibus invisitur,

11 Audientes igitur pater et mater inclitam famam beati filii, cum multa nobilitate ad eum venerant

A runt, ejusque visione nimium gavisi sunt. O quantis lacrymis mater exuberavit, cum gauderet inventum, quem doluerat amissum: et inter lacrymosa suspiria dubitabat pene, quid mallet; quia et patriam cum viro et liberis nolebat deserere, nec ab unicæ dilectionis filio Theobaldo volebat separari. Tamen amor filii immo amor Christi, vicit amorem seculi. Nam abruptis omnibus retinaculis seculi, soli Domino Deo cum filio servitura adhæsit: fortis enim est, teste Salomone, ut mors dilectio. Per filii dilectionem ad Dei pervenit caritatem, et quæ magnam in mundo possederat prædiorum amplitudinem, unius brevis cellulæ, cum filio Deo famulatura, elegit solitudinem. Cui filius cum tanta humilitate obsecutus est; ut non facile queat enarrari. Ex hoc vero ejus obsequium potest argumentari; quod nullo hiemis rigore, nulla frigoris inclementia ingruente, a conspectu reficientis matris, nec ad modicum passus est abesse.

AUCTORE COÆVO — Cant 8. — *matri inservit:*

12 Biennio igitur hic Beatus ante suum transitum, ab omni tentatione diaboli, ab omni pollutione carnali, suis credulis Fratribus se perhibuit immunem. Quo tempore ita vulneribus corporis undique obsitus fuit, ut aliquando neque gressum figere, neque manum etiam ad os ducere valeret. Supernus B enim artifex. vas electionis sibi aptum, igne tribulationis et lima infirmitatis, voluit septuplum purgare; ut eum sine rubigine, in domo sua beatum faceret habitare. Illud vero magis stupendum est, quod nullo genere infirmitatis, nulla defectione carnis, ab proposito rigore jejunii potuit flecti. Ingravescente ergo ulcerum valetudine, et scivit et prædixit, in proximo se migraturum. Cumque duodecimus annus volveretur, ex quo patriam reliquerat (nam tribus annis peregrinatus est, et novem in solitudine mansit) ad extrema perductus, vigore corporeo cœpit omnino destitui.

biennio vulneribus obsitus, — *deficit.*

13 Accersito vero Petro Abbate, præ omnibus sibi in amicitia familiariter juncto, qui ei eodem anno Monachicum schema sacraverat; commendat illi matrem, suosque filios spirituales, cum totius eremi cura. Ante tertium diem suæ migrationis, quinquies gravissimus terræ motus extitit; ex quibus quidam a foris stantes, omnes vero in cellula Sancti astantes [ipsum] senserunt. Unde conjicitur, illius Majestatis præsentiam migranti affuisse, de quo dicitur. Qui respicit terram et facit eam treC mere. Testantur, autem qui affuerunt, duræ eum mortis gustasse calicem. Nec mirum: illi enim adhæserat, qui pro nobis peccatoribus, a Judæis morte turpissima condemnatus, peccata nostra ipse portavit, cujus livore sanati sumus. Cumque diu in agonia desudaret, quidam e familiaribus, divinitus (ut credo) inspiratus, quosdam e popularibus mares et feminas adstantes, blanda voce discedere suasit. Quibus recedentibus, Viatico Dominici corporis accepto, cum sæpius iterasset; Domine miserere populo tuo, divinis fatigatum officiis spiritum reddidit, suis plorantibus, Angelis gaudentibus. Qui autem sancto corpori propius astabant, testati sunt, quod nec tenuis macula illum fuscasset, sed quodam resurrectionis decore ejus vultus niteret. Migravit autem pridie Calendas Julii ad vesperum *e*, Indictione quarta, regnante Henrico, filio Henrici Augusti, in Italia; Philippo, in Gallia regnante; auxiliante Domino nostro Jesu Christo, qui in Trinitate perfecta vivit et regnat Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

Commendat matrem, et discipulos Abbati amico. — Ps. 105. — *et terræ motu facto* — *feliciter obdormit 30 Junii.* — *e*

14 Vicentini igitur, comperto Sancti obitu, una omnes ad officium funeris ruere. Clerus, omnis plebs urbana et rustica, in unam coiere sententiam. Armati et inermes, juvenes et senes, non solum ab urbe, sed etiam a vicinis castris eruperunt; et magna vi in solitudinem penetrantes, ab ecclesia cel- D lulæ ejus, beati viri glebam sustulerunt. Residui vero, qui in civitate restiterant, matronæ, pueri et puellæ, sancto corpori processerunt obviam, duobus ab urbe millibus, in loco qui dicitur ad Curtem *f*, ubi geruli beati corporis quieverunt. *f*

15 Postera die feria secunda, tertia die mensis Julii, cum magna frequentia et tripudio populorum conditum est corpus sanctum in basilica S. Mariæ semper Virginis, ad cujus titulum, Sacerdotii functus est honore. Per omnia benedictus Deus, qui facit mirabilia magna solus. Post tumulationem B. Theobaldi, placuit divinæ Majestati, annuente beata Dei genitrice Maria, cooperantibus *g* Sanctis Martyribus Leontio et Carpophoro, in quorum basilica idem requiescit, mirificare Sanctum suum virtutibus et miraculis. *g*

Sepelitur in templo S. Mariæ.

ANNOTATA G.H.

a Salanica, *alias* Sallanica, *et* Salaniga, *in ditione et diœcesi Vicentina.*

b Sindekerius, *aliis* Sindicherius, Lindikerius *Ughello*, 24 Episcopus Vincentinus, cœnobii S. Petri pro monialibus Benedictini Ordinis restaurator, E anno 1054.

c *Ita MS. nostrum; MS. Reginæ Sueciæ,* sine rota; *quod magis placet. In codice Theodosiano lib.* 6. *tit.* 29, Birotum *appellatur, quod trinis mulabus trahebatur, ut explicat Gothofredus. Sed nihil hoc facit ad rem præsentem: præterquam, quod* birotum, *per se sufficienter notet vehiculum, a binis rotis, quibus volvitur, sic dictum; uti infra pag.* 549, *num.* 12, *recurrit. Malim igitur legere cum citato MS. Reginæ,* sine rota; *quia altera rota, vehiculo jam ante ablata erat arte diabolica; atque ita in fluvium lapsus, debuisset citius, madefieri, nisi propere ut levis pluma exsiliisset.*

d Hermogenes Lector et Fortunatus Diaconus, *martyrio coronati Singidoni* 23 *Augusti, quiescunt Aquileiæ.*

e *Anno* 1066, *littera Dominicali A, et sic* 3 *dies Julii incidit in feriam secundam, ut infra dicitur.*

f *Addit MS. nostrum* Camini, *ubi quiescebant propter diem Dominicam, tunc* 2 *Julii.*

g SS. Leontii et Carpophori Martyrum *corpora condita sunt in Ecclesia Cathedrali, Deiparæ Virgini Mariæ dicata. Coluntur* 20 *Augusti.* F

ALIA VITA

Bullæ Canonizationis adjuncta,

ex quodam nostro Codice MS.

Alexander *a* Episcopus, servus servorum Dei, omnibus fidem Christi colentibus, gratiam et Apostolicam benedictionem. Multa præclara et admiratione digna, de quodam Eremita, religioso viro, Theobaldo nomine, celebris fama divulgat. Quam sancte et religiose vixerit, et exutus omnibus, Dominica præcepta secutus sit, cum in præsentiarum fuisset, manifeste patet. Miraculorum vero indicia, indubitata fide, ejus merita commendant; multis religiosis viris, super his cognita et vera referentibus. Quapropter vitæ ejus conversatione cognita, et miraculorum indiciis probatis per non fallacia testimonia; suggerentibus nobis de eo *b* Mainardo et Damiano Episcopis, et Vincentiæ populo, illum celebri memoria dignum Romana decrevit Ecclesia. Et quia procul dubio cum electis coronatur in cœlis, præcipimus ut illius memoria, sicut et aliorum Sanctorum, solenniter celebretur in terris.

a — *Sanctis adscribitur ab Alexandro Papa.* — *b*

2

A LECT. I 2 S. Theobaldus, ante mundi constitutionem præscientia Dei electus, gente Francorum, patre Arnulfo et matre Willa, oriundus fuit, in Comitatu Trecasino, castro autem Pruvino natus et educatus. Parentibus enim non solum nobilibus, verum etiam clarissimis atque mitissimis enituit: cujus nativitatem, a S. Theobaldo Viennensi Episcopo, ex familiarium ejus relatione, et matris ejusdem beati viri assertione, prænuntiatam comperimus. Is etenim Præsul, avunculus aviæ S. Theobaldi extitit: qui dum aliquando colloquium cum ea haberet, inter cetera ait: O generosa parens, gaude et lætare, quia ex te prodiet mater, quæ paritura est magni meriti filium, qui omnibus nostræ affinitatis hominibus præeminebit, et ante Deum et homines magnus vocabitur, et erit. Huic præsagio testimonium perhibuit quædam bonæ voluntatis paupercula, quæ jam gravidam matrem beati viri conveniens, verbis sic consolatur amicis; Gaude Domina, inquiens, quæ in utero gestas filium, qui apud Deum præcipuum obtinebit locum, et gloria suorum erit parentum. Pruvinum castrum, in quo vir sanctus natus est, sub ditione olim fuit potentis et famosi Odonis, Comitis Campaniensis, et patris Theobaldi sibi in Comitatu successoris, qui hujus sancti viri erant propinqui. Felix ergo puer in baptismo nomen præsagi sui Theobaldi Viennensis Præsulis, et Theobaldi Comitis, cognati sui, a quo de sacro fonte fuit levatus, nomen sortitus est.

Prædicitur nativitas ejus a S. Theobaldo Ep. et a paupercula.

B

LECT. II. 3 Qui ut adolescentiæ attigit metam, non lasciviam sectatus est mundi. Movebat enim animum ejus Eremitarum solitudo, quorum æmulabatur parcitatem in victu, et asperitatem in vestitu. Et sic incitatus adiit quemdam Eremitam nomine Buchardum, *c* in quadam insula Sequanæ latitantem. Cum quo inito consilio, et assumpto Waltero Milite suo; relicta domo, patre, matre, fratribus, cognatis, cum omnibus seculi pompis, iter arripuit. Et tandem ad civitatem Remensem pervenerunt. Et ficta occasione alloquendorum amicorum, armigeris in hospitio relictis, pedestri itinere noctu ad ulteriora tentaverunt progredi. Ubi inventis duobus peregrinis, exuti suis militaribus indumentis, et acceptis peregrinorum vilibus vestibus, nudis pedibus perrexerunt ad locum, qui dicitur Pitingo, in Teutonicorum regno: ibique multo tempore voluntariam paupertatem sustinentes, vilissima ac laboriosissima rusticorum opera, lapides ferendo, fœnum in pratis secando, stabula curando, carbones ad opera fabrilia faciendo, vineas purgando, et laborando, cum multo labore victum sibi cum parvo censu providebant. In præfato igitur loco Teutonicorum aliquamdiu commoratus, tenuissimo nummorum collecto quæstu, ad sepulcrum S. Jacobi in Galiciam, Hispaniæ partem, nudis pedibus cum socio perrexit. Cumque inde reverterentur; diabolus in itinere, humana specie assumpta, per obliquum in via se prosternens, compulit virum Dei ruere: sed eo, se signo Crucis muniente, ut fumus evanuit. *d* Deinde cum duobus sociis [pergens; cum] post duorum dierum inediam, itinere, fame, et siti afflictus, deficeret in via; comites aliquantulum præcedens, panem in orbita plaustri, a Deo sibi præparatum, invenit. Et quia prope erat rivulus aquæ, socios ad reficiendum invitavit. Perquirentibus illis quo pane vescerentur in solitudine? Hoc, inquit: et panem qui sub veste latebat, ostendit. Qui tunc intellexerunt, Angelicam administrationem fuisse.

c Peregrinatur Remos, Pitingum,

C

Compostellam.

d Panem in fame accipit, a Deo præparatum.

LECT. III. 4 Post reditum monuit suum sodalem Walterum, ut Clericum quæreret, qui sibi septem Psalmos doceret. Quibus edoctus, Psalterio indiguit. Tunc Walterus persuasit Wilermo, sancti viri Clerico, ut ad Gallias tenderet, et patri viri sancti intimaret, ut Psalterium filio transmitteret. Tunc Clericus *e* virum sanctum adiit, licentiam postulans ut Gallias inviseret. Qua data, petiit quid patri et matri ejus deferret. Qui parvum panem, quem ex quodam monasterio caritative habuerat, ut parentibus portaret, tradidit. Quem parentes pro summis donis receperunt: et infirmi, qui de illo pane comederunt, ab omni genere febrium sanati sunt. Tunc Clericus patrem, desiderio videndi filium tabescentem, Treveris deducit; eumque extra civitatem sub ulmo, ubi Sanctus legere consueverat, abscondit. Postea discipulum monet, ad locum consuetum ire, ut videret quid interim profecerat in lectione. Qui dum iret, prophetali spiritu dicebat, quia quod nollet, in hoc itinere videret. Invitus tamen ad locum pervenit, et patrem cum militibus, jacendo frena tenentibus, offendit. Tunc tristis; Tradidistis me, inquit, duces mei. Concito gradu sic loquendo revertebatur. Quem pater cum lacrymis prosequebatur, ita filium increpans: O fili, quem fugis? Patrem fugis, non hostem. Nolo te a desiderio tuo revocare. Liceat mihi semel videre te, ore ad os loqui, et vidisse me filium mœstæ parenti renuntiare. Cui ille, Noli, Domine, inquit, inquietare me. Vade in pace: et me in Christo pacem habere permitte. Tunc patris visum et colloquium evasit. Sic rediit pater lætus et tristis, visu et allocutione filii.

addiscit 7 Psalmos,

D EX MS.

e panem patri mittit:

eumque paucis alloquens,

E

LECT. IV. 5 Præcavens in futurum vir sanctus, ne parentum importunitatem pateretur, Romam abiit, ut longiorem aggrederetur peregrinationem: sed Dei clementia nostris [eum] partibus reservavit. Nam impie cæsus per tota membra, transire non potuit; et propter multa incommoda Roma regressus, desiderio visendi sepulcrum filii Dei, Venetias mare transiturus expetiit. Qui hac intentione fines Italiæ pererrans, pervenit ad locum qui Sallaniga vocatur. Perlustrato vero loco, reperit saltum spatiosum et ruinas veteris ecclesiæ, ubi resedit, Waltero collega suo deficiente. Qui ultra progredi cum denegaret, assensu viri sancti Veronensem civitatem expetiit: et Dominum loci perquirens, ab eo locum ad habitandum impetravit. Quo concesso, vir Dei Theobaldus, compacto parvo tugurio, ibidem habitare cœpit, et vitam Angelicam in terris actitare inchoavit. Sciens enim quia caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem, flagello, ex corio facto, corpus suum sæpius flagellabat. Sic carnis mortificationem in membris suis portans, diu in fame et siti, in verberibus plurimis corpus contristavit; nocte vero, quæ omnibus requies data est, toto quinquennio numquam jacendo, sed sedendo, somnum cepit. Biennio autem expleto, quo vir Dei dictum cœperat habitare locum, socius ejus Walterus in sancta religione naturæ solvit debitum. Quo tempore contigit Mediolanenses aliquot, ad S. Marcum gratia orationis euntes, audita fama sancti viri, ad eumdem locum (sicut ex diversis locis ad eum confluebant) accedere. Quibus verbo Dei refectis, deinde carnis refectionem sumentibus, præcepit cuidam Diacono, nomine Dionysio, qui eum litteras docebat, potum administrare. Qui mandatis non parebat, quia vinum non habebat: ipse enim nocte præcedente cum sitiret, vasculum, ubi vinum fuerat, everterat. Tunc bis et ter admonitus, propter importunitatem, viri sancti obediens præceptis, ad vasculum quod vacuum reliquerat, accessit; et plenum invenit. Quo aperto, et vino cum impetu saliente, ejus gremium totum respersit. Quo miraculo stupefactus, cum timore hospitibus ministravit: unde peregrini plene refecti sunt, et Fratres de reliquo per tres hebdomadas vixerunt.

Sallanigæ tugurium figit:

studet mortificationi corporis,

F

vasculum vacuum vino replet:

LECT. V. 6 Sæpe etiam visione Angelica meruit visitari. Unde divina providentia actum, est, ut ejus proficientibus

A cientibus meritis, omnes Ecclesiasticos gradus, usque ad Sacerdotium, in Vincentina Ecclesia adipisceretur. Eodem tempore Odo minister ejus, nimia febris et fici afflictus erat infirmitate, ut in promptu putaretur vitam exhalare. Cumque sæpius precaretur Sanctum pro se orare; primo renuit, et columbina, ut erat, simplicitate, respondit: Dei voluntati contraire timeo, cujus nutu te infirmum esse cognosco. Sed ubi ingravescente morbo mortem imminere vidit, dolens de ejus absentia, jussit eum ad ecclesiam ferri. Cumque eo præsente Missam celebrasset, eadem hora ad cellulam suis pedibus rediit, qui vix fuerat ad ecclesiam portatus. Quidam Presbyter *e* oculorum lumine privatus, ab eo levamen impetrare nequivit; viro sancto dicente, Sanctorum hoc opus esse, non suum. [Ergo] a fidelibus ministris aquam manuum ejus expetiit: qua, viro sancto ignorante, data, ille oculos lavit et vidit. Audiens pater Arnulfus famam beati filii, Romam ire disposuit, ut filium inter eundum visitaret. Cujus diem adventus vir sanctus, spiritu prophetiæ illustratus, prænuntiavit Odoni fideli ministro, ad villam ire volenti: dicens ei, ut cito B reverteretur, quia hospites ea die essent accepturi. Qui instando dum requireret, Quos? nominatim patrem Arnulfum, Henricum militem, Odonem Presbyterum, cum pluribus aliis, respondit.

EX MS. Sacerdos factus, Missam celebrando sanat ministrum ægrum, e cæcum illuminat aqua lotionis manuum:

LEC. VI. 7 Regressus a Roma S. Theobaldi genitor Arnulfus, quæ vidit et audivit de filio, matri ejus Dominæ Willæ narravit. Qua secum assumpta, cum multa nobilitate ad eum venerunt, ejusque visione nimium gavisi sunt. Cujus mater inter lacrymosa suspiria dubitavit, si patriam cum viro et filiis desereret, aut cum unicæ dilectionis filio Theobaldo, a quo nolebat separari, maneret. Tamen amor filii, imo Christi, vicit amorem seculi. Nam abruptis omnibus retinaculis seculi, soli Domino Deo cum filio servitura adhæsit; et quæ magnam possederat prædiorum amplitudinem, unius brevis cellulæ cum filio, Deo famulatura, elegit solitudinem. Cui filius in tanta humilitate obsecutus est, quod nullo hiemis tempore, nulla frigoris inclementia ingruente, a conspectu reficientis matris passus est abesse. Regressus itaque pater Arnulphus ad Gallias, ob negotia domesticæ curæ disponenda, pro affectu tam sancti filii quam sanctæ conjugis, cœpit moneri, ut modico labente intervallo Romam repetens, iterum C Sallanigam visitaret. Cui filius, sciens quæ longe a se gesta erant, inter cetera viæ colloquia, miseriam prænuntiavit maximam, antequam domi rediret, affuturam. Cui etiam notitiam miseriarum quærenti, aperire noluit. Cum autem Roma rediret, patri quod contigerat prædixit, nec tamen quod erat aperuit. Post ejus abscessum, Odoni fideli suo manifestavit, fratrem occisum. Tunc sacrificium laudis Deo pro fratre immolavit, antequam mater resciret.

a parentibus invisitur: matri inservit: absens novit, occisum fratrem:

LEC. VIII. 8 Biennio hic Sanctus ante suum transitum ab omni tentatione diaboli, ab omni pollutione carnali se perhibuit immunem. Sed vulneribus corporis undique obsitus fuit, ut nec gressum figere, neque manum ad os ducere valeret. Inter hæc Mutinæ civitatis *f* Antistes, dum a Principibus, Clericis et Parochianis suis expulsionem expectaret, convocavit sororem suam religiosam, et in quibus esset angustiis declaravit. Monet eam, ut ad S. Theobaldum festinet, et causam suam manifestet, et ut subveniret in amaritudine posito, efflagitet. S. Theobaldus, in compassione mirabilis, prima die celebravit supplicans Deo, ut Episcopum reconciliaret inimicis. Secunda die, cum idem opus precibus et lacrymis iterasset, sorori Antistitis dixit, ut cum gaudio remearet, quia fratrem in Sede Pontificali, sedata omnium dissensione, inveniret.

biennio vulneribus obsitus, f Missæ sacrificio procurat reconciliationem Episcopi,

9 Ingravescente vulnerum valitudine, scivit et D prædixit S. Theobaldus, in proximo se migraturum. LEC. VIII. Cumque duodecimus annus volveretur, ex quo patriam reliquerat (nam tribus annis peregrinatus est, et novem annis in solitudine mansit) ad extrema perductus, accersito Petro Abbate, sibi in amicitia juncto, qui eidem eodem anno monachicum schema sacraverat, commendavit illi matrem filiosque spirituales cum totius eremi cura. Cum diu in agonia desudaret, viatico Dominici corporis accepto, cum sæpius iterasset, Domine miserere populo tuo, spiritum reddidit *g*.

Viatico sumpto pie moritur. g

ANNOTATA G. H.

a *Hic est* Alexander II Papa, *creatus anno* 1061, *mortuus* 22 *Aprilis anno* 1073, *id est annis* 6 *et mensibus* 10 *post obitum S. Theobaldi.*

b *Non occurrunt Sedes, quibus præfuerint, forsan Mainardus fuit Vicentinus, in Catalogis Bernardus dictus, aut hujus successor.*

c *In Breviario Æduensi anni* 1534, Buchardum, qui postea factus est monachus in monasterio S. Petri, Senonensi, quod dicitur Vivi, *sive* S. Petri E Vivi.

d *Desunt sequentia in priore Vita, fere usque ad Lectionem sextam.*

e *In MS. Reginæ Sueciæ additur*, nomine Hunicus a Ceslano castro.

f *Videtur esse* Herebertus, *Episcopus Mutinensis, creatus anno* 1054: *qui postmodum partibus Henrici Imperatoris adversus S. Gregorium VII Papam adhæsit, mortuus* 1094.

g *Reliqua deerant in MS. supplenda ex priore Vita. Mirum est autem, si non etiam hic desit conclusio ipsius Bullæ, sic ut Vita eam non sequatur, sed eidem interponatur.*

MIRACULA

Vicentiæ, Latiniaci, Basilicis, et Mercuriæ facta.

CAPUT I.

Ex MS. Archimonasterii Cisterciensis.

Altavilla dicitur castrum, ab urbe Vincentina F quinque distans millibus, unde quædam femina, oculorum acie damnata, dum Sancti expetisset tumulum, Deo favente luminis recepit officium. In eadem civitate Vincentina, alia femina, similiter oculorum lumine privata, dum Dei misericordiam et Sancti implorat clementiam, pristinum recepit visum. Res est manifesta; persona nota; nomen, quia in promptu est, tacemus; notus locus, Drixinum dicitur, unde alia, pari infortunio capta, adveniens ad sepulcrum Sancti, similem adepta est medelam.

Sanantur tres cæcæ, a

2 Quidam claudus, membris et gressu contractus, civis Beneventanus, ad sepulcrum ejus clementiam Dei implorans, compaginibus membrorum solidatis, incolumis exilivit. Alia persona supradicti sexus, vigore membrorum destituta, manuum atque gressuum robore erat dissoluta, quæ B. Theobaldi mausoleum frequentans, ejus interventu ad propria rediit firmato gressu. Villa dicitur *b* Castanedrum, ubi moratur, hanc adepta medelam. O inclita Venetia, etiam tu experta es herilem virtutem. Nam quædam sub specie religionis mutato habitu velata, ariditate manuum fuerat debilitata. Hæc suis illata ab oris, præsentibus populorum turbis

claudus, b et aridam habens manum,

A turbis, officium manuum recepit, S. Theobaldi meritis.

cæcus coram multo populo, 3 Placuit divinæ Majestati, interventu B. Theobaldi, geminare miraculum, cum ejusdem regni indigenam, cæcum puerum, ad pristinam restituit oculorum claritatem. Quod miraculum quam celebre, quam credibile constat, millia populi circumstantis testantur: in hoc etiam memorabile, quod hora eadem, vespertina scilicet a Clero excelsa voce modulabatur Antiphona; Multa quidem et alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Ponamus aliud miraculum, quod quamvis sit ordine temporis præposterum, tamen necessario est permutatum. Puer
c paralyticus, de Villanova, nomine *c* Venerus, pede et brachio paralyticus, in publico et celebri conventu fidelium, utpote octava Paschæ die, et in præsentia sancti Corporis constanter congregatorum; dum ad ejus fuisset adductus oratorium, gressus et manus recepit officium, et multo favore suorum sospes repetiit domum.

d dissilit a brachio circulus ferreus, 4 Quidam de *d* Novaria, civitate Italiæ, non quidem pro aliquo reatu, sed sponte, brachio gestans circulum ferreum, pervenit ad sepulcrum:
B cumque ibidem pervigilaret, et ad candelam, quæ casu a candelabro ceciderat, erigendam, vinctum brachium extendisset; circulus ferreus confractus est; magnoque tinnitu crepitans, longius a brachio dissiliit. Alter Turonensis, nomine Martinus, utroque brachio manicis ferreis adstrictus, post multorum Sanctorum circuitiones, adhuc Sancto superstite, ad solitudinis locum, quo Beatus idem morabatur, pervenit: eumque pœnæ suæ et reatus conscium reddidit, et fratricidam se esse *e* lacrymabiliter manifestavit. Cui Sanctus propositum iter ad sepulcrum Salvatoris peragere suasit, eique prophetica voce dissolutionem unius brachii prædixit. Perrexit ergo, et juxta viri Dei verbum, apud Dominicum sepulcrum unius dissolutione brachii gavisus est. Reversus autem a Hierosolymitano itinere, Beato jam ab hoc seculo translato, cum magnis lacrymosisque querimoniis ejus expetens sarcophagum, his verbis cœpit ipsum *f* increpare: Tu, inquiens, jussisti me ire et reverti: ecce veni, et te superstitem non inveni. Miserere mei, Sancte Dei, miserere infelicitati meæ: solve reum, consolare peregrinum, qui tuo jussu tantum peragravi terra-
C rum. Illo ista prosequente, et talia multa repetente,
item alterius; circulus ferreus, a brachio cum magno tinnitu longius exiliens, crepuit, adstantesque magno gaudio replevit. Hæc ergo quæ retulimus ab ore ipsius, de quo res agitur, didicimus.

illuminantur 4 cæci, 5 Quaternorum cæcorum generaliter exequimur illuminationem: quorum unus senex, a jam dicta civitate Novaria, alius a *g* Laugagno puer, tertius a Taurinensi comitatu, quartaque puella a Colonia *h* castro, noscuntur advenisse. Sed puer in gradibus ecclesiæ, antequam Sancti contingeret sepulcrum, illuminari meruit; Taurinensis vero, dum alterius assisteret pedissequis, solus et pedester post illuminationem, ad sepulcrum *i* S. Marci, prout proposuerat, constanter arripuit deambulationem.

item 3 alii, 6 Nuper quoque, fidelibus populis celebrantibus festum dominicæ Ascensionis, multa populorum adstante frequentia, et vigiliarum excubias observante, Forojuliensis puer cæcus, ad B. Theobaldi mausoleum, oculorum recepit officium. Gemini præterea cæci, unus de *k* Manzulino, alter de *l* Pauciugo, caligine tetræ cæcitatis absorpti, cum lucidum Beati viri implorarent suffragium, optatum meruerunt recipere visum.

m hydropicus, 7 Quidam hydropicus, ab Axana *m* adveniens ad ejus Beati urnam, deformi ventris tumore sedato, incolumis sese retulit solo nativo. Duo debiles, D
unus attractus genu, alter privatus gressu: primus de castello *n* Luco, sequens de Aurelano *o*, vehiculo usi alieno; post diuturnam membrorum dissolutionem, ad sepulcrum ipsius receperunt officii corporei firmitatem, opitulante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat per omnia secula seculorum. Amen.

ANNOTATA G. H.

a *Surius,* Prixinum. *Quid si* Brixinum *esse suspicer? quæ civitas est Episcopalis in Tiroli, Tridento ac OEniponte fere æqualiter distans versus Ortum.*

b *Eidem,* Castranendum, *forte* Castandulum, *territorii Brixiensis.*

c *MS. Cisterciense,* Verius; *Surio,* Venereus: *est autem* Villanova *oppidum diœcesis Astensis.*

d Novaria *urbs Episcopalis inter Vercellas et Mediolanum, in cujus Ducatu consistit.*

e *Tria MSS.* miserabiliter; *Surius,* lamentabiliter.

f *MSS. Reginæ Sueciæ et Bonifontis,* increpitare, *Surius,* intercrepans.

g *MS. Cisterc.* Laimagno. *Sed nihil huic voci* E *affine suggerunt tabulæ, unde lumen petatur.*

h Colonia, *Patavini territorii locus est.*

i *Ita 4 MSS. at Surius,* sancti viri.

k *MS. Bonifontis,* Mancilino; *nostrum MS.* Mantulino; *Surius* Matulino.

l *MS. Bonif. et Reg. Suec.* Paucinigo. *MS. nostrum cum Surio,* Pauciligno; *sed neque hujus neque superioris loci vestigia reperiuntur in tabulis, unde genuina lectio dijudicetur.*

m *Neque hunc locum adhuc contigit invenire.*

n *Uti nec hunc.*

o *MS. Reg. Suec.* Orclano, *MS. Cisterc.* Milano. *Ita universim nomina omnia misere luxata sunt inter imperitorum librariorum manus: nec enim credibile est, cuncta ea loca pariter abolita latere.*

CAPUT II.

Ex MS. Card. Mazarini, nunc Regis.

Quot cæci, quot debiles, vel ægroti, seu variis passionibus addicti; quotve energumeni, ad beatissimi Theobaldi tumulum in Vincentia sunt sospitatem adepti, non est possibile sigillatim enarrare, translata magna parte corporis ejusdem Sancti a Vincentia, cum magno tripudio et comitatu, apud *a* Latigniacum per Burgundiam, in qua facta fuerunt magna miracula; et ob hoc ibi fuit statuta ecclesia, ubi usque modo fiunt in populo ad laudem Domini multa beneficia. Tandem illæ sanctæ Reliquiæ inferuntur in ecclesiam S. Petri apud Latigniacum. *Aliquæ reliquiæ Latiniaci,* F *a cum ecclesia.*

9 Cum igitur, omnibus in pace compositis, res sederent in tranquillo, Robertus quidam, natione Brito, cibum manu quæritans, illa morabatur in vicinia. Hic dum una noctium se dedisset sopori, quadam divina monetur visione, quatenus cuidam Ivoni nuntiaret, ut illinc beatum Dei Theobaldum transferret, in locum silvæ, quæ Fagos dicebatur. Hoc visu homo ille angebatur animi, nulli putans tutum aperire, quod semel viderit. Secundo, super eodem monitu fit visio: necdum etiam ratum habuit homo, cuilibet hoc detegere. Tertio fit ei non parva visio, sed et acris objurgati concrepatio. Cui dum ille, positus in visione, responsum haberet; se metuisse, ne sopori tantum, et non monitioni deputaretur; et ob id nil fidei verbis suis haberetur; se quoque ignorare ubi primi aditus futuræ domus facienda *post triplicem in visione monitionem,*

A cienda essent fundamenta ; jubetur sequi. Venitur ad condensum et peropacum ejusdem silvæ locum. Hic, inquit, quod quæris, prima nascentis ecclesiæ surgent limina; hic vero (jam enim ad locum transierant, ab hoc parum distantem) hic, inquit, fiet puteus, a quo multa beneficia percipiet quivis infirmus, qui accedet integro corde rogaturus. Ecce, inquit, audisti ; locum vidisti : nihil dissimulationis ulterius ostendi poterit : nil desidiæ, nil socordiæ ultra patiaris, in patrando tibi divinitus delegatum officium. Hæc ostendens, hæc præcipiens, erat ipsemet B. Theobaldus, vultu serenus, visu præclarus.

ex MS. et ostensum locum ecclesiæ struendæ ac putei fodiendi ;

10 Homo prædictus, de visione jam certus, facto die, prædicto Ivoni quidquid sibi visum fuerat, fideli relatu exposuit; per ipsum quoque Domno Abbati *b* res palam facta est : uterque ut frivolum neglexit. Pauperculus autem, locum sibi signatum futuri putei, cavare totis viribus elaborabat, et egestis ruderibus emundabat. Prima scatebra laticis ebulliente, ipsi immerso S. Theobaldi brachio, et ceteris quam multis Sanctorum pignoribus, sanctificatur aqua, quæ multis infirmorum laboribus erat profutura. Hujus primum tale Deus dedit experimentum. B Muliercula quædam de Tornaco, sexennio cæca, illuc perducta est ; quæ peractis dominicæ noctis vigiliis ; ea quidem tunc aqua, tot pignoribus Sanctorum consecrata, oculorum loca perfudit, visumque recepit, et nullius egens adminiculo, gaudens sua repetivit. Fama circumvolante, et tam insperatam salutem deportante, magnus infirmorum concursus illic fit, aqua putei resperguntur, et sic febres fugiunt ; imperfectis artubus, quolibet ingruente casu, perfectæ sanitates accedunt. In his omnibus Dei pietas magnificatur, et sui fidelis Theobaldi nomen ampliatur. Benedictus Deus per omnia.

b aqua hujus Reliquiis sanctificata, cæca illuminatur : febres et alii morbi pelluntur,

11 Britannia meruit non secludi a participio tanti beneficii. In hac erat cuidam patri et matri filius, tanta membrorum inæqualitate diminutus, ut sola mortis imago videretur in eo. Non erat ille contractus, non *c* endeticus, non paralyticus, sed ferme tota mole extensus, nullam mutationem lateris poterat facere, nisi hoc paterni et materni doloris tristi labore. Internodia poplitum nulla solutionis utebantur vicissitudine ; ipsaque genua quasi cohærentia stringebantur : crura et pedes invicem collidebantur, et nisi paternis et maternis laboribus, vel panniculos, vel aliquid ejusmodi curaret interserere, innexionem sibi invicem videbantur facere : manus et brachia quasi non essent, sic torquebantur inutilia.

puer toto corpore miserabilis. e

12 Hunc tum miserum, tum defectione imperfectum, uterque parens, audita sancti viri Theobaldi fama, birotæ superposuerunt ; et quia omni carebant adminiculo, seipsos applicuerunt ; et sic, post multum sudorem et angorem, post multam famem et sitim, pervenerunt, quo eos desiderium suum impellebat. Videntes quique mirabantur, et ne quid ejusmodi paterentur, Dominum deprecabantur. Ejus curatio differtur aliquot dierum intervallo, ut quotquot testes habuit ejus miseria, tot etiam testes haberet pietas divina. Igitur qui olim dixit ; Si non surget eo quod ejus amicus sit, propter improbitatem tamen ejus surget, et dabit ei quoquot habet necessarios; ille, inquam, ipsius parentum lacrymis tandem evictus, per dilectum sibi filium Theobaldum, integre sanat infirmum. Huic curationi plures interfuerunt, qui etiam nunc superstites, veri testes habentur. De percepta infirmi medicina ingens omnium oritur lætitia ; Deus laudatur, S. Theobaldus glorificatur. Benedictus Deus, qui non amovit a se orationem pauperum, et misericordiam suam ab omnibus timentibus eum. D

Luc. 11, 8

sanatur,

13 Ex more quædam nupsit viro : bona fuit eorum copula, sed angusto tempore mansit concordia ejusdem copulæ. Occulto siquidem Dei judicio, qui solus novit quæ fiunt et cur ita fiant, uxorem illam cæcitas percussit. Maritus quoque ejus, ab ejus amore paulatim se cœpit subtrahere, nec de ejus dilectione curare. Iterdum convitiabatur. Illa amaro animo esse, tristis et plorans omnia perficere. Infandus autem ille olim maritus, diabolica fraude circumventus, furtim arcam, in qua reculæ ejus erant, fregit. Misera autem ad sanctum Dei Theobaldum confugit, et ideo solatium promeruit, et visum recepit. Tunc lætatur muliercula, quia ex dolore surgit lætitia, dum sibi est restituta sanitas insperata.

cæca illuminatur,

14 *d* Ivo Abbas sancti Dionysii, cuidam suorum, exigentibus culpis, ut aiebat, nexum catenæ collo injecit; et ipsam catenam ultra murum misit, ut nulli facilis ad solvendum esset. Inexorabilis et acer Ivo in suo perseverabat proposito, nec flectebat eum aliqua divinæ pietatis jussio. Catenatus fidelem Dei Theobaldum ingeminat. Abbate illo in E sui adamantini cordis duritias permanente (quod mirum est dictu) murus ille, cui catena erat trajecta, in oculis omnium ruinam fecit ; et catenam quasi sibi commissam solvit, omnibus videntibus. Vinculatus ille, liber et expeditus ad sanctum Dei Theobaldum pervenit ; testemque suæ solutionis catenam secum detulit : quæ ante sanctum altare appensa, testatur, quia melius est confidere in Domino, quam homine.

d vinctus catena liberatur.

ANNOTATA G. H.

a Latigniacum *seu* Latiniacum *vulgo* Lagny, *oppidum cum monasterio Benedictino in provincia Bria, ad Matronam fluvium, de quo latius actum* 16 *Maji, ad Vitam S. Fursæi Abbatis et conditoris.*

b *Latiniacenses Abbates, nusquam adhuc deductos vidimus, ut quis hic fuerit explicemus.*

c Endeticus *videtur dici* involutus, alligatus *a* δέω, Ligo ; *nusquam adhuc alibi nobis lecta vox, quam libenter feliciori conjectatori cedo,*

d Ivo, *Abbas S. Dionysii prope Parisios, tempore S. Gregorii VII Pontificis, qui eum redarguit in epistola* 61 *libri* 2, *scripta Indictione* 13, *anno* 1075 *ad* F *Monachos S. Dionysii. Est autem* Latiniacum *in diœcesi Parisiensi, et ad Abbatis Latiniacensis jus patronale spectat parochia* S. Theobaldi de Vinea, *in Decanatu Castri-Fortis, uti indicatur in Registro beneficiorum diœcesis Parisiensis pag.* 74 *et* 76. *Latiniaco etiam non procul absunt Meldæ, in qua urbe est parochialis ecclesia* S. Theobaldi, *sub Patronatu Abbatis S. Faronis Episcopi Meldensis.*

CAPUT III.

Ex nostro, et Bonifontis MSS.

Si sanctorum prudentia Doctorum, magnalia Dei, quæ ad laudem sui nominis et electorum suorum operari dignatus est, paginarum voluminibus commendare neglexisset ; memoria Sanctorum apud homines minus celebris haberetur ; et perpauci essent qui actuum illorum virtutes imitarentur. Propterea dignum et laudabile videtur, ut in hoc Dei magnificentia triumphet, suorum memoria Sanctorum digne commendetur : quatenus ad exemplum bonorum operum, hujusmodi arte membra Christi invitentur. Plurima tamen Sanctorum miracula, quæ divina patenter operata est potestas, quasi abortiva

Prologus ad duo miracula.

A abortiva ad nihilum videntur esse redacta: non scriptorum quidem inopia, sed illorum ignavia, et quorumdam adversantium invidia. Licet autem contra bonum venefica semper intumescat invidia; caritas tamen, quæ numquam deficit, haud cessabit Dei glorificare mirabilia. Elaboremus igitur styli officio quoddam miraculum cunctis propalare fidelibus, quod ob reverentiam sui nominis, et honorem sui athletæ beatissimi Theobaldi, Christi misericordiæ placuit operari.

16 Erant itaque quondam piscatores Remorum Archiepiscopi, tunc temporis venerabilis *a* Rainaldi, piscantes Remis in flumine, quod *b* Vidula nomen accepit. Qui dum suæ artis ministerium exercerent, forte suspexit unus illorum, ut assolet fieri; viditque cygnos silvestres et indomitos super se volitare, et prata fluminis illius volitando circumire, ac prope ripam quasi juxta illos volentes residere. Tunc vera fide beatissimum athletam Dei Theobaldum, audientibus sociis suis, invocavit dicens: Utinam, o vere Christi confessor Theobalde, meritis ac precibus tuis, duos ex illis indomitis cygnis hodie capere possem! pro certo ad tuum monasterium, quod situm est juxta *c* Basilicas, illos deferrem, Deoque et tibi inibi super altare tuum offerrem. Hoc dicto, ipse sociique ejus, in illa die piscando multum laborantes, causam pro qua venerant compleverunt. Collectis igitur retibus suis, conversaque puppe scaphulæ suæ, navigio arripuerunt iter suum, et reverterunt per eumdem alveum supradicti fluminis quo prius advenerant. Cumque sulcantes undas fluminis, velociter properarent ad loca desiderata ubi tendebant (mirabile dictu) duo ex prædictis cygnis, quasi domestici (nihil quippe perterriti) venientes obviam illis, submissis collis et alis, cœperunt natitare undis illius fluminis, unus quidem a dextris illorum, alter vero a sinistris.

Primum implorato patrocinio S. Theobaldi

B

17 Quod piscatores videntes, nimio gaudio repleti, veloci manu rapuerunt aves illas, quas Deus tam benigne offerebat illis. Quas domestice captas suam læti deponunt in navem; præpetique cursu Deum glorificantes, optatum quantocius perveniunt ad portum. Cumque suam exonerarent naviculam, retia, atque capturam piscium, aliaque armamenta ad terram portantes; de cygnis vero quod agerent, utrum prædicto Remensi Archiepiscopo, cui fidem de omnibus, quæ capturi erant, sacramento promiserant; an beato Confessori Christi Theobaldo, cujus invocatione illos captos esse credebant, præsentare deberent, titubare cœperunt. Ad ultimum tamen salubrius esse, ratione persuadente, visum est illis, ut Archiepiscopo, sicut juraverant, illos portarent; et cuncta ei ex ordine, velut illis acciderant, enarrarent: si ille quidem donum a Deo donatum sancto Confessori, sicut promiserant, concederet, gauderent; sin alias se liberatos esse a culpa promissionis confiderent. Sicque factum est. Ad prædictum igitur Præsulem festinato venerunt; avesque illas sicut domesticas portantes, illi præsentaverunt; omniaque ut gesta fuerant, illo libenter auscultante, ordinatim protulerunt.

capiuntur cygni 2 silvestres,

C

offeruntur que Archiepiscopo Remensi,

18 Quibus auditis, Remensis Archiepiscopus magno gaudio, super virtute Dei, quam pro servo suo Theobaldo ostendere dignatus est, repletus; præcepit suis sibi adstantibus, quatenus aves illas modeste reciperent, atque sine aliqua læsione diligenter tractarent, donec eas ad monasterium gloriosi Confessoris Christi apud Basilicas portari faceret; ut ipse idem ibi ante altare ejusdem Sancti Deo quasi acceptam oblationem offerret. Transactis iisdem paucis diebus, necesse fuit prædictum Remensem Archiepiscopum ad quoddam ire *d* Concilium. Qui iter suum per sanctum convertit Theobaldum, et prædictos cygnos præcepit ipse portari secum; quatenus oblationem, quam de illis spoponderat verbo, se facturum Sancto, etiam actu perficere valeret devoto. Cujus rei gestum sic esse factum non dubitamus, ut vobis scribimus, quoniam in stagno, quod juxta monasterium Sancti est, illas aves multo tempore oculis nostris vidimus; et effectum miraculi, ut vestræ caritati prælibavimus, a veraci relatore fideliter didicimus. Unde Dominus, semper in Sanctis suis mirabilis et gloriosus, benedicatur et magnificetur; cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.

D

EX MS. et ab hoc S. Theobaldo.

19 Aliud quoque miraculum non est, Fratres, nostræ parvitati silentio prætereundum, ut habeant invidi quod doleant, et fideles ad augmentum imitari quod valeant. Hoc enim illi, quod suæ semper adversatur pravitati, dilaniare et mendacium prædicare non cessant; isti autem, Deum, cui nihil impossibile constat, in Sanctis suis mirabilem confiteri non dubitant. Ad confusionem igitur male viventium, et ad imitationem de Domini misericordia confidentium; ad indagandum, quod per servum suum beatissimum Theobaldum Dominus operari dignatus sit, styli vertamus officium. Et quamvis, ingenii parvitate et operis gravitate, me quorumdam Fratrum sanctæ petitioni nequaquam sufficienter respondere, non dubitem; tamen, quia caritas me compellit, et quia illorum me sacra familiaritas angit, Deo adminiculante injunctum opus tentabo fideliter aggredi. Si autem, competenter minus quam deceret, aliquid egero; caritas quæ omnia tolerat, mihi veniam præstet, et obscurius factum intellectus sui claritate reædificet.

Secundum miraculum.

E

20 Erat itaque in villa Bajolica, juxta Magnumpratum sita, quædam pauper muliercula, habens filium, a renibus et infra contractum, qui semper jacens, vel ad sedendum se nullatenus erigere valebat. Mulier siquidem, tantæ filii sui miseriæ impatienter condolens, mortem ipsius, tamquam suæ consolationis præstolabatur refrigerium. Sed omnipotens Deus, dum ad laudem et gloriam nominis sui, quanti meriti fuisset vir beatissimus Theobaldus, fama volitante, longe voluit lateque declarare; prædictæ matri et laboris ministravit auxilium, et filio sanitatis præstitit adjumentum. Quia igitur tanti tamque nominatissimi viri fama sepulta non latuit, sed felicibus pennis cuncta pervolans occupavit; Deo annuente, quanta per ipsum divinitus operata fuissent, ad aures pervenit ejusdem matris. Quid plura? Collo superpositum (erat enim, ut diximus, puer ille contractus) ad beati viri basilicam, prope castrum Bajolicense fundatam, deportavit infantulum; confidens meritis ipsius divinæ pietatis se posse consequi auxilium. Allato igitur puero et in ecclesia deposito, cœpit mulier materno affectu, cum voce, tum lacrymis acerrimisque singultibus, Domini flagitare misericordiam, ut, ad declaranda Sancti merita, sui pignoris sublevaret inertiam. Expectabatur itaque ab omnibus rei talis talis eventus, et omnium oculi lacrymabantur pietate permoti. Mirabantur omnes matris tanta suspiria, consolantes eam, ne vires excedens nimiæ molestaretur passionis intemperantia. Sed mulier fide illuminata, corde retinens, Deum exaudire deprecantem cum perseverantia; noluit consolari, Dei pietatis sperans sibi provenire subsidia. Quid amplius morer? Tandem perpaucis diebus evolutis, matris precibus Dominus acquievit et lacrymis. Quadam namque die mane, circa horam primam; dum Monachus quidam, Robertus nomine, cujus testimonio talia confirmamus, juxta prædictum infantulum Psalmos canendo, per ecclesiam deambularet: cœpit idem infans rogare illum, ut ei sublevandi gratia manum subministraret. Monachus

Puer contractus

F

a matre ad S. Theobaldum delatus,

A chus autem, ut credo, divinitus inspiratus, extensam manum puero porrexit : et (res miranda!) acsi nulla infirmitate gravatus fuisset, super pedes incolumis exivilit.

EX MS. *subito convalescit,*

21 Quis umquam, bone Deus, te fideliter invocavit, et non exauditus est? Quis ad te confugit, et a te repulsus est? Vere tu, Christe, mirabilis, vere tu es glorificandus; qui sic Sanctos tuos in terris mirabiliter facis esse laudabiles; ut, expulsa omni ambiguitate, credamus cœlestium civium illos esse consortes. Stupefactus est igitur prædictus Monachus; quia quem diu noverat infirmum, sub tanta celeritate sanitati videbat restitutum. Congregatis ergo Fratribus, Deo, more fideli signis pulsantibus, ut dignum erat, laudem reddiderunt. Itaque vicini accurrentes, tanti miraculi novitate perculsi Auctorem omnium bonorum cœperunt laudare et glorificare, qui in Sanctis suis semper est laudabilis. Et ne quis existimet hoc esse fabulosum; testor Deum, ab ejusdem pueri matre, et a prædicto Monacho, quæ scripsimus didicisse. Insuper etiam longo post tempore infantem, in domo Monachorum commorantem vidimus, et illum hæc eadem testificantem B audivimus; ad amplificandum nomen Domini nostri Jesu Christi, cui est cum Patre et Spiritu sancto laus et imperium, sine fine permanens, in secula seculorum, Amen.

ab auctore sæpe visus.

ANNOTATA G. H.

a Raynaldus, *in locum Manassis depositi, creatus anno* 1035, *mortuus anno* 1096.

b Vidula, *urbem Remensem, et dein Fimas alluit, ac postea Axonæ immiscetur.*

c Basilicæ, *infra num.* 20 Bajolica, *vulgo* Basoches, *infra bis* Bajolicense Castrum, *situm ad Vidulam infra Fimas, ubi e regione est parochia S. Theobaldi, et olim monasteriolum, adhuc Prioratus : estque ecclesia etiam illi dicata : ubi plurimæ fuerant Reliquiæ ejusdem S. Theobaldi, ex quibus duæ partes, altera brachii, altera costæ, delatæ ad Prioratum, in Castro Porciano ad Axonam fluvium situm, dicatumque eidem S. Theobaldo. Ibidem est aliqua Oratio de eo excusa, quæ post attactum Reliquiarum adhibetur ad febres tertianas et quartanas pellendas. Ibidem servatur calcar, quo miles Theobaldus creditur usus. Ita Jamotte par.* 2 *cap.* 9, *allegans binas litteras ea de re sibi mis-* C *sas, unas Collini Sacristani Prioratus Basilicensis, alteras Burgundi Parochi Castri-Porciani, ambas anno* MDCLXVI *signatas. Indicatur præterea, in Registro beneficiorum diœcesis Remensis,* capella S. Theobaldi in castro Viennensi in Decanatu Cernæo, ditionis Dormoiæ, *ad confinia Lotharingiæ.*

d *Videtur innui Concilium Suessionense, habitum anno* 1092, *cui præfuit dictus Raynaldus. Consule Labbei et Cossartii Conciliorum tomum* X *col.* 434.

CAPUT IV.

Recentiora, ex impresso Gallico Caroli Jamotte, Parochi Mercuriensis, ac primum de duobus gressu privatis.

Joannes Pauli, filius Pauli qu. Theodorici, natus ex Ozo districtus Durburyensis, annorum circiter XXIV, anno MDCXXXIX, tempore Quadragesimæ, in burgo S. Huberti intra Arduennam, quorumdam stabulorum parietes tegulis ligneis, quas hic appellant baucas a tegens, de scalis decidit in vicinum hortum, ab altitudine plus quam triginta graduum, atque nonnihil læsit cutem, quæ os anterioris tibiæ contegit, nec ideo destitit opus cœptum prosequi.

Faber tegularius ex tecto lapsus, a

Verum hoc ei impossibile fuit postridie, quando D tibiam sic intumuisse sensit, ut a tibiali ipsam extrahere nisi illo disciso non valeret. Accesserat eidem tibiæ, jam usque ad pedis cavillam nigræ, extremus cruciatus; neque movere se juvenis, nedum assurgere de lecto poterat. Accersiti ergo mox fuerunt, Chirurgus monasterii Hubertini, Mag. Christophorus; et Petrus Moureaux, Chirurgus ipsius burgi; aliusque ex Novo-villari, dictus Joannes Poncin, seorsim singuli : quorum priores duo, inspecta tibia, pronuntiarunt nullum aliud superesse remedium, quam sectionem ejus membri, quod jam gangræna infectum judicabant, aut saltem sideratum, utpote sensu omni destitutum : tertius vero, qui etiam ipse curationem desperabat, mitigando tamen dolori applicuit quoddam emplastrum; itaque eum habuit sub manibus suis diebus octo, sed absque ullo solatio : quin potius magis magisque computrescebat tibia, sic ut inde grandia marcidæ carnis frusta exciderent ad singulas curationes, et certa infirmi mors haberetur. Itaque etiam hic tertius ipsum deseruit.

indeque tibiam læsa,

ei ob gangrænam resecandæ,

23 Non poterant vicini sustinere fœtorem, absistentem a membro jam carne nudo, solaque ossa ac E nervos habente : non despondit tamen animum Joannes, sed sola lintea, ad mundandam tibiam, ipse per se adhibens, committebat se divinæ voluntati; donec post quindecim dies, absque ullo medicamine sic transactos, cessavit fœtor, et recedere cœpit cruciatus : profluebat tamen de vulnere sanguis, et tibia contracta atque incurvata erat. Tunc vero tentavit, adhibitis fulcris, num saltem tibia sinistra posset ad ambulandum uti, primo per domum, deinde per vicum usque ad Junium mensem; quando fiduciam sumpsit proficiscendi cum fulcris ad patrem suum, in silva Mercuriensi laborantem; ac tandem Villam-novam una a S. Huberto leuca, pervenit spatio diei unius : inde in carruca devehi se fecit usque ad Roccam, una solum leuca distantem a silva prænominata; unde rursum pedester, sed cum fulcris, ad patrem suum pervenit. Hic ille diebus aliquot commoratus, intellexit quam grandia miracula operaretur S. Theobaldus, in capella sua Montis-acuti ad Mercuriam : unde moveri se sensit, ut se illuc iturum pro impetranda curatione voveret. Ivit ergo eo penultima Junii, in aliorum plurium illuc peregrinantium comitatu. Cumque ad Urtam fluvium Mercuriam inter et Montem-acutum pertigisset, non fuit ausus fluvium vado transmittere, metuens iteratum lapsum; sed quoniam dice- F batur in crastinum paratus futurus pons, consilium cepit regrediendi : prius tamen quam id faceret, oculos vertit ad capellam quæ tunc struebatur, junctis manibus proponens reverti postridie, cum patre ac matre et aliis pluribus, ipsum comitaturis.

tentat per se mederi;

et adire Capellam Sancti conatus,

23 Jam medium Mercuriensis pagi omnes tenebant, quando debilis ac plenus sudore, post alios substitit, atque nonnihil assedit. Tum vero tibiam (cui sic male, ut diximus, affectæ ac breviori, nihil remedii adhibuerat, ex quo ipsum chirurgus Novivillaris dimiserat) totam humectatam sensit, velut a sudore; audivitque crepitum procedentem ab eadem, dum extenderetur et rectificaretur in formam priorem; seque paulo post elevans, atque illi nihilo minus quam alteri insistens, nemine sibi assistente et fulcris in humeros rejectis, libere ambulavit ad silvam Mercuriensem : et die S. Theobaldi immediate sequenti, venit cum priori suo comitatu ad præd. capellam, sanus et alacer; ibique audita Missa deposuit fulcra, coram plurimi populi multitudine, Deum laudans pro curatione tam subita. Caro autem, quæ defluxerat, paulatim etiam restituta est tibiæ, nihil

sanatur in via.

A nihil amplius dolenti, sed constanter postea semper sanæ.

Utroque crure per 15 menses impeditus,

24 Henricus Maurice de Meny-fontaine, ex parochia Fayvillariensi, in Decanatu Bastoniensi, annorum circiter LVII, die XXII Martii anni MDCXLVII, solenniter affirmavit, coram tribunali Decanatus prædicti; quod ab annis jam tribus elapsis, subito eum invaserit gravissimus coxendicis dextræ dolor, qui sursum ad renes ventremque inferiorem proserpens, etiam sinistram coxendicem corripuit: sic ut utriusque cruris usus ei fuerit impeditus, spatio quindecim aut sedecim mensium: quo toto fere tempore decubuit lecto, magnisque cum impendiis remedium a medicis chirurgisque quæsivit. Inde ad divina solicitanda se convertens, misit qui pro se peregrinationem obiret ad S. Maurum, in pago Hamiprati prope Novum-castellum Arduennæ, et ad Deiparam Consolatricem Luxemburgi: sed absque levamine, quin potius cum incremento dolorum, quoties remedium aliquod applicabat malo; etiam cum utebatur oleo, ex lampade Mariana allato; tunc enim sibi videbatur accensis ad corpus facibus uri. Crura ei erant quasi circumligata funibus; apparebant enim visibiliter tumores tamquam adstrictorum funium, qui tamen ordinarie subsultabant et crura retrotrahebant, sic ut extendere illa nequiret, quando ipsum dolor iste urgebat: id quod ei quotidianum ac fere continuum erat: adeo ut commovere sese non posset, sed esset inter brachia transferendus, si quo opus erat. Durante autem cruciatu ita sæpe torquebatur, ut præ angustia pectoris loqui nihil valeret, et jamjam expiraturus crederetur. Denique nullum ei momentum fuit a pœnis vacuum; cumque modo in hac, modo in illa corporis parte cruciaretur atrocius, totus fuit incurvatus, omniumque actuum usu destitutus.

post varia, frustra tentato,

B

Sancti sacello visitato, non nihil levatus,

25 Tandem, ex amicorum vicinorumque consilio, peregrinationem vovit ad S. Theobaldum in Monte-acuto prope Mercuriam, statim obeundam atque illius Sancti meritis recepisset facultatem gradiendi. Interim ipsomet die, qui erat XV Julii MDCXLV, misit suo nomine Annam, uxorem Antonii le Tissies ex Fremontio, pago vicino Meny-fontaine; quæ cum dimidium viæ versus S. Theobaldum attigisset, infirmus vehementer lævigari sibi dolores sensit; adeo ut prius quam mulier reverteretur, ipse jam pedibus insisteret, atque ambularet per domum adhibitis duobus fulcris, sentiretque priorem vigorem paulatim cruribus suis reddi. Itaque ante festum S. Lucæ anno prænotato, complendi voti causa commisit se viæ, atque ad capellam Sancti pervenit: ubi cum suæ devotioni fecisset satis, rediit inde, eodemque die hospitium cepit in pago Roumont dicto, ad tres leucas a Monte-acuto, semper fulcris nitens. Sed mane discessurus, rursum sensit sibi crura magis quam umquam rigida ac debilia; quare, cum in pedes erectus, sustinere sese non posset; et supra modum tremeret, exclamavit, mancum se in perpetuum esse. Suasu tamen et exhortatione amicorum, sic afflicto compatientium, et in Sancto fiduciam collocandam monentium, a cujus imagine visitata redibat; pago egressus est ut melius potuit, licet admodum difficulter. Ab ea autem remotus tantum, quantum lapide ter vel quater jacto emetiri quis posset; subito adjutum se sensit, cruraque tam robusta, ut acceptis in armum fulcris, libere progrederetur, acsi nihil umquam passus foret; eodemque die mature satis domum suam appelleret, distantem Roumontio quatuor circiter leucis, neque post id eguerit fulcris, aut mali quidquam senserit. In quorum memoriam et gratiarum actionem ipse, in festis Pentecostes anni MDCXLVI, fulcra sua attulit ad S. Theobaldum, cujus meritis sanatum se credebat.

C

sed in reditu rursum gressu privatus,

in via convalescit

D

Ex Gall. C. Jam.

Utraque curatio rite examinata, miraculo adscribitur,

26 His duabus curationibus Leodium ad Episcopale examen delatis, desuper consultorum judicium hujusmodi fuit: In congregatione reverendorum Theologorum et expertissimorum Medicinæ Doctorum, coram Perillustri D. Barone de Groesbeck, Præposito Leodiensi etc. nona die anni MDCLVIII, super quibusdam relationibus authenticis, concernentibus curationes miraculosas aut mirabiles, quæ contigerunt certis personis per invocationem S: Theobaldi, prope pagum de Marcour et in ejus parochia; præfati Theologi et Medici censuerunt et judicarunt; Primo, sanationem Joannis Pauli, prout refertur in publico instrumento Vicepræetoris et Scabinorum S. Huberti in Arduenna, juncta attestatione chirurgi testantis, fuisse gangrænam et sphacelum seu mortificationem, a qua fuit sanatus per invocationem S. Theobaldi; hanc, inquam, sanationem censuerunt et judicarunt miraculosam, attenta curatione tam subita. Secundo, quoad sanationem Henrici Maurice, prout refertur, censuerunt esse etiam miraculosam, et præter ordinem naturæ factam. Et infra erat signatum, Fr. Bartholomæus d'Astroy, Theologiæ Doctor; Servatius Sacré, Societatis Jesu; Fr. Bonaventura Persan, Theologiæ Lector; J. Paradis, Doctor Medicinæ; Joannes Gaen, Medicinæ Doctor. Et consequenter ad hæc, Maximilianus Dei gratia Archiepiscopus Coloniensis etc. Episcopus et Princeps Leodiensis etc. Visis, inquit, plurium, tam sacræ Theologiæ Lectorum quam Medicinæ Doctorum testimoniis, permittimus, ut beneficia seu favores, Joanni Pauli et Henrico Maurice infirmis, ope S. Theobaldi, prope pagum de Marcour Leodiensis nostræ diœcesis, cœlitus impertiti, publicentur. In quorum fidem per Vicarium nostrum in spiritualibus generalem, subscribi, sigilloque nostro muniri fecimus. Datum in civitate nostra Leodiensi A. D. MDCLVIII, mensis Aprilis die XV. Et signatum erat, Jo. Ernestus de Surbet. Vic. Gen. Leod.

et publicari permittitur.

E

CAPUT V.

Aliæ prodigiosæ curationes, ad idem Montis-acuti sacellum impetratæ.

Puer cruribus debilis

F

Die V Septembris MDCXLI, Laurentius de Marcour, Locum-tenens major et Graphiarius d. loci, declaravit et attestatus est coram Curia, plenam se notitiam et memoriam habere, quod ante annos XLI aut XLII, cum solum esset octennis vel decennis, in tantam deciderit debilitatem crurum, quod neque movere loco se posset, neque ambulare, sed esset alio deportandus. Quapropter pater suus tum vivens, bajulari eum fecit, per famulum et famulam, in Montem-acutum, paulo supra fontem S. Theobaldi, qui jam tum in honore erat. Ubi ab humeris depositus, mansit humi ad mediam circiter horam: deinde famulantium unus ipsum excepit dorso, referendum domum. Cumque jam multum descendissent, sensit se inopinato sanatum; et humi deponi petiit, et libere famulum famulamque præcucurrit ad patrias ædes, prius quam ipsi illuc pervenire possent. Pater autem in monumentum gratitudinis suæ, jussit circa præd. fontem plantari Crucem ligneam: et curationis istius fama paulatim multos illuc attraxit, qui singuli ad eamdem Crucem suas deponebant oblationes; quoadusque sufficiens summa adfuit pro plantanda ibidem alia majori Cruce, cum effigie S. Theobaldi, quæ fuit in cacumine montis posita.

curatur juxta fontem Sancti.

Alius ita natus, simulque contractus et hydropicus,

28 Petrus, filius Joannis Colignon de Novilla in Præpositura Bastoniensi, adeo perditus fuit et afflictus cruribus ab ipsa sua nativitate, ut ei impossibile

A sibile esset pedibus insistere, nedum aliquo ambulare; toto insuper corpore intumuerat, ac nominatim a genibus deorsum, sic ut tibias ejus vix quisquam posset manibus duabus stringere : erant etiam hæ sic contractæ, ut si per vim extenderentur, statim ad priorem brevitatem redirent. Talem miserati parentes sui, die quodam Jovis anni MDCXXXV, suas fuderunt orationes, et gloriosum Sanctum invocarunt ante ejus imaginem, Cruci insertam. Dum autem eunt et redeunt, egessit puer excrementa, præter ordinarium copiosa et fœtentia; et Dominica sequenti cœpit ipse sese erigere in pedes; hac illac ambulare per domum, adnitendo sedili alicui vel parieti; ac denique intra septem vel octo dies, nullo amplius egere adminiculo. Exinde autem corpus et tibiæ detumuerunt, ad eamque profecit sanitatem, ut nihil amplius mali sentiret.

EX GALL. B. JAM.

et tertius toto corpore inutilis,

29 Gerardus, filius Guilielmi Denys, Sergeantius supremæ Curiæ Camplonensis in Famenna; cum ætatis suæ anno VIII, in vigilia Pentecostes anni MDCXXXVII, laboraret in agro; tanto dolore brachiorum fuit subito correptus, ut cogeretur in terram se prosternere, totumque diem illum ejulando traducere. Duobus vel minus diebus post, B idem dolor diffudit sese per corpus universum, præcipue autem per crura; adeoque debilis per omnia membra factus est, acsi nullis nervis ossibusque constaret. Versabat caput ex uno in alterum humerum, nec cibum potumve poterat ori admovere, sed pascendus erat instar infantis : quod si aliquando domi relinquebatur solus, permittebat caput cadere in eam partem, ubi posita erat parata sibi esca; in quam si feliciter os inferebat, comedebat aliquid, itaque manebat tensus supra terram, donec superveniens quispiam eum sublevaret. Insuper elatus in aerem, non poterat vel unum pedem movere ad gradiendum; satis bene tamen manducabat atque bibebat, quando ei dabatur. In hoc miserando statu permansit spatio sex hebdomadarum, absque medicamine ullo; donec illius misertus pater, plena cum fiducia accurrit ad S. Theobaldum; atque intra octiduum tertio ad capellam ejus, se contulit cum filio. Et hunc primo quidem die illuc adduxit super equo, et ingressus capellam complicavit genua pueri, iisque insistere fecit, sub brachiis illum tenens, atque jubens orare Deum, ut per merita S. Theobaldi sanitatem acciperet. Finita oratione Champlonem redierunt, sicut venerant : ubi ex equo des- C cendens, deprehendit tibias puero nonnihil solidiores; adeo ut erectum tenens supra pedes, consistere eum faceret. Secunda peregrinatio similiter equo facta est: sed robustior jam puer, potuit equi clunibus post tergum patris firmus insidere, sine alio adminiculo : actisque Deo gratiis pro felici sospitatis optatæ initio, orabant ut beneficium cœptum Sanctus absolveret. Exinde de die in diem accepit infirmus usum alicujus sui membri; adeo ut sub finem mensis Julii anni ejusdem, cum tertium illuc proficiscerentur, pedibus gradi puer posset, subnixus fulcris; iterque facere, patre subinde eum inter brachia bajulante. Denique intra capellam orans persanatus est totus, ibique fulcra sua relinquens, cum patre lætus domum remeavit.

pariter curati.

30 Die III Julii anno MDCXLVII, Martinus de Presseux, quondam Burgimagister banni Spirmontensis in Ducatu Limburgi: Joannes Denys ab Insula, Aywalliæ habitans; et Laurentius, filius prædicti Martini, coram Majore et Scabinis banni jurejurando asseruerunt, quod anno MDCXL, idem Laurentius, tunc duodennis, visu privatus vivebat, jam inde a quinto anno ætatis; ita ut nihil omnino videre, nec absque ductore quoquam posset ire : quodque, post plura remedia incassum tentata, susceperint peregrinationem ad nostram capellam, D multis aliis comitati. In reditu, cum aliquantulum Mercuria recessissent, dixit puer videre se florem sparti, quem carpturus abiit ducente nomine; et manibus attulit, clamans, quod etiam silvas vicinas videbat. Unde exhilarati pater ac filius, aliis duabus vicibus visitaverunt capellam Sancti : ultima autem perfecto visu frui cœpit puer, ac fruitur imposterum usque hodie, quod adhuc vivit.

Puer septennio cæcus,

paulatim illuminatur.

31 Anna Massin, ex Chisogne in parochia Tilleti, Bastoniensis Præpositure, oriunda, annosque viginti nata, filia Henrici Massin et Pasquettæ Roussignon, anno MDCXXXIII sub vesperam, quandoque revertens ex agro, adeo fuit conterrita, ut domum ingressa corruerit velut mortua : deinceps vero morbum (ut creditur) caducum patiebatur, tertium aliquando die uno, subinde semel tantum, aut etiam solum tertio quartove vel octavo die; donec cum matre et vicinis venit ad S. Theobaldum, ubi rursum in ipsa capella graviter afflicta fuit; indeque rediens intra unius leucæ spatium tertio concidit : sed statim post tota hilaris, omnino levatam se sensit eo malo, quo septennium fere integrum laboraverat : nam peregrinationem istam suscepit anno MDCXL in festo S. Trinitatis, exinde vero usque ad annum MDCLVII non nisi quater vel quinies, E sed leviter valde, sensit malum recurrere; altera autem peregrinatione suscepta, ex integro stabiliterque convaluit.

Puella epileptica,

altero accessu plene sanatur

32 Mense Februario anni MDCXL, Mathias Tourneus, Major Vesquevillæ in districtu S. Huberti, cum ex gravi infirmitate lecto decumberet, sensit furiosum cruciatum dentium, unde nulla sibi requies concedebatur. Assistebant ei innuptæ filiæ duæ cum aliis feminis : quibus inter se narrantibus S. Theobaldi miracula, quædam earum dixit, icunculam valde exiguam esse. Tum æger, ejuscemodi sermones avide hauriens; Domine, inquit, S. Theobalde, succurre mihi obsecro, saltem ut ne, ultra morbum quo teneor, excrucier dolore dentium, qui omnem mihi somnum eripit. Vix verba protulerat, cum dormire cœpit : filiæ autem cum sociabus id sentientes, subduxerunt se inde, quoniam vesper erat. Ille vero statim quasi somniare cœpit, se esse in magno quodam campo, videreque ad se venientem imaginem, cui omnes magnam habebant reverentiam. Quærens autem ex aliquo, quænam ea foret; visus sibi est responsum audire, quod esset S. Theobaldi. Cumque eadem ipsi propior facta esset, visa est dicere, se venisse, ut eum a dolore dentium F liberaret. Hinc ille experrectus, et mali sui continuo recordatus, manum ori admovit; neque tumorem ibi sensit ullum, qui pridem istic fuerat; neque dolorem, a quo etiam liber imposterum mansit; quare accersitis continuo filiabus rem totam narravit; postridie autem duabus illis mulieribus, quæ ipsis adfuerant.

et dentibus laborans,

visa in somnis Sancti iconcula.

33 Elisabeth, vidua quondam Henrici Joannis Lambert, Borsuti in Condrosis commorans, initio Quadragesimæ anni MDCXLI, tantam tibiarum infirmitatem pati cœpit, ut ne minimum quidem ambulare posset absque fulcris duobus, eo quod sinistra notabiliter brevior altera esset effecta. Hoc in statu mansit usque post festum S. Joannis Baptistæ ejusdem anni; quando votum nuncupavit visitandi capellam S. Theobaldi, firmiter credens per ejus merita se juvandam. Dedit ergo in viam sese, fulcris innitens; et completo voto, multo commodius quam antea se sensit ambulare. Hinc animosior effecta, proposuit eodem redire paulo ante mensem Augustum : et postea quotidie remisit malum, et contractior tibia paulatim rediit ad longitudinem debitam : in cujus beneficii memoriam, fulcra sua attulit

Tibia contracta rectificatur :

fugatur dolor colicus;

A attulit XIV Novembris, anni ejusdem. Eodem anno Joannes de la Haut, Scabinus curiæ Dominæ nostræ de Rendeux solenniter declaravit, quod sub finem Octobris doloribus colicis subito pressus, cum iis fuerit tota nocte conflictatus; quousque recordatus S. Theobaldi, promisit capellam ejus visitare; ipsoque instanti dolor omnis cessavit, nec postea rediit.

item febris.

34 Anno MDCXLI, VI Junii, D. Claudius Hermannus, Baro de Milandonque et Pesches, misit mihi attestationem manus suæ, qua profitebatur, quod ex quo promiserat ad S. Theobaldum proficisci, et ibi novemdium celebrare; febris, qua diu antea laborabat, ipsum dimiserit, ac deinde paulatim convaluerit. D. Antonius de Vervy, residens in pago Telcini Rupis-fortis, suo testatus est chirographo, quod ipso die quo S. Theobaldi auxilium imploravit, diuturna febri sit liberatus, quæ totum tremere faciebat. Everardus, filius Everardi de la Croix, quatuor vel trium annorum puerulus, a nativitate debilis valde atque deformis fuit: quippe cui ambæ tibiæ sic erant distortæ infra genua, ut eis insistere nullatenus posset. Parentes, plura frustra experti remedia, voverunt eum portare ad S. Theobaldum: B quod etiam mox fecerunt, inter brachia eum bajulantes. Facta autem oratione, cum eleemosyna, et Missa curata, redibant domum. Cumque in pagum Hampternix venissent, media leuca distantem a capella; cœpit puer, prima tum vice, insistere pedibus, cum maximis lætitiæ signis, et captum ætatis suæ superantibus. Atque exinde semper profecit in melius, adductis paulatim ad debitam rectitudinem tibiis, expeditoque utens gressu, acsi numquam passus esset aliquid.

Sanatur puer tibia distortus et debilis,

item clinica et coeles;

35 Circa mensem Majum anni MDCXLI, Maria, filia Henrici Pecquet de Werme territorii Stabulensis, lecto per gravem morbum affixa, qui et oculum unum ipsi abstulerat, et alterum notabiliter obscurarat, nullis remediis potuerat adjuvari. Quare pater ejus vovit peregrinari ad S. Theobaldum, et filia statim melius habere cœpit, visumque paulatim recuperavit. Domicella Michaela de Montplein-champs, uxor D. Ludovici de Monin, Toparchæ de Rendeux Deiparæ, eodem anno ac fere eodem tempore, tanta laborabat stomachi debilitate totis diebus quindecim, ut nihil omnino retinere posset: unde nocte quadam media deliquium patiens, voceque et sensibus destituta per horam plusquam dimidiam, non credebatur superfutura usque mane. Accersitus Parochus, extrema C ei ministraturus, reperit eamdem delirantem. Sed mox ad mentem regressa confessaque, dixit, nihil se meminisse eorum, quæ durante deliquio circa se acta essent; nisi quod S. Theobaldum invocaverit, promittendo eidem grandem albæ ceræ candelam, eique similem, quæ paulo ante fuerat allata a parochianis banni Spirmontensis in Ducatu Limburgensi: quodque eodem instanti recuperaverit loquendi facultatem; rogabatque Dominum maritum suum, ut votum impleret; quo facto plene convaluit. Ipsum quoque Dominum de Monin, circa idem tempus, tertiana febris lecto affixerat per continuas hebdomades aliquot; eodemque, quo coreus mittebatur die, illius paroxysmum præstolabatur. Cum ergo D. Canonicus d'Aubrebis, ecclesiæ S. Mariæ Namurci Scholasticus, iret ad Missam cantandam, cereumque ferendum ipsorum vice; Dominus de Monin rogavit eum, ut inter sacrificandum sui specialiter meminisset, promittens quod casulam sacerdotalem viridem esset ad ornatum capellæ missurus. Et circa horam qua Missa cantabatur, ipseque debebat febricitare, adeo nihil passus est, ut revertens Canonicus, invenerit ambulantem ac bene sanum; neque postea febris ulla rediit.

et moribunda, cereum vovens.

Curatur febris:

ex gall. c. jam.

mutus loquelam recipit:

36 Joannes Simon de Vericumont, banni Lierneusiensis in territorio Stabulensi, tres filios habebat D a natura mutos: quos anno MDCXLII vovit se deducturum ad Montem-acutum, spe bona ductus, quod eis loquelam expediret meritis S. Theobaldi. Re ipsa autem eo cum filiis ivit, per tres consequentes ferias sextas, totidem vicibus istic faciens Missam dici. Id cum tertia vice faceret, paulo ante festum S. Joannis Baptistæ, ad capellam venit processio quædam; qua durante, unus e tribus, Matthæus nomine, annos natus XXVIII videri desiit; ac diu requisitus, inventus est prope fontem S. Theobaldi lavare caput tribus vicibus. Hoc facto simul omnes, pater scilicet ac mater, cum tribus adolescentibus, unoque eorum vicino Henrico Leonard, descenderunt Mercuriam, ad prandium sumendum apud Graphiarium. Sedentibus autem illis ad mensam, sibique invicem propinantibus; Matthæus, Henrico porrigens vitrum cerevisiæ, clara voce dixit: TIBI, HENRICE; cum magna admiratione præsentium, matris præsertim, quæ præ excessu gaudii syncopen passa est, eo quod ex filii ore nullum unquam verbum audisset. Sed neque postea per novem circiter menses ullum amplius est locutus: deinde E vero cœpit paulatim melius atque facilius eloqui quidlibet.

incurabilia tibiæ apostemata

37 Mag. Petrus Foullon, Presbyter et Quæstor monasterii S. Huberti, annorum LIII, in hebdomada Paschali, feria V anni MDCXLVI, cum vesperi decubiturus, vestes poneret, sensit maximum cruciatum circa cavillam pedis sinistri extrinsecus: quo cum prohiberetur insistere pedibus, coactus fuit se abjicere in lectum, nec inde potuit nisi cum fulcris surgere. Consequentibus diebus crevit malum, et funditus sustulit omnem cibi appetitum. Sabbato medicinam sumpsit, quæ nihil ei profuit; neque plus profecerunt quæcumque alia monasterii chirurgus applicare scivit medicamina, sed crescebat infirmitas magis magisque. Martis proximo iterum eum visitavit medicus, pessimeque habere inveniens cœpit de ejus convalescentia dubitare; præparavit nihilominus ei potionem aliquam; sed ei sumendæ vires infirmo defuerunt. Videns ergo deficere humana, recurrere statuit ad divina remedia; votumque faciens S. Theobaldo, ad ejus capellam misit Ecclesiasticum quemdam, cum oblatione et cerea tibia ad mensuram suæ; proposuitque per se ipsum illuc ire, si meritis Sancti sanitatem reciperet. Die jovis applicans ad capellam lator voti, una cum Parocho Champlonis in Ardenna et Huberto Baclin F nepote infirmi. Cum ergo ibi devotioni suæ intenderent, factaque oblatione Missam curarent; æger ipse sua quoque officia jungebat illis; Confessionisque et Communionis Sacramentis perceptis, commendabat se Sancto; identidem repetens, sicut et præcedenti nocte tota fecerat; S. Theobalde, ora pro nobis. Eodem porro die, sub horam octavam matutinam, venientes ad eum visitandum medicus et chirurgus, viderunt carnem pedis elevatam ad magnitudinem ovi, in modum abcessus, aliumque similem tumorem magis versus talum; quibus per chirurgum apertis, sub meridiem egressa est magna puris copia; unde continuo pronuntiavit medicus, eum evasisse periculum: dictumque confirmavit restauratus mox appetitus cibi, et placida quies. Ex eoque tempore cœperunt consolidari, tum plagæ illæ duæ ultimo factæ, tum aliæ tres, quas a natali Domini gesserat in tibia, humorem quemdam distillantes, qui adhibitis quotidie medicamentis non potuerat sisti.

subito

consolidantur;

curaturque alius ex tibia 4 annis decumbens.

38 Joannes de Insula, Major Beurensis prope Haufalise, lecto detentus ultra quatuor menses, ita ut inde relevari non posset nisi cum auxilio uxoris

EX GALL. C. JAM.

A uxoris atque domesticorum, propter symptoma quoddam tibiæ perquam durum. In vanum usus fuerat quibuscumque potuerat remediis : illis igitur depositis, vovit se S. Theobaldo peregrinum; ipsoque momento sensit alleviari malum, atque de die in diem melius habuit. Paulo post suscepit votivum iter, cum uxore et quadam sua vicina; sed non sine labore et dolore maximo pervenit ad Montem-acutum; ubi sua perfunctus devotione, et relinquens nummum argenteum pro curando Sacro, sensit se extraordinaria quadam lætitia delibutum, et cruciatu tibiæ liberatum : atque in memoriam beneficii, reliquit ibi furcillam, qua fuerat per viam usus, neque postea sensit mali quidpiam.

Scriptor ipse ex variis symptomatis fere usque ad mortem deductus,

39 Initio veris anno MDCLXIII, sensi ego ipse qui hæc scribo, in fundo stomachi insoliti caloris aliquid, quo per intervalla reddebar valde debilis, tollebaturque mihi appetitus. Id cum medico indicassem, censuit ille, inde fieri posse morbum gravem, aut etiam mortem procedere posse, nisi mature prospiceretur. Id cum facere neglexissem, cœpi sub initium Novembris vehementibus obstructionibus hypochondrii mesenteriique vexari, cum puncturis B dolorificis circa renes, hepar et lienem : quos comitabantur vomitus frequentes, multumque arenarum rubearum per urinam egestarum. Symptomata hæc tam peregrina, cum caperent indies incrementum, meque involverent intricatis ac diuturnis morbis; circa Pascha anni MDCLXIV pene ad extrema adductus sum, ita ut jam fama spargeret, me obiisse. Hoc in statu perseveravi fere usque ad Augustum : sub cujus finem frigida quadam intemperie hepatis correptus sum, sequente quasi ebullitione variorum D ulcerum, ex indigestione et rheumatis stomachi procedentium : et denique febris symptomatica mihi supervenit, ex putrefactione humorum, eo quod una cum sanguine magnam serosi liquoris copiam hepar procrearet. Ea febris vehementer debilitatum in grande adduxit discrimen, semper tamen confidentem de auxilio S. Theobaldi, quod mihi præstari, sæpe rogabam. Hujusmodi autem preces majori cum fervore cœpi replicare, circa initium Januarii anni MDCLXV, supplicando, ut tantum virium mihi impetraret a Deo, quantum necesse erat, ut absolverem libellum, quem ejus honori scribere destinaveram. Facto ergo et completo voto, statim a febri liber fui per tres hebdomades : intra quas valde relevatus in ordinem digessi memorias, undique collectas ad hujus libelli compositionem, scripsique earumdem indiculum, sive synopsim argumenti, ab alio quocumque deducendi, si contingeret me prius vita quam opera suscepta defungi. Rediit deinde febris sub initium Februarii, non tamen adeo vehemens sicut prius, et usque in Augustum duravit. Sentiebam interim alias meas infirmitates imminui, viresque accrescere : mansi E nihilominus inter hæc omnia tali in statu anno toto, ut amici assererent, me numquam restituendum pristinæ valetudini; imo Medicus, qui me curabat, pluribus diceret, moriendum mihi ex eo morbo esse, quamvis forem ultimus homo in mundo. Sed per Dei gratiam plene convalui, et firmiter credo id mihi indultum intercessionibus S. Theobaldi, cui sit honor et Deo gloria.

ut opusculum absolvat, illius liberatur.

DE B. ARNULFO MONACHO

ORDINIS CISTERC. VILLARII IN BRABANTIA

D. P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

De Vita, duobus a coævo et familiari libris scripta statim post mortem; et de corporis veneratione.

A. MCCXXVIII.

Villarium, *nobile in Gallo-Brabantia Cisterciensis Ordinis monasterium, secundo ad oppidum Gemblacense milliario, super fluminis Tiliæ scaturigine, initium habuisse fertur a* C *Godefrido III Brabantiæ Duce anno* MCXLVI, *missis Clara-valle ab ipsomet S. Bernardo Monachis sub Abbate Laurentio, quo de egimus inter Prætermissos ad* XVII *Maji. Ab hoc octavus numeratur Carolus, ex Comitibus de Seine, Hemmerodio accersitus, et sanctitatis fama clarus etiam ipse, electus autem anno* MCXCVII, *ut scribit Jongelingus. Hujus tempore, sub exitum anni* MCCI, *ad conversionem venit* B. Arnulphus, *Bruxellis, Brabantiæ regia, natus* parentibus mediocribus; *cui tamen cognomentum* A Cornibout, *addit Molanus inter Natales Sanctorum Belgii, in Elogio ipsius ad hunc diem, sumpto* ex narratione potissimum Hieronymi Moor, aliorumque Villariensium : *quamvis ætate illa, inter plebeios rarus; inter Religiosos, etiam nobilissimos, nullus omnino fuerit cognominum a stirpe sumptorum usus.*

Villarium an. 1146 fundatum, sub cujus Abbate octavo Carolo,

habitum ibi sumpsit Arnulfus,

2 *Vixit ille ibi, seu potius in* Grangiis monasterii, Sartum et Nova-curia *dictis, inter Fratres Laicos, quos* Conversos *usus monasticus nominat; non quidem ut operi manuali ibidem attenderet, sed ut liberius macerando per pœnitentias prorsus stupendas corpori, spirituique divinis contemplationibus pascendo vacaret, sub tribus Caroli successoribus, Conrado, Walthero, Guilielmo. Sub horum autem ultimo ille vitam finivit,* anno Domini MCCXXVIII, pridie Kalendas Julii, feria sexta circa horam sextam, expletis in Ordine Cisterciensi viginti sex annis et sex mensibus. *Tumulo, crebris olim miraculis honorato, hujusmodi* Epitaphium *compositum invenimus, in MS. post* F *Vitam :*

et obiit an. 1228.

Ejus tumulus et epitaphium,

Pausat in hac tumba vir, simplicitate columba;
Qui Leo virtute, jubilis simulatur alaudæ;
Qui Turtur gemitu, visu simul atque volatu
Par Aquilæ; Salamandra, novo quia vixit in [igne.
Vis breviter justi laudes in fine probare?
Nunc canit inde LA, SOL, qui quondam flevit in UT, RE.

Id est lætissimo canone jubilat, qui quondam mœstissimo tenore planxit, sumpta metaphora a notis musicis, quibus summus infimusque tonus exprimitur.

3 *Tumulum istum quamdiu tenuerit sacrum corpus, incompertum nobis est; crediderim autem hunc fuisse secundum, in ipsa ecclesia ei datum, postquam in communi ceteris cœmeterio aliquantulum humatus quievisset.* Putant enim *Villarienses, teste Molano,* eum aliquando oblatum fuisse Romano Pontifici canonizandum, sed generale Ordinis Capitulum impedivisse, ne multitudine Sancti vilescerent. *Deinde* post majus altare, cum aliis ejusdem monasterii Reliquiis, multos annos fuisse reconditum *idem corpus, mihi persuadeo, sicut de corpore B. Julianæ Corneliensis, scripsit Henriquez, relatus ante illius Vitam* V *Aprilis num.* 19 : *adeoque de ipso, deque aliis ibidem* collocatis

post elevationem Corporis, deinde in arcam Beatorum translati,

A *collocatis tenendum, quod de omnibus simul loco præfato scripsit idem Henriquez, videlicet, quod* propter intestinos harum provinciarum motus, non eo quem merebatur affectum fuit honore : donec paulatim mitigato rerum statu, et tempore sedatiori, Robertus Henrion, hujus domus Prælatus, ad decentiorem locum Beati corpus transferre decrevit. Quod et reipsa factum, et corpus sacrum cum aliis Sanctorum Reliquiis in S. P. Bernardi Sacellum, quod jaspide et marmore ornari jusserat, transtulit; in eoque arcam ex marmore nigro affabre politam fieri fecit, in eaque Sanctorum ossa collocari. *Præfuit Robertus Abbas ab anno* MDLXXXVII *ad annum* MDCXX, *in dicto Sacello S. Bernardi sepultus etiam ipse. Sacellum autem ad sinistram occurrit ingredientibus Villariensem ecclesiam.*

ad Sacellum S. Bernardi circa an. 1600.

4 *Præter hunc ornatissimi sacelli honorem, omnibus sic communem, ut singulis in particulari nihil amplius deferatur ex iis, quæ præsumere possumus olim facta, cum sua singuli monumenta locumque haberent. Ad* B. Arnulfum *proprie spectat, quod Franciscus Moschus infra laudandus, tamquam oculatus testis, sic scribit ante Vitam a se editam :* Hujus beati Viri ossa, studio Reverendi admodum Domini, Domini B Roberti Henrion, Villariensis Archimandritæ meritissimi, translata sunt e prioris sepulturæ loco in Sacellum quoddam templi ipsius Monasterii, et ibidem reverenter ac honorifice condita. Sacellum ipsum longitudine et latitudine propemodum pari, ad vicenos plus minus pedes. Tumulus beati Viri ex nigro marmore lucido et fabre polito, ad margines concavato, triplici structura seu serie. Ad caput existunt tres columnæ ex jaspide, superpositis capitellis marmoreis, clauso sacelli latere per octo clathros ex orichalco, addita in medio quadrata ex marmore columna, cujus superficies intrinsecus, rosis et flosculis egregie sculptis, deaurata conspicitur. Opus mehercle perquam artificiosum, et magnificum, et decumano sumptu. Superne pro titulo legitur * *Laudate Dominum in Sanctis ejus, Psal.* 150. Pro coronide habentur insignia memorati Abbæ, quæ ex flammis et stellis constant, superaddito symbolo, *Utrumque æternum.* Ante altare sacelli, in ipso pavimento, opere tessellato, et pulchre variegato, quadripartita visitur historia Filii Prodigi. Prima pars effigiem continet adolescentis, portionem hereditariam a patre accipientis, II, Dissipantis eam cum meretricibus ; III, Vescentis siliquis et C glandibus ; IV, Revertentis ad patrem, et culpam suam agnoscentis.

Titulus Beati in Mrliis.

Ipsius sacelli descriptio.

5 *Manet appellatio* Beati, *tum usu ipso, tum monasterii quibusdam Fastis confirmata; puta Wionis, Menardi, Bucelini et Chalemoti; quibus præivere, præter Molanum, Carthusiani Colonienses in Additionibus ad Usuardum anni* MDXVI, *his verbis :* In monasterio Villariensi Ordinis Cisterciensis, beatæ memoriæ Arnoldi, Conversi et Confessoris. *MS. Ecclesiæ S. Gudulæ Bruxellis, similiter a Canonico quodam istic auctum, melius nomen exprimit, dum ita legit :* In Brabantia transitus Fr. Arnulphi de Bruxella, Conversi monasterii Villariensis, ubi miranda sanctitatis ejus gesta habentur. *Auctor Florarii MS.* Apud Villariense monasterium, Depositio venerabilis Arnulfi, viri Dei, natione Bruxellensis ; qui post mirabilem vitam, in duobus libellis comprehensam, decedens ; apparuit post mortem cuidam devotæ personæ in forma pueri, veste partim nivea, partim purpurea circumamictus : per puerilem formam designavit, se humiliter et innocenter vixisse; per niveum colorem, se mundam vitam duxisse; per purpureum vero, diuturna sanguinis effusione corpus afflixisse. Obiit anno salutis MCCXXVIII.

Vita mox ab obitu composita

6 *Desumpta est ea visio et apparitio ex prædictæ Vitæ* D *libro 2 numero penultimo : multaque hujus generis plura aliaque miracula haud dubie ibidem legerentur, nisi proxime post mortem* Arnulfi *scripta esset Vita illa; quod tum aliunde satis clare, tum clarissime intelligitur ex ejusdem libri 2 numero* 59, *ubi dicitur ; quomodo vir sanctus, anno* MCCXXVI *prædixit, quod* infra decennium futurum, plurima bella et multæ tribulationes in Ecclesia suscitarentur ; altero autem anno cœperunt rumores audiri, quod Fridericus contra Domnum Papam et Ecclesiam insurgere conaretur. *Addit deinde Auctor ;* Attendat igitur prudens Lector...quot et quanta postea acciderunt : quot et quanta fortassis postmodum infra præmissum decennium mala horrenda contingere possint. *Quibus verbis significatur bonam istius decennii partem adhuc superfuisse, cum Vita scriberetur : aut potius, cum primo a morte anno scripta, uno alterove post anno eadem iterum scriberetur; et inter alia mox indicanda, etiam prædictio illa adderetur, tertio a morte anno.*

AUCTORE D. P. *a Goswino Cantore Villarien.*

7 *Auctorem Villarienses apud Molanum nominant,* Goswinum Bosutensem, Cantorem monasterii. *MS. Auberti Miræi hunc præfert titulum :* Vita famuli Dei Fr. Arnulfi, Conversi Villariensis, Auctore Nonno Goswino, Cantore ejusdem loci : *qui etiam titulus est in MS. Aureæ-Vallis, cum quo Miræi Codicem* E *accurate contulit noster Heribertus, undique materiam huicce nostro Operi colligens; nec non cum ipsius monasterii Villariensis MS. ubi auctiori titulo eadem* Vita *scribitur,* edita a piæ memoriæ viro religioso Nonno Goswino, quondam Monacho et Cantore ejusdem loci, duobus libris conscripta. *Quod autem idem fuerit ipsi Viro Dei familiaris, tum variis locis aliis intelligi potest, tum ex fine libri primi ; ubi rationem scientiæ reddens, quoad enormes ejus pœnitentias ;* ab ejus ore audivimus, *inquit,* et verum esse credimus, ipso asserente. *Præfatur tamen, præter eos quos in decursu operis nominat, pleraque se habuisse ex quodam ejus familiarissimo Monacho Walthero; cujus importuna instantia victus Arnulfus,* ei multa de secretis suis notavit ; *quodque* etiam quædam personæ seculares præfatæ Religionis, et quidam Fratrum Domus Villariensis, aliqua de secretis beati Viri, quæ ab ejus ore audierant, sibi enarraverunt. *Porro notatu dignum est, quod omnia tria MSS. præfata verbotenus sic concordent usque ad libri 2 numerum* 30, *ut minime operæ pretium fuerit, Rosweidi, in facienda collatione, etiam minutissima quæque observantis, laudare diligentiam ; sed notandum dumtaxat sit, exinde* F *Scriptionem totam quarta ferme parte, tam verborum, quam etiam sententiarum, auctiorem haberi ; unde mihi certo persuasi, ipsummet Auctorem, ut supra insinuavi, Scriptionem suam renovasse, altero exemplari exarato, interque scribendum ea omnia addidisse, quæ his signis [ ] ego interclusi. Omnia vero scripta esse, currente adhuc decennio ante prædictum ab Arnulfo anno* MCCXXVI, *schisma, apparet ex num.* 59 *libri* 2.

ex propria et aliorum secreta notitia,

semel iterumque aucta in 3 MSS.

8 *Angelus Manrique, in Annalibus Cisterciensibus ad annum* MCCXXVIII *cap.* 5, *breviter perstringit Arnulfi Vitam, et num.* 10 *sic loquitur:* Ejusdem Sancti Vitam hoc nostro seculo, cum aliis dicitur publicasse Franciscus Moschus, Atrebati anno MDC, sed qui ex variis schedis ipsam collegerit, nec Goswinum viderit : unde longe diversam notat Aubertus Miræus in Chronico Cisterciensi, ubi de Sanctis monasterii Villariensis. *Eamdem sic impressam in octavo, ut loquimur, una cum Vita S. Simonis Alnensis, VI Septembris recolendi, habemus in Museo nostro ; ubi in titulo se profitetur Moschus,* Nivigelatem *seu Nivellensem,* Armentarianorum, *id est Amenteriensium,* in Flandria Curionem, et apud S. Piatonem apud Siclinium Melanthesiorum Canonicum; *in cujus opusculi Dedicatoria,* D. Roberto Henrion *præfato*

Aliam edidit Franciscus Moschus,

et Roberto Abbati dedicavit,

AUCTORE D. P. *cum brevi elogio,*

A *præfato (ei quem diximus Beatorum Villariensium Reliquias decentius composuisse)* pacem et felicitatem *precatus; profitetur* ex Molani scriptis primum cognitum esse *sibi*, fuisse olim in ejus monasterio virum quemdam mirificum, Arnulfum, cognomento Cornibout, præclaris a Deo dotibus exornatum, monasticæ disciplinæ observantissimum, patientia et humilitate præfulgentem, obedientia nulli secundum, benignitate suspiciendum, orationi intentissimum, abstinentia singulari celebrem, rerum divinarum contemplatione sublimem et extaticum, acerrimum asini sui, hoc est corporis castigatorem, regulæ et status erga diocten perausterum, denique omnium virtutum margaritis ornatissimum.

sed stylo Goswini mutato,

9 Hujus Vitam, *inquit Moschus, Abbatem alloquens*, indice Molano, diligenter quæsivi, quæsitam inveni, tuoque beneficio tandem accepi; et, ne sim ingratus, Amplitudini tuæ typis excusam mitto.... Auctorem crediderim fuisse Goswinum, quod illum Auctorem laudat Molanus. Quamquam, dum una de hoc tecum egi, ne Goswini quidem nominis ullum extaret vestigium, in duobus illis libris MSS., quorum mihi copiam Reverentia tua fecit. At fieri
B potest, ut tertius aliquis liber præferat Auctoris nomen, ex quo transcripti fuerint isti duo quos vidi: tertius vero temporum injuria interciderit, quem tamen mihi persuadeo Molano ante multos annos visum. Ut ut res se habeat, Auctor ipse non fuit rerum divinarum imperitus, nec in scribendo expers methodi. Librum non indiligenter evolvi, mendas complures sustuli, et ubi visa est minus tolerabilis Latinitas, stylum nonnihil expolivi, ab historiæ veritate nusquam abludens. In tractatu de beati viri pœnitentia, quædam repetuntur, prius in ejus Vita conscripta: sed pietatis amatoribus non erit ea repetitio, sicut confido, ingrata. Nosti illud Platonicum, Δὶς καὶ τρὶς τὸ καλόν. *Hæc Moschus, Scribit* etiam *Manrique, quod* eamdem Vitam, redactam ad compendium, Joannes de Assignies Gallice, Chrysostomus Henriquez Latine dedit. *Nos genuinum Goswini opus, hactenus a nullo editum, suo hic stylo vulgamus.*

præ qua hic datur genuina.

VITA

Auctore Goswino, Cantore Villariensi, coævo ac familiari.

C

Ex tribus MSS. inter se collatis a Rosweido.

PRÆFATIO.

Ut in natura paulatim res perficiuntur

Sicut in germinibus herbarum atque lignorum, quæ terra producit non una species, nec unum in omnibus genus est; sed singula quæque in sui generis forma, et in suæ stirpis qualitate gignuntur; plenum autem decorem non statim ut eduntur accipiunt, sed certis et ordinatis provehuntur augmentis, donec ad perfectam sui habitus quantitatem, per succedentia sibi incrementa perveniant; ita et semina divinorum charismatum, plantæque virtutum, non in omni agro cordis humani, totum hoc pariter quod sunt futura nascuntur; nec facile reperitur in exordio maturitas, et in inchoatione perfectio. Juxta hanc similitudinem, nemo repente fit summus; sed diverso modo diversi paulatim proficiunt de virtute in virtutem, secundum quod eis gratia Dei arriserit; a quo datur eis sine merito, unde tendunt ad meritum; et a quo assequitur quisque ante ullum laborem, unde postmodum mercedem accipiat secundum suum laborem. Divisiones enim gratiarum sunt sicut dicit beatus Apostolus; et unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius sic, alius vero sic. Sed licet Deus noster omnipotens, D quandoque in aliquo servorum suorum operetur quædam singulariter mirabilia et mirabiliter singularia, quæ in multis aliis inveniri non possunt; non tamen ideo fit consequens, ut privilegia paucorum faciant legem communem.

sic homines in gratia,

licet subinde aliter ex privilegio fiat, 1 Cor. 12, 4 et 7, 7.

ut factum in B. Arnulfo:

2 Si ita est, imo quia ita est, merito privilegianda est venerabilis conversatio Fratris Arnulfi, novi Martyris nostri: qui tam mirabiliter vixit in hac vita mortali, ut vix hodie inveniatur aliquis, qui austeritatem vitæ ejus, non dico per omnia sustinere, sed nec attentare quidem audeat. Qui dum adhuc cum hominibus conversaretur, et secreta conversationis ejus partim scirentur, partim nescirentur; unus Monachorum Villariensium, Walterus nomine, qui ei valde familiaris erat, multoties secretius rogavit eum, ut de bonis Domini, quibus eum gratia mater ditaverat, ei aliqua, causa ædificationis, intimaret. Illo vero sæpius reluctante, idem Monachus se nimium contristari, nec ab importunitate sua desistere se velle asseruit, nisi ei ab ipso aliqua intimarentur. Tandem ille, rogantis devictus instantia, roganti satisfecit, et ei multa de secretis suis reseravit, quæ nos ab ejusdem Monachi ore rapientes, memoriæ commendavimus, ut scripto E postmodum traderemus. Quædam etiam personæ seculares, probatæ religionis, et quidam Fratrum Domus Villariensis, aliqua de secretis beati viri, quæ ab ejus ore audierunt, nobis enarraverunt: quorum testimonio credibilia facta sunt nobis, ad declarandam ejus conversationem.

cujus secreta quædam, a familiari ejus

aliisque accepta,

scripturus Auctor,

partitur opus suum bifariam.

3 Ut igitur lucerna ponatur super candelabrum, et luceat fidelibus qui sunt in Ecclesia Dei, mirabilem Justi hujus conversationem, sicut a supradicto Monacho, vel ab aliis testibus veridicis nobis recitata est, breviter elucidare cupientes, Spiritum sanctum invocamus adjutorem, quatenus ejus gratia cor nostrum et linguam nostram regente, aliqua, tam præsentibus quam posteris, profutura, scribere valeamus. Et quia multæ sunt afflictiones, quas ille Beatus corporaliter sustinuit: congruum nobis visum est, in primo libro Vitæ ejus, non solum corporales ejus afflictiones, sed etiam instrumenta afflictionum tantummodo annotare; ut discant omnes longo illum martyrio fuisse coronatum. In secundo autem libro, virtutes et revelationes sive cetera ejus gesta, adjuvante Domino, describemus.

Hujusmodi divisionem etiam Manrique invenit, sed paulo aliter partita capita ultima: nam prophetia de F *futuro schismate, quam in Miræi MS. desideratam Rosweidus ex Aureæ Vallis MS. monuit inserendam Capiti apud nos 20, indicat Manrique in suo quo usus est MS. reperiri Cap. 22, et apparitiones post mortem adscribit Capiti 23, cum ecgraphum nostrum, ante supplementa Auræivallensia scriptum, Capitibus 21 terminetur. Genuinam ergo ac primam Divisionem et titulos Capitum antiquos hic accipe, ut absque vetustatis detrimento liceat nobis more nostro longiora formare capita, apposito indicio numeri sub quo invenienda sunt singula.*

ANTIQUA DIVISIO.

LIB. I. Cap. I De priori vita, et de initio conversionis ejus. Num. 4
II De adventu ejus ad monasterium Villariense; et tribus funiculis, quibus primitus se ligavit. 7
III De virgis et rosco, quibus frequenter se disciplinavit. 11
IV De mirabili ferula, qua se cæcidit, et de urticis, in quibus se volutavit. 15

v

A v De cilicio, caligis, et pedulibus cilicinis, et tribus catenis. 17
vi De pellibus ericiorum. 20
vii De lecto ejus. 23
viii De cibo ejus et potu. 25
ix De labore ejus, vigiliis, et somno. 28
x Quid in æstate et in hieme fecerit. 31
xi De mirabili afflictione, quam omnibus diebus Quadragesimæ corpori suo intulit. 33
xii De lorica ferrea, quam anno, præcedente obitum ejus, portavit. 36
Lib. ii. Cap. i De caritate ejus. 1
ii De duobus porcis, quibus grunnitum interdixit, quos ex licentia Prælati sui caritative pauperibus dedit. 4
iii De humilitate ejus et patientia. 6
iv De obedientia ejus et oratione. 10
v De eo quod B. Virgo Maria ei apparens, septem gaudia, quibus in cœlo incomparabiliter fruitur, ei revelavit. 14
vi De eo quod Dominus Jesus, ei apparens, mira sibi ostendit. 17
vii De risu ejus. 21
B viii Quomodo dæmones, quater ei assistentes, a se repulit. 24
x De Monacho a ruptura liberato, et de gratia Domini, collata eidem. 82
x Quod monasterium Sanctimonialium, cui Argen-cella nomen est, consilio ejus fundatum est. 30
xi De Reclusa. cui infirmitatem corporis, et in infirmitate consolationem gratiæ cœlestis, orationibus suis a Domino impetravit. 33
xii De matre cujusdam Sacerdotis, quam tempore designato prædixit morituram. 35
xiii Quomodo Sacerdotem secularem, exterius prætendentem vitam religiosam, verbis corripuit. 38
xiv Quomodo uni Novitio et uni Monacho, oratione sua subvenit: et alteri Monacho gratiam, quam habebat nec advertebat, insinuavit. 40
xv Quomodo alterum Monachum, manibus Domini et B. Mariæ matris ejus, ad cœlum deferri vidit. 42
xvi Quomodo Parisiensi cuidam matronæ mirabilem gratiam a Domino impetravit. 45
xvii De gratia, alteri mulieri religiosæ a Domino missa, quam ipse per spiritum agnovit. 47
xviii De duobus Clericis, qui ad eum, super statu vitæ suæ consulendum, venerunt. 49
xix De puella, a dæmone fatigata, quam die determinato liberandam prædixit. 52
xx De Milite, quem, ut cogitationes suas opere impleret, admonuit; et de quibusdam personis quibus quædam futura prænuntiavit. 54
xxi De infirmitate et morte ejus. 64
Versus De conversatione et obitu ejus.

LIBER I.

CAPUT I.

Arnulfi conversio, accessus Villarium, et prima pœnitentiæ instrumenta.

Fuit in Episcopatu Cameracensi, in oppido quodam veræ Brabantiæ, quod Bruxella dicitur, adolescens quidam, Arnulfus nomine, quem a mediocribus parentibus duxisse originem ferunt. Hic in primo adolescentiæ suæ flore, nequaquam advertens quod ait Salomon, adolescentia et voluptas vana sunt; nec etiam prænoscens, quanta Deus in posterum ei bona facturus esset; sponsionem, qua se in baptismo promiserat renuntiaturum diabolo et omnibus pompis ejus, minime usque in finem illibatam servavit; sed levis moribus et verbis, per tortuosa mortis itinera cœpit erraticus viator incedere, et in quantum libuit carnis suæ voluptatibus deservire. Cum autem placuit Domino, qui eum segregavit ex utero matris suæ, ut vocaret eum per gratiam suam; misit ei spiritum consilii salutaris, qui cordis ejus tenebras illuminaret, et errantem ad viam veritatis reduceret. Ad cujus dulce susurrium a somno mortis excitatus, abiit ad Sacerdotem, Vicarium Christi; et noxium peccatorum suorum virus in Confessione evomens, exuit veterem hominem cum actibus suis, et induit novum, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis.

D A. GOSW. COÆVO. EX MS. Eccl. ii, 10, *confessione facta, devotioni se tradit,*

5 Deinde cum omni industria segregans se a malevolo secularium contubernio, cœpit frequentare religiosas personas, et bonis viris se familiarem exhibere; ut eorum exhortationibus et sanctis orationibus, tanto liberius ad meliora proficeret, quanto validius carnis illecebris et vanitati mundanæ renuntiaret. Quotiescumque autem poterat, sanctarum celebrationi Missarum intererat; dominicisque noctibus atque in Sanctorum festivitatibus, pulsatis ad Matutinas campanis, impiger ad ecclesiam convolabat. Siquando vero somnus eum diuturnior oppressisset, ita ut ad sonitum campanæ nequaquam surgeret; et postmodum tamen evigilans, Matutinis jam ex parte cantatis, tardius ad ecclesiam veniret; tunc miro modo mœrens et verecundus, non ante oculos hominum, sed Dei; ecclesiam ingredi, et ipsi Domino adstare recusabat: sed stabat foris in eo loco, ubi de tecto ecclesiæ stillicidia descendebant pluviæ, stillantia super terram: sed tamen raro ei contingebat.

E *somnolentiam castigat sub stillicidio.*

6 Et quoniam scriptum, est, Vasa figuli probat fornax, et homines castos tentatio tribulationis; quodam tempore, instinctu diaboli, tentatus est, sed probatus. Cum enim mulier quædam, ætate adolescentula, lasciva moribus, et seculariter vivens, videret eum adolescentem aspectu decorum; oculorum suorum capta laqueo, exarsit in concupiscentiam ejus. Sed quia putidum cordis sui amorem, libidinosæ commixtionis incentorem, ei palam denudare erubescebat, eo quod timoratum ac religiosæ vitæ deditum attenderet; cœpit cogitare, quali arte illiceret eum ad peccandum. Et nacta opportunitatem, nocte quadam, cum ille in strato suo se collocasset ad pausandum; sub caligine noctis ingressa latenter cameram, venit ad lectum ejus; et juxta eum se impudenter collocans, cœpit eum verbis procacibus incitare ad peccatum. Quod ille ut audivit, statim de lecto exiliens fugit; sicque misera mulier, spe sua frustratam se esse dolens, confusa recessit. Ea hora tam valida carnis tentatione correptus est, ut pene lapsus fuisset in peccati voraginem, nisi Dominus gratiæ suæ manum ei porrexisset, qui servos suos non patitur tentari supra quam possint, sed facit cum tentatione etiam proventum, ut possint sustinere. Pro sua igitur ereptione gratiarum actiones Domino lætus rependens, ait: Spero in te, Domine Deus meus, quia sicut nunc per te ab hoc igne mortifero liberatus sum, sic deinceps hujusmodi incendium, te protegente, mihi non dominabitur.

Ecl. 27, 6 *A procaci muliercula noctu solicitatus,* F *fugam noctu capit,*

7 Pugnans itaque de cetero novus athleta viriliter, præparavit animam suam ad tentationes; et in hoc statu Religionis, quasi duobus annis præmuniens quantum potuit, se a peccatis et vitiis custodivit. Sed timens ne, si forte recidivum pateretur, fierent

et applicat animum Religioni.

A. GOSW. COÆVO EX MS.

A fierent novissima ejus pejora prioribus, proposuit transire ad Ordinem Cisterciensem: et tamquam si responsum accepisset a Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius esset Conversus ejusdem Ordinis, et miserabiliter præ ceteris viveret; duos secum comites itineris sui sine dilatione assumens, timorem scilicet Domini et spem veniæ, reliquit cognatos et notos, et abiens valedixit seculo, in seculum et in seculum seculi. Egressus igitur novus Christi tirunculus cum Abraham, de terra et de cognatione sua, ut iret in terram quam monstraverat ei Deus; anno ætatis suæ vicesimo secundo, venit ad monasterium Villariense, ubi a Domino Carolo, tum temporis Abbate, se recipi petiit et impetravit: sicque habitu seculari deposito, et habitu Ordinis assumpto, Fratrum laicorum conventui sociatus est. Factus autem Novitius, cum omni benevolentia cordis et longanimitate, præstolabatur anniversarium suæ Professionis diem. In quo dum profiteretur Abbati suo, copiosam et quodammodo singularem a summo Abbate meruit accipere cœlestis gratiæ benedictionem, sicut in sequentibus declarabitur.

CAP. II. An. æt. 22 Villarii capit habitum Fr. Conversi;

8 Cum autem annus probationis ejus necdum ex B magna sui parte evolutus esset; cœpit salubriter contristari, eo quod minus laboris et afflictionis quam arbitrabatur, se reputabat invenisse: et tacitis intra se cogitationibus sibi ipsi de seipso conquerebatur, dicens: Ad quid veni ego ad Ordinem istum? Numquid ut frustra dies meos consumerem? Si foris remansissem in seculo, multo plus afflictionis corporaliter potuissem sustinuisse, quam hic sustineam. Aliud est etiam quod me torquet interius; hoc scilicet, quod omnia corpori meo necessaria, tam in victu quam vestitu, sine solicitudine mea mihi ministrantur, et quidem abunde, plusquam corpori meo et stomacho necesse sit. Ecce tempus meum perdo, et dies mei sine fructu mercedis prætereunt.

angitur desiderio majoris rigoris,

9 Cum hæc et his similia mente tractaret, reputans secum, ne forte pœnitentiales Ordinis afflictiones ei celarentur; cœpit cogitare et recogitare, quid arctius, quidve pœnalius possit suæ carni superaddere: et invenit quoddam tormentum, quod satis corpori suo esset onerosum. Fecit namque sibi furtim duos funiculos, de setis tortos, quas ei cauda ministravit equina, et circumcinxit ex eis strictim coxas suas desuper genua, portans illos C diebus multis, quoadusque caro ejus exinde vehementer læderetur. Die vero quadam accidit ei, ut ex quodam defectu corporis factus velut exanimis, corrueret in terram. Quod videns quidam Frater, et timens ne aliquam singularem corpori suo inferret afflictionem; post modicum, cum ad se reversus fuisset, alloquens eum seorsum, dixit ei: Frater Arnulfe, cave tibi, ne communes Ordinis institutiones transgrediens, vitæ tibi asperioris non licentiatus assumas austeritatem vel singularitatem: quia magnum inde corporis tui posses incurrere detrimentum. Ad quod verbum ille confusus in semetipso, accessit ad Monachum Confessorem, qui tunc temporis erat Magister Conversorum: et confessus est, se portasse funiculos illos absque licentia. Confessor vero increpans eum, et injungens ei pœnitentiam, prohibuit, ne quid simile de cetero sine licentia attentare auderet.

et coxas setaceis funiculis stringit:

quod Confessario detegens,

10 Ille vero factus constantior ex increpatione Magistri sui, accepta licentia fecit alium funiculum longiorem, cui multos inseruit nodos, ut citius graviusque cutem cum carne secaret, et sibi majorem daret hæc medicina dolorem, et ex eo circumcinxit se per medium sui, astringens illum fortiter corpori, quem similiter diebus multis portasse memoratur. Tandem funiculus idem cutem transfigens, carni ejus tam valide immersus est, ut de carne ejus putrefacta vermes ebullirent, et ipsa eadem caro magnum ex se fœtorem evomeret. O vere felicem puerum, de quo recenter nato tam solicita est mater gratia, ut non solum nutriat eum lactis dulcedine, sed etiam myrrhatum vinum propinet ei ad bibendum; dum alligat eum in cunis infantiæ suæ tam pungentis fascia funiculi, et cultro tam acutissimo carnalem in eo circumcidit lasciviam. Timens igitur fortis athleta, ne fœtor, qui de putredine carnis ejus procedebat, læsionem proximis generaret; curavit eumdem funiculum carni suæ penitus subtrahere, non ob defectum quidem tolerantiæ, sed propter occasionem superius memoratam. D

permittitur alio nodoso uti;

sed et hunc deponere cogitur.

CAPUT II.

Flagrorum Arnulfi frequentia et varietas mira atque cruenta.

A tempore itaque illo, quo funiculos projecit a se bellator fortis, tam crudelem adversus corpus suum fecit conjurationem, ut quidquid deinceps novi et pœnalis instrumenti cogitationibus suis occurreret, unde carnem suam laniare posset, carni suæ procul dubio ad debellandam eam applicaret. E Emenso igitur aliquo tempore, virgarum verbera consulens, virgis manum instruit; et se cingulo tenus, vel etiam totum corpus, quandoque vestibus exuens, carni suæ, in quocumque loco se manus ferientis extendisset, tam grave tormentum verberando intulit, ut multis se exaratam vibicibus caro ostenderet. Cum autem sacrificium hujusmodi Domino sæpius offerret, æquo animo sævientium ictus virgarum ferebat; ostendens verum se esse discipulum Domini et Magistri sui, qui sanctissimam carnem suam flagellis laniandam præbuit. Sub cujus magisterio proficiens de die in diem in simplicitate cordis, didicit ab ipso mitis esse et humilis corde; didicit etiam artem artium, artem amoris; qui, ut ait B. Bernardus, præceps, vehemens, flagrans et impetuosus est: qui præter se aliud cogitare non sinit; qui confundit ordinem, qui dissimulat usum, qui modum ignorat: qui totum quod opportunitatis, quod rationis, quod pudoris, quod consilii judiciive esse videtur, triumphat in semetipso et redigit in captivitatem.

CAP. III. Crudelibus virgis corpus totum excruciat,

et amore abreptus,

12 Hunc amorem totis medullis cordis inviscerare sibi cupiens servus Christi, cœpit semetipsum vilipendere, et sui corporis quodammodo oblivisci; terrena despicere, cœlestia desiderare, et in æternitatis amore suspendi. F Inde est quod virgarum verbera parvipendens, cœpit in silvis roscum colligere, lignum scilicet virentibus semper foliis aculeatum; faciens inde sibi fasciculos, et eorum ramis privatim se verberabat omni tempore, tam æstatis quam hiemis, exceptis Dominicis diebus vel festivitatibus Sanctorum. Agnoscant ergo omnes, quia ubicumque manus ferientis in corpore suo locum invenisset, tam irremediabili disciplina se usque ad effusionem sanguinis solitus erat cædere, ut ramos aculeatos, quibus se flagellabat, oporteret eum mutare frequenter, et novos accipere; pro eo quod ex crebris percussionibus, plures super corpus ejus confringebantur. Non sufficiebat ei quod verberibus carnem suam affligebat, nisi etiam novos afflictionum modos excogitaret. Interdum siquidem pungitiva rosci folia accipiens, subtus ad carnem, in sinu suo ponebat. Interdum etiam aculeatorum congeriem ramorum, in modum lectuli sibi in terra sternens, nudum se in eis volutabat.

rosco utitur, ad flagra,

sub veste et in strato.

13 Quodam die, cum Monachus quidam venisset ad grangiam, ubi idem vir Domini morabatur, interrogavit

A terrogavit Fratrem stabularium, nomine Nicolaum, ubinam ille esset. Qui respondens dixit, eum esse in purgatorio. Ad quod verbum cum Monachus miraretur, et interrogaret, cujusmodi esset illud purgatorium; prædictus Frater subintulit dicens: Quia ille more solito verberibus purgatoriis corpus suum affligebat. Tunc Monachus, Quam libenter, inquit, colloquerer ei, si id mihi ab ipso concederetur; sed ut arbitror tali præpeditus negotio, foras ad me modo non egrederetur. Imo, ait ille, si vester ei adventus innotuerit, sine mora procedet. Statimque pulsans ad ostium cellæ, evocavit virum Dei, nuntians ex nomine Monachum advenisse, qui ejus sanctum et familiare exoptabat colloquium. Confestim ille tunica se rursum circumamictans, caputiumque resumens, egressus est. Cum autem Monachus videret tunicam ejus, sanguine cruentatam, rivulis sanguinis de corpore ejus recenter flagellati decurrentibus; præ dolore cordis lacrymatus est, ita ut vir Domini causam lacrymarum ejus ab eo sciscitaretur. Qui respondens dixit: Tactus sum dolore cordis intrinsecus, attendens mirabile martyrium. Et quare, carissime, interficis temetipsum? B Ad quod verbum ille Monacho jocose satisfaciens, non se sui ipsius, sed peccatorum interfectorem esse respondit. Nec mirum. Acerrima enim et frequens carnis afflictio, sæpe adimit servis Dei ex parte non modica peccandi occasiones.

Hinc cruentatum increpanti

respondet, se peccata occidi:

14 Quadam iterum vice, cum intra cellam suam se more solito cæderet; vir quidam stetit foris secus parietem, beato viro hoc ignorante, ut verberum ejus modum exploraret; et mille nongentos ictus eum carni suæ dedisse, eosdem ictus numerando, agnovit, antequam a verberibus cessaret. Res mira! Quis super his non obstupescat? O Amice Dei omnipotentis, quid est quod agis? Alii quærunt sua commoda, carnem suam foventes; et etiam milites hujus mundi præliantur, non contra seipsos, sed hostes suos: tu versa vice contra carnem tuam pugnas, et quasi miles furibundus ei novum bellum indicis. Obsecramus pro Christo miserere carnis tuæ, carnis pauperis et fragilis, sine qua vivere non potes. Si vero eam affligere cupis, consule saltem nutricem virtutum discretionem: ab illa enim doceri poteris, quantum oneris jumento carnis tuæ imponere debeas. Nequaquam, inquit ille, nequaquam ad effectum perducetur hujusmodi persuasio, cum caro mea hostis meus sit, tanto C magis mihi formidandus, quanto magis mihi vicinior est. Jumentum carnis meæ stimulis pungi et artari necesse est, ne lasciviat et me pertrahat in mortis voraginem: et ideo nova adhuc illi bella suscitare propono.

alteri, qui ictus 1900 numeraverat

ait ita tractandum hostem.

15 Igitur miles fortissimus, perseverans in sancto proposito impugnandi carnem suam, ut in tormentis, corpori suo adhibitis vel adhibendis, similis efficeretur leoni, qui ad nullius pavet occursum; invenit quoddam genus flagelli, cujus ictus non tantum importabiles hodie multis viderentur, sed et intuentes horrore nimio concuterent. Fecit namque sibi ferulam ligneam agglutinans illi pellem ericii, multis aculeatam spinis; et in virtute sanctæ crucis sapienter indoctus, arripiens illam, flagellavit se, ubi caro ejus densior habebatur, vel ubicumque manus ferientis invenisset locum; ut nequaquam sibi parcens, sed manibus propriis seipsum cædens, et tormentum tormento addens, majus aliquid ageret quam Martyres antiqui, qui alienis manibus torquebantur. Et cum talibus corpus suum stimulis immisericorditer perforaret, tanta sanguinis abundantia de foraminibus effluebat, ut manus ejus superficietenus tingeretur. Quotiescumque autem, tam virgis, quam rosco, sive ferula, carnem suam tam furibunde cæcidisset; die sequenti se curatum divinitus reperiebat: excepto quod quædam nigredinis maculæ ex vibicibus et foraminibus in carne ejus apparebant. Quandoque etiam recenter flagellatus, nudum se volutabat in urticis, ita ut dolor quem mordaces illi urticæ pariebant, acrior ei et intolerabilior, sicut ipse perhibebat, super omnes dolores, quos antea sustinuerat, videretur.

CAP. IV. Ferula erinacei spinis aspera,

multum sanguinis elicit,

et inflictas plagas renovat,

D

A. GOW. COÆVO EX MS.

inter urticas se volutando.

16 Quomodo te magnificabimus, serve Dei excelsi? qui non solum funiculos, virgas, et roscum; sed etiam ferulam, et talem ferulam excogitans elegisti. Ubi unquam audisti factum, ut quis se hujusmodi ferula ausus fuerit cæcidisse? Moris est pueris scholaribus, ut si quem forte eorum contingat, in suarum latinitate collocutionum falsam proferre grammaticam, sodalis ejus qui hoc audierit, ferula lignea volam manus ejus feriat, et eamdem ferulam illi servandam relinquat. Ita fortassis, pro eo quod quondam in seculo contra regulam Christi vixeras, et in operibus tuis quemdam, ut ita dixerim, falsitatis barbarismum feceras, timor Domini sanctus, non dico manum, sed multas corporis tui partes prædicta ferula te ferire sæpius et acerrime compulit: ut merito offerres Domino majestatis sanguinem tuum, qui tempore passionis suæ gratanter obtulit pro te Deo Patri sanguinem suum. Et unde tandem tantam concepisti audaciam, ut carnem tuam tam horribilis ferulæ ictibus dissecares, insuper et urticis exureres? nisi ex præsumptione ferventis amoris, qui de infimis cordis tui per vulnera carnis ebulliebat? Aggredere ergo jam de cetero, prout tibi placuerit, quæcumque tormentorum instrumenta tibi ad manus venerint; quoniam tantam consecutus es a Domino vitæ et spiritus libertatem, ut ad omnia corpori tuo contraria te insuperabilem exhibeas; nec dignum est ut deinceps libertas tua ab aliena conscientia judicetur. E

CAPUT III.

De cilicio, caligis, et pedulibus cilicinis, ac tribus catenis, atque saxeo lecto.

Prælibatis itaque exaratus cruentatusque flagellis Arnulfus noster, et permanens invictus; subtus ad carnem induit cilicium, ne quid minus B. Arnulfo Metensi Episcopo in hac parte fecisse dicatur; qui, sicut in Gestis ejus legitur *a*, cilicio induebatur. Ut si cilicio induebatur, non tamen caligas cilicinas in F cruribus, et pedules cilicinos in pedibus gessisse describitur; cum Martyri nostro, neque caligæ, neque pedules hujusmodi defuisse certissime dicantur. Quoties autem de grangia ubi morabatur, Dominicis noctibus, vel etiam in Sanctorum festivitatibus, ad monasterium pedes ire voluisset; non tamen ideo omittebat, quin pedules portaret in pedibus, quamvis in ambulando pedes ejus asperitate eorum non modice læderentur.

CAP. V.

Utitur cilicinis, thorace, a bracca, et pedulibus.

18 Cum vero cilicio satis aspero, quod subtilioribus setarum funiculis erat contextum, primitus uti consuevisset; cœpit ejusdem cilicii asperitatem quasi pro nihilo ducere, eo quod ad portandum quodammodo suave et minus pungitivum sibi videbatur: commotusque indignatione magna adversus carnem suam, cogitavit acrioribus eam exacerbare injuriis. Et cum ab hujusmodi cogitationibus desistere nollet, ne fervor cordis ejus vel ad modicum tepescere videretur; accepit setas equinas, et furtim ex eis grossos contorquens funiculos, colligatum institis, asperum nimis et visu horribile, corpori suo fecit indumentum. Quo dum indutus esset, tam rigidum et insensibile circa corpus suum, ut ita dicam,

Horridius aliquid, ex setis nectit,

A. GOSW. COÆVO EX MS. *quo ablato ista resumit,*

A dicam, stabat idem indumentum, ut nequaquam in alteram partem se flectere, vel deorsum inclinare posset. Quod dum comperisset magister grangiæ, vir religiosus et omnium bonorum amicus, Sygerus nomine; timens ne jumentum corporis illius sub tanto onere deficeret, calliditate quadam illectum seduxit, et ei tormentum importabile abstulit: ille autem dolens, dulce sibi ablatum esse cilicium, a die illa et in reliquum eisdem ciliciis, quibus ante uti consueverat, usus est. Porro si quis quærat, qualiter et quoties, si crebro an raro, cilicio, caligis, et pedulibus usus fuerit; agnoscat quod hujusmodi indumenta tam indissolubili fœdere carni suæ copulavit, ut eis fere quasi omni tempore uteretur. Non enim difficile fuit ei habere ad manum hæc cilicina indumenta; quoniam a quodam viro religioso; qui sibi familiaris erat, eadem contexta sæpius ei ministrabantur.

triplicemque ad corpus catenam.

19 Cogitans autem miles invictus, quid adhuc carni suæ, ad cumulandum tormentum, applicare posset; tres catenas ferreas sibi acquisivit, et in nomine Sanctæ Trinitatis, trinitati supradictæ, id est, cilicio, caligis et pedulibus, trinitatem catenarum socians, primam catenam per medias scapulas B et sub ascellis, ex utraque parte per ante pectus suum, circumflexit, et ex ea se vinxit: secunda autem catena, a dorso per medium ventrem, se quasi quoddam cingulum exhibuit: tertia vero, circumposita renibus, suum etiam officium implevit. Has autem catenas carni suæ, prout libuit, vel fortius vel remissius astrinxit. Vidit Joannes in sua Apocalypsi hominem præcinctum circa pectus zona aurea; nos vero oculata fide majus aliquid inspeximus, hominem mirabilem fortiter astrictum circa pectus catena ferrea, ad reprimendas cogitationes noxias, quæ ex corde oriuntur; circa ventrem secunda catena cingebatur, ut gulæ concupiscentiam reprimeret; tertia circa renes, ut luxuriæ motus refrenaret. Hic est funiculus triplex non lineus, sed ferreus; qui quanto fortior, tanto ad rumpendum difficilior. Supradictis igitur catenis vir Domini cinctus fuisse, et eas multo tempore portasse, certissime memoratur.

CAP. VI. *Sæpe etiam erinaceorum pellibus,*

20 Post præcedentium tormentorum triumphos, cupiens adhuc miles Christi in operibus militiæ suæ innovare signa, et immutare mirabilia; ausus est magnum quiddam attentare, quod inter cetera ejus C gesta multis præconiis attollendum est. Quæsivit namque sibi pelles ericiorum, nunc plures, nunc vero pauciores, secundum quod eas ad manum habere potuit; quibus tam mirabiliter usus est, ut ipsarum aculeos carni suæ sine cunctatione applicans, multis eam punctionibus perforaret. Et ne caro ejus prædictarum pellium punctionibus diutius fraudaretur, rogabat pastores ovium, ut quotiescumque ericios, vel in silvis, vel in dumetis, seu alibi invenissent, excoriantes eos, pelles ei pro munere afferrent: unus etiam ex familiaribus ejus hujusmodi pelles quandoque ei comparabat. Et quamvis certum non designaverimus numerum pellium; agnoscant tamen præsentes et futuri, undecim eum pelles habuisse; de quibus insimul ligatis, quasi quoddam pelliceum faciens, sex in pectore et utroque latere, quinque vero in dorso fixas bajulabat; cilicium desuper induens, et cingulo illud corpori astringens, ne forte pelles a carne laxarentur. Easdem autem pelles multo tempore tulit, quas tamen ad libitum suum, pro loco et tempore, vel deposuit vel resumpsit.

exorata ad id licentia a suis Abbatibus,

21 Possunt forte aliqui mirari et dicere, quod multum, et plusquam multum indiscreti fuerunt Abbates illi, qui passi sunt virum istum ericiorum pelles, visu et tactu horribiles, corpori suo adhibere, et ceteris instrumentis se ultra modum affligere. D Quibus satisfacientes respondemus, quod huic beato viro, qui sub quatuor Abbatibus, Domino videlicet Carolo *b*, Conrardo, Galtero, atque Guillelmo *c*, fortiter Domino militavit, iidem Abbates licentiam adhibendorum corpori ejus tormentorum dederunt; sed ei rursum quandoque interdixerunt, timentes ne sub tot et tantis martyriis deficeret; sed ille, fortem se ad omnia asserens, opportune et importune licentiam sibi subtractam iterum ab eis extorquebat. Videbant enim in eo privilegiatam quodammodo gratiam sustinendi; nec poterant eum a se repellere, et contradicere sermonibus justi; eo quod roborabatur a Deo in diebus certaminis sui, nec ullatenus deficiebat. Si voluerimus seriatim revolvere vetus et novum Testamentum, non poterimus invenire aliquem, qui sive virgis roscosis, sive aculeatis ericiorum pellibus corpus suum martyrizaverit, præter hunc beatum virum.

b c

* Cap. I *majorem Dei gratiam in eo agnoscentibus,*

22 Referente beato Papa Gregorio didicimus, sanctissimum monachorum patrem Benedictum, in specu latitantem inventum fuisse a pastoribus, pellibus * vestitum: cui quamvis comparare non præsumamus martyrem nostrum; dicimus tamen, pelles ejus pellibus ejusdem beati patris longe fuisse dissimiles. Et certe si pelles utriusque hodie deberent a multis ad vestiendum eligi; omnes (ut arbitramur) E eligerent pelles S. Benedicti, et aspernando anathematizarent pelles Fratris Arnulfi. Et quid mirum, si pelles tam terribiliter aculeatas æquanimiter sustinuit? qui memor passionum Domini, peccata sua, diem judicii, et tormenta inferni, ante oculos cordis sui sæpius habuit? qui, ex quo ad Ordinem venit, ipsomet testante, voluntatem suam numquam implevit? qui omnes cordis sui affectiones ad Deum convertit? qui in bonis consummari proponens, Deo dedit pellem pro pelle, pellem miseræ carnis pro gloriosa pelle resurrectionis? Præterea sciendum est, quod quoties, post expensum in bonis operibus et sanctis orationibus diurnæ lucis spatium, se in lectulo suo pausationi dedit, non sine cilicio, caligis et pedulibus, atque prædictis pellibus, id agere consuevit.

quam de aliis San legamus.

CAP. VII. *Lectus ejus saxa et baculi,*

23 Quia de lectulo ejus mentio incidit, sciendum est, quia ipse sibi lectulum, non floridum, sed horridum; non de straminibus, sed de lapidibus planis et magnis, ut in eo pausaret, exstruxit: et desuper lapides illos, baculos quosdam duros posuit; et sic F demum super baculos sagum laneum, ut corporis sui tormentum celaret, expandit. Et ne caput ejus etiam ubique incommoditatis participio fraudaretur, ad caput lectuli lapidem grandem posuit, nullum omnino cervical sub capite suo habens, quemadmodum ceteri Fratres ejus. Tanti autem fœderis pactum cum lectulo suo fecerat, ut vix omnibus noctibus se ab eo elongari pateretur: sed tamen, eum semel in alio lecto nocte quadam quievisse audivimus. Cum Monachus ille, de quo superius mentionem fecimus, qui ei familiaris erat, nocte quadam esset in grangia, ubi ille morabatur, et in domo contigua dormitorio Fratrum, ambo pariter loquerentur; quanto familiarius tanto secretius, sermones de bonis Domini, vel de utilitate animarum, sive de secretis suis ad invicem conferebant. Cum autem aliquam partem noctis loquendo transegissent, et vir Domini pausatum ire se velle diceret; Monachus dixit ei, Care Frater Arnulfe, manete hic hac nocte mecum, si ita vobis placuerit: ut, quia ego solus sum, solitudo mea ex consortio vestro mihi tolerabilior efficiatur. At ille aliquantulum silens: Libenti, ait, animo faciam quod petitis, sed non puto quod aliis multis in hac re consentirem: longum enim tempus præteriit, quod in hac grangia tam familiarem quietis pitantiam

stragula tecti;

semel tamen mollius cubuit, instanter rogatus,

A tiam corpori meo non indulsi, quemadmodum nocte ista ei daturus sum. Ad hoc Monachus respondit: Care Frater, do vobis benigne licentiam; nolo enim quod aliqua anima, vestro indigens auxilio, detrimentum aliquod causa mei patiatur. Cui ille, Nequaquam, inquit, quia honorem et consolationem, quam causa petitionis vestræ hac nocte corpori meo exhibebo, majoribus postea tormentis ei recompensabo.

24 His dictis, dicto Completorio, ad requiem lectorum ambo conversi sunt. Monachus autem cum vellet eum mantellis et aliis vestibus tegere, timens, ne forte nimio frigore hiemis læderetur; ille modicum subridens, vestes penitus rejecit, insuper et cum pulvinar capiti ejus supponeret, abjecit. Monachus vero, quia nimium frigus erat, sicut præmissum est, multis vestibus se cooperiens, vix frigus evasit. Vir autem Domini, a facie frigoris non expavescens, corpus suum, tunica sola et cilicio indutum, contraxit, et, quodammodo conglobavit; et in brevi cappæ suæ opertorio se involvens, modicum quietis somnum degustavit; sicque surgens a somno orationes suas usque ad Fratrum vigilias protelavit. Consideremus nunc mirabilem viri Dei scrupulositatem, qui in hoc quod modica parte tantum unius noctis super lectum recubuit, tenui panno et modico stramine adornato; in hoc, inquam, honorem et consolationem corpori suo se præstare asseruit. Ex his et similibus colligere possumus, quia quod aliis consolatio est, ei desolatio fuit; et quod alii desolationem sibi asserunt, iste suam consolationem reputavit; fugiendo quod multi appetunt, et appetendo quod multi fugiunt.

sed absque tegmine.

B

ANNOTATA

a *Colitur S. Arnulfus Episc. Metensis* 16 *Augusti; in cujus Vita apud Surium cap.* 4 *legitur, quod*, Indutus, licet clam, cilicio, ejus perpetuo usu exesis et maceratis membris, geminum addebat vigiliarum et inediæ cruciatum.

b *Catalogus Abbatum apud Sammarthanos, initium* Caroli *adscribit anno* 1197, *cui anno* 1209 *successerit* Conradus: *qui a sanctitate laudatur; et an.* 1214 *translatus ad Claram-vallem ipsam regendam, accepit successorem* Walterium; *sed typographico mendo imputandum, puto, quod proximi ab hoc*, Willelmi de C Bruxella *initium notetur an.* 1231; *credo enim legendum* 1221: *nam Cantipratanus ait, eum fuisse anno* 1222. *Manrique ad an.* 1202 *cap.* 5, *num.* 6, *Carolo Abbati jungit* Cæsarium Heisterbacensem, quem jam tum Villarii Priorem *egisse, putat se demonstrasse, atque adeo* Arnulfi *quoque in spiritu magistrum fuisse.*

c *In MS. Villariensi, post Vitam Arnulfi, sequentia invenit Rosweidus, quasi de hoc* Guillelmo, *sub quo iste obiit: nam quo alio titulo hæc ibi scriberentur ?*

CAPUT IV.

Victus, somni, vestitus ratio, plena asperitatis.

Cum autem tempore quodam habitaret cum tribus sive quatuor Fratribus, in mansiuncula quadam, quam vir dives, Uppo nomine, Domino Villariensi libere contulerat in possessionem; ejusdem loci solitudine delectatus, ut secretius liberiusque se ibidem affligeret, magnum quiddam præter consuetudinem aggredi ausus est; ut scilicet pane nigro et asperrimo, quem canes edere consueverant, et pulmentis biduo vel triduo reservatis vesceretur. Cum vero panem eumdem ad voluntatem habere non poterat (quod tamen raro contingebat) pane nigro et grosso, quo familia domus vescebatur, se reficiebat.

CAP. VIII. Solitudinem nactus Arnulfus,

Et cum pulmenta eadem diu reservata plurimum D fœterent, ita ut comedentem quodammodo magis ad vomitum provocarent, quam stomachum comedentis reficerent; vir mirabilis vim sibi faciens, stomacho suo quasi indignans, dicebat: Cur cibis, quos tibi porrigo, indignaris? Durum est tibi contra stimulum calcitrare: velis nolis insipida te oportet gustare cibaria, alioquin pugnabo adversum te, nisi benedictionem meam susceperis. Sic, sic, mediante Christi gratia, ministerium quod ventri suo exhibuit tam indefesse duxit in consuetudinem, ut per triennium et amplius talibus cibariis vesceretur. Et quid mirum, si ventri corporali tam irrefragabiliter injuriosus fuit, qui ventrem animæ delicatis paradisi epulis copiose, secundum datam sibi gratiam implere consueverat? Prudenti autem consilio id agebat, eo quod ventris insania pejor sit omnibus malis, et omnes animæ virtutes edacitatis vitio destruantur.

A GOSW. COÆVO. EX MS.

pane canino et pulmento fœtido vescitur,

toto triennio.

26 Aliis vero temporibus, ab initio conversionis suæ et deinceps, omni tempore eisdem cibis quibus Fratrum Conventus vescebatur, usus est; ita ut mensuram in comedendo servaret, et discretionis jura non amitteret. Sed tamen aliquoties pro tempore, nunc plus nunc minus, corpori suo in sumendis cibis consulebat, sciens quia sine refectione E corpus suum subsistere impossibile erat. Per aliquos autem annos ante obitum suum, nullam omnino pitantiam, exceptis pane et pulmentis sive fructibus arborum, in cibum sumere consensit. Nec mirum. Qui enim corpus suum penitus fregerat et subjecerat servituti, ut non obediret corpori, sed corpus obediret ei; et qui tam in anima quam corpore se Deo totum dederat, justum profecto erat, ut alimento supernæ gratiæ, tam in anima quam corpore nutriretur, cum scriptum sit; Quia non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Cum tamen ei semel ab Abbate missa fuisset pitantia, rigorem abstinentiæ suæ intermisit, eamdemque pitantiam cum gratiarum actione manducavit; paratus semper obedire, si id fieri sæpius contigisset.

Antea communibus ceduliis parce,

sub finem vitæ pane et pulmento contentus,

Mat. 4, 4

nisi cum semel ei Abbas pitantiam misit.

27 Bibebat autem omni tempore satis parce; horis tantum quibus vescebatur, nam post cibum aut raro aut numquam bibere solebat. Aliquando etiam valde sitiens, vas fictile infusa aqua ori suo apponebat, non ut biberet, sed ut gulæ desiderium irritaret: et quamvis fauces ejus præ ariditate sitis non modice cruciarentur; satagebat tamen vir prudens sitis incommoditatem patienter tolerare, quam statum voluntariæ libertatis immutare; exemplo cujus- F dam Eremitæ, qui dum esuriret, ante oculos suos cucumerem appendit, ut in ejus conspectu aviditate comedendi alliceretur; sed tamen gustare noluit, ne abstinentiæ merito privaretur. Considerandum igitur nobis est, quam mirabili opere vir iste contrarius sibi extitit; qui ventri suo cibos, quos abhorrebat, violenter ingessit; et faucibus suis, quamvis vehementer sitientibus, modicum aquæ potum ministrare contempsit.

Extra refectionis horam valde sitiens,

aquam ori admovet tantum, non bibit

28 Modum autem laboris ejus talem fuisse cognovimus. Primo conversionis suæ tempore, quidquid ei laboris fuisset injunctum, æquanimiter exequebatur, egrediens et regrediens ad Magistri sui imperium. Hoc tamen sciendum, quod numquam duris quibuslibet laboribus insistere jussus est, quippe qui nullam aut modicam foris in seculo artem didicerat, qua postmodum in Ordine sicut moris est, implicari cogeretur. Processu vero temporis, cum jam manum misisset ad fortia, et mediante Domini gratia multa ageret humanæ omnino naturæ repugnantia, permissione Magistorum suorum tanta libertate donatus est, ut ab omnibus fere officiis et occupationibus absolutus, aut salutaribus divinæ contemplationis

CAP IX. Ab opere manuali immunis habitus,

ut orationi et pœnitentiis vacaret,

A. GOSW. COÆVO EX MS.

A nis feriis deditus, tam corpore quam mente requiesceret, aut orationibus devotis insisteret, aut etiam verberibus corpus suum castigaret.

noctem interpolat precibus, velut ad eas aptiorem.

29 Cujusmodi autem vigiliæ ejus et somnus fuerint, etiam breviter insinuandum est. Cum adhuc novitius esset, et intra dormitorium Fratrum in lecto suo pausaret; expleto sopore modico, expergefactus, consuevit orationes aliquas ruminare; ut importuno earum susurrio Fratris cujusdam, Balduini nomine, qui in altero lecto secus eum dormiebat, quandoque somnum interrumperet. Postmodum autem Frater ille conveniens eum: Frater, inquit, Arnulfe, quid tibi visum est, quod aliis dormientibus non dormis; insuper et somni quietem clamosis orationibus tuis mihi subripis. Adhæc ille, joco admodum satis gratioso, respondit: Ne mireris super vigiliis meis, Frater mi, tu enim nosti, quod Deus noster horis diurnis plus occupatur quam nocturnis; ideoque noctibus vigilo vacando ei, ut intendat voci orationis meæ, et exaudiat me. Cum hæc autem dixit, ideo utique dixit, quia ipse Dominus multo crebrius tempore diurno quam nocturno, multis multorum precibus, lacrymis et desideriis, sive pro necessitatibus corporum, sive pro salute animarum B interpellatur; qui tamen in disponendo omnia, nulli penitus subjacet mutabilitati, ut more humano labore seu occupatione fatigetur; sed semper quietus permanens, omnibus tamquam uni, et uni tamquam omnibus intendit; et secundum beneplacitum voluntatis suæ, universa, quæ cœli terræque ambitu continentur, tuetur et gubernat; nec alieno indiget adjutorio, qui ab æterno omnipotens est solus.

Somni et vigiliarum ejus mirabilis ratio.

30 Quanto igitur studio, quantave industria vir beatus laboraverit, ad hoc ut somnum superaret, audiamus eum de seipso referentem hoc modo: Ego inquit, dum aliquantulum solito robustiorem ad vigilandum me sentio, impertio somnum oculis meis, et quantum mihi placuerit dormio. Cum vero somni exactione sentio me inquietari, versa vice somnum ab oculis meis violenter excutio, ut etiam somnum eumdem, quotiescumque voluero, redigam in captivitatem. Plane ita erat; et quemadmodum dixit, ita et fecit. Quantum autem sine magno corporis sui detrimento poterat, nocturnis horis orationibus et vigiliis operam dabat. Sed mirum forte videtur quibusdam, quomodo somnum oculis capere poterat, cum in lecto cubaret lapideo, et cilicino amictus esset indumento, vermibus referto. cum pellibus eri- C ciorum, quibus vehementer pungebatur. Quibus respondendum est, quia cogente diurna et diuturna corporis sui fatigatione, facile in somnum quietis solvebatur. Quid ni facile obdormiret, qui sub talibus incommodis gratiam dormiendi, quin etiam et vigilandi supra virtutem corporis sui habebat? Inde est, quod cum in monasterio Dominicis noctibus, sive etiam aliis festivitatibus, vigiliis interesset, aut numquam aut modice dormitabat; sed vigilans devoti cordis intentionem ad Deum sedulus dirigebat. Per aliquos autem annos ante obitum suum, hora vigiliarum earumdem, seorsim extra Conventum Fratrum stabat, et tam diuturna statione corpus suu fatigabat, quod a principio vigiliarum usque ad finem, aut numquam, aut modice sedebat.

CAP. X. Hieme simplici tunica contentus,

31 Mirandis miranda succedunt; quæ stuporem audientibus incutiant. Audiamus igitur quam contrariam corpori suo medicinam novus iste physicus exhibuerit tempore hiemis. Quando ceteri duabus vel tribus tunicis, cum pellibus ovinis, ad repellendum frigus utebantur; iste per contrarium sola tunica, tunica inquam vetustiore quam habebat, induebatur. Nec mirum: qui enim interius calefactus fuerat igne sancti Spiritus, exterius pro nihilo ducebat frigoris cruciatus. Si forte autem contigisset, quod algor hiemalis solito asperior inhorruisset; ceteris artus suos multa veste circummunientibus, iste recusans stare ad D prunas cum Petro, et se calefacere, sequebatur viriliter Dominum Christum ad passionem; nec omnimodis propter frigus desidiæ omittebat propositum, quin terram corporis sui araret disciplinæ vomere; ne cum pigris postmodum mendicare, venturi æstate judicii, cogeretur. Et quamvis valde frigoris asperitate vexaretur, ita quod exterius in vultu pallidus et exanguis appareret; numquam tamen calefatorium intrabat, ut corpus suum ignis beneficio refocillaret, nisi forte causa Fratrum adventantium, qui ei familiares erant, id ei facere contigisset. Quandoque etiam in hieme post vigilias Fratrum, cum ante lucem iisdem Fratres canabum decorticantes, sederent ad ignem, et vir Domini sedebat cum eis: non ut corpus algens calefaceret, sed ut cum ceteris simile opus ageret.

a foco abstinet:

æstate vestes multiplicat,

32 Tempore autem æstivo, sole ad summa cœli ascendente, et igneos super terram diffundente calores; cum fere quilibet sola tunica, propter æstatis fervorem, indueretur; iste per contrarium multo calidius se vestiebat, ut majore æstu affligeretur. Cum itaque hæc et alia multa corporis sustineret E incommoda; non tamen adeo inde pusillanimis efficiebatur, ut infirmitorii quiete et solatio indigeret; cum ipse portans Dominum, a Domino portaretur. Age quod agis, operare quod operaris, famule Christi: non sit tibi curæ siquis te subsannet et irrideat, siquis mirabiles actus tuos vitio hypocrisis [simulationis] obnubilans, ore vipereo mordeat et dilaniet. Curre ad Christum tuum, per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam; nec tædio victus, quantislibet corporis afflictionibus valefacias; donec felicem adipiscaris perseverantiam, quia non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam.

humani judicii contemptor.

CAPUT V.

De afflictione, quam sibi per Quadragesimam intulit, addita lorica ferrea.

CAP. XI Per Quadragesimam a Tertia ad Vesperas,

Audiamus adhæc quam mirabilem sibi vir iste justus passionem intulerit, et in hac passione quam acceptabile Deo sacrificum obtulerit. Quodam tempore, cum quadragenarii sacri dies jejunii instarent, in quibus fideles quique majoribus præter consuetu- F dinem pœnitentiæ laboribus se affligere, et prolixius orationi insistere solent; athleta noster, ne minus ageret quam solitus erat agere, assuetum corpori suo studuit duplicare tormentum. Ab initio siquidem Quadragesimæ, usque ad diem Dominicæ Resurrectionis, semper diebus ferialibus, a mane usque ad Tertiam orationi vacabat. Post Tertiam autem, tunica, cilicio, caligisque projectis, usque ad Horam vespertinam, nudus omnino remanebat in conclavi; et (ut prædictum est) rosco cædebat se, vulnere super vulnus, in quocumque loco corporis sui manus ferientis invenisset locum; nec cessabat a verberibus, donec caro ejus multis aculeis perforata, multis in locis cruentaretur. In Sabbatis autem, a mane usque ad Horam sextam, nudus permanens, se sicut dictum est verberando martyrizabat, pro eo quod eisdem diebus secundum consuetudinem, ad monasterium divini causa servitii ire solebat. In diebus illis hiems valida erat, cujus algoribus, tamquam sagittis acutissimis, omnes artus suos transverberatus, immobilis perseverabat; quamvis præ nimia asperitate hiemis, more febricitantis, totus tremore concuteretur, et dentes ejus ad se invicem colliderentur.

se diverberat.

34 Habebat autem unam cellam in pomario grangiæ,

A *observantibus etiam domesticis plagas,*

giæ, ubi ad libitum suum frequenter inclusus, opus prædictum, opus sanctum et dignum benedictione, non solum his quadragenis diebus, sed etiam temporibus aliis, cum omni spiritus alacritate implebat. Et quamvis id secretius ageret, tamen omnino celari non potuit, quin a Fratribus ejusdem loci vel a familia domus frequentes verberum ejus ictus audirentur. Sciendum est autem, quia quotiescumque se flagellis cædebat, memor fratrum et familiarium suorum, tamquam sibi ipsi confabulando, dicebat; Agendum est mihi fortiter, agendum viriliter; viriliter, inquam, agendum: quia valde necessarium est amicis meis: adjiciebatque; Ictus istos et istos, pro illis et pro illis, infero mihi, in nomine Domini. Et tunc valide se flagellando, nominatim commemorabat aliquos fratrum suorum, nunc vero aliquos amicorum, nunc vero religiosas mulieres dilectas sibi in Christo, quibus sive gratiam et remissionem peccatorum, sive levamen in tribulationibus, a Domino transmitti flagitabat. Cum vero se diutius interdum flagellaret, ejus brachia plurimum fatigabantur, et tunc ipsum pausare modicum oportebat; deinde reparatis viribus cœpto perstabat in opere, nec si unquam deficiebat.

memor sigillatim carorum, suorum

B *mira cum perseverantia,*

35 Quamdiu validissimo frigore patieris te congelari, benedicte Martyr Domini? ut quid etiam tam diuturnis verberibus te fatigas? Tabula jam pulsata est ad Nonam. Obsecramus ergo te, surge velociter, et indue te vestimentis tuis; ne forte tam indiscreta frigoris et verberum afflictione intolerabilem incurras languoris molestiam. Scire enim debes, quod Dominus majestatis, cum penderet in ligno crucis Hora nona, consummatæ passionis triumpho, inclinato capite emisit spiritum. Verum est, ait ille; verum est quod audio: sed tamen usque ad Vesperam pependit in ligno; et tunc de ligno depositus, sepultus est in monumento. Igitur et ego de cruce ista non deponar, donec tabula pulsetur ad Vesperam. Hinc attendendum est, quam sancta et quam forti obstinatione contra commodum corporis sui vir iste pugnaverit, qui quasi fere usque ad exaltationem animæ excruciatus, pugnam quam cœperat non reliquit. Pulsata igitur tabula ad Vesperam, omnibus diebus vestimenta resumebat, et debitum servitutis suæ pensum, secundum Ordinis consuetudinem, Domino persolvens, ut lacerum reficeret corpus, ad mensam cum Fratribus accedebat.

CAP. XII.

36 Et quid, Fratres carissimi, tam admirabilem C et inauditam viri justi pœnitentiam supra memoratam miramur; cum, ab ineunte conversionis suæ tempore, semper ejus creverit pœnitentia, dum mirandis plus miranda succedunt? Anno enim, præcedente felicem obitum ejus, cum jam diu nimis attritus esset cruciatibus, nec adhuc sibi parcere proponeret, quin ad extremum aliquod pœnale instrumentum carni suæ adhiberet; cogitavit quædam agere, unde plurimum fatigaretur. Sumpsit namque sibi loricam ferream, densis concatenatam squamis, quam a quodam amicorum suorum mutuaverat: eamque ad carnem induit; ut, cum ex humore carnis rubiginem contraheret, pungitiva magis asperiorque sentiretur. Deinde accipiens pelles ericiorum loricæ superposuit, ita quod aculei earum per foramina squamarum ad carnem transierunt, et eam vehementer pupugerunt. Si forte autem in latus dextrum aut sinistrum quandoque ipsum gyrare contigisset; tunc supradicti aculei, inter squamas obliquati, et arctius in carne sævientes, pœnalibus solito tormentum illi pariebant. Tandem superducto pellibus cilicio, corpori suo, nexu cinguli illud astringebat. Quandoque autem ad libitum suum opus prædictum vel minus vel acrius exercebat.

Loricam ferream indutus sub erinacei pelle atque cilicio

37 O vere bellatorem inclitum et victoriosum! cui non suffecit, corpus suum, jam a diebus multis edomitum, lorica vestire, et loricæ ferream sentire D duritiam, nisi pelles, visu et tactu horribiles, exterius loricæ superponeret. Superposuit autem et cilicium, ut per loricæ pondus et rigorem, per aculeorum punctiones et dolorem, et per cilicii astrictionem, quasi triplicato martyrio, dies et noctes, cum molestia corporis, sed cum omni benevolentia et hilaritate cordis, transigeret. Ex eo autem quod loricam diutius bajulavit, caro ejus plurimum denigrata fuisse perhibetur; ut, secundum quod in amatorio carmine Sponsa dicit, et ipse merito dicere posset; Niger sum, sed formosus, filiæ Jerusalem. Niger acerbitate pressurarum, quas voluntaria libertate sustineo; formosus autem radiandi decore virtutum, quas Domini opitulante gratia possideo. Itemque, Nolite me considerare quod fuscus sum, quia decolaravit me sol, id est Christus Dominus, dilectus meus, candidus et rubicundus: sol utique verus, cujus ardor amoris me flagellis et afflictionibus decolorari fecit in corpore; cujus itidem amor interius me colorat in mente Plane ita erat. Coloratus siquidem extitit interius in anima, gratiæ cœlestis illustratione; decolaratus vero in corpore, multiplici tormentorum afflictione; recolorabitur E autem multo gloriosius in universali et beata corporum resurrectione, quando universi Sanctorum conventus, distinctis ordinibus fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum, quando omnes populus Dei erunt et ipse Deus cum eis erit eorum Deus.

A. GOSW. COÆVO. EX MS. mirabiliter cruciatur, et totus decoloratur.

Cant. 1, 4

Ib. 1, 5,

38 In supradictis igitur beati viri afflictionibus proposita est multis materia corporales afflictiones sustinendi; sed paucos, ut arbitramur, habebit æmulatores; pro eo quod familiare est filiis Adæ, quærere commoda sua. Attendant ergo nunc universi, omnes corporis dolores, quos ille ab initio conversionis suæ, usque ad obitum suum, perpessus est, et in ejus sancta conversatione, quasi in quodam speculo lucidissimo, pervidere poterunt, quam modica sint respectu passionum illius, ea quæ ipsi pro Christo Domino patiuntur. Ab ejus enim ore audivimus, et verum esse credimus, ipso asserente, quod septem homines afflictiones corporales vix sustinerent, de quibus adjutrice Domini gratia triumphavit, semper incolumi permanens corpore, nec infirmitorii solatio indigens vel quiete; qui omni tempore in refectorio Spiritus sancti, cibum gratiæ cœlestis gustare consuevit. Non enim mirum si proprio corpori non pepercit, sed cruci continuæ tradidit illud; cum recoleret; quod Deus Pater pro- F prio filio non pepercit, sed pro ipso redimendo tradidit illum. Sed ut magis magisque multiplices ejus victorias mundo declarem, qui ipsum præ ceteris temporum istorum tironibus in superlativo sanctæ probitatis gradu jam extulimus; ecce nos offerimus omnia afflictionum ejus instrumenta, omnibus Religiosis cujuscumque sunt Ordinis, ut experiantur, quam suave sit et quam salubre, tantis et tam diuturnis affligi martyriis. Sed ecce, omnes baratrum (ut ita dicam) cujusdam mortis abhorrentes, prædicta instrumenta, quæ tam aspectu quam tactu sunt horribilia, pro eo quod videntur habere rostra serrantia, omnino respuunt; et timore concussi, fugiunt ab eis, quasi a facie serpentis. Cum igitur nemo sit, qui ea inseparabiliter suscipere audeat, nos martyri nostro salva et intacta reddimus, cum multis importabilia videantur.

Paucos habiturus est imitatores,

cujus instrumenta pœnitentialia,

universis horrorem incutiunt cum videntur.

39 Tandem nunc, descriptis simplici stylo, et propalatis, quantum juvante Domino potuimus, corporalibus hujus Beati afflictionibus, cum instrumentis suis, Dominum Salvatorem in ipso magnificamus, qui eum in novo certamine privilegiata roboravit gratia, et felici nihilominus coronavit perseverantia. Nunc igitur, quia huic priori libello finem imponere materia

A. GOSW. COÆVO. EX MS.

A materia enodata deposcit, antequam ad virtutes et revelationes, sive cetera ejus disserenda veniamus, modicum respiremus.

LIBER II.

CAPUT I.

Summa Arnulfi caritas erga omnes.

aritate fervens a multis visitatur,

Quoniam post multimodas maris tempestates, et diuturnam enavigationem, nautam nostrum jam quasi fere ad quietam portus stationem illæsum perduximus; superest, ut ea quæ de ipso materia sequens referenda ministrat, in medium proferamus. Ut igitur a caritate, quæ omnium virtutum obtinet principatum, sumamus exordium; dicendum est, quam ferventem vir beatus in corde suo possederit caritatem. Cum enim aliquis orationum ejus suffragiis se apud Domini clementiam adjuvari expetebat; ille, visceribus misericordiæ affluens, paratissimum se ad opitulandum necessitati ejus exhibebat, dicens; Libenter orabo pro vobis : et (sicut ipsi auribus nostris audivimus) quandoque orationum suarum B sponsioni adjiciebat quoddam verbum, dignum memoria : Ego, inquit, majora dabo quam promittam, Plane ita erat. Ut enim neminem a se repelleret, sed longa liberalitate eleemosynam orationum suarum in sinu quorumlibet afflictorum, qui suffragio spirituali indigebant, absconderet; totis nisibus tam mentis quam corporis eorum negotiis, nunc orationibus lacrymosis, nunc verberum afflictionibus, promptulus succurrebat. Tanta siquidem mentis ejus innocentia et morum erat sinceritas, ut more parvuli inter fratres suos vivens, nulli omnino detraheret, nulli occasionem scandali præberet; sed omnium proximorum suorum, eorum etiam qui eum irridebant, pacem irreprehensibiliter custodiret. Exhibebat itaque omnibus caritatem, sciens quia quantum unaquæque anima lata fuerit in amore proximi, tanto alta erit in cognitione Dei. Sciebat nihilominus, quia sicut sine via nemo pervenit quo tendit : ita sine caritate, quæ dicta est via, non ambulare possint homines, sed errare. Caritas est enim dulce et salubre vinculum mentium, sine qua dives pauper est; et cum qua pauper dives; per quam bonis omnibus vir beatus abundabat.

quos piis monitis instruit, subinde etiam conscientias inspiciens :

C 2 Fama autem sanctitatis et ardentis caritatis ipsius in tantum se circumquaque diffudit, ut plerique de diversis locis etiam quidam Milites, qui in vicinia grangiæ habitabant, ad ipsum causa videndi eum venirent, et orationibus ejus se commendarent. Quibus ille quædam, quæ eis eventura erant, prædixit; quæ ipsi postmodum in seipsis experti sunt. Aliquando enim interrumpebat dulcia cum Deo suo colloquia causa hospitum, qui ad se videndum confluebant ; et quemadmodum B. Benedictus præcipit in Regula sua, ut legatur coram hospite lex divina ad ædificationem, ita scholasticus noster hospitibus, tam familiaribus sibi quam alienis, legebat interdum lectionem veræ salutis de libro caritatis. Aliquando etiam libros conscientiarum quorumdam , calamo diaboli tetris litteris exaratos et corruptos , lucido mentis suæ oculo inspiciens ; urgente eum caritate, non quærente quæ sua sunt, prout possibile sibi erat, mortiferam ex eis scripturam, vel sanctæ exhortationis vel devotæ orationis scalpello, eradere curabat. Et quamvis ipse, multis adornatus virtutibus, mirabilia faceret ; tamen omnimodam in se conculcaverat cenodoxiam ; ita quod penitus in corde suo non erat quo intraret vanitas , ubi totum occupaverat caritas. Numquid ignis non est caritas? Est utique ardentissimus. Inde est quod ex igne isto, quo ardebat cor ejus, guttæ sanguinis D rubicundæ, ad similitudinem ignis, tamquam sintillæ quædam, de corpore ejus frequenter exsiliebant.

Cap. 53.

et eodem spiritu pro amicis

rigidas pœnitentias facit.

3 Et quid in eo tam excellenter venerabantur et amplectebantur plurimi, nisi caram raritatem , raram scilicet caritatem Dei et proximi ? Merito quidem. Non enim ex afflictione corporali caritas, sed ex caritate corporalis ejus procedebat afflictio : ideoque facile perpendi potest, quia etsi multo majora quam tolerabat, pertulisset corporis tormenta, non ei sine caritate prodesse poterant ad salutem ; sicut ait beatus Apostolus : Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Et ut evidenter agnoscamus, quam larga fuerit ejus caritas ; recolamus mirabiles illas et horribiles corporis passiones , quas omnibus diebus Quadragesimæ caritative et specialiter, pro Fratribus et amicis suis, viris et mulieribus religiosis, sustinuit ; ita ut pro salute omnium illorum se totum Domino in sacrificium offerret. Tanta autem ad relevandam pauperum indigentiam mentis compassione movebatur, ut eorum calamitatibus se alterum Martinum , nisi Ordinis legibus coerceretur, exhibuisset. Tanta nihilominus E pietate peccantium erratibus condolebat, ut non sine molestia cordis, in voraginem vitiorum præcipitatos audire posset. Unde et dicebat, velle se pecunia distrahi, et dari in potestate Saracenorum, vel etiam membra sua frustatim discindi, tantum ut necessitatibus pauperum ad plenum succurreretur ; et peccatores , relictis ignorantiæ et infidelitatis tenebris, ad veram lucem, Christum scilicet Dominum, converterentur.

1 Cor. 13. 3

Compatitur valde pauperibus, et peccatoribus,

4 Siquis autem reprehendere voluerit verba ejus, quod scilicet aliquoties de seipso quædam quasi jactanter protulerit, quæ radios luminosæ conversationis ejus quodam hypocrisis nubilo denigrare videantur ; nos, de simplici cordis ejus intentione præsumentes, ipsum tamquam hominem Dei, simplicem et innocentem , excusatum habemus. In sequenti igitur capitulo mirabile quiddam, quod ad caritatem ejus pertinet, dicendum est. Quodam tempore, cum in grangia, cui Sartum nomen est, moraretur ; id officii impositum fuit ei, ut famulo sibi adjuncto, quotiescumque necesse esset, fruges saccis impositas ad monasterium carrucaret; iterumque in eisdem saccis panes, qui Fratribus grangiæ F certis per hebdomadam diebus sufficere possent, reportaret. Contigit autem eum die quadam , cum curru frugibus onerato, ad monasterium devenisse : cumque ante molendinum, saccis a frugibus evacuatis, currum suum exonerasset; cum eodem curru ad proximam grangiam, quæ Novacuria dicitur, profectus est. Ubi cum negotium, pro quo illuc ibat, explesset; etiam duos porcos , quos a Prælato suo licentiatus, dare pauperibus proposuerat, in duobus saccis includens, ora saccorum ligavit, eisque in curru locatis ad monasterium remeavit.

CAP. II. *Vacuis quos vehebat saccis*

5 Cumque jam portæ monasterii propinquaret, iidemque porci, tamquam animalia inquieta, importune grunnirent ; timens vir Dei, ne forte quisquam hujusmodi occasione in suspicionem laberetur ; brutis animalibus, tamquam ratione utentibus , locutus est, dicens : Audite, porci ; audite verba mea. Si displicet in oculis Domini , ne , sicut proposui, in usus pauperum vos expendam, licentiam habetote grunniendi, sicut et facitis; si vero gratum est et acceptabile Deo meo, ut per me de carnibus vestris avida pauperum reficiatur esuries ; præcipio vobis in nomine Dei nostri Jesu Christi , ut penitus ab hoc importuno grunnitu cessetis. Res mira ! Continuo porci illi, qui diu multumque intra saccos

inclusos porcos, pauperibus erogandos,

A saccos clamitaverant, præcipientis obedientes adjurationi et imperio, grunnire cessaverunt. Tunc vir Dei, silentibus porcis, monasterium ingressus est, et ad pistrinum usque perrexit; ubi saccos suos panibus implevit. Quod dum factum fuisset, et iidem sacci super porcos jactarentur, qui in duobus saccis inclusi habebantur; miro modo, acsi mortui essent, incitari ad grunnitum minime potuerunt; quoniam Deus noster omnipotens, qui precibus famuli sui eos quodammodo abmutescere fecit, non nisi permissione ejusdem, naturalem eis grunnitum reddidit. Curru igitur panibus onerato in viam suam profectus est: cumque jam longe remotus esset a muro monasterii, porcis suis licentiam grunniendi, sicut ante consueverant, verbo reddidit. Qui statim, inquietudine solita clamorem emittentes, donec ad grangiam ventum est, grunnire et clamoribus insanire non cessaverunt; eosdem autem porcos, sicut proposuerat, pauperibus dedit.

grunnire prohibet etiam onere injecto gravatos.

CAP. III. Excellit humilitate

6 Nunc ad humilitatem et patientiam ejus stylum flectamus, ut innotescat omnibus, quam humilis et quam patiens iste Beatus fuerit. Simplici quidem et uniformi morum honestate exterius decoratus, liberali affabilitate; mellita pietate, spiritualique alacritate, B unicuique secundum modum suum se conformans, se universis gratiosum et amabilem exhibebat. Parvus etenim erat in oculis suis, ut esset magnus in oculis Domini: sciens, quia qui sibi vilis est, ante Deum magnus est: et qui sibi displicet, Deo placet. Tanto ergo erat ante Deum pretiosior, quanto ante oculos suos despectior. Merito quidem: cum humilitas sit virtus, qua homo verissima sui cognitione sibimeptisi vilescit. Si quis autem ipsum pro re aliqua verbo pulsasset reprehensorio, nequaquam eo exacerbari poterat: quia humilitatem, quæ Sanctorum virtus est permaxima, intra mentis suæ secretarium inconcussam et illibatam conservans; eam exteriori corporis habitu, habitu inquam verecundo et modesto, demonstrabat, patienter humilis, et humiliter patiens.

et patientia.

7 Si enim mirari voluerimus, mirari non sufficimus, quomodo vir iste, inter tot et tantas corporis sui afflictiones, quasi in quodam inferno positus, humilitatem et patientiam habere, et in exemplum declarare mundo potuit; cum multi usque hodie, non dico sub validis corporum afflictionibus, sed sub modicis occupationibus, occasione levi, humilitatem et patientiam suam amittere videantur. Sed Deus C omnipotens, qui primordia conversationis famuli sui privilegio gratiæ suæ sublimare cœpit; ipse postmodum eamdem gratiam sam potenter in ipso roboravit, ut humilitas et patientia magis ac magis in eo tam interius quam exterius augeretur: unde et multi perhibuerunt de sancta ejus conversatione testimonium, quod numquam eum quis vidisset iratum sive commotum. Quomodo enim facile ad indignationem commoveri, vel ad iracundiam provocari potuisset, qui Deum pacis et dilectionis, intra floridam cordis sui cellam, semper inhabitatorem admiserat. Ut igitur palam cunctis innotescat, quia humilitatis breve subjungimus exemplum.

De licentia Abbatis panes distribuens

8 Cum monasterio Villariensi præesset Abbas quidam, omnium bonorum amicus; vir Domini secretius petiit ab eodem Abbate, ut panes, numero quadraginta duos, liceret ei dare indigentibus. Abbas autem, sicut vir misericors, qui angustiis pauperum medullitus compatiebatur, cum omni benevolentia petitionem ejus exaudivit. Ille vero, prout secretius potuit, panes supradictos egenis distribuit. Sed quia nihil est occultum quod quandoque non reveletur, accusatus est apud Abbatem, quod panes multos dedisset pauperibus. Conventus ab Abbate coram Fratribus de facto hujusmodi; quod licentiatus id fecisset, duplici de causa publicare noluit; scilicet D propter scandalum Fratrum evitandum, et ne postmodum larga pii Abbatis licentia fraudaretur; sed quasi reus et transgressor ordinis, omnem Abbati promisit emendationem. Tunc Abbas, ne multis occasio scandali daretur, si hoc factum impunitum relinqueretur; ad monasterii portam virum Dei ejici præcepit. Ejectus autem, cellam quæ est inter duas portas, pro domicilio habuit: ubi in conspectu omnium confusionem voluntarie sustinens, eodem vultu et eodem animo lætabundus in gratiarum actione undecim diebus perseveravit, joco satis gratioso lætitiam cordis sui demonstrans, et dicens: O quam felix sum ego; quam bene mecum agitur, pro eo quod cum B. Petro portarius factus sum!

A. GOSW. COÆVO. EX MS.

indeque accusatus pœnitentiam excipit.

9 Quamdiu enim illuc moratus est, magnam algoris incommoditatem perpessus, magnam frequenter a Domino consolationem consecutus est. Nocte quadam, cum solus esset, et cor suum ad Deum dirigeret: repente cumulatam, ut ita dicam, gratiæ Domini mensuram desuper accepit. Et ecce Virgo Maria ei assistens, filium suum quem ulnis gestabat, ei obtulit ad amplexandum. Tunc ille, cujus anima vehementer liquefacta fuerat interius, vix infusionem gratiæ, qua imbutum se sentiebat, E ferre prævalens, tripudiando et manibus plaudendo, quasi ebrius, cœpit ex quadam pii et devoti cordis familiaritate, beatissimæ Virgini Matri dicere; Tollite a me, Domina, filium vestrum, obsecro, tollite eum; quia ejusdem filii vestri gratia, quam nunc habeo, sufficit mihi. Deinde cum magno cordis jubilo exclamans: O vos, inquit, omnes qui Deum diligitis, venite huc, si Deum habere desideratis. Et adjiciebat, sæpius clamans; Deus est hic: Deus est hic: Venite, venite, venite huc omnes, ut Deum inveniatis. Famulus autem Monachi portarii, et quidam alii, qui necdum cubitum ierant, eadem hora, scilicet post noctis crepusculum, audientes illum hoc modo vociferantem atque jubilantem, ex mœrore cordis et exinanitione capitis, id ei accidisse putaverunt. Sed ille, qui cor suum fixerat in cœlis, et omnem, quæ sibi inferri potuisset confusionem penitus conculcaverat, ut ita dicam, pede humilitatis; non multum de judiciis curabat humanis. Tandem post undecim dies, in lætitia et exultatione, Fratrum Conventui restitutus est. Admirabilis autem cœlestis gratiæ sapor, quem nocte supradicta cœlitus hauserat, tam abundanter per omnes animæ ejus medullas se diffudit; ut postea F fere per quadraginta dies, quoties ederet aut biberet, omnes cibi et potus sapores, oris ejus palato insipidi redderentur. Idipsum similiter aliis temporibus, multis ei vicibus contigisse, haud dubium est.

Accepto a Deipara in ulnas Jesulo

per dies 11 miro exultat jubilo.

CAPUT II.

Arnulfi obedientia, oratio, devotio erga Deiparam.

Quoniam ea quæ ad caritatem, humilitatem, et patientiam ejus pertinent, jam præmissa sunt; etiam de obedientia ejus aliquid breviter subnectendum est: quia, ut ait B. Gregorius, obedientia sola est, quæ virtutes ceteras menti inserit, insertasque custodit. Hanc vir justus, a primordiis suæ conversionis usque ad diem felicis in Christo dormitionis, tam viriliter tenuit, ut sine reprehensione inter Fratres suos viveret, et tam magistris quam coæqualibus suis obedientiam, ad omnia paratissimus, impenderet. Si quando autem contigisset, ut a cunctis forensibus negotiis exoccupatus, in conclavi contemplationis, orando sibi et Deo suo vacaret

CAP. IV. Ad obedientiam promptus,

A caret; et interea ipsum aliqua de causa aliquis Fratrum evocaret; acsi vocem Domini vocantis audiret, statim foras exsiliebat, et, ut ita dicam, Deum propter Deum dimittebat; malens interrumpere orationem, et implere præceptum obedientiæ, quam propriæ satisfacere voluntati. Vir enim obediens hilariter et fiducialiter orat; quia, sicut per B. Augustinum dicitur, melior est una oratio obedientis, quam decem millia contemnentis. Obedientia itaque est genitrix omnium virtutum: obedientia est inventrix regni cœlorum; obedientia est cœlum aperiens, et hominem de terra elevans: obedientia est cohabitatrix Angelorum; obedientia Sanctorum omnium cibus est. Ex hac Sancti ablactati sunt, et per hanc ad perfectionem pervenerunt. Obedientia igitur orationem beati viri direxit ad cœlum, quæ numquam sine obedientia, pervenisset ad cœlum; sicut et lapis in altum profectus, ad cœlum non attingit.

A GOSW. COÆVO. EX MS. hilariter obsequitur interpellantibus;

11 Et nunc quoniam de oratione mentio facta est, modum etiam orationis ejus paucis explicare dignum ducimus. Primo etiam conversionis suæ tempore, per aliquos annos, non tantum permittebatur quieti contemplationis et orationi vacare, quantum forte voluisset. Processu vero temporis, cum B habitaret in grangia, quæ olim a silva quercea, Quercetum fuit vocata, ubi multis annis *a* habitavit; licentia magistrorum suorum, qui sanctis ejus studiis arridebant, permissum fuit ei, ut pene a cunctis forensibus curis liber habitaret secum, cum sabbato corporis delicatum habens sabbatum mentis, gustando et videndo quoniam suavis est Dominus. Omni itaque tempore, tam æstatis quam hiemis, a mane usque ad horam tertiam, orationi vacabat; tantam adeptus orandi gratiam, ut diutissime cœlestibus intentus, invictum ab oratione spiritum non relaxaret. Repulerat enim a se ignaviam et acediam, quæ gratiam et assiduitatem orandi impediunt; memor Domini Salvatoris, qui nulli operi ita frequenter et jugiter instabat, sicut orationi; adeo ut sæpe pernoctaret in oratione, qui etiam instante passione factus in agonia, prolixius orabat. Sicut enim milites seculi hujus, sine armis exire ad bellum non consueverunt; sic miles noster ad pugnam spiritualem procedere sine oratione non consuevit.

permittitur pro libitu vacare orationi,

a

12 Degens in grangia, oratione roborabatur; euntem ad monasterium vel alibi, oratio comitabatur; revertentem inde, oratio iterum prosequebatur; et C per orationem purissimam omnia ei utilia a Domino tribuebantur, et cuncta procul dubio noxia ab eo effugabantur. Nihil enim aliud erat ei dulce, nisi adhærere Deo, et ponere in Domino Deo spem suam. Et cum pro aliquibus, qui peccatorum pondere premebantur, vel gravi tentatione sive qualibet alia tribulatione angustiabantur, Dominum attentius oraret, non poterat se continere, quin totus in lacrymas solveretur. Aliquando etiam, cum in oratione constitutus, effunderet sicut aquam cor suum, ante conspectum Domini Dei sui, et ardenti desiderio ad summa elevaretur; de thesauris summæ bonitatis, cum lætitia cordis, uberes reportabat lacrymas devotionis. Virtutem etenim orationum ejus, non solum vivis, sed etiam defunctis profuisse credimus, pro eo quod aliqui suorum Fratrum, Monachorum scilicet et Conversorum, qui jam ex hoc mundo migraverant, ad ipsum post mortem revertentes ei apparuerunt, et suffragiis orationum, lacrymarum, afflictionumque ejus corporalium, se apud misericordem Dominum adjuvari expetierunt.

cui addebat lacrymas pro peccatoribus

defunctisque,

13 Cum igitur vir iste mirabilis quotidie Hora Tertia finem orationibus suis imponeret, solotenus totum corpus suum demittere solitus erat; dehinc surgens, et profunde se Domino inclinans, hoc modo licentiam, ut ita dicam, recedendi ab ipso accipiebat. Quoties autem dies erat prandii, a Tertia usque D ad Sextam, armata rosco manu dextera (sicut in præcedenti libello pœnitentiæ ejus descriptum est) usque ad copiosam sanguinis effusionem, verberibus atrocissimis cum corpore suo lubebat; et inter verbera quinquaginta vicibus orationem Dominicam, officium videlicet Missæ, quod tamen solvere per hebdomadam *b* non tenebatur, devotissime exsolvebat. Cum vero dies jejunii erat; a Tertia usque ad Nonam, et in Quadragesima usque ad Horam Vespertinam, officium prædictum sedulus adimplebat. Et nunc, quia non corporalem ejus afflictionem, quæ superius satis propalata est, sed modum orationis ejus describendum suscepimus, congruenter asserere possumus quod omnis sancta ejus conversatio in oculis Domini, pro oratione reputata est.

et sui diverberationem prolixam.

b

14 Cum *c* in primis conversionis suæ annis cœpisset vir vitæ venerabilis cœlestibus insistere meditationibus, et cor suum ad Deum dirigere; cœpit etiam beatæ Virginis Matris devotus amator existere, piissimam attente venerari, et salutare frequenter omni laude dignissimam, ut quo plenius obtineret Matris gratiam, eo facilius per Matrem consequeretur Filii misericordiam. Studuit etiam, quotidie sedula meditatione revolvere septem gaudia, quibus E Virgo beatissima cum adhuc in hoc mundo teneretur, specialiter gavisa est. Primo igitur gavisa est, quando Angelo eam salutante, cum dixisset, Fiat mihi secundum verbum tuum, de Spiritu sancto concepit filium Dei. Secundo gavisa est in verbis gratiæ, quibus allocuta est eam Elisabeth, cum salutasset eam Virgo beatissima. Tertio gavisa est, quando peperit sine dolore Salvatorem seculorum, virgo ante partum, virgo in partu, et virgo post partum. Quarto gavisa est, cum videret tres Magos, ab Orientis finibus stella duce egressos, domum in qua cum Joseph morabatur intrantes, coram Jesu humiliter procidentes, et mysticas munerum species ei offerentes. Quinto gavisa est, cum eidem filio suo, in die oblationis ad templum videret lætabundum occurrere Symeonem justum, amplecti inter ulnas desideratum, gratias agere et congratulari novo puero, quem pronuntiabat esse lumen ad illuminationem gentium; cum etiam audiret Annam viduam, confitentem Domino, et loquentem de illo omnibus qui expectabant redemptionem Israel. Sexto gavisa est, cum vidisset eumdem filium suum resurrexisse a mortuis, quem parum ante multis lacessitum injuriis, pendentem lacrymosa viderat in F patibulo crucis. Septimo gavisa est, quando quadragesimo post resurrectionem die, elevatum in nubibus et cœlorum alta, potentia cœlesti penetrantem, felici oculorum intuitu, et ineffabili desiderio caritatis secuta est.

c B. V Mariæ devotissimus,

contemplatur, mysteria gaudiosa vitæ ejus,

15 Hæc supradicta septem gaudia vir Domini quotidie ad memoriam, ob venerationem gloriosæ Virginis, reducere solebat; et in eorum dulci recordatione plurimum delectabatur. Volens autem Virgo beatissima devotionem famuli sui sublimioribus ac felicioribus suis cumulare gaudiis; apparuit ei die quadam, in infirmitorio consistenti, dicens ei: Quid, Dilecte mi, quotidie tantum meditaris ea gaudia, quibus in hoc mundo sum feliciter jucundata? Recole etiam et ea, quibus nunc et semper incomparabiliter fruor in cœlestibus. Docuitque eum, et dixit: Primo gaudeo pro eo, quod cum assumerer in cœlum, supra quam speraveram vel cognoveram, imo supra quam dici vel æstimari potest, majorem mihi gloriam paratam inveni; ita quod solius gloriæ meæ plenitudo præcellat omnimodam gloriam Sanctorum omnium et Angelorum. Secundo gaudeo pro eo, quod, sicut dies a sole, sic tota cœlestis Curia, a mea beatitudine abundantius illustrata, jucundatur. Tertio

quod illa gratum habens, jubet etiam meditari sua gaudia in cœlo,

A Tertio gaudeo, pro eo quod omnes ipsius curiæ cives, mihi obedientes, me tamquam matrem Regis sui venerantur. Quarto gaudeo, pro eo quod summæ Majestatis et mea, una est voluntas; et in omnibus quæcumque placuerint meæ voluntati; summa et individua Trinitas benignissimo ac paratissimo favore consentit. Quinto gaudeo, pro eo quod secundum voluntatis meæ arbitrium, mihi servientibus, in hoc seculo et in futuro retribuitur. Sexto gaudeo, pro eo quod super choros Angelorum exaltata, speciali quadam prærogativa, proxima sum sanctæ Trinitati et jucundam omnium Sanctorum societatem obtineo. Septimo gaudeo, pro eo quod omnino secura sum, quia gloria mea numquam decrescet, numquam deficiet.

et deinceps cum eo familiarissime agit.

16 Cum hæc famulo suo dignanter reserasset Virgo clementissima, valefaciens ei, ab oculis ejus evanuit. Ille autem, sanctis dominæ et consolatricis suæ roboratus admonitionibus, deinceps ad serviendum ei devotior est effectus. Præterea sciendum est, quia frequenter fideli suo famulo Mater misericordiæ visibiliter apparuit, et se ei tanta benignitate familiarem exhibuit, ut quoties ille negotium aliquod haberet, totius illud piissima Virgo ad Filium suum deferret; B donec tandem illi, expectanti, et ut ita dicam, ore cordis hianti, a filio suo gratiæ cœlestis buccellam; pariter cum effectu petitionum ejus, reportaret.

ANNOTATA.

a *Manrique ad an.* 1224 *cap.* I. *n.* 1. *ex suo MS. legit*, quatuor annis; *notat nihilominus alios legere* octo, *alios* multis; *ipse vero eligit minorem numerum; ut hæc quoque res sub Guilielmo Abbate acta sit, et quanto præstantior, tanto morti fuerit viri sancti propinquior.*

b *Utpote in grangia degens, ubi non aderat copia Sacerdotis, et unde Dominicis tantum et festis veniebatur ad monasterium, Missæ audiendæ causa; sub qua videtur moris fuisse inter Conversos, ut quinquagies recitarent Orationem Dominicam.*

c *Hinc incipit Vita apud Moscum.*

CAPUT III.

Visio cœlestis gloriæ Arnulfo oblata, indeque C *crebrior risus ac jubilus. Dæmonis technæ superatæ.*

CAP. VI. Ad cœlestem gloriam aspiranti

Cum esset aliquando orans vir Dei, et vita præsens, variis plena calamitatibus, penitus cordi ejus in fastidium verteretur: cœpit omnium exteriorum oblivisci, cupiens ardenter choris celestium interesse Sanctorum; et jam si fieri potuisset, facie ad faciem beata Conditoris sui visione perfrui. Interea gratia Domini plenius eum interius illustrante, repente anima ejus, in supernæ pulchritudinis admiratione suspensa, tanto amoris igne succensa, tam vehementi stupore concussa est; ut a statu suo funditus excuteretur, et in supermundanum quendam mentis excessum elevaretur. Cumque tam copiose gratiæ cœlestis rore perfunderetur, apparuit ei Dominus Jesus Christus; qui eum intuens vultu serenissimo, dixit ei; Quid petis a me, et quid vis ut faciam tibi, fili mi? Qui cognoscens, eum esse Dominum Salvatorem, respondit dicens: Domine mi, tu nosti. Et Dominus ad eum: Sufficitne tibi, inquit, quod propter te carnem dignanter indui, propter te sustinui opprobria, sputa, colaphos, flagella, spineam coronam, clavos, et ut majorem sustinerem confusionem, in patibulo crucis nudus pependi? in qua mortem superans, a morte superari me permisi, reputatus cum

illum Christus ostendit,

sceleratis, et morti innocenter adjudicatus? Sufficiuntne ista tibi? Qui respondit: Nequaquam, Domine mi. Cum autem hoc dixit, non ideo utique dixit, ut negaret passionem Domini sibi et universo mundo sufficere ad redemptionem; sed demonstrabat se corde ardentissimo anhelare ad beatissimam sanctæ Trinitatis visionem, subinferens et dicens; Tu scis, Domine mi, quid desiderem. D

A. GOSW. COÆVO. EX

18 Tunc Dominus, luminosis gratiæ suæ radiis mirabiliter cor ejus illustrans; Respice, inquit, sursum, ut contempleris mirabilia quæ tibi ostensurus sum. Quo statim sursum oculos attollente, aperti sunt ei cœli; et quantum hominibus adhuc in hac mortalitate consistentibus datur intueri, vidit omnes choros omnium Sanctorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum ac Monachorum, insuper et choros Angelorum; quorum omnium Ordines, claritate inæstimabili fulgentes, lucide et distincte intuebatur. Horum quidem omnium gloriam mirabatur: sed nullam requiem spiritui suo in omnibus his poterat invenire. Dominus autem illorum dixit ei: Sufficiuntne tibi hæc omnia, fili mi? an adhuc ad sublimiora festinare desideras? Cumque ille responderet et diceret, nequaquam sibi sufficere; Dominus iterum dixit ei: Leva oculos tuos, et contemplare E gloriosam Genitricem meam, quam tibi ostendam. Qui statim oculos superius dirigens, vidit speculum totius Curiæ cœlestis, singularem Reginam, nomine et meritis venerandam Mariam, super choros Angelorum exaltatam; cujus decoris magnitudinem, cujus gloriæ plenitudinem nullius omnino cogitatus aut intellectus valet attingere. Cumque in consideratione gloriæ ipsius miro modo hærens et attonitus redderetur, non tamen omnimodam requiem spiritui suo in admirabili ejus gloria invenisse sibi videbatur.

Sanctorumque choros,

et gloriosam Matrem,

ac denique SS. Trinitatem.

19 Rursum Dominus locutus est ei dicens: Sufficiuntne tibi omnia quæ vidisti? an adhuc multo sublimiora cupis intueri? Cumque ille, in omnibus quæ sibi ostensa fuerant, ea quæ desiderabat minime invenisse se diceret; Dominus, cognoscens sanctam ejus obstinationem, et vehemens cordis ejus desiderium, iterum dixit ei; Evola adhuc multo sublimius, fili mi, et secundum mensuram, qua dignanter tibi metior gratiam meam, mirabilem majestatis meæ celsitudinem, et ineffabiles gloriæ meæ delicias contemplare. Qui statim, ut sibi videbatur; inperscrutabili divini luminis abysso immersus, quantum a Magistro universorum edoctus est, vidit mirabiliter; mirabiliter, inquam, F vidit, sicuti videre licuit, trinum in personis, et unum in substantia: vidit ineffabiles gloriæ ejus thesauros, in quibus conversari, quibus perfrui et satiari, quæ omnia in æternum contemplari et possidere, vita æterna est. Ibi stabilem consolationem, ibi veram requiem, ibi gaudium sempiternum invenit contemplator noster; et quod desideraverat, assecutus est; ut merito dicere posset: Dilectus meus mihi et ego illi. Et iterum: Inveni quem diligit anima mea, tenebo illum nec dimittam. Et quid mirum, si novus iste scholaris, vir equidem simplex, a gratia instructus, in schola summæ divinitatis didicit, quod mundi hujus sapientes per sapientiam suam invenire non potuerunt? Unde cum postea quidam Magister Theologus proponeret ei quæstiones aliquas de beata Trinitate; ille, qui erat unus ex simplicibus, cum quo sermocinata fuerat Dei Sapientia, libere et absolute, eodem Magistro testimonium perhibente, propositas quæstiones enodavit. Sed nunc jam ad ea quæ præmissa sunt redeamus.

Cant. 1, 16. et 3,

Ab hac visione sibi redditus Arnulfus,

20 Cum igitur homo Dei tanta vidisset mirabilia, rursum

A. GOSW. COÆVO EX MS. *miro exultat gaudio,*

A rursum Dominus gloriæ locutus est ei, dicens : Ecce, fili mi, vidisti gloriam meam, vidisti et gavisus es. Dico tibi ; quia si omnes frondes omnium arborum, et universæ guttæ aquarum maris, homines essent, et ad regnum meum cum omnibus Sanctis meis qui mecum regnaturi sunt, deberent pertingere ; dico tibi, quia tam tibi, quam omnibus sufficeret mirabilis gloriæ meæ copia, quam vidisti. Cum hæc dixisset Dominus Jesus, ab oculis famuli sui disparuit, et statim beata illa visio consummata est. A supernis igitur remeans studiosus amator vitæ cœlestis, quasi de gravi somno evigilans, mentis gaudium de officinis gaudiorum secum reportavit : et ab illa die in posterum supernis Sanctorum conventibus et deliciis gloriæ Dei sui, dulci quadam mentis recordatione, sæpius se reddere consuevit. Quidam etenim æstimaverunt, ex præcedentium occasione revelationum, sumpsisse illum materiam jubilationis et risus, quam in consuetudinem duxerat ; sed utrum fuerit an non, certum non habemus.

CAP. VII. *usque ad risum et tripudium,*

21 Cum in quadam festivitate præcipua venisset ad monasterium homo Dei, contigit, eum hora vigiliarum stare seorsum extra chorum, juxta conventum psallentium Monachorum. Et cum devotionem B cordis, quam ibidem ex infusione gratiæ cœlestis conceperat, occultare non posset, quin aliquo gestu corporis eam ostenderet ; respiciens Frater quidam, Walterus nomine, qui ex adverso secus eum stabat, vidit eum leniter ridentem, caput agitantem, et etiam solo pede sæpius tripudiantem. Ex tunc autem (sicut ab ejusdem Walteri ore audivimus) cœpit risus jubilationis in ipso augeri, cum antea vel nullum vel modicum risus et tripudii signum in eo deprehendi potuisset. In primis igitur universi hæc audientes, mirentur, et considerent, quam mirabilis conversationis vir iste fuerit ; qui cum dolore quem in afflictione corporali sustinuit, etiam gaudium cordis, quod per risum oris exterius apparebat, interius nutrire et conservare potuit. Et quid mirum, si de mirabili viro, per mirabilem Deum mirabilia faciente, nova quodammodo et miranda dicantur.

22 Aliquoties, dum flagellis spinosis, ut superius dictum est, carnem suam verberando laceraret ; magnum interius in corde concipiebat gaudium, cujus magnitudine tam validum exterius solvebatur in risum, ut flagellum de manu projiciens, cum spirituali quadam lascivia, plauderet manibus, pedi- C busque tripudiaret ; ut merito ei illud adaptari posset, quod in Cantico amoris Sponsa dicit : Filiæ Jerusalem, nuntiate Dilecto, quia amore langueo. Quoties autem ex plenitudine gaudii interioris, exterius in risum solvebatur, toties facies ejus, apparens ignea tota, quodammodo ridere videbatur. Sæpius etiam, ex vehementia risus, in tantum concussus corporaliter fatigabatur, ut viscera ejus interius dissecari sibi viderentur. Et quando sermonibus intererat sermocinantium in Capitulo, si forte contigisset mentionem fieri de passione Domini, de peccatis, de rebus transitoriis, de tormentis inferni, vel de similibus ; tunc cor ejus, quasi quodam pondere mœroris deprimebatur ; ita ut interdum alta ab imo pectore traheret suspiria Si vero de cantico amoris, de jubilatione cordis, de visione beatæ Trinitatis, de gloria Sanctorum, de Cherubin atque Seraphin, sive de similibus prædicator latius aliquid disseruisset ; tunc anima illius, virtute verborum et dulcedine, sicut adipe et pinguedine replebatur ; ita quod conceptum interius gaudium, per risum exteriorem promere compellebatur. Interdum etiam risus jubilorum ejus tam valide in ipso augmentabat, ut ab utroque Capitulo, Monachorum videlicet et Conversorum, foras exilire cogeretur : et in-

Cant, 2, 5

etiam coram aliis,

gressus ecclesiam, festivo inibi tam diu jubilo tri- D pudiabat, donec vinum quo inebriatus fuerat, paulatim digereretur.

idque per septem annos.

23 Sciendum est autem, quia ubicumque fuisset, sive cum Fratribus suis in grangia, sive foris inter religiosas personas ; si contigisset eum audire aliquid, unde plurimum gaudere compelleretur, nec tunc etiam poterat se a risu vehementi sustinere. Interdum etiam, contra voluntatem suam tam mirabiliter ridens, risum suum moleste ferebat, maxime coram secularibus, qui ignorabant quid significaret tam vehemens risus ejus. Fuerunt aliqui, qui spiritum, quo ille regebatur, non habentes ; risum ejus jubilatorium in malo interpretati sunt. Sed videant hujusmodi, utrum conscientiam suam in hac parte salvare potuerint, an non. Utinam qui ridentem deriserunt, et innocentem habuerunt contemptui, tantam habuerint abundantiam lacrymarum in pace cordis sui, quantam ille beatus habebat spiritualis risus copiam in horribili afflictione corporis sui. De jubilis igitur et de risu ejus, quibus (ut aiunt) per septem annos et amplius a Domino quodammodo pastus est, ea quæ præmissa sunt dixisse sufficiat ; ut cetera quæ restant dicenda prosequamur.

CAP. VIII. E

24 Æstatis tempore, cum Fratres grangiæ, regulam imitantes Monachorum, post prandium pausarent in lectis suis, Dominicis diebus et festivitatibus Sanctorum ; vir Domini quærebat sibi aliquod diversorium, ubi dum orationes suas secretius ad Dominum funderet, et inter delicias sancti amoris interius in spiritu suo suaviter obdormiret, dormire exterius corpore recusabat. Factum est autem, ut quidam Frater pro hac re reprehenderet eum coram Magistro Conversorum. Qui statim præcepit ei, ut aliis ea hora dormientibus, ipse quoque dormiret ; ne si forte vigilaret, Fratres, qui compatiebantur corpori ejus, magnis fatigato cruciatibus, id moleste ferrent. Paruit ille præcepto Magistri sui, sicut ad omnia paratus et obediens erat. Cum autem post prandium intrasset dormitorium, et calceamenta sibi extraheret, ut in lectulo suo se collocare deberet ; subito adstitit ei dæmon, qui ridendo et irridendo eum, in hæc verba prorupit : Frater, eia quid est, quod agis ? ubi est nunc sancta religio tua, et ubi sunt vigiliæ tuæ, quas hora ista observare consuevisti ? Certe fervor tuus pro nihilo reputandus est, qui membra tua torpere sinens, perseverare negligis in opere quod cœpisti. Surge F ergo velociter, et vigiliis atque orationibus intende, sicut jam pridem fecisti. Cumque vir beatus dæmonem sibi adstare conspiceret, verba ejus seductoria contemnens, qui eum contra præceptum magistri sui ad vigilandum provocabat : cum indignatione ait : Recede a me miser ; recede a me : modo enim, velis nolis, dormiam, ut confundaris et somno meo torquearis. Et cum hæc dixisset, antiquus hostis in fugam versus est.

Jussus subinde dormire diutius,

dæmonem vigilias suadentem spernit,

25 Rursum die quadam, dum intra cellam suam vir Dei solus esset, et secundum consuetudinem suam flagello se attereret ; dæmon, in forma quæ similis homunculo videbatur, ei apparens, ut de pœnitentialibus ejus disciplinis se contristari ac torqueri ostenderet, flagellum, quo ille se percutiebat, cum quodam impetu de manu ejus excussit. Vir autem Domini, dæmonem eum esse agnoscens, statim signo Crucis se munivit ; exsertisque brachiis eum arripiens, adjutus ab Angelo magni consilii, luctatus est cum angelo mali consilii, donec tandem eum in terram prostravit, pugnoque suo malignum percutere cœpit. Cumque ille insaniens, et quodammodo submurmurans, diceret ; Heu ! heu ! Frater, tu lædis me ; vir Dei constanter respondit : Quare, o

alias cum eo luctatus,

A o pessime, a læsione tua abstinerem, si mihi te lædere concederetur? Ad quod verbum malignus hostis, non ferens ejus constantiam, multis cæsus alapis, vix tandem de manibus ejus, mœrens et confusus evasit.

bene cæcum dimittit; 26 Rursum die quadam, cum vir beatus, regrediens de monasterio, famulum cum curru præcedentem, in quo panes Fratribus grangiæ deferebantur, solus a longe sequeretur; ecce subito, in egressu silvæ cujusdam, tres mulieres de eadem silva egressæ, et ei ex adverso obviam venientes, viam per quam ei transitus erat præoccupaverunt. Cumque paulum ei appropinquarent; illo subsistente, una earum, silentibus ceteris, sic ei locuta est: Accede, Frater, accede huc, et elige de nobis tribus unam, quæ gratior oculis tuis videtur, et ad libitum tuum commiscere cum ea. His auditis, servus Domini agnovit per spiritum, tres esse dæmones, qui eum sub specie trium mulierum seducere tentabant. *specie muliebri solicitantem,* Et recurrens ad notum signaculi Crucis præsidium, spem suam in Domino posuit; nec trepidavit timore, ubi multi forte trepidassent, vel etiam suasioni diabolicæ consensissent: sed statim B regrediens ad silvam, et gyrans ex adverso, reliquit eis viam, et famulum cum curru velociter subsecutus est. Mulierculæ autem illæ, quas exterius diabolica assimilaverat versutia, ad silvæ latebras resilientes, non comparuerunt.

aliterve molestum, Cruce fugat. 27 Altera vice, cum in monasterio vigiliæ agerentur, et prædictus vir Domini in choro cum ceteris Fratribus staret; iterum dæmon, in specie pueruli, fuligine nigrioris, ei impudenter adstitit. Confestim autem ut vidit eum vir speculativus, cujus interiores oculi, gratiæ cœlestis fulgore fuerant illustrati; perpendens quia dæmon esset, signavit sibi frontem, et exsufflavit in faciem ejus; sicque a facie sua eum fugere coegit. Præterea cum aliis modis idem hostis eidem servo Dei quandoque infestus esset, fortissimus Athleta, non cedens ei, sed cædens eum baculo Dominicæ Crucis, in virtute orationis semper fugabat a se versipellem, pro nihilo reputans tendiculas insidiarum ejus.

CAPUT IV.

Spiritu prophetico dotatus Arnulfus, varias gratias consulentibus se impetrat.

C

CAP. IX. Pro Fratri prædicit diem, Monachus quidam Ordinis Cisterciensis, religionis amator et omnium bonorum amans ac fidelis, quondam in Monasterio Villariensi hospes habitavit. Hic accidente casu in gravem incidit infirmitatem, quæ ruptura vocatur, et tali incommoditate plurimum arctabatur; propter quod diebus multis ipsum in infirmitorio detineri vidimus. *quo sit curandus ab hernia,* Et cum ignoraret, qualem huic infirmitati curationem adhibere posset; tandem orationes Fratris Arnulfi expetiit, apud quem magnam in Christo obtinuerat familiaritatem. Tunc ille, qui proximorum suorum necessitatibus ex animo occurrebat, pro dilecto sibi Monacho Dominum attentius oravit, et exauditus est: nam diem et horam, qua curari deberet, insinuavit illi, et ita secundum verbum viri Dei curatus est.

et optatum Dei favorem obtenturus, 29 Postmodum autem ille idem Monachus, semel rogavit eum, quatenus sibi mitteret Deum; sicut consuetudinis est quibusdam dicere, cum orationes aliorum expetunt, dicentes: Mitte mihi Deum. Vir autem Dei, sicut liberalis et benevolus erat omnibus, interrogavit eum, qua die vellet in hac re sibi suffragari. Tunc ille, In festivitate, inquit, B. Luciæ Virginis. Qui statim, quod ab eo petebat fieri, facere se promisit. Postmodum autem cum in festivitate supradictæ Virginis idem Monachus equitaret cum altero Monacho, visitante eum [quondam ejus D abbate,] interius gratia Dei, ruptæ sunt cataractæ *A. GOSW. COÆVO EX MS.* capitis ejus, et ab oculis ejus tanta lacrymarum inundatio erupit, quod impetum earum, etsi voluisset, retinere non potuisset. Cum autem retrocederet, et dulcem pittantiam, quam Dominus ei miserat, cum quadam aviditate spirituali gustaret; Monachus qui præcedebat, vocabat eum nomine suo, monens eum, ut quantocyus properaret. Ille vero, surda, ut dici solet, aure, vocem loquentis audiebat. Sed cum post horam, fluminis illius impetus, qui animam ejus lætificaverat, pertransisset, subsecutus est præcedentem. A quo interrogatus, quare moram fecisset; ille rem, ut erat, manifestans; Frater, inquit, Arnulfus promisit mihi, quod in hac die gratiam Domini essem habiturus: quod et factum est *a*. [Simili a modo quibusdam Monialibus Roberti-montis gratiam Domini prædixit affuturam: et quemadmodum prædixerat, ita accidisse certa relatione cognovimus.]

30 Quo modo, consilio ejusdem beati viri, quoddam monasterium Sanctimonialium fuerit constructum, paucis explicandum est. *CAP. X. Pro Comitissa Campaniæ, valde afflicta,* Cum præpotens et nobilis Dominus, Eraldus de Rammery, venerabilem Comitissam Campaniæ, (Blancam *b* nomine,) b per guerram (violenter) opprimeret, adeo ut castellis obsessis, terram ipsius rapinis et incendiis E devastaret; prætendebat enim Comitatum totius Campaniæ jure hereditario sibi competere, (ex parte filiæ Henrici Campaniensis, Regis Jerusalem, quam in transmarinis partibus duxerat in uxorem). Unde ipsi Nobiles Campaniæ, tum propter ipsius Militis consanguinitatem, tum propter uxoris ejus affinitatem, quidam occulte, quidam aperte, Comitissam deferentes, sibi adhærebant. Super his igitur mente nimis anxia Matrona, nobilis genere, (sed nobilior longe, honesta morum conversatione, ferme omni humano tam auxilio destituta quam consilio;) illius suffragium (toto corde) cœpit implorare, qui suis *rogatus orare,* (in tribulatione positis) novit subvenire; (seque insuper sanctis bonorum orationibus studuit commendare.) Et accersiri faciens Monachum quemdam de Ripatorio *c*, (familiarem sibi,) Gerardum nomine, c interrogavit eum dicens; Nosti, dilecte mi, aliquem virum sanctum, qui orationibus suis (in tribulatione mea) mihi succurrere valeat? Scio, Domina mea, ait ille, in monasterio Villariensi, (quod est in Brabantia), Fratrem laicum (venerabilis conversationis), Arnulfum nomine; qui potens est, ut credo, F vobis in hac necessitate suis ad Dominum precibus suffragari. Quibus auditis illa, plurimum gavisa, pro suo negotio direxit Fr. Gerardum ad virum Dei, (petita et accepta licentia ab Abbate Ripatorii.)

prædicit relevandam, 31 Cum autem ille venisset ad dilectum suum Arnulfum, salutavit eum ex parte Comitissæ [Campaniensis]: deinde negotium, [pro quo illuc advenenerat], ei intimavit: dixitque ei: Me oportet, care Frater, proficisci Leodium: vos autem orationi insistite; ut cum ad vos reversus fuero, audiam a vobis, quid Dominæ Comitissæ super hoc renuntiare debeam. Profectus est igitur ille: vir autem Domini, pro injuncto negotio, totum orationi se dedit: et dum instantius oraret, mirabilem vidit visionem; gallinam scilicet candidam, cum pullis ejusdem coloris, qui eam tamquam matrem sequebantur, [et sub alis ejus fovebantur.] Quo viso, cum ignoraret, quid hoc esset; petiit a Domino, significationem visionis hujus sibi revelari. Et continuo [cœlitus] revelatum est ei: Comitissam cœnobium Santimonialium construere debere: [quia intellexit, per gallinam cum pullis, significari Abbatissam cum *fundato Parthenone Ord. Cisterc.* Monialibus suis.] Post dies aliquot reversus est Fr. Gerardus ad virum Dei, ut de negotio sibi commisso responsum ab eo acciperet. Vir autem Domini, [secundum

A. GOSW. COÆVO. EX MS.

A cundum quod ei revelatum fuerat, posuit verbum in ore ejus, dicens :] Revertimini, dilecte mi, [in pace] ad Dominam Comitissam, quæ misit vos; [et resalutantes eam ex nomine meo,] suggerite ei ex parte mea, quod si monasterium Sanctimonialium Ordinis Cisterciensis fundare voluerit, statim [ut voluntatem corde conceperit,] omnis querela, quæ inter ipsam et calumniatorem ejus versatur, interveniente concordia sopietur.

itaque conditur Argentea-cella.

32 Quæ cum audisset Monachus, lætus effectus est; et valefaciens [carissimo suo] Arnulfo, regressus est ad [venerabilem] Comitissam : eique omnia, quæ a viro Dei audierat recitavit. Quibus auditis illa gavisa est gaudio magno : et [quæ numquam voluntatem construendi monasterii habuerat, acsi divinitus consilium hujusmodi accepisset,] statim eadem die cœpit tractare, qualiter et ubi novum posset fundare monasterium. Et ut impleretur sermo, quem dixerat vir Dei, non longe post contumacia viri potentis, qua adversus Comitissam tumebat, ad [pacem et] concordiam revocata est.[Tandem itaque monasterio constructo, cum officinis suis; nomen impositum est ei, *d* Argentea-cella, et nobilis B Matrona, aggregato illic, tam de Episcopio Leodiensi quam de aliis locis, Virginum conventu, quæ regulariter secundum Ordinem Cisterciensem instituerentur; locum ipsum, ubi usque hodie floret et fervet Religio, reditibus et possessionibus quibus abundabat, copiose ditando ampliavit.]

Divinitus intelligit,

33 Fuit quædam Reclusa, non longe a monasterio Villariensi degens, valde religiosa, [et ideo plerisque gratiosa et amabilis,] quæ viro Dei Arnulfo plurimum in Christo dilecta, ipsum appellabat Patrem suum [carissimum.] Hæc quemdam bonæ indolis Clericum [scholarem, frequenter] ad se venientem, et ante reclusorii sui fenestram residentem, verbis salutaribus sæpius studuit admonere, ut, a peccatis et vitiis se custodiens, contubernia secularium declinaret, et Domino Deo [in sinceritate vitæ] deservire studeret. Ille, [sicut erat adolescens affectu benevolus,] visitante interius eum gratia, cœpit Reclusæ monitis præbere consensum, ita ut quotidie recurrens ad eam, ab ore ejus verba sanctæ consolationis audiret. Reclusa autem videns,

Reclusam, quæ devotum sibi Clericum,

quia novus suus in Christo filius, [dies suos quodammodo perdens] studere cum sodalibus suis negligebat; monuit eum, ut deinceps rarius ad eam veniens, frequentius solito ad scholas recurreret. Ille vero, tenere diligens eam in Christo, verbis ejus C consentire noluit; sed sæpissime ad eam recurrens, dum in schola ipsius, viam vitæ didicit, profecto perdere tempus non existimavit. Quod videns Reclusa [indignatione magna] irata est contra eum, et indiscrete votum vovit Domino, quod per mensem ei non loqueretur. Quod agnoscens Clericus, consternatus est animo valde, ita quod pene lapsus est in desperationem, ut renuntiaret bonæ doctrinæ, quam a magistra [et matre sua] acceperat; sed ne

recusabat instruere,

similis efficeretur cani, qui revertitur ad *f* vomitum suum, vim sibi faciens, [et frenum (ut dici solet) dentibus arripiens, perstitit in via vitæ quam ingressus fuerat,] conquestusque est gubernatori omnium Domino, de magistra et matre sua, quod eum, quodammodo quasi desperatum, sine consolatione reliquisset : et, ne daret illi occasionem transgrediendi votum suum, per mensem integrum ante reclusorium ejus venit, et loqui ei non præsumpsit.

correptam febre,

34 Interim autem Reclusa corripitur febri [validissima, ita ut sonitus dentium ejus, ad se invicem collidentium, procul audiretur.] Universa etiam, quæ inter ipsam et Clericum acciderant, per spiritum revelata sunt viro Dei Arnulfo : qui non multo post veniens ad eam [invenit eam febre laborantem : eaque salutata, tamquam ignarus febris ejus,] dixit D ei : Quomodo vales, carissima? Quæ respondit : Febre coarctor nimis. Merito, ait ille, febri coarctaris, eo quod Clericum illum, [quem in Christo genueras, et nuper genitum in cunis infantiæ suæ, quasi lacte consolationis nutrire debueras,] quasi alienum insipienter a te repulisti. Scito igitur, quia Deus noster justus [et misericors,] pro hac offensa [flagello nimis duro te punire, hoc est] gratiam suam tibi subtrahere proposuerat: quod ego cœlitus agnoscens, æquo animo detrimentum animæ tuæ sustinere non potui; oravique Dominum Deum meum, ut tibi propitius esset, et [nequaquam spirituali, sed potius corporali flagello] offensam istam in te expurgaret : fecitque Deus meus quod postulavi ab eo, et misit tibi hanc febrim validam, [qua forte validior esse non potest.] Deinde etiam, cum ægre ferrem cœlesti te carere alimonia, [rursum] converti me ad exorandum pro te omnium bonorum Largitorem, ut oculo clementiæ suæ te respiciens, nequaquam te [in hac infirmitate] jejunam demitteret; sed tantam gratiæ suæ affluentiam tibi desuper mittere dignaretur, quantam umquam [in omni vita tua] habuisti. E Quapropter, [in nomine Domini,] dicito mihi, utrum se res ita habeat, an non. [Quibus auditis, ancilla Christi obstupuit in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore illius; dixitque, universa ita sibi accidisse, quemadmodum vir beatus erat profatus. Ille igitur confortans dilectam suam in Christo et valefaciens ei, ad grangiam reversus est. A Domino per servum suum factum est istud, et est mirabile in oculis nostris.]

jubetque opus pium resumere.

CAP. XII.

Rogatus orare pro infirma,

35 Quidam Sacerdos religiosus, vocabulo Gerardus, quondam Nivellæ habitavit ad S. Sixtum, [ibidem in ecclesia Capellani functus officio;) morabaturque cum eo mater ejus, Cæcilia nomine; quæ post aliquantum temporis infirmitate correpta, lecto decubuit. Filius autem ejus Gerardus, filiali affectu matris infirmitati compatiens, abiit ad virum Dei Arnulfum, (cui plurimum familiaris erat,) ut matrem ægrotantem ejus orationibus commendaret. Et cum pervenisset ad eum, (inter multas quas ad invicem habuerunt confabulationes,) Sacerdos dixit ei : Obsecro vos, Frater in Christo carissime, ut pro matre mea, (quæ infirmitate laborat,) Deum attentius exoretis. Et addidit : Etiam postulo, a vobis, ut prænuntietis mihi diem, qua mater mea moritura est. Ad hæc ille jocose respondit : (Quid necesse est, ut a me talia requiratis? Quid ad me de talibus? Res otiosa est, quam postulatis. Tunc Sacerdos: F Nequaquam, inquit : sed, si inveni gratiam in oculis vestris, exaudite in hoc precem meam : id enim extorquere volo a vobis.) Tunc vir misericors, ne dilectum suum contristaret, pro matre illius Dominum exoravit, reversusque ab oratione, dixit ei, quod mater ejus, infra viginti dies post Natale Domini, moreretur; erat autem circa festum S. Remigii quando hæc futura prædixit.

asserit morituram certo tempore:

hoc qualiter exploserit, quidam,

36 Tunc Sacerdos, (valefaciens illi,) ad matrem suam regressus est; et in infirmitate sua sollicite ei, (et quantum valuit) ministravit; die autem decima septima (post Natale Domini,) cum mulier, (morbo ingravescente, plus solito) debilitari cœpisset; filius ejus Gerardus (piæ memoriæ) Magistrum Guidonem *e* Nivellensem, aliosque novem Sacerdotes advocavit, ut omnes inunctioni matris ejus interessent. (Inuncta est igitur mulier, Sacerdotibus illis adstantibus et orantibus pro ea.) Verum antequam inungeretur, unus de Sacerdotibus qui advenerant, evocavit Gerardum seorsim : multumque Fratri Arnulfo detrahens : Domine, inquit, Gerarde, ut quid verbositati Fr. Arnulfi tam facile creditis, (qui matrem vestram infra hos viginti dies prædixit morituram?) Quo Gerardus

A Gerardus audiens, ægre tulit; et objurgans eum, dixit, Fr. Arnulfum virum esse virtutis (acceptum Deo in operibus suis.) His auditis, cum necdum ille a detractione quiesceret, (prætendens manu cappam qua induebatur;) Ecce, inquit, permittam cappam istam igne comburi, si, secundum Fr. Arnulfi verbum, matrem vestram mori contigerit. Fallitur ille, quoniam die sequenti, qui erat decimus octavus ante vigesimum, mulier defuncta est, et decimo nono die sepulta. Gerardus autem reversus ad virum Dei Arnulfum, matrem suam defunctam esse renuntiavit, [et ad suffragandum animæ ejus, precibus eum flexit.] Cui statim vir Dei respondit : Sicut vobis de matre vestra prædixi, ita evenit; sed tamen Sacerdotis cappa necdum combusta est; [adhuc enim eam habet.]

innotuisse sibi indicat,

37 Quo audito Gerardus obstupuit, et valefaciens dilecto suo Arnulfo, reversus est Nivellam; retulitque Sacerdoti supradicto improperium Fr. Arnulfi, qui de cappa ejus, necdum combusta, eum reprehendebat. Quibus ille auditis, [quia bis inveniebat se fuisse mentitum,] vehementer erubuit, et deinceps viro Dei detrahere non præsumpsit: et tactus dolore cordis intrinsecus, [quod tanto viro detraxisset;] B Domine Gerarde, inquit, eamus ad hominem Dei : desidero enim loqui ei, ipsumque videre. Quo annuente profecti sunt ambo pariter; veneruntque ad grangiam, ubi ille morabatur, [quam superius Quercetum vocari diximus;] et ad libitum suum ei locuti sunt. Loquente autem viro Dei in auribus amborum, de his quæ [vel ad Deum vel] ad salutem animarum pertinent, prædictus Sacerdos [qui gelido forte illuc accesserat corde,] usque ad lacrymas fere compunctus est: cumque assumpsisset Fr. Arnulfum seorsim, [solus cum solo loquens,] et verbis ejus consolatoriis in Christo multum roboratus est, et postulata ab eo venia, pro detractione [injuriosa,] quam in eum lingua maledica jaculatus fuerat, gratiam Domini se in eo invenisse protestatus est; [sicque gaudens, cum socio suo Gerardo, ad propria remeavit.]

et blasphemum convertit.

ANNOTATA. D. P.

a *Ex MS. Aureæ-Vallis multa hoc capite supplevit Rosweidus, quæ hic et deinceps, uti jam antea etiam factum, uncis [ ] inclusa videbis.*

C b Blancam *hanc Sammarthani, ubi de fundatione monasterii* Argensola, *faciunt* neptem S. Ludovici *Regis: quod verum esse nequit. Utpote quæ longe senior Ludovico, jam annos tredecim vidua fuerat, quando ille venit in mundum, fratrum suorum secundo genitus, fraterque primogenito, ante pubertatem defuncto, successor in regno. Fuit igitur* Blanca *filia Sancii Sapientis, et soror Sancii Fortis, Regum Navarræ, in matrimonium data Theobaldo, post mortem fratris sui Henrici Regis Hierosolymorum, Comiti Campaniæ; ex quo, anno* 1201 *defuncto, postumum habuit filium; qui paterni nominis et Comitatus heres, anno* 1234, *ex parte matris, avunculo suo Sancio in regnum Navarræ successit.*

c Ripatorium, *infra num.* 55, *dicitur* in Burgundia *situm Sammarthanis, in agro diœcesis Tricassinæ, Abbatia lineæ Clarevallensis, anno* 1140 *fundata.*

d Argentea-cella, *Sammarthanis* Argensol, *quasi* Argenteum solium : *cujus prima Abbatissa Agnes Leodiensis, quarto sui regiminis anno, Christi* 1226 *defuncta, ex Arnulfi nostri verosimiliter suggestione electa: de qua Cantipratanus lib.* 2 *cap.* 46 *ait, quod* nullius Grammatices legibus exculta, libros Theologiæ ipsiusque Augustini de Trinitate, singulari intelligentia exposuit : *sub qua dicitur numerus Religiosarum accrevisse ad* 90, *præter Conversas* 10 *et Clericos* 20, D *subjectos Abbatissæ, quorum* 12 *fuerint Sacerdotes.*

A. GOSW. COÆVO. EX MS.

e Guido de Nivella, *Pater spiritualis B. Mariæ Oigniacensis, in ejus Vita* 23 *Junii num.* 55.

CAPUT V.

Cordium arcana cognoscit Arnulfus, et gratias aliis concessas novit, aut concedendas prædicit.

Fuit quidam Sacerdos [secularis, qui] moribus satis honestis vitam quidem bonorum exterius æmulari videbatur; sed per omnia gloriam [vel gloriolam] hominum affectans, et carnalis illecebræ cœno se immergens, in oculis Dei, [universa intuentis,] hypocrita reputabatur. Huic a muliere quadam religiosa suasum est, ut ad Fr. Arnulfum pergeret, ejusque familiaritatem, [qui a religione celebris habebatur, et orationes pariter] sibi acquireret. Fecit ille quod mulier dixerat, vadens ad hominem Dei; et benigne [ab eo, qui benignus erat omnibus,] susceptus est. Cum igitur, causa videndi eum, [et etiam propter orationes ejus] se diceret advenisse; vir E Dei respondit : [Numquid vobis vel mea vel aliena prodesse potest oratio, cum in eo statu, in quo nunc estis, vivere non vereamini. Ad quod verbum ille modicum mente turbatus; Quid est, inquit ille, unde status vitæ meæ reprehensibilis judicatur? Ad hæc vir Dei respondit : [Ut quid simulatoriæ vitæ vestræ mores, in quibus hactenus multos fefellistis, quæritis palliare?] Mihi nihil de misera conversatione vestra occultare potestis. Tunc vir beatus ad nutum et voluntatem dicti Sacerdotis, detestabilia ejus opera, [et quæ dici nefas est ab eodem perpetrata, totum nihilominus conscientiæ ejus statum in malignis et impuris cogitationibus] expresse ipso audiente explanavit; et ad comprobandam eorum, quæ dixerat, veritatem, dedit ei signum, dicens; Quando Magistrum Joannem de Nivella, vel alium aliquem religiosum et probum in Christo virum habere potestis, ut miseram vestram vitam eis confitendo publicetis; hæc omnia quæ vobis sigillatim exposui, reticetis, ne per horum publicationem apud eos opinio famæ vestræ denigretur, [et auribus eorum aliqua levia, vestro palliando morem, insusurratis.]

CAP. XIII Presbytero hypocritæ narrat occulta, ejus peccata

39 Quibus auditis Sacerdos, cum, accusante eum F conscientia sua, subterfugium aliquod in facie viri Dei non inveniret; tactus dolore cordis intrinsecus, et exterius in facie rubore perfusus, vera esse omnia, quæ servus Christi protulerat, certissime asseruit. Vir autem Domini, confortans eum in Domino, suggessit ei, ut deinceps excessus suos omnimoda corrigeret cautela, et villæ in qua habitabat, corporali se subduceret præsentia. Ille igitur, valefaciens viro Dei, confusus abiit; et ab eo loco, ubi habitare solebat, ad alium locum transmigrans, ad prædictum Christi famulum deinceps reverti erubuit. [Erubescant simulatores et luxuriosi Sacerdotes, qui sub vestimento ovium sunt lupi rapaces, qui inquinati luxuriæ spurcitia, juxta filium Virginis ponunt idolum Veneris; qui, dum in Missæ celebratione sacra verba ore immundo proferunt, in faciem Salvatoris spuunt; et cum in os immundum sanctissimam carnem ponunt, eum quasi ad lutum platearum projiciunt. Miseri plane et miserabiles, qui pepigerunt fœdus cum morte, et cum inferno fecerunt pactum. Resipiscant ergo qui ejusmodi sunt et revertantur ad Salvatorem suum Dominum Jesum, dissimulantem peccata eorum propter pœnitentiam. Recurrant, dum licet, ad misericordem, ut in

et persuadet alio migrare.

A. GOSW. COÆVO. EX MS. CAP. XIV.

A in tempore opportuno consequantur ejus misericordiam.]

Ps. 114, 3

Novitium gemina infirmitate afflictum liberat :

40 Fuit Novitius quidam in monasterio Villariensi, qui infra annum probationis in camino tribulationis positus, dicere poterat cum Psalmista, Tribulationem et dolorem inveni : duabus siquidem [et importabilibus] infirmitatibus plurimum affligebatur, quarum altera erat dolor capitis, fere continuus, et tam validus ut silentii vix posset tenere censuram, [et usque ad horam vescendi decorum sustinere;] altera vero infirmitas turpis et inhonesta, cujus qualitatem [honestatis causa] non publicandam [sed palliandam] judicavimus. Cumque ille sub dolore gemino, concideretur, ut ita dicam, vulnere super vulnus, et de recuperanda salute desperaret, [quia nullum inveniebat remedium quod infirmitatibus suis adhiberet;] tandem accepta licentia, famulo Christi suam secretius incommoditatem intimavit. Cujus angustiis [vir multæ pietatis] medullitus compatiens, [et orans pro eo,] responsum hujusmodi dedit ei, dicens ; Vade in pace, et confortare in Domino : duplici enim infirmitate, qua te hactenus obsessum conquestus es, [ab hac die in B reliquum,] scias te nequaquam angustiari. Convaluit igitur [prædictus Novitius] ab infirmitatibus suis, et gratias referens omnipotenti Deo et famulo ejus, [et repentinam et inopinatam reportans sospitem ;] anniversarium suæ professionis diem cum gaudio expectavit.

item Monachum a gravi tentatione,

41 Simili modo, cum Monachus quidam [ejusdem monasterii] gravissima tentatione, urgeretur, accessit ad hominem Dei, tentationem qua molestabatur, ei ostensurus, et orationis ejus opem petiturus; et recepit ab eo responsum, se in proximo penitus liberandum. Eodem ergo die, orante beato viro, [et tamquam altero Moyse levante manum in altum,] fugatus est ille spiritualis Amelech, qui nostrum Israelem impugnabat, ita ut pax illi stabilis redderetur, nec ultra hostili, [quam usque ad diem illum perpessus fuerat,] tentatione fatigaretur. Alter Monachus ejusdem monasterii, volens super defectu cordis sui et paupertate animæ suæ consulere virum Dei, venit ad eum, duritiam cordis, maxime diebus Dominicis, se sentire conquerens. Cui vir Dei respondit : Quare, Frater, cor durum diebus Dominicis te habere causaris, cum ternis in hebdomada diebus [mellito] cœlestis gratiæ edulio quantulumcumque pascaris ? Quod cum ille negaret, vir C Dei subintulit, dicens ; Ne abscondas te mihi ; quoniam, sicut dixi, ita est. Tunc ille, [cogitans et recogitans, utrum ita esset; qui forte gratiam Domini, præ humilitate cordis sui, ternis per hebdomadem diebus in se non adverterat ; plane] vera esse, quæ ab ore servi Dei audierat, animadvertit.

et alterius occultam gratiam novit.

In vigilia Assumptionis B. M.

42 Contigit in eodem monasterio quoddam [relatione dignum,] quod, ad ædificationem audientium, in medium proferemus. In Assumptione beatissimæ Virginis Mariæ, cum in principio vigiliarum [jubilatorium illud carmen, scilicet] Invitatorium, Ave Maria, et Psalmus Venite exultemus, solenniter a Monachis cantaretur ; Monachus quidam, cum ceteris cantantibus et ipse cantans, cœpit cordis sui affectum, (secundum quod a gratia trahebatur,) sursum dirigere ; et ante gloriosum Domini Salvatoris et benedictæ Matris suæ conspectum, se tamquam (præsentialiter vel) corporaliter præsentaret. Et cum sic interius in anima sua cœlitus confortaretur, de misericordia Domini confidens; se in cœlestibus a Domino, non pro meritis suis, sed secundum ineffabilem bonitatem ipsius, speravit esse coronandum. Quotiescumque autem Invitatorium repetebatur, toties, (eo cum gaudio cantante, et in sublimibus Regi ac Reginæ humiliter assistente), sancta D mentis ejus devotio (renovata) augmentabatur. Interea vir Domini Arnulfus, qui erat in ecclesia, vidit Dominum Salvatorem et venerabilem ejus Genitricem, juxta Monachum illum stantes : qui eum (zona quadam pulcherrima circumcingentes, dextra lævaque assumptum, cantantem atque ridentem,) in sublime extulerunt a terra. Cumque vir beatus orando prosequeretur intueri sic abeuntem, et diceret ; Frater mi, Frater mi, adhuc certo videbo te ; ille, (beatis Regis et Reginæ manibus) sursum evectus ad sidera, ab ipso ultra videri non potuit.

videt Monachum devote psallentem,

a Christo et Deipara in cælum ferri;

43 Monachus autem eodem die Assumptionis, (accepta licentia,) locutus est viro Dei ; cum tamen ignoraret, ipsum de se (nocte præterita) visionem vidisse. Cumque ad invicem sermocinarentur ; vir Dei, (sicut aliquoties consueverat,) solutus est in risum, ita ut Monachus miraretur, cur (quasi sine causa) rideret. Tunc vir beatus dixit ei, quia nocte præterita, cum Vigiliæ agerentur, vidisset unum de Monachis, a Virgine matre et a Filio ejus in choro visitatum, eorumque sanctis manibus quasi ad cœlestia delatum. Quibus ille auditis, cum Monachi nomen, et horam (qua hoc modo sursum delatus est,) sibi propalari expeteret ; vir Domini pe- E tentem statim exaudire noluit; ad extremum tamen, petentis improbitati satisfaciens, Monachum eumdem ipsum fuisse, atque infra cantum Invitatorii id ei contigisse, declaravit. Monachus autem, (qui præsumere nullatenus potuisset, quod ei tale quid contingere deberet, de ejusmodi beneficio sibi cœlitus collato non se extulit, sed in) spiritu suo coram oculis Domini humiliavit. (Hæc itaque visio, quam contemplator noster spiritualiter vidit acsi corporaliter accidisset, ei corporaliter manifestata fuit.)

a quod Auctor vertit

44 (Nos *a* igitur, qui sanctum Domini servitium professi sumus, exemplo Monachi hujus, cum stamus ad psallendum, psallendo intelligere studeamus quæ proferimus, ut humano more, non quasi avium voce cantemus. Nam et merulæ, et psittaci, et corvi et hujusmodi volucres sæpe ab hominibus docentur sonare quod nesciunt : scienter autem cantare, naturæ hominis divina voluntate concessum est : quod et Psalmista commendat, dicens ; Psallam et intelligam. Quomodo placituram Deo psalmodiam putamus, in qua vox quidem, orantis prætendit speciem, mens autem sine fructu est? Etenim qui psallendi nobis formam tradiderunt, hoc commonuerunt, ut serviamus Domino in timore, ut psallamus sapienter ; et sic stemus ad psallendum, ut mens nostra concordet voci nostræ. Servemus igitur omni custodia cor nostrum, laudibus insistendo divinis; ne cum corpore sumus in choro, mente foris vagemur : quia secundum Philosophum, nusquam est qui ubique est. Primum itaque argumentum compositæ mentis est, posse considere et fixum morari : nam ægri animi est, ista jactatio, discurrere et locorum varietatibus inquietari. Proinde, corpore degentes in terra, mente cum Domino in cœlis habitemus ; ut ubi thesaurus noster est, ibi sit et cor nostrum.)

Ps. 100, 1

ad instructionem psallentium. F

b CAP. XVI *A Religiosa Parisiensi,*

45 Quædam mulier religiosa, *b* (Magistra Hospitalis, quod est secus majorem ecclesiam B. Mariæ Parisiis, Theophania nomine,) audita fama mirabilis conversationis viri Dei, desideravit videre (faciem ipsius,) et optatum ipsius adipisci colloquium : sed tamen, obstante longo terrarum intervallo, frustrata est in hac parte, cordis sui desiderio. Et quia ore ad os, (oculo ad oculum videre virum sanctum, simulque) ei loqui non potuit ; accersivit quemdam Clericum, (natione) Brabantinum, illic studentem, quem (vicarium suæ conscientiæ) transmisit

A misit ad supradictum Christi famulum, gratiose salutans eum ore ipsius, et mandans ei quatenus copiosum gratiæ cœlestis munus sibi a Domino impertiri flagitaret. Quæ cum ab ore nuntii audisset vir magnificus, gratum habens quod ei devota et fidelis matrona mandaverat, (illo suo gratioso, quo ad omnes uti consueverat, alacritatis modo, præ gaudio risisse, et) responsum hujusmodi nuntio reddidisse perhibetur : Regredere, amice mi, ad religiosam Dominam, quæ misit te ad me ; et primitus ei a corde et ab ore meo reporta salutis æternæ plenitudinem ; deinde subinferens, annuntia ei ex me, quia die illa ; (die, inquam, illa) quam ei designo, tantam cœlitus a Domino consequetur gratiæ affluentiam quantam in omni vita sua non habitura est. (Tunc vir Domini designavit illi diem, in qua id fieri deberet ;) et adjecit dicens ; Nisi obstaculo negligentiæ suæ obstructus fuerit aquæductus, per quem rivulus gratiæ debet influere in cor ejus, nullo modo poterit frustrari mensura gratiæ qua usque ad supereffluentem cumulum replendum cor ejus prænuntiavi.

per internuntium salutatus,

eidem renuntiat

qua die divinitus consolanda sit :

46 His auditis Clericus reversus est Parisius ; et ex ore viri Dei salutans mulierem devotam, ei B omnia quæ ab ore illius audierat per ordinem recitavit. Lætata est illa in his quæ dicta sunt ei, et promissam sibi ad cumulum gratiæ supernæ benedictionem, cum ingenti desiderio et absque hæsitatione, præstolata est. (Post paululum igitur illuxit dies ille festivus, dies lætitiæ cordis ejus.) Et factum est, orante ea die illo, subito et inopinate irruit in eam Spiritus Domini, (Spiritus vehemens et fortis,) cujus potenti virtute concussa sunt omnia viscera ejus; et sicut fluit cera a facie ignis, sic tota liquefacta est anima illius, et transfusa in amplexus Dilecti sui; ita ut cum interius mellifluo divinæ dulcedinis sapore pasceretur, sed quodammodo quasi in quemdam paradisum deliciarum translatam fuisse miraretur. Cum autem, (post ebrietatis suæ alienationem,) ad se reversa fuisset; cœpit (lætabunda et laudans, velut altera Regina Saba, in laudem nostri Salomonis) erumpere, dicens ; Verus est sermo, quem audivi (in terra ista super virtutibus viri sancti, et non credebam narrantibus mihi ; donec ego experta vim meritorum ejus, oculata fide jam vidi et probavi, quod media pars admirabilis vitæ virtutumque ipsius mihi nuntiata non fuerit. Major est enim ejus C sancta religio, quam rumor quem audivi.) Tandem igitur ancilla Christi, tam per Clericum illum (quem prædiximus,) quam per alios multos, salutans et resalutans in Domino virum Dei, gratias ei rependit de orationum ipsius suffragio ; (annuntians omnibus et commendans merita et virtutes ejus, laudans et magnificans in ipso Dominum Salvatorem, qui eum ditavit tam copiosæ gratiæ privilegia. Siquis forte ambigat, utrum quæ præmissa sunt, vera fuerint, an non ; vel absens mandet, vel præsens interroget venerabilem feminam , quæ usque ad diem hanc in urbe Parisiensi superstes est, et ab illa poterit rei gestæ cognoscere veritatem.

quo facto pergit viro Dei devotius affici.

ANNOTATA *præmissa* a *et* b, *vide post Caput sequens.*

CAPUT VI.

Alia plura, ab Arnulfo prophetice cognita, aut etiam prædicta ad proximorum ædificationem.

CAP. XVII.

Fuit altera mulier religiosa, indissolubili sanctæ dilectionis vinculo viro Dei adstricta, ita ut eis ad invicem esset cor unum et anima una. Huic prædictæ ancillæ Christi feria sexta ante Pascha, D [quando sacrosanctam Dominicæ passionis memoriam recolit universa Ecclesia,] mirabilem Dominus [fere tota die illa cœlitus] contulit gratiam, cujus modum et ordinem vir beatus per revelationem agnovit. Et accersens unum de Monachis, fidelem cordis sui consecretarium, indicavit illi qualia [vel quanta] die memorata Dominus illi mulieri bona fecisset. Adjiciensque ; Ecce, ait, mitto te : vade ad ipsam, et universa quæ a me audisti, replica per ordinem [in auribus ejus.] Profectus Monachus venit ad illam ; et ex parte hominis Dei qui mittebat eum, in hæc verba prorupit, dicens : Hæc dicit vir Dei Arnulfus, [et hæc mandat tibi per me :] Cum hoc anno feria sexta ante Pascha, [quæ dies est specialis adorandæ Crucis,] audires in ecclesia Passionem Domini [a Sacerdote recitari,] sicut tu ipsa nosti ; non potuit cor tuum compassione aliqua emolliri ; sed cum facta esset hora, qua Dominus in cruce pependit ; eadem hora cœlitus tibi manifestata est : et tunc omnino te continere nequivisti, quin omne cor tuum in uberes lacrymas cum rivulis solveretur.

A. GOSW. COÆVO. EX MS.

Piæ mulieri indicat sibi revelatas gratias, ipsi a Deo factas,

in die Parasceves,

48 Eadem etiam hora visum est tibi videre latus Domini lancea perforari, et eamdem lanceam cor ejus penetrare ; et quod etiam sanguis de manibus ejus et pedibus effluerет, et corona c spinea in capite ejus poneretur. Cum autem tam amarissimum Domini et Salvatoris tui dolorem attenderes, visum est tibi, quod cum S. Andrea deberes crucis subire tormentum, et mori cum eo. Deinde cum pius Dominus attenderet et videret, te fidelissimam ejus amicam velle cum eo mori, [benignissimo suæ pietatis modo] locutus est tibi, dicens : Veni post me, dulcis filia. Tunc statim sursum aspiciens, vidisti cœlum apertum, et introspexisti altissimam Majestatem [lucidissimis] mentis tuæ oculis : et ecce, repente visum est tibi, te eidem summæ Majestati, in forma Regis coronati, assistere ; cujus beatam vocem in hunc modum audisti : Habeto in te pacem, filia mi, et jam remove a te materiam doloris, quoniam curatus sum a doloribus crucis. His auditis tantum concepisti jubilum (in risu exultationis,) quod eadem hora penitus immemor facta es Dominicæ passionis ; quoniam tuam valide (et tam perfecte) absorbuerat cor tuum in se gratia et gloria summæ Majestatis, ut tibi videretur, quod Dominus de seipso faceret tibi quoddam speculum, pro eo F quod speculum mundi contriveras sub pedibus tuis : quapropter dulcissimum ejus susurrum postea in hunc modum audisti : Ecce, mi dulcis filia, ostendo tibi beatam faciem meam, et volo ut in corde meo obdormias, agnoscatque cor tuum quod in deliciis gloriæ meæ vives in æternum. (Cum igitur in tanto mentis excessu elevata fuisses, visum est tibi, quod Dominus Christus elevata manu dextera te benediceret, et diceret tibi ;) Tene et observa firmiter pacem meam, filia, quoniam factus est in pace locus meus. Ecce, ex parte dilecti tui Arnulfi, inquit Monachus, retuli tibi, soror mea, qualem et quantam Domini gratiam die præfata in te experta fuisti. (Nunc igitur ad comprobandam narrationis meæ veritatem hoc habeto signum, quod gratia, quam sacrosancto die illo tam affluenter cœlitus concepisti, ab ea qua Dominus majestatis pependit in patibulo crucis, usque ad crepusculum noctis in anima tua perseveravit.) Quæ cum audisset mulier devota, repleta est stupore et admiratione ; benedixitque Dominum Salvatorem, qui tam copiosum gratiæ suæ munus famulo suo largiri dignatus est.

visis tormentis Christi patientis,

E

c

et gloria resurgentis.

CAP. XVIII

49 Duo Clerici, (ætate adolescentuli,) venerunt ad hominem Dei, postulantes ab eo ut diceret eis, si quid esset intra conscientiam eorum, quod reprehensione

Interrogatus 2 Clericis, de eorum conscientia,

A GOSW. COÆVO. EX MS.

A bensione dignum judicaretur. Ad hoc ille; Modo, inquit, nihil respondebo vobis: ite ad proximam villam loqui Reclusæ, (quæ ibi commoratur;) et cum regressi fueritis ad me, sciatis me vobis responsurum. Statim illi, (habentes signum quod dixerat,) abierunt. Interim autem vir beatus oravit Deum attentius, ut sibi aliquid de statu eorum revelaret, et exauditus est. Eodem itaque die ad vesperam, cum reversi fuissent; unus eorum loquens ei seorsim, interrogavit eum, dicens: Bone Frater, quod est illud peccatum in me, unde magis reprehensibilis judicandus sum? Qui respondit ei: Dico tibi quia in præsenti hebdomada confitendo evomuisti peccatum hujusmodi, unde me interrogas, (his intersignis, quod hujus peccati pœnitentiam necdum opere implere cœpisti.) Quod cum audisset ille, videns quia deprehensus esset, obstupuit, et in hoc verbo veridicum esse virum Dei asseruit.

unum monet de non expleta pœnitentia,

50 Post hunc accessit et alter, audire cupiens et ipse, quale testimonium de se vir mirabilis perhiberet. Erat autem nox. Et dixit ei homo Dei: Frater mi, quia beneplacitum est tibi, ut statum vitæ tuæ aliquo verborum modo exprimam; dico B tibi, secundum quod tua conscientia novit, quia tu aliquantulum exterius moribus honestis religionem simulas; sed cor tuum inquietum et gyrovagum, vanis sæpe (et illecebrosis) cogitationibus inquinatur. (Quandoque etiam religiosarum conventiculis mulierum tuam corporaliter exhibes præsentiam, non ut monitis earum caveas tibi a laqueis peccatorum, et vitam bonorum imiteris; sed ut gratioso gestu, quem in risu et jocis eis exterius familiariter ostendis, vel aliquam earum ad peccatum illicias, vel saltem aspectu et cogitatu detrimentum animæ tuæ patiaris.) Scito igitur prænoscens, quia si foris in seculo remanseris, factus quasi equus effrenis, in profundam peccatorum foveam præcipitaberis. Vade igitur et confitere peccata tua, quia valde tibi necessarium est.

alterum de conversatione lasciva,

qui compuncti ambo fiunt Religiosi,

51 Quibus auditis, ille, cum negare non posset, ea quæ a viro Dei dicebantur, mente confusus est, et adhuc multo magis exterius (verecundatus fuisset, pro eo quod vir Dei oculos suos in eum defixerat) nisi caligo noctis in hac parte obstaculum ei præbuisset. Confortans igitur eos vir misericors, et ad vitam bonorum virorum æmulandam, verbis salutaribus corroborans, dimisit eos in pace. Illi autem, vale facientes ei, abierunt; et ut monasticæ se deC voverent militiæ, ad Ordinem Cisterciensem ambo pariter se transtulerunt. (Si quis forte miretur, quare tam hic quam alibi nomina personarum, quas narrationi nostræ inserimus, sub silentio prætereamus; agnoscat procul dubio hoc idcirco fieri, ne, si publicarentur; quandoquidem adhuc superstites sunt, forsitan laudibus suis extollerentur, vel etiam occasione vituperationis verecundia confunderentur.)

CAP. XIX. oblatam sibi puellam, a dæmonis vexatione nocturna liberandam, prædicit,

52 Mulier quædam, (Aleydis dicta,) degens juxta grangiam domus Villariensis, quæ Nova-curia dicitur, filiam habebat, (Clementiam nomine,) quam spiritus malignus, nocturnis maxime horis infestans, ei somnum et corpoream requiem omnino adimebat: (videbatur enim ei, quod quasi cattus sub vestibus suis carni suæ irrepens, et sursum usque ad guttur scandens, ipsam unguibus laniare, et ore mordens, suffocare deberet.) Mater autem, ægre ferens miserabilem filiæ suæ afflictionem, assumpsit eamdem secum, et ad supradictam grangiam profecta est, pro eo quod illuc adventasse hominem Dei cognoverat. Et faciens illum accersiri ad portam, pariterque Magistrum grangiæ, (Gumbertum nomine, ab ore cujus scientiam hujus rei agnovimus,) recitavit coram eis filiæ suæ incommoditatem; deprecans obnixe servum Domini, ut filiæ, meritis et orationibus D suis, succurrere dignaretur. Statim vir beatus, advocans seorsim Fr. (Gumbertum,) insusurravit auri ejus omnia, quæ puellæ agenda erant ad curationem adipiscendam; mandans illi per eumdem, ut in omni puritate cordis confiteretur peccata sua, et se in bona simplicitate custodiret, donec die Purificationis beatæ Virginis Mariæ, de manu Sacerdotis in Missa Eucharistiam in spem salutis suæ acciperet: et subintulit, asserens, quia post vivifici sumptionem Sacramenti, nullam deinceps infestationem diaboli sentiret.

53 (Erat autem circa festum Epiphaniæ Domini, quando hæc gesta et dicta sunt. Nuntiavit igitur Fr. Gumbertus puellæ universa per ordinem, quæ ab ore viri Dei audierat.) Quæ cum audisset illa, lætata est valde, et omnia quæ in mandato acceperat, opere complevit, (exspectans promissum in lætitia et exultatione cordis sui.) Et cum illuxisset dies Purificationis benedictæ Matris Domini, accessit ad ecclesiam, ut sacris Missæ solenniis interesset. Cumque lecto Evangelio et oblatis ex more Candelis, Sacerdos Canonem percurrisset; dictoque Agnus Dei, et accepta Pace, illa Corpus Dominicum de manu ejusdem Sacerdotis accepisset; confortata in Domino, secundum fidem suam, a die illa et E in reliquum, perfecte a ludibrio dæmonis liberata est. (Mater autem ejus, reversa ad Fr. Gumbertum, lætabunda et laudans, dixit ei: Care Magister, reddite gratiarum actiones Dei omnipotenti et fideli servo ejus, qui meritis et orationibus suis filiæ meæ rationem integram cœlitus impetravit.)

quod dicta die factum.

CAP. XX. Cogitantem de fundando cœnobio;

54 Miles quidam pluribus abundans (redditibus et) divitiis, cogitavit novum (de rebus suis) fundare monasterium feminarum, quæ secundum Ordinem Cisterciensem disciplina regulari informarentur. Quod dum sæpius mente tractaret, ubi et qualiter cogitationem suam opere implere posset; cœpit repente, ex obliqua dissuasione quorumdam, propositum cordis ejus impedire quasi quædam dubietas, ne bonum quod corde conceperat perduceret ad effectum. Cumque in hunc modum res in pendulo esset, (nemini quidpiam inde locutus,) venit ad monasterium Villariense, consilium super hac re a D. Guilielmo Abbate quæsiturus. Cui cum locutus fuisset, perrexit ad grangiam, ut viro Dei loqueretur, et ipsum etiam super hac re consuleret. Quem cum vir Dei benigne suscepisset, et numquam alter alterum vidisset; statim conversus ad eum idem vir F Dei; Vos, inquit, estis D. Ægidius (Bertoldus,) qui de ædificatione novi monasterii consulere venistis. Quare opus, dignum cœlesti benedictione, (opus plane laudabili prædicandum memoria,) nihili penditis? Confortamini in Domino (et in potentia virtutis ejus;) et monasterium Sanctimonialium, quemadmodum interius in corde vestro primitus voluntate concepistis, ita opere exterius impleatis: dico enim vobis, gratum esse beatissimæ Virgini Matri, et voluntatem ipsius esse, ut monasterium novum, sicut proposuistis, construi faciatis. Quod audiens Miles, et in cogitatione sua a viro Dei deprehensum se esse attendens, vehementer obstupuit, (nihil omnino habens quod ei contra responderet.) Tandem ab ipso plurimum confortatus in Christo, ad propria regressus est: et, (ne forte hi, quibus hoc scire daretur, illuderent ei, dicentes; Quia hic Miles proposuit in corde monasterium ædificare, sed exterius opere noluit consummare,) gratia cœlestis cor ejus roborante, novum fundavit monasterium Ordinis Cisterciensis, cui Vallis-rosarum [d] nomen est, ubi aggregari fecit de alio monasterio Sanctimoniales, quæ devotum diebus ac noctibus Domino exhiberent famulatum.

confirmat in proposito, catenus secreto,

itaque Vallis-Rosarum struitur.

d

55

A 55 Duo juvenes [laici,] quorum unus vocabatur Lambertus, alter Godefridus, venientes ad virum Dei, dixerunt ei, se voluntatem concepisse, ut [seculo renuntiarent, et] Villariense intrarent monasterium, Fratrum laicorum conventui sociandi, [postulantes, se orationum ejus suffragiis a Domino roborari.] Quibus vir Dei respondens, dixit : Tu quidem, Lamberte, non assequeris quod desideras, ut inter Conversos Villarienses reputeris ; tu vero, Godefride, diuturnæ petitionis fatigatus instantia, diu expectabis [et reexpectabis,] sed tandem in Conversum Villariensem recipieris. Quod postea rei probavit eventus. Lambertus enim, [qui ad quoddam Burgundiæ monasterium, quod Ripatorium dicitur, cum duobus Fratribus suis proficisci voluit ; ut, quia ibidem cum ipsis receptus erat, cum eis ibidem vestibus Ordinis indueretur,] morte præventus, spe sua frustratus est : [quia neque in Ripatoriensi, neque in Villariensi monasterio Conversum professus est.] Godefridus autem [de promissione viri Dei non diffisus, tam precibus suis quam alienis,] crebro Domini Abbatis Guilielmi genibus advolutus, tandem petitionis suæ obtinuit

Ex duobus Monachatum ambientibus, unum voti compotem fore prædicit.

B effectum, et in Domo quam elegerat, est receptus. Ipse est [faber ferrarius, qui usque hodie in officina monasterio proxima, cum Fratribus ejusdem artis, demoratur.]

56 Fuit quædam mulier, quæ diuturno ægrotaverat languore, filiam habens vita et moribus religiosam, quæ matri infirmitate laboranti solicite quantum poterat ministrabat. Monachus autem quidam, puellæ anxietati et fatigationi compatiens, et cupiens laboriosam ejus solicitudinem, quam matri exhibebat, cito finiri, venit ad memoratum virum Dei, petiitque ab eo de die obitus prædictæ mulieris se certificari. Cui vir Domini, oratione præmissa respondens ; Non sit, inquit, tibi curæ, Frater mi, pro hujusmodi negotio me interpellare ; cum necessarius sit eidem mulieri languor ille purgatorius, pro eo quod de opibus, illicite acquisitis constat eam educatam fuisse. Cum hæc diceret vir beatus, nesciebat quæ esset puella et mater ejus : res enim ista reserata ei fuit per revelationem. Quod cum audisset Monachus, obstupuit : et regressus a viro Dei, cœpit diligenter inquirere de verbo quod audierat : didicitque mulierem eamdem divitiis, quæ de sordido provenerant lucro, ab annis

Consultus super infirma, revelat causam duraturi morbi,

C infantilibus cum omni lascivia fuisse nutritam.

57 Contigit die quadam, memorabilem virum devenire ad domum mulieris cujusdam, Elisabeth nomine, quæ timorata et fidelis filiam habebat religiosam, causa cujus vir beatus illuc diverterat. Et cum ad invicem sermocinarentur, cœpit eadem mulier, quæ quidem ætate erat anicula, inquirere a viro Dei, utrum ab infirmitate oculi, qua molestabatur, curari posset, an non : pupillam siquidem oculi ejus albugo ex magna parte obnubilaverat. Cui ille ; Curaberis, inquit, tandem, o mulier ; cum difficultate tamen. Tunc illa, quia sciebat eum virum esse virtutis et sanctæ conversationis, addidit adhuc eum interrogare, quot annis superstes foret in hac vita. Ille autem, non plene de hac re reserans ei veritatem, cum in crastino revectus fuisset de grangia, quæ proxima erat, prædixit, eam duobus ad integrum annis in hac vita manere superstitem, et infra dimidium postea annum, terminum hujus vitæ mortalis habituram. Quod ita accidisse, filia prædictæ mulieris referente, cognovimus.]

et alteri post curatum oculum, vitæ suæ terminum.

58 Puella quædam [religiosa,] Gertrudis nomine, reclusorium interius mentis habens, et cor suum (ut ita dicam) in Deo includens, etiam reclusorium corporis exterius habere desiderabat : sed quia pauper erat, unde id construi faceret non habebat. Cum-

Pauperculæ desideranti reclusorium,

D que ob hanc causam salubriter contristaretur, locuta est viro Dei, et voluntatem quam animo conceperat ei intimavit; [sed in proposito negotio, se omni omnino auxilio destitutam esse asseruit.] Quam vir Dei blande consolatus, nullam pro hac re solicitudinem gerere monuit, prædicens certissime et asserens, quod processu temporis, absque impensis suis, reclusorium ei fabricaretur. Lætata est illa in hoc verbo, et multis diebus promissum expectavit. Et cum pro diuturna expectatione quasi quoddam mentis tædium sustineret, nunc ad fidele promissoris sui verbum, nunc ad Domini auxilium sedula recurrebat. Evolutis tandem diebus multis, vir multæ caritatis et pietatis, cui desiderium pauperis puellæ innotuerat, negotium ejus ad ditissimas quasdam personas detulit ; et facta petitione solidos non paucos ab eisdem impetravit et reportavit . de quibus , ut sermo viri Dei impleretur , reclusorium illi fabricari fecit. Adepta itaque est puella votum suum, et usque ad diem hunc in Episcopatu Cameracensi degens, a mundanis tumultibus duplici, cordis et corporis reclusorio absconditur ; ubi ineffabilis paradisi delicias prægustando, et inter sancti amoris brachia suaviter quiescendo, cum gaudio et exultatione cordis felicem transitus sui diem præstolatur.

A. GOSW. COÆVO. EX MS.

tandem illud ei ædificandum promittit.

E

59 [Non est etiam silentio prætereundum, quid de futuri statu temporis vir sanctus prædixerit. Anno Domini millesimo ducentesimo vicesimo sexto, cum adhuc nulla mentio fieret de horrendo illo schismate, quod ortum est in Ecclesia, imo contra Ecclesiam, sub Imperatore Frederico ; cœpit prædictus vir Dei absque hæsitatione quibusdam palam annuntiare, quod infra decennium futurum plurima bella et multæ tribulationes in Ecclesia suscitarentur. Altero autem anno, qui erat penultimus ante obitum ejus, cœperunt sinistri rumores de partibus transmarinis audiri, quod scilicet Fredericus, contra Dominum Papam et Ecclesiam Domini, insurgere conaretur. Quid hoc malo crudelius? Et quis referre aut scribere sine cordis dolore valeat, quantorum causa malorum hoc detestabile schisma fuerit? Attendat igitur prudens lector, cogitetque, ac recogitet providus conjector iterum, quot et quanta postea acciderint; quot et quanta fortassis postmodum infra præmissum decennium mala horrenda contingere possint, si post propheticum viri Dei verbum, tam repentinam et inopinatam, a protectore suo et ejus fautoribus, passa est Ecclesia tribulationem.] F

Anno 1226 prophetat schisma, decimo post anno excitandum a Frederico Imp.

60 [Sunt et alia multa, secundum æstimationem quorumdam, quæ de hoc beato viro poterant enarrari. Sed ad notitiam nostram necdum pervenerunt. Sunt nihilominus et alia quædam, quæ quamvis ad nostram pervenerint notitiam, tamen causa brevitatis ea transilientes, inserere narrationi nostræ recusavimus, legentibus in hac parte consulentes, ne quod eis pareret copia congesta fastidium. Cui enim ad informationem vitæ suæ pauca non sufficiunt, nec multa forte sufficerent. Obsecramus itaque eos, qui beatum virum speciali præ ceteris familiaritate dilexerunt, ut nequaquam ægre ferant, quod aliqua, quæ de eodem adhuc scribi poterant, sub silentio præterivimus : quia, sicut ait Severus Sulpitius de Martino suo e, sufficere credidimus ad exemplum audientium, si tantum excellentiora notarentur.] Hactenus igitur sancti viri virtutes et revelationes, ceteraque ejus gesta vel dicta, laude digna, qua potuimus prosecuti, ad felicem ejus transitum describendum manum mittere proponimus.

aliaque plura his omissa.

ANNOTATA.

a *Totus hic numerus ex MS. Aureæ-Vallis est.*

A. GOSW. COÆVO EX MS.

A b *De Hospitalibus Parisiensibus agit Jacobus de Breul, lib. 4 Antiquit. Paris. a pag.* 950 *ad* 1005, *sed hujus nulla mentio, nisi sub alio forsan nomine.*

c *Nemo hinc inferat, Christo jam in cruce mortuo, Coronam spineam fuisse impositam. Semel eam tulit in domo Pilati, postea deposita purpura suis indutus vestibus (quod, nisi corona etiam ablata, fieri non potuit) numquam eamdem resumpsit, quidquid pictores moderni fingant, contra vetustas omnes Crucifixi imagines.*

d *Vide Miræum in Chronico Belgico pag.* 314, *ubi* Vallem-Rosarum, *ad Netham fluvium, uno a Mechlinia milliari, fundatum docet ab Ægidio Bertholdi, an.* 1227, *insignem hodiedum Abbatiam Sanctimonialium. Ibidem de istius Bertholdi familia, per Belgium illustrissima, multa ille aliique scriptores Brabantini.*

e *Sev. Sulpitius in Prologo ad Vitam. Vide Surium.*

CAPUT VII.

Mors Arnulfi; Encomium Rhythmicum et Epitaphium.

B Cum appropinquaret tempus pretiosæ mortis vel dormitionis ejus in Christo, decidit in ægritudinem, [quam medici febrem vocant, eo quod quidam calor per omnes artus diffundatur ægrotantis.] Statim autem rejecit a se instrumenta martyrii sui, quia stimulus infirmitatis qui eum vehementer arctabat, alia corpori suo tormenta adhiberi non permittebat. Numquam etiam in omni vita sua, [nec etiam in diebus infirmitatis hujus.] Deum suum interpellare voluit, quatenus sibi vel diem vel tempus transitus sui revelare dignaretur. Revelatum est autem de re hujusmodi cuidam magni nominis Reclusæ, quæ circa festivitatem B. Joannis Baptistæ eum ex hoc mundo migraturum prædixit, [antequam idem præmissa infirmitate corriperetur.] In hac quippe infirmitate tam copiosa gratiæ stillicidia cœlitus defluxerunt in cor ejus, [et tam vehementer divini amoris vino anima ejus inebriata est,] ut exterius infirmitatis suæ penitus oblivisceretur, toto mentis anhelans desiderio ad eum, quem ardenter in vita sua dilexerat. Et quamvis præ fervore divini amoris, nullum cordis aut capitis [seu membrorum] dolorem se sentire, protestaretur; crescente tamen valetudine, et de die in diem ipsum validius solito perurgente, cœpit multum vigor corporis ejus lentescere. C Cumque ex diuturnitate jejunii [et infirmitatis pondere] plurimum debilitaretur; acsi validior esset corpore, Fratribus sibi ad solatium deputatis, [et Monachis familiaribus suis,] aliquando ad se venientibus, alacriter etiam usque ad diem obitus sui loquebatur. [Faciebat autem sibi aliquando adferri vivificum Domini Corpus; et de manu Sacerdotis illud accipiens, interim in anima sua, salutiferi virtute Sacramenti, plurimum confortabatur.]

Morbo correptus, indeque, ut revelatum, moriturus, paulatim deficit, sæpius communicat,

62 Quadam die, cum unus Monachorum infirmitorium introisset, ad visitandum eum; dixissetque ei, quia Reclusa, una ex familiaribus ejus, [quam idem designavit ex nomine,] doleret et anxiaretur pro eo, quod timebat, ne ipsum ex ea infirmitate viam universæ carnis ingredi contingeret; ille, quasi indignans; Absit, inquit, absit hoc: hic enim amplius morari nolo, sed ad Deum meum ire desidero. Quidni ad Deum suum ire desideret, [qui Deo suo ferventer servierat, qui Dei sui mandata custodierat,] qui ob amorem Dei sui seipsum et omnia terrena despexerat, qui ab æternis paradisi deliciis tam diu differri suspirabat? [quanto enim magis æterna cognoscebat, tanto magis agere in hujus exilii miseria dolebat.]

63 Cum iterum die quadam alter Monachus, D medicinalis peritia artis instructus, assideret ei et ad invicem sermocinarentur; vir Domini, sicut moris est infirmis, sciscitari cœpit ab eo, utrum [de infirmitate qua tenebatur] convalescere possit, an non. Monachus autem, ne veritatem reticuisse postmodum convinceretur, si qualitatem infirmitatis ejus secundum petitionem suam ei non intimaret, secundum quod ex venarum pulsu et morbi qualitate præcognoscere potuit, eum non evasurum, sed moriturum prædixit. Ad quod responsum statim vir beatus, præ gaudio cordis, injectis collo ejus brachiis, amplexatus est eum; ita ut idem Monachus coram circumsidentibus infirmis verecundia perfunderetur, [ignorantibus quod hujusmodi amplexu significaretur.] Et subridens vir Dei, dixit ei: Amen dico vobis, dilecte mi, quod numquam in omni vita mea, tanta dilectione cor meum dilatatum est ad vos, quemadmodum hodie; propterea quod hujusmodi verbo, [verbo, inquam, non desolatorio, sed plurimum] consolatorio, lætificastis animam meam.

exultat ad nuntium mortis,

64 Cum autem de die in diem transitus ejus proximaret; die quadam cum surrexisset de lecto, et staret super pedes suos, stante secus eum quodam Fratre, Radulfo nomine, et brachiis suis eum E sustentante, viribus corporalibus cœpit repente destitui. Et ecce vir magnificus, eadem hora, inter manus prædicti Fratris, flexis ad terram genibus et inclinato capite, trino, tribus morarum intervallis, leniter emisso spiraculo, feliciter migravit de corpore: [stratoque in terra cilicio, venerabile corpus desuper impositum est:] et pulsante confestim tabula defunctorum pro eo, accurrit Conventus Monachorum, qui solenni, apud Deum et Sanctos ejus, sic abeuntem prosecuti sunt suffragio. Cumque corpus ejus, lotum et collocatum in feretro, in ecclesiam fuisset delatum, Monachis circa corpus ejus Psalmos decantantibus, nox supervenit. Et cum nocte illa secundum consuetudinem, Vigiliæ a Fratribus circa defunctum agerentur; quidam boni fures partem capillorum capitis ejus, et septem nihilominus dentes ab ore ejus rapientes, sibi, quasi ad indicium sanctitatis ejus, servaverunt. Et cum illuxisset dies altera, quæ erat Octava S. Joannis Baptistæ, Missa ex more celebrata pro eo, sanctum corpus ejus venerabiliter sepulturæ traditum est, Monachis cantantibus altisonis vocibus Antiphonam; Clementissime Deus, [ita ut plerique adstantium usque ad lacrymas compungerentur.]

eaque placide defungitur. Corpori, in ecclesiam delato, crines et dentes auferuntur.

65 Post gloriosum vero obitum suum, idem vir F beatus, cuidam ancillæ Christi in forma pueri, et vestimento partim niveo, partim purpureo amictus, apparuit. Quem cum illa interrogaret, quis esset; ille respondit; Ego sum Fr. Arnulfus, servus Christi. Tum illa: Quare in forma pueri et vestimento bicolori appares mihi? Qui ait: Per hoc quod puerilem prætendo faciem, intelligere te volo, me inter homines conversantem, tamquam puerum fuisse [humilem;] per niveum vero vestimenti mei colorem, me mundam vitam duxisse [et munditiam dilexisse;] per purpureum vero, diuturnam, cum sanguinis effusione, corporis mei afflictionem agnosce. His dictis [a facie ancillæ Christi vir beatus] disparuit. [Illa autem visionem quam viderat cuidam Monacho Villariensi manifestavit.]

Apparet, ut puer, in veste alba ac rubra.

66 Rursus vero apparuit memoratus vir Domini cuidam viro illitterato, [sed interius a magisterio paracliti Spiritus instructo, cui nomen est Joannes; viro mire speculativo, cui usque hodie multæ fiunt revelationes a Domino;] eique copiosam [et mirabilem] animæ suæ glorificationem, quam a Domino in præmium acceperat, intimavit: et adjiciens; Vade, inquit, ad Jacobum Sacerdotem, dilectum et familiarem

Pro amico se orare dicit,

A rem mihi in Christo, et annuntia ei ex me, qu i a secundum quod ei quondam promiseram, quotidie pro salute ejus Dominum Majestatis exorare non desino, ut ab eo misericordiam salutarem consequatur. Venit itaque ille ad prædictum Sacerdotem, annuntians ei magnam et mirabilem animæ beati viri glorificationem, et cetera quæ ab eodem beato viro cognoverat per revelationem. Quid autem per occasionem unius pellis spinosæ, quam vir beatus in vita sua tulit, post mortem ejus contigerit, breviter referendum est.

Dolores iliaci pelluntur, *attactu cilicii ejus spinosi.*

67 Quadam die cum venerabilis Priorissa de Spineti loco, Lucia nomine, duæque Moniales cum ea, ad portam monasterii Villariensis devenissent ; expleto negotio, pro quo illuc advenerant : ad proximam monasterii villam, quæ Villare dicitur, pergentes, in domo quadam, cum duabus ibidem religiosis mulieribus pernoctaverunt. Et factum est cum essent ibi, accidit puellam quamdam, nomine Mariam, domus ejusdem ministram, gravissima iliacæ passionis acerbitate torqueri, ita ut more parturientis vociferari cogeretur. Quod videntes prædictæ Moniales, compassæ sunt illi, et dixerunt ad invicem ; B Ecce habemus hic nobiscum particulam spinosæ pellis ericii, quam vir Domini Arnulfus tulit : applicemus eam loco doloris, et tentemus, utrum sævire cessent acerrimi puellæ dolores, an non. Quod cum fecissent, ecce subito et inopinate, mirantibus eis, dolor omnis, quo puella cruciabatur, per Domini gratiam cœpit annihilari. Sed quid necesse est, ut deinceps a Domino per servum suum miracula fieri expectemus, cum tota ejus vita in hoc mundo miraculosa fuerit, et mors nihilominus, ut credimus, in conspectu Domini pretiosa.]

Ita obiit Arnulfus anno 1228 30 Junii.

68 Anno igitur incarnati Verbi millesimo ducentesimo vigesimo octavo. [vir Domini Arnulfus, ob inusitatum pœnitentia sua martyrium, quod corpori suo multicipliter inflixit, merito novus Martyr appellandus, multis nihilominus virtutum et meritorum titulis adornatus,] pridie Kalend. Julii, in die videlicet commemorationis beati Apostoli Pauli, feria sexta circa horam sextam, qua Dominus majestatis in cruce pependit, expletis in Ordine Cisterciensi viginti sex annis et quasi sex mensibus, migravit de hac vita, imo de hac morte ad vitam, [de exilio ad patriam, ubi pax vera est, quæ exsuperat omnem sensum ; pax super pacem, indeficiens exultatio :] ad quam sua miseratione servum suum C perduxit, et nos quoque quandoque perducat, [præveniens nos in benedictione dulcedinis] Jesus Christus Dominus noster, [qui venit in hunc mundum, ut vitam habeamus et abundantius habeamus :] cui est cum Patre et Spiritu sancto gloria, honor, et imperium, per omnia secula seculorum. Amen.

VERSUS

De Conversatione et obitu illius.

Nobilis egrediens hospes de corpore mortis,
In patriam rediit, ad primæ gaudia sortis :
Qui fervens animo, dum pertulit aspera fortis,
Fraternæ meruit labarum portare cohortis.
Ejus vita fuit meritorum lampade clara ;
Quæ sibi mellita, plerisque videtur amara :
Qui vir devotus, Domino fuit hostia cara,
Dum Christo totus crucis est oblatus in ara.
Laus tibi, summe Deus, quia Martyr noster agones
Pertulit insolitos, ut ei nova præmia dones. D *A. GOSW. COÆVO EX MS.*
Instrumenta crucis, quam pertulit ille, stupenda
Mentibus humanis, nulli reor est ferenda.
Et merito : quoniam terret nova passio cunctos,
Quos oleo, rex Christe, tuo non invenit unctos.
Multi divino sunt uncti chrismate, verum
Quemlibet ad tanta video miracula serum.
Sunt et agonistæ fortes, sed fortior iste
Perstitit in Christo : quia gratia major in isto.
Martyris huic ergo debetur jure corona,
Cujus ad eudochiam cum mente fuit caro prona.
Eia sublatam nobis plangamus, amatam
Mundo, personam ; non quod sine fine coronam
Sumat sublimis a Christo, sed quod in imis
Post se nos miseros liquit fortissimus heros.
Vos quoque qui memorem Sancto debetis amorem,
Vobis præpropere subductum plangite justum ;
Plangite devotum, vobis per singula notum ;
Plangite post cursum cursorem, plangite rursum,
Plangite cum lacryma, quod mortis ferrea lima
Hunc elimavit, limatum terra voravit.
Sed qui carne ruit, hanc mortis falce secante,
Vivit nunc anima melius, quam vixerat ante.

E

EPITAPHIUM

ENCOMIASTICON

BEATI ARNULFI

Auctore Francisco Moscho.

Arnulphus hoc sub expolito marmore
Somnum capit, securus expectans diem,
Qua buccinæ clangore suscitabitur,
Sumpturus æternæ coronam gloriæ.
Asceta clarus exstitit virtutibus
Christi gerens inusta carni stigmata ;
Mores probi, juges preces, vox lenior ;
Fulsit fides plane orthodoxa, certa spes,
Deique fervens caritas et proximi.
Cunctis serenus, comis, ac affabilis ;
Sibi severus, corpori indulgens nihil.
Non ulla commotum dies, nec asperis
Verbis locutum vidit aut minacibus :
Nam Christus illi mellea dulcedine
Et unctione spiritum repleverat.
Virgis sibi carnem frequens dirissimis
Domabat, ad cruoris usque copiam.
Quin lectulum e rusco horrido constraverat, F
Somnum fugans, corpus regens, Deo canens.
Ecquid tuo (Collega dixit quispiam)
Amice, mortem infers misello corpori?
Peccatum, ait, non corpus exstinguo flagris.
Dum sic voluptates severus abdicat,
Victa est caro cum dæmone atque seculo.
Gaudet trophæo victor Athletes suo.
Ditat Deus summo clientem munere,
Prophetico mentem beatque spiritu,
Arcana donans consequi cœlestia.
Ac nunc beatæ et æviternæ munere
Vitæ frui datum probato militi ;
Ubi aureæ pacis potitur fructibus,
Et luce pura, quæ tenebras nesciat.
Arnulfe, nos ab arce languidos juva,
Qui criminum mole obruti demergimur ;
Ut a malorum vindicati nexibus,
Uno Deo et trino fruamur perpetim.

D. P.

DE B. HENRICO EREMITA

VERONÆ IN ITALIA.

ANNO MCCCL.

Ex monumentis Veronen. a Bagata et Peretto collectis

et Augustino Valerio Ep. adscriptis,

habetur notitia hujus Beati

et reliquiarum ac cultus,

sed confusa cum cultu alterius synonymi.

Imago inter Sanctos.

Sanctorum *Episcoporum Veronensium* antiqua monumenta, *et aliorum Sanctorum, quorum corpora, et aliquot quorum Ecclesiæ habentur Veronæ, per* Raphaelem Bagatam, *Archipresbyterum ecclesiæ sanctorum Apostolorum, et* Baptistam Perettum, *Rectorem ecclesiæ S. Teuteriæ, collecta, ideo sæpe a nobis adscribuntur* Augustino Valerio *Veronensi Episcopo, eruditione non minus quam pietate claro, quia hic (sicut ad lectorem præfantur illi, ipseque etiam libri titulus loquitur) plerorumque ab ipsis indicatorum* Sanctorum historias, *rudi olim stylo conscriptas, in elegantiorem formam redegit ; quæ sic expolitæ constituunt alteram partem libri, per prædictos Venetiis anno* MDLXXVI *excudi curatæ : et has sequitur, veluti pars tertia,* Index Sanctarum Reliquiarum, *quæ in ejusdem civitatis ecclesiis reperiuntur.* B *Hæc præfari libuit ad notitiam libri, unde omnis fere desumitur notitia prætitulati Sancti : ut quod suum est cuique tribuatur, nec amplius Augustino Episcopo imputetur quod suum non est. Nullam certe is partem habuit in* Henrico, *cujus uti Vitam nullam invenit, nullam etiam expolivit : in priori autem, quam dixi parte, a præfatis Archipresbytero et Rectore sic legimus scriptum.*

2 B. Fr. Henrici de Bolziano Eremitæ corpus requiescit Veronæ, in ecclesia S. Joannis in Fonte, quod die ultima Junii MCCCCVII, in loco S. Felicis in Monte, dum fundamenta effoderentur, in quodam monumento parvo, cum veste ex catenis magnis ferreis, et scutica parva fuit inventum : et (ut ex lapide ejusdem monumenti) decessit anno MCCCL ; ex Chronico antiquo MS. ex Francisco Corna, et ex tabula Sanctorum in principio. Nos etiam a Rectore dictæ ecclesiæ, die XVII Februarii MDLXXIV, accepimus haberi in Inventario dictæ ecclesiæ capsulam cum Reliquiis B. Henrici : quas ipse in stipite altaris beatæ Virginis reposuit, prope locum, ubi in pariete prius reconditæ fuerant in dicta ecclesia. In capsula, ubi sunt dd. Reliquiæ, asservantur etiam scutica ferrea, et cilicium ex catenis ferreis, quo B. Henricus induebatur.

C 3 *Obierat Tarvisii,* LX *circiter mille passus ab urbe Verona, anno* MCCCXV, *die* X *Junii ; et sepultus, similibus clarebat miraculis, ejusdem nominis Eremita alius,* Boceni *seu* Bauzani, *Germanice* Botzen, *in Tiroli natus : cujus loci nomen Italis* Bolzano ; *parum aut nihil diversum a Veronensis agri vico, dicto* Bolcano *in tabulis, alias, ac forsitan rectius,* Bolziano, *in ipso confinio Vicentinæ diœcesis* X P. M. *ab urbe ; potuit occasiones auxisse confundendi utrumque in unam personam ; suadente id etiam Germanorum in suum concivem pietate, quem utraque civitas ad se pellicebat,* Tirolensem Henricum *sibi arrogando, cujus nonnulla Vita in manibus erat, nulla* Bolzianensis Henrici. *Hujus confusionis testes sunt Veronenses Presbyteri prænominati, dum cœptam de suo Henrico narrationem sic prosequuntur :* Eodem die, viri fide dignissimi nobis narraverunt, magnum Germanorum concursum superioribus illis temporibus ad eamdem ecclesiam fuisse : qui magnum Missarum numerum, ad memoriam B. Henrici, ex devotione et voto celebrari curabant, largas ibi offerentes eleemosynas. In prædicto altari est palla antiqua, in qua ab una parte est S. Antonius, in sinistra S. Petrus Martyr, in medio B. Virgo Maria; ad cujus pedes est imago genu flexa unius viri, veste Eremitica induti, cum pileo ejus brachio appenso : quæ quidem imago dicitur esse B. Henrici.

Translatio ab Ecclesia S. Felicis ad S. Joan.

post istam anno 1393 destructam

causa muniendi arcam,

olim ibi conditam

Ibidem vixerit et obierit Henricus.

4 *Jam quod translationem attinet corporis in ecclesiam S. Joannis, utique Baptistæ, Cathedrali proximam, et a Fonte ibidem pro tota civitate baptismali cognominatam in Fonte ; facta est illa ab Ecclesia* S. Felicis in Monte : *de qua ecclesia sic scribunt iidem Presbyteri.* S. Felix Episcopus Veronensis obiit quartodecimo Kalendas Augusti... deque nomine ipsius hodie Veronæ extat templum in summo colle : ab eo etiam nomen accepit arx, in qua templum est positum. *De hac arce scribit Historiæ Veronensis Auctor Hieronymus della Corte, lib.* 13, *ad an.* MCCCXCIII *pag.* 220, *quod Joannes Galeatius* Vicecomes, *cujus Dominio Verona tunc suberat,* solicitus E quomodo compesceret eos, quos in urbe noverat adversariis exulibusque favere ; decrevit securitati suæ prospicere, ædificando trans flumen castrum, et instaurando alterum S. Petri, vetustate jam pene collapsum ; eo quod priores Domini usi ferme erant solo eo, quod S. Martini Aquarii nomen ferebat ; accersitisque undique præstantioribus fabris atque materia, in summitate montis jussit principium fabricæ dari, circa antiquissimam ecclesiam S. Felicis Episcopi, qui istic majorem vitæ suæ partem in orationibus atque jejuniis severissime exegerat : hæsit tamen potioris fabricæ absolvendæ studium, opportunitate quam præbebat citius restaurata Rocca S. Petri, utpote numerosi præsidii capax. *Cum autem anno* MCCCC *in Venetorum Dominium ultro concessissent Veronenses ; iisdem suasoribus deproperata est arx S. Felicis : de qua, deque altera S. Petri, juvat legere Judocum Hondium, in descriptione Italiæ, pag.* 335 *sic loquentem :* In summo clivo duæ sunt arces nobilissimæ, S. Petri, et S. Felicis : quarum illa Athesi pene incubat, a Cane Scaligero excitata (*Imperatori Berengario id aliqui tribuunt*) hæc eminentiori loco et quasi vallis supercilio residens, nobis mœnia despectat, et longe lateque in circum-Padanos agros totamque fere Cisalpinam Galliam pandit prospectum.

5 *Ex commoditate quam ibi habuit olim S. Felix* F *sese solitarie exercendi, datur occasio suspicandi, similem ibidem vitam duxisse* S. Henricum, *quo de agimus, et ideo ibidem quoque sepultum fuisse ; et simile quid videtur etiam suspicatus Ferrarius, scribens generalem Catalogum Sanctorum, qui in Romano Martyrologio non sunt. Postquam enim in prius edito Sanctorum Italiæ Catalogo, ad hunc diem egisset, tamquam de uno solo* S. Henrico Eremita Bocenensi Tarvisii et Veronæ.... *ex Vita typis excusa* anno Domini MDC : *in altero posteriori, ex eadem Vita ad diem* X Junii *scripsit ;* Tarvisii in Venetia, B. Henrici Confessoris ; *et ad diem* XXX, Veronæ B. Henrici Eremitæ *: et in Notis, cum indicasset diversitatem utriusque cultus, quoad diem et annum mortis ac locum sepulturæ, sic concludit.* Oportet itaque Corpus illius Tarvisio Veronam clam advectum fuisse, deceptosque circa tempus Veronenses cum Tarvisinos, apud quos vixit et obiit, in re hac falli, minus probabile sit. Nisi quis duos hujus nominis Eremitas fuisse dicat, quorum alter Tarvisii, alter Veronæ decesserit ; ubi hic colitur ritu semiduplicis, ut apparet in tabulis illius Ecclesiæ.

6

A *cujus corpus sub altari an. 1686 inspexit P. Janningus.* 6 *Janningus noster, cum anno* MDCLXXXVI, X *Augusti Veronenses ecclesias curiosius obiret, relaturus in Belgium quæ istic de Sanctis notabiliora vidisset; deductus ad ecclesiam S. Joannis in Fonte, vidit ibidem sub altari, quod aræ majori est ad cornu Evangelii, perpulcram rubri marmoris arcam, sic inscriptam;* S. Henrici Eremitæ corpus, *cujus inspiciendi copiam cum liberaliter faceret Parochus, amotis altaris ornamentis, deprehendit moveri operculum posse. Eo ergo quantum opus erat elevato, vidit ossium humanorum struem, eique superimpositum cranium integrum, cum cilicio catenato ferreisque circulis. Exultavit ad horum conspectum Parochus, insperato spectaculo exhilaratus: fatebatur enim de sancto isto corpore nihil antea scivisse se. Pro antiqua pictura pallæ, quam Bagata describit; hodie super altari cernitur tabula, Deiparam Virginem sublimem repræsentans, cui sinister S. Joannes Baptista, dexter adstat S. Dominicus; in medio autem genuflexus Henricus, ferreo suo indutus cilicio, sed absque radiis; quos in veteri palla reperit Bagata. Dicebatur is fuisse professione Augustinianus; quod ut accepi, ita refero, et opto probari posse in silentio ipsorummet scriptorum Veronensium, quæcumque sua ætate referebantur colligentium. Nec vero satis convenit ejusmodi assertio, cum Eremitarum Augustinianorum vita, quam seculo* XIV *constat fuisse cœnobiticam, non vero solitariam, qualem ab Henrico ductam suadent omnia superius relata.* D AUCTORE D. P.

DE B. RAYMUNDO LULLO EREM.

SCHOLÆ LULLISTICÆ DOCTORE ILLUMINATO,

APUD BUGIAM IN AFRICA MARTYRE,

Majoricensis ab ipso denominatæ Universitatis Patrono.

B E

COMMENTARIUS PRÆVIUS JO. BAPT. SOLLERII.

§. *I. Brevis notitia de Sancto.*

AN. MCCCXV. Dubitatum aliquando fuit, locumne hic suum obtineret *magnum* illud *divini* simul *ac humani amoris specimen*, ut eum vocat noster Busserius; magnarum certe contentionum disputationumque materies; laudibus non minus exornatus, quam proscissus vituperiis; et vel eo titulo nominatissimus, B. RAYMUNDUS LULLUS. *Dissidentibus circa Lullum sententiis,* *Lullium* alii scribunt, a vocabulo Catalano *Lull* vel (ut aliis placet) *Lyl*: sed utrum latine præferri debeat, nihil juvat operose nugando inquirere: LULLIUS nobis erit et LULLUS idem, quamdiu agetur de Majoricensi. Signum profecto diceres (si verbis sacris uti licet) Signum, inquam, diceres positum, cui a multis contradiceretur; *aliis in probra effusis,* signum, pro quo tuendo propugnandoque non pauciores egregie desudarent. Sunt qui *Vagum, Erroneum, Histrionem, Fanaticum, Phantasticum, Præstigiatorem, Perditæ memoriæ virum*; quodque in his pessimum est, *Hæreticum*, et *errorum* C *Magistrum, orbi Christiano perniciosissimum*, pronuntiare non dubitant; idque conatu adeo indefesso præstant, ut illis non videatur *Catholici nomine dignus, qui Orthodoxum dixerit Raymundum*, ut est apud Waddingum et Arturum a Monasterio. Contra vero insurgunt alii, numero longe superiores: qui de atroci injuria enormique calumnia accusatores postulent; vix eum habituri pro Catholico, qui debitam sancto Martyri laudem deneget ac venerationem.

aliis in eximius viri laudes, 2 Anceps certe et scrupulosa videri potest ea provincia, et ita Waddingo olim visa est, illius hominis vitam scribere, quem Auctores, toto orbe Catholico receptissimi, clamitant atro calculo in album hæreticorum rejiciendum; quidquid alii, non minus docti piique passim, tamquam *Doctorem illuminatissimum*, Rex Franciæ Philippus pulcher, *Organum S. spiritus, Doctoremque divinitus illlustratum*; Alphonsus Magnus, Rex Aragoniæ, *Doctorem egregium*; Surita, *Magnum inventorem docendi novam Philosophiæ artem, disciplinarumque liberalium divinarumque litterarum, per novas revelationes atque mysteria*; alii denique, *Tubam Spiritus sancti, Organum Dei, Fontem Veritatis, Lampadem Fidei, Ecclesiæ Restauratorem*, tamquam Martyrem inclitum, voce et scriptis, publice et palam, extollant, colant, venerentur. Una supererat eaque tutior via, Nicolao Antonio magnopere probata; nempe ex præfati Waddingi judicio, ita res tota proponeretur, ut suspenso veluti pede procedendo; et sua Lullo staret fama, et adversariis non plus detraheretur, quam exigeret spinosi intricatique dissidii componendi necessitas. Et fecit ea circumspectio, ut Annalista ille, nec non recentior Majoricarum Historiographus Vincentius Mut, aliique, Raymundo addicti, potius quam adversantes, ab omnibus iis ornamentis seu appellationibus abstineant, quæ ei aut Martyris titulo, aut Beati, Sanctive nomine adscriberentur.

3 Quod si nobis placeret consilium, tacendum plane erat, donec ex virorum illorum sententia Sedis Apostolicæ judicio, inveteratis discordiis finis esset impositus, quemadmodum seculo XVI et XVII, Romæ non semel agitari cœptum est, ut suo loco dicetur. *anceps hærere t deliberatio,* Alia insuper satis perplexa vexabat anxietas, quod passim in scholis Catholicis, acrius vapulare soleat Lulli nomen; sive id inolitis aliquorum præjudiciis, F sive etiam non satis exactæ rerum notitiæ (ut apud Doctores Scholasticos, de factis minus solicitos, sæpe fit; dum alii alios absque discrimine transcribunt) sive partium denique studio tribuendum supponatur. Angebat ea religio, nec satis tutum apparebat, virum inter Sanctos connumerare, de cujus fidei integritate dubitari saltem posset; *de eo inter Sanctos locando;* Waddingo sincere fatente, acerrimos etiam Lulli defensores, non ita doctrinam ejus in omnibus explanare, ut plene satisfaciant. Nec dissentit Vasquezius, et ipse Lullistis non infestus, Tom. 2. in I. partem, disput. 133. cap. 4 asserens *plures hujus Doctoris* (Lulli) *propositiones duriores sibi videri.* Addit porro idem Waddingus ad annum MCCCXV, num. II; fateturque denuo ingenue, majorem et potiorem partem *quem etiam sui patroni quidam frigide defendunt.* earum propositionum, quas in suo Inquisitorum Directorio Eymericus descripsit, in Lulli operibus (genuinis, an spuriis non explicat) saltem quoad substantiam reperiri: « Quarum nonnullæ duriores et » crassiores sunt, quam ut eas communis Theo- » logorum Schola admittat, aut sine censuris elabi » permittat: » Nimirum, quod rudi Minerva, stylo inconcinno,

AUCTORE J. B. S.

A inconcinno, barbaro sermone, ita Lullus quædam enuntiet, ut Scholarum placitis, methodo et phrasi, non ita facile adaptentur. Simili fere modo loquuntur pauci alii, qui nec Lulli sectariis, nec ejus impugnatoribus accedentes, de ejus doctrina sentire se aiunt et mitissime et moderatissime.

licet sua omnia Ecclesiæ judicio subjicientem,

4 Illud quidem verissimum est, prætensos eos errores, qualescumque demum fuerint, obesse non posse, quo minus vir, fidei Catholicæ zelo ardentissimus, et profuso sanguine assertor illius egregius, locum sibi debitum inter Sanctos occupet, postquam plurimis suorum librorum locis persancte profitetur, se scripta sua omnia submittere corrigenda *Ecclesiæ Romanæ Sacrosanctæ, tamquam fidelis Catholicus Christianus.* Hæc apud Vernon pag. 186, 187 et 188, non semel repetit. Unum ex multis exemplum appono ex libro Clericorum, finito, anno 1308, in civitate Pisana, in monasterio S. Dominici; ubi ita loquitur: » Si in hoc libro, aut » in aliis omnibus, qui a me prodierunt in publi» cum, quidquam forte, nimia mentis abundantia, » aut inadvertentia contigerit me dixisse, quod a B » veritate sanctissimæ fidei Catholicæ declinet; » dictum fateor ignoranter, non addictus in mea » verba jurare; quin imo hunc libellum et reliquos » omnes, quos permultos feci, humillime a sancta » matre mea Ecclesia submitto emendandos. » Hujusmodi professionem fidei et submissionem Ecclesiæ judicio, ab omni saltem formali errore B. Raymundum eximere, nemo est qui dubitet. Adde his octodecim alias relatas a Custurerio pag. 192, 193, 194 et 195; et vide quam nullo suo merito Beatus noster hæreticis accenseatur.

sub falso supponitur damnatam esse ejus doctrinam,

5 Neque enim audiendus Ezovius, aut ejus defensor Nicolaus Jansenius post Judocum Coccium, falso supponens et nusquam probans, ab Alexandro IV Pontifice damnatos Lulli errores, circa annum MCCLX: tum nempe, cum seculo adhuc immersus, de scribendis libris necdum cogitasset. Quo ex falso supposito inferunt Lulli adversarii, hæreticum eum dici posse, quem constet errores ab Alexandro IV condemnatos nusquam revocasse. Sed hæc suo loco discutientur. Jam vero cum in urbe natali Majoricensi, et pro Sancto semper habitus, et ut talis erectis aris, radiatis imaginibus, titulis, officiis, signisque aliis exornatus, clarusque miraculis, ab ipso fere vitæ exitu deprehenderetur; extenso etiam ad alias regiones cultu ejus, celebratissimaque, C apud Arragonios præsertim, prodigiosi hominis memoria; quid vetabat tam præclaras virtutes inter alia Sanctorum Acta collocari? Verum ut hæc a Lulli patronis speciose circumferrentur, deerant nobis instrumenta nonnulla, quibus cultus ille ab immemorabili (ut aiunt) durasse, in urbe Majoricensi et alibi, legitime probaretur: quibus deficientibus, temerarium videri potuisset, adversus Scriptorum, Lullo obluctantium, torrentem velle eniti.

nec satis probatum cultum:

sed utrumque scrupulum excussit,

6 Exemit tandem scrupulum edita anno MDCC Majoricæ, sermone Castellano, Lulli Apologia, seu *Dissertationes Historicæ* binæ; altera *de cultu immemorabili B. Raymundi Lulli, Doctoris Illuminati et Martyris;* altera *de immunitate a censuris, qua gaudet ejus doctrina;* auctore Jacobo Custurer, Societatis Jesu Theologiæ Professore; egregiis plurimum Doctorum, non tam censuris, quam encomiis prædicatæ. Nec id immerito: etenim collegit illic Scriptor, accuratus juxta ac diligens, quidquid ad Vindicias Lullianas potissimum conferre potest, tanta ingenii perspicacia, maturitate judicii et pondere rationum, ut nutantes nos impulerit, ad Raymundi Vitam omnino illustrandam. Ceterum fidem ejus et auctoritatem, tametsi plurimi faciamus, ibi tantummodo ea utendum putavimus, ubi instrumentorum defectu antiquiora scrutari alibi non licuit, quæ interim ab ipso diligentissime referuntur. Hic vero D priusquam Acta Lulli examinanda suscipimus, et implexam undequaque controversiam accuratius examinatam Lectori proponimus; ea præmittenda sunt, quæ probando cultui sacro, immemorabiliter Raymundo exhibito, sufficiant; subinde addendo quæ ad ejus Vitam, quæque ad doctrinam ab hæreseos suspicione vindicandam, pro instituti nostri ratione, opportuna videbuntur.

Jac. Custurer S. J.

§. II. *Cultus sacer B. Raymundo ab olim exhibitus, cum Officio et Missa.*

Cultum ut Sancti ab immemorabili.

Probat et fuse confirmat immemorabilem venerationis Raymundo exhibitæ cursum, prælaudatus Custurerius, tota Dissertatione prima, per sex longissima Capita: quæ dubitationem prorsus nullam reliquam faciunt, quin in urbe et toto regno Majoricensi, a pluribus seculis, imo ab ipso ejus obitu, ea omnia beato Martyri exhibita fuerint, ex quibus hujusmodi cultus solet demonstrari. Singula enumerare, nec vacat, nec opus est; ut tamen ex mul- E tis delibemus pauca, iis cursim indicatis, quæ a testibus, instrumentis, et historiis vulgo desumuntur; illa referemus potissimum, quæ ad externa, et magis publica venerationis signa pertinere solent. Porro quemadmodum a Carolo Bovillo, in Vita postmodum illustranda, et anno MDXI scripta, Patroni agnominis vice, amico cuidam qui Raymundus vocabatur, adscribitur; et a Nicolao de Pax, in altera Raymundi nostri Vita, MDXIX edita, *Divus Doctor Illuminatus et Martyr*; imo et jam tum urbis Majoricensis, cum Sancta Praxede Protector appellatur; ita in Ferdinandi Catholici Regis privilegio, MDIII, Februarii XXI, scholæ Lullisticæ concesso; ita in gemina donatione Beatricis de Pinnos, altera XXIII Septembris MCCCCLXXVIII, altera VI Aprilis MCCCCLXXXIX, *Divus Magister* et *Divus Martyr;* rursus in instrumentis pluribus, ibidem a Custurerio relatis, *Divus Doctor Magister Raymundus; Beatus, Gloriosus*, et aliis ejus generis titulis, passim insignitur.

non solum diplomata Principum probant,

sed etiam adversarii agnoscunt,

8 At vero ea honoris et sacratioris cultus indicia, longi temporis duratione Raymundo tributa fuisse, adeo ut ab usque viri sancti obitu repeti debeant, non alio ex testimonio liquere melius potest: quam ex unico illo et peremptorio, quod ex infesti maxime Lullo adversarii ore depromitur; dum inter articulos, Raymundi discipulis objectos, Directorii parte 2 quæstione 9, hunc collocat ordine duodeci- F mum; *Quod Raymundus prædictus est in cœlis Beatus, et pro tali habendus a suis sectatoribus, et nominandus.* Hæc nimirum, annis non plus quadraginta aut quinquaginta, post sancti Martyris obitum a Majoricensibus vulgata sunt, et procul dubio etiam antea, pleno ore circumferebantur; quo ex tempore gloriosam illius memoriam perseverasse, in Processibus, ad Canonizationem MDCXII ample institutis, abunde ostensum demonstratumque plane testantur, laudatæ jam a nobis vindiciæ.

nec non jurati testes in Processu ad Canoniz.

9 Testes non recenseo, ibidem magno numero citatos, quorum legitimis depositionibus, in eodem Processu ad Canonizationem, conficiebatur, » longissima ætate Raymundum Lullum, habitum ut » virum, corporis afflictationibus maxime deditum; » vitam egisse admirabilem; cultum semper cele» bratumque ut magnum Sanctum; quoque publi» cum esset et notorium, ope ejus Reliquiarum, et » oleo ex ejus lampade hausto, Deum multa mira» cula fuisse operatum ». De his signis agendi locus recurret; ad alios autem testes quod attinet, consuli potest prædicta Dissertatio prima, cap. 4. a §. 12


S. LULLUS
B. RAYMDUS
S. ELISABET

A §. 12 : cujus Dissertationis caput 5, manipulum bene magnum miraculosarum gratiarum nobis dabit, ex Majoricensis linguæ MS. ejusque interpretatione Hispanica, Latine reddendum, exhibendumque infra post Vitas Anonymi, Bovilli et Nicolai de Pax. Neque vero opus est singula prisci cultus argumenta pertexere, qualia ex instrumentis juridicis, debite confectis, virorum provectæ ætatis habentur, quorum testimoniis de istarum rerum antiquitate statuatur. Ea reperire est in præfatis Processibus, loco citato et alibi; de quibus nonnulla subinde opportunius commemorabimus, cum iis, quæ, probatissimæ notæ, historicis monumentis undequaque vulgata, recitari potius, quam longiori oratione colligi a nobis convenit. Ea nunc videamus, quæ ad totius rei summam satis superque esse possint.

Eumdem probant imagines et statuæ etiam in altaribus :

10 Imagines imprimis statuæque et icones antiquissimæ, radiis ornatæ ; aræ et capellæ ; picta hujusmodi monumenta alia, Lulliani cultus perennitatem aperte comprobant. Certe redditos ab omni memoria B. Raymundo solenni ritu honores sacros, adeo Majoricæ est pervulgatum, ut ad canonicam Apotheosim ei nihil desit, præter cultus amplitu- B dinem et Officium ecclesiasticum, orbi Catholico aut concessum aut injunctum. Nam quod in Raymundi honorem aliquando recitatum novimus ; id ad solos Franciscanos Baleares fuisse restrictum, inde fit verosimile, quod in nullis Breviariis, diœcesi Majoricensi communibus, reperiatur. Sed et illud non minus verosimile, Beatum nostrum Officio canonico cultum olim fuisse a prædictis Religiosis, sacri corporis possessoribus, ex concessione Leonis X. Rem ut certam asserere non audeo, quod mihi ad manum non sit liber *Sanctæ Academiæ perfectionis*, impressus Lugduni in fol. apud Laurentium Arnaud et Claudium Rigaud MDCLVII, in quo (teste Joanne de Aubri, Montispessulano Presbytero, Abbate B. V. de Assumptione, apud Custurerium :) in quo, inquam, libro exstat de præfata Pontificis Bulla testimonium, quasi concessa fuerit facultas, et Missam et Officium de B. Raymundo celebrandi, nisi credere mavis, vivæ vocis oraculo factam ejus generis concessionem. Ceterum insignis viri auctoritatem in medium protulisse tantisper sufficit : neque enim alii desunt fide dignissimi, ex quorum relatione abunde evincitur, Officium in ejus honorem C fuisse celebratum, cui et Missa accessit, aut propria Oratio, aut saltem de communi SS. Martyrum non Pontificum. Unum omnium instar habe testimonium apud Custurerium, Dissert. I, cap. 4, §. 21, desumptum ex jam citatis Processibus anni MDCXII.

Missaque et Officium Minoribus concessum,

cujus exemplar ex libro, apud Prædicatores servato,

11 Instrumentum ut jacet transcribimus. » Die » II mensis Decembris anni prædicti MDCXII. Dictis » die et anno, de mandato suæ illustrissimæ et re- » verendissimæ Dominationis, et ad instantiam » Magnificorum Patrum Juratorum præsentis Civi- » tatis, Universitatis et Regni Majoricarum, per- » sonaliter constitutus, ego Antonius Solivelles, » unus ex scribis Curiæ ecclesiasticæ et præsentis » causæ scriba, intus bibliothecam monasterii et » conventus S. Dominici, Ordinis Fratrum Prædi- » catorum prædictæ civitatis ; assumptoque manibus » meis libro, in dicta bibliotheca invento, et ibi cu- » stodito et reservato, impresso in inclita civitate » Valentiæ, anno salutis Christianæ millesimo » quingentesimo sexto, ultimo Kal. Martii, intitu- » lato Ars Metaphysicalis naturalis ordinis cujusli- » bet rei intelligibilis, arboris naturæ, Reverendi » Doctoris, præclarissimi Magistri Jacobi Januarii » Monachi, Tarracon. Diœcesis, pro senioribus ju- » nioribusque etc. cujus libri tabula sic incipit. » Tabula primi libri Metaphysicales (*voluit dicere,* » Metaphysicalis) de generalitate principiorum ge- D » neralis artis Raymundi, Doctoris Illuminati fol. 1 » de Alphabeto etc. fol. 2. Epistola reverendi Ma- » gistri etc. fol. 3.

AUCTORE J. B. S.

authentice profertur,

21 » Officium gloriosissimi et beatissimi Marty- » ris Raymundi Lulli fol. 281. Cujus folii tenor sic » habet : Officium gloriosissimi et beatissimi Mar- » tyris Raymundi Lulli, qui passus est pro Christi » nomine in Tunici (*lege* Bugiæ, *ut postea dicetur*) » civitate, et lapidibus corruit, et sic lapidatus est » a Saracenis : et translatus post mortem Majoricis, » et ibi quiescit in pace Ecclesiæ, in Monasterio » Fratrum Minorum, in quadam tumba marmorea » honorabiliter et ibi multa miracula fecit, ratione » cujus meretur ab Ecclesia canonizari ; quia testi- » monia suæ sanctitatis satis sufficiunt ad canoni- » nizandum ipsum Doctorem et Martyrem. Ad » VESPERAS Responsorium, et Antiphona ad MA- » GNIFICAT. Raymundus, pretiosæ laudis abundus, » Doctor profundus, regnat sine fine jucundus ; » et collaudabunt multi sapientiam ejus, et usque » in seculum non delebitur nomen ejus. VERSUS. » Ora pro nobis B. Raymunde etc. ut digni effi- » ciamur promissionibus Christi. ORATIO seu COM- E » MEMORATIO. Deus qui pro mundi hujus tenebris » illustrandis, B. Raymundum Martyrem tuum » doctrina mirabili tuæ sapientiæ illustrasti ; præ- » sta Ecclesiæ tuæ, ut ejus illustrata doctrinis, » propulsis erroribus et tenebris vitiorum, per viam » virtutum incedat ; et ad te memorandum, intel- » ligendum et amandum convalescat ; et pro nobis » sit intelligentiæ, sapientiæ, scientiæ atque elo- » quentiæ perpetuus intercessor. Per Dominum no- » strum etc. »

13 Hæc eo præcipue dicta sunt, ut appareat quam longi temporis diuturnitate, et Sanctus et Martyr Raymundus apud suos audierit : quidquid interim statuatur de ea, quam hic moveri posse video, quæstione, quamque solutam invenies apud Custurer : quamdiu nempe Majoricæ tale Officium a Fratribus Minoribus fuerit usitatum ? quando inductum fuerit? duraveritne ad usque Romani Breviarii reformationem? Ut ut est, et pro Officio et Missa Lulli propriis, præter Vincentium Mut, Illustrissimum Corneio, aliosque, stat diserte Bonaventura Armengual, in suo Archielogio, anno MDCXLIII edito ; » Devotis- » sime, inquiens, in diversis anni diebus Lullo festa » celebrantur ; et dicitur, obtinuisse nostrates Bul- F « lam a Leone X, ut in die ejus gloriosi Martyrii, » Officium et Missam propriam celebrare possent.» Quid fieret anno MDXLI, testatur epitaphium elegantius, antiquiori et magis barbaro superadditum, ubi ita canitur :

et consonat epitaphium.

» Cinerique beato
» Ponuntur sacris thura cremanda focis.
» Huic igitur tyria spectandus veste Sacerdos,
» Concelebret laudes nocte dieque pias.

Sed huc nos tulit digressio longior, occasione Officii et Missæ in honorem Lulli celebratæ ; quibus accedere possent festivitates aliæ, solennius institui solitæ, ære publico in eum finem destinato ; nisi ea expedienda essent primum, quæ ad signa attinent, de quibus jam supra loqui cœperamus.

Imagines cum radiis ab an. 300,

14 Illud in comperto est, Raymundo externa omnia sanctitatis signa Majoricæ, olim et hodie deferri constanter solita, quæ Beatis, ab Ecclesia universali receptissimis, exhiberi consuevere. Imago ejus, radiis circumfusa, aliis Sanctorum prærogativis donata, in præcipuis quibusque urbis illius templis, seu picta seu sculpta, populi venerationi exponitur, et exposita pridem fuit ab usque seculo XIV ; ex quo minime dubia cultus immemorabilis monumenta

AUCTORE J. B. S.

in ecclesia Cathedrali uxta Deipa- m

A monumenta quasi sponte promanant. Et primo quidem, in ipso Cathedrali templo Majoricensi, in sacello quod Conceptionis nuncupant, exstat Lulli effigies perantiqua, depicta in tabula, radiisque ornata; ne vero de cultu sacro dubites, eo loci collocata est, ut, cum medium teneat imago B. V. Mariæ, partem alteram S. Franciscus Assisias, alteram Raymundus occupet, ipsæ circumstantiæ aperta venerationis indicia præ se ferant. Est et præfixa effigies eadem, radiis itidem illustris, in scuti forma, super porta repaguli, quo clauditur sacellum B. Virginis de Corona. Quid multa? Ipsis in scutellis, quibus eleemosynæ corrogantur, et in cathedrali et in ceteris totius urbis ecclesiis; ipsis, inquam, in scutellis præfertur radiata Raymundi imago, velut ad incitamentum, ut populares sui liberaliter conferant, quæ ad sumptus Canonizationis, jam a seculo et amplius postulatæ, desiderabantur; idque jussu Illustrissimi Joannis de Santander, ut constat ex ejus decreto, dato XXX Julii MDCXXXVIII; affixis etiam per templa programmatis, quibus causæ Lullianæ Procuratoribus facultas conceditur, hoc de argumento ad populum nonnumquam verba faciendi.

in scutellis eleemosynarum pro Canonizatione;

B

in Parochiali tribus locis,

15 Habet insuper sua Raymundus cœlestis honoris signa, in primario civitatis parochiali templo, vulgo, S. Eulaliæ: in quo, tribus diversis locis, imago exposita est, ubique radiis suis insignis. Prima visitur in capella S. Catharinæ Martyris, secunda in altari B. Virginis Pietatis, tertia in sacello Conceptionis, ubi depicta est in pariete. At nusquam splendidiora effulgent Lullianæ venerationis indicia, quam in templo S. Francisci, deposito scilicet illic venerabili Corpore. In ipso altari principe, loculis quinque distincto, grandiores eminent statuæ; quarum primæ quatuor referunt Sanctos, videlicet S. Franciscum, S. Joannem Baptistam, S. Joannem Evangelistam, S. Onuphrium; quinta beatum Raymundum, reliquis par, et quantum ad ornamenta, omnino similis. Est et superimposita pictura Lulliana, in limbo deaurato, ubi exhibetur adorans puerum Jesum, brachiis beatissimæ Matris præsentatum. At vero minoris hæc momenti videri poterunt; si cum Sacello conferantur, beato Martyri, in præfata Franciscanorum ecclesia consecrato. Omnia illic pretiosa et elegantia; Architectura pro sua vetustate non exigui nitoris, ordinis corinthiaci et compositi, limbulis deauratis, anaglyphis, aliisque decoramentis nitide interstincta. Hic suum Lullo altare, in quo Missa celebratur; hic statua, hic ardens lampas, hic omnia quæ Sanctis exhiberi possunt, venerationis argumenta. De his porro juvat loquentem audire, non jam Majoricensem aut Lulli asseclam, sed virum religiosum, a partium studiis quam remotissimum. Nitor fide Patris Vernon, in Vita Lulli edita MDCLXVIII antea citata: sumpta vero sunt ex Itinerario Persico P. Pacifici de Provins Cappucini, a pag. 395 editionis secundæ anni MDCXLV. Sic habet, inter alia, de rebus Majoricensibus, eo in itinere a se observatis, apud Vernon pag. 219, quæ ex gallicis latina facio.

et in Franciscana super altari proprio,

C

cum omnibus ornamentis, sanctitatis.

(sicut ea an. 1645 videt Fr. Pacificus Capucinus)

16 » Quod tertio loco, inquit, examinavi curio» sius, illud gratissimum fore confido, et doctrinam » et pietatem profitentibus: agitur enim de viro » sancto, eoque inter mortales celeberrimo; quem » doctissimi quique Galli hæreticis annumerant, » quemque ego hactenus, ut candide dicam, meliori » loco non habui: Raymundum Lullum nomino, » cujus est Ars magna scientias omnes perdiscen» di. En tibi quæ Majoricæ de eo didici. Rem sa» cram facturus conventum petii Patrum Minorum, » a quibus in sacellum deductus sum, ad latus al» taris majoris; tam affabre elaboratum donisque » locupletatum, ut totum aureum videretur. Obstu- D » pui profecto; idque tum maxime, dum oculos pau» lulum erigens, loculum in altari adverti, quem » occupabat statua lignea elegantissima, coloribus » variegata, senem referens venerandum, promissa » barba, indutum habitu Tertiariorum S. Francisci, » elevata facie Crucifixi intuente imaginem, cum » Beato viro ex sole in arbore colloquentem, adjun» cta hac ad imum ipsius statuæ aurata epigraphe, » BEATUS RAYMUNDUS LULLIUS (*addere debuit*, MAR» TYR). Perculit me inopinatum spectaculum: ve» rum id statim exemit scrupulum, quod ita cogi» tarem; Hic, ubi regnat Sacræ Inquisitionis tri» bunal, nequaquam Sanctos inter locum occuparet » homo ille, si vere esset hæreticus.» Huc usque Pacifici Itinerarium, iis prætermissis quæ de Lulli Martyrio memorat, de Schola, in ejus honorem instituta, aliisque infra commodius illustrandis. Neque ego reliqua enumero sacelli illius ornamenta, pretio non minus quam varietate conspicua; cum jurato Architecti ipsius testimonio palam sit, totam eam fabricam plusquam quinque millibus librarum Majoricensium, hoc est, quatuor prope millibus Scutorum romanorum, constitisse. Descriptionem supplebit expansus iconismus, ad me Majorica trans- E missus, in quo totius operis ornatus tam accurate exprimitur, ut oculis facile legi et colligi possit elegantissimi altaris, spectanda non minus, quam laudanda magnificentia.

impendio 4000 Scut. curatis.

§. *III. Mausoleum insigne, Epitaphia duo, aliaque constantis cultus argumenta.*

In Mariano apud Franciscanos sacello positum Mausoleum,

Præ ceteris monumentis, celebre est hoc ipso in templo, Sancti sepulcrum; non in altari, quo de jam egimus, (ut perperam retulit prælaudatus Pacificus,) sed in vicino sacello, quod aliquibus B. Virginis de Consolatione, aliis de Puritate, aliis de Conceptione placuit appellare. Utcumque vocare libuerit, assurgit ibi ad sinistram, sive ad cornu Epistolæ, machina vetusti et artificiosi operis, cujus hic etiam schema proponere visum est, ut facilius intelligantur quæ explicatione aliqua fortasse indigent. Basim exornant parerga varii generis, ævum suum redolentia, seculum nempe XV; quo jam adulto, certum est fuisse elaborata, inchoato opere a Magistro Joanne Lobetio, anno MCCCCLX vita functo. Busta septem, suis quæque characteristicis distincta, vicem stylobatarum subeunt, *quæ signorum practicæ scientiæ et speculatricis oneri ferendo sunt destinata*: verba sunt Processus anni MDCXII pag. 649. Altitudo loculorum palmos continet circiter octo Majoricenses, ex quorum superiori parte emergentes genii coronam ostentant, statuis singulis destinatam; cum inscriptione liberalium Artium, eo ordine dispositarum, ut ducto ab Altari ordine, prima occurrat *Grammatica*, inde *Logica*, *Rhetorica*, *Arithmetica*, *Musica*, *Geometria*, *Astrologia*. Hactenus fabrica, urnæ ipsi sepulcrali quodammodo substructa, altitudine palmorum ferme undecim.


erectum sec. 15.

F

perfectum circa 1490,

18 Dehinc in pariete apertus patet loculus, capellæ speciem referens, in cujus summitate vestigia apparent insignium Regni Majoricensis, quorum colores vetustas adeo exedit, ut non omnino dignoscantur. Id vero ex ipso Archivo civitatis legitime conficitur, eam fabricæ partem publicis sumptibus fuisse erectam, inter annum MCCCCLXXXVII, et MCCCCXCII. Quæ ad loculi latera vides busta gemina, stylobatæ et ipsæ sunt, statuis aliis præparatæ. Alterum Gothicam hanc epigraphen exhibet, *Dispositor sum sanitatis*; manifestum, si usquam aliud, beneficiorum, ejus meritis impetratorum, indicium. Quid in alio positum fuerit dubium est.

Verosimile


Tom. V. Junii pag. 637
LOG
RET
ARIT
GEOM
AST
Senatui populoque Maioricensi hoc insigne
B. Raymundi Lulli Martyris monumentum D.D.C.Q.J.B.S

AUCTORE J. B. S.

A Verosimile tamen, fuisse aut palmam, aut alia quædam martyrii symbola.

cum ardente ante urnam lampade,

19 Ex interiori loculi illius parte venerationem spirat Urna marmorea ex alabastrite elegantissime elaborata, impositaque basi, cujus frontem exornant scuta tria gentilitia, Regis Catholici Ferdinandi, Majoricensium, et familiæ Lullisticæ; sed lapsu temporis adeo deleta, ut vix, et nisi cominus, colores aureaque decoramenta deprehendi queant. Nunc Urnam ipsam intueamur. Partem extimam vestit labor anaglypticus, Beatum exhibens funebri habitu, radiis tamen insignem; cui et alia superadditur, more antiquo animam referens, et ipsam radiatam, ab Angelis in cœlum deportatam. Loculus totus sipariis clauditur. Candelabris cereos imponit frequens populi erga Sanctum devotio et concursus: maxime vero ad lampadem recurritur, eum in finem adeo depressam, ut ex ea oleum desumi possit. Audiatur instrumentum authenticum, confectum V Novembris MDCXIV. « Ardet continuo « lychnus coram sepulchro, eo laxato fune, ut vel « puellæ puerique septennes oleum inde assumere « valeant, cum voluerint; cui apposita est congrua

unde petitur oleum, agris salutare,

B « patella, cum exiguo vasculo, quibus haurit oleum « quisque perquirens illud, tamquam amuletum sin« gulare; atque ita haurit, ut sive festis diebus sive « negotialibus, negotium dicas in lychno. » Tabellas votivas, argentea donaria, et hujusmodi plura satis est nominasse. Multa deesse testatur Custurer, pauciores item lampades; cum ex tribus argenteis unica conflata fuerit, quæ in sacelli medio appenditur.

ut testantur crebra istic anathemata.

20 Ceterum de anathematis et salutifero oleo, ita loquitur præfatum instrumentum. « Ex quo fit, « ut qui per oleum salutare sunt in pristinam va« letudinem restituti, juxta præteriti morbi quali« tatem gratulabundi, variis ac plurimis donis B. « Raymundi sacellum identidem ornent. Inde quam « plurima pendent, tum cerea tum argentea capita, « oculi, colla, brachia, manus, ubera, corda; quæ« dam item fasciæ, quæ hernia laborantes, viri « sancti auxilio, indicant sanitate donatos; crura, « pedes, singula divisim, conjunctim capita et colla; « a capite ad renes usque membra omnia, crura « cum pedibus; denique expressa totius corporis « membra. Votivarum deinde tabellarum, scipio« num, quibusque innituntur claudi baculorum, ea « est vis et multitudo, ut iis sacelli parietes, non

C « minus undique vestiantur quam ornentur. » Extant præterea binæ aliæ imagines in eodem sacello, solitis Beatorum ornamentis præditæ.

Epitaphium vetus.

21 At prætermitti non debet Raymundi epitaphium antiquissimum, litteris gothicis (ut vocant) insculptum marmori, affixo in prospectu parietis ipsius sepulcri.

Hic nitidum tumulus retinens est corpus ad intra,
Raymundi magni fulgentis nomine Lulli,
Moribus insignis: sunt nuntia climata mundi,
Et sua scripta ferunt: fuerit quis clarior illo
Majoricis, ortique domus testantur, et omnes.
Urbs fuit, et Domina Balearum Regia magna.
Hunc tres ætates primæ tenuere lascivum;
Verum postremæ perfectum constituerunt:
Cum Christus lectum cunctis patefecerat illum:
A vanis mundi convertens ad sua sancta,
Atque docens prompte natura quod exigit omnis:
Et quæ secreto naturaque mira creavit.
Hic bonus, electus Christum ferventer amando,
Barbarus ex illo tactus pergendo popellus,
Demonstransque Deum Christumque virumque fuisse,
Atque Redemptorem lapsi primique parentis.
Barbarus obaudit, insultans surgit in illum;
Et feriunt lapide; fit vitæ terminus illi.
Cernite Raymundum, Patres, hunc recolite vestrum,
Vestrum concivem, decus et prænobile vestrum. D

Franciscus Ximinus Canonicus Majoricensis.

Eo descripsi inconditos versus, quod sua barbarie procul dubio seculum XV redoleant. Aliud brevius trium versuum infra num. 45, repertum post primigeniam Vitam, quo significatur Lullus obiisse anno MCCCXV, missum facio; quia eo, non tam viri sanctitas, quam doctrina laudatur.

Aliud recentius,

22 Juverit et aliud recentius adjungere, Minervæ paulo cultioris.

inducens Phœbum et Calliopen;

RAYMUNDI LULLI TUMULUS,
in quo PHŒBUS ET CALLIOPE COLLOQUUNTUR.

PH. Unde hæc, variis vernantia prata napæis,
Sanctula plus solito nunc mihi visa Soror?
Dissimilis tu, Chara, quidem: arridere videntur
Hæc loca; tu lacrymis ora verenda rigas.
CAL. Lullus habet tumulum; sacer est locus; intus in altum
Assurgunt nitidis lilia cum violis.
Balsama odora rogo spirant, cinerique beato
Ponuntur sacris thura cremanda focis.
P. O Lapis, ante alios totum venerande per orbem!
O Lapis! o quantum quantulus intus habes;
Huic dederat (cognorat enim) Deus ille merentem E
Quidquid erat Sophiæ, quod fuit; idque genus.
Scilicet indicium tantæ virtutis; in urna
Tot natæ hac violæ, totque fuere rosæ.
C. Diis satus iste fuit, divino lacte nutritus,
Sedibus ut Superum maximus esset honos.
Non genio indulsit, lapsis florentibus annis;
Otia propellens, luxibus hostis erat.
Mystica divinæ Legis reseravit: eidem
Et pietas, mentis simplicitasque fuit.
Nequitiam fugiens obnoxia crimina vicit;
Atque egit puros, purior ipse dies.
P. Nec contentus eo (tantus fuit ardor in Altum)
Non timuit pœnas Martyr adire graveis.
Pro quo ejus (sed vos Nyobœum pandite marmor)
Et manes Christus, forsan et ossa tenet.
C. Labenteis acies, Christi virtute potenti
Extulit, hostileis non metuendo minas.
P. Alma fides, pariterque sui Crux alma, verendo
Pro galea in capitis vertice, semper erant.
Ille pios refovens, lymphata mente profanos,
Veridico in rectos verterat ore viros:
Sicque viam ætherei multis patefecit olympi,
Quos niger in rapidis orcus haberet aquis. F
C. Hinc adiit Superos, mediis tumulandus in astris.
Ut rutilans media fundat ab arce jubar,
Huic igitur tyria spectandus veste Sacerdos
Concelebret laudes nocte dieque pias.
Dic pia verba, rogo; cineres nec temne, Viator;
Sic tibi contingat talia verba cani.
P. At nos, cara Soror, colleis linquamus et antra,
Divo et cantemus carmina multa viro.

Lulli sanctitatem laudantes.

FINIS.

Auctoribus Joanne Genovardo et Augustino Andrea, Balearibus adolescentulis. Nono Kalendas Octobris, anno a natali Christi MDXLI.

Desumpta hæc sunt, teste Custurerio, ex sæpe citato Processu anni MDCXII fol. 653. Plures hujusmodi Elegias et Odas, in Lulli honorem compositas, qui legere voluerit, adeat Vernonum, a pag. 301 ad 312.

Altare apud Trinitarios.

23 Inter cetera cultus Lulliani monumenta, longam præfert vetustatem, quod conspicitur in sacello sanctissimæ Trinitatis, ecclesiæ Sancti Spiritus, apud Patres Trinitarios, ut manifeste exhibet altare ipsum antiquissimi operis, hic in æs incisum, et lectoris oculis expositum. Supra diximus, Raymundum

A dum ejus aræ latus occupasse, in cujus altera parte S. Franciscus Assisias erat collocatus ; jam vero cum Magno Antonio collatus, quid aliud indicat, quam quod Majoricæ, non minus communis, quam antiqua fuerit de ejus sanctitate hominum opinio ? Sane etiam in eodem altari repetita effigies, radiis conspicua, et zelum in annuntiando Mauris Evangelio, et toleratum pro fide martyrium repræsentat. Porro monasterii illius Religiosi testantur, audivisse a senioribus jam defunctis, cum prodiisset Bulla Urbani VIII, cultum omnem exhiberi prohibens viris non Canonizatis aut Beatificatis, nisi ab immemorabili hujusmodi cultus duravisset ; testantur, inquam, loci Inquisitorem, cognita imaginum istarum antiquitate, signisque adeo patentibus, pacifica in possessione omnia reliquisse.

in quo sculpta B. Lulli Acta ;

24 Multa prætereo, quæ longum foret sigillatim enumerare, venerationis antiquæ vestigia, tota passim urbe et insula Majoricensi impressa. In altari S. Honorati, apud sanctimoniales beatæ Margaritæ, spectabilis itidem est Lulliana imago, radiis suis decorata. In aula Universitatis, non effigies solum veneranda proponitur, sed et ibi altare visitur Raymundo sacrum ; ardet lampas, Missæ celebrantur. B Nullus populi frequentia notior locus propylæo S. Antonii : ibi porro et radios suos Raymundus habet, et quæ in ejus honorem ardeat, lampadem alteram. Mitto alia urbis loca, monumentis Lullianæ sanctitatis insignia ; uti et reliqua insulæ totius oppida, in quorum singulis illustria apparent cultus antiquissimi indicia; neque enim opus est ea procul accersere, cum receptissimo jam usu passim imagines prodeant in æs incisæ, in quibus Raymundo tribuuntur omnia sanctitatis ornamenta, plerumque cum expressa Ordinarii licentia, adjunctis Antiphona, Responsorio et Oratione, ex antiquo Officio desumptis; atque in tabella, ad ejus sepulcrum, publicæ devotionis commodo, asservatis. Beati titulum vix ullus Sanctorum obtinet frequentius, tum in thesibus, tum in concionibus, tum in libris editis, tum denique in actis aliis, etiam de Episcopi auctoritate promulgatis.

alibi alia, cum frequentibus Missis.

25 Est et alia cultus immemorabilis nota non infimi ordinis ; primum in eo cubiculo, ubi sub ipsis conversionis initiis Christus Crucifixus Lullo apparuisse dicitur; deinde in celebri monte Randa, aspero vitæ genere, variisque pœnitentiæ Raymundianæ exercitiis apud incolas notissimo. Utrumque C locum fidelium pietas Deo dicandum censuit, extructis oratoriis, in quibus celebrantur Missæ, aliaque religionis exercitia : sed ea potissimum elucent, quæ ab hominum memoria Raymundi sanctitatem, indigenis fuisse persuasissimam, ostendunt. Quin et illud memoria dignum narrant Vincentius Mut et Fr. Bonaventura Armengual , apud Custurerium his verbis : «Ad ejus specum, circa Monticuli juga « positum, et ab eremitica domo de Miramar ad « primum lapidem situm, in quo quietis et somni « causa manebat; animalia post ejus mortem acce- « dunt, ab ingressu se abstinent, et quasi illum « venerantes recedunt ; quod sæpissime videntes « illius loci accolæ admirantur. » Addi hic potest, in sæpe citatis Processibus, locis quam plurimis, testimonia adduci, asserentia, Reliquias B. Raymundi nostri frequentius ab ægris expeti, quam ulla Sanctorum aliorum lipsana. Nimirum, mandibula ejus, argenteæ thecæ inserta, ex sacristia Franciscanorum, solet ad infirmos deferri ; multisque claret miraculis ; ut, non solum vulgi fama, sed multis testimoniis est demonstratum.

Locorum, ejus causa memorabilium, veneratio.

26 Quod hic de Reliquiis dicitur, ab omni hominum genere vehementer expetitis, imo præ aliis Sanctorum lipsanis ; idem asserunt jurati testes religiosi viri de Missis, quæ in ejus honorem fieri jubebantur : nempe, ut est in depositione juridica, de D nullo Sancto tot Missas ab externis desiderari, quam de S. Raymundo Lullo ; adeo ut diebus prope singulis quinque aut sex Sacra expetantur. Non memoro celebriores festivitates, olim et etiam hodie annuatim celebrari solitas: quarum prima solennior, facta dicitur anno MCCCCXLVIII ; tum scilicet cum sacrum corpus ex sacristia, in qua primum fuerat depositum, in sepulcrum proprium deportaretur. Alia, non minus solennis, accidit MDII ; eo potissimum quod certamina, de Lulli libris, Romæ et Hispali habita, felici exitu essent terminata. Subinde, ut jam dicebam, celebritas illa annue repeti cœpta est ; idque publico ære, in eum finem a Primoribus destinato ; nimirum libris quinquaginta Majoricensibus. Solet autem a Magistratibus celebrari dies obitus XXX Junii. Universitas vero diem sibi peculiarem delegit, Januarii XXV ; sumptibus, qui ante a sola Lulliana Schola fiebant, in commune Facultatum omnium onus reductis. Ceterum festivitati utriusque assistit Prorex, cum Episcopo, Juratis, Capitulo, Dominisque Inquisitoribus, præter Magistros et Doctores Facultatum omnium, et maxime Scholarum quatuor, Lullisticæ, Thomisticæ, Scotisticæ et Suaristicæ, omnibus ceremoniali E ritu et habitu procedentibus.

Reliquiæ ab infirmis postulari solitæ:

aliæ Sancti festivitates subinde institutæ,

quarum duæ annis singulis repetuntur :

27 Atque hoc quidem cultu pacifice gaudet, et olim gavisus est beatus Raymundus : sic ut Bulla Urbani VIII , semel atque iterum publicata, nihil omnino immutandum censuerint, aut Episcopi aut Inquisitores ; procul dubio nihil non moturi, si de immemorabili tempore non undiquaque constitisset. Patuit id nimis quam manifeste in aliis Dei servis, qui, licet quo tempore præfata Bulla edita est, Majoricæ magna essent in veneratione ; nihilominus, quod eorum cultus ostendi non posset immemorabilis, confestim abrogatus est. Tales erant, apud Patres Dominicanos, Venerabilis Pater Michael Bennassar ; apud Patres Franciscanos, Venerabilis Pater Raphael Sierra ; in Collegio Societatis Jesu Montis Sion, Venerabilis Alphonsus Rodriguez ; pluresque alii, a Custurerio enumerati. Quod igitur intactus perstiterit atque hactenus perseveret B. Raymundi cultus, aliunde provenire nullatenus potest, quam quod et Episcopi, et Inquisitorum Apostolicorum indicio, de cultus immemorabilitate, hoc est de centenario annorum numero, manifeste constiterit. Pauca hæc e multis sacri et perennis cultus F argumentis delibare oportuit, quæ alias a nobis non probanda sed supponenda sunt ; nequis forte præjudiciis abreptus, temere inter Sanctos Raymundum nostrum collocatum existimet. Innumera prope alia hujusmodi, ut ante monebam, et affert et solide deducit præfatus Custurerius, tota sua prima Dissertatione, ad quam eos remittimus, qui aut B. Lullo infensi, aut minus creduli videri voluerint.

nec in his ob decreta Urbani VIII quidquam immutatum,

tametsi multorum aliorum cultus propterea sit prohibitus.

§. *IV. De iis qui Beati Raymundi Vitam ex antiquiori scripserunt, post an.* 1400. *Illam Waddingus habuit, eruderavit Custurerius.*

In tanta Sanctorum multitudine, qualem Acta nostra exhibent, vix quemquam reperias, cujus res gestas tam multi, tam varii scriptores illustrandas susceperint. Id abunde probabit longus eorum catalogus, mox subnectendus. Quod vero hac in re admiratione dignissimum est ; tot inter Auctores inveni neminem, qui primigenia beati Raymundi Acta in lucem proferre ; paucissimos, qui ea, citare saltem aut appellare, in animum induxerint. Ea porro jam olim extitisse, vel ex eo perspicuum est, quod Lullistis,

Ex veteri, quæ olim extitit, Vita,



Sapientissimæ Academiæ Lullisticæ Maioricensi hæc Patroni sui immemorabilis cultus tam antiqua quam manifesta vestigia D. D. C. Q. I. B. S.

A listis, adversus Nicolaum Eymericum certantibus, imo ante earum contentionum initia, palam illi assererent, Magistri sui doctrinam cœlitus infusam, virum sanctum crederent, et in cœlis beatum, aliaque hujusmodi, ex quibus etiam obtrectandi materiam Eymericus arripuerat, ut ex ejus Directorio manifeste constat. Hæc autem non nisi ex Actis ejus; tum procul dubio notissimis; haberi potuisse nemo, opinor, ibit inficias. Erant igitur, et Lullistarum manibus eo tempore circumterebantur, ea vitæ monumenta, quæ subinde neglecta sunt, ubi ad solam de doctrina disputationem deventum est.

recentior una scripta anno 1511,

29 Præterea, quam certum est, Carolum Bovillum Samorobrinatem, primum fuisse, qui totam vitæ Lullisticæ seriem, ab Hispano aliquo acceptam, publici juris fecerit, transmiseritque ad amicum Raymundum Boucherium anno MDXI, et triennio post typis mandari primus curaverit; tam mihi videtur indubitatum, Acta alicubi manuscripta, ex quibus historiam suam Hispanus hauserit, asservari debuisse. Quis enim, obsecro, nisi temere, sibi persuadeat, virum probum juxta ac doctum, quidquam aut de suo fingere voluisse, aut vera a falsis discernere non potuisse. Hispanum autem quis suspicetur, B aliunde sua quam ex antiquis Commentariis desumpsisse. Sane Nicolaus de Pax, Patricius Majoricensis, in Vita, seu mavis Encomio, suo (ut loquitur) labore contexto, testatur, *authentica instrumenta* consuluisse se, et *memoriæ prodidisse, quæ de Raymundi nostri rebus, ex variis collecta locis, annotaverat;* adeo ut novam dumtaxat compositionem historiæ contulerit; quæ, non ipsum *scriptorem, sed disertissimum alium merebatur.* Unde mihi fit perquam verisimile, in tabulariis Majoricensibus ea monumenta fuisse deposita, ex quibus historici illi sua fideliter deprompserint; tametsi temporum injuria, dicam? an ipsorum Lullistarum incuria, nonnulla subinde periisse deprehendamus.

30 Jam nominavi præcipuos duos Lullianæ Vitæ scriptores; quorum auctoritate nituntur plurima, in decursu discutienda. Præcitatus Bovillus, amico Raymundo Boucherio, synonymum Patronum postulanti, Lulli Elogium submisit, anno (ut dicebam) MDXI, Junii XXVII; quale prodiit non multo post, ex

prodiit an. 1514:

typographia Ascensiana, nempe MDXIV; ipsumque deinde Benedictus Gononus, Monachus Cœlestinus, retulit in Vitas et Sententias Patrum Occidentis, C editas Lugduni MDCXXV; dignum certe quod et hic totum, inter alia Raymundi Acta, locum nanciscatur. Alteram Vitam, nunc etiam allegatam, collegit Nicolaus de Pax, Patricius Majoricensis, Archie-

altera an. 1519,

piscopo Consentino Nuntio Apostolico dedicatam, et typis datam Compluti MDXIX; de qua etiam suo loco pluribus agendum erit. Hos secuti sunt certatim alii, quos sat erit paucis indicare. Ludovicus Joannes Vileta, Canonicus Barcinonensis, egregius in Concilio Tridentino Lulli defensor, Artificio seu Arti brevi B. Raymundi Lulli subjunxit vitæ sy-

tertia an. 1565.

nopsim, impressam Barcinone MDLXV, Nicolaus Mellinas Juris consultus, concionem habuit *De miraculosa conversione, Vita et morte egregii Doctoris Raymundi Lulli*, excusam Majoricæ MDCV. Joannes

tum aliæ aliæque,

Segui, Canonicus et Pœnitentiarius Majoricensis, Vitam vulgaverat MDCVI, assiduus Canonizationis Lullianæ promotor, ejusque Romæ sedulus procurator. Gaspar Escolanus, Gesta Lulli inseruit Tomo I Historiæ Valentinæ, editæ MDCX, Lib. 3 a cap. 19. Etsi autem longum sit reliquorum omnium opera percurrere, nomina saltem describenda putavi; quod ad B. Lulli laudem non parum conferant, tot insignium scriptorum de ejus sanctitate et virtutibus testimonia. En ceterorum syllabum, nullo aut ætatis aut dignitatis servato ordine.

31 Antonius Daza, Chronicis S. Francisci addidit, quæ B. Raymundum spectabant, MDCXI impressionis Vallisoletanæ. Petrus Sanchez de Lizaraco, Andreas Libavius, Lucas Waddingus, Arturus de Monasterio, Bonaventura Armengual, Vincentius Mut, Ildephonsus de Zapeda, Auctor Academiæ perfectionis, Nicolaus Causinus, Joannes Maria de Vernon, Damianus Cornejo, Nicolaus Antonius, Antonius Arbiol, Doctor Petrus Bennassar, D. Colletet. Horum libros recitatos invenies apud Custurerium, Dissert. 2, cap. 8. Sed et iis plures licet adjungere, de quibus capite præcedenti agit idem auctor, et cap. 30 citatus Vernonius, aliique propriis suis locis recensendi. Neque tamen ex neotericorum istorum fide, licet fortasse optima, in præsentiarum quidquam statuere convenit, nisi prius ea vindicentur, unde illi narrationes suas acceperunt. Nam quod præterea, sive ad ornatum expolire, sive ad amplificationem adjungere quibusdam placuit, nescio unde desumptum, nec examinare vacat, nec refutare; cum nobis ea omnino sufficiant, quæ ex probatissimis auctoribus tradituri sumus. Ad circumstantias vero quod attinet, in quibus et isti nonnumquam variant, nihil opus est magnopere laborare, ubi de totius saltem substantiæ veritate constiterit. E

D

AUCTORE J. B. S.

Auctoribus variis,

æstimandæ ex primigenia;

32 Hanc non video aliunde certius colligi puriusque hauriri posse, quam ex antiquissimo manuscripto, diligenter, primum in urbis Majoricensis Archivo, ac dein in Collegio Sapientiæ custodito: quod primus in lucem protulit sæpe laudandus Custurerius, Diss. 2, cap. 8. et 9. Illud ipsum a scriptoribus aliis, saltem duobus, aliquando nominari advertimus; veluti a Nicolao Antonio, et disertissime a Luca Waddingo, Annalium Tom. 2, ad annum MCCLXXXVII num. 2, quem ex eo MS. pleraque decerpsisse, clarissimum specimen statim ostendet.

a Waldingo delibata,

Merito interim conqueri liceat, monumenta adeo authentica nobis a Waddingo subrepta; quæ si ad verbum Annalibus suis intermiscere voluisset, mirum quanto thesauro ditasset posteros, qui, quamtumvis tribuant ejus narrationibus, antiquiora illa sibi subducta numquam non ægerrime patientur. At Waddingum excusat historiæ pertexendæ ratio, a qua alienum fuisset id genus Acta tota interserere. Litem intentare non lubet, ceterum longe melius de rebus sacris meritus est Custurerius noster,

a Custurerio eruta,

dum MS. Vitam, toties a nobis expetitam, tam diu frustra quæsitam, publicæ luci exposuit. F

et ex mutua collatione probata.

33 At ne quis putet, aliud Majoricense, aliud esse Romanum vetustum MS. quod præ oculis Waddingus habuit, ex paucis indiciis res fiet certior. Ita hic habet loco jam citato. « Scribit Auctor » coævus, et totius vitæ conscius, in ejus Vita, » apud me MS. eum hoc anno Romam venisse, » hujusmodi Collegia instituendi et stabiliendi » gratia; mortuoque Honorio, Lutetiam perrexisse, » ut causam hanc prosequeretur. Ibi ex mandato » Cancellarii Bertholdi, novum illud suæ Scientiæ » et Artis genus publice in Aula Litteraria per» legit; sed dum parum aut nihil in ea proficerent » studiosi, abiit Montempessulanum, ad Jacobum » Regem Majoricarum. Hic per aliquod tempus » hæsit, ubi [Raymundus] Artem hanc, quam Ve» ritatis inventivam appellandam censuit, clariorem » reddere studuit, resectis multis figuris et notis, » relictis ex sexdecim, quæ prius erant, quatuor » dumtaxat. Dehinc Januam, ubi librum hunc suum » reddidit Arabicum; mox Romam venit: acturus » cum Nicolao IV de fundandis ubique locorum » monasteriis aut collegiis linguarum Orientalium. » Sed propter varias rerum vicissitudines, et rei » Christianæ tumultus, Pontificis animum, per » graviora distractum probavit: neque speravit se

quidpiam

AUCTORE. J. B. S.

A » quidpiam in hac re impetraturum. Rediit itaque » Januam, illinc in Africam transfretaturus, ut vel » solus tentaret, quod per plures fieri cupiebat ope- » rarios, conversionem Saracenorum. » Hæc et istiusmodi alia, mutata paululum phrasi, ex Synchrono MS. a Waddingo descripta (ut brevi ad oculum ex ipsis Actis cap. 2, sub finem et alibi, Lector ipse per se dispicere poterit) apertissime ostendunt, non aliud habuisse MS. Franciscanorum Historiographum, quam quod postea subjiciemus, accuratius examinandum.

Videtur ea Romam ablata ad Canonizationem fuisse,

34 Unde manuscripti Majoricensis copiam nactus fuerit Waddingus, non facile est conjectura assequi; nisi si fortasse instrumenta omnia, ad Canonizationis Processum Romam transmissa, inspicere ei licuerit, ut alicubi indicat; atque inter ea ipsam, qua de agimus, vitæ seriem a Raymundi æquali, uno vel pluribus, elaboratam. Quod autem dubitem, sitne a pluribus, an ab uno solo, adornatum præcitatum MS. facit titulus ita conceptus, ut, si non a pluribus exaratum, a multis saltem Raymundi amicis narrata esse oporteat, quæ in eo continentur. Utcumque tamen ea gesta volueris, nobis unus semper idemque Anonymus, totius opusculi B auctor videbitur citabiturque. Stylus simplicior, sermo rudis, ordo et phrasis ipsa antiquitatem redolent, et ævum plane sapiunt, ad quod Vita tota reducenda est. Menda, hiatus, defectusque alii, amanuensium vitio immixti, atque hinc inde intercurrentes, ubi verbo poterunt, corrigentur alio charactere (nequid in apographo immutetur,) vel in observationibus sat commode explicabuntur. Notandum vero quam maxime, non hic vitam totam describi, sed ea solum, quæ de conversione sua, aliisque nonnullis ad peregrinationes scriptaque pertinentibus, amicis et auctori ipsi Raymundus in Francia aliquando narraverat; quæque ipso adhuc superstite memoriæ mandata, ex eo colligimus, quod de ultimis vitæ annis, deque glorioso exitu, nihil memoret Anonymus. Illud etiam Lector advertat, Capita, Capitum titulos, Notas marginales, et si quæ alia ad claritatem pertinent, a nobis adjecta esse, ut facilius postea suis Annotationibus illustrentur.

et vivente adhuc Lullo scribi cœpta.

§. V. *Epistola Custurerii, Vitæ veteris authentiam probans.*

Authentiam rogatus probare Custurerius,

C Quæ dixi superiori Paragrapho, cordato cuivis videri poterant, ad firmandam manuscripti vetustatem satis opportuna, sic ut proinde supervacaneum esset ei rei pluribus insudare. Verum eos B. Raymundus nactus est adversarios, quos non facile ratiociniis, tametsi verosimillimis, ab inveteratis præjudiciis avoces. Cum igitur ex indubitata horum Actorum fide, tota Lullianæ vitæ series potissimum pendeat; eum in modum veritas stabilienda; ut omnis prorsus tergiversationi aditus præcluderetur. Ita equidem mecum pridem statueram; verum deficientibus hac in parte evidentioribus argumentis, præter ea quæ modo adducta sunt, nihil antiquius habui, quam eo recurrere, unde lucis aliquid afferri posset. Consului per litteras semel atque iterum, numquam satis laudatum Custurerium; ipsique ea proposui quæ longe diligentissimum rerum Lullianarum scrutatorem impellerent, ut quidquid ad confirmandam præfatorum Actorum antiquitatem integritatemque Majoricis suppeteret, protinus communicatum vellet. Nec me mea fefellit opinio. Prompte obsecutus est, cumulate respondit, et (ni fallor) rem plane evicit. Non erit, opinor, Lectori ingratum, et quid ego paucis proponerem, audire, et quid ille prolixius reposuerit. En epistolæ meæ laciniam.

36 Illud præ ceteris omni conatu stabiliendum, D Vitam illam manuscriptam, quam vocat Reverentia vestra Scriptorum coævorum, talem omnino esse, idque ex indiciis omnibus quæ allegari poterunt. Etenim fundamento huic, tamquam præcipuo, inniti debet quidquid de Beati Martyris sanctitate, rebusque pro religione Catholica præclare gestis, toto nostro tractatu fusius deducetur. Habeo præ oculis epistolam Rev. vestræ, datam IV Kal. Aug. MDCXCIX, qua conqueritur, magnam fuisse incuriam (Majoricæ) in servandis scripturis antiquis. Qua in re, mea quidem sententia, nullo suo merito accusantur, si Vitam illam tam studiose custodierint. Hoc vero plane mirandum, eam nunc primum, post quatuor fere ab obitu Raymundi secula, lucem aspicere; idque eo maxime, quod Lullistæ, acerrimi Doctoris sui defensores, nihil eorum omiserint, quæ ad Vitam ejus illustrandam tantillum poterant conferre. Scio, Vitam huic non absimilem, citari a Waddingo; sed et illi indignor, quod tale monumentum nobis inviderit. Non est mihi in animo Vitam illam ullatenus revocare in dubium, at vero ea vellem rationum momenta adduci, quæ suspicionem prorsus omnem tollerent aut suppositionis aut falsitatis.] Ad hæc ita Custurerius:

ad propositos super ea articulos

37 In primis, inquit, Vitam illam coævorum E Scriptorum esse, in Dissertationibus meis affirmare non dubitavi, ob eas, quas ibi affero, rationes et conjecturas, quæ omnia hic colligam, ut iis, quibus potero, indiciis confirmem. Legeram, apud Waddingum et Nicolaum Antonium, ea quæ isti habent de hujusmodi Vita. Observaveram etiam inter alia, in Processu, auctoritate Ordinarii pro B. Martyris Canonizatione confecto, D. Franciscum Montaner, nobilem et eruditum virum, anno MDCXIII, sub juramento in sua depositione affirmasse; se legisse *Relationem Vitæ, conversionis et pœnitentiæ* (Raymundi:) *quam ad honorem et laudem Domini nostri Jesu Christi, quibusdam devotis et amicis suis, Venerabilis Doctor Raymundus narravit, semel et iterum ab iisdem instanter Rogatus, ut ibi fertur: quæ Vita apparet in vetustissimo libro manuscripto, asservato inter ceteros libros reconditos, in Domo præsentis civitatis Majoricarum.* Eam igitur et alia quæsiturus, adii archivum hujus civitatis; illa autem ibi non inventa, imo querimonias fundente civitatis Secretario, quod aliqua scripta Raymundi, et ad eum pertinentia, illinc olim abducta fuissent, forte ab ejus discipulis, hujusmodi F scriptorum importune avidis; rogavi Lullistas aliquos, quid de illa Vita? nihilque aliud nuntiatum est, quam asservari Romæ in Collegio Franciscano Hibernorum S. Isidori.

respondet, omnino coævorum censendam Vitam illam,

utque talem Romæ allegatam in Processu;

38 Aliqua deinde, Dissertationum mearum argumento necessaria, quæsiturus, adii semel et iterum bibliothecam Collegii B. Mariæ de Sapientia, unice intentus satis multis capitibus mei illius opusculi, quod tunc urgebat, cujusque instituti tunc mihi non videbatur esse, Acta Raymundi examinare. Volvi ibi per summa capita, plura Raymundi opera MSS. aliqua recentiori, alia antiquiori, antiquissimo alia charactere descripta, quæ ibi ab ejus fundatore, circa annum MDCXXXV, et deinceps ab aliis Lullistis relicta, narrabant Collegii illius alumni; qui omnes, etsi Lulli doctrinam profiteantur, juvenes tamen sunt, nec ultra octennium in eo Collegio detinentur unice intenti suis volvendis codicibus, parumque de MSS. antiquis soliciti; unde nihil mirum, quod sicut et alii antiquiores Lullistæ, nihil scirent de Vita illa. Quo factum est, ut cum multa parata Dissertationibus meis haberem, ut, scripsi Patri Danieli Papebrochio; Vitam illam non vidissem, remitteremque illum ad archivum S. Isidori. Adii iterum eamdem bibliothecam; ubi, cum alia quærens,

et Majoricæ apud Lullistas diu frustra quæsitam,

A rens, vetustissimorum, partim laceratorum codicum, veluti despectum fasciculum volverem; incidi in eum, quo Vita Raymundi brevissimumque ejus opusculum continetur, qui ab aliquo libro videbatur avulsus.

tandemque in codice veterrimo repertam,

39 Est igitur codex ille plane antiquissimus, ita ut scriptionis et characterum forma, abbreviationum copia, papyri species, ceteraque omnia, etiam protervum adducere possint, ut judicet, codicem illum ante aliquot secula scriptum esse, quod ipse judicavi indubium. Legi illius titulum, qui sublatis compendiis litterarum, quibus carebat typographus, habetur in Dissertationibus meis pag. 485; in MS. autem hoc plane modo.

Ad honorem laudem et amorem solius domini dei nostri Jhesu Christi.
[illegible] quorumdam suorum amicorum et religiosorum devictus
in Francia narravit, sibique permissit ista que
secuntur de conversione sua ad penitentiam
et de aliquibus gestis ejus

B Raymundus senescallus mense regis maioricarum,
dum juvenis adhuc in vanis cantilenis
seu carminibus componendis et aliis lasciviis
seculi deditus esset nimis, sedebat nocte
quadam juxta lectum suum paratus ad dictandum
et scribendum in suo vulgari unam cantilenam
de quadam domina, quam tunc amore fatuo
diligebat. Dum igitur cantilenam predictam inciperet
scribere, respiciens ad dexteram vidit dominum
Jhesum Christum tanquam pendentem in cruce. Quo
viso timuit et relictis que habebat in manibus
lectum suum ut dormiret introivit. In
crastino vero surgens et ad vanitates
solitas rediens non de visione illa curabat.
Immo cito quasi post octo dies postea in loco
[illegible] eandem iterum se aptavit

quam ex idoneis signis sinceram judicet.

40 Accepto igitur codice, quem libenter mihi commodarunt Collegæ illi, eum mecum tuli, examinavi, contuli cum iis quæ de seipso Raymundus in aliquibus opusculis scripsit; cum fine aliquorum opusculorum ipsius; in quibus subjungit locum et tempus, quibus ea scripta aut perfecta sunt; cum historiis eorum temporum, quibus satis immixta est Vita Raymundi, cum illa quam edidit Carolus Bovillus; solutisque aliquibus difficultatibus, omnia inter se convenire reperi, chronologiæ C consentire, ac stylum sapere antiquitatem et candorem, quemadmodum in Appendice ad Dissertationes adnotavi. Adverti insuper, Vitam illam solum deduci ad tempora Concilii Viennensis.

Procedit ea usque ad an. 1311,

41 Quibus omnibus pensatis, tituloque ipsius Vitæ attente considerato, non dubitavi quin incidissem in Vitam illam coævorum scriptorum, de qua Waddingus, Nicolaus Antonius, et D. Franciscus Montaner, in depositione illa sua jurata, meminerat; in qua ait, *reconditam fuisse Vitam illam in domo civitatis Majoricarum;* unde a nonnemine ablatam, ad bibliothecam illam pervenisse existimavi, sine ulla interpolationis aut additionis nota: imo adeo fideliter transcriptam, ut nec ei additi sint eventus, qui sub finem vitæ Raymundi contigerunt. Adnexum est tantummodo Epitaphium antiquum ejus sepulcri, de quo statim; quodque de suo non addidit procul dubio transcriptor, sed ex sepulcrali lapide, subjuncta expositione prorsus necessaria. Scriptam porro esse Vitam illam, vivente adhuc Raymundo, inter alia manifeste ex eo conficitur, quod nihil ibi de celebri ejus morte et martyrio memoretur, quæ nullo modo prætermissa credenda sunt, ab ullo, qui post illa Vitam scribere aut etiam fingere instituisset. Cum autem Acta

et nihil habet de fine Vitæ:

Raymundi solum deducerentur ad tempora Concilii D Viennensis; probabilissima conjectura arbitratus sum, eo ipso tempore scriptam esse Vitam ab amicis illis, qui tunc ex ipsius Beati Martyris ore res gestas, fidelissime enarratas, excepissent.

AUCTORE J. B. S.

sed additur vetus Epitaphium,

42 Jam ut ad codicis illius antiquitatem redeam, animadvertendum est, in eo præfatæ Vitæ, ut jam dicebam, adjectum esse Epitaphium Raymundi pervetustum, quale exstat in Dissertatione mea prima pag. 64 et 210. Inde vero assumi potest argumentum, quo probetur, codicem istum scriptum esse ante annum MCCCCXLVIII, quo scilicet anno corpus B. Raymundi, ex eo quo jacebat loco, translatum est ad splendidius sepulcrum, in quo hodie colitur, ut fuse in Dissertationibus meis demonstravi. Cum enim codici isti additum sit Epitaphium illud, quod in antiquo sepulcro legebatur, ante eum annum MCCCCXLVIII; non autem aliud, quod ab hoc circiter anno, in sacello ejus sepulcri, marmori insculptum, hodiedum visitur, compositum a Doctore Francisco Ximinio, Canonico et Vicario generali Majoricensi, quod quidem multo honorificentius est atque elegantius; vel ex ea ratione affirmare minime dubito, codicem illum ante annum MCCCCXLVIII exaratum. E Siquidem credibile non est, honorificentius Epitaphium prætermissum iri, si tunc, cum scriptus est codex, in Raymundi sepulcro extitisset, cum aperte deprehendatur, non alio fine ad calcem Vitæ subjunctum, jam dictum Epitaphium; quam ut beati Martyris laudi et honori consuleretur. Atque hinc (nisi vehementer fallor) abunde evincitur, anno MCCCCXLVIII antiquius esse id, de quo agimus, Vitæ Lullisticæ manuscriptum.

quale ante 1448 legebatur;

non item recentius, post corporis translationem compositum,

43 Nec certe despiciendum est hoc argumentum, ad fulciendam codicis illius antiquitatem; quandoquidem characterum abbreviationumque forma ceteraque omnia, in ea tempora aptissime quadrant. Illud autem mihi non occurrit, dum Dissertationes scriberem, quibus Vitam attexui, neque mihi tempus innotuit, quo degeret Canonicus ille Ximinius (a quo argumentum istud plus roboris accipit) donec pars magna Dissertationum jam typis data fuisset. Cum vero subinde comperissem, nullum alium hujus nominis Canonicum in Cathedralis Ecclesiæ tabulariis inveniri, nec in hoc regno Canonici alii exstiterint; arripienda fuit occasio inserendi tunc acceptam non despiciendam notitiam, quæ opportunius in ipsis Dissertationibus locum habuisset. Quod si tunc, cum Vita ipsa a me prælo subjiceretur, advertissem, ea aptari posse ad confirmandam codicis illius antiquitatem, non prætermisissem in fine Vitæ Epitaphium F illud, ideo tunc omissum, quia jam alibi Dissertationibus insertum erat, ex aliis manuscriptis desumptum.

Certior probatio sinceritatis nec haberi potest,

44 Nihilominus argumenta ibi adducta, vetustasque codicis, quem præ oculis habebam, mihi tunc temporis sufficientia visa sunt, et modo videntur, ut eum judicarem, et etiamnum judicem, immunem ab omni suppositionis vitio, saltem ab aliquibus seculis. At, ante illa supponi potuit. Potuit sane, de potentia absoluta, ut aiunt, non tamen suspicandum. Quod si hoc sufficeret ad evertendam fidem antiquorum codicum, nulli plane fidendum esset, nisi authentica fide publica de antiquitate illa, in ipso codice constaret, quod neque severiores antiquitatum indagatores postulant. Quid quod nec ea ipsa omnino satisfacerent secuturis temporibus, quibus facile dubitari posset de manu Notarii attestantis, præsertim si ejus Protocolla periissent, uti non raro in antiquissimis evenit, unde et in jure minor harum probatio sufficit.

nec in talibus solet requiri;

45 Quot præterea Vitæ insertæ sunt Actis Sanctorum, quæ Reverentiæ vestræ tanta cum laude elucidant?

AUCTORE J. B. S.

A elucidant? Quot monumenta: Antiquitati illustratæ Emmanuelis Schelstratii, aliisque similibus lucubrationibus, ea tantum fide, quod ab antiquissimo alicujus Bibliothecæ MS. quod per plura secula latuerat, accepta sint, præsertim si narratio nihil contineat, quod illam reddat suspectam, imo aliis de eadem re notitiis indubiis confirmetur? Quæ omnia, ut supra dixi, in MS. observavi. Nec modicum mihi argumentum fuit, ne suppositionem suspicarer, quod, si adesset, in re adeo connexa cum eorum temporum historia et chronologia, non semel deprehenderetur. Adde quod si supposita esset Vita jam sæpe memorata, addita procul dubio speciosa aliqua et prodigiis simillima reperirentur, nec omitteretur in ea Beati martyrium, cum planum fuisset fingere, amicos illos Raymundo supervixisse, mortemque addidisse iis quæ ipse ante denarraverat.

licet originale MS. diu latuerit,

46 Hoc vero plane mirandum, (urgebit Reverentia vestra) eam (Vitam) nunc primum post quatuor fere ab obitu Raymundi secula, lucem aspicere; idque eo maxime, quod Lullistæ, acerrimi Doctoris sui defensores, nihil eorum omiserint, quæ ad vitam ejus illustrandam tantillum poterant conferre. Mirandum sane, si hæc res tractata esset a justis monumentorum B veterum æstimatoribus, quorum admodum pauci fideles elapsis seculis in Hispania inventi sunt. Numquid non probe scit, Reverentia vestra, plurium hominum judicium id fuisse, ut magnum obsequium præstare se arbitrarentur sanctis viris, si relictis tinearum pabulo antiquis codicibus, unusquisque suam Sancti cujuslibet Vitam conflaret, ea contenti fide, ut aliqui, non omnes, indicent, unde acceperint ea quæ scripserunt? Nonne id ipsum in hac re præstiterunt Waddingus, Segui et Colletet, citati a Nicolao Antonio, quibus omnibus et aliis plurimis, æque ac Waddingo, indignari poterit Reverentia vestra?

aut verius imperite contemptum fuerit, præ scriptis recentioribus;

47 Ab hac antiquorum hujusmodi codicum oblivione, et veluti contemptu, profectum est, ut dum Vitas Raymundi perquirerem, satis sibi et mihi facere viderentur Lullistæ nonnulli, si me remitterent ad Vincentium Mut, Antonium Daza, Nicolaum Causinum et alios hujusmodi, præsertim ad Joannem Segui, cujus Vitam aliqui recudendam existimabant, mirabanturque antiquitatibus perquirendis me adeo intentum. Nec defuit Doctor Lullista, Cathedraticus hujus Academiæ, qui cum sciret me in pretio habere Vitam istam MS. mihi diceret se, dum eo in collegio habitaret, eam vidisse, C nec quidquam retulisse; quod judicaret, me nihil eam curaturum: cum aliæ typis datæ moderniores et profusiores Raymundi Vitæ exstarent, quas me vidisse haud dubitabat: quin et versionem Balearicam ejusdem Vitæ ostendit, Latinæ satis conformem; ex qua aliquid, non tamen reliqua supplere licuit, ut in Dissertationibus annotavi pag. 492.

sicut et alia multa,

48 Hæc, ni fallor, in causa fuerunt, cur Vita illa hactenus edita non fuerit; quemadmodum et alia plura antiqua monumenta, ad corpus B. Raymundi ejusque cultum spectantia, operi meo inserta, quæ non modico honori Beato esse poterunt, nec edita umquam sunt a Lullistis illis, acerrimis Lullianarum rerum defensoribus; sic tamen ut ideo fidem indubitatam nequaquam demereantur. Pace Reverentiæ vestræ dicam, multa neglexisse Lullistas, quæ ad suum Lullum defendendum conducebant, tuendis ejus scriptis unice intentos, doctrinæque in cathedris et theatris tradendæ ac defendendæ. Cum enim in collegio illo B. Mariæ de Sapientia, et in cœnobio S. Francisci plurima exstent Raymundi opera manuscripta, antiquissimo charactere, alia non ita antiquo descripta; nec ea, typis mandare curant, nec recudere jam typis data, additis iis Notis quas

ipsiusque Lulli MSS. anecdota,

consulit Waddingus, a Nicolao Antonio merito lau- D datus. Quod et ego consilium paulatim executioni mandandum sæpe inculcavi, nullo operæ pretio; Lullistis sumptus faciendos, aliasque nonnullas excusationes identidem prætexentibus. Accedit denique, quod si, non editum esse MS. illud, per quatuor ferme secula a Lullistis, rerum Lulli studiosissimis, vertendum sit suspicioni suppositionis totius Vitæ; quo loco erunt plura alia monumenta et Vitæ Sanctorum et piorum Virorum, quæ per plura secula latuerunt, donec sollicita recentiorum Scriptorum cura, lucem aspexerunt? ubi interim eos inter, quorum Acta hujusmodi exhibentur, non desint aliqui, quorum honori promovendo civitates et nationes integræ incubuerint.

quæ imprimi et illustrari merentur.

Interim officio se functum putat Custurerius,

49 Hæc mihi Reverentiæ vestræ dubitationi primæ satisfacere posse videntur; quod si non satisfaciant, liceat mihi nunc saltem iterum conqueri, de magna illa Majoricensium incuria, in servandis scripturis antiquis. Siquidem hanc, procul dubio antiquissimam, tam negligenter servatam video, et tam incuriose custoditam, ut nec in archivo aliquo inventa sit, nec alia suppetant argumenta ejus antiquitatis. Quamquam, cum illa pridem scriberem, non eo querelæ collimabant; sed quia ea quæ Dis- E sertationibus meis parabam, non adeo difficultatibus immunia reperi, ut diu in dispersis colligendis, collectisque conciliandis non laborarim: quibus peractis, aliquali nihilominus egere video confirmatione in nonnullis coævorum scriptis, quam certe non habent omnia, quæ in Dissertationibus adduco, ut Reverentia vestra facile deprehendet ex singulorum examine; licet præcipua illam habeant, et præ ceteris ea, de qua inter nos controvertitur, Vita manuscripta. Unde apparebit, me adduxisse ingenue ea fundamenta, quæ suppetebant, ad singula confirmanda, nec ultra fas excrevisse conatum.] Hactenus Custurerius.

in toto hoc argumento diligentissimus,

50 Et laudabunt profecto solertem viri diligentiam, solidumque antiquitatis studium, curiosi omnes cimeliorum hujusmodi æstimatores. Certe quæ ad probandam manuscripti nostri vetustatem adfert, talia videri debent, ut nihil præterea merito desiderari queat. Argumento sit vel solum schema pervetusti characteris, quod ex originali frusto, per ipsum Custurerium huc misso, incidendum æri curavi, et supra proposui, Antiquariorum judicio æstimandum. Ficta autem vel corrupta esse, quæ toto opusculo continentur, nemo suspicabitur, qui criticæ, in his examinandis adhiberi solitæ, elementa tantummodo F noverit. Neque vero quis verisimile ullo pacto faciet (ut recte advertit Custurerius) circumstantias omnes personarum, loci et temporis tam accurate observari potuisse, nisi ab eo qui integerrima fide, ab ipsomet Raymundo audita posteritati transmitteret. Qui hujus rei periculum per se facere voluerit, is, obsecro, Lulli Vitas plerasque consulat, a recentioribus scriptas; inveniet, a vero, imo et a verosimili eos passim aberrasse, quoties monstratam ab Anonymo viam deseruere. Exemplo erit Canonicus Segui, multa sæpe congerens, quæ tantum non palpabiliter veritatis limites excedunt, Geographiæ et Chronologiæ lumine destitutus; quos ad scopulos identidem offendunt, qui, neglectis priscis monumentis, ornatui magis student quam veritati. Sed de his jam satis, ut extra aleam ponantur Actorum manuscriptorum vetustas et fides.

et idoneus ad vera a falsis discernenda criticus.

Vitæ tamen illi præmittendæ videntur

51 Erat hic proprius locus, quo acta ipsa statim subjungerentur, ac deinde Vitæ aliæ geminæ, Bovilli, et de Pax, nuper memoratæ; adjectis observationibus, ad explananda ea quæ alias obscuriora viderentur. Et erat hoc etiam nostrum consilium, nisi omnia pensiculatius expendendo, tanta occurrisset

A et rerum exigendarum silva, ut Annotationes in Acta Actis ipsis multo longiores futuras prospicerem. Placuit idcirco graviores difficultates in varios paragraphos distributas, Actis ipsis anteponere; quibus instructus Lector planiora inveniret, quæ forte primo intuitu animum percellerent. Id a Majoribus, Bollando et sequacibus, observatum video; quorum proinde vestigiis inhærere malim, quam aliorum genio obsequi. Hinc in varios Paragraphos divisi, quæ nec ad Notas referri, nec Actis opportune subnecti poterant, utpote ad eorum intelligentiam necessaria; rejectis tantummodo in Appendicem iis omnibus, quæ ad Raymundi opera, doctrinamque ab hæreseos suspicione liberandam pertinent. Primo itaque, de ortu Lulli, conversione, itineribus, aliisque eo spectantibus concinnanda fuit series Chronologica, qua recensitis ordine totius vitæ peregrinationibus, facilior ad cetera pateret aditus. Agetur subinde de Senescalli regii munere, detersis aut compositis, quæ circa illud objici poterant, difficultatibus. Sequens paragraphus serviet expediendis aliis molestiis, iisque præsertim quibus auctores nostri concilientur. Demum ab exploratione chymica peculiari dissertatione Lullus vindicabitur. His porro B ita præmissis ad Acta veniemus, commodiori methodo eruderanda.

disquisitiones nonnullæ, illam elucidaturæ.

§. VI. *De B. Raymundi origine, nativitate, peregrinationibus, usque ad finem seculi* XIII.

Raymundi ortum atque originem, præ ceteris accurate, enarrat Vincentius Mut, Historiæ Majoricensis tomo 2 his verbis, ex Castellano Latine versis: Raymundus Lull, Venerabilis Raymundi parens (quem proprie appellatum Lull, nos communem secuti consuetudinem Lullium nominabimus) solvit cum Rege Jacobo ad regnum Majoricæ subigendum. [Anno MCCXXIX.] Quidam hujusce Lullianæ domus originem repetunt ab illo Lullo; qui, quemadmodum in Comitatus Barcinonensis historiis legere est, eam civitatem, servituti Maurorum ereptam, anno DCCXCIX gubernandam suscepit. Alii ejusdem familiæ primordia repetenda censent ex Germania, hac impulsi ratione, quod S. Lullus fuerit Archiepiscopus Moguntinus. Sed ambæ traditiones ne minimi quidem momenti instar umquam habuere. Ego certe C judico eas esse apocryphas omnisque veritatis expertes; quippe quæ natæ sunt ex sola nominum cognatione.

Ex familia Barcinone nobili,

53 Hoc pro comperto habemus, parentem Raymundi Lullii, fuisse claro in civitate Barcinonensi oriundum sanguine; fuisse celebratum, nobilem, fortem omnibusque numeris absolutum Militem. Id quod ostendit tum ipse in expeditione Majoricensi, tum etiam Jacobus Rex in istius Insulæ partitione: hic enim villas ei tribuit duas, alteram Beniatron nuncupatam, Aliebeti alteram... Mater fuit e nobilissima clarissimaque Comitum Herilium Catalanorum familia. Hanc ille, duobus post annis quam Insula subacta esset, illuc accersivit, ut cum ea vitam degeret Majoricæ. Genuerunt autem filium, cui pariter Raymundo nomen fecere. Natus est in illa civitate, in angiportu impervia, retro sacram Inquisitionem. Tempus nativitatis ignoratur, sed in quibusdam monumentis MSS. reperitur, fuisse id circa annum MCCXXXV.]

patre inter Majoricæ conquestores claro, matre Catalana; Majoricæ natus circa 1235;

54 Recte, opinor; neque certe audiendi omnino sunt, qui, aut seniorem Raymundum, aut juniorem faciunt. Cum enim, teste Bernardino Gomezio de gestis Jacobi Debellatoris, libro 7 pag. 443, *Insula major ejusque urbs, gloriosissime a Jacobo expugnatæ fuerint pridie Kalendas Januarias, anni Christianæ salutis* MCCXXX, hoc est, ultimo die anni MCCXXIX; D non potuit sane ante eum annum nasci Majoricæ Raymundus noster. Si vero totum adhuc biennium elapsum est, priusquam ejus mater a marito eo evocaretur; perquam verisimile est, non ante annum MCCXXXV beatum Martyrem in lucem prodiisse. Scio Suritam, Waddingum, et præcipuum Lulli adversarium Abrahamum Bzovium, varia hac in re tradere, cum veritate chronologica haudquaquam conciliandа. Nimirum, tametsi constet virum sanctum fere octogenarium martyrio coronatum anno MCCCXV, verosimillime XXIX Junii, ut quotannis recolunt Majoricenses; sunt tamen, qui vel nativitatem ejus prævertunt, vel obitum præcipitant, vel vitam ejus ad annorum numerum plane incredibilem extendunt.

AUCTORE J. B. S. post occupatam a R. Jacobo Insulam, (quidquid varient alii)

55 Ceterum, ex totius vitæ decursu, ad exactam annorum seriem reducto, satis manifeste statim patebit, anno MCCCXV Raymundum non supervixisse. Præterea communis illa est et pervulgata totius regni Majoricensis vox, inquit Vincentius Mut, communis denique receptaque traditio; cui accedit vetustissimum epitaphium, eodem Auctore teste, Raymundi sepulcro olim inscriptum, ipsissimum nempe, E quod se reperisse testabatur Custurerius §. superiori num. 32, ad calcem Manuscripti, quo Vita B. Lulli ab auctore coævo scripta, continebatur. Est autem epitaphium, tempus mortis designans, hoc modo:

nec ultra an. 1315 superstes;

Raymundus Lulli, cujus pia dogmata nulli
Sunt odiosa viro, jacet hoc in marmore miro.
Hic M *et* CC *et Cum P. cœpit sine sensibus esse.*

Quod ita explicandum est, ut littera majuscula M et geminum CC, constituant annos mille ducentos, tertium C in *Cum*, faciat millesimum trecentesimum; littera autem P, quæ est quinta decima alphabeti, designet quindecim; atque adeo indigitetur annus MCCCXV. At hoc ipsum, ut jam dicebam, ex chronologico actorum ordine apertius demonstrabitur.

ut probat primum epitaphium;

56 Corrigenda hic interim, P. Lucæ Waddingi dicam, an ejus typographi sphalmata, quorum de causa non immerito vapulat apud prælaudatum scriptorem Vincentium Mut. Scribit ille, inquit Mutus, tom. 2. suorum Annalium, ad annum MCCLXXV, de B. Lullo in hunc modum: Natus est in insula et civitate Majoricarum, in vico S. Michaelis, patre Raymundo Lullo, et matre ex generosa familia Herilium, nobilibus Catalanis, MCCXXXVI. Scribunt enim occubuisse anno MCCCXV, suæ ætatis septuagesimo anno. Hoc ejus vitæ tempus, si ex F posteriori detraxeris numero, incidet nativitas in illum quem statuimus annum. Minime vero, *(subdit Mutus,)* nam ex hoc ipso quod Waddingus affirmat, conficitur contrarium; et quod non solum septuaginta annos vixerit, verum etiam septuaginta et novem, quia supponit illum natum esse MCCXXXVI, mortuum autem MCCCXV. Tomo tamen tertio erratum agnovit, et emendare voluit. Utut est, ex judicio illo vago, et inconstanti modo, quo Waddingus de hoc insigni viro loquitur, constat quanta incuria scripserit de Raymundo; cum tamen haberet hujusce veritatis accuratius indagandæ adjumenta; imo, quia Raymundus erat religiosus Franciscanus, etiam obligationem.

a quo anno non recte ad annum nativitatis assurgit Waddingus

57 Tomo 3, ad annum MCCCXV num. 14, volens discutere, an Raymundus egerit cum Eduardo, ita habet: Eduardus autem hic Tertius est hujus nominis, qui regnare cœpit anno MCCXXV, ætatis suæ XIV, obiitque anno MCCCLXXVII. At vero Rex Eduardus, de quo loquitur, et qui obiit anno MCCCLXXVII; licet a nonnullis Tertius nominetur, fuit Eduardus Sextus; et si cœperit regnare anno MCCXXVII, et obierit MCCCLXXVII, sequitur, quod vixerit CLXIV annos: qui

in alia quoque sphalmata lapsus;

AUCTORE J. B. S.

A qui tamen annos vixit dumtaxat quinque et sexaginta. Numero 8 deinde ait, Raymundum fuisse Romæ anno MCCCXCIII. Verum quomodo potuit Romæ esse MCCCXCIII, ille qui anno MCCCXV occubuerat? Dicentur fortasse errata typographi, quæ cum reliquis emendata non sunt : sed si admissa est tanta incuria in relegendis præli typographici speciminibus, quanta fuerit in expendendis scriptis contra Lullium?] Hæc Mutus, in Annalistam paulo iniquior, quia ignoravit, Waddingo integrum non fuisse typographi errata corrigere, Romæ agenti, dum Annales Lugduni imprimerentur. Nec tamen, in omnibus Waddingum excusaverim, cujus calculus aperte fallitur, quod decennio tardiorem fecerit Raymundi conversionem, atque in aliis plurimis, sancti viri vitam spectantibus, passus sit diligentiam suam desiderari.

gravius autem alii, Lullo dantes annos supra centum.

58 Turpius labitur Baronii continuator Bzovius, ejusque vindex Nicolaus Jansenius, passim supponentes, Lulli blasphemias ab Alexandro IV fulminatas ; tum nempe, cum is, ut superius insinuavi, necdum de libris scribendis somniasset. Quid autem Jansenium impulerit, ut assereret, Lullum annos B vixisse plusquam centum ; scripsisse Libros plurimos anno MCCCXXXIII ; octoginta post annis ad Robertum Angliæ Regem misisse epistolam ; nec levi hactenus conjectura assequi licuit. Huc etiam spectat, quod ex Itinerario Persico P. Pacifici de Provins, Cappucini, refert Vernon pag. 222 ; narratum nempe ab insulanis Majoricensibus, Raymundum, qua imbutus erat divinitus altissima rerum naturalium intelligentia, *invenisse medicinam generalem auro potabili, cujus præsidio vitam ipse protraxisset ad annos centum quadraginta quinque.* Commenta hæc sunt, veritati historicæ et chronologicæ apertissime contraria, ut jam ostensum eo.

Ipse conversum se scribit, anno æt. 30 expleto ;

59 B. Raymundi natalem reduximus ad annum MCCXXXV, idque ex communi et maxime certa scriptorum sententia, aliis auctoritatibus abunde firmata. Jam vero cum ipsemet, lib. 2 de Contemplatione cap. 70, apud Custererium pag. 200, de se scribat, annos complesse triginta, priusquam divinæ gratiæ radiis illustratus, ab insanis amoribus ad Deum converteretur ; consequens est, eam mutationem factam anno circiter MCCLXVI : sub cujus finem (ut valde apposite colligit Vincentius Mut) primam suam peregrinationem ad Rupem-Amatoris, forte et Montem-Serratum, et Compostellam ad S. Jacobi Hispaniarum Patroni. Inde redux, anno proxime se-C quenti MCCLXVII, de consilio S. Raymundi de Pennafort, operibus pœnitentiæ totum se dedit, ut virtutibus præluceret suis popularibus, quos incontinentiæ exemplis forte ad malum antea pellexerat.

adeoque anno Chr. 1267 primum peregrinari instituit,

60 Tenuit hic vitæ modus, de concordi auctorum sententia, annos omnino novem : quo tempore et Latine didicit, et Arabice, donec cœlitus illustratus, Artem illam celebrem componere aggressus, eos excitavit rumores, quibus impulsus Jacobus I Balearium Rex, Magni Victoris filius, eum ad se in Montem Pessulanum evocavit ; haud dubie sub finem anni MCCLXXV, vel initio subsequentis MCCLXXVI : idque manifeste conficitur ex Bulla Joannis XXI, data Viterbii XVI Kal. Octobris, Pontificatus ejus anno primo, ad præfatum Jacobum Regem, super erectione monasterii ad discendam linguam Arabicam ; illius scilicet, quod ab eo Rege summis precibus Raymundus impetraverat, eo fine, ut inde capaces redderentur Religiosi illi ad convertendos Mahumetanos : quam rem quoad vixit conatus est promovere quemadmodum ex ejus Actis nimis quam liquido constabit.

et nono post anno publicavit Artem suam,

cujus causa ad Montem Pessulanum citatus,

61 In Monte ergo Pessulano primum examen subiit *Ars Generalis* Lulliana. Cum autem voti potitus vir sanctus, quod maxime cupiverat a Rege D obtinuisset ; remeavit in patriam, monasterio constituendo intentus. Quem ea res successum habuerit, nihil attinet dicere. Illud certum videtur, Raymundum annis aliquot hæsisse Majoricæ, animo volvens Saracenorum conversionem ; eique rei per se allaboranti, venit tandem in animum, rem coram ipsimet Romano Pontifici proponere, atque idcirco Romam petere ; ut quod Majoricæ felicibus cœptum erat auspiciis, toto orbe Catholico propagaretur. Ea spe fretus, iter arripit exeunte anno MCCLXXXVI, vel principio sequentis MCCLXXXVII, inani successu : nam, teste Auctore synchrono aliisque, *cum ipse ad Curiam pervenisset, invenit Papam tunc recenter mortuum, scilicet Honorium Papam*, qui III Aprilis ejusdem anni MCCLXXXVII, e vivis excesserat. Erit nobis hic annus celeberrimarum B. Lulli peregrinationum velut epocha, ex qua perpetuis prope itineribus, ad Catholicæ Religionis augmentum, non exiguam Orbis partem peragravit.

eam Jacobo Regi probat,

et anno 1287 Romam profectus,

inde Parisios,

62 Siquidem [derelicta Curia (Romana) direxit versus Parisios gressus suos, ad communicandum ibi mundo, quam sibi dederat Deus Artem. Veniens ergo Raymundus Parisios, tempore Cancellarii Bertholdi, legit in Aula suum Commentarium Artis Generalis, de speciali præcepto prædicti Cancel- E larii ; perlectoque Parisiis illo Commentario, ac ibidem viso modo Scholarium, ad Montem rediit Pessulanum,] hæc Auctor synchronus. Quæ lucem accipiunt ex Bovillo, tradente quod Raymundus [habuit in Parisiensi Studio præceptorem quemdam, Thomam nomine, cui plures libros dicavit ; et quem vice versa (discipulus magistrum instituens) Artem omnem suam edocuit ; mercedis loco reddens, pro voce spiritum, pro mortua littera vivificantem doctrinam.] Hinc pronum est colligere, satis diu Raymundum Parisiis commoratum, anno primum MCCLXXXIX ad Montem rediisse Pessulanum.

ubi magistrum suum discipulus docet,

63 Probabilissimum censeo, Raymundi moram fuisse et illic diuturniorem ; quandoquidem *Artem inventivam* elaborarit, figuris suis sedecim, ad quatuor dumtaxat redactis. *Quibus rite expletis*, inquit Scriptor Anonymus [anno MCCXC] *iter arripiens*, [MCCXCI] *venit ad Januam, ubi moram faciens non multam.... direxit ad Romanam Curiam gressus suos*, monasteriis impetrandis, et unioni Ordinum militarium semper intentus. Hanc nostram Chronologiam egregie confirmat Brictius in Annalibus, anno MCCXCI, referens quod *Nicolaus IV Ordines Templariorum* F *et Hospitalariorum in unum redigere est conatus, cui negotio perficiendo multum laboravit Raymundus Lullus : sed difficilius erat hanc perficere concordiam quam sperare.* Nec certe perfecit quidquam *propter impedimenta Curiæ Romanæ*, quæ tunc multa et gravia erant, ut satis norunt rerum Ecclesiasticarum vel modice periti. *Deliberato* itaque *consilio progressus, venit ad Januam, ut inde transfretaret ad terram Saracenorum.* Id eodem anno vel sub initium sequentis accidisse manifestum est, ex eo quod Tuneti per plures menses prædicato Christi Evangelio, inde post multa opprobria et verbera ejectus, et a Genuensibus in portu receptus, testetur ipse Raymundus, se *in portu Tunici, in medio mensis Septembris, anno Incarnationis Domini* MCCXCII, *incepisse suam Scientiam*, seu Tabulam Generalem, ad omnes scientias applicabilem.

et anno 1289 ad M. Pessulanum regressus,

deinde Genuam

et frustra conatus unire cum Templariis Hospitalarios

atque fidem prædicare Tuneti ;

64 Addit ibidem vir Sanctus, *finitam* (illam Scientiam) *in eodem anno prædicto, in octavis Epiphaniæ, in civitate Neapolis.* Quod ita intelligendum optime advertit Nicolaus Antonius, in sua Bibliotheca veteri lib. 9, cap. 3, num. 89, ut absolutum fuerit opus, antequam annus integer evolveretur, a die qua inceptum fuerat. Nempe operi illi manum ultimam

an. 1293 finit Neapoli Artem suam,

A mam apposuit anno MCCXCIII, cum anno præcedenti sub finem, Neapolim navibus Genuensibus esset advectus. *Legisse* ibidem *Artem suam* testatur Anonymus, *moratumque usque ad electionem Cœlestini Quinti*, cujus electio cadit in diem V Julii MCCXCIV. Neque interea otiatus est B. Lullus; sed in edendis libris assiduus, composuit Neapoli *Disputationem quinque hominum Sapientum*, typis datam Valentiæ MDX per Joannem Jofredum : ad cujus calcem legitur, *finivit Raymundus hunc librum in civitate Neapoli, ad laudem summæ et individuæ Trinitatis, anno* 1094, ubi legendum MCCXCIV, ut recte monuit Nicolaus Antonius in Bibliotheca antiqua, lib. 9 cap. 3, num. 136. Non videtur dubitari posse, quin Raymundus Neapoli permanserit usque ad adventum Cœlestini, ut quæ jam tamdiu fuerat meditatus, Pontifici proponeret. At irrito rursus conatu. Quapropter *ivit ad Curiam Romanam*, intellige *Romam*, licet tunc Curia resideret Neapoli ; ubi *libros composuit*, et nominatim librum *de Anima rationali*, impressum Compluti cum Elogio Nicolai de Pax, MDXIX, in cujus fine hæc ipse Raymundus apposuerat : *Finitus fuit hic liber in civitate Roma, anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi millesimo ducentesimo nonagesimo quarto.*

aliaque nonnulla conscribit,

tum alia quædam Romæ, 1294 :

B

65 Mira fuit viri constantia in prosequendis *fidei Christianæ utilitatibus:* nam *quamvis multas angustias, frequenter sequendo summum Pontificem, pateretur ; ab intentione nullatenus desinebat*. Cœlestino V se abdicanti, illo ipso anno MCCXCIV successerat Bonifacius VIII ; *cui sine mora conatus est supplicare Raymundus*, adeo ut toto biennio Romæ vel in comitatu Pontificis hæserit, *non pro bono proprio, vel præbenda ; sed incessanter pro bono Catholicæ fidei supplicans*. Hinc celebrem illam *Apostrophen* elaboravit, *completam Romæ*, teste ipsomet Raymundo, MCCLXXXXVI *in vigilia B. Joannis Baptistæ ; qua flexis genibus, cum humilitate et reverentia quanta potest, Sanctissimo Patri summo Pontifici, Domino Bonifacio, Christi Vicario, et Dominis Cardinalibus supplicat, ut ipsi etc.* Nihilominus exauditus non est, Deo, ut credibile est, adversis casibus fidelis servi patientiam exercente, ut ea cumulatius in cœlo coronaretur.

et apud Bonifacium 8 frustra laborare se videns,

66 Unde *videns Raymundus, se a summo Pontifice aliquid obtinere non posse ; profectus ad civitatem Januæ* (opinor, sub exitum præfati anni MCCXCVI) *libros ibi aliquos compilavit*, quorum nomina comperta non habeo, uti nec quanto tempore Genuæ tum fuerit commoratus. Ceterum cum inde *ad Regem Majoricarum* in Montem-pessulanum profectus, non multo post *iter arripuerit Parisios*, quo certum est eum pervenisse ante festum Assumptionis B. M. V. anni MCCXCVIII ; verosimile est, non ante finem anni MCCXCVII Raymundum Genua discessisse. Fuisse autem Parisiis eo quo dixi tempore, aperte liquet ex ejus disputatione super Magistro Sententiarum, inibi *finita anno* MCCXCVIII, *in octava Assumptionis beatæ Mariæ* Non prætermisit *Artem suam* denuo *publice legere*, et libros quam plurimos compilare, quos in Bibliotheca enumerat Nicolaus Antonius, sæpe a nobis citatus.

Genuam redit;

C

indeque per M. Pessulanum 1298 Parisios :

67 Ad institutum nostrum quod attinet, constat Raymundum tunc cum Rege Philippo egisse, *super quibusdam perutilibus Ecclesiæ sanctæ Dei : sed videns se parum aut nihil super talibus obtinere, regressus* est *Majoricas*, posteaquam Parisiis sesquiannum et amplius fuisset commoratus. Ex libro cui Titulus, *Quæstiones Magistri Thomæ Atrebatensis, solutæ secundum Artem*, quem librum Raymundus compilasse se scribit Parisiis *anno Domini* MCCXCIX *mense Julio ;* patet, ejus regressum Majoricas ad illius anni finem differendum. Cum autem in fine *lecturæ Artis, quæ intitulata est, Brevis practica Artis generalis*, addiderit ipse, *finitam hanc lecturam in civitate Januæ, anno Domini* MCCC, *mense Februario*, satis manifestum est, eum Majoricas ante eum annum appellere non potuisse. Uti et manifestum esse oportet, eum rursus per Montem Pessulanum transiisse, cum inter opuscula ejus in Sorbona asservata, tomo 6, habeatur *Tractatus de Prædicatione, Monspelii finitus* MCCC, ut testatur Eruditissimus Castellanus, in epistola data XXIII Aprilis, MDCCVII. Quod autem anno MCCC Majoricis strenue se impenderit, tum *disputationibus*, tum *prædicationibus*, ut *innumeros Saracenos ibi morantes traheret in viam salutis ;* probant complura opuscula, ibi eo anno completa, ut videre est apud Custurerium, dissert. 2, cap. 9, pag. 513, quæ hic, brevitatis causa, nominanda non censuimus, serie chronologica contenti.

ac tandem Majoricam ;

D

AUCTORE J. B. S.

ubi anno 1300 impendit se convertendis Saracenis ;

68 Studenda fuit Beati viri alacritas, quoties vel tenuis spes affulgeret propagandæ Catholicæ fidei. Piis *laboribus* strenue *insudabat* Majoricæ ; cum eo allata sunt *nova*, *Quod Imperator Tartarorum Cassanus Regnum Syriæ fuisset aggressus, illudque totum suo dominio ambiebat etc.* Pluribus opus non fuit, ut *inventa* protinus *navi parata, transfretaret in Cyprum.* Ea de navigatione postea latius erit agendum ; hic sat erit annotasse, eam pertinere ad annum MCCC ; quandoquidem affirmet ipse Raymundus, fuisse se in Armenia, et scripsisse ibidem *librum de iis, quæ homo de Deo debet credere, in urbe Alleas, mense Januario* MCCCI. Nec est quod profectio Armenica revocetur in dubium ; cum Custurerius pag. 515, indubitatum referat Lulli ipsius testimonium, quo scribit libro de Fine, dist. 2, part. 3, se ivisse. *Versus Cyprum in Armeniam, sed quia istæ terræ omnibus non sunt sanæ, ut scio quia fui* etc. In quo sane vir sanctus non fallitur, nam recentissima Itineraria unanimi consensu fatentur, crassius Armeniæ clima, et insalubrem aerem merito alienigenas ab iis regionibus avertere.

eodemque zelo per Cyprum in Armeniam tendit.

E

§. VII. *Raymundi opera et itinera, seculo* IV *usque ad obitum, Chronologice deducta.*

Ex Armenia Cyprum repetiit eodem anno MCCCI : quippe qui asserat se *perfecisse Tractatum de Natura, in civitate Famagustæ, in mense Decembris, anno* MCCCI. *Tunc cæpit prædicationibus et disputationibus viriliter operari, adeo ut doctrinis insistens, corporali infirmitate non modica gravatus sit ;* aliaque perpessus, quæ fusius exponit Auctor anonymus. Hæc procul dubio Raymundum in Cypro detinuerint toto ferme anno MCCCII, quo usque, *transfretans Genuam, quamplures edidit ibi libros*. Binos adducit Custurerius, ibidem finitos anno MCCCIII; alterum mense Februario; mense Majo alterum. *Deinde profectus est Parisios*, inquit MS. sæpe citatum, et cum eo Bovillus ; *Artem suam efficaciter ibi legit, et libros plurimos compilavit.* Quo pacto id intelligendum sit, conjectura quam potest verisimili, statuatur oportet. Librorum id temporis Lutetiæ compositorum nusquam meminit Nicolaus Antonius, neque ullos adducit Custurerius, tametsi opuscula reperiam omnino quatuor, quæ uno eodemque mense Martio MCCCIV, *finivit Raymundus in Monte Pessulano*, præter alios prædicta in civitate elaboratos anno MCCCIII et MCCCV. Hæc autem cum Actis Raymundi sic videntur accommode conciliari posse.

Anno 1301 infirmatus in Cypro,

F

1303 Genua Parisios abiit,

indein M. Pessulanum redit,

70 Egit beatus Martyr Genuæ usque ad mensem Majum MCCCIII ; unde illum, cum Vitæ Auctoribus, Parisios progressum statuimus mense Junio ; *Artem suam istic efficaciter legisse, et libros plurimos*, si non plane *compilasse*, saltem inchoasse ; quibus deinde ultimam manum apposuerit ; seu (uti ipse loquitur) quos *finiverit in Monte Pessulano.* Ardebat tunc vir Sanctus

et hinc rursus Parisios ;

AUCTORE J. B. S.

A Sanctus incredibili desiderio allaborandi confœderationi sacræ Principum Christianorum, ad recuperandam Terram sanctam, cujus calamitates et ærumnas propius erat intuitus. Idcirco credibile est, eum Parisiis, ad Regem Aragoniæ Jacobum II, in Monte Pessulano quandoque residentem, atque hinc rursus Parisios, ultro citroque commeasse. Quod ne gratis comminisci videar, en ipsius Sancti verba, in fine Disputationis Remondi Christiani et Homerii Saraceni : [Et his tribus ordinamentis fortassis mundus posset redire in bonum statum, ut largius locuti sumus in libro, quem supra diximus, de Fine; et quem præsentavimus Regi Aragoniæ; et ipse statim illum misit ad Dominum Papam, qui nunc ipsum habet : quando in Monte Pessulano, me præsente, obtulit totum suum regnum, suam personam, suam militiam et thesaurum, ad pugnandum contra Saracenos, omni tempore, quo placeret Domino Papæ et Dominis Cardinalibus. Sum ego de hoc certissimus, quia tunc temporis præsens eram.]

iterumque in M. Pessulanum,

71 Sit itaque itionum istarum et redditionum ordo hujusmodi. Reducendus est Parisiis in Montem Pessulanum, mense Octobri MCCCIII ; si verum est, quod ipso illo mense absolverit in ea urbe *Disputationem Fidei et Intellectus*; ut habet Nicolaus Antonius num. 132. B Ex Monte Pessulano repetiit Lutetiam, post mensem Martium MCCCIV, via Lugdunensi; atque in ea urbe (ut apud Custurerium pag. 518 testis est ipse Lullus) inchoavit *Artem generalem;* aliam, opinor, a prima, quam sæpe ad incudem revocasse, supra tradidimus. Quam longa fuerit Parisiensis peregrinatio, non aliunde datur colligere, quam quod iterum libris scribendis desudaret in Monte-Pessulano, MCCCV mense Aprili ; quo *finivit Raymundus librum de Fine, ad laudem et honorem sancti Spiritus.* Auctor Anonymus, Bovillus, et alii, neglectis brevioribus illis Raymundi itineribus, eum Genua Parisios ; atque inde ad Clementem V, Lugdunum deducunt. Verba synchroni sunt : [Tempore igitur Domini Clementis Papæ V, a civitate Parisiensi recedens, pervenit Lugdunum ; ibique residens ; summo Pontifici supplicabat de re pro fide uberrimæ bonitatis etc.] Ego vero existimo, illa cum rei veritate cohærere non posse, nisi Raymundi excursiones, nostro, vel alio non absimili modo conduplicentur.

ubi absolvit opuscula quædam an. 1304 et 5,

et unde Lugdunum venit ad Clementem V,

72 Sit ergo extra controversiam, Lullum in Monte Pessulano fuisse mense Aprili MCCCV. Si C enim Clementem V Lugduni convenit, (quod ut certum supponunt omnes ejus Vitæ scriptores) consequens est, ut eo accesserit : non Parisiis, sed ex Monte Pessulano ; nisi quis cursationes præcipitando, novum fingat iter Parisiense, mensibus Majo et Junio ; statuat deinde moram mensis unius aut alterius ; dicatque Raymundum non prius venisse Lugdunum, quam facta fuisset Clementis V coronatio, instituta III Idus Novembris, præfati anni MCCCV. Mihi tamen longe verosimilius est, Martyrem nostrum supplicationem Clementi porrexisse ante Coronationem. *Quæ quidem supplicatio, cum tam Domino Papæ quam etiam Cardinalibus modicum fuisset curæ; regressus Majoricas, transfretavit ad quamdam terram Saracenorum, quæ vocatur Bugia.* Porro hisce omnibus agendis pertractandisque necesse est non ita tempora coarctare, ut novæ huic missioni, apud omnes certissimæ, tantum spatii non tribuatur, quantum exigunt locorum et peragratarum regionum distantiæ et intervalla, certe non contemnenda.

verosimilius necdum coronatum,

73 Jam vero cum ex Synchrono constet, Raymundum Bugiæ in Africa plusquam sex mensibus carceri fuisse mancipatum ; aliunde autem scribat ipsemet, *finivisse se* Artem brevem, *Pisis in monasterio S. Dominici, mense Januarii anno* MCCCVII ; quis D non videat Raymundi cum Clemente colloquium, Lugduni tunc habitum, valde importune ad exitum anni MCCCV dilatum iri? Nobis hac in re præplaceret itinerum ratio hujuscemodi. Advertens se apud novum Pontificem, aliis per id tempus occupatissimum, nihil proficere : Lugdunum deseruit adulta æstate, probabiliter Septembri mense, quo jam Lugduni agebat Clemens V, mense Augusto eo progressus, ut tradunt ejus Acta, a Bernardo Guidonis Episcopo Lodevensi descripta. Hinc Majoricam appulisse Raymundum diceremus, circiter Decembri mense ejusdem anni MCCCV; unde non multo post in Africam delatus, prolixam illam instituerit cum Mahumetano Antistite aliisque disputationem, cujus de causa opprobriis, contumeliis, verberibus et tormentis pluribus affectus, diuturnum carcerem sustinuerit ; ex quo Genuensium precibus liberatus, passus subinde naufragium, vix demum Pisas enataverit, vergente ad finem anno MCCCVI. Nihilominus calculo huic nostro repugnat ipsa viri sancti notula, ad finem alicujus Artis Generalis opposita ; quam *inceptam* affirmat *Lugduni super Rhodano, mense Novembris anno* MCCCV ; unde conficere licet stupendam prorsus Raymundi in peregrinationibus E celeritatem.

Pisas advectus an. 1307,

post secundum in Africam excursum

74 Crescit porro admiratio ex alia Beati excursione ; quam putarem incredibilem, nisi me convincerent testimonia aliunde non rejicienda. Testatur ipse in Arte brevi, se *finivisse hunc librum Pisis in monasterio S. Dominici, mense Januarii* MCCCVII *Incarnationis Domini nostri Jesu Christi.* Rursus ait, se *Artem utriusque Juris scripsisse in Monte Pessulano ; mense Januarii* MCCCVII, *Clemente V Pontifice.* Mira sane festinatio, vix Pisas appulit, librum absolvit; trajicit in Montem Pessulanum, alium librum deproperat, atque his omnibus expediendis mensis unicus abunde sufficit. Utut est, hoc de itinere nihil memorat Auctor Anonymus, nihil Bovillus, forte quod brevior trajectio, ad agenda cum Rege Jacobo negotia, non tanti visa sit, ut rerum aliarum seriem interturbaret. Scribunt itaque, [Proposuisse Raymundum Pisanorum Consilio (huc nempe redierat, peractis in Monte Pessulano negotiis) bonum fore, ut in eodem constituerentur Ordine religiosi Milites Christiani, ad hoc scilicet ordinati, ut propter recuperandam Terram sanctam continuum prælium exhiberent perfidis Saracenis. Cujus grato eloquio, gratoque monito condescendentes ; litteras Summo F Pontifici et Cardinalibus, super hujusmodi salutari negotio, conscripserunt. Iis vero litteris impetratis in civitate Pisana, Januam iter arripuit.]

revertit in M. Pessulanum ;

Pisasque regressus :

persuasit puniendos Ordines militares;

75 Atque hæc ita ordinanda censemus. Pisas tenuit Raymundus exeunte anno MCCCVI. Proxime sequenti Januario excurrit in Montem Pessulanum, unde Pisanos revisit anno MCCCVII nondum decurso. Varia illic exaravit opuscula producta a Custurerio pag. 525, quorum binis adscribitur mensis, alteri Martius, Aprilis alteri, MCCCVIII. Ex quo datur intelligere, Raymundum non exiguam illius anni partem Pisis transegisse, tum compilandis opusculis, tum impetrandis commendatitiis nuper memoratis. His autem rite peractis, processit Genuam, litteras consimiles ab ea Republica procuraturus, quibus Summum Pontificem permoveret ad ea concedenda, quæ totis viribus annos quadraginta et amplius promovere conatus fuerat. Narrant hic Vitæ scriptores insigne Matronarum Genuensium munificentiæ monumentum, utpote quæ *in auxilium Terræ sanctæ, ultro Raymundo promiserint triginta millia florenorum.* His in proposito firmatus, *separatus de Genua* (adulta, opinor, æstate anni MCCCVIII) *pervenit ad Papam, Avenione tunc temporis residentem. Videns autem*

Genuam regresso magna pecuniæ summa offertur in succursum Terræ sanctæ,

A *autem se de proposito suo ibidem aliquid obtinere non posse, Parisios iter arripuit.* Cum prius Monspelium excurrisset, si verum est, quod ibi eodem anno librum scripserit *de Experientia Artis Generalis*, ut se legisse testatur in minori Sorbonæ bibliotheca, laudatus a nobis nuperrime Claudius Castellanus.

inde Avenione Parisios rediit,

76 Tenuit, haud dubie, Raymundum Avenione menses aliquot, Pontificis et Cardinalium sollicitatio ad Terræ sanctæ recuperationem; sic ut non nisi exeunte anno MCCCVIII Parisios attigerit; *ubi et Artem suam publice legit, et alios libros quamplurimos quos fecerat temporibus retroactis.* Porro differri ulterius non potuit iter illud Parisiense, quod in fine libri novi Physicorum compendiosi, legatur, *finivisse istum librum Parisiis mense Februarii, qui inceptus fuit mense Januarii die ultima, sole eclipsante anno* MCCCIX. Quod et confirmari amplius potest ex alio libro de *Ente mobili*, ibidem scripto mense Januarii anni præfati; ex quo dubitatio omnis tollitur, siqua forte cuiquam superesse videretur. Hæc autem quomodo suboriri posset, certe non video; nisi vanam quis ausit dicere celebrem Artis Lullianæ Approbationem, a quadraginta Magistris et Bacalaureis juramento firmatam, sigillo munitam, datamque

et varios ibi libellos scripsit,

B die Martis post Octavas Purificationis B. M. V. illius anni MCCCIX, postquam Artem illam per dies non paucos Raymundus ipse prælegisset. Alium præterea librum de *Ente, simpliciter per se et propter se existente et agente*, teste Custurerio, *finivit Raymundus Parisiis mense Septembris* MCCCIX; item alium *de Arte demonstrativa veritatis*. Librum prætera *Contradictionis, inter Raymundum et Averroistam, de centum Syllogismis circa mysterium Trinitatis*, scripsit ibidem loci, *mense Februarii* MCCCX. Denique *De Deo ignoto*, *Parisiis mense Martii* MCCCX, aliosque a Custurerio enumeratos pag. 530.

deinde in M. Pessulano anno 1310; ex quo

77 Atque hæc hactenus apprime cohærent : Negotium facessit nova ad Montem Pessulanum excursio, ex Raymundi libris asserta a Custurerio pag. 531. Notat hic, inter illius opera, bina reperiri, quæ menses præferant Martium et Aprilem anni jam citati MCCCX, in Monte Pessulano scripta aut absoluta. Utcumque acceperis, non usque adeo obvium est intelligere, quo pacto Raymundus, uno eodemque mense et libros duos, tametsi non magnæ molis, duabus illis in urbibus adornaverit, et insimul ex una transierit ad alteram. Scio Nicolaum

C Antonium alicubi indicare, non convenire omnino inter exempla libri, *De Controversia fidei et intellectus in objecto*, circa annotationem anni, signantibus aliis annum MCCCIV, aliis MCCCVIII, aliis denique eum, quo de loquimur, MCCCX. Si mihi ex his seligere liceat, quem putem probabilius assumendum; dicam præferendum annum MCCCIV; in quem commode rejici potest operis illius compositio; cum superius dixerim, non ante mensem Martium MCCCIV Lullum ex Monte Pessulano recessisse. Hoc equidem pacto video leniendam difficultatem, quam multiplicandis Raymundi frequentissimis itineribus creditu arduam, et tantum non impossibilem, reddunt Hispani scriptores; adeout alatum fuisse oporteat, qui disjunctissimas regiones et urbes nullo quasi negotio percursaverit.

78 Silentio præterii, quæ alii comminiscuntur, non minus fabulosa, quam incredibilia, de Raymundi transitu ex Armenia in Angliam; uti et de alio, relato a Canonico Segui, terrestri Africano itinere, ex Ægypto in Tunetanum regnum; pluribusque hujusmodi, nullo auctore, nullo fundamento traditis. Ceterum, licet scriptores Vitæ de Monte Pessulano, per id temporis a Lullo repetito, altum sileant; non est plane inverisimile, eo profectum Raymundum mense Martio MCCCX; atque ibi *finivisse* librum *De Unitate et Essentia, mense Aprili anni ejusdem* MCCCX. Non multo post reducem habuit Lutetia : quandoquidem in fine libri *De Conversione subjecti et prædicati*, legatur hæc clausula ; *Finivit Raymundus hunc librum Parisiis mense Julio* MCCCX. Quievit subinde Lutetiæ per annum integrum et amplius, uti commonstrant libri ab eo tunc editi, et a Custurerio relati pag. 531; quorum uni, *Utrum fidelis possit solvere et destruere omnes objectiones, quas infideles possunt facere contra sanctam Fidem Catholicam*, adscribitur mensis Augusti MCCCXI. De libro, *Dominus quæ pars*, quem vocant *Disputationem Raymundi cum Scoto*; de Approbatione doctrinæ Lullianæ, a Doctoribus Parisiensibus per id tempus data, aliisque eodem spectantibus, erit alibi proprius agendi locus : nunc reliquam vitæ seriem pertexamus. D

AUCTORE J. B. S.

Parisios regressus

anno 1311 dicitur disputasse cum Scoto,

79 *Post hæc autem, sciens Raymundus, fore a sanctissimo Patre, Domino Clemente Papa Quinto, generale Concilium celebrandum apud civitatem Viennensem, anno Domini* MCCCXI *in Kalendis Octobris; proposuit ire ad dictum Concilium, ut tria ibidem impetraret, ad reparationem fidei orthodoxæ.* De his latius postea in Vita. Interim ex libro qui incipit, *Ens simpliciter absolutum*, quique is ipse videtur, quem alibi appellavimus, *De Ente simpliciter per se et propter se existente*, tunc a Raymundo in meliorem formam redacto; ex eo, inquam, libro *scripto tempore Concilii Viennensis anno* MCCCXII, manifeste patet, virum sanctum Viennæ resedisse mensibus aliquot; donec Parisios denuo reversus, compilavit librum *De Efficiente et Effectu, mense Martio* MCCCXII. Quod de Parisiensi reditu nihil referat Anonymus, mirum videri non debet; cum ultra Concilium Viennense ejus non protrahat. Cur id alii tacuerint, aut quæ ejus causa, divinare non lubet. Custurerius noster pag. 538, adducit Raymundi libros seu libellos omnino sex, ipsomet anno MCCCXII Majoricæ depromptos; ex quibus colligas, eum non potuisse diu post mensem Martium Lutetiæ commorari.

tum fuisse Viennæ tempore Concilii, E

rursus Majoricam profectus,

80 Restat postrema beati Martyris navigatio, Palma Balearium (ita Majoricarum metropolim appellat) Messanam, atque in Regnum Bugiæ; ubi tandem felicem laborum metam attigit, glorioso martyrio coronatus. Non habeo unde certo determinem, quo mense ex insula solverit; attamen cum tractatulum *In probationem Trinitatis*, quem prætitulat, *de Substantia et Accidente*, Raymundus absolverit *in civitate Messanæ, mense Octobris* MCCCXIII; verisimile apparet, id extremo vere; vel sub æstatem accidisse. Neque id exploratum habeo, utrumne ex Sicilia in Africam, an potius in patriam reversus, ex ea profectionem ultimam Africanam adortus sit, quam in partem magis inclinat Custurerius, ex Actis Processus ad canonizationem, memorans pag. 541, eum XIV Augusti MCCCXIV, ex insula Majoricarum in Africam trajecisse. Sit ita, per me licet; eo autem supposito, dicendum erit, Raymundum, ineunte æstate MCCCXIV, Palmam reducem, non multo post ad desideratum martyrium properasse.

deinde Messanam;

F

revisaque extremum Majorica, in Africam

anno 1314,

81 Cur hunc Raymundi in patriam reditum in æstatem differam, facit liber *de Consilio Divinarum dignitatum, ad laudem et honorem Dei finitum mense Madii, in civitate Messanæ, anno* MCCCXIV : unde non in Angliam, ut quidam comminiscuntur, sed vel in Majoricam, vel in Africam solvisse indubitatum est. Atque hæc tandem ultima fuit Raymundi, peregrinatio dicam, an missio vere Apostolica, effuso pro Christo sanguine egregie confirmata, quam ita narrat Nicolaus de Pax in Vita, postmodum de integro subjungenda : [Veritus vir sanctus, ne optatissimi martyrii decus amitteret; Bogiam denuo transvectus est; ibique inter Christianos mercatores initio

AUCTORE J. B. S.

A dicitur, ita inter filios Debellator partitus esset omnia, ut sibi nihil reliquum fecisset. Hæc si cui videantur credibilia, haud gravate patiar in Majoricensium Annales referri.

sed propriam in aula paterna mansionem,

94 Ceterum longe probabilius est, mea quidem sententia, Magni Jacobi filios, solo Regum decoramento contentos, tamdiu privatam vitam egisse, donec parente mortuo, assignatam pridem hereditatem adirent. Non ita tamen id velim intelligi, ut omni plane regia Majestate ornatuque caruerint. Minime vero. Nam, ut erat luxu et magnificentia abundans parentis aula, facile concessero, filiis etiam conclavia sua regia, regium comitatum, apparatum regium, ministros et officiales, pro natalium splendore, fuisse adscriptos, manente interim penes Regem unicum, universorum dominiorum auctoritate et administratione. Si hoc solum velit Custurerius, nullo negotio manus jungemus, atque eo pacto planior aperietur via, ut Raymundo sua vindicetur Senescalli dignitas; ac ceteræ, quæ occurrere possent, difficultates commodissime dissolventur.

ubi ejus Senescallus fuerit Lullus,

95 Eas inter prima, et forte potissima, militat contra Senescallatum, sub Jacobo Debellatore a Raymundo exercitum, quidquid Processus ad Canonizationem id rotunde affirmet. Hæc autem inde B petitur, quod Jacobus Arragonius nusquam legatur titulum Regis Majoricarum simpliciter prætulisse, tametsi eam insulam, Maurorum servituti ereptam, ditionibus suis primus adjunxerit. Atque ea de causa superius indicabam, non recte a nonnullis Hispanis scriptoribus, seriem Jacoborum Regum Majoricæ ab eo deduci, ut irrefragabili testimonio ostendit Papebrochius, ad præcitatas leges Palatinas, Tomo III Junii præfixas. Nimirum rex Aragoniæ dicebatur Jacobus senior, cognomento *Victoris, Debellatoris, Magni*, passim solitus ab Historiographis suis indigitari. Habeo hic consentientem Custurerium, vel eo ipso argumento me oppugnantem, ut probet Raymundum Jacobi Debellatoris Senescallum, non satis congruenter dici posse. Non dissentior : non repugno : at neque ex eo conficitur, Jacobum Infantem Majoricæ, regio splendore fulgentem, habitare debuisse, ut Raymundo suum tutemur sartum tectum Senescalli mensæ regis Majoricarum officium.

non autem patris, qui numquam se Regem Majoricarum scripsit :

seu filii, jam Regis dicti,

96 Quid igitur ? An nec sub Debellatore, nec sub Infante filio, eo munere functus est Raymundus; C atque adeo scriptoribus omnibus adversabimur, id officii Raymundo unanimi consensu tribuentibus? Hic nodus est, cui solvendo non una superest via. Verum, ne justo diutius his immorari videar, ita rem totam compositum iri existimo, ut nec Custurerius mihi merito refragetur. Unum hoc ad tuendam Actorum veritatem necesse est, Raymundum *fuisse Senescallum mensæ regiæ Majoricarum ;* seu (quod eodem recidit) *eum apud regem Majoricarum gessisse magistratum, quem vulgo Senescallum appellant.* Hæc ego verissima censeo, tametsi nec Debellator, nec Infans Jacobus, Majoricæ passim resederint. At enim Raymundus, jam ab adolescentia in aula educatus, de se fatetur, quod valde *lascivus et mundanus* fuerit. Esto. An idcirco otiosam et desidem vitam Palmæ Majoricarum agere, veluti ex instituto debuit, ut Senescalli partes obiret, deliciis et amoribus irretitus? Potuit sane, idque probabilissimum judico : potuit, inquam in teneriori ætate, inter honorarios Jacobi infantis pueros adlegi, atque ad alia postmodum munia in ejus comitatu promoveri, quæ nullam Majoricæ residentiam, nullam illic aulam regiam requirebant.

ephebis honorariis potuit Lullum puerum addidisse,

ac denique Senescallum Majoricensem ordinasse.

97 Nuper ut indubitatum supposuimus, ab anno MCCLI Jacobum illum a parente Regem Majoricæ declaratum. Quid autem proclivius, quam ut tunc regio more eum famulatum eosque ministros habuerit, quos ea dignitas postulabat; atque eos inter D Raymundus, ut erat origine Majoricensis, locum et ipse suum obtinuerit, sensim ad altiora provectus; donec tandem supremum munus adeptus, rectissime dici potuerit *Senescallus mensæ regiæ Majoricarum.* Nimis quam obvia sunt id genus exempla. Ecquid recenti memoria vidimus, superstite adhuc Leopoldo Cæsare, filium Josephum primogenitum, Regem Hungariæ, cum adhuc puer esset, proclamatum, iis omnibus honorum titulis præfulsisse, quæ regiam dignitatem condecebant? Placebit, opinor, Custurerio paritas ab ipso adducta. Verum ubi inveniet, Josepho Regi, aut Budæ aut Posonii, regia aula opus fuisse, ut domestici et officiales ejus suis singuli dignitatibus et prærogativis distinguerentur? Ad eum plane modum arbitror cum Jacobo, Majoricarum Rege, factitatum; ut nempe solo Regis titulo illustris, aut patrem belligerantem secutus fuerit, aut privatam in ejus aula vitam exegerit, quoad is supervixit. Potuit vero Raymundus in eadem aula coram intueri, quæ naturam in vitia pronam, magis allicerent ac incitarent, ut ii norunt, qui in Jacobi Magni vita et rebus gestis peregrini non sunt.

Unde tamen non sequatur hunc ea causa Majoricæ stabiliter habitasse,

98 Credo equidem hac ratione Muto et Custurerio satisfactum, atque ita Raymundo Senescalli E munus assertum, ut nihil solidi opponi queat, quo in dubium revocetur. Ad instrumentum quod attinet superius recitatum, quo id muneris Raymundo sub Debellatore tribuebatur; id ita intellige, ut in ejus aula memineris talem a beato Martyre provinciam administratam. Quod autem Jacobus ille Victor, bellis prope continuis implicitus, aulam per varias ditiones circumduxisse potius, quam uspiam *stabilem mansionem* fixisse videatur ad rem nostram nihil admodum confert; nisi Raymundo molestum fuerit, Regem comitari quocumque victricia inferret arma, contra Mauros potissimum, quibus ad Christianam fidem perducendis, se totum, facultates, vitam denique ipsam, tanta cum gloria deinde consecravit. Nihil profecto in his omnibus incommodi, absurdi nihil, nisi prius ostendatur, Raymundum ipsum Majoricis fixum adeo habuisse domicilium, ut ex ea insula totis tringinta annis pedem non extulerit; id autem qua veri specie affirmari possit, hactenus non intelligo.

in eo quod ibi ostenditur Palatio.

99 Non eo tamen hæc dicta sint, ut operosius contendere velle videar, Jacobum Infantem per id tempus numquam incoluisse Majoricæ regium Pa- F latium, quod in hunc usque diem ibi monstratur, sumptuosum profecto et magnificum. Id ultro et libentissime fatebor, si alicunde constiterit, etiam sola Joannis Dameti auctoritate, quem Majoricarum Annalistam alicubi citat Custurerius. Utut enim antiqua monumenta, saltem quæ mihi consulere licuit, id in aperto non ponant; ad rei nostræ caput nihil interest, sive Jacobus ille stabili mansione Majoricæ habitaverit; sive (quod ego probabilius ostendere conatus sum) parentis Debellatoris aulam secutus fuerit; modo id extra controversiam maneat, beatum Raymundum Senescalli munere in alterutrius obsequio perfunctum, pro ut disertissime Acta nostra identidem pronuntiant. De cetero igitur, ut magis lubet, statuere quivis poterit; non enim alio fine hæc a me disputata sunt, quam ut, adductis verisimilioribus, sententiarum varietas componeretur; in quo conatum nostrum nec ii, ut puto, vituperabunt, quorum opinionem postposuimus, solius veritatis eruendæ gratia, ut non semel protestatus sum, et nunc iterum sincerissime profiteor.

§. IX.

A

§ IX. *Expediuntur nonnullæ difficultates in Raymundi Actis occurrentes, atque una quæ ad Auctores hinc inde conciliandos pertinent.*

Dimissis modernorum hallucinationibus,

Difficultates hic propono, ex solis verioribus Scriptorum narrationibus elicitas, non eas quas movere debeant aut possint Vitæ aliquæ Raymundi, a neotericis quibusdam, nescio qua auctoritate, exornatæ, aut potius implexæ adeo, ut vera falsis, aut saltem dubiis miscendo, etiam quæ certa sunt incerta faciant et labefactent. Dicam candide, plerasque historias de Raymundi vita et rebus gestis, a recentioribus editas, nec vidisse me, nec si ad manum essent, iis quidquam firmatum iri, quod Anonymo, Bovillo, et de Pax, quorum commentariis nititur quidquid tradituri sumus, conforme non sit. Nihil proinde conferet Joannes Maria Vernon, in Vita gallice edita MDCLXVIII, nihil aliæ a Custurerio laudatæ, nisi quousque cum antiquioribus penitus consenserint. Etenim tamesi successu temporis alia inventa non diffitear, quibus priora B vetustiora illustrarentur; tametsi etiam probitate et fide valeant Scriptores illi omnes; attamen, re maturius considerata, satis perspicue (ni fallor) deprehendi, nullum, aut sane perexiguum ex iis subsidium afferri, quod ad eruendam veritatem conducere possit.

nec refutari quidem dignis;

101 At saltem operæ pretium cuiquam forte videretur, apocrypha illa, a Vernono aliisque tam liberaliter venditata, seorsim refutare: mihi vero minime; siquidem minutius singula excutere, id demum esset Acta ipsa tricis involvere, fastidium creando lectoribus, quibus, opinor, satis mira videbuntur, quæ Auctores nostri prodidere. Hæc igitur, et non alia, erunt disquisitionis hujus materies; in unum ideo collecta, tum quod superfluum visum sit plures paragraphos illa dispescere: tum quod in Annotationes rejici commode non queant, ne longiores illæ animadversiones Actis immixtæ, prolixitate sua confusionem pariant, et (ut supra dicebam) Acta ipsa exæquent aut superent. Annum natalem, rejectis variorum opinamentis, jam stabilivimus, fiximusque ad annum MCCXXXV, ex quo totam Actorum seriem chronologicam, qua licuit probabilitate, ad marty- C rium usque produximus; nunc ad illius normam exequenda sunt reliqua.

atque Etymologia nominis

102 Præmitto, quod inter cetera dubia levissimum est, nominis et agnominis nomenclaturam. Sunt qui scribunt *Ræmundum*, cum supra laudato Bovillo; cui notam adjecit Gononus, non indignam quæ hic locum suum inveniat. (Fuerunt, inquit, hujus nominis alii eximiæ sanctitatis, unus Ordinis Prædicatorum, alter vero Tholosanus, de quo plura in Breviario Ecclesiæ Narbonensis III Julii. Exstant hujus nostri Raymundi opera multa in celebri Bibliotheca monasterii nostri S. Trinitatis de Marcossiaco. Porro Beatus Rhenanus elegans epigramma initio operum ejus hoc apposuit.

datur hic elogium, operibus præfixum a Beato Rhenano.

103 En pius egreditur latum Ræmundus in orbe,
Commoda qui multis grandia sæpe feret.
Non tibi perpetuis jaceat damnata tenebris,
Nugaci fuco pagina tota carens.
Sensa sub incultis latitant præstantia verbis,
Quæ possint mentes erigere apta pias.
Jam bene tricenos Ræmundus vixerat annos
Pomposus, vecors, desidiosus, iners:
Turbida fallacis linquens [cum] gaudia mundi,
Durus in abrupta corpora rupe domat:
Noxia præteritæ redimens ubi crimina vitæ,
Suscepit celsi munera larga Patris.
Parisios tandem Latiæ primordia linguæ,
Post octo, sitiens, lustra peracta, petit;
Grammaticam libans primum, infusa arte, reliquit
Innumeros nuda simplicitate libros.
Evolvis dignos igitur quicumque labores,
Fac prece, quotquot opus restituere, juves.]

D

AUCTORE J. B. S.

Utut alias suspecta nonnulla habeat *Beatus* ille, ex lustrico fonte, non autem ex vitæ merito *Beatus* dictus (in quo nonnullos deceptos video) ut, inquam, suspecta quædam aut etiam reproba habeat ille dubiæ religionis *Beatus Rhenanus*, alias de re litteraria, tam sacra quam profana, sæpe optime meritus; hi certe versus nil nisi pium et Catholicum redolent, digni proinde qui hic in Raymundi honorem adscriberentur.

104 Redeo unde digressus sum. Recte ait Gononus, plures fuisse synonymos Raymundos, sanctitatis laude celebres. Nam præter nominatos, insignes sunt, Raymundus Nonnatus, Raymundus Palmerius, Raymundus Balbastrensis, aliique plures, ejusdem prorsus nomenclaturæ, nisi quod aliqui per jota *Raimundum* scribant, alii per ypsilon, qua norma usos novimus, non Turenios solum Vicecomites, sed et comites Tolosanos septem numero. Sunt etiam qui *Raymundum* scribant, qua ratione Beatum alium, Raymundum Barcinonensem, cognomento Fiterinum, vulgo de Hitero, enuntiat Doctissimus Castellanus, in novo suo Martyrologio Romano pag. 818. Sunt qui et *Ragimundum* et *Regimundum* dici velint; imo ut in litteris ad me datis XXVIII Maji MDCCV monet laudatus Castellanus, reperitur etiam *Raguimundus*, *Ragnemundus*, et *Ragnemodus*. De horum omnium etymo multa inquirere, tantumdem videtur atque operam perdere. Sit Francica, sit Germanica, sit Hispanica, seu mavis Gothica origo nominis; nec pluris inde fiet, neque minoris. Quod Catalani vernacule, seu sermone Lemovicensi, quo non semel B. Lullus usus est, dicebant *Ramon*, *Remon*, et qua alia libuerit inflexione; id nobis erit cum communiori scribendi methodo *Raymundus* et *Raimundus*, quidquid Bovillus scribendum putaverit *Ræmundus*, contra quam fecerit Nicolaus de Pax, et his antiquior Anonymus.

Plures Sancti et Beati eodem nomine,

varie scripto a variis.

105 Frustra esset his immorari diutius. Major ferme est in enuntiando Raymundi cognomine apud Auctores diversitas; aliis constanter *Lullium*, aliis contra *Lullum* efferentibus. Jam indicavi superius, a voce Catalanica, seu mavis Majoricensi *Lull* vel *Luyl*, Latinam terminationem efformari. Cum vero Hispanis L liquescere soleat, ut passim apud Gallos LL geminum post I, Italis loco prioris L, G substituentibus; nihil mirum, quod scriptores Hispani passim, sive vernacule sive Latine, non *Lullum* scribi velint, sed *Lullium*. Ego me iis regulis astringendum non puto, quamvis mihi sus deque sit *Lullus* et *Lullius*. Unum hoc animadverto, Hispanos ipsos Latini sermonis peritiores, quales sine controversia dicendi sunt Nicolaus de Pax, Joannes Mariana, et Nicolaus Antonius; neglecta Hispanica pronuntiatione, in puram Latinam terminationem concedere, quos hac in re imitari non piguit. Neque id tamen scrupulosius ut supra monebam, nam et *Lullus* et *Lullius* idem nobis semper erit, dummodo agatur de B. Raymundo Majoricensi Martyre.

Cognomen Lull, Latine Lullus aut Lullius effertur,

F

primum hic tenetur.

106 Plusculum difficultatis habent binæ circumstantiæ, lascivis Raymundi amoribus adjectæ. De re omnino convenit, Sancto ingenue de se fatente non uno in loco, quod fuerit *lascivus*, *mundanus* et *carnalibus appetitibus deditus*. Ignes illos nec per legitimum torum extingui potuisse, uno ore testantur scriptores omnes. Nempe matronam deperibat, castam non minus quam formosam, et ipsam conjugii vinculis adhuc detentam. Atque hæc, nullo repugnante,

Fatetur ipse, juvenem se lascivum fuisse;

AUCTORE J. B. S.

variantibus in nomine amasiæ modernis.

A gnante, certa putamus et explorata. An vero matronæ illi nomen fuerit *Eleonora*, ut Muto excogitare placuit, an *Ambrosia di Castello*, ut Vernonus satis liberaliter comminiscitur, in medio relinquimus. Sit indubitatum præterea, mulierem illam *letali ulcere sub pectore laborasse*, ut ait de Pax; adeo ut *infortunii factus certior Raymundus tristitia vinceretur*. At non ita comperta sunt quæ fusius describit Bovillus, de nudato coram Raymundo fætenti pectore; nec illud quod texit de equitante Raymundo, visa amasia tanto furore abrepto; ut in templum prodeuntem eques insecutus fuerit; de quibus nihil Anonymus, nihil tradit Nicolaus de Pax. Ipsum Bovillum audiamus:

Quidam eo insaniæ processisse scribunt,

107 [Diligebat autem præ ceteris dominam quamdam, venusta quidem et eleganti facie, duo tamen erant, quæ illam in ejus amplexus venire haudquaquam sinebant. Primum erat legitimus mariti torus: secundum, occultus cancri morbus; qui quamquam sub veste lateret, illius tamen pectus jam usque adeo exederat, ut ejus præcordia nudarentur, atque dirus fœtor inde exhalaret. Insanabilis erat hæc cancri pestis in pectore mulieris, sed longe in-B sanabilior cupidinei amoris cancer mentem laniabat Ræmundi. Tam enim vesano atque illicito obrutus amore, qui cæcus imprimis erat mente, corporeis etiam pene oculis cæcus a cunctis credebatur. Nam, ut mihi retulit, qui historiam ipsam denarrabat, cum quadam die Ræmundus equo conscenso, in foro spatiaretur; videretque eam, quam fatuo amore diligebat, in vicinum templum divinæ precis causa profectam, *(die Dominico, inquit Mutus, ut hinc fortasse rem magis confirmet)* mox (tametsi eques) illam in templum prosecutus est... Dolens vero mulier, tantum virum, et qui honesto magistratu apud Regem fungebatur, illiciti sui amoris causa et vesanum fieri, et verti in fabulam vulgi;... advocato semel (ut a marito impetrarat) in colloquium Ræmundo, eoque in cubiculum introducto, illi extemplo pectus, ut cancrino erat exesum morbo, utque teterrimo odore squalebat, nudare haudquaquam erubuit etc.]

ut illam vel in templum eques insequeretur;

videreturque per traditionem popularem receptum,

108 Unde hæc omnia desumpserit Bovillus, unde ea hauserit denarrator Hispanus, quid Mutum impulerit, ut pectoris denudationem in templi egressu factam diceret, non habeo statuere; nec rem ipsam ut apocrypham repudiare, nedum in dubium revo-C care lubet; quamquam illud mirum videatur, casum adeo notabilem intactum prorsus ab Anonymo et Nicolao de Pax prætermitti. An quod Raymundus, ex cujus ore scribit Anonymus, verecundia ductus ea referre neglexerit, qui alias peccata sua et ignorantias juventutis tam confitetur ingenue? Haud equidem existimo. Crediderim scriptori Gallo ea excidisse, quæ Hispanorum memoriæ inhærebant altius; ex qua deinde in Bovilli notitiam pervenerint, annis prope ducentis post sancti Martyris obitum, perpetua popularium traditione conservata. Neque id sane adeo insolitum, cum in aliis Sanctorum Actis exempla hujusmodi recurrant sæpius, ubi priora Acta adhuc informiora, ut ita dicam, aliis, quæ ante omissa fuerant, postmodum illustrantur: idque eo potissimum valere hic debet, quod cum in ceteris passim Anonymo Bovillus consentiat, censeri non debeat finxisse quidquam; nec Hispanum incusaverim, quod id, procul dubio ex vetustissima illa Majoricensium traditione acceptum, retulerit.

falsum fortassis,

109 Scio equidem ex nominum affinitate factum non semel, ut quod uni accidisset, tribueretur alteri; et quæ pluribus, uni adscriberentur: quæ rerum confusio, quantarum difficultatum seminarium fuerit, quis ignorat? Quidni et Raymundis, tam variis et multis numero, hujusmodi aliquid evenire potuisse quispiam contendat? Certe in promptu D erunt exempla, non aliunde nec procul accersenda. Etenim scriptores plurimi, tam constanter hunc nostrum, chymicum fuisse asserunt, artisque illius longe peritissimum, imo auri purissimi in Anglia fabricatorem; ut de eo ambigere, tantumdem ipsis videatur, ac negare virum exstitisse in rerum natura. Alii non multo pauciores, teterrima scelera, artes infernales, et cum dæmonibus commercium Lullo affricare non dubitant. Mera nihilominus commenta hæc esse, ex nominum prognata similitudine, et calumnias totidem ad proscindendam beati Martyris famam, demonstrant ejus discipuli et defensores non contemnendi. Jam vero quid proclivius, quam tot inter Raymundos unum fuisse aliquem, plusquam perdite, vesani amoris insania correptum, cujus dementiæ vestigia Beato nostro applicarint posteri, ut nominum, ita nec personarum distinctione adhibita? Valeat ea rationum paritas quantum cuique placuerit; mihi interim tanti non est, ut memorabile specimen ardentioris libidinis, qua se multum laborasse vir sanctus ultro concedit, ex ejus Actis expungatur, scriptoris fide dignissimi auctoritate, et testimonio minime dubio comprobatum. E

ut alia graviora Lullo afficta,

non tamen inverisimile.

110 Tertia disquisitio visiones complectitur et apparitiones Raymundo ostensas, postquam ex pia castæ matronæ correptione, ad meliorem frugem cœpit reduci. Hic iterum, quod rei substantiam attinet, scriptores omnes, tum antiqui tum recentiores, unanimiter confirmant. Imo confirmat Beatus ipse, in libro quem *Desolationem* inscripsit, ita loquens: [Quando mihi firmabatur ætas, abripi me sentiebam mundi illecebris, aberrabamque a recto tramite, et in peccatum ruebam. Oblitus veri Dei, me dedi corporis voluptatibus; sed Jesus Christus, pro sua immensa pietate, voluit se mihi quinies ostendere suffixum in crucem; ut sui reminiscerer, curaremque nominis sui cognitionem, per totum propagandam orbem, et ineffabile sanctissimæ Trinitatis mysterium, cum gloriosa Incarnatione prædicandum atque docendum. Ita ego afflatus fui, et tanto arsi Dei amore, nil ut umquam habuerim potius antiquiusque, quam ejus gloriam; et ex illo tempore cœpi ei servire lubente animo.]

Certior interim fides debetur ejus visionibus,

quatenus earum ipsemet testis est:

111 Quinas illas apparitiones ii soli rejiciunt, qui Raymundum hæreticis accensent et fanaticis, quorum proinde declamationes nihil moramur. Quod si F scriptores nostri, simplici ea narratione contenti, alia non immiscuissent, plana res esset et expedita. De Muti et Vernoni amplificationibus nihil etiam solicitos esse oportet. Una quæ occurrit molestia tres eos auctores spectat, quibus solis nitimur, et in quibus conciliandis operam collocamus. Anonymus synchronus, cujus de cetero potior habenda est fides, Raymundi gesta narrationis principio, turbatiori non nihil, certe non satis accurata methodo exorsus, non parum facessit negotii. Hæc autem est difficultas. Bovillus et de Pax, vitæ ordinem pressius insecuti, præmissis Sancti deliriis, et ex miseranda amasiæ sorte, insanientis medela, prius resipuisse eum scribunt, quam cœlestibus favoribus cumularetur. Bene, opinor, et ex re nata. Anonymus vero, nullo discrimine, Raymundum exhibet versibus amatoriis componendis occupatum, ipsomet rerum articulo, quo meliori afflatus spiritu, ingentique *dolore perfusus, videns seipsum sapienter a femina coargui*, saniora consilia animo volvens, *seque orationi subdens, omnem suam operam, summis votis Christo dicabat*; verba hæc sunt Bovilli ita prosequentis.

sed posteri in circumstantiis variant,

112 Apparuit igitur ei mox sacra quædam ac propitia visio, imago, inquam, Crucifixi, in hæc verba ipsum alloquentis: Ræmunde, sequere me. Cumque

dum voluit oblatas converso,

A Cumque hæc cœlestis visio frequentius ad eumdem ex divina bonitate iteraretur; statuit apud se Ræmundus, abjecto divitiarum fastu, dimissaque familia, relinquere mundum etc.] Apte hæc et cohærenter dicta sunt, quibus id adjicit de Pax [quod certior factus infortunii, *mulieris nimirum cancro laborantis;* cum non posset membris consistere, prostratus in lecto, nihil nisi tenebras et solitudinem cupiebat. Lacrymis igitur atque suspiriis, mœrore animi parumper exhausto, meditanti calamitatem suam et longum a salute digressum rhythmis vulgaribus deplorare, Jesus crucifixus dextrorsum apparuit. Mundanus homo, divina visione perterritus, inceptum flebile carmen dimittit. Quod interjectis postea diebus, quater conatus absolvere, quater ut primum, et circiter eadem hora, Crucifixum vidit.] Si rhytmos excipias, nihil hic video, quod non cum ipsius Raymundi confessione apprime conveniat. Verum hinc Anonymum existimo in errorem inductum, quod versus amatorios carmini lugubri supponens, sic Acta orditur:

et pios rhythmos componenti;

113 Raymundus, Senescallus mensæ regiæ Majoricarum, dum juvenis adhuc, in vanis cantilenis seu carminibus componendis, et aliis lasciviis seculi deditus esset nimis; sedebat nocte quadam juxta lectum suum, paratus ad dictandum et scribendum in suo vulgari unam cantilenam, de quadam domina, quam tunc amore fatuo diligebat. Dum ergo cantilenam prædictam inciperet scribere; respiciens a dextris, vidit Dominum Jesum Christum, tamquam pendentem in cruce; quo viso timuit, et relicto quod habebat in manibus, lectum suum ut dormiret, intravit. In crastino vero surgens, et ad vanitates solitas rediens, non de visione illa curabat; imo tam cito quam per octo dies postea, in loco quo prius, atque hora eadem, iterum se aptavit ad scribendum et perficiendum cantilenam suam prædictam; cui Dominus iterum in cruce apparuit sicut ante. Ipse vero tunc territus plusquam primo, lectum suum iterum intrans, ut alias obdormivit. Sed adhuc in crastino, apparitionem negligens sibi factam, suam lasciviam non dimisit; imo post pauculum suam cantilenam nitebatur perficere inchoatam; donec sibi tertio et quarto successive, diebus interpositis aliquibus, Salvator, in forma semper qua primitus, appareret etc.

Coævus vero, scribenti amatoriam cantilenam

B

lentiusque converso:

114 Consonat hic quidem Synchronus noster cum C ante dictis, in quina apparitione, ab ipsomet Raymundo expressa. Verum enimvero jam hoc illud patet, quod nuper dicebam, minus fortasse verisimile, hominem obscœnis versiculis scribendis occupatum, eos sensisse favores; quos alii opportunius pœnitenti Raymundo, et conscientiæ stimulis agitato, tribuendos censuere. Non eo hæc dicta sunt, ut spiranti divinæ gratiæ metas statuamus aut terminos, [quæ solo tactu, *ut recte notat de Pax*, de citharœdo Prophetam, de Piscatore prædicatorem, Doctorem de persecutore, de publicano fecit Evangelistam; cujus præsentissimus ignis, nullas ad mutandum humana corda moras expectat.] Non hæc, inquam, in disputationem adducimus, qui solis Auctorum antilogiis concordandis hic insudamus. Iis porro expediendis usui esse existimo quod insinuavi superius, Synchronum nempe, tametsi in re ipsa ab aliis non discrepet, primordia nihilominus Lullianæ conversionis, minus ex ordine digessisse, ea confuse narrando, quæ reliqui paulo accuratius distinxere. Nisi quis malit, Bovillo et de Pax, tamquam recentioribus neglectis, soli Anonymo subscribendum, in quo nihil magnopere, ad ceteras Raymundi actiones ordinate pertexendas, accidere potest detrimenti. Fortassis autem sic poterunt ambo illi, cum Anonymo conciliari; si concipiatur Raymundus; conspectu exulcerati pectoris inductus ad agnitionem vecordiæ suæ; necdum tamen conversus ad Dei unius amorem; in eoque affectionum conflictu, exorsus esse poema, utrique subserviens passioni, quod Anonymus *Amatoriam cantilenam* dicere potuerit, qualibus scilicet antea assueverat; alii maluerint *Flebile carmen* nominare: de quo, donec in lucem prodeat, liberum sit in alterutram partem judicare. Statue igitur proinde, Lector, ut lubet, dum nos interim ad alia gradum facimus.

quod ipsiusmet confessioni magis consonat.

nec a Dei gratia alienum fuerit.

D AUCTORE J. B. S.

115 Prædictis Crucifixi apparitionibus memorabilem aliam subjungunt scriptores quamplurimi, cujus tamen Auctores nostri non meminere; quamque proinde silentio præteriissem, nisi Raymundus ipse illis fidem faceret prope indubitatam. Narrat Vincentius Mut, Virginem Deiparam, infantem brachiis gestantem, Raymundo se exhibuisse ad portam Almudai, vicinam horto palatii Episcopalis; in cujus perpetuam memoriam imago illic collocata fuerit; *quæ usque hodie,* inquit, *eo loci conspicitur:* mutata est postmodum, uti testatur Custurerius. His affinia tradit Vernonus et alii passim; quorum omnium suffragiis nihil prorsus tribuerem, nisi me ejusmet Beati moveret testimonium, ita in Blaquerna scribentis num. 14, editionis Parisiensis MDCXXXII quam præ manibus habeo. [Regina cœli amico suum filium præsentavit, ut ejus oscularetur pedes; et ut in suo libro, Matris Amati sui laudes scriberet et virtutes.] Per amicum porro Raymundum intelligi certius est, quam ut in disceptationem venire queat. Quod autem præscribebatur, sedulo hic præstitit, libro *de Laudibus Beatissimæ Virginis*, Parisiis edito apud Joannem Petit MCCCCXCIX.

Addunt alii apparitionem Deiparæ a Coævo quidem præteritam,

E

tamen ipsius Sancti testimonio satis certam.

116 Quæ Auctores nostri de approbatione doctrinæ Raymundi ab Academia Parisiensi, aliaque a Rege Philippo, et ab Universitatis Cancellario impetrata, passim tradunt, hic etiam paucis expediam. Dixi §. 7 num. 76. Artem Lullianam XL Theologorum Parisiensium examini subjectam MCCCIX. Instrumentum adducit Custurerius pag. 206: [Asseruerunt porro dicti Magistri.... per eorum juramenta coram præfatis juratis nostris, quod dicta Ars seu Scientia erat bona, utilis, necessaria.... et quod in ea nihil erat contra fidem Catholicam,] multa autem ad sustentationem dictæ fidei. Rex autem Philippus notum facit, quod [audito Magistro Raymundo Lulli, ex habitu præsenti ipsum esse virum bonum, justum et Catholicum reputat, et ad confirmationem et exaltationem fidei Catholicæ fideliter insistentem. Quapropter nobis placet, *inquit Rex*, quod ipse ab omnibus orthodoxæ fidei cultoribus, et præcipue subditis nostris tractetur perbenigniter, ipsique favor benevolus impendantur, quem gratum habemus et acceptum. In cujus rei testimonium præsentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Datum apud Vernonem II Augusti MCCCX.] Nicolaus de Pax legit *Veronam*. Utramvis præferas nihil interest: utraque urbs Galliæ est, hæc in Cœnomanis, illa in Normannia sita. Demum Franciscus de Neapoli testatum reliquit MCCCXI, [nihil se invenisse in illis, quod bonis moribus obviet et sacræ doctrinæ Theologicæ fit adversum.] Cetera videas apud Custurerium pag. 207, 528 et 531; ubi etiam solutum invenies, an inter Lulli Approbatores celebris Scotus nominandus sit. Porro quæ universam Beati doctrinam attinent, in Tractatus hujus finem rejecimus; paucula hæc ad salvandam Actorum fidem sufficiant.

Lulli doctrina ab Academia Parisien. probata,

F

et a R. Philippo commendata.

A

AUCTORE J. P. S.

§. X *De Florenis, dotando linguarum Collegio, quod Lullus fundaret, assignatis a R. Jacobo; deque litteratis in monte Randa lentisci foliis.*

Dubitaturo an hæc monetæ species tunc fuerit Majoricæ usitata,

Est et dubium elucidandum circa fundationem monasterii, ad discendas linguas a Rege Majoricarum factam, circa annum MCCLXXVI, ut dixi § 6, num. 60. In eo verti difficultas posset, quod in Actis, a Raymundi æquali scriptis cap. 2, num. 13, dicantur ad Religiosorum istorum necessaria in annos singulos ministrandi *floreni quingenti*. Satis certum est, monasterium illud, tametsi Pontificia auctoritate erectum, nescio cujus culpa, postmodum intercidisse; hoc quæritur, an eo tempore nota fuerit Majoricensibus Florenorum moneta; alioquin Criticus quis austerior suspicari continuo posset, Vitam illam Raymundo esse posteriorem, ac proinde ad ea dumtaxat tempora reducendam, quibus in eo regno Floreni innotescere cœperunt, de quo quid statuerem hærebam incertus. Principio quidem scrupulus is mihi videbatur, adeoque contemnendus: verum, cum subinde adverterem ex Glossario Cangii, ubi Florenorum, primam, ut putant, originem variasque eorum species enumerat, difficultatis aliquid moveri posse; credidi operam non male collocatum iri, si ad salvandam omnimode Actorum fidem, res illa paulo diligentius excuteretur, usui fortasse etiam futura, siquando Glossarium ipsum, novis curis recognitum, rursus prælo subjiciatur. B

eo quod ipsa dicatur primum cusa Florentiæ 1252

118 Notat præfatus Auctor, verbo FLORENI, monetas eas tunc aureas, apud Florentinos primum cusas anno MCCLII; et Florenorum iis nomen ea causa inditum, quod in altera eorum parte insculptus fuerit flos lilii, parte altera effigiem S. Joannis Baptistæ referente. Addit factum subinde, præsertim in Gallia, ut fere monetis aureis ceteris *Floreni* indita fuerit appellatio. Sitne omnino certa, quam adferat Cangius, Florenorum origo, alterius loci est et disquisitionis; ceterum corrigenda hic primum hodierna hominum imaginatio, qui dum Florenos audiunt; continuo ad eam pecuniæ acceptionem recurrunt, quæ hodie multis Europæ partibus nota, longe differt ab iis Florenis qui olim cudebantur; quorum pretium valoremque, a nostris plane diversum, ad præsens institutum nihil attinet exactius determinare.

valore prorsus diverso a nostrate;

C

adeoque, an florenos nominans vere sit coævus?

Verumtamen cum inter omnes Cangii citationes nulla occurreret, quæ ad Arragonenses aut Majoricenses referretur; dubium supererat, an vere eo tempore, aut sequentibus proxime seculis, ulla istiusmodi monetæ notitia ad eas regiones pervenisset; præsertim cum hoc nostro ævo eam prorsus ignorare dicantur, ut ex Custurerii verbis mihi colligere licuit. Si autem iis in partibus ignota penitus fuisset ea pecuniæ species, ex ea parte non inverisimiliter Acta synchrona, alicujus saltem suppositionis suspecta reddebantur.

Respondetur, Auctorem Gallum usum appellatione,

119 Videbam utique, ad dubii totius explanationem, reponi facile posse, Anonymum, uti Actorum titulus indicat, fuisse Gallum; in Gallia, ubi a Raymundo ipso denarrata sunt, ea Acta scripsisse; porro Florenorum monetam, eo, de quo agitur, tempore, in Gallia procul dubio notam et usitatam fuisse, Quinimo, si tantisper daretur, non tam cito Gallis communem fuisse eam pecuniam; id certe indubitatum esset, tunc passim ab iis usurpatam, dum Vita descripta est; nempe sub initia seculi XIV, paulo post Concilii Viennensis celebrationem. Etenim Cangius nuper citatus, ex computo Thesaurariorum Franciæ, ostendit, ante annum MCCCXVI Florenos promiscue toto eo regno in usu esse debuisse. Toto, inquam regno: nam cum monetæ aureæ cudendæ jus soli Regi esset reservatum, ea ab omnibus aliorum etiam Principum subditis admittebatur. Ex quo quis non absurde conficeret, Gallum scriptorem, monetam Majoricensem ad Florenos Francicos reducere potuisse, cum dixit *Florenos quingentos* præfato monasterio attributos. Quid quod sciamus Monpellerii a Jacobo Rege factam hujusmodi fundationem; nihil autem proclivius, quam pecunia Gallis receptissima usum Regem, qui frequentissime in Gallia morabatur. D

tum in Galliis notissima,

120 Atque hæc dici videntur omnino plausibiliter, imo abunde, ad solvendam eam qualemcumque difficultatem. Nihilominus, ne quis cavillationi superesset locus, censui consulendum Custurerium, num quid majoris luminis, ex ipso quo erectum est monasterium, loco accersi posset. A quo cum responsum acceperim, ad totam illam de Florenis materiam illustrandam valde opportunum, non abs re erit ea quæ reposuit, curioso lectori proponere. Ita scribit: [Etiam Majoricensibus notam fuisse eo tempore *(sub finem seculi XIII)* Florenorum monetam, satis constat ex privilegio Jacobi II Majoricarum Regis, dato Majoricæ VII Kal. Maji MCCCX, quod ipse legi in archivo hujus civitatis, et cujus meminit Vincentius Mut lib. 3 Historiæ Majoricensis capite ultimo: in quo Rex concedit Majoricensibus facultatem cudendi monetam auream, sive Regales aureos; *qui* (hæc sunt verba privilegii) *sint perpetuo ad legem viginti trium quilatorum et medii, accepto pro fino et mero auro Florini, quod esse dicitur viginti quatuor quilatorum*. Unde manifeste fit eo anno MCCCX, quo nondum scripta erat Vita illa, jam ab antiquo innotuisse Majoricensibus monetam illam, siquidem ad ejus normam taxata fuit moneta de novo cudenda.] Hæc Custurerius: cujus adductum testimonium, peremptorium esse, nemo non videt. Sed reliqua prosequamur, quæ de hac materia accurate depromit idem Custurerius. E

imo etiam Majoricæ, ex diplomatis an. 1310.

Erat autem is nummus aureus,

121 Notat, apud Covarruviam, in Thesauro linguæ Hispanicæ, Florenum accipi *pro moneta, cui impressus sit flos, et communiter pro certa moneta Florentina*. Antonius Nebricensis in Dictionario, verbo *Florin de Aragon*, vertit *aureus Tarraconensis*, sic ut vetustissimam fuisse oporteat apud Aragonenses Floreni notitiam. Jacobus Debellator, privilegio concesse VIII idus Maji MCCXLVII, jussit Majoricenses uti moneta Valentina, quam ipse Rex cudi fecerat. *In cujus una parte sit caput regium coronatum, et in reliqua parte sit arbor ad modum floris, in cujus summitate extensa usque ad superiorem circulum, ponatur Crux antiqua Christi;* ideoque sub signo *salutiferæ Crucis supra florem*, ut ipse Rex ait eodem privilegio. Jam vero cum moneta aurea eo tempore in usu fuerit Majoricæ, (siquidem in litteris Jacobi II, datis Majoricæ idibus Septembris MCCCII, fit mentio *duplarum auri*: quod etiam legitur in aliis litteris ejusdem fere temporis) non incongrue moneta ista aurea potuit appellari *Florenus*, cujus magnus usus fuit Majoricæ, eo et sequentibus seculis, sub Floreni nomine. Exstant ejus rei innumera testimonia, quorum pauca subjicio. F

ex una parte florem præferens,

et seculo 14 ac 15 communis apud Aragones,

122 Petrus Aragoniæ Rex, privilegio dato X Octobris MCCCXLVII, ait, *pœnæque mille florenorum*. Joannes, privilegio dato X Septembris MCCCXC, *illos tres mille florenos auri de Aragonia*; et rursus, *de florenis Aragonum hodie currentibus*. Martinus, I Decembris MCCCC, *dictorum tria millia florenorum*. Idem, X Octobris MCCCCVII, *pœnæque florenorum quingentorum auri de Aragonia*: Alphonsus, V Augusti MCCCCXVI, *pœnæ mille florenorum auri de Aragonia*. Idem, XIV Novembris MCCCCXXXVIII, *pena de tres mil florins de or de Arago*. Idem, XIV Martii, MCCCCL, *Floreni auri cuderentur*: et rursus, *qui florenos auri tamdiu, donec per*

A per nos aliter provisum sit, cudat in eadem Sicla Majoricarum. Omnia hæc aliaque privilegia vidi, inquit Custurerius, partim in archivo Civitatis, partim in libro privilegiorum Siclæ sive domus nummariæ Majoricensis, ex quibus fit, satis notos Majoricæ Florenos antiquis temporibus, difficultatemque satis solutam ex solo privilegio Jacobi II, in quo supponitur moneta illa ab antiquo Balearibus notissima. Atque hæc plusquam satis, ad eam quam institui de Florenorum antiquitate controversiam.

De lentisci foliis litteratis

123 Præter ea, quæ ex Actis desumpta, hic discutienda proposuimus, quiddam prodigio simile narrant scriptores varii, tum Raymundi populares, tum etiam externi. Rem paucis expediam. Jam §. 5 cursim insinuavimus, et porro ex vitæ decursu magis subinde patescet, beatum Martyrem per plures annos, conversionis suæ principio, in monte Randa vitam egisse solitariam, cœlestibus rebus contemplandis, et Arti suæ generali delineandæ, intentum. Fama est, et constantissima apud Majoricenses traditio, Christum eo tempore Raymundo apparuisse inter myrteta (Lentiscum ipsi vocant) factumque ex eo tempore, ut arbusti illius folia, variarum lingua-
B rum orientalium characteres expressos referant. Pacificus de Provins, in Itinerario Persico apud Vernon pag. 222 et 223, quæ Majoricæ satis confuse audierat, describit in hunc modum: [Dictum præterea, inquit, quod cum annis pluribus (Raymundus) vitam duxisset eremiticam, in planitie myrtetis consita, Christus Dominus ei ex eorum aliquo, quinquies crucifixus apparuit, scientiamque universam dictavit. Cumque is tunc temporis, ad prædicandum Mauris Evangelium, linguæ Arabicæ perdiscendæ incumberet; arbusti istius foliis characteres Arabicos nonnumquam imprimens, accidit ut perpetuo miraculo, solius istius lentisci folia iis litteris ornentur, quæ in nullis aliis apparent.] Hæc P. Pacificus, satis, ut dicebam, confusa: nam in multis circumstantiis a vero aberrat.

confuse tradita a teste moderno,

124 Paulo exactius qualecumque prodigium memorat Custurerius, a pag. 85 Dissertationum suarum: nec vero fidelior rei totius descriptio haberi potest, quam ex instrumento authentico, ea de re confecto, die Sabbati anno MDXCVI, ad executionem litterarum compulsoriarum, jussu Clementis VIII datarum MDXCV Indictione octava, die vero VI mensis Martii. Omissis formulis juridicis, testibus et actoribus; in hoc rei summa constitit; quod vocatis
C duobus senibus agricolis nonagenariis, de eorum depositione confectum sit præfatum instrumentum, in quo asseritur, quod [indixit Proregis Locumtenens generalis, sibi per prædictos agricolas prædictam lentiscum inscriptam ostendi; quo perventi prædicti jam attestantes agricolæ, asseveranter dixerunt, se ex immemorabili traditione a majoribus accepisse, ibidem, in ejusdem videlicet lentisci medio, dicto Doctori Raymundo Lull, Christi Domini nostri crucifixi effigiem apparuisse; indeque divino afflatum spiritu, celebri doctrina fuisse instructum. Quare Illustris Dominus Hieronymus Tagamanent Zaforteca, ramos virgultaque ex eadem lentisco, nomine prædicto, propriis manibus dissecuit plurima, ut eorum aliquot ad Romanam Regiamque Curiam transmitteret. Quibus omnibus ego Franciscus Antich, scriptor Majoricensis, pro Josepho Amer Notario publico universitatis, civitatis regnique Balearis, scriba, ejusdemque vice et nomine assistens, hoc ad indelebilem perpetuamque rei memoriam, præ jam indicatis præcipientibus Illustribus et Magnificis Domini Juratis, hoc recepi publicæ veritatis et fidei instrumentum, testibus etc.]

distinctius in Processu testantur duo nonogenarii;

eorum specimina Romam et Madritum missa,

125 Porro de characteribus nihil attinebat ad agricolas judicare; nec mihi, ut verum fatear, de iis

forma hic expressa,

quidquam statuere integrum est. Folia ipsa, ad me D Majoricis submissa, in æs incidi curavi, qualia hic lectorum oculis subjicio, ut per se quisque, sepositis præjudiciis, de iis judicare queat.

AUCTORE J. B. S.



E

126 Affirmat Custurerius, loco supra citato, in Processu ad Canonizationem instituto, juratis testimoniis, *prodigiosa folia et miraculosa* appellari; observatumque jam olim nusquam terrarum lentiscos hujusmodi produci; atque idcirco non ad Romanam solum, sed et ad Matritensem Curiam, ut instrumentum testatur, id genus folia mitti oportuisse. Nec defuere qui in eodem Processu jurati asseruerint, inter varia ea signa, Christi Domini et Mariæ Deiparæ veneranda nomina a se deprehensa. Plura vide sis in laudatis Custurerii Dissertationibus, ubi inter cetera invenies, non immerito *miraculosa* ea folia nuncupari, utpote quæ ægris infirmisque sanitatem attulerint, invocato beati Martyris patrocinio. Hoc certissimum est, loca Randino monti circumvicina, plurima exhibere prisci cultus, et totius populi erga Raymundum venerationis vestigia, quæ brevitatis ergo, a nobis superius §. 2 prætermittenda fuere.

et utilitas ad ægros curandos affirmata.

§. XI. *Ostenditur Beatus Raymundus nihil exploravisse periclitatione chimica, ex Vincentio Mut.*

F

Vetus ea est et pervulgata de Lullo fabula, usque adeo multorum animis hodieque insita, ut dum aliquando virorum cetera eruditorum sententiam familiari colloquio pertentarem, non semel in faciem mihi dictum fuerit et contentiosius repetitum, nihil se de Lulli gestis habere exploratius, quam quod Chimicam et docuerit, et per se ipse multoties exercuerit. Stimulos addidit intrepida assertio, ut quid hac de re statuendum esset, inquirerem diligentius. Verum ubi provinciam præreptam adverti; et commenta illa, viro sancto injuriosa, a Vincentio Muto in Historia Majoricarum, et a Luca Waddingo in Annalibus egregie confutata, quod documentorum defectu a me fieri nequaquam poterat; nihil antiquius habui, quam Dissertatiunculam, ex Castellano latine translatam, cum brevi Waddingi commentario transcribere; ut quid de plebeis istis fabellis judicandum sit, lector ipse per se consideret. Ita scribit prælaudatus Vincentius Mut.

Necessitas hujus dissertatiunculæ.

128 Raymundum criminantur aliqui, quod fuerit Chimicus, quodque hominum istorum more multa periclitatus, aurum efformaverit. Hoc autem his argumentis demonstrare nituntur. Primo, inquiunt, nonnulli

Auri a Lullo chimice formati fabula,

AUCTORE J. B. S.

A nonnulli Historici publicis litteris consignarunt, Raymundum sex auri milliones fecisse, eosque dedisse Eduardo, istius nominis VI Anglorum Regi, quicum de recuperatione Terræ sanctæ pactus fuerat. Addunt, ex istomet auro, quod in Anglia conflaverat, cusa aliquot scuta, quæ *Soverani* vulgo nominantur. Tradunt secundo, Raymundum ipsum, in libris quibusdam Chimicis insinuare, factas a se hujusmodi experientias. Verum error est vel cogitare, Venerabilem illum Doctorem aurum aliave artis chimicæ fecisse pericula, sordida avaritiæ contagione coinquinata. Non est mihi animus in medium adducere rationes, quas P. Riera in suo Memoriali allegat. Juxta doctrinam Raymundi, elementa simplicia, inquit, a se invicem separari haud possunt, ita ut pura sint, et segregata ab omni concretione; hoc vero principiis Chimicorum repugnat, asserentium, illud δυνατὸν sive possibile esse. Asserit idem Auctor, libros chimicos, Raymundo attributos, a stylo Raymundi multum dissidere.

non satis solide refutata a Riera,

129 Istæ rationes rem non conficiunt. Etenim dicere, simplicia non ita posse separari, ut simplicia maneant, nec heterogenei quidquam in se aut dissimile admixtum habeant, non est contra fundamenta B Chimicorum; qui non aspirant ad talem simplicitatem, sed potius ad solam purgationem; qua, quod redundat et crassius est, eo modo decoquitur, ut virtus unius alicujus elementi, in simplice obtineat principatum. Porro diversitas styli, quam hos inter et ceteros Auctoris nostri libros esse contendit P. Riera, potest adscribi, vel illis qui eos ex sermone Lemovicensi Latinos reddidere, vel etiam studio sectandi obscuritatem, et artis arcana occultandi. Quæ quam communis, tam ridicula est Alchimistarum infirmitas; non ex arcanorum æstimatione profecta, sed ex necessitate involvendi ἀδυνασίαν sive impossibilitatem rei, quam verborum fucis ac lenociniis, velut δυνατὸν sive possibilem adumbrant. Quapropter ego ad rationes perspicuas transilio.

solidius refellitur ex Chronologia,

130 In libris quibusdam, Raymundo attributis, leguntur textus Hebraici. At certum est Raymundum Hebraice nesciisse, neque scire, vocationis ejus intererat. Præterea ex omnibus, passim Magistri illius Venerabilis operibus, perspicue apparet, quantopere Alchimistas practicos exsibilet. Jam auctor, quisquis ille est, libro de Mercuriis cap. 4, fecisse se ait, in civitate Mediolanensi, aliqua artis C Chimicæ pericula anno MCCCXXXIII: qui ergo fieri potuit, ut auctor illorum fuerit Raymundus Lullus, ante octodecim annos vita functus? Porro in Arte sua magna, parte 9 capite de Elementativa per principia deducta, Beatus noster loquitur in hunc modum: *Elementativa veras habet conditiones, ut una species non se transmutet in aliam speciem, et hoc Alchimistæ dolent, habentque occasionem flendi.* Libro de Arbore scientiæ cap. de quæst. proverbiorum florum Arboris cœlestialis, quærit, si ars Chimica sit vera? et responsionem rejicit ad caput de proverbiis florum arboris cœlestialis §. 6, ubi dicit; *Sol et Venus Mercurium increpaverunt, qui homines musare facit in argento vivo.* Et §. 8 ait: *Plus valet argentum in bursa, quam in Mercurio.*

ipsoque Lullo sæpius Chimiam explodente,

131 Eodem libro cap. de quæst. fructuum Arboris elementalis, quærit, si per artem possit aurum ex argento fieri? et respondet: *Martellus non producit clavum de seipso, nec medicus sanitatem de seipso producit in patiente.* In libro de Mirabilibus orbis, lib. 6, cap. ult. de Alchimia; libro inscripto, Felix; et libro de suis variis quæstionibus, cap. Utrum Alchimia sit in re vel ratione tantum; copiosissime ostendit, artem vanam esse ac commentitiam; et aurum Chimicum non esse verum aurum, tametsi auri speciem præ se ferre videatur. Ex quibus liquet, nequaquam dici posse, Raymundum periclitatione Chimica quidquam explorasse. D

et negante per eam aurum confici,

132 Reperire est Chimicos, qui vel ex ipsa tam manifesta Venerabilis nostri Doctoris declaratione, telum sibi cudentes, dicere audent; Raymundum locis illis omnibus de Chimica spuria et fictitia loqui, non de vera. At, quæro ego, an forte spuria illa et falsa, nomen Chimiæ commeretur? Certe uno ex dictis locis loquitur Raymundus de sua Arte generali, et in hanc, utpote tunc temporis nondum adulteratam, distinctio veræ et falsæ cadere non potest. Imo quod pejus est, affingunt illi effugium perridiculum, quo haud scio an ipsa ignorantia dare possit ineptius. Nam interroganti, an ex artis alicujus principiis possit solvi quæstio, quæ inde solvi non potest, et interim ibi reservare distinctionem spuriæ vel legitimæ, est potius in errorem inducere, quam adimere dubitationem, de qua quæstio instituitur; exponiturque verbis propriis, et non tam absurdis, quam sunt verba eorum, qui fraudulenta et mendaci circuitione facessere molestiam conantur.

quidquid ejus nomine perperam allegent Chimici.

133 Quod si Raymundus tantum dixisset, non posse fieri, ut alterum metallum convertatur in alterum; fas nobis esset sustinere, eum voluisse declarare, quod metalla inter se non distinguantur E genere; et quod argentum ex stanno facere, non sit proprie convertere aut transmutare unum genus in aliud, sed vilius metallum ita expurgare, ut quamdam argenti formam, speciem et figuram acquirat. At vero Doctor ille venerabilis sese ipse explicat multo clarius, ubi dicit, ne sic quidem esse aurum aut argentum, licet videatur esse, propter accidentia, quæ cum non possint sustinere vim ignis, lapsu temporis evanescunt. Verum enimvero supradictis hisce textibus, qui ex legitimis et indubitatæ fidei libris eruuntur, opponere textus alios ex libris Chimicis auctoris dubii, summe temerarium est. Sequitur ergo, ut qui docuit aurum non posse confici, nec leges auri conficiendi tradiderit. Quando autem Chimici volunt libros illos Raymundo adscribere, tamquam legitimo suo auctori, saltem necesse est ut clausulas, in quibus approbatur faciendi auri artificium, ipsi suppositas esse fateantur.

Neque enim patitur aurum sic fieri;

134 Si fert animus locos controversos ad concordiam adducere, summum dici poterit ad excusationem, loqui hic Raymundum, velut de aliis spinosis problematis, quæ jam a multis retro seculis solvere F conati sunt plurimi, et usque adhuc solvit nemo. Qualia sunt, Quadratura circuli, Duplicatio cubi, Punctum fixum, Motus perpetuus, et lapis quem Philosophalem nuncupare passim placuit. Horum enim scrutamur demonstrationes, et tantum non in lucem protrahimus, sed nondum omnino consequimur. Scimus, data circumferentiæ ad diametrum proportione, esse epidictice quadratum circulum; et datis duabus mediis proportionalibus, cubum duplicari. Quin imo tam prope absumus ab istis propositionibus et proportionibus assequendis, ut post multiplicem variumque apparatum, multo plura quam sensu possimus percipere, in majoribus circulis ac lineis, aliquamdiu mente contemplemur. Sed dum rem ipsam aggredimur conclusionem elicituri, omnia fugiunt, omnia in fumum et leves auras abeunt.

cum ejus libri non sint ex quibus id sumunt,

et hi, licet problematice solum artem docerent,

135 Hoc idem accidit in problematis aliis; in Philosophali lapide, vel transmutatione metallorum. Quippe modo temere et fortuito, modo certæ cujusdam regulæ beneficio, viliora metalla ita coloramus, redigimusque ad talem formam ac nitorem, ut ad alia quam quæ assequimur, sensu non attendentes, existimemus verum aurum et argentum esse, quod spurium est. Hoc forte possit esse fundamentum experientiarum,

numquam juxta Lullum

ad conclusionem ducturi,

A experientiarum, quas vulgares Chimici tantopere decantant. Hæc igitur problemata videntur ferme dici posse solubilia simul et insolubilia. Ad primum quod attinet, Aristoteles docet, dari quidem Quadraturam circuli, sed ejus demonstrationem nondum esse inventam. Quæ cum ita sint, veræ erunt hæ duæ propositiones ; Circulus potest quadratus esse demonstrative, quia demonstratio illius quadraturæ possibilis est : et, Non potest circulus quadratus esse actu et demonstrative, quia quadraturæ illius demonstrationem Geometria nondum invenit. Non ideo tamen Geometræ problema ponere desinunt, et quæ putant facere ad demonstrationem momenta urgere.

docerent tamen ex hypothesi reapse impossibili.

136 Possent itaque hoc pacto conciliari quædam in speciem contradictoria. Nimirum dum Raymundus in disceptationem vocavit, an possit per artem Chimicam aurum fieri? Respondet, Non posse ; quia ista Chimica, sive ista artis applicatio, non est detecta usque adhuc. Dum autem in scriptis aliis tractat Chimicam, loquendo non de actuali conversione et transmutatione, sed de possibili, et de inventione magisterii, fieri potest ut dixerit assignari posse regulam, eo modo quo Geometræ proponunt Qua- B draturam circuli, possibilem quidem, sed necdum a quoquam repertam. Sic in concordiam reduco cetera, quæ scribit etiam idem Raymundus de multis aliis id genus problematis, et singillatim de Quadratura circuli ; quoniam vult circulo quadraturam convenire, sed non intra limites Archimedis, quæ est optima maximeque legitima ratio aliquid examinandi ; verum per hypotheses impossibiles, et per ratiocinationem, laborantem vitio manifesti paralogismi et consecutionis absurdæ. Nam si figuras isoperimetras omnes Circulus magnitudine exsuperet ; vel non possunt quadratum et circulus, licet sint isoperimetra, æqualia esse ; vel si sint æqualia, isoperimetra esse non possunt. Concludo igitur, quod nemo unus de Raymundi sententia potuerit hactenus verum aurum conficere.

Interim qui potuit Eduardo 6 R. Angl. aurum conflasse,

137 Sed pergunt oggerere adversarii, sex illos milliones, quos fecit in Anglia, quosque Eduardo VI ea conditione tradidit, ut Terram sanctam recuperaret. Tuam fidem, Lector, si venerabilis Martyr cum Eduardo VI colloqui, aut hujusmodi fœdus icere potuerit. Res in aperto est. Nam quo Raymundus natus est tempore, anno scilicet MCCXXXV, sceptrum Angliæ tenebat Henricus III : ejus succes- C sor Eduardus IV, regno præfuit usque ad annum MCCCV. Ab hoc regnavit Eduardus V ; atque Eduardus VI gubernacula primum capessivit MCCCXXVII, mortuus MCCCLXXVII, annum agens ætatis quintum et sexagesimum, atque adeo circiter annum MCCCXII in lucem editus : Raymundus autem Lullus MCCCXV occubuit. Vide sis igitur quomodo tot milliones is dare potuerit Eduardo VI, qui totis undecim annis post Beati mortem regni clavum suscepit, quomodo cum infante nondum trimulo de Terra sancta recuperanda pacisci?

non nisi an. 1327 regnare exorso,

ipse pro Terra sancta recuperanda mendicans,

138 Valeat etiam hæc alia ratio. Quis sibi obsecro inducat in animum, eum conflandi auri novisse arcanum, qui cum tanto laboris impendio, per tot itinera, ad liberandum Hierosolymam illud emendicat? Rursus, si ipse per se cudere pecuniam poterat; cur obsecro, ad tam sanctum opus, eam ad instar mendiculi, ostiatim corrogabat, cum tanta jactura temporis ; quod in perdiscendis scientiis, in litterarum studiis, in curanda animarum salute utilius insumpsisset, quam in petendo tam misere, quod tam opulente paucorum dierum spatio facillime collegisset? Huic argumento qui plene integreque responderit, adhuc vidi neminem. Quæro iterum, quomodo Raymundus dedisset pecuniam, in apparatum belli sacri impendendam. An fortasse aurum dede- D rit, ut sibi aurum redderetur? Hoc nempe hodie agunt Chimici nostri vulgares, vel ut melius dicam, illi tam falso divites quam vere pauperes, qui auri faciendi artificium auro vendunt. Et tamen repe- riuntur homines, adeo infortunati et ridiculi, ut hoc artificium emant ; non cogitantes, quod si talis artificii adminiculo aurum confici posset, omne aurum orbis totius esset vile pretium venditori : quippe qui illud in suomet artificio haberet multiplicatum, neque auro alio ad solutionem egeret.

AUCTORE J. B. S.

ut ceteri auri-ficium professi ;

quod certe neque sub Eduardo 6 in Anglia exercere,

139 Qui ex adversariis objiciunt, Raymundum in aliis opusculis meminisse suorum experimentorum ; ii sane petunt principium, quia, an tales libri sint illius fœtus, incertum saltem est. Imo suomet ipso argumento debellantur. Etenim in libris istis Chimicis diserte fit mentio experimentorum, sumptorum in Anglia et Mediolani : cum jam ante probaverimus, ea sub Eduardo VI in Anglia sumi a Raymundo non potuisse. Quo autem pacto ea Mediolani sumpserit, anno ut prætenditur MCCCXXXIII, qui anno MCCCXV lapidibus est obrutus ; aut qua satis ratione suadebitur ; scriptos post ea experimenta libros ei debere attribui, seu quosvis alios, quorum auctor eadem arcana suum esse fœtum insinuat, ut E Chimici auctor fatentur?

neque de eo, post an. 1333 scribere potuit, mortuus 1315 :

nedum Anglo aurum conflasse,

140 Putant ex his aliqui, solvi argumentum ex Raymundi paupertate petitum, respondendo ; ipsum, non sibi, utpote paupertatem spiritus amplexo, sed Eduardo VI, ad eum imflammandum belli sacri cupidine, aurum confecisse. Verum si hoc ille poterat, cur non potiori jure nisus est sibi conciliare Principum aliorum animos, erga se tam benevolos? Angliæ Regem voluisse illi favere, non scimus ; scimus vero Reges Francorum, Aragonum et Majoricensium, illi non solum admovisse stimulos, verum etiam suas copias et pecuniam obtulisse, ad Terram Sanctam redigendam in Christianorum potestatem. Itaque si Raymundus Aragonum et Majoricensium Regibus, legitimis suis Principibus ac Dominis, piique propositi fautoribus, aurum non fecerit ; qua fronte nobis persuasum volunt, eum tam largum et munificum fuisse erga Regem extraneum, quocum ei tam parum commercii intercedebat.]

quod non fecit propriis Regibus, fautoribus suis.

Vincentii Mut argumenta

141 Hactenus Vincentius Mut, cujus argumentis alia procul dubio momenti non minoris adjungi possent, si ad manum essent ipsa Lulli opera, et id genus necessaria documenta, quorum defectu, non nostris, sed aliorum rationibus niti oportuit. Porro F quæ hic fusius disputat Majoricensis historicus, in compendium contracta, et non parum confirmata, exhibet Lucas Waddingus, tom. 3 Annalium, ad annum MCCCXV, num. 13, 14 et 15 ; quæ ad plenam rei evidentiam subjungere operæ pretium duximus.

contrahens et confirmans Waddingus.

ex Lulli libris veris probat Chimiæ adversatum ;

142 [Manifestis, *inquit*, rationibus convinco, illos qui de Alchimia inscribuntur, *(libros,)* et qui quoquo modo ad fallacem hanc artem et præstigiosum tendunt laborem, nullatenus esse Lullianos. Nullus Lullo magis invehitur in hujusmodi falsos divites, et veros pauperes ; nec Artis hujus apertius ostendit fallacias. Libro de quæstionibus solubilibus per Artem inventivam cap. 40, Alchimiam, non realem, sed chimericam esse, multis ostendit rationibus. Libro de mirabilibus cap. 39, probat, impossibile esse per Alchimiam unum metallum in aliud transmutari. Libro arboris scientiæ, cap. de exemplo fructus arboris cœlestialis ; irridet jocose Alchimistas, conantes argentum vivum in verum et solidum transformare. Libro de principiis Medicinæ cap. de Cancro ; a suo principe et prædominante planeta Mercurio decipi, ait, Alchimistas, quorum marsupia ut plurimum sunt vacua, et lacera (inquit) vestimenta.

A

Auct. J. B. S. qui autem de illa tractant, ipsi falso adscribi

143 Sed et ipsi Alchimiæ codices abunde probant, alii se Raymundo, non Lullo, esse tribuendos. In libro de experimentis, quem inter alios Lullo adscribunt, auctor citat reliquos, quos de hac Arte scripsisse commemorat, in quibus omnes hujus argumenti, Lullo adscripti, continentur; ita ut idem sit hujus libri et reliquorum consarcinator. In fine vero hujus codicis, ait, se præsens opusculum optato fine clausisse an. MCCCXXX. Lullus vero, ut ejus vitæ auctores, et monumenta Archivi Balearici constanter conspirant, decessit anno MCCCXV. Similiter libro qui appellatur Testamentum novissimum, et Lullo falso adscribitur, variis in locis eadem repetit volumina a se composita, ad cujus calcem hæc verba habentur. *Factum habemus nostrum testamentum, per virtutem Dei, in insula Angliæ terræ, in Ecclesia S. Catharinæ apud Londinenses, versus partem Castelli ante Cameram, regnante Edwardo per Dei gratiam, in cujus manibus ponimus in custodia, per voluntatem Dei, præsens testamentum, anno post Incarnationem* MCCCXXXII *cum omnibus, quæ nominata sunt in præsenti testamento.* Libro de Mercuriis, ejusdem farinæ et auctoris, perperam Lullo adscripto cap. 4 in fine, dicitur opus adimpletum an. MCCCXXXIII. Quomodo ergo opera scripta annis MCCCXXX, MCCCXXXII et MCCCXXXIII, poterunt esse hominis defuncti an. MCCCXV?

utpote vel post anno 1330 scriptos.

B

Fictum est ejus cum Edwardo commercium

144 Ulterius in libro de XXIV experimentis, auctor, qui se etiam *Raymundum* appellari indicat, in Prologo narrat, quatenus Edwardo Anglorum Regi, tunc adolescenti, magnum adinvenerit thesaurum, ut Saracenis indiceret bellum: qui tamen illum in expugnando Galliarum Rege distraxit: pœnitentia vero ductum, ait, eumdem Edwardum, jam senem, veniam petiisse injuste distractæ pecuniæ. Edwardus autem hic, cui supra dixit, suum se tradidisse testamentum an. MCCCXXXII tertius [VI] est hujus nominis, qui regnare cœpit an. MCCXXVII (*lege* MCCCXXVII) ætatis XIV; obiitque an. MCCCLXXVII, regni quinquagesimo primo, ætatis LXV. Cum ergo hic cognoverit et allocutus sit Edwardum in senectute, necesse est ut pervenerit ad annum Christi MCCCLXX vel circiter. Et certe sub hoc Edwardo meminit Thomas Walsinghamus cujusdam medici Saraceni, in partibus Walliæ thesaurum effodientis. Atque hinc prodiit error illorum, qui vitam Raymundi Lulli protrahunt ad centum et plures annos.

145 Sed majus adhuc fuit mendum Nicolai Jansenii, Bzovii defensoris, ad ducentos ferme annos ei tribuentis. Ait enim ex Prateolo, Bzovio, Jodoco Coccio et Penna, crassos errores Raymundi Lulli fuisse condemnatos ab Alexandro IV, anno MCCLX; et postea, ex Theodoro Zwingero refert, eumdem Raymundum, nobilissimum Alchimistam, anno MCCCXXXIII *plura scripsisse opuscula: et octuaginta post annos, epistolam accuratam, ad Robertum Anglorum Regem dedisse.* Nolo immorari circa Regis nomen, quia Robertus nullus tunc regnabat in Anglia, sed Richardus; et alii, ad Robertum Siculorum Regem scriptam dicunt Epistolam. Raymundus Lullus, uti omnium constat assensu, nihil scripsit, prioribus suæ ætatis annis, quos laicus in vanitate, doctrinæ et linguæ Latinæ omnino expers, transegit. Quod si anno MCCLX jam scripsit, quadragesimum annum præterivit: si anno MCCCXXXIII alia composuit opuscula, jam complebat annos centum et tredecim: si demum post alios LXXX annos epistolam dedit ad præfatum Regem, numerabis vitæ Raymundi annos ducentos, demptis quinque. Porro Raymundus Lullus, natus anno MCCXXXVI, conversus MCCLXXV, ætatis quadragesimo (*hoc intellige de principio peregrinationum*) nihil potuit scribere an. MCCLX, qui suæ ætatis erat annus XXIV.

C

et Epistola ad R. Robertum

ni ætatem ejus protrahas,

146 Adde quod in libro super Artem inventivam, quem se sub Bonifacio VIII scribere narrat, conqueritur, neque tempus, neque vires sibi in extenuato et confracto corpore in ultima senectute superesse, ut Artem memoriæ, quam cupiebat, posset compilare. Libro etiam de Consilio divinarum dignitatum, quem omnium postremum scripsit in Sicilia, refert suum propositum ad Saracenos transfretandi, et pro Christo mortem obeundi, quem his verbis claudit: *Ad laudem et honorem Dei finivit Raymundus librum istum, mense Madii, in civitate Messana an.* MCCCXIV, quo in Africam trajecit sub mense Augusti, et obiit anno insequenti, ætatis ferme octuagesimo sive septuagesimo nono, uti diximus tomo 2 nostrorum Annalium, licet Typographi errore, pro verbo *nono*, irrepserit *anno*.

D

ad annos fere 200,

et tamen solum octogenarius obiit.

147 His apertis temporum computatis calculis, manifestum relinquitur, nihil Raymundo Lullo commune esse cum libris Alchimiæ. Liber autem ille *de secretis naturæ et quinta essentia rerum*, qui huc etiam spectat, et Lullo falso tribuitur, habet in aliquibus exemplaribus Prologum supposititium, a quodam sciolo præfixum, valde similem ei, quem habet liber, cui titulus *Arbor scientiarum*, vere a Raymundo compositus: sed uti vel ipse fatetur Bzovius, in tribus exemplaribus libri prædicti, *de secretis naturæ* (quæ vidit in Bibliotheca Vaticana, et ego etiam consului) omnia sunt adeo inter se diversa; ut etiam Prologus seu Præfatio hæc in aliis codicibus, præter unum Venetum, excusum an. MDXIV, habeatur. Videat ergo lector, quam infirmum argumentum hinc desumi possit, ad probandum, Lullum ejusdem libri fuisse compilatorem.]

Falso quoque veri libri Prologus ad Chimicum unum translatus docetur.

E

148 Hisce Waddingi et Muti judiciis, quod addam, non habeo: sufficient, opinor, sin minus ad destruendam, saltem ad debilitandam inveteratam illam de B. Raymundi periclitatione chimica opinionem. Quibus si accedat argumentum ex chronologia nostra deductum, quo aperte pateat numquam vel eminus Angliam vidisse Raymundum, ruet opinor anilis et putida de conflatis illic sex auri millionibus fabella. Nunc Acta ipsa exhibeamus.

VITA

ab Anonymo coævo scripta, ipso Beato adhuc superstite,

ex veteri MS. Majoricensi.

F

PRÆFATIUNCULA.

Jesus. Ad honorem, laudem et amorem solius Domini Dei nostri Jesu Christi, Raymundus, quorumdam suorum amicorum *a* religiosorum devictus (*precibus b*) in Francia narravit scribique *c* permisit ista quæ sequuntur hic de conversione sua ad pœnitentiam, et de aliquibus gestis ejus.

a bc

ANNOTATA J. B. S.

Ex hac præfatiuncula liquet, quod superius dixi §. 4, videri hanc Raymundi Vitam, si non a pluribus conscriptam, saltem ex plurium relatione ab uno aliquo compilatam.

a *Utrum hic viros religiosos, ordinem seu regulam peculiarem professos, an potius viros pios et timoratos innuat, non facile dixerim; equidem per eos intelligo, homines fide dignos, fuci et fictionis expertes.*

b *Addidi vocem* precibus, *ut sensus perficeretur.*

c *Ita Custurerius legendum putat, pro eo quod in MS. est.* sibique permisit, *ex ejus forsan temporis idiotismo, per quem, vel sic satis appareat quid Auctor velit: vide supra num.* 39.

ADMONITIO

A

ADMONITIO J. B. S.

Hoc jam præcipue monitum te volui, lector, in reliquis ad hanc Vitam Annotatis, id unum agi, ut quæ obscuriora sunt, explicentur, amanuensium lapsus restituantur, impleantur hiatus, denique quæ in disputationibus cum Saracenis duriuscula sunt, lævigentur. Cetera, siquæ sunt notatu digna, vel jam §. 6, 9 ac 10 exposui, vel ad Annotationes in secundam Vitam rejiciam, ubi paucula quæ forte adhuc occurrent, dubia commodius poterunt illustrari.

CAPUT I.

Raymundi conversio a seculi lasciviis ex Christi apparitione; martyrii desiderium: ardens studium ad convertendos Saracenos: prima ejus peregrinatio. Grammaticam discit et linguam Arabicam ex servo, a quo prope occiditur.

B

Obscœnis suis amoribus implicitus,

Raymundus, Senescallus mensæ Regis Majoricarum, dum juvenis adhuc in vanis cantilenis seu carminibus componendis, et aliis lasciviis seculi deditus esset nimis; sedebat nocte quadam juxta lectum suum, paratus ad dictandum et scribendum, in sua vulgari, unam cantilenam de quadam domina, quam tunc amore fatuo diligebat. Dum ergo cantilenam prædictam inciperet scribere; respiciens a dextris, vidit Dominum Jesum Christum, tamquam pendentem in cruce: quo viso, timuit; et relicto, quod habebat in manibus, lectum suum, ut dormiret, intravit. In crastino vero surgens, et ad vanitates solitas rediens, non de visione illa curabat; immo, cito quam per octo dies postea *a*, in loco quo prius, atque hora eadem, iterum se aptavit ad scribendum et perficiendum cantilenam suam prædictam. Cui Dominus iterum in cruce apparuit sicut ante: ipse vero, tunc territus plusquam primo, lectum suum iterum intrans, ut alias obdormivit. Sed adhuc in crastino, apparitionem negligens sibi factam, suam lasciviam non dimisit; immo, post pauculum, suam cantilenam nitebatur perficere inchoatam; donec sibi tertio et quarto successive, diebus interpositis aliquibus, Salvator, in forma semper qua primitus, apparet. In quarta vel quinta vice, sicut plus creditur, eadem apparitione sibi facta, territus nimium, lectum suum intravit; secum tota illa nocte cogitando tractans, quidnam visiones istæ toties iteratæ significare deberent. Hinc sibi quoque dictabat conscientia, quod apparitiones istæ non aliud intendebant, nisi quod ipse mox, relicto mundo, Domino Jesu Christo ex tunc integre deserviret.

a Crucifixi specie, repetitis vicibus apparente,

C

2 Illuc vero suam conscientiam, ream sæpius et indignam Christi servitio, acclamabat; *b* sicque super iis, nunc secum disputans, nunc attentius Deum orans, laboriosissimam noctem illam duxit insomnem. Denique dante Patre luminum, consideravit Christi mansuetudinem, patientiam et misericordiam, quam habuit Jesus circa quoslibet peccatores; et sic intellexit tandem certissime, Deum velle, quod Raymundus mundum relinqueret, Christoque, corde ex tunc integre deserviret.

moneri se intelligit, b ut Jesu Christo integre deserviat,

3 Cœpit ergo intra se cogitando tractare, quod esset servitium maxime Deo placens. Et sibi visum est, quod melius sive majus servitium Christo nemo facere posset, quam pro amore et honore suo vitam et animam suam dare; et hoc, in convertendo ad ipsius cultum et servitium Saracenos, qui sua multitudine Christianos undique *c* circumcingunt. Sed inter hæc ad se reversus, intellexit ad tantum negotium nullam se habere scientiam; utpote qui nec etiam de Grammatica aliquid, forte nec minimum, didicisset. Unde mente consternatus, multum cœpit dolere. Verum dum ipse mente lugubri hæc devolveret, ecce, nesciebat ipse quod scilicet scit Deus, instituit cor ejus vehemens ac implens quoddam dictamen *d* mentis, quod ipse facturus esset postea unum librum *e*, meliorem demum contra errores infidelium.

Quapropter nihil gratius Servatori reperiens, c

D

A. ANON. COÆVO.

quam Saracenorum conversionem, d e

4 Verumtamen cum ipse, super tali libro faciendo nec formam videret adhuc aliquam, neque modum, nimium tristabatur. Quanto tamen ipse super hoc plus et sæpius est tristatus, tanto fortius instinctus ille, seu dictamen faciendi librum prædictum, intra se crescebat. Sed rursum considerans, si Deus, processu temporis, faciendi prædictum librum gratiam largiretur, parum tamen vel nihil ipse solus facere posset; inde præsertim, cum ipse linguam Arabicam, quæ Saracenorum est propria, penitus ignoraret. Sed ad hoc sibi venit in mentem, quod iret ad Papam, ad Reges etiam et Principes Christianos, ad excitandum eos, ac impetrandum apud ipsos, quod constituerent in diversis regnis seu provinciis ad hoc aptis, monasteria, in quibus electæ personæ religiosæ, et aliæ ad hoc idoneæ, ponerentur ad discendum prædictorum Saracenorum et aliorum infidelium linguagia; ut ex eisdem, post ibidem convenienter instructis, in promptu sæpe assumi possent et mitti personæ idoneæ, ad prædicandum et manifestandum prædictis Saracenis et aliis infidelibus, piam, quæ est in Christo, fidei catholicæ veritatem.

tria secum firmiter statuit; mori pro Christo,

E

componere librum, ad conversionem Saracenorum et procurare monasteria ubi discatur lingua Arabica:

5 His igitur tribus articulis supradictis in animo suo firmiter jam conceptis; videlicet de morte toleranda pro Christo, convertendo ad ejus servitium infideles, de libro supradicto, si daret Deus, etiam faciendo, nec non de monasteriis impetrandis pro diversis linguagiis addiscendis, ut superius est prætactum; in crastino mox ascendit ad ecclesiam, quæ non longe ab ibidem distabat; et Dominum Jesum Christum devote, flens largiter exoravit, quatenus hæc prædicta tria, quæ ipse misericorditer inspiraverat cordi suo, ad effectum sibi placitum perducere dignaretur.

6 Post hæc ad sua reversus, cum nimis esset adhuc imbutus vita et lascivia seculari; in prædictis tribus negotiis persequendis, per tres subsequentes menses, scilicet usque ad sequens festum S. Francisci, satis fuit tepidus et remissus. Sed in eodem festo, prædicante quodam Episcopo apud fratres Minores civitatis Majoricarum, ipso Raymundo præsente, quod scilicet prædictus S. Franciscus, relictis et rejectis omnibus, ut soli Christo firmius mereret esse (conjunctus;) et ipse Raymundus tunc, S. Francisci provocatus exemplo, venditis mox possessionibus suis, reservatis tamen inde paucis ad sustentationem suæ conjugis ac liberorum suorum, committens se totum Christo, abiit, cum intentione numquam revertendi ad propria; ad S. Mariam de Rupis *f* amatore, ad sanctum Jacobum (Compostellanum,) et ad diversa alia loca sancta, causa Dominum exorandi et Sanctos suos, pro directione sua, in illis tribus quæ Deus, ut supra dicitur, immiserat cordi suo.

factus remissior, sed exemplo S. Francisci,

F

denuo accensus, f ad S. M. de Rupe amatoris et Compostellam proficiscitur.

7 Completa ergo peregrinatione sua prædicta, putavit iter arripere Parisios, causa addiscendi ibi Grammaticam, et aliquam aliam scientiam suo proposito congruam: sed ab hoc itinere, parentes et amici sui, maxime *g* F. Raymundus de Ordine Prædicatorum, qui quondam Domini Gregorii IX compilaverat Decretales, suis persuasionibus et consiliis diverterunt, et eum ad civitatem suam, Majoricarum scilicet, redire fecerunt. Cumque venisset illuc,

Suadente S. Raymundo de Pennafort g

A. ANON. COÆVO. *ad propria reversus,* A Illuc, relictis vestibus solennioribus, quibus usque tunc usus erat; assumpsit sibi vilem habitum de panno, quem ipse invenire poterat grossiore; et sic in eadem civitate didicit partem de Grammatica; *discit Grammaticam,* emptoque sibi ibidem quodam Saraceno, linguam Arabicam addidicit ab eodem.

et linguam Arabicam a servo: 8 Deinde post annos novem contigit, quod Saracenus ille, Raymundo quodam die absente, nomen Christi blasphemaret: quod cum reversus cognovit Raymundus ab iis qui blasphemiam audiverant; nimio fidei zelo motus, percussit illum Saracenum in ore, fronte ac facie; Saracenus vero, rancore nimio inde concepto, ex tunc cœpit mente tractare, quomodo dominum suum posset occidere. *quem cum blasphemantem corripuisset,* Cumque, præparato sibi gladio, quadam die videret sedentem dominum suum solum; irruit in eum subito, simul ipsum prædicto gladio percutiens, et cum rugitu terribili clamabat; Tu mortuus es.

9 Sed Raymundus, licet tunc ferientis brachium, quo tunc gladius tenebatur, ut Deo placuit, aliqualiter repulisset; vulnus tamen grave, licet non letale, super extomachum ex ferientis ictu recepit: prævalens tamen ipse viribus, illum Saracenum sibi substituit *h*: gladiumque violenter abstulit ab eo- B dem. *ab eo tantum non occisus est.* Deinde occurrente familia, prohibuit Raymundus ne Saracenum interficerent: permisit tamen quod ligatum ponerent in carcere, donec ipse deliberasset apud se, quid de illo foret potissime faciendum. Severum namque sibi visum fuit illum perimere, quo docente sibi, linguam multum optatam, scilicet Arabicam, jam sciebat; dimittere vero illum vel tenere diutius metuebat, sciens quod ipse non cessaret ex tunc in mortem ipsius machinari. *Perplexus Deum consulit* Perplexus igitur circa istud, ascendit ad abbatiam, quæ prope erat, orans ibi Dominum super hac re instantissime per tres dies: quibus completis, admirans quod adhuc in corde suo prætacta perplexitate remanente, Dominus, ut sibi videbatur, ipsius orationem nullatenus exaudisset; mœstus ad domum suam rediit. *reperitque paulo post servum laqueo sibi gulam fregisse.* Cumque illuc veniens se divertisset ad carcerem, ut suum captivum inviseret: invenit quod ipse, fune quo ligatus fuit, jugulaverat semetipsum. Reddidit ergo Raymundus gratias Deo, lætus quod etiam a nece prædicti Saraceni, servaverat manus ejus innoxias; et eum a perplexitate illa gravi, pro qua paulo ante ipsum auxius exoraverat, liberaverat.

C

ANNOTATA J. B. S.

a *Sensus videtur esse*, Ante elapsos dies octo, *vel* Ante octavam diem.

b *Intellige, quod conscientia sæpius rea, eum Christi servitio judicaret indignum.*

c *Saltem magna ex parte.*

d Aliter legi non potuit clausula illa in exemplari antiquissimo, *inquit Custurer*, licet satis percipiatur sensus intentus, quod notatum volui pro aliis quæ occurrent hujusmodi,

e *In transumpto vernaculo Vitæ, testatur haberi Custurer, quod* speravit et cogitavit se compositurum aliquos libros, alios aliis meliores.

f *Malim scribere de* Rupe Amatoris *vulgo* Roquemadour *vel* Requenaor; *vel, ut lego in veteri Chronico Belgico S. Petri apud Gandavum,* Rochemador. *Est autem oppidum in Vasconibus Provinciæ Cadurcensis, ubi imago illa Deiparæ celeberrima est, adeo ut mirandum sit, ignoratam esse a Muto et Custurerio, qui pro* Rupe Amatoris *scripsere* Montem Seratum, *procul dubio quo Sacrarium illud ipsis, hodie præsertim, longe sit notius altero. Monet me nuperrimis litteris Custurerius, ingenue se retractare quod in Diss. scripserat pag.* 493, *deceptus ex convenientia inter rupes* Montis Serrati, *in quibus B. V. thronum sibi* D *figere voluit, et rupem hanc qualemcumque, unde denominata est B. M. de* Rupe Amatoris.

g *Non alius is esse potuit quam* S. Raymundus de Pennafort; *ut tempus, locus et aliæ circumstantiæ aperte indicant.*

h *Palam est* Substituere *hic accipi pro* Subjicere, *aut pedibus substernere.*

CAPUT II.

In Monte Randa illustratus divinitus, scribit Artem Generalem. Profectio in Montem Pessulanum, Romam, Parisios, Genuam. Vana ejus trepidatio, qua superata, Tunisium properat.

Post hæc ascendit Raymundus in montem quemdam de Randa, qui non longe distabat a domo sua, *In monte Randa* causa Deum ibidem tranquillius contemplandi: in quo cum jam stetisset non plene per octo dies, accidit quadam die, dum ibi staret, cœlos attente respiciens, quam subito Dominus illustravit mentem suam, dans eidem formam et modum faciendi librum, de quo supra dicitur, contra errores infide- *divinitus illustratus,* E lium; de quo Raymundus immensas gratias reddidit Altissimo: descendit de monte isto, reversusque mox ad Abbadiam de la regali supradictam, cœpit ordinare et facere librum illum, vocans ipsum primo Artem majorem, sed postea, Artem generalem; sub qua arte plures, ut infra sequitur, fecit libros, in eisdem multum generalia principia ac magis specifica, secundum capacitatem simplicium, pro ut ex- *scribit Artem generalem* perientia eum docuerat, explicando. Posteaquam igitur Raymundus, in prædicta stans Abbadia, composuerat librum suum; ascendit iterum in montem prædictum: et in eodem loco, in quo steterant pedes ejus, dum sibi in illo monte Dominus ostenderat modum Artis; eremitorium sibi fecit, habi- *et eremitorium exstruit:* tans in eodem jugiter per quatuor menses et amplius; die nocteque Deum deprecans, quod ipsum, et artem quam sibi dederat, ad honorem suum et ad Ecclesiæ suæ profectum, pro misericordia sua dirigeret prospere *a*. a

11 Dum igitur ipse staret sic in eremitorio in eo orando; venit ad eum quidam pastor ovium, *ab ignoto pastore ovium* adolescens hilaris facie et venusta, dicens sibi sub F una hora tot et tanta bona de Deo et de cœlestibus, de Angelis scilicet et de aliis; scilicet quot et quanta, ut sibi videbatur, unus quicumque alius homo, vix per duas dies integras fuisset locutus; vidensque pastor ille libros Raymundi, deosculatus est eos flexis genibus suis, rigans eosdem: dixit- *multis Benedictionibus cumulatur.* que Raymundo, quod per illos libros multa bona Christi Ecclesiæ provenirent. Benedixit etiam pastor ille Raymundum multis benedictionibus, tamquam propheticis, signans caput et totum corpus ejus signaculo sanctæ Crucis, et recessit. Raymundus vero considerans hæc omnia, mirabatur; nam pastorem illum ipse numquam viderat alias, nec de ipso audiverat quemquam loqui.

12 Post hæc Rex Majoricarum, audito quod Raymundus jam fecisset multos libros bonos, man- *Hinc a Rege Montem Pessulanum evocatus,* davit pro ipso quod veniret ad Montem Pessulanum, ubi Rex ipse tunc erat. Cumque venisset Raymundus, illum fecit Rex examinari per quemdam Fratrem de Ordine Minorum, [et] libros ipsius, specialiter autem meditationes quasdam, quas ipse fecerat in devotione super omnes dies anni, XXX *libros examini subjicit;* paragraphos speciales diebus singulis assignando; quas meditationes, philosophia et devotione catholica plenas, non sine admiratione reperit Frater ille.

A ille. Fecit igitur Raymundus super prædicta Arte, sibi data in monte, in civitate illa, librum unum, vocans eumdem Artem demonstrativam, quam etiam legit ibidem publice: fecit super eumdem lecturam suam, in qua declarat, quomodo prima forma et prima materia constituunt chaos *b* elementore; et quod ipsa quinque universalia, decemque prædicamenta ab ipso chaos descendunt, et continentur in eodem secundum catholicam et theologicam veritatem.

b scribitque Artem demonstrativam.

13 Sub eodem tempore impetravit etiam Raymundus a prædicto Rege Majoricarum, unum monasterium construi in regno suo, et possessionibus dotari sufficientibus, ac in eodem tredecim Fratres Minores institui, qui linguam ibidem discerent Arabicam, pro convertendis infidelibus, ut superius est expressum: quibus, nec non et aliis, succedentibus aliis in eodem monasterio, perpetuo prædictis possessionibus, ad eorum necessaria, ministrarentur singulis annis quingenti floreni. Posthæc ivit Raymundus ad Curiam Romanam, causa impetrandi, si posset, a Domino Papa et Cardinalibus, hujusmodi monasteria, pro addiscendis linguagiis, per mundum institui. Sed cum ipse ad Curiam pervenisset, invenit Papam tunc recenter mortuum, scilicet Honorium Papam IV: propter quod derelicta Curia, direxit versus Parisios gressus suos, ad communicandum ibi mundo, quam sibi dederat Deus Artem.

Impetrato a rege monasterio, ad discendas linguas,

Romam eadem de causa pergit. B

Parisiis Artem prælegit,

14 Veniens ergo Raymundus Parisios, tempore Cancellarii Bertholdi, legit in aula sua Commentarium Artis generalis, de speciali præcepto prædicti Cancellarii: perlectoque Parisiis illo Commentario, ac ibidem viso modo Scholarium, ad Montem rediit Pessulanum: ubi de novo legit, et fecit etiam librum, vocans eumdem Artem veritatis inventivam; ponendo in ipso libro, nec non in omnibus aliis libris, quos ex tunc fecit, quatuor tantum figuras; resecatis, seu potius dissimulatis, propter fragilitatem humani intellectus, quam fuerat expertus Parisiis, duodecim figuris ex sexdecim, quas posuerat in Arte sua. Quibus omnibus in Monte Pessulano rite expletis; iter arripiens venit ad Januam; ubi moram faciens non multam, prædictum librum Artis inventivæ transtulit in Arabicum.

eam in Monte Pessulano reducit ad quatuor figuras,

et Genuæ vertit Arabice.

15 Quo facto direxit ad Romanam Curiam gressus suos, cupiens ibidem, ut alias, impetrare monasteria fieri per mundum, pro diversis linguis, ut supra dicitur, addiscendis. Sed ibi tunc, propter impedimenta Curiæ, parum circa suum intentum proficiens, deliberato consilio progressus venit ad Januam, ut inde transfretaret in terram Saracenorum, ad experiendum, utrum ipse saltem solus in aliquo posset proficere apud ipsos, conferendo cum sapientibus eorum, sic manifestando eisdem, secundum Artem sibi datam a Deo, Filii Dei Incarnationem, nec non Divinarum Personarum in summa unitate essentiæ Beatissimam Trinitatem: quam ipsi Saraceni non credunt, imo cæci, nos Christianos tres Deos asserunt colere. Cumque apud Januenses cito divulgatum esset, quod Raymundus jam venerat ad transfretandum in terram Saracenorum, causa convertendi eos ad fidem Christi, si posset; multum ædificatus est inde populus; sperantos quod Deus per ipsum aliquid bonum nollet facere apud ipsos *c* supra Saracenos: audiverant enim Januenses, ipsum Raymundum, pest conversionem ipsius ad pœnitentiam, accepisse in quodam monte divinitus scientiam quamdam sacram pro conversione infidelium.

Romam regreditur ad obtinenda monasteria: C

re infecta Genuam redit,

c

16 Sed cum Dominus sic Raymundum tanto gaudio populi, quasi quodam diluculo, visitasset; eumdem tentatione gravissima subito cœpit probare. Nam cum ad transfretandum, sicut prætangitur, navigium et alia parata fuissent, omnesque libri in navi cum cunctis aliis introducti; venit, ex quibusdam occasionibus, sibi tamquam fixum quid in mente, scilicet, quod si ipse transiret ad Saracenos, illi mox eum in adventu suo trucidarent, ad minus carceri perpetuo manciparent. Quare Raymundus, timens pelli suæ (sicut in passione quondam Domini, S. Petrus Apostolus) oblitusque sui propositi supradicti, quo scilicet mori pro Christo statuerat in convertendo ad cultum ejus infideles, Januæ, quodam detentus inerti timore, remansit. Sicque forsitan, ne inaniter de se præsumeret, permittente vel dispensante Domino, interim derelictus est *d*. Verum recedente jam de Janua prædicto navigio, Raymundus mox, super hoc quod ipse sic enormiter remanendo dedisset, populo scandalum....propter quod tactus est tanto dolore cordis sui, ut corpore febricitando gravissime ægrotavit.....*e*

transfretaturus in Africam, D

A. ANON. COÆVO EX MS, sed mortis metu resilit.

Hinc dolore afflictus,

d

graviter ægrotat:

e

17 Dum igitur Raymundus sic corporis et animæ gravi languore detineretur; pervenit ad eum rumor, quod galea quædam, stans in portu, se paraverat ad transeundum in Tunicium: quo audito ipse, quasi gravi somno evigilans, se mox in eamdem navim cum libris suis fecit portari. Sed amici sui, videntes eum in mortis janua existentem, sibi compatientes; ipsum etiam invitum de navi, quod multum doluit, extraxerunt. Verumtamen Raymundus, longe post intellecto, quod quædam navis alia, quam Januenses vulgariter Barcam vocant, ad prædictam civitatem seu regnum Saracenorum, scilicet Tunicium, se parasset itura; fecit se cum libris et aliis suis necessariis, contra amicorum suorum voluntates et consilia, in illam barcam deferri. Moxque, cum nautæ, de portu exeuntes, inciperent navigare; Raymundus sospitatem conscientiæ, quam sub nubilatione supradicta se crediderat amisisse, subito lætus in Domino, sancti Spiritus illustratione misericordi, recuperavit, una cum sui corporis languidi sospitate: in tantum, quod ipse infra dies paucissimos, mirantibus cunctis qui secum venerant, etiam semetipso, sensit se in adeo bono statu mentis et corporis, sicut antea fuerat in tota præterita vita sua.

dein moræ impatiens,

E

amicis nequidquam dissuadentibus,

Tunicium properat.

ANNOTATA J. B. S.

a *Primo huic secessui, studiis et pœnitentiæ operibus annos novem et amplius Raymundus impendit, ut dictum est superius* §. 6.

b Intellige quatuor elementa simplicia ad invicem mixta, *ait Custurer*, qua de re videnda sunt specialia principia Philosophica Lulli. F

c *Nempe, velle Deum, ut esset utilior Saracenis Raymundus quam Genuensibus.*

d *Specialibus auxiliis ei subtractis.*

e *Punctula illa hiatus indicant in MS. qui commode suppleri non potuerunt.*

CAPUT III.

Disputatio cum Saracenis. Mortis periculum. Ejus adventus Neapolim. Inanes conatus apud Pontificem, Genuenses, et Regem Galliæ. excurrit in Cyprum, unde denuo Gallias repetit.

Redditis ergo inde Deo gratiis debitis, cito postea subintraverunt portum Tunicii: ascendentesque in terram, intraverunt civitatem. Raymundus ergo, convocatis paulatim de die in diem peritioribus in lege Machometi, inter alia dixit eis; se bene scire rationes legis Christianorum in omnibus suis articulis, et ad hoc venisse, quod ipse auditis rationibus legis eorum, scilicet Machometi, si inveniret illas, habita

Tunicium appulsus.

A. ANON. COÆVO

A habita inter ipsos super iis collatione, validiores quam rationes Christianorum, converteretur ad sectam eorum *a*. Cumque sic de die in diem plures ac peritiores in lege Machometi ad eum confluerent, ostendentes eidem rationes legis suæ, ut sic eum ad sectam eorum converterent; ipse rationibus eorum leviter [facile] satisfaciens, ita dixit: Illam fidem tenere decet quemlibet sapientem, quæ Deo æterno, quem cuncti credunt mundi sapientes, attribuit majorem bonitatem, potestatem, gloriam et perfectionem, et etiam hujusmodi tribuit omnia in majori æqualitate et concordantia.

cum Mahumetanis disputat,

19 Illa etiam fides de Deo laudabilior est, quæ inter Deum, qui est summa et prima causa, et inter ejus effectum majorem ponit concordantiam seu convenientiam *b*; sicut ego per quæ mihi proposita sunt a vobis adduco *c*; jamque vos omnes Saraceni, qui estis sub lege Machometi, non intelligitis in prædictis et in aliis hujusmodi divinis dignitatibus, actus *d* proprios esse intrinsecos et æternos, sine quibus ipse fuisset otiose etiam ab æterno. *e* Actus vero Bonitatis dico, Bonificativum, bonificabile, bonificare; actus etiam Magnitudinis, sunt Magnificativum, magnificabile, magnificare *f*, et sic de B omnibus aliis divinis dignitatibus supradictis, et consimilibus. Sed quia vos istos actus prædictos, duabus solummodo divinis dignitatibus seu rationibus attributis, ut jam video, sapientiæ videlicet et voluntati; manifestum est ex hoc, quod vos in omnibus aliis supradictis divinis rationibus, Bonitate scilicet, Magnitudine etc. otiositatem relinquitis, ac per consequens inæqualitatem etiam ac discordiam inter easdem ponitis, quod non licet *g*. Per prædictarum etiam dignitatum, rationum, seu attributorum stabiles actus intrinsecos, et æternos, æqualiter ac concorditer acceptos, ut decet, probant evidenter [moraliter] Christiani *h*, in una simplicissima essentia et natura esse Trinitatem Personarum, scilicet Patris, Filii, et Spiritus sancti.

et ex principiis Artis suæ generalis, conatur demonstrare

20 Quod et ego per Artem quamdam, cuidam Eremitæ Christiano nuper divinitus (ut creditur) revelatam, vobis demonstrare potero claris rationibus *i*, si vos mecum super iis volueritis paucis diebus animo tranquillo conferre *k*. Apparebit enim vobis, si placet, rationabilissime *l* per eamdem Artem, quod in Filii Dei Incarnatione, per participationem unionis Creatoris et creaturæ in una persona Christi, prima et summa causa cum suo effectu rationabilissime concordat et convenit: et quod C etiam maxime et nobilissime hoc apparet in ejusdem Filii Dei Christi passione, quam ipse apte humanitatis assumptæ sustinuit, sua voluntaria et misericordiosissima dignatione, pro nobis peccatoribus redimendis a peccato et corruptione primi parentis, ac reducendis ad statum gloriæ et fruitionis divinæ; propter quem, et ad quem statum, finaliter nos homines fecit Deus benedictus.

Mysterium SS. Trinitatis.

21 Cum igitur super talibus jam illustrare videretur Raymundus infidelium mentes; contigit ut quidam Saracenus, non parum famosus, qui et verba et intentionem Raymundi perceperat, cum hortamine supplicaret Regi, quanto citius hunc hominem, qui gentem Saracenorum nitebatur subvertere, nec non ausu temerario, legem Machometi perimere, capite juberet truncari. Super qua re dum foret celebratum consilium, probato viro famoso plurimisque aliis instigantibus, jam inclinabatur Regis voluntas in necem Raymundi. Quod videns quidam eorum, prudens atque scientificus, conatus est tanto sceleri obviare, suadendo Regi, non fore sibi honorabile, ut talem virum interficeret; qui quamvis legem suam Christianam studeret diffundere, cum copiosa maturitate bonitatis et prudentiæ videbatur pollere; addens, quod etiam bonus reputaretur Saracenus, qui ad Christianos auderet ingredi, causa D imprimendi Saracenorum legum cordibus aliorum. Rex autem hujusmodi sermonibus et consimilibus acquiescens, destitit a morte Raymundi; verumtamen jussit continuo ut expelleretur a Regno Tunici. Cum ergo exereretur de carcere, passus est a multis multa opprobria, verbera et ærumnas.

Accusatus apud regem quod Saracenos subverteret,

ægre morti subducitur;

22 Denique tamen deductus est ad quamdam navem Januensium, proxime recessuram: et dum processisset, edictum est a Rege ut penitus lapidaretur, si quomodo amplius reperiretur in patria. [Quapropter Raymundus] immensum dolebat; disposuerat enim viros famosæ reputationis et alios quamplurimos ad baptismum, quos ante sui recessum toto animo affectabat deducere ad perfectum lumen fidei orthodoxæ. Cum autem hujuscemodi perplexitatis aculeo vir Dei teneretur afflictus, factum est, ut navis illa supra quam deductus fuerat, proficisceretur ad propria. Quod videns Raymundus, imminere sibi tribulationes undique sentiebat. Nam si recederet, videbat animas, quas jam disposuerat cultui Christiano, in laqueum relabi damnationis æternæ; si vero remanere præsumeret, jam Saracenorum in ejus mortem, paratam insaniam cognoscebat. E

mærensque bene inchoatam missionem cogitur deserere:

23 Ardens quippe totus Dei amore, non timebat mortis pericula subintrare; si tamen ex hoc posset consequi animabus effectum aliqualem salutis: et relicta nave recedente, quamdam aliam in eodem portu latenter intravit; sperabat enim, si aliquo modo posset, venire ad terram, absque impedimento impetus bestialis; eo quod in supradictis, opus bonum quod inceperat, consummaret. His igitur sic se habentibus, accidit quemdam Christianum, in gestu et habitu similem Raymundo, transire per civitatem; quem suspicati Saraceni fore Raymundum, apprehenderunt; qui dum vellent eum lapidare, clamabat homo ille; Non sum ego Raymundus. Et investigantes, sciverunt Raymundum fore in navi, evasitque ille de manibus eorum: remansitque Raymundus ibidem tribus septimanis. Qui videns, se nihil posse ibi pro Christi servitio adimplere, pervenit Neapolim, ibique legens Artem suam, moratus est usque ad electionem Domini Papæ Cœlestini Quinti.

et frustra ad eam conatur redire.

Neapolim appellit.

24 Post hæc ivit Raymundus ad Curiam Romanam, ut aliquid impetraret sibi diu affectatum, sicut superius est expressum, pro Christi fide a Domino Papa; ibique libros composuit. Aliquo vero tempore F retroacto, Domino Cœlestino Papæ Quinto successit Dominus Bonifacius Papa Octavus; cui etiam totis viribus conatus est supplicare Raymundus, pro aliquibus utilitatibus fidei Christianæ: et quamvis multas angustias, frequenter sequendo summum Pontificem, pateretur, ab intentione siquidem nullatenus desinebat; sperans ut indubitanter ipsum exaudire dignaretur, quia non pro bono proprio vel præbenda, sed incessanter pro publico bono Catholicæ fidei supplicabat. Denique tamen videns Raymundus, se a summo Pontifice aliquid obtinere non posse; profectus est ad civitatem Januæ, ubi libros aliquos compilavit. Denique advenit ad Regem Majoricarum; et initio invicem colloquio, arripuit iter Parisios; ibique Artem suam publice legens, libros quamplurimos compilavit. Postea Regem est allocutus, supplicans ei super quibusdam perutilibus Ecclesiæ sanctæ Dei; sed videns se parum aut nihil super talibus obtinere, regressus Majoricas, ibi trahens moram, conatus tam disputationibus quam etiam prædicationibus, trahere Saracenos innumeros ibi morantes, in viam salutis, fecit etiam ibidem libros nonnullos.

Nihil proficiens apud Papam; nec Genuæ, nec apud Regem Galliæ, libros componit; et Majoricæ Saracenos convertere nititur.

25 Factum est igitur, dum Raymundus talibus insudaret

A insudaret laboribus, ut nova discurrerent: videlicet, quod Imperator Tartarorum *m* Cassanus regnum Syriæ fuisset aggressus, illudque totum suo dominio ambiebat. Quod cum audisset etiam Raymundus, inventa navi parata, transfretavit usque Cyprum, ibique reperit nova illa penitus fore falsa. Videns igitur Raymundus, se frustratum esse ab intentione qua venerat; cœpit viam aliam perscrutari, qua posset tempus a Deo sibi præstitum, non in otio, sed magis in opere Deo accepto, proximoque proficuo consummare: condiderat enim cordi, sibi pervigili, consilium illud Apostoli dicentis: Bonum autem facientes non deficiamus, tempore enim suo metemus non deficientes; et Prophetæ dicentis: Euntes ibant et flebant mittentes semina sua, venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.

Spe nova illectus reducendi schismaticos, m tendit in Cyprum:

Gal. 6, 9

Ps. 125, 6.

26 Accessit itaque Raymundus ad Regem Cypri, affectu multo supplicans ei, quatenus quosdam infideles atque schismaticos, videlicet Jacobinos, Nestorinos, Momminas *n* ad suam prædicationem nec non disputationem coarctaret venire. Cum hoc etiam supplicavit, quod facto eo quod ibi posset, ad ædificationem prædictorum; Rex Cypri vellet eum mittere ad Soldanum, qui Saracenus est atque ad Regem Ægypti et Syriæ, ut eos sancta fide Catholica informaret. Rex autem de omnibus his non curavit. Tunc Raymundus, confidens in illo qui verbum evangelizat in virtute multa, prædicationibus et disputationibus apud illos cœpit, cum solo Dei auxilio, viriliter operari. Sed tandem prædicationibus ac doctrinis insistens, corporali infirmitate non modica gravatus est. Duo autem sibi serviebant, Clericus scilicet et famulus; qui non ponentes Deum ante conspectum suum, suæ salutis immemores, cogitaverunt viri Dei bona *o* scelerosis manibus extorquere; et dum se cognosceret per illos toxicatum, Raymundus eos a sui servitio, mansueto corde fugavit.

unde ad Ægypti Soldanum mitti postulat, n

B

et a Rege Cypri contemptus,

a famulis toxico inficitur, o

27 Perveniens in Famagostam, receptus est hilariter per Magistrum Templi, qui erat in civitate de Limisso, stans in domo ejus, quo usque recuperasset pristinam sanitatem. Posthæc autem Raymundus, transfretans Januam, quamplures edidit ibi libros. Deinde profectus Parisios, et Artem suam efficaciter ibi legit, et libros plurimos compilavit. Tempore igitur Domini Clementis Papæ V, a civitate Parisiensi recedens, pervenit Lugdunum: ibique residens, summo Pontificij supplicabat de re pro fide uberrimæ bonitatis: videlicet, ut ipse Dominus Papa ediceret monasteria fieri, in quibus viri constituerentur devoti et apti; qui diversarum gentium idiomata addiscentes, possent universis infidelibus prædicare Evangelium, juxta Domini mandatum, dicentis: Ite in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Quæ quidem supplicatio tam Domino Papæ quam etiam Cardinalibus modicum fuit curæ.

sibique restitutus redit Genuam;

inde rursus Parisios venit

Lugduni quoque frustra laborat.

C

Mar. 16, 15

ANNOTATA J. B. S.

a *Certus enim erat fide divina, dogmata et argumenta Saracenorum esse falsa; ideoque pro ea validiores rationes numquam ei proponendas, quam pro credibilitate fidei catholicæ ejusque veritate.*

b *Quod dictum existimat Custurer, sive propter perfectionem legis Christianæ, juxta illud;* Estote ergo vos perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est *(quæ perfectio recenseri solet inter signa credibilitatis nostræ fidei,) sive propter unionem Verbi cum natura humana, in unitate suppositi, unde mirabilis bonitas et dignatio Dei arguitur.*

c *Sensus videtur esse : Ego autem ex his quæ a vobis audivi, deduco; ea scilicet quæ sequuntur.*

d *Id est Communicationes, quibus scilicet Pater producendo Filium, communicat illi suam bonitatem, magnitudinem etc.*

D

A. ANON. COÆVO

e *Videatur Card. de Cusa Tom. 2 lib. 1. Excit. sermon. In principio erat Verbum, relatus a Custurerio pag.* 466.

f *Quibus scilicet essentia et attributa Divina communicata Personis Divinis productis, constituunt bonum Filium, magnum Filium etc.*

g *Hæc ita explicat Custurerius.* Scilicet quia vos conceditis intellectui et voluntati exercitia intelligendi et volendi; quæ alii, actus secundos reales, etsi non physicos; alii virtuales, alii formales appellant; nullum vero exercitium se communicandi per productionem alterius Personæ Divinæ tribuitis bonitati, magnitudini, aliisque Divinis attributis: ideo in his relinquitis hujusmodi otium (juxta citatam doctrinam Card. Cusani) atque adeo inæqualitatem et discordiam inter intellectum et bonitatem Divinam; siquidem illa haberet suum exercitium sive actum secundum intelligendi, bonitas vero careret illo exercitio, se communicandi et constituendi bonum in persona producta.

h *Scilicet supposita fide et gratia, in proponente rationes illas*

E

i *Intellige, fide et gratia Dei in me suppositis.*

k *Quia soli menti tranquillæ vim inferunt rationes hujusmodi : ita ut juvante Dei gratia, non ei liceat repudiare assensum mysterii.*

l *Siquidem mysteria fidei, non sunt contra, sed supra rationem, rationique naturali non difformia.*

m *Sanutius lib.* 3, *parte* 13, *c.* 8 *scribit,* Gozanus; *alii* Chaganus. *Hic, si Sanutio credimus, anno* 1300 *Soldanum Ægypti turpissimam in fugam conjecit, sub acta universa Syria, ejusque capite Damasco. Quod igitur Raymundus in Cyprum appulsus, nova illa falsa reperisse dicatur, ita intelligendum est, quod Cassanus, propter* violentiam sui consanguinei Caydo, *ad propria redire coactus, proditione Caycaph Saraceni, quem Damasco præfecerat, paulo post totam Syriam amiserit. Christianum fuisse* Cassanum, *testatur citato loco Sanutius, eumque obiisse ait* 1303.

n Momminas *non novi, puto legendum* Maronitas, *tertium genus Christianorum in Syria, Orthodoxos quidem, sed ritibus æque a nobis diversos quam sint Jacobitæ ac Nestoriani, quare etiam ipsi, Europæis tunc suspecti erant.*

o *Quæ procul dubio ex eleemosynis collecta reservaverat.*

F

CAPUT IV.

Bugiæ nova cum Saracenis concertatio, unde post diuturnum carcerem, jussu regio expellitur. Ex naufragio Pisas appellit. Genuæ, Parisiis et Avenione, quæ diu meditatus fuerat, proponit; sed incassum.

Hinc Raymundus regressus Majoricas, transfretavit ad quamdam terram Saracenorum, quæ vocatur Bugia; in cujus civitatis solenni platea stans Raymundus, exclamavit alta voce, prorumpens in hæc verba: Lex Christianorum est vera, sancta, et Deo accepta: Lex autem Saracenorum falsa et erronea, et hoc sum paratus probare. Dum vero hæc talia dicens, [ad] fidem Christi, Paganorum jam assistentem multitudinem lingua Saracenorum hortaretur; irruerunt multi nefandis manibus super eum, volentes ipsum penitus lapidare. Quibus sic sævientibus contra eum, Antistes seu Episcopus *a* civitatis, nuntios mittens, jubet sibi hominem hunc duci: cujus conspectui Raymundo præsentato, ait Episcopus; Cur tanta fuisti fatuitate deceptus,

Bugiam delatus,

a intrepide arguit Saracenos:

A. ANON. COÆVO.

A deceptus, ut [pro] lege Christiana, Machometi [legem] præsumpseris impugnare? Nescis sic quemlibet hominem præsumentem subjacere sententiæ capitali? Respondit Raymundus: Verus Christi servus, expertus Fidei Catholicæ veritatem, mortis corporalis pericula timere non debet, ubi vitæ spiritualis gratiam potest animabus fidelium adipisci.

quorum Antistiti

29 Cui Episcopus dixit: Si ergo credis legem Christi esse veram, legem vero Machometi falsam consideras, rationem necessariam hoc probantem adducas. Erat enim Episcopus ille famosus [in] Philosophia. Raymundus autem respondit: Conveniamus ambo in aliquo communi; deinde rationem necessariam *b* tibi dabo. Quod cum placuisset Episcopo, interrogavit eum Raymundus, dicens: Estne Deus perfecte bonus? Respondit Episcopus, quod sic. Tunc Raymundus, volens probare Trinitatem, sic cœpit arguere: Omne ens perfecte bonum, est in se ita perfectum, quod non indiget facere bonum extra se, atque mendicare *c*. Tu dicis, quod Deus est perfecte bonus ab æterno et in æternum: ergo non indiget mendicare, et facere bonum extra se. Quia si sic, tunc non esset perfecte bonus simpliciter: et quia tu negas Beatissimam Trinitatem, posita quod B non sit, Deus non fuit perfecte bonus ab æterno, usque quo produxit bonum mundum in tempore.

conatur demonstrare mysterium SS. Trinitatis: quamobrem pessime exceptus,

30 Tu autem credis Creatorem mundi, et ideo Deus fuit magis perfectus in bonitate, quando creavit mundum in tempore, quam ante; cum bonitas sit magis bonæ diffundendo se, quam existendo otiosa: hoc autem habeo pro te. Pro me vero habeo, quod bonitas ab æterno in æternum est diffusiva; et hoc est de ratione boni, quod sui ipsius sit diffusivum; quoniam Deus Pater bonus, de sua bonitate Filium suum generat, et ab utroque Spiritus bonus sanctus est inspiratus. Igitur Episcopus, ratione hujusmodi stupefactus, neque unam instantiam replicavit; sed eum jussit carceri mancipari. Multitudo autem Saracenorum foris stabat, expectans eum occidere. Verumtamen exit edictum ab Episcopo, ut in mortem hujus viri nullatenus conspirarent: intendebat enim ipse dictum virum exponere morti condignæ. Raymundus ergo exiens domum Episcopi, eundo ad carcerem, hinc quidem concussus ictibus baculorum, hinc manuum; inde vero per barbam, quæ prolixa fuerat, acriter retractus; reclusus est apud latrinam carceris latronum, ubi per aliquod tempus pœnabilem vitam duxit.

in tetrum carcerem conjicitur:

C 31 Postea vero positus est in quadam domuncula ejusdem carceris. Die vero crastina congregati sunt Clerici legis coram Episcopo, petentes ipsum interficere. Inito vero consilio qualiter eum perderent, determinabatur per majorem partem, ut adduceretur Raymundus; et si percipere possent eum esse virum scientificum, penitus interficeretur; si vero foret homo insipiens et stultus, dimitterent eum tamquam stultum. Quod audiens quidam eorum, qui transfretaverat de Janua Tunicium cum Raymundo, quique audiverat sermones atque rationes suas frequenter, ait ad eos: Videte ne hunc in prætorium præsentetis, tales siquidem contra legem nostram movebit rationes, quas difficile, vel impossibile erit vobis solvere. Tunc vero concordantes quod non adduceretur, pauco tempore retracto, ipsum mutaverunt in carcerem sæviorem. Deinde congregati Januenses et Catalani ibi existentes, impetraverunt, ut in locum decentiorem poneretur, quod factum est.

dein ad mortem postulatus, opera Catalanorum et Genuensium, honestius detinetur:

32 Stetit ergo Raymundus per dimidium anni carceratus ibidem; ad quem venientes Clerici vel nuntii Episcopi frequenter, ut eum ad legem Machometi converterent; promittebant ei uxores, honores, domum et pecuniam copiosam. Fundatus autem supra firmam petram vir Dei Raymundus, aiebat: D Ego, si credere volueritis, in Dominum Jesum Christum, istamque legem erroneam curabitis profligare, divitias summas vobis et vitam æternam promitto. Dum vero talibus frequenter insisteret, concordavit, facere quemlibet unum librum, ibique utraque pars suam legem, quibus posset rationibus efficacibus, confirmaret; insuper qui rationibus firmioribus uteretur, lex ejus verior crederetur. Et cum Raymundus jam suo libro daret efficacem operam, factum est ut ex parte Regis Bugiæ mitteretur, qui in civitate Contextinæ *d* tunc temporis residebat, quatenus Raymundus de Bugia visis litteris pelleretur.

et per medium annum ... cum Mahumetanis contendit, ac tandem expellitur.

33 Ascendens ergo navim quamdam in portu illo, præceptum est domino dictæ navis, ut in terra illa non sineret hunc virum amplius remanere. Dum ergo navis illa jam transfretaret, accidit ut supra portum Pisanorum, valida tempestas maris insurgeret: erant enim decem milliaribus remoti a portu Pisanorum; et cum navis undique pateretur gravissimos procellarum impulsus, denique naufragium patientes, aliqui mortui et submersi E sunt; alii vero auxilio Dei prævio evaserunt, inter quos Raymundus et socius ejus, omnibus libris et raupa *e* deperditis, qui, nudus *f* super barcam ad maris Superi littora pervenerunt. Et pervenientes in civitatem Pisanam, quidam ex civibus ipsum honorabiliter susceperunt: ubi vir Dei, licet jam foret antiquus et debilis, semper tamen labori pro Christo insistens, Artem suam generalem ultimatam perfecit: cujus quidem Artis, nec non aliorum librorum suorum, immensa efficacia, recogitatione sapida et perfecta, dignus est, qui non hujus mundi gloriam, vel vanam Philosophiam, sed Dei firmam dilectionem et sapientiam, tamquam finem ultimum et summum bonum, intendit.

Naufragium passus, ægre Pisas evadit: ubi artem generalem perficit:

34 Completa igitur Arte prædicta, multisque ibidem libris aliis consummatis, Communitatem civitatis Pisanæ volens etiam ad Christi servitium incitare, proposuit eorum Consilio, bonum fore, ut in eodem constituerentur ordine Milites Christiani, ad hoc scilicet ordinati, ut propter recuperandam Terram sanctam, continuum prælium exhiberent perfidis Saracenis; cujus grato eloquio, gratoque monito condescendentes, litteras summo Pontifici et Cardinalibus super hujusmodi salutari negotio conscripserunt. His vero litteris impetratis in civitate Pisana, Januam iter arripuit: consimiles litteras impetravit. Ubi ad eum devotæ matronæ atque F viduæ plurimæ concurrentes aliique civitatis ejusdem nobiles, promiserunt ei XXX *g* M. florenorum in auxilium Terræ sanctæ. Separatus itaque de Janua pervenit ad Papam, Avenione tunc temporis residentem: videns autem se de proposito suo ibidem aliquid obtinere non posse, Parisios iter arripuit; ubi et Artem suam publice legit, et alios libros quamplurimos, quos fecerat temporibus retroactis. Interfuit autem lecturæ suæ, Magistrorum atque etiam Scholarium multitudo: quibus non solum physicis rationibus exhibebat roboratam doctrinam, verum etiam aliis principiis Fidei Christianæ, mirum in modum confirmatam sapientiam proferebat.

et suadet Ordinem militarem instilui. Matronarum Genuensium liberalitas. Parisiis denuo Artem prælegit;

35 Sed propter dicta Commentatoris Aristotelis, scilicet Averrois, videbat quamplurimos a veritatis rectitudine, præcipue Fidei Catholicæ, non nullatenus diviare, dicentes; fidem Christianam, quantum *h*; sed ad modum intelligendi, fore impossibilem opinentur eam veram esse, quantum ad modum credendi, cum sint Christianorum Collegio applicati. Ideo Raymundus, via demonstrativa scientifica, hujusmodi conceptum eorum nitens improbare, eos redarguens

ibique ostendit contra Averroem,

A redarguens multipliciter reducebat, quia si fides Catholica intelligendi est impossibilis, impossibile est quod sit vera; *i* super quo siquidem libros fecit. Post hæc autem sciens Raymundus, fore a sanctissimo Patre Domino Clemente Papa V generale Concilium celebrandum apud civitatem Viennensem, anno Domini MCCCXI, in Kalendis Octobris; proposuit ire ad dictum Concilium, ut tria ibidem impetraret ad reparationem fidei orthodoxæ.

fidem non esse contra rationem naturalem, i

A Clemente V tria postulat; k

36 Primum quidem, ut locus constitueretur sufficiens, in quo viri devoti et intellectu vigentes, ponerentur, studentes in diversis linguarum generibus; qui omni caritate scirent doctrinam Evangelicam prædicare. Secundum vero, ut de cunctis Religiosis Militibus Christianis, fieret unus Ordo, qui ultra mare contra Saracenos, usque ad recuperationem Terræ sanctæ bella continua retinerent. Tertium autem, ut contra opiniones Averrois, qui in multis perversor extitit, Dominus Papa celeriter ordinaret remedium, quod per viros intelligentes et Catholicos, non intendentes ad sui gloriam, sed Christi honorem, obsisteret prædictis opinionibus B et eas tenentibus, quæ obviare videntur Veritati et Sapientiæ increatæ, Filio Dei Patris. Et de hoc compilavit Raymundus quemdam libellum, qui intitulatur *Liber Natalis*; promittens insuper habere rationes cogentes, tam physicas quam theologicas contra eos: quas quidem clarissime pertractavit in aliquibus librorum suorum. Fecit enim iste famulus Dei, summæ Veritatis et profundissimæ Trinitatis verus expressor, inter quotidianos labores suos, centum viginti et tres libros et plures.

Collegium ad discendas linguas,

Ordinum militarium unionem,

et Averroem scholis eliminari.

37 Nam jam elapsi erant anni XL *l*, postquam totum cor suum et totam animam suam, omnes et totas vires suas, et totam mentem suam in Deum direxerat; in cujus temporis intervallo libros fecit continue, cum vacare poterat et diligenter: quare verbum Prophetæ David merito potuit pronuntiare, dicentis: Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi: lingua mea calamus scribæ, velociter scribentis. Profecto lingua sua calamus fuit illius scribæ increati, videlicet Spiritus sancti, qui dat verbum evangelizantibus in virtute multa; de quo siquidem loquens Salvator, ait Apostolis; Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. Librorum autem suorum utilitatem volens omnibus esse communem, multos in lingua edidit Arabica, cum idioma illud novisset. C Divulgati quidem sunt libri sui per universum, sed in tribus locis fecit eos præcipue congregari; videlicet in *m* monasterio Carthusiensium Parisiis, et apud quemdam nobilem civitatis Januæ, et etiam apud quemdam nobilem civitatis Majoricarum.

l

Quot libros composuerit,

Ps. 44, 1

Mat. 10, 19 et ubi illi serventur.

m

ANNOTATA J. B. S.

a *Sic vocat Mystam seu Imam Mahumeticum, ad quem spectabat de rebus fidei cognoscere: Turcis* Mufti *dicitur.*

b *Quæ, ut sæpe Raymundus explicat, ita credibilem proponet veritatem fidei, ut Dei gratia accedente, quam Deus non denegat facienti quod in se est, homo nequeat prudenter fidem repudiare.*

c *Ita hanc rationem accipe, ut ante dictum est, de otio ex Cardinali Cusano.*

d *Puto legendum* in civitate Constantina. *Urbs est Numidiæ, dicta olim Cirta, quæ tunc temporis Regi Bugiæ subjecta, nunc, teste Marmolio, subest Regi Algeriano, uti et ipsa Bugia, olim Salde, portu gaudens capaci in ora maris Mediterranei, cum arce Valida ad ostia fluvii Majoris, atque ab ea sinus adjacens vulgo appellatur,* Golfo di Bugia.

e *Varia hujus vocis significata habes in Glossario Cangii. Proprie indicat furtum cujusvis supellectilis, sed patet hic sumi pro supellectile ipsa, quam Itali* roba *passim appellant. Plura qui volet, Cangium consulat: hoc ad rem nostram satis est.* D

f *Melius legetur,* nudi super tabulam.

g *Mirum quid in ea matronarum Genuensium liberalitate habuerit Bzovius quod carperet: non legimus beatum Lullum eam pecuniam sordida mendicatione extorsisse, sed ei ultro promissam et oblatam. Nec id alienum est a devotarum Genuensium mulierum zelo, siquidem legere me aliquando memini, tanto recuperandæ Terræ sanctæ ardore fuisse incensas, ut non solum pecuniam ad bellum sacrum conferre, sed vel ipsæ per id tempus Cruce signatæ in Palæstinam properare voluerint, eam Saracenis erepturæ.*

A. ANON. COÆVO

h *Id est, contrariam rationi naturali, quod negant Catholici Doctores; tenentes, non contra, sed supra rationem esse.*

i *Scilicet, si est contra principia revera evidentia, impossible est quod sit vera.*

k *Tria illa præcipue indefesso studio per annos fere quinquaginta promovere conatus est, idque variis suorum operum locis expressum assignat Custurerius pag.* 532 *et* 533. *Et sane id a Concilio saltem impetrasse videtur, ut scholæ linguarum Orientalium instituerentur, ut deduci potest ex Clementina I de Magistris, qua scholæ illæ variis in urbibus erigi præcipiuntur.* E

l *Elapsi omnino, nam tunc agebatur annus sextus et quadragesimus, quo pio illi operi insudare cœperat, ut Raymundus ipse in suo Phantastico testatur, et nos alibi dicemus.*

m *Certum est, apud Carthusiam Parisiensem non paucos Raymundi libros fuisse custoditos, qui non ita pridem, ut mihi significat eruditissimus Castellanus, a nescio quo Monacho, Divionem translati sunt, forte quod illic aliqui Artis Lullianæ speculatores inveniantur. Si Vernono credimus, servantur et in Bibliotheca Sorbonæ libri Lulliani duo supra octoginta, ubi, ni fallor, tantillum excedit. Laudatus Castellanus in epistola data* 23 *Aprilis* 1707, *superius non semel citata; testatur, in minori Sorbonæ Bibliotheca exstare volumina undecim in folio, non æqualis magnitudinis; quorum analysim, ut ita dicam, transcribit, tractatus singulos enumerans, eo ordine quo prædictis tomis continentur. Sed de librorum catalogo agetur alibi. Unde porro Vernono constet in Bibliotheca Vaticana reperiri libros Lulli* 422, *in Escuriali* 1113, *ad sancti Isidori Romæ* 1305, *ac denuum in Bibliotheca Pici Mirandulani opera* 2225, *nec ipse indicat, nec mihi promptum est divinare. De libris Genuæ asservatis, præter hunc Anonymum, vix ullus quod sciam, meminit. Ceterum ex Catalogo postea dando constabit, numerum majorem esse quam hic dicatur num.* 36. F

VITA II.

Auctore Carolo Bovillo Samarobrino, ad Ræmundum Boucherium Jurisperitum,

Ex editione Benedicti Gononi lib. 6. *pag.* 378.

PRÆFATIUNCULA.

Petisti interdum a me, mi Ræmunde, essetne quisquam Beatorum, cui Ræmundo *a* nomen fuisset, quique merito abs te ut patronus et consors nominis tui coleretur. Respondi esse quemdam Ræmundum Lullium, natione Hispanum, conversatione Eremitam *b*: cujus vitam nonnumquam a quodam Hispano *c* amico recenseri audieram. Ut ergo et in patronum *d* illum recipias, et tibi erga eum pia accrescat

a

b

c

d

A. CAR. BOVILLO.

A crescat devotio, quæ verbotenus a me audisti, præsentibus litteris in memoriam revocabo.

ANNOTATA J. B. S.

Fuit Carolus Bovillus Theologicis, Philosophicis, Mathematicis, aliisque scientiis apprime instructus, ut egregie docent monumenta ab eo posteritati relicta, et a Gesnero in Bibliotheca enumerata. Sunt qui Canonicum vocent Noviodunensem seu Ambianensem ut Cl. Robertus de Epp. Ambianen. quod ad rem nostram nihil admodum interest; illud satis; virum fuisse, cujus auctoritate res de Raymundo narratæ niti merito possint

a *De nominis orthographia actum superius in Comment. præv.* §. 6. *ubi et plures Beatos alios Synonymos ostendi, sed Lullum præ ceteris Bovillus coluit.*

b *Ita pingi Raymundus, ita vocari passim solet; præsertim quod toto fere decennio eremiticam et solitariam vitam duxerit, et reliquo vitæ tempore pœnitentis habitum non deposuerit. Neque hoc impedit quo minus tertiam Regulam S. Francisci professus dicatur, licet hujus rei authentica adeo monumenta, neque in hac,* B *neque in aliis Vitis antiquioribus occurrant.*

c *Non ex sola Hispani illius narratione Vitam Bovillus contexuit; ut fatetur ipse in opusculi sui conclusiuncula, dicens,* partim audita, partim litteris perspecta *esse quæ jam descripserat. Imo si Vita præcedens cum hac Bovilliana conferatur, usque adeo in multis convenire deprehendetur, ut vel Hispanam Vitam Anonymi legisse oporteat, vel Bovillum ipsum, partem ejusdem non exiguam habuisse perspectam.*

d *Pro* Sancto *habitum a Bovillo Raymundum, dubitari non potest, quidquid ab hujusmodi titulo abstineat; quis enim Catholicus patronum alteri assignat, erga quem* clientis pia accrescat devotio, *nisi vere existimet patronum talem jam cœlo receptum, quod et ipse Bovillus diserte testatur.*

CAPUT I.

Prima Raymundi juventus et ab insanis amoribus resipiscentia. Mirabiliter illustratus, plurima edit opuscula.

Educatus in aula et amoribus implicitus,

Ræmundus, cognomine Lullius, natione Majoricensis (est enim Majorica Hispaniæ insula) eum apud Majoricarum Regem gerebat magistratum, quem vulgo Senescallum appellant. Seculariter ergo C in palatio Regis educatus, pro more aulicorum mundialiumque virorum, totus inter amores vivebat; inque ipsis amoribus, non modo flagrantem juventam, sed et majorem vitæ *a* partem inaniter consumpsit: in dictandis Dionæis *b* cantilenis præcipue intentus. Diligebat autem præ ceteris Dominam quamdam, venusta quidem et eleganti facie; duo tamen erant, quæ illam in ejus amplexus venire haudquaquam sinebant. Primum erat, legitimus mariti thorus: secundum, occultus cancri morbus, qui quamquam sub veste lateret, illius tamen pectus jam usque adeo exederat, ut ejus præcordia nudarentur, utque dirus fœtor inde exhalaret. Insanabilis erat hæc cancri pestis in pectore mulieris, sed longe insanabilior cupidinei amoris cancer mentem laniabat Ræmundi. Tam enim vesano atque illicito obrutus amore, qui cæcus imprimis erat mente, corporeis etiam pene oculis cæcus a cunctis credebatur.

perdite insequitur honestam matronam,

2 Nam, ut mihi retulit, qui historiam ipsam denarrabat; cum quadam die Ræmundus equo conscenso in foro spatiaretur, videretque eam quam fatuo amore diligebat, in vicinum templum divinæ precis causa profectam; mox (tametsi eques) illam in templum prosecutus est, ex quo confestim (velut D amens et impos sui factus) cum ingenti omnium risu explodi meruit. Dolens vero mulier, tantum virum, et qui honesto magistratu apud Regem fungebatur, illiciti sui amoris causa, et vesanum fieri, et verti in fabulam vulgi; cogitavit quibus mediis illum, et ab amore sui averteret, et ad mentis sanitatem revocaret. Advocato ergo semel (ut a marito impetrarat) in colloquium Ræmundo, eoque in cubiculum introducto; illi extemplo pectus (ut cancrino erat exesum morbo, utque teterrimo odore squalebat) nudare haudquaquam erubuit, simulque verba hæc illius auribus inculcavit: Vide, quid, o Ræmunde, diligas. Agnosce quam olidum cadaver ipse tantopere ames. Studium quod hactenus erga me tam stulto amore impendisti, Christo cautius fuit abs te dicandum. Potuisses equidem jam ab illo regna promeruisse cœlestia.

et eques quidem in templum;

ubi ludibrio habitus,

et muliebri sapientia convictus,

3 His verbis dum vir insipiens a sapienti muliere corripitur; infirmus ab infirma sanatur, cancer a cancro expellitur. Nam cancer amoris, qui mentem Ræmundi laniabat, aspectu cancri alterius, qui pectus muliebre jam fere consumpserat, momento disparuit. Tanto enim perfusus animi dolore Ræmundus, videns seipsum sapienter a femina coargui: insuperque, quod tanto tempore solius faciei E nitore deceptus, ea minime cognovisset, quæ sub vestibus latebant; illico domum repetiit, sequeorationi subdens, omnem suam operam summis votis Christo in posterum dicavit. Apparuit igitur ei mox sacra quædam ac propitia visio; imago, inquam, Crucifixi, in hæc verba ipsum alloquentis; Ræmunde, sequere me. Cumque hæc cœlestis visio frequentius ad eumdem ex divina bonitate iteraretur; statuit apud se Ræmundus, abjecto divitiarum fastu, dimissaque familia relinquere mundum. Cuncta *c* igitur vendidit quæ possedit, pretiaque pauperibus erogavit. Orare deinde cœpit totis viribus Dominum, ut ei lumen et gratiam largire dignaretur, qua liber a se edi posset, quo Mahumeticam legem reprobam esse perdoceret, et Saracenicam gentem ad fidem Christi, quibus posset rationibus, alliceret.

resipiscit.

A Christo monitus

c dimissa familia dat se orationibus;

4 Perseverans ergo plurimis diebus in oratione, non modo in editionem libri unius lumen obtinuit; sed repente tota mente illustratus a Domino (dat enim Dominus quibus vult affluenter, et non improperat) admiratus est se (quippe prius idiotam) momento, omnium scientiarum, cum humanarum tum divinarum principiis superne fuisse imbutum; et F (juxta sacra eloquia) omnem simul a Spiritu sancto edidicisse veritatem. Gratias igitur agens Deo, ab Io. 16, 13 oratione surrexit; sentiensque lucernam, quam Deus in mente ejus accenderat, non ponendam esse sub modio, sed super candelabrum, ut luceret omnibus qui in mundo sunt; statuit Parisios proficisci *d*: ibique, quamquam quadragenarius, Grammaticam audivit, cœpitque, deinceps Latino sermone lumen (quod divina inspiratione illi communicatum fuerat) non modo aliis coætaneis suis impertiri; sed et variorum librorum compositione, reservare ad posteros. Innumera enim edidit opuscula, e quibus hæc sunt, quæ ad meam notitiam pervenerunt.

incensusque studio scientiarum,

d prope quadragenarius discit Grammaticam.

Liber Gentilis *e*.
Alius liber Gentilis,
Liber contemplationis.
Alius liber contemplationis.
Ars compendiosa.
Alia ars compendiosa.
Ars magna.
Ars inventiva.
Ars demonstrativa.
Ars decem propositionum.

Tabula

A Tabula generalis.
Ars brevis.
Liber doctrinæ puerilis.
Liber Blaquernæ.
De mirabilibus.
Liber beatæ Mariæ.
Liber Angelorum.
Liber Antichristi.
Liber amici et amati.
Ars amatoria.
Philosophia amoris.
Liber tertiæ figuræ.
Liber principiorum.
De prima et secunda intentione.
Logica breyis.
Logica nova.
Liber hominis.
De medicina peccati.
Liber tartari.
Disputatio fidei et intellectus.
Liber intellectus.
De libera voluntate.
Liber memoriæ.
Liber animæ.
B De refrigerio intellectus.
De ascensu et descensu intellectus.
De principiis Theologiæ.
De principiis Philosophiæ.
Ars Philosophiæ.
Liber de Philosophia.
Liber Proverbiorum.
Ars medicinæ.
Ars juris.
Alia ars juris.
Liber significationis.
Liber luminis.
Ars consilii.
Ars navigandi.
Ars astronomiæ.
De erroribus Boetii et Fulgerii.
Ars prædicandi.
De militia.
Quæstiones sententiarum.
De prædestinatione.
Disputatio Ræmundi et hominis Saraceni.
De his quæ de Deo sunt credenda.
De Trinitate et Incarnatione.
De proprietatibus Dei.
Liber Clericorum.
C Prædicatio contra Judæos.
Ars divina.
De potentia, objecto, et actu.
De duratione.
De beatitudine.
Liber Chaos.
Liber quæstionum.
De sexto sensu.
Liber naturæ.
De substantia et accidente
Excusatio Ræmundi.
De fine.
De Terra-sancta.
De articulis fidei.
De septem sacramentis.
Rhetorica nova.
Liber Articulorum.
De intellectu Dei.
De quinque sapientibus.
De Deo.
Ars notanda.
Ars electionis.
De divina et individua majestate.
De experientia realitatis.
Liber phantastici. D
De concordia fidei et intellectus. A. CAR.
De æqualitate actuum animæ in beatitudine. BOVILLO.
De propriis et communibus actibus.
De perseitate.
De divinis Personis.
De potestate divinarum rationum.
De nominibus differentiarum Personarum.
De sufficientia trium Personarum.
Ars mystica.
De perversione entis tollenda.
Metaphysica nova.
Liber Physicorum.
De ignotis Corollariis.
De naturali modo intelligendi.
Supplicatio Ræmundi.
De conversione subjecti, prædicati et medii.
De ente infinito.
De possibili et impossibili.
Contra Averroem.
De fallaciis.
De centum syllogismis.
De syllogismis contradictoriis.
De natali.
De lamentatione. E
De divina unitate.
Sermones contra Averroem.
De efficiente et effectu.
De facili scientia.
De quæstionibus sapientiæ.
De Deo et universo.
De forma Dei.
De substantia et actione Dei.
De quæstione alta et profunda.
Libri Alchimiæ. *f* *f*

ANNOTATA I. B. S.

a *Hoc est priorem vitæ partem : nam anno circiter ætatis trigesimo resipuit.*

b *Venereis seu amatoriis.*

c *Hoc etiam accommode intelligendum : nam ea saltem reservanda putavit, quæ alendæ familiæ erant necessaria, iisque promovendis quæ ad Dei gloriam meditabatur. Sic in Phantastico scribit cap.* 2. sese omnia, ut Deo honorem et bonum publicum posset procurare, et sanctam fidem exaltare, libenter dimisisse. *Et in sua Lamentatione affirmat, tantum se impendisse bono Ecclesiæ procurando, ut liberos pauperes reliquerit,* Que per esse mis hyos quedaron pobres.

d *Quæ hic Bovillus aliquantulum contrahit, distinctius supra enarravit Anonymus. Et hanc Parisiensem profectionem auctor præcipitat, cum Raymundus toto decennio privatam egerit vitam, antequam ex insula pedem extulerit.* F

e *Nec catalogus ille hic apte inseritur. Vide Dissertationem nostram historicam, hæc omnia fusius, ex Nicolao Antonio aliisque pertractantem. Nolui tamen seriem illam qualemcumque præmittere, nequid ex Vita detraheretur.*

f *Vide de his* §. II, *et quæ de spuriis illis operibus ad catalogum Antonianum infra dicentur.*

CAPUT II.

Discense Arabic prope occiditur. Post solitudinem, Romam, et alias urbes petit. Tuneti periclitatur. Peregrinationes variæ usque in Orientem.

Præter hos autem, dicitur et alios quamplurimos edidisse, tum Hispano vulgari, tum Arabico. Nam summopere cupiens Saracenorum gentem Christianæ fidei lumine illustrare, ab emptitio servo Saraceno Arabicam

Ut Saracenorum conversioni allaboret

A. CAR. BOVILLO.

A Arabicam linguam, imprimis ejus rei gratia, edidicit. Timensque ideo emptitius Saracenus, qui eum docuerat, ne Ræmundi doctrina Mahumeticæ legi perniciosa fieret (præsertim cum solius prædicationis causa, Arabici sermonis peritia, ab eo se imbui postulasset) iis magistrum et dominum Ræmundum occidere conatus, grave illi vulnus (non letale tamen) in pectore inflixit. Prævalens autem in servum Ræmundus, gladium ab eo violenter extorsit: et ut clemens erat, eum ab amicis occidere volentibus liberavit, claudi tamen ab eisdem in carcere permisit. Saracenus vero dolens quod magistrum et dominum occidere non potuit, laqueo in carcere vitam finivit.

a servo docetur Arabice, ab eoque fere occiditur.

6 Paucis post diebus, abiit orationis causa in quemdam *a* montem, non longe a domo sua distantem, in quo cum septem ferme dierum spatio, orationi et meditationi incumbens; perstitisset, novum lumen cœlitus accepit eorum, quæ tantopere scire cupiebat. In eo quoque loco, quo stabat in monte, dum cœleste lumen illi a Patre luminum indultum est, eremiticam cellulam sibi extrui præcepit; in qua pluribus mensibus permanens, nocte dieque orationibus ac meditationibus vacans, nonnullis B tandem cœlestibus visionibus visitari a Deo promeruit. Deinde relicta cellula, Romam *b* perrexit, petiturus a summo Pontifico et cœtu Cardinalium, ut diversa per mundum fierent cœnobia, in quibus prudentes ac devotissimi viri (qui supplicia quæque tyrannorum pro Christo subire minime expavescerent) in variis linguis, publicæ prædicationis gratia instituerentur.

a Novo lumine per frequentes meditationes cœlitus illustratus, b Romam cogitat,

7 Cum vero Romam pervenisset, summum Pontificem Honorium Quartum recens mortuum comperiens, a proposito desistere coactus est. Ex Romana deinde Curia Parisios petiit sub Cancellario Bertholdo; in cujus aula, et ex præcepto ejus, Artem suam generalem publice interpretatus est. Ex Parisiis Montem Pessulanum adiit: quo in loco plurima et edidit, et publice legit opuscula. Hinc Genuam profectus, Artem suam inventivam ibidem in Arabicum transtulit. Rursum ex Genua Romam, prioris supplicationis causa reversus, ob Ecclesiasticæ Curiæ impedimenta, nihil ex intento obtinuit. Rediens ergo Genuam, ut inde in Africam ad Saracenos, Christum illis annuntiaturus, migraret; inventa navi, impositisque in eam libris suis, in regnum Thunicii trajecit. Ingressus ergo Thunicium, C pluribus diebus cum majoribus ac peritioribus Mahumeticæ legis de Christiana veritate disseruit. Delatus demum apud Regem, quod Saracenorum mentes a Mahumete averteret, in carcerem conjectus est, jussusque paulo post a Rege capite truncari. Affuit tamen Ræmundo unus quispiam ex peritissimis Arabum sacerdotum, qui et Ræmundum diligebat, et eum libenter audiebat; precatusque Regem, ne tantum virum occidi juberet; obtinuit, ut Ræmundus dumtaxat regni finibus pelleretur, cum denuntiatione, ut si quando in regnum revertisset, mox capitis supplicio damnaretur.

postulaturus Monasteria, in quibus omnes linguæ docerentur: non auditus, pergit Parisios, ubi Artem prælegit. Proficiscitur ad Saracenos, a quibus multa passus et Neapolim delatus,

8 Igitur per ignominias, opprobria, verbera, et ærumnas pulsus e Thunicio, Neapolim venit; ubi et Artem suam legit, et ad electionem usque Pontificis Cœlestini Quinti permansit. Huic vero Cœlestino Quinto cum Bonifacius Octavus successisset; Romam iterum Ræmundus abiit, eadem quæ prius ab eo petiturus. Cum tamen Pontificem sequens multis diebus nihil proficeret, Genuam denuo proficisci statuit; ubi et alios complures libros cudit. Hinc ad Regem Majoricarum perrexit, cum quo habito colloquio, Parisios rediit; ibique et Artem suam iterum legit, et plurimos libros composuit.

frustra Cœlestinum V et Bonifacium VIII de Monasteriis etc interpellat

9 Franciæ quoque Regem Philippum allocutus D est, petens ab eo, quæ prius a Pontifice Summo postularat. A quo cum nihil obtinuisset, reversus Majoricas, cum Saracenis et Judæis, qui in eo loco habitabant, quotidie disputabat. Inde profectus Cyprum, oravit a Rege Cypri, ut cunctos in lege Christi schismaticos, velut Jacobitas, Nestorianos, Georgianos et alios hujusmodi viros, prædicationi suæ interesse juberet, ut hoc pacto illos ad Christianæ fidei reduceret unitatem: ibique prædicationibus et doctrinis insistens, veneno ab inimicis accepto, vix mortis pericula evasit. Inde Genuam rediens, complures ibi edidit libros. Postea Parisios profectus, Artem iterum suam interpretatus est, librosque plurimos complevit. Deinde relicta Lutetia, Lugdunum ad Clementem Quintum pervenit: a quo cum pariter, quæ a superioribus Pontificibus petierat, postulasset; nihil ab eo, ut neque a superioribus, obtinuit.

uti et Regem Galliæ. Ex Cypro redux multos libros componit.

ANNOTATA J. B. S.

a *Est hic etiam hodie Majoricensibus summa in veneratione, vulgo* Randa *dictus, de quo plura Anonymus. Plura etiam recentiores de* Lentisco, *de prodigiosis* E *characteribus, foliis etiamnum impressis etc. quæ cum ab auctoribus nostris non memorentur consulto prætermisi. Vide supra a num.* 123.

b *Lege* §. 6, *ubi Raymundi itinera paulo accuratius deducta invenies.*

CAPUT III

Bugiæ in Africa ægre mortem evadit. Naufragus Pisas enatat. Genuæ pecuniam colligit. Convenit Clementem V, et Averroem insectatur.

Tandem Majoricas rediens, rursum ad Saracenos in Africam transfretavit, venitque in regnum Bugiæ; cujus regiam civitatem ingressus, cœpit (more Jonæ Prophetæ) per plateas ejus ambulans, clamare alta voce, Lex Christianorum vera et sancta est, et sola grata et accepta Deo; lex autem Saracenorum falsa et erronea: et ego ecce quæ dico, rationibus invincibilibus demonstrabo. His ejus verbis auditis, cum lapidare eum vellet omnis turba populi; jussus est ab Antistite civitatis ei præsentari; quem ita summus Sacerdos affatus est: Cum noris capite F plectendum esse qui in Mahumetem blasphemus extiterit; cur in ejus legem nefanda verba publice jactare ausus es? Cui Ræmundus; Verus (inquit) Christi servus, indubitatam expertus Catholicæ fidei veritatem, omni postposito mortis timore, illam ubique efferre, et omnibus annuntiare debet. Respondit Antistes: Si Christianam fidem veram esse credis, rationem coram me adducito, qua illius veritatem confirmes. Statim autem Ræmundus cœpit mysterium sanctissimæ Trinitatis *a* doctissime explicare. Cum Ræmundus scite coram Saracenorum Antistite Alsakino *b* disseruisset; nihil ab eo responsi audivit. Et quamquam idem Alsakinus in omni Philosophiæ parte non mediocriter esset institutus; ad verba tamen Ræmundi stupefactus, non verbis verba, non rationes rationibus objecit; sed ad solitas tyrannorum vires confugiens, per satellitum manus illum carceribus demandavit. Cum autem e pontificia domo in carcerem duceretur, alii quidem vellentes barbam ejus, eum in terram prosternebant, alii fustibus, alii manibus, pugnisque duriter cædebant.

Zelo intrepido Christum denuo in Africa prædicat, disputatque cum Mahumetanis, a b sed tetrum in carcerem detrusus,

11 Demum non tam ductus, quam violenter et cum omni ignominia pertractus, non tam in carcerem,

dire a Saracenis torquetur,

A rem, quam in latrinam carceris latronum; ibi teterrimo squalore aliquo tempore cruciari permissus est: oratione tamen Genuensium Mercatorum, qui civitatem illam propter negotia incolebant, et liberatus a morte est, et decentiori honestiorique carceri deputatus, in quo dimidium annum transegit. Venientes autem frequenter ad eum in carcere peritiores quique Saracenorum, missi a suo Antistite, vice versa illum ad Mahumetæam legem allicere facere studebant, ingentia quæque illi pollicentes, nobilissimam uxorem, servos, multamque familiam, domum, divitias, agros, honorem regiumque favorem: quæ omnia flocci pendens Ræmundus, e diverso benigne illos ad Christianam fidem hortabatur; non gazas illis, aut fortunæ bona, sed vitam æternam promittens: non Regum favorem, sed divinum amorem, inque Dei filios adoptionem. Cum vero nihil invicem proficerent; convenit tandem inter eos, ut ab utraque parte libri cuderentur, quibus utra lex melior, sanctior, ac verior esset, apertis patentibusque rationibus ostenderetur.

opera Genuensium vix morti ereptus.

Saracenis interim

ad eum pervertendum laborantibus,

12 Jam Ræmundus sua ex parte plurimum in cudendo libro profecerat, fereque opus ipsum ad calcem deduxerat; cum ob adventum Regis Bugiæ B in civitatem, manus ab opere revocare cogitur. Ubi enim regiis auribus innotuere, quæ Ræmundus in civitate moliebatur; mox et civitate et toto regno pelli Ræmundus a Rege jussus est. Pulsus vero quamdam Genuensium navem conscendit, in qua et libros posuit, Genuam trajecturus: ventorum tamen importunitate, alio navis perlata est, et decimo milliari a Pisanorum portu naufragium passa, multos in undis submersos destituit. Inter paucos qui evasere, Ræmundus et socius itineris ejus, omnibus libris in mare amissis, super trabem pene nudi in portum (divina ope illos protegente) pervecti sunt. Ingressus Pisanam civitatem Ræmundus, libros, pro more suo, plurimos in ea complevit; Communitatique persuasit (tunc enim florebant Pisanorum opes, quæ hodie mancipium sunt Florentinorum) de instituendo sacrorum quorumdam Militum Ordine, qui assiduis præliis in Saracenos grassarentur, quoad Hierosolyma et universa Judæa (quam Terram-sanctam vocant) e manibus ablata infidelium, Christianis sceptris subderetur.

jussu Regis Bugiæ regno pellitur.

Naufragium passus,

Pisanos hortatur ad subsidium Terræ sanctæ;

13 Permoti oratione et suavi eloquio Ræmundi, Pisani, litteras, nomine suo ad summum Pontificem, et universum Cardinalium Collegium conC scriptas, Ræmundo obtulerunt: qui acceptis litteris, illico e civitate profectus, Genuam adiit: paresque a Genuensibus litteras, ad Romanum Pontificem et Cardinales, impetravit. Insuper et plurimæ Genuensium matronæ ac devotæ mulieres, viginti quinque c millia nummum illi in auxilium recuperandæ Terræ sanctæ sponte promiserunt. Egressus ergo Genua Ræmundus, spe plenus, in Gallias ad Romanum Pontificem, qui tunc Avenionem incolebat, superatis Alpibus penetravit: litteras et Pisanorum et Genuensium sine mora Pontifici et Cardinalibus obtulit; addens (ut antea fecerat) nomine proprio conscriptam supplicationem, ut eorum animos in ingentem Reipublicæ Christianorum utilitatem inclinaret. Sed illi virum Dei Ræmundum, ob eremiticam humilitatem ludibrio habentes, inanem et sine fructu dimiserunt. Valedicens ergo eis Ræmundus, Parisios rursus adire statuit; ubi et Artem suam denuo legit, et quamplurimos libros absolvit, præcipue contra Averroem; quibus docebat, indignum esse, Christianos uti illius viri Commentariis in Aristotelem. Nempe illos adversari Catholicæ fidei, ac refertos esse impiissimis erroribus, qui juvenum mentes facile pervertebant; suoque judicio dignos esse illos ultricibus flammis.

uti et Genuenses,

c matronis XXV M. nummum offerentibus:

sed a Pontifice et Cardinalibus d ludibrio habitus,

Parisiis in Averroem invehitur.

D

A. CAR. BOVILLO.

ANNOTATA J. B. S.

a *Hæc apud Anonymum latius deducuntur; ubi videnda quæ ex Custurerio notavimus.*

b *Unde hoc nomen Bovillus acceperit, plane ignoro.*

c 30000 *florenorum scribit Anonymus, moneta fortasse ad gallicam numerandi rationem reducta, de quo nihil habeo statuere.*

d *Male hinc arguit Bzovius, Raymundum, tamquam stultum et fanaticum, a Pontifice et Cardinalibus rejectum. Alia sane obstabant, quo minus privati hominis supplicationibus annuerent; utpote quæ majoris erant moliminis, quam ut tam facile componerentur. Certum interim est de renovando bello sacro, in sequenti Viennensi concilio actum fuisse.*

CAPUT IV.

Sua promovet in Concilio Viennensi. Africam repetit. Martyr obit. Corpus Majoricam defertur. De ejus doctrina Auctoris judicium.

Divulgata deinceps fama generalis Concilii, quod E sub Clemente V Avenione, anno Domini millesimo trecentesimo undecimo Calendis Octobris celebrandum increbuit; statuit eo Ræmundus proficisci, tria (sicut antea fecerat) a summo Pontifice et Cardinalium consessu petiturus. Primum, ut per mundum varia juberentur extrui monasteria, in quibus viri sancti ac devoti, pro Christo mori nihil formidantes, varios sermones docerentur, ut in omnem terram exiret sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum: utque eorum prædicatione, fieret ex cunctis gentibus unum ovile, sicut et unus est jam pastor. Secundum, ut de cunctis religiosis Militibus, qui diversorum Ordinum sunt, fieret unus Ordo: qui trans mare assiduis bellis Saracenos lacesseret, donec Sancta-Terra Christiano pareret imperio. Tertium, ut auctoritate sanctissimi Patris Romani Pontificis, cunctorumque Cardinalium, inhiberentur scripta Averrois legi in Scholis Christianorum, eo quod in pluribus fidelium mentes a sinceritate et veritate fidei nutare cogunt, et ad impietatem perducunt. Harum autem trium supplicationum causa libellum edidit, de Natali pueri: quem magnifico Regi Franciæ Philippo dedicavit; in cujus calce easdem supplicationes inseruit, et eidem Regi cum ipso libro porrexit. Hic est ille liber, quem noster Stapulensis (vir, ut nosti, bonarum omnibus litterarum illustrator) cum libro de laudibus B. Mariæ, in lucem ex chalcographorum officina emitti curavit. In hoc enim manifeste Ræmundus contra Averroem et errores ejus insurgit. Nihil tamen ipse, tot tantisque laboribus assumptis, neque a summis Pontificibus, neque a Regibus, eorum quæ cupiebat, obtinere potuit.

Profectus ad Concilium Viennense

pro extruendis linguarum scholis,

Ordinibus Militaribus in unum conflandis,

eliminando e scholis Averroe,

nihil obtinet,

F

15 Perstitit nihilominus in ærumnis et vigiliis assiduis, a tempore assumpti propositi, plus quadraginta annis: in quibus divini obsequii gratia, continuis peregrinationibus, et librorum compositionibus incubuit, totum cor suum habens ad Dominum. Composuit autem libros (ut diximus) pene innumerabiles, et præcipue in tribus linguis, Latina, Hispana, et Arabica, propter Saracenos. Nam (ut supra ostensum est) Arabicam linguam ab emptitio servo Saraceno didicerat. Dicuntur et ejus libri in tribus præsertim locis haberi; Parisiis apud Carthusios: qui illum liberali hospitio excipere soliti erant. Genuæ, apud quemdam nobilem, cujus etiam diversorio utebatur. Et apud quemdam Dominum civitatis Majoricarum, in cujus pariter domum hospitii causa concedebat.

insumptis in eum finem annis jam 40,

et pluribus, libris conscriptis.

A. FAR BOVILLO. *a* *Africam repetit,*

16 Ad extremum Ræmundus, corpore jam senex, animo vero semper virens, ac indies robustior, rursum ex Majorica Tunitium *a* trajecit prædicationis causa. Quo cum pervenisset, agnitus statim ab incolis, mox concursu populi fuit e civitate ejectus, et lapidibus in portu obrutus. Sequenti vero nocte, cum forte (ut Deo placuit) Majoricenses quidam negotiatores Tunitiensium portum transnavigarent; viderunt a longe immensam luminis pyramidem *b*, e cumulo lapidum (quo obrutum Ræmundi corpus erat) procedentem. Admiratique rei novitatem, illuc sine mora divertentes, subruta lapidum congerie, defuncti *c* corpus invenere. Quod cum statim Ræmundi (quippe qui Majoricensis civis erat) esse cognovissent; impositum navibus Majoricas *d* secum retulerunt; diciturque hodie usque, in eo loco asservari corpus ejus, et plurimis claruisse miraculis.

lapidibus obrutus martyrio coronatur, *b* *c* *agnitumque corpus cœlesti lumine in patriam reportatur.* *d*

Quando Raymundus floruerit.

17 Quibus autem temporibus floruerit, satis constat ex his quæ denarravimus. Fuit enim temporibus Honorii Quarti, Nicolai Quarti, Cœlestini Quinti, Bonifacii Octavi, Benedicti Undecimi, et Clementis Quinti Romanorum Pontificum; et Philippi Franciæ Regis, cui librum de Natali pueri dicavit, obtulitque. Hunc Philippum autumo fuisse eum, quem Pulcrum *e* Francorum Historiæ vocant: hic enim erat qui circa annum millesimum trecentesimum regni sceptra tuebatur. Libros autem Ræmundi magis sententiæ altitudo, quam styli claritas commendat. Nam quantum celeros doctrina transiliunt, in tantum ab iisdem sermone superantur, humilioresque esse dignoscuntur; utpote qui non ab hominibus, sed a Deo scientiæ lumen imprimis acceperat, et deinceps ab hominibus jam pene quadragenarius dictandi scribendique normam didicerat: mentem enim ejus illustravit Deus, os vero sive linguam ejus erudivit homo. Habuit enim in Parisiensi studio præceptorem quemdam, Thomam nomine, cui complures libros dicavit, et quem (discipulus Magistrum instituens) Artem universam suam edocuit, mercedis loco reddens pro voce spiritum, pro emortua littera vivificantem doctrinam.

B *e* *Insignis laus* *doctrinæ Raymundi;*

18 Vere enim vivificantem doctrinam ejus dogmata censuerunt, quorum facio ipse alios judices, ne solus sensui meo inniti videar; quod facile a cunctis legentibus deprehenduntur, non esse hominum, sed potius cœlitus (ut præsens exposuit historia) indulta. Etenim præclara Spiritus sancti scientia (quam nos gratiæ donum, sive scientiam infusam appellamus) ea momento in hominibus supplet, perficit, operatur, quæ per hominum doctrinam, nullo aut labore aut tempore complentur. Hunc Ræmundum Faber noster (præsentium philosophantium facile decus) nimium veneratur et amat; mirifice doctrinam ejus effert, libros complectitur, et in publicam utilitatem ex officina in lucem emitti curat: quibus librum divinarum contemplationum, præ ceteris admirandum, ad manus omnium evulgavit; virum denique ipsum, ut Sanctum colit, quem revera ut sanctum, ut beatum, ut cœlestium consortem, ea quæ de eo adduximus testimonia, approbare sufficiunt.

quam plurimi semper fecit C *celebris Doctor Faber.*

CONCLUSIUNCULA.

Hæc sunt, mi Ræmunde, quæ ego de Ræmundo tuo (tuum enim illum voco, cujus nominis particeps ipse es) partim audita, partim litteris perspecta, vera esse credo. Tibique ea denarravi, ut sint tibi, tam vir, quam libri eruditione pleni, non minus in pretio, quam Fabro et mihi hactenus fuerunt. Hæc tibi suadeo, hæc te hortor, atque oro, ut virum collas, libros studiose percurras, inque illis proficias. Vale. Ex Ambianis MXVII Junii MDXI. D

ANNOTATA J. B. S.

a *Constans scriptorum omnium et concors sententia est, non Tuneti, sed Bugiæ in Africa martyrium subiisse Raymundum, ut mirum sit, urbem unam pro altera a Bovillo acceptam, nisi forte ex Hispani narratione deceptus fuerit.*

b *Hoc etiam affirmant plurimi, a Custurerio variis locis relati.*

c *Sunt qui velint, adhuc semivivum repertum, in navim deportatum, ibi paulo post expirasse; nisi malis supervixisse donec in Majoricæ conspectum navis appelleret; ut alii memoriæ proditum testantur.*

d *Videatur Nicolaus de Pax, cum aliis asserens, divino nutu navim Majoricas allapsam, cum frustra nautæ sacrum corpus Genuam deferre tentassent.*

e *Imo certum est, per Philippum Regem Franciæ judicari illum, quem* pulcrum *cognominant, quique ab anno* 1285 *ad* 1314 *regni gubernacula tenuit, B. Raymundo addictissimus, ut indicatum est alibi, et porro manifeste patet ex litteris anno* 1310 *in Lulli favorem datis, et postea hic recitandis.* E

ENCOMIUM

Divi Raymundi Lulli Doctoris Illuminati et Martyris.

Auctore Nicolao de Pax,

Ex editione Complutensi anni MDXIX.

PRÆMONITIO J. B. S.

Hæc illa est Vita tertia, quam § 4. dixi a Nicolao de Pax adornatam, quamque Panegyrim rectius, Apologiam, aut Encomium vocitaveris; ita nimirum gesta cursim prosequitur, ut in doctrinæ Lullisticæ laudem vindiciasque excurrat. Sed de his satis loco indicato. Id jam lectorem monitum volui, Elogium illud, Teutonicis characteribus (Gothicos Hispani, Itali et Franci nominant, licet ab antiquis sint diversissimi, et seculo XV primum in Germania Belgiove formati) anno MDXIX Compluti typis datum, partem fecisse tomi paulo majoris, beati Martyris opusculum *De Anima rationali* una complectentis, quo de etiam meminit in operis inscriptione præfatus Auctor, ut mox patebit. Eam vitam Majoricis ad nos misit, vetustate prope exesam, et locis nonnullis calamo correctam, sæpe laudatus P. Jacobus Custurerius, testatus in litteris suis XIX Junii MDCC, se, *quæ disrupta erant supplevisse ex alia, quæ in Bibliotheca nostra ibidem asservatur, atque in ultimo folio transcripsisse finem ejusdem libri, in quo legitur locus et annus editionis.* Porro ut erant typi multis locis, ex more illius seculi, abbreviationibus vitiati et obscuriores, ea fuit adhibenda correctio, qua ad hodiernam normam reducerentur. De stylo non est quod agam pluribus: placebit, opinor, elegantia non vulgaris, et pro ea ætate non omnino invenusta. Sectiones, marginales notulæ, aliaque a nobis addita sunt, quæ ad claritatem conducere videbantur. Habe modo utriusque opusculi dedicationem, qualem editor iis præfixerat. F

EPISTOLA

A D

EPISTOLA

Nicolaus de Pax Patricius Majoricensis, Illustri ac Reverendissimo Domino D. Joanni Ruffo Theodolo, Foroliviensi, miseratione divina Archiepiscopo Consentino, et in regnis Hispaniarum Nuntio et Collectori generali Apostolico, humilem reverentiam.

Qui tuæ Dominationi parum me servire posse et plurimum debere cognosco, Archipræsul Reverendissime, duobus jam pridem contrariis distrahor. Urget me gratitudo animi, ut tuis erga me beneficiis pro modulo meo respondeam : sed præstare parva, quæ possum, hactenus verecundia prohibuit. Itaque dum curta me facultas inutilem, et beneficiorum memoria solicitum faceret ; diutius me interior illa vexasset contentio, nisi denique in mentem venisset generosa modestia tua, quæ a servo paupere magna servitia non expectat. Et mea quidem sen- B tentia non magis ad animi magnitudinem pertinet magna largiri, quam venientia ex affectu pauperum munuscula hilari vultu suscipere. His causis, subrustico illo pudore superato, qui me antea desidem servitorem tenuerat, modo exiguum munus tuo nomini clarissimo dicatum offero, Raymundi Lulli opus, de Anima rationali compositum. Cui propterea ejusdem Illuminati Doctoris Vitam, meo labore contextam præmisi, ut manifesta Auctoris excellentia moneat, parvitatem hujus voluminis materiæ pretio compensari. Subtilissimum Lullistam Cabasprum, cujus me sapientia docuit, dicere solitum recordor; se quidquid sciret, ab Arbore scientiæ, et ab hoc, De Anima rationali, codice accepisse. Nunc te Raymundus orat, Amplissime Domine, ut qua natus es frontis majestate, parva nostra suscipias, quæ tuis illustribus titulis honestata, felici credimus auspicio publicari. Si enim Doctor Illuminatus nostra vixisset tempora, non alium profecto quam te humanissimum fautorem quæsisset ; qui heroica tua nobilitate, non modo toti Hispaniæ, verum etiam Christianissimo Regi nostro ac summo Pontifici carissimus, suis olim desideriis atque intentionibus sanctissimis magnum in modum posses aspirare. Ex Universitate Complutensi, die festo beatissimæ C Praxedis, cujus sanctum corpus apud Baleares nostros insigni reverentia servatum, novis quotidie miraculis enitescit, MDXIX.

ANNOTATIO J. B. S.

De hoc Nuntio Apostolico ita scribit Ughellus, Italiæ sacræ tomo IX, de Archiepiscopis Cusentinis, pag. 345.

Joannes Ruffus de Teodolis Foroliviensis, Antonii filius, nobili gente natus, a Julio II delectus est Foropopiliensis et Bertinorii Episcopus ; a quo item die XXIV Octobris MDXI ad Cusentinam hanc Ecclesiam, in locum privati Borgiæ, translatus est. Is, ut alibi diximus, sub Leone X in Hispaniam Nuntius profectus, suis rarissimis animi dotibus Carolo V Imperatori evasit unice carus...Adriano vero VI, dum Cardinalis esset, ita familiariter utebatur, ut postea Pontifici facto, in gravissimis expediendis consiliis, egregiam operam præstiterit. Demum S. R. E. Thesausarius Generalis etc.

PARS I

Raymundi ortus, munia, amores, conversio, illustratio, labores, scripta, doctrinæ totius laudes eximiæ, et egregia defensio.

Raymundus Lullus Majoricensis, antiqua et nobili Lullorum Barcinonensium familia ortus, cum in palatio Regis Majoricarum adolevisset, suo generis et morum splendore, in mensæ regiæ Senescallum evehitur. Hujus ætas lubrica, impulsa opibus et amicis, vanos feminarum amores facile concepit. Delectabat amantis animum, vestitus ac sermonis elegantia ; inter concentus musicos ætatem ducere ; amari passim ; coævos virtute vincere. Florentibus annis juncta nobilitas, laudis avidum, pecuniæ liberalem faciebat. Cumque promptissimo esset ingenio, et in componendis patria lingua carminibus facilis, non cessabat vanæ cogitationis inventa cantilenis exprimere : quorum longa consuetudo juvenile pectus usque adeo possederat, ut non obstantibus postea liberis et uxore castissima, adhuc alterius feminæ, cui pridem servierat, inflammatis, plusquam dici posset, amoribus teneretur. Interea res vulgo manifesta, multorum exposita judicio, loquendi materiam ministrabat. Solet ignobilis turba de alienis rebus facile contendere, facilius judicare. Itaque mirabatur indoctum vulgus, et Raymundum jam non amantem, sed amentem dicere : considerati vero, partim misereri potius quam damnare, partim fortunæ adscribere et causari miram feminæ pulchritudinem, quod eam infelix juvenis soluta dilectione coleret. *Clarus nobilitate et muneribus* E *obscœnis amoribus indulget*

2 Post, ubi divina providentia contigit illam sub pectore letali ulcere laborare ; Raymundus factus certior infortunii, tristitia vincitur : et cum non posset membris consistere, prostratus in lecto, nihil nisi tenebras et solitudinem cupiebat. Lacrymis igitur atque suspiriis, mœrore animi parumper exhausto, meditanti calamitatem suam et longum a salute digressum rhythmis vulgaribus deplorare, Jesus crucifixus dextrorsum apparuit. Mundanus homo, divina visione perterritus, inceptum flebile carmen dimittit : quod interjectus postea diebus, quater conatus absolvere, quater ut primum, et circiter eamdem horam, Crucifixum vidit. Postremo, tam crebræ visionis causas secum ipse tota nocte perquirens, argui se vanitatis a Christo et vocari cognovit. Sed præterita vitæ damna considerans, suspirat, plangit, lacrymatur, precatur veniam, supplicat emendari. Servire Creatori creatura desiderat ; sec peccator erubescit, et quibus tandem obsequiis novo Domino famuletur, ignorat. Quonam impetu, quo furore correptum, et diu et vehementer amata, subito deseruisse putabimus ? Eo sane spiritu auctore, qui solo tactu de citharœdo prophetam, de piscatore prædicatorem, doctorem de persecutore et de publicano evangelistam fecit : cujus præsentissimus ignis, nullas ad mutandum humana corda moras expectat. Subtilis profecto medicus humanæ voluntatis, qui mundani amoris maxima Raymundi incendia, non tam extinxit quam direxit ; ut totus ille amor flagrantissimus, quem sibi creatura vendicarat immerito, Creatori dignissimo redderetur. *sed amasiæ infortunio* F *et Christi apparitionibus* *ad frugem reducitur ;*

3 Ut primum igitur Raymundus divini studii flammis incaluit, occupatur varia cogitatione animus, vestigans quos labores, quæ opera Christo gratissima suscipiat. Post multa vero, tot infidelium pernicie cogitata, cœpit continuo misereri ; et quibus illi converti possent, donum linguarum et sapientiæ, martyriique gratiam, sibi et aliis exoptare. Deinde ut *et relictis omnibus,*

A. NICOL. DE PAX.

A ut esset spiritu liberior, omnem opulentiam suam, præter pauca conjugi et filiis necessaria, Christi pauperibus erogavit. In secundo Libro Contemplationis, Raymundus ipse testatur, se jam annos triginta natum cœpisse converti. Quamquam ergo annis provectus, Grammaticæ rudimenta, Arabice etiam loqui et scribere doceri voluit : quos enim semel divinus ignis attigit, in his quæ Domino accepta putent, solitum est agiles, fretos et magnanimos effici.

vocantem Dominum secutus,

4 Post annos novem a visionibus illis, quas supra memoravi, Raymundus peregrinatione varia et multa vitæ austeritate maceratus, solitariæ contemplationis desiderio, ad montem quemdam Baleari-bus celeberrimum, cui nomen Randa, se perduxit. Ibi moratus dies aliquot, ore semper benedictionibus pleno, ac flexis quasi assidue genibus, per speluncas et nemora, de omnibus quæ mente versabat, quæ se offerebant aspectui, æterni Numinis magnificabat imperium. Et cum semel, ardentibus caritate visceribus, astra suspiceret; illustratus subito, vidit omnia rerum principia mundanæ hujus machinæ, et negotium, et auctorem; quibus præterea sustentaculis creati orbis universitas duret, introspiciens, sese velut non ante visum hominem miratus est. Tum sensit apertum intra se fontem infusæ sapientiæ, de cujus plenitudine omnium scientiarum duci poterat inventio.

mirabiliter illustratur.

B

Scribit Artem Generalem,

5 Cogit me paulisper detinere historiam, tantæ novitatis admiratio, quia divinæ operationis miracula narrationem jubent in stuporem converti. Quis diceret Raymundi gaudia, videntis tam prospere optatis suis favisse Superos, atque omnia sibi bona pariter venisse cum Sapientia? Creditum est, illis diebus Raymundum comedere, bibere, dormire non potuisse, gratiarum actione dumtaxat et lætitia satiatum. Sed ne acceptum Sapientiæ munus vacuum esse permitteret, post paucos dies opus illud, cui Ars Major vel Generalis, titulus est, mortalibus oculis admirabile composuit. Cujus Artis Generalis quanta sit profunditas et excellentia, ut intelligo, dicerem, Reverendissime Domine, nisi ea futura esset dicendi materia, quæ, ut mediocriter explicetur, latissimæ orationis campos efflagitat. Unicum dixerim, me quidem humiliter existimare, de multis modis quos in cognoscendis rebus habent beati spiritus, unum esse Raymundi Arte traditum. De cujus ubertate, auctoris testimonio, ceteros libros, C quos pene innumeros scripsit, emanasse, argumentum est, Artem illam non humanæ inventionis esse, sed divinæ inspirationis oraculum.

ad omnes scientias illustrandas.

6 Atque id quidem ita esse ac fama sonabat, numquam ego credidissem, nisi me docuisset experientia. Vidi enim hisce oculis, atque his manibus habui Raymundi tractatus ultra ducentos, de omni Scientiarum genere bene meritos. De Theologia, de Metaphysica, de Philosophia naturali et morali, de Jure, Astronomia, Geometria, Logica, Rhetorica, Grammatica, denique de Arte nautica et militari conditos. Scripsit præterea varios amœnissimos codices historicos, quæstionarios, contemplativos, atque hos quidem partim Latina, partim Hispana, nonnullos Arabica lingua, quam exacte didicerat, elucubratos : Ita ut ex tota utilium doctrinarum latitudine, nihil intactum reliquerit. Et, quod ipse mirari soleo, singulas Scientias subtili artificio regulatas exhibet, quas alii vagas solutasque tradidere. Neque illud dignum silentio, ejusmodi esse Raymundi opera, ut sub nuda et apostolica scripturæ simplicitate, arcanos sensus et elegantissimos contineat. Quamobrem usu evenit sæpenumero, ut Raymundi doctrina, neque duris intellectibus accepta sit, neque superbis : arduas enim materias

Miræ illius laudes,

plebeia ingenia non sustinent; superba vero, humile dicendi genus aspernata, nihil magnificum superesse arbitrantur, ubi non reboat inflati sermonis eloquentia. D

simplicitas et profunditas,

7 Verum scripserit Raymundus quanta libeat, patefecerit naturæ viscera, involuta detexerit; vana procul dubio esset hominis indagatio, nisi salutifera quoque scriptis suis, et ad Christum provocantia mandasset. Unde perscrutemur, obsecro, Doctoris hujus volumina; nihil sane aliud in illis tandem concludi videbimus, quam ut Deum recolamus, intelligamus, amemus. Et quoniam fructus speculationis est operatio studiosa; nusquam legitur Raymundus erudire intellectum, quin protinus hortetur affectum; ne quando animum pasceret, voluntate jejuna, infœcundæ arboris frondosa luxuries videretur. Verbis consequi non possem, qua dulcedine, quove dilectionis incendio Raymundus de Redemptore nostro, de purissima ejus Genitrice, et felici Martyrum victoria locutus sit. Videtur utique, dum hæc scriptis prosequitur, ex inebriato devotione pectore, quasdam ferventissimi amoris flammas eructare.

utilitas summa:

8 Accedit devotioni, Christiani nominis zelus admirabilis, quo nullam hæresim nullumque errorem præteriit, quem non in suis tractatibus, futuro divino et acerrimis argumentis enervarit. Ea denique fuit hujus Illuminati Doctoris humilitas, ut in librorum suorum frontibus, non sui, sed divini nominis titulos præmiserit. Quos enim libros inspirante Deo, non humana excogitatione condidit, decebat a confessione divini favoris inchoari. In exitu vero suorum operum, solet vir religiosus Sacrosanctæ matris Ecclesiæ judicio dicta submittere; deinde multis precibus opus ipsum, aut Christo, aut Dominæ nostræ, aut beatis Angelis et Sanctis commendare; postremum dicere, quoto anno et ubi volumen absolverit.

auctoris submissio, E

9 Moneor, hoc loco mentionem de hujus Lullisticæ doctrinæ hostibus, et approbatione facere. Imprimis sæpissima illa correctionis ab Ecclesia postulatio, Raymundum ab omni hæresi tutum atque immunem præstat : qui enim corrigi paratus est, duræ voluntatis pertinaciam non habens, licet errare possit, hæreticus esse non potest. Reliquum est de doctrina ejus quærere, an forte hæreses sive errores ullos continere deprehensa sit. Ad hoc ego, si quis me opinionem meam interroget, fateor me, in legendis Raymundi Lulli tractatibus diutissime versatum, nihil invenisse omnino, quod vel virtuti, F vel Catholicæ fidei, vel aliis veritatibus adversetur. Non me tamen firmat solius judicii mei fiducia : plurimos enim tum præteritæ tum nostræ ætatis viros, sapientia et probitate clarissimos, sententiæ meæ duces habeo; quorum præcipui fuere Lupetus, Catanius, Clapesius, Tornerius Medicus, Berpus insignis et Juris-consultus et Astrologus, Nicolaus de Cusa, Gaguinus, Caldentius; utque vivos referam, Jacobus Stapulensis, Carolus Bovillus, Fontanus Medicus, atque eruditissimi mei præceptores Cabasper et Benovardus.

doctrinæ commendatio

a viris doctissimis:

10 Hi omnes aliique permulti, quos nominare longum esset, cum fuerint doctrina et vitæ munditia probatissimi, Raymundum sectati sunt, interpretati sunt, et egregiis semper laudibus venerati, nihil in ejus libris reprehensione dignum cognovere. Ab hoc fonte plurima bibisse comperti sunt Arnaldus de Villanova, eximius Philosophus, et Sidus illud Italiæ, Joannes Picus, Mirandulæ princeps et Concordiæ comes. Qua insuper aviditate ingenii, Illustrissimus D. F. Ximenez, Hispaniæ Cardinalis, Dominus meus et benefactor amantissimus, Divi Raymundi opera scrutaretur et audiret, cum omnes in ejus viventis palatio versati cognoverunt, tum maxime

totius orbis elogia,

et approbatio.

A maxime possum ego testificari. Per lucis namque et tenebrarum tempora, atque inter magna Hispaniæ gubernandæ negotia, dumque iter faceret; semper me sibi præsentem esse jubebat, dicturum ex Lullisticæ Philosophiæ et Theologiæ abundantia, quæ mihi delectissima viderentur.

ab Universitate Parisiensi: 11 Si hæc testimonia adversarii, uti nova contempserint, antiqua producamus. Raymundus jam senex, Parisios profectus, examen doctrinæ (quam sibi infusam dictitabat) fieri requisivit. Quod cum toti Academiæ placuisset, quadraginta Magistri et Bachalarii in Theologia et Artibus electi sunt, qui Raymundi Lectionibus interessent. Interrogati tandem, quid eis de audita Raymundi Arte videretur? Omnes quadraginta jurati responderunt, Artem illam bonam esse et utilem atque necessariam. Ceterum nihil in eadem Orthodoxæ fidei contrarium, imo pleraque pro ejus defensione utilia contineri. Tum *ejus rei instrumentum.* memoriæ proditum est, hujus approbationis authenticum instrumentum, sigillo Curiæ Parisiensis pendente munitum, datum anno Domini MCCCIX, die Martis post Octavas festi Purificationis beatæ Mariæ Virginis.

12 Præterea, suggerente quorumdam invidia,
B serenissimus rex Franciæ Philippus, jussit Ray- *Philippi Regis in eam favor,* mundi libros a multis Theologis recognosci; qui post maturam librorum inspectionem, retulerunt, se nihil in illis libris impium offendisse, sed multa potius ad fidei Catholicæ exaltationem commodissima. Quare gavisus rex Christianissimus, chartas regias illuminato viro tradi mandavit; quibus non solum doctrinæ suæ authentica constaret approbatio, sed per universam quoque Franciam maximus illi favor juberetur impendi. Instrumentum datum est Veronæ secundo Augusti, anno Domini MCCCX.

et Regum Aragoniæ 13 Quid dicam quos favores, quam ampla privilegia invictissimi Aragoniæ Reges huic doctrinæ et sequacibus ejus concesserint? Ut enim summatim transcurram; favit rex Petrus, auctoritate regia et litteris, datis Valentiæ x Octobris anno Domini MCCCLXIX: favit rex Martinus, edicto suo et litteris, quas dedit Cæsar-Augustæ, XXV Novembris anno *insignia privilegia.* Domini MCCCXCIX: favit Rex Alphonsus, impenso animo et insignibus privilegiis, datis Castro novo, quod ipse Balearico lapide construxerat Neapoli, XXVI Januarii anno Domini MCCCCXLIX; postremo favit rex Ferdinandus V, ille omnium Principum, quos historiæ celebrent, Christianissimus: favit, inquam, latissimis (quibus docta Ilerda gloriatur) privilegiis
C et honoribus, datis Cordubæ XXX Augusti anno Domini MCCCCLXXXIII: eademque postea confirmans auxit, Cæsar-Augustæ XXI Februarii anno MDIII.

Elogium ex Senatus consulto positum Majoricæ. 14 Quanti præterea nominis Raymundus olim fuerit, monet vetus quoddam Epigramma, quod in aula prudentissimi Senatus Majoricensis fixum conspicitur. Ejus hæc verba sunt: [Parisius habetur titulus egregii Doctoris Magistri Raymundi Lulli Majoricensis; Homo novus, scientia nova, Doctor barbatus, in suis scientiis et artibus approbatus. Per Reges justissimos Aragonum in suis privilegiis dicitur; Ille magnus in Philosophia et Sacra Theologia Magister, mirandarum artium et scientiarum auctor. Et per serenissimum Francorum Regem prædicabatur in superscriptione epistolarum hoc modo; Organo S. Spiritus, Doctorique divinitus illustrato, Raymundo Lullo. Et de ipso dicitur in partibus Angliæ; Ille magnus Philosophus Catalanus. In partibus Italiæ dicitur, Auctor Artis Generalis, ad omnia scibilia contrahibilis. Et per Joannem de Rocascissa dicitur, Minerva. Potest etiam dici Procurator publicæ utilitatis in Christo Jesu; item Illustrator tenebrarum mundi.] Hæc illud Epigramma.

15 Siquis magno studio unius aut urbis aut D Provinciæ commoda procuret, miris laudibus extollitur; quanto igitur Raymundus gloria dignior, qui immenso illo salutis animarum desiderio, pro totius infidelitatis conversione (ut Raymundus ipse narrat) quinque et quadraginta annos laborans, et prolem et conjugem reliquit inopes; exlegum ac fidelium terras peregrinus discurrit; octies aditos oravit summos Pontifices; tria Prædicatorum et tria Minorum generalia Capitula monuit; omnes demum Christianæ Reipublicæ Principes, Prælatos, Magnates, Populos, ad utilem concordiam devote et viriliter hortatus est. *A. NICOL. DE PAX. atque incredibiles pro fide Catholica*

16 Sed, o inimica virtuti tempora! Non audeo culpare omnes homines, quorum tempestate sanctissimi negotii procurator exaudiri non potuit: fuerunt enim qui Raymundi supplicationibus inclinati, parati erant præstare auxilia. In tractu de disputatione Raymundi et Homerii Saraceni Philosophi, dicit Raymundus: [In Monte Pessulano Regi Aragoniæ præsentavi librum a me compositum, de Fine, hoc est de Expugnatione Terræ Sanctæ; quem ipse rex continuo, me præsente, ad Romanum Pontificem mittens, regna sua et seipsum illi ad debellandos Saracenos obtulit.] Ceterum inter multa, quæ Raymundus in antiquis quibusdam schedis memorat de vita sua et conversionis initio, scribit, nobiles matronas inclitæ urbis Genuæ, ad recuperandum bello sepulcrum Domini, triginta millia florenorum pollicitas. Neque dubitari convenit Regem Franciæ Philippum, apud quem maxima semper fuit Raymundi auctoritas, cœptis ejus ac diutinis pro fide Christi laboribus aspirasse. *viri sancti labores.* E

PARS ALTERA

Reliqui Raymundi pro Ecclesiæ Catholicæ utilitate labores, missiones Africanæ, martyrium; aliæ ejus laudes et præconia; denique pro ejus doctrina, acres contra Aymericum vindiciæ.

Urgente jam senectute ultima, Raymundus ad Generale Concilium, sub Clemente V Vianæ celebratum anno MCCCXI, perrexit; ibique decem ordinari supplicavit, quæ postea vir sanctus ad perpetuam rei memoriam posuit in libro, De ente simpliciter per se et propter se existente et agente. Hæc decem, quia essent prolixa dictu, prætereo. Tria subjiciam dumtaxat, de quibus in libro quoque de Natali pueri Jesu Raymundus meminit. Primum, ut Romæ, Parisiis et Toleti cœnobia fierent, in quibus viri, tum docti, tum martyrii studio fortissimi, infidelium linguas docerentur, atque ad illos deinde sanctimonia et prædicatione convertendos mitterentur. Secundum, ut ex omnibus religiosis Militibus unicus ordo fieret, qui in paganas gentes assidue, quoad Terræ sanctæ recuperationem, militarent. Tertium, ut pestiferi Averrois scripta in Christianis gymnasiis doceri prohiberentur: cujus erroribus infinitis, quia moventur infirma pectora, deberent Sacri Theologi, non solum fidei, verum et scientiæ armis obsistere. *In Concilio Viennensi* F *urget intentum,*

18 Raymundus errorem illum tolerare non poterat, quo Averroistæ dicunt, multa esse vera secundum fidem, quæ tamen falsa sunt secundum Philosophiam: ideoque de hac materia tractatulos edidit de quæstione valde alta et profunda; De erroribus Philosophorum, De efficiente et effectu, De lamentatione Philosophiæ. Quem ultimum, et alterum, De Natali pueri Jesu Christi, Serenissimo Regi Francorum Philippo, cui dilectus erat, intitulavit. Jucunda est mirum in modum prædicti de Philosophia tractatus inventio. Illic enim Domina quædam, Philosophia *maxime contra Averroistas* *quos exagitaverat,*

A. NICOL. DE PAX.

A Philosophia nomine, introducitur lamentans, Averroistas imposuisse sibi, quia dicit quædam falsa esse in lumine naturali, quamvis secundum lumen fidei Catholicæ vera sint.

in libro De lamentatione Philosophiæ,

19 Quapropter in eo libro Domina Philosophia, coram suis XII Principiis confitetur, se ne quidem ullo tempore tanti erroris dementiam cogitasse. Ceterum non debere existimari Philosophos, qui inter Philosophiam et Theologiam dissidia somniant. Numquam enim fui, dicit Philosophia, nisi sacræ Theologiæ serva deditissima. Mene sanctissimæ fidei putari contrariam? Hei mihi tristissimæ! Ubi sunt religiosi viri bene litterati et devoti, qui me adjuvent? Hæc Raymundi Philosophiæ lamenta, quæ illa ætas auscultare noluerat, nostris tandem diebus Beatissimus Dominus noster Romanus Pontifex Leo X, sacro ac generali approbante Concilio, exaudivit. Et quoniam salutifera illa sacri Concilii decreta in omnibus Academiis litterarum quotannis publice divulgari mandata sunt, utpote quæ varii erroris pestilentiam cohibent, a fidelissimo populo Baleari humiliter suscepta, singulis annis, convocato Senatu amplissimo et Magistratibus, inStudio generali, non minus festiviter quam merito leguntur.

damnavitque Leo X.

B

Ferdinando R. favente.

20 Horum fama ut primum ad aures nostras increbuit,hos versus, testes lætitiæ nostræ, composui.

Ad. S. D. N. D. PP. Leonem X.

O Leo, sancte Pater, rebus dignissime gestis,
Tam sublimato posse sedere throno.
Crederis ex alto delatus, summe Sacerdos;
Crederis arcano numine semper agi.
Est Leo pacis amans, Rex Ferdinandus et auctor,
Tu Leo pacificus bella cruenta domas.
Ille reos fidei flammis ultricibus arcet,
Tuque peregrinum dogma vagumque premis.
Vos duo sufficitis gestis et voce Leones,
Omnia sub Christi mittere regna jugo.

In Africam profectus Lullus,

21 Hæc sine serie dicta sint, ut sese mihi scribenti promiscue obtulerunt. Jam vero finem suum habitura est nostra oratio, si prius de hujus Illuminati viri martyrio pauca subnectam. Raymundus igitur, eo zelo quo semper arserat, ad urbes Africæ Bugiam et Thunicum, Evangelii prædicandi gratia navigavit. Ubi cum Mahometicæ sectæ peritos, amica disputatione prosterneret, plerosque traheret dulciloquio, alios redderet ambiguos; instigante diabolo Rex barbarus indignatus, diris carceribus et ærumnis, nuditate quoque vexatum et verberibus, in navim conjici et perpetuo exulare mandavit. Creditur, vir sanctus, non mortis formidine, sed Dei consilio, bis voluisse furori cedere, ut apud Christicolas Principes, sanctum illud expugnandæ totius infidelitatis negotium, quod multos annos conatus fuerat, expediret. Sed postea, videns illud non progredi, ob incuriam eorum qui gerebant Christiana gubernacula; veritus ne optatissimi martyrii decus amitteret, Bogiam denuo transvectus est; ibique inter Christianos mercatores initio latens, cœpit paulatim quosdam Saracenos clandestine alloqui, quos sibi antea et benevolos et discipulos reliquerat.

C

cum Mahumetanis,

22 Illis in fide orthodoxa firmatis, diutius fidei silentium ferre non potens, in plateam urbis progressus, audacter Christianæ legis præconia declamavit; addens mirari se illorum dementiam, qui in tam obscœnis Mahometi traditionibus ponebant fiduciam. Et ego, dicebat, paratus sum, sive rationibus, sive vitæ meæ dispendio protestari, in sola fide Domini mei Jesu Christi, gratiam et salutem humani generis inveniri. Memineritis me illum esse, quem ante hac his finibus et Tunicio vestri Principes expulerunt, qui disputationibus meis superati, timebant ne vos audire paratos, Christi veritatibus illustrarem. Nunc vero ad vos iterum, sola me vestræ salutis meique martyrii perduxit expectatio. Nemo vobis persuadeat, viri carissimi, cœlorum, terræ et maris artificem Spiritum, cui summa est virtutis et munditiæ plenitudo, bestialibus obsequiis placari; aut legem mandasse quæ voluptatibus, et non virtuti; non rationi, sed lasciviæ faveat. Si vos diuturna tenet Mahometicæ sectæ consuetudo, ne protinus Christum sequamini, saltem obtemperate, precor, rationis judicio. Neminem lædite: ita vobis mutuo benefacite, ut ejusdem Conditoris beneficio creati videamini.

D

intrepide disputat:

23 His et pluribus commota plebis congeries, raptum furibundo impetu, alapis contumeliisque affectum, ad palatium Regis pertraxit. Cujus mandato Raymundus, Christianæ fidei præco, jussus interfici, extra urbis mœnia, tam beate, quam crudeliter lapidatus est, anno ætatis suæ circiter octogesimo, et salutis humanæ MCCCXV, die festo (ut a Majoribus acceptum creditur) sanctorum Petri et Pauli. Tum Christicolæ mercatores, obtentum supplicatione cadaver Raymundi Martyris, in navem, sequenti nocte profecturam, honorifice detulerunt. Volentes autem navis Præfecti Ligures, beatum corpus Genuam asportare, reluctantibus ventis, ac Deo ita disponente, Majoricas allabi coacti sunt. Cumque navis tam pretioso mercimonio læta venisset, totus Majoricensis populus, et conterraneo et Martyri obviam procedens, corpus devotissime susceptum in eminenti loco sacræ ædis B. Francisci (cujus tertii Ordinis consors fuerat) collocavit: ubi frequentibus miraculis illustres Reliquias, pia omnes devotione prosequimur. Si quid adversi Baleare regnum timeat, statim ad gloriosam Praxedem, vel ad Raymundum, Doctorem Illuminatum et Martyrem, fusis precibus liberamur. Nec mirum videri debet, si Balearici tanto concive glorientur; cum ipse totius Hispanæ nationis acutissimæ decus et ornamentum sit.

et martyrio ab iis afficitur.

E

Corpus Deo volente,

Majoricas delatum sepelitur et colitur.

24 Hujus eximias laudes neutiquam minuit, quod inflatis Doctoribus non placeat: siquis enim caute perlustret, videbit eorum de hoc Christi discipulo maledicentiam, ex infecta radice livoris vel imperitiæ, fastus, desidiæ vel alia putredine proficisci. Quotquot hactenus litteratos reperi, virtutis et veritatis amatores, quærenti mihi quidnam de Raymundi doctrina sentirent, respondisse memini; alios, se quidem de Raymundi libris, quos vidissent, præclare sentire; alios, se non posse judicare de doctrina, quam non intelligebant. Et tamen plerique argutuli, scioli, et miserrimæ sortis homines, qui inter veros et humiles doctores non essent idonei discipuli, impudenter mordent, quem Jesus crucifixus attraxit, quem Spiritus sanctus docuit, visit Regina cœli, consolatus est Angelus, gesta probant, sublimant libri, martyrium coronat.

De ejus libris judicium

F

25 Evolvant ipsi garruli antiquas historias, et dicant, an forte alium fuisse legerint, qui jam trigesimum annum agens, tam mundanus, tam illitteratus, ut nequidem sciret Grammaticæ artis principia, subito infusæ scientiæ miraculo splenduerit; quique tot artes, tot scientias, et Artem ad omne scibile Generalem scripserit. Quod si hæc a nobis de Raymundo narrata, quæ per ducentos retro annos fama feruntur, vel negent vel cavillentur adversarii: diffiteri non possunt librorum experientiam. Eos inspiciant vacuo passione animo; et siquid in illis damnabile compererint, obsecramus per clementissima Christi viscera, ut impugnent, criminentur, sacris Inquisitoribus ac summo Pontifici deferant: nec patiantur nos Lullistas erroribus illis abduci, qui Raymundi doctrinam fideli intentione, ut sanam et Catholicam profitemur. Quæ si judicabitur hæretica,

et vanæ obtrectantium

contra eos machinationes.

A tica, nos primi volumina ejus incendio dabimus: si vero Catholica, laudabitur Dominus in Sancto suo, et cessabunt tum demum latrare dolosa labia, quæ mordere non poterunt.

Nicolai Eymerici, 26 Objicit quispiam, R. P. Nicolaum Eymerici, Fratrem Ordinis Prædicatorum, in regnis Aragoniæ Inquisitorem, titulo cujusdam Bullæ S. D. Papæ Gregorii XI, condemnasse olim ducentos articulos, ex Raymundi tractatibus excerptos. Respondemus, ea omnia, quæ dictus Inquisitor, pro sua qualicumque intentione, tentaverat, postea per R. P. Bernardum Ermengaudi, Ordinis Prædicatorum, in regnis Aragoniæ Provincialem et Inquisitorem, cum consensu et subscriptione multorum Magistrorum in Theologia prædicti Ordinis Minorum, libris Raymundi summa prius diligentia perspectis, fuisse revocata et annullata, Barcinone XIX Maji anno MCCCLXXXVI. Secundo, fuisse revocata Avenione, X Julii anno MCCCXCV, per Reverendissimum D. Leonardum, tituli S. Sixti Presbyterum Cardinalem, Judicem et Commissarium a Sede Apostolica specialiter deputatum; cum prius coram eodem Judice, consanguinei et devoti ipsius Raymundi Lulli probavissent, dictæ Bullæ nefariam falsitatem; et probavissent, dictum Inquisitorem Nicolaum Eymerici, mutasse et corrupisse locos librorum Raymundi, e quibus illos ducentos articulos se dixerat accepisse. Tertio, fuisse revocata Barcinone, XXIV Martii anno MCCCCXIX, per Reverendum in Christo Patrem D. Bernardum, Episcopum Civitatis-Castelli, Commissarium. Hæc vero ita esse ac dicimus, probant longissima et authentica instrumenta, quæ Valentiæ et Majoricis accurate servantur. *acrior confutatio, cum revocatione prætensæ Bullæ.* B

In Raymundi hostes 27 Quando igitur in lucem prodierint, quæ a nobis sunt de Raymundo Lullo fidelissime recitata; cognoscent bonæ voluntatis homines, non esse credendum detractoribus, sed experientiæ; non vulgo, sed veritati. Verum speramus in Domino, posthac non esse futuros qui detrahant: nam contigisse potest, multorum dicta, ex præcipiti judicio vel facti ignorantia processisse. Induratis vero hostibus, si qui perstiterint, certissimum testamur, huic Doctori et Martyri contrarios, solitos esse iniquæ voluntatis amarulenta præmia sentire. Nominarem hujus doctrinæ persecutores raptos subito interitu, mendicare compulsos; alios calamitatibus affectos, nisi me prolixitas futura compesceret. *vindicta cœlestis.*

28 Hæc sunt, meritissime Antistes, quæ de Raymundi vita, martyrio et doctrina, Dominationi tuæ jam dudum atque aliis nota desidero. Insignem sane C historiam, et quæ ob rerum gestarum novitatem, non me scriptorem voluisset, sed alium disertissimum mereretur. Ego tamen, ut semel memoriæ proderem, quæ de Raymundi nostri rebus, ex variis collecta locis annotaveram, non curavi, laudemne an dedecus, rudis hæc mihi compositio esset paritura. Existimationis meæ detrimentum, si ullum fuerit, ea commoditate pensabo; quod videbunt omnes, me quidem, ut amplissimæ tuæ Dominationi servirem, nulla timuisse pericula. In his vero scribendis, tantum a fictione mendaciisque abscessi, quantum neque illis uti soleo, neque Raymundus indiguit. Quin potius tam multa scitu dignissima prætermisi consulto, ut in texenda Raymundi historia, qui modestiæ me arguent, plurimos inventurus sim; qui vero falsitatis, neminem. *Scriptoris epilogus.*

FINIS.

Ad calcem editionis utriusque opusculi hæc habentur: *Correctum est hoc opus de Anima rationali, cum duobus vetustissimis exemplaribus, et impressum in celebri Universitate Complutensi; industria Arnaldi Guillermi Brocartii, solertissimi Chalcographi, anno salutis nostræ MDXIX, in vigilia Assumptionis Dominæ nostræ B. M. Virginis et matris Dei.* D A. NICOL. DE PAX

MIRACULA

Selecta ex Processibus ad Canonizationem lingua Majoricensi descriptis, ac Romam delatis, Hispanice reddita a Custurerio, Dissert. 1 cap. 5, et hic in linguam Latinam traducta.

CAPUT I.

Cerei, horis XIII in festo ardentes, circa imminutionem sui.

Præter Processus, ad probandum Raymundi cultum, ab immemorabili perennantem, formatos auctoritate Ordinarii, habentur tres alii, simili auctoritate, virtute Compulsorialium emanatarum anno MDXCV, confecti annis MDCV, VII, et XVII: qui, licet E propter decreta Urbani VIII effectum suum sortiti tunc non sint, cum tamen prius quam illa ederentur, Romam perlati oblatique fuerint, eum adhuc habere poterunt, quandocumque placuerit Sanctissimo, eos istic recognoscendos tradere iis Judicibus, quibus ille committet extremos pro tam desiderata Canonizatione actus. Interim valent relata in iis miracula, ad evidenter commonstrandum veteris cultus numquam interruptam continuationem; et quam accepta hæc Deo fuerit, secundum omnes eas species venerationis publicæ, quæ Sanctis aut Beatis, vulgo et communiter sic habitis, potest et solet a fidelibus exhiberi. *Valent hæc ad continuationem cultus probandam, licet Canonizatio secuta non sit.*

2 Ac primo ad comprobationem festorum, B. Lullo institutorum, facit id quod in Processu anni MDCXVII, ante alios omnes auditus Testis, in hunc modum retulit. Cum essem electus a Magnificis Juratis hujus civitatis Majoricensis, in Operarium Capellæ B. Raymundi Lulli; viderемque inter Operarios sive Præfectos, quotannis eligi solitos ad exornandum Beati nostri festum, decretum haberi, ut ipsum die XVI currentis Julii celebraretur; paucis diebus ante, ipsos accessi, videlicet D. Hieronymum Sala, Jacobum Togores, Magnificum D. Natalem Vidal hujus anni Juratum; Bernardum Amet et Mag. Michaelem Simonet; ipsisque aut potius præd. F Simoneto dixi, ut collegis suis suggereret, dandam mihi eleemosynam consuetam in diem illum, quando publicæ venerationi exponendæ erant Maxillæ ipsius B. Martyris; ego autem ex ea curarem faciendas decem cereas faces, additurus de meo siquid deficeret. Placuit quod offerebam; et continuo mandavi Jacobo Masroig componeret mihi illas; decem scilicet ad rationes meas, et unam pro Mag. Joanne Segui, serici fili præparatore, qui suo nomine unam mihi curandam commendaverat, ad finem eumdem. Sabbato ergo festum præcedente, sesqui hora ante occasum solis, accessi ad officinam, invenique ipsas faces confectas, et adhuc ab opere recenti calentes atque flexibiles. Illas ergo continuo appendimus in statera, primum quinque, deinde sex reliquas: et invenimus primum libras XVIII, et uncias sex; deinde libras XXII, uncias III; simul libras XL, uncias IX; et omnes accipi eo pacto, ut quod post ipsarum usum minus penderet, ego Testis solverem: et ideo mox in memoriam retuli notam totius ponderis, quod etiam Diurno suo cerarius inscripsit. Statim autem ne cum aliis possent commutari, prout quidam ex devotione solebant facere; jussi cerarium singulis *Cerei ad festum comparati, curioseque ponderati, et signati,*

A EX PROC. MSS. singulis apponere sigillum seu notam suam; atque ut facilius discernerentur, singulis obligavi fasciolam floccidi serici colorati; detulique simul omnes ad ecclesiam S. Francisci. Ibi eas mox ad horam Completorii accendimus, una circiter ante solis occasum hora; et arserunt usque ad finem Completorii, id est usque ad auditam horam secundam noctis *a*, quando jam populus, qui frequens accurrerat, inde recesserat.

postquam 13 horis arsisent, 3 Tunc extinctæ omnes sunt, iterumque accensæ sequenti die, XVI Julii mane, sub horam octavam *b*, id est duabus et semis horis post ortum solis; arserunt autem usque post medium diem omniaque officia absoluta: et tertia vice denuo accensæ ad horam secundam pomeridianam, luxerunt ferme usque solis occasum; adeo ut arserint universim tredecim horis plus minusve: finitoque festo accepi faces, et domum mecum retuli. Huc me comitatus est Mag. Onufrius Mesquida, coram quo ego, ut cognoscerem quantum deberem cerario solvere, dubius an suffectura esset eum in finem parata pecunia; ipsas faces, una cum reliquiis ceræ, quæ in adoratione Maxillarum defluxerat, appendi ad libram Romanam, quam domi meæ habebam; et inveni idem præcise pondus, quod ego in scheda mea notaveram, citra ullam omnino diminutionem *c*. Dixi ergo præfato Mesquidæ; Fieri potest ut aliquis error hic sit, nihil enim imminutas faces invenio. Hoc, reposuit ille, potest fecisse Deus in honorem Sancti sui. Librationem ergo ter quaterve iteravimus, et semper idem pondus reperimus, quod ego habebam notatum in charta.

inveniuntur idem pendere quod ante;

B

idque iterata sæpius libratione:

4 Tum illis domi meæ relictis, accessi ad ædes Petri Ribot, Notarii simul et Syndici Universitatis, deputati ad negotia et causas beati Martyris. Huic cum narrassemus quod acciderat miraculum, dixit Petrus; Mittamus ista; quis scit an non erratum sit in aliquo: cras mane agemus cum cerario, quando ipse ad propriam libram faces vobis datas appenderit: nunc cubitum concedamus: jam enim serius est. Postero die simul ambo, ego testis et præd. Mesquida, nos contulimus ad domum cerarii; et sicut antea, faces primum quinque, deinde sex, bis ille appendit; et juxta diurnum suum, cum nota mea conveniens, utrobique notatum pondus inveniri testatus est, coram multis præsentibus: recognovit etiam signum suum, facibus sigillatim impressum; et ego fasciolam floccidi serici, quam illis circumligaveram; agnovimusque omnes manifestum Dei opus esse, quod inter tantos calores, tam temporis æstivi, quam frequentis in sacello populi cereorumque circiter octoginta in eodem altari ardentium, ex quibus consumptæ erant quatuordecim aut quindecim libræ; nec una quidem uncia nostris, quas retuleramus facibus, decessisset. Nihil ergo solvendum cerario fuit, qui nihil etiam exigebat. Inde autem recessimus, accessimusque ad Magnificos Juratos, et retulimus casum; qui jusserunt ipsas faces deferri ad aulam Universitatis; ubi sepositæ manent (ut intelligo) usque hodie, ad perpetuam facti memoriam *d*.

quam cum etiam cerarius tentasset,

C

integrum quoque pondus reperit.

ANNOTATA JAC. CUSTURERII.

a *Loquitur Testis secundum horologium aliquod hujus civitatis, cui una post solis occasum hora, sonat prima, et sic consequenter usque ad solis ortum, pro majori vel minori numero intercurrentium horarum nocturnarum; ac similiter una post solis ortum hora, iterum sonat prima: et sic porro usque ad occasum, quæ vocantur horæ diurnæ: qua de re prolixe discurrit Doctor Joannes Dametus, et D. Vincentius Mut, 2 tomo Historiæ Majoricensis.*

b *Loquitur hoc loco Testis, secundum computum aliorum horologiorum astronomicorum.* D

c *Id est (inquit in sua depositione cerarius) annumerando deciduæ ceræ reliquias, novem unciarum.*

d *Hujus miraculi testes in Processu sunt, præter jam dictum cerarium, alii plures, librationi præsentes, aut etiam cum faces in sacello arderent; interque eos duo testati sunt, idem contigisse in duabus aliis facibus, quas ab eodem cerario acceperant, eodemque toto tempore ardere fecerant; et simul cum eo quod defluxerat, invenerunt primum earumdem pondus.*

Notabis hic obiter, Custurerium in referendis miraculis, non servare ordinem aut seriem Processuum; cum hoc primum desumpserit ex Processu anni 1617, et sequenti proxime capite aliqua decerpat ex Processibus anni 1607 et 1612 et alibi alia.

CAPUT II.

Morbi letales, admotis Sancti Maxillis, curati.

Inter eos, qui sacris Maxillis prædictis sanitatem a suis infirmitatibus acceptam retulerunt, multi sunt in Processu anni MDCVII; quorum prima, mulier conjugata, hoc modo testimonium dixit. Habeo ego filium, qui hodie Religiosus Franciscanus est, et appellatur Ignatius. Hic cum sesquianniculus esset; mense Julio visum amisit, mansitque oculis clausis per dies aliquot; quando Doctor Terrades, eo viso, mihi dixit; quod omnino reclusurus esset, oculos mediante quadam, quam daturus esset, aqua. Tum eosdem violente aperientes, non invenimus pupillam neque albuginem, sed solum carnositates quasdam. Itaque maritus meus, Joannes Antonius Garcias et ego, decrevimus ipsum deportare ad S. Francisci, ubi oculis sic constitutis applicarentur Maxillæ Doctoris Magistri Raymundi Lulli: et nocte sequenti dormivit puerulus, contra quam solebat. Cumque eum mane portarem ad fenestram, lac ipsi datura; vidi ambos ejus oculos tam claros, acsi tunc primum natus fuisset: quod admirata, firmiter credidi, Deum per intercessionem Doctoris Mag. Raymundi Lulli, hoc fecisse miraculum: maritus autem meus ejus memoriam consignavit in quodam pugillari; quem cum glires arrosissent, solum eam partem chartæ, cui inscripta memoria ista erat, salvam et integram dimiserunt. Huic autem miraculo attestatus est alius, qui pueri patrem, euntem ad S. Francisci fuerat comitatus.

E *Puerulus, oculis carne tectis cæcus,*

et ad Sanctum delatus, illuminatur.

F

6 Folio 311 ejus Processus, qui formari cœpit anno MDCXII, Lucas Marca argentarius, deposuit die XXVIII sequentis Januarii testimonium, dicens: Annus circiter est, quod mense Aprilis pestilens et periculosa febris me corripuit, ita ut interius totus a calore consumerer, interim dum exterius ad instar glaciei frigidus essem, ita ut inde brevi moriturum me crederem; et medicus Estevan atque Chirurgus Joannes Estrader me pro deposito haberent; prout tum ipsi, tum domestici mei omnes, postquam convalui, affirmarunt. Deficientibus itaque humanis, de divinis mediis cogitatum est: jamque extremæ Unctionis oleum in domum meam illatum erat, deliberatumque per mediam horam de eo mihi administrando. Interim solus in cubiculo animitus invocavi gloriosum Martyrem Raymundum Lullum, promittendo, quod si mihi salutem a Deo impetraret, tota reliqua vita gestarem vestes coloris subrufi, quali ipse dum viveret utebatur, ipsiusque Maxillas argento inaurato includerem, sumptuosius et elegantius quam catenus erant. Ipso autem instanti quo votum feceram, videbar mihi tolli de lecto, et supra ipsum erigi, tanta cum alacritate interiori

Pollicitus gestare uno anno vestem griseam,

convalescit a pestilenti febre,

allatis Sancti Maxillis;

A interiori ac reparatione virium, ut vix agnoscerem me ægrotare: statimque petii ut mihi adferrentur Maxillæ ipsius Sancti: quas mox allatas maxima cum devotione amplexus, adoravi; omnino confidens, quod per ipsas essem sanitatem recuperaturus. Ex eo momento cessavit febris: et, nisi debilitas, quæ mihi restabat magna, impedivisset, surrexissem de lecto; quia, ut jam dixi, nihil mali sentiebam, ex quo allatæ mihi fuerunt sacræ istæ Maxillæ. Vere enim eo ipso momento, quo illæ allatæ fuerant, sicut dixi, dimisit me febris: triduo autem post, adeo confirmatum me sensi, ut ad stuporem omnium surrexerim de lecto; ideoque certum habeo, quod Deus, per intercessionem istius sui Sancti, mihi restituerit sanitatem.

item illius uxor, 7 Folio 312 et 313 ejusdem Processus, dixit Francisca Marca, uxor præd. Lucæ Marca; Menses circiter decem sunt, quod in Aprili, circa Hebdomadem sanctam, maritus meus et ego testis, tam gravi febri correpti fuimus, ut Doctor Estevan, quo medico utebamur, actum de vita nostra opinaretur; prout nobis, post receptam sanitatem, dixerunt quotquot assistebant; allatis autem ad utrumque B nostrum maxillis Beati Lulli, ipso instanti quo eas adoravimus, cœpimus melius habere, adeo ut intra tres quatuorve dies surrexerimus de lecto, cunctis tam subitam convalescentiam demirantibus; ideoque credo pro certo, quod Dominus noster hanc nobis gratiam fecerit, per merita gloriosi Martyris sui B. Raymundi Lulli: qui in ista infirmitate mihi apparuit, circumiens lectum, ea forma qua pingi solet. *etiam ipsum sibi visa ad lectum videre.* Hoc ego mox narravi cuidam Fratri Franciscano, qui mihi dixit, somnium id fuisse; ex eaque hora dubitavi, an non fuerit somnium: sed sive fuit, sive non, certo memini, quod ipso intra lecti mei papilionem gyrante, lætificata tota fuerim: atque ex eo tempore afficior magna erga eum devotione, eumque æstimo magnum Sanctum, tam propter ea quæ de vita et martyrio ejus audivi, quam propter sanitatem mihi ac marito meo tam subito redditam; exindeque in omnibus meis laboribus eumdem invoco. Utriusque autem successus veritati, alii quoque Testes in Processu adstipulantur.

Idem qui supra curatur puer, 8 Folio 198 ejusdem Processus, habetur exemplar cujusdam scripturæ, a P. Fr. Ignatio Garcia exaratæ, eo qui fuit Provincialis hujus provinciæ Majoricensis, et infans miraculose recuperavit visum, sicuti supra relatum est. Deinde folio 655 juratus affirmavit veritatem præfatæ scripturæ tenoris C sequentis. Die x Julii anno MDC attestor ego, Fr. Ignatius Garcia, Ordinis S. Francisci, quod coram me, meque manum præbente, contigit sequens miraculum, per Reliquias Mag. Raymundi Lulli, videlicet per utramque Maxillam inferiorem, quæ magna cum reverentia servatur in sacristia Conventus S. Francisci hujus civitatis. Cum die prædicta, ego et *jam Provincialis Majoricensis Ord. Minorum,* P. Fr Matthæus Comellas post prandium portaremus Reliquias S. Didaci ad ædes cujusdam infirmæ, dixi Patri isti, recte nos facturos, si eodem deferremus Reliquias sancti Magistri Raymundi Lulli. Hoc cum ille probaret, posui illas in manica mea. Ita accessimus ad domum mulieris, cui nomen Augustina: cum qua dum præd. Pater aliquamdiu moraretur intra cubiculum ipsius cum Reliquiis S. Didaci; mansi ego in atrio tantisper cum Reliquiis Illuminati Doctoris. Ibi ad me venit mulier quædam junior, annorum circiter triginta, in comitatu cujusdam vetulæ. Cumque viderem ipsam non loqui, quæsivi ab altera quid illi deesset; et respondit, *testatur quod muta et motum recuperavit.* mutam esse et paralyticam sinistro brachio ac latere; idque ei contigisse hoc casu. Conjugata illa fuerat nautæ cuidam, qui cum in captivitatem Maurorum devenisset, credereturque mortuus esse, alium illa maritum cum Parochi sui consensu accepit: sed D falso fuisse nuntiatam illius mortem (prout in tali *EX PROC. MSS.* casu non raro contingit, quantavis diligentia adhibeatur) apparuit, cum ille die quadam advectus in portum Majoricensem est; quod intelligens juvencula, sic consternata est, ut malum prædictum inde contraxerit. Tunc ego suasi ut magnam in gloriosum Raymundum fidem caperet; ejusque Reliquias; quas penes me habebam, devote veneraretur, ita cito sanandam. Paruit illa, ipsisque ori ejus admotis, resolutum illud in verba est: et ego viso miraculo, jussi ut etiam brachium ac manum, quorum usu jam mensibus octo caruerat, eisdem applicaret: quo facto cum ex toto se sanatam diceret, volens id certius experiri, jussi ut manum explicaret. idque facientem viderunt omnes qui adstabant, ipsumque ego affirmo et affirmabo etc. In Processibus autem anni MDCXVII, fuit qui diceret, præsentem se miraculo huic fuisse, et mulierem nosse.

9 In præfato anni MDCXII Processu, fol. 241, dixit Testis: Mihi in particulari accidit, ante hos circiter duos annos, ut vehementissima febri laborans *Junctus ad mortem,* ad extrema deduceret: et quando allatum erat Oleum sacrum, jam mihi tamquam mortuo vultum contexerant; E quando superveniens cognatus meus R. P. Fr. Petrus Estevan, in hac civitate Commendator Ordinis de Mercede, me discooperiens, manumque pectori admovens, modicum adhuc palpitare sensit, jussitque referri Unctionem. Hæc cum mihi esset *ad præsentiam reliquiarum sibi restituitur,* administrata, et ille sequenti die reversus in eodem statu me reperiret; suggessit ut ex S. Francisci conventu peterentur Maxillæ gloriosi Martyris Raymundi Lulli, omnino confidens, quod iis mediantibus recepturus essem sanitatem. Dictum, factum. Attulerunt eas Franciscani duo: et ego ipsas devote adoravi. Primum eas osculatus sum; admotas deinde capiti per mediam circiter horam sustinui. Prius autem quam auferrentur, sensi ingentem circa pectus ardorem, inde per corpus totum diffundi; meque tam validum quam hodie sum; statimque de lecto egressus fuissem, si id mei permisissent. Itaque ex tunc et nunc pro certo habeo, hanc gratiam indigno mihi divinitus præstitam, intercessione gloriosi Martyris Lulli, et ea propter grandem ad ipsum devotionem concepi et servo. Folio autem 243 comparet Testis alius, jam dicti miraculi.

10 Ibidem fol. 279 testificans Domina Isabella Cotoner, uxor Domini Joannis Forteza; Quatuor *coram eisdem vovens 500 libras pro Canonizatione,* fere anni sunt, inquit, quod filiola quædam mea, nunc annos ætatis circiter undecim actura si viveret, vehementi febri infirmata, jamque a tribus Medicis Estevan, Santandreu et Kiebres deposita, F credebatur certo moritura, quia lingua ejus tota nigra erat; cum ego recordata miraculorum, quæ Majoricæ fiebant ad contactum Maxillarum B. Raymundi Lulli, petii eas domum meam ferri. Attulerunt Fratres duo, una cum Reliquiis S. Didaci: et has quidem imposuerunt capiti infirmæ puellæ, istas vero applicuerunt collo: continuo autem dormire illa cœpit, atque post modicum experrecta, clamavit; Ecquid illud est quod istic posuerunt? (et manu col- *filiolæ morienti, subitam,* lum monstrabat,) date mihi statim quod manducem: nam bene valeo, nec quidquam mali sentio. Date mihi cito aliquid: magnaque voce me inclamans, totaque exhilarata, dixit: Eia, Domina mater, sana sum: volo surgere, quia bene mihi est; detur mihi statim quod comedam. Itaque dies multos incolumis mansit, nigricante tamen diutius lingua. Quia autem, in ipso curationis momento, puella monstravit collum, non dubitavimus, nec modo dubitamus, quin miraculum sit B. Raymundo adscribendum. Eodem *marito lentiorem impetrat sanationem.* tempore maritus meus simili laborabat febri, cum puncturis lateris, quo morbo tunc multi moriebantur. Itaque

A Itaque etiam huic applicare feci prædictas Maxillas. Non tamen ita cito sanitatem is recepit, sed lentius atque paulatim ; nihilominus hanc quoque gratiam Sancto acceptam referimus. voveram enim, dum Reliquiæ applicabantur infirmis, quingentas libras ad ejus canonizationem conferendas, si convalescerent.

EX PROC. MSS.

Ad earumdem contactum,

11 Alia persona fol. 300. Mihi etiam, inquit, anno præterito MDCXII contigit laborare gravissimo dolore dentium partis dextræ, in cujus maxilla, maximum sentiebam cruciatum, ita ut os nequirem aperire, neque interdiu noctuve quiescere. Id cum mihi jam plures dies durasset, atque ad summum gradum cruciatus ascendisset, Bartholomæus Reus, maritus meus, dixit, irem ad Chirurgum Antonium Roig, qui dolorificum istum dentem extraheret : ego vero, recordata beneficiorum, quæ multi ad S. Francisci obtinebant, illuc me contuli, petiique exhiberi mihi Maxillas sancti Martyris Raymundi Lulli : quod cum obtinuissem, continuo cessavit dolor omnis, lætaque et hilaris domum redii ; atque exinde illi devota, nihil dubito quin per ipsum ea gratia facta mihi sit, quæ naturaliter tam cito et integre sperari non poterat : quod etiam judicarunt Testes, folio 291 et 325 producti.

subito tollitur odontalgia

B

et cephalalgia diuturna,

12 Alia, fol. 319 ait : Patiebar maximum capitis et maxillarum dolorem, cui nullum inveniebam remedium aut solatium : eoque per quatuor aut quinque dies continuum incrementum capiente, jam nec os quidem aperire ad cibum capiendum poteram; quare existimabam inde me morituram. Verum recordata sum mirabilium, quæ de Maxillis Lullianis audiveram ; et quod cognatus meus Fr. Ferregut, Ordinis S. Francisci, mihi dixerat, quod quandocumque ejusmodi malum mihi adveniret (adveniebat enim sæpe,) ad se recurrerem, qui mihi Maxillas istas, faceret adorandas et osculandas exhiberi, quo facto essem verosimiliter liberanda. Tali ergo occasione, cum lecto decumberem, neque vires haberem ad ædem S. Francisci adeundam, rogavi, ut aliquis Patrum dicti Ordinis, Frater Ferregut comitatus, ipsam Reliquiam mihi apportaret. Nec frustra : ut enim illam ego cum pio osculo venerata, capiti meo imposui, cœpit cruciatus leniri, et magno cum solatio cordis, firmam spem concepi plenæ convalescentiæ. Et vere eam, assecutam me sensi intra horam dimidiam, qua pignus illud sacrum supra me habebam. Nam, prius quam auferretur, os aperui, et manducare cœpi absque ullo impedimento. Die autem postero, accessi ad capellam, in qua sanctum Raymundi corpus Reliquiæque servantur, curavique ibidem dicendam Missam in gratiarum actionem. Inde revertenti, per viam occurrit Domicella quædam, uxor Andreæ Palon, domum meæ contiguam incolens, quæ visitandi causa advenerat nocte prægressa, præsensque adfuerat, cum dictæ Maxillæ mihi applicarentur. Ergo me venientem conspiciens; Jesu ! exclamat admirabunda, tune es eadem quæ nocte præterita? et hac vadis? estne possibile? Est possibile, inquam, qui Dominus sanavit me per suum sanctum Raymundum. Quibus dictis ab ea discessi in viam meam, certissime persuasa, gratiam istam fuisse miraculosam, propter subitaneam vim remedii sic accelerati, ut naturæ viribus adscribi non posset ; cujus rei contestis, fol. 326 addidit, nescire se, an lecto decumbens illa, aliud malum aliquod pateretur ; sed bene, quod miserabile spectaculum erat, ejus genam videre, tam enormiter inflatam.

simili medio,

cum grandi admiratione viciniæ.

Continua febri ad mortem æger,

13 Folio 256 Processus sæpe dicti, testis auditus; Proximo vere, inquit, erunt circiter anni duo, quod circa festum Pentecostes, tumorem quemdam sensi in corpore, cum vehementissima febre, eaque continua, sic ut medici desperarent de vita mea, quemadmodum mihi uxor narravit. Eo in discrimine constitutus, cum sæpius audivissem narrari stupenda, D quæ Majoricæ fiebant miracula, ad invocationem beati Martyris Raymundi Lulli, precatus sum, ut ejus Maxillæ ad me deferrentur, sicuti ad infirmos in civitate, illæ deferri solent : quas dum expecto, et cum Crucifixo in manu Dei imploro misericordiam, adfuit cum illis, P. Fr. Pisa, alio Religioso comitatus. Equidem vix mei tunc compos eram ; quantum tamen recordor, ipsas Reliquias, devote acceptas, ad mediam circiter horam, penes me habui ; magnoque interius solatio perfusus, firmam spem sanitatis rediturae concepi. Postquam autem præfati Religiosi ipsas abstulerunt (neque enim volebant mihi relinquere) lapsus in somnum, visus mihi sum videre figuram S. Raymundi Lulli, genibus flexis et manibus junctis ; quo conspecto velavi oculos, moxque iterum revelavi ; sed neminem videns, remansi tanta cum fiducia conservandæ vitæ, ut dixerim adstantibus, concederent cubitum, dimissa mei cura, qua amplius non egebam. Et vere ex eo momento, ita melius habere cœpi, ut nihil possim dubitare, quin speciali Dei adjutorio, precibus B. Raymundi impetrato, non autem remediis ullis humanis, E conservata mihi vita fuerit : prout etiam Testis alius, folio 258 affirmavit.

allatis Reliquiis,

et visa Sancti pro se orantis specie, convalescit.

Puerulus tantum non mortuus,

14 Folio 287, alius Testis ; Tres anni sunt, inquit, quod filiolus quidam meus anniculus jacebat, ad extrema deductus febri spasmatica : quem mater sua, uxor mea, mortuum credens, ut velut mortuum Cruce signarem ac benedicerem monuit : et ego vultum ejus inspiciens, oculosque clausos et sanie coopertos, eidem benedixi, ut mortuis solet. Cum autem paulo post, nonnihil adhuc spirare videretur, concepta in Doctorem Lullum fiducia, accessi ad ejus sepulcrum, et flexis ibi genibus oravi pro infante. Inde ad P. Guardianum ipsius Conventus perrexi, rogans ut Religiosum aliquem designaret, domum meam mecum iturum, cum sanctis Maxillis. Adfuit mox, mandante Guardiano, unus ; et interrogavit num etiam assumpturus esset Reliquiam S. Didaci. Respondi, solas S. Raymundi me requirere, abiique cum eo domum meam, ubi infantem reperimus qualem reliqueram. Sed mox, ut ei imposita Reliquia fuit, quasi extremum commoveri et luctari cœpit, adeo ut in latus exciderit, Reliquia corpori ejus imposita. Tunc Religiosus iste, dicta consueta oratione, eam sustulit, osculandamque infanti porrexit, et abiit. Vix ille discesserat, cum parvulus aperuit oculos, omni detersa sanie F clarissimos ; ad ingens matris omniumque adstantium solatium, qui incunctanter credidimus, effectum eum miraculosum fuisse, qui meritis B. Raymundi debeat acceptus referri.

earumdem attactu revalescit:

item Religiosus de Mercede,

15 Folio 118 deponit R. P. Præsentatus, Fr. Bartholomæus Bramona, Ordinis B. Mariæ de Mercede, ut sequitur : Cum P. Fr. Petrus Estevan, graviter infirmaretur ex continua febri, uti judicabant Doctores Ferregut et Estevan, qui eum visitabant ; monuerunt me ut omnia disponerem quæ solent Religiosis moribundis curari, cum addito. quod ægro nulla spes vitæ ultra esset. Contuli ergo me ad cubiculum infirmi, quem reperi quasi lethargicum ; dumque ibi essem, supervenit Religiosus Franciscanus, unus ex iis qui solent ad ægros per civitatem Reliquias Doctoris et Martyris Lulli circumferre : quas cum ægro admovisset, magnoque clamore hortaretur ut Sanctum invocaret, confidens se per eum sanitatem recepturum ; vidi eum, et viderunt quotquot aderant, signa dare, id facientis corde, quod voce non poterat ; statimque agnovimus ei melius esse ; et certum tenemus miraculum fuisse, quia intra biduum conspeximus ambulantem per vicos civitatis.

cum jam animam ageret.

16

A *Doctor medicus, idem pluribus accidisse testatur.* 16 Fol. 220 auditus Testis professione medicus, dixit : Matrona quædam, febri ardenti continua et pestilenti laborans, eo extremitatis devenerat, ut ego et alius qui ipsam mecum curabat medicus, eam pro desperata haberemus; ideoque, jam mortuam ratus, desii illam ex more visitare. Postea tamen eodem reversus, obviam habui, totaliter melius habentem : causam autem tam celeris mutationis quærenti, respondit; Allatis ad se Martyris sancti Reliquiis, subito melius habere experta, intra paucos dies persanata fui. Et hujusmodi casus, inquit Testis, experior quotidie circa infirmos, quos hortari soleo, tam in civitate quam per regnum, ut ejusmodi remedium experiantur. *Sanatur dolor capitis cum febre.* Alius fol. 239 dixit : Anni duodecim sunt, quod febrem cum capitis dolore patienti mihi, Patres S. Francisci attulerunt Maxillas beati et gloriosi Martyris Raymundi Lulli; quas adoratas cum capiti imposuissem, incontinenti cessavit dolor; et febris, quæ vehemens erat ac duratura diutius timebatur, valde alleviata, intra paucos dies tota evanuit.

CAPUT III.

B

Alia beneficia, mediantibus iisdem Maxillis, obtenta.

Post abortum ad mortem ægra, Tres anni sunt, inquit Testis, folio 150 relatus, quod uxor mea, paucis ante dominicam Ascensionem diebus, abortum passa est cum copioso sanguinis fluxu. Applicata sunt ei frustra remedia varia : quare et ego et obstetrix vitam ejus habuimus in desperatis. Jam dies septimus agebatur, cum uxor mea recordata mirabilium S. Raymundi, ejus reliquias expetivit, obtinuit, easque deosculata, invocavit auxilium Sancti, et continuo melius habere incepit, atque intra dies paucos integram recuperavit sanitatem; quam nos omnes, æque ac vicini nostri, casus istius conscii, imputavimus miraculo; sicut etiam fecit Testis relatus fol. 251 : atque exinde frequenter adimus capellam Sancti, gratias de tam præsenti auxilio agentes, et aliis in necessitatibus ipsum invocantes.

et vir letali pleuritide correptus, 18 Folio 253, Testius alius : Placuit, inquit, Domino nostro in me notabile valde miraculum operari, ad suum honorem et gloriosi Martyris sui Raymundi Lulli, quinque ab hinc annis; quando C accumbentem mensæ invasit me furiosa pleuritis, ita ut impastus debuerim ad lectum deferri. Advocati mox medici chirurgique ea applicarunt remedia, quæ profutura credebant, fructu nullo: augescente in horas malo, et diu noctuque clamare cogente. Ergo recordatus miraculorum S. Raymundi, mandavi cum valido clamore, ut ejus Maxillas ad me deportarent, confidens iis mediantibus sanari. Cum jam quinque diebus sic affligerer, attulit eas P. Fr. Joannes de Mesquida Ordinis Franciscani, et ori meo deosculandas applicuit primum, deinde supra me positas reliquit; et subito relevari *admotis Reliquiis curati :* me sentiens, dormire cœpi. Paulo post experrectus, convocavi domesticos, qui me sopitum conspicati, cubiculo excesserant : quæsivi ubinam esset P. Fr. Mesquida; responderunt, abiisse, secumque Reliquias abstulisse. Quibus ego, nihil amplius mali sentiens præter aliquantulam defatigationem ex tot dierum cruciatu; Pater, inquam, Mesquida, una cum sacris Maxillis, malum meum abstulit : itaque, tam ego quam præsentes omnes, tam subitam perfectamque curationem intercessioni B. Raymundi adscripsimus, meque eo nomine obligatum agnosco.

item alius a febre ardente, 19 Alius fol. 255 dixit : Anni sunt duo mense Decembri, quod ardenti correptus febri, cum vehementissimo dolore capitis, post multas frustra adhibitas medicinas, sperare cœpi posse me mediante S. Raymundo sanari : magnaque cum fiducia rogavi, ut ejus Maxillæ ferrentur ad me. Attulit eas quidam Franciscanus, Fr. Costa dictus, si non fallor; et devote adoratas a me, applicuit fronti. Hinc statim melius habere incipiens, brevi tempore convalui totus, neque cunctanter miraculosum eum effectum æstimavi, qui nullis medicaminibus potuerat obtineri. D EX PROC. MSS.

et puer anniculus a spasmo letali; 20 Folio 169 deponens Testis alius : Anni quinque sunt, inquit, quod frater meus Petrus Georgius, tunc anniculus, incidit in gravem ac vehementem febrem, cum convulsione et spasmo tali, ut brachia cum manibus distorquerentur retrorsum, jugiterque tremerent, nec iis uti posset, donec ad eum allatæ sunt sæpe dictæ Maxillæ; quibus per duos Fratres acceptis, admotisque infirmo, puer brachia manusque extendit ad eas deosculandum, a convulsione jam dicto tremoreque curatus; atque intra paucos dies totus sanus quamdiu vixit, omnes circumstantes movit ad gratias Deo dandas pro tam insigni miraculo. *ac Monialis apoplectica* Et folio 22 in Processu anni MDCV, dixit Religiosa quædam Hieronymiani monasterii; quod jam ibi Monialis erat, E quando Soror Honofria Bonapart apoplectica facta est (alia Soror addidit, quod medicus eam visitans judicaverit incurabilem morbum esse) unde loquelam amisit, nec prius recuperavit, quam supra ipsam ponerentur Maxillæ sancti Raymundi. Res autem contigit ante annos novem, pridie S. Annæ, quo prædictam Sororem apoplexia corripuit. Eram autem ego in cubiculo infirmæ, usque ad tertiam horam post solis occasum, quando illa dixit; Modicum dormivi, et ecce melius habere me sentio, ex quo supra me posuerunt Maxillas Mag. Raymundi. Ea vox omnes nos præsentes admiratione complevit; *et mentis Impos.* nec enim Soror Honofria mentis suæ compos erat, quando ei applicatæ sunt Reliquiæ prædictæ Itaque continuo surgens, excitavi et convocavi omnes Religiosas, ad gratias Deo agendas pro tam miraculosa curatione; simulque omnes cellam ingressæ, invenimus sanam, et sana deinceps vixit annis aliquot : de quo nemo nostrum dubitavit quin Dei solius opus esset, S. Raymundi meritis impetratum. Sunt et alii Testes ejusdem miraculi in isto Processu : cujus folio 19, alia mulier affirmat, quod applicatis sibi prædictis Maxillis unaque Missa curata, fuerit liberata ab intolerabili dolore dentium, F quem patiebatur; similique earumdem Maxillarum applicatione, reperimus, plures alios a variis infirmitatibus curatos.

Assulæ crucis Lullianæ, curant 21 Particulæ quædam decerptæ ex ea Cruce, in qua fixus Christus S. Raymundo apparuit, variis quoque miraculis inclaruerunt, quale unum refertur in Processu anni MDCXII, folio 168, hoc modo : Quædam sororcula mea triennis patiebatur infirmitatem, quam morbum esse gallicum, contractum a nutricibus, quæ infantulum lactaverant, dicebant Doctor Raphael Amer et Joannes Strader Chirurgus. Hoc *morbum Gallicum nutrice communicatum infantulæ :* intelligens pater meus Petrus Ribot Notarius, quando jam unum annum infantula malum istud patiebatur, idque majora indies sumebat incrementa, domum venit circa horam prandii, ferens secum assulam ejus crucis, in qua glorioso Martyri Raymundo Christus dicitur apparuisse; eamque prolatam applicuit ori exulcerato. Dixi ego ut similiter applicaret parti secretæ, nihilo minus infectæ : sed respondit; Nihil id opus est, satis eam sic curabit S. Raymundus. Nocte ista nullam curam, qualem solebamus, adhibuimus parvula : mane autem, cum eadem de causa, puellam visitaremus, invenimus sanam, relicta solum levicula circa os cicatrice, et exinde

A exinde usque modo sana perseverat, omnibus qui antea ipsam viderant æstimantibus manifestum esse miraculum, quandoquidem humana remedia nihil profecerant. Contestes autem ejusdem fuerunt, primum medicus prædictus, cujus depositio refertur fol. 107; et alii plures relati folio 202, 166 et 169.

EX PROC. MSS.

et viri unius eodem fere consumpti,

22 Eadem testis fol. 170 dicit. Hoc ipso anno mense Januario, maritus meus Bartholomæus Capo, per quatuor menses laborans eodem Gallico morbo, et incurabilis judicatus a medicis, post plurima remedia frustra adhibita, malo sic ingravescente, ut totum ejus corpus unica plaga jam esset, præsertim caput et collum ejus. Tunc pater meus, intellecto casu, misit mihi particulam ligni prædicti : qua accepta dixi marito meo, sumeret animos, seque B. Raymundo commendaret, et cœpi ipsam admovere ejus capiti; ac deinde collo appensam reliqui, multa cum devotione et fiducia. Sequenti autem die potuit maritus de lecto surgere, atque intra breve tempus integre convaluit, de die in diem proficiente sanitate : in cujus beneficii memoriam vovi pingendam curare tabellam, quæ sepulcro appenderetur, hodieque inter manus pictoris est.

ad votum uxoris,

23 Folio 244 Testis alius sic juravit : Præterito B vere anni MDCXII, jam sunt menses sex, quod in lecto jacentem occupavit me dolor in genibus tam intensus, ut eum nullo modo valens sustinere, continuo plorarem ac lamentarer, nec pacare me possent quicumque assistebant; quando domum meam venit Petrus Ribot Notarius, dicens se adferre Crucem, cui inclusa erat particula ejus ligni, in quo B. Lullo Christus apparuerat: et hanc tollens de collo suo, appendit meo : statimque grandis ille cruciatus cessavit, nec postea eum ulterius sensi, omnibus qui aderant, ad tam subitaneum miraculum attonitis : maxime cum is solitus esset mihi sæpius per annum redire : et adest Testis illius alius, folio 246.

alius gonagra intolerabili afflictus,

24 Folio 303 loquens alius : Annus, inquit, fere, unus abiit, quod tertianas febres patiebar cum dolore gravi capitis : assumpto autem frustillo ejusdem ligni, quod aliquis mihi dederat; mox ut ipsum admovi capiti, cessavit dolor : cum autem ipsum subinde decideret, ex eo ubi posueram loco; continuo redibat dolor ille, donec ipsum reponerem : cujus rei sæpius experientiam feci per duos menses, quibus febris duravit. Hac vero cessante, ipsum sacri ligni frustulum commodavi cuidam vicinæ meæ, quæ simili dolore cruciabatur; et, sicut illa mihi retulit, C idem inde beneficium accepit. Quin et alia multa mirabilia, particulis talibus mediantibus, operatus est Deus, sicut in hac civitate notum est.

aliusque tertianis cum cephalalgia laborans.

25 Nec pauciora fecit mediante oleo lampadis ante Sanctum ardentis, cujus rei inter alios Testis folio 182, Vehementem, inquit, patiens in uno pede cruciatum, sic ut ægre stare in gradu possem, visitavi ut melius potui capellam B. Raymundi, et bis pedem meum ex lampade ante ipsum appensa unxi : liberatusque deinde usque modo fui. Alius folio 298; Vere præterito, inquit, passus sum gravissimum capitis dolorem, quo solebam ordinarie torqueri, durabatque ab hora secunda vel tertia post solis ortum, usque ad tertiam vel quartam noctis, tantum ingravescens quanto magis nox accedebat. Cum autem essem in conventu S. Francisci, ibique precarer ante sepulcrum sancti Martyris Raymundi, inunxi frontem oleo lampadis istic ardentis, ipsoque momento sensi alleviari cruciatum : idque tam celeriter, ut priusquam pedem possem ab ecclesia efferre, pene sublatus esset totus; quando autem domum meam perveni, jam nihil amplius sentiebam : habeoque pro certo, me per oleum istud sanatum fuisse ab illo tormento, quod secundum suum ordinarium cursum mihi consueverat usque in noctem durare;

Sanantur oleo lampadis,

dolor capitis, habitualis,

tunc vero mox ab unctione cessare cœperat, et brevi D ex toto cessavit. Verum quidem est, quod aliquot diebus post iterum dolor rediit, non tamen tam vehemens neque tam continuus, sicuti solebat, cum quavis hebdomade semel iterumque eumdem paterer. Ex eo autem tempore quo frontem unxi, jam tres menses abierunt, quod amplius eum non sensi.

26 Item Testis pag. 299 sic progreditur : Diebus præteritis occupavit mihi inguen carbunculus, sive tumor sanguineus, quem lentissimæ curationis fore dicebant aliqui : verum intra septem dies suppuratione maturata crepuit, et siccatum est ulcus : teneoque pro certo, id factum virtute ejusdem, quod dixi, olei; quia ipsum imposui emplastro, mihi ad curationem applicando. Alia deinde persona fol. 329, loquens de novenni quadam filia sua, toto dextro latere paralytica, cui continuo manus tremebat, medicis nullam spem curationis facientibus. Cum, inquit, vicinus aliquis mihi suggessisset, ut filiam commendarem B. Raymundo; ivimus visitatum capellam, in qua illius corpus et reliquiæ asservantur; et accepimus de oleo lampadis istic accensæ, eoque puellam uniximus : quod mox ut facere cœpimus, cœpit illa valere melius, et nunc sana est tota, ea ipsa manu utens atque opus faciens, qua antea nihil E poterat agere.

carbunculus in inguine,

paralysis dextri lateris,

27 Folio 330 Testis alia, cum primum dixisset, quod suorum filiorum unus, solitus frequentem capitis dolorem pati; ipso momento quo se liniebat oleo prædicto, solebat etiam malum quasi abstergi, unde eidem Sancto devotissime afficiebatur. Ipsa deinde Testis de se; Præterito, inquit, anni MDCXII Novembri, circa horam primam noctis, supervenit mihi malum tam grave, ut inde omnino morituram me crederem. Alleviabatur illud quidem his terve nocte ista; sed mox revertebatur duplo vehementius, ita ut domestici ac vicini omnes de vita mea actum esse censerent. Eo in statu, cum acerrime urgeret malum (dormiensne, an præ dolore sensu privata, nescio) visa mihi sum loqui cum B. Raymundo, toteque corde præ lætitia inflammato dicere : Sancte mi, nihil habeo quod tibi donem; faciam tamen pingi votivam tabellam. Et hoc dicens aperui oculos, meque totam sanam inveni, nec umquam malum istud mihi rediit.

item dolor capitis toties quoties;

et aliud grande malum;

28 Alia fol. 331 dixit : Octo diebus postquam pepereram, nescio qua temeritate posui me ad fenestram; et aere qui inde spirabat poros subintrante, mox ut inde recessi, sensi me graviter cruciari, eademque nocte supervenit mihi vehemens et acuta F febris, quæ circumstantes faciebat desperare de vita mea; quin et ego arbitrabar me cito morituram, propter doloris quem sentiebam vehementiam. Sed mane facto, recordata miraculorum, quæ per civitatem narrabantur facta, mediantibus Reliquiis S. Raymundi et oleo lampadis ejus, rogavi ut modicum quid ex eo mihi quærerent. Fecerunt, quod petebam, et eo mihi venæ pulsum collumque unxerunt: ipsoque instanti melius valere incipiens, intra duas horas surrexi de lecto, sanamque me reperi tam a dolore capitis quam a febri, numquam deinde reversis : cui rei attestatur alius folio 332. Alius folio 378; A sex mensibus, inquit, patiebar grande malum in ore, cui cum varia remedia et aquas causticas adhibuissem, nec quidquam proficerem, ivi ad capellam beati Martyris, et oleo lampadis inunxi mihi totas maxillas. Cœpi autem ad primam unctionem sentire levamentum aliquod; eamque deinde per totum circiter mensem continuans, tandem totus sanus fui.

et acuta post puerperium febris,

oris inflammati cruciatus,

29 Folio 381 invenitur alia Testis dixisse : Filius quidam meus Nicolaus Tries, agens ætatis annum decimum octavum circiter, acuta quam patiebatur

letalis in extremo articulo febris,

A batur febri ad extrema devenerat, depositus a medicis, et quartum jam diem loquela, visu, auditu privatus, oculis pene fractis, ita ut momentis singulis ultimus spiritus expectaretur; nec aliud vitæ signum superesset quam modicus tenuissimusque anhelitus. In tali articulo ingressus domum meam est vicinorum aliquis, hora prima post solis occasum, mihique dixit: Tam multa fecisti pro recuperanda filio tuo sanitate, nec quidquam profecisti; fac nunc, quod suggero. Adfero tibi aliquid ex oleo lampadis, ante sepulcrum B. Raymundi pendentis: accipe et unge eo infirmum, quia tali medio multi sunt valetudinem amissam consecuti. Sumpsi ergo ampullam, qua dictum oleum continebatur, in nomine sanctissimæ Trinitatis et beati Martyris; digitoque intincto formavi ægro Crucem in fronte, aliamque impressi ori ejus, pectori, manibus atque pedibus: statimque cœpit movere ac revolvere se, id quod facere per dies quatuor prægressos non potuerat: caput etiam elevavit supra pulvinar ad palmum unum. Tum ad aures ei clamavi voce contenta: et ille respondens, Mater mea, inquit. Ego autem obtuli ei prunum unum, quod sumpsit; et ex illa hora tam celeriter convaluit quatriduo subse-
B quente, ut ægre potuerim cibum, quantum appetebat, præbere: itaque plenam assecutus sanitatem, valet usque hodie, adeo ut nemo sit eorum, qui infirmum viderunt, neque medicorum eum curantium, qui non sentiat, evidens esse miraculum, ejus intercessione impetratum, quem invocabam, quando filium ungebam: quod etiam affirmaverunt Testes, relati foliis, 378, 379, 384 et 387.

30 Alius Testis folio 388; Infirmabar, inquit, Augusto præterito tam graviter, ut mori me crederem. *manuum ac pedum impedimentum,* Secta est mihi undecies vena, et febris abscessit; sed me reliquit manibus ac pedibus sic impeditum, ut ad rem nullam iis uti possem: cumque eram surrecturus de lecto, aut aliquo progredi vellem, subaxillaribus fulcris adhibitis opus habebam. In eo statu cum toto Octobri perseverarem; dixit mihi uxor mea, quod volebat me ungere oleo Lulliano: verum ego, qui sæpe audiveram loquentes de mirabilibus Sancti, nullam tamen erga eum hactenus habueram devotionem; Apage, inquam: mulieres. His ita dictis, nocte sequenti expergiscens, animadverti, quod ipsa mihi ungeret musculos manuum tibiarumque oleo prædicto: idem deinde fecit tribus consequenter noctibus. Post ultimam unctionem, cum fulcris
C meis nixus, venissem ad novum atrium ecclesiæ S. *facto voto de fulcris ad sepulcrum portandis:* Antonii, ubi pendet effigies sancti Martyris Raymundi; caput sustuli, ipsaque visa, motus fui ad aliquantulam erga ipsum devotionem; et rogavi, ut dignaretur restituere mihi pristinum tibiarum vigorem; domum autem revertens, vovi ad ipsius capellam deportare furcillas meas, si convalescerem. Interim ipsis in reditu utens (nec enim aliter firmare gressum poteram) perveni usque ad portam domus meæ ibique sensi magnum calorem toto corpore meo diffusum, et exclamavi. Domestici vero accurrentes, reposuerunt me in lectum; et parvo post tempore, quanto semel recitaretur Credo, tantavi an possem de lecto surgere; et sensi me liberum ab eo stupore, *quod implere differens, malo redeunte, castigatur,* qui manuum pedumque musculos catenus impeditos tenuerat. Positis ergo in terram pedibus, domo exivi, et ambulavi per plateam absque furcis; totusque sanus, benedixi Deum, eique et sancto Martyri gratias, non tamen quantas debeo, egi; neque dubitavi *donec satisfaciat.* quin per unctionem prædictam, nec alia ratione, fuissem sanatus. Verumtamen septem vel octo diebus post, cum voti mei oblitus, differrem fulcra mea portare ad capellam, sicuti promiseram; rediit mihi iisdem in membris prior dolor ac stupor: votique facti recordatus, ipsa membra inunxi prædicto oleo, statim autem cessavit omne malum, et votum complens, furcas ad capellam detuli appendique, ubi pen- D
dent etiamnum: et ego sanus sum, Deo gratias. Idem *EX PROC. MS* testantur personæ relatæ folio 391, 392 393.

CAPUT IV.

Varii a variis morbis, invocato Sancto, diversimode liberati.

Nonnulli etiam similem effectum experti in se sunt a votis factis Missisque curatis; ac nominatim Tes- *Urinæ per 7 dies suppressio,* tis, folio 181 auditus, dixit: Prima die Julii, anno MDCX, passus sum, ut alias quandoque, suppressionem urinæ; quæ cum septimum diem duraret, neque aliquid proficerent adhibita remedia; nullam spem vitæ amplius in illis habens, recurri ad medicinas spirituales, et petii Confessionis Communionisque Sacramenta, quæ mihi jam lecto decumbenti allata sunt; et his perceptis petii ut mihi apportarentur Maxillæ B. Lulli. Respondit R. P. Fr. Beltran, quod ipsas ultro attulerat. Hoc ego audito valde recreatus, sessum me in lecte composui illasque *adoratis Sancti maxillis laxatur.* acceptas, ut potui, devotissime adoravi, et osculatus E sum, promittens ipsi Sancto tabellam, ex voto appendendam in capella sua. Paulo post placuit divinæ misericordiæ, ut postulatum urinale impleverim ad mensuram dimidiæ partis heminæ (*Mith Corter* appellamus,) deinde horas duas dormivi, quod antea non poteram, impediente id vehementia imaginationis meæ, præsens malum continue rememorantis. Tum iterum petii vasculum, iterumque citra ullam difficultatem implevi, acsi nihil mali passus essem. Sequenti ergo Dominica contuli me ad ecclesiam S. Francisci, ubi denuo confessus peccata, sumpsi in ipsa capella sacram Communionem, et appendi quam promiseram tabellam. Missam etiam dicendam curavi: atque exinde quotidie ipsi me commendo certas preces recitando. Depositioni huic concordat alius fol. 200.

32 Triennum est, inquit Testis folio 285, juratus, quod filiolæ meæ excrevit tumor supra collum *Periculosus supra pedem tumor,* pedis ejusdem, cujus caro erat coloris, qui judicabatur valde periculosus. Hunc ablatum cupiens, post alia multa frustranea remedia, recurri ad intercessionem sancti Martyris Raymundi; promittens ei tibiam ceream. Facto autem ejusmodi voto, cœpit detumescere malum, et intra viginti quatuor horas totum evanuit. Uno circiter anno post, venit eidem puellæ apostema in manu dextra difficile curatu: F quam cum iterum, post medicinas plures frustra ad- *apostema in manu,* hibitas, Sancto devovissem, sanari mox cœpit, citoque convaluit: quod, licet indignus, totum adscribo Sancto. Denique, recens elapso vere, eidemmet *et erysipelas,* puellulæ advenit erysipelas, totum caput deformiter inflans: cui cum neque phlebotomia neque alia remedia prodessent; tulimus parvulam ad conventum S. Francisci, petituri Maxillas B. Raymundi infirmæ admovendas; atque promisi, quod puella integrum annum portatura esset vestem coloris Sancto usitati et pro ea offerrem tabellam miraculi testem. Cumque dictæ Reliquiæ essent domum illatæ, et positæ supra parvulam, intra duas horas visus est tumor ille sanguineus paulatim residere, totusque sequenti die disparuisse; et de lecto surgens filia ex cubiculo descendit, cœpitque discurrere per plateas.

33 Folio 262 nominatus Testis; Iveram, inquit, *ac febris letalis, Missa curata sanantur* ad quemdam infirmum amicum meum visitandum, et reperi ardenti cum febri et periculo mortis lecto decumbentem: quare contuli me ad conventum S. Francisci, et de meo pecuniam obtuli pro Missa curanda, atque sic ægrotantem commendavi S. Raymundo. Proximo die ad ipsum redivi, reperique longe

A ge melius habentem: et interrogatus qui valeret, respondit, supra omnem spem, levius: ego vero, quod feceram silentio premens, agnovi tacitus gratiam, Sancto mediante impetratam.

EX PROC. MSS.

Periculum phthisis dispellitur,

34 Folio 307 dixit alius: Cum uxori meæ, post graves febres, frigidus humor in pectus descendisset, unde qui eam visebant medici, incurabilem phthisim augurabantur; ad intercessionem S. Raymundi confugi, petiique ut mihi adferrentur ipsius Maxillæ, et particula illius ligni, supra quod in monte Randa eidem apparuit Christus, simulque per famulum misi pecuniam ad Missam in ara S. Francisci curandam. Et placuit huic atque B. Raymundo, ut instanti quo pecuniam numerabam, et uxori meæ applicabantur Reliquiæ prædictæ, inciperet illa levius dolere, malumque imminutum paulatim est, ut reversi medici obstupescerent, mutationemque tantam negarent, ulli suo remedio adscribi posse; narrantique quid fecissem responderunt; Nihil est Deo impossibile; et post paucos dies plane convaluit mulier. Cum autem iidem medici eam monerent, ut lactandæ, quam pepererat, infantulæ nutricem quæreret; ipsa satis robustam se sensit, ut redeunte in ma-B millas lacte pergeret alere, et etiamnum alat fœtum suum. Alia quoque mulier, de qua legitur folio 292, dixit; Post viginti quatuor horas difficillimi puerperii, viribus omnibus destituta, cum Missam sancto Martyri curandam vovissem, ipsum invocavi; et eodem momento, nemine assistente, fœtum edidi quem adeo promptum ac felicem successum, non potui non imputare Martyris a me invocati meritis.

ad stuporem medicorum.

Sumptis lentisci Lullianæ foliis,

35 Varii etiam testati fuere, mediantibus foliis lentisci, famosæ ob inscriptas eis litteras in gratiam S. Raymundi, curatos se ab infirmitatibus quibus detinebantur. Sic una folio 259 audita est dicere: Præterito anno circa festum Paschalis correpta fui apoplectico spasmo, quo, nulla corporis parte excepta, a capite ad pedes vehementer cruciabar. Applicuerunt Medici quæcumqne sciverunt remedia, in vanum; cum autem ad summum gradum videretur malum ascendisse, visitatum me venit (an Antonius Collo, vel Servator Jorge, domi meæ frequentes, non recordor) et porrigens ramusculum de trunco ejus arbusti, cui creditur Mag. Raymundus Lull certas litteras inscripsisse; Accipe hunc, inquit. Ego autem quæ frequenter audiveram narrari gratias, mediantibus talium ramusculorum foliis impetratas, ex septem vel octo, quæ ibi numerabantur, tria vel quatuor decerpsi, cique imposita comedi, multa cum C fiducia, quod per intercessionem Sancti, salutem essem recuperatura. Nec mea me spes fefellit: eodem enim momento, post sumptum calidi, nescio cujus jusculi, aut vini cum aqua mixti, haustum, sensi me omni dolore liberam. adeo ut viderer mihi posse domo egredi, et continuo cunctis ad me venientibus narravi casum: et mecum illi etiam judicabant miraculosum; cum fieri naturaliter nequeat, ut morbus tam gravis, et tot medicamentis frustra curatus, in momento sanetur; ejusdemque rei Testes etiam auditi referuntur, folio 261, et 264.

curatur apoplexia,

et arthritis cum capitis dolore.

36 Eodem folio 264 prædictæ mulieris maritus; Passus eram, inquit, annum integrum, convulsionem molestam quasi arthriticam, cum grandi capitis debilitate, sæpius intra anni istius decursum recurrente, et ad lectum tenendum cogente. Recordata autem uxor mea, habere se reliqua tria vel quatuor folicula lentisci illius miraculosæ, quorum usu ipsa (ut supra dictum) sanata fuerat; jussit me ea comedere cum quanta possem devotione, et curare Missam unam dicendam. Igitur in scyphum aquæ immersa sumpsi, simulque sanitatem integram bibi, citra ullum prioris mali vestigium; et sequenti die cum tota familia mea processi ad ecclesiam S. Francisci (erat autem mensis Aprilis non diu post festa Paschalia) votumque complevi, multas gratias agens Sancto, cujus favori tam insigne beneficium acceptum ferebam: prout etiam Testis alius folio 260 confirmat. D

37 Singularis admodum fuit casus, qui contigit mediante Rosario, sacris B. Raymundi Reliquiis admoto et folio 199 sic narratur ab ea cui evènit: Præterito MDCXI, die V Decembris, venit maritus meus domum hora secunda noctis, alias non solitus jam sero redire; meque invenit lecto decumbentem, propter gravissimos dentium et maxillarum dolores, quos jam annis circiter octo tales patiebar, ut os ad comedendum aperire non nisi ægerrime possem: movebantur etiam mihi dentes omnes, quasi elapsuri; quare identidem, cum mihi aliquid calidi in potum daretur, solebam inspicere scyphum, an ipsos invenirem illuc illapsos. Ultimis autem tribus annis vix loqui ad confitendum potui, nec nisi bis terve sacra Eucharistia refici: et mariturus meus idemque Medicus, lassatus medicamentis præbendis, quibus frustra multis usa fueram, et credens moriendum fame mihi esse, quia nihil nisi modicum decocti jusculi, idque ægerrime, poteram trajicere, venit, ut dixi; hora jam sera; narravitque quid eo die egisset; videlicet, quod fuerit accersitus a Magnificis Juratis in conventum S. Francisci, una cum aliis Doctoribus Medicis atque Chirurgis, ad recognoscendas Reliquias et Caput gloriosi Martyris Raymundi Lulli; actisque quæ agenda erant, Rosarium suum duxerit supra eas; quæsivit autem an ipsum vellem collo meo circumponi. Ego vero, quæ multa audiveram de miraculis ejus, annui; acceptumque deosculata, eodem me signavi, et ipsum per utramque maxillam duxi, colloque imposui: deinde, priusquam rediret maritus, adferens jusculum, solum et solitum meum alimentum, sanam me sensi, beneque animatam ad sumendum aliquid solidioris substantiæ, jam libere os aperiens, ex maxillas movens, cœpique mediante illo Rosarii tactu, quidquid afferebatur, panem, carnem aliaque allata comedere, dentibus, qui antea videbantur et ore casuri, miraculose confirmatis; cum antea totum os quasi adustum haberem, ardore tot medicamentorum adhibitorum. Laborabam præterea alio symptomate, spasmo scilicet, per annum istum frequenti, et tunc priusquam sanarer multo frequentiori, ex defectu nutritionis congruæ; ex eo autem momento, quo Rosarium collo circumposui, nihil tale sum passa. Eadem omnia testatus est maritus, Doctor Medicus, fol. 166; expressius specificans omnia, quæ uxori applicaverat F remedia, et quid viderit, recognoscendo prædictas Reliquias.

Tactu Rosarii, Reliquiis admoti,

sanatur octennis odontalgia mulieris,

E

fame alias morituræ.

38 Quam plurimi etiam curati a suis infirmitatibus sunt, visitando capellam aut sepulcrum Sancti. In his mulier fuit, folio 267 ita loquens: Medius circiter annus est, quod in angulo unius oculorum meorum, sensi quasi granum (Medici fistulam appellabant) dolorificum adeo, ut nec dormire nec requiescere possem: cui curando, apposuit Medicus quædam emplastra, quibus profectum nihil est, quin potius auctum malum. Cum autem essem in ecclesia S. Francisci, adverti multos istic recipere morbis suis remedium; ideoque sacellum S. Raymundi intravi, et vovi oculum cereum ibi offerendum, si meus curaretur; cœpique Rosarium recitare, et mox meliorationem sentire, sic proficientem, ut priusquam illud totum absolvissem, cessarit dolor omnis: domum autem regressa, animadverti ipsum granum paulatim siccari. Dies tunc inclinabat in vesperam, et postridie mane curatam me persanatamque inveni. Idem testatus est maritus ejus, folio 267 juratus.

Visitantes capellam Sancti, curantur,

una oculum infistulata

cereum oculum vovendo.

39

A *Quidam in gena gangrænam patiens,* 39 Folio 361 productus Testis; Quatuor, inquit, vel quinque annis passus sum in maxilla dextra grave malum mihique ignotum, (Testes, folio 334 et 353 producti, gangrænam fuisse asseruerunt) cui curando Medici nihil utile reperiebant: crescente autem malo, pusque multum ac fœtidum ejectante per apostema; accidit ante annum unum, ut essem in parochiali hujus civitatis ecclesia, S. Jacobo dicata, ubi D. Franciscus Montaner mihi dixit; irem ad S. Francisci; adoratis ibi Lullianis maxillis, certo curandus. Parui consilio, indeque (nescio qui) *unctus ex lampade,* me transtulerunt in capellam, ubi Sancti corpus quiescit; demissaque lampade quæ ante ipsum ardebat, sumpserunt inde oleum, meumque oculum liniverunt. Tum facta oratione, abii; et intra quatriduum, nullo alio medicamine adhibito, sanus fui, et sanus mansi: factum autem, ut miraculosum, confirmarunt Testes duo, relati folio 334 et 352.

item maxillarum dolore gravi afflictus. 40 Folio 295 invenitur depositio cujusdam, his verbis concepta: Medius circiter annus est, quod mihi accidit dolor gravissimus maxillarum, sic ut B quatriduum totum nihil masticare aut comedere potuerim: dum autem essem in ecclesia S. Francisci, B. Raymundum invocans pro remedio, vidi quod Patrum unus, ad petitionem cujusdam mulieris, e sacristia efferret ipsius Sancti Maxillam; et inter complures, ad ipsam ex occasione osculandam accurrentes, accurri etiam ego, oravique Patrem, ut ipsam mihi per genas ducens, aliquantulo spatio teneret supra unam, in qua precipue torquebar. Quo facto domum abii, et cœpi absque ulla molestia manducare, masticando cibum, quod antea facere non poteram; quin potius quoties attingebam, tremebam totus et patientiam amitteban: tunc autem cessavit dolor omnis, et exinde devote ipsi Sancto afficior.

Ex tibia exulcerata annis multis dolens, 41 In processu anni MDCV, folio 17 comparens Testis: Tertio, inquit, asseveravit mihi Praxedis Uguet, hisce præteritis annis, et ultimum quidem anno nuper transacto quod multis abinde annis, patiens tibiam exulceratam (infistulatam esse dicebant Chirurgi) propter quam totis tribus annis non potuerat absque fulcris incedere; tandem cuidam Chirurgo sese tractandam commiserit. Interim die aliquo, mulier quædam nomine Augustina, ipsi dixit, quod si devotionem conciperet erga Mag. Raymundum Lullum, ejusque sepulcrum visitaret, C a sua infirmitate procul dubio sanaretur. Hoc cum illa aliquoties repeteret; ipsa Uguet valetudinis cupida, tandem induxit animum ut faceret quod *ex Sancti apparitione,* monebatur, ipsumque deprecari cœpit, suus ut apud eum dignaretur intercessor existere. Quadam igitur nocte expergiscens, in lecto in quo cum matre et quadam sua matertera dormiebat, sensit tibiam et pedem, in quibus malum erat, ab aliquo tangi; et suspiciens vidit hominem, prout dicebat, cum barba larga; ipsa autem, Noli, inquit, Frater, tibiam meam tangere, quia valde mihi dolet. Extendit illam nihilominus, is qui apparebat, et in alterum latus convertens, disparuit. Sequenti die vocaverunt Chirurgum, qui ægram curabat; et veniens, tibiamque evolvens linteis, dixit: Ecquis hic manum apposuit? hic enim non est modus quo ego fascias circumligo. *ad Chirurgi stuporem* Asseverantibus autem prædictis mulieribus, quod nemo ipsas attigisset, multa replicavit Chirurgus; et fascias divolvens, mirabatur magis; nec voluit porro in opere suo pergere, donec adveniret, quem accersiri jubebat, Sacerdos, qui morabatur in domo templi S. Joannis Hierosolymitani, vicina habitationi suæ. Venit ille, et Chirurgus, ipso ceterisque spectantibus, revolvit quod supererat fasciæ, tibiamque nudavit: et viderunt omnes peniculos vulnerarios tres, impositos ulceribus totidem, quibus tibia hiabat, quasi foras a subnata D EX PROC. MSS. carne nova extrudi e loco suo. Tum eorumdem peniculorum capita resecans, invenit signatam Cruce plagam, similesque Cruces super reliquis, quos secabat, peniculis. *post tres dies persanatam se invenit.* Rursum tamen obvolvit tibiam, dimittens in ea peniculorum jam curtiorum partes reliquas: Tertio autem die reperta est infirma omnino sana, remanentibus tamen, quas ego, inquit Testis, vidi, plagarum cicatricibus: et adest alius ejusdem casus testis in eodem Processu folio 16.

42 Aliæ multæ gratiæ leguntur in Processu *Alia plura prætermittuntur.* anni MDCXII, nec non in priori anni MDCV, neque desunt recentiores plurimæ, quarum notitia per informationes juridicas habita non fuit; solumque serviunt ad confirmationem cultus continuati, probandumque acceptas esse Deo demonstrationes reverentiæ, B. Raymundo Lullo exhiberi solitæ, quandoquidem eam favoribus tam mirabilibus remuneretur.

CAPUT V.

Alia prodigia beatum Martyrem spectantia. E

Prodigia voco, selecta quædam miranda, sive miracula, quæ non tam in aliorum beneficium, quam *Ex ultis pauca et certiora,* in Beati ipsius honorem et exaltationem a Deo exhibita sunt, ad famuli sui gloriam. Pauca e multis, eaque solummodo deprompsi, quæ mihi certiora visa sunt et extra dubii aleam posita, utpote aut ex authenticis scriptis desumpta, aut tot confirmata testimoniis, ut vel Scepticum de rei veritate convincere queant. Hæc inter instrumentum primum referre placuit, quod habet Custurerius, Diss. I. cap. 3. p. 62 per varios Notarios cum Originali Catalano aut Majoricensi collatum, et quidem de novo ex archivo extractum, et ad examen vocatum per Notarium Franciscum Palou, XXIII Julii MDCXCIX. Tenor est ut sequitur. Hoc est translatum fideliter sumptum a quodam libro Determinationum et Memoriarum, recondito in scrinio sacristiæ ecclesiæ monasterii Fratrum Minorum Ordinis S. Francisci, præsentis civitatis Majoricarum, cum scitu, voluntate, et assistentia reverendi Fratris Antonii Cardils, Guardiani dicti Monasterii, per me Georgium Sitges Notarium et Scribam etc. F IX Decembris MDLXXX. Ita vernacule incipit *Transumpt, lo qual es estat trobat,* et finitur per hæc *ad Sancti gloriam describuntur;* verba *tot ple de Sanch.*

44 Initium et finem autographi Catalanici exprimo, ut lectori fiat perspicuum, cur ex tribus hujus ipsius instrumenti latinis versionibus a P. Vernono relatis pag. 81, 253 et 340, eam potissimum prætulerim, quæ præfato autographo visa est conformior. Est autem hujusmodi: [Testimonium quod, etsi ob characteres partim tinea deletos, partim antiquitate consumptos, sit deficiens aliquantulum, tamen ut sequitur ab originali translatum est. Res admirabilis illuminati viri Magistri Raymundi Lulli, qui cum in fine anni MCCCXIV transfretasset, Bugiæ appulit, ubi postea anno *de ejus Martyrio,* MCCCXV lapidatus, acerbissimum martyrium strenue passus est; quem semivivum Genuenses quidam in suam receperunt navim velaque ventis dederunt: illisque jam id quod de Cabrera [vel Cableca] vocant, mare lustrantibus, beatissimus Martyr, Christo, pro cujus honore passus fuerat, piissimam animam reddidit, vigesima nempe nona Junii die, quo Apostolorum Petri et Pauli, quorum vestigiis fortiter institerat, festa celebrat Ecclesia.

45 Postquam Majoricis applicuere, sanctumque *et translatione Majoricam* Martyris corpus loco, ubi natus fuerat, restituere conati

EX PROC. MSS.

A conati sunt, ejus incolæ ob quam plurima, eaque tam magna manifestissima miracula quæ passim edebat, ipsum statim inter Martyres clarissimos, canonice referendum esse existimantes, in parentum sepulcro, quod in basilica S. Marci, ecclesiæ Sanctæ Eulaliæ extructum erat, condere non ausi sunt: eapropter Minores observantiæ Fratres, quibus sanctum Corpus interea demandatum fuit, id in ligneo sarcophago, in sacristiæ medio collocarunt, cujus latus tegebat corpus cujusdam Infantis Lusitaniæ Regis, qui a Sancto sepulcro rediens, Majoricis mortuus est, ubi cum post multum temporis, ignis accensus esset flagrantissimus, adeo ut parietum sacristiæ lapides, ac reliquum ædificii, in calcem redegerit, calices, cruces, nec non reliqua ferri, auri argentique metalla fuderit atque dissiparit, nihilque intactum reliquerit, quod violentissimo flammarum ardore non consumpserit; Martyris beatissimi sepulcrum, undique circumdans, non tetigit; ac veluti timore correptus ignis, quid divinum sentiens, tanti tamque mirabilis piique viri, quas continebat reliquias, veluti sancte coluit ac veneratus est.]

solenni sepultura,

et mirabili a flammis conservatione.

B 46 Quæ in autographo aut exesa aut deleta erant, longiori paraphrasi interpres explicuit, quam ex aliis recentioribus immutare non nihil placuit. Sic in prima Vernoni versione pag. 81 legitur: *Tanti tamque mirabilis piique viri, quas quidam contemnebant reliquias, veluti Sanctas colunt ac venerantur*, sensu plane imperfecto, qui jam melius redditus est. Et ibi quidem prima versio desinit, ubi secunda nostra, juxta autographum non nihil denuo amplificatum, pergit: [Cujus occasione miraculi, Majoricenses magnificentissimum ex marmoreo lapide sepulcrum beatissimo Martyri dicarunt; ubi ejus corpus, ut inventum fuit in sarcophago involutum, recenti adhuc sanguine, post tot annos rubenti sindone, conditum est, quod frequentissimus Majoricarum populus nobilissimi juxta ac sanctissimi concivis vitam mortemque, nec non ardentissimum Catholicæ fidei propagandæ zelum et quæ posteritati reliquit, tot volumina, sapientiæ acceptæ divinitus refertissima, quibus sibi ac civitati tantum gloriæ peperit, ut mortalis admiratus, divinis illum celebret honoribus.]

Inde loco magnifico repositum

miraculis claret.

47 Postrema hæc oratorie exornata textui primigenio videntur superaddita, cujus ideo finem supra annotavi, qui nempe ibi desinit, ubi corpus dicitur recenti sanguine conspersum, post tot annos C esse inventum. Lucem his adferet tertium latinum ecgraphum apud Vernonum, ut dixi, pag. 340 relatum, in quo annus translationis exprimitur per hæc verba: *Translatum in Sepulcro nobilis Antonii Serra, ejusdem Doctoris Illuminati alumni, expensis Regni Balearis die* XXVIII *Junii anno* MCCCCXLIV, *ubi frequentibus miraculis pia devotione colitur*. Illud præterea jam dicto Latino apographo insertum legitur, quod a Scriptoribus Majoricensibus toties vulgatum est; nempe: Cum *ad Palmæ portum* (verba ipsa recito) *revelatus thesaurus, ob secretam navis ad discessum paratæ detentionem, quia de retinendo eo et ad proprios lares transferendo cogitabant Ligures nautæ, processionaliter defertur* etc. Quod si verum est, ut ego facile concessero, prodigiis reliquis hoc etiam accedat, necesse est.

Nec potuit a Genuensibus alio deportari

48 His proxime adjungo instrumentum, forma debita confectum die Lunæ, v Decembris anno a Nativitate Domini MDCXI, prout ex Processu ad Canonizationem refertur a Custurerio Diss. I. cap. 3. a pag. 78. Eo autem juridice comprobatur Beati nostri Martyrium, ex apertis vestigiis, eo adhuc anno ab artis medicæ et chirurgicæ peritis, manifeste deprehensis. Ita sonat præfatum instrumentum.

Instrumentum authenticum,

[In Dei nomine et ejus divina gratia. Amen. D Cunctis pateat evidenter et sit notum, quod dictis die et anno, illustres et magnifici Domini Patres conscripti Jurati civitatis et regni Majoricarum; videlicet Leonardus Zaforteza Domicellus, Joannes Augustinus Garau, Jacobus Morell, cives militares; Michael Joannes Cabrer, Joannes Baptista Domenge, Mercatores; et Joannes Fiol, Faber, scientes et attendentes Reverendum Dominum P. F. Antonium Busquets, sacræ Theologiæ Lectorem, Definitorem Franciscanæ Provinciæ, hujus nostri regni Majoricarum Syndicum, electum et deputatum a magno et generali Consilio dicti regni, de proximo recessurum ad sanctam Curiam Romanam, causa et occasione dicendi et demonstrandi suæ Sanctitati admirabilem vitam, sanctimoniam, miracula, et gloriosissimam mortem cœlitus illustrati beati Raymundi Lulli, Martyris hujus nostri regni, et suo loco deprecandi et obtinendi a sua Sanctitate et Cardinalibus Canonizationem dicti Martyris Raymundi Lulli.

a multis testibus comprobatum:

49 Ideo et alias, ut melius constare posset de dicti Raymundi Lulli Martyrio, juxta majorum nostrorum antiquissimam traditionem, scripturis antiquis confirmatam, quod Martyrium dictus clarissimus Martyr recepit in civitate Bogiæ manu Turcarum infidelium, anno Domini millesimo trecentesimo decimo quinto. E Dicti Domini Jurati Patres, personaliter constituti in Monasterio sancti Francisci, præsidente præsente Illustriss. et nobili D. D. Carolo Coloma, Locum tenente et Capitaneo generali pro sua regia Majestate in eodem regno Majoricarum; et D. Michaele Martinez de Villar, Cancellariam regente ejusdem regni, absente Illustrissimo et Reverendissimo D. D. F. Simone Bauca dicti regni Episcopo (obstantibus ipsius occupationibus ut retulit.) P. F. Andreas Ballaster dicti Ordinis Sancti Francisci, de mandato admodum reverendi Provincialis F. Juliani Oliver, omnes Fratres dicti Monasterii, solenni processione, alta Cruce, luminariis accensis, exeuntes a Sacristia, profecti fuere ad Capellam beatæ Virginis Mariæ puritatis, in qua reperitur sepulcrum continens ad intra sanctum Corpus, ac illustres Reliquias gloriosissimi dicti Martyris Raymundi Lulli.

quo narrantur,

solennis processus

50 Et aperto ejus sepulcro marmoreo, extractum fuit Corpus et Reliquiæ dicti gloriosissimi Martyris, a quadam arca lignea, lini linteo ornata, et subito dicti Fratres, gaudio magno cantantes hymnum, *Deus tuorum militum*, detulerunt dictum sanctum F Corpus sua processione ad altare majus præfatæ ecclesiæ sancti Francisci: et procidentes adoraverunt omnes dictas illustres Reliquias. Et volendo visuram dicti Corporis facere, a peritis in Medicina Doctoribus et Magistris in arte Chirurgica ad hæc vocatis, nullatenus fuit possibile, ob incredibilem gentis concursum et frequentiam, ita ut necesse visum fuerit dicto Illustrissimo Præsidi et Juratis, ad dictum sarcophagum Corpus restitui, facta inter eos secreta deliberatione redeundi ad prædictum effectum faciendi, hora impensata.

et inspectio corporis,

primum impedita,

51 Et sic factum fuit; difficultate tamen non parva, ob gentis multitudinem, præsentibus pro testibus specialiter assumptis, dicto Sebastiano Artigues Scriptore, et Antonio Steva Paratore. Et dicto die post Vesperas, dicti Domini Jurati sine ullo strepitu se contulerunt, secreto et meliori modo quo potuerunt, ad dictum Monasterium: et ibi personaliter constituti, clausis januis et accensis luminariis, prædicti Fratres, jam ad hoc parati, dictum Corpus a dicto suo sepulcro descenderunt, et sua processione solenni illud detulerunt ad dicti Monasterii sacristiam, et stantibus dictis Dominis Juratis et

deinde facta per medicos et chirurgos,

A et Ostiariis in dicta sacristia; intratis intus medicinæ Doctoribus et Chirurgis et Prioribus Religionum præsentis civitatis, a dictis illustribus Juratis ad hoc convocatis.]

52 Sequitur longa nominum series omnium Superiorum Regularium totius urbis cum sociis, item multorum Clericorum et Secularium, quam describere necesse non est: tum pergit instrumentum. [Post maturam sigillatim inspectionem corporis dicti Martyris Raymundi Lulli, et postea communi inter eos inspectione, habito maturo consilio, facta collocutione, fuit inter ipsos facta conclusio nemine discrepante, quod beatus Martyr Raymundus Lullus in suo martyrio, relictis vulneribus illius corporis, recepit super caput quatuor vulnera sive ferides, videlicet lapidum duo, gladii autem alia duo; quorum alterum recepit ad partem superiorem ossis petrosi, alterum vero circumcirca ejusdem partis: ictus vero lapidum demonstrantur juxta eorum subintrationem, alter in supercilio sinistro, alter vero in occipitali capitis; quæ omnia ad majorem gloriam Dei, et ad habendam de eisdem memoriam in futurum, ad requisitionem dictorum Patrum Juratorum ejusdem regni, et de mandato, verbo mihi B facto per dictum Dominum Locum-tenentem Generalem; ego Petrus Ribot Notarius publicus etc.]

et recognita vulnera, Martyri inflicta.

53 Huic instrumento subjungit Custurerius pag. 80, ex sæpe citato Processu, multa testimonia eorum, qui jam dictæ translationi seu inspectioni corporis B. Raymundi interfuerant, quique eo tempore summa fragrantia et odore suavissimo mirifice sese perfusos fuisse, jurati testantur: et ut clarius mentem exprimant, ad eum odorem recurrunt, qui quotannis XXV Januarii sentiri solet in Sacello B. Raymundi, erecto in eo cubiculo, ubi constans fama est, Christum Dominum Raymundo apparuisse, dum vacillantem et tergiversantem, potenti gratia sibi adjunxit. Porro cum de suaveolentia illa, annis adhuc singulis percipi solita tam multa circumferant B. Lulli laudatores, juverit hic etiam subnectere quæ fidem facere possint, instrumenta gemina authentica, quibus et Sacelli solennis erectio, et admirabilis odoris perceptio comprobetur. Habet ea Custurerius pag. 87, 88, 89 et 90, ex quo transcripta exhibeo.

Odor suavissimus, tunc a pluribus perceptus, illi similis,

54 In Dei nomine et ejus divina gratia. Amen. Cunctis pateat evidenter et sit notum, quod anno a Nativitate Domini millesimo sexcentesimo nono, C die vero vigesima quinta mensis Octobris intitulata, Petrus Ribot Notarius publicus et civis Majoricensis, Syndicus et eo nomine Universitatis, civitatis et regni Majoricarum, pro negotiis cœlitus illustrati B. Raymundi Lulli, Doctoris et Martyris Majoricensis, personaliter constitutus in domo habitationis honorabilis et discreti Andreæ Caselles, Notarii ejusdem civitatis et regni, dominique domus, quæ quondam fuit prædicti illustrati Doctoris Raymundi Lulli; ex antiquissima et nobili Lullorum Barcinonensi familia orti, Senescalli mensæ regiæ illius invictissimi potentissimique Regis Jacobi Debellatoris, qui sua manu regia potenti et forti in anno MCCXXIX, nostrum Baleare regnum a manu et posse Turcarum infidelium, christianissimo zelo eripuit, et postea vitam cum morte commutavit XXVII die mensis Julii anni MCCLXXVI.

qui sentitur in cubiculo,

55 Sciens et attendens, ut a Majoribus acceptum est, antiquissima traditione, tam verbo quam scripturis fide dignis, geminatissime confirmata; quod in quodam cubiculo domus ipsius prædicti Andreæ Caselles, dum in ea vivebat et morabatur præfatus clarissimus Raymundus Lullus circa annum MCCLXV; quadam nocte prostratus in lecto, lacrymis atque suspiriis mœrore animi parumper exhausto, meditanti calamitatem suam et longum a salute digressum, præteritæque vitæ damna consideranti, suspirando, plangendo et lacrymando, Jesum Cruci affixum illi dextrorsum apparuisse. Sciens insuper et attendens, eadem antiquissima traditione, dictam summi omnipotentis Dei Crucifixi, dicto ejus servo præsentationem fecisse, die sive festo conversionis illius, numquam satis pro sua dignitate laudati sancti Pauli Apostoli, vigesima videlicet quinta die mensis Januarii. D

in quo B. Lullus conversus fuit,

EX PROC. MSS.

56 Sciens præterea et attendens, eadem traditione his nostris temporibus confirmata, multorum fide dignorum testium depositionibus, singulis annis a prædicta Dei Crucifixi præsentatione huc usque in eodemmet prædictæ domus cubiculo, dictaque eadem die XXV mensis Januarii, circa quintam horam noctis, divino favore, per totum illud cubiculum aspirare præexcellentissimum suavissimumque permixtum, non zibethi, moschi, ambræ, lascopitii, thuris, opobalsami, rosarum, violarumque et aromatum, nec aliorum quorumcumque odorum odorificantium; nec manufactum, sed, ut putatur, divinum et supernaturalem odorem, qui ab omnibus introclusis moderato spatio suavissime percipitur. Quarum rerum veritas, tam antiquissimarum scripturarum testimonio, quam novissimarum simul concordantia, E anno quolibet (Deo sic volente) comprobari potest, pro ut de facto, multorum testimonio authentice comprobatur.

et 25 Januarii quotannis percipitur.

57 Quapropter sciens et videns præfatus D. Andreas Caselles, de præsenti, ut prædicitur, dictæ domus dominus, omnia supradicta anno quolibet comprobari, devotionemque tanti Doctoris et Martyris indies magis ac magis crescere et augeri, pia devotione motus, suo christianissimo zelo, ad honorem omnipotentis Dei et tantæ festivitatis miraculum, et ad exaltationem divini cultus, utque manifestantur opera Dei, in eodem cubiculo pulcherrimum sacellum sive oratorium sua devotione erexit, tabulato summi omnipotentis Dei crucifixi, quasi emittentis spiritum, ad cujus dextram sancti Pauli, ad sinistram vero beati Raymundi Lulli Doctoris et Martyris imaginibus picto ornatum; ipsumque sacellum, præcedente licentia Illustrissimi et Reverendissimi D. D. Simonis Bauca, Episcopi Majoricarum, tenoris sequentis. Nos Don Simon Bauca etc.)

Est illud in oratorium conversum,

58 Nihil opus est facultatem illam lingua Majoricensi expressam, hic adscribere, uti nec testimonium Magistri et Reverendi D. Michaelis Ferrer Presbyteri et Doctoris, de facta a se prædicti Oratorii F benedictione per Episcopi ad id deputationem, de quibus non est quod quisquam dubitet. Pluris intererit instrumentum ipsum adducere, quo prodigiosa illa odoris plus quam naturalis annua dispersio, innumerorum prope testium fide comprobatur. [In Dei nomine et ejus divina gratia. Amen. Noverint universi, quod anno a nativitate Domini millesimo sexcentesimo nono, indictione septima, die vero vigesima quinta mensis Januarii, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri, Domini Pauli divina providentia Papæ quinti, anno quarto, in mei Don Petri Nunniz Berard, Apostolica auctoritate Notarii publici, et Magnifici Bernardi Ludovici Cotoner I. V. D, et Bartholomæi Rotger, Virgarii magnificorum Dominorum Juratorum, testium ad hæc vocatorum, specialiterque assumptorum præsentia.

auctoritate Episcopi.

Eadem suaveolentia anno 1609

59 Advenit discretus Petrus Ribot, Notarius Syndicus Dominorum Juratorum præsentis civitatis, Universitatis et regni Majoricarum, pro negotiis cœlitus illuminati Doctoris Raymundi Lulli tractandis, in domibus Andreæ Caselles Notarii, personaliter existens, meque dictum Don Petrum Nunniz Berard,

juridice probata

EX PROC. MSS.

A Berard, ibidem existentem requisivit, quatenus actum conficerem ad æternam rei memoriam, de quadam re mirabili seu miraculo, quod annis singulis die xxv Januarii operatur D. N. Omnipotens in dictis domibus dicti Andreæ Caselles Notarii, quæ quidem domus fuere olim dicti illuminati Doctoris Magistri Raymundi Lulli; qua quidem die (uti creditur) apparuit in dictis domibus Dominus noster Jesus crucifixus dicto illuminato Doctori, ex qua apparitione usque hodie, quolibet anno dicta die, sentitur diversis horis et vicibus, quidam suavis ac divinus odor in dictis domibus, signanter in cubili quod adhuc retinet nomen cubilis Magistri Raymundi Lulli.

per testes 36 et plures alios;

60 Et quia præsente me dicto Don Petro Nunniz Berard, quamplurimisque personis, nempe illustri Domino Joanne Puigdorfila Jurato militari, (Nomina alia non describo, sufficiat indicare, quod enumerentur quinque et triginta, virorum ferme magnificorum et honoratorum, qui se adfuisse in eo oratorio profitentur, quo tempore odoris fragrantia domum universam repleret; præter quos promi-B scuam aliam turbam adfuisse necesse est; etenim post nominum seriem additur :) Et aliis quamplurimis sentitus fuit prædictus suavissimus et divinus odor, quem quidem senserunt ac olfecerunt omnes supradicti ter, quater et ultra, currente quarta hora noctis, computando ab occasu solis, juxta computum Majoricarum.

perseverante quotannis

61 Et omnes prædictum odorem divinum reputarunt, gignentem in cordibus uniuscujusque peculiarem effectum lætitiæ ac devotionis : prout omnes supradicti et nominati mihi fidem de eis fecerunt; quem quidem effectum mihi etiam generavit; nec D non et, inter alios prædicto Raphaeli Busquerra mercatori, qui mihi dicto Notario, in præsentia dictorum omnium testium, fidem fecit, et asseveravit, se sensu olfactus carere, et nihilominus prædictum suavissimum odorem sensisse ac olfecisse. Ideo de prædictis omnibus, dum agerentur, ad instantiam et requisitionem dicti Petri Ribot, Notarii Syndici prædicti, præsens instrumentum ad æternam rei memoriam recepi, præsentibus omnibus supradictis testibus, die, loco, hora et anno quo supra.)

eodem prodigio.

62 Hic miraculorum, prodigiorum et mirabilium, quæ vel a Raymundo patrata, vel circa ipsum gesta, vel ejus patrocinio obtenta sunt, finis esto, quamquam id genus plura suppetant, a Custurerio ex Processibus ad Canonizationem institutis desumpta et a Vernono aliisque enumerata. Satis nobis est ea produxisse, quæ ad perennem et immemorabilem sancti Martyris cultum, ad genuina ejus Acta, ad ea denique signa pertinent, quibus Ecclesia Catholica eorum sanctitatem explorat, quos sacros in Fastos referri permittit. Id unum fortasse desiderare quis posset, ut virtutes etiam Raymundi heroicæ E sufficienter probatæ exhiberentur. At quæ sparsim superius narrata sunt, abunde esse videntur. Siquis interim peculiaria nonnulla earum specimina sub unum aspectum intueri velit, Custurerium consulat a pag. 544 ad 564, ex quibus, si otium supersit, nonnulla in epilogum conjiciemus. Jam nunc præter opinionem res nostra excrevit, et restat porro pars non exigua, quæ Raymundi doctrinam attinet, sequenti Dissertatione ab hæresi vindicandam.

Hæc ad vitam sufficiunt,

sequentia ad doctrinam.

DISSERTATIO HISTORICA J. B. S.

De orthodoxia et Libris B. Raymundi, genuinis ac suppositiis.

ARTICULUS PRIMUS

Dissertationis scopum explicans.

Actis beati Martyris hactenus illustratis, reliquum est ut de inveterata controversia, ea subnectamus, quæ virum sanctum, omni hæreseos suspicione carentem exhibeant, C et prorsus immunem. Eam hic controversiam appello, quam sub initium Commentarii prævii superius paucis attigi; eam, inquam, quæ inter sanctissimas in Ecclesia religiosas familias duas, magnis contentionibus pridem vertitur, Patribus Dominicanis in Lullum acerbius plerumque insurgentibus; contra vero Patribus Franciscanis eam non minus acriter propugnantibus. Dicta non repeto; ea unice modo versanda supersunt, quæ non ad vitam aut mores, sed ad scripta et doctrinam pertinent, innumeris prope libris contentam. Facem his omnibus prætulit, qui eam primus atro theta notavit, Nicolaus Eymericus, ex sacro Prædicatorum Ordine per Aragoniam fidei Quæsitor, in celebri Inquisitorum Directorio; quem turmatim secuti sunt, quotquot cum Bernardo Lutzemburgo, Gabriele Pateolo, Gilberto Genebrardo, Abrahamo Bzovio aliisque plurimis, Beato Martyri injuriosissima prodidere. Et quod, obsecro, stigma atrocius viro optime Catholico, imo de universa Ecclesia præclare merito inuri potest, quam si hæreticis juratis Ecclesiæ hostibus, accenseatur, in eorum Album ignominiose relatus? id quod Raymundo accidisse deflebunt, opinor, omnes, qui ejus fidei integritatem, ex iis quæ in decursu dicentur, probe perspicient.

Acerrima inter Dominicanos et Franciscanos controversia,

nota ex censura Eymerici Inquisit. contra libros Raymundi,

2 Jam supra etiam num. 4 sinceram retuli et plane orthodoxam B. Raymundi fidei professionem, qua scripta sua omnia sincerissime subjecit correctioni et judicio Ecclesiæ, plurimis locis eadem aut iis similia repetens et inculcans, quæ accuratius F enumerat Waddingus Tom. 3 Annalium ad annum MCCCXV toto n. 19, addens n. 20 : *Viginti ac amplius esse hujusmodi veræ fidei professiones et candidas hominis supplicationes, ut sui corrigantur errores, si qui apparent; quos ex ignorantia; non ex prava affectione mentis processisse, ubique proclamat.* Accedit, quod in opusculorum ferme omnium principio non nisi Dei nomen, Dei virtutem, gratiam, sapientiam, amorem spiret, quam potest ardentissime : quo manifeste datur intelligi, nec voluntario intellectus errore, nec ulla demum hæretica pertinacia, virum sanctum usquam peccasse, sicubi forte a communibus Theologorum placitis, modo loquendi non ita usitato aut trito, aberravit.

licet eos suus auctor Ecclesiæ judicio subjecisset,

3 Hac certe ratione coerceri debuerant præfati auctores, ab impingenda infami hæreseos labe, præsertim cum ignorare non potuerint, in simili fere causa, ipsum Romanum Pontificem Honorium III, B. Joachimi famam vindicandam suscepisse, adversus viri illius calumniatores; tametsi ejus opuscula contra Petrum Lombardum (ut ferebatur) œcumenici Concilii judicio fuissent confixa; idque ea solum de causa, quod Abbas iste *Scripta sua mandavit Romano Pontifici assignari, Apostolicæ Sedis judicio*

idque ei excusando satis esse debuisset,

A *judicio approbanda seu etiam corrigenda.* Juvat hic Pontificis verba adscribere, quod in pari prope causa non minus ad Raymundi, quam Joachimi defensionem et tutelam dictata fuisse videantur; nisi quod de Joachimi damnatione certo et indubitate constaret, seu verius libri eidem imputati; operum vero Lulli prohibitio, ut falsa et fictitia, ab ejus defensoribus repudietur convellaturque. Brevis Pontificii ad Antistites Cusentinum et Bisinianensem destinati, verba sunt hæc.

sicut fuit Joachimo Abbati,

4 Fuit propositum coram nobis, quod is qui saluti hominum invidet et quieti, occasione assumpta ex eo quod libellus, quem bonæ recordationis Abbas Joachimus contra bonæ memoriæ Magistrum Petrum Lombardum edidit, in generali fuit Concilio damnatus... nonnullos tam clericos quam laicos prælatos et subditos concitavit.... exprobrando quod idem Abbas, hæreticus ab Ecclesia Dei habetur.... Licet igitur libellus iste sive tractatus damnatus fuerit in Concilio memorato : quia tamen dictus Abbas omnia scripta sua Romano mandavit Pontifici assignari, Apostolicæ Sedis judicio approbanda seu B etiam corrigenda, dictans epistolam cui propria manu subscripsit, in qua firmiter est confessus se illam fidem tenere, quam Romana tenet Ecclesia, quæ disponente Domino cunctorum fidelium mater est ac magistra; Fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus per totam Calabriam faciatis publice enuntiari, quia eum fuisse virum Catholicum reputamus, sanctæ fidei orthodoxæ sectatorem..... Datum Laterani, VI kalendas Januarii, Pontificatus nostri anno quinto nempe MCCXX. Quis non videat longe potiori jure in B. Lulli accusatores cadere æquissimam Pontificis animadversionem, vel tunc etiam futuros reos, quando prætensa Grogorii XI Bulla, qua de fusius postmodum agendum erit, ut vera et legitima admitteretur.

etiam gravius perstricto,

5 Hæc satis sit generatim præmonuisse, quæ dissertationis hujusce scopum concernunt. Siquidem Raymundi doctrinam, nec examinandam suscipimus, nec nostri ea instituti est ratio : hoc nobis præfixum est, historica disquisitione indagare, utrum merito, viro zelosissimo, hæreseos labes appingatur, quem jam ostendimus, lucubrationibus suis Apostolicæ Sedis arbitrio submissis, incredibili labore et *perseverantissima tolerantia.... fuso sanguine.... per martyrii confessionem pervenisse ad angelicam lucem : ut si non antea, ibi certe revelatum* C *agnosceret, quod cum aliter saperet, sententiam diversæ opinionis, vinculo non præposuit unitatis.* Ut pro Cypriano urgebat Augustinus contra Donatistas, lib. 2 de Baptismo cap. 5. Hunc in finem ea producenda censuimus, quæ ad veritatem eruderandam, non ad cujusquam invidiam faciant; argumenta seligendo, quæ a viris, nulli contendentium partium nec Lullisticæ scholæ addictis, in medium afferri solent.

6 Eorum in numero reponendus haud dubie venit Vir eruditissimus Nicolaus Antonius, Hispanicæ Bibliothecæ Auctor, ejusque editor Eminentissimus Aguirrius, tomo posthumo Romæ publicato MDCXCVI. Idem arbitror utriusque judicium. Tametsi enim Cardinalis ille, iniquior Lullo visus sit, in prima Theologiæ D. Anselmi editione; priorem opinionem retractavit in altera MDCLXXXIX; et Antonianam, suam dici potest fecisse sententiam. Hoc primum : cui alia adjiciam, ad intentum abunde suffectura, locis præterea indicatis, unde curiosus lector plura, ad rem plane conficiendam spectantia, per se ipse dispicere poterit, majori otio, si ita videbitur, discutienda.

etiam judicio Cardinalis de Aguirre.

D

AUCTORE J. B. S.

ARTICULUS SECUNDUS

Nicolai Antonii Bibliothecæ veteris Hispan. lib. 9 cap. 3, de B. Raymundo Lullo, ejusque vita et scriptis judicium, cum Catalogo omnium operum, tum verorum, tum eorum, quæ ejus nomine vulgo circumferuntur; adjuncta Nicolai Eymerici cum Lullistis contentione, ex libro 9 cap. 7 n. 389. Quibus accedunt Annotationes nostræ, hinc inde necessariæ.

SECTIO I.

Synopsis vitæ et mortis.

Fama clarus, si quis alius, desinente superiore, (XIII) atque ineunte hoc (XIV) seculis, apud universas Europæ nationes et ad posteritatis omnem memoriam, Raymundus Lullus fuit; Majoricensis; rebus pro infidelium conversione operose gestis, et scriptis atque consilio promotis clarissimus, et tandem ab immanibus fidei hostibus Mahometanis occisus. In E majori Balearium insularum urbeque Majorica, is natus est, Raymundo altero Lullo parente, qui cum Jacobo Aragoniæ Rege I, hujusce insulæ ac regni debellatore, miles venerat, ibique domicilium fixerat. Raphael Volaterranus sponte fallitur, dum contra omnes unus, *Virum Gallicum* vocat initio lib. *Commentar. Urbanorum.*

Vir hic eruditissimus, Nicolaus Antonius, de B. Lullo acturus,

8 Ut abstineamus tamen calamum ab enarrandis ejus rebus ordine gestis, in causa est propositum operis, quod litterarum præcipue merita persequitur; et quod huic rei operam jam alii navaverint vitæ Raymundi auctores : Carolus nempe Bovillus Samarobrinas, Bonaventura Armengol Balearis, Franciscanus : qui Nicolaum de Molinas, alterumque Nicolaum de Paz, eidem curæ ante se incubuisse refert, latine; Joannes Segui, Pœnitentiarius et Canonicus Majoricensis, et Gaspar Escolanus, et Vincentius Mut, hispane; quorum prior se vidisse ait relationem quamdam de vita sua, Philippo Gallorum Regi postulanti a Raymundo ipso olim datam, quam et penes se habuit (secutusque fuit Waddingus statim laudandus) N. Colletet gallice : nec non per partes, ut quoquo anno res ejus occurrebant, ex fide cujusdam Anonymi Raymundo æqualis quem MS. penes se conservare admonuit, quemque F in publicum edi ejusdem interesset, *a* Lucas Waddingus in Annalibus Franciscanis. Ex quo quædam strictim tangere animus est, si prius factam (ut Paulum Apostolum imitaretur) sui ipsius modestam a Raymundo descriptionem, ac vitæ veluti synopsin quamdam, præmiserimus.

sepositis laudibus vitæ,

quam varii variis linguis fuse deduxerunt,

a

9 Homo (inquit) fui in matrimonio copulatus : prolem habui; competenter dives, lascivus, et mundanus. Omnia, ut Dei honorem et bonum publicum possem procurare, et sanctam fidem exaltare, libenter dimisi; Arabicum didici; pluries ad prædicandum Saracenis exivi; propter fidem captus fui, incarceratus, verberatus; quadraginta quinque annis, *b* ut Ecclesiæ Rectores ad bonum publicum, et Christianos Principes movere possem, laboravi. Nunc senex jam, nunc pauper sum : in eodem proposito sum, in eodem usque ad mortem mansurus, si Dominus ipse dabit.] Aliquot jam ejus vitæ momenta subjungemus. Conversionem scilicet, Artis ab eo inventæ rationem, piarum expeditionum compendium; et tandem mortem, quam ab infidelium furore subiit, antequam ad doctrinam et scripta veniamus.

ejus synopsim præmittit,

b

A

EX BIBL. NIC. ANT. ET ALIIS.

10 Juvenis, nihil minus curabat quam in via virtutis *c* ambulans, prospicere animæ saluti ; sed Curiæ addictus Jacobi Balearium insularum Regis, Petri *d* Magni Aragoniæ Regis filii, vana quæque atque ludicra sectari; quibus assurgere vulgus, laudemque ac præconium adscribere solet ; musicæque ac poeseos, amorumque ac deliciarum omnium effræni cupiditate circumagi. Quousque a formosa, quam deperibat, æque tamen honesta, quod factum prodit, femina, ostensa ei per quæsitam occasionem, putrida in uberibus, quam cooperiebat, plaga ; sic tædio et pœnitentia retroactæ vitæ in alterum hominem transformatus fuit, ut exinde relicto seculo, vitam spiritualem, et ab omnibus, præterquam a salutis hominum et exaltandæ fidei curis, segregatam sibi præscripserit. Sed illitteratus homo, nil minus poterat quam Religionis causam, litterarum præsidio et armis propugnare.

c tum ex Waddingo præcipua quædam colligit, d de ejus conversione,

11 Cujus impotentiæ sibi conscius, precibus Deum assiduis, in quodam eremitorio Majoricensis insulæ, ut mentis ejus tenebras infusionis divinæ radiis ad exequendum rite opus illuminare dignaretur, urgere ac deprecari non desinens, antiquo etiam ardentius debellandi Mahometicam sectam, quo tota flagravit vita, desiderium animitus concepit; et (ut fama est) singulare quoddam instrumentum, id opus et pium quodcumque aliud ejusdem generis promovendi, cœlitus accepit; arte sibi monstrata, breviter et sine disciplinarum acri et obstinata contentione, addiscendi necessaria omnia, atque iis ex tempore utendi; quo doctissimus quisque, post exantlatos quamplurium annorum labores, ægre vix pervenit; quibusque rem exequi, atque piissimo voto suo defungi posset ipse, et ut alii defungerentur procurare. Scripsisse hanc Artem sub lentisci umbra vulgo dicitur, mirumque, remansisse majoris rei, quam ut humanæ vires eo pertingere possent, hoc loco patratæ vestigium; arbusti scilicet folia omnia, characteribus linguarum Græcæ, Latinæ, Chaldaicæ, atque Arabicæ inscripta : quod adhuc perdurare iisdem signis, sed ignotæ jam figuræ, succrescentibus indies omnibus in foliis conspicuum, Scriptores optimæ fidei tradunt. *e* Sed de hac Arte postmodum, ubi de ea agemus.

propagandæ religionis zelo, B *per concessam divinitus Artem sciendi; cujus gratiæ monumentum sint lentisci folia litterata, e*

12 Prolixum quidem esset, peregrinationes Raymundi omnes, per Europam fere totam, Asiam, Africam; officiaque apud omnes sibi æquales Pontifices, Nicolaum IV, Cœlestinum V, Bonifacium VIII, Benedictum XI, *f* tandemque Clementem V, in Viennensi Concilio Ecclesiæ totius comitia celebrantem ; nec non et Reges, Philippum Franciæ, Jacobum Balearium, Carolum Neapolis, assidue et constanter acta ; ut collegia scholasticorum, Philosophiæ ac Theologiæ, simul et linguarum, quibus hostes Christiani nominis utuntur, ut doceri aut convinci cominus possent, ubique instituerentur : quod in Romana curia, Parisiis, Oxoniæ, Bononiæ, atque Salmanticæ fieri jussit, Raymundo (uti ferunt) urgente, Clemens V, *De Magistris* edita Constitutione, quæ lib. IV *Clementinarum* exstat : necnon ut Hierosolymitana expeditio, magnis omnium illius temporis Principum animis, atque æquis viribus, resumeretur. Quod utique postremum præstiturus videri poterat, nisi antiquus ille Christiani proventus hostis tam fœcunda hæc quadraginta et amplius, ut a Raymundo ipso audivimus, annorum labore improbo, jacta et confota, fructuosissimarum et optimarum cogitationum et operarum semina, permittente Deo, dispersisset et corrupisset.

et itinerum ea causa susceptorum frequentia, C *f* *quibus quoad expeditionem Hierosolymitanam effectu frustratis,*

13 Nec defuit Raymundo, ut quod ab aliis fieri satagebat, ipse compleret opere. Quinimmo ad Mauros tandem, unde vivus olim vix evaserat, anno hujus seculi decimo quinto, constanti et erecto ad ponendam pro Evangelio vitam animo, venit; Bugiæque *g* in Africæ ora, dum ecclesiasten palam et hyperaspisten profiteretur Christianum, et Alcorani hostem, conjectus primo in tristissimum carcerem, vinculis et fame, atque verberibus maceratus ; demumque inde eductus, festo ipso die SS. Apostolorum Petri et Pauli, a furenti populo lapidibus obrutus, semianimis fuit a Genuensibus quibusdam mercatoribus in navim impositus, in qua invictum spiritum Deo reddidit; atque ejus corpus Majoricam, faventibus patriæ Raymundi jurique ejus ad sepulturam ventis, non sponte vectorum, fuit delatum : ubi in cœnobio Franciscanorum, ut vere Martyris, religiose colitur, religionem suadentibus et confirmantibus quampluribus signis, de quibus late agunt vitæ auctores.

D *ipsemet Mauris prædicaturus abiit, g ac Martyr obiit; ut talis sepultus Majoricæ.*

ANNOTATA J. B. S.

a *Raymundi Acta magis genuina ex Bovillo et de Pax, cum Vita illa MS. superius recensuimus, nulla hic nisi quæ Antonianam narrationem attinent supersunt explicanda.*

b *Desumpta hæc sunt ex cap.* I *libri, qui inscribitur* Phantasticus, *a Sancto editus tempore Concilii Viennensis* MCCCXI, *in quod aptissime cadunt anni quadraginta quinque, quos se in bonum Ecclesiæ impendisse refert Raymundus : nimirum ab anno* MCCLXV ; *ex quo laborum initium est desumendum, etiamsi annis aliquot vitam privatam egerit vel eremiticam, ut se virtute ex alio, aliisque arduæ provinciæ excolendæ necessariis præmuniret ; in publicum deinde prodiens, zelo Dei accensus ad procurandam infidelium conversionem : sic ut recte dicat se jam annis illis completis* laborasse, ut Ecclesiæ Rectores ad bonum publicum et christianos Principes movere posset ; *vel (ut notat Custurerius, reperiri in editione Castellana Phantastici)* ut Ecclesiam ad bonum publicum *etc. quæ plane eodem recidunt. Sunt etiam qui ex verbis immediate sequentibus putant, mutationem factam esse ; legendumque pro,* Nunc senex jam ; nunc senex sum: *verum cum ea sensu non differant, parum interesse puto utrum præferatur.* E

c *Clarior erit sensus, si legatur,* ambulare, *addaturque* aut *vel* et, *ita ut fiat hæc periodus :* Juvenis nihil minus curabat, quam in via virtutis ambulare, et prospicere animæ saluti ; *quo pacto apte sequetur particula,* sed Curiæ etc.

d *Errat hic (meo quidem judicio) Nicolaus Antonius, ut ostensum* §. 8 *n.* 86. F

e *Specimen hujusmodi foliorum dedi Comm. prævii* §. 10 *num.* 125.

f *Seriem peregrinationum Raymundi totis Paragraphis* 6 *et* 7 *prosecutus sum, nec tamen eas inter inveni quæ ad Benedictum XI directa sit ; eos nempe Pontifices hic enumerare Antonius voluit, quorum potissimum tempore vir Sanctus rem catholicam promovere conatus est, tametsi Benedictum XI, qui mensibus novem non integris sedem tenuit, nusquam dicatur convenisse.*

g *Erat, verosimiliter errore typothetæ, impressum* Rugia, *mutato* B *in* R.

SECTIO II.

Artis Lullianæ accusatio et exculpatio.

Derogavit sane non minimum, hujus, ea virtute ac meritis, et mortis genere clarissimi hominis famæ, Nicolaus Eymericus Dominicanus, Inquisitor provinciæ Aragoniæ hujusmet seculi, narrans in suo

Lulli famam valde laceravit Eymericus Inquisitor,

A *asserens in ejus libris inventos a se et probatos ultra 500 errores,*

suo Directorio fidei, sese in Raymundi curiose perlectis libris, plusquam quingenta, quæ exorbitarent a rectæ fidei via, atque hæresibus consentirent, dicta olim notasse, deque iis Gregorium XI, Pontificem Maximum, qui anno MCCCLXXI clavum Ecclesiæ navis in manus suscepit, certiorem fecisse. Qui quidem diplomate suo ex Avenione, anno hujus seculi trigesimo sexto, *a* ad Antistitem Tarraconensem ejusque Suffraganeos directo, lectione Raymundi quorumcumque librorum interdicta, enuntiationes illas ad se delatas ex doctorum virorum, quibus examen earum commisisset, sententia damnavit. Exstant apud Eymericum laudatum hæ litteræ Pontificiæ, non umquam improbatæ aut hinc decedere jussæ. Quare non solum is laicum hominem, phantasticum et imperitum; immo et doctrinæ falsæ, atque a diabolo dictatæ, auctorem vocare Raymundum; sed et alii hæresum et hæreticorum enarratores, Bernardus Lutzemburgensis, et Gabriel Prateolus, hæreticis eum accensere minime dubitarunt: quibus consentiunt Genebrardus et Gualterius Chronologi; et Eymerici partes strenue agens Abrahamus Bzovius, in Continuatione Annal. Ecclesiasticorum, multis hominem ejusque famam lacerat.

a quare eos damnaverit Gregorius XI,

B

sed calumniatum Eymericum probant Majoricenses,

15 Quod tamen dedecus, atroci injuria illatum nostro Raymundo fuisse, retorquentes in Eymericum calumniæ facinus, multis et urgentissimis argumentis confirmant Baleares cives sui, et Franciscani sodales sui (fuit enim tertii Ordinis laicorum unus) propugnatores. Alii enim convictum fuisse Eymericum falsi criminis, in confingendo Gregorii Papæ diplomate, atque eo nomine damnatum an. MCCCLXXXVI, *b* et ab Aragonia ejectum affirmant; deindeque anno MCCCXCV, Avenione sedente Benedicto XIII, iterum accusato ab Antonio Riera presbytero Valentino, eodem Eymerico et comparere jusso, solenni examine comprobatum fuisse, nihil eorum quæ imputabantur, Raymundi doctrinæ, in ejus libris uspiam, aut eo sensu quo imputabantur, sed recto quidem et Catholico, reperiri. *c* Tertio tandem anno MCCCCXIX, auctoritate domini Alamani Ademari, S. R. E. Cardinalis Pisani, ad Regem Aragoniæ Alphonsum V, Legati Martini Pontificis, Barcinone tum agentis, et coram Episcopo quodam Castellensi Bernardo, actitatam denuo causam, de Raymundi doctrina et fama; sententiamque ab eodem judice, pro librorum ab omni censura immunitate, bonoque auctoris nomine, pronuntiatam; cunctaque, alias in contrarium deducta et allegata, pro nullis et irritis haberi debere declaratum. Quorum actorum authentica instrumenta Majoricenses, in archivo regiæ Universitatis domus, asservari aiunt. Alia etiam testimonia, præcipueque declarationem Tridentinorum Patrum, affert Vincentius Mut, paulo post laudandus.

b

per sententias Pontificum Lulli doctrinam probantium,

c

C

editis in ejus defensionem libris;

16 Plane editus anno MDCIV, in eadem urbe Majoricensi typis exstat liber, latina prius, vernacula deinde Hispaniæ lingua scriptus, atque *Sententia definitiva in favorem Lullianæ doctrinæ* inscriptus; quem Raymundi cives, editæ atque etiam nunc exstanti, Eymericiani *Directorii* accusationi opponi debere; magnumque operæ pretium sese facturos existimaverunt, productis e latebris suis et in vulgus communicatis, quæ maximo viri celeberrimi famæ detrimento, in illum usque diem latuerant. Vidisse se ait Waddingus tomo 3 ad annum MCCCXV, num. 2 Antonii Bellver, Professoris primarii et Canonici Majoricensis, *Apologiam*, integro et magno volumine contentam, ad Xystum V Pontificem, et Philippum II Regem, pro Raymundi asserenda doctrina.

17 Aliis tamen placuit, quin Eymerici prematur existimatio, non Raymundi Lulli hujus, quem laudamus, germana scripta eum accusasse; sed *Raymundo* falso suppositos, *junioris* cujusdam alterius Raymundi, quem *de Tarraga* vocant, sive *Neophytum*, utpote e Judæo conversi, ac Dominicanorum Ordini aggregati, hæreticos libros, jussu nimirum Gregorii XI damnatos, et igne comburi jussos. Qua de re, facta duos inter ejusdem appellationis opportuna distinctione, Franciscus Penna, doctissimus Rotæ Romanæ olim Judex, in Notis suis ad Eymerici *Directorium*, atque ex eo alii, admonuere. Quæ sine veritatis præjudicio apta magis videri poterunt, ut illæsus famæ uterque maneat, tam Lullus quam Eymericus; hic vir doctus admodum, et ob lucubrationes suas posteritati sic proficuus; ille vero constantissimus erga pietatem et religionem innumerum fere operum auctor. Lege sis Francisci Marzal, *d* Minoricensis Franciscani, *Archielogium vitæ et doctrinæ Lulli*, una cum *Arte* ejusdem editum Palmæ Balearium MDCXLV *e* in 4 et late docteque nomen bonum Lulli facientem, Vincentium Mut in Historiæ Majoricensis regni tom. 2 lib. 2 cap. II et pluribus sequentibus et lib. 8 cap. 6.

D *ex bibl. nic. ant. et aliis. Eymericum tamen excusant, quasi de alio Raymundo vere hæretico, agat,*

d

E *Lulli defensores et laudatores alii:*

18 Apologiam sane Lulli Hispanicam Joannis Arcæi de Herrera servari MS. novimus in Ambrosiana bibliotheca. Joannes item de Riera, Franciscanus, et ipse Majoricensis, edidit *Tractatum, in quo respondet omnibus, quæ hucusque objecta sunt Raymundo*, Palmæ Balearium MDCXXVII. in folio. Strenue hic causam egit Romæ ejusdem Raymundi, decessitque ibi in collegio S. Isidori Hibernorum. Laudatur alicubi Lulli Vita, eleganti ac terso stylo per Nicolaum Causinum *f* scripta, quam non vidimus, nec laudant Scriptores de Scriptoribus Societatis, si non alius est a summo hujusce instituti viro. Pendent tamen adhuc alii sententia, et utrimque rationibus pressi, quas examinare non aliquod pretium operæ est, neutri causam adjudicant: in quibus laudo sinceritatem ac rectitudinem judicii, quo Lucas Waddingus *g* in hoc negotio utitur.

f nonnullis sententiam suspendentibus.

g

ANNOTATA J. B. S.

a *Sphalma typographicum nimis quam manifestum: si enim anno primum* MCCCLXXI *Ecclesiæ clavum suscepit Gregorius XI, quomodo potuit anno ejus seculi* XXXVI, *ejus enuntiationes damnare? Annum præfert famosa ea Bulla* MCCCLXXVI.

b *Annus is est, quod ab Inquisitore Ermengaudo aliisque Theologis declaratum, falso imponi Raymundo propositiones nonnullas, tamquam ex Philosophia Amoris excerptas. De Gregorii diplomate nullus ibi sermo, neque enim Bullam istam, forte adhuc ignotam, sed scriptum aliquod Eymerici, propositiones Raymundi complectens, quodque per Aragoniam spargebatur, Doctores illi examinandum refellendumque susceperant.* F

c *Quæ hic narrat Antonius, unde acceperit, nescio. Patebit ex hujus Dissertationis decursu, id unum ab Antonio Riera* MCCCXCV *Avenione actum, ut fictum probaretur Gregorii XI diploma; quippe quod in nullis Regestis Apostolicis anni* MCCCLXXVI, *inveniretur, quodque male ad annum* MCCCLXXXVI *statim relatum vidimus. Nusquam vero legi anno* MCCCXCV *doctrinam Raymundi ad novum examen fuisse revocatam.*

d *Scribere debuit*, Bonaventuram Armengual, *quem satis constat Archielogii auctorem esse.*

e *Lege* MDCXLIII, *ut monet Custurerius.*

f *Quam Vitam appellet a Nicolao Causino scriptam, ignoro hactenus. Scio lib. 3 Curiæ Sanctæ editionis Gallicæ anni* 1630, *quam solam ad manum habeo, Sect.* 20, *mentionem fieri de fatuo Raymundi amore, a prudenti muliere correpto. Plura fortasse editionibus*

A EX BIBL. NIC. ANT. ET ALIIS.

bus aliis adjungi potuerunt, præsertim Hispanicæ Matritensi anni 1667, quam citat Custurerius pag. 399, ex parte 3 Sect. 13, Lullianum elogium desumendum monens, uti etiam significaverat in litteris datis IV *Kal. Augusti* 1699.

g *Laudanda utique recta illa et sedata judicandi ratio, nullo partium litigantium favore expressa: vereor tamen ut vel Waddingo consentiant Anti Lullistæ. Etenim si ejus stetur suffragio, haud difficulter salvabitur tota Lullisticæ doctrinæ, ut Scholæ loquuntur, substantia, quidquid in modo loquendi duriora aliqua Waddingo videantur. Sed de his supra egimus, quibus addi possunt, quæ Tomo de Scriptoribus Minorum idem Waddingus in Lulli favorem merito adducit :* Et quidem ; Si quæ labes, inquit, in scripta irrepserat, si qua macula sunt conspersa, illam abunde suo cruore diluit ; et si quid atramento peccavit, sanguine pro Christi fide sparso, generose correxit. Martyrii gloria invidiam omnem superavit : et siquid aliunde livor objiciat, hoc uno argumento retunditur, quod pro Christo animam posuerit, eique se totum obtulerit in holocaustum.]

B

SECTIO III.

Variorum variæ de Arte sententiæ.

Artem ut inutilem obscuramque spernunt aliqui,

Derogat multorum opinioni, de mirabili ejus, quam formavit Raymundus, Artis invento, quamplurium aliorum contra sentientium, et laboriosissimam ejusdem Artis inutilitatem, nullosque tanti promissi dignos fructus, Lullistis (quomodo sectatores hujus doctrinæ vocant) regerentium existimatio, dictaque ex animo de iis sententia. Quantumvis enim Lullianam doctrinam, et imprimis hanc Artem, multoties fuisse approbatam, ac doceri permissam, sectatores ejus referant; a Parisiensi nempe Universitate, anno MCCCIX ; a Petro Aragoniæ Rege, anno MCCCLXIX, ejusque successoribus Martino, MCCCXCIX ; Alphonso V Magno, MCCCCXLIX ; Ferdinando V Catholico, MDIII ; Philippo II, MDLXXXXVII (quæ omnes approbationes, et Artem docendi facultates, in laudato prius libello latæ pro Raymundo sententiæ continentur :) mira etiam præstitisse, et vix humana, hujus Artis beneficio, plures vulgo dicant ; Petrus scilicet *a* Gaguinus, et Angelus Politianus *b*, qui hujus ope sese de omnibus disputare gloriabatur ; Jacobus Faber Stapulensis ; Canterii tres fratres *c*, Andreas, Petrus, et Jacobus Frysii ; Ferdinandus Cordubensis Hispanus, de quo in altera hujus Bibliothecæ parte agitur, et iterum infra agemus ; pro eaque omnium nationum homines doctissimi strenue decertaverint: Julius Pacius *d* Vicentinus jurisconsultus, qui ejus usum veluti renovasse videtur ; Jordanus Brunus, Nolanus, Valerius de Valeriis, Venetus, Henricus Cornelius Agrippa ; et ex una Hispania, Petrus Cirvelus, Jaimus Januarius, *e* Franciscus Marzal, Augustinus Nunnez Delgadillo, Petrus Hieronymus Sancius de Lizarazu, et alii a Vincentio Mut in Historiæ Balearicæ jam laudato loco adducti, qui docte et prudenter de VI et facultate Artis loquitur.

contra tot Regum decreta,

et experientiam plurium eruditorum, a b c

C

ex omni natione: d

e

Theologia Parisiensis tamen eam vetuit ; f

20 Quantumvis, inquam, omnia hæc tueantur inventi hujus meritum ; res tamen certa est, Joannis Gersonis testimonio, repudiatam Parisiis hanc doctrinam et prohibitam fuisse. Sed quare repudiatam? Audi sis Gersonis *f* verba, quæ tamen ex parte magnam ejus laudem continent. [Sic nuper actum est Parisiis per sacram Theologiæ facultatem adversus illos, qui doctrinam quamdam peregrinam Raymundi Lulli conabantur inducere (quæ licet in multis altissima et verissima ; quia tamen in aliis discrepat a modo loquendi Doctorum sacrorum, et a regulis doctrinalis suæ traditionis et usitatæ in scholis) ipsa edicto publico repudiata prohibitaque. Et alibi ; Alta, vera, et copiosa multa continere professus, statutum fuisse ait, ne derelinquentes (scholastici) modum doctrinalem sanctorum Doctorum, per Ecclesiam approbatorum, et qui tentus esset hactenus in sacra Theologiæ facultate, transirent ad novam hanc phantasiandi curiositatem] quomodo Gerson loquitur. Una igitur exceptione novitatis, Parisiis laboravit.

D *sed propter solam ejus novitatem.*

21 Eamdem Artem non minus laudat, cum deprimere magis conatur, Hieronymus Cardanus lib. 15 de subtilitate. [Tertium genus (ait) inutilis subtilitatis in Raymundi Lulli libris spectare licet. Res prorsus risu digna, omnem velle tradere doctrinam, nullam nosse ; sed tamen, ut diligentius consideravimus, non prorsus contemnenda inventio visa est, siquidem totam unam Artem, utpote Medicinam, duodecim ad summum chartis tradere licet] Ita Cardanus. Vulgo etiam Artem improbant difficultatis, obscuritatis, nulliusque usus nomine, Joannes Mariana lib. 15 De rebus Hispaniæ cap. 4 *præstigia oculorum, ludibriaque potius artium, quas veras artes,* ex quorumdam censione appellans. Sphinge opus esse ad Raymundi Artem, Raphael credebat Volaterranus; qui subjungit, *obscuriora adhuc alia reliquisse, quæ in Sanctuariis Parisiorum asservari ferunt.* Jacobus item Gaddius, nostri temporis Criticus, eruditione ac judicio non vulgari, de Scriptoribus non Ecclesiasticis agens, pluribus urget hanc Artem ; longiorique adhuc tempore opus haberi ait, ad comprehendendam Lulli Artem, quam ad totam Thomæ, aut Bonaventuræ, aut Alesii, aut Durandi Theologiam. Cornelius et ipse Agrippa, qui commentaria in hanc Artem dedit, De incertitudine et vanitate scientiarum cap. 9 : [Eamdem, inquit, ad pompam ingenii, et doctrinæ ostentationem potius, quam ad comparandam eruditionem valere, ac longe plus habere audaciæ quam efficaciæ ; esseque totam ineruditam ac barbaram, nisi elegantiori quadam litteratura adornetur] Sic Agrippa.

Cardanus arguit prolixitatem,

aliqui obscuritatem,

E

Agrippa barbariem Scriptoris.

22 Laudo semper Waddingi judicium in cordate censendo de hac Arte. Aliis tamen virum hunc grandi præconio adornantibus : ILLUMINATI sane DOCTORIS appellatio vulgaris adeo facta est, ut jam ea usus sit Ferdinandus V, Aragoniæ Rex ; DIVUM quoque nuncupans, in privilegio doctrinæ ejus concesso. Necnon et Alphonsus Magnus, ejusdem Ferdinand patruus, Rex sapientissimus, Doctorem egregium mirandarum artium et scientiæ auctorem vocans. Recenter magis Hieronymus Surita, Magnum appellat inventorem docendi novam Philosophiæ artem, disciplinarumque liberalium divinarumque litterarum per novas revelationes atque mysteria, lib. 8 Annalium Aragoniæ capite I. Excellentis ingenii philosophum, Papirius Massonus, in vita Bonifacii VIII Pontificis, vocat. Durant etiamnum hujus Artis professores, stipendio publico exhibiti Majoricæ, et forsan Barcinone ; Gallisque pluribus cara esse dicitur, exindeque pretiosos haurire thesauros, ut ait Waddingus ; qui addit, Ivonem Parisiensem Cappucinum, ex Raymundi principiis, duo magna volumina, quæ *Digestum sapientiæ* vocat, non ita diu concinnasse.

Plures eamdem magnis elogiis efferunt

F

tam Hispani quam Galli,

23 In Germania etiam multos esse, hujus doctrinæ admiratores ac sectatores, Hottingerus fatetur : cujus et Clavim Joannes Henricus Alstedius Strasburgi olim ediderat, anno MDCXXXIII in 8. Nuperque vir eruditissimus Athanasius Kircherus, noster Romæ amicus, examinata serius quam vulgo solet, Lulliana Arte, ut Ferdinandi Cæsaris III quæsito satisfaceret, approbavit eam, quinimo et commendavit ; adjuncta ad faciliorem et locupletiorem ejus usum

atque Germani ;

in quibus Athanasius Kircherus S.J.

A usum Combinatoria arte, sive *Arte magna sciendi*, quam dicavit Augustissimo Leopoldo Cæsari, typis Amstelodamensibus anni MDCLXIX, in folio editam.

ANNOTATA J. B. S.

a *Uti hic et in Nicolao de Pax legebatur* Daguinus, *sic etiam utrobique fidenter sphalma correxi, quod unus ex altero verosimiliter transcripsit.* Petrum Gaguinum *eruditi norunt*, Daguinum *nullum.*

b *Multimodam* Angeli Politiani *eruditionem probant ejus opera, a Gesnero et sequacibus recensita : quod hic indicasse sufficiat, et intellige etiam de aliis hac sectione laudatis*, Fabro Stapulensi *etc.*

c *De tribus fratribus Canteriis nihildum alibi legi.*

d *De Julio Pacio J. C. aliisque Lullianorum operum elucidatoribus agitur ad finem Catalogi* §. 3.

e *Horum si qua ulterior est notitia invenietur in ipsa Hisp. Bibliotheca, quo curiosiores remitto.*

f *Utinam addita esset nota libri vel libelli ubi sequentia habet* Gerson, *scriptis propemodum infinitis clarus, ut probant opera a Gesnero enumerata, et recentior eo-*
B *rum editio.*

SECTIO IV.

Operum B. Raymundi Lulli elenchus.

Datur hic scriptus ab Alphonso Proaza,

Sed jam tempus est (*sunt hæc iterum Nicolai Antonii verba)* doctrinæ forma quomodocumque adumbrata, in opera descendere, quorum a Luca Waddingo in *Scriptoribus Minorum*, et prius ab Alphonso Proaza adornatum Catalogum, quantumvis prolixum, in classes tamen curiose distributum, hic repræsentare satius duximus, quam novum nunc exculpere, aut pleniorem eum quærere, quem habere se ex Bibliotheca Escurialensi regia testatus olim fuit Petrus de Alva, in *Militia Conceptionis*. Annectimus ei tamen opportune, quidquid aliunde in notitiam nobis venit.

ANIMADVERSIO J. B. S.

incredibili fere copia turgidus,

Utcumque stuporem injiciant, quæ de B. Lullo relata sunt hactenus ; nihil fortasse occurret incredibilius, ea quam mox adjiciemus, immensa prope
C Bibliographia, vix ab homine compilanda, qui annos quinquaginta continuos, procul ab aliis curis semotus, indefesso studio laboraverit. Ut recte Waddingus citato loco monuerit ; [Illud admirabile, quomodo in perpetuis itineribus, ærumnosisque discursibus, tot libros scripserit, tam varia argumenta tractaverit ; ita ut incredibile ferme videatur, virum incertæ sedis, perpetuo peregrinantem, nullius adjutorio, codicum inopia laborantem, tot sui ingenii monumenta posteris reliquisse ; quot in subjecto Catalogo longa variaque serie recensentur.] Ego me id assequi nulla ratione posse candide fateor, tametsi potiorem librorum illorum partem, scriptiunculas dixeris vel libellos exiguos, decem paginarum compendio circumscriptos. Ut enim demus ejuscemodi aliquos eo numero comprehendi, sunt tamen qui justæ molis volumina exæquent non pauci, nec contemnendi, si vere a Raymundo compositi fuerint ; adeo ut Vernonus (nescio qua veri specie) non dubitarit asserere, celebrem Picum Mirandulanum, eorum omnium collectionem meditatum fuisse, quæ tomos omnino centum fuisset complexa, in folio, ut loquuntur typographi. Nec defuere qui variis locis et bibliothecis, volumina Lulliana ad quatuor millia asservari rotunde pronuntiarent.

quem tamen aliqui in immensum augent,

EX BIBL. NIC. ANT. ET ALIIS. collatus cum Catalogis aliorum,

26 At nihil me morantur istæ aut istiusmodi inflatæ hyperbolæ : habebit Lector quod abunde demiretur in Antoniano Catalogo, cui nihil additum volui, nihil detractum. Ne tamen unius auctoritate niteretur prodigiosa operum multitudo, visum est syllabum illum conferre cum iis, quæ apud Waddingum ipsum, Vernonum, et Custurerium reperi ; ac post classes singulas verbo indicare, quid ea inter discrepantiæ interveniat, quid additamenti. Neque ea neglexi quæ explicanda occurrere, aut Notis illustranda, iis imprimis locis, quibus de libris beato Martyri suppositis agitur, artem chimicam versantibus, ab hæreticis potissimum per fas et nefas, imo per horrendas quandoque blasphemias, ejus nomine circumferri solitis. D

imprimisque Waddingi,

27 Jam de tota ea Librorum farragine quid censeam, si quis me roget ; dicam ingenue, videri difficillimum, sibi in animum inducere, ab uno Raymundo, tam variis occupationibus peregrinationibusque distracto, tantam librorum copiam non dico componi attentius, sed vel transcribi commode potuisse. Aliorum igitur fide, non mea firmatum volui, quidquid de illis operibus tota sequenti serie continetur. Unum præmitto, non de Librorum numero aut serie, sed de eorum contento sincerissimum Waddingi judicium, ex Annalium Tomo 3, anno MCCCXV n. 16, qui illic per errorem notatur 17. Ita habet. E

præcipuos laudantis,

28 Quid de genuinis Lulli operibus sentiam libere pronuntiabo. Opus Theologicum in libros Sententiarum, eo majorem ingerit admirationem, quo copiosius, miris et inusitatis modis loquendi, omnia fidei comprehendit arcana, deque singulis Theologiæ controversiis plures instituit quæstiones. Libri de contemplatione, et pia quæque argumenta quæ tractat, devotionem spirant et fidei dilatandæ præferunt ardorem. Præter hæc varii sunt tractatuli, vario fine et tempore compacti, qui vagum et versatile, et ad omnia paratum hominis indicant ingenium. Artes Magna et Parva, et Inventiva veritatis, admirabiles habent ambages et sinuosos amfractus, per quos nec Dædalo liceat incedere, nec ingeniosissimis aliquando viris etiam filum sufficiat Ariadnæ, quin in itinere vel judicio sæpe deficiant. Paucos vel nullos invenias, qui hanc Artem, vel artium omnium secretissimum, et mysteriosum quod fingunt ; seminarium, vel ut alii vocant ludibrium, perfecte assequantur. Quod si post immensos labores et fatigati cerebri vigilias, alii se putent assecutos ; vellem scire quos tanti laboris hauriunt vel F edunt fructus ; vel quam singularem, præ communi hominum sorte aut trita gymnasiorum doctrina imbutis viris, præferant excellentiam.

et excusantis barbariem styli,

29 In universis autem hominis operibus stylus inconcinnus, inæqualis, non solum humilis, verum passim barbarus, idiotismis aliorum idiomatum ubique scatens : quod plurima ubique, sine studio aut librorum subsidio, in itinerum et peregrinationum perpetuo motu, scribenti condonandum est. Methodus irregularis, inculta et confusa rerum gestarum, neque seria neque lenis, sed levis et aspera, et aliquando ridicula, vera tamen et sincera narratio. Modi et termini loquendi a communi dissident loquela Theologorum, et pleræque ejusdem assertiones, absonæ a communi nostri ævi doctrina.] Hactenus Waddingus. Jam Catalogum ipsum oculis subjicio, ut eum Nicolaus Antonius exhibet.

clarioremque methodum requirentis.

CATALOGUS

A

EX BIBL. NIC. ANT. ET ALIIS.

CATALOGUS OPERUM

a B. Raymundo Lullo scriptorum.

§. I. LIBRI ARTIUM GENERALIUM.

I Ars generalis. *Incipit :* Ars generalis.

II Ars brevis, *quæ est imago Artis, quæ dicitur* Ars Generalis, *sive* Magna, *scripta anno* MCCCVII, *impressa variis locis. Incipit :* Ratio quare facimus istam Artem. *Hæc Waddingus.* Lugduni *hæc prodiit* ex officina Jacobi Marechal *cum* Arte generali, *et* Argentorati *cum Raymundi operibus, quæ ad inventam ab ipso* Artem universalem *etc. pertinent,* MDCIX *in* 8, sumptibus Lazari Zetzneri

III Ars generalis ultima, *incepta Lugduni* MCCCV, *et finita Pisis in monasterio S. Dominici* MCCCVIII ; *impressa* Lugduni apud Jacobum Marechal, MDXVIII ; *variisque in locis, et ultimo Majoricæ,* apud Heredes Gasparis Guasp, correcta et districtius divisa per Fratrem Franciscum Marzal, an. MDCXLV. *Incipit :* Quoniam multas Artes fecimus *etc. Exstat et in laudata editione Argentoratensi Zetzneri. Monet auctor in* B *fine,* ad hoc ut facilius addiscatur hæc Ars magna, debere addisci prædictam Artem brevem, quæ est imago Artis hujus Generalis, *ut ipse ait. Hispanice exstat,* Arte general de Raymundo Lullo para todas ciencias, Matriti MDXLVIII, *in* 8.

IV Ars demonstrativa veritatis, *Parisiis scripta anno* MCCCIX. *Incipit :* Quoniam hæc Ars demonstrativa.

V Ars altera demonstrativa veritatis. *Incipit :* Finalis quidam.

VI Compendium Artis demonstrativæ. *Incipit :* Quoniam omnis.

VII Lectura super Artem demonstrativam, *sive* Liber Chaos. *Incipit :* Quoniam Deus multum est acolibilis. *Alius habetur liber huic similis, cujus titulus est :* Chaos magnum. *Lullista aliquis scripsit* Introductorium ad Artem demonstrativam, *quod incipit :* Introductoria Artis demonstrativæ *etc. in quo citatur Lullus.*

VIII Liber Correlativorum innatorum, *scriptus Parisiis* MCCCIX, *Valentiæque editus cura Alphonsi Proaza, apud Gregorium Costilla,* MDXII. *Incipit :* Quoniam ignoratis.

IX Ars inventiva veritatis. *Incipit :* Ars præsens C ab Arte demonstrativa descendit. *Nuncupata hæc magno illi viro ac Toletano Præsuli, D. Francisco Ximenio, prodiit Valentiæ* MDXV, *cum privilegiis regiis pro Lulliana doctrina.*

X Tabula generalis, ad omnes scientias applicabilis, *incepta in portu Tunisi* XV *Septembris* MCCXCII ; *et finita in civitate Neapoli,* MCCXCIII, *in octava Epiphaniæ. Incipit :* Ratio quare ista tabula.

XI Ars expositiva, *seu* Lectura super Artem inventivam, et tabulam generalem. *Incipit :* Ars ista modum sequitur et doctrinam Artis inventivæ. *Prædicti tres ultimi libri Valentiæ prodierunt anno* MDXV, *correcti ab Alphonso Proaza, et Francisco Cardinali Ximenio dicati, ex officina Didaci Gumiel, Valentiæ.*

XII Ars compendiosa inveniendi veritatem. *Incipit :* A. Ponimus.

XIII Ars alia compendiosa. *Incipit :* Hæc Ars compendiosa.

XIV Ars inquirendi particularia in universalibus. *Incipit :* Cum apud nos.

XV Liber Propositionum, secundum Artem demonstrativam compilatus. *Incipit :* Ab Arte demonstrativa.

XVI Liber de Ascensu et Descensu intellectus. *Incipit :* Quoniam sunt aliqui homines. *Scriptus in* D *Monte Pessulano anno* MCCCIV. *Valentiæ editus Alphonsi Proazæ cura, per Gregorium a Costilla,* MDXIX.

XVII Ars penultima. *Incipit :* Quoniam scimus istam.

XVIII Ars scientiæ generalis. *Incipit :* Ars sive scientia.

XIX Lectura alia super Artem inventivam veritatis. *Incipit :* Circa quod.

XX De conditionibus Artis inventivæ. *Incipit :* Quoniam Deus.

XXI Liber De declaratione scientiæ inventivæ. *Incipit :* Primo ad inveniendum.

XXII Practica brevis super Artem brevem, sive super Tabulam generalem. *Incipit :* Est autem hæc.

XXIII Liber de experientia realitatis Artis. *Incipit :* Quoniam experimentum.

XXIV Liber de mixtione principiorum.

XXV Liber de formatione Tabularum.

XXVI Lectura super Tabulam generalem. *Incipit :* Cum Theorica.

XXVII Practica brevis super eamdem. *Incipit :* Alphabetum.

XXVIII Lectura super tertiam figuram Tabulæ generalis. *Incipit :* Dividitur hæc Lectura.

XXIX Liber facilis scientiæ. *Incipit :* Manifestum est. E

XXX De quæstionibus super eo motis. *Incipit :* Quoniam liber facilis scientiæ.

XXXI Liber de significatione. *Incipit :* Significatio est ens.

XXXII Liber magnus demonstrationis, seu brancha Artis inventivæ veritatis. *Incipit :* Quoniam humanus, intellectus.

XXXIII Liber de Lumine. *Incipit :* Quoniam intellectus est valde. *MS. exstat in Ecclesia Hispalensi in* 4.

XXXIV Liber de Inquisitione veri et boni in omnia materia. *Incipit :* Scientia veri et boni.

XXXV Liber de Punctis transcendentibus.

XXXVI Ars intellectus. *Incipit :* Quidam homo.

XXXVII De modo naturali intelligendi in omni scientia.

XXXVIII De inventione intellectus.

XXXIX De refugio intellectus.

XL Ars voluntatis. *Incipit :* Cum Deus.

XLI Ars amativa boni. *Incipit :* Ad recognoscendum.

XLII Ars alia amativa. *Incipit :* Ad recognoscendum. F

XLIII Ars alia amativa. *Incipit :* Deus benedictus.

XLIV Ars memorativa. *Incipit :* Per quam syllabam.

XLV De quæstionibus super ea motis.

XLVI Ars alia memorativa. *Incipit :* Hic est necessarium.

XLVII De principio, medio, et fine.

XLVIII De differentia, concordantia, et contrarietate. *Incipit :* Sensuale est.

XLIX De æqualitate, majoritate, et minoritate.

L De fine et majoritate. *Incipit :* Quoniam quidquid.

LI Ars consilii. *Incipit :* Cum sit hoc quod consilium.

LII Liber alius de consilio. *Incipit :* Quidam homo.

LIII Liber de excusatione Raymundi. *Incipit.* Dominus Deus humilis.

LIV Liber ad intelligendum Doctores antiquos.

LV Ars infusa,

LVI Art de fer y soltar questions, *vernacula lingua, quod sonat :* Ars faciendi et solvendi quæstiones.

LVII

A LVII Fundamentum Artis generalis.

LVIII Supplicatio Raymundi ad Parisienses.

LIX Liber ad memoriam confirmandam, *scriptus Pisis in Conventu S. Dominici. Incipit :* Ratio quare.

LX Liber de Potentia, Objecto, et Actu. *Incipit :* Cum plures homines.

LXI Ars generalis rhythmica, *scripta Majoricæ mense Martio* MCCC, *vernacula lingua. Incipit :* Deus glorios per etc.

Edita simul exstant Raymundi Lulli opera ea, quæ ad inventam ab ipso Artem universalem scientiarum artiumque omnium, brevi compendio summaque memoria apprehendendarum, locupletissimaque vel oratione ex tempore pertractandarum pertinet, ut et in eamdem quorumdam interpretum scripti commentarii. Argentinæ sumptibus Lazari Quetzneri [Zetzneri] *an.* MDCXVII *in* 8 *prodierunt.*

ANNOTATIO J. B. S.

Primam hanc Lullianorum librorum classem ad verbum ex Waddingo descripsit Nic. Antonius et ex
B *utroque Custurerius. Vernonus, nulla servata methodo (titulum eumdem præfixerit licet) variarum artium opuscula commiscet; sic ut nonaginta hoc articulo enumeret, aliis tribus non nisi unum et sexaginta referentibus.*

§. II. LIBRI GRAMMATICÆ ET RHETORICÆ.

LXII Ars Grammaticæ speculativæ completissima.

LXIII Ars Grammaticæ brevis.

LXIV Ars Rhetoricæ. *Incipit :* Cum verbum. *Has*
a *novit Waddingus. Nos* a *vero adjungimus*

LXV Rhetoricen *Lulli, quam edidit Remigius Rufus Candidus, Aquitanus, precibus Bernardi Lavinhetæ, Raymundi studiosissimi, ut mox dicemus; mireque commendavit in præmissa epistola. Exstat in editione*
b *Argentoratensi, quam diximus, Zetzneri* b. *Incipit :* Ex tenebris lux ipsa emergit, *nuncupaturque in titulo liber*, Alchimia verborum, *ab aliquo forsan sciolo.* Lulli Rhetoricam, *Parisiis editam anno* MDCXXXVIII *in* 4; *siculi et in* Rhetoricam, Isagogen *ejusdem, pro-*
c *diisse ex Ascensiana Parisiensi, anno* MDXV *in* 4, *ali-*
C *cubi legimus* c.

ANNOTATA J. B. S.

a *Hic indicat Antonius quid catalogo Waddingiano adjunxerit; Antonium secutus est Custurerius.*

b *Citat pag.* 179; *eam vero editionem ait Custurerius exstare in Collegio Baleari Montis Sion Societatis Jesu.*

c *Non fallitur Antonius, testante Custurerio ex ea ipsa editione, in præfato Collegio tomum asservari.*

§. III. LIBRI LOGICALES.

LXVI Liber qui vocatur Logica de Grozell *versu vulgari. Incipit :* Deus per fer a nos honrament.

LXVII Logica parva. *Incipit :* Logica est ars et scientia. *Edita primum* Compluti, ab Arnaldo Guilielmo Brocar MDXVII. Illustrata *deinde* commentariis Antonii Belver, Majoricæ a Gabriele Guasp, MDLXXXIV.

LXVIII Logica nova, *absoluta Genevæ* a *an.*
a CCCIII; *et* Valentiæ edita a Gregorio Costilla, cu-
b rante Alphonso Proaza, MDXIX *b. Incipit :* Considerantes veterem et antiquam Logicam. *Præter has* D
vidimus. EX BIBL. NIC. ANT. ET ALIIS.

LXIX Dialecticam seu Logicam novam *c, quam* c
a superiore distinguimus, quod hæc incipiat : Logica est ars qua verum *etc. quam in editione Argentoratensi toties laudata exstantem, Bernardus Lavinheta emendasse, restitutis iis quæ olim fuerant sublata, dicitur.*

LXX Liber de novo modo demonstrandi. *Incipit:* Quare dicitur.

LXXI Liber de Fallaciis. *Incipit :* Per istas fallacias possunt convenire Theologi.

LXXII Logica alia, de quinque Arboribus.

LXXIII Liber de Subjecto et Prædicato.

LXXIV Liber de conversione Subjecti et Prædicati per medium. *Incipit :* Quoniam opiniones.
Ita est in editione quam laudavimus Zetzneri d; *non,* d
Quoniam opponentes, *ut apud Waddingum* e. e

LXXV Liber de Syllogismis. *Idem forte cum eo qui sequitur.*

LXXVI Liber de modo naturali et syllogistico, quo concluditur necessario et naturaliter Prædicatum esse in Subjecto. *Incipit :* Quoniam omnes qua sumus.

LXXVII Liber de Affirmatione et Negatione et E
causis earum. *Incipit :* Quoniam omnia sunt.

LXXVIII Liber de quinque Prædicabilibus et decem Prædicamentis. *Incipit :* Quoniam quinque Prædicabilia.

LXXIX Liber de novis Fallaciis. *Incipit :* Quoniam intellectus humanus.

LXXX Liber, qui dicitur Fallacia Raymundi. *Incipit :* Quædam affirmatio.

ANNOTATA J. B. S.

a Genevæ *hic scribitur pro* Genuæ, *nusquam enim me legere memini, Raymundum fuisse Genevæ : forte Proaza primus hujus Catalogi auctor, ex* Genoua, *Genevam formaverit.*

b *Ait Custurerius editionem hanc exstare in eodem Collegio Montis Sion, uti et genuinas editiones* Logicæ parvæ, *cum libris citatis in hoc Catalogo num.* VIII *et* XVI : *sed tamen editio est anni* MDXII, *ut ibi numero illo* VIII *dicitur.*

c *Solum hunc librum Catalogo Waddingiano addit Antonius, cui Custurerius subscribit.*

d *Notat paginam* 166. F

e *Waddingum hic corrigit Antonius, recte opinor, cum ei adhæreat Custurerius, Librorum Lullianorum scrutator non indiligens.*

§. IV. LIBRI PHILOSOPHICI.

LXXXI Liber lamentationis duodecim Principiorum Philosophiæ, contra Averroistas, *scriptus Parisiis mense Februario anno* MCCCX, *dedicatusque Philippo Francorum Regi. Incipit :* Principum Illustrissimo.
In editione Argentoratensi Zetzneri sic inscribitur a : a
Duodecim Principia Philosophiæ, quæ et lamentatio seu expostulatio Philosophiæ contra Averroistas, et Physica ejusdem Raymundi, dici possunt. *MS. est in Bibliotheca Patavina, quæ fuit Nicolai Trevisani,*
Thomasino teste b. b

LXXXII Liber de principiis Philosophiæ, *scriptus Majoricæ* MCCC. *Incipit :* Cum Philosophia sit effectus primæ causæ.

LXXXIII Liber de ponderositate et levitate Elementorum. *Incipit :* Ad requisitionem Medicorum.

LXXXIV Liber de Anima rationali, *absolutus, Romæ* MCCXCIV, *atque editus Compluti per Guilielmum*
Brocar, anno MDXIX *c. Incipit :* Quoniam Anima rationalis. c

EX BIBL. NIC. ANT. ET ALIIS.

A tionalis. *Tractatus Raymundi* De Anima *est MS. Venetiis apud magnam domum Minorum Conventualium. Thomassinus Bibliothecæ Venetæ pag.* 109.

LXXXV Liber de reprobatione errorum Averrois. *Incipit* : Cum Christianos fideles.

LXXXVI Liber contra ponentes æternitatem mundi.

LXXXVII Liber de quæstionibus, super librum de Anima rationali motis. *Incipit* : Utrum Anima.

LXXXVIII Liber de actibus potentiarum Animæ æqualibus. *Incipit* : Utrum beatitudo.

LXXXIX Liber de Anima vegetativa et sensitiva.

d XC Physica nova *d*. *Incipit* : Cum aggredi.

e XCI De Natura *e*.

XCII Ars Philosophiæ. *Incipit* : Cum natura sit.

XCIII De Consequentiis Philosophiæ. *Incipit* : Cum Philosophia.

XCIV Liber de generatione et corruptione.

XCV Liber de Graduatione Elementorum.

XCVI Liber super figura Elementari. *Incipit* : Elementa sunt quatuor.

XCVII Liber de qualitatibus, proprietatibus, et

B effectibus Elementorum.

XCVIII Liber de olfactu. *Incipit* : Ad inquirendum sensum.

XCIX Liber de possibili et impossibili. *Incipit* : Quoniam philosophantes.

C Ars compendiosa principiorum Philosophiæ, secundum Artem demonstrativam, in duas partes divisa. *Incipit* : Cum intendamus Artem valde compendiose componere.

CI Liber de Intensitate et Extensitate.

ANNOTATA J. B. S.

A *Conveniunt plane hac in classe Antonius et Custurerius cum Waddingo.*

a *In miscellaneis Lullianis citatur pag.* 112

b *Pag.* 113 *Bibliothecæ Patavinæ.*

c *Exstat ea editio in Collegio Baleari Montis Sion. Soc. Jesu, cujus partem ad nos misit Custurerius, impressam cum Elogio Lulliano Nicolai de Pax, anno illo* MDXIX, *ut satis constat ex supra deductis.*

d *Sub titulo*, Liber novus Physicorum, *exstat in bibliotheca Collegii Balearis S. J. edita Barcinone per Carolum Amorosum Provensal*, MDXII.

e *Hunc librum superius perfectum dixi, ex Custu-*

C *rerio, in Insula Cypro Famæ Augustæ* MCCCI : *nisi legendum sit* MCCC, *ut alii Catalogi habent apud eumdem Custurerium pag.* 516, *quorum neutrum Chronologiæ a nobis stabilitæ repugnat.*

§. V. LIBRI METAPHYSICI.

a CII Metaphysica nova *a*. *Incipit* : Quoniam quidem intellectus.

CIII Liber de Ente reali et rationis. *Incipit* : Quoniam intellectus.

CIV De Proprietatibus rerum.

CV Liber de Homine. *Incipit* : Cum sit decens. *MS. Venetiis in magna domo Conventualium, teste*

b *Thomassino in Bibliotheca Veneta b.*

CVI De magnitudine et parvitate Hominis. *Incipit* : O bone Deus.

ANNOTATA J. B. S.

Hic denuo planissime concordant Scriptores tres nuperrime citati.

a *Edidit et hoc opusculum Barcinone Carolus Amorosus Provensal* MDXII : *exstat in bibliotheca Collegii Soc. Jesu Palmæ Balearium, teste Custurerio.*

b *Citat Antonius paginam* 109.

§. VI. LIBRI VARIARUM ARTIUM. D

CVII Ars politica.

CVIII Liber militiæ secularis. *Incipit* : Ad significandum septem.

CIX Liber de militia Clericali; *alias* de Clericis. *Incipit* : Liber iste.

CX Ars de Cavalleria; *vernacule, ut credo.*

CXI Tractatus de Astronomia, *absolutus Parisiis* MCCXCVIII. *Incipit* : Cum plures sint homines.

CXII Ars Astrologiæ. *Incipit* : Cum plures homines.

CXIII Liber de Planetis.

CXIV Geometria nova. *Incipit* : Quoniam brevis intentio.

CXV Geometria magna. *Incipit* : Quoniam multum est.

CXVI De quadrangulatura et triangulatura Circuli; *alias appellatus*, Liber de Circulis. *Incipit*: Ad investigandum.

CXVII Ars cognoscendi Deum per gratiam, *vernacule. Incipit* : Deus es aquell. ens.

CXVIII Ars arithmetica.

CXIX Ars divina.

§. VII. LIBRI MEDICINÆ. E

CXX Ars de principiis et gradibus Medicinæ. *Incipit* : Quoniam omnis ars habet sua principia.

CXXI Liber de regionibus infirmitatis et sanitatis. *Scriptus in Monte Pessulano, anno* MCCCIII. *Incipit* : Quoniam multum est difficilis scientia.

CXXII Liber de arte Medicinæ compendiosa. *Incipit* : Ars ista hac intentione compilata est. *Continet hunc codex Vaticanus MS.* 5902, *et Urbinatensis* 1083.

CXXIII Liber de pulsibus et urinis.

CXXIV Liber de aquis et oleis. *Incipit* : Ego Raymundus.

CXXV Liber de Medicina theorica et practica.

CXXVI Liber de instrumento intellectus in Medicina.

§. VIII. LIBRI JURIS.

CXXVII Ars utriusque Juris. *Scriptus in Monte Pessulano mense Januarii* MCCCVII, *Clemente V Pontifice. Incipit* : Quoniam scientia est longa.

CXXVIII Ars Juris particularis. *Incipit* : Quoniam vita hominis.

CXXIX Ars principiorum Juris. *Incipit* : Præsens ars. F

CXXX Ars de Jure. *Incipit* : Quoniam scientia Juris.

ANNOTATIO J. B. S.

In his tribus Paragraphis nihil prorsus differunt Waddingus, Antonius et Custurerius. Vernonum prætermitto, quod is librorum classes negligat : poterit ad calcem notari an saltem in numero concordet. Quamvis nec id operæ pretium videri possit, cum hac in re longe Vernono diligentius versati sint, citati tres Scriptores.

§. IX. LIBRI SPIRITUALES ET CONTEMPLATIONIS *a*. a

CXXXI Liber Natalis pueri Jesu, *scriptus Parisiis anno* MCCCX, *Philippoque Francorum Regi dicatus, incipit* : Da, Domine, in te credentibus. *Editus fuit* Parisiis apud Guidonem Mercatorem, *anno* MCCCCXCIX *b*. b

CXXXII Liber de decem modis contemplandi Deum. *Incipit* : Ad honorem Dei contendere volumus.

CXXXIII

A CXXXIII Liber de Raptu.

CXXXIV Liber Contemplationis, quæ fit in Deo. *Incipit :* Summe Deus.

CXXXV Liber Blancherna, tractans de quinque statibus personarum, de uxoratis, religiosis, Prælatis, Cardinalibus, et Pontificibus. *Translatus est in linguam Valentinam, et demum impressus* Valentiæ per Franciscum Jofredum, *anno* MDXXI. *Hæc de libro isto Waddingus.* Præmittitur huic editioni, quam vidimus, epistola Joannis Bonlabii Catalani, ex oppido Roca-fort, de Queralt, qui forsan interpretatus ipse librum fuit ex Latino. *Vulgaris titulus hic est :* Blanquerna, que tracta de sinch estaments de persones, de matrimoni, de religio, de Prælatura, de Apostolical senyoria, la qual es en lo Pare Sant, y en los Cardenals, y del stat de vida hermitana contemplativa, debax los quals tot son contenguts : ordenat per lo illuminat Dotor y Martyr Maestre Ramon Lull, traduit y corrigit ara novament del primer original, y estampat en nlergua Valenciana, ab lo Libre de Oracions e Contemplacions del intenimènt en Deu, fet per lo matex Dotor.

CXXXVI Liber de Orationibus et Contemplationibus intellectus. B *Simul, uti diximus, typis editus Valentina lingua anno* MDXXII. *Incipit :* En la ignorancia *c*.

CXXXVII Liber de meditationibus totius anni, alias de Amico et Amato. *Incipit :* Interrogavit Amicus suum Amatum, *Parisiis editus* MCV. d *Prodiit etiam* Rhotomagi, cum Annotationibus Martialis Cenomanensis, tertii Ordinis S. Francisci.

CXXXVIII Liber de laudibus B. Virginis Mariæ, *qui dicitur* Ars inventionum, *Parisiis editus* per Guidonem Mercatorem MCCCCXCIX. *Incipit :* Quæstiones, definitiones, laudes, *Hæc Waddingus. Sed per errorem editum fuit,* Ars inventionum *cum intentionum sit legendum. Editio hæc anni* MCCCCXCIX, *typis Joannis Parvi confecta, continet etiam Clericum et Phantasticum, de quibus postea.* Jacobus Faber Stapulensis editionem *e* procuravit, et proœmium addidit, *quo se ait multum in lectione horum operum proficere.*

CXXXIX Liber appellatus, Clericus, sive pro Clericis. *Scriptus anno* MCCCXI, *seu verius* MCCCVIII, *simul cum præcedenti editus. Quibus adjungimus, illaudatum a Waddingo.*

CXL Phantasticum, *scriptum anno* MCCCXI, *ut ibi dicitur.*

C CXLI Liber de Confessione, *scriptus Majoricæ* MCCCXI *f*.

CXLII Liber de Orationibus. *Incipit :* com malos homens, *vulgaris.*

CXLIII Philosophia amoris, *scripta Parisiis mense Octobris,* MCCCXVIII ; *Parisiis edita per Jacobum Fabrum Stapulensem, et dicata Alphonso de Aragonia, Cæsar-Augustano et Valentino Archiepiscopo, anno* MDXVI, *in* 4. *Incipit :* Raymundus Parisiis existens. *Hæc Waddingus. Vernacula g Valentiæ lingua Philosophiam hanc amoris, sive primitus scriptam ab auctore, sive postea redditam, non dubitamus ; ex quo in examine propositionum Raymundi nostri, quod præcessit definitivam sententiam prædictam, testimonia multa hujus linguæ ex hoc libro, proferuntur, et in examen vocantur.*

CXLIV Liber Proverbiorum, *editus Venetiis* MDVII, *una cum disputatione Eremitæ et Raymundi etc. de qua mox ; et cum præcedenti* Philosophia amoris, *anno* MDXVI *in* 4, *scriptus ab auctore Romæ. Incipit :* Cum Proverbium sit. *Ita Waddingus. Seorsum vero Valentiæ a Joanne Jofredo* MDX *in* 4. Proverbiorum mille liber (*idemne an alius ?*) *est MS. in Bibliotheca Ambrosiana.* Proverbia et sententias *Raymundi Venetiis edidit Joannes Tacuinus* MDVII. *Est in Bibliotheca Sapientiæ Romanæ* h.

CXLV Liber de centum nominibus Dei, *alias* Psalterium. *Incipit :* Cum Saracenis. *Habetur etiam vernacule,* Con los Sarrayns. D

EX BIBL. NIC. ANT. ET ALIIS.

CXLVI Orationes per regulas artis, versibus rhythmicis vulgaribus.

CXLVII Horæ Deiparæ Virginis, vulgaribus modulis decantatæ. *Incipit :* A honor del major Senyor.

CXLVIII Elegiacus Virginis planctus, *vulgaribus versibus.* Viveva en gran gaug la Verge Maria.

CXLIX Lamentatio, seu querimonia Raymundi, *scripta* MCCLXXXV, *vulgaris linguæ. Incipit :* Deus ab nostra virtute *i*.

CL Carmina Raymundi consolatoria, *vulgaris etiam sermonis.*

So creat e esser mondat.

CLI Mille proverbia vulgaria: *Forte ille liber, qui est in Ambrosiana.*

CLII Versus vulgares ad Regem Balearium.

CLIII Tractatus *vulgaris metricus,* septem fidei articulos demonstrans.

CLIV Liber continens Confessionem, *scriptus Majoricæ* MCCCXII. *Incipit :* Cum peccatum sit magna transgressio.

CLV Primum volumen contemplationum, *continens primum et secundum librum ; et isti continent viginti duas distinctiones. Incipit :* Jesus Christ Senyor nostro. *Waddingus : Liber hic contemplationum seu volumen primum, duos libros continens, editus fuit Parisiis Latine, cura Jacobi Fabri Stapulensis, una cum Blanchernæ Anachoretæ de Amico et Amato, apud Joannem Parvum,* MDV, *in folio k. Emptum a se, ait Faber, obolo uno hunc librum ab egeno quodam ; tantique esse, ut lecto eo quidam statim propositum fecerit amplexandi religiosum quemdam Ordinem ; seque ipsum idem facturum subjungit, ni valetudo esset impedimento.* E

CLVI Secundum volumen *continens librum tertium, incipiens a distinctione* 23, *usque ad* 32 *inclusive, scriptum* l *per Ægidium de Bret Brabantinum, die* XXVIII *Januarii, anno* MCCCCLXVII. *Incipit :*

Deus glorios et virtuos
A vos Senyor sia donado.

CLVII Tertium volumen, *continens quartum librum a distinctione* 33, *usque ad* 40 *inclusive. Est de oratione. Incipit :*

A Deus gran maravellos :
A vos Senyor sia fatta reverencia *m*.

CLVIII Quartum volumen, *et liber quintus* Contemplationum *n*.

CLIX De centum signis Dei. *Incipit :* Quoniam F beatitudo hominum.

CLX De centum dignitatibus Dei. *Incipit :* Quidam homo.

CLXI Liber de expositione orationis Dominicæ. *Incipit :* Cum oratio, quam Dominicam.

CLXII Liber alius de eodem.

CLXIII Liber de Ave Maria.

CLXIV Liber dictus *Parvum Contemplatorium,* secundum Artem inventivam et Tabulam generalem factus.

CLXV Liber de Præceptis legis, Articulis fidei, et Sacramentis, per modum contemplationis. *Incipit :* Omnipotens Deus.

CLXVI Liber de virtutibus et peccatis, *Majoricæ anno* MCCCXII. *Incipit :* Cum sit multum mirandum.

CLXVII Liber de compendiosa contemplatione ; *cujus quodlibet caput incipit ;* Die ac nocte. *Opus autem totum :* Cum sit creatus homo.

CLXVIII Liber orationum, *factus pro Regina Aragoniæ. Incipit :* Cum multi homines *o*.

CLXIX Liber de orationibus per decem regulas.

CLXX Liber de viis Paradisi et viis Inferni.

DLXXI

EX BIBL. NIC. ANT. ET ALIIS.

A CLXXI Liber de Orationibus et Contemplationibus. *Incipit :* In ignorantiam.

CLXXII Liber dictus, *Opus bonum. Incipit :* Cum multi homines.

CLXXIII Liber de Conscientia.

CLXXIV Liber de gaudiis Virginis. *Aliter*, de Benedicta tu. *Incipit :* Inter alia verba.

CLXXV Liber de septem Horis Officii Virginis Mariæ. *Incipit :* Ad honorem.

CLXXVI Liber alius ejusdem argumenti.

CLXXVII Planctus dolorosus Dominæ nostræ super passionem filii sui. *Incipit :* Virgo Maria.

CLXXVIII Ars Philosophiæ desideratæ, ad suum filium. *Incipit :* Solus eram in quodam.

CLXXIX Ars confitendi. *Incipit :* Cum sit necessarium *p*.

p *q* CLXXX Liber de doctrina puerili *q*. *Incipit :* Deus vult.

CLXXXI Doctrina alia puerilis parva. *Incipit :* Quoniam infideles.

CLXXXII Liber de prima et secunda Intentionibus ad Filium. *Incipit :* Cum desiderans et jacens.

B CLXXXIII Blancherna magnus. *Incipit :* Ad significationem quinque plagarum *r*.

r

CLXXXIV Liber de placida visione.

CLXXXV Liber de consolatione eremitica.

CLXXXVI Ars ut ad Deum cognoscendum et diligendum majorem virtutem habere possimus. *Incipit :* Cum intendemus.

CLXXXVII Liber ducentorum carminum, *vulgaris linguæ*.

CLXXXVIII Liber de vita divina.

CLXXXIX Liber de definitionibus Dei.

CXC Primo libre, el Desconsuelo de Ramon. *vernaculus* s.

s

CXCI Liber Hymnorum.

CXCII Liber sex mille Proverbiorum, in omni materia.

ANNOTATA J. B. S.

a *Præmissi huic Catalogo num.* 28, *judicium Waddingi, quo testatur, libros qui de contemplatione aliisque piis argumentis tractant,* devotionem spirare, et fidei dilatandæ præferre ardorem. *Nulla tres inter Auctores nostros est discrepantia numeri. Quæ Waddingo superaddit, notat ipse Antonius, quem ad verbum descripsit Custurerius.*

C b *Habent editionis illius exemplum Patres Franciscani cœnobii Majoricensis; et aliud, commodatum habuit, a viro aliquo nobili, Custurerius.*

c *Exstat utriusque libri editio in bibliotheca Collegii Balearis Montis Sion S. J. et passim apud Majoricenses.*

d *Plures Libelli hujus editiones variis linguis refert Custurerius pag.* 483, *unam præ manibus habeo Parisiensem anni* MDCXXXII *apud Dionysium Moreau, sub hoc titulo.* Blaquernæ Anachoretæ interrogationes et responsiones CCCLXV, de Amico et Amato, Raymundo Lullo, sancti Francisci Tertiario auctore : claruit circa annum Domini MCCXC. Libellus omnibus viris spiritualibus non minus jucundus quam utilis. *Vide Epilogum.*

e *Servatur apud Franciscanos Majoricæ, et eam habuit Custurerius ab Equite Majoricensi commodatam.*

f *Custurerius annum notat* 1309 : *neuter convenit, scribendus videtur annus* 1312, *quo Raymundus Majoricæ fuit.*

g *Erat ea, opinor, lingua vulgo Lemovicensis, qua vere scriptam eam Philosophiam existimat Custurerius, asserens pag.* 512. *habere se copiam ejus manuscriptam. Sed de eo Libro sermo recurret inferius, ubi de Bulla Gregoriana.*

h *Et in bibliotheca Collegii Balearis Montis Sion Societ. Jesu inquit Custurerius : sed editionem eam, monet, scatere erratis typographicis. Exstant in eadem bibliotheca editiones, de quibus ad numeros* XI, XVI *et* LXI *hujus Catalogi.* D

i *Recte ait Custurerius, legendum* ab vostre virtut. *Prodiit ille hispanice Majoricæ typis Gabrielis Guasp.* MDCVI, *una cum Vita Raymundi scripta a Canonico Segui, exstatque in bibliotheca Montis Sion, in qua etiam est MS. idiomate Majoricensi. Quo anno librum illum,* Desconsuelo *sive* Lamentatio, *composuerit Raymundus, examinat Custurerius pag.* 518. *Hoc certum videtur, per errorem scribi ab Antonio annum* MCCLXXXV, *cum illi profiteatur Raymundus, se per triginta annos laborasse ad promovendam Maurorum conversionem, qui procul dubio desumendi sunt ab anno* MCCLXXV ; *unde et Custurerius verosimillime putat, libri illius scriptionem non posse pertinere nisi ad annum* MCCCV, *quidquid copiæ, tum impressæ tum MSS. varient, imperitorum manu editæ vel correctæ.*

k *Exstat ea forma in Conventu S. Francisci Majoricensi, qualem et Custurerio commodavit Eques Majoricensis.*

l *Dicere, voluit,* transcriptum.

m *MS. antiquo charactere asservatur in sæpe citata bibliotheca Montis Sion.* E

n *Supradicta quatuor volumina, teste Custurerio, exstant vulgari idiomate MSS. antiquissimo charactere in subtilissima membrana, in bibliotheca Collegii Majoricensis B. Mariæ de Sapientia.*

o *Exstat vernacule MS. pervetustum in Collegio Majoricensi B. Mariæ de Sapientia, et incipit :* Com molts homes. *Prope finem autem habet;* Finit est aquest libre de oracios, e de doctrina de amar Deu, en Barcelona en Lanny MCCXCIX. Lo qual libre es fet a requeste del molt noble Segnyor on Jaume Rey de Arago, e la molt alta dona Blanca se muller. *Ubi advertit Custurerius, sermonem esse de Jacobo II Aragoniæ Rege, qui duxit uxorem Blancam, filiam Caroli Andegavensis Regis Neapolitani.*

p *Doctor Petrus Benassar, in suo Memoriali ad Regem Catholicum, ait, hunc librum typis fuisse datum Barcinone* MDLXVII, *cum facultate D. Guillermi Cassador, Episcopi Barcinonensis, cujus litteras affert.*

q *Exstat MS. vernacule in bibliotheca Collegii Balearis Montis Sion Soc. Jesu.*

r *Videtur esse liber, de quo num.* CXXXV *hujus Catalogi. Incipit enim :* A significanca de les cinc nafres.

s *Videtur esse liber de quo num.* CXLIX.

§. X LIBRI PRÆDICABILES.

CXCIII Ars prædicabilis, *scripta Majoricæ* MCCCXII, *Incipit :* Cum hæc sit major ars prædicationis.

CXCIV Liber super quatuor sensus S. Scripturæ.

CXCV Ars prædicandi major. *Incipit :* Cum prædicatio.

CXCVI Ars prædicando minor. *Incipit :* Cum ars major.

CXCVII Liber quinquaginta duorum Sermonum, contra omnes incredulos.

CXCVIII Commentaria in primordiale Evangelium Joannis, seu in cap. I Evangelii Joannis : In principio erat Verbum. *Editus fuit Ambiani in ædibus Francisci de Halenvim, ejusdem urbis Episcopi, anno* MDXI. *Incipit :* Hæc propositio varias intelligentias habet.

ANNOTATIO J. B. S.

Nihil hic annotatione dignum recurrit, nisi quod Waddingi

A *Waddingi Catalogum secutus est Antonius, et utrumque Custurerius : quodque Claudius Robertus in Episcopis Galliæ, Ambianensem Episcopum præfatum appellet* Franciscum de Haluin de Piennes; *Sammarthani* de Hallwin, *quem anno* 1502 *ordinatum vicennem dicunt, dispensante Alexandro VI, et obiisse* 1537. *Addit Robertus, eodem anno obiisse Carolum Bovillum, Canonicum Ambianensem; eum scilicet, qui Raymundi Vitam scripsit.*

§. XI. LIBRI QUODLIBETALES, SEU VARIARUM RERUM.

CXCIX Liber primæ et secundæ intentionis, *qui agit de virtutibus et vitiis, ac variis hominum statibus, vernacule.* Aquest llibre qui primerament. *Alius, ut videtur, a superius laudato, ad filium.*

CC Liber de miraculis cœli et mundi, *vernacule. Incipit :* En tristitia e en llanguiment.

CCI Arbor scientiæ. *Prodiit* Lugduni, opera Gilberti de Villiers, MDXV. *Incipit :* In desolatione et
a fletibus *a*.

CCII Liber quæstionum quodlibetalium super Artem inventivam veritatis. *Incipit :* Quæstiones.

d CCIII Liber De fine *b*. *Incipit :* Cum mundus in
c malo *c*. *Hunc librum laudat auctor ipse in* Disputa-
B tione inter Raymundum et Homerium *(de qua postea) his verbis :* Ex his tribus ordinamentis fortasse mundus redire posset in bonum statum, ut largius locuti sumus in libro, De fine, et quem præsentavimus Regi Aragoniæ *(Jacobo II)* et ipse statim misit illum ad Dominum Papam *(Clementem V, ut existimo)* qui nunc ipsum habet, quando in Monte Pessulano me præsente, obtulit totum suum regnum, suam personam, suam militiam, et thesaurum, ad pugnandum contra Saracenos, omni tempore quo placeret Domino Papæ et Dominis Cardinalibus. Sum ego de hoc certissimus, quia tunc temporis præsens eram. *Convenerunt quidem in Monte Pessulano Clemens V, recens electus anno* MCCCV ; *et Jacobus Aragonum Rex, ut Surita refert lib.* 5, *cap.* 68.

Proposuisse, ait, se in hoc libro, ad sustentandam, adversus Saracenorum impressionem et immensam potentiam, Christianam Ecclesiam, tria remedia; quæ quidem omni tempore non inutilia videri poterunt. Primum ut curaret summus Pontifex quatuor aut quinque fundari monasteria Religiosorum, in quibus alerentur, ac in linguis infidelium, Theologiaque instruerentur ii,
C *qui ex instituto, ad annuntiandum toto orbe Evangelium tempore opportuno mittendi essent.*

Alterum, ut ex militaribus Ordinibus Templi, Hospitalis, Alemanorum (scilicet Theutonicorum) Uclensium (Hispanum nosti Ordinem S. Jacobi, cujus caput Uclesii domus) Calatravæ, atque Sepulcri, novus fieret Ordo, novæ etiam appellationis, isque in confiniis ditionis Maurorum constitueretur, ut adversus eos bellum gereret, ducto initio a Granatensi, in qua *(ait)* magnus thesaurus Saracenorum est, et fundamentum lapideum, et quia prope est. *Eoque regno expugnato transitum in Africam facerent, qua ex parte, et non aliunde, ad Hierosolymitanam expeditionem pergi debere existimabat.*

Tertium, quod Dominus Papa, et Domini Cardinales *(audis ejus verba)* decimam totius Ecclesiæ, quan. dant Regibus Christianis, consignarent ad istam sanctam expeditionem et passagium *etc.* quia decima ideo a laborantibus data est, ut Ecclesia per ipsam honoretur, et augeatur Fides catholica; non autem ut Reges ipsam deducant in alios usus, forsitan non bonos. *Hæc ille. Plane decimæ, Jacobo Aragoniæ Regi concessæ a Bonifacio VIII per triennium, circa annum* MCCCIII, *meminit Surita lib.* 5 *cap.* 60. *Ista omnia non inutilia existimavimus hic annotari, ut posteritas discat, hac senis Raymundi arte quandoque sapere.* D

CCIV Consilium Raymundi, *lingua Balearica. Incipit :* Un consill vull comensar. EX BIBL. NIC. ANT ET ALIIS.

CCV Liber de acquisitione Terræ sanctæ. *Incipit :* Ad acquirendum.

CCVI Liber de Antichristo. *Incipit :* Omnipotens Deus.

CCVII Liber de mirabilibus Orbis, *dictus* Felix. *Incipit :* In tristitia et languore. *Et valde commendatur. Waddingus : Hic idem est quidem cum vernaculæ linguæ alio, jam laudato; De mirabilibus cœli et mundi num.* 199 : *id enim ostendit principium simile utrobique notatum* d. d

CCVIII Liber de civitate mundi. *Messanæ scriptus anno* MCCCXIV, *uno ante obitum. Incipit :* Civitas est locus.

CCIX Liber variarum Quæstionum.

CCX Liber de gradu superlativo.

CCXI Liber de virtute veniali et mortali, *ad Regem Sancium, scriptus Majoricæ* MCCCXII. *Incipit :* Quoniam plerique homines. E

ANNOTATA J. B. S.

a *Librum hunc etiam in bibliotheca Collegii Balearis Montis Sion asservari testatur Custurerius, non Lugdunensis, sed Barcinonensis editionis, typis Petri Posæ* MDV.

b *Et hic ibidem reperitur, editus Majoricæ* MDCLXV *apud Raphaelem Moga. Superius indicavimus scriptum fuisse in Monte Pessulano* MCCCV.

c *Horum nihil Waddingus; sufficiat nota Antonii, ut, quid de hoc opere sentiendum sit, intelligatur.*

d *Bene id advertit Antonius; verum si ex iisdem Librorum initiis ad eorum confusionem inferendam proceditur, quidni et idem cum illis dicatur Liber* CCI, *qui incipit :* In desolatione et fletibus? *Ceterum notat Custurerius, Librum de* Mirabilibus orbis *inveniri MS. in bibliotheca cœnobii S. Francisci Majoricæ.*

§. XII. LIBRI VARIARUM DISPUTATIONUM SEU CONTROVERSIARUM.

CCXII Liber de Gentili et tribus Sapientibus, *scriptus in Monte Pessulano* MCCCVII. *Incipit :* Deus excellentissime, cujus imperium *a*. a

CCXIII Tractatus de Articulis Fidei. *Scriptus Romæ lingua vulgari* MCCXCVI, *et translatus in Latinum Majoricæ* MCCC. *Incipit :* Cum aliqui dicant. F *MS. exstat inter libros Urbini Ducis in Vaticana Bibliotheca, codice* 956 b. b

CCXIV De Deo ignoto, et de Mundo ignoto, *Parisiis mense Martio* MCCCX. *Incipit :* Ad ostendendum per quem Deus.

CCXV Liber de Efficiente et Effectu, *Parisiis mense Martio* MCCCXII. *Incipit :* Parisiis Raymundus et Averroista disputabant.

CCXVI Disputatio Raymundi et Averroistæ de quinque Quæstionibus. *Incipit :* Parisiis fuit magna controversia inter.

CCXVII Liber contradictionis inter Raymundum et Averroistam, de centum Syllogimis circa mysterium Trinitatis, *Parisiis scriptus mense Februarii* MCCCX. *Incipit :* Accidit quod Raymundista.

CCXVIII Liber alius de eodem argumento, *in Monte pessulano, mense Martio* MCCCIV. *Incipit :* Antequam Raymundus, sive Raymundista.

CCXIX Liber de forma Dei, *quem alias vocat* Parvam artem pro cognoscendo Deum, *scriptus mense Julii* MCCCXI. *Incipit :* Quoniam Deus est ens.

CCXX Liber, utrum fidelis possit solvere et destruere

EX BIBL. NIC. ANT. ET ALIIS.

A destruere omnes objectiones, quas infideles possunt facere contra sanctam fidem Catholicam, *Parisiis mense Augusti* MCCCXI. *Incipit* : Accidit quoque circa Parisios.

CCXXI Liber disputationis intellectus et fidei, in *Monte Pessulano mense Octobri anno* MCCCIII. *Incipit:*
c Theologorum studia *c*.

CCXXII Liber appellatus Apostrophe, in quo probantur Articuli fidei, *scriptus Romæ in vigilia S. Joannis Baptistæ* MCCXCVI. *Incipit :* Ad probatio-
d nem Articulorum fidei. *Prodiit in variis locis* d.

CCXXIII Liber de demonstratione per æquiparantiam, *in Monte Pessulano mense Martio* MCCCIV. *Incipit :* Quoniam quidquid demonstratum fuit ab antiquis. *Editus fuit* cura Alphonsi de Proaza, Valentiæ apud Joannem Gofredum MDX, *cum Disputatione, de qua mox, Raymundi et Homerii, et aliis* e.

CCCXXIV Liber de convenientia, quam habent fides et intellectus in objecto, *scriptus ibidem, sive anno* MCCCIV, *sive* MCCCVIII, *sive tandem* MCCCX : *variant enim exemplaria. Incipit* : Dividitur iste liber.

CCXXV Liber de iis quæ homo de Deo debet credere, *scriptus in Armenia in urbe Alleas, mense Januario* MCCCI. *Incipit :* Con malos Christians. *Ver-*
B *nacula igitur lingua est.*

CCXXVI Liber de Substantia et Accidente, in quo probatur Trinitas, *scriptus in civitate Messana mense Octobri,* MCCCXIII. *Incipit :* Quoniam per plures modos. *Prodiit* Valentiæ, Alphonsi Proazæ
f cura, per Joannem Gofredum MDXX *f*.

CCXXVII Liber de Trinitate in Unitate, sive de
g essentia Dei, *scriptus anno* MCD *g*. *Incipit*: Quoniam infideles derident Christianos.

CCXXVIII Disputatio Raymundi Lulli et Homerii Saraceni, primo habita inter eos in urbe Bugiæ Sermone Arabico, postea translata in Latinum ab eodem Lullo, Pisis in monasterio S. Dominici anno MCCCVIII. *Incipit :* Quidam homo Christianus, cui nomen erat Raymundus. *Edidit hanc Valentiæ per Joannem Gofredum, Alphonsus Proaza, Bartholomæo Gentili nobili Genuensi nuncupatam, anno* MDX, *una cum aliis, scilicet,* De demonstratione per æquiparantiam ; *et proxime sequenti hanc disputationem alia,*
h Quinque sapientum *h*. *Continet disputatio hæc, inter Raymundum Christianum et Homerium Saracenum, ex condicto Bugiæ habita, rationes omnes, quibus Saraceni errores suos, Christianique his disjectis, legem suam tuentur : quam quidem Arabice ab utroque con-*
C *scriptam (in ea quippe lingua, ut ipse ait, doctissimus erat) Raymundus ab Africa exsilio missus, cum omnibus bonis suis et libris,* qui sibi *(ait)* cariores erant, *juxta Pisanum portum naufragio amisit. Sed post aliquot dies memoria excusa, Latino sermone deperditum opus restauravit, Papæque et Cardinalium Collegio dicavit, inde ut discerent quibus argumentis pestiferam Mahometi legem sequaces ejus propugnarent.*

CCXXIX Disputatio quinque hominum sapientum, *absoluta in civitate Neapoli* MCCXCIV ; *simulque cum superiore disputatione edita* Valentiæ MDX ; *scilicet primi Latini, secundi Græci, tertii Nestoriani, quarti Jacobitæ, quinti Saraceni. MS. exstat in Bibliotheca Veneta S. Antonii, teste Thomasino in Biblioth. Veneta pag.* II.

CCXXX Liber de existentia et agentia Dei, contra Averroem. *Incipit :* Quoniam cognoscere et amare. *Pariisis scriptus* MCCCXI.

CCXXXI Declaratio Raymundi Lulli, per modum Dialogi, edita contra CCXVIII opiniones erroneas aliquorum Philosophorum, et damnatas ab Episcopo Parisiensi : quam ipse auctor præsentavit eidem Episcopo Parisiensi, et Cancellario ac Rectori Universitatis. *Incipit :* In quadam silva.

CCXXXII De significatione fidei et intellectus.

CCXXXIII Ars Theologiæ et Philosophiæ mysticæ contra Averroem. *Incipit :* Cum ad sanctam fidem. D

CCXXXIV Liber de Spiritu sancto contra Græcos.

CCXXXV Quod in Deo non sint plures quam tres Personæ. *Incipit :* Ad probandam.

CCXXXVI De non multitudine esse divini. *Incipit :* Præsuppono.

CCXXXVII Quid habeat homo credere. *Incipit :* Cum sint plures Christiani.

CCXXXVIII De ente simpliciter per se, contra errores Averrois. *Incipit :* Quoniam Deus est *i*. i

CCXXXIX De perversione entis removenda. *Incipit :* Facta hypothesi.

CCXL De minori loco ad majorem, ad probandam Trinitatem, et Incarnationem. *Incipit :* Quoniam aliqui Christiani.

CCXLI De Concordantia et Contrarietate. *Incipit:* Ad idem probandum.

CCXLII De probatione unitatis Dei, Trinitatis, Incarnationis, Creationis, et Resurrectionis. *Incipit :* Cum aliqui dicant.

CCXLIII De quæstione quadam, valde alta et profunda. *Incipit* : Accidit quod circa Parisios.

CCXLIV Disputatio trium Sapientum ; *alias* De Gentili. *Forte, ait Waddingus, erit alius liber a primo hujus classis seu ordinis (nempe sub num.* CCXII) *quia ponitur aliud principium :* Cum longo tempore. E

CCXLV Liber de reprobatione errorum Averrois. *Incipit :* Cum Christianos fideles.

CCXLVI Liber de meliore lege.

CCXLVII Liber contra Judæos.

CCXLVIII Liber de reformatione Hebraica.

CCXLIX Liber de participatione Christianorum et Saracenorum. *Incipit :* Raymundus veniens.

CCL De adventu Messiæ contra Judæos. *Incipit :* Duo viri.

CCLI Liber de vera credentia, et falsa. *Incipit :* Perveniens ad tempus.

CCLII Liber de probatione Articulorum fidei. *Incipit :* Quoniam infideles.

CCLIII Disputatio Petri Clerici et Raymundi Phantastici. *Incipit :* Accidit duos homines. *Idem forsan opus cum supra laudatis num.* CXXXIX et CXL *k*. k

CCLIV Liber dictus Dominus, quæ pars? Fuit *(uti quidam asserunt)* Disputatio Raymundi et Scoti, *qui æquales vixerunt Parisiis* l. l

CCLV Liber de probatione Fidei Catholicæ.

CCLVI Tractatus de modo convertendi infideles. F

CCLVII De duobus Actibus finalibus. *Incipit :* Duodecim Syllogismos.

ANNOTATA J. B. S.

a *Originale vernaculum illius libri exstare in Bibliotheca regia S. Laurentii in Escuriali, simul cum vernaculo, itidem originali, Philosophiæ Amoris, de qua, libro* CXLIII *hujus Catalogi, relatum sibi asserit Custurerius a Doctore Josepho Bassa, tunc Rectore Academiæ Salmanticensis.*

b *De hoc libro ita Custurerius pag.* 514 : Translationem hujus tractatus vidimus manuscriptam ex antiquissimo charactere in eodem codice, in quo descripta est vita Raymundi, quam scripserunt auctores contemporanei, continetque iste tractatus folium et dimidium in quarto. *Adducitque ibidem citatus Scriptor altera m Raymundi protestationem, qua scripta sua* humiliter submittit correctioni Ecclesiæ Romanæ sacrosanctæ, *de quibus nos supra abunde egimus. Addit præterea pag.* 616, *exstare in bibliotheca Collegii B. Mariæ de Sapientia, in duplici codice MS. in quorum altero est redactus in compendium, altero scriptus satis fuse.*

c

A c Eam Disputationem vidisse se, ait Custurerius, *manuscriptam, ex antiquissimo charactere in Collegio B. Mariæ de Sapientia.*

d *Exstat in bibliotheca Collegii Balearis Montis Sion, editus Barcinone per Petrum Posa* MDIV, *et Majoricæ* typis viduæ Guasp MDCLXXXVIII, *si non sit legendum* 1608.

e *Exstant ii libri ex hac editione in eadem bibliotheca Montis Sion, in qua typographi nomen est* Joannes Jofredus.

f *Legendum, inquit Custurerius,* MDX; *ut patet ex editione, quæ in præfata bibliotheca habetur, cum libris* CCXXIII *et* CCXXVIII *hujus Catalogi.*

g *Bene advertit Custurerius errorem Librarii sive Typographi, sed per similem typographicum corrigit; cum Raymundus obierit* MCCCXV, *non* MDXV.

h *Jam dixi, exstare hanc editionem in supradicto Collegio Montis Sion.*

i *Puta Custurerius, eum librum a Raymundo bis esse scriptum, nisi sit omnino diversus ab eo de quo num.* CCLXI *hujus Catalogi. Ceterum sub initio hic citato,* Quoniam Deus est, *exstare illum ait MS. in biblio-*

B *theca Majoricensi cœnobii S. Francisci.*

k *Si Custurerio creditur, idem est cum libro* CXL *hujus Catalogi, edito* Parisiis *per* Joannem Parvum MCCCCXCIX, *qualis ostenditur in jam dicto cœnobio Majoricensi S. Francisci.*

l *Utrum B. Raymundus cum celebri Scoto egerit Parisiis, an forte cum altero, incertum est: copiam opusculi sub hoc titulo, habuit Eques Majoricensis, citatus a Custurerio pag.* 529.

§. XIII. LIBRI THEOLOGICI.

CCLVIII Liber Quæstionum super quatuor libros Sententiarum, *scriptus Parisiis* MCCXCVIII, *infra octavam Ascensionis. Prodiit* Lugduni MCDXCI, *et* Panormi per Joannem Tacuinum MDVII: *item cum Thomæ Atrebatensis in eosdem libros Quæstionibus, Venetiis* MDVII *in* 4. *Incipit:* Raymundus Parisiis
a studens *a*. *MS. Exstare hunc commentarium in Collegio Complutensi Ildephonsi, docet Petrus Alva in* Militia Conceptionis, *verbo,* Raymundus Lullus. *Lucas quidem Waddingus, qui hoc vidit, de eo sic olim censuit:* Opus Theologicum in libros quatuor Sententiarum eo majorem ingerit admirationem, quo copiosius miris et inusitatis modis loquendi omnia fidei comprehendit arcana, et de singulis Theologiæ controversiis plures instituit quæstiones. *Codex qui-*
C *dem Urbinatensis* 1085, *inter libros Vaticanos, forsan id opus continet, sub hac inscriptione:* Ars generalis, sive quæstiones super Sententias. *Plane* Disputatio Eremitæ et Raymundi super aliquibus dubiis Sententiarum Petri Lombardi; *compilatus scilicet (ut in fine legitur) tractatus Parisiis* MCCXCIX, *prodiit una cum Proverbiorum opere, de quo jam dictum fuit,*
b *Venetiis anno* MDVII *in* 4, *quæ editio exstat in Ecclesia Hispalensi* b.

CCLIX Quæstiones Magistri Thomæ Atreba-
c tensis, solutæ secundum Artem, *scriptæ Parisiis* MCCXCIX. *Incipit:* In Christo Domino *c*. *Meminit in hoc opere libri* De Geometria, *et alterius* De principiis Theologiæ, *quibus se distineri per eos dies prodit.*

CCLX Liber De Deo, *vernaculus.* Com lo principal fi.

CCLXI Liber de Ente simpliciter absoluto, *scrip-*
d *tus Viennæ tempore Concilii Viennensis, anno* MCCCXII. *Incipit:* Ens simpliciter absolutum *d*.

e CCLXII Liber de esse Dei, *Majoricæ* MCCC. *Incipit:* Esse Dei vocamus *e*.

f CCLXIII Liber de principiis Theologiæ, *jam laudatus* CCLIX. *Incipit:* Theologia est scientia *f*.

CCLXIV Liber de consequentiis Theologiæ. D

CCLXV De investigatione divinarum dignitatum. *Incipit:* Quidam homo. EX BIBL. NIC. ANT. ET ALIIS.

CCLVI Liber de Trinitate.

CCLXVII Liber de Trinitate trinissima. *Incipit:* Quoniam secundum.

CCLXVIII De inventione Trinitatis.

CCLXIX De unitate et pluralitate Dei, *ad Regem Franciæ. Incipit:* Ad venandum *g*. g

CCLXX De investigatione vestigiorum productionis divinarum Personarum. *Incipit:* Investigationem istam.

CCLXXI De divinis Dignitatibus. *Incipit:* Nullum majus bonum.

CCLXXII De propriis et communibus Rationibus divinis. *Incipit:* Ad probandum.

CCLXXIII De potestate divinarum Rationum. *Incipit:* Quoniam infideles.

CCLXXIV De Infinitate divinarum Dignitatum.

CCLXXV De actu majori, scilicet actu divinarum Dignitatum. *Incipit:* Actum majorem vocamus.

CCLXXVI De Definitionibus Dei. *Incipit:* Definitiones Dei.

CCLXXVII De Nomine Dei. *Incipit:* Quia Deus. E

CCLXXVIII De Unitate Dei. *Incipit:* Quoniam quidquid est.

CCLXXIX De Perseitate Dei. *Incipit:* Volo credere.

CCLXXX De Natura Dei. *Incipit:* Dicitur quod divina natura.

CCLXXXI De Vita Dei. *Incipit:* Legitur in sacra Pagina.

CCLXXXII De Est Dei *h*. *Incipit:* Appellamus Esse Dei.

CCLXXXIII De Esse Dei. *Incipit:* Utrum æternitas Dei.

CCLXXXIV De Essentia et Esse Dei, *scriptus in civitate Messanæ, mense Decembri* MCCCXIII. *Incipit:* Dicitur quod in hac vita *i*. i

CCLXXXV De Forma Dei *k*. *Incipit:* Quoniam Deus. k

CCLXXXVI De Inventione Dei. *Incipit:* Omnia illa sine quibus.

CCLXXXVII De Memoria Dei; *in civitate Messanæ, mense Martii;* MCCCXIV, *Incipit:* Quoniam de divina memoria *l*. l

CCLXXXVIII De Voluntate Dei absoluta et ordinaria.

CCLXXXIX De Potestate Dei. *Incipit:* Ad cognoscendum.

CCXC De Potestate pura. *Incipit:* Credere. F

CCXCI De Potestate Dei infinita et ordinaria. *Incipit:* Quoniam multi sunt.

CCXCII De divina Veritate. *Incipit:* Quoniam quidquid est.

CCXCIII De Bonitate pura.

CCXCIV De Productione divina.

CCXCV De Scientia perfecta. *Incipit:* Ad investigandum.

CCXCVI De majori Agentia Dei. *Incipit:* Duobus modis.

CCXCVII De infinito Esse. *Incipit:* Duobus modis.

CCXCVIII De perfecto Esse. *Incipit:* Quoniam infinitum.

CCXCIX De Ente infinito. *Incipit:* Quoniam humana.

CCC De Ente absoluto. *Incipit:* Quoniam Theologia.

CCCI De Objecto infinito. *Incipit:* Quoniam multi sunt.

CCCII De inveniendo Deo. *Incipit:* Cum Deus creasset *m*. m

CCCIII

A CCCIII Liber de Deo. *Incipit:* Appellamus autem Ens

EX BIBL. NIC. ANT. ET ALIIS

CCCIV De Deo majori et minori. *Incipit:* Cum Deus creavisset.

CCCV De Deo et mundo, et convenientia eorum in Jesu Christo.

CCCVI Liber de Deo et Jesu Christo. *Incipit:* Cum sit finis principalis *n*.

CCCVII De Incarnatione. *Incipit*: Quoniam Deus benedictus.

CCCVIII Liber ad intelligendum Deum. *Incipit:* Ad intelligere.

CCCIX Liber dictus, Propter bene intelligere, diligere et possificare. *Incipit:* Multum est delectabile.

CCCX Liber de prædestinatione et libero arbitrio. *Incipit:* Cum prædestinatio.

CCCXI Liber alius, De prædestinatione. *Incipit:* Quoniam plures *o*.

CCCXII Liber de natura angelica. *Incipit:* Quoniam Angeli.

CCCXIII Liber de locutione Angelorum. *Incipit:* Raymundus jacens.

B CCCXIV Liber de hierarchiis et ordinibus Angelorum.

CCCXV Liber de Angelis bonis et malis.

CCCXVI Liber de conceptu virginali. *Incipit:* Contigit quod.

CCCXVII Liber alius, de conceptu virginali.

CCCXVIII Liber de creatione. *Incipit:* Multi sunt qui credunt.

CCCXIX Liber de justitia Dei. *Incipit*: Justitia est forma.

CCCXX Liber de conceptione Virginis Mariæ. *Waddingus.*

Unus ex tribus his, ejusdem argumenti p *libris, est liber* De conceptione Virginis Mariæ, ab omni culpa originali immuni, *qui editus fuit* Hispali, impensis fratris Martini de Almodovar Ordinis Calatravæ, apud Paulum de Colonia, MCDXCI *in* 4 q. *Quæ disputatio est inter Monachum quemdam Dominicanum et Laicos duos, quorum alter Canonum peritus est. Hunc eumdem editum fuisse Valentiæ anno* MDXVIII *in* 4, *cura Raphaelis Gerardi Tarraconensis, qui Comiti Olivæ Seraphino de Scintillis dicavit, refert Petrus de Alva in* Militia Conceptionis. *Hispanice tandem prodiit, simulque Latine, Bruxellis* MDCLXV *in* 4, *D. Alphonso de Cepeda interprete* r.

C *Hunc tamen librum non esse Raymundi Lulli, bene conjectatur idem Petrus Alva; cum auctor meminerit Decreti, super Conceptionis mysterio ab Aragonum Rege emanati; inveteratamque vocat diversitatem, quæ de hoc sanctissimo Conceptu inter Christi fideles esset; quod quidem de Raymundi tempore, quo vixit Joannes Duns Scotus, hujus controversiæ antesignanus, quoque nondum Joannis I, Aragoniæ Regis, princeps hac super controversia decretum prodierat, intelligi possunt* s. *Perperam autem Alva confingit Raymundum alium de Centillis, vel Centelles, Aragonensem et Canonicum, ut ei hunc librum adscribat, motus disticho isto*

En ego, Centillis, scutum pro Virgine præsto;
Contra hostes præsto bella parare suos.

Quod quidem ad dictum Olivæ Comitem Seraphinum de Centellas, et ejus gentem Scintillarum, cui librum dedicat, referendum omnino est. Quare credendum magis ei puto, cum refert, in bibliotheca Escurialensi hunc librum asservari MS. sub nomine cujusdam Raymundi de Astruch de Cortyelles, Avenione mense ante ann. MCCCV *scriptum; qui quidem Raymundus, ut habetur in codice isto,* Canonicus *tunc erat.* Vit *(Vicensem credimus)* et ibi in bono dies suos finivit extremos, cujus anima requiescat in pace. *Creditque Alva, corrigendum, pro anno prædicto, annum* MCCCXCV. D *Circa hunc enim annum Rex Aragoniæ decretum fecit pro immaculata Conceptione, ut ille ait. Fuit absque dubio hic liber eo transportatus, cum aliis Antonii Augustini Tarraconensis Præsulis: nam in ejus librorum Catalogo notatus invenitur num.* 155.

CCCXXI Liber de Angelis. *Hunc usque librorum, Raymundo adscriptorum, Catalogus Proazæ et Waddingi: sequitur tamen apud eos Appendix aliorum, qui sub ejus nomine circumferuntur, chimicorum majori ex parte.*

ANNOTATA J. B. S.

a *Exstat hæc editio, ait Custurerius, in Collegio Baleari Montis Sion Soc. Jesu; et est eadem, quam typis suis edidit Joannes Tacuinus Tridinensis, chalcographus Venetus, non Panormitanus.*

b *Et in Collegio Montis Sion.*

c *Exstat in eodem Collegio, typis datus cum libro* CCLVIII.

d *De hoc vide quæ diximus ad lib.* CCXXXVIII.

e *Notat hoc loco Custurerius, ostendisse se alibi, puta pag.* 513, *Librum hunc vernacule a Raymundo conscriptum; cum tamen ea pagina citet non librum de* Esse Dei, *sed de* Est Dei. *Verum ea tituli tantilla variatio Libros non geminat; est enim idem utrobique initium, ut videre est ex hoc principio,* Esse Dei vocamus, *et principio Libri* CCLXXXI, Appellamus esse Dei: *quod utrumque redditur vernacule* Apellam les de Deu ço que ell es, *et sic exstat vernacule in Collegio B. Mariæ de Sapientia. Porro ab his diversus videtur liber* CCLXXXIII, De Esse Dei, *si id recte colligatur ex alio principio,* Utrum æternitas Dei. E

f *Exstat MS. in Collegio B. Mariæ de Sapientia.*

g *Scribit Custurerius, in Catalogo Librorum, qui asservantur Romæ in archivo S. Isidori Hibernorum, haberi Librum sub hoc titulo,* Liber de divina unitate et pluralitate.

h *Vide notam ad Librum* CCLXII, *etiam pro libro sequenti.*

i *Exstat in cœnobio Majoricensi S. Francisci.*

k *Mirum ni hic idem sit cum libro* CCXIX. *Reperitur in citato archivo S. Isidori Hibernorum.*

l *Exstat MS. in cœnobio S. Francisci Majoricæ.*

m *Exstat MS. in Collegio B. Mariæ de Sapientia, vernacula lingua: et incipit*: Cum Deus aya creat home.

n *Exstat etiam MS. vernacule in eodem Collegio, et incipit*: Com le principal fi. F

o *Servantur Majoricæ bina exemplaria MSS. alterum in Collegio B. Mariæ de Sapientia, alterum in Collegio Soc. Jesu Montis Sion.*

p *Videlicet Liber* CCCXVI *hujus Catalogi, non* CCCVI, *ut habet Custurerius. Incipit enim*: Contigit quod sedens.

q *Exstat ea editio in Collegio Baleari Montis Sion.*

r *Nota est in Belgio ea editio, non in* 4, *sed in* 8, *anni* MDCLXIV, *non* MDCLXV.

s *Hunc Nicolai Antonii scrupulum evellit Custurerius pag.* 390, *post Ildephonsum de Zepeda et Franciscum Marcal, dicendo, quod illic agatur de privilegio vel edicto alterius Aragoniæ Regis, cujus nomen pro certo non habeatur; idque hinc non improbabiliter deducunt, quod edictum primum, publicatum fuerit Valentiæ* XIV *Martii; aliud vero Regis Joannis, de quo Antonius, editum sit* II *Februarii* MCCCXCIV; *atque illud ipsum postmodum Libro B. Lulli, ab alio quopiam insertum. Certe, inquit Zepeda,* modus loquendi, ordo, stylus, dispositio, ita Lullum spirant, ut de eo ii soli dubitare posse videantur, qui in ejus scriptis peregrini sunt.

APPENDIX

A

APPENDIX

§ I. Libri, qui sub nomine Lulli circumferuntur. a

a I Liber Mercuriorum. *Incipit :* Filii oportet. *Waddingus* b, Coloniæ editus *fuit* a Joanne Birckmanno MDLXVII in 8, *cum sequentibus, et cum volum.* 4 *Theatri chimici.*

b II Liber dictus Apertorium. *Incipit :* Sapientes asserunt. *Hic cum Magia, et De secretis naturæ, de quibus statim, editus fuit Norimbergæ* MDCLVI *in* 4, *per Joannem Petreium.* Apertorium, de veri lapidis compositione, *prodiit Tomo* 2 *Alchimiæ scriptorum Grataroli, et Tomo* 3 *Theatri chimici apud Zetznerum* MDCXIII *in* 8.

III Liber dictus Repertorium. *Incipit :* Aqua nostra Philosophica. Repertorium valde utile ad intelligentiam Testamenti, Codicilli et aliorum. *Tomo* 3 *Theatri chimici.*

IV Ars intellectiva. *Incipit :* Sunt plures nimis errantes. *In iisdem collectionibus.*

V Practica. *Incipit :* Corruptio et depuratio practica lapidis. *Exstat volum.* 3 *Theatri chimici.* Praxis universalis magni operis, *volum.* 3 *Theatri ejusdem chimici.*

B

VI Magia naturalis. *Incipit :* Compendium Artis magicæ. *Omnes simul excusi sunt* Coloniæ, MDLXVII *in* 8, apud Joannem Brickmannum.

VII De secretis naturæ, sive quinta essentia, *libri duo. Waddingus primum editum ait, una cum* Consiliis *Matthæi de Gradi, Venetiis in folio apud Georgium Arrivebenium,* MDXIV *alias* MDXVIII *in* 4, *apud Sigismundum Grim. Item cum iisdem et Blasii Astarii Conciliis, ibidem apud Lucam Antonium Juntam* MDXXI *in* 4. *Deinde Argentorati apud Balthassarem Beck,* MDXLI *in* 8 *cum Alberti Magni libris quinque* De minerabilibus, et rebus metallicis, *Venetiis apud Petrum Scheffer* MDXLII *in* 8, *Norimbergæ* MDXLVI *in* 4, *Coloniæ apud Brickmannum* MDLXVII *in* 8. *Adjicitur epistola ad Regem Robertum* De accuratione lapidis Philosophorum, *teste Lindano in*, De scriptis Medicis. *Incipit :* Jam vero ut rem. *Prologus autem Raymundi :* Liber secretorum naturæ. *Stylus Raymundino simillimus est.*

VIII Liber de quæstionibus mortis *(sive melius* motis) super librum de quinta essentia.

IX Liber Testamenti.

C

X Clausula Testamenti.

XI Codicillus. *Tria hæc ita jejune in Catalogo laudantur. At nos vidimus Raymundi Lulli Testamentum, duobus libris universam Chimicam complectens, antea numquam editum,* Coloniæ Agrippinæ apud Joannem Birckmannum MDLXVI *in* 8; *et* MDLXXIII *in* 8; *ibi*-

c *dem* c. *Exstat et Ludolphi Verdemanni epistola proœmialis, qui ait, Testamentum numquam alias impressum fuisse : quod quidem Auctor Eduardo V Anglorum Regi, anno* MCCCXXXII *dedicavit. Quæ quidem temporis ratio, neque cum Raymundo, qui anno* MCCCXV *in vivis esse desiit ; neque cum Eduardo V, qui ab anno octavo usque ad vicesimum sextum hujus seculi rerum potitus fuit, congruere potest* d.

d *Incipit Prologus :* Deus qui gloriose ; *continetque* Testamentum *hoc tres partes, I Theoricam, II Practicam : quas duas jam continebat id, quod in editione* MDLXXIII, Testamentum vetus *audit ; cui appenditur* Compendium transmutationis artis metallorum, *Ruperto Anglorum Regi transmissum. Incipit :* Jam sæpe et sæpius. *Exstant volumine* 4 *Theatri chimici, in fine Practicæ, ubi dum de modo conficiendi Margaritas Regem monuisset, ejus scilicet coloris, cujus conchilia fuerint, vidisse se, ait, conchilia quædam, de quibus loquitur, in Cypro, Portugallia, et* in quadam villa Angliæ, quæ dicitur Conilla (*corrigo* Andaluziæ, quæ dicitur Conilia, *nunc* Conil) et in alio loco, qui D dicitur portus Silveriæ usque ad sanctum Vincentium de Finibus-mundi. *Loquitur de Silvensi portu et promontorio S. Vincentio (quod appellat* Mundifines) *olim sacro.* Vidimus enim *(prosequitur)* omnia ista, dum ad Angliam transimus, propter intercessionem Domini Regis Eduardi illustrissimi. *Quæ omnia bene, seu vix alii quam Raymundo conveniunt, nisi alius his omnibus fictitiis lineamentis ducere voluerit ejus personam* e.

EX BIBL. NIC. ANT. ET ALIIS

Sequitur tertia pars Testamenti, *qui hoc titulo insignis est* : Codicillus, seu Vade-mecum, aut Cantilena Raymundi Lulli, in quo fontes Alchimiæ artis, ac Philosophiæ reconditioris uberrime traduntur. *Hic primum editus Coloniæ* MDLXIII *in* 8, *iterum prodiit ibidem apud heredes Arnoldi Birckmanni* MDLXXII *in* 8. *Prodiit etiam Rhotomagi* MDCLI *in* 8. *Incipit Prologus :* Deus in virtute. *Hæc est illa, quam clausulam Testamenti appellatam legimus in Waddingi Catalogo, et item Testamentum novissimum, uti appellatur in ultima editione Testamenti, cura D. M. Rault Rhotomagensis castigati, et Rhotomagi sumptibus Davidis Bertelin anno* MDCLXIII *in* 8 *editi. Monet quidem auctor cap.* I *hujus* Codicilli, *se artem hanc, sive secretum philosophicum, commodasse Eduardo Anglorum Regi in conversionem Paganorum. Prosequitur Catalogus.* e

E

XII Diadema Ruberti.

XIII Lapidarium. *Ad hoc se refert auctor, in fine Compendii animæ transmutationis metallorum.*

XIV Liber *dictus* de numero Philosophorum.

XV Liber experimentorum.

XVI De inventione secreti occulti.

XVII Ars curatoria.

XVIII Liber *dictus* proprietarium.

XIX Liber *dictus* Aphorismorum.

XX *Alius* Liber de Magia.

ANNOTATA J. B. S.

a *Hoc universim notandum, libros, qui periclitationem chymicam aut tradunt aut tractant, Lullo abjudicandos, ut fuse ostensum toto* § XI. *Comm. prævii. Aliud esto judicium de opusculis, physicas rerum naturas inquirentibus, aut diligentius explorantibus ; quod sancto Martyri non magis vitio verti debet, quam B. Alberto Magno, D. Thomæ, aut aliis Doctoribus, eas philosophice examinantibus.*

b *Solos viginti Libros Waddingus, et solis fere nominibus indicatos, enumerat ; quibus multa innectit Antonius, quod verbo notasse sit satis.* F

c *Vidit eam editionem Custurerius in Collegio Baleari S. Martini Soc. Jesu ; in quo Collegio etiam exstat editio Artis Generalis Hispano idiomate, quam scripsit Petrus de Guevara, de quo scriptore meminit Nicolaus Antonius in suo Catalogo scriptorum, Lullum illustrantium, circa finem.*

d *Imo nec Eduardo V congruere ea posse, citato* §. XI *ostendit Mutus, et ex eo patet manifestissime, quod Eduardus ille V obierit* MCCCXXVII, *dedicatio vero præferat annum* MCCCXXXII. *Plena hic tenebris omnia, recte observat Custurerius, quamvis enim in Epistola dedicatoria illius editionis tribuantur hæc Eduardo V, attamen initio tertiæ partis hujus voluminis, quæ continet* Compendium animæ transmutationis Artis metallorum, *dicatum* Ruperto Anglorum Regi, *dicit auctor ejusdem libri, se misisse codicillum per* Regem Eduardum *ei, id est* Ruperto Anglorum Regi, *quocum loquitur. Cum autem nullus hujus nominis Princeps regnaverit in Anglia, pro* Ruperto *videtur legendum* Richardo ; *ibique sermonem esse de Richardo II, Angliæ Rege, nato circa annum* MCCCXLIV, *atque adeo post obitum Eduardi V. Vivente vero hujus filio Eduardo VI, mitti potuit codicillus ille Richardo II, ejus nepoti et successori, ideoque de eo solo videtur ibi sermo esse*

EX BIBL. NIC. ANT. ET ALIIS.

A *esse posse. Quod si quis Eduardum V intelligat, quintum ex familia Andegavensi ejus nominis VIII, næ is profecto insanire velit, qui Raymundi vitam protrahat ad seculum* XV, *eumque adeo superstitem faciat Gregorio XI, et ipsi Eymerico, quo quid ineptius somniari possit, non video.*

e *Mihi quidem vix dubium est, quin sub his omnibus fictitiis lineamentis alius quispiam lateat, B. Raymundo longe posterior. Nec satis intelligo qua ratione illi convenire putaverit Antonius, quæ de Portugallia, Andaluzia, Anglia memorat; cum certum videatur ex* §. 6 *et* 7 *Comment. prævii, numquam eas regiones, non dico peragrasse, sed nec oculis suis aspexisse Raymundum, eum saltem de quo hic agimus.*

Impellit me rei indignitas, ut novi Scriptoris, novam de B. Raymundo fabulam, deque Catholicis horrendam calumniam referam; quod et inde ratio satis efficax deducatur, ad explodenda quæ de Lulli Arte chimica chrysopeia tam confidenter aliqui venditant. Est is Georgius Paschius Gedanensis, in opere De Novis inventis, *relato in Commentariis Trivultianis anni* MDCCIV, *mensibus Novembri et Decembri, e quorum specimine pag.* 2056, *quid de his historiunculis sentiendum, facile statuetur. Narrat ille, inquiunt Com-*B *mentatores, Raymundum Lullum in Arte chimica tam feliciter versatum, ut eo permotus Henricus Angliæ Rex ejus nominis IV, edicto publico suos hortatus fuerit ad lapidem Philosophicum investigandum; Sacerdotes vero potissimum, quod eis ad metalla transformanda proclivior sit dispositio, utpote quibus vis inesset mutandi panis in corpus Christi Domini. Atque hoc edictum, si Superis placet, in archivis Anglicis reperitur. Mirum sane; absurdum et absonum. Ceterum cum in Henricis Angliæ Regibus Scriptores varient, seu IV hic dicatur, seu potius V, certe ad Seculum* XV *pertinet; atque adeo si tempore Lulli tale edictum prodiit, totis centum annis supra octoginta supervixisse oportuit. Credite posteri.*

§ *II. libri Chimici. B. Lullo perperam imputati.*

a *Libellos* a *aliquot Lulli chimicos*, Basileæ *editos* apud Petrum Pernam MDLXXII, opera M. Toxitæ *alicubi legimus. Chimica tamen hæc omnia, et artis metallorum transformatoriæ scientiam, Raymundo nostro quidam abjudicant* b, *ea inter alias ratione permoti, non videri eum alio industriæ, quam isto aurum conficiendi genere, potuisse acrius et efficacius uti ad Christianis Regibus faciendos animos ad bellum adver-*C *sus Saracenos mire ab eo procuratum; quo tamen nusquam legimus eum fuisse usum; nisi eo referendum sit, quod e* Codicillo *ejus de Eduardo Rege paulo ante adduximus. Robertus tamen Constantinus in* nomenclatore *suo* insignium scriptorum, *edito Parisiis* MDLV; Lullus *(ait)* scripsit præter cetera multa de secretis naturæ, sive de quinta essentia. Hunc quidem inquirendo comperi, apud Anglos re quidem vera præstitisse quod libris suis pollicetur, et in arce Londini jussu Regis, probatissimum aurum confe-c cisse: mihique genus nummi ostensum est *c*, quod adhuc appellant Nobile Raymundi, auri videlicet puri, et obrizi, summæque indicaturæ. Ipse in libro quod *Testamentum* vocat, fatetur hanc Artem ex Arnaldo de Villanova, coævo suo didicisse *Hæc ille.*

Alia congerit Conringius, de Hermetica et Paracelsica medicina *cap.* 27 : *qui tamen non ex* Testamento *Lulli, quod Constantinus ait, sed ex* Arte *ejus* operativa *hoc esse testimonium refert, quo per Arnaldum se profecisse Raymundus monuit. Lucas autem Waddingus optimo egit argumento, ut ostenderet supposita hæc omnia Lullo fuisse, scilicet ex ejus aliis germanis libris desumpto, in quibus nihil frequentius est, quam improbari artem hanc chimicam. Item ex iisdem, qui Lullo male tribuuntur, de hac eadem Arte forma-*

tis quidem, ut ex eorummet verbis constat, sed post D *Lulli obitum. Has quoque partes Vincentius Mut Balearis, in* Balearium insularum historia, *sequitur: quem tamen impugnat acriter Olaus Borrichius Hafniensis,* medicæ artis Professor, in dissertatione, De ortu et progressu Chimiæ,. *omnino videndus* d. d
Præter tot autem Catalogi propositi libros, adhuc a nobis dabuntur spicilegii adinstar, quidam alii, scilicet.

I Ars brevis de auditu cabalistico, sive ad omnes scientias introductorio. *Incipit :* Quoniam quidem omnibus. *Prodiit* Argentorati apud Zetznerum *cum* Arte brevi, *et* Arte magna, *et aliis Raymundi,* MDCIX, *in* 8 e; *ac prius Parisiis* MDXLVIII, *in* 16. e

II Liber de venatione Medii inter Subjectum et Prædicatum. *Incipit :* Medium existens.

III De articulis fidei chimicæ : *ad Papam Clementem V, MS. Patavii in bibliotheca, quæ fuit Nicolai Trevisani, teste Thomasino.*

IV Liber de lumine,*in cujus fine:* Ad honorem Dei finivit Raymundus Lullus,de lumine, in Monte Pessulano mense Novembri MCCCIII. *MS. in eadem bibliotheca Trevisani. Sed vide supra in Catalogo lib.* XXXIII.

V Practica de terminis militis, *MS. ibidem.*

VI Philosophia desiderata, *MS. ibidem.*

VII Epistola ad Regem Rupertum, de libris suis E chimicis, et de accurtatione; *MS. in bibliotheca Cæsarea, ex libris qui ex arce Ambrosiana juxta Œnipontem an.* MDCLXV *hereditario jure Viennam translati sunt, uti refert Petrus Lambecius lib.* 2 *De biblioth. Cæsarea cod.* 184.

VIII Liber de Intentione (*alias* Inventione) Alchimistarum; *in cujus fine hæc leguntur :* Explicit liber de Intentione Alchimistarum Mag. Raymundi Lulli, Romæ anno MDXV die XXI mensis Decembris, sub Leone X Pont. Max. *scilicet exscriptus.* Theatri chymici *vol.* 4. *MS. in iisdem libris, cod.* 185, *et inter libros Renati Moræi, teste Labbeo in biblioth. MS.*

IX De conservatione vitæ humanæ; *in cujus fine sic legitur :* Explicit lib. Raym. Lulli de conserv. vitæ humanæ, Romæ MDXVI die XVII mensis Octobris. *MS. ibidem in iisdem libris cod.* 185. *Fuit et in biblioth. Cardin. Carpensis. Prodiit* Argentorati apud Zetznerum *cum libro secretorum* MDCXVI *in* 8.

X Magia chimica in XXIII capita divisa, *et*

XI Liber de investigatione secreti occulti, *qui inscribitur :* Compendium, *simul MSS. in iisdem libris cod.* 186.

XII Alphabetum chimicum secretum, *et*

XIII Arbor Artis chimicæ, cum expositione, et F subjuncta triplici appendice.

XIV De aqua prima, *et*

XV De distillatione aquarum, *et*

XVI De operatione, vel practica lapidum pretiosorum. *Simul omnia hæc MSS. in iisdem libris bibliothecæ Œnipontinæ, jam Viennensis, cod.* 186.

XVII Liber lucis Mercuriorum; *diversus ab alio jam laudato libro Mercuriorum.*

XVIII Arbor philosophalis; *et alia, simul inter eosdem libros cod.* 198.

XIX Practica arboris philosophalis. *Meminit hujus libri Labbeus in biblioth. MS. part.* 4 *pag.* 47.

XX De lapide physico. *Coloniæ editus liber,* MDLXXXV *in* 8.

XXI De lapide Philosophorum, Coloniæ apud Joannem Birckmannum, *an.* MDLXVII, *in* 8.

XXII De Alchimiæ arte, ac Philosophia recondita. Coloniæ apud heredes Arnoldi Birckmanni, MDLXXII *in* 8. *Forte idem cum sequenti.*

XXIII De arte chimica, et transmutatione metallorum, *Ibidem* per Joannem Birckmannum MDLXXIII *in* 8; *idem forte de Chimia, Basileæ* MDC, *in* 8; *et cum titulo,* Fasciculi aurei; *Francofurti* MDCXXX *in* 8.

XXIV Liber de peste. *Patavii MS. inter libros qui*

A qui fuere *Nicolai Trevisani, teste Thomasino in Bibliotheca Patavina pag.* 108.

XXV Liber qui dicitur Synodalis Ecclesiæ. *MS. in bibliotheca S. Antonii Venetiis, quæ fuit Domini Cardin. Grimani, teste Thomasino in Biblioth. Veneta pag.* II.

XXVI Disputatio facta inter Ingetum Contardum Mercatorem Genuensem, et quosdam Judæos, Majoricæ MCCLXXXVI. *Exstat MS. Venetiis in Bibliotheca SS. Joannis et Pauli monasterii, teste Thomasino Bibl. Ven. pag.* 23.

XXVII Arbor scientiarum, *edita fuit Lugduni* MDCXXXV *in* 4.

XXVIII Artificium. sive Ars brevis ad absolvendam omnium artium encyclopædiam. *Editum* apud Claudium Bornatum *anno* MDLXV *in* 8 f.

f

XXIX Monologium. *Meminit hujus operis sententia definitiva pro Raymundi doctrina, de qua supra egimus.*

XXX El contemplador. *Hunc Hispana vocans appellatione, pro se adducit Joannes Martinus Figuerola, in libro MS. quem penes me habeo;* Lumbre de fee, contra la secta Mahometana, *inscriptum.*

XXXI Secreta secretorum. Coloniæ *anno* MDXCII

B *in* 8, apud Gosvinum Colinum, *cum opusculis D. Thomæ,* De esse et essentia mineralium ; *et Cornelii Alvetani,* de conficiendo divino elixire, *libello.*

XXXII De Mercurio solo. *Libellus editus fuit volum.* 4 Theatri chimici, *Argentorati anno* MDCXIII.

XXXIII Epistolæ medicæ. *Exstant cum* Cista medica *Joannis Hornungi,* Norimbergæ *editæ* a Simone Halbmaiero *anno* MDCXXV *in* 4.

Libelli aliquot chimici Raymundi, tunc primum, uti dicitur, excepto Vade-mecum, *in lucem editi* opera Doctoris Toxitæ, Basileæ apud Petrum Pernam, MDLXXII, *et* MDX *in* 8. *Hæc præter jam memorata, continent.*

XXXIV Testamentum novissime integrum.

XXXV Elucidationem verborum ejus.

XXXVI Compendium de transmutatione, media ex parte auctum.

XXXVII De compositione gemmarum et lapidum pretiosorum.

XXXVIII Epistolam accuratoriam ad Regem Neapolitanum. *Videtur ea, de qua egimus num.* VII *eorum qui Raymundo adscribuntur librorum.*

XXXIX Medicinam magnam.

XL Dialogum *Demomorgon,* qui Lullianis scriptis multam præclare lucem adfert. *Hæc ibi. In Ge-*

C *sneriana quoque epitome quædam alia reperio ex Caroli Bovilli de Raymundi vita decerpta, quæ superius illaudata forsan haud fuere; scilicet*

I De Tartaro, *nisi sit liber* de viis Paradisi et viis Inferni num. CLXIX.

II De refrigerio intellectus.

III Artem navigandi.

IV De erroribus Boetii et Fulgeri.

V Librum de duratione.

VI Librum Chaos.

VII De sexto sensu.

VIII De septem Sacramentis. *Nisi error sit communis cum eo, qui summam* de Sacramentis *(quæ S. Raymundi da Penna-fort est) huic Raymundo nostro alicubi adscriptam voluit.*

IX Artem notandam.

X Artem electionis.

XI De divina et individua Majestate.

XII De experientia realitatis.

XIII De qualitate actuum animæ in beatitudine.

XIV De propriis et communibus Artibus.

XV De nominibus differentiarum Personarum.

XVI De sufficientia trium Personarum.

XVII Artem mysticam.

XVIII De ignotis Corollariis. D

XIX De quæstionibus Sapientiæ. EX BIBC. NIC. ANT. ET ALIIS.

XX De Deo et Universo.

XXI De substantia et actione Dei.

Librum de Febribus, *quem Symphorianus Camperius* mirandum et celeberrimum vocat.

In Codice Vaticano, qui fuit Ducis Urbini, signato num. 1084, *sub nomine eodem Raymundi exstat* Calvicula.

Quorum quidem plura, aut forsan omnia, sub aliis nominibus in Catalogis duobus propositis comprehensa existimamus ; sed nobis curæ nulli supersedendum fuit, ut nihil prætermitteremus g. g

ANNOTATA J. B. S.

a *Conveniunt huc usque Waddingi, Antonii et Custurerii Catalogi, iis dumtaxat exceptis quæ propriis locis aut ab Antonio satis insinuata sunt, aut a nobis annotata. Quæ sequuntur opuscula, ea reliquis adjecit Antonius, et his alio Custurerius, ut suo loco indicabitur.*

b *Nec sane immerito id faciunt Mutus, Waddingus, aliique jam recensiti, non eo solum argumento, quod hic adducit Antonius, sed et aliis pluribus supra memoratis.* E

c *Miror non dixisse apertius nummum sibi ostensum, ex auro Raymundiano sive Lullistico cusum, quod sive ad Raymundum nostrum sive ad alium referatur, non facile inducar ut credam; id certe hactenus mihi probatum non est, B. Lullum in Arce Londinensi unquam fuisse.*

d *Frustra a me quæsitus est Olaus ille Borrichius, quem non existimo alia in medium allaturum, præter solita et obsoleta contra B. Martyrem Chimistarum præjudicia, quibus fixum est Raymundum cum Arnaldo de Villanova inter sectæ suæ principes connumerare. Est hæc etiam Medicorum prope omnium sententia, quasi per traducem instillata, quamvis nullum fortasse unquam Raymundi librum viderint. Ita, opinor, factum, ut quemadmodum in scholis Theologicis passim audire hæreticus consuevit, sic apud Medicos Chimista diceretur.*

e *Exstat ea editio in Collegio Baleari Montis Sion, cum alia editione Veneta ejusdem libri anni* MDXVIII ; *dubitatur tamen, inquit Custurerius, an is inter genuina Lulli opera locum habere debeat.*

f *Hæc est editio illa, ait Custurerius,* Artis brevis *Raymundi, quam curavit Ludovicus Joannes Vileta, additis defensionibus Lulli.* F

g *Hæc de Raymundi Libris Nicolaus Antonius, operose profecto et diligenter : non ita tamen ut exactissimus dici queat Syllabus, quantumvis diffusus. Etenim sæpe laudatus Custurerius, a pag.* 635, *Libros alios, tum vernaculos tum latinos enumerat octo et quadraginta, in Bibliothecis Majoricensibus reconditos ; qui si non omnino a præcedentibus diversi sunt, titulo saltem differre videntur. Sed de his jam dicta existimo plusquam satis. Reliquum est, ut quæ Antonius Catalogo suo addenda censuit, hic etiam adjungamus. Sit igitur*

§. III. *Syllabus eorum qui Lullianam Artem conati sunt suis lucubrationibus illustrare.*

Waddingi consilium, pro omnibus Lulli operibus insimul recudendis:

Enumeratis *Lulli, quæ noverat, operibus, vir optimus ac prudentissimus Lucas Waddingus;* Illud, *inquit,* Balearibus insulis et admirandi hujus viri sectatoribus, non adverso, sed propitio affectu suggesserim consilium, ut, si jam tandem, post tria integra secula, finem imponere velint inveteratæ de Raymundi rebus controversiæ, genuina opera omnia Raymundi colligant, in sua volumina juxta argumentorum

A argumentorum varietatem distribuant, nitido et accurato tradant prælo, adhibitis ad singula duriora vel obscuriora loca commentariis seu brevibus scholiis, quibus vel explicantur, vel cautius legi admoneantur. In totius operis limine præfigant claram librorum distinctionem, spurios et apocryphos omnino rejiciant, quæ absque dubio Lulliana sunt, suo ordine disponant; quæ dubium patiuntur, in appendicem remittant. Hæc ratione fiet, ut absque scrupulo admittantur, et absque offensione legantur, et procedi possit in causa, quæ, ut tanto urgetur conatu, sed plurimas passa regulas *(exceptiones fortasse voluit dicere)* haud sortita est excitus felices. *Hæc Waddingus prudentissime, sed in quo hactenus cessatum fuit. Regiis enim sumptibus, ac propemodum auctoritate, opus est, ad colligenda hinc inde, ex tam variis Bibliothecarum angulis, dispersa omnia hæc opera; neque successuro, ut videtur, eo impensarum fructu, qui editores allicere consuevit, e plurium voluminum sumptuosissima, eaque concursus emptorum infrequenti, negotiatione. Quamplures vero secretæ Raymundi Artis amatores (quales non fuissent, si non in ejus studio, pro mensura exhausti laboris in* B *ea addiscenda, invidiæque in ea commendanda profecissent) variis cogitationibus illustrare hoc sui Magistri inventum conati sunt; eorum, qui ad notitiam nostram pervenerunt, hic appendimus Album.*

EX BIBL. NIC. ANT. ET ALIIS.

quibus illustrandis operam dederunt sequentes Auctores.

I Julius Paccius Vicentinus, *Jurisconsultus celeberrimus, scripsit* Artem Lullianam emendatam *libris 4 Lugduni* MDCXVIII *in* 8, *Neapolique* MDCXXXI *in 4; Gallice autem Parisiis apud Franciscum Julliot, anno* MDCXXIX *in* 8.

II Jordanus Brunus Nolanus, de specierum scrutinio, de lampade combinatoria Lulliana, de progressu et lampade venatoria Logicorum, *in editione Argentoratensi Artium Lulli* MDCIX, *apud Zetznerum. De hoc Bruno vide Biblioth. Neapolit. cum additionibus Antonii Magliabechi.*

III Bernardus Lavineta, *Gallus, Ordinis Minorum,* Artem magnam *intrepretatus est, Lugduni editam* MDXVII *in* 4.

IV N. Marestellus, Encyclopædiam ad Artem magnam Lulli, *Rhotomagi* MDCXLVIII *in* 8.

V N. Brulæus *super* Artem *scripsit, ut legitur in Bibliotheca medica.*

VI Basilius Poliviacensis, *tertii Ordinis Minorum,* Commentaria in Artem, *atque item* in Metaphysicam, seu de ente universalissimo secundum Raymundum Lullum. *Obiisse hunc Parisiis anno* MDCXLV, *Waddingus docuit.* C

VII Jacobus Januarius *Catalanus edidit* Ingressum rerum intelligibilium Raymundi Lulli, *anno* MCDXC *in folio, sine loci nota. In hujus editionis initio dicitur* editus liber a Magistro Jacobo Januario Catalano, Monacho Cisterciensi, qui dicat eum ad Fr. Didacum de Mendoza, Abbatem cœnobii Crucum in monasterio ejusdem Ordinis.

VIII Valerius de Valeriis, *Patricius Venetus,* Aureum opus in Arborem scientiarum, et in Artem generalem. *Primum (ut jactatur) editum in editione jam dicta Zetzneriana Artium Lulli, an.* MDCIX : *sed de editione antiquiore Augustana anni* MDLXXXIX *in* 4, *certiores facti sumus.*

IX Henricus Cornelius Agrippa, Commentaria in Artem brevem.

X Hugo Carbonellus, *vulgo* Carbonet, *Gallus Tecto-sagus Ordinis Minorum,* Artis Lullianæ, seu memoriæ artificialis secretum explicitum, oratoribus et prædicatoribus utilissimum. *Parisiis apud Joannem Laguehay,* MDCXX *in* 8.

XI Joannes Henricus Alstedius, clavim Artis Lullianæ, *Argentorati anno* MDCXXXIII *in* 8.

XII Alphonsus de Cepeda, *Hispanus, Miles* Arbol de la ciencia de Raymundo Lullo, nuevamente traducido y explicado. *Bruxellis anno* MDCLXIV *in folio.* D

XIII Augustinus Nunnes Delgadillo, *Hispanus, Carmelita,* Breve declaracion del Arte de Raymundo Lullo, *Granatæ* MDCXXIII *in* 8.

XIV Franciscus Marzal, *Minoricensis, Ordinis Minorum, Professor Lullianæ Artis apud Baleares,* Artem generalem ultimam, a se correctam, districtius divisam, Notis marginalibus ornatam, et indicibus locupletatam, una et Archielogium vitæ et doctrinæ ejusdem Lulli. *Palmæ Balearium, apud heredes Gabrielis Guasp,* MDCXLV *in* 4.

XV Jacobus *sive* Jaimius Januarius, *Cisterciensis Monachus sanctarum Crucem Tarraconensis diœcesis,* Artem metaphysicalem naturalem ordinis cujuslibet rei intelligibilis Arboris naturæ, ad intelligendos omnes libros artesque Raymundi, ac etiam ceterorum omnium. *Valentiæ apud Leonardum Butz,* MDVI *in* 8.

XVI Petrus Cirvelo, *Hispanus Daroconensis,* unam ex paradoxis decem *suis* quæstionibus, de Arte Raymundi Lulli in metaphysica, *nuncupavit. Editæ sunt ex Salmanticæ* MDXXXVIII *in* 4.

XVII Petrus de Guevara, *Hispanus, Belforadensis,* Arte general para todas la ciencias en dos instrumentos, recopilada del Arte magna, y Arbor scientiæ de Raymundo. *Madriti, anno* MDLXXXIV, *et* MDLXXXVI *in* 8. E

XVIII Petrus Hieronymus Sanchez de Lizarazo, *Aragonius,* Methodum generalem ad omnes scientias facilius et citius addiscendas, in qua Raymundi Ars brevis explicatur; et multis exemplis, variisque quæstionibus ad praxim apertissime reducitur. *Turiasone, anno* MDCXIII *et* MDCXIX *in* 4.

XIX *Hi omnes* Artem *seu* Artes *exornarunt, seu interpretati sunt: Chimicæ vero Raymundi instituerunt. Plures alios Majoricenses Raymundi cives laudat Vincentius Mut, qui huic spartæ ornandæ operam suam applicuere, Historiæ Balearicæ altero volumine lib.* 8 *cap.* 6.

XX Andreas Libavius, *scribens* expositionem sinceram Lulli et Arnaldi cum scholiis, *Francofurti apud Kopffium in* 8, *ut est apud Borellum in Bibliotheca Chimica pag.* 136.

XXI Joannes Gerardus Arcanum Lullianum, *Ulmæ* MDCXL *in* 8. Commentaria perbrevia in Apertorium Lulli de lapide philosophico, et interpretationem Testamenti ejus novissimi. *Tubingæ* MDCXLVIII *in* 8, *teste eodem Borello pag.* 242. F

EJUSDEM ANTONII JUDICIUM

De Eymerico, doctrinæ Lullianæ censore.

De Eymerico scribit Antonius.

Tædiosus fortasse videor his omnibus longo ordine recensendis, quæ quis aut prætermissa mallet, aut saltem brevius deducta. Verum, uti superius non semel monui, cum ex beati viri libris præcipua oriatur inter Scriptores contentio, superandus omnino fuit nonnullorum scrupulus, et laudati Nicolai Antonii sententia ex integro hic collocanda. Imo et adjungenda superest pars altera, qua idem auctor de Eymerico judicium profert, Bibliothecæ suæ Hispanæ Lib. IX cap. 7 pag. 124; quo fiet ut lector de toto partium litigantium dissidio, ex Antonii mente, commodius decernere; atque ex additis subinde aliorum pro beato Martyre Vindiciis, præconceptas de illo iniquas opiniones, aut prorsus deponere, aut saltem corrigere aliquatenus possit. Hæc igitur præter supradicta, ita habet citato proxime loco Nicolaus Antonius :

31 Æqualis fuit horum temporum... Nicolaus Eymericus,

A Eymericus, Catalanus gente, natus quidem in Gerunda urbe; qui cum doctrina Juris existimaretur et sacra non leviter excultus, post Nicolai Roselli ejusdem Ordinis Generalis, per Aragoniæ Regum ditionem adversus hæreticam væsaniam et pravitatem Inquisitoris, ad sacrum Cardinalium sanctæ Romanæ Ecclesiæ Collegium assumptionem, idem jussus fuit munus exercere, anno seculi [XIV] sexto supra quinquagesimum *a*.

anno 1356 factum Inquisitorem Aragoniæ,

32 Quo autem profectu et integritate in eo se gesserit, [docet] suscitata ingens, et vix reconciliabilis Dominicanos inter et Franciscanos quæstio, occasione Bullæ cujusdam, contra Raymundi Lulli errores, quæ Gregorii XI Papæ nomen præ se fert. Hanc ab Eymerico suppositam, Franciscani, Raymundum suum Lullum, qui tertii Ordinis Minorum fuit, tuentes, enixe contendunt; ex eo confirmantes, quod eadem Bulla, diligenter quæsita, inter alias ejusdem Pontificis, regesto illius excusso, nusquam apparuerit; cujus rei legitimum custodes archivi Papalis fidei testimonium exhibent. Documentum quoque sententiæ, in cœtu Generalis Aragoniæ Inquisitoris, Magistri ejusdem Ordinis Prædicatorum, Bernardi Ermengaudi, aliorumque, tam Dominicanorum quam Minorum, Barcinone habito anno MCCCLXXXVI, vivente adhuc Eymerico, pro sana Lulli doctrina in libro, De philosophia amoris inscripto, et ab Eymerico hæresis postulato, solenniter pronuntiatæ; aliaquæ in quodam libello videnda (quo quidem continetur lis et exitus litis, de hac re Avenione, sedente Benedicto XIII, et alias continuatæ) a nobis supra, dum de Raymundi rebus ageretur, laudato.

a produxisse Bullam Gregorii XI,

nusquam in ejus regesto inventam,

B

33 Epistolam quoque Regis Joannis Aragoniæ, ex archivo desumptam, adducunt *b*, qua Eymericus, *nequam hominis, et pestilentis, suique et ejus subditorum publici inimici, ac venenosæ viperæ*, nec non *et fidei orthodoxæ suspecti*, compellationibus diffamatus, in exilium ejicitur. Quibus quidem, famam ejus ita gravantibus testimoniis, opponunt Dominicani, horum non illibatam fidem, ac præ aliis inverisimilitudinem suppositionis Gregorianæ istius Bullæ. Insanum enim, et cujus vix esset capax homo haud emotæ mentis; nedum ejus, qui munus integra fama obiret, Inquisitoris; videri debet, ut celebratissimi ejus temporis Eremitæ, ac propter fidei odium a Mauris mactati Lulli doctrinam, a pluribus probatam defensamque; conficto Gregorii Papæ, Avenione fere in vicinia sedentis, diplomate; neque uno tantum, sed tribus *c* (totidem enim super eadem re a partibus producuntur) statim examinandis, ac, si falsa inventa fuissent, cum auctore et falsatore damnandis; convellere ac extirpare se posse, ac tantum facinus mansurum impunitum, sibi persuaderet *d*.

b ideoque a Rege Joanne severe damnatum fuisse;

sed Dominicanos negare, tale crimen de tali viro credi posse:

C

c

d

34 Sed nos litem hanc, nostram non facimus; id, quod sine missione inter partes decertatum bellum novimus, iis relinquentes, et eo adjecto contenti, quod vel testimonio domesticorum Eymerici constans haberi debet; eum scilicet nimio, et quem vix ferrent ea tempora, zelo tractum, eo usque in exercendo Inquisitionis munere processisse, ut in Perpinianensibus Ordinis seu Provinciæ suæ comitiis, eo decedere jussus sit; eidem tamen post aliquot annos restitutus; at æque infelici exitu; cum in odia multorum incurrens, Regiæ etiam offensionis scopulo navem illiserit, extraque ditionem totam Aragoniæ regni, peregrinus et exul patriæ, demorari coactus fuerit *e*. Hæc, in historia Ordinis Prædicatorum Monopolitani Episcopi extensius narrata, fidem fortasse mereri possent; darique temporum malitiæ ac impotentiæ inimicorum, innocentis, et tantum (si Deo placet) nimium justi hominis, per exilia et odia, vexatio; quin tamen errorem istorici laudati manifestum sequi propterea debeamus, qui persequens, decimum quintum fere totum seculum, Eymerici memoriam resque gestas, 5 parte, lib. 11 cap. 20 digessit; qua in navi vehitur etiam Joannes Marieta.

quem tamen eorum unus fatetur, exorbitantem suo zelo,

e meritum deponi et in exsilium relegari,

D

EX BIBL. NIC. ANT. ET ALIIS.

35 Melius quidam nuperi Scriptores Dominicani, Ambrosius Altamura in Bibliotheca ad annum MCCCXCII, et Vincentius Maria Fontana in monumentis Dominicanis, sub Simone Lingoniensi, Elia Tolosano, Raymundo de Capua, Præfectis generalibus, cap. 8, 9, ac 10 per omnes fere paginas, veram Eymerici ætatem et acta litteris tradiderunt. Quod vero ad meritum doctrinæ pertinet, illibatum id, vel inter tot pessime sentientium jactationes, hucusque mansit: opera enim ab eo scripta, et, vel typorum beneficio foras emissa, vel etiamnum latentia, doctissimum, tamque divinarum quam canonicarum litterarum eximie gnarum fuisse, ostendunt. Hactenus Nicolaus Antonius.

virum alias bonum et doctum.

ANNOTATA J. B. S.

a *Notat P. Franciscus Diagus, annum* MCCCLVII, *alii* MCCCLVIII.

E

b *Videri potest tota ea epistola, Eymerico nequaquam honorifica, apud Dermicium Thadæum in Nitela Franciscanæ religionis pag.* 488 *et* 489.

c *Bona Nicolai Antonii venia. Non aiunt Patres Minores, tria diplomata ab Eymerico conficta, nec scio apud quem id legere ipse potuerit. Admittunt, ut genuina et vera Gregorii diplomata, anni* MCCCLXXII *et* MCCCLXXIV, *quamquam extorta velint importunis Eymerici solicitationibus. Quin ex iis ipsis in Eymericum insurgunt; nam si et tertium vere emanasset, inquiunt, auctoritate Pontificia, non minus in regestis exstaret, quam bina alia, propriis suis locis collocata et inventa.*

d *Recte id quidem, si præfatum diploma, vivente adhuc Gregorio, orbi innotuisset. Verum cum clanculum tantummodo sparsum videatur sub initium magni Schismatis Occidentalis, nescio quo in codice, debitis suis formalitatibus destitutum, nihil apud Lullistas momenti obtinet ejus generis argumentum. Sed de his plura Articulo* 4.

e *Variam illam Eymerici fortunam aliter describunt Patres Dominicani, aliter Minores; media via ingreditur Custurerius a pag.* 256. *Sed nec ego litem illam, meam facio, suffecerit annotasse, zelum quandoque nimis præcipitem, natum esse turbas et dissidia excitare.*

F

ARTICULUS TERTIUS

Aliorum Scriptorum de B. Raymundo ejusque scriptis sententia.

Exhibita modo est inveterata totius controversiæ summa, ea, opinor, sinceritate qua majorem desiderare nemo possit. Nec justo longior Articulus ille cuiquam videbitur, qui probe intelligat, totius rei seriem ita semel extendi oportuisse, ut uno veluti obtutu et ipsa Raymundi opera, prodigiosæ quantumvis multitudinis, et una quæstionis latius enucleandæ compendium, viri hac in parte haud suspecti judicio, et editoris Eminentissimi calculo firmatum proponeretur. In volumen excrescat nostra hæc tractatio, si auctoritates alias, Scriptorum Lullo faventium, vel enumerando recenseam. Id jam egregie præstitit sæpe laudatus Custurerius, binis illis prolixis Dissertationibus, præsertim secunda capite sexto, ubi longo ordine Scriptores variarum nationum adducit fere centumaut Lullianæ doctrinæ aperte subscribentes, aut ejus dogmata ita explicantes,

Lulli defensores et laudatores,

operosius colligit Custurerius,

AUCTORE J. B. S.

A tes, ut plane evincant, immerito velut hæreticum traduci, qui, siquid admisit piaculi, eo dumtaxat peccasse censendus est, quod insolita methodo et abstrusiori, quædam involverit, receptis Theologorum placitis non satis consentanea, quæque duriora quibusdam visa sunt, et forte peregrina.

inter quos et adversarios medii magis probandi,

37 Hæc ferme illorum sentiendi ratio, quibus implexæ Artis Lullisticæ notiones, et opusculorum ceterorum ordo stylusque inconcinnior, minus arridet; quidquid Lullistæ ipsa illa magnis extollant elogiis, iisque exornent laudibus, quas discipulorum in Magistrum observantia solet elicere, ac profusa veneratio. Placuit mihi semper, uti alias indicavi, Waddingi hac de re et Nicolai Antonii laudanda opinandi moderatio, ita Raymundo patrocinantium, ut Eymerici, infesti utique ejus adversarii, famæ quam minimum detrahant. Hanc quoad fieri poterit imitari studebo, unum hoc habens præ oculis, ut B. Raymundo sua maneat vitæ morumque integritas, et ab omni sequioris doctrinæ labe (saltem quæ formalem errorem involvat) inconcussa immunitas.

imprimis Scriptores Societatis Jesu,

38 Aliorum igitur auctoritate malim, quam nostro suffragio litem decidi; atque idcirco, pauca de B multis attexam, præter ea quæ ex Anonymo, Bovillo et Nicolao de Pax superius retuli, doctorum virorum testimonia; idque eorum, ut nuper monui, quos in hac causa arbitros nec ipsi Anti-Lullistæ merito recusent. Tales ego existimo e Societate nostra Theologos, nulla affinitate Lullistis conjunctos, tametsi in B. Raymundi favorem, veritate compulsi, magis inclinare videantur. Unum præfigam Arnaldum Albertinum, Pactensem Episcopum, quem licet Anti-Lullistæ suspectum fortasse habeant, vel audire detrectent, quod Majoricis originem traxerit; æquiores tamen rerum æstimatores facile in judicium admittent, pro Raymundo sententiam dicturum.

Arn. Albertinus, in Rub. et cap. 1 de hæreticis, lib. 6 quæst. 13, editionis anni MDXXXIV *prope finem: apud Custurerium pag. 366, de B. Raymundo Lullo scribit in hunc modum:*

a quos prægressus Arn. Albertinus,

Et hodie habetur impressus Catalogus *a* hæretico- C rum, per quorum lecturam habebitur abundans cognitio: a cujus Catalogi auctore in farragine illa præventus fui, ideo illam prætermitto. Nec quidem ei assentio, dum hæreticorum gregi Magistrum Raymundum Lulli, civem Majoricensem, aggregavit; virum sane Catholicum, integerrimæque vitæ specimen et exemplar. Cujus inclita doctrina sanctissimique mores toti Hispaniæ et Galliæ notescunt, ut eum Sanctorum Catalogo potius adscribendum sentiant: qui hanc mortalem agens vitam, zelator fidei Catholicæ fervidus exstitit, testantibus id ejus opusculis; divinoque lumine illuminatus, vehementer anhelavit ad inserendum humanis mentibus optimos mores, sacramque fidem Christianam; adeo ut ad Agarenorum regna intrepidus proficisceretur, quo illos religionis nostræ cultores efficeret. Et, dum verbum divinum ferventer infidelibus palamque exponeret, mirarenturque omnes spiritum, qui in eo loquebatur; non valentes ejus sapientiæ verbis obsistere, lapidibus illum obruentes, aureola Martyrii exornarunt. Cujus corpus, non sine magno miraculo, ad urbem nostram Majoricensem delatum, et penes ecclesiam S. Francisci, sacello honorifice sepultum, miraculis claret: ejusque dogma, a Doctoribus Parisiensibus probatum, publice in dicta urbe et in aliis Hispaniæ gymnasiis discendum proponitur: quod si legeris, a Deo revelatum potius, D quam ab homine quæsitum vel elaboratum censebis: id enim suos auditores virtutibus imbuit, aut imbutos invenit.

laudat Lullum, ut verum Martyrem,

et Scriptorem probatum:

cujus, de hæresi falso accusati, innocentiam

40 Articuli vero, ei temerarie adscripti, falso impositi sunt; numquam enim in ejus libris reperti fuere, quamvis subtilis et scrupulosa indagatio a pluribus Theologis, magnæ lectionis et auctoritatis viris, jubente summo *b* Pontifice facta exstiterit; prout monumenta, quæ vidi, apud archivum civitatis Barcinonensis recondita, testantur. Quæ non immerito præfati Doctoris discipulis ansam conquerendi coram summo Pontifice tribuunt, ut hæc ignominia, fallaciter tanto viro irrogata, deleatur de libris *c*, in quibus hoc crimen hæresis nefandum calumniose impingitur. Quia, ut inquit sapientissimus Rufinus, est quidem gloriosum Christi exemplo patienter injurias tolerare, unam tamen notam hæreseos qui ferat, vel dissimulet, non esse Christianum. Et divus etiam Hieronymus clara voce clamabat, inquiens: Nolo in suspicione hæreseos quemquam esse patientem. Ne ergo videantur discipuli crimen Magistri agnoscere, ab eis summa ope laborandum est, ut illud diluatur; summumque deceret Pontificem, ut breviter hoc negotium, si E coram sua Sanctitate propositum fuerit, concludatur; et sciamus, quæ laudanda, quæ vero reprobanda sunt, ut unumquemque opera sua sequantur.

b

c debeant ejus discipuli apud Sedem Apost. tueri.

ANNOTATA J. B. S.

Bernardi Lutzemburgi Catalogus hæreticorum,

a *Catalogum indicat Bernardi Lutzemburgi Dominicani, qui omnium primus, satis temere, Raymundi nomen inter hæreticos collocavit, perperam ei tribuens librum de Invocatione dæmonum, editum ab homine sui instituti, sed neophyto, nomine Raymundo de Tarraga, vel, ut alii scribunt, de Tarrega; quem vere hæreticum et Judæum fuisse, invenies in Directorio, a Commentatore Penna cum B. Lullo nequaquam confusum. Notabis hic, Lutzemburgi ætatem Altamuræ fuisse ignotam, dum eum floruisse dicit anno* MCCCCXL; *spectat enim omnino ad seculum* XVI, *ut recte judicavit Valerius Andreas in* Bibliotheca Belgica; *apud quem etiam reperies, Catalogum ejus impressum fuisse jam ab anno* MDXXVII, *adeoque facile in Albertini manus pervenisse, qui opus suum tantum edidit* MDXXXIV, *quod mirum est non observasse Custurerium, primam ejus Catalogi editionem referentem ad eumdem annum* F MDXXXIV. *Id ita non esse, vel ex eo colligi potest, quod apud nos exstet prædicti Catalogi editio quinta, anni* MDXXXVII; *non est autem verosimile, eumdem librum ab eodem typographo quinquies triennii spatio typis fuisse subjectum.*

primum editus an. 1527

b *Cujus Pontificis jussu facta sit* subtilis *illa et* scrupulosa indagatio, *satis distincte explicatum non inveni: agit, opinor, de* Sententia definitiva, *ab Episcopo Tifernatium, seu civitatis Castelli, lata anno* MCCCCXIX, *ut Articulo sequenti pluribus declarabitur. Est vero satis probabile, ea omnia gesta fuisse de speciali mandato Martini V Pontificis.*

c *Puta de Directorio Inquisitorum et Bernardi Catalogo. Soli erant hi duo libri, qui B. Raymundo nefandum hæresis crimen calumniose impingebant: Bernardus porro sua ex Directorio prave intellecto desumpserat, sic ut ad unicum illum fontem omnia reducenda sint, ut latius etiam proximo Articulo explicabimus.*

Gabriel Vasquez.

Tum Gabriel Vasquez sæpe a Lullo recedens,

Theologum hunc nemo dixerit Lullistis accensendum, qui beati Martyris principia non semel scholastice

A lastice impugnat; abest nihilominus quam longissime ab eo in hæreticorum classem intrudendo. Videatur modo ejus judicium ex Tomo 2 in 1 p. disp. 133 cap. 4 editionis Antuerpiensis MDCXX, pag. 137, ubi hæc leguntur: Ceterum magna de hac re excitata fuit controversia apud Illustrissimos Cardinales Inquisitores anno MDCX, sub Pontificatu Sixti V, dum ego adhuc Romæ essem; multis ex Cataloniæ regno contendentibus, Bullam Gregorii XI, qua damnantur Raymundi errores, positam a Nicolao Eymerico in suo Directorio Inquisitorum, ab eodem fuisse confictam.

testatur quod causa sub Sixto V ventilata,

42 Proferebant enim sententiam, contra Eymericum prolatam a Reverendissimo Domino Bernardo Episcopo Castelli, Commissario, auctoritate Apostolica contra Eymericum deputato, cujus transumptum authenticum, ego postea habui in Hispania a Joanne Herrera, Philippi Regis II architecto, ac in Mathematicis litteris viro insigni: in quo damnatur Eymericus, quod Bullam illam confinxerit, atque illa de falsitate suspecta declaratur. Consanguinei ipsius Raymundi, coram Alamano, Cardinali S. Eusebii et Legato sedis Apostolicæ in regno Aragoniæ, petierunt ut prædictam Bullam, tamquam falsam; B et facta per Eymericum irrita *a* declararet. Legatus autem causam commisit prædicto Episcopo; quinimo scripsit et jussit Registratoribus *b* Apostolicis, ut Avenione, ubi tunc Pontifex commorabatur, in registro prædicti Pontificis eam Bullam perquirerent: Cumque inveniri non posset, singuli Registratores ejus rei fidem fecerunt. Quibus cognitis, prædictus Bernardus sententiam, quam diximus, tulit.

fictionis damnatus Eymericus sit,

a

b

nusquam inventa quam protruserat Bulla:

43 Quæ omnia habentur in libro quodam excuso de hac re *c*, in quo etiam excusantur multi articuli, qui Raymundo tribuuntur, aut ex ejus doctrina damnantur. Nostro etiam tempore, sub Pontificatu Gregorii XIII, hæc Bulla tum Avenione quæsita est diligenter, et numquam potuit inveniri. In defensionem etiam ejusdem Raymundi, multa alia scripta ex eodem regno allata sunt; inter reliqua vero erat libellus manuscriptus, qui singulis erroribus, ab Eymerico notatis, suo ordine respondebat; ostendens, quosdam in nullo illius libro haberi, alios vero ex doctrina ipsius male intellecta fuisse decerptos.

c

rursumque coram Gregorio XIII,

44 Allegabant etiam nonnulli, ut Raymundi libros defenderent, inter privata acta *d* Concilii Tri- C dentini, haberi tractatum de hac re, in quo Doctor Vileta Barcinonensis ipsum defendit, ne in Catalogum librorum prohibitorum referretur. Nunc demum Ludovicus de Paramo *e*, contra hæreticam pravitatem in regno Siciliæ Apostolicus Inquisitor, et Sacrorum Canonum Doctor egregius, in secundo tomo suorum operum, quæstione de combustione librorum, titulo de Raymundi Lulli doctrina, multa alia diligentissime conquisita in lucem edet, quibus non obscure ostendet, Raymundi Lulli opera non esse prohibita, atque prædictum Eymericum a Majori Inquisitore suo Bernardo, de falsitate et subreptione fuisse damnatum, ut constat ex Processu, nuper Matriti oblato in Senatu Regni Aragoniæ. Proferet etiam varias doctrinæ Raymundi approbationes, et inter eas aliquas Facultatis Theologiæ Parisiensis, quæ omnia brevitati consulens prætermitto. Adhuc vero sub judice lis est.

d

et in Concilio Tridentino,

e

ac denique coram Inquisitione Madriten.

45 Impugnatis deinde, scholastica methodo, Raymundi circa Trinitatem demonstrationibus, sub disputationis finem ita pronuntiat. [Ceterum spiritum Dei in multis Raymundum habuisse, indicant scripta ejus de Philosophia *f* Amoris, de Amico et amato, et Magnarum contemplationum, aliaque multa. Potuit tamen in aliquibus, non ex Dei spiritu, D sed ex proprio cerebro aliqua depromere; quæ, licet Catholica essent et vera, durius *g* tamen quam par erat, ab eo dicerentur et explicarentur.]

Ipse vero laudat et excusat.

f

AUCTORE J. B. S.

g

ANNOTATA J. B. S.

a *Consule Articulum sequentem, quo tota ea res fusius explanatur.*

b *Est hic Vasquezii parachronismus, existimantis tunc factam Bullæ perquisitionem, in quo fallitur; nam id contigerat annis* XXIV, *antequam ultima causæ revisio, jussu Legati Alamani, institueretur. Sed hæc etiam pertinent ad sequentem articulum. Advertis etiam, ita fere loqui Vasquezium, ac si Eymericus tunc adfuisset, cum præfatus Legatus Bernardum Episcopum deputavit, ut causam Lullianam recognosceret: certum tamen est, eum, annis viginti priusquam ea fierent, e vita excessisse, ut suo loco dicemus; ubi etiam ostendemus, non ab Eymerico fuisse inserta Directorio, quæ ibi contra Lullum atrocius dicta hodie conspiciuntur; sed ab eo qui librum illum primus Barcinone typis edi curavit* MDIII, *ob novas discordias Lullistis infensissimo.*

c *Suspicor Vasquezium loqui de Libello, sub titulo* Sententia definitiva; *nisi forte alium insinuet, cui refutando multis insudat Bzovius ad annum* MCCCLXXII; *qui et ille esse potest, de quo mox agit auctor in fine hujus paragraphi.* E

d *De his Actis sermo erit Articulo quinto.*

e *Citat hunc variis locis Custurerius; sed quæ habet Vasquezius, ad rem nostram sufficiunt.*

f *Quid igitur Eymericum impulisse dicemus, ut eum libellum præ reliquis tanto ardore insectaretur? Verum hæc etiam secuturo Articulo reservanda.*

g *In eo potissimum offendisse videtur B. Martyr, quod loquatur duriuscule, sermone inculto, et a communi methodo abhorrente, sed ad hæc Jacobus Faber Stapulensis apud Custurerium pag.* 375: Ingenue autem fateor Raymundo ferme verba defuisse, quibus suos pulchros posteritati mandaret conceptus. Qui tamen volet introrsus aspicere, nihil videt barbarum, et quod sententiam non contineat scitu dignissimam, etc.

Sebastianus Salelles.

Opus ejus de materiis Tribunalis S. Inquisitionis, Romæ impressum MDCLI, consulere mihi non licuit, atque idcirco quæ auctor tradit Tomo 2 cap. 15 F Reg. 276, describenda fuere ex Custurerio a pag. 395, ubi celebris Memorialis pro causa Lulli compendium prosequitur, in hunc modum. Transumptum Memorialis, in causa pii Eremitæ et Martyris Raymundi Lulli, quæ nunc Romæ vertitur coram Sanctissimo, per adm. Reverendum Patrem F. Joannem Riera, Seraphici Ordinis Franciscani Theologum, et regni Balearum Syndicum, in Romana Curia hanc causam agentem, Typis autem excusum fuit prædictum transsumptum Memorialis, Palmæ Balearium anno MDCXXVII præcedente, jussu Illustrissimi ac Reverendissimi Domini, D. Balthazaris Borgiæ Episcopi Majoricensis, diligenti discussione et legitima approbatione, per viros probitate et doctrina præstantissimos, etiam nostræ Societatis Jesu; præcipue per admodum Reverendum et Sapientissimum Patrem Matthæum Marinion (quem, uti magistrum meum in professione Philosophica, honoris causa nomino) Rectorem Collegii et Academiæ Societatis Jesu et sacræ Inquisitionis Qualificatorem in insula Baleari. Hoc transsumptum abhinc duodecim annis dono accepi ab Illustrissimo Equite Hierosolymitano, D. Monte-Maris, nunc excellentissimo et dignissimo Prorege Novæ Franciæ in America,

Seb. Salelles S. J.

Memoriale Rieræ, Majoricæ impressum,

A America, unde ex eo opportune ad rem præsentem pauca compendiosissime desumo.

AUCTORE J. B. S. in compendium redigens, docet,

47 Dividitur ab auctore ingeniose in tres sectiones totum istud Memoriale, perspicuitatis gratia. In quarum prima, quatuordecim præludia continentur; per quæ, declaratis terminis Lullianis, via sternitur ad capiendum, qualiter sine ullo errore contra fidem, tam multa Lullus docuerit, ac scripserit. In secunda sectione, quæ subdividitur in decem partes, singulæ propositiones doctrinæ Lullianæ, quibus adversæ partis auctores notam hæreseos tribuere possint, modis loquendi magis usitatis in scholis declarantur, et nullatenus erroneæ ostenduntur, sed omnino conformes fidei Catholicæ.

eo responderi ad objecta,

48 Tertia vero sectio Memorialis, subdivisa in partes undecim, continet responsionem ad quascumque impugnationes, typo mandatas contra Lullum; atque omissis aliis quamplurimis, respondetur primo ab auctore Memorialis, parte III sect. 3, ad illud supra expressum, fuisse scilicet a Gregorio Papa XI condemnatam Raymundi Lulli doctrinam; quod Bulla condemnationis, nec in regestis dicti Pontificis, nec alibi reperiri potuerit, licet bis etiam ab auctoritate Apostolica fuerit diligenter perquisita; semel Avenione, ubi data dicitur, vivente adhuc et præsente Eymerico; iterum post mortem ejus, Romæ etc.

et fictam esse quæ allegatur, Bullam,

49 Deinde, si dicta Bulla Gregorii XI est fictitia corruit etiam id quod dicitur de libris, quos Lullus edidit, per istum summum Pontificem condemnatis et omnino prohibitis; atque inde clarius ostenditur quia in Indice librorum prohibitorum, jussu Concilii Tridentini edito, nulla fit mentio de tali prohibitione, neque in eo, secuti ipsa digni [errores] apponuntur: quod affert auctor Memorialis in sect. 1, præludio 12, ubi ait; quod ad dictum Concilium Tridentinum fuerit missus Procurator Lullianæ causæ a Principatu Cataloniæ, vir sapientissimus, magister Ludovicus Joannes Vileta Cathedraticus; qui adeo exacte hanc procurationem peregit, ut ab ipso Concilio deputati fuerint multi, nempe Patriarcha Venetus, quatuor Archiepiscopi, totidem Episcopi, unus Abbas, duo Generales Ordinum, et quatuor Doctores, qui discussa doctrina Lulli eam approbarunt, et a calumniis Eymerici juridice vindicarunt *a*.

eique innixam damnationem;

a

50 Quid? quod jam multo prius, ut refert auctor ejusdem Memorialis, ab eisdem [calumniis] ipsam doctrinam Lulli, multoties alii vindicaverant? Primo octo Magistri deputati, tres Dominicani et quinque Franciscani, præsidente P. Magistro Fr. Bernardo Ermengaudo, Provinciali Dominicano et Generali Inquisitore Barcinone, anno MCCCLXXXVI. Secundo, Illustriss. D. Leonardus Cardinalis, Commissarius Apostolicus in hac causa deputatus a Benedicto XIII, Avenione MCCCXCV. Tertio, Reverendissimus D. Bernardus Episcopus Castelli, Commissarius et judex in hac causa deputatus, per Illustriss. Alamanum Cardinalem, Legatum Apostolicum in Hispania; qui adversus Eymericum pro Lullo, anno MCCCCXIX, definitivam sententiam tulit; restituitque doctrinam Lullianam suo primo statui, et annullavit quæcumque contra eam attentata fuerant. Vide plura in dicto præludio duodecimo *b*.

C

similiter defensum fuisse Lullum annis 1386, 1395 et 1419,

b

51 At in decimo tertio, quid ad nostrum institutum opportune continet? Perlubenter sane adducam, quod ibi expressum, quandoquidem ad mysterium Conceptionis Immaculatæ Virginis Mariæ, spectans: sed convenientius judico verba ipsius Memorialis in medium proferre. Sic habet titulus: *Præludium decimum tertium, unde, quæ sparserat Eymericus contra Lullum, postquam per tot Acta juridica jam extincta fuerant, iterum reaccensa fuerint.* Dicitur primo, viguisse tempore Eymerici, ante annum MCCCC, inter Eymericum ipsum et Lullistas contentionem de Conceptione purissimæ Virginis; contendente Eymerico, conceptam fuisse cum originali peccato, Lullistis cum Lullo oppositum defendentibus. Quæ contentio eo pervenit, ut Eymericus a Raymundo de Cortillis, Canonico Elnensi, coram Reverendo Patre Joanne Ansurre, Inquisitore Generali Avenione, fuerit accusatus de manifestis hæreticalibus propositionibus, ab eodem Eymerico assertis: quæ omnes habentur in publico instrumento accusationis *c* authentico, anno Domini MCCCXCV, quod apud hujus Lullianæ causæ syndicum exstat. Et immediate post; Hæc plane contentio creditur fuisse seminarium eorum, quæ contra Lullianam doctrinam inciderunt. Sed tamen Eymericus, exul a regno pulsus a Joanne Aragonum Rege, profugit; ut constat ex ejusdem Regis epistolis, contra eumdem Eymericum missis ad diversos.

et priori quidem, ipsummet Eymericum, immaculatæ B. V. Conceptioni adversantem,

D

de hæresi accusatum regnoque exsulare jussum:

c

52 Postea contra Eymericum pro Lullo tot approbationes et acta, quot partim supra retuli, sancitæ fuerunt, prorsus ut extincta viderentur omnia, contra Lullum attentata usque ad annum MDIII. Nam ante istum annum ipsimet libri Lulli, quos referebat Eymericus fuisse damnatos, identidem excudebantur, publice servabantur, et publicæ cathedræ de hac doctrina tunc erectæ fuerunt. Eodem in præludio sic dicitur secundo, prædicto anno MDIII aut paulo ante, subortam iterum esse eamdem de Conceptione Deiparæ controversiam, inter Fratrem Guillermum Caselles Dominicanum, simul et Inquisitorem regni Balearis, et Lulli scholæ Professores; his, ut supra, pugnantibus; et contra ipsos, Inquisitore Dominicano: tantoque exarsit ardore contentio, ut Romam perrexerit Inquisitor, et egerit coram Sanctissimo contra Lullianos: sed tanto suscepto labore, nec ipsis nec Lullianæ doctrinæ in aliquo nocere potuit. Atque immediate post, de eodem Inquisitore sic: Reversus tandem ad Baleare regnum, et in eadem contentione perseverans, dicitur fuisse pulsus a regno. Quæ omnia creduntur nimirum homini fuisse stimulum, ut anno MDIII Directorium Eymerici typis mandans, Barcinone, simul annecteret ex Bulla fictitia ejusdem calumniam contra Lullum, jam diu convictam, damnatam atque sepultam *e*. De hac secunda contentione fit mentio in Chronicis Fr. Francisci Diago *f*, Provinciæ Aragoniæ Fratrum S. Dominici. Hactenus contenta in dicto præludio decimo tertio.

nec non Eymerici sequacem, qui propterea,

E

illius Directorium cum fictitia Bulla recudi fecerit;

e

f

F

53 Addendum tandem aliquid, ut responsum detur quoquomodo his quæ contra Lullum ab Abrahamo Bzovio proferuntur. Primo circa condemnationem et sententiam, prolatam per Archiepiscopum Tarraconensem, de qua ipse Bzovius anno MCCLX num. 5 juxta ejus indicem: ubi est duplex et manifesta æquivocatio. Prima, quod auctoritate Alexandri Papæ IV, ut ille affirmat, Lullus ab eo Archiepiscopo, nequaquam comdemnatus fuit; cum dictus Alexander nequiverit per seipsum condemnare Lullum, eo quod hic fuerit tempore posterior illo, et scripserit ipso jam mortuo.... ergo neque per illum Archiepiscopum, tributa ei facultate, condemnari potuit. Dicendum itaque quod Petrus Archiepiscopus Tarraconensis, auctoritate accepta a Gregorio Papa XI, processerit et condemnaverit ut hæreticum, non Raymundum Lullum (en secunda æquivocatio) sed Raymundum Neophytum fratrem Dominicanum, simul cum ejus libris; quidquid in contrarium dicant Prateolus et Bzovius citati, qui non sine gravi calumnia et injustitia, errores fidei catholicæ oppositos, ac libros prohibitos, præcipue illum de Invocatione dæmonum istius Raymundi Neophyti, tribuunt illi Raymundo Lullo. Hæc auctor Memorialis

Bzovium fœde hallucinari, affirmando Lullum ab Alexandro IV damnatum,

ipsumque confundendo cum Raymundo Neophyto,

A Memorialis parte 5 sect. 3; et ostendit efficaciter, testimonio, tum ipsius Eymerici in Directorio parte 2 quæstione 27; tum Commentatoris ejusdem Doctoris Francisci Pennæ, ibi Commentario 52. Audiamus primo Eymericum, ad quæstionem sic respondentem.

quos tamen Eymericus clare distinxit,

54 Ad hanc, inquit, respondemus, quod tempore D. Gregorii Papæ XI, D. Petrus Archiepiscopus Tarraconensis, et Fr. Nicolaus Eymerici de Ordine Prædicatorum Inquisitor Aragoniæ, ut vere hæreticales, et erroneos, quemdam libellum de dæmonum invocatione, qui incipit, *Misericordia et Veritas*, et quemdam alium, qui incipit, *Utrum quilibet infidelis, tam Divinis quam Apostolicis Canonibus teneatur obedire;* et quædam alia opuscula, ut omnino hæreticalia et erronea, edita per quemdam Raymundum Neohytum, sententialiter condemnarunt, propter hæreses et errores in eis contentos. Huc usque Eymericus. Quisnam autem sit iste Neophytus, declarat bene Commentator illius Penna, exponens illa verba textus, *edita per quemdam Raymundum Neophytum.* Hic Raymundus, inquit, sicut constat ex regesto D. Gregorii XI, loco quem mox adducemus, dicebatur Raymundus de Tarrega; qui cum prius esset Hebræus, conversus ad fidem Christi, factus est Monachus Ordinis Prædicatorum. Ceterum, ut res ipsa demonstravit, non mutavit mores, etsi religionem mutavit.

sicut etiam ejus Commentator Penna,

B

explicans quis iste Neophytus fuerit.

55 Vixit autem hic Raymundus circa tempora Gregorii XI, ad annum Domini MCCCLXXII. Exstant in unico volumine regesti anni primi Gregorii XI, fol. 225, litteræ Papæ Gregorii ad Archiepiscopum Tarraconensem et Nicolaum Eymericum Inquisitorem in regno Aragonum, quibus præcipitur, ut inquirant et procedant contra Raymundum de Tarrega Ordinis Fratrum Prædicatorum, tenentem quosdam hæreticales errores, et eum puniant etc.... Addit autem idem Penna in favorem Lulli sic: Illud vero, inquit, observandum est diligenter, quod auctor docet in hac quæstione, videlicet libellum de dæmonum invocatione, editum fuisse per Raymundum Neophytum. In quo plane decepti mihi videntur Bernardus Lutzemburgus in Catalogo hæreticorum, libro 3; verbo, Raymundus Lulli; et Prateolus libro 16 cap. 2. de vitis et sectis hæreticorum [addatur his Bzovius] asserentes, libellum de dæmonum invocatione editum fuisse a Raymundo Lulli; et suspicor hos auctores fuisse hallucinatos ex nominis similitudine. Huc usque Penna.]

C

Similia possent ex aliis Jesuitis colligi

56 Adjungi hic commode possent Athanasii Kircheri, Theophili Raynaudi, ac plurimorum aliorum e Societate nostra Theologorum, faventia Raymundi doctrinæ judicia. Verum quid testimonia addensare juverit, cum illi omnes passim, concordi ferme sententia, ex hæreticorum classe beatum Martyrem eripiant; tametsi quandoque ejus opiniones aut principia repudient, vel tamquam duriora, vel tamquam Scholæ placitis non satis conformia, ut de Vasquesio nuperrime diximus. Pluribus itaque supersedendum putavi, ne centies eadem repetam, quæ apud prælaudatum Custurerium collecta et digesta inveniet. qui dedita opera perpendere singula et examinare voluerit.

Nunc objicientibus Gregorianam Directorii approbationem,

57 Appendicis loco unum adjiciam, ea maxime de causa, quod argumentum dissolvat sequenti articulo proponendum. Petitur hoc ab Anti-Lullistis ex Brevi Gregorii XIII, editioni Romanæ Eymericiani Directorii præfixo, quasi illud pondus adderet et auctoritatem iis, quæ de Raymundo, eo libro continentur. At si ejusmodi Brevibus Pontificiis, ad librorum impressionem concessis, certandum est, dabimus hic Angeli del Paz; ex Ordine Seraphico viri præclarissimi, de Raymundi doctrina judicium, ex ejus *Expositione in Symbolum Apostolorum;* cui præmissum Breve Clementis VIII tantum omnino tribuet, quantum Gregorianum momenti addidit, qualecumque illud est, Inquisitorum Directorio. Verba Angeli hæc sunt ex libro 9, art. 7, cap. 20, n. 238, apud Custurerium pag. 441.

D

AUCTORE J. B. S.

reponitur contrarius liber,

58 Raymundus Lullus apud Bernardum Lutzemburg notatur de hæresi; affirmat enim plus quam quingentos errores in suis libris a Petro Tartacensi [Tarraconensi] Episcopo et Fr. Nicolao Eymerico deprehensos fuisse; suamque doctrinam, non a Christo, ut fingit, sed a diabolo accepisse; quod tacuisset, si vel mortem hominis novisset, obiit enim pro Christo, et claret miraculis, quæ hominem non fanaticum, sed sanctum prædicant. Errores, quibus notatur, in doctrina illius periti excusant. Legitur publice in Academia Barcinonensi, et olim in aliis: libros autem, nedum in Hispania, sed et in Italia et Gallia, vidi summo cum studio, et a piis et doctis expeti; meque præsente ab Universitate Complutensi totam illius doctrinam commendari. Rectene? alii, sive Ecclesia judicabit, cujus judicio se subjecit Lullus.]

E

a Clemente VIII imprimi jussus

59 Audisti viri doctissimi et religiosissimi, ut testatur Waddingus, de B. Raymundo judicium: nunc ex præcitato Brevi Clementis VIII accipe: [Nos, cupientes ut opera hujusmodi, quæ piis et religiosis personis, et toti Ecclesiæ valde utilia fore speramus, quam emendatissime Romæ in Vaticano aut alibi imprimantur, et eumdem Angelum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, motu proprio et ex certa scientia.... ne opera prædicta aut aliquid ipsorum, vel eorum partem quamcumque, sine speciali dicti Angeli, aut ab eo causam habentium licentia, tam in magno quam in parvo folio, et sub prætextu additionum, annotationum, aut declarationum, imprimere.... audeant vel præsumant.... contravenientes prædictos in excommunicationis pœnam etc.] Quantum hæc ad rem præsentem faciant, ex fine Articuli sequentis clarius apparebit.

ANNOTATA J. B. S.

Ad judicium P. Salelles.

a *De his sermo recurret articulo quinto.*

b *Jam dixi hæc omnia a nobis fusius explicanda articulo proxime sequenti. Magno adjumento fuisset prædictum Memorialis transumptum, quod hactenus videre non licuit.* F

c *Operæ pretium esset hujusmodi instrumentum publici juris fieri, quamquam ad Raymundi vindicias nihil magnopere conferre possit. Hujus proinde Cortillianæ controversiæ nullam deinceps statui facere mentionem.*

d *Unam lego apud Thadæum et Custurerium, qua Eymericus atris plane coloribus depingitur.*

e *De Inquisitoris illius exilio videri potest Custurerius pag. 284 n. 81. Citat etiam pag. 397 chartam, in cœnobio Romano S. Isidori repertam, cui titulum præfixum, ait,* Fancisci Caselli expostulatio poetica, ad Fratrem Guillermum Caselli Ordinis Prædicatorum, Nicolai Eymerici Directorium Inquisitorum in Lulli præjudicium denuo cudentem. *Quam ætatem ea charta præferat, id se nescire, ait Custurerius.*

f *Is vero rem aliter narrat, discordiarum causam assignans in vinculis* [Non abhorres peccatores, Sine quibus numquam fores, Tanto digna filio] *Fatetur quidem, Lullistas eos oppugnasse, uti contrarios Immaculatæ Conceptioni; sed de Guillermi exsilio altum silentium.*

AUCTORE J. B. S.

A

ARTICULUS QUARTUS

Elucidatio eorum quæ ad Grægorii XI Bullam, et Eymerici Directorium spectant,

§. I. *Expenduntur acta in causa Lulli, ante et post Bullæ descriptionem.*

Bulla, in Directorio tantum reperta,

Huc tandem reducendus Lullisticæ controversiæ cardo, hæc rei jam per secula tot scriptis librisque operosissime disputatæ summa, hinc tota Raymundi accusatio, hinc tota hæreseos suspicio profluxit. Puta ex celebri Eymerici Inquisitorum Directorio, in quo inventa fuit a Bernardo Lutzemburgo, Judoco Coccio, Gabriele Prateolo, Gilberto Genebrardo, Jacobo Gualterio, Abrahamo Bzovio, aliisque parte 2, q. 26, famosa Bulla, sub nomine Gregorii XI ibi publicata : Bulla, nusquam nisi in eo Directorio reperta; Bulla denique, priusquam vel ibi comparuit, a Lullistis, fictionis aut saltem subreptionis sugillata ; superstite Eymerico, frustra in Regestis Pontificiis Avenione quæsita; et non multis post annis, solenni judicio, ut Lullistæ contendunt, falsitatis convicta et annullata : in eo sane prorsus B singularis, quod ducentis omnino articulis hæreseos et erroris notam inurens, nec unum unicum eorum nominet, distinguat aut proferat; quod quam a stylo Romanæ Curiæ alienum sit, nihil attinet multis ostendere. Palam quidem est, eorum aliquos Directorio illi, sive ab Eymerico, sive ab ejus editore insertos; sed et hoc mirantur viri, a partium studio penitus alieni, ibidem quæstione 9, post acerbum Raymundi vituperium, rotunde pronuntiari, *doctrinam* ejus *continere plusquam quingentos articulos erroneos;* cum ipse solummodo centum enumeret, *ut prolixitati parcatur* scilicet; quæ numquam nimia esse aut superflua potest, ubi de contagiosis dogmatibus agitur, a quibus Catholicorum animi avertantur.

et nullos errores in particulari indicans,

61 Quidquid id est, hinc tamquam ex scaturigine manarunt ea omnia, contra beatum Martyrem, quæ aliqua saltem veri specie passim circumferri videmus, atrocissima stigmata ; mitius, opinor, proponenda, si, quæ hactenus tradidimus, doctorum virorum judicia, a Lulli adversariis æquiori lance fuissent ponderata. Missa hic faciam, quæ de ejus erroribus, ab Alexandro IV damnatis, ineptius aliqui comminiscuntur ; nullo quod reperiri uspiam queat, probabili fundamento, nisi quod zelosissimum Martyrem, obtorto nequidquam collo, in hæreticorum C classem pertractum velint. Nec illa vacat attingere quæ Bzovius, consulto, an imprudenter, commiscuit ad annum MCCCLXXII n. 4; dum librum Raymundi Neophyti, *De invocatione dæmonum*, opusculis B. Lulli; et crassos errores viginti quatuor ex illo desumptos, huic annumerat. Ex quo nonnullis ita argumentari placuit, quasi si ex hac Bzovii inadvertentia sequeretur, prætensos Lulli errores omnes in Directorio notatos, Neophyto adscribendos. Sunt hi plerumque eorum lapsus, qui rerum compendiis magis quam operosiori examine delectantur ; unde et tam varias passim invenias de Raymundi scriptis opiniones, et unius demum Gregorii Decretalis veritate aut falsitate determinandas ; id quod a nobis jam præstandum est, ea qua fieri poterit diligentia; iis dumtaxat neglectis, quæ a Bzovio ejusque vindice sæpius confunduntur aut invertuntur ; non aliter, ac si de industria, rei per se multum obscuræ, tenebras luberet affundere, ab Historico potius dispellendas.

si solum respiceret damnatos in Raymundo Neophito,

perperam Lullo objiceretur

62 Interim, quod sæpe professus sum, iterum atque iterum sincere profiteor, me Nicolai Eymerici memoriæ, ejusque meritissimis laudibus nihil penitus detractum velle; atque adeo ultro ac lubenter subscribere Nicolai Antonii, imo Diago, Altamuræ, aliorumque de ejus virtutibus et doctrina judicio. D Proinde, si forte in decursu, aut fictam aut subreptitiam dixero prætensam Gregorii Decretalem; si prædictum Eymericum asseram, immoderatiori zelo Lullistas insectatum, aut hujusmodi aliquid; id ita acceptum volo, ut nihil incorrupta viri fides, nihil ejus orthodoxa integritas, nihil tuendæ puritatis Catholicæ ardor patiatur. Sequar hac in re probatissima Custurerii monumenta, fuse deducta Dissertatione 2, totis septem capitibus bene longis; quæ sane ex Castellano reddita hic locum habere mererentur, nisi jam nunc tractatus hic noster præfixos terminos excessisset. Patuit id abunde ex dicta intricatissimæ controversiæ non curta Synopsi; nunc illud agam, ut exposita rerum, ordine gestarum serie, nihil desiderari patiar, quod ad historicam notitiam pertinere videatur; omissis dumtaxat instrumentis longioribus, quæ apud laudatum Custurerium, Dermicium Thaddæum, Vincentium Mutum, et alios, curiosus lector consulere poterit.

sicut etiam dici nequeat,

restat definiendum vera an falsa ea sit;

63 Discordiarum totiusque controversiæ primordia repetunt Lullistæ a famosis, Patres Dominicanos inter et Franciscanos dissentionibus, super immaculata Beatissimæ Virginis Deiparæ Conceptione, seculo illo XIV, si umquam, acerrime E utrimque agitatis. Nihil opus est obsoletarum et ferme oblivione traditarum contentionum memoriam invidiosius renovare; quæ ad rem nostram eo tantum attinent, quod pro tuenda ea Dei Matris prærogativa olim Raymundus decertaverit, quemadmodum ex librorum ejus Catalogo haud obscurum arbitror , quidquid nonnulli dissentiant. Hoc certum videtur, B. Lulli sequaces, partes Franciscanorum ardentius secutos, ansam dedisse Eymerico, per Aragonici Regis ditiones non semel fidei Quæsitori, ut Lulli opera, severiori oculo examinata, passim hæreseos incusaret. Hinc Lullistarum odia in se concitasse crediderim, adeo ut hi apud Regem querelas deponerent; cujus tutela freti, acrius in Eymericum invecti sint : is vero nihil per se aut ex Inquisitoris munere in Aragonia tentare ausus, ad Gregorium XI Pontificem Maximum, tunc temporis Avenione residentem, recursum habuerit; hic nimirum prima sparsit accusationum semina, Gregorio ad B. Petri Cathedram recens evecto; quæ paulatim, uti fieri assolet, in pejus aucta et amplificata, summum Pontificem procul dubio impulere, ut speciali Brevi, ad Tarraconensem Archiepiscopum destinato, in Raymundi Libros juberet inquiri. F Datum est apud Pontem Sorgiæ Avenionensis Diœcesis, Nonis Junii anno Pontificatus secundo, nempe MCCCLXXII. Ejus tenorem oculis subjicio.

et declarandum, quomodo ex controversia de Conceptione B. V.

infensus Lullistis Eymericus,

Lulli libros denuntiaverit Gregorio XI:

64 Gregorius Episcopus, servus servorum Dei, Venerabili Fratri Archiepiscopo Tarraconensi, salutem et Apostolicam benedictionem. Nuper, dilecto filio Nicolao Eymerici, Ordinis Fratrum Prædicatorum professore, Magistro in Theologia, in partibus Aragoniæ Inquisitore hæreticæ pravitatis, nobis referente, percepimus; quod in partibus illis, nonnulli laici quamplures libros habent, in vulgari per Raymundum Lullum civem Majoricensem compositos ; in quibus, ut idem Inquisitor videtur asserere, errores quam plurimi in fide continentur. Nos igitur in præmissis, prout ex debito tenemur pastoralis officii, providere volentes ; Fraternitati tuæ, de qua in his et aliis specialem in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus hujusmodi libros, per quoscumque habeantur seu detineantur, tibi facias exhiberi ; et si per tuam et dicti Inquisitoris, et aliorum Magistrorum in Theologica facultate, et Jurisperitorum, quos propterea coram te evoces, repereris, quod præfati libri errores in fide contineant, eosdem

qui anno 1372 eos jussit examinari,

et si erronei invenirentur, comburi:

A dem libros comburas, et comburi facias atque mandes; invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis; contradictores per censuram ecclesiasticam et alia juris remedia, de quibus videbitur, appellatione postposita, compescendo. Non obstantibus etc.]

quod cum non fieret,

65 Vel ex hoc Brevi Pontificio manifeste liquet, unum fuisse eumque valde infensum Lullistarum adversarium Eymericum, qui libros, totis octoginta (ut ipsemet in Directorio fatetur) annis omnium manibus tritos, primus perniciosos deprehenderit, et apertas hæreses sapientes. Hoc ipsum suum in favorem vertunt, nec immerito, Lulli defensores. Quid enim, inquiunt, an talpas dicemus totius Aragoniæ, Cataloniæ, Valentiæ, Balearium, imo et reliqui orbis Catholici Prælatos et Doctores, qui libros illos jam toto fere seculo viderant legerantque, nullo tamen errore aut detecto aut observato? Quin et ex hoc Brevi Pontificio alterum doctrinæ Lullianæ triumphum eliciunt; utpote, quod eo accepto, nec Tarraconensis Metropolitanus, nec suffraganeorum Episcoporum quisquam, examinatis denuo (ut fas est credere) Raymundi operibus, *repererit, quod præfati libri errores in fide continerent*; futurum alioqui, ut eorum jussu *iidem libri comburerentur*; tantum abest, ut, quod Genebrardus refert, *a Taraconensi Archiepiscopo quingenti errores in Raymundi libris fuerint adnotati*. Caruit itaque sperato effectu primus ille Eymerici conatus, nullo opinor, alio, operæ pretio, quam ut libellus unus aut alter in Notariorum manus, Eymerico instigante, consignatus, ita examen subierit, ut omni censura immunem B. Lulli doctrinam judicaverint Aragonici ac Catalanici Doctores et Antistites. Non placuit viro, in Lullistas nimium fervido, ea Præsulum atque eorum Officialium sententia. Quapropter, depositis iterum apud Pontificem querelis, id effecisse videtur, ut causa ad ejus tribunal evocaretur.

tantusque strepitus recideret ad unicum libellum,

B

Notario episcopali consignatum;

hunc saltem ad se deferri jussit Pontifex anno 1374,

66 Huc spectat alterum Gregorii Breve, datum apud Villamnovam Avenionensis diœcesis, III Kal. Octobris, anno quarto, id est MCCCLXXIV [Gregorius Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Francisco Borele, Priori Prioratus ecclesiæ S. Eulaliæ de Campo, et Petro de S. Amancio Hospitalario Darthusæ, Officialibus Venerabilis Fratris nostri Barcinonensis Episcopi, salutem et Apostolicam benedictionem. Ad audientiam nostram fide digna relatione perducto, quod dilectus filius Franciscus Vitalis, præfati C Episcopi Notarius, quemdam librum Raymundi Lulli, in pergamenis et vulgari Catalanico scriptum, assignatum eidem Francisco in custodiam, per vos, et dilectum filium Nicolaum Eymerici, Ordinis Prædicatorum professorem, Inquisitorem hæreticæ pravitatis, in quo errores scripti plurimi perhibentur, apud se habet; Discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus statim visis præsentibus, absque alicujus moræ dispendio, præfatum librum, ad manus vestras receptum, ad nos per fidelem et idoneum portitorem mittere procuretis; cauti ne ullam in his committatis negligentiam vel defectum. Datum etc.]

eum verosimiliter, qui Philosophia Amoris inscribitur.

67 Existimat Custurerius, fundamento plusquam verosimili, in præfato Brevi sermonem esse de libello, cui titulus, *Philosophia Amoris*, Catalanis præ ceteris adamato, et vel idcirco per Eymericum Pontifici denuntiato. Ursit Eymericus, apud Sedem Apostolicam, rem suam perquam gnaviter, Officialibus illis interim moras nectentibus, ne opusculum, lingua Catalanica scriptum, ab ejus linguæ ignaris examinaretur. Quid vero hæc inter, in Aragonia gestum, quid a Lullistis pro Magistri defensione tentatum, statuere non habeo. Satis constare videtur, Eymericiana Avenione molimina non adeo fuisse occulta, quin aliquis ejus rei rumor Barcinonem perveniret; quo fortasse commoti Raymundi studiosi, ad Regem Petrum confugerint, ejus patrocinio effecturi, ne inconsultis Catalanis, et Lullistis non auditis, quidquam Avenione decerneretur. Non continuo eorum postulatis obsecutum video Regem Aragonium: quandoquidem biennio toto et amplius, etiam post secundum Pontificis Breve ad Officiales Barcinonenses, eis opitulari destiterit. Ejus rei fidem faciunt litteræ, ad Papam Gregorium datæ, anno primum MCCCLXXVII, septima Januarii, anno prope integro post prætensam Gregorii Decretalem; quam ipsi Regi tunc adhuc prorsus fuisse ignotam, contra Diagum et alios, ad oculum demonstrabimus, ipsiusmet Regis verbis, quæ ex autographo Barcinonensi prius exhibeo, ut a Diago referuntur. D

AUCTORE J. B. S.

Interim Rex Aragoniæ Petrus,

anno 1377 motus fama utriusque decreti,

Sanctissime Pater.

68 Intelleximus relatu quorumdam, quod Sanctitas vestra, ad instigationem Fratris Nicolai Eymerici Inquisitoris, misit ad has partes Barcinonæ et Majoricarum, quoddam rescriptum, continens, quod quicumque teneat de libris per Raymundum Lull, quondam civem Majoricarum factis, intra certum tempus in ipso rescripto contentum, illos teneatur, sub excomunicationis pœna, ponere in posse Vicariorum, Episcoporum ipsarum civitatum. Nam fertur, quod dictus Inquisitor Opus dicti Raymundi examinari fecit, et quod in eo aliqua invenit, quæ contra fidem Catholicam existunt. Cumque, sanctissime Pater, consanguinei ipsius Raymundi, qui sunt in hac civitate, a qua suum genus traxit originem, cupiant valde quod ipsum Opus in eadem examinetur civitate: quod rationabile nobis videtur et justum; primo, quia Opus prædictum est in idiomate Catalano, ob quod absque dubio melius intelligetur per Catalanos, quam per homines alterius nationis. Secundo, quia in Catalonia sunt plures Clerici et Religiosi, qui in dicto Opere libenter student, cum plurima in eo addiscant utilia valde; quique super ipsa examinatione poterunt multa dicere, per quæ veritas demonstretur. Tertio, quia scientia dicti Raymundi habet principia, valde dissimilia aliis scientiis; unde per ignorantes eam, quamvis aliarum scientiarum scientificos, potest de facili non intelligi. Quarto, quia magnum est interesse consanguineorum prædicti Raymundi, an dictum Opus comprobetur vel reprobetur: unde rationabile valde existit, quod super hoc ipsi vocentur, et audiantur rationes eorum. Quocirca Sanctitati vestræ humiliter supplicamus, ut providere dignemini, quod dictum Opus in hac civitate examinetur; committendo examinationem ipsam Episcopo Barcinonæ, juxta supplicationem, quæ super hoc nostri parte vestræ Clementiæ offeretur. Nam de hoc nobis specialem gratiam faciet Benignitas vestra. Nam ex quo dictus Raymundus erat Catalanus et subditus noster, multum nobis placebit, si ejus scientia comprobetur; et proinde Sanctitati vestræ gratias humiles referemus. Almam etc. Dat. Barcinonæ sub nostro sigillo secreto, VII die Januarii, anno a nativitate Domini MCCCLXXVII.

E

petit accusatum opus Barcinone examinari,

F

utpote lingua Catalana scriptum,

69 Non longo examine opus est, ut aperte deprehendatur, hanc Regis epistolam, solo hoc motivo, solo eo fine scriptam, ut libellus, de quo in rescripto anni MCCCLXXIV egerat Gregorius, non Curiæ Pontificiæ Theologis, sed Catalanis et vernaculæ linguæ peritis discutiendus committeretur. Nam quid tandem aliud indicant verba illa, sexies singulari numero repetita, *Opus, dictum Opus, ipsum Opus* etc.? An ea refert Diagus ad viginti volumina et errores ducentos in Bulla Gregoriana confixos? Ego me fateor nullatenus

potius quam Avenione, ubi ea minus nota erat:

AUCTORE J. B. S.

A nullatenus intelligere, qua id verisimilitudine asserere audeat. At, inquies, ipso litterarum regiarum principio universum dicitur, *quod quicumque teneat de libris, per Raymundum factis, illos teneatur ponere in posse Vicariorum* etc. Utique; sed hoc jam pridem præscriptum fuerat diplomate primo ad Tarraconensem Archiepiscopum, nuper citato, anni MCCCLXXII, mandante Pontifice, *quatenus hujusmodi libros, per quoscumque habeantur seu detineantur, sibi faciat exhiberi.* Cum autem ex eo tempore maxime institisset Eymericus, ut libellus de *Philosophia Amoris.* vel quiscumque ille est, quem Officiales Barcinonenses longa tergiversatione ad Pontificem mittere negligebant, Avenione damnaretur; nihil mirum si Rex Petrus, Lullistarum precibus exoratus, illius potissimum curam susceperit. Nec certe in Constitutione anni MCCCLXXVI ulla libri illius præ ceteris fit mentio: contra vero Breve anni IV eo unice spectat, ut iste unicus, in notarii Vitalis manus consignatus, ad examen Avenionem destinetur, quem hisce litteris Rex Aragonius flagitat, solorum Catalanorum Theologorum judiciis submitti.

unde liquet, eatenus ignotam in Aragonia fuisse Bullam anni 1376,

70 Clariora sunt Regis verba, quam ut commentario egeant. Accedit porro, quod si famosa illa et litigiosa Constitutio anni MCCCLXXVI, in Regis notitiam tum pervenissset, cum ea ad Pontificem scriberet; ridicula videretur ejus agendi ratio, ne dicam, B temeraria et absurda: qui enim sciret viginti Raymundi volumina, ac proinde ea inter, opus etiam præmemoratum, contentosque in iis errores omnino ducentos, jam atro calculo notatos; ipse summum Pontificem ad solenne judicium Barcinonæ recognoscendum interpellaret: et eo quidem procederet ineptius, quod neglectis libris aliis novemdecim, ac tam ingenti hæreticarum propositionum numero, opusculi unius *examinationem committi Episcopo Barcinonæ* audacter postularet: imo ineptissime ad Lulli consanguineorum intentum, quos ea unice angebat cura, ut ejus scripta, ab Eymerico traducta, innoxia declararentur. Quid enim, obsecro, iis prodesse poterat, libelli unius examinationem committi Catalanicæ linguæ peritis; si jam infamem hæreseos notam oraculo Ecclesiæ Raymundus subierat, damnatis seorsim ducentis articulis, et totis novemdecim voluminibus aliis prohibitis, tamquam manifeste hæreticalibus? *Magnum* profecto *interesse consanguineorum prædicti Raymundi, an dictum opus comprobaretur vel reprobaretur,* dum reliqui publica Constitutione, Apostolicæ Sedis judicio, ut perniciosi interdicebantur! Egregium enimvero solatium ipsis evenisset, ex hujusmodi opusculi approbatione; nec minus Regi fuisset honorificum, hæretico jam declaratissimo patrocinari. Si hæc Diagus paulo perpendisset attentius, non tam facile ex iis litteris in Eymerici favorem decretoriam sententiam deduci existimasset.

contra 20 tomos Lulli dictatam:

unoque eorum indicato,

C

71 Melius et longe probabilius hinc colligit Custurerius pag. 264, anno illo MCCCLXXVII nihildum de prætensa Bulla totis Aragonicis ditionibus innotuisse. Quin imo, ipsomet tempore, in favorem Lulli conclusum fuisse librorum examen, quod primo suo Diplomate Archiepiscopo Tarraconensi Gregorius demandaverat; quidquid artibus Eymerici tentatum diximus, ut Lulliana causa Avenionem evocaretur. Non obscure id insinuant litteræ Regiæ, dum asserunt; *plures Clericos esse et Religiosos, qui in dicto opere libenter student, cum plurima in eo addiscant utilia valde.* Legebant igitur Clerici et Religiosi præfatum librum, isque jam libere omnium manibus terebatur, postquam Officialium Barcinonensium sententia haud dubie fuisset absolutus. Quod si verum est de eo quem maxime Eymericus oderat libello, idipsum potiori jure de reliquis censebimus, quos Officialibus suis, jussu Pontificis, tradi mandaverant D Tarraconensis et reliqui totius ditionis Aragonicæ Antistites.

19 alios simili examine fuisse absolutos.

§. II. *Bullæ controversæ tenor, cujus assertor Eymericus apud suum in officio successorem calumniæ convictus, etiam Avenione causa cadit, excusso frustra Regesto Gregoriano.*

Ne quid desiderari patiar, ad evincendam supradictarum rationum veritatem, subnectam hic, quod dixi, totius controversiæ momentum, Gregorii XI prætensum diploma, datum Avenione VIII kalendas Februarii, Pontificatus anno sexto, MCCCLXXVI; ut quisque per se judicet, an ullo pacto ad id referri possit, quod suis in litteris supplicantem vidimus Regem Aragonium.

Inducitur Gregorius XI asserens,

GREGORIUS Episcopus, servus servorum Dei. Venerabilibus Fratribus, Archiepiscopo Tarraconensi ejusque Suffraganeis, Salutem et Apostolicam Benedictionem. Conservationi puritatis Catholicæ fidei, quam multi nequam filii scelerati, suis falsis assertionibus maculare nitentes, inter triticum purum agri Dominici, pestiferum semen zizaniæ seminant (cum ad nostrum præcipue spectet officium, ut evellamus prava et destruamus perversa) providere salubriter, et animarum illaqueationibus obviare confestim plenis desideriis affectantes; opportuna in his, quæ possumus, remedia studio pastoralis solicitudinis adhibemus.

quod pro suo zizaniam extirpandi zelo, E

73 Dudum siquidem dilectus filius Nicolaus Eymerici, Ordinis Fratrum Prædicatorum professor in sacra Theologia Magister, in regnis Aragoniæ, Valentiæ et Majoricarum Inquisitor hæreticæ pravitatis, nobis exposuit; se in regnis eisdem invenisse viginti volumina diversorum librorum, a quodam Raymundo Lullo cive Majoricarum editorum, in quibus (ut ipsi Inquisitori videbatur) multi continebantur errores et hæreses manifestæ: et quod nonnulli de prædictis et aliis regnis, libris utebantur eisdem, et eorum doctrinæ dabant fidem non modicam, in grande suarum periculum animarum; supplicavitque nobis Inquisitor ipse, ut, ne simplices deciperentur ex libris ipsis, dignaremur in hac parte de opportuno remedio providere. Nos autem cupientes animarum, jam forsan imbutarum, et quæ imbui possent ex perverso dogmate dictorum librorum, periculis celeriter obviare; dictos libros per Venerabilem Fratrem nostrum Petrum Episcopum Ostiensem, et per quamplures, etiam ultra vigenum numerum, in eadem Theologia Magistros, examinari fecimus diligenter; per quorum relationem tandem habuimus, quod ipsi dictos libros omnes cum multa diligentia legerant, et examinaverant, et quod ultra ducentos articulos erroneos et hæreticales invenerant in eisdem; super quibus, inter eosdem Episcopum et Magistros, sæpius et demum coram nobis habita disputatione solenni, ipsos articulos (ad vitandum prolixitatis tædium, et horribilitatem eorum, haberi volumus præsentibus pro expressis) erroneos et manifeste hæreticales. de ipsorum Episcopi et Magistrorum concordi consilio censuimus reputandos.

ad suggestionem Eymerici Inquisit.

20 libros Lulli Theologis suis examinandos commiserit, F

qui in iis ultra 200 hæreses notaverint;

74 Cum autem, sicut Inquisitoris præfati continebat assertio, in prædictis regnis alii libri, qui asseruntur editi a jam dicto Raymundo, reperiri dicantur, in quibus hujusmodi jam reperti, et alii errores et hæreses creduntur probabiliter contineri; Nos, volentes de hujusmodi aliis libris et eorum doctrina informari plenarie, et super eis providere salubriter, ne fideles in errores hujusmodi damnabiliter prolabantur; Fraternitati vestræ. de Fratrum nostrorum

quod idem præsumi possit de aliis necdum excussis,

A nostrorum consilio, per Apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus diebus dominicis et festivis, in singulis ecclesiis vestris Cathedralibus ac Curatis, nec non Religiosorum quorumcumque Ordinum, exemptorum et non exemptorum, etiam Cisterciensis, Carthusiensis, Cluniacensis, Præmonstratensis, Grandimontensis, sanctorum Benedicti et Augustini, ac Fratrum Prædicatorum, Minorum et Eremitarum ejusdem S. Augustini, et Carmelitarum et aliorum Ordinum vestrarum civitatum et diœcesium, intra Missarum solennia existentibus populis ad divina, et in prædicationibus per vos vel alios, quantum id commode poteritis, faciatis proponi, quod omnes et singulæ personæ utriusque sexus, cujuscumque status, ordinis et conditionis existant, earumdem vestrarum civitatum et diœcesium, seu commorantes in eis, habentes libros quoscumque a præfato Raymundo editos (ut præfertur) ipsos infra unius mensis spatium, vobis assignare; et illi qui sciunt alias personas libros eosdem habentes, eas vobis revelare ac nominare procurent; vosque libros recipi faciatis eosdem: quos cum habueritis, quam cito commode poteritis, curetis nobis fideliter destinare, ut ipsos simili examini subjicere valeamus. Ceterum

quare pariter omnes jusserit ubique prohibitos declarari,

et necdum excussos ad examen colligi.

B quia doctrina, seu potius dogmatizatio prædictorum librorum examinatorum reperitur erronea, hæreticalis, et periculosa nimium animabus; et vehemens suspicio est habenda, quod in aliis libris editis a dicto Raymundo, similes vel alii (ut præfertur) contineantur errores; vobis mandamus, quod omnibus et singulis eisdem personis vestrarum civitatum et diœcesium, doctrinam seu dogmatizationem et usum hujusmodi librorum interdicere studeatis, donec super his per Sedem Apostolicam aliud fuerit ordinatum. Contradictores per censuram etc.

Id si verum erat, quomodo ignoravit Rex Petrus?

75 Hæc illa est Beato nostro ejusque studiosis infesta, et (ut supra dictum est) una et sola machina, qua Scholam Lullisticam exagitare queant, qui pro Constitutionis illius veritate magnis conatibus hactenus decertarunt, postmodum a nobis conveniendi. Hic solum proposita modo est, ut Diagi et sociorum vanus comprimatur triumphus, existimantium Petri Aragonii litteras, tum ad Gregorium scriptas cum ejus diplomatis copiam nactus, pro Lullo et Lullistis serus deprecator accessit: quod quam sit inverisimile, jam abunde confectum autumo. Ipsam Bullam necdum discutimus, id demonstrasse contenti, quod contra Diagum assumptum fuerat; eam scilicet, qualem qualem, Regi Petro

et quomodo publicata Bulla numquam fuit?

C fuisse ignotam, tum cum pro solo libello, apud Vitalem Barcinone asservato, Pontifici supplicavit. Jam illud mirari liceat, prætensam, Decretalem ad Aragonicas ditiones destinatam, atque ibi, si ita urgebat periculum, unice necessariam, tanto tempore suppressam fuisse, ut quo primum anno innotuerit, nulla probabili ratione assequi liceat. Quis credat, solicitum Pontificem, parata jam remedia, et evellendis tot errorum hæresumque zizaniis opportuna, tam diu distulisse? Quis credat, inquam, eum tantis malis, si vere suberant, non prospexisse, priusquam de referenda Romam Petri Cathedra cogitaret? Atqui id tamen factum oportuit: nam cum Aragonius ad eum scriberet VII Januarii MCCCLXXVII, jam dudum discesserat Pontifex, in Urbem appulsus anni ejusdem et mensis tertia decima, post quadrimestrem peregrinationem.

Ideo Lullistæ dicunt ab Eymerico fictam,

76 Frustra quis reposuerit, differri potuisse Bullæ publicationem, eamque Eymerico committi, ut, ex Inquisitoris officio aut speciali delegatione Apostolica, id opportuno tempore exsequeretur: occurrent enim Lullistæ, aperte denegantes, Constitutionem hujusmodi auctoritate Pontificia umquam fuisse munitam. Si ejus fabricatorem quæras, Eymericum

D appellare non dubitant. Nimis crude, opinor; quasi id ita accidere non potuerit, ut peracto Avenione propositionum Lullo adscriptarum examine, idea aliqua seu schema Constitutionis formaretur, quod aliis subinde negotiis intercurrentibus suspensum, Romam repetente Gregorio, ab Eymerico servatum, et amicis communicatum, sensim ad alios penetrarit; atque ita postmodum a B. Lulli adversariis Directorio insertum, ansam præbuerit perpetuis utrimque dissidiis. Cui hæc conjectura non placuerit, is aliam formet plausibiliorem; videritque, qua ratione faciat verisimile, stante Constitutionis veritate, Pontificem ad Aragonii litteras nihil responsi dedisse, nec de ea Regem aut ditionum ejus Præsules fecisse certiores, quorum certe nec vestigium occurrit. Tacuerit procul dubio, annis aliquot, Inquisitor Eymericus, donec forte Lullistarum, sibi de doctrinæ suæ approbatione blandientium, importunis plausibus irritatus, per amicorum manus codicem sparsit nescio quem, sub titulo *Condemnatio*; quo propositiones Lullianæ, tamquam Avenione examinatæ damnatæque, circumferebantur. Ilicet turbarum classicum una insonuit. Utrum vero eo etiam codice pretensa Bulla exhiberetur, quisve in eo articulorum censuratorum numerus, compertum non habeo. Utcumque tamen statueris, palam est, codicem illum ingentes per Aragonicas ditiones motus concitasse; adeo ut ipse Eymericus, aut sibi male metuens, officio renuntiaverit, aut Superiorum auctoritate cedere compulsus fuerit.

AUCTORE J. B. S.

aut ejus solum ideam fuisse,

qua nixus ediderit doctrinæ Lullisticæ condemnationem,

E *magno suo malo;*

77 Crediderim ego, tunc primum lucem aspexisse contentiosam Bullam, seu mavis Bullæ jam præconceptæ ideam, qua armatus Eymericus, acerbius in Lullistas invectus sit, suo (ut dixi) malo. Nam primus ipse fuit, et illa confestim ut falsa, ficta, et subreptitia habita est, palam et publice improbata; quod eo nomine, errores, numquam a Lullo somniati, ei per summam calumniam imputarentur; non ipsa in Bulla, quæ nullos articulos nominatim indigitat, sed in Eymerici commentariolo, in quo pro arbitrio minuebantur augebanturque. Etenim Directorium expresse affirmat, repertos in Lulli operibus articulos erroneos plusquam quingentos: citat Penna exemplar Bullæ Sabellianum, quo damnati asserebantur articuli quadringenti: conveniunt omnes in ducentorum numero, diplomate expresso: codex vero Eymericianus, in Directorium ab editore relatus, majorem eum numerum ad centenos contra ctum exhibet; sic ut ea tam notabilis variatio, dubios nos merito reddat, et de Constitutionis ipsius, et de Eymericiani codicis certitudine. Nam quæ ea tandem Constitutionis Apostolicæ norma, libros in genere, modo inaudito, et articulos configere plurimos, tamquam erroneos et hæreticos, quorum nec unum unicum exprimat? Quæ autem Eymericiani codicis auctoritas esse poterat, cui quotidie et de novo aliquid addere, quotidie decerpere aliquid, in ejus erat potestate? Sed nos historiæ filum prosequamur.

nec sibi constans in numero errorum damnatorum,

quos solum 200 in genere arguit Bulla prætensa.

F

78 Excesserat jam e vivis Gregorius Papa, post cujus obitum grassabatur per universam Ecclesiam teterrimum schisma, Urbano et Clemente de summo Pontificatu luctuosum in modum contendentibus: quos inter ita fluctuabat Aragonius, ut cujus partibus adhæreret nondum satis certum habere videretur. Hinc nec Romam, nec Avenionem, tutus Lullistis patebat recursus, ut quid de censura Lulliana statuendum esset, certo ex Pontificiis archivis explorarent. Id quod tum demum accidisse videbimus, cum Petri sucessor Joannes Aragonius, parte Benedicti XIII amplexus, Lullistis viam aperuit ut ex regestis Pontificiis de tota re docerentur. Placuit interim, coram novo Inquisitore Bernardo Ermengaudo,

Mortuo Gregorio Lullistæ Eymericum, ab officio depositum,

citarunt ad novum Inquisitorem, pro sua censura responsurum.

AUCTORE J. B. S.

Is autem anno 1386 tres primo accusatos articulos,

A gaudo, itidem Ordinis Prædicatorum, id tunc agere, quod tempus et locus ferebat; Eymericum ipsum vocando in judicium, ut hæreses, Lullo perperam impactas, in ejus libris palam ostenderet. Quid ad sui purgationem Eymericus tentaverit, nusquam invenio litteris consignatum; Lullistas vero nihil non movisse, ut causæ recognitio institueretur, ex eo liquet, quod anno MCCCLXXXVI, annis non plus decem post prætensæ Bullæ editionem, solenni judicio novus Inquisitor pronuntiarit, tres primas propositiones, quæ Eymericiano codice, tamquam ex Philosophia illa Amoris excerptæ, atque a Pontifice Gregorio vulgo damnatæ dicebantur, non solum Raymundo falso adscribi; sed articulos ejus, eo libello expressos, *bonos, veros, fideles et catholicos esse, nulla rubigine hæresis maculatos.* Totius hujus recognitionis instrumentum refert Dermicius Thadæus a pag. 482, et Custurerius pag. 239; ex quo paucula hic, ad institutum nostrum spectantia, subjiciam.

ex judicio octo Doctorum utriusque Ordinis,

79 Noverint universi, quod die Sabbati nona decima die Maji, anno a nativitate Domini MCCCLXXXVI, in præsentia mei Notarii et testium subscriptorum, existentibus personaliter in monasterio B Fratrum Minorum Barcinone, Reverendo Patre Magistro Bernardo Ermengaudi, Provinciali Prædicatorum et Inquisitore etc.] Sequuntur nomina octo Doctorum, partim Dominicanorum, partim Franciscanorum, qui prædicto judicio interfuerunt, et tum subdit: [Reverendus Dominus Inquisitor dixit et proposuit, quod ad instantiam quorumdam amicorum venerabilis Raymundi Lulli, quondam civis Majoricarum, ipse pro infrascriptis vocaverat ad concilium omnes dictos Magistros et Fratres; et narravit ibidem, quomodo tempore sanctissimi in Christo Patris et Domini D. Gregorii sanctæ memoriæ Papæ XI, Reverendus Pater Magister Nicolaus Eymerici, Ordinis Prædicatorum, tunc Inquisitor hæreticæ pravitatis in Provincia Aragoniæ, fecerat condemnari aliquos articulos, quos dicebat se invenisse in diversis libris dicti Raymundi Lulli, nominando ipsos libros: inter quos autem articulos erant, ut dixit idem Dominus Inquisitor Magister Bernardus, tres, quos idem Magister Nicolaus dicebat se invenisse in quodam libro, facto per dictum Raymundum Lull, intitulato de Philosophia Amoris, quos articulos dictus venerabilis Dominus Inquisitor Magister Bernardus Ermengaudi tradidit mihi Notario in scriptis, com- C positos in Latino, et sunt isti.]

declaravit perperam Latine redditos,

80 Proponuntur deinde Articuli latini a Nicolao accusati, conferunturque cum textibus Catalanicis, ex Philosophia Amoris fideliter extractis; tum ita pergit instrumentum: [Quibus prolatis et narratis, dictus Reverendus Dominus Inquisitor Magister Bernardus Ermengaudi, interrogavit omnes superius nominatos Magistros in Theologia, et alios supradictos Fratres Theologos, qui ibi erant, collationem super iis facientes, si dicti articuli, ut in Latino jacent condemnati, ut supra sunt inserti, erant in dicto libro Philosophia Amoris, vel si poterant elici ex dictis, positis in libro prædicto. Etiam interrogavit, si dicti articuli, ut jacent in dicto libro, eo modo quo dictum est, ut supra sunt inserti, sunt boni et vere catholici? Et omnes dicti Magistri et alii Fratres, per dictum Dominum Inquisitorem Magistrum Bernardum interrogati per capita, tenentes et legentes ibi coram omnibus, prædictos tres articulos condemnatos, et prædictum librum de Philosophia Amoris; dixerunt, quod semel et pluries quilibet per se viderat et recognoverat assidue et diligenter prædicta; et quod dicti articuli condemnati, ut jacebant, et supra sunt inserti, non erant in dicto libro, nec poterant elici ab

et in suo originali plane orthodoxos esse:

eo; et quod articuli supradicti, positi in libro prædicto Philosophia Amoris, erant boni, veri et catholici.] Mitto fusiorem eorum omnium probationem, in instrumento late deductam, Doctorum novem subscriptionem, aliaque quæ apud prædictos Auctores, curiosus Lector inveniet. D

quod idem de reliquis judicandum fuerit,

81 Hæc causæ Lullianæ recognitio argumento est, non censuisse Inquisitorem Ermengaudum, nec Doctores alios Aragonicos, Bullam famosam, Gregorii Papæ auctoritate fuisse communitam; non ausuros alioquin privata sua sententia judicium Sedis Apostolicæ temere reformare, ut recte annotavit Custurerius. Quod autem solos tres articulos ad examen revocaverint, id ea fortasse de causa accidit, quod, cum propositionum numerus sæpe variando imminueretur, atque Eymericum certatim Lullistæ urgerent, ut eas in Magistri sui libris ostenderet; is illas assignarit præcipue, quas in caro Aragonibus libello contineri sustinebat; quasque proinde præ ceteris novus Inquisitor, a socio suo Nicolao per injuriam Raymundo tribui, declaravit. Et erat is liber, de quo Gregorius Brevi suo altero scripserat ad Officiales Barcinonenses; idem que, quem a Theologis linguæ Catalanicæ peritis E discuti, rogaverat pridem Rex Aragonius. Cur vero aliis articulis examinandis supersederit Ermengaudus, non satis assequor; nisi si ex primo eo certamine victores Lullistæ, confidenter negarint, propositiones reliquas fidelius ex Raymundi libris extractas, adeoque id probandum Eymerico accusatori reliquerint: vel probabilius existimabimus, luctuosi schismatis turbas, et partita Aragonum inter Pontifices studia, eam quietem non dedisse, quæ ad maturius prolixiusque examen, ac totius rei discussionem erat necessaria; Lullistis interea facile acquiescentibus, dum cetera Magistri opuscula intacta haberentur, Episcopis Bullam respuentibus, solius Eymerici auctoritate subnixam.

si per istius temporis turbas licuisset.

Pro reliquis 197 articulis non curaverunt decertare Lullistæ,

82 Divinare non lubet, neque tamen curanda est Diagi conjectura, qui ex præfata Ermengaudi recognitione, putat consequens esse, reliquos centum nonaginta et septem articulos, quasi tacite a Lullistis admissos; atque eorum inde deduci impotentiam, quod etiam illos eadem opera non ostenderint perperam Raymundo attribui; cujus ratiocinii imbecillitatem inferius ostendam. Magis placet; quod libro 1 Historiæ Provinciæ suæ Aragonicæ capite 27 in Eymerici defensionem adfert; puta, F haud incongrue dici posse, multa ex Raymundi operibus, sive librariorum, sive aliorum incuria fuisse corrupta; unde contigerit, alia fuisse, quæ Eymericus accusaverat, exemplaria, alia genuina in quibus Lullistæ negabant prætensos errores contineri. Sit ita ut cuique libuerit, parum curabunt Lullistæ, modo verum maneat, Bullam Gregorii, vel apocrypham, et non legitime editam, nec promulgatam, vel saltem beati Martyris vera opera non feriisse. Jam quidquid Diagus pro vindicando Eymerico desudet; extra controversiam esto, ægerrime eum tulisse socii sui Ermengaudi de tribus Raymundi articulis judicium. Nam cum Avenionem secessisset stricto protinus calamo, multa adversus Lullistas scribere exorsus, eos coram Clemente traducere non destitit, uti absurdissimorum errorum fautores et defensores. Hinc illud, *Expurgate vetus fermentum;* hinc *Fascinatio Lullistarum;* hinc ejus *Dialogi*, aliaque opuscula, in Lullum ejusque propugnatores deprompta, non magno operæ pretio; siquidem Clementis tribunal agnoscere renuerunt Lullistæ, quamdiu Rex Petrus ejus obedientiam, ut tunc loquebantur, non recepisset.

securi de nullitate Bullæ prætensæ,

quidquid apud Pseudo-Papam Clementem moliretur Eymericus.

83 Ermengaudi sententiam brevi secutus est dicti Regis obitus, cujus successor Joannes filius, Eymericum

A Eymericum tantarum turbarum dissidiorumque causam existimans, acre in illum distrinxit judicium; eumque ex ditionibus suis omnibus, tamquam *scandalosum, nequam, et pestilentem hominem, suorum subditorum publicum inimicum, fidei orthodoxæ suspectum* etc. exulare jussit, anno, ut traditur, MCCCXCIII. Non multo post excessit e vivis Clemens, Eymerici Patronus; cui cum anno MCCCXCIV successisset Petrus de Luna, sub nomine Benedicti XIII; isque a Joanne Aragonio, ut, verus Papa fuisset agnitus; nulla prope mora interposita, miserunt Lullistæ e suis unum, qui de tota re coram inquireret diligentius. Fuit hic Antonius Riera Valentinensis, non uno dein titulo Eymerico exosus, et ab eo toto volumine exagitatus. Is ubi Avenionem pervenit, Eymericum ipsum, illic degentem, præsentem et juridice citatum aggressus, causam Lullianam plane visus est evicisse. Siquidem per Cardinalem S. Sixti, Commissarium, excussis non semel Gregorii Regestis, apertissime deprehendit, Bullam illam anni sexti nullatenus reperiri, tametsi priora duo Brevia suis locis invenirentur.

Mortuo Clemente proscribit illum Rex Joannes.

et Avenionem missus Antonius Riera,

84 Exstat ejus rei authenticum instrumentum, quod integrum attexo; ut quid de prætensa Decre- B tali sentiendum sit, hinc liqueat potissimum, cum ad accuratissimam perquisitionem nihil omnino defuisse videatur, viventibus fortasse iis ipsis Apostolicarum litterarum Registratoribus, qui tempore Gregorii XI, ab annis non plus novemdecim, idem munus administraverant. En instrumenti copiam.

quæsiturus in veritatem prætensæ Bullæ,

In nomine Domini, Amen. Noverint universi, præsens publicum instrumentum inspecturi, quod coram Reverendissimo in Christo Patre et Domino, Domino Leonardo, miseratione divina tituli S. Sixti Presbytero Cardinale, Judice et Commissario per sanctam Sedem Apostolicam specialiter deputato, personaliter constitutus, discretus vir Antonius Riera, Clericus Valentinensis diœcesis, Bachalaurius in Legibus, principalis, citra tamen procuratoris sui revocationem, in quadam causa seu causis, quæ vertitur et vertuntur, seu verti et esse sperantur, inter dictum Antonium, principalem ex una parte, et religiosum virum Fratrem Nicolaum Eymerici, hæreticæ pravitatis in regno Aragoniæ Inquisitorem, de et super nonnullis articulis fidem tangentibus; et ipsorum occasione parte ex altera; in qua ad nonnullos actus, etiam coram eodem Domino Cardinali, Judice et Commissario, citra tamen conclusionem, inter dictas partes exstitit C processum; et tandem copiam sive schedulam cujusdam litteræ Apostolicæ, per fel. rec. Dominum Gregorium Papam XI, ut idem Antonius asseruit, factæ, eidem Cardinali tradidit atque dedit: cujus tenor sequitur, et est talis; Gregorius Episcopus etc. *Subjicitur tota Decretalis jam præmissa: et sequitur,*

refert authenticum testimonium,

quo asseritur,

85 Qua siquidem copia sive schedula, per dictum Antonium, Domino Cardinali memorato tradita; idem Antonius ipsum Dominum Cardinalem instanter requisivit, quatenus venerabilibus viris, litterarum Apostolicarum Registratoribus, per suas litteras scriberet; eisque nihilominus, auctoritate Apostolica sibi in hac parte commissa, præciperet et mandaret, ut litteras in ista schedula contentas, in registris eis commissis, diligenter perquirerent; et si eas repererint, sumptum sive instrumentum transumptum earumdem, clausum et sigillatum, prout moris est in talibus fieri, ac ita et taliter quod eis fides adhiberi valeret, præfato Domino Cardinali transmitteretur, expensis moderatis dicti Antonii; ut ipso mediante posset et valeret partibus supradictis debitum justitiæ administrare; quoniam præfatus Antonius, pro sui juris fundamento, sumptum prædictarum litterarum, coram dicto Domino Cardinali, D ut asseruit, producere intendebat. Qui quidem Dominus Cardinalis, Judex et Commissarius, attendens quod justa petentibus non esset denegandus assensus; supradictarum litterarum Apostolicarum Registratoribus, modo et forma per dictum Antonium superius petitis, per suas litteras auctoritate Apostolica scripsit et mandavit; ipsasque per porterium et nuntium suum juratum, eisdem Registratoribus præsentari fecit. Qui porterius postmodum Domino Cardinali, Judici et Commissario memorato, ac mihi Notario infrascripto retulit; qualiter dicti Domini, litterarum Apostolicarum Registratores, in registris eis commissis anni sexti præfatæ felicis recordationis Domini Gregorii Papæ XI, diligenter perquisierunt et facta diligenti perquisitione, eidem porterio, ut asseruit, dixerunt; quod in eisdem registris, litteras, in suprascripta papyri schedula contentas, non repererunt registratas.

Cardinali Commissario obtulisse copiam Bullæ,

in Registro Gregorii XI requirendæ;

AUCTORE J. B. S.

quod facere jussi Registrorum custodes,

86 Subsequenter autem Venerabilis vir Dominus Joannes a Fonis, unus de litterarum Apostolicarum Registratoribus, in mei Notarii prædicti et testium fide dignorum præsentia, Domino Cardinali, Judici E et Commissario præfato, retulit et dixit; quod dictam schedulam, in registro sibi commisso anni sexti dicti Domini Gregorii, per suos Clericos, non solum semel, sed pluries diligenter perquiri fecit; et quod litteræ in sæpedicta schedula contentæ in suo registro non fuerunt, neque erant registratæ. Deinde præfatus porterius et nuntius juratus, litteras dicti Domini Cardinalis, una cum schedula sive copia præinserta, prædicto Domino Cardinali reportavit, et mihi Notario infrascripto in præsentia testium infrascriptorum retulit, et dixit; quod venerabiles viri Domini Bernardus Fortis, alter de litterarum Apostolicarum Registratoribus, et Joannes Ludovici Cameræ Apostolicæ Notarius, in dorso dictæ schedulæ, sive copiæ, per ipsum, ut præmittitur, reportatæ, et, ut præfertur, præinsertæ, scripserunt in hunc modum qui sequitur.

retulerint, diligenter quæsitam,

omnino non inveniri;

87 Notum sit omnibus, quod Ego Bernardus Fortis, litterarum Apostolicarum Registrator, perquisivi diligenter registrum mihi commissum anni VI, sanctæ memoriæ Domini Gregorii Papæ XI, quod in eodem registro litteras, in præsenti schedula papyri annotatas, non reperio registratas. In cujus rei testimonium, hic manu propria subscripsi, et signavi, die IX Julii, anno a nativitate Domini millesimo trecentesimo nonagesimo quinto. Bernardinus Fortis, Registrator. F

idque eorum unus rite confirmat,

Notum sit omnibus, quod ego Joannes Ludovici, Cameræ Apostolicæ Notarius, perquisivi diligenter registrum litterarum Apostolicarum eamdem Cameram tangentium, anni sexti Pontificatus sanctæ memoriæ Domini Gregorii Papæ XI; et quod in eodem registro litteras, in præsenti schedula papyri annotatas, non reperio registratas. In cujus rei testimonium, hic manu propria me subscripsi et signavi, die IX Julii, anno a nativitate Domini millesimo trecentesimo nonagesimo quinto.

itemque collega ejus:

88 Tandem die et hora infrascriptis coram Domino Cardinali, Judice et Commissario præfato, in meaque Notarii publici et testium infrascriptorum, ad hæc specialiter vocatorum et rogatorum præsentia, personaliter constitutus prædictus Antonius Riera, citra tamen procuratoris sui revocationem, et de præmissis omnibus et singulis mandato, relationibus, et aliis suprascriptis, et designatis a tempore traditionis dictæ præinsertæ schedulæ, et citrafactis, petiit sibi fieri unum vel plura publicum seu publica instrumentum seu instrumenta, per me Notarium publicum infrascriptum. Acta fuerunt hæc Avenione, in domo habitationis dicti Domini Cardinalis,

qua de re instrumentum petente Riera,

ipsum signat Notarius publicus,

AUCTORE J. B. S.

A Cardinalis, hora nona vel quasi, sub anno a nativitate Domini millesimo trecentesimo nonagesimo quinto, indictione III, die Sabbati, X mensis Julii, Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris et Domini nostri D. Benedicti divina providentia Papæ XIII, anno I; præsentibus ibidem venerabilibus viris, Dominis, Durando Tunduci, in Decretis Licentiato, dicti Domini Cardinalis Camerario; ac Magistro Dominico Pavardi, in utroque Jure Bacchalario, ac in Romana Curia Procuratore, testibus ad præmissa vocatis specialiter et rogatis.

et alius etiam Notarius confirmat,

Et ego Thoico Rodulphi de Camicavilla, Clericus Tarraconensis Diœcesis, publicus Imperiali auctoritate Notarius, ac præfati Reverendissimi in Christo Patris et Domini Cardinalis, Judicis et Commissarii, et causæ hujusmodi coram eo scriba, præmissis omnibus et singulis, dum, sicut præmittitur, agerentur et fierent, una cum prænominatis testibus præsens interfui, eaque sic fieri vidi et audivi; ideoque hoc præsens publicum instrumentum, per alium, me aliis occupato negotiis, scriptum, in hanc publicam formam redegi; hicque manu propria scripsi, et signo meo solito et consueto signavi, rogatus et requisitus, in fidem et testimonium omnium et singu-
B lorum præmissorum.]

Judicio tali nequaquam officit, Antilullistarum de eo silentium,

89 Fallor, si hujusmodi judicium, legitime et contradictorie institutum, partibus utrimque coram agentibus; fallor, inquam, si tam solenne pro Bullæ falsitate testimonium, anti-Lullistas, quantumvis præjudiciis obfirmatos, non inducat, ut saltem subdubitent, fueritne umquam legitime edita et Apostolica auctoritate publicata. Equidem adverto, Diagum, aliosque Eymerici apologistas, argumenti hujus efficaciam studiose subterfugere; ita de laudato instrumento tacentes, acsi numquam exstitisset in rerum natura. Utrum ex ignorantia, an dolo malo, nihil attinet indagare curiosius; nobis abunde erit, beati Martyris famam, Bullæ istius vigore toties labefactatam, in integrum restituisse; id quod et alio monumento, non minus authentico et solenni, mox confirmabitur. Sed nec movere nos debet recentius aliorum anti-Lullistarum effugium, ex eo arreptum; quod cum sub Gregorio XIII et Sixto V, Auditor Penna frustra evolvisset, quæ Romæ asservantur Gregorii XI regesta omnia, ut Constitutionis vel levia reperiret vestigia, scripserit ad Petrum Ximenez Morillo, in duobus aliis regestis tunc Avenione accersitis, folia nonnulla vetustate exesa intercidisse,
C inter quæ et illa esse potuerint, quibus Gregoriana Bulla contineretur. Frigida enimvero et inutilis cavillatio, quasi tunc temporis etiam folia defuissent, cum ab oculatissimis Registratoribus, non duobus post seculis, sed annis necdum viginti a prætensa editione elapsis, diligenter juxta ac solicite fuit perquisita.

aut chartarum aliquarum post annos 200 defectus in Regesto.

neque Eymerici ætas, quasi citius defuncti;

90 Hic illud notandum superest, hallucinatos Scriptores non paucos, in assignanda Eymerici ætate; aliis toto prope seculo aberrantibus, ut meminit supra Nicolaus Antonius, aliis sex saltem ultimos vitæ annos ei passim subtrahentibus: qua forte ratione perperam negare quis posset, tunc Avenione fuisse Eymericum, cum Antonius Riera litem ei intentavit supra memoratam. Sunt itaque qui ejus obitum referunt ad annum MCCCXCIII, ex male descripto epitaphio Gerundensi: constat enim vitam protraxisse ad annum MCCCXCIX, sic ut etiam quadriennio supervixerit registrorum Apostolicorum revisioni; nullis tunc in sui defensionem productis vindiciis; sed potius recriminatione usus contra Rieram adversarium, quem toto tractatu, ut nuper innuebam, impetiit, sub titulo, *Incantatio studii Ilerdensis, super viginti articulis, per quemdam Antonium Riera, studentem Valentinum, ut defertur, ibi seminatis.* Hæc fere postrema fuit Eymerici lucubratio: qui jam senio confectus, multisque adversitatibus eluctatus, tandem migravit e vita, dicto jam anno MCCCXCIX. Quievit hic aliquando, seu mavis desæviisse visa est, atrox illa multorum annorum procella, in Lullum et Lullistas, tot machinationibus excitata. Certe suspensa videtur omnis altercatio, durante adhuc funesto schismate; quousque, repudiato Benedicto XIII, Ferdinandus Aragonius, mortem sibi imminere sentiens, auctore S. Vincentio Ferrerio, se suasque ditiones ejus obedientiæ subtraxit, an. MCCCCXVI. D

quem constat usque ad 1399 vixisse.

§. IV. *Nova totius causæ recognitio, sub Card. Alemanno, Martini V Legato ad R. Alphonsum: eam secuta sententia definitiva, irritans omnia eatenus contra Lullum acta, vi Bullæ supposititiæ aut subreptitiæ, anno* MCCCCXIX: *ac denique finis resuscitatæ denuo controversiæ.*

Cessante schismate rogatus Card. Legatus.

Ferdinandi Aragonii successor, filius Alphonsus, cognomento Magnanimus, Martinum V, anno proxime sequenti legitime electum, continuo agnovit, admisitque missum ad se Legatum Apostolicum, Cardi- E nalem Alemannum. Hunc sine mora convenerunt amici et consanguinei B. Raymundi, ut, qua pollebat auctoritate, omnia ab Eymerico acta rescinderet; rebus in eum statum restitutis, quo erant antequam contentiosa Bulla, sub Gregorii XI nomine in famoso codice per Aragoniam cœpisset disseminari. Visa est ea res Cardinali Legato momenti majoris, quam ut nulla prævia informatione decideretur. Eapropter, Bernardo Tifernatium Episcopo, totius litis ab ovo excutiendæ curam diligenter commisit; facta potestate, ut omnibus mature perpensis, peremptorio tandem judicio exitialibus turbis finem imponeret. Provinciam sibi demandatam egregie administravit novus Commissarius, præmissoque accuratissimo rerum utrimque gestarum examine, collato cum libris Raymundi, Eymericiano codice, instrumentis denique omnibus, qua per erat diligentia ponderatis, libratis, excussis, eam postremo sententiam tulit, quam vocant *Definitivam*; utpote quæ, annullatis omnibus, ad id usque tempus contra beati Martyris doctrinam actitatis, eam omni censuri ita exemit, ut libere deinde et inoffenso pede, lecta, docta, et tradita fuerit; eamque Scholam formaverit, quæ F hodie Lullistica dicitur, insignibus privilegiis prædita et exornata.

novam testius causæ ab ovo recognitionem committit Bernardo Tiferni Episcopo;

92 Constant hæc omnia ex longiori instrumento, jam a me citato sub titulo *Sententiæ definitivæ*, olim a Lullistis vulgato, quo tota ea causæ Lullianæ operosa discussio fuse et diserte asseritur. Nobis satis erit ultimatam Commissarii sententiam huc adducere, aliis jam superius sufficienter expressis, ut ex eis Lector de tota rerum gestarum serie edoceatur. Nunc illud observari velim, quod imbecillem Diagi conjecturam supra relatam evertit; nimirum sub Ermengaudo Inquisitore singularum propositionum generalius examen neglectum esse; non ex Lullistarum impotentia, ut ille arguebat; sed quod eum maxime libellum erroris nota exemptum vellent, quem Gregorius præ ceteris ad se transmitti postulaverat; sic effecturi, ne contumaciæ pœnam merito subirent, neve carum imprimis Aragoniis opusculum vernaculum, Eymericiana censura, aliqua saltem veri specie involveretur. Addo præterea id semper intendisse Lullitas, ut propositiones omnino omnes declararentur, Magistro per summum nefas affictæ. Verum cum subsultorium dixerim earum numerum, Bulla expresse ducentas confingente, Eymerico quingentas numerante, tametsi centum dumtaxat produceret; quis tandem laboris fructus

et omissa singulorum Articulorum discussione infinita,

Lullistis de uno solo libello vindicando laborantibus

A fructus esse poterat, si nonaginta septem examinarentur; cum adversariis calumniandi semper pateret aditûs, dicendo tot centenas alias proscriptas superesse, adeoque libros omnes Lullianos merito manere suspectos. Inita igitur a Lullistis via compendiosior, dum Bullam ipsam quatere aggressi ita arietarunt, ut totam everterint convulserintque, quemadmodum ex sequenti etiam sententia demonstratum eo.

et satis habentibus evicisse Bullæ controversæ,

93 Præmissis litteris Cardinalis Legati, qua ipsi causæ examen demandabatur, insertis processibus, iisque diligenter recognitis, ad sententiam procedit hac forma. [Quæ omnia superius posita seu inserta, per nos dictum Commissarium attente lecta, diligenter recognita, et intelligibiliter considerata fuerunt. Habita siquidem per nos deliberatione matura, et digesta consilio cum expertis in similibus et peritis, cum proposita et producta superius coram nobis, et alias, clarissime constet nobis, quod dicta Bulla, attenta ejus forma et aliis indiciis perspicuis superius tactis, est evidentissime saltem de falsitate suspecta. Item, quod per allegata et producta,

atque adeo omnium ex ea actorum nullitatem,

B ad ostendendam seu probandam obreptionem aut subreptionem dictæ Bullæ, demonstratur evidenter; quod, posito quod ipsa non fuerit falsa, nullo modo poterat excusari quod non fuerat subreptitie impetrata; cum per tenorem dictæ Bullæ videatur, quod tota ratio impetrationis ipsius, fuit affirmatio, quod in libris prædicti Doctoris erant plures articuli erronei et hæreticales, quorum librorum per documenta authentica superius inserta videtur aperte, prædictum Fratrem Nicolaum Eymerici tunc Inquisitorem corrupisse et mutasse verba prædicti Doctoris, et etiam mentem et intentionem, quam habuit Catholicam, pro ut monstrat apertissime finis seu finalis conclusio librorum dicti Doctoris Raymundi; in quibus expresse submittit scripta, dicta, et edita per ipsum, determinationi et correctioni Ecclesiæ sacrosanctæ. Ex quo fundatur legitime, scripta sua non deviare

decernitur, omnia ipsis adhuc integra esse;

a justo tramite Catholicæ veritatis, et detegitur eliditurque sinistra intentio, opinio et persecutio Nicolai prædicti. Et cum utraque pagina attestante, statuenteque et mandante, impetrantes litteras, provisiones, seu rescripta, per fraudem seu malitiam a summo Pontifice, veritatem tacendo seu supprimendo, et falsitatem suggerendo vel exprimendo, in suæ perversitatis pœnam, nullum ex talibus commodum consequi possint; nec eorum prætextu esset aliqualis potestas vel jurisdictio attributa, cujus vir-

C tute sit aliquatenus procedendum; cum summus Pontifex tales provisiones seu litteras denegasset, veridice informatus. Asserens vero potestatem habere ab eo cum qualitatibus supradictis, nullatenus interponere poterat suæ cognitionis officium, et consequenter ejus occasione de facto emanata ruunt, tamquam carentia legitimo fundamento.]

Sententia Definitiva.

ferturque definitiva sententia,

94 Pro tanto, Nos Bernardus, Episcopus et Commissarius, prædictus, auctoritate Apostolica nobis in hac parte commissa, dicimus, volumus, et decernimus, et pronuntiamus, quod quidquid inveniatur quomodocumque et qualitercumque emanatum, mandatum, et comminatum, processum, factum, occasione, auctoritate, seu ratione dictæ subreptitiæ ac obreptitiæ Bullæ, et de falsitate evidenti nimis suspectæ, teneatur pro vano, casso, irrito et nullo; et pro infecto seu non facto ab omnibus reputetur: sicut et nos, ex potestate nobis attributa super iis, qua ex nostro officio nobili utimur et uti volumus, prædictis attentis, cassamus, irritamus; annullamus, seu ad nihilum reducimus; reducentes etiam auctoritate Apostolica ipsum Doctorem Raymundum Lull,

D et omnia dicta, scripta et opera sua, et omnia alia ratione prædicta, quomodocumque et qualitercumque, et per quemcumque, et contra quoscumque et coram quibuscumque processa et actitata, ad statum pristinum et primævum, acsi in contrarium eorum nil umquam fuisset dictum, scriptum, vel alias quomodolibet attentatum. Reservantes et submittentes correctionem, determinationem, aut auctorizationem doctrinæ dicti Doctoris Sedi Apostolicæ, cujus est de talibus cognoscere et ordinare, sicut ipsemet Doctor, ut verus Catholicus, expresse submittit. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium præmissorum, præsentes nostras litteras, seu præsens publicum instrumentum, per Notarium publicum infrascriptum fieri et publicari mandavimus, nostrique sigilli appensione muniri. Datum et actum Barcinonæ, anno a nativitate Domini MCCCCXIX, die vero XXIV Martii, præsentibus honorabilibus etc.] Sequitur legalizationis attestatio, videnda apud Custurerium pag. 248 et apud Thadæum pag. 488.

AUCTORE J. B. S. ulteriorem doctrinæ Lullianæ discussionem reservans Apostolicæ sedi,

E

frustra cavillante Bzovio,

95 Nihil me magnopere moratur Bzovii responsio, qui ad elevandam solennis adeo in B. Lulli favorem judicii auctoritatem, hoc unum causatur ad annum MCCCLXXII n. 27. *Non potuisse Alamanum Legatum, sine speciali commissione Martini V, de re tam gravissima, aut ipse cognoscere aut cognitionem causæ fidei committere.* Cuinam, obsecro, fides debebitur, an Bzovii conjecturis, an Legato ipsi, de potestate sua testimonium ferenti, quam ex facto etiam specialem fuisse interpretari licet? Quod vero idem Bzovius præcitato loco, adversus Ermengaudi recognitionem, de Petri Aragonii cum Eymerico inimicitiis comminiscitur, meros cavillos haud immerito dixeris, quibus tabulas quascumque et monumenta publica in discrimen vocare licebit. Et quid tandem fide historica certum habebitur, aut quantum fert ea materia exploratum, si hæc in beati Martyris defensione documenta, genuina censeri non mereantur? Enimvero perpetuis tenebris sepulta mansissent, quæ spatio annorum circiter quinquaginta ultro citroque disputata, instrumentisque variis acta et rescissa fuerant, nisi sub seculi XVI principium, novis altercationibus pabulum subministrasset, qui anno MDIII Inquisitorum Directorium typis subjecit Barcinonensibus, codicem Eymericianum ei inserendo, unde infaustæ contentiones, dissidia, turbæ, certamina, in hunc usque diem perseverantia, non sine bonorum scandalo pullularunt. Hæc Articula nostri pars altera est, quam brevissime poterit, expedienda.

defectum commissionis specialis in Legato,

eam se habere professo.

F

Resuscitatur nihilominus controversia, an. 1503,

96 Secundæ, Patres Prædicatores inter et Lullistas, controversiæ materiem præbuit, ea ipsa dissensio, quæ primam olim excitaverat. Scholæ Lullisticæ professoribus, pro mysterio immaculatæ Conceptionis Deiparæ denuo pugnantibus, contra Fratrem Guillermum Caselles, Dominicanum simul et Inquisitorem regni Balearici, ut Articulo præcedenti retulimus ex Sebastiano Salelles, transumptum Memorialis citante, quo novæ illius contentionis occasio describitur. Irrita Guillermo fuerat suscepta Romæ contra adversarios accusatio: ex urbe redux, cum molestus esse pergeret, tempestatem concivit Eymericianæ similem, Majorica exulare jussus. Id vero hominem pupugit, atque inde acribus stimulis incitatus, ut de Lullistis supplicium sumeret, Directorium Eymerici typis mandavit Barcinone ei annectens ex Bulla fictitia calumniam contra Lullum, jam diu convictam, damnatam atque sepultam. Hæc ferme Sebastiani, seu potius Memorialis, verba superius relata, ex quibus novarum turbarum causa et origo clarissime detegitur. Novas dico turbas, nam sopitæ fuerant toto prope seculo; causam novam

oxcuso cum Bulla Directorio Eymerici,

AUCTORE J. B. S.

A vam ex Directorio jam profluentem, quæ eatenus fuerat inaudita, tametsi Directorium ipsum putent plerique ab anno MCCCLX fuisse ab Eymerico compilatum. Quamquam quid interest, sive serius, sive citius librum illum collegerit; modo concedatur, quod negari omnino nequit, nullam ab ipso Eymerico, nullam ab anti-Lullistis aliis ad annum usque MDIII, Directorii illius factam umquam fuisse mentionem.

cujus interim nusquam inventum originale MS. constat,

97 Non semel repeti meretur justissima Lullistarum animadversio, intrepide asserentium, nullum uspiam exstare nec exstitisse Directorii exemplar manuscriptum, in quo Eymericianus codex, quem *Condemnationem* vocaverat, insertus reperiatur; evidenti prorsus indicio, non nisi vindictæ cupidine a Guillermo proditum, quod tam feliciter blattis et tineis fuerat reservatum. Testem advocant eruditissimum Pennam, omni exceptione majorem, atque hac in parte Patribus Dominicanis minime suspectum, diserte nihilominus affirmantem in Commentario 34 pagina mihi 262, ea haberi in sola editione Barcinonensi, quæ *deerant in tribus codicibus MSS. Bononiensi, Sabellano et Cardinalis de Gambara;* quibus ad novam editionem procurandam usus erat, B adhibita prius summa diligentia, ut vetustissimos codices undequaque conquireret.

et exempla omnia nonnisi depravata inveniri,

98 Quid? quod *omnia exemplaria, tam impressa quam manuscripta, infinitis prope locis erant penitus depravata,* ut idem Penna fatetur; unde vehemens suspicio suboritur, adulterata fuisse, vel a primo editore, vel ab aliis transcribentibus, pro genio vel studio partium interpolantibus, vel quæ usus ferebat, temere adjicientibus; ex quo ut minimum consequitur, non tantam fidem mereri, in re præsertim invidiosa, tam incorrectos codices et de corruptela merito suspectos. Notant etiam aliqui, totam illam de Raymundi rebus farraginem, tamquam historiolam Directorio inepte assutam; imo illic de Eymerico agi in tertia persona, non ita locuturo, si ipse litis istius ordinem libro suo inseruisset. Hæc latius complectitur Appendix defensionis Divi Raymundi Lulli et ejus doctrinæ, edita Barcinonæ MDLXXXII, de qua Custurerius ea retulit, quæ opportune subnectam, Articulo huic jam satis prolixo finem impositurus sequentibus verbis.

tandemque an. 1582 prodiit nova defensio Lulli,

ostendens quod impresso Barcinone Directorio

99 Pax, qua jam tot annis gavisi fuerant Lulli sectatores, nullis molitionibus videbatur fuisse interturbanda, nisi veluti ex insperato, *inquit,* prodiisset Directorium Inquisitorum, nuper impressum, C in cujus parte secunda, quæstione 9 et 26, inserta fuerunt quædam contra Divum Raymundum Lullum. Quæ profecto videntur non germana ejus operis, cum illud primum fuerit a R. F. Nicolao Eymerico, Fratre Ordinis Prædicatorum, Inquisitore in regnis et terris Regis Aragonum compilatum (ut ejus verbis dicam) editum et conflatum Avenione, et communicatum circiter annum Domini MCCCLX, sicque vulgatum et transcriptum; donec N. (*indicat Guillermum Caselles)* fecit illud primum imprimi Barcinonæ anno Domini MDIII, et tunc addidit de suo, quæ diximus inserta in dicto Directorio parte 2, quæst. 9 et 26.

addita sint, quæ Eymericus in Directorio non scripserat,

de facto Gregorii XI,

100 Quod aperte apparet ex quadam antiqua additione, posita in margine dictæ quæstionis nonæ, primæ impressionis, quæ additio ad verbum sic habet. *Nota, ex his infra assignatis verbis, postquam* (postea) *Papa Gregorius XI* etc, quanto furore insaniat et dementia contra Raymundum Lullum, illuminatum Doctorem, in omnibus Catholicum et Martyrem, N. qui hæc pro capitis sui arbitrio temere ac voluntarie dixit ac scripsit, et sequentes centum articulos, cum hunc librum imprimere pararet, coadunari fecit erroribus, tamquam ex libris Raymundi condemnatis, ut ait: sed, salva pace legen- D tium, in iis mentitur: quia Raymundi præfati non sunt... Ceterum dicta hæc aliaque cum multi gravissimi et doctissimi viri legerint in dicto antiquo Directorio, quod in bibliotheca Lullianæ scholæ Barcinonæ servatur, cum vetere prædicta marginali additione... imo in his loquatur quasi alius ab ipso Eymerico, de quo narretur historia, quæ contigerat ante annos fere centum quinquaginta etc. *Demum subjungit :* Credibile non est Eymericum eorum voluisse exstare memoriam, de quibus ipse sic fuisset condemnatus.] Hactenus Appendix : ubi observo, *Notam* illam, ita procul dubio intelligendam, ut significet; illa quæ incipiunt ab his verbis, *Postquam* (vult dicere *Postea*) *Papa Gregorius,* non fuisse in codice manuscripto.

quodque illud Romæ recudi permissum sit anno 1570,

101 Non ignoro, multa opponi posse ad tuendam Directorii Eymericiani auctoritatem, nonnullis fere sacrosanctam, posteaquam tam sedulo a Penna recognitum est, correctum et emendatum; quin etiam Gregorii XIII diplomate munitum, quo cavetur ne ulli liceat *eidem libro quidquam addere, detrahere vel immutare aut invertere, nullave interpretamenta addere, sed prout Romæ nunc impressus fuit* (MDLXXVIII) E *semper et perpetuo integer et incorruptus conservetur.* Factum sane prudenter, et eo plane modo quo in omnibus privilegiis politicis, ad imprimendos libros concessis, interdici consuevit, ne in magnum typographi præjudicium vergat, aliorum libri alicujus editio. Quid ex eo decreto erui præterea queat non video, quandoquidem ipsemet Penna, in editione posteriori, sine scrupulo multa detraxerit, immutaverit, inverterit, quo opus redderetur absolutius, non sic tamen ut nulla imposterum emendatio possit accedere. Qui plus aliquid extundere voluerit, is respondeat ad elogium Lullianum Angeli del Pas, cum hujusmodi Brevi Clementis VIII Romæ impressum, quodque Articulo superiori retulimus.

non alia quam communi in talibus formula,

curando solum ut recens impressio sit priori conformis.

102 At Lulli articuli et eorum condemnatio ibi tota legitur. Quid tum postea? An approbatur a Pontifice? Minime vero. Ea Penna talia reliquit qualia repererat, unice solicitus ut *editio Directorii procuraretur conformis antiquæ, Barcinone publicatæ :* cujus rei fidem faciunt indubitatam ejus verba, apud Custurerium citata pagg. 293 et 294. Sed his diutius immorari non vacat, qui Directorii universam genesim, additamenta, ceteraque eo spectantia accurate discussa legere per se voluerit, consulat is sæpe laudati Custurerii Hispanicas vindicias, a pag. F 278 ad pag. 296; quamquam id ad beati Martyris defensionem non omnino sit necessarium, cum dicta hactenus satis existimem evicisse, nec ex famosa Bulla, nec ex illo qualicumque Directorio legitime deduci, Lulli doctrinam aut erroris aut hæreseos labem ullo pacto contraxisse. Jam ad alia argumenta progrediamur.

ARTICULUS QUINTUS.

Alia argumenta, quibus probatur, Raymundum, non solum hæreticis non accensendum, sed doctrinam ejus a censura immunem esse.

Vanitatem prætensæ hæreseos,

Ut semel dicam, quæcumque in beati Raymundi favorem argumenta deinceps adducentur, eo etiam collimant potissimum, ut ostendatur vanitas citatæ toties Bullæ, Gregorio XI falso adscriptæ, cujus originem, subreptionem, irritationem, et annullationem chronologice expositas, jam dedimus. Quæ dicenda supersunt, inchoatum filum prosequuntur ad nostra usque tempora, quo, observatis successibus variis,

A variis, novis impugnationibus, repetitis examinibus, Romæ præsertim atque in Tridentino Concilio, apertius demonstretur, germanam beati Lulli doctrinam, numquam pro damnata agnitam, numquam Ecclesiæ Catholicæ calculo de hæresi fuisse suspectam; quidquid obtrectatores implacabili odio eam insectari et insimulare non desinant, ut periculosam, erroneam et hæreticalem traducentes. Sentiant illi ut lubet, mitiora forte consilia, rationibus convicti, audire non detrectabunt; sin minus, operæ pretium faciam, præjudiciis vacuos tantisper inducendo, ut nihil temere statuant, donec Sedes Apostolica, fidei Magistra, coram qua adhuc indecisa pendet totius litis materia, sententiam tulerit hac in parte irreformabilem. At enim vel ex hoc capite adversarios egregie premunt Lullistæ, quod illa ipsa Petri Cathedra Lullianam causam pridem voluerit Romæ retractari, ut liquido patet ex litteris compulsorialibus, datis IV Martii MDXCV, a Custurerio relatis pag. 324; id nequaquam permissura, si Gregorii XI Constitutionem ut indubitatam admisisset; nempe quæ fidei dogmata, *pie et plene definita*, non patitur *in aliquam disceptationem revocari*, ut olim S. Leo præclare monuit epistola 132 alias 78 et multis locis aliis, cum

explodit Apostolicæ Sedis tolerantia tam diuturna,

B de resumendis hæreticorum causis frustra apud ipsum ageretur. Nunc igitur exorsæ telæ partem alteram paucis delibatam exhibitum eo.

104 Vix credibile est, ullam aliam doctrinam pluribus Regum privilegiis ditatam fuisse, quam Lullisticam Reges Aragoniæ certatim cumularint. Jam, ante motas ab Eymerico turbas, eam evulgandi potestatem fecerat Petrus IV, qui apud Barcinonenses III dicitur. Tantumdem fecerant ejus successores, ut pluribus subinde prosequar. Verum quæ toto sesquiseculo visa erat hæsisse inter privatorum Magistrorum, Flaviani, Luriæ, Sedasserii, Lobetii, aliorumque subsellia; ea demum lucescere cœpit splendidius, dum piæ matronæ Agnetis de Quint liberalitate, anno MCCCCLXXXI, Cathedra Lullistica, in ipsa urbe Majoricensi, statuto stipendio, erecta est, ex qua deinde ad Universitates alias gradum fecit. Pluribus ea complectitur noster Custurerius a pag. 297, quæ hic breviori synopsi circumscribam. Magister Petrus Dagui Cathedram eam Lullisticam primus ascendit, ingenti solennitate et apparatu, præfato anno MCCCCLXXXI. Altero ab inde anno prodiit Barcinone ejus lucubratio, inscripta *Janua Artis Magistri excellentissimi Raymundi Lull*, quam decennio ante ibidem præparaverat. Non tulerunt Ray-

et Regum Lulli doctrinam commendandantium, constans favor,

C mundi æmuli patentem adeo infensæ doctrinæ triumphum; quocirca ea tunc exorta tempestas est, quam a Guillermo Caselles supra excitatam diximus. Parum tamen interest, sive ille, sive alius quispiam ad Sixtum IV detulerit *Januam Lullianam* : ac nequis ex Diago nobis facessat negotium, per me licet alterius rationibus id adscribatur. At vero ubi primum accusatæ doctrinæ rumor ad Daguium pervenit, iter Romanum et ipse aggressus, sic sententiam tutatus est, ut sex examinatores a Papa deputati, eam *uniformiter laudaverint*, ac paulo post, XXXI Augusti MCCCCLXXXIII, diplomate regio instituta sit Majoricæ Universitas, in qua usque hodie beati Lulli doctrina, non minus publice, imo amplioribus prædita favoribus docetur, quam Thomistæ, Scotistæ, Suaristæ, (in tot classes divisa est ea Universitas) suam profiteantur.

usque ad fundandam pro ea tradenda Universitatem progressus:

105 Redux ex urbe Daguius parta victoria, aliis opusculis scribendis adjecit animum; at Sixti IV obitus, brevi post secutus, inducias interrupit. Citatus denuo, Romam properavit Daguius, coram Innocentio VIII, approbata non ita pridem dogmata adversus novas molitiones vindicaturus. Plurimum ad rem contulit, quod *Januam* suam typis Romanis

Januæque Lullianæ facta Romæ et probata impressio,

D protinus ediderit, annexis Censorum judiciis, qui sub Innocentii prædecessore Tractatum mirifice extulerant; ex quo id consecutus est, ut inania iterum fuerint accusatorum tentamina. Citat ejus rei instrumenta Custurerius, inter quæ privilegium, a Ferdinando Rege Catholico Lullisticæ scholæ concessum anno MD, his verbis : *Quæ quidem doctrina et scientia, ut per acta publica et authentica dicitur apparere, est approbata per Francorum Regem, per Cancellarium Universitatis studii Parisiensis, et per Legatum summi Pontificis, et Pontificem Innocentium.* Secundam illam Daguii victoriam excepit Majoricæ festivus applausus, urbis totius acclamatio, et poeticum certamen, alibi a nobis recitatum. Sed et inde factum autumo, ut Guillermus Caselles, Majorica pulsus, eam in Lullistas machinam adornarit, quam nuper satis fuse commemoravimus. Illud sane videtur exploratum, tempore Sixti IV et Innocentii VIII, aut Bullam Eymericianam Romæ fuisse ignoratam : quod temere atque absurde diceretur, si tunc orbi nota fuit; aut certe, tamquam fictitiam et irritam nullum in iis judiciis habuisse momentum.

AUCTORE I. B. S.

et Majoricæ festivo plausu excepta :

E 106 Prætermittenda non est alia anti-Lullistarum machinatio, non quidem aperta et directa, sed eo periculosior, quo obiquius totam Scholam impetebat. Rem multis exponit Custurerius a pag. 304. Hæc ejus summa. Fuerat Alexander VI, dictus ante Rodericus Borgia, *Ecclesiæ Majoricensis perpetuus Administrator et Commendatarius*, eoque titulo propius ad ipsum spectabat Ecclesiæ illius utilitatibus prospicere In omnem occasionem intenti Lullistarum persecutores, corrasis raptim fucatis rationibus, Pontificem impulere, ut lectionis Lullisticæ reditus fundando Archidiaconatui, in Cathedrali illius civitatis, applicarentur. Feliciter cessit speciosa petitio; namque eo processum erat, ut de Præbenda illa in postulantis favorem Papa disposuisset, litteris in hunc finem ad Antistitem Majoricensem destinatis. At moniti Lullistæ, nihil cessandum rati, ita per Procuratorem, annitente Rege Ferdinando, apud Alexandrum egerunt; ut detectis adversariorum artificiis, acta eatenus revocaverit resciderit que, adeo ut in pacifica possessione Cathedræ suæ et Lullianæ Universitatis, profitendæque doctrinæ imposterum permanserint. Mirandum enimvero, Pontifici Romano persuaderi potuisse, ut doctrinam Lullianam publice tradi concederet, si eam pridem a decessore suo Gregorio XI, ut erroneam et hæreticalem, proscriptam ac confixam existimasset; eoque

tum irrita sub Alexandro VI anti Lullistarum machinatio,

ad divertendos alio reditus Lullistis assignatos;

F stupendum magis, quod in perniciosorum dogmatum favorem ea annullari voluerit, quæ ceteroquin æquissime disposita fuisse videri poterant.

107 Hisce Lullisticæ doctrinæ trophæis palmare aliud adjungitur, ex Concilii Tridentini auctoritate : cui cum Doctor Ludovicus Joannes Vileta exposuisset, quod [in confirmationem allegatæ Bullæ fel. rec. Gregorii XI, quæ improbare dicitur nonnulla Lulli opera, nihil aliud est hactenus adductum, ut nec quidem adduci potest, præterquam commentarius quidam Nicolai Eymerici, cujus nulla est auctoritas, utpote privatæ scripturæ..... Contra vero in affirmationem dicti Raymundi Dei Martyris et ejus operum ut catholicorum, simul et in confutationem tam dictæ Bullæ tamquam fictæ, quam dicti commentarii.... producta sunt pleraque acta authentica, cum a Regibus Catholicis Aragonum et aliis, tum a sancto Officio Inquisitionis, et ab ipsa Apostolica Sede emanata. Unde facile cuivis constet negotii veritas, dicti Raymundi pietas, objectæ Bullæ falsitas..... ac proinde justitia hujus partis, petentis dicti Martyris et ejus operum approbationem ab hoc sacro Concilio adversus prætensam Bullam. Ideo Joannes Vileta, Theologiæ et Artium Doctor,

deinde concilii Tridentini decretum

AUCTORE J. B. S. *de auferendo ab Indice prohibitorum Lulli nomine,*

A ctor, tam ut Lector Artis sive scientiæ dicti Raymundi, quam ut Procurator deputatus et constitutus a Magnificis Dominis Joanne Ludovico Lullio, et Gal-cerando Paulo Lullio Barcinonensibus, administratoribus perpetuis Scholæ et piarum causarum, per dictum Raymundum institutarum; supplicat Reverendissimis vestris Dominationibus, id quod unum maxime decet vestram omnium sanctitatem, ut providere dignemini ne ulla fiat injuria piis cineribus etc. [Excurrit deinde in Magistri laudem, ejus merita, doctrinam, fidei propagandæ zelum, martyrium, miracula enumerans; concluditque delendam ex Pauli IV Indice, *prædictam, quæ Gregorio XI falso adscribitur, improbationem.* Quemadmodum, diligenti præmisso examine, abrasa fuerat ab Inquisitione Hispaniæ.

editum anno 1565,

108 Et habuit optatissimum successum ea Viletæ postulatio; nam, ut ipse testatur in notitia approbationum operum Lulli, præfixa Arti brevi ejusdem Raymundi editæ Barcinone MDLXV; *Tandem in sacro œcumenico Concilio Tridentino omnis contentio consopita est.* Produxerat nempe Vileta quæcumque ab ipso dissensionum exordio ultro citroque gesta fuerant, eaque maxime quæ ab Ermengaudo, Leo- B nardo Cardinali, Barnardo Civitatis Castelli Episcopo, contra Bullam fuerant declarata. Adjunxerat Regum Aragonensium privilegia, aliaque quamplurima, [ex quibus in approbationem, defensionem et commendationem D. Raymundi Lulli et ejus omnium operum, tamquam Catholicorum, per integrum fere biennium a Ludovico Joanne Vileta Barcinonensi Theologo adductis et diligenter examinatis, per sacrum Collegium Reverendissimorum Dominorum, a toto sacro Concilio ad hos et similes actus specialiter deputatorum, ubi interfuerunt Patriarcha Venetus et quatuor Archiepiscopi, quatuor item Episcopi, simul cum uno Abbate, duobus Generalibus Ordinum, et quatuor Doctoribus, ex omni fere Christianitate selecti, doctissimi et religiosissimi, qui concordi sententia, prima die Septembris MDLXIII decreverunt, expungendam D. Raymundi Lulli quamcumque operum improbationem, ab Indicibus, præsertim Pauli Papæ IV, librorum prohibitorum; ubi allegatur prædicta Bulla Gregorii XI fictitia, ex sola mentione quæ de illa reperitur facta in privato cujusdam opere. Illud autem statutum jam post servatum videmus in Catalogo S. D. N. Papæ Pii IV.]

post legitimam causæ Lullianæ defensionem:

evidenter supponens agnitam a Patribus nullitatem Bullæ,

C 109 Habes hic compendiosam eorum relationem quæ Patres illi, a Concilio œcumenico deputati, in favorem Lullisticæ doctrinæ statuenda censuerunt; de quibus certissimum est nec cogitaturos fuisse, nisi decantata jam sæpius Gregorii XI Bulla, ab eis ut apocrypha et supposititia contempta fuisset, et plane rejecta. Quod ergo in Pauli IV Indice generalioribus terminis Raymundi Lulli opera interdicantur, id a primis collectoribus malevolorum indutu factum, continuo impugnarunt beati Martyris defensores; idque eo rationum pondere et efficacia, ut cum Barcinone curata fuisset Paulini Indicis nova editio, eorum intercessione suppressa sit, donec a Generali Hispaniæ Inquisitione corrigeretur. Hinc et illud impetratum, ut in Indice expurgatorio, nec Lulli nomen nec opera reponerentur; quod et observatum videmus in aliis omnibus librorum prohibitorum Indicibus, ex eo tempore Apostolica auctoritate publicatis. Id vero animadversione dignissimum occurrit, ipsummet Auditorem Pennam, summum loquor Directorii æstimatorem, in citata superius ad Morillum epistola, diserte testatum, ex famosa Constitutione, nihil in beati Lulli præjudicium erui posse, tametsi in Directorio legeretur; quandoquidem autographum diligenter investigatum reperiri non posset; eaque de causa Raymundi opera in Indice librorum prohibitorum nullatenus collocanda, quemad- D modum, in novissima Indicis Sixti V editione, locum non habuere. Editionem autem hic nominat paratam et factam, sed certis de causis postea non publicatam.

quam etiam Auditor Penna fatetur.

Accedit Congregationis Indicis per decretum anni 1594,

110 Magis etiam institere Lullistæ, ut ex Romana Indicis impressione omnino tolleretur quidquid Raymundi famam lædere videbatur. Idcirco ad sacram Indicis Congregationem semel atque iterum recursum est, obtentumque decretum III Junii MDXCIV, [præsentibus Cardinalibus Marco Antonio Columna, Francisco Toleto et aliis... ut in novo Indice Lullus non reponatur, iisdem de causis, quibus Deputati in sacro Concilio Tridentino, eumdem Raymundum ab Indice sustulerunt,] Quid ultra desiderari poterat, ut ab omni censura immunis censeretur doctrina Lullistica, tot tempestatibus tamdiu quassata? Verum nec ea declaratione contenti ejus sequaces, causæ suæ bonitate confisi, per Ducem de Sessa, Hispaniarum Regis Philippi II Oratorem, ipso Rege id magnopere postulante, novas preces interposuere, ut abraso penitus ex Indice Beati Lulli nomine, tota ejus doctrina apud Sedem Apostolicam ex integro examini et recognitioni subjiceretur. Exauditi sunt: nam die IV Martii MDXCV. [Congre- E gatione Indicis, habita in domo Cardinalis Columnæ, lecto Memoriali pro Raymundo Lullo, decretum fuit, ut sicut alias nomen Lulli ex Indice deleretur, et litteræ compulsoriales quanto citius expedirentur etc.] Atque hæ sunt litteræ, quas hujus articuli principio expeditas diximus, quæque apud Custurerium exstant citata pag. 324; argumento, opinor, evidenti, non ex Directorii placitis, de Beati Lulli doctrina, Romæ fuisse judicatum.

et nova Philippi II ad ejus executionem maturandam instantia.

ARTICULUS SEXTUS.

Regum pro doctrina Lulli studia, et favores Lullistis impensi.

Quamvis autem ad Reges non spectet quæstionum fidem spectantium discussio

Perstat in hunc usque diem ea ipsa Romani Tribunalis sententia, quamvis intercurrentium negotiorum causa, Lullistis nequidquam urgentibus, ad desideratam totius rei discussionem non fuerit perventum. Sed jam aliud vocat pro tuenda doctrina Lullistica argumentum, auctoritate Regia subnixum. Scio equidem, Regum arbitrio non pendere causas fidei et religionis, Sedis Apostolicæ suffragio dirimendas; F sed et illud citra controversiam est, Reges Catholicos nec posse nec solere ea permittere, minus etiam iis patrocinari, quæ tamquam erronea aut hæretica a Romanis Pontificibus fuerint reprobata. Paucis complector omnia. Credibile non est, tot Aragoniæ Reges, beatum Lullum ejusque doctrinam laudaturos protecturosque fuisse, aut tot encomiis exornaturos si eam perniciosam aut legitime condemnatam credidissent. Hoc multiplici ratione urget Vincentius Mutus, et post illum Custurerius, Dissertationis suæ 2, toto capite 5, ipsa Regum diplomata ordine referens, quibus Lullianam Artem, ceterosque ejus libros mirum in modum extollunt et prædicant; Magistris eam publice divulgandi docendique potestatem faciunt; subditos hortantes, ut in ea proficere conentur, [gaudentesque in Domino, quod in ditione sua, et tam novissimis temporibus, repertus fuerit tam excellentis doctrinæ et ingenii Doctor, qualis prædictus Magister Raymundus, tamque excellens scientia in ditione sua originem habuerit.]

juvat tamen nosse quid illi de Lulli doctrina senserint,

non tantum ante Eymerici accusationes,

112 Diplomatum et regiarum litterarum tenores ad verbum describunt Auctores præcitati; non cursim indicabimus quæ ad rem facere videbuntur. Primum dedit Petrus IV, apud Barcinonenses anno MCCCLXIX, nimirum priusquam Eymerici solicitationibus

A nibus ullum Breve a Sede Apostolica in Lulli causa emanasset. Testatur porro, Artem et scientiam præfati Magistri Raymundi perutilem esse, et necessariam atque veram, ac pro tali in generali Parisiensi Studio fuisse a Parisiensi Cancellario, et a Juratis dicti Studii, in præsentia XL Magistrorum seu Doctorum, qui sufficientes erant ad examen artis liberalis cujuslibet approbatam. Hæc quidem denuntiationem Eymericianam præcessisse haud quaquam diffiteor, atque idcirco ad propositum argumentum minus conducere. Inanis esset hac de re contentio: malim ultro admittere, Eymericum per id tempus necdum Avenionem querimonias detulisse; quamquam satis perspiciam, non esse inverisimile, jam tum dissidiorum flammas exarsisse, quorum sequela fuerit Inquisitoris ad Papam expostulatio. Esto tamen nihil ad argumentum magnopere conferat, eo certe confert plurimum ejusdem Regis perpetua in Lullistas et propensissima voluntas, qua primus indulto regio Artem doceri permisit; interposita deinde apud Gregorium, in eorum defensionem auctoritate, ut ex epistola, MCCCLXXVII data et superius citata, testatissimum reliquit. Nunc dabo sequentium Regum luculenta in Lulli Lullistarumque doctrinam favoris indicia, quibus eam totis tribus seculis prosecuti sunt, etiam post famosam Gregorii XI Constitutionem.

sed etiam illis jam palam factis.

B

113 De Joanne, Petri primogenito et herede, nec ipsi anti-Lullistæ dubitant, cum is beati Raymundi causam, suam fecisse videatur, adversus importunas Eymerici clamitationes; idque eo tandem eruperit, ut lata in eum atroci sententia, præcipitem zelum exilio multarit, ut suo loco commemoravimus. Parum videri hoc poterat, nisi etiam exstaret Joannis privilegium, datum in Monasterio S. Cucufatis Vallensis, XII Septembris MCCCXCII, quo] *sequendo parentis vestigia et laudabile propositum*, concessit Francisco de Luria plenariam potestatem, quod, nomine et loco dicti Domini Regis Joannis, possit dare et concedere licentiam et facultatem, quibuscumque inde sufficientibus et idoneis, ut in omnibus civitatibus, villis et locis ipsius Domini Regis, possent legere et docere Artes generales, et libros editos per dictum Reverendum Raymundum Lullum.] Ita fert juridica attestatio Petri Michaelis Carbonell et Francisci Carbonell, archivistarum Tabellarii regii Barcinonensis, ex quo citata jam Petri et Joannis instrumenta authentice desumpta sunt. Taceo alterum Joannis privilegium, Tortosæ concessum mense Octobri MCCCXCIII, cujus meminit Custurerius pag. 340. Pluribus opus non est, ut pateat evidentissime, Bullam Eymericianam rejectam semper et despectam, nec ejus intuitu libros Raymundi de priori æstimatione quidquam amisisse.

Ita Rex Joannes an. 1392 prælegi ubique artem permisit,

C

114 Iisdem illis vestigiis inhæsit Joannes Frater Rex Martinus, diplomate suo regio Cæsar-augustano, XXV Novembris MCCCXCIX, patris et fratris privilegia novis benevolentiæ signis accumulans. Etenim [prospiciens dictus Dominus Rex Martinus, ei cedere non parum ad gloriam suam, tam sapientem virum in ditione sua ab ejus subditis processisse, qui velut arbor frondosa, magnos fructus et uberes in se portans, odorem pariterque saporem nostro seculo contulit. Volens idcirco ipse sapientissimus Rex imitari vestigia dicti Domini patris sui, et ut ex semine tantæ arboris extensi palmites valeant pullulare, confirmando et quanto plurimum collaudando formam licentiæ supradictæ, etiam contulit licentiam Exemino Thomæ presbytero, et Fratri Petro Rosello, legendi, divulgandi, docendi et dogmatizandi, in generali et speciali, et in quibuscumque civitatibus, villis et locis dominii Domini Regis, quomodocumque voluissent, Artem aut scientiam generalem, et omnes alios libros, editos per D. Magistrum Raymundum Lullum, omnibus ipsam audire volentibus.] Refert hanc Martini facultatem Rex Alfonsus, in alia quam ipse prolixissimam concessit Magistro Lobetio, XXVI Januarii MCCCCXLIX.

tum ejus frater ac successor Martinus, an. 1399,

pro omnibus suæ ditionis locis;

D

AUCTORE J. B. S.

115 Extinctum jam erat magnum et funestum occidentale schisma, nisi privatæ simultates, Petro Munotio Pontificis umbram reservassent. Ceterum pronuntiata a Commissario Apostolico celebri illa *Sententia definitiva*, cœpit profusior esse in Lullistas Aragonensium Regum benignitas. Egregium specimen dedit Alfonsus, cognomento Magnanimus, patentibus litteris Cæsaraugustæ datis, XV Januarii, MCCCCXXV, Antonio Sadacerio et Joanni Lancerio; ex quibus pauca hæc, sed notatu digna transcribimus. Volumus, inquit, vobisque dictis Antonio et Joanni concedimus, ac licentiam plenariam elargimur, ut vos, et illi qui a vobis ad id apti et sufficientes reputabuntur, possitis et possint, conjunctim et divisim, in quibuscumque partibus et locis nostri dominii, Artem seu scientiam divulgare, dogmatizare sive docere, ipsamque vos et uterque vestrum et quivis alii, per vos et utrumque vestrum, ut prædicitur, ad id apti et sufficientes reputati, in generali et in speciali, naturaliter et artificialiter, tam in Medicina quam Astronomia et Philosophia, et qualibet alia parte prædictæ scientiæ, uti libere valeatis. Sonet ergo vox vestra per doctrinam in auditorum auribus, nec amodo metu detractorum quorumlibet conticescat; sed dicta perutilis scientia in lumine prodeat, cunctis eam scire volentibus, nectar præclarum et salubre propinando. Nos enim districte, et sub iræ et indignationis nostræ incursu, quibuscumque Officialibus et subditis nostris dicimus et mandamus, quatenus super prædictis, nullum obstaculum seu impedimentum faciant, sed dent super eis, vobis et aliis auxilium, consilium, et favorem, si et pro ut, quando et quoties, inde fuerint requisiti. In cujus rei testimonium præsentem fieri jussimus etc.]

et anno 1425 R. Alfonsus,

adhortans ad plures Magistros creandos.

E

116 Tam manifesta regiæ propensionis indicia omnem detrahendi obtrectandique viam adversariis præclusisse videri poterant, si pacis consilia susciperet odium, jam nimis diuturnum atque inveteratum. Lullista insignis, Joannes Lobetius Barcinonensis, famam sibi non modicam conciliaverat, Artem B. Lulli explanando, *contra imponentes rabiem operibus dicti prænominati egregii Doctoris*. Hinc novi rursus concitati tumultus, quibus sedandis idem Alfonsus amplissimum decretum emisit, quo nullum solennius ad ea usque tempora Raymundi sequaces impetraverant. Datum est in Castro novo Neapolis, XXVI Januarii MCCCCXLIX. Multa continet scitu dignissima, jam a nobis abunde enarrata. Confirmat nimirum sua et decessorum suorum diplomata; resumit Approbationes Academiæ et Cancellarii Parisiensis, ac Regis Philippi Francorum; item monumenta ferme omnia, Articulo superiori a nobis adducta: inculcat et repetit [gratissimum se habere, quod in ditione sua repertus fuerit, tam mirandarum artium et scientiæ Doctor, qualis fuerat prælibatus egregius Doctor Magister Raymundus Lullius etc.] Tum plenissima facultate eidem Lobetio concessa [dictas præfati egregii Doctoris Artes et scientias legendi magistraliter in omnibus civitatibus, terris et locis universis ditionis suæ, in eisdem faciendi scholas etc.] ita subjungit:

Idem eorum adversarios, an. 1449 coercendos decrevit,

F

sibi gratulans, quod suo in regno ea doctrina prodierit

117 Illustrissimis itaque quibuscumque Locumtenentibus generalibus nostris, hunc nostrum declaramus intentum, mandamus scienter et expresse, sub iræ et indignationis nostræ incursu, et quomodo fortius dici potest, universis et singulis Officialibus et subditis nostris, ad quos præsentes pervenerint et

et suis omnibus Officialibus ejus protectionem commendans.

AUCTORE J. B. S.

A et spectent, et signanter Officialibus, Consiliariis, Juratis, probis hominibus et aliis prædictis, quatenus licentiam et facultatem nostram hujusmodi, vobis dicto Joanni Lobet, teneant efficaciter et observent, tenerique et observari faciant inviolabiliter per quoscumque: nec vos aut substitutos vestros super lectione dicta Artium, vel constructione Scholarum molestent et impediant, vel perturbent; assistant quin potius, ut præfertur, si gratiam nostram caram habeant, iramque et indignationem, pœnamque nostro reservatam arbitrio, cupiant evitare. Sonet ergo vox vestra et vestrorum substituendorum, per doctrinam, in auditorum auribus, nec metu detractorum quorumlibet conticescat; sed dictas Artes et scientias in lumine exponi continuetur; et ut liberius, facilius et tutius vos dictus Joannes Lobet, et substituendi a vobis, circa prædicta vacare possitis, et ne metu cujuspiam Vos aut eos a dictarum Artium lectione retrahat vel impediat, Vos et dictos substituendos a Vobis, vestrique et eorum auditores, tenore præsentis, sub nostra protectione commoda et guidatico speciali, ponimus et constituimus; ita ut quicumque abinde ausu temerario, contra personas aut bona vestrum cujuslibet, quidquam B attentare præsumpserit, se in pœnas, contra ruptores protectionis Regis appositas, noverit incursusum etc.]

Data autem ab ipso et decessoribus Regibus privilegia

118 Qui post Alfonsum Aragoniis præfuit Joannes II, non minus Lullistis addictus fuisse legitur. Sunt qui velint Alfonsi privilegia ab eo firmata et roborata, quod tamen sibi non liquere fatetur Custurerius. Nihilominus cum donationem factam a Beatrice de Pinnos, XXIII Septembris MCCCCLXXVIII, in favorem Scholæ Lullisticæ in Monte Randa, Miramar etc. auctoritate regia ratam habuit, I Octobris ejusdem anni; haud obscura dedit benevolentiæ documenta. At qui eum excepit filius Ferdinandus Catholicus, maximum rei Lullisticæ momentum attulit, facta potestate XXXI Augusti MCCCCLXXXIII, Studium generale seu Universitatem Lullisticam Majoricæ erigendi; ubi in hunc diem perseverat, fœcunda earum mater, quæ in aliis Aragoniæ ditionibus postea institutæ sunt. Accessit præfati Regis munifica facultas, præfixa libro *Artis Metaphysicalis naturalis ordinis cujuslibet rei intelligibilis*, præclarissimi Magistri Jacobi Januarii, data Hispali XXVI Januarii MD; qua, non libri illius solummodo, sed totius doctrinæ Lullianæ approbatio; imo et in urbe C Valentina nova Cathedræ erectio continetur. [Considerantes, inquit, quod in civitatibus nostris Majoricarum et Barchinonæ sunt domus, in quibus sunt Cathedræ constructæ et dedicatæ cum reditibus, ad Artem et scientiam istam legendam, docendam et manifestandam; et quod in civitate ista Valentiæ, sit domus et Cathedra, ut dicitur, cum reditibus per testatorem illum legata, illius supplicationem benigne admisimus etc.]

confirmavit Joannes II,

et Ferdinandus Catholicus Studium generale erigi permisit,

et Valentiæ novam Cathedram erigi, anno 1500:

119 Prorupit interea tempestas illa, quam ex Directorii impressione supra diximus profluxisse; eoque impotentius furere cœpit, quod vindictæ spiritu animata, nihil Lullistis parceret. Et quidem in ipsos Artis Professores magis incubuisse molestias crediderim, unde recrudescentibus odiis, irritati beati Martyris discipuli, denuo ad Regem recurrere, antidotum accepturi ad novam adversariorum machinam penitus evertendam. Nec eos spes sua fefellit: nam *supplicationibus eisdem, utpote justis et rationi conformibus, benigniter annuit* Ferdinandus; novoque diplomate publicato, Cæsaraugustæ XXI Februarii MDIII, data jam et toties repetita in favorem Lullianæ scholæ privilegia renovavit, auxit, confirmavit; Raymundum, non *Magistrum* dumtaxat, sed et *Illuminatum et Divum Doctorem* appellans.

et 1503 denuo confirmavit privilegia,

[Et præsertim (ejus verba sunt) quia cum concessimus licentiam et facultatem, ut ipsum Studium generale institueretur, et fieret in ipsa civitate et regno; perspeximus illud convenire utilitati reipublicæ ipsius regni, et consequenter servitio nostro, qui caput ipsius reipublicæ sumus; sicque semper fuit et est intentionis nostræ, ipsum privilegium et contenta in eo ad unguem observari.] Plura ejus generis habet rescriptum regium, videndum apud Custurerium pag. 351; ubi recte observat, Regis auctoritatem, Directorio hic quasi ex diametro oppositam: nequis forte insertam inibi Bullam legitimam existimaret, quam tot privilegia regia, tot authentica alia instrumenta, protritam ostenderent et conculcatam. D

cum magna Lulli laude.

120 Ferdinandi ex filia nepos, heres et successor, Carolus V Imperator, avum reliquosque prædecessores imitatus, XI Maji MDXXVI, sui in Lullistas studii insigne dedit testimonium hæc inter cetera palam testatus. [Motique eisdem respectibus, quibus dicti prædecessores nostri ad dicta privilegia concedenda moti fuerunt; tenore præsentis, ex nostra certa scientia, deliberate et expresse, nostraque E regia auctoritate, privilegia præinserta, et omnia et singula, in eis et quolibet eorum contenta, et specificata, a prima eorum linea usque ad ultimam, laudamus, approbamus, et confirmamus: et quatenus opus sit, dicto Generali Studio Magistri Raymundi Lulli, ejusque singularibus præsentibus et futuris, de novo concedimus et elargimur etc.] Eadem omnia repetit, suoque decreto inserta approbat Philippus II, XXIV Octobris MDXCVII; litteris insuper multis, a Custurerio citatis, apud Romanos Pontifices res Lullianas strenue promovere conatus. Tantumdem præstitere Philippus III, XVIII Octobris MDCXIV; Philippus IV, XIII Julii MDCXXI et MDCXXXV. Demum Carolus II, anno MDCXCVII, liberalissima munificentia, prolixo diplomate, rata omnia habuit, quæ a decessoribus statuta et concessa fuerant Lullianæ Universitati, novisque indultis eam locupletavit; ut videre est tomo bene magno, *De constitutionibus, statutis et privilegiis Universitatis Lullianæ regni Majoricensis*, edito Hispanice in 4, MDCXCVIII, quibus transcribendis aut explicandis non arbitror operæ pretium diutius immorari.

Idem fecerunt Carolus V an. 1526,

Philippus II, III, IV,

121 Præfatam Universitatem, instante Maria-Anna Austriaca, Hispaniarum gubernatrice, iisdem donaverat immunitatibus, quibus gaudet *Academia Ilerdensis*, Clemens Papa X, XVII Aprilis MDCLXXIII; F ex cujus delegatione Apostolica, Illustriss. Majoricensium Antistes Petrus de Alagon, leges illas condidit et promulgavit, servata insigni prærogativa quatuor Cathedraticis Scholæ Lullianæ, ut solius istius sententiæ plures accedere possent Cathedræ, iis præcellentiæ titulis exornatæ, ut Lullistæ ceteris omnibus semper anteirent, tametsi ætate superarent alii. Quod autem ad religiosum beati Lulli cultum, jam illic a seculis receptissimum spectat; præscriptum imprimis, ut XXV Januarii, more antiquitus usitatissimo, singulari veneratione et solennitate quotannis celebretur beati Raymundi festivitas; ac præterea omnes Universitatis alumni, bis in anno sanctissima Synaxi reficiantur; diebus videlicet Conceptioni beatissimæ Virginis Mariæ, et beato Raymundo sacris, adjecta pia eleemosyna, ad promovendam beati Martyris Canonizationem impendenda, ut superius suo loco retulimus.

hujusque vidua Maria-Anna Austriaca,

jubens Lullistas ceteros anteire et eorum, pro cultu Lulli, leges approbans.

CONCLUSIO

Ad Beati Lulli impugnatores.

Hoc jam argumento, ut existimant, ineluctabili, adversarios

A *Sic argumentis conglobatis Lullistæ adversarios retundendo,*

adversarios adoriuntur sancti Martyris discipuli, quo prætensæ Bullæ elevent penitus proterantque auctoritatem. Ex quo ea primum in Eymerici codice comparuit, tot tribunalia subiit Lulli doctrina, semper illæsa, semper victrix, semper censuris exempta. Primos ejus capitalesque articulos vindicavit Ermengaudus MCCCLXXXVI : Quæsita in fonte Bulla MCCCXCV, nusquam potuit reperiri : Bernardus Tifernatium Episcopus MCCCCXIX intactos declaravit Raymundi libros et articulos ab Eymerico confossos : *Laudarunt uniformiter* in Daguii *Janua* Censores, a Sixto IV designati : Approbavit Innocentius VIII : Sub Alexandro VI novam reportavit victoriam : Re tota iterum discussa a deputatis Patribus Concilii Tridentini ; inserta per collectorum inadvertentiam, aut per æmulorum malitiam, Indici Pauli IV Raymundi opera, ex eo deleri jussa sunt ; idque a S. Congregatione Indicis non semel debite confirmatum, atque in recentioribus omnibus Indicis editionibus, Apostolica auctoritate factis, deinceps observatum ostendimus. Si ex his omnibus non sit consequens, famosam Bullam, totis tribus seculis, ut fictitiam et nullam fuisse et esse reputatam, aperte concludent Lullistæ, adversariorum suorum oculos livore et invidia excæcatos ; eique, opinor, judicio moderatus quilibet, et partium vacuus, ultro libensque subscribet.

fateri cogunt, Bullam tot seculis reprobatam,

B

123 Urgent. Tot Reges Aragoniæ, Catholici omnes, imo religionis suæ zelatores ardentissimi, publicis diplomatibus, consensu unanimi, per universas ditiones suas, Lulli doctrinam non solum legi permiserunt, sed Scholas aperiri, Cathedras erigi, Studia Generalia et Academias institui voluerunt, ornarunt privilegiis, ditarunt indultis, singulari protectione tutati sunt. An ut subditorum animi, si Superis placet, perniciosis erroribus pridemque damnatis hæresibus inficerentur ? Absit enormis calumnia ! Quid igitur ? Vides, Lector, manifestam consecutionem. Nosti in iis regnis, ubi, si uspiam, rigidissimum est sacræ Inquisitionis tribunal, nihil a Regibus, quod ad fidem pertinet, indulgeri posse, quod non prius doctorum virorum calculis expensum, et justa lance libratum fuerit. Quin et hoc ipsum clarissime enuntiat Regis Alphonsi rescriptum anni MCCCCXLIX ; (Præterea ad plenum certiorati a pluribus fide dignis, quod opera ipsius Magistri Raymundi, nec bonis moribus, nec fidei Catholicæ in aliquo contrariantur.) Vides, inquam manifestam consecutionem, numquam Reges illos, nec eorum conscientiæ Administros aut Theologos sensisse, adversus beati Lulli doctrinam, legitima auctoritate quidquam fuisse pronuntiatum.

manifeste contemptam a tot Regibus,

sacræ Inquisitionis reverentissimis in regno tam Catholico,

C *totque apologiis invicte confutatam, pro nullo habendam :*

124 Instant denique ex ipso statu, in quo nunc esse conspicitur beati Martyris doctrina, in universæ Catholicæ Ecclesiæ et tot sacrarum Inquisitionum conspectu, Majoricæ, Valentiæ, Barcinone, et alibi, libris impressis et publicis lectionibus docta et explicata. Hoc quisquis Catholicus attenderit, fateatur necesse est, non eam fuisse Romani Pontificis, Cardinalium, reliquorumque Antistitum et fidei Quæsitorum de beati Lulli dogmatibus opinionem, quam tanto strepitu osores ejus venditare pergunt. Lego apud Custurerium pag. 224, in [Constitutionibus Collegii Majoricensis de Sapientia, auctoritate Apostolica, vi Brevis Urbani VIII dati VI Octobris MDCXXXV, alumnos omnes, duobus ultimis studiorum annis, *teneri singulis diebus audire lectionem Artis B. Raymundi Lulli*. Lego item pagina sequenti decretum Capituli Generalis Patrum Minorum, celebrati Romæ MDCLXXXVIII, præside Eminentissimo Cardinale Cybo, Ordinis Protectore et Papæ Innocentii XI Delegato : Lego, inquam, titulo pro Provinciis Hispaniæ n. 30 fol. 30. [Pro Provincia Majoricæ, in qua doctrina B. Raymundi Lulli Doctoris Illuminati maxime ad hæc usque tempora floruit, consulto sancimus, quod tertius cujuslibet Studii Theologici Lector, lectiones juxta ipsius Doctoris Illuminati mentem semper legat, et publicas Conclusiones quolibet anno disputandas proponat.] Dicemusne, obsecro auctoritate Apostolica, qua decreta hæc approbata sunt, viris Religiosis præcipi, ut hæreses palam doceant et profiteantur ? Imo totius Universitatis alumnis injungi, ut hujusmodi lectionibus intersint ?

dum interim Academici, annuente Urbano VIII, obligantur,

Artem Lulli audire quotidie,

D AUCTORE J. B. S. *sub proprio ad id statuto Lectore,*

125 Hæc me tacente, quisquis in unum argumenta collegerit, nullo negotio concludet, id saltem invicte deductum et ad oculum demonstratum, jactatam sexcenties Constitutionem, si falsa, spuria, et fictitia omnino non est, subreptitiam profecto, vel (si ita vis) dubiam minimum censeri oportere, et neque ab Ecclesia Catholica, neque ab ejus capite Romano Pontifice umquam agnitam aut receptam. Nequid vero dissimulatum putes, sincere dicam et candide, jam stabilita, nihil contrariis Raymundi æmulorum auctoritatibus rationibusve concuti aut enervari posse, præcipuis eorum exceptionibus in decursu tactis, et (nisi fallor) probe confutatis. Siquid præterea est, id plane pleneque sibi objicit, nec minus accurate dissolvit diligentissimus beati Martyris vindex Custurerius, tota Dissertatione secunda, præsertim cap. 7 ubi curiosus lector inveniet, quod dubitationibus, reliquisque cavillis omnibus abundantissime satisfaciat. Quod nobis præfixum erat, nimirum historica narratione summa quæque controversiæ capita proponere, id confidere ausim ita præstitum, ut nihil addendum supersit.

adeo ut evicta plane causa videatur.

E

ACTORUM B. RAYMUNDI

EPILOGUS

Quo heroicarum ejus virtutum specimina exhibentur.

Toto præmisso Tractatu, B. Martyris immemorabilis cultus, innumera sanctitatis argumenta, peregrinationes perpetuæ pro Dei gloria, immensi labores exantlati, vitæ series, miracula denique et doctrinæ scriptorumque ab hæresi immunitas, ita commonstrata sunt, ut sperem, invidorum simul et calumniatorum ora imposterum obturanda. Poterat quilibet ex illis, satis prolixe deductis, multiplices Raymundi et illustres plane virtutes ultro perspicere : Fidem nimirum vivam, Spem firmam, ardentem Caritatem, et quæ ex illis promanant, aut cum illis connectuntur, Prudentiam, Justitiam, Temperantiam, Fortitudinem, Zelum propagandæ divinæ gloriæ prorsus indefessum, Conformitatem omnimodam cum Dei voluntate, amorem paupertatis, humilitatem, sui abnegationem, ceterasque eas omnes, ex quibus potissimum de virorum sanctorum heroica virtute censere solent, qui de eorum Canonizationibus cognoscunt. Nequid tamen ad beati Martyris nostri honorem deesse paterer, consultum putavi, succincta anacæphaleosi, eas cursim dotes delibare, quibus Raymundi animus, divina largitate mirifice exornatus, uno veluti obtutu conspiciatur.

Licet ex dictis virtutes satis eluceant,

F

2 Huc me præcipue impulit ignotus multis et passim neglectus libellus, quem *Blaquernam* seu *Blanquernam* (etymologiam non quæro) vulgo nominant, dulcissimas interrogationes et responsiones *Amatum* inter et *Amicum* complectentem, quæ ferventissimum viri sancti erga Deum amorem, et ejus causa quidlibet patiendi incredibile desiderium, fidem

ex Blaquerna specimina subjiciuntur,

AUCTORE J. B. S.

A dem inconcussam, spem firmissimam, tam graphice exprimunt; ut, licet ex egregiis ejus actionibus supra fuse enarratis, caritas illa, zelus et reliquæ sublimes virtutes non undequaque elucescerent; ex sola hujus libelli lectione, Raymundi ingenium, et penitissima præclari animi sensa, genuinis coloribus adumbrata, in oculos incurrerent. Usque adeo suaves illæ interrogatiunculæ ac mellıflua responsa, in singulos anni dies distributa, pietatem, devotionem, et dulcissimos quosque erga Christum Dominum (ita semper *Amatum* vocat) affectus uberrime subministrant. Opusculum hoc inter Raymundi libros recensetur ordine 137, diversum plane a Blaquernis seu Blanchernis aliis num. 135 et 183 in citato Catalogo enumeratis. Sequar ego editionem Parisiensem, typis Dionysii Moreau anno MDCXXXII, ex qua proinde desumpta memineris, quæ hic sparsim interserentur.

quæ B. Martyris ingenium mirifice exprimunt.

3 Hoc ipsum argumentum sibi tractandum suscepit, toties a nobis laudatus sed numquam satis laudandus Custurerius, toto operis sui capite ultimo a pag. 544, apud quam plura inveniet qui nostra brevitate saturari non poterit. Mihi statutum est, virtutum præcipuarum quosdam veluti flosculos, tantummodo decerpere, hortum assignando ex B quo pleni manipuli colligendi sunt. Blaquernam rursus intelligo, ita hujuscemodi deliciis affluentem, ut singulæ libelli facies, quemadmodum Amati et Amici nomina ubique præferunt, ita amorem continuo spirent, intellectum instruant, voluntatem pascant, et ad divinam caritatem identidem inflamment: quidquid de cetero, innocua et incompta styli simplicitas, sermonis elegantiam sectantibus, arridere fortasse non possit. Ex prima totius opusculi quæstiuncula id prægustare licebit: *Interrogavit Amicus suum Amatum, si in eo aliquid remanserat diligendum? Respondit Amatus, quod id, propter quod Amici multiplicari potest amor, semper in eo superest amandum.* Sed nos præfixum virtutum heroicarum ordinem percurramus.

Fides probata laboribus et scriptis,

4 Vivacissima fide illustratum fuisse B. Martyrem nemo dubitabit, qui arduos illos labores, ejus dilatandæ causa susceptos et invicta constantia per annos XL et amplius continuatos, vel meminisse voluerit. Vidimus non semel, honores, divitias, et oblata quæcumque commoda fortissime respuentem, ut, qua erat fide præditus, eam generose assereret. C Erroribus contra fidem orthodoxam impugnandis quot libros ediderit, ex catalogo superius extenso luculenter apparet. Nullam prope sectam intactam reliquit, quam non acerrime aggressus fuerit: Paganos, Gentiles, Tartaros, Judæos, Saracenos, Schismaticos, Græcos, Nestorianos, Jacobitas, Averroem ejusque sequaces: hæreticos denique et hæreses omnes ita verbis et scriptis insectatus est, ut præcipuis fidei catholicæ athletis, non immerito comparari possit. Porro tam alacriter ad eamdem fidem prædicandam quibuscumque periculis se exposuit, ut persecutiones, ærumnas, ludibria, carceres, gaudia sua appellare consuesceret, quibus Amati sui gloriam quaquaversum diffunderet.

indefessa prædicatione,

5 Tot inter molestias et miserias, non alia erant Raymundi solatia, quam quæ ipse in suo Blaquerna enumerat num. 244. *Interrogaverunt Amicum; quis erat Amatus ejus? Respondit: eum esse qui facit ipsum amare, desiderare, languere, suspirare, plorare, derideri, et denique mori atque interire; qui facit mortem vita dulciorem, derisum honore pretiosiorem; plorare et suspirare, risu et gaudio rem delectabiliorem:* videlicet, ubi ea omnia cum ejusdem Amati laude et gloria conjuncta sunt. Audi loquentem denuo in eamdem sententiam num. 250: *Dicas, fatue amoris, unde habes tuas necessitates? Respondit; Ex cogitationibus et desideriis, cum perseverantia ad Amatum* D *suspirando et gemendo. Unde habes hæc omnia? Respondit; Ab amore hæc habeo. Unde habes amorem? Ab Amato. Vis esse captivus? Ita, respondit, amoris, suspiriorum, cogitationum, laborum, periculorum, exilii, et fletuum ad serviendum Amato meo.* Atque in his certe, sic Amatus, Amici sui Raymundi complevit desideria. ut vere dicere potuerit, quod ad Corinthios scribebat Apostolus: *In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter*, et quæ sequuntur. Item quæ ad Romanos prædicat: *Quid nos separabit a caritate Christi? tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas?* etc.

ac omnimodarum persecutionum ærumnarumque

perseverantissima tolerantia.

2. Cor. 11.

Rom. 8.

6 Jam vero quam certum est divinam fidem, humanæ salutis esse initium, fundamentum et radicem omnis justificationis; tam est indubitatum, caritatem in Deum in ea fide unice stabiliri. Atqui vehementissima caritate in Amatum suum exarsisse Raymundum, ut jam dicta sileam, probat evidentissime citatus a nobis Blaquerna, ut brevi pluribus adhuc palam faciam. Nihil itaque manifestius, quam beatum Martyrem singularissimo fidei dono, et tantæ caritati proportionato, fuisse a Deo cœlitus illuminatum. Ad hanc veritatem alludere ipse videtur num. 266: E *Amatus morabatur supra amorem multum summus: et sub amore morabatur Amicus multum imus: et amor morabatur in medio: et descendit Amatus ad Amicum* [per sui revelationem] *et ascendit Amicus ad Amatum* [per fidem] *et ex illo descensu et ascensu, vivit et assumit initium amor:* tanto nempe magis accensus, quo sublimior revelatio, atque innixa ei fides illustrior.

Prodit se etiam vivacissima fides

7 His consonant, quæ habet num. 288 his verbis: *Nutriebat Amatus suum Amicum ad diligendum, et amor instruebat eum ad patiendum, misericordia ad sperandum, justitia ad timendum, et fides ad credendum: sed cum fuit major factus, hæc omnia eum instruebant ad amandum.* Rursus num. 300: *Dicas, amoris fatue, unde incipit sapientia? Respondit, in fide et devotione quæ sunt scalæ per quas ascendit intellectus ad intelligendum Amati sui secreta. Dixit rursus: Fides et devotio unde habent initium? Respondit ab Amato meo, qui illuminat fidem et accendit devotionem.* Quasi diceret, ferventissimum suum amorem, et quæ ex eo sequitur, devotionem, non aliunde quam ex vivacissima sua fide, tamquam ex fonte rivulos, promanare. Alia hujusmodi pro Raymundi fide argumenta, vide sis numeris 32, 72, 126, 141, 165, F 188, 193, 222, 280, 293, 320, 338, 351, et aliis passim.

non solum ex innumeris Blaquernæ locis,

8 Quid multis opus? dum non solis verbis Raymundi sensa panduntur, sed immensi labores propagandæ ac tuendæ fidei causa tolerati, et toto tractatu deducti, omni præcone fortius clamant, fontem ipsum ex quo tot insignia specimina processere, purissima illustratione a Deo præveniri debuisse. Hinc nempe itiones illæ et reditiones crebræ, ad Pontifices, ad Principes, aliosque qui rem Catholicam promovere poterant. Testatur Raymundus ipse in Lamentatione num. 14, se quinquies ivisse ad Curiam Romanam sumptibus suis; item ad tria Capitula generalia Prædicatorum, et ad totidem Capitula PP. Minorum. Demum id consequi meruit, ut tot libris assertam, tot prædicationibus annuntiatam veritatem, effuso sanguine confirmaret, gloriosa martyrii laurea ab Amato coronatus. Hoc ultimum est Lullianæ fidei sigillum, quo ejus integritatem, extra invidorum et æmulorum dicteria positam esse, multis ostendimus. Nunc illud iterum adde. Sicubi forte scribendo a recto tramite aberraverit, Ecclesiæ filium fuisse fidelem, morigerum, obsequentem, dum scripta sua omnia ejus censuræ

sed ex summa erga Ecclesiam submissione

sanguinis effusioni conjuncta.

A censuræ submisit. Esto itaque de facto errasset, vel sic tamen fidei ejus puritati nihil prorsus detrahitur; id enim tunc cum aliis viris sanctissimis commune habebit, ut humane quid passus fuerit, proprii sanguinis effusione, ut alibi diximus, abunde elutum. Id certe evicimus, a doctrinæ catholicæ veritate numquam voluntarie, nedum præsumptuose aut pertinaciter deflexisse.

quibus omnino eluitur

9 Hanc Raymundi humilem erga Ecclesiam docilitatem et simplicitatem, tametsi in præcedentibus demonstratam habeas, juverit ex Blaquerna nostro, illustria in eamdem rem testimonia depromere. Primum sumo ex num. 338, ubi ita loquitur: *De simplicitate disputabant; Simplex est qui nihil scit. Alter dicebat; Simplex est qui sine crimine vivit. Supervenit Amicus et dixit; Vera simplicitas est, quæ omnia facta sua confidenter Amato meo committit. Simplicitas est quæ magis fidem quam intelligentiam (in iis quæ supra se sunt) magnificat, et quæ vana, superflua, curiosa, subtilia et præsumptuosa, in iis quæ sunt Amati mei, summopere devitat; quia illa contraria sunt simplicitati.* Alterum suggerit num. 339, ex quo hæc paucula describo: *Quid faciunt præsumptio et curiositas? Respondit Amicus, Vanitas est mater curiositatis, et superbia præsumptionis: et ideo eadem faciunt, quæ faciunt vanitas et superbia. Et per curiositatem et præsumptionem inveniuntur Amati mei hostes; sicut per simplicitatem ejus acquiruntur amores.* Ea autem clarissime confirmantur ex num. 351 hoc effato; *Per præsumptionem vero omnes in mundo seminatæ sunt hæreses.* Ex his confice, quam ab omni præsumptione et pervicacia alienus fuerit, sincera, submissa et incorrupta fide illustratus Raymundi animus. Et de ea quidem hactenus.

siquis nævus in ejus scripta quoquomodo irrepsit. B

10 Proxima est inter virtutes, quas Theologicas dicimus, promissæ gloriæ futurorumque meritorum et bonorum æternorum secura exspectatio; spes, inquam, seu robusta illa in Deum fiducia, qua insigniti viri sancti, toti in Deum rapiuntur: spretisque mundi hujus voluptatibus atque deliciis, ad sempiternæ vitæ bona sectanda, vires et conatus omnes intendunt; juxta illud *Spera in Domino et fac bonitatem.* Hæc autem virtus, quam mirifice in Raymundo eluxerit, prima ipsa a seculi vanitatibus ad Deum conversio, apertissime demonstrat. Videlicet, cum abdicato priori fastu, calcatis opibus, vili lacerna indutus, Amatum pauperem, pauper secutus est; Christi ærumnas et molestias pecuniis omnibus prætulit, ut cœlestia gaudia consequeretur. Ita de se in persona Amici loquitur num. 181: *Dicas, amores fatue, habes denarios? Respondit; Habeo amores et cogitationes, fletus, desideria et languores: qui sunt, quam imperia aut regna, longe valentiores.* O beatum virum, cujus spes unica fuit nomen Domini!

Spe inconcussa præditus

Ps. 36

C

11 Hac spe animatus, et soli fretus divino auxilio, postpositis humanis adminiculis, ea non dubitavit aggredi, quæ prorsus incredibilia viderentur, nisi nota esset supernæ gratiæ efficacia, quæ, sicut ceteros Sanctos, ita Raymundum ingenti in adversitatibus fiducia corroboravit. Hanc in Blaquerna num. 58 ponit interrogatiunculam: *Quis*, tot inter angustias et tribulationes, *esset ejus medicus?* Ad quam id unum reponit: *Confidentia quam habeo de Amato meo.* Ea confidentia Raymundum impulit, ut spretus licet, despectus et vilipensus, nihilo secius in proposito perseveraret. Licet apud Principes tum Ecclesiasticos tum seculares sæpenumero repulsam pateretur, imo contumeliis, ludibriis et verberibus esset expositus; licet a Saracenis vincula, carceres, et diros cruciatus esset expertus; tamen, quæ in Amati sui honorem sancte conceperat, exequi non desineret: memor eorum quæ a Spiritu sancto dictata legerat; *Etsi coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est.* D

et Deo fretus, incredibilia aggressus est

Sap. 3.

12 Eadem illa Confidentia, Raymundo anchora fuit in frequentissimis terra marique periculis, in laboribus et languoribus; probe gnaro ea in nobis æternum gloriæ pondus operatura. En quam graphice ista exprimat num. 185: *Dicas, amoris fatue, quare excusas amorem, cum tribuit tuo corpori et tuo cordi assiduam pœnam et tribulationem? Respondit, quia multiplicat suam gratiam et meam beatitudinem.* Ut paucis complectar omnia; quæ passim homines gravia et molesta existimant, suas Raymundus, divinis utique semper intentus, consolationes arbitrabatur. *Amatus*, inquit num. 98, *seminabat in corde Amici desideria, suspiria, virtutes et amores; Amicus illa semina cum lacrymis et fletibus irrigabat. Seminabat Amatus in corpore Amici labores, tribulationes et languores: Amicus suum corpus sanabat cum spe, devotione, patientia et consolationibus.* Sed hæc magis etiam ex beati Martyris Caritate perspicies, qua totus Blaquerna redundat.

AUCTORE J. B. S.

ut in Blaquerna suo præclare testatur.

13 Profecto si in Sancti cujusquam animo imperium umquam tenuit ea virtutum omnium Regina, in Raymundi nostri præcordiis sedem fixisse credenda est; ita ubique Caritatem loquitur, Caritatem spirat, Caritatem instillat legentibus: ut minime mirer, quod a nonnullis Scriptoribus, *Magnum* vocetur *divini amoris specimen.* Verumtamen ne tædiosa repetitione eorum quæ in Actis enarrata sunt, Lectorem fatigem, solis fere Blaquernianis canticis, Lullianæ Caritatis vestigia delineabo. Equidem tam miram illic observo in adumbrando suo in Deum amore, beati Martyris energiam, ut mellitas illas sententias depromere haudquaquam potuerat, nisi cœlestibus incendiis vehementissime flagraverit. Sensit ipse, divinas illas amoris flammas, usque adeo medullas cordis sui intimas pervasisse, ut sese passim quasi antonomastice, *Amantem, Amicum, Amoris nuntium*, quin imo *Amoris captivum, Amoris fatuum, Amoris insensatum, Amoris inebriatum, Amoris insanum, Amore desipientem, impotem mentis et infatuatum*, singulis prope pagellis pronuntiet. Describendus mihi sit libellus integer, si singula percurrere velim flagrantissimæ caritatis argumenta.

Sed nullibi facundior Raymundus E

quam ubi amorem suum sic toto libello explicat,

14 Cœpit illa ardere in mente beati Martyris, primo ipso, ut ita dicam, conversionis suæ momento, ubi nimirum Christi crucifixi amantissimis invitationibus suaviter pellectus, nuntio mundanis omnibus remisso, desertis carissimis pignoribus, uxore et liberis, uni unico Amato suo tam arcte se adstrinxit, ut exinde perpetuo accreverint concepti, purissimæ in Deum et proximum caritatis igniculi. Unæ erant Raymundi deliciæ, Amatum venerari, de Amato cogitare, cum Amato assidue conversari. Idque sibi adeo familiare reddiderat, ut quocumque oculos intenderet, Amatum contemplaretur. Hanc suam amandi methodum belle expressit num. 40 per hæc verba: *Surrexit tempestive Amicus, et ambulabat, suum requirens Amatum: invenitque turbam per viam ambulantem; et interrogavit, si suum viderit Amatum? Responderunt dicentes: Quod fuit tempus, quo tuus Amatus absens fuit a tuis oculis mentalibus? Respondit Amicus; Postquam vidi Amatum in meis cogitationibus, non fuit absens oculis meis corporalibus: nam omnia visibilia meum mihi repræsentant Amatum.* Sic num. 310: *Interrogaverunt*, inquit, *Amicum, quid est mundus? Respondit; Liber est scientibus legere, quo cognoscitur Amatus meus.*

sic a principio conversionis in corde favit, F

15 Et tali libro attentius evolvendo, insudabat potissimum industrius et ad veram amandi artem compositus Raymundus; nam a primo diluculo, solem in Amato laudando et diligendo præveniens, ex ipso clarissimi sideris splendore, Amati nitorem agnoscebat. Sic num. 276: *In aurora spatiabatur*

ex contemplatione creaturarum ita accendit,

AUCTORE J. B. S.

A *tiabatur Amicus, et intuitus est orientem solem, et gaudio repletus, incepit cantare : De auroræ pudico thalamo, in hunc mundum egressus est Amatus meus, in quo qui cogitat maculam, in sole cogitat tenebras.* Dum maris abyssos mente conciperet, inde ad amoris sui profunditatem assurgebat, ut est num. 314. Sed recitandus est numerus 269, quo maxime emicat studiosissimi amatoris ingenium : *Intravit Amicus hortum amoris, et vidit lilium, et gavisus est; quia sibi repræsentabat suum Amatum, qui est candidissimus et purissimus omnium. Deinde vidit pulcherrimam rosam, et ait : Sicut rosa oculis corporalibus est pulcherrimus florum, sic oculis mentalibus, Amatus meus est pulcherrimus amatorum.* Vide etiam num. 270, 271, et plures alios.

ut quidquid intueretur, id ad amandum Deum provocaret,

16 Innumera profecto sunt piarum hujuscemodi adinventionem specimina, toto libello diffusa, quorum pleraque indicasse sufficiat. Siquando cantantes audiret aviculas, dulci sono invitatus : *Si propter idiomata*, inquiebat num. 26, *invicem non intelligimus, intelligamus nos propter amorem.* Creata omnia meditabundus introspiciens, *tantam* dicebat, num. 318, *Amati sui bonitatem, ut omne aliud bonum, ejus* B *comparatione aut nihilum esset aut punctum. Puerulos saltantes post multitudinem papilionum* intuitus, num. 71, qui, *quanto magis capiare nitebantur tanto magis evolabant in altum ;* hinc vanarum subtilitatum vanos amatores, et caducarum rerum sectatores increpabat. Ne pluribus immorer, ita loquitur num. 316 : *Quid est esse Amati ?* Respondit ; *Est radius, qui resplendet in omni re, sicut sol in universo orbe.*

sui impos ob amoris violentiam

17 Altissima hæc et perpetua divinorum contemplatio, desideratissimam pariebat Raymundo solitudinem, numquam minus soli, quam cum solus esset. *Profectus est*, num. 46, *vivere solitarius, ut haberet sui Amati societatem, nam inter populos solus erat.* Interrogatus a transeuntibus, num. 47, cur moraretur solitarius? Respondit : *quod tunc primum solus fuit, cum ipsos vidit et audivit, nam prius ipse erat in societate sui Amati.* Ubi vero populi turbis interesse cogeretur, pio quodammodo enthusiasmo correptus, ad imitationem Amati sui, in die magno festivitatis ad se omnes invitantis : *Clamabat Amicus* num. 253, *per vicos et plateas: Nomen Amati mei fons est uberrimus amoris, si omnes illud potarent, non essent divisi sui amores.* Hinc pro insano et stulto habitus, cum interrogaretur ; *An intellectum amisisset ? Respondit*, num. 55, *quod suus Amatus rapuerat velle suum, et ipse Amato suo donaverat* C *intelligere suum, quare sibi solum remanserat recolere suum, quo suum recordabatur Amatum.* Quæ deinde inter animæ potentias, de amoris erga sponsum propinquitate aut præcellentia, certamina instituit num. 17 et 18, ludum exhibent suavissimum quo de Raymundi caritatis violentia facillime statuatur.

et in amore et ex amore totus.

18 Nec minus ea repræsentatur num. 117, *ambulante Amico per montes et planities, nec ostium reperiente quo posset a carceribus amoris exire.* Non quod amorem fugeret, sed quod nimiis, opinor, caloribus æstuaret. Sed me magis in admirationem rapit heroica protestatio, qua se totum Amato devovet num. 70 : *Dixit Amicus Amato suo ; Tu es totus, et per totum et in toto, et cum toto ; te totum volo ut sim ego totus. Respondit Amatus : Non potes me habere totum, nisi sis meus totus. Amicus dixit : Habeas me totum, et ego te totum. Respondit Amatus : Quid habebit filius tuus, quid frater tuus, quid pater tuus ? Dixit Amicus : Tu es talis totus, quod potes abundare et esse totus cujuslibet, qui se voluerit totum tibi donare.* Item illa quæ exstat num. 100 ; ubi interrogatus : *De quo erat ? Respondit, De amore. Quomodo es ? Amoris. Quis te genuit ? Amor. De quo vivis ? De amore. Quo nomine nominaris ? Amoris. Unde venis? Ab amore. Quo vadis? Ad amorem. Ubi moraris? In amore.* Quid igitur miri si num. 203 *intimum* dicat *cordi suo amorem*, et 205, divitias suas omnes se in amore collocatas habere D profiteatur ?

Caritas duris exercita

19 Hactenus Raymundi amor, cum suavitate et dulcedine conjunctus ; at non hic hæsit mascula et intrepida ejus erga Amatum dilectio, in adversitatum tolerantia, in afflictionum, angustiarum, tribulationum fornace, usque usque probata. Quærenti enim num. 333, *quid sit Amor ?* Respondet : *Amor est viventis mors et morientis vita. Est in die lætitia, et in morte tristitia ; voluptas in patria ; in peregrinatione mœror ; est suspirans absentia, et sine fine gaudens præsentia.* Num. 90 ita Amorem definit, ut is *arbor sit cujus amare est fructus, tribulationes autem et languores, folia dicantur et flores.* Huic sententiæ consonat num. 128 : *Signum Amati apparet in Amico, quoties propter amorem est in tribulationibus, suspiriis, fletibus et cogitationibus, et vilipensus ob hominibus.* Denique ut potentissimi amoris sui characteres omnes verbo uno complecteretur, ait num. 306 : *Esse id quod liberos ponit in servitute, et servos in libertate.* E Videantur etiam num. 113, 151 et 175.

et duplicatis ærumnis illustrior,

20 Expertus loquitur vir zelo et opere vere Apostolicus, et molestiarum, ærumnarum periculorumque contemptor egregius, quotiescumque de exhibendis in Amatum caritatis speciminibus ageretur. Rogatus siquidem ab Amato, num. 8 : *Si haberet patientiam duplicatis languoribus? Ita*, respondit, *dummodo meos duplicaveris amores.* Porro quot argumentis id comprobaverit, testes sunt Romani Pontifices Nicolaus IV, Cœlestinus V, Bonifacius VIII, et Clemens V. Testes sunt Reges, Philippus Franciæ, Jacobus Aragoniæ et Jacobus alter Majoricensis. Testes Respublicæ Genuensis et Pisana, testes regiones et urbes quas toties peragravit, ad exterminandas hæreses, ad fundanda linguarum collegia, ad liberandam e Saracenorum potestate Terram sanctam ; labores denique omnes, quos ad effusionem usque sanguinis tamdiu pertulit, quamdiu vixit. Accedat modo insigne Blaquernæ suffragium, quo de penitissimis Raymundi sensis judicium ferri poterit ex num. 293 : *Construebat Amicus unam pulchram civitatem, in qua habitaret suus Amatus. Muri erant de fortitudine, fundamenta de humilitate, triclinium de temperantia, thalamus de castitate, turres de magnificentia, portæ erant de fide spe et caritate ; vici erant de pietate, custodes de justitia, universum idioma de amore, ut per hæc omnia transiret Amatus.* Vis paucis F Beatum nostrum ad vivum effingere? Dic ex amore genitum, amoris lacte nutritum, amoris violentia consumptum.

in virtutum omnium ædificio primas tenet.

Virtutum Cardinalium cum Theologicis

21 Qui qualesque virtutum omnium fructus ex ornatissima hac civitate pullulaverint, facile conjiciet, qui vel leviter ad præmissa jam Acta attendet. Nam quod ad Cardinales attinet, Theologicis proximas iisque suavi unione connexas, præter ea quæ in spirituali oppido descripta habes, occurrit num. 84, quo *interrogatus Amicus, qui sui sibi amores attulissent ? Pulchra*, inquit, *ornamenta, honores Amati mei et valores. Ubi invenerunt ? In memoria et intellectu. Cum quibus ea recepisti ? Cum caritate et spe. Cum quibus ea custodis ? Cum justitia, prudentia, temperantia et fortitudine.* Item num. 143 : *Amicus profectus est ad pugnandum, ut honoraret Amatum suum ; et duxit in ejus comitatum fidem, spem, caritatem, justitiam, prudentiam, fortitudinem, temperantiam, ut adversarios Amati sui devinceret.* Vides, opinor, quam perfecta in beato Martyre fuerit Theologicarum Cardinaliumque virtutum harmonia.

suavis harmonia

Zelus Raymundi Apostolicus,

22 Tacendus non est incomparabilis ille et quasi innatus Raymundo zelus procurandi promovendique in

A in omnibus honoris Dei, Amati sui. Quam in hac parte impiger fuerit athleta generosissimus, ut ante testatissimum fecerim; lubet etiam ex Blaquerna secretiora animi arcana paucis reserare. *Plorabat Amicus*, inquit num. 4, *ac dicebat; Quando erit tempus, ut in seculo cessent tenebræ et inferorum viæ?* Huc vires, animos et fortunas omnes convertit, ut num. 11 explicat : *Amice desipiens, quare corpus tuum destruis et pecunias tuas dispensas, et delectationes hujus seculi relinquis, et spretus inter gentes incedis? Respondit, Ut Amati mei honorem honores, qui per plures est non amatus et inhonoratus, quam amatus et honoratus.* Quasi si Raymundus honoris Amati sui tuendi solus in se provinciam suscepisset. Sic num. 139 : *Dicebat Amicus suo supercaro Amato, ut ei modum ostenderet, quo posset ipsum facere cognosci, amari et laudari ab hominibus.* Nihil magis Apostolicum virum angebat torquebatque, quam quod Amatum suum, ab ingratissimis hominibus neglectum perspiceret. *Ah! intellectus et voluntas*, inquit num. 130, *clamate et excitate magnos canes, qui dormiunt, Amatum meum obliviscentes, Ah! oculi, plorate; ah! cor et pectus suspirate, et dedecus Amati mei quod inferunt illi, ab eo tantum honorati, ah! memoria recolite.*

In omnium salutem intentus,

B

Ideam Societatis Jesu

23 Ecquid perspicuum est, unum hunc sibi finem Raymundum præfixisse, ut peccatis obviaret, fideles ad christiana officia impelleret, exstirparet hæreses, et infideles adduceret ad veri Numinis agnitionem? Hinc non minus verisimiliter quam pie, apud Custurerium, meditatur Causinus noster, primum fuisse Raymundum, qui in animo designaverit, quod duobus post seculis tam gloriose executus est Societatis Jesu Patriarcha Ignatius. Nimirum ut de Seminariis prospiceretur, in quibus viri docti prius exercitati, totos se Dei honori et proximorum saluti promovendis consecrarent. Videritne id spiritu prophetico beatus Martyr, non ausim pro certo affirmare : at vero non negaverim, ita Societatem nostram ab eo in animo præconceptam, ut plane vaticinatus videri possit. In Blaquerna num. 162 sic legitur, ex originali vernaculo : *Magnus exercitus sequacium Amoris fuit congregatus, vexillum Amoris portantium, in quo est figura et signum eorum Amati; nec socium recipiebant aliquem, qui esset sine amore, ne eorum Amatus inde aliquid dedecoris pateretur aut ignominiæ.*

24 An hic non appareant Societatis Jesu lineamenta, aliorum esto judicium : ego certe id assequi

C

ejus animo jam tum videtur impressisse.

videor, congregationem illic indicari, quæ amori erga Jesum superstructa, ejus suavissimi Nominis vexillum erigeret, sub quo militaturi unam majorem Dei gloriam intuerentur, uni proximorum saluti incumberent, atque in eum finem studia sua et vota omnia unice dirigerent. Et ea quidem cogitatione sese consolabatur Raymundus, socios eminus contemplatus, qui, quod ipse jam dudum volvebat animo, reipsa aliquando perficerent. Eo res processerat, ut non aliam se regulam sequi profiteretur, quam quæ esset Amati sui, cujus adorandum Nomen in corde et in ore quaquaversum circumferebat. Hoc in Blaquerna num. 305 et 353 iisdem verbis expressum invenio : *Ingressus est Amicus claustrum Religiosorum, et interrogaverunt eum, an esset Religiosus? Respondit sic : Religiosus sum Amati mei. Quam regulam sequeris? Amati, inquam, mei. Cui vovisti? Respondit, Amato meo. Habes voluntatem? Non, dixit; Amatus meus habet illam. Addidisti aliquid ad Amati tui regulam? Respondit, nihil addendum esse ad perfectionem*; eam præsertim quam in Apostolico vitæ genere constitutam agnoscebat, Amati sui gloriam toto orbe diffundendo. Sed nos pauculas alias, ex innumeris Beati virtutibus, cursim attingamus.

Ipse se Religiosum Jesu profitebatur.

D

AUCTORE J. B. S.

Conformitas omnimoda cum divina voluntate.

25 Conformitatem cum divina voluntate, amoris ejus ardoribus omnimode fuisse similem, probat ipse, dum num. 9 ita habet : *Dixit Amatus Amico suo; Scis quid sit amor? Respondit Amicus; Si nescirem quid sit amor, scirem quid est tribulatio, tristitia et dolor.* Scilicet omnia Raymundi desideria in amorem ultimate referebantur, sic ut abdicato proprio velle, totum se Amati arbitrio committeret. *Interrogaverunt Amicum* (num. 226) *si habebat patientiam? Respondit, quod omnia sibi placent; et ideo non habet in quo habeat impatientiam, quia qui non habet dominium in voluntate sua, non potest esse impatiens.* Hæc plane eorum felicissima sors reputanda est, qui fluxarum rerum instabilitate et mutabilitate haudquaquam turbati, in divinæ providentiæ sinum sese ita projiciunt, ut eadem animi serenitate, et adversa et prospera contemplentur. Sic in Beato nostro, num. 200, *gaudia et tormenta se jungebant et veniebant ut essent unum et idem in Amici voluntate* : qua resignatione et submissione non video perfectiorem desiderari posse. Eam vero egregie confirmat, dum num. 7 ita Amatum affatur : *Inter lætitias et tribulationes, quas mihi donas, non facio differentiam.*

E

Paupertas.

26 Quam arctam a conversionis principio, eamque Evangelicam paupertatem sectatus fuerit, puto ex Actis esse plusquam manifestum. Id unum restat, ut et huic veritati Blaquerna adstipuletur. Interrogatus num. 58, *quales essent ejus divitiæ? Respondit; Paupertates, quas patior propter Amatum meum.* Senescalli munus abdicaverat, opibus et fortunis se sponte privaverat, ad eam egestatem seipsum redigens, ut stipem ostiatim emendicare cogeretur. Ita scribit num. 285 : *Ambulabat Amicus eleemosynas petens.* Quamprimum ab insana libidine resipuit, castitatis amore ita accensus est, ut licitis etiam voluptatibus omnino contemptis, ab uxore consentiente sejungi voluerit; toto reliquo vitæ decursu ita a luxuria alienus, ut nec minimum nævum contraxisse legatur; imo nec in aliis pati potuerit; hac ipsa de causa musicos cantus exosus, qui vel leviter aures offenderent, quemadmodum conqueritur num. 246. *In quadam solenni die*, inquit, *Amicus erat in oratorio Amati sui, et audivit musicos canentes : verba erant de Amato et cantus erant de mundo : et non potuit se continere Amicus quin exclamaret; O quid margaritas defœdatis luto, laudare nescientes! Nescitis hos cantus non decere Regis virginum honores, per quos ad turpia alliciuntur meretrices?* Tanta erat Raymundi teneritudo et verecundia : atque idcirco in Amati sui civitate, ut supra dictum est, *thalamum de castitate* construxerat. Par paupertati et castitati earumque comes individua fuit Raymundi obedientia, quam presse et eleganter describit num. 225 : *Interrogavit Amatus Amicum; Habes aliquid voluntatis? Respondit, quod servus non habet aliud voluntatis, quam obedire Domino suo.*

Castitas.

F

Obedientia.

Profunda humilitas,

27 Vulgo notissima et receptissima Christianis parœmia, humilitatem reliquarum virtutum omnium basim esse et fundamentum. Ea porro in Raymundi mente tam altas radices egerat, ut non minus humilitatis quam amoris prodigium dici mereatur. Quamquam enim tot singularibus ab Amato favoribus gratiisque cumularetur, quot eum exornatum ostendimus; nihilominus præteritæ vitæ noxas, et eas potissimum quas naturalis pudor studiose passim dissimulat, publice et palam confiteri ipse non destitit, ita prospiciens ne earum memoria umquam obliteraretur. Crediderim ego, viro, demississime de se sentienti, id unum stimulo fuisse, ut lascivias suas, in Lamentatione litteris consignatas, relinqueret. Erat ea humilitas præsens et perpetuum Raymundo frenum, nequando ob eminentes Amati in

AUCTORE J. B. S.

A in se profusasque gratias evanesceret, juventutis suæ delicta meminisse, eaque ob oculos proposita, recenti memoria recolere; quo indignitatem suam agnosceret, et præsumptionis expers, inter spem metumque contineretur. Hinc postquam num. 100 (ut supra retulimus) se totum ex amore conflatum dixisset; ut se iniquitatum antiquarum ostenderet memorem, numero proxime sequenti, subjunxit: *Interrogaverunt insuper; Habes aliud quam amorem? Respondit; Ita; culpas et injustitias contra Amatum meum. Habet Amatus tuus indulgentiam? Dixit Amicus, quod in suo Amato erant misericordia et justitia, et ideo suum hospitium erat inter timorem et spem, nam misericordia faciebat illum sperare, et justitia timere.*

mortificatio et pœnitentia continua,

28 Raymundi mortificatio, sui abnegatio, et rigidæ pœnitentiæ exercitium, non prius finem habuere quam extremum inter tormenta spiritum Amato reddidisset. Nihil opus est ea repetere, quæ in Monte Randa, quo primum tempore ad Deum conversus est, per novem circiter annos et fecit et passus est, ut ad missionem suam Apostolicam, assiduis studiis et corporis afflictationibus se præpa- B raret. Sat erit ex multiplicibus earum virtutum exemplis paucula ex Blaquerna adducere, quibus Epilogo nostro finem imponemus. Num. 110, dolores et languores suos in hunc modum describit: *Amatus præbuit beneficium fletuum, suspiriorum, languorum, cogitationum et dolorum Amico suo, cum quo beneficio serviebat Amicus Amato suo.* Luctam illam continuam clarius exprimit num. 208: *Pugnabant* D *ad invicem culpæ et officia in conscientia et voluntate Amici; et justitia et recordatio multiplicabant conscientiam; misericordia autem et spes multiplicabant veniam: ideo officia ac bona opera vincebant culpas et delicta in Amici pœnitentia.* Demum, ut reliqua tacitus prætercam, rem concludet numerus 239 his verbis: *Ibat Amicus solitarius, et associabant cor ejus cogitationes, et lacrymæ oculos ejus, et corpus ejus jejunia et afflictiones.*

donum orationis etc.

29 His multa alia subnectit Custurerius, præsertim de peculiari orationis dono, atque altissima rerum divinarum contemplatione, quibus ab Amato illustratum Amicum demonstrat: verum hæ et plurimæ hujusmodi gratiosæ dotes longiori tractationi præberent materiam; ubi eam abrumpere nobis necesse est. Hic igitur Actorum B. Raymundi Lulli finis esto. Qui plura voluerit, ut jam supra præmonui, consulat prælaudatum sæpissime Custurerium, et suavissimum Blaquernam, ex quo pauculos hosce virtutum heroicarum flosculos cursim decerpsimus, ad majorem Dei gloriam, beati Martyris honorem, ejusque cultus et venerationis augmentum, quando E supremo Ecclesiæ Capiti Acta recognoscere, ac de his in favorem popularium Majoricensium, id avidissime postulantium, aliorumque ei devotorum, disponere pro summa sua auctoritate videbitur: cui interim nostra omnia, eadem qua beatus Raymundus humilitate, iterum atque iterum ultro subjicimus.

APPENDIX

APPENDIX

ADDENDORUM ET MUTANDORUM

AD ACTA SANCTORUM

MENSIS JUNII

TOMO SEPTIMO DIE XXV

NOT. 1 Pag. 2 col. 1 ubi S. Marci evangelistæ inventio, ỿ 4 Florario MS. — adde — In Breviario Romano Venetiis impresso anno 1490, sic legitur hoc die in Kalendario prævio : Apparitio S. Marci, dum apparuit Venetiis visibiliter. —

B Pag. 2 col. 2 sub medium, quæ de Sanctis Thaumaturgis Muromensibus, Davide et Euphrosyna habentur, oblitteranda sunt; quia quæ de ipsis illic desiderantur, postea fuerunt allata, suoque loco pag. III impressa leguntur. NOT. 2

NOT. 3 Pag. 3 col. 1 litt. B. dele omnia quæ illic inter Prætermissos dicuntur de Henrico episcopo Olomucensi. Habentur enim ejus Acta loco suo pag. 121.

NOT. 4 Pag. 3 col. 2 inter Prætermissos post S. Radbodi translationem subnecte — S. Tugdualus Episcopus Trecorensis in Britannia Armorica, ab Hagiographis Benedictinis aliisque refertur hoc die. Natalis ejus celebratur XXX Novembris.

Ibidem post S. Alonem appone — S. Eligius colitur hoc die solenniter a contubernio auri argentique fabrorum Pragæ in Collegio Clementino Societatis Jesu, ubi suum habent sacellum ac sodalitium, multis ejusdem, ut aiunt, Sancti reliquiis decore servatis, ditatum. Inter alias ostentant calicem argenteum, tamquam ab ipso fabricatum; annulum brachialem cum grandi pala, cui lapillus nescio qualis irditus est. Aiunt, Sancto viro pro manipulo usurpatum fuisse, quod omnino est incredibile. Habent et infulam seu mitram episcopalem a panno rubro, unum circiter palmum altam, argento deaurato inclusam, per insertas utrimque lamellas crystallinas conspicuam; in cujus infimo limbo antiquis characteribus hæc circum insculpta leguntur : Anno Domini MCCCLXXIII infula S. Eligii apportata est per serenissimum principem ac dominum, dominum Karolum IV Romanorum imperatorem semper Augustum et Bohemiæ regem, donata ei a domino Karolo rege Franciæ ; quæ nobis Aurifabris Pragensibus per ipsum dominum nostrum Imperatorem data est et donata ex gratia speciali, Hæc coram vidi ipse C. J. anno MDCLXXXVIII, ipso die festivitatis XXV Junii, qui est Translationis corporis ejus, uti dies XXI Maji est Ordinationis episcopalis, quidquid ad illum diem in Prætermissis nostris codex MS. S. Michaelis Antuerpiæ notet, esse Translationis. Natalis ejus ubique est — I Decembris. E

Pag. 69 Post Commentarium de SS. Amando et Domnoleno, ante S. Æmilianum, interpone sequentia de S. Moloco, quamvis hujus nomen in indice Sanctorum, qui hoc die illustrantur, inferiori loco quam debeat, impressum sit. Ibi illud collocetur, propter ordinem chronologiæ, post S. Amandum et Domnolenum, atque hic sequens titulus. NOT. 5

DE S. MOLOCO SEU MOLONACHO

C F

EPISCOPO IN ROSSIA, SCOTIÆ

HODIERNÆ PROVINCIA

SYLLOGE PRÆVIA

S. Molocus, discipulus B. Brendani Abbatis, non frater Gildæ, episcopus.

INITIO SEC. VII. Decessores nostri ad diem XXIX Januarii ediderunt e Bibliotheca Floriacensi Joannis Boscii vitam S. Gildæ Sapientis (aliis Badonicus cognominatur) a monacho Ruyensi anonymo conscriptam ; in qua inter S. Gildæ fratres numeratur Mailocus, qui a patre sacris litteris traditus et in eis bene edoctus, relicto patre, atque rebus paternis renuntians, venit Lyuthes in pago Elmail; ibique monasterium ædificans, in quo in hymnis et orationibus, jejuniis et vigiliis instanter serviens Deo, clarus virtutibus et miraculis, in pace quievit. Tum notant, litt. d, hunc Mailocum, uti et fratres ejus, a Benedicto Gonono in titulo vitæ ejusdem S. Gildæ, vocari Sanctos. (Mailocus, frater S. Gildæ,)

2 Hanc eamdem vitam impressit quoque post Nostros Joannes Colganus, Minorita Hibernus Lovanii, atque ad nomen Mailocus hæc observat; Mail, seu ut varie scribitur Hibernis, Maol, Mael et Moel, alias idem significare, quod Dominus, vel Rex ; alias idem quod clavus, tonsus, vel coronatus. Sed quia, ut sæpius monui, inquit, diminutiva apud Hibernos desinunt in an, en, in, et oc : hinc diminutiva a prædicta voce derivata, sunt Mailan, Maelan, Moelan, Mailoc, Maeloc, Moeloc, et corrupte Moloc, quæ si latine reddere velis, Mailanus, Maelanus, Moelanus, Mailocus, Maelocus, Moelocus, et Molocus pronuntiari poterunt. In Martyrologiis autem Hibernicis varia hujus generis exprimuntur (quod nominis explicatur)

Sanctorum,

AUCTORE C. J.

A Sanctorum, vel Hibernorum, vel in Hibernia cultorum nomina. *Hæc Colganus.*

non censetur discipulus esse S. Brendani

3 *Indagat deinde, quis ille Mailocus inter alios synonymos sanctos, aliunde notos, censeri possit; annumeratque varios; puta,* Mailocum, *S. Patricii discipulum, notum ex hujus Actis;* S. Molocum, *cognomento* Devotum, de Inis-Tripraid, *ex Actis S. Senani episcopi :* S. Molocum, *discipulum S. Davidis Menevensis, ex vita S. Molaygæ seu Moloci de Tegh-Molaige : item alios, apud ipsum legendos. At primo loco commemorat* S. Molocum Hibernum, S. Brendani discipulum in Britannia, *quem* floruisse, *ait,* circa annum DXL. *ab Hectore Boethio lib.* 9 *pag.* 478 *dici,* in Rossia regione Albaniæ obiisse ; ejusque Reliquias in Lismorensi ecclesia cum honore esse conditas : *atque ita pergit :* De eo ad XVI Aprilis agit Ferrarius, vocans discipulum S. Brendani; sed male diem natalem assignat, qui est XXV Junii, quo de eo Usuardus auctus, vocans episcopum et confessorem. Item Marianus Gormanus, et Martyrologium Tamhlactense et Martyrologium Dungallense ad eumdem diem, ubi vocant Moluocum de Lismor in Albania.

et episcopus,

B 4 *Hunc Colganus non audet asserere esse fratrem S. Gildæ; nec ego ausim; quia citati auctores de tali fraternitate nihil meminerunt; fuisse autem discipulum S. Brendani et episcopum, et cultum habere hoc die* XXV *Junii, conveniunt plerique. Hector Boethius lib.* 9, *pag. mihi* 172 *versa, sic de illo scribit :* Adjunctus est viro sanctissimo *Bonifacio,* Scotorum agrum penetranti, divus Molocus, egregius antistes, ætate tum gravis, qui sacram doctrinam, primæva adolescentia a Brandano venerabili abbate acceptam, secutus, plerosque in Argadia atque Marrea, in quibus regionibus frequentius est diversatus, propriæ salutis mortalium vitia acrius carpendo, fecit admonitos; factusque itineris socius Bonifacio, multo cum piorum numero in Rossiam migravit; ibidemque XCIV vitæ anno diem obiit; in eodem templo cum Bonifacio, *qui corpus suum* apud Rosmarken *sepeliendum reliquerat,* sepultus. Argadi (nam et hi eumdem honorem illi exhibent) asseverant constanter, apud se Moloci Reliquias esse in Lismorensi basilica, illius nomini dicata, olim terra conditas. Sed sive hic, sive illic sepultus sit, ubique per Scotorum regiones a pio populo ingenti habetur veneratione.

de quo hic agitur

et loquitur Boethius.

C 5 *Meminit quidem Ferrarius ad* XVI *Aprilis,* S. Moloci episcopi, *natalem ponens* in Hebudibus insulis, *eumdemque in Annotationibus facit* con item et discipulum S. Brandani : *sed et meminit ad* XXV *Junii* S. Molonathi episcopi in Scotia : *quem dum in Annot. pariter dicit,* S. Brandani discipulum fuisse, *videri potest utrobique eumdem recensuisse; idque eo pronius est cogitare, quia* Molonathus *ille; in Menologio Scotico Thomæ Dempsteri, quod citat Ferrarius, similiter vocatus* Molonathus, episcopus, S. Brendani discipulus ; *a Davide Camerario In libro de Scotorum pietate, ad eumdem diem* XXV *Junii appellatur* S. Molonachus sive Molochus, *item cum titulo* episcopi et confessoris, qui pro viribus in Marria, Scotiæ provincia, proximorum saluti studuit. *Plura de illo scire cupientem remittit Camerarius ad* Boethium, Leslæum et alios : *et sic concludit :* Argadenses Scoti constanter semper tenuerunt, apud se S. Molochi reliquias esse in Lismorensi basilica, illius nomini dicata ; *quæ, patet, ab ipso descripta esse ex citato Boethio, nec alium intelligi quam discipulum Brendani.*

Etiam vocatur Molonathus

6 *Verum enim vero, cujus, quæso, Brendani discipulus fuerit* Molocus? *Duo quippe sub idem tempus floruerunt sancti Brendani, intra decennium alter post alterum defuncti ; ambo ejusdem magistri S. Finniani doctissimi Abbatis Cluainerardensis ; anno* DLII, *ut*

discipulus S. Brendani

D *Usserius scribit, vita functi : ambo fundatores atque abbates monasteriorum alter Cluain-fertensis, alter Birrensis, in Momonia : ille, filius Findlogæ ; hic filius Neimi sive Nemaindi, clari Poetæ, uti ipsos Usserius distinguit ; prior ab eodem Usserio scribitur extremum diem obiisse anno* DLXXVII ; *posterior, Birrensis scilicet anno* DLXXI. *Utrius autem Brendani auditor fuerit* Molocus, *non satis constat : existimo cum Adamnano, fuisse Birrensis. Utut hæc sunt, saltem ex coæva utriusque Brendani ætate ac mortis tempore non multum dispari, videtur tempus, quo discipulus obierit præterpropter designari posse. Neuter Brendanorum, uti ex dictis colligitur, supervixit magistro suo Finniano usque ad annos* XXX, *quamvis alter eorum ultra annum* XC *ætatem perduxerit. Pone nunc,* Molocum, *qui etiam ultra annum* XC *ætatis pervixisse scribitur, post illorum obitum annos* XXX *implesse, protrahetur ætas ipsius usque ad primum decennium seculi* VI ; *et salvabitur, quod notat Colganus, ipsum* floruisse, *aut saltem florere cœpisse,* circa annum DXL. *Sed hæc fere sunt conjecturæ nostræ, dum nihil certi reperitur apud Scriptores alicujus notæ.*

verosimiliter Abbatis Birrensis.

7 *Ad probandum ulterius cultum* S. Moloci *nostri, dico, nomen ejus etiam adscriptum legi aliis sacris fastis ad diem* XXV *Junii, tum in Usuardo, cum Additionibus Cartusianorum, Coloniæ impresso annis* MDXV *et* XXI ; *tum in duobus vetustioribus martyrologiis, altero Coloniæ, altero Lubecæ eodem anno* MCCCCXC *excusis: in quibus omnibus indigitatur* S. Molocus, episcopus et confessor. *Ejus festum celebratur quoque in breviario Aberdonensi hoc ipso die, sub ritu duplicis majoris, uti pridem notarunt decessores nostri ad diem* XVI *Aprilis pag.* 398 *litt.* A. *Recentiores, quos habemus de Sanctis Scotiæ atque Hiberniæ Catalogos, eadem quæ supra de* S. Moloco *seu* Molonatho *recensentes, volens prætermitto; quia ex præmissis scriptoribus fere sunt desumpta, quæ habent. Acta damus ex quodam Breviario MS. Scotorum, puto, Aberdonensi, in quo præscribuntur primæ Vesperæ in festo S. Joannis Baptistæ, dicendæ de* S. Moloco, *cum commemoratione tantum Baptistæ.*

E *Cultus ex aliis fastis,*

ACTA
EX LECTIONIBUS BREVIARII.

Ortus, apostolatus in variis insulis, obitus.

F LECTIO I. *Pueri pietas et Magister,*

Molocus, qui ex Scotorum nobili familia ortum susceperat sub B. Brandano *a* abbate, viro magnæ sanctitatis et devotionis, ab infantia liberalibus et divinis instruebatur disciplinis, cujus doctrinam sitibundo pectore, tenaci memoria, meditando insectatus est et mores. Namque ut, reliquis suis condiscipulis, ædificia propheticis suis visibus necessaria, construentibus, divina instructus gratia ecclesias et altaria divino cultui apta ædificare solebat.

LECTIO 2. *miraculum in facienda campana.*

2 Sed et die quadam cum ferream campanam et quadratam suæ ecclesiæ pernecessariam, fabricandam haberet, et fabrum vicinum, ad idem opus faciendum, instanter persuaderet ; dissimulante fabro ob carbonum carentiam se non potuisse ejusmodi fabricare ; affirmavit Molocus. Itaque de ipsius summi Dei maxime confisus clementia, fabri officinam exiens, fasciculum quemdam juncorum seu scirporum, illico eidem attulit, et pro carbonibus uti postulavit. Indignatus faber, fasciculum cum ferro accipiens in fornacem jecit, ut facile inde illo vidente consumeretur. Sed et cunctis admirantibus fasciculus ille, licet consumptu facillime aliis apparuerit, divino tamen nutu carbonum officium abundanter supplevit et exercuit, et ferrum inde malleo aptum reddidit, ex quo campanam fabricavit, quæ hactenus in

A in ecclesia Morensi in magno pretio habetur in hodiernum diem.

b *LECTIO 3. Alio trajicere cupiens*

3 *b* Propter quod ipse servus Dei Molocus pro hujusmodi facto, ne a confratribus suis vana notaretur gloria, per plurimas marium angustias ad boreales Hyberniæ fines se contulit. Ubi aliquantisper moratus, socios viros devotos et suæ professionis peritos, in navicula reperit, a quibus transfretandi cum eisdem ad desertiora loca subsidium postulavit. Illi autem verentes, ne ob ipsius Moloci miraculorum multitudinem, solus apud transmarinos illos, quos videre cupiebant, præ ceteris vindicaret honorem, ipso sæpius implorante, transitum prohibuerunt; atque illis prospere navigantibus B. Molocum, omni destitutum societate, in marino littore reliquerunt. *dum non admittitur in navim,*

LECTIO 4. stans in saxo trajicit velociter

4 Sanctus vero Dei paululum ingemiscens, alacriter Deum humili voce deprecatus est, neque illi pro voto operanti defuit gratia. Res quæ raro accidit auditu evenit. Lapis satis per naturam immobilis, supra quem ipse Molocus pedes fixerat, fusa oratione, progressus navicula velocius, per plurima Oceani spatia eumdem transvexit divinitus: atque B ceteris suis sociis ad Lismorensis ecclesiæ portum *c*, quem optabat, primitus applicuit: quo in loco lapis ille, ceteris illius insulæ lapidibus dissimilior, a motu quievit.

d *LECTIO 5 in insulam Lismorensem,*

5 Applicato autem eo in Lismorensem insulam *d* cum cuperet gentem illam barbaram verbo doctrinæ et exemplo vitæ, ad Christi fidem convertere, sed eamdem inflexibilem et minus docilem comperiret; cum nonnullis aliis suæ professionis viris clarissimis ad Melorocense cœnobium pervenit, et ab illius monasterii Abbate, tunc temporis viro famosissimo, religionis arctioris habitum sumpsit monachicum et vivendi normam. Ipse vero Abbas, animadvertens tantam Christi fidem, et constantiam in B. Moloco; illum in virtute suæ obedientiæ ad eamdem insulam Lismorensem, ad illis prædicandum, denuo remisit: quos et divina virtute et verbi Dei continua prædicatione a gentilitatis errore ad veri luminis fidem convertit, ibique divina virtute monasteria et alia pia loca omnipotenti Deo ædificare cœpit; in quibus viros, regulari observantia instructos, ibidem Deo famulaturos instituit. *eamque, accedente obedientia, convertit.*

e *LECTIO 6. Transitus in Tylen,*

6 Deinde et ad insulam, Tyle *e* nuncupatam, applicuit, in qua varios in Christi doctrina, sua prædicatione instruxit et informavit. Scotorum interea C tunc Rex sua persuasione Lismorensem insulam supradictam et ejusdem ecclesiam variis possessionibus dotavit, atque illas, quas dederat, ab omni exactione quietas liberavit usque in hodiernum diem. Quibus gestis ad aquilonares partes Scotiæ se convertit, videlicet Rossiam *f*, ubi multis laboribus et prædicationibus populum in Christi honore et genitricis Mariæ dedicavit. Tandem gratia plenus et miraculorum præsagiis, jam in senio redactus, vitam exhalavit, et cœlos conscendit septimo Kal. Julii, et in ecclesia B. Bosnifacii episcopi in Rosmarkii *g* magna in veneratione sepultus est. *in Rossiam Scotiæ, in cælum.*

ANNOTATA C. J.

a *Brendani sancti duo floruerunt illo tempore, mortui ambo intra decennium seculo* 6, *alter abbas Cluainfertensis, et colitur* 16 *Maji; alter Birrensis, et colitur* 29 *Novembris. Molocum nostrum posterioris auditorem fuisse, putamus.*

b *Præmittebantur hac Lectione tertia, isthæc verba.* Quia de eodem diffisi. *Quæ neque cum fine Lectionis* 2, *neque cum hic sequentibus connecti apte possunt.*

c Lismora, *civitas Hiberniæ in provincia Memoniæ ad fluvium* Dabronam, *alias* Avenmore, *nunc vulgo* Brodwater; *a cujus ostio distat ad milliaria decem* D *Hibernica communia, olim episcopatu insignis, qui deinde Waterfordiam translatus aut ei unitus fuit. Sed hæc Lismora non potest intelligi illa, quam adivisse hic dicitur Molocus. Aliam ejusmodi nominis civitatem diu quæsitam vix inveni in tabulis geographicis Scotiæ: sed apud Hectorem Boetium lib.* 13 *Historiæ Scotorum pag* 278 *lego, Wilhelmum, qui seculo* XII *exeunte et sequenti ineunte Rex fuit,* episcopatum novum Lismorensem, duodecimum Scotiæ fecisse, agris prædiisque ad id collatis. *Hinc Miræus in Notitia episcopatuum orbis Christiani, citato Boethio, pag.* 355, *sic habet:* Lismora, Lismor, insula et urbs episcopalis Scotiæ in Argathelia provincia, sub archiepiscopo Glascuensi episcopatum instituit ac dotavit Guilielmus Scotiæ rex. *Et continuo subjungit:* Lismora, Lismor, urbs episcopalis Hiberniæ sub Archiepiscopo Cassiliensi. *Habemus igitur duos Episcopatus ejusdem nominis, quorum alter in Scotia, alter in Hibernia, ubi tempore* Moloci *si non fuerint ecclesiæ, ipse novam in alterutro loco fecerit: et fecisse potius in Scotia, quam in Hibernia, verosimilius est.* *AUCTORE C. J.*

d *Nescio, cur hic et infra,* Lismorensem insulam *appellent hæc Acta, atque etiam citatus superiori Annotatione Miræus. Lismora Hiberniæ certo continens* E *est. Scotica, in provincia Argathelia sive Argadia, ut summum peninsula dici possit, nisi forte in insula majore* Arren, *aut minore* Bute, *quæ freto disjunguntur a continente. Argathelia apud Joannem Spedum in Theatro Magnæ Britanniæ, sita fuerit Lismora, seu Lismor; cujus nomen nec apud illum, nec in aliis tabulis invenio.*

e *Quænam hæc insula* Tyle, *ad quam applicuit Molocus? Novi, veteres scriptores Romanos atque etiam Græcos meminisse* Thules; *ac poetarum esse pronuntiatum,* Ultima Thule. *Illam recentiores plerique opinantur esse hodiernam Islandiam, remotissimam versus septemtrionem insulam; alii verius opinantur alia. Mihi facile creditu non est, Romanos eo unquam pernavigasse. Scribit Tacitus in vita Julii Agricolæ soceri sui, cui præfectura Britanniæ post consulatum obtigerat, de extrema parte istius insulæ boreali his verbis:* Hanc oram novissimi maris, tunc primum Romana classis circumvecta, insulam esse Britanniam affirmavit, ac simul incognitas ad id tempus insulas, quas Orcadas vocant, invenit domuitque; dispecta est et Thyle, quam hactenus nix et hiems abdebat. *Romanam classem tunc temporis usque Thulen, quæ sit Islandia, penetrasse, credibile non est: nec magis credibile,* F *est S. Molocum ex insula Lismorensi, ut habent Acta, eo navigasse, gentemque sua prædicatione Christi fidem docuisse: eoque minus id credibile est, quia dicitur Islandia a Norwegis seculo demum nono primum inventa fuisse. Debet igitur Tyle seu Thyle alia fuisse insula; multo minus remota ab Orcadibus quam sit Islandia, et fortassis quærenda, ubi nunc notæ sunt insulæ, inter Orcadas atque Islandiam interjectæ medio fere spatio, quæ passim* Hethland *et* Schetlant *vocantur. Qui hasce antiquitus Thulen appellatas fuisse opinantur, mihi simiiora vero opinari videntur. Et ad has potest propius accessisse ab Orcadibus Romana classis, et Molocus facilius ex Hibernia navigasse, atque inde denuo meridiem versus ad aquilonares Scotiæ partes se convertisse.*

f *Hæc regio sita est in Septemtrionali parte Scotiæ, non tamen extrema, quia sunt ulteriores provinciæ aliæ Navernia et Sutherlandia; extenditque se ad ortum solis usque ad mare Germanicum, ad Verginium vero sive Deucaledonium, versus occidentem.*

g *Est Rosmarchia in extrema Rossiæ provincia, ad mare Germanicum.*

Lubet mihi subjungere, nec injucundum lectu puto aliis fore, quæ in eodem Breviario ecclesiastico intermiscentur

A AUCTORE C. S. *miscentur Officio Antiphonæ et ad Psalmos, ac Responsoria ad Lectiones. Continent enim nonnulla, quæ ad laudem Sancti faciant et videntur ex vita antiquiore, unde Lectiones collectæ fuerint, desumpta esse, ejusque synopsis censeri posse. Præscribitur itaque in MS. nostro, ut* secundæ Vesperæ in Nativitate S. Joannis Baptistæ sint de S. Moloco : *et post Communia de sanctis confessoribus, legitur antiphona propria ad Magnificat.*

Prædonum rabiem sedasti, sancte Moloce.
Quo magi regnabant, dæmon, cum dixerat unus
Quod satis est comedam, reliquum tibi, Sancte, relinquam
Surgere conantem ferit ipsum lapsa bipennis ;
Nec est quæ reprimat medicina fluenta cruoris,
Quin sua seque dedit servum servire Moloco.

Sequitur oratio. Deus natura misericors et affectu miserator, precibus petentium benignus assiste, ut interveniente B. Moloco pontifice tuo, gratiam nobis digneris infundere ; et, venia delictorum impetrata, requiem consequi valeamus æternam. Per Christum *etc.*

Invitatorium. Præsulis in festo, quem ditat gloria vitæ ; Gaudentes, Domino laudes modulare venite. B

In primo Nocturno Antiphonæ Psalmorum, I. Sanctus Præsul hujus festi, Nunc Molocus in cœlesti, Gaudens degit curia: cui cessit in tirone, Hujus mundi in agone Quælibet victoria. *Antiph.* II. Verbum Domini prædicabat. Cuncti se exemplum dabat, Operis clementiæ : Ejus creditur doctrinæ, Qui vestigat sine fine, Semitam justitiæ. *Antiph.* III. Simplex potus, paucus victus, Per quos luget dæmon victus, Erat huic in seculo : Numquam mancipatus vano, Nam se vidit in mundano Naufragum periculo.

In primo Nocturno Responsoria Lectionum. I. Confessor sancte, [in] quo numquam virginitatis Ausa cupidinea florem violare sagitta, Gaudens centeno fructu, decoraris in astris. ℣ Aures his precibus faciles præbeto Moloce. Gaudens. *Resp.* II. Irrequieta quies, labores, syncopa carnis, Continuus sudor, pietas votiva Moloci,* Sata tuum metere firmavit pontificali. ℣. Quo fraternus amor divino nupsit amanti. Sata tuum. *Resp.* III. Insignis præsul speculum telluris, ad astra Emancipatus migravit carcere carnis, Liber ab exsilio solium conscendit æternum. C ℣ Julii septenas celebrando jure Kalendas. Liber.

* *forte*, Sacratum mitra firmarunt pontificali.

In secundo Nocturno Antiphonæ Psalmorum. I. Hic in terris aquilonis, Semper ardens septem donis Caritatis geminæ, Legens legendas sanctorum, Queis tutatus et bonorum Operum munimine. *Antiph.* II. Ecce verus pastor gregis, Qui talentum summi regis Cum lucro portaverat: Cujus subditorum norma, A divini scripti forma Numquam deviaverat. *Antiph.* III. Gloriose miles Christi, Qui te ipsum posuisti Scutum pro ecclesia : quem nec minæ dominorum, Nec thesaurus impiorum Flexit a justitia.

In secundo Nocturno Responsoria Lectionum. I. Paupere pauperior sibi, pauperibus sed abundans, Ut cum divitiis nascens ; ut suppeditarent Cuncta sibi, quæcumque tenet quadrangulus orbis. ℣ Quamvis multa dabat, verum dare plura volebat. *Resp.* II. Prosper in adversis secli, cum plura ferebat D Captans perpetuo mansuram prosperitatem. Nam vox declarat Pauli, tribulatio secli. ℣ Non est in nobis decori condigna futuro. Nam vox. *Resp.* III. Vas vitreum carnis, tantæ se ferre vigorem Obstupuit animæ. Nam primo lumine vitæ Castigata caro didicit servire Tonanti. ℣ Nil nisi divinum virtutum theca recepit. Nam primo.

In tertio Nocturno Antiphonæ Psalmorum. I. Fons virtutum in hac vita Macerare novit ita Carnem abstinentia; Quod prævenerat ætatem, Deo vovens castitatem ; Proscripta luxuria. *Antiph.* II. Sancte Moloce insignis, Nostra suscipe benignis Auribus precamina; Nec nos premat inferorum Pœna, sed Auctor bonorum Nostra ignoscat crimina. *Antiph.* III. O doctrinæ dives vena, Nos perducas ad amœna Sanctorum consortia ; Ubi nec mœror nec luctus; Sed operis boni fructus Reddunt æternalia.

In tertio nocturno Responsoria Lectionum. I. Pauperibus dives, sitienti potus, nudis amictus, Insipido populo [æternæ] medicina salutis. Visitat infirmos, juvat cataplasmate votis. ℣ Invictus mundo, sed mundus victus ab ipso. Visitat. *Resp.* II. Pastoralis apex, hujus flos et [decus] ævi ; Lismorensis honor, fons, [gloria] serve fidelis ; Pontificis summi memorum jugiter memor esto, ℣ Ne perturbet iter servorum callidus hostis. Memorum. *Resp.* III. Summo patrono debemus solvere grates Condignas, mente devota, corde fideli ; Qui talem nobis concessit habere patronum. ℣ Rex, Regum dominus, per secula sit benedictus. Condignas E

In laudibus Antiphonæ. I. In hoc mari constituti, Te favente simus tuti, Ne nos inimicus lædat, At iniquus hinc abscedat, Custos tuorum pervigil. II. Sancte Præsul, regem poli Deprecare, ne nos doli Pravitatis et versuti hostis fœdent; Sed virtuti intendamus jugiter. III. Plebs fidelis nunc applaude Multiplici digno laude, Qui adstat in cœlestibus Summi Regis aspectibus, Verbo nitens et opere. IV. Spiritus sancti gratia, Hujus sequi vestigia, Donet per abstinentiam, Quæ per carnis munditiam Finitur Dei gloria. V. Hic post mundi miseriam, Perducat nos ad patriam, Ut in Sanctorum gloria Coronetur mens sobria Per seculorum secula. *Antiphona ad Benedictus.* Latro libros suffuratus, Ab æde præsulis egressus, Illico privatur lumine; Pœnitentia tamen ductus, Meritis Sancti est restitutus, Gratias agens summo Deo, et beato præsuli Moloco.

F NOT. 6. *Pag.* 72 *Post Acta* S. Æmiliani episcopi Namnetensis ac martyris, *ante* S. Pecinnam seu Perseverandam Virginem, *agendum est de* S. Gohardo, *ejusque nomen in indice Sanctorum hujus diei pag.* I, *altiori loco ponendum, videlicet ante S. Pecinnam prædictam. Sciendum quoque, quod quæ ad diem* XXIV *hujus Junii tomo* 4, *pag.* 589 *initio, inter Prætermissos leguntur de* S. Gohardo *et* monachis Austrensibus, *deleri debeant : cum ratio illic allegata, quod nullum apud Namnetenses cultum habeant, deficiat saltem in S. Gohardo, quem tandem, inquisitione iterata adhibita, accepimus et hic ostendimus, a tempore immemorabili pro sancto martyre habitum fuisse cum sociis, in eadem Normannorum invasione cæsis. Sit itaque,*

DE

DE SANCTIS GOHARDO EPISCOPO

ET SOCIIS MARTYRIBUS

AUCTORE C. J.

NAMNETIBUS IN BRITANNIA ARMORICA

Cultus, annus martyrii, translatio.

ANNO DCCCXLIII.

Gohardus (*ita scribitur in Lectionibus propriis ecclesiæ Namnetensis, a Gallico* Gohard) *antiquioribus* Guihardus, Gunhardus, Guthardus, Guntbardus, *et nunc Andegavis* Cohardus, *illustrior est martyrii gloria, quam vitæ actis, quæ nos latent : pro magno tamen elogio habendum est, quod a coævo scriptore vocetur,* Vir innocens et multa pietate repletus, *per quæ meruerit a Deo eligi ad coronam martyrii, et multos ejusdem gloriæ participes secum adducere in cœlum. Non enim solius* Gohardi *episcopi sui, sed et* sociorum ejus, *qui plurimi fuere,* B *festum colunt Namnetenses, idque ritu officii duplicis, die* XXV *Junii : non quod illo affecti martyrio fuerint (id enim contigit pridie) sed quod dies martyrii solennitate S. Joannis Baptistæ impediatur. In officio eorum hæc oratio legitur propria :* Famulis tuis, quæsumus Domine, sancti martyris tui, atque pontificis Gohardi sociorumque ejus festa celebrantibus, adesse digneris, et præsta ; ut nos eorum foveant continuata præsidia, quorum annua solennitate lætamur. *Lectiones item leguntur pro Nocturno secundo propriæ, extractæ ex Relatione anonymi contemporanei, quam dabimus integram.*

Coluntur Officio proprio Namnetibus

ubi martyres facti fuere,

2 *Hinc Ferrarius ex Kalendario ecclesiæ Namneticæ* S. Gohardum, episcopum Namnetensem et martyrem *dudum inseruit Martyrologio suo illorum Sanctorum, qui in Romano non sunt : notatque,* celebrantem cum monachis aliquot occisum esse a Normannis anno DCCCXLIII, et conditum in ecclesia cathedrali. *Alio in loco hæc accidisse scribit Saussayus, nescio qua auctoritate. Inquit enim ad diem* XXIV *Junii:* In Antri insula ad Ligerim natalis S. Guichardi Nannetensis episcopi, qui illic hac die, dum Missam pontificaliter celebraret cum plurimis monachis et ingenti plebis multitudine a Danis infidelibus gladio ferociter cæsus est. *Veriorem exprimit cædis locum Letaldus, monachus Miciacensis,* C *qui seculo* X *exeunte vixit, in libro miraculorum S. Maximini abbatis ; quem impresserunt Benedictini Seculo primo sanctorum suorum. Illic pag.* 602, *num.* 18 *ita legitur;* Gens Normannica.... die Nativitatis S. Joannis Baptistæ urbem Namneticam adorsa, concremat, et Gunhardum præsulem, sacris Missarum solenniis intentum, super aram Ferreoli martyris, quæ est ad lævam ædis B. Petri Apostoli, matris ecclesiæ ejusdem civitatis, obtruncat ; bacchantesque per populum, nulli ætati parcendum putant : ipsaque urbe incensa cum omni supellectili civitatis et grandi captivorum multitudine in insulam quamdam, cœnobio S. Florentii contiguam, revertuntur.

ut aliqui scribunt anno 853 ;

3 *Major de anno, quo martyrium contigerit, quam de loco, inter scriptores antiquos dissonantia est. Statuunt alii annum* DCCCXLIII, *alii* LIII. *Hos inter antesignanus censeri potest Regino; quem fere descripsit Sigebertus, et secuti sunt deinde alii recentiores. Operæ pretium erit Reginonis locum proferre, ut illo lecto et cum postea referendis collato, discatur, aberrasse istius sententiæ scriptores, tum a vero cædis anno, tum etiam a vero die. Ecce igitur ipsum :* Anno Dominicæ Incarnationis DCCCLIII, Nortmani, Britani, cum mare navigio girantes, ostia Ligeris fluminis occupaverunt ; et repentina irruptione civitatem Namnetis invadunt, omniaque cædibus, incendiis ac rapinis depopulantes, Pontificem civitatis ipso die sabbato sancto Paschæ, cum baptismum ex more celebraret, in basilica interficiunt, clerumque trucidant, omnemque circumquaque regionem devastantes, primum Andegavensem, deinde Turonicam occupant urbem : ac, velut immanis tempestas cuncta prosternit, ita cuncta consumunt. Templum etiam præcellentissimi pontificis Martini incendio cremaverunt. Tunc primum Nortmannorum classis, ut aiunt, Ligeris attigit littora. E

ut alii melius, 843;

4 *Aientes illud, aberrarunt a vero. Prius enim Ligerim invectos classe sua Normannos, atque anno* DCCCXLIII *Namnetas invasisse, scribunt varii et antiqui. Annalium Francorum Bertiniani monachi verba, ad illum annum, ita sonant :* Piratæ Nordmannorum Nannetum aggressi, interfectis episcopo et multis clericorum atque laicorum, sexusque promiscui, deprædata civitate, inferioris Aquitaniæ partes depopulari adoriuntur. *Monachus anonymus, qui S. Wandregisili monasterium in diœcesi Rotomagensi anno* DCCCXLI, *ut ipse testatur, ingressus fuerat tiro, inde usque ad annum* DCCCLIX *contexuit chronicon, quod impressum est a Duchesnio in Historicis Francorum tomo* 2 *pag.* 387 *ex duobus codd. MSS. ubi Normanni* anno DCCCXLIII Nannetes urbem depopulati sunt, et Guntbardum Episcopum martyrizaverunt. *Argentræus, lib.* 2 *cap.* 12, *producit ex veteri registro monasterii S. Sergii Andegavensis, ampliorem et accuratam rerum, eodem illo anno gestarum, narrationem ; quam ut præcipuum invasionis Normannicæ et secutarum inde cædium paulo post dabimus monumentum. Scriptum fuit regnante adhuc Carolo Calvo, cujus anno tertio regni tam immaniter sævitum a Normannis fuerat.*

F

quod probatur.

5 *Ademarus, S. Eparchi Monachus, in suo apud Labbeum chronico ait, quod* Namnetis quoque civitas eo anno (DCCCXLIII) a Wefaldingis capta fuit. *Idem pro eodem anno habet chronicon brevius Aquitanicum apud eumdem Labbeum, nisi quod rectius scribat,* Wesfaldingis. *Debent hi, cum ab aliis vocentur Nortmanni, æque gens aquilonaris esse ac isti. Qualis autem? Lego apud solos Eginhardum et alios gestorum Caroli magni scriptores, in eumdem plane sensum scribentes,* Westerfoldam; quæ regio ultima, *tunc temporis, et fere etiam nunc,* regni Danorum, inter septentrionem et Occidentem sita : contra Aquilonarem Britanniæ summitatem respicit. *Mirum nihil de illa legi aut apud Ortelium aut apud Cluverium. Interim opinor, inde per illa tempora deductum esse nomen gentis,* Wesfaldingi, *per syncopen, uti solet, pro* Westerfaldingi : *suntque iidem (quod liquet ex descriptione, quia sommitatem* Britanniæ *seu Scotiæ* aquilonarem respiciunt) *gens Norwegica et Nortmannica.*

Priores non distinxerunt duplicem Namnetium vastationem ;

6 *Confer nunc his ultimis duobus numeris citatos scriptores cum citatis numero* 3, *considerans utrorumque auctoritatem, antiquitatem, et vicinitatem aut longinquitatem a loco ubi res gestæ sunt : nec longa consideratione opus erit, ut credatur, anno* DCCCXLIII *Namnetas*

AUCTORE C. J.

A *a Normannis vastatas expilatasque et episcopum cum clero ac multitudine populi cæsum fuisse. Quod vero horum cædem alii scriptores referant decennio tardius, ex eo ortum fuerit, quod non distinxerint duplicem Normannorum invasionem in eamdem civitatem Namnetensem, quarum prima, anno* DCCCXLIII *facta, fuit conjuncta cum cæde Episcopi et sæpe dictæ multitudinis; uti jam ostensum est. Altera incidit in annum* DCCCLIII, *quam secuta est eodem anno latior regionum superiorum vastatio et incendium, etiam urbis Turonensis et ecclesiæ S. Martini. Id nunc, tum ex iisdem auctoribus, qui primam invasionem descripserunt, tum ex aliis ostensum est.*

distinguunt posteriores,

7 *Annales Francorum citati, ad annum* DCCCLIII *hæc habent :* Dani mense Julio, relicta Sequana, Ligerim adeuntes, Namnetim urbem et monasterium S. Florentii ac vicina loca populantur. *Et paulo post :* Piratæ Danorum a Namnetibus superiora petentes, mense Novembri, VI videlicet Idus, urbem Turonum impune adeunt atque incendunt cum ecclesia S. Martini et ceteris adjacentibus locis. Sed quia evidenti certitudine id præscitum fuerat, corpus B. Martini ad Cormaricum monasterium ejus ecclesiæ, ac inde ad civitatem Aurelianorum transportaverunt. B *Hæc ultima de translatione S. Martini, parum necessaria ad rem præsentem, transcripsi tamen, ut commonefaciam Lectorem, contextum illum, quamvis Annales dicantur impressi esse secundum exemplar MS. a decessoribus nostris olim Duchesnio transmissum; apud nos tamen pleniore clarioreque sensu, sic legi :* Corpus B. Martini ad Cormaricum monasterium, thesauri vero ejus ecclesiæ ad civitatem Aurelianorum transportati sunt.

quod item probatur,

8 *Æque ac Annales Francorum, distinguit duas Normannorum irruptiones, et iisdem annis, in perniciem Namnetium, chronicon antiquum de gestis Normannorum in Francia, quod in anno* DCCCXCV *desinit apud Duchesnium. Adrevoldus quoque Floriacensis in miraculis S. Benedicti tom. 3 Martii nostri pag.* 310 *num.* 17, *inter primam vastationem urbis Namnetensis et incendium Turonensis, quod eodem, quo secunda vastatio Namnetensis, contigit anno, tempus interponit. Sic enim scribit de Normannis, insulam S. Florentii insidentibus et inde omnem circum regionem direptum prodeuntibus :* Et primo quidem adventu urbem Namneticam incendio cremavere :... omnemque patriam a mari usque ad Pictavos populantur et vastant, cædibus replentes omnia. Sequenti tempore navigio Turonum veniunt, *nempe decennio post,* eamque de C more stragibus opplentes, ad extremum ignibus tradunt. *Denique chronica Ademari et Aquitanicum, de quibus num. 5, habent etiam ipsa expilationem Namnetium secundam, a Nortmannis, quos Wesfaldingos vocant, illatam.*

Nonnulla S. Gohardi gesta.

9 *Dixi initio hujus Commentarii, Acta martyrii* S. Gohardi *illustriora esse, quam vitæ. Hæc enim nullus descripsit. Dicit quidem De Morlaix in vita, quam compilavit qualitercumque,* S. Gohardum *ortum habuisse in provincia Andegavensi cis fluvium Medvanum sub ditione Britannorum; atque ab ætate tenera consecratum Deo fuisse a parentibus suis, positumque in numero choraulorum in ecclesia S. Petri Andegavensis, ac ibi adolevisse tam singulari pietatis et modestiæ exemplo, ut S. Benedictus, ejus civitatis episcopus, dignum judicaverit, quem sacerdotio initiaret, donaveritque canonicatu in eadem ecclesia. Ita fere De Morlaix; quæ pie credi possunt sine antiqua Scriptorum auctoritate. Tum de electione ejus ad episcopatum pauca dicit; tacens de reliqua vita. Certiora sunt, quæ de martyrio subnectit, extracta ex authentica coævi scriptoris anonymi Relatione; quam primus e codice MS. S. Sergii Andegavensis publicavit latine, uti scripta fuit, Argentræus; ex eoque ipsam mutuati sunt Baronius atque Duchesne; et nos hic dabimus.*

10 *His ita dispositis, alia rescire cupiens, rogavi* D *per litteras eruditum virum et Sanctorum gloriæ zelantem, amicum nostrum in Francia, P. De Vitry, hunc fere in modum scribens : Lego apud Albertum le Grand de Morlaix, non nimis magnæ fidei auctorem, sacrum S. Gohardi episcopi Namnetensis ac martyris corpus servari Andegavis in ecclesia collegiata S. Petri, et varias ejus translationes ibi factas esse; extare etiam historiam vitæ aliquam ac translationum præsertim anni* MDXXIV, *descriptam a canonico ejusdem ecclesiæ, qui in illa translatione sacrum pignus portavit; ubi hæcce inter alia legantur :* Sacratissimi Gohardini corporis translationem, ætate nostra nobisque præsentibus factam, suscepimus enarrandam *etc. Summopere opto exemplar istius historiæ nancisci, in Supplemento Junii (id enim ad Sancti gloriam faceret, atque contemporanei præsentisque scriptoris auctoritas videtur mereri) imprimendum. Ad hæc unice cupio intelligere, quando sacrum corpus Namnetibus Andegavos translatum fuerit, et quomodo. Nam modus translationis, quem narrat De Morlaix, non facile probabitur; nisi antiquiore stabiliatur auctoritate.*

Inquiritur in translationes corporis.

11 *Adhibuit solicite operam omnem tam per se,* E *quam per alios P. De Vitry, ut desiderio meo faceret satis; sed fere inutili conatu. Tandem enim præter Lectiones S. Gohardi proprias pro secundo Nocturno, ex breviario Namnetensi, quod habemus et supra citavimus, descriptas, nil submisit quam hocce rescriptum a Capitulo Andegavensi prædicto, quod ita gallice præfatur.* Illa quæ nos scimus de translatione S. Cohardi non sunt de maxime certis. Ecce quæ de illa legimus. *Tunc sequuntur hæc Latino sermone expressa.*

De una tantum, anno 1523 facta,

12 Beati Cohardi, episcopi et martyris, corporis ex urbe Nannetica translatio quando et quomodo facta est, temporum injuria vel hominum negligentia excidit. Publicum vero Capituli hujus ecclesiæ monumentum præclaris confirmatum testibus fidem indubiam adstruit; quod a multis retroactis secalis dictum corpus in capsa veteri reconditum et supra majus altare collocatum, postea anno ab Incarnatione Domini quingentesimo vigesimo tertio supra millesimum, feria secunda infra octavam corporis Christi mense Majo, Leone decimo summo Pontifice, sedente Andegavi Francisco, et regnante in Gallia Francisco, in elegantiorem et deauratam capsam repositum est supra idem altare, a Joanne Rouanensi episcopo, præfati episcopi Andegavensis Francisci suffraganeo post celebratum in pontificalibus F officium, inspectis prius solemni more reliquiis, ex quibus os brachii antea separatum publice colebatur. Præsentibus autem Decano et Canonicis, ossa capitis semota sunt, ut in theca argentea ad cultum singularem postmodum asservarentur. Repertæ item fuerunt cum præfato corpore duæ laminæ plumbeæ, in quarum altera, impressa sunt hæc verba (humilis Cohardus Nannetensium) in altera vero hæc (Pater et Martyr.) Et reconditæ sunt una cum ossibus. *Certius hinc constat, translationem illam factam esse anno* MDXXIII, *quam ex scriptis de Morlaix, qui sequentem indicat.*

rescribit Capitulum Andegavense S. Petri.

ACTA MARTYRII

A Bertrando Argentræo e codice MS. S. Sergii Andegavensis producta.

Anno ab Incarnatione Salvatoris DCCCXLIII ab urbe vero condita DXCV, *a* qui est annus Caroli *b* trierarchæ tertius; Raynaldus eximius Caroli Dux, generе Aquitanus, Nannetis urbis Comes, contra Britones, multa amicorum et propinquorum manu collecta, super fluvium Vicenoniam, in loco qui dicitur, Meciacus,

ab An. 843 pugna inter Gallos et Britones commissa,

A Meciacus, dimicat: et primo quidem congressu Britones, fortiter pressi, terga vertunt: demum Lamberto c suppetias ferente adeo persequentibus acriter resistunt, ut ante quos prius fugiebant, fugere compellerent; tantaque in eos cæde bacchantur, ut ingenti multitudine cum duce prostrata, copiosas domum manubias reportarint, non modica ob commercium turba servata d. Præfuit autem Britannorum bello Herispogius, patre Nomengio gravi languore detento, habens secum prædictum Lambertum transfugam, qui in Nanneticæ urbis comitatum inhians, stragis hujus ductor et incentor extitit: quibus patratis, Lambertus exoptato doni potitur voto, non diu: nam exortis utrimque simultatibus idem mox urbe ac regione pellitur.

Nortmanni Ligerim invecti,

2 Triginta tribus autem post hæc elapsis diebus, mense Junio, Normannorum ferox natio numerosa classe advecti, Ligerim fluvium, qui inter novam e Britanniam et ultimos Aquitaniæ fines in occiduum mergitur oceanum, ingrediuntur; demum dato classibus zephiro ad urbem Nanneticam, impiissimo Lamberto crebro exploratore præcognitam, celeri carbasorum volatu, pariter remorum impulsu contendunt; B quam mox navibus egressi, undique vallant et sine mora nullo propugnatore capiunt, vastant, diripiunt: alii quippe scalis murum subeunt, alii oppilatum olim aditum offendentes, infringunt et penetrant f.

Namnetas occupant,

miserabilem edunt stragem,

3 Porro civitatis episcopus, vocabulo Guihardus, vir innocens et omni pietate repletus; clerus omnis cum monachis, qui ex vicino cœnobio, cujus vocabulum est Antrum g, quod antefati amnis ictifero h gurgite undique cingitur, ad urbem, copiosum ecclesiæ thesaurum habentes, confugerant; cumque reliqua vulgi multitudine, quos vel metus hostis incluserat, vel Præcursoris quæ inerat nativitas, non solum ex vicinis regionibus et vicis, sed etiam ex procul positis urbibus attraxerat; cernentes intra mœnia hostem, certatim cuncti ad templum Apostolorum Petri et Pauli, quod in urbe nobilius et pulchrius erat, utpote ignari certaminis, concurrerunt, obseratisque ostiis ædis, solum quod supererat, cœlitus auxilium anxie flagitabant; at gentiles effractis ostiis fenestrisque propulsis, templum feraliter irrumpunt, imbellem pariter et inermem multitudinem gladio feriunt, tantaque crudelitate in Christi sæviunt gregem, ut præter quos suis captivandi sive distrahendi gratia in naves transtulerunt, C omnem multitudinem sacerdotum, clericorum, atque laicorum cum prædicto Antistite intra ecclesiam gladio sternerent; monachorum vero quosdam extra, alios, intra ecclesiam, plerosque autem super ipsam templi aram instar hostiæ trucidant; reliquos vero noctis crepusculo secum abducunt classique imponunt.

multos super ipsas aras occidunt

multosque abducunt captivos.

4 Quis, pro dolor! illius diei dolorem explicare? quis explicando a lacrimis valeat temperare? quando mortuarum matrum cruorem pro lacte sugentes pendebant ad ubera nati; quando Sanctorum sanguine, hostili mucrone fuso, templi pavimenta madent; altaria sacra, innocentium cruore oblita, fluunt. Post hæc erasis omnibus opibus, cum gregibus captivorum utriusque ordinis et ætatis, ad naves remeant; ad quorum postmodum redemptionem, plurimum a cladis superstitibus collatum est: quibus peractis, cœnobium insularum, de quibus supra meminimus, natalitio Apostolorum Petri et Pauli, scaphis adeunt, vastant, incendunt; quos ex tunc, præter intestinos, usque in præsentem antedicti Regis annum, nullo propugnatore, utpote studiis in diversa, imo perverse tendentibus, terra marique externos hostes assidue patimur.

D

ANNOTATA.

a *Nescio quam urbem hic intelligat scriptor, quæ secundum propositum ab eo calculum deberet anno Christi* 248 *condita fuisse. Non possunt intelligi Namnetiæ, ubi res narranda contigit; sed neque Andegavi, ubi verosimiliter hæc Relatio scripta, certe inventa fuit: quia utraque civitas illa, Caio Cæsari jam tum nota fuit. Non lubet Œdipum agere.*

b Calvi *scilicet, qui mortuo anno* 840 *patre Ludovico Pio, divisisque inter tres filios Imperio et Regnis, dominabatur in Galliis.*

c *Transfugerat ille a Carolo Calvo ad Nomenoium, in Britannia tunc dominantem, prælatum ab illo sibi in comitatu Namnetensi Raynaldum, dolens.*

Quando Raynaldus Namnetium Comes a Lamberto occisus fuerit?

d *Acciderit pugna illa, atque adeo cædes Raynaldi Comitis, non die* 23 *Junii, seu* IX Kalendas Junii, *quo Chronicon Aquitanicum,* Raynaldum a Lamberto peremptum *notat; sed duobus ut minimum ante mensibus. Quippe, ut hic sequitur, a cæde Raynaldi et obtenta victoria, Lambertus Namnetas obtinuit concessu Nomenoii; tenuit aliquot saltem hebdomadis, et postquam expulsus inde fuit, triginta tres dicuntur in-* E *tercessisse dies, quando Nortmanni ab eo Namnetas* mense Junio *adducti sunt. Si quis autem (quod sensus orationis vix patitur) triginta tres dies, qui exinde elapsi notantur, intelligere velit, non ab expulsione Lamberti, sed ab obtenta victoria, hæc et cædes Raynaldi inciderit in medium fere Majum, ut patet.*

e Nova Britannia *vocatur, aliquando Armorica, quæ respectu Britanniæ Magnæ et antiquioris nova est. Hic sumi posset pro parte illa Britanniæ Armoricæ, quæ complectitur comitatum Namnetensem et quædam alia, a Nomenoio pristinæ Britonum ditioni adjecta et deinde passim illa annumerata.*

f *Hactenus dicta mirifice illustrantur compendio ex chronico Andegavensi, quod tertio loco Labbeus in Bibliothecæ MS. tomo* I *pag.* 283 *impressit. Ibi ad annum* 843 *hæc leguntur*: Præliatum est a Rainaldo nobili Comite Nannetensium contra Herispoium, Nomenoi filium, et alios Britannos apud Metiacum: in quo prælio victores Britanni facti per fraudem perjuri et transfugæ Lamberti comitis, prædictum Rainaldum et omnes pene suos interimunt. Eodem ipso anno civitas Namnetica a Normannis capitur vice prima, prodente eam Lamberto perfide comite, qui a fidelitate Francorum Regum ad Nomenoium F Brittonem se contulerat; qui etiam ipsius consilio in Britannia regnum usurpare ausus est. *Occidit tandem Lambertus ille anno* 852, a Gauzberto Cenomanensium comite occisus Kalendis Maji; *postquam ipse in variis prœliis anno* 834 Odonem Aurelianorum comitem; anno 843 Raynaldum *comitem Namnetensem jam dictum; et anno sequenti* Bernardum et Herveum Rainaldi filium *occiderat. Uti docet chronicon Aquitanicum citato Labbei tomo pag.* 291.

g Antrum, *vulgo gallice* Aintre, Aindre *atque etiam* Indre, *monasterium et insula in medio Ligeri, aliis quatuor minoribus insulis circumdata. Ampla ejus descriptio legitur in vita S. Hermelandi abbatis ejusdem loci, ad diem* 25 *Martii ab Henschenio nostro illustrata. Ubi num.* 14 *dicitur Vir sanctus propter opacitatem silvarum et nonnulla abdita loca, insulæ nomen indidisse* Antrum. *Sunt qui negent, id verum esse, opinantes, diu ante adventum Hermelandi in insulam et antiquitus* Antrum *vocatam fuisse. Quod argueret inscitiam Auctoris, qui vitam scripsit, ejusque auctoritatem, quam Henschenius magnam, ut fere* coævi, *judicat, in reliqua etiam historia elevaret. Qua propter ut illa maneat integra, ex occasione hic oblata, vindicemus auctoritatem scriptoris vitæ, qui est anonymus,*

A *nymus, et editoris Henschenii : per vindicationem sequentem.*

AUCTORE C. J.

h *Fortassis* ichthyofera, *ut si compositum græcolatinum ab* ἰχθύς, piscis, *et* fero. *In Actis certe S. Hermelandi*, XXV *Martii illustratis, num.* 15, *Ligeris circa insulam Antrum mirifice laudatur a copia piscium, qui eo conveniunt ; adeo* ut piscatoribus, aliorum fluminum profunda rimantibus, nisi usu didicerint, incredibile auditu videatur.

VINDICATIO

PRO AUCTORITATE VITÆ S. HERMELANDI.

De vocabulo Antrum et ejus antiquitate.

Antrum insula et monasterium in Ligeri fluvio

D*escribit anonymus auctor vitæ S. Hermelandi, eidem pene coævus, insulam ubi ille monasterium extruxit, quod propter* opacitatem silvarum et nonnulla abdita in ea loca, Vir Domini Antrum vocavit. *Institutorem nominis hic habes; rationem cur sic appellaverit, habes ; nomen illud* Antrum *pro insula Ligeris ante tempora S. Hermelandi, nusquam invenitur apud idoneum scriptorem. Miratur id Hadrianus Valesius in Notitia Galliarum pag.* 25 *in* B *voce* Antrum, *quia Aigradus, inquit, in Vita S. Ansberti Rotomagensis episcopi (extat illa tomo* 2 *Februarii nostri pag.* 343*) scribit, quod* Hermelandus in quadam insula aivei Ligeris, quæ vocatatur Antrum, juxta nominis ejusdem proprietatem, monachorum venerabile ædificavit cœnobium. *Ex quo et infert.* Igitur Antrum vocabatur hæc insula, quam Hermelandus ibi monasterium condidit ; et multis ante conditum ibi monasterium seculis, ita vocabatur.

an a S. Hermelando conditore,

2 *Hæc postrema illationis pars, quod* multis ante seculis *insula* Antrum *vocabatur, saltem ex dictis Aigradi merito concludi non potest : prima pars, quod* Antrum *vocabatur insula, quando* Hermelandus ibi monasterium condidit, *constare posset, si probaretur, majorem hic auctoritatem Aigradi esse, quam sit scriptoris vitæ Hermelandi ipsius. Uterque scriptor antiquus est. Anonymus in Antro fortasse monachus in vita S. Hermelandi, primi in Antro Abbatis ipsiusque cœnobii conditoris, insulam data opera describit atque ab ipso nomen inditum dicit. Aigradus monachus Fontanellensis ad Sequanam, longe ab Antro positus, in vita S. Ansberti, obiter de S. Hermelando et Antro meminit : nec aliunde fortassis notitiam Antri habuit, quam ex ipsius Hermelandi, aut monachorum ejus lit-* C *teris, quas ad sodales illi suos Fontanellæ, unde ipsi venerant, scribentes, locum novæ habitationis suæ nominaverint* Antrum, *de tempore et origine nominis nihil memorantes. Uter nunc horum scriptorum majorem videbitur mereri fidem in rebus ad* Antrum, *seu insulam, seu monasterium spectantibus ?*

sic primum sit appellatum.

3 *At scripsit Aigradus vitam S. Ansberti dimidio fere seculo prius, quam Anonymus vitam S. Hermelandi. Fateor, sed una scio, non omnia, quæ nunc in vita S. Ansberti leguntur, Aigradi esse. Ejus certe non sunt, sed interpolatrice manu addita, quæ immediate præcedunt (apud nos quidem, num.* 15*) de incursione Agarenorum in Galliam Narbonensem, quæ contigit anno* DCCXXXVII, *quæ nescire debuit Aigradus, si biennio post obitum S. Ansberti, ante finem seculi* VII *mortui, vitam ejus scripsit, ut aliqui indicant. Scripsit illam certo sub successore Ansberti Hiltberto abbate, ut prologus docet. Obierat autem dudum Hiltbertus, quando Agareni Galliam invaserunt. Numerantur etiam in eadem vita anni a Nativitate Christi, qui usus tunc nondum cœperat. Alia profert Henschenius in commentario prævio de eodem Sancto numero* 6 *et concludit :* Acta a posteris aliquantulum exornata fuisse atque interpolata, ut non commode, quæ propria Agradi sint, dijudicari possit.

Ita testatur Vita ejus,

4 *Interpolator fuit posterior monachus Fontanellensis, qui post dicta sua de invasione Agarenorum, continuo subjungit alia de institutione monasterii in Antro,* D *quæ æque posteriorem redolent ætatem ; videnturque adjuncta esse ad monstrandum jus Fontanellensium in Antrenses, qui juxta tabulas* largitionis *seu fundationis monasterii sui tenebantur Abbates sibi accersere e Fontanella. Id autem illos neglexisse et e numero suo Abbates elegisse, non obscure dignoscitur ex tomo* 2 *Annal. Benedict. pag.* 22, *num.* 13 *et alibi. Quamobrem provocat scriptor ad dictas tabulas, quæ, inquit,* adhuc in præfato monasterio Fontanella servantur. *Istud* adhuc *non modicum indicat spatium temporis, ex quo tabulæ scriptæ et in Fontanella reconditæ fuerant. Cum igitur Aigradus ille interpolatus auctoritate hic non prævaleat Anonymo, nihil est cur ex opinione Valesii quidquam in Hermelando nos mutatum velimus. Adde quod sæpenumero, qui nova ædificarunt monasteria, nova loco nomina indiderint. Ita (ut exemplum proferam) iisdem fere temporibus archiepiscopus Senonensis Hieremias* ædificavit cellam in Aquitania, in loco, qui dicitur Mauriacus, mutansque nomen ejus, vocavit Noviacum ; *uti legitur ex chronico S. Petri Vivi Senonensis apud Joannem Beslii. Quid ni S. Hermelandus construens monasterium suum, nomen* E *illi fecerit ex natura loci,* Antrum : *quod ipsum nomen inde mox toti insulæ adhæserit, pristino oblivioni dato. Atque hæc satis ad auctoritatem scriptoris anonymi in vita S. Hermelandi servandam.*

5 *Tantum nunc addo, a tempore vastationis Normannicæ* Antrum monasterium e suis cineribus ad hoc usque tempus excitari non potuisse, *uti scribit Mabilio tom.* 2 *Annal. pag.* 640, *cui talium expertissimo* F *id lubens credo. Non item quod scribit Baudrand,* monasterium nunc aquis absorptum esse una cum insula. *Monasterium quippe seculo nono a Nortmannis exustum, huc usque excitari non potuit, ut loquitur Mabilio. Insula vero, uti describitur in vita S. Hermelandi loco supra citato,* magnitudine sua ceteras circa se *positas* superabat, longitudine 24 stadiorum, *id est unius horæ itinere,* dimensa : quæ et in medio aliarum, se undique a quatuor cœli plagis circumdantium, alto sublimatur vertice, perque mediam sui longitudinem montosa, omnes inundationes Ligeris, ab Oriente aliquoties ubertim effluentes ; et Oceani maris, ab Occidente bis per singulos menses eructantes despiciebat malinas : quæ malinæ *(æstus sunt maris tumentiores, quales sub novilunia ac plenilunia solent esse)* reliquas insulas in Oriente Occidenteque et Aquilone sitas, aliquoties ad momen- F tum operiunt, solam in meridie hanc sitam verentes insulam propter sublimitatem sui montis. *An talis insula, tam ampla, tam sublimis, tam montosa, et ab aliis circum vallata, in flumine sita, aquis absorpta sit? Oculatus prodeat testis, ut credam. Valesius suas Notitias Galliarum anno* MDCLXXV *edens, scribit,* Antrum in Ligeri semper jacuisse, ubi et priscum nomen, *videlicet Antrum,* hodieque servat. *Mabilio quoque, jam citatus, dum dolet,* Antrum *monasterium e suis cineribus, in vastatione Normannorum seculo* IX *illatis,* ad hoc usque tempus excitari non potuisse, *supponit locum superesse, ubi olim stetit.*

An insula nunc aquis absorpta.

A*ctis* S. Gohardi *episcopi et martyris adjungo Acta* S. Salomonis *regis et martyris in eadem Britannia Armorica, æque promissa in indice Sanctorum hujus diei* XXV *Junii, sed etiam æque prætermissa ; puto, quia facultas videndi et recognoscendi incipiebat deficere Patri Papebrochio. Hinc illa ego recognoscens, judicavi defectum, tum in Gohardo, tum in hoc Salomone supplendum esse. Igitur cum uterque eodem seculo* IX *et annis tantum triginta et uno alter post alterum vitam martyrio finierit, nomina utriusque in indice præmisso Sanctorum conjungantur, et hic eorumdem Acta non separentur.*

DE

DE S. SALOMONE REGE, MART.

IN BRITANNIA ARMORICA

AUCTORE C. J.

COMMENTARIUS HISTORICUS

§. I. Argumenta sanctitatis. Acta unde collecta. Salomonis Majores eorumque chronologia.

ANNO DCCCLXXIV

Gloriantur Britones saltem inter illos aliqui, principes olim suos floruisse tres Salomones, quorum primum ipsi referunt ad seculum V *Christianæ æræ, alterum ad seculum* VIII; *tertius, de quo nos hic, seculo* IX *vixit, Regis titulum gessit, in regno pietate, justitia, sanctis moribus populo prælucit; ac morte violenter a suis illata, gloriosus ad Superos abiit, Sanctisque annumeratur a Britonibus et aliis. Saussayus in Martyrologio Gallicano agit de ipso ad diem* XXIII, *pro* XXV, *Junii, et Piis annumerat, his verbis elogium ei texens*. In minori Britannia excessus piæ memoriæ Salomonis: hujus provinciæ reguli, et Albigeonis ejus filii; qui facti pœnitens, quo placitis Apostolicæ Sedis et monitis episcoporum Galliæ aliquamdiu, in causa ecclesiastici ordinis et politici regiminis, obstiterat; totus ad justitiæ et pietatis cultum conversus, cum ecclesiæ jura et æquitatis leges tueretur, a perfidis proceribus profligatus, in monasterio, quo furorem eorum declinans, secesserat, ab his interemptus est. Filius autem in patris odium immaniter confossus, ibidem innocenter occubuit. Ad quorum sepulcrum signa deinde divina refulserunt. *Ita Saussayus, minus accurate. Ferrarius* sanctum *nominat, sed ad diem* VIII *Februarii, sic scribens:* In Britannia minore S. Salomonis martyris. *Nescio cur tali die; nisi forte, quod natalem proprium ignorans, eo retulerit propter synonymiam cum S. Salomone martyre Cordubensi in Hispania, de quo ibidem agit. In Notis citat* Kalendarium Gal. *nescio quale; et perperam a* Normannis *interfectum dicit.*

Elogium ex martyrol. Saussayi, et Ferrarii.

2 *Albertus De Morlaix sacri Ordinis Prædicatorum, professus conventus Redonensis, in gestis Sanctorum Britanniæ Armoricæ, secundum editis anno* MDCLIX, Salomonem *hunc omnino* Sanctum *appellat, atque ut talis, gesta ejus proponit, collecta, uti ait, ex Annalibus Britannicis Alani Bouchard et Bertrandi d'Argentré; atque sub finem Actorum sanctitatem viri sic adstruit:* Inter hasce turbas calamitatesque publicas, *a Normannis per illa tempora Britonibus æque ac Francis crebro illatas,* manifestavit Deus gloriam S. Salomonis per grandia atque extraordinaria miracula. Quippe tam ad sepulcrum, quam ad eremitorium ejus, plures omnis generis infirmi curati, quin et mortui resuscitati fuerunt; adeo ut ipsum canonizaverit Sanctorumque in album retulerit Anastasius Papa III, anno gratiæ DCCCCX, qui fuit primus potentissimi Principis Alani, cognomento Re-Bras, primi Britonum Ducis. Plures quoque ei constructæ fuerunt ecclesiæ et una abbatia, nomini ejus dicata, S. Salomon de Penpont, Ordinis S. Augustini in diœcesi Macloviensi: atque hodiedum extat in suburbiis nobilis et vetustæ civitatis Venetorum parœcia, nomine ejus pariter insignita, ubi et invocat eum populus, et ejus intercessione obtinet supplicationum suarum effectus. Sacræ ejus Reliquiæ elevatæ de terra, ac divite in capsa reclusæ, solicita cura conservatæ fuerunt in abbatia de Plelan. At vero, cum Normanni iterum descendissent in Britanniam Armoricam, Reliquiæ ejus deportatæ fuerunt in exteras regiones, atque communis opinio fert, illas latere Pluverii (*aliis* Pithuerium *dicitur*) in Vastinio.

Argumenta sanctitatis, sumuntur a miraculis ad sepulcrum factis, ab ecclesiis,

3 *Dubitari merito non potest, quin scriptor ille, vir religiosus, quamvis in omnibus non æqualis fidei sit, pleraque horum ex antiquioribus Britanniæ, in qua natus et Religionem professus fuit, monumentis hauserit: atque illud quidem quod ait de parochia* S. Salomonis *in suburbiis Venetorum, certo sciverit; legiturque etiam impressum in catalogo Gallico Beneficiorum diœceseos Venetensis his verbis* Cure de saint Salmon; Parochia S. Salomonis. *Et his omnibus efficacius probatur ecclesias illi olim fuisse dicatas, antiquissima auctoritate Actorum S. Gregorii episcopi Armeni, de ejus Pluverium e vicinia translatione, scriptorum ab Auctore pene coævo, seculo* XI, *editorumque a nobis ad diem* XVI *Martii pag.* 462: *in quibus num.* 10 *hæc leguntur:* Tum præfata Matrona...sancti Viri glebam cum summo honore Pithuriæ oppido transtulit; et in ecclesiam sancti Salomonis, in qua nunc Deo volente requiescit, ante vultum Salvatoris iterum honorifice sepelivit.

nomini ejus olim dicatis,

4 *Denique cultum* S. Salomonis, *etiam præsentem; manifestissime declarat Officium ecclesiasticum, quod ecclesia Venetensis de illo quotannis recitat* XXV *Junii, et habetur in* Proprio Sanctorum *ejusdem ecclesiæ,* Romano usui accommodato: *quod anno* MDCLX *impressum fuit* ex decreto et auctoritate Illustrissimi P. D. Caroli de Rosmadec, episcopi Venetensis, auctum et recognitum permultis, quæ antea desiderabantur. Cui accessit consensus venerabilis capituli Venetensis et Synodicæ congregationis ejusdem diœcesis: *Ibi officium* S. Salomonis *præscribitur sub ritu semiduplicis de Communi unius martyris; de quo et oratio;* Præsta quæsumus omnipotens Deus, ut intercedente beato Salomone martyre tuo *etc. Lectiones Nocturni secundi propriæ sunt: quas, quamvis ex illis, quæ proferemus, monumentis collectæ sint, quia propria non habentur Acta, ad calcem hujus Commentarii adjiciemus. Interim quod supra affirmat De Morlaix, canonizatum fuisse ab Anastasio III Papa, credere ei nequeo; quia talis canonizandi usus tunc nondum inductus erat: ut non dicam, perquam dubium esse, an isto anno Anastasius Papa fuerit, collocantibus principium Sedis ejus, aliis anno* DCCCCXI, *aliis* XII. *Potest tunc quidem (quando per conversionem Rollonis Normannorum ducis ad fidem christianam, tempora vicinis Britonibus agebantur magis quieta) coli a populo cœpisse* Salomon: *sed hoc ipsum antiquiori testimonio vellem probatum videre. Interea convertor ad Acta sancti viri; quæ non putem, mihi e collectione Alberti latina esse facienda, sed potius colligenda marte proprio ex aliorum scriptis vetustioribus, ab Argentræo in lucem editis, discessurus tamen in multis a ratione temporum, quam ipse secutus est, ductu certiorum monumentorum, tum quæ Duchesne in collectione sua scriptorum Franciæ, tum quæ Labbeus noster superiori seculo impressa dedit in sua nova Bibliotheca librorum MSS. tomo* I: *qualia sunt,* Chronicon Andegavense *pag.* 283; Aquitanicum, 297; *et* Montis S. Michaelis in periculo maris, 349.

item ab officio ecclesiastico.

Acta unde colligantur.

5 *Argentræus lib.* 2. *cap.* 10, *reducit natales Salomonis*

AUCTORE C. J. *Majores Salomonis,*

A *monis ad antiquos Britonum principes, scribens lingua sua gallica in hunc sensum.* Tempore Ludovici Pii fuerunt in Britannia Armorica duo germani fratres, progeniti ex antiqua principum Britanniæ prosapia, quorum alteri, natu majori, nomen Rivallon; alteri Neomene seu Nomenoius. Rivalloni filius erat, nomine Salomon, qui mortuo patre adolevit sub tutela patrui sui Nomenoii; a quo cura paterna educatus, bonis moribus institutus, et non aliter quam filius fuit habitus. *Qui Nomenoius (uti legitur in gestis Sanctorum Rotonensium, auctoris coævi, apud Mabilionem Seculi* 4 *parte* 2 *pag.* 193*)* regebat illo tempore, *seculo* IX *ad medium vergente,* pene totam Britanniam, primitus ex jussione Ludovici Imperatoris; postea vero suo arbitrio omnem provinciam invaserat. *Idem, juxta Argentræum cap.* 19, cum deliberabat de obsidenda Carnutum civitate ingressus Belsiam, incidit in morbum, ex quo brevi decessit, dum revertebatur Sabolium. *Annum obitus, non adscribit ipse: Reginonem, ait, obitum signare anno* DCCCLXII; *Sigebertum vero biennio citius; qui et addit, quod* Nomeneus rex Britonum, dum instaret regnum Francorum depopulari, visum est ei assistere sibi S. Maurilionem, Andegavensis urbis olim episcopum, a B quo in capite baculo percussus, iram Dei morte persensit. *Hæc Sigeberti sunt verba.*

patruus, Nomenoius rex Britanniæ

6 *Plusculis rem eamdem narrat Regino; ex quo sua transtulit Argentræus, conaturque quod ad factum percussionis attinet, a vero alienum ostendere: quod autem attinet ad tempus mortis indecisum relinquit. Decidunt hoc omnia tria, quæ supra nominavi, chronica, annum ponentia* DCCCLI; *et simul adstruere factum videri possunt, dum* cœlitus percussum, *et* jubente Deo ab Angelo percussum, *interiisse Nomenoium dicunt; subnectuntque, eodem anno* successisse ei filium suum Erispoium. *Adhæc chronicon, secundo loco nominatum, postquam tres Caroli Calvi expeditiones, annis* DCCCXLIII, XLV *et* L *contra Nomenoium susceptas, memorasset; anno* DCCCLI, *indicata Nomenoii morte, sic pergit:* Karolus quarta vice Britannias repetens, cum Erispoio Nomenoii filio certamen iniit XI Kal. Septembris, partemque exercitus cum Viviano duce amisit. *Hæc ad firmandam chronologiam nostram: quæ etiam firmitatem acquirit ex Annalibus Francorum Bertinianis, atque e fragmento chronici Fontanellensis, per illa tempora scripti, eodem quo nos anno mortem Nomenoii signantibus; et stabilietur ex tempore, quo interiisse* C *mox dicemus Erispoium ipsum.*

anno 851 mortuus:

cui successit filius.

7 *Successisse Nomenoio patri in regno filium Erispoium, auctore Argentræo,* non æquo tulit animo Salomon, ratus, sibi ex primogenito duorum fratrum nato, primas et prærogativam regni deberi: inconsiderans scilicet, Nomenoium illud non tam ordine successionis, quam virtute et fortitudine brachii sui sibi acquisivisse. Interea ille secreto agebat rem suam, sibique conciliabat animos multorum, et facta conspiratione aggressus est Erispoium in ecclesia, cæsisque aut fugatis domesticis satellitibusque, nil tale opinantibus, confugientem ad aram ibi peremit, anno DCCCLXVI. *Notat hunc annum Argentræus ex Sigeberto, cui in eo major fides habenda non est, quam in additamento, in quo* Salomonem Erispoii filium *facit, præter omnem verisimilitudinem. Regino ut supra aberrans a vero, ad eumdem annum cædem illam refert, additque in laudem Salomonis sequentia:* Herisposius, ex Britonum, a suis interficitur; et Salomon Dux in loco ejus subrogatur. Erat enim iste vir strenuus et bellicosus, et tam forma quam animo ad regni gubernacula coaptatus. Carolus tertio *(juxta prædictum chronicon,* quinto*)* super Britones cum exercitu irruere disponit: sed cum ad terminos gentis appropinquasset, audito quod ad resistendum totis viribus parati essent, subito mutata voluntate, magis elegit pacem suscipere, quam bellum D inferre. Facta itaque pactione cum Salomone, quam dudum cum Herisposio fecerat, discessit.

anno 857 cæsus.

8 *Verus cæsi Erispoii annus notatur in Annalibus Bertinianis,* DCCCLVII, *quem et citata num.* 3 *chronica, primum nempe ac tertium (secundum de morte ejus tacet) æque habent. Tertium vero etiam adjungit,* tempore hujus Salomonis delatum esse corpus B. Matthæi Apostoli in minorem Britanniam. *Fortasse legi debet non* corpus, *sed* caput: *de quo et dicta translatione agendum alibi erit. Errorum Sigeberti et Reginonis, omniumque ab illis stantium, palpabiliorem faciunt litteræ concilii Tullensis, apud Saponarias anno* DCCCLIX *celebrati, inscriptæ quatuor episcopis Britonum, quos hortantur, ut nonnulla concilii decreta suggerant* Salomoni, qui Britannorum, *inquiunt,* tenet regionem: *atque inter alia moneri ipsum jubent,* *Francorum nempe episcopi,* ut consideret, quanto animæ suæ periculo Britannorum dominationem invaserit cum domno nostro Carolo fidelitatem prius juraverit. *Salomon igitur anno* DCCCLIX *jam dominabatur, et* prius *etiam juraverat Carolo fidelitatem, tum scilicet, quando Carolus intellecta Erispoii morte,* super Britones cum exercitu irruit; *hosque paratos inveniens,* facta pactione cum Salomone, quam dudum E cum Erispoio fecerat, discessit; *uti scribere Reginem diximus, quamvis aberret a vera chronologia.*

§ II. Commonitiones plures episcoporum Franciæ; una alterave tantum Nicolai PP. ad Salomonem.

Principio male acquisiti a Salomone regni, *inquit Argentræus,* successit administratio, et vita plane contraria. Regnavit enim cum summa populi approbatione, in omni clementia, et bonitate et comitate. *Tum laudat eum a virtute bellica ex Reginone, cujus ea de re locum descripsimus num.* 6. *Insinuat deinde* revocasse Salomonem aliquot episcoporum, *quos Nomenoius in exsilium miserat,* sed non omnes; *putatque initio regni ejus id factum esse; sed suo loco colligemus ex epistola synodi tertiæ Suessionensis, anno* DCCCLXVI *de rebus Britannicis ad Nicolaum Papam scripta, isto anno qui nonus est regni Salomonis, revocatos fuisse. Diximus jam, synodum Tullensem apud Saponarias celebratam fuisse anno* DCCCLIX. *Scripsit illa epistolam ad episcopos Britonum, qui desciverant a metropolita Turonensi, hortaturque, ut eo redeant; simul submittit aliqua capitula. De quibus* F *commoneant regem suum Salomonem: sed meminisse lectorem oportet, omnes istius synodi episcopos, fuisse alterius Regis, et contra Salomonem tunc bellantis, subditos; et æque de rebus politicis atque de ecclesiasticis decernere. Ecce ipsa:*

Salomon regnum, male occupatum, laudabiliter administrat,

10 Placuit universali *(ita se passim nominat)* Concilio, ut Salomoni, qui Britannorum tenet regionem, suggeratis, ut quæ pro ejus salute mandamus, obedienter audiat, si Deum vult habere propitium et nostræ unanimitatis tenere consortium.

monetur tamen de nonnullis excessibus:

I Ut permittat totius Britanniæ episcopos debitam reverentiam metropolitano inferre.

II. Ut facultates ecclesiasticas nec ipse Deo auferat, nec aliis auferre permittat.

III. Ut consideret, quanto animæ suæ periculo Britannorum dominationem invaserit; cum domno nostro regi Carolo fidelitatem prius juraverit.

IV. Ut recordetur, gentem Britannorum Francis ab initio fuisse subjectam, et statutum dependisse tributum: ac per hoc non dedignetur ad nuper omissam reverti consuetudinem.

V. Ut proprietates, a parentibus relictas, vel quolibet modo rationabiliter acquisitas, justos possessores habere permittat. Nisi enim se ab hac audacia

A dacia et impietate retraxerit et divina pœnitudine deleverit quod deliquit, nostræ auctoritatis affectu nobis admonentibus, cito ei Deus usurpatam auferet potestatem, et debitam inferet ultionem.

vi. Ut pro diversis criminibus canonice excommunicatos ne recipiat, suadete; ostendentes divino judicio, si id præsumperit, pari eum vindicta constringi.

11 *Ex his deducitur, vix ultra unius anni spatium Carolo stipendiarium fuisse* Salomonem; *utpote qui anno* DCCCLIX, *quo Synodum celebratam fuisse diximus, jam se suumque regnum in libertatem asseruerat. Sed non admodum diu illa libertas tunc tenuit. Anno quippe* DCCCLXIII, *uti Annales Bertiniani tradunt, ante Pascha* Carolus Rex Cenomannis civitatem adit, indeque usque ad monasterium, quod Interamnis dicitur, procedit: ubi Salomon dux Britonum cum primoribus suæ gentis, illi obviam venit, seque illi commendat et fidelitatem jurat; omnesque primores Britanniæ jurare facit, et censum illius terræ, secundum antiquam consuetudinem, illi exsolvit. Cui Carolus ob fidelitatis suæ meritum partem terræ, quæ Inter duas aquas, dicitur, et abbatiam S. Albini in beneficium donat. *Iidem Annales, ad annum*

anno 863 Carolo regi denuo vectigalis fit.

B DCCCLXIV, *hæc addunt:* Carolus Kalendas Junii, in loco qui Pistis dicitur, generale Placitum habet, in quo annua dona, sed et censum de Britannia, a Salomone Britannorum duce sibi directum, more prædecessorum suorum, quinquaginta scilicet libras argenti, recipit. *An sequenti anno iterum discordes facti sint Carolus ac Salomon, examinabitur paulo post: fuerunt certe anno* DCCCLXVI, *quo synodus Suessionensis tertia epistolam scripsit, et per Actardum misit ad Nicolaum Papam, stimulans ipsum, ut Salomonem cohibeat,* decernatque, ut *is* Carolo in cunctis obtemperet, sibique omni humiliatione debita colla submittat, annuosque census persolvat.

12 *Dicunt aliqui, eamdem synodum Saponariensem etiam scripsisse ad Nicolaum Papam super negotio episcoporum Britanniæ. Verum nihil istiusmodi litterarum comperio in synodi actis apud Labbeum. Extat quidem tomo* 8 *col.* 509 *epistola Nicolai ad Salomonem Britonum regem* de renovando ejectorum, *per Nemonoium regem,* episcoporum examine apud archiepiscopum Turonensem, vel apud Sedem Apostolicam. *Attamen ex tenore ejus manifeste intelligitur, non esse responsum Nicolai ad datas a synodo: sed ad datas ab ipso Salomone: quem et in capite illius responsi magnifice sic*

Epistola Nicolai Papæ ad ipsum,

C *appellat:* Benedictus Deus et Pater Domini mei Jesu Christi, qui per magnæ misericordiæ suæ gratiam adeo tuæ cor Sublimitatis illustrare dignatus est, ut merito pro sapientiæ tuæ fulgore, ubi habitas, non jam Occidens, sed Oriens habeatur. Ortus enim est in vobis sol justitiæ, quod ipse Christus est, et infidelitatis tenebræ defecerunt.

qua tantum monetur,

13 *Hæc quidem laudabiliorem Pontificis Romani de Salomone opinionem indicant, quam sonent capitula episcoporum Franciæ. Non tamen omittit Pontifex ipsum serio hortari, ut episcopos regni sui permittat archiepiscopo Turonensi subesse, sic inquiens:* Et cum æquivoco tuo sapientissimo Salomone Dilectionem tuum admonemus, dicente; Audi, fili mi, disciplinam patris tui; et ne dimittas legem matris tuæ. Hæc quippe sunt præcepta Dei patris tui, et hæc est lex Ecclesiæ matris tuæ: videlicet, ut omnes episcopos regni tui ad Turonensem archiepiscopum mittere non detrectes, ipsiusque judicium postulare non dedigneris. Ipse enim est Metropolitanus; omnesque episcopi regni tui ejus suffraganei sunt; sicut conscriptiones prædecessorum meorum evidenter ostendunt; qui prædecessores tuos, quia illos ab ipsius cura subtraxerant, forti invectione corripere studuerunt: quamvis nec nostra scripta, super hac re missa, deesse videantur.

ut permittat, episcopos suos Turonensi suffraganeos esse,

14 *Nihil in tota hac epistola sua, meminit Nicolaus de criminibus, a concilio episcoporum Francorum per citata Capitula Salomoni imputatis; præter id quod attinet ad causam episcoporum Britanniæ, a decessore Salomonis Nomenoio ejectorum et subintroductorum; nec non de Metropolitano, cui debeant suffragari: estque epistola ejus tantæ gravitatis (præterquam quod argumentum præcipuæ controversiæ clare explicet) ut non possim, quin aliam ejus partem hic attexam:* Cum coram præsignato Turonensis ecclesiæ præsule, et integro numero collegarum, id est duodecim episcoporum celebrato conventu, fuerint ejecti episcopi regulariter examinati, apparueritque, quod canonice fuerint ejecti, ipsis in sua dejectione manentibus, quicumque in locis eorum consecrati sunt, poterunt utique episcopatus honore potiri. Quod si ejecti episcopi insontes fuerint declarati, his amotis qui illis subrogati sunt, ecclesias suas ipsi recipiant. Nam cum antecessores mei Præsules ejectionem eorum episcoporum, qui ab ecclesiis suis expulsi sunt, non admiserint nec approbaverint, nec ipsos, qui eis subrogati sunt, viventibus illis, legitimos episcopos dixerunt. Sane si forte ad Turonensem archiepiscopum mittere dedignaris, stude duos episcopos de expulsis, et duos de subrogatis, una cum gloriæ tuæ E legato ad Apostolicam sedem B. Petri transmittere ubi digna examinatione præmissa, qui legitimi episcopi sint, appareat, et suas ecclesias irregulariter non amittant. Nihil enim aliud est, quod in præsenti negotio penitus definiri possit.

D *AUCTORE C. J. et causa expulsorum legitime judicetur.*

15 *Hic transit Pontifex ad alteram controversiæ partem, de novo per Nomenoium erecto archiepiscopatu Dolensi:* Quia vero magna, quis sit Metropolitanus apud Britannos, contentio est; licet nulla memoria sit, vos in vestra regione ullam habuisse metropolitanam ecclesiam; tamen si libet, postquam Deus inter vos pacem et dilectum filium nostrum Carolum gloriosum constituet, facile hoc poteritis advertere. Quod si adeo contentiosius agendum creditis, ad nostrum Apostolatum destinare contendite; quatenus nostro libramine, quæ fuerit apud vos antiquitus archiepiscopalis ecclesia, luce clarius innotescat; et deinde omni ambiguitate recisa, quem sequi episcopi vestri debeant, incunctanter agnoscant. Neque enim ecclesias Domini per discordiam regum divisiones aliquas pati vel damna necesse est; cum quantum ex se est pacem, quam prædicant, servare studeant invicem et in omnes. His ita prælibatis, per nos tuam scire volumus Excellentiam; quia si nostris paternis monitis obedieris; et tam de jure metropolitani, quam de renovatione examinis ejectorum episcoporum nos audire studueris; erit pax et F concordia, et omnis legitimus ordo in regno tuo. Quod si nos tantum interrogare, et non auscultare decreveris, scandala et discordiæ, et omnis confusio non deerunt tibi in vita tua. Porro legatos tuos, quos ad nostrum Pontificium destinasti, dilectioni tuæ commendare curamus; quorum prudentiam et fidem circa vos considerantes, plurimum in Domino gratulati sumus. Deus omnipotens gloriam tuam, et claram conjugem tuam, cum nobilibus natis, atque cum omnibus, qui sub tuo regno sunt, omni gaudio et omni benedictione pie circumdet.

An apud Britones ecclesia metropolitana fuerit.

Paterna Pontificis exhortatio.

16 *Nullam in hac epistola deprehendo notam anni, quo data sit. Mabilio ad Acta S. Conwojonis pag.* 187 *num.* 8 *asserit, scriptam esse anno* DCCCLXV; *rationem asserti non prodit. Innuit non obscure Nicolaus, discordes inter se fuisse reges Francorum ac Britonum, quando epistolam suam scribebat; dum ait supra num.* 14, *tractari posse de metropolitano jure ecclesiæ Dolensis,* postquam Deus pacem inter illos constituet... *Si igitur epistola anno* DCCCLXV *scripta fuit, dicendum est, pacem quæ duobus præcedentibus annis tenuerat, quando*

Annus datæ epistolæ.

AUCTORE C. J.

A do et censum Carolo solvisse Britones, diximus; hoc anno iterum fuisse interruptam, et scimus anno sequenti nullam fuisse.

§. III. Salomon alias dat litteras ad Nicolaum. Rex legitime creatur, cum successione in sua familia.

Minus prompte obediens Salomon,

Paternæ Nicolai justissimæque litteræ non continuo obtinuerunt, quod æquum erat concedi: contulerunt tamen plurimum, ut, post tria tandem secula et amplius, quæstio illa, de jure Metropolitico ecclesiæ Turonensis super ecclesias Britanniæ ipsamque Dolensem, decisa sit ab Innocentio Papa III anno MCXCIX, *uti videre est in hujus epistola* 82 *libri* 2, *cui gesta quædam hac in re Nicolai inseruntur. Quæ moverint Salomonem, Romanæ Ecclesiæ alioquin valde observantem, quo minus prompte hic obsecundaverit voluntati Pontificis, equidem dicere pro certo non habeo. Innuit quidem Nicolaus per illa verba;* Neque enim ecclesias Domini, per discordiam regum, divisiones aliquas pati vel damna necesse est; *ex tali discordia factum esse, ut reges Britanniæ noluerint, episcopos suos, commercium habere* B *cum episcopis, Francorum Regi subditis, aut ab illis mandata accipere: sed potest etiam alias habuisse causas Salomon, cur non statim putaverit rescindenda sibi esse decessorum suorum et regni procerum illa super re pridem statuta; malueritque, ad pacem cum suis atque inter suos servandam, denuo consulere Romam per alias litteras, proponendo novas causæ suæ rationes. Imo id ipsum fecisse dignoscitur ex epistola Innocentii III citata: in qua Dolensis ecclesia in suam defensionem isthæc adducit.*

absque piaculo,

18 Scripsit etiam idem Nicolaus, sicut ex authentico ipsius apparet, Salomoni tunc Regi Britannorum et uxori ejus; ut Festinianus, *nominatus Dolensis archiepiscopus,* idoneum mitteret ad Romanam Ecclesiam ex proprio clero legatum, qui scripta fidei catholicæ documenta deferret, et eumdem Festinianum ita credere, et servare de cetero, juramento firmaret. Quod, nisi pallium ei disposuisset per eumdem legatum transmittere, non mandasset. Verum eodem Nicolao sublato de medio, cum nuntii Dolensis ecclesiæ ad Apostolicam Sedem accessissent; bonæ memoriæ Adrianus Papa eidem Festiniano pallium cum privilegio destinavit. Quod *tamen* pars Dolensis ecclesiæ, *prædicta in examine, coram Innocentio III instituto deponens,* per scriptum authenticum non probavit.

alias ad Pontificem litteras dat;

C 19 *Epistola Nicolai de qua hic, omnino alia est ab illa, cujus partem supra dedimus. Hæc enim inscripta fuit Salomoni et uxori ejus, illa soli Salomoni: in hac petit per Regem et Reginam curari, ut Festinianus mittat legatum suum Romam cum professione fidei suæ quo pallium accipiat; in illa, nulla fit missionis hujusmodi, nulla Festiniani nominatim mentio. Excusaverit se igitur post acceptas priores litteras Salomon Nicolao, rationem reddens, cur ipse non posset prudenter exsequi per se, quod sibi mandatum erat: audiendos esse primores regni et episcopos præ ceteris ipsos. Hinc potest Pontifex, rationibus Regis acquiescens, aliam viam iniisse componendi per episcopos ipsos discordiam; et non tantum evocaverit legatos Festiniani, ut fidei ejus catholicæ documenta deferrent (quamvis hoc tantum pars Dolensis ecclesiæ ex litteris istis Nicolai apud Innocentium III allegent, tamquam sibi favorabilia ad monstrandum jus pallii) verum etiam ut alia ad id juris probandum monumenta et imprimis litteras, per quas decessores sui Pontifices decessoribus Dolensis ecclesiæ episcopis pallium ejusque privilegia (uti alias petiit non semel) submiserant.*

20 *Præter hæc, quæ eximere Salomonem omni culpa videnter, existimant Scriptores Britanni, ipsum non* D *modo nihil piaculi contraxisse per illam minus promptam obedientiam, verum etiam laudandum idco esse, tamquam a constantia in tuendis regni statutis. Audi Argentræum citato cap.* 26: Litteræ Nicolai ad Salomonem, non fuerunt primæ, super dicta controversia datæ. Dederant Pontifices ejus decessores etiam alias similis argumenti ad Nomenoium atque Erispoium. Sed non ideo, neque per comminationes regis Caroli Calvi, neque excommunicationem episcoporum Franciæ, neque machinationes episcopi Actardi et archiepiscopi Turonensis, quidquam potuit obtineri: et controversia eodem, quo prius fuit loco, permansit. Quamvis alioquin Salomon vir esset conscientiæ teneræ, moribus religiosus, in bonum Ecclesiæ propensus, æquus, humanus, comis et justus in actionibus suis; atque, ut vere dicam, talis fuit æstimatus ab omnibus: et ipse Papa Nicolaus in epistola sua commonstrat non minus præclaram de illo habere se opinionem; *ut in principio ac fine ejus epistolæ observare licet præcipue.*

laudatur a Britannis,

aliquot episcopos restituit,

21 *Quod ad primas Nicolai litteras non præstiterat Salomon, videtur præstitisse, saltem ex parte, ad secun-* E *das. Sic enim loquitur synodus Suessionensis tertia, in epistola sua, anno* DCCCLXVI *ad Nicolaum data:* Quosdam *episcopos* idem Dux Britannicus, infra præsentis anni spatium, vestræ auctoritatis institutis præmonitus, restituit. *Videtur quoque hoc anno aut saltem sequenti in gratiam cum Carolo rediisse; quandoquidem pro anno* DCCCLXVIII *signa amicitiæ mutuæ manifesta extant, ita scribente ad hunc annum auctore Annalium Francorum Bertiniano:* Missum etiam Salomonis Britonum ducis, *apud Pistas residens Carolus,* obviam habuit, per quem Salomon illi mandavit *(id est, significavit)* ut haud ipse pergeret ad expugnandos Nortmannos, qui residebant in Ligeri; quia isdem Salomon cum valida manu Britonum paratus erat illos aggredi: tantum ut adjutorium ex parte Caroli haberet. Ad quem idem Rex, *utique gratitudinis et confirmandæ amicitiæ causa,* præmittens Engelramnum, Camerarium et Hostiariorum Magistrum, atque a secretis Consiliarium suum, cum corona, auro et gemmis ornata; sed et cum omni paramento, regio cultu exculto; Carolomanum filium suum..... cum scara, evestigio (sicut Salomon ei mandaverat) misit.

donatur corona regia,

et legitime creatur Rex

22 *Scriptor anonymus vitæ S. Conwoionis abbatis Rotonensis, apud Mabilionem Seculi* 4 *parte* 2 *pag.* 192 *fatetur quidem,* circulum aureum, *seu coronam* et purpuram *Salomoni concessa fuisse a Carolo; sed Regem agnoscere detrectasse, dum ait:* Salomon Rex F appellatur, non quod revera esset, sed quia circulo aureo et purpura, concessione Caroli Augusti, utebatur; idcirco hoc nomine censebatur. *Interea concessio illa, id temporis et loci, legitima fuit, ideoque Salomon, acceptis sic regum insignibus, merito sibi titulum dignitatemque Regis vindicavit gessitque; ac talem agnoverunt eum, nuncupaveruntque etiam Pontifices Romani Nicolaus et Adrianus in suis ad ipsum litteris. Quin et Carolus, post cædem Salomonis ejusque filii creatus etiam Imperator, fatetur, se illi ejusque progeniei (uti ego quidem intelligo)* regnum juramento confirmasse. *Lege Capitula Caroli, apud Carisiacum, anno Domini* DCCCLXXVII, *regni ejus* XXXVII, *imperii autem secundo, edita. Ibi sic habet vicesimum tertium:* Qualiter regnum, quod necessitate Britonibus quondam juramento confirmatum fuerat; quia de illis, quibus firmatum est, nullus superstes est, a fidelibus nostris recipiatur.

cum jure successionis,

non tantum in filiis, qui tunc vivebant,

23 *Sirmondus in suis ad Capitulum illud notis, fassus,* Carolum bellis Britannicis fatigatum Regis nomen et insignia Brittonibus aliquando concessisse, *adducit veterem schedam eo facientem, in monasterio S.*

A *S. Michaelis a se inventam, hujus tenoris:* Salomon ad obsidionem Andegavensem in auxilium Karolo venit. Hujus rei gratia Karolus Salomoni Regi Brittonum habere permisit circulum aureum et purpuram et archiepiscopalem sedem et proprium numisma et insuper omnia Regi convenientia: et non solum illi, verum etiam successoribus suis, deinceps habenda permisit. *Clarissima hæc sunt. Sed putat Sirmondus,* parum exactæ fidei *esse, objicitque obiter duo. Primum,* gesta hæc videri multo ante obsidionem Andegavensem. *Deinde e citato Capitulo patere,* Regis nomen a Carolo non omnibus deinceps Salomonis successoribus, sed iis dumtaxat concessum fuisse, qui superstites tunc erant.

24 *Ad primum quidem nihil magnopere contradico. Potest errasse auctor schedæ assignando causam, cur Carolis dignitatem regiam Salomoni concessit, aliam, quam supra allegavimus nos ex Annalibus Francorum Bertinianis: in quibus dicitur,* Salomoni regiam dignitatem obvenisse anno DCCCLXVIII, *quando debellare Nortmannos meditabatur, in Ligeri ad perniciem vicinarum regionum stationes suas habentes. Subsidia vero, quæ idem contulit Carolo in obsidione Andegavensi,* B *misit anno* DCCCLXXIII. *Potest tamen citata scheda etiam sic accipi, ut Carolus concessam Salomoni anno* DCCCLXVIII, *dignitatem regiam; eamdem anno* DCCCLXXIII, *accepto novo beneficio, ei confirmaverit, adjeceritque novas quoque prærogativas, permittendo ei sedem archiepiscopalem et proprium numisma; de quibus ad annum* DCCCLXVIII, *nullibi facta est mentio.*

sed etiam in nepotibus

25 *Ad secundum Sirmondi objectum, patere ex Capitulo citato;* Regis nomen a Carolo iis dumtaxat concessum fuisse, qui superstites tunc erant; *respondendum existimo, verosimile paucis, aut potius nullis fore, regnum, quod a Carolo* necessitate Brittonibus quondam juramento confirmatum fuerat, *a Salomone acceptatum fuisse pro se et solis filiis suis, qui tunc in vivis erant. Confirmatum fuerit eo modo, quo pridem fuerat usurpatum a Nomenoio, et transierat ad posteros. Quod, si præter regiam coronam purpuramque tribuit confirmavitque Carolus Salomoni* omnia insuper Regi convenientia, *uti habet scheda Sirmondiana, utique contribuit successionem majestatis Regiæ saltem ejus posteris, quia id quivis Rex putat sibi deberi. Imo eadem scheda expressis verbis affirmat, Carolum dignitatem regiam concessisse,* non tantum Salomoni, verum etiam successoribus ejus deinceps habendam. *Quod si restringere velis ad solos successores, ex Salomone* C *et filiis ejus nepotibusque legitime gignendos; recte potuit Carolus anno* DCCCLXXVII *constituere Capitulum citatum; quia tunc nullus filiorum nepotumque Salomonis supererat. Secus judico, si per successores Salomonis intelligantur, qui post ipsum occupaverint principatum Britanniæ, sive ex progenie ejus illi forent, sive alieni. Interim oportet Carolum considerantem, cæsis Salomone et filiis, quia de posteris eorum nullus superstes esset, aut nosci posset; jamque alieni invasissent dominatum; anno* DCCCLXXVII *Carisiaci constituisse, ut regnum illud a fidelibus suis reciperetur. Sicuti et factum est. Neque enim deinceps Britannia, regnum; aut Principes ejus, Reges appellari consueverunt, sed tantum Duces.*

qui nascituri erant in eadem lineam.

§. IV. Fundat monasterium Salomon; scribit ad Hadrianum PP. et Reliquias ab eo accipit; obsidet Andegavos et capit.

Legitur apud Argentræum lib. 2 cap. 27, diploma Salomonis, ad petitionem Richardi, aliis Ritcandi, abbatis anno DCCCLXIX *datum, cui inseritur fundatio monasterii et ecclesiæ in Plellan (Latinis* Plebelanium *est) ab eodem Salomone prius facta S. Comwojoni; estque tenoris sequentis; aliquibus tamen, ex alio codice correctis, et quæ Argentræo desunt, suppletis.* In nomine Domini Amen. Salomon, Dei gratia totius Britanniæ magnæque partis Galliæ Princeps. Notum sit cunctis Britanniæ tam episcopis, quam sacerdotibus, ceterisque nobilissimis ducibus, fortissimisque militibus omnibus nostræ ditioni subjectis: quomodo venerabilis Richardus Abbas, cum aliquibus suis monachis, omnium tamen ceterorum monachorum petitionem deferens, nostram adierit præsentiam in monasterio meo, quod est in Plelan; ubi ego antea unam aulam habui.

Diploma Salomonis anni 869,

D *AUCTORE C. J.*

27 Sed infestantibus Normannis Connoyon * Abbas, cum precatu monachorum suorum, locum refugii ante Normannos sibi suisque monachis postulans, nos venerabilemque conjugem nostram Guihenerec † adiens, petiit: quibus assensum præbentes, non solum supradictam aulam eis tradidimus, sed etiam in eodem loco monasterium non ignobile ex nostro, in honorem sancti Salvatoris, ad refugium supradictis monachis pro hereditate cœlesti et redemptione animarum nostrarum, nec non et nostræ prolis parentumque nostrorum perpetua prosperitate, totiusque regni nostri Britanniæ fideliumque nostrorum tranquillissima stabilitate construere jussimus: E quem etiam locum, monasterium Salomonis vocari voluimus; in quo etiam reverendissimus Abbas Connoyon sepultus jacet, et venerabilis conjux nostra Guihenerec honorifice sepulta quiescit: in quo etiam ego (si piissima Dei clementia concedere dignata fuerit) corpus meum sepeliendum, cum consilio Britanniæ nobilium, tam sacerdotum quam laicorum, devovi; nec non ad augmentum felicitatis et pacis totius Britanniæ, munus a Deo maximum, nobis transmissum præteritis temporibus, sanctissimum feci collocare Maxentium. *Hactenus Argentræus, reliqua, quæ ipse per compendium contraxit, quia ad magnanimitatem S. Salomonis ac munificentiam spectant, ex alio codice adjungo.*

in quo de fundatione monasterii in Plelan,
** aliis* Conwojon
† aliis, Guenwreth et Wenbrit
prius facta

28 *Ait igitur;* Ad quem etiam locum *in Plelan,* causa orationis sancti Salvatoris venerabilisque Maxentii veniens XV (XVII) Kal. Maji die Resurrectionis Salvatoris nostri, quantum tunc libuit nostro sensui aliqua munera ex nostro thesauro pro regno Dei et redemptione animæ nostræ regnique nostri stabilitate mecum obtuli supradicto sancto Salvatori et sancto Maxentio et supradictis monachis, id est calicem aureum ex auro obrizo, mirifico opere fabricatum, habentem CCCXIII gemmas, pensantem X F libras et solidum unum; et patenam ejus auream, habentem gemmas CXLV, pensantem VII libras ac semis; et textum Evangeliorum cum capsa aurea mirifice fabricata, pensantem VII libras, habentem CXX gemmas, et crucem auream magnam miri operis, habentem XXIII libras et CCCLXX gemmas; et unam capsam ex ebore Indico mirabiliter incisam, et, quod his pretiosius est præclarissimis reliquiis Sanctorum plenam; casulamque sacerdotalem pretiosam, extrinsecus interstincte ex auro coopertam, quam mihi meus compater pissimus rex Karolus pro magno, sicut est, transmisit dono; miræque magnitudinis pallium ad ipsius Sancti corpus desuper operiendum; et (ad cumulum miraculi virtute tamen S. Maxentii ante se Deo providente) Britanniæ missum S. Adjutoris Evangelium, ex ebore Pario et auro honorifice redimitum, nec non et librum Sacramentorum, quondam et nunc similiter, ipsius Sancti, ex ebore Indico circumtextum, alium quoque librum, ex argento et auro intus forisque ornatum, vitamque ipsius S. Maxentii prosaice et metrice compositam, vitamque S. Leodegarii martyris continentem. Exceptis aliis donis quæ ante jam dederam, id est altare ex argento auroque paratum;

quam hoc diploma ederetur,
quo divitem ornatum ecclesiæ

A ratum; et crucem argenteam ex una parte, ex altera parte imaginem Salvatoris ex auro optimo et gemmis coopertam, habentem; et alteram crucem minorem, ex auro et gemmis coopertam; et duo vestimenta sacerdotalia ex purpura pretiosa; et tres clocas miræ magnitudinis.

AUCTORE C. J.

ac immunitatem prædiorum donat

29 *Et pergit.* Eodem die supradictus Richardus abbas cum suis monachis veniens, precatus est nos, ut quidquid antecessores nostri, Nomenoius videlicet et Erispoius, ei dederunt, et quod ipse dedi, nec non et quod alii boni et nobiles viri, unusquisque secundum mensuram, dederunt aut daturi sunt sancto Salvatori ac monachis ex supradictis monasteriis sub regula S. Benedicti Deo servientibus, sub nostra defensione, regali more, recipere dignaremur, et propter hoc in supra dictorum omnium eleemosynis absque ambiguitate participes efficeremur..... Quorum petitioni faventes, cum consilio nostrorum nobilium, eis totum et ad integrum.... indulsimus... Factum est hoc in pago nuncupante Trans-silvam, in plebe quæ vocatur Laan, in monasterio supradicto, quod vocatur monasterium Salomonis, XV (*imo* XVII) Kal. Maji, Feria I, Luna I, Indict. II, anno ab

15 Aprilis 869.

B incarnatione Domini DCCCLXIX. *Et subscriptum erat,* Salomon, totius Britanniæ princeps, qui hanc donationem dedit firmarique rogavit, testis. Richardus abbas, qui accepit, testis. Rivallon et Wigon, filii supradicti Salomonis, testes; *cum aliis testibus* XXVIII, *episcopis, abbatibus, presbyteris et nobilibus.*

Illustrantur quædam in diplomate dicta

30 *Quod aulam suam in Plelan Salomon in monasterium concesserit prius Conwojoni, primo abbati Rotonensi, confirmatur ex ejusdem sancti Abbatis vita, a nobis* XXVIII *Decembris illustranda, et a Mabilione jam edita, ubi legitur:* Beatus Convojonus furori cedens *Normannorum,* ad Salomonem se contulit regem..., a quo favorabiliter exceptus, ad subsidium vitæ monachis, tradidit Rex inclitus Abbati in eleemosyna sempiterna regiam, quam sibi in Plebelan construxerat cum designata terminis possessione. *Noto etiam ex occasione ad illud, quod supra num. 28 legitur, in Britanniam missum fuisse,* sancti adjutoris Evangelium; *noto, inquam, per* Adjutorem *intelligendum esse ipsum* Maxentium, *qui tali nomine in juventute vocatus fuit, ut vita ejus docet et alibi sic etiam nominatus invenitur. Noto item ex eodem diplomate, uxorem Salomonis Guihenerec adhuc in vivis fuisse, quando primum Conwojoni concessum fuit Plebelanium*

de prima fundatione,

de S. Maxentio,

C *atque adeo ante annum* DCCCLXIV, *quo, si Alberto De Morlaix hic credere fas est, Salomon duxit Namnetis alteram uxorem Cæciliam,* præclaram a moribus et virtute principem; filiam, *uti ait,* Flavii Patricii Romani. *Verum de hoc secundo Salomonis conjugio alibi hactenus nihil inveni. Discimus indidem, corpus S. Conwojonis abbatis et Reliquias S. Maxentii depositas fuisse in eodem monasterio, antequam hoc diploma ederetur: quod et confirmatur ex citata Vita, ubi legitur sepultus fuisse Conwojon* in Salvatoris ecclesia, a Salomone fabrica mirabilia constructa, juxta beatum ex Pictavensi territorio abbatem Maxentium, *cujus sacras Reliquias, cupide quæsitas, acceperat Salomon: qui et anno jam dicto, uti habent Annales Francorum Bertiniani,* DCCCLXIX pacem cum Nortmannis, in Ligeri residentibus, fecit, et vinum partis suæ de pago Andegavensi cum Brittonibus suis collegit.

de secundis nuptiis.

Epistola Salomonis ad Hadrianum PP.

31 *Nolim hic desiderari duo alia scripta, quæ ad gesta et laudem Salomonis faciunt, edita ab eodem Argentræo. Alterum dicitur missum a Salomone rege ad Hadrianum Papam, alterum a Papa Regi remissum. Incipit primum.* Domino ac beatissimo Apostolicæ Sedis Romanæ Adriano, Salomon Britonum Rex, flexis genibus inclinatoque capite, in Christo fideliter pacis diuturnitatem. Mundi termino appropinquante, ruinisque crebrescentibus, cum certa signa plurimis manifesta videantur, Romam vovimus ire causa orationis, nec non etiam petitionis nostræ gratia; quia præterito tempore beatæ memoriæ prædecessor vester Nicolaus, Pallium episcopo Dolensi Festiniano amovit; quod idcirco nobis dare distulit; quia nos nostrum nomini ejus præposueramus ignoranter, et litteras nostras absque sigilli nostri impressione, minus etiam idoneo Legato, ei transmiseramus. Sed cum jam totius Britanniæ voluntatem probare curavimus, omnes abnuerunt, nolentes nos adire orationem Apostolorum Petri et Pauli ceterorumque fidelium, pro eo quod pagani intrinsecus injuste vastant omnes terminos nostræ potestatis. D

mittentis ei dona,

32 Et ideo considerans meorum peccaminum gravitatem, et reminiscens bonitatem Dei, precor almipotentiam vestræ dignitatis, ut hoc munusculum placide in persona supradictorum Apostolorum dignetur aspicere, hoc est statuam auream nostræ magnitudinis, tam in altitudine quam in latitudine, cum lapidibus diversi generis, et mulum cum sella et camo et fræno valentem, et triginta camisias et triginta drapas laneas, variis coloribus tinctas; cum E triginta cervinis pellibus et triginta pallia pedalium ad opus domesticorum vestrorum; trecentos quoque solidos denariorum, quotannis deinceps persolvendos, quatenus dignitas a prædecessoribus vestris, antecessoribus nostris impensa, nobis nostrisque successoribus auctoritate vestra confirmetur in secula. Hæc omni vestræ dignitati vilia, putantes, mementote viduæ pauperculæ, in templo Domini duos denarios offerentis; et interim innotescere vestræ largifluæ almitati (per has litteras, per hos geminos nuntios, hoc est Harennam episcopum et Felicem archidiaconum, ceterosque fideles nostros, qui in nostra sunt præsentia) voluimus, quod unum ædificem monasterium, quod adhuc in honorem alicujus Sancti non est dedicatum. Quocirca sublimitatem vestræ dignitatis precamur, ut Reliquias, quas a vobis et plurimis jam probatas (auxiliante Deo) digne possidetis, et quibus nostra insula melius in Christo favente possit illuminari; nobis cum his legatis transmittere dignemini.

et petentis sacras Reliquias.

33 *Aliud plane monasterium sit oportet, de quo hic mentio fit, ab illo, de quo in priori diplomate, ædificato in palatio Regis in Plebelanio. Illud enim jam dedicatum erat Salvatori: hoc autem* in honorem alicujus Sancti nondum erat dedicatum. *At videamus quoque epistolam, quam Hadrianus Papa remisit ad litteras Salomonis, hoc tenore:* Dilectissimo filio amantissimoque Salomoni regi Britonum, cum omnibus suis fidelibus; Adrianus gratia Dei Papa, perennem salutem. Sublimitas vestræ potestatis intelligat, nos veraciter per inducias septem dierum a Deo postulasse condignum vestræ magnificentiæ responsum: transactis autem septem diebus, nobisque omnibus Romanis in oratione et jejunio perdurantibus, visum est mihi tribusque Cardinalibus meis, Spiritu sancto revelante, ut de corpore beati Leonis Papæ vobis transmitterem: quia grande munus est. F

Respondet Papa

34 Igitur notum sit vobis, Fili carissime, et omnibus Christianis illic habitantibus; quod nos cum nostrorum auctoritate, brachium supradicti Leonis Papæ ad illum; et adjutorium, ad defensionem vestræ regionis, caritative dirigamus. Pro certo enim per illum probavimus, multa [Deum] fecisse miracula, ut fides nostra magis ac magis in illo accrescat. Ipse est sanctissimus Leo, qui per invidiam Romanarum, oculis linguaque privatus, gratia Dei cooperante, fuit mirabiliter restauratus, quatenus

mittens brachium S. Leonis.

A quatenus septempliciter eis oculis clarius videret, et eadem lingua verbum Dei eloquentius prædicaret. Et ideo auctoritas Romana in hoc de Deo præsumit. ut a Ligeri fluvio usque ad occidentalem plagam [habitantes,] quos aut ætas aut sexus aut persona impedit, tribus vicibus Reliquias illius in anno frequentent, et inde votum Romam eundi, quoad vixerunt, nostro libitu et auctoritate adimpleant. Pallium quoque, quod fratri et coepiscopo nostro Festiniano postulastis, cum suo privilegio, vestræ dirigimus caritati. Valete in Christo, fideles Britanniæ habitatores.

35 *Quæ in his de Salomone leguntur, plana sunt. Quæ ad pallium, episcopo Dolensi a Nicolao Papa* amotum, *et quæ sequuntur, spectant, uti et alia nonnulla; aliis explicanda relinquo. De Salomone post annum* DCCCLXIX *in antiquioribus monumentis nihil singulare reperio, usque ad annum* LXXIII; *quo constat Andegavos, a Nortmannis insessos, a rege Carolo fuisse obsessos, ab eoque vocatum in auxilium regem Salomonem, ut qua parte fluvius Meduana urbem versus Britanniam alluit, ipsam coarctaret, Carolo reliquam trans flumen obvallante. Acriter utrimque institum est ab obsidentibus, nec minus acriter restitum* B *utrisque ab obsessis. Audiamus chronicon S. Sergii Andegavensis hac de re apud Argentræum, nec non apud Duchenium* : Carolus; castris in circuitu positis, civitatem obsidione cinxit : et qua Meduana fluvius a partibus Britanniæ murum alluebat, Salomoni Britonum regi mandat, ut contractis auxiliis citius adventaret, ut communem hostem communibus viribus expugnarent : qui assumptis secum multis Britonum millibus, super Meduanæ fluvii ripas tentoria fixit.

Anno 873 obsidet Carolus Andegavum,

vocatoque in auxilium Salomone,

36 Igitur ex omnibus partibus urbs obsidione circumdatur, multis diebus undique summa virtute dimicatur; nova et exquisita machinamentorum genera applicantur; sed conatus Regis prosperitatis effectum non obtinuit : quia et loci facies non facilem præbebat accessum, et paganorum valida manus, quia pro vita eis res erat, summo conamine resistebat: exercitus autem immensæ multitudinis, cum longo obsidionis tædio et gravi pestislentiæ morbo attereretur; cernentes Britones, urbem inexpugnabilem esse, conati sunt fluvium a suo alveo deviare, ut exsiccato naturali meatu, naves Normannorum invadere possent. Cœperunt itaque fossam miræ magnitudinis ac latitudinis aperire. Quæ res tantæ formidinis metum Normannis injecit, ut absque dilatione ingentem pecuniam Carolo pollicerentur, si C soluta obsidione ex suo regno liberum præberet egressum. *Atque ita recuperatæ urbis gloria Salomoni ejusque Britonibus adscribenda venit præcipue.*

ope Britonum urbem capit

37 *Non lubet attendere quæ hic disputat Argentræus de epocha prædictæ obsidionis, cum satis constet, tum ex principio adductæ relationis, tum aliunde, aliam non esse quam annum* DCCCLXXIII; *quod et fatetur tenetque ipse; atque ita dein pergit :* Baldricus archiepiscopus Dolensis, qui illis fere temporibus (*imo post duo secula*) vixit, amplius aliquid adjungit prædictæ relationi, cujus alii scriptores non meminerunt. Videlicet, Carolum Calvum, ut compensaret beneficium, in recuperatione urbis per Salomonem acceptum; remisisse illi, quod suum esse prætendebat supremum Britanniæ dominum, concessisse coronam auream titulumque regium, permisisse institutionem ecclesiæ Dolensis in thronum archiepiscopalem, ac impertiisse jus cudendi monetam auream et argenteam, quod Carolus magnus et Ludovicus filius Imperatores, negaverant Principibus Britanniæ deberi. Hæc Baldricus uti recte poterat novisse, ita et scripsit in chronico ecclesiæ S. Sampsonis Doli, ubi fuit Archiepiscopus.

anno 873,

38 *Potuerit illa novisse facta esse; potest tamen* D *errasse in anno, quo facta sunt, utpote duobus minimum seculis posterior, quemadmodum alii in hoc errarunt chronologi. Fatetur etiam Argentræus, alios scriptores, narrantes obsidionem urbis Andegavensis, concessarum Salomoni a Carolo prærogativarum non meminisse; citavimus autem nos num.* 21 *Annales Francorum, qui illarum prærogativarum meminerunt ad annum* DCCCLXVIII; *atque num.* 23 *et sequenti, respondimus ad similem huic Baldericianæ narrationem, a Sirmondo inventam in monasterio S. Michaelis : ad quæ lectorem remitto.*

AUCTORE C. J, ante quem Salomon titulum Regis habuit.

§ V An monitus fuerit Rex a synodo Saponariensi. Abdicato regno recipit se in solitudinem, et occiditur.

A*ntequam hinc procedat Argentræus ad describenda, quæ supersunt, gesta Salomonis ejusque mortem, interserit Caput* XXX *sub hoc titulo :* De falsa quadam monitione, quam nonnulli scriptores memorant factam esse Salomoni Britanniæ regi. *Agit ibi Auctor nominatim contra Joannem de Tillet, Regi Christianissimo olim a secretis et Tabularium curiæ Parla-* E *menti Parisiensis; qui scripserat, synodum ecclesiasticam tempore Salomonis regis fuisse celebratam anno* DCCCLIX, *apud Saponarias prope Tullum; in qua collecti præsules,* monuerunt Salomonem, qui (uti Tilletus quidem ait) fidelitatem juraverat regi Carolo, ut illam, redeundo ad obedientiam, præstaret; utque recordaretur, Britanniam Francis ab initio subjectam fuisse; additis minis, si secus faceret, futurum ut excommunicatione aliisque censuris ipsum ligarent. *Ita Argentræus; et mox accingit se ad illa refutanda.*

Salomonem a synodo Tullensi an. 859 *monitum fuisse,*

40 *Interim apparet, producta ex Tilleto, sumpta esse ex Capitulo* 3 *et* 4 *commonitionis, quam synodus antistitum Franciæ, anno* DCCCLIX *ad Saponarias habita, ad episcopos Britanniæ misit, insinuandam eorum regi Salomoni. Et hæc omnia hic disci possunt ex* § 1, *num.* 8 *et* 9, *ubi et capitula commonitionis extensa sunt. Refutatio Argentræi primum aggreditur illud,* ab initio *Britanniam Francis fuisse subjectam. Sed hæc nostri fori non sunt. Deinde negat, posse Salomonem regem a synodo prædicta commonitum fuisse; quia, ait, tunc temporis adhuc regnabat Nomenoius; et Salomon non nisi septimo demum post anno regnare cœpit; earumque rerum testes advocat Reginonem et Sigebertum. Hæc si vera sunt, obtinuit Argentræus cau-* F *sam contra Tilletum, et simul destructa est, quam hic ordinavimus nos, chronologia, quod nolim credere aut credi, quamdiu graviora non producuntur argumenta.*

refutare conatur Argentræus;

41 *Epistolam synodi Saponariensis anni* DCCCLIX, *ad quatuor episcopos Britanniæ, additamque commonitionem ad Salomonem regem, genuina et proba synodi illius scripta esse, nemo, quod sciam, negavit hactenus : dum autem in illis Salomon dicitur* Britannorum dominationem invasisse; *et,* Britannorum tenere regionem, *aliaque supremæ potestatis manifesta reperiuntur indicia; concipi non potest, Nomenoium aut Erispoium tunc temporis adhuc regnasse. Atque hæc synodi contemporaneæ duodecim provinciarum; per litteras monentis Salomonem, rerum apud Britones potiuntem, auctoritas præponderabit utique auctoritati Reginonis, Sigeberti et aliorum, qui posterius scripserunt; et, quod attinet ad annum obituarium Nomenoii et Erispoii et Salomonis, hujusque principium regni, ne quidem inter se concordant auctores illi, aliis alia tempora signantibus. Sed frustra hæc pluribus disputemus hoc loco, quæ supra satis superque stabilita sunt, adversus Argentræi chronotaxin. Transeamus ad reliquam de Salomone historiam,*

sed frustra.

A AUCTORE C. J. *Incipit ipsum tædere dominationis,* 42 *Hanc ita tradit Argentræus cap.* 31 : Sub hoc tempus post captos Andegavos, Salomonem, qui piissimus et religiosis exercitationibus addictus erat, tædere cœpit dominationis et negotiorum mundanorum, simul desiderium incessit vacandi sanctioribus studiis rerumque æternarum meditationi. Hinc deliberato constitutum habens animo, defungi imperio et in monasterio aliquo se includere, accersiri jubet primores regni suosque ministros et consanguineos, tum ecclesiasticos, tum seculares ; afferensque in medium quod animo meditabatur, dixit, se Regem suo tempore recuperasse quidquid ditionum decessores sui possederant, interim experientia didicisse, nihil esse in hac vita minus desiderabile quam regiam dignitatem, homines tamen qui experti non sunt, et plerumque ad regendum minus sunt apti, talia appetere ardentius ; quippe qui tantum considerant quæ foris apparent, splendorem, honorem, magnificentiam : at vero intus omnia esse plena ægritudine animi, solicitudine, timore ac tædio : et quibus contingit talibus involvi dignitatibus, illos sæpenumero cogi, ut dignitates oblatas tueantur, agere quæ displicent Deo et ipsismet. B Neminem posse comprehendere, quantum illud fastidii molestiæque afferat homini Deum timenti, cupientique voluntati ejus obtemperare in omnibus. Se, inquiebat porro, regiam dignitatem quondam concupivisse, et annis aliquot gessisse, nunc vero ejus fastidio affici tanto, ut decreverit exuere se omnibus quæ regis sunt : et hanc ob rem se illos convocasse.

illamque resignans, 43 Sunt qui scribunt, providum Regem, considerantem, accidere sibi posse, quod exemplo ipse præierat, eo hæc omnia direxisse, ut filium suum Wigonem curaret coronari regem, metuens ne forte nepotes Nomenoii talionem de se sumerent. Et vero, quia rigidus morum censor erat, vindexque delictorum, severe invigilans in observationem legum statutorumque, multorum sustinebat odium. Superstites quoque erant adhuc aliqui ex episcopis, pridem in exsilium missis et non restitutis, qui non cessabant avertere subditorum animos, ubiubi poterant, a Rege ; ac modo unum, modo alium instigabant ad vindictam : nec plures ex primoribus Regi perstitere fideles, quam episcopi duo totidemque comites: reliqui per clandestina consilia factiosorum, qui nolebant, regiam potestatem in familia Salomonis C propagari, corrupti erant. Factionis istius antesignani fuerunt Pastenetheri, aliis nominatus Pasquitan, filius Nomenoii ; et Gurvant, aliis dictus Urfean ; ambo patrueles Salomonis.

secedit in monasterium, 44 Hic interim sponte sua secessit in monasterium, palatio suo vicinum, prope Plebelanium ; ubi aliquanto post obsessus fuit a factiosis, et filius quidem ejus ab illis comprehensus est ; ipse vero tunc quidem se illorum violentiæ subduxit. *in quo a factiosis occiditur,* Postridie vero persecuti ipsum sunt, et conatum salvare sese in exiguo monasterio, comprehenderunt tradideruntque in manus quorumdam Francorum, ejus inimicorum, quorum unum Aimoinus vocat Fulgoaldum ; qui oculos ei eruerunt atque ita tractarunt, ut postridie inventus sit mortuus. Factum hoc est anno DCCCLXXIV, teste Reginone. Chronica Redonensia notant annum DCCCLXXVI. Corpus ejus, uti constituerat, depositum fuit in ecclesia sancti Salvatoris in Plebelanio.

45 Alii scribunt, cæsum fuisse Brivatibus seu Brestæ, in loco, qui deinceps vocatus fuit lingua Britannica, Merzer Salaun, id est, Martyrium Salomonis. *et miraculis fulget.* Qui temporibus illis vixerunt, reputaverunt ipsum tam sanctum esse, ut patraret miracula, testanturque in obitu ejus plura apparuisse signa mirabilia. Ecce finem Regis et regni. Imperator Carolus Calvus tunc vivebat adhuc, morabaturque D Compendii, quando ei nuntius de morte Salomonis allatus fuit, sine ejus ægritudine animi aut sensuum dolore. *Huc usque ex Gallico Argentræi.*

46 *Subjungo quæ de ejusdem cæde scribunt Annales Francorum Bertiniani ad annum* DCCCLXXIV, *quo vere obiit :* Salomon, dux Britonum, qui nuntiabatur dubiis nuntiis, quandoquidem (*id est quandoque*) infirmus, quandoquidem mortuus, certa relatione *Alia cædis descriptio,* Carolo apud Compendium nuntiatus est hoc ordine mortuus. Videlicet insecutus a primoribus Britonum, Pascuitan et Vurnahat, Wigon filio Rivelin ; nec non et Francis hominibus, quos valde afflixerat : et capto ac custodiæ mancipato filio ejus Wigon, fuga lapsus, in Paucherum secessit ; et quoddam monasteriolum ingressus, ut se liberare valeret, circumventus a suis, quod a nemine Britonum quidquam mali sustinere deberet ; traditus est Francis hominibus Fulcoaldo et aliis : sicque ab eis excæcatus, in crastinum mortuus est repertus.

47 *Annum, quo cæsus est Salomon, eumdem* DCCCLXXIV *signant apud Labbeum duo chronica ; alterum Andegavense,* Salomon Rex Britonum a suis *illatæ an. 874.* interfectus est IV Kalendas Julii ; *alterum montis S.* E *Michaelis, quod cum ad annum* DCCCLXIX *sic notasset ;* Salomon rex direxit Romam Adriano Papæ statuam auream cum multis aliis donariis ; *consignat continuo ad annum* DCCCLXXIV *ejusdem cædem.*

§. VI. Gesta circa cædem S. Salomonis.

Ex Gallico Alberti De Morlaix.

Albertus ille, qui præter Argentræum in conscribenda Salomonis vita, etiam Annales Britanniæ Alani Bouchard præ oculis habuit, copiosius, quæ post allocutionem Regis ad Proceres de resignando imperio gesta sunt, pertractat : annumque mortis ejus recte statuit *Rex deposita corona solitarie vivit sibi ac Deo.* DCCCLXXIV, *quamvis in præcedentibus gestis bonum chronologum secutus non sit. Transferamus ex ipso in Latinum quæ huc spectant.* Totus, *inquit num.* 9, Procerum conventus, audita Regis allocutione, nequivit temperare a fletu ; acceptaverunt tamen resignationem et gubernacula regni, et Rex dimisso consessu, sese recepit in castrum suum Brecilianum, incoluitque ibi exiguum eremitorium, extra ambitum castri extructum transegitque ibidem reliquum ætatis, solitarie sancteque vivendo sub disciplina et directione religiosorum monasterii sancti Salvatoris F in Plebelanio.

49 *Pergit num.* 10 : Rex Salomon, postquam vixerat in ista solitudine annos duos (*in computu nostro vix unus universim invenietur*) cupivit, filium *Ne filius ejus Rex fieret,* suum, principem Albigeonem annos octo jam natum, coronari regem, eaque de re agebat cum principibus viris, qui se visitatum veniebant. Interea propinqui et familiares cæsi pridem regis Erispoii, qui perpetuum fovebant in sinu suo odium contra Salomonem, ubi perceperunt agi de coronando ejus filio adolescentulo, rege, timentes ne regia dignitas in ejus progenie firmaretur, statuerunt e medio tollere et Regem et filium. Quamobrem, ut securius quod conceperant exsequerentur, clanculum *conspirant Nobiles in utriusque necem.* convenerunt præcipuos quosque regni principes, quos noverant Regi minus benevolos esse ; nec difficile illis fuit plures trahere in partes suas. Nam Rex, ut erat egregius justitiæ vindex, severusque morum, illo tempore valde corruptorum censor ; solicite curans observari leges, puniensque delinquentes ; hisce moribus, ob quos maxime laudari et amari debebat, odium incurrerat multorum, qui dudum pertæsi erant dominationem ejus ; rerumque novarum, si occasio ferret, videbantur studiosi fore

50

A 50 Inita igitur conjuratio est, cujus auctores præcipui fuere, principes Pastheneten, comes Leonæ, et Vurfeant, comes Goelæ, fratres defuncti Regis Erispoii, et patrueles sancti regis Salomonis; qui tam dextre egerunt rem suam, ut præter duos comites et duos episcopos, nemo in fide Regis perstiterit; quod ipsis occasionem dedit exsequendi quantocius consilium suum; eoque collegerunt cohortem sceleratorum hominum et quidvis aggredi audentium; quibuscum nocte, diem XXIII Junii, quod pervigilium est S. Joannis Baptistæ, subsequente, processerunt armati Brecilianum atque ad eremitorium Regis, nihil minus, quam quod illi, cogitantis: et sub mediam noctem eo progressi tentaverunt effringere portam, ut conceptum homicidium patrarent. Verum Deus, qui singularem electorum suorum curam habet, non permisit ipsum opprimi de improviso, sed spatium concessit, quo se disponeret ad mortem. Appropinquantibus quippe eremitorio ejus conjuratis, tanta ilico lucis claritudo locum divinitus circumfulsit, ut obtenebraret oculos aggressorum, et quamvis conarentur pluries eo intrare, numquam potuerunt pertingere ad portam. B Ex quo consternati, receperunt se sub ortum diei in castrum quoddam vicinum unius e conjuratis, novaque ibi ceperunt consilia, quid foret opus facto.

progressique ad eremitorium Regis,

divinitus prohibentur eo intrare,

51 Inter hæc monitus Salomon quid gereretur, debilitato per spontaneas castigationes, infirmoque, ut erat, corpore, recepit sese inde ad monasterium sancti Salvatoris in Plebelanio, quo se melius pararet ad implendam omnem Dei de se voluntatem. Ubi vero innotuit conjuratis fuga Regis, simul cognoverunt clandestinas machinationes suas nihil sibi profuturas, statueruntque aperto marte illum aggredi: atque adeo obsederunt prædictum monasterium undique, et vim intulerunt. Verum, quod meritis et precibus religiosorum virorum, ibi Deo famulantium, adscribi potest; quoties monasterii septis appropinquabant, toties mirabiliter repulsi sunt: id quod animos omnium quidem consternavit vehementer; nonnullos vero ita exterruit, simul et illuminavit, ut agnoscentes, Deum pugnare pro Sancto suo, ipsi suam perfidiam detestati, atque in domos suas reversi sint. Attamen hæc omnia nequiverunt conjurationis principes revocare a male cœptis. Apertam vim in astum verterunt. Subornarunt unum suæ factionis episcoporum, qui Regem accederet peteretque omnium nomine veniam et oblivionem præteritorum: fore se deinceps veros Britones et subditos ejus fideles: permitteret modo, C se ad ipsum invisere, reverentiæ exhibendæ et gratiæ ejus coram requirendæ causa.

ubi et in monasterium quo Rex fugerat,

fingentes factorum suorum pœnitere,

52 Admisit benignissime accedentem ad se episcopum Rex, auditaque ejus legatione, respondit, se illis condonare ex toto corde; accederent ad se securi; se omnes in gratiam recipere, et expeditūrum tabulas oblivionis æternæ, talibus conceptas terminis, qualibus ipsi vellent. Episcopus, gratiis Regi demisse actis, parabat abire, cum Rex; Heus, inquit, te rogatum velim, ut prius mihi impertias sacrosanctam Eucharistiam. Quo facto revertit ad conjuratos suos episcopus: et illi continuo se dederunt in viam cum manu militari, atque ingressi ecclesiam, invenerunt Regem in choro precantem Deum; qui prompte erexit se et consedit in sella sua, ut accedentibus aures daret. Illi vero nulla salutatione præmissa, cœperunt ipsi exprobare cædem regis Erispoii patruelis sui, adjectisque sexcentis injuriis, denuntiarunt ei, adesse horam, qua crimen illud suum suo sanguine expiaret. Ad hæc aliud a Rege responsum non est, quam; Fiat voluntas Dei.

admittuntur a Rege

eumque maximis injuriis incessunt,

53 Sub hæc comprehenderunt principem Albigeonem Regis filium, adductumque in conspectum patris, ibi crudeliter trucidarunt. Deinde injecerunt manus sacrilegas in Regem, detractumque de sella sua prostraverunt humi, et contumeliose pugnis calcibusque a se percussum, tradiderunt in manus cohortis militum Francorum, qui arcte vinctum traxerunt in pronaon, ibique filius ejus luctricus, quem e fonte baptismali susceperat, ei oculos eruit, jactavitque per pavimentum, et pedibus calcavit; denique, post alia multa supplicia, pio Regi caput amputarunt: atque ita anima ejus benedicta evolavit in cœlum die XXV Junii, anno gratiæ DCCCLXXIV, regni ejus VIII (*imo* XVII.) Postquam inde recesserunt homicidæ, collegerunt Monachi Plebelanienses corpora Regis ac filii ejus, et sepeliverunt in ecclesia sua, proxime Reginas Guihenerec et Cæciliam, uxores Regis; ac justa eis solenniter persolverunt. D

AUCTORE C. J. filioque in conspectu patris trucidato,

ipsi oculos evellunt, caputque abscindunt.

54 *Hæc Auctor ille: quæ ut facta sic esse possint omnia, firmiore tamen crederentur fide, si antiquiores fontes, unde hausta sint nonnulla, quæ apud alios non leguntur, indicasset: quemadmodum indicavit, diversas esse scriptorum opiniones de loco, ubi Rex cæsus sit; dum in margine notat, Argentræum scribere* (*locum nos quoque ex illo produximus initio num.* 45) *aliquorum relatione, occisum fuisse Regem prope Brivates, in loco qui Britonibus dicitur*, Merzer Salaun, *quod interpretatur*, Martyrium Salomonis. *Tum ipse De Morlaix porro sic pergit:* In loco isto nunc spectatur ecclesia S. Mariæ de martyre, quam Britones appellant, An Itroun mari ar Merzer, in parecia vulgo Plou-Diri diœcesis Leonensis, una distans leuca ab urbe Landt-Tornok, quinque autem a Brivatibus: crediturque traditione, patrum sermone transmissa ad posteros, quod ara princeps jam dictæ ecclesiæ in ipso stet loco, ubi sanctus Rex fuit occisus. E

Ubinam loci occisus sit Sanctus

55 *Est locus iste tota fere Britannia divisus a Plebelanio ac monasterio sancti Salvatoris; et tamen incertum est ex diversitate sententiarum, utro Rex fuerit interfectus. Scribit quoque Argentræus ex Anonymi Bertiniani Annalibus Francorum, Regem postridie quam ei fuerant eruti oculi, inventum fuisse mortuum; scribit vero De Morlaix, erutis oculis, ei caput amputatum fuisse. Illi dicunt vivente adhuc Rege, filium ejus fuisse captum et custodiæ mancipatum; hic vero, in conspectu patris fuisse trucidatum. Primi ipsum vocant Wigonem; posterior, Albigeonem. Hæc et alia velim nobis conciliari a Britonibus ex domesticis veteribusque monumentis; ut sic major gloria accrescat veritati et sancto Regi: cujus gesta, prout apud citatum Anonymum, Annales suos in anno* DCCCLXXXII *finientem, leguntur, et a nobis suo quæque loco descripta sunt; existimo ceteris certiora esse: et quæ ab illis notabiliter diversa referunt recentiores absque antiquorum auctoritate, non posse firmam mereri fidem.* F

56 *Superest de die, quo cæsus, ad cœlum evolavit Sanctus* (*de anno enim jam dictum est*) *pauca addere. De hoc tacet Argentræus. De Morlaix ponit diem* XXIII *Junii, quo conjurati primum aggressi sunt Regem in eremitorio suo; die vero* XXV *ponit occisum; eodemque die vitam ejus proponit legendam: chronicon tamen Andegavense diem notat, qua a suis interfectus sit,* IV *Kal. Julii; quæ Junii dies est* XXVIII. *Uter alteri hic præferendus sit scriptor, quis dicet? Chronicon antiquum est, pertingens usque ad annum* MLVIII. *De Morlaix, quia duplicem temporis distinctam exhibet notam, aggressionis et occisionis, dubitari non debet, quin apud antiquiores illa repererit: ideoque et nos putavimus, ipsum nobis hic sequendum esse, donec certiora proferantur; eoque securius, quia diem illum ecclesia quoque Venetensis festo sancti Regis celebrando præscripsit per officium proprium; ex quo hic accipe Lectiones secundi Nocturni.*

et quo die.

ACTA

A

ACTA

Ex Proprio Sanctorum Venetensium, anno MDCLX *impresso.*

Salomonis studia pietatis, LECTIO IV. Salomon minoris Britanniæ rex, nomine tertius, pietatis studiis in primis deditus, Ecclesiam sibi frequentibus demeruit officiis. Cœnobium extruxit ordinis S. Benedicti, in quod religiosos viros induxit, quorum consilio publicis negotiis prospiciebat : cumque multos annos feliciter Armoricæ imperasset, ejus uxore fato suo functa, statuit imperium abdicare, ut reliquum vitæ in solitudine duceret : ideoque comitia condixit, edixitque, abire se velle potestate regia, ut tempus quod supererat, *abdicatio regni;* Deo impenderet; et obtestatus est regni Proceres, ut curam rerum susciperent donec adolevisset filius : proculque ab hominum consortio in locum quemdam, non longe a monasterio, quod condiderat distantem, abiit.

2 LECTIO V. Tum vero magnates Rempub. capessunt, judicia exercent, et dynastæ quidam propinqui Salomonis (penes quos summa rerum antea fuerat, qui regnum in ipsius prolem propagari, ferre non poterant; cum optimatibus, quos insitum jam diu Salomonis tenebat odium, quod nefarios eorum mores redarguisset) vim parant et interitum ejus; domumque, in qua jacebat febri æstuque jactatus, circumstant : verum perterriti splendore quodam, qui totum locum collustrabat, hominem adoriri non audent. Tum ille in monasterium, saluti suæ consulens, devehendum se curavit : quod tamen paucis post diebus circumsistunt.

B *cædes intentata,* *sed divinitus impedita,*

3 LECTIO VI. Sed cum vi irrumpere non possent, episcopum quemdam in partes suas trahunt; cui fidens Salomon, sumpto prius ejusdem manibus sacrosancto Eucharistiæ Sacramento, impios homines, quorum jam rabiem deferbuisse renuntiaverat, in ædes introduxit; moxque irruunt in eum, variisque affectum probris, effossis etiam oculis, sævissime trucidant. Sancti anima, ad superos VII Kal. Julii evecta, corpus in monasterio honorifice conditum est. Insequente vero nocte lux multa locum, in quo mactatus fuerat, circumfulsit; commotusque tanto fulgore pius quidam vir, basilicam ibidem erexit, pluribus miraculis celebrem.

tandem illata *et miraculis illustrata.* C

NOT. 7

Pag. 84 *n.* 8 ℣ 4 Nicolai de Adrichem abbatis *(Quæ exinde sequuntur toto numero isto, deleantur et sequentia substituantur)* — *anno* MCCCCLXXXI *vita functi. Extat chronicon illud apud nos; et meliori charactere apud prænominatum Adrianum Westphalen, exemplo non uno, manu exaratum; estque diversissimum ab eo, quod nupero seculari anno* MDCC *Lugduni Batavorum typis vulgavit suisque notis amplissime illustravit* Antonius Matthæus, *multis per typos editis libris clarus; atque in nos, singulorum, bene compactorum, donatione beneficus. Inter hos Tomus* IV *veterum Analectorum, complectitur* Chronicon Willelmi monachi et procuratoris Egmundani, *ab anno* DCXLVII *ad* MCCCXXXIII *deductum; cujus tamen pars prior usque ad annum* MCCVI, *vetustioris istique anno contemporanei Auctoris est, anonymi quidem, sed in eodem monasterio Egmondano monachi. Quod inde usque ad annum* MCCCXXXIII *excurrit, supplevit Willelmus, sub cujus solius nomine totum est editum.*

Chronicon Egmundanum an. 1700 editum

9 *Hoc Chronicon,* Egmundanum *dici non potest, nisi quatenus a monachis Egmundanis concinnatum sit. Dici rectius debet* universale, *quia res non tantum Egmundæ et in Hollandia, sed tota fere Europa gestas pertractat. Chronici vere Egmundani collector, Joannes a Leydis, præ oculis habuit duorum jam dictorum* *Egmundensium monachorum scripta, atque inde quæ ad Egmundam ejusque Abbates attinent, descripsit, reliquis rescissis; aliaque multa adjungens, uberiorem fecit historiam, cujus initio varia de gestis* S. Adalberti *contexuit; sed quæ hic prætermittenda censemus, quia vitæ, quam subjicimus, cedunt vetustate et auctoritate : tantum describo quæ monachus Egmundanus antiquior et anonymus compendio sic refert ad annum* DCXCIV : S. Adalbertus in loco, qui dicitur Egmunda, usque ad obitum suum apud quemdam Eggonem, usque ad tempus Caroli Bellicosi Ducis *(intelligit Carolum Martellum)* mansit, et totam regionem ad Christianam fidem ex magna parte perduxit, in eademque villa sepultus est : super cujus sepulcrum fideles ecclesiam construxerunt, quam a Danis sæpius constat esse destructam : [sed] Deo præordinante cum providenti gratia, inibi semper aliquis remansit, qui corpus honesti viri honeste servavit. Nec mirum si humanis honorabatur obsequiis, qui innumeris miraculorum signis coruscabat.

multum differt ab altero, D *quod est Joannis a Leydis.*

ADMONITIO

NOT. 8

AD ACTA S. GUILIELMI ABBATIS, *INSTITUTORIS EREMITARIUM MONTIS VIRGINIS.*

E

P*apebrochius tomo* VII *Junii a pagina* 97 *egregiam collocavit operam in illustrandis sancti hujus* Guilielmi *Actis secundum documenta, pridem publicata per religiosos viros ejusdem sacri Ordinis, Felicem Rendam anno* MDLXXXI, *et Joannem Jacobum Jordanum ejusdem congregationis abbatem anno* MDCXLIII, *aliosque. Vitam quoque Viri sancti impressit prout ab eodem Jordano ex MS. edita fuit, tamquam* a Joanne a Nusco Sancti discipulo *conscriptam, inscriptamque alii ejusdem Sancti discipulo et in regimine monasterii sancti Salvatoris in civitate Nuscana successori,* Jacobo *nomine. Quæ tamen a Jordano asserta ita credidit, ut in Commentario prævio num.* 3, non potuerit dubitare, an non alius posterior abbas Jacobus, adeoque et Joannes scriptor vitæ, intelligi posset. *Et continuo dubitationis suæ causam subjungit,* quia *vitæ scriptor* num. 37 profitetur, ea omnia quæ narrat, se didicisse ex altero sibi cognomini Joanne de Nusco, uno ex primis S. Guilielmi in Virgineo monte discipulis.

Auctor vitæ S. Guilielmi an sit Joannes a Nusco,

F *dubitari potest.*

2 *Potuerat P. Papebrochius dubitationis suæ causam confirmasse ex num.* 20 *ejusdem vitæ, ubi hæc leguntur :* Inter miracula quoque, quæ per venerabilem virum Guilielmum omnipotens Deus operari dignatus est, hoc memorabile priscorum solertia nostras devenit ad aures. *Si* priscorum solertia *venit ad aures scriptoris, non debet ipse aut socius aut discipulus S. Guilielmi fuisse : qualis dicitur fuisse Joannes ille a Nusco, sub cujus nomine vita circumfertur. Imo cum in vita S. Guilielmi agatur de morte ejus, qua signatur ei accidisse anno* MCXLII; *multo minus potest illam scripsisse Joannes prædictus, qui legitur triennio ante S. Guilielmum ad cœlos migrasse, videlicet anno Christi* MCXXXIX.

3 *Interea postquam tomus noster quintus Junii anno* MDCCIX *iverat in lucem, missus ad nos fuit post quadriennium liber Italicus, biennio ante tomum illum nostrum impressus* Genuæ MDCCVII *sub hoc titulo :* Discursus critici super Historia vitæ S. Amati presbyteri et primi episcopi civitatis Nuscanæ..... per D. Franciscum Noia, archipresbyterum Cusanum. *Auctor se monstrat et curiosum et eruditum, interque alia plura discurrit super vita* S. Guilielmi *ejusque auctore* Joanne de Nusco, Sancti discipulo; *quem negat et vitam scripsisse et Sancti discipulum fuisse. Dubitavit quidem de illa Papebrochius, uti patet*

Negat recens scriptor;

A *patet ex citato hic ejus loco num.* 1; *verum cum alia antiqua illarum regionum instrumenta, illa de re non haberet, quam quæ ex Monte Virginis submissa aut ab incolis ejus pridem impressa fuerunt; satius habuit illa, quæ passim recepta erant, illustrare, ut potuit; quam non sat solidis argumentis reprobare.*

contra quem promittitur apologia, 4 *Nunc autem, tum ex mea observatione, tum maxime ex prædicto libro occurrunt varia, quæ correctione indigeant; quod hic fateri et monuisse sufficiat. Quo minus autem hic et nunc corrigam, faciunt litteræ aliunde submissæ, quibus promittitur responsio ad Discursus criticos prædictos evulganda. Dat enim sæpe vexatio intellectum, et quod congregatio Montis Virginis, contemplationi magis quam studiis litterarum secundum institutionem suam addicta, dum in pacifica rerum suarum possessione fuerunt, non fecerint; nunc verosimiliter præstabunt, perscrutando antiqua monasteriorum suorum archiva; inde prolaturi varia, quæ nuper objecta solvant, aut cum vera historia concilient. Quamobrem expectabimus nos Responsionem promissam, ne parte inaudita altera, statuamus aliquid, quod possit alterutrius partis causæ aut veritati obesse.*

NOT. 9 *Pag.* 126 *col.* 2 *inter Prætermissos, ubi de* Joanne B Heckio, *adde ad calcem — describitur tamquam passi hoc die* XXVI *Junii, quamvis a Chrysostomo van der Sterre referatur ad diem sequentem, alterutrius errore.*

De S. Decentio. *Ibidem post* Joannem Heckium — *isthæc insere :* S. Decentii episcopi et confessoris Natalis Sanctonibus, cujus venerabile corpus, ob persecutionem paganorum Arvernos deportatum, requiescit in cellula, quæ Argedis nuncupatur, ubi Deo annuente multorum signorum miraculis claret *: Ita codex Caudiacensis. Nihil de illo hoc die apud alios martyrologos invenio; an alio colatur, mihi ignotum est. Videtur ad* XXVIII *Octobris referri non debere, quo colitur* S. Decentius martyr *Pisaurensis in Italia (Ferrarius etiam* episcopum *facit) cum fratre suo* S. Germano diacono.

NOT. 10 *Pag.* 145 *Appendicem* de translationibus corporis S. Maxentii *sic ordire —*

1 *Distinguenda sunt monasteria duo in Britannia* D *Armorica,* Sancti Salvatoris *nomine appellata, alterum ad confluentes Dutuli et Vicenoniæ, ubi nunc urbs Roton seu Rodonum, et extructum fuit a S. Conwojone. Cum vero locus iste obnoxius esset incursibus piratarum Normannorum et monachi cogerentur alio fugere; convenit idem Conwojon Salomonem Britanniæ regem, petiitque ab eo locum refugii, ac obtinuit aulam regiam in Plelan seu Plebelanii, ibique ei Salomon etiam monasterium fundare tunc cœpit, sub eodem titulo sancti Salvatoris dictum; quod anno demum* DCCCLXIX *perfecit rogatu Richardi sive Ritcandi, abbatis sancti Salvatoris Rotonensis post devastatum a Normannis illud monasterium, uti discimus ex Actis S. Salomonis, ac litteris fundationis ejus anno* DCCCLXIX *datis, et supra pag.* 689 *hujus tomi productis. Interea obierat Conwojon anno superiori, sepultus in ecclesia sancti Salvatoris Plebelanii, eoque illatum fuerat corpus S. Maxentii, unde et monasterium S. Maxentii appellari cœpit, quamvis et Salomon fundator suum ei nomen imposuerat, ut diceretur monasterium Salomonis; quod posterior ætas etiam* sancti Salomonis *vocavit, quando sanctitas fundatoris mirabilibus signis eluxit. Scribit Argentræus lib.* 2 *cap.* 27, *istius monasterii* nihil hodie superesse E præter vetustissima rudera et quasdam ejus reliquias prope Plebelanium. *Verum Mabilio tomo* 3 *Annalium lib.* 36 *num.* 106 *notat, superesse hodiedum, non quidem monasterium ipsum, sed* cellam monasterii Rotonensis, et S. Maxentii nomen etiam nunc retinere *: atque, aut alibi scribit, vulgariter* Saint-Maixent *nominari. Potest hæc cella post Argentræi obitum, qui contigit anno* MDXC, *ex monasterii ruinis denuo excitata fuisse. De hoc monasterio Plebelanii loquitur Salomon in citatis litteris fundationis, quod in eo* ad augmentum felicitatis et pacis totius Britanniæ, munus a Deo maximum, sanctissimum Maxentium, sibi præteritis temporibus transmissum, collocari fecerit. *(Hic deletis prioribus, prosequere pag.* 175 ỳ 1) *Annus transmissionis —*

AUCTORE C. J. S. Salvatoris monasteria duo

Rotone et Plebelanii;

an hoc supersit.

Pag. 181 *post vitam* S. Salvii episcopi ac martyris : *ante* S. Pelagium martyrem Cordubæ in Hispania, *ponatur.* NOT. 11

DE SANCTO ROMANO CONFESSORE

EPISCOPO FESULANO IN HETRURIA.

C SECULO VIIII. F

Memoria S. Romani Fesulis

D*udum oblitterata erat memoria hujus sancti episcopi non tantum apud Martyrologos, sed propemodum in ipso etiam loco, ubi quiescit. Eam nuper resuscitavit P. Dominicus Maria Sandrini sacri Ordinis Prædicatorum, vir eruditus atque historiæ Sanctorum studiosus. Dignatus is fuit mihi scribere e Conventu suo S. Marci Florentiæ die* VI *Julii* MDCCVII, *quod, cum illis diebus* ad propinquam abbatiam Fesulanam Canonicorum Regularium divertisset, memorias Martyrum, qui ibi multi sunt, inquisiturus; casu invenerit in eorum archivo vetustum codicem *(putat a tribus seculis scriptum fuisse)* ad usum antiquorum Patrum illius cœnobii inservientem atque de expensis et agendis a Sacristano tractantem, *in quo ad paginam* XXXIII *hæc legebantur verba.* Die XXVI Junii ad altare S. Stephani celebratur Festum S. Romani episcopi Fesulani, ubi accenduntur sex cerei ex legato Philippi de Arriguccis, nobilis Florentini; et ad vesperas in pervigilio pulsantur campanæ; et in nostra ecclesia conditum est illius corpus. *Addit etiam ipse Sandrinus, quod celebris sit illius Sancti memoria per Hetruriam, quodque Fesulis in Cathedrali cernatur imago ejus ex parte meridionali inter imagines aliorum Sanctorum urbis illius, qui publicam habent venerationem, Abbatia, de qua supra, fuit Fesulis antiquissima cathedralis et multi sancti episcopi illic sepulti sunt. Ita fere Sandrinus clare et distincte.*

nuper resuscitata.

2 *Eumdem* Romanum *scriptores etiam alii* sanctum *indigitant. Ughellus in episcopis Fesulanis tom.* 3 *Italiæ sacræ,* multis miraculis coruscasse *scribit; S. Alexandri item episcopi Fesulani, de quo nos die* VI *Junii, successorem facit, atque obiisse putat anno* DXC. *Quod æque a vero debet alienum esse, tametsi citet publicas ecclesiæ Fesulanæ tabulas; quam quod ante scripserat, decessorem ejus S. Alexandrum* anno DLXXXII *in flumine mersum e vita excessisse. Uti enim ostendimus citato die, debere Alexandrum seculo* IX *intra annos* XXIII *et* XLI *obiisse; ita citius obiisse successor ejus* Romanus *non potest. Legitur in Actis S. Alexandri, quod ipse cernens,* res sibi commissas, a tyrannis invasas, arrepto itinere Papiam devenit ad imperatorem Lotharium. *Item quod præsidente Fesulis episcopo* Romano, post non multum tempus *a cæde Alexandri, tumulus ejus apertus fuit, corpusque ejus ita integrum visum est, sicut ea die, qua fuerat tumulatum; quodque dictus episcopus* Romanus *postquam ad tumulum per totam noctem hymnis, laudibus et orationibus vigilasset, Sancti corpus cum paucis clericis*

Obierit non an 590,

sed potius seculo 9.

A *ricis transportavit; quod multi facere antea non potuerant. Scribit quoque Archangelus Gianius in Annalibus Ordinis Servorum, Centuria 3 libro 3 cap.* 11, *quod* corpus B. Gaudentii sacerdotis et monachi *in Fesulana diœcesi absconditum fuit* usque ad tempora Lotharii imperatoris; quando a venatoribus, *aprum insectantibus, per divina signa detectum fuit; cumque illud* Romanus Fesulas in sua cathedrali transferre constituisset, *aliis coepiscopis visum est, ut præmissa oratione, de illo id decerneret; quod eis Altissimus revelasset: sicque alio divinitus translatum fuit.*

AUCTORE C. J.

Vixit enim sub Lothario Imp.

3 *Ex adductis scripturis dignoscitur, tam S. Alexandrum, quam S. Romanum Fesulis episcopos fuisse, sub imperatore Lothario, et quidem in Italia atque Papiæ aulam suam tenente. Coronatus fuit Lotharius imperator Romæ a Paschale Papa in festo Resurrectionis dominicæ* V *Aprilis anno* DCCCXXIII *vivente Ludovico patre; et exinde usque ad ejus mortem, quæ incidit in annum* DCCCXL, *ut plurimum commoratus est in Italia, quo an postea redierit unquam, nescio. Igitur inter annum* DCCCXXIII, *et* XL *uterque fuit episcopus Fesulanus post* Grusolphum, *qui reperitur apud Baronium anno* DCCCXXVI *consedisse in consilio Romano;* B *et ante* Donatum, *qui memoratur ab Anastasio Bibliothecario sub Sergio PP. II,pro anno* DCCCXLIV; *uti in Actis S. Alexandri dictum est.*

NOT. 12 *Pag.* 223 *in fine Prætermissorum appone* — S. Thomæ Apostoli corporis translatio in Edessa V Kalend. Julii, *notatur in antiquissimo nostro S. Hieronymi Martyrologio. De illa erit agendum ad ejusdem natalem diem,* XXI Decembris.

NOT. 13 *Pag.* 307 *ad calcem vitæ* S. Ladislai Hungariæ regis, *apponatur.*

APPENDIX

De Capite S. Ladislai regis, Waradini mirabiliter servato, deinde Javarinum translato.

S. Ladislai regis caput,

Profectus *ego C. J. anno* MDCC *iterum Viennam Austriæ, indeque excurrens in Hungariam inveni Javarini in ecclesia cathedrali sacrum caput S. Ladislai regis decore ornatum, cupidusque de modo ac tempore translationis ejus Waradino, ubi Sanctus obierat sepultusque fuerat, ad dictam ecclesiam, certiora discere, rogavi Javarini quidem R. P. Martinum Czeles collegii illic nostri tunc Rectorem, mihi antea Romæ* C *familiariter notum; Viennæ autem R. P. Gabrielem Hevenesi, itidem illic Rectorem Domus Probationis, utrumque nationis Hungaricæ et humanissimum, ut pro gloria sancti Regis sui, inquirerent in dicti ejus capitis translationem. Uterque promisit operam suam, uterque præstitit; mihique Antuerpiam reverso singuli seorsim miserunt historiam de conservato Waradini capite sub ruinis collapsæ turris integro et illæso; cui alter etiam addebat historiam de translatione ejusdem capitis Javarinum. Rector Novitiatus Viennensis sua acceperat a P. Superiore Varadinensi; Rector Javarinensis sua cum instrumento translationis, ab illustrissimo ac reverendissimo Domino episcopo Agriensi Stephano Telekesi, qui dudum Javarini in dignitate ecclesiastica fulgens, caput etiam sancti Regis ad incursum Turcarum ac Tartarorum anno* MDCLXXXIII *in tutiora loca deportavit, ut ipse infra narrabit.*

nunc Javarini,

anno 1443 Varadini

2 *Accipe primo historiam servati capitis Waradini, olim descriptam* a Joanne de Zordna, protonotario cancellariæ regis Hungariæ in Commentario super epistolas Joannis de Hunniad, gubernatoris et parentis Mathiæ regis Hungariæ. *Hæc ita notantur in altero MS. nostro. David Czuittingerus in Hungaria litterata, non ita pridem edita Lipsiæ, auctorem vocat* Joannem de Zrena, *atque ex Lambecio, epistolas suas scripsisse ab anno* MCCCCXLV *ad* LI, *ut vidisse potuerit quæ scribit. Accipe autem ipsam historiam ejus ex collatione utriusque manuscripti, quæ non differunt nisi in paucis verbis; præterquam quod in uno versus unus desiderabatur, qui ex altero suppletus est.* D

divinitus conservatum

3 Varadiensis ecclesia cathedralis habuit duas turres, harum una cecidit in Dominica Judica, recte circa horam Sextam, quæ erat hora prandii, anno Domini MCCCCXLIII tempore Joannis de Dominis episcopi Varadiensis, qui in bello ad Varnam cum rege Uladislao periit. Erat sub ipsa turri volta quædam, seu sacristia voltata quædam, in qua reliquiæ Sanctorum, et præsertim caput, et utraque manus S. Ladislai solebant conservari, et ibidem a populo etiam visitari: cumque prætacto die ad ecclesiam ipsam, atque ad visitandas easdem reliquias maxima populi multitudo convenisset; tandem post multum populi concursum, subcustos vel expectatione fatigatus, vel forte ne horam prandii negligeret, non reposuit caput ipsum ad locum seu armarium, pro ejus conservatione deputatum, sed dimisit simpliciter in altari sacristiæ, ad quod exponi seu collocari consueverat, dum a peregrinis visitabatur, E nullumque tegumentum aliud capiti ipsi adhibuit, nisi quoddam tenuissimum peplum, et eo coopertum ibidem reliquit, ac clausa sacristia ad refectionem exivit. Quo exeunte, vix quidem media hora transiverat, cecidit et corruit turris prætacta, rupitque casu sacristiam ipsam subtus se habitam, omnemque murum ejus usque ad terræ superficiem subvertit, capite ipso, et ceteris reliquiis in ipsa sacristia existentibus, interque ipsam ruinam, et acervos lapidum conclusis.

sub ruina lapsæ turris

4 Fit rumor primum in curia episcopi, dehinc mox in civitate rumore audito clamor, et tristis concursus ad castrum, opinantibus omnibus, quod prætactum caput, aliæque reliquiæ, per impetum tanti casus et molem tot lapidum in pulverem fuerint comminutæ. Sed longe aliter divina dispositione factum est. Nam dum ex ipsa populi multitudine, quæ convenerat, tot quot attingere poterant, ad mille prope hominum manus lapides ipsos dirutos evolvere cœpissent, ab hora supratacta continue laborando, molem ipsam ac ruinam evolvendo, vix tandem circa occasum solis loca ipsa reliquiarum, et altare, in quo caput prætactum dimissum exstiterat, attigerunt; cumque interea inquirendo dictas reliquias, planctus et gemitus emitteretur, finaliter F compertum est, armaria et cistas seu scrinia omnia non confracta solum, sed quasi omnino contrita. Reliquias autem cum perquisivissent, invenerunt primum caput S. Ladislai in eodem loco et altari, in quo relictum fuerat, eodem quo supra dixi peplo coopertum, integrum ab omni ruptura conservatum, imo quod majoris apparet miraculi, stabat supra caput illud immediate lapis quidam ita grandis, ut humanis brachiis non potuerit circumplecti, qui præter ruinam et molem prætactam naturali ordine sufficiens fuisset, ad ipsum caput una cum theca, in qua consistit, ad partes minutas conterendum; sed divino nutu disponente, nec lapis ipse prægrandis, nec impetus tantæ molis ipsi capiti, aut ossibus reliquiarum aliarum ejusdem Sancti non solum fracturam ullam aut ruinam, sed nec scissuram minimam intulit.

uti et aliæ reliquiæ.

5 Specialiter vero manus seu brachium utrumque ipsius S. Ladislai; item etiam brachium S. Agathæ, quod propter metum et incursum Turcarum ab ecclesia Orodiensi per capitulum loci ejusdem ad ecclesiam Varadiensem pro tutiori conservatione translatum fuerat, integra simul cum ipsarum thecis argenteis, de sub eadem ruina levata sunt. Quibus

A bus omnibus cum magna Dei laude visus, episcopus prætactus rapto capite ipso in sinum suum ; item aliis reliquiis prætactis ad manus aliorum collocatis, una cum populi multitudine, post solis occasum eodem die egerunt processionem ad vicinas ecclesias, laudando et magnificando Deum, qui glorificat Sanctos suos, et glorificatur in eis.

Ejusdem capitis translatio Javarinum,

6 *De translatione porro ejusdem sacri capitis Varadino, paucis addit Hevenesius, quod* dum Transilvania fuit avulsa ab Hungaria, translatum sit Albam Regalem : ubi cum ob Turcarum infestationes tuto satis loco non esset, anno MDC inde Javarinum deportatum, et venerabilis capituli ejusdem loci concreditum est fidei ; atque etiamnum ibi asservatur ac pie colitur. *Distinctiora scribit episcopus Agriensis prædictus, hoc tenore :* Demetrius Napragy, qui anno MDC erat episcopus Transylvaniensis, prævidens futura disturbia Transylvanica, et ob invalescentem hæresim, eversionem famosi templi B. Mariæ virginis, Varadini a S. Ladislao extructi (quod etiam factum est per Georgium Rakoczi, qui ex hoc templo propugnacula et arcem Varadinensem extruxit) effossis illis divorum regum Hungariæ reliquiis, venerandum caput S. Ladislai, jam ante ad se
B receptum, idem episcopus Demetrius e Transylvania excedens, secum asportavit, ac tandem circa annum MDCVIII episcopus Javarinensis factus, et anno MDCX archiepiscopus Colocensis ; ante suam mortem totum suum clenodium et argentariam templo B. Mariæ Virginis in cœlos assumptæ, a S. Rege Stephano extructo, consignavit adhuc in vivis, qui etiam Javarini mortuus, in eadem ecclesia sepultus jacet, ut ejus epitaphium supra portam sacristiæ, quod ante aliquot annos ipse collocavi, demonstrat. Et sic venerandum caput hoc ecclesia et Capitulum Javarinense hereditavit ; ubi etiam defacto cum ingenti populi concursu in ejus festo tota fere civitas ad osculandum concurrere solet, et venerari.

quid illi acciderit anno 1683.

7 *Tum addit idem Episcopus Agriensis, cui et ego, Javarini existens, de rebus prædictis scripseram, quæ sibi circa S. Ladislaum ejusque sacrum caput acciderunt, hunc in modum.* Certe et ipse plura expertus sum cum ob immanis hostis Christianitatis multitudinem anno MDCLXXXIII in ipso festo S. Ladislai cum archivio et clenodio templi Javarino excedere coactus, per unum et medium annum cum omnibus templi et capituli rebus exsulassem, expertus sum primo Sopronium, inde Neostadium, inde in Pernstain (arx est Comitum Bottyanii,) inde Lencam ,
C Ginsium, ac tandem Javarinum, ne minimum quidem damnum passus, feliciter redii. Fugiebam aliquoties, dum Tartari et Turcæ, ubique in via pagos et oppida exurentes, hinc inde cursitantes , mihi numquam obviarunt ; sæpius lacrymando me cum omnibus S. Ladislao commendando, ne ei in suo capite sancto et reliquiis, quas mecum habui , pagani illuderent, jam gloriose regnanti, qui in vivis sæpissime talium prædecessores fugaverat ac ceciderat : et exauditus sum in omnibus periculis ; et quod evasissem feliciter, post Beatissimam virginem Mariam S. Ladislao attribuere possum. Expertus sum etiam postea frequens ipsius auxilium tam in infirmitate mea, quam in aliis necessitatibus, et etiam moderno tempore in dies experior.

8 *Vidi ego Javarini sæpe dictum sancti Regis caput in cathedrali ecclesia religiose et decore servari, inclusum in busto argenteo non recentis operis, in cujus vertice aperitur ostiolum rotundum , per quod sacra calvaria conspicitur, atque etiam permittitur illi a venerabundis osculum dari. Addo his etiam ex Missali , annis abhinc ducentis et amplius in partibus septemtrionalibus impresso, Missam de S. Ladislao rege, quæ præscribitur legenda* , Os Justi. *Epistola,* Dedit Dominus confessionem Sancto suo etc. *Eccli.* 47. *Graduale,* Domine prævenisti eum. *Evangelium,* Nemo accendit lucernam. *Offertorium,* Desiderium animæ ejus. *Communio,* Beatus servus, quem cum venerit Dominus. *Collectæ sunt ubique propriæ. Prima ;* Deus qui beatum Ladislaum regem piumque confessorem tuum gloria immortalitatis sublimasti, præsta quæsumus, ut ejus suffragantibus meritis et ab omnibus muniamur adversis et gaudiis perfruamur æternis. Per Dominum. *Secreta ;* Sacrificium, Domine, quod tuæ majestati offerimus, quæsumus ut beato Ladislao rege et confessore tuo interveniente, ad nostrarum remedium transeat animarum. *Complenda, sive ut nunc loquimur, Postcommunio:* Sumptis muneribus tuis, ab omnibus nos, quæsumus Domine, peccatis intercedente beato Ladislao rege et confessore tuo propitius absolve, ut, percepta venia peccatorum, liberis tibi mentibus servire mereamur.

D *AUCTORE C. J.*

Pag. 296 *ad calcem Commentarii de* beato Benevenuto Ordinis Minorum Corneti in Apulia, *additur* — NOT. 14

9 *Debet sacrum corpus postea denuo absconsum fuisse vel metu bellorum, vel alia de causa, et hactenus latere. Habeo enim litteras illustrissimi ac reverendiss. Episcopi Melfiensis (nomen tribus notis male tortis indicatum, explicare nequeo) scriptas italice anno* MDCXCII, E
XVIII *Januarii ad R. P. G. B. della Pietra Provincialem Ord. Minorum de Observantia, nobiscum communicatas a R. P. Benigno Fremaut; quarum tenor talis est latine.* Gratias ago Paternitati vestræ de nuntio, quod mihi attulerunt suæ, decima hujus Januarii datæ, significantes, in hac mea diœcesi esse thesaurum absconditum. Curabo, adhiberi omnem conatum, quo detegatur, ad ditandum me et hanc meam valde egentem diœcesim per illa bona spiritualia, quæ mihi promittit habitatio beati Benevenuti vestri in hisce partibus. Dubito , an sanctitas ejus sit valde antiqua, dum Pat. vestra nullum mihi dat indicium de annis Domini. Si fuit ante adventum Lutreccii in hasce terras cum exercitu, quando cepit Melfiam et incendit, difficile erit invenire aliquam ejus rei notitiam : quia cum reliqua civitate arserunt quoque archiva hujus ecclesiæ. Diligentia tamen quanta potest adhibebitur, et si quid inveniatur, certiorem faciemus P. V. Ego interim semper lucrifaciam, quia si non invenero thesaurum, saltem illum quæsiero. *Postea autem Episcopus ille nihil invenerit, quia prædictus P. Fremaut, cum has ejus litteras deinde nobiscum communicavit,* F
nihil de inventione meminit, neque in sua ipse Legenda anno MDCCIII *impressa, de eodem B. Benevenuto aliud habet.*

10 *De brachio ejus, olim per pium, uti tunc rebantur homines, furtum sublato et adhuc extante, certior relatio est, ab eodem P. Fremaut nobis commissa. Est autem illa testificatio et quidem duplex , altera oppidi ut videtur , altera capituli et cleri Ilicetensis, consignata eodem anno ac mense, quo supra Episcopus Melfiensis litteras suas rescripsit ad Provincialem Minorum, videlicet* MDCXCII, *die* XX *Januarii : ut credi possit, PP. Minores per illud tempus singulari et laudabili studio inquisivisse in res sui B. Benvenuti. Testificatio autem prima talis est.* Corneti in Apulia B. Benevenuti, Eugubii in Umbria orti, ab humato corpore magnam brachii reliquiam ab Iliceti clero decerptam, delatamque (ut Veteres ferunt) in divi Joannis Baptistæ ecclesiam, quæ tunc major extabat, asservari ad hæc tempora in collegiata ejusdem ; et ipsius Beati, in patronum electi, quinta Maji cujusque anni orbita, solemnia celebrari a capitulo, et clero cum totius populi fere concursu, et Regiminis semper interventu ad processionem ; fidem facimus, et plene testamur, et per nostrum cancellarium has fieri,

AUCTORE C. J.

A fieri, nostroque publico muniri sigillo fecimus, ac nostris propriis manibus subscriptas. Datum Iliceti die XX Januarii *anni supradicti* MDCXCII. *Subscribunt Syndicus et alii quatuor, qui se vocant* Electos.

11 *Altera testificatio Capituli, aliquanto distinctior est, cui subscribunt, D. Josephus...archipresbyter J. V. D. et canonici undecim, singuli sua manu ac nomine; quod et in præmissa testificatione fecerunt Syndicus et Electi. Ecce autem testimonium canonicorum.* Beati Benvenuti professi laici Minorum de Observantia sancti Francisci, adest in ecclesia collegiata terræ Iliceti Bovinensis diœcesis Reliquia, reposita in statua lignea inaurata dicti Beati, et ex antiqua et immemorabili traditione de Corneto Apuliæ Ilicetum translata, cujus festum ut patroni minus principalis ibidem sub ritu duplicis majoris, cum officio et missa solenni de communi confessoris non pontificis, cum concursu, devotione et processione cleri, et populi die quinta mensis Maji singulis annis celebratur, dictaque reliquia in sacristia dictæ ecclesiæ decenter servatur, et in Visitationibus episcopalibus visa et probata : et requisiti has præsentes manu propria subscripsimus, B ego Archipresbyter, et Canonici dictæ ecclesiæ collegiatæ ejusdem ecclesiæ sigillo apposito Iliceti die XX mensis Januarii MDCXCII.

12 *Utrique testimonio fidem facit eodem die* XX *Januarii*, Augustinus de Sanctis, publicus ubique apostolica auctoritate Notarius, et rogatus et requisitus, *apposito signo suo. Dicitur in utroque testimonio, Iliceti festum* B. Benevenuti *die* V *Maji celebrari, quem eumdem, forte ex istius loci usu, etiam signat Arturus a Monasterio in suo Martyrologio Franciscano. Potest tali die (dies namque obitus ignoratur) brachium beati viri ad Illicetenses allatum aut elevatum fuisse. Nunc certe festum ejus in toto Ordine S. Francisci colitur sub ritu Duplicis majoris die* XXVII *Junii ex indulto Innocentii PP.* XII; *uti sæpe nominatus P. Fremaut me monet.*

NOT. 15 *Pag.* 316 *ubi desinunt, quæ collegit Papebrochius de* S. Irenæo episcopo Lugdunensi ac martyre *subjiciatur.*

§ V De variis S. Irenæi Actis, olim conscriptis, eorumque auctoritate.

Nulla hujus Sancti Acta primis post martyrium ejus C *temporibus conscripta fuisse consentiens est omnium fere eruditorum opinio. Non continuo tamen argui meretur S. Gregorius episcopus Turonensis, dum scribit, quod martyrum in Galliis, ac nominatim* Pothini *atque* Irenæi, passionum historiæ *usque ad sua tempora* fideliter retentæ fuerint. *Et sane intercesserunt a martyrio S. Irenæi usque ad obitum S. Gregorii propemodum anni quadringenti; quo intervallo mirum sane esset, nulla tam præclari sanctique Martyris, episcopi et scriptoris gesta fuisse collecta. Si non fuerunt; unde quæso, post secula propemodum quatuor a martyrio Irenæi habuit Gregorius, quæ de Irenæo scripsit in Historia Francorum lib.* 1 *num.* 27, *atque iterum in libro de Gloria Martyrum cap.* 50, *cum tanta distinctione singularium adjunctorum, quæ post tot annos scire vix potuerit, nisi ex antiquiore scriptore, qui illa posteritati commendaverit?*

2 *At alter Gregorius Magnus Papa, qui Turonensi coævus fuit, Acta Irenæi a se quæsita invenire non potuit. Sit ita. Multa Sanctorum Acta conservata fuerunt in illis regionibus, ubi Sancti vixerunt ac mortem subierunt, quæ exteras nationes sæpe diu latuerunt. Vixerat multis annis Irenæus episcopus in Galliis ibique martyrio coronatus fuit; vixit ibidem semper Gregorius Turonensis item episcopus, et operam dabat conscribendæ Historiæ Francorum, item de Gloria, tam martyrum quam confessorum: vixit Gregorius Papa in Italia, publicis pro ecclesia per mundum universum negotiis distentus, et nescio an unquam ad Gallias accesserit: non igitur mirum videri debet, quod Turonensis habuerit Acta S. Irenæi in Galliis passi, eaque invenire Papa non potuerit. Utut est, ait Turonensis,* Martyrum passionum historiæ apud nos fideliter usque hodie retinentur, *illorum utique, quorum continuo gesta profert,* Pothini *atque* Irenæi. D

3 *Habemus nos varia S. Irenæi Acta, ex antiquissimis legendariis, non uno loco inventis, descripta, quorum nulla sibi putavit edenda Papebrochius, quia non usquequaque videbantur certiori chronologiæ aut historiæ in omnibus consonantia. Quid tamen obsit, si etiam sic publicentur? ut quæ cuique ad manum non sunt, inter alia Sanctorum Acta inveniri possint, præsertim quando appositis observationibus eorum fides et auctoritas quanta sit, monstratur. Habuit P. Petrus Franciscus Chiffletius noster, ut erat antiquitatis scrutator curiosus et eruditus, eadem fere Acta S. Irenæi, quæ nos, atque etiam alia, e variis codicibus eruta, quæ et commentariis suis illustravit; addiditque etiam disquisitionem de ecclesia Lugduni a S. Patiente episcopo extructa, ad quam subinde translatum fuit corpus S.* E *Irenæi. Utrumque opusculum, post mortem Auctoris sui nobis commissum, hic, ut est, loco quodammodo suo appono; quamvis inde jam nonnulla deliberaverit Papebrochius in præmisso Commentario suo historico. Dispertior autem tractatum in duo capita, quorum primum de Actis, alterum de veteri statu ecclesiæ S. Irenæi Lugdunensis agit. Præmittit Chiffletius quæstionem,*

An S. Irenæi Lugdunensis episcopi et sociorum Martyrum exstent vera et sincera Acta.

Desiderata fuisse ævo suo Acta S. Irenæi Lugdunensis episcopi et martyris, queritur S. Gregorius Papa lib. 9 *Registri, epist.* 50, *ad Ætherium Lugdunensem episcopum.* Gesta vero, *inquit*, vel scripta beati Irenæi, jam dudum est quod solicite quæsivimus: sed hactenus ex eis inveniri aliquid non valuit. *Nec vero exinde uspiam inventa esse, ex eo manifestum est, quod quæ hodie habentur in variis ecclesiarum codicibus, etiam in Vallicellano, de quo Baronius ad 28 Junii; narrata Lugdunensium Martyrum cæde (qua etiam rubuere flumina) ubi ad Irenæum ipsum devenere, multis eum tormentis sublatum dicunt, quorum genera ex libro Passionis ejus petenda esse admonent.* F *Tantum in veteri ejus Officio, quod in ejus propria Lugdunensi basilica olim celebrabatur, significatur gladio percussus, in Responsorio* VII *ad lectiones matutinales, quod ita conceptum est.* O Martyr invictissime, norma virtutum omnium! Qui dum præscis certissime tuæ mortis supplicium, exspectas constantissime sævum Severi gladium. *Triplicia damus ejus Acta qualiacumque ex variis codicibus; quæ sunt ceterorum omnium fontes, diversis in breviariis descriptorum. Nec vero ab his distinguimus, quæ olim accepimus Acta S. Irenæi prolixissima, ex codice S. Augendi Jurensis pervetusto. Cum enim in his Actis, præter ea, in quibus cum aliis brevioribus a nobis prolatis conveniunt, nihil occurrerit nisi parergon, ac sine ordine de verbo transcriptum, vel ex Ruffini Eusebio, vel ex Irenæi scriptis, vel denique ex Actis discipulorum ejus, Ferreoli ac Ferrutii Bisonticensium; Felicis item, Fortunati et Achillei, Valentinensium martyrum; idcirco hæc tibi, lector, proponenda non existimavimus.*

CAPUT

A

CAPUT I.

Acta triplicia ex vetustis codicibus descripta, in eaque annotationes Chiffletii.

2 Acta I. Ex codice pervetusto S. Augendi Jurensis: et congruit liber sacrarum lectionum S. Justi Lugdunensis, et alius, qui fuit S. Irenæi Lugdunensis.

Annotatio. *Proba sunt hæc Acta, et ab Eucherii Lugudnensis ævo styloque minime aliena. Secum tamen ipsa pugnant in charactere temporis, dum sævitum aiunt in Lugdunenses Christianos, et sub cædem Clodii Albini, et* cum Severi edicta feralia toto orbe in Christianorum exitium detonarent. *Cæsus est enin Albinus anno Severi quarto : ac tum quidem ejus edicta iu Christianos detonarunt Lugduni, nondum tamen orbe toto, nisi ad annum Severi decimum. Igitur a nece Albini, ad id tempus, quo publicis edictis toto imperio promulgatis, sublati sunt Christiani, intervallum fuit annorum sex. Refer oculos in notas nostras ad caput secundum Chronici, in sectionem secundam diatribæ nostræ de tempore missionis S. Be-* B *nigni.*

Vita 1. 3 Vita. Cum Severi edicta feralia toto orbe in Christianorum excidium detonarent, adeo ut magnitudo persecutionum præsentem mundi interitum, minaretur, exurgente contra se bello civili, idem Severus in Galliam transgreditur, interfectoque apud Lugdunum Clodio (*MS. S. Justi,* Claudio Albino) qui se illic Cæsarem fecerat, audiens quod beata civitas per sanctum Irenæum suis contrairet cæremoniis, secundum suæ rabiei morem ferocissimos gladiatores elegit; et undique eos urbem circumdare præcipiens, ait; Præcludite portas, circumvallate domicilia; et quicumque diis nostris non sacrificaverint, gladio vindice trucidate. Sed Christi pietas sancto Irenæo imminens periculum Angelo nunciante mandavit. Nam cum noctem pervigil in oratione transsigeret, supplicante secum beato Zacharia presbytero, medio fere noctis, repente Angelus Domini cum ingenti adstitit claritate, sicque sancto Sacerdoti locutus est.

Instante persecutione,

monetur Irenæus ab angelo, 4 O fidelissime Christi miles, dux exercitus candidati, Dominus te post multos labores cum populo tuo per martyrii triumphum ad cœlestia regna in- C vitat. Conforta ergo fratres, ut sit eorum intrepida germanitas; quoniam pro Christo, quem plena fide diligunt, jam eos adveniente homicida gloriosus martyrii agon exspectat. Ne timeant antiqui hostis minas, nec eum, qui occidit corpus, animam vero occidere non potest. Et illos quidem unius horæ passio consummabit, te vero certamen prolixius et gloriosior manet triumphus. Zachariam quoque Presbyterum solicite latere facito, qui post tuum abcessum tibi successor existens, confirmet fratres in Christo. Audiens hæc sanctus Irenæus ait; Gratias tibi ago, Domine Jesu Christe, lumen æternum, splendor justitiæ, fons et origo pietatis, quia ita me per Angelum tuum lætificare et consolari dignatus es. Da Domine et huic populo tuo constantiam, ut nullus ex eis a tui nominis confessione deficiat; sed tua virtute confirmati, sanctæ promissionis tuæ bravium triumpho nobili consecuti, immortalitatis gloriam moriendo adipisci mereantur. Et oratione completa, confortare cœpit fratres in Christo.

et se suosque parat ad martyrium, 5 Erogabatur substantia in pauperes : flagrabat in eis florentissimus martyrii odor : diebusque et noctibus colloquiis divinis et orationi vacabant, exspectantes horam a Christo sibi denuntiatam. Igitur iniquissimus Cæsar circumdata a militibus urbe conditionem proposuit, ut si quis ullum Christianorum D dimitteret, seu defensare voluisset, ipse similem sententiam damnationis exciperet; ut nobis (inquiens) liceat in civitate nostra cæremoniari, et libamina diis nostris offerre, qui nullo modo patiuntur sacrificia sua cum sacrificiis Christianorum misceri. Cædebantur ergo passim universi; nullusque sexus, nulla ætas, nulla conditio omittebatur; quin omnes prompti atque alacres, animas pro fidei libertate tradentes, gladiis tota urbe bacchantibus necarentur : adeo ut plateæ fluerent pretiosi sanguinis rivis, et vicina flumina nimio interfectorum cruore infecta rubescerent. Sanctum vero Irenæum impissimus Cæsar suis jussit conspectibus præsentari : tantaque in eum rabie crudelitatis exarsit, ut sævitiæ ejus species singulas enarrare prolixum sit. Liber tamen Passionis ipsius plenius de his eloquitur. Cumque invictum martyrii sui consummasset agonem, noctu a sancto presbytero Zacharia corpus ejus in crypta abditissima conditum est : super quod nunc altare constructum testatur, esse placentem Deo hostiam, quæ loco Christi hostiæ collocata, plebem fidelium pascit mysteriis, tuetur patrociniis, corroborat virtutum signis; præstante ipso Domino et Salvatore nostro Jesu Christo, cum E Patre et Spiritu sancto. Amen.

Ex MSS. Chiffl.

quod subit ac sepelitur

6 Acta II. Ex alio codice S. Augendi Jurensis, qui conformis est Vaticano, ejusque paginam explet, magnopere a Baronio desiderata.

Annotatio. *Decerpta videntur hæc Acta ex iis quæ modo protulimus : non tamen plane tota : nam de missione S, Irenæi, de ejus itineris comitibus, ac de die martyrii Christianorum Lugdunensium, propria habent nonnulla, quæ absunt ab illis prioribus. Quæ de S. Irenæi prodigiis et signis breviter hic perstringuntur, explicatiora sunt in aliis Actis, quæ habentur in codice S. Justi (quæ incipiunt,* Gloriosi martyris Irenæi passionem scripturus) *ubi dicitur Irenæus cæcis visum, claudis gressum, surdis auditum, ægris salutem pristinam restituisse; dæmoniacos exclusis immundis spiritibus curasse, mortuos quoque ad vitam revocasse. Sed quia in iisdem Actis missus asseritur Lugdunum S. Photinus a beato Petro Apostolo (qui tamen Petro martyrium Romæ obeunte natus nondum erat) et S. Irenæus a Polycarpo in Gallias destinatus, tantum post Photini martyrium (quod pariter a veritate alienum est) ideo ea lectori nostro obtrudere operæ pretium non putavimus.*

7 Vita. Sanctum Irenæum fide et gratia et Spiritu F sancto repletum presbyterum, honore provectum, de suis lateribus S. Polycarpus ad felicissimam urbem Lugdunensen Angelo duce transmisit; nt Christianos latentes per loca iterum confortaret, et gentilium multitudinem, quæ in tenebris jacebat, sua prædicatione, Christi gregibus collocaret. Veniens vero S. Irenæus cum Zacharia diacono, et duobus clericis sibi comitibus, nobilissimam Lugdunensem ingrediuntur urbem. Cujus virtutibus, prodigiis et signis et prædicationibus, quæ faciebat per illum Deus, maxima civitas in proximo tempore in integrum credidit Christum. Audiens vero hæc iniquissimus Cæsar, quod beata civitas per S. Irenæum suas refutabat cæremonias, secundum suæ rabiei morem ferocissimos gladiatores elegit : et veniens, undique eos circumdare præcepit, dicens; Præcludite portas, circumdate domicilia; et quicumque diis nostris non sacrificaverint, universos gladio jubeo finire vitam.

Vita 2. Missus a Polycarpo Irenæus venit Lugdunum,

multos convertit,

monetur ab angelo martyrii, 8 Sed Christi pietas ante S. Irenæum Angelum de cœlis transmisit. Media vero nocte Angelus Domini facie ad faciem locutus est, Zacharia presbytero audiente, et ait ad eum; Irenæe sancte, Christus te post multos labores tuos, cum populo tuo (qui

A (qui es Dux exercitus candidati, et lumen præclarum) per martyrii coronam ad cœlestia regna invitat. Conforta ergo fratres, ut sit eorum intrepida germanitas; quia pro Christo, quem plena fide diligunt, jam adveniente homicida, martyrii triumphus eos exspectat. Ne timeant antiqui hostis insidias, nec eum qui occidit corpus, animam autem non potest occidere. Illis quidem sub unius horæ momento manet certamen, tibi vero gloriosior manet triumphus. Zachariam vero presbyterum cum duobus diaconibus latenter per loca paulisper serva: ut sicut tu post Photinum fuisti, ita ipse post te confortet iterum in Christo fratres, quorum similem coronam triumphus exspectat, et qui pretiosi corporis tui membra recondant sepulcro.

EX MSS. CHIFFL.

9 Audiens autem hæc S. Irenæus, ait; Gratias tibi ago, Jesu Christe, quod ita me ab ineunte ætate confortas, ut tam piam voluntatem promittas. Da Domine et huic populo tuo constantiam, ut stantes in fide pares nos cognoscas in regno tuo, ut nulla inimici infidelitate superati, nullus sit qui a tua confessione recedat; sed tua virtute firmati, per confessionem nominis tui, promissionis sanctæ B bravium et triumphum nobilem consecuti, mortem contemnendo, adipisci mereantur gratiam tuam. Et completa oratione confortare cœpit fratres in Christo; in quorum visceribus Spiritus sanctus erat: nullumque a recto itinere devium diabolus potuit reperire; sed fides sancta infusa visceribus eorum alacriter flagrabat. Unusquisque suum confortabat fratrem: fulgebat in eis florentissimus martyrii odor: exspectantes tempus et horam, in qua ad martyrium pervenirent, diebus ac noctibus orationi vacantes: parum illis erat a colloquiis divinis et oratione cessare: et erogabatur quotidie substantia in pauperes.

eo se parat, et suos,

10 Tunc iniquissimus Cæsar circumdare urbem suis militibus jubet, dicens; Circumdate et comprehendite Christianos: et quicumque diis nostris non sacrificaverint, gladii jubemus finiri sententia: ullum si quis dimiserit, aut Christianum defensare voluerit, ipse puniatur; ut nobis liceat in civitate nostra cæremonias et labamina diis nostris offerre: quia notum vobis sit, quod non patiuntur dii nostri sacrificia sua cum sacrificiis Christianorum misceri. C Et data sententia felicissima urbs a militibus circumdata est, et universi a persecutoribus sunt rapti. Tradebat frater fratrem in mortem: pater filium, mater filiam offerebat pro Christo: ac universi sexus, conditionem, et ætates summam martyrii et perennem coronam accipiunt.

cinguntur a militibus,

11 Currebant per plateas pretiosi sanguinis rivi. O quam beata flumina, quæ tot pro Christo excipiunt martyres, quorum aqua pretioso sanguine mixta aspexit ad cœlos! Quæ ferocitas in unum tantam stragem dedit pro Christo? Passi sunt quarto Nonas Aprilis. Sanctum vero Irenæum episcopum jussit suis conspectibus præsentari, tantaque crudelitate, tantoque carceris septo affici, *ut longum sit enarrare, quantam pro Christo perpessus sit pœnam. Attamen passio ipsius id plenius declarat. Sed quantam ipsi videbantur inferre pœnam, Angelo confortante, nulla inimicis contactibus nec carnem corporis sui potuit nocere. Sed postquam gloriosam consummavit passionem, nocte a S. Zacharia in crypta abditissima sanctum corpus reconditur; super quod sepulcrum, sanctum altarium ædificavit.

occiduntur.

* Hic deest aliquid in utroque exemplari.

12 Acta III. Ex MSS. codicibus S. Pauli Bisonticensis et S. Joannis Bisonticensis, et Signiacensi.

Annotatio. *Admiscent aliquid hæc Acta de S. Irenæi discipulis; emendanda in eo quod affirmant, eidem ipsi Polycarpo Smyrnensi Episcopo adhuc superstiti apparuisse Irenæum, discipulum scilicet magistro, a quo* D *eum in Gallias missum dixerant. In notis enim ostendimus, eam Irenæi visionem oblatam eidem, a quo et missus fuerat, Polycarpo Ephesino (qui et Polycrates) non autem Smyrnensi, jam tum ab annis omnino triginta martyrium passo.*

13 Vita. Gloriosa sanctorum martyrum memoria, in qua perplurimum beata mater exultat Ecclesia, laudem Domini loquitur: quia dum militum victoriam fidelis populus rememorat, Regis sui, cui vicerunt, profecto præconia innovantur. Ad laudem ergo summi Regis, conditoris omnium, memoriam beatissimi Irenæi Burgundionum Apostoli in sancta ecclesia recitandam, litteris breviter commendamus: ex ejusque gestis innumeris pauca subteximus; ut quanto in sancta doctrina exstitit clarior, tanto sit in laude fidelium populorum voce celebrior.

Vita 3. Prologus.

14 Humanæ igitur reparationis in Salvatore Dei Filio completo mysterio, discipulorum suorum, quos ad hoc ex infirmis mundi, ut fortia quæque confunderet, delegit, salutiferæ doctrinæ prosecuta est institutio. Qui Patris sui ac magistri per omnia imitantes vestigia, quos in fidei soliditate repererunt constantes verbi Dei æmulatores, quas ipsi E fundaverant, constituerunt ecclesiarum rectores: quos etiam in sancta prædicatione adjutores, in Dei prælio commilitones, in diversis laboribus collaborantes habuerunt et comites. Ex eorum itaque sanctissimo contubernio Polycarpus beati Johannis apostoli et evangelistæ discipulus, præclarus mundo emicuit, qui ab ipso Smyrnensis ecclesiæ Episcopus ordinatus, doctor mirabilis (sicut ecclesiastica refert historia) in Asia exstitit. Hic autem virum prudentissimum Irenæum, adsumme Philosophicis, Platonicis ac Pythagoricis disciplinis eruditum, verioris Philosophiæ disciplina disposuit, eumque ad fidem Christi convertit. Quem ad seminandum prædestinatis Dei verbum gentibus, sacerdotem egregium ac ministrum præcipuum informavit. Qui quanto liberalium artium affectione ad perfectum habitum deductus (ut multa ejus scripta testantur) hos, qui secum floruerant vel qui præcesserant, superavit; tanto divinæ scripturæ veritate agnita, in prædicatione ceteris ardentius inferbuit, ut in omnem terram sonus ejus exiret, et in fines orbis terræ ejus verbum procederet.

A Polycarpo Irenæus,

15 Post multos denique Atticis in finibus agones F consummatos, post plurimos hæreticæ pravitatis sectatores in conflictu disputationum gloriose devictos; ubi etiam multas sanctorum Martyrum passiones scriptas reliquerit, multaque insignia atque miracula egerit; Polycarpus ejus magister piissimus, in augendo grege dominico (sicut fidelis pastor) semper solicitus, paternis verbis alloquitur filium, quem sancti Spiritus succensum igne, ubique gentium indeficientem noverat fere theologum. Eundum est, inquit, fili, marisque pelagus navigandum; ut quos fortis armatus tenet captivos, sibique complices, tu virtute deifica liberes, ipsumque quibus confidit armis exspolies. Eos quoque quos fallax ipse diabolus ac mendax ab initio decipit, Dei obedientiæ dare operam edoceas, Angelorum etiam consortes et concives efficias.

multis in Asia præclare gestis,

16 Beatus itaque Irenæus præcepta Patris obedienter secutus, delectis quam pluribus quos Christo adquisierat filiis, suæ perfectionis comparticipibus et consociis, mox iter arripuit: ac sancto prævio Spiritu, ad Burgundiæ Lugdunum civitatem (quæ est metropolis) pervenit. Hæc vero civitas multarum virium dignitate pollebat, pluriumque civitatum magisterio prædita, præfulgebat: sed tunc claritate veri Solis a B. Irenæo illuminata, tanto crevit lucidius, quanto fuit per ipsum illustrata divinitus.

mittitur in Gallias cum sociis

A vinitus. Ipse vero post B. Photinum ejusdem ecclesiæ episcopum primum, secundus ecclesiam rexit: catholicæque fidei lumina per se suosque condiscipulos, per omnem Burgundiam longe lateque profudit. Chrysopolim namque (quæ est metropolis nobilissima) per Ferreolum presbyterum, ac Ferrucium diaconem, geminos fratres, ad fidem Christi convertit. Valentiam quoque per Felicem presbyterum, Fortunatum et Achilleum diacones, illuminavit: quos in utrisque suis civitatibus, ad conservandum sibi populum, Aureliano imperatore, ac duce Cornelio, divina gratia corona martyrii feliciter sublimavit.

multosque convertit

17 Eademque tempestate cum ipse Doctor mirabilis, per omnem Burgundiam divini seminis fructum quam maximum collegisset, jamque Dei Ecclesiam ad magnum incrementum deduxisset; veritatis inimicus cernens se per ipsum passim conteri, furoris sui et invidiæ arma conatus est per ministros suos in eum excitare. Nam agente Severo imperatore, persecutionis gravissima in Christianos procella intonuit: in qua vir venerandus et Dei athleta, in confessione deitatis multis tormentorum affectus suppliciis, præsidente Domino; quarto Kalendas Julii martyrium complevit. Passi sunt autem cum eo omnis fere suæ civitatis populus; quos fidelis Pastor et prudens, ante suam passionem in Dei amore verbis divinis ita imbuit, ut se quisque cum eo, persecutoris manus non abhorrens, sponte morti tradiderit.

ac martyrio 28 Junii coronatus,

18 Sancta vero ejus anima, carne soluta, a prædicatione non destitit. Beato namque Polycarpo adhuc in vita manenti, cum innumera martyrum multitudine apparuit: expletionem quoque sui officii ac condiscipulorum magistro nunciavit; admonens, ut sanctos Dei famulos, Andochium et Benignum presbyteros, Thyrsum diaconem, Andeolum subdiaconem dirigeret ad Galliam: ibique dicens gentem adfore maximam, in Dei Filium per eos credituram. Magister ergo de visione filii lætissimus, et de recepta præmii corona gavisus, supradictos viros ad Dei nutum ad Galliam direxit, per quos Dei lumen ample gentibus effulsit. Carpentoractensis civitas illuminata per Andeolum: Hedua vero supra sidera elevata per Andochium et Thyrsum: Divion quoque sole splendidius resplendet per Benignum; ad laudem et gloriam Domini, qui C vivit et regnat in secula seculorum, Amen. *Hactenus Acta triplicia apud Chiffletium. Sequitur,* De ecclesia Lugduni a S. Patiente episcopo extructa, *ex epistola Sidonii ad Hesperium: quæ epistola cum suis versibus quandoquidem in Commentario Papebrochii* § IV *relata jam est, hic prætermittitur. Transeo igitur ad alia.*

S. Polycarpo apparet.

CAPUT II.

De veteri statu basilicæ S. Irenæi Lugduni.

Excerpta ex tabulis ac monumentis Irenæensibus; ex quibus et evincitur ipsam esse S. Irenæi ecclesiam, de qua Sidonius l. 2 ep. 10.

Ecclesiæ S. Irenæi

C*um anno* MDLXII *Lugduno potiti hæretici, Sanctorum reliquias disjecissent, codices antiquos tabulasque ecclesiarum flammis consumpsissent, aras evertissent, sacraria omnia expilassent, sacras etiam ædes aliquot solo æquassent; in S. Irenæi suburbana basilica nihil reliqui fecerunt præter cryptam seu confessionem subterraneam, suis omnibus spoliatam ornamentis. Qualis autem ea fuerit basilica, quam ornata, quibus antiquis inscriptionibus, quibus martyrum reliquiis inclita, cognovimus vel maxime ex aliquot ejus tabulis membraneis, quæ cladi illi subductæ, in Prioris archivio adhuc perseverant: ac præsertim ex instrumentis litis illius, quæ ab anno Christi* MCCCCX *ad* XIII *super possessione corporis S. Irenæi, inter S. Justi et S. Irenæi ecclesiarum canonicos disceptata est. Ibi enim reperimus quæcumque illi in suarum quique ecclesiarum commendationem undequaque congesserant. Ex quibus pauca hic colligemus; unde appareat, ubi primum conditus fuerit S. Irenæus, quo deinde semel atque iterum translatus: et quod denique non aliam ab Irenæensi basilicam, epistola supra citata, descripserit Sidonius.* D

EX MSS. CHIFFL.

20 *In crypta S. Irenæi, a dextris et a sinistris presbyterii, hi versus legebantur, musivo et auripetrino opere descripti majusculis.*

conditor S. Patiens.

Hic duo templa micant tecto fundata sub uno,
Quæ Patiens sanctus conditor excoluit.
Corpora dumoso quondam demersa profundo
Perspicuum tracti luminis inradiat.
Subdita resplendent, et fastigiata supernis
Cultibus in celsum culmina prosiliunt.
Securus plane cœlestia regna requirit,
Qui Christo in terris regia septa parat.

21 *Ad pavimentum superioris ædis, opere item musivo inscripti, adhuc supersunt hi versus.*

Numerus eo loco occisorum.

Ingrediens loca tam sacra, jam rea pectora tunde E
Posce gemens veniam, lacrymas hic cum prece [funde.
Præsulis hic Irenæi turma jacet sociorum,
Quos per martyrium perduxit ad alta polorum.
Istorum numerum si nosse cupis, tibi pando,
Millia dena novemque fuerunt sub duce tanto:
Hinc mulieres et pueri simul excipiuntur.
Quos tulit atra manus, nunc Christi luce fruun- [tur.

Ad os dumosi illius profundi (de quo versu tertio primæ inscriptionis) seu voraginis, crepido circumstructa putei similitudinem exhibebat, qui etiamnum mediam obtinet cryptam S. Irenæi. Et patebat olim omnium oculis; sed ei crepidini instratum deinde est pavimentum, et in S. Bartholomæi Apostoli honorem altare medio loco impositum, ea occasione quæ in tabulis ita describitur.

Os putei obstructum,

22 Nedum antiquæ scripturæ et historiæ, sed etiam famosa et vulgaris antiquitas referunt, quemdam nobilem, potentem, et devotum Militem, Bartholomæum nomine; qui quasi per universum mundum causa devotionis et venerationis Sanctorum, peregrinatus fuerat: et ubicumque veniret, quodam zelo devotionis ductus, cupiebat omnes reliquias, omniaque secreta ecclesiarum et locorum devotorum visitare et videre, et quadam devota cupiditate de ipsis reliquiis secum deportare. Unde taliter inter cetera fecisse dicitur, quod habuit partem capitis S. Bartholomæi, quæ maxilla, seu faux vel gauta vulgariter dicitur. Cum autem dictus Miles omnes ecclesias et devota loca civitatis Lugdunensis visitaret, inter cetera existens in crypta ecclesiæ S. Irenæi, et comperto, quod in puteo cryptæ (qui puteus pro tunc patens erat) innumerabiles erant sanctorum Martyrum reliquiæ: quarum devota temeritate, et cupiditate videndi, et habendi de reliquiis dictorum Martyrum, infra puteum intra repræsumpsit. Et statim divino miraculo correptus est cæcitate. Unde votum Deo fecit, et sanctis Martyribus, quod si misericordia obtenta lumen reciperaret, dictum puteum venerabiliter cooperiri faceret, et altare super illo erigi, et de suis bonis dotari: et dictas reliquias S. Bartholomæi patroni sui, quas super omnes pretiosas habebat, in eodem altari recondi faceret: et singulis annis, ad honorem et venerationem ipsius S. Bartholomæi; die festivitatis suæ, ac dictorum sanctorum Martyrum, per collegium ecclesiæ cathedralis, ad perpetuam rei

imposito altari S. Bartholomæi, F

A rei memoriam, dictam cryptam processionaliter visitaret : et ibidem Vesperas et Missam super dicto altari solenniter celebraret. Quo voto emisso, Deo miserante lumen recuperavit : votumque implevit. Et ex tunc collegium cathedralis ecclesiæ Lugdunensis, ex causa prædicta, annis singulis in festo S. Bartholomæi, ad S. Irenæi cryptam ad Vesperas et Missam canendam accedere consuevit.

EX MSS. CHIFFL.

23 *Non exprimitur tempus cooperti putei, et altaris sub S. Bartholomæi nomine et impositi : quod tamen anno Christi* MCCXLV *id factum fuerit vehemens est suspicio. Bullam enim vidimus Innocentii Papæ IV, datam Lugduni* XV *Kalendas Decembris, pontificatus anno tertio (hic erat annus* MCCXLV) *qua concedit quadraginta dies Indulgentiarum, omnibus vere pœnitentibus et confessis, qui ecclesiam S. Irenæi visitarint in festivitatibus sanctorum Bartholomæi et Irenæi. Est autem verosimillimum, ad primam expositionem reliquiarum S. Bartholomæi, a largitione hac pontificia quæsitam fuisse illis commendationem. Ejusdem cryptæ præter altare S. Bartholomæi, alia recensentur quinque altaria. Medium et primarium S. Irenæi; ad ejus dextram, altare S. Epipodii; ad sinistram, S. Alexandri. Item ad lævum latus cryptæ, altare S. Polycarpi,* B *ejus continens reliquias. Ultimum erat altare, in quo asservabatur pars columnæ, ad quam Christus Dominus alligatus verberatusque est. Ad hæc singula altaria quotidianæ Missæ celebrabantur.*

seculo XIII.

24 *Collis ipse ob tot Martyrum reverentiam vulgo nuncupabatur* Mons sanctus : *quod apparet vel maxime ex tabulis Artaldi Comitis Forensis, et domini Bellyoci, datis ad annum Christi* DCCCCLXXXXIII *tempore Burchardi regiæ stirpis, Lugdunensium archiepiscopi, ex quibus ista referuntur.* Postmodum idem herus vegetatus divinis inspirationibus, recogitans quod nullus locus reperiretur, qui fulgentius luceret tot meritis et millibus Sanctorum, sicut ecclesia almi martyris atque pontificis Christi Irenæi, quæ est dicata in Monte sancto : hoc confisus et revolvens secum, quia ubi plus habetur multitudinis Christi martyrum, illic fortius atque facilius expellitur torva, maligna, et deceptrix fallacia dæmonum, et verissime meditans, quod venientibus ad eorum confugium, citius præstabitur per eorum merita adjutorium *etc. ideo* sepulturam suam ante valvas basilicæ S. Johannis Evangelistæ fieri fecit ; et ordinavit, C quod in die sui anniversarii, loci Canonici ante tumulum ipsius conveniant, et illic pro se exequias faciant.

Mons sanctus.

25 *De crypta deinde Lugdunensium Martyrum hæc afferuntur ex Actis S. Alexandri.* Hos itaque concordes semper et socios *(Alexandrum nempe et Epipodium)* quia mors diviserat, sepultura conjunxit : dum furantibus Christianis educta occulte extra urbem corpora, abscondite conduntur. Erat enim in colle superposito civitati, concretis densatus stipitibus locus : ibique in modum speluncæ conclusa frutetis ac sentibus vallis latebat, et (ut fit) humore deciduo per naturale ministerium infunditur inculta fœcunditas. Quo in recessu venerabilia corpora religiosa provisione demersa sunt ; quia gentilium furor extremam denegans sepulturam, etiam in corpora exanimata sæviebat. *Hæc ipsa est haud dubie* crypta abditissima, *in qua legitur S. Irenæus (ut in ejus Actis) a Zacharia Presbytero condi. At erat a S. Justi et S. Irenæi cryptis factitiis longe diversa; tametsi fortasse utriusque spatia quondam obtinens, nondum S. Justi et S. Irenæi ecclesiis ædificatis.*

Cryptæ martyrum Lugduni

26 *Hujus antiquæ primorum Christianorum cryptæ vestigium illustre compertum est circa annum Christi* MDCXXV, *Lugduni tum nobis degentibus. Cum enim in ædibus Prioris S. Irenæi, ad fundandam structuram quamdam, altissime jam humus excavata esset, occurrit ex improviso lapideum conditorium : quo frustatim* D *extracto, cum aliud atque aliud succederet, jussi sunt fossores in eam capulorum saxeorum struem fundamenta jacere. Mihi vero persuasum fuit, ad ea sepulcra pertinuisse cryptam, quæ persecutionum tempore Christianis quondam Lugdunensibus, et latibula superstitibus præberet, et tumulos mortuis ; subterraneis Romanorum cœmeteriis non absimilem, in quibus ad fidelium sepulturas, ejusmodi urnæ* μονόλιθοι, *aliæ aliis ad perpendiculum impositæ, velut in parietes assurgunt. Hac igitur in crypta primum conditos censeo Epipodium, Alexandrum, Minervum, Eleazarum, Irenæum, aliosque vel confessores vel martyres non paucos. Dumosum vero illud profundum, in quod sub Irenæo populi Christiani gladio cæsi, demersa sunt corpora, craterem fuisse et spiraculum ejus ipsius cryptæ; illi persimile, quod in monte Jura, prope lacum Antri, ad tres fere horarias leucas a S. Claudii monasterio, alias non sine admiratione spectavimus.*

quarum una an. 1625 detecta fuit,

27 *Et voragini S. Patiens Lugdunensis episcopus duplicem sub uno tecto basilicam superstruxit, in eorum præcipue Martyrum honorem, quos illa absorpserat. Nam horum dumtaxat meminere quæ dedimus epigrammata, basilicæ parietibus aut pavimentis a primo ejus conditu opere musivo inscripta ; quo dubium fit, num* E *S. Irenæi corpus ipsemet Patiens in eam ædem intulerit ; certe illud eodem loco non invenit, in olim aiebant Irenæenses. Quare Irenæi, adeoque Epipodii et Alexandri Martyrum, tres omnino sepulturas agnosco. Primam in illa crypta abditissima, dumetis ac sentibus præclusa, aquis etiam torrentibus e collis clivo superiore subinde prolui solita, quæ Christianis olim perfugium ac latibula præbebat tumentibus persecutionum procellis ; ut clanculum in ea et cœtus suos agerent, et Sacramenta perciperent, et suorum etiam, qui vita defuncti essent corpora religiose sepelirent. Alteram, data Ecclesiæ pace sub Constantini magni tempora, in Machabæorum æde sacra, quæ et S. Justi. Tertiam ac postremam, in crypta basilicæ, S. Johannis Evangelistæ nomine, super illius (de qua diximus) voraginis craterem exædificatæ, quæ nunc vulgo de S. Irenæi nomine appellatur.*

Ecclesia a S. Patiente ubi condita,

28 *At quo tempore in eum locum e sancto Justo translata sint horum Martyrum corpora, obscurum hactenus fuit. Si conjecturæ indulgendum est, factum id putaverim nono post Christum seculo, circa annum* DCCCLXX, *his argumentis. Anno Christi* DCCCLVIII *(ut observavi in tabulis Irenæensibus) Audinus, sive Audoynus, sub beato Remigio Lugdunensi archiepiscopo* F *Chorepiscopus, cum ecclesiam S. Justi quasi funditus reædificasset, adeoque ejus structuram majori ex parte immutasset ; insuper eidem ecclesiæ villam S. Justi, cum omni dominio jurisdictionis ejusdem de suo proprio patrimonio donavit,* in honorem sanctorum Irenæi et Justi in basilica dictæ ecclesiæ quiescentium. *Si fides est huic instrumento, adhuc anno illo* DCCCLVIII *jacebat S. Irenæus in ecclesia S. Justi. Porro in Adonis Viennensis martyrologio, quo Lugdunenses olim ecclesiæ in divinis officiis utebantur, hæc lego.*

quando corpus S. Irenæi eo translatum.

29 VIII Kalendas Maji. Lugduni Galliæ, natale sancti Alexandri, qui tertio post passionem beati Epipodii die productus ex carcere, primo ita est laniatus crudelitate verberantium, ut crate soluta costarum, patefactis visceribus secreta animæ panderentur : deinde crucis affixus patibulo, beatum spiritum exanimatus reddidit. Passi sunt cum eo et alii numero XXXIV. Sepulti ambo ex utroque altaris latere, in crypta quæ in colle superposito civitati, pulchro et antiquo opere exstructa est. *Item,* IV Kalendas Julii, apud Lugdunum Galliæ, natale Irenæi episcopi, qui beato Photino prope nonagenario, et Christi martyrio coronato, in locum ejus successit. Quem etiam constat beatissimi Polycarpi sacerdotis

Ex Adone inquiritur in loca,

A dotis et martyris fuisse discipulum, et apostolicorum temporum vicinum. Postea vero persecutione Severi, cum omni fere civitatis suæ populo, glorioso coronatus martyrio, sepultus est a Zacharia presbytero in crypta basilicæ beati Johannis Evangelistæ *(male quædam exemplaria,* Johannis Baptistæ) sub altari; cui ab uno latere Epipodius, ab altero Alexander martyr est tumulatus. Hujus cryptæ tam veneranda est claritas, ut meritum Martyrum signare credatur. *Denique,* x Kalendas Septembris. Lugduni Galliæ, natale sanctorum martyrum Minervi et Eleazari cum filiis octo; quorum corpora in crypta, quæ urbi supereminet, condita habentur.

ubi S. Irenæus quievit,

30 *Hic diligenter advertendum est, duas cryptas designari ab Adone in Irenæo: alteram in qua a Zacharia presbytero conditus est sub altari S. Johannis Evangelistæ: alteram in qua Epipodium et Alexandrum hinc et inde consepultos tum habebat, imo et Minervum atque Eleazarum cum filiis octo. Hanc posteriorem (quæ S. Patientis opus fuit) tanto fulgore insignem fuisse notat, ut is a Martyrum ibi conditorum merito divinitus manare crederetur. In illa priore et vetustissima significat Ado, fuisse altare sub S. Evangelistæ Johannis nomine dedicatum, sub quo altari* B *Irenæus a Zacharia fuerit compositus, ita ut illo ipso altari contineretur. At in S. Patientis recentiore crypta jacebat quidem Irenæus directe sub altari S. Johannis, in superiore basilica constituto; sed in æde inferiore, sive in crypta jacebat, et in proprio altari, quod media testudine a S. Johannis altari sejungebatur. Ex his tamen Adonis verbis colligimus, jam tum, cum ille Martyrologium suum conscriberet, asservatum fuisse S. Irenæi corpus in illa perquam splendida crypta, pulchro et antiquo opere exstructa, adeoque in crypta ecclesiæ S. Irenæi, cum talem fuisse S. Justi cryptam ex nullis veterum monumentis appareat. Nunc tempus conscripti ab Adone martyrologii investigemus.*

et in tempus,

31 *Adonem nobili genere natum, observavimus olim in tabulis ecclesiæ Viennensis (quæ ad* XVII *Kalendas Januarias eum inter Sanctos colit) vitæ monasticæ a puero addictum fuisse in monasterio Ferrariensi. Inde cum Romam ad limina Apostolorum contendisset, quinquennium ibi exegisse; ac in reditu Ravennam digressum, veteris Romani Martyrologii sibi a viro religioso commodatum exemplar (quo deinde in suo concinnando plurimum usus est) sua manu descripsisse. Lugdunum* C *postea transgressum, a Remigio ejus civitatis archiepiscopo exceptum esse perhumaniter: qui ejus delectatus consuetudine, captusque doctrinæ ac virtutum piis illecebris, venia prius ab ejus Abbate impetrata, illum in suum suæque ecclesiæ obsequium apud se retinuit. Ibi tunc potius conscribendo suo vel chronico vel martyrologio intendisse credendus est, quam post susceptum (eodem agente Remigio) Viennensem archiepiscopatum anno Christi* DCCCLXXV, *Indictione* VIII, *quem ad annos sedecim ad obitum usque egregia laude administravit. Pertexuisse ergo videtur Martyrologium suum circa annum* DCCCLXXIV. *Tum vero jam erat corpus S. Irenæi in crypta ecclesiæ, nunc ab ipso nuncupatæ. Anno autem* DCCCLVIII *(ut supra ostendimus) adhuc habebatur in ecclesia S. Justi. Hæc si vera sunt, certe S. Irenæi corpus medio tempore inter annos* DCCCLVIII *et* DCCCLXXIV *de S. Justi crypta in cryptam S. Irenæi translatum esse oportuit.*

quo translatus sit in suam cryptam.

Ecclesiam, quæ nunc S. Irenæi dicitur,

32 *Superest, ut hanc ecclesiam, quæ nunc* S. Irenæi *vulgo dicitur, illam ipsammet esse ostendamus, quam a S. Patiente ædificatam libro* 2 *epistola* 10 *celebravit Sidonius.* Ortum prospicit æquinoctialem, *inquit ille. Ita est; sed nihil ex eo, aut perparum conficias, quia eodem quoque aliæ veteres ecclesiæ obversæ sunt. At erant olim in crypta S. Irenæi (ut legi in tabulis citatis) columnæ vario ex marmore triginta. Hæc porro sunt Sidonii* fulmenta Aquitanica, *quibus illa* D *superbiebat porticus triplex. Duo vero illa, qua parietibus, qua pavimento inscripta opere musivo epigrammata, quid aliud esse dixeris a Constantii et Secundini Poetarum hexametris (seu puris, seu pentametrorum alterno recursu variatis) quibus, ut ait Sidonius,* vicinantia altari basilicæ latera *clarescebant?*

EX MSS. CHIFFL.

a S. Patiente extructam fuisse

33 *Frustra est Papirius Massonus, de S. Stephani ecclesia Sidonium explicans, quam ab Alpino Lugdunensi episcopo, centum fere annis ante Patientis tempora, extructam notant, tum aliæ Lugdunensis diœcesis tabulæ, tum etiam antiquus catalogus episcoporum Lugdunensium, in codice ipsius ecclesiæ S. Stephani, inter martyrologium et necrologium descriptus. Frustra item Jacobus Sirmondus in hanc Sidonii epistolam;* Quo minus, *inquit,* S. Irenæi basilica videatur, facit, quod ab Arari procul absit, parumque ei conveniat situs ecclesiæ Sidonianæ. *Verba Sidonii sunt;* Hinc agger sonat, hinc Arar resultat: *unde ad eam basilicam sese reflectere solitos dicit pedites, equites, essedorum moderatores, helciarios etiam et nautas,* respon-santibus alleluia ripis.

ostenditur,

34 *De aggere seu via publica, nulla difficultas, quæ etiamnum in proximo est. De Arari miror moveri* E *quæstionem, cum fluat Arar ad radices collis, cujus in clivo posita est ædes S. Irenæi; ita ut ab helciariis ac nautis non solum ejus spectari culmina, sed et in ea psallentium chori facile exaudiri possent. Quod dubitat Theophilus Raynaudus noster, in Indiculo Sanctorum Lugdunensium, sitne de S. Justi ecclesia intelligendus Sidonius ob laudatam ejus magnificentiam, probari nobis non potest, cum attendimus, in eam ædem (quæ prius Sanctorum Machabæorum dicebatur) illatum fuisse S. Justi corpus ab Ægypto revectum, vixdum nato Patiente; unde et a S. Justo deinde appellata est: quodque regium opus ejusdem basilicæ, anno Chbisti* MDLXII *a Calvinianorum exercitu funditus eversum, dumtaxat ab Innocentii Papæ IV temporibus initium acceperit, cujus vidimus bullas, datas ad annos ejus pontificatus, quartum, quintum, septimum, et nonum, quibus certas Indulgentias impertitur iis, qui ad ecclesiæ S. Justi structuram manum porrexerint adjutricem. Reliqua Sidonii propius inspiciamus.*

ex carmine Sidonii

35 Intus lux micat, *inquit Sidonius, a crypta exorsus, ut quæ ad ædem superiorem esset cordis instar, et velut fabricæ totius umbilicus ac meditullium; nempe ob reliquias tot millium Martyrum, quas propius spectabat. Jam recole illud ex Adonis Martyrologio,* Hujus cryptæ tam veneranda est claritas, ut meritum Martyrum signare credatur. F *Compara et versus illos;* Corpora dumoso *etc.* Perspicuum tracti luminis inradiat. *Hoc enim quid aliud est ab illis Sidonii verbis;* atque bracteatum Sol sic solicitatur ad lacunar, Fulvo ut concolor erret in metallo? *Pergit ille.* Distinctum vario nitore marmor *etc. ubi eleganter depingit musivum opus, quo superior quidem ædes ornata erat, sed præsertim crypta,* pulchro et antiquo opere musivi et auripetri exstructa, *ut habet fragmentum antiqui sermonis de S. Irenæo, quod supra retulimus.*

et aliis scripturis.

36 *Hujus utriusque operis frequens est mentio in citatis tabulis: distinguunt enim illæ musivum opus ab auripetrino, velut genus a specie; cum musivum coalescere dicunt ex minutissimis lapillis marmoreis et vitreis diversorum colorum, mirabiliter compositis; auripetrinum vero, ex iisdem lapillis, sed sparsim deauratis, ab auro et petra sic appellatum. Porticum triplicem Sidonii interpretor trilateram porticum cryptæ, quæ scilicet dextrum, sinistrum, et infimum latera obtineret, superiore ad sanctuarii et altaris primarii commoda reservato. Porticus autem secundas ad triplicis illius specimen, explico similes et patentiores porticus superioris basilicæ, quæ inferioribus parallelæ essent.*

37 *Denique testantur antiqui versus, quos dedimus, duo*

EX MSS. CHIFFL.

A *duo illa templa* tecto fundata sub uno, *a S. Patiente et condita et exculta. At aliam basilicam Lugduni ab eodem Patiente funditus exstructam, vix in omnibus Lugdunensium monumentis reperias; quamvis panegyrice dixerit Sidonius lib.* 6 *epistola* 12, *ad ipsum S. Patientem;* Omitto, te tanto cultu ecclesiam tibi creditam convenustare, ut dubitet inspector, meliusne nova opera consurgant, an vetusta reparentur. Omitto, per te plurimis locis basilicarum fundamenta consurgere, ornamenta duplicari. *Sed ut plures Lugduni fundaverit, hæc illi ejus descriptioni ita respondet, ut aliam, cui aptius conveniat, frustra quæras.*

C. J. *Ut dicta fiant clariora,*

38 *Cetera hujus lucubrationis Chiffletianæ desunt in MS. nostro. Observo autem, hæc ultima, ubi disputatur de veteri statu ecclesiæ S. Irenæi ex epistola Sidonii, per se obscuriora esse intellectu, nisi ipsa epistola ad manum sit, ac identidem consulatur. Quamobrem ipsam, licet supra remiserim lectorem ad tomum* VII *Junii, ubi impressa legitur, hic denuo recudendam curo. Est illa, uti jam dictum est, decima libri* 2 *ad Hesperium, cui carmen mittit Sidonius, novæ ecclesiæ, a Patiente Lugdunensi episcopo ædificatæ, inscribendum, sic præludens :* Hujus igitur ædis extimis, ro-B gatu præfati Antistitis *Patientis*, tumultuarium carmen inscripsi trochæis triplicibus, adhuc mihi, jamque tibi perfamiliaribus. Namque ab hexametris eminentium poetarum, Constantini et Secundini, vicinantia altari basilicæ latera clarescunt; quos in hanc paginam admitti, nostra quam maxime verecundia vetat.... Sed quorsum ista? quin potius paupertinus flagitatæ cantilenæ culmus immurmuret.

datur epistola Sidonii et carmen.

39 Quisquis Pontificeis, Patrisque nostri
Collaudas Patientis hic laborem,
Voti compote supplicatione
Concessum experiere quod rogabis.
Ædes celsa nitet, nec in sinistrum
Aut dextrum trahitur, sed arce frontis
Ortum prospicit æquinoctialem.
Intus lux micat, atque bracteatum
Sol sic sollicitatur ad lacunar,
Fulvo ut concolor erret in metallo.
Distinctum vario nitore marmor
Percurrit cameram, solum, fenestras :
Ac sub versicoloribus figuris
Verans herbida crusta sapphyratos
Flectit per prasinum vitrum lapillos.
Huic est porticus applicata triplex,
C Fulmentis Aquitanicis superba :
Ad cujus specimen remotiora
Claudunt atria porticus secundæ :
Et campum medium procul locatas
Vestit saxea sylva per columnas.
Hinc agger sonat, hinc Arar resultat.
Hinc sese pedes, atque eques reflectit,
Stridentum et moderator essedorum,
Curvorum hinc chorus helciariorum,
Responsantibus alleluia ripis,
Ad Christum levat amnicum celeusma.
Sic sic psallite, nauta vel viator :
Namque iste est locus omnibus petendus,
Omnes quo via ducit ad salutem.

Error in episcopatum Adonis correctus.

40 *Neque debeo inobservatum relinquere, quod Chiffletius figat anno* DCCCLXXV *initium Adonis in Episcopatu Viennensi, quo potius consignari debet ejus obitus; quando quidem successor ejus Ottramnus subscripsisse legitur anno* DCCCLXXVI *concilio Pontigonensi. Verus annus initi ab Adone episcopatus* DCCCLX, *definitur ex ipsiusmet epistola, in synodo Viennensi data,* anno DCCCLXX incarnationis Dominicæ, Viennæ mense Aprilis, episcopatus domini Adonis anno X indictione III. *Si annus ejus in episcopatu decimus incidit in annum incarnationis Domini* DCCCLXX, *utique primus concurrit cum anno* DCCCLX. *Igitur ut* D *valeat Chiffletii computus, debet Ado suum scripsisse aut absolvisse martyrologium anno* DCCCLIX. *Is enim solus intercessit inter annum* DCCCCVIII, *quo adhuc in ecclesia S. Justi quievisse corpus S. Irenæi, censet Chiffletius et annum* DCCCLX, *quo Ado episcopatum certo auspicatus est; atque adeo juxta argumentationem Chiffletii debet intermedio tempore dictum S. Irenæi corpus e S. Justi in S. Irenæi translatum fuisse. Vellem reliquus Chiffletii contextus adesset, aliquid majoris fortasse luminis allaturus.*

Pag. 336 *num.* 38 ℣ *ultimo, ad illa verba,*— sed liquida omnia, *Annatationem suam nobis reliquit Papebrochius (illam ego neque probare neque improbare velim, uti nec tractatum ipsum de S. Theodechilde, quia accuratum studium requirunt, quod mihi modo non vacat adhibere)* sed liquida omnia videri possint. *Dixi inquit,* viderit possint. *Non enim parvus mihi residet scrupulus circa conjugem regem et regiam prolem. Nam quomodo duplex apud - Varnos conjugium, licet regium, cum barbaris tamen gentilibusque, contractum, Christianæ mulieri ita gloriosum potuit videri Fortunato, ut ipsum inter præcipua, aut saltem ut ceteris paria, regiæ familiæ decorat censeret? Quomodo* E *non potius abominatus sic Poeta Christianus et Presbyter, saltem secundum, novercæ cum privigno, ut quidem* mos patribus jubebat, *teste Procopio; sed expressissime vetabat lex Christiana? Quin etiam ipsum istud qualecumque conjugium, non sine injuria prioris sponsæ Brixiæ contractum, nec sine aliqua infamia superinductæ Theodechildis, dissolutum, quomodo dici potest novam gloriam regiæ Francorum familiæ intulisse? aut proles inde susceptas (si qua tamen suscepta fuit) in aliqua apud Francos æstimatione fuisse? Sic hæsitanti, non solum confirmatur conjectura de tertio ipsius in patria matrimonio; sed omnia circumspectanti et tempora et personas, nullas occurrit dignior vel aptior, in cujus thorum indicatur Theodechildis hæc, quam patruus ejus Clotharius rex Suessionum, et per fratrum suorum subinde mortes, tandem etiam totius Franciæ monarcha. Habuit hic uxorem Ingundem, ex eaque filios usque ad annum* DXXXV; *post quem nulla Ingundis apud historicos fit mentio, sed multa postea recensetur feminea proles ex mulieribus variis, quarum nominantur aliquæ, sed nulla reginæ titulo honoratur. Quid ni igitur suspicer, Ingundem sub idem fere tempus mortuam fuisse, quo a Varnis redierat Theodechildis, ætate ac forma florens et Regi in feminas nimis quam proclivi, annumque ætatis tunc quadragesimum circiter agenti, placuerit in matrimonium tanto facilius, quanto commendabiliorem eam reddebat communio generis undique regii? In hoc conjugio vixerit* F *illa annis pluribus quam* XX, *quandoquidem Clotharius vitam protraxerit usque ad annum* DLXI, *et ex iis, quæ nominantur, filiabus, nonnullas genuerit, fortassis et filios, sed patri præmortuos, nullaque regiminis parte potitos; ideoque præteritos ab historicis; merito tamen exhinc dicta,* prole potens eaque felix, *ita tamen, ut ejus Christiana patientia egregie exercita fuerit tolerandis tot pellicibus, quot Rex ille subinde eidem superinduxisse creditur, sicuti primæ uxori Ingundi superinduxerat ejus sororem Agarundem et annis aliquot velut alteram reginam habuit.*

NOT. 16 *De Theodechildis matrimoniis: an nupserit Clothario patruo suo.*

Pag. 361 *inter Prætermissos col.* 1. *fere in medio, ubi* Aletha, Alexia *sive* Aleza, *cognomento* Burgotta, *appone ad calcem — His impressis, alia de hac Virgine indagavi Parisiis per D. Claudium Castellanum canonicum ecclesiæ cathedralis, qui inter alia, hæc rescripsit : Adivi ecclesiam sanctorum Innocentium, vulgo* Saint Innocent *dictam, vidique anaglypho opere in ære formatam imaginem beatæ istius Reclusæ, cui nomen est* Alix la Bourgote, *latine* Adelais Burgota, *non* Aletha *uti format nomen Saussayus. Ipsa induta est ad*

NOT. 17 *Adelais Burgota.*

A ad instar Religiosæ S. Claræ, portans velum in capite, pallium ex humeris supra tunicam, sed non usque adeo demissum; funis antrorsum pendet demissius; collum tegitur subtili linteo; manus junctæ supra librum, in quo sub læva sculptum est, Deus in adjutorium meum intende. Domine ad adjuvandum me festina: sub dextra vero legitur primus versus Psalmi quinquagesimi, Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. Apparet, hanc statuam olim constitisse supra tumbam ejus, quatuor leonibus æneis sustentatam, quæ anno MDCLVI, dum pavimentum ecclesiæ innovabatur, alio remota fuerint. Hinc ascendi ad Chartophylacium, et scrutatus varia scripta, comperi, Adelaidem illam in cellam suam junctim ecclesiæ, se abdidisse anno MCCCCXX, quæ hodiedum extat mutata in sacrarium, ubi solenniter missam celebraturi sacris se vestibus induunt. Patri nomen fuit Bourgot, unde ipsa vulgo la Bourgote. Imprimis nosse cupiebam (pergit Castellanus) num alicui religioso Ordini mancipata fuisset, sive S. Francisci, ut scribit Arturus a Monasterio; sive S. Augustini, ut Breulius; verum ne apex quidem illa de re, in grandi scripturarum mole, quæ de Adelaide Reclusa tractant, invenitur. Addidit B quoque Castellanus epitaphium Virginis, prædictæ tumbæ ejus inscriptum; quod quia compendium vitæ est, hic servari meretur.

quo habitu repræsentetur in statua.

Inclusa fuit in cella sua anno 1420.

Epitaphium ejus,

En ce lieu git sœur Alliz la Bourgote,
En son vivant Recluse tres-devote,
Rendue a Dieu femme de bonne vie
En cet hostel voulut estre asservie:
Ou a régné humblement et long-tans
Et demeuré par quarante-six ans
En servant Dieu augmentée en renom,
Le Roy Louïs onzieme de ce nom
Considerant sa tres-grand' perfecture
A fait lever icy sa sepulture.
Al trépassa d'icy en son sejour
Le Dimanche vint et neuvieme jour
Du mois de Juin quart cents soixante et sis.
Jesus la mette en son saint Paradis.

complectens vitæ synopsin.

Hæc se accuratius descripsisse, ait Castellanus, quam legantur apud Du-Breuil. Ego gallice dicta latine reddo soluta oratione, sensum sequens.

Hocce in loco jacet soror Adelais Burgote,
Dum vix, Reclusa devotissima,
Deo dicata, femina bonæ vitæ,
Voluit hoc in hospitio servari;
C Ubi habitavit humiliter et longo tempore,
Ac mansit per annos quadraginta sex
Deo serviens; et bonam famam acquisivit.
Rex Ludovicus, sui nominis undecimus,
Considerata ejus maxima perfectione,
Hic elevandum curavit ejus sepulcrum.
Ipsa hinc transiit in requiem suam
Dominica, vigesima nona die
Mensis Junii anno quadringentesimo sexagesimo sexto (subintellige post millesimum.)
Jesus ipsam collocet in sancto Paradiso suo.

NOT. 18 Pag. 444 num. 79 ad calcem adde — sub hac tamen cautione, quod inscriptiones illic neque integræ sint, neque propria litterarum (quas Italice Bollaticas vocat Millinus apud Soresinum pag. 45 et 46) repræsententur forma; neque annus in utroque inferiori limbo recte signetur; prout colligere est ex ipsis integris inscriptionibus, numero sequenti rectius citatis ex prædicto Millino.

NOT. 19 Pag. 406. Col. 2, lin. 3 adde: — In præcedenti Disticho blandiri sibi Auctor videtur fore, ut Pontifex Romanus, illato in ecclesiam Lateranensem sacro capite S. Petri, eodem e Vaticano sedem suam referat. In hoc vero rationem reddit, cur S. Paulus a dextra S. Petri collocetur, quia nempe Filius dextræ, Vas electionis, atque eximius Prædicator veritatis et Doctor gentium sit.

D

AUCTORE C. J.

EMBOLISMUS

De eodem S. Pauli gladio in Hispania.

Quandoquidem de gladio S. Pauli, quem Hispani passim Mucronem vocant, hic agi cœptum est ex Tamayo, qui parum historice rem tractat, et multa minus apte interpolat; audiamus ipso antiquiorem historiographum sacri Ordinis Hieronymiani, Josephum de Siguença, qui Patre 2 Historiæ Ordinis sui, anno MDC Matriti hispanice edita, libro 1, cap. 13, pag. 80, hunc in modum scribit: Inter alias plures præcipuasque monasterii nostri (S. Mariæ de la Sysla juxta civitatem Toletanam; uti titulus capitis habet) sacras reliquias visitur quoque, multæ vetustatis singularisque venerationis gladius, quo capite truncatus fuit S. Paulus Apostolus. Attulit illum Roma archiepiscopus Toletanus, Dominus Ægidius de Albornoz, donatum sibi a Pontifice Romano mercedis et summi favoris loco, pro officiis et laboribus Ecclesiæ Romanæ impensis; illoque se abunde remuneratum existimabat. Atque hoc sufficienter probat, veram esse Reliquiam illam; quamvis veritas ejus E multum confirmata sit per miracula grandia, quæ illam cum fiducia tangentes, in curatione gravissimarum infirmitatum suarum experti sunt. Forma ejus refert antiquos gladios, quos intulerunt in Hispaniam Romani; non item eorum nomine appellatur, sed Arabico, a Mauris (ut multa sunt alia, quibus hodiedum utimur) nobis relicto.

Relatio Seguencæ de eodem gladio;

ejus forma,

2 Idem gladius cum capulo suo longitudinem habet palmorum quatuor latitudinem quatuor, digitorum, estque unius aciei ad modum periconii antiqui, præterquam quod cuspidatus sit: ejusdemque formæ plures visuntur in columna Trajana. In altero gladii plano, litteris admodum peregrinæ formæ sculptum legitur; NERONIS CÆSARIS MUCRO: in altero quæ habentur litteræ, et posterius videntur incisæ, et forma differunt a prioribus; incisæ autem fuerunt (uti mea quidem fert opinio) ob memoriam et pietatem Christianorum, ad quorum manus iste gladius pervenit; atque ita sonant, QUO PAULUS TRUNCATUS CAPITE FUIT, ÆRA CVIII. In dorso gladii alius extat titulus, adeo oblitteratus, ut percipi a paucis possit, indicatque, allatum fuisse a Domino Ægidio de Albornoz archiepiscopo Toletano. F

3 Pontifex ille Romanus, quem Albornozio dedisse gladium, ait Siguença, fuerit aut Innocentius VI, cujus jussu Avenione in Italiam profectus, conscripto milite, ditionem Ecclesiasticam partim vi, partim prudentia sua dejectis tyrannis, pacavit; aut Urbanus V, Innocentii successor, sub cujus Pontificatu anno Christi MCCCLXVII obiit, optime de Ecclesia, et plus quam gladium prædictum meritus. De illius longitudine palmorum quatuor, conveniunt Siguença et Tamayus; de latitudine vero ejus, minimum quantum differunt, dum alter, ei digitos duos, alter quatuor attribuunt. Adducamus tertium scriptorem, mihi anonymum, qui dirimat litem, et quædam alia explanet. Submisit mihi Matrito istius Relationem P. Josephus Cassani Societatis nostræ, in litteris suis, anno MDCCVIII, die XXI Junii datis, scribens in hæc verba latine: Subito curavi, notitias omnes ad me mitti de ense, quo S. Paulus capite truncatus fuit. Hic Toleti in monasterio Syslensi servatur, sed non eo testimonio identitatis, quo probari vellem. Quod potui, feci. Vos accipietis, quidquid est, in obsequii memoriam: et si utile et curiosum videbitur, addetis Commentario ad vitam S. Apostoli.

a quo Pontifice donatus sit Albornozio.

4 Nunc ad Relationem Anonymi, similiter latine scriptam. Præmissis nonnullis, quæ jam tetigimus, de celebritate

Relatio alia recentissima fatetur

A *celebritate gladii, ejusque veneratione per concursum peregrinorum; dicit, totius longitudinem extendi ad pedes ternos Reythlanticos, qui fere idem conficient spatium quatuor palmorum; uti supra definitum vidimus : latitudinem vero, qua maxima est,* extensionem quatuor digitorum non excedere, *quod magis convenit cum sententia Siguençæ, quam cum Tamayi; quantumvis hic etiam declaret, se gladium vidisse aut saltem invisisse venerationis causa. Tum (quod multum refert) agit de veritate dicti gladii his verbis :*

sola traditione credi, gladio illo necatum S. Paulum ;


5 Quod ejus veritatem, seu ut clarius loquar, legitimationem, credideram sane in monasterio servari. non quidem simili veneratione, sed æquali cura, authographum aliquod, scripturam, aut quid simile, certitudinem comprobans. Sed magis pii custodes, quam de veritate adeo singularis Reliquiæ soliciti, ad fidem testimonio carent : tantumque fundatur in antiquissima inconcussaque antiquorum traditione, asserente, summum Pontificem Eminentissimo D. Ægidio de Albornoz, præsuli Toletano, post tot illustres victorias, quibus Patrimonio Ecclesiæ plures civitates, ab aliquibus vi usurpatas, restituit, sacro ense remunerasse ; ut sic ensi ense
B satisfaceret. Quo munere accepto, idem Eminentissimus illud Fratribus S. Hieronymi tradidit. Sic habet communis opinio, et ab auctoribus fide dignis scribitur. Nullus de veritate dubitat, extraneorumque incredulitas quoditianis miraculis convincitur. Non permittunt Fratres, ensem extra monasterium abduci ; sed aquæ, qua lotus fuit, potu infirmi a febri, præcipue tertiana, sæpissime subito liberantur. Dicunt, Romæ prædicti ensis ligneum transsumptum servari, ibique constanter asseri originale Toleti in dicto monasterio venerari.

quæ traditio extendi non potest

6 *Si tota hæc narratio majori non nitatur fide, quam ultima ejus periodus, vehementer dubitandum puto de veritate rei præcipuæ. Habitavi ego per annos septem Romæ, vigili semper oculo et animo intentus ad ea, quæ Sanctorum sunt, nec uspiam vidi, audivi, legi, aut rescivi aliquid de ligneo illo ensis Paulini transsumpto ; imo nec inveni scripturam ullam, quæ fidem aut mentionem faciat, talem ensem illic aliquando servatum fuisse. Et Octavius Pancirolus in copiosissimo Indice, quem texuit de sacris Reliquiis Romanis, multa meminit de Reliquiis S. Pauli, et inter alia, de scipione, quo utebatur sanctus Apostolus iter faciens; de columna, super qua ei caput præcisum putat; de velo*
C *quo obvoluti fuerunt oculi antequam cæderetur : de gladio autem, quo cæsus fuerit aut ligneo ejus transsumpto, nihil. Nihilo magis de illo meminit Canonicus Romanus aut potius Vaticanus, qui sub annum* MCC *floruit, amplissimamque Ecclesiæ suæ Vaticanæ et reliquiarum ejus descriptionem reliquit, illustratam atque anno* MDCXLVI *editam Romæ a Paulo de Angelis.*

ultra tempus donationis.

7 *His tamen non obstantibus facile inducar ad credendum, Albornozium pro præstitis Ecclesiæ officiis, etiam in bello, donatum a Pontifice gladio honoris causa fuisse, illumque post obitum ejus (non enim videtur, ex quo in Italiam venit, in Hispaniam vivus rediisse) cum cadavere, quod inaudito alias exemplo Toletum usque longissima via magnaque populorum frequentia, aliis post alios, etiam principibus viris, atque ipso Rege Henrico, succollantibus, elatum fuit; eodem apportatum esse, tamquam singulare monumentum meritorum ipsius. Et eatenus existimo, satis certam esse traditionem in Hispania, gladium aliquem, Albornozio a Pontifice Romano donatum fuisse, atque ad monasterium B. Mariæ de la Sysla delatum, ibidem servari hodiedum ; quia non tantum citati Auctores, sed antiquior etiam, Blasius Ortiz, qui Adrianum VI Pontificem creatum, secutus in Italiam, dein Canonicus Magistralis ecclesiæ Toletanæ, totiusque diæceseos sub archiepiscopo Joanne Tavera vicarius generalis fuit, anno* MDXLIX *impressit libellum, in quo de Reliquiis, ab Albornozio ex Italia Toletum missis, deque gladio sæpe dicto etiam agitur : verumtamen talis auctoritas aut traditio, non habetur ad probandum, eumdem gladium, quem Pontifex Albornozio dedit, illum esse, quo S. Paulus Apostolus decollatus fuit. Aliud plane est pia credulitas hominum in rebus istiusmodi ; aliud, rei veritas. Figura porro gladii, quæ cum citata Relatione mihi transmissa fuit, plane recta apparet, nisi quod in acumine desinat per modum rostri aquilini, non a dorso in aciem curvati, sed contra, ab acie sursum. Ipsam hic delineatam accipe cum insculptis characteribus suis, ut curiosus quivis lector inde judicet secundum eruditionem suam, plura fortasse super ejus forma et antiquitate commentaturus, quum ego velim et Papebrochius cœpit*



tomo VII *Junii pag.* 424 *num.* 166. *Epigraphe in uno latere legenda est a mucrone, et prosequenda in altero latere a capulo : in primo insculptæ sunt voces integræ, in altero non item : tota sic legi debet :* CESARIS NERONIS MUCRO, QUO PAULUS TRUNCATUS CAPITE FUIT ERA CVIII. *Notantur quoque in dorso mucronis seu gladii formæ quædam characterum, sed qui combinari non possunt : ideoque in ectypo nostro sunt prætermissæ.*

S. Hilarius ep. Patav.

Pag. 444 *(ubi de* S. Hilario episcopo Patavino) *num.* 6 ỳ 7 *a fine. Dele* — Adeo ut *cum sequentibus duobus versibus, usque ad — Meminerunt etiam etc. Repone autem hæc, sub num.* 7, *et quæ ibidem supersunt, conjunge cum numero sequenti : et alios subinde cyfros numerorum ordine suo muta.*

et translatio monachorum S. Servuli, ad ejus ecclesiam facta an. 819

7 *Verum translationem hanc monachorum, ab Abbate S. Servuli factam, Sansovinus ad annum refert non suum. Constat enim e certioribus monumentis, factam non fuisse ante annum* DCCCXIX, *quo Angelus*
E *Participatius Venetorum dux cum filio Justiniano donavit Joanni abbati monasterii S. Servuli, opem suam imploranti, Capellam S. Hilarii confessoris cum possessionibus, ut eo monachos suos transferret. Extant istius Donationis tabulæ apud Ughellum tom.* 5 *Ital. sacræ, col.* 1265, *datæ* mense Martii. Indictione XII, Rivi-alti ; *quæ Indictio alium ibi annum signare non potest, quam* DCCCXIX, *atque inter alia sic habent :* Quoniam quidem Joannes venerabilis Abbas monasterii S. Servuli, cum Dei caterva sui cœnobii, postulavit nostra suffragia ; eo quod in loco angusto constituti et infra paludes manentes, Deo Christo deservirent, possessionibus carentes, unde victui necessaria subministrarent ; postulantes, ut ob Christi et Sanctorum amorem eisdem subsidium et juvamen de hoc impertiremur. Atque ideo nos quidem, Angelus et Justinianus, per divinam gratiam Venetæ Provinciæ Duces...cogitantes cogitavimus, qualiter eumdem Dei servum... cum Fratribus suis de prædicta ecclesia beati, Christi martyris Servuli transferentes, quo loco transmutare deberemus, vel quo ordine vivendi pacifice perpetualiter ponere possemus ; ad nostram devenit memoriam, ut capellam quamdam in honorem B. Hilarii confessoris Christi super fluvium Hime, ad jura proprietatis nostræ cum suo territorio constructam, sibi concedentes,

ab Angelo Participatio Venetorum duce,

AUCTORE C. J.

A dentes, quieto possent vivere tramite, eo ordine, quo docet B. Benedicti Regula.

9 *Et nonnullis interjectis describit territorium, quod cum capella donat, ejusque terminos definit, ita prosequens :* Concessa igitur prædicta capella S. Hilarii cum suis territoriis, finibus et terminis cum omnibus appenditiis vel adjacentiis suis est... Id est a flumine, quod dicitur Clarino, procurrente usque in canalem, qui dicitur Gambarana, et inde in fossa, quæ dicitur Ruga ; ac deinde in canale de Lunas procurrente in Sercho et usque in paludibu, aquis salsis. Similiter a prædicto flumine Clarino, descendente ad locum, ubi dicitur Aurilia, et finalibus * desciendente per canalem, qui dicitur Avisa, perexiente in dicto flumine Himæ, et deinde percurrente usque in paludibus similiter tribus millibus aquis salsis. *Fluvius præcipuus, qui hic vocatur* Hime, *in secuturo mox Privilegio Lotharii imperatoris, anno* MCXXXVI *signato, appellatur* Dira, in finibus Rivoaltensibus, *ibidemque Ugerius nominatur tunc temporis fuisse* Abbas sanctorum Hilarii et Benedicti de provincia Venetiæ : *et nunc in codice Taxarum Cameræ Apostolicæ (diximus enim ecclesiam illam Sedi* B *Apostolicæ immediate subjectam esse) intitulatur* Abbatia SS. Hilarii, Georgii et Benedicti ; *uti refert Aug. Lubin in Notitia Abbatiarum Italiæ pag.* 411. *De cetero, loca, in præmisso Angeli, et sequenti Lotharii Privilegiis nominata, accolis, seu Venetis seu Patavinis, illustranda relinquo. Uberior certe tabula antiqui agri Patavini chorographica, inde erui hac parte potest, quam quæ inserta conspicitur Historiæ Patavinæ, ab Ursato editæ.*

multas iis terras adjiciente.

* an finaliter

10 *Meminerunt etiam* S. Hilarii etc.

NOT. 22

Pag. 451 *num. 4 ad calcem apponatur — Quid? quod illa Tamayi* Benedicta, *a Bucelino in menologio, et ab Antonio de Heredia tomo 3 de vitis Sanctorum Benedictinorum, referatur, non ad* XXIX *Junii, sed ad* XVII *Augusti ; neutra rationem reddente, cur illam tali die consignent.*

Pag. 456, *ubi de* B. Hemma vidua, *deleatur numerus 2 totus, et hæc reponantur —*

2 *Eadem fuit Hemma*, uxor comitis Wilhelmi in Friesach et Zeltschach, in vulgari chronica Salisburgensi. Hemma comitissa in Friesach nominata, cujus auspiciis *(ut scribit Hundius) Gebehardus* cœnobium Admontense in Styria fundavit *anno* MLXXIV *aut sequenti. Non quod ipsa tunc superstes fuit, jam annis* XXX *ante mortua ; sed quod adhuc vivens, Baldwino seu Waldwino archiepiscopo Salisburgensi in manus tradidit quædam bona ac prædia sua in valle Admontensi* (*forte eadem, quæ tomo* VII *Jun. p.* 472 *litt.* c, *Henricus imperator sanctus in valle Admontensi sita, anno* MXV *contulit* Wilhelmo comiti, nec non et dominæ Hemmæ, matri suæ, nepti autem nostræ, *contulit ; qui Wilhelmus, Hemmæ nostræ maritus, et Hemma illa nostræ socrus fuerunt,*) *ut ibidem monasterium conderetur. Id post Baldwinum tantum exsecutus est S. Gebehardus, alia bona fundationi adjiciens. Constant hæc ex vita S. Gebehardi, seu potius Historia Admontensi apud Canisium tomo* VI *Antiq. Lect. a nobis hoc tomo* VII *Junii ad diem* XVI *ex parte recusa et illustrata. Legitur ibi, apud nos num.* 7, *quod* E *ad sustentationem Religiosorum virorum Gebehardus tradidit prædia;* in primis quæ matrona quædam nobilis Hemma, comitissa de Friesaco et de Truchsen, post mortem mariti sui Wilhelmi comitis et filiorum suorum Hartwici et Wilhelmi, tempore Baldwini archiepiscopi, S. Rudberto (*id est ecclesiæ ejus Salisburgensi*) dedit in valle Admuntina, cum aliis prædiis, *(alibi sitis)* ad cœnobium ibidem fundandum. *Hinc recte dicetur* anspiciis Hemmæ *illud fundatum fuisse ; licet non nisi triginta post mortem ejus annis res executioni mandata sit ; et excuditur tertia Hemma, de qua in Actis Beatæ nostræ.*

NOT. 23 *Hemma uxor Wilhelmi comitis,*

et fundatrix monasterii Admontensis,

una eademque est.

SYNOPSIS.

SYNOPSIS ET ORDO

APPENDICIS SEQUENTIS.

Primo loco ingressum pandunt Acta singula sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, certiore, quam quæ die XXIX Junii datæ sunt Vitæ antiquæ, auctoritate suffulta, utpote e sacris Scripturis collecta a viro erudito et pio Paulo Æmilio Sanctorio, primum archiepiscopo Consentino in Calabria, dein Urbinate in ducatu ejusdem nominis. Edita olim fuerunt Romæ anno MDXCVII ex Auctoris authographo ab Aldo Manucio, Pauli filio, et mirifice laudata ob elegantiam styli; nobis potius probata ob veritatem, quatenus fundantur in veracitate sacrarum Scripturarum.

Sequitur pag. 31. Decretum sacræ Inquisitionis, per Hispanicas ditiones universalis, quo Decretum aliud, in quatuordecim tomos de Actis Sanctorum anno MDCXCV, quorumcumque demum æmulatione et auctoritate extortum (de quo et Innocentius Papa XII mihi, hæc scribenti, coram exclamans dixit, *Fiera Censura !)* tollitur, permittunturque iidem tomi subditis omnibus ubique legi sub levi correctione, quæ nullam cum hæresi aut suspecta doctrina connexionem habet.

Post hæc, acturi distinctius de Basilica S. Petri Constantiniana antiqua in Vaticano Romæ, ad gloriam ejusdem sancti Apostolorum Principis, judicavimus, præmittenda esse opuscula MSS. duo, eodem facientia, alterum Petri Manlii seu Mallii, Canonici S. Petri et Scriptoris seculi XII, *Beatissimo Patri Alexandro III Pontifici Maximo* inscriptum; quod vendicasse putamus Auctori suo contra opinionem Pauli de Angelis, qui typis Romanis anno MDCXLVI. sub nomine *Romani Canonici*, illud evulgavit.

Alterum opusculum est Maphæi Vegii, non multo post medium seculi XV. vita functi, quod mihi dudum fuerat desideratum, quia crebro citabatur a scriptoribus Romanis posteriorum temporum; nec poteram inde dijudicare, quid auctoritatis scriptor ille in suo illo opusculo mereretur. Nactus tandem ipsum MSS. cognovi, posteriorem scripti partem magis ad rem præsentem spectare, quam priorem. Placuit tamen integrum dare, ut aliis quoque integrum foret de re tota certius judicare. Titulus est: *De rebus antiquis memorabilibus basilicæ S. Petri Romæ :* dispertiturque in libros quatuor. Prosecuti sumus in nostra Præfatione gesta præcipua Auctoris, qui Antonium Patavinum Mediolani pro concione dicentem puer audivit ac laudavit; translationi vero corporis S. Monicæ Ostia Romam sub Martino Papa V. interfuisse, ut multorum fert opinio, non possumus probare.

Succedit a pag. 77. Commentarius noster de eadem basilica, ac præcipue de altaribus ejus; ubi inquiritur in situm, antiquitatem et fundatores singulorum, et in Sanctos, sub quorum invocatione fuerunt dedicata. Statuitur etiam, quod primis Christianis fuerint certa ad orandum loca et templa: quod a persecutoribus destructa, mox fuerint elegantius ædificata, Tyri quidem ab episcopo loci Paulino; Nolæ vero ab alio Paulino sancto, episcopo ejusdem civitatis.

Pag. 82 agitur de ichnographia basilicæ S. Petri antiquæ ejusque portis in frontispicio. Item de Institutione Guidonum, ut vocant, ac de Diplomate Caroli Magni, ut putatur, illa super re dato.

Dividitur nobis basilica tota et circum posita olim ædificia, ad faciliorem legentis captum, in Sectiones septem, totidem primis Alphabeti litteris distinctas. SECTIO prima recenset a pag. 85. altaria, quæ a fronstipicio templi ad usque medium ejus spatium, ubi Paulus Papa III. murum transversarium construxit, tunc temporis, et aliquanto post, in circuitu extiterunt.

SECTIO II. (pag. 92.) complectitur totum spatium, quod inter murum transversarium et navim basilicæ transversam intercedit.

SECTIO III. (pag. 95) circumducit per dictam navim transversam. Et quia illic inter alia occurrit altare ac sacellum S. Mariæ, de Prægnantibus vulgo dictum; adjungitur DISSERTATIO de vero illius situ. Item altera DISSERTATIO, An epitaphium Adriani Papæ I, quod in sacello ejus extabat, et Carolo Magno Imperatori, velut auctori, passim tribuitur, ab ipsomet compositum sit, an potius a Flacco Albino Alcuino.

In hac eadem Sectione tertia, occurrunt alia, de quibus seorsim tractatur; puta (pag. 100.) de Confessione S. Petri, de duplici ejus crypta subterranea: de monumento aheneo, ejusque gravi pondere ac dimensionibus, deque incluso ei argenteo loculo: utrum in illo solius S. Petri corpus, an etiam dimidium S. Pauli reconditum sit. Emendatur quoque textus Anastasii de dimensionibus monumenti, deque inscriptione crucis aureæ, a Constantino illi superpositæ, quæ alia non est, quam hæc, *Constantinus Augustus et Helena Augusta*. Quæ sequuntur in textu Anastasii, alio spectant. Ostenditur, quod metallum, loculum argenteum includens, non fuerit circumfusum, sed ex massis variis ferruminatis inter se compositum. Agitur etiam de columnis porphyreticis ac vitineis, deque auri trimmate; de presbyterio et choro; peribolisque, cancellis, arcubus, atque trabibus in choro; ac de Pharis seu lychnuchis, eorumque variis formis variisque nominibus.

A pag. 124. tractatur de Apside basilicæ Vaticanæ, eaque censetur unica tantum fuisse in singulis ecclesiis temporibus Constantini : quid Apsis trichora. Explicatur pictura musiva apsidis in segmento superiori; item inferiori.

Pag. 132. DISSERTATIO III. de manu et cruce quadrata summæ apsidis, in tabula Illustrissimi Ciampini perperam delineatis, atque in aliam manus formam et in columbam reformandis. Item DISSERTATIO IV. de cruce nuda, eaque duplici modo coronata; nec non, quod Christus Dominus olim non tantum sub figuris symbolicis, verum etiam in forma humana repræsentari solitus fuerit.

Pag. 137. Amplior explicatio apsidis et in ea crucis Vaticanæ. Item de crucibus, in antiquis apsidibus ecclesiarum Liberianæ, Lateranensis et S. Clementis, opere musivo olim depictis.

Pag. 143. Reditur ad sacella et altaria extra et circum basilicam ædificata : et SECTIO quidem QUARTA percurrit oratoria, basilicæ versus meridiem contigua; ubi primo loco de Secretario antiquissimo, ad caput meridionale antiquæ porticus sito, quod a Gregorio PP. IV. in oratorium S. Gregorii PP. Magni, illato in illud ejus corpore, commutatum fuit. Varii varia de oratorio hoc S. Gregorii deque translatione corporis ejus scripserunt, quæ nobis videntur non satis conformia veritati. Quapropter subnectitur DISSERTATIO V. illo super argumento.

Pag.

Pag. 148. Sectio quinta inspicit ædificia, quæ muro basilicæ septemtrionali proxima fuerunt. Sectio sexta perlustrat antiqua duo ædificia rotunda, instar Panthei Romani, in quæ aditus patebat a capite meridionali navis transversæ. Sectio septima circumit ædificia nonnulla paulo remotiora, quæ olim extiterunt tam ante, quam circum basilicam.

Pag. 155. Auctarium unum atque alterum ad apsidem antiquam Vaticanam, de positione imaginum sanctorum apostolorum Petri et Pauli, dextra lævaque inter se ; ex Francisco Mucantio et Joanne Christophoro Batello.

Orta nobis subinde in Junio mense dubitatio fuit de Chronicis Roberti de Monte, quid ipse vere scripserit ; ac Joannis de Beka de Episcopis Ultrajectinis, quando ipse suum finierit. Hinc per Disquisitiones duas singulares inquiritur, primum in auctores et auctorem dicti Chronici prioris, sub nomine Roberti de Monte, post Sigebertum Gemblacensem passim impressi. Deinde in annum, quo Bek suum absolverit, et quid ab aliis postea adjunctum sit. Habentur hæc a pag. 160.

Denique monendi sunt bibliopegi, quod in opere, hactenus explicato, inserendæ veniant figuræ majores, præter frontalem, quinque, sic ut respiciant numerum paginarum, ut infra designantur. Et prima quidem imago Augustissimi Imperatoris Caroli VI. obverti debet Titulo Dedicationis, ejus glorioso nomini inscriptæ. Altera, quæ ichnographiam basilicæ S. Petri antiquæ repræsentat, pag. 83. Tertia, quæ apsidem musivam ejusdem basilicæ depictam habet, pag. 128. Quarta quæ apsidem, similiter musivam, Triclinii Leonis III. Papæ exhibet, pag. 130. Quinta denique, quæ varias crucis figuras conjungit, pag. 134.

PETRO ET PAULO

C. J.

PRÆFATIO DE AUCTORE VITARUM.

Gesta Apostolorum Petri et Pauli,

M*ulta de Sanctis hisce Apostolis commentati sumus tomo isto Junii, die* XXIX *et Acta quidem dedimus, quæ visa fuerunt antiquiora, et multis aliis ejus generis probabiliora; non tamen talia, ut in omnibus firmam fidem ac certitudinem faciant lectori, de illorum gestis, qui præcones veritatis fideique divinæ fuerunt præcipui. Hinc mihi venerat in mentem, ex ipso veritatis fonte divinisque Scripturis, quæ multa de utroque Apostolo referunt, haurire atque in unum colligere continuata serie, quæ certo vera sunt. Dum autem hoc meditor, venit mihi in manus liber Pauli Æmilii Sanctorii, qui simili methodo pridem concinnavit* Vitas beatorum Apostolorum Petri et Pauli, *impressas Romæ anno* MDXCVII. *typis Antonii Zannetti; visas et approbatas a*
B *Fr. Jo. Saragosa, Magistro, et Socio Reverendissimi P. Magistri Sacri Palatii. Illis inspectis perlectisque, ne actum agam, putavi parcendum labori, atque illum ipsum librum, qui non adeo obvius est, hic recudere; atque quod ipse meditabar, ex illo repræsentare.*

e Sacris Scripturis collecta

per Paulum Sanctorium,

2 *Fuit Paulus Æmilius Sanctorius, patria Casertanus, anno* MDLX, *natus, Julii Antonii Sanctorii Cardinalis eminentissimi, ab eruditione atque magnanimitate et constantia in prosperis æque ac adversis celebrati, nepos ex fratre, studiosus bonarum litterarum ad exemplum patrui, et ab Aldo Manucio, Pauli filio, ob elegantiam styli in his ipsis Sanctorum Apostolorum Vitis laudatus. Merita illum sua, in curia Romana Paulo PP. V. probata, sublevarant anno* MDCXVII. *ad archiepiscopatum Consentinum in Calabria; unde post sexennium translatus fuit ab Urbano PP. VIII, ad ecclesiam Urbinatem, ab egregiis animi dotibus gestisque ab eodem Papa Urbinatium Duci Francisco Mariæ mirifice commendatus, litteris* XI. *Decembris anno* MDCXXIII. *datis. Ibi inter alia sic memorat Papa.*

litteris Urbani VIII. Papæ

3 Urbinatis civitatis archiepiscopum creavimus venerabilem fratrem Paulum Æmilium Sanctorium, qui Cusentinam ecclesiam singulari cum laude administrabat. Inest in eo animus, ejus gloriæ appetens, quæ divini cultus incremento et crediti gregis
C felicitate comparatur. Ingenium maximis negotiis par, quod in hac Urbis luce nationum universarum oculos in se convertit litterarum fama, qua universam pene Europam peragravit; et de posteritate meruisse existimatur: proinde quæ ei Urbis plausum et pontificium patrocinium jam pridem compararunt, facile conciliatura sunt benevolentiam Nobilitatis tuæ; ad quam adipiscendam maximum in virtutis et pietatis artibus momentum esse, accepimus.... Cum autem ille arbitretur, ecclesiasticas opes esse pauperum patrimonium, integrum Urbinatis archiepiscopatus censum, nullis pensionibus imminutum, ejus fidei credidimus, quo facilius Alpinos illos populos apostolicæ liberalitatis fructibus alere possit. *Obiit Urbini anno Domini* MDCXXXV. *ætatis suæ* LXXV. *uti signat epitaphium sane honorificum, quod ei in metropolitana sua erectum conspicitur.*

et Aldi Manucii laudatum,

4 *Editor Vitarum, quem dixi, Aldus Manucius, in Nuncupatione sua ad Augustinum Valerium S. R. Ecclesiæ Cardinalem doctissimum, ita auctorem illarum ipsumque ejus opusculum commendat; postquam de Julio Antonio Sanctorio Cardinali nonnulla commemoraverat cum laude:* Vel unus Paulus Æmilius, ejusdem Illustrissimi Cardinalis, fratris filius, cujus ego familiaritate Pisis maxima sum usus, cujusque inexhaustam benignitatem, Familiæ propriam, quotidie Romæ experior, me suis ad omnem laudem directis sermonibus exhilarat. Scripta vero multorum voluminum, inter enarrationem sacrarum profanarumque rerum, quid habent quod illi cum aliis sit commune? Iis ego mirifice capior; et optime tunc mecum agi existimo, cum ea legere datur. Superioribus diebus impetravi, vel potius e manibus ipsius extorsi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli Vitas. Eas diu in scamno neglectas, veluti pubescentis partum ætatis, animo majoribus jam voluminibus distento, cum pluries legendo contrivissem, neque umquam e sinu deponerem; ne invidiæ crimen, a quo longe absum, mihi quisquam objiceret; aliis communicare statui, ad reprimendam eorum maxime opinionem atque sententiam, qui futili atque inani prorsus judicio negant, insigni eloquentiæ stylo E
celebrari posse res sacras. *Hæc Aldus.*

olim Romæ edita, hic recuduntur

5 *Laudat Henschenius hoc ipsum opus et Auctorem in suo de Apostolis Commentario prævio num.* 8 *atque aliis ejusdem argumenti scriptis scriptoribusque præfert; ratus etiam, Auctorem (quem Julii Antonii Sanctorii Cardinalis patruelem vocat, cum ejus ex fratre nepos fuerit)* vel ideo in hoc opere nomen mereri, ut de præcipuis istis Sanctis, *Petro et Paulo,* de quibus Anonymus Græcus *(quem Henschenius edidit)* succinctius egit, saltem hoc extaret documentum, quo refutarentur qui negant, insigni elegantiæ stylo celebrari posse res sacras. *Interea editum ab Henschenio opusculum non fuit, causante prolixitatem: ob quam aliis videbitur fortassis edendum esse, ut explicet Anonymum Græcum, qui succinctius egit. Nec prolixitas tanta est, ut propterea ab hoc Opere excludi debeat, in quo passim prolixiora de Sanctis minus celebribus Acta, eaque non ex sacris Scripturis collecta, leguntur.*

cum approbatione Henschenii.

6 *Dixi, Acta hæc e Scripturis Sacris concinnata esse: eaque inde continua serie atque ordine ita prosequitur laudatus Auctor, ut ex profana Romanorum historia, sanctorumque Patrum scriptis intermisceat alia, quæ ad elucidandam magis historiam Sacram, ei visa fuerunt opportuna. In his tamen, quamquam ex* F
antiquis scriptis pleraque desumpta, et juxta sensum ætatis, qua Sanctorius hæc composuit, explicata sunt; non ubique tam certa veritas est, ut nunc ei contradici non possit ex sententia virorum eruditorum, qui aliter sentiunt. Sed hæc nolim prosequi, aut etiam in decursu operis annotare quidquam; quia scriptor non antiquus est et per se satis clarus, nisi forte alicubi in elegantia sua per multiplicata verba et longiores periodos obscurus fiat; quod juvenili ætati, qua scripsit hæc, condonandum.

Stylus et veracitas scriptoris.

ACTA
SANCTI PETRI APOSTOLI
Ex Sacris Scripturis collecta
Auctore Paulo Æmilio Sanctorio, dein Archiep. Urbinate. Ex impresso Romæ.

ISAGOGE.

Felicitatem Augusti Cæsaris

Nascentis primordia Ecclesiæ Romana excepit felicitas magnitudoque; siquidem terrarum orbe devicto, gentibusque subactis, Pompeio Cæsareque occisis, deinde Cassio Brutoque, demum M. Antonio

A. SANCTORIO.

A tonio navali ad Actium prælio fugato et Alexandriæ ferro cadente, Octavianus Cæsar, Magni Cæsaris ex sorore nepos, Augusti cognomento honestatus, summa rerum capescit; sedatisque tot procellarum fluctibus, qui paulo ante Romanum nomen civili rabie prope ad interitum agitarant, domi militiæque ita Remp. instituit, ut Populo Romano nequaquam pœnitendus exstiterit. Cujus felicitatem in tam longe lateque fusis opibus, annumque XLI. ejus imperii Christi ortus mire auxit illustravitque, cum in censu Romani orbis IX. Kal. Januarii, Cn. Cornelio Lentulo et M. Valerio Messalino Consulibus, ab Urbe condita DCCLI. Olympiadis CXCIV. anno II. Bethlehem parvo in oppido in lucem fuerit editus immortalis Deus, mortali carne vestitus, ut genus humanum, primi parentis scelere funestatum mortuumque, suo mactato corpore, ab interitu vindicaret, inferorumque principem late regnantem, et opimis spoliis cum tropæo deceptæ mulieris tumentem, prosterneret. Igitur, jam grandis, ad confluentem Jordanis a Joanne Baptista lotus aqua (non quod ipse expiatione indigeret, quippe integerrimus et Deus; sed tradito nobis præcepto, trinæ in hypostasis nomine,
B sacra ut aqua ad abluenda crimina, fruendamque simul sempiterni auram ævi abstergeremur) duodecim sibi auditores elegit, quos vocari Apostolos voluit, viles quidem animas, et nullo in terris nobilitatis fuco turgentes, sed cœlesti fulgore clarissimas, ita ut ad earum nomen prostratus Cæsarum Regumque fastus inhorresceret, pieque submissis fascibus veneraretur. Nihil illo ordine præclarius, nihil sanctius, nihil augustius: veluti qui socii Christi in laboribus, comites in itinere, sodalesque fuere. Infirma ante Christi mortem fides; obtusum ingenium; fracti animi; sed ab anastasi lymphati almo spiritu nulla pericula expavere. Quorum insignem cum pietate gloriam Simon Cephas, a Christo Petri cognomine insignitus, longe transcendit, et claritate virtutum, et dignitatis prærogativa: cum ab ipso Jesu, adhuc in humanis agente, omnium Princeps et Pastor sit appellatus. Sed hæc postea suo loco dicentur.

auxit nativitas Christi

mundum per Apostolos conversuri.

CAPUT I.

Patria, cognatio, vocatio, gesta alia usque ad Resurrectionem Christi Domini.

C Petrus igitur natus est Juliæ, ad lacum Genesarenum (quæ et Bethsaida nuncupatur, a Philippo Dynasta condita) Joanne patre, ex tribu Zabulon, aut Nephtalim, loco humili, veluti qui piscatoriam egerit. Vestitus illi obscurus, nec sordidus tamen, unica substricta contentus tunica pallioque: in victu oleam, lupinos, aut herbas adhibere: et sitim aqua sedabat. Hæc illi in cibis voluptas, hi mensarum apparatus: et nunc variis irritata gula saporibus, spernit Assyricos luxus et Canopeiam mollitiem, nec Cleopatræ Verique Aurelii cœnis acquiescit: tantum nos a pristina morum sanctitate degeneravimus: at præterita cum præconio celebramus, nec amplexari enitimur; spernimus præsentia et futura anhelamus. Sed Petrus, simplicitate ciborum commendatus, parem in rebus omnibus abstinentiam servavit.

Petri patria

vivendi ratio,

2 Habuit et uxorem [quæ præstantissimo animo datis postea cervicibus Christianam gloriam auxit, ipso adhortante videnteque viro] filiam Aristobuli, ceteri Hebræorum more, cum cœlibatus minime in tanta existimatione esset, ignotaque apud eam gentem tantæ virtutis gloria sordesceret, præterquam apud Essenos, qua mortalis beatarum mentium naturam transcendit. Ex quo matrimonio geminus illi natus est partus: sed Petronilla filia præcipua in D
fama est, ob insignem corporis formam, miramque suavitatem morum, quæ paternam sanctimoniam imitata, persancte vixit, adamataque a Flacco comite cælebs migravit in cœlum. Sic tradidere majores: licet apud peritos antiquitatis suspicio oboriatur, fueritne illi Petronilla filia ex tædis progenita, an ob pietatem in jus filiæ adscita. Nos certe placitis majorum pie insistentes, Petronillam inter cœlites adscriptam, ac Christianis Fastis memoratam, illustratamque cœmeterii memoria, sancte religioseque veneramur.

uxor,

liberi

3 Erat Petrus (ut ex imaginibus et signis perspicere licet) corpore haud indecoro, nec tamen exiguo, erecta cervice, ore subpallido et albicanti, atris ac vivacibus oculis, sanguineam tamen redolentibus aciem, evulsis superciliis, prælongo naso et simo pressoque ad extrema, denso crispatoque capillo, animo haud versuto, et ante datam terrarum orbi legem, nondum immensa illa Dei magnitudine virgineo restricta utero, Mosaicæ legis non contemptor [cum quota gentis pars spoliata libertate, extero sub Rege vetustos etiam piosque mores abjiceret] discendi avidus, et ingenio pugnaci, ex Galilæorum natura ac moribus, semper arma poscentium; et E
justi tenax.

forma,

religio,

4 Fratrem habuit Andream, majorem natu, pari animi candore, parique in quæritando victu studio: sed, cum ille Joannem Baptistam (cujus mira elucebat morum sanctitas, quique postea datis Machærunte cervicibus immanem Antipæ Herodis feritatem testatur) sectaretur, audivissetque a doctore, Jesum esse, de quo vates tam alte cecinerant, quique cruore suo nostra scelera lavaturus erat, statim ad Christum se applicuit, Simonemque fratrem ad illum adducendum curavit, qui, Petri cognomen sortitus, non tamen apud eum tunc remansit; sed, Genesarenum ad lacum, piscium nobilitate celebrem, quadragintaque stadiis in latitudinem patentem, centumque excurrentem in longitudinem, tota nocte esset piscatus, nullamque prædam fecisset; Jesus, dimissa populi concione, cum Petro dimittere retia imperasset, paruissetque Petrus, tantam piscium copiam cepit, ut rete pene dirumperetur. Quod alte in pectus dimissum cum diu volvisset Petrus, cogitassetque, et supra humanas vires reputasset, stricto pietate animo, ad Christi pedes se abjecit, illique ita adhæsit, ut ne cubito postea ab eo discesserit. Quem benigne Christus affatus consolatusque, ait, irretiisse eum quondam F
pisces, tracturum mox ad retia homines, hoc est ad Christi ditionem, precibus ac corporis afflictione.

frater,

primus cum Christo congressus,

alter in piscatione.

5 Hinc, relictis omnibus, Apostoli Christum sequuntur. Inter Sacramenta Baptismatis Petrus ad æternum decus Christi manu abluitur, ipse reliquos, jam expiatus pari beneficio beavit. Inde orta de edendo Eucharistiæ Corpore, hauriendoque Sanguine mentione, cum id perperam nonnulli accepissent abiissentque, id incredibile prorsus opinantes, divinam haudquaquam metientes potentiam, conversus ad duodecim Christus, percunctatus ab illis est; num et ipsi discedere vellent. Tunc Petrus, Domine, ad quem ibimus? confessusque est, illum esse verum Deum. Hinc cum Christus quinque millia hominum, præter parvulos et mulieres, trans mare Galilææ, ad consulatum Tiberii Augusti quintum, et Aelii Sejani, quinque panibus et piscibus duobus satiasset, oratumque in montem secessisset, stantibus in scaphis Apostolis, mare gravi atrocique ventorum impulsu tumuisset, Apostolis summum in terrorem conjectis, nec Christo ignotum periculum foret, quarta noctis vigilia ad eos accessit, pedibus mare premens. Quem conspicatus Petrus, cum se in

Sequitur Christum et baptizatur,

ipsumque confitetur esse Deum,

A in undas dejecisset, properabat ad illum, cumque suo pondere in ima traheretur, Christi contacta manu, periculo eximitur, a Doctore castigatus, quod eo in discrimine fide labasset.

A. SANCTORIO. et pedes ambulat super mare.

6 Inde, cum Christus Cæsaream accessisset, quæsivissetque a discipulis, quæ de ipso apud mortales opinio esset; cum respondissent illi, aliis Hieremiam, aliis Eliam, aut Joannem Baptistam videri; rursus Jesus, ii vero quid sentirent, expostulat: tamen Petrus, illum filium Dei vivi esse respondit. Quamobrem Christus ipsum beatum esse dixit, quando ei non caro aut sanguis, sed Pater ejus, qui in cœlestium domorum solio regnaret, talem de eo opinionem scientiamque aperuisset, eumque Petrum esse professus, supraque petram illam ædificaturum se Ecclesiam suam, quam nec vis inferorum, nec mortalium invidia labefactare atque convellere posset, pollicitus est. Deinde, cum multa Christus de morte supplicioque suo dissereret, nosceretque Petrus, Hierosolymorum urbem illi in exitium stare, cupiebat avertere magistrum, et discrimini eximere, nescius mortalis et nimio amore obcæcatus, quantum in Christi nece ad salutem gentium momenti staret. Quod Christus indigne ferens, hostem eum appellavit, seque ei, ut sequeretur, imperavit.

Expressior fidei confessio, confirmata privilegiis a Christo.

B

7 Sexto post die hominem, cum Jacobo atque Joanne, Itaburium in montem, inter Scythopolim magnumque campum, XXX. stadiis se in altitudinem attollentem, Baraci quondam nobilitatum victoria, Sisara infeliciter cadente sub Hebræo mucrone, ad Jabim. Chananæi Regis infamiam cladem que secum duxit, cum repente tantus vultum fulgor, tantusque vestes cando occupavit, ut nihil in terris gloriosius, nihilque augustius conspici posset: eodemque tempore Moses et Elias, duo Judaici populi decora, colloqui cum Christo visi sunt. Tunc Petrus loci amœnitate captus, et eo jucundissimo aspectu mire exhilaratus, rogavit Magistrum, ut ibi commoraretur, statutisque tribus tabernaculis, ibi reliquum ævum degeret. Nullo responso dato, cœlo emissa vox intonuit, Christum filium Patri carissimum ut audirent, imperans. Quo audito, attoniti, humi strati, procubuere. Ad quod Jesus accedens, ut surgerent, nec paverent, imperavit, remque in præsentia pectoribus occluderent. Illi stupidi, cum circumtulissent oculos, præter Jesum videre neminem. Eo postea in vertice montis (XX. quippe stadiorum planities expanditur) tria erecta sunt templa, in clarissimi memoriam mysterii sempiternam.

Spectaculum in monte Tabor.

C

8 At Petri in Christum amor cum fide in dies major pubescebat; summa in Magistrum fiducia, summum studium illius spectabatur; in illum, Joannemque, ceterorum ora atque oculi conjecti; illos fama vehere, et admirari tamquam Christo carissimos adamatosque; illum auctoritate ac canitie venerandum; alterum decora juventa, augusta facie, et in flore roboris ætatisque castimonia singulari, animo atque amore in Christum, supra quam credi potest, constantissimo atque firmissimo, adeo ut illi Christus in dolore cruciatuum tormentorumque matrem commendaret, daretque matri illum in filium. At, post solitum Capharnai Cæsari tributum per Petrum, nummo piscis in ore reperto (quippe Judæa Mithridatico bello in eo cursu victoriarum M. Tullio Cicerone, et C. Antonio Consulibus, Olympiade CLXXIX. infestis illuc cum signis illato Pompeio, abductoque in triumphum Aristobulo cum finitimis Provinciis, Romana jura susceperat) cum sermo apud Christum de contemnendis fortunis esset, exsurgens audacter Petrus, quæsivit ab eo, quæ tandem præmia, abjecta hujus præsentis vitæ cum voluptatibus fortunisque cupidine, apud illum essent consecuturi. Cui Christus, perennem cœlestium ordinum sedem, ferendamque mortali de genere, novissimo die, sententiam pollicetur. D

Petri favores et interrogatio de præmio obtinendo

9 Atrox interea ac dira prorsus in Christi caput conjuratio coquitur, facto initio a potentum invidentia, ac peculiari inveterataque in sanctos viros grassandi consuetudine. Gentem avaram atque nefariam, tot virorum cruore funestam, nullum umquam beneficium pacarat; quippe Isaiam, gravissimum sanctissimumque vatem, crudelissime dissecaverant, Zachariam ferro conciderant, et alios aut lapidibus obruerant, aut alio teterrimo mortis genere affecerant: et tum Christi stupenda ac prorsus divina signa efferatis in animis ambitioneque vastatis, altam irarum jecerant molem. Nam tot mortuos ab inferis excitatos, tot cæcis redditam lucem, paucis cum pane piscibus saturata tot hominum millia, claudos et vario alios morbi genere conflictatos, ad valetudinem revocatos, sui in contumeliam, Mosaicæque obitum legis, fieri interpretabantur. Simul coarguta a Christo diu animis inhærentia scelera ac ficta pietate velata; et palam populo facta, Vitæ sanctitas, morum integritas, concursusque gentium (cum jam tantorum fama prodigiorum nequaquam Palæstinæ finibus terminata, trans Euphratem late volitaret) elatos animos obæratosque sceleribus exangebant: vereri simul seditionem, si E forte is regiam potestatem, paratis populi ad serviendum animis, cuperet; quasi ablaturus, non daturus regna hominibus, cœlo esset delapsus.

Sinistra opinio Judæorum de Christo,

10 Cæca hominum mens et suo commodo prorsus insaniens, pavere simul Romana arma, ne Cæsarum majestate abolita funestas aquilas et signa, tot gentium cruore madentia, patria ante mœnia conspicerent. Et hæc in vulgus. Sed altior cogitatio inserat privatas amittendi fortunas, spoliandique dignitate, acerrimoque invidiæ telo transfigi. Itaque in immensum se attollentem Christi gloriam oppressuri, in consilium occidendi hominis descendunt: cumque inter eos dispari animorum motu certaretur (alii enim nequaquam in aperto, præ favore tumultuque populari, interficiendum; alii publice, et in conventu populi accusatum; alii dolo mactandum censere) exsurgens Josephus Caiphas e Principibus unus, auctoritate dignitateque ingens, majorque scelere, acriter in Christum invectus, multa cum elocutus esset, eam in sententiam ceteros oratione traduxit sua, ut Christum omnino occidendum decernerent; addens etiam in cursu orationis, mentis inops et scelere vecors, in morte F unius statutam universi populi salutem.

deliberantium de ipso interficiendo.

11 Hoc igitur probato consilio, occasionem opperiundam rati, tempus locumque circumspectare. Nec fugiebant ea Christum. Itaque multis argumentis firmare auditorum animos, et blandis orationibus mulcere non destitit; necesse, ad salutem humani generis, ipsum occidi; sed triduo post, propria potentia, triumphato cacodæmone morteque devicta, revicturum prædicans: colligerent se modo, et forti animo adversa perferrent, neve timori succumberent: quando sita in arduis summa sit virtus, et periculis ac discriminibus probetur; in prosperis nulla laus, nisi moderationis fama, datumque rerum fastigium, vitæque tranquillitas, ne in fastum, alteriusque versa contemptum. Intremiscere ad hæc auditores, et magno periculi metu circumveniri: amor, reverentia, metusque omnia raptare: sed Petri maxime mens nulla consolatione erigi; tristabaturque, uno ex duodecim, uti prædixerat Christus, hosti magistrum prodituro, et amore amens, et sceleris magnitudine attonitus, instanteque discrimine pavidus animum diversas in partes trahere, variaque moliri, atque incerto vehementique curarum æstu fluctuare, modo Christi Majestatis tam tœde

Motus animi in his Petri.

A fœde proculcandæ ab inimicis reminisci; modo nefarias manus, et scelestissimum proditorem ante oculos sibi proponere; modo magistri amore flagrare, hiscere atque mori.

inquirentis in auctorem proditionis Christi,

12 Impatiens ergo et dolore commotus, silentio Joannem precatur, ut eum, qui tanti tamque execrandi sceleris (nam omne facinus in homine turpe, sed dolus atrocissimum atque indignissimum) auctor esset futurus, Christi ore excerperet. Igitur Joannes, obsecuturus Petro, a Salvatoris sedens latere, quippe totus, Christum, Joannem, ad Petrum accubantes sustentabat, ex adverso Christi discumbente Juda: noscit proditorem, et summi pariter Dei arcana haurit. Sed Petrus haud quaquam voti compos factus: nam obtegitur impia manus, dum Christi epulas tangit, vesciturque. Hoc Christus signo proditorem notarat, verum occulte, ne notus ceteris, communi furore ad piandum inexpiabile scelus discerperetur.

et in Cœna ægre obtemperantis lotioni:

13 In ea sacratissima cœna quisque ex discipulis castitatem vovit, etiam uxoratus: nec epulæ illæ festivo celebratæ sunt carmine, non magno illustres apparatu, sed tristibus exceptæ pectoribus,
B propter suspicionem facinoris, magnitudinemque discriminis. Ab epulis Christus ita suos ad submissionis charitatisque munia edocens, abjectis vestimentis, cœnatoria dumtaxat opertus (hæc candida sindon erat et demissa ad talos) linteo succinctus, ad abluendos abstergendosque auditorum pedes se accingit, ab Juda (ut nonnulli tradunt) incipiens, si forte furibunda mens tanto favore mitesceret, revocareturque ab infando consilio ad pristina obsequia amoremque Magistri. Sed ubi ad Petrum est ventum, tanti motus ipse dignitate imperantis, exemploque tam immensæ demissionis attonitus, recusare et vehementer obsistere, nec ullo pacto se passurum inclamare. Sed flammatam Petri mentem, et erga Magistrum observantiam compescuit exuitque Salvator, nequaquam illum cœlesti potiturum aula, nisi auctoritati pareret, referens. Qua voce perculsus Petrus, non pedes modo, sed manus ac caput ut lavaret, annuit.

obtestatur se Christum nusquam deserturum,

14 His peractis, instante jam mortis hora, iterum Christus apud suos concionatur; et eorum constantem fore neminem in ipso discrimine, sed fuga protinus omnes dilapsuros, prænuntiat. Sed Petrus præsenti animo respondit in vestigio se prius
C moriturum, quam digito ab ejus latere discessurum: cumque instaret, et bis terque id polliceretur, Christus intuitus hominem, ter, antequam Gallus caneret, se ab illo abnegatum iri asseruit. Inde trajiciens torrentem Cedron, qui ad ima decurrit Oliveti, alte ipsis in saxis pedum impresso vestigio, in ipsum perrexit Olivetum, ab Oriente spectantem Hierosolyma, sexto discreta stadio, subseditque ad ipsius radices, ubi defixa genu vestigia remansere petra cedente (erexere pii, in loci factique memoriam sacram postea ædem) ac secum abductis, Petro Jacobo et Joanne, et noctem illam insomnem traducere interque preces jussis, ipse stratus humi fundebat Deo preces: pauloque post, tres illos discipulos a somno excitat; et denuo in precationes se effundit; ut hoc suo nos doceret exemplo a precibus numquam cessandum esse; quando et sæpe peccamus, sæpeque oratione erigendi sumus.

15 At armatorum cohors, circumdato statione loco, multis luminibus accensis, vasto clamore irrupit in hortum, ardensque rabie, Christo proditoris jam osculo noto, propinquat, jam jamque manus in illum injicere tentat. Non tulit audaciam Petrus, strictoque emicans cultro, Malco, Pontificiæ famulanti aulæ, vim primo inferenti, obtruncat aurem, et inimico sanguine degustato generoseque fero-

cientem inhibuit Christus, sua se tutum potentia, D
et innumeris cœlestium militum legionibus succinctum, cedere in præsentia inimicorum furori ostendens. Itaque, discipulorum fuga passim facta, devincitur Christus, trahiturque ad Annæ, magno LXXII Seniorum præpositi consilio, quod erat sanctissimum augustissimumque apud Hebræos, unius e Principibus conjuratisque, ædes; non deserit eum Petrus, sequiturque cum Joanne, multo tamen interjecto spatio: intransque demum Pontificis ædes, quid fieret, circumspectabat; quando excelsus ille animus, immensusque amor, nullo antea turbine, nec tot armatorum adspectu quassatus, unius mulierculæ voce infringitur, abnegato Magistro.

et negat ipsum ad interrogationem mulierculæ,

et aliorum iterum ac tertio:

16 Nec multo post ad focum stans (quippe frigente bruma) bis eumdem in errorem delabitur: sed ad tertiam vocem galli cantus, intentique in illum Christi oculi, palam homini fecere scelus: recordatusque Magistri vaticinii, rubore perfusus, et gravi simul mœrore anxius, deserta Pontificis domo, lacrymabundus secessit; tantusque mentem horror cum pœnitentia subiit, ut confitendo scelus mori percuperet. Fama etiam tenet, post conceptum illud scelus, infaustamque cæca in nocte vocem, ad E
galli sonitum, ingentem semper vim lacrymarum effudisse Petrum, adeo ut ora lacrymis rigata semper madescerent.

resipiscens, resurrectionem Christi recognoscit,

17 At Christus, cum stupenda virtute ab inferis excitatus, mulieribus sese ostendisset, id Petro nuntiari mandavit, qui statim veloci cursu ad tumulum cum Joanne cucurrit, hærenteque foris Joanne, atque ad secundam non intrante speluncam, intravit audacter ipse, procumbensque ad Aquilonarem partem (quippe sepulturæ locus, tribus in marmore palmis erat excisus, proclinatis nonnisi corporibus in aspectu cadens) adspexit diffusa linteamina ac sudarium. Quibus visis anceps diu stetit, inter spem metumque. Nec multo post, eo in ipso die, Christus se illi viventem, et gloriose triumphantem exhibuit, depulso Petri ex pectore angore, et deleto illius noctis erratu, quo pristinæ oblitus reverentiæ, tam impie in Magistrum peccarat. Sed sic sinebant cœlestia, ut Princeps Ecclesiæ labaretur, quo facilius ceterorum criminibus indulgeret. At semel jactatus timoris undis animus, nullo postea hostium impetu fuit labefactatus atque convulsus: non Judæorum fraudes, non stricta Romana securis, non crux alte sublata, multiplici virtutum robore firmatam illius a Christo abduxere mentem.

inspectumque in sepulcrum.

F

CAPUT II.

Acta post resurrectionem Domini.

Constituitur Petrus ecclesiæ caput,

Igitur cum Christus suos persæpe divino aspectu, alloquioque consolatus exhilarasset, uni præsertim Petro divinæ mentis ardores large rorabat, tradito imperio aperiundi claudendique ostia superni Regni, ejusque vigilantiæ atque diligentiæ Ecclesia commendata, adoraturis mox gentibus Numen, et thura laturis in omnem æternitatem. Nec multo post, cum XL dies fuisset in terris commoratus, evolavit ad cœlum. Itaque Apostoli, ceteris cum auditoribus ad centum viginti, in unum coivere, cumque illis Maria Deipara. Ingens in illam cunctorum benevolentia, mirum obsequium. Nam decus oris illud eximium, totius corporis dignitas, summa venustas, summa castimonia, mitissimi mores, suave alloquium, uterusque non tactus, elargitus Christo lucem, demissaque cervix nullo fastu præcincta, cunctos in se traxerant.

19 At, cum universi consedissent in Senatu, erectus Petrus, divina afflatus aura, ostendit Collegis,

A legis, oportere, ut veterum implerentur Patrum vaticinia, et in proditoris locum ex ipso numero sufficeretur aliquis, ne sella inanis illa perenne dedecus sacro in ordine testaretur. Prævidisse Davidem mille et amplius ante annis cum scelere etiam expiationem peccati, abstergendamque communem maculam edocet. Quibus verbis ceteri assensi, duorum nomina in sitellam projecere, ut is forte duceretur, qui sedem proditoris impleret. Hi fuere Josephus, qui Barsabas dicitur, et Mathias; sed Mathias felicior. Is igitur in duodecim Apostolorum Senatum cooptatur.

A. SANCTORIO. ac alium loco Judæ eligendum curat apostolum;

accipit cum reliquis Discipulis Spiritum sanctum,

20 Postea, octo consequentibus diebus, unanimes almi Spiritus adventum præstolantur, omnibus corpora afflictantibus, in precesque effusis. Itaque momento temporis quati domus, et vehementer flare aura, et in unumquemque ignitæ linguæ cœlo delabi visæ, adeo ut almo omnes Spiritu implerentur, altissimaque intelligerent nudarentque mysteria. Obstupesceres, cuncta illis concessa gentium eloquia, summam dicendi vim, ita ut omnes Athenis natos educatosque crederes. Augebatur admiratio, a personis tam antea insciis ac rudibus, simulque B in sonitu vocis multarum linguis gentium auditis, notatisque. Civitas ipsa Hierosolyma, tunc florentissima, Judææque Reginæ, par quondam Susis Ecbatanisque, et concursu nationum clarissima, stupida, Christi discipulos concionantes et ita subtiliter sacrorum arcana librorum interpretantes, admirari. Par omnium stupor, inæqualis animorum jactatio, et dispares sententiæ erant: laudare alii et cœlo factum tribuere; irridere alii et vino languidos gravatosque ea effutire jactantes: indigena cuncta in deterius, peregrinus pie accipere credereque.

increpat perversitatem Judæorum

21 Quod ubi sensit Petrus, eundum arrogantiæ obviam, et premendam Judæorum impietatem ratus, ita in conspectu populi cœpit: Si vobis ad cœlum, viri Judæi, mendacium adornandum esset, ne sim, nisi longius accersita verborum ornamenta, et lenociniis omnibus fucatas sententias exquirere præstaret: nunc, quando pro veritate standum est, quid orationem calamistrem? nudam illam, et sic elegantiorem, nullisque ornamentis phaleratam excipite. Par erat, Auditores, vos in re post homines natos inaudita, et in omnem posteritatem prædicanda, quia supra nostram humanitatem fieret, facti divinitatem agnoscere: non omnia per invidiam obcæcatos in deteriorem partem interpretari.

et saniora docet

C 22 Modo paullo ante cives vestros, convictores et fratres meos, quod ex omnibus gentibus convenæ audientiam fecissent, omnium regionum sermonibus divinitus perceptis, veritatem insinuare videbatis: audiebant singulæ gentes civitatis suæ voces suas. Hierosolymis peregrini, se esse apud suos putabant, et, si fateri vera sineret odium, illi nobis secus rem accipere, quam vos, videbantur, cum unusquisque, attonito similis, locutos profiteretur socios meos humano more majora; divino illa motu fieri, non humanitus illa patrari, cœloque reddebat, quæ mei, afflatu cœlestis et præpotentis auræ instincti, dixissent. Furere nos existimabatis, et mustum scilicet exspumare jejunos; eos ipsos, quos suo judicio gentes exteræ collaudassent: eos ipsos quos divina vobis, dissimilibus quidem vocum sonis, sensu tamen plane simillimo, enuntiare audiebatis; eos ipsos, quos luculentissima sacrarum litterarum testimonia futuros, quos vates divino afflati spiritu cecinissent, quos Joelis in primis sanctissimi animus numine aperiente vidisset, quos suis omnibus coloribus ad vivum vaticinando expinxisset; vos callidi rerum æstimatores, vino languentes per ludibrium edormire crapulam et exhalare vinum temulentos videbatis.

ex prodigiis factis,

23 Quid? Num vobis veri confessio fulminibus D excutienda est? Num naturæ voces inclamantis exspectatis? Atqui, siquidem vobis liceret per malevolentiam meridie videre non mutarum rerum voces, non fulmina defuerunt. Quid illa significabant, cum impia nuper efferatissimæ immanitatis exempla apud vos edebantur? Cum magistrum meum, ducem vestrum, vitæ lumen, rerum parentem, mundi moderatorem, per inauditam crudelitatem verberibus divexatum, et in crucem etiam (Præside Romano diu recusante, cum vos, offendi Cæsarum majestatem, et proculcari Romanum nomen vociferabamini) actum, etiamnum verbis lacerabitis? Quid illa lamentantis naturæ fluctuatio? quid diei lumen interdiu vel exstinctum subito, vel in noctem abditum? quid maris sceleribus vestris irati concitatio? quid montium nutationes, succussionesque terrarum? quid emota sedibus suis Hierosolyma? quid augustissimi templi tamquam horror, atque jactatio? Quid (infandum dictu) functorum luce corporum e tumulis exsilientium in vulgus, et vobis audientibus, videntibus vobis, ad detestandi facinoris immanitatem ingemiscentium, emissæ voces quid significabant?

in terra,

in sideribus,

E 24 Miserum me, lugebant Solem suum exstinctum pullata sidera, atratum cœlum Regi suo mortuo parentabat, et tamquam parenti suo funus natura produceret, lamentatrices ad cenotaphii, hoc est mundi luctuosissimi, molem, aquam, terram, res omnes adhibere: et, ut vivorum lacrymas exprimeret, vi propulsos divina ab inferis mortuos excitabat. Vos interea, securi rerum, obsesso, tamquam vallo, præsidiis busto, fulgentibus signis, tessera data, excubantibus cohortibus, tonanteque classico ad spectaculum sedebatis; et, ne nihil omnino agere videremini, tripudiabatis in luctu rerum omnium; et immanissimi sceleris reliquias exsequentes, Deum infra mortuos amandabatis; eum ipsum, cujus occasu, desiderioque cœlum, terra, maria, natura, orbata luce, fluctuare: atque vestræ immanitatis machinamenta in irritum cecidisse, modo saperet, quivis intelligebat; modo oculos haberet, videbat.

in miraculis antiquitus prædictis.

25 Ille scilicet interiret, cujus interitum saxa lamentabantur? Ille apud inferos detineretur, qui ad superos inferos expelleret? Non se vivum exhiberet post triumphatam mortem, qui vivere homines a morte jussisset? Luce perfunctos luce donare, quo donarat alios, ipse careret? Quo igitur modo illa vobis toties decantata, audita, et intellecta numquam David vates egregius tueri posset, quæ divinitus edoctus ea de re cecinit? Quoniam (inquit) non F derelinques animam meam in inferno. Quis non derelinquet? Deus, et rerum omnium, et ipsius parens. Nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Quinam Sanctus? Qui mortuus per immanitatem vestram sepulturæ, non corrumpendus, sed paullo post iterum victurus, traditus est. Enimvero libere, quæ novi, dicam, et quanta maxima voce contendam (facit audacem veritas) illum ipsum, quem vos ex humanis rebus exegistis, quem corpore spoliastis, quem vos interemptum apud inferos esse putatis, illum ipsum vivum spirantemque, et longe diviniore luce renidentem, morte devicta, Deus ad superos revocatum, nobis rursus videndum tractandumque objecit: objectum ipsi inter oculos, iterque manus habuimus; supra modum humanitatis nostræ vigentes oculos, vultum, corpus denique totum agnovimus, et incredibili voluptate delibuti exosculati sumus. Itaque deponite istum, quæso, furorem, vosque colligite; confitemini scelus, veniamque deposcite; nullum enim tam grave scelus, quin pœnitentia expietur.

26 Hac oratione, repressa nobilium arrogantia, et

A et redditus nostris animus, simulque ingens fiducia popularibus addita. Quamobrem tria millia hominum, Petri hortatu commota, eo ipso die Christo adhærent. Hinc postea concessa ad Speciosam templi januam, quæ ex ære Corinthio mirabili artificio inter fulgorem auri argentique, et operis præstantiam omnibus anteferebatur aliis, sedenti inopi, assiduo membrorum horrore correpto, stipem exposcenti valetudine Christi nomine, major terror nobilitatem invasit, quando nec Magistri morte rescissam legem, frenatave ora conspiceret. Fremere igitur, ac tormenta respicere, apprehensumque cum Joanne Petrum (quinque aliis hominum millibus Christianam religionem amplexantibus) in Annæ ædes trahunt, statimque Synedri advoçati, Anna, Caipha, Alexandro, Lysimacho, et Joannes Annæ filio præsidentibus consilio, produci Apostolos, rationemque reddere jubent, cujus invocato nomine ea admiranda opera efficerent.

Tria hominum millia convertit

paralyticum ad portam templi sanat

27 Tunc Petrus, magna animi fiducia, mirari se quidem magnopere aiebat, quando tam vulgata ex se potius, quam ab aliis, quos publice docuisset, scire mallent. Sed, quoniam sic illis libuisset, haud B recusaturum se, quo minus tantarum rerum redderet rationem. Omnia igitur illa prodigia haud exigui stuporis, fieri Jesu nomine atque virtute, quem ipsi immanissime cruciatum, fœdissime interemissent, ac tamen tertia illum die ab inferis ad lucem a Patre revocatum, et cuncta illi tradita, abjectumque modo lapidem apud eos in capite anguli locatum : stare præterea in illo omnem spem, omnia bona, salutemque. Obturbavit Auditores Piscatoris oratio et perculit simul, non clandestina cum magnitudine sceleris veritas, quam ipsi variis involucris circumdare ac supprimere nitebantur, et libera vox elatis sontibusque in animis stomachum cum admiratione movit.

suaque in Synagogam tractus, strenue defendit

28 Itaque, amotis consilio aliquantisper Apostolis, quid agendum foret, ipsi consultant : non ultra celari illustrem populo rem, nec se ire inficias ; cecidisse in irritum tot labores ; frustra susceptas vigilias, aut machinamenta exquisita ; concussos Magistri morte iterum vigere animos, sedatosque effervescere, nec pulsum ex hominum memoria exstincti desiderium ; abscisso uno capite plura enasci ac pullulare ; nec novarum rerum finem umquam futurum; abjectissimæ conditionis hominibus divina C concessa eloquia, cunctas disciplinas ; contra, sua mutescere et obstrui objecta ora veritate, ingemiscebat. At ne omnino victi viderentur, cum in Gamalielis sententiam, præclari senis, et, licêt Christiana pietate insignis, nondum in consessu seniorum Christiani deprehensi, ab universis itum esset, flagris cæsos, proposita gravi pœna, siquis Christum nominaret, aut concionibus illius facta jactaret, Apostolos minaciter increpitos, nulla in eos inventa acerbius sæviendi causa, dimittunt, haud stratis Apostolorum animis, quin Christi doctrinam populo enudarent, publiceque profiterentur ; inter tormenta sua et victorias magnanimi lætique.

et absolvitur.

29 Interea Ecclesia mira virtutum indole pubescere, latiusque tot millibus in ejus complexum ruentibus propagari. Declaratur a Petro Jacobus, cognomento Justus, Hierosolymorum Antistes, summo omnium assensu, nulla ambitione perturbante suffragia aut Principis mentem, capite consecrati bractea aurea fulgente ad insignia majestatis ac sacerdotalis decoris : assiduæ jam preces, ingens demissio, corpora jejunio fatigata, compressus vestium luxus, quas tam profusis sumptibus parari nostra vidit ætas : non fulgere ostrum, aut fluitare toga, non palmata conspici, non caudis verri humus, non urgeri bombyces, non sollicitari maria, non effodi viscera telluris, non e Panchaia accersiri odores, D nihil privata cupiditate possessum : tenues epulæ, communis stratus, communeque domicilium erant.

Constituit Hierosolymis Episcopum Jacobum Justum.

A. SANCTORIO.

30 Sed tam gloriosa religionis exordia, nixa virtutibus, admotis infestissimi hostis machinamentis obtremuere. Enimvero, cum avaritia [ex qua omnia propemodum mala mortalium in animos irrepsere, quamque furibundam victricemque nostro exsultantem sæculo vidimus] virum quemdam Ananiam invasisset, conscia etiam Sapphira uxore, ita ut, diminuto agri pretio, partem surripuisset pecuniæ, Petrus [cui magna ex parte cœlestia arcana patebant] fraudem intelligens, accersitum hominem, ac pertinaciter negantem, coarguit (raro quippe mortalis perpetratum contractumque perversitate ingenii scelus gaudet esse in aperto, aut fatetur : fortuitum vero, si non spernit, haud magni æstimat) simulque graviter reprehendit. Quibus auditis Ananias statim corruit, atque animam exhalat, eadem etiam infelici morte subtracta uxore, quæ par scelere viro, eadem pervicacia agitabatur. Horum inopinata morte tremefacti ceterorum animi, omnem penitus abjecere simulandi artem, lucrique cupidinem. Ita ex metu redintegrata virtus, auctumque obsequium.

Ananiam cum uxore punit.

31 At Petri sanctitas, cunctorum præconio celebrata, ac mira in curandis morbis felicitas, ingens- E que nominis fama, Judæam gentesque finitimas pervagata, summum omnibus videndi hominis desiderium fecerat : ægroti, debilesque in vias passim deferri, ut non tactu, sed umbra illius, valetudini redderentur. Ingens favorum prærogativa, sed digna vertice Apostolorum, omnium ore Petri laudes decantari celebrarique. Lyddæ, ad mediterranei litus id oppidum maris situm, Diospolis inde dictum, Æneas, octo annorum cursu modo fatigatus, ejus precibus in pristinam valetudinem restituitur ; et Joppæ Tabita, multis nominibus commendata mulier, et in egenos satis liberalis, a Petro ad vitam revocatur, ita ut momento temporis scissæ mulierum comæ, flebiles voces luctusque in lætitiam verterentur, tractis etiam illo prodigio quingentis ad Christianam religionem mortalibus.

Petri sanctitas et miracula.

32 Illud quoque miraculum summa in fama est. Nam, cum duos ipse ex discipulis, Gregorium et Martialem (etsi alii Frontonem dicunt, qui Gallicarum victor superstitionum terrorque Druadum, frementes Rhodani ac Isaræ undas compescuit, Christi vexillis prope Oceanum erectis, vel pallente Rheno F ac trepidante Mosa) ad enuntiandam populis Christi veritatem dimisisset, vellentque ii et exemplo et verbo docere mortales juxta Apostolica præcepta, Gregorius, cum inediam ferre non posset, itineris labore exanimatus, fato fungitur; tristisque Martialis, carissimo orbatus comite, flensque ad Petrum revertitur, remque illi, ut gesta erat, enarrat; quem Petrus statim repetere iter, scipionemque, cui innitebatur, admovere defuncto cadaveri jubet : qui, nulla rerum tardatus difficultate, libentissime parens, revertitur ; factoque ut illi Petrus injunxerat, statim Gregorius jam XL dierum intervallo, e vivis exemptus, lucem solemque adspexit. Tantos Ecclesiæ ejusque Principi Petro cœlum favores fuerat elargitum. Enimvero, quid tale unquam Judæus vidit ? commemoret licet Eliæ atque Elisei miracula. Quid? nulla hic circumplicatio manuum non flatus in ora ingestus, non pectora calcata pectoribus, non præsentia cantusve verborum, nec madefacta lymphis corpora ; sed sicca virga vitales in exstinctos afflantur auræ.

Mittit in Gallias discipulos.

33 At Sebasten, (quæ et Samaria nuncupatur) nobilem urbem, et vetustate illustrem, Simon, ex Gyttho vico quidam magus, ita præstigiis diroque murmurum carmine, sui in admirationem allexerat, ut cœlo illum missum plerique venerarentur. Astutus

Simonis magni perversitas,

A. SANCTORIO.

A tus homo et suo tumens ingenio arteque, eloquentia non spernendus, rudes accolas fama nominis eventuque rerum, quo lubebat, circumducere : nam elicere manes, quatere solum, immutare effigiem, cœlumque obtegere nubibus, inductisque fulgoribus turbare, ant grandinem superfundere, micante etiam sole. Sed Sebasten accedente Philippo, profugo a Judæa, post Stephani necem grassante in nostros Judæorum crudelitate, confutata ejus doctrina, et ignotis antea præstigiis detectis, multi cum ipso Mago Christum confitentur, et baptisma suscipiunt.

a Petro castigata,

34 Qua re perlata, Hierosolyma læti Christiani eo Petrum Joannemque delegarunt : siquidem surgens jam inter infestissimos hostes res Christiana, ad stabilienda Sacramenta, Capite et Principe Christiani dogmatis indigebat; utque Petrus fundamentum æternum in soliditate et duritie petræ attollentem suæ hæresis venena, ac colla serpentem confringeret, et primus Christiani nominis Imperator, primum hæreseos inventorem auctoremque, detecta et triumphata impietate prosterneret ad reliquorum terrorem atque ignominiam.

et correcta ad pœnitentiam :

35 Igitur Petrus Sebastenos, post solitas preces B injectis capiti manibus, almo Spiritu, quem obstinate negarant, insignivit. Quod ubi vidit Magus, miratus eo modo concedi almi Spiritus gratiam, ab Apostolis enititur, quod virtute ac sanctimonia nequiret, vi pecuniarum ad tam grande donum accedere, oblato Apostolis pretio. Quod indignissime ferens Piscator, conversus ad hominem, Pecunia, inquit, tua sit tibi exitio, quando Dei immortalis munus pecunia æstimari stareque tibi persuasisti. Nefanda merces detegit impia vota, et male sanus animus impio scelere fœdatur : ficta pietas ; exsecrabile scelus. Armari ergo adversus Deum tu postulas, ipsius opibus, ipsius virtute? Commonefecit etiam hominem sceleris, ut pœniteret, rogaretque Deum, si forte precibus lenitus, tam dirum præposterumque judicium remitteret. Ille, mire territus, cœlestemque veritus iram, quam assidua scelerum consuetudine irritarat, exoravit Apostolos, uti sui apud Deum meminissent, ne, quod ipsi vaticinati essent, sibi contingeret. Hinc dirus ille mos mercandi ecclesiasticos honores ac commoda, qui universam fere maculavit Europam ; nataque hæresis illa, quæ non a Deo, sed a superna quadam virtute provenire humanum genus, simulque gratia, non operibus beatum effici, affirmabat.

qui mox relapsus, cum scorto Romam tendit,

C 36 At non mediocris animi Magum ea repulsa diu noctuque sollicitum habere; modo artibus suis inflari, modo veteres furoris atque arrogantiæ ignes quibus paulo ante impatientissime deflagrarat, excitare; modo suum eo in solo nomen, paucorum egentissimorumque auctoritate hominum, ad ima prostratum, indignari. Ergo cum cœlo mutandam vitam, prius attentatis Judæorum animis, mire in nostros crudescentibus, ratus, Romam adnavigare constituit; maxime lætus Claudii Cæsaris socordia atque inscitia, qui facile cunctas in impietates impellebatur cum et ignarus rerum, ad nutumque uxoris circumductus, et facilis ad credendum esset. In comitatum insuper sibi Magus societatemque Helenam Tyriam, impurissimum, sed egregia forma mirisque artibus scortum, adsciverat : quam homo levissimus impudentissimusque, abductam a prostibulo, redemptamque a lenonibus, mentem; rerum et genitricem omnium, ac Troici illam belli excidiique decantatam Græcorum paginis, Helenam esse, per corpora vivorum ex Pythagoræorum disciplina transfusam, totque per æva servatam incolumem, inverecunde nefarieque jactabat : ut duabus rebus, audacia astui commista, et efflorescente meretricia gratia, ad facinus aptissimis, mortale genus pronum in voluptatem traheretur mollireturque. D

gravioraque meditatur scelera.

37 Quid enim simulata adumbrataque veritatis specie doctrina apud imperitos ; aut quid gratiosa leporibus Venus in perfricata petulantissimæ mulieris fronte, et in illa quidem erudita scortatoriis lasciviis excultaque munditiis lubricam æstuantemque sua vi juvenum apud ætatem non assequitur? Aderant apud illum venenata tela, scilicet impuri libri, adversus Christum conscripti : simul præcepta de vitando martyrio, colendisque idolis : cernebantur et impura sacrificia et pollutæ aræ, muliebribus menstruis semini virorum admistis, in diro carminum sonitu, inter infandos amplexus, circumlata effigie Minervæ Jovisque inter vaporem thuris, et profanas voces.

CAPUT III.

Alia Petri opera,

Petrus Joppæ videt descendens e cœlo linteum,

At Petrus, peragrata Judæa, finitimisque aditis gentibus, cum Joppæ apud Simonem sutorem commoraretur, esurienti jam vescique cupienti ad sextam diei horam (quippe nefas apud Judæos ad solen- E nia festorum dierum, prius edere et gulæ indulgere) mirum cœlo prodigium visum : videre namque sibi visus est expansum cœlum, ex eoque magnum linteum quatuor initiis orisque in terras dimitti, omni bestiarum, quadrupedum, volucrum, atque serpentum copia refertum, insecuta mox voce, seu monentis, seu imperantis, ut ea occideret vesceretur que : cumque se attrectaturum immunda negaret, tum vocem audire visus dicentis, quod Deus sacrasset expiassetque, profanum ne duceret. Quod cum iterum ac tertio factum esset, vas illud, specimen lintei præferens, cœlo recipitur. Colligenti se Piscatori, versantique animo, quid ostentum illud portenderet, multa occursare.

mox a Cornelio centurione, viro bono,

39 Interim Cornelius Romanus, Italicæ cohortis ex sexta legione Centurio, Cæsaream præsidio obtinens urbem insignem Phœniciæ, Joppen inter Doramque secundum pelagus ad Ægyptum vergens, ab Herode Idumæo in Cæsaris honorem conditam Olympiade CXCII plurimum apud suos, indigenasque auctoritate pollebat, habebaturque cum virtutum concursu eximius, tum liberalitate in inopes vir illustris, tantoque populo gratior, quanto immanior ceterorum Præsidum avaritia exstabat, cum emer- F gente jam Judaico bello (quod summa pertinacia sumptum, funestissime, cum tot urbium excidio luctuque populorum, desiit) magnæ crebræque cædes Judæam viduarent, certarentque cum Præfectis libidine milites, Alexandrinis Babyloniisque apertam in cædem Judæorum ruentibus, minitante etiam Caio, inter cruorem et stragem læto, et extremum illis moliente excidium clarissimi animi Principe, et omni flagitiorum genere infami, nec inter venerem, et voluptates mitigato ad dedecus penatium, mœroremque clarissimarum familiæ imaginum ; jam ex tunc infandi sceleris pœnas vel invita Christo Judæa pendebat, cujus tam miserando crudelissimoque facto indoluerat Cornelius.

per visionem monito, accersitur Cæsaream,

40 Huic tam pie viventi, et ad nonam Deo fundenti horam preces divina juvenis forma, niveo candore præfulgens, visus est, qui et preces ejus, erogatasque pauperibus stipes Deo acceptas fuisse commemorat : proinde accersiret Joppa Petrum, et quidquid ille imperaret, efficeret. Itaque statim tres armigeros Joppen ad evocandum Petrum dimittit, qui ingressi urbem, adstantesque ad Sutoris fores, num ibi Petrus esset, exquirunt. Quibus Piscator, divina præmonitus aura, ultro se illis offert, et quem quærerent,

A quærerent, se esse confirmat; cumque his una Cæsaream contendit, excipiturque a Cornelio, obviam illi progresso; magno verborum honore et summa veneratione, adeo ut se ad illius pedes adorans prosterneret. Sed inhibuit hominem Piscator, se quoque mortalem esse demonstrans, edoctusque de ostento Centurioni oblato, suumque in linteo præmonstratum intelligens: etsi ipse Judæus lege, cum Ethnicis societatem communicare prohiberetur, parendum Christo, impertiendamque cunctis gentibus gratiam ratus, Cornelium cum universa familia in Christi militiam adsciscit, domumque ejus in templum erigit; multa de Christi signis, multa de virtute, de potentia, de anastasi, adventuque in terras Sancti Spiritus præfatus: concionanteque adhuc Piscatore, alma aura in omnes flavit, magna eorum, qui cum Piscatore venerant, admiratione, quoniam exteræ quoque gentes tam præclaro munere ditarentur.

ipsum cum familia gentilem convertit ad Christum

41 Revertenti postmodum Hierosolyma Piscatori graviter objurgato succensuere Judæi Christiani, Cerinthio præsertim oblatrante, homine profligatissimo, et post Simonem Magum hæresis inventore, B quoniam exteras ad gentes descendisset, usque adeo Apella tumuerat, tantis in illum usque diem immortalis Dei nobilitatus bonis, ut favorem, sanctissimumque roratum in ligno cruorem, aliis cum gentibus communicatum indignaretur, quasi Judææ angusto in angulo, et in solo tot sanctissimorum sanguine virorum funesto, servientibusque Hierosolymis, et non in Vaticano, æternaque Urbe, statura habituraque perennem imperii sedem, Christi nomen, atque majestas, et non in luce triumphisque Martiæ gentis, aut in tam latis opibus, terroreque fascium tam sublimis, excelsique Dei humano cum genere fœderis pignus servandum foret. Sed Piscator [cujus cruore æternum stabilienda in ævum Pontificia Romæ majestas erat] reddita ratione, quoniam Christus pro omnium gentium nationumque salute mortem obiisset, continuo mitigavit.

et ob id indignatos ex Judaismo Christianos

facile pacat.

42 Sed ad Consulatum Claudii Augusti secundum, et C. Licinii Largi, Ecclesia Judæorum, scelere turbata, grave vulnus accepit; Hierosolymis, sub Herodis ditione, occiso Jacobo, Joannis fratre et Piscatore in dubio versato capitis discrimine. Sed quoniam ad hunc locum est deventum, quot fuerint Herodes, ad claritatem historiæ pauca facere, non abs re fuerit. Antipater Idumæus, inter C suos nobilissimus, commendatusque propter egregii nominis opinionem a Cæsare Dictatore, occiso jam Ptolomæo, profligatoque Alexandro bello, lustrante Asiam, Cyprın Arabum Regis filiam matrimonio sibi junxit, ut per paterna ejus opes clarius enitesceret, potireturque Judæa, cum jam diu in eam conjecisset oculos, socordia Hircani et gentis pervicacia levitateque adductus.

Digressio de Herodianis.

Antipatro Idumæo,

43 Huic inter alios Herodes filius nascitur, insignis virtutis prudentiæque haud spernendæ, veluti qui in robore juventæ constitutus, Parthicis Euphratem Romanas in Provincias (transgressis) Junioris Labieni auspiciis, effusi et late Judæam vastantis, frustratus iram; civiliumque inter armorum fragorem, in colluctatione Asiæ Europæque, evitatis Cleopatræ insidiis [quæ famosa illa pulchritudine venustateque et Canopeis illecebris evertere hominem nitabatur] ab Antonio in Cyrrhestica regione, ductu L. Ventidii legati, vilissimi quidem hominis, sed ad illam diem unici Parthicarum stratoris opum fastusque, et Crassorum non ignobilis cinerum ultoris; profligato Partho occisoque insuper Pacoro, Orodis regis filio præstantissimo, juvene haud infelici, jam antea Marte Romanæ virtuti luctato; Judææ regnum accepit, confirmatumque illi postea ab D Augusto in præmium transitionis, terribile finitimis et eventu et virtute reddiderit sua, stratis sæpe latronibus, et Arabe obtrito, Judæorumque fastu (qui, nulla prope in Deum reverentia obstricti, beneficiorum immemores conculcatisque patriis legibus, postquam Romana sub arma servitum ierant, pervicacia animorum et multo odiorum incendio vastabantur) compresso; sed, domestico dissidio infelix et multorum cruore saginatus, penitus exsecrandus. Nam Mariamnem, nobilissimam pulcherrimamque totius Orientis feminarum, fulmine suspicionis irritatus, cum tot liberis, totque millibus insontium occidit; sustulissetque pari immanitate Judæorum nobilissimos, nisi peracerbe sibimet infestus exosusque periisset.

Herode Ascalonita, ejus filio.

A. SANCTORIO.

44 Huic Herodes Antipas successit, pari crudelitatis nota infamis, sed virtutibus inferior, cujus scelus, et atrocem detestandamque feritatem Joannis Baptistæ in flore juventæ detruncata cervix ostendit, quando incesto pudendoque Herodiadis, Philippi fratris quondam conjugis, amore inflammatus, ad exsaturandam scelestissimæ nuptæ prurigi- E nem, in puellæ saltu obligata temere dextera, inter pocula, ac feralem mensam sanctissimi Vatum principis cruorem exsorbuit, elusa quoque in Christi divinitate inter ludicra purpuræ, et dedecorosum sceptrum inter cachinnum aulæ exercitusque. Sed, in eum brevi post tempore justa fulminante Superum ira, magnis Arabe ab hoste incommodis affectus, dejectusque regno ab Romana, tamquam Sejani consiliorum particeps, Parthique fautor Artabani, Lugduni in Gallia emoritur.

Successit et Herodes Antipas,

illusor Christi Domini:

45 Tertius Agrippa dicitur Romæ diu Tiberio imperante catenis oneratus, sed mox, re Romana in Caii, Germanici Drusi filii, nutum translata in Judæam cum sceptro dimittitur, addita Lysaniæ etiam Tetrarchia, in bubone facta illi quondam spe regni, cui per septennium imperio grassato, Agrippa, Berenices, nuptiis Herodi patruo juncta, et Mariamne, et Drusilla liberi fuere. Drusilla a patre septennis desponsata Julio Archelao, Chelsiæ filio; Mariamne decennis Epiphani, Comageni Antiochiæ Regis filio, nupserat. Igitur Agrippa cum occidisset Jacobum (quamquam ea cædes non omnibus grata fuisset) tamen ad mulcendos nobilium animos, quos Christianis iratos infestosque intelligebat, et ad comprimenda novæ religionis incrementa, uti terrore, et aliis bacchari cædibus statuit.

huic vero Herodes Agrippa,

qui occidit Jacobum fratrem Joannis,

46 Quamobrem in celebritate panis, fermento F discreti (Pascha Judæi nuncupant) comprehendi Piscatorem, et stringi vinculis jubet, ut illius cruciatu corporis Judæorum ora oculosque exsaturaret: nec in vinculis piorum preces destitutum apud Deum Piscatorem sinebant, cum nocte quam spectaculi dies subsequebatur, duobus militibus septus, geminaque revinctus catena Piscator dormiret, seu malorum oblitus, seu in Deo spem collocans suam, seu anxia periculo mente victus torpore futuros angores leniret, custodesque alii carceris ostia observarent, mens e beatis una cœlo missa experrectum Piscatorem surgere, vesteque circumdare, et se sequi jubet: ille, decidentibus catenis (quas nunc pietatis ergo tangimus ore, veneramurque insigne donum Eudoxiæ Augustæ, doctissimæ sapientissimæque feminæ, Theodosii junioris conjugis, Romam transmissum, concessaque illis in Exquiliis augustalia, deleto actoris nomine) libera dextera veluti objectum oculis ostentum sequi cœpit, nec prius illi eximitur dubitationi, quam, primis secundisque præteritis excubiis, portaque ferrea, quæ ultro se illis expandit, tuto in loco, abeunte jam Angelo, constitit.

et Petrum carceri inclusit,

sed hic inde per Angelum eductus

47 Quamobrem, recollecto animo, summas Deo gratias agens, quod se ab Herodis impietate, Judæorumque

ad suos incolumis redit.

A A SANCTORIO. dæorumque exspectatione eripuisset, domum Mariæ Joannis (qui Marcus dictus est, ipsi Apostolorum Principi perquam carus) petit, in qua pia familia subsedens in precationibus affictabatur : nec pulsanti ostia nota voce, Rhode puella e fenestra prospectans, adaperuit, sed elata gaudio, rem ceteris enuntiat, nequaquam habita illi fide : nam id mortalibus insitum, ut, cum maximo alicujus desiderio tenemur, præ potiundi libidine minime nos assecuturos procul a spe positos credamus, animusque in plura distractus metu, spe, ac cupidine agitur, nec uni umquam firmiter inhæret. Lugebant nostri Piscatorem, nec illius tantum, sed suam quoque vicem dolebant, quoniam, in ea enascentis furoris acie, amisso Principe, summa virtute, efferatissimis cum hostibus res futura esset. Passim lacrymæ, et squalor cernebantur : quisque puellam insanire, et sopore perfusam objurgare, cum, expansis demum foribus, in medium incolumis illatus Piscator, dubium mœroremque pepulit, simul læta plaudente turba, Christumque pio cantu concelebrant : nam, quo propior periculo metus, eo major lætitia fuit, illuso Herode cum impia Judæorum libidine.

Antiochiæ fideles appellati Christiani.

48 At nostri, cum Antiochiæ ad Orontem (quippe duodecim sunt hujus nominis urbes) Christianorum B sibi cognomen adscivissent, cum antea Nazaræi dicerentur, ingens sibi peperere nomen : quippe florens opibus et pietate illustris civitas per plures annos Pontificia insignita sede, nostros benigne fovit, profugo extorreque Simone Mago, qui, antequam Romam contendisset, incredibili versutia usus, diu mortalium mentes obsederat, multisque scelerum portentorumque machinis quassarat, affecto injuriis Piscatore, ad ludibrium abraso circa verticem in orbem crine; seu ad lugubrem mœrentis animi statum id pertineret, seu in usu fuerat apud veteres in Sacerdotali ministerio, profecto apud nos venerationi datum, et sanctum ac venerabile visum, ad decorem, gloriamque Sacerdotalis dignitatis. Cum interim per Asiam reboante Christi classico, Romanam ad Urbem Religionis imperiique gradus fierent, quando, ea perdomita, explicatoque Tarpeia in rupe Crucis vexillo, ceteræ orbis gentes haud cunctanter Christiana amplexaturæ jura forent.

Apostoli quas provincias sortiti ad prædicandum.

49 Jamque Apostoli sortiti inter se Provincias erant ; Petro, Gallogræcia, Pontusque, Bithynia, Cappadocia, cum Catanoum gentibus ; Andreæ, Scythia Europæa ; Asiatica, Philippo ; Palæstina, C Jacobo ; Asia, Joanni; Hispania, alteri Jacobo ; Thomæ, Parthia, Arriana, Persis, Margiana, Susiana, quæque introrsus ad Bactra, ortumque Gangis extenduntur nationes ; Matthæo, Regia solis, et ultima Æthiopum ; Bartholomæo, India, ad Sapolum usque urbem, radicesque Imavi ; Simoni Chananæo, Ægyptus, Thebes, et quæ illi proxima ; Thadæo, Mesopotamia, Pontusque ; Mathiæ, gentes Macedonum, Dardanorum, Triballorum, Bastarnarumque, et aliis aliæ obvenerant Provinciæ. Itaque divulgando passim Evangelio, mirisque ostentandis signis terrarum orbem implere associante se illis præsertim Paulo Tarsensi [de quo suo loco memorabimus] viro clarissimo eloquentissimoque, paullo ante Damasci Judæorum ritu damnato sese ad Christiana sacra conferente, cujus eloquentia Judæis ingens terror, cunctorum ore celebrabatur.

Sententia Petri in concilio Hierosol. probata;

50 Hunc una cum Barnaba Antiocheni Christiani [exorta dubitatione, num Ethnici, qui in Christi complexum venirent, præputio mutilandi forent] Hierosolyma ad Petrum ceterosque Apostolos miserant, ut hac de re controversia, eorum judicio tolleretur : cumque in concilio diu disceptatum esset, vicerat Petri sententia, stante pro Ethnicis Paulo, qui nequaquam Ethnicos Judaico non necessario onere premendos asseruerat, quando Christus morte D sua Moseos legi finem attulerit. In hanc igitur sententiam pedibus frequenti ordine, multa post Petrum elocuto Jacobo, itum erat : atque ita scribi Antiochenis placuerat.

eidem Antiochiæ contradictum.

51 Inde Piscator, Cœlesyria, Ponto, Asia, Bithyniaque lustratis, multisque creatis Episcopis, Antiochiam accessit, ubi acriter est a Paulo objurgatus, tamquam callide modo cum Ethnicis, jam ad Christi ductum applicitis, modo cum Judæis versaretur, et modo hos modo illos auctoritate foveret sua, non quod ipse fide labaret, aut diversos mores imbiberet, ad jacturam nascentis dogmatis, fundamentum, et petra Ecclesiæ firmissima, atque Apostolici Senatus Princeps, rectorque terrarum; sed miti natura Christianorum mores tacito judicio arguere malebat, quam Principis in corrigendo locum implere; simul ad tollendas discordias, inter Judæum Ethnicumque suborituras, firmandamque sobolescentem in tironum pectoribus religionem auctis incrementis, augendaque Rep. serviendum tempori judicabat : quæ Paulo ingentissimi animi viro haudquaquam probabantur.

Petrus Romam cogitat,

52 At Piscatorem novus ardor videndæ Urbis, infandoque idolorum abraso cultu ad piam religio- E nem traducendæ, incessit, subsecuturus simul Magum Simonem, quem fictis ingentem signis jam Romæ esse fama vulgarat; tanta Petro fiducia in Deo pari cum animi celsitudine inerat, ut vilis homo, et nullo virium robore munitus, clarusve nomine, Romanos fasces moliretur, contemneretque Romani nominis majestatem, cujus fulgur fragoremque, trans Hydaspem Gangemque vulgata, Indorum gentes horrebant, subactusque cum Oceano Rhenus demississime venerabatur. Itaque, quod nec armatæ consensus Italiæ, nec feritas Germanorum, non Gallorum ferocia, non Punici doli sexdecim per annos Italiæ visceribus in stratarum cinere urbium strageque exercituum bacchati sperarunt, ausus est, vicitque Piscator, adeo ut Romanam civitatem, tot impietatum nubibus offusam, elatissimeque gentibus imperitantem, cruore suo expiatam, Christo æternam in terris fecerit sedem, ejectis procul superstitionibus, calcataque prætumida fastu cervice.

gestisque per viam multis,

53 Hac igitur spe concepta Piscator in Europam enavigat, passim Græcis gentibus Christi nomen enuntians : traductoque Athenis ad Christum Clemente, Faustini filio, insigni viro, illuc antea tempestate delato, provectus Tyrrheno freto, invisa Sicilia, in Campaniam, Italicarum omnium regionum F situ cœloque clarissimam, Neapolim accedit, mediocre olim oppidum, quod nunc, magnitudine sua Memphim ac Babylona æmulatum, transgressumque Carthaginis Corinthique magnificentiam, triumphanti victricique gentium vix cedit Urbi, par fortasse, si libertate sua frueretur, opulentis bellicosisque in Italia regionibus imperitans. Quam Piscator civitatem sacro adspectu honestavit, et plurimo splendoris ibi relicto, Asprenatem in Episcopum urbis consecravit ; operatusque sacra, stupendis cum signis suum in illam civitatem ostendit studium benevolentiamque. Cujus recordationem beneficii venerata posteritas, ipsum præcipuo in honore peculiari studio habet, nequaquam Romæ in illo percolendo, pietate officioque concedens.

Romam ingreditur an. 2 Claudii Imp. 18. Jan.

54 Inde Piscator Urbem anno Imperii Claudii secundo ingreditur. Patruus hic Caii, in ejus locum, milite nitente, suffectus est contra Senatus auctoritatem, cum percupide veterem libertatem respiceret, qua magni Cæsaris virtute astuque spoliatus, Augusti primum, deinde Tiberii sævitiam, et Caii mox infame nomen et diram Reip. pestem fuerat perpessus. Igitur Piscator xv. Kal. Februarii Urbem

A bem intrat, qui dies apud posteros celebris exstitit, quo Roma patronum suum tutelaremque, fugando mox dæmonum cultu, vidit, supraque trabeam curulemque et Augustorum tremendam majestatem veneratura erat : datum id Romanæ pietati, etsi non immortali Deo exhibitæ, ut Capitolia, præter armorum terrorem gloriamque, cruore magni Petri expiata, Christiana augustius majestate insignirentur, neque Calvariæ inviderent, cujus in cacumine signum salutis effulserat, sanctissimumque bustum cernebatur.

ubi aram in domo Pudentis Senatoris consecrat.

55 Quamobrem Piscator, cum divertisset ad contribules suos in regionem Transtiberinam, et inde ir ædes Pudentis Senatoris ad Viminalem in vico ...icio-tricio, ubi postea erexere pii aras, inter s... studio, rum solennia ab ipso Petro sacratas, m... ...risti nomen assidua diligentia, miroque ardore ...ituitque duo epi-religionemque Romæ prædicat... ...um clarissimum no-scopos Linum et Cletum, q... ...pe, alter extra Urbem in men existit, ut unus ir... ...psum adjuvaret : quando tanta administranda Rer... ...ius nixa humeris, nutaret, tanti-rerum moles, ...æque cum aliis communicandi partiun-que labore... ...ent, pluresque in eo rerum exordio deside-dique ... B ra...ntur Atlantes, qui non cœlum (ut Poetarum ıabulæ voluere) natura sua perenne, nec humanis adminiculis egens, sed prolabantem atrocitate scelerum, fugatisque virtutibus, terrarum orbem sustinerent, mundumque alterum, juxta Christi imperium condendum, sanctimonia ac pietate attollerent.

Mittit suos ipseque tendit, ut fertur,

56 At Petrus, non modo Romæ Christi ipse nomen enuntiare, sed per universam Italiam, destinatis etiam ad ultimas Ponti oras marginesque Cappadocum, et ad ipsam Meroem Alexandriamque Legatis atque Episcopis summæ sanctitatis summæque prudentiæ ; inde, exactis ad Claudii Augusti nonum annum, C. Pompeio et Q. Veranio Consulatum capessentibus, ab Urbe Judæis (quorum contumaces animi multa rixarum materia alebantur) in Hispanias Britanniamque transmisisse fertur, ut eas gentes, feritate barbaras, diris erroribus imbutas, et majora sidera venerantes, armorumque aviditate truces, prorsusque ab omni humanitate remotas, ad veræ cultum religionis traduceret. Nec ingentem animum et Christi amore flagrantia pectora, locorum difficultates, nec alta alpium glacies, vix olim pervia Romanis, multum prius eluctato difficultatibus Hannibale Pœnorum maximo ; aut asperitas Pyrenæi saltus cautesque horrendæ ; non regiones frigoribus infames ipsoque situ terrarum enormes ; marique gentium discreta nomina, vix mortalibus nota, fregere, quin non illas adiret, et intuta lustraret Oceani.

in extimas mundi plagas,

C

Britanniam,

57 Itaque in Britannia multos labores sustinet : nam ea Provincia, circumflua Oceano, et ferocia accolarum terribilis, Romanorum avaritia atque libidine plusquam immodica, concitata in arma, veterem libertatem volvere, proculque secures et fasces depellere parata, atrox bellum Romanis moliri Claudioque Augusto tertium, et Vitellio Consulibus, ingentes adierat calamitates. At Piscator, Britannia Hispaniisque remeans, trajecit in Africam ; passimque Numidis Massæsulisque enuntiata veritate, Carthaginem devenit, Africæ quondam Reginam, Urbis æmulam, et terrorem Italiæ, femineum opus, sed celebre memoratumque, cum sua, tum victorum pernicie ; inde in Ægyptum, servientem Legææ olim familiæ, provinciam Nili beneficio fertilissimam, structuraque pyramidum, Cariæ fastum æmulantium, Memphi Alexandriaque urbibus clarissimam, sed prodigiosis cæremoniis diisque prorsus infamem, atque ridendam ; mox Thebas, nobilissimam illam urbem centum portis et tam numeroso populo acervatisque divitiis, script... tot D visurus vocibus præconiisque decoratam, accessuræ extre-etiam Memnonis domum et secret... maque Æthiopum.

Hispaniam,

Africam,

Ægyptum,

Æthiopiam,

A. SANCTORIO.

atque in Italiam redit.

58 Sed retro, gravioribum ...entibus rebus, re-vocatus, mox per Par...greditur, et ea, circumje-(qua Africa tellus prospicitur) in Lybia, egregiisque Episcopis com-ctisque insulis in... ...ura, in Italiam adnavigavit, Pisa-mendata gressa, ubi nunc pervetustum sacellum rum ora, in quo sacrificasse illum indigenæ per-adspia traditione accepere, consecratum a Clemente, dum Romæ litaret ad Vaticana, eo rapto per spiritum. Rursusque inde Romam concessit majorem periculi molem adversus crudelissimum monstrum subiturus. Etsi non sum inscius, fuisse multos haud spernendæ auctoritatis scriptores, qui asseruerunt, Petrum cum universo Apostolorum Senatu ad decorandum Mariæ Deiparæ funus iterum accedisse Hierosolymam, prodigioseque hominem ex Europæo solo sublatum, nulla contacta Asiaticæ telluris [quæ Europam prospectat] arena, aut calcatis undarum fluctibus, nascenti redditum soli : satis id creditum, et posteritati transmissum.

CAPUT IV.

E

Congressus Petri cum Simone Mago Romæ.

Interea Juliæ Agrippinæ, Drusi Germanici clarissimi Imperatoris filiæ, dolis sublato Claudio, qui per XIV annos rem Romanam obtinuit, potitur rerum Domitius Nero privignus, inclyta familia, modesta juventa, et quinquennio tolerabilis Princeps ; deinde, plurimis inauditisque sceleribus infamis, Romano nomini sempiternum dedecus. Hunc, sæve regnantem, vanitate ventosum, incredibilium cupitorem, socordem et plurimis illecebris turgentem, Simon Samarita (de quo superius docuimus) aggressus, ita ad sui venerationem convertit, ut Nero, hominem adorans, jam aras illi erigeret, cæderet victimas, litaretque consecratis flaminibus, Claudii vitrici levitatem æmulatus. Auget sui admirationem spectris Samarita, varias in formas suam mutando effigiem ; et modo Neroni inopinato se ostendendo, modo divinam sibi asserendo naturam, fictis signis.

Simonis Magi artes ac veneratio Romæ

60 Nihil non creditum apud ignavum Principem, et majus augeri illius in Simonem cum veneratione studium : illum Jove natum præsidere Capitolio, nobilitare Palatium, tueri fasces, servare aquilas, et Romanum fovere nomen, incolumitatem mortemque ab illo pendere asserebat. Cæsaris impudentiam sequuntur Romani : nam, quibus moribus Principem videris, iisdem addictam civitatem propone. Nec pudebat nobilissimas animas, mortalium contemptrices, et ab innato fastu terribiles, humilem, abjectumque Sebastenum, e latebris Judææ erumpentem, et magicis artibus famosum, tanto studio venerari celebrareque, ut nihil supra ; vel invidente Jove in tantis spoliorum acervis ad externi hominis coalescentem favorem apud mortales, vel usurpato nomine Helena quoque socia, in Minervæ transfusa numen, erectis simulacris post Troica funera ac cineres, Tritonide virginale decus lugente, sibi ereptum in Virginum pugna, ad Libyæ mœrorem atque justitium.

apud ipsum Neronem Imp.

F

61 Hanc impietatem, latius serpentem extollentemque non tulit Piscator, sed confirmato animo, adveniente ad Urbem Paulo (quem in laboribus et in summo cruentissimorum certaminum æstu socium adjutoremque Petro spoponderat Deus ; brevique triumphata Cæsaris impietate, stratisque magicis præstigiis ad cœlum evolaturum prædixerat) Neronem

Petrus et Paulus Neronem aggrediuntur super Mago,

A. SANCTORIO

niandiit, gravissimeque hominem objurgavit, quomajestaonis infatuatus fallaciis, oblitus nominis simulque 'e, tam sceleste illius jussa capesseret; nefarias enudagum invectus, ejus fucos artesque visus antea Piscatcunt ea verba Neronem, et non fiducia loqueretur, ut turbat, quoniam tanta animi fasces moderantem obliviscem ipsum, et Romanos litteris Paulus in admirationem. At notus fama ac rat : siquidem Pauli nomen, late ginem conjece- Romæ etiam extollebatur, cum admiratus illustre, ac Senatus. Pie fabulatur antiquitas, Paulu Augusti ctum Annæo Senecæ, cum Afranio Burrho, juven- Principis moderatore amicitia, ejus auctoritate innotuisse Augusto, sæpe in Senatu ejus litteris recitatis, modo probante, modo mussitante Nerone; recitat et epistolas ultro citroque missas.

qui trepidans ad conspectum Apostolorum,

62 At Magum gravior cura premere, et notam Petri sanctimoniam et victricia eadem arma formidare : cessisse illius virtuti in Judæa, cessurum etiam Romæ; casuras in irritum artes, nec fucos valituros : non Neronem Poppææ Sabinæ, pulcherrimi scorti, crispantem cæsariem, legentemque capillum, ac per magicos anfractus, et nefanda secreta provolutum in omne flagitium, aut Romanos cunctis superstitionibus in funestissimo deorum cultu servientes; sed duo illa Christiani nominis decora, duo clarissima sidera, duo fulgura virtutum, duas victrices animas et cœlo selectas augurabatur, et stare ante oculos conspiciebat, metu simul et vecordia agitari. Itaque, audaciam vultu præferens, et quasi nihili Apostolos faciens dicendi mora cuncta in longinquum tempus trahere, modo se ulturum injurias, modo se miserescere illorum conditionis, aiebat.

paciscitur tamen, de mortuo ad vitam revocando,

63 Sed, urgente Petro et aciem ostentante commotus Magus (ne apud Cæsarem infamiæ notam subiret, duorum hominum verbis convictus, cum paulo ante se naturæ parentem, se Dei filium, se custodem terrarum jactasset) in eam conditionem cum Petro descendit, ut, si quis mortuum ex inferis excire nequiret, morte multaretur. Placet Petro conditio; lætatur et Paulus. Quamobrem, cum nobilis quidam adolescens, gentilis Neronis, funere efferretur, ad eum excitandum ambo conveniunt : adest et Nero pronus in favorem venefici (quippe similitudo morum scelerumque arctaverat amicitiam) concurrunt et nobiles, tota denique civitas in spectaculum ruit : dispares animorum motus, incertæ spes, et diversus vulgi favor, dissonum murmur, et nusquam silentium erant : cerneres tumido gressu Magum, elata cervice, et mortalia prorsus fastidientem : e contra, Petrum, ipsa canitie venerandum, hilari ore, et moderata animi æquabilitate ac submissione conspicuum, et nescio quo divino fulgore micantem: hæc eadem et Paulum honestare.

quod frustra conatus est præstigiator,

64 Accedentes cadaveri, princeps Simon suas experitur artes, admotoque auri adolescentuli ore, cum profana carmine et diro murmure insonuisset, qui defunctus jacebat, tollere et quatere simul caput incepit. Tunc, exorto cum clamore circumstantium fremitu, quisque ad astra Simonem evehit; vivere adolescentem vociferatur; poscit ad supplicia Piscatorem, et irarum flammis ebullit : strepunt animi et dira minantur. Inflatur ea, ad breve tempus duratura aura, magus : jam manu astra tangit; jam despectat Apostolos. Non obruitur ea tumentis undæ procella Piscator, et impavidus manu silentium [cum incalerent geminarenturque populi voces] exposcit. Ubi vero, sedato populi clamore, universi silentium tenuere; nequaquam, ait Petrus, illud, quod omnium oculis magicis superstitionibus subjiceretur, veritate niti, sed fucatum esse, et speciem veri imitari. Quod si certum esset adolescentem spiritum ducere, et hac communi aura frui, surgeret, ambularet, loquereturque. Sed, quo facilius Simonis artes deprehendatis (inquit) quam sint fallaces, quam vanæ, quam ineptæ, secedere illum paulisper a cadavere sinite; et tunc innotuerit, utrum adolescens vivat. Quo facto, adolescens numquam moveri visus est.

Petrus vero, fusis ad Deum precibus, præstat.

65 Tunc Petrus, aliquamdiu precatus Deum, adolescentulo, nomine Jesu Christi surgere imperavit. Reddita luce, adolescentulus loqui, cibum capere et deambulare incepit. Quo miraculo attonita Civitate, nutata sententia (ut sunt mobiles vulgi animi) omtrum 'idare, extollere, admirari, percolereque Pearreptisqu tra, Simoni maledicere et dire precari : erat, nisi obst is obrutura illum concitata multitudo trophæum referens, et Petrus, hoc ex devicto hoste gionis incrementa diffu invitus ille Christianæ religionis conspiceret. Lætis animis Ch latius, cœloque attolli celebravere : contra, Simon, do tiani eam victoriam Petri gloria insaniens mœrensque, ignominiæ, et multa de sorte conquestus; quoniam ad il essit Urbe, diem semper victorem, et artibus suis mirin usque Martiæque gloriam gentis majestatemque calcantem, momento temporis, obscuro ab homine funditus everti sivisset, et non nisi in latebris ac fuga locum sibi reliquisset.

Hinc in illum

66 Et Neronem pares irarum stimuli et hauriendi cruoris sitis vecordem agebant, nec impurum illum animum, maternisque furiis exagitatum, tot peremptorum virorum funestus adspectus, facies Urbis diro incendio fœdatæ atque convulsæ, non conscientia quietum sinebant : modo furore quati, modo ira turgere, et Petri admirandis signis absterrebatur; modo in vindictam procul fugientis Simonis inardescere, quem sibi carissimum, et salutis auspicem suæ, Petri virtus Romanis penatibus extruserat; temeratam simul religionem, offensos patrios deos, et Romana templa polluta Apostolorum præsentia credere. Ideo, ne Statoris ædem, ab Romulo Urbis conditore fundatam, et subacti orbi trophæis nobilitatam, aut Junonis Capitolinæ custodis Arcis ignotorum hominum verbis exscindi atque aboleri; simul Martis Dianæque numen, quo stare militiam, stare Aquilas, et cuncta in terrorem hostium versa putarat; aut bellantem pro mœnibus Palladem Urbe pelli; et Christum Romana sub securi cadentem et Crucis supplicio mactatum, in Capitolio adspicere calcantem Romanas opes, et in se cuncta trahentem, aut vilem hominem in excelsissimo Cæsarum solio sedentem, gravissime indignari tristarique, quando id Patroclus, Pauli virtute ad vitam revocatus, ei nuntiasset.

et in Paulum

67 Nec minor hominem a Pauli concionibus cum terrore admiratio circumsederat : stupebat magnitudinem animi, et eximiam doctrinam, ac tonantem fulgurantemque eloquentiam : nam universa fere Asia lustrata, et invisis, si non præsentia, attamen fama, Ecbatanis, Canopi enascentisque gustato Nili principio, et per magnam Europæ partem evagatus, cunctis gentibus admirabilis exstiterat; Academiæ doctrina confutata, Areopagi fracta pertinacia, et ipsis Athenis, rerum ac sapientiæ inventricibus, doctrinæ illius fulgore perstrictis; et tunc in togato terrore, illius voce Romana rostra circumsonabant, admirante Curia, obstupescente foro.

indignatio Neronis,

68 His de causis Nero acriter Apostolorum imminebat exitio, atrox ipse, et assentatores perpetuum aulæ malum, gravius inhumanam illam feritatem, ingeniumque etiam in voluptatibus ac Venere præceps, in cædem stragemque inflammantes,

præcipue

A præcipue Agrippa Urbis Præfectus, divitiis potens, dicendi artifex, astutus et apud Principem gratiosus, cum ignominiæ ac repulsæ dolore cruciatus infestissime in Apostolos inveheretur: nam nonnullæ illius pellices Petri cohortationibus illius amplexus respuerant nec minis, aut promissis, aut blanditiis lacrymisve [quibus maxime muliebris animus tunditur frangiturque] flecti potuerant: simul multorum scelera patefacta, et reprehensi lascivientis civitatis mores, magnam equitum manum in Apostolos armaverant, sociatisque arrogantia cum prurigine armis, infensissime crudelissimeque adversus Apostolos dimicare, nam tota fere nobilitas, selecta ex pube Romana, assueta Neronis illecebris, a pristina integritate degenerans, et in omnem provoluta libidinem abduci a complexu scorta pellicesque, peracerbe ferebat.

aucta ex odio Judæorum,

69 Enimvero Petrus, etsi antea uxoratus, castimoniam tamen præcipue amplexandam colendamque assiduis concionibus persuaserat laudaveratque; et Paulus cœlibi vita se ipso major augustiorque apparebat, quando plus exemplo, quam verbis auctoritatis insit: multum insuper Petro officere, quod Judæus esset, quando illorum nomen vile semper apud Romanos maximeque exosum, flagrante B tunc Judaico bello, ubique terrarum explodebatur. Quare Judæi gravissima mala et inexplebilem Præfectorum avaritiam, intolerandamque libidinem perpessi, illatis nocturno tempore intra mœnia Romanis aquilis, et ipsa Cæsarum effigie, mirum in modum exacerbati (Divino numine atrocissimas, et jamdiu debitas tot scelerum pœnas repetente) adversus Romanos ceperant arma.

armis Romanos lacessentium.

70 Itaque summis viribus, summa contentione, apertoque Marte bellari cœptum, adeo, ut pulsus Cestius Dux Romanarum copiarum, belli ignarus, pecuniis inhians, et suis ac hostibus juxta despiciendus, terga dederit. Nec multo post missus a Nerone ex Urbe Flavius Vespasianus, insignis nominis Imperator diuque Britannico exercitus bello, advenit; qui veteri Romana disciplina, patriaque virtute, contundere Judæorum audaciam (qui ex prosperis successibus, ac tumultuariis feliciter concertatis præliis arrogantissime intumuerant) aggressus, pulso sæpe hoste, expugnatis excisisque oppidis, devastataque provincia, victoriæ jam prope compos, C crudescente civili seditione, tribus Cæsaribus occisis, ad Romana bella, Tito filio, egregiæ indolis virtutisque adolescentulo, ad profligandas Judaici belli reliquias, in Asia relicto, descendit. Sed hæc postea obvenere.

Magus Romam redit

71 At Simonem Magum, annuo exsilio multatum, nudatumque caterva auditorum, veterem refricantem injuriam, et in fuga terribilem impatientemque, et Petri gloria anxium, repetendæ Urbis alloquendique Cæsaris (quem facilem promptumque ad omne nefas haudquaquam pristinæ consuetudinis oblitum existimabat) ingens occupat libido. Quamobrem Romam reversus, iterata familiaritate Neroni jungitur, gratus illi acceptusque. Enimvero Magus, mira calliditate, et variis gentium moribus edoctus, Neronis ingenium rimatus, ita adulatione illud assequi insinuareque se illi, ut Cæsari et terribilis et gratus, ac mirificus appareret, videbaturque Neronianæ crudelitatis victor post domestica funera crematamque patriam unicus ac singularis, cum invidia multorum ad nobilitatis aulæque ludibrium, inter aggestos cæsorum Magistratuum cumulos, et fumantes templorum ruinas, in publico squalore diroque excidio.

72 Quamobrem Magus, Neronis totus, advocato in concionem Populo Romano, permittente Cæsare, luculentam orationem exorsus, ait, se multis et gravissimis Galilæorum (sic enim nostros vocitabat) injuriis offensum, nullam posthac tuendi Romani orbis conservandæque Urbis curam suscepturum; sed sordescentibus sibi terris in cœlum evolaturum, sessurumque in Jovis curuli in concilio deorum, cœtuque felicium animarum, calcata siderum pulchritudine, et penetralibus Olympi ad æternam quietem. Proinde statuturum diem locumque, quando id faciendum esset, stupente populo et ipso Cæsare Simonem supra cœlestia reputante. Statuitur igitur simul dies locusque: theatrum nonnulli, Capitolium alii, ad id electum referunt; seu propter celsitudinem Capitolini clivi, seu propter loci nobilitatem, cum nihil in terris fuerit augustius: nam totius orbis manubiæ et stratorum opes regum ibi suspensæ cernebantur, rupesque illa sæpissime regio cruore maduerat, videratque catenatos reges, calcatam purpuram, et nobilissimarum arma gentium victorum pedibus substrata; penatesque demum dii deæque, et quidquid cæremoniarum superstitiosa vetustas venerabatur, ibi, tamquam in tutissima arce, in signum æterni imperii persancte religioseque servari. D

A. SANCTORIO. seque, ait, volaturum in cœlum statuto die et loco.

Incipit volatum e Capitolio

73 At Petrum, ferunt, præscium jam mortis, in Clementis favorem animum vertisse, cedenda illi curuli rerumque fastigio, et Clementem tantæ exstitisse demissionis, ut se indignum hoc munere E prædicarit et alteri cesserit. Quod posteriores Principes admirati sunt potius, quam imitati. Nos, Clementem sedisse tertium a Petro, scimus, adoratis in Ecclesiasticis Fastis Lino ac Cleto. Sic majorum firmavit auctoritas, consensusque clariorum virorum. Interim Simon jactantia prætumidus, laurea redimitus, ne forte Jovi aut Apollini inferior Romanæ superstitioni videretur, et quasi superna vectus ad regna, ibi triumphaturus, Capitolina in culmina adscendit, expansisque lacertis, se præcipitem dedit, et secare auras, seque altius cœlum versus sustollere incepit. Cachinnari ad Apostolos Nero, miro perfundi gaudio, affirmareque Simonem divinum hominem; eos vero veneficos et seductores: plaudere nobilitas, quisque hiscere et obstupescere, volitantemque per aera Simonem intueri contemplarique: quis tantum mortali concessum crederet? Versa naturæ jura: non minus hominem gloriari pennis, quam aves: nihil illi arduum: nec plus F licere Jovi. Casum Icari et Dædala ingenia, vulgata olim fabulis, in memoriam revocare, et pro veris habere.

tolliturque in aera stupentibus turbis,

74 Vulgus in tanta inopinataque re attonitum concussumque, intentis hominem oculis prosequi, solem illi brevi cessurum, aut laxatum iri cœli claustra expectare: nulla vox strepitusve in tanta multitudine exaudiri; nec frequentiorem umquam, nec ex omni mistam ætate antea viderat Capitolium tantam mortalium copiam. Adscenderat Scipio Africanus insigni antea curru, confecto secundo Punico bello; Macedonica, Gallica, ac Pontica trophæa, sexcentaque carpenta, victarum gravata manubiis gentium, honestarant, mille duces lauream Jovi tulerant: et Simon tantos labores, egregiique nominis existimationem gloriamque, una hora tenebris obduxerat, et vilem Romanis oculis fecerat, unicumque pro tot triumphis æterni nominis monumentum, Romanorum in mentibus fixerat.

cum Petri jussu fugientibus dæmonibus,

75 Sed Petrus, tempus adesse ratus, quo Christi Dei magnitudo ostenderetur, altaque Romanorum ex oculis caligo pelleretur, et magica scelera cunctis patescerent, ac nemo imposterum divinos sibi honores arrogaret; alta voce cum orasset, respexissetque bis cœlum Paulus; Jubeo vos (inquit) ministros inferos, qui Simonem per auras avehitis, nomine Jesu Christi filii Dei vivi, Simonem in terras dejicere:

A dejicere : cum subito magus gravi pondere (cessante inferorum auxilio) labitur ; fractoque crure, summa ignominia affectus, vehementissimoque cruciatus angore, Ariciam concessit, ibique moritur : homo certe suis artibus ingens et Zoroastris gloriæ non cedens, Asiæ quondam victor, et in Neronis comitatu Princeps, illusorque populi Romani, vix orbe contentus, solumque dedignatus, ac cœli mensor et siderum, ad pœnam sceleris et arrogantiæ, claudus incesserat, videntibus populis, nec jam admirantibus Phaethonis exitum et decantatas ore Poetico fabulas, prospecto infelicis excidio, Simone hoc pacto e vivis exempto, perculsus Nero, amici casum indigne ferens, cum se quoque illa victoria victum spretumque crederet, exoptatam jamdiu in Apostolos occasionem arripit, simul et ut crematæ patriæ et funestorum ignium infamiam a se averteret, supra insitum odium sitimque cruoris in nostros exsurgere.

A. Sanctorio. præceps cadit fractus crure,

ac moritur.

CAPUT V.

Comprehensio Petri, condemnatio et martyrium.

B Quamobrem prehendi homines, vinctosque ante tribunal statui jubet: quos elato gestu trucique vultu sic affatur: Si scelerata vestra audacia, et acerbissimus amici interitus, nos uti clementia et respicere mortales casus sinerent, nequaquam in cruciatu vestrum atrocissimisque suppliciis, communem dolorem communemque civitatis gemitum leniremus ; verum in tot criminum atrocitate sordesceret clementiæ laus, et concessus vobis spiritus summa crudelitas haberetur, quando effrenata ista ora, supra mortalia transgressa veterum sacra, cœlo auspicata, temeraverint; inductaque vos hac exitiabili superstitione, Cæsarum majestatem contempsistis; maledictis Romanum nomen proscidistis ; tot nobilissimorum virorum geniales toros abductis uxoribus viduastis; et modo in conspectu populi Romani, videntibus nobis, ante deos penates vestris maleficiis occidistis Præsidem Capitolii, auspicem vitæ nostræ, salutem civitatis, et Romani nominis soterem.

Oratio Neronis ad Apostolos,

77 Superbas animas (vestras) et egestate confectas, sceleribus efferatas, communique gentium dissidio gaudentes, et machinatas modo (si mortali ope staret) interitum Urbis, jam morti destinatas, num ex manu nostra Deus ille vester eripiet? Ubi nunc, Petre Pauleque, arrogantes illæ voces, ubi jactantia, ubi numeratæ Dei vestri maximæ perennesque opes ? en teterrima superstitionis capita, terrarum orbis dedecora, et in cœtu illo nefario perditissimorum hominum principes, quibus nunc auxiliis mens ista vestra confidit ? nulla vos vota, non Deus ille vester, nec magicæ fallaciæ juverint : decepistis atque infatuastis Asiaticas gentes, natas servituti ; præbuistis admirationem rudibus, atque insciis Africæ populis ; et Europæos eadem sceleris macula polluistis; sed Romanis nota Galilæorum ignobililissimæ gentis veneficia, nota piacula, noti errores impietatesque.

quos verbis castigat

78 Testor, Quirites, illum diem populo Romano funestum, et illum ipsum divinum cœlo labantem hominem (qui mihi summi numinis instar erit) nihil hac superstitione, nihil hoc contaminatissimorum hominum grege in toto terrarum orbe aut turpius aut scelestius reperiri, aut dari fœdius atque miserius. Moriendum nunc vobis, Galilæi, est et morte vestra piandum, ne quis in cruce laniatum hominem adoret, aut ultricia Romana numina contemnat : nullum hinc effugium. Nec enim dira vestra murmura aut magica carmina, quibus ad terrorem utimini, pavet Romana securis. Itaque, lictores, abripite istos nefarios, sentinam Urbis, deceptores hominum ; et dignis cruciatibus mactate. D

ac mortis damnat.

79 Ut subticuit Tyrannus, catenati Apostoli Mamertinum in carcerem, ad ima Capitolinæ arcis defossum truduntur. Haud terruit invictos animos, et jamdiu pro Christi amore neci devotos, Neronis immanitas mortisve horror : sed admirareris animi celsitudinem et Divinam prorsus constantiam ; et hilara illa ora conspiceres non secus, acsi curru, sexcentis hostibus stratis, Capitolia scanderent. Ita piis justisque haud ingrata mors, scelestis tremenda ac formidanda ; illis felicitatem, istis sempiternos cruciatus mœroresque parit. Igitur Apostoli, traditi in custodiam Paulino, clarissimo viro ; mox Mamertino, sub duorum ductu Tribunorum, Processi et Martiniani præsenti animo mortem exspectare : sed ambo Tribuni, Apostolorum concionibus ad Christi religionem traducti expiatique sacra unda, quæ repente ex imis humi visceribus eruperat, eos incolumes dimisere, haud veriti Cæsaris immanitatem ; quem a perforandi Isthmi incepto, difficultatibus natura revocans in ipsis Olympiis projecerant in omne ludibrium, principem mimorum cytharœdorumque, ac aurigarum magistrum, non Romanæ moderatorem Reip. miserante orbe ac lugentibus manibus Majorum.

Includuntur carcere Mamertino

et baptizant ejus custodes.

80 Igitur piorum turba Petrum circumfusa orare obsecrareque, ne cruciatibus, ne morte sua Neronis feritatem satiaret. Repugnat Petrus et excessurum se Urbe negat; versusque ad eos : Num, inquit, turpi me pavore consternatum capessere fugam, Romana tecta deserere, alias adire gentes et Neronem meo in tergo ludentem vultis adspicere? Siccine Petrus tot laboribus perfunctus, jam senio gravis : dux Christianæ militiæ, commissa ab Imperatore vexilla, in ipso prælii ardore terroreque minarum, deseruerit; nec Imperatoris reverentia, nec communicata virtus, nec traditæ bellandi artes, ingensque in illo fiducia, mihi vadenti in aciem adversus flammarum globos, crepitusque virgarum horrentesve mucrones, fecerint animos?

Petrus rogatus exire carcere,

81 Quantum profecto a commilitonibus degenerarem, si immortali illorum virtuti cederem, egregiaque facinora imitari desisterem? Ideone flos ille eximius, Christiani nominis gloria, et prima Christo victima data, Stephanus, in florentissima ætate præstantissime pugnans, occiditur, ut Petrus, jam senex in Christi contubernia factus, abjectis turpiter signis, frementi Neroni cedat ? Turpe exemplum, gravi pœna puniendum ; breves dolores cruciatusve perenne gaudium, et ingentia præmia subsequuntur : nulla umquam sine cruore victoria, et ea pernobilis, quæ ex ancipiti pugna. Itaque fratres, de fuga cogitare desinite : omne animi robur, omnis virtus, in discrimen danda ; decoro exitu vitam honestabo : nam nasci cum laude, nemini ; cum decore mori, paucis a natura concessum. Plura dicere volentem prohibuere cum obortis lacrymis circumstantium ejulatus clamorque. F

generose id negat facturam se;

82 Etenim, si vitam ipse nihili faceret, et cœlesti desiderio teneretur, ac in tironum solatium tutaretur eam, quorum infirmi imbellesque animi tot in fluctibus tempestatum, et instanti periculorum mole nutarent sternerenturque, instantem teterrimum gladiatorem humano sanguine bacchatum, imminentesque Judæorum dolos, et lætos cædibus animos, et se undique periculis cinctos circumspectare : et una eademque toto consilio personabat vox, ex Petri spiritu pendere ceterorum animas. Quibus diu obluctatus Petrus, cessit tandem fratrum pertinaciæ.

tandem lacrymis suorum coactus, exit,

A ciæ. Quamobrem fausta omnibus precatus, collucentibus stellis, ad vastum noctis silentium ab Urbe proficiscitur : cumque haud multo interjecto itineris spatio, Capenam extra portam processisset, ubi nunc est sacellum sub scriptione S. Mariæ ad transitum, Christum obvium habet; provolutusque ad ejus genua, ait : Domine, quo vadis; Romam (inquit ille) iterato Crucis supplicio afficiendus. Ergone, iterum Petrus, tu in Cruce passurus venis? Et ille dictum Petri confirmat. Tunc Petrus, intelligens, oraculum illud ad se pertinere; Regrediar ipse et Cruci affigar. His dictis, Christus evanuit.

ac Christo sibi obviam facto,

83 Tum Petrus, repetita Urbe, reque fratribus nuntiata, iterum a Cæsaris satellite capitur, et ad Agrippam Præfectum adducitur : quem his Præfectus, ira fervens, compellat : Tune ille, quem popularis aura vehit, et abstractæ toris puellæ decantant : Tune ille veneficus, et maleficiis gloriabundus elatusque? Sed Petrus, interrito vultu, retusa hominis vesania, sola se Cruce gloriari, aiebat; eamque sibi trabeam, eam sibi fasces, eam sibi curulem esse. Quapropter Præfectus, magis magisque irritatus, Petrum, tamquam alienigenam ac barbarum, prius fustibus cæsum, in Crucem agi;
B Paulum vero, civitate Romana donatum, capite plecti jubet, lege Valeria ac Porcia; Romanorum civium præsidiis, propter impietatis crimen (id nostris adscribebatur, illudentibus deos) per centuriata comitia sublatis, in exitium hominis.

mox regreditur,

damnaturque Crucis:

84 Jam Nerone inter ludibria Magorum eluso, non nisi cædes et strages meditante, recitata ex tabella sententia, sublatum est ab Ethnicis Judæisque murmur, festæ voces, plaususque; ovans acerbius volitabat Judæorum impietas, conviciisque in Apostolos grassabatur; et nondum Romano mucrone disruptis Apostolorum venis, cruorem anhelare : contra, apud Christianos lacrymæ in oculis, tremor in corpore, hæsitatio in lingua cerni, mœstissimos animos, præter Principum supplicium metumque sui, Judæorum lætitia ac tripudia atrocius fodere. Enimvero Judæi Ethnicique, demptis duobus illis Christiani nominis fulminibus, rem nostram infirmam, quassatam atque exsanguem futuram sperare; nec litatis imperatoribus, imbelle vulgus timendum asserere.

varii inde variorum sensus,

85 At in Apostolorum vultu videre licebat summam gravitatem, summam sanctimoniam, summam majestatem, nihil de pristina hilaritate mutatum;
C idem decus, eumdem colorem, eamdemque vocem. Itaque diu complexui mutuo inhæsere : cumque jam segregarentur (accelerante supplicium satellite) Paulus ad Petrum versus, Salve, inquit, templorum fundator, Christiani populi pastor, et summe gentium parens. Ad quem Petrus, Tu quoque, buccina Christi, decus militiæ sidusque populorum, lætus ad superna proficiscere. Hac die ingens nobis merces parata; æternoque una simul gaudebimus ævo. Ita se invicem cohortati, segregantur.

at in Apostolis æquabilitas vultus,

86 Cernitur locus hodie, in sacellum erectus, extra Tergeminam portam, ubi ambo Apostoli novissimam sibi pacem salutemque dedere : quem locum indigena exterusque mira pietate adit veneraturque. At Petrus in Janiculum, Naumachiæ, deorsum juxta amnem positæ, imminentem (Paulo ad Salvias aquas ferro occidente) ductus, contemplatusque Crucem, Ave, inquit, salus gentium, Christi vexillum, carissima Crux, et nostro generi favens : per te patefactum est ad sidera iter, apertumque cœli limen, tu, quam nuper Integerrimi cruore madentem vidi, occumbenti hodie mihi ad salutem salutaris existe. Inde rogavit ministros, ut inverso se corpore in Crucem agerent, ne servus Principi æquaretur. His libenter paruere carnifices. Quamobrem, multa de Cruce concionatus, totus cruore
D madens, commendata Deo auditoribusque Ecclesia, tertio Kal. Julii feliciter exspiravit, Fonteio Capitone et C. Julio Rufo Consulibus, post Christum natum ann. LXIIX. Imperii Neronis XIII.

inter sese vale dicentibus

atque generose occumbentibus

A. SANCTORIO

87 Sed brevi subsequitur in monstrum ultio, erumpente enim ex Hispania Sergio Galba, Augustoque ab exercitu ac Senatu acclamato, Nero conscientia scelerum pavidus, abjecto Cæsarum cultu fugiens, semet interemit. At, si de Petri ætate conjectari licet, octogesimum, aut paullo minus, illum attigisse annum crederem; quando vergente jam ætate, Christo se junxerit, vixeritque triginta et sex annos ab excessu Christi. Undecim enim Antiochenam, quinque et viginti (mensibus sex et diebus XIX detractis) Romanam rexit Ecclesiam. Corpus ejus, a Marcello Appuleioque fratribus, magna veneratione et piis lacrymis decoratum, multoque unguentorum delibutum odore, in Vaticano, haud procul via Triumphali, ad Neronianos hortos circumque sepelitur : ubi Constantino Magno imperante, sedatis jam Ecclesiæ fluctibus [qui per XXX. Cæsares religionem nostram sævissime exagitarant] ingens illi templum construitur, bidente ligoneque ipsa Augusta solum fodiente manu. Sed recentiores Pontifices, sordescente illis veteri illa E structura, longe majorem augustioremque, et tanto dignam Principe attollunt ædem. Cœpta stupendi operis moles a magno Julio II, cujus invicta admirandaque prorsus animi magnitudo, præter armorum gloriam restitutumque amplissimæ majestatis, fœde antea conculcatæ obscuratæque scelere Tyrannorum, decus, pacis etiam artibus nobilitata est.

Cædes Neronis.

Petri ætas,

templum ei structum a Constantino Magno,

88 At, ut ad rem revertamur, Petri ossa una cum Pauli mista fuerunt, seu quia Superis id cordi erat, ut qui hanc captantes auram, familiarissime simul vixerant, seque adamaverant unice, mortui eodem busto clauderentur; seu Asiaticorum invidia factum. Enimvero Asiatici, eo ipso anno, se recurrente festi anniversaria die, pietate erga suos adducti, ac tanto Italiæ bono, tantæque felicitati invidentes, cum surripuissent illa corpora, detectique fuissent, concurrentibus ad arma indigenis perculsi, in puteum quemdam ad Catacumbas (duobus aut paullo minus, passuum millibus extra portam Capenam locus hic est) dejecere; inde cœlesti voce monstrata, grandiora Concionatoris, minora autem Piscatoris, attestante; mox a Silvestro Summo Pontifice (in Thraciam, ad occasum Romanæ magnitudinis, abscedente ad incolendum By- F zantium Constantino) æque ponderata anno a Christi ortu CCCXIX supra porphyreticum lapidem divisaque, partim Vaticana, partim Pauli delubra habent : amborum autem capita, quæ surripere olim ausa feminea manus, mactatis sontium corporibus, diram exsecrandamque audaciam testata est; in nobilem ac celebrem locum translata, summo cultu Laterano in templo asservari videmus.

ossaque ibidem condita.

ACTA
SANCTI PAULI APOSTOLI
Ex Sacris Scripturis collecta.

Auctore Paulo Æmilio Sanctorio dein Archiepiscopo Urbinate ex impresso Romæ.

CAPUT I.

Pauli patria, statura, magistri, conversio, insidiæ a Judæis.

Paulus Pharisæus, familia Benjamin illustri ac clara,

Genus Pauli

A. SANCTORIO.

A clara, quippe primo Judæorum Rege, ex ea progenito, enascitur Cosso Cornelio Lentulo et L. Calpurnio Pisone Consulibus. Ipsius vero parentes jus Romanæ civitatis [quo nihil florente re Romana insignius habebatur] obtinuere, incoluereque Tarsum, urbem in Cilicia campestri nobilissimam: quippe Cilicia duas in partes scinditur, campestrem ac montanam. Urbs ipsa Tarsus parvulo in tumulo exsurgens, Cyndo lavatur amne. Auctor illi originis Perseus Danaes filius, vel (ut aliis placet) Sardanapalus, Assyricum dedecus, opere unius cum Anchialon diei. Tantæ quondam Assyriæ fuere opes, ut per XXXVI Reges late Asiam inumbraverint pluresque condiderint urbes; demum, epulis ac Venere flagrante in rogo semiviro, corruere.

et statura,

Erat Saulus corpore mediocri, alii brevi fuisse scribunt et incurvo; naso, ad votum Persarum quod augustum in Regibus credunt, adunco et longiori, albo colore, hilari oculo, supercilio humi demisso, raro capillo, barba densiori et promissa, pulchra et decora facie, et in se unumquemque trahente, ad hæc acri vehementique ingenio, præclaro animo et in ardua prono.

Magistri,

Cum hac virtutum indole a parentibus Hierosolymam perdiscendi causa mittitur, B in Ethnicorum disciplinis non mediocriter versatus; ubi diu audiendo Gamaliele, singulari modestia et præstanti doctrina viro, et Moseos peritissimo legis, commoratur, tantumque vivido ingenio ediscendique ardore in disciplinis profecit, ut longe multumque contubernalibus superatis, appareret omnibus illius doctrinam vimque in dicendo Asiæ terminis haudquaquam contentam fore, afferebatque parem ad patrios ritus defendendos animum atque audaciam.

ardor animi,

2 Quamobrem juventa et moribus terribilis, Stephano, condiscipulo suo, perniciem non obscure machinatur, reliquorum ipse incitator et antesignanus. Itaque, cum Judæi, mira Stephani contusi virtute, hominem, patriis a legibus desciscentem convellentemque vetera dogmata, lapidibus ad Aquilonarem portam. Cn. Domitio Ahenobarbo et M. Furio Camillo Scriboniano Consulibus mactarent, illorum vestimenta custodiens, suorum ictus oculis juvare saxorumque in crepitu exsultabat, ipsius innocentissimi eludens cum risu precantis voces. Hinc gustata sæviendi in nostros licentia, et tactis pollutisque semel cruore faucibus, non quiescere, sed dirissimo C odii telo saucius, furere, omnia agitare, omnia quatere, globoque æqualium facto, nostrorum in ædes irrumpere evastareque, miseros in publicum trahere, et gravissimis affectos contumeliis diverberare et tradere suppliciis. In imbellem quoque sexum, vel tutum contemptu sui apud hostem ferox; nihil denique illis pacatum sinere, cœlum illis crudele, infensam terram exoptare, in gladiorum summa impunitate pulsatis ariete mœnibus, aut foribus ferro stratis, inter gemitus cadentum et cruorem acerbus immitisque.

persecutio mota

3 Magnum vulnus Ecclesiæ per hos dies illatum: vulnerantur alii, in fugam alii vertuntur, alii fortunis spoliantur, post acerbitatem verberum et squalorem penatium. Quippe juvenis, gloriæ avidus, et nondum adversis rebus jactatus patriis in defendendis ritibus veram laudem se adepturum, et immortalitati nomen commendaturum credere sperareque: nam immoderata vasto præfervidoque in animo virtus, nequaquam solidæ aura laudis contenta, late ultra modestiæ decorisque fines evagatur, rerumque pervertit ordinem, et Principes gentis et æmula nobilium cohors laudando adulandoque ferociam attollere, prorsusque indomitis juvenem animis contumaci pugnacique ingenio, insuescere cædibus gaudebant, ac veluti nostrorum in exitium natum admirari. Sed concepta non diu illis spes arrisit, multa D cogitante mortali, et alio ea Deo vertente.

contra discipulos Christi,

4 At Saulus, cum propagari latius religionem nostram, nec ullo pœnarum metu coerceri videret, impetravit a Principe Sacerdotum, Damascenorum ad conventus litteras, quibus fieret illi facultas cujusque mortalis, Christi numen venerantis, devinciundi attrahendique Hierosolyma. Hoc consilio auctoritateque munitus (eodem etiam tempore Caio dirissimo monstro, Romanos penates infandis cædibus depascente) nulla interposita mora, festinus, nostrorum in excidium Damascum properabat. Qua divulgata fama, ingens nostris terror incutitur: noverant enim juvenem per se ferocem, inhiantem cædibus, sæpe noxium, et jamdiu vincula ac strages, cruoremque machinatum, et supra pervicaciam atque insitum odium, acerrimum adversarium, publicisque nunc vallatum opibus horrendum, non ætati, non sexui parsurum, sed omnia immani rabie evastaturum.

cœlitus tangitur

5 At Saulus, Christianum sanguinem anhelans, scelere amens, et furore vecors, jam magnam itineris partem confecerat, cum subito (Paullo Fabio E Persico et L. Vitellio Nepote Consulibus, IX Kal. Februarii, a Stephani cæde recurrente anno ac mense) scindi cœlum et ingens micare fulgur, obductaque face, Sauli in ora vibrare; adeo ut perstricta oculorum acie animoque deficiens, equo decideret, insecuta mox voce, Saule, Saule, quid me persequeris? Cumque pavidus ille quæsisset, Quis es Domine? et ille dixisset, se Jesum esse, quem oppugnaret persequereturque, durumque ac grave illi esse, stimulo calces opponere: tunc Saulus quærere incepit, quid sibi facere imperaret. At ille, ut Damascum contenderet, admonuit: ibi enim, quid faciendum foret, auditurum. Comites vero Sauli par terror stuporque pervaserat, concrepante voce, viso nemine, stratum ante se cernentes Ducem.

atque Damascum cæcus deducitur,

6 Quamobrem dum diu hæsissent, recollecto demum animo, hominem Damascum perduxere, ibique triduo, nullo gustato cibo, luceque carentem, Ananias, a Christo præmonitus confirmatusque, in pristinum redigit robur, sacraque lavat aqua, trepida etiam manu: tantum sibi fecerat nomen Sauli ferocitas, ut etiam corpore languens, et luminibus orbatus, aspicientibus terrori foret. Sed ingens ille bellator, usque adeo Christiano nomini infestus, sexcenta pericula pro Christo subiturus erat, numenque ejus F Regibus coram, ac Cæsaribus intrepide tutaturus, vas electionis, decus Christianæ militiæ, terror hostium, victorque gentium. Hoc pacto Saulus, Christi signis mancipatus, omnes ingenii vires ad amplificandam Imperatoris gloriam, omnemque animum ad abolendam impietatis notam convertit; palam jam Christum confitetur; manasse jam bona, effulsisse numen, non ultra evolvendis libris terendum tempus esse, prædicat. Quare repentina mutatio summa omnes admiratione affecit.

conversusque insidias patitur a Judæis,

7 Enimvero increbuerat jam fama, armatum minis et peculiari odio sævum, ad Christi delendum nomen Damasco appropinquare; et tunc, non illud non persequentem modo, sed ultro dantem attollentemque audiebant; sævum murmur, dissonus cantus, incertæque voces exaudiri et non dubius metus, acrius odium cum rabie, Judæorum pectora quassare. Fervere igitur animi, insontisque in cædem impelli, florentemque ætate juvenem, promptumque manu, ea ingenii præstantia, ea facundia, abnegato patrio turpissime ritu, externa ad sacra prolapsum, acerrimeque pro his stare indignabantur: ideone hausisse dogmatum mysteria, ita insudasse disciplinis, ad hæc tradita arma, patrias ut ea in leges diffulminaret abutereturque? Vociferari itaque, structis

A ctis insidiis, ne posset elabi; faxque illa ingens brevi excitatura incendium, ni ipso in ortu exstingueretur. Dineam, Arabum Regis Præfectum, illuc ab Rege delegatum, ad Romanam mitigandam ferociam (cum haud dubie Romani ipse belli metu quateretur, addictusque siderum scientiæ, non nisi ex cœli benignitate salutem speraret) adeunt, obtestanturque ut vigiles portarum ad limina stare, cauteque custodire juberet, cum transcendere mœnia nefas apud Romanos, et semper morte piatum ipso Urbis conditoris fratre cruore suo jura sanciunte.

quibus elusis evadit

8 Sed Sauli auditores, præcognitis insidiis cum fallere excubias nequirent, hominem intempesta nocte e specula in sporta dimittunt, qui statim in Arabiam evulgandi Evangelii gratia proficiscitur: quamquam id Lucas memoriæ non mandarit: sed ipse Saulus in Epistola ad Gallogræcos se alio intendisse ab illa fuga iter, invisisseque triennio post Hierosolyma, rediisseque Damascum, affirmat. Arabum gentes, feritate barbaras, et corporum animorumque mollitie infames, soli fertilitate, odorum copia, cœlique salubritate beatas, partim Romana potentia, partim indigenæ Reges, et ipsi socii, vectigalesque Romanorum imperio frenabant. Nabathæi, B Agræi, Sceniti et Chaulotei multas colunt urbes, sed plerumque vastis campis inerrant, et sub dio, Scythico more degunt, incondita multitudo, certis parens Ducibus, discors ac contumax, quorum crescente sobole ac colluvione, nostro seculo ab Euphrate, qua Palmyreorum termini rigantur, usque ad Atlanticum Oceanum, Ægyptum, Africamque, occupata videmus.

et Christum prædicat,

9 Has gentes concionibus Saulus aggressus, fracta sæpe impietate, multisque acquisitis Christo militibus, Damascum repetit, moxque Hierosolyma, Apostolorum videndorum gratia, Petri præcipue, cujus fama sanctitatis finitimas gentes occuparat, ad exhibendum Principi Ecclesiæ obsequium, quodam modo ad accipiendum præstandumque juramentum, apud signa summumque militiæ Ducem, petiit; sed eo desiderio fraudatur; nam præter Petrum Jacobumque fratrem Domini, vidit neminem. Quintodecimo post die, in Syriam Ciciliamque descendit, frustratus inimicorum insidias, et rabidas animas, uni ipsi præcipue truces, ubique Christi nomen enuntians, duciturque a Barnaba (quicum vetus intercedebat consuetudo, amboque sub uno eodemque instituti fuerant præceptore, et sæpe inter se de religione disceptarant) Antiochiam, nondum ex om- C nium Apostolorum ceterorumque animis depulso pavore: sed Barnabæ auctoritate omnibus carus exstitit. Tanta enim Saulo ad conciliandum sibi mortalium favorem captandosque animos, dexteritas inerat, ut nihil supra: quisque hominem celebrare, stupebatque cum oris dignitatem, tum suaves mores, procul scurrilitate et risu atque facetiis, et

Antiochiam tendit.

quanto truculentiorem sibi animo vultuque effinxerat, tanto leniorem mitioremque expertus, carius diligebat. Igitur Saulus una cum Barnaba integro anno Antiochiæ commoratur, ibique nostri Christiano cognomine, cum antea Nazareni nuncuparentur, honestantur: deinde, cum maxima rerum penuria, Agabi ex ore multo antea denuntiata, anno secundo Claudii Cæsaris, quo rebellionem, stragem, et pugnas Romana res sensit, Judæam finitimasque Provincias urget, eaque mire Christiani in his Provinciis versantes afflictarentur, Antiochensis conventus in medium pro rata facultatibus prolatis occursavit piorum necessitati, munusque Saulo ac Barnabæ id injunctum, quos universo in conventu virtutum concursu admirandaque pietate præcellentes intelligebant. Re feliciter pieque expleta, ambo Antiochiam, Joanne [quem et Marcum appellari alias diximus] adscito repetunt.

D

CAPUT II.

Itinera varia, persecutio continuata et lapidatio a Judæis.

Inde alio

Florebat illa civitas multis ac præstantibus viris, et Christianæ disciplinæ observantissimis: hi multis fusis ad Deum antea precibus, Saulum et Barnabam ad opus, ad quod vocati erant, implendum dimiserant: qui almo ducti spiritu, Seleuciam Ciliciensem, ad Calycandum sitam amnem, venerunt; deinde in Cyprum, uno adjuncto comite Joanne trajecere, insulam miræ fertilitatis, cœlo felicem et amœnitate illustrem, adeo ut Poetæ in illa Veneris domicilium finxerint. Paphus inclitum templum habet, condente Aeria, seu Cynara sacrante, nulla Deæ humanæ corporis effigies, perpetuo ambitu formam in metæ turget; thure ac precibus numen exposci credebant, nec cruore madescere ara, hædorum fibris haud incerta fides, nec ulla superi orantis vis imbris in ignem sub dio flagrantem, ratio occulta, fœdi mores, crebra stupra, succumbente exteris passim advenisque muliere, nullus pudor, nulla modestia, quo forma augustior, eo in libidinem et obscœna profusior mulier; summa laus in stupri patientia. E

usque in Cyprum,

12 Igitur Saulus, Cypro, Papho tenus peragrata, a Sergio Paulo, insulæ procuratore, audiendi verbi Dei percupido, accersitur, multum contradicente Elyma Mago, qui, obscurus genere, malitia notus, dolis ac fallaciis creverat, verebaturque Apostolorum adventum, ne detectis maleficiis, eo deceptorum opimo animorum spolio nudaretur, et lueret simul pœnas. Quod intelligens Saulus, in conspectu Præsidis in hominem invectus, ita oratione perstrinxit sua, ut mutesceret ille, et cœlesti ira punitus omnem videndi usum amiserit. Quo miraculo adductus Sergius, cum multis accolis ac tota familia, sacro baptismate abluitur, vir bellica laude insignis, et in administranda Rep. justus, nec animi aut consilii inops, non minus Saulo carus, quam illius ipse cupidus. Hinc Saulo inditum Pauli nomen ferunt: et sic deinceps vocitabitur.

Antiochiam Pisidiæ,

13 His igitur Paulus gestis, una cum Barnaba, relicta Papho, Pergen Pamphiliæ urbem, Dianæ Pergeæ delubro memoratam, Cestro flumine subvehitur: inde Antiochiam in Pisidia (revertente Joanne Hierosolyma) accessit, ibique dies noctesque Christianam religionem prædicabat: tantumque erat ingenii illius acumen, tanta vis dicendi, tanta ubertas F summo cum in Christum amore, ut nec umquam illi verba defecerint, aut exaruerit oratio, nec corpus ullo labore fuerit devictum: a gallinicio usque ad quintam horam manibus opus facere, ad nonam usque in docendis instruendisque populis, aut curando corpore, fovendisque egentibus defatigari: magnificus illi animus, excelsus et numquam a rationis sede dejectus: mira submissio, et ad brevissimum tempus ira (quod plerumque in alti animi viro reperies) nulla morositas, nulla elatio inerat; acerrimo in ipso juventæ robore jactari æstuareque fervore pruriginis: sed creberrimis ad Deum precibus, miraque corporis afflictatione tundere effervescentem venerem, ancipitique in discrimine sæpe triumphare.

ubi docet ex Scripturis;

14 Igitur in Pisidia Antiochiæ commorans, cum in Judæorum conventum intrasset, lectisque sacrorum capitibus librorum, rogatur ab Optimatibus, num quid effari vellet. Tunc Paulus, gravem exorsus orationem, cuncta, quæ a Deo ipsi, Patresque beneficia accepissent, commemorat: Abrahamum, virum integerrimum, gentis patrem, eductum Chaldæorum

dæorum

A. SANCTORIO

A dæorum e regione, multis periculis exemptum, illustrique sobole nobilitatum; ejusque posteritatem Canopum Nilumque moderatam, mox a summa dignitate, fractis fascibus, in ima miseriarum dejectam, rursusque spreta Memphitici populi arrogantia, depulsaque servitute, fertilissima Provincia septem deletis gentium nominibus, scisso bifariam mari, obrutis ac fluitantibus hostium corporibus, sepultis aquarum mole Ægyptiorum iris, sepultisque furoribus, micante illis nocturna solis instar face, roratis in solitudine desuper cibariis, curatis vulneribus, enatis mirabiliter fontibus, interrupto perenni in cursu solis itinere, potitam, illatamque ad uber beatumque solum, per populorum ruinam stragesque ferrum tepuisse cruore, irrorasse saxa, maduisse solum, exundasse amnes, bellicoque strepente, concussos prolapsosque urbium muros, oppidaque arte ac natura munitissima, circumvallata, oppugnata, excisa, populataque flammis, verasque in cineres strata armatorum agmina, stratasque phalanges, ostentata simul judicum jura, regale ostrum, Euphratemque plus æquo tumentem atque immodicos evibrantem fluctus iratum, ad unius ocu- B lorum ictum puellæ expalluisse, adorasse majestatem Susa, horruisse femineos ausus Ecbatana, Persidaque contremuisse, referebat: et tamen nullo supplicio mitigatam eorum rabiem exsaturatamve libidinem, occisum ab illis Christum, a Davide ducentem genus, tot vaticiniis designatum atque promissum, passim æmulatione ad illum mactandum Optimates certasse, pro concessa vita mortem, pro beneficio injuriam, pro gloria infamiam ac teterrimum supplicium retulisse ab illis, gravissime concionari.

et conversis multis,

inde ejicitur a Judæis;

15 Cum dicendo finem imposuisset, dimissaque concione, ipse, una cum Barnaba, exiret, Judæi eum orant, ut proximo die, qui solennis apud illos habendis concionibus erat (Sabbatum ipsi nuncupant) iisdem de rebus verba faceret. Multi se Paulo a concione associavere, moti cum viri doctrina, tum percepta veritate. Insequentibus diebus, cum tota civitas ad audiendam Pauli orationem convenisset, Judæi, id indigne ferentes, obsistere, miscere seditionem, et vastis undique clamoribus, huc illuc concursare, modo in concione Paulo obstrepere, modo jactare maledicta, modo ambages proponere: victa C tamen ab Apostolo pervicacia, ad dolos viresque vertebatur, incitando populo, et aptam seditioni subito miscendæ in medium producendo mulierem. Itaque gliscente tumultu, Paulus multa elocutus, se Iconium, Lycaoniæ urbem præcipuam, et ætate nostra duabus funestissimam pugnis, proripuit, ubi par illum seditio, Judæorum dolo conflata, excepit, affectusque calamitate oppidoque ejectus, traducta ad Christi cultum Thecla nobilissima puella, Lystras Derbamque eadem in Provincia oppida, se contulit; jacentique (Lystris) ad portæ limen inopi pedibus debilitato et curari magnopere cupienti, valetudinem impertitur, ita ut valens ille ac vegetus surgeret ambularetque.

idem fit Iconii.

Lystris sanato claudo habetur pro deo a gentibus,

16 Quo prodigio stupida civitate, maxima omnium in Paulum ac Barnabam veneratio cultusque, adeo ut Lycaonice inclamaretur, advenisse deos, Jovem in Barnaba, Mercurium in Paulo designatos, jam datam genti salutem, jam terras numinibus lustratas credere. Stabat vittatus interim sacerdos, sacra canens, thure fumare aræ, et mugire juvenci, spectari coronæ infulæque, et omnia holocausti in modum parata erant; sed prohibetur non debitus mortali cultus ab Apostolis; et Deo exhiberi (cujus clementia funduntur imbres, omniaque bona rorantur) jubetur: sed Judæorum non quievere doli, aut cessavit invidia. Nam quanto in clariori fama, propter virtutes et ingentia prodigia, Christianos videbant, eo acrius eorum in animis exardebat incen- D dium: ea præcipua gentem cura angebat, cum Christianum nomen adeo brevi tempore in immensum attolli, ex Cruce ortum, et Crucis nomine fundi, et Moseos dogmata tantis nobilitata miraculis, tot annorum cursibus Palæstinæ terminis coercita, ceterisque gentibus execranda, conspiceret.

lapidatur a Judæis.

17 Itaque consternata multitudine in Paulum ruunt et multo saxorum ictu convulnerant, adeo ut diu intermortuus jacuerit: quem sublatum cum Barnaba discipuli Derbam perduxerunt: qui, brevi recepta valetudine, obductoque vulnere, haud quaquam periculis deterritus, iterum Antiochiam, Lystras, Iconiumque lustravit; confirmatisque Christianorum animis, lætus jam Theclæ pernobili fama, in flammarum globis, tormentorumque atrocitate victricis, peragrata Pisidia, Pamphiliam tenuit; inde in Attaliam, mox Antiochiam ad Orontem cum Barnaba devenit, benigneque a cunctis excipitur: quid ipse ac Barnabas effecissent in Asia, Concilium edocent. Mittitur inde Hierosolyma, per Phœnicem Samariamque iter faciens, enata quæstione inter Ethnicos, jam Christi militiæ adscriptos, ac E Judæos; Cerinthio antesignano, sceleratissimo homine, quæstionem movente, num ad Ecclesiam accedentibus pellem (quod præputium Judæi dicunt) abscindi oporteret. Vicit Pauli sententia (multa concionantibus Petro atque Jacobo hac super re) qui nequaquam eo onere premendos Christianos judicabat.

Redit Antiochiam et Hierosolymam,

ac denuo Lystras.

18 Ita cum hoc decreto Antiochiam remissus, et aliquamdiu ibi moratus, repudiato Joanne, multum obsistente Barnaba, et exorta dissensione, adjuncto fibi Syla, invisere Christianos, et confirmare eorum animos aggressus, Lystras devenit, ibique Timotheum, insigni florentem fama, semijudæum (quippe Ethnico patre, Judæa Christiana matre Eunice nomine, erat ortus) in comitatum adscivit, præputioque mutilandum curavit ad captandam Judæorum benevolentiam: qui Ephesinorum Antistes declaratus, in infandis Dianæ sacris a furente populo postea occiditur, dira in impietate, sacra atque illustris Deo victima litata. At Paulus hoc comite, peragratis Phrygibus ac Gallo-græcis gentibus, in Mysiam contendit, prohibitusque Bithynia in Troadem descendit, ubi ad vastum noctis silentium mira illa species visa: vir quidam Macedo ejus oculis objicitur, qui illum demisse precabatur, ut in Mace- F doniam transiret seque adjuvaret. Movit Paulum cum species viri et justa petitio, tum claritas gentis. Nam triginta Regibus et CLIV annorum imperio, fractis Thracibus, frenata Græcia, stratis Persarum opibus, victoriis India Æthiopiaque percursis, inclytum nomen astris terminaret: sed Asiæ Europæque ingens terror, nulla majestate tutus, Romanæ virtuti succubuit: ita rerum vicissitudine ferente, modo Assyriorum per M et CCC annos evehente imperium; modo Medorum per CCCL, modo Persarum per CCXXX extollente prostranteque.

Paulus in carcere apud Cyzicum.

19 Igitur Paulus relicta Troade, apud Cyzycum teterrimo carcere afflictus per aliquot dies, si recte intelligamus ipsius sententiam epistolæ, in qua infortunia commemorat, de triduanis in imo pelagi tenebris reminiscens; recto cursu Samothraciam, adjacentem Thaciæ (qua Hebrus in pontum evolvitur) insulam, applicuit, deinde Neapolim, mox Philippos tenuit urbem, prærupto in tumulo sitam, Crenidem olim et postea Datum appellatam, illustrem muniente Philippo Amyntæ filio, et duarum Romanarum cladium cruore luctuque memorabilem. Itaque per aliquot ibi dies Evangelium concionatus, Zygastem ad flumen (ibi olim post raptam

A raptam legentem Proserpinam flores, jugum fregisse currus Plutonem, fabulantur) oratum descendit, Lydiæque mulieris, purpurarum venditricis ex civitate Thyatirenorum, quæ Pauli doctrinam secuta erat, precibus fatigatus in ædes divertit.

ministram Apollinis dæmone liberat,

20 Cum progrederetur, fit illi obviam haud indecoro adspectu puella, Apollinis devota sacris (cujus inclytum Delphis templum ea tempestate conspiciebatur) quæ et dare responsa, et affari mortales, futuraque prædicare tripode percusso solebat, et dominis ingens vectigal: quæ conspicata Paulum comitesque, illos Dei servos, et salutis monstrantes iter, prædicabat: cujus ex corpore Paulus cacodæmonem ejecit, magno dominorum mœrore. Quamobrem quotidiano reddita fraudati, coorti in Paulum sociosque, ad Magistratus pertraxere, accusantes, quod civitatem turbarent et sacra veterum, recenti superstitione inducta, convellerent, deorumque simulacra polluerent. Quorum vocibus instigata multitudo, detractis Paulo ac sociis vestibus, gravissime illos virgis contudere, et sic male habitos cæsosque in vincula conjecere; sed intempesta nocte, precantibus illis, adeo ut verborum sonus custodis ad aures perveniret, tantus exstitit repente terræ motus, ut plurimis convulsis ædificiis, ipsius carceris fundamenta vehementissime quaterentur, expansis foribus laxatisque nexorum vinculis.

accusatur ac cæditur.

B

Carceris custodem cum suis baptizat.

21 Eo tremore excitus carceris custos, cum patefactas carceris januas conspiceret, vinctos abiisse ratus, pœnam veritus, enudatum ferrum in se convertit; cum statim Paulus, magna edita voce, damnare facinus et inhibere manus jubet, neminem fugisse testatus. Ille ad Pauli vocem, abjecto ferro accensaque face, carcerem ingressus, cum vinculis solutos illos videret, miratus magnitudinem animi, perculsus, ad illorum se pedes abjecit, salutemque precatus, dimittit; qui in illius domum se recipiunt, ubi expiato sacra aqua cum universa familia custode carceris, curandis ictibus curam adhibent, quando Magistratus, missis lictoribus, ut dimitteret vinctos, custodi imperarunt, qui se cum indigne virgis cæsos, seque Romanos esse inclamarent, injecto Magistratibus civibusque (recenti ante oculos Rhodiorum obversante calamitate, per scelus injuriamque contracta) terrore, extra urbem liberi emittuntur.

C

Thessalonicæ prædicat ter in hebdomade.

22 Inde, salutatis fratribus, percursisque Amphipoli, Dianæ Tauropolon clara delubro, Apolloniaque, Thessalonicam insignem urbem, Achedori haud procul ostio amnis, ad Thermiacum sinum, calcata Thessalorum gentis gloria, virtute Amyntæi Philippi percelebrem, tenuere. Ibi multi nobiles Judæi negotiabantur, nac obscuri eorum conventus visebantur. Usque adeo creverat numero ac sobole dira ista natio, ut per universam Asiam, magnamque Europæ partem sese effunderet. Ibi Paulus ter in hebdomada disputare, luctarique cum Judæis, eo totam ingenii vertens vim, docendo, Christum esse Deum, morique oportuisse nostra supplicio suo ad delenda scelera. Non intellectum id apud Judæos, et alienum penitus ab eorum animo cogitationeque, credere vecors illa gens, Christum regio fastu armataque manu venturum, Romanum ad depellendum Hierosolymis nomen, et gloriose in terris triumphaturum; et, quantum supplicia crucesque dedignari regale fastigium, tantum abesse Christum a Deo, quem in humanis abjecte viventem, vulgari vestitu, vulgari parente, vili familiaritate usum novissent, etsi stupenda illa, ac supra naturam prodigia, omnem penitus cæcis ex animis depellere caliginem potuissent. Sed Judæi mori potius in erratu malunt, quam cedere vel cum dignitate, aliorum voluntati. Nulla gens toto in terrarum orbe crudelitate sævior, aut luxuria fœdior, aut avaritia scelestior, aut pervicacia obstinatior, aut ingrato animo tetrior. D

A. SANCTORIO.

CAPUT III.

Alia itinera; peroratio Athenis in Areopago, et nonnullorum conversio: adit Corinthum.

Apud Jasonem diversatur, ideo accusatur a Judæis.

At Paulus cum multos Christo milites adjunxisset, commorareturque apud Jasonem, præpotentem urbis civem, Judæi, qui in errore ac pervicacia permanserant, manu facta communicatoque cum nonnullis sicariis consilio, qui turbatum potius quam pacatum civitatis statum malebant, in Jasonis domum irrumpunt, ut Paulum sociosque ad Magistratus ducerent. Quibus non inventis, Jasoni nonnullisque aliis e pia familia manus injicere clamareque cœperunt, Jasonem præbere domicilium rerum novarum cupidis, fovere divitiis, et complecti auctoritate, fascium terrorem obliterari, sperni majestatem, et Divalia rescindi decreta, ac labefactari Cæsaris nomen, Jesumque ab illis regale in fastigium attolli. Excitur his vocibus civitas, Cæsaris majestati obstricta: jam vaga volitat, incertoque fremitu turget, ruit, ac ante tribunal Jasonem sistit, Paulo, Syla, ac Timotheo aufugientibus; quando in eos tota effusura vis popularis fuisset. Sed Jason perorata summa fiducia causa, deprehensoque Judæorum dolo, liberatur. E

Mittitur Berhœam et Athenas,

24 Itaque Christiani Paulum cum Syla Berrhœam misere; ubi Paulus, multis concionibus habitis, nusquam periculis concussus fractusve labore, multos ex Judæis, plures ex Ethnicis ad Christiana juga mittit. Quæ res Thessalonica Judæos Berrhœam ad perturbandam religionem nostram excivit; statimque impleta seditionibus urbe, nostri evitandi tumulti causa, Athenas Paulum dimittunt: qui ut Atticam attigit, properare ad se Sylam ac Timotheum jubet. Enimvero ingens instare discrimen, nec rudi cum gente pugnandum erat. Hinc Athenas intrat: cepit hominem primo occursu cum magnitudo sceleris, tum urbis reputatio nobilitatis; stantem quippe cum titulo vel ignoto Deo cernebat aram, cuncta Minervæ arcis præsidis in venerationem concessa, victimas torreri flammis, idolorumque nomina passim vario sonitu cani. Hinc postea subibat animum, inclytam illam urbem Solonis legis, Græciæ quondam lumen, Marathonia ac Salamina laurea clarissimam, tot molitam classes, Asiæ terrorem, Europæque ornamentum, amputatis lacertis, sublatisque opibus, tremere secures, horrere togam, curulemque, et servire fascibus, solaque tantum lingua ferocientem contemplari. F

ubi multa disputat

25 His agitatus Paulus, non terendum tempus, aut cunctandum ratus, magno studio Christi doctrinam edocet. Multa illi cum Stoicis, multa cum Epicureis luctatio: illos magno, sed falso virtutis amore flagrantes, et dempta superstitione, haud abhorrentes a Christiana disciplina, hos non divinam naturam, non immortales animos, sed cuncta occasu sempiterno tolli existimantes, veneri addictos, cibis, somno cunctisque illecebris pollutos, ad bonam frugem revocare Christi miles conabatur. Crebra disputatio, eædem artes; par in disserendo cerni acumen ingenii, res summam in contentionem deducitur. Philosophi, innato fastu prætumidi, et sua doctrina ventosi, in animum inducunt, ignoto homini, et nova prorsus in medium afferenti, non credere: et Paulum, verissima sentientem, nulli syllogismi, nulla cavillatio, vulgatæque fabulæ, aut acuta ratiocinatio absterrent. Ergo ad Areopagum decurritur, gravissimum sanctissimumque apud

Athenienses

A A. SANCTORIO. Athenienses consilium: ubi Paulus dicere jussus, in hanc sententiam locutus fertur.

et in Areopago perorat

26 Multa sane, atque ea præclara de Athenarum urbe vel legeram ante, viri Athenienses, vel auditione acceperam, quibus veneram in eam mentem, ut hanc ipsam urbem lumen esse Græciæ arbitrarer: quod quanti sit, illi profecto intelligent, qui de ipsius Græciæ laudibus vere atque integre judicare potuerunt. Nam maria tot adita classibus, vestris exercitibus exteræ edomitæ nationes, tot singulares partæ victoriæ, vestris a cervicibus parva sæpe manu depulsa Persarum vis, quorum innumerabilibus copiis angustum solum, quorumque volantibus telis angustus aer videbatur, simul et Thebana ferocitas, duritiesque evicta Spartana, vestram cumulate gloriam extollunt. Sed tamen, cum primum videre licuit, quæ prius me vel fama vel lectione in admirationem rapiebant, cum illis prope omnibus res ac facta consentire animadverti: ita enim sunt recte apud vos pleraque digesta, atque eo ordine descripta, ut nulla sit mirandi causa, cur a vobis leges dicantur ac jura ortum habuisse. Unum tamen (ut fatear) admirari non potui, quid sit, cur Deum aliquem veneremini, quem vobis ignotum esse dicitis? B Quo ergo tot philosophorum disciplinæ, quo monumenta, quo disputationes, quo acumen versa ingeniorum? juvat lustrare terras, metiri cœlum, recensere astra, cursusque indagare, et illorum omnium opificem non pudet ignorare? Cur enim vestrorum imagines et simulacra præterirem modo, et perlegerem oculis, incidi in quamdam inscriptionem, quæ aram positam esse indicabat Ignoto Deo.

de ignoto ipsis Deo,

27 Mitto jam, fueritne id effectum opera alicujus Atheniensis, an (ut fert multorum opinio) Cretensis Epimenidæ: illud tamen dico, nec vereor suspicionem temeritatis, posse me vobis indicare, quis sit Deus, quem vos ignari veneramini, si modo non anticipatam illam in animo habeatis sententiam, ut rebus etiam veris obsistere ac repugnare velitis.

quem docet conditorem rerum omnium,

Deus igitur, quem vos ignoratis, et quem non ignorare debetis, is est, qui e nihilo totum hunc terrarum orbem condidit, qui terram suo stabilivit pondere, et circum eam fudit aquam, aera tenuem fecit ac spirabilem, cœlum denique explicavit, pulcherrimo cujus quasi amictu omnia tegerentur. Hic autem rerum omnium procreator et dominus, non templis ullis, quæ hominum sit architectata manus, C continetur, nec opere comprehenditur humano, cum rei nullius indigens, vitam per sese ducat felicissimam beatissimamque: ab eo potius omnia quasi apta pendent ipsius opis indigentia: ab eo enim spiritum ducunt omnia, ex quo fit ut hoc cœli aspectu et vita fruantur, procreavit ipse stirpem ipsam et progeniem hominum, quos immisit in terram universam, eisque certa quædam vivendi tempora ac spatia, suo ipse arbitratu nutuque præscripsit. Quæ omnia fecit incredibili quadam permotus voluntate, ut cognosci posset ab omnibus. Incurrit in oculos omnium etiam aliud agentium (si modo agant aliquid) tanta Dei liberalitas, tanta magnificentia, ut manibus prope tangatur, non tantum oculis videatur: ita sunt ipsis omnia plena.

non simulacrum esse.

28 Nec vero id latuit quemdam vestrorum Poetarum, quos magno vos interdum honore dignamini, cum illud quasi oraculum edidit ac responsum; Dei genus sumus: nimirum quod vivimus, quod movemur, quod sumus, id uni Deo acceptum referri debet. Quod si effatum illud verum esse intelligitis, quod prædicat, nos esse Dei genus, illud profecto sequitur, ut intelligatis, non quod e lapide cæditur, aut cælatur auro atque argento, quod elaborant manus, fingendi cælandique artifices, id esse divinum, aut Dei simile: tenui namque filo Dei apud D vos auctoritas pendet, si tam infirmis nititur adminiculis: quin vos ipsi expergefacitis, mentemque extollitis ad majora. Pellantur tandem istæ tenebræ, quæ vos obsederunt nimium diu: cedant aliquando luci tenebræ, nox diei, ignoratio scientiæ, umbra soli: Deum sequamini: quod unus e vestris dixit Sapientibus, turpe esset, Athenienses, si, cum discere possitis, quod est maximum, pulcherrimum, utilissimumque in vita, id addiscere defugeritis, aut ignorantia quadam aut pudore: nec enim Ægypti potentia, aut Syrorum miracula ac fabulas canimus, non Apim aut Anubim, fœda animalia, velut numina exculta; non Babylonis fœditates in medium adducimus: absint ista a vestra doctrina, a vestro ingeniorum acumine: loquimur Athenis, et in gravissimo isto consilio apud sapientissimos homines.

judicaturumque mundum.

29 Itaque audite, audite, quid Deus, Deus, inquam ipse, qui, cum sit summa veritas, neminem potest fallere, quasi vociferans admonet, nobisque denuntiat: Corrigite, mortales, si quid est in vobis pravum, emendate pererratum, fugite nefarium, abigite vitia virtutibus, maleficia obruite benefactis. Veniet dies aliquando, quam solus ipse constituit ab omni æternitate, qua die omnium hominum, qui sunt, E erunt, fuerunt, disceptabuntur causæ jure æquissimo; dabit judicem, virum summæ integritatis, summæ innocentiæ, incredibilis sapientiæ, quem nec prece inflectere possis, nec pretio labefactare; quem quidem ipse delegit ex omnibus sibi carissimum: atque hujus egregiæ erga eum voluntatis hoc nimirum voluit esse argumentum, quod eum, crudelissimos acerbissimosque perpessum cruciatus, mortuumque suscitavit, atque e sepulchro reduxit. Quid tumultuamini, quid strepitis, viri Athenienses, cum auditis excitatum aliquem ab inferis? Non vobis Platonicæ alicujus fabulæ veniat in mente, sed summæ et divinæ potestatis: quid enim non potest Deus, qui, quæ ipse voluit, fecit omnia? Rerum est omnium præpotens Deus, et nihil est, quod si velit efficere, non possit: quin vos ita vitam instituite, ut Deum agnoscentes, recte pieque vivatis: quod cum feceritis, illud sequitur, ut præclare moriamini, et spes erit postea, cum redieritis ad vitam, non pro sceleribus, pro maleficiis ignominias, supplicia et ignem perpetuum ac sempiternum; sed pro benefactis, pro virtutibus, honores et illustria præmia consequamini, quæ ad memoriam exstabunt sempiternam. F

Convertitur Dionysius ac Damaris.

30 Ut Paulus dicendi finem fecit, movit admirationem audientibus: nemoque ex Senatu præter Dionysium Paulo est assensus: is excellenti doctrina magnoque ingenio, in Ægypto apud Heliopolim sedem quondam Philosophorum, cœlestia perscrutantium, Apollophanis auditor; quo die Christus mortem subiit, ingenti inusitatoque mundo tremore quassato, omniumque animis mortalium panico terrore concussis, ac tacito mœrore occupatis, cœloque abscendente sole, et vasta nubium mole tellure operta, eam in sententiam descenderat; ut diceret, aut naturæ pati Deum, aut machinam disrumpi solvique terrarum. Hujus postea insigne nomen fuit Gallicanis gentibus tutelare. Credidit etiam eodem die Damaris, non ignobilis femina, ipsius uxor Dionysii. Memorant etiam in eo certamine a Paulo ad religionem, Apollinem clarissimum juvenem fuisse attractum, cæci cujusdam ex oculis demptis tenebris, cum insigni intuentium admiratione.

Corinthum adit vitiis immersam

31 Hinc, relictis Athenis, Corinthum accessit, Achajæ lumen, urbem clarissimam magnificentia ædificiorum et elegantioris supellectilis. Sed postquam Romana arma Mummio imperatore, eo illata sunt, tunc Corinthus, ingemiscente Græcia, denudat ı

A data ornamentis, ferre jugum coacta est : sed illa victoria victori, quam victo, funestior fuit peregrinis illecebris emollita Romana ferocia, et contusa virtute ; adeo pronum in voluptates humanum ingenium. Sed Corinthus in adventum Pauli omnis penitus decoris oblita, cunctas in impietates ac turpitudines effusa, non indigenis modo, sed peregrinis etiam moribus sacrisque fœdabatur, famosa non secus, ac Oriens, in sacrorum Anaitidis scelere, quæstum corporibus muliere Deæ faciente, adeo ut mille quondam scorta famulata ei fuerint. En celebrata apud veteres Græcorum prudentia atque integritas, quid Academia, quid Lyceo, quid Areopago, quid Prytaneo, quid Ephororum consilio profectum ? gens levissima atque obscena, ceterarum gloriam nationum carpit, dum fœditates suas non conspicit. Sed semper id mortali insitum, scelerato præsertim, aliena perscrutari, nescire sua.

docetque meliora ad salutem.

32 Hos igitur scelestos mores diraque scelera, atque impietates retundere Paulus aggressus, variis artibus, miroque uti ingenio, quotidie in foro, et Judæorum in conventibus, de virtute nostraque religione disserere, auctusque Timothei Sylæque adventu, acrius perstringere civitatis mores. Græcum B insita ignavia, inveterata debacchandi licentia, intolerandus ille fastus ; Judæum acre odium, summa invidia ac insita pervicacia, angebant. Sed in crebris illis quotidianisque pugnis semper Paulus victor, fracta Judæorum audacia, hisque gravissime castigatis , Crispum illustrem genere auctoritateque inter Judæos, cum universa familia, multosque Corinthios ad Christianam religionem pertraxit : noctu autem Christus Paulum visus admonere, ne mortalium perturbaretur insidiis : stare se pro illo, et multos etiam eadem in urbe sibi militare confirmat. Quo ostenso terribilior hostibus Paulus, integro anno sexque mensibus in Achaja commoratur.

Frustra accusatur apud consulem a Judæis,

33 Præerat tum Achajæ, demptæ a Tiberio Senatui, et rursus illi a Claudio restitutæ, Proconsul L. Junius Gellio, Senecæ Annæi germanus, vir interitu major, quam vita, funestis in familia omnibus ad excidia virtutum per alienum flagitium : ad cujus suggestum Judæi Paulum attraxere, tamquam legis Mosaicæ dogmata evertentem, novamque persuadentem religionem : quibus Paulus respondere paratus, prohibetur a Proconsule : nam de facinore C injuriisve, non de lege patria ritibusve Judæorum se laturum sententiam ; Romanam non illis offendi majestatem, nec summa peti, pulsarique fasces, annuit. Quo responso illusi Judæi omisso Paulo, in Sosthenem toto impetu feruntur, eumque vidente Gellione cædere cœperunt, nullo Proconsuli, segni viro, stomacho facto : tanta homini socordia atque ignavia inerat, ut seu fascium dignitatis, terrorisque oblivisceretur, seu injustum existimaret de aliena religione judicare, Hebraicarum traditionum ignarus ; et Judæos tanta, cum impudentia, ceperat arrogantia, ut in conspectu Proconsulis ante tribunal Cæsaris vilissima ipsi servitia indemnatum verberare ausi fuerint. Refert Joannes Chrysostomus, Pauli studiosissimus, eodem etiam furore illum a Judæis fuisse virgis contusum ac effectum injuria.

apud Aquilam et Priscillam eo moratur.

34 At Paulus multis ibi absumptis diebus, Aquila et Priscilla Synopensibus civibus, ex Italia decedere coactis ex dicto Claudii, Judæis subinfensi ob contumaciam et rixas ; comitibus adjunctis ; in Syriam (ad Cenchreas, prius navale Corinthiorum ad orientem, ex voto deposita coma, sanctum id olim apud Nazareos, et religiosissimum) adnavigare constituit, Corinthi apud eos fuerat benigne susceptus, unaque cum illis opus facere assuetus ex vetusta Rabbinorum consuetudine, qua addiscentes sacras litteras mechanicis etiam assuescere opificiis jubebantur, ad otii pestem vitandam, et jam semper sub pellibus erat confector earum, qui, nulla habita stationum vice, perpetuo degebat armatus, hostium complexus et ora anhelans. D

A. SANCTORIO.

CAPUT IV.

Ephesi ac Troade gesta atque miracula : Hierosolymis Paulo obventuræ calamitates prædicuntur.

Proficiscitur Ephesum, Cæsaream, Antiochiam etc.

Igitur Ephesum pervenit, sæpeque cum Judæis conflictatus Cæsaream, invitis etiam Christianis discessit, quamquam brevi se reversurum pollicitus esset : inde Antiochiam applicuit : mox Phrygas, Gallogræcosque obivit, eo consilio, ut Christianos in religione confirmaret, ingenti a cunctis hilaritate exceptus, ovansque veluti urbes intrans ; peragratisque superioribus Provinciis, rursus Ephesum contendit : ibique repertis quibusdam Christianis, quæsivit ab eis, num Spiritum sanctum credentes accepissent : Cumque respondissent, ne auditione quidem accepisse, num almus Spiritus reperiretur ; rogavit iterum illos Paulus, cujus igitur nomine essent baptismate loti : responsum, Joannis se baptismate expiatos esse. Tum Paulus addidit, Joannem quidem pœnitentiæ lavacro expiasse populos, eos admonentem, ut in eum, qui ipsum subsequeretur id est in Jesum, crederent. Tunc omnes, duodecim numero, Jesu nomine baptizantur, ditanturque almo Spiritu, concessis gentium linguis et vaticinandi munere : ibique Paulus per trimestre cum Judæis disputavit, multa ac peracerba ob religionem perpessus, et objectus etiam feris, nisi ferarum nomine immitis homines ingenii et efferati intelligamus : biennioque Asiam Græciamque multis ad illum confluentibus edocuit, non verbis modo sed operibus, cum nihil in eo Christiana disciplina indignum reperiri potuisset : adeo diligens solicitusque Magistri vestigia pressit.

docens et baptizans. E

etiam feris objectus.

Miracula ad Christi nominis gloriam declarandam.

36 Ejus interim fama ac sanctitas stupendis prodigiis crescebat, tractis in venerationem admirationemque agminibus populorum inter ignominiam Cybelis et Phrygum Vatum ac dolorem Flaminum in cultu deorum ; siquidem baltea ac lintea, illius tactu oris sacrata, et debilibus atque ægrotis admota, valetudinem impertiebantur, lateque dæmones fugabant, mugientibus simulacris in ararum squalore. Movit miraculum invidiam et cupidinem simul septem Scævæ sacerdotis filiis ad experiunda arcana. Adstabat Apella, indignatus et ægerrime ferens, occulta Salomonis hæsisse ad famam inimici hominis pectori. Placet juvenibus tentari secreta ac revolvi, facto periculo, num id quoque sibi liceret in gloriam sui. Itaque Jesu nomen in eos [qui inferno spiritu agitabantur] invocare his verbis : Adjuro vos per Jesum, quem Paulus adorat ac prædicat. Responsum ab inferis, Se et Jesum et Paulum nosse ; illos qui essent, ignorare ; ruenteque in eos homine tetro spiritu exagitato, multis icti vulneribus domum profugiunt. Hinc ingenti terrore incolis Judæisque injecto, omnes Christi nomen ad astra tollunt ; multi Christianæ militiæ mancipantur ; nulli ante acta scelera flebiliter confitentur ; alii in investigandis naturæ arcanis, in multa librorum farragine diu distenti, libros in conspectu populi comburunt, quinquaginta millibus in pretio denariis jam olim absumptis. F

Turbæ Ephesi contra Paulum,

37 His ita Paulus gestis, divino numine præmonitus, Macedonia atque Achaja lustratis, ire decreverat Hierosolyma, quod intelligeret, cum eo accessisset, Romam sibi eundum fore : sed in hoc decreto,

A. SANCTORIO.

A decreto, orbata Asia Proconsulari auctoritate, jussu Agrippinæ, Junio Silano interempto, duobusque grassatoribus, P. Celere et P. Ælio, res Cæsaris procurantibus in detrimentum ac perniciem Provincialium, nostros ingens Ephesi terror circumvenit, stimulata petulantium civium audacia, ac concitata per Demetrium quemdam Argentarium, vilem quidem hominem, sed truci eloquentia præcipitem et avaritia infamem. Itaque tota urbe proclamari cœptum, a Paulo quotidiano redditu exui inopes, improbante simulacra deorum mortali fabricata manu, revocari ab Dianæ cultu non Ephesinos modo, sed universam Asiam : nihil hoc Asiæ gravius, nihil luctuosius, privari vetustissimo numine nobilissimam urbem, virginea fundatam manu, emporiumque populorum cis Taurum incolentium Asiam, conculcari Ortygiam, fœdari Cenchrium amnem, nudarique gemino splendore Asiam, non aquam partus ad dolores pellendos, non oleam incumbente Latona sacram, non Curetum cantum in honore futura ; corruisse quondam inclitum templum, Chersiphori opus, insania Herostrati; rursus majori magnificentia cuncta ab Asia D et XX annorum spatio restitutum Chrimocratis Ingenio, ad il- B lam usque diem tot in bellis, in commotione rerum inviolatum, et nunc unius hominis scelere ac voce dehonestari, pollui, temerari, exscindique.

quod Dianæ simulacra damnaret,

38 Phœbo gloriari Delphos, Junone Samum, Venere Paphum , Marte Æmum , Osyride Memphim, Cretam Jove, Sole Persepolim, Pallade Athenas, Hercule Tyrum, nulla Dei effigie Hierosolyma, Æsculapio Pergamum, Quirino Romam ; se vero tantam injuriam Dianæo numini inferri, Persarum quondam tuto a majestate, intacto Macedonum inter Romanaque arma, ignoto ab homine passuros fremere. Quibus vocibus exarsere audientium animi, vastoque murmure magna Diana Ephesinorum invocata, consternati proruere ; factoque impetu, Cajum atque Aristarchum Macedones, Pauli comites, in theatrum attraxere : quorum infortunium graviter ferens Paulus, indignitateque permotus, prodire in publicum et alloqui populum voluit, sed non tulere auditores et nota multorum nobilium auctoritas, qui juncti Paulo familiaritate, popularem impetum extimescebant ; trahendam moram, et injiciendam cunctationem, dum concitata rudibus in animis rabies languesceret, judicare : contra nonnulli, eundum obviam furori, et devoto C pectore excipienda tela, nec inermem plebem timendam sentire : plures, rem ignorantes, fluctuare animis ; universos ingens metus occuparat : cum in medium tractus quidam Alexander et silentium manu poscens, rationem facti reddere enititur : quem ut Judæum esse comperere, iterato per duas horas clamore vociferari, Magna Diana Ephesinorum.

quæ modestia sedantur.

39 Ceterum ad populi conspectum descendente apparitore, Romana gestante insignia, languentibus jam multitudinis animis, defervescenteque tumultu, rursus Alexander, permodeste locutus, nostros nihil in Dianam peccasse, præsidem urbis, Jovisque prolem, nec ullo eos attineri piaculo, ait: atque ita frenatis populi motibus, nostri haud incerto discrimini eximuntur : quos ad se evocatos Paulus, cum ad bene vivendum esset adhortatus, in Macedoniam proficiscitur : qua lustrata, confirmatisque Christianorum animis, per Ægæum mare, invisis Cycladibus, in Cretam primum, ubi relicto Tito, in Græciam inde descendit, tresque ibi menses demoratus, cum Syriam cogitaret, structæ illi a Judæis insidiæ commutato consilio in Macedoniam avertere. Quamobrem Philippos accessit et paucis post diebus Sosipatre, Aristarcho, Secundo, Cajo, Berbeo, Timotheo, Tychico Trophimoque sibi ad-

Alio peregrinatur:

junctis Troademque præmissis uno secum Luca D (cujus magna conscribendo in Evangelio Apostolorumque rebus gestis existit, præter sanctitatem, gloria) retento Philippis solvens, Troadem Hellesponto adjacentem, insignem urbem, pervenit : septemque ibi dies commoratus, ut oppidanorum ardori satisfaceret, cum sodalibus a cœna cum disputasset, in longum protracto sermone, Eutychium adolescentem, oppressum somno, prolapsumque e celso in terram loco, examinatumque complexus medium, a morte revocavit, viventemque sociis reddidit.

Troade mortuum revocat in Vitam.

40 Tanta Paulo dicendi majestas atque suavitas inerat, ut vel invitos atque nolentes ad sese audiendum mortales raperet ; adeo ut optime ei, quæ de Nestore Græcæ fabulæ retulerunt, conveniant. Erat enim Pauli oratio gravis, ac vehemens illa quidem, non asoto ac pingui Asiatico dicendi genere, nec Spartana brevitate substricta, sed Christiana eloquentia effulgens, dicendi persuadendique dignitate, nulli gentium ipse oratori comparandus ; castimonia omnibus insignior, religione præstantior, sanctimonia ac moribus augustior. Igitur Antigoniæ pænula librisque, ad leniundum oppidanorum dolorem ex discessu suo, relictis, tamquam brevi reversurus, E Luca sociisque Jasson appulsis, cum pedibus ipse iter fecisset, navim conscendit, rectoque cursu Mitylenem contendit, Pythaci ortu, ac Sapphi nobilissimæ pulcherrimæque puellæ illustrem carmine ; inde Chium, e regione, quadringentis fere stadiis a Lesbo distantem, prætervectus Samum in Insulam ambitu sexcentorum stadiorum, Neptuni Junonisque claram delubris attigit ; inde Trogillium ad insulam, in Trogillio sitam promontorio, adversus Samum quadraginta dissitam stadiis ; mox Miletum (cum Paulus præterire Ephesum, ne qua ei mora in Asia afferretur, quo minus ante Pentecostes diem Hierosolyma devenire posset, statuisset) itum est, urbem nobilem Didymæi Apollinis fano.

Pauli gratia dicendi,

atque alia itinera,

41 Eo accersiri Ephesinos majores natu placuit, qui ubi ad eum convenere, multa de discessu, multa etiam de caritate, qua per tot in Asia moratus annos usus fuisset, verba fecit, commemoratis passim insidiis, ab Judæis vitæ suæ paratis, totque laboribus susceptis ; prædicasse ubique Christi nomen, docuisse Judæos Ethnicosque, nec in alterius fortunas umquam conjecisse oculos, aut aliquid abstulisse ; ita cuncti se exhibuisse, ut nemo jure de eo queri possit : modo petiturum Hierosolyma, etsi probe nosceret infestissimos sibi Judæorum animos, F nihil tamen se formidare illorum insidias aut cruciatus : scire etiam se, post discessum suum ruituros in regem lupos rapaces, et non mediocre discrimen piis mentibus allaturos : cernere etiam futuram tempestatem, exsurgentemque ambitionem : proinde excubare eos et communi saluti prospicere, submisseque Deo servire oportere referebat, adhortarique: nec se umquam posthac ab eis visum iri confirmat: moxque humi prostratus, fusis ad Deum precibus, fausta Ecclesiæ precatur. Tunc sublato circumstantium gemitu, obortisque lacrymis (in ima quippe pectoris Pauli verba penetrarant, illaque præcipue vox audientium animos veluti telum perstrinxerat, cum se numquam ab illis visum iri confirmasset) ire omnes in amplexus, exosculari, et se demisse commendare.

ejusque oratio Mileti ad suos,

consternatos quod eum amplius non essent visuri.

42 At Paulus, nequaquam lacrymantibus illis motus, cum sociis conscensa navi, Coum devenit ; non magnam quidem urbem, sed opportuno in loco et fertili ora sitam, appellentibus jucundissimam. Ibi e mari emersisse Venerem fabulantur, seu ob loci amœnitatem, seu lascivos ob accolarum mores, Relicta Coo, Rhodum, insignem cum insula urbem, Demetrio et Mithridate oppugnantibus, solisque

Iter Hierosolymam instituit.

Colosso

A Colosso centum viginti sex pedum, septem inter miracula mundi ingenti, quem Chares Lyndii quondam opus post quingentos et sex annos motus terræ divulsum, prostratumque, Constante Constantini junioris filio regnante, Saracenorum rapacitas in Asiam non gentis camelis onustis abstraxit. Inde Arsinoen, quæ et Patera, post Xanthum nobilissima, appellit : ibique inventa navi, quæ in Phœniciam cursum habebat, in Syriam discessit, applicuitque Tyrum, cum Sydone, gloria vetustatis et magnitudine, tot in Africa Europaque gentium matre, contendem; ibique septem absumptis diebus (cum a discipulis propter haud incertum mortis metum Hierosolymis prohiberetur) Ptolemaida, inde Cæsaream devenit, habitavitque apud Philippum Evangelistam.

pericula ipsum illic manentia prædicente Agabo,

43 Eo Agabus, insigni fama et vaticinandi munere illustris vir, ex Judæa accessit ; detractaque Pauli zona, pedes ac manus alligavit, dixitque, Spiritum sanctum hoc prædicere prænuntiareque, virum, cujus zona illa esset, ita Hierosolymis a Judæis vinctum, Ethnicis tradendum esse. Qua periculi denuntiatione absterriti amici, obniti illi, exorare, obtestarique, ne Hierosolyma peteret, ne Ju-B dæorum furorem cruciatibus expleret; cunctandum, et dandum præfervidis animis intentisque in vindictam, languendi spatium; multa impetu, plura consilio agi dicunt. Sed Pauli invicta animi magnitudo nullo periculo frangitur: sed læta discrimine, mortem contemnere, quis enim mortalium manus, et non longum ad tempus duratura tormenta extimuisset, quem supplicio excarnificatum æterna felicitas exceptura erat? Viderat Paulus non orbem lacteum, nec se perenni in cursu vertentia sidera, sed polum empyreum in ipsa trini Dei incomprehensibili majestate, hauseratque oculis perenne decus beatarum agmina mentium, totque fulgentia patrum ora, et quæ nefas humanis auribus ingeri, propter claritatem majestatemque mysterii.

nihilominus pergit fiducia plenus.

44 Quamobrem flentibus amicis, Hierosolyma accedit, excipiturque a Jacobo ceterisque Apostolis, magna gratulatione : omnium voce illius virtus effertur, vicit præsentia exspectationem; vicere res gestæ famam; et trophæa tot devictis ex gentibus detracta, Crucisque ad pedes dejecta, hominis dignationem augebant. Postero die Paulus, quatuor cum comitibus expiatus, ne eludere Judæorum cæremonias videretur, et antiqua sacra, tamquam æternus C hostis osorque gentis, Templum Salomonis intrat, ingens ac stupendum opus, magnificentia ædificii donorumque opulentia, quod nec Assyricus late pollens in terris horror, nec Persarum luxuria, Græcorumque invidia temeratum sæpe sivere; demum in cinere deflagratæ urbis plus civili rabie ac scelere, quam vi Romana, solo æquatum, Pompejus, Romanorum Imperatorum princeps, captis Hierosolymis, intravit, adspexitque perscrutatus adyta arcanorum ; spoliavit pecunia; ac ornamentorum parte M. Crassus, bello Parthos petiturus. Horum infelicissimus exitus fuit, nullo busto cadavera tegente. Herodes Idumæus splendidissime restituerat, hoc opere Romana magnitudine non inferior, appetentissimus famæ et nominis apud posteros, ad claritudinem penatium.

CAPUT V.

Quæsitus Hierosolymis ad mortem a Judæis, defenditur a Tribuno militum ac mittitur Cæsaream ad Festum Provinciæ Præsidem.

At Paulum Asiani Judæi, captata loci temporisque occasione, factisque insidiis, circumvenere : D tamquam Trophimum Ephesinum in templum induxisset; quippe arcebantur aditu peregrini. Itaque perstrepere et incitare plebem, asserentes templum jam esse pollutum, temeratam Religionem, et fœdata sacra majorum, instare universæ genti ruinam : sic patres majoresque ex contempta religione inexpiabiles sensisse clades, pertulisse Assyricum jugum, Medorum rabiem, et finitimorum incursiones populationesque : fugiendam Superum iram, et auctorem diri exempli mactandum inclamare. Ingens statim credulam civitatem, internis concussam odiis, in alteriusque cædem præproperam, occupat cum rumore indignatio : incertæ trucesque passim jactari voces; magna perturbatio, concursus, iræque in vultibus cerni; ruere omnes in Paulum, ac calcibus pugnisque contudere. Sed Tribunus civitatis, incalescente tumultu, cum jam ad arma iretur, armari cohortes (valido enim præsidio discors civitas, et avida novarum rerum, ab Romanis obtinebatur) proferri signa, et classicum cani jubet, princeps ipse in furentis globum se multitudinis injecit, Paulumque jam male habitum invenit. Romanis conspectis signis, Tribunique præsentia, Judæis cecidere spiritus, haudquaquam desistente ira. Tunc Tribunus, per apparitores submota turba, Paulum, gemina catena revinctum, rogat, quisnam esset, quidve fecisset; sed, perstrepentibus terribili atque incerto sonitu populi vocibus, nihil certi cognocens, ad castra duci mandat, non cessante Judæorum multitudine, quo minus a tergo vociferaretur, ut Paulus omnino occideretur : tantaque ad gradus vis est orta, ut a militibus portari cogeretur.

A. SANCTORIO. A Judæis ad mortem quæsitus,

salvatur per Romanos;

E

quibus rationem reddit factorum suorum,

46 Paulus vero, cum jam in castra abduci cœpisset, rogavit Tribunum, num cum eo paucis agere liceret : cumque quæsivisset ab eo Tribunus, Græcene sciret, an num is Ægyptius esset, qui paucis ante diebus tumultum concivisset, abduxissetque in solitudinem quatuor millia sicariorum; Paulus respondit, Judæum se esse Tarsi genitum, quod esset non ignotum Ciliciæ oppidum : rogare autem Tribunum, ut populum sibi alloqui liceret. Permittente Tribuno, viri fortasse constantia moto, gravissimam Hebraice orationem exorsus, retulit, se Judæum esse, Tarsi natum; studuisse Hierosolymis docente Gamaliele; noscere inter ipsos multorum ora habitusque commilitonum; mactati saxorum deinde ictibus Stephani oculis gustasse spectaculum; persecutum Christianum nomen, armasse in illud animos ac manus, exacuisse mucronem; ad hoc epistolas a principibus Sacerdotum impetrasse ; attamen in itinere, volventem animo Christianorum strages, attollentemque iras, ingenti statim offusum splendore, equo prostratum, audivisse e cœlo Jesum præcipientem sibi, quid faciundum foret; expiatum salutari ab Anania aqua, alias invisisse Hierosolyma, prævidisse cruciatus ac persecutiones, quæ ei evenissent : præcepisse præterea sibi Christum, exteras ut ad gentes iret, non recipiente gratiam Judæo, aiebat. F

et virgis cædendus, ipsos monet civem Romanum esse se;

47 Ad hanc vocem (cum modeste antea siluisset, seu verecundia Tribuni, seu quod hominem susceptæ religionis pertæsum, fractumque calamitate, rediturum ad Judaica crederet speraretque sacra) concitata multitudo, ingeminatis clamoribus. Tolle, tolle hominem, vociferatur, scindi vestimenta, simul offensari ora, in altumque pulveris jactatio (haud dubium acris mœroris signum) cerni. Quod cum Tribunus animadvertisset, ad castra raptum jubet torqueri, ut sciret, quam ob causam tanto illi clamore Judæi obstreperent. Jam capessere miles jussa, jam expediri virgæ, et prope intentari ictus, cum adstantem Paulus Centurionem interrogat, num civem

A. SANCTORIO

A vem a Romanum indicta causa atque indemnatum illis virgis cædi liceret? Perculsus ad insperatam vocem Centurio, illico admonet Tribunum, ut etiam atque etiam videret, quid faceret; eum enim hominem, quem stare ad palum virgisque contundi jussisset, Romanum esse. Tunc accedens Tribunus sciscitatur ab eo, num Romanus esset? Quod cum Paulus annuisset; Ego (inquit Centurio) grandi pecunia jus Civitatis sum adeptus. Ego vero [Paulus inquit] et natus civis sum. Ita ea ignominia periculoque Paulus liberatur, haud mediocriter conterrito Tribuno, deprehensa veritate. Itaque solvit hominem; et, quo certius aliquid de illo cognosceret, satisfacturus etiam Judæis, producit in publicum.

productusque ad Judæos causam suam defendit.

48 Paulus autem, cum oculos in circumspectantes conjecisset, retulit, ad illum usque diem sincere se egisse, Deique ab legibus non retorsisse iter. Quo verbo offensus Ananias Pontifex, ut erat contumaci elatoque ingenio, quique submisse deprecaturum supplicium, et haudquaquam tanto inesse homini spiritus credere, circumstantibus præcepit, ut ei os affligerent. Tunc Paulus, indignitatem rei non ferens, percutiet te Deus, paries dealbate, qui, cum sedens ex lege me judices, tamen os meum contra
B patria jura tundi jubes. Tum qui aderant, objurgare Paulum, quod summo Sacerdoti malediceret. Ille vero, nescire se illum Sacerdotum principem esse, ait: traditum a majoribus, Principi populi tui ne maledicito. Sed cum animadverteret, in se Judæorum atrocitatem non mollescere, sed acrius furere, intelligens audientes duplici hominum genere distinctos (quippe pars Pharisæorum, pars Sadducæorum erat) clamare in consilio, se Pharisæum Pharisæi filium, insontem circumveniri, quod spem vitamque mortuorum poneret tuereturque.

Triplex Judæorum secta, diversa opinantium,

49 Etenim apud Judæos triplex mortalium genus inter patricios fuisse legimus, Essenorum, Pharisæorum, Sadducæorumque. Præstant vitæ integritate, religione, ac castimonia Esseni, Pharisæorum simulata religio, cuncta fucosa, astutiæ, fraudes, elata jactantia, incerti mores, patriis in discutiendis declarandisque legibus plurima auctoritas, et acumen, procacitas, dominandique haud modica libido sunt, fato et Deo cuncta tribuunt, animos immortales credunt, quisque nobilis aut potens opibus illi præcipue ordini adscribitur. Sadducæi vero mortalem animam existimant, nullas præter jura patria
C observationes custodiunt, adversus ipsos suæ philosophiæ doctores contumaces, inter se discordes, adversus exteros tetri ferique. Igitur, hoc astu Paulo grassato, Pharisæi dimissa multitudine prona in malum, adversari Sadducæis, et minaciter fremere nihil sceleris in Paulo compertum asserentes. Quid (inquiunt) si almus Spiritus, aut mens aliqua beata cum eo sint locuta?

quarum una contra aliam, dictis Pauli assentitur,

quem, vitæ ejus in tumultu timens Tribunus, abducit in castra.

50 At Tribunus, veritus, ne Paulus in concione furenti a populo discerperetur; quippe truces vultus, infesta ora, et diros animos cernebat, jamque dissonum clamorem, et poscentem arma exaudire, cunctaque in exitium innocentis parata apud adversarios animadvertebat, militibus imperat, ut eum de medio raptum Romana in castra perducant, tuta vallo et ferro tremenda. Proxima nocte Paulum Deus visus est admonere, uti bono præsentique animo foret: sicut Hierosolymis ipsius propugnator defensorque nominis fuisset, sic fore, ut Romæ etiam existeret. Digna quidem illa Pauli eloquentia ac magnitudine sedes erat, ut eo funesto seculo, potito jam opibus Nerone, tot luminibus orbata civitate, et obscurata veterum gloria Oratorum in eo vasto fori silentio, conticentibus rostris, et muta terrore Curia, Pauli claritas emicaret, concreparetque oratio. Sed Judæi usque adeo fuerant exacerbati, ut vel devotione quadraginta et eo amplius capitum, in perniciem hominis conjurarint. Nusquam enim acrius, D
aut amarius, atrociusve in quemquam nostrorum, quam in Paulum, Judæorum exarserat odium: tantam homini invidiam insignes virtutes, et dispares mores propugnatori quondam Judæorum, et tunc acerrimo hosti, conflarant, ut morte illius sublatum iri Christi nomen putarent.

Conjurantes Judæi 40 in necem Pauli;

51 Igitur amplius quadraginta juvenes, electa pubes et avida cruoris et spiritibus ingentibus, in Pauli caput animos ferrumque devovent, nihil cibi potionisque se antea capturos, quam, trucidato Paulo, vulneribus cruoreque pavissent oculos, jurejurando affirmant. Rem statim ad Pontificem natuque seniores deferunt; rogantque, ut Tribunum ad producendum in concionem Paulum inducant, se statim facta exsecuturos, pollicentur. Probant facinus illi, et ferali exsultant audacia, multoque verborum honore collaudant juvenes et immoderatos eorum spiritus efferunt: non adeo vilem nudatamque auxiliis rem Judaicam esse, ut abjectissimorum hominum verba disputationesque pertimescat: satis jam in his perferendis audiendisque ignominiæ toleratum: adesse nunc adversus rebelles Superum iram, conjurasse in illos astra, habere patria jura insperatos ultores; arma in manibus esse; victam jam patien- E
tiam, victam seniorum vecordiam atque ignaviam juvenili virtute: omnesque in adversariorum excidium sentire gloriantur.

qua re a Pauli nepote ad Tribunum delata,

52 At Pauli ex sorore nepos, egregiæ indolis adolescens, rem rimatus, Paulo dolum enudat: ille accersitum Centurionem multis verbis obsecrat, ut adolescentem ad Tribunum ducendum curaret: habere aliquid, quod ei nuntiaret. Introductum adolescentem, apprehensum dextera interrogat Tribunus, quidnam indicare sibi vellet? Ille insidiarum ordinem aperit, et a quibus parantur, edocet, obtestaturque Tribunum, uti dolos averteret, neve pateretur tantum facinus Romanis in castris ante signa, temeratis auspiciis, committi in altissima pace, a petulantissima juventute: sanctum se optimo jam officio; satisfecisse caritati gentilis ac patriæ: ipsum jam, præcognita vecordia Judæorum, sapere debere ac prævidere, quid opus sit in tanto discrimine, nec incerto Pauli cæde convelli civitatis statum, et trahi in discrimen Remp. patefactis bellorum initiis, obtendi interim religionis prætextum, et jura patria, sacraque perpetua, quo scelerata vota innoxii cruore expleantur, occupetque impia pectora Romani amor belli, rerumque commotio, animose F
præfatur.

hic vinctum suum cum tuto comitatu ac litteris

53 Tribunus, dimisso perhumaniter adolescente, jussoque cuncta, quæ acta essent, silentio obvolvere, duos confestim Centuriones ad se vocat; quibus imperat, ut duas centurias, equites galeatos LXX hastatosque CC contrahant, et jumenta, in quæ impositum Paulum ad tertiam buccinam, salvum incolumemque ad Antonium Felicem, Provinciæ Rectorem, Cæsaream perducerent (verebatur enim, ne vita interceptus Paulus sibi in crimen atque infamiam verteretur, tamquam pecunia labefactatus fuisset) deditque equitibus ad Prætorem epistolam, in hanc sententiam: Virum, quem ad te mitto, a Judæis comprehensum, cum jam interficeretur, adventu meo vix periculo exemi, cum Romanum eum esse comperissem. Cum vero scire cupiens, quid ei adversarii objicerent, illum in eorum consilium perduxissem, ei objectari comperi, quæ ad gentiles Judæorum ritus pertinerent, quæ nec vinculis nec morte essent pianda. Quoniam autem cognovi hominem, propter præpotentum insidias, in non vero versari capitis discrimine, eum ad te misi, ut accusatores apud te agant, si quid in eum velint dicere.

mittit Cæsaream ad Proconsulem,

54

A 54 Equites noctu Paulum Antipatridem, postera vera die Cæsaream (repetentibus castra cohortibus) ad Felicem perduxerunt ; reddunt et illi epistolam : quam cum ille perlegisset, Paulum, cujus provinciæ esset, rogavit ; cumque Cilicem illum esse deprehendisset, illius causam accusatoribus coram ab se auditum iri, dixit : interim asservari eum in Herodis Prætorio, jubet. Quinto post die, Ananias Pontifex, gravi mœrore animi exulceratus, atrocissimeque in vindictam exardescens, cum manu nobilium, Cæsaream accessit, cumque eo Tertullus quidam orator, haud spernendæ facundiæ, qui facta dicendi a Præside potestate, in hanc sententiam locutus. Maximas tibi gratias agimus, optime Felix, quod benignitate tua summaque virtute, bellico procul terrore depulso, omnique compresso tumultu, læti pacatique vivimus, proque incredibili tua sapientia multa, quæ superiores Præsides, quibus successisti, neglexerant, correctione adhibita, feliciter geruntur. Nam jura, ancipitis inter belli metum silentia prostrataque, justitia atque æquitate revaluere tua ; disjectisque latronum globis, et retusa sicariorum audacia cuncta Judæa, cum soli mira

B ubertate, tranquillo otio potitur, tibique uni excussum manibus ferrum, conservatos lares, patria jura, templum, et carissimos liberos conjugesque ex vastitate belli, a fortunarum direptione, a flammis excidioque refert ; plusque ipse clementia, quam ceteri minis ferroque profecisti, novisti animos nostros, majestatem populi Romani venerantes, Cæsaris nomen maximo applausu prosequentes et felicissima precantes.

quo etiam ipsum sequuntur Judæi,

ac denuo accusant

55 Itaque tantam de te spem universa Judæorum natio concepit, ut propter tuam insignem nobilitatem, sapientiam, animi magnitudinem humanitatemque, te gubernante felicem se beatamque fore existimet : jamque hujus nostri voti obsidem ac vadimonium habemus mansuetudinem tuam, qua maxime fidelium pacatorumque sociorum animi evinciundi fovendique sunt. Sed non hic locus tuarum laudum est. Obruerer profecto magnitudine, et numerando percensendoque deficerem. Quamobrem, ne te longa oratione traham, a te peto majorem in modum, ut nos breviter dicentes, ut facis, benigne attenteque audias. Non ignotam tibi esse arbitror Nazareorum sectam, qui novis quibusdam inusitatisque religionibus atque insomniis, mentes hominum imbuere vexareque, ac in nostros

longa oratione,

C ritus armare non desistunt ; utunturque multis fallaciis, multisque maleficiis. Crescit scelere superstitio (plerisque mortalium semper in deteriora labantibus seu vitio naturæ, seu ampliori laxiorique vivendi licentia) et malis artibus clarescit. Itaque vereor, ne aliquando in omnium exitium perniciemque redundet : quippe semper enascentia mala in ipso exordio opprimenda sunt : nam incredibili et nonnumquam irrito labore, cum sese effuderint, cum evastarint hominum animos, cumque radices fixerint, evelluntur. Hic igitur, quem vides, adstantem ea oris contumacia, eo truci silentio, homo nefarius, id præteritis diebus est ausus, quod improbissimorum hominum refugisset audacia. Templum enim nostrum, tantis ornamentis, tanto nomine tantaque sanctimonia vel exteris gentibus venerandum, polluere ac violare est aggressus.

56 Pepercistis vos illi, Romani, expugnatis Hierosolymis, in tanta victoria, in eaque dira calamitate (quam revocare in memoriam perhorresco) et ad præsentem usque diem mirificis, ut par est magnitudini vestræ, donis auxistis, ubi litantur victimæ, ubi thura adolentur, ubi vota pro Romani nominis felicitate amplitudineque quotidie nuncupantur; et iste nullo Dei metu, nulla religione (sed quæ scelerato in homine potest esse religio ?) nullis pœnis, quæ vel nefarios profligatissimosque mortales a scelere absterrent, contaminare voluit : nec stetit per eum, quo minus verenda sacra, adytis occlusa, et vetustate ævi augusta, corruerent. Quid præterita istius scelera commemorem? Solum, tecta, cœlum, et quidquid inanimum est, istius infecta veneno horrenda scelera eloquuntur. Doluimus, tot in Syria seditiones conflatas ? Istius exarsere dolo. Vidimus, et quanto cum dolore, tot per oppida eductos gladios? Isto impulsore micuere. Omnes denique rapinas, omnem agrorum populationem, et cetera funestæ pacis mala, iste consilio, manu et opera excitavit, impulit, juvit ac fovit. Obtinet non modicam apud sceleratos auctoritatem : princeps est in audacia, princeps in furore, princeps in cohortibus grassatorum. Itaque, optime Felix, hæc hominem patrantem, tanta obrutum mole scelerum, nefario piaculo obstrictum, et violatæ religionis reum, punire e patriæ instituto voluimus : sed prohibuit Lysias, magnaque eum nobis vi eripuit, jussitque ejus accusatores ad te venire : ex quo facile tu poteris ea crimina cognoscere, quibus eum in judicium adducimus. D

in speciem compta.

A. SANCTORIO.

57 Subticente Tertullo, a cunctis qui adstabant Judæis, confirmatur oratio. Paulus dicere ac respondere jussus præsenti animo ac gravi et luculenta oratione, Judæorum maledictis occurrit, docendo, se compotem brevi a Felice propter æquissimam causam, et ejus benignitatem, factum iri ; nec se peccasse in Cæsarem, patriave jura ; confiteri tamen, in religione cultuque, quem sectam Judæi nuncuparent, se non negligentem esse, et omni studio Deo inservire, attamen nullam ab se excitatam seditionem, non pollutum templum, non Augustorum nomen offensum ; sed Judæos invidia obcæcatos, et resurrectionis mentione gravatos, adeo infeste truculenterque in se coortos esse, asserebat. His dictis, rejecta, ad Lysiæ adventum Judæorum querimonia Felix custodiendum Centurioni Paulum attribuit, satis laxamenti dato. Interjectis aliquot diebus, cupido hominem incessit audiendi Pauli, una cum Drusilla uxore, quæ M. Antonii Cleopatræque neptis, senioris Agrippæ filia, juniorisque soror, formæ eximiæ, nec moribus inculta, projectæ libidinis, primoque a toro Azizi Emessenorum regis profuga, in Romani hominis complexus, Simone Cyprio Judæo suadente, sese conjecerat. Itaque cum luculenter Paulus perorasset, injecto Felici tremore, cum novissimum judicium et funestum diem repetiisset, dimittitur ; sæpe postea a Prætore accersitus ac liberaliter tractatus. E F

Respondet Paulus seque purgat.

58 Enimvero Felix, Pallantis fratris (qui Julia Agrippina, vetus ob meritum adactæ ad necem Claudiæ Messalinæ, Claudii Cæsaris quondam uxoris, cunctis illecebris notatissimæ, simulque propter stupri consuetudinem, perample fovebatur) fretus opibus, cunctis late impietatibus grassari, fœdus libidine, avaritia exsecrandus, crudelitate immanis, nihil apud eum fas, mutæ leges, et cuncta in libidine sita, alterius fortunarum depeculator, ac veluti Judaicæ gentis in exitium ab Urbe missus : nam deflagrasset haud dubie Romano bello Provincia, paribus sceleribus illi juncto Ventidio Cumano, nisi Numidius Quadratus labantibus rebus succurrisset, et stricta jam tela e partium manibus extorsisset inhibuissetque virtute atque industria ad eam deletæ Judaicæ gentis palmam, orbisque imperium Vespasianum vocantibus, qui in Occidente multo sudore, et imperatoriis virtutibus Principatus inchoabat initia, quæ, tota deinde Oriente, ad fastigium summæ majestatis coaluere.

Felicis proconsulis mores,

59 Igitur Felix, etsi virtutem Pauli fortasse admiraretur, avaritia ad bene illum tractandum agebatur. Nam grande donum ab illo sperabat, quem Hierosolymis

et avaritia.

A. SANCTORIO.

Hierosolymis ingentem pecuniarum vim in pauperes prodegisse cognorat. Interim exacto biennio, Felici Romam revocato Portius Festus succedit, haud Felice innocentior, virtutumve claritate insignior. Huic Felix, gratificaturus Judæis (quos atroci in se odio inardescentes, et graves in Urbe aliquando futuros hostes, suspicabatur) Paulum vinctum reliquit. At Festus, triduo postquam iniit Provinciam, victimis Jovi litatis votisque rite nuncupatis Cæsarea accedit Hierosolyma, nondum spiritibus pacata, et haud dubium agitantia bellum, prorsusque ab Romana societate aversa, scissa in seditionem partesque plebe, atque optimatibus infensa, optimatibusque justo fere servitio plebem opprimentibus, utriusque iras exasperante militari Romanorum licentia atque avaritia.

CAPUT IV.

Gesta Pauli coram Festo Præside et Agrippa Rege. Navigatio Romana: tempestates; appulsus in Melitam.

Illi succedit Festus

Audito Hierosolymis adventu Præsidis, statim ad illum fit hominum concursus : pars ruere in servitium, pars suo commodo consulere, pars adulatione gratari Præsidi, nemo publicum decus salutemque civitatis, quæ jamjam in excidium trahebatur, respicere; omnes tamen Pauli perniciem anhelare : illum circumfusa Prætori caterva criminibus onerare deposcereque ad supplicium, et ut Hierosolyma perduceretur, deprecari prehensareque Festum, certi jam de nece illi in itinere inferenda, cum haudquaquam refrixissent animi, dextræque sceleri assuetæ, sæpeque innocentium sanguine cruentatæ, obtorpuissent, ultoresque trucidatorum manes infanda pectora assidue obturbarent, in certumque exitium impellerent. Sed Festus, Cæsareæ Paulum asservari, dixit : si quid de eo quererentur, eo illis accedendum esse : quo propediem ipse venturus esset.

æque lentus in liberationem Pauli,

61 Hoc adverso inexspectatoque responso, elusa Judæorum fraus; occluditur tamen pectore dolor, et adulatione, et vindictæ spe lenitur. At Festus, octo aut decem non amplius Hierosolymis dies moratus, Cæsaream repetit, subsequente Judæorum turba, peracerbius in ipsa repulsa in Paulum conjurata. Eum igitur Festus, pro suggestu sedens, in conspectum produci jubet : vetera crimina in illum Judæi ingerunt, quorum tortuosos animos et invidiam, sapientissima Paulus oratione reprimit, tanto cum ipsorum dolore, ut prope insanirent. Tum Festus, aucupaturus popularem auram, quæsivit a Paulo, num Hierosolyma ire, atque illic de his criminibus apud ipsum judicari vellet? Paulus, se ad Cæsaris tribunal, ubi judicandus esset, stare dixit : Judæis nullam se intulisse injuriam, quod melius ipse intelligeret, si quid in eos peccasset, se quo minus morte afficeretur, non recusaturum : sed e contra, nullo reperto scelere, neminem esse, qui illorum furori posset dedere. Quamobrem Cæsarem, inquit, appello.

ipsum ire ad Cæsarem iubet.

62 Tunc Festus, miratus constantiam hominis, de consilii sententia; Cæsarem, inquit, appellasti, ad Cæsarem ibis. Ea quippe ratione eversum iri ab se Judæorum dolos, et mitius secum acturam Romanam lenitatem, ab excelso quodam, augustoque nascentem animo, fortasse ipse opinari; etsi fœdi mores, et a veteri illa, laudataque disciplina degenerantes, in Græcorumque ignaviam mollitiemque Asiaticam prolapsi, nobilissimum imperium moderatione olim terribilius, quam armis, paullatim everterent, principibus, expulsa virtute, libidine, avaritia fastu, ac venere turpissime grassantibus, et milite nulla modestia, nulla disciplina, in exteros segni, feroci in suos, illecebrisque enervato, plus in excidium, quam in salutem dignitatemque imperii opimis alito stipendiis : jam frugalitas Cincinnati, Fabricii, Coruncanii, Catonum, Tubernorumque excesserat memoria, nec Duillii aut Fabii, aut quatuor victrices Scipionum animæ, aut Marcelli Æmiliique memorabantur : crescere vitia et usurpari; passimque pro virtutibus haberi : nulla umquam toto in orbe terrarum civitas adeo primis imperiis in ortu splendoris pluribus vallata virtutibus, aut consilio, continentia, morumque integritate insignior fuit; adulto demum imperio et latissime propagato, cuncta omnium gentium vitia ac turpitudines, avidissime hausit, ita ut non de imperio ac gloria, sed de adsciscendis sceleribus pugnasse cum gentibus videretur : et his moribus Romana tunc aula stare, egereque profecto Pauli virtutibus, cujus una in Deo fiducia, ac spes erat, non quod cruciatus subterfugeret, quippe mori et esse cum Christo cupiebat; sed ut Deo in evastandis idolorum impietatibus operam quam diligentissime navaret, notus ipse Romanæ aulæ multis disciplinis et fama sanctitatis vel apud Domitium Neronem.

Interea Rex Agrippa cum uxore, salutaturus Festum supervenit;

63 Etenim Agrippina, indomitis animis et inflammata prorsus imperitandi libidine mulier, sublata Messalina, Claudii torum implerat, evictoque illecebris viro, cuncta ad se trahens, imperium Neroni filio miris artibus struere, mox accelerata veneno Principi morte, filium ad imperium evexit, infausto exitu. Eodem ferme tempore Herodes Agrippa, Aristobuli filius et Berenices uxor neptisque, magna opum ostentatione, magnoque rerum apparatu, Cæsaream Festi salutandi gratia, accedunt : etenim muneribus mulcebantur Præfecti, mitigabaturque immanis illa avaritia, deprædandique gentes ac fana libido; comitabantur Reges lectissima juvenum corpora, et nobilissimus quisque. Sed Regina, cultu corporis, gemmata cæsarie, augusta forma, artibusque plusquam scortatoriis, licet a prioris obitu viri Polemoni, Cilicum Regi nupta, prætextu laterum atque immodicæ veneris, cum illo divortium fecerit, quasi casta, in Titi Cæsaris postea effusa amplexus. Oriente mirante, inter funera sui interitumque Judææ, supra ceteros conspicua, omnium ora oculosque in se rapuerat. Itum a Prætore Regibus in concursum, adstante circum legionum agmine, et fulgentibus signis, juncta dextera : cessere statim sceptra securibus, curuli solium. Exinde humanitate (postquam Romanus fastum explerat) certatur. Plus in Reginæ vultum, quam in fasces ornatumque Regium, cunctorum exstitit veneratio. Tanta vis formæ inest ad alliciendos promerendosque spectantium animos.

cupidus aloiquendi Paulum,

64 Post hæc Festus, cum lautis epulis Reges excepisset, casu facta de Paulo mentione narrat insontem illum, quantaque invidiæ procella fuisse jactatum, quæve illi crimina fuisse objecta : sed nihil certe sceleris in eo deprehensum et quo modo Cæsarem provocasset; et ideo non dimitti ab se; cupere tamen, cum nihil haberet, quod ad Cæsarem scriberet de illo, ut ipsi hominem audirent, quo certius aliquid Cæsari significaret. Grata Regibus Festi voluntas fuit, quippe qui non mediocri audiendi hominis desiderio tenebantur, fama et præconio gentium cognitis Pauli virtutibus. Quæ enim gens, aut quæ natio tam citima soli, aut tam ab illo remota exstabat, cujus aures non Pauli vox famave percusserat? Siquidem nec fervens cœlum, aut exusta perenni sole humus Æthiopas, nec Caucasus vastitate sua et cacumine, perpetuo nivium rigore possesso, Indos; nec Parthorum regna rapido cursu

A cursu Tygris Euphratesque, aut suo Ægyptios, et introrsus Africanam barbariem sonitu Nilus; nec felicia Sabæos ac Nabathæos cœlum terræque sunt tutata, prohibuereque, quin Pauli bellico intremuerint.

quem et audit pro se præclare dicentem,

65 Postera igitur die exstructus suggestus Prætorem Regesque sessum accepit, adstante Centurionum Tribunorumque ordine, tutaque sex fascibus concione. Tunc Paulus, annuente Rege, orationem orsus, beatum se primum dixit, quod apud eum esset verba facturus, qui omnem Judæorum disciplinam, omnia instituta, omnes ritus teneret, eademque sacra veneraretur : deinde ea exposuit, quæ paullo ante de Judæorum obtrectationibus, et de causæ æquitate commemoravimus, initio longe petito ab eo tempore, cum primum a Christo e cœlo vocatus sit, eoque superiore, cum Mosaicæ legi parendum esse censeret. Quæ cum Paulus concionaretur, magna voce Romanus, insito fastu cuncta despiciens, *et diris deditus superstitionibus, haud quaquam angusto pectore veritatem amplectens, insanire hominem, multasque (quibus esset præditus) disciplinas ad insaniam adigere, dixit. Paulus vero, B delirare se negat, sed verba veritatis ac prudentiæ plenissima eloqui, nec ea Regem, ad quem verba faceret, subterfugere : rogavitque Agrippam, num Vatibus fidem haberet? Qua de re nullum apud se dubitationi locum relinqui, annuit. Tunc Rex modicum sibi restare, illius suasu, ad sacra suscipienda, fassus est. At vero Paulus optabat et modicum, et immensum non tantum Regem, sed omnes, qui audiebant, tales evadere, qualis ipse erat, exceptis vinculis suis.

mirantibus constantiam ejus Rege ac Festo

66 Quam constantiam Prætor Regesque admirati, dimissa concione, summum virum, et insontem judicant : potuissetque dimitti, nisi ad Cæsarem provocasset. Paucis post diebus, æstuante jam Parthico bello Asia; magnaque apparatus fama Armeniam quatiente Tiridate; Syriæque minitante Vologeso fratre, Parthorum Rege; Agrippa cum conjuge Hierosolyma abscessit. Enimvero decedente Armeniorum rege Artaxa, jussu Cæsaris Tigranes Armeniis præficitur : quæ res anhelantem Romanas Provincias Vologesum ad arma excivit, quando Armeniacam ditionem sibi convenire, Arsacidarumque fastigio addictam judicaret. Itaque in conspectu Satraparum Tiridatis fratris capite evincto diademate, magnam equitum manum pergere in Armeniam, ad C exturbandum Tigranem, et cuncta depopulari jubet; ipse cum exercitus mole transire Euphratem, et invadere Syriam decrevit, ut duplici maximoque bello distentæ Romanæ vires facilius obtererentur : sed, singulari Domitii Corbulonis, Syriæ Proconsulis, virtute atque præstantia deterrito Partho, ab eoque itinere avocato, omnis belli vis impetusque in Armeniam versus, et vario belli eventu, multis invicem illatis acceptisque cladibus inter Romanum Parthumque certatum : demum Tiridate, Cæsaris effigiem et Romana signa venerante, bellum pactione dirimitur. Quæ omnia haud multo post evenere.

Paulus Julio centurioni commissus,

67 Igitur Paulus a discessu Regum constituta navigationis die, Julio, Augustæ cohortis Centurioni, cum multis aliis nexis traditur : qui Hadrumetina navi vectus, Sidonem oppidum, totius Phœniciæ longe maximum clarissimumque, applicuit, illectusque Pauli virtute ac comitate, adire et consalutare amicos homini permittit : quos ad bene sancteque vivendum Paulus cohortatus, in navim regreditur, quæ Cypro, propter adversos ventos, prohibita,

navigare incipit Italiam versus,

prætervectaque Lyciæ Pamphiliæque oras, Myram Lyciæ oppidum tenuit : ibique Centurio, Alexandrinam navim cursu Italiam petentem nactus, in eam omnes vinctos traducit : cumque satis multis diebus tarda navigatione vix Cnidum, quod ventus non sineret, tenuisset, Cretam per Salmonem, ad D Orientem Cretæ Promontorium, præternavigavit Insulam, centum florentem oppidis, et arcu ac telo minacem, sed avaro, sævo, mendacique accola frequentem; tenuitque locum qui Boniportus dicitur, Thalassia haud multum distans ab urbe. Ibi Paulus cohortatus Centurionem, nautasque, ne altum petant : prospicere se ingruentem tempestatem ; et non dubium capitis rerumque discrimen instare affirmat : sed portus minime ad hiemandum idoneus, spesque in propinquo potiundi per hiemem Phœnice Cretæ portu, ad Africum Corumque spectante, Paulo fidem abrogarunt.

A. SANCTORIO.

tempestatem prædicit,

mox graviter navi incumbentem,

68 Itaque Centurio, explicatis ad auram velis, altum petit, cum subito desistente Austro, incumbenteque Euro Aquilone, tumescere mare, attollique undis, vastisque spumis canescere incepit, et navis huc illuc jactari, nec sisti anchoris, aut arte regi ; cœlum insuper atrox, et nubium mole suffusum, crebrisque ignibus fulgens, reboanteque interdum fulmine minax, ingeminare terrores. Ergo squalenti ore, trepidis animis, nulla salutis spe, non consilia, non vires, sed tumultum pavoremque in E medium afferre, quisque ingemiscere, et infanda vota Neptuno concipere, Jovemque invocare, jactatisque in mare mercibus, et abruptis armamentariis, omnia truci murmure et lamentatione repleri; cum Paulus in corona ait, Deum sibi visum, cœloque promissum, incoluminibus omnibus, se sisti ante Cæsarem oportere. Data in summa desperatione certoque discrimine homini fides, factusque unicuique animus : nam tempestas multa antea denuntiata, prævisumque periculum, ipsaque morum sanctitas divinum apud illos Paulum effecerant. Hinc Hadriaticum in mare illata ventorum procellis navis, crispantibus mugientibusque adhuc horribili sonitu undis, veriti nautæ, ne violentia pelagi in scopulos impingerent, quatuor ex puppi jactis anchoris, lucem exspectare : cumque densissimis illis tenebris scapha confiderent, et fugere e navi constituerent, Paulus Centurionem commonefecit, in navi nisi manerent, salvos esse non posse. Itaque milites, illico scaphæ funibus abscissis, eam obrui passi sunt undis.

promittitque divinitus,

neminem vehentium periturum

qui salvi ex naufragio omnes terram attingunt

69 Adhortator cunctis Paulus lucis in exspectatione adest, non verbis modo, sed cibo languentes fovere (quorum corpora, enervatis animis ipsaque maris procellarumque atrocitate stomachum ciente, intermortua jacebant) et omnia magni in adversitate F viri munia implere. Illucescente demum sole, cum nec continentem cognoscerent, animadvertunt sinum quemdam litus habentem, in quem constituebant impellere, si possent, navim. Itaque sublatis anchoris, mari se committunt, laxatisque gubernaculorum funibus, flante aura in litus contendunt : sed cum prope continentem applicarent, hæret navis, et prora fixa immobilis stat, puppi undarum vi eluctante. Qua re animadversa, miles sceleratum ex temeritate, insitaque crudelitate mutuatur consilium, trucidandi nexos, ne litore potiti diffugerent : sed centurionis prudentia, et erga Paulum humanitas, prohibet facinus. Itaque pars, nandi perita, se in mare dejicit, vique lacertorum terram tenet ; pars tabulatis vehitur : major extra discrimen, quam in ipsa fuerat desperatione, trepidatio : redditur clamor et confusio cernitur ; nec minus æmulationis, si qui primi solum apprehenderent, omnes incolumes (cum CCLXX essent) solum attigere. Chersonessus locus fuit, qui nunc Pauli nomen habet, sacellumque illius in honorem erectum adspicimus : cognitumque, Melitam eam insulam nuncupari, a Pœnis cultam, inter Siculum Libycumque jacentem mare, milliariisque LX in circuitum patentem.

insulam Melitam,

70

A

A. SANCTORIO. et ab incolis humaniter foventur.

70 Igitur frigus minante cœlo, instanteque imbre (quippe ea Insula, flantibus Aquilonibus, non tam algores, quam pluvias sentit) passim a barbaris ad fovendos artus excitantur flammæ : et Paulus cum vim magnam sarmentorum collegisset conjecissetque in ignem, vipera, occlusa vepribus, torpida algore, cum sensisset flammam, egreditur, manumque Pauli morsu arripit : quam ut barbari e manu illius pendentem viderunt, colloqui inter se, plane illum sanie, haud incertaque morte contaminatum esse, quem maris rabiem effugientem dii non sinerent vivere communique aura frui, nullamque inesse haud dubie pectori religionem, jactare. At Paulus excusso in ignem serpente, nihil omnino mali sentit : sed barbari tumorem livoremque in corpore expectare, ociusque collapsurum credere. Quod cum diu frustra exspectassent, mutata sententia, Deum esse hominem existimarunt, cum retundere rabiem, supprimere vim veneni, non nisi cœlitus dari crederent, Psyllorum elusis miraculis, et arte famosa curandi veneni.

Hic Paulus a vipera morsus absque noxa,

prædicat insulanis Christum cum fructu.

71 Itaque, Paulus multis concionibus cum eos doceret, multi salutari lavacro expiantur : confitetur et Christum Publius, Insulæ primarius, recipiente illius patre valetudinem Pauli virtutibus, cum B febre et alvi profluvio diu laborasset. Hinc nulla posthac Junoni aut Herculi (quorum vetustissima fana in Insula cernebantur) habita fides ; in Christum mira religio, et ex cœlitibus, in Paulum summum studium ; illum Insulæ patronum, illum tutelarem habent ; illius virtuti cuncta tribuunt. Ex eo enim tempore exarmatos veneno serpentes ferunt, et, sicut aliis in terris crudescere atque mordere ; contra in Melita mitescere, puerorumque manibus attrectari mulcerique : et Insulani passim per Europam lapillorum fragmenta, Pauli calcata vestigiis, ad depellenda venena circumferunt. Paulus Melita in Insula tribus moratus mensibus, insigni fama sanctitatis apud accolas relicta, exoriente Plejadum sidere felici navigantibus, conscendit Alexandrinam navim, Castoris Pollucisque fratrum præferentem insignia, sueta navigantibus ; quæ in Insula hiemarat, solvensque Syracusas devenit, opus olim ante Marcelli victoriam ingens memoratumque, quod nunc prostratum ruinis adspicitur : tantum cuilibet rei mortali tempus officit.

Venit Rhegium ac Puteolos.

72 Triduo moratus in oppido, navigavit inde Rhegium, in Calabria sitam urbem, Siciliam re- C spectantem ; mox Puteolos, Campaniæ oppidum, Cumis Neapolique interjacens, aquarum salubritate, amœnitateque loci pernobile, sed crebris quotidianisque terræ motibus intutum, defertur. Nihil illo sinu, qua Misenum promontorium, Bajas, Cumas, Neapolimque Surrento tenus mare lambit, in Italia amœnius salubriusve. Ergo cum septem Paulus diebus Puteolis, nostræ religionis hominibus gratificatus, desedisset, tandem Romam accessit. Sed B. Hieronymus scriptor præstantissimus, auctor est, Paulum nondum adulto Neronis imperio (quod primis imperii mensibus, agente adhuc in humanis Britannico fratre, contigisse par est) invisisse Urbem, et a Nerone liberatum, Occidentalem orbem concionibus implesse, adita Provincia Hispaniisque peragratis. A primo dissentiunt, ceteri, secundum amplexantur, et prodigia in illis terris stupenda admirandaque famam hominis extollunt testanturque. Et re vera decebat illam Pauli divinam virtutem, atque incredibilem animi magnitudinem ; calcato Orientis fastu, obtritaque ab Euphrate Thracia, Illyrioque tenus gentium gloria, Euphratem Bæti, et Hircanum commiscere Oceano, tantaque trophæa ad Orcadum, Pictonumque conspectum in ultima figere Europa.

CAPUT VII.

D

Acta Romæ a Paulo cum Judæis et cum Nerone, resuscitato Patroclo Martyrium.

Romam occurrentibus Christianis ingreditur

At vero in Urbem ut adventare Paulum nuntiatum est, effusa piorum turba, ad Appii forum in Setino agro, tresque Tabernas, tertio et trigesimo lapide ab Urbe discretas, in conspectu Antii obviam procedit. Mira lætitia omnium mentes perstrinxit, auctam jam robore et auctoritate Christianam militiam, jam nobilissimos duces præstantissimosque imperatores, tanto victoriarum fulgore micantes, Occidentis Orientisque victores, coivisse in unum : recensere triumphos, et fusas prostratasque hostium acies memoria repetere, simulque augustiora animo concipere : adesse jam extremum discrimen ; et totis viribus certandum. Ingens omnium in Paulo fiducia, quem modo per Orientem, veluti fulmen evagatum tanta sanctitatis fama, tantoque virtutis nomine florentem, sanctimonia æqualem Petro, inferiorem dignitate, electione superiorem, oculis contemplari, quisque haud incertam sibi victoriam polliceri. Igitur Paulus, uno cum milite tantum dimissus, Urbem ingreditur, anno a Christi ortu LIX E imperii Neronis secundo, ab Urbe vero condita DCCCIX. Q. Volusio Saturnino, et P. Cornelio Scipione Consulibus, Julio mense : datum illi, ut quidam volunt, ad Mariæ in via lata hospitium. In somniis jam illum Deus Petro adjutorem spoponderat, acerrime jam cum Simone Sebasteno dimicanti, qui infamia Neronis et flagrantissimis libidinibus crescens, populum Romanum variis præstigiis ac cantaminibus infatuarat.

primarios Judæorum ibi accersit et comiter alloquitur,

74 Sed Paulus, triduo post, quam Urbem intravit, nobilissimos Judæorum accitos, quorum effrenata rabies in Petrum mire ignescere, cum sæpe certamine fracti accisique fuissent, leniter affatur : nequaquam ab se gentem Judæorum accusatum iri, aut se deprecaturum injurias, quas omni tempore sibi Judæi intulissent ; non ita raptari ultionis cupidine, aut ita iratos sibi animos esse ; longeque id alienum a Christi præcepto, ait. Responsum a Judæis ; nihil litterarum his de rebus ab Judæa sibi allatum, eum tamen propter claritudinem nominis a se libenter auditum iri ; etsi intelligerent, sectam, quam ipse sequeretur, ubique explodi atque ejici. Constituta disputationis die, Pauli oratio cum murmure excipitur. Sed Paulus, legatione Judæorum ab F Hierosolymis nuper adversus se missa, et infeste, per Aliturum mimorum actorem, Poppæamque Sabinam, potentissimam apud Principem per meretriciam procacitatem et oscula, convulsis tori decore atque concordia ; exulcerato Augusti animo ; haud trepide ipsum adiit Neronem, nec Poppææ conspectum refugit, ad mitigandos mulieris spiritus adorato fastigio, non benigne exceptus ab Augusto, dimissus tamen per Urbem. Ferunt etiam, eum in Senatu et apud Collegium Pontificum causam gravissime perorasse, monstratis Christi cunabulis et occultis mysteriorum, non sine insigni audientium stupore, revocati in memoriam Sibyllinis carminibus, et veterum ambagibus.

multos gentilium baptiza

75 Interim Paulus absentes socios litteris cohortari, cœlestem gratiam præsentibus impertiri : sed surdis Judæorum auribus crescebat in religione gentilium numerus ; confluebantque ad baptisma externorum greges. Siquidem non solum ipsa veritas, magnis semper pectoribus accepta, et improbis gravis ; verum etiam illa divina Pauli facundia, illa morum integritas, illa comitas, illa denique oris majestas cum summa hilaritate ac submissione, omnes

A nes in se trahebant. Itaque magnum statim in Urbe nomen, majus per Italiam, implente aures fama conciliantequе benevolentiam, volitare; quisque pius ad Urbem videndi hominis studio properare; defixisque in illum oculis obstupescere : non alloquio adspectuque satiari : sublevatæ ærumnæ ac hominis miseriæ, inter sævas Principis iras gentisque odium; largitate Philippensium Epaphrodito legato cum pecunia misso, simulque Onesiphori, multorumque discipulorum adventu, qui ad Paulum, tamquam ex naufragio evadentes, veluti ad tutum portum decurrebant.

Neronis zelus in supplicia Christianorum,

76 At Paulus semper docere domi, disputare, nostramque religionem per celeberrimos frequentissimosque Urbis locos evulgare, tanta animi fiducia, tanta vultus constantia, tantaque libertate dicendi, ut miserrimas truculentissimasque temporum conditiones minime perhorresceret. Nam Nero in infanda quæque prorumpens, tanta scelerum mole eam ætatem deturparat, ut satius fuisset (si dici fas) mortalibus, non nasci, quam ea conspicere. Siquidem Julia Agrippina mater apud Bajas, intuentibus facinus sideribus, occiditur, teterrimo gladiatore nec
B utero, nec uberi, maternæque parcente majestati, ad ipsa Festa quinquatria. Trucidantur passim tot millia nobilium ; vastantur Provinciæ ; diripitur Urbs, et ad XIV Kal. Sextiles sævo incendio universa fere absumitur, ne tanta immanitas in mortales dumtaxat grassaretur. Tales infandi partus, infaustæque monstro datæ lucis pœnas altrix patria luit. Sed Nero sumpta hinc crudescendi libidine, in Christianos omnem furorem effudit suum, illis incensam Urbem attribuens. Itaque atrocissimis pœnis Christiani affligi atque interimi : pars in crucem agitur, pars capite mulctatur, pars flammis torretur, pars bestiarum dentibus laniatur, gemente populo execranteque teterrimum Principis ingenium : fessi tortores, fessæ in constantia martyrum et in delicatulis puellarum corporibus iræ. Nihil nostrorum in mentibus pavoris, cohortantibus Petro Pauloque. Stabant quippe ingentes animæ, paratæ neci, adversus pericula impavidæ, non tela, non faces horrentes : quarum in conspectu non modo lacryma, sed ne gemitus quidem morientium exaudiebatur.

glorioso martyrio emensum cœlum.

77 Jactet modo ventosa Græcorum dicacitas puerili in patientia nocentem cruore Spartam, dum temporum ad aras Eurotamque tenellos artus edu-
C rat. Nulla illis certe laus, quippe sine sensu enatis ; et nondum cœli serenitate fruentibus : at martyrum in flore juventæ trucidatorum constantia, quibus est celebranda præconiis? Etenim fuit incredibilis, gloriosa atque divina non pro levi aura moriturove extemplo rumore ; sed ad decus sempiternum et numquam finitura gaudia contendens. Torquebatur his igitur Nero : et se illudi ratus, acriora tormenta moliri, multum excitante stimulanteque hominem Simone, qui suapte libidine et perversitate animi, vecors amensque, totus in Apostolos ferebatur : quorum si disjecisset vires (quas tremendas et invictas judicabat) absque dubio terrarum victorem se fore, et jura gentibus daturum, sua jam Nerone jussa amplexante, depulsurumque ex arce rerum Statorem sperare Jovem. Igitur omnia miscere, omnia instigare, tentare nobilium animos, accusare Apostolos, inflammareque Neronem ad evertendam Christianam religionem : sed duplici fractus acie, cum summa ignominia sceleratam vitam turpissimo exitu clausit.

Patrocli Neroni familiaris resuscitatio,

78 Sed Paulo tantæ, sed invisæ sceleratissimo Principi virtutes, et Patroclus ad vitam revocatus, acceleravere exitium. Siquidem concionante Paulo, occupato multitudine foro, Patroclus a Cæsaris poculis, illique percarus, tractus fama Pauli et audiendi hominis cupidus, superiorem in locum adscendit, ut commodius et sonitum vocis corpusque aure D
oculisque hauriret. Qui suavitate orationis diu delectatus, somno corripitur prolabiturque, et spiritum exhalat : nam locus, quem corpore occuparat, alte assurgebat; quod præmonstrante Deo statim Paulus cognovit. Igitur attollente gemitum populo, introferri ad se cadaver jubet : cohortaturque omnes, ut in commune id a Deo precarentur, excitat ex inferis, statimque ad Neronem dimittit, si forte eo admirando prodigio sese ad bonam frugem recipiens, infandam superstitionem ex animo demeret, Christumque Dominum fateretur.

a SANCTORIO.

e qua major indignatio Principis in Paulum,

79 Mœstam interea infortunio lugubremque aulam (quippe haud incerte Patrocli de morte fuerat allatum) vagus pervadit rumor, vivere Patroclum et exultantem ad Cæsarem properare : mox festini nuntii (cum haud mediocriter adolescens ab omnibus amaretur, virtute pulchritudinem, decusque oris ac corporis comitante) accedunt : ipseque demum in medium Patroclus invectus, dubium exemit, cuncta in gaudium vertentibus amicis. Quem Cæsar accitum, perculsus atque attonitus, adspicere, totumque legere oculis, et tantum inopinatumque miraculum vix ad animum transmittere : scortum impurissimum, cunctis coopertum illecebris, cruore E
civium saginatum, moribus infame, alteriusque prodigum animæ hiscere, nec Dei magnitudinem metiri, cujus potentia insigne prodigium evenisset, et veluti in toro accubans insomnia agitare. Detruso demum stupore, quærit a Patroclo, num viveret, et cujus benignitate et opera, qui mortuus fuisset? Ille, se Jesu Christi Domini sui, Regis seculorum omnium, beneficio ac munere, et captare auras, et intueri solem, respondit. Cæsar, cum Christum seculorum omnium Regem diei audivisset, conturbatus est, auxitque animi angorem, accedente tacito et haudquaquam spernendo timore. Id quod deinceps Patroclus addidit, fore, ut Christus omnia orbis imperia deleret, ejusque voluntati, quidquid hæc universitas rerum amplecteretur, subjiceret, cum omnium ipse Regum maximus atque opulentissimus esset.

quem increpat,

80 Tunc Nero expansa dextra, genam illi contundit cum exprobratione : Ei ergo nomen dedisti? Quod cum annuisset, nonnulli, qui aderant ex suis, graviter obliti dedecoris, et Romanæ memores generositatis, pristinos jam dudum spiritus, fœdo oppressos servitio, in libertatem vindicantes, urgere oratione et animi fortitudine Augustum cœpere, F
quod sapienter loquentem adolescentem intempestiva severitate ultus esset, ad veritatis injuriam : nimis sibi hoc acerbum, nimis crudele visum : ideoque, devotis animis se illi quoque Regi parere dixerunt. Tunc Nero tumens ira, fremere, minitari, ostentareque terrorem, et ire ultum arrogantiam. Itaque omnes Christiani conquisiti una cum Paulo, ad Neronis conspectum rapiuntur : omnium grave silentium et in Paulum versa ora, adeo ut facile intelligeret Nero, illum omnium Imperatorem esse. Ad quem versus, interrogat, qua fronte animorumque fiducia adversus Romanas opes, et in ipsam rerum arcem irrepere ausus esset, ut agmina populorum Christo, quem Regem suum attolleret venerareturque, inde avulsa conciliaret, ad dedecus penatium, conturbato Reipublicæ statu.

timensque progressum Religionis majorem,

81 Paulus non ex illo dumtaxat fere orbis angulo, sed ex omnibus provinciis gentibusque, centuriari ab se militem, et pro Christo evocari ad signa, respondit : sic imperatum, sic placitum, neminem a signis, et a prætorio, castrisque avelli, præbito militari sacramento, depulsisque piaculis per pœnitentiæ lavacrum ; nec jam interclusum illi aditum a tam præstanti generosissimorum virorum militia, sacratisque vexillis, præclarissima spolia relaturo

A. SANCTORIO.

A relaturo cum sempiterno gaudio in conspectu regnantis æterna in æva, orbemque terrarum disceptatis libratisque scelerum meritorumque causis judicaturi, vel ambiente hanc molem flamma et sæve depascente cum excidio rerum omnium interituque. Qua denunciatione, veluti facibus admotis, geminata amittendorum fascium formidine, sæva regnantium peste, ad æternas ærumnas rursus furere et inardescere animo Augustus; turgentibusque venis, et rigente coma horrendus : Ergone (inquit) terrarum orbem, cum tot clarissimorum virorum insignibus divulsum ruentemque, et depasta flammis Capitolia, ustosque cum toga fasces fractasque curules, adspiciam? Tot Cæsarum decora, tot trophæa, totque monumenta rerum, tuta fulmine Jovis, Martisque terrore, ignotus homo vastabit? Pro dolor! Eone miseriarum terribilis etiam cœlo pubes, et vere Romana progenies devenit, ut vilis laniatique in Cruce hominis inanes minas et dira vota pavescat? Tantumne, Paule, Deus iste tuus in nos audebit? Desine, miser, has jactare nugas. Cessabunt statim verba anilesque fabulæ ac stolida ferocia, ubi virgarum crepitus, et horridam in necem securim adspexeris; quantumque inter me tuumque Deum intersit, B intelliges. Itaque, lictores, istius cervicem abscindite, in contumeliam illius magni Dei, suo cruore offensa Romana numina placabit, et altera mactabitur digna Simoni victima.

sententiam mortis in illum fert.

Exultat inter hæc Paulus

82 Cui Paulus : Pœnæ, Cæsar, quas nobis minaris, quasque atrocissimas credis, perexiguæ ac summopere jucundæ acceptæque apud nos sunt; quippe quæ non incertam nobis, præcellentemque æterni triumphi materiam gignunt. Tuam equidem vicem doleo, quem sempiterno interiturum occasu intelligo; et ne pro inani fabula (sic enim tu veritatem nuncupas) quæ antea protulimus, videantur; simulque intelligas, Christi potentiam nec morte, nec vita finiri; etiam post datam cervicem me tibi viventem ostendam. Excepta inter risum admirationemque Pauli a Cæsare oratio : inde Megisto et Aresto (liberatus enim una cum Petro a Processo Martinianoque fuerat, quos enato mirabiliter scaturientis aquæ fonte, in ipso carcere baptismate expiarat) traditur, ut quam primum extra Urbem securi feriretur, eo illi supplicii genere irrogato, propter jus Romanæ civitatis. Tractus ad necem Paulus, haudquaquam pristinæ virtutis ac consue- C tudinis obliviscitur : nam præclara oratione Cæsarianos armigeros aggressus, eo flexit, ut hi Christianam religionem ocissime amplecterentur.

et milites aliquos convertit;

aliis supplicium urgentibus dicit fore

83 Cumque nuntius ejus mortis ac supplicii serius, quam Nero optaret (expavebat quippe viventem, ingentiaque exspectabat) veniret, duos iterum e Prætorianis, Feregam atque Partemium mittit, qui viderent, an securi concidisset. Hi Paulum, incredibili ardore in magna populi frequentia, de Christi virtutibus operibusque disserentem, repperere. Quos, aulæ insignibus notos, ut vidit Paulus : Venite [inquit] et vos filii : credite in Deum unum, filiumque ejus Jesum Christum, ut animorum vestrorum salus statusque æterna, permaneant in perenni felicitate locata. Responsum a Prætorianis, de religione ac numinibus non ultra disceptandum : spectatores mortis ipsius se a Principe missos; id sibi nunc curæ esse; ceterum ad ignota numina, et cœlestia externæ disciplinæ arcana, a morte ejus resurrecturi ab inferis, tunc studium curamque applicaturos, referunt : sed id ab insito aulæ fastu, ac militari derisu, pronuntiatum, seu quod ita sentirent, et incredibile his videretur, ut mortuus ad vitam revocaretur, exoptarentque religionem, quam essent culturi, hoc singulari confirmari prodigio. Paulus, eorum voces benigne excipiens, annuit, non ultra miraculum fore, quæ vellent : postera D die visuros spectaculum, auditurosque ex duorum virorum Titi et Lucæ ore haud incertæ rei seriem, reticendumve arcanum.

ut postridie ipsos reviseret vivus.

84 Vix ista elocuto alii duo a Cæsare missi superveniunt, qui raptum hominem extra Tergeminam portam educunt, vadentique ad supplicium Paulo fit obviam Plautilla, matrona illustris et castitate morum, et specie corporis, et natalium dignitate, et felix simul utero, quæ jam tota, Petri et Pauli opera addicta Christo, graviter dolore vexari, cum passim tot Christianorum corpora ferro sternerentur, nullusque cædium terminus fieret. Hanc muliebriter flentem placide consolatur Paulus, velum ab ea, quo obtegebatur capillus, ad substringendos operiendosque oculos, more majorum, petit : idem se illi velum redditurum confirmans. Inde ad Salvias aquas [tertio ab Urbe lapide locus dissitus] est deventum, ubi satelles Paulum, aptare cervicem et protendere collum jubet. Igitur, extremam horam præsentiens, spectansque Orientem, expansis ad auras cœlumque manibus, cum lacrymis diu orasse perhibetur : inde salutatis fratribus, qui prosecuti eum fuerant, dataque his pace, ad genua E procumbens, salutari Crucis signo effulgens munitusque, adigente satellite ferrum, cervicibus orbatur, sanguine lacti misto carnificis vestem irrorante ad certum haud tactæ signum castimoniæ integritatisque, qua in omni vitæ cursu supra ceteros excelluit. Abscisso autem Pauli capite, triplici saltu sese sustollente, tres statim perennis aqui fontes emersere, quam religionis ergo hodie potamus.

Iens ad locum martyrii, linteum velandis oculis a pia femina accipit,

cæsusque sanguinem lacteum fundit:

85 Ita et Pauli vita et mors illustrata miraculis. Corpus ejus Lucina, Senatorii ordinis matrona nobilissima, honorificentissime suo in prædio via Ostiensi tumulavit. Templum vero propius ad Urbem, illi, ingenti opere ac laxitate, digna Romanis animis, pietateque Constantini, Cæsarum Augustissimi, et Honorii ac Valentiniani III erigitur, quo in loco caput micanti super illud face monstratum est. Corpus autem et ipsum caput ubi asserventur, in Petro explicavimus : qui eo ipso die ad Janiculum Crucis supplicio fuit affectus. Ambo præfulgenti corona nobilitati, junctis complicatisque dextris Romam intrare visi sunt, ut quam viventes non obtinuerant, e corporum vinculis relaxati, obtererent; pulsisque procul superstitionibus disje- F ctisque inanium deorum simulacris, ibi tutelares haberentur.

corpus nobilis matrona in suo prædio honorifice condit.

86 Inclita profecto ac summopere fortunata Roma, quæ duorum sanctissimorum virorum cæde cruenta, bustisque sacrata, illorum auspiciis ac patrocinio tuta consedis, tantisque pressa ærumnis, in tanta seditionum lue prope ad occasum prolabens, invicta illorum virtute permanens, hostibus tremenda, Oceanique transgressa undas, jam ad Antipodas, quos tuorum non viderant arma Cæsarum, nec illa, funesta populorum cruore, perque barbariem circumlata gentium signa aquilæque, imperium ac jura extendisti. At Paulus abstersis Plautillæ lacrymis, mitigatoque angore, et simul tradito, recenti adhuc sanguine perfuso velamine, cujus ergo a Cæsaris equitibus diu in contemptum Pauli irrisa matrona fuerat, occlusis foribus Neroni se inopinato ostentasse dicitur, Cæsare summum in terrorem conjecto exanimatisque amicis, quorum consilio Patroclus multique alii Christiani a tyranno dimittuntur.

Apostrophe ad Romam.

87 Et hæc de magno Paulo referuntur. Vixit annos sexaginta octo ex auctoritate Joannis Antiocheni, cognomento Chrysostomi, sapientissimi eloquentissimique Doctoris. Alii scribunt sexaginta duos;

Ætas Pauli

A duos; tres et triginta postquam a Christo vocatus fuit: quinque autem et triginta annorum erat, quando Christo se adjunxit; etsi adolescens a sacra nuncupetur historia. Scripsit quatuordecim quæ exstant epistolas, in quibus mira pietas sententiarumque ubertas, in stricto incitatoque dicendi genere elucent: quarum Ecclesia fulta præsidio effervescentes desciscentium impetus compescit, totque per orbem grassatas impietates, dirissimosque per Europam novissime hæreseos volitantes errores contundit. Itaque furentes Arii, Sabellii, ceterorumque perditissimorum hominum impietatis Pauli doctrina et mirificis scriptis stratas adspicimus; Lutheri vero ac Calvini brevi ruituras speramus, D quibus Germania internis concussa dissidiis, multis a barbaris fracta cladibus, obscurataque veteri gentis gloria, quæ quondam terribilis populo Romano exstitit, prope interitum devenit; et Gallia tantis quondam clara nominibus, cum Britannia tetrum bellum et feralia arma, sua in viscera torquet, vel cum timore exteri servitii. Quapropter merito et divinitus a pictoribus sculptoribusque pictum fictumque cum nudato ferro Paulum contemplamus, cujus mucro nullo opposito ære ferroque hebescit retunditurque, nec hostium rebelliumque sanguine exsaturatur atque mitescit.

et Epistolæ.

ADMONITIO.

De sublatis in Acta Sanctorum censuris, quondam a sacra Inquisitione Generali Hispaniæ latis.

Solennes censuræ, an. 1695, in Acta Sanctorum editæ,

B *Terminamus hic Acta Sanctorum (quamvis alia nonnulla eo spectantia, hoc ipso tomo Supplementorum sequantur) terminamus, inquam, hic Acta Sanctorum mensis Junii, atque adeo totius primi Semestris Anni sacri, Tomos universim viginti quinque prægrandes complexi; e quibus cum nonnullorum æmulatione et accusatione Torti omnino quatuordecim, nomen P. Danielis Papebrochii præferentes, simul uno Decreto sacræ Inquisitionis per Hispanias generalis, anno* MDCXCV, *die* XXV *Octobris, proscripti, et qua patet amplissima illius jurisdictio, prohibiti fuerint a piis subditis legi: quæ etiam decreta cum mox per reliquas universæ Europæ et extra eam, provincias summa æmulorum contentione, sparsa et devulgata fuerint, ut passim notum est: indoluimus quidem, non tam Papebrochii scriptorumve aliorum causa, quam artificum proscriptionis, ac præcipue tot Catholicorum populorum, quibus Acta Sanctorum ad animæ suæ salutem et imitationem virtutum, vetebantur legi.* E

Hinc, ut prioris Decreti memoria oblitteretur, suaque justitiæ gloria sacræ Inquisitioni integra sit, ac simul norint ei subditi populi, quid tandem in lectione Actorum evitare debeant, juvabit Decretum illa de re ejusdem Inquisitionis Generalis ab anno circiter uno, videlicet millesimo septingentesimo decimo quinto, die XX. *Decembris, publicatum, hic ad perpetuam memoriam et legentium instructionem apponere, lingua qua scriptum et impressum fuit Hispana; Hispanorum enim præcipue interest id scire.*

tolluntur per præsens Decretum Inquisitionis generalis Hispaniæ.

DON FRANCISCO JUDICE

Per la divina Misericordia, presbytero Cardenal del titulo de santa Sabina, arcobispo de Monreal, Protector del Reyno de Sicilia, Inquisidor General en todos los Reynos, y Segnorios de su Magestad, y de su Consejo de Estado etc.

C AViendose visto y considerado con todo estudio y reflession las Obras del Padre Godofrido Henschenio y Daniel Papebrochio, de la Campanhia de Jesus, interveniendo para su expurgacion personas de literatura e integridad, con nombramiento de los segnores Inquisidores Generales nuestros antecessores y nuestro: Hemos acordado levantar la prohibicion absoluta de dichas Obras, que se hizo por Edicto del Segnor Arcobispo de Valencia, Inquisidor General, de 25 del mes de Octubre del anno passado de mil seiscientos y noventa y cinco, con tal, que en el Tomo 3 de Marco, pag. 10. col. 2. num. 27. lin. penult. donde dize *Temere,* se borre esta palabra, y en su lugar se ponga *facile.* Y en el Propileo de Mayo Tom. 8. in Apparatu, fol. 29. n. 16. col. 2. lin. 1. se borren las palabras, *sed perfunctorio prorsus ratiocinio.* En el mismo Tomo 8. y Apparatu, fol. 33. col. 1. § 5. n. 27. lin. 6. se borre la palabra *Temere,* y en su lugar se ponga *Facile.* En dicho Tomo 8. del Propileo de Mayo se prohibe todo el Tratado, que se intitula, *Conatus Chronici Historici ad Catalogum Romanorum Pontificum pars secunda a Gelasio Papa II. ad Sanctum D. N. Innocentio XI.* En el Tom. 3. de Marco, fol. 10. col. 2. n. 27. lin. 6. se borre la palabra *Temere,* y en su lugar se ponga *Facile,* En el Tom. 1. de Abril, fol. 893. en la Dissertacion, que se intitula, *Appendix de Officio Venerabilis Sacramenti,* en que niega, que santo Thomas compuso el Officio del Corpus; se ponga al margen la nota de averse retratado Papebrochio deste sentir. En el mismo Tomo 1. de Abril, fol. 772. col. 2. n. 38. en que niega, que san Alberto Patriarca de Jerusalem, huviesse tenido culto entre los Canonigos de su Iglesia; se ponga al margen la nota, que el Autor se retrato de esta opinion. En el Tomo 1. de Mayo, fol. 250. num. 381. se borre desde la palabra *Hanc vitam, quam periisse credebat Baronius,* hasta el fin del numero. En el tomo 2. de Mayo fol. 459. col. 1. num. 2. despues de la palabra *Martyrem dici,* se annada immediatamente *Minus proprie.* En el Tomo 2. de Mayo, fol. 625. col. 1. num. 1. en que habla del Arcobispo Senonense, se ponga al margen la nota, de que el F

Auctor

A Autor se retrato de lo que dize en orden ha aver sido sospechoso en la Fe, y Jansenista. En el Tomo 7. de Mayo, fol. 8. *del Paralipomena addendorum*, col. 2. num. 35. se borre desde la palabras *non sine apocryphis*, hasta el fin del numero. Y para que conste, mandamos despachar el presente Edicto, firmado de nuestro nombre, sellado con nuestro Sello, y refrendado del infraescripto Secretario del Rey nuestro Segnor, y de su Consejo de la Santa y General Inquisicion. Dado en Madrid a veinte de Diziembre de mil setecientos y quinze annos. D

COMMENTARIUS

DE BASILICA S. PETRI APOSTOLI

ANTIQUA IN VATICANO

EJUSQUE SIGILLATIM ALTARIBUS

C. J.

Præmittuntur opuscula duo, eodem spectantia, hactenus non edita,

PETRI MANLII ET MAPHÆI VEGII

PRÆFATIO

B

An codex impressus Romani Canonici

Cœperam pridem colligere Commentarium de Basilica S. Petri Apostolorum Principis antiqua, per Constantinum Magnum ædificata Romæ in Vaticano; ac sigillatim de altaribus, variis deinde temporibus ibi Deo in honorem Sanctorum ejus erectis atque ornatis. In his frequenter usus fui* Descriptione Basilicæ veteris Vaticanæ, auctore Romano, ejusdem Basilicæ Canonico, *edita Romæ anno* MDCXLVI. *a Reverendissimo viro Paulo de Angelis, cum ejusdem Notis qualibuscumque; in quibus Editor Auctorem passim nominat* Romanum canonicum, *non appellativo aut gentili nomine* Romanum, *sed proprio. Dum vero alios quosque scriptores, de eadem basilica tractantes, lustrabam, comperi sæpius citari Codicem MS. de illo ipso argumento sub nomine* Petri Manllii, *aliis* Manlii, *qui etiam ipse indicabatur canonicus basilicæ Vaticanæ fuisse. Hæsitabam dubius, idemne* Romanus *et* Petrus Manlius *forent, ac utriusque codex, idem an diversus. Contuli citatos descriptosque ab auctoribus ex Manlio textus, cum editis a Paulo de Angelis; et observavi, plerosque totidem verbis utrobique legi. Nondum tamen judicare potui, codices illos per omnia similes esse et unius Auctoris.*

C

et Petri Manlii MS.

2 *Accurri igitur per litteras Romam ad amicum meum virum eruditum, rerumque nostrorum studiosum, Justum Fontaninum, Eminentiss. Cardinalis Imperialis Bibliothecarium; qui primis litteris suis ad propositam a me quæstionem non satis certa respondebat. At mox superaddidit alteras, quibus conceptus meos de unico Auctore, non vanos fuisse ostendit, in hæc verba scribens:* Vixdum postremam epistolam ad te miseram, cum incidi in exemplar Canonici Romani de basilica Vaticana, quod olim fuerat Felicis Contelorii, scriptis editis satis conspicui. Is autem in fronte libri (quem nunc possidet D. Martorellus, celebris hic in Urbe Jurisconsultus hæc manu sua adnotaverat :) Hic liber non est Romani, sed Petri Mallii, in cujus principio desideratur epistola seu præfatio ad Alexandrum III Papam.) Apparet insuper ex variis Notis marginalibus, idem exemplar a Contelorio diligenter collatum fuisse cum codice MS. Petri Mallii. Qua de re operæ pretium duxi te statim admonere, ne pro duobus auctoribus Romanum et Mallium accipias : quemadmodum ego quoque putaveram accipiendos, dum unum tamquam ab alio diversum tibi indicavi. *Hæc Fontaninus.*

3 *Sed salva ejus pace necdum satis secure acquiescebam : quia responsurus esset, si viveret, Paulus de Angelis, quod suo tempore respondit aliis, ei objicientibus sui Romani canonici Historiam fuisse opus Petri Manlii, basilicæ Vaticanæ canonici, qui vixit tempore Eugenii PP. III, illudque dedicavit Alexandro, item Papæ III. qui assumptus fuit ad summum Pontificatum anno* MCLIX. *His enim ad calcem editi a se codicis respondens Paulus, ita scribit :* Nos autem dicimus, hanc Historiam fuisse scriptam a Canonico Romano, qui tempore Cœlestini III floruit, ipsomet in hæc verba attestante (Ego presbyter Romanus hujus sacrosanctæ basilicæ canonicus, scribo ad posteritatis memoriam.) In fine autem capituli hæc habet (Sic vidi tempore Domini Cœlestini III Papæ fieri; sic etiam secundo anno ejusdem Pontificis, Indictione decima, mensis Martii die XXX. quæ fuit tunc Feria secunda ante Pascha.) *Tum pergit De Angelis et concludit:* Creatus autem fuit Cœlestinus III, anno MCXCI. Itaque maxima differentia est inter scriptionem Romani et Mallii, qui suam Historiam, Alexandro III dicatam, scripsit circa annum MCLIX. At Romanus suam, ut ipse fatetur, ad posteritatis memoriam exaravit tempore Cœlestini III, currente anno MCXCI..... Ut nihil sit certius, quam historiam hanc, *quam edebat Paulus*, non esse Petri Mallii, quod quidam falso existimant; sed canonici Romani; quod nos vere asserimus. Et hoc satis est.

E

ejusdem auctoris sint,

F

4 *Verba hæc Editoris plane sunt confidentiæ plena, jubentque opinari, ipsum, exemplar sui Romani cum codice MS. Manlii, qui Romæ existit, ac passim ab aliis ibi scribentibus citatur, contulisse. Si id fecit diligenter, et singula utriusque scriptoris capitula attente contulerit; mirum, quod manserit in eadem opinione, opusculum suum Romani, quod impressit, non esse Petri Manlii. Nihil interea judicare ego de illo argumento volui aut potui prudenter, quamdiu solum Romanum impressum præ oculis habui, in contradictione tot scriptorum, Manlium pro auctore citantium.*

an. diversorum.

Accepto Parisiis codice MS. Manlii,

5 *Accidit casu, ut inciderem, in Programma, quod olim Labbeus noster vulgavit Parisiis, enumerans in illo Scriptores, quos tomo tertio Novæ bibliothecæ suæ librorum MSS. editurus esset; et in illis recensetur opera Petri Manlii et Maphæi Vegii de ecclesia Vaticana. Cœpit imprimi tomus ille, sed vix cœperat, cum steterunt præla, nescio cur. Inquisivi igitur apud P. Harduinum bibliothecarium Collegii Claromontani, ut, si superessent codices duo prædicti, ad me mittere vellet,*

A *let, iis in re præsenti usurum; misitque non multo post gratiosissime.*

collatoque cum Romano impresso;

6 *Nactus Manlii codicem MS. contuli cum impressa a Paulo de Angelis editione Romani canonici, ac facile deprehendi, ubi aqua hæreret, et cur Paulus induxerit in animum credere, totum opusculum, quod imprimebat, esse Romani canonici; hujusque nomen in fronte præfixerit. Legerat nempe pag. sua 5. sub hoc titulo,* Quod in B. Petri Basilica tantum vigilantur Pallia, quæ Dominus Papa mittit archiepicopis, *in medio capituli hæc verba, quæ ipsemet supra etiam pro parte citavit :* Qualiter debemus pannos laneos, unde fiunt Pontificalia, ad B. Petri corpus vigilare, sicut vidi ego presbyter Romanus hujus sacrosanctæ basilicæ canonicus, ad posteritatis memoriam scribo. Acceptis de altari faculis, *etc. Et finita narratione, superaddit;* Sic vidi tempore Domini Cœlestini III Papæ fieri. Sic scio factum per Socios et Dominos meos tempore Domini Clementis III Papæ. Sic etiam in secundo anno ejusdem Pontificis, *videlicet Cœlestini,* Indictione decima, mensis Martii die XXX, quæ fuit tunc Feria secunda ante Pascha. *Notant hæc annum Christi vulgaris æræ* MCXCII. *quamquam annus secundus Cœlestini tunc, die* XXX *Martii, nondum erat proprie loquendo inchoatus, utpote electi anno* B MCXCI. *die* XIV. *Aprilis. Ex quo concluditur, Scriptorem illum annos Cœlestini numerare non a die electionis suæ, sed ab obitu decessoris Clementis III, qui incidit in diem* XXV *Martii. Sed hæc ad rem præsentem non magnopere faciunt : satis est constare e textu, auctorem ejus scripsisse illa anno* MCXCII.

dignoscitur, Manlium vere auctorem esse,

7 *Fatetur id quodque Editor Paulus, et totius operis Auctorem ex eodem hoc textu Romanum Canonicum facit. Sed debuisset simul considerasse, auctorem Codicis paulo post in sua ipsius editione pag.* 15, *dicere, se cum aliis Canonicis* tempore Domini Eugenii III Papæ, ejus præcepto erexisse ibi altare. *Ac rursum pag.* 17 *sic loqui :* In quo etiam sepulcro, *Gregorii III Papæ,* desuper recondimus venerabile corpus Domini Eugenii III Papæ octavo Idus Julii ; et fecimus ei sepulcrum ex diversis lapidibus. *Uterque textus invenietur in hac nostra editione n.* 1 *et* 12. *Creatus fuit Papa Eugenius III anno* MCXLV *obiit vero* MCLIII. *Hoc igitur Pontifice vivente, auctor iste fuit Canonicus basilicæ Vaticanæ, et mortuum sepelivit, sepulcrumque ejus ornavit : ut facile credi non possit, illum exinde supervixisse usque ad annum* MCXCII *et tunc scripsisse* C *historiam suam, eumdemque esse cum Romano canonico, qui se fatetur anno demum* MCXCII. *sua scripsisse ; atque innuit, se tunc non diu canonicum fuisse, dum ait se* vidisse, *tamquam canonicum, quæ a canonicis fieri narraverat tempore Cœlestini, quæ autem eadem in re a canonicis facta fuerant sub decessore Cœlestini Clemente, non ait se* vidisse, *sed* scivisse per socios et Dominos suos, *videlicet canonicos, qui sub Clemente sacras cæremonias illas ex officio obierant.*

cum ex ipsiusmet verbi,

cum ex differentia temporis, quo uterque scripsit,

8 *Hinc, et ex longo temporis intervallo, quod intercessit inter utrumque Auctorem citatum (Alter enim se declarat Canonicum fuisse tempore Eugenii III. alter vero, se etiam Canonicum, scripsisse tempore Cœlestini III, intercurrentibus a morte unius ad creationem alterius Pontificis annis triginta octo) censeri vix potest, illos unum eumdemque esse. Adde quod Codex, quem de Angelis in sua ad lectorem Præfatione ait, a se Messanæ repertum esse, caruerit inscriptione seu dedicatione Auctoris. Unde in ejus nomen inquirens, et toto opusculo aliud non inveniens velut auctoris, quam* Romani canonici *uno quem citavi loco (quamquam in memorata Præfatione fateatur, parum conformiter loquens Opusculum* Eugenii III Pontificis tempore editum *fuisse) illud præpropere assumpsit, et in frontispicio suæ editionis præfixit tamquam veri Auctoris totius opusculi.* D

Romanum vero interpolasse nonnulla.

9 *Veritas ita se habet. Auctor opusculi censeri debet atque est Petrus Manlius, basilicæ Vaticanæ S. Petri jam tum canonicus, quando Eugenius III. præsidebat Apostolicæ Sedi, ipsumque dedicavit Alexandro III Papæ, anno* MCLIX *creato ; diu ante quam Romanus Pauli de Angelis canonicus basilicæ Vaticanæ, ibi canonicus fuerit. Et ne locus dubitandi relinquatur, comperi ex collatione Manlii nostri MS. cum Codice Pauli de Angelis impresso, totum illum textum, ex quo solo Paulus, Romanum canonicum totius opusculi auctorem fuisse concepit, deesse in Manlio MS. Uti nonnulla alia, quæ ex impresso Romano curavimus Manlio addenda, nequid desideretur in hac editione, sed hisce signis [] inclusa, ut a textu Auctoris nostri discernantur ; et manifestius dignoscantur post editum Manlium adjecta esse, ab illo utique, qui in primo additamento narrans quæ vidit suo tempore in basilica Vaticana fieri, se ipsum vocat* Romanum Canonicum, *quod plane nihil attinebat ipsum facere, si totius operis fuisset auctor, et non interpolator tantum. Sunt tamen nonnulla, uno, alterove aut pauculis verbis constantia, prædictis signis dispertita ; non quod addita ab interpolatore fuerint; sed quod rectius legebantur in impresso, quam in MS.* E

Dedicatio et ordo operis.

10 *Tota dedicatio Operis ad Alexandrum PP. III desideratur in editione Pauli, unde facile ei fuit hallucinari in nomine veri auctoris : præfigitur autem tota in MS. sub nomine proprii Auctoris, hoc titulo :* Præfatio Petri Mallii in opusculum historiæ sacræ ad beatissimum Patrem Alexandrum III Pont. Max. *Ita formatur nomen Auctoris* Mallius *in MS. quod alii, et nos quoque in hac Præfatione nostra maluimus* Manlius *scribere, quia latinius videtur et originale. Ordo utriusque codicis non ubique idem est, præsertim versus finem, præpositis in uno, quæ in altero postponuntur; additis etiam utrobique nonnullis, quæ in altero plane desiderantur; de quibus suis locis lector monebitur inter annotata. Sequimur in hac editione Manlii, ordinem codicis MS. Et titulos Capitulorum ejus, subinde brevium, e medio transferimus ad marginem totidem verbis, quot scripti fuerunt, sed litteris Romanis, ut distinguantur ab additionibus nostris, quæ Italico charactere formantur. Capita, quæ in hac editione nostra totum Opusculum dividunt, eorumque titulos, e nostro genio addidimus, ut ordinatior et æqualior operis totius divisio fieret, quam est in codice MS. atque etiam in impresso.*

An catalogus Pontificum in fine codicis etiam Manlii sit.

11 *Inter illa autem, quæ ab altero codice absunt, in altero insunt, reperiuntur in MS. nostro textus duo longiusculi, alter de Stationibus per anni circulum, a num.* 140, *alter de Pontificibus Romanis eorumque successione, a n.* 167, *usque ad finem codicis. De priori textu Stationum, nihil habeo cur suspicer, Manlii non esse ; cum alia sequantur, quæ ipsi abjudicari non possunt, quia etiam in impresso leguntur. Est cur suspicer, textum secundum de successione Pontificum Romanorum posse alterius esse Collectoris. Certe integer, ut jacet, Manlii non est : quia extendit se ad sesqui seculum ultra Manlii ætatem ; desinens in Benedicto XI ex ordine Prædicatorum assumpto anno* MCCCIII. *Si quis velit Manlii esse, usque ad Alexandrum PP. III cujus tempore certo vixit : et reliqua ad Benedicti XI pontificatum ab alio deinde sub finem codicis adjuncta fuisse, non refragor. Utut est, dabo totum Catalogum ut in eodem codice extat, nequid ejus lectores defraudem. Suum de illo cuique judicium et usus, quem velit, esto. Atque hæc de codice MS. Petri Manlii. Subsequetur codex item MS. Maphæi Vegii de eodem argumento, in quem si quid animadvertendum veniat, notabimus in principio ejus.* F

PETRI

D

PETRI MALLII

IN OPUSCULUM HISTORIÆ SACRÆ

AD BEATISSIMUM PATREM

ALEXANDRUM III PONT. MAX.

PRÆFATIO AUCTORIS

Sanctæ et Apostolicæ Sedis Alexandro *a*, Dei gratia summo Pontifici et universali Papæ, Petrus Mallius, sola Dei pietate beati Petri basilicæ presbyter qualiscumque, libellum ex archivo ejusdem sacrosanctæ basilicæ compilatum.

Licet hæc quæ sequuntur in sanctorum libro Pontificum et in eorum quoque sepulcris plenissime scripta reperiantur; quia tamen Dominis et fratribus meis idoneum et utile visum est, hæc me breviter in unum colligere, ut
B ad quorumlibet notitiam facilius pervenirent; quod fraterna mihi charitas imperavit, fideliter adimplere proposui. Non quod ingenii vires mihi suppeterent, sed quia me ad hoc illa virtus obedientiæ provocaret, quæ [sicut venerando Samuelis testimonio dicitur] holocaustis et victimis antefertur. Et quidem sæpe corporis in me perpendens invaletudinem, et scientiæ considerans parvitatem, diu diffidendo factus sum ut homo non audiens, dum me ad hoc opus sufficere non viderem.

2 Sed quia, teste Apostolo, dilectio proximi plenitudo est legis, fraternæ dilectionis auctoritate compulsus, percepi confidentiam injunctorum; ne occasione meæ invaletudinis arbitrium propriæ sequerer voluntatis, et ita cum apostata Angelo et vetere homine, non Christi, sed proprio placendo
b sensui, sortitus essem (locum *b*;) factusque ut membrum corporis absque capite, lucis ac vitæ participatione carerem. Quoniam igitur Deus dissipat ossa hominum sibi placentium; duxi non in hoc mihi, sed charitati, quæ Deus est, potius complacendum; quatenus opus, ad Apostolatus vestri judicium perventurum, tanto benigniorem in se reddat ves-
C træ majestatis intuitum? quanto de purioris intentionis fonte primum apparuit derivatum. Suscipite itaque, Pater sanctissime, suscipite a me famulatum hujus opusculi, vestro ad divinam gloriam nomini dedicati. Ut de hoc nulli restet aliud sentiendum, nisi quod probabitur ex vestri beneplaciti
c significatione firmatum *c*.

ANNOTATA.

a *Obtinuit Sedem Pontificiam Alexander PP. III, ab anno* 1159 *ad* 81, *annorum fere viginti duorum Pontifex.*

b *Deficit hic quidpiam in codice nostro MS. Supplevi per* τὸ locum.

c *Et hæc quidem Præfatio abest ab impresso Pauli de Angelis, ut jam monuimus.*

HISTORIA

CAPUT I.

De sanctorum Petri et Pauli Apostolorum corporibus, Basilicis, harum dedicatione et excellentia.

Sicut itaque in libro pontificali scriptum inveni, beatus Cornelius rogatus a quadam matrona, nomine Lucina, corpora sanctorum Apostolorum Petri et Pauli de Catecumbis noctu levavit: et primum quidem corpus beati Pauli Apostoli prædicta Lucina in prædio suo posuit via Hostiensi, ad latus ubi decollatus est: beati vero Petri Apostoli corpus accepit beatus Cornelius Papa, et cum magna devotione et reverentia posuit illud prope locum ubi crucifixus est, inter corpora sanctorum episcoporum; in templo scilicet Apollinis in monte Aureo in Vaticano palatii Neronis.

A quo et quomodo corpora Apostolorum Petri et Pauli de Catecumbis levata sunt.

E

4 Postea vero tempore beati Silvestri Papæ Constantinus Christianissimus imperator rogatu ejusdem sanctissimi Pontificis, cum magna devotione et diligentia (ut res ipsa docet) fecit ecclesiam beato Petro Apostolorum principi ante templum Apollinis (in Vaticano.) Cujus fundamentum ipse Imperator prius fodit et asportavit inde duodecim cophinos ad honorem duodecim Apostolorum; cujus venerabile corpus una cum beato Silvestro Papa ita recondidit. Loculum argenteum, continentem sanctissimum corpus, omni parte ex ære et cupro *a* conclusit, quod est immobile, ad caput, pedes quinque; a
ad pedes, (pedes) quinque; (ad dextrum, pedes quinque *b*;) ad sinistrum, pedes quinque; subtus, b
pedes quinque; super pedes quinque.

A quo basilica beati Petri ædificata et dedicata sit

5 Sic inclusit corpus beati Petri et Pauli; et exornavit superius altare ejus, et arcam ex auro
fulvo, et fecit cyburrium *c* ex columnis porphireti- c
cis, et auro mundissimo; posuitque ibi ante vene- F
rabile altare ejus, ad ornatum ejusdem basilicæ,
duodecim columnas vitineas *d*, quas de Græcia d
portari fecit, quæ fuerunt de templo Apollinis Troiæ
e. Posuit et super corpus beati Petri crucem ex e
auro puro, habentem centum quinquaginta libras auri, in qua est scriptum: Constantinus Augustus,
et Helena Augusta *f*. Fecit et basilicam beato Paulo f
Apostolo via Hostiensi et recondidit corpus ejus sicut corpus beati Petri in ære et cupro. Quas itaque basilicas beatus Silvester Papa una die (quia una die coronati sunt) ad honorem Jesu Christi filii Dei vivi, et ejus Genitricis, et beatorum principum Apostolorum Petri et Pauli, solenniter consecravit, convocatis episcopis et sacerdotibus et turbis fidelium per universum orbem.

6 Et quia solennitas maxima est, maximam remissionem (Apostolica) prudentia omnibus ad eam devote venientibus condonavit. (Quæ videlicet remissio, Apostolica providentia sic tripartita distinguitur, ut Romanis et circumjacentibus, unius anni Tuscis, Lombardis et Apulis, et ceteris mare non transeuntibus, duorum annorum; sed et his qui maria transmeare noscuntur trium annorum maneat remissio peccatorum. Similis eademque remissio facta probatur in hac beati Petri basilica, in Cœna

De remissione dedicationis basilicæ beati Petri.

A Cœna Domini, quando consecratur ibi sanctum Chrisma; in Ascensione Domini similiter.)

Quod in B. Petri basilica tantum vigilantur pallia quæ Dominus Papa mittit archiepiscopis,

7 Quoniam hæc sancta Dei et beati Petri basilica est fundamentum et caput omnium ecclesiarum (dicente Domino beato Petro, Tu es Petrus et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, et, tu vocaberis Cephas; id est caput) Quadam prærogativa in ea tantum vigilantur pallia, quæ Romanus Pontifex mittit patriarchis et archiepiscopis, per universum orbem constitutis; et inde est, quod legatus sanctæ Romanæ Ecclesiæ dicit: Accipe pallium, de corpore beati Petri sumptum, in plenitudinem officii tui. Itaque cum vigilamus pallia, facimus solemnes vigilias in Confessione beati Petri cantantes vigilias, quas consuevimus cantare in festis ejusdem Apostoli, et de antiqua consuetudine habemus de Confessione ad bibendum abundanter optimum claretum *g*.

8 (Qualiter debemus pannos laneos, unde fiunt Pontificalia, ad beati Petri corpus vigilare *h*. Sicut vidi ego presbyter Romanus *i*, hujus sacrosanctæ basilicæ canonicus, ad posteritatis memoriam scribo. Acceptis de altari faculis et cereis ad lectiones et orationes Vigiliarum, nec non incenso, circa sero
B conveniunt canonici ad altare S. Leonis Papæ; et presbyter Hebdomadarius accipit ipsos pannos complicatos et involutos in sindone, præcedentibusque tam mansionariis cum incenso et faculis accensis, quam canonicis, intrat ad corpus beati Petri, et ponit eos supra altare, et faculæ ante altare ponuntur. Tunc chorus, cujus est cantus, incipit antiphonam; Si diligis me Simon Petre, et reliqua cum suis psalmis, Versic. Tu es pastor ovium. Tres lectiones leguntur in libro stationali: Petrus et Joannes ascendebant in templum. Et cantatis duobus Responsoriis, quæ volvuntur de S. Petro; deinde sequitur Te decet laus; et oratio, Deus qui beato Petro Apostolo tuo collatis clavibus. Sic reportantur sicut allata fuerunt. Si altero die cantatur Missa super majori altari, ponantur ibi; et post completam Missam tollantur. Sin autem, reddantur Misso Domini Papæ: et dantur canonicis, quoties has Vigilias celebrant, tres solidi Proviniensès *k* pro clareto: faculæ vero Camerario canonicorum remanent, quæ de altari communi cum cereis et incenso Proviniensibus dantur. Sic vidi tempore Domini Cœlestini III. Papæ *l* fieri; sic scio factum per socios et Dominos meos tempore Domini Clementis III. Papæ *m*: sic etiam in secundo anno ejusdem
C *n* Pontificis; Indictione decima, mensis Martii die xxx, quæ fuit tunc Feria secunda ante Pascha.)

De excellentia hujus basilicæ.

9 Quia igitur totus orbis terrarum huic sanctissimæ Dei et beati Petri Apostoli basilicæ, cui Christus commisit oves suas, dicens: Pasce oves meas; et, Tu vocaberis Cephas; debitæ subjectionis exhibet obsequium; multi ex diversis mundi partibus ob reverentiam ejusdem Apostoli hic conveniunt oratores, in tantum siquidem, quod multoties vix ad altare possumus accedere, quibus nescientibus, vel ignorantibus quot et quam pretiosæ reliquiæ in hac sancta (beati Petri) basilica requiescunt, per istarum litterarum insinuationem cognitum esse volumus. Saltem quando hic conveniunt ad exorandum Dei filium Dominum nostrum Jesum Christum et ejus beatam genitricem semper virginem Mariam et sanctos Apostolos Christi, et alios sanctos et sanctas pro remissione peccatorum suorum: pro societate supernorum civium et sanctarum animarum, eos devote exorent.

ANNOTATA.

a *Impressus codex,* cypro, *tum hic, tum alibi. Eodem redit, seu* cuprum *seu* cyprum *legas. Metallum est in Cypro insula primitus inventum. Unde Plinio* æs cyprium, *aliis* cyprinum: *et Spartiano,* ex ære et cupro cancelli. D

b *Hi duo loci () per socordiam librarii, ut patet, desunt; sunt in impresso et apud Anastasium in Sylvestro Papa.*

c *In impresso rectius,* ciborium; *uti aliis quoque passim scribitur.*

d *Sic etiam Anastasius, Impr. cod.* Vittineas.

e *Cod. impressus,* Trogæ.

f *Legebatur absque interpunctione* Constantinus Augustus et Helena Augusta fecit. *Et pejus in cod. impresso...* Augusta fecerunt. *Patet ex contextu, τὸ* fecit *præmissa interpunctione ad sequentia referendum esse, ut probus sit sensus. Eodem modo apud Anastasium in Silvestro, locus iste legendus erit prout hic adscribo; alioquin uti nunc quidem est, non intelligibilis;* Constantinus Augustus et Helena Augusta. Hanc domum regali simili fulgore coruscans aula circumdat.

g Claretum, *vinum melle et aromatibus conditum aut decoctum,* Aromatites.

h *Quamvis hac continua serie impressa sint a Paulo de Angelis editore; credidero tamen, huc usque pro titulo debere reputari, et hinc initium narrationis duci.* E

i *Hinc videri potest de Angelis auctorem operis quod edidit, baptizasse* Romanum *nomine proprio, cum appellativum sumi possit a patria aut presbyteratu Romano.*

k *Monetæ genus, Italis scriptoribus passim,* solidus Provisinus *aut* Provisinorum. *Cangius in Glossario reducit ad monetam* Pruvinensem, *quam ait, Comitum Campaniæ Gallicæ fuisse, sic dictam, quod* in oppido Pruvinensi *dictæ Campaniæ* cuderetur, *Sit ita. Sed quod* Provisina *moneta seu* Provisinorum *in Italia inde appelletur, non tam facile assentior. Malim opinari, a* provisionibus *seu redditibus ecclesiarum aut altarium, quibus ecclesiastici inserviebant, et pro sua quisque opera stipendium accipiebant, derivatum nomen fuisse.*

l *Creatus fuit Cœlestinus ille anno* 1191. *mense Aprili.*

m *Clemens decessor fuit Cœlestini, mortuus post triennii pontificatum anno eodem* 1191. *in Martio.*

n Ejusdem Pontificis, *referendum non est ad proxime nominatum Clementem, sed ad Cœlestinum, cujus annus secundus in decima Indictione cœpit anno* 1192; *attamen die trigesima Martii, quæ tunc vere incidit in Feriam secundam ante Pascha, nondum inchoatus erat annus Cœlestini secundus; ut hujus pontificatum non a creatione ejus, sed ab obitu decessoris videatur computasse scriptor.* F

CAPUT II.

Altaria, oratoria, reliquiæ, et dona variorum.

Sunt itaque in hac sancta Dei et beati Petri Apostoli basilica, præter sanctissimum altare ejus, in quo ipse requiescit, quorumdam Sanctorum altaria, vel potius oratoria, quorum ista sunt nomina. In choro canonicorum est altare vel potius oratorium beatæ Mariæ matris Domini nostri Jesu Christi, in quo (oratorio) beatæ recordationis Gregorius Papa III, recondidit in honorem Salvatoris sanctæque ejus genitricis, reliquias sanctorum Apostolorum et multorum sanctorum martyrum ac confessorum, perfectorum justorum, toto orbe terrarum requiescentium: inter quas, ut a majoribus nostris accepimus, recondidit corpus S. Gabinii presbyteri, cujus altare mansit ibi usque ad tempora nostra.

De Sanctis qui in beati Petri basilica requiescunt

Altare B. Mariæ.

corpus S. Gabinii presb.

A 11 Nam tempore Domini Eugenii III. Papæ, quando ejus præcepto ereximus ibi istud altare, duo altaria ibi erant : altare videlicet S. Gabinii presbyteri, ad quod Sardinia et Corsica tributum annualiter mittebant, et altare beatæ Mariæ semper virginis, quod prænominatus Dominus Gregorius Papa III. fecerat et consecraverat : sub quibus altaribus invenimus tres sepulturas ferro et plumbo optime ligatas; quæ etiam altaria cancellis æreis circumdedit. In quo etiam oratorio imaginem beatæ Mariæ semper virginis, filium amplexantis, posuit. Super quam imaginem fecimus loculum, (tempore Domini Alexandri tertii Papæ); in quo honorifice cum Romano clero posuimus dextrum armum beati Stephani protomartyris, quod Dominus Pelagius Papa huic basilicæ donavit; sicut in translatione ejus. de Constantinopoli Romam facta habetur.

In quo loco requiescit Gregorius III Papa.

12 Hic itaque sanctissimus Papa Gregorius III. requiescit in loco illo, ubi modo felicis memoriæ beatus Eugenius III. Papa requiescit : ubi etiam ad honorem ejusdem Gregorii fuit erectus arcus, optimo mosibo depictus, et permansit ille arcus usque ad tempora Domini Eugenii III. Papæ; de quo habemus in epitaphio ejus hunc versum.

B Tertius hic Papa Gregorius est tumulatus. In quo etiam sepulcro desuper recondidimus venerabile corpus Domini Eugenii III. Papæ, VIII. Idus Julii; et fecimus ei sepulcrum ex diversis lapidibus. Requiescit etiam eodem sepulcro (ut audivimus) Petrus diaconus beati Gregorii I. Papæ, ad quem fecit librum Dialogorum.

De beato Eugenio Papa.
* *Cod. Impr.* serantasmum

13 Hic sanctissimus præsul Eugenius III. quando celebravit primam Missam in Ecclesia beati Petri, obtulit super venerabile ejus altare optimum saratasmum * ad altaris ornatum, et pastorale ornamentum : et semper cum veniebat celebrare solemnia Missarum in hanc sanctam Dei et beati Petri basilicam, non vacua manu veniebat, sed satis devote offerebat, vel vestem super altare, vel optimam Casisam *a*, vel aliud papale donum. Condidit quoque privilegium. in quo concessit canonicis hujus venerabilis basilicæ quartam partem totius oblationis, quæ venit in ecclesia beati Petri, præter oblationem S. Leonis IX. Papæ.

Adriani 4,

14 Juxta sepulcrum Domini Eugenii requiescit bonæ recordationis Dominus Adrianus IV. Papa in optima conca. Hic benignissimus præsul donavit C canonicis hujus venerabilis basilicæ castrum Valeranum in perpetuum, in episcopatu civitatis Castellanæ positum. Condidit et privilegium canonicorum de confirmatione Confessionis : nec non et privilegium de libertate omnium nostrarum ecclesiarum, tam in urbe, quam extra urbem positarum. Hic sanctissimus Papa semper cum veniebat celebrare Missam ad S. Petrum, offerebat super venerabile altare ejus, vel optimum pallium ad ornatum altaris, vel candelabra argentea, vel aliud papale donum. Ante ejus sepulcrum invenimus duo corpora hominum in Christo quiescentium, quorum nomina Deus scit.

Silvestri,

15 Juxta sepulcrum domini Adriani (quarti) est altare S. Silvestri Papæ, in quo (sicut accepimus) brachium ejus est reconditum. Requiescit etiam ibidem Vigilius Papa, sicut a majoribus nostris accepimus, et etiam in pariete scriptum invenimus.

Mauritii,

16 Juxta hoc altare per directum est altare S. Mauritii martyris, ad quod scilicet altare de antiqua consuetudine Romanorum imperator a Dominis episcopis cardinalibus benedicitur et ungitur, ad altare vero majus beati Petri a Domino Papa benedicitur et coronatur, et de sacrosancto altari ejus, per manus Romani Pontificis, ad defendendam Ecclesiam, gladium accipit.

17 Ante altare S. Mauritii juxta aditum, qui D vadit ad S. Martinum post S. Petrum, est oratorium *Leonis 4,* S. Leonis IV. Papæ; in quo (sicut sæpe accepimus a majoribus nostris, videlicet presbytero Cencio priore, et Domino Petro Christiano) sanctæ recordationis Paschalis II. Papa, corpus beati Leonis Papæ I. et II. et III. et IV. recondidit; sicut etiam multi nostrorum viderunt. Hic videlicet Leo papa IV. in monachali proposito vixit longo tempore in monasterio S. Martini post sanctum Petrum, ad servitium ejusdem Apostoli. At hinc assumptus, Presbyter Cardinalis est ordinatus de ecclesia sanctorum quatuor Coronatorum. Post non multum tempus Apostolicus factus, ecclesiam beati Petri, quæ nutriverat eum a lacte, per omnia dilexit, magnisque beneficiis honoravit.

18 Nam [optimum ciborium de argento super sacrosancto altari ejus ex columnis argenteis fieri fecit. Arcam quoque altaris intus et extra deargentavit :] et non tantum sacram B. Petri Confessionem, verum etiam frontem prædicti altari satis decenter et honorifice perornavit. Nam tabulam de auro et smalto, pensantem ducentas et sexdecim libras auri, fecit fieri, in qua vetus et novum Testamentum continebatur; et posuit etiam in fronte altaris, quam etiam et nos vidimus) Crucem quoque de auro purissimo, ex diversis gemmis, jacintis scilicet, et albis E smaragdis ornatam, miræ magnitudinis; et posuit eam juxta sanctissimum altare B. Petri parte dextra, pensantem mille libras optimi auri : et permansit ibi usque ad tempora nostra. (Fecit et imaginem Salvatoris Domini nostri Jesu Christi in throno sedentis cum duobus Angelis circa se; nec non et viginti alias imagines de argento circa eam : et posuit eas ante altare super columnas vittineas. Fecit quoque quadraginta canistra argentea, id est coronas argenteas, in quibus lampades appenderentur, a pectoribus scilicet ante altare usque ad Crucifixos. Nec non et crucem auream magnam ad altare sanctorum Apostolorum Symonis et Judæ, pensantem ducentas libras. At alia parte ecclesiæ, ad altare, videlicet sanctorum Apostolorum Philippi et Jacobi, magnam crucem de argento, pensantem ducentas libras. Portam quoque mediam tabulis argenteis totam decoravit : unde usque hodie dicitur porta Argentea; quam etiam et nos vidimus.)

19 Et præter alia bona, quæ ipse devotus obtulit beato Petro ad ornatum venerabilis ejus altaris, fecit fieri tabulam de auro et smaragdo, pensantem F ducentum sexdecim auri libras, et posuit eam in frontem altaris, quam etiam nos vidimus. Donavit etiam canonicis B. Petri castrum Buccegiam *b* de suo patrimonio. (Condidit quoque magnum privilegium carticinium (donans) canonicis in perpetuum ecclesiam Salvatoris, quæ est posita in Turrione : quam siquidem ecclesiam beatus Pontifex ad sepulturam omnium peregrinorum ultramontanorum fecerat, et ecclesiam S. Justini, positam in monte Saccorum, quam fecerat ad sepulturam omnium peregrinorum latinorum; nec non et ecclesiam S. Peregrini extra civitatem Leoninam positam, cum tenimentis suis : et ecclesiam beatæ Mariæ in Palazolo positam : et ecclesiam S. Georgii martyris, post S. Petrum positam.) Multa quoque alia, quæ in præfata B. Petri basilica idem sanctissimus Papa fecit, possumus scriptis mandare; sed non oportet, quoniam liber pontificalis manifestissime indicat. Hujus sanctissimi Papæ corpus requiescit in altari suo, quod est [sicut supra diximus] juxta aditum, qui exit foras ad S. Martinum (post S. Petrum); in quo etiam altari [ut a nostris majoribus sæpe accepimus,] quiescit Leo I. II. et III. (et IV.)

20 Juxta hoc oratorium sancti Leonis IV. Papæ *Adriani 4,*
est

A est oratorium (et fuit altare S. Adriani martyris et est sepulcrum) beatæ recordationis Domini Adriani I. Papæ, de quo habetur hoc Epitaphium.

Hic pater Ecclesiæ, Romæ decus, inclitus auctor
Adrianus requiem Papa beatus habet.
Vir cui, vita, Deus; pietas, lex; gloria, Christus;
Pastor Apostolicus, promptus ad omne bonum.
Nobilis ex magna genitus jam gente parentum,
Sed sacris longe nobilior meritis,
Exornare studens devoto pectore pastor
Semper ubique suo templa sacrata Deo.
Ecclesias donis, populos et dogmate sancto
Imbuit, et cunctis pandit ad astra viam.
Pauperibus largus, nulli pietate secundus;
Et pro plebe sacris pervigil in precibus.
Doctrinis, opibus, muris erexerat arces,
Urbs caput orbis, honos, inclita Roma, tuus.

Hic sanctissimus Præsul, præter multa alia bona, quæ fecit, donavit canonicis hujus ecclesiæ castrum Capracorum, et a novo restauravit tectum tituli S. Clementis Papæ, in regione tertia positi.

Urbani 3. 21 Juxta hujus oratorium est sepulcrum Domini Urbani II. Papæ, satis pulchrum in Vaticano. Juxta B sepulcrum Domini Urbani est oratorium beatæ Mariæ matris Domini, *B. Mariæ.* quod construi fecit Paulus I. Papa, cujus parietes optimo mosibo ex diversis metallis depinxit; ubi et effigiem sanctæ Dei Genitricis in statu ex argento deaurato depinxit. In quo oratorio etiam sepulcrum sibi construxit; quod scilicet oratorium propter multa corpora sanctorum, quæ ibi sepulta sunt (et quæ ipse, sicuti in translatione sanctarum Dignæ et Eremitæ legi, de cimiteriis levans, ibi posuit) (nam Vaticanum locus ille dicitur) æneis cancellis clausit. Inde usque ad tempora nostra locum illum mulieres non intrabant.

Mors Pauli I. Papæ. 22 Hic prænominatus Papa Paulus, dum in ecclesia beati Pauli æstivo tempore (demoraretur,) præoccupatus corporali ægritudine, illic vitam finivit; ubi etiam sepultus est; illicque fere trium mensium spatio ejus funus humatum permansit. Postmodum vero congregati Romani cives, et aliæ nationes, ejus corpus per fluvium Tyberis navigio transfretantes ad beatum Petrum cum psalmodiæ honore deportaverunt, et in præfato, ab eo constructo oratorio, eum sepelierunt : super cujus sepulcrum est scriptum ; Hic requiescit Paulus Papa. Qui locus usque hodie dicitur sancta Maria in oratorio.

C *Joannis Cardinalis, c* 23 Ante hoc oratorium, beatæ Mariæ scilicet in Vaticano, est quoddam sepulcrum Joannis (Cardinalis S. Anastasiæ c) cujus epitaphium est illud ;

Clauditur hoc tumulo venerabilis ille Joannes,
Qui legis sacræ diffundere noverat annos;
Egregius doctor, verbo quæcumque docebat,
Moribus et vita, tribuens exempla, gerebat.
Hunc a canonici districto jure rigoris,
Non timor, aut lucrum, non gratia flexit amoris.
Det Deus æternus cœlorum lumine pasci :
d Cui dat Roma mori, dederat [Burgundia *d*] nasci.
Quando vir iste obiit, si vis cognoscere verum,
Septima lux Martis fuit illi meta dierum.

Processi et Martiniani 24 Ab alia parte juxta portam æneam, quæ vadit ad S. Petronillam, et ad S. Andream, est oratorium SS. Processi et Martiniani martyrum, mosibo et diversis lapidibus decoratum : quod siquidem oratorium construi fecit beatæ recordationis Paschalis Papa primus, ad eorum honorem; in quo siquidem oratorio honorifice recondidit eos in conca porphiretica, ut apparet. Et pro reverentia eorum, locum illum cancellis æneis circumdedit. Qui locus in tanta veneratione est habitus, quod usque ad nostra tempora locum illum mulieres non intrabant. Nam et in loco illo sunt sepulturæ sanctorum Pontificum. D Et deinde per directum, scilicet per porticum Pontificum, et usque ad portam Argenteam, sunt sepulturæ sanctorum Pontificum. Est etiam ibi post chorum canonicorum altare S. Martialis discipuli beati *Martialis,* Petri Apostoli.

25 Infra Palatium vero Neronis est templum Apollinis, quod nunc vocatur S. Petronilla, *Petronillæ,* in quo est reconditum corpus ejusdem Virginis, ante quod est basilica sancti Angeli, quæ vocatur Vaticanum, mirifico mosibo laqueata auro et vitro. Ideo vero *quid vocetur Vaticanum.* dicitur Vaticanum, quia vates, id est sacerdotes, antiquitus canebant ibi sua officia ante templum Apollinis, et ideo tota illa pars dextra basilicæ beati Petri, quæ vadit per porticum Pontificum et usque ad portam Argenteam, vocatur Vaticanum; ibique est aliud templum, quod fuit, vestarium Neronis, quod modo vocatur Sanctus Andreas : in cujus al- *SS. Andreæ Ap. et Lucæ Evang.* tare beatus Gregorius Papa (ut a majoribus nostris accepimus) recondidit brachium S. Andreæ apostoli et beati Lucæ evangelistæ, quæ cum magna devotione detulit Constantinopoli.

ANNOTATA.

E

a *Cod. impr.* Casulam, *Forte* Camisam *legi debet quæ est alba sacerdotalis.*
b *Cod. impr.* Buvegiam.
c *Noster hic legebat,* Joannis Papæ.
d *Item hic,* bene gaudia, *nullo sensu.*

CAPUT III.

Sepulcra Pontificum in parte dextera basilicæ, quæ meridiem respicit.

In hac dextra parte basilicæ beati Petri, scilicet in Vaticano, et per directum per porticum Pontificum, *Sepulcra summorum Pontificum in Vaticano* quæ vadit ad S. Gregorium Papam, egregium doctorem, et usque ad portam Argenteam, sunt sepulturæ sanctorum Pontificum. In quibus nimirum sepulturis (sicut in libro Pontificum et in eorum quoque sepulcris scriptum inveni, vel a majoribus nostris sæpe accepi) requiescunt isti venerabiles subscripti Pontifices, videlicet.

Lini, 27 Linus Papa et martyr. Hic ex præcepto beati Petri constituit, ut mulier in ecclesiam velato capite introiret; sepultus juxta corpus beati Petri in Vaticano; nam multa corpora sanctorum episcoporum et sanctorum virorum ob reverentiam beati Petri ibidem sepulta sunt. F

Cleti, 28 Cletus Papa et martyr. Hic tertius post Apostolum Petrum, cum rexisset ecclesiam annis XII. persecutione Domitiani martyrio coronatus est, et sepultus est in Vaticano.

Anacleti, 29 Anacletus Papa, qui fuit ordinatus presbyter a beato Petro Apostolo, et sepultus fuit in Vaticano.

Evaristi, 30 Evaristus Papa. Hic constituit septem diaconos, qui custodirent Romanum Pontificem.

Sixti, 31 Sixtus Papa et martyr, natione Romanus. Hic fuit sepultus juxta ferratam prope corpus beati Petri, ubi adhuc est arcus de mosibo, quem fecit fieri Paschalis Papa Primus.

Telesphori, 32 Telesphorus Papa et martyr. Hic constituit septem hebdomadas ante Pascha jejunium celebrari; in nocte Natalis Domini Missas celebrari, et Gloria in excelsis Deo, ante sacrificium dici.

Higini, 33 Iginus Papa et martyr. Hic composuit clerum et distribuit gradus.

Pii, 34 Pius Papa, frater beati Pastoris presbyteri. Sub hujus tempore Hermes librum scripsit, qui appellatur Pastor; quia in habitu Pastoris Angelus ei apparuit.

A *Eleuterii,* 35 Eleuterius Papa. Firmavit, ut nulla esca usualis a Christianis repudiaretur.

Victoris, 36 Victor Papa et martyr. Hic constituit, ut sanctum Pascha die Dominico celebraretur. Hi omues (sicut in Pontificali legitur) in Vaticano quiescunt.

Leonis I. 37 Leo Papa I. qui misit epistolam Flaviano episcopo de incarnatione Domini, et fecit sermones contra hæreticos. Hic jacet in altari S. Leonis IV. Papæ, sicut supradictum est.

Simplicii, 38 Simplicius Papa. Hic constituit ad S. Petrum, et ad S. Paulum, et ad S. Laurentium, et ad S. Mariam Majorem, ut per hebdomadas presbyteri cardinales, ibi manerent, propter pœnitentes et baptismum.

Gelasii, 39 Gelasius Papa I. Hic fuit amator cleri et pauperum.

Anastasii II. 40 Anastasius Papa II. Hic fecit confessionem beati Laurentii ex argento.

Hormisdæ, 41 Hormisda Papa. Hic composuit clerum et Psalmis erudivit.

Simmachi 42 Simmachus Papa. Hic fecit basilicam S. Andreæ Apostoli ad sanctum Petrum (in qua et altaria statuit, ubi plura Sanctorum corpora, sicut carmina B indicant, posuit ;) et juxta fontem oratorium sanctæ Crucis, et recondidit in ejus confessione Crucem ex auro et gemmis, ubi inclusit lignum Crucis Domini, pensans decem libras. (Posuit et super Altare ejus, ut a nostris majoribus accepimus, in columnis scilicet porfireticis, venerabilem imaginem Apostolorum Petri, et Pauli, quam beatus Silvester Papa ostenderat Constantino ad repræsentandam formam eorum, quos ante baptisma in visione viderat.) Hic basilicam S. Petri marmoribus ornavit. Cantarum pulchrum in paradiso cum pinea ænea, cum quadriporticu marmoribus et musibo fecit ; agnos et cruces et palmas decenter pinxit ; gradus construxit, et cantarum in medio cortinæ composuit ad Chrismatis unctionem in Feria secunda post Pascha.

Joannis I. 43 Joannes Papa I. Hic ob Catholicam fidem Ravennæ in custodia defunctus est martyr xv. Kalend. Junias : cujus corpus translatum est de Ravenna, et sepultum est in basilica beati Petri in Vaticano.

Felicis, 44 Felix Papa, qui fecit ecclesiam SS. Cosmæ et Damiani, et constituit, super sepulcrum martyrum Missas celebrari.

C *Bonifacii I.* 45 Bonifacius Papa I. Hic requiescit in porticu Pontificum, de quo habetur hoc epitaphium.

Atria magnifici sunt membris plena sepulcri
Sedis Apostolicæ Bonifaci præsulis almi *a*.

a *Joannis 2.* 46 Joannes Papa II. qui et Mercurius appellatus est ; de quo habetur hoc epitaphium.

Hic tumulus vatis conservat membra Joannis,
  Ordine Pontificum qui fertur jure secundus.
Licet *b* in extremis solers fidusque minister
  Claruit, et primis jure levita fuit :
Missus ad Imperium vice præsulis, extitit auctor.
  Hunc memorant Synodus, Pontificisque tomus *c*.
Cum titulis fidei vigilantia quanta regendi
  Commissas animas, ne lupus hostis oves
Carperet ammixtus, premeretve potentior unam,
  Justitiam cunctos nixus habere parem.
Providus humanis *d*, summus verusque sacerdos,
  Nil temere, atque nimis pondere cuncta gerens.

Agapiti I. 47 Agapitus Papa I. Hic sanctissimus Papa convicit Antemium Patriarcham Constantinopolitanum, duas naturas in uno Domino nostro Jesu Christo esse negantem, et in loco ejus Mennam Catholicum consecravit ; cujus corpus de Constantinopoli translatum est in loculo plumbeo, et sepultus est in basilica beati Petri Apostoli : de quo beatus Gregorius in Dialogo magna refert.

D *Pelagii I.* 48 Pelagius Papa I. Hic cœpit construere ecclesiam SS. Philippi et Jacobi. Hic sepultus est ante Secretarium beati Petri ; cujus epitaphium est istud.

Terrenum corpus claudant hæc forte sepulcra,
  Nil sancti meritis derogatura viri.
Vivit in arce poli, cœlesti luce beatus ;
  Vivit et hic cunctis per pia facta locis.
Surgere judicio certus, dextramque tenentem
  Angelica *e* partem se rapiente manu.
Virtutum numeret titulos Ecclesia Dei,
  Quos ventura ut *f* secula ferre queant.
Rector *g* Apostolicæ fidei veneranda retexit
  Dogmata, quæ clari constituere Patres.
Eloquio curans errorum schismate lapsos,
  Ut veram teneant corda placata fidem.
Sacravit multos divina lege ministros,
  Nil pretio faciens immaculata manus.
Captivos redimens, miseris succurrere promptus,
  Pauperibus numquam parta negare sibi.
Tristia participans ; læti moderator opimus ;
  Alterius gemitus credidit esse suos.

Hic requiescit Pelagius Papa, qui sedit annos IV. menses X. dies XVIII. Depositus IV. Nonas Martii.

E *Joannis III.* 49 Joannes Papa III. qui complevit ecclesiam Philippi et Jacobi, sicut habetur in hoc sequenti versu.

Pelagius cœpit ; complevit Papa Joannes.

Benedicti I 50 Benedictus Papa I. Hic sepultus est in Secretario ad sanctum Petrum.

Bonifacii 4. 51 Bonifacius Papa IV. *h* Hic requiescit in porticu Pontificum ; cujus epitaphium est istud.

Vita hominum brevis est ; certa hanc determinat [hora ;
  Sed vitæ æternæ inde *i* paritur iter ;
Quo non indecora aut rursum peritura videtur :
  Sed pulchrum atque decens jam *k* sine fine [manet.
Sic igitur quid mors stimulis agitaris iniquis ?
  Quid feris incassum, quid furibunda geris ?
Commoda nulla tibi poterunt tua facta referre,
  Nec prodesse potest impetus iste tibi.
Gregorii semper monita, atque exempla magistri,
  Vita, opere, ac dignis moribus iste sequens.
Quo hic terre reputans *l* sunt hujus maxima vota
  Mittere ad astra animam ; reddere corpus humo.
Saucia multiplici siquid nam membra dolore,
  Rursus in antiquo pulvere versa manent
Quæ conjuncta animæ stabilito in corpore surgant
  Ad vitam æternam, te pereunte magis. F
Sancta fides merito vitæ, clementia patris,
  Spem certam hanc famulos jussit habere suos.

Hic requiescit Bonifacius junior *m*, qui sedit annos VI. menses VIII. die XII. Depositus est VIII. Idus Maji *n*, imperante Domino Eraclio anno ejus secundo *o*.

ANNOTATA.

a *Monet Aringus ; hoc Epitaphium non esse Bonifacii primi ; utpote qui in Vaticano sepultus non fuit, sed esse secundi.*

b *Fortassis*, Hic et in extremis.

c *Cod. impr. habet* thronus.

d *Cod. impr.* Providus, humanus *etc.*

e *Idem Cod.* Angelicam *etc.*

f *Ita Cod. MS. Impressus legit* velut. *Forsitam pro* ut, *debet* utinam *legi.*

g *Pro* Rector, *invenitur in Cod. impr.* Doctor.

h *Habet hic Cod. impr.* Bonifacius Papa secundus, *cui subjunctum epitaphium aptari non potest. Cum ei tempus sedis, dies depositionis et imperium Heraclii, epitaphio subnotata, neutiquam conveniant. Conveniunt proprius*

A *proprius Bonifacio quarto ; quocum hic facit Manlius noster MS. Neque potest de Bonifacio* secundo *dici, quod* Gregorii, *nempe Magni,* semper monita atque exempla magistri *fuit secutus ; cum tempore prior fuerit : potest dici de Bodifacio* quarto, *qui Gregorium post Sabinianum et Bonifacium tertium, proxime secutus est.*

i *Pro* inde, *scribit cod. impr.* idem. *Baronius tomo* 9. *pag.* 907. *idem epitaphium describens ex Manlio,* deinde *fecit.*

k *Cod. impr. hic pro* jam, *legit* etc. *Atque mox pro,* Sic igitur *habet,* Dic igitur. *Et versu sequenti pro* Quid feris ; Quid fremis.

l *Ita quidem versus iste in Manlio nostro MS. Cod. impr. sic incipit,* Quo hoc terræ reputuas *etc. Quid si legatur,* Quo hunc terrere putas, sunt hujus maxima vota.

m Junior *hic dictus sit Bonifacius quartus, respectu decessoris sui Bonifacii tertii, qui proxime præcessit.*

n *Pro* Maji *habet Cod. impressus* Martii, *minus recte, uti quidem videtur.*

o *Baronius, quia observavit, mortem Bonifacii in* B anno secundo Heraclii, *aberrare a vera chronologia, substituit,* quinto.

CAPUT IV.

Sepulcrum et gesta Gregorii Magni aliorumque Pontificum.

Ubi requiescit B. Gregorius primus. Juxta hoc sepulcrum est oratorium beati Gregorii Papæ primi. Hic almificus præsul, fuit sepultus ante secretarium inter columnas porticalium, cujus epitaphium est istud.

Suscipe terra tuo corpus de corpore sumptum,
Reddere quod valeas vivificante Deo.
Spiritus astra petit; leti nil jura nocebunt,
Cui vitæ alterius, mors magis ipsa via est.
Pontificis summi (hoc) clauduntur membra sepulcro.
Qui innumeris semper vixit ubique bonis.
Esuriem dapibus superavit, frigora veste :
Atque animas monitis texit ab hoste sacris.
a (Implebatque actu quidquid sermone docebat) *a*
Esset ut exemplum, mystico verba loquens.
Ad Christum Angelo convertit pietate magistra,
Acquirens fidei agmina gente nova.
C Hic labor, hoc studium, hæc tibi cura, hoc pastor agebas,
Ut Domino offerres plurima lucra gregis.
Hisque Dei consul factus, lætare triumphis ;
Nam mercedem operum jam sine fine tenes.

Hic requiescit Gregorius Papa I, qui sedit annos XIII, Menses VI, dies X ; depositus IV Idus Martii.

Ejus statuta de celebratione Missarum, 53 Hic constituit toto orbe terrarum Missarum solennia Domini nostri Jesu Christi, sanctæque ejus Genitricis, sanctorum Apostolorum, et omnium sanctorum martyrum ac confessorum, perfectorum justorum toto orbe terrarum requiescentium, memoriam agere. Hic augmentavit prædicationem canonum fieri ; *Diesque nostros in tua pace disponas etc.* Hic constituit super corpus beati Petri et beati Pauli a Cardinalibus Missas jugiter celebrari. Hic fecit Romanum cantum et ordinavit primicerium et scholam cantorum et docuit. Ordinavit etiam stationes propter pœnitentes ; quas cum primicerio, et cantoribus, et regionariis, et acolitis, cruce stationali præcedente, faciebat. Nam aliter in Quadragesima usque ad Pascha, et aliter in Albis et in Dominicis diebus, et festivitatibus sanctorum : et statuit has antiphonas processionales in b quatuor tempora *b* cantari ; scilicet *deprecamur te, Domine ; multa sunt Domine peccata nostra ; parce, Domine, parce populo tuo.* Et in litanias majores has D alias antiphonas ; *Domine Deus noster,* et ceteras.

de assistentibus Pontifici Rom. 54 Et fecit S. Stephanum orphanotrophium, ubi primicerius et cantores manerent ; de quibus jugiter essent cum Pontifice ; et de episcopis, Cardinalibus, diaconibus, regionariis, et de acolitis, et cubiculariis, qui eum custodirent, et essent ei bonum testimonium. Et constituit, sicut beatus Papa Gelasius I ordinaverat, ut essent per regiones de diaconibus Cardinalibus, et subdiaconibus regionarii, ut si quod ecclesiasticum negotium in regione oriretur, quod diffiniri non posset, archidiacono repræsentaretur, ut ipse finem imponeret. Hic scripsit ordinem, qualiter ecclesia regeretur ; et statuit, ut quando Pontifex extra Urbem iret vel esset, archidiaconus, et archipresbyter Cardinalis, et primicerius repræsentarent vicem ejus : et fecit xenodochium S. Gregorii juxta gradus B. Petri : et constituit ibi tres cantores cum primicerio, qui jugiter officiaret *c* Missam ad altare B. Petri, indutus pluviali, et mitra, et virga ; staretque juxta altare cum II et III et IV ; et pro beneficio haberent, sicut in privilegio ejus legitur. c

et cantoribus. 55 Statuit etiam quatuor cantores ad S. Paulum, E et quatuor ad S. Mariam Majorem, et quatuor ad S. Laurentium foris muros, pro servitio Missarum Cardinalium cum beneficiis harum Ecclesiarum. Et præcepit primicerio et cantoribus, ut nullo modo deviarent ab ordine, quem ipse docuit in Romana ecclesia. Præcepit quoque, ut ad altare majus B. Petri nulla consecratio fieret nisi Romani Pontificis, et quando Dominus Pontifex facit consecrationem ibi, descendat ad S. Andream, et faciat ibi consecrationem ; qua expleta revertatur ad altare majus et expleat Missam. Et constituit quatuor diaconos Cardinales ad S. Petrum, qui legerent Evangelium ad Missam et prædicaret unusquisque in hebdomada sua. Et Cardinalis hebdomadarius similiter esset ibi propter pœnitentes, et baptismum, et propter Missas peregrinorum ad altare B. Petri. Similiter et ad S. Paulum statuit.

Privilegium Gregorii I, 56 (*d* Hic sanctissimus præsul Gregorius quantum dilexerit, et ditaverit Ecclesiam istam, in Privilegio, quod est scriptum in tabulis marmoreis, in pariete ante Ecclesiam fixis, ex parte habetur ; quod sic incipit : Dominis sanctis et beatissimis, Petro et Paulo Apostolorum Principibus, Gregorius indignus servus. Quoties laudis vestræ usibus servitura quædam, licet parva conquirimus, vestra vobis reddimus, non nostra largimur : ut hæc agentes, F non simus elati de munere, sed de salvatione securi. Nam quid umquam sine vobis nostrum est? Qui non possumus accepta reddere, nisi quoniam per vos iterum et ipsum hoc, ut redderemus, accepimus. Unde ego vester servus reducens ad animum, multum me vobis, beati Apostoli Petre et Paule, esse debitorem ; propter quod ab uberibus matris meæ, divinæ potentiæ gratia protegente, intra gremium Ecclesiæ vestræ aluistis, et ad incrementum per singulos gradus, usque ad summum apicem Sacerdotii, licet immeritum, perducere estis dignati : ideoque hoc privilegii munusculum humili interim offerre devotione prævidi. d

fundantis pro lampadibus alendis, 57 Statuo enim, et a meis successoribus servandum sine aliqua refragatione, constituo. ut loca vel prædia cum olivetis, quæ inferius describuntur, quæ pro concinnatione luminariorum vestrorum, a diversis, quibus detinebantur, recolligens, vestra vobis dicavi immutilata permanere, id est, in patrimonio Appiæ massas victoriolas. Olivetum in fundo Rumeliano in integro. Olivet. in fundo Octaviano, in integro, Massa Trabatiana. Olivet. in fundo Burregano, ut supra. Olivet. in fundo Appiano,

A piano, ut supra. Olivet. in fundo Juliano in integro: Olivet. in fundo Biviano, ut supra. Olivetum in fundo Cattiano. Olivet. in fundo Solificiano, ut supra. Olivetum in fundo Palmis, ut supra. Olivetum in fundo Sagaris, ut supra. Olivet. in fundo Marano, ut supra. Olivetum in fundo Viliano, ut supra. Olivetum in fundo Cagnano et Carbonaria, ut supra. Massa Cæsariana. Olivet. in fundo Norano ut supra. Olivet. in fundo Prisciano, et Grassiano, ut supra. Olivet. in fundo Pascurano, ut supra. Olivetum in fundo Mariniano, ut supra. Olivetum in fundo Cæsariano, ut supra. Massa Pontiana ad Ponzanum. Olivetum in fundo Pontiano, ut supra. Olivetum in fundo Casaromaniana, ut supra. Massa Stejana. Olivetum in fundo Beriano, ut supra. Olivetum in fundo Cacclano, ut supra. Olivetum in fundo Aquiliano, ut supra. Olivetum in fundo Stejano, ut supra. Olivetum in fundo Cassi, ut supra. Massa Tertiana. Olivetum in fundo Gamelliano et fundo Tortiliano, ut supra. Olivetum in fundo Casacucul, ut supra, Massa Neviana. Olivetum in fundo Arcipiano, ut supra.

multa oliveta. 58 Olivetum in fundo Correliano, ut supra. Oli-
B vetum in fundo Ursano, ut supra. In Patrimonio Lambicanensi, Massa Algistas. Olivetum, quod est ad tufum juxta Anagnia, in integro. Olivetum quod est in silvula, et modicas talias catagemulum a commiliti. Olivetum in Apineas, in integro. Olivetum quod est in Claviano, quod tenet Franculus colonus. Olivetum in fundo Ordiniano, in integro. Massa Pelagiana. Olivetum in fundo Casamutis juxta Anagnias. Massa Pontiana. Olivetum in fundo Pacciano. Olivetum in fundo Ricianis. Massa Ruscellens. Olivetum juxta Signias in fundo Perpiniano, in integro. Massa Hecteriana. Olivetum in fundo Rasiniano. Olivetum in fundo Cornatiano. Massa Fistis. Olivetum ibidem. Olivetum in Massa Silanis, in fundo Siliano cum factorio suo, in integro, cata Petrum Vestararium in Patrimonio Tyburtino. Massa Alliana. Olivetum in fundo in Casa Simiana; in vico Passiano, quod tenuere heredes Sergii Scriniarii. Olivetum in fundo Junianiello, quod Simon Abbas.... Massa Pollonis. Olivetum in fundo Tana et Prandiaria. Massa Cornutis. Olivetum in fundo Plautiano etc. Olivetum in fundo Statiano, quod tenuit Claudius nepos Demetrii. Olivetum in fundo Surrio. Olivetum in
C fundo sacrosancto, quod tenet Sergius gener Petri. Olivetum in fundo sacrosancto, quod tenet familia etc. Olivetum in fundo paterno, quod tenet familia etc. Si quis autem temerario ausu infringere præsumpserit etc. Datum Idibus Novembris. Imperante piissimo Leone.)

C. Ægidii, 59 Juxta sepulchrum, in quo beatus Gregorii Papa I, primo loco positus fuit, est venerabile altare S. Ægidii abbatis.

Sabiniani, 60 Sabinianus Papa I. Sub hujus tempore fuit fames gravis in civitate Romana; sed facta pace cum gente Longobardorum, jussit aperiri horrea ecclesiæ, et venumdari frumentum populo per unum solidum triginta modios tritici: cujus epitaphium est illud.

Hic hominum vitia blando sermone removit;
Nec culpis judex, sed medicina fuit.
Misericordiæ enim visceribus ultra quam dici possit, affluebat, et quantum in se, nullum a beneficio misericordiæ excludebat.

Bonifacii 3 61 Bonifacius III Papa. Hic requiescit (in porticu Pontificum) ad S. Gregorium.

Bonifacii 4 62 Bonifacius IV Papa, qui petiit templum Pantheon a Phoca Cæsare, et dedicavit illud in honorem B. Mariæ semper virginis et omnium sanctorum, Kalendis Novembris. Hic sepultus intra Ecclesiam B. Petri juxta portam Ravinianam: cujus D epitaphium est.

Gregorio *e* quartus jacet hic Bonifacius almus,
Hujus qui sedis fuit æquus rector et ædis: *e*
Tempore qui Focæ (cernens *f*) templum fore [Romæ, *f*
Delubra cunctorum fuerant quæ dæmoniorum,
Hoc expurgavit, Sanctis cunctisque dicavit,
Cujus natalis solennia qui celebratis,
Primis Septembris fert hoc lux quarta Kalen- [dis.

63 Deusdedit Papa. Hic benignissimus Pater clerum valde dilexit et ad pristina loca revocavit. *Deusdedit,*

64 Bonifacius Papa V. Hic beatissimus præsul, *Bonifacii 5* fuit (ut in Pontificali legitur) mitissimus et misericors super omnes qui fuerunt tempore suo.

65 Honorius Papa I. Hic cooperuit totum tectum *Honorii 1,* basilicæ B. Petri ex tabulis æneis, quas levavit de templo, quod appellatur Romuli, ex consensu Eraclei piissimi imperatoris. Fecit etiam ecclesiam in honorem S. Apollinaris martyris in urbe Romana in porticu B. Petri Apostoli, quæ appellatur Palmata. Hic fecit constitutum in ecclesia et decrevit, ut omni Sabbato exeat litania ab ecclesia S. Apol- E linaris ad sanctum Petrum, nisi festum interveniat.

66 Severinus Papa I. Hic renovavit absidem *Severini,* B. Petri Apostoli ex optimo mosibo, quod dirutum erat (sepultus est in ecclesia B. Petri in porticu Pontificum.)

67 Joannes Papa IV. Hic dimisit in clerum rogam integram. (Sepultus in basilica B. Petri in porticu Pontificum) *Joannis 14,*

68 Theodorus I. Hic levavit corpora sanctorum *Theodori,* martyrum Primi et Feliciani de arenerio via Numentana, et honorifice recondidit ea in ecclesia B. Stephani protomartyris in monte Cœlio. Hic sepultus est in porticu Pontificum, cujus epitaphium est istud.

Incubat egregii Theodori præsulis almi
Hoc tumulo corpus *g* et cetera. *g*

69 Eugenius Papa I. Hic fuit benignus, mitis, *Eugenii I,* et omnibus affabilis, et indigentibus eleemosynam sæpissime ministravit. (Sepultus est in ecclesia B. Petri.)

70 Vitalianus Papa I. Hic regulam ecclesiasticam atque vigorem, ut mos erat, omni modo con- *Vitaliani,* servavit. F

71 Adeodatus Papa. Hic fecit monasterium S. *Adeodati,* Erasmi, situm in monte Cœlio.

72 Donus Papa. Hic atrium basilicæ B. Petri *Doni,* Apostoli, quod est ante Ecclesiam, magnis marmoribus stravit.

73 Agato papa. Hic in tantum benignus et man- *Agatonis,* suetus fuit, ut etiam omnibus hilaris et jucundus comprobaretur.

74 Leo papa II. Hic sanctissimus vir in divina *Leonis 2.* scriptura eloquentissimus fuit: (sepultus in Vaticana juxta corpus Apostoli.)

75 Benedictus papa II. Hic ab ineunte ætate in *Benedicti 2* ecclesia militavit, paupertatis semper amator, sepultus apud S. Petrum.

78 Joannes papa V. Hujus temporibus regnavit *Joannis 5,* Justinianus sanctissimus imperator.

79 Conon papa. Hic dimisit clero, monasteriis *Canonis,* videlicet, diaconis et mansionariis benedictionem in auro, sicut prædecessor ejus Benedictus papa II. fecerat.

80 Sergius papa I. Hic constituit, ut in Nativitate beatæ Mariæ, Annuntiatione et Purificatione, *Sergii 1,* litania exeat a sancto Adriano et ad sanctam Mariam in præsepe populus occurrat.
Hic sepultus est in Ecclesia B. Petri inter portam Argenteam

A Argenteam et portam Ravinianam, cujus epitaphium est istud.

h Limina quisquis adis Petri *h* metuenda beati,
Cerne pii Sergii excubiasque Petri.
Culmen Apostolicæ sedis is, jure paterno
Electus, tenuit, ut Theodorus obit.
Pellitur urbe Pater, pervadit sacra Joannes.
Romuleosque gregis dissipat ipse lupus.
Exul erat patria septem volventibus annis,
Post multis populi urbe redit precibus.
Suscipitur papa, sacrata sede recepta
Gaudet, amat pastor agmina cuncta simul.
Hic invasores sanctorum falce subegit
Romanæ ecclesiæ judiciisque patrum.

ANNOTATA.

a *Desideratur totus hic versus in MS. nostro, suppletus ex impresso.*

b *Cod. impr. hic addit,* in Quadragesima.

c *Legebatur in MS. nostro,* officiarent. *Non convenit cum sequentibus vocibus,* indutus, staretque. *Mihi placuit τὸ* qui *referre ad solum* Primicerium : *τὸ autem (quod sequitur)* haberent *referri ad* tres
B Cantores cum Primicerio. *In Cod. impresso ita legitur ;* constituit ibi tres Cantores cum primicerio, qui jugiter officiarent Missam ad altare B. Petri, induti pluviali et mitra et virga *(an hæc conveniant Cantoribus ?)* starentque juxta altare etc.

d *Totus sequens textus deficit in MS. nostro Manlii; habetur in impresso Romani, a quo fuerit Manlio adjunctus.*

e Gregorio, *id est* a Gregorio *quartus, uti vere fuit hic Bonifacius, intercedentibus nempe Sabiniano et Bonifacio tertio. At vero cum supra locutus sit Noster de* Bonifacio quarto, *quem Codex impressus, ut ibi notavimus,* secundum *vocat ; cur hic Noster denuo agat de* quarto, *atque aliud hic, aliud illic epitaphium subnectat? Potest utrumque habuisse, non nego. Sed cum ille, Nostro quartus, Romano impresso secundus sit, et ab utroque dicatur* requiescere in porticu pontificum : *hic vero Bonifacius quartus sepultus sit* intra ecclesiam B. Petri juxta portam Ravinianam *seu* Ravennatem, *videri posset ex loco sepulturæ non eumdem supra atque hic Bonifacium esse : nisi porticus Pontificum concipiatur se extendisse ad portam usque Ravinianam. Interim utrumque epitaphium uni Bonifacio quarto recte competit.*

C f *Noster legebat* cineres.

g *Cur Auctor noster, atque etiam Romanus, qui epitaphia describere integra consueverunt, hoc loco, atque iterum infra in Stephano secundo, mutilum dederint? Opinor, quia reliqua legi non potuerint. Hujus igitur defectum aliquatenus suppleat alia inscriptio de Theodoro, quæ in ecclesia rotunda S. Stephani protomartyris, cujus tectum renovasse dicitur, inventa, apud Janum Gruterum pag.* 1164. *num.* 18. *sic legitur.*

Exquirens pietas tectum decorare sacratum
Pastoris summi Theodori corda direxit,
Qui studio magno Sanctorum corpora cultu
Hoc dedicavit, non patris neglecta reliquit.

Per Sanctorum corpora *intelligas licet SS. Primi et Feliciani martyrum, quæ in arenariis inventa, Theodorus in dicta S. Stephani ecclesia honorifice condidit, ut habet Anastasius.*

h Petri *Cod. impr.* papæ.

CAPUT V.

Aliorum Pontificum sepulcra et elogia.

Joannis 6, Joannes papa VI. Hic fecit in Ecclesia B. Andreæ ad S. Petrum ambonem noviter constructum.

82 Joannnes papa VII, vir eloquentissimus. Hic D fecit oratorium, infra ecclesiam B. Petri, sanctæ *Joannis 7,* Dei genitricis virginis Mariæ in parte sinistra juxta portam Guidaniam, cujus parietes musibo depinxit : qui etiam sepultus est ad B. Petrum juxta altare oratorii, quod ipse construxit, sub die xv. Kalendas Novembris : ante quod oratorium est etiam Sudarium Christi, quod vocatur Veronica.

83 Sisinnius papa I. Hic fuit constans animo, et *Sisinnii 1.* curam agens pro clero et habitationibus hujus civitatis.

84 Constantinus papa I. Hic vir valde mitis fuit *Constantini,* (ut in pontificali habetur) cujus temporibus in urbe Roma fames magna facta est per annos tres : sed postea per misericordiam Dei tanta fertilitatis ubertas sequuta est, ut sterilitatis inopiam oblivioni mandaret.

85 Gregorius papa II. Hic sanctissimus præsul *Gregorii 2,* in divina scriptura valde eruditus fuit, facundus loquela, et constans animo ; sepultus apud B. Petrum Apostolum II Idus Februarii in porticu pontificum.

86 Gregorius papa III. Hic requiessit in illo *Gregorii 3* loco, ubi Dominus papa Eugenius III requiescit. E

87 Zacharias papa. Hic in patriarchio Latera- *Zachariæ,* nensi *a* B. Georgii martyris caput reperit in capsa *a* reconditum ; sepultus apud B. Petrum in porticu pontificum.

88 Stephanus papa II. Hic sanctissimus præsul *Stephani 2.* in sua propria domo construxit a fundamentis monasterium in honorem S. Stephani papæ et martyris atque pontificis : nec non et B. Silvestri papæ in regione columnæ. Hic sepultus est in porticu pontificum, cujus epitaphium est istud.

Subjacet hic Stephanus Romanus papa secundus
et cet.

89 Paulus papa. Hic fuit germanus hujus prædicti Stephani papæ. Hic jacet in Vaticano juxta *Pauli,* altare beatæ Mariæ.

90 Stephanus papa III. Hic vir strenuus fuit et *Stephani 3,* scripturis divinis eruditus et in earum observationibus constantissimus perseverator.

91 Leo papa III. Hic beatus præsul constituit, *Leonis 3,* ut ante tres dies Ascensionis Domini litaniæ celebrarentur ; sepultus in Ecclesia B. Petri II Idus Junii.

92 Stephanus papa IV. Hic præter multa bona, quæ fecit, fecit et in Ecclesia B. Petri ad Vincula *Stephani 1,* F optimam vestem de chrisoclabo cum gemmis.

93 Paschalis papa I. Hic beatissimus præsul de- *Paschalis 4,* tulit corpora sanctorum Processi et Martiniani martyrum de cimiterio S. Agathæ in ecclesiam B. Petri ; in quorum honorem construxit oratorium summæ pulchritudinis, in quo satis honorifice corpora eorum recondidit in conca porphyretica, sepultus in Vaticano.

94 Gregorius papa IV. Hic igne divini amoris *Gregorii 4,* succensus, corpus B. Gregorii papæ primi, egregii doctoris, de loco, in quo prius sepultus fuit, abstulit, et non longe ab eo in alium locum noviter constructum intra ecclesiam B. Petri Apostoli summo honore perduxit : ejusque sacrum altare, vel potius oratorium, suo nomine titulavit. In quo nimirum oratorio sanctorum corpora, beatorum martyrum Sebastiani, Gorgonii, et Tiburtii, filii Chromatii præfecti, ex cimiteriis, quibus ante jacuerant (sicut in pontificali legitur) honorifice perduxit, et unumquodque eorum separatis altaribus collocavit.

95 (In *b* atrio vero ecclesiæ ad Crucem, est venerabile altare sanctorum Apostolorum Symonis et Judæ : ubi, ut a nostris majoribus accepimus, eorum corpora preciosa requiescunt.)

96 Sergius papa II. Hic renovavit a fundamentis *Sergii 2,* Ecclesiam

A Ecclesiam sanctorum Silvestri et Martini papæ, de quibus fuit presbyter Cardinalis ordinatus; sepultus in Ecclesia B. Petri cum Sixto I papa et martyre, et Fabiano pontifice, ut dicit ejus epithaphium.

Sergius en junior, præsul et plebis amator,
Hoc tegitur tumulo, qui bene pavit oves.
Spes patriæ, mundique decus, moderator opimus,
Divinis monitis non fuit ille piger.
Romanos proceres non tantum famine verbi,
Rebus et humanis nocte dieque favens.
c Utque Leo sanctus, Damasus quoque ipse c benignus:
Hic ritum tenuit, instituitque gregem.
Egentum semper studuit recreare catervam.
Proque d poli ut caperet cœlica regna libens.
d Jamjam pro tanto tundamus pectora pugnis
Pastore amisso, vivat ut axe poli.
Nectitur ecce piis, Flaviano et corpore Sixto
e Præsulibus, quorum spiritus astra micant e.

Hoc epitaphium inventum fuit in altari B. Sixti I, quod est in introitu basilicæ B. Petri juxta ferratam, super quod altare est arcus ex mirifico musibo; sicut legitur in Vita Paschalis I papæ. Posuit, B inquit, corpus B. Sixti martyris ante corpus B. Petri juxta ferratam, super quod fecit altare ex lapidibus ornatum, et super altare arcum mirifico musibo.

97 Leo Papa IX. Hic requiescit infra ecclesiam Leonis 9, B. Petri in pilo marmoreo prope portam Ravinianam, de quo sunt apud nos multa et magna miracula. Hic condidit privilegium canonicorum B. Petri, de libertate f suarum ecclesiarum.

Stephani 5, 98 Stephanus papa V, de quo est istud epitaphium.

Accedis quisquis, magni suffragia Petri
Cœlestis regni poscere clavigeri;
Intentis oculis, compuncto corde, locellum
Conspice perspicuum, quo pia membra jacent.
Hic tumulus quinti sacratos continet artus.
Præsulis eximii pontificis Stephani.
Bis ternis annis populum qui rexit et Urbem,
Et gessit, Domino quæ fuerant placita.
Suscepit tellus consumptum pulvere corpus,
Æthera scandit spiritus almus ovans.
Unde peto, cuncti venientes, dicite, fratres;
Arbiter omnipotens, da veniam Stephano.

Hic prædictus Stephanus V requiescit ante ecclesiam B. Petri.

C Benedicti 3, 99 Benedictus papa III. Hic requiescit juxta portam Argenteam deforis; cujus epitaphium est istud.

Quisquis huc properas, Christum pro crimine poscens,
Quam lacrymis dignus sit, rogo, disce locus.
Hæc gelida præsul Benedictus membra quiete
Tertius en claudit, quæ sibi reddat humus,
Quodque fores tectos servat sub tegmine saxi,
Indignum sanxit se sociare piis.

Joannis, g 100 Inter portam Argenteam et portam Romanam, videlicet in porticali, fuit g sepulcrum cujusdam Joannis papæ, bonæ memoriæ, cujus epitaphium est istud.

h Quam solers Domino placuit, qui h mente modesta
Præsul Apostolicus, orbis et omne decus.
Hic statuit tumulo claudi sua membra sub isto;
Hæc eadem, sperans, ut sibi reddat humus.
i Ardua qui fulsit cunctis per i sydera cœli;
Augusti charus gentibus et tribubus,
Doctrinis comptus sacris, et dogmate claro,
Per patrias sancta semina fudit oras.
Nam Grajos superans, Eois partibus unam,
Schismate pellendo, reddidit ecclesiam.
Principis hinc Petri sed quisquis tendis ad aulam
Dic supplex, isdem regnet ut arce poli. D

101 Nicolaus papa II. Hic requiescit juxta portam Judicii; cujus epitaphium est istud. Nicolai,

Conditur hoc antro sacræ substantia carnis
Præsulis egregii Nicolai dogmate sancto:
Qui fulsit cunctis, mundum replevit et orbem;
Intactis nituit membris, castoque pudore.
Quæ docuit verbis, actuque peregit opimo,
Sidereæ plenus mansit splendore Sophiæ,
Cœlorum claris quem servant regna triumphis,
Ut veneret soliis procerum per sæcula Natum k. k

102 Stephanus papa VI. Hic requiescit ante ecclesiam, cujus epitaphium est istud.

Hoc Stephani papæ clauduntur membra sacello l, l
Sextus dictus erat ordine quippe patrum.
Hic primum repulit Formosi spurca superbi,
Culmina qui invasit Sedis Apostolicæ.
Consilium instituit, præsedit pastor et ipsi,
Lege satis fessis jura dedit famulis.
Cumque Pater multum certaret dogmate sancto,
Captus, et a sede pulsus in ima fuit.
Carceris interea vinclis constrictus in imo,
Strangulatus nervo exuit et hominem m. m
Post decimumque Deo regnantis* transtulit annum E
Sergius huc papa, funera sacra colens. * legebatur diem regnanti

103 Joannes VIII papa. Hic requiescit ante ecclesiam juxta portam Judicii, cujus epitaphium est istud. Joannis 8,

Præsulis octavi requiescunt membra Joannis
Tegmine sub gelido marmorei tumuli.
Moribus, ut paret, fulsit qui nempe beatus n, n
Altisonis comptus actibus et meritis.
Judicii custos mansit, pietatis amator,
Dogmatis et varii plurima verba docens.
De segete Christi pepulit zizania sæpe;
Multaque per mundum semina fudit ovans.
Doctrina prudens, verbo linguaque peritus,
Solertem sese omnibus exhibuit.
Et nunc cœlicolas cernit super astra falanges.

104 Joannes nonus papa. Hic requiescit ante ecclesiam prope portam Guidaneam, cujus epitaphium est istud. Joannis 8,

Ecclesiæ specimen, clarissima gemma bonorum,
Et mundi Dominus, hic jacet eximius
Joannes meritis, qui fulsit in ordine nonus,
Inter Apostolicos quem vehit o Altitonans. o
Conciliis docuit ternis, quid dogma salutis
Observare, Deo munera sacra ferens. F
Temporibus cujus novitas abolita mali est p, p
Et firmata fides, quam statuere Patres.
Qui moriturus eris, lector, dic, papa Joannes
Cum Sanctis capiat regna beata Dei.

105 Joannes X papa. Hic requiescit ante ecclesiam juxta Joannem octavum; cujus epitaphium est istud. Joannis 10,

Præsulis eximii requiescunt membra Joannis,
Qui Petrus antea exstiterat : quippe
Sedem Papiæ q blando moderamine rexit, q
Imperatori Othoni dulcis fuit atque præclarus.
Commissum populum Romanum moribus instruens
Dulcis in eloquio, cunctis præclarus amicis,
Subjectis placidus, pauperibusque pius.
Defunctus est Joannes papa Romanus mense Augusti, die xx. Benedicti 4

106 Benedictus papa IV. Hic sepultus fuit juxta aditum, qui vadit ad S. Gregorium de palatio, cujus epitaphium est istud,

Membra Benedicti (hic) quarti sacrata quiescunt
Pontificis magni, præsulis eximii.
Qui merito dignus, Benedictus nomine dictus;
Cum fuerit largus omnibus atque bonus.
Huic generis decus, ac pietatis splendor opimus:
Ornat opus cunctum, jussa Dei meditans.

Prætulit

A Prætulit hic generale bonum lucro speciali :
Mercatus cœlum cuncta sua tribuit.
Despectas viduas, nec non inopesque pupillos,
Ut natos proprios, assidue refovens.
Inspector tumuli, compuncto dicito corde :
Cum Christo regnes, o Benedicte, Deo.

Christophori, 107 Christophorus papa. Hic requiescit in ecclesia B. Petri, de quo habetur hoc epitaphium.

Hic pia Christophori requiescunt membra sepulti r.

Anastasii III. 108 Anastasius papa III. Cujus epitaphium est istud.

Vatis Anastasii requiescunt membra sepulchro ;
Sed numquam meritum parvula claudit humus.
Sedem Apostolicam blando moderamine rexit
Tertius existens ordine pontificum.
Ad Christum pergens, peccati vincula sperat
Solvere clementer omnia posse sibi.
Limina currentes ad templi undique hujus s,
Ut præstet requiem, poscite corde Deum.

Gregorii V, 109 Gregorius Papa V. Hic requiescit in ecclesia B. Petri ante Secretarium, juxta Pelagium papam, cujus epitaphium est hoc.

Hic, quem claudit humus, oculis vultuque decorus,
B Papa fuit, quintus nomine Gregorius :
Ante tamen Bruno, Francorum regia proles,
Filius Othonis, de genitrice Judith,
Lingua Theutonicus, Wangia doctus in urbe,
Sed juvenis cathedram sedit Apostolicam
Ad binos annos et menses circiter octo,
Ter senos Februo connumerante dies.
Pauperibus dives per singula Sabbata vestes
Divisit numero cautus Apostolico.
Usus Francisca vulgari, et voce Latina,
Instituit populos eloquio triplici t.
Tertius Otto sibi Petri commisit ovile,
Cognatis manibus unctus in imperium.
Exuit et postquam terrenæ vincula carnis,
Æquivoci dextero substituit lateri.

In quo loco requiescit Beda Presbyter. 110 Requiescit etiam ante portam Argenteam sub rota scilicet porphiretica (ut a majoribus nostris accepimus) venerabilis Beda presbyter, qui fecit homilias, et ejus ob reverentiam, antiqui nostri penitus non transibant per eam, nec nobis transire permittebatur.

ANNOTATA.

C a *Hæc in impresso sic leguntur :* Hic in patriarchivo, scilicet sub sancto Laurentio de Palatio Lateranensi.

b *Hæc uti ex appositis signis () datur intelligi, adjuncta putari possunt a Romano ; a quo et titulus fuerit præfixus ;* De altare Apostolorum Simonis et Judæ.

c *Pro* ipse, *scribit Codex impressus,* papa.

d *Ita etiam Baronius ad annum* 847. *pag.* 47. *Cod. imp.* Perque.

e *Concordat hoc distichon cum Cod. impresso. Baronius loco citato pro* corpore, *habet* compare ; *pro* micant *vero,* tenent.

f *Legit Cod. imp.* de confirmatione *suarum ecclesiarum.*

g *In Cod. impr.* fuit sepultus quidam papa bonæ memoriæ.

h *Cod. impr. et alii, pro* qui, *legunt* quam.

i *Cod. impr. loco* ut, *scribit* per. *Idem tertio abhinc versu scribit* seminans, *pro* semina ; *et in fine,* oras, *pro nostro* ovans. *Atque mox* Græcos *pro nostro* Grajos.

k *Tres postremos versus, ex Cod. impr. hic apposui, qui in nostro MS. leguntur hoc modo,*

Sidereo plenus mansit doctusque Sophiæ, D
Cœlorum claris quæ servant regna triumphis,
Ut vernet soliis procerum per secula Natum.

l *Cod. impr. habet* locello, *pro* sacello.

m *Apposui hic iterum e Cod. impr. penultimum distichon, quia magis clarum : et ultimum, utrobique simile reformavi. Noster mendose sic legebat ;*

Carceris interea vinci constrictus in uno,
Strangulatus verbi exuerat homine ;
Post decimumque diem regnanti transtulit annum
Sergius huc papa, funera sacra colens.

Cod. impr. penultimum saltem distichon facit intelligibile, non item ultimum Baronius. Hoc quidem ultimum distichon in utroque codice refertur iisdem verbis, sed in hexametro sensum aptum non facientibus. Baronius ad annum 900. *pag.* 648, *præfatus, se* Manlii codicem, imperitia scriptorum admodum depravatum, plurium exemplarium diligenti collatione, quantum licuit, emendavisse ; *versum istum hexametrum sic formavit :*

Post decimumque regens Sedem, eum transtulit annum, Sergius huc papa,

Sensus quidem hic est intelligibilis : an autem mutatio nitatur fide codicis melioris, quam sint nostri; an sola conjectura Baronii facta sit, vehementer dubito. E *Potior videri possit conjectura nostra, quæ sic legit eumdem versum,*

Post decimumque Deo regnantis transtulit annum, Sergius, huc papa,

Intellige cum Deo regnantis, *nempe Stephani defuncti, cujus corpus Sergius Papa vere decennio post obitum ejus transtulit, mortuo Stephano anno* 997, *et creato Sergio* 1005.

n *Cod. impr.* qui mente beatis. *Idem versu* 6, *pro* Dogmatis et varii; *habet* Dogmatis et veri. *Idem versum nonum incipit,* Doctrina prudens *quod ex ipso huc transtulimus ; cum noster haberet,* Docti prudens.

o *Cod. impr.* Vexit.

p *Ita etiam Cod. impressus. Quid si legas ?* Ablata malighi est ; *aut,* ablata malorum est.

q *Sic habet uterque Codex noster. Alibi epitaphium hoc qualequale, nondum inveni) Quid si pro,* quippe Sedem papiæ, *legatur?* quique Sedem papalem.

r *In Cod. impresso,* Hoc... Sepulcro.

s *Rectius scribitur hic versus in Cod. impr. transpositis dumtaxat vocibus.*

Undique currentes hujus ad limina templi.

t *Hic ponebatur in MS.* Et cetera, *indicio, quod in codice, unde descripta sunt, legi sequentia non potuerint. Habet illa Romanus in Cod. impresso, suntque distichon unum,* Terrius Otto *etc. quod suo hic loco inserui. Versu ult. legebatur* Æquivoce. *Posui* Æquivoci, *nempe Gregorii I.* F

CAPUT VI.

Sacella atque altaria in basilica S. Petri Vaticana. Consuetudines item ejusdem basilicæ.

B. Mariæ quod Veronica vocatur ; Ab alia parte basilicæ B. Petri est (ut supra diximus) oratorium sanctæ Dei genitricis virginis Mariæ, quod vocatur Veronica, ubi sine dubio est Sudarium Christi, in quo ante passionem suam sanctissimam faciem suam (ut a nostris majoribus accepimus,) extersit ; tunc scilicet, quando sudor ejus factus est, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.

S. Antonini mart. S. Tridentii mart. 112 Juxta hoc oratorium beatæ Mariæ, videlicet juxta portam Guidaneam, est oratorium S. Antonini martyris. Deinde inter portam Guidaneam et portam Romanam est altare S. Tridentii martyris. In atrio

A atrio vero ecclesiæ ad Crucem est altare Apostolorum Philippi et Jacobi venerabile, (ad cujus ornatum fuit ibi posita magna crux aurea.)

Philippi et Jacobi app.

113 Ante hoc oratorium, scilicet juxta aditum, qui vadit in ecclesiam S. Vincentii, est altare S. Abundii, hujus sanctissimæ basilicæ quondam Mansionarii, de quo narrat B. Gregorius. Postea per directum est ecclesia S. Ambrosii confessoris atque pontificis. Deinde juxta arcum triumphalem est altare B. Pastoris. (In quo siquidem arcu audivimus requiescere beati Mathiæ Apostoli corpus.) Post hoc est altare S. Bartholomæi Apostoli. Ante aditum, qui intrat Confessionem B. Petri, est altare Apostolorum Petri et Pauli; (ubi eorum ossa pretiosa, ut dicitur, ponderata fuere.)

S. Abundii mansionarii, S. Ambrosii ep. S. Pastoris, Mathiæ Ap. Petri et Pauli

114 Postea vero ante ecclesiam S. Joannis ad fontes, est oratorium S. Luciæ, quod (ut a nostris majoribus accepimus) consecravit B. Gregorius Papa, et ejus venerabile brachium in eo recondidit, et parietes illius, ut apparet, musibo depinxit. Ab alia parte est ecclesia sanctæ Crucis, quam construi fecit beatæ recordationis Simmachus Papa; cujus (absidam) columnis porphireticis et optimo B musibo decoravit, et decem libras ligni sanctæ Crucis in ea recondidit. Postea sunt fontes, quos fieri fecit B. Damasus Papa, sicut in scriptis invenimus.

S. Luciæ V. M. sanctæ Crucis, fontes Damasi Papæ.

115 Quantam reverentiam huic sanctissimæ B. Petri Apostolorum principis basilicæ totus orbis exhibeat, in vita Vigilii papæ aperte cognoscitur. Nam Theodora Augusta, mittens Anthemium scribonem suum Romam, ut Vigilium papam comprehenderet, ait ei; excepto in basilica B. Petri parce. Nam si in Lateranis, aut in palatio, aut in qualibet ecclesia Vigilium inveneris, mox impositum in navi perduc eum usque ad nos. (Quod si non feceris) per viventem in secula excoriari te faciam.

In quanta reverentia beati Petri basilica habeatur,

116 Hoc quoque non est parum, quod de institutione sanctorum Patrum, quadam prærogativa sumitur de sanctissimo altari B. Petri Crux dominica, quæ præcedat (populum pœnitentem *a*) per totam quadragesimam ad stationes euntem. Quæ nimirum Crux stationalis ob Christi et ejus Apostoli reverentiam in tanta veneratione a cunctis est habita, quod sicut cantores et regionarii asserunt, hac Cruce non delata, immunes a statione sæpe recedant.

C 117 Et B. Petrus fuit princeps et caput omnium Apostolorum, dicente Domino; Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Et; Tu vocaberis Cephas, id est caput, quadam prærogativa: nullus patriarcha, nullus archiepiscopus, nullus episcopus, sive sacerdos, ad sacrosanctum altare ejusdem Apostoli consecraret, nisi tantum successor ejus Romanus Pontifex. Primam quoque cathedram, ut præcipuus doctor et principalis intelligentiæ, beatus Petrus in Ecclesia Alexandrina habuisse dicitur: sicut *b* quoque in Actibus Apostolorum legitur, omnes dubitationes ad B. Petrum, tamquam ad magistrum omnium, referebant.

Ratio quare basilica Petri prædicat in processione.

118 Non modica quoque B. Petri Basilica, lætari debet prærogativa, quod in majori Litania, tamquam navis prora et aliorum vexillifera, omnes de navi præcedit; Domino papa, tamquam principali et præcipuo gubernatore, ex puppe veniente. In quo nimirum facto significatur, beatum Petrum vexilliferum et totius Ecclesiæ esse præductorem et Christi resurrectionis primum prædicatorem. Sicut enim in paschali processione cruces et Sanctorum reliquias ad vitæ præparationem et munimenta (contra) hostes invisibiles præmittimus; ita in hac generali processione B. Petri basilica, ut ductrix et rectrix ceterarum, præambula invenitur. Et hinc est, quod Crux Dominica, quadragesimali videlicet D tempore, sumitur de sanctissimo S. Petri altari, quæ præcedat populum pœnitentem, per totam quadragesimam ad stationes euntem.

119 Quoniam hæc B. Petri basilica omnium ecclesiarum est caput et speculum (nam a B. Petro fidei lumen sumpsit omnis ecclesia; fuit enim, ut dicit B. Gregorius in moralibus, Christi resurrectionis primus prædicator) de institutione sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ad decorem et pulchritudinem hujus sacrosanctæ basilicæ, accenduntur quotidie quadraginta *c* lampades in prænominata B. Petri ecclesia, sicut in sequentibus notabitur. Et semper, cum novem lectiones facimus, ejus sacrosanctum altare ad omne nocturnum incensatur. Antiquitus tamen quotidie incensabatur. In stationibus vero nocturnis ad omnem lectionem adhuc incensatur. Decet namque B. Petrum, præsentis ecclesiæ principem, in Urbe, totius mundi domina, venerari; et ibi sacrosanctæ fundamentum ecclesiæ fore, ubi erat mundanæ monarchiæ principatus; et ubi mundani erroris major excreverat morbus, ibi Christianæ salutis potior inveniretur medicina. Ipse nimirum B. Petrus Apostolorum princeps a Christo est constitutus, quem E Dominus suæ potestatis Vicarium tanta plenitudinis auctoritate constituit, ut quidquid alter in terris gereret, totum alter in cœlestibus approbaret.

Ratio quare B. Petri basilica ceteras ecclesias Urbis et orbis præcellat lumine lampadarum. *c*

120 Hæc sunt, quæ Dominus papa de consuetudine recepturus est ab illis, qui eunt ad Confessionem B. Petri, pro tribus partibus: canonici vero pro quarta parte. In primis planetas, camisos, dalmaticas, tunicas, amictus, stolas, manulos *, cingulos, crucem, thuribulum, annulum aureum, qui sit aptus ad cantandam Missam; libros et alia vasa, quæ ad officium altaris spectant; candelabra, tualias frisatas et operatas; quæ totum altare colligant, sine frisio tantum; frisatus (vero) parvus vel magnus. Tres denarios, ad pondus de balsamo; et decem libras ceræ, pro facula de sabbato sancto; et tres ampullas majores et tres minores, et tres fannones, et oleum quo Chrismate, et duodecim denarios papienses pro palmis. Canonici B. Petri sex solidos in sex stationibus; in unaquaque, sex; et sex solidos in festivitate S. Andreæ, et duo aquaricia olei pro festo ejusdem.

De consuetudinibus Confessionis.

* *forte* manipulos

121 Ad luminaria ante altare B. Petri octo *d* lampades. In corpore (totidem *e*) diu noctuque. In virga, ante pectoralia tres lampades. In unoquoque capitulo, (id est) in unaquaque corona, una candela per totam noctem accendatur, donec Missa finiatur: quæ nimirum capitula sunt ad minus XXXIV usque ad Crucifixos. Omnes igitur lampades ab altari B. F Petri usque ad Crucifixum, sunt quinquaginta omni nocte. In stationibus vero in unoquoque capitulo quatuor candelæ. In rete, quod est in atrio ecclesiæ, duodecim. In virga, XVIII. Ante Veronicam, X die noctuque. Ante imaginem beatæ Mariæ, quæ de mosibo post Veronicam, una. In S. Processo, una. Ad S. Mariam de Cancellis, tres. In arcu majori, ubi audivimus requiescere corpus B. Mathiæ Apostoli, una, nocte et die; nocte vero sola, octo. Ad sanctem Crucem, una. In S. Joanne ad Fontes, una. In S. Lucia, una. Ad. S. Pastorem, una. Ad S. Gregorium una: nocte dieque in unoquoque istorum; In Vaticano, una. In sancta Maria in Oratorio, una. Ad S. Leonem quartum, una. Petro et Paulo, una. Ad S. Bartholomæum, una. Ante Crucifixos, duæ. In rete tres. In virga tres. Ante portas ecclesiæ deforis, quinque. In unoquoque porticalium, tres. In S. Petronilla, duæ. In S. Andrea, una.

d *e* Quot lampades ardeant quotidie in ecclesia B. Petri.

122 Omnes igitur candelæ, quæ quotidie ardent in ecclesia B. Petri, sunt CXV. ad minus, omni nocte. In Stationibus vero sunt, CCL. In Dedicatione, Ascensione

Quot ardeant in stationibus.

A Ascensione et festo S. Petri et Octava ejus, retia accendantur: sed rete magnum, quod est in atrio ecclesiæ scilicet ante portam Argenteam, in festo S. Petri et Octava tantum. Præterea quatuor funes de antiqua consuetudine extenduntur in festo S. Petri et Octava ejus, in atrio ejusdem ecclesiæ, id est Paradiso, in modum crucis, et ligantur de porticalibus ad pineam æneam, quæ est in Paradiso; et in unoquoque fune sex * candelæ suspenduntur. In gradibus vero, scilicet ante ecclesiam S. Mariæ in Turri (id est inter nolaria) extenditur unus magnus funis a porticali, quod est super gradus mortuorum, usque ad domum Petri Joannis de Pampano; in qua (nimirum domo) de jure debet ligari (funis) secundum tenorem locationis (ab angelo Scriniario factæ,) et suspenduntur in eo octodecim *f* candelæ.

* Cod. impr. decem.

Merces operariorum et officiantium

123 In resarciendo tecto et mutandis trabibus dantur duo denarii Papienses unicuique magistrorum et manualium: in unoquoque die Dominico, opus compleatur. Quando sandalarii capiunt trabes, duo solidi den. Pap. *g* et quatuor libræ ceræ. Quando Dominus Papa pergit ad S. Petrum in stationibus, viginti solidi denariorum Pap. et duo (aquaria *h*) B clareti. Cardinalibus et capellanis Domini Papæ cum aliis scholis, medietas altaris datur, ex quo tualia extenditur super altare: et in unaquaque statione unum par facularum de duabus libris ad vesperas et ad matutinas, et candelas pro lectionibus; et ad Missam similiter unum par facularum. Cardinalibus quinque solidi den. pap. in statione, et quatuor solidi Lucens. pro responsoriis. In quatuor tempora, in unoquoque sabbato quinque solidi Lucens. Cardinali diacono, et subdiacono, cantoribus et acolitis. A festo S. Gregorii papæ usque ad festum Pentecostes in unoquoque die duodecim denarii pap. dantur Domino papæ et mille libræ cæræ per singulos annos; et in unoquoque mense, una agricia olei, et una libra olibani, si est in urbe vel circa urbem per unum diem *i*.

in majori hebdomada

124 Ex consuetudine, in Majori hebdomada Dominus episcopus sanctæ Ruffinæ ejus, quod consuevit habere, videlicet et arcam et altare, ex quo pulsatur ad matutinum, et usque dum finitur officium, et ex quo pulsatur ad Missam usque ad finem, salva medietate canonicorum et cantorum, quam habent in altari cum Domino episcopo *k*. Tota namque medietas oblationis, quæ venit in altare, est altaris, id est Domini episcopi. Altera medietas est inter C prædictum Dominum episcopum et canonicos ecclesiæ, et cantores æqualiter. Nam una pars est Domini episcopi; alia canonicorum, alia cantorum. si interfuerunt constitutis officiis: si enim (non interfuerint) est canonicorum; servata prius consuetudine ad altare servientium; quæ (nimirum consuetudo) debet esse de communi omnium partium, et Domini episcopi et aliorum. Die Jovis sancto, ex quo pulsatur ad officium matutinale et ad Missam usque ad finem officiorum: similiter et in die Veneris sancto; similiter in Sabbato sancto; ex quo pulsatur ad officium matutinale, et ex quo pulsatur ad baptismale officium nocte et die nota; habent jus suum, et usque ad finem Missæ majoris in Pascha.

et aliis festivitatibus.

125 Canonici basilicæ B. Petri accipiunt decem libras ceræ pro facula de Sabbato sancto et tres denarios de balsamo ad pondus, et tres ampullas majores, et tres minores, et tres fanones, et oleum pro chrismate. Item Dominus papa decem libras ceræ pro agnis. In S. Laurentio de palatio una agricia *l* olei et una libra ceræ et dimidium de olibano per mensem: et in unaquaque hebdomada, quando Dominus papa est Romæ, duo solidi Lucenses hostiariis. In Purificatione S. Mariæ virginis decem libras ceræ et quatuor denarii pro juncis: in Annuntiatione totidem. In Dominica Palmarum acolitis duodecim denarii pro palmis: mansionariis S. Petri totidem pro palmis. In litaniis majoribus viginti septem libræ Lucenses pro presbiteris crucum, et lectis, et lobiis, episcopis cardinalibus, et omnibus scholis palatii. Pro eleemosyna sanctæ Ruffinæ, et sanctorum Quatuor, et sancti Clementis et sancti Pancratii una agricia olei, et quinque libræ ceræ, et dimidium de olibano: et in unaquaque hebdomada pro eleemosynis pauperum undecim solidi Lucenses, cum strata currit; extra id quod datur ejectis *m*. Et de olibano abundanter serviant S. Petro, et omnia alia jura observent. Sententialibus *n* præfecti, si suspendunt aliquem, quinque solidi: quando decollant, similiter: quando cæcant, duodecim denarii pro unoquoque oculo; quando truncant aliquod membrum, similiter. In stationibus, quando portant mansionarii crucem, unus denarius Papiensis.

ANNOTATA.

a *Noster legit* Papam pœnitentem.

b *Cod. impr. pro* sicut *habet* sic.

c *Idem Cod. impressus ponit* centum quinquaginta. E *Potest quidem tantillo intervallo triginta annorum, a Manlio ad Romanum, numerus lampadarum auctus fuisse; sed a* quadraginta *accrevisse ad* centum quinquaginta, *minus credibile est. Quid si Malius scripserit,* centum quadraginta? *quibus accesserint interea* decem.

d *Cod. impr.* tredecim lampadæ. *Potest et tunc, quando Romanus hæc scripsit, auctus fuisse numerus.*

e Totidem *scribit editio Romani, id est* tredecim, *uti præmiserat. Noster ejus loco legebat* quotidie.

f *Romanus impressus* viginti.

g *Ab*, unicuique, *huc usque desunt in Cod. impr. et in hic positis non satis distinguitur sensus.*

h *Noster habebat hic* duo agricias, *quæ vox etiam infra recurrit. Cod. impr. habet hic,* duo aquaria. *Utrumque notat vas certæ mensuræ.*

i *Cod. impr.* per unam dietam.

k *Præcedentia, incipiendo a* pulsatur ad matutinum, *male transposita et confusa sunt in Cod. impr.*

l *Cod. impressus, qui supra scribebat* duo aquaria, *hic et infra habet* una acquaricia, *et* unum acquaricium.

m *An* ejecti *hic* leprosi *non sint?*

n *Cod. impressus,* Sorrentialibus Præfecti.

CAPUT VII. F

Basilicæ portæ, alia ædificia, ornatus lectorii, Missæ Cardinalium hebdomadariæ, abbatiæ, stationes.

a

Nomina portarum basilicæ B. Petri Apostolorum Principis

In honorem basilicæ B. Petri Apostolorum principis scribimus nomina quinque portarum, quæ sunt in ingressu ejusdem basilicæ: quarum media, et major, vocatur porta Argentea, quoniam optimo argento tota deargentata fuit, et variis picturis a S. Leone Papa IV. depicta. Porta vero, quæ est juxta eam, et quæ vadit ad S. Leonem IX. papam, vocatur porta Raviniana, quoniam antiquitus Ravennates, et omnes Lombardi, et Tusci de consuetudine per eam intrabant, vel quia Transtyberini per eam intrare solebant; cum Transtyberim civitas Ravennantium vocaretur. Tertia porta juxta eâm, quæ vadit ad S. Gregorium, vocatur porta Judicii, quoniam per eam tantum mortui, qui sepeliendi sunt in ecclesia B. Petri, mittuntur a Domino judicandi. Ab alia parte supra, porta, quæ est juxta portam Argenteam, dicitur porta Romana, quia (ut a nostris majoribus accepimus) Romanæ mulieres, antiquitus et adhuc frequenter per eam intrant. Porta illa, quæ est

minicam Quinquagesimæ, colligitur tum ex ordine, que dies illic enumerantur, tum ex Cod. impresso, ubi Quinquagesima, *pro nostra* Carnelevatio *legitur.*

e *Quæ hinc toto num.* 133, *sequuntur, jam ante in Cod. impr. relata fuerunt pag. ejus* 135, *præfixo titulo,* de hebdomadis, qualiter dividuntur per ordines, *in nostro MS. nullus erat.*

f *Sequentia a num.* 134. *usque ad* 151 ; *desunt in Cod. impr.*

CAPUT VIII.

Quando coronetur Papa. Stationes nocturnæ et diurnæ. Loca Martyriis celebria, Thesaurus Basilicæ, Donatio Caroli M. Cæmeteria. Pontes.

De festivitatibus in quibus Dominus Papa debet incoronari.

Hæ sunt festivitates, in quibus Dominus papa debet coronari. In festo videlicet sanctorum quatuor Coronatorum ; in festivitate S. Martini papæ, ubi dicitur titulus Equitii; in festo S. Clementis; in Dominica de Adventu ad S. Mariam in præsepe ; in Dominica de Hierusalem ad sanctam Crucem; in Dominica de Gaudete ad S. Petrum; in Natale Domini; in festo S. Stephani, in Epiphania Domini ad S. Petrum ; in Dominica Lætare Hierusalem ; in pascha ; in secunda feria post qascha, ad S. Petrum, (Nota, quia semper cum Dominus papa coronatur ad S. Petrum, accipiunt Canonici pro presbyterio octo solidos Lucenses et decem solidos pro vestiario *a*); in Dominica, Ego sum pastor bonus ; in Ascensione Domini ; in Pentecoste ; in festivitate S. Petri ; in festivitate S. Silvestri ; in suo Anniversario.

Nocturnales Stationes.

152 Hæ sunt nocturnales Stationes S. Petri; Dominica de Gaudete ; Epiphania ; Ascensio Domini; Pentecoste; festivitas S. Petri, et Octava ejus ; festivitas S. Andreæ. In unaquaque istarum Stationum scholæ Palatii, Cardinales scilicet presbyteri diaconi Cardinales, subdiaconi, cantores, regionarii, acoliti debent habere quinque solidos denariorum Papiensium de altari B. Petri pro cænatica ; archidiaconus debet habere decem et octo denarios Papienses pro his qui cantant responsaria (qui etiam denarii per manus suas exponuntur his qui incipiunt responsoria. Si vero curiales non interfuerint officiis, canonici ecclesiæ habent prædictos denarios, quoniam ipsi faciunt officium.) Et ad Missam medietatem altaris prædictæ scholæ habent inter eos et capellanos Domini papæ usque ad finem Missæ. Canonici vero B. Petri duodecim solidos accipiebant antiquis, sed modo habent sex (solidos Lucenses) per stationem. Si vero absens fuerit pontifex et venerit Cardinalis solus cantare Missam, in quacumque statione totam medietatem (altaris) habent prædictæ scholæ : Cardinalis vero qui cantat Missam habet tertiam partem oblationis : sed si habet aliquem socium Cardinalis, non fit ita, sed oblatio (sicut mos est) communiter dividatur per scholas.

153 Hæ sunt S. Petri diurnæ Stationes. In omnibus Sabbatis quatuor temporum ; in Dominica de Quinquagesima ; Dominica de pascha *b* : feria secunda post pascha ; Dominica, Ego sum Pastor bonus; in Litaniis Majoribus ; (Nota, quod in hoc statione habent Canonici pro presbyterio octo solidos Lucenses, et decem solidos pro vestiario.) In dedicatione, in Cathedra. In unaquaque harum Stationum accipiunt scholæ v solidos den. pap. et oblationes : sed Dominus pontifex accipit (per camerarium suum) xx solidos den. pap. in nocturnis Stationibus, quando accenduntur retia ; et in diurnis, quando accenduntur quatuor candelæ per capitulum, similiter.

154 Hæc sunt *c* loca, quæ inveniuntur in Passionibus Sanctorum. Foris post portam Appiam, ubi beatus Sixtus decollatus fuit, et ubi Dominus apparuit B. Petro, Domine quo vadis ; templum Martis. Inter portam est arcus Stillæ ; demum est regio Fasciolæ ad S. Nereum ; vicus Canalium ad S. Georgium, ubi fuit domus Luculli ; et est ibi Velum Aureum. Aqua Salina ad S. Anastasium, ubi decollatus fuit B. Paulus. Hortus Lucinæ, ubi est ecclesia S. Pauli. Interlude *d*, id est inter duos ludos ; id est Clivus Scauri, qui est inter Amphitheatrum et Stadium. Ante Septem solium, ubi est cloaca, in qua jactatus fuit S. Sebastianus, qui revelavit corpus suum Lucinæ, dicens ; Invenies corpus meum, pendens in unco.

155 Gradus Eliogabali est in introitu Palatii, in insula videlicet Caterata *e* post sanctam Trinitatem. Arcus stillans *f* ante Septimum solium. Arcus Romanus inter Aventinum montem et Allisto, ubi B. Silvester et Constantinus osculati sunt, et divisere se ; qui videlicet arcus fuit in Trivio, quo itur ad S. Sabam et ad S. Paulum ; et quo venit a septem viis vel a S. Prisca. In tellure id est in Cannapara, ubi fuit templum Telluris. Privata Mamertini est sub Capitolium ante Martem. Via Cornelia est illa, quæ vadit per Pontem Milvium et exiit in stradam. Via Aurelia est illa, quæ vadit juxta Girolum. Vicus Latricii est ad S. Praxedam. Vicus Patricii est ad S. Pudentianam. Basilica Jovis ad S. Quiriacum. Thermæ Olimpiadis, ubi assatus fuit S. Laurentius, Panisperna. Palatium Tiberianum, ubi Decius et Valerianus recessere, mortuo B. Laurentio, est in monte Banionapuli, qui nunc vocatur Palatium de Cornutis. Circus Flaminius est ad pontem Judæorum. In Transtyberim fuit templum Ravennantium, et fundens oleum, ubi modo est ecclesia S. Mariæ.

De thesauro et excellentia hujus sacrosanctæ Basilicæ.

156 Sicut in antiquis et probatis gestis Romanorum Pontificum habetur et legitur, et a nostris majoribus frequenter audivimus ; beatissimi Romani Pontifices, quoniam B. Petri basilicam præ ceteris ecclesiis dilexere, eam adornare præ ceteris studuerunt. Inter quos beatissimus Leo Papa quartus (sicut in Pontificali habetur) fecit fieri optimum Cyburium de argento super sacrosancto altari ejus, ex columnis argenteis : arcam quoque altaris intus et extra deargentavit ; et non tantum sacram B. Petri Confessionem, verum etiam frontem prædicti altaris, satis decenter et honorifice deornavit. Nam tabulam de auro et smalto, pensantem ducentas et sexdecim libras auri, fecit fieri ; in qua vetus et novum Testamentum continebatur, et posuit eam in frontem altaris ; quam et nos etiam vidimus, Crucem quoque de auro purissimo ex diversis gemmis, jacinthis scilicet et albis et smaragdis ornatam, miræ magnitudinis, et posuit eam juxta venerabile altare B. Petri parte dextera, pensantem mille libras auri optimi ; et permansit ibi usque ad tempora nostra.

157 Fecit et imaginem Salvatoris nostri Jesu Christi, in throno sedentis, cum duobus Angelis circa se : nec non et viginti alias imagines de argento circa eam ; et posuit eas ante altare super columnas vitineas. Fecit quoque quadraginta canistra argentea, id est Coronas argenteas, in quibus lampades appenderentur, a pectoralibus scilicet ante altare usque ad Crucifixos : nec non et Crucem auream magnam ad altare sanctorum Apostolorum Simonis et Judæ, pensantem ducentas libras. Ab alia parte ecclesiæ, ad altare videlicet Apostolorum Philippi et Jacobi, magnam Crucem de argento, pensantem ducentas libras. Portam quoque mediam tabulis argenteis totam decoravit, unde usque hodie dicitur porta

A porta Argentea ; quam etiam et nos vidimus, licet in pueritia.

158 Donavit et canonicis B. Petri castrum Buccejam de proprio patrimonio suo. Condidit quoque magnum privilegium carticineum Canonicis B. Petri, in quo præter multa alia dona, donavit ejusdem Canonicis in perpetuum ecclesiam Salvatoris, quæ est posita in Turrione, quam siquidem ecclesiam ipse beatus Pontifex ad sepulturam peregrinorum omnium Ultramontanorum fecerat; et ecclesiam S. Justini in monte Saccorum, quam fecerat ad sepulturam omnium peregrinorum Latinorum ; nec non et ecclesiam S. Peregrini, extra civitatem Leonianam positam, cum Confessione et tenimentis suis; et ecclesiam B. Mariæ in Pallazzolo cum pertinentiis suis ; et ecclesiam S. Georgii martyris post sanctum Petrum positam. Multa quoque alia, quæ in præfata B. Petri basilica idem sanctissimus Præsul fecit fieri, possemus scriptis mandare, sed non expedit, quoniam liber pontificalis manifestissime indicat *g*.

g

Donatio Caroli Imperatoris.

159 Quantam reverentiam, quam dilectionem totus orbis terrarum huic sacrosanctæ basilicæ B. Petri exhibeat, quantumque Christianissimus Romanorum imperator Carolus eam ditavit et honoravit, B in vita beatæ recordationis Domini Adriani primi Papæ manifestissime indicatur. Nam donationem B. Petro et ejus successoribus per capellanum notarium suum Etherium, religiosum : et prudentem virum, lætissimæ fecit : in qua concessit prænominato pontifici Domino Adriano et ejus successoribus in perpetuum has urbes et Castella ; id est Alunis cum insula Corsica ; deinde in Soriano ; deinde in monte Barbone ; deinde in Urbe veteri ; deinde Parma ; deinde in Regio, et exinde in Mantua ; atque Montem Silicis, similiter et universum Exarcatum Ravennantium, sicut antiquitus erat ; atque provincias Venetiam et Histriam ; nec non et cunctum ducatum Spoletanum seu Beneventanum : factaque eadem donatione, propria sua manu eam ipse Imperator corroborans, universos episcopos, abbates, duces, et grafiones in eam ascribi fecit.

160 Quam nimirum chartam donationis, prius super altare B. Petri superius, et postmodum intus in sancta ejus Confessione ponentes, tam ipse Francorum rex, quamque ejus principes, B. Petro et ejus Vicario sanctissimo Adriano Papæ, sub terribili sacramento sese omnia conservaturos, quæ in C eadem charta donationis continentur, promittentes, tradidere. Apparem quoque ipsius Donationis per eumdem Etherium scribi faciens intus super corpus B. Petri, subtus positis Evangeliis, pro firmissima cautela et æterna nominis sui ac regni Francorum memoria, propriis suis manibus posuit : aliaque ejusdem Donationis exempla per scriniarium sanctæ Romanæ Ecclesiæ adscripta, ejus excellentia secum deportavit; et ideo, ut putamus in memoriam tam magnificæ Donationis, nomina civitatum, quæ prænominatus Romanus imperator huic sacrosanctæ ecclesiæ contulit, in portis æneis, quæ super gradus B. Petri fuere, videlicet in introitu ecclesiæ S. Mariæ inter Turres, argenteis litteris (sicut nos vidimus et cum fratribus sæpissimæ legimus) adnotata fuere, videlicet [Perusium, Fesulæ, Clusium, Bulsinum, Assisium etc.

Calistus 2, renovat altare S. Petri et consecrat.

161 Beatæ recordationis dominus Calistus Papa II, quoniam decorem domus Domini, sicut Propheta, plurimum dilexit, altare B. Petri, quod nimia vetustate et lapidum percussionibus quodammodo violatum videbatur, optimis marmoribus vestivit et decoravit ; et in festo Annuntiationis beatæ Mariæ cum toto Concilio lapidem altaris satis honorifice et devote consecravit. In qua videlicet consecratione (sicut invenimus in libris nostris scriptum) fecit re- D missionem trium annorum annualiter ad eam devote venientibus : (et *h* cancellis ferreis, ut apparet, prædictum sacrosanctum altare circumsepsit : candelabra quoque argentea magna ad ornatum ejus ante altare posuit; cortinis optimis et magnis ecclesiam adornavit.

h

Innocentius 2, ornat idem altare.

162 Innocentius papa secundus ad ornatum altaris B. Petri fecit fieri magnam Crucem argenteam, pensantem centum libras, et deauratam posuit juxta altare B. Petri manu dextra. Renovavit et Crucem stationalem, quæ vadit per Stationes ; et B. Petri altare optimis et deauratis vestibus vestivit. Porticum quoque B. Petri usque ad sanctam Mariam in Transpadinam novis trabibus restauravit, ex magna parte novis et optimis tegulis cooperuit. Condidit quoque privilegium, in quo concessit canonicis basilicæ B. Petri medietatem omnium ministeriorum omnium altarium, quæ sunt in ecclesia B. Petri et S. Mariæ in Turri, præter altare S. Leonis IX. papæ.

Quo tempore corpora SS. Apostolorum Petri et Pauli a Græcis de sepulturis suis furata sint : et ubi sepulta.

163 Elapsis a passione sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ducentis fere et quinquaginta annis, dum a Græcis corpora eorum de sepulturis suis ad Orientem ferenda tollerentur, videlicet S. Petri de Vaticano naumachiæ, et corpus S. Pauli de horto Lucinæ, ubi nunc est fabricata ejus ecclesia ; extitit terræ motus nimius ; cucurrit Populus Romanus et comprehenderunt eos in locum, qui dicitur Cata- E cumba, via Appia, milliario tertio ab urbe Roma : et ibi custodita sunt corpora anno uno et mensibus septem, quousque fabricaverunt loca, in quibus posita fuerant corpora eorum ; et illuc revocata sunt cum gloria hymnorum. Corpus scilicet B. Petri per papam Cornelium, et portatum in Vaticano naumachiæ : beati vero Pauli per Lucinam Christi famulam, secundo ab Urbe miliario in proprio ejusdem Lucinæ prædio in via Ostiensi.

164 Dehinc decursis, ut diximus, ducentis fere et quinquaginta annis cum divina clementia Dei ecclesiæ suæ pacem condonare decrevisset, Constantinum Augustum misericors Deus providentia sua lepra percussit. Hic itaque Augustus, cum per revelationem commonitus, Silvestrum papam a monte Soracte adscivisset, atque per ejus prædicationem credens in Christo, baptismatis unda perfusus esset, continuo ab ejus corpore universus languor fugatus est : moxque per universum orbem templa paganorum claudi imperans, Christianis copiam divina F construendi domicilia concessit. Tunc cum ipse per loca singula, plurima Christo sacraria construxisset, Romæ templum Apollinis, quod Vaticanum appellabatur, in divinum versum oraculum, B. Petri nomine dedicavit, ibique ejus sanctissimum corpus summa cum exultatione locavit : ac ne umquam a quolibet tam pretiosus inde thesaurus possit auferri, circa loculum ipsum, quo beatum corpus continetur, tantum æri ciprique liquorum præcepit effundi, ut ex omni undique latere, et tam supra, quam subter, ad quinque pedum crassitudinem, vastam molem efficeret ; quæ non solum minime rescindi, sed nec de loco, ullo modo moveri possit. Super æs ipsum autem posuit Crucem ex auro purissimo centum quinquaginta librarum. Patri etiam modo beatissimi quoque Pauli corpus venerabile in basilica, quam ipse ejus in honorem construxerat, sepelivit. Ad quorum sacra vestigia dum de toto undique mundo Fideles concurrunt, effectum...præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Deo Patre et Filio et Spiritu sancto vivit et regnat in secula seculorum. Amen.)

i

165 Hæc *i* sunt cœmeteria, quæ inveniuntur in Passionibus Sanctorum. Cœmeterium Calepodii ad S.

De Cœmeteriis, quæ inveniuntur in passionibus.

A S. Pancratium. Cœmeterium S. Agathæ ad Girulum. Cœmeterium Ursi ad Portesam; et Cœmeterium S. Felicis via Portuensi. Cœmeterium Calisti juxta Catacumbas. Cœmeterium Prætestati, inter portam Appiam ad S. Apollinarem. Cœmeterium Gordianum foris portam Latinam Cœmeterium inter duas Lauros ad S. Helenam. Cœmeterium ad Ursum pileatum ad S. Vivianam. Cœmeterium in agrum Veranum ad S. Laurentium. Cœmeterium ad S. Agnetem. Cœmeterium Fontis S. Petri. Cœmeterium Priscillæ ad pontem Salarium, et Cœmeterium Cucumeris. Cœmeterium Trasonis ad S. Saturninum. Cœmeterium S. Felicitatis. Cœmeterium S. Hermetis et Domitillæ, est foris portam Pincianam, ubi est ecclesia S. Hermetis martyris. Juxta cœmeterium S. Calisti est cœmeterium Pontianum. Cœmeterium S. Ciriaci est in via Hostiensi, ubi est ecclesia S. Ciriaci.

De Pontibus.

166 Hi sunt Pontes Romæ, qui in Legendis Sanctorum inveniuntur. Pons Milvius, qui est in via Flaminia. Pons Adrianus, qui nunc vocatur S. Petri. Pons Veronianus, qui nunc vocatur Pons fractus asuria. Pons Antoninus, qui fuit in Arenula. Pons Fabricius. Pons Grannus. Pons Senatoris, B qui nunc dicitur S. Mariæ. Pons Marmoreus Theodosii aripammea, et Pons Valentinianus *k*.

k

ANNOTATA.

a *Hæc* Nota, *atque iterum alia num.* 153. *cum absint a codice MS. Manlii nostri, sint autem in impresso Romani, manifeste conjicitur, ab hoc inserta fuisse.*

b *Cod. Impr.* Dominica de Passione.

c *Quæ hoc num.* 154. *et duobus seqq. referuntur, inserta hic sunt ex solo Cod. impresso Romani per Paulum de Angelis; suntque illius finis. Quæ deinde sequuntur, sunt in Codice nostro MS. Manlii.*

d *Sic etiam scribit Floravantes Martinellus in Roma sacra pag.* 46. *verosimiliter ex ipso Manlio; ponitque locum inter Amphitheatrum et Circum maximum, quod eodem redit.*

e *An forte legendum* Caminiana? *quæ Martinello est insula in monte Cœlio.*

f Arcus stillans, *idem qui num. præcedenti* Arcus stillæ, *et in Vita S. Stephani PP. I, apud Anastasium* Arcus stellæ. *Ponitur etiam ab antiquo Scripto-* C *re apud Martinellum, ante Septisolium.*

g *Hactenus dicta num.* 160. *de donariis Leonis IV. etiam supra a num.* 17, *relata fuerant, tum a Manlio MS. tum ex Romano impresso. Volui hæc tamen hic recudere, tum ut ne recedam a Cod. MS. tum quia variantes lectiones sensum auctoris nonnullibi fortassis clariorem reddere possint; tum præcipue, quia priori loco, manifeste deprehenditur erratum esse, ubi num.* 10. *sic legitur:* Condidit quoque *Leo* magnum privilegium Carticinium canonicis in perpetuum ecclesiam Salvatoris, *Leguntur autem hic sensu integro:* Condidit quoque magnum privilegium Cartecineum canonicis S. Petri, in quo, præter multa alia dona, donavit ejusdem canonicis in perpetuum ecclesiam Salvatoris.

h *Sequentia usque ad num.* 165. *desunt in nostro Manlio MS. Sunt autem in Romano impresso, et sunt ejus postrema.*

i *Uti præmissa tribus quatuorve postremis numeris, in solo leguntur Codice impresso Romani canonici; ita quæ hinc sequuntur, in solo nostro habentur Manlio MS.*

k *In his voces quædam obscuriores sunt,* Asaria Aripammea; *item pontes* Veronianus *et* Grannus; *uti quidem in MS. nostro leguntur. Duas priores nescio quo referam: posteriores inter pontium nomina* D *nusquam reperi hactenus. Eruditus quispiam Romæ Antiquarius, aut scripturam emendet, si perperam exarata est; aut explicet si possit. Pontem* Veronianum, *non credidero, urbem Veronam hic respicere: legi posset* Neronianus, *si istius nominis pons aliquando Romæ fuerit.*

CAPUT IX.

Ordo et successio Romanorum Pontificum.

Beatus Petrus Apostolus sedit annos XXV. menses VII. dies VIII.
Linus sedit annos XI. mens. III. dies XIII.
Cletus sedit annos XI. mens. I. dies XI.
Clemens I. sedit annos IX. mens. II. dies X.
Anacletus sedit annos IX. mens. II. dies X.
Evaristus sedit annos X. mens. VII. dies II.
Alexander I. sedit annos VIII. mens. V. dies II.
Sixtus I. sedit annos X. mens. III. dies XXI.
Thelesphorus sedit annos XI. mens. III. dies XXII.
Iginus sedit annos IV. mens. III. dies VI.
Anicetus sedit annos IX. mens. III. dies IV.
Pius sedit annos XI. mens. IV. dies XXI.
Soter sedit annos IX. mens. III. dies XXI.
Eutherius sedit annos XV. mens. VI. dies V. E
Zepherinus sedit annos IX. mens. VI. dies X.
Victor I. sedit annos X. mens. VI. dies X.
Calistus I. sedit annos V. mens. II. dies X.
Urbanus I. sedit annos VIII. mens. XI. dies XII.
Pontianus sedit annos V. mens. II. dies II.
Antheros sedit mens. I. dies XXV.
Fabianus sedit annos XIV. mens. XI. dies VI.
Cornelius sedit annos III. mens. II. dies III.
Lucius I. sedit annos III. mens. V. dies
Stephanus I. sedit annos IV. mens. II. dies XV.
Sixtus II. sedit annos II. mens. X. dies VI.
Dionisius sedit annos II. mens. III. dies
Felix I. sedit annos II. mens. X. dies XXV.
Euticianus sedit annos VIII. mens. X. dies IV.
Cajus sedit annos XI. mens. IV. dies XIV.
Marcellinus sedit annos VII. mens. II. dies XV.
Marcellus sedit annos VI. mens. dies XXII.
Eusebius sedit annos II. mens. II. dies XXV.
Milciades sedit annos III. mens. VI. dies VIII.
Silvester I. sedit annos XXIII. mens. X. dies XI.
Marcus sedit annos II. mens. VIII. dies XX.
Julius sedit annos XI. mens. II. dies VIII.
Liberius sedit annos X. mens. VII. dies VII. F
Felix II. sedit annos I. mens. dies
Iterum Liberius sedit annos V.
Damasus I. sedit annos XVIII. mens. II. dies X.
Siricius sedit annos XV. mens. XI. dies XXV.
Anastasius I. sedit annos II. dies XXVI.
Innocentius I. sedit annos XV. mens. II. dies XX.
Zosimus sedit annos I. mens. VIII. dies XXV.
Bonifacius I. sedit annos III. mens. VIII. dies XIII.
Cœlestinus I. sedit annos VIII. dies IX.
Sixtus III. sedit annos VIII. dies IX.
Leo I. sedit annos XXI. mens. I. dies XXVII.
Hilarius sedit annos VI. mens. II. dies X.
Simplicius I. sedit annos XV. mens. I. dies XII.
Felix III. sedit annos V. mens. XI. dies XVII.
Gelasius sedit annos IV. mens. VIII. dies XIX.
Anastasius II. sedit annos I. mens. XI. dies XXIV.
Simachus sedit annos XV. mens. VII. dies XXVIII.
Hormisda sedit annos IX. dies XVII.
Joannes I. sedit annos II. mens. VIII. dies XVIII.
Felix IV. sedit annos IV. mens. II. dies XIII.
Bonifacius II. sedit annos II. dies XXVI.
Joannes II. sedit annos II. mens. IV. dies VI.
Agapitus sedit annos mens. XI. dies XVIII.
Silverius sedit annum I. mens. V. dies XI.

Vigilius

A Vigilius sedit annos XVII. mens. VI. dies XXVI.
Pelagius I. sedit annos IV. mens. X. dies XVIII.
Joannes III. sedit annos XII. mens. XI. dies XXVII.
Benedictus I. sedit annos IV. mens. I. dies XVIII.
Pelagius II. sedit annos X. mens. II. dies X.
Gregorius I. sedit annos XIII. mens. VI. dies X.
Savinianus sedit annum I. menses V. dies X.
Bonifacius III. sedit mens. VIII. dies XXVIII.
Deusdedit sedit annos III. dies XX.
Bonifacius IV. sedit annos V. dies XIII.
Honorius I. sedit annos XII. mens. XI. dies XVII.
Severinus sedit annum I.
Joannes IV. sedit annum I. mens. IX. dies XVIII.
Theodorus I. sedit annos VI. mens. V. dies VIII.
Martinus sedit annos VI. mens. I. dies XXVI.
Eugenius I. sedit annos II. mens. VIII. dies XXII.
Vitalianus sedit annos XIV. mens. VI. dies
Adeodatus sedit annos IV. mens. II. dies V.
Donus sedit annum I. mens. V. dies X.
Agatho sedit annos II. mens. VI. dies III.
Leo II. sedit annum mens. V. dies XVII.
Benedictus II. sedit annos mens. X. dies XII.
Cono sedit annum mens. XI. dies IX.
Sergius I. sedit annos XIII. mens. VIII. dies XXIII.
B Joannes V. sedit annos II. mens. VII. dies XVI.
Joannes VI. sedit annos II. mens. VII. dies XVI.
Sisinnius sedit annum mens. dies XX.
Constantinus I. sedit annos VII. dies XV.
Gregorius II. sedit annos XVI. mens. VIII. dies XX.
Gregorius III. sedit annos X. mens. VIII. dies XIX.
Zacharias sedit annos X. mens. III. dies XV.
Stephanus II. sedit annos V. dies XVIII.
Paulus sedit annos X. mens. I. dies
Constantinus II. sedit annum I. mens. I dies
Stephanus III. sedit annos III. mens. V. dies XXVIII.
Adrianus sedit annos XXIII. mens. X. dies XVIII.
Leo III. sedit annos XX. mens. V. dies XVI.
Stephanus IV. sedit annum mens. VII. dies
Paschalis I. sedit annos VII. dies XXVII.
Eugenius II. sedit annos III. mens. II.
Valentinus sedit annum mens. dies XL.
Gregorius IV. sedit annos XII.
Sergius II, sedit annos III, mens. II.
Leo IV. sedit annos VIII. mens. III. dies VI.
Benedictus III. sedit annos II. mens. V.
Nicolaus I. sedit annos IX. mens. II. dies XX.
Adrianus II. sedit annos V. mens. III.
Joannes VII. sedit annos X. dies II.
C Marinus I. sedit annum I. mens. V.
Adrianus III. sedit annum I. mens. III.
Stephanus V. sedit annos VI. dies IX.
Formosus sedit annos V. mens. VI.
Bonifacius VI. sedit dies XV.
Stephanus VI. sedit annum I. mens. III.
Romanus sedit mens. III. dies XXIII.
Theodorus II. sedit dies XX.
Joannes VIII. sedit annos II. dies XV.
Benedictus III. sedit annos III. mens. II.
Leo V. sedit dies XL.
Christophorus I. sedit mens. VIII.
Sergius III. sedit annos VII. mens. III. dies XVI.
Anastasius II. sedit annos II. mens. II.
Lando sedit mens. VI.
Joannes IX. sedit annos XIV. mens. II. dies III.
Leo VI. sedit mens. VI.
Stephanus VII. sedit annos II. mens. I.
Leo VII. sedit annos III. mens. VI. dies X.
Joannes X. sedit annos IV. mens. X.
Stephanus VIII. sedit annos III. mens. IV. dies XV.
Marinus II. sedit annos III. mens. VI. dies XIV.
Agapitus II. sedit annos X. mens. VI. dies X.
Joannes XI. sedit annos VII. mens. X. dies V.
Benedictus V. sedit mens. II. dies V.

Leo VIII. sedit annum I. mens. IV. D
Joannes XII. sedit annos VII. mens. XI. dies V.
Benedictus VI. sedit annum I. mens. VI.
Donus sedit annum I. mens. VI.
Bonifacius V. sedit mens. I. dies XII.
Benedictus VII. sedit annos IX. mens. VI.
Joannes XIII. sedit mens. VIII.
Joannes XIV. sedit mens. IV.
Joannes XV. sedit annos X. mens. VII. dies X.
Gregorius V. sedit annos II. menses V.
Joannes XVI. sedit mens. X.
Silvester II. sedit annos IV. mens. I. dies VIII.
Joannes XVII. sedit mens. V.
Joannes XVIII. sedit annos V.
Sergius IV. sedit annos II.
Benedictus VIII. sedit annos XI. mens. XI. dies XXI.
Joannes XIX. sedit annos IX. mens. IX.
Benedictus IX. sedit annos XIV.
Silvester III. sedit dies LXVI.
Gregorius VI. sedit annos II.
Clemens II. sedit mens. IX. dies VII.
Leo IX. sedit annos V. mens. II. dies VI.
Damasus II. sedit annos III. mens. II. dies VI.
Victor II. sedit annos II. mens. III. dies XIII.
Stephanus IX. sedit mens. IX.
Benedictus X. sedit mens. IX. E
Nicolaus II. sedit annos II. mens. VI.
Alexander II. sedit annos XI. menses VI. dies XXV.
Gregorius VII. sedit annos XII. mens. I. dies IV.
Victor III. sedit annum I.
Urbanus II. sedit annos VI. mens. IV.
Paschalis II. sedit annos XVIII. mens. V. dies VII.
Gelasius II. sedit annum I.
Calistus II. sedit annos V. mens. X. dies XIII.
Honorius II. sedit annos V. mens. II. dies IV.
Innocentius II. sedit annos XIII. mens. VII. dies VII.
Cœlestinus II. sedit mens. V. dies VIII.
Lucius II. sedit mens. XI. dies IV.
Eugenius III. sedit annos VIII. mens. IV. dies X.
Anastasius IV, sedit annum I. mens. IV. dies XXIV.
Adrianus IV. sedit annos IV. mens. VIII. dies XXVIII.

Hæc alia manu addita est nota in MS.

Qui sequuntur, additi sunt usque ad Clementem V. post Mallii obitum. *Videlicet,*

Alexander III. sedit annos XXII.
Lucius III. sedit annos IV. mens. II. dies XVIII.
Urbanus III. natus Lombardus sedit annum. I. mens. X. dies XV.
Gregorius VIII. natus Beneventanus sedit mens. I. dies XXVII. F
Clemens III. natus Romanus sedit annos III. mens. III. dies X.
Cœlestinus III. natus Romanus sedit annos VI. mens. IX. dies X.
Innocentius III. natus Romanus sedit annos XIII. mens. IV. dies X.
Honorius III. natus Romanus sedit annos X. mens. VII. dies XX.
Gregorius IX. natus Capanus sedit
Cœlestinus IV. natus Mediolani, sedit annos mens. dies XIV.
Innocentius IV. natus Lombardus sedit annos XI. mens. VI.
Alexander IV. natus Campanus sedit annos VII. mens. III. dies IV.
Urbanus IV. Ultramontanus sedit annos IV. mens. IV. dies IV.
Clemens IV. Ultramontanus sedit annos III. mens. IX. dies XXI.
Gregorius X. natus Placentinus sedit annos IV. dies X.
Innocentius V. Ultramontanus sedit mens. V. dies V.

Adrianus

A Adrianus V. Januensis sedit dies XL.
Joannes XX. Hispanus sedit mens. VIII. dies I.
Nicolaus III. Romanus sedit duobus annis.
Martinus Ultramont. sedit annos IV. mens. I. dies IV.
Honorius IV. Roman. sedit annos II.
Nicolaus IV. Eschulanus de Marchia, de Ordine Minorum, sedit annos IV.
Cœlestinus de Morrone, qui renuntiavit infra annum. D
Bonifacius VIII. natus Campanus sedit annos VIII. mens. IX.
Benedictus de Ordine Prædicatorum sedit mens. VIII.

ALTER LIBELLUS

DE ANTIQUA S. PETRI AP. BASILICA

IN VATICANO

A Maphæo Vegio ejusdem basilicæ canonico conscriptus.

PRÆFATIO EDITORIS

C. J. De Auctore ejusque gestis ac scriptis aliis.

B *Auctoris Natales,* *Pluscula hic, quam supra ad libellum Petri Manlii, præfari de Auctore licebit, tum ex ipsiusmet scriptis, in Magna Bibliotheca Patrum tomo* XV. *anno* MDCXXII. *Coloniæ impressis; tum ex aliis, in nostro de Actis Sanctorum opere primum vulgatis in loco non uno; tum etiam ex vitæ ejus compendio, quod extat cum ejusdem libris de educatione liberorum et claris eorum moribus, in collectione variorum istiusmodi opusculorum, Basileæ impressum anno* MDXLI. *apud Robertum Winter; recusum vero cum pluribus Maphæi opusculis in citata Bibliotheca Coloniensi ex recognitione P. Andreæ Schotti Societatis nostræ, qui et nonnulla in dicto Vitæ compendio reformavit.*

parentes, 2 *Maphæus itaque Vegius, orator et poeta insignis, uti ejus opera testantur, civitatem in ducatu Mediolanensi Laudensem (quæ et Laus nova Pompeia multis dicitur, excitata seculo* XII. *ab imperatore Frederico Ænobarbo ex ruinis Laudis Pompeiæ veteris, a Bojis olim conditæ, et a Mediolanensibus aliquot tunc ante annos destructæ, vulgo* Lodi) *patriam habuit, natus ex familia clara, patre Bellorio, matre Catharina Lauteria, anno Christi nati* MCCCCVI. *uti mox ostendam ex ipsiusmet scriptis. Non a matre, sed a nutrice pia femina et moribus integra, verecundiaque præcipua, lactatus infans,* *nutrix,* *una cum lacte mores quoque ejus suxit. Quales autem* C *illi mores fuerint, sic tradit ipse lib.* I. *de educatione liberorum cap.* 4. *in fine :* Me autem aluit nutrix tantæ verecundiæ, ut viris coram, ne oculos umquam attolleret : feminas vero sæpius intuens erubesceret : memorque sum a matre accepisse, numquam se illam, quin rubore magno semper suffunderetur, alloqui potuisse. Erat præterea loquendi parcissima, solitudinis appetentissima, turbæ inimicissima, adeo ut domi ferme semper, marito longe illam increpante, se contineret. Hujus ita nutricis meæ mores examussim me comitati sunt, acsi cor ejus atque animam cum lacte simul imbibissem.

pueritia, in studiis Mediolani acta, 3 *Puer Mediolani in Grammaticæ disciplinis pium senem institutorem nactus, ibi anno* XII. *ætatis suæ concionantem audivit S. Bernardinum Senensem ex ordine Minorum, quatuordecim tunc annis continenter in prædicandi munere versatum. Ex quo colligitur, nativitatem Maphæi referendam esse ad annum Christi* MCCCCVI. *Mundo quippe natus Bernardinus anno* MCCCLXXX. *in festo Nativitatis B. Mariæ* VIII. *Septembris, primitias suas sacerdos ordinatus Deo obtulit anno* MCCCCIV. *in eodem festo; et continuo concionari cœpit; ut post annos quatuordecim illo in labore transactos, debeat fluxisse annus* MCCCCXVIII. *quando Mediolanum concionator venit, ibique a Maphæo anno circiter duodecim ætatis ejus auditus est : illis autem a decem et octo abstractis, reducitur nativitas ejusdem ad annum sextum supra millesimum et quadringentesimum.* E

4 *Pleraque hactenus dicta fundantur in ipsius Maphæi scriptis de Vita S. Bernardini, apud nos die* XX. *Maji impressis tomo* V. *a pag.* 117*. *cap.* 2. *num.* 17. *ubi de tempore suscepti ab eo habitus religionis, primæ Missæ et prædicationis initio : tum cap.* 5. *num* 35. *ubi prædicationis Bernardini atque ætatis suæ annum simul indicat Maphæus, suamque etiam tunc temporis indolem ac mores sufficienter declarat.* Bernardinus, *inquit citato cap.* 5. *num.* 34. tandem venit Mediolanum, actis jam quatuordecim annis, quibus disseminando verbo Dei semper intenderat. Ego tum, dum puer essem duodecim circiter annos natus, recolo eum ibi vidisse, absque ullo prorsus nomine et fama; audivisse etiam in populo loquentem. *ubi anno 12 ætatis suæ*

5 Nam erat mihi præceptor Grammaticæ optimus quidam senex, qui diebus festis cum verba faceret, audire eum avide, ac discipulos quosdam, præcipue sibi commendatos, quorum unus eram, audituros etiam simul secum ducere consueverat, dicereque ad nos sæpius; Eamus filii, audituri bonum illum Fraterculum, tam vili ac trita indutum veste, cui tanta linguæ gratia, tantus splendor eloquii tam aptus dicendi modus, tanta verborum simulatque sententiarum majestas. Hujusmodi enim solebat sermonem de illo proferre : nam magnifice egregieque eum semper commendabat atque extollebat, affirmans constanter, numquam similem illi aliquem vidisse. Ego judicio magistri mei fretus, non meo, quod nullum quidem erat propter breviorem ætatem, maximi faciebam hominem, audiebamque verba illius attente, licet minus capax esset ingenium ad accipiendum pondus ipsorum : sed cum talem illum esse arbitrarer, qualem magister judicabat, videbantur mihi omnia quæcumque diceret, divino ore prolata. *Hæc uti ad commendationem S. Bernardini concionatoris multum faciunt, ita non parum indolem in pueritia facilem atque morigeram commendant scriptoris.* *Bernardinum Senen. concionantem audivit.* F

6 *Idem scriptor eodem in opere de Educ. liberorum libro* 2. *cap.* 8. *ait, se* pudoris *(quam virtutem a se cum lecte nutricis verecundæ haustam dixit)* et laudis studio *mirifice in litteris profecisse.* Quid verius, *inquit,* hac sententia *(quod juventus, ex doctrina Lyconis Philosophi, debeat pudore simul ac laude ad litterarum studia incitari, sicut equus calcaribus ac freno ad currendum)* quid præclarius? Ego ita eam veram et præclaram affirmare audeo; ut nihil in tenerioribus annis, quibus summa sub magistri cura eruditus fui, *Quibus maxime incitatus sit ad discendum*

A fui, senserim, quod ad percipiendas magis litteras profuerit. Solebat enim Magister [ut recolo, ac recolens sæpe rideo] dividere, quasi in bellatorum acies, discipulos invicem disceptaturos sub judice eorum quopiam, qui doctior videbatur : atque ubi probe conflictatum esset, qui fortius præstantiusque pugnassent; et laudibus plurimum efferre, et sedibus etiam dignioribus honestare. Id genus decertandi non possum satis dicere, quantum me, ne inferior aliis saltem judicarer, ad sustinendam omnem vigiliarum studiorumque molem, plusquam ætas etiam illa pateretur, incendebat; quantumque incitabat, ut qui doctiores alii videbantur, imitarer, excellentioresque sequens, tardiores minime attenderem. *Atque hæc ad primum Maphæi admodum pueri magistrum (duos quippe habuit in Grammaticæ studiis) referenda sint. Transit inde undennis ad alterius pii senis disciplinam, uti sequitur ex cap. 9 ejusdem libri.*

sub primo magistro,

7 Narrabo, *inquit ibi*, et alterius præceptoris mei artificiosiorem erudiendi industriam, quæ cum et laudis amore et pudoris metu pueros magis ad litteras excitaret, eo convenientius et huic loco subjicienda est. Secundum itaque mihi pater præceptorem B adhibuit; non quod primi doctrina aut cura aut mores illi displicerent, quem summo certe amore assiduaque familiaritate, convictu etiam frequenti, conjunctissimum habebat; sed quod ex Mediolanensi urbe, in qua educatus fui, in aliam patriam, cogente nescio qua rerum suarum ratione, migravit. Traditus ergo fui seni cuidam, cujus me delectat memoria, propterea quod licet non multum doctus esset, summa tamen humanitate morum, simplicitate quoque atque integritate vitæ eximia præstabat. *Tum subdit; qua industria ille pueros instituebat, animabatque ad studendum alacrius; et paulo post describit, quomodo ipse sub ejus disciplina profecerit, hac narratione.*

item sub secundo

8 Quare cum de laudandis pueris sermo susceptus sit, instabo etiam magis, atque alia, quæ mihi sub eodem præceptore contigerunt, non omittam. Cum enim a primo doctore, a quo jam omnia Grammatices rudimenta perceperam, transissem in secundi magistri disciplinam, ac propter breves annos (nondum enim undecimum annum attigeram) viderer sibi, ea quæ minime ignorabam (præ pudore autem, non ignorare subticebam) edocendus : ubi ille animadvertit, et celeriter quæ me docebat ediscere, et scite, priusquam etiam doceret, ad omnia quæsita respondere, mirari adeo cœpit, ut et subdocentes, C ultro advocans, in admirationem secum duceret; et magna sæpius ac præclara de tanta ingenii bonitate (cum longe tamen falleretur) prædicaret : sineret multa proinde etiam mihi pro arbitrio licere. Ejus ego magistri amore atque humanitate, illis ego laudibus allectus, ad litterarum tantum studia incensus fui, quantum, si sub primo præceptore perstitissem, sperandum de me nihil umquam prorsus fuisset. Erat enim asper, rigidus, iracundus; qui et diligentius me curare existimans, sæviebat sæpius plagis; etiam ubi opus non erat, minisque deterrebat; terrore deprimebat, solitudine constringebat; animum vix umquam relaxare permittebat. Ex illius itaque disciplina, tamquam e carcere liberatus, atque ad alterum humaniorem dulcioremque præceptorem translatus, mirum est quam erexi me animo, quam litteris toto me dedi studio, quam laborem ultro omnem, discendi causa, suscepi; adeo ut nonnulla jam ipse poetarum volumina evolverem, et carminis aliquid novi (ad quod mira vi naturæ impellebar) quotidie semper excuderem, nemine etiam docente. Neque enim erat quisquam ejus negotii gnarus. Ita profuit, lenem, blandum, ac ipsius, qualecumque esset, ingenii laudatorem admiratoremque magistrum habuisse.

suavi ac industrio sene.

9 *Paria de suo in poesim genio prosequitur lib. 3. cap. 2. prohibetur autem a patre ei indulgere, volente, utilioribus studiis animum ut applicaret. Sic ibi loquitur :* Quæ experientia didici, nimirum recte illa testari possum, qui a tenella usque ætate, neque ducente neque docente quoquam, sola autem tantum impellente natura, tam vehementi poetarum amore inflammari cœpi, ut eorum comparatione cetera mihi parva viderentur : quibus, cum secunda aura navigans, totis jam remis incumberem, prohibuit me pater, atque ad Dialecticen, tamquam ad graviorem honestioremque disciplinam ut studium converterem, jussit. Parebam itaque paternæ voluntati : cum tandem naturæ longe majus imperium evicit, ut Musas, quibus latenter ac furtim quidem, ne id pater præsentiret, vacabam, revocarem. Post Dialecticen vero, quam non minus certe quam pestiferum quiddam exhorrebam, translatus fui a patre in primo ipso pubertatis limine ad studia jurisconsultorum, quorum lectione, propter summam, quam in eis offendi et ingenii et eruditionis et eloquentiæ vim, plurimum semper delectatus fui. Ceterum quod ad exercendam eam facultatem spectat, nihil est, a quo umquam magis abhorruerim; nihil, quod naturæ meæ adversum umquam repugnansque magis habuerim; ut [quod Naso de se canit] D E

c. 1. Mittitur ad Dialecticen

ac Jurisprudentiam discendam

Nec me verbosas leges ediscere; nec me
Ingrato voces prostituisse foro,

licuerit. Quare poetas, licet me multa inde violentissime retraherent, cogente tamen majore nescio qua vi animi, inter ipsa legum studia repetebam; in quibus quantulumcumque profecerim; illud certe non ambigo, parum me vel nihil in quavis alia disciplina consecuturum umquam fuisse. Tam invicta indomitaque est, tanto imperio dominatur sua cuique natura.

invita Minerva.

10 *A jurisprudentia, quam didicit quidem non illubenter, sed inducere animum non potuit, ut illam publice exerceret, videtur sanctioribus studiis applicuisse animum, seque Romam deinde contulisse. Quando autem? Sunt qui Maphæum Martini PP. V. anno* MCCCCXXXI. *defuncti, Datarium faciunt, quos inter Waddingus in annalibus suis ad annum* MCCCLXXX. *non uno loco, et ante ipsum, ad impressum Romæ an.* MDLXXXVI. *Maphæi carmen de translatione S Monicæ, monetur lector, quod* Maphæus Vegius Martini Papæ V. Datarius, ad recipiendas et honorifice collocandas S. Monicæ reliquias sacras, marmoreum sepulcrum, mira arte elaboratum, erigendum tunc curavit, cum illæ Romam transferrentur. *Alii etiam scribunt, Maphæum et translationem sacri corporis curasse, et suis impensis perfecisse. Quæ quamquam negare nolim posse omnia sic facta fuisse; cuperem tamen scriptorem habere ipsi tempori translationis propinquiorem, qui id asserat.* F

Quando Romam profectus,

et Datarius Papæ factus sit,

sub Martino V.

11 *Martinus Papa tam in suo Brevi de translatione corporis, quam in sermone ad Fratres Augustinianos, qui dicitur ex verbis ipsius Pontificis fuisse editus, nominat nonnullos, quorum rogatu consensit, corpus Ostia Romam transferri, et quorum opera id factum fuit; videlicet Petrum Electensem episcopum, Apostolicæ capellæ Sacristam et confessorem suum, Ordinis Eremitarum S. Augustini; qui* vocavit ad se alium Fratrem Augustinum, atque illi operam dat negotii deducendi : ille vero ut libenter suscepit, ita sine mora omnia parat, quæ viderentur opportuna negotio : idem ceteros *Ordinis* sui sollicitat, ut in rem parati adsint : nam si in animo esse, ut in die Palmarum transveherentur. *Hæc in Sermone citato : in quo nulla uspiam mentio fit Maphæi, aut curæ ab ipso adhibitæ in translatione.*

12 *Præterea in Vita Maphæi utriusque editionis indicatæ legitur :* Romam demum profectus Maphæus

A Eugenio Pontifice Maximo, adscitus est in scribarum Magistrum; in quo munere cum summa integritate et modestia versaretur, ad majorem est evectus dignitatem, quam Datariam vulgo ibidem nominant. Post in canonicorum primariæ ædis Apostolorum collegium honorifice cooptatus est: qua contentus dignitate, episcopatum magni sane proventus recusavit; cum se imparem et minus idoneum (tantæ erat modestiæ) tanto oneri prædicaret. Post Eugenii Papæ obitum non minori caritate et benevolentia illum Nicolaus quintus, qui Eugenio successit, complexus est; a quo et res litteraria illustrabatur et litterati omnes liberalissime fovebantur. *Hactenus Vita, quæ Maphæi adventum Romam, post obitum Martini, sub Eugenio PP. IV. signat, atque ab hoc primo magistrum scribarum, deinde Datarium ejus creatum fuisse, enuntiat. Ex quo concluditur, ipsum vivente Martino, neque Datarium ejus egisse, neque translationem S. Monicæ curasse, aut ei interfuisse; imo nec Romam sub Martino venisse.*

c. 1.

an sub Eugenio IV,

13 *Et vero ætas Maphæi, quæ moriente Martino Papa anno* MCCCCXXXI, *mense Februario, annum* XXVI, *poterat attigisse, dissuadet, ipsum fuisse sub Martino* B *Datarium. Quippe officium illud, teste Dominico Marco in Hierolexico, est* magnæ æstimationis, estque prælatitium et aliquando cardinalitium: *ut vix credibile videri possit, sapientissimum Pontificem juveni, et Romæ quodammodo peregrino (si tamen tunc Romam venerat) et rerum curiæ Romanæ non perito, tantæ dignitatis munus, quod experientiæ virum requirit, statim contulisse. Prudenter Eugenius primo ipsum ad minora officia; in iisque probatum, ad Datariam promovit; nec vero illum ipse ad minora adhibuisset, si jam tum sub Decessore suo Datariam administrasset. Debuerit igitur Maphæus Datarii dignitatem Eugenio, non Martino.*

quem Maphæus herum suum agnoscit?

14 *Id quod ipsemet etiam gratus agnoscit in hoc ipso opusculo, quod edimus. In quo cum multos Pontifices Romanos celebret, eorumque gesta laudet, et sepulturæ loca frequenter designet; imprimis gratum animum suum effundit in Eugenium PP. IV. et Nicolaum V. quorum Datarius fuerat; et utrique suo marte epitaphium condidit; nulla uspiam Martini V. mentione facta, nedum signo gratitudinis suæ dato. De Eugenio quippe jam tum demortuo sic loquitur num.* 132. Cujus dulcis heri mei memoriam, uti animo continuo gero, ita verbis libenter usurpo. *Et de Nicolao:* Qui fuit alter, numquam ex animo delendus C mihi, optimus herus meus. *Tum utriusque animi dotes laudat; ac demum addit:* His nos ambobus etiam epitaphia condidimus, quæ sequuntur: *atque illic legi possunt. Inter hæc, adeone oblitus fuerit Maphæus Martini Papæ et beneficiorum ejus, si ab illo peregrinus Romam veniens exceptus, honoribus affectus, Datariæ præfectus, translationem quoque S. Monicæ curare jussus fuisset, ut hoc loco, aut alibi in hoc suo tractatu, ubi frequens occasio erat, nusquam illius aut illorum meminerit? Cum tamen beneficia Martini in Maphæum longe pluris fuissent æstimanda, quam quæ deinde ei collatæ fuerunt ab Eugenio et Nicolao. Quia Martiniana fuissent prima, quæ facilem sternebant viam ad posteriora sub sequentibus Pontificibus.*

An translationi S. Monicæ adfuerit?

15 *Igitur quod* tunc, *cum reliquiæ S. Monicæ Romam transferrentur anno* MCCCCXXX. *uti supra allegatum est, Maphæus, et Martini V. Datarius fuerit, et ad recipiendas reliquias marmoreum sepulcrum mira arte elaboratum, erigendum curaverit, æque a vero alienum est. Ut non dicam, quod sepulcrum marmoreum, mira arte elaboratum, illo anno elaborari vix aut ne vix quidem potuerit. Verosimiliora scribit Pancirolus Hippolytus, e Societate Jesu, in Thesauris absconditis urbis Romæ, sub nomine Oc*tavii Panciroli *Italice editus Romæ typis Zannetinis, primum anno* MDC. *in* 4. *deinde actius recusus ibi in octavo, atque anno* MDCXXV. *paulo post obitum Hippolyti, denuo editus. Ibi in Regione Urbis sexta, ecclesia prima, quæ est S. Augustini, dicit Auctor, sacellum S. Monicæ magnis impensis fuisse ornatum anno* MCCCCXL. a Maphæo Vegio, celebri poeta illius temporis et Datario Eugenii IV. *Fecerit igitur Maphæus sepulcrum marmoreum S. Monicæ, quod ornavit anno* MCCCCXL. *decimo post corporis translationem anno.* D

Opera ab ipso composita atque impressa;

16 *Sequitur in Vita Maphæi. post allegata a me supra num.* 12. *in editione Schotti:* Scripsit multa pedestri et equestri oratione. Carmine quidem librum de ultimis Æneæ gestis et obitu, quem tertium decimum Æneidos nuncupavit, non quasi imperfectum esse opus Maronis putaret, sed ut in Poeticis ingenium, ad quæ ferebatur, exerceret: idque ad exemplum Quinti Smyrnæi, qui Homero Παραλειπόμενα librum decimum quartum addere est ausus. Lusit et Vegius de morte Astyanactis librum unum, quem nuper Coloniæ in Ubiis Franc. Modius evulgavit. Antoniados item libros quatuor, de beatissimi anachoretæ Antonii Vita conscripsit heroicis versibus, quibus excelluit: etsi epigrammata et elegos conscripsisse etiam adolescens fertur. Prosa seu soluta oratione scripsit hæc, quæ quidem extant; Terræ, Solis et Auri altercationem, opusculum elegans: item, de Perseverantia in Religione libros sex, ad sorores religiosas Elizabetham et Monicam: et de Quatuor novissimis librum singularem: Dialogum quoque Philalethen, de veritatis amore, ad Eustachium fratrem. Habuit et alterum fratrem Laurentium. Denique de puerorum Institutione, post Plutarchum Chæronensem..... eruditissimos atque utilissimos libros sex reliquit; qui Parisiis anno MDXL. *et Basileæ anno sequenti ex officina Roberti Winter, atque anno* MDCXXII. *in Bibliotheca Patrum, tomo* XV. *Coloniæ Agrippinæ, prodierunt.* E

alia deinde inventa.

17 *Et hæc quidem Maphæi opera, in citato Bibliothecæ tomo impressa sunt omnia; non tamen sunt* omnia, *quæ (ut ibidem affirmatur)* reperiri potuerunt. *Repererunt postea Decessores nostri anno* MDCLXI. *alia Romæ in Bibliotheca Altempsiana, videlicet* libros tres de vita et obitu B. Monicæ ex verbis S. Augustinis. *Item* Officium B. Monicæ et Officium translationis ejusdem. *Item* Vitam et Officium S. Augustini; et Officium conversionis ejusdem. *Præterea* Vitam et Officium B. Nicolai Tolentinatis. *Et hæc omnia indicantur tomo primo de Actis Sanctorum Maji pag.* 491. *num.* 16. *iterumque tomo quinto pag.* 87.* *in* S. Bernardino Senensi. *Atque hic insuper indicatur idem Auctor etiam scripsisse librum* de felicitate et miseria Palinuri et Charonis: *item* Vitam B. Petri Cœlestini *scripsisse* Romæ ad S. Petrum anno 1444. *et* vitam S. Bernardini Senensis *ibidem* anno 1453. *Additur etiam tractatus* re rebus antiquis memorabilibus basilicæ S. Petri Romæ. *Ex his Vita S. Bernardini, ante non edita, impressa est tomo* V. *Maji nostri pag.* 117.* : *et hic ex MS. datur opusculum de basilica S. Petri, prout sequitur. Quod felix faustumque sit ad communem utilitatem.* F

Obitus Maphæi,

18 Clausit Maphæus Romæ diem extremum, *ut in Vita a Schotto recognita,* anno primo pontificatus Æneæ Silvii, qui Pius secundus est Pontifex nuncupatus; Christi vero MCCCCLVII. secundum Trithemium, sepultus in templo Augustini in sacello, quod in honorem B. Monicæ, Augustini matris optimæ, dum viveret, ornatissime erexit: ubi ossa ipsius Monicæ ab Ostia in Urbem, impensa Maphæi, translata sunt et opulento sarcophago condita, cum illius tetrasticho:

Hic Augustini sanctam venerare parentem.

Votaque

A Votaque fer tumulo, quo jacet illa, sacro :
Quæ quondam gnato, toti nunc Monica mundo
Succurrit, precibus præstat opemque suis.

A quo etiam Sacerdote divinum Officium in honorem S. Monicæ, quod in Urbe celebratur, compositum est; uti et S. Nicolai Tolentinatis ejusdem Ordinis Eremitarum Augustinianorum.

de illo quædam observanda,

19 *Si obiit Maphæus, uti hic dicitur, anno primo pontificatus Pii II. qui exordium habuit anno Christi* MCCCCLVIII. *mense Augusto, mors ejus incidisse dicenda est in eumdem annum vel proxime sequentem, quam Trithemius, ut ibidem notatur, ad* MCCCCLVII. *refert. Scio, scriptorem hunc libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, de Maphæo (cujus tamen mortis annum ibi tacet) varia tradere, quæ nobis minus probantur, quamvis alii passim post ipsum eadem scripserint. Puta, quod Datariam administravit atque translationem B. Monicæ curavit sub Martino PP. V. Nihilominus potior videtur mihi quidem sententia ejus, adscribentis obitum Maphæi anno* MCCCCLVII. *qui fuit tertius Callisti PP. tertii; quam altera, quæ illam differt ad annum primum Pii II. Ducor conjectura hac, quia, cum scripserit Maphæus opusculum suum de Memorabilibus Basilicæ* B *S. Petri sub finem Vitæ, utique de Papa Callisto mentionem fecisset aliquam, quemadmodum cum laude loquitur de decessoribus ejus Eugenio et Nicolao, quibus et epitaphia posuit, si ipse Callisto supervixisset.*

item de templo S. Augustini

20 *Quæ ibidem leguntur, quod post obitum suum in templo S. Augustini sepultus fuerit Maphæus, per prolepsin dicta sunto. Anno quippe tertio Callisti aut primo Pii, ac toto hujus pontificatu Eremitæ S. Augustini, ut scribitur, templum sub sancti istius nomine nondum habebant, obeuntes divina Officia in vicina domui suæ antiqua ecclesia S. Tryphonis, donec* anno MCCCCLXX. *inchoarunt Patres illi* majorem ecclesiam sub titulo S. Augustini, *quam* post annos novem Guilielmus Estoutevilla Cardinalis archiepiscopus Rotomagensis, *Protector Ordinis,* a fundamentis sub alia pulchriore et capaciore forma absolvit, *uti scribit Pancirolus de Ecclesiis Romanæ urbis. Ex quo constat, Maphæum statim a morte in ecclesia S. Augustini tumulari non potuisse. Alterum quoque, quod ossa S. Monicæ ab Ostia in Urbem* impensa Maphæi

ac translatione S. Monicæ.

translata *fuerint, non facile credent illi, quibus quæ supra a num.* 10. *retulimus, probabuntur. Quod* impensa ejus *eadem sacra ossa* opulento sarcophago condita *deinde sint, probatissimum est.*

Veriora de ecclesiæ S. Augustini initiis.

C 21 *Atque hæc quidem secundum auctoritates allegatas, ita videntur statuenda esse. At vero scrupulum mihi movet lectio Maphæi in sequenti tractatu num.* 89. *ibi loquens de antiquo Apollinis fano,* cujus etiam, *inquit,* ingentem quamdam testudinem subterraneam, multis magnisque demolitorum ædificiorum ruderibus obrutam, noviter vidimus, cum fundamenta, ubi nunc novum B. Augustini templum erectum est, jacerentur. *Ita Maphæus de visu ac certa scientia sua. Igitur vel ipse multo diutius quam ad initium Pontificatus Pii II. vixit; vel multo ante annum* MCCCCLXX. *habuit ibi ecclesiam sub nomine S. Augustini Ordo Eremitarum. Crediderim ego (salvo meliori) ad conciliandas dissidentium sententias; diu ante, commorante Maphæo Romæ, ibidem fuisse extructam sub nomine S. Augustini ecclesiam minus nobilem, ad commodiorem usum adhabitantium Religiosorum, quam erat ecclesia S. Tryphonis; cujus fundamenta jaci vidit Maphæus ipse; et opus perfectum, S. Augustini templum appellari, audiverit quotidie. Et credi possit, ædificationem cœptam fuisse occasione translati corporis S. Monicæ Romam : in qua et Maphæus illi erexerit anno* MCCCCXL. *uti supra n.* 15. *insinuatum est, mausoleum.*

Notanda de tractatu, quem edimus

22 *Ad præsentem tractatum Auctoris nostri quod attinet, dabo ipsum prout accepi ex codice MS. Parisiis, ut dixi, submisso, qui a sesquiseculo Romæ transscriptus fuit, ut ad calcem librarius ipse notatum reliquit his verbis :* Manu Christophori Auveri hic liber scriptus fuit Romæ, ut plures alii, Reverendissimo et Illustrissimo D. Cardinali d'Armaignaco, Patrono suo observandissimo. *Creatus is fuit Cardinalis a Paulo PP. III. ann.* MDXLIV. *et in illa dignitate pervixit annos omnino quadraginta, æstimator singularis bonarum litterarum, ac litteratorum protector, qui et plures codices antiquos sibi curavit describi et scriptores liberaliter aluit.* D

ejusque divisione

23 *Divisit Auctor opusculum suum in libros quatuor. Primum et secundum divisit item in capita, et singulis titulum suum præfixit, non tamen in tertio et quarto id præstitit, qui uno tenore sine divisione decurrunt. Nihil in his mutare mihi visum est, judicanti, gratiorem fore viris intelligentibus operam meam, si istum opusculum proferam absque ulla mutatione, prout est in codice MS. Tantummodo adjiciam in margine notus breves, quæ indicent, quid quoque loco tractetur in textu, quæ et supplere possint defectum titulorum, qui duobus ultimis libris, ut dictum est, nulli sunt. Nonnulla etiam per decursum deprehendo, quæ Auctor aut per se, aut ex communi tunc opinione crediderit vera esse, nunc autem minus credibilia sunt; quale est illud, quod lib. 4. num.* 107. *Paulinum Vitæ S. Ambrosii scriptorem, facit* S. Paulinum episcopum Nolanum. *Item quod paulo post subjungit, Anicium Probum, prætorio Præfectum, qui anno* CCCLXIX. *Ambrosio commisit administrandam Insubriam, adhuc* gentilem, electum fuisse a Constantino imperatore ad audiendas diversas Athanasii, Arii, Sabellii, Photinique de fide Catholica opiniones, ferendamque de iis, quænam verior esset, sententiam. *Quæ, ut aliud non dicam, manifeste peccant in veram Chronologiam.* E

et hallucinationibus,

item de omissionibus

24 *Denique dum lego attentius historiæ hujus librum* IV. *in quo multa memorantur ædificia et monumenta antiqua, quæ Auctor suo tempore adhuc vidit consistere atque item destrui, aut alio transferri, quorumque memoria absque ipso fortasse nulla ad posteros fuisset transmissa : dum, inquam, librum illum lego attentius, simul observo, posse opus hic non completum edi. Nonnullibi enim promittit Auctor, se de argumento, cujus forte ibi mentio incidebat,* infra suo loco *plura dicturum esse, uti num.* 119. *et sequenti, de Leone PP. IV. Atque antea num.* 112. *de oratorio S. Mariæ in cancellis. Et num.* 114. *de hospitali S. Peregrini. Quorum tamen omnium promissorum nihil* infra F *præstatur in MS. nostro. Idem manifestius etiam deprehenditur ex num.* 142. *ubi de quinque portis ecclesiæ S. Petri agendum proponit; et mox num. seq. descripta sola media, quæ Argentea appellatur, reliquarum ne verbo quidem mentione injecta, transitur ad aliud argumentum longe diversum. Item eodem num.* 143. *denuo monet, uti supra, se, de Leone IV. et porta Argentea ab ipso restituta,* suis infra locis dicturum : *cum tamen paulo post finiatur totum opusculum.*

et promissionibus non impletis.

25 *Quid suspicer causam esse tot omissionum? Certum est, Auctorem sub finem vitæ suæ præsens opusculum composuisse. Meminit enim in illo Nicolai PP. V.* anno MCCCCLV. *defuncti; ejusque epitaphium inserit a se conditum : et a morte illius supervixit ipse tantum biennio, ut supra insinuavi. Hinc aut mors aut extremus morbus potuerint ipsum impedire, quo minus quæ conceperat ac promiserat, compleverit omnia. Sed et alia mihi in mentem venit cogitatio, quod voluerit opusculum suum eatenus compositum, aliter formare; et quæ supra jam sparsim tractaverat, ad calcem in unum colligere. Nam lib. 2. cap. 3. de Leonis IV. gestis multa dixit, et de quinque portis basilicæ sigillatim egit; et ecclesiæ hospitalisque S. Peregrini meminit; aliaque tractat; quæ libro 4. promittit, se infra prosecuturum.*

MAFEI

A D

MAFEI VEGII LAUDENSIS

DE REBUS ANTIQUIS MEMORABILIBUS

BASILICÆ S. PETRI ROMÆ

LIBER PRIMUS.

De summa dignitate et auctoritate Basilicæ S. Petri, Et magnis donis ac honorabilibus ei collatis.

Dignitas suscepti operis

Magnam cepi animi recreationem, cum multa antiquitatis monumenta Romæ in basilica sancti Petri... scripta ab aliis, legerem; quæ cum præclara ac memorabilia viderentur, recte facturum putavi, si aliqua ex his, quæ digniora essent, in unum colligens, litteris mandarem; ut et multa, quæ jam ob incuriam deperierunt, nota fierent, et major omnibus, qui B summam ejus dignitatem et excellentiam certius agnoscerent, amor et devotio augeretur. Sane tanta mihi, ea percurrenti, visa est ipsorum facies tantaque majestas, ac magnarum undique occurrentium rerum ubertas, ut nihil eximium et celebre Romæ actum esset, quod non basilicæ ipsius vel locus vel auctoritas totum pene sibi vindicaret: quo plane etiam major ejus constare dignitas videatur, apud quam gloriosa ac excelsa cuncta Romanorum gesta versarentur, quæ tot quidem et tanta suis inferius locis apparebunt, ut, cum de rebus antiquis memorabilibus basilicæ sancti Petri (cujusmodi titulus supra prænotatus est) nunc dicere aggrediar. At verius jam Romanæ historiæ, etsi præter præsens propositum, materia hic suscepta credi possit.

et ecclesiæ S. Petri,

2 Tanta vero erga eam fuit summorum Pontificum magnorumque principum affectio, tantaque devotio, ut quæ ejus causa erexerint altaria, templa, sepulcra, domos, palatia, balnea, formas, murosque urbium; quibusve ea ornaverint pavimentis, tectis, picturis, cælaturis, incrustationibus; quæ dehinc insuper dona ei sive serica, sive ænea, sive argentea aureaque contulerint; qualia quoque cum suis infra auctoribus explicabuntur, nullum finem invenire videantur: tanta, inquam, fuit, ut quamvis C nullum apud eam, quod incolere Pontifices possent, esset habitaculum, utpote extra urbem, loco parum commodo parumque tuto positam; ad ipsam tamen illi ex Laterano (ubi non tam commode et tute, quam magnifice habitabant) cum quod magnum, cæremoniosum, solenne, dignumque memoria acturi essent, comitante omni clero populoque procederent, quasi nullum negotium earum rerum quas agi oporteret, nisi in basilica S. Petri virtutem habere putarent.

in qua, quidquid Religionis erat, agebatur.

3 Inde sacramentum illud, quod magnum appellabant, ab electo statim Pontifice præstari solitum, publicaque deinde sacrosanctæ fidei, ac scriptis mandata Confessio; nec minus ejusdem ad Christianos omnes populos directa professio; inde consecratio simul et coronatio; non tam quidem Pontificum, quam et regum atque imperatorum: inde supremus sepulcrorum honos et religio; inde concilia de magnis Ecclesiæ sanctæ rebus habita; inde supplicationum litaniarumque publica solennisque celebratio; palliorum quoque consecratio; inde et alia, quæ variis, infra locis tradita, magna utique et præclara, sese offerent: quorum ut major illustriorque haberetur auctoritas, non abs re sapientissimi illi maximique antiqui Patres statuerunt, ut ea potius ibi celebrarentur, ubi requiesceret summus ipse sacratissimusque princeps Apostolorum Petrus, caput omnis Christianæ religionis, cujus causa jure merito etiam sacra ipsa basilica illi dedicata, cunctas alias, uti nomine et auctoritate, ita magnarum quoque rerum honoribus et privilegiis antecederet.

CAPUT PRIMUM.

E

De fundatore Basilicæ S. Petri Constantino imperatore, et de modo et ratione scribendæ historiæ, et admirabili visione sanctæ Crucis, qua ad fidem Christi Constantinus ipse vocatus est.

Quam talem merito ac tantam, sciendum est, primum a Constantino imperatore extructam fuisse: quod etsi apud omnes jam percelebre sit, manifeste tamen id etiam demonstrant versus, in arcu ipsius majore ac triumphali scripti, hujusmodi.

Conditor ecclesiæ Constantinus Imp.

Quod duce te mundus surrexit in astra triumphas,
Hanc Constantinus victor tibi condidit aulam.

Quorum characteres longe vetusti, peneque dixerim decrepiti, nullum etiam aliud, quam Constantini tempus, quo ibi conscripti sint manifeste arguere videntur. Sunt et in alio arcu absidæ super altare majus aliæ litteræ, quæ non certius habitæ, majore ex parte corruerunt; sed ex paucis eis, quæ vix adhuc legi possunt, deprehenduntur, licet non integra verba hæc,

Constantini expiata hostili incursione.

F

de cujus conversione narrantur falsa,

5 Verum quo Dei nutu, quove divino spiritu afflatus id fecerit (cum ante eum omnes Romanos imperatores gentiles, præter Philippum, qui tamen Christianæ fidei nihil contulit, ipsum quoque gentilem fuisse constat) non est a præsenti proposito alienum intelligere. Nam si dixerimus, exhorruisse eum crudele medicamentum abluendi corporis in effuso sanguine puerorum, quod ad mundandam elephantiæ lepram, a pontificibus Capitolii consilio ei daretur, apparuisseque proinde illi in somnis imagines beatorum Apostolorum Petri et Pauli, quæ ad Christi fidem suscipiendam eum evocarint, simulque a tanti morbi deformitate mundavarint; quod vulgo increbuit; Apocryphum est illud certe, nec ulla certa auctoritate consistit, videmurque nos Christiani Sacerdotes non aliter aliquando efficere, quam indocti quidam grammatici, qui repudiatis explosisque antiquis et veris, quæ non intelligunt, rerum vocabulis, nova quædam alia et numquam lecta verborum portenta subrogarunt.

a viris eruditis veriora traduntur.

6 Siquidem tam magna sunt et illustria Christianæ fidei exempla, tamque admiranda ab antiquis, doctis, sanctisque auctoribus relicta nobis ejus monumenta, ut mirum videatur, quod tam indocile hominum genus, quæ tam barbara gens sit, quæ ad cognoscendum

A cognoscendum Christum verum Deum non facile flecti possit. Verum surrexerunt inepti quidam et penitus indocti, qui vanas quasdam et aniles prorsusque insulsas fabellas confinxerunt, quæ neque cultu, neque dignitate, neque sapientia, neque rerum gestarum sinceritate, neque divino ullo gustu cum illis ullo modo comparandæ sint; quas et ab hæreticis fabricatas, cum multi, et quidem eruditi, tum Hieronymus quam maxime et Augustinus graviter deplorant, quo loco potissimum, quoniam hic historici officio fungimur, ad majorem innumerabilium, quæ infra exponemus, gestorum notitiam admonendi sumus, non omnia passim, quæ scripta inveniuntur, suscipi debere : opus enim esse magno et acri judicio ad discernendam rerum, quæ tratraduntur, veritatem, cognoscendamque auctorum vel diligentiam, vel fidem, vel doctrinam vel auctoritatem.

Cuique in una arte exercitato major ejus scientia,

7 Nam cum omnes doctrinæ et facultates suos quæque habeant professores, qui in eis versati probatique sunt (neque enim theologiam nisi theologi; neque philosophiam nisi philosophi; neque dialecticam nisi dialectici; neque legum scientiam nisi jurispe-
B riti, ut alias bonas artes præteream, quidquam profitentur) ac duas, tantum ab imperitissimis vilissimisque quibusque, quasi violenter injecta manu, nescio qua infelicitate, usurpari quotidie conspicimus; medicinam scilicet et historiam : et sicut neminem, non rusticum, aut stabularium, aut circulatorem, aut pharmacopolam, aut vilissimam etiam quamvis mulierculam videmus, medendi aliqua præcepta, quibus omnem bonam valetudinem polliceatur, semper in promptu habere : ita qui de re aliqua gesta, seu sacra seu profana, loqui præsumant, magna nimirum eorum colluvies sese offerat, quibus nec doctrinæ, nec ornatus, nec auctoritatis, nec sani judicii, rective affectus ulla prorsus gratia; ut jam quod quisque vel majoris addendæ iis, quæ dicenda sunt, dignitatis (gratia) vel spe quæstus, vel levitate animi ac jactantia, vel adulandi studio, vel amore ullo aut odio motus, in animum sibi induxerit; audacter ita id affirmet acsi oculis conspexerit; ut nec ullus sit jam nauta, nec caupo, nec tonsor, nec scurra, nec balbutiens ulla jam anicula, cui narrandæ magnæ alicujus rei gestæ ingens animus desit.

quam duas profitentibus,

præsertim medicam et historicam.

8 Inde fit, ut plura quoque in ipsis, quam in ceteris facultatibus errata committantur, quod plures,
C utique ignari, exercitium magisteriumque earum suscipere audeant : cum nulla doctrinarum diligentius, nulla sincerius fideliusque, quam ambæ istæ tractandæ sint; utpote quæ humanam vitam ambæ quam maxime conservent : illa paucis, quos degimus, annis; hæc omnibus, quas universi vixerunt, ætatibus serviens : illa longævitati, hoc temporum perennitati consulens, illa aliquando defecturam, hæc omni ævo duraturam opem conferens. Nam quemadmodum per illam corporum nostrorum, ita per hanc cunctorum, quæ umquam fuerint, seculorum vita sustentatur : quibus negligenter insciteque habitis, ut utraque summo subjaceat periculo, necesse est.

Qualis debeat esse historicus;

9 Qua in re tenendum est, eum, qui historiam scripturus est, et doctum et bonum simul virum esse oportere : doctum autem appello eum, qui humanitatis studiis egregie pleneque instructus fuerit, qui multa ad mores, ad naturam rerum, ad vitam hominum, ad conditionem temporum locorumque pertinentia, viderit, ac diligenter examinaverit : non quemadmodum aliqui theologi aut jurisperiti, nullius alterius scientiæ, quam ejus, in qua se exercuerunt, gnari, multas sæpe res historicas scriptis suis interseruerunt, quas cum parum intelligerent, existimantes tamen se eas intelligere, non aliter ac D
alias facultatum suarum subtilissimas argumentationes, decepti errore suo, multa aliquando, longe a veritate aliena, tradiderunt; errantesque ipsi, multis etiam, qui eos secuti fuerunt, errandi causam præstiterunt : qui si ita ut Augustinus et Hieronymus aliique plerique eximii sanctique theologi; si ita ut Scævola et Ulpianus ceterique illustres antiqui juris consulti, omnibus bonis artibus et disciplinis exculti fuissent, non aliter ac ipsi, quorum dicta summa sunt in auctoritate, certiorem fideliorémque eorum, quæ scripserunt, scientiam ferre potuissent.

nempe doctus, sincerus,

verax,

10 Cum itaque doctum, ita ut dictum est, historicum esse oporteat; ac certe, sicut diximus, bonum etiam virum, et nihil ac gestum est, scribens, vel addat vel minuat vel innovet, quo majorem ea, quæ narrantur, acquirant dignitatem atque auctoritatem; et nihil, quod non veritate constet, pravo ullo aut perverso affectu ductus, memoriæ tradat; quemadmodum a multis factitari supra dictum est. Peccat enim graviter, quisquis impudenter affirmat alias, quam debeat, personas, propter majorem E
potestatis excellentiam; alia quoque tempora, propter venerabiliorem vetustatis dignitatem; alia item loca, propter clariorem situs nobilitatem; peccat, inquam, graviter, quisquis ea, quæ numquam gesta fuerint, non erubescit litteris mandare, ut vel amicorum casus consoletur, vel patriam gentemque suam extollat, alienamque deprimat, vel sectam simul suam pluris faciat, minorisque adversam; vel ut gratiorem jucundioremque eorum, quæ scribit, lectionem reddat, legentiumque proinde affectus magis provocet; vel ut aliquid, cum alias ignarus sit, supra ceteros sapere atque intelligere videatur.

chronologus,

geographus;

qui tales non sunt passim aberrant

11 Quorum ex numero multi extiterint, at quam maxime heretici, sicuti et ante ex Augustini Hieronymique sententia tradidimus; qui cum nec boni, nec docti fuerint, innumerabiles nimirum fabulas contexuerunt, ut veritatem Evangelii, quam negabant, facilius ex animis hominum, injectis his dulcioribus, tamquam venenis, averterent, inescantes adeo animas rudioris popelli, ut quanta sit earum vanitas, multis etiam mediocriter eruditis vix persuaderi possit. Neque inde fit, quod Hieronymus de Assumptione beatæ Virginis scribens, dicit, apocryphum quoddam opus de transitu ejus, quod, utpote incertum, minime approbat, multos tamen Latinorum, pietatis amore, studio legendi, carius amplexos F
esse.

aliosque decipiunt:

12 Neque vero manifestiore ullo indicio cognoscere possumus, quæ repudianda sint opera, quam ubi de nullo constat auctoris nomine. Unde et apocrypha dicta sunt : quale est illud, quod modo de transitu beatæ Virginis diximus, quamquam et alia aliquando comperta sunt, quæ falso Sancti alicujus nomine prænotata sunt; in quibus cum multi fallantur; at, qui egregie docti sunt, gustu quodam ea secuti, et cetera, quæ nomine auctoris carent, optime intelligunt. Cujusmodi est et idipsum, cujus causa, tanta hæc retulisse, non inutile aut ineptum fuerit; visio scilicet imaginum beatorum Petri et Pauli, quam cum nullo auctore constare dixerim, nunc operæ pretium facturus videar, si ostenderim, majore longe alia atque excellentiore visione, nec incerto quidem aut improbato scriptore, Constantinum a Deo vocatum esse.

talis est narratio de conversione Constantini;

veriora narrante Eusebio

13 Etenim Eusebius Cæsariensis, qui fuit doctissimus probatissimusque auctor historiæ ecclesiasticæ, in octavo ejus libro refert; cum adversus Maxentium, urbis Romæ tyrannum, Constantinus bellum pararet, atque exercitum duceret, anxiusque, multa secum de imminentis belli necessitate pervolvens,

iter

A iter ageret, atque ad cœlum sæpius oculos elevaret, et inde sibi divinum precaretur auxilium; vidisse eum per soporem ad Orientis partem in cœlo signum crucis igneo fulgore rutilare: cumque tanto visu fuisset exterritus, ac novo perturbaretur aspectu, astare sibi visos fuisse angelos dicentes; Constantine, in hoc vince: quo lætatum eum, et de victoria jam securum, signum Crucis, quod in cœlo viderat, in fronte sibi designasse, et ita cœlitus invitatum ad fidem, non aliter ac illum, cui simililiter alias de cœlo dictum est; Saule, Saule, quid me persequeris? Ego sum Jesus Nazarenus.

Constantinum per Crucis in aere conspe-ctum

14 Exinde signum ipsum in militaria vexilla tranformasse, ac labarum, quod erat venerabile ante cetera et præcipuum signum imperatorum, in speciem Crucis Dominicæ coaptasse; in dextera quoque manu, signum ipsum Crucis ex auro fabrefactum habuisse, et ita armis vexillisque religionis sanctæ instructum, adversum impiorum arma profectum, victoriam adjuvante eo, cujus signum viderat, feliciter consecutum fuisse. Post quæ optimus Deoque dilectissimus imperator Constantinus pacatis omnibus, non immemor tantorum Dei beneficiorum, hanc, de qua agimus, centum marmoreis nobilibusque sublimem columnis basilicam B. Petro erexit; recte ex ejus nomine, quem omnibus mundi ecclesiis Deus præfecisset, ostendens, ut ea utique supra ceteras præcipue basilicas coleretur, præcipueque omni honore et veneratione digna apud posteros haberetur.

conversum fuisse ad religionem Christianam.

B

CAPUT II.

De lætitia populi fidelis propter erectionem basilicæ S. Petri et propter facultatem datam cuique a Constantino erigendi alias basilicas; et de dedicatione ipsius basilicæ per beatum Silvestrum Papam et de indulgentia ab eo illi concessa.

Operæ autem pretium erat videre lætantes passim ac Deum laudantes omnes fideles populos, non tam pro ipsius erectione basilicæ, quam quod et cunctis simul, qui Christum confiterentur, legem tulisset imperator, liberam concedens facultatem palam colendi ipsius veri Dei, extruendique ei ubicumque quisque eligeret aras et templa: nam (sicut ait Eusebius in eo quem diximus libro, historiæ suæ ecclesiasticæ) aderat cunctis velut divino munere infusa lætitia, maxime videntibus ea loca, quæ paulo ante impiis tyrannorum machinis fuerant destructa, rediviva constructione clariora et celsiora consurgere, templaque excelsa pro humilibus conventiculis elevari. Juvabat enim christianorum principum favor, et legislatione religiosa alacres nostrorum animos amplius animabat, dum ad personam episcoporum frequentius scriberent, et honorem sacerdotibus cum summa veneratione deferrent; sed et impendiorum sumptus benignius largirentur.

Lætitia Christianorum ex conversione Constantini,

C

16 Interea festivitates a nostris frequentissime gerebantur, cum omni lætitia et exultatione, per urbes et loca singula ecclesiarum dedicationibus celebratis, congregabantur in unum sacerdotes; nec pigebat etiam longe positos convenire, quia nullum longum videbatur spatium caritati; concurrebant etiam populi ad populos, et tamquam vere membra unius corporis Christi, jungi sibi invicem sociarique gaudebant. Post pauca quoque inquit; Igitur cum tali simplicitate ecclesiarum gloria apud Deum hominesque proficeret, et imago quædam cœlestium haberetur in terris: super omnia quoque religiosus princeps Constantinus exultaret in talibus, ac per dies singulos fide et religione crescens inexplebili gaudio de ecclesiarum profectibus repleretur; sacerdotibus etiam Dei non credebat sufficere si se æqualem præberet, nisi eos et longe præferret, et ad imaginem quamdam veneraretur divinæ præsentiæ. D

ecclesias ubique dedicantium,

17 Post hæc iterum ita ait; Ecclesiarum vero gloria (incredibile memoratu est) quantum religiosi Imperatoris studio adoleverit, quantaque ejus cura etiam erga sumptus indigentium fuerit! Ardens namque in fide Dei animus, et benignum ingenium atque clemens, bonis operibus pascebatur: in tantum vero rerum præsentium bonitas et tranquillitas obtinebat, ut oblivionem præteritorum pareret malorum. Edictis namque frequentibus per omnem locum propositis, non solum tyrannicas adversus Christianos depulerat leges, jusque civile reddiderat; verum et privilegia plurima ecclesiis, ac summos honores sacerdotibus detulit.

ipsiusque Constantini, multimodis fidem Catholicam promoventis.

18 Hæc atque alia hujusmodi, quæ brevioris sermonis causa omittimus, scribit Eusebius, in quibus si quis miretur non facere eum specialem aliquam mentionem ullius basilicæ, a Constantino erectæ; mirari etiam magis oportebit aliud, quia de beato Silvestro pontifice nec ullum ille verbum facit; cum tamen non simile veri videatur, neque quisquam dubitaverit, principem et caput ecclesiæ in tanta, quantam diximus ecclesiarum gloria et exaltatione, in tanta populorum fidelium, sacerdotumque præsertim ac episcoporum lætitia et exultatione, non primas ipsum utique partes semper habuisse; non interfuisse ipsum primum ante omnes cunctis, quæ in honorem christiani nominis agerentur; ita ut quæ pro omisso ejus nomine excusatio recipitur, non alia, etiam pro omissione basilicarum Constantini, recipi debere videatur. Nam credidit fortasse vir doctissimus, satis proposito suo fecisse, si cum præclara Constantini in exaltatione christianæ fidei benefacta commendaret, generali tantum cuncta, quæ dicenda essent, sermone complecteretur: si multa, quæ omnibus palam constarent, cujusmodi hæc quæ diximus esse intelligebat, præteriret.

Cur singularium ecclesiarum, ab ipso conditarum E *non meminerit Eusebius.*

19 Erexit ergo Constantinus basilicam S. Petri, ac tunc quidem reddita ab eo pace et quiete omnibus Christianis, positaque in tuto Catholica Ecclesia, reversus Romam beatus Silvester ex monte Soracte, ubi propter metum gentilium imperatorum latitabat, jam securus, jam lætus dedicavit eam, ac aliam pariter S. Pauli XIV. Kal. Decembris, comitantibus multis, qui ob id convenerant episcopis, exultante quoque ac laudes Deo decantante omni clero, omnique populo fideli; atque in primis præsente, et lætante ac summum ei honorem exhibente Constantino imperatore: fuitque dedicatio ipsa eo majoris gaudii, quo publica jam et aperta. Nam non nisi privatim et clanculum, timore principum, sanctæ hujusmodi celebrationes fieri ante consueverant. F

Ecclesiæ SS. Petri et Pauli construuntur et dedicantur,

20 Ut vero uberior etiam cum profectu animarum, animis omnium lætitia esset (sicut in antiquis quibusdam monumentis comperimus) concessit indulgentiam pro peccatis in perpetuum omnibus, qui pœnitentes et confessi convenirent ad eam, quotannis in ipsa solennitate usque ad octavam diem, Romanis quidem ac aliis vicina loca circumhabitantibus, unius anni; Italicis vero, duorum annorum; ac transfretantibus vel transmontes e longinquiore patria venientibus, trium. Neque enim tam prodigi tunc pontifices erant, quam nunc sunt in laxandis indulgentiarum gratiis, profundendisque pretiosissimis cœlestibus thesauris.

concessis etiam Indulgentiis.

CAPUT

A

CAPUT III.

De Circo Gai et Neronis, ubi nunc sita est Basilica sancti Petri, et de detestatione ludorum et libidinum illius, commendationeque Religionis et continentiæ hujus.

Locus alias infamis,

In quo nec satis summam Dei bonitatem ac sapientiam admirari atque laudare possumus, qui locum, ubi omnium libidinum irritamenta, ubi omnia scelera omniaque mala et atrocia facinora exercebantur, mutatis contra longe contrariis conditionibus, omnium virtutum portum omnisque religionis et sanctitatis columen esse voluerit. Nam ubi nunc basilica S. Petri est, Circus ante Gai et Neronis erat, cujus adhuc reliquiæ magna ex parte extant, ubi impiissimi impurissimique imperatores nihil ad exsatiandas vesanissimas voluptates immanissimasque crudelitates suas omiserunt; quam maxime Nero, qui primus omnium Christianos persecutus, tantis eos tamque gravibus suppliciis et mortibus affecit, permixtus etiam ipse ceteris carnificibus aurigantis habitu : ut Seneca licet gentilis, at modestus tamen homo, ad Paulum Apostolum scribens, ac condolens ei, quod de innocentia Christianorum subinde supplicium sumeretur, dicat eam rem et populo gravem, et sibi admodum luctuosam esse. Cornelius quoque Tacitus, qui Christi sanctum nomen pessime impudentissimeque insectatur, asserat, tam diram et miserandam eorum sortem gentiles etiam ipsos, licet maxime illis infensos, tamen præ immanitate pœnarum atque horrore, longe commiseratos fuisse.

ædificatione ecclesiæ B. Petri sanctificatus,

B

22 Qua in re, si liceat aliquanto digredi ab eo, quod suscepimus scribendarum rerum antiquarum basilicæ S. Petri proposito, instabimus acrius, etiam accusantes insaniam illorum temporum, detestantesque luxum et fastum illius ævi imperatoris, quod etsi parum historici officio convenire videatur, non alienum tamen erit a gloria Apostoli Petri; proderit quoque plurimum cupientibus audire laudes ejus, quas prædicaturi huc concessimus, quæ longe, certe etiam melius, hoc dicendi genere atque aptius uberiusque explicabuntur.

per comparationem

C

23 Nam quanto indignior detestabiliorque apparuerit vesania libidinum, quas eo in loco Romani principes exercuerunt, tanto contra etiam illustrior comparatione eorum fiet et eminentior, quæ postmodum sub beato Petro devotionis et sanctitatis gloria emicuit. Tam dispar fuit, tam diversa morum sub illis temporibus conditio, tanta eorum, non aliter ac stercoris in aurum, aut tenebrarum in lucem mutatio, ut felicior jure merito dici possit Vaticani locus, tam sacræ nunc basilicæ, quam execrandi tunc Circi structura; beatiorque psallentium nunc sacerdotum, exultantiumque Deo Christianorum devotione, quam decertantium tunc aurigarum acclamantiumque populorum insania: ubi nunc longe certe melius divinæ laudes, quam tunc ambitiosi personabant plausus : ubi dignius sacra nunc cantica, quam tunc spurcissima carmina audiebantur : ubi nunc sanctius Christo vero Deo nostro, quam tunc Jovi adultero venerabantur, voluptatibus horrendisque crudelitatibus.

veteris Vaticani tempore Neronis,

24 Omnis nunc morum sanctitas omnisque virtus colatur, ubi luxuriæ continentia, petulantiæ frugalitas, impudentiæ pudor, prodigalitati parcitas, iracundiæ mansuetudo, fastui humanitas, invidiæ caritas successerit. Nec si tunc delectabat cursitantium equorum celebritas, nunc minor est spiritualis ea oblectatio, quam concipimus ex contemplatione currentis illius claudi ex utero matris, quem cum numquam ambulasset, erexit Petrus. Nec si tunc D pulchrum erat intueri aurigas, curruum ornatu equorumque agitatione et perniciore cursu exultantes, cessurus est illis, quem nunc præ cœlesti pulchritudine non satis admirari possumus, sanctus auriga noster Helias propheta; qui quadrigæ igneæ invectus, tantum cucurrit, ut metas comprehenderet cœli. Nec si tunc dulce erat pugnantium cum bestiis hominum spectaculo pasci, nunc desit nobis, quod multo dulcius est, contemplari certamen Danielis cum leonibus, quos sanctis suis orationibus superans mitissimos fecit.

cum novo sub auspiciis S. Petri.

25 Felicem profecto et beatum jure dixerimus Vaticanum, quem licet ingens olim populorum turba, ludorum vanitati intenta, frequentaverit; nunc sanctissimo unius Apostoli Petri nomine excitata, ex omni terrarum orbe confluens, longe ingentior quotidie multitudo invisat omnis ætatis, omnis sexus, simul tenuis et præpotens, non ad explendas, quod illi factitabant, ebrias suas et pudendas voluptates, sed ad sanandas cupiditates promerendasque cœlestium bonorum promissas retributiones. Felicem non falso eum iterum et beatum dixerimus, quem etsi Romani olim imperatores tanto studio et amore coluerint, nullum sumptum (curantes,) dum E effrenes tantum suas libidines exsatiarent; nunc Romani sacratissimi Pontifices, multo illis et dignitate et auctoritate et majestate superiores, melius colant, totum orbem sua summa pontificia potestate moderantes, et Apostoli Petri, cujus sedi successerunt, mensis innitentes, omnibus leges et jura dent gentibus, dirigant vitam, componant mores et studia, quibus omnes pareant magistratus, obsequantur principes, inclinent se reges et colla submittant.

CAPUT IV.

De comparatione magnarum rerum, quæ olim in Vaticano ac Circo ejus fuerit: et quæ nunc in basilica S. Petri, eodem in loco posita habetur.

Spectacula gentilium profana in Vaticano,

Quod si magnum videatur, Neronem ipsum in primis, se aurigantem sæpius in Vaticano spectari ab omnibus voluisse : Claudium quoque, cum et frequenter ibidem ipse Circenses committeret, interjectam etiam nonnumquam per quinos missus venationem habuisse; insuper quoque bovas [quod F est genus prægrandium serpentium] novorum spectaculorum causa eodem induxisse, quæ tantæ sunt magnitudinis, ut cum occisæ fuissent, solidus aliquando in alvo spectatus sit infans. Sed et Heliogabalum in hoc ipso loco junxisse camelos quaternos ad currus, elephantorum quoque quatuor quadrigas agitasse, disruptis sepulcris quæ obsistebant.

in sacra a christianis conversa.

27 Si hæc, inquam, magna videantur, longe magis videri debebit, nostri nunc ævi imperatores maximosque pontifices summa cum sacrarum cæremoniarum divinarumque laudum celebratione excelsa hic diademata ac sceptra suscipere : solennes item ac sacras res summis his sæpe antistitibus cum digniore accurrentium faventiumque populorum lætitia fieri solere : conveniri hic insuper ab omnibus sacerdotum collegiis lætantibus ac Deum simul digne laudantibus, cum vel ad placandam ejus iram, vel ad agendas pro susceptis beneficiis gratias, publicæ per urbem supplicationes decernuntur.

Ubi equus Lucii Veri Imp. honoris causa olim,

28 Quod si eximium utique illud judicetur, quod de Lucio Vero imperatore legimus, tantam eum Circensium curam habuisse, ut volucri equo prasino (cui viventi aureum simulacrum fecerat, quod secum portabat; uvas etiam passas et nucleos in vicem hordei in præsepe ponebat) mortuo etiam sepulcrum

A pulcrum in Vaticano fecerit; qua nos nunc eum laude efferemus, quo præconio extollemus, in quo tot tantorumque sanctorum martyrum corpora cæsa atque sepulta conquiescunt? Ut taceamus summos Pontifices, quorum vix quisquam sit, cujus non recondita apud se ossa ille contineat. Nam ut præfuerunt illi, tamquam veri sanctique patres, omnibus mundi ecclesiis; ita congrue visum est, ut non alibi defuncti jacerent, quam cum prædecessore suo Apostolo Petro in basilica ejus, quæ in ipso Vaticani Circo Dei ita nutu fundata est, tamquam vera utique sanctaque mater omnium mundi ecclesiarum.

nunc summi pontifices honorificentius sepeliuntur.

29 Si vero ingens illud etiam et insigne antiquitatis monumentum, quod ex tot tantisque aliis unicum adhuc, integrum, et incorruptum extat, attendere velimus, obeliscum scilicet, quem in Vaticani Circo C. Caligula, consecratis ibi Patris Tiberii avique Augusti cineribus admirandam certe et stupendam molem, erexit; cujus erectio tanti æstimata fuit, ut nave, quæ illum ex Ægypto advexit, nihil admirabilius in mari umquam visum fuisse memoretur: nihil quoque abiete, arbore ejus navis, cujus crassitudo quatuor hominum ulnas complectentium implebat. B

Obeliscus C. Caligulæ

cedit sudario Christi Salvatoris;

30 Si hæc, inquam, attendere velimus, quanto pluris nos æstimabimus, quod ex altera adversa illi parte extructum videmus nobile ac pretiosum sacrarium, non ad cineres, aut ad aliam principum vanitatem ostentandam, sed ad conservandum publicandumque aliquando sanctum Sudarium, impressamque illi imaginem Salvatoris nostri Jesu Christi; cujus dignitatis magnitudinem et excellentiam satius est nunc tacere, cum per se satis ipsa res loquatur, ac jam totus illud Christianus orbis, omnes passim populi, parvi simul et magni, ipsi etiam excelsi reges admirentur, venerentur, adorent, ac tamquam præcipuum et singulare omnium mundi reliquiarum thesaurum summa devotione complectantur.

et naumachia Neronis Petro

31 Nec vero, si quis magnifaciendam putaverit Naumachiam, quam proximam Circo Nero statuit; nos minoris faciemus nostrum, non tam piscatorem Petrum, quam contra etiam horrendos dæmones, pro cunctis mortalibus, in tam fluctuanti ærumnarum nostrarum salo, propugnatorem; cui ideo Salvator noster mittenti rete in mari, dixit; Veni C post me, faciam te fieri piscatorem hominum; ut naufragans humanum genus quod salvare ipse venerat, e manibus malignorum hostium liberandum, quasi in hac mundi naumachia pugnanti illi, ac omnibus successoribus ejus, ad id eodem in loco electis Pontificibus, committeret; ne quod dicit propheta, demergeret illud tempestas aquæ, neque absorberet profundum: neque urgeret super ipsum puteus os suum: quem ideo etiam jussum ad se super aquas venire, cum vento valido irruente cœpisset mergi et opem inclamare, extendens manum apprehendit et salvum faciens, dixit: Modicæ fidei, quare dubitasti? ut esset ceteris post eum exemplo, ne cum hujus mundi, quasi naumachiæ, fluctuantibus undis obruerentur, salvari posse tamen, minime dubitarent.

super aquas ambulanti;

32 Quod si quisquam plurimi etiam se facere dixerit illicem illam arborem antiquissimam, quæ in Vaticano sita, vetustior ipsa utique urbe ferebatur, magnæ ob id apud populum Romanum religionis ac majestatis: velim altius consideret altissimam nostram et vivacissimam, perpetuoque duraturam salutiferæ Crucis arborem, cui neque religione, neque majestate par ulla, non dicam dici, sed ne excogitari quidem possit; per quam sub redemptore nostro Jesu Christo vere salutem et vitam consecuti sumus; sub cujus umbra læti tutique quiescimus, D refrigerati ab omni æstu malarum libidinum, securi ab omni infestatione nequissimorum dæmonum, defensi ab omni persecutione inimicorum nostrorum, ut recte quidem Fortunatus Cenetensis, episcopusque demum Pictaviensis, qui hymnos Crucis edidit, persancte de ea inter cetera cecinisse videatur.

ilex quoque arbor, gentilibus ibi culta,

sacrosanctæ arbori Crucis dominicæ

33 Arbor decora, fulgida, Ornata Regis purpura, Electa digno stipite Tam sancta membra tangere. Beata cujus brachiis Cœli pependit pretium, Statera facta corporis, Prædam tulitque tartari. Item in alio carmine. Crux fidelis, inter omnes, Arbor una nobilis; Nulla silva talem profert, Fronde, flore, germine; Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sustinet. Flecte ramos arbor alta, Tensa laxa viscera, Et rigor lentescat ille, Quem dedit nativitas; Ut superni membra Regis miti tendas stipite. Quæ talis ac tanta Crucis arbor, sicubi florere et uberrimos fructus suos proferre credenda est; at quam maxime in basilica S. Petri; ut intelligamus, Vaticanum ipsius basilicæ locum, cum olim ob ilicis illius antiquissimæ arborem, magnæ venerationi haberetur, interieritque tandem illa penitus, quanto nunc honore et gloria dignum esse credere debeamus, cui dederit Deus tam sanctam Crucis arborem, nulla vetustate, nulloque externo et hostili umquam, E casu perituram.

quam Fortunatus hymnis celebravit,

34 Siquidem cum Constantino jam ad Christum reducto, florenteque Christianorum fide, Helena ejus mater, cujus piis precibus et meritis conversum illum fuisse, pie credendum est, divinis admonita visionibus, Hierosolymam advenisset sanctissimæ Crucis causa, quam magnopere optabat, diligenter quæsivit, quæsitamque tandem invenit, inventamque partim thecis argenteis conditam reliquit in loco, partim Romam detulit filio, ut quæ diu neglecta Hierosolymis latuisset, Romæ dignius gloriosiusque servata coleretur.

ac Helena Hierosolymis Romam attulit.

35 In quo non est prætereundum, nobilissimum aliud, quod in basilica S. Petri habetur, venerandæ ipsius Crucis ac certissimum pignus. Nam cum Symmachus Papa extruxisset in ipsa basilica oratorium sanctæ Crucis eximie mireque ornatum, sed noviter quidem dirutum, ad augendam etiam majorem ejus devotionem recondidit in absida ipsius, decem libras veri ligni sanctæ Crucis: quod cum apud idoneum quendam auctorem forte legissem, F notum id feci iis, ad quos cura basilicæ pertinebat; ut cum dirueretur, custodes ad id adhiberentur, ne incuria deperiret; quibus recte curantibus, ita ut legeram, compertum est, extatque nunc ipsum sacratissimum lignum, servaturque a canonicis summa cum veneratione.

Lignum Crucis a Symmacho PP. reconditum,

denuo inventum:

36 Illud quoque memoratu dignum videtur, quod Sergius Papa, sicuti divina ei visione revelatum fuerat, invenit in sacrario basilicæ S. Petri, ac in loco quidem longe recondito et obcuro, forulum argenteum, præ nimia vetustate deformatum; ita ut nec ex argenti materia factum videretur; quodam etiam sigillo obsignatum, cum veste sacra holoserica desuper, atque intra clusam Crucem Domini nostri, auro lapidibusque pretiosis eximie ornatam, cum parte veri ligni sanctæ Crucis ibidem reposita, sicuti additæ ibi litteræ significabant; quod postmodum in die festo exaltationis sanctæ Crucis publice adorandum populo quotannis ex antiquo more ostendebatur. Unde plane gloriosior videretur nunc Vaticanus pretioso hujus Crucis, tam salutaris, numquamque peritura arboris ligno; quam illius, de qua dictum est, antiquissimæ ilicis, quæ nihilum proderat, tandemque interiit.

alia ejus portio inventa a Sergio PP.

37 Certum, quod negari non potest, magnum continentiæ et frugalitatis argumentum attribuet fortasse

Cincinnato olim in Vaticano aranti allata fuit Dictatura

A fortasse quispiam laudi Vaticani, quod Cincinnato aranti in eo quatuor jugera, quæ prata Quintia appellarentur, viatorem attulisse Dictaturam traditum sit : qui locus etiam nunc extat, non longe a ponte Milvio, possideturque a canonicis S. Petri, utique vetustum illud nomen, quo et manifeste edocemur, ad quos usque fines Vaticanus extendebatur. Verum nolim certe ergo fraudare laude sua magnum illum Dictatorem, qui omnis expers avaritiæ, omnis ambitionis et luxus, contentus agello suo, arando ipsemet manu sua victum quærebat. Sed quid arator illic cum piscatore nostro Petro commune habet, aut dignum ulla comparatione? Cujus fama pene interiit : et, si ulla est, apud paucissimos tantum ac solos quidem doctissimos est : cum piscatoris Petri nomen, quo nunc mirifice Vaticanus illustratur, nemo sit qui non cognoscat, nemo sit qui non veneretur et colat; ad cujus basilicam ex toto orbe innumerabiles quotidie confluant turbæ, cui se incurvent omnes, supplicent omnes, cui ferant omnes vota, laudesque decantent.

S. Petro ibidem ex toto orbe afferuntur munera.

B

CAPUT V.

De fastu Romanorum Imperatorum, propter quem Deus tot eorum amplas opes et potestates, totque ingentia opera funditus everti permisit; et de humilitate Petri, quæ eum ac basilicam ejus, urbemque Romanam simul longe illustravit.

Gloria antiquorum Romanorum

Quo magis hoc loco etiam cogor altius mentem efferre, cogitans antiquam illam et ingentem urbis Romæ gloriam : tot tantasque ex toto terrarum orbe confluentes ad eam divitias, tantas opes, luxus, pompas, dignitates, imperia, potestates, tot præstantissimos fortissimosque imperatores, qui tam feroces et innumeras subegerunt gentes, tantam prædam domum advexerunt, tot gesserunt res præclaras, tot sublimes consecuti sunt honores, tot gloriosos duxerunt triumphos; quippe, ut rerum gestarum suarum memoriam, indelebilem atque æternam facerent, tot etiam ac tantas extruxerunt arces, thermas, arcus, formas, fora, palatia, sepulcra ac templa, miro cultu, inæstimabili sumptu, incredibili labore : quorum vel ex vestigiis, quæ adhuc apparent, quanta illa jam extiterint, quamque gloriosa, satis admonemur. Quæ cuncta cum videam instar fumi penitus evanuisse excelsa, sed præsertim illa, quæ æterni nominis causa sibi fabricaverunt opera, eversa nunc funditus, vel majore saltem ex parte diruta, ita ut nihil nisi violatum et corruptum, nihil nisi perditum desolatumque intueri possimus.

ob fastum depressa :

C

gloria Petri ob humilitatem exaltata;

39 Cum hæc nimirum animo volvens, attentius considerem, non possum non summopere admirari atque laudare alta Dei et incrustabilia sanctaque semper judicia, qui eversis tot opibus, contritaque tot tantorumque principum potentia, confidentium, juxta prophetam, in virtute sua, et gloriantium in multitudine divitiarum suarum; in ea, qua ipsi urbe regnabant, constituerit hominem, advenam, indoctum, ignobilem, neglectum, pauperculum, sordidulum piscatorem; volueritque majorem eum ibi, quam illi unquam cum omni imperio suo fuerint, ac gloriosiorem haberi : majora etiam ei ac gloriosiora, quam illi unquam consecuti sint, ab omnibus, quibus imperabant mundi nationibus, officia atque honores exhiberi; suscitans, ut propheta inquit, a terra inopem et de stercore erigens pauperem, ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui. Neque alia certe ratione, ut arbitror, quam ut palam ostenderet, divinæ nihil majestati invisius D esse quam fastum; quem etsi surdis quasi auribus clausisque oculis aliquando non advertere videatur; at quanto tamen tardius, tanto et gravius tandem atque acrius puniens, conterit prorsus.

juxta doctrinam et exemplum Christi.

40 Neque frustra ait propheta : Vidi impium superexaltatum et elevatum, sicut cedros Libani; et transivi, et ecce non erat; quæsivi eum, et non est inventus loco ejus. Contra autem, nihil ei esse acceptius, quam animum demissum, humilem, modicisque contentum; cui et majora demum, quam sperarit unquam, conferre solet; ut recte cum Cantico etiam nos dicere possimus : Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui; deposuit potentes de sede et exaltavit humiles; esurientes implevit bonis et divites dimisit inanes. Ad quod et ipse, quid agere deberemus, docens, suo nos primum invitavit exemplo. Neque enim cum longiore nobilioreque famulatu, neque cum cultiore laxioreque vestitu, neque cum magnificentiore equitatu, neque cum splendidiore apparatu, neque cum lautioribus conviviis, neque cum excelsioribus ædificiorum structuris, neque cum amplioribus dignitatibus ac sceptris, ad nos Jesus Christus Salvator E noster venit; cujus vestigia qui imitari recusaverint, longe falluntur, si se evasuros aliquando putant justum judicium ejus; qui ut nullum, quamvis tenue etiam peccatum, inultum unquam reliquit : at quam maxime hoc tam ingens, ac tam adversum ei ante cetera, atque invisum fastum dico.

CAPUT VI.

Quod Deus permiserit, tot insigna excelsaque, a Romanis imperatoribus exstructa opera, non modo everti, sed et coinquinari, omnisque immunditiæ loca fieri, in majorem confusionem fastus eorum : in quo pauca ex iis quæ faciliorem aliorum intelligendorum viam aperiant, commemorantur.

Gloria veterum Romanorum etiam conspurcata

Quantum vero Deus hujus tantæ perniciei mala, in Romanis præsertim principibus, ultus fuerit, ex eo etiam magis demonstratur, quod non modo tot ingentia ædificia, sublimesque domorum erectiones, quibus illi cœlum gloria attingere putabant, dirui evertique passus sit, sed et insuper profanari, conspurcari, omnisque immunditiæ et horroris loca fieri F voluerit; quod majori etiam dedecori stulta illorum gloriæ vanitas, quæ tanti eis constitit, haberetur. Cujus rei etsi multa passim appareant exempla, illud tamen, quod insignius ceteris videatur, satis obscurum hactenus in lucem proferemus.

in templo suæ Pudicitiæ,

42 Constat quippe ex auctoritate Livii, sacellum Pudicitiæ patritiæ, quod nobiliores tantum matronæ intrabant colebantque magna cum veneratione, fuisse in foro boario ad ædem rotundam Herculis : porro forum boarium cum ex multis, tum ex epigrammate, quod adhuc extat, non dubitamus ibi fuisse, ubi nunc est templum S. Gregorii ad Velum aureum : neque absonum videtur dicere, quod ædes illa rotunda Herculis, apud quam fuit sacellum illud Pudicitiæ patritiæ, sit ea, quam ibi vicinam adhuc videmus, dicatam beato Stephano, sitam juxta ripam Tiberis : sed et templum Vestæ, sicuti ex antiquis monumentis intelligere possumus, huic proximum erat, ubi virginitatem perpetuam electæ ad id ministræ colebant. Quod sic dixerimus illud esse, quod situm juxta flumen ac pontem cernitur, consecratum nunc beatæ Mariæ Ægyptiacæ, non forte erraverimus; propterea quod similitudo frontis templi

A pli ejus, nihil differt a templo quodam, insculpto marmori, in quo virgines Vestales sacrificant, quod est in frontispicio magnæ domus, sitæ ante plateam S. Petri.

nunc in lupanar converso. 43 Quæ cum ita sint, atque iis in locis, quæ tunc pudicitiæ simul et virginitatis hospitia ac templa erant, nunc publicum, infame pudendumque lupanar sit, habitentque infelicissimæ illæ mulieres, publicarum libidinum miserabiles victimæ. Magna nimirum hinc nobis injecta est occasio cognoscendi divini alti consilii, terribilisque judicii Dei; qui ut fastum illorum temporum, perfidorumque dæmonum simul fallacias, quibus miserrimi illi mortales sub specie virtutis et sanctimoniæ decipiebantur, confunderet, non abs re tam pollutum obscœnumque ex pudico et sancto, qualem ipsi arbitrabantur, locum eum fieri permisit.

Tria ab Augusto Cæsare constructa templa, 44 Quo magis ex tot tantisque Romanis imperatoribus, qui præclara multa et superba, nunc quidem penitus diruta, diis suis fana erexerunt, unius tantum Augusti Cæsaris (utpote qui majorem ceteris imperii sui felicitatem consecutus fuerit) dicenda sunt tria, quæ ipse nobilissima ædificavit templa, B qualem tandem exitum habuerunt. Nam primum, *Jovi Ultori* quod Jovi Ultori cum foro simul extruxit, quod et bello Philippensi voverat, sordidus nunc admodum et despectus locus effectus est, cujus vix etiam vestigia ulla appareant, nisi ingens quoddam simulacrum marmoreum, quod jacet e regione ædiculæ beati Petri in carceribus, sub arce Capitolii; uti certo constat, forum ipsum ab eo simul extructum fuisse, et ex allusione vocabuli ipsius simulacri, satis colligi potest. Vocatur enim vulgo Marforum, abjectis paucis litteris, id est Martis forum.

45 Aliud vero templum, quod Apollini in palatio cum cortinis aureis, aliisque eximiis ornamentis consecravit, ita dirutum est, ut modicas tantum ejus reliquias, quæ Aventinum montem respiciunt, adhuc videamus; factumque sit nunc illud, habitaculum caprarum, ita ut prima antiqua tempora, quibus ante Romulum pascentes ibi capellæ et armenta agebantur, rediisse vere dici possit: nec quamvis multa ibi alia templa essent, ut difficile sit de iis certum ullum judicium ferre; dubitaverim tamen, *Apollini,* hoc templum ipsum Apollinis fuisse; propterea quod dicat Suetonius, Augustum ibidem sub basi ejus libros Sybillinos, duobus forulis auratis clausos, recondidisse, rejectis crematique ceteris fatidicis libris Græci Latinique generis; qui nullis vel parum idoneis auctoribus contracti, supra duo C millia vulgo ferebantur. Extat autem nunc basis ipsa, eidem templo subjecta, et ingens quidem, quam ego vidi ingenti etiam ac forti muro altera ex parte firmatam. Extat quoque pars pavimenti ipsius templi ruderibus obruta, sub quo basis ipsa fundata est.

Jovi Tonanti, 46 Sed et tertium, quod Jovi Tonanti in Capitolio templum erexit (ob evitatum periculum, cum expeditione Cantabrica per nocturnum iter lecticam ejus fulgur perstrinxisset, servumque prædicentem exanimasset) eo devenit, ut non modo penitus eversum sit, sed et insuper infamiæ horrorisque locus effectus fuerit: quippe cum ibi nunc rei mortis, publicæ cruci appendantur; quo quid dici potest ignominiosius? quid despectius? quid ludibriosius? Quod Deum, putem, providentissime ita permisisse in vituperium confusionemque nequitiæ pessimorum dæmoniorum, superbiæque magnorum illorum ac præpotentum virorum; ut ubi rex et pater eorum, quem Jovem appellarunt, tunc coleretur; ibi aliquando ignominiosa morte damnatorum crux, ne majus aliud ullum ludibrium addi posset, figeretur. Quod plane ita verum esse, ut dico, quisque confitebitur, si legat vitam beati Calixti Papæ; ubi tra- D ditur, temporibus Macrini et Alexandri imperatorum, incendio divino concrematam esse partem Capitolii a meridiano; et intra templum Jovis ruisse manum ejus sinistram auream: quod cum aruspices pro more eorum sacrificiis suis expiarent; iterum cœlum turbari cœptum, ictamque fulmine aram Jovis conflagrasse, quatuorque ex ipsis idolorum sacerdotes interiisse.

47 Cum igitur templum ipsum Jovis meridiem respiceret, atque in eodem nunc loco videamus *quod tandem devenerint* furcas esse, propter appendendos mortis reos positas, recte dicemus, ibidem et templum illud fuisse, quod ab Augusto propter timorem fulminis Jovi Tonanti consecratum, fulmine tandem concrematum est, quod, magno tunc in honore ac veneratione (illudentibus ita illi seculo nequissimis dæmonibus) habitum; ad tam triste demum et ludibriosum appendendorum furcis hominum ministerium, miro non nisi et alto Dei judicio devenerit. Neque objecerit quisquam, quasi ab Augusto ædificatum templum Jovis, quod in monte Tarpejo versus Orientem, præclarum olim ac solemne admodum extitit. Nam diversum illud longe ab isto E est, quod et L. Tarquinium superbum ex præda de Volscis capta erexisse Livius tradit. Hæc de iis, quæ extruxit Augustus, Templis.

48 Ceterum operæ pretium est etiam intelligere *Templum quoque Augusto,* aliud, quod defuncto illi postmodum Tiberius templum inchoavit, C. Caligula absolvit; sacros illi uterque honores tamquam Deo exsolvens, ne quid, ad declarandum majorem tumefactioremque eorum fastum, omitterent. Volui equidem et istud curiose investigare, quod nec difficile fuit, habita conjectura ejus, quod scribit Suetonius. Ait enim, C. Caligulam super templum divi Augusti ponte trans- *tamquam Deo erectum,* misso, Palatium Capitoliumque conjunxisse. Cum diligenter igitur ipsum inquirerem, manifeste reperi positum loco, quo nullus est augustior inter Palatium et Capitolium, ut facilius pons ille utrumque transmitteret. Est autem nunc sepe et maceria clusum undique, ac circumquaque patentes horti. Cum primum vero illud vidi, extabat adhuc ingens pila, quæ demonstrabat excellentiam ejus ædificii: *vindicante vero Deo penitus collapsum est,* sed post mensem, cum illac iterum transitum facerem, demolitam ipsam penitus aspexi; ita ut nihil nunc præter fundamenta ac jacentia passim ejus rudera appareant, in manifestam certe, quam divina F justitia ostendit, reprobationem confusionemque elationis et superbiæ eorum, qua adeo transgressi sunt modum, ut non modo ad superfluam profusamque omnem libidinem, tanta fecerint; sed et insuper honores, qui Deo soli debebantur, cum dæmonibus, tum mortalibus etiam attribuerint; qui juxta Prophetam, cum in honore essent, non intellexerunt, comparati sunt jumentis insipientibus et similes facti sunt illis.

CAPUT VII.

Quod deficiente jam vigore Romanorum imperatorum, claritudo et gloria urbis Romæ, quæ in tenebris erat, per Petrum tamen piscatorem postmodum longe emicuit.

Epilogus primi libri. Atque ut unde non inepte discessimus, nunc redeamus, confudit Deus tantum Romanos illos principes, sinens eorum omnem potestatem et gloriam deperire, evanescere opes, labefactari regna, ruereque, et omnibus immunditiis spurcitiisque coinquinari tam excelsa, quæ miro longe sumptu et labore opera extruxerunt; demonstransque, quod diximus, quam

A quam invisum haberet, quantoque odio persequeretur eorum fastum ; ut, nisi exsurrexisset vilis noster piscator Petrus (a quo postmodum in successores ejus Romanos Pontifice summa ea, quæ nunc constat (apud) omnes gentes, auctoritas et potestas derivavit) jam omnis prope urbis Romæ claritudo omnisque splendor in tenebras iisset. Ceterum tanto ille Romæ in honore ac gloria habitus est, tantum ejusque gratia Romanum nomen per omnes orbis terrarum (partes longe lateque claruit, ut manifeste appareret, quam Deo chara esset humilitas, susceptaque sponte sui dejectio ; quam placens illi cor, minime elatum, tenuisque et frugi vita. Quo factum est, ut Constantinus illi basilicam, de qua hæc dixisse satis sit (præter alia, quæ non est præsentis instituti ab eo edita narrare) tam insignem et gloriosam erexerit, longe feliciore voto, quam primi ante imperatores tot excelsa opera sua ; quæ memorabili demum elationis et fastus, cujus causa tantum illa effecerunt, exemplo diruta sunt.

LIBER SECUNDUS

CAPUT PRIMUM.

B

De fundatione altaris majoris et translatione Corporis B. Petri ex Catacumbis ad ejus basilicam.

Dedicatur altare majus S. Petro

Erecta igitur basilica, Constantinus tuum altare etiam majus fundavit, una semper cum beato Silvestro Papa, benedicente ea et consecrante, habito quoque magno episcoporum aliorumque sacerdotum conventu, concurrenteque simul plurima exultantium ac Deum laudantium Christianorum turba. Post quæ non minore etiam cum lætitia curavit corpus ejus illo transferri, quod jacebat prius in Catacumbis extra urbem porta Appia, ubi nunc est templum beati Sebastiani, sicut legimus in Vita beati Damasi ; ubi etiam ipse traditur dedicasse Platoniam, in honorem Apostolorum Petri et Pauli, quorum corpora ibi jacuerunt : et aperte id testatur beatus Gregorius in Epistola, quam scripsit ad Constantinam Augustam, cujus partem ad nos pertinentem his subjecimus hujusmodi. De corporibus vero beatorum Apostolorum ego quid dicturus sum, dum constet, quia eo tempore quo passi sunt, ex oriente fideles venerunt, qui eorum corpora, sicut

corpore ejus ex catacumbis eo illato,

C civium suorum, repeterent ; quæ ducta usque ad secundum urbis miliarium, in loco, qui dicitur Catacumbæ, collocata sunt. Sed dum exinde levare omnis eorum multitudo conveniens niteretur, ita eos vis tonitrui atque fulguris nimio metu terruit atque dispersit, ut talia denuo nullatenus tentare præsumerent. Tunc autem exeuntes Romani, eorum corpora, qui hoc ex Domini pietate meruerunt, levaverunt, et in locis, quibus nunc sunt condita, posuerunt.

aut forte ex Monte aureo.

51 Hæc beatus Gregorius, quamquam non ignorem, fuisse aliam quorumdam sententiam, qui dixerint, transtulisse illud noctu beatum Cornelium Papam ex Catacumbis, rogatu matronæ cujusdam Lucinæ, in cujus hortis ædificata postea fuit basilica sancti Pauli, recondidisseque in Monte aureo, ubi templum Apollinis erat, nunc sancti Petri, ex nomine ejus, ubi et crucifixus est : atque inde rursum per beatum Silvestrum Papam et Constantinum imperatorem ab basilicam ejus, ubi nunc jacet, corpus ipsum translatum fuisse : quorum opinionem manifeste beati Gregorii auctoritas arguit : cui et ego, quod verius loqui videatur, assentior.

CAPUT II. D

Quod beatus Petrus passus fuerit in Monte aureo sive Janiculo, portatumque corpus ejus ad Catacumbas, et ex Catacumbis postea ad basilicam ejus.

Passus est Petrus in Monte aureo,

Illud tamen non negaverim, B. Petrum in Monte aureo crucifixum fuisse, quod et illi putant : verum in Catacumbis, ubi cetera et plurimum Christianorum corpora recondebantur, semper sepultum mansisse, donec tandem ad basilicam, per Constantinum erectam, translatum fuit. Nam quod in Monte aureo crucifixus fuerit B. Petrus, comprobare satis videtur auctoritas Gai cujusdam antiqui scriptoris, quem in historia ecclesiastica Eusebius refert ; qui et cum Zepherino episcopo Romano adversus Proculum quemdam Cataphrygam disputans, hæc de Apostolorum commemorat locis.

ex testimonio antiqui scriptoris;

53 Ego (inquit) habeo trophæa Apostolorum, quæ ostendam. Si enim procedas via regali, quæ ad Vaticanum ducit, aut via Ostiensi ; invenies trophæa defixa, quibus ex utraque parte statutis, Romana communitur ecclesia. Est enim Mons aureus, in quo crucifixum ac tumulatum diximus B. Petrum, situs recte via ipsa regali, quæ ad Vaticanum ducit, et in qua trophæum beati Petri defixum esse, Gaius tradit : cujus auctoritatem retulisse, non fuerit inutile, propter quosdam alios, quorum adversa est his opinio ; ut cognoscant se errare, cum existimant, apud molem Adriani imperatoris, ubi nunc est templum S. Mariæ in Transpadina, B. Petrum crucifixum fuisse ; proindeque corpus ejus ibi quievisse, non alia ratione; quam quod scriptum inveniatur, inter duas metas, mortem eum sustinuisse, templum autem S. Mariæ in Transpadina situm sit inter duas metas, quarum una est moles Adriani. E

non ad molem Adriani,

quæ tunc nulladum erat

54 Quorum ratio nullo modo quadrat : quippe cum pons Adriani et moles ejus nondum extructa esset : neque enim adhuc ille mundo imperabat. Quod autem traditum sit, inter duas metas B. Petrum crucifixum fuisse (si tamen id vere traditum sit) dici potest eas metas esse, quarum una in Vaticano est, altera juxta montem Aventinum : inter quas verum est dicere, Montem aureum, in quo vere is crucifixus est, positum esse. Qui si tantum sententiæ suæ insistere pergant, respondeant velim Gai auctoritati, quæ dicit trophæum ejus defixum esse via regali, quæ ad Vaticanum ducit. Neque enim templum S. Mariæ in Transpadina, via regali, sed in ipso Vaticano situm est. Nam via regalis ad S. Mariam in Saxea, quod nunc est hospitale sancti Spiritus, tantum extenditur. F

CAPUT III.

De theca argentea, in qua repositum fuit corpus B. Petri sub altari majori, et donis ei oblatis.

Corpus S. Petri thecæ argenteæ, ære undique munitæ, inclusum est, erecto desuper altari;

Transtulit igitur Constantinus sacratissimum corpus B. Petri, quod summo quidem fecit ac merito cum honore, una cum beato Silvestro Papa. Tunc fabricavit ei insignem thecam argenteam, ære undique et cupro conclusam, qua decentius conditum esset, omni ex latere, in longum et in latum, sursum ac deorsum quinque pedes protensam, ac desuper arcam deauratam. Supra corpus quoque ejus posuit crucem ex puro auro factam, CL. librarum auri, in qua exsculptum est, Constantinus Augustus et Helena Aug. Supra altare autem, cui subjacet corpus

A corpus, statuit nobile tegimen auratum, quatuor porphyreticis columnis erectum, quod postea Papa Leo IV, argento puro eximie ornavit, vir sacris semper lectionibus, vigiliis quoque et orationibus vacans, qui mire etiam affectus fuit basilicæ S. Petri : cum (enim) a teneris usque annis monachalem vitam diu egisset in Monasterio S. Martini, quod erat contiguum ipsi basilicæ ; de quo etiam infra suo loco dicemus : ita memor tenellæ antiquæ educationis, numquam postea, id quod fieri solet, amorem ejus, quem conceperat, ex animo delere potuit : quare et multis aliis magnis beneficiis eam prosecutus est.

cui vetusto Leon-i. addita ornamenta ;

56 Nam arcam altaris, quam Constantinus extruxerat deauraveratque, cum nonnihil sorduisset, ipse etiam intus et extra argento munivit. Crucem quoque fecit de auro purissimo, ornatam diversis gemmis, hyacinthis scilicet et albis smaragdis, miræ magnitudinis, ponderis mille librarum auri optimi, posuitque eam juxta altare parte dextra ; quæ et duravit ibi usque ad longa tempora. Sed et tabulam de auro et smaragdo, ponderis CCLXVI. librarum auri ; quæ vetus et novum Testamentum continebat, quam et posuit in fronte altaris, visam etiam ibi tempore Alexandri tertii : præterea et imaginem Salvatoris nostri Jesu Christi in throno sedentis cum duobus angelis juxta se : simul quoque XX alias imagines argenteas circumquaque positas ante altare super columnas marmoreas intortas et vitibus pulcro opere insculptas ; quarum uni, quæ proxima est altari S. Bartholomæi, tantam Deus virtutem præstitit, ut qui a dæmonibus arrepti sint, apud eam divinis habitis supplicationibus liberentur : quod multis jam certis magnisque exemplis compertum habemus. Addidit insuper et XL receptacula argentea, instar coronarum fabricata, in quibus lampades ante altare appenduntur.

tum argentea

B

tum aurea.

57 Nec satis hæc, crucem quoque magnam auream fecit, quam posuit ad altare sanctorum Apostolorum Simonis et Judæ, ducentarum librarum : e regione etiam ad altare sanctorum Philippi et Jacobi aliam magnam crucem argenteam, ponderis itidem ducentarum librarum. Portam vero mediam basilicæ antiquam (ubi etiam sub rotundo marmore porphyretico, traditum est, jacere corpus venerabilis Bedæ) per quam, utique ob ejus reverentiam, antiqui nostri (non) transibant ; ornavit ipse præ- C munivitque totam tabulis argenteis ac variis picturis ; (quæ) inde et deinceps argentea appellata est : jacetque juxta eam in vestibulo Papa Benedictus tertius.

In templi frontispicio portæ sunt quinque,

1. Argentea in medio,

Cujus rei gratia scire oportet, quinque portas esse basilicæ S. Petri, ante vestibulum sitas, suo quasque nomine appellatas ; earum scilicet mediam, Argenteam, de qua nunc agimus, cujus et ornamentum duravit usque ad tempora Alexandri tertii ; postmodum corrupta deformataque gravem in modum semper fuit ; adeo ut et nomen, quo Argentea vocabatur, amiserit ; donec Eugenius quartus, qui fuit Pontifex omni virtute excellens, cum nihil unquam nisi magnum et gloriosum aggressus fuerit ; ita hanc portam pristino decori restituit, ductam ex ære, magno sumptu, miro artificio, expressis ibi magnis ac præstantibus rebus gestis suis, non quidem ex argento, prospiciens altius, ne forte aliquando, quemadmodum superioribus temporibus, nefanda prædonum cupiditate violaretur ; cui et impressa sunt epigrammata in testimonium gestorum ejus, quæ nos edidimus hujusmodi.

Hæc sunt Eugenii monimenta illustria quarti,
Excelsa hæc animi sunt monimenta sui.
Item aliud.
Ut Græci, Armeni, Æthiopes, hic aspice, ut Indi,
Romanam amplexi sint Arabesque fidem.

D

59 Plane huic alia proxima porta est ad dextram partem introitus, quam Romanam appellatam esse accepimus, ex eo quod Romanæ mulieres antiquitus per eam frequentius basilicam introirent ; sepultusque est intra hanc portam et portam Argenteam in vestibulo Joannes quidam Papa. Quæ vero hanc contingit est et alia porta, quæ Guidonea, vulgari verbo a Guidonibus, qui venientes oratores per eam ducebant, vocata est : juxta quam etiam in vestibulo reconditus est Papa Joannes IX. Porro alia porta, per quam a sinistra parte basilicam introimus Argenteæ proxima, Ravenniana dicebatur a Ravennatibus, qui trans Tiberim habitantes, per eam intrare consueverant, quorum nomine et Tusci et Transpadani omnes simul significabantur. Intra has portas Ravennianam scilicet et Argenteam in vestibulo sepultus est Sergius Papa.

2. Romana ;

3. Guidonea.

4. Ravenniana ;

60 Ceterum alia huic contigua est, quæ Porta Judicii appellabatur, quod per eam tantum mortui sepeliendi, quasi a Deo judicandi, portarentur ; solaque nomen suum adhuc, cum ceteræ amiserint, servat : juxta quam in vestibulo situs est Nicolaus II, E et Joannes VIII, et alter etiam Joannes X, cum intra eam et portam Ravennianam intus in basilica sepultus sit Bonifacius IV, juxta oratorium, quod erexit Bonifacius VIII, in quo et ipse jacet, quod adhuc indicant versus ibi insculpti, parum tamen habentes dignitatis. Sed non indignus ille memoratu, propterea quod a Phoca imperatore impetravit, ut templum, quod antea Pantheon, a gentilibus cultum, dicebatur, in honorem B. Mariæ Virginis ac omnium Sanctorum, mutato felicius sanctiusque titulo, erigeretur ; quem et vulgo tradunt ab eodem obtinuisse, ut Ecclesia Romana sub B. Petri nomine superior omnibus aliis haberetur ; licet id verius legerim fuisse Bonifacium tertium, cujus error fortasse ideo ita invaluit, quod Bonifacio tertio, quartus, nullo alio interveniente, statim successit.

5. Judicii.

Possessiones a Leone 4 ecclesiæ S. Petri oblatæ,

61 Nunc ut ad Leonis IV liberalitatem, unde necessario digressi sumus, revertamur : non contentus is tam insignibus sacrorum ornamentis, communi etiam canonicorum utilitati et commodo, quo melius ferventiusque divinis intenderent officiis, consultum provisumque quam maxime iri, studuit. Nam Bucenia castrum, quod proprii erat patrimonii, illis donavit ; pari modo et ecclesiam Salvatoris, quæ sita est, in Torrione, quam et ad sepulturam F peregrinorum omnium Ultramontanorum erexerat ; nec non et ecclesiam S. Justini, sitam in monte Saccorum, quam et ad peregrinos omnes Latinos sepeliendos extruxerat : ecclesiam quoque S. Peregrini, quæ non longe distat a porta Viridaria ; ac ecclesiam B. Mariæ in Palazolo, et S. Georgii martyris, quæ post S. Petrum posita erat : atque hæc omnia cum fructibus ac ceteris omnibus, quæ ad eam pertinent ; cum et multa alia tamen eis contulerit. Sed hæc tantum ex omnibus, quæ certiora apparuerunt, referenda dignius existimavi.

templa constructa,

62 Ipsam vero basilicam una cum alia S. Pauli, quas sub Sergio Papa Sarazeni irruentes, devastaverant, egregie reparavit, præter cetera, quæ magnifice etiam edidit. Nam et templum S. Mariæ novæ ædificavit, et basilicam sanctorum quatuor Coronatorum, cujus illi titulus Cardinalatus fuerat, amplius etiam auxit ornavitque. Muros etiam Ostienses simul ac Portuenses, a barbaris dirutos, non modico sumptu restauravit. Verum quid hæc ego tantopere minora prosequor ? quasi oblitus videar gloriosi illius operis, quod in munimen defensionemque basilicæ S. Petri magno animo, magnaque simul impensa erexit, perfecit quoque sexto mense ; muros scilicet, qui una ex parte ad arcem usque sancti Angeli, ex altera autem

urbs muris munita

A autem usque ad hospitale sancti Spiritus, cluso intra superiore monte, protenduntur : unde et totum ipsum ambitum, civitatem postea Leoninam, a nomine conditoris, appellaverunt.

ad avertendas barbarorum incursiones,

63 Hos cum semirutos noviter Nicolaus V, denuo extrueret, aggressus rem longe etiam majoris animi atque impensæ, sed præstantem admodum, atque præstanti illo Pontifice vere dignam, interrupto medio ipso opere defunctus est. Cessit autem illud tantæ saluti, non modo basilicæ S. Petri, sed ipsius etiam urbis Romæ, ut barbaræ gentes, quæ multotiens illi insultantes, basilicam, tamquam aptiorem nequitiæ eorum nidum, occupare consueverant ; erectis deinceps muris deterriti, a solita se excursione insultationeque abstinuerint : neque necesse fuerit Carolum Magnum, qui ad opem ferendam accersitus, egregie eam ab omni vi injuriaque tutatus est, aut alium quempiam præpotentem regem, defensionis causa advocare Unde et, sicut memoriæ proditum est, recte videantur antiquiores Romani contra Hetruscorum impetum hunc locum, utpote hostili impugnationi aptum, ex responso vatum (unde et Vaticani nomen accepit) occupasse.

B

uti patet ex antiqua inscriptione,

64 Non sum vero ignarus, sculptos esse quosdam versus super porta, quæ tangit arcem sancti Angeli, atque alios super porta Viridaria, qui vulgo passim habentur, qui et ejus tanti operis ipsum Leonem quartum auctorem fuisse significant. Sed quoniam ineptissimi sunt, non dignos putavi, quos his insererem. Ceterum quoddam epigramma prosa solutum, minime contemnendum (quod ego, cum penitus ignoraretur, præ nimia pene vetustate corruptum, ac quasi obcæcatum, solidum tamen integrumque exscripsi insculptum lapidibus Tyburtinis super porta ipsorum murorum, contigua arci sancti Angeli) dignius credidi hic inserendum ; ex quo intelligenius, et muros ipsos tunc a Pontifice Leone erigi cœptos, et barbaros etiam, cum iterum insultum fecissent, victos, simulque in ipso murorum opere erigendo damnatos. Verba ejus hæc sunt.

hic allata ;

65 Cum voluisset iterum contra Romanos malevola Saracenorum gens bella excitare ut prius, deprædationesque inferre ; quosdam, Deo permittente maris tempestas absorbuit ; quosdam vero Romani milites vivos ceperunt, atque ob laudem æternamque memoriam, plures ferro vinctos, in hoc tam perhonesto opere diversos perferre labores coegerunt.

Hoc siquidem novum miraculum sanctissimi Leo-
C nis Papæ quarti temporibus, et invictissimi Domini Lotharii imperatoris semper Augusti, Dominus fecit.

et alio vetusto instrumento,

66 Nec omittendum videtur decretum quoddam ipsius Leonis IV insculptum tabulæ marmoreæ in templo S. Michaelis non longe a basilica S. Petri; in quo non quidem erectionis murorum (nam nondum erigi cœperant) sed insultationis barbarorum, occupationisque basilicæ S. Petri, nec non et defensionis a Carolo Magno factæ, inter cætera fit mentio : cujus partem, quæ proposito nostro conducit, huic quoque subdere dignum duxi hujusmodi.

itidem hic citato.

67 In nomine Domini. Tempore Leonis III. Papæ, imperante Carolo Magno Imperatore, eo tempore, quo B. Petri basilica a Saracenis capta fuerat; tunc denique pro totius mundi capite turbato totus mundus turbatus, omnis Gallia cum rege Carolo ad tuendum illam venerunt. Unde contra inimicos Domini decertando, quidam mortui sunt, et in crypta juxta Neronis palatium sepulti, eodemque tempore a Leone Papa et rege Carolo ad honorem Michaelis archangeli super illos facta est ecclesia ista. Quibus peractis, Rex Apuliam abiit, eamque B. Petro et Romæ subjugavit. Et reliqua, quæ quia nihil ad rem nostram pertinent, consulto omittimus.

68 Nec inutile fuerit hæc commemorasse, ut manifestior fieret hujus nostri Leonis IV non tam erga D basilicam S. Petri amor et beneficentia, quam summa etiam in agendis magnis rebus sapientia, et animi magnitudo; cujus exemplum secuti ceteri Pontifices, quorum fuit semper ingens studium, basilicam S. Petri maximis et commodis et honoribus, et privilegiis augere, multa ei atque ampla dona pro suo quisque captu contulerunt, quam summo, certe ante alias, utpote matrem ac principem omnium, et amore et favore complexi sunt.

Alii quoque Pontifices S. Petro munifici,

69 Nam ut alios omittamus, Eugenius tertius, qui nullo pactó prætereundus est, privilegium edidit, quo jus factum est canonicis percipiendi quartam partem omnium oblationum, quæ basilicæ obvenissent. Tantæ præterea erga basilicam devotionis et munificentiæ fuit, ut numquam illuc solemnia Missarum celebraturus accederet (quod sæpe faciebat) quin vel optima pallia, vel vestes pretiosas, vel candelabra argentea, vel hujuscemodi aliud nobile et Pontifice dignum munus offerret. Quod idem factitasse legimus Adrianum quartum, qui et castrum insuper Valerianum in episcopatu civitatis Castellanæ positum, canonicis dono dedit. Privilegium quoque concessit libertatis omnium basilicæ ecclesiarum, etiam earum, quæ extra urbem essent. Cujusmodi concessum est etiam a Papa Leone IX. cujus et multa emicuerunt ac magna signa; jacetque corpus ejus intra portam Argenteam et Ravennianam intus ipsam basilicam; ubi nunc est altare, ad quod memoria omnium defunctorum die suo quotannis celebratur.

Eugenius 3. *Adrianus 4* E *Leo 9.*

70 Nec prætermittendus est Hormisda Papa præ magna novitate rei : qui cum diversis Romæ basilicis diversa ornamenta contulisset, ad Basilicæ S. Petri traditur, trabem argenteam pondo MXL librarum excellentius longe donum dedisse. Non item beatus Gregorius, qui ad instruenda abundantius basilicæ ipsius luminaria, multa prædia, multaque præsertim oliveta illi donavit, sicut constat ex publico documento, inscripto tabulis marmoreis : quæ cum primo septem essent; nunc duæ tantum adhuc affixæ sunt muro ante ingressum ejus. Sed hic quid diutius immoror, cum multa hujuscemodi a multis certe Pontificibus basilicæ concessa, atque ultro impensa, passim inveniri possint. Neque vero fuit nostri propositi hæc attingere. Quare eximia, quæ a singulis Pontificibus ei dona obtigerunt, narrent alii.

Hormisda, *Gregorius,* *alii.*

71 Ego jam ad reliqua dicenda pergam, redeoque ad altare nostrum majus, unde interjectis tantis verborum rationibus, discessimus. Quod cum nimia postmodum vetustate, hominumque incuria, quasi violatum videretur; optimus tandem pontifex Calistus secundus optimis, quæ adhuc apparent, marmoribus denuo extruxit atque ornavit, et in celebri die Annuntiationis B. Mariæ magno cum episcoporum sacerdotúmque conventu, populorumque applausu honorifice consecravit ; addita insuper pro peccatis remissione, trium annorum, et quidem perpetua, omnibus, qui eodem die illuc devote accederent. Apsida vero ipsius altaris, cum diruta esset, Severinus Papa ex optimo, quod adhuc cernitur, musivo renovavit. Ac cratem ex metallo pulcre elaboratam, quæ ante arcam subtus altare posita, a concurrentibus passim populis deosculari solet, Papa Innocentius tertius, sicuti insculpti ibi versiculi, licet non multum exculti, significant, fabricavit. Sed et tectum, non tam altaris, quam totius etiam basilicæ Honorius ex tabulis æneis cooperuit, quas de templo, quod appellabatur Romuli, et Heraclii etiam imperatoris consensu, tulit; cui et splendida alia multa auri argentique ornamenta addidit. Eam vero Formosus Papa variis decorisque picturis eximie totam illustravit : Symmachus quoque marmoribus pulcre ornavit.

Item ornarunt altare majus, F *Calistus 2.* *Severinus.* *Innocentius 3.* *Formosus, Symmachus, Donus*

72 Nec

A *Paradisum marmoribus stravit;*

72 Nec minus Donus Papa aream cœlo liberam, ante vestibulum basilicæ sitam, cui Paradiso est nomen, candidis et magnis marmoribus magnifice stravit; præter Nicolaum tertium, qui totam eam renovavit, cum depictis etiam supra columnas omnium summorum Pontificum imaginibus; amplificato cultu divino; aucto item numero canonicorum reddituque prædiorum; additoque insuper basilicæ nobilissimo palatio ac pomerio, muris altis instar urbis circumdato: præter innumerabiles alios et antiquos et novos, qui multa in reparationem cultumque ipsius, variis, uti cuique placuit, perfectis operibus, impenderunt; de quibus cum nec proposuerim in præsentia sigillatim dicere; ac magno ea illi ornamento semper et augmento cesserunt, magnam quoque apud omnes, quod tam singularis ejus cura ab illis haberetur, et dignitatem et auctoritatem attulerunt.

Nicolaus 3. renovavit

et palatium ecclesiæ adjecit.

LIBER TERTIUS.

Summa nimirum igitur fuit semper apud omnes Pontifices, cum Basilicæ ipsius, tum præcipue altaris majoris veneratio, ac tanta quidem, ut B. Gregorius ad Constantiam Augustam, quæ capita beatorum Apostolorum Petri et Pauli ad se transmitti volebat, inter cetera scribens, dicat: Corpora sanctorum Petri et Pauli Apostolorum tantis in ecclesiis suis coruscant miraculis atque terroribus, ut neque ad orandum sine magno illuc timore possit accedi. Denique dum beatæ recordationis decessor meus, argumentum, quod supra sacratissimum corpus S. Petri Apostoli erat, longe tamen ab eodem corpore XV pedibus, mutare voluit, signum ei non parvi terroris apparuit; sed et ego aliquid nuper ad sacratissimum corpus sancti Apostoli meliorare volui, et quia necesse erat, ut juxta sepulcrum ejus effodi altius debuisset, præpositus loci ipsius ossa aliqua, non quidem eidem sepulcro conjuncta, reperit, quæ quoniam levare præsumpsit, atque in alio loco transponere, apparentibus quibusdam tristibus signis, subita morte defunctus est. Cognoscat autem tranquillissima Domina, quod Romanis consuetudo non est, quando Sanctorum reliquias dant, ut quidquam tangere præsumant de corpore, sed tantummodo in pyxide mittitur, atque ad sanctissima corpora Sanctorum ponitur.

B *Veneratio altaris et reliquiarum S. Petri,*

ex Gregorio Magno

in Ep. 30. lib. 3. ad Constantiam Aug.

74 Quo loco, quid ipsi B. Gregorio ejus rei gratia, sub ipsomet altari S. Petri admirabile quidem et obstupendum acciderit, convenienter dicendum est. Cum enim rogatus aliquando fuisset a nobili quodam et magno viro per legatos ad id missos, ut aliquid reliquiarum ex sanctis Apostolis martyribusque, qui Romæ conditi essent, ei transmitteret, dignum putans honesto illius desiderio, quantum licebat, satisfacere; celebratis prius Missis, solennibusque consecrationum officiis, super sancta corpora eorum, sicuti antiquis moris fuit, suscepit pannos, super quibus celebratio facta fuerat, divisosque, ac singulis Sanctorum corporum reliquiis impositos, conclusit suis quosque thecis, annulo suo obsignatis, atque ita legatis deferendos domino eorum dedit. Legati autem, ut est curiositas hominum, ad omnia semper, quæ non intelligit, prompta; ablatis signis, thecas aperuerunt: cumque nihil præter scissa pannorum frusta invenissent, quasi delusos se arbitrantes, ad Pontificem redierunt; conquerentes, non id, cujus causa tanta cum difficultate ac longitudine viarum venissent, deferendum domino suo datum eis esse.

C *Brandeum S. Petri forfice scissum,*

75 Pontifex vero ubi hæc intellexit, statim ad Deum conversus, post celebrata iterum Missarum solennia, habitasque Deo magnas et debitas preces, accepit cultellum de manu ejus, qui signa temeraverat thecasque recluserat, et sub altari S. Petri palam omnibus conspicientibus, unam illarum partium panni mediam scidit, quam sanguis illico inde profluens, quasi graviter vulnerata, cruentavit. Quo plane tam admirabili ac manifesto signo exterriti legati, veniam commissi sui supplices prostratique in terram, petierunt: et admoniti demum a sancto Pontifice Gregorio, quanta esset in ipsis frustis pannorum divina virtus, quantaque apostolorum ac martyrum merita effuso sanguine eorum, infusoque in illa per vim et mysterium celebrati dominici sacramenti, summa affecti devotione simul et lætitia, cum obsignatis clusisque ut antea thecis, regressi sunt.

sanguinem fundit.

D

76 Magna hæc, quæ gessit B. Gregorius; nec minora, quæ de clave aurea S. Petri gesta Theotisto et Adreæ ita scribit: Sancti Petri Apostoli clavem a sacratissimo ejus corpore transmisi: de qua videlicet clave hoc est gestum, quod narro, miraculum; dum eam quidam Longobardus, civitatem ingressus, in Transpadanis partibus invenisset, quia S. Petri clavis esset, despiciens; sed pro eo, quod eam auream vidit, facere sibi ex illa aliquid aliud volens, eduxit cultellum, ut illam incideret: qui mox cultellum, cum quo eam per partes mittere voluit, arreptus per spiritum, sibi in gutture defixit, eademque hora extinctus cecidit. Et dum illic rex Longobardorum Antharicus, atque alii multi ejus homines adessent, et ipse, qui se percusserat, seorsum mortuus, clavis vero seorsum jaceret in terra, factus est omnibus vehementissimus timor, ut eamdem clavem de terra levare nullus præsumeret. Tunc quidam Longobardus catholicus, qui sciebatur orationi et eleemosynis deditus, Minulfus nomine, vocatus est, et ipse hanc levavit de terra; Antharicus vero pro eodem miraculo aliam clavem auream fecit, atque cum ea pariter, ad sanctæ memoriæ decessorem meum transmisit, indicans, quale per eam miraculum magnum contigisset. Hæc Gregorius.

Clavis ejusdem aurea temere violata,

E

mortem affert.

77 Verum quia in Transpadanis partibus eam clavem fuisse dicit, neque de speciali ullo loco mentionem facit, non visum fuit mihi, ut præterirem, quod apud Laudam veterem, quæ fuit colonia Romanorum a Pompeio Magno deducta, quæ et in Transpadana regione est, unde etiam mihi est origo, extat nunc clavis quædam ferrea, quæ sancti utique Petri appellatur, summo habita in honore, summaque in veneratione, a vicinisque circumquaque gentibus admodum frequentata, propter summas, quas quotidie et admirabiles certa fide operatur virtutes in sanandis pestiferis morsibus luporum canumque rabidorum, atque id miro quidem et inaudito modo. Nam in ignem ardentem primo missa, postquam probe canduerit, applicatur postea carni, eo modo violatæ, sine ulla prorsus ejus læsione, cum plena quoque incolumitatis ac optatæ salutis restitutione.

Alia ferrea morsus canum rabidorum sanat

F

78 Est vero clavis hæc in basilica S. Petri, quam ibi ædificavit beatus Bassianus, ejus civitatis præsul et patronus, civisque Syracusanus, qui et multis sæpe eximiis claruit signis, maxime in curatione leprosorum. A quo simile veri videri potest, profluxisse devotionem ejus clavis, quod et devotissimus beato Petro extiterit, et magna præ devotione basilicam simul ipsam illi extruxerit, cujus quoque, cum erecta esset, in primo libro epistolarum ad... scribens, meminit B. Ambrosius, qui contemporaneus et maximæ illi amicitiæ [vinculo] conjunctus fuit. Videbitur autem fortasse credibile, Transpadanas illas partes, in quibus prius clavem illam auream fuisse dicit Gregorius, non alias putandas esse, quam hanc, quam diximus Laudam veterem, utique Transpadanam

in urbe Laude veteri.

A Transpadanam, ubi remanserint vestigia similis clavis, quæ et simili B. Petri nomine appelletur, et in basilica etiam B. Petri similiter ibi collocata sit, et similes insuper admirabilium signorum virtutes operetur.

79 Porro ut ad alia discendamus, ait idem in libro 3. Dialogorum, tanta in basilica S. Petri gesta se cognovisse, ut si cuncta evolvere conaretur, ab omnium jam procul dubio narratione conticescere oporteret. Quare duo tantum, quæ intra basilicam S. Petri ipsam, longe magna et admirabilia contigerunt, refert; cujus verba sicut ab ipso scripta sunt, hic ponere convenientius putavi. Adhuc, inquit, supersunt aliqui, qui Theodorum ejus ecclesiæ custodem noverunt; cujus narratione innotuit res, quæ ei contigit valde memorabilis. Quod quadam nocte, dum citius ad melioranda juxta januam luminaria surrexisset, ex more in ligneis gradibus, sub lampade positis, stabat, et lampadis refovebat lumen. Tunc repente B. Petrus Apostolus in stola candida deorsum in pavimento constitit, eique dixit; Colliberte, quare tam citius surrexisti? Quo dicto ab oculis aspicientis evanuit: sed tantus in eum pavor irruit, ut tota in eo corporis virtus deficeret, et per dies multos de strato suo surgere non valeret. Qua in re, quid idem B. Petrus Apostolus servienti sibi voluit, nisi præsentia sui respectus ostendere, quia, quidquid pro ejus veneratione ageret, ipse hoc pro mercede retributionis sine intermissione videret?

Apparet S. Petrus mansionario ecclesiæ suæ;

B

80 Alius quoque illic non ante longa tempora, sicut nostri seniores referunt, custos ecclesiæ, Abundius dictus est, magnæ humilitatis atque gravitatis vir, ita omnipotenti Deo fideliter serviens, ut idem B. Petrus Apostolus signis ostenderet, quam de illo haberet æstimationem. Nam cum quædam puella paralytica, in ejus ecclesia permanens, manibus reperet, et dissolutis nervis corpus per terram traheretur, diuque ab eodem B. Petro Apostolo peteret, ut sanari mereretur, nocte quadam ei per visionem adstitit, et dixit: Vade ad Abundium mansionarium, et roga illum, atque ipse te saluti restituet: cumque illa de tanta visione certa esset, sed quis esset Abundius, ignoraret; cœpit huc atque illuc per ecclesiæ loca se trahere, ut quis esset Abundius, investigaret. Cui repente ipse factus est obviam, quem quærebat, eique dixit: Rogo te, pater, indica mihi, quis est Abundius custos? Cui ille respondit; Ego sum. At illa inquit, Pastor et nutritor noster B. Petrus Apostolus ad te me misit, ut ab infirmitate ista liberare me debeas. Cui ille respondit; si ab ipso missa es, surge; ejusque manum tenuit, et ea in statu suo protinus surrexit, sicque ex illa hora omnes in ejus corpore nervi ac membra solida sunt, ut solutionis illius signa ulterius nulla remanerent.

alteri ibidem mandat curare paralyticam

C

81 Hæc retulimus ex beati Gregorii scriptis; quæ et præclara sunt admodum, et humanam omnem virtutem potestatemque longe excedunt. Quibus aliud etiam adjiciendum videtur, quod in eadem basilica ad altare ipsius majus S. Petri, cujus causa nunc tanta dicere aggressi sumus, non minus quidem, quam superiora, aut rei gestæ magnitudine, aut divinæ virtutis admiratione apparuit. Siquidem cum opus Moralium, quod B. Gregorius ediderat, editumque Leandro archiepiscopo Hispalensi inscripserat, defuncto illo ac successore ejus beato Isidoro, per totam Hispaniam incuria hominum deperiisset, placuit concilio Toletano, quod xxx, episcoporum præsentia tunc habitum fuit, regique simul Hispanorum Vindesindo, ut Tagio episcopus Cæsaraugustanus, vir optimus, idemque sacris litteris admodum eruditus, Romam ad summum Pontificem Joannem quartum, inquirendi transcribendique ejus operis causa, mitteretur. Quam rem cum tardius difficiliusque, quam putaverat, assequeretur, propter subitam mortem ipsius Pontificis, creationemque alterius Theodori, rebus aliis novis occupati; motus magna devotione basilicæ S. Petri, petit interim, ut per noctem unam permitteretur ei in illa clausis januis vigilias agere: neque aliter ac petit impetrat.

Ibidem episcopus noctem pervigilans

D

82 Vigilanti autem et oranti, ac quam maxime ante omnia, ut opus, cujus causa venerat, assequi posset, Deum intento animo obsecranti, sub intempestæ noctis tempore apparuit ingens Patrum multitudo, qui et vultu et vestitu simul, atque incessu magnam præ se venerationem majestatemque ferentes, a porta basilicæ ad altare usque majus bini procedebant. Quos non sine terrore ille aspiciens, fixus tantum, ubi erat, perstabat non quoquam egredi, donec progressa est turba illa, duo eorum ipsum adierunt percunctantes nomen ac patriam, et causam adventus ejus: quibus ab eo pariter redditis, alter eorum protenso digito, locum, ubi opus Moralium, quod tantopere optabat, reconditum esset, demonstravit.

videt cum Petro turmam sanctorum Pontificum,

E

83 Quibus plane non tam securo ille, quam læto animo factus, rogavit, sit quisnam ipse, qui cum eo loquebatur, ac reliquus tanto venerandorum Patrum cœtus esset, aperiret. Nec segnius ille: Scito, inquit, duos illos, quos præire omnes alios vides inserta manu se invicem complexos, Apostolos Petrum et Paulum esse: ceteros vero, qui subsequuntur, successores eorum Romanos Pontifices, atque ordine quidem sicuti suo quisque alii loco successit; me autem Gregorium ipsum, cujus Moralium opus tanta cura requiris, cujusque causa tantum itineris laborem suscepisti. Atque his etiam majore lætitia affectus; Dic iterum, inquit, ac ostende mihi, si hic vobiscum est beatus pater Augustinus, cujus eximiis operibus, non minus etiam, quam tuis, semper delectatus sum. Stetit ille audito tanti Patris nomine, ac nequaquam hic ipse est, ait. Nam summum illum et excellentissimum virum altior longe a nobis tenet locus. Atque hæc ubi dixit, ocius cum socio ad alios, unde discesserat, reversus est. Nec mora, videt episcopus omnem illam sanctissimam turbam ab altari majori post magnam exhibitam ei venerationem et adorationem, portas basilicæ eodem, quo introierat, ordine egredientem. Quæ cuncta uti viderat, magna certe et admirabilia, summo Pontifici enarravit: ac quorum causa venerat, Moralium libros lætus secum in Hispaniam tulit.

a quibus liber diu quæsitus,

ei monstratur.

F

84 Nec vero res tanta hoc loco prætereunda fuit, quam omnes maxime Moralium libri, ante ipsum prologum, in omni ferme Hispania scriptam haberent. Cui consentaneum est et aliud, quod ad demonstrandam sublimem ejusdem beati patris Gregorii gloriam, super ipso etiam altari majori S. Petri, operatum fuisse Deum ingens quidem et memorabile, antiquæ tradunt historiæ. Nam cum Ambrosius et Gregorius summi ambo sanctique doctores ecclesiæ, civesque ambo Romani, pro suo quisque ingenio divina officia edidissent, ortaque proinde inter sacerdotes Christianos magna esset disceptatio; utrum eorum, quo magis uterentur, suscipi deberet. Placuit concilio, quod tempore Adriani Papæ habitum est, assentiente etiam Carolo magno, ut bina officia super altari S. Petri ponerentur, obseratisque basilicæ portis, ac magna diligentique adhibita custodia, per noctem ita manerent, non intermissis interim dignis devotisque ad Deum orationibus, ut quod eorum potius eligendum esset, singulari aliquo signo ostenderet. Nec secus, ac optabant, evenit. Mane enim cum introissent basilicam, officium beati Gregorii

Ibidem divinitus monstratur,

Officia S. Gregorii ubique in ecclesiis legenda esse;

A Gregorii dissoluto codice, sparsisque hinc inde per pavimentum foliis, quasi disseminatum : officium vero B. Ambrosii solum super altari apertum invenerunt. Qua plane tam admirabili re cognita, altius mentem omnes efferentes, non aliud eis significatum esse crediderunt, quam ut B. Ambrosii Officium in sola ecclesia Mediolanensi : beati autem Gregorii in universo passim orbe celebrari deberet.

S. Ambrosii vero, Mediolani tantum.

Ibidem sub altari

85 Quare haud mirari etiam quemquam oportebit, si basilicam S. Petri, quam Deus tantis tamque admirabilibus signis illustravit, summi utique Pontifices summe dilexerunt ; summis quoque favoribus et privilegiis supra ceteras omnes extulerunt. Quo loco quod primum occurrit, non indignum illud memoratu videtur : quod cum Romani Pontifices archiepiscopis et patriarchis pallium per omnem orbem missuri essent, non alium, quam hunc ipsius sanctissimi altaris locum, ubi res tantæ dignitatis tantæque præeminentiæ consecraretur, digniorem electioremque advertere potuerunt. Unde illud fit, quod legatus sanctæ Romanæ Ecclesiæ dicit : Accipe pallium, de corpore beati Petri sumptum, in plenitudine officii tui Quorum consecratione, cum locus ipse, quem sub altari positum, Confessionem B. Petri appellant; tum processionis devotio officiique solennitas, maximam jure merito sanctissimamque videri facit. Nam præter psalmos pœnitentiales et litanias ac cetera sacrarum orationum mysteria, eædem etiam, quæ in Apostoli Petri die festo solent, vigiliæ magna cum exultatione decantatæ, celebrantur. Cui accedebat aliud, quod nunc nescio qua causa, exolevit, non modicum hilaritatis et lætitiæ monumentum. Nam perfectis divinis consolationibus, tum consolari corpora incipiebant; exhibebaturque omnibus abundanter optimum vinum, optimis aromatibus medicatum.

consecrantur pallia pontificalia.

B

Ibidem consecrantur soli Pontifices Romani,

86 Verum loquamur et alias ipsius altaris insignes et eximias dotes, quas summi Pontifices, quasi singulare de eo quiddam præ ceteris statuentes, illi contulerunt. Nam constituit B. Gregorius Papa, ut nullius ibi etiam archiepiscopi aut patriarchæ consecratio fieret, nisi solius Romani Pontificis, quem et voluit descendere ad altare S. Andreæ, atque ibidem consecrari, demumque reverti ad altare majus, ac tunc Missæ sacrificium explere. Idem quoque cum per totam Quadregesimam ordinasset stationes propter pœnitentes, quas cum primicerio, et cantoribus, et regionariis, et acolytis, devotissime faciebat ; illud etiam, quod maximo honori et prærogativæ basilicæ S. Petri habitum est, statuit, ut de majori altari ejus Crux dominica sumeretur, quæ populum pœnitentem, ad stationes ipsas procedentem, semper præcederet ; cujus tanta fuit apud omnes veneratio, ut si forte non deferri eam aliquando contingeret, discederent passim ; existimantes nihilo sine ea acceptas Deo stationes ullas esse.

C

Crux Stationum servatur,

selecti septem presbyteri officia obeunt,

87 Simplicium item Papam legimus, cum constituisset, propter baptizandos et pœnitentes, ut in basilica S. Petri, ac in basilica S. Pauli, quæ majoris apud omnes venerationis et devotionis essent, septem continue presbyteri haberentur, quo commodius id fieret ; ordinasse etiam totius urbis quinque Regiones, e quibus presbyteri ipsi, qui hujusmodi mysterio succederent, eligerentur, S. Petri, S. Pauli, S. Laurentii, S. Joannis Lateranensis, S. Mariæ Majoris. Regioni autem S. Petri, utpote digniori, primum locum dedisse. Cum vero Bonifacius VIII publicam toti orbi Jubilæi lætitiam, instar priscorum apud Hebræos temporum, singulis centum annis, atque aureum, ut ita dixerim, seculum condere instituisset, basilicas primum beatorum Petri et Pauli, quibus tantum honoris conferretur (quod postea ad alias etiam, quas videmus, laxatum est) dignas esse credidit.

Jubilæi lætitia ibi inchoata :

88 Sed præter hæc, id, quod et primo supra libro diximus, maximum quidem et præclarissimum videtur, quod a sanctis Patribus nostris constitutum sit, omnes solennes majoresque supplicationes et processiones ab basilicam S. Petri fieri. Et cum jure cautum sit, eam esse cujuslibet civitatis primariam et cathedralem ecclesiam, ad quam in processionibus ceteræ convenirent ; manifestissimum hinc certe nobis constabit ac indubitatissimum argumentum summæ dignitatis et excellentiæ, quam eam supra ceteras cunctas, utpote unicam sanctamque omnium matrem, Romani Pontifices eminere voluerunt. Quod ut evidentiore etiam signo demonstraretur, decreverunt insuper, ut omnibus, quotquot ad eam tunc convenirent, quasi emeritum stipendium ex oblato ære majoris altaris, solidi xx, darentur, sicuti et publicum ejus rei causa confectum apostolicum documentum testatur. D

supplicationes majores eo conveniunt omnes.

et stipendia accipiunt,

89 Atque de his nunc generalibus dixerim. Nam speciali etiam decreto Honorius Papa statuit, ut omni sabbato exirent litaniæ a templo S. Apollinaris, procederentque ab basilicam S. Petri, nisi dies festus interveniret. Extruxerat enim ipse templum illud (licet id aliqui hujusmodi confirmationum Adriano concedant) atque ex industria beato Apollinari consecraverat, ut nomen Apollinis, cui antea erat dedicatum, ac maxime ab omnibus frequentatum, facilius propter allusionem vocabuli ex animis populorum deleretur : cujus etiam ingentem quamdam testudinem subterraneam, multis magnisque demolitorum ædificiorum ruderibus obrutam, noviter vidimus, cum fundamenta, ubi nunc novum B. Augustini templum erectum est, jacerentur. Erat enim ibi templum illud Apollinis, ante quod prioribus temporibus, ait Livius, fuisse prata Flaminea ; ubi postmodum etiam circus Flamineus, inde ita appellatus, temploque proximus ipsi : ubi cum dicat, etiam convenisse aliquando Senatum Romanum ad audiendos, qui triumphaturi venerant, consules.

litaniæ etiam quot Sabbatis e S. Apollinaris,

E

90 Mirum certe in hoc videmus Dei judicium, qui eodem in templo postea ad celebrandos melius cœlestes triumphos, decantandasque divinas laudes, jubente Romano Pontifice, sacerdotum conventum fieri voluerit. Jure autem merito basilica S. Petri electa est, quæ præcipuo ante alias ita honori haberetur. Cum enim suum cuique civitati episcopus et patronus sit, qui primus et templi et sedis, et omnium ceremoniarum, ad insculpendam usque numismatibus depingendamque vexillis ejus imaginem, honor exhibeatur : ita Roma præcipue episcopum et patronum suum Petrum habet, cujus basilicam et primariam recognoscat, et primo in omnibus honore extollat ; imagine quoque numismata informet, vexillaque exornet. Quod et gentiles observarunt, tutelares deos (quos nos patronos dicimus) appellantes ; tantaque iis religio a Romanis habita est, ut prius illos e civitatibus ; quibus indicturi bellum essent, factis solennibus sacris evocare soliti fuerint : ac proinde Deum tutelarem suum, quem minime hostes evocare possent, ignotum esse voluerint ; quamquam eum aliquando legerim Vestam fuisse.

Hinc ecclesia S. Petri, omnium merito præcipua est habenda.

F

91 Quod cum ita sit, prosequamur et alia ipsius basilicæ privilegia, quibus prælata aliis ex antiquorum Patrum institutionibus magna ratione esse videatur. Quid majus canonizatione Sanctorum, quæ ibi pro majore nimirum dignitate ac gloria celebratur ? Quid item illustrius summis ipsis Pontificibus ? Qui coronas pontificatus eorum, non alibi etiam, quam in ipsa basilica suscipiendas esse, decreverunt ; cui et tamen detulerunt, ut cum electi fuerint, oporteat, etiamsi per trium dierum itinera distent, Urbem ingredi, et ad altare majus S. Petri adorantes in throno novæ sanctæ potestatis poni. Dehinc

Ibidem canonizationes Sanctorum peraguntur,

Pontifices electi coronantur,

A hinc cum coronandi sunt, statuerint se a Canonicis ipsius basilicæ, utpote primariis omnium aliarum, suscipi, fidem quoque ac obedientiam ab eis præstari. Tum vero ubi cuncta solenniter acta fuerint, dignum etiam putarint, ascenso equo ad gaudium lætitiamque populorum in publico prodire. Quo loco minime etiam tacendum videtur, quod Adrianum secundum et Stephanum quintum specialiter legimus, cum alibi electi, ad Lateranumque, ubi tunc habitatio Pontificum erat, ducti fuissent, postmodum basilicam S. Petri consecrationis coronationisque causa petiisse.

uti imperatores

92 Quid vero insignius imperatoribus? quibus nec alio in loco Romani Pontifices diademata imponant; ac tanta quidem cum basilicæ ipsius veneratione, summæ quoque ejus ante ceteras, quibus nihil tale contigit, præeminentiæ significatione, ut necesse sit prius imperatorem ab omni canonicorum cœtu, tamquam fratrem suscipi, canonicalibusque omnibus indumentis ornari, ac canonicum simul fieri. Et cum aliquando Fridericum primum propter discordiam, quæ illi cum summo Pontifice erat, alibi licet Romæ coronari forte contigisset, inita demum inter eos pace, voluit denuo in basilica S.
B Petri et coronas suscipere, et canonicali ante habitu indui, canonicumque pariter cum ceteris haberi, adscribens id majori auctoritati coronationis et imperii sui. Cum vero nostris temporibus Fridericus tertius post susceptas a Nicolao V coronas animum adhibuisset ascendere in eum locum, ubi sanctum Salvatoris Sudarium decentissime ac devotissime conservatur, magno ejus videndi contigendique desiderio accensus, quod solis tantum canonicis concessum est, non alia id ratione obtinuit, quam quod canonicus basilicæ S. Petri esset; neque aliter ei illo ascensus datus, quam cum pari habitu ornamentoque aliorum canonicorum.

et reges,

93 Quod nec aliter de regibus constat, qui consueverant in basilica etiam S. Petri et canonicalibus vestimentis induti, in numerum aliorum canonicorum recipi, et a Romano Pontifice inungi. Cujusmodi traditur Caroli magni filius Pipinus, qui ab Adriano Papa etiam in eadem basilica baptizatus est, et duo alii filii ejus, ab ipsomet Pontifice inuncti reges; Pipinus videlicet alius, et Ludovicus: quorum primus Italiæ, secundus vero Aquitaniæ regnum obtinuit. Cujusmodi etiam legimus Carolum primum, et item secundum reges Siciliæ ultra ac
C citra Farum, qui cum multa donaverint ipsi basilicæ, illud etiam in donationum privilegiis gloriantes, quod canoniam in basilica S. Petri haberent, addiderunt. Hæc de coronis attigimus.

Commendant etiam ecclesiam et illam sepulcra Pontificum,

94 Nunc vero, cum vita excesserint, de sepulcris, quæ nec minorem auctoritatem addere existimantur, dicendum erit. Nam certo omnia corpora summorum Pontificum, nisi perpaucorum, in basilica S. Petri jacent; et, si quo casu alibi forte recondita essent, ad eam demum magno cum honore translata sunt, ut agnoscant filii veram matrem, quam veri patres eorum non alibi quam in ea requiescere volentes, minime ignoraverint. In quo etiam non ignobile illud est canonicis tributum privilegium, ut soli ipsi libitinas, quibus superjacent defuncti summi Pontifices, humeris suis portent. Quos non tam ibi sepultos esse dixerimus, quam maximos etiam reges et principes, qui forte Romam profecti, ibi decesserint.

et regum,

95 Cujusmodi traditur de Ottone secundo, qui sub Benedicto VII Romam venerat; ac de quodam rege Anglorum et Saxonum, qui cum gentilis adhuc multa bella fortiter gessisset, ad Christi demum fidem conversus, Romam veniens, baptizatusque a Sergio Papa in basilica S. Petri, ac Petrus ejusdem nomine appellatus; cum non multo post e vita mi- D
grasset, ibidem etiam, ubi baptismum susceperat, utpote digniore loco, sepultus est. Cujusmodi etiam de Agnete quadam imperatrice testatur epitaphium, quod adhuc cum sepulcro ejus extat juxta altare S. Petronillæ, cujus verba, ut, quantum illa basilicam S. Petri ceteris omnibus prætulit, certius quisque intelligeret, hic subdidimus. Anno MLXXVII ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi, indictione prima, anno V pontificatus Domini Gregorii Papæ VII. Agnes Imperatrix Augusta post mortem viri sui Henrici Imperatoris secundi anno XXII XIV die mensis Decembris, animam bonis operibus fœcundam, Lateranis Salvatori suo atque omnium bonorum Deo reddidit: et hic ubi antea imperaverat, Clavigero cœli, pro cujus amore ibidem peregrinata fuerat, VI die mensis Januarii, exspectans spem beatæ resurrectionis, et adventum gloriæ magni Dei, membra carnis commendavit in pace. Amen.

Epitaphium Agnetis imperatricis,

96 Eximia certe fuit hujus Imperatricis, et viventis, et morientis simul, erga basilicam S. Petri veneratio, eximiumque, quod de magnitudine excellentiaque ejus videtur habuisse judicium. Sed nec minoris æstimandum est, quod a vivente altera imperatrice Theodora ad dignitatem gloriamque ipsius præclare actum legimus. Cum enim Vigilium E
Papam, quem insatiabili odio persequebatur, comprehendi et ad se perduci, misso ad id Romam Anthemio quodam, jussisset, speciali etiam mandato inhibuit; ne in basilica S. Petri, ob reverentiam tam electi a Deo loci, vis ulla ei inferretur; cum in ceteris quibusvis aliis sacris locis liberam comprehendendi ejus potestatem daret.

Factum Theodoræ imperatricis

97 Quale autem et quantum est illud, quod Carolum magnum, traditur, præ cunctis mundi sacris locis basilicam, S. Petri summopere semper coluisse, adeo ut non modo eam, quod superiore libro diximus, ab omni vi hostili barbaricaque tutatus sit; sed et magnis insuper ac multis ornaverit ditaveritque donis auri et argenti pretiosorumque lapidum. Sub Adriano quoque Papa, quem postea summe coluit, cum plurimum aliquando cuperet Romam devotionis causa invisere, relicto exercitu, ita illo accessit, ut miliario forte distans, ex equo descenderit, dejiciens animum suum humiliter, ac pedibus vadens, petensque primum basilicam S. Petri, quam digniorem minime dubitabat: ingressus autem die sabbati sancti ita illam fuerit, ut prius omnes gradus, quibus ad illam ascenditur, singulatim devotissime deoscularetur, exspectante eum F
Romano Pontifice Adriano, ac super illos gradus hilariter suscipiente.

et Caroli M. Imp.

gradus templi genibus ascendentis

98 Quam vero præcipua laus est et gloria ipsius basilicæ, quod celebrata solennitate Paschali, cum facturus esset Carolus Adriano donationem multorum oppidorum et civitatum, inter cetera Perusii, Fesularum, Clusii, Vulsini, Ascisii, Suriani, Montis Bardonis, Parmæ, Regii, Mantuæ, Montis Silicis, totius Hexarchatus Ravennatium, in quo et Bononia, et provinciæ Venetiæ et Histriæ, omnisque ducatus Spoletini et Beneventani; insulæ etiam Corsicæ; eam B. Petro in primis, dehinc successoribus ejus se facere professus est. Quodque majorem etiam longe addidit auctoritatem, super altare S. Petri superius, postmodumque subtus, in inferiore Confessionis ejus loco instrumentum ipsum donationis reponentes, Rex ipse simul ac ceteri ejus magni principes, B. Petro successorique ejus Adriano, omnia quæcumque in eo continerentur, perpetuo observaturos, terribili se sacramento obligantes, promiserunt: exempla quoque ipsius documenti intus supra corpus B. Petri, suppositis Evangeliis quo firmior eorum cautio memoria im-

et donationem opimam S. Petro facientis;

A posterum haberetur, suis ipsemet Carolus manibus posuit.

Iterumque sub Leone 3 idem fere præstantis.

99 Quam insigne quoque et præstans illud est, quob sub Leone tertio, cum Romam idem alia vice peregrinationis causa accederet, appropinquassetque jam ei ad mille circiter passus, non aliter ac sub Adriano gesserat, relicto statim cui insidebat equo, pedibus ad basilicam S. Petri primum profectus est, ob reverentiam Apostolorum aliorumque tot sanctorum Martyrum, quorum sanguine, ut ipse dicebat, illa consecrata sit, magno utique ibi cum honore ab ipso Papa Leone, Adriani successore susceptus, tum oblatis ei pretiosis ac ingentibus donis, postridie ceteras Urbis basilicas, quæ celebratiores essent, et visitavit, et uti quæque pro dignitate magis mereri videretur, etiam donavit. Quibus adjiciendum est, quod et superiore libro ex decreto Papæ Leonis IV. ostendimus, ipsum utique Carolum magnum alio tempore, cum Romam ab obsidione Saracenorum liberasset, abiisse postmodum in Apuliam, eamque B. Petro et Romæ subjugasse.

B

Dona item Mathildis comitissæ,

100 Nec prætereundum aliud quod legimus. Comitissam Mathildem tanti basilicam S. Petri fecisse, ut quo luminaribus adhibitis magnis decoraretur, tamquam debitam ei dotem donaverit Flaminiam cum omnibus oppidis ac juribus ejus. Cujus gratia memorabile etiam tunc ejus dictum vulgo celebratur. Nam cum centum millibus passuum territorium ipsum, quod donabat, extenderetur; modicum tantum quid terræ illud appellavit. Neque omittendum utique est, quod Adolfus * rex Anglorum, qui prior obtinuit totius Galliæ regnum, cum sub Papa Leone quarto Romam aliquando, summa eum ducente devotione, profectus esset, animadvertens quanta esset dignitas et excellentia basilicæ S. Petri, obtulit ei tributum ex qualibet domo regni sui, numisma scilicet unum argenteum, cui Strilingo est nomen. Cujus offerendi mos, cum longis temporibus perseveraverit, postea intermissus est. Quos secuti sunt etiam Hibernici, diu eumdem morem observantes; itidem et Daci; et nonnulli etiam vicini illis alii populi. Tanta fuit, quæ ubique gentium ejus basilicæ viguit maximeque semper habita est auctoritas.

Adolfi Regi-

* Ethelwaldus *venit tunc Romam.*

et gentium aliarum.

Favores a Pontificibus collati:

101 Quid mirum, si summi postea Pontifices tot eam eximiis, quo ante diximus privilegiis, prosecuti sunt; si præterea, cum aliæ alios habeant,

C quibus pareant; at hanc solam, cui soli mandarent speciali quodam jure sibi subesse decreverunt? Si item restaurandæ ejus, cum quid dirutum esset, necessariam sibi curam singulari quadam obligatione, indixerint? cum ceterarum, nisi quantum animo eis sederet, reparationi obnoxios minime se esse voluerunt? Si, cum hujusmodi necessitatem sibi sponte susceperint, at quartam tamen partem stipis ejus, quæ altari majori offerretur, canonicis ipsius, quod nec aliis umquam concesserunt, liberalissime, uti supra de Eugenio tertio diximus, donarunt? Quo factum puto, ut et Calixtus Papa, cum constitutionem faceret, interdicens laicis, ne auferrent oblationes, quæ altaribus basilicarum Urbis obvenissent, primam B. Petri basilicam nominans, cæteris anteposuerit; ut Urbanus etiam Papa, cum immensa a Constantino imperatore donaria ecclesiæ catholicæ collata, in constitutione quadam sua diceret, fabricam eum templi primæ Sedis B. Petri instituisse affirmaverit; adeo ut Sedem imperialem relinqueret, et B. Petro suisque successoribus profuturam concederet.

item a Constantino imp.

Scripta Pontificum referunt

102 Hinc quoque arbitror, summos omnes Pontifices, cum de præeminentia Romanæ Ecclesiæ supra ceteras cujuslibet civitates mundi, promulgantes aliquid sancirent (quod et Foca imperator Bonifacio III. concessit, ut superiore libro dictum est ad principium) id ad honorem semper retulisse B. Petri, utpote ejus, cui uni Christus Dominus noster omnem suam potestatem, omnemque principatum relinquens; primos procul dubio omnes; et Sedis, quæ populis cunctis jura ministraret; et basilicæ, in qua sacra fierent, honores exhiberi voluerit. Neque injuria: quis enim, qui recte sapiat, negaverit ejus urbis, quæ propter sedem B. Petri, prima ante omnes consensu omnium habetur: basilicam quoque nomini ejus et honori dedicatam, in qua et sacratissimum ipsius corpus requiescit, ceteris omnibus quibusvis basilicis anteferendam esse. Inde cum lege pontificali adstringerentur episcopi jurare, singulis annis, aut per se aut per nuntium, visitaturos Romanam Sedem, nisi specialiter absolverentur; recte videmus, eam, sub vocabulo Liminum Apostolicorum, quod dignius excellentiusque sit, appellatam esse. Inde illud etiam, quod Anacletus Papa; Prima, inquit, Sedes est cœlesti beneficio Romana Ecclesia, quam beatissimi Petrus et Paulus suo martyrio consecraverunt.

D

omnia sua ad S. Petrum,

E

tamquam omnium Apostolorum primum.

103 Nec immerito orientalibus ecclesiis Julius Papa inter cetera ita scribit: Sicut B. Petrus Apostolus primus fuit omnium Apostolorum, ita et hæc Ecclesia suo nomine consecrata, Domino instituente, prima fit, et caput ceterarum, et ad eam, quasi ad matrem atque ad apicem, omnes majores Ecclesiæ causæ et judicia episcoporum recurrant; et juxta ejus sententiam terminum sumant; nec extra Romanum quidquam ex his decerni debere Pontificem. Joannes quoque VIII. dum de præscriptione annorum ad regem Ludovicum scriberet: Sanctæ, inquit, Romanæ Ecclesiæ privilegia, quæ in firma Petri stabilitatis petra suscepit, nullis temporibus angustiantur, nullis regnorum partitionibus præjudicantur. Quæ cuncta, cum magna sint testimonia excellentiæ ipsius basilicæ; atque majoribus longe etiam rerum, quæ quotidie conspiciuntur, argumentis confirmare ea Deus atque augere voluit, mirum et ipse suum, quod est semper benedictum et sanctum, in exaltatione ejus ostendens judicium, ut appareat, divino magis quam humano consilio, basilicam ejus, quem supra omnes elegit, Apostoli sui, præ omnibus quoque aliis basilicis sibi electam esse.

F

Habitatio Pontificum ad S. Petri ædificata

104 Nam cum antea nihil haberent ibi Pontifices, ubi habitare possent; propter nonnihil etiam apud quosdam ejus diminueretur auctoritas; novissimis postea temporibus extructum est nobile et præstans palatium habitationis eorum causa, quod primum a Nicolao III. cœptum, sicuti superiore libro dictum est, et ab Eugenio IV. postea magno sumptu reparatum, Nicolaus demum V. nobiliore etiam ac præstantiore structura et cultu auxit amplificavitque; additis etiam ad arcendam vim ventorum, vitreis specularibus, eximie picturatis, quibus non tam palatium ipsum, quam totam insuper basilicam, præclaro certe opere, illustravit. Erecta quoque est moles Adriani in arcem, cui non alia in toto orbe comparatur. Unde majore etiam præsidio munitus status ejus, ab extranea omni vi et injuria tutus illæsusque conservatur. Quo factum est, ut præsentia Pontificis ornata, innumerabilium quoque, qui Pontificem adeunt, omnis generis magnorum simul et tenuium hominum cœtu, admodum frequentata basilica S. Petri cum ceteræ vilescere videantur, illustrior longe ipsa gloriosiorque appareat.

cultus divinus in ea celebrior quam alibi.

105 Cui accedit cultus divinus, majore cum observatione ac dignitate, quam alibi habitus; majus quoque ministrorum collegium, ornatum pluribus doctis

A doctis quidem ac gravibus viris, quibus annumerari pro summo voto nemo non optet; aucta etiam familia, ac bona simul, quibus illa sustentetur. Sed et res sacræ, vel ornatus vel ministerii causa paratæ, et numero, et decore, et pretio insignes ac eximiæ, quibus plane majorem etiam apud omnes auctoritatem ac majestatem sibi vindicáre videatur: quamquam magnum etiam illud videri debeat, quod superioribus temporibus, quibus alibi Pontifices habitabant, tanti semper tamen basilica ipsa, quantum supra docuimus, habita atque æstimata fuerit, totaque in ea semper ac tanta magnarum rerum exempla, pontificaliumque ac imperialium ceremoniarum et solennitatum momenta gesta fuerint, quæ singula quisquis sicuti ea disseruimus, diligenter attenderit, ingentia nimirum gloriosaque, et excellentia præ magnitudine quoque eorum et dignitate summæ ipsius supra cæteras mundi basilicas eminentiæ signa et argumenta apertissima esse judicabit.

LIBER QUARTUS.

B

Templum Probi, Basilicæ capiti annexum

Nunc ad alia ipsius basilicæ (quæ dignitate quidem inferiora sunt) vel altaria, vel oratoria descendamus. Ac illud primum videndum est, quod altari majori capitique basilicæ connexum atque extra porrectum erat, templum, majus præ magnitudine ejus quam oratorium, quod nostris temporibus vidimus; nunc autem dirutum. Nam quoniam Nicolaus V. cujus summa in ædificando præ omnibus Pontificibus laus fuit, novum et ingens ad caput basilicæ (quod morte præventus imperfectum reliquit) ædificium fabricare cœpisset, hoc imprimis templum demolitus est. Erat porro nobile, magnum, multisque marmoreis columnis erectum, sed negligentius habitum, nullique jam accessum : quod ignarum vulgus Confessionem B. Petri, ac viventis ejus etiam habitaculum, nescio quo insomnio, fuisse jactabat. Nam quis sanæ mentis dixerit, ibi B. Petrum orationibus, ceterisque sanctis operibus vacasse, ubi antea Circus erat (quemadmodum et primo libro supra satis de ea re dictum fuit) in quo Nero, portentum illud magnum naturæ, qui et ipsum morti tradidit, omnem lasciviam et insaniam, omnemque crudelitatem insuper et inhumanitatem præcipue in Christianos exercuerit?

sub Nicolao 5 destructum.

C

Probus ille Præfectus prætorii,

107 At vero fuerat ipsum templum extructum in memoriam Probi, ab uxore ejus Proba; qui vir fuit summus ætate sua, multis functus in vita, magnis excelsisque dignitatibus : a quo cum esset præfectus prætorio, refert beatus Paulinus episcopus Nolanus, Ambrosium electum esse ad consilium tribuendum : post quod consularitatis etiam insignia suscepisse, ut regeret Liguriam Æmiliamque provincias, venitque Mediolanum : cujus summa etiam illa laus est; quod cum gentilis adhuc esset, sed omnium litterarum genere imbutus, et philosophicis disciplinis admodum eruditus, electus est a Constantino Imperatore ad audiendas diversas Athanasii, Arii, Sabellii, Photinique de fide catholica opiniones, ferendamque de iis, quænam verior esset, sententiam, Quos omnes ita ille audivit, intellexitque, ut quam Athanasius confiteretur fidem, commendaret utique, probaret, atque ut veriorem suscipiendam esse judicaret; judicansque simul ipse, quam antea contempserat, libenter ultroque susciperet. Tanti illum, sincerissime ac fortissime argumentantem fecit, Athanasium dico, qui cum doctrina et fidei sanctæ defensione, tum vitæ meritis et sanctitate summus fuit; qui et propter graves dirasque, quas sustinendæ fidei causa, passus est, ac longas persecutiones, sanctis merito martyribus comparandus videatur. D

misit Ambrosium Mediolanum,

hujus et S. Athanasii doctrina ac virtus.

108 In hoc ergo ego templum ante sex forte menses quam dirueretur, nescio quo spiritu agente, introivi. Videram enim characteres litterarum inscriptos marmoribus, quæ columnis in fronte atque utroque ex latere superposita erant, quos magno cum labore (nam nato ibi musco undique pene obscurati erant) excepi : et nisi tunc excepissem, inscriptio eorum penitus deperiisset : quoniam paulo post marmora illa propter magnitudinem et pulchritudinem eorum, in magnos usos operum fabrilium conversa sunt. Continebat vero inscriptio illarum litterarum versus in laudem et memoriam ejus, quem diximus, Probi; qui et eum Præfectum prætorio, et in ultima etiam senectute, ad fidem Christi conversum fuisse, sicuti et supra dictum est, aperte demonstrant. Sepulcrum vero ejus marmoreum, imaginibus sacris insculptum, dum fundamenta altius effoderentur, inventum est ruderibus obsitum; sed multo auro plenum, quod vestibus ejus intextum erat. Nunc illud repositum est in oratorio S. Thomæ Apostoli baptismalis fontis causa : sed etiam versus ipsos audiamus : E

Probi elogia ex inscriptionibus dicti templi

a Maphæo servata.

Epitaphium Probi,

109 Exuviis resolutus in ætheris æquore tantum.
Curris iter, cunctis integer a vitiis.
Nomine quod resonas, imitatus moribus æque,
Jordane ablutus, nunc Probus es melior.
Dives opum clarusque genus, præcelsus honore,
Fascibus illustris, consule dignus avo.
Bis gemina populos, præfectus sede gubernas,
Has mundi phaleras, hos procerum titulos
Transcendis, senior donatus munere Christi:
Hic est verus honos, hæc tua nobilitas.
Lætabare prius mensæ regalis honore,
Principis alloquio, Regis amicitia.
Nunc propior Christo, sanctorum sede potitus,
Luce nova frueris, lux tibi Christus adest.
O numquam deflende tuis, cum vita maneret,
Corporis atque artus spiritus hos regeret;
Primus eras, nullique patrum virtute secundus;
Nunc renovatus, habes perpetuam requiem.
Candida fuscatus nulla velamina culpa,
Et novus insuetis incola liminibus.
His solare tuos; quamquam solatia mœsta
Gratia non quærat : gratia, Christe, tua.
Vivit in æterna paradisi sede beatus,
Qui nova decedens muneris ætherii F
Vestimenta tulit, quo demigrante, Belial
Cessit et ingemuit, hic nihil esse suum.
Hunc tu, Christe, choris jungas cœlestibus, oro;
Te canat, et placidum jugiter aspiciat,
Eque tuo semper dilectus pendeat ore,
Auxilium soboli conjugioque ferat.

aliud ejusdem et Probæ conjugis simul.

110 Hoc erat Epitaphium Probi; quod sequebatur et aliud, ejus simul ac Probæ uxoris, hujusmodi.

Sublimes quisquis tumuli miraberis arces,
Dices, quantus erat, qui Probus hic situs est.
Consulibus proavis, socerisque et consule major,
Quod geminas consul reddidit ipse domos,
Præfectus quarto, totum dilectus in orbem,
Sed fama emensus quidquid in orbe hominum est.
Æternos, heu Roma, tibi qui posceret annos,
Cur non vota tui vixit adusque boni?
Nam cum sex denos mensis suspenderet annos,
Dilectæ gremio raptus in æthra Probæ.
Sed periisse Probum meritis pro talibus absit,
Credas, Roma, tuus vivit et astra tenet.
Virtutis, fidei, pietatis, honoris amicus,
Parcus opum nulli, largus at ipse fuit.
Solamen tanti conjux tamen optima luctus
Hoc Proba sortita est, jungat ut urna pares.

Felix

A Felix, heu nimium felix, dum vita maneret:
Digno juncta viro, digna simul tumulo.

Post templum Probi fuit cœmeterium:

111 Post hoc vero templum erat altum quoddam et vetustum Christianorum cœmeterium, colli ipsi, quem videmus, conjunctum cum oratorio, utique semiruto superposito: subtus autem postquam dirutum fuit, repertus est insignis locus, sepulturæ gentilium causa, fabricatus, continens etiam urnulas more eorum cineribus plenas. Sed quod ad cœmeterium Christianorum pertinet, reperti sunt in eo plurimi nobiles marmorei tumuli; inter quos unus, dicatus Leoni Papæ. Quod ubi comperit magister, qui operi illi diruendo præerat, statim id renunciavit Pontifici; Pontifexque tunc illo me ire jussit, cupiens qui id esset, certius ex me intelligere. Porro ibi reperi tumulum, alio marmoreo lapide coopertum; inscriptum quoque tumulo unicum versum hujusmodi,
Salvo Papa Leone Agnellus Presbyter ornat.
Putarim autem hunc Agnellum fuisse aliquem cariorem ejus et secretiorem contubernalem ac bonum virum, qui ultimum, quem debuit talis ac tanti heri ossibus, honorem exhibuit, reconditumque ab illo prius ibi corpus ipsius, diu jacuisse crediderim B propter epigramma, quod dixi, tumulo ejus inscriptum. Nam certo constat a Sergio Papa, divina ita visione quadam monito, postea ipsum translatum fuisse.

ibidem templum S. Stephani

112 Sequitur et hoc paulo post recta via aliud longe majus templum positum et ipsum ad radices montis, ubi erat caput Circi, erectum quidem in honorem S. Stephani, quod Catafarfara Patricia dictum fuisse, apud antiquum quemdam historicum comperi; Benedictus autem X. in quodam privilegio Catagalla Patricia appellat. Fuerat autem id prioribus temporibus tamen oratorium: sed postea ita, ut videmus, auctum est et amplificatum. Ceterum nunc propter humanam injuriam magna ex parte disjectum prorsusque inhabitatum. Neque vero licet multis in locis antiquis de eo mentio fiat, aliquid tamen vetustius legi quam duas tabulas marmoreas positas in utroque latere oratorii sanctæ Mariæ in Cancellis, quarum auctor Gregorius III. Vidimus ibi nonnulla quæ infra, cum ad oratorium ipsum vetustum (ventum) fuerit, dicemus, statuisse observanda a congregationibus trium monasteriorum, apud Basilicam S. Petri positis, ipsique C servientibus; sanctorum scilicet Joannis et Pauli, sancti Stephani et sancti Martini.

item monasteria aliquot canonicorum.

113 Quocirca sciendum est, tria monasteria ante eum instituta, fuisse juxta ipsam Basilicam, in quibus habitabant ejus canonici, divina illi quotidie officia exhibentes, viventesque in suo quique monasterio et communibus redditibus; monasterium scilicet sanctorum Joannis et Pauli, de quo superiore satis capitulo dictum est: monasterium S. Stephani, de quo nunc est sermo, cujus fundatorem cum studiose inquisierim, numquam tamen invenire potui, neque apud historicos, neque apud privilegia Pontificum, in quibus magna horum habetur notitia. Nam tot ex iis, quæ ad Basilicam pertinebant, deperierunt, ut dolendum sit, quantum vel negligentia, vel malignitas hominum omnia consumat, omnia deleat et conficiat. Hoc autem tantum constat, Adrianum Pontificem, ut basilicæ servitio melius provideret, cum dirutum illud destitutumque invenisset, non modo reparasse, sed auxisse, multisque et magnis bonis ditasse.

Beneficia Adriani et Leonis in monasterium S. Stephani,

114 Siquidem donavit ei castrum Capracorum, quod ex paterna sibi hereditate obvenerat; et fundum quemdam optimum, vocatum Bravi. Subdidit quoque et annexuit templum beatæ Petronillæ, et beati Stephani, quod Stephanus rex Pannoniorum quos Hungaros appellamus, extruxerat. Unde postmodum etiam illud S. Stephani majoris, hoc minoris, ut magis discernerentur, nominata sunt, sicut hæc suis quæque melius locis tractabimus: (concessit) autem ea omnia cum omnibus bonis suis, quæ immensi æstimata sunt redditus: cui post etiam Leo IV. successor ejus (mediatus) templum hospitaleque S. Peregrini, cujus infra mentionem faciemus, cum multis bonis ejus fundavit subjecitque. D

quod et archidiaconum habuit,

115 Tertium vero fuit monasterium S. Martini, cujus etiam auctor ignoratur, de quo et infra paulo post dicturi sumus. Plane horum omnium majus et insignius erat monasterium S. Stephani hoc, de quo nunc scribimus; quod præter ea, quæ diximus, singulari etiam jure suo habebat archipresbyterum, qui præerat toti simul Basilicæ, cum singula tamen Monasteria suos Rectores ita appellatos haberent. Erant præterea ædificia ejus, uti plures in eis habitantes, ita plura quoque et magnificentiora, ut nullam omnino cum eis aliorum domus comparationem habere viderentur. Cumque multa eorum diruta sint, at nonnulla tamen adhuc extant; habitoque ego nunc recte in eis: neque aliud est atrium E domus meæ, quam triclinium, in quo mensis illi simul accumbebant, quod multis e signis facile intelligere licet.

Sacella duo anonyma.

116 Verum ut ad reliqua pergamus, a dextra parte introitus Basilicæ juxta altare majus, erant duo magnæ antiquitatis sacella sine ullo prorsus nomine, neglecta jam penitus, ita ut semper obscerata nemo umquam adiret. Ante hæc consecratum fuit, quod adhuc videmus altare beatorum Petri et Pauli, vicinum altari majori S. Petri, quod e regione respicit aliud altare S. Bartholomæi, vetustum utique et magnæ olim devotionis: post quod juxta arcum triumphalem est etiam aliud altare antiquum S. Pastoris. Juxta vero duo illa sacella vetustiora, erat oratorium magnum sanctæ Crucis, magnæ habitum devotionis feminisque inaccessum, quod Papam Symmachum primo supra libro retulimus, eximio cum cultu extruxisse, in absideque ejus decem libras ligni sanctæ Crucis recondidisse; ac nunc, diruto eo inventum, a canonicis reverentissime custodiri. Hic contiguum erat aliud majus etiam oratorium, multis altaribus munitum, quod sacri fontis causa sanctus Damasus Papa extruxerat. Quod etsi nunc dirutum sit, extant tamen subterranei ipsi meatus, quibus per multa miliaria aqua ducebatur, magna arte atque impensa fabricati. F

Altare SS. Petri et Pauli S. Bartholomæi, S. Pastoris. Oratorium sanctæ Crucis, et fontis baptismalis

cum versibus Damasi:

117 Etsi constet tempore etiam Liberii Papæ, dum absente eo, Vicarius ipse loco ejus Ecclesiæ necessitatibus intenderet, aquam ipsam duxisse, propter quod et Liberius in Urbem profectus, innumerabilem hominum turbam baptizavit. Ejus vero aquæ ductus gratia, Damasus etiam ipse elegantissimos edidit, lapide marmoreo sculptos versiculos, qui adhuc lateri Basilicæ affixus est, subjecimusque eos hujusmodi.

Cingebant latices montem, teneroque meatu
Corpora multorum, cineres atque ossa rigabant.
Non tulit hoc Damasus, communi lege sepultos,
Post requiem tristes iterum persolvere pœnas.
Protinus aggressus magnum superare laborem,
Aggeris immensi dejecit culmina montis,
Intima solicite scrutatus viscera terræ,
Siccavit totum quicquid madefecerat humor;
Invenit fontem, præbet qui dona salutis,
Hæc curavit Mercurius levita fidelis.

S. Luciæ

Huic proximum extructum fuit, quod adhuc extat, adhærens alteri lateri Basilicæ oratorium, scilicet S. Luciæ; quod sicut traditum est a majoribus, consecravit

A secravit beatus Gregorius Papa, recondito insuper ibidem pretioso ejus brachio.

Situs monasterii S. Martini.

118 Sed dicendamus hinc, et ad sinistram partem ingressus Basilicæ veniamus, inveniemusque primo ibi locum, quo nullus propinquior altari majori, ubi situm erat tertium monasterium S. Martini, illud de quo supra, cum de monasterio S. Stephani tractaremus, locuti sumus; in quo habitabat tertia alia congregatio servientium Basilicæ, cujus etiam oratorium cum aliquibus adjunctis domunculis paulo ante hæc tempora vidimus, nunc omnia (quod non sine dolore magno scribimus, sicuti et superiora quæ commemoravimus) funditus disjecta sunt.

ejusque celebritas, ex statua ænea S. Petri, et educatione S. Leonis 4

119 Erat sane oratorium ipsum summæ apud omnes devotionis, quam maximeque posita in eo imago ænea S. Petri, transportata postmodum ad aliud oratorium sanctorum Processi et Martiniani. Neque in tota Basilica post altare majus, ullus locus erat, ad quem major præ devotione fieret concursus populorum, majoraque oblatæ etiam stipis commoda susciperentur; in cujus plane etiam monasterio legimus, a primula usque ætate enutritum fuisse Leonem IV. de quo cum multa sua loco infra di- B cturi sumus, hoc in præsentia tantum satis sit commemorasse, quod postquam ad Pontificatum evectus fuit, memor continue priorum temporum, pristinæque tenellæ conversationis, summam semper augendæ ornandæque Basilicæ suæ curam gessit, præsertim ejus, in quo educatus fuerat monasterii; cujus et nunc sermonem suscepimus. Cui quanta contulerit, docemus ex quodam transcripto ejus privilegio, quod convenientius infra, cum de Leone ipso loquemur, explicabimus.

qui et multa eidem contulit.

120 Interim autem non videtur nunc illud prætereundum, quod inter cetera; quæ ibi traduntur, concessit huic monasterio templum sancti Salvatoris, in Torrione positum, quod ad sepeliendos omnes Ultramontanos erexit, cui et a magnis patribus magna etiam multaque bona donata sunt. Templum item S. Senonis, illi proximum; ac aliud S. Michaelis, monti adjectum; omniaque simul bona et jura eorum; cum hisque insuper tria oratoria, quæ sunt intra basilicam S. Petri, illi proxima, sancti scilicet Sixti, S. Leonis et S. Adriani; sicut constat, non tam ex ipso tantum scripto, quam et ex quodam, de quo etiam infra suo loco dicetur, pri- C vilegio Leonis IX. confirmante aliud antiquum ipsius Leonis IV. affixoque muro basilicæ supra portam, unde tunc accessus ad basilicam ipsam patebat; nunc autem clusam, dimissis antiquis lateribus marmoreis, qui adhuc apparent. Concessit vero ea cum omnibus bonis ac juribus eorum, duobus præsertim expressis hospitiis, quæ post ipsa oratoria ac basilicam posita erant. Ubi quod noviter vidimus, dicendum est.

Oratoria noviter detecta

121 Siquidem dum fundamenta, ubi immensa novi operis imperfecti moles requiesceret, a Nicolao V. aperirentur, repertæ sunt ibi subterraneæ cellæ ornatissimæ, quæ superjecta ingenti ruderum congerie, intra viscera terræ absconditæ, penitus ignotæ erant. Sane primum ipsum oratorium S. Sixti est, quod respicit suggestum, ubi Evangelium cantatur; de quo dicit Paschalis Papa, post deprædationem cœmeterii Calixti positum fuisse, ubi corpus B. Sixti martyris, ante corpus B. Petri juxta septa ferrea: super quod et factum altare, lapidibus ornatum, et super altare arcus ex miro mosivo; quæ sicut ille dicit, adhuc hodie apparent. Sepulti sunt autem ibi cum Sixto, et duo alii Pontifices, Fabianus scilicet et Sergius II. sicut ostendit epitaphium, inventum in ipso altari; quod quoniam nimis ineptum sit, omittemus. Secundum vero oratorium S.

S. Sixti,

Leonis, est propius ipsi loco, ubi erat monasterium D S. Martini juxta altare majus S. Petri; in quo recondidit Paschalis II. corpora beatorum Leonum II. III. et IV. Nam primum a Sergio translatum fuisse, supra diximus.

S. Leonis,

122 Sed et tertium oratorium S. Adriani, erat huic proximum. Nam nunc prorsus evanuit, cujus nec apparet aliud, nisi tantum affixum lateri basilicæ insigne quoddam marmor quadratum cum insculptis ei versibus, qui ostendunt, ipsum ibi curante Carolo magno sepultum esse. Quem et adeo ille dilexit veneratusque est, ut mortem ejus magnis cum lacrymis prosecutus fuerit, cum neminem tamen filiorum suorum umquam mortuum (quod præclarum de ipso traditum est) fleverit. Est sane marmor ipsum Numidicum et atrum, ac quale quidem rarum habeatur. Sed cujusmodi tamen, refert Plinius, Lucullum Romam invexisse, in delitiis magnis ab eo habitum, Luculleumque est nomine ejus appellatum. Cujusmodi etiam Pescennius Niger, qui fuit fortissimus Dux Romanorum æmulusque Severi Imperatoris, superatusque ab eo, demum occisus, simulacrum Romæ marmoreum habuisse traditur, E ut nomini ejus color marmoris etiam conveniret, sicut epigramma illi additum significabat. Quamquam et aliud nec ab ipso Plinio omissum, nigri coloris, Alabastrique specie marmor fuerit, Alabandicum terræ suæ nomine: ex quo et concham pretiosissimam vidimus paucis ante annis, nobili et materia et arte elaboratam, positam ad os fistulæ, unde aqua derivabatur in baptisterium. Cujus auctorem Damasum Papam fuisse, nunc autem penitus dirutum, satis supra diximus.

S. Adriani. Hujus, in Numidico marmore, Romanis æstimatissimo,

123 Sed audire jam præstat versus ipsos, quos marmori insculptos, Adriano Pontifici, Carolus Magnus dedicavit: quos et propter Pontificis ac Imperatoris magis, quam carminis majestatem, hic addidimus.

Hic Pater Ecclesiæ, Romæ decus, inclytus auctor,
Adrianus requiem Papa beatus habet.
Vir, cui vita Deus, pietas lex, gloria Christus,
Pastor Apostolicus, promptus ad omne bonum.
Nobilis ex magna genitus jam gente parentum,
Sed sacris longe nobilior meritis.
Exornare studens devoto pectore pastor
Semper ubique suo templa sacrata Deo.
Ecclesias donis, populos et dogmate sancto,
Imbuit, et cunctis pandit ad astra viam,
Pauperibus largus, nulli pietate secundus, F
Et pro plebe sacris pervigil in precibus.
Doctrinis, opibus, muris, erexerat arces,
Urbs caput orbis, honos, inclyta Roma, tuas.
Mors cui nil nocuit, Christi quæ morte perempta [est,
Janua sed vitæ mox melioris erat.
Post patrem Carolus lachrymans hæc carmina [scripsi,
Tu mihi dulcis amor, te modo plango pater:
Tu memor esto mei, sequitur te mens mea semper,
Cum Christo teneas regna beata poli.
Te Clerus, populus magno dilexit amore,
Omnibus unus amor, optime præsul, eras.
Nomina jungo simul titulis, Carissime, nostra;
Adrianus, Carolus, Rex ego, tuque Pater.
Quisque legas versus devoto pectore, supplex,
Amborum mitis, dic, miserere Deus.
Hæc tua nunc teneat requies gratissima membra,
Cum sanctis anima gaudeat alma Dei.
Ultima quippe duas donec tuba clamet in aures,
Principe cum Petro surge videre Deum.
Auditurus eris vocem, scio, judicis almam:
Intra nunc Domini gaudia magna tui.
Tunc memor esto tui nati, Pater optime, posco,
Cum

A Cum Patre dic; natus pergat et iste meus.
O pete regna Pater felix cœlestia Christi,
Inde tuum precibus auxiliare gregem.
Dum sol ignicomo rutilus splendescit ab axe,
Laus tua, sancte Pater, semper in orbe manet.

Ejusdem Adriani opera magnifica.

124 Sedit beatissimæ memoriæ Adrianus Papa annos XXIII. menses decem, dies XVII. obiit VII. Kalend. Januarii. Fuit vero hic Adrianus longe benignus et beneficus basilicæ S. Petri, cui castrum Capracorum donavit; ne cetera, quæ ei multa dona contulit, referamus: ne item dicamus, monasterii S. Stephani, quod ædificavit juxta ipsam basilicam, nunc magna ex parte dirutum, in quo habitantes monachi, cum aliis simul tribus monasteriis, quæ Gregorius III. instituerat, quotidie psallentes B. Petro laudum officia exhibebant: ne et alia multa prosequamur, quæ et intra simul et extra Urbem templa restauravit: ne et ipsius quoque urbis muros attingamus, quos usque ad fundamenta dirutos renovavit. Porro in ipso altari S. Adriani factus est nunc alius locus, egregie ornatus, ubi collocata est cathedra, super quam sedere B. Petrus, dum B solennia ageret, consueverat.

Juxta est sepulcrum Urbani 2

et oratorium B. Mariæ, quod Paulus I. extruxit,

125 Alio vero ex latere juxta ipsum Adrianum, erat sepulcrum Urbani II. pulcrum decensque, cujus nec ulla nunc vestigia apparent. Prope hunc sequebatur, quod nunc etiam extat, oratorium beatæ Mariæ, quod feminæ olim nefas ducebant intrare. Illud Pontifex Paulus primus extruxit, ornavitque pulcherrimis imaginibus, optimo mosivo depictis, appellatum etiam usque ad tempora nostra locum ipsum sanctæ Mariæ in Oratorio, ubi et is sepultus est, non quod hic defunctus fuerit. Nam apud basilicam S. Pauli, cum per æstivos calores eo secessisset, vita excessit, ubi et circiter tres menses jacuit, donec convenientes cives Romani cum multis aliis exteris gentilibus, ut cum ceteris Patribus prædecessoribus suis dignius requiesceret, per alveum Tiberis naviculæ impositum corpus ejus, ad basilicam S. Petri magno cum honore, divinarumque laudum celebratione deduxerunt. atque in eo, quod ipse fabricaverat, oratorio, de quo nunc mentionem habemus, condiderunt. Hunc fuisse magnæ sanctitatis tradunt, qui præter alia pia opera viduis quam maxime et pupillis, quantopere poterat, succurrebat: per noctem quoque paucos secum ducens, invisebat cellas ægrotantium, C et compeditorum, ac omnium quos accepisset pauperum, ministrans eis, unde ali et recreari possent.

ibidem translato corpore ex S. Pauli, sepultus.

Joannis Papæ sepulcrum;

126 Ante vero hoc oratorium beatæ Mariæ erat sepulcrum Joannis Papæ, cum epitaphio, quod legi, satis inepto, cujus nunc nihil videtur. Verum alio ex latere ultra portam æneam, quæ ducit ad altare sanctæ Petronillæ, est eximium oratorium, quod ex mosivo egregie fabricatum erexit Paschalis Papa in honorem Processi et Martiniani, quorum corpora ex cœmeterio S. Agathæ magna cum sacerdotum ac populorum devotione et exultatione translata, ibi insigni porphyretica concha recondidit, et sepultus est ibi ipse postmodum: habitumque fuit hoc oratorium magnæ semper venerationi, præsertim mulieribus, quæ nec eo olim intrare audebant: cujus etiam venerationem augebant multa alia summorum Pontificum corpora, quæ ibidem sepulta sunt.

Oratorium SS. Processi et Martiniani peregregium

uti et S. Petronillæ

127 Quoniam vero mentionem fecimus altaris S. Petronillæ, sciendum est, templum illud ubi situm est, fuisse antiquum, nobile, magnaque impensa et miro cultu, sicut adhuc reliquiæ ostendunt, elaboratum, ac Apollini quidem. Quo autem tempore extructum, nihil umquam, quod certum constet, reperi. Nam Neronis illud opus fuisse, quod vulgo jactatur, procul dubio vanum est; quoniam non simile veri videtur, in eo loco templum illud fuisse, D ubi Circenses ille ludos insanius exercebat; quod impedimentum magis spectaculorum et libidinis ejus extitisset. Proinde nec alium locum huic contiguum, ubi est altare S. Andreæ, a Papa Symmacho extructum, magnæ semper apud omnes devotionis, et in quo summos Pontifices consecrari solitos fuisse, supra diximus; recte credendum est vestiarium Neronis extitisse. Ceterum, quia totus locus ipse, qui usque ad altare S. Michaelis, vetustum utique, protenditur, vestibulum fuit templi Apollinis, quod S. Petronillæ nomen accepit; credibilius videtur a vestibulo vestiarium appellatum esse. Nec vero omittendum est id, quod antiqua monumenta, ceterique auctores tradiderunt, in altari S. Petronillæ corpus ejus, ac pretioso quidem in sarcophago translatum reconditumque fuisse a Paulo Papa, cujus paulo ante meminimus, cum titulo simul, quem B. Petrus eidem addiderat, hujuscemodi; Aureæ Petronillæ dilectissimæ filiæ.

hujus ibi corpus.

Brachium S. Andreæ et S. Lucæ,

128 In altari quoque S. Andreæ repositum esse brachium ipsius Apostoli, nec non et beati Lucæ Evangelistæ, ex Constantinopoli utrumque delatum, ac a B. Gregorio postmodum etiam illuc translatum: quorum nunc alterum brachium, scilicet S. E Andreæ, argento pulchre elaborato inclusum, honorifice a canonicis conservatur. Pari modo et caput S. Lucæ, quod brachio ejus, de quo diximus, junctum erat. Huic contiguum est aliud altare a sinistra parte introitus, dicatum nomini sanctæ Dei genitricis Mariæ, a Febribus appellatum, quod præcipuum quidem et a populis quam maxime præ summa devotione cultum frequentatumque est; propterea quod innumerabiles, vota illi facientes enixeque se commendantes, a febri quotidie sanentur.

S. Mariæ a Febribus

In ipsa Basilica altare S. Mauritii;

129 Nunc ingrediamur basilicam ipsam, et quod primum præter alia, quæ dicta sunt, occurrit, altare B. Mauritii martyris referamus; cujus illa singularis est dignitas, quod Imperator antequam ad altare S. Petri, a Romano Pontifice coronam imperii ac gladium defendendæ Ecclesiæ causa, suscipiat; ubi primum ab episcopis et cardinalibus benedicitur et ungitur. Cui proximum est altare S. Silvestri Papæ, in quo reconditum esse brachium (ejus,) antiquiores memoriæ reliquerunt; nec non et corpus Vigilii Papæ, quod in pariete ibi scriptum, inven- F tum est. Juxta quoque est sepulcrum Papæ Adriani IV. quod adhuc cernimus, nobili marmorea concha e terra sublatum.

S. Silvestri Papæ;

sepulcra Vigilii et Adriani 4.

Oratorium B. Mariæ, cui multas reliquias intulit Gregorius 3.

130 Post quod est oratorium beatæ Mariæ, quod respondet choro canonicorum; in cujus altari Papa Gregorius III. multorum sanctorum martyrum ac confessorum, apostolorum etiam reliquias, ex variis mundi locis hinc inde collectas, recondidit. Inter quas traditum est a majoribus nostris, repositum etiam esse corpus beati Gabini presbyteri, cujus altare ibi diu fuit; ad quod Sardinia et Corsica tributum quotannis mittebant. Cum quo et aliud altare simul erat beatæ Mariæ, quod ipse, quem diximus, Papa Gregorius III. erexerat ac consecraverat: sub quibus etiam altaribus inventa sunt tria sepulcra ferro et plumbo prope alligata. Erant plane æneis ambo (altaria) cratibus munita et circumsepta. Erat quoque ejus jussu in pariete ipsius oratorii depicta imago beatæ Mariæ filium amplexantis, supra quam et locus factus, in quo, conveniente omnique psallente clero Romano, reponi mandaverat dextrum armum B. Stephani protomartyris, quem Pelagius Papa, sicut in translatione ejus, de Constantinopoli Romam facta, traditur, basilicæ S. Petri donavit, quem et nunc Canonici apud se habent, magnaque cum veneratione custodiunt.

Altare S. Gabini presb.

et aliud B. Mariæ.

131 Ita primum ibi fuerunt illa duo altaria; quibus

A quibus demum tempore Eugenii tertii disjectis, erectum est hoc, quod modo videmus, altare unicum, eidem beatæ Mariæ consecratum, ubi nunc ab omni convenu ecclesiæ missarum officiorumque solemnia quotidie celebrantur. Jacent vero horum amborum Pontificum corpora, simul tumulata, ante ostium sacrarii, a dextra, parte introitus. Extat adhuc titulus Eugenii III, marmori impressus. Deperii enim Gregorii III, et titulus, qui erat hujusmodi (Tertius hic Papa Gregorius est tumulatus) et arcus simul, qui illi erat erectus, ex nobili mosivo depictus. Quo in loco situs est etiam Adrianus III, sed et, ut aliqui tradunt, Petrus Diaconus, quem B. Gregorius in Dialogo suo colloquentem secum inducit.

in unum sub titulo B. Mariæ, ab Eugenio 3. mutata. Sepulcra, Eugenii 3

Gregorii 3.

Adriani 3.

132 Juxta hunc locum nostris quoque temporibus sepultus est Eugenius IV, cujus dulcis heri mei memoriam, uti animo continue gero, ita verbis libenter usurpo; extatque erectum illi insigne et magno artificis ingenio elaboratum mausoleum, non quod ille aut mandaverit, aut concupierit. Nam sum memor, dum Florentiæ ageret, incideretque forte mentio hujusmodi sumptuositatis sepulcrorum, ab eo audivisse, nolle, si Romæ mori contigeret, alibi quam juxta Eugenium tertium tumulari, neque alio, B quam illum, tumuli honore ac titulo, decorari. Erat enim Princeps magnæ continentiæ et moderationis, et qui hujuscemodi res mundi vanas et fluxas forti semperque alto animo contemneret. Penes hunc ex diverso latere conditus est successor ejus Nicolaus V, et alter, numquam ex animo delendus mihi, optimus herus meus, qui cum esset omnibus bonis litteris et studiis longe edoctus, longeque excelso ingenio præstans, ita hasce funerum sepulcrorumque vanitates non aliter ac is, qui successisset, callebat, callensque despiciebat.

item Eugenii 4.

et Nicolai 5.

133 His nos ambobus etiam epitaphia condidimus, quæ sequntur, hujusmodi;

Epitaphium Eugenii a Maphæo positum;

Eugenius jacet hic quartus, cor nobile cujus
Testantur vitæ splendida facta suæ.
Quem venerans adiit, seque incurvavit uterque
Cæsar et Eous, Cæsar et Occidius.
Hic diadema petens; ille almæ fœdera legis;
Ut fieret sceptro major hic, ille fide.
Quo duce et Armeni, Grajorum exempla secuti,
Romanam agnorunt Æthiopesque fidem.
Inde Syri ac Arabes, mundique finibus Indi;
Magna, sed hæc animo cuncta minora suo.
C Nam valida rursum Furcosia * classe petebat,
Dum petit, ast illum sustulit atra dies.
Qui semper vanos tumuli contempsit honores,
Atque ad me, pressa condite, dixit, humo.

** An Turcosia?*

Aliud Epitaphium.

aliud ejusdem.

134 Dum studet Ecclesiam placida componere pace,
Actaque pars voti, pars quoque agenda sui,
Eugenius quartus moriens, hic ossa reliquit:
Sic neçe præruptum, quod bene cœpit, opus.
Debuerant duræ tantis perferre sorores,
Tardius et vitæ solvere pensa brevis.
Tunc, ubi pax terris, quam miro ardebat amore,
Reddita, tunc cœlo restituendus erat.
Sed Deus actutum sedes ornare beatas,
Consultumque suis maluit ire bonis.

Epitaphium Nicolai V.

Item Nicolai.

135 Pontificis summi Nicolai hic condita quinti
Ossa cubant, liber spiritus astra colit.
Æmulus ille Numæ, pacem sibi prætulit, armis,
Prætulit et diris cantica sancte rubis:
Miro idem studio ritus cultusque sacrorum
Curavit, mira donaque sacra fide.
Alter et Augustus doctos, doctissimus ipse,
Excoluit, summa semper et auxit ope.
Extulit atque alte renovavit mœnia Romæ,
Extulit ingentes et renovavit opes. D
Secula qui magni jubilæi læta sacravit,
Cæsareum rutilo cinxit et orbe caput.
Qui scissum ecclesiæ Pastor compegit ovile,
Ad suaque errantes claustra reduxit oves.

136 Referri nunc possent et alti summi Pontifices, quorum corpora in hoc latere basilicæ majore ex parte recondita sunt. Lucius II. scilicet et Cœlestinus III. quos simul positos litteræ pavimento insculptæ demonstrant. Unde et manifestus deprehenditur error eorum, qui asserunt, Lucium secundum Laterani esse sepultum. Tum præter hos etiam Anacletus, Evaristus, Telesphorus, Iginius, Pius, Eleutherius, Victor, Symmachus, Hormisda, Deusdedit, Honorius, Severinus, Eugenius, Vitellianus, Deodatus, Donus, Conon, Sisinnius, Constantinus, Zacharias, Valentinus, Nicolaus, Formosus, Lando, aliique, quorum longiorem turbam, non tam hic, quam per omnem passim basilicam, atque in ipso etiam vestibulo sepultam, consulto præterimus, existimantes superflui id magis quam necessarii laboris fore: quippe cum satis sit dicere id, quod superiore libro memoratum est, Romanos omnes Pontifices, præter paucissimos, vel hic se- E pultos, vel, si forte alibi vita functi jacuerint, demum eo translatos esse.

Alii Pontifices ibidem tumulati,

137 Atque ut omittamus eos, qui ex Catacumbis, aliisque variis Romæ locis illuc translati sunt, præclarius illud videtur, quod legimus, Joannem et Agapitum, quorum beatus Gregorius in tertio Dialogorum libro magna signa refert, cum hic Constantinopoli, ille Ravennæ decessisset, utrumque postea ad ipsam Basilicam translatum fuisse. Enimvero cum ex antiquis, quæ traduntur, monumentis constet, omnes summos Pontifices in ea reconditos; tum manifeste id deprehensum est, cum aliquando fundamenta ejus aperirentur, vel propter sepelienda nova corpora Pontificum, vel propter reficienda, quæ disrumpi sæpe contigit pavimenta. Siquidem sunt multotiens inventi non pauci per totam hinc inde Basilicam subterranei tumuli marmorei, nitidis et eximie politis tabulis constructi.

SS. eodem aliunde post mortem translati

138 Tanta autem fuit sepeliendorum ibi Pontificum auctoritas, tantique apud omnes habita, non tam humano quam divino judicio, ut sicut aliqui tradunt, cum Marcellinus Papa sub Diocletiano imperatore Christum, quia Petri æmulus, propter metum mortis abnegasset, tamenque postmodum habito etiam episcoporum ad id concilio, reatus sui F pœnituisset, ut ad martyrium suscipiendum ultro pergens, ne a quoquam corpus ejus sepeliretur, sub anathematis pœna vetaret, mansissetque ita illud inhumatum triginta diebus, cum anathema ipsum nemo (non) formidaret, apparuit in somnis B. Petrus Marcello successori ejus, atque illi; Quid dormis, dixerit, Marcelle? aut quid me insepultum dimittis? Obstupefacto quoque ei talibus verbis subjunxerit; Legistine, eos, qui se humiliant, exaltandos esse? Et: An non magna videtur tibi fuisse humilitas Marcellini, qui se etiam sepulcri honore indignum judicavit, ut bestiarum dentibus discerptus magis relinqueretur? Surge ocyus, et corpus ejus juxta meum reconde, ut qui eamdem gratiam veniæ apud Deum invenimus, eumdem locum etiam tumuli habeamus.

etiam divina jussione;

139 Cui adjiciendum est aliud, quod de Gregorio VI. traditum est, magnum utique et admirabile monumentum. Cum enim ita graviter aliquando ipse ægrotaret, ut vitæ ejus nulla jam spes superesset; inter Cardinales interim sermo habebatur, ne in basilica S. Petri cum cæteris Pontificibus sepeliretur, propter cædem multorum hominum, qua sanctum sacerdotium turpiter fœdasse videbatur. Id autem

aliud eadem de re miraculum

in Papa Gregorio sexto.

A autem certo fecerat, ut tueretur libertatem Ecclesiæ, quam scelestissimi homines, prædæ ac novarum rerum avidi, non habentes qui eos punirent, passim infestabant; grassantes in peregrinos, qui ad Limina Apostolorum veniebant, oblata etiam S. Petro, ac cetera bona auferentes, insidiantesque vitæ cujusque, ac omnibus pessime vim inferentes. Quos cum nullus metus sacrarum admonitionum excommunicationumve arcere posset, gladio tandem ultore eradicavit.

140 Itaque renuntiato ei consilio Cardinalium, consciusque ipse sibi innocentiæ suæ, vocari ad se eos jussit, multa locutus de necessitate gravium illorum temporum infestationesque malorum hominum, deque proposito sup recto et sancto, utilitatisque ecclesiæ causa tamen suscepto; subjungens tandem, ac mira fiducia animi, speque in Deum, ita inquiens; Ponite, cum mortuus fuero, corpus meum ante portas basilicæ S. Petri, ipsasque seris fortiter occludite, ac nisi per se vi divina aperiantur, procul illinc abjicite. Cujus rei, sicut ille rogaverat, cum periculum fieret, exortus est subito ingens ventorum impetus et aeris turbo, quo apertis B laxatisque violenter portis, stupefacti ac præ tanto signo exterriti Cardinales reverenter ipsum, ut decebat, cum ceteris patribus sepeliri mandarunt.

Altare S. Martialis,

141 Sed pergamus ad referendum pauca, quæ adhuc restant altaria: quorum primum S. Martialis, quod est juxta chorum canonicorum, antiquum certe, et magnæ semper venerationis fuit. Dehinc flectamus nos ad latus, ubi sedent, qui pœnitentinm peccata audiunt, procedamusque recta via, et inveniemus oratorium, quod Papa Gregorius IV. erexit in honorem B. Gregorii primi, eximii doctoris Ecclesiæ; cujus corpus eo transtulit, non longe illinc, atque una corpora beatorum martyrum Sebastiani et Tyburtii, Chromatii præfecti (filii, ex cœmeteriis, in quibus antea reposita erant; quibus et in singulis sua altaria in eodem oratorio extruxit; juxta quod sepultus est Pelagius Papa et Bonifacius III. et Gregorius etiam quintus cum epitaphio simul, quod adhuc apparet marmori insculptum, versibusque licet (non) multum dignis compositum.

Oratorium S. Gregorii I.

Sepultura, Pelagii, Bonifacii 3. Gregorii 5.

142 Post ipsum oratorium est secretarium B. Petri, quod ita appellatum fuit; ante quod reconditus est Joannes III. intra vero Benedictus. Sed extra C in vestibulo Bonifacius, Theodorus, Zacharias, Joannes II. Gregorius II. Stephanus II. et alius Stephanus V. ac VI. etiam; nec non Benedictus IV. Proximum autem huic oratorio est altare SS. Simonis et Judæ; ad quod est accessus per portam Ravennianam; quod e regione respicit aliud altare SS. Philippi et Jacobi: ad quod per aliam portam Romanam introitur. Quoniam vero modo mentionem fecimus duarum portarum basilicæ, Ravennianæ scilicet et Romanæ, convenienter hic de omnibus ipsis, quæ in ingressu ejus sunt, agendum videtur, ut intelligamus, quænam sint, et quæ jam nominatæ sunt, et quæ deinceps aliæ etiam nominandæ sunt.

Secretarium, ibique sepulti.

Altare SS. Simonis et Judæ, Philippi et Jacobi.

Portæ in frontispicio basilicæ quinque.

143 Quocirca sciendum est, quinque esse portas ipsas, quæ Medianæ dictæ, suo etiam specialiter quæque nomine appellatæ sunt. Primum etenim earum media, quæ dignior est, Argenteæ nomen accepit; juxta quam in vestibulo jacet Papa Benedictus III. ante quam etiam sub rotundo marmore D porphyretico traditum est jacere corpus venerabilis Bedæ; cujus reverentia antiqui utique per eam non transibant. Vocata autem Argentea primum ab Honorio Pontifice, qui cum omnes ipsas eximie argento munisset, at hanc mediam nobilius etiam tabulis totam argenteis variisque picturis ornavit; incitatus (ad) id, quod de templo Salomonis memoriæ proditum est, cujus portas, argento utique coopertas, atque a Tito Imperatore postea bello, quod contra Judæos suscepit, igne succensas fuisse, Egesippus scribit: duravitque hujus ornamentum, usque ad tempora Alexandri III. licet a Saracenis interim in prædam actum ac subinde a Leone IV. pulcrius etiam et pretiosius restitutnm, sicut suis infra locis dicemus; postmodum autem corruptum paulatim in dies magis fuerit, adeo ut et porta ipsa nomen proprium, quo Argentea vocabatur, amiserit; et Eugenius IV. qui fuit Pontifex omni virtute excellens, eam, ut supra libro 2. dictum est, æneam restauravit.

Argentea, juxta quam jacet Benedictus 3.

ab Honorio Pont. sic dicta,

a Leone 4. restituta,

nunc ænea Eugenii 4.

144 Nunc ad pauca alia quæ restant altaria veniamus. Post altare Philippi et Jacobi, juxta portam noviter clausam, quæ mittebat in templum S. E Vincentii, est aliud altare S. Abundii, qui fuit mansionarius ipsius basilicæ, de quo et B. Gregorium, in Dialogo suo verba facientem supra satis retulimus: juxta quod etiam a dextra parte introitus, est oratorium insigne excultumque mosivo, dicatumque beatæ Virgini, cum altari, in quo prima Missa noctis Natalis semper celebratur: cujus auctor fuit Joannes Papa VII. vir eloquentissimus; ubi et ipse apud altare sepultus est. In ejus medio est aliud altare coopertum desuper nobilissimo elaboratissimoque tegmine; ubi summa cum veneratione conservatur, et cum tempora sua postulant, ostenditur etiam populis sanctissimum Sudarium Christi, de quo supervacuum est amplius verba facere, cum superiore libro satis de eo disseruerimus.

S. Abundii altare.

B. Mariæ oratorium elegans,

Sudarium Christi.

145 Verum recta via, qua itur ad altare majus, est oratorium beati Ambrosii, magni doctoris Ecclesiæ, quod nunc nomen sui omnino devotionemque amisit. Inter altare autem beatæ Virginis, de quo modo diximus, et portam Guidoneam, erat oratorium S. Antonii martyris, cujus nomen longa vetustate exoletum est: nunc illud sub nomine B. Brigidæ colitur. Sed et aliud, quod restat intra portam Guidoneam et portam Romanam, erat altare F S. Tridentii martyris, nunc ipsum etiam sine nomine ob posterorum maxime incuriam.

Oratorium S. Ambrosii

et S. Antonii mart. nunc S. Brigidæ,

S. Tridentii mart.

146 Hactenus vetustiora Basilicæ S. Petri templa oratoriaque, simul atque altaria perscripsimus. Nam siqua nunc alia, præter quæ commemoravimus, appareant, omnia certe nova recentioribusque temporibus condita sunt. Nunc ergo regrediamur in ipsam Basilicam S. Petri salutaturi Principem Apostolorum, et adoraturi eum, qui post tot imperatorum triumphos etiam soli divo Petro, ejusque successoribus eum locum divina sua clementia et bonitate prædestinavit, et hactenus conservavit, conservaturus in perpetuum: cui laus, honor, et gloria in secula seculorum. Amen.

Apostrophe ad S. Petrum.

COMMEN-

COMMENTARIUS

DE BASILICA SANCTI PETRI

APOSTOLORUM PRINCIPIS ANTIQUA, A CONSTANTINO MAGNO FUNDATA

ROMÆ IN VATICANO

AC PRÆCIPUE DE ALTARIBUS EJUSDEM.

C. J.

§. I. De Scriptoribus, quorum opera hic utimur in multis.

Basilica S. Petri antiqua Romæ, gloria christianitatis,

Non incongruum sane videri possit, si in hisce Sanctorum Actis de primo Romanæ et Catholicæ Ecclesiæ capite, Christi Domini primo in terris Vicario, S. Petro Apostolorum Principe (quamvis jam multa de illo decessores nostri B *Godefridus Henschenius et Daniel Papebrochius tractarint tomo* VII. *Junii, addiderimque ego opellam aliquam) pluscula adhuc superaddamus, quæ perpetuam ejus memoriam in basilica primaria, glorioso ipsius nomini dedicata, renovare, atque illustriorem reddere possint. Uti enim ipse præcipuum Ecclesiæ Catholicæ et grande decus est; ita et basilica ejus, quam Constantinus Magnus Imperator Christianus magnifice ædificavit, præcipuum est religiosæ antiquitatis monumentum, quo Roma et universus orbis Catholicus merito gloriantur; et quotquot ab unitate Romanæ Ecclesiæ alieni sunt merito confunduntur.*

descriptu nunc difficilis,

2 *Hinc pridem cœpi versare animo aliquam istius basilicæ illustrationem; admovique manum operi. Sed mox fere pœnituit cœpti, considerantem, quam arduam rem, ac tenebris longæ vetustatis obductam, aggressus essem, destitutus necessariis scriptorum monumentis, quæ cæcutienti in tenebris facem præferrent. Quam multa enim et varia attento illam perlustranti animo occurrunt monumenta vetustæ pietatis, interque illa quam multa altaria diversis temporibus fundata, destructa, restaurata, loco mota, alio translata? Horum rationem reddere, nomina prodere, situm indicare, mutationes* C *noscere, ornamenta describere, siquis peregrinus et absens velit; næ is frustra sudabit, si sine ductu peritorum et veteribus scripturis rem aggrediatur. Habuere quidem istiusmodi scripturas, qui duobus seculis superioribus non pauci Romæ animum eo appulere ac studium, ut basilicam antiquam, tunc demum aut parte aut totam solo æquatam, quasi resuscitarent e pulvere, incisamque in æs, descriptam in libris, illustratam commentariis, conservarent posteritati. Verum illi inter se frequenter discordant, et monumenta vetustiora MS. perparce communicant, ut qui alios non habet duces, nesciat quem tuto sequatur.*

licet quadamtenus illustrata ab Anastasio Biblioth.

3 *Convertebam animum ad Anastasium Bibliothecarium, scriptorem antiquum, eoque usus sum ex editione Parisiensi typographiæ regiæ, curata anno* MDCLIX, *sed is ultra seculum* IX. *me ducere non potuit. Usus deinde sum Romano Canonico, quem anno* MDCXLVI. *Romæ impressit Paulus de Angelis cum Annotationibus in illum suis qualibuscumque. Nec alium scriptorem, paulo antiquiorem, qui argumentum, quod tractamus, prosequeretur tunc habebam. Sciebam tamen a recentioribus crebro allegari scriptores duos MS. qui basilicam Vaticanam illustravere, Petrum Manlium et Maphæum Vegium, utrumque eadem in basilica olim Canonicos. Illorum opuscula duo MS. tandem nactus sum (supra exposui qua occasione) quorum alterum Petri Manlii seu Mallii, quod inscribitur* Historia sacra, *videlicet antiquæ basilicæ Vaticanæ, cum præfatione* ad beatissimum Patrem Alexandrum tertium Pontificem Maximum, *collectum ex ipsius basilicæ antiquis monumentis sub medium seculi* XII. *Alterum Maphæi Vegii Laudensis, cui titulus,* De rebus antiquis memorabilibus basilicæ S. Petri Romæ, *compositum libris quatuor sub annum* MCCCCLVII. *Utrumque, quia hactenus, ut sunt, in publicam lucem per typos non venerunt, et a multis talium studiosis desiderabatur; lubuit Commentario huic præmittere, tum ut aliis gratificarer, tum ut a nobis hic porro dicenda, inde comprobarentur confirmarenturque.*

Petro Manlio, Maphæo Vegio, E

et aliis recentioribus.

4 *Alii, illis recentiores, quorum opera usi sumus, hi fere sunt. Onuphrius Panvinius de septem Urbis ecclesiis, impressus Romæ anno* 1570. *Marcus Attilius Serranus de eodem argumento, ex editione Coloniensi, curata* 1600. *antea vero editus, Romæ* 1575. *uti testatur Floravantes Martinelli; et colligitur ex Dedicatione, Gregorio XIII. inscripta; Pompeius Ugonius de Stationibus Romanis* 1588. *Joannes Severanus presbyter Oratorii Romani, in Memoriis sacris septem Ecclesiarum, vulgatis Romæ* 1630. *Augustinus Oldoinus in Vitis Pontificum Romanorum et Philippus Bonannius in Historia templi Vaticani, ambo Societatis Jesu; ille anno* 1677. *hic* 1696. *atque iterum* 1700. *Romæ editi. Accedunt, Illustriss. Joannes Ciampinus et celebris architectus Carolus Fontana, nec non Franciscus Maria Turrigius de sacris cryptis Vaticanis, cujus editionem anni* 1635. *tantum habeo. Alios prætermitto hic, suis locis nominandos.* F

Ichnographia ejus ex delineatione Alpharani,

5 *Inter jam citatos nonnulli multa tum veteris tum novæ basilicæ opera eleganter incisa in æs, scriptis suis inseruerunt, quæque apud ipsos videri possunt. Ego inde in primis huc adduco Ichnographiam veteris templi, ut maxime necessariam, quatenus designat suis locis oratoria atque altaria, quæ illic olim fuerunt; eaque alii paucis indicant, alii plusculis subinde describunt verbis; omnes ad hoc usi scriptoribus antiquioribus. Et ichnographiam quidem mutuati sunt ex delineatione MS. Tiberii Alpharani, qui sub Sixto PP. V. floruit, ejusdem basilicæ canonicus: de quo Bonannius cap. 8. hæc, nobis etiam notanda, scribit.*

Panvinium in nonnullis corrigentis.

6 Onuphrium Alpharanus lib. De antiquitate et præstantia basilicæ Vaticanæ *(utinam nobis quoque propius videre licuisset!)* modeste refellit, excusatque scriptorem alioquin eruditissimum, his verbis: (Onuphrius Panvinius Ordinis Heremitarum, in libro, quem scripsit de Antiquitatibus basilicæ Vaticanæ valde quidem præ ceteris hujusmodi scriptoribus et laudandus et extollendus, quamvis omnia bene interpretatus fuerit, tamen situs aliquorum sacellorum, altarium et nonnullorum locorum non bene

A bene intellexit. Nam sub organo corpus S. Petronillæ virginis translatum fuisse scripsit : et altaria SS. Philippi et Jacobi ; Simonis et Judæ ; Abundii, hujus basilicæ mansionarii ; et portam, quæ ducebat ad ecclesiam S. Vincentii, alibi fuisse docet. Quod quidem non est ita. Corpora SS. Processi et Martiniani martyrum sub organum ; corpus vero S. Petronillæ in altare sanctissimi Crucifixi ; et lancea, qua Christi latus perforatum fuit, ad cyborium Vultus sancti, translata fuere. Ita et de aliis quidem ei parcendum est. Nam de hujusmodi locorum spatiis et translationibus non habuit antiquiorem, quem consulere posset ; sicut ego Jacobum Herculanum canonicum et altaristam ejusdem basilicæ antiquissimum, qui hujusmodi rerum et actionum doctissimus erat.) Hæc de Panvinio Alpharanus, *inquit Bonannius.*

C. J.

Numerus altarium ex opinione variorum

7 *Idem Bonannius eodem capite* 8. *in numerum altarium, qui in antiqua basilica extiterint, inquirens, ait ; Petrum Manlium,* loquentem de Sanctis, qui in B. Petri basilica requiescunt, viginti septem numerasse. *Maphæum Vegium* altaria viginti octo recensere. *Panvinium,* præter altare majus S. Petri in antiqua basilica viginti altaria partim sacellis vel B oratoriis inclusa, partim sine ædiculis, *ponere ;* eorumque brevem epilogum addere ; sed hunc sine ullo ordine fuisse, affirmari a Pompeio Ugonio. *Ugonium vero ipsum,* qui scripsit sub Sixto V. circa annum 1588. ea tantum recensuisse, quæ in templi veteris parte, *tunc adhuc subsistente,* vel inibi primum erecta, vel ex alia jam tum diruta, illuc translata, sexdecim numerabantur. *Denique, Joannem Severanum* lib. de septem Urbis ecclesiis impresso anno 1630. viginti quinque partim oratoria, partim altaria descripsisse.

et Alpharani.

8 *His istum in modum recensitis, pergit Bonannius :* Tiberius vero Alpharanus, antequam tota basilicæ veteris moles penitus solo æquaretur, ut Sixtus V. meditabatur, ejus delineationem aggressus, peraccurate absolvit, eidem adjectis, cum exterioribus, interioribus sacellis, quæ summorum Pontificum aliorumque virorum pietas excitaverat. Servatur ipsa delineatio in archivo basilicæ ; et in Vaticana itidem bibliotheca ejus autographum, duobus magnis foliis compactum ; in quo altaria omnia recenset numero sexaginta novem ; quæ tamen diversis temporibus in eadem basilica extiterunt. Porro ille plenam templi notitiam, ut ipsemet asse- C ruit, a Jacobo Herculano canonico habuit, ejusmodi rerum doctissimo ; *imo et* altarista ejusdem basilicæ antiquissimo, *uti supra dixit idem Alpharanus : sed vellem distinctius expressisset tempus, quo vixit Herculanus ille, et quid scripto reliquerit. Non enim memini apud alios scriptores de illo quidquam legere.*

Ætas Jacobi Grimaldi

9 *Alium quoque reperio auctorem, Jacobum Grimaldum, qui de basilica S. Petri varia litteris consignavit, crebro citatum a Bonannio aliisque ex MS. Is, quantum ex citationibus aliorum scriptorum colligo, vixit cum Alpharano, atque etiam supervixerit, ingressus seculum* XVII. *ad annos non paucos. Citatur etiam a Bonnannio cap.* 3, *Tractatus ejus MS. de Lancea Domini in quo, quod supra querebar, ab Alpharano prætermissum esse, indicat ; videlicet quod Jacobus Herculanus creatus* a Paulo IV canonicus S. Petri, antea beneficiatus et ædituus, animarum parochus, et summi Pontificis eleemosynarius, vitæ et conversationis sanctissimæ, obiit anno MDLXXIII, et veterem basilicam, antequam Julius II. eam deturbaret, descripserat, optime viderat, et multa notatu digna observaverat.

et Herculani.

D

§ II. Fuerunt primis Christianis certa ad orandum loca et templa : horum forma, partes, ornatus, fons baptismalis et magnificentia.

Certa orationum loca fuere

P*ro comperto haberi debet (quidquid aliter sentiant etiam Catholici scriptores) fuisse primis Christianis certa orationum loca : quod Scripturæ Sacræ frequenter indicant ; atque ipsi Apostoli ac discipuli statim a Resurrectione Domini, erant congregati, utique ad orandum ; quando foribus propter metum Judæorum clausis, venit ad eos semel iterumque Dominus, Joan.* 20, *Eodem quoque Domino ante ascensionem suam mandante, ut sederent in civitate, quoadusque induerentur virtute ex alto ; discipuli adorantes, regressi sunt in Jerusalem cum gaudio magno ;* et erant semper in templo laudantes et benedicentes Deum, *Lucæ ultimo.* Et erant *fideles* perseverantes in doctrina Apostolorum et communicatione fractionis panis et orationibus, *Act.* 2. *Post tempora Apostolorum S. Justinus martyr in quæstione positus, interrogatusque a Præfecto, quem in locum Christiani convenirent, respondit ;* eo unumquemque quo vellet ac posset, *ut in ejus martyrii Actis legitur. Item S. Dionysius Alexandrinus apud Eusebium ;* quivis, *inquit,* locus, in quo varias ærumnas sigillatim pertulimus, ager, solitudo, navis, stabulum, carcer instar templi ad sacros conventus peragendos fuit. *Ut nihil dicam de cryptis et catacumbis Romanis, ubi Christiani in oratoriis subterraneis, quæ adhuc visuntur, multorum hominum capacia, suis temporibus conveniebant, orabant, atque alia christianæ pietatis officia peragebant. Et hæc certa orationum loca fuerunt, fidelibus passim nota : de quibus alia etiam legi possunt apud Baronium tom.* 1. *Annal. ad an.* 57. *a num.* 98.

primis christianis,

E

quæ paulatim in templa publica sunt mutata

11 *Intercesserunt subinde tempora, a persecutionibus quietiora, quando, paulatim crescente Christianorum multitudine, et foventibus aut conniventibus urbium magistratibus, publica in conspectu gentilium oratoria et templa christiano ritu construxerunt. Luculentus illa de re locus est apud Eusebium in Historia ecclesiastica lib.* 8. *cap.* 1. *Ubi ille crudelissimam omnium Diocletiani persecutionem descripturus, præmittit nonnulla de quiete ac majori libertate, qua subinde populus christianus cœperat gaudere ; additque de eorum templis sequentia :* Jam vero, quis innumerabilium hominum, quotidie ad fidem Christi confugientium turbam ; quis numerum ecclesiarum in singulis urbibus ; quis illustres populorum concursus in ædibus sacris, cumulate possit describere ? Quo factum est, ut priscis ædificiis jam non contenti *(igitur jam tum magis prisca erant ædificia, quo fideles conveniebant ad orandum)* in singulis urbibus spatiosas ab ipsis fundamentis extruerent ecclesias. *Inter istas numeres ecclesiam, quam Christiani habebant Nicomediæ in ipsa tunc regia civitate,* editissimam, *quam primo persecutionis suæ generalis die Diocletianus coram solo adæquandam curavit ; uti scribit Lactantius cap.* 12, *de Mortibus persec.*

F

et a tyrannis destructa mox resurrexerunt splendidiora.

12 *Finita persecutione illa, Constantino imperante, Christiani certatim, et destructas ecclesias suas continuo restauraverunt, et novas ubique exædificaverunt. Eo faciunt verba Eusebii, tunc viventis, lib.* 10, *cap.* 2. Loca cuncta, quæ tyrannorum impietas paulo ante subruerat, tamquam ex diuturna ac pestifera labe reviviscere vidimus : templaque rursus a solo in immensam altitudinem erigi, et longe majore cultu ac splendore, quam illa, quæ prius expugnata fuissent, nitescere. *Unum deinde, quod Paulinus Tyri episcopus*

A *episcopus in sua civitate amplius splendidiusque, quam antea fuerat, resuscitarit, copiosa oratione commemorat situmque ejus partes et ornamenta minutim describit eodem lib.* 10. *cap.* 4, *ex quibus dignosci quoquo modo potest, qualis ecclesias Christianorum struendi modus per illa tempora fuerit; ideoque, quia sub idem fere tempus, quo Vaticana Romæ, ipsa Tyri ædificata sit; operæ pretium duco descriptionem ejus huc adducere, ut per illam illustretur ædificium Vaticanæ nostræ, ac vicissim istius partes per ichnographiam nostram, Vaticanæ, quam mox dabimus, facilius intelligantur.*

Exemplum in ecclesia Tyria

13 *Accipe igitur descriptionis Eusebianæ verba, ex interpretatione Valesii, quæ huc spectant, quæque structorem templi Paulinum appellant, ejusque magnificentiam in laudando opere celebrant.* Itaque, *inquit*, multo ampliorem locum *templi novi*, metatus, exteriorem quidem ambitum muro undique communivit, qui totius operis tutissimum esset propugnaculum. Magnum deinde atque excelsum vestibulum ad ipsos solis orientis radios extendit, iis, qui a sacri loci ambitu longius remoti sunt, conspectum quemdam eorum, quæ intus reconduntur, abunde exhibens, et oculos eorum, qui a nostra fide alieni sunt, ad conspicienda limina quodammodo invitans; ne quisquam B forte prætercurrat, qui non compungatur animo, tum ex memoria præteritæ solitudinis, tum ex stupendo præsentis operis miraculo. Hoc enim modo compunctos attrahi, et ad ingrediendum allici posse aspectu ipso, speravit.

cum quadriporticu,

14 Ceterum ubi portas ingressus sis, non statim impuris et illotis pedibus in sacrarium introire permisit. Sed inter templum ac vestibulum maximo intervallo relicto, hoc spatium in quadrati speciem circumseptum, quatuor obliquis porticibus circumquaque exornavit, quæ columnis undique attolluntur. Intercolumnia porro ipsa, septis e ligno, reticulatis in mediocrem et congruam altitudinem elatis, circumclusit. Medium autem spatium apertum et patere reliquit, ut et cœli aspectum præberet, et aerem splendidum solisque radiis collustratum præstaret. Hic sacrarum expiationum signa posuit, fontes scilicet, ex adverso ecclesiæ structos, qui interius sacrarium ingressuris copiosos latices ad abluendum ministrarent. Atque hoc primum intrantium diversorium est, cunctis quidem ornatum ac nitorem conciliens; iis vero, qui institutione adhuc opus habent, congruentem præbens mansionem.

ac tribus in frontispicio portis

15 Jam vero hoc spectaculum prætervectus, pluribus C aliis interioribus vestibulis aditus ad templum patentes effecit, rursus ad ipsos solis orientis radios tribus ordine januis in uno eodemque latere constructis: quarum mediam duabus aliis utrimque positis, et altitudine et latitudine, plurimum præstare voluit, eamdemque æreis tabulis, ferro vinctis et sculpturis variis præcipue decoravit, ei tamquam reginæ satellites aliquas adjungens. Ad eumdem modum, cum porticibus ad utrumque templi latus fabricatis, parem vestibulorum numerum disposuisset, diversos aditus, quibus copiosum lumen superne in ædem infunderetur, supra ipsas porticus excogitavit, easque fenestras variis e ligno sculpturis minutissimi operis ornavit. Ipsam vero ædem regiam opulentioribus magisque pretiosis speciebus instruxit, prolixa sumptuum magnificentia ad hoc usus.

et multiplicibus ornamentis:

16 Hic jam mihi superfluum videtur ædis ipsius longitudinem ac latitudinem describere, et hunc splendidissimum decorem atque inexplicabilem magnitudinem; radiantem operum speciem ac splendorem; fastigia ad cœlum usque tendentia; et supra hoc eminentes Libani pretiosissimas cedros, oratione prosequi. Quid jam attinet de solerti et ingeniosa totius fabricæ dispositione ac de excellenti singularum partium pulchritudine accuratius disserere? Præsertim cum oculorum testimonium omnem, quæ auribus percipi potest, notitiam excludat. D Porro cum templum in hunc modum absolvisset, thronisque altissimis in honorem Præsidentium; ac præterea subselliis per universum templum ordine dispositis exornasset; postremo Sanctum Sanctorum, altare videlicet, in medio constituit. Utque hæc sacraria multitudini inaccessa essent, ea rursus ligneis cancellis munivit, munitissimo opere ad summum artis fastigium elaboratis, adeo ut admirabile intuentibus spectaculum exhibeant.

C. J.

qualia etiam in templo Vaticano,

17 *Ex hac descriptione habemus, quod templum illud Tyrium fuit peramplum; quod frontispicium ejus spectavit solem orientem et habuit portas plures, quod ante illud extitit atrium, quatuor porticibus columnatis circumductum; quod item fontes extra templum scaturierunt; quod in templum sedes episcoporum superemiuerunt alias presbyterorum; quod altare in medio constitutum fuit. Et hæc quidem omnia in antiqua S. Petri basilica Vaticana similiter inveniuntur, uti ex ichnographia ejus, ac porro dicendis, constabit. Sed et præmittamus hic aliqua de ejusdem Vaticanæ ecclesiæ situ et forma, ab antiquis scriptoribus Latinis memorata; atque in primis ex Gregorio Turonensi, qui Romam etiam visitavit et S. Petrum in ecclesia Vaticana veneratus est. Is libro de Gloria Martyrum cap.* 28. *habet sequentia.* E

cujus descriptio aliqua ex Gregorio Turon.

18 Sanctus Petrus Apostolus, ut præfati sumus, cum post Neroniana et Simoniaca bella, ad crucem venisset, impleto jam felicis trophæi certamine, resupinis ad cœlum vestigiis se expetiit crucifigi, indignum se vociferans, ut Dominum exaltari: sicque dirigens spiritum vivacem in astra, sepultus est in templo, quod vocabatur antiquitus Vaticanum quatuor ordines columnarum habens. Habet etiam quatuor in altari, quæ sunt simul centum; præter illas, quæ ciborium sepulcri sustentant. Hoc enim sepulcrum, sub altari collocatum, valde rarum habetur. Sed qui orare desiderat, reseratis cancellis, quibus locus ille ambitur, accedit super sepulcrum; et sic fenestella parvula patefacta, immisso introrsum capite, quæ necessitas promit, efflagitat. Nec moratur effectus, si petitionis tantum justa proferatur oratio. Quod si beata auferre desiderat pignora, palliolum aliquod momentana *(statera vel libra)* pensatum jacit intrinsecus, deinde vigilans ac jejunans, devotissime deprecatur, ut devotioni suæ virtus F Apostolica suffragetur. Mirum dictu, si fides hominis prævaluerit, a tumulo palliolum elevatum ita imbuitur divina virtute, ut multo amplius, quam prius pensaverat, ponderet: et tunc scit qui levaverit, cum ejus gratia sumpsisse quod petiit. Multi etiam et claves aureas ad reserandos cancellos beati sepulcri faciunt, qui ferentes pro benedictione priores accipiunt, quibus infirmitati tribulatorum medeantur. Omnia enim fides integra præstat. Sunt ibi et columnæ miræ elegantiæ candore niveo, quatuor numero, quæ ciborium sepulcri sustinere dicuntur.

atque ex Prudentio

19 *Et Prudentius, longo ante Gregorium tempore, libro Peristephanωn, Hymno* XII, *postquam celebravit utriusque Apostoli martyrium, de locis sepulturæ ac templis eorumdem nonnulla canit, deque fonte baptismali in S. Petri, multa miscet, his versibus.*

Dividit ossa duum Tibris, sacer ex utraque ripa,
Inter sacrata dum fluit sepulcra.
Dextra Petrum regio, rectis tenet aureis receptum.
Canens oliva, murmurans fluento.
Namque supercilio saxi liquor ortus, excitavit
Frondem perennem chrismatis feracem.
Nunc pretiosa ruit per marmora lubricatque clivum;
Donec viventi fluctuet colymbo.
Interior tumuli pars est, ubi lapsibus sonoris

Stagnum

A Stagnum nivali volvitur profundo.
C. J. Omnicolor vitreas pictura superne tingit undas :
Musci relucent et virescit aurum,
Cyaneusque latex umbram trahit imminentis ostri ;
Credas moveri fluctibus lacunar.
Pastor oves alit ipse illic, gelidi rigore fontis,
Videt sitire quas fluenta Christi.

de utriusque Apostoli ecclesiis.

20 *Idem is continuo subdit nonnulla de templo S. Pauli seorsim : at mox ab his verbis ;* Princeps bonus *(Constantinus)* has sacravit arces, *nempe Petri et Pauli, utriusque Apostoli basilicas simul describit, ponens in illis, uti supra Gregorius Turonensis, quatuor ordines columnarum ; qui in S. Pauli hodiedum consistunt, et in S. Petri fuisse, demonstrat ejus ichnographia : quamvis putem aliquanto longiores fuisse ordines columnarum in S. Petri quam S. Pauli. Miscet his etiam alia Prudentius de utriusque ecclesiæ ornatu. En ejus versus :*

Parte alia titulum Pauli via servat Ostiensis,
Qua stringit amnis cespitem sinistrum.
Regia pompa loci est. Princeps bonus has sacravit [arces,
Lusitque magnis ambitum talentis.
Bractealas trabibus sublevit, ut omnis aurulenta
B Lux esset intus, ceu jubar sub ortu.
Subdit et Parias fulvis laquearibus columnas,
Distinguit illic quas quaternus ordo :
Tum camuros hyalo insigni varie cucurrit arcus :
Sic prata vernis floribus renident.

In his vocum aliquot obscuriorum explicatio.

21 *Ne quid lectorem in præmissis Prudentii versibus (sunt enim nonnulla minus obvia) retardet, explicationis aliquid, ex meo quidem sensu, subnecto. In primo carmine de S. Petri, versu* 6. Frondem perennem, *intelligo* oleam. *Versu* 8, *in fine*, colymbo, *sit*, canali *seu* aquæductu. *Versu* 12. Cyaneus latex ; cærulea aqua. *In altero vero carmine versu* 4. Lusitque magnis ambitum talentis. *Ubi* lusit, *pro* illusit, *id est* pinxit *ambitum templi magno auri pretio. Major obscuritas est in versu penultimo.* Tum camurus, *legitur in plerisque codicibus impressis. In nostro Prudentii antiquissimo MS. legitur* camiros ; *et in editione Nicolai Heinsii, anno* 1667 *curata*, camuros. *Nemo hactenus aptam vocis etymologiam aut significationem, quod sciam, dedit. Noster citatus Cod. MS. in notis, quæ antiquissima itidem manu passim ad locos obscuriores per totum opus adscriptæ sunt; interpretatur* camirus, *seu* camyrus, *seu* camurus *(eodem quippe redeunt) pro* curvus : Hyalus, *uti vere sonat græce*, C *pro* vitrum : cucurrit : *pro* pinxit. *Hinc totus versus penultimus apto sensu sic reddi possit, quod* Princeps bonus *Constantinus, qui utriusque basilicæ* ambitum magnis lusit, *illusit seu pinxit* talentis,.... *ita etiam* arcus camuros *id est curvos aut curvatos,* varie cucurrit, *percurrit, distinxit aut pinxit* hyalo *seu vitro* insigni. *Sed de his satis. Redeamus ad propositum.*

Fons Baptismalis a Damaso Papa exci-tatus.

22 *Inter alia de ecclesia S. Petri dicta Prudentius etiam mentionem fecit de fonte baptismali, qui ibidem ex aqua, e vicino colle per canales deducta, extabat ; cujus auctor fuit S. Damasus Papa, uti indicant inter Poemata ejus, a Sarazanio collecta et anno* 1638. *Romæ vulgata, hi versus, Carmine* 39.

Cingebant latices (*al.* lacus) montem, teneroque [meatu,
Corpora multorum, cineres atque ossa rigabant.
Non tulit hoc Damasus, communi lege sepultos
Post requiem tristes iterum persolvere pœnas.
Protinus adgressus magnum superare laborem
Aggeris immensi, dejecit culmina montis.
Intima solicite scrutatus viscera terræ,
Siccavit totum quidquid madefecerat humor.
Invenit fontem, præbet qui dona salutis.
Hæc curavit Mercurius levita fidelis.

D

§ III. Ecclesiarum S. Felicis Nolani descriptio, e S. Paulino Ep. cultore ejus singulari.

Ecclesiarum S. Felicis descriptio, unius, cum apside ;

D*istinctiora etiam de ecclesiis S. Felicis sui, earumque partibus et forma scribit, ineunte seculo* v. *S. Paulinus episcopus Nolanus, Epistola* XII. *ad Severum in editione Rosweidiana pag.* 140. *Inter alia sic ibi habet :* Basilica illa, quæ ad Dominædium *(id est S. Felicem, tamquam Dominum ædis)* nostrum communem Patronum, in nomine Domini Christi jam dedicata celebratur, quatuor ejus basilicis addita, reliquiis Apostolorum et martyrum intra apsidem trichora sub altaria sacratis, non solo beati Felicis honore venerabilis est. Apsidem, solo et parietibus marmoratam, camera musivo illusa clarifica ; cujus picturæ hi versus sunt. *Prætermitto tum hic, tum in sequentibus plerosque Paulini versus, in citata Epistola legendos. Deinde pergit :* Inferiore autem balteo, quo parietis et cameræ confinium interposita gypso crepido conjungit aut dividit, hic titulus indicat deposita sub altari Sancta sanctorum.. Tum vero extra E concham basilicæ spatium, alto et lacunato culmine, geminis utrinque porticibus dilatatur, quibus duplex per singulos arcus columnarum ordo dirigitur. Cubiculo *(id est sacella)* intra porticus quaterna, longis basilicæ lateribus inserta, secretis orantium vel in lege Domini meditantium, præterea memoriis religiosorum ac familiarum accommodatos ad pacis æternæ requiem locos præbent. Omne cubiculum binis per liminum frontes versibus prænotatur...

item alterius, Orienti non obversæ,

24 Alteri autem basilicæ, qua de hortulo vel pomario quasi privatus aperitur ingressus, hi versiculi hanc secretiorem forem pandunt.. Hoc idem ostiolum aliis versibus ab interiore sui fronte signatur... Prospectus vero basilicæ, non ut usitatior mos est, Orientem spectat, sed ad Domini mei beati Felicis basilicam pertinet, memoriam ejus (*id est sepulcrum, aut altare, aut etiam oratorium, ubi quiescit,*) aspiciens : tamen cum duabus dextra lævaque conchulis intra spatiosnm sui ambitum apsis sinuata laxetur, una earum immolanti hostias jubilationis Antistiti patet ; altera post sacerdotem, capaci sinu receptat orantes. Lætissimo conspectu tota hæc basilica in basilicam memorati Confessoris aperitur tribus arcubus paribus, perlucente transenna : per quam F vicissim sibi tecta et spatia basilicæ utriusque junguntur. Nam quia novam a veteri paries, apside cujusdam monumenti interposita, obstructus excluderet totidem januis patefactus a latere Confessoris, quot a fronte ingressus sui foribus nova reserebatur, quasi diatritan (*sonat mihi,* quasi perspicuam) speciem ab utraque in utramque spectantibus præbet; sicut datis inter utrasque januas titulis indicatur. Itaque in ipsis basilicæ novæ ingressibus hi versiculi sunt. *Duos subnecto, quia quæ modo dicta sunt, quadamtenus explicant.*

cum triplici porta.


Alma domus triplici patet ingredientibus arcu,
Testaturque piam janua trina fidem...

Intra ipsam vero transennam (qua breve illud, quod propinquas sibi basilicas potius * discludebat, intervallum continuatur) e regione basilicæ novæ super medianum arcum, hi versus sunt.

** al. prius.*

Quid sit transenna.

25 *Detinet me tantisper hic* transenna. *Erat septum, quod tribus foribus e veteri basilica transmittebat adeuntes novam, per aliquam ambulationem aut aulam, superne tectam, qua ambæ ecclesiæ committebantur. Septum illud, aut potius fores, erant cancellatæ, aut vitro pellucidæ : hinc supra Paulino* transenna perlucens. *Intra hanc igitur transennam, qua scilicet novam basilicam*


A
B
C
D
E
F
G
10 50 100 150 200

A *basilicam spectabat, inscripti fuerunt supra arcum seu portam mediam, hi versus, qui, quæ dixi, clarius explicabunt, sumpta similitudine Christi duo Testamenta, vetus ac novum, conjungentis in unum; aut hominem Deo reconciliantis:*

Ut medium valli pax nostra resolvit Jesus,
Et cruce dissidium perimens, duo fecit in unum:
Sic nova, destructo veteris discrimine tecti,
Culmina conspicimus portarum fœdere jungi.
Sancta nitens famulis interluit atria limphis
Cantharus, intrantumque manus lavat amne ministro.
Plebs gemina Christum Felicis adorat in aula:
Paulus Apostolico quam temperat ore Sacerdos.

Paulus sit hic ipse Paulinus, qui illic prædicabat ac populum docebat, uti infra clarius; Paulus in æternos antistes dedicat usus *ecclesiam, a se Paulino excitatam.*

26 *Hæc porro ibidem* notata versiculis epigrammata super arcus alios dextra lævaque sunt.

In uno quidem,

Attonitis nova lux oculis aperitur, et uno
Limina consistens, geminas simul aspicit aulas.

In altero vero.

B Ter geminis geminæ patuerunt arcubus aulæ;
Miranturque suos per mutua limina cultus.

quid secretarium.

Hinc transit Paulinus ad oppositos tres arcus seu portas, per quas ingressus in novam basilicam patebat, easque similis argumenti versibus insignivit; qui apud ipsum, ne longior hic sim, legi possunt. Porro in secretariis duobus, *inquit,* quæ supra dixi circa apsidem esse, hi versiculi indicant officia singulorum. *Secretaria duo, quæ hic vocat, sunt* duæ conchulæ, *quibus intra spatiosum sui ambitum apsis dextra lævaque laxatur, uti supra num.* 24, *dicebat, addens:* Una earum immolanti hostias jubilationis Antistiti patet: altera post sacerdotem capaci sinu receptat orantes.

Quæ eumdem fere in sensum hic per duo epigrammata explicat, in conchula quidem, seu, si vis, secretario, a dextra apsidis:

Hic locus est, veneranda penus, qua conditur, et qua
Promitur alma sacri pompa ministerii.

A sinistra *vero* ejusdem apsidis.

Si quem sancta tenet meditanda in lege voluntas,
Hic poterit residens sacris intendere libris.

Tertiæ basilicæ descriptio,

27 Egrediamur jam *(ita prosequitur Paulinus) Nolana* hac Basilica, et in Fundanam transeamus. Fundis nomen oppido est, quod æque familiare mihi C fuit, dum maneret possessio, quam illic usitatiorem habui. Itaque vel ad pignus civicæ caritatis, vel ad memoriam præteriti patrimonii basilicam dare in ipso oppido (quoniam et indigebat, ruinosam et parvam habens) voti fuit. Propterea et hos versiculos adjiciendos putavi, quos illi in hoc oppido dedicandæ basilicæ paravimus. Nam adhuc in opere est; sed propitio Deo, dedicationi propinqua. Quod tamen ea mihi maxime ratio persuasit, quia et in hujus apside designatam picturam meus Victor *(is qui Paulino litteras a Severo attulerat,)* adamavit, et portare tibi voluit, si forte et eam de duabus elegeris, in hac recentiore tua pingere, in qua æque apsidem factam indicavit. Sed de hac apsida, an abside, magis dicere debuerim, tu videris: ego nescire me fateor; quia hoc verbi genus nec legisse reminisco. Verum hanc quoque basiliculam de benedictis Apostolorum et martyrum reliquiis sacri cineres, in nomine Christi, sanctorum Sancti, et martyrum Martyris, et dominorum Domini, consecrabant. Ipse enim testatus est, se vicissim confessorum suorum Confessorem futurum. Ideo super hac præter * picturam, gratia geminatus est titulus. *Nempe, uti recte observavit Resweidus, geminatum carmen; quorum primum celebrat Christum, pro ut in pictura expressum,* D *et quidem tam distincte, ut ex carmine nova pictura delineari posset; alterum celebrat cineres martyrum, sub ara conditos.*

al. propter.

C. J.

ejusque in apside picturæ,

28 *Sic igitur carmen primum de pictura.*

Sanctorum labor et merces sibi rite cohærent,
Ardua crux pretiumque crucis sublime corona.
Ipse Deus nobis princeps crucis atque coronæ,
Inter floriferi cœleste nemus paradisi,
Sub cruce sanguinea niveo stat Christus in agno;
Agnus, ut innocua injusto datus hostia leto:
Alite quem placida, sanctus perfundit hiantem
Spiritus, et rutila Genitor de nube coronat.
Et quia præcelsa, quasi judex, rupe superstat,
Bis geminæ pecudis, discors agnis genus hædi,
Circumstant solium; lævos avertitur hædos
Pastor, et emeritos dextra complectitur agnos.

cum carmine de reliquiis Sanctorum ibi conditis.

29 *Carmen alterum de reliquiis Sanctorum hoc est.*

Ecce sub accensis altaribus ossa piorum
Regia purpureo marmore crusta tegit.
Hic et apostolicas præsentat gratia vires
Magnis in parvo pulvere pignoribus.
Hic pater Andreas, et magno nomine Lucas,
E Martyr et illustris sanguine Nazarius:
Quosque suo Deus Ambrosio post longa revelat
Secula, Protasium cum pare Gervasio.
Hic simul una pium complectitur arcula cœtum:
Et capit exiguo nomina tanta sinu.

Ejusdem scripta de basilica Vaticana.

30 *Hæc Paulinus: quem priusquam alio transeamus, audire etiam juvabit loquentem de ipsa S. Petri basilica Vaticana. In Epistola sua, quam Rosweidus pag.* 285. *inscribit* trigesimam tertiam ad Alethium. *Est autem illa ex duabus ad diversos, in unam conflata; ejusque pars posterior prolixiorque (uti nunc constat) missa fuit ad Pammachium, virum nobilissimum et Christiana pietate percelebrem; quem hic consolatur Paulinus in obitu uxoris Paulinæ, S. Paulæ, Hieronymo multis titulis celebratæ, filiæ; pro cujus anima Pammachius epulum præbuerat omnibus Romæ pauperibus in basilica Apostolorum Principis, eaque occasione de ipsa basilica commemorat quæ sequuntur:* Videre mihi videor tota illa religiosa miserandæ plebis examina, illos pietatis divinæ alumnos, tantis influere penitus agminibus in amplissimam gloriosi Petri basilicam per illam venerabilem regiam *(id est, portam,)* cærulea eminus fronte renidentem, ut tota et intra basilicam et pro januis atrii, et pro gradibus campi, spatia coarctentur. *Et non multo post:* Quanto ipsum Apostolorum Petrum attollebas gaudio, cum F totam ejus basilicam densis inopum cœtibus stipavisses, vel qua, sub alto sui culminis, mediis ampla laquearibus, longum patet, et apostolico eminus folio coruscans, ingredientium lumina stringit et corda lætificat; vel qua, sub eadem mole tectorum, geminis utrimque porticibus latera diffundit; quave prætento nitens atrio, fusa vestibulo est; ubi cantharum, ministra manibus et oribus nostris fluenta ructantem, fastigiatus solido ære tholus ornat et inumbrat, non sine mystica specie quatuor columnis salientes aquas ambiens. Decet enim ingressum ecclesiæ talis ornatus, ut quod intus mysterio salutari *per baptismum* geritur, spectabili pro foribus opere signetur.

Ex his S. Petri ecclesia etiam illustrabitur

31 *Hæc pluribus, ex antiquis scriptoribus produxisse proderit: præcipue pro sequenti commentario, ad illustranda, quæ de templo, altaribus et apsidibus picturisque in basilica S. Petri Vaticana deinceps commendanda erunt: tum etiam, ut si quis, ab Ecclesia Catholica Romana alienus, hæc forte legat, penitus consideret, deposita tantisper pertinacia, quid de talibus tenuerint primitivæ Ecclesiæ Catholicæ; ac præsertim Paulinus, vir sapientissimus, atque tunc recens e gentilissimo ad veram Religionem conversus, et per*

istiusmodi

A *istiusmodi piarum exercitationum studia, sua merita auxit et sanctitatem consecutus fuit.*

C. J.

§. IV. De usu Romani Canonici in hoc Commentario : de Portis templi veteris : de Institutione Guidonum ; et Diplomate Caroli Magni, uti putatur, illa super re.

Quis usus hic sit Romani Canonici;

Antequam ad ipsum Commentarium nostrum de basilica antiqua S. Petri in Vaticano, accedamus præmonendus mihi lector est, quod Commentarius iste a decem circiter annis majore sui parte concinnatus fuerit ex variis scriptoribus, tum antiquis, tum recentioribus, quos tunc habui: quodque Petrum Manlium et Maphæum Vegium, quos deinde acceptos hisce præmisimus, tunc in suis scriptis propriis nusquam viderim, sed tantum ab aliis citatos. Habui tamen opusculum Romani Canonici, a Paulo de Angelis sub ejus nomine editum, eoque frequenter usus sum ; quod tamen nuper suo loco demonstravi ipsius Petri Manlii esse, præter pauca, quæ Manlio Romanus, post annos circiter triginta ab illius editione, superaddidit, uti hoc ipso tomo supra pag. 33. declaravimus. Sciat interim Lector, E *quod quæ ex Romano Canonico pridem in hoc Commentario nunc raro citavi, etiam nunc sub eadem citatione relicta esse; ne magno cum labore, et periculo errandi, uti pronum esset fieri, ad nostram Manlii editionem easdem citationes reduceremus. Romanus Canonicus Pauli de Angelis publicus est : si quis in citatione ejus, aliqua in parte dubitaverit, habet jam hic Manlium nostrum, quem consulere possit. Et hoc primum sit necessario observandum.*

et aliorum scriptorum.

33 *Desiderabit fortasse aliquis, in hoc Commentario etiam videre ichnographiam, ortographiam, scenographiam, aliasque antiqui templi Vaticani figuras, in æs incisis. Fateor decorum id esset. Verum quoniam non multis abhinc annis, ingenium suum et operam singularem eo contulerunt Romæ, Illustrissimus D. Joannes Ciampinus in volumine suo de sacris ædificiis, a Constantino Magno extructis, impresso anno 1693. Eques Carolus Fontana in suo de Templo Vaticano, cui tunc præerat architectus, opere regio, 1694. et post illos Philippus Bonannius Societatis nostræ in sua Templi Vaticani historia, primum anno 1696. atque iterum quadriennio post, Romæ vulgata. Quoniam, inquam, edita sint illa opera tam nuper, et quidem latina lingua, ut intelligi ubique terrarum possint, et figuris pluribus, iisque eleganter cælatis, abundent; eo malu-* C *mus curiosum lectorem remittere, exhibituri hic fere solam ichnographiam ejusdem templi, tamquam maxime necessariam, et dignoscendum situm, ubi altaria et sacella olim collocata steterunt. Repræsentabit autem ichnographia nostra, tum veteris, tum novi templi delineationem; veteris quidem lineolis incisam, novæ autem punctulis distinctam. Ex quo non tantum distinguentur situs antiquorum altarium inter se, verum etiam patebit oculis, Confessionem S. Petri, ubi sacrum ejus corpus olim reconditum et operose munitum fuit in veteri ecclesia; nunc quoque in eodem loco esse; licet nunc meditullium occupet ecclesiæ novæ, quæ in veteri prope aberat a tribuna.*

Datus ichnographio templi,

et in varias sectiones dispertitur.

34 *Ut autem in hac ichnographia, ob multiplicitatem altarium, ordo dilucidus servetur, ac facilius inveniatur quod quæritur, distribuemus tabulam universam in sectiones varias; et ne excrescat numerus notarum, debeantque in arctis sæpe spatiis duplicari ad rem unam indicandam; resumemus pro singulis Sectionibus singula Alphabeta. initium habitura ab una ex his majusculis* A, B, C, *etc. a quibus etiam Sectiones singulæ denominabuntur, videlicet Sectio* A, *sive prima; sectio* B, *sive secunda; sectio* C, *sive tertia; atque sic porro. Et prædictæ quidem tres Sectiones divident corpus ecclesiæ qua patet intra muros, primitus a Constantino fundatos in formam crucis. Prima sectio sive* A *comprehendet dimidium quinque navium directarum spatium, a frontispicio usque ad lineam transversam, per intercolumnia duodecima, proxime columnis undecimis, a pariete uno laterali ad oppositum alterum ductam in tabula nostra, et notantem murum transversarium, qui posteriore templi parte sub Julio PP. II. dejici cœpta, anteriorem ab illa sejunxit sub Paulo III. a quo erectus fuit, ut illam contra cœli injurias ad publicum populi usum servaret; servavitque reliquo illo seculo* XVI. *donec et illum et reliquum templum demolitus quoque est Paulus V. Quæ porro superfuerunt seculo* XVI, *altaria, sive antiquitus ibi fundata, sive ex dejecta templi parte eo recens translata, hac prima sectione explicabuntur, prout tunc temporis fuerunt ac descripta inveniuntur apud auctores, qui quæ scribunt, oculis suis coram videre potuerunt.* D

Quæ Sectio prima,

35 *Altera Sectio sive* B *continebit ecclesiam dejectam post murum transversarium usque ad navim transversam et quæ ibi stetere altaria numerabit. Navim transversam, totam complectetur sectio tertia sive* C, *excepta Confessione S. Petri et apside, de quibus seorsim tractabitur. Alias deinde Sectiones suo in loco designabimus. Nunc igitur hic initium ducamus a frontispicio templi ejusque portis, per quas ingressi altaria singula lustrabimus, eorum situm, antiquitatem, fundatores, oblataque ibi dona, quantum per tenebras licebit, inquirere conabimur, tacite prætcrituri sepulcra, quæ etiam in tabula nostra variis locis, per templi intra muros circuitum, indicantur; tum quia non omnia illic ab initio posita fuerunt, sed ex posteriore ecclesia, quando demolienda erat, eo delata, prioris situs memoriam fere perdiderunt; tam quia ad institutum nostrum, sacras præcipue antiquitates revelare cupientium, illa non magnopere faciunt. Habebit tamen illorum expressio in tabula utilitatem aliquam, quia inde aliquando distinctius dignoscitur situs altarium vicinorum, et ipsa sepulcrorum nomina vicissim in descriptione altarium subinde memorantur.* E

quæ secunda ac tertia.

36 *Portæ igitur, quæ in frontispicio veteris ecclesiæ patebant, fuerunt quinque, quibus tandem Sixtus PP. IV. solenne Jubilæum anno* MCCCCLXXV. *celebraturus, sextam addidit versus septemtrionem, eamque* Portam sanctam *appellavit, singulis viginti quinque annis deinceps, recurrente solenni Jubilæo, aperiendam denuo. Nomina quinque aliarum portarum, quibus olim appellabantur, nunc vulgo ignota sunt. Illa autem ex Petro Manlio et Maphæo Vegio hic resuscitamus. Porta media, seu, ut architectonici loquuntur, mediana, ac regia, quæ valvis claudebatur, nomine ac re,* Argentea *olim fuit : utpote quam Pontifices Romani, Honorius I. anno* DCXXVI. *creatus atque Leo IV. ducentis et aliquot annis post, laminis argenteis cooperuerunt; uti scribit Anastasius Bibliothecarius; in Honorio quidem, quod ille* investivit regias januas in ingressu ecclesiæ majores, quæ appellantur Medianæ, ex argento; quæ pensant libras nongentas septuaginta quinque : *in Leone vero, quod* Ipse, cum innumera summi decoris opera in basilica B. Petri cœli clavigeri perfecisset; portas ejus, quas destruxerat *anno* DCCCXLVI. Saracena progenies, argentoque nudaverat, erexit multisque argenteis tabulis, licifluis salutiferisque historiis sculptis, decoravit, et in meliorem speciem, quam pridem fuerant, reparavit; *impensis, uti paulo post sequitur, argenti libris* septuaginta : *pro quo tamen legendum puto,* septingentis. *Quomodo enim, cum opus magnum sit, ac Honorius ei vestiendo impendit libras argenti nongentas septuaginta quinque; Leo illud in meliorem speciem, quam ante fuerat, tantillo argento reparare potuerit?* F

Portæ veteris templi,

Argentea, ab Honorio I

ac iterum a Leone 4 talis facta;

37 *Easdem valvas multo post Eugenius PP. IV. aheneas*

A *aheneas fecit cum variis figuris, quæ apud Ciampinum tomo 1. Veterum monumentorum, videri possunt, insculptis hisce versibus, qui expressam ibi inter alia quorumdam orientalium atque Africanorum populorum cum Ecclesia Romana reconciliationem, nec non auctorem operis Eugenium indicant :*

tandem ab Eugenio 4. ære obducta.

Ut Græci, Armeni, Æthiopes hic aspice, ut ipsa
Romanam amplexa est gens Jacobina fidem,
Sunt hæc Eugenii monimenta illustria quarti,
Excelsi hæc animi sunt monumenta sui.

Ipsas Paulus PP. V. ad frontispicium novæ basilicæ translatas, ibidem in medio similiter ingressis appendi jussit, altas, uti notat citatus Ciampinus, palmis XXX. *latas* XVI. *et quadrante; atque hodiedum ibi spectantur.*

Porta Ravenniana, et Romana

38 *Proxima Argenteæ porta a sinistris (sinistram dextramque hic intelligo respectu ingredientium) appellabatur* Ravenniana; *uti proxima a dextris,* Romana: *quasi per hanc Romani, pontem Triumphalem aut Angelicum transgressi, potissimum intrarent; per illam vero intrarent qui Transtiberinam regionem incolebant, in nonnullis Sanctorum Actis* Ravennianam *quoque dictam, a militia, quæ a Cæsare Augusto Ravennæ in omnem eventum ali consueverat, uti putat Fulvius, et* B *evocata quavis de causa Romam, in illa regione stativa habebat. Portam Ravennianam proxime sequebatur versus Orientem,* porta Judicii; *quia per illam, uti loquitur Severanus, mortui ad sepulturam inferebantur, tamquam a Domino judicandi. Romanam portam proxime versus Boream excipiebat* Guidonea, *barbaro vocabulo, a* Guidonibus *(Italis* Guida *et* Guidone, *qui alteri ducatum præstat viamque præit) nominata : Guidones quippe illi, ut idem Severanus scribit, peregrinos ad Limina Apostolorum venientes, in et per ecclesiam ducebant, monstrabantque et indicabant celebriora quævis ibi sacraria. Hinc dextrorsum versus angulum septemtrionalem frontispicii aperiebatur statutis temporibus* Porta sancta, *qua intrandum erat lucraturis Indulgentias Anni sancti seu Jubilæi, nunc singulis quinque lustris solenniter concedi a Pontificibus Romanis solitas; sed hæc porta admodum antiqua non est, utpote a Sixto PP. IV. primum aperta, uti jam diximus.*

Judicii, Guidonea, Sancta.

De iisdem portis

39 *De prædictis portis ita loquitur Canonicus Romanus cap.* 44. In honorem basilicæ B. Petri Apostolorum Principis scribimus nomina quinque portarum, quæ sunt in ingressu B. Petri basilicæ : quarum media et major vocatur porta Argentea, quoniam optimo argento tota deargentata fuit et C variis picturis a S. Leone Papa IV. depicta. Porta vero quæ est juxta eam, quæ vadit ad S. Leonem IX. papam, vocatur porta Ravenniana, quoniam antiquitus Ravennates et omnes Lombardi et Tusci, de consuetudine *per eam intrabant; vel quia Transtiberim (subintelligere* habitantes) *per eam intrare solebant :* cum Transtiberim civitas Ravennatium vocaretur. Tertia porta juxta eam, quæ vadit ad S. Gregorium vocatur porta Judicii, quoniam per eam tantum mortui, qui sepeliendi sunt in ecclesia B. Petri, mittuntur a Domino judicandi. Ab alia parte supra, porta, quæ est juxta portam Argenteam, dicitur porta Romana; quoniam, ut a nostris majoribus accepimus, Romanæ mulieres antiquitus, et adhuc frequenter per eam intrant. Porta illa, quæ est juxta eam, et quæ vadit per porticale juxta Veronicam, dicitur porta Guidonea; quoniam Guidones, qui ducebant oratores venientes per porticale, quod est juxta nolarium majus, frequenter per eam intrabant. Unde ad nostra usque tempora faculæ et cerei ibi vendebantur. *Hæc de portis frontispicii, suo tempore Romanus Canonicus.*

et de institutione Guidonum :

40 *In his autem obiter notari potest de* Guidonibus, *quod illorum institutionem referat Turrigius ad Carolum Magnum, qui in ecclesia Salvatoris Domini nostri Jesu Christi collocarit fundaveritque* in perpetuum D tres Presbyteros et duodecim Clericos, scientes litteras; *per quos* cum obsequio sacerdotum *debite tradantur sepulturæ* pauperes et divites, nobiles et ignobiles, quos de Ultramontanis partibus *contigerit Romæ mori : insuper, ut* quicunque causa orationis de Ultramontanis partibus venerint, ipsi sint ductores eorum ad orandum per limina Sanctorum. *Et paulo post repetitis breviter præmissis, mandatur iisdem Clericis, ut* ducant oratores, *id est peregrinos, qui ad orandum venerunt,* et hospitent, *ac* sepeliant omnes.

C. J.

41 *Hujus institutionis ac fundationis Carolinæ Diploma tamquam datum Romæ anno ab Incarnatione Domini* DCCXCVII. *Indict.* VII. *gloriari potest Turrigius, in Cryptis Vaticanis, mihi pag.* 501. *se ex codice MS. ecclesiæ Vaticanæ primum proferre in lucem publicam. Non tamen profert ipsum absque metu, ne forte Caroli non sit, tum propter rusticitatem styli, tum propter annum dati Diplomatis, qui cum Indictione* VII. *conciliari non potest, quique Carolum tota Italia non vidit, nedum Romæ : tum denique, quia Leo Papa, qui debet esse,* tertius, *in Diplomate vocatur* quartus *et quidem bis; Alexander vero Pontifex, quem intelligi cupit Turrigius* primum *istius nominis, appellatur* quintus. *Sed hæc omnia, quæ alioquin per se sufficiant ad reddendum* E *Diploma suppositionis suspectum, conjici posse putat Turrigius in ignorantiam* Scriniarii *seu Notarii* S. Rom. Ecclesiæ, *qui non intellexerit latinam linguam aut notas compendiarias multarum rerum, in originali, quod non extat, forte positas; licet testetur, se Diploma* sicut invenit in tomo carticineo, Imperiali sigillo bullato, scripto ab Alguino cancellario bonæ memoriæ supradicti Domini Caroli piissimi imperatoris, ita diligenter exemplavisse et scripsisse.

an hæc a Carolo Magno facta.

42 *Interea quæ ad substantiam fundationis spectant, et varia loca, de quibus in Diplomate mentio fit, ita explicat Turrigius, ut vera esse credi possint a quocumque demum fundatio facta et conditum fictumve diploma sit. Nam Caroli Magni genuinum esse, ut credam, deberet, præter errata jam dicta, inde abesse pars posterior fere tota, præsertim quæ continet subscriptiones personarum et temporis et loci. Illa quippe vehementer abhorrent a stylo et ætate Caroli, qui in subscribendo consuevit uti paucis verbis. E. g.* Signum Caroli gloriosissimi Regis *vel* Serenissimi Imperatoris. *Hic autem insolitus titulorum catalogus, legitur attextus,* Signum manus Domni Caroli Serenissimi, invictissimi ac triumphatoris, pacifici, magni, imperatoris. *Et sequitur alienior a vera subscriptio.* Fredigarchi F Cancellarii, ex vice Dompni Aug. potentissimi atque sanctissimi TT. orb. Imp. (id est totius orbis Imperii.) *Hanc parenthesin, Turrigii interpretationem esse arbitror. Sequitur vero alia subscriptio, nihilo melior præcedente :* Alcuinus Cancellarius sanctione imperatoria perfeci ad summum, omnino complevi, roboravi et absolvi.

Diploma institutionis, quod affertur, Caroli non est

43 *Insolita hic sunt pro ætate Caroli, quod duo Cancellarii post Principem subscribant, quodque vox* Cancellarius *exprimatur; quod prior nomen suum ponat in casu genitivo pro nominativo; quod scribat* vice Domni Augusti. *Solet Notarius subscribere vice Cancellarii, in hujus absentia; non Cancellarius vice Regis aut Imperatoris. Imo neuter prædictorum Cancellariorum, ut vocantur, hactenus reperti sunt subscripsisse ulli alii Diplomatum Caroli Magni, nec sciuntur Cancellarii ejus fuisse. Mabilio certe, qui lib. 2. de Re Diplomatica cap. 12. catalogum texit Cancellariorum Caroli, illos duos ignorat. Qui etiam* Augustus *subscriptus sit Carolus anno* DCCXCVII. *qui triennio post primum coronatus Imperator fuit? Præterea plura quæ notari possint. Nota temporis per* annum ab incarnatione Domini *omnino abesse debet a Diplomatibus Caroli Magni. Utitur hic in suis, post quam Imperator coronatus*

propter varias formulas.

A *natus fuit, ut plurimum tribus epochis annorum, videlicet regni sui Francisci, regni Italici, et Imperii; numquam usus anno ab Incarnatione Domini.*

C. J.

Caroli tempore non usitatas.

44 *Ablegari quoque a Carolinis Diplomatibus debet principum quod hic legitur :* In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Carolus divina protegente clementia Augustus, magnus, a Deo coronatus, Rex Francorum et Longobardorum et Patricius Romanorum. *Carolus enim postquam Augustus sive Imperator Romanorum coronatus fuit, abstinuit inferiori titulo,* Patricius Romanorum, *quem eatenus adhibere consueverat. Neque tum scribebat,* In nominæ sanctæ et individuæ Trinitatis; *sed,* In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti : *neque addebat,* divina protegente clementia. *Sed Guidones nostri nimium nos circumducunt, redeamus ad basilicam, et descriptis jam frontispicii portis (præter quas in aliis templi parietibus aliæ plures fuerunt) convertamur ad altaria Sanctorum, ipsorumque nomina et situm inquirenda, quæ ad institutum nostrum propius spectant. Picturas, statuas, alia artis miracula, eorumque artifices, siquis nosse desiderat, adire poterit Bonannium, talia curiosius prosecutum in opere citato.*

B

SECTIO I. SIVE A

Quæ tendit a porta Argentea sinistrorsum ad parietem meridionalem, inde ad murum transversarium, ac redit per navim septemtrionalem ad frontispicium prædictamque portam.

Demolitio veteris, et Initium novæ basilicæ.

D*ejecta posteriori parte Constantinianæ in Vaticano basilicæ, posuit Julius Papa II. anno Domini* MDVI. *die* XVIII. *Aprilis, pridie Dominica in Albis, novæ basilicæ primum lapidem, a se rite benedictum, in fundamento pilæ majoris seu parastatæ, quæ tholum sustinet, qua respicit occasum brumalem, cum hac epigraphe :* Ædem Principis Apostolorum in Vaticano, vetustate et situ squalentem, a fundamentis restituit Julius Ligur Pont. Max. an. MDVI. *Hinc strenue incubitum fuit operi sub eodem Julio, non item sub consecutis Pontificibus usque ad Paulum III. qui ducto ab imo ad summum transversario muro inter undecimas ac duodecimas ab ingressu columnas, anteriorem basilicæ partem ad usum populi commodiorem, a* C *posteriori, omnimode destruenda, separavit, variaque altaria ex hac in illam transtulit conservanda. Qualia autem illa fuerint, præter alia ibidem prius ædificata, patebit ex subjecta explicatione Sectionis A, quæ spatium basilicæ, quod inter frontispicium ac prædictum murum interjacet, complectitur.*

Sectionis primaordo

46 *Principium duco a porta Argentea sive mediana, et flectens sinistrorsum, juxta motum solis, circumeo Sectionem totam; reversus vero ad eamdem portam Argenteam, progredior ad Altaria, quæ in medio consistunt. Ordinem fere contrarium, a porta Argentea dextrorsum circumducens hic tenet Ugonius, quem tamen ut oculatum testem, in hujus sectionis explicatione præcipue sequor. Attamen notandum venit, quod quæ scriptores seculi* XVI. *memorant de altaribus hac in Sectione positis, non debeant tantum intelligi de iis, quæ antiquitus ibidem extiterunt, sed de illis quoque, quæ post demolitionem posterioris ecclesiæ ad hanc priorem translata, et ubi locus inveniebatur, reposita fuerunt. De illis porro quæ tunc translata sunt, hac Sectione paucis agemus, inquirentes in novum eorumdem situm : potissimum de iis tractaturi suis locis, ubi primitus fuerunt fundata.*

Altare Mortuorum,

47 A. *Hoc altare Ugonio, qui contra solis cursum sua recenset, est decimum sextum, quod vulgo dicebatur* Mortuorum, *quia pro animabus fidelium defunctorum erat privilegiatum ab antiquis (non tamen nimis antiquis) temporibus. A Gregorio XIII, hoc loco fuisse augustiore forma innovatum, sanctisque* Philippo *et* Jacobo *Apostolis, nec non* Hieronymo *Ecclesiæ Doctori consecratum; privilegiis etiam ac indulgentiis, pro animarum suffragio, confirmatis, scribit Ciampinus, tacentibus Ugonio et aliis coævis Gregorio XIII. Prope sepultus fuit Leo IX.* D

48 b Capella S. Bonifacii (*inquit Ugonius, eamque loco decimo quinto ponit)* quæ antiquissimis temporibus dedicata fuit S. Bonifacio martyri, fuitque a Bonifacio VIII. (quemadmodum patet ex insignibus nobilissimæ familiæ Cajetanæ) restaurata et dotata multis Sanctorum Reliquiis. Prope capellam hanc, in navi tamen proxime laterali sepultus est Bonifacius IV. qui dedicavit Pantheon gloriosæ Virgini Mariæ atque omnibus Sanctis. *Ibidem in ipso, ut opinor, sacello a se constructo, prædictus Bonifacius VIII. mausoleum sibi excitandum curavit, in quo et depositus fuit anno* MCCCIII. *et post annorum plus quam trecentorum curriculum sub pontificatu Pauli V. cum et illa pars antiqui templi destruebatur, inventus est, incorruptus corpore et omni vestitu pontificali, cum annulo in digito et thiara in capite. Ex quo palam arguuntur mendacii qui scripserunt, ipsum, dolore animi in rabiem actum, sibi præmordisse digitos, et manus vorasse, sicque mortuum esse : quandoquidem illa etiam membra inventa fuerunt integra. Tota inventionis historia, notarialiter descripta, extat in annalibus Oderici Raynaldi ad annum* 1303. *Ego tantum inde observo, mausoleum ejus,* palmis decem a terra *elevatum, stetisse* in majori navi, inter portas Ravennianam et Judicii. *Ergo in majori navi, ubi etiam erat sacellum.* *S. Bonifacii mart.* E

SS. Petri et Pauli Pereriorum,

49 c *Altare quod* Pereriorum *dicebatur, a conditore ejus Guilielmo de Pereriis, Auditore Rotæ,* dedicatum fuisse sanctis Petro et Paulo, sed nullo fuisse in usu, *saltem suo tempore, ait Ugonius, loco decimo tertio ipsum recensens. Loco autem decimoquarto habet altare* B. Mariæ de Columna, *factumque dicit a Gregorio XIII. anno sancto* MDLXXV. *per Ludovicum Blanchettum, suo præfectum cubiculo pontificio. Recentius igitur fuit ibi altare istud, nec ultra annos* XXX. *stare potuit; propterea quod tunc partem illam ecclesiæ veteris etiam demolitus est Paulus V. et hinc forte non curarint scriptores ei locum in ichnographia sua determinare. Eum designat citatus Ugonius inter altaria Pereriorum et Bonifacii XIII. de quibus modo : atque adeo stetisse videtur ad dexteram ingredientis per portam judicii, uti altare Pereriorum stabat ad sinistram.* F

S. Andreæ Apost.

50 d *Altare hoc, duodecimum est Ugonio, sub nomine* S. Andreæ, *uti tunc a tempore Pii secundi, qui caput ipsius Sancti ibi condiderat, vulgo appellabatur. Aliis potissimum vocatur* S. Gregorii, *sive a S. Gregorio Magno, cujus eo corpus translatum fuerit; sive a S. Gregorio IV. qui ipsum extruxerat; ut quidem opinantur omnes, quos vidi, de altari isto tractantes : a quorum tamen sententia nobis recedendum putamus propter argumenta in Dissertatione propria, Sectione* 4, *proponenda. Interea Ugonius, postquam appellari altare illud,* S. Andreæ *dixerat, sic porro scribit :* Consecratum fuit a Gregorio IV. qui sub eo recondidit in concha marmorea corpus S. Gregorii Magni, uti et sanctorum martyrum Gorgonii ac Tiburtii filii Chromatii. Pius Papa II. ipsum restauravit, imposito tabernaculo marmoreo, in quo collocavit caput S. Andreæ Apostoli, allatum ex Peloponneso. *Ita ille, subjungens etiam,* ibi fuisse antiquum secretarium ecclesiæ S. Petri, in quo Papa sacro indui ornatu solebat ad peragendum officia divina; atque inde cum solenni pompa procedere ad altare sanctorum Apostolorum.

A 51 *Hinc procedimus per hanc navim lateralem, ubi nihil notorum altarium est, ad murum transversarium, qui totam intersecat ecclesiam, a Paulo III. constrictum; cujus antequam altaria explicem, præmitto distinctum de iis locum Onuphrii Panvinii e libro, quem impressit Romæ anno* MDLXX. *de Septem ecclesiis, pag.* 46. In pariete novo, *inquit*, a Paulo III. Papa facto inter basilicam veterem et novam, sunt quatuor altaria, duo ex parte dextra, scilicet beatæ Virginis et sancti Crucifixi, qui est unum ex septem : totidem læva, B. Mariæ et S. Luciæ virginis; cujus ædiculam antiquissimam ea parte aliquando fuisse constat. *Horum meminisse, in sequentibus juverit.*

Crucifixi et Petronillæ.

52 e *Locant hic, aut prope, Severanus, Paulus de Angelis, Ciampinus, altare* Crucifixi, *quod et* S. Petronillæ. *Illud Ugonius nonum faciens, scribit* sanctissimo Crucifixo dedicatum fuisse, vice alterius, quod olim Symmachus Papa construxerat in parte sinistra basilicæ, eoque intulerat grandem e ligno sanctæ Crucis portionem. *Addit*, huc etiam transportatum corpus S. Petronillæ virginis, quod prius fuerat in altari consecrato a Paulo Papa I; ac reconditum fuisse in loculo plumbeo. Crucifixum autem, qui supra locatur, esse vetustissimum, ac B stetisse antea super altare SS. Simonis ac Judæ non procul ab ingressu ecclesiæ. *Bonannius altare hoc longe altius collocat, ultra ipsum transversarium murum; non recte. Quia Ugonius de solis, quæ citra murum sunt, tractat; ejusque tempore nihil veteris ecclesiæ ultra murum supererat. Rectius illud constituit Ciampinus inter* undecimam ac duodecimam columnas, *inter quas dicitur etiam transversarius murus. Dubitari tamen potest, utrum in hac navi penultima versus meridiem, an vero potius in ultima locari debeat. Severanus certe contra quam notaverat in tabula sua ichnographica, scribit pag.* 136. *situm fuisse in navi ultima. Textum ejus, quoniam de translatione etiam S. Petronillæ distinctiora quædam refert totum ex Italico interpretor.* Corpus, *inquit*, S. Petronillæ in demolitione ecclesiæ suæ portatum fuit in sacrarium, ibique repositum sub quodam altari, quievit usque ad pontificatum Gregorii XIII; qui ipsum inde transtulit ad altare sanctissimi Crucifixi, quod stabat in extrema navi, S. Andreæ appellata, ad murum, qui dividit ecclesiam veterem a nova. Demum Paulus V. anno MDCVI. die XV. Januarii transtulit idem corpus ad altare ejusdem sanctæ in ecclesia nova. *Hæc vi-* C *dere potuit Severanus, nec facile potuit errare in situ altaris. Ugonius, qui similiter potuit videre, non distinguit utra in navi steterit. Stetisse tamen in alterutra, applicatum muro transversario, monstrat ordo, quem tenet in describendo, dum octavum suum altare, de quo mox ponit ad murum, in media navi, atque inde procedens in meridiem describit nonum. Puto in navi penultima stetisse.*

S. Mariæ assumptæ, aut prægnantium.

53 f *Est hoc altare Ugonio* octavum, positum, *ut ait*, ante murum, qui separat ecclesiam veterem a nova; dedicatum in honorem Assumptionis B. Mariæ *(ab aliis hoc ipsum videtur dici*, B. Mariæ Prægnantium.) Imago, quæ hic prostat, olim ornavit altare, quod in ecclesia veteri *(intelligit posteriorem ejus partem)* excitaverat Joannes Cardinalis Cajetanus de Ursinis nepos Bonifacii VIII. *Ex his certo constat de præsenti situ hujus altaris : non item de situ, quem ante habuit, quam transferretur, in illa parte veteris basilicæ, quæ Ugonii ætate pridem dejecta fuerat. Aliquid tamen in re obscura lucis afferunt ejus verba, quibus Joanni Cajetano Cardinali de Ursinis adscribit altare, unde huc translata fuit imago Deiparæ. Sed hac de re nascitur quæstio intricata ex scriptis Ciampini; quæ in particulari Dissertatione elucidabitur, ad calcem Sectionis* C.

54 g *Altare atque sacellum celeberrimum* sanctorum Processi ac Martiniani *stetisse primitus in cruce* D *transversa basilicæ, anguloque ejus, qui respicit ortum solis hibernum, omnes pariter consentiunt Scriptores; extructum (testibus Anastasio et Manlio nostro pag.* 41.) *a Paschale Papa I. ut ibi dicemus; quamvis aliqui recentiores auctorem ejus faciant Symmachum, annis facile trecentis majorem natu. Sed hi non satis probant quod affirmant. Symmachus certe nec transtulit eo, nec invenit uspiam corpora sanctorum Martyrum istorum, sed Paschalis. Qua de re Manlius noster pag.* 41. *num.* 93. *:* Paschalis Papa I. detulit corpora SS. Processi et Martiniani martyrum de cœmeterio S. Agathæ in ecclesiam B. Petri : in quorum honorem construxit oratorium summæ pulcritudinis, in quo corpora eorum recondidit in concha porphyretica. *Illud altare cum suis Sanctorum prædictorum corporibus, organo et statua S. Petri ahenea, transtulit Paulus III. anteriorem in partem basilicæ ejusque navim medianam. Sed ubi et ex quo latere navis collocavit? Non æque hic consentiunt omnes ac de priori situ. Est magni nominis Scriptor, qui recentissime in sua ichnographia num.* 56. *altare illud notat in parte meridionali navis medianæ, et quidem post intercolumnium ex parte fronstispicii procedendo, duodecimum, tamquam si* E *illuc a Paulo III. translatum foret. Quod sane factum esse non potest; is quippe locus excludebatur a templo veteri per murum transversarium, ab ipso Paulo prope columnam undecimam a fundamentis elevatum. Præterea sub organo stabat altare istud, etiam post translationem teste Ugonio; qui septimo suo loco pag.* 97. *sic de illo loquitur :*

C. I. SS. Processi et Martiniani.

55 Est sub organo altare, in honorem visitationis B. Mariæ Virginis et sanctorum Martyrum Processi ac Martiniani consecratum. Horum corpora e veteri ara, quam consecraverat Paschalis I, huc translata fuerunt *a Paulo III;* servanturque hodiedum in urna porphyretica admodum pulchra. *Illustrari potest hic textus Ugonii ex Francisco Maria Turrigio, qui in cryptis suis Vaticanis pag.* 125. *de eodem altari mentionem faciens, ipsum, ait, vocari* S. Mariæ sub organo; quia nempe sub illo stabat, *tam post, quam ante translationem sui : ac dedicatum fuisse* Visitationi B. Mariæ : sub eoque in concha porphyretica quievisse corpora SS. Processi et Martiniani.

S. Mariæ sub organo, et Visitationis.

56 *Unde colligitur et confirmatur, unum idemque fuisse altare, quod Ugonius sub appellatione duplici, Visitationis B. Mariæ, et SS. Processi et Martiniani, tradit consecratum fuisse; et stabat, ut diximus, sub* F *organo. Organum vero, inquit Severanus pag.* 103., erat contiguum muro transversario inter decimam et undecimam columnas : et sub organo erat altare cum corporibus SS. Processi et Martiniani. *Loqui hic Severanum : qui illa videre potuit, ac Alpharanum etiam citat, de ordine columnarum, claudentium septemtrionale navis medianæ latus, patet ex contextu. Postquam enim descripserat altare SS. Philippi et Jacobi in eodem latere, procedit sursum ad murum transversarium, eique contiguum, ait, suspensum fuisse organum inter columnas* X. *et* XI. *Insuper pag.* 105. *citato iterum Alpharano, sic loquitur :* Prope organum versus meridiem in muro transversario collocavit Paulus III altare S. Joannis Baptistæ in Fonte cum imagine B. Mariæ Virginis. *Quæ verba distincte signant situm organi a Paulo translati. Quod pariter faciunt verba Ciampini, pag.* 63. *num.* 42. *scribentis, quod Paulus organum* transtulit *ac* sinistro in latere *navis medianæ*, ad aquilonem decimo tertio et quarto intercolumnio medium locavit. *Ubi intelligit sinistrum latus respectu tribunæ, quia illud tali respectu est ad aquilonem; et intercolumnium, ducto indidem initio decimum quartum, est undecimum, si numerare incipias ex parte frontispicii.*

Quo loco fuerit organum.

S. Joannis in Fonte,

A

C. J. *ubi steterit*,

57 *Sed quæri potest, ubi præcise muro transversario appositum, et quo nomine deinceps appellatum fuerit post translationem suam altare S. Joannis Baptistæ in Fonte cum imagine sua B. Mariæ Virginis, de quo paulo ante Severanus. Ad prædictum quippe murum non reperio mentionem fieri ab ullo Auctore altaris S. Joannis in Fonte. Opinor, Severanum altare aliud non designare, quam S. Mariæ Prægnantium, quod litt.* f *modo posuimus ex Ugonio. Illud etenim est in muro transversario, non procul quidem ab organo, sed inde versus meridiem. Atque eodem allatam fuisse imaginem B. Mariæ, quæ erat super altare S. Joannis in Fonte, claris hisce verbis asserit Ciampinus pag.* 63. *num.* 43. Ab adversa parte novi parietis in mediana navi in meridiem organo opponebatur altare Virginis Mariæ de Prægnantibus, quod cum icone Dei Genitricis e sacello S. Joannis ad Fontes huc translatum fuit. *Legitur apud Scriptores, altare et sacellum B. Mariæ Prægnantium (quod stetisse Sect.* C *litt.* p *in Dissertatione peculiari probabimus) primo ædificatum fuisse a familia Ursina, et sacellum S. Joannis in Fonte ab eadem familia fuisse restauratum, utrumque autem habuisse imaginem B. Mariæ, et exiguo spatio inter se disjuncta fuisse, solo altari S. Joannis Apostoli intercedente. Ex quo fieri potuit, ut altare B. Mariæ Prægnantium, muro transversario applicatum, aut certe imaginem ejus, unus prædictorum Auctorum ex pristino ejusdem Virginis altari, alter vero e S. Joannis in Fonte putaverit allatum fuisse. Potest etiam utraque imago ibidem fuisse reposita, ut quæ erant ejusdem familiæ, in eodem quoque loco conservarentur; atque inde utriusque nomen eidem adhæsisse. Sed potiora dabit citata Dissert.*

S. Mariæ Prægnantium.

B

S. Mariæ filium amplexantis imago.

58 h *Alpharani ordinem sequens Ciampinus scribit pag.* 72. *num.* 90. *in pariete transversario, qua penultimam ad septemtrionem navim intersecat,* novum fuisse extructum altare, in quod beatissimæ Dei Genitrici Mariæ, filium amplexantis imago, quæ antiquitus in oratorio S. Leonis Papæ posita erat, translata fuit: sub eodemque altari multa sacra Lipsana recondita fuere; quæ ipse Alpharanus recenset. *Unde mirari non debet Bonannius,* Vegium, *qui centum circiter annis ante Paulum Papam, muri transversarii structorem, obiit,* nullam de altari illo fecisse mentionem *hoc loco. Ejusdem imaginis ex oratorio S. Leonis cum aliis huc aut saltem in vicinum locum allatæ, meminit Severanus pag.* 108.

C

S. Luciæ,

59 i *Altare* S. Luciæ Virginis et Martyris, *de quo Ugonius sexto loco, pag.* 97. *versa, scribit,* translatum huc fuisse ex alio antiquo, quod olim dedicaverat S. Gregorius; in ipsoque asservari brachium Sanctæ. *Illud ipsum etiam in altari antiquo depositum fuisse a Gregorio, scripsit olim Petrus Manlius pag.* 44. *n.* 114. *his verbis:* Ante ecclesiam S. Joannis ad Fontes est oratorium S. Luciæ, quod ut a nostris majoribus accepimus, consecravit B. Gregorius Papa, et ejus venerabile brachium in eo recondidit, et parietes illius, ut apparet, musivo depinxit. *Situs ejus primus fuit Sect.* C *litt.* u, *in transversa navi. Atque hæc sunt quatuor altaria, quæ supra notavimus ex Panvinio, apposita fuisse muro transversario: quorum duo extrema* e *et* i, *nominata fuerunt, meridionale quidem,* Sancti Crucifixi; *aliis* S. Petronillæ: *septemtrionale vero,* S. Luciæ: *duo autem media* f *et* h, *primum quidem* S. Mariæ, *cum epitheto* de Prægnantibus, *aliis etiam,* Assumptionis *et* Angelorum; *secundum vero sive* h, *non satis distincto nomine invenio appellatum, aliis alia opinantibus. Eo allatam fuisse ex oratorio S. Leonis* imaginem B. Mariæ filium amplexantis, *supra dixit Ciampinus. Vide alia de* S. Lucia *Sect.* C *litt.* u.

S. Agathæ.

60 k S. Agathæ Virginis et Martyris, *de quo aliud non comperio apud Ugonium; nihil etiam apud alios Scriptores, quam quod restauratum fuerit aliquando ab Ægidio de Roffredis, et postea locum cesserit sepulchro Marcelli* PP. II.

D

S. Marci Evang.

61 l S. Marci Evangelistæ, *quod, inquit Ugonius,* erectum a Paulo II. Veneto in veteri ecclesia *tempore Ugonii destructa;* huc *autem* transportatum fuisse cum ejusdem Pauli monumento sepulcrali. *Addit,* Pium V. huic altari contulisse omnes redditus ecclesiæ S. Mariæ Hungarorum in planitie S. Petri; quam Pius IV. solo æquaverat, ut dilataret planitiem illam et amœniorem conspectu redderet basilicam. *Notat Ciampinus, hoc loco antiquitus stetisse aram* B. Mariæ de Misericordia, *eamque a Nardo Catino, basilicæ beneficiato refectam ac dotatam fuisse.*

S. Abundii.

62 m S. Abundii, *basilicæ Mansionarii, hic fuit* antiquitus *altare, inquit Ciampinus. Non fuerit amplius Ugonii tempore, quia is nullam ejus mentionem facit. De Sancto isto vide Martyrologium Romanum* XIV. *Aprilis, et S. Gregorium lib.* 3. *Dial. cap.* 25. *De situ ejus altaris certos nos reddit Manlius, quod fuit* juxta aditum, qui vadit in ecclesiam S. Vincentii.

S. Mariæ renovatum ab Innocentio 8.

63 n *Hic collocat Bonannius sacellum* Innocentii VIII. *rectius fortasse, quam qui illud paulo altius ponendo, obstruunt illic aditum ad templum S. Vincentii. Ugonius pag.* 97. *ipsum quarto loco recenset in hunc modum:* Ædificavit illud per nepotem suum Laurentium Cardinalem Beneventanum, Innocentius VIII. e familia Cybo, stante adhuc tota basilica, prope aram principem: ex quo loco huc transportatum fuit. Ornavit ipsum Innocentius tabernaculo marmoreo, in eoque reposuit ferrum Lanceæ Domini nostri, missum sibi a Bajazete; quod tamen postea translatum fuit ad tabernaculum Vultus sancti, et e tabernaculo Innocentiano monstrantur populo aliæ templi Reliquiæ. *Imo Paulus de Angelis ait in explicatione suæ ichnographiæ,* omnes templi Reliquias *in sacello Innocentii servatas fuisse: quod intelligo de illis omnibus, quæ prius in eodem sacello, alibi stante, conservatæ fuerant plurimæ a tempore Gregorii III. quæque statis temporibus aut omnes aut multæ populo ostendi solebant. Vide Sect.* B *litt.* l.

E

SS. Laurentii et Gregorii.

64 o *Altare* S. Laurentii, *aliis* SS. Laurentii et Gregorii, *Ugonio ignotum est. Bonannius numero suo* 47. *ait* S. Laurentio et S. Georgio extructum fuisse, dotatumque a Jacobo Cajetano de Stephaneschis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali. *Idem aliud altare numero suo* 64. *iisdem sanctis ab eodem Cardinali Jacobo Cajetano dicatum ait; addit tamen, hoc* dotatum a Lello de Miglis. *Sed Ciampinus non hoc, sed primo loco nominatum dicit a Lello dotatum fuisse; in reliquis concordans utrobique cum Bonannio. Ego mihi ægre persuasero, diversa fuisse altaria ista, quæ eodem tempore simul exstiterint, iisdem Sanctis ab uno eodemque fundatore dedicata. Potius dixero unum idemque fuisse, quod Jacobus Cajetanus extruxerit, primitus loco indicato per numerum Bonannii citatum* 64. *qui nobis est Sect.* B *litt.* n: *alii illud postea transtulerint ad locum, quo de hic agimus: ac esse desierit ante tempora Ugonii, quod etiam indicare videtur Ciampinus. Vide dictam Sect.* B *litt.* n.

F

S. Mariæ de præsepi.

65 p *Sacellum* Præsepis Domini, *aliis* S. Mariæ de præsepi. *De illo intelligendus est Anastasius in Joanne Papa VII. anno* DCCV *creato:* Hic fecit oratorium Dei genitricis intra Ecclesiam B. Petri Apostoli, cujus parietes musivo depinxit, illicque auri et argenti quantitatem multam expendit, et venerabilium Patrum dextra lævaque vultus erexit. *Pluribus de eodem Severanus pag.* 70. *inter alia,* situm fuisse intrantibus per portam Guidoneam *a dextris,* eo loco ubi Sixtus IV. anno MCCCCLXXI, Papa factus, aperuit portam sanctam altari ablato. Ædificatum vero fuisse a Joanne VII. prædicto, cum imagine

B. Mariæ

A B. Mariæ operis musivi, more Græcorum *(erat autem Joannes natione Græcus)* depicta castaneo colore.

66 A dextris ejus spectabatur imago ipsius Joannis, stantis pedibus suis, et appictum dexteræ manui suæ sacellum offerentis beatæ Virgini. Capitis ejus ornamentum erat diadema quadratum, uti solebant depingi, qui adhuc vivebant. Subtus autem sic legebatur scriptum; JOANNES INDIGNUS EPISCOPUS FECIT, BEATÆ DEI GENITRICIS SERVUS. Hinc et inde claudebant prædictam B. Mariæ imaginem columellæ duæ e marmore nigricante, e quibus suspensum pendebat velum, quo velari imago et revelari poterat. Sub ipsa extollebatur fornix, duabus aliis columnis e candido marmore sustentatus, circum quem conspiciebantur imagines, in medio quidem, ipsius Virginis cum filio suo in ulnis : ad sinistram vero S. Petri ; ad dextram, S. Pauli ; addita epigraphe hac, DOMUS SANCTÆ DEI GENETRICIS MARIÆ. Sub fornice stabat altare ejusdem, a Sixto IV. ut dixi sublatum, ad apperiendam ibi Portam sanctam *pro Jubilæo, quod Sixtus anno* MCCCCLXXV. *celebravit. Plura addit Severanus de Sacello illo S. Mariæ de Præsepi, citatis Alpharano et Grimaldo. Tunc ita*
B *pergit :*

S. Mariæ et Vultus sancti.

67 q Ante sacellum hoc fecit idem Joannes VII. cyborium, septem columnis innixum, in quo conservaretur Vultus sanctus, *ut vocant;* et sub ipso fecit altare cum hac inscriptione JOANNIS SERVI S. MARIÆ : quemadmodum videmus usque dum destructa fuit ecclesia vetus *sub Paulo V.* et modo videri potest una cum altero sacello ejusdem beatæ Virginis, depictum, ad conservandam eorum memoriam, in cryptis Vaticanis. *Profert deinde idem Severanus hanc inscriptionem, quæ prope in muro ecclesiæ legebatur :* Dedicatio domus hujus sanctæ Dei Genitricis die XXI. mensis Martii Indictione IV. *Habuit Indictionem hanc annus secundus Joannis, a die* I *Martii inchoatus, Christi septingentesimus sextus : die vero* XVI. *Martii incidit tunc in Dominicam Passionis. Meminit hujus etiam sacelli Ugonius, non item præcedentis, utpote ante ætatem ejus sublati a Sixto IV. ut diximus. Meminit quoque* Vultus sancti *(qui et* Veronica *seu* Vera icon *Christi Domini, in sudario expressa) testaturque ibidem asservatum fuisse cum sacra lancea, diu post Romam allata sub Innocentio VIII. da qua vide sect.* B *litt.* l.

De Veronica seu vera icone.

68 *Ante istos dudum scripsit de eodem sacello et Vultu sancto Romanus Canonicus cap.* 25. *in hunc*
C *modum :* Ab alia parte basilicæ, *videlicet septemtrionali,* est oratorium sanctæ Dei Genitricis virginis Mariæ, quod vocatur Veronica; ubi sine dubio est sudarium Christi, in quo ante passionem, suam sanctissimam faciem, ut a nostris majoribus accepimus extersit, quando sudor ejus factus est sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. *Ex quibus patet, tempore Canonici fuisse traditionem, quod in horto Oliveti sive Gethzemani, ubi nulla adfuerit matrona Veronica aut alia, Christus ipse, sanguineum sudorem extergens, sacrosanctam faciem suam sudario impressam reliquit. Quæ traditio secutis temporibus in aliam mutata fuerit, quod nempe matrona quædam Veronica,* dum Christus ad Calvarium ab impiis ministris trahebatur, sanguine et sudore aspersus, *vultum ejus in sudario exceperit; uti legere est in Annotatione Pauli de Angelis ad prædictum Canonici locum, et nunc vulgus passim credit. Certiora videri possunt in Responsionibus Papebrochii ad objecta ei a Sebastiano a S. Paulo art.* 1. *a num.* 47.

S. Antonini mart. S. Tridenti mart. S. Erasmi. mart.

69 r *Prosequitur citatus Canonicus, subjungens Caput suum vigesimum sextum :* Juxta hoc oratorium B. Mariæ, videlicet juxta portam Guidoneam, est oratorium S. Antonini martyris. Deinde inter portam Guidoneam et portam Romanam est altare S. Tridenti martyris. *Utrumque iisdem locis collocat* D
Panvinius pag. 48. *et de priori quidem sic scribit :* Inter Sudarii oratorium et portam Guidoneam *altare est,* quod S. Antonino Martyri olim dedicatum fuit; cujus nomine exolescente, ante centum annos B. Brigidæ honori colebatur : nunc S. Erasmi dicitur. *Loquitur hic Panvinius de altari tamquam adhuc suo tempore existente : nihilominus, de illo tacente Ugonio qui librum suum annis* XVIII. *post impressit quam Panvinius suum, videri potest medio illo tempore sublatum omnino fuisse : quod et confirmatur ab Alpharano, qui sic scriptum reliquit apud Turrigium de Cryptis pag.* 236. Altare S. Antonini mart. ab Odone Lotta de Amatescis : nunc *(tempore Alpharani)* lapis, supra quem divisa fuerunt ossa beatorum Apostolorum Petri et Pauli a B. Silvestro Papa. *Confirmatur quoque a Severano pag.* 73. *ubi,* sublato altari isto, *dicit,* positum ejus loco fuisse lapidem alius altaris, quod appellabatur de Ossibus Apostolorum : *qui lapis, inquit,* nunc, *id est anno* MDCXXX, *(tunc enim impressit librum suum Severanus,* spectatur in Cryptis Vaticanis.

C. J.

Lapis de Ossibus Apostolorum,

70 *Ibidem anno sequenti affixus fuit muro idem lapis, uti legitur in epigraphe apposita; in qua et* venerabilis et vetustissimus lapis porphyreticus *appellatur. Sed non diu affixus ibi mansit. Anno quippe* MDCXXXIX. E
jussu Cardinalis Barberini, ut scribit Turrigius, qui adfuit, in Sacris Trophæis suis cap. 23. *inde relatus fuit in basilicam, et repositus* prope altare Crucifixi, *quod ingredienti novam basilicam occurrit primum ex parte septemtrionali; sive, ut aliquanto distinctius loquitur Ciampinus,* parastatæ, ad dexteram ingredientium, affixus fuit, ubi in præsentia aquæ lustralis sive benedictæ vas positum est. *Addit porro Turrigius, in hac translatione inventas fuisse in ipso lapide bene ferruminato nonnullas Sanctorum Reliquias cum duobus incensi granis, nullo nomine addito cujus essent. Indicatum tamen fuisse, sanctorum Petri et Pauli esse : quia lapis stabat olim ad* antiquissimum altare *de Ossibus Apostolorum.* Ipsas Reliquias, *inquit idem Turrigius,* ego vidi et contrectavi singulas. Fuerunt autem in eodem loco repositæ jussu Cardinalis, majoris reverentiæ ac venerationis causa.

ipsiusque pristinum altare.

71 *Quemadmodum autem lapidem istum epigraphe, in Cryptis apposita, vocat* vetustissimum; *ita altare de Ossibus Apostolorum, cui ille olim impositus fuisse scitur, appellat Turrigius hic* antiquissimum ; *quantumvis duo monumenta apud ipsum pag.* 235. *legantur,* F
ex archivi basilicæ codicibus MSS. extracta, quæ docent, Franciscum de Thebaldescis Cardinalem, anno MCCCLXXVIII. *mortuum,* ædificasse; *item* construi et erigi fecisse sacellum, *Ossibus Apostolorum Principum dicatum. Quæ sane ætas admodum longa non est. Sed fuerit antiquius sacellum istud; et voces* ædificasse, construi et erigi fecisse, *κατ᾽ ἐπιείκειαν accipi debebunt pro restaurasse, reparasse, aut dejectum refecisse; quandoquidem Gregorii Papæ X. anno* MCCLXXVI. *vita functi, Ceremoniale MS. apud Turrigium pag.* 234. *sic habeat :* In Ascensione Domini venit Pontifex ; celebrat, et incensat altare majus ; aliud, quod est infra in Confessione ; et tertium, quod est extra in exitu Confessionis ; in quo ponderatæ fuerunt Reliquiæ beatorum Apostolorum Petri et Pauli. *Et Romanus Canonicus, qui annos centum ante Gregorium floruit, cap.* 31. *sub titulo,* De altari SS. Petri et Pauli, *sic scribit :* Ante aditum, qui vadit in Confessionem B. Petri, est altare Apostolorum Petri et Pauli ; ubi eorum ossa pretiosa, ponderata fuerunt. *Monumenta, quæ Franciscum de Thebaldescis auctorem aut potius restauratorem faciunt altaris de Ossibus Apostolorum, videsis loco suo, ubi de illo altari, Sect.* C *litt.* z. *Nomina Sanctorum, quæ altari S. Antonini*

martyris

A *martyris, de quo hic, successive indita fuisse leguntur apud Panvinium, initio citatum ; eidem adscribit etiam Severanus, fortasse auctoritate Panvinii ductus ; quamvis non videatur huc spectare* S. Erasmus, *qui altari S. Wenceslai, de quo mox litt.* t, *certius ostenditur cultum habuisse.*

C. J.

S. Tridenti.

72 s *Proximum stare inter portas Guidoneam et Romanam* S. Tridenti *altare, jam docuit nos Romanus Canonicus litt.* r. *Confirmat id etiam Panvinius, ac superaddit, quod* nunc sine nomine ob incuriam extat cum Ursinorum insignibus. *Habuerit aliquando etiam aliud nomen : cum scribat Severanus pag.* 72. dicatum fuisse S. Antonio Patavino, *citans Alpharanum. Hujus tamen tempore jam erat sublatum, æque ac præcedens : et positus ibidem fuerat lapis, ut vocatur,* Sceleratus *: super quo necati fuerunt multi martyres, et ibidem* permansit usque ad nostra tempora, *inquit Severanus : quo adhuc vivente translatus ad Cryptas, et inde relatus in basilicam, eamdem fere fortunam expertus est, quam alter lapis de Ossibus Apostolorum, e cujus regione, parastatæ primæ meridionali, quæ ingredienti a læva est, affixus spectatur.*

Lapis sceleratus, ubi.

73 t Subsequitur *(ita orationem suam, quam modo citavimus, continuat Panvinius)* inter easdem portas, *Guidoneam ac Romanam*, in navi tamen majore, altare novum sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, ex vetere basilica, haud procul ab altari majori, *ubi ante dixerat stetisse*, transportatum. *Verum nemo iterum præter Panvinium, hocce loco* t. *collocat altare SS. Petri et Pauli. Fuit ibi altare S. Wenceslai, Bohemiæ ducis et martyris :* ab Hyricone episcopo Olomucensi dicatum atque dotatum, *teste Ciampino; quod deinde* S. Erasmi *fuit. Ugonius item scribit pag.* 97 *quod ingredientibus per portam Argenteam atque dextrorsum flectentibus occurrebat secundo loco altare, dedicatum* in honorem S. Wenceslai regis Bohemiæ *et martyris. Illud* nunc, *inquit,* vocatur S. Erasmi, isthuc portatum e parte dejecta basilicæ *in simulacro ejus* ligneo : *quod hic* appositum fuisse, *scribit quoque Ciampinus. Hinc uti Panvinius loco altaris S. Wenceslai hic perperam posuit altare sanctorum Apostolorum ; quod Ugonius et alii rectius ponunt ad latus sinistrum portæ Judicii, ita supra litt.* r, *perperam posuerit altare S. Erasmi, quod hic collocandum erat.*

B

S. Wenceslai Ducis Boh. et M.

S. Erasmi M.

74 *Ait insuper citatus Ciampinus, idem* altare postea in ipsorum *(Wenceslai atque Erasmi)* et S. Bartholomæi Apostoli honorem denuo excitatum fuisse ; *additque etiam (quod notari meretur)* a tergo iconis ligneæ S. Erasmi pictam fuisse antiquam imaginem præfati S. Wenceslai *(quam et oculis subjicit in æs incisam)* ubi in medio visitur ipse sanctus, imperiali habitu indutus, dextra vexillum, in cujus medio nigra aquila in albi coloris area expressa erat; sinistra vero gladium et clypeum tenens. Ad dextram Carolus IV. Imperator, rex Bohemiæ : ad sinistram ibidem Hyricon episcopus, indutus cappa rubra supra rocchetum cum cruce archiepiscopali ; ambo genuflexi, *et junctis manibus in actu adorantis ad S. Wenceslaum conversi.* Post hos, duo stant viri, quorum unus in habitu regulari manum dextram super dextrum humerum præfati Caroli imperatoris apponit, ac sinistra baculum pastoralem sustentat. Alter vero, episcopali indumento conspicuus, sinistram tenet super caput Hyriconi episcopi, in ejusque dextra baculus pariter episcopalis apparet. Quinam sint isti duo episcopi, ignoro ; reor ejusdem Bohemiæ regni Patronos esse. *Ita Ciampinus, qui quidem viderit altare prædictum S. Wenceslai, quod superest suis coloribus depictum in Cryptis Vaticanis; et suam inde contexuerit descriptionem : non tamen legerit descriptionem, quam indidem hausit et in suis Cryptis Vaticanis impressit pag.* 140. *Turrigius.*

Imago S. Wenceslai.

C

75 *Ibi enim legisset Ciampinus virum illum, qui in monachali habitu pastorale pedum manu tenet, esse S. Adalbertum episcopum Pragensem ; alterum vero esse S. Joannem III. episcopum Olomucensem, cujus tempore S. Wenceslaus martyrio coronatus fuit ; quando necdum Reges habebat Bohemia. Quamobrem vocat ipsum Turrigius* Ducem, *ut erat, et* ducali, *non* imperiali *habitu induit ; notatque, gladium, quem sinistra tenet Wenceslaus, nudum esse et erectum stare mucrone terræ infixo, ex quo clypeus dependet. Addit etiam, simili forma ipsum videri hodiedum in porticu S. Mariæ Transtiberinæ cum diademate, quo solent sancti depingi, et pileo ducali ; credique a simplice vulgo, ipsum esse Præfectum aliquem Romanum. Carolo insuper vestitum candidum et coronam imperialem tribuit. Hyriconem vero, quem ipse* Inconem *vocat (Bohemis passim* Joannes Oczko *appellatur) etiam mitra ornat, creatumque fuisse dicit Cardinalem anno* MCCCLXXVI, *ab Urbano Papa VI. Sed tunc nondum erat Pontifex Urbanus, utpote anno* MCCCLXXVIII. *primum creatus : quo etiam nominavit Cardinales multos ; et anno sequenti hunc nostrum Oczkonem, cum uno alterove socio. Pergit autem Turrigius :* Prope dictum altare conspiciebantur imagines duæ sanctorum Patricii et Columbi cum hac epigraphe, ARTURUS FRIGIL ME FIERI FECIT AD HONOREM SS. PATRICII ATQUE ABB. COLUMBI, QUI MULTA MIRACULA FECIT IN HIBERNIA ET SCOTIA, UT APOSTOLUS. ANNO MDXXXVII. Secutis temporibus idem altare dedicatum fuit S. Erasmo, positaque ibidem tabula, hunc Sanctum repræsentans, depicta ab aliquo secretario Cardinalis Enkenvortii, ab Adriano VI. in cubiculo suo ex infirmitate decumbente, ad illam dignitatem assumpti anno MDXXIII. die x. Septembris, diebus XIII. ante obitum Papæ.

D

Alia hujus altaris descriptio.

E

SS. Patricii et Columbi imagines.

76 Placuit Urbano VIII. restituere S. Wenceslai altare in nova basilica, quod impositis ei ipsiusmet Sancti Reliquiis, consecratum fuit XVII. Septembris MDCXXVIII. a D. Antonio Ricciulo episcopo Belicastrensi, Sanctissimi Domini nostri in Urbe vices gerente, me *(loquitur Turrigius)* præsente : die vero XXVI. Septembris. pervigilio ejusdem S. Wenceslai, anno MDCXXX. imago ipsius, ab Angelo Carosello depicta, ibidem posita fuit : et legitur adscriptum, ALTARE S. WENCESLAI DUCIS BOHEMIÆ AB HINCONE EPISCOPO OLMUCENSI. *Hactenus Turrigius ibi : qui etiam postea in paralipomenis pag.* 547. *notat, eumdem Ainconem seu Oczkonem Romæ supremum diem obiisse, et quidem* XXVI. *Decembris, sepultumque fuisse in basilica S. Petri ; proferens, ad confirmandum sua dicta, ex antiquo Martyrologio membraneo archivi S. Petri, in quo etiam memoria conservatur quorumdam benefactorum, hanc scripturam:* Die XXVI. Decembris obiit R. P. D. Hincho ep. Olomucen. de cujus bonis habuit Camera nostra florenos auri ducentos...pro cujus anniversario expenduntur duo floreni. *Sed nihil hic de loco mortis aut sepulturæ quem sibi Bohemi vendicant. Dies mortis tantummodo indicatur : de qua tamen alii aliter sentiunt apud Oldoinum, sic scribentem :* Pragæ in Bohemia rebus humanis excessit Joannes Oczko ; ex Ciaconio quidem, mense Februario anno MCCCLXXXI. ex Diplomatibus vero Urbani VI. (datis die XXIX. Aprilis, quæ se vidisse fatetur in Vaticano Felix Contelorius) mense Martio MCCCLXXX. *Discrepant ab his scriptores Bohemi ; et certiora videntur quæ habet Bohuslaus Balbinus in Miscellaneis historicis regni Bohemiæ lib.* 4. *Parte* 2. *Tit.* 37. *in Joanne Oczkhone sic scribens :* Obiit sanctissimus Præsul anno MCCCLXXX. die XIV. Januarii (male alii I. Januarii ponunt) anno ætatis suæ LXXVII. archiepiscopatus Pragensis XVI. sepultus in ecclesia Pragensi in tumulo marmoreo alabastrina ejus effigie superne incumbente

S. Wenceslai altare in nova basilica

F

Hinconis Ep. Olomucen fata

A incumbente, in sacrario S. Gerhardi et Ottiliæ quod ipsemet erexerat et dotarat. *Hæc ille in patriis Bohemiæ scripturis ac monumentis versatus, si quis alius. Nescio cur scriptores Romani Joannem Oczkonem Cardinalem, passim indigitent* episcopum Olomucensem, *quam ecclesiam non multo tempore administravit, translatus ad archiepiscopatum Pragensem multis ante annis; quam Cardinalis renuntiatus fuit.*

S. Annæ. 77 u *Ugonius, ab ingressu portæ Argenteæ dextrorsum, contrario nobis ordine, ut præfati sumus, altaria enumerans, primo loco, id est inter portas Argenteam et Romanam ponit altare* S. Annæ, translatum huc e veteri ecclesia, ubi aliud erat ejusdem tituli; proprium *utroque loco* Parafrenariis *(ut vocant)* Eminentissimorum Dominorum Cardinalium; olim hic sacrum S. Antonio. *Paulo distinctiora habet Ciampinus,* Antonio Abbati *consecratum fuisse* a Nicolao de Astallis basilicæ canonico anno MCCCXLIII. *Deinde* Spiritus sancti, *ac demum* S. Annæ *nomen obtinuisse,* eo quod Societas Parafrenariorum e veteri cruce transversa, Sanctæ istius effigiem huc transtulit. *Spiritui sancto tamen sacrum aliquando fuisse, alibi non lego. Turrigius de Cryptis Vaticanis pag.* 130. *ait, illic depictum servari altare istud cum hac epigraphe;* Altare S. Antonii, erectum a Nicolao de Astallis Romano, hujus basilicæ canonico, ornatum et dotatum anno MCCCXLIV.

S. Antonii Abb. S. Spiritus.

SS. Philippi et Jacobi, 78 x *Ad sexta utrimque intercolumnia navis mediæ, ducto a frontispicio templi initio, duo steterunt altaria, inter se opposita,* SS. Philippi et Jacobi *versus boream;* Sanctorumque Simonis et Judæ *versus meridiem. Utriusque meminit Manlius noster supra pag.* 75. *num.* 142. *atque adeo etiam Romanus Canonicus et quidem pluribus. Meminit item, uti mox videbimus, Innocentius III. lib.* I. *Epist.* 359. *editionis Baluzianæ, scribens Octaviano, Ostiensi episcopo, et suo in Urbe Vicario. ut consecranda curet altaria* SS Philippi et Jacobi, *item* SS. Simonis et Judæ *Apostolorum; nec non* B. Gregorii et S. Andreæ; *non quod tunc primum extructa essent altaria illa, sed quia S. Petrus per visum tertio apparens cuidam sacerdoti, ætate gravi, mandaverat renuntiari Innocentio,* in ecclesia sua pauca esse altaria consecrata, et in dissecratis divina mysteria celebrari. *Causa dissecrationis non additur. Jubetur tamen Pontifex prædicta quatuor altaria nominatim consecrare. Queritur Bonannius, se non reperisse, quis altare SS. Philippi et Jacobi extruendum curaverit. Idem queri etiam posset de altari SS. Simonis et Judæ. Ambo interim antiqua sunt, utpote quæ ante Leonem IV. extiterunt, et ab ipso aureis argenteisque donis magni ponderis ditata fuerunt; scribente Romano Canonico (quæ ab ipso supperaddita sunt Manlio) pag.* 22. *quod ille Pontifex* fecit crucem auream magnam ad altare sanctorum Apostolorum Simonis et Judæ, pensantem ducentas libras, ab alia vero parte ecclesiæ, ad altare videlicet sanctorum Apostolorum Philippi et Jacobi, fecit magnam crucem de argento, pensantem *similiter* ducentas libras.

79 *Indicat his etiam Auctor aliquem situm utriusque altaris; unum nempe ab una parte ecclesiæ, puta mediæ navis; aliud ab alia; extitisse jam tum sub pontificatu Leonis IV. Quem situm alibi etiam distinctius indicat. sic scribens pag.* 121. In atrio ecclesiæ ad Crucem est venerabile altare Apostolorum Philippi et Jacobi: ad cujus ornatum fuit ibi posita magna Crux aurea. *Pag. vero* 106. *ponit similiter,* In atrio ecclesiæ altare SS. Simonis et Judæ; *de quo mox uti et de atrio. Clariora hæc fient ex Maphæo Vegio nostro, pag.* 75. *num.* 142 *ita scribente:* Proximum huic oratorio *S. Gregorii,* est altare SS. Simonis et Judæ; ad quod est accessus per portam Ravenniana: quod e regione respicit aliud altare SS. Philippi et Jacobi; ad quod per aliam portam Romanam introitur. *Hæc distinctissime indicant, situm utriusque altaris prædicti in media navi fuisse, ad quæ a sinistra portæ argenteæ intrabatur per portam Ravennianam; a dextra vero, per Romanam: utraque vero ducebat in mediam navim. Quandonam altare SS. Philippi et Jacobi illo esse desierit, non habeo compertum. Videtur scribente Ugonio anno* MDLXXXVIII. *non amplius superfuisse: quia is omnia tunc extantia recensens ac describens, de isto tacet. Panvinius, aliquot annis antiquior, ipsum locat inter portas Argenteam et Romanam; sed merito in hoc, æque ac in aliis multis reprehenditur ab Alpharano.*

SS. Simonis et Judæ, 80 y *E regione jam dicti altaris, diutius superfuit, quod sub nomine sanctorum* Simonis et Judæ *Apostolorum ibi consecratum fuisse memoravimus, conservans eorumdem sacra corpora. De illo Romanus Canonicus sic scribit pag.* 106. In atrio ecclesiæ ad Crucem est venerabile altare sanctorum Apostolorum Simonis et Judæ: ubi, ut a nostris majoribus accepimus, eorum corpora pretiosa requiescunt. *Paulus de Angelis in Annotatione sua ad hunc textum:* Existebat, *inquit, tempore Canonici istius* hoc altare in veteri basilica a Constantino magno extructa. Postea vero demolita illius basilicæ parte, a Sixto Papa IV, fuit translatum in mediam veterem basilicam, ubi sanctissima Eucharistia servabatur; videlicet in residuum veteris basilicæ, quod temporibus nostris a Paulo V. demolitum fuit. *Sixtum IV. transtulisse hoc altare, scripsit ante Paulum de Angelis Onuphrius Panvinius, nescio unde doctus talia. Non potest certe ipsum transtulisse Sixtus IV. post* demolitam veteris basilicæ partem; *cum tempore Sixti integra steterit basilica ac perduraverit usque ad Julium II, nec potest transtulisse* ad mediam veterem basilicam, ubi sanctissima Eucharistia servabatur; *cum hanc primus ibi servari voluerit Paulus III, et quidem in altari SS. Simonis ac Judæ; quod illa de causa etiam innovandum atque ornandum curavit, uti mox videbimus. Adeo ut altare SS. Simonis et Judæ translatum non sit ad altare, ubi servabatur sacrosancta Eucharistia; sed hæc ad illud, jam antea in media basilica, et (ut ego quidem opinor) ab initio fundationis suæ positum. Nondum enim inveni, qui alium, in quo fundatum fuerit, locum indicet; nequidem ipse Onuphrius aut Paulus de Angelis.*

Ejusque situs 81 *Opinionem meam concepi ex citatis Canonici Romani verbis, altare istud ponentis* in atrio ecclesiæ ad Crucem. *Quæ verba Paulus intellexerit, de posteriori basilicæ veteris parte, a Julio II. dejici cœpta, ubi et oratorium fuit sanctæ Crucis: ego vero potiori jure refero ad partem anteriorem ejusque navim mediam: quæ quia ampla, et ecclesiam ingredienti prima est, uti solent esse atria, videtur a Canonico* atrium ecclesiæ *appellata fuisse; distinguente scilicet atrium, quod est intra ecclesiam, ab illo, quod erat ante vel extra; de quo loquitur in Dono Papa pag.* 93. Hic atrium basilicæ B. Petri, quod est ante ecclesiam, magnis marmoribus stravit. *Præterea ponit in atrio ecclesiæ altaria SS. Simonis ac Judæ, item SS. Philippi et Jacobi, quæ certo erant intra basilicam; et signat eorum situm* ad Crucem. *Habebat autem ipsum altare SS. Simonis ac Judæ crucem magnam cum Crucifixo percelebri, a quo frequenter etiam nominabatur altare* Sanctissimi Crucifixi; *et aliquando,* Ad Crucifixos, *a duplici Christi crucifixi effigie, quarum una in muro depicta, altera e ligno sculpta, ibidem in veneratione erant; ut legitur apud Bonannium, qui citat codicem MS. archivi basilicæ, et apud Severanum pag.* 100. *Verum enimvero, etiam altare SS. Philippi et Jacobi, ponit Canonicus* in atrio ecclesiæ ad Crucem. *Per atrium hic eamdem navim mediam significat quam supra.* Ad Crucem *dixerit, quia hic stetit crux magna argentea*

A *argentea ducentorum pondo oblata olim a Leone IV. Vel potest ita cognominatum fuisse a vicinitate celeberrimi Crucifixi lignei, qui altari SS. Simonis et Judæ, in quo stetit, simile cognomen superaddidit; nisi mavis opinari, Crucifixum, quem teste Anastasio, Leo III.* fecit in medio basilicæ ex argento purissimo pensantem libras LXXII, *aut alium illo longe majorem, stetisse in media navi prope altaria tam SS. Simonis et Judæ, quam SS. Philippi et Jacobi: unde ambo pariter acceperint cognomen* Ad Crucem.

C. J.

prope Crucifixum et Rotam porphyreticam.

82 *Quemadmodum enim inter eadem altaria, in medio pavimento, teste Turrigio in Cryptis Vaticanis pag.* 124. *insertus spectabatur ingens lapis, qui in Pontificali Romano aliisque libris appellatur,* Rota porphyretica, *videlicet a forma, quæ rotunda est; et materia, quæ est porphyretes; eratque celeberrimus inter alios ejusdem nominis, propter varias ceremonias, quæ super illo fiebant in Pontificum inauguratione atque Imperatorum coronatione: ita mirum non foret, etiam Crucifixum ibi prope stetisse. Rotæ illius pridem meminit in Chronicis Petrus Diaconus lib. 4. cap. 37, scribens, quod Paschalis Papa II. et Henricus IV. Imperator basilicam ingressi,* cum in Rotam porphyreticam venissent, positis utrique sedibus, conse- B dere. *Et in Pontificali Romano, Venetiis anno* MDLXI. *impresso pag. 79 versa, legitur, quod* Imperator, sandalia, tunicellam et imperiale paludamentum *indutus,* procedens, venit ad medium ecclesiæ, ubi Rota est porphyretica; et ibi ab Episcopo Cardinali, sibi assistente, dicitur super eum *hæc oratio:* Deus inenarrabilis, auctor mundi, conditor generis humani, gubernator imperii, confirmator regni qui ex utero fidelis amici tui, Patriarchæ nostri Abrahæ, præelegisti Regem seculis præfuturum; tu præsentem Regem hunc cum exercitu suo, per intercessionem Sanctorum uberi benedictione æternitatis circumda; ut semper maneant læti et triumphantes in pace victores. Per Christum Dominum nostrum.

Error de situ.

83 *Redeo ad altare SS. Simonis ac Judæ.* Illud a Pelagio Papa I, inceptum fuisse, quod postea Joannes III. complevit, accepimus *(inquit Bonannius)* a Petro Manlio. *Si ita est, discrepat hic Manlius a Romano Canonico, qui similibus verbis dicit, Pelagium ac Joannem Pontifices incepisse et complevisse* ecclesiam SS. Philippi et Jacobi, *non altare SS. Simonis et Judæ in basilica Vaticana. Ecclesia SS. Philippi et Jacobi, de qua loquitur Romanus Canonicus, uti et Manlius ipse apud nos pag.* 39 *num.* 48. *vulgo indigi-* C *tatur* Sanctorum Apostolorum, *estque percelebris Romæ, sed longissime a Vaticano dissita; cujus inceptionem et perfectionem Anastasius quoque attribuit Pontificibus Pelagio et Joanni prædictis, nihil de altari SS. Simonis et Judæ memorans. Certiora habet Bonannius ex Ugonio de sacrosancta Eucharistia, quam Paulus III. quando altare, ibi prius conservabatur, cum parte posteriori basilicæ destructum fuerat, collocari jussit in altari SS. Simonis ac Judæ; translato inde, uti docet Severanus pag.* 101. *Crucifixo ligneo una cum appellatione sanctissimi Crucifixi, ad novum altare, quod ad murum transversarium in alterutra duarum ex parte meridionali navium, erectum stetit; uti supra dictum est litt.* e.

SECTIO II. SIVE B.

Recenset quidquid fuit altarium inter murum transversarium et navim transversam.

S. Eustathii M. S. Georgii M.

P*rincipium Sectionis secundæ, hinc circumducentis juxta motum solis, indicat hoc loco altaria duo, quæ aliis anonyma, videntur Ciampino, alterum* S. Eustachio, *alterum* S. Georgio, *Martyribus sacra fuisse: idque colligi, ait, ex vetustissimo basilicæ Vaticanæ Martyrologio.* D

Annunciationis B. Mariæ.

c Annuntiationis B. Mariæ, *quod Ciampinus pulcherrimum fuisse dicit, in eoque S. Margaritæ Virginis imaginem eximiam populo summæ venerationi fuisse.*

S. Blasii Ep. M.

d S. Blasii episcopi et martyris, *a Poncello de Ursinis excitatum: qui juxta, sibi et familiæ suæ monumentum sepulcrale habuit, teste Ciampino.*

S. Nicolai Ep.

e S. Nicolai episcopi et confessoris *a Nicolao Papa V. constructum: qui et sepulcrum ibidem sub nobilissimo marmore habuit, eodem teste qui supra.*

S. Mariæ de Misericord. S. Marci Evang.

f *Extabat hic olim altare* S. Mariæ de Misericordia, *inquit Bonannius. Innovatum ac dedicatum deinde fuit* S. Marco Evangelistæ *a Marco Barbo Patriarcha Aquileiensi: sed alii id malunt tribuere Paulo II.*

S. Mariæ, Petrique et Pauli.

g B. Mariæ *ab Eugenio IV, extructum, ut habet Bonannius ex Alpharano. Ciampinus vero scribit ab Eugenio restitutum, et* B. Mariæ sanctisque Apostolis Petro et Paulo *fuisse sacratum.*

Duo anonyma.

h *Altare anonymum, ceteroquin non indecorum; ut idem ait Ciampinus.*

i *Et hoc anonymum fuit, quamvis ipsum* S. Catharinæ *dicatum ab Ægidio de Gerla, scribat Bonannius,* E *citans Ciampinum et numerum ejus* 21. *Sed is æque anonymum illud facit ac præcedens altare; citatumque numerum non habet hoc loco, sed ubi nos litteram* f. *in Sect.* C.

S. Martialis.

k S. Martialis, *quod perantiquum et magna in veneratione fuisse testari dicitur Vegius. Paulus de Angelis ipsum tribuit Neapolioni Cardinali anno* MCCLXXXVIII. *creato. Sed is fundator ejus primus non fuit; quandoquidem idem Romanus Canonicus annis facile centum prius scribat,* post chorum canonicorum esse altare S. Martialis discipuli B. Petri. *Quibus iisdem verbis etiam indicat situm, quem nos ei damus cum ichnographis ceteris, prope a choro canonicorum, contra Panvinium, qui illud altare collocat in navi transversa.*

S. Mariæ, et S. Gabini.

85 l *Altaria olim duo,* S. Mariæ, *et* S. Gabini. *Primum saltem dicavit Gregorius III. illatis eo multis Sanctorum Reliquiis. De his Anastasius in vita ejus pag.* 72, *sic scribit:* Hic fecit oratorium intra basilicam Vaticanam juxta arcum principalem, parte virorum. (In quo recondidit in honorem Salvatoris sanctæque ejus Genetricis, Reliquias sanctorum Apostolorum et omnium sanctorum Martyrum et Confessorum, perfectorumque Justorum, toto orbe terrarum requiescentium) quorum festa Vigiliarum a monachis trium monasteriorum, illic servientium quotidie per ordinem, atque Natalitiorum Missas, in eodem loco celebrari instituens, in Canone Missæ hoc adjecit, ita a sacerdote dicendum; QUORUM SOLENNITAS HODIE IN CONSPECTU TUÆ MAJESTATIS CELEBRATUR, DOMINE DEUS NOSTER, IN TOTO ORBE TERRARUM. Quam institutionem in eodem oratorio tabulis lapideis conscribere fecit. *Ita Anastasius, qui postea enumerat plurima munera ibidem a Gregorio oblata.*

Utrumque Manlius vidit

86 *Petrus Manlius noster pag.* 36, *collocat idem altare sive oratorium* in choro canonicorum, *qui terminabatur juxta arcum principalem ex parte virorum; descriptisque Anastasii verbis, quæ his [ ] inclusimus, continuo subdit* inter quas *Reliquias,* ut a nostris majoribus accepimus, recondidit *Gregorius* corpus S. Gabini presbyteri *(imo Gabini martyrio affecti in Sardinia, non Gabinii, Patris S. Susannæ)* cujus altare mansit ibi usque ad tempora nostra. Nam tempore Domini Eugenii III. Papæ, quando ejus præcepto ereximus istud altare ibi, duo altaria ubi erant, altare videlicet S. Gabinii Presbyteri, ad quod Sardinia et Corsica tributum annualiter mittebant; et altare B. Mariæ semper Virginis, quod prænominatus Dominus Gregorius Papa III, fecerat

A rat et consecraverat. Sub quibus altaribus invenimus tres sepulturas, ferro et plumbo optime ligatas. Quæ etiam altaria cancellis anæis circumdedit. In quo etiam oratorio imaginem B. Mariæ semper Virginis, filium amplexantis, posuit. Supra quam imaginem fecimus loculum, in quo honorifice cum Romano Clero posuimus dextrum armum B. Stephani Protomartyris, quod Dominus Pelagius Papa huic ecclesiæ donavit, sicut in translatione ejus de Constantinopoli Romam facta habetur.

mutari in unum,

87 *Atque hæc, tam de prima, quam de secunda fundatione istius sacelli, contemporaneus in parte auctor et oculatus testis : ex quibus constat, Eugenium III, loco duorum, quæ eatenus ibi steterant altarium; denuo excitasse sacellum unum sub titulo solius* B. Mariæ. *In eodem oratorio posuit Gregorius apud Anastasium;* imaginem sanctæ Dei Genitricis, diadema aureum habentem cum gemmis ; et collare aureum cum gemmis pendentibus, inaures habens hyacinthinas sex : et faciem altaris et confessionem cum regulis, vestivit argento : et in tribus lateribus altaris posuit cruces argenteas tres, pensantes in unum libras triginta sex. *Cetera dona a Gregorio isti sacello oblata enumerat idem Anastasius. Sed an imago* B *sanctæ Dei Genitricis, hic ab Anastasio descripta, ibidem superfuerit usque ad tempora Manlii nostri et Alexandri Papæ III. dubito; nec facile credidero : tum quia Saraceni interea basilicam S. Petri spoliaverant : tum, quia Manlius dicit, imaginem sui temporis fuisse beatæ Mariæ* filium amplexantis; *de qua forma nihil habet Anastasius. Fuerit igitur tempore Manlii alia illic, quam quæ a Gregorio posita fuerat, imago Virginis, filium amplexantis; et quidem, uti Vegius scribit, non sculpta aut cælata, sed depicta.*

ad quod Lancea Domini

88 *Stetit sacellum hoc Eugenianum seculis fere tribus ac dimidio, usque ad obitum Innocentii VIII. qui incidit in annum* MCCCCLXXXXII. *et mensem Julium. Acceperat hic Pontifex (uti narrat) Jacobus Grimaldus in Tractatu MS. de sacra Lancea apud Bonannium) paulo ante mortem suam* sacrosanctum ferrum Lanceæ, *qua Salvatoris nostri latus in Cruce transfixum fuit, a magno Turcarum Sultano :* illudque ille XXXI. Maji festo Ascensionis Domini, solenni pompa pedester detulit a porta Flaminia ad basilicam S. Petri, *et ibi data populo benedictione secum intulit in palatium*; servaturus ipsum apud se, donec sacellum in eadem Vaticana Basilica, cum cyborio C ad id continendum, magnifico sumptu ædificaret. Verum vix elapso mense, incidit in gravem morbum : accitoque ad se Laurentio Cardinali Beneventano, suo ex fratre nepote, ferrum ipsum in eadem basilica perpetuo asservandum reliquit, sacellumque præfatum perficiendum mandavit.

delata fuit.

89 *Tum Domini Cardinales sacrum ferrum* devote e cubiculo Pontificis detulerunt *ad basilicam, atque* in cyborio Vultus sancti, *de quo sect.* A *litt.* q *diximus, reposuerunt: mortuoque ipso, piam patrui voluntatem Laurentius diligenter executurus,* sacellum Dei Genitricis Mariæ sumptuose extruxit anno MCCCCLXXXXIII. *in loco, ubi steterat Gregorianum prædictum, ab Eugenio III. restauratum eo modo, quo diximus hic; et* anno LXXXXV. *absolvit, pulcherrime ornatum; sed non diu hic duraturum. Interea tamen ad cyborium ejus,* anno Jubilæi MD. Dominica secunda Januarii, sacrum Lanceæ ferrum e cyborio Vultus sancti delatum fuit. *Verum septimo non amplius post anno, Christi* MDVII. profundanda *ibi* magna parastata, solo æquatum fuit dictum cyborium, et in tabernaculum Vultus sancti sacrum ferrum iterum delatum est die XXII. Novembris. *Hactenus Grimaldus aut verbis suis aut sensu.*

Confirmatur situs sacelli,

90 *De situ hujus sacelli abunde certum est ex dictis; nec dubitari de illo potest propterea quod ab aliis collocetur* prope altare princeps, *ab aliis vero* in choro D canonicorum. *Propius enim ad aram summam, extra navim transversam, nullum erat sacellum celebrius. Chorum quoque, sive cantorum sive potius canonicorum, infra illud fuisse, id est in media navi juxta arcum principalem, ut jam dixi et consentiunt plerique. Unde et Ciampinus, Severanum pag.* 107. *secutus, putat huic sacello etiam nomen adhæsisse* S. Mariæ de Conventu, *quia* ante ipsum Canonicorum chorus e ligno vili artificio compactus jacebat *(imo ipsum sacellum videtur inclusisse)* in quem illi quotidie conveniebant ad psalmodiam. *Existimo ego talem chorum illic perpetuo mansisse, ex quo Gregorius III. ibi jussit Monachos divina officia quotidie persolvere. Bonannius scribit, quod Vegius referat, chorum illum fuisse* supra oratorium B. Mariæ: *sed verba ex illo citata, non indicant locum chori, sed locum, ubi dexter armus B. Stephani protomartyris repositus fuit, videlicet* supra imaginem B. Mariæ, filium amplexantis, depictam in pariete ipsius oratorii: *et dicti armi solennis ibi depositio facta fuit* conveniente et psallente omni clero Romano.

C. J.

91 *Supra hanc imaginem, ut in præmissis vidimus, ipse Petrus Manlius fecerat pridem loculum, in quo sacer armus Protomartyris honorifice inclusus fuit. Et* E *de hac ipsa inclusione loqui Vegium, antequam altare istud Eugenianum destrueretur scribentem, indubitatum est. Denique idem Manlius docet, præter corpus S. Gabini Martyris, quod sub proprio altari honorabatur, in eodem sacello quievisse S. Gregorium III.* in loco, *inquit,* illo, ubi nunc felicis memoriæ beatus Eugenius Papa III. requiescit. Ubi etiam ad honorem ejusdem Gregorii Papæ fuit erectus arcus, optimo mosivo depictus, et permansit arcus ille usque ad tempora Domini Eugenii III. Papæ: de quo habemus in epitaphio ejusdem Gregorii hunc versum.

in quo et corpora,

S. Gabini M.

S. Gregorii 3.

Tertius huic Papa Gregorius est tumulatus. In quo etiam sepulcro desuper recondimus venerabile corpus Domini Eugenii III. VIII. Idus Julii; et fecimus ei sepulcrum ex diversis lapidibus. Requiescit etiam in eodem sepulcro, ut audivimus, Petrus Diaconus B. Gregorii I. Papæ, ad quem fecit librum Dialogorum. *Imo qui in illis cum Gregorio collocutor inducitur, et a recentioribus* Beati *titulo honoratur; uti supra ipse etiam Manlius Eugenium post mortem similiter* beatum *appellat; neuter tamen sacris Romanorum fastis legitur adscriptus; uti nec Adrianus Papa IV. quem citatus Manlius ait, ibidem* requiescere juxta sepulcrum Domini Eugenii in optima concha. F

Eugenii 3,

Petri Diaconi,

Adriani 4.

92 *His autem tam claris sanctisque Pontificibus, etiam contumulatus fuit Innocentius Papa VIII. cujus jussu tertium innovatum aut denuo extructum altare, vix ultra decennium ibi mansit. Mansitque ibi etiam breviori tempore cadaver ipsum, cum suo monumento sepulcrali, quod apud Oldoinum in æs incisum videri potest, alio translatum. Tempus primæ translationis distincte tradit idem Oldoinus tomo* 3. *col.* 115. *ex quodam Diario, cujus verba tanto libentius hic adscribo, quod etiam distincte indicent, chorum canonicorum inde prope abfuisse, et a Sixto IV. Innocentii decessore, ad suum ipsius novum sacellum seu ecclesiam, ad parietem basilicæ meridionalem excitatam, migrasse.*

Item Innocentii 8. ejusque translatio.

93 *En verba Diarii:* Anno MCCCCLXXXXVIII. feria III. die XXX Januarii, *extractum fuit e tumulo suo* corpus sive cadaver fel. rec. Innocentii Papæ VIII. quod post ejus obitum fuit juxta murum altaris B. Mariæ Virginis chori, *(ecce aliud nomen ejusdem altaris)* ubi canonici et clerus basilicæ S. Petri de Urbe, singulis diebus officium peragere consueverunt; antequam . . . Sixtus Papa IV. capellam suam pro choro eorum erigeret ac ordinaret. *Igitur sub Sixto IV. anno* MCCCCLXXI. *tredecim annis post obitum Calisti III. creato, remotus canonicorum chorus de medio*

Translatio chori ad sacellum Sixtinum.

A *media navi, ubi eatenus steterat ante arcum triumphalem, ut vocabant, inter altare B. Mariæ, de quo hic, et altare S. Pastoris, de quo mox, translatus fuit ad novum a Sixto excitatum sacellum; eodemque verosimiliter etiam transportatum fuit organum, quod paulo ante Callistus suspenderat prope altare S. Pastoris et chorum antiquum.* (C. J.)

(S. Pastoris.) 94 m *Trans mediam navim, e regione jam dicti altaris sive sacelli ad partem septemtrionalem arcus triumphalis, qui navim transversam a navi media templi dividebat, fuit antiquissimum altare* S. Pastoris, *multo post tempore, a Cardinali Urso Ursino magnifice restauratum: ita loquente Ciampino pag.* 62. Altare S. Pastoris, quod cum tam longa annorum serie dilaberetur, Ursus Ursinus S. R. E. Cardinalis et Vaticanæ basilicæ archipresbyter, splendide restituit dotavitque, exciso inibi tumulo, in quo ipse et ejus frater Matthæus diaconus cardinalis, funerati fuerunt. *Hæc in fide Ciampini Manlius noster pag.* 44. *aliud non habet, quam,* juxta arcum triumphalem est altare B. Pastoris. *Quibus addidit Romanus Canonicus;* In quo siquidem arcu audivimus requiescere beati Mathiæ Apostoli corpus. *Videant Romani, an id confirmare possint aliunde. Ut igitur* B *antiquissimum fuerit altare S. Pastoris, ita paucissima quoque de illo (quod passim fieri solet) habentur monumenta scripturarum.*

(ubi et organum) 95 *Constat tamen juxta illud stetisse organum, sex columnis porphyreticis innixum; non illud, quod ab Alexandro Papa VI. curatum fuerat in sacello SS. Processi et Martiniani, quod deinde sub Paulo III. cum corporibus eorumdem Sanctorum in concha porphyretica, et statua ænea S. Petri, translatum fuit in priorem veteris templi sectionem prope murum transversarium: sed aliud, quod a Calisto Papa III. positum antea fuerat juxta dictum S. Pastoris altare, prope chorum canonicorum, antequam Sixtus IV. illum chorum e media navi transtulit ad suum novum sacellum in parte meridionali templi. De organo Innocentiano in oratorio SS. Processi et Martiniani, scribit Ciampinus pag.* 57. *illud* sumptuose factum, et a Musca præstantissimo artifice cælatum, ac totum inauratum, et ex concentu in magno pretio habitum fuisse. *De Calisti autem organo pag.* 62. *ait, illud magnæ pulcherrimæque molis, juxta aram S. Pastoris* suspensum fuisse, suffultum senis columnis e porphyrete; cujus tubos prægrandes, varia metalli specie conflatos, ligna intersecabant, auro cælaturisque insignia. C *Utriusque organi schema exhibet Ciampinus, incisum in æs, tabula sua* XVI. *ex quibus etiam patet quod diximus, admodum diversa fuisse organa illa.*

(SS. Laurentii et Georgii.) 96 n *Severanus in sua ichnographia exprimit quidem hic et duobus sequentibus locis altaria, sed nulli eorum adscribit nomen. Huic tamen in sua ichnographia adscribit Paulus de Angelis hæcce verba:* Olim altare SS. Laurentii et Gregorii a Jacobo Cajetano de Stephanescis Cardinali, *Fontana, Ciampinus, Bonannius pro* S. Georgorii, *scribunt* S. Gregorii, *et rectius. Fuit quippe Jacobus iste Cajetanus, Cardinalis titulo* S. Georgii in Velabro *seu* Velo aureo, *a Bonifacio PP. VIII. creatus; ut videri possit, altare illud in honorem S. Georgii, tamquam Patroni sui tituli cardinalitii, potius dedicasse, quam S. Gregorii. Addit Bonannius,* dotatum *fuisse* a Lello de Miglis. *Quod intelligi possit, ab illo post obitum fundatoris, nova beneficia altari collata fuisse: cum Ciampinus scribit,* extructum *pariter et* dotatum *fuisse ab eodem Jacobo Cajetano Cardinali. Vide alia supra Sect.* A *litt.* o.

(Innominata) o E regione *(imo ad latus) jam dicti altaris, septemtrionem versus,* visebatur, *inquit Ciampinus,* ara sine nomine et cultu *(tunc credo, quando Alpharanus, quem ipse et reliqui fere sequuntur, ichnographiam suam delineabat)* sua tamen simplicitate non indecora. D

p *Hic, eodem auctore,* perantiquum exstabat altare: *sed cui Sanctorum olim sacrum fuerit, ignorari ait.*

97 q S. Ægidii abbatis, *ut omnes Ichnographi unanimiter notant. Pulcherrimum et amplissimis redditibus dotatum fuisse a Joanne Tomacello, Comite Soræ, Bonifacii IX. Papæ germano fratre, addit Ciampinus. Vixit Joannes ille anno* MCCCC. *Manlius noster pag.* 44. *collocat* venerabile altare S. Ægidii Abbatis, juxta sepulcrum, in quo B. Gregorius Papa I. primo loco positus fuit. *Quod si verum est, debet altare istud procul ab hoc loco remotum et prope angulum frontispicii meridionalem fuisse. Ibi enim prima Gregorii I. sepultura extitit; uti scribit post Joannem Diaconum in Vita Gregorii ipsemet Manlius pag.* 39. *his verbis:* Hic almificus Præsul *Gregorius I.* fuit sepultus ante secretarium inter columnas porticalium. *Cum autem nemo unus ponat in illa parte altare S. Ægidii, omnes vero illud collocent indicato a nobis loco, dicendum necessario est, in priorem Manlii textum irrepsisse errorem, et Gregorii I. nomen pro alterius alicujus Pontificis nomine, qui hic sepulcrum habuerit, substitutum fuisse; aut aliter conciliandus error erit.* (S. Ægidii abb.) E

r S. Nicolai episcopi, *a Nicolao Papa III. extructum, ut notat Paulus de Angelis, addens, ejusdem Nicolai Papæ, et Honorii IV. sepulcrum ibi extitisse.* (S. Nicolai ep.)

s S. Jacobi Apostoli, *ab Antonio de Calvis Cardinali sanctæ Romanæ Ecclesiæ restitutum.* (Jacobi ap.)

t S. Hieronymo, *Ecclesiæ Doctori, ab Acheruntio de Bovenis erectum atque dotatum fuisse hoc loco altare, testis est Ciampinus.* (S. Hieronymi.)

u S. Augustini, *item Doctoris Ecclesiæ episcopi Hipponensis, ab Altarusio canonico restitutum et locupletatum, eodem Ciampiano teste.* (S. Augustini,)

98 x *Sequitur tertium, quod Ecclesiæ Doctori consecratum sit altare, videlicet* S. Ambrosio *episcopo Mediolanensi; ipsumque antiquissimum fuisse ferunt. Scribit Onuphius Panvinius in libello de septem ecclesiis pag.* 44. A sinistro basilicæ latere *sive septemtrionali,* fuit oratorium cum ara S. Ambrosii episcopi et doctoris, quod diu ante basilicæ ruinam, sui nomen et venerationem amiserat. *(Hæc ex Vegio nostro pag.* 76. *n.* 145. *Panvinius: sequentia ipse, nescio unde, adjungit.)* Nunc ejus loco, ex ruinis veteris templi translata extant duo altaria, B. Virginis, Innocentii VIII. prope ejus æneum sepulcrum cum ciborio, cui ipse Lanceæ ferrum imposuerat; et sanctissimi Crucifixi, inter sepulcra Pauli II. et Nicolai V. *Ego, ut memor præmonitionis Alpharani de Onuphrio pag.* 86. *num.* 6. *de aliis hic relatis nihil dicam: tantum observo, in situ oratorii B. Virginis Innocentiani, altare S. Ambrosii prius non fuisse. Illud quippe Innocentianum post sui translationem stetit in Sectione nostra prima litt.* n, *non longe a frontispicio templi: altare vero S. Ambrosii designatur ab Alpharano et aliis post murum Pauli tertii transversarium Sect. secunda litt.* x. (S. Ambrosii) F

y *Ultimum denique hujus Sectionis altare, quod aliqua sui parte videtur a muro transversario interceptum fuisse, colebatur sub invocatione* S. Martini, *Turonensis episcopi; amplissimis, ut ait Ciampinus, locupletatum proventibus a Joanne Gallo Cardinali Vivariensi, episcopo Ostiensi ac vice-cancellario.* (S. Martini ep. Turon.)

SECTIO III. SIVE C

Circum ducit per navim transversam incipiendo ab arcu triumphali sinistrorsum.

Hoc *ipso loco, ubi C, stabat suggestus sive ambo, in quo* (Ambo et altare)

A *quo legebatur sacrosanctum Evangelium et explicabatur populo. Prope adstabat candelabrum grande, cui cereus Paschalis imponebatur. Altare autem, quod hic exprimitur, fuit* S. Sixti *Papæ I, et Martyris, de quo Bibliothecarius in Paschale I.* Hic *Paschalis* in B. Petri basilica ante aditum, qui ducit ad corpus, in loco ferrato altare constituit, in quo venerandum B. Sixti Martyris atque Pontificis corpus honestissime collocavit; ubi et desuper arcum, musivo exornatum, decenter instruxit, *et quatuor columnis suffulsit. Eodem postea fuerunt etiam illata* SS. Fabiani *et* Sergii II. *Pontificum corpora: idque* ex epigraphe tumuli liquido constabat, *teste Ciampino: nec longe aberant, eodem teste, corpora* SS. Peregrini *episcopi et martyris, ac* Cedwallæ *Anglo-saxonum regis huc translatum e porticu basilicæ, ubi primum sepulcrum habuit, teste Severano.*

Ambo et altare S. Sixti Papæ I.

100 d S. Silvestri *Papæ*, in quo *(verba sunt Manlii pag.* 35. *num.* 15.*)* sicut accepimus, brachium ejus est reconditum. Requiescit etiam ibidem Vigilius Papa, sicut a majoribus nostris accepimus, et in pariete invenimus scriptum. *Illud ipsum verosimiliter, quod Paulus de Angelis in suis ad hoc altare notis adduxit;* Altare S. Silvestri Papæ: ubi Vigilii B et Adriani IV. sepulcra. *Obiit Vigilius in Sicilia, et corpus ejus, teste Anastasio,* ductum est Romam et sepultum est ad S. Marcellum via Salaria in cœmeterio Priscillæ. *Hinc igitur postea debet delatum fuisse ad prædictum S. Silvestri altare; prope quod etiam suum habuit monumentum Adrianus IV.*

S. Silvestri Papæ.

101 e S. Mauritii *Martyris;* ad quod de antiqua consuetudine Romanorum Imperator, a Dominis episcopis cardinalibus benedicitur et ungitur. Ad Altare vero majus B. Petri, a Domino Papa benedicitur et coronatur: et de sacrosancto altari ejus per manus Romani Pontificis ad defendendam Ecclesiam gladium accipit. *Verba sunt Manlii: quibus consonat hæc vetus inscriptio, quam se legisse testatur Paulus de Angelis:* Imperator et Imperatrix ab episcopis cardinalibus benedicuntur, et in brachio dextero oleo sancto unguntur, antequam a Romano Pontifice coronentur; *quod deinde fit ad altare B. Petri. Celebrem talis rei cæremoniam describit Augustinus Pientinus episcopus in Rituali sect.* 5. *et Goldastus in Constitutionibus imperialibus pag.* 412.

S. Mauritii M.

f S. Catharinæ *virginis martyris nomine omnibus notum est hoc altare, præterquam Severano. Ciampinus addit ab Ægidio Laurentio de Gerla dotatum, eumque* C *et sepulcrum tam sibi, quam Cardinali Tiburtino et familiæ suæ ibidem fecisse. Hoc altare alibi posuit Bonannius, ut dixi Sect.* B. *litt.* i.

S. Catharinæ V.

102 g Sanctorum Processi et Martiniani martyrum *altare et sacellum, de quo Anastasius in Paschale I. Hic* in B. Petri Apostoli ecclesia juxta ingressum, qui ducit ad beatam Petronillam oratorium summæ magnitudinis atque pulchritudinis decoranter construxit; et super columnas, in quadrificio camerantes, musivo pulchrisque metallis decoravit: in quo et corpora beatissimorum martyrum Processi et Martiniani ad honorem et gloriam omnipotentis Dei, memorialiter honorificeque recondidit: in cujus absida imaginem pulcherrimam de argento, exauratam, cum diversis historiis inter marmorum constructiones ordinatas, infixit. *Enumerat deinde Anastasius dona plurima, quæ Paschalis obtulit ad hujus ipsius oratorii ornatum, interque ea unam* imaginem ex auro purissimo, pensantem libras XIII. et uncias III. *argenteas vero tres inauratas, unam videlicet* Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, et duas beatorum martyrum Processi et Martiniani. *Petrus Manlius pag.* 37. *illud ponit* juxta portam æneam, quæ vadit ad S. Petronillam, et ad S. Andream *(est hoc sacellum S. Andreæ, inter extremam alam navis transversæ, qua meridiem spectat, et amplum S. Petronillæ* D *oratorium, uti suo loco explicabimus) ejusque structorem facit, æque ac Anastasius,* Paschalem I. *nulla mentione facta Symmachi; cui apud Bonannium Alpharanus, recentissimus respectu illorum scriptor, eum honorem tribuit.*

SS. Processi et Martiniani.

C. J.

103 *Condidit autem ibi Paschalis sanctos martyres* in concha porphyretica, ut apparet *(verba sunt citati Manlii)* et pro reverentia eorum, locum illum cancellis æneis circumdedit. Qui locus in tanta veneratione est habitus, quod usque ad nostra tempora illum mulieres non intrabant. *Quædam prædictorum repetit idem Manlius pag.* 41. *num.* 93. *quod nempe Paschalis* construxit oratorium summæ pulchritudinis in honorem prædictorum Martyrum, in quo satis honorifice corpora eorum recondidit in concha porphyretica, allata de cœmeterio S. Agathæ; *quod erat, uti porro explicat Severanus pag.* 90. via Aurelia, ubi in loco, quæ dicitur Casa Lardaria, stabat ecclesia prædictorum Martyrum; cujus hodiedum videre est parvum sacellum priusquam perveniatur ad domunculam Pii V. in qua ecclesia S. Gregorius dixit pro concione homiliam XXXII. in Matthæum, qua commemorat, apparuisse Sanctos cuidam Ma- E tronæ, quæ multa cum devotione frequentabat illam ipsorum ecclesiam; eamque cum gratitudinis demonstratione allocutos fuisse his verbis: Tu nos modo visitas: nos te in die Judicii requiremus, et quidquid possumus, præstabimus. *De translationibus hujus altaris ad anterioris basilicæ navim medianam, a Paulo III. facta, egimus sect.* A *litt.* g.

Eorumdem antiquior ecclesia.

104 h *Altare* S. Mariæ de Prægnantibus *hic ponunt Ciampinus, et Bonannius, ipsumque tribuunt tamquam fundatori, Joanni Cajetano Ursino, Cardinali diacono S. Theodori, qui obiit anno* MCCCXXXIX. *Addit Ciampinus, ab illo extructum a fundamentis atque nobiliter ornatum: deinde vero a Jordano Ursino, et ipso Cardinali episcopo Sabinensi, qui centum fere post annis vivere desiit, restitutum et magnifice dotatum: denique e loco isto sublatum et collocatum fuisse in navi mediana basilicæ ad murum transversarium, nobis Sect.* A *litt.* f; *ipsi vero num.* 43. *Ego, ut citatis Auctoribus alteram partem sententiæ suæ, qua fundatorem prædicti altaris faciunt Joannem Cajetanum Ursinum, concedam; appellationem, quam altari dant,* S. Mariæ de Prægnantibus, *concedere non possum, propter dicenda in Dissertatione huic Sectioni subnectenda. Potius appellatum fuerit* S. Mariæ in cœlos Assumptæ. *Sub tali quippe appellatione alicubi stetit in navi transversa* F *altare, fundatum a Joanne Cajetano prædicto, quod etiam ad murum transversarium Pauli III. translatum fuit, ibique mansit sub eadem appellatione tempore Ugonii: ut videre est supra Sect.* A *litt.* f.

S. Mariæ de Prægnantibus aut potius Assumptionis,

105 i *Sacellum* S. Mariæ de Cancellis, *sic appellatum, quia cancellis circumdabatur, aliis* S. Mariæ in Oratorio *dictum. Ipsum in angulo navis transversæ, occasum brumalem respiciente Paulus Papa I. anno* DCCLVII. *extruxit, et signo argenteo B. Mariæ virginis librarum centum ditavit. De illo Anastasius in Paulo scribit, quod in ecclesia B. Petri Apostoli in Vaticano* noviter *oratorium* construxit in honorem sanctæ Dei Genitricis, juxta oratorium S. Leonis Papæ, secus fores introitus S. Petronillæ atque B. Andreæ Apostoli, musivo et diversis metallis ipsum adornans: ubi et effigiem sanctæ Dei Genitricis in statua *(Petrus Manlius hic scribit* in statu*)* ex argento deaurato, quæ pensat libras centum, constituit: in quo et sepulturam sibi construxit. *Prosecutus Anastasii textum Manlius, ait pag.* 36. *num.* 21. *quod Paulus oratorium illud* propter multa corpora Sanctorum, quæ ibi sepulta sunt, æneis cancellis clausit. Unde, *inquit,* usque ad tempora nostra locum illum mulieres non intrabant. Qui locus, *ut num. sequenti*

S. Mariæ de Cancellis et in Oratorio.

A *sequenti addit*, usque hodie dicitur S. Maria in Oratorio. *Et hoc ipso nomine etiam antiquitus dictum fuerit illud sacellum; quod deinde vulgus* a Cancellis, *quibus ipsum videbant cingi, appellaverit : certe nomen hoc nusquam habet Manlius; sed neque Romanus Canonicus, quamvis hic Manlio superaddat, quod ipse Romanus* in translatione SS. Dignæ et Emeritæ legerit, *Paulum multa Sanctorum corpora* de cœmeteriis levasse, *et in dicto sacello suo* posuisse. *Nihilominus etiam ante illorum ætatem et nomen* a Cancellis *et celebritatem singularem præ aliis sacellis habuisse, colligitur ex Kalendario (si tamen ipsum tam vetustum est ac putatur) quod cum* Responsorialibus et Antiphonariis Romanæ ecclesiæ de circulo anni, juxta veterem usum canonicorum basilicæ Vaticanæ S. Petri, *non ita pridem e codicibus MSS. prodiit Romæ*, opera et studio Josephi Mariæ Cari Presbyteri Theologi. *Illic enim* VIII. *idus Novembris inscribitur* Consecratio altaris S. Mariæ de Cancellis : *quod de nullo totius basilicæ altari ibidem legitur, nisi tantum de altari S. Petri, cujus consecratio* VIII. *Kalendas Apriles notatur, id est die* XXV. *Martii, quando et Decessores nostri de hac Consecratione mentionem faciunt inter Prætermissos ex Martyrologio MS. Vaticanæ basilicæ, his verbis :* B S. Petri consecratio majoris altaris in ecclesia Vaticana facta a Calixto Papa II. cum universo concilio, anno ejus v. Indictione I.

C. J.

Adriani M. 106 k S. Adriani *oratorium atque altare, sive a Martyre istius nominis, cui dicatum fuit, sive ab Adriano Papa I. ibi sepulto, sic appellatum, hic stetit inter oratoria S. Leonis et S. Mariæ de Cancellis. Recentiores plerique ab Adriano Papa prædicto excitatum fuisse scribunt. Sed Anastasius Bibliothecarius plurima ejus ædificia et pia opera sedulo enumerans, nullam talis oratorii aut altaris ab ipso ædificati, mentionem facit. Et Manlius noster pag.* 36. *num.* 20. *(quæ uncis inclusa, superaddidit Romanus Canonicus) tantummodo scribit;* Juxta oratorium S. Leonis IV. Papæ est oratorium; [et fuit altare S. Adriani Martyris; et est sepulcrum] beatæ recordationis Domini Adriani I. Papæ. *Hujus epitaphium, quod ibidem legere fuit, argumentum nobis præbet Dissertationis, ad calcem hujus Sectionis adjiciendæ. Interim notandum, hocce in altari olim conservatam fuisse Cathedram S. Petri, ut supra diximus.*

cum sepulcro Adriani Papæ 1.

S. Leonis 4, 107 l Ante altare S. Mauritii *(ita scribit Manlius pag.* 35. *n.* 17.) juxta aditum, qui vadit ad S. Martinum post S. Petrum, est oratorium S. Leonis C Papæ IV. in quo (sicut sæpe a nostris majoribus accepimus, videlicet a Domino presbytero Cencio Priore, et Domino Petro Christiano) sanctæ recordationis Dominus Paschalis Papa II. corpus beati Leonis Papæ I. et II. et III. et IV. recondidit : sicut etiam multi nostrorum viderunt. *Potest quidem ibidem loci altare extructum fuisse ab ipso Leone I. et hujus corpus a Sergio Papa anno* DCLXXXVIII. *creato, e secretario illuc illatum fuisse; quod ait Severanus citato Anastasio in Sergio. Verumtamen Anastasius aliud non habet, quam quod Sergius S. Leonis corpus, e secretario in basilicam portatum*, publico loco (ut sibi fuerat revelatum) reposuit et locum ipsum ornavit. *Verius existimo, a Leone IV. et altare illud excitatum aut certe instauratum, et corpus Leonis I. sub eo positum fuisse, scribente in Vita ejus pag.* 181. *Anastasio*, quod intra basilicam B. Petri Apostoli oraculum *sive oratorium*, miræ pulcritudinis summique decoris construxit, quod pulcris marmoribus circumdans, splendide compsit, absidamque ejus ex musivo, aureo superinducto colore, glorifice decoravit : in quo etiam venerabile corpus B. Leonis Confessoris atque Pontificis recondens sacrum desuper construxit altare; et cyborium cum cruce exaurata ad laudem et gloriam Christi nominis perfecit.

ubi etiam depositi SS. Leones 1. 2. *et* 3.

108 m *Transilimus Confessionem atque aram majorem S. Petri, de quibus alibi, ipsamque tribunam, sive absidem, cujus septemtrionale latus claudunt duo fere conjuncta altaria, teste Vegio, valde antiqua : ac propterea fortassis neglectu majorum obliterata dudum fuit memoria nominum, quibus olim appellata fuerunt.* D *Duo anonyma.*

109 n Sanctæ Crucis *magnificum Symmachi Papæ opus, de quo sic loquitur Anastasius :* Item *fecit* ad Fontem in basilica B. Petri Apostoli oratorium sanctæ Crucis ex argento, confessionem et crucem ex auro cum gemmis, ubi inclusit lignum dominicum. Ipsa crux aurea pensans libras decem. *Addit in Nicolao J. hunc ibi fecisse* gabbatam de argento unam, pensantem libras duas. *Agnoscit Manlius noster pag.* 44. *n.* 114. *eumdem Symmachum fundatorem hujus oratorii*, cujus absidam, *inquit*, columnis porphyreticis et optimo musivo decoravit, et decem libras ligni sanctæ Crucis in ea recondidit. *Non abest hic error, in pondere decem librarum sacri ligni. Nempe*, ipsa crux aurea, *cui lignum inclusit Symmachus*, pensabat libras decem, *uti scribit Anastasius; quod idem pondus soli ligno male adscribit Manlius; et sequaces habuit in errore suo quotquot deinde hoc de argumento scripserunt, ipsumque etiam Maphæum Vegium, cujus* E *tempore, uti ipse scribit pag.* 60. *n.* 35. *dirutum fuit oratorium Symmachi, et ipso Vegio præmonente quæsitum inventumque est sacrosanctum lignum. Sed post hanc inventionem non meminit amplius de pondere ejus aut magnitudine aut forma. Tantum dicit;* Extatque nunc ipsum sacratissimum lignum, servaturque a canonicis summa cum veneratione. *Si nunc etiam servatur, facile erit canonicis de pondere ejus certo cognoscere, ac dijudicare, uter de illo veriora olim scripserit, Anastasius an Manlius.*

Sanctæ Crucis oratorium,

utrum ibi pondo 10. *de ligno Crucis dominicæ.*

110 o S. Annæ, *ornatum a Mathia Paparonio basilicæ canonico. Conveniebant eo ad exercenda officia suæ pietatis Parafrenarii, ut vocantur vulgo, Eminentissimorum Dominorum Cardinalium. Imaginem Sanctæ, hinc extractam, secum transtulisse etiam nomen altaris ad ecclesiæ frontispicium inter portas Argenteam et Romanam, diximus Sect.* A. *litt.* u.

111 p *Pleræque ichnographiæ, Pauli de Angelis, Ciampini, Bonanii figunt hoc loco altare* B. Mariæ Virginis, *absque alio nomine, quo a pluribus aliis ejusdem Virginis distinguatur. Et Ciampinus quidem in explicatione sua pag.* 60. *n.* 33. *ait :* Huic, *S. Joannis Apostoli et Evangelistæ altari*, in pariete ad Occidentem, præcipue a feminis Deipara colebatur F super altare, ornatu decorum et opibus, quarum copiam, in omnes beneficentissima Virgo comparaverat. *Sed quo titulo colebatur hic Deipara a feminis præcipue? Tacet Ciampinus, qui altare* S. Mariæ de Prægnantibus *collocaverat in littera nostra* h *hujusce Sectionis. Unum habeo Severanum, qui hoc loco, numero suo* 30. *qui est litt. nostra* p, *collocat altare* B. Virginis, quod dicitur de Prægnantibus; *et recte, ut mihi quidem videtur, secundum Dissertationem, quam sub calcem hujusce Sectionis dabo.*

S. Mariæ Virginis,

an de Prægnantibus?

112 q S. Joannis Apostoli et Evangelistæ.

r S. Joannis Baptistæ, *vulgo* ad Fontes. *Utrumque indicat Anastasius his verbis in Symmacho :* Hic fecit oratoria duo S. Joannis Baptistæ et S. Joannis Evangelistæ, in quorum confessione arcus argenteos posuit, pensantes libras XXX. *Prope ab altari S. Joannis Baptistæ aberat fons baptismalis, de quo loquitur Damasus Papa, Carmine* 39. *et Prudentius libro* περί Στεφανῶν *Hymno* 12. *in medio. Eumdem fontem restauravit Leo III. uti narrat Anastasius verbis sequentibus :* Hic Pontifex, divinitus inspiratus, baptisterium conspiciens, quia jam præ nimia vetustate ruinæ proximum erat, et quia angustior locus populo existebat, qui ad baptismum veniebat; idem Præsul a fundamentis ipsum baptisterium in rotundum

S. Joannis Ap. et S. Joannis Bapt.

A rotundum ampla largitate construens, in meliorem erexit statum, atque sacrum fontem in medio largiori spatio fundavit, et in circuitu columnis porphyreticis decoravit; et in medio fontis columnam posuit, et super columnam agnum ex argento purissimo, fundentem aquam, qui pensat libras XVIII. et uncias X.

Trium Magorum. 113 s *Altare sanctorum trium Magorum ac oratorium fuit in angulo navis, qui respicit boream orientaliter; atque extitit, historia ipsorum Magorum inibi sculpta, ac* vetustate *sua,* memorabile, *uti dicunt Ciampinus et Bonannius. Interim nihil alterutri de illo innotuerit e scriptoribus paulo vetustioribus : certe nullum citant.*

Mortuorum. t *Altare* Mortuorum, *seu privilegiatum pro defunctis; quod, teste Ciampino, Gaius de Bartholinis locupletavit, et ibidem familiæ suæ sepulcrum elegit. Opinor ego, illud in demolitione posterioris basilicæ, translatum inde fuisse ad frontispicium ac lævam Argenteæ portæ, ubi de illo locuti sumus Sect. et litt.* A.

S. Luciæ V. M. u S. Luciæ Virg. Mart. a B. Gregorio Papa *nobiliter hic constructum et brachio ejusdem Sanctæ ditatum fuit, auctore Petro Manlio pag.* 44, *cujus verba attulimus Sect.* A, *litt.* i. B *Nullam de illo, quod sciam, facit mentionem Anastasius : ut dubitari possit, an inscriptio hæc,* Altare S. Luciæ Virginis a Gregorio primo, *quam in veteri aliquo vestigio basilicæ inventam a se dicit Paulus de Angelis, huc spectet. Certe Gregorii Papæ primi tempore posita inscriptio non fuerit; quando nesciebatur, an Gregorius alter aut plures umquam Pontifices futuri essent. Nec moris tunc erat Pontificem quemvis sui nominis* primum *appellare; nisi forte jam tum plures ejusdem nominis extitissent. Manlius simpliciter dicit, altare* a B. Gregorio Papa consecratum *fuisse; quod tamen ad Gregorium primum referri potest. Vide alia de situ hujus altaris post translationem ejus, Sect.* A. *litt.* i.

S. Antonii abbatis, 114 x S. Antonii Abbatis. *Extruxit illud nominis sui Patrono* Antoniottus, *ita diminutive dictus,* de Palavicinis, *apud Bonannium et alios. Fuit is S. R. Ecclesiæ Cardinalis, ibidemque, anno* MDVII. *mortuus, primam habuit sepulturam cum hac epigraphe* : Antoniottus Card. S. Praxedis, mortem præ oculis semper habens, vivens sibi pos. anno MDI. *Utinam similia agerent multi ac novissima præviderent?*

S. Bartholomæi ap. y S. Bartholomæi Apostoli *altare hic constituunt quotquot vidi scriptores, præter Bonannium, qui hic locat altare de Ossibus Apostolorum, de quo mox.* C *Confirmat situm ejus jam tum seculo* XII. *Petrus Manlius, pag.* 44. *n.* 113. *indicans, situm fuisse* post altare B. Pastoris. Post *inquit, id est post tergum ejus. Terga enim illorum obvertebantur sibi, interposito tantum muro ad latus septemtrionale arcus triumphalis. An hoc in altari depositum conservatumque tantisper fuerit corpus S. Bartholomæi? quod constat, anno* MDLVII. *dejecta per inundationem Tiberis ejus ecclesia in insula Lycaonia, in basilicam Vaticanam translatum et canonicis commissum, ibidem triennio quievisse, donec anno* MDLX. *die* XXVII. *Julii ad pristinam ecclesiam suam, pulchrius ædificatam, relatum fuit; uti docent litteræ publicæ ea de re datæ apud Turrigium in Cryptis pag.* 545.

SS. Petri et Pauli, sive de Ossibus Apostolorum, 115 z *Altare* SS. Petri et Pauli, *quod etiam* De Ossibus Apostolorum *dictum, quia ibi positus fuit lapis quadratus porphyreticus, super quo (uti fert antiqua traditio) divisa fuerunt a S. Silvestro sacra ossa Apostolorum Petri et Pauli, quando illa in utriusque nova basilica Constantiniana recondidit bipartita. Situm ejus designant, Petrus quidem Manlius pag,* 44. ante aditum, qui intra Confessionem B. Petri; *Cæremoniale vere Gregorii X.* in exitu *ejusdem* Confessionis, extra *illam ; ut diximus Sect.* A *litt.* r. *Verba Manlii, quem supra sub nomine Romani Canonici citavimus* D *Sect.* A, *hæc sunt :* Ante aditum, qui intrat *(Romanus habet,* qui vadit ad) Confessionem B. Petri, est altare Apostolorum Petri et Pauli. *Quibus superaddit idem Romanus ista* ; Ubi eorum ossa pretiosa, ut dicitur, ponderata fuere. *Citata Sect.* A *litt.* r *num.* 71, *meminimus duarum scripturarum, ex archivo basilicæ a Turrigio relatarum pag.* 234. *et seq. quibus Franciscus Cardinalis de Thebaldescis dicitur* ædificasse, *aut potius, ut intelligendum ibi docuimus,* restaurasse *hoc altare. Ipsas vero scripturas huc, tamquam ad locum magis proprium, rejecimus : et, quamvis totæ ad rem præsentem non spectent, lubet tamen totas, prout apud Turrigium leguntur, hic proferre; quia nonnulla in illis accurate et distincte narrantur, alibi non facile reperienda. Prima quidem ita habet :* Franciscus de Tebaldescis Romanus, regionis Parionis, Jacobi de Stephanescis Cardinalis S. Gregorii ex sorore nepos, ex Priore canonicorum S. Petri, S. R. Ecclesiæ Presbyter Cardinalis, de S. Petro nuncupatus, titulo S. Sabinæ, ab Urbano V. creatus, tenuit canonicatum annos XXXIV. scilicet ante assumptionem usque ad cardinalatum anno XXIV. et post assumptionem usque ad obitum annos X. etc. Sacellum, Ossibus Apostolorum Principum dedicatum prope aram maximam, pulcherrimo ornatu, pecunia abs se testamento legata ædificavit, in eoque lapidem porphyreticum, E super quem ossa sanctorum apostolorum Petri et Pauli a Silvestro Papa divisa fuerunt, magnificentius collocavit. *Indicant duæ voces ultimæ, lapidem, de quo agimus, antea illic extitisse, dum magnificentius a Cardinali collocatum esse dicunt et confirmant, quod Sect.* A *litt.* r *sustinuimus, non a Cardinali illo primitus ædificatum fuisse sacellum, sed restauratum.*

a Franc. de Thebaldescis innovatum. 116 *Nunc videsis alteram scripturam, extractam e libro membraneo, qui, inquit Turrigius,* vocatur Martyrologium aut liber Benefactorum, *ubi folio* 125. *sic annotatur :* In nomine Domini. Amen. Anno nativitatis Domini MCCCLXXVIII. die vero VI. mensis Septembris obiit bonæ mem. Reverendissimus Pater et Dominus, D. Franciscus de Tebaldescis, titulo S. Sabinæ presbyter Cardinalis, Prior et Concanonicus noster, qui nostram basilicam multum dilexit. Nam juxta majus altare construi et erigi fecit capellam suam in qua requiescit, quæ vocatur de Ossibus Apostolorum, in qua instituit et ordinavit tres presbyteros clericos chori; ultra numerum viginti clericorum, institutum per felicis recordationis Dominum Bonifacium Papam VIII. per quos voluit perpetuis temporibus omni die celebrari in dicto altari tres F Missas pro anima ipsius Cardinalis et Domini Theobaldi ejus fratris, concanonici nostri, notarii Domini Papæ, et suorum. *Bonannius, quem altare hoc SS. Petri et Pauli, sive de Ossibus Apostolorum, collocare diximus, ad litt.* y, *huc transfert altare S. Bartholomæi; mutato inter se utriusque situ ; non recte, licet Alpharanum alleget testem : uti ex citatis antiquorum scriptorum dictis constat, designantium altaris de Ossibus situm, majori altari et Confessioni proximum.*

DISSERTATIO INTERCALARIS

De situ sacelli et altaris S. Mariæ de Prægnantibus appellati.

Opinio Ciampini de situ hujus altaris, Huic *Dissertationi occasionem præbet Illustrissimus D. Joannes Ciampinus, dum in* Synopsi historica, *ut vocat,* de sacris ædificiis, a Constantino Magno constructis, *explicans ichnographiam suam basilicæ veteris Vaticanæ, notat tria loca, ubi steterit sacellum et altare* B. Mariæ de Prægnantibus. *Numero namque suo* 18. *(nobis Sect.* C *litt.* h*) ponit sacellum Dei Geni-*

A *Genitricis*, cui peculiaria beneficia, prægnantibus feminis præstita, S. Mariæ de Prægnantibus, nomen fecere : quod etiam denominatum fuit S. Mariæ Angelorum.... Erexit illud a fundamentis, et ornatu clarissimo nobilitavit Joannes Cajetanus Ursinus S. R. E. Diaconus Cardinalis S. Theodori. Deinde Jordanus, etiam Ursinus, episcopus Sabinensis, S. R. E. Cardinalis ac Vaticanæ hujus basilicæ archipresbyter, prodiga munificentia restituit dotavitque in majus. Idem altare in demolitione facta a Julio II. translatum fuit, ac positum in novo muro, ad navium capita erecto. *Huc usque Ciampinus ibi. At num.* 43. *(nobis Sect.* A *litt.* f*) qui signat novum murum ad navium capita erectum, ita scribit :* Ab adversa parte novi parietis in mediana navi, in meridiem, organo opponebatur altare Virginis Mariæ de Prægnantibus, ut supra sub num. 18. quod cum icone Dei Genitricis e sacello S. Joannis ad Fontes huc translatum fuit.

C. J.

quod duobus locis simul non steterit.

118 *Habemus hic triplicem situm ejusdem altaris, primum in cornu meridionali navis transversæ Sect.* C *litt.* h. *ubi sacellum B. Mariæ Prægnantium dicitur etiam vocatum fuisse* S. Mariæ Angelorum. *Alterum in sacello S. Joannis ad Fontes, quod est in cornu* B *septemtrionali ejusdem navis transversæ, nobis litt.* r. *Tertium in pariete transversario, quem Paulus III. excitavit Sect.* A *litt.* f. *Admitti quidem posset triplex iste situs ejusdem altaris, si posset ostendi, successive locis singulis illud stetisse. Verum Ciampinus dicit, translatum fuisse ad parietem novum Pauli III. e meridionali cornu transversæ navis; atque iterum dicit, eo idem translatum fuisse e sacello S. Joannis ad Fontes, quod est in cornu septemtrionali, oppositum e diametro sacello meridionali : tantumque inter se distant, quanta est navis ipsius longitudo; ac faciunt cum altari, quod adjacet parieti novo medianæ navis, fere triangulum. Inter hæc dubia de situ altaris prædicti, illud indubitatum est, fieri non potuisse, ut idem altare duobus simul locis steterit, aut e duobus simul fuerit translatum ad murum transversarium in litt.* f, *ex opposito organi. Utro igitur loco ante steterit, quam transferretur, examinandum est. Mea interim opinio (ut hoc claritatis causa præmittam) altare in loco* h, *fundatum quidem fuisse a Joanne Cajetano de Ursinis S. Theodori, sed dedicatum* S. Mariæ in cœlos Assumptæ, *atque etiam* Angelorum *fuisse dictum. Altare vero in loco* p; *antiquius fundatum a gente Ursina, seculo* XIV. C *a prædicto Joanne Cajetano, et seculo* XV. *a Jordano de Ursinis, amplius fuisse dotatum et forte etiam innovatum, sed nomen habuisse* S. Mariæ de Prægnantibus. *Utrumque potest in imaginibus suis postea ad murum transversarium fuisse translatum, et ibi hac de causa habuisse plura nomina,* S. Mariæ de Prægnantibus, S. Mariæ in cœlos Assumptæ *seu* Assumptionis. *Item* Angelorum, *ab angelis tabulæ appictis, qui Virginem elevabant, uti mysterium illud pingi consuevit.*

S. Mariæ prægnantium, antiquum familiæ Ursinæ,

119 *Constat, altare S. Mariæ Prægnantium ab Ursinis olim excitatum ornatumque fuisse : quemadmodum clare cognoscitur ex prima duarum, quæ sequuntur Inscriptionum, appositarum certis quibusdam pietatis antiquæ monumentis, quæ Paulus V. in demolitione partis basilicæ anterioris conservata volens, inferri in Cryptas jussit. Inscriptiones inde profert Turrigius; et primam quidem pag.* 91. *his verbis :* Hæc sacra Deiparæ Virginis imago erat in antiquissimo sacello, S. Mariæ Prægnantium nuncupato, dudum ab illustrissima gente Ursinorum sumptuose erecto, et aliquot post secula a Jordano Ursino Cardinali Sabinensi, majore Pœnitentiario, hujus basilicæ archipresbytero anno MCCCCXXXIV. magnifice dotato, e veteris templi ruinis servata, supra hanc aram (*in ipsis cryptis illa extat*) piæ venerationi exponitur anno Domini MDCXVI. Paulo V. Pontifice Maximo. *Alteram vero sic proponit pag.* 60. Christi Salvatoris D imago marmorea, extans olim ad altare beatæ Virginis in cœlum Assumptæ, erectum a Cardinali Joanne Cajetano Ursino, Bonifacii VIII. nepote. *Idem altare Turrigius ibidem dicit* S. Mariæ Angelorum *vocitatum fuisse in antiqua basilica. Opinor, quia tabula illic picta repræsentabat multitudinem Angelorum, succollantium et sublevantium Deiparam in cœlum : unde vulgo Angelorum altare dictum sit, quod revera erat Assumptionis B. Mariæ in cœlum.*

minus antiquum est altare B. Mariæ in cœlos Assumptæ,

120 *Habemus hinc, quod dixi, excitatum olim fuisse, ab Ursinorum gente sacellum S. Mariæ Prægnantium, et quidem* antiquissimum *: idque deinde,* post aliquot secula, *a Jordano Ursino anno* MCCCCXXXIV. *fuisse dotatum. Habemus item, excitatum fuisse, a Joanne Cajetano Ursino, Bonifacii VIII. nepote, altare B. Mariæ Virginis in cœlum Assumptæ. Quæ utique sacellum et altare diversa sunt, et locis diversis posita fuerunt, ut colligi potest ex appellationibus, et fundatoribus, et fundationis temporibus diversis. Primum quippe initio seculi* XV. *a Jordano Ursino opulentius dotatum,* aliquot ante secula *excitatum fuerat : secundum vero vix* uno ante seculo *initium habuit a Joanne Cajetano Ursino. Opinor ego, ambo stetisse olim in navi trans-* E *versa, alterum ad murum ejus meridionalem, nobis litt. h : alterum in alia septemtrionali ad murum qui respicit occidentem, prope sacellum* S. Joannis *in Fonte, nobis litt.* p *: et priori quidem loco stetisse altare B. Mariæ in cœlos Assumptæ; posteriori vero, B. Mariæ Prægnantium.*

quod fundavit sec. 14 Joannes Cajetanus Ursinus.

Altare Prægnantium stetisse Sect. C litt. p ostenditur ratione,

121 *Opinationem meam, quatenus respicit altare Prægnantium, prius firmo hocce ratiocinio. Fuit altare istud, uti modo legimus, antiquissimum; atque, uti videre licet in tabula ichnographica, litt.* p, *stetit loco perquam apto ac libero : alterum vero est minus antiquum, et in loco minus apto, et quasi intrusum in angulum, quem format aliud sacellum cum muro ipsius basilicæ. Sic igitur statuo. Antiquissimis temporibus minus frequentia fuere altaria; atque ideo novum exædificare volentes habuisse majorem copiam deligendi locum aptum; quam habuerint posterioribus seculis, quando identidem altaria nova, veteribus addita, basilicam paulatim sic implevere, ut tandem locum amplius non esset invenire altari novo, quam in angulis sacellorum prius extructorum. Jam vero sacellum, litt.* p. *indicatum, commodo loco et ordine, soli parieti uni applicatum, cetera circumcirca liberum, conspicitur : non item sacellum* h; *quod intrusum est, ut diximus, in angulum, extra ordinem, inter sacellum S. Mariæ de* F *Cancellis et portam, quæ ducit ad S. Andreæ : atque adeo illud prius extructum fuerit, quam hoc, et jure antiquitatis suæ sibi vindicabit appellationem S. Mariæ Prægnantium.*

et auctoritate, etiam Ciampini, recte explicati;

122 *Auctoritas quoque scriptorum pro eadem militat opinione. Severanus enim, qui primus, ut puto, ichnographiam basilicæ veteris cum suis altaribus, ex delineatione Alpharani, in publicam lucem extulit anno* MDCXXX. *eodem loco* p *statuit altare B. Mariæ Prægnantium : et post illum Paulus de Angelis, qui Descriptioni basilicæ veteris, a se anno* MDCXLV. *editæ, inseruit eamdem fere ichnographiam paucis mutatis, ponit ibidem loci* altare B. Mariæ virginis. *Non addit quidem* Prægnantium; *subintelligi tamen hic id potest ac debet, quia nec loco* h, *uti mox videbimus, nec ullo alio illud Prægnantium habet. Sequitur Paulum totidem verbis in sua ichnographia Oldoinus, anno* MDCLXXVII. *et Carolus Fontana, annis* XVII. *post, impressi. Ciampinus (qui primus, quod sciam, loco* h *constituit sacellum* B. Mariæ de Prægnantibus, *a fundamentis erectum, ut ait,* a Joanne Cajetano Ursino S. R. E. Diacono Cardinali S. Theodori) *altare* p *sic describit, ut merito suspiceris, ipsummet Prægnantium esse : quandoquidem fateatur, et B. Mariæ sacratum,*

A *cratum, et a feminis præcipue frequentatum, et pluribus donis locupletatum fuisse. Verba ejus hæc sunt :* In pariete ad occidentem, proxime altari S. Joannis Evangelistæ, præcipue a feminis Deipara colebatur super altare, ornatu decorum et opibus; quarum copiam, in omnes beneficentissima Virgo, comparaverat. *Quæ verba Ciampini talia sunt, ut accommodatius explicari possint de altari B. Mariæ Prægnantium, quam citata verba Pauli de Angelis : et vero debebunt de illo explicari, dummodo ostendatur, ipsum loco* h *non stetisse. Id autem sic ostendo.*

qui tamen expressius, (at perperam) illud ponit litt. h

123 *Primus omnium, ut dixi, ponit Ciampinus altare B. Mariæ Prægnantium loco* h, *nullum citans testem. Sequacem hic tamen habet Bonannium, qui et citat Severanum de septem Ecclesiis. Verum citatus Severanus contra Ciampinum et Bonannium facit, tam in libro de septem Ecclesiis, quam in ichnographia, libro præfixa. Nam in ichnographia quidem, non litt. nostra* h, *sed* p, *collocat* altare B. Virginis, dictum de Prægnantibus. *In libro vero ipso, pag.* 79. *tam clare ac distincte, quam quis possit, locum ejus describit. Posteaquam enim locutus fuerat de oratorio S. Joannis Baptistæ in Fonte, nobis litt.* r; *in extrema parte navis transversæ ad septemtrionem, procedit ad* B *altare S. Joannis Evangelistæ, quod applicatur occidentaliter eidem parieti septemtrionali litt.* q : *atque inde deflectens ad parietem occidentalem, primo statim loco assignat altare S. Mariæ, dictum* de Prægnantibus, *et quidem ex cap.* 4. *Alpharani, quod citat, scribens in hunc sensum italice :* Ad alterum murum ejusdem transversæ navis, qui respicit occidentem, occurrebat post altare S. Joannis Evangelistæ *(erat illud, ut diximus, appositum muro septemtrionali, ultimo versus occidentem loco)* altare aliud sanctissimæ Dei Genitricis, frequentabaturque multa cum pietate, præsertim a feminis uterum ferentibus : ac propterea appellabatur de Prægnantibus. *Nihil igitur præsidii affert citatus a prædictis scriptoribus Severanus, pro adstruendo altari Prægnantium litt.* h, *cum ei toto templo diversum assignet locum.*

ubi poni debet altare B. Mariæ ad cœlos Assumptæ :

124 *Præterea altare* h *fundatum dicit Ciampinus æque ac Bonannius, a Joanne Cajetano Ursino Cardinali, qui vixit seculo* XIV. *altare autem beatæ Mariæ prægnantium longe antiquius fuit, uti supra vidimus in allatis Inscriptionibus ; et alios, licet ejusdem familiæ Ursinæ, fundatores habuit ; ut nullo modo illic possit positum fuisse. Fundavit quidem citatus Joannes Cajetanus, altare B. Mariæ, sed constat ex iisdem In-* C *scriptionibus, illud fuisse B. Mariæ in cœlos Assumptæ. Ex his ego ita discurro. Ciampinus loco* h *constituit altare, fundatum a Joanne Cajetano Ursino, et vocat, B. Mariæ Prægnantium; quale nec fundatum ab Ursino illo fuit, nec illo stetit loco. Constat autem aliunde, Ursinum eumdem fundasse alicubi altare sub invocatione B. Mariæ in cœlos Assumptæ, quod ubi locorum fuerit, non satis certum est. At vero cum Ciampinus asserat, stetisse loco* h *altare aliquod, a prædicto Ursino fundatum ; illud utique fuerit B. Mariæ in cœlos Assumptæ ; tum quia nescitur Joannes Cajetanus Ursinus aliud altare fundasse ; tum quia scriptores alii, Paulus de Angelis, Oldoinus, et Fontana, altare loco* h *positum appellant etiam ipsi :* S. Mariæ, *et* a Joanne Cajetano de Ursinis Cardinali *fundatum dicunt. Appellant, inquam, altare illud* S. Mariæ ; *cumque addunt, a Joanne Cajetano fundatum esse, aliud concipi hic non potest altare, quam B. Mariæ in cœlos Assumptæ, quod unicum scitur ab illo Joanne Cajetano fundatum fuisse.*

et magis perperam ipsum ponit

125 *Redeo ad Ciampinum ejusque primum contextum, initio hujus Dissertationis propositum; in quo, quia diversi fundatores ejusdem Familiæ Ursinæ, qui duo diversa altaria B. Mariæ, alterum in cœlos Assumptæ, alterum Prægnantium, excitarunt, referun-*

tur ad unum tantum B. Mariæ Prægnantium altare, D *non levis suboritur difficultas, quam hactenus explicare, conati sumus. Illa tamen non parum adaugetur e contextu ejusdem Ciampini secundo ; ubi prædictum altare Prægnantium translatum scribit, non e num.* 18. *nobis Sect.* C *litt.* h, *quod in contextu primo scripserat ; neque e litt.* p. *ejusdem Sectionis, unde revera translatum fuisse docuimus ; sed* e sacello S. Joannis ad Fontes : *quod dum scribit, iterum lectorem in bivium ducit. Duobus quippe in locis, quæ a præmissis duobus* h *et* p. *diversa sunt, meminit sacelli S. Joannis ad Fontes, videlicet numero suo* 28. *et* 30. *nobis litt.* t *et* r, *in ala septemtrionali navis transversæ : nec tamen docet, utro ex loco transportatum altare Prægnantium sit. Sed nec facile ei fuisset hic vera docere : quandoquidem in præmissis jam ostendimus, alio ab hisce duobus loco altare illud stetisse : et Ciampinus ipse, ubi de locis illis* t *et* r *ex professo tractat, neutri adscribit istiusmodi altare Prægnantium. Dicit enim num. suo* 28. *nobis litt.* t, *quod ibi* visebatur olim oratorium S. Joannis ad Fontes cum baptisterio, quod hujus transversæ crucis angulo dederat nomen ; *ubi alii præter altare* Mortuorum, *nullum agnoscunt. Numero autem* 30. *nobis litt.* r, *ait, quod ibi valde pulcra mo-* E *les attollebatur cum vetustissimo altari. S. Joannis ad Fontes, vulgo appellato ; *excitato a* Symmacho *Papa, et restituto a* duobus Cardinalibus Ursinis : *quod omnes ibi admittunt scriptores, nullo admittente ibidem altare Prægnantium. Error Ciampini promanasse potest ex eo, quod memoria retinens, ut alibi scripserat, duos familiæ Ursinæ Cardinales extruxisse restituisseque altare B. Mariæ Prægnantium ; et hic reperiens duos ejusdem familiæ Cardinales, qui hocce loco altare aliquod restituerunt, existimaverit, minus ad rem attentus, ab his altare Prægnantium hocce loco restitutum fuisse.*

C. J.

in sacello S. Joannis ad Fontes.

Quæ possit errandi causa fuisse.

126 *Potest etiam ipsi causam errandi dedisse alia scriptura, quam apud Turrigium legerit pag.* 161. *extractam e MS. membraneo archivi basilicæ, in qua dicitur Joannes Cajetanus de Ursinis requiescere* apud suam capellam S. Mariæ Prægnantium. *Sciens enim aliunde Ciampinus, Joannem illum Cajetanum excitasse sacellum* h ; *et apud Turrigium legens, capellam S. Mariæ Prægnantium suam ejusdem esse ; in eaque ipsum sepulturam habuisse ; nihil pronius illi fuerit, quam existimare, capellam Prægnantium constitisse loco* h. *Quod abesse a vero, satis superque dictum est. Dicatur itaque capella Prægnantium esse etiam sua* F *Joannis Cajetani de Ursinis, quia antiquissima erat familiæ ejus Ursinorum, et ipse eamdem centum ante Jordanum Ursinum annis etiam ornasse dotasseque legitur ; ac propterea voluerit illic apud alios majorum suorum condi. Non tamen dici propterea potest, sacellum hoc B. Mariæ Prægnantium stetisse loco* h, *aut idem esse cum illo, quod ibi excitasse Joannem Cajetanum memoravimus, Scriptura de qua agimus, sic legitur apud Turrigium pag. citata* 161. Tertia Kal. Septem. anno Domini MCCCXXXIV. Indictione III. mense Augusto obiit reverendissimus pater Joannes Gayetanus de domo Ursinorum, S. Theodori Diaconus Cardinalis, concanonicus noster cujus corpus requiescit apud suam cappellam S. Mariæ Prægnantium, sitam in nostra basilica ; qui in vita sua donavit nostræ basilicæ pro redemptione animarum patris, matris, fratrum, nepotis et sua, terras vinearum Suvereti et totum tenimentum ipsius ; de quibus per Cameram quolibet die octo Missæ dicantur, scilicet quatuor in altari S. Blasii et quatuor in altari S. Mariæ Prægnantium.

Conditor altaris h *sepultus in* p.

uti plures familiæ Ursinæ,

127 *De hoc altari legitur ibidem scriptura alia, ex eodem archivo deprompta, quæ indicat, plures ibi Cardinales Ursinorum sepultos fuisse ; ut videri possit commune illic familia conditorium habuisse. Verba scrip-*

A *scripturæ sunt :* Altare cum sacello nobilissimo sub Julio II. dejectum, a familia Ursinorum optime dotatum, in quo sepulti erant Cardinales de Ursinis Jordanus et alii ; et erat magnæ venerationis propter mulieres prægnantes. *Operæ pretium fuerit his etiam subnectere, quæ pagina antecedenti habet idem Turrigius cum recentiore alia inscriptione in hunc sensum : Cernitur in Cryptis altare, in eoque imago antiqua, perquam devota, S. Mariæ Prægnantium, quæ pridem colebatur in nobili ara antiquæ basilicæ,* ornata ac dotata a Cardinalibus Joanne*(nota* Joannem *quoque dotasse aram istam)* et Jordano Ursinis : quæ imago semper fuit magna in veneratione matronis uterum ferentibus, et tempore Pauli III. transportata fuit e primævo situ suo ad aliud altare prope altare Crucifixi, appellabaturque S. Mariæ Angelorum. *Deinde sub Paulo V. fuit deposita in Cryptis, ubi in marmore legitur inscriptio,* quæ cum deperdita esset, a me *(Turrigio)* reperta et me urgente muro infixa fuit die x. Februarii MDCXXXI. *estque hæc :* Imago Deiparæ Prægnantium, e ruinis sacelli Jordani Card. Ursini hujus basilicæ Archipresbyteri, olim servata, piæ venerationi in hoc altari exposita anno MDCXII. *Jordani Ursini sacellum hoc, certo fuit* B *loco* p, *ex cujus ruinis* imago Deiparæ Prægnantium, *quæ ibi* olim servabatur, *alio translata fuit. Ergo ibi erat olim altare Deiparæ Prægnantium, ubi imago erat. Interea ex duabus præmissis inscriptionibus duo iterum nascuntur dubia. Alterum, quo jure Turrigius imaginem B. Mariæ Prægnantium hic vocet B. Mariæ Angelorum; cum pag. sua 60. scripserit, quod altare B. Mariæ in cœlum Assumptæ, de quo ibi agitur, etiam B. Mariæ Angelorum habuerit nomen. Opinari mihi liceat, e sacello S. Mariæ Prægnantium litt.* p. *imaginem unam, et e sacello S. Mariæ in cœlos Assumptæ litt.* h *(quod et S. Mariæ Angelorum) alterum allatas fuisse ad idem altare, muro transversario appositum : atque hinc eidem altari trina illa adhæsisse nomina. Certe id innuit Turrigius, dum altare S. Mariæ Angelorum cum utroque altero unum facit. Porro, quia tunc tria illa nomina uni conveniebant altari, factum videtur, ut qui postea scripserunt, putaverint, etiam ante translationem unum tantummodo fuisse ; aut certe confundunt duo altaria inter se.*

C. J.

ibique vere fuit altare Prægnantium.

Dubia circa inscriptiones a Turrigio productas,

128 *Alterum dubium est, quo consilio Turrigius duas Inscriptiones, fere similes, de imagine eadem S. Mariæ Prægnantium producat e Cryptis, alteram pag.* 91. *alteram pag.* 160. *Nos primam inde descriptam* C *retulimus hac ipsa Dissertatione num.* 119. *secundam num.* 127. *Hæc brevior est et tota continetur in prima, nisi quod in marmore incisa notetur* anno MDCXII. *cum illa quadriennio post, anno videlicet* MDCXVI. *sit posita, indicans ibi etiam majorem antiquitatem dicti altaris, quam fuit ætas Jordani Ursini, quæ in breviori desiderabantur. De hac breviori gloriatur Turrigius pag.* 160. *illam a se post annos fere viginti repertam et muro affigi curatam anno* MDCXXXI. *Verum quid opus erat hac inscriptione, aut cur parieti affixa tandem fuit anno* MDCXXXI. *cum totidem verbis jam legebatur in alia ampliore, quam ipse Turrigius pag.* 90 *fatetur, anno* MDCXVI. *positam fuisse, et quidem prope novum altare, quod eodem anno in Cryptis excitatum, eique imago S. Mariæ Prægnantium imposita fuit ? Opinari liceat mihi Inscriptionem illam breviorem, anno* MDCXII. *sculptam, tunc aut minus aptam fuisse visam, ideoque sepositam ; aut cum sola imagine alicubi collocatam fuisse usque ad annum* MDCXVI. *quando novo altari perfecto, ei cum imagine S. Mariæ Prægnantium novam quoque et ampliorem apposuerint inscriptionem ; rejecta in angulum aliquem aut inter rudera inscriptione breviore : quam post annos multos forte reperit Turrigius, et tamquam antiquitatis dignum servari monumentum, parieti, nescio ubi, infigendam curaverit, immemor inscriptionis alterius longioris pridem positæ loco suo. Certe præ oculis habuerit breviorem Inscriptionem ille, qui prolixiorem posuit, cum in hac apices fere omnes, qui in illa legebantur et leguntur, expresserit, præter annum, quem necessario mutare debuit, exprimendo illum, quo altari novo imposita imago fuit.* D

129 *Pergit loco citato, id est pag.* 91. *Turrigius, ac primo describit ipsam imaginem S. Mariæ Prægnantium, inquiens, piam Matrem ibi tenere filiolum suum pedibus insistentem. Deinde ait, antiquitus illam stetisse in altari,* quod fecit Joannes Ursinus Cardinalis, nepos Bonifacii VIII. episcopus Sabinensis et Archipresbyter hujus basilicæ Vaticanæ, anno MCCCXXXIV. et liberaliter dotavit. *Sed in his aberrat Turrigius ab Inscriptione, quam ex ipso produximus supra num.* 119. *confunditque Joannem Ursinum, Bonifacii VIII. nepotem, Diaconum Cardinalem S. Theodori, et Jordanum Ursinum Cardinalem, episcopum Sabinensem. Ille seculo integro vixit ante hunc. Ille fundavit sacellum B. Mariæ in cœlos Assumptæ, quod et Angelorum, litt. nostra* h*; idemque etiam dotavit magis, sacellum, a gente Ursina olim fundatum, B. Mariæ Prægnantium litt.* p; *hic vero, seu Jordanus Ursinus Cardinalis episcopus, idem sacellum Prægnantium seculo uno post, iterum dotavit anno* MCCCCXXXIV. E *Neuter illorum fundavit sacellum S. Mariæ de Prægnantibus litt.* p; *quod jam olim fundaverat familia Ursina : ipsi vero ambo suis temporibus fundationem seu dotem auxerunt. Concludam igitur, altare, quod ad murum transversarium sub Paulo Papa III. translatum fuit, et nobis Sect.* A *litt.* f *locum obtinuit, eo allatum, saltem in imaginibus suis, e Sect. nostra* C *litt.* h, *quod a Joanne Cajetano fundatum fuit; et S. Mariam in cœlos Assumptam, atque etiam Angelos, ipsam sursum elevantes, repræsentabat; inde utroque nomine* Assumptionis *et* Angelorum *fuisse denominatum : ab altero autem (B. Mariæ de Prægnantibus, quod gens Ursina olim fundaverat Sect. nostra* C *litt.* p, *et prædictus Joannes Cajetanus amplius dotaverat) altari, ad murum transversarium translato, etiam denominationem obtinuisse* B. Mariæ de Prægnantibus.

aberratio ejusdem

Conclusio.

DISSERTATIO INTERCALARIS ALTERA

De epitaphiis Adriani Papæ primi, et an ipsum, quod Caroli Magni nomine circumfertur ab ipso Carolo vere compositum fuerit. F

Derivatur hæc *Dissertatio ex oratorio S. Adriani, de quo hac ipsa Sect. C. litt.* k *occasione monumenti sepulcralis, insculptique in illo Epitaphii S. Adriani Papæ I. quod ei magnum imperatorem Carolum, nondum tamen tunc imperatorem, tamquam amantissimo sui Pontifici, atque ab ipso vicissim plurimum dilecto, composuisse creditum fuit hactenus ab eruditis æque ac a vulgo. Epitaphii partem, sed tantum priorem, legere est apud Manlium supra pag.* 36 *totum descripsit Vegius pag.* 73. *ex marmore Numidico, quod suo tempore adhuc supererat in oratorio S. Adriani, sic præfatus :* Oratorium illud nunc prorsus evanuit, cujus nec apparet aliud, nisi tantum affixum lateri basilicæ insigne quoddam marmor quadratum cum insculptis ei versibus, qui ostendunt, ipsum ibi curante Carolo Magno sepultum esse. Quem et adeo ille dilexit veneratusque est, ut mortem ejus magnis cum lacrymis prosecutus fuerit; cum neminem tamen filiorum suorum umquam mortuum (quod præclarum de ipso traditum est) fleverit. *De eodem marmore scribit Severanus, sua ipsum ætate conservatum fuisse in porticu basilicæ S. Petri, atque ut Baronius habet,* hodie extat pro

Epitaphium Adriano Papæ primo

a Carolo Magno positum in basilica Vaticana

A pro foribus ejusdem basilicæ, his versibus scriptum;
Hic Pater Ecclesiæ etc.

a Maphæo Vegio descriptum.

131 *Idem versus leguntur quoque inter poemata Alcuini, cum reliquis ejus operibus edita Parisiis anno* MDCXVII. *ab Andrea Quercetano; sed bipartiti, sic ut prima tredecim disticha ibi faciant capitulum* CCXVII. *reliqua vero sex, capitulum sequens.* Sed audire jam præstat versus ipsos (*loquor verbis Vegii citati*) quos marmori insculptos, Adriano Pontifici Carolus Magnus dedicavit : quos et propter Pontificis ac Imperatoris magis, quam carminis majestate hic addidimus. *Sed et propter antiquitatem quoque et probitatem ipsius monumenti, nos hic eosdem addamus, ut certius de auctore ejus cognosci possit.*

Hic Pater Ecclesiæ, Romæ decus, inclitus auctor,
Hadrianus requiem Papa beatus habet.
Vir, cui vita, Deus; pietas, lex; gloria Christus;
Pastor apostolicus promptus ad omne bonum.
Nobilis ex magna genitus jam gente parentum;
Sed sacris longe nobilior meritis.
Exornare studens devoto pectore Pastor,
Semper ubique suo templa sacrata Deo.
Ecclesias donis, populos et dogmate sancto
Imbuit, et cunctis pandit ad astra viam.
B Pauperibus largus, nulli pietate secundus,
Et pro plebe sacris pervigil in precibus.
Doctrinis, opibus, muris, erexerat arces,
Urbs, caput orbis, honos, inclita Roma, tuas.
Mors cui nil nocuit, Christi quæ morte perempta [est :
Janua sed vitæ mox melioris erat.
Post Patrem Carolus lacrymans hæc carmina scripsi;
Tu mihi dulcis amor, te modo plango, Pater.
Tu memor esto mei, sequitur te mens mea semper;
Cum Christo teneas regna beata poli.
Te clerus, populus, magno dilexit amore,
Omnibus unus amor, maxime Præsul, eras.
Nomina jungo simul titulis, carissime, nostra;
Adrianus, Carolus : Rex ego, tuque Pater.
Quisque legas versus, devoto pectore supplex,
Amborum mitis, dic, miserere Deus.
Hæc tua, nunc teneat requies gratissima, membra;
Cum Sanctis anima gaudeat alma Dei.
Ultima quippe tuas donec tuba clamet in aures;
Principe cum Petro surge, videre Deum.
Auditurus eris vocem scio Judicis almam;
Intra nunc Domini gaudia magna tui.
C Tunc memor esto tui nati, Pater optime, posco :
Cum Patre, dic, natus, pergat et iste meus.
O pete regna, Pater felix, cœlestia Christi;
Inde tuum precibus auxiliare gregem.
Dum sol ignicomo rutilus splendescit ab axe,
Laus tua, sancte Pater, semper in orbe manet.

An Carolus vere auctor epitaphii

132 *Subscribitur insculptum in eodem marmore,* Sedit beatæ mem. Hadrianus Papa annos XXIII. M. X. D. XVII. Obiit VII. Kal. Jan. *Hæc ex marmore ipso, ita a se descripta sub medium seculi* XV. *protulit Maphæus Vegius : qui quidem non clare dicit, Carolum epitaphii auctorem esse, sed* ipsum dedicasse *Adriano. Clarius auctorem indicans Onuphrius Panvinius, ad suum Platinam notans, epitaphium a* Carolo editum *fuisse : et Baronius, de Carolo loquens, quod* regio ipsemet epitaphio *Adriani sepulcrum* decoravit : *Pagius vocat Carolum* epitaphii conditorem : *Ciampinus ait, a Carolo* amplæ tabulæ incisum ; *et in Indice libri sui,* a Carolo Magno compositum *fuisse. Eadem vox* compositum, *Lambecio et aliis passim communis est; nec temere assumpta videri potest, tum quia ipse Carolus in epitaphio loquitur in prima persona, tum quia se auctorem ipse prodit, clarissimis verbis dicens.* Carolus lacrymans hæc carmina scripsi. *Fateor hæc talia esse, ut suadere possint, Carolum Magnum revera et auctorem et conditorem et compositorem epitaphii per se fuisse. Interea antequam ego plenius* D *declarem me aliter sentire super auctore hujus epitaphii, debeo aliud, quod Theodulfus, episcopus Aurelianensis, Carolo item coævus et carus, eidem Adriano condidit, huc etiam afferre, tum ad conservandam majori in splendore memoriam Adriani, tum etiam ad magis inde probandam opinionem meam, quam dixi. Extat ipsum, a Sirmondo nostro inter alia Theodulfi opera tom.* 3. *pag.* 189. *editum, ut sequitur.*

C. J.

Epitaphium aliud Adriani,

133 Aurea funereum complectit littera carmen,
Verba tonant fulvus, et lacrymosa, color :
Promere quæ Carolum compellit amorque dolorque
Me tuus, Adriani Præsul amate nimis.
Pontificum specimen, lux plebis, norma salutis,
Vir pie, vir sapiens, vir venerande satis :
Mente nitens, formaque decens, sensuque renidens,
Inclito amore vigens, speque fideque cluens.
Tu decus Ecclesiæ, fax splendens Urbis et orbis :
Carior, egregie, tu mihi luce, Pater;
Quem cum dira dies, non exhibitura sequentem,
Eripuit vivis, res patuitque mihi ;
Protinus agnovi veteris vestigia luctus,
Morsque parentum oculis est revocata meis.
Tædia Pippini sensi venientia morte; E
Bertradamque dolor (pro dolor!) iste refert.
Cumque tui aspectus, sanctissime Papa, recordor;
Corque oculosque meos nil nisi luctus habet.
Munera grata tibi incolumi mittenda parabam;
Tristia nunc mœsto pectore dona paro,
Marmora pro tunicis; proque auro flebile carmen,
Quæ gerat urna capax jam tua parva domus :
Quam quis ab occasu properans, vel quisquis ab [ortu
Conspicis; hic munus, quod venereris, habes.

compositum a Theodulfo ep. Aurelianensi.

Setus uterque, senex, juvenis, puer, advena, civis,
Quisquis es, Adriano, dic, sit amœna quies.
Præsulis istius semper tu, Roma, memento,
Qui tibi tutor opum, murus et arma fuit.
Tu quoque successor residens in sede sacrata,
Sis memor, oro, hujus, sit Deus ipse tui.
Huic prece, grata quies detur Paulique Petrique,
Hunc quoque cœlicolum cuncta caterva juvet.
Huic lucem concede piam, concede quietam
Rex Deus; atque operis tu miserere tui,
En est, quod fuerat pulvis de pulvere sumptus
Sed putres cineres tu reparare vales.
Credo quod hic pulvis transacta morte resurget,
Nec jam post tumulum sic moriturus erit. F
Hos apices quicumque legis; te nosce futurum
Hoc, quod hic est; omnis hoc caro pergit iter.
Inde tuam mentem venturis casibus aptans,
Oratu et precibus sis memor hujus; ave.

Epithaphium primum composuit, non Carolus rex, sed Alcuinus Abbas;

134 *Dicam nunc ego quod sentio, primum epitaphium Adriani, Carolo Magno communiter attributum, Carolum ipsum auctorem non habuisse, tametsi in illo dicat* Carolus hæc carmina scripsi. *Si namque inde talis sequela debeat deduci, æque debet Carolus censeri auctor epitaphii secundi, quod nemo hactenus putavit. Eodem quippe modo loquitur Carolus utrobique in prima persona, et in priori quidem epitaphio,* Carolus lacrymans hæc carmina scripsi : *in posteriori vero;* me Carolum promere *hæc verba* compellit amor dolorque tuus, Adriane. *Nulla igitur sequela est, quod qui in poemate aliquo loquitur suo nomine et in prima persona, idem quoque auctor poematis sit. Solent ita frequenter sua fingere poetæ alieno nomine, atque etiam oratores in prosopopœiis. Ex hoc igitur capite, quod videbatur præcipuum esse, concludi non potest, Carolum primi epitaphii auctorem esse, quod vulgo volunt; quin etiam sit secundi, quod non volunt. Quis igitur auctor? Secundi jam dixi Theodulfum episcopum Aurelianensem. Primi agnosco Flaccum Albinum Alcuinum. Uterque in æstimatione ac familiaritate erant Carolo; cujus jussu aut desiderio*

A *desiderio uterque composuerint epitaphium Adriano defuncto, intimo Caroli amico; in consolationem Caroli majorem, ipsum facientes loquentem; mæstitiamque suam et amorem in Adrianum exquisitis verbis exprimentem.*

qui et mortuum facit loquentem in alio epitaphio suo.

135 *Idem Alcuinus inter Poemata sua num.* CCLXII. *habet etiam epitaphium cujusdam Pauli, ad S. Martinum Turonibus, et forte sub ipso Alcuino Abbate Monachi. Ibi inter alia sic legitur.*

Et cum perveneris ad hæc mea carmina quæso;
Dic supplex, Paulo jam miserere Deus.
Et Martine, decus mundi, Pater optime noster,
Auxiliare piis, te precor, et precibus:
Cujus eram vivus semper devotus amore,
Inque Deo Christo spes mihi sacra fuit.
Paulus eram dictus, Martini famulus almi,
Transcurri modicum tempus in orbe meum.
Fraternis fueram manibus mox conditus ista,
Quæ mihi perpetua est et domus et requies.

Inducitur hic Paulus, et quidem mortuus ac sepultus, loqui de se suisque rebus in prima persona; cum tamen ipse carmen facere post mortem non potuerit: et constat vel ex solo stylo, Alcuini esse. Unde nulli mirum videri debet, quod ab eodem Carolus, qui adhuc vivebat, B *inductus sit loqui cum Adriano mortuo, in sua ipsius persona. Ita placuit Poetæ.*

Caroli scripta propria non numerasset Alcuinus

136 *Ad hæc, si Caroli ipsius compositio forent epitaphia isthæc ambo, aut alterutrum, noluissent illa seu Theodolfus, seu Alcuinus vendicare sibi; nec alienum poema, præsertim Domini sui Regis, voluissent inter sua carmina referre tamquam suum, quod sine injuria Auctoris proprii nequibant. Sed ut magis studebant gloriæ Caroli quam suæ; maluissent ei sua ipsorum carmina attribuere etiam tamquam auctori, quam quæ ille composuerat, arrogare sibi. Atque ex hoc ipso studio suo in Principem, suaque in ipsum benevolentia singulari (ut nihil adulationis accesserit) censeri auctores isti possunt, epitaphiis et nomen Caroli inseruisse et in persona ejus scripsisse sua. Sed neque verisimile est a collectoribus poematum Alcuini ac Theodulfi, illis immixta fuisse epitaphia, de quibus agimus, nisi illi scivissent, ab auctoribus istis fuisse vere composita. Absque tali quippe scientia, nihil fuit quod determinare potuerit collectores, cur illa potissimum ad Alcuini ac Theodulfi poemata referrent. Quin imo, nomen Caroli, ac prima persona, in qua loquitur, debuissent collectoribus suadere ac persuadere, utriusque poematis auctorem esse* C *ipsum Carolum, uti id de uno epitaphio persuaserunt aliis, qui illud legerunt incisum marmori in basilica Vaticana. Cum autem illud factum non sit, debent aliunde collectores habuisse scientiam, non Carolo, sed Alcuino alterum, alterum Theodulfo, tamquam auctoribus tribuenda esse epitaphia prædicta.*

inter poemata sua:

quæ etiam in epitaphio, eumdem stylum et auctorem sapiunt

137 *Accedat etiam evidentius argumentum, quo demonstratur epitaphium, quod extat apud Alcuinum (hujus enim solius causa dissertationem orsi sumus) ipsius Alcuini compositionem esse. Id enim manifeste evincunt stylus et formulæ loquendi, quæ in epitaphio icto æque ac in aliis Alcuini poematibus passim elucent eadem, iisdemque non raro verbis expressa. Ecce specimen, assertum nostrum abunde, uti ego quidem existimo, probaturum. Epitaphium primo statim versu sic habet de Adriano Pontifice;* Hic Pater Ecclesiæ, Romæ decus, inclitus Auctor. *Poema vero Alcuini* CCXII. *sic de Paulino;* O lux Ausoniæ, patriæ decus, inclitus auctor. *Et* CCXVI. Salve Roma potens, mundi decus, inclita mater. *Item in poemate* CCXLVII. *quod continet epitaphium Pauli, de quo supra, apud S. Martinum monachi (ut scias, etiam ibi elucere stylum Alcuini) loquitur Paulus;* Mox Martinus amor rapuit me inclitus auctor. *Alibi leges,* Inclite Pastor. Doctor inclitus orbis. Inclita tecta. Plebs inclita. Soror inclita.

138 *Redeo ad epitaphium Adriani, cujus versus* XIV. D *hic est:* Urbs caput orbis honor, inclita Roma. *Simili leguntur. Poemate quidem* CCXVI. *Tu* caput orbis, honor, magne Leo Papa. CCXV. *vero,* Urbs caput orbis habet te, maxima Roma. *Accedat huc e Poemate* CLXXVIII. Roma caput mundi, mundi decus, aurea Roma. *Familiaris est Alcuino particula* ubique, *conjuncta cum particula* semper *in uno eodemque versu. Quod etiam in epitaphio Adriani observare licet. Versu enim* VIII. *sic legitur:* Exornare studet... Semper ubique suo templa sacrata Deo. *In Poemate autem* CCLXVIII. *quod dixi esse epitaphium Pauli monachi, versu ultimo sic is alloquitur Fratres suos;* Vosque valete, mei, semper ubique Deo. *Poemate* CCXII. Cernit ubique suæ semper nova gaudia mentis. CCXVI. Te precibus pariter conservent semper ubique. CCXXIX. Flagitamus semper ubique. CCXXII. Tu fugis a nobis semper ubique ruens. *Similia vide Poemate* CCLXXIV. CCLXX. *et* CCXXI. *In epitaphio sic alloquitur Carolus Adrianum;* Tu mihi dulcis amor, te modo plango, pater. *Et Poemate* CCLX. *ita sermonem convertit Alcuinus ipse ad sororem suam:* Tu mihi dulcis amor, semper, soror inclita salve. *Rursus epitaphium de Adriano,* Pauperibus largus, nulli pietate secundus. E *Poema* CCXXXI. *de S. Vigilio ep.* Vir pius et prudens nulli pietate secundus.

ex similibus loquendi formulis.

Sit igitur Carolus auctor in lata significatione,

139 *Supersedeo pluribus exemplis, quandoquidem ex allatis sufficienter concludi posse videtur, aut Carolum regem ita stylum imbibisse Alcuini, ut eodem ipse, quo ille, scripserit, aut epitaphium Adriani,* Hic Pater Ecclesiæ, *Alcuino tamquam auctori et compositori adjudicandum esse, licet honori Regis Domini sui dederit, ut veluti ab ipso compositum extaret epitaphium istud Adriani, quem Carolus vivum ac mortuum summa veneratione prosecutus fuit. Si quis interea Carolum, non auctorem proprie, aut conditorem, aut compositorem, sed auctorem latiore sensu dictum, epitaphii esse velit, quia ipsum jussit componi et sepulcro incidi, per me licet. Sic enim et nos quæ fieri jubemus, eadem censemur fecisse. Et ministri principum multa scribunt, componuntque in persona dominorum suorum, quæ hisce adscribuntur, quamquam ab his nec scripta nec composita sint. Sed illo sensu æque Theodulfiani, quam Alcuiniani carminis auctor dici Carolus poterit.*

non compositor epitaphii

quod etiam innuit coævi chronicon.

140 *In eodem sensu de Carolo scribit Chronicon* F *breve Auctoris Carolo coævi, quod res ejus ab anno* DCCXCIV. *per decennium gestas, tantummodo de complectitur; atque a Petro Lambecio ex codice MS. bibliothecæ Augustissimi Cæsaris Vindobonianæ, in Commentariis de eadem bibliotheca, lib. 2. cap. 5. pag. 378. impressum legitur hunc in modum sub anno* DCCXCV. Ipso die VIII. Kal. Januarii, sanctæ memoriæ Domnus Adrianus summus Pontifex Romanus obiit, pro quo Domnus Rex, postquam a planctu cessavit, orationes per universum christianum populum intra terminos suos fieri rogavit, et eleemosyna sua pro eo multipliciter transmisit, et epitaphium, aureis litteris in marmore conscriptum, jussit in Francia fieri, ut illud partibus Romæ transmitteret ad sepulturam summi Pontificis Adriani ornandam. *Jussit epitaphium fieri, non composuit.*

DE CONFESSIONE S. PETRI IN BASILICA VATICANA.

§. I. De Confessione, ejusque acceptione varia.

Confessio quid sit,

Circum *inspectis altaribus sacellisque navis transversæ*

A *sæ, accedo propius ad cryptam ejus subterraneam seu Confessionem S. Petri, ad altare majus, et apsidem, quæ tantisper transilivimus. Variæ variis in locis ecclesiæ fuerunt ac sunt, quæ corpora aut Reliquias Sanctorum suorum, in cryptis subterraneis reconditas, ædificatio desuper altari, religiose conservant: quæ conditoria, Græcis* Martyrium, *Latinis* Confessio *appellari, etiam antiquissimis temporibus, consueverunt, erantque ut plurimum subter altare princeps. Atque hinc Confessio S. Petri, de qua loquimur, passim accipi solet, tam pro altari, quod in ecclesia conspicuum eminet, quam pro crypta, quæ subtus latet. Quibus aliqui velut tertium Confessionis membrum addunt* tabernaculum *sive* cyborium, *quod quatuor columnis elevatum, altare desuper tamquam umbella tegebat. Verum cum tale cyborium non in omnibus Confessionibus inveniatur, pars earum universim dici non potest. Imo ne altare quidem ipsum supra cryptam in ecclesia conspicuum, proprie Confessio est. Ego certe in hac lucubratiuncula de basilica S. Petri, illud pro Confessione aut Confessionis membro nolim accipere, secutus Anastasium aliosque veteres, quos observo altare illud crebro vocare* altare majus *aut* altare S. Petri, *atque per ista epitheta ipsum distinguere ab alio altari, quod,* B *ut mox dicam, in ipsa crypta fuit, et sæpe appellatum lego* altare sepulcri S. Petri, *altare* super sepulcrum S. Petri, *altare* intus in Confessione. *Perspicuum hujus distinctionis exemplum dabit infra Benedictus Canonicus, seculi* XI. *scriptor, inquiens, quod Papa ingressus Confessionem,* incensat altare super sepulcrum S. Petri, *ibique sedet in subsellio. Finito autem officio,* inde exiens, ascendit ad majus *altare* et incensat.

142 *Interim sciendum est, quod ampliorem longe notionem vox* Confessio *passim habebat apud Anastasium, referaturque ad quodlibet altare, sive intra cryptam, sive extra situm; in aut sub quo corpora aut reliquiæ Sanctorum conditæ asservantur: imo ipsæ lipsanothecæ et sepulcra Sanctorum, sub altari posita, Confessio quoque appellantur. Sciendum præterea, quod Anastasio, de basilica Vaticana loquenti, vox* Confessio *simpliciter sumpta, aut* Confessio B. Petri, *sonet cryptam subterraneam, modo totam, modo solum altare, quod in crypta est:* Confessio *vero* altaris *simpliciter, nullo addito Sancti aut oratorii nomine, sonet eidem altare majus basilicæ totius. Si tamen vox* Confessio *aut* Confessio altaris, *restringatur ad certum aliquod oratorium aut Sanctum, significabit altare, quod in tali* C *oatorio est, cum suis inibi reliquiis.* — *et quam multiplex.*

143 *Imprimis cryptam subterraneam totam significari per vocem* Confessio, *ostendi potest ex omnibus Anastasii locis, ubi leguntur Pontifices, reges, canonici, aliive Confessionem* ingressi fuisse, *in ea* sedisse *aut* mansissep *Exempla frequentia occurrent infra. Idem Anastasius in Sixto III. Papa scribit, Valentinianum Augustum, imaginem auream etc.* super Confessionem B. Petri Apostoli obtulisse; *qua loquendi formula etiam alibi utitur: eaque, opinor, intelligendum esse altare, quod est super Confessionem in ipsa crypta; non, quod est supra in basilica. Similem et clariorem textum subministrat bulla Gregorii Papæ IV. apud Lambecium in Originibus Hamburgensibus pag.* 129 *ubi Pontifex,* posito capite et pectore super corpus et Confessionem S. Petri Apostoli, *tribuit Anschario publicam ubique evangelizandi facultatem. Quæ positio capitis et pectoris utique in crypta facta est vel super altare ejus, vel super pavimentum ad ostiolum sepulcri, per quod etiam pallia pontificalia demitti solebant. Ad eamdem cryptam referriquoque debent loci sequentes Anastasii, Pag.* 46. investivit *Honorius* Confessionem B. Petri ex argento puro, quod pensat libras CLXXXVII. *Pag.* 117. *Hadrianus.* Confessionem B. Petri totam intus ex auro purissimo in laminis diversisque historiis compte ornavit, pondera trecentarum librarum ponens. *Sixtus III pag.* 26. ornavit de argento Confessionem B. Petri Apostoli, quæ habet libras CCCC. — *Sumitur 1, pro crypta subterranea;*

D C. J.

144 *Ostendi nunc debet*, Confessionem altaris *simpliciter, denotare altare majus. Leo IV. pag.* 188. *obtulit in basilica B. Petri Apostoli* ante Confessionem sacri altaris *a dextris et a sinistris ad decorem ipsius basilicæ, Angelos sex ex argento mundissimo, pensantes libras* LXIV. *Sermo hic Anastasii est de altari majori; uti indicant verba ipsa, et mentio, quam ibidem subdit de cyborio ejusdem altaris et presbyterio. Idem, pag.* 181. *cernens* altare B. Petri *violatum et spoliatum a perfidis Saracenis,* non tantum Confessionem sacram, verum etiam frontem *ejus honorifice perornavit: et paulo post,* Confessionem crebro dicti altaris *majoris ex tabulis argenteis ad antiquum decus et statum perduxit. Hæc de altari majori ejusque Confessione, distincta a Confessione B. Petri seu crypta ejus subterranea in basilica Vaticana, accipi debere certum est.* — *2, pro altari majori,*

145 *Colligo autem ex eodem Anastasio, alia quoque altaria, tum in eadem basilica, tum alibi, istiusmodi Confessionem habuisse, et hanc sæpe appellatam fuisse, uti ex allatis jam testimoniis dici potest,* Confessionem altaris. *Talis enim fuerit* Confessio, *quam* cum sacro altari *suo argenteis tabulis decoravit. Sanctorumque effigiebus perornavit Leo IV. in ecclesia Sanctorum quatuor Coronatorum, de qua Anastasius pag.* 184. *Quid enim interest inter has duas loquendi formulas, quo minus idem significent?* Confessio sacri altaris, *et* Confessio cum sacro altari. *Similiter pag.* 73. *Gregorius III. in oratorio, quod fecit intra basilicam S. Petri juxta arcum principalem (videri de illo potest supra Sectio* B. *litt.* I.*)* vestiit faciem altaris et Confessionem argento. *Item in basilica S. Andreæ Apostoli* apud S. Petrum Apostolum *fecit Symmachus (qui ipsam construxerat)* cyborium *altaris ex argento,* et Confessionem. *Eamdem Gregorius III postea vestivit argento, quod deauravit auro purissimo. In his autem, uti cyborium est pars altaris, late sumpti; ita pariter pars ejus erat Confessio: illud, pars superior; hæc, inferior. Atque hactenus allata sufficiant ad persuadendum cuivis non pervicaci; quod altaria quoque suas habuere Confessiones, non subterraneas, sed sub altaris tabula excavatas, in quibus probe ornatis, ut plurimum deponebantur reliquiæ Sanctorum, quemadmodum Sergius II. apud Anastasium pag.* 173. *legitur, in* Confessione *(quam in basilica Salvatoris construxit mirificam, argenteisque tabulis, auro perfusis, fulgide compsit ac consecravit)* propriis manibus reliquias posuisse. — *uti et aliorum Sanctorum,* E F

146 *Videtur interea Confessio etiam accipi posse pro* lipsanotheca, *quæ in prædicta Confessione, sub tabula altaris excavata reponeretur. Quod dum commonstro, simul etiam innotescet amplius, quod voces,* Confessio *et* Confessio altaris, *non tantum ad cryptam hypogæam aut altare majus basilicæ Vaticanæ referantur; verum etiam per additum Sancti aut oratorii, et quidem (uti ego existimo) sumptam pro lipsanotheca. Plura talis significationis exempla habet Anastasius conglobata in Hilario Papa, qui fecit, pag.* 28. oratoria tria *in baptisterio basilicæ Constantinianæ,* S. Joannis Baptistæ, et S. Joannis Evangelistæ, et sanctæ Crucis, *omnia ex argento et lapidibus pretiosis.* Confessionem S. Joannis Baptistæ fecit ex argento, quæ pensabat libras centum, et Crucem auream: et Confessionem S. Joannis Evangelistæ fecit ex argento, *quæ pensabat libras centum* et Crucem auream. In oratorio sanctæ Crucis fecit Confessionem; ubi lignum dominicum posuit inclusum *(uti legunt MS. Regium et Thuanum)* in Cruce aurea cum gemmis, quæ pensabat pondus librarum XX. — *3. pro lipsanotheca,*

102 *Crux*

A *Crux videlicet. Si enim relativum* quæ *respiceret Confessionem, uti priora duo; januæ Confessionis duplum et semis amplius ponderarent quam Confessio ipsa. Sequitur enim:* Fecit ex argento purissimo in Confessione januas, pensantes pondus librarum L. *Denique* supra Confessionem *fecit* aureum arcum, qui pensabat libras IV, quem portant columnæ Onychinæ; ubi stat agnus aureus, pensans libras duas.

C. J.

quæ supponi altari, et inde amoveri possit;

147 *Liquet ex his, oratoria quoque particularia, qualia sunt S. Joannis Baptistæ, S. Joannis Evangelistæ et sanctæ Crucis, habuisse Confessiones suas, et quidem argenteas. Sed an hæ fuerint thecæ argenteæ, quæ poni pro libitu sub altari atque inde removeri potuerint; an vero ornamenta tantum argentea, per cavum altaris intus aut foris deposita, unde Confessio denominetur* argentea, *non satis constat. Primum videtur innuere particula* quæ, *ad* Confessionem *relata, quam indicat pependisse libras centum : videlicet totum illud, quod Confessio erat, centum libras pependisse innuit. Si usus fuisset Anastasius particula* quod, *et confessionem Papa fecisset ex argento,* quod *pensabat libras centum; mallem argentum illud ad ornatum Confessionis, quam ad solidam ex argento capsam referre. Nunc vero secus facio, eo etiam argumento motus, quod nullas* B *habuerit Pontifex reliquias illorum Sanctorum, quibus Confessiones ibi curavit fieri; certe nullas legitur illis imposuisse : et, si quas imposuisset, non minus id videtur indicaturus fuisse Anastasius, quam indicaverit, imposuisse Cruci aureæ reliquias de ligno Dominico. Obtinuerit igitur jam tum usus Ecclesiæ, qui deinde, et nostra hac ætate per frequens est, ut beatis sanctisve hominibus, quorum sacra corpora, sub altaribus humi defossa, aut post illa muro clausa, latent; statuantur in cavo altaris capsæ pretiosiores, aut omnino vacuæ, aut particulam tantum aliquam reliquiarum habentes, tamquam cenotaphia, quæ sub aspectum accedentium ad altare cadant, latentis thesauri moneant, atque excitent ad venerationem Sanctorum.*

qualem vidimus in altari B. Aloysii Romæ,

148 *Talem capsam seu cenotaphium (ut plura taceam) vidimus coram in basilica Ignatiana Societatis Jesu Romæ in altaris trunco, sub quo defossa, cum capsa sua plumbea, latebant ossa B. Aloysii Gonzagæ, priusquam anno* MDCIC, *transferrentur ad sacellum novum, nominis ejus magnifice extructum ab illustrissima familia Lancellota, opem beati Juvenis non semel experta. Simile cenotaphium posuerit etiam Doctori gentium Valentinianus Augustus; quando rogatu Sixti Papæ* C *III. apud Anastasium pag.* 26. *fecit* Confessionem B. Pauli Apostoli ex argento purissimo, quæ habet libras ducentas. *Qualis enim hæcce fuit Confessio? Non illud sepulcrum, quod reliquias Apostoli condebat, sciturque æreum fuisse et in crypta latuisse jam tunc a tempore S. Silvestri Papæ. Non etiam fuerit Confessio illa truncus altaris excavatus; non, quia illi ornando ducentæ argenti libræ impendi non potuerint; sed quia tota Confessio dicitur ducentas libras pependisse; qui modus loquendi videtur indicare, Confessionem fuisse opus aliquod absolutum per se, et aptum, cui reliquiæ Sanctorum committerentur : potestque positum fuisse sub altari S. Pauli, ad renovandam accedentibus piis fidelibus recordationem latentium infra reliquiarum Apostoli; atque ita excitandum in animis eorum majorem pietatis sensum, et obtinendi quod petunt fiduciam : quas ob res expositum quoque sub altari fuisse cenotaphium B. Aloysii diximus. Istiusmodi porro cenotaphia merito* Confessiones *appellata fuisse a loco, ubi posita fuerint sub altari, qui etiam ipse* Confessio *dicebatur, nescio cur negari debet aut possit.*

qualem et fecerit Valentinianus Imp. S. Paulo via Ostiensi.

An januæ in Confessionibus istiusmodi.

149 *Sed quid* de Janius quinquaginta librarum, *quas* ex argento purissimo *fecit Hilarus* in Confessione? *Non opinor, ipsius thecæ seu cenotaphii fuisse januas illas. Quæ enim proportio januarum, pondo quinquaginta pendentium, ad Confessionem pendentem non amplius quam pondo centum? Ad hæc, dum Confessionis pondus simpliciter dicitur fuisse librarum centum,* D *sermo utique est de Confessione tota cum suis januis; si quas tamen januas habuit; et non potius superne aperiebatur et claudebatur. Quod si etiam concedatur, habuisse januas; non potuerunt illæ, habita ratione totius operis, tanti ponderis fuisse, ut in textu memoratur. Quapropter existimo, januas illas potius constitui debere, in septo, quod cavum altaris circumdederit, aut cancellis aut tabulis sive ex argento sive alia materia continuis munitum; in cujus medio fuerint portæ, per quas Confessio, sumpta pro lipsanotheca, inferri in cavum et efferri potuerit. Denique* supra Confessionem *fecit Hilarus* aureum arcum *librarum* IV, quem portant columnæ onychinæ, ubi *(id est sub arcu, uti ego quidem existimo)* stat agnus aureus pensans libras duas. *Totus hic ornatus commodissime potest intelligi superimpositus fuisse lipsanothecæ; quæ plana superne fuerit, aut leniter ex omni parte elevata, formaverit in summo planum, in quo apte consisteret agnus sub medio arcu, una aut duabus utrimque columellis sustentato. Si aliam Confessionem hic intelligas quam lipsanothecam, concipi debet arcus aureus cum suis columnis et agno fuisse positus super altare. Sed an arcus quatuor tantum librarum auri et agnus librarum duarum, justam censeri possint habuisse proportionem cum totius* E *magnitudine altaris? Utut hæc sunt, veniamus ad delineationem Confessionis antiquæ S. Petri, de qua initio hujus paragraphi.*

§. II. Quid Confessio S. Petri in basilica Vaticana, sumpta pro crypta hypogæa.

Describitur Confessio S. Petri antiqua,

F*uit Confessio S. Petri (idem fere intelligi debet de Confessione S. Pauli) ædicula aut cubiculum subterraneum, imo duo cubicula talia, alterum altero depressius, subter majus altare basilicæ, in medio navis transversæ ante apsidem. Cubiculum superius fuit justæ magnitudinis et plurium hominum capax, eoque e plano basilicæ descendebatur per gradus, atque intrabatur per cancellos et portam, quæ pandi claudique poterant. Intus cooperiebatur fornice aut camera, columnis quatuor sustentata. In medio stabat altare, quod subtus cavum erat usque ad pavimentum, adinstar arcæ seu cistæ; in cujus fundo seu pavimento fuit fenestella, aut potius foramen, cum cooperculo suo, quod claudi etiam et aperiri poterat. Si quis vero per illud pronus dispiciebat,* F *alterum detegebat cubiculum, magis subterraneum, in eoque monumentum aheneum ingens, superne ornatum cruce aurea, condens intra se loculum cum sacris Apostolorum lipsanis. Atque hæc quidem forma erat Confessionis S. Petri proprie dictæ.*

et quæ illam circumsteterint.

151 *Altare majus, quod supra Confessionem eminere in medio navis transversæ jam diximus, stabat in choro, seu potius in presbyterio, versus tribunam seu apsidem ecclesiæ principem : et tam presbyterium quam chorus (si hæc loca distinguas) sepiebantur peribolo, ex utraque parte procurrente usque ad murum anteriorem, qui frons Confessionis appellabatur. Dictus peribolus muniebatur cancellis : atque alii etiam cancelli videntur aliquando presbyterium separasse a vestibulo, quod dixi frontem Confessionis appellari. Ante vestibulum assurgebant columnæ exquisitæ duodecim, duplici ordine a meridie in septemtrionem dispositæ (prout videre est in ichnographia) formabantque porticum, vestibulo Confessionis obtensam, portisque tribus eo transmittentem. Harum singulæ erant in utroque capite porticus, qua meridiem ac septemtrionem respiciebat : tertia vero in medio ejusdem, qua respicit portam mediam basilicæ. Per hanc mediam ingredientes transmittebantur recta ad vestibulum et caput graduum Confessionis; per illas autem laterales trans-*

A *transmittebantur eodem oblique. Media videtur raro, et Principibus tantum, aut solemni pompa ad Officium faciendum progredientibus patuisse; laterales vero quotidie et promiscuæ turbæ. Reliqua istius porticus intercolumnia, saltem extimi ordinis, habebant septa sua, aditum prohibentia; qualia etiam continuabantur ab utroque porticus capite ad usque presbyterium et ultra, elevata pectore hominis tenus : quamobrem et* pectoralia *vocabantur, alicui* rugæ, *nescio an recte, dicta. Hisce omnibus varius ac dives variis temporibus accessit ornatus, de quo postea.*

Similis magna parte ei fuit

152 *Huic Confessionis delineationi, licet distinctæ et claræ, lucem alicubi fortassis affundet clariorem descriptio ecclesiæ Cantuariensis vetustissimæ; prout illa olim fuit; paulo ante archiepiscopatum B. Lanfranci, cujus electio in annum* MLXX *incidit, flammis consumpta. Descripsit illam Edmerus sive Eadmerus, Monachus Cantuariensis, individuus S. Anselmi, qui Lanfranco anno* MXC, *archiepiscopus successit, in itineribus curisque pastoralibus socius et adjutor, quocum et Romæ diu fuit, et basilicam S. Petri ejusque Confessionem per otium vidit; laudatus nobis tomo 2 Aprilis, ad Acta ejusdem S. Anselmi, quæ etiam ipse scripsit. De Edmero illo Gervasius, pariter monachus* B *Cantuariensis, dimidio forte post mortem ejus seculo, sic scribit, inter decem Historiæ Anglicanæ Scriptores anno* MDCLII. *Londini impressus; col.* 1291. Edmerus, venerabilis Cantor, in opusculis suis veterem ecclesiam ex more Romanorum factam, describit; quam Lanfrancus Archiepiscopus, cum archiepiscopatum susciperet, combustam inveniens, funditus evertit. *Et paulo post producit ejusdem Edmeri verba, de ecclesia illa antiqua, et forte a S. Augustino, Romanorum more, structa.*

antiqua crypta ecclesiæ Cantuariensis

153 Venerabilis Odo corpus B. Wilfridi pontificis Eboracensium, de Rhipur sublatum, Cantuarium transtulerat, et illud in editiore entheca, ut ipsemet scribit, hoc est in majori altari, quod in orientali presbyterii parte parieti contiguum, de impolitis lapidibus et cæmento extructum erat, digniter collocaverat. Erat enim ipsa ecclesia... sicut in historiis Beda testatur, Romanorum opere facta, et ex quadam parte ad imitationem ecclesiæ beati Apostolorum Principis Petri; in qua sacratissimæ reliquiæ totius orbis veneratione celebrantur, decenter composita. Porro aliud altare, congruo spatio antepositum prædicto altari erat, dedicatum in honorem Domini nostri Jesu Christi, ubi quotidie divina mysteria celebrantur. In quo altari B. Elfegus caput B. Swithuni... cum multis aliorum Sanctorum reli- C quiis solenniter reposuerat. Ad hæc altaria nonnullis gradibus ascendebatur a choro cantorum; quam cryptam vel confessionem Romani vocant, subtus erat adinstar Confessionis S. Petri fabricata, cujus fornix eo in altum tendebatur, ut superiora ejus non nisi per plures gradus possent adiri. Hæc intus ad orientem altare habebat; *in quo* caput B. Fursei *asservabatur. Ad occidentem vero locus erat, ubi quiescebat B. Dunstanus,* qui materia forti ab ipsa crypta dirimebatur. Jacebat namque humatus in magna profunditate terræ ante ipsos gradus, *quibus ascendebatur ad presbyterium, monumento super imposito* in modum pyramidis grandi sublimique structura, habente ad caput Sancti, altare matutinale, *idem, opinor,* ubi *(ut paulo ante dixit)* quotidie divina mysteria celebrantur. Inde autem ad occidentem chorus psallentium in aulam ecclesiæ porrigebatur, decenti fabrica a frequentia turbæ seclusus. *Addit post hæc Edmerus alia de situ ejusdem antiquæ ecclesiæ, et de restauratione ejus; ac tandem concludit :* Quæ ita se habuisse sine ulla ambiguitate fateri veraciter possum, quippe qui propriis oculis omnia cum fierent intuitus sum, et diligentiori studio tenaci memoriæ commendavi.

et ipsa sub altari medio effossa,

154 *Varia hic sunt, quæ præmissam delineationem* D *ex parte veluti in tabula repræsentant; puta, quod crypta hujus ecclesiæ fuit adinstar Confessionis S. Petri : quod æque ac illa fuit subter altari in medio ecclesiæ conspicuo : quod fornix ejus, uti etiam in Confessione S. Petri, tam fuit elevatus super pavimentum reliquæ ecclesiæ, ut hinc per plures gradus debuerit ascendi ad presbyterium ejusque altare : quod intus quoque in crypta altare fuit : quod prope cryptam (si minus infra altare ejus ut in S. Petri) solo muro inde diremptum jacuit corpus S. Dunstani, totius regni religione celeberrimum, et quidem in magna profunditate terræ : quod denique chorus psallentium (locum hunc nos in basilica S. Petri vestibulum Confessionis appellavimus) a presbyterio versus aulam ecclesiæ utrobique porrectus; et decenti septo a turba populi circum seclusus fuit. Quæ et alia curiosus lector, si paulo attentius consideraverit, comperiet, fere eadem fuisse in utraque ecclesia. Hæsitabit tamen fortassis ad verba Edmeri dicentis, quod Romani chorum cantorum* cryptam vel Confessionem *vocant. Ego certe hic hæsito, nec capio, quo sensu crypta sit locus in ecclesiæ plano superne apertus, qualis est chorus iste; licet* nonnullis gradibus *inde ascendatur ad altaria presbyterii : et minus capio, quinam Romani et quando locum istiusmodi vocaverint* Confessionem. *Imo dum mox Auctor vocem* Confessio E *recte sumit pro crypta subterranea eaque fornicata, videntur præcedentia verba, tam diversum sonantia, e calamo ejus vix fluere potuisse. Opinor igitur aliquid ibi deficere, quod addita voce* domus *aut alia, suppleri debeat, et sic legi textus.* Ad hæc altaria nonnullis gradibus ascendebatur a choro cantorum : domus vero, quam cryptam seu *etc. Sed quo abripitur a via nostra propter scrupulos incidentes, qui calcari potius deberent, quam removeri cum dispendio temporis et mora itineris nostri cupientium progredi ad Confessionem B. Petri.*

C. J. et altare aliud in se complexa.

155 *Nihilominus unum adhuc per transennam observare hic debeo, videlicet, quod locus, in multis ecclesiis muro continuo, altare majus includente, cinctus; eoque ab ambitu separatus, qui passim chorus appellari solet; dividatur Edmero et Gervasio prædictis, in* chorum psallentium, *sive* cantorum *et* presbyterium. *Edmerus quippe extendit presbyterium ab altari Jesu Christi, quod in medio erat retrorsum versus finem ecclesiæ; chorum vero psallentium extendit ab eodem altari antrorsum, versus frontispicium, et chorum aliquot gradus presbyterio depressiorem facit, Gervasius autem novam ecclesiam, a Lanfranco restauratam describens, ambo illa loca, inter se distincta, uno eoque continuo* F *muro cingit. Qui murus, inquit col.* 1294, continebat chorum monachorum, presbyterium, et altare magnum... De choro ad presbyterium tres erant gradus *in hac nova ecclesia, in antiqua videntur plures fuisse;* de pavimento presbyterii usque ad altare, gradus tres, ad sedem vero patriarchatus, *qui in fine presbyterii elevabatur,* gradus octo. *Anterior pars chori,* chorus psallentium, *et* canentium, *et quandoque* Monachorum *appellatur; quia hi illic sedilia habebant et psallebant Deo officia divina. Pars posterior ideo videtur appellari presbyterium; quia presbyteri illic solenniter operabantur sacris, et officia ecclesiastica obibant, dum in choro monachi cantabant. In veteri basilica S. Petri locus, qui a presbyterio antrorsum continuato septo includebatur, non chorus re aut nomine, sed vestibulum Confessionis (quod aliquando etiam* vestibulum altaris, *et* presbyterii *appellatur) fuit; uti jam diximus et porro dicturi sumus. Nunc eo, et ad Confessionem ipsam S. Petri redeamus; singula, quæ posuimus, probaturi illustraturique pro modulo nostro auctoritate antiquorum.*

Presbyterium et chorus, loca distincta

§. III.

A

C. J.

§. III. De Confessionis S. Petri capacitate; altari, porta, cancellis, gradibus.

Probantur, quæ in titulo proposita sunt,

Fuit *patrum nostrorum memoria Confessio S. Petri plano muro ita obducta et clausa, ut aditus eo non pateret; et Lonigus in sua ad Urbanum VIII relatione ait, se illam taliter obstructam adhuc vidisse, priusquam a Clemente VIII renovaretur. An a Julio II. cum posterior basilicæ pars cœpta est dejici, ita obfirmata fuerit Confessio, quo securius, quæ in illa sunt, conservarentur posteritati; an alius decessorum ejus id fecerit, equidem definire nequeo. Illud interea certissimum est, olim multis seculis, instar sacræ ædiculæ aut cubiculi, habuisse portam suam, et intus spatium satis amplum; frequentatumque fuisse officiorum divinorum et orationis causa. Duos textus ad hæc confirmanda subministrant mihi duo canonici basilicæ Vaticanæ, quorum alter, qui sub nomine* Romanus, *impressus est a paulo de Angelis, floruit seculo* XII *alter, qui sub nomine* Benedictus *producitur a Lonigo e MS. seculo* XI. *sub Cœlestino II. centum annos ante Romanum. Utriusque* B *oratio longiuscula est. Quia tamen utraque paucis nota, multis placitura videatur, antiquorum Ecclesiæ rituum studiosis; præterquam quod nobis hocce in argumento frequens earum futurus sit usus; lubet ambas describere integras. Romanus Canonicus cap. 3 cui titulus,* Quod in B. Petri basilica tantum, vigilantur Pallia, quæ Dominus Papa mittit Archiepiscopis; *describens vigilias ac ritus, qui suo tempore in consecratione dictorum Palliorum adhibebantur; loquitur in hunc modum.*

ex contextu Romani, seculo 12.

157 Cum vigilamus Pallia, facimus solennes Vigilias in Confessione B. Petri, cantantes Vigilias, quas consuevimus cantare in festo ejusdem Apostoli... Qualiter *autem* debemus pannos laneos, unde fiunt pontificalia *Pallia,* ad B. Petri corpus vigilare, sicut vidi ego presbyter Romanus, hujus sacrosanctæ basilicæ canonicus, ad posteritatis memoriam scribo. Acceptis de altari faculis et cereis ad legendas lectiones et orationes Vigiliarum, nec non incenso; circa sero conveniunt canonici ad altare S. Leonis Papæ: et presbyter hebdomadarius accipit ipsos pannos complicatos et involutos in sindone, præcedentibus tam mansionariis cum incenso et faculis accensis, quam canonicis; intrat ad corpus B. Petri, et ponit eos supra altare, et faculæ ante altare ponuntur. Tunc chorus, cujus est can- C tus, incipit antiphonam; Si diligis me Simon Petre, et reliqua, cum suis Psalmis. Versic. Tu es Pastor ovium. Tres Lectiones leguntur in libro stationali; Petrus et Joannes ascendebant in templum. Et cantatis duobus Responsoriis, quæ volvuntur de S. Petro, deinde sequitur; Te decet laus. Et oratio; Deus, qui B. Petro Apostolo tuo collatis clavibus; sic reportantur, sicut allata fuerunt. Si altero die cantatur Missa super majori altari, ponantur ibi; et post completam Missam tollantur: sin autem; reddantur Misso Domini Papæ... Sic vidi tempore Domini Cœlestini III, Papæ fieri. Sic scio factum per socios et Dominos meos, tempore Domini Clementis III. Papæ. Sic etiam in secundo anno ejusdem *Cœlestini* Pontificis, Indictione X. mensis Martii die XXX. quæ fuit tunc feria II. ante Pascha. *Hæc notant annum* MCXCII. *cujus die* XXX. *Martii elapsus quidem erat annus ab obitu Clementis III nondum tamen inchoatus fuerat annus secundus Cœlestini, si hic electus non fuit ante* XII, *Aprilis, ut passim scriptores tenent.*

et Benedicti sec. 11. Vaticanæ basilicæ

158 *Canonicus Benedictus in suo, uti vocat Lonigus,* pulcherrimo Rituali MS. *ritum solennium Vigiliarum, quæ ejus ætate celebrari consueverant a summo Pontifice in Vaticana basilica nocte, Dominicam* Gaudete *præcedente, describens, sic habet:* Media nocte surgens, audito signo, Dominus Papa, cum omnibus D ordinibus ad S. Leonem venire debet; ibique Mansionarius præparat thuribulum episcopo, et episcopus Pontifici omnibus indutis suis indumentis. Cubicularii vero cum duobus faculis accensis in candelabris debent ire ante Pontificem. Pontifex autem incensat altare S. Leonis; deinde cum processione incedens per porticum Pontificum ad S. Gregorium, primum incensat altare ejus, et altare S. Sebastiani, et altare S. Tiburtii, deinde duo altaria in medianu ad Crucifixum, ubi ab antiquis patribus audivimus requiescere Apostolum Simonem et Judam. Postea vadit ad Sudarium Christi, quod vocatur Veronica, et incensat; et altare S. Mariæ similiter. Postea accedit ad S. Pastorem juxta arcum triumphalem, et incensat. Deinde discedens ad corpus, incensat altare super sepulcrum S. Petri; et sic sedet in subsellio cum candelabris ante se: Paraphonista cum Schola incipit Vigilias. Ex Ægypto vocavi filium meum. Psalmus; Beatus vir. Secunda Antiphona; Ecce apparebit Dominus super nubem candidam. Psalmus; Quare fremuerunt gentes. Tertia Antiphona; Ecce veniet Dominus, quem Joannes E prædixit. Psalmus; Domine, quid multiplicati sunt. Deinde duo subdiaconi basilicarii dicunt versum. Accolyti tenent librum stationalem; et cubicularii faculas; et basilicarii legunt Lectiones; Gaudens gaudebo in Domino. Diaconus præcipit; Tu autem Domine. Primicerius cum stola cantat Responsorium. Finitis tribus Lectionibus, Primicerius dicit; Te Deum laudamus. Subdiaconus porrigit Sacramentarium episcopo; et episcopus tenet ante Pontificem; et basilicarii levant candelabra, et Pontifex dicit orationem. Diaconus dicit; Benedicamus Domino. Et Dominus Pontifex benedicit. Deinde exiens inde, ascensit ad altare majus, et incensat.

Canonicorum;

159 *Habemus ex hisce contextibus multimodam thesis propositæ confirmationem. Primum quod vigiliæ solennes ac pontificiæ celebrari consueverunt statis temporibus in ipsa Confessione hypogæa, de qua hic sermo est: quodque adeo patuerit in illam aditus per portam aliquam. Secundum, quod etiam justæ capacitatis fuit Confessio; quandoquidem eo intraverit presbyter hebdomadarius cum canonicis ac mansionariis; nec non ipse Pontifex cum frequenti suo comitatu ac ministris; ibique manserint usque ad finem officii. Tertium, quod fuit in illa Confessione altare, et quidem super sepulcrum S. Petri. Ex quo consequitur quartum, quod cor-* F *pus S. Petri fuit infra altare Confessionis, nempe in cubiculo adhuc depressiore. Habemus indidem quintum, quod altare Confessionis distinctum fuit ab altari majori basilicæ. In priori enim adductorum textuum Hebdomadarius intrat* ad corpus B. Petri *id est in Confessionem, ibique* ponit supra altare *pannos suos; qui inde oblati ponuntur* super altari majori, *si ibi sequenti die celebretur Missa. In secundo autem textu, Pontifex conferens se* ad corpus, *incensat* altare super sepulcrum S. Petri, *ibique sedet, donec finito Officio,* exiens inde, ascendit ad altare majus. *Ex quo pariter notari potest sextum, quod præter januam, gradus ibi fuerint, per quos exeuntes e Confessione* ascendebant *ad templum et* altare majus. *Denique septimum constare potest ex dictis, quod Pontifex in eadem Confessione habuit sedem suam, in qua sedebat tempore Officii divini contra altare, cum candelabris ante se. Manifestissima hæc sunt ex præmissis duobus Canonicis, et confirmabuntur pleraque e Petro Damiani Cardinali atque Anastasio Bibliothecario.*

cum explicatione textuum.

160 *Petrus Damiani, Benedicto Canonico coævus, et Agnetis, Henrici III Imperatoris viduæ, Pater spiritualis, in epistola ad ipsam scripta, apud Baronium tomo*

Item e S. Petro Damiani sec. 11 Cardinali,

A *tomo* XI. *ad annum* MLXII. *legenda tota, Confessionem S. Petri, quia subterranea erat,* arcanam *vocat, in eaque altare fuisse declarat; tum, sibi ibidem vitæ totius delicta confessam esse Imperatricem, indicat, tanta cum animi præparatione ac demissione, acsi illic ipse beatus Apostolus præsideret. Sic loquitur num.* 97. Sub arcana quoque B. Petri Confessione ante sacrum altare me sedere fecisti, ac per lugubres gemitus et amara suspiria, ab ipsa quinquenni infantia, tenera adhuc et nuper ablactata, cœpisti; et tamquam illic ipse beatus Apostolus corporaliter præsideret, quidquid subtile vel minutum in humanitatis tuæ potuit titillare visceribus, quidquid in cogitationibus vanum, quidquid præterea subrepere potuit in sermone superfluum, fidelibus est rationibus evolutum. *Cognosci hinc potest, quanta tunc etiam temporis in veneratione fuerit sacra B. Petri Confessio, ut alio loco noluerit pia Imperatrix universæ vitæ suæ delicta retexere sacerdoti, quam ubi Petrus in corpore quiescit, cui Christus dedit claves regni cœlorum et potestatem solvendi atque ligandi. Sed ad nos hinc spectat præcipue, quod Confessio tunc habuerit aditum suum et altare, et homines admiserit, orationi et piis operibus ibi vacaturos.*

B

et Anastasio seculo 9 Bibliothecario.

161 *Anastasius duobus seculis præcessit Damianum, natus (uti ego quidem existimo) antequam diem obiret supremum Carolus Magnus: de quo, ejusque Donationibus scribit in Adriano Papa pag.* 108. *quod tabulas Donationis suæ* prius super altare B. Petri, et postmodum intus in sancta ejus Confessione ponentes, tam ipse rex, quam ejus judices, B. Petro et ejus Vicario sanctissimo Hadriano Papæ (sub terribili sacramento sese omnia conservaturos, quæ in eadem Donatione continentur, promittens) tradiderunt. Apparem *quoque (id est exemplum seu copiam, ut vulgus vocat)* ipsius Donationis... Christianissimus rex intus super corpus B. Petri, subtus Evangelia, quæ ibidem osculantur... propriis manibus posuit.

Tria ex prædictis notanda,

162 *Tria hic sunt consideratione digna, quæ versantur circa tria loca diversa.* Prius *posuit Carolus Donationem suam* super altare B. Petri; *quod esse diximus altare majus in ipsa basilica.* Postmodum *posuit illam* intus in sancta ejus Confessione. *Denique posuit apographum ejusdem (authenticum enim jam tradiderat Adriano Pontifici)* intus super corpus B. Petri: *quod utique innuit aliquid amplius, quam quod dixerat secundo loco,* intus in sancta Confessione. *Hoc enim simpliciter sonat Confessionem, seu cubiculum*

C

ejus primum, ubi erat altare: illud vero notare videtur cubiculum secundum, ubi erat sepulcrum, in eoque corpus Apostoli. Ibi nempe voluerit rex ipse propriis manibus pro firmissima cautela, *ut loquitur Anastasius,* et æterna nominis sui et regni Francorum memoria, *exemplum Donationis deponere. Simili modo loquendi utitur Anastasius in Leone III dicens ipsum misisse thuribulum aureum* intus, super corpus *B. Petri. Hic autem constat, Anastasio sermonem esse de cubiculo secundo, ubi sepulcrum: cur non igitur ibi sermo quoque sic de eodem? Posset tamen fortassis in facto Caroli salvari modus loquendi, si intelligatur, non in secundo cubiculo, sed in eodem primo, intus altare sive intra altare ejus, quod imminebat corpori, exemplum Donationis deposuisse in pavimento prope foramen, per quod sepulcrum conspici poterat: sed primum videtur verosimilius.*

Alii de eadem Confessione textus;

163 *Idem Anastasius in Constantino Papa, qui Carolum Magnum seculo uno præcessit, loquens de professione fidei, quam Felix Archiepiscopus Ravennantium miserat non legitimam, ait, illam* per Pontificem in sacratissima Confessione positam, post non multos dies, *in* terra, et quasi igne combustam, repertam fuisse. *Idem iterum in Adriano meminit etiam* descensus *in Confessionem, ejusque capacitatis, scribens pag.* 107, *quod* cum Pontifice ipse Francorum rex *Carolus,* simulque et omnes episcopi, abbates et judices, et universi Franci, qui cum eo advenerant, ad Confessionem B. Petri appropinquantes, sese pronos ibidem *in plano vestibuli* prostraverunt: *deinde vero* descenderunt pariter *cum prædicto comitatu* ad corpus B. Petri. *De porta Confessionis, per quam ingredi Rex cum suo comitatu debuit, audiri iterum potest Anastasius in Leone III pag.* 132, *ubi et distinguit inter se ternos ingressus, videlicet presbyterii, vestibuli et Confessionis. Et presbyterio quidem duos attribuit, nempe a dextra lævaque altaris majoris; vestibuli vero, unius tantum hic meminit, qui erat in medio interioris ordinis columnarum, et emittere egredi volentes poterat in reliquam basilicam, vel recta per portam oppositam in exteriore columnarum ordine, vel dextrorsum aut sinistrorsum per portas minores at capita porticus; quas, opinor, quotidie patuisse volentibus accedere ad Confessionem aut altare majus; non item portam majorem mediam in exteriore columnarum ordine, quæ aperta fuerit diebus tantum solennioribus. Textus Anastasii sic se habet.*

D

C. J.

de portis ipsius

et ingressu

164 Fecit *Leo* cancellos fusiles in ingressu Presbyterii, seu in dextra parte lævaque; nec non et in ingressu Vestibuli, ex argento mundissimo, pensantes simul libras MDLXXIII, simulque et columnas tornatiles in ingressu corporis *sive Confessionis,* dextra lævaque, ex parte virorum ac mulierum, paria octo, pensantes simul libras CXC, nec non et arcus argenteos octo, pensantes simul libras CXLIII. *Cancellos fusiles in ingressu presbyterii, hic ego intelligo, fuisse in ipsis presbyterii januis cancellatis. Columnæ vero tornatiles in ingressu corporis seu Confessionis, pariter ornaverint portas, per quas utrimque descendebatur in Confessionem. Si quis enim columnas istas cum suis arcubus velit ornasse Confessionem, quo modo cancelli ornarunt presbyterium, oportet illum in Confessione etiam concipere duas (uti re ipsa fuerint) portas: quia columnæ in ingressu Confessionis, æque ac cancelli in ingressu presbyterii, dicuntur positæ fuisse* dextra lævaque parte: *sive, quod idem sonat,* ex parte virorum et mulierum. *Respiciebat enim tunc temporis pars virorum in basilica, meridiem; pars vero mulierum, septemtrionem: et dextra Confessionis, quatenus hæc spectabat navim mediam ac frontispicium basilicæ, erat pars virorum; læva, erat mulierum. Si quis mavelit, columnas tornatiles octo paria utrimque non portas ipsas, sed ingressum ac descensum ad corpus ornasse, non*

E

refragor. Imo et verosimilius id videri potest. Quandoquidem et arcus argentei acto facti fuerunt; qui totidem paribus columnarum per descensum impositi fuerint. Addamus et alia, quæ ibidem fecit Leo intra Confessionem, *ornamenta; videlicet* Salvatorem stantem, *cujus* dextra lævaque *consistunt* beati Apostoli Petrus et Paulus, habentes pariter coronas ex gemmis pretiosis. Pavimentum vero ipsius Confessionis investivit ex auro fulvo nimis, pensante libras CCCCLIII. *et* super ipsum sacrum altare *ejusdem Confessionis* fecit vestem chrysoclavam.

et vario ornatu.

165 *Addamus præterea in confirmationem ulteriorem etiam alium locum Anastasii in Adriano pag.* 119. *huc apprime facientem: in quo distinguens altare majus a Confessione, illud extra confessionem constituit: ante ipsam vero Confessionem ponit cancellos: meminitque liminis tam superni, quam inferni in porta, et ipsius etiam corporis Apostoli, sic scribens:* In altari majori ecclesiæ B. Petri Apostoli fecit ex auro purissimo *Adrianus* diversas historias, *sive tabulas, quæ antiqui aut novi Testamenti historias repræsentabant,* pensantes libras DXCVII. et intus in Confessione imaginem in modum Evangeliorum ex auro obrizo, pensantem libras XX. simul et cancellos ante eamdem Confessionem

A sionem ex auro purissimo, pensantes libras LVI. *Et dicta sua quasi summatim repetens, addit, quod* fecit

C. J.

Adrianus simul altari intus in sacra ultro citroque Confessione imaginem Evangeliorum, nec non et in postibus inferioribus et superioribus, atque cancellis, simul etiam et circa corpus, ex auro obrizo libras MCCCXXVIII.

§. IV. De altera crypta, ubi monumentum Apostolicum, et ei imminente foramine subter altare.

Foramen unum erat in fundo subter altare,

U*num cubiculum hypogæum sive subterraneum cum suo altari, porta, vestibulo, gradibusque jam inspeximus : quæramus alterum, quod est depressius : utque eo penetremus, invenienda prius est via per fenestellam, seu malis dicere foramen, quod sit super altare Confessionis. Hoc nobis digito monstrat Gregorius Turonensis cap.* 18. *de gloria Martyrum ; ubi loquens de S. Petro, ejusque ecclesia, et confessione, ait,* sepulcrum *Apostoli,* sub altari collocatum, valde rarum haberi *seu valde æstimatum esse :* et qui orare desiderat, B reseratis cancellis, quibus locus ille ambitur, accedit super sepulcrum ; et sic fenestella parvula patefacta, immisso introrsum capite, quæ necessitas promit, efflagitat. *Concipit fenestellam hanc Lonigus, in fronte altaris, diversam a foramine, quod certo constat in fundo altaris fuisse supra sepulcrum Apostolicum. Verum, quandoquidem unius tantum aperturæ hic meminit Gregorius, qua pateat sepulcrum : atque intelligi commodissime possit de apertura, quæ est in pavimento subter altare ; præter hanc nulla, illo saltem ex loco, necessitas cogit admittere aliam in fronte ejusdem altaris.*

non in fronte ejus,

167 *Potest enim illud altare columellis tantum quatuor, ut sæpe solet, nixum, aut cexte tota fronte apertum fuisse, quo facilior ad foramen pavimenti pateret accessus. Certe, si anterius illud foramen in altare fuisset, non potuisset per illud Pontifex Gregorius IV. de quo supra num.* 143. caput et pectus *suum* pronus super corpus et Confessionem S. Petri Apostoli ponere. *Nec fuerit facile primum per aperturam seu* fenestellam parvulam *in fronte altaris, per quam vix caput inseri poterat ; deinde per foramen in fundo ejus, immittere super sepulcrum brandea, sanctuaria, claves aureas, aliaque, per contactum sepulcri apostolici quodammodo sacranda : de quibus Lonigus, et alii scriptores. Multo autem difficilius fuerit immittere eo per duas,* C *quas dixi, aperturas thuribula, eaque intus super sepulcrum ex unco suspendere. Longimanum enimvero fuisse oporteret, qui id potuerit. Et tamen factum fuit ac fieri consuevit in Confessione S. Pauli Apostoli, teste Benedicto Canonico, de quo supra, imo et in Confessione S. Petri teste Cencio Camerario. Benedictus enim Canonicus in MS. quod Guidoni de Castello Cardinali dedicavit, apud Turrigium in cryptis pag.* 470. *et apud Lonigum ex editione Bonannii pag.* 203. *sic scribit in suo Rituali, pro festo Commemorationis S. Pauli.*

supra sepulcrum Apostolicum,

168 In quarta Lectione surgit Pontifex et intrat ad arcam altaris S. Pauli, ubi est foramen in fundo arcæ super corpus Apostoli : et discooperto eo, mittit manum deorsum, et apprehendit thuribulum in (*Turrigius habet* ex) unco, plenum carbonibus et incenso ; et trahit foras incensum, et carbones dat archidiacono : archidiaconus autem dat per populum, hac ratione : ut quicumque febricitans devote in fide Apostoli ex iis biberit, sanetur. Interim replet thuribulum de carbonibus, et ponit super eos candelam vitream, plenam incenso ; accendit carbones, et candela incipit bullire ; et reponit thuribulum (*addit Turrigius,* in prælibato unco) et cooperitur foramen arcæ a Pontifice super corpus ejus. D *Unica hic apertura est, ad quam recta accedit Pontifex, in* fundo arcæ super corpus Apostoli, *ac per illam* mittens manum deorsum, *apprehendit thuribulum, in cubiculo inferiori pendulum ; quod apprehendere non potuisset, si alia in fronte altaris apertura fuisset, per quam prius antrorsum, ac deinde per aliam aperturam deorsum mittere debuisset manum.*

169 *Similiter fieri consuevisse in Confessione S. Petri, testatur, ut dixi, Cencius Camerarius apud* *quod per illud conspici poterat.* *Turrigium loco citato sic locutus :* Dominus Papa post quartam Lectionem Vigiliæ descendit ad arcam altaris B. Petri, et inde extrahit thuribulum cum candela, quæ alia festivitate a Domino Papa fuit reposita cum carbonibus et incenso ; et postmodum thuribulum cum candela ibidem remittit. *Brevior quidem hic est Camerarius, quam fuit Benedictus Canonicus; eumdem tamen ille ritum indicat in Confessione S. Petri fieri solitum, quem pluribus ille describit pro Confessione S. Pauli. Utrobique comparet Pontifex, et post Lectionem quartam vadit ad altare Confessionis : utrobique extrahit thuribulum et deinde reponit cum carbonibus et incenso et candela. At Camerarius scribit, Pontificem descendere ad arcam* altaris B. Petri : *quod ex supradictis est altare majus, in cujus fundo* E *non fuit istiusmodi foramen. Dixi supra,*crebro *per* altare S. Petri, *intelligi altare majus ; non dixi,* semper et ubique *intelligi. Possunt enim adjuncta orationem illam alio trahere uti etiam hic fit ; dum dicitur Pontifex* descendere *ad altare B. Petri; quod utique non innuit altare majus, ad quod ascendendo pervenire poterat, non descendendo. Adde jam dictis etiam thuribulum, quod fecit Leo III. apud Anastasium pag.* 135. ex auro purissimo, *atque in Confessione S. Petri* misit intus super corpus ejus.

170 *Arcam altaris in præmissis intelligo truncum* *Utrum altare cinctum cancellis fuerit,* *ejus, seu spatium illud, quod sub lapide seu mensa altaris usque ad fundum sæpe sæpius cavum est; in quo et corpora Sanctorum solent recondi, sic dictum a forma et similitudine arcæ, cujus etiam usum atque capacitatem habet, recipiendo in se et conservando impositas* *habentibus in se fenestellam.* *Sanctorum Reliquias, seu undas seu arcæ (unde et ipsum cavum altaris arca dici potuit) inclusas. Potest tamen hoc altare, aut potius arca ejus, non semper, nec omnibus promiscue, patuisse ; sed potest fuisse circumdata cancellis, qui accedente Pontifice aliove ministro, aut persona principe, aperirentur ; ut ad prædictum foramen in fundo arcæ commodior iis aditus pateret. Videntur huc referri posse citata Gregorii Turonensis verba, inquientis, quod* sepulcrum *Apostoli* collocatum F *est* sub altari : *et,* qui orare desiderat, reseratis cancellis, quibus locus ille ambitur [*qui locus, nisi arca altaris? Statim enim post*] accedit super sepulcrum ; et fenestella parvula patefacta *(non in cancellis jam reseratis, sed in fundo arcæ)* immittit introrsum caput, ac orat. *Potest tamen etiam in his ipsis cancellis fenestella fuisse, quæ seorsim aperiretur, pro aliis, qui ad Confessionem orationis causa admittebantur ; ut per illam inferentes caput, per subjectum foramen (si et illud in gratiam eorum aperiretur) cum majori sua consolatione conspicerent ipsum monumentum æneum ubi sancti Apostoli conduntur. Et hæc fenestella cancellorum, potest fuisse prima cataracta respectu valvulæ, quæ cooperiebat foramen in fundo arcæ :* et cataracta secunda *potest appellata fuisse a S. Germano, episcopo* *Quid hic cataractæ.* *Capuano ac Sedis Apostolicæ Legato Constantinopoli, dum petiit, Justiniano, postea Imperatori, reliquias Sanctorum ab Hormisda Pontifice Romano mitti, et* Sanctuaria beatorum Apostolorum Petri et Pauli, si fieri potest, ad secundam cataractam *deponi : nisi fortasse foramen, quod in fundo arcæ, pervadebat totum fornicem, concipiatur (uti concipit Turrigius pag.* 461.) *habuisse valvulas binas, quas totidem cataractas vocaverit*

A *verit Germanus, unam in fundo foraminis, alteram in summo ejus. Et huic quidem admoveri facile a quovis potuerint sanctuaria ac brandea; non item ealvulæ seu cataractæ secundæ, ad quam pro gratia singulari petit Germanus sua sanctuaria deponi.*

An foramen rotundum,

171 *Turrigius eadem pag.* 461. *scribit etiam, quod in medio hodierni sacelli Confessionis, ab Urbano VIII. præcipue ornati, existat* in terra antiquissimum foramen formæ quadratæ. *Sed idem Auctor, uti mox dicemus, in quibusdam MSS. suis notatum reliquit, foramen illud Clementis VIII. jussu* cœmentis oppletum *fuisse. An igitur adhuc extet conspicuum subeuntibus sacellum istud? Fateor, me, cum olim locum venerabundus intravi, ea non reflexisse animum: opinari interim audeo, antiquis temporibus foramen istud non quadratum, sed rotundum fuisse, ac fortassis in meditullio fornicis, infimum cubiculum contegentis. Anastasius quippe in Benedicto III. foramen illud vocat* billicum*sive umbilicum; inquiens, Pontificem istud* in ecclesia B. Petri fecisse cooperculum ex auro purissimo, pensans libras tres, ad cooperiendum billicum Confessionis ejus. *Est autem billicus, sive umbilicus, in fornicibus pars suprema, ubi coeunt paulatim in arctum cœmenta, et clauduntur majori lapide* B *aliquo seu pertuso seu solido: esique idem fere quod tholus. Quam vocem explicans Hadrianus Junius,* Tholus *est, inquit,* testudinis umbilicus in medio tecto, in quem trahium capita *(idem dicendum de laterculis)* conveniunt. *Quod si pertusus est lapis, qui fornicem claudit, debet foramen ejus figuram habere circularem, ut æqualiter premi possit ex omni parte foruicis, eo urgentis. Quod et viecmus factum sse in Pantheo Romano. Successit Benedicto in Pontificatu Nicolaus, qui legitur pag.* 109. *fecisse in eadem Confessione* jugulum de auro mundissimo librarum duarum. *Difficilis sane conjecturæ hic sit interpretatio vocis Jugulus seu Jugulum. Quid si additamentum interpreter (donec alius verisimiliora produxerit) ad cooperculum, quo clausit Benedictus sæpe memoratum foramen; fueritque limbus quidam, circum foramen ductus, et coaptatus dimensione cooperculi Benedictini, quo hoc decentius ac firmius claudi posset: dictus autem fuerit Anastasio Juguluc, a rotunditate per quam in subjectum lobum demitti aliquid poterat; qualis est jugulus in animantibus. Neque aliter decuit, quam ut cooperculo aureo anreus quoque jugulus sive circulus rdderetur, quo scilicet aurea ibi essent omnia prope sepulcrum; aurea et ipsum cruce insignitum in superficie a Constantino.*

et in medio cubiculo fuerit.

C 172 *Huc etiam facit, quod Bonannius de foramine eodem eique subjecto monumento æneo refert ex opusculo quodam MS. Turrigii his verbis:* Cum novi templi Vaticani pavimentum altius deduci et æquari opus esset anno MDXCIV. Jacobus a Porta celebris architectus retulit Clementi VIII. detectum a se foramen, per quod S. Petri monumentum apparebat. Quo audito Pontifex ipse, ductis secum Emimentissimis Cardinalibus, Bellarmino, Antoniano, et S. Cæciliæ; atque admota ab Architecto ardenti face, oculis perlustravit crucem auream sepulcro impositam: deinde jussit vetustissimam aram eodem in loco intactam relinqui; foramen se coram cœmentis oppleri; novumque postea desuper altare, et quidem magnificentius erigi amplioris formæ: quod altare absolutum die Dominico, XXVI. Julii MDXCIV. Cardinalibus XXXVIII. adstantibus, totius Romanæ curiæ interventu innumerabilique populi concursu, ipsemet Pontifex solenni ritu consecravit; et in eo omnium primus incruentum Missæ sacrificium obtulit; sicuti olim anno MCXXXII. Calistus II altare supradictum a B. Silvestro ædificatum, in celebri die Annuntiationis B. Mariæ consecraverat. Hæc affirmat Turrigius a Cardinali S. Cæciliæ enarrata fuisse Aloysio Cittadino, basilicæ canonico, et Joanni Barretto, ejusdem sacræ Confessionis custodi. *Hactenus ex Turrigio MS. Bonannius.* D

Per illud foramen, quod vidisse dicitur Clemens 8, et alii,

173 *Per illud ipsum foramen demittebantur olim, ut diximus, brandea, sive vela quædam super sacrum sepulcrum, ejusque contactu imbuebantur divina virtute, ac donata etiam principibus viris, ecclesiastica secularive dignitate præfulgentibus, et in longinquas regiones dispersa, sperabantur eadem fere prodigia, quæ solet Deus operari per reliquias, quarum contactu sacrata fuerant, sive illæ sanctorum Apostolorum sive aliorum fuerint. Non enim tantummodo Apostolorum reliquiis, sed quorumcumque miraculis ac veneratione populi celebriorum, admovebantur brandea jam tum a temporibus Leonis Magni seculo* V. *Prætermittere non possum, quæ de his Magnus scribit Gregorius ad Constantinam Augustam lib.* 3. *Epist.* 30. *Postquam dixerat, Romanis tunc consuetudinem non esse, ut quando, Sanctorum reliquias dant, quidquam* tangere, *nedum dare,* præsumant de corpore; sed tantummodo in pixide brandeum mittere atque ad sacratissima corpora Sanctorum ponere. Quod levatum, in ecclesia, quæ est dedicanda (*petierat Augusta reliquias, et quidem caput S. Pauli pro nova ecclesia ipsi consecranda*) debita cum veneratione reconditur: et tantæ per hoc ibidem virtutes fiunt, acsi illuc specialiter eorum E corpora deferantur. Unde contigit, ut beatæ recordationis Leonis Papæ temporibus, sicut a majoribus traditur, dum quidam Græci de talibus reliquiis dubitarent; prædictus Pontifex hoc ipsum brandeum altaris, allatis forficibus inciderit, et ex ipsa incisione sanguis effluxerit. *Ita Gregorius.*

C. J. demittebantur ad sepulcrum brandea.

ejus contactu sacranda,

174 *Sed et ipse illud Leonis miraculum renovavit, dum, Legatis quibusdam, data sibi ejusmodi brandea contemnentibus, illa Gregorius altari imposuit, et facta oratione* (ut Deus omnipotens, utrum quod a liminibus Apostolorum de more transmissum est, pro reliquiis martyrum venerari deberet, quantocyus indicaret) incredulos Legatos propius adstare fecit, cultellum petiit, brandeum pupugit; de cujus punctionibus sanguis protinus emanavit. *Hæc et alia, ad rei prodigium spectantia, legi possunt apud Joannem Diaconum in Vita Gregorii, die* XII. *Martii nostri pag.* 154. *num.* 42.

ac deinde res miras operantia.

Gregorio Magno Papæ par ætate Gregorius Turonensis modum quoque immittendi ad sepulcrum brandea (quæ ipse Palliola nominat) et solitum inde extracta comitari miraculum describit libro et capite paulo ante citatis. Posteaquam enim dixerat, illum, qui desiderat orare ad sepulcrum S. Petri, reseratis cancellis super illud accedere, et fenestella parvula patefacta, immittere introrsum caput, ac flagitare quod necessitas promit; sic progreditur: si beata auferre desiderat pignora *(reliquias vocat Gregorius magnus)* palliolum aliquod momentana, *id est bilance,* pensatum, jacit intrinsecus: deinde vigilans ac jejunans devotissime deprecatur, ut devotioni suæ virtus Apostolica suffragetur. Mirum dictu! si fides hominis prævaluerit, a tumulo palliolum elevatum ita imbuitur divina virtute, ut multo amplius, quam prius pensaverat, ponderet: et tunc scit qui levaverit, cum ejus gratia sumpsisse, quod petiit. F

175 *Simili modo ad corpus Apostoli demittebantur claves aureæ, quales, ut ibidem ait Turonensis,* multi faciebant ad reserandos cancellos beati sepulcri, *easque ferentes,* pro benedictione accipiebant priores; *quas crediderim etiam per contactum sepulcri imbutas fuisse superna virtute: certe iis* medebantur infirmitati tribulatorum. *Istiusmodi etiam clavibus, quæ sepulcro superimpositæ fuerant, sæpe alia addebatur prærogativa, vel ab apertione cancellorum, illis facta; vel a scobe catenarum B. Petri iis inculsa: e quibus unam Gregorius Papa ad Recaredum Visigothorum in Hispania regem, recens tunc ab Arianismo conversum*

Demittebantur eodem et claves aureæ aliæque.

C. J.

A *conversum, dono mittens, lib.* 7. *epist.* 126. *sic loquitur* : Clavim parvulam a sacratissimo B. Petri Apostoli corpore pro ejus benedictione, transmisimus ; in qua inest ferrum de catenis ejus inclusum ; ut quod collum illius, ad martyrium alligaverat, vestrum ab omnibus peccatis solvat. *Et infra* : Præterea transmisimus clavim aliam a sacratissimo B. Petri Apostoli corpore, quæ cum digno honore reposita, quæque apud vos invenerit, benedicendo multiplicet. *Hæc clavis aliam prærogativam non exprimitur habuisse, quam quod sumpta fuerit de Apostoli corpore sive sepulcro.*

Quam longe sepulcrum abfuerit a laqueari.

176 *Hactenus ample ostensum est, quod proposuimus in thesi, sub primo cubiculo Confessionis, in quo altare erat, aliud depressius fuisse cubiculum, in eoque sepulcrum Apostolicum, atque ex uno in aliud prospectum patuisse per foramen. Quærere posset curiosus lector, quam depressum fuerit sepulcrum, et superficies ejus quam longe abfuerit a laqueari. Intercessit saltem spatium tantum, quanta fuit longitudo thuribuli quod Benedictus Canonicus supra citatus meminit ex unco laquearis suspendi et supra sepulcrum pendere solitum fuisse. Quod si argentum, de loquitur S. Gregorius in epistola ad Constantinam imperatricem, intelligatur* B *fuisse valvula, quæ claudebat foramen, sepulcro imminens, intercesserit inter illud et laqueare spatium pedum* XV. *Ait enim :* Beatæ recordationis decessor meus, quia argentum quod supra sacratissimum corpus B. Petri Apostoli erat, longe tamen eodem corpore fere quindecim pedum spatio, mutare voluit, signum ei non parvi timoris apparuit. *Loquitur Magnus Pontifex de veneratione, reliquiis Sanctorum debita : quas etiam tetigisse aut vidisse tantum, ostendit ætate sua multis non fuisse impune.*

§. V. De monumento Apostolorum aheneo eique incluso argenteo loculo.

Monumentum æneum, cui contra injurias aquarum et furum,

Conspeximus per foramen in fundo altaris e cubiculo superiori, monumentum ingens aheneum cui loculum cum sacris Apostolorum Petri et Pauli corporibus, uti mox ostendemus, inclusit S. Silvester, duabus præcipue (uti ego quidem existimo) de causis, tum ut sacer thesaurus sic lateret tutius a rapacibus ac violentis manibus ; quæ seculis temporibus non semel rapuerunt cætera quævis basilicæ ornamenta præsertim argentea aureaque : tum ut perpetuo munitus esset contra injurias aquarum, quæ sciuntur per Vaticanam vallem quandoque stagnasse et aliorum Sanctorum corporibus ibi C *tumulatis perniciem attulisse, deplorante id ipsum, ac malo remedium afferente, Damaso Papa in Carmine, quod ei cecinit Mercurius Levita, estque inter Poemata Damasi trigesimum nonum, his versibus :*

Cingebat latices montem *(Vaticanum)* teneroque meatu
Corpora multorum, cineres, atque ossa rigabant
Non tulit hoc Damasus, communi lege sepultos
Post requiem tristes iterum persolvere pœnas :

ac protinus scrutari montem, indagare in fontes, aquam derivare alio aggressus fuit.

corpora Apostolorum cum loculo suo argenteo inclusa sunt,

178 *Loculi, quibus corpora Apostolorum inclusit Silvester tam in basilica S. Petri, quam in S. Pauli quales fuerint et e qua materia, non exprimit Anastasius. Petrus Manlius supra pag.* 37, *n.* 4. argenteum *facit illum saltem loculum, qui est S. Petri : quod et rationi perquam consentaneum est. Quoniam enim perpetuitati sacrarum reliquiarum consulere meditabatur Silvester, non debuit utique illas committere loculo et ligno, quantumvis pretioso ; quia omne lignum diuturnitate atque edacitate temporis tandem corruptioni obnoxium est. Metallum igitur adhibuit; nec voluerit adhibere vilius, quam argentum. Quippe qui tantam supellectilis argenteæ aureæque vim, quantam describit* D *Anastasius, incredibile sane, in ornatum basilicæ, ejusque Confessionis contulit, tribuente liberaliter et magnifice omnia Constantino; quippe ipsi loculo ingens et magni pretii monumentum ex ære, circumposuisse, illudque extrinsecus cruce aurea centum quinquaginta pondo condecorasse legitur : quomodo sustinuisset loculum, ipsa sacratissima ossa contingentem et ambientem, e viliori metallo componi quam argento?*

quale fuerint ex Anastasio,

179 *Monumentum illud æneum, in quo loculus cum corporibus est reconditus, sic describit Anastasius pag.* 154. Ipsum loculum undique ex ære Cyprio conclusit, quod est immobile. Ad caput, pedes v. ad pedes pedes v. ad latus dexterum pedes v. ad latus sinistrum, pedes v. subtus, pedes v. supra, pedes v. Sic inclusit corpus B. Petri *etc. quæ seq. §. dabimus. His plane consonant, quæ habet eadem de re Liber Pontificalis apud Schelstratium tomo* I. *Antiquitatis ecclesiasticæ, impresso Romæ anno* MDCXCII. *Consonat quoque Petrus Manlius plane in principio sui opusculi, ubi prædicta iisdem propemodum verbis ad struit. Sed nemine horum trium alterutrum aliorum clarius ibi explicante, ambigua manet intelligentia citatorum verborum, an videlicet in ænea mole, quæ loculum circumcludit, concipiendi sint pedes* v. *crassi-* E *tudinis, a qualibet superficie loculi usque ad exstimas superficies molis æneæ : an vero pedes* v. *intelligi debeant de crassitudine molis secundum se, ita ut superficies ejus omnes et singulæ habeant pedes* v. *extensionis; atque adeo tota massa sit perfecte cubica.*

180 *Primum videtur magis congruere citatis Anastasii et aliorum verbis,* Undique *enim, id est omni ex parte,* conclusit *Imperator loculum ære, ponens ad caput ejus pedes* v. *æris ; ad pedes ejus, pedes* v. *ac totidem a cæteris argentei loculi superficiebus usque ad cæteras monumenti ænei superficies. Nam cujus, quæso, respectu concipi hic potest caput, pedes latus dextrum etc. quam respectu loculi argentei? qui habuerit formam oblongam, et fortassis desuper cælatam aut anaglypham figuram hominis, seu Petri tantum, seu Petri et Pauli simul; unde caput et pedes et latera dextrum sinistrumque denominari potuerint. Imo nisi Anastasius ejusque sequaces voluerint exprimere, undique a loculo argenteo extendere se crassitiem molis æneæ circumfusæ, in omnem partem pedibus* v. *quid attinebat, tam distincte et quodammodo scrupulose, singulas ejus superficies annumerare ; cum paucis absolvere potuerint rem totam, dicendo, molem æneam loculo circumfusam per omnem sui dimissionem habuisse pedes* v. *aut fuisse cubicam pedum* v. *Et hic quidem magis obvius* F *videtur Anastasii sensus.*

quale ex recentioribus?

181 *Nihilominus sensum alterum puto præferendum esse, qui quamlibet molis æneæ superficiem ad pedum* v. *non amplius, spatium restringit; tum quia primus sensus incomparabilem vim metalli requisivisset; secundus autem moderatum, tantam, quanta suffecit ad consequendum effectum, intentum a Constantino atque Silvestro, ut scilicet moles esset immobilis et auferri nullo umquam tempore posset : tum quia Romanus Canonicus, in illis, quæ Manlio supperaddit, uti mox videbimus, accipit molem quinque pedalem cubicam juxta sensum secundum. Quod et placet amico nostro eruditissimo viro Justi Fontanini, Eminentissimi Card. Imperialis Bibliothecario, qui a me dubii cujusdam solutionem interrogatus, etiam superaddidit in responsione Kal. Feb.* MDCCII. *data, suam de monumento S. Petri æneo sententiam, existimans, ex ipsis etiam verbis Anastasii supra adductis, exploratissimum haberi debere, illud monumentum fuisse* quadratum ; et pedum dimensionem ad latitudinem cujusque partis, non ad spissitudinem, *a superficie monumenti ænei usque ad superficiem inclusi loculi argentei intercedentem, referri debere. Addit quoque firmiorem*

A *firmiorem sententiæ suæ auctoritatem e codice MS. Maphæi Vegii, citans e libro ejus MS. de basilica Vaticana hæc verba :* Tum fabricavit *Constantinus corpori beati Apostoli* insignem thecam argenteam, ære undique et cupro conclusam, qua decentius conditum esset; omni ex latere in longum et in latum, sursum ac deorsum, quinque pedes protensam.

et ex Romano Canonico.

182 *Hæc ille e codice MS. Vegii (eadem verba leguntur in impresso nostro pag.* 62. *n.* 55.) *definientis, ut patet, thecam argenteam cum ære, quo includitur, id est totam massam æris simul et thecæ, omni ex latere seu superficie protendi pedes* v. *Vegio adjungere quoque possum auctoritatem vetustiorem Romani Canonici, qui in editione Pauli de Angelis, pag.* 154. *multa Manlio addidit, atque inter alia de loculo et mole metalli circumfusi sic scribit :* Ac ne umquam a quolibet tam pretiosus thesaurus possit auferri, circa loculum ipsum, quo beatum corpus continetur, tantum æris cuprique liquorem præcepit effundi, ut ex omni undique latere *affusi æris*, et tam supra quam subter, ad v. pedum crassitudinem vastam molem efficeret. *Manifeste hic significatur, tantam æris copiam fuisse loculo circumfusam, ut moles universa efficeretur, ad* v. *pedum crassitudinem, longitudinem,* B *latitudinem et altitudinem, fueritque perfecte cubica quinque pedum.*

Non potuerit pedes 15 esse longum,

183 *Et vero huc etiam reduci debere sensum Anastasii, suadet necessitas. Nam moles, quam conficit sensus Anastasii, datus supra primo loco, tantam vim æris complexa fuisset, quanta forte tunc in ipsa Roma non prostabat venalis; præsertim cum æquale pondus haberi eodem tempore pro monumento simili in basilica S. Pauli via Ostiensi. Si enim concipiamus molem, ex qualibet superficie loculi argentei inclusi extensam crassitudine sua ad pedes geometricos* v. *addamusque loculum argenteum, qui pro statu corporis humani fuerit pedes saltem quinque longus, duos latus, ac duos altus, tota longitudo monumenti ænei contineret pedes* xv. *latitudo pedes* xii. *altitudo totidem; atque ita moles universa, si solida fuisset, continuisset pedes geometricos cubicos æris* 2160. *Pono autem, unicam unam esse partem lineæ pedalis duodecimam : atque inde consequi, pedem cubicum unum continere uncias* 1728 *consequetur porro, in tota massa pedum cubicorum* 2160. *contineri uncias cubicas* 3732480. *Pono iterum, unciam unam æris cubicam habere pondus libræ unius : et consequetur, tot esse libras in pede uno cubico æris,* C *quot sunt unciæ; et similiter tot libras in tota massa, quot unciæ sunt; videlicet* 3732480. *id est milliones tres, septingenta triginta duo millia, quadringenta octoginta pondo. Hinc autem si detrahantur pro cavitate, pedes* v. *longa, duos alta ac totidem lata, pedes cubici viginti, id est unciæ et pondo* 34560. *supererunt in mole illa unciæ et pondo æris solidi* 3697920. *id est milliones tres,* 697. *millia, et* 920. *pondo.*

sed neque duodecim;

184 *Si vero contrahere longitudinem loculi argentei eamque reducere malimus ad pedes duos, ut longitudo ejus par sit latitudini et altitudini; longitudo molis æneæ reducetur pariter ad pedes* xii. *quanta nempe est etiam latitudo et altitudo ejus juxta præmissam suppositionem, atque inveniuntur, tam moles, quam loculus, perfecte cubica, illa pedum* xii. *hic duorum : tota vero æris solidi massa, dempta cavitate pedum octo cubicorum, continebit uncias, adeoque et pondo,* 2997140. *id est, milliones duos, nongenta septem millia, centum et quadraginta; cedetque prædictæ moli, quæ supponebatur pedes* xv. *longa esse, septingentis triginta quinque millibus, trecentis et quadraginta pondo. Quanta tamen, etiam sic, moles! quam ponderosa! quam vasta!*

quia ex comparatione

185 *Miramur æneas columnas cum suo cyborio, erectas ab Urbano Papa VIII. supra altare S. Petri,*

quas scribit Bonannius pependisse universim pondo 186 D 393 : *Miramur copiam metalli, quod idem Urbanus extraxit e portu Panthei, nunc S. Mariæ Rotundæ, conflarique jussit in prædictum cyborium et tormenta bellica plus octoginta, ut scribit Turrigius in Cryptis pag.* 143. *adjungens, totam vim æris pependisse* 450251. *pondo. Multo autem magis miramur scapum obelisci, quem Dominicus Fontana sub Sixto V. transtulit e loco pristino ad umbelicum intercolumnii, quod ante frontispicium basilicæ nunc panditur in aream ovatam, ibidemque erexit, pensantem eodem Fontana teste, pondo* 963537. *Quanto autem molimine steterit istiusmodi translatio et erectio, conjici ex eo potest, quod illis insudarint mille ducenti viri, et centum sexaginta equi; impensaque sint scuta Romana* 37975. *uti notat Bonannius ex Mutio Pansa de Bibl. Vatic. pag.* 120. *quodque annus integer insumptus fuerit conquirendis perficiendisque machinis ad opus tam ardum necessariis; ut idem Bonannius scribit pag. sua* 207.

C. J. *aliarum machinarum*

talis fundi non potuerit,

186 *Sed hæc omnia non magnum pondus videri possunt, si cum ænea mole, seu illa quæ pedes* xv. *supponitur longa fuisse, sive cum altera, quæ pedes tantum* xii. *habuerit, comparetur. In minima enim* E *harum duarum æris massarum continetur totum pondus obelisci ter; totum pondus metalli, e porticu Panthei extracti, sexies; totum pondus columnarum et cyborii supra altare S. Petri decies et quinquies, et amplius. Si modo quis consideret, quanti moliminis fuerit fundere et erigere columnas ac cyborium Urbanianum; aut potius, quanto labore, sumptibus, tempore transvectus fuerit ad spatium, non admodum longum, erectusque sit obeliscus Sixtinus; facile concedet, humanis viribus atque arte moveri vix potuisse massam, triplo et amplius graviorem obelisco illo. At in loco ipso confessionis massa talis parata fuit. Dicit quippe Romanus Canonicus,* circa loculum, quo beatum corpus continetur, tantum æris cuprique liquorem fuisse effusum, ut ex omni undique latere... vasta moles efficeretur.

saltem simul,

187 *Verum quis non animadvertat, crudiorem hanc esse orationem atque incredibilem, quatenus asserit, liquefactum æs cuprumque circumfusum loculo fuisse; præsertim si prætendatur fuisse circumfusum tanta copia, ut excreverit in massam alterutram ex supra descriptis? Imprimis enim notissimum est, eam esse vim liquidi æris, ut copiose circumfusum lipsanothecæ ligneæ, lapideæ, argenteæ aut etiam aureæ; illam cum* F *suis reliquiis dissolvere penitus et consumere debeat. Deinde velim mihi explicet aliquis, artis fusoriæ peritus, quo vase tantum æris pondus capi, quo igne liquefieri, quibus machinis moveri, quo denique modo fundi et in talem formam conflari potuerit. Considero enim quanti laboris, artis ac moliminis sit fundi tormentum bellicum aut æs campanum, quod pendat tantummodo* 25000. *pondo; quantique fuerit, conflari columnas cyborii Urbaniani, de quibus supra; et statuas æreas quatuor sanctorum Ecclesiæ Doctorum, quæ sustentant cathedram S. Petri, opus Alexandri VII. magnificentia dignum; cum tamen singulæ columnæ cum suis basibus et capitulis, teste Bonannio pag.* 159. *non pendant amplius quam* 27946. *pondo; statuæ vero singulæ, eodem teste pag.* 136. *pendant, Ambrosii quidem pondo* 34023. *Augustini vero,* 30791, *Chysostomi* 27791. *Athanasii,* 23652. *Considero, inquam, ista quam sint ardua, et fateri cogor me non capere; quo pacto massa, quæ viginti quinque millia pondo, centies, decies et octies in se complectitur (qualis est minima e duabus supra descriptis) liquefieri simul et fundi possit.*

Fuerit igitur quinque pedale tantum per omnem superficiem,

188 *Quamobrem recurrendum mihi est ad alteram sententiam, quæ universo monumento æneo tribuit, juxta explicationem Maphæi Vegii, et Romani Canonici, formam cubicam quavis superficie pedes* v. *protensam,*

C. J.

A *tensam, id est latam longamque et altam. Hanc eamdem explicationem videtur Onuphrius Panvinius pag.* 39. *descripsisse ex Mophæo Vegio, hisce suis verbis :* Silvester et Constantinus summo cum honore ita collocarunt *corpus S. Petri Apostoli.* Primo fabricarunt ei insignem thecam argenteam, ære undique et cupro conclusam, qua decentius conditum esset; omni ex latere in longum et in latum, sursum ac deorsum, pedes v. protensam. *Hæc massa ænea, ut jam notavimus ad verba Vegii, fuit quadrata et perfecte cubica, in qua pedes quinque referendi sunt, non ad crassitudinem æris undique loculum argenteum ambientis; sed ad latitudinem ac longitudinem superficierum totius molis. Crassitudo autem prædicta æris (si ponamus loculum habuisse extensionem duorum pedum quaquaversum) non fuit major, quam unius ac dimidii pedis. Atque ita contineret hæc tota moles ænea quinquepedalis, si solida foret, pedes cubicos non amplius* 125. *qui numerus multiplicatus per uncias* 1728. *ut supra, produceret uncias* 341000. *pro tota mole ista. Detractis autem inde pro cavitate pedibus octo cubicis (tot enim insunt in loculo bipedali cubico) id est unciis* 14224, *supererunt in mole illa quinquepedali cubica, tam unciæ, quam pondo æris solidi* 326776.

non fusum simul et semel circum loculum,

B 189 *Hæc porro moles, quamvis decima quarta tantum pars sit unius, et decima sexta alterius, supradictarum æris massarum, et fundi potuerit, non tamen existimo, circum loculum fusam fuisse propter adductam rationem liquefactionis. Hæc quippe æris liquidi copia, tametsi exigua videri possit, illam comparanti cum præmissis multo majoribus massis, non minus tamen quam illæ, dissolveret consumeretque quidquid argenti alteriusve metalli in medio sui positum offenderet.*

sed seorsim massis duabus,

Quamobrem opinari malim, fusam quidem fuisse molem prædictam, sed seorsim a loculo, et duabus fusionibus, quarum una conflaverit urnam, loculi capacem, ea crassitie et forma, qua diximus; altera vero effecerit cooperculum quinquepedale ; urnæ et incluso ei loculo imponendum, atque uncis et ferrumine cum urna probe consolidandum. Aut potius concipio sex sesquipedali crassitudine massas, seorsim fusas singulas : quarum ima et suprema æquales sint, longæ latæque pedes v. *quibus laterales, duos tantummodo pedes altæ, circum insertæ atque inter se commissæ, reliquerint in medio sui cavitatem pro recipiendo loculo, itidem duorum pedum : atque ita supposita primum fuerit ima, quam dixi, massa cum lateribus ; tum imposito in cavitate media loculo ; denique superimposita sit massa*

aut forte sex distinctis.

C *reliqua ; et juncturæ omnes uncis, ferrumine, chrysocolla, aut alio tenaciori glutine sic solidatæ fuerint. ut non modo penetrare aqua per illas nulla possit ; sed ipsæ etiam juncturæ nihilo facilius possint dissolvi, quam qua solidissimum est metallum.*

190 *Denique quinquepedalis forma cubica monumenti ænei placebit præ oblonga pedum duodecim, aut quindecim, illis quoque, qui ægre possunt capere, quomodo tum longa massa, nulla parte fuerit deprehensa a molientibus fundamenta operum, illic sæpe factorum, præsertim quando superimpositum fuit ab Urbano VIII gravissimum pondus ænearum columnarum et cyborii. Sed horum opinio ad summam rei non multum affert momenti ; nec probatio subsistit, si fides habenda est relationi, quam descripsimus ex Bonannio, deprehenso sub Clemente VIII. per foramen tumulo ; aut si verum est, quod notat Schelstratius tomo* I. *Antiquitatis Ecclesiæ pag.* 453. *ad librum Pontificalem in Silvestro ;* Porro, *inquiens,* etiamnum urna ærea, *quæ loculum cum sacris reliquiis includit,* extat sub altari S. Petri in basilica Vaticana ; quam forsan renovari jussit Otto IV. qui tempore Innocentii III. regnavit. Nam, si recte memini, Ottonis Imporatoris, et Innocenti III. nomina in ea incisa legi. *Sed non recte meminerit Illustrissimus vir, nec potest esse verum*

An visum a Schelstratio monumentum istud.

quod scribit, nisi forte urna, suo ipsius pondere omnino D *immobilis, simul atque ab ipso visa fuit, inde ablata sit, aut in fumum abierit. Certe qui cum Schelstratio Romæ vixerunt ac vivunt, atque ex professo de basilica, Confessione ac tumulo S. Petri scripserunt, nusquam ejus urnam æream conspexere, et rogati illa super re eam plane ignorant. Neque vero debuit urna, a Constantino perpetuitati facta, ab Ottone, aut Innocentio vel deinceps renovari ; ære et pondere suo ab injuriis hominum temporumque tuta. Viderit igitur Schelstratius aliquam urnam ; non viderit quam putavit se videre urnam S. Petri : quam vidisse Clementem VIII. magis verisimile est.*

191 *Ut tamen etiam concedatur, neque Schelstratium, neque Clementem Papam vidisse, neque ullos fossores detexisse urnam æneam : nihilominus concludi recte non potest, urna ænea nusquam deprehensa fuit a molientibus fundamenta operum, illic sæpe factorum, igitur non est pedes* XII. *aut* XV. *longa. Nam qualiacumque opera nova, successu temporis illic excitata fuerint non debuerunt illa tam alte fundari, ut tumulum contingerent, cum tam solida firmiterque cæmentata sint omnia supra et circum, ut quodlibet pondus superimpositum ferre possint. Imo, quod ad columnas cyborii Urbaniani attinet, illæ tam longe distant inter se, ut non modo urnam pedum* XV. *sed etiam dimidio* E *longiorem, includere possint. Magis solida sunt igitur alia argumenta, quæ adduximus pro urna quinquepedali ærea, quam hoc ultimum, ex longitudine urnæ desumptum.*

§ VI. Corpora Apostolorum, an singula seorsim, an dimidiata in Basilicis Vaticana et Paulina serventur.

Textus Anastasii, de inclusione corporis S. Petri corruptus.

P*aragrapho præcedenti num.* 179. *dedimus verba Anastasii Bibliothecarii, quibus molem et formam monumenti ahenei S. Petri in Confessione ejus Vaticana descripsit. Quæ exinde sequuntur de aliis loci operibus atque ornamentis hic proponimus. Sic Constantinus Augustus rogatu Silvestri Episcopi,* inclusit corpus B. Petri Apostoli et recondidit, et ornavit supra ex columnis porphyreticis, et alias columnas vitineas quas de Græcia perduxit. Fecit autem et cameram Basilicæ ex trimma auri fulgentem, et super corpus B. Petri æs et quod conclusit. Fecit crucem ex auro purissimo pensantem libras centum quinquaginta. In mensuram loci, ubi scriptum est hoc. F Constantinus Augustus et Helena Augusta hanc domum regali simili fulgore coruscans aula circumdat, scriptum ex litteris puris nigellis in cruce. *Ita Anastasius in editione Parisiensi , quæ ad præsens argumentum faciunt quidem, sed tam contorta et obscura sunt, ut OEdipo opus sit, qui explicet. Torquet certe oratio ingenia eruditorum, dum alii, addendo, alii demendo, alii mutando, intelligibilem reddere conantur.*

collatus cum textu Manlii,

193 *Ego in subsidium advoco Petrum Manlium nostrum, supra editum ex codice MS. qui seculis quidem tribus posterior Anastasio, proximus tamen omnium, qui de eodem argumento sciuntur scripsisse : quique Anastasium ipsum, aut librum Pontificalem, aut utrumque, noscitur in rebus antiquioribus, præ oculis habuisse, ipsismet eorum verbis frequenter usus. Ille autem textum Anastasii et libri Pontificalis, paulo ante descriptum, habet quidem, sed aliter dispositum, non ex suo, opinor, cerebro : sed ex codice Anastasiano, aut libri Pontificalis exemplo minus vitiato, quam quæ nunc passim habentur : locus exigit, ut ipsum ejus textum, tamquam Anastasii atque Pontificalis libri interpretem, adscribam. Postquam illorum verba de monumenti ænei dimensionibus ac immobilitate citaverat, ita prosequitur*

A *tur planiore, quam ipsi, oratione, pag. nostra* 33. *n.* 5. Sic inclusit corpus beati Petri et Pauli ; et exornavit superius altare ejus et arcam ex auro fulvo ; et fecit cyborium ex columnis porphyreticis et auro mundissimo ; posuitque ibi ante venerabile altare ejus ad ornatum ejusdem basilicæ duodecim columnas vitineas, quas de Græcia portari fecit, quæ fuerunt de templo Apo ınis Trojæ. Posuit et super corpus beati Petri crucem ex auro puro, habentem centum quinquaginta libras auri, in qua est scriptum CONSTANTINUS AUGUSTUS ET HELENA AUGUSTA. *Ita Manlius. Faciet huc etiam Maphæus Vegius, qui videri potest supra pag.* 62. *num.* 55.

intelligibilis redditur

194 *Ex hisce textum libri Pontificalis atque Anastasii corruptissimum, uti sæpe alibi, reformare in parte quivis per se potest. Ego hoc aut simili modo reddendum existimo : ubi quæ ex Manlio inseram talibus* [] *signis distinguentur* ; *quæ ego claritatis causa interpono, charactere Italico scribentur :* Sic inclusit corpus B. Petri et recondidit*;* et ornavit supra (altare ejus ex auro fulvo ; et fecit cyborium) ex columnis porphyreticis ; et (posuit ante altare ejus duodecim) alias columnas vitineas, quas de Græcia perduxit. Fecit autem et cameram basilicæ ex trimma auri B fulgentem. Et super corpus B. Petri, et æs quo id conclusit, fecit crucem ex auro purissimo, pensantem libras centum quinquaginta, in mensuram loci, *videlicet sepulchri ænei* ; ubi scriptum est hoc, Constantinus Augustus et Helena Augusta. *Hactenus mihi videor sensum Anastasii et libri Pontificalis reddidisse intelligibilem. Jam enim ad textum Manlii pag.* 34. *notavi, Inscriptionem,* Constantinus Augustus et Helena Augusta, *sic terminandam : quo vero subsequitur ibidem,* fecit, *aut* fecerunt, *spectare ad sequentia videlicet,* Fecit et basilicam B. Paulo Apostolo via Ostiensi.

pro utraque parte.

195 *Quid jam porro de illis, quæ continuant in Anastasio prædictam inscriptionem crucis?* Constantinus Augustus et Helena Augusta hanc domum regali simili fulgore coruscans aula circumdat, scriptum ex litteris puris nigellis in cruce. *Hæc æque corrupta sunt ac præcedentia. Observarunt corruptionem illi, qui in Conciliis Labbeanis tomo* I, *in Vita Silvestri Papæ col.* 1411, *et apud Panvinium de septem ecclesiis pag.* 40, *ita conati sunt emendare:* Constantinus Augustus et Helena Augusta hanc domum, regali simili fulgore coruscantem, auro C circumdant. *Correctio hæc planum quidem reddit sensum citatorum verborum ; sed minori mutatione restitui sensus Anastasii potest per solam interpunctionem majorem post τὸ* Helena. *Sic ut ibi Inscriptio terminetur, uti apud Manlium terminari diximus ; et quæ sequuntur, alio spectent, ac transponantur post ultimum citati ex Anastasio textus membrum, hoc modo ;* Fecit crucem ex auro purissimo, pensantem libras CL, in mensuram loci, ubi scriptum est hoc. CONSTANTINUS AUGUSTUS ET HELENA AUGUSTA. Scriptum ex litteris puris nigellis in cruce. Hanc domum regali simili fulgore coruscans aula circumdat. *Per* hanc domum *intellige Confessionem, in cujus infimo cubiculo erat sepulcrum cum sua cruce aurea et inscriptione : per τὸ* aula coruscans, *intellige aut illud ipsum cubiculum, aut etiam superius, ubi erat foramen et altare, et ubi obibantur ceremoniæ solennes etiam ab ipsis Pontificibus : ut merito aula coruscans appellari ex ornatu potuerit.*

Quod solius Petri corpus in basilica, Vaticana sit,

196 *His præmissis, veniamus ad propositam quæstionem, utrum corpus S. Petri totum in Confessione Vaticana inclusum fuerit ; et S. Pauli totum in Paulina : an vero in utraque utriusque corporis pars dimidia. Dicit Anastasius,* sic inclusit *Constantinus* corpus B. Petri *in Confessione Vaticana, nullam faciens mentionem corporis B. Pauli, nec corporum dimidiatorum. Et Cardinalis de Laurea in Indice suo ad Annales Baronii* (*quod opusculum ejus postumum est*) *sub voce* Petrus, *non uno loco innuit,* videri *sibi* solum corpus S. Petri *esse in ejus ecclesia Vaticana. Nihilominus dimidiata utriusque Apostoli corpora, quod supra diximus, in utriusque basilica quiescere suadent traditio et inscriptiones nonnullæ, non quidem antiquissimæ, tales tamen, ut verosimiliorem reddant opinionem hanc, quam quæ sustinet, solius Petri corpus in Vaticana, solius Pauli in Paulina basilicis esse.* D

C. J.

non probatur ex Baronio.

197 *Loca Baronii, quæ in Indice Laureæ notantur, quantum hactenus deprehendere potui, aliud argumentum eo faciens non habent, quam quod omnia, quæ ibi de sepulcro et Confessione in basilica Vaticana existentibus tractantur, solius Petri referantur nomine. Hinc autem consequi nullo modo debet, ibidem dimidium quoque S. Pauli corpus non quiescere. Quemadmodum non sequitur, dimidium corpus S. Petri non quiescere etiam in basilica S. Pauli, ex eo quod Auctores, qui de sepulcro et Confessione, in basilica Paulina existentibus, scribunt, solius Pauli utantur nomine, tametsi corpus quoque S. Petri ibidem quiescere ipsi censeant. Ratio sic loquendi et scribendi esse potest, quia cum una basilica uni, altera vero alteri Apostolo seorsim, ab iisdem Imperatore atque Pontifice ædificatæ et dedicatæ fuerint ; quidquid ad singulas attinet, sub singulorum Apostolorum nomine, sub quo consecratæ fuerunt, referri solet ; nulla Pauli aut corporis ejus inter scribendum de basilica S. Petri, nulla Petri aut corporis ejus inter scribendum de basilica S. Pauli, habita ratione, tametsi sepulcra et Confessiones utrobique eis communia sint. Non alia quoque de causa videtur Gregorius Magnus in epistola sua ad Constantinam Augustam, tractans de sepulcro, quod etiam tum S. Laurentio et S. Stephano Martyribus commune erat, aut certe putabatur esse ; solius tamen Laurentii corporisque ejus, nullam Stephani mentionem facere ; quia nempe illi, non isti, dedicata basilica erat. Similiter credi potest, quod idem Gregorius in eadem epistola solius corporis S. Pauli meminerit, non Petri ; quia agit ibi de sepulcro, quod est in basilica Paulina, soli Paulo dicata.* E

An utriusque ossa sic fuerint inter se confusa,

198 *Aliter a nobis recedunt alii, qui apud Paulum de Angelis pag.* 155 *opinantur, ossa utriusque Apostoli ita inter se confusa et permixta fuisse, ut partituro illa Silvestro, post indictas populo preces et jejunia, divinitus revelari debuerit ;* ossa majora, Prædicatoris ; minora *vero,* Piscatoris *esse : et hanc ipsam historiam ait citatus de Angelis,* se descriptam vidisse in pariete porticus veteris basilicæ S. Petri, quæ versus pineæ atrium existebat. *Nihilominus ad apocrypha scripta et picturas isthæc puto referenda et neutiquam admittenda esse ; contradicente illis S. Joanne Chrysostomo homilia de Principe Apost. tomo* 5, *col.* 1415. *appellante Paulum* tricubitalem : *et Nicephori libro* 2 *cap.* 37, *qui eumdem* corpore parvum et contractum atque incurvum *describit, id verosimiliter edoctus ex antiquioribus monumentis. Eodem reduci etiam, poterunt ipsius Pauli verba, referentis* 2 *Corinth.* 10. ℣. 10. *quid de se dicant homines,* Epistolæ ejus graves sunt et fortes, præsentia autem corporis infirma. *De Petro citatus Nicephorus eodem loco scribit, non quidem* crassa corporis statura fuisse, sed mediocri, et quæ aliquanto esset erectior. *His positis de utriusque Apostoli statura, minore Pauli, majore Petri, ruit prædicta qualis qualis revelatio, contrarium asserens ; nec credi potest divina esse, nisi id aliis monstretur argumentis.* F

ut non potuerint secerni inter se.

Creditur medietas amborum utrobique esse ex traditione,

199 *Præferamus igitur traditionem præmissam, quæ utriusque corporis medietatem alterius medietati junctam fuisse, jam olim vulgavit, ut in utraque basilica ambo Apostoli æqualiter honorarentur ; et gloriosi Principes terræ, quomodo in vita sua dilexerunt se,*

atque

A *atque in morte non sunt separati, ita neque post mortem separarentur corpora. Hujusce traditionis monumentum servatur hodiedum lapis porphyreticus, qui fuit olim altare SS. Petri et Pauli*, de Ossibus Apostolorum *cognominatum, stabatque prope ab altari majori ante ingressum Confessionis hypogææ. De illo tractavimus Sect. C. litt. z. In demolitione post·emæ basilicæ istiusque altaris, lapis ille translatus fuit ad frontispicium basilicæ, et non uno loco mansit, uti Sect. A. litt. r. dictum est. Postea migravit ad Cryptas Vaticanas; atque inde denuo relatus anno* MDCXXXIX, *jussu Cardinalis Barberini in novam basilicam, illic collocatus fuit ad dextram ingredientium prope altare Crucifixi. Denique nec ibi diu manserit; cum annis abhinc ferme quadraginta ipsum viderim affixum ad lævam ingredientis supra vas aquæ benedictæ: atque inde anno* MDCCII. *noster pro lingua Belgica Pœnitentiarius Pontificius, Jacobus van Eyl, formavit mihi scripturam secundum omnes apices suos, prout incisa est litteris Gothicis, et nonnullibi notis compendiariis. Inscriptio sic habet.* † Super isto lapide porfiretico fuerunt divisa ossa sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ponderata per beatum Silvestrum Papam sub

C. J.

B anno Domini CCCXIX, quando facta fuit ista ecclesia.

confirmata ex antiquis marmoribus

200 *Quando sic insculptus fuerit lapis iste, non est facile definitu. Nominatur a scriptoribus passim* vetustissimus *et* antiquissimus; *et confirmatur vetustas ex forma characterum insculptorum. Constat quoque ex dictis nostris, fuisse jam seculo* XII, *super altare de Ossibus Apostolorum, quod potest ante seculis aliquot fundatum fuisse, cum origo ejus non inveniatur. Non tamen potest lapis sculptus fuisse ante seculum* IX, *cum in illo exprimatur* annus Domini, *vix tum obtinente tali modo annos scribendi. Quod autem altare de Ossibus Apostolorum ac lapis iste seculo* XII. *extiterint, abunde declarat ejusdem seculi scriptor Romanus Canonicus, locum quoque, ubi stetit altare, indicans.* Erat *nempe* ante aditum, qui vadit in Confessionem B. Petri, ubi eorum ossa pretiosa, ut dicitur, ponderata fuere. *Cur autem ponderata? nisi ut æqua portione uterque loculus utriusque medietatem reciperet; non tamen sic ut confunderentur aut permiscerentur inter se utriusque ossa (uti ego quidem reor) sed ut singulorum medietas aut pretioso panno involuta prius fuerit; aut divisis per septum transversum loculis, una medietas in una parte,*

C *altera in altera reposita sit.*

annum ædificatæ basilicæ Vatic. recte notantibus;

201 *Quod in lapidis inscriptione ponderatio reliquiarum atque ædificatio basilicæ affigatur anno* CCCXIX, *nec reddere illam de falsitate suspectam potest (quamvis Turrigius inscriptioni a se relatæ subjungat, quod Cardinalis Baronius ædificatam scribat basilicam anno* CCCXXIV,) *nec debet ullum ei afferre præjudicium. Quin imo ille ipse annus est, quo nos tomo* VII *Junii pag.* 410 *monstravimus, basilicam completam et consecratam, et in ea Apostolorum corpora deposita fuisse. Atque adeo inscriptione illa confirmatur proposita ibi sententia nostra de completa anno* CCCXIX, *basilica Vaticana a Constantino et Silvestro. Sed ad traditionem de divisione corporum redeo.*

item ex aliis inscriptionibus

202 *Firmitatem illi addit inscriptio alia, quam Turrigius pag.* 49, *dicit legi in basilica S. Pauli via Ostiensi super altare majus his verbis:* Sub hoc altari requiescunt, gloriosa corpora Apostolorum Petri et Pauli pro medietate: reliqua autem medietas reposita est in S. Petro: capita vero in S. Joanne Laterano. *Huic accedat inscriptio alia, forte antiquior, quæ legitur apud Baronium tomo* XII, *ad annum* MCXLIV, *pag.* 305, *descripta ex sepulcro Petri Leonis in atrio ejusdem basilicæ S. Pauli, sub annum citatum illic conditi: Petri, inquam, Leonis, Consulis Romani, Paschalis Papæ II, defensoris præcipui, non filii ejus, patri cognominis, qui e Cardinali factus antipapa contra Innocentium II, turbavit Ecclesiam. In dicto sepulcro hi versus insculpti fuere, et sic leguntur apud* D
Baronium:

Te Petrus et Paulus conservent, Petre Leonis.
Dent animam cœlo, quos tam devotus amasti:
Et, quibus est idem tumulus, sit gloria tecum.

Aliud hinc non sumo, quam quod eadem traditio ac opinio de divisis bifariam corporibus Apostolorum, jam tum viguit in basilica S. Pauli, quæ temporibus Romani Canonici eodem seculo tenuit in S. Petri.

et S. Joanne Chrysostomo

203 *Atque ecce dum hisce intendo, contingit mihi alia de causa inspicere S. Joannem Chrysostomum, atque invenire ibi argumentum oppositum in rem præsentem. Tomo* 4, *operum ejus juxta editionem Parisiensem anni* MDLXXXVIII. *col.* 267. *laudans Romam, quod sanctorum Apostolorum Petri et Pauli corpora instar solis, radios splendoris sui toto orbe effundentia, possideat;* Considerate, *inquit*, quale spectaculum *aliquando* visura sit Roma; Paulum videlicet repente ex theca illa cum Petro resurgentem, in occursum Domini sursum ferri. Θήκη *græce, Latinis proprie est* conditorium, loculus, sepulcrum, *et hoc loco aliud non sonare, patentissimum est ex contextu. Ex sepulcro enim resurgere debent Apostoli, ut occurrant Domino in die judicii: ex sepulcro autem illo, utique uno et eodem,* E
resurget uterque, Paulus cum Petro: atque adeo in sepulcro illo uterque creditus fuit quiescere a Chrysostomo: qui et confirmare mox sententiam illam videtur, cum sic optat col. 269. Vellem videre sepulcrum Pauli, *cujus* corpus urbem *Romanam* munit, *et* cum isto *videre* etiam *in eodem sepulcro* corpus Petri, *quam* hinc emigrantem, contubernalem sibi dignata est facere illius caritas. *Hinc emigrantem Petrum per mortem, sibi Paulus* contubernalem *fecit; græce* ὁμόσκηνον, *quod est* ejusdem tabernaculi consortem. *Quodnam autem tabernaculum Petro post mortem manebat nisi sepulcrum? In illo igitur contubernalem sibi Petrum post mortem Paulus habuit, saltem tempore Chrysostomi; quemadmodum et in Vita ipsum (ut citato loco idem Chrysostomus)* viventem honoraverat, *dum* ascendit *Hierosolymam* videre Petrum.

nec non ex Andrea Fulvio antiquario.

204 *Sententiæ nostræ, aut potius traditioni vulgatæ, subscribit Andreas Fulvius, eximius antiquarius; eaque ei visa fuit tam vera, ut in Panegyrico suo poemate, quod Julio Papæ II inscripsit, ita eidem canere ausus sit lib.* 1. *ubi de monte Vaticano:*

Stat penetrale sacrum templi majore sub ara,
Quam Constantinus, sacratæ conditor ædis,
Argento et cupro gemnisque ornavit et auro; F
Muneraque ejusdem largitus plura metalli,
Hic ubi clavigeri Petri, commixtaque Pauli
Ossa simul recubant, communi tecta locello.

Idem quoque censuit ducentis ante Fulvium annis, Jacobus Cajetanus de Stephanescis, Diaconus Cardinalis, in suo quodam Poemate, ita canens; locus subter altare, fusi sub tegmine cupri
Corpora sacra tenet, totum veneranda per orbem,
Ætherei Petri, Pauli quoque... *Poematis istius partem majorem huc spectantem vide* §. *seq.*

§ VII. Explicatio ulterior textus Anastasiani, ex Manlio suppleti: ubi de columnis porphyreticis ac vitineis, et trimmate auri.

Columnæ porphyreticæ Anastasii

Quandoquidem textus Anastasii num. 194 *correctus, nunc per se intelligi satis potest, opus non erit multa ejus explicatione. Descripta inclusione corporis S. Petri in Confessione, transit Anastasius ad altare majus, quod in basilica supra Confessionem stabat, scribitque hunc in sensum: Illud altare Constantinus ex auro fulvo ornavit; fecitque desuper cyborium ex columnis quatuor porphyreticis; ac ante idem altare posuit alias columnas*

A *columnas vitineas*, (*Manlius addit*, duodecim : *quod num.* 200 *improbavimus*) *e Græcia transvectas. Tum fecit etiam cameram seu fornicem ipsius basilicæ ex trimmate auri fulgentem. Hæc omnia fuisse facta in ipsa basilica, non in Confessione, de qua ante loquebatur Anastasius, uti per se patet, ita facile ostenditur ex diversitate columnarum, quæ cyborium prædictum altaris majoris, et quæ cyborium sepulcri sustentabant. Columnæ etenim, de quibus loquitur Anastasius, erant* porphyreticæ ; *aliæ vero erant* candore niveæ, *uti testatur Gregorius Turonensis, seculis saltem duobus senior natu Anastasio, cum lib.* I *gloria Martyrum cap.* 28 *dicit, præter columnas* XCVI *quadruplici ordine per templum, et quatuor in altari majore dispositas, fuisse alias quatuor miræ elegantiæ,* quæ cyborium sepulcri sustentant candore niveo : *uti ipsemet vidit, initio Pontificatus Gregorii Magni Romam peregrinatus, et magna cum reverentia a sancto Pontifice exceptus, atque ad* B. Petri Confessionem introductus: *ubi etiam* ad altare *diu constitit orationi vacans ; quemadmodum legitur in ejus Vita, prædicto de gloria Martyrum opusculo præfixa.*

super altare majus basilicæ, ab aliis quas in Confessione vidit Gregorius Turon. distinctæ.

206 *Cum igitur Turonensis oculis suis viderit,* B *quatuor esse columnas candore niveas, quæ sustentant cyborium sepulcri in camera seu cubiculo Confessionis ; atque addat, quatuor alias stare in altari majore, quæ sustentant ejusdem altaris cyborium ; istæ sunt utique columnæ illæ ipsæ, quas alii cum Anastasio appellant porphyreticas ; quamvis Turonensis non indicet, cujus materiæ aut coloris fuerint. Perstiterunt ibidem loci columnæ eædem porphyreticæ adhuc post mille annos, cum suo tegmine argenteo, quod post dispoliationem templi Saracenicam, impositum illis denuo fuit, quodque jam longinquitate temporis contraxerat colorem atrum. Præclare de his canit Jacobus Cajetanus de Stephanescis, ad velum aureum Cardinalis Diaconus in suo Poemate, gesta S. Petri Cœlestini, et simul coronationem Bonifacii VIII. complexo, quod nos e MSS. primum edidimus pro die* XIX *Maji : ubi pag.* 465. *litt.* C, *scribit. Quod electus Pontifex Bonifacius inter Cardinales ut coronaretur medius gradiens,*

seculo 13. et 14. superfuerunt,

207 .... Accessit ad altum
Egregiumque decus fidei, venerabile donum
Christicolis, altare Petri, de marmore cæsum,
Porphyriisque gerens fulvis a celte columnis
Quatuor, argenti cœlum ; quod tempus in atrum
Verterat ; ac subter fusi sub tegmine cupri,
Corpora sacra tenens, totum veneranda per orbem,
C
Ætherei Petri, Pauli quoque, gentibus almi
Doctoris : quo solus Apes solusque Sacerdos
Chrisma capit flagrans : decet hæc nam gloria Primum.

Ne quis autem dubitet, an hic altare Petri, *quo ducitur Pontifex consecrandus, sit altare majus, an vero altare Confessionis, sciat e Centio Camerario, ceremoniarum Magistro, ac dein summo Pontifice (qui centum fere annos ante papatum Bonifacii VIII, ritus consecrationis et coronationis descriptos reliquit) quod proxima die Dominica ab electione sua novus Pontifex vadit ad ecclesiam B. Petri, et* ante altare majus, prout in Ordine, *seu ordinario ceremoniarum libro,* continetur, *ab episcopo Ostiensi consecratur. Neque vero tantum ante Bonifacium VIII ritus ducendi Electum ad altare majus in usu fuit, sed etiam deinceps tenuit, ut videre est in Pontificali Romano, quod habemus impressum Venetiis anno* MDLVI : *idque factum quoque suo tempore fuisse, indicat duobus ultimis versibus Poeta citatus, dum ait, ductum fuisse Bonifacium ad altare, in quo* solus Apex solusque Sacerdos *(antonomastice, summus Pontifex) consecratur. Consecratur is autem ex singulari jure et prærogativa, omnes alios cujuscumque dignitatis inde excludente, in altari*

D *majore. Hæc nempe gloria debetur Primo et summo Pontificum. Notari etiam obiter potest, quod in citatis versibus confirmetur sententia, quam supra secuti sumus de depositione corporum utriusque Apostoli, saltem dimidiatorum, in basilica Vaticana : dum dicitur quod* fusi sub tegmine cupri Corpora sacra Petri et Pauli latent.

208 *De iisdem columnis Porphyreticis, quæ diu post Bonifacium prædictum superfuerunt, libet etiam audire Vegium, de Constantino pag.* 63. *n.* 35. *sic scribentem :* Supra altare, cui subjacet *(medio tamen cubiculo Confessionis superiore)* corpus B. Petri, statuit nobile tegimen auratum, quatuor porphyreticis columnis (*addit centum post annos Panvinius*, quæ adhuc extant,) erectum : quod postea Leo IV (*circiter annum* DCCCL) argento puro eximie ornavit. *Ex his consequitur, tempore Vegii, adhuc superfuisse in altari majore columnas porphyreticas quatuor ; jam inde a Silvestro et Constantino primum ibi positas ; et potuit illas Leo IV argento puro eximie ornasse. Verum Anastasius pag.* 187. *dicit, Leonem fecisse* miræ magnitudinis ac pulcritudinis, *super B. Petri venerandum altare,* cyborium et columnas ac lilia aurata ex argento purissimo, pensante libras MDCVI. *Quæ* E *columnæ argenteæ videri possent successisse loco porphyreticarum. Quo igitur pacto hæ superfuerint deinceps ibidem tot seculis ? Magna, fateor, fuit argenti vis, quam ibi Leo operibus istis impendisse legitur : non tamen continuo putandum, columnas porphyreticas propterea amotas fuisse.*

visæ etiam a Maphæo Vegio in eodem altari sec. 15.

Non igitur fuerunt oblatæ a Leone 4.

209 *Mihi certe credibile non est, Leonem solidas quatuor ex argento columnas ibi posuisse ; tum quia ne singulæ quidem ex massa argentea librarum mille sexcentarum formari potuerunt, tam crassæ atque sublimes, ut sustentare valerent cyborii cœlum sive tegmen ; tum quia hoc ipsum tegmen (quod credidero totum ex laminis argenteis conflatum fuisse, uti etiam videtur fuisse illud, quod primitus ibi posuerant Constantinus et Silvester) insumpserit, pro amplitudine et crassitudine sua, majorem prædicti ponderis partem. Quod vero inde potuit superesse impenderit Leo in ornatum columnarum et lilia. Simili modo loquitur et intelligendus est Anastasius, ubi scribit de Gregorio Magno, quod is* B. Petro Apostolo cyborium *(puto super altare Confessionis)* cum columnis suis quatuor ex argento puro fecit. *Severanus addit, nescio qua auctoritate, Gregorium operibus illis impendisse pondo argenti non amplius centum et octoginta : ex quibus omnino fieri non potuit cyborium cum quatuor columnis* F *argenti solidis. Manserint igitur utrobique columnæ, quæ fuerant, in altari quidem majori, porphyreticæ ; in Confessione vero, onychinæ candore niveæ, illic a Gregorio Turonensi visæ. Et hæ utrobique fuerint a Gregorio et Leone prædictis Pontificibus argento vestitæ, aut ut Vegius supra num.* 208. *Anastasium explicat,* argento puro eximie ornatæ.

sed argento ornatæ.

210 *Multiplex, auroque et argento dives ornatus, tum altari majori, tum Confessioni, a variis Pontificibus virisque principibus contributus, in maximum commendationem et venerationem loci, hic enumerari operæ pretium foret ; nisi apud Anastasium, auctorem obvium, passim descriptus haberetur. Transeo igitur ad* columnas vitineas, *quas Constantinus posuit ante majus altare, et gradus Confessionis, uti ait Manlius,* duodecim *numero ; uti recentiores nonnulli opinantur,* sex *tantum ; rati. sex alias (nam duodecim ibi constitisse certum est) a Gregorio Papa III. Constantinianis adjunctas fuisse ; idque mihi quoque verisimilius videtur, nixo auctoritate Anastasii, pag.* 72. *in Gregorio prædicto sic scribentis.* Hic concessas sibi columnas sex onychinas volubiles ab Eutychio Exarcho, duxit in ecclesiam B. Petri Apostoli ; quas statuit, circa presbyterium ante Confessionem, tres

Columnæ vitineæ sex a Constantino, totidem a Gregorio 3.

A tres a dextris, et tres a sinistris, juxta alias antiquas sex filopares, super quas posuit trabes, et vestivit eas argento mundissimo; in quo sunt expressæ, ab uno latere, effigies Salvatoris et Apostolorum, et ab alio latere, Dei genitricis et sanctarum Virginum: posuitque super eas lilia et pharos argenteos, pensantes in unum libras septuaginta, *aut potius* septingentas, *ut melioris notæ codices habent.*

C. J.

positæ fuerunt ante Confessionem et altare majus.

211 *Locus, ubi posuit Gregorius columnas suas sex,* ante Confessionem, *convenit cum loco, ubi statuerat suas Constantinus,* ante altare, *quod Confessioni imminebat: numerus autem columnarum, quæ antea ibi steterunt, expresse definitur* sex, *quibus alias sex Gregorius adjunxit* filopares *(sic enim legi debet, non* filio pares*) id est paris magnitudinis et figuræ, quasi quæ filo seu regula architectonica commensuratæ sint: et juxta illud Lucretii lib.* 2.

Quid sint columnæ filopares;

Debent nimirum non omnibus omnia prorsum
Esse pari filo similique affecta figura.

Hinc cogitari quoque posset, columnas illas sex Gregorianas non solum altitudine pares fuisse Constantinianis, sed etiam adinstar illarum fuisse vitineas *id est in modum trochleæ sive helicis factas, deducta voce ab Italica,* vite, *quod helicem significat. Eamdem columnæ formam significare etiam potest vox* volubilis; *quia nempe stria aliqua sive sulcus, circum columnæ scapum volvebatur a summo ad imum excavatus. Potest tamen* vitineum *etiam deduci a voce latina* vitis; *eaque etymologia significaret, columnas, circum incisas, repræsentare vitem, pampinos et racemos; uti nunc quoque crebro videmus fieri. Interim Manlius sciens aliquot columnas a Constantino positas fuisse ante altare majus, dum ibi suo tempore vidit duodecim paris longitudinis, unam porticum efficientes, putaverit omnes duodecim ab eodem positas fuisse, et Constantino tribuisse omnes.*

B

ex:

212 *Dicebat quoque Anastasius, Constantinum fecisse* cameram basilicæ ex trimma auri fulgentem. *Quid trimma? Bullingerus dicitur scribere, quod* trimma *sit* aurum in tenuissimas bracteas *tritum. Non recte; τρίμμα enim vox græca derivatur a τρίβω* tero, comminuo, *estque id quod teritur aut tritum est: quemadmodum vox* lemma, *græcis λῆμμα, derivatur ab antiquato verbo λήβω,* capio, accipio, assumo, *estque id, quod assumitur aut assumptum est. Trimma igitur (quod minus recte aliqui per primam Latinorum declinationem, et genere feminino flectunt) videtur opponi bracteæ, certe ab illa diversum est apud Anastasium; qui in Silvestro, eodem loco, ubi de basilica Constantiniana, istiusmodi bracteas significat per* aurum aut argentum battutile; *quia nempe malleis tusum deducitur in subtiles lamellas, quas bracteas vocant, desumpta voce ab italico verbo* battere, *quod est* verberare; percutere, *unde et participium passivum* battuto, verberatus, percussus, *et compositum, Italis* battiloro, *qui aurum malleo percussum paulatim tenuat in bracteas, Latinis,* bractearius *et* bracteator *dictus. Trimma vero non malleo, sed mola teritur, et sic comminuitur, ut instar tenuissimi pulveris sit, non instar glareæ, qualis fit ex metallo, lima attrito, et ramentum vocatur. Est igitur, meo quidem judicio, discrimen hoc inter* trimma, ramentum *et* bracteam; *quod primum teritur, alterum limatur, tertium malleo tenuatur in lamellas. Item primum, in minutissimos pulveres mola aut lapidum affrictu redactum, et glutine delibutum, penicillo inducitur rebus inaurandis, aut aliter colorandis. Alterum, id est ramentum, rebus ornandis aspergitur. Tertium vero, seu bractea, per modum tenuissimæ laminæ applicatur.*

quid trimma auri.

C

§ VIII. Presbyterium, chorus, peribolus, cancelli, arcus, trabes quid sint.

D

Explicato hactenus illustratoque aliqualiter textu Anastasii, de columnis porphyreticis sub cyborio altaris majoris, de aliis columnis vitineis, deque trimmate auri in camera basilicæ; transeo ad Presbyterium, quod cum altari suo supra Confessionem fuit. Confunduntur a multis Presbyterium et Chorus Ecclesiæ, ac pro eodem sumuntur loco. Quod non ita est. Nam loca sunt diversa intra idem septum, uti mox iterum patebit ex Gervasio monacho pag. 114. jam citato. Erat quippe Presbyterium, proprie loquendo, circa altare, presbyteris ad illud facientibus destinatum: ex eoque per aliquot gradus descendebatur ad chorum, ubi cantores circumsedebant in utroque latere, ex quo sæpe etiam duplici nomine appellabatur; puta, Chorus dexter, Chorus sinister: Chorus Abbatis, Chorus Prioris: ideo quod ex una parte præsidebat Abbas, ex altera vero Prior. Sic legitur in Vitis Abbatum S. Albani in Anglia;* Si Abbas fuerit electus de parte Prioris, quam nos Chorum Prioris appellamus, transferetur ad Chorum Abbatis, ubi supremus statuetur. *Et sic duplici nomine appellari Chorus psallentium cœperit, ex quo alternis cantandi in Ecclesia mos introductus fuit. De quo Honorius Augustodun.* Olim in modum coronæ circa aras cantantes stabant: sed Flavianus et Diodorus Episcopi choros alternatim psallere instituerunt.

Quid Presbyterium in ecclesia,

E

214 *Varii quidem varia de locis illis, atque eo pertinentibus, scripserunt; sed nescio, an ullus distinctius, quam supra nominatus Gervasius monachus initio seculi* XIII, *de sua ecclesia Cantuariensi, prout illa a B. Lanfranco, post triste incendium, restaurari cœpta, sub S. Anselmo perfecta fuit. Descriptio illius, schema quoddam sit, quod aliis quoque ecclesiis, atque ipsi etiam antiquæ S. Petri in Vaticano applicari potest. Scribit itaque, ut ex parte jam retulimus, col.* 1294: Ad bases pilariorum *(sive pilarum aut columnarum, quæ locum cingebant)* murus erat, tabulis marmoreis compositus, qui Chorum cingens et Presbyterium, corpus ecclesiæ a suis lateribus, quæ alæ vocantur, dividebat. Continebat hic murus monachorum chorum, presbyterium, altare magnum, in nomine Jesu Christi dedicatum, altare S. Dunstani, et altare S. Elfegi, cum sanctis eorum corporibus. Supra prædictum murum in circinatione illa (*ubi utrumque in hemicyclum murus concurrebat)* retro altare et ex opposito ejus, cathedra erat Patriarchatus, ex uno lapide facta, in qua sedere solebant Archiepiscopi, de more Ecclesiæ, in festis præcipuis inter Missarum solemnia, usque ad Sacramenti consecrationem; tunc enim ad altare Christi per gradus octo descendebant. De choro ad presbyterium tres erant gradus: de pavimento presbyterii usque ad altare, gradus tres: ad sedem vero Patriarchatus, gradus octo.

ejusque descriptio

ex ecclesia Cantuariensi.

F

deque ejus sede pontificia.

215 Ad cornua altaris orientalia erant duæ columnæ ligneæ, auro et argento decenter ornatæ, quæ trabem magnam sustentabant; cujus trabis capita duorum pilariorum capitellis insidebant; quæ *trabs* per transversum ecclesiæ, desuper altare trajecta, auro decorata, Majestatem Domini, imaginem S. Dunstani et S. Elfegi; septem quoque scrinia, auro et argento cooperta, et multorum Sanctorum reliquiis referta, sustentabat. Inter columnas crux stabat deaurata, in cujus patibulo per circuitum sexaginta crystalli erant perlucidi. Sub hoc altari Christi, altare erat in crypta, sanctæ Virginis Mariæ, in cujus honorem tota fuit crypta dedicata.... In medio chori dependebat corona deaurata, viginti quatuor sustinens cereos.

216

A 216 *Hæc adeo minuta locorum istorum ornamentorumque descriptio, facem præferre potest versanti in tenebris longæ antiquitatis, atque inde cupienti educere in lucem prisca monumenta, quæ Confessionem et altare majus olim circumsteterunt in basilica S. Petri; quæ turbæ recentiorum, de talibus scribentium, aut non sunt tacta, aut diversitate opinionum, magis quam antiquitate sua sunt obscurata. Prius tamen, quam eo accedam, juvat in præmissis notare duo præcipue. Primum, quod in ecclesia Cantuariensi episcopus inter Missarum solennia considebat, non uti nostris temporibus fieri videmus, ad latus altaris e parte Evangelii, sed* retro *et post* altare. *Atque ideo sedes ejus elatior solito fuerit et* supra murum, *habens in ascensu* gradus octo; *ut scilicet supra mensam altaris eminens, toto presbyterio et choro conspicuus esset, non secus ac illi, qui ad latus altaris residebant in throno suo; nec minus late posset, quam isti, conspicere clerum suum: atque inde* in mentem revocare *(quod Episcopos monet S. Augustinus in Psalm.* 126*)* altiore se in loco, tamquam in specula constitutum, quo oculorum acie pervigili atque indefessa, in tutelam gregis incumbat, tanto ceteris virtute et probitate clarior, quanto magis esset Sedis honore ac sublimitate conspicuus.

B *et cornibus altaris orientalibus.*

217 *Alterum, quod notari meretur, sunt* cornua altaris orientalia. *Cum enim duo tantum cornua in quavis altari passim nota sint; unum Epistolæ, alterum Evangelii; atque hæc necessario septemtrionem ac meridiem respiciant, ubicumque sacerdos, uti olim religiose observabatur, facie ad orientem conversa celebrat: quæ, quæso, cornua unius altaris* orientalia? *Existimo, auctorem nostrum quatuor, non duo tantum, in altari cornua ponere; quot nempe ibidem anguli sunt; duo ex parte Epistolæ, totidem ex parte Evangelii. Ex his autem cornibus illa duo, quæ in prædicto altari Cantuariensi remotiora erant a facie celebrantis, quia obvertebantur orienti,* orientalia *Gervasio appellata fuisse. Id vero eo etiam magis existimo, quia per illa tempora alii quoque Scriptores agnoscunt quatuor uno in altari cornua; Guilielmus Durandus in Rationali divinorum officiorum lib.* I. *cap.* 2; *atque antea etiam Augustodunensis Honorius lib.* I *cap.* 60. *agens de templi consecratione. Primus,* altaria modernorum in cornua quatuor *dicit erigi. Secundus,* quatuor, *inquit,* cornua altaris signavit, dum quatuor mundi partes cruce salvavit, *puta Christus Dominus.*

C *Presbyterium muro seclusum,*

218 *Quemadmodum in ecclesia Cantuariensi murus, ut vidimus, tabulis marmoreis compositus, cingebat chorum, presbyterium et altare majus, eaque segregabat a reliqua ecclesia; ita pariter in basilica S. Petri ab ejus apside seu tribuna procurrebat utrimque sepimentum aliquod ad usque capita porticus, Confessioni et ejus vestibulo obtensæ; quod includebat ac tuta præstabat a laicorum turba vestibulum illud, presbyterium et altare majus. Hoc de sepimento videtur præcipue intelligendus Anastasius, cum pag.* 127 *scribit; quod Leo III.* fecit presbyterium noviter totum marmoreum magnæ pulchritudinis, sculptum, compteque erectum. *Quæ enim presbyterii pars* erecta *fuit præter ambitum muri et subsellia presbyterorum? Frequens hujus presbyterii fit mentio apud eumdem Anastasium tum in Leone prædicto, tum in decessore ejus Adriano: nulla vero fit, quod quidem memini, in prioribus Pontificibus.*

et laicis inaccessum.

219 *Dico,* Presbyterii, *quod fuerit in basilica S. Petri, quodque sumatur pro seclusa ecclesiæ parte, in qua consistunt sacri altaris ministri, cum iisque presbyteri, vacantes divinis officiis ac liturgiis; Græcis* βῆμα *dictum. a cujus olim excludebantur laici; ita præcipiente Eugenio II cum Concilio* LXXXIII *episcoporum, presbyterorum et aliquot diaconorum, Romæ,* coram sacratissimo corpore beati Principis Apostolorum residente *anno* DCCCXXVI, *apud Labbeum tomo* 8. D *Concil. col.* 112 *can.* 33: Nulli laicorum liceat in eo loco, ubi sacerdotes reliquive clerici consistunt (quod presbyterium nuncupatur) quando Missa celebratur, consistere, ut libere et honorifice possint sacra officia exercere. *Quæ etiam post annos* XXVII *in alio concilio Romano repetens et confirmans Leo IV, porro addit ac prohibet (ibid. col.* 117*) ne laici* inter sacros cancellos, Ordinibus debitos, nisi permittente episcopo, attentent accedere; *volens nimirum, locum istum solis ecclesiasticis liberum relinqui, quemadmodum volebat, viros ac mulieres assignatis sibi in ecclesia* partibus suis contentos esse: *quæ erant, uti ex Anastasio et aliis constat, in basilica saltem Vaticana, pars quidem virorum a sinistra ingredientis, mulierum vero a dextra.*

C J.

220 *Scio interim, Anastasium ante Adriani pontificatum meminisse* Presbyterii, *quale descripsimus; videlicet in decessore ejus Stephano IV. qui præfuit Ecclesiæ Pontifex ab anno* DCCLII. *Verum ibi non de Vaticana, sed de Lateranensi basilica et presbyterio ei sermo est. Et hic locus omnino primus, ut puto, est in toto Anastasii de Pontificibus libro, ubi Presbyterium nominatur. An igitur, uti vox ista tunc primum inducta fuerit in usum, ita Presbyteri tunc quoque primum convenerint unum in locum ad officia divina publice cantanda? Aut saltem locus, ad quem conveniebant, cum primum secretus fuerit a turba laicorum? Utut est: fecit presbyterium* Leo noviter totum marmoreum; *et quidem pulchre* sculptum, compteque erectum: *quod ego, ut dixi, ad sepimentum ejus præcipue referendum existimo, nempe per circuitum muri; qualiter etiam tabulis marmoreis vestitus fuit murus ecclesiæ Cantuariensis; qui chorum et Presbyterium cingebat.* E *ejusque notionis origo.*

221 *Murus ille saltem in variis ecclesiis olim elevabatur tantum ad aliquot pedum altitudinem, ut in Choro psallentes et in Presbyterio sacris operantes conspici a laicis possent, ipsique etiam excitarentur ad laudandum Deum; ita scribente Durando in Rationali lib.* I *cap.* 3. *num.* 35: In primitiva Ecclesia peribolus, id est paries, qui circuit chorum, non elevabatur nisi usque ad appodiationem, *quod mihi videtur indicare altitudinem circiter dimidii corporis humani, sive ad pectus, unde et* pectoralia *feruntur dicta fuisse ejusmodi septa. Tum pergit Durandus;* hoc vero tempore *(initio seculi* XIV*)* quasi communiter suspenditur sive interponitur velum aut murus inter clerum et populum, ne mutuo se conspicere possint. *Hic peribolus, qui etiam dudum ante Durandi tempora elatior fuit multis in ecclesiis, videtur quoque, saltem parte aliqua, ex cancellis fuisse in S. Petri, quod Anastasius sæpe innuit; et Leo IV supra num.* 219 *prohibet, ut ne laici* in sacros cancellos, Ordinibus *seu Clero* debitos, attentent accedere. F *Peribolus Presbyterii;*

222 *Fuerunt et arcus, tum in ecclesia, tum in Choro et Presbyterio S. Petri. Frequenter illorum meminit Anastasius, atque ut plurimum argenteos facit aut argento ornatos, iisque etiam appendi solitum fuisse pretiosa vela, crebro indicat. Tales autem arcus pro ornamentis ecclesiæ aut Presbyterii fuisse, ex verbis ipsius manifeste colligitur, non tamen, qualis formæ fuerint aut architecturæ; quamvis subinde illis etiam addat columnas. Quid si reipsa fuerint arcus, qui ad instar portarum duobus postibus aut columnis sustentati, superne arcuabantur? Nam alibi dicit Anastasius,* quod sub illis arcubus imagines; *super vero,* cruces argenteæ collocatæ fuerunt. *De his mox videbimus, ubi alia quædam de arcubus a Leone III et Paschale I Pontificibus factis, præmiserimus.* *in quo et arcus,*

223 *Leo quidem, pag.* 131 *fecit* vela de stauraci, quæ pendent in arcubus argenteis, *existentibus* in circuitu altaris et in presbyterio, numero XCVI.... *tum mobiles ad ornatum,*

Ne

A Nec non et *alios* arcus cum columnis suis fecit ex argento purissimo in ecclesia et in presbyterio, pensantes simul libras CCLI et semis. *Paschalis vero pag.* 149. fecit presbyterii vela de chrysoclavo XLVI per arcus presbyterii, habentia historiam de mirabilibus Apostolorum; quæ per eos Dominus operari dignatus est. *Atque iterum pag.* 156 *obtulit* per arcus vela XLVI, habentia historiam dominicæ passionis ac resurrectionis. *Ex hoc porro, quod pontifex iste bis obtulit diversi operis vel a* numero XLVI, *eaque appendit per arcus presbyterii cogitari potest, quod pariter* XLVI *arcus presbyterii fuerint; nisi putes, plura per singulos arcus pependisse vela.*

C. I.

tum fixi per circuitum.

224 *Et vero per hosce arcus Presbyterii, a Paschale velis ornatos, non videntur intelligi ornamenta, quæ poni et auferri pro libitu possent; sed fixa atque stabilia, et fortassis ipsa sedilia presbyterorum, quæ supernæ in formam conchæ arcuabantur et suis temporibus etiam velis vestiebantur, quemadmodum nunc passim tapetibus parietes templorum. Certe arcus tales fuisse olim partem Presbyterii, æque ac altare et cancellos; et fuisse per circuitum ejus ad peribolum, colligi potest ex ædificio, quod Chrodegangus seculo* VIII *episcopus Mettensis construendum curavit: de quo* B *Paulus Warnefridus libro de Episcopis Mettensibus scribit, quod* Chrodegangus fabricare jussit, una cum adjutorio Pipini regis, sedem *seu ecclesiam* S. Stephani protomartyris et altare ipsius atque cancellos, Presbyterium arcusque per gyrum. Fabricare *jussit Episcopus illos arcus, utique ex lapide et cæmento, quemadmodum et Presbyterium et altare. Et de talibus arcubus intelligi potest Anastasius citatis locis in Paschale; ubi non dicit, ipsum arcus fecisse, et obtulisse* per arcus Presbyterii.

Ibidem etiam trabes variis locis,

225 *Uti duo genera arcuum, ita diversæ etiam trabes fuere in Presbyterio, et quidem inauratæ, aut argento vestitæ, aut aliter decoratæ, quæ argenteos arcus, imagines Sanctorum, pharos aliaque ornamenta portabant. Trabes istiusmodi concipio fuisse per circuitum Presbyterii super peribolum, introrsum varia sculptura cælatas.* Coronas *vocant Latini: vulgus fabrorum* Cornices *et* Coronices *solent appellare. Scribit enim Anastasius pag.* 221, *quod Nicolaus primus* trabes majores in Presbyterio respicientes, omnes in gyro complevit, quæ illud luculenter ornant, decusque augent, et amplius mira sua magnitudine dant honorem. *Concipio præter hasce trabes,* C *per gyrum Presbyterii circum positas, etiam alias per transversum porrectas et quidem plures. Una quippe fuit ante cyborium altaris; alia in medio et alia in ingressu Presbyterii; alia item super ingressum vestibuli, et ad ingressum Confessionis. Singulas quæramus et illustremus ex Anastasio.*

aliæ per circuitum chori,

226 *Primæ trabis locum indicat in Nicolao primo pag.* 221: Arcum fecit argenteum, et super excellentiorem trabem, quæ est ante cyborium, in medio posuit,.... fecitque ibidem crucem auream unam, pretiosis gemmis ornatam, et in summitate ejusdem arcus eam locavit. *Imposuit quoque super eamdem tres imagines argenteas deauratas, unam Domini Salvatoris, pensantem libras* LXXX; *et duas Angelorum, quarum singulæ pensabant libras* LXX; *primam collocaverit sub arcu, tamquam personæ dignioris, alias hinc et inde ad utrumque latus. Apposuit quoque* pro amplitudine decoris cruces argenteas duas, calices argenteos duos; et appendit coronam argenteam unam, *utique ex ipsa trabe. Atque hæc sunt, trabs transversa ante ciborium, ejusque ornamenta, post direptionem Saracenorum a Nicolao Papa ibidem reposita. De aliis duabus breviter scribit Anastasius in Leone IV pag.* 194, quod trabes in ingressu et in medio Presbyterii investivit ex argento purissimo, pensantes libras LXVII et uncias tres.

227 *De quarta, super ingressum vestibuli, frequentius meminit. In Leone III pag.* 133: Fecit imaginem Salvatoris auream, quæ stat in trabe super ingressum vestibuli, pensantem libras LXXXIX. *Pag.* 134: Investivit..... trabem ex argento mundissimo, quæ est super *(imo* infra, *nisi duæ ibidem trabes fuerint, altera superior altera)* imaginem auream in ingressu vestibuli, pens. lib. centum viginti sex et semis. *Iterum pag.* 140: Fecit velum majus e crhysoclavo, quod pendet in trabe argentea ante imaginem Salvatoris supra, in ingressu vestibuli. *Ibidem.* Fecit Angelos duos ex argento purissimo, deauratos, qui stant in trabe majori super ingressum vestibuli, dextra lævaque juxta imaginem Salvatoris auream; pensantes simul libras sexaginta tres. *Et vero ex his videri possunt istic loci duæ trabes fuisse, altera altera altior; uti jam dubius insinuabam. Si ita; imago Salvatoris aurea steterit in trabe inferiore super ingressum vestibuli: altior vero fuerit trabs argento investita, quia dicitur fuisse* super imaginem auream in ingressu vestibuli. *Iterum quia velum majus, pendens in trabe argentea, dependebat* ante imaginem Salvatoris. *Huc etiam facit, quod idem Leo dicatur pag.* 140, *obtulisse velum album olosericum rosatum majus unum, quod pendet in trabe majore* super imagines aureas. E

D *aliæ per transversum.*

228 *Denique in Sergio, pag.* 62, fecit faros argenteos sex, qui sunt super trabes ad ingressum Confessionis. *Ex hisce trabibus aliquæ, uti jam vidimus, erant argenteæ seu argenteis laminis circumdatæ: qualis etiam fuit, quam in S. Petri Pontifex Hormisda (non indicatur ubi)* ex argento cooperuit, *impensis* MXL *libris. Istiusmodi trabes in aliis quoque ecclesiis passim fabricatæ fuerunt, similes in usus. De una quæ ecclesiam Cantuariensem olim ornavit, scribit col.* 1295. *citatus supra Gervasius; quod nempe in Presbyterio,* ad cornua altaris orientalia erant duæ columnæ ligneæ, auro et argento decenter ornatæ, quæ trabem magnam sustentabant: cujus trabis capita duorum pilariorum capitellis insidebant: quæ *trabs* per transversum ecclesiæ, desuper altare trajecta, auro decorata, Majestatem Domini, imaginem S. Dunstani et S. Elfegi, septem quoque scrinia, auro et argento cooperta, et multorum Sanctorum reliquiis referta sustentabat. Inter columnas Crux stabat deaurata, in cujus patibulo per circuitum sexaginta crystalli erant perlucidi :.. in medio chori dependebat corona deaurata, viginti quatuor sustinens cereos. *Tales quoque ac taliter Sanctorum reliquiis ornatas trabes supra altare princeps, vidi olim non una in ecclesia, per Gallias iter instituens.* F

Similis una in eccl. Cantuariensi.

§. IX. De Pharis seu Lychnuchis variæ formæ in basilica Vaticana.

Pharus quid sit.

Scribit *Anastasius in Adriano nominis sui Papa primo, quod fecit* pharum majorem mille trecentis et septuaginta candelis *instructam, quæ* pendet ante presbyterium: *et frequentissime de aliis pharis, alibi per basilicam pendentibus aut stantibus. Res et origo nominis altius repetenda sunt.* Φάρος *apud Stephanum Bysantium* ἐστί νῆσος, ἡ πρὸς τῇ Ἀλεξανδρίᾳ, ἐφ' ᾗ ὁ Σωστράτου τοῦ Δεξιφανοῦς πύργος, ὁμωνύμως λεγόμενος Φάρος. *Pharus*, insula est prope Alexandriam, in qua Sostrati, Dexiphanis filii turris eodem nomine Pharus appellata. Usus hujusce turris, *uti scribit Plinius lib.* 36. *c.* 12. *fuit,* nocturno navium cursui ignes ostendere ad prænuntianda vada portusque introitum. *Istius exemplo eumdemque in usum deinde aliis atque aliis in portibus ædificatæ fuerunt turres istiusmodi, Italis passim dictæ* lanternæ, *corrupta voce Latina, quia nempe imposita summæ turri laterna ignem con-*

A *conservat, ne ventorum flatu dissipetur aut extinguatur. Hinc porro lychnuchi, qui passim in ecclesiis Catholicorum cernuntur non unius formæ, multo cereorum, lucernarum, lampadumve numero instructi; quia lumina non secus, quam illæ turres, eminus conspicienda præbent, ipsi quoque crebro appellantur* phari. Pharum [*desinit enim medii ævi scriptoribus, tam in* um, *quam in* us; *mutatoque initio scribitur etiam* farum *et* farus; *ac terminatio in* us, *non tantum illis est feminini generis, uti passim sumitur Pharus Alexandrina etiam pro turri accepta; verum et masculini.*] Pharum, *inquit Papias, est* instrumentum ad luminaria ordinanda, sicut etiam candelas. *Et alibi:* Fara sunt vasa luminatoria, quæ nos retia dicimus, diverso modo formata.

Quo nutrimento phari lucebant in ecclesiis.

230 *Ex his Papiæ verbis non tantum inferri potest diversa Pharorum ecclesiasticarum forma, de qua mox; sed etiam diversus eas illuminandi modus, nempe per lampades oleo nutritas, et per candelas, sevo, cera, aliave materia non liquida ardentes. Candelas enim in pharis luxisse, citatus Papias apertissime docet: et luxisse ibidem etiam lampades, idem satis clare insinuat, dum illuminationum meminit per* vasa luminatoria, B *quæ utique oleo impleta lumen alebant. Hæc differentia illuminationis ex aliis quoque, deinceps citandis, manifestior fiet. Et candelas quidem pharis imponi solitas fuisse, patet ex adductis Anastasii in Adriano verbis, ubi candelæ plus quam mille in una pharo luxerunt: oleo autem in iisdem nutritas fuisse lampades, ostenditur ex Vita S. Benedicti abbatis Anianensis apud Mabillonium seculi Benedictinorum quarti Parte* 1. *pag.* 206. *ubi pendebat in ecclesia pharus,* in cujus vascula *aut potius vasculis,* permodicum erat oleum: *quæ tamen vascula* in crastino plena reperta sunt.

Fuerunt forma rotunda unius circuli

231 *Forma pharorum, ut olim perquam diversa fuerint, ea videtur potissima fuisse, et nunc fere sola servatur, quæ aut e medio corpore seu globo, brachia quædam sua, apta ferendis candelis, cereis, lampadibus extendit æqualiter in circuitu, extremis inter se, aut non connexis, aut connexis circulo continuo, cui imponi varia lucernarum genera possint. Et istiusmodi phari nunc, æque ac olim* Coronæ, *sumpto a forma nomine, appellantur. Rursum hæ Phari seu coronæ, quæ continuo circulo circumducuntur, aliæ unum tantummodo circulum habent; aliæ plures, sic dispositos, ut alii aliis sint altiores, et quanto sunt altiores, tanto minorem efficiant orbem, infimo latissime omnium se extendente.*

Aquisgrani,

C *Unius circuli coronam permagnam vidi olim Aquisgrani in ecclesia S. Mariæ Virginis; octo majusculis ac totidem minoribus turriculis in circuitu ornatam; et cereos circiter quinquaginta ferre solitam: uti notat Merianus in sua Westphaliæ topographia. Dicunt, coronam illam ex argento et inaurato cupro fabrefactam; sed metalla ista præ fuligine et squalore, quo obsita erat machina tunc, cum vidi, vix, aut ne vix quidem, poterant dignosci.*

in monte Casino,

232 *Istiusmodi coronæ sæpenumero memorantur etiam ab Anastasio; ac dilucidius a Leone Ostiensi in Chronico Casin. lib.* 3. *cap.* 33. *ubi de Abbate Desiderio, missoque ab eo Constantinopolim quodam Monacho; qui ibi* fecit pharum, id est coronam maximam de argento librarum circiter centum; habens in circuitu cubitos XX. cum duodecim turribus, extrinsecus prominentibus; sex et triginta ex ea lampadibus dependentibus; eamque extra chorum ante crucem majorem *ecclesiæ Casinensis,* satis firma ferrea catena, septem deauratis malis, *seu pomis, ad ornatum* distincta, suspendit. *Huc faciunt etiam,*

Cadurci

quæ alius Desiderius, episcopus Cadurcensis, seculi VII. *sanctitate illustris, ad ornatum ecclesiæ suæ dedisse legitur in vita, quæ apud nos est MS. ex antiquissimo codice Cadurcensi. In ecclesia ista et ad ornatum altaris, præter alia,* prominent turres, micant coronæ, candelabra resplendent, nitet pomorum rotunditas;... adsunt et statarii, cereorum corporibus aptati: his omnibus crux alma ac pretiosissima, varia simul et candida, arcubus appensa, Sanctisque superjecta, fulget. *Ita enim vocem ultimam legendam puto, pro* fulgetris, *quæ in MS. habetur, et sensum turbat.* D

C. J.

et alibi.

233 *Ab hisce unius circuli coronis seu pharis non videntur diversæ fuisse, quas suo tempore S. Bernardus maluit* rotas *appellare, usus voce contemptibiliore: quia invehens ibi in nimium luxum immoderatumque excessum, quo ornabantur ecclesiæ, et phari, non minus lucentes splendore gemmarum quam luminum; eumque abusum (si tamen abusus) ut exaggeraret, noluerit pharos hic appellare* coronas *(quid enim miri, si coronæ gemmis ornentur?) sed* rotas; *nec tamen inepta hæc vox est. Quemadmodum enim e modulo rotæ prodeunt in orbem radii, et committunur apsidi; ita e medio globo aut alio corpore phari transeunt similes radii ad extimam ejus curvaturam; tota machina rotam, e centro suo suspensam, refert. Verba Bernardi in Apologia de vita et moribus Religiosorum ad Guilielmum abbatem S. Theodorici tomo* 4. *editionis Hostianæ cap.* XI. *hæc sunt:* Ponuntur in ecclesia gemmatæ, non E coronæ, sed rotæ, circumseptæ lampadibus; sed non minus fulgentes insertis lapidibus. *Si velimus etiam transire ab ecclesia occidentali ad orientalem, docebit Gretserus in Horto sanctæ Crucis pag.* 266. *ex codice Bavarico, sub nomine Bedæ, de sepulcro Domini, scribens, quod* Golgathana ecclesia.... crucem argenteam habet prægrandem... pendente magna faro desuper, id est ærea rota cum lampadibus, quæ ipsam crucem debita lucis veneratione coronent.

Pharæ turritæ plurium circulorum,

234 *Præter has Pharos et coronas unius tantum circuli, fuerunt etiam aliæ circulorum plurium, quæ turritæ vocari non abs re possint; non quia, ut jam dictæ, in extimo circulo portabant turriculas; sed quia circuli plures, alii aliis arctiores atque altiores paulatim in modum turris in acumen superne desinebant, referebantque speciem quamdam turris atque etiam tiaræ Pontificiæ, quam olim* regnum, *uti ait Cæremoniale Romanum, nunc sæpius* triregnum *appellant, ab ornatu triplicis coronæ ei circum impositæ. De tali corona intelligi possunt apud Vener. Bedam lib. de temporum ratione cap.* 24. duæ maximæ ac mirandi operis phari, suis quæque suspensæ ad laquearia catenis, *ad natales Martyrum honorandos accendi solitæ, sic* ut magis nocturno visu lucem co- F masque flammarum, quam ipsa ignium vasa, dignoscere valeas. *Certe ita locum Bedæ intelligit commentator ejus Joannes Noviomagus, hæc ibi notans:* Pharos vocat coronides illas, in quibus lucernarum ambitus ab imo usque ad fastigium sic sunt dispositi, ut continuo superiores, angustiores inferioribus, pyramidis seu turris formam ostendant; quales suspenduntur ex laquearibus sacrarum ædium, seu quales succenduntur in sacris funebribus.

et aliarum formarum

235 *Phari istæ, ut a materia, ex qua constabant,* æreæ, argenteæ, *aut* aureæ, *dicebantur; sic a forma, non tantum* coronæ, *verum etiam* coronæ pharæ, *et* coronæ pharales, *et* phara coronata, *nec non a genere vasorum, quæ ellychnia nutriebant. Lego enim apud Anastasium in Sixto III. pag.* 25. *quod is fecerit* coronam pharam ante altare argenteam, pensantem libras XXX. *et* coronas argenteas pharales XXXIV. pensantes libras X. *item pag. seq.* coronas argenteas pharales XXX. pensantes libras VI *et* pharacanthara argentea triæ, pensantia singula libras XV. *Silvester quoque pag.* 12. *fecit* phara coronata X. pensantia singula libras VIII. *Fecit et* pharum canthara ex auro purissimo ante altare *basilicæ Constantinianæ,* in quo ardet oleum nardinum pisticum cum delphinis

A delphinis LXXX. *et pharumcantharum argenteum cum delphinis* CXX. *Item fecit in gremio quidem basilicæ,* pharacanthara argentea XL. pensantia singula libras XXX. *parte vero dextera ejus, fecit alia ejusmodi* quadraginta; *et parte sinistra* viginti quinque, *utrobique pensantia singula* libras XX.

C. J.

etiam crucis

236 *Fuerunt et phari, forma non circulari, sed alia quoque diversimoda. Puta in formam retis. Anastasius in Leone III. pag.* 142. *non semel talium meminit.* Fecit pharum in modum retis ex argento purissimo cum canistris quinque. *Item,* fecit pharum in modum retis cum canistro, et cruces de argento purissimo; qui pendet sub arcu principali. Nec non et alium pharum majorem, in modum retis cum canistris viginti pendentem etc. *Alia de pharis, quæ in formam crucis factæ erant, jam dicere cœpi num.* 229. *quod una talium, ante presbyterium S. Petri ab Adriano primo suspensa, referebat talem formam. Verba apud Anastasium sunt pag.* 109. Fecit pharum majorem in typum crucis, qui pendet ante presbyterium, habentem candelas MCCCLXX. et constituit, ut quatuor vicibus in anno ipsum pharum accendatur: id est in Nativitate Domini, in Pascha, in Na-
B tali Apostolorum, et in Natali Pontificis.

cum innumeris candelis.

237 *Subit hic non tantum mirari munificentiam ac religionem istius Pontificis, qui machinam excogitavit et conficiendam curavit tot candelarum capacem; qualis profecto nescio, an ullo umquam tempore similis fuerit confecta: verum etiam subit annotare, non ab heri aut nudiustertius obtinuisse usum, immerito a quibusdam improbatum, accendendi quotannis in Natali sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, nec non in Natali, id est electionis aut consecrationis cujusvis regnantis Pontificis die luminaria, quæ numero propemodum innumera circum tholum (seu cupulam ut vulgus appellat) S. Petri in Vaticano noctem illuminant; quæque ipse milliaribus facile duodecim inde remotus, non semel conspexi magna cum voluptate et admiratione, laudans Deum in Sanctis suis, et in providentia sua, qua Pontificem, qui tunc erat, Innocentium XI, ac deinde etiam Innocentium XII. præfecit Ecclesiæ Catholicæ, filii sui Domini nostri Jesu Christi Vicarios, B. Petri Apostoli serie continuata successores.*

Phari aliæ non pendulæ,

238 *Phari quoque nomine veniunt non tantum illæ, quæ suspendebantur e laqueari aut trabe multimodis instructæ luminaribus: verum etiam aliæ, quæ seorsim aut in trabibus, aut alibi fulcro subnixæ, per ecclesiam*
C *stabant. Pag.* 143. *Leo III. fecit* phara argentea tria, quæ stant super trabes argenteas, pensantes libras nonaginta et tres. *Pag.* 144. *fecit idem Leo* pharum ex argento purissimo cum lucerna et cereapto (*alibi,* cerapto) suo, *quod certis temporibus* consisteret juxta lectorium. *Ubi pharus aliud non videtur esse quam candelabrum argenteum grande cum sua lucerna, stans juxta lectorium. Meminit et pag. seq. Anastasius* phari volubilis ex argento cum coronis et crucibus, *sed an volubilis esset, ac volvi in gyrum posset supra fulcrum seu candelabrum suum, an vero quod pendula pharus illa e loco superiore, circumvolvi facile posset; non est hoc loco unde discernatur. Si secundo sensu accipiatur, nihil novi dictum esset, quia omnibus ex fune pendulis illud commune est, posse volvi et circumagi. Fortasse tamen pharus* volubilis *non aliud est, quam quod supra,* columna volubilis; *quæ nempe in modum helicis torta, unico a summo ad imum sulco circum excavata erat: de qua num.* 211. *dictum est.*

sed stantes instar candelabrorum.

239 *Huc etiam, uti et ad alia quædam hoc paragrapho memorata, distinctius intelligenda, spectat insignis Anastasii locus in supradicto Leone III. pag.* 135. Fecit *in ecclesia S. Petri* coronas majores ex argento purissimo quatuor, pensantes simul libras CLIV. et semis. Fecit et lectorium ex argento purissimo miræ magnitudinis, decoratum, pensans libras D
CXLIII. et cerostatas ex argento mundissimo, stantes juxta ipsum lectorium, pensantes simul libras XLIX. et super ipsas cerostatas fecit lucernas fusiles bimixas duas ex argento puro, pensantes libras XXVII. Et hoc constituit, ut Dominicorum die vel in sanctis solennitatibus hinc inde juxta lectorium consisterent, et ad legendum sacras lectiones luminis splendore fulgerent. Fecit quoque pharocantharos in presbytero numero XIV ex argento mundissimo pensantes simul libras CCCCXXXIII. nec non columnas VIII. et arcus IV. fecit ex argento, pensantes inibi libras CLXXIII. *Hæc considerans, facile judicabit, coronas, quæ hic* majores *dicuntur, esse pharos coronatas, de quibus supra: item cerostatas, juxta lectorium stantes, esse per modum candelabrorum: lucernas vero biximas, cerostatis impositas, fuisse lucernas duabus myxis sive ellychneis ardentes. De pharocantharis jam memini supra, atque etiam de arcubus, quod duabus columnis fulciebantur; quod hinc etiam confirmatur, dum octo ponuntur columnæ et quatuor arcus.*

Pharorum vasi multiformia,

240 *Ut pharorum formæ diversæ, ita et vasorum in illis lumen alentium diversæ fuerint: et vasa ipsa diversis nominibus appellabantur a sua quodque figura,* E
qua erant formata; Gabatæ, Canistri, Delphini, Canthari *et alia, pag.* 122. *fecit Adrianus* in basilica S. Petri pharum argenteum ante presbyterium cum gabathis argenteis triginta et canistrum octogonum in medio. *Et hæ gabatæ rursum aut stabant in pharis plures simul, aut pendebant seorsim singulæ. De priori genere jam dictum est: de posteriori hæc intelligenda sunt. Anastasius pag.* 128. *in Leone III.* Gabathas fecit ex auro purissimo quindecim cum gemmis, pendentes in pergula ante altare. *Videlicet seorsim singulæ pendebant. Idem in eodem, pag.* 132. fecit in basilica B. Petri gabatham ex auro purissimo anaglypham, cum gemmis pretiosis ornatam, quæ pendet ante imaginem ipsius Apostoli in ingressu vestibuli. *Et pag.* 236. *in Stephano VI.* gabathas argenteas cum lampadibus obtulit, et continuatim (*forte,* continue in) vigiliis ardere præcipit. *Sunt et gabatæ eosdem in usus, ex ornatu suo dictæ,* Liliatæ, Columellatæ, Fundatæ, Interasiles. Anacteæ *quoque et* Electrinæ *a materia sua; et* Saxiscæ *seu* Saxicæ *a gente istius nominis. Nisi mavelis, vasa ista e certo saxi genere excavata, sic dicta fuisse. Est autem* Gabata, *quod et* Gavata, *sumpta voce generaliter, Isidoro* lanx: *Papiæ,* patella, vas, *quasi* Cavata: *Martialis quoque* F
nota, dum lib. VII. *Epigrammate* XCVIII. *de cœna Annii sic habet:* Transcurrunt gabatæ volantque lances.

gabata,

241 *De reliquis vasorum, candelas ferentium, nominibus et figuris hæc habe, ac primum de canistris. Jam dixi num. superiore, quod Adrianus fecit pharum cum gabatis triginta, et in medio* canistrum octogonum. *Idem pag.* 118. fecit ante januas argenteas; *item,* in turri, canistros argenteos, *utrobique* duodecim. *Illi* pensabant libras XXXVI. *hi* XLV. *Alibi* fecit canistra quinque, pensantia simul libras quindecim. *Et pag. seq.* Canistrum fecit ex argento purissimo cum catenulis suis, pensans libras XV. *Gregorius IV. pag.* 163. obtulit canistra ennafolia duo: *et Benedictus III. pag.* 204. canistra ex afoci duo. *Canistri cognomen utrobique corruptum est. Illic lege* henneaphotia, *hic,* hexaphotia, *a Græco* ἐννεαφώτια, ἑξαφώτια, *quæ* novem *aut* sex luminibus *instructa sunt. Ex his intelligitur etiam, canistra et in pharis constitisse, et seorsim e catenis pependisse, et pauciora pluriave ellychnia aut lumina habuisse, et formæ non unius fuisse: et eumdem fere usum videntur habuisse, quem gabatæ.*

canistra,

242 *Delphini similiter vasa luminaria erant, uti jam dicta, Delphinorum figura efformata; qui itidem ponebantur in pharis et coronis atque etiam seorsim. Adrianus, pag.* 118. per diversas coronas fecit delphinos

delphini

A phinos argenteos in ecclesia B. Petri; *alios* in B. Pauli, *alios* in Constantiniana. *Item Leo III pag.* 145. fecit coronas argenteas et delphinos suos duodecim. *Et diu ante illos Silvester Papa pag.* 13. *fecit* pharum ex auro purissimo, quod pendet sub fastigio cum delphinis quinquaginta, quæ pensant, cum catena sua, libras xxv. coronas quatuor cum delphinis viginti ex auro purissimo, pensantes singulas, libras xv. *Item* pharum cantharum argenteum cum delphinis cxx. ubi oleum ardet Nardinum pisticum. *Hilarius quoque Papa pag.* 29. *fecit* turrem argenteam cum delphinis.

gryphes et leones,

243 *In gabatis aliisque vasis etiam effigiabantur gryphes, leones, atque alia animalium genera. Leo quippe tertius fecisse dicitur* gabathas argenteas, habentes gryphes deauratos; *et* gabatha saxisca in modum leonis. Cantharus *et* Chanthara et Cantharum, *ejusdem notionis apud Anastasium, sonant fere idem quod supradicta vasa, sumunturque pro* disco *aut* patella, *quibus oleum infunditur, aut vasa olearia imponuntur*: *item pro* candelabro, *aut* cerostata. *S. Silvester pag.* 12. *fecit* canthara cerostata xii. ærea, pensantia singula libras tricenas. *Et Leo III* fecit super cyborium de altari majori B. Petri Apostoli canthara majora quatuor ex argento purissimo, B habentia in medio cereos ex argento deauratos; *quæ ibi fuerint tantum ornatus causa. Porro quemadmodum phari, multitudinem lampadum aut cereorum illuminatæ, ut plurimum pendebant, ita quoque aliæ similes fuere, quæ stabant instar candelabrorum, et vocabantur* Arbores, *suisque quasi ramis, gestabant lumina. De talibus S. Bernardus in citato jam nobis tomo suo* iv. *pag.* 992. Cernimus et pro candelabris arbores quasdam erectas, multo æris pondere, miro artificis opere fabrefactas; nec magis coruscantes superpositis lucernis, quam suis gemmis. *Atque hæc de præsenti argumento sint satis. Transeo ad apsidem basilicæ præcipuam.*

canthara, *arbores*

DE APSIDE

ECCLESIÆ S. PETRI IN VATICANO.

§. I. De apside, eaque tantum una et uno altari in singulis ecclesiis, etiam Vaticana, sub Constantino et proximis ei temporibus.

C

Apsis unde dicta et quid sit,

V*ocabulum Græcum* ἀψίδος ἀψίς, camera, fornix, *generaliter quodvis arcuatum opus significans, aptum Latinis rerum ecclesiasticarum scriptoribus visum fuit ad significandum illam ecclesiæ partem, quæ in postremo templi sacellive muro extrorsum protendi passim et arcuari solet in hemicycli figuram; et eadem figura surgit a fundamentis perpendiculariter in justam altitudinem, ubi format crepidinem quamdam et ipsam semicircularem, paululum extuberantem: supra quam deinde sursum curvatur undique in modum conchæ, facitque fornicem, qui quarta pars sit sphæræ. Huic loco Latini scriptores jam inde a seculo* iv. *aptarunt, ut dixi, vocem grajam* apsis *seu* absis; *atque etiam* absida *casu nominativo declinationis primæ. Non ante tamen tali significatu inductæ fuerunt in usum voces illæ; quam cum sub Constantino Magno Christiani, libertate profitendi publice et impune religionem suam obtento, incubuerunt, Romæ imprimis atque aliis multis locis ad exædificandum nova templa, quæ a magnificentia et columnarum arcuumque frequentia, basilicæ etiam dictæ sunt. Sanctus quippe Paulinus, Nolanæ urbis episcopus, qui ut in vita ejus ad* xxii. *Junii nostri illustrata, legi potest, seculo Constantiniano florens, manifeste indicat, voces illas suo tempore novitias fuisse;* D *dum epistola* xii *ad Severum pag.* 154. *editionis Rosweydianæ dubitat, ac fatetur, se nescire, utrum* apsida *an* apsis *casu nominativo, scribi a se debeat, quia, inquit,* hoc verbi genus nec legisse reminiscor. *Nec tantum dubitasse videtur de terminatione illarum vocum, sed etiam an in medio per litteram* p *aut* b *potissimum scribi deberent latine. Mihi neuter modus displicet. Valet enim* ψ *Græcum Latinis tam* ps. *quam* bs.

C. J.

Ejus partes,

245 *Et vox quidem apsis seu apsida (quidquid fortasse aliqui subtilius, quam par est, speculati sint) passim sumitur atque merito, pro toto ædificio jam descripto; quia tam introrsum quam sursum in hemicyclum curvando se, utraque parte conficit arcuatum opus. Partes ejus præcipuæ sunt, pavimentum, paries, baltheus, fornix. Pavimentum et paries, nota sunt. Baltheus (qui et zona dici potest, et crepidinem adjunctam habet) coronat parietem rectum et fundat consurgentem inde fornicem: qui fornix, Latinis* camera, *Græcis* Κόγχη concha, *crebro appellatur. Pauca Paulini ad Severum in citata epistola pag.* 150. *verba, illustratura sunt, quæ dicebam. Intra basilicam S. Felicis inquit,* absidem, solo *(seu pavimento)* et parietibus marmoratam, camera musivo illusa, *sive depicta,* clarificat. Inferiore autem baltheo, quo parietis et cameræ confinium interposita gypso crepido conjungit aut E dividit *(diverso nempe respectu)* hic titulus indicat deposita sub altari Sancta Sanctorum.

pavimentum, parvies, baltheus, fornix. *altare,*

cathedra Pontificia,

246 *Sub apsidis anteriore parte sursum arcuata, olim plerumque tum in aliis basilicis, tum in S. Petri Vaticana consistebat altare, et e regione ejus cathedra seu thronus Pontificius, parieti qua longissime hemicyclus recedit, applicatus; et gradibus aliquot elevatus. Hic thronus Græcis proprie* βῆμα *id est* tribunal, *dicitur: quamquam plerisque nunc* Βῆμα *sit totum illud spatium, quod cum altari sacris cancellis includitur, sacrorum ministrorum cœtum a profana turba dividentibus,* presbyterium *Latinis appellatum, de quo postea. Interim ut vox* tribunal *nonnullis etiam latine scribentibus, pro throno Pontificio, uti et pro tota apside, usurpari pridem cœpit, existimo inde apud Italos invaluisse vocem* tribuna, *qua nunc passim illi utantur, non modo inter loquendum, sed etiam inter scribendum latine, ad significandum quam diximus apsidem.*

Una olim apsis in singulis ecclesiis,

247 *Habuere olim basilicæ singulæ apsides, easque, ut dixi, in medio postremi parietis, ex opposito portæ frontispicii regiæ, quæ recta per mediam navim eo ducebat. Patere id potest hodiedum ecclesias, a Constantino Magno ædificatas, inspicientibus, sive in se (super-* F *sunt enim adhuc, in quibus id observari potest manifeste) sive in descriptionibus, quas posteritati reliquerunt Historici, sive etiam in ichnographia, quam supra dedimus, basilicæ antiquæ Vaticanæ. Loquor de ecclesiis Constantini, atque aliis ejus tempore structis: quando in singulis singula tantum fuisse altaria, et quidem sub memorata apside posita, probabilius tenetur; quam evincatur fuisse plura. Præter quam enim quod satis certum videatur, unum tantummodo tunc altare in basilicis Constantinianis fuisse; idque consequi inde, quod una tantum ibidem apsis tunc fuerit (sine apside equidem nescitur altare, etiam diu post fuisse) expresse docemur, ecclesiam Tyri, ab episcopo loci Paulino iisdem temporibus magnifice ædificatam, atque apud Eusebium (lectionem ejus exhibuimus supra pag.* 80*) minutim descriptam, habuisse unum non amplius altare. Legitur namque ibi Paulinus iste omnibus ecclesiæ partibus absolutis,* postremo Sanctum Sanctorum, altare videlicet, in medio constituisse; *quod ipsum deinde* augustum, magnum et unicum appellatur.

et altare unum

nec plura non admittunt Græci;

248 *Et hic usus collocandi singula in singulis ecclesiis altaria non tantum obtinuit primis istis temporibus assertæ in libertatem religionis Christianæ, verum et*

A *et duravit aliquamdiu post, tam in occidentali, quam in Orientali ecclesia: imo in Græca perennavit semper ac tenet hodiedum. Audi Jacobum Goar in suo* Εὐχολογίῳ *seu Rituali Græcorum pag.* 16. Unum altare, *inquit*, et, ut Eusebius loquitur, θυσιαστήριον μονογενὲς est etiamnum hodie apud Græcos; et non nisi semel per diem, propter Sacrificii unitatem, in eo celebrant: et, si forsan alicubi duo altaria, liturgiæ dicendæ erecta, demonstraveris; confestim ipsi junctas ecclesias, et muro medio sejunctas, παρεκκλήσια quasi ecclesiam appendices et oratoria distincta, in quibus diebus profestis memorias diversas agant, ostendunt. *Eadem* παρεκκλήσια *facit Allatius* sacella, majori templo adjuncta vel vicina, separata tamen et omni ex parte muris disjuncta, licet a majori ecclesia ad minora hæc oratoria porta media aditus pateat. *Istiusmodi sacella circum basilicam Vaticanam veterem extitisse aliam, et quidem plura, manifestum redditur vel e sola ejus ichnographia. Sed horum originem non tam certo referre possumus ad tempora S. Paulini Nolani, quam quæ Paulinus ipse testatur circumstetis se ecclesiam suam, et* cubicula *vocat*, longis basilicæ lateribus inserta intra porticus, *accommodata tam cupientibus orare secreto, quam memoriis religiosorum virorum ad pacis æternæ requiem ibi capiendam*: B *et Natali* XI. cellas *nominat, ita de fure, qui in basilica noctu rapuerat auream auream, seque in cellam aliquam talem abdiderat, canens:* Tegit nna latentem

Cellula de multis, quæ per latera undique magnis
Appositæ tectis præbent secura sepultis
Hospitia

C. J.

admittunt tamen in diversis Parecclesiis.

249 *Neque contra objiciatur, quod nos ipsi in præmissios tendimus, præter altare majus sub apside, fuisse aliud in crypta subterranea seu Confessione S. Petri. Non enim adhuc ostendimus nos aut alius, fuisse utrobique altare a tempore Constantini. At jam tum consecratum fuit corpus Dominicum super sepulcrum Apostolorum. Ita plane: Sed non sine aliquo inter sepulcrum et sacram consecrationis mensam interposito medio, quia ostendimus, sepulcrum cubiculo subterraneo, ad quod nullus patebat ingressus, inclusum fuisse, et tantummodo conspectui patuisse per foramen tam arctum, ut putem vix potuisse per illud transmitti corpus humanum. Igitur consecrationem seu Missam factam fuisse super sepulcrum, aliter hic accipi non potest, quam factam esse supra illud in loco altiori. Fuit autem altare ma*- C *jus, quod semper extitisse constat, supra sepulcrum, æque ac illud altare, quod in Confessione erectum postea fuisse exploratum quidem est; non item, quando erectum fuerit. Ut vero etiam ostendi posset, utrobique ab initio stetisse altare et consecratum utrobique corpus Domini fuisse: non continuo tamen censeri debent duo in eadem basilica fuisse altaria. Confessio quippe subterranea, postquam super ædificata ei fuit basilica Constantiniana, non desiit esse, quod ante fuerat, martyrium seu oratorium per se a basilica diversum, et annumerari potest inter parecclesia, de quibus paulo ante.*

Etsi in Confessione S. Petri Silvester Papa fecisset altare,

æque ac in basilica,

nondum censerentur fuisse duo in ecclesia una.

250 *Postmodum crescente paulatim numero presbyterorum, æque ac fidelium, cœperunt apud Latinos plura erigi altaria etiam in una ecclesia; et forte jam tum sub SS. Ambrosio atque Paulino steterunt alicubi eracta, quamquam id non omnino videatur evincere vox* altaria, *numero plurali etiam in soluta oratione ab illis usurpata. Certe ante horum tempora, et diu post, non reperitur in Anastasio Bibliothecario, qui alterum in eadem basilica construxerit altare aut oratorium. Fecit quidem Hilarus, anno* CCCCLXI, *creatus Papa,* oratoria tria in baptisterio *Constantiniano,* S. Joannis Baptistæ, et S. Joannis Evangelistæ, et sanctæ Crucis: *sed illa nondum dici proprie possunt esse in eadem ecclesia, aut etiam in eodem baptisterio; cum extra sint* D *potius, et nihil cum illo commune habeant, præter portam, qua transitur e baptisterio in oratoria, et vicissim hinc in illud. Atque ita plane par ecclesia sunt. Neque etiam obesse debet locus Paulini Ep.* XII. *pag.* 152, *apsidem (quam et* concham *pag. præcedente vocat æque ac Græci, sumpta parte pro toto) dispertientis in triplicem recessum, quorum duo in ingressu apsidis utrimque in alias apsidulas sinuabantur; quasi in harum alterutra Antistes etiam hostias celebraret; atque adeo ibi altare esset. Locus Paulini hic est:* Cum duabus dextra lævaque conchulis intra spatiosum sui ambitum apsis laxetur, una earum immolanti hostias jubilationis Antistiti patet, altera post sacerdotem capaci sinu receptat orantes.

An duo fuerint alicubi tempore SS. Ambrosii et Paulini,

aut S. Hilari Papæ.

251 *Non inquam, hinc inferri debet, præter altare, quod manebat sub media concha, aliud fuisse in altera conchularum, quæ immolanti hostias Antistiti patere dicitur. Tantum quippe illud abest a vero, et semper fuit, ut Cangius, in talibus, si quis alius, versatissimus, non dubitet mutare in textu Paulini vocem* patet *in* parat; *sicque legi deberet,* una immolantem Antistitem parat, *quia ibi parabantur, panis, vinum, calix, atque alia, immolanti et sacrificanti necessaria: atque ipse sacerdos ibidem se parabat ad sacrificandum, induendo* E *sacrum paratum. Nec vero alibi quam sub media apside in ecclesia nova, quam e veteri ibidem destructa, quia nimis angusta erat, Paulinus condiderat ampliorem, stetisse altare, docent ejusdem versus,* quos *ipse suis ad Severum* litteris inserere noluit; *quia Severianæ ecclesiæ, quæ tota nova erat, non poterant convenire; superstites autem hodiedum in Pauliniana ecclesia exhibet descriptos Sirmondus noster in suis ad Sidonium Notis pag.* 50. *hoc initio:*

Parvus erat locus ante, sacris angustus agendis,
Supplicibusque negans pandere posse manus,
Nunc populo spatioso sacris in altaria præbet
Officiis, medii martyris in gremio.

Explicatur alius Paulini locus;

252 *Legerem,* medii martyrii, *id est templi,* in gremio, *nisi scirem, Paulinum sæpe Felicem suum, quia multa pro Christo passum, vocare* martyrem. *Puta, Natali* XI, *quem cum aliis ejus Poematibus e bibliotheca Ambrosiana nuper edidit eruditissimus Muratorius. Ibi Felix vocatur* elogio martyr; *et Natali* I, *dicitur* Vectus in æthereum sine sanguine martyr honorem. *Similia habentur Natali* II. *Natali vero* IX, *templum ejus simpliciter vocatur* martyrii alta domus. *Et hæc eo quoque allata sunto testimonia, ut, quod plerique judicant teste Sirmondo, citatos versus ipsius* F Paulini esse; *id certius constet ex voce* martyris, *qui ibidem pro* Felice *substituitur, phrasi Paulino familiari. Sive igitur* martyris, *sive* martyrii *scripsit Paulinus, eodem redibit; quia tam unum, quod aliud, significabit templum S. Felicis, in cujus medio gremio altare stetit* spatiosum, *super quod etiam Antistes pro dignitate sua solenniter immolare potuit hostiam jubilationis. Unicum vero tantum in ecclesia ista stetisse altare, licet* altaria *memorentur numero plurali, colligitur ex unico destincte disignato loco, in quo stetit; videlicet* in gremio medii martyris *aut martyrii.*

item alius, qui probat unum fuisse in ecclesia S. Felicis altare:

253 *Sed neque obesse nobis debet alius Paulini locus pag.* 150 *quo dicuntur Reliquiæ Martyrum* intra absidem trichora sub altaria *teneri. Neque enim probatur illa lectio omnibus: et Cangius iis potius adhærendum indicat, qui legunt,* intra apsidem trichoram sub altari. *Et sane hæc lectio (præterquam quod per se plana est) plurimum confirmitatis habet cum illis, quæ modo num.* 250 *retulimus ex eadem Paulini epistola* XII, *de eadem ecclesia, ejusque apside cum duabus conchulis et uno altari. Apsis enim talis proprie* trichora *est. Alia vero lectio, prout impressa habent, torquet doctorum ingenia, et nondum apte explicatam ab aliquo inveni. Rosweydus in suis ad locum illum Notis pag.* 785 *censuerat,* sub tribus *istis* absidibus tria *fuisse* altaria

ac tertius de apside trichora.

A altaria. *At pag.* 894 *inter* Addenda, *corrigens dicta sua, censet.* potius unum altare in medio trichori, sive inter tres absides, id est in medio majoris absidis, ita tamen, ut et duas alias laterales absides respiceret, positum *fuisse. Atque ita ibidem videtur ei intelligendus quoque Spartianus, qui in domo Pescennii Nigri* simulachrum ejus in trichoro constituit; *id est, inquit Rosweydus,* in medio trichori. Nam totus locus tribus constans absidibus vel partibus, dicebatur trichorus vel trichorum. *Ita ille, idque apte juxta etymologiam vocis* Χῶρος; *quæ Latinis* locum *sonat. Unde* τρίχωρος, triplex locus; *et apsis trichora, quæ tres locos habet, aut spatia.*

Qualis illa sit. 254 *Sunt tamen qui putent, apsidem trichoram esse et appellari, cum juxta apsidem primariam et extra eam, alia minor apsis hinc et alia inde sinuantur, sic ut neutra quidquam commune habeat cum primaria media. Talis situs apsides ternas proponit Cangius in sua ichnographia ædis sanctæ Sophiæ Constantinopolitanæ, et in duabus aliis structuræ Græcanicæ Jocobus Goar in Euchologio par.* 13 *et* 21. *Harum apsidam ternarum situm ut melius capiat Lector redeat ad ichnographiam nostram basilicæ Vaticanæ, ubi præter primariam apsidem, in medio postremi muri sinuatam, nulla quidem* B *seu intra seu extra illam exprimitur alia; concipi tamen facile potest alia ad latus ejus e regione navis penultimæ versus meridiem, et alia e regione navis penultimæ versus septemtrionem, quo fere modo se habet situs ternarum apsidum in ichnographiis Cangii et Goaris. Verum apsides istiusmodi tres, quæ omnino separatæ sunt, an* ipsis trichora *proprie sint aut appellari recte possint, non ausim id affirmantibus assentiri. Certe talis non fuit apsis S. Felicis, quam Paulinus ut* trichoram *describit. Ait enim, quod illa duas dextra lævaque conchulas intra* spatiosum sui ambitum *continebat, non extra; Cangianæ vero et Goarianæ absides laterales et extra primariam sunt, et nihil cum illa habent commune.*

Apsis Vaticana a S. Silvestro facta cum ipsa basilica. 255 *Sed nostra nos poscit apsis Vaticana S. Petri antiqua, cujus ergo hæc cœpimus disputare. Illam una cum basilica constructam fuisse a Constantino et Silvestro, quidquid alii dubitent, mihi tam certum est, quam quod certissimum. Obtinebat namque Romæ tum temporis usus taliter ædificandi Christianorum ecclesias, cœptus sub ipsis persecutoribus in ecclesiis subterraneis, ad quas latentes in cœmeteriis fideles, per vias diversas conveniebant, synaxes suas celebraturi. Exempla videre licet apud Aringum in Roma subterranea, ac præcipue* C *tomo* 2, *pag.* 323, *ubi exhibet orthographiam ecclesiæ S. Hermetis, ubi nunc est villa suburbana Collegii Romano Gregoriani Societatis Jesu, quo Scholastici ejus hebdomadatim per æstatem excurrunt, tam laudabili quam antiqua, utpote ab ipso Religiosæ familiæ nostræ institutore S. Ignatio derivata consuetudine, ut ingenia, continuato plurium dierum studio fatigata, deambulatione moderata, spiritu liberioris cœli, vacuitate curarum et relaxatione animorum, reparentur ad eadem studia diutius utiliusque continuanda. Inter hos ego Socios religiose ac jucunde quadriennium versatus, frequentavi cum iisdem villam prædictam, ac sæpe ibidem descendi ad subterraneam S. Hermetis, de quo Aringus loco citato, ecclesiam, tam alte depressam et bene materiatam adhuc, ut super parietes ac fornicem ejus domicilium, quod nunc ibidem spectatur superædificatum, quamvis altum sit, tertia tamen sui parte sub terra lateat. In capite istius ecclesiæ subterraneæ perquam amplæ, ut alia prætermittam, quæ hujus loci non sunt, apsis quoque est hemisphærica cum concha sua; apparentibus adhuc non uno loco coloribus, quibus depicta fuisse dignoscitur.*

juxta morem illorum temporum,

et musivo depicta fuit; 256 *Aliud argumentum, cur Silvestro apsidem æque ac reliquam ecclesiam S. Petri in Vaticano deberi, persuasum habeam, est, quia nusquam legitur alius* D *quispiam post Silvestrum illam extruxisse, legitur autem apud Anastasium pag.* 47, *illam* renovasse *Severinum Papam, qui* CCC. *post Silvestrum annis Ecclesiam rexit. Imo ex indicato Anastasii loco concludi potest, etiam musivo depictam a Silvestro fuisse apsidem illam. Dicitur namque ibi Severinus* renovasse apsidem B. Petri Apostoli ex musivo, quod dirutum, *alia lectio habet,* quod disruptum, erat. *Maxime quidem firma ac durabilis picturarum omnium est musiva, quæ tamen cogitari potest spatio trecentorum annorum sic labefactata fuisse, ut renovari debuerit. Et plane voluerit Constantinus, præcipuam domus Dei portionem, apsidem dico, non minori picturarum elegantia spectabilem esse, quam palatia gentilium Imperatorum, quæ passim musivis operibus nitebant, qualium reliquiæ hodiedum supersunt et videri possunt multi locis inter ruinas, palatii dicam, an civitatis? (fuit enim miræ amplitudinis ædificium) quod Imperator Hadrianus construendum sibi curavit prope Tybur.*

C. J.

uti ex Anastasio Biblioth.

257 *Verum quid opus est hisce conjecturis, quando clarissimis verbis testatur Adrianus Papa I, Silvestrum et Successores ejus aliquot, ecclesias a se structas depinxisse* in musivo. *Ita scribit in amplissima epistola de Imaginibus, qua illos confutat, qui Synodum Nicænam secundam inpugnabant, regi Carolo Magno inscripta apud Labbeum tom.* 7, *Concil. col.* 655. A tunc, *sive a tempore Constantini Magni,* usque hactenus sanctorum Pontificum Silvestri, Marci et Julii, miræ magnitudinis sanctæ eorum ecclesiæ apud nos sunt depictæ, tam in musivo quamque in ceteris historiis, cum sacris imaginibus ornatis. *Ex harum ecclesiarum numero non tantum excludi non debet B. Petri basilica in Vaticano, sed ipsa præcipue designari videtur utpote* miræ, *et majoris quam ceteræ,* magnitudinis. *et Adriano Papa I. ostenditur.* E

258 *Constat quoque S. Paulinum annis non amplius* LXX. *aut* LXXX *post Silvestrum in sua diœcesi Nolana ædificasse B. Felici novam ex veteri ecclesiam, in eaque apsidem fecisse et musivo ornasse; non utique sine exemplo majorum. Quorum autem potius quam Romanorum Pontificum, qui primas a se sub Imperatore jam Christiano, et publice magnificeque extructas et solenniter consecratas, tali forma extruendas curaverint? Has vero, sibi sæpe visas Romæ, quantum ad præcipuas architecturæ partes attinet, tum Paulinus, tum alii passim, saltem per Italiam episcopi, faustis illis, publice efferentis caput Religionis principiis, voluerit imitari; ut in his quoque, sicuti in aliis sese Ecclesiæ Romanæ, tamquam membra capiti suo, conformarent.* F *S. Paulinus quoque ædificavit ecclesiam cum apside musiva*

259 *De apside ecclesiæ a se constructæ, ejusque pictura musiva mox audiemus Paulinum, ex ipso verisimile redditur, quod Silvester non modo struxit et musivo ornavit apsidem S. Petri, verum etiam eamdem ibi picturam pingi curavit, quæ propter basilicam novam sub Sixto V. destrui cum apside debuit, conservato tamen ejus exemplo in expansa membrana, quæ in archivo est, ad posteriorum memoriam delineato: unde ectypon ejus desumi atque in æs incidi curavit Ciampinus, et ex ipso nos hic similiter repræsentamus. Scribit Turrigius pag.* 62, *idem opus musivum apsidis antiquæ etiam depictum cerni in cryptis Vaticanis, et singulas ejus partes, saltem obiter describendo, sic indicat; ut si quis scripta ejus legens, præ oculis simul habeat tabulam apsidis Ciampinianam, dubitare non possit, quin omnia res eadem utrobique sint. Nihilominus videntur illam Turrigii in cryptis picturam recentiores aliqui Scriptores atque inter illos ipse Ciampinus indicare, olim extra basilicam in atrio paradisi spectabilem fuisse: quod cum eorumdem asserto, apsidem intra ecclesiam similiter depingentium, difficile conciliatu est; nisi eadem pictura musiva duobus locis extiterit.*

260 *Utut est, apsidis picturam musivam, quam hic repræsentamus, Innocentii Papæ III, anno* MCXCVIII, *electi, opus esse, indicat ipsiusmet imago et nomen, loco* cons- *verosimiliter juxta formam Romanorum.*

A *conspicuo adscriptum. Sed dubitari potest, fueritne opus illum musivum, aut potius pictura ejus Innocentiana, omnino nova ac diversa ab illa, quam diu ante* renovaverat *(non mutaverat) Severinus Papa, ac fortassis alius post ipsum denuo renovavit ante Innocentium prædictum ; quemadmodum Turrigius in Cryptis pag.* 62. *et ex illo Ciampinus pag.* 42. *scribunt. Benedictum XII. vix sesquiseculo post Innocentium, eamdem upsidem restaurasse per celebrem pictorem Giottum, eapropter Florentia evocatum. Sed hocce scriptores, quia nullum citant asserti sui auctorem, et nihil tale legitur in actis Benedicti, aut alibi quod sciam ; intellexerint fortassis, epigraphen hanc* (Benedictus PP. XII, Tolosanus, fecit fieri de novo tecta hujus basilicæ sub anno Domini MCCCXLI) *quæ olim legebatur, statuæ ejus, inter portas Argenteam atque Ravennianam parieti appositæ, adscripta; intellexerint fortassis, inquam, scriptores citati, epigraphen hanc etiam ad tectum apsidis pertinere. quam ego ad solum ecclesiæ tectum referendam puto.*

C. J. Vaticana ab Innoc. 3 restaurata, iterum innovata fuerit a Benedicto 12.

§ II. De pictura Vaticanæ apsidis musiva, cujus segmentum superius explicatur.

B

Pictura apsidis, quæ hic delineata,

Adjango hic, ut melius capiantur dicenda, picturam musivam veteris in basilica Vaticana apsidis ex delineatione, quam illustrissimus Ciampinus in Ædificiis Constantinianis exhibet, Tabula sua XIII. *aitque a se diligentissime delineari curatam juxta exemplar, quod servatur in archivo basilicæ, magno in pergameno, coloribus distinctum, apposita ad calcem publici notarii fide de collatione facta cum originali, antequam Sixtus V. apsidem ipsam destrueret. Bifariam, ut vides, dividetur universa pictura. Pars inferior repræsentat Ecclesiam militantem, ejus sacrificium, vocationem gentium, aliaque. Pars superior, stellis ubique distincta, (unde videri possit repræsentare cœlum empyreum aut firmamentum) exhibet Christum Dominum in throno sedentem et adstantes ei duos Apostolos, omnes diademate seu corona gloriæ insignes. Hanc partem hic illustrare conabor, alteram deinde. Præmittenda tamen est responsio ad dubium, quod movi §. superiori; ac dicendum, picturam musivam Innocentii III. in apside Vaticana, quantum ad præcipuas ejus figuras attinet, verosimiliter repræsentare eadem, quæ repræsentabat pictura ibi renovata a Severino Papa, et primum facta* C *(secundum indicatam opinionem nostram) a S. Silvestro. Neque enim existimandum est, ecclesiam Vaticanam sub Innocentio III. minus solicite conservata voluisse præcipua sua decora et antiquitatis monumenta: quam id voluit eadem Ecclesia sub Sixto V. quando sub modio, ut ita dicam, in cryptis subterreneis iisque tenebricosis ; et in membrana, nihilo lucidioribus in archivis recondita, apsidem, paulo post demoliendam, depingi curavit, tantum modo ut conservata perduraret antiqua ejus pictura. Facilius ea potuit conservari in renovatione Innocentiana, quia manebat in eodem loco ; et minoribus impensis, quam alia depingi, quia superfuerint tum adhuc varia ejus lineamenta, quæ non evanuerant, ac refici propterea citius et commodius poterant quam nova pingi. Adde studium, quod dixi antiquitatis, et zelum retinendi recte instituta ; quorum semper Ecclesia ista tenax fuit.*

et ab Innocentio 3. restaurata fuit,

Silvestro, ut primo auctori tribuenda,

262 *Fortius probabit assertionem nostram argumentum, quod subministrat repræsentatio apsidis Innocentianæ, expressa in tabula adjuncta. In illa quippe pictura præter nonnulla, quæ basilicæ Vaticanæ, in honorem Principum Apostolorum conditæ, sunt supra ; repræsentantur multa, quæ primis post Constantinum Magnum temporibus videntur passim pingi solita fuisse. Certe Paulinus sanctissimus episcopus apsides a se ædificatas pictasque, tum in ecclesia Nolana S. Felicis,* D *tum in ecclesia Fundana, quam e patrimonio suo Fundis erexerat talibus depingendas curavit figuris, quales etiam in musivo Innocentiano repræsentantur plures. Puta, quod utrobique sit Christus Dominus, quod sub pedibus ejus quatuor paradisi flumina ; quod Crux gemmis distincta ; quod Agnus sub Cruce ; quod oves aliæ ; quod palmæ. Quæ proinde non tam Innocentii inventio, quam antiquæ picturæ restauratio aut imitatio censeri possunt. Manifestiora hæc fient inter explicandum mysteria adjunctæ tabulæ, dum eorum antiquum in picturis usum verbis Paulini comprobabimus.*

utpote priscorum temporum imagines referens,

similes illis quas S. Paulinus pinxit ac descripsit

263 *Multa ad explicationem tabulæ congerit Ciampinus libro de sacris Ædificiis Constantini pag.* 42. *in quibus tamen accuratio major, ut alibi, fortasse desiderari possit. Nonnulla eodem conferemus et nos, ordientes a primaria persona, quæ est Christus Dominus, media area conspicuus in solio, dextram tenens ante pectus elatam, erectis tribus digitis, annulari solo et pollice curvatis, et inter se commissis ; sinistra vero librum genu sinistro nixum, complectens. Tota figura schema repræsentat docentis ac instruentis ; quidcumque demum hic discurrat Ciampinus de manu dextra elevata, quæ curvatis tantum pollice et annulari digito, ei certo certius gestum benedicentis significat ex more, ut ait,* E *Græcorum. Sed quid juris habuit mos Græcorum, ut in ecclesia Latina et præcipua ejus basilica Romæ, debuerit manus benedicentis pingi more Græcorum, et non potius more Latinorum ? An etiam Petrus, qui Christo Domino adstat, ac digitos dextræ extensæ, eodem, ac ille, modo dispositos habet, domino suo censebitur impertiri benedictionem ? Non existimo id intendisse Innocentium, aut decessores ejus, tabulæ auctores primos.*

An Christus in Vaticana repræsentetur

tamquam benedicens more Græcorum

264 *Quod autem digitus index et medius sic jungantur in manu benedicente, ut primus erectus, litteram* I. *alter curvatus litteram* C, *quæ Græcum mediæ ætatis sigma est, efficiant ; atque iterum ut digitus annularis et pollex, inter se transmissi forment litteram græcam* X; *auricularis vero digitus, uti de medio dictum est, curvetur in* C: *et ex his demum duæ primæ litteræ* IC, *significent nomen sacrosanctum* Jesus ; *posteriores autem duæ* XC, *denotent nomen* Christus, *uti explicat Ciampinus ex Raynaudo de Attributis Christi sect.* 4. *c.* 9. *nu.* 733. *et Raynaudus ex Nicolao Malaxo, scriptore Græco, fragmenta ejus vix scio qualia citans ; quod, inquam, talis positio digitorum in manu benedicente Græcorum sit, aut debeat esse, ad tales litteras formandas, ingeniosam potius Nicolai istius speculationem* F *esse existimo, quam receptum apud Græcos ritum : cum præter illum alius nusquam citetur, qui talium rituum, in benedictionibus servandorum, meminerit.*

juxta opinionem Malaxi,

265 *Præterea talis positio digitorum videtur aliquid habere insoliti et indecori : quia erecto indice perdifficile est, saltem non assueto, medium digitum curvare leniter, præsertim quando eodem tempore annularis pollici (quod ipsum non satis naturæ consentaneum videtur) superimpositus, cum isto formare debet litteram* X. *Repugnat quoque positio illa auctoritati picturarum veterum ; quia in illis passim, et in ipsa quoque Ciampini tabula, quam præ manibus habemus, Christus Dominus ac B. Petrus (utrumque ille ait, in modum benedicentis afferre dextram) tres digitos, certe duos, indicem et medium, sic erectos habere conspiciuntur, ut nullus dici possit alio magis esse curvatus. Ad hæc annulaxris et pollex Christi et Petri in eadem tabula, tantum abest, ut transversim positi, efficiant* X, *ut vix extremitates utriusque inter se contingant.*

qui videtur incongrua tradere

266 *Ibidem observare licet in imagine Salvatoris, inter Apostolos Petrum et Paulum, elata manu in modum benedicentis, depicti musivo opere in sepulcro Ottonis II. imperatoris, quam se vidisse testatur Nicolaus Alemanni, atque inde excepit, et in æs incisam producit*

et repugnat veteribus picturis,


IC XC
SCS PAVLVS
SCS PETRVS
Geon Phison Tigris Euphrates
SVMMA PETRI SEDES EST HAEC SACRA PRINCIPIS AEDES · MATER CVNCTAR DECORET
DEVOTVS XPO QVI TEMPLO SERVIT IN ISTO · FLORES VIRTVTIS CAPIET FRVCTVSQ SALVTIS

A *producit in opusculo de Lateranensibus parietinis, sane erudito, pag.* 88. *In isthac imagine tres digiti æqualiter extensi, annularis vero et pollex, supremis punctis inter se conjuncti spectantur. Neque aliter eamdem picturam curavit depingendam Ciampinus ipse in Ædificiis Constantinianis tabula* 24. *fig.* 2. *exceptam ex prædicto sepulcro, quod nunc in Cryptis Vaticanis conditum servatur, visum adhuc ab Alemanno sub Paulo V. in introitu atrii veteris, sive, ut loquitur Ditmarus,* paradisi, *et quidem ad partem ejus* orientalem, *uti idem testatur lib.* 5. *Chronic.*

docentibus modum illum benedicendi,

267 *Sed, si quis forte velit obstinare animum, ac firmiter tenere, Christum in apside nostra, more benedictionem impertientis depictum, et usu Græcorum digitos suos componere, quia nomina* Jesus Christus, *per extrema utrobique elementa Græca* IC *et* XC *ibidem exprimuntur; consideret ille, quænam ratio subesse possit, cur in sepulcro Imperatoris Latini, ubi ne littera quidem ulla Græca invenitur, sculpta sit figura more Græcorum compositis digitis benedictionem impertientis.*

potius Latinorum esse.

An non plausibilius dici possit, compositionem manus, prout in memoratis sepulcro et tabula repræsentatur, æque Latinorum esse ac Græcorum, si non et potius B *Latinorum sit; tres autem digitos erigi in cœlum, ut eo cogitationes nostras dirigamus, ad contemplandam sanctissimam Trinitatem : digitumque annularem ac pollicem, supremis articulis inter se contingentes conficere litteram* O *aut annulum, æternitatis hieroglyphicon, ad significandum bona, quæ in cœlis reposita sunt, æterna fore : spemque illa consequendi, per benedictionem divinam impertiri vel augeri hominibus. Verum nimis diu his immoror, ex occasione data a Ciampino de Christi dextra benedicente.*

Christus sinistra librum tenet Evangeliorum.

268 *Transeo igitur cum ipso ad sinistram Christi manum, et ad librum, quem illa nixum genu stringit; quemque Ciampinus docet denotare* librum Vitæ scilicet electorum. *Ego vero opinatus, Christus hic agere magistrum in Cathedra atque instituere duos Apostolos suos, qui stant, dextraque et oculis in magistrum intenti interrogare aliquid videntur, existimo, librum illum denotare sacrosancta Evangelia, quibus doctrina Christi continetur, ab Apostolis toto orbe disseminata. Huc etiam spectant quatuor flumina, subter solium sedentis Christi emanantia,* Gehon, Phison, Tigris, *et* Euphrates; *quæ uti ex uno fonte paradisi terrestris (Genesis c.* 2.) *quadrifariam profluunt, et longe lateque terram alluvione aquarum suarum uberem reddunt; ita hic, et passim in antiquissimis Christiano-* C *rum monumentis, quorum magnam copiam apud Aringum videre licet, figurata conspiciuntur, ad significandum quatuor Evangelia, ex uno fonte, qui Christus est, promanantia, totumque terrarum orbem irrigantia ad salutem animarum.* Quatuor *namque* paradisi flumina, *ut inquit S. Eucherius in Genesim,* quatuor sunt Evangelia ad prædicationem cunctis gentibus missa. *Et ante ipsum S. Cyprianus, cum dixerat, Deum arbores paradisi rigasse quatuor fluminibus,* id est *inquit epist.* 73 *ad Julianum,* Evangeliis quatuor, quibus baptismi gratia salutaris cœlesti inundatione largitur.

Sub pedibus ejus quatuor flumina paradisi, quid innuant,

etiam apud Paulinum Nolanum,

269 *Similem quatuor fluviorum picturam, ad idem significandum, in apside sua Sanfeliciana expresserat quoque S. Paulinus, uti ipse testatur : Christum tamen non sedentem in throno, sed stantem in monte vel petra describit. En verba ejus, ex Epist.* 12. *pag.* 150. *tribus versibus expressa :*

Petram superstat ipse [*Christus*] petra Ecclesiæ,
De qua sonori quatuor fontes meant,
Evangelistæ, viva Christi flumina.

Nec prætermittam dicere, quod etiam Lugduni Galliæ eadem flumina olim picta fuerint in aliqua apside, quam deinde dignam judicavit Florus Lugdunensis Diaconus, ut ejus picturam ab interitu vindicaret versibus suis, D *commendaretque posteritati; de quatuor fluminibus, inter alia ibi repræsentatis sic canens :*

C. I.

Quid cervi fluminibus appicti.

Vivaque Hierusales, agno illustrante refulgens,
Quatuor uno agitat paradisi flumina fonte.

Prodiit poemation istud opera Mabillonii, legiturque tomo primo Veterum Analectorum pag. 408.

270 *Neuter citatorum Poetarum mentionem facit cervorum, an illi in apsidibus quoque suis appicti fuerint quatuor fluminibus, veluti ad ea currentes atque anhelantes; quemadmodum depicti exhibentur in nostra tabula, non citra mysterium. Jam enim didicimus ex Cypriano, flumina illa Evangelii symbola, baptismi gratiam salutarem cœlesti inundationi largiri, atque (ut alibi idem scribit, tractatu de ablutione pedum)* per universum mundum regenerationis evehere lavacrum; *ad cujus salutares aquas, doctrina Evangelica instructos properare homines ex omni parte, docemur in cervis, hinc et inde ad aquas accurrentibus. His enim in more positum esse, docet Hieronymus in Psal.* 41. ut inventum serpentem naribus hauriant, et post hæc exardescentes, *currant ad fontem, ut* extinguant sitim. *Et mox hoc ipsum applicat hominibus,* qui cum diu in actu venenoso *variorum peccatorum, atque in* idololatriæ fœtore *vixerunt,* desiderant venire ad E Christum, in quo est fons luminis, ut abluti baptismo accipiant donum remissionis.

Quid palmæ,

271 *Si æque constaret, vestem Christi hic purpuream esse, atque constat palmas utrimque, et quidem proceras, consurgere, posset huic apsidi nostræ non minus, quam Sanfelicianæ convenire versus iste S. Paulini, de Christo loquentis,*

Regnum et triumphum purpura et palmæ indicant.

quid Apostoli,

De sanctis Apostolis Petro et Paulo, utrimque inter palmas et Christum stantibus, quid dicam? Tunicatus et palliatus stat uterque, uterque sinistra manu pendulum et explicatum præfert volumen. In horum altero, quod Pauli est, inscribitur ex Epist. ad Philipp. I. 20. Mihi vivere Christus est : *in altero, quod est Petri, debuit inscribi tota ejus confessio Matth.* 16, 16. Tu es Christus filius Dei vivi : *cui confessioni etiam reponere dignatus est Christus divinam promissionem suam hanc :* Tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam : et tibi dabo claves regni cœlorum; et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis. *Hanc autem promissionem pictor non expressit quidem verbis, sed symbolo clavium, potestatem omnimodam solvendi et ligandi significantium : quas propterea ex eadem Petri manu cum volumine confessionis pendulas depingit.*

et eorum volumina;

quid claves Petri. F

Diadema Christi diversum

272 *Caput utriusque Apostoli non secus ac Christi,* diademate, *id est circulo lucido, quem et* nimbum *vocant, cingitur, illo tamen discrimine, quod diadema Christi non sit merus circulus, uti est Apostolorum; sed intra ambitum suum effigiatam habeat crucis formam. Et hoc discrimen alibi quoque, ubi Christus cum uno aut pluribus Apostolis aliisve Sanctis componitur, in antiquis picturis observare licet, non utique adhiberi cœptum, ex mero pictoris ingenio, sed ex industria sapientum, qui voluerint illo signo consultum rudioribus, ut inde cognita Christi Domini præ aliis persona, præcipuum ei venerationem deferrent, et mysterium, pictura repræsentatum, facilius caperent. Observare autem licet quod dico, in apside triclinii a Leone Papa III. ædificati, et hodiedum magna parte sui superstite, prope basilicam Lateranensem. In apsidis illius concha stat Christus super colliculum, e quo flumina quatuor, ut in nostra apside, prodeunt, stipantibus utrimque latera ejus Apostolis. Stat autem hic, ut benedicens, elata dextera, et digitis fortasse (neque enim satis distingui potest ita compositis, uti supra Ciampinus prætendit, Græcos consuevisse, illos inter benedicendum componere*

a diademate Apostolorum,

etiam in triclinio Leonis 3,

in una

A *nere. Caput vero Christi (quod præcipue huc spectat) diademate ambitur, cruce per medium insignito, ubi reliqui omnes adstantes nudo circulo decorantur.*

C. 1.

atque altera pictura.

273 *Idem ibidem observari quoque potest in alio musivo, quod extra curvaturam apsidis superiorem repræsentat hinc Christum, inde Petrum, in throno considentes ambo; et hunc quidem circulo simplici, illum vero circulo cruce ornato circum verticem diadematis. Simplex similiter circulus ibidem in dextro emblemate ac dextro Christi latere Papam genua flectentem coronat: in sinistro autem emblemate ad dextram Petri Apostoli flectit alius Papa, non circulari, sed quadrangulari figura, caput ornatus. Prior figura notat hominem defunctum, posterior adhuc viventem, quando emblemata illa fuere picta: et hic quidem repræsentatur Leo PP. III. qui opus faciendum curavit: illic vero quis sit, non adeo constat. Sunt qui Silvestrum putent; ego cum Papebrochio malim sentire, Adrianum primum esse, Leonis decessorem, ob conjecturas tom. 2 Junii n.* 582. *allatas. Tabulam istorum musivorum, quam alibi jam dedimus in æs incisam, hic denuo juvabit exhibere, ut expeditius conferri cum tabula apsidis Vaticanæ, et ex collatione utriusque constare possit oculis intuentium, tam esse similia utrobique inter se diademata Christi,* B *quam sunt diversa a diadematibus Apostolorum. Ex similitudine porro mutua diadematum Christi in utraque tabula, conjici non temere potest, apsidis ab Innocentio III. restauratæ picturam, Innocentii istius ætate multo antiquiorem esse.*

§ III. Segmenti inferioris pictura illustratur.

Agnus, sub cruce vulneratus,

Lustratis quæ præcipua sunt in conchæ segmento superiori, deflectamus paululum oculos ad inferius. Principem hic locum obtinet spectabilis in medio gemmatus thronus, *ut Ciampino placet appellare; qui forsan ara potius videbitur aliis. Super hanc seu aram, seu thronum quasi in colliculo erecta et gemmis distincta conspicitur crux: sub cruce, ante aram stat agnus, diademate caput circumdatus, e cujus quatuor pedibus totidem fluenta erumpunt, quinto insuper prodeunte e pectore in calicem suppositum, atque inde juxta reliqua defluente. Similis fere fuerit agnus, et ipse compositus cum cruce, in pictura, qua S. Paulinus ecclesiam suam Fundis ornandam curavit; quemadmodum docemur ex Epist. ejus* 12. *ubi inter alia sic loquitur pag.* 155 *et* 156.

C Sub cruce sanguinea niveo stat Christus in agno;
Agnus ut nocua injusto datus hostia leto.
Item in eumdem sensum; quod Christum
Sanctam fatentur crux et agnus victimam.

symbolum Christi patientis:

Agnus namque ita constitutus sub sacrosancta cruce, symbolum habet Christi patientis, et per merita suorum quinque vulnerum dispertientis fluenta gratiarum per universum mundum, ac dantis inde omnibus affluenter, *ut ait Apostolus.*

275 *Quod si præterea agnus, ut apud nos, adstet altari, multo sane apertius id fatetur sanctam victimam; nec aliud videtur innuere, quam Christum semel oblatum in cruce, offerri quotidie super altaria Christianorum. Quod porro primæva Ecclesia Christum in talibus circumstantiis, sub agni symbolo potissimum putaverit exprimendum, aliunde, puto, non didicerit, quam a præcursore Joanne, qui digito veluti intento in Christum, dixit turbis;* Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi: *atque a Prophetis Isaia et Jeremia; quorum ille de Christo prædixit, quod* sicut ovis ad occisionem duceretur: *hic vero in Christi persona loquens;* Ego, *inquit,* quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam.

Joan 1, 19.
Is. 53, 7.
Jer. 11, 19

oves 12, symbolum 12 Apostolorum

276 *At quid oves duodecim, quæ in eadem tabula nostra e civitatibus Hierusalem ac Bethleem, utrimque videntur accedere ad agnum sub cruce vulneratum?* D *Respondebit Guilielmus Durantus in Rationali divin. Offic. l.* 1. *c.* 3. *num.* 10. Pingebantur *Apostoli* quandoque sub forma duodecim ovium, quia tamquam bidentes occisi sunt propter Dominum. Sed et duodecim tribus Israel quandoque sub forma duodecim ovium pinguntur. *Utrumvis hic intelligi per symbolum illud rite potest. Repræsentat quippe Apostolos, quia in Scriptura sacra, ubi Christus appellatur* Pastor, *ipsi dicuntur* oves gregis. *Et Christus mittit eosdem* sicut oves in medio luporum. *Et Paulus, se aliosque Apostolos, ait, æstimatos esse* sicut oves occisionis. *Quod ultimum propius videtur spectare ad tabulam nostram, ubi oves duodecim ad agnum sub cruce consistentem et vulneratum, id est Apostoli ad Christum pastorem suum, pro se passum ac mortuum in cruce, properant veluti cum ipso occidendi.*

Ad Rom. 8, 36

ac 12 tribuum Israel.

277 *Repræsentare vero idem symbolum potest duodecim tribus Israel, quia hæ erant electæ. Unde imprimis misit Christus Apostolos suos prædicationis causa potius* ad oves, quæ perierant, domus Israel, *quam ad alias nationes. Nec indignum observatu existimo, quod, ubi agnus sub cruce stat unicolor et albus (niveo quippe, ut canentem audivimus Paulinum,* stat Christus in agno) *ibi oves omnes variis aspersæ sint maculis. Diceres properare ad agnum, ut in sanguine ejus laventur ac mundentur: uti scimus, quod universitas electorum, qui per duodecim tribus Israel designantur, mundari debent a peccatis suis per sanguinem Christi. Porro civitates duæ, Hierusalem atque Bethleem, e quibus egrediuntur oves, si alicui robur addere explicationi possint, possunt hic confirmare utramque explicationem nostram. Ambæ enim civitates illæ, quia inter primarias Judææ sunt altera, nativitate Christi; altera, morte ejus nobilitatæ; merito repræsentent universitatem Judaici populi: e quo tum Apostoli, tum tum primi post illos fideles egressi accessere ad Christum.* E

Matt. 10, 6.

Imagines Innocentii 3,

278 *Figuræ humanæ, quæ, utrimque altari aut throno agni adstant, quosnam repræsentent, manifeste indicant adscripta nomina, altera nempe Innocentium Papam III anno* MCXCVIII *electum, et operis musivi restauratorem: altera, sub ficta persona, Ecclesiam Romanam. Papa stat togatus ac palliatus, junctisque manibus in modum adorantis, ad crucem et agnum conversus; videtique potest pro ovibus, sibi commissis ac post tergum sequentibus deprecari. Notari meretur, quod phrygium sive tiara Pontificis, tempore Innocentii III nondum duplici, nedum triplici coronamento superne sit clausa ac talis plane, qualem scribit Sugerius, S. Dionysii Abbas, in vita Ludovici Crassi apud Duchesnium tom.* 4 *pag.* 318. *dum ait, in solenni die Paschatis, ministros Pontificios,* more Romano *præparatos, Innocentii Papæ II, tunc in Gallia morantis, capiti imposuisse* frigium, ornamentum imperiale, instar Galeæ, circulo aureo circinnatum. *Alterum coronamentum tiaræ additum videtur a Bonifacio VIII, tertium vero ab Urbano V.* F

et Ecclesiæ Romanæ qualis.

279 *Imago, quæ repræsentat Ecclesiam Romanam, muliebris est, vestis ejus talaris, manicæ admodum laxæ sinistra manus videtur admotum pectori tenere librum, humeros et collum exomis (vulgo Italis* mozzetta*) ambit; quodque præcipue observandum venit, coronat instar Ducalis, caput cingitur; et manus dextera rectam tenet perticam; cujus in apice apponitur crux et sub cruce vexillum, aut potius aplustre, idque explicatum, ac duabus intertextis clavibus insignitum. Recte hoc quidem et congruenter convenienterque personæ, quæ per symbolum repræsentatur. Vexillum enim illud in memoriam mihi revocat musivum triclinii Leoniam, opus, paulo ante exhibitum, in cujus superiori segmento hinc Christus Dominus, inde S. Petrus, in throno sedentes, Imperatoribus genuflexis tradunt in manus hastas*

A *hastas singulas, quarum alteri imposita crux, alteri lancea, et ex utraque pendet vexillum explicatum. Quod censetur esse signum traditæ ipsis ab Ecclesia et Deo potestatis regendi Romanum imperium ; consequentibus inde duabus prærogativis, quarum altera est, ut is cui sic traditur imperium, constituatur præ reliquis principibus omnibus, glorioso titulo, defensor Ecclesiæ Dei; quam et tueri armis tamquam Christianus Imperator, contra adversarios ejus quoscumque et amplificare pro viribus debet. Altera prærogativa, quæ sequitur ex prima, affert ejusmodi Imperatori summam inter omnes laicos Principes dignitatem, ab iisque suspici debet et coli.*

Quid denotent, vexillum

280 *Similiter vexillum, quod in tabula nostra, manu tenet Ecclesia, videtur mihi imperium ejus, illudque multo sublimius, quam sit quorumvis laicorum, symbolice significare. Ipsa quippe, in Petro Apostolo supra petram ædificata a Christo, ab eoque imperium adepta per traditionem clavium, quæ vexillo intexuntur, omnem transcendit dignitatem potestatemque humanam; dominans non solum in terris, verum etiam in inferno et in cælo ; quoniam ex infallibili promissione Christi, portæ et potestates inferorum non prævalebunt adversus eam ; et, quodcumque ipsa ligaverit super terram, erit* B *ligatum et in cælis ; et quodcumque solverit super terram, erit solutum et in cælis. Vexillum porro per aera fluitat explicatum, et a stante Ecclesia sublime erectum tenetur, quod hujus vigilantiam et promptitudinem ad bellandum bella Domini atque ampliandum ditionem ejus denotare potest. Claves vexillo intextæ, et ipsæ symbolum sunt potestatis, modo indicatæ, solvendi atque ligandi. Hasta vexilli, superne crucem ostentans, docet, quam diximus, dignitatem potestamque, per merita Christi, in cruce mortui, Ecclesiæ partam fuisse, atque excitat sequaces ejus, ut ne erubescant ignominiam crucis ; sed hanc in sublimi positam intuentes, animentur ad præmia, quæ crucem consequuntur, obtinenda in cælis.*

quid claves et intextæ :

281 *Habet quoque vexillum Constantini in triclinio Leonis crucem suam in summa hasta ; fortassis quia illa ei apparuerat antequam confligeret cum Maxentio, fuitque principium et victoriarum ejus, et conversionis ad fidem, et imperii Christiano-Romani. Vexillum Caroli crucis loco lanceam habet præfixam. An respexerit hic auctor operis ad lanceam, qua sacrum Christi latus in cruce apertum fuit ? atque ita per duo passionis instrumenta præcipua, crucem et lanceam, significatum voluerit, debere Imperatores inter susceptos* C *pro defensione Ecclesiæ labores et ærumnas et strictos enses. animari eorumdem instrumentorum recordatione* ad propositum *sibi* certamen, aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem *et lanceam*; confusione contempta, atque *exinde gloriosus* in dextera sedis Dei sedet; *ad Hebr.* 12. *Corona cingitur caput Ecclesiæ, cingitur quoque caput imperatorum, vel quia ita postulat dignitas ejusque et munus ; vel quia, ut Ecclesiæ certanti, sic Imperatoribus quoque, ipsam defendentibus, certo secutura præmonstratur per coronam victoria ac triumphus sive merces saltem in cælis.*

quid corona, tapetibus imposita imperatorum.

Columbæ, pacis nuntiæ,

282 *Primæ arbores duæ, hinc post tergum Innocentii, inde post tergum Ecclesiæ, palmæ sunt ramis bifariam ita diductis atque implexis curvatisque, ut superne coeuntes ovatum in medio spatium pandant, in quo aves singulæ consistunt. Hæ cujusnam sint generis, dolet Ciampinus,* ob illarum parvitatem discerni minime posse. *Gloriari ego non ausim, magis lynceos habere me oculos, quam habuerit Ciampinus, quando illa scripsit : ausim nihilominus afferre, columbas esse ; idque, ut ex forma avis minus dignosceretur, posset comprobari ex ramusculo, quem singulæ rostro præferunt, adinstar columbæ Noemicæ, portantis ramum olivæ, indicem pacis ; quam et Agnus Dei, in cruce immolatus, hominibus, præsertim bonæ voluntatis et* D *columbarum mansuetudinem imitantibus, attulit, reconcilians mundum Deo in sanguine suo : et pactum fœderis interponens, multo salutarius illo, quod post diluvium in iride constituit Noemo Dominus, inter se et omnem carnem super terram.*

C. 9. Gen. 9

283 *Variis locis et significatione varia olim pingi fingique consueverunt in ecclesiis, uti et in sepulcris fidelium, columbæ. Si nostræ hæ non in ligno qualicumque, sed in ligno crucis, quod prope adstat cum agno, residerent, possent illis subscribi (sed et nunc possunt ex parte) hi versus Paulini, quos super ingressum sæpe memoratæ ecclesiæ suæ ipse pingendos curavit, ad docendum homines ingressum in cælos per simplicitatem columbinam :*

viam in cœlum monstrant.

Quæque super signum resident cœleste columbæ,
Simplicibus produnt regna patere Dei.

Et paulo post docet, quo pacto et nos possimus columbæ fieri Deo amabiles, per cordis puritatem :

Nos quoque perficies placitas tibi, Christe, columbas ;
Si vigeat puris pax tua pectoribus.

Atque hæc præcipua sunt segmenti inferioris mysteria. Proponemus etiam paulo post de hoc argumento alia E *quædam secundum sensa aliorum Scriptorum, qui et ipsi similia opera musiva, ac præsertim depictas in illis sacrosanctæ crucis figuras suo ingenio quisque explicaverunt ; liberum relinquentes lectoribus, ut quod in singulis sibi convenientius visum fuerit, id ipsum amplectantur.*

DISSERTATIO

INTERCALARIS TERTIA

De manu et cruce quadrata summæ apsidis, in tabula perperam delineatis, in aliamque manus formam et columbam reformandis.

Perperam depicta videtur in tabula manus,

D*isputavimus jam §. II. num.* 236, *nonnulla de manu dextra Christi Domini sedentis in throno, elevata in modum benedicentis* Græcorum ritu, *uti opinatur Ciampinus, quod probare non potuimus. Idem ibidem id ipsum censet de alia manu, quæ in summa apside sub cruce quadrata veluti e* nube protenditur. *Notanda, inquit, hic est* parva, *quæ* in arcus summitate *(verba* F *sunt Ciampini)* visitur crux, et juxta crucem, *imo, infra,* manus quasi e cælo erumpens, complicatis interioribus digitis, benedictionem in Græca forma impertiens. *Post varia autem, illa super re disputata, testatur, se quidem curasse,* manum emblemate expressam, fideliter ad prototypum delineari : *attamen putare, in positione digitorum ejus* erratum esse, aut ex pictoris sive musivarii errore, aut ex restauratoris culpa. *Ita Ciampinus, qui debet in illa manu pollicem atque annularem digitum; curvatos et supremis articulis inter se junctos ; indicem vero, verpum seu medium, atque auricularem, explicatos, contemplatus fuisse, et vidisse quod non est, nec fuerit, ut aptum disputationi suæ, de forma Græcorum benedicendi, habuisse locum videri possit. Nihil enim minus apparet in illa manu, quam talis compositio digitorum, qualem requirit Ciampinus ad benedictionem more Græcorum dandam. Sed erratum esse putat in pictura. Id lubens ei concessero : non tamen, quod erratum sit tam enormiter, ut qui debuerant extendi, clausi, qui clausi, extensi sint digiti ; contraria fere omnia influxerint in opus illud, quam sibi Ciampinus imaginatur illic exprimi debuisse, u manus, in forma Græca benedicens repræsentaretur : de qua re sat dictum est a me supra.*

duos digitos extendens ;

A 285 *Lubens, inquam, concessero Ciampino, licet non tam enormiter, aliquid tamen erratum esse in pictura; neque tantum in manu, verum etiam in parva supra manum cruce. Quæ taliter in prototypa apside numquam fuerint expressa: sed manus quidem habuerit aut unum tantummodo digitum extensum, aut omnes curvatos, tenentes coronam; crucis vero loco extiterit columba, expansis alis extentoque rostro et pedibus adinstar volantis. Atque ita quod manui, cetera clausæ, digiti duo appicti sint extensi; cum solus index extendi et in Christum Dominum intendi; aut omnes extendi et modice curvati tenere coronam debuerint, Christo Domino, qui subtus est, veluti imponendam; quæ corona cum tribus digitis, vetustate et longinquitate temporis poterat excidisse ex opere musivo, quando delineata inde manus fuit. Certe alterutra tantum descriptæ manus ac digitorum positio aptam hic habere potest significationem, præsertim si erratum quoque est (uti ego existimo) in parva cruce; cujus loco in opere musivo, saltem primævo, verisimile mihi est olim fuisse columbam, quæ expansis alis extensoque capite et cauda, figuram crucis formaverit; sed quæ exesa diuturnitate temporis aut aliter difficta, aliud non esse apparuerit restauratoribus aut delineatoribus, quam vestigium et* B *reliquiæ crucis quadratæ.*

G. J.

et parva crux,

pro qua pingi debuerit columba

286 *Verum quo fundamento hæc nititur opinatio mea, sic manum, et loco crucis columbam debuisse pingi? Dicam. Post debellatum damnatumque hæresiarcham Arium in concilio Nicæno, cœpit a Patribus orthodoxis mysterium sanctissimæ Trinitatis altius extolli, et non tantum scriptis libris celebrari, sed etiam pictis tabulis passim proponi fidelium oculis, præcipue in ædibus sacris, ut qui eo Deum adoraturi veniebant, principio orationis suæ, trinum et unum esse, e corporalibus signis cognoscerent. Repræsentabatur autem Trinitas personarum in Deo aliis atque aliis modis; et frequenter Filius Dei seu Verbum æternum repræsentabatur in Christo Domino, sub forma humana aut forma agni picto; qua utraque forma conspicitur etiam in tabula nostra. Deus Pater indicabatur aliquando per manum, e nubibus prodeuntem et sic clausam in pugnum, ut solum indicem digitum extenderet in subjectam Christi figuram, aut teneret coronam capiti ejus quasi imponendam: aliquando pro manu istiusmodi, e nube prodibant hæc verba:* Hic est filius meus dilectus. *Spiritus sanctus adumbrabatur per columbam, uti hodiedum fieri passim videmus. Atque hasce figuras, ceu hieroglyphicas quasdam notas, ad significandum tres in Deo per-* C *sonas diversas, assumpsit antiquitas, ex mysterio baptizati a Joanne Christi, ubi verbum in ipsius Christi figura humana, Pater in voce, Spiritus sanctus in columba manifestantur. Pro voce tamen alibi Pater etiam indicatur per manum e nube porrectam, quæ Christum commonstret digito, aut coronam capiti ejus imponere videatur.*

symbolum Spiritus sancti;

287 *Usum illum antiquum nos docet non uno loco S. Paulinus. Epistola* 12, *ad Severum pag.* 150. *musivam apsidis suæ picturam sic describit:*

Pleno coruscat Trinitas mysterio.
Stat Christus agno: vox patris cœlo tonat:
Et per columbam Spiritus sanctus fluit.

Moxque indicatur etiam Deitas Christi, a patre et Spiritu sancto revelata, uti et humanitas, qua passus est, tamquam victima in cruce.

Pia Trinitatis unitas Christo coit
(Habente et ipsa Trinitate insignia)
Deum revelat Vox paterna et Spiritus;
Sanctam fatentur Crux et Agnus victimam.

Atque iterum pag. 155, *de pictura apsidis in ecclesia Fundana, postquam descripsit Christum in niveo agno sanguinea sub cruce stantem, subdit de eodem.*

Alite quem placida sanctus perfundit hiantem
Spiritus, et rutila Genitor de nube coronat.

uti agnus aut homo Christus est symbolum filii,

manus autem cum corona, aut digito extento, Patris.

Et hoc ultimo loco verisimile est non aliter coronari Christum a Patre cœlesti, quam per manum de nube porrectam. Rosweydus præterea in Notis ad Paulinum pag. 788, *in rem nostram ait, amicum suum Joannem Macarium, qui Romæ varia sacræ antiquitatis monumenta lustraverat, auctorem sibi fuisse, quod Deus Pater ibi videatur etiam expressus* per manum e nube prodeuntem et filium veluti designantem, *utique per intentum eo digitum indicem, quasi id monstrantem, quod alibi significant voces,* Hic est filius meus dilectus. D

288 *Quodcumque igitur signum ex prædictis olim pingebatur ad repræsentandum symbolice Deum Patrem, sive manus e nube, digitum intendens in Christum, aut coronam ei porrigens; sive vox indidem erumpens et Christum Patris æterni filium pronuntians: id saltem certo constat ex præmissis testimoniis, et constare potest aliunde abundantius, quod, ubi Christus olim, post concilium Nicænum primum, repræsentabatur, sive in agno sive in homine, præsertim in apsidibus ecclesiarum; ibi sæpe etiam repræsentabantur Pater et Spiritus sanctus; ille per vocem aut manum, hic non aliter quam per columbam. Quidni igitur conjectare liceat, id etiam in apside nostra Vaticana observatum fuisse, paulo post Nicænum Concilium illustrata musivo opere, aut ab ipso S. Silvestro Papa, aut ab aliquo proximorum successorum ejus? Ex quo sequitur porro, quod eædem personæ divinæ, Pater et Spiritus sanctus, etiam in tabula hac Vaticana, ubi Filius in Christo maxime conspicuus est, expressæ fuerint; Pater quidem in manu, Christo coronam imponente, aut indicem in eum intendente; Spiritus sanctus vero in columba: quarum loco ex primæva pictura minus intelligens talium restaurator aut delineator male formaverit manum, duos digitos extendentem; et crucem, pandenti alas columbæ non dissimilem; quamvis et talis manus et crux tali loco posita, magis intelligentibus satis apparere possint, nihil ibi ad rem facere.* E

Tria illorum in apsidibus olim sæpe pingebantur,

ad repræsentandam S. Trinitatem;

et fuerint etiam in Vaticana,

289 *Quin imo, ut de cruce id amplius confirmem; locus, quem eo occupat in tabula, tam non est aptus, in quo crux præsertim talis collocetur; quam est aptus, in quo Spiritus sanctus repræsentetur per columbam. Altissimus quippe locus est, et videri potest empyreum cœlum designare, e quo deorsum porrigitur, non solum manus, de qua diximus; verum etiam radii quidam diffunduntur, tamquam indices, aut gloriosæ Divinitatis, aut munerum, quæ Spiritus sanctus large dispertitur in subjectam sanctam Ecclesiam sponsam suam: quemadmodum idem Spiritus sanctus sub specie columbæ in musivo antiquo basilicæ Lateranensis, quod Joan. Bapt. Casalius pag.* 4. *sculptum exhibet, diffundit gratiæ suæ radios super subjectum baptisterii fontem, ad sanctificandum ejus aquas. Jam vero crux talis, quæ e duabus lineis, longitudine paribus, atque inter se transversis, sic ne duo ejus cornua sursum ac deorsum, duo dextrorsum ac sinistrorsum recta tendantur (illam* ego quadratam *voco ad distinctionem aliarum) non capio, quid illo sibi loco velit, aut significare possit. Sed neque Ciampinus ipse, qui commentarium suum in Vaticanæ apsidis picturam orsus est a cruce illa, quidquam habuit, quod de forma, loco, aut significatione ejus explicaret. Adde, quod talis quadrata crux, primorum quatuor seculorum opus vix aut fortasse ne vix quidem reperiatur in sacris ædibus. Nulla certe reperitur in pluribus, quæ apud Ciampinum videri possunt, etiam seculi* V, *apsidibus musivis. Neque S. Paulinus, usitatas Christianis suo tempore cruces describens, talem agnoscit, sed alias, uti mox videbimus.* F

in qua crux parva quadrata nullum habet usum

nec alibi in antiquis apsidibus talis reperitur,

290 *Scio interim istiusmodi cruces spectari subinde in numismatis Imperatorum seculi* IV, *puta apud Wilthemium, et inde apud nos ad Acta Constantini Magni tomo* V *Maji pag.* 23, *ubi nummus* FL. JUL. HELENA AUG. *in cujus aversa parte, præter alia, crux* + *talis. Apud*

quamvis reperiatur in nummis profanis:

A *Apud Harduinum quoque in* Specimine primo Chronologiæ, ex nummis antiquis reformatæ, *pag.* 201, *mentionem fieri nummorum aliquot Constantini Max. Aug. qui eamdem crucis formam habent. Sed nihilo amplius veræ Religionis aut Christianitatis ibidem in illa agnoscit Harduinus, quam in alio nummo, de quo ipse pag.* 174 MARTI CONSERVATORI *inscripto; in quo sane crux nihil habet commune cum rebus Christianorum : uti nec habet in nummo sexto Probi Augusti apud Philippum Buonarroti, in quo Fortuna insistit globo, cujus hemicyclum crux dividit quadrifariam.*

nec Paulino talis nota est,

291 *Alias cruces describit Paulinus, quæ suo tempore in usu erant. Natali* XI, *quem vir eruditus amicus noster Ludovicus Antonius Muratorius, et alios tres ejusdem Paulini de sancto Felice suo Natales ante hosce viginti annos tam feliciter invenit notisque illustravit, quam ardenter dudum desiderati, et frustra quæsiti ab aliis fuerant. Citato Natali* XI *Paulinus a versu* 604 *locuturus de cruce, quam fur quidam e templo S. Felicis abstulerat, præmittit descriptionem formarum, quibus tum temporis potissimum exprimi crux solebat; easque dispertitur in duas classes, unam vocans* baculo stante bicornem; *alteram* per quinque tribus dispensam cornua virgis. *Audiamus ipsum, illa latius* B *explicantem :*

Ante tamen (quia res hæc postulat) ipsius instar
Enarrabo crucis; qualem et pictura biformem
Pingere consuevit; baculo vel stante bicornem;
Vel per quinque tribus dispensam cornua virgis.

alias crucis formas describenti,

292 *His præmissis, continuo aggreditur primum divisionis suæ membrum explicare, videturque ibi per crucem stantem bicornem non tantum intelligere illam, quæ littera* T *expressa, sic jugatur in vertice, ut nihil recti stipitis superemineat, et stricte loquendo bicornis est, vocaturque communiter crux* commissa : *sed illam quoque, quæ sub hoc schemate* † *refert malum navis, antenna in altum adducta sic jugatum, ut aliquantum carchesii supra relinquatur; et communiter appellatur crux* immissa. *Littera quippe* T *græca, atque antenna in summum malum adducta, similitudines allatæ a Paulino ad repræsentandam crucem bicornem, uti aliquid dissimilitudinis habent, quatenus nempe in littera* T *nihil emineat styli recti supra lineam transversam; in malo autem aliquid emineat supra antennam; ita videri possunt dictæ similitudines litteræ* T, *et mali cum antenna, etiam allatæ a Paulino fuisse ad aliquam dissimilitudinem in crucibus ipsis bicornibus indicandam; quæ eatenus etiam ipsæ diversæ sunt; sic tamen* D *ut diversitas illa non impediat, quo minus utraque forma ad crucem bicornem revocetur, consideratis in cruce immissa æque ac in commissa, solis cornibus lateralibus, quæ inter se utrobique æqualia et æqualiter utrimque extensa sunt, nulla ratione habita illius tantilli, quod in altera cruce superne eminet, uti super antennam caput mali. Neque vero aliud ad crucem suam bicornem requirit Paulinus, quam ut* stipite figatur uno, quaque cacumen habet transverso vecte jugetur, *sive vectis incumbat stipiti superne, ut in* T; *sive ei immittatur paulo inferius, ubi adhuc cacumen esse, censeri potest, ut in hoc schemate* †. *Sic homo, jugum humeris ferens, recte dici potest jugatus, licet supereminent caput totum.*

puta crucis commissæ et immissæ;

293 *Sed audiamus iterum Paulinum, quæ modo diximus, clariora redditurum.*

Forma crucis gemina specie componitur : et nunc
Antennæ speciem navalis imagine mali;
Sive notam Græcis solitam signare trecenta
Explicat existens; cum stipite figitur uno,
Quaque cacumen habet transverso vecte jugatur.

Vetustissima crucis bicornis forma fuit primis Christianis usitata, ac dudum ante, Ezechielis cap. 9, *præsignata in littera Tau, illorum frontibus inscribi jussa, quibus Dominus in promiscua populi internecione parci voluit. Pluribus seculi* III, *et* IV *testimoniis comprobari* D *antiquitas ejus potest : sed unum adduxisse sufficiat, quod est pulcherrima Christiani Poetæ descriptio, Paulinianæ persimilis legenda in operibus Poetarum veterum ecclesiasticorum, editis Basileæ anno* 1564. *Ibi Poema quoddam, sub nomine S. Cypriani, anno* CCLVIII *pro Christo mortui, impressum; sed auctoritate sancti ac venerabilis Bedæ, verius tribuendum S. Victorino Pitabionensi in Pannonia (non Pictaviensi in Gallia) episcopo, anno* CCCIII *sanguine suo fidem professo; ita describit arborem crucis, quæ Paulino est bicornis :* C. J.

Arboris hæc species uno de stipite surgit,
Et mox in geminos distendit brachia ramos,
Sicut plena graves antennæ carbasa tendunt,
Vel cum disjunctis, juga stant ad aratra, juvencis;

quæ juga, erecto temone, ut plurimum pendent aliquo usque infra summum apicem temonis, æque ac antenna infra summum verticem mali. Atque hæc de cruce, tam immissa, quam commissa, ejusque antiquitate.

item monogrammatica

294 *Alia modo crucis species monogrammatica nos vocat, quam supra docuit Paulinus, dispensam esse tribus virgis et quinque cornibus; quæ re ipsa in monogrammate Christi (quod paulo post in tabula, cruces varias repræsentatura, dabimus) apparent, virgæ quidem duæ et cornua quatuor in* X, *tertia vero virga et quintum cornu in supereminente* P, *aut potius in* I, *quod dempto semicirculo superest. Nunc ejus ampliorem proponamus descriptionem. Sic itaque secundum divisionis suæ membrum orditur Paulinus :* E

Nunc eadem crux, dissimili compacta paratu,
Eloquitur Dominum, tamquam monogrammate, Christum.
Nam nota, qua bis quinque notat numerante Latino
Calculus, hæc Græcis Chi scribitur; et media est Rho,
Cujus apex, et Sigma tenet : quod rursus ad ipsam
Curvatum virgam, facit O, velut orbe peracto.
Nam rigor obstipus facit I, quod in Ellade Iota est.
Tau idem stylus, ipse brevi retro acumine ductus,
Efficit. Atque ita sex, quibus omni nomine nomen
Celcius exprimitur, coeunt elementa sub uno
Indice, ut una tribus formatur littera virgis.

videlicet sex litteræ nominis XPICTOC, *ducta trium virgarum concurrunt in uno monogrammate.*

quæ explicata demonstrat nomen Christus.

295 *At, inquies, septem litteras sacrum illud nomen habet. Ita quidem : verumtamen sex tantum habet diversas : et has tantum assignandas merito putavit Paulinus, cum ad compositionem totius nominis alia non* F *requiratur, supplente littera quarta, etiam septimæ seu ultimæ locum per duplicationem sui. Utrobique enim eadem est sub hac* C *nota, quæ tempore Paulini ac dudum ante, æque ac ista* Σ. *quæ nunc sola in usu est, notabat Sigma, uti observare passim licet in numismatis Græce inscriptis, tum alibi, tum apud Octavium de Strada, qui pag.* 11 *et* 15, *exhibet Cleopatras duas matrem et filiam, alteram M. Antonii Triumviri, alteram Jubæ Regis Mauritaniæ, uxores; Reginas ambas; quarum prior ibi scribitur* ΒΑΣΙΛΙΣΣΑ, *posterior* BACILICCA; *iisdem omnino litteris significatis, sed Sigmatibus* Σ *et* C *diversa figuræ utrobique expressis. Quæ diversitas in aliis atque aliis deinde nummis vicissim occurrit, etiam in uno eodemque, et, quod mirum est, in una eademque nummi facie. Sic pag.* 14. *nummus Alexandri, prædictarum Cleopatrarum filii ac fratris, et pag.* 27. *nummus Caii Caligulæ, expressum ostendunt sigma in altera sui parte per* Σ, *in altera per* C : *utramque autem figuram habet in una eademque facie sui nummus Titi Vespasiani pag.* 51.

DISSER-

A

C. J.

DISSERTATIO
INTERCALARIS QUARTA

De cruce nuda, eaque duplici modo coronata : item de Christo Domino, sub humata forma olim repræsentari solito.

Crux unde sine imagine Crucifixi,

Divisimus concham apsidis Vaticanæ in segmenta duo, quorum unum crucem, imagine Crucifixi carentem; alterum, Christum et Apostolos humana forma repræsentant; utrumque videri possit obstare, quo minus repræsentatio talis seculo Christi quarto adjudicetur. Quæstio hic igitur est, utrum crux nuda, id est, absque Crucifixi imagine; nec non, utrum Christus, Apostoli, homines alii humana forma consueverint pingi seculo illo. Quæ si tunc non obtinuerunt, frustra referimus eo originem picturæ musivæ, quæ post Innocentium III scitur in prædicta concha, ab ipso restaurata, extitisse. Primum quod attinet testatissimum est, crucem nudam, absque imagine Crucifixi, primis aliquot continuis seculis repræsentatam fuisse; et sæpenumero gemmis distinctam. Causam ego istiusmodi repræsentationis absque Crucifixi imagine, credidero, primævis Christianis fuisse, ut ne obicem ponerent conversioni ad novellam Christi religionem, ingerendo spectantium oculis ipsum ejus Auctorem atque institutorem crucificum, quem ex Apostolo sciebant Judæis scandalum, Gentibus stultitiam esse : ornasse vero ipsos crucem gemmis, et sæpe etiam apposuisse ei coronam; ut per gemmas quidem detergerent a cruce vilitatem et ignominiam : per coronam vero indicarent victoriam, quam crux peperit Christo, et paritura est omnibus, Christum sequentibus, crucemque cum ipso ferentibus.

B

gemmis et coronis ornata,

297 Gemmis ornatur crux in tabula nostra apsidis Vaticanæ; item in apside Liberianæ basilicæ, atque alibi sæpe in monumentis antiquis. Corona cruci appicta cernitur, plerumque una, aliquando plures, in eadem apside Liberiana, in apside ecclesiæ S. Clementis Romæ, et frequenter in numismatibus antiquis Imperatorum Christianorum, atque in labaro ipsius Constantini Magni. Quia vero segnius irritant animos demissa per aurem aut tantum lecta, quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus in imagine; operæ pretium fuerit, hic aliquot prædictorum monumentorum ectypa in æs incisa apponere, quatenus repræsentant cruces; desumpta ex quatuor apsidibus præcipuarum et maxime vetustarum quatuor basilicarum urbis Romæ, videlicet Vaticanæ S. Petri, Liberianæ S. Mariæ Majoris; sancti Salvatoris in Laterano; S. Clementis prope amphitheatrum Vespasiani; præter aliquot alia ectypa antiqua.

ad detergendam inde ignominiam

D

298 Utinam ectypa quoque picturarum, quibus ecclesias suas adornavit ad gregem suum erudiendum, tum Fundis, tum Nolæ, S. Paulinus, ad manum forent! Mererentur sane illarum cruces, cum suis coronis, alioque priscæ religionis cultu, hic pariter cum præmissis cælata exhiberi. Nunc, quod tantummodo licet, ipsum, suas cruces earumque coronamenta describentem et quodammodo loquentem, audiamus ex Epistola 12. non uno loco. Ait enim, de ecclesia S. Felicis Nolana, quod ibi pag. 150.

et præstantiam ejus significandam,

Crucem corona lucido cingit globo. *Et mox.*
Ardua florigeræ crux cingitur orbe coronæ.
Cerne coronatam Domini super atria Christi
Stare crucem; duro spondentem celsa labori
Præmia : tolle crucem, qui vis auferre coronam.
Namque, ut idem postea de pictura Fundana :
Sanctorum labor et merces sibi rite cohærent;
Ardua crux, pretiumque crucis sublime, corona.
p. 155.

D

Nonnulla ad hos Paulini versus observanda venient paulo post. Nunc repeto, quæ dixi supra, primis aliquot Ecclesiæ seculis consuevisse crucem proponi populo absque imagine Crucifixi.

solita fuit olim pingi usque ad seculum 7,

299 Consuetudo illa constanter perseverasse videtur usque ad finem seculi VII et Concilium Quinisextum, quando adhuc repræsentabatur Christus in picturis symbolice sub forma agni : in eoque Concilio statutum fuit, ut deinceps pingeretur in forma humana; non quod improbarint Patres dicti Concilii priorem pingendi modum: qui scitur usque ad nostram ætatem semper tenuisse ac tenere hodiedum in agnis cereis, quos vulgo Agnus Dei vocamus : sed quod veritatem umbræ, et quod perfectum est, figuræ præferri cupientes, decreverint Canone 82. Christum Deum nostrum, qui tollit peccata mundi, humana forma, *colorum expressionibus, omnium oculis subjici, et sic* etiam in imaginibus deinceps pro veteri agno erigi ac depingi. *Et rationem subdunt decreti sui,* ut per ipsum *Christum sic depictum,* Dei Verbi humiliationis celsitudinem contemplantes, *ejusdem quoque* conversationem in carne, et passionem, *et* salutarem mortem, *et* redemptionem *memoria recolant fideles. Sed horum omnium memoria recoli satis superque potuit ac potest, etiam ex agno, qui Christi figura est in congruis circumstantiis depictus.*

expresso sæpe ad pedem ejus agno,

Christum patientem repræsentante,

E

300 *Quantæ auctoritatis sit Concilium istud Quinisextum, nihil hic attinet disputare. Credi saltem tuto ei potest, tunc temporis consuetudinem fuisse, quam fuisse scribit, repræsentandi Christum sub forma agni : idque præcipuum est, quod hic ostensum volumus. Neque tamen ita intelligendus est (ut aliquibus videtur) citatus Canon, quasi antea non fuerit Christus ullo tempore et loco depictus etiam in forma humana (id enim falsissimum est, uti mox demonstrabimus, ubi de opinione Scaligeri æque falsa) cum sciamus e toto contextu Canonis, id tantum decerni, ut etiam in illis circumstantiis, ubi antea consueverat exprimi Christus sub forma agni (puta, ubi agnus quasi intento digito monstrabatur a Joanne Baptista, aut ubi repræsentabatur adstans cruci, vel crucem ferens) ibi deinceps repræsentaretur ut homo, abolita figura; quando jam veritas in se, id est Christus in propria forma conspici a fidelibus sine scandalo poterat etiam pendulus et vulneratus in cruce. Fidem faciet dictis nostris principium Canonis.* In nonnullis, *inquit (non in omnibus)* venerabilium imaginum picturis, agnus, qui digito Præcursoris monstratur, depingitur; qui ad gratiæ figuram assumptus est, verum nobis agnum per legem Christum Deum nostrum demonstrans. *Cujus loco agni, tum ibi, tum etiam, ut nos putamus, sub cruce aut cum cruce depicti, deinceps vult ipsum Christum pingi, propter fines supra indicatos.*

Christus tamen etiam tunc humana forma,

F

301 *Nunc ad opinionem Scaligeri, Josephi nomine. Is in Commentatione sua ad numisma Constantini Imperatoris Byzantini, velut ex tripode pronuntiat, veteres Christianos,* primum nullam formam humani vultus, sed aliarum rerum admisisse *in picturis suis : quia, ut paulo post addit,* anchoram, navem, piscem, columbam sculpebant aut pingebant; hominem non item : *imo nec* audebant *hanc* pingere. *Verum, dicat nobis ille velim : quam late extendat suum illud* primum; *et quomodo probet,* primum *sculptas pictasque fuisse formas alias, quam humanas a veteribus Christianis. Metuebant (ita insinuat et probat per locum a se desumptum e S. Clemente), ne per humanas formas occasio præberetur idololatriæ. Sed locus ille ad rem non facit, nedum probat, quod Scaliger prætendit; tum quia in fonte suo, lib. 3. Pædag. cap. 11. inspectus, dignoscitur loqui, non de sacris imaginibus in templo, sed de sculptura, quæ fiebat in palis annulorum; eam que vult Clemens hieroglyphicam ac talem esse, ut aliquam rem sacram inspicientibus revocare in memoriam possit : tum quia æque aliarum rerum, quam hominum, formæ*

absque periculo idololatriæ,

A *formæ pro idolis haberi potuerunt, et habita re ipsa sunt a deliris capitibus etiam post Christum natum; quemadmodum pro idolo habitus diu ante fuerat vitulus conflatilis ab ipso electo Dei populo Israelitis. Exodi 32. Dicat igitur, ubi viderit legeritve Scaliger, quod ait tam asseveranter.*

uti et Apostoli 302 Designabant, *inquit, Deum Patrem* verba e rutila nube erumpentia ; Hic est filius meus dilectus : *Filium*, agnus ; *Spiritum sanctum*, columba ; *Christum*, petra ; *quatuor Evangelistas aut Evangelia ipsa*, quatuor flumina e petra fluentia ; *Apostolos* columbæ XII. *Hausit illa symbola omnia Scaliger e S. Paulini Epistola 12, quamvis ipsum non nominet. Verum an apud eumdem Paulinum et in eadem Epistola non legerit quoque, humana forma, et quidem in ecclesia, pictum fuisse a Severo Sulpitio S. Martinum, nuper tum vita functum, atque cum eo ipsum etiam Paulinum, licet adhuc in vivis agentem? Item an non legerit apud eumdem Natali 10, pag. 617, quod picti fuerint in ecclesia S. Felicis utique humana forma, varii utriusque sexus Christi Martyres; nec non e Lege veteri Jobus, plagis saucius; Tobias, oculis orbus; Judith heroina, et Regina Esther? Damnare hæc Scaligerum possunt aut oscitantiæ aut fidei non bonæ, ac docere, quod Paulini temporibus Christiani, etiam in ecclesiis suis, non solum* formas rerum aut animalium, *sed* humanas *quoque ausi fuerint pingere.* *(et alii homines sæpe pingebantur)* B

in apsidibus templorum 303 *Si antiquiora appellat tempora Scaliger, quorum tamen non meminit in Commentatione sua, ducam ipsum ad antiquissima quæque Christianorum monumenta, apud Aringum in Roma subterranea variis tabulis expressa, ubi et adjunctæ crucibus visuntur quidem petræ, quatuor flumina, columbæ, agni, cervi, res aliæ; sed et visuntur formæ humanæ plurimæ, æque ac in apsidibus. Monstrabo in eodem Aringo antiquissima sacella, tum excavata in topho, tum muris lateritiis circumsepta, nec non marmoreos olim mortuorum sarcophagos, illa quidem picta, hos vero sculptos magno numero : in quibus multo frequentius apparent, tum Christus, Apostoli, Moyses, Elias, tres pueri in fornace Babylonica, atque alii sexcenti homines humana forma expressi; quam res aliæ. Inter sarcophagos invenies apud citatum auctorem, tomo primo pag. 286, unum in quo conditum fuit seculo IV. corpus celeberrimi Romanorum consulis et quatuor Præfecti Prætorio, Probi.* *(et sarcophagis mortuorum)*

304 *Alius quoque antiquior sarcophagus in confirmationem dictorum nostrorum, spectari meretur ibidem* C *pag. 277 qui fuit, ut inscriptio docet,* Junii Bassi Viri clarissimi, qui vixit annis XLII, mensibus duobus, et in præfectura Urbis neophytus, iit ad Deum VIII Kal. Sept. Eugenio et Hypatio Consulibus. *Id est anno Christianæ æræ* CCCLIX. *Fuit idem sarcophagus, quod ad materiam et artem spectat,* e Pario marmore, *uti scribit Aringus,* opere Corinthio elaboratus, *et* sacras, qua veteris, qua novi testamenti historias, *omnino decem* eleganter exsculptas continet : *in quibus plurimæ hominum, paucæ animalium hieroglyphicorum formæ apparent. Quamobrem si cum Scaligero sequaces ejus, pergunt tenere, prius aliarum rerum quam hominum formas a veteribus Christianis sculptas pictasve fuisse debent ipsi ultra, quam dux suus, et antiquiora, quam nos, eaque probata testimonia proferre. Et hæc quidem contra Scaligeri asserta, negantis, veteres Christianos primum ullam formam humani vultus expressisse.*

ut ex monumentis antiquis, 305 *Redeo ad illos, qui de solo Christo negant, ipsum olim humana forma exprimi solitum fuisse ante Concilium Quinisextum. Si id negarent de Christo cruci affixo, facile assentirer ; si vero negent universaliter ullis in circumstantiis Christum forma humana fuisse expressum, convincentur e plerisque jam allatis monumentis. Certe sarcophagus Probi exhibet Christum stantem inter duos Apostolos super petram, e qua flumina quatuor manant; dextra crucem erectam sine imagine* D *Crucifixi, sed gemmis pulchre distinctam, complexum. In sarcophago Junii Bassi similiter spectatur inter duos Apostolos, sed instar docentis, et sedens. Plura ejusmodi vide sis apud Aringum et Ciampinum. Apud illum quidem in Roma subterranea ; apud hunc vero in veteribus monumentis, ubi tabulæ plures sunt, puta 47, 49, 66, 67, 68, 70, 76, 77; quæ e vetustissimis multarum basilicarum musivis ibi in æs insculptæ exstant ; interque alia repræsentant Christum in forma humana, videlicet in infantem, adoratum a Magis; ut puerum duodennem, docentem in templo ; ut viatorem, baculo armatum ; ut pastorem, pedum sinistra tenentem, dextra mulcentem oves ; ut doctorem, discipulos instruentem ; ut baptizatum a Joanne, imminente capiti ejus Spiritu sancto in specie columbæ et cruce gemmata prope adstante. Scipio autem, de quo modo, et pedum (ut id quoque obiter hic notem) superne ornantur et ipsa, cruce, eaque nuda. Et ne ignores, cujus ætatis musiva illa opera sint, facta fuerunt omnia, sic Ciampino fides, seculo* V, *sub annum ejus* XXIV, *a Cœlestino Papa primo; sub annum* XXXIII. *a Sixto III Romæ : sub* XL *a Galla Placidia Ravennæ : sub* XLI *a Leone Magno Romæ : sub* LI, *a Neone episcopo Ravennæ; sub* LXVII *a Simplicio Papa : sub* LXXII *a Flavio Ricimero Romæ.* *(C. J.)* *(quæ adhuc extant variis locis,)* E

306 *Hisce vetustius est opus musivum, quod Ciampinus asserit, Ravennæ ab Exsuperantio urbis episcopo constructum fuisse anno circiter* CCCC *ipsumque exhibet Tab. 46. In illa videre est Christum simili fere habitu, gestu, ac forma, quibus eum repræsentat apsis nostra Vaticana ; nisi quod dextra ejus, utrobique ante pectus elata, ubi digitos omnes explicatos et volam omnino apertam habeat; vola autem hic, in Vaticana tabula, per duos, qui curvantur, digitos paulum contrahatur. Et ex hac similitudine picturarum, conjicere mihi denuo liceat, ambas eodem fere tempore originaliter concinnatas fuisse; adeoque formam Christi humanam nihil obesse in tabula nostra, quo minus ea judicetur seculo* IV *primitus sic fuisse depicta. Atque hæc abunde testantur, diu ante Concilium Quinisextum, etiam humana forma, intra et extra ecclesias expressum crebro fuisse Christum Dominum : non tamen destruunt quod diximus, sub agni forma exprimi consuevisse, ubi monstratur veluti digito a Joanne; aut altari crucive adstat, vel crucem portat. Hisce enim in circumstantiis videtur eatenus semper pro Christo suppositus fuisse agnus. Post Concilium vero illud seculo facile uno ac dimidio, reperitur Christus, humana forma cruci appictus, cum adstantibus prope Maria matre ejus atque dilecto discipulo Joanne; et adhuc videri potest in apside musiva ecclesiæ perantiquæ S. Clementis Romæ, coagmentata primitus, aut certe restaurata a Nicolao Papa I, uti ex adscripto ejus nomine manifestum fit. Nolim tamen sustinere, ipsum omnino primum, ita Christum pinxisse pendulum e cruce, quamvis antiquiorem istiusmodi picturam non invenerim hactenus. Pinxisse autem ob auctoritatem citati Concilii, vix puto.* *(probatur.)* F

307 *Ad citatos paulo ante Paulini versus de crucibus coronatis, annotari quoque potest, non eodem ubique modo illas coronari solitas olim fuisse. Alibi enim corona ambibat crucem a capite usque ad calcem, totamque includebat : alibi tantum modo cingebat ejus caput aut capiti imminebat : aliquando etiam coronæ plures unam crucem ornabant. Primo modo coronata crux, ab imo ad summum circumdata circulo apparuit aliquando in extis victimarum, sacrificante profanis diis impio Juliano. Quæ res, cum adstantibus atque sacrificulis terrori esset, animos addidit, aut certe addi sibi, ipse credi voluit ; dum prodigium in rem suam ex tempore interpretatus est, quod nempe, sicut ibi crux Christi apparebat in circulo inclusa; ita Christianos undique conclusos ipse teneret. Legi hæc possunt apud Greg.* *(Crux nuda non uno coronabatur modo.)*

A *Greg. Nazianzenum Orat.* I. *contra Julianum : et similes videri cruces coronatæ possunt in nummis Imperatorum atque Imperatricum Christianorum, Theodosii Junioris, Eudociæ uxoris ejus, Valentiniani III, Pulcheriæ Augustæ, Leonis, Majoriani, Zenonis et aliorum, apud Levinum Hulsium pag.* 167. *Aut Augustinum tab.* 6. *Gretserum de Cruce tom.* 3, *cap.* 16, 17, 18, *atque apud Cangium in Familiis Byzantinis pag.* 65, 67, 77, *et* 81. *Speciem dabimus in tabula, varias crucis formas repræsentante.*

C. J.

Aliquando cingebat corona totam,

a summo utrimque circulariter pertingens ad imam.

308 *Taliter quoque crucem ambiens corona intelligi debet describi a Paulino his versibus, etiam ex interpretatione Gretseri, Rosweydi et aliorum :*

Crucem corona lucido cingit globo :
Cui coronæ sunt corona Apostoli,
Quorum figura est in columbarum choro.

Dum enim dicitur corona crucem cingere *(quod proprie sonat, in medio sui includere) satis aperte indicatur, coronam a capite ad calcem circumdedisse crucem globo seu circulo lucido. Et hoc tantum probatum volumus. Si quis ex citatis versibus deducere velit, coronas duas cinxisse crucem, alteram circuli lucidi, alteram apostolorum in choro columbarum ; is sentiat ut lubet. Nobis quidem non obest sensus ille de corona duplici; non* B *tamen probatur : tum quia Paulini verba recte intellecta non innuunt coronas esse distinctas, sed coronam esse in corona, Apostolos : tum quia tale exemplum duplicis distincti inter se coronamenti circum crucem in antiquis monumentis alibi nondum vidi aut legi, nisi quod apud Gretserum in Horto sanctæ crucis pag.* 153 *scribatur, signum Leonis Papæ IX, in quadam ejus bulla expressam habuisse* crucem, gemino circulo inclusam. *Sed hujus signi antiquitas, et auctoritas tanta non est, ut persuadere possit, illud etiam priscis et S. Paulini temporibus fieri consuevisse aut factum esse. Malim igitur opinari, in ipsa corona, crucem cingente, æqualibus spatiis appositas fuisse columbas, quæ nexu quodam, quasi manibus datis, in se junctæ, constituerint chorum columbarum, in eoque symbolice coronam Apostolorum. Tum denique, quia τὸ* corona Apostoli, *non videtur illic simpliciter sumi pro corona sive serto, sed metaphorice potius, pro τὸ* gloria *aut* ornamentum, *quemadmodum ab Apostolo quoque posita fuisse intelligitur corona, ubi fideles vocat gaudium suum et coronam suam; atque alibi, gaudium et coronam gloriæ suæ. Cui hæc interpretatio nostra placuerit, is alteram coronam non requiret, explicabitque mecum Paulini versum, quod coronæ, crucem cingentis, gloria et ornamentum sint Apostoli, in illa per columbas repræsentati.*

Philipp. 4, 1
Thessal. 2, 19

C

aliquando fastigio ejus tantum imminebat,

309 *Aliter crucis coronatæ modus, cum sertum aut circulus cruci superne imminet aut incumbit, legi potest apud Eusebium in Vita Constantini lib.* I *cap.* 31 *ubi describit labarum ejus his verbis.* Hasta longior, auro contecta, transversam habet antennem instar crucis. Supra in ipsa hastæ summitate corona erat affixa, gemmis et auro contexta. *Hæc clara sunt. Paulinus quoque in apside sua Fundana, coronam cruci superne imponit :*

Sanctorum labor et merces sibi rite cohærent,
Ardua crux pretiumque crucis sublime corona.

Corona enim, quæ sit pretium ac merces laborum et victoriæ signum, solet capiti inponi. Atque hinc significatum videtur Paulinus velle, coronam sublimi loco positam esse, non solum illam, quæ in cœlo manet justorum labores ; sed illam quoque, quæ ad coronam cœlestem repræsentandam appicta cernebatur cruci, utique summo ejus loco, ut rei repræsentatæ melius conveniret typus.

uti indicat Paulinus Nolanus.

310 *Eumdem coronæ situm indicant etiam isti versus, super ingressum ecclesiæ S. Felicis cruci adscripti :*

Cerne coronatam Domini super atria Christi
Stare crucem, duro spondentem celsa labori
Præmia. Tolle crucem qui vis auferre coronam : D

Citati supra Gretserus et Rosweydus et alii, ad probandam ex Paulino hanc cruci superpositam coronam, allegant quoque sequentem ejus versum :

Ardua floriferæ crux cingitur orbe coronæ.

Sed bona illorum pace, malim ego opinari, hunc versum potius referri debere ad primum crucem coronandi modum, qui illam in corona circum includit : quia hic æque utitur Poeta verbo cingere, *quam in illo versu,*

Crucem corona lucido cingit globo :

quo tamen prædicti Auctores, æque ac nos, sustinent, indicari primum crucis coronatæ genus. Quod et confirmari potest, quia circulus crucem ambiens in uno versu exprimitur per vocem globo, *in altero per vocem* orbe, *quod eodem reddit : et vero crux, cui superne imminet corona, Paulino simpliciter dicitur* coronata; *aut additam sibi habere* coronam, *sublime pretium sui, et honorem. Usus coronandi crucem superne, videtur paulatim desuevisse, postquam seculo* VIII *aut* IX *cœpit imago Christi humana cruci affigi. Deinceps enim quanto rarius invenitur crux tali modo coronata, tanto frequentius conspicitur coronatum Crucifixi caput; adeo ut sub idem tempus corona e fastigio crucis ad caput in cruce pendentis Christi, tamquam ad locum digniorem, credi possit translata fuisse, succedente tristi coronæ spinarum, corona gloriæ et honoris.* E

APPENDIX

Ad tabulam præmissam, de Crucibus in ea repræsentatis.

PARS PRIMA

Explicatio amplior apsidis et Crucis Vaticanæ.

Quæ de crucibus huc usque disseruimus, lucem aliquam accipiunt quidem ex præmissa tabula, clariorem tamen accepturæ fortassis, si de singulis figuris nonnulla adnotemus ex scriptoribus, qui illas in æs incidi curaverunt, ipsaque musiva propius inspexerunt, consideraverunt ac descripserunt. Crux prima, quæ apsidis Vaticanæ est, et illa ipsa, quam in tabula nostra ejusdem apsidis expressam vides, sed majori hic forma seorsim delineata a Joanne Baptista Casalio in libro de veteribus sacris Christianorum ritibus, Romæ edito 1647. *In illo is exhibet pag.* 3 *dictam crucem et explicationem aliquam adjungit, quam tamen hic non describo, quia Ciampinus sæpe laudatus, illam descriptioni suæ ejusdem crucis atque apsidis Vaticanæ ampliori, fere totam inseruit. Ciampinianum igitur illa de re commentarium hic accipe, ex quo plura cognosces, quam nos supra pro instituto nostro dicere debuimus. Refero ejus verba ex libro de sacris Ædificiis a Constantino Magno constructis, ubi pag.* 32 *de apside hæc quodammodo præfatur.* F

Crux et apsis Vaticana ex aliis magis illustrantur.

Apsidis situs

312 Apsis, quam majorem tribunam vocari populi placitum introduxit, post transversam basilicæ partem, ad ortum, *imo ad occasum,* vergentem, id situs nacta fuit, ut caput ipsius basilicæ esset, sacrosanctæque crucis typum inchoando pertexeret. Hemicycli formam exprimebat ; longitudineque ad occidentem palmis quadraginta quatuor præstabat : latitudine palmis octoginta spatiabatur ; altitudine vero, centum æquabat inter apsidem et transversam navem. In medio, ara princeps erecta erat. *Hæc tamquam præfatio sunto. Deinde pag.* 42, *col.* I, *ita prosequitur :*

et restauratores,

313 Apsidem hanc *(ejusdem verba sunt)* temporis diuturnitate collabentem, Severinus summus Pontifex anno DCXXXVIII refecit, ut Bibliothecarius in ejusdem Pontificis vita narrat. « Hic renovavit « apsidam

A » apsidam P. Petri Apostoli ex musivo, quod dirutum erat. » Licet musivum opus pictura æterna asseri valeat, ut diximus in nostro opere de Vet. Monum. nihilominus irreparabile tempus, sua longa annorum serie, omnia etiam durissima saxa immutat ac terit, nec non ad nihilum redigit. Ita hujus apsidis musivo accidisse comperimus. Nam Innocentius III, itidem summus Pontifex, illud restauravit quod postmodum labens, Benedictus XII, iterum in pristinam restituit formam, Jotto illorum temporum celebri pictore et musivario Florentia ad hoc peragendum opus evocato; ut narrat Turrigius pag. 62. Quale vero demolitionis tempore antiquæ basilicæ musivum fuerit, ex sequenti tabula 13 conjicies. *Tabula illa ipsi est, quam nos supra denuo incidi curavimus. Tum pergit Ciampinus ad Sectionem suam secundam, cui titulum facit* de musivis operibus, in apside Vaticanæ basilicæ olim extantibus. *Et postquam de manu positioneque digitorum in forma benedicentis ritu Græcorum (qua de re nos jam egimus) sensa sua expresserat, tandem ita progreditur pag.* 43 *incipiens a segmento superiori.*

Explicatio imaginis Salvatoris sedentis,

B 314 Hujus musivi area multis stellulis disseminata cernitur; in medio est Salvator in throno sedens, qui dexteram elevatam, in benedicendi actu, complicato pollice cum annulari, tenet : sinistra manu librum clausum stringit, qui librum vitæ, scilicet electorum denotat; de quo in Apocalypsi cap. 20. num. 15. Qui non inventus est in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis. Et in eodem cap. num. II. de throno legitur : Et vidi thronum magnum candidum, et sedentem super eum. Consuevere enim prisci fideles multa ex Apocalypsi desumere, figurisque adumbrare, ut fusius notavimus in nostro opere de Veteribus Monumentis cap. 24. Caput diademate ornatum, in quo crucis signum expressum est, Salvator habet. Diadema enim in eodem cap. 24. regni, sive imperii symbolum esse etiam diximus ; crucemque in eo expressam, nil aliud denotare arbitror, quam regnum redemptionis, mediante cruce, acquisitum. A dextro capitis latere duæ cernuntur litteræ, scilicet IC, quæ Jesum significant; in sinistro vero aliæ duæ litteræ, nempe XC, expressæ sunt, quæ Christum denotant, ut supra diximus.

S. Pauli,

315 Ad dexteram Salvatoris stat S. Paulus, pallio involutus, ex quo dexteram emittit, quasi cum Salvatore colloquens, sinistra volumen apertum tenet, in quo legitur : Mihi vivere Christus C est. Hac desumpta epigraphe ex ejusdem D. Pauli epist. ad Philipp. I. 20. a tergo hujus figuræ, perpendiculari ordine, Græcis characteribus, abbreviate legitur, ut in Tab. XIII. conspici valet, quæ denuo characteribus Latinis, eodem perpendiculari modo, ante faciem Sancti exprimuntur, nempe sanctus Paulus.

S. Petri,

316 A sinistris vero stat S. Petrus, qui dexteram subtus e pallio elevat, ac manum in benedicendi actu tenet, pollicem cum annulari constrictum habens : sinistra duas claves pendentes gerit, quæ ligandi, et solvendi potestatis symbolum sunt. Ex eodem itidem brachio, volumen apertum pendet, in quo legitur : Tu es Christus Filius Dei vivi : quæ illa fuit ab hoc Apostolo facta confessio, ut narrat evangelista Matthæus cap. 16. vers 16 quæ placuit Magistro, unde illam reportavit responsionem : « Tu » se Petrus et super hanc petram adificabo Ecclesiam » meam, et tibi dabo claves regni cœlorum, et » quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum » et in cœlis, et quodcumque solveris super terram » erit solutum et in cœlis. Quæ verba, ad expressum clavium symbolum, respectum habent. Ante hujus imaginis faciem, itidem characteribus Latinis, perpendiculari forma, nomen Apostoli expressum est, videlicet S. Petrus, et a tergo Græcis characteribus eodem modo vertitur. *J. C.*

317 Ex earumdem figurarum utroque latere, duæ magnæ palmarum arbores attolluntur, quas mysterio minime carere judicio, nam palma Judææ regionis symbolum est, ut ex nummis Vespasiani et Titi argui potest, ubi quædam mulier sub arbore palmæ sedens, veluti lacrymans cernitur, cum epigraphe : Judæa capta. In hoc notat nummo eruditissimus Antonius Augustinus in suis Dialogis, arborem hanc Judææ attribui, quia Phœniciæ, quæ palmis abundat, proxima est. Quare hoc in nostro emblemate, regionem illam denotari puto, in qua Salvator noster D. Jesus Christus natus, et cum hominibus conversatus est. Campus, sive area, sub harum figurarum pedibus, nonnullis tabernaculis, arbusculisque et figuris, in diversis actibus expressis, ornatus cernitur. Diu super eisdem figuris mea mente revolvi, quid significare valerent, illasque etiam eruditis ostendi amicis, sed nec ullam explanationem appropriari posse existimavimus. Quare potius ad pictoris seu musivarii placitum, E quam ad ullum demonstrandum symbolum fuisse expressas, judicavimus. His igitur omissis, ad duos cervos, qui ad fontes properant, subtus Christi pedes emanantes, me converto. *Palmarum,*

fontium,

318 Quales isti sint fontes, sub ipsis eorum scripta sunt nomina, id est Gion, Phison, Tigris, Euphrates; qui quatuor illa sunt magna flumina, quæ nos sacra docet Scriptura Genes. cap. 2. e terrestri Paradiso exire. Cervi autem, qui ad dicta tendunt flumina, nonnisi fideles denotant, ut fuse beatus Bruno, in expositione Psalm. 41. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum etc. cum aliorum antecedentium Patrum auctoritate, sic declarat. « Non immerito hoc animal compa» ratum est fidelibus, est enim primo innoxium, » deinde velocissimum, tertio siticulosum. Serpen» tes naribus trahit, quos ut voraverit, æstuante » veneno, ad fontem festinat. Hoc nos admonet, ut » quando venena haurimus antiqui serpentis, ad » fontem divinæ misericordiæ festinemus. Fons » enim semper irriguus est Christus, unde non » dixit ad fluenta, quia siccari possunt : fons au» tem semper fluit. Homo ergo Ecclesiæ, qui diu » in actu venenoso degebat, cum hunc, gratia Dei F » videns, derelinquere cupit, clamat : Quemadmo» dum etc. ut pœnitentia ablutus gloriam Dei vi» deat. » Hæc de superiori musivi emblematis parte, sive segmento, accedo ad inferiorem.

crucis gemmatæ et agni diademati,

319 In hujus medio visitur gemmatus thronus, non multo absimilis illi, quem Xistus III. in ecclesia S. Mariæ Majoris appingi curavit, de quo aliqua notavimus in cap. 22. nostri operis Veter. Monument. Part. I. In præsentis throni area, crux gemmata expressa est, in cujus pede visitur veluti pulvinar; sub cruce stat agnus diadematus super montem, e cujus pectore pedibusque quinque defluunt rivuli in flumen, quod ad montis decurrit radices, quodque deinde per latera expanditur. Symbolum hoc Casalius in suo erudito tractatu de Vet. Sac. Christ. Rit. parte prima cap. I. refert, notisque illustrat, asserendo, quod eo tempore, quo crucis supplicium in reos et latrones apud gentes frequens erat, Christi fideles magna circumspectione Christi patientis imaginem cruci affixi exprimebant. Quare hanc exponebant gemmis, margaritisque ornatam, ut ecclesia canit. O Crux splendidior cunctis astris. Similem crucem gemmatam habemus in ecclesia S. Pudentianæ, ac basilica Lateranensi, de quibus suo loco disseremus.

320 Ad crucis pedem stat agnus, sanguinem e pectore

A pectore effundens in calicem, et ex isto in proximum rivulum defluentem, utpote etiam sanguis, e pedibus emanans, per rivulos in subjectum flumen decurrit. Quæ omnia, nonnisi Christi cruci affixi quinque vulnera sanguinem emittentia demonstrant. In præfata enim Christi crucifixi imagine exprimenda prisci fideles fragilitati recentium initiatorum, aliquando indulgere existimarunt, cum, sive ex Judaismo, sive ex Gentilitate, ad Christi fidem converterentur, accidebat, ut ex his multi erubescerent Christum crucifixum, uti Deum adorare, cum eadem die, vel paulo ante, latronem, aut alias criminis reum in cruce pendentem, inspexissent, ut innuit Apostolus I. Corinth. I. « Nos autem prædicamus Christum » crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus » autem stultitiam. » Supra relatum symbolum indicavit S. Paulinus episcopus Nolanus epist. 12. ad Sulpitium scribens.

C. J. e quinque vulneribus sanguinem fundentis,

Sub Cruce sanguinea niveo stat Christus in Agno

Et paulo ante,

Sanctam fatentur crux et agnus victimam.

et Christum repræsentantis;

321 Agnus hic expressus, illum agnum mansuetum repræsentat, de quo Isaias cap. 53. v. 7. « Si» cut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus B » coram tondente se obmutescet, et non aperiet os » suum. » Quod etiam his verbis indicavit Præcursor Joannes : Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Ad hoc igitur hieroglyphicum Innocentius III. summus Pontifex musivi operis restaurator in lib. 4. cap. 44. mysteriorum Missæ respiciens, sic fatur : « Non enim solum lavit nos » Christus a peccatis nostris sanguine suo, quando » sanguinem suum fudit in crucis patibulo, verum » etiam quotidie nos lavat a peccatis nostris in san» guine suo, quando ejus sanguinem accipimus in « calicis poculo. »

quod non est reprehendendum.

322 Nec durum nobis esse debet, quod fragilitati veterum illorum fidelium indulgerent sancti illi Patres circa ritus, qui directe Christianæ Religioni non repugnarent, quoniam suaviter ad verum cultum erant ii alliciendi, ut innuit Magnus ille Gregorius lib. 9. epist. 71. scribens ad Mellitum abbatem; sic enim inquit : « Nam duris mentibus, » simul omnia abscindere, impossibile esse, non » dubium est : quia is, qui locum summum as» cendere nititur, necesse est, ut gradibus vel » passibus non autem saltibus elevetur. Sic Is- C » raelitico populo in Ægypto Dominus se qui» dem innotuit; sed tamen eis sacrificiorum usus, » quos diabolo solebant exhibere, in cultu proprio » reservavit : ut eis in sacrificio suo animalia im» molare præciperet, quatenus etc. » Hinc est, quod plurimi similes ritus, sive Hebræorum, sive Gentium perseverarunt etiam apud priscos illos fideles, sicuti et alii similes a summis Pontificibus, aliisque sanctis Patribus, in Christianam reducti Religionem, ut in eadem D. Gregorii exprimitur epistola. Consuetudinem hanc appingendi agnum, servatam fuisse deducitur usque ad Conciliabulum Quinisextum, sive Trullanum, celebratum anno 692. vel ut Petavio placet, anno 707. in quo Can. 82. decretum fuit, loco Agni, ut Christus in cruce in hominis figura pingeretur.

De duobus personis, forma humana pictis,

323 Hæc de præcipuo symbolo in hoc secundo ordine expresso : modo ad alias in eodem contentas figuras devenimus. Ad dexteram throni, quæ est sinistra intuentium, stat vir, casula, juxta tamen antiquam formam, indutus; Pontificia tiara, et ex ea pendentibus lemniscis, caput ornatum; ac super humeros pallium gerens : quis iste sit vir, conjunctæ litteræ indicant, nempe Innocentius Papa III. qui, ut diximus, hujus musivi operis restaurator fuit. Consuevere enim antiqui pictores in hujusmodi operibus, illius Pontificis effigiem exprimere, D qui tale opus construi mandabat. In opposita autem parte, scilicet sinistra, stat mulieris effigies, manicata veste usque ad talos demissa, indutæ, ac super humeros birrum, vulgo Mozzetta, deferens; caput quodam byreto veluti ducali corona, redimitum habet : in dextera manu hastam, in summitate cruce insignitam, gestat, ad cujus pedem vexillum volitat, in quo duæ claves expressæ cernuntur; altera vero manu librum ad pectus stringit. Quid per hanc denotetur figuram, appositæ ibi litteræ demonstrant, scilicet Ecclesia Romana.

arboribusque post tergum stantibus.

324 Prope et a tergo hujusmodi figurarum, duæ attolluntur arbores, quæ potius palmam quam aliam plantam repræsentant; rami ita sunt dispositi, utellypsim, scilicet ovalem formam exhibeant; in cujuslibet medio stat avis, cujus autem sit generis, ob illius parvitatem discerni minime potest. Quid arbores hic depictæ, avesque ibi stantes significent, difficile admodum redditur explicare : diu etenim quæsivi, sed nil adinveni; existimavi propterea, has arbores, et aves, sicuti in superioris partis area, de tabernaculis aliisque figuris dixi ad pictoris, sive musivarii placitum, atque ornatum expressas fuisse. E

De duabus civitatibus

325 In hujus inferioris partis extremitate, dexteroque loco, respectu Salvatoris quædam visitur civitas, quæ Hierusalem repræsentat, ut conjunctæ denotant litteræ. Pendentes lampades sunt in summitate arcus portæ : in hujus medio stat agnus, sive ovis exitura, quam aliæ quinque præcedunt. In opposita vero, sive sinistra parte, eædem cernuntur figuræ; nomine tantum civitatis discrepat, cui Betleem appositum fuit. Quid per civitates, quidque per lampades istas antiqui Patres ostendere voluerint, diximus in nostro opere de Veter. Monum. par. I. cap. 21. ad quod benignum Lectorem remittimus.

Iterum de agnis et ovibus.

326 Superest modo de agnis sive ovibus aliquid exponere. Cum igitur sacra in Scriptura, apud dilectum Christi discipulum, veritatisque scriptorem S. Joannem cap. 21. 15. habeamus, quod Jesus dixit Petro : Simon Joannis diligis me plus his? Respondit Petrus : Tu scis, quia amo te : et Jesus, ut prius, subjunxit : Pasce agnos meos. Tertioque Jesus interrogavit Petrum an eum amaret, Petrusque respondit : Domine tu omnia nosti, tu scis quia amo te; et Jesus dixit : Pasce oves meas. Igitur F per agnos et oves, fideles denotantur. Idem confirmat B. Eucherius Lugdunensis episcopus, qui floruit in principio quinti seculi, lib. I. cap. 4. prope finem Formularum Spiritualium : hic per oves asserit, populos fideles denotari, de quibus in Evangelio Joannis 10. 27. Oves meæ vocem meam audiunt. Agni enim Christum, vel Apostolos, aut Sanctos significant. Durandus vero in suo rationali Divin. Offic. lib. I. cap. 3. num. 10. describit varias mysticas formas appingendi Apostolos, inter quas sub forma duodecim ovium aliquando expressos fuisse affirmat, quæ præsenti musivo operi adaptatur. Et hæc satis de illius explicatione. Epigraphe sub eodem apposita est, quam referre supervacaneum duco, cum in exemplari legi possit.

Sinceritas auctoris scriptum notarialem ad fidem faciendam adducentis,

327 Ac ut lectori magis innotescat nostri animi candor in his concinnandis operibus, et in illis describendis, supra relatam fidem a Notario publico exaratam, de collatione exemplaris cum originali, antequam istud dirueretur, facta, apponimus, quæ tenoris est sequentis. In nomine Domini. Amen. Per hoc præsens publicum descriptionis cappellæ sanctorum Petri et Pauli instrumentum, cunctis pateat evidenter,,, et sit notum, quod anno a Nativitate ejusdem Domini millesimo quingentesimo nonagesimo

A simo secundo Indictione quinta; die vero tertia Augusti, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris et D. N. D. Clementis diva Providentia Papæ Octavi anno ejus primo. In mei Notarii publici, testiumque infrascriptorum ad hæc specialiter vocatorum et rogatorum præsentia, præsens et personaliter constitutus R. D. Marcus Antonius de Magistris canonicus, et ad præsens alter ex majoribus sacristis basilicæ sancti Petri de Urbe, requisivit me Notarium, quatenus ex capella seu tribuna, existente supra altare majus basilicæ sancti Petri subtus cuppulam magnam dictæ basilicæ quæ tribuna modo demolitur, describerem statum et inscriptiones, quæ ibi reperiuntur.

in quo. compendio notantur,

328 Unde ego Notarius, tamquam obedientiæ filius, ad dictam capellam, seu prope illam, una cum infrascriptis testibus, me contuli, et una cum eisdem testibus legere scientibus, dictam capellam seu tribunam diligenter vidi, inspexi, literasque in eis descriptas perlegi, prout etiam infrascripti testes viderunt, inspexerunt, et perlegerunt. In primis in summitate dictæ capellæ seu tribunæ adest imago sanctissimi Salvatoris in throno sedentis ex musaico confecti; ad cujus dexteram est imago sancti Pauli B habentis in manibus librum cum his verbis videlicet: Mihi vivere Christus est; et a sinistris imago S. Petri etiam ex musaico confecto, habentis in manibus librum cum his litteris, videlicet; Tu es Christus filius Dei vivi. Subtus dictas imagines ad manum dexteram, apparet etiam ex musaico confecta imago Innocentii Papæ Tertii, cum pallio et regno, et a sinistris Ecclesia Romana, in persona muliebri, habens in manibus crucem cum insigniis, in quibus adsunt claves extensæ, etiam a musaico confectæ. Subtus dictas picturas seu imagines sanctissimi Salvatoris, et sanctorum Petri et Pauli, adsunt etiam ex musaico confecti duodecim agni, et in medio illorum est agnus cum diademate, etiam ex musaico confectus. In capitibus, et extremitate laterum dictæ capellæ, adsunt ex musaico confectæ civitates, Hierusalem ad manum dexteram, et a manu sinistra Bethleem, cum literis id dicentibus, etiam ex musaico.

quæ supra sunt explicata.

329 Ab imagine sanctissimi Salvatoris et agni diademate ornati, profluunt flumina, videlicet Gion, Phion, Tigris, et Eufrates. Subtus supradictas imagines et picturas adsunt ex musaico, in literis majusculis confecta hujusmodi carmina, videlicet; C Summa Petri sedes est hæc sacra Principis ædes, Mater cunctarum decor, et decus ecclesiarum. Devotus Christo, qui templo servit in isto, Flores virtutis capiet, fructusque salutis. Quæ omnia ego Notarius, et testes infrascripti vidimus, et diligenter inspeximus, super quibus omnibus et singulis præmissis petitum fuit a me Notario publico infrascripto, ut unum vel plura, publicum seu publica conficerem instrumentum et instrumenta, prout opus fuerit. Actum Romæ ubi supra, præsentibus ibidem, audientibus, et intelligentibus his, videlicet R. D. Tiberio Alfarano Presbytero Hieracen. Clerico dictæ basilicæ; D. Joanne Fabri Presbytero Aretino, et D. Joanne Bugino Romano, testibus ad præmissa omnia et singula vocatis, habitis specialiter, atque rogatis. Et ego Quintilianus Gargarius Notarius Capitolinus, de præmissis rogatus, præsens publicum instrumentum, aliena manu fideliter scriptum, subscripsi et publicavi, signumque meum apposui solitum et consuetum.

Loco † Signi.

D *J. C.*

APPENDICIS

PARS ALTERA

De crucibus in apside Liberiana, Lateranensi et Clementina.

Crux Sixtina in S. Mariæ Majoris.

Descripto commentario Ciampini de apside basilicæ Vaticanæ, transeo ad figuram nostram secundam, quæ repræsentat crucem, qualis extat supra arcum apsidis Liberianæ seu sanctæ Mariæ Majoris, aut potius Sixtinæ. A Sixto enim Papa tertio sub annum CCCCXXXIII. *apsidem ibi et reliqua musiva opera, quæ plurima sunt, fuisse concinnata, docet citotus Ciampinus : qui et commendat singularem operam suam et accurationem adhibitam, ut crux illa et adjuncta quam rectissime delinearentur ; qualem etiam in æs incisam dedit in libro de Veteribus monumentis musivis pag.* 200. *Tum explicat quoque pro suo genio et eruditione partes singulas in hunc modum.*

Altare, crux una, et altera.

331 Exprimitur in illa figura veluti altare, cujus E in medio jacet volumen signatum sigillis septem, super quod imminet nigra crux, veluti in velamine expressa, et in ejus apice corona gemmata, a qua ipsum velamen pendere conspicitur. Retro coronam alia crux gemmata attollitur, cujus a ergo stat thronus, et ipse gemmis distinctus, et in sessili ejus medio pulvinar panno coopertum. Summis autem extremisque ab ipsius throni lateribus extant duo canum capita, e quorum ore duplicatus pendet funiculus, cujus extremitatibus floccus annexus est. Circa sedis medium, ad dexteram lævamque pulvinaris, singuli hinc inde visuntur orbiculi referentes SS. Petri et Pauli capita, eodem ferme ritu, quo imperatorum effigies militaribus signis insertæ in vetustis marmoribus conspiciuntur. Thronus iste nonnullam speciem præsefert Memoriæ seu Confessionis, Martyribus olim dicari solitæ.

Accuratio Auctoris.

332 Valde diversam hujus picturæ descriptionem reperies in historia basilicæ Liberianæ, quam conscripsit Paulus de Angelis. Ille siquidem, pictore fortasse usus non satis accurato agnum loco voluminis, multasque alias figuras pro lubito variatas exhibuit. Nos accuratius, aut certe morosius ista prosequentes, labori nulli peperimus aut expensæ, ut fide quam fieri posset maxima, e prototypo singula describerentur : propterea si quædam interpre- F tabimur, æquo nostro jure id præstare videbimur, cum minuta quæque non prætermiserimus observare.

De libro septem sigillatorum.

333 Occurrit primo, de mensa sive altari aliqua breviter annotare, quod floccis ornatum est, ut hodie videmus in eorumdem altarium vestibus sive frontalibus. Secundo animadvertendum volumen complicatum, et septem sigillis obsignatum ; quod profecto nihil aliud denotat, nisi volumen Evangeliorum, quod sigillis olim obsignabatur, de quo plura peculiari capite, supra congessimus, nbi de magna voluminis Evangeliorum veneratione fuse disseruimus. Cur autem septem obsignaretur sigillis, quid aliud in causa, nisi quod librum illum repræsentaret, de quo in Apocalypseos cap. 5. num. 1. ibi : Et vidi in dextera sedentis supra thronum librum scriptum intus et foris, signatum sigillis septem. Antiqui enim Patres in pingendis figuris ut plurimum usi sunt mysticis sensibus in Apocalypsi latentibus, ut infra videri poterit in ecclesia S. Pauli, et præcipue in ejus majori arcu, tempore Leonis Magni constructo ; et in aliis ecclesiis in nostro opere describendis.

334 Tertio loco velamen, et in ejus medio depicta crux

A crux, supraque velum gemmata corona notanda est. Ego quidem asserere non dubitaverim, velamine cruce insignito priscos fideles velum illud innuere voluisse, quo Christus Dominus noster ad detergendum sudorem suæ passionis tempore usus est, quod Veronicæ dicitur: corona vero gemmata illam e spinis, quæ ejusdem sanctissimum caput transfixit, indicasse.

C. J.

De cruce in velamine.

De cruce gemmata

335 Quarto loco gemmata crux, quæ cum supplicium esset apud gentes, ac rei et latrones in ea criminum pœnas luerent, antiqui Christi fideles maxime circumspecti, noluerunt in ea imaginem Christi patientis affigere, sed potius gemmis margaritisque ornatam exposuerunt, ut facilius inspicientium oculos absque horrore ad se alliceret, qui earumdem gemmarum aurique fulgore perculsi illam venerarentur. Similes gemmatæ cruces adhuc hodie hic Romæ visuntur in antiquissima ecclesia S. Pudentianæ; in ecclesia S. Stephani in Rotundo, et in ecclesia Lateranensi, quin etiam depictæ in nonnullis cœmeteriis cernuntur, ut narrat Aringhus in sua Roma subterranea lib. 2. cap. 22. et Casalius De vet. sacr. Christian. Ritibus par. I. cap. I.

De cathedra seu throno

336 Quinto, post crucem cathedra observanda est, sive thronus, quem ornatum fuisse antiquissimum B apud Majores nostros, animadverto, adeo ut Salomonis ævo mos iste viguerit thronum regalem decorandi cælaturis et signis. Id aperte legitur lib. 3. Regum cap. 10. ubi sacer Historicus ait: « Fecit » etiam Rex Salomon thronum de ebore grandem, » et vestivit auro fulvo nimis, qui habebat sex gra- » dus; et summitas throni rotunda erat in parte » posteriori, et duæ manus hinc atque inde tenen- » tes sedile: et duo leones stabant juxta manus » singulas, et duodecim leunculi stantes super sex » gradus hinc atque inde: non est factum tale opus » in universis regnis. » A regibus forte Israelitarum edocti ceteri Principes, postmodum thronis suis ornatum conciliaverunt. Alexander Wilthemius in suo Diptycho Leodiensi [ex quo postea transcripsit Ferrarius in suis Analectis de re vestiaria pag. mihi 60] pulcherrimum affert exemplar cujusdam Consulis Romani in throno sedentis, cujus brachiolis stabant duo leones, in sedili vero visuntur gemina hominum capita, sicut in eo quem descripsimus. Hinc divinari non erit absonum, ideo jussu Pontificis Xysti thronum hunc BB. Apostolorum C Petri et Pauli capitibus consulto decoratum fuisse, quia ipsis potestas a Christo Salvatore collata est judicandi duodecim tribus Israel, quique ipsi Regi gloriæ, tamquam a latere ad extremum orbis criterium assistere debent: throni autem in summitatibus exprimi canum capita voluit idem Pontifex, ad denotandam fortasse vigilantiam et curam, quæ in ecclesiis habenda est, quando legitur Evangelium, et in sede Majestatis suæ Deus adoratur.

et in illo capitibus canum,

337 Huic hieroglyphico adaptari sane potest S. Augustini locus in Epist. 56. ad Dioscorum de curiosis Quæstionibus, ubi sic: « Episcopi isti etiamsi » adolescentes, eodem quo tamen raperis animi » ardore, vel potius errore, quasi aliquid magnum » hæc dicere curarunt usque ad Canes episcopales, » et usque ad cathedras ecclesiasticas. » Quare hæc S. Augustini auctoritas videtur hoc idem hieroglyphicum de canum capitibus, in summitate throni appositis, luculenter explicare, illorumque temporum morem in episcopalibus cathedris similia canum capita cælandi seu appingendi: hinc etiam istud Doctoris maximi dictum, aliquibus antea obscurum, illustrari videtur. Cum nonnulli censuerint loco canes, canos legendum esse. Non incongruum etiam puto, si aliud afferam exemplum picturæ, quæ est in codice magnæ molis, imaginibus ornato, qui olim erat in monasterio S. Martini Metensis, nunc vero asservatur in bibliotheca Colbertina. D Exprimitur in eadem depicta tabula Carolus Calvus rex in throno sedens, in actu accipiendi eumdem codicem sibi dono datum. In angulorum summitate visuntur duo canes invicem se respicientes, ore expanso quasi latrantes; ex quo deduci posse existimo antiquum morem similibus canibus thronorum sublimia ornandi. Hanc tabulam in lucem edidit eruditissimus Stephanus Baluzius in suis notis ad Capitularia tom. 2. pag. 1276.

deque velamento pulvinaris.

338 Sexto, per pannum, quo tegebatur pulvinar, designasse Christi fideles eam syndonem, qua Christi Domini e cruce depositum corpus fuit involutum, rationi maxime consonum est. Et hæc sunt; quæ in hujus orbicularis figuræ brevi declaratione proferre congruum duxi; plura et meliora dicendi cui libeat liceatque, facultatem ac spatium relinquens. *Hæc de cruce in basilica Liberiana Ciampinus.*

Crux Lateranensis,

339 *Transeo ego ad figuram crucis, in tabula nostra tertiam, quæ est Ecclesiæ Lateranensis, fuitque in restauratione apsidis ejus, per Nicolaum PP. IV. seculo* XIII. *facta, ita uti antiquitus formata fuerat, retenta, teste Cæsare Raspono in descriptione ejusdem ecclesiæ:* E *ex qua etiam huc affero aliqualem delineationem ipsius apsidis et explicationem propositæ crucis. Scribit igitur lib.* I. *cap.* 9. *p.* 41. Consurgit ad hemicycli formam magna Calchidica (*forte*, Chalcidica,) quam tribunam appellant. Hæc pavimentum habet, opere vermiculato elegantissimo distinctum; et antea marmoreis æneisque cancellis a reliqua cruce discriminabatur. Hemicyclum ejus usque ad zophorum, ubi in tholi speciem concameratur, convestit tectorium ex sectis tabulis marmoreis, in cujus medio affixa parieti erat sedes Romani Pontificis, senis marmoreis gradibus elata; in quorum uno sub ipsa pontificia sede visuntur hæ quatuor animantes, aspis, leo, draco, et basilicus; alluditur vero, ut ego interpretor, ad sacrum illud Prophetæ oraculum, Super aspidem et basilicum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem.

quæ in apside antiquitus fuit,

340 In quarto ejusdem sedis gradu erant exarati versus illi;

Hæc est papalis sedes et pontificalis,
Præsidet et Christi de jure Vicarius isti;
Et quia jure datur, sedes Romana vocatur.
Nec debet vere nisi solus Papa sedere:
Et quia sublimis, alii subduntur in imis. F

Qui cum exolevissent ob vetustatem, a Nicolao IV. ipsimet cathedræ adscripti sunt. Calchidicæ hujus universa concameratio exornata est opere musivo, et primo in intervallis quatuor fenestrarum Apostoli novem. In apsidis vero curvitate sub imagine sancti Salvatoris, quæ olim Paulo Romano apparuit, et quam Nicolaus Quartus integram servavit in nova ejusdem apsidis constructione, crux elegantissima, quæ referta gemmis videtur, ad similitudinem videlicet crucis perantiquæ, quæ hic olim extabat. Superne autem non absque eleganti significatione columba extat expansis alis, ex cujus ore manant uberes aquæ, et ita stipitem crucis irrigant, ut in ima ejus parte fons redundet, ex quo flumina quatuor effluere videntur.

descripta,

341 Super eadem cruce insuper ante Nicolai Quarti restaurationem, civitas cernebatur, et in ejus medio palma, cui phœnix erat superimpositus. In porta civitatis Angelus nudato ense stabat, et supra muros ejus principes Apostolorum Petrus et Paulus. Adjecti sunt etiam cervi atque oviculæ nonnullæ, quæ ad flumen properant, ut de aquis ejus hauriant, ac sitim restinguant. Porro significationem horum mysteriorum illam esse interpretamur, quam Jacobus Bosius adfert non pie minus, quam

A quam erudite, in opusculo quod edidit de cruce, ut scilicet in columba Spiritus sanctus exprimatur. Quatuor autem flumina terrestris paradisi, significent fluenta gratiæ, quæ e Spiritus sancti fonte promanant, et mundi quatuor partes suis cœlestibus donis, ac sanctissimis Sacramentis perpetuo irrigant. Civitas autem ecclesiam significat, de qua scriptum est. Fluminis impetus lætificat civitatem Dei.

hic explicata.

342 Palma et phœnix Christi figuram gerunt, qui crucem ascendens, et passionis amore mirum in modum æstuans, dignatus in ea pro nobis emori, atque instar phœnicis victor a mortuis resurrexit, Angelus custodiens portam civitatis, sanctum archangelum Michaelem, aliosque angelos indicat, qui sunt ecclesiæ tutelares juxta petitionem illam, Civitatem istam tu circumda Domine, et Angeli tui custodiant muros ejus. Sancti Apostoli Petrus, et Paulus sunt ita expicti, qui aipsi sunt Ecclesiæ præcipui præsides, patroni ac defensores. Cervi sunt symbolum ethnicorum, qui cum a vero vitæ fonte aberrarent, virtute crucis aspergendi erant aqua baptismatis, atque ab idololatriæ sordibus expiandi; quamvis interpretentur alii apud crucem cervos figurari B solitos, quia dum ipsi in serpentum caveas os immittunt, halitu eos interimunt, et quia ipsi renovant juventutem suam: etenim perinde Christus Dominus per crucem et obitum suum peccato intulit mortem, atque illud penitus delevit, de nuoque ad lucem rediit redivivus. Oves designant viros justos atque electos, qui postquam lustrali aqua baptismatis mundi et candidi evaserunt, candorem illum retinent deinceps, ac se in operibus charitatis exercent. Alii tamen Catechumenos exprimi putant, qui postquam fuerunt baptismo initiati, albi efficiuntur puræ mentis integritate.

Adstant aliæ imagines,

343 Itaque prisci illi et pii Christiani picturis hisce atque imaginibus plebi occasionem dabant, ut in ecclesia, sicuti par est, divina mysteria considerarent ac meditarentur. Ab utroque crucis latere sunt icones sacræ, tum Deiparæ Virginis, tum sancti Joannis Præcursoris Domini, atque etiam Principum Apostolorum, et sancti Andreæ, et sancti Joannis Evangelistæ, quæ tamen sunt minori forma expressæ, sicuti minori forma expicti hinc inde aspiciuntur sanctus Franciscus Assisias, et S. Antonius Patavinus. Adstat etiam Nicolaus Quartus C Pontifex in genua provolutus, cujus hoc opus jussu perfectum est. Post tribunam est rotunda porticus a sancto Leone primo, ut diximus, constructa, ad quam arcus duo hinc inde editum aperiunt; olim picturis erat parum elegantibus ornata, nunc tantum deabalta, quinque columnis in medio, bissenisque ex utroque latere parastatis fulcitur ejus concameratio, ibique spectatur mausoleum porphyreticum opere vario exculptum,

Crux quarta descripta paucis, a Rondinino

344 *Quare tabulæ nostræ figura, repræsentans crucem non uno modo coronatam, depista fuit ex apside antiqui templi S. Clementis Papæ et martyris prope amphitheatrum Vespasiani, atque impressa a sæpe citato Casalio. Pauca in illam commentatur Philippus Rondininus libro de S. Clemente ejusque basilica, non ita pridem Romæ edito, pag.* 267. *hisce verbis :* Jacobus Thomasius Cajetanus ordinis minorum S. Francisci, Bonifacii VIII, sororis filius, Presbyter cardinalis, ornavit apsidem basilicæ musivo opere; seu potius vetus, temporis edacitate corruptum, ad priorem formam revocavit; ibique inter alia plura ornamenta, longa cernitur vitis, quæ vario opere et colore hinc inde diffusos ramos protendens, e stipite exsurgentem præfert crucem, cui Christus Dominus affixus est, dispositis ab utroque latere passionis sociis Maria Virgine et Joanne apostolo. Hemicyclum apsidis totum comprehendunt propagines, in quarum curvaturis graphice expressi sunt quatuor Ecclesiæ doctores et variæ volucrum species. D

C. J. pluribus a Casalio,

345 *Casalius ipse de sua eadem cruce commentatur plura, quam proferre hic velim. Quæ propius ad rem nostram spectant, inde decerpo; verba ipsius, characteribus Romanis : quæ mea sunt, Italicis impressa daturus. Ait :* Reperitur altera crucis species, quæ coronata nominatur, quam non hic effigiavimus ex apside musiva S. Clementis hic Romæ in Cœlio monte, Nicolao Primo Romano Pontifice sedente *(creatus fuit anno* DCCCLVIII.) extructa : in cujus superiori parte *et media*, non unam tantum, sed *plures* videmus coronas, mystice denotantes, quod quamquam ardua et difficilis sit ipsa crux, quam fideles et electi sufferunt, viventes in mundo; eo sublimiores sint coronæ, quas iisdem benignus et misericors Deus præparavit in cœlo. Corona, quæ in eminentiore cornu hujus crucis apparet, per manum quamdam sublata, indicat aperte gloriosam victoriam et triumphum, quem per crucem Christus obtinuit; alludens in hoc ad Romanorum triumphos, in quibus imperator gestabat coronam alienam E manu elatam. In eadem cruce imago nuda crucifixi Domini cernitur, clavis quatuor affixa, sub cujus pedibus ad fulcimentum corporis extat tabella, quæ suppedanea vocatur.

Quid coronæ,

columbæ,

346 Cernimus in eadem cruce candidas columbas duodecim, duodecim Apostolos denotantes, quibus præcepit Christus apud Matth. 19 : Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ... Quod autem columbæ circa crucem denotent Apostolos, expresse de hujusmodi imaginibus *tractans*, scripsit Paulinus ep. 12. ad Severum : Crucem corona *etc. versus hic citatos dedimus nos supra pag.* 128. *n.* 308. *Prosequitur alia scriptor de columbis, sed quæ potius ad mores formandos, quam ad historiam faciunt. Subdit deinde :* Apparet in calce hujus crucis cervus, qui statu videtur serpentem absorbere *(dixero. necare)* symbolum peccati ab homine concepti, a quo nisi Spiritus sancti afflante gratia per Sacramenta, e sanguine Christi provenientia, tamquam a vivis fontibus non purificatur; ut propterea dixerit Psalmista : Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus : Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum... Hinc etiam in nostra figura duo cervi F ardenter bibunt ad quatuor fluenta, erumpentia ab ipsa cruce, ut a serpentium veneno curentur; sicuti etiam homines, ad aquas Sacramentorum bibentes, a peccatis mundantur. *Atque hæc præcipua sunt, quæ ex commendatione qualicumque Casalii, huc transferenda putavi, et sufficiunt.*

cervi.

Tabulæ nostræ figura ultima

347 *Figura quinta repræsentat crucem Commissam; sexta, Immissam; de quibus egimus pag.* 126. *num.* 292. *Septima est Monogrammatica, qualem pag.* 127. *n.* 294. *descriptam dedimus ex S. Paulino Nolano. Octava crux est Coronata, de qua etiam nonnulla diximus supra. Figura extat in nummo Æliæ Eudociæ Augustæ apud Cangium in familiis Byzantinis, et apud Gretserum, tom.* 3. *de Cruce pag.* 62. *Nona denique exprimit Labarum, Constantini Magni signum militare, quod idem simul etiam exhibet monogramma Christi et quidem coronatum. De prioribus quod satis est ad institutum nostrum, diximus. De ultima figura seu labaro Constantini (quandoquidem illud aliter atque aliter figuratur a nonnullis) pauca accipe. Desumpsimus figuram ex tom. tertio prædicti Gretseri nostri de Cruce Christi lib.* 1 *pag.* 18 *quam ille, re studio singulari examinata, tali modo pingendam judicavit. Et vero recte ipsum judicasse, constabit ex Eusebio, qui labarum Constantini vidit, atque his verbis*

A *verbis ex interpretatione Valesii lib.* 1. *Vitæ Constantini, ipsum describit.*

C. J. repræsentat labarum Constantini.

348 *Eusebius itaque, cum ante dixisset, Constantinum* horis diei meridianis, sole in occasum vergente, crucis tropæum in cœlo ex luce conflatum ipsis oculis vidisse cum hujusmodi inscriptione, HAC VINCE. *Et nocte sequenti Christum ipsi apparuisse* cum signo illo, quod in cœlo ostensum fuerat; *præcepisseque*, ut militari signo ad similitudinem ejus, quod in cœlo vidisset, fabricato, eo tamquam salutari præsidio in præliis uteretur, *ita subjungit; Constantinus, his visis et auditis*, primo statim diluculo surgens, arcanum omne amicis exposuit. Convocatis deinde auri ac gemmarum fabris, medius inter illos sedens, speciem signi eis sermone depinxit, jussitque, ut auro et lapillis similitudinem ejus exprimerent. Quod et nos aliquoties videre meminimus. *Ita Eusebius, qui tum demum ipsum signum ac labarum minutim ita describit cap.* 31.

juxta descriptionem Eusebii effigiatam.

349 Erat hasta longior, auro contecta, transversam habens antennam instar crucis. Supra in ipsa hastæ summitate corona erat affixa, gemmis et auro contexta; in hac, salutaris appellationis signum, duæ videlicet litteræ, nomen Christi primis apicibus designabant, littera P. *Græca* medio sui decussata. Quas quidem litteras Imperator in galea portare post hac etiam consuevit. Porro ex antenna, quæ oblique per hastam trajecta est, velum quoddam dependebat, textum videlicet purpureum, pretiosis lapidibus inter se junctis et luminis sui fulgore oculos perstringentibus, coopertum, multoque intertexto auro inexplicabilem quamdam pulcritudinis speciem intuentibus præbens. Atque hoc velum, antennæ affixum latitudinem longitudini æqualem habuit. Ipsa vero recta hasta, ab infima sui parte in magnam longitudinem producta, in superiori parte sub ipso crucis signo, ad ipsam veli variis coloribus depicti summitatem, auream Deo cari Imperatoris et liberorum ejus imaginem, depictam pectore tenus, sublimem gestabat. Hoc igitur salutari signo, tamquam munimento, adversus oppositas quorumvis hostium copias Imperator semper est usus; aliaque ad ejus similitudinem expressa signa cunctis exercitibus præferri jussit. *Quod ait*, littera P *Græco* in medio sui decussata, *intelligo, decussatam esse per medium punctum litteræ* X. *quæ est prima in nomine* ΧΡΙΣΤΟΣ, *et* Rho *secunda. Confer descriptionem Eusebii cum figura nostra nona, labarum et in illo etiam monagramma Christi exprimente; atque per te considera, an recte expressa sit.*

B

C

SECTIO IV SIVE D

Quæ percurrit oratoria basilicæ contigua versus meridiem

Sectionis quartæ primo loco

Lustrata per tres Sectiones interiore basilica Vaticana, videamus nunc ædificia varia, variis temporibus ei utrimque adjuncta, quæ per ostia sua, in parietibus lateralibus aperta, saltem pleraque, transmittebant in ipsam basilicam, atque inde vicissim admittebant in se, qui illic secretius orare volebant. Sectio hæc quarta sive D, *percurret obiter illa omnia, quæ ex parte meridionali contigua basilicæ sunt, usque ad murum orientalem navis transversæ. Quinta Sectio sive* E, *similiter percurret illa, quæ sunt ex parte aquilonari; incipiendo utrobique ab ortu solis juxta basilicæ frontispicium ejusque porticum. Igitur*

Secretarium antiquissimum,

351 *Littera* D *majuscula, principium Sectionis quartæ, denotat locum satis amplum, quem passsim nominari video* Secretarium, *ubi olim Pontifices, quando ex habitatione sua Lateranensi ad basilicam Vaticanam sacris operaturi veniebant, pontificaliter indui consueverunt. Sic enim in tabulis suis ichnographicis illum appellant, Paulus de Angelis, Oldoinus, Ciampinus, Bonannius, et ante istos etiam Severanus, qui tamen in decursu libri sui de septem Ecclesiis pag.* 66. *Secretarium suum distinguit a prædicto loco* D, *eique proximum ponit, et egressum habuisse ait in ipsam basilicam. Recte quidem, si Secretarium antiquum, a B. Gregorio IV. in oratorium, S. Gregorio primo ibi dedicatum, distinxeris a loco, in quo idem forte Gregorius IV. novum Secretarium, loco prioris, construxit; uti distinguenda esse, nos quoque putamus, et in Dissertatione propria probare conabimur paulo post. Addit Severanus, illud ipsum Secretarium antiquum, in oratorium S. Gregorii versum, multis post seculis nomen accepisse* S. Mariæ de Febribus; *ab imagine ejusdem sanctissimæ Virginis, crebris miraculorum prodigiis celeberrima; quæ illuc alio e sacello ejusdem nominis (forte in destructione posterioris basilicæ, ubi stabat) translata fuit. Fontana eumdem locum* D, *facit quidem Secretarium, sive ut ipse appellat,* Hierophylacium; in quo summorum Pontificum sacra supellex *asservabatur : at vero quod addit, non ibi, sed in vestibulo ejus* †, *Pontifices* sacris indumentis *amiciri solitos fuisse merito improbat Bonannius. Dissertatio hac de re nostra, quam dixi, probare conabitur, loco* D *et antiquum Secretarium olim, ac dein oratorium Gregorianum fuisse.*

D

deinde in oratorium amplum S. Gregorii mutatum.

E

Altaria, quæ illic recentius fuere, indicantur;

352 *In hoc oratorio Gregoriano* D, *ichnographia Severani, quæ illud vocat* Secretarium, postea S. Mariæ de Febribus dictum, *distinguit quidem septem recessus, unum pro apside ac præcipuo altari, tres item a latere apsidis dextro cum altaribus suis; ac totidem a sinistro, cujus tamen medius, altare non habens, pandit egressum in porticum : sed nullum istorum altarium designat suo nomine. Id facit ichnographia Pauli de Angelis, collocans sub apside* sacellum principale Secretarii, ubi translata fuit imago B. Mariæ, dicta de Febribus. *A dextera respectu apsidis primo loco ponit* altare S. Joannis Baptistæ translatum, de familia Ursinorum. *Secundo loco* altare S. Sebastiani a Christophoro de Jacobatiis. *Tertio loco*, altare anonymum. *Similiter a sinistra apsidis loco primo*, altare, ad quod fuit translata imago B. Mariæ ex intercolumniis porticus. *Loco secundo*, aditus ducens ad porticum. *Loco tertio item* altare anonymum. *Hæc ipsa Bonannius quoque habet totidem verbis descripta.*

F

in vetustiora inquiritur

353 *Observo ego, pleraque hic indicata altaria postremis tantum temporibus illic extitisse, utpote quæ aliunde eo cum nominibus suis translata sint, utique quando basilica vetus demolienda fuit. Ichnographi autem citati, et imprimis Alpharanus, descripserunt altaria ista, uti multa alia, prout suo tempore erant ac nominabantur, antiquiorum nominibus prætermissis. Constat sane, uti S. Sebastiani altare olim illic fuit, quod a Christophoro de Jacobatiis forte innovatum est; ita ibidem etiam fuisse altaria S. Gorgonii et S. Tiburtii, et forte locis illis, ubi ichnographici altaria ponunt anonyma. Rem explicabit textus Anastasii in Gregorio IV. pagin.* 160, *qui et explicabit alia, ab eodem Gregorio ad commendationem loci et decorem altarium ibi facta. Textus sic habet :*

354 Gregorius IV, divino ignis amore succensus, corpus beati Gregorii, hujus universalis Ecclesiæ præsulis, per quem sancti Spiritus gratia toto orbe terrarum inextinguibile sapientiæ munus induxit, ex loco sepulturæ, quo prius fuerat, tulit, et non longe ab eo in alium, noviter constructum, infra ecclesiam beati Petri Apostoli summo honore perduxit; ejusque sacrum altare argenteis tabulis undique perornavit, et oratorium suo sancto nomine titulavit : apsidamque ejusdem super aurato musivo depinxit. *ex Anastasio.*

A depinxit. In quo scilicet oratorio sanctorum corpora, beatorum martyrum Sebastiani, Gorgonii ac Tiburtii, ex cœmeteriis, in quibus ante jacebant, perduxit : et unumquodque eorum separatis altaribus collocavit : pro quibus denique Pontificatus sui tempore decrevit, ut monachi, qui ad officium persolvendum in ecclesia beati Petri apostoli sunt constituti omnibus diebus ibidem laudes omnipotenti Domino canere non desistant. Obtulit autem in eodem oratorio vela majora vel modica serica, decem et octo, Vestes super altare, sub quo sanctissimi Gregorii Papæ corpus quiescit, tres..... Et super unumquodque prædictorum Martyrum vestem de fundato, unam. Imagines denique, desuper deargenteas nec non auro perfusas, tres habentes vultum Domini, et eorum depictos, quorum specialia ibidem corpora humata, miraculis, virtutibus pollent

Vestibulum oratorii Gregoriani.

355 *Ante prædictum oratorium* D, *ubi signum* † *notatur, fuit vestibulum ejusdem oratorii, et in medio porta antiqua ; quæ enim ex oratorio ducit in porticum basilicæ, recentius aperta fuit, ejusque loco prius altare stetit, teste Ciampino. Dicti vestibuli partem meridionalem similiter ornabat olim altare cum apsidula : quæ* B *deinde remota fuerunt ad aperiendam ibi portam, qua descendebatur, per aliquot gradus ad vicinam ecclesiam sancti Salvatoris, de* Torrione ; *item de* Ossibus, *dictam, de qua postea suo loco.*

Secretarium novum.

356 *In loco* e *ponit Paulus de Angelis et alii sacellum et altare anonymum, ut et Severanus in ichnographiis suis. Hic tamen in suo de septem ecclesiis tractatu pag.* 66, *significat, citans Alpharanum, ibi fuisse secretarium, in quo summi Pontifices vestiebantur, operaturi sacris in ecclesia Vaticana · additque, fuisse contiguum muro ultimæ navis meridionalis basilicæ antiquæ; atque inde intrabatur per ostium in ipsam basilicam. Quæ descriptio uti recte convenit huic loco* e, *ita convenire non potest loco* D, *ubi antiquissimum fuisse Secretarium diximus, quod nullo ostio suo transmittebat recta in basilicam, quodque Gregorius IV, suo tempore mutavit in sacellum Gregorianum, atque tunc etiam in loco proximo construxerit Secretarinm novum, de quo agimus. Neque enim conveniebat. diu deesse Secretarium, ubi se Pontifex vestiret, quando ad S. Petri celebraturus statis temporibus veniebat : nec scitur alio loco aliud ad illos usus factum fuisse.*

Sacellum S. Thomæ Ap.

357 *Littera* f *notat sacellum S. Thomæ apostoli, quod Ciampinus ait, a Symmacho PP. extructum fuisse.* C *Si tam antiquum est et illo loco extructum fuit, eo referenda sunt verba Anastasii in Symmacho, videlicet quod apud ecclesiam S. Petri fecit* oratorium S. Thomæ apostoli ex argento, pensans libras CCC et Confessionem lib. XX. *et* arcum argenteum lib. XVI. *Ibidem enumerat Ciampinus multarum illustrium personarum, illic tumulatarum, nomina : sed hæc nostri fori non sunt.*

Proximum a Sixto 4 fundatum.

358 g *Sacellum Sixtinum percelebre, a nomine fundatoris Sixti PP. IV sic appellatum, dedicatum vero nominibus B. Mariæ semper Virginis, S. Francisci Assisiatis, et S. Antonii Patavini. Horum meminit Sixtus ipse apud Oldoinum, in quodam diplomate suo, Kalendis Januarii* MCCCCLXXIX *scripto, his verbis,* Archidiaconus gerat omnimodam curam capellæ nostræ, quam nuper in præfata basilica S. Petri ab ipsis fundamentis sub invocatione B. Mariæ Virginis, S. Francisci et S. Antonii de Padua, cum magno siquidem sumptu insignique opere et ornamentis condecentibus, prout omnibus intuentibus patet, erigi fecimus. *Transtulit quoque Sixtus in illud sacellum e media basilicæ navi, chorum canonicorum et cantorum, ut jam indicavimus pag.* 90 *num.* 93, *ibidemque sedilia, ligno fabrefacta, constituit triplici gradu, alia aliis altiora, juxta triplicem cleri psallentii* D *dignitatem. Quæ sedilia etiam in ichnographia nostra per circuitum punctis notata sunt. In meditullio, ubi littera* g, *conspiciebatur monumentum Sixti elevatum mirifici artificii.* C. J.

Tertium Cardinalis Zeni,

359 h *Tabula Severani vocat locum hunc, sacellum Cardinalis Zeni. Nec plura habet libro suo de septem Ecclesiis. Bonannius aliquid amplius addit, indicans loco* h *sacellum cum altari,* quod Zenus Cardinalis Venetus S. Mariæ in Porticu ædificavit. *Hæreo hic, nec satis capio, quomodo Zenus ædificaverit ibi sacellum sub titulo* S. Mariæ in Porticu : *quandoquidem imago illa sub porticu basilicæ mansit adhuc fere centum annis post. Aliquid elucidationis suggerit Turrigius in Cryptis Vaticanis pag. mihi* 33 *scribens, ibi esse imaginem perpulchram B. Mariæ Virginis cum filio suo in ulnis, quæ stabat prius inter columnas porticus basilicæ antiquæ, quam Gregorius XIII, inde tolli mandavit et locari tantisper in Secretario littera nostra* D ; *quod et Ciampinus indicat pag.* 83, *de Ædificiis Constantinianis. Inde potest quidem transportata fuisse ad sacellum* h, *ac demum ad cryptas. Sed de translatione ejus ad dictum sacellum* h, *nulla fit mentio in inscriptione, quam Paulus V, dictæ imagini in cryptis apponi jussit, quæ sic habet apud Turrigium pag.* 34. Sanctissima hæc E Deiparæ Virginis imago (*quæ* ut antiqua habet traditio, inter columnas porticus veteris basilicæ impia manu in facie percussa, sanguinem fudit)... ex ædicula S. Mariæ de Febribus *(ita vocabatur etiam locus noster* D, *postquam imago S. Mariæ de Febribus ex antiquo sacello translata eo fuerat)* ad quam sub Gregorio XIII ex porticu translata fuerat; e ruinis *(quando nempe antiqua pars basilicæ et ædicula S. Mariæ de Febribus pariter destructa fuerunt)* servata, anno MDCVI, hic reponitur Paulo V Pont. Max.

Alia aliorum.

360 i. k. l. *Severanus locum* i *simpliciter vocat* sacellum Cardinalis Cerdani, *nempe* Antonii, *a Nicolao V creati : locum* k, sacristiam : *locum* l, bibliothecam basilicæ, spatiosam et codicibus vetustis, qui deinde in bibliothecam Vaticanam illati fuerunt, probe instructam. *Supra sacristiam indicatam, inquit Ciampinus,* erant magnæ aulæ et cubicula pro basilicæ ministris ejusdemque sacristiæ custodibus. *Illis eo ascensus erat per scalas, in vicino loculo expressas. Qui loculus portam unam habebat in pariete meridionali; et in singulis transversariis portas binas, per quas commeabatur e dicta sacristia in bibliothecam et contra. Atque hæc satis de Sectione quarta. His nunc subjungo Dissertationem promissam de situ oratorii Gregoriani.* F

DISSERTATIO

INTERCALARIS QUINTA

De situ secretarii antiqui et sacelli Gregoriani, S. Gregorio primo a Gregorio IV, constructi.

Tria S. Gregorii sacella:

T*ria invenio sacella in veteri basilica Vaticana, quæ apud illustratores ejus vocantur* Gregoriana. *De uno, quod est in navi maxime meridionali non procul a frontispicio jam egi sectione prima sive* A, *sub litt.* d *minuscula. Facit illud Ciampinus (idem sentiente Severano, Paulo de Angelis, Oldoino, Bonannio et Fontana)* oratorium S. Gregorii Magni, quod ei Gregorius IV. eximius cultor sanctissimi Prædecessoris, dicavit, et sub eodem prædicti sancti Pontificis corpus... venerabundus reposuit, multis per sacellum altaribus excitatis ad Sanctorum reliquias decore servandas, quas e diversis cœmeteriis cryptisque huc attulerat. De ejusdem sanctissimi pontificis corporis e porticu in hanc basilicam translatione, sic Bibliothecarius in præfati Gregorii IV, vita scribit. *Hæc Ciampinus, subjungens mox Bibliothecarii textum. Sed hunc alio spectare,*

A *spectare, quam Ciampinus asserit, ac respicere sacellum sub littera majuscula* D, *ad cornu meridionale porticus extra basilicam, paulo post ex eodem textu monstrabo. Alterum sacellum, sub littera* D *majuscula, quod passim Secretarium appellari diximus, ego* Gregorianum *facio, a Gregorio IV, exstructum, et reliquiis S. Gregorii Magni aliorumque Sanctorum ditatum. Tertium sacellum* Gregorianum, *quod huic e regione opponitur, situm ad cornu septemtrionale porticus, et a nobis littera* E *indicatum, ab aliquibus vocatur* Gregorianum de Palatio, in quod, *ait citatus Ciampinus*, corpus S. Gregorii a Gregorio IV, translatum fuit. *Quod sane mirum est a Ciampino dici, cum paulo ante dixerit, idem sacrum corpus ab eodem Pontifice Gregorio IV, translatum fuisse in sacellum sive oratorium* d *Sectionis* A. *Sed de his postea nobis redibit sermo.*

C. J.

duplex item Secretarium.

362 *Similiter distinguendum existimo duplex* Secretarium, *quod magis proprio nomine* Sacrarium *appellari potest, ubi sacer Pontificis Maximi ornatus servabatur, quo ibidem ipse induebatur, cum pontificaliter in basilica Vaticana facere ad aram aut officia solennia obire vellet. Distinguendi ansam mihi præbet Joannes Diaconus in vita S. Gregorii Magni. Agens enim de prima sancti Pontificis sepultura lib. 4, num. 68, juxta nostram divi-* B *sionem, die* XII *Martii, sic scribit:* Hujus venerabile corpus in extrema porticu basilicæ S. Petri Apostoli ante Secretarium, tunc antiquissimum,.... sepultum tali titulo decoratur. *Et subjungit titulum seu epitaphium. De secunda vero sancti viri sepultura seu translatione idem Auctor ibidem num. 80. scribit in hunc modum :* Hujus beatissimi Gregorii venerabile corpus a Gregorio IV, Sedis Apostolicæ Præsule, post annos plurimos, *saltem* CCXXIII, translatum, ante novellum Secretarium constructis apsidibus, sicuti modo cernitur, sub Altari sui nominis collocatur. *Non otiose in hisce textibus distinguit Auctor vitæ Secretarium* antiquissimum *jam* tunc, *quando Gregorius fuit ante ipsum sepultus anno* DCIV et novellum, *ante quod deinde Gregorius IV,* absides construxit, *in quibus sacrum corpus e porticu transferens, sub altari collocavit.*

Prima Gregorii sepultura in porticu.

363 *Sepultus igitur statim post obitum fuit S. Gregorius Papa primus et magnus in* extrema porticu *versus meridiem, ubi ipsam porticum claudebat Secretarium, tunc antiquissimum ; quod subsecutis ducentis et amplius annis collapsum fuerit, aut ita male materiatum evaserit, ut aliud vel ante Gregorium IV. vel ab ipsomet extructum sit ; quod idem Auctor Vitæ, qui sub Pontificatu Joannis Papæ VIII. anno* DCCCLXXII C *creati, scribebat,* novellum *indigitat. Quisquis porro hoc novellum extruxerit, manifestum est extructum non fuisse in eodem loco, ubi antiquissimus steterat, quia ibi novum S. Gregorii sacellum seu oratorium excitavit Gregorius IV, quod æque claudebat cornu meridionale porticus, quam illud antea clauserat Secretarium antiquissimum. Neque tamen longe remotum inde fuit novellum, sed potius contiguum. Quandoquidem apsides in sacello suo Gregoriano construxit Gregorius IV.* ante *ipsum* novellum Secretarium, *parieti nempe ejus orientali applicatas, prout videre est in ichnographia, sacello* D, *quod Gregorianum fuit, et proximo* e, *quod secretarium novellum esse debuit, tum propter testimonium Joannis Diaconi jam allatum, tum etiam propter auctoritatem Joannis Severani, qui postquam descripsit sacellum Gregorianum, de quo modo, sic progreditur, citato in margine Alpharano, cap.* 9.

Situs Secretarii novi,

364 Adhærebat huic sacello aliud, quod vocabatur Secretarium, *utique novellum ;* et erat conjunctum muro ultimæ navis basilicæ ; in quam inde intrabant Pontificeti indus pontificaliter ad operandum sacris. *Quod sane multo decentius fiebat ex hoc novello, quam ex antiquissimo olim secretario : ex quo ingredi basilicam non poterant Pontifices, nisi antea per partem porticus transissent. Adde sacellum illud* e, *de industria factum videri ad usum secretarii sive sacrarii : habet enim amplum in medio spatium, ubi sacræ vestes explicari commode, et ministri discurrere possent libere : habet altare unicum in tribuna, ante quod vestiretur Pontifex : habet utrimque conclavia, ubi apte reponi et decore servari posset supellex sacra, hæc autem conclavia, cum careant aris, ac monumentis sepulcralibus, vix cogitabis quem alium habuerint usum : præterquam quod in toto illo ædificio nullus locus inveniatur ulli Sancto consecratus fuisse.* D

et distinctio locorum.

365 *Atque hæc de secretario novello. Nunc amplius probandum est, successisse in locum Secretarii antiquissimi sacellum Gregorianum* D, *eoque translatas a Gregorio IV. fuisse sacras exuvias Gregorii Magni et aliorum Sanctorum, quos adnumerat Anastasius. Constat ex Joanne Diacono et supra dictis, sepulturam primitus suam habuisse Gregorium Magnum in extrema porticu basilicæ ante Secretarium antiquissimum in loco* D, *cujus ostium principale emittebat in vestibulum ipsius oratorii versus orientem, ubi signum † notatur. Aperta deinde fuit porta alia versus aquilonem, per quam transibatur in porticum et mox sinistrorsum in basilicam. Constat præterea, supra illud oratorium Gregorianum, occidentem versus extitisse deinde secretarium novellum in loco* e, *contiguum basilicæ muro et per ostium in illam emittens. Constat tertio, ante novellum isthoc secretarium, in eodem videlicet loco* D, *ubi antiquissimum steterat secretarium, ædificasse sacellum suum Gregorianum, Gregorium IV. quod claudebat porticum ex illa parte, et prope aberat a sepulcro primo Gregorii Magni.* E

Descriptio Sacelli Gregoriani

366 *De hujus ejusdem sacelli scribit Anastasius in Gregorio IV. ejus conditore. quod ipse corpus S. Gregorii Magni decessoris sui* ex loco, quo prius fuerat sepultum, tulit ; et non longe ab eo in alium noviter constructum infra ecclesiam B. Petri Apostoli summo honore perduxit, ejusque sacrum altare argenteis tabulis undique perornavit et oratorium suo sancto nomine titulavit, absidamque ejusdem super aurato musivo depinxit : in quo scilicet oratorio sanctissima corpora beatorum martyrum Sebastiani, Gorgonii, ac Tiburtii ex cœmeteriis, in quibus ante jacebant, perduxit et unumquodque illorum separatis altaribus collocavit.

ejusque explicatio,

367 *Ex hisce Anastasii verbis habemus primo, quod sacellum de quo agimus, Gregorianum, constructum fuerit* infra ecclesiam *S. Petri, non intra, uti est illud quod plerique pro Gregoriano sumpserunt, situm in navi basilicæ meridionali, cui deinde Pius Papa II. caput S. Andreæ Apostoli imposuit conservandum. Frontispicium autem, uti inferior pars est ecclesiæ, respectu tribunæ atque aræ principis, ita quidquid extra frontispium jacet, infra ecclesiam esse merito dicitur. Scio, Anastasium voce* infra *aliquando uti pro* intra ; *sed hic in propria significatione sumi posse ac debere suadebunt etiam sequentia. Habemus igitur secundo, in sacello Gregoriano Gregorii IV. (quod etiam Joannes Diaconus testatur) fuisse apsidem; quod et in ichnographia in sacello* D *ipsis oculisi ntueri licet : in sacello autem* d *intra basilicam ne quidem locum apsidi inveneris, utpote quod per modum cyborii elevatum, quatuor columnis sustentatur. Habemus tertio, plura sacellum Gregorianum ornasse altaria ; ac tria sanctorum martyrum corpora, præter sacras Gregorii Magni exuvias, in illud illata, et unumquodque separatis altaribus collocata fuisse : quod sacello nostro* D *recte quadrat : sacello autem* d *intra basilicam, quod unicum dumtaxat habet altare in medio quatuor columnarum, quadrare non potest.* F

etiam ex Severano

368 *Consonat hisce dictis nostris, tametsi in ichnographia sua aliter locutus, Severanus pag.* 65. *sub titulo*, Capella S. Mariæ a Febribus, *ita scribens :* In fine porticus meridiem versus visebatur oratorium

A rium sive sacellum, a Gregorio IV, qui floruit sub annum Domini MCCCXXVII. exædificatum, cum tribuna seu apside ex opere musaico; ad cujus aram principem, argento coopertam, transtulit corpus S. Gregorii Magni; et sub tribus aliis in eodem sacello recondidit corpora sanctorum Sebastiani, Gorgonii atque Tiburtii. *Et prosequitur:* Appellatum tandem ultimis temporibus et usque ad nostram ætatem sacellum istud fuit S. Mariæ a Febribus; propterea quod devotissima quædam imago Virginis, per quam Deus febricitantibus multas impertiebatur gratias, eo fuerit transportata ex alio ejusdem nominis sacello, quo præcipue frequentabatur in ipsius templo rotundo, ubi nunc est sacrarium basilicæ *novæ. In fine porticus, inquit, versus meridiem fuit Oratorium, quod Gregorius IV. extruxit, atque in illud intulit corpora Gregorii Magni, sanctorum item Sebastiani, Gorgonii ac Tiburtii: ultimisque tandem temporibus appellatum fuisse*, S. Mariæ de Febribus. *Quæ omnia plane notant oratorium* D.

Gregorius IV non fecit sacellum suum in basilica

369 *Ex dictis patere potest Auctorum supra citatorum error, unanimiter asserentium, Gregorium IV. ædificasse sacellum* d, *quod est in meridionali navi* B *intra basilicam, eoque intulisse corpus S. Gregorii Magni. Fortasse secuti sunt, ut alii alios, sic omnes Onuphrium Panvinium, qui libro de septem Ecclesiis cap. 4. pag. 44. ante omnes illos sic scripserat:* In ecclesiæ fine, ubi sedent Pœnitentiarii, est oratorium et altare sanctorum Andreæ et Gregorii, a Gregorio IV. factum, sub quo jacet corpus ejusdem sancti Doctoris. In cyborio vero, quod est supra altare, extat caput S. Andreæ Apostoli, a Pio II, locatum. *Ciacconius eidem altari, sub quo corpus a Gregorio IV. collocatum fuisse etiam ipse asserit, solius* Andreæ Apostoli *nomen tribuit. Idem facit Ferrarius in Sanctis Italiæ, atque ejusmodi translationem ait, per traditionem haberi.*

quamvis corpus S. Gregorii eo translatum sit sed diu post,

370 *Nolim ego quidem negare, S. Gregorii Magni corpus aliquando ad prædictum S. Andreæ Apostoli seu oratorium seu altare, translatum; aut altare ipsum etiam Gregorii nomine appellatum exinde fuisse: sed nego, propter argumenta ex vetustis Auctoribus eruta et paulo ant e allata, transportatum eo corpus fuisse a Gregorio IV. aut e prima ejus sepultura. Qui autem ista affirmant, scripsere omnes centum aut ducentis post annis, quam sub altari S. Andreæ corpus Gregorii Magni depositum fuerat; quando et memoria sacelli* C *Gregoriani* D, *et translationis in illud factæ a Gregorio IV. obsoleverat, tum quia corpus inde extractum, nomen quoque suum secum attulit ad oratorium S. Andreæ; tum quia celeberrima imago S. Mariæ, a febribus dictæ, in sacellum Gregorianum* D *aliunde illata, quod ibi reliquum erat nominis Gregoriani celebritate sua ac novi nominis fama penitus extinxit. Atque ita scriptores illi, non distinguentes tempora, multa confuderunt.*

Aberrantes scriptores

371 *Fuere tamen inter illos, quibus aliquid veritatis, a nobis assertæ, veluti per rimam affulsit, dum agnoscunt sacellum* D *aliquando Gregorii fuisse: sed propter clariorem lucem, quæ monstrabat, S. Gregorii corpus suo tempore, et multis ante annis, sub altari S. Andreæ quievisse, crediderunt illud ex primo tumulo, quem aperuisse Gregorium IV, constabat, ab eodem huc translatum fuisse. Inter illos numero Onuphrium Panvinium, qui posteaquam pag. 44. scripserat, ut vidimus, altare sanctorum Andreæ et Gregorii a Gregorio IV, factum et Gregorii Magni corpus sub illo conditum esse, agnoscit pag.* 47 secretarium vetus, olim S. Gregorii *fuisse oratorium, et suo tempore* sanctæ Mariæ de Febre imperite dici: *confirmatque hoc dicto suo egregie sententiam nostram docentium, S. Gregorii sacellum eodem in loco surrexisse, ubi fuerat secretarium vetus.*

372 *Agnovit id ipsum clarius, et eamdem sententiam nostram firmius roboravit Joannes Severanus, num.* D 367. *allegatus; quamvis in tabula sua ichnographica ad sacellum* D, *nullam Gregorii mentionem faciat, sed tantum faciat ad sacellum* d, *quod ibi sanctorum Andreæ et Gregorii nominat. Innuit autem iterum in contextu libri sui satis manifeste, huic sacello sive altari nomen Gregorii, translato illuc corpore, dumtaxat adhæsisse a temporibus Pii II. anno* MCCCCLVIII. *creati Pontificis; antea vero ejusdem corpus alio in loco quievisse, dum scribit pag.* 98. quod ingredienti basilicam veterem per portam judicii, a sinistra in fine navis ultimæ visebatur sacellum S. Gregorii translatum una cum corpore ejusdem, a Pio II. ex loco, ubi pridem jacebat in porticu (*intellige oratorium porticui confine*) ad altare ab ipso Pio erectum cum ciborio, in quo reponeretur caput S. Andreæ Apostoli, e Græcia allatum. *Additque porro Severanus*, voluisse Pium, non absque mysterio; ut corpus sancti Pontificis Gregorii collocaretur in illo altari, supra quod reponeretur caput sancti Andreæ: Gregorius quippe, summus cultor Andreæ fuerat, quemadmodum ipse demonstravit, cum ei paternas ædes in monte Cœlio, dedicavit ecclesiam, ac monasterium. E

C, J. confirmant sententiam nostram,

373 *Faciunt huc etiam quæ pag.* 135. *narrat idem Auctor, fuisse denuo translatum corpus S. Gregorii anno* MDCVI. *die* VIII *Januarii (uti ipse videre potuit) a Paulo V. in sacellum, quod est e regione Gregoriani, a Gregorio XIII. in nova basilica magnifice constructi,* extractum ex altari S. Andreæ, ad quod in secunda translatione fuerat portatum a Pio II. *Habemus igitur hic translationem corporis S. Gregorii tertiam, a Paulo V. factam: habemus secundam, quam fecit Pius II. ad altare* d. *Ubi inveniemus primam, præter illam, quam testatur Anastasius factam a Gregorio IV. e prima sepultura in porticu, ad sacellum* D, *quod ipse ejusdem S. Gregorii* nomine titulavit, *nondum extante et seculis sex integris post non extituro sacello* d *sanctorum Andreæ et Gregorii, utpote a Pio II. ædificato. Recentiores omnes, qui scripsere post secundam translationem, quam instituit Pius II. de prima illa nihil pene meminerunt, præter Severanum, aut si quid ejus meminerint, confundunt translationem a Gregorio IV. factam ad sacellum* D, *cum sacello, quod tunc nondum erat.*

dum alib alia narrant

374 *Addo quod iidem, aut saltem aliqui eorum,* F *agnoscant ex Anastasio, Gregorium IV. non tantum S. Gregorii Magni, sed sanctorum quoque Sebastiani, Gorgonii ac Tiburtii corpora transtulisse ad novum sacellum suum Gregorianum, singulaque sub singulis ibi altaribus deposuisse. Nullus autem illorum, qui opinantur, corpus Gregorii Magni a Gregorio IV. translatum fuisse ad sacellum Gregorianum* d *intra basilicam, agnoscit eodem fuisse translata corpora sanctorum Sebastiani, Gorgonii aut Tiburtii; vel ibi umquam extitisset: agnoscunt vero aliqui ac scribunt, altare S. Sebastiani ultimis temporibus sub tali nomine adhuc fuisse in sacello Gregoriano* D, *et alia ibidem fuisse absque noto tunc nomine: inter quæ credibile est, olim fuisse duo, a SS. Gorgonio et Tiburtio denominata, quorum corpora, ait Anastasius, una cum corporibus SS. Sebastiani et Gregorii Magni fuisse illata in sacellum Gregorianum, ibique sub suo quodque altari deposita quievisse. Hic concludas licet, etiam secundum prædictos scriptores, omnium illorum Sanctorum corpora a Gregorio IV. fuisse deposita in sacello* D, *non in sacello* d *intra basilicam. Et quomodo hic deponi potuissent sub singulis altaribus, ubi non nisi unum altare umquam fuit. Ut non dicam, hoc altare ejusque sacellum tempore Gregorii IV, non extitisse, certe id probari non posse.*

ac fatentur altare unius adhuc nuper fuisse in pristino loco;

375 *Nam Ugonii, Sectione* A *litt.* d *citati, auctoritas*

A *ritas hic amplius non obtinet, quam citatorum scriptorum; cum deprehendatur in eodem errore cum illis fuisse, putans altare e, quod sub tempore audiebat* S. Gregorii, *a Gregorio IV excitatum fuisse, atque etiam in illud ab eodem translata fuisse corpora tam Sebastiani, Chromatii atque Tiburtii, quam Gregorii Magni. Putavit, sacellum* d, *quod ipse appellat* S. Andreæ, *a capite ejus, quod illic a Pio II. magna cum celebritate depositum fuit; atque etiam appellari audiebat* S. Gregorii; *a Gregorio IV. fuisse consecratum: quia sacellum* S. Gregorii *litt.* D, *tunc nomen suum perdiderat mutaveratque in* S. Mariæ a Febribus. *Errorem Ugonii deprehendes ex ipsiusmet verbis, quæ sequuntur,* Pius Papa II. altare, *quod a Gregorio IV. consecratum fuisse dixerat,* restauravit, imposito tabernaculo marmoreo, in quo collocavit caput S. Andreæ Apostoli allatum ex Peloponneso. Hæc erat antiquum Secretarium ecclesiæ S. Petri, in quo Papa sacro indui ornatu solebat ad peragendum officia Divina, atque inde cum solenni pompa procedere ad altare sanctorum Apostolorum. Hic, *inquit, ubi positum a Pio II. fuit caput Sancti Andreæ,* erat antiquum secretarium. *Certissimum vero est, ibi* B *numquam fuisse secretarium illud, sed fuisse ad cornu porticus in litt.* D, *in eoque ædificatum fuisse a Gregorio IV. oratorium sive sacellum Gregorianum, et in illud translata quatuor Sanctorum sæpe dictorum corpora; non vero in sacellum* d. *Ecce error Ugonii et aliorum, sufficienter detectus.*

C. J. Ostenditur error Ugonii

nec fuit corpus S. Gregorii in sacello de Palatio.

376 *De tertio sacello Gregoriano, quod ad cornu septemtrionale porticus notatur Sectione quinta litt.* E, *mox dicemus. Sunt, qui illuc translatum fuisse a Gregorio IV. corpus S. Gregorii Magni dicunt. Sed non sunt convenientia testimonia eorum inter se, nec consona veritati. Bonannius, qui cum aliis sacellum illud E, vocat* S. Gregorii de Palatio, *ait,* illuc translatum fuisse corpus S. Gregorii. *Idem ante ipsum scripserat Ciampinus, addiderat tamen, illud translatum fuisse* a Gregorio IV. *quod recte prætermisit Bonannius, memor se æque ac Ciampinum alibi scribere, prædicti Gregorii Magni oratorium a Gregorio IV. intra ecclesiam, in navi ejus meridionali prope frontispicium, nobis litt.* d, *fuisse constructum, ipsiusque corpus ab eodem Pontifice illic fuisse conditum; quamquam et in hoc uterque erraverit.*

SECTIO V SIVE E

C

Inspicit ædificia, quæ muro basilicæ septemtrionali proxima sunt.

Sacella, muro septemtrionali proxima.

P*auca in hac Sectione reperio, quæ certa fide propagare possim. Ædificia omnia non fuerunt, uti in parte meridionali Sectione D, contigua basilicæ; sed ambulatione intermedia dis jungebantur a muro septemtrionali; sic tamen ut observentur fuisse singulæ portæ in dicto muro, quæ transmittebant ad portas dictorum ædificiorum. De his vix quidquam notat Paulus de Angelis. Severanus, et reliqui ichnographi habent non multa. Videntur vetustiora fuisse ædificia illa, et memoriam sui propemodum perdidisse, quando Alpharanus in destructione basilicæConstantinianæ ichnographiam suam descripsit, et aliquatenus explicuit. Illum fere secuti sunt posteriores ichnographi omnes, et pauci supra doctorem videntur sapere voluisse aut potuisse.*

S. Gregorii de Palatio,

378 *Littera nostra* E *Ciampinus ponit* oratorium S. Gregorii de Palatio appellatum: *additque in illud corpus ejusdem* S. Gregorii (*intelligo,* Magni,) a Gregorio IV. translatum fuisse. *Quod ultimum jam diximus a vero abesse. Consentit illi in prima parte Bonannius, sed abstinet dicere,* a Gregorio IV *illuc* D *translatum fuisse. Severanus in ichnographia vocat locum,* ecclesiam sive sacellum antiquum S. Gregorii. *Paulus de Angelis nullum ei nomen adscribit. Nec ullus illorum quidquam de origine aut fundatore aut rebus eo spectantibus prodit. Atque ita omnia relinquuntur in obscuro.*

S. Vincentii.

379 f. *Nihilo amplius hic notat Paulus de Angelis quam supra; quod mirum est, si sacellum istud aut potius ecclesia, tam celebris fuit, atque alii scribunt, ac nominatim nota. Severanus vocat* ecclesiam S. Vincentii; *et libro de septem Ecclesiis pag.* 67. *citans Alpharanum, ita scribit:* Supra capellam S. Gregorii, *de qua diximus modo,* erat ecclesia et monasterium S. Vincentii, dictum Hierusalem; et in illa ecclesia fuerunt canonici cum archipresbytero (non tamen cardinali) usque ad tempus Nicolai V. qui cum extinxisset collegiatam hanc, applicuit redditus ejus basilicæ S. Petri. Habuit ecclesia ista tres naves cum octodecim columnis pretiosis, longis palmos viginti. *Grimaldus, a Floravante pag.* 353. *ubi de oratorio sanctæ Crucis* ad Fontem S. Petri *agitur, citatus, sic loquitur*: Erat ad septemtrionem *basilicæ Ecclesia,* quæ sub Alexandro III. dicebatur S. Vincentius. Ista ecclesia anno 1611. *(error hic* E *est in cyfris, forte* 1651. *uti habet Ciampinus)* excisa novi gratia templi, ad cellæ vinariæ usum jam dudum traducta, cæcatis vetustate picturis, ornatas tres naves fornicatas, licet angustas, habebat; ostium ad ortum solis, ex quibus decem et octo columnæ integræ marmoris glareati, viginti fere palmorum, receptæ fuerunt.

Ait ibi prope fuerit monasterium Hierusalem.

380 *Ex dictis satis credibile mihi est, ecclesiam istam,* S. Vincentii *appellatam fuisse; non item, ibi fuisse monasterium,* Hierusalem *dictum. Invenio quidem apud Anastasium in Leone III. et Leone IV.* monasterium, et venerabile monasterium Hierusalem, quod juxta ecclesiam B. Pauli Apostoli ponitur. *Verum ubi locorum juxta ecclesiam B. Petri illud extiterit, nullus indicat; et mihi causa suspicandi relinquitur, non extitisse ad ecclesiam S. Vincentii prædictam. Nam Floravantes, citato jam libro, agens de oratorio sanctæ Crucis* ad Fontem S. Petri, *ait, illud, altare seu capellam fuisse, citotque Bibliothecarium in Symmacho, ubi sic lego: Fecit ad Fontem in Basilica* S. Petri Apostoli oratorium sanctæ Crucis. *Hactenus recte.* At (*prosequitur Floravantes*) *Bibliothecarius* in Leone III et IV vocat oratorium et monasterium Hierusalem, juxta ecclesiam S. Petri. *Nescio qui* F *hinc inferam, monasterium* Hierusalem *situm fuisse ad ecclesiam* S. Vincentii. *Scribit Bibliothecarius in Symmacho, ædificasse illum oratorium sanctæ Crucis ad Fontem in basilica, quod et nos supra ostendimus, ita esse, pag.* 94 *n.* 190. *At idem Bibliothecarius in Leone III et IV vocat oratorium et monasterium* Hierusalem. *Quid? Non utique oratorium sanctæ Crucis, quod fuit intra ecclesiam: monasterium vero* Hierusalem *erat extra,* juxta ecclesiam S. Petri. *Nequit igitur ex Floravante aut citatis Anastasii textibus determinari locus, ubi monasterium Hierusalem juxta ecclesiam S. Petri extiterit, an ad S. Vincentii; an alibi. Quod aliis ulterius discutiendum relinquo, properans ad alia.*

Sacella anonyma.

381 g. h. *Etiam hic, et ceteris hujusce Sectionis quintæ sacellis nulla antiquorum Patronorum nomina apponit in tabula sua Paulus de Angelis. Severanus locum* g *vocat* ecclesiam antiquam, cujus nomen ignoratur: *et locum* h, ecclesiam S. Ambrosii. *De hac observat Ciampinus, in demolitione ejus multa Christianorum corpora fuisse reperta, quæ ante pectus habebant capsulas, ex una parte monogrammate nominis Christi, ex altera columbarum effigiebus insignitas.*

382 i. k. *Severanus loco* i, *fuisse ait* ecclesiam antiquam, ubi nunc est sacellum Gregorianum. *Nempe, quod*

A *quod a Gregorio XIII in nova basilica illo loco ædificatum fuit splendideque ornatum, ac translato illuc S. Gregorii Nazianzeni corpore, venerabilius redditum. De sacello* k, *et aliis minoribus ejusdem Sectionis, in tabula nostra signatis, apud ichnographos ne verbum quidem invenire est.*

SECTIO VI SIVE F.

Perlustrat duo ædificia rotunda, ad latus meridionale basilicæ veteris depicta.

Duo ædificio rotunda,

Perlustratis, *quæ proxima basilicæ ad utrumque latus sunt, oratoriis et sacellis, in Sectione* D *et* E; *aggredior alia ex parte meridionali, paulo remotiora prædictis a basilica, quacum tamen communicant per ambulationem et portam, quæ est in extrema navi basilicæ transversa, ad meridiem. Ingrediamur per illam : offerent se continuo ædificia duo, antiqua, magnifica, orbiculata; quorum unum in ædificatione novæ basilicæ, quia justam extensionem navis transversæ impediebat, demolitum fuit, alterum hodiedum persistit ad ipsum murum lateralem basilicæ, estque pro sacrario, ubi* B *supellex ecclesiastica servatur, et sacri ministri ad celebrandum missæ sacrificium induuntur. Inveterata opinio est scriptorum, duo isthæc ædificia gentilium Romanorum opus fuisse, et alterum quidem Apollinis, alterum vero Martis fuisse delubra.*

an fuerint deorum fana.

384 *Mirabar olim opinionem talem; considerans, istic loci fuisse Circum Neronis, qui si in plano intra muros suos, ubi erant spectatorum sedilia, tam grandia admisisset ædificia, utique usum sui perdidisset, impeditis per illa, equorum et quadrigarum cursibus aliisque spectaculis, ad delectationem circum sedentis populi solitis exhiberi. Nunc autem, visa Equitis Fontanæ nupera delineatione accuratissima, quæ tum circi ipsius, tum basilicæ veteris, tum etiam novæ, ichnographias, una in tabula suis terminis inter se distinctas, exhibet; lectis quoque argumentis ejus, quibus probat delubra Apollinis et Martii illic non stetisse, sed alibi; plane desino mirari opinionem antiquiorum scriptorum, sed reprobo, et in sententiam Fontanæ concedo. Hinc jam constabit etiam, duo ædificia, de quibus sermo est, cum a gentibus fundata non fuerint, a Christianis, et verosimiliter Pontificibus, basilicæ Constantinianæ, adjuncta fuisse.*

Sacellum S. Andreæ Ap.

385 *Ingrediamur modo e navi transversa per portam,* C *in medio ejus muro meridionali apertam; et intrabimus in locum oblongum* F, *quod proximi capacioris ædificii vestibulum videri possit. Fuit autem sacellum (imo basilicam passim vocat Anastasius; ut debuerit amplior fuisse locus, quam in ichnographia repræsentatur) S. Andreæ Apostoli. De quo in Symmacho Bibliothecarius :* Hic fecit basilicam S. Andreæ apostoli apud B. Petrum apostolum. *Symmachus igitur fundator. Alii deinde Pontifices multi leguntur apud eumdem Anastasium, illam divitibus donis ornasse, nempe Honorius pag.* 46. *Joannes VI. p.* 63. *Gregorius III. p.* 73. *Adrianus p.* 109. *Leo III. p.* 122. 128. 132. 141 *et* 143. *Omitto alios. Certe intelligendi sunt omnes de hoc eodem, sive sacello sive basilica, locuti esse, uti colligitur ex locis citatis, dum situs indicatur;* apud B. Petrum : infra ecclesiam B. Petri : ad S. Petrum : ecclesia B. Andreæ, sita juxta B. Petri ecclesiam. *Leo III. p.* 141 gradus, per quos ingressus est in ecclesiam B. Petri apostoli a S. Andrea apostolo, qui vetustate consumpti erant, a novo refecit. *Facti primum fuerant in ædificatione loci a Symmacho pro* ascendentibus ad B. Andream.

eique oblata dona

386 *Dona quoque, ibi oblata, et opera a variis Pontificibus facta, manifeste declarant et venerationem loci et amplitudinem : inter illa leguntur apud Anastasium,* cyborium ex argento et confessio, *librarum* CXX *a* D *Symmacho.* Tabulæ ex argento ante confessionem, *libr.* LXXIII *ab Honorio.* Ambo, *a Joanne VI.* Tectum et camera depicta *a Gregorio III.* qui et fecit in eadem basilica imaginem auream in gemmis B. Andreæ apostoli, librarum VIII et intra confessionem vestivit argento, quod deauravit auro purissimo. *Item* cyborium ex argento mundissimo *librarum* CXXXV *ab Adriano.* Rugæ argenteæ, *libr.* LXXX *a Leone III.* Vestis chrysoclava cum margaritis, sed et presbyterium ex marmoribus sculptis, *ab eodem.* Regnum ex auro purissimo cum gemmis pretiosis ornatum, *libr. duarum et unciarum quinque. Item* vestis alba holoserica rosata cum tabula de chrysoclavo, habens historiam dominicæ resurrectionis et in circuitu listam de chrysoclavo, *ab eodem Leone.* Vela majora de fundato duo, et alia minora quinque, ornata in circuitu de blattin, *a Leone IV. Addo locum unum ex pag.* 194 *qui et confirmabit situm ecclesiæ.* Fecit *idem Leo IV* in oratorio B. Andreæ apostoli, quod S. Petri cohæret ecclesiæ, vestem sericam unam, habentem historiam aquilarum, et in medio tabulam cum chrysoclavo, in qua depictæ Christi et discipulorum ejus dextra lævaque imagines fulgent, et ipsius almifici Præsulis. E

C. J.

387 *In medio loci inter duas portas, ubi* F *signatur, surgebat altare S. Andreæ sub cyborio argenteo, a quatuor columnis sustentato, et habebat confessionem suam. Et Manlius noster pag.* 38 *litt.* a, *sic scribit ;* In illo altari S. Andreæ beatus Gregorius Papa (ut a majoribus nostris accepimus) recondidit brachium S. Andreæ apostoli et Lucæ evangelistæ; quæ cum magna devotione detulit Constantinopoli. *Utrimque in ultimo recessu apsis erat cum singulis altaribus, quorum* g *titulum habebat, teste Severano,* S. Michaelis archangeli, *dicebaturque vulgo* sancti Angeli in Vaticano. *Cur* in Vaticano *dictum sit, colligi potest ex Manlio, quem vide pag. jam indicata.* Fuit *autem, ut idem Severanus ait,* ornatum musivo opere, fornice deaurato et multæ venerationis. *Oppositum altare* h *ultimis temporibus anonymum plerisque est; Ciampinus scribit,* S. Ursulæ et sociabus dedicatum *fuisse, additque cum Severano, ecclesiam istam* in longitudine habuisse palmos LXXVIII juxta transversæ navis basilicæ latitudinem. *Fuit quoque celebratum Romæ concilium a Bonifacio PP. II* in consistorio B. Andreæ Apostoli. *Erat autem, uti Holstenius notat,* Consistorium S. Andreæ ad S. Petrum in Vaticano, *atque adeo hæc nostra S. Andreæ ecclesia. Unde etiam magis* F *capacitas ejus dignosci potest.*

cum altari in medio.

Ecclesia S. Petronillæ

388 *Transeo hinc per aliam portam meridionalem in ecclesiam, a* S. Petronilla *denominatam. Forma ejus rotunda, adinstar antiqui Panthei Romani. Qua de causa fortassis etiam putatum fuit, ædificium illud a Roma gentili constructum fuisse. Quod a vero abesse, supra diximus. Faciunt Severanus et Ciampinus ex Alpharano et Baronio, ecclesiæ fundatorem S. Paulum PP. I. et appellant testem Anastasium Bibliothecarium, in quo sic lego :* Paulus infra ecclesiam B. Petri apostoli foris muros hujus civitatis Romanæ, noviter oraculum in honorem sanctæ Dei Genitricis construxit juxta oratorium S. Leonis Papæ, secus fores introitus S. Petronillæ atque B. Andreæ Apostoli; musivo et diversis metallis illud adornans: ubi et effigiem sanctæ Dei Genitricis in statua ex argento deaurato, quæ pensat libras centum, constituit. In quo oraculo et sepulturam sibi construxit. *Ex his ego quidem manifeste cognosco, Paulum noviter construxisse* oraculum *seu oratorium,* infra *sive intra ecclesiam B. Petri apostoli Vaticanam, quæ tunc erat extra muros civitatis Romanæ, in honorem sanctæ Dei Genitricis Mariæ : idque etiam asseruimus Sect. C. litt.* I. *At cognoscere non valeo, qui indidem probetur, Paulus*

A *lus* construxisse ecclesiam S. Petronillæ. *Mihi plane apparet ex ipsis Anastasii terminis, illam prius extitisse, quam Paulus suam sanctæ Dei Genitricis construxit. Ait enim constructam esse* juxta oratorium S. Leonis Papæ *ex una parte*; *et secus, seu juxta,* fores introitus S. Petronillæ atque B. Andreæ apostoli *ex alia parte : sicque manifeste docet, tria isthæc oratoria prius extitisse. Quod uti de Leoniano atque Andreano aliunde constat, ita de Petronilliano, vel ex citato textu, tenendum est. Quis porro hoc construxerit, ignorare malo, quam operose in tenebris indagare. Visitemus ejus altaria.*

C. J.

ejusque sacella.

389 *Jam diximus, formam esse rotundam. Intus octo habet interiores recessus in ipsis muris, quorum duo transitum pandunt, alter ad ecclesiam S. Andreæ, de qua egimus ; alter ad ecclesiam S. Mariæ de Febribus. Sex reliqui fuere sacella, suis altaribus instructa. Qualia autem hæc fuerint, et quibus sacra, indagandum est. Severanus quidem in sua ichnographia nullum hic sacellum aut altare nominatim exprimit. Exprimit Paulus de Angelis, et sacellum* i, *vocat* Salvatoris, dictum de Abundantia ; *ac esse* Thomæ de Ursinis Cardinalis et Neapolionis comitis Manopelli. *Sacellum* k, B. Mariæ Annuntiatæ, quod B Mariæ de Comitibus sit l. *absque nomine, ubi* multorum nobilium sepultura. m. Olim sacellum S. Petronillæ virginis, filiæ S. Petri ; a Ludovico rege Francorum dotatum ; ubi erant sepultæ Agnes Henrici secundi ; et Maria Thermantia Honorii, imperatorum uxores. n. Sacellum anonymum, ubi ossa, e diversis sepulcris eruta, congesta sunt. o. item anonymum, ubi item congesta sunt ossa veterum sepulcrorum. *Ita Paulus de Angelis.*

Altare et corpus S. Chrysostomi.

390 *Transeunti e templo S. Petronillæ ad S. Mariæ de Febribus, occurrit in media ista ambulatione altare* p, *quod S. Joanni Chrysostomo sacrum fuit. Habuit columnas porphyreticas, et supra illas extensum cyborium marmoreum : subter altare vero corpus ipsius sancti Doctoris ; quod deinde translatum fuit ad vicinam ecclesiam S. Mariæ de Febribus, et repositum sub altari SS. Lamberti atque Servatii : iterumque jussu Urbani VIII, ad chorum novum canonicorum, ac sub altari Pietatis reconditum ; uti narrat sæpe citatus Severanus. Ex utraque parte ambulationis prædictæ et altaris S. Chrysostomi habitacula sua habebant saltem postremis temporibus moniales, quæ vulgo dicebantur* le Murate di S. Pietro ; *inde demum translatæ ac dispersæ per alia Urbis monasteria.*

Ecclesia S. Mariæ de Febribus,

C 391 *Ingredimur tandem templum S. Mariæ de Febribus, similis formæ atque est S. Petronillæ, statque hodiedum ad novam basilicam et sacrarii usum habet. Fuit ibi imago ejusdem Virginis, miraculorum gloria et fama celebris, vota supplicum febricitantium singulariter exaudientis ; unde et imagini et oratorio apud vulgus nomen adhæsit* S. Maria de Febribus. *Fuit imago illa sub tempus, quo demolienda erat pars basilicæ posterior, inde translata ad oratorium S. Gregorii Magni, de quo in Dissertatione nupera egimus ; eique nomen suum contulit apud vulgus, atque inde etiam apud scriptores recentiores ; adeo ut vetus nomen* S. Gregorii *paulatim abierit in oblivionem.*

cum suis altaribus.

392 *Sacella, quæ in circuitu loci fuerunt, etiam hic non indicat nominatim Severanus : recenset vero Paulus de Angelis, hisce verbis.* q. Sacellum anonymum, ubi est sepultus Oddo Januensis episcopus Interamnensis. r. Sacellum Sanctorum Lamberti et Servatii, a Gregorio de Cæsarinis canonico ; ad quod fuit translatum corpus S. Joannis Chrysostomi : et est sepulcrum omnium canonicorum Basilicæ. f. Sacellum anonymum, ubi conservantur, sedes sive cathedra S. Petri et culcitra sive stragulum sanctorum martyrum. t. Sacellum et sepulcrum Callisti III. et Alexandri VI et quorumdam Cardinalium multorumque nobilium. u. Sacellum D B. Mariæ de Febribus ; ante quod sunt sepulti Bartholomæus Morascus episcopus Castellanus, et Jacobus Breuccietti episcopus Nucerinus. x. Sacellum anonymum, ubi erat sepulcrum Hugonis Lingles Nicosiensis, regni Cypri camerarii. y. Sacellum sanctissimæ Trinitatis et sanctorum Cosmæ et Damiani, ubi est sepulcrum beneficiatorum et clericorum Basilicæ.

SECTIO VII. SIVE G.

Circumit quidquid ædificiorum fuit ante et circum basilicam veterem.

Paradisus ante ecclesiam,

P*ercursis per Sectiones sex basilica interiore, connexisque cum illa extra muros ædificiis aliis ; supersunt alia, quæ non connexa, et veluti insularia, circum conspiciuntur in ichnographia nostra, quæ paucis omnia indicabimus, postquam ædificia, ante faciem basilicæ posita, lustraverimus. Famosa in his sunt nomina,* Paradisus, Quadriporticus, Porticus, Scalæ, S. Maria in Turribus. *Paradisus, uti hic, communiter sumitur pro area aut atrio, ante frontispicium ecclesiarum* E *quadrato, porticibus circumdato. Anastasius de nostro hoc Vaticano, ita scribit in Dono Papa ;* Hic atrium B. Petri superius, quod Paradisus dicitur, estque ante ecclesiam, magnis marmoribus stravit. *Scripserat vero antea in Symmacho, quod is* cantharum B. Petri cum quadriporticu marmoribus ornavit. *Ut videri possint ab initio ædificatæ a Constantino basilicæ, hæc quoque loca fuisse facta. Quemadmodum supra diximus pag. 78. n. 14. quod Paulinus Tyrius ecclesiam suam ita struxerit, ut* inter templum, ac vestibulum maximo intervallo relicto, hoc spatium, in quadrati speciem circumseptum, quatuor obliquis porticibus, circumquaque exornavit, quæ columnis undique attolluntur. Hic sacrarum expiationum signa posuit, fontes scilicet, ex adverso ecclesiæ structos, qui interius sacrarium ingressuris copiosos latices ad abluendum ministrarent. *Hæc paradiso etiam Vaticano ad amussim conveniunt, ubi et fontes fuerunt ; erantque* signa sacrarum expiationum, *in ecclesia per ablutionem baptismalem accipiendarum : quorum fontium loco postea in ingressu ecclesiarum posita fuisse vasa cum aqua benedicta, qua lustrarentur orationis causa intrantes, mihi quidem veri-* F *simile videtur.*

cum pinea ænea et cantharo

394 *Amplitudinem Paradisi intra quadriporticum extendit Severanus ad palmos* CCLV. *longitudine, ac* CC *latitudine. In meditullio litt.* G *eminebat pinea vetus ænea deaurata pulcherrimi operis, quam Symmachus dicitur ex mole Adriani in hunc locum detulisse. Alii aliter putant. Nunc videre est ipsam in viridario pontificio ante palatium, vulgo* Belveder *appellatum, eo translatum a Paulo V. De illa pluribus scribit Ciampinus pag. 76. hunc in modum ; quod fuit alta* palmos XV. *lata* VII. cum dimidio ; *quod* hinc et inde adjuncti erant duo pavones deaurati, *atque* delphini quatuor pariter deaurati, aquam fundentes ; octo porphyreticis columnis circum locatis, quæ tectum æneum sustinebant, quo pinea cooperiebatur. *In ejus extremitate insculptum fuisse dicit ;* P Cincius P. L. Salvius fecit, *atque explicat,* Publius Cincius Publii libertus Salvius fecit. *Prope hinc abest versus occasum fons, sub* h, *signo orbiculari notatus ; quem Anastasius in Symmacho citato* cantharum *vocat. An hic cantharus, fons alius olim fuerit quam pinea, quæ etiam aquas fudisse legitur, non facile definitu est. Ante Symmachum illic extitisse cantharum, et quidem superne tectum, docet Paulinus Nolanus, annos centum illo senior, citatus nobis pag. 82. num. 30. ubi ait :* In

A In atrio *basilicæ Vaticanæ* cantharum, ministra manibus et oribus nostris fluenta ructantem, fastigiatus solido ære tholus ornat et inumbrat, non sine mystica specie, quatuor columnis salientes aquas ambiens.

395 *Manlius noster supra pag. 46. num. 127 de eodem canthаro (errat tamen dum Symmacho opus attribuit) sic habet.* In Paradiso S. Petri est cantharum; quod fecit fieri Symmachus Papa columnis porphyreticis ornatum. Quæ nimirum columnæ, tabulis marmoreis cum grifonibus connexæ, pretioso cœlo æneo coopertæ, cum foribus *(Romanus Canonicus*, cum floribus) et delphinis deauratis, aquas fundentibus. *Ac porro prosequitur*; in medio vero hujus canthari est pinea ænea, quæ fuit coopertorium cum sinino æneo et deaurato; super statuam Cybeles matris deorum, in foramine Pantheon. In qua videlicet pinea subterranea fistula plumbea subministrabat aquam ex forma Sabbatina. *Facit hic Manlius, testis oculatus seculi* XII. *cantharum et pineam fontem unum, dum ait, in medio canthari pineam fuisse positam; ut non duos fontes seorsim, sed unum simul fecisse debeant.*

B

quo statu fons fuerit seculo 16.

396 *Quo statu fuerit idem fons seculo* XVI. *docebit nos Pompeius Ugonius libro suo de Stationibus, anno* MDLXXXVIII. *quando aliqua hujus fontis adhuc supererant, Romæ impresso, ubi pag.* 95 *citato prius S. Paulini loco, paulo ante a nobis descripto, inquit.* Videmus itaque, hunc fontem in loco pineæ, quæ ibi hodiedum est, habuisse labrum ad colligendam aquam, ac fortasse fuit unum ex illis, quæ in hoc atrio extiterunt usque ad proximum annum Jubilæi (1575.) quorum unum, si recte memini, erat ex metallo, alterum ex porphyrete. Scribit Anastasius, quod Symmachus Papa ornavit fontem hunc: quia loco quatuor columnarum, quæ illic erant (*tempore Paulini,*) posuit octo porphyreticas, quemadmodum hodie videmus. *Viderit ibi suo tempore Ugonius adhuc columnas octo porphyreticas; non tamen probat, a Symmacho positas fuisse. Anastasius scribit quidem, Symmachum* ornasse cantharum, *seu fontem hunc*, cum quadriporticu, marmoribus, et ex musivo agnos et cruces et palmas ornasse: *nusquam vero dicit ornasse fontem columnis: Quis igitur quatuor columnas a S. Paulino ad fontem visas, pari numero auxerit; hactenus mihi in obscuro manet.*

De fonte altero.

397 h *Notat fontem alterum in paradiso, diversum a cantharo cum pinea. Illum eques Fontana post Paulum de Angelis, nominat* fontem magnum ex ære

C factum a Symmacho Papa ad usum peregrinorum. *Vereor, ut tam antiquus sit. Ornavit Symmachus in paradiso* cantharum cum quadriporticu marmoribus, *nec alium fontem ibi fecisse scitur.* Fecit *quidem* sub gradus in atrio alium cantharum foris... ad usum necessitatis humanæ, *atque adeo et peregrinorum: sed situs ejus longe aberat ab atrio templi, seu paradiso. Notatur enim fuisse in atrio, quod erat* sub gradus, *in platea nempe ampla, quæ ducebat ab urbe ad gradus, per quos ascendebatur ad anteriora basilicæ ædificia, indeque per tres portas intrabatur tandem in paradisum; uti ipsis oculis patet in ichnographia. Gradus porro, de quibus hic, esse illos ipsos quos dixi, clarissime docebit textus Anastasii in eodem Symmacho. Sic habet:* Gradus ante fores basilicæ B. Petri (*sumitur hic, ut sæpe alias, basilica pro omnibus ædificiis ei adjunctis supra hosce gradus*) ampliavit, et alios gradus construxit sub tigno dextra lævaque. Item in eodem loco episcopia dextra lævaque fecit. Item sub gradus in atrio alium cantharum foris etc. *ut supra. Hæc omnia conjuncta erant loca prope gradus, videlicet antrorsum, dextrorsum ac sinistrorsum.*

398 *Dum hoc loco versamur, commode inspiciemus ædificia, quæ hic olim steterunt, pridemvero aut lapsa* D *per se aut eversa fuerunt: et in ichnographiæ nostræ tabula exprimi saltem omnia non possunt. Describit luculenter multa paucis Ciampinus in Sacris Ædificiis suis pag.* 40. *ut sequitur:* Gradibus basilicæ superius relatis, *iis nempe ipsis de quibus agimus*, subjecta jacebat amplissimæ laxitatis platea, quam Porticum S. Petri *(illam prius arctam et angustam, usque ad gradum B. Petri restauraverat Adrianus I. teste Anastasio pag.* 115) sive Cortinam appellavere. Surgebat inibi non exiguus fons porphyreticus, quem Symmachus Papa ad Chrismatis unctionem, feria secunda post Pascha faciendam, excitavit. Pulcherrimam etiam plateæ coronam efficiebant non humiles domus, quas inter Xenodochium, vetustate sua et auctore B. Gregorio I. clarissimum, quod pro schola canentium quotidie in Vaticana basilica deserviebat. Hoc vero, jam diu exoletum et in domos conversum, Pius IV ampliandæ plateæ gratia disjecit soloque æquavit. Eadem infortunia passæ fuere geminæ ecclesiæ, S. Gregorii de Cortina, et altera pene contigua, S. Mariæ Virgariorum denominata; quæ tamen, ruina casuque frequenti, excidium ultimum invitaverant et quasi prævenerant. E

C. J.

Ædificia circa gradus,

item supra gradus,

399 *At ne his diutius immorer, quamvis nonnulla illic utiliter observari possent, redeo ad ichnographiam nostram et scalas, quæ primum ascensum præbent ad paradisum et basilicam, Scalæ gradus habebant marmoreos* XXXV. *ita dispositos per quinque ordines, ut inter septenos et septenos spatium aliquod planum relinqueretur, quo respirare ascendentes possent. A supremo gradu patebat amplior plana area usque ad frontispicium primorum ædificiorum, inter hanc aream et quadriporticum interjectorum. Et ad latus quidem meridionale litt.* I. *ponitur a Severano ecclesia S. Apollinaris cum tribus sacellis; quæ, uti addit Fontana, ab Honorio Papa I. Circi parietibus superstructa fuit. De illa Anastasius in Honorio sic habet:* Fecit basilicam B. Apollinaris Mart. in urbe Roma, in porticu B. Petri Apostoli, quæ vocatur Palmata (*alias* Palmaria), a solo; ubi dona multa largitus est; et decrevit, ut per omnem hebdomadam Sabbato die exeat litania ad B. Apollinarem, et ad B. Petrum apostolum cum hymnis et canticis populus omnis occurrere debeat. *Situs hujusce ecclesiæ S. Apollinaris, non eodem loco determinatur ab omnibus. Sunt qui illam ponant ad latus septemtrionale basilicæ extra murum illius, prope templum S. Ambrosii, quod nobis sectione E litt.* h. *Manlius noster pag.* 41. *Anastasium secutus, ait, fundatam fuisse in porticu B. Petri, quæ appellatur* Palmata; *Anastasius habet etiam*, Ad Palmatam, *Synodus Romana quarta sub Symmacho PP. appellatur* Palmaris *a loco, ubi celebrata fuit anno* DII. *ab episcopis* LXV. *subscripta. Sed quæ illa Porticus?* F

ubi et ecclesia S. Apollinaris

Situs ecclesiæ S. Apollinaris in Porticu.

Plures ibi fuere porticus.

Quinque apud scriptores invenio porticus prope basilicam Vaticanam, prima obtendebatur frontispicio ejus, et passim intelligi solet, quando aliud non adjungitur. Altera, quæ huic duabus aliis committitur; est Quadriporticus. *Tertia, quæ intra basilicam ducit per navim ejus maxime miridionalem, aliquibus dicitur* Porticus Pontificum, *quod plures ibi Pontifices tumulati fuerint. Quarta initium sumebat a mole Adriani Imp. aut ab ecclesia S. Mariæ Transpontinæ, atque ducens secus Tiberim, terminabatur ad primas scalas, quibus ascendebatur ad priora ædificia et sequentem Quadriporticum S. Petri. Expressus de his locus est apud Anastasium in Adriano Papa, qui (pag.* 115.) considerans... super ripam fluminis porticum, quæ ducit ad B. Petrum Apostolum, arctam et angustam existentem, per quam viam transeuntes, ad eumdem beatum Apostolorum Principem Petrum perveniebant; plusquam duodecim millia tufos in littore

A littore alvei fluminis in fundamentis ponens, a solo usque ad summum tectum miræ magnitudinis porticum reparavit, et usque ad gradus B. Petri restauravit. *Quinta denique porticus fuit supra gradus istos, in planitie ante priora ædificia, in quibus stabat turris et ædes Archidiaconi, et ad latus meridionale erat ecclesia S. Apollinaris in capite porticus; quod me docet citatus Anastasius in eodem Adriano pag.* III. *verbis suis, quæ num.* 400. *citabimus paulo post. Ibi ait, ædificasse Adrianum turrem miræ pulchritudinis, quæ decorabatur* cohærente porticu; *et* porticum ipsam, *quæ vetustate diruta erat, renovavit. Et hæc porticus fuit ad partem orientalem dicti ædificii ac turris; Quadriporticus vero ad occidentalem.*

C. J.

determinatur, quæ fuerit Palmaria.

Hinc jam inquirendum, quænam ex dictis porticibus fuerit antiquitus appellata Palmaris, Palmata, Ad palmatam *aut* Palmaria. *Plerique scriptores de hac postrema porticu non satis distincte meminerunt; ac referunt cognomen ad alias. Grimaldus videtur illud referre ad porticum quartam supra dictam, quæ secus Tiberim tendebat ad gradus. Ciampinus vero refert ad Quadriporticum, quæ etiam prope erat. Ego opinor, aliam non fuisse porticum* palmatam, *quam quæ quinto loco designata est; tum quod ecclesia S. Apollinaris in* B *capite meridionali dictæ porticus et super muros circi Neroniani, ædificata fuit, in loco, ubi ex opinione Grimaldi victores in ludis circensibus* palmati, *ut ait, suis donis ac braviis honestabantur; unde et antiquum nomen* Palmata *ei adhæserit: tam quod synodus Palmaris Symmachi in illa porticu aut contiguis ei ædibus celebrari commodius potuit, quam alibi ulla in porticu. Ex hac multiplicata porticuum circa basilicam Vaticanam (forte fuerunt et aliæ) atque ex ignorantia distincti situs singularum, acciderit, ut varii scriptores in variis locis designandis hallucinati fuerint: et ego fortassis, antequam tam distinctam singularum notitiam mihi comparaveram, alicubi hallucinatus sum. Quod sicubi observaverit lector, rogatum velim, ut secundum hic dicta benignus emendet.*

Grimalde sententia, de illius

Varia notavit Grimaldus spectantia ad hanc S. Apollinaris ecclesiam eique vicina loca, quæ ipse suo tempore vidit, quæque tum hic, tum alibi a nobis dicta illustrare possint. Quamobrem juverit ejus textum, prout a Floravante in Roma sacra pag. 343 *descriptus legitur, huc afferre.* Ecclesia S. Apollinaris; *inquit*, ab Honorio I. ædificata, erat in loco, ubi nunc est stabulum cum pluribus domibus pertinentibus ad Archipresbyteratum S. Petri, juxta scalas basilicæ, C quæ domus insulam faciunt ante forum; ab uno latere vicus, tendens ad S. Officium; ab alio, via tendens ad portam Turrionis, retro, via publica sancti Spiritus. Ab ista ecclesia, inquit Anastasius, Honorii decreto singulis Sabbatis Litania ad basilicam sancti Petri exibat, et dicebatur ad Palmata retinens antiquum nomen circi ob victores palmatos in circi ludis, donis ibi honestatos. Nam circi finis vel caput ibi erat ex quodam muro, quadratis lapidibus fabrefacto, qui in semicirculum vergebatur. Anno MDCXVI. dum scalæ sancti Petri amoverentur, apparuerunt muri antiqui reticulati crassi, qui videbantur fuisse e ruinis turrium circi: ibi repertus fuit æreus nummus Agrippinæ Aug. Dum fundaretur hæc altera Vaticani templi pars sub Paulo Quinto inspectum est, circi longitudinem fuisse palm. 720. Romanorum; latitudinem 400. Area, ubi ludi edebantur, lata p. 230. Incipiebat ab infimis gradibus basilicæ, desinebat ubi nunc est ecclesia S. Marthæ retro absidam ad occasum. Obeliscus erat in medio, qui locus nunc est retro sacellum chori. Extremus basilicæ paries et duplex columnatum sanctissimi Crucifixi, et sancti Andreæ, fundatum erat supra tres magnos parietes circi Caii et Neronis supradicti: similis erat circo Caracallæ, qui hodie pro majori parte extat.

Altis utrimque parietibus cinctus erat, ternis ab D una parte, super quibus extabant dictæ naves Crucifixi et sancti Andreæ; et ternis ab altera, ubi nunc est cœmeterius Campi sancti; qui se in longum trahentes lateritii, sustinebant olim arcuatos fornices, in quibus sedilia extabant pro spectatoribus. Inter utrumque parietem spatium latum p. 42. semis erat. A capite ad pedes nullum impedimentum sed tamquam ambulationes et curritoria e ruinis ipsis conspiciebantur. Horum parietum postremum, in circum respicientem, dum terra fundamenti chori egereretur, mensurandum curavi. Altus erat paries ipse ab area palmis 31. semis; latus p. 14. fundatus p. 30. Antiquæ Vaticanæ Basilicæ a Constantino Max. fabrefactæ facies anterior, apsis et muri extremi, ac illi super columnis surgentes, qui tecta gravi pondere sustinebant a laterum tophorumque fragmentis, circo adjacentibusque ædificiis eversis, celeri opera, rudique arte ædificati fuerunt: Basilicam ipsam brevi tempore a Constantino acceleratam fuisse fides oculata testabatur. Capitella partim absoluta, partim imperfecta: bases multæ columnis absimiles: fenestræ arcuatæ, lateritiæ primum, postea germanico opere marmoreæ effictæ. Limina ex magnis marmoribus, quæ ablata esse ex circi, vel alterius ædificii ruinis, pars infe- E rior terra obruta indicabat, cum sub uno ex his modice arcuato, Rosæ sculptæ erant; in altero litteræ legebantur *cum speculator*, quas, judicatum est, arcum seu locum speculatorium ipsius forsitan circi significasse. Hæc de circo. Ecclesia S. Apollinaris dicebatur in Porticu; nam porticus ducens ad basilicam S. Petri, incipiebat ab ecclesia sanctæ Mariæ Transpontinæ; ad præfatam ecclesiam S. Apollinaris desinebat.

et locorum vicinorum situ.

Corrigendus quoque est ex prædictis Vegius noster, qui pag. 69. *tractans de ecclesia sancti Apollinaris, quæ olim prope circum Agonalem fundata fuit, et nunc est Collegii nationis Germanicæ, officiaturque a studiosa illic juventute; transfert eo Statutum Honorii primi, quo decernit, litanias singulis Sabbatis ab ecclesia S. Apollinaris exire debere ad basilicam S. Petri, quasi id decreverit de ecclesia S. Apollinaris jam dicta ad circum Agonalem, quæ tempore istius Honorii nondum extabat, utpote fundata, juxta Anastasium, ab Adriano primo Pontifice, qui sub finem seculi* VIII. *præfuit Ecclesiæ, defuncto pridem ante sesqui seculum Honorio.*

Corrigenda in Maph. Vegio.

400 *Denotant hic in vicinis locis litteræ,* i, *tres portas æneas, quibus olim insculpta fuerunt nomina regnorum, provinciarum, civitatum et insularum, Ecclesiæ Romanæ donatarum. Quibus aliæ tres ejusmodi portæ* F *ex adverso erant, ducentes in quadriporticum et paradisum.* l, *Quatuor columnas fulcra menianorum, e quibus Pontifices benedictionem populo impertiri statis temporibus solebant.* m, *Turrim amplam, in qua pendebant æra campana. In opposita vero parte versus meridiem,* n, *palatium diu fuit archipresbyteri basilicæ Vaticanæ.* o, *Altare S. Mariæ in turri, ubi Electus in imperatorem, a canonicis S. Petri recipiebatur in canonicum et fratrem. Ita Paulus de Angelis et alii. Præmissis hic locis splendorem addet descriptio Anastasii in Adriano I. pag.* III. Ædificavit noviter turrem miræ pulchritudinis, decoratam cohærenti porticu, quæ descendit ad balneum: ubi et deambulatorium, scilicet solarium suum cum cancellis æreis nimis pulcherrime construi fecit: sed et porticum ipsam, quæ vetustate diruta inerat, nimis utiliter renovavit; et picturis atque marmoribus eamdem turrem et cuncta ædificia, ab eo noviter constructa, decoravit... Etiam omnes gradus majores, qui ascendunt in atrium, simulque et ex duabus porticibus quæ ascendunt in eamdem ecclesiam, ex utriusque later-

item alia multa, ab Anastasio descripta.

A lateribus renovavit... Porticus vero ex utriusque lateribus supra dictæ ecclesiæ, in quibus contractæ trabes inerant et tectum ruinæ vicinum positum erat, positis novis trabibus ipsum tectum noviter faciens, restauravit.

Item a Ciampino.

401 *Lucem quoque ampliorem eisdem locis atque ædificiis affert Ciampinus, indicans statum illorum, quo ultimis temporibus adhuc comparebant. Incipit a quadriporticu orientaliore, et inter media ædificia usque ad scalas majores paucis attingit his verbis:* Hæc porticus ad orientem sita, pluribus parastatis cum fornicibus porticibusque et columnis, imo parietibus plurimis, intersecabatur. Exigua ejus pars adhuc, vivente Alpharano, supererat; cujus in medio sex illæ jam supra dictæ januæ laxabantur; tres ortum, tres occasum spectantes. In quadam ex parastatis, e diametro dictam porticum ad aquilonem in austrum intersecantibus, ara antiquissima visebatur, S. Mariæ in Turri appellata. Ante hanc, imperator electus ad recipiendam a summo Pontifice imperii coronam approperans, ubi basilicæ gradus ascendisset osculatusque Pontificis pedes fuisset; et ab eodem, osculo et amplexu benigne exceptus, inter canonicos adoptabatur, seque jurejurando Deo B et B. Petro apostolo promittebat protectorem defensoremque futurum, tum Pontificis, tum omnium S. R. Ecclesiæ jurium atque bonorum. Inde imperialibus insignibus superindutus basilicam ingrediebatur. *Transeo ad loca, quæ circum basilicam seorsim posita fuerunt, et notantur in ichnographia nostra.*

Alia ædificia ad latus meridionale basilicæ,

402 *Fuerunt ibi olim variis temporibus alia atque alia ædificia, quorum situs nescitur, quamvis nonnullorum nomina ab Anastasio et aliis conservata sint. A latere meridionali basilicæ initium sumo. Littera* p, *dicitur Fontanæ aula, ubi Pontifices quotidie alebant, per ministros suos, peregrinos tredecim. Severanus* Hospitale Campi sancti *vocat.* q, *Ecclesia* sancti Salvatoris, *quæ et de* Ossibus *dicta, ut nos alibi meminimus.* r, *Nullus scriptorum, quos vidi, hic quidquam nominis prodit.* s, *Hic stetit famosus obeliscus, qui modo conspicitur in medutillio amplissimarum porticuum ante frontispicium basilicæ Vaticanæ. Stetit autem loco signato, in medio Circi Neroniani, mediaque ejus spira, æqualiter distans ab utraque Circi meta.*

ad partem occidentalem,

403 t, *Monasterium et ecclesia,* S. Stephani Minoris *dicta, ad distinctionem alterius, de qua mox.* u, C *Vulgo* Canonica *appellabatur, quia canonici istic cohabitabant, in commune, uti ego puto, viventes tamquam in monasterio; quod illis construxit Nicolaus III. anno* MCCLXXVII. *Pontifex creatus.* x, *Ecclesia et monasterium* S. Stephani Majoris, *de quo hæc Anastasius in Adriano I.* Constituit in monasterio S. Stephani Catabarbara Patritia, sita ad B. Petrum apostolum, congregationem monachorum; ibi et abbatem, personam idoneam, ordinans. Statuit, ut sedulas laudes in ecclesia B. Petri persolvant, sicut cetera tria monasteria. y, Cœmeterium Vaticanum *hic passim notatur. Potius sit sacellum in cœmeterio illo ejusque parte superiore ad occidentem. Cœmeterium quippe amplum erat, prout in tabula expressum vides, per quatuor angulos ibi signatos. Legitur etiam vocatum fuisse Cœmeterium* de Fonte S. Petri; *quia ibi, uti volunt aliqui, olim ante Constantini et Silvestri Papæ tempora baptizabantur neophyti.*

monasterium S. Martini,

404 z, *Monasterium* S. Martini, *cujus auctor, teste Vegio nostro, ignoratur, vetustum fuit: utpote de quo Anastasius in Leone III.* quod ipse monasterium S. Martini confessoris atque pontificis situm *prope murum occidentalem atque tribunam ipsius basilicæ,* quod nimia fuerat vetustate quassatum, pene omne a fundamentis restauravit. *Fuit idem, veluti seminarium pietatis ac eruditionis, ex quo viri plures electi* D *fuere Cardinales atque Pontifices; et in his Leo IV. qui semper locum amavit ac multis cumulavit beneficiis; uti legere est in ejus Vita apud Anastasium.* aa, *Templum Probi, veteris basilicæ apsidi deforis contiguum, grande ac perornatum, sub anno* CCCC. *ab ipso aut uxore ejus Proba constructum. Fuerunt illi par conjugum nobilissimum ex familiis consularibus ac religione Christiana insignes. Illorum templum et epitaphia a se descripta, celebrat Maphæus Vegius supra pag.* 72.

C. J.

templum Probi.

ad aquilonem, SS. Joannis et Pauli;

405 bb, *Ecclesia et monasterium* SS. Joannis et Pauli, *de quibus Anastasius in Leone I.* Hic constituit monasterium apud B. Petrum apostolum *(et ecclesiam)* quæ nuncupatur sanctorum Joannis et Pauli. *Facit mentionem ejusdem monasterii Vegius noster pag.* 65. *num.* 112. *ac* 113. *aliaque promittit illa de re se dicturum, sed quæ nusquam in opere ejus inveniuntur; ut magis persuadeatur mihi, auctorem illum per mortem aut morbum reliquisse imperfectum opusculum suum.* cc, Diaconia sanctorum Sergii et Bacchi; *ut dicit Severanus. Fontana dicit;* Ecclesia sanctorum, creditur, diaconorum Sergii et Bacchi. *Apud Anastasium in Gregorio III. pag.* 73. *ita habetur :* Diaconiam sanctorum Sergii et Bacchi, sitam ad B. Petrum Apostolum, in qua pridem parvum oratorium erat, a fundamentis ampliori fabrica dilatavit, et concedens omnia, quæ in usum diaconiæ existunt, statuit perpetuo tempore pro sustentatione pauperum, in diaconiæ ministerio deservire.

item Sergii et Bacchi,

E

S. Stephani Minoris et Majoris

406 *Antequam hinc manum tollam, respicere debeo ad num.* 403. *ubi de duobus monasteriis,* S. Stephani Minoris, *et* S. Stephani Majoris, *locuti sumus. Incidit quippe dubium, an unum, an diversa sint monasteria illa : tum etiam, an epitheta* Catabarbara *et* Catagalla, *quæ monasteriis S. Stephani apud Anastasium adjunguntur, idem monasterium, an diversa designent. Certum est, quidquid alii dubitent, extitisse olim duo S. Stephani monasteria prope basilicam S. Petri. Pontifices quippe Joannes XIX. et Benedictus IX. confirmantes episcopis Silvæ candidæ privilegia sua per bullas singulares, conferunt illis* monasteria quinque, *videlicet,* sancti Stephani Majoris, et Minoris, sanctorumque Joannis et Pauli, et beati Martini, atque Teclæ, constituta juxta magnam ecclesiam sancti Petri. *Bullæ extant apud Ughellum tom.* I. *Italiæ sacræ, in iisque citati loci inveniuntur col.* 111. *et* 123. *Et ibidem in alia antiquiore bulla Sergii III. col.* 107. *fit mentio* monasterii S. Stephani, quod vocatur, Major a S. Petro. F

unumne an duo monasteria fuerint.

407 *Anastasius in Adriano I.* Constituit in monasterio S. Stephani Catabarbara Patricia, sito ad B. Petrum apostolum, congregationem manachorum *et cetera, uti supra num.* 304. *Idem vero in Leone III. pag.* 141, *sic scribit :* Monasterium sancti Christi martyris Stephani, quod appellatur Catagalla Patricia, quod præ nimia vetustate jam emarcuerat, atque ex parte corruerat, idem præsagus Pontifex... a fundamentis, simul cum oratorio, firmum jaciens fundamentum, in meliorem erexit statum. *Hæc duo nomina* Catabarbara *et* Catagalla, *utique diversa sunt, atque adeo et monasteria inde denominata, fuere diversa, prope tamen basilicam S. Petri : quemadmodum ab utroque illo monasterio diversa fuit ecclesia, quam Anastasius in eodem Leone III. pag.* 143. *appellat* Catabarbara Patricia; *his verbis* : Sarta vero tecta basilicæ S. Andreæ apostoli, quod appellatur Catabarbara Patricia, quæ per olitana jam fuerant tempora consumpta, noviter restauravit. *Eadem ecclesia, cum monasterio sibi adjuncto, in Gregorio II.* Barbaræ *simpliciter nuncupatur; fueratque a Simplicio Papa dedicata* juxta basilicam S. Mariæ *ad Præsepe,* ubi

A *ubi etiam nunc magna ejus pars superest in hodierno monasterio S. Antonii abbatis.*

C. J.

Ostenditur fuisse diversa

408 *Quemadmodum igitur ecclesia hæc* S. Andreæ Catabarbara Patricia, *diversissima fuit ab Ecclesia* S. Stephani Catabarbara Patricia, *et* Catagalla Patricia; *ita et hæ ipsæ ex nomine suo diversæ censeri debent; saltem quamdiu nemo monstravit*, Barbaram *et* Gallam, *unam eamdemque matronam fuisse; uti credibile est fuisse* Barbaram Patriciam, *duobus locis nominatam. Eadem diversitas monasteriorum S. Stephani deducitur ex textibus Anastasii citatis n.* 407. *Ibi enim legitur Adrianus in monasterio* Catabarbara *constituisse congregationem monachorum atque abbatem ordinasse, qui divinas laudes in ecclesia S. Petri quotidie cantarent. Ex quibus facile cognoscitur, monasterium illud sub Adriano tam bene materiatum, firmum commodumque fuisse, ut a viris religiosis, unam in congregationem adunatis, inhabitari sine periculo potuerit. At vero legitur in Leone, qui Adriano successit, quod monasterium* Catagalla, *tunc* præ nimia vetustate jam emarcuerat, atque ex parte corruerat *ideoque novum totum a fundamentis construxit. Hæc vero patenter monstrant,* B *monasterium Catagalla diversum fuisse a Catabarbara.*

ex diverso statu utriusque ædificii

et nominibus,

409 *Huc etiam facit, quod jam olim ut supra vidimus, duo ibi monasteria S. Stephani, distincta fuerunt per* Majus *et* Minus. *Vegius noster similiter ita distinguit: ac simul varia confundit. Pag.* 73. *deducit lectores suos a cœmeterio, quod est post basilicam S. Petri, nobis signatum Sect.* G, y, recta via ad longe majus templum, positum et ipsum ad radices montis, ubi erat caput Circi, erectum in honorem S. Stephani, quod Catafarfara dictum fuisse apud antiquum quemdam historicum comperi: Benedictus autem decimus in quodam privilegio Catagalla Patricia appellat. Fuerat tamen id prioribus temporibus tamen (*forte* tantum) oratorium: sed postea ita, ut videmus, auctum est et amplificatum. Ceterum nunc, propter humanam injuriam, magna ex parte disjectum prorsusque inhabitatum. *Scripsit Vegius sub medium seculi* XV. *unde et scripta ejus de temporibus multo antiquioribus, in examen revocari licite possunt, etiam hic recitata. In primis, quod hic nomen* Catafarfara, *per inscitiam librarii, qui litteram* b *bis perperam mutavit in* f, *scriptum sit pro* Catabarbara. *Tum, quod* Catabarbara *putet idem monasterium esse cum* Catagalla. *Denique, quod unum tantum S. Stephani monasterium ponat sub utroque nomine, in loco,* ubi erat caput Circi ad radicem montis; *nobis Sect.* G *litt.* x.

in quibus error Vegii

C

non unus.

410 *Idem scriptor paulo post ait, constare,* Adrianum Pontificem, ut basilicæ servitio melius provideret, cum dirutum illud (*monasterium* x.) destitutumque invenisset, non modo reparasse, sed auxisse, multisque et magnis bonis ditasse. *Hæc utique indicato loco, non Adrianus, sed successor ejus Leo fecit. Alibi fecit sua Adrianus, uti dictum est. Addit porro idem auctor, quod idem Adrianus Papa basilicæ S. Petri* subdidit et annexuit templum B. Petronillæ et B. Stephani (*et continuo ad tempora longe posteriora delabens subjungit,*) quod Stephanus rex Pannoniorum, quos Hungaros appellamus, extruxerat. Unde postmodum etiam illud (x) Stephani Majoris; hoc (t) Minoris, ut magis discernerentur, nominata sunt. *Pace Vegii, ut concedam, sanctissimum regem Stephanum illic multa bona contulisse; non tamen primus* extruxit *monasterium illud S. Stephani, cum ejus memoria multo antiquior habeatur; nec tantum a S. Stephani tempore dictum fuit* Minoris; *cum Joannes Papa XIX. anno* MXXVI. *Stephanum* Majorem *et* Minorem *distinguat: atque ante ipsum Sergius III. anno* DCCCCX. *meminit apud Ughellum. tom.* I. *col.* 107. Stephani Majoris, *utique quia aliud extabat eodem tempore* Stephani Minoris. *Insuper opinatur, ab Adriano I. collata fuisse dona, quæ recenset, monasterio S. Stephani Majoris* ad caput Circi, *nobis litt.* x. *tum ille* D *sua contulerit Stephano Minori, nobis litt.* t, *ponendo ibi congregationem monachorum: Stephano autem Majori contulit sua beneficia Leo III, locum collapsum ac dirutum ædificando novum a fundamentis.*

411 *Fuerunt igitur juxta basilicam S. Petri antiquitus monasteria duo S. Stephani diversa, ut in ichnographia signantur Sect.* G. *litt.* t *et* x. *Illud fuerit* S. Stephani Catabarbara, *sive* Minoris: *hoc* S. Stephani Catagalla, *sive* Majoris. *Utraque Matrona indicata, fuit* Patricia; *quæ suis singulæ in domibus aut fundis (id enim significat vox Græca* κατὰ, *latine* in, ad, apud,*) construxerint ecclesias aut monasteria a suis ipsarum nominibus dein appellata. Quæ et qualis fuerit Patricia illa* Barbara, *divinare in obscura antiquitate non præsumo; quamquam imaginer mihi, eamdem esse, quæ apud S. Mariam ad Præsepe sive Majorem, ecclesiam S. Andreæ apostoli forte suo in fundo, construendam curavit, a Simplicio Papa dedicatam, atque a suo nomine postea appellatam* Barbaræ *et* Catabarbaræ. *Quæ fuerit et qualis Patricia* Galla, *a qua S. Stephani Majoris monasterium denominatur, etiam difficile est dictu, non ex ignorantia, sed ex abundantia illustrium piarumque matronarum, quæ primis publicæ* E *post Constantinum Magnum Christianitatis seculis floruerunt. Inter quas eminuerunt Galla Placidia imperatrix, et Galla filia Symmachi consulis, nupta quidem, sed post breve tempus marito viduata. Utraque Romæ fuerunt; illa ad tempus; hæc, tota vita, vixitque in viduitate sua inter sanctimoniales insignis castitate ac religione, tandem sanctissime mortua. Ab hac Galla opinabor monasterium S. Stephani* Catagalla *appellatum fuisse propter beneficia ab ipsa collata, donec aliter docear.*

De Barbara et Galla Patriciis.

AUCTARIUM

AD APSIDEM ANTIQUAM VATICANAM

De positione imaginum sanctorum APOSTOLORUM PETRI ET PAULI Dextra lævaque inter se.

De tali positione imaginum

Intercalavimus in præmisso Tractatu de basilica veteri Vaticana Dissertationes quinque, ex re natas: adjiciamus nunc sextam, tamquam Auctarium ad apsidem ejusdem basilicæ, in qua ut in tabula nostra pag. 120. *S. Pe-* F *trus repræsentatur, a læva Christi Domini sedentis, Paulus vero a dextra ejusdem Domini. Quæritur de antiquitate talis positionis, et dignitate loci utriusque. Consuluit nos aliquando illa super re vir eruditissimus et rerum rituumque antiquorum studiosus in primis scrutator, Joannes Lucius, memoria nostra defunctus Romæ. Is consulendo, nos docuit, quid a se de argumento proposito observatum esset.*

proponitur observatio Joannis Lucii,

413 *Videlicet*, in ecclesiis antiquis, Romæ superstitibus, ante annum Domini DCCC. confectis, inter imagines sacras operis musivi, digniorem locum obtinere eas, quæ ad sinistram sitæ sunt: quæ autem tempore Leonis Papæ tertii confectæ fuerunt, e contrario dextram pro digniori habere: posteriores autem denuo, antiquo more, pro digniori sinistram: sicque continuatum esse usque ad pontificatum Nicolai Quarti, anno MCCLXXXVIII. electi, cujus tempore iterum locus dignior dextræ delatus sit, et abinde continuatus usque ad hodiernum diem. Cumque Leonem tertium antiquum morem perperam mutasse credendum non sit, neque causam, vel occasionem aliquis referat, duæ afferuntur conjecturæ, *inquit Lucius.* Prima, quod sicuti Leo, a græcis animo alienatus, Imperium, ipsis inconsultis, Francis

A cis detulit; ita quoque locum digniorem sinistræ, communem cum Græcis (quem hodie usque servant) mutare voluerit. Secunda, quod cum idem Leo ad Carolum Magnum in Germaniam progressus fuerit, ejusque ope in Sedem suam restitutus sit, hunc morem, dextra digniorem locum deferendi, apud Francos repererit; ipsisque gratificaturus, ut Ecclesiam Romanam cum Occidentalibus sibi obsequentibus conformaret, mutaverit antiquum morem. In qua re quia non est attendendus mos, qui in incessu vel congressibus inter viventes pro diversitate temporum et nationum observatus ab auctoribus refertur; vel imaginum mobilium, quæ pro arbitrio disponi possunt; sed sculptarum vel pictarum, quæ fixæ semper eodem ordine conspiciuntur; peto *etc*.

item alia

414 *Petebat autem, quid in ecclesiis Belgicis aliisque Transalpinis antiquis in more positum esset pingendi Apostolos dextra lævave inter se seculo* VIII. *Cum autem ecclesiæ illorum temporum, saltem insigniores, in Belgio nullæ supersint hodie, nihil docere novi potuimus; nec potuimus de aliarum ecclesiarum Transalpinarum similibus picturis et antiquitate quidquam certi dicere. Respondeat nunc pro nobis nonnulla vir illustrissimus atque eruditissimus Petrus de Marca ex postumis* B *opusculis suis, ubi docet primatum Petri in Ecclesia; et argumenta, in contrarium adducta ex positione Pauli a dextra, Petri vero sinistra, in antiquissimis signis, et sigillis etiam Pontificum Romanorum, refutat atque ita explicat.*

Petr. a Marca,

415 Hanc auctoritatis, a Petro et Paulo deductæ, communionem, impressæ octingentis abhinc annis in Bullis plumbeis utriusque Apostoli imagines testantur, Paulo ad dexteram Petri collocato, unde præcipui quoque honoris Paulo impensi argumenta quidam trahunt. Absurde. Quod enim latus dextrum videtur, si Pauli imago cum Petri imagine comparetur, est latus sinistrum, si referatur ad inspicientes: ex qua relatione sæpe metiendus est honoris gradus in conventibus publicis. Hinc profectum, ut Episcopus in parte chori sedeat, quæ dextra est ingredientibus, et tamen respondet cornu sinistro altaris; in quo sinistrum et dextrum latus nuncupamus, respectu habito ad divini Numinis, præsentiam, acsi Dei majestas ibi sederet (veluti super Cherubin, ut in veteri testamento,) vel Christi corpus vultu ad populum obverso ibi consisteret. Olim eadem ratio habita est, cum loca assignarentur in ecclesia viris et mulieribus: pars enim dextra viris data, sinistra C mulieribus, inspecta ingressus ad templum positione, ut patet ex antiquis inscriptionibus. Idem observatur quotidie in Gallia, in solenni Magistratuum cœtu, cum ad ecclesias conveniunt. Qui enim apud eos eminentiores, locum chori dexterum, qui respondet cornu sinistro altaris, ut dixi, occupant; reliqui vero sinistrum latus quod respondet cornu altaris dextro. Ex hac quoque ratione ingressus tractum, ut in auditorio publico Senatuum sive Parlamentorum Galliæ, Præsides id latus occupent, quod sinistrum est, si consessus ordo a personis sedentium ducatur, quod tamen respondet lateri dextro adstantis cœtus. Quod splendidius eminet Rege in Senatu Parisiensi sedente pro tribunali: ad ejus namque sinistram consident Pares Franciæ ecclesiastici, quibus præcipuus honor defertur; Duces vero dextram occupant: quæ latera vices mutant habita adstantium ratione, ita ut eorum dexteræ respondeat ordo Parium ecclesiasticorum. Aliud obtinebat in antiquis Synodis generalibus, ubi proposita in medio consessu sacrosancta Evangelia vices Christi præsentis gerebant ad cujus dextram Legati summi Pontificis considebant, quæ tamen ingredientibus erat sinistra. Posset istæc observatio variis testimoniis ex antiquitate petitis in utramque partem illustrari, nisi satius esset ex præsentibus confirmasse locum, imagini Pauli D in Bullis plumbeis destinatum, secundum esse censendum; priore obtinente Petro, ratione Primatus, ut decebat.

416 *Scripsit olim de argumento eodem, videlicet de sanctorum apostolorum Petri et Pauli imaginibus libellum non contemnendum Franciscus Mucantius* J.C. *Romanus, Gregorio Papa XIII. a sacris ceremoniis, impressum* Romæ apud heredes Antonii Bladii, impressores Camerales, anno 1573 *dedicatumque prædicto Pontifici. Libellum ipsum quia rarus est atque eruditorum oculis dignus, hic recudi juxta exemplar auctoris, operæ pretium putavi fore, servatis etiam citationibus, prout in margine leguntur adjectæ. Ita præfatur, reddens Pontifici rationem suscepti a se operis.*

et justus commentarius Francisci Mucantii.

417 Cum mihi impositum esset onus, P. B. perscrutandi, si qua inter sacros ritus, Apostolicasque cerimonias, emendatione animadversioneque digna viderentur, quæstio illa inter multas sese mihi obtulit, jam dudum agitata, sed nondum plene declarata, utra ex imaginibus beatorum apostolorum Petri et Pauli, alteri esset rite anteponenda, promiscuum enim, et varium in picturis, marmoribus et monetis, pro diversitate temporum, et locorum E ejus rei usum videram: constantissime tamen, a prisca vetustate ad hæc usque tempora usurpatum, tum in plumbeis apostolicarum litterarum sigillis, tum in Pontificio sacello, ut Pauli imago ad dextram Petri collocetur. Quare non sine magna id ratione factum, ac per tot annorum curricula, a tot Romanis Pontificibus admissum comprobatumque esse statuens, judicabam satius esse, quæstionem ipsam silentio præterire, quam disputationum circuitionibus, imbecilliorum mentibus scrupulum injicere. Verum quia nuperrime quidam de ea re commentariolum promulgarunt, in quo, licet veram propositionem tuendam susceperint, illam tamen [pace eorum dixerim] non ita fortasse plane ac dilucide explicarunt, ut eorum animi, qui sacrarum litterarum cognitione non omnino imbuti sunt, penitus acquiescere possint. Idcirco congestis in unum pluribus firmioribusque auctoritatibus et rationibus, quas partim ex viri eruditissimi G. Cardinalis Sirleti sermonibus, partim vero ex diversis probatissimorum scriptorum monumentis decerpseram, pro virili conatus sum ejus mysterii arcana aliquanto clarius demonstrare. Quamvis autem initio tacitus ea prætermittere decrevissem; tamen quando hujus- F modi jam quæstio in vulgus prodiit, expedire visum est, eam paulo distinctius, atque apertius declarare; ne ab his, qui sacra hæc mysteria contemplantur et colunt, de ea dubitari amplius contingat. Ea autem Sanctitatis tuæ integerrimo judicio excellentique prudentiæ ac doctrinæ, quibus humana omnia subesse debent, prius subjicere volui; non ante in alienas manus proditura, quam ab ipsa Sanctitate tua robur et firmitatem acceperint. Qualiacumque illa erunt, P. B. supplex Sanctitatem tuam oro, ut ea, tamquam tui beneficiarii (cui exercendarum sacrarum ceremoniarum munus, paulo ante non minus benigne, quam benefice contulisti) grati animi indicia, primitiasque in eo studii genere æqui bonique consulat. Vale.

Præfatio auctoris ad Gregorium 13.

COM-

A

C. J.

COMMENTARIUS
DE SANCTORUM APOSTOLORUM
PETRI ET PAULI IMAGINIBUS

Auctore Francisco Mucantio J. C. Cerimoniario Gregorii PP. XIII.

Rationes cur Petrus præferendus.

Qui contra antiquissimum ritum collocandi imaginem beati Pauli apostoli ad dextrum Petri apostolorum principis latus disputant, his ferme rationibus moveri solent. Nempe in ecclesia militanti ad exemplum triumphantis, ordinem esse adhibendum, ut scilicet pro cujusque officio et dignitate, alius alio superior sit, præstantioremque gradum obtineat. Constat autem dexteram partem in honore semper habitam esse, perque eam, tum juridictionem, potestatem et fortitudinem ; tum etiam potiora bona, id est gloriam, felicitatem, beatitudinem, æternitatemque designari. Nam et ab ipso fere mundi exordio, cum sacerdotium primigenito esset annexum, id fuisse in usu videtur, ut ipsi primogeniti, præter alias honoris prærogativas, digniorem locum apud patrem, hoc est ad ejus dexteram haberent. Et post Christi adventum per duos latrones hinc inde a lateribus crucis Domini patibulo affixos significatum fuit. Et in ipso mundi exitu idem observandum fore, certum est, cum filius hominis in suæ majestatis throno sedens, oves ab hædis segregabit, illas quidem in dextera, hos vero in læva statione collocans.

Distin. 89 c. fi. Turrecr. l. 2 de eccles. c. 1. Glos. penul. in l. decernimus C. de sacros. eccl. ibi Bald. Tho. super epist. ad Hebr.

B

c. 8 Can. 25. q. 3 Augustin. super Genes. loquu. 80 et super symb. serm. 2 Genes 48 in fin. glos. fin. c. quam periculosum, 7. q. 1. Marc. 15 Luc. 23 Matth. 25

419 Quare cum sublimior inter mortales potestas, principatus apostolorum, et ecclesiæ gubernatio uni Petro, quasi primogenito, eaque triplici tempore, et ante passionem, et circa passionem, et post passionem, Christi Dei ore commissa fuerint ; cumque ipsimet apostoli eumdem principem, et Ecclesiæ universalem pastorem agnoverint, et confessi sint, ut Anacletus Papa ait : ad hæc cum sancti evangelistæ, apostolorum seriem recensentes, ipsum Petrum sine controversia ceteris anteponant ; sitque argumentum non inefficax prælationis, scripturæ ordo : nulli dubium esse potest, tum ex his, tum ex quam plurimis aliis, quæ consulto omittuntur, auctoritatibus, Petrum et principatu et dignitate ceteris omnibus anteire : quamvis aliqui, vel meritis, vel sapientia, vel alia de causa, illi pares aut aliquando superiores habiti sint : quod si primus et dignior ; postulare ordo videtur, ut et nos illum præ ceteris apostolis veneremur, ipsiusque imagini precipuum locum statuamus. Etenim D. Augustinus, dum Cyprianum, quantum ad martyrii gloriam Petrum æquiparasse refert, mox statim subdit. *Ceterum magis vereri debeo, ne in Petrum contumeliosus existam ; quis enim nescit, illum apostolatus principatu cuilibet episcopatui præferendum ?*

Ratio 1. a dignitate Petri. Turrecr. l. 2 de eccl. c. 6. Innoc. Papa 3 lib. de myst. missæ c. 8 Dist. 21 c. in novo dist. 22 c. sacrosancta. Glos. in c. quorumdam verbo prædicatorum de elect. in 6 ibi doct. 2. q. 7 Puto

C

Ratio 2.

420 Quod ex eo quoque clare comprobatur, quod catholica Ecclesia instituit, ut quamvis uno eodemque die beatorum apostolorum Petri et Pauli solemnia concurrant, prius tamen Petri officium eo ipso die, mox altero sequenti de Paulo celebretur ; tum quia Petrus conversione prior tum quia dignitate, et gradus excellentia major, quippe cum Ecclesiæ primatum gesserit. Quod fuisse D. Gregorii institutum, antiqui auctores Joannes Belethus et Guillelmus Durantes scripserunt.

In Rational. div. off Belethus cap. 138 Duran. Lib. 7 c. 15

Ratio 3. ad Gal. 2 Glos. fin. in c. fin diss. 11 ibi. Ancharan. et Turrecr.

421 Et ne plura congerantur ; nonne [inquiunt] ipsemet Paulus primas Petro detulit, societatis dexteram cum eo jungens, atque evangelii prædicationem conferens, quasi consensum et approbationem conferens, quasi consensum et approbationem ab eo requirens? Ex eo enim, ut D. Hieronymus ait, ostenditur, Paulum non habuisse securitatem evangelii prædicandi, nisi Petri et eorum, qui cum eo erant, fuisset sententia roboratum. Rursus cum in exitium Simonis magi ambo conversi essent, Paulusque erga Petrum diceret ; Meum est orare, tuum imperare ; nonne manifestissime, ut Gregorius testatur, eum sibi his verbis superiorem declaravit ? Nec vero traditioni huic, quæ ab ipso summo rerum opifice sanctisque apostolis emanavit, ullam quamlibet antiquissimam traditionem aut consuetudinem adversari posse, consentaneum videtur : unde multis in locis a diversis Pontificibus usu receptum est, ut Petri quidem effigiem in dextra, Pauli vero in læva parte poni curarent. Quod in primis, ex antiquissima tabula Constantini imperatoris (ut aiunt) tempore depicta, quam ipsius D. Petri basilicæ canonici, etiam nunc diligentissime custodiunt, perspicuum fit : idemque et hodie ex opere vermiculato, Nicolai Papæ IV. ætate fabrefacto in apside Lateranensis ecclesiæ, inspicere licet : ac deinceps Bonifacius VIII. Nicolaus V. Pius II. Sixtus IV. et alii Rom. Pontifices diversis in locis idem observarunt ; nostraque tempestate in monetis sive argenteis denariis, Apostolorum capita eodem ordine imprimi videmus : atque id etiam Paris Crassus olim Pisaurensis episcopus et cerimoniarum præfectus, quam plurimis aliis adductis rationibus, comprobavit.

D

Hier. epist. ad Aug. 22 Egesip. l. 3 de excid. Hierosol. Chron. Anton. tit. 6 cap. 4 § 2

E

Paris Crassus in Epistola quadam ad Leonem 10

Rationes cur Paulus præferatur.

422 Ceterum altius causam pervetusti illius ritus, ut Paulus in dextro fingatur latere, investigantibus, pulcherrima in ejus defensionem argumenta occurrunt : liquido enim apparet, talem usum non temere aut fortuito irrepsisse ; quinimno ad explicanda præcipua quædam ac singularia sanctissimi a Deo electi viri merita et virtutes, nostri exempli eruditionisque gratia a majoribus nostris introductum esse ; ut dum oculis earum figurarum ordinem, quasi præposterum intueremur, mente ad altiora mysteriorum consilia pervenientes, sanctum et laudabile vetus institutum documentumqne agnosceremus, et ea qua decet veneratione coleremus.

Ratio 1. ab antiquitate

423 Si quidem constat, eam pingendi consuetudinem in Ecclesia annos mille supra ducentos quinquaginta usu receptam esse, ut ab ipsis fere nascentis Ecclesiæ principiis decurrisse videri possit : ea autem, quæ tanta temporis longinquitate munita reperiuntur, tamque altis radicibus invaluerunt, etsi nulla alia ratione comprobari possent, retinenda nihilominus amplectendaque forent : multa enim, quorum ad nos memoria nequaquam pervenit, credendum est, priscis illis patribus, qui ab apostolorum ætate recentiores multo fuerunt, non ignota fuisse. *Non omnia* [inquit Augustinus] *quæ ab Apostolis facta sunt, etiam scripta inveniuntur ; verumtamen facta esse, ex certis documentis probatur.* Quod et D. Joannis apostoli et evangelistæ testimonio intelligitur. Id vero, quod de longæva illa consuetudine dixi, manifestissime probatur auctoritate doctissimi viri Petri Damiani, olim Cardinalis episcopi Hostiensis, qui annos abhinc quingentos supra viginti et amplius floruit ; cujus scripta non adhuc per vulgi manus tradita, quatenus de re proposita disserunt, quia amodum pia et candida visa sunt, hoc loco placuit inserere. Ejus verba hæc sunt :

F

Epist. 108 ad Seleucianum : Joan. in ultimis sui evangelii verbis.

424 *Occurrit mihi, quod ipse a me quæstione proposita sæpenumero requisisti, cur videlicet in imaginibus picturarum per universas adjacentes Romæ provincias, Petrus, qui primus est, ad sinistram, coapostolus autem ejus Paulus constituatur ad dextram ; cum juxta vulgarem sensum, hoc rerum ordo deposcat, ut Petrus, qui senatus Apostolici princeps est, dextrum Domini latus ; Paulus vero ; qui junior est, sinistrum jure possideat : sed durum est valde, ut opinemur, quia tam egregium tamque famosum apostolicæ dispositionis ordinem*

Petr. Damianus ad Desiderium abbatem.

A *ordinem, inconsulte atque inconsiderate, devota Deo ac religiosa vetustas admiserit; neque enim credendum est, ut Constantinus Imperator, immo Papa Sylvester, totque post eos principes et sacerdotes in ecclesiasticæ disciplinæ litura pervigiles atque solertes, hunc ordinem tantorum principum negligendum ducerent, si correptione dignum aliquatenus æstimarent.* Hæc Damianus.

Ratio 2. Ad Phil. 32 425 Atque non propterea non adsunt validissimæ rationes, cur id ita factum demonstretur: inter quas non mediocris ponderis illa est, quod Paulus ab antiquissima stirpe Benjamin (quod latina lingua dexteræ filium sonat) ordinem duxerit. Genes. 45 In eo namque quod Jacob ipsum, duodecim filiorum suorum postremum, Benjamin id est filium dexteræ appellavit, typus Pauli præfiguratus est, quem summus Pater cœlestis, licet ultimum post duodecim alios ad apostolatum vocaverit; ei tamen dexteræ suæ virtutem plus quodammodo, quam aliis impartitus est; nempe fortitudinem, sapientiam atque eloquentiæ vim, quarum ope gentium populos, quasi ipso Dei præpotenti brachio ardenter ad Christi fidem rapuit: sicut et per Rachelem illius matrem, quæ eumdem Benoni id est doloris sui filium vocavit, ore prophetico [ut D. Ambrosius testatur] demonstratum est, B oriturum ex illius tribu Paulum, qui Ecclesiæ filios persecutione afficeret, et gravi ipsam matrem Ecclesiam dolore vexaret. Lib. de Benedict. patriarch. c. 12 Quod latius et quidem elegantissime, idem Petrus Damianus eo in loco prosequitur in hæc verba:

426 *Ne ergo sanctæ hujus historiæ ordo inordinatus appareat, quod nobis videtur, breviter innotescat. Paulum plane de tribu Benjamin fuisse, quis ambigat? Benjamin autem Hebraice, latine Filius dexteræ nuncupatur. Quid ergo mirum, si ad dexteram constituitur, qui vocabulum dexteræ ex paterno jure sortitur? Enimvero, ut vetus illa B. Paulo liquido congruere videatur historia, non sine causa Scriptura dicit. Quia egrediente anima Rachel præ dolore, et imminente jam morte vocavit nomen filii sui Benoni, id est filius doloris mei: pater vero appellavit eum Benjamin, id est filius dexteræ. Per Rachel namque, quæ Ovis vel Visum principum dicitur, Ecclesia non immerito designatur, quæ nimirum, et ad instar ovis innocenter vivit, et per studium contemplationis ad videndum redemptoris sui speciem medullitus inardescit. Benjamin igitur nascente, Rachel mater emoritur, dum, appropinquante ad lucem novæ regenerationis Saulo, persecutionibus Ecclesia per* C *cum crudeliter impugnatur; sicut Lucas in Actis Apostolorum: Saulus (inquit) devastabat Ecclesiam per* Act. 8. 2. *domos intrans, et trahens viros ac mulieres, tradebat in custodiam. Congrue itaque Rachel Benoni, id est filium doloris mei, vocat; quem Jacob Benjamin, id est filium dexteræ muncupat: quia Paulus, qui matris Ecclesiæ dolor extitit, quique eam quodammodo, dum nasceretur, impugnando peremit, a Deo patre filius dexteræ est vocatus, dum divina per eum potentia adversus gentes, quasi per fortem suam dexteram dimicavit; verborum jacula violenter intorsit, salubres cordium plagas intulit, et per eum devictis ac prostratis hostibus cum gloria triumphavit.* Et paulo post: *Recte igitur Paulus dexteri juxta Redemptorem lateris obtinet dignitatem, qui divinæ dexteræ non ambigitur exercere virtutem. An non quodammodo dexteram Dei, adversus diabolum dimicantem, se fatetur esse? cum dicit: Ego autem sic curro, non quasi in incertum, sic pugno, non quasi aerem verberans.* Hæc ille.

I. Cor. 9. Ratio 3 427 Est et alia non minus efficax illius ordinis ratio, sanctorum patrum documentis tradita: quia videlicet (ut supra meroravimus) per dexteram potiora bona, id est spiritualia et æterna, per lævam autem temporalia et terrena signantur. Ambr. li. 2 de Abraham c. 6. Aug. super psal. 120. Tho. super ep. Unde fit, ut Paulo, qui ad cœlestia regna adhuc vivens mortalisque a Christo Deo immortali jam facto, post gloriosam ascensionem, supra humanæ naturæ conditionem raptus est, non immerito dexter locus tribuatur. D C. J. Petrus vero, quem Christus, adhuc inter mortales constitutus, ad apostolatum vocavit, cuique arcana Dei nosse, ut Paulo, datum non est, hujus mysterii demonstrandi causa, sinistrum aliquando locum retinet. Paul. ad Hebr. cap. 8. Id quod idem Damianus ibidem luculenter expressit, inquiens:

428 *Huc accedit, quia Paulus ad cœlum tertium raptus ascendit, ubi etiam arcana verba quæ hominibus loqui non licet, audivit: Quis autem nesciat, quia vita terrena Dei sinistram; cœlestis autem significat dexteram? sicut sponsa dicit in Canticis: Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.* Cant. 22. *Læva namque esse sub capite dicitur, quia præsens vita apud electum quemlibet, sub mente, quæ procul dubio cogitationum caput est, despecta calcatur; dextera vero Dei sponsam amplexare perhibetur, quia dum fidelis et sancta anima æstuanti sui creatoris igne succenditur, velut divinis quibusdam amplexibus undique confovetur. Qui ergo carnis adhuc fragilitate circumdatus, ad cœlestem vitam conscendisse cognoscitur, recte filius dexteræ nuncupatur,* et reliqua.

429 Hoc idem fere et Innocentius Papa III post E ipsum innuit, dum eorum adducit opinionem, qui inter Evangelistas Matthæo et Joanni sinistrum, Marco et Lucæ dextrum locum pari ratione assignant. Ejus verba sunt: *Quidam tamen duos annulos a sinistris Matthæum et Joannem accipiunt, qui adhæserunt Domino, adhuc passibili et mortali; per duos a dextris Marcum et Lucam, qui post Ascensionem adhæserunt Christo, jam facto immortali et impassibili.* Innocentius 3. in serm. de Evangelistis paulo ante fin. *Per sinistram enim mortalitas, dextram vero immortalitas designatur, secundum illud: Læva ejus sub capite meo etc. Propter hanc causam in picturis ecclesiarum Paulus ad dexteram, et Petrus ad sinistram Salvatoris statuitur.* Hæc Innocentius. Quem etiam, eam picturæ formam suo tempore artificibus imperasse, ex vermiculato emblemate in amplis fornicibus apud majores aras ecclesiarum Petri et Pauli adhuc conspicimus: extantque litteræ, quibus ille de pictore sibi ob eam causam transmisso Venetis gratias reddit. Innocentii autem verba integre retulit Guillelmus Durantes, addens ex eadem causa in bullis Papæ caput Pauli a dextris crucis; Petri vero a sinistris poni. In Ration. li. 7. tit. 44. Super Ep. 1. ad Gal. Quod et ante ipsum D. Thomas Aquinas declaravit, his verbis: *Et quia præsens vita significatur per sinistram, futura vero per dexteram, in quantum* F *ista est cœlestis et spiritualis, illa vero temporalis; ideo Petrus, qui vocatus fuit a Christo, adhuc in carne mortali posito, ponitur in bulla Papæ in sinistra parte; Paulus vero, qui vocatus fuit a Christo jam glorificato, ponitur in parte dextera.* Vivald. in opere regal. de pugna par. sensi in 4. nota etc. Eamdem sententiam, et recentiores approbarunt.

430 Adducit præterea Damianus prædictus et Ratio 4 alias duas ejus rei significationes. Alteram quidem, quia cum Paulus onus evangelicæ prædicationis ad gentes præcipue, Petrus vero ad circumcisos susceperint; utique Paulo, cujus merito potissimum translata ad gentes Ecclesia dexteram apud Dominum meruit, synagoga posthabita, congruenter ipsi pars dextra assignatur. Ad Gal. 2. Damiani verba hæc sunt. *Non ergo immerito filius dexteræ Paulus vocatur, per quem omnis gentium multitudo, quæ ad dexteram Dei ponenda est, ad fidei sacramenta colligitur: accinctus siquidem verbo Dei, quod est gladius spiritus, hodie quoque et usque in finem seculi dimicat, et tamquam fulminea Christi manus, vibratis cœlestis eloquii gladiis, rigidas resistentium Deo cervices obtruncat.*

431 Altera significatio est, quam idem aliquanto Ratio 5 inferius exponit, dicens: *Quamquam et hoc non a mysterio vacet, quod beatus Petrus Dominici lateris sinistram tenet: per illum siquidem activa vita signatur,* *et sicut*

C. J.

et sicut contemplativa per dexteram, sic actualis exprimitur per sinistram. Quod autem per beatum Petrum præsens vita, hoc est activa figuretur, in hoc præcipue demonstratur, quod sicut evangelica frequentissime testatur historia, et Petrus Dominum plus ceteris discipulis diligat, et Dominus non Petro, sed Joanni potius prærogativam specialis omnino dilectionis impendat: per Joannem quippe contemplativa, per Petrum vero, sicut dictum est, activa vita signatur. Quia Sancti omnes in hac vita ad similitudinem Petri Deum plus amant, et quasi minus amantur, dum propter eum duras laboris molestias perferunt, mortali tamen adhuc carne circumdati ad amplexus ejus dulcedinem non pertingunt; illi vero, qui jam cum Deo sunt, in hoc eum quodammodo minus amant, et magis amantur, dum et pro eo nullos laborum turbines sentiunt, et tamen intimæ familiaritatis ejus oblectationibus perfruuntur. Non ergo mirum, si beatus Petrus aliquando partem videatur tenere sinistram, qui et activæ vitæ continet ex Scripturarum auctoritate figuram. Hactenus Damianus.

Ratio 6

432 Sed etsi dexteram partem pro honoris loco interpretemur, adhuc Petrus licet dignitate major et princeps, mystice tamen in sinistra Pauli apostolorum novissimi, ponitur, ut inde documentum sumamus, summum Pontificem humilitate decoratum esse oportere, sicut ipse Petrus fuit juxta illud Evangelicum; *Qui major vestrum est, fiat sicut minor.* Unde D. Gregorius, *Petrus* (inquit) *a Paulo minore suo reprehenditur, et reprehendi non dedignatur: qua in re factus est sequens minoris sui, etiam ut in hoc præiret, quatenus qui primus erat, in apostolatus culmine, esset primus et in humilitate.* Qua de re usus inolevit, jam inde ab ipso Gregorio magno introductus, ut summi Pontifices seipsos servorum servos appellent: quod et ipsius Pontificis nomen juxta Hebraicam derivationem ostendit; significat enim (teste D. Hieronymo) inclinationem, ut scilicet ipsi Pontifices, quamvis supra omnes mortales positi, meminerint tamen exemplo Christi, interdum de statu suo declinare, atque adeo humiliter sese ceteris Christi fidelibus subjicere ac subministrare. Eo enim ipso, quo se humiles declarant, majores ceteris esse dignoscuntur: eamque potissimum ob causam crediderim in altari sacelli Pontificii talem ponendarum imaginum formam perpetuo observatam esse, ut summi Pontifices, sacris intervenientes, atque earum figurarum ordinem sæpius conspicientes, divini illius præcepti facilius memores essent.

Luc. 9 Matt. 23. Li. 2 sup. Ezechiel homil. 18. faciunt ad per: Th. Camp. de potest. Papæ c. 12 n. 8. in fin. Glos. et doct. in proæm Decretal. Gomes. in d. c. 1. de constit. li. 6. n. 8. 9. et 10. Marc. 10. glos. c. diaconi, dist. 93.

Ratio 7

433 Illud etiam non omnino alienum videtur, ut tunc dextrum latus Paulo convenire dicamus, cum inter ipsos apostolos vel Crucis signum, vel Salvatoris imago media interponitur: cum vero iidem apostoli, vel a lateribus gloriosæ Virginis, vel simpliciter nulla inter eos imagine posita, junguntur, Petrum rectius anteponi: cui interpretationi, et mysteria, quæ supra relata sunt, optime quadrant; et ex verbis auctorum, quæ jam recitavimus, idem illos observatum sensisse apparet: Quamquam non perpetuo id fuisse constet.

434 Hæc tandem fere erant. Pater Beatissime, efficacissima argumenta, quibus ostenderetur, sapienter quidem a nostris majoribus divorum apostolorum picturas, ita ut dictum est dispositas fuisse: nam levioribus quibusdam insistere, operæ pretium non duxi; cujusmodi sunt illa, quæ Cassaneus ex Nebrissensi grammatico sumpta adducit, de læva parte pro digniori apud antiquos habita id potissimum in causa esse asseverans, cur Petrus in sinistra, utpote honestiori parte locaretur; quin etiam D. Thomæ de ea re sententiam, tot præclarissimorum virorum unanimi consensu receptam, de qua supra mentionem fecimus, temere atque impudenter coarguens. Sed quam in eo ipse fallatur, satis jam ex supra narratis declaratum est. At vero dexteram omni tempore præstantiorem esse habitam, tum ex sacræ paginæ observatione docuimus; tum etiam ex ipsis Ethnicorum scriptis perspicuum esse potest: hi etenim, cum sibi Deos hominesque propitios esse cuperent, dexteros illos adesse precabantur. Quale illud Virgilii.

in catalog. gloriæ mundi part. 3. consid. 2.

Adsis o placidusque juves, et sidera cœlo
Dextra feras. Et rursus, Lib. 4 Æneid.
Et nos, et tua dexter adi pede sacra secundo. Lib. 8 Æneid.

Innumeraque alia hujusmodi, quæ ex antiquis poetis scriptoribusque depromi possent. Lib 31. c. 25

435 Plinius quoque dextræ religionem quamdam inesse testatur. Ac ne multa cumulem, satis id vel uno exemplo, ex Jugurthæ historia a Salustio descripta comprobari potest. Inquit enim: *Hiempsal, qui minimus ex illis erat, natura ferox, etiam ante ignobilitatem Jugurthæ, quia materno genere impar erat, despiciens, dextra Adherbalem adsedit, ne medius ex tribus (quod apud Numidas honori ducitur) Jugurtha foret.* Quod si fortasse observatum esse aliquando dicatur, antiquitus nobiliores aut digniores in sinistra parte sedisse aut ambulasse; non id continuo honoris causa, sed vel commoditatis, necessitatisque, aut nonnumquam præsidii, vel custodiæ, vel etiam ob specialem loci consuetudinem, evenisse censendum est. Quemadmodum de Cyro legimus apud Xenophontem, solitum esse, cum medius in convivio accumberet, eum, quem magis honestare cuperet, ad sinistram apud se statuere, vel quod hæc magis pateat insidiis, vel quia cor ab ea parte locetur, cui qui proximior sit, charior esse videatur: quod et nostris quoque temporibus in usu esse apud Turcas audivimus, et in celeberrima civitate Bononiensi et alibi consuetum esse didicimus, ut nequaquam dextra vel sinistra in incessibus honori detur, sed locus tantum parieti proximior, ob deambulandi maxime commoditatem.

Salust. de bello Jugur. post princ.

436 Ex his ergo jam patere arbitror, non solum eam consuetudinem non esse vituperandam, ut effigies Pauli dextram, Petri vero lævam partem possideat; sed summe in hoc, ut in ceteris priscorum sanctorum patrum ita statuentium, sapientiam judiciumque esse collaudandum. Verumtamen (ut nostram de ea re opinionem tandem interponamus) non utique id tam religiose tamque exacte servandum esse crediderim, ut perpetuo, et ubique Petri imaginem in læva, Pauli in dextera pingendam esse affirmem, sicuti nec ita dexteram Petro convenire assevero, ut errori tribuam, si qui unquam aliter finxerunt aut fingunt: quod minus quidem recte sensisse Paridem Crassum, ex his, quæ supra narravimus, abunde constare arbitror: sed utrumque morem diversis in locis propter diversas intelligentias, prout hactenus consuevit, conservandum esse in posterum, censemus: nihil enim inde pugnans aut contrarium redundat, quandoquidem, ut sæpius jam nominatus Damianus ait: cum Petrus ad dextram ponitur, primatus ejus, quem inter ceteros sortitus est apostolos, honoratur: cum vero Paulus ejusdem dextri lateris occupat locum, Benjamin, aliaque supra narrata mysteria repræsentantur.

437 Ea autem cum nihil contra fidem, aut contra bonos mores, quinimmo excitationem quamdam et documentum melioris vitæ contineant, constantissime sunt retinenda atque approbanda; D. Augustino ita docente. *De his, quæ varie per diversa loca observantur, tibi aliqua scribere non est necessarium: una in his saluberrima regula retinenda, ut quæ non sunt contra fidem, nec contra bonos mores, et habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, ubicumque institui videmus, vel instituta cognoscimus, non solum non improbemus, sed laudando et imitando, sectemur, si aliquorum*

Lib. 2. ad inquisit. Januarii.

A *quorum infirmitas non ita impedit, ut amplius detrimentum sit.* Nec vero recte dixerit quis, alterius minui majestatem aut dignitatem, quod diverso modo ob diversas considerationes figuretur. Exemplum ex veteri testamento de Moyse et Aaron in promptu est; quorum alter alteri, secundum varios sensus præponitur. De his D. Ambrosium audiamus. *Moses ille* (inquit) *quo nemo præsentius Deum vidit, neque surrexit in Israel propheta, qui Deum facie ad faciem, sicut Moses, videret, ille qui diebus quadraginta cum Deo jugiter et noctibus fuit, cum legem acciperet in monte; ille (inquam) cui Deus dabat, quos loqueretur, sermones, invenitur magis Aaron fratris consilium, quam suum, probasse. Fuit ergo quisquam hominum Mose prudentior et instructior? At ipsum Aaron circa Æthiopissæ personam errasse legimus. Sed hoc ipsum diligentius discute, ubi Moses scientia præponderet, ubi Aaron consilio. Moses magnus propheta, qui de Christo dixit: sicut me, ipsum audietis; et de quo ipso Dominus ait, si Mosen et prophetas non audiunt, nec siquis ex mortuis ad illos adierit, credent. Ergo in causa prophetiæ præfertur Moses, sicut propheta; ubi autem causa et munus et officium sacerdotii est, præfertur Aaron, sicut sacerdos.* Hæc Ambrosius.

Arg. l. si pater ó. qui duos ff. de adop.

Exod. c. 6. Lib. 1. ep. 3.

B 438 Hinc consuetudo invaluit, dum coram Pontifice maximo, et sacro Cardinalium senatu, vel etiam absente Pontifice, sacra fiunt, ut principes quidem laici ad dexterum Pontificalis solii latus stent: Patriarchæ vero et alii prælati assistentes, sinistram partem sedentes occupent: cum tamen isti procul dubio propter ordinem et dignitatem ecclesiasticam, essent præferendi; prout vere ipsos certis casibus præcedere videmus. Quid enim aliud sibi vult hæc ordinis commutatio, nisi ut mysteriorum diversitas demonstretur? Porro cum dexterum apud se latus summus Pontifex seculi principibus concedit, Pontificiæ majestatis declaratur humanitas, illis quidem perillustrem locum ante eximios viros patriarchas, primates atque episcopos, omni veneratione dignissimos, tribuens; quibus alioquin præcipuus ubique locus jure debetur; ut eo beneficio ac benignitate allecti, ipsi illustres primoresque orbis proceres, tanto libentius, Christi Dei religionem amplectantur, ejusque sanctissimum Vicarium omni pietate venerentur. Iidem tamen, non sedentes, sed erecti, ibi adstant, tamquam pro tutela et custodia throni Pontificii parati et vigilantes: ac ne propterea sedendo viderentur omnino ecclesiasticis C superiores esse: quos quidem, licet digniores, summus Pontifex, tamquam sibi magis familiares, in parte humiliori collocat. Rursus vero illi pro cinerum mysterio piaque adoratione Crucis, posteriores incedunt, ut in his saltem duobus humilitatis actibus manifeste sacerdotio cedentes, demissionem animi ostendant, vereque se aliquando inferiores ordine fateantur.

c. solitæ extr. de majori et obed.

439 Ut igitur eo, unde digressa est, jam revertatur oratio; nihil Petri dignitati, auctoritati aut primatui derogatur, cum Paulo dextera tribuitur; nec Pauli mirificæ electioni, sapientiæ ac meritis, cum eamdem Petro assignamus; sed ea utrisque aptissime convenit: in quo inest mirabile inter ipsos æqualitatis mysterium. Quemadmodum enim, cum ipsum Deum patrem ad dexteram filii esse, Propheta ait, divinitatis humanitatisque differentiam intelligimus; cum vero filium ad dexteram patris sedere ex eodem Propheta legimus, æqualitatem divinitatis inter patrem et filium interpretamur: ita etiam cum Petrum Paulo præponimus, Pontificiæ dignitatis culmen; cum vero Paulum ad Petri dextram collocamus, æqualitatem gloriæ, qua ob æqualia merita ambo in cœlis fruuntur, significari recte dicimus; quos (ut beatus Leo inquit) gratia Dei in tantum

Ratio 8 De æqualitate inter ipsos Sanctos.

Psal. 15.

Psal. 109.

In serm. de ipsis Apostolis.

apicem inter omnia Ecclesiæ membra provexit, ut D eos in corpore, cui caput Christus est, quasi geminum constitueret lumen oculorum.

C. J.

440 De his etiam D. Ambrosius ita loquitur: *Beati Petrus et Paulus eminent inter universos apostolos, et peculiari quadam prærogativa præcellunt: verum inter ipsos quis cui præponatur, incertum est. Puto enim illos esse æquales meritis, qui æquales sunt passione, et simili eos fidei devotione vixisse, quos simul videmus ad martyrii gloriam pervenisse,* et reliqua. *Isti sunt,* ut Nicolaus Papa IV. Leonem Primum imitatus, scribit, *per quos Evangelium Romæ splenduit; isti sunt ejus patres verique pastores; isti sunt, qui uno die pro merito, uno loco pro gloria, sub uno persecutore, pro parili virtute compassi, urbem ipsam glorioso cruore martyrii Christo Domino consecrarunt; isti sunt, qui illam in hanc gloriam provexerunt, ut sit gens sancta, civitas sacerdotalis et regia. De quorum meritis atque virtutibus, quæ omnem loquendi superant facultatem, nihil* (ut idem beatus Leo inquit) *diversum, nihil debemus sentire discretum; quia illos, et electio pares, et labor similes, et finis fecit æquales.*

Serm. ord 66 et 2. q. 7. Beati Chron. Anton. tit. 6. c. 4.

c. fundamenta de elect l. 6. Leo Papa in serm. de ipsis apostolis Petro et Paulo.

ibidem.

441 Jure ergo optimo ipsa urbs Roma tantos principes, quorum æqualiter meritis, cum esset magistra erroris, facta est discipula veritatis; quos E etiam ambos pariter pro ejus commodo et salute tantum laborasse constat, ut Attilam Dei flagellum, ferociter in ipsam urbem irruentem, etiam strictis gladiis a nefario conatu divinitus occurrentes, expulerint: pari (inquam) utrosque honore, tot beneficiorum memor, et quam gratissimo potest animo, prosequitur; dignitatemque utriusque variis in locis vicissim extollit: atque ipsa Apostolica sedes Romanique Pontifices, antiquissimum morem adhuc retinentes, ne major uni, quam alteri honos exhiberi videatur; licet Pauli faciem in dextra, Petri vero in sinistra plumbei sigilli apponi faciant: tamen in ipsa diplomatum scriptura, cui idem sigillum appenditur, et alias, quoties de iisdem mentionem fieri contingit, Petrum primo, mox Paulum nominant.

442 Nuperrime autem in regia aula Vaticani, structuræ magnificentia et specie haud facile alteri in orbe secunda a Paulo III. olim incepta, nunc demum tua, Gregori, munificentia ac liberalitate, pulcherrimo opere, picturis et pavimento, illustrata atque perfecta, non inconsulte artifices, ipsorum Apostolorum imagines, non uno modo, sed vicissim F alteram alteri cedentem finxerunt. Quod si tot, doctrina et sanctitate conspicui patres, uter eorum alteri præstaret, definire ausi minime sunt, sed eos æque venerandos esse, statuerunt, quis id amplius in contentione ponere audeat? Quare satius fuerit præclara eorum admirandaque facta mente evolvere; excelsas utriusque virtutes, vitæ innocentiam, memoranda exempla, divinaque scripta, et præcepta ab illis nobis tradita accurate perpendere et contemplari; quantumque in nobis est, ut eorum quam simillimi efficiamur conari; per signa sacrasque illorum imagines in gloriosæ sortis eorum cogitationem ascendere, cogitando admirari, admirando humili eos corde rogare, ut nobis apud regem regum, omnium creatorem et moderatorem suis suffragiis præsto esse velint; ut et nos aliquando tantæ felicitatis consortes esse mereamur: ac, quando hujus sanctæ Sedis fundatores fautoresque semper extiterunt, eam etiam perpetuo protegere dignentur; et te Gregorium XIII eorum loco navis gubernacula, divino consilio, nostris temporibus regentem, a fluctibus procellisque defendant; nostroque et Reipublicæ Christianæ beneficio, tantum principem et pastorem, in quo nec doctrinam, nec prudentiam aut gravitatem morum, nec optimæ mentis conscien-

A scientiam aut gubernandi peritiam, omnibusque in rebus æquabilitatem, aut ullam denique virtutem desiderare aliquis jure possit, diutissime servari, eorum intercessione et precibus, a Domino contendant.

C. J.

AUCTARIUM

Alterum ad eamdem apsidem.

Præterquam quod in apside nostra repræsentetur Paulus ad dextram sedentis Christi Domini in throno, et Petrus ad sinistram : alia quoque nonnulla ibidem adhuc sunt animadversione digna, quæ vix aut obiter tantum tractavimus; videlicet de cruce gemmata; de libro in manu Domini; de sandaliis pedum; quatuor fontibus; item de positura Pauli ad dextram Petri. Hæc præsentis Auctarii argumenta sunt, confirmatura quæ jam diximus et lucem allatura illis, quæ non tetigimus. Prodiit nuper Romæ et in manus meas nuperrime venit (postquam tractatus meus de antiqua S. Petri basilica in Vaticano compositus ac majori parte B *impressus esset) liber Abbatis Joannis Christophori Battelli, prædictæ basilicæ Beneficiati, in quo disserit auctor de sarcophago marmoreo Probi Anicii et Probæ Faltoniæ in templo Vaticano; atque imagines, quæ in illo plures, sub finem seculi IV, (quando Probus vir consularis et christiana pietate insignis obiit) sculptæ adhuc conspiciuntur explicare conatus est, ac multa dilucide pertractat. Nonnulla in illis sunt, quæ etiam in apside nostra simili modo repræsentantur; eaque, prætermissis ceteris, ex Battelli explicatione, quemadmodum supra aliorum aliquot dedi, hic propono.*

Alia in apsidem Vaticanam notata,

ex libro Battelli nuper edito.

444 *Prima Auctoris observatio versatur circa crucem gemmatam seu gemmis ornatam, quam in prædicto sarcophago Salvator mundi stans, dextra erectam tenet, quamque apsis nostra per se stantem in throno exhibet, uti videre est in tabula apsidis pag. 121, et in altera, pag. 127. De sua Battellus pag. 40, num. 13, ita scribit:* Crux gemmis ornata, quæ in Redemptoris dextra manu conspicitur, pium signat morem veterum Christianorum, quibus, ut S. Joannes Chrysostomus advertit *in homil. de adorat. Crucis*, sanctissimum hoc salutis nostræ tropæum ex auro, margaritis, gemmisque effigiare solenne fuit : ut scirent omnes, crucem, sontium olim suppliciis infamatam, ipso visu horrendam, ore nefandam, et horrore C cavendam, ex quo eam pro salute hominum Christus Redemptor noster sponte subiit, jam fuisse redditam fulgentem, decoram, pretiosam, atque gloriosam: cujus moris meminit etiam Prudentius *contra Symmach. lib.* I, cum Romam alloquitur, his versibus :

De cruce gemmata,

Agnoscas Regina libens mea signa necesse est,
In quibus effigies Crucis, aut gemmata refulget,
Aut longis solido ex auro præfertur in hastis.

445 Hujus autem religiosissimi instituti primordia referenda profecto sunt ad Constantinum Magnum, qui post partam insignem de Maxentio tyranno victoriam sanctissimæ Crucis virtute, ad illius cultum et venerationem ubique terrarum propagandam, miro studio exarsit, et primus omnium in ipsomet Romani fori umbilico suum erigi jussit simulachrum, quod triumphale Crucis vexillum dextra manu præferebat, nobili hoc inscripto titulo, ut Baronius tradit *ann.* 312. *tom.* 3. *pag.* 79. *edit. Romanæ.*

a Constantino M. honorato.

HOC SALUTARI SIGNO,
VERO FORTITUDINIS INDICIO,
CIVITATEM VESTRAM
TYRANNIDIS JUGO LIBERAVI,
ET S. P. Q. R. IN LIBERTATEM
VINDICANS,

PRISTINÆ AMPLITUDINI ET D
SPLENDORI RESTITUI.

Quinimo et in suo Constantinopolitano palatio crucem auream, pretiosis undique gemmis excultam, locari præcepit; quod Eusebius *lib.* 3. *cap.* 4. *Vit. Constant.* his plane verbis memorat : Tantus item, et tam divinus amor Imperatoris animum complexus est, ut in ipso palatii introitu, in ædificio omnium excellentissimo, in medio tecti laqueari inaurato, in tabula maxima explicata, salutaris passionis insigne ex lapillis pretiosis cujusque modi, auroque multo polite elaboratis confectum, figendum caraverit.

446 *Habet quoque, uti in sarcophago, ita et in apside nostra, Salvator librum seu* volumen, quod stans supra montem læva manu præfert, qua specie in antiquis præsertim tabulis pictus et sculptus frequenter occurrit, significat autem novæ legis editionem, ab eodem Reparatore nostro peractam, qui est lux mundi et via, veritas ac vita, et liber vitæ. Ita explicatur a Durando *in Rational. lib.* I *cap.* 3 et a Ciampin. *de vet. monum. cap.* 27 *pag.* 247. Quod autem Salvator monti insistens exhibeatur, referendum videtur ad ejusdem novæ legis promulgationem in monte factam, de qua Matth. cap. 5. Neque E id mysterio caret; sicut enim Deus, legis antiquæ tabulas Moysi traditurus, illum accersivit in summum verticem montis Sinai, ut ab ipsa loci altitudine præceptorum sublimitas dignosceretur; ita plane æternus Dei filius majora præcepta oblaturus populo, quem charitate jam liberari convenerat, par erat, ut e montis cathedra cœlestis doctrinæ suæ aperiret exordium; quod S. Augustinus *lib.* 1. *de serm. Domin. in monte*, his verbis exponit : Si quæritur, quid significet mons, bene intelligitur significare majora præcepta justitiæ, quia minora erant, quæ Judæis data sunt. Et inferius : De hac ergo justitia, quæ major est, per Prophetam dicitur, Justitia tua, sicut montes Dei : et hoc bene significat, quod ab uno Magistro solo, docendis tantis rebus idoneo, docetur in monte. Volumina consimilia, quæ in Apostolorum Christo assistentium manibus conspiciuntur, acceptam ab ipso facultatem docendi et prædicandi Evangelium omni creaturæ, designant; ea autem non incongrue manibus retinent, cum ab eodem Salvatore moniti fuerint facere et docere, ut advertit Ciampinus loco proxime citato.

De voluminibus, quæ tenentur manu.

447 *Imagines quoque Christi Domini et Apostolorum in apside nostra, æque ac in sarcophago*, tunicatæ ac palliatæ apparent, quales in singulis fere cœmeterialibus tabulis inspiciuntur. Eo indumenti genere usum fuisse Redemptorem nostrum, satis aperte tradit Euthymius in illa Joannis verba : Surgit a cœna, et ponit vestimenta : ubi hæc ait : vestimenta, hoc est, pallium : nam eo solemus exui aliquid operis facturi. Eusebius autem *lib.* 7. *cap.* 14. et Sozomenus *l.* 5. apud Cæsaream Philippi ad sua usque tempora æream Christi Domini statuam pio studio mulieris, a sanguinis profluvio curatæ, illi erectam stetisse testantur; quæ quidem sacra imago tunicam ac pallium præferebat. Apostolos itidem hoc eodem indumenti genere uti consuevisse, ex illis Domini verbis apud Matthæum *cap.* 5, perspicue comprobatur : qui vult tecum (inquit Christus) judicio contendere, et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium. Et Matth. 16. Nolite possidere duas tunicas. Inde vero, nimirum a Christi et apostolorum exemplo, clerici morem sumpserunt deferendi tunicam et pallium, quibus nostra etiam ætate communiter indui solent, ut notat Aringhus *lib.* 6. *cap.* 28. *num.* 1. Erat olim pallium propria vestis philosophorum, præcipue Græcorum; hinc Christiani, qui veræ sapientiæ secta-

F *De figuris tunicatis et palliatis,*

A sectatores se profitebantur, ab ipsis nascentis Ecclesiæ primordiis pallium, tamquam convenientem suæ professioni habitum usurparunt.

ex sanctis patribus.

448 Quod Tertullianus in suo eruditissimo opusculo de Pallio fusius explicat, et postquam de illius forma, usu, et laudibus subtiliter et copiose disseruit, tandem de se ipso, relicta gentilitate ad Christianam Religionem converso, quod togam, commune Romanorum indumentum, abjecerit et pallium sumpserit, hæc ait in fine opusculi. At ego jam illi *pallio*, etiam divinæ sectæ et disciplinæ commercium confero : gaude pallium et exulta; melior jam te Philosophia dignata est, ex quo Christianum vestire cœpisti. Quid autem pallium mystice significet, S. Ambrosius *de Virgin. lib.* 3. diserte nos docet his verbis : Caveamus igitur, ne lapsus noster vulnus Ecclesiæ fiat : ne quis a nobis pallium auferat, hoc est, amictum prudentiæ, insigne patientiæ, quo mollioris ambitio vestis exuitur. Qui enim mollioribus vestibus induuntur, in domibus regum sunt. Nobis autem pallium dedit Christus, quo apostolos suos, et corpus suum ipse vestivit. Quod denique jubet te dare, si quis a te tunicam petat, ut dimittas ei et pallium, id est, insigne philosophiæ tuæ tradas, et quasi amictu B prudentiæ tuæ eum, qui ante nudus fuerat, circumvestias.

De sandaliis in pedibus

449 *In sarcophago, inquit Battellus (puta etiam in apside nostra, quamvis non satis distincte expressum sit)* Salvatoris et apostolorum aliorumque Sanctorum pedes teguntur sandaliis; quod certe non ad sculptoris placitum factum credas, nec ad temporum mores vel regionis referendum, sed potius ad ejusdem Domini nostri mandatum, qui *Marc. cap.* 6. præcepit apostolis, nequid tollerent in via, nisi virgam tantum : non peram, non panem, neque in zona æs, sed calceatos sandaliis; et ne induerentur duabus tunicis. Sandaliis igitur ex præcepto Domini apostolos, quin etiam ipsum Dominum uti consuevisse, tum hæ, tum plures aliæ antiquissimæ eorum imagines luculenter ostendunt. Ideo vero Salvator sandalia gessisse, eorumque usum apostolis injunxisse fertur, quia in Palæstinæ præsertim regione ejusmodi calceamenti genus ab infimæ sortis dumtaxat hominibus, ac egenis usurpabatur : quales profecto Dominus sectatores suos esse, palamque exteriori etiam corporis cultu semetipsos exhibere, in primis cupiebat, ut tradit Aringhus *Rom. subterr. lib.* 6. *cap.* 28. Quid autem sandalia significent, C Beda *in epist. ad Ephes. cap.* 6. his verbis exponit : Marcus dicendo calceari apostolos sandaliis, vel soleis, aliquid hoc calceamentum mysticæ significationis habere admonet, ut pes neque tectus sit, neque nudus ad terram, id est, ne occultetur Evangelium, nec terrenis commodis innitatur. Hoc idem evangelicæ prædicationis mysterium in sandaliis agnoscit et explicat S. Anselmus *in Matth. homil.* 3. : Calceamentum est totum Evangelium. Apostoli dicuntur habuisse sandalia, quæ subtus soleas habent, desuper vero aperta et ligata corrigiis, quia pedes apostolorum sunt calceati in præparatione Evangelii pacis. Evangelium debet prædicatores munire, ne terrenis adhæreant, sed debet esse apertum audientibus, ad quos eunt. Eidem plane sententiæ adstipulatur Albinus *de divinis Offic.* ubi hæc ait : Sandalia dicuntur soleæ; est autem genus calceamenti, quo induuntur ministri Ecclesiæ, subterius quidem solea muniens pedes a terra; superius vero operimentum habens; significat autem ministrum verbi Dei non debere terrenis incumbere, sed potius cœlestibus inhiare, et prædicationem suam nulli occultare.

De 4 fontibus sub monte fluentibus.

450 Quatuor fontibus *(sunt illi similiter et in sarcophago et in apside)* seu potius fluminibus, e monte, cui Salvator insistit, scaturientibus, designari opinamur, quatuor illa Paradisi celeberrima flumina, D de quibus in Genesi *cap.* 2. Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita. His autem quatuor fluminibus, ab uno fonte de loco voluptatis egredientibus, jugiterque fluentibus ad irrigandam superficiem universæ terræ, sacra quatuor Evangelia ab uno Domino Salvatore, qui est fons vitæ, per universum mundum diffusa, mystice prænotari, una eademque est omnium fere patrum sacrorumque interpretum sententia; inter quos S. Eucharius *in cap.* 3 *Genes.* hæc ait. Quatuor Paradisi flumina quatuor sunt Evangelia ad prædicationem cunctis gentibus missa. Idipsum tradit etiam disertissimus Cyprianus *tractat. de ablut. ped.* hæc dicens : Hinc egredientia quatuor Evangelii flumina per universum mundum regenerationis evehunt lavacrum. Et *Epist.* 73. *ad Julian.* Has arbores rigat quatuor fluminibus, id est Evangeliis quatuor, quibus Baptismi gratiam salutaris cœlesti inundatione largitur. Idem plane Theodoretus affirmat in illa Regii Prophetæ verba; fluminis impetus etc. Fluvium (inquit) hic Evangelicam prædicationem nuncupavit : sicut enim Paradisi fons in quatuor flumina E divisus est, eodem modo hic Dei fluvius infinitos habuit et innumerabiles rivos, qui percurrerunt omnes hominum gentes. Porro Innocentius Papa III. *in sermone, quem habuit in festo S. Gregorii Magni*, iisdem fluminibus divinarum scripturarum fluenta, earumque mysticos sensus significari, his verbis tradit : Fluvius inde progrediens est sacra Scriptura, quæ per Spiritum sanctum est edita et exposita. Sicut enim fluvius ille dividitur in quatuor capita, sic Scriptura sancta in quatuor species, Historiam, Allegoriam, Anagogen, et Tropologiam. Hæc Innocentius.

Cur Paulus ad dextram Petri.

451 *De positura imaginum S. Petri et S. Pauli, illius ad sinistram, hujus vero ad dextram Christi Salvatoris in apside nostra, multa jam diximus, et tractatum Francisci Mucancii illa de re dedimus. Eamdem posituram habet sarcophagus; in quam Battellus ex variis scriptoribus ac suo quoque ingenio commentatur sequentia.* Inter Sarcophagi imagines animadversione digna videtur inversa atque præpostera collocatio SS. Apostolorum Petri et Pauli : hic enim ad dextram, ille vero ad sinistram Salvatoris constitutus apparet, ut Petri calvities ostendit, qua ferme specie eum a priscis usque temporibus pingi consuevisse notat Molanus *de sacr. Imagin. lib.* 3. *cap.* F 21. Perantiqua sane est, et multorum torsit ingenia, quæstio; Cur Paulus in plerisque veteribus signis et imaginibus, quin etiam hodie in Apostolicis diplomatibus, a dextris Petri collocetur : cum juxta vulgarem sensum hoc rerum ordo deposcat, ut Petrus, qui Senatus apostolici Princeps est, dexterum latus teneat, Paulus autem, qui junior est, et illi potestate inferior, sinistrum jure possideat, ut ait D. Petrus Damiani, qui omnium primus, *in epistola ad Desiderium*, quæstionem hanc discutiendam sibi proposuit. Variæ quidem sunt circa ejusmodi morem ecclesiasticorum scriptorum sententiæ, quas operæ pretium ducimus hic paucis perstringere.

An pars sinistra dignior sit, quam dextra.

452 Opinantur quidam ideo Petrum in sinistra collocari consuevisse, quia pars læva vel sinistra apud veteres cum Romanis, tum Græcos, quin etiam apud Hebræos, dignior atque nobilior dextra in sacris habita fuerit; quod multis allatis argumentis et exemplis suadere conantur, præ cæteris Chasanæus *in Catalog. glor. mund. part.* 3. *cons.* 2. Goropius Becanus *lib.* 3. *Hieroglyph.* Baron. *ann.* 325. *tom.* 3. Bin. *in annotat. ad Concil. Nicæn.* Macrius *in sua notitia Vocabul. Eccles. verb. Bulla.* Sed multo copiosius, ac eruditius omnibus sinistræ manus dignitatem

A tem probare nititur Antonius Nebrissensis *in annot. ad quinquag. Scripturæ loca.*

C. J.

Honoris causa Paulus Petro prælatus:

453 Hæc autem opinio a pluribus aliis, et præsertim ab eruditissimo Allatio *de Eccles. Occident. et Orient. perp. consens. lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 7. *et seq.* Macedo, *de clavibus Petri, et potest. Roman. Pont. in Bibliotheca Max. Roccabert. tom.* 12. et Mucantio *in suo inedito opusculo de Imaginibus SS. Petri et Pauli*, docte, solide, et copiosissime confutatur, simulque statuitur dextram multo digniorem, præstantioremque apud omnes populos semper habitam fuisse. Idipsum sentire videtur etiam S. Petrus Damiani, qui propterea ratus, non inconsulte a religiosa antiquitate digniorem locum Paulo fuisse tributum, ad alias mysticas ejusmodi moris rationes examinandas convertitur. Porro hujus sententiæ sectatores arbitrantur, Paulum Petro olim fuisse prælatum, et nunc maxime in apostolicis diplomatibus anteferri, honoris gratia; cujus honoris sex potissimum rationes proponunt.

quia utilior fuerit Ecclesiæ multis:

454 Prima est, quia Paulus plus Ecclesiæ profuisse videtur, quam Petrus; plures enim ex gentibus ad Christi fidem adduxit: plures Provincias B summo cum labore peragravit: plura scripta, eaque utilissima nobis reliquit. Ecclesia vero in colenda Sanctorum memoria æque respicit gradum honoris, quem habuerunt in terris; ac utilitatis, quam posteris attulerunt. Cum autem gratitudinis causa eos honoret, illis majorem cultum defert, quibus plus debet. Certe Stephanus et Laurentius Diaconi tantum erant, quorum ille S. Jacobo episcopo et apostolo, iste S. Sixto summo Pontifici ministravit, et tamen Ecclesia magis honorat Stephanum, quam Jacobum; magis Laurentium, quam Sixtum, quia clarissima horum Diaconorum martyria toti Ecclesiæ mirifice præluxerunt. Pari ratione S. Hieronymus et S. Thomas Aquinas simplices Presbyteri fuerunt: Antonius, Benedictus, Franciscus, ne Presbyteri quidem, et tamen ab Ecclesia, quod ad cultum attinet, multis sanctis episcopis, et martyribus, et summis etiam pontificibus præponuntur; quoniam illi scriptis libris, isti Ordinum religiosorum institutione plurimum Ecclesiæ profuerunt. His plane verbis primam hanc rationem explicat Cardin. Bellarminus *de Roman. Pontif. lib.* 1. *cap.* 27.

qui præsignatur in Benjamin.

455 Altera ratio est, quia Paulus de Tribu Benjamin erat, et in ipso Benjamin demonstratus ac C typice expressus in Scripturis; porro Benjamin, etsi postremus erat inter filios Jacob, tamen et a patre filius dexteræ est appellatus, et a Joseph omnibus fratribus antepositus, ut habetur in Genesi *cap.* 35 *et* 42. Cui quidem rationi, a Petro Damiani primum excogitatæ, et mox admissæ a Bellarmino, *ubi supra*, Menoch. *Stromat. lib.* 1. *cap.* 21. Casal. *de vet. sac. Christian. rit. cap.* 2. et pluribus aliis, plane consonant carmina posita in argenteo ciborio sacrosanctæ Lateranensis ecclesiæ, in quo veneranda capita SS. Apostolorum Petri et Pauli asservantur, eo inter se ordine collocata, ut Paulus dexterum, Petrus autem sinistrum locum teneat, teste Soresino *in suo opusculo de iisdem sacris capitibus cap.* 1. Sunt autem carmina hujusmodi.

Cedit Apostolicus Princeps tibi, Paule: vocaris
Nam dextræ natus, vas, tuba clara Deo.

quia doctor gentium præcipuus:

456 Tertia ratio est, quia Paulus Doctor gentium præcipue fuit, Petrus autem Judæorum: ut igitur significaret Ecclesia, Gentiles Judæis antepositos esse ab eo, qui dixit, major serviet minori, Paulum Petro anteposuit. Ita Bellarminus, Menochius et alii præcitati.

quia e cœlo vocatus ad apostolatum

457 Quarta ratio est, quia dextera significat vitam cœlestem, sinistra vero temporalem; unde non immerito dexter locus Paulo tribuitur, qui de cœlo D vocatus fuit a Christo immortali et regnante ac sedente ad dexteram Patris; et vivens adhuc ad cœlestia raptus est. Petrus autem vocatus fuit a Christo, adhuc mortali carne circumdato, et quodammodo in sinistris constituto, ideoque illi sinistra assignatur. Hanc rationem maxime probat S. Thomas *in epist. ad Galat. cap.* 1. *lect.* 1. ubi hæc ait: Petrus, qui vocatus fuit a Christo adhuc in carne mortali posito, ponitur in Bulla Papæ in sinistra parte; Paulus vero, qui vocatus fuit a Christo glorificato, ponitur in dextera: eamque rationem allegant etiam Perrus Damiani *ubi supra.* Innocentius III. *serm. de Evangelistis.* Durandus *in Rational. l.* 7. *c.* 44. Menochius et Casalius, locis proxime citatis.

item ut extolleretur Petri humilitas:

458 Quinta ratio est, ideo Petrum collocari a sinistris, ut illius humilitas ac modestia, qua maxime excelluit, hoc exemplo declaretur, simulque documentum sumatur, Pontificem Maximum non alia virtute magis, quam humilitate præditum esse oportere; quod ipse palam profitetur, dum in omnium apostolicarum litterarum exordio se servum servorum Dei appellat. Hanc rationem attingunt præ cæteris Mucantius, Casalius et Soresinus, locis E præallegatis, eamque fusius, ac erudite comprobat Dominicus Rainaldus *apud Allatium de Eccles. Occid. et Orient. perpet. consens. lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 12.

et ob æqualitatem meritorum utriusque:

459 Sexta demum ratio est, quia dum Paulus Petro præponitur, significari potest, hos apostolos esse meritis æquales: nam et Scriptura æqualitatem inter Filium et Patrem significat, dum Filium docet ad dexteram Patris sedere. Ita Casalius et Soresinus, qui ad assumptum comprobandum sequentia carmina subdit.

Bissenos inter Proceres duo lumina, per quos
Roma potens magni sustinet orbis onus.
Seu dextra, lævaque sedent, par gloria utrique,
Par honor, et laus est: stat bene quisque loco.

non ex arbitrio pictorum sic positi fuerunt.

460 Porro alii in longe diversam abiere sententiam. Opinati enim sunt sculptorum, pictorumque hallucinatione, ac imperitia morem hunc in ecclesiam invectum esse, nullaque prorsus venerandæ antiquitatis auctoritate fulciri. Ita præ ceteris Antonius Caracciolus *in sua epistola apud Allatium, ubi supra, num.* 3. Hæc tamen opinio paucos habet suffragatores, eamque, ut futilem, rejicit idem Allatius. Cum enim (ait ipse) iconum iste situs non heri, aut nudius tertius, vel avorum nostrorum memoria cœperit, sed multo Petri Damiani antiquiora tempora F agnoscat; si errore id sculptorum aut pictorum in Ecclesiam irrepsisset, et emendassent summi Pontifices, et scriptores causam hujusce prælationis tam sedulo atque anxie quærere desiissent. Paris autem de Grassis apud eumdem Allatium non modo id consulto factum affirmat, verum etiam ejusmodi moris originem referendam putat ad monachos S. Benedicti, qui cum celeberrimo divi Pauli de Urbe templo præessent, suoque tutelari plus æquo favere vellent, ipsi digniorem locum assignare cœperunt. Paridis tamen sententiam in eo, quod ad hujus consuetudinis primordia spectat, nequaquam subsistere vel ex hoc ipso Probi Anicii sarcophago manifeste colligitur, in quo Paulus ad Petri dexteram locatus est; has enim imagines, cum sub exitum quarti seculi sculptæ fuerint, Benedictinæ familiæ ortum præcessisse, nemo negaverit.

Paulus non semper a dextra Petri collocatus.

461 In hac opinionum varietate quid statuendum sit, præstantioris ingenii judicio relictum velim. Illud tamen silentio prætereundum non esse arbitror, consuetudinem hanc ponendi effigiem Pauli ad dexteram Petri, in Ecclesia non fuisse perpetuam, atque constantem. Id in primis perspicuum fit ex antiquis-

A antiquissima tabella, S. Silvestri ævo depicta, quæ in basilica Vaticana summa cum religione custoditur; in ea enim Petrus ad dexteram Pauli collocatus aspicitur. Multa alia consimilia antiquitatis exempla recenset Allatius, *ubi supra num.* 8. eumdemque ordinem a Nicolao IV. Bonifacio VIII. Nicolao V. Pio II. Sixto IV. et aliis Romanis Pontificibus in collocandis utriusque apostoli signis perpetuo observatum fuisse, notavit Mucantius. Nostra etiam ætate in Pontificiis numismatibus Apostolorum capita eadem plane specie semper excudi manifestum est; quin et in ipsa Vaticanæ basilicæ area veteres statuæ marmoreæ SS. Petri et Pauli ita collocatæ cernuntur, ut hic sinistram, ille vero dexteram partem obtineat. Et quotiescumque in ejusdem basilicæ altaribus argentea vel ænea utriusque apostoli simulacra fidelibus colenda proponuntur, Petrus in dextero, Paulus autem in sinistro latere constituitur. Contra vero dum Pontifex Maximus in ipsa basilica sacris solennibus operatur, statua Petri in sinistra, statua vero Pauli in dextera parte ponitur, idemque ordo in pontificia capella ex antiquissimo more servatur. Insuper Paulus II. et avorum nostrorum memoria Paulus B itidem V. S. Pauli statuam alicubi a dextris S. Petri locari, aut jusserunt aut passi sunt: quod in honorem apostoli, cujus nomen gerebant, fecisse perhibentur, et de Paulo II. expresse tradit Mucantius.

Petrus major potestate, Paulus sapientia.

462 Hanc autem varietatem et inconstantiam, probabili ratione subnixam, opinatur Cardin. Bellarminus, et per eam significari ait, summos hos Apostolos vel pares esse inter se, vel certe ignorari, uter alteri præstet. Nam etsi Petrus major fuit potestate, Paulus tamen majore extitit sapientia: ut eleganter monet S. Maximinus *serm. ultim. de SS. Petro, et Paulo*; ubi Petro clavem potentiæ, Paulo clavem sapientiæ traditam esse dicit. Hinc S. Leo *serm.* 1. *de Natali Apostolor.* Hos, inquit, gratia Dei in tantum apicem inter omnia Ecclesiæ membra provexit, ut eos in corpore, cui caput est Christus, quasi geminum constituerit lumen oculorum: de quorum meritis, atque virtutibus nihil diversum, nihil debemus sentire discretum, quia illos, et electio pares, et labor similes et finis fecit æquales. D Eaque forte ratione summus olim Pontifex in Natali die SS. Apostolorum non in basilica tantum Petri in Vaticano, ut hodie, sacris operabatur, verum etiam in basilica Pauli via Ostiensi, sacra vota duplicare consueverat, teste Prudentio *hymn.* 12., cum ait:

C. J.

Transtiberina prius solvit sacra pervigil sacerdos
Mox huc recurrit. duplicatque vota.

Quem Prudentii locum explicans Menochius *Stromat. par.* 4. *cap.* 97. hæc inquit: Pontifex primum adit ecclesiam S. Petri, ibique solemnia sacra peragit; mox ad templum S. Pauli pergit, ibidem sacra vota duplicaturus. Idipsam de varia ac mystica imaginum utriusque apostoli collocatione sensisse videtur Petrus Damiani, dum ait: Cum Petrus ad dexteram ponitur, primatus ejus inter apostolos honoratur; cum vero Paulus in Benjamin, qui filius dexteræ nuncupatur, redolet sacramentum. Itaque, ut Mucantius concludit, nihil Petri dignitati, auctoritati aut primatui derogatur, cum Paulo dextera tribuitur; nec Pauli mirificæ electioni, sapientiæ ac meritis, cum eamdem Petro assignamus; sed et utrisque aptissime convenit, in quo inest mirabile inter ipsos æqualitatis mysterium. Quemadmodum E enim, cum ipsum Deum Patrem ad dexteram Filii esse, Propheta ait, divinitatis humanitatisque differentiam intelligimus: ita etiam, cum Petrum Paulo præponimus, Pontificiæ dignitatis culmen; cum vero Paulum ad Petri dexteram collocamus, æquelitatem gloriæ, qua ob æqualia merita ambo in cœlis fruuntur, significari recte dixerimus.

463 Ceterum quæ de utriusque apostoli paritate dicuntur, non ita accipienda sunt, ut constituant omnimodam inter eos æqualitatem sine subordinatione et subjectione sancti Pauli sub sancto Petro in potestate suprema et regimine universali Ecclesiæ; hanc enim propositionem, a novatoribus magno olim studio propugnatam, Innocentius X. P. M. ut hæreticam, gravissimo decreto edito 24 Januar. 1647. confixit damnavitque. *Hactenus Batellus, quem qui volet, inspiciat et figuras etiam consideret.*

DISQUISITIO

C IN SUPPLEMENTUM CHRONOLOGICUM F

Quod Chronico Sigeberti Gemblacensis subjungi solet, sub nomine Roberti de Monte

PARS PRIMA

Quis ille Robertus sit, quando vixerit, quid chronici scripserit.

Damus hic promissam elucidationem;

Deductis hactenus, quæ ad sanctorum Apostolorum Principes Petrum et Paulum quodamtenus spectant, elucidatisque aliquatenus rebus vetustis, quæ in prima B. Petri basilica in Vaticano Romæ, a Constantino Magno magnifice constructa, a S. Silvestro Papa nomini ejus solenniter dedicata, olim extiterunt; subnecto nunc pauca, quæ etiam ad Supplementum Junii, in quo versamur, videri possunt pertinere, quæque ego Parte prima hujus Appendicis pag. 23. litt. A *promisi hic danda. Recognoscens enim obiter scripta Magistri nostri de S. Norberto tomo* I. *Junii, in iisque relegens elogium Viri sancti, e Supplemento Roberti de Monte depromptum, relatumque ibi ad seculum* XIII.; *judicavi ex meis in Supplementum Roberti annotatis, elogium istud ad seculum* XII. *esse referendum, ipsumque Supplementum illud non esse solius Roberti, utpote qui ad seculum* XIII. *non supervixit; divisique totum in tres sectiones, quarum prima ab anno* MCXIII., *quo Sigebertum obiisse constat, pertingit ad annum circiter* MCLV.; *altera inde prosequitur usque ad* MCLXXXVI *quo obiit Robertus; tertia denique absolvit reliqua usque ad annum* MCCX. *Primæ sectionis collector ignotus mihi est; secundæ, est Robertus; tertiæ monachum esse Gemeticensem, conabor ostendere. Citavimus quoque ex eodem Supplemento in Commentario nostro ad Acta B. Floræ virginis tom.* II. *Junii pag.* 37*, *nonnulla de S. Amatore, et alibi alia; quæ ut distinctius intelligantur, cujus auctoris ac temporis sint, præstemus promissa.*

in Supplementum chronolog. Roberto de Monte passim adscriptum.

2 *Adversabuntur dictæ sententiæ meæ omnes qui ab Gerardo Joanne Vossio, licet in talibus versato, stabunt. Scribit namque ille in Historicis Latinis pag.* 420 *editionis Batavo-Lugdunensis, anno* MDCLI. *curatæ, in hunc*

Vossius adjudicat Roberto abbati montis S. Michaelis

A *hunc modum;* Stephani et Henrici II. *Angliæ regum,* temporibus (*regere prior cœpit anno* MCXXXVI, *posterior regnare desiit* MCLXXXIX.) claruit Robertus de Monte Michaelis, ita dictus, quia cœnobii hujus Abbas fuerit. Patria erat Normannus, atque ut Bostonus Buriensis prodidit, reliquit gesta Walwani; hæc gesta Waradoci; item Chronicorum opus; quod, ut Thomas Rudburnus et Joannes Lelandus testantur, perduxit usque ad annum MCLVIII. Diversus est a Roberto Montensi Abbate, itidem Normanno, qui Sigebertum continuavit, ut suo loco dicemus. *Videlicet pag.* 446, *ubi sic habet :*

C. J.

Supplementum istud,

3 Imperante Ottone IV. qui Philippo successit anno MCCVIII, fuit Robertus Montensis, Abbas Normannus Gallus : unde et in quibusdam MSS. vocatur, Robertus abbas de Normannia ; uti in eo quod est in Bibliot eca publica Cantabrigensis academiæ. Aliis quoque (*citat. in margine Miræum in Chron. Ord. Præmonstr. pagin.* 16, *et Meyerum, in Annal. Flandriæ ad ann.* MCXLVIII) vocatur Robertus Normannus, abbas Montis Navalis ; vel simpliciter, Robertus abbas Montis Navalis. Continuavit is Chronicon Sigeberti usque ad annum MCCX. A Joanne Lelando, quem et Possevinus sequitur, traditum est,
B continuari ab eo Chronicon Sigeberti usque ad annum MCLVIII ; atque ipsum tum temporis claruisse. Sed duobus et quinquaginta annis ulterius processisse, nemo negabit, qui Appendicem eam inspexerit. Idem Possevinus consignasse ait, tam gesta Marodoci, tum etiam Maluwani. Nimirum confudit duos Robertos Montenses Normannos, quorum uterque abbas, sed unus cœnobii S. Michaelis, idque temporibus Stephani regis et Henrici II : alter abbas Abrincencis, idque temporibus Henrici II, Richardi I, et Joannis regis.

adjudicat vero cuidam Roberto Montensi, abbati Abrincensi,

4 *Producit hic Vossius duos Robertos Abbates Montenses, Normannos, scriptores ambos, nullo alio discrimine, quam quod alter, quem priorem ætate facit,* fuerit *Abbas* S. Michaelis ; *alter vero, ætate paulo posterior, Abbas* Abrincensis ; *neutrius interim diem annumve assignans obitualem ; nullum indicans auctorem, ex quo discrimen illud hauserit ; nullum qui Roberti abbatis Abrincensis meminerit. Plusculum elucidationis res postulat. Sammarthani in Abbatiis Galliæ nullam* Abrincensem *abbatiam , hoc saltem sub titulo, agnoscunt : agnoscunt vero abbatiam* S. Michaelis de monte Tumba in periculo maris, *ejusque abbates annumerant : quos inter recensetur* decimus septimus, Robertus de Torigny ; vulgo dictus Robertus de
C Monte ; vir genere, ingenio et virtute clarus ; ex priore claustrali Beccensi, monachorum omnium assensu abbas creatus anno MCLIV. *Et post multa, de præclaris viri gestis scriptisque relata,* denique *aiunt,* plenus meritis, post annos XXXII, ab electione, meliorem vitam ingreditur XXIV. Junii MCLXXXVI. Stephanus episcopus Redonensis synchronus, ejus laudes carmine celebravit. *Quod etiam ipse Robertus in chronico suo memorat ad annum* MCLXXVIII. *his verbis :* Scripsit etiam mihi quinquaginta versus de senectute, in quorum ultimo prædictorum versuum, una clausulam posuit. *Qualis autem illa clausula fuerit, non prodit :*

nullius auctoritate ostendens, talem uspiam in mundo fuisse.

Tribuunt istud priori Roberto Sammarthani,

5 *Hinc vero, inquient Vossii sequaces , manifeste patet, Robertum illum non posse censeri auctorem Supplementi Sigebertini, utpote quod annos* XXIV. *ultra mortem illius protenditur. Non male hæc quidem illi : nec tamen recte, ut mox videbimus : quia supponunt unum tantum totius Supplementi auctorem esse. Ego ex citatis verbis nunc tantum sumo, Supplementum illud a Sammarthanis adscribi Roberto abbati de Monte S. Michaelis, antiquioribus passim vocato,* Tumba, *et* In periculo maris. *Ejusdem loci abbatem ac Supplementi auctorem agnoverunt pridem Trithemius, Gesnerus, Possevinus, Miræus in Auctario et alii; atque* Abbatem Montis S. Michaelis in Normannia, *aut simili cognomine appellant. Imo Auctor ipse in Supplemento suo, se satis prodit incolam prædicti montis et Abbatem fuisse ; nec personam suam celat. Nam ad annum* MCLVI., *de crebris per Burgundiam terræ motibus mentione facta,* etiam apud Montem S. Michaelis , *inquit,* illum sensimus, XVIII. Kal. Maji, feria VI., ante solis ortum. D

Trithemius, Possevinus Miræus, alii,

atque ipseme Robertus iste,

6 *Item ad annum* MCLXXIII., *agens de conventu episcoporum Normanniæ et Britanniæ, ab Henrico Rege Anglorum indicto, ait :* Hujus conventus causa venerunt usque ad Montem, ad nos, honorabiles personæ multæ. *Et sic sæpe alibi, dum simpliciter Montem nominat, de Monte S. Michaelis in periculo maris, ubi abbas erat, intelligendus est. Exempla habentur, ad annum* MCLXXVI., *ubi de se ipse modestiæ gratia loquitur in tertia persona, his verbis :* Robertus abbas Montis, scriptor horum temporum, pergens in Angliam, promeruit chartam et sigillum omnium eleemosynarum ecclesiæ Montis, quæ datæ fuerant prædictæ ecclesiæ, usque ad præsens tempus. *Atque iterum anno sequenti eodem modo se nominat. Anno autem* MCLXXVIII. *hæc lego :* Radulfus fecit hominium abbati Montis , apud Montem , de castello de Roca. E *Addendum his est, quod anno* MCLXXXII. *ita scribit :* Obiit pater noster Richardus Abrincensis episcopus. *Patrem vocat, ut ego quidem existimo, vel quia Mons et monasterium sunt in diœcesi Abrincensi, vel quia fundator restauratorve ejus fuit Abrincensis episcopus, S. Autbertus ; vel utraque de causa. Sic ad finem anni ejusdem ;* Obiit clarissimus, *inquit*, Dominus noster Rotrodus Rothomagensis archiepiscopus ; *non alia de causa,* nostrum *vocat, quam quod in hujus archiepiscopi provincia situm erat monasterium suum Montense S. Michaelis.*

non quidem totius Supplementi,

sed partis ejus se auctorem prodit,

7 *Fuit porro illic abbas Robertus ab anno* MCLIV. *usque ad* MCLXXXVI., *quo vivere desiit, uti e Sammarthanis jam dictum est, et certius constat ex ipso Chronico S. Michaelis in periculo maris, et ex historia abbatum ejusdem loci, apud Labbeum nostrum tomo* I *Bibliothecæ novæ librorum MSS. pag.* 347 *et* 350. *Chronicon illud terminatur in anno* MCLIV, *quo etiam anno ibidem sic legitur :* Mense Majo, VI. Kal. Junii, feria V. infra Octavas Pentecostes, electus est Robertus de Torinneio, prior claustralis Becci, ad regimen ecclesiæ S. Michaelis, ab omni conventu. *In Historia vero abbatum, ad eumdem annum leguntur eadem quatenus de electione sermo est ; atque additur :* Plurima bona operatus est, fuit custos castelli de Ponte Ursonis. Obiit MCLXXXVI. F

anno 1186. *mortuus :*

8 *Quæ igitur post annum illum sequuntur in Supplemento, alterius auctoris sunt. Cujus autem? Nomen quidem ejus me latet , sed alium, et quidem Monachum Gemeticensem fuisse, colligo ex mutatione styli ipsoque contextu. Nam , qui ab anno* MCLXXXVI. *et morte Roberti superadduntur anni numero quatuor et viginti, adeo discrepant brevitate sua a præcedentibus, ut tres dumtaxat pagellas ac dimidiam impleant, cum totidem anni præcedentes impleant paginas omnino* XXVI. : *quod manifesto indicio hic est, priores ab alio, ab alio posteriores contextos fuisse. In eadem posteriori parte Supplementi comperies identidem agi de rebus, spectantibus ad Abbatiam Gemeticensem ; de quibus bis terve solummodo in priori parte meminerat Robertus. Inspice contextum, leges ad annum* MCXC.; Obiit Robertus Abbas Gemeticensis, IV. Idus Junii. Eodem anno successit Rogerius Cellarius. *Ad* MCXCI.: Obiit Rogerius Abbas Gemeticensis IV. Kal. Novembris, cui successit eodem anno Richardus de Mara, ejusdem loci Monachus, XVII. Kal. Januarii. *Ad* MCXCVIII. : Obiit Richardus Abbas Gemeticensis, in festo Fabiani et Sebastiani ; et sequenti mense Februarii, Idibus ejusdem

reliqua inde sequentia monstrantur esse

A ejusdem mensis, electus est Alexander Abbas, qui Prior fuerat ejusdem monasterii prima die Quadragesimæ consecratus.

Monachi Gemeticensis.

9 *Præter hanc, tam distinctam annorum, mensium, ac dierum indicationem, quibus viginti quatuor annorum spatio abbates Gemeticenses, alii aliis successerunt, enumerat quoque donationes varias, eidem monasterio sub certis pactionibus factas a regibus et viris principibus; interea vix ullam alterius monasterii, nedum donationum faciens mentionem. Denique Monachum Gemeticensem fuisse auctorem hujus partis Supplementi, docet ipse auctor ad annum* MCCI. *ubi* Rogerius, Miles illustris, dedit ecclesiæ Gemeticensi *prædia aliquot* in manu Waltheri archiepiscopi; *et hic ea* dedit Alexandro Abbati et Monachis *Gemeticensibus,* et chartam, tam suam, quam supradicti Militis, fieri præcepit, non solum de jam dicta donatione, sed et de omnibus, quæ a prædecessoribus sæpe dicti Rogerii data nobis fuerant. Nobis, *inquit, abbati et monachis Gemeticensibus.*

Frustra igitur sint Roberti duo.

10 *Ex dictis consequitur, frustra adstrui a Vossio duos Robertos, Normannos, Abbates Montenses; quorum posterior ætate, temporibus Henrici II. Richardi I. et* B *Joannis, regum Angliæ, florens, in anno* MCCX. *finierit chronici Sigebertini Supplementum; non alio argumento (ut mea quidem fert opinio, cum ille aliam saltem non afferat probationem) quam quod putarit, totum illud Supplementum unius tantum scriptoris esse: quod jam satis monstratum existimo, aliter se habere. Consequitur indidem, non errasse Possevinum magis, quam quemvis alium illorum temporum, dum unum tantummodo agnoscit Robertum Montensem, Supplementi sæpe dicti auctorem, eique etiam tribuit, tum gesta Maradoci, tum Malwani. Quod vero idem, Joannem Lelandum citans, scripserit, a Roberto continuari chronicon Sigeberti usque ad annum* MCLVIII. *id Lelando potissimum errori detur. Possevinus enim e sua sententia ibidem scribit, Robertum* adjecisse Sigeberti Gemblacensis chronico Annales centum fere annorum *videlicet ab anno* MCXIII. *ad* MCCX. *quod plerique tunc verum credebant, et credidit etiam diu post Vossius, auctoritate codicum, tam impressorum eatenus, quam similium manu scriptorum.*

PARS II. De germano Roberti Chronico, partibusque et auctoribus, olim nomini ejus suppositis.

C

Chronicon Sigeberti

Q*uæ hactenus disputata sunt, procedunt secundum editiones Chronici Sigebertini una cum Supplemento, seu Appendice, sub nomine Roberti de Monte vulgata, quibus usus fuit Vossius, et eatenus impressa extabant variorum typis. Primam editionem curavit anno* MDXIII. *Parisiis Guilielmus Petit seu Parvus, ordinis Prædicatorum, vir alioqui doctus; quam dolet Miræus* nugis Galfridi Monumetensis seu Asaphensis inquinatam. *Eamdem recudendam curarunt, cum aliis antiquorum Scriptorum operibus, anno* MDLXXXIII. *Parisiis quidem, Laurentius de la Barre, Francofurtis vero ad Mœnum, Joannes Pistorius; et forte alii alias, usque ad annum* MDCVIII. *quo Miræus præcedentes editiones, per suam, ex autographo Sigeberti codice, aut certe antiquissimo apographo ejus concinnatam, emendavit: sed* Appendicem Roberti Abbatis montis Navalis in Normannia studio prætermisit; cum (*inquit in præfatione ad suam Sigeberti editionem*) mendis scateat, tum quod manuscriptam videre nondum contigerit.

a Miræo nugis purgatum est,

non item Appendix Roberti,

qui et Abbas montis Navalis appellatur,

12 *Cur Miræus, tam hic, quam in suo chronico Præmonstratensi, atque ante ipsum Meyerus, Robertum Supplementi auctorem,* Montis Navalis *abbatem cognominent, equidem ignoro. Fortassis, quia mons* D *S. Michaelis, non secus ac navis in mari, undique aquis ambientibus, videatur fluctuare, aut quia forte objectu suo cum littoribus efficiat navale quoddam, seu navium stationem. Certe nulla totis Galliis abbatia istiusmodi cognominis innotuit mihi hactenus: neque nota fuerit Roberto abbati Montis S. Michaelis in periculo maris quia neque in Chronico suo, neque in Tractatu (quem de sui temporis per Normanniam abbatiis, earumque fundationibus et instaurationibus, luculentum seorsim scripsit) abbatiæ* Montis Navalis *meminit. Et vero, Miræum illo cognomine aliam abbatiam non designare, quam Montis S. Michealis in periculo maris, declarat ipse in Auctario suo Scriptorum ecclesiasticorum; pluribus explicans, quis sit ille, quem ut auctorem Supplementi Sigebertini alibi appellavit abbatem Montis Navalis. Ait enim ibi pag.* 245. Robertus, Abbas Montis S. Michaelis apud Normannos, in diæcesi Abrincensi et in mari oceano siti. Chronicon Sigeberti Gemblacensis, quod in gestis anni MCXII desinit, excipiens, res sui seculi usque ad annum MXXX. prosecutus est. *Ita Miræus de Roberto, quem vocavit alibi Abbatem Montis Navalis, in eo tamen quod extendat Chronicon ejus usque ad annum* MCCX. *ex communi tunc errore et ignoratione anni, quo Robertus obiit, hallucinatus.* E

C. J.

estque idem qui montis S. Michaelis.

13 *Curavit igitur, uti ex dictis intelligitur, Miræus Chronicon Sigeberti, demptis nugis, sincerum et genuinum edi; non item Supplementum ejus seu Appendicem Roberti abbatis Montensis. Curavit, hoc anno* MCDLI. *mortuo jam Vossio, Dom. Lucas d'Achery, edendo illam Appendicem Roberti e codice MS. ipsius Monasterii Montensis S. Michaelis, Parisiis post opera Guiberti abbatis S. Mariæ de Norvigento; ubi et lectori præfatur (quod nonnulla superius a nobis dicta confirmat) se dare* Roberti de Torinneio (Torigny) vulgo de Monte abbatis *hoc est monasterii S. Michaelis de monte Tumba, sive periculo maris)* vocitati, Accessiones et Appendicem germanam ad Sigebertum. *Accessiones illæ sunt additamenta varia, quæ Robertus, de rebus præcipue Anglo-Normannicis, ipsi chronico Sigebertino suis locis inspersit, incipiendo ab anno* DCCCLXXVI. *usque ad finem seculi* XI, *et hinc porro idem Robertus orditur seorsim Chronicon suum, seu Appendicem ad Sigebertum, videlicet ab anno primo seculi* XII. *(non ab anno ejus* duodecimo, *uti scribit Oudin, quamvis eo perduxerit Chronicon suum Sigebertus) et continuat usque ad extremum vitæ suæ, qua functus est anno* MCLXXXVI. F

Propria Roberti Appendix anno 1651. edita,

orditur ab initio seculi 12

14 *Nam, quod apud Dacherium pag.* 735. *in Prologo ad Appendicem suam ita scribat Robertus:* Ego exinde *(ab anno* MC. *Sigeberti)* usque ad MCLXXXII. annum, ea quæ in diversis provinciis, et maxime in Normannia et Anglia evenerunt, sub annis Dominicæ Incarnationis colligere aggrediar; *id non evincit, Robertum ulterius non continuasse. Imo continuasse, monstrat codex Montensis, qui ultra dictum annum procedit. Adhæc idem Robertus pag.* 715, *de Appendice sua, seque ipso sic loquitur in tertia persona:* Robertus, Abbas S. Michaelis de periculo maris, fecit Historiam, continentem res gestas Romanorum, Francorum, Anglorum *(horum enim tantum Imperatores ac Reges, eorumque quotus sit annus, in Appendice ad capita singulorum annorum notat)* usque ad præsens tempus continentem annos usque ad annum MCLXXXIV. *et quidem completum.*

terminatur vero, non anno 1182.

15 *Utra harum scripturarum Roberti altera verior sit, majoremque mereri fidem debeat, cuilibet legenti facile est dijudicare. Prior loquitur de* re *facienda, quæ mutationi obnoxia erat, secundum arbitrium operantis: posterior loquitur de* re *facta, asseritque chronologicam Appendicem perductam esse usque ad annum* MCLXXXIV. *Idem testantur Tituli, tum Appendici, tum Prologo ejus, in codice Montensi MS. præfixi;*

sed saltem biennio post

A *fixi; quemadmodum fatetur Dacherius in Præfatione sua ad opera Guiberti Abbatis, quibus nonnulla Roberti* C. J. *Montensis subjungit; ex eadem confessione ejus intelligitur, ipsum mutasse in codice impresso pag. 743. Titulum Appendicis, scribendo, illam pertingere usque* ad annum MCLXXXII. vel MCLXXXIV. *cum tamen ultimus tantummodo numerus legatur in MS. Eo igitur usque perduxerat chronicon suum Robertus, quando illud cum chronicis Eusebii, Hieronymi, Prosperi et Sigeberti in una volumine* præsentavit carissimo Domino suo Henrico, Regi Anglorum, *ut asserit ipse apud Dacherium pag. 715. in Elencho suo, quem autographo suo, simul atque ecgraphum Regi præsentaverat, et quodammodo* præsenti tempore, *debet præfixisse; ac postea ad calcem chronici sui, post supradictum annum* MCLXXXIV. *adhuc alia nonnulla subtexuisse. Refertur enim ibi mors Lucii Papæ III. quæ anno* MCLXXXV. *exeunte contigit, st sequuntur alia, quæ æque Roberto auctori tribuenda sunt; ac priora. Quia in codice Montensi eadem qua priora conscripta sunt manu, quam Dacherius citata pag. 715. judicat, ipsius Roberti esse. Ex quo consequitur, eumdem æque omnium auctorem agnosci debere, maxime vero partis postremæ: quia priora potest jam grandævus ex aliis de-* B *scripsisse, posteriora debet ex proprio visu audituque collegisse.*

ejusdem styli tenore. 16 *Idem quoque stylus et procedendi modus usque ad finem continuatur; id quod luculentius observari potest in postremis septem aut octo annis, tam ante quam post notam distinctionis, quam anno* MCLXXXII. *inseruit Dacherius. Illic enim Auctor, qui in præcedentibus fere loquebatur de se in tertia persona, jam senior, gaudet loqui in persona propria, et viros laudabiles, suos vocare amicos per pronomina* meum *aut* nostrum. *Sic in anno* MCLXXVIII. *laudato Stephano episcopo Redonensi,* scripsit etiam MIHI, *inquit,* quinquaginta versus de senectute. *Sic in anno* LXXXI. Obiit vir plangendus, CARISSIMUS MEUS Gaufredus de Monteforti. *In anno* LXXXII. *ante divisionem Dacherianam*: Cui concilio, *inquit,* nos interfuimus. *Et* *et loquendi modo.* *paulo post*: Rex Castellæ duxit DOMINAM CARISSIMAM MEAM, ET FILIOLAM IN BAPTISMATE, in uxorem Alienoram filiam regis Anglorum. *Item, post divisionem Dacherii*; Obiit PATER NOSTER Richardus, Abricensis episcopus. *Et mox*: Obiit Henricus tertius, CARISSIMUS DOMINUS NOSTER, juvenis Rex. *Atque iterum sub finem istius anni*: Obiit CARISSIMUS DOMINUS C NOSTER, Rotrodus archiepiscopus. *Item in anno* LXXXIV. DOMINUS NOSTER Galterus, Lincolniensis episcopus, factus est archiepiscopus Rotomagensis. *Ibidem*: Obiit Robertus episcopus Nannetensis, vir magnæ honestatis et AMICUS NOSTER. *Ad extremum denique totius chronici, post factam de morte Lucii Papæ mentionem, idem loquendi modus servatur, ac dicitur*: Impetravit Archiepiscopus a DOMINO NOSTRO Rege Anglorum *etc.*

Chronicon, Robertinomine olim impressum, 17 *Scripsit igitur Chronicon Robertus, Abbas Michaelis de Monte Tumba, sive in periculo maris; non illud, quod sub ejus nomine olim sæpius impressum fuit, incipitque, ubi desinit Sigebertus Gemblacensis, ab anno* MCXIII. *atque procedit usque ad annum* MCCX. *completum; sed aliud, quod primum anno* MDCLI. *editum est a Dacherio, quodque incipit ab anno* MC. *Sigeberti; et continuatur usque ad* MCLXXXVI. *estque totum Roberti; uti satis ostendisse arbitror. Illud, quod prius editum* *tripartitum est.* *fuit sub nomine Roberti, tripartitum est. Prima et major pars terminatur ibi in anno* MCLV. *ad hæc verba;* Moritur etiam Gislebertus episcopus Pictavensis. *Pars altera decurrit usque ad annum* MCLXXXVI. *et hæc sola ibi Roberti, est; tamque similis editioni Dache-* D *rianæ, ut altera emendari aut suppleri, sicubi defectus fuerit, ex altera possit. Tertia denique complectitur annos reliquos, et ejus auctorem jam monstravi Monachum Gemeticensem.*

18 *Non ita facile monstrabitur, quis aut cujas fuerit auctor partis primæ. Si annum inspicias* MCXVIII. *Inquiritur in Partis primæ auctorem,* *putabis Leodiensem esse. Prodigia etenim multiplicia, quæ tunc in et circum Leodium contigisse, ibi narrantur: tam distincte cum suis temporum, dierum, horarum etiam, locorumque et eventuum circumstantiis relata sunt, ut alium quam præsentem et oculis suis pleraque intuitum auctorem non habuisse, censeri debeat. Si inspicias annum* MCXXIV. *dubitare vix poteris, quin auctor sit Ordinis Præmonstratensis, tam præclara distinctaque ibi referet (ut alibi sæpe alia) de S. Norberto, ejusque gestis: nec non de hæresi Tanchelmiana,* *duobus aliis jam invenit* *quæ aliis Chronologis fert intacta fuit, a Norberto expugnata. Verum inspicienti mihi Vitam sancti Viri, tomo primo Junii nostri impressam, occurrunt cap. 13 pag. 843, et seq. eadem omnia latius deducta; apparetque, inde in compendium contracta esse, quæ narrantur, in Chronico sub anno citato. Similiter eo relata fuerint, quæ anno* MCXVIII. *Leodii contigere prodigia, ab Leodiensi prius descripta tam accurate.* E

19 *Vixit Auctor seu Collector partis primæ Chronici istius saltem usque ad annum* MCLV. *quo ipsum* *Vixit ille saltem post annum 11* *perduxit; aut etiam longe post, si verum est, quod ait Miræus in Præfatione sua ad Sigebertum, opus illud* mendis scatere: *quod tute, si lubet, lector, per te explora. Ego tantummodo verbum his addo de Roberto,* *Scripsit Robertus etiam gesta Henrici primi,* *cujus causa disputare cœpimus: ipsum alia quoque opera in lucem dedisse, quorum elenchus videri potest apud Bibliothecographos recentiores, nec non apud Dacherium in Guiberto pag. 716. ubi et numeratur liber ejus de* Gestis Henrici secundi Regis Anglorum. *Sed perperam, Non enim scripsit Robertus seorsim a Chronico suo gesta Henrici secundi, utpote ante ipsum vita functus: sed Henrici primi, uti ipse monuit lectores in Prologo suo ad Chronicon, apud Dacherium pag. 735. versus finem, se* de primo Henrico, strenuissimo rege Anglorum, noviter defuncto, edidisse Historiam. *Dum autem monet, se historiam Henrici,* noviter *non secundi. Angliæ regis* defuncti *(defunctus autem est an.* MCXXXV.*) scripsisse, simul indicat, se juniorem tunc et nondum abbatem fuisse; cum inter mortem Regis et electionem Scriptoris in abbatem, intercesserint anni* XIX. *Dacherius quo-* F *que ipse, sive suo, seu potius typothetarum errore cognito, illum ad calcem tomi correxit, jubens numerum* II. *mutari in* I. *Nihilominus errorem secuti sunt, alii post alios, qui de scriptis Roberti post Dacherium tractarunt. Natalis Alexander, Casimirus Oudin, Elias du Pin, et forte alii. In quod te monitum volebam, Lector, ne error, istorum auctoritate ad posteros propagatus, invalescat.*

20 *Ex dictis porro, quod Robertus scripsit Histo-* *natus sub initium seculi 12.* *riam Henrici primi,* noviter defuncti, *ac aliunde datur colligere, ipsum sub initium seculi istius verosimiliter natum fuisse; aliquammultos ante mortem Regis annos, Monachum Becci induisse, ibique spiritu et litteris excellenter instructum, duodennio circiter aut amplius post scripsisse quam dixi Historiam. Inde, jam maturiorem ætate, electum esse monasterii sui Priorem; et ex Priore, anno* MCLIV. *ut certo constat, promotum fuisse in Abbatem S. Michaelis de monte Tumba ex voto totius monasterii istius: præfuisse annos omnino* XXXII. *ac obiisse anno* MCLXXXVI. *tot fere annos natum, quot seculi istius decurrerant.*

DIS-

A D

C. J.

DISQUISITIO

IN CHRONICON JOANNIS DE BEKA

DE EPISCOPIS ULTRAJECTINIS

C. J.

Quo anno illud ipse determinaverit.

Dedicatio Chronici statuitur Wilhelmo

Similes *causæ, ac moverunt me ad concinnandam Disquisitionem præmissam, moverunt quoque ad hanc elucidandam. Joannes de Beka, seu Becanus, Canonicus Trajectensis inscripsit Chronicon suum* Joanni B episcopo sanctæ Trajectensis ecclesiæ ac Wilhelmo duci Palatino, sive principi Hollandensis provinciæ. *Joannes ille, cognomento* de Arkel, *episcopus Trajectensis fuit ab anno* MCCCXLII. *ad* LXIV. *Interea moderatus est Hollandiam Wilhelmus, tamquam Comes, pro matre Vicarius, ab anno ejusdem seculi* XLVI. *exeunte ad* LI. *quo pugna navali contra matrem die* IV. *Julii commissa victor, assertus fuit Hollandiæ Comes absolutus; præfuitque ad annum usque* LVIII. *quo circiter festum S. Georgii Martyris incidit in amentiam perpetuam: subrogatusque ei fuit frater suus Albertus.*

nte annum 1351 a Becano facta fuisse;

2 *Hinc certum est, Chronicon suum a Becano dedicatum fuisse ante dictum annum* LVIII. *aut etiam, uti mea fert opinio, ante prælium navale, de quo dixi. Moveor ad sic opinandum, quia Wilhelmum Becanus in epistola nuncupatoria nominat tantummodo* Ducem Palatinum sive Principem Hollandensis Provinciæ. *Non vocat* Comitem : *quod utique debuisset facere, si dedicasset ei librum suum post illud prælium, quando Comes Hollandiæ factus fuit.*

illudque tum desiisse in anno 1346

3 *Sed præcipua nobis inquisitio hic est ad deprehendendum, ubi desierit Chronicon Becani, quando illud Joanni et Wilhelmo prædictis obtulerit. Constat enim non omnia, quæ sub nomine Becani edita typis leguntur, Becani esse. Gesnerus in Bibliotheca scribit, Joannem* C *de Beka edidisse Chronicon Trajectensis ecclesiæ et* claruisse anno MCCCL. *Trithemius ante illum, asserit in Scriptoribus ecclesiasticis, Joannem Chronicon suum, a tempore S. Willibrordi inchoatum,* usque ad annum MCCCXLVI. *pertexuisse. Disco etiam ex Bernardi Frumerii, ad primam Becani editionem, a Suffrido Petri præparatam, ab ipso, anno* MDCXI. *curatam, commentariolo; quod dictus Suffridus,* quinque exemplaribus in hoc Chronico emaculando usus, declaret, eorum alia aliis longius fuisse producta; quæ, ut cum Dedicationis tempore pugnantia, rejicienda arbitrabatur. *Et post pauca.* Item affirmat Suffridus, Becanum in Joanne de Arkel terminari his verbis, « Comitatum Hollandiæ Willelmo Duci, sive Pala» tino, sno filio commendavit, » *nempe Margarita mater; cum ad Imperatorem maritum suum reversura erat in Germaniam.*

quod confirmatur 1. ex codicibus MSS.

4 *Verba illa sic leguntur in editione Becani, cum Notis Bucherii anno* MDCXLIII. *Ultrajecti impressa, pag.* 129. Imperatrix, *omnibus recte dispositis, e Belgio* in Bavariam exinde rediens, Comitatus Hanoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ et Frisiæ gubernandos Wilhelmo, Duci Palatino, suo filio, commendavit. *Et hæc ipsa verba, ex mea quoque sententia, fuere ultima Chronici Becaniani, saltem quando illud Wilhelmo oblatum fuit. Ratio mihi est, quia Suffridus, quinque exemplaribus usus, indicat, verba illa in omnibus reperi; singula autem, deinde alia atque alia habere adjuncta. Et Frumerius ipse, Becani primus editor, sextum nactus exemplar, in illo, post citata verba, invenit alia omnino addita, quam quæ Suffridus e suis MSS.* E *annotaverat; suaque illa, emissis Suffridianis, in sua editione Becano adjunxit, prout etiam in editione anni* MDCXLIII. *leguntur, complectentia postremas Joannis de Arkel et trium sequentium episcoporum res gestas. Concludo, verba a nobis citata cum in omnibus illis codicibus MSS. legantur, esse Becani ultima : quæ vero inde sequuntur, cum in singulis sint alia atque alia, esse diversorum additamenta.*

2 ex ipsis Chronici verbis.

5 *Deinde verba, in quibus nos terminum Becani ponimus, sunt Wilhelmo, cui dedicatur Cbronicon, honorifica; qualia affectare solent qui sua principibus dedicant, in spem aut gratiæ illorum aucupandæ, aut remunerationis faciendæ. At vero quæ continuo sequuntur in impresso Beka, tantum abest, ut gratiam Principis conciliassent dedicatori, ut potius animum ejus graviter exacerbassent. Sequitur namque :* Hic Wilhelmus amicitias plurimorum Dominorum Hollandiæ et Zelandiæ sibi acquisivit, quorum adjutorio matrem suam postea propria terra privat. *Quam hæc, et quæ porro ibidem leguntur de injuste contumacis filii contra matrem bello, initisque præ v i provinciis ejus : quam hæc, inquam, igniminiosa sunt filio? Et quis illa talia fuisset ausus dedicare?*

3. quia Additamentum impressum a Frumerio

6 *Ad hæc, ipsa Additamenti verba manifestant, se* F *Becani, librum Principi offerentis, non esse, dum produnt, illius auctorem scripsisse, postquam Wilhelmus in amentiam incidisset. Colligitur id ex iterata particula* Postea. *Volens enim continuare textum Becani, loquitur statim de gestis, tum adhuc futuris, quod affirmare non potuit, nisi postquam gesta fuerunt. Sic de Wilhelmo adhuc vicario Hollandiæ dicit, quod matrem suam* postea *propria terra privavit. Illud autem accidit anno* MCCCLI. *Et interjectis non multis, de episcopo Ultrajectino Joanne Arkelio quod* postea *factus est episcopus Leodiensis, Quod ante annum* MCCCLXIV. *factum non fuit. An vero tunc etiam in vivis adhuc fuerit Becanus, non invenio unde affirmari possit.*

ostenditur multis demum post annis scriptum,

et verosimiliter post annum 1398.

7 *Imo diu post translationem Joannis de Arkel ab episcopatu Trajectensi ad Leodiensem, scripsisse Additamenti Auctorem illa, quæ in Joanne episcopo quinto, Arkelii successore referuntur, discimus ex sequentibus. In quibus agens de Wilhelmi amentia, in illa, inquit,* usque ad hodiernum diem permansit. *Et de Alberto fratre ejus, quod tota terra Wilhelmi in tutelam suscepta, illam* potenter longo tempore gubernat. *Quæ tum scripserit, quando Wilhelmus, multis annis in amentia et custodia transactis, adhuc supererat, mortuus demum anno* MCCCLVIII. *Quin et eumdem reliqua deinde etiam scripsisse, usque ad finem Additamenti, quod*

qui quo terminatur, completum fuisse

A *quod in anno* MCCCXCIII. *quando adhuc præerat comes Hollandiæ Albertus, terminatur, non video cur dubitetur. Non tamen multo post scripsisse, sed sub Alberto, qui anno tandem* MCCCCIV. *obiit, ipsa ejus verba declarant; dum in Joanne V. istius nominis episcopo, dicit in tempore præsenti de Alberto : Qui* totam terram, *quam propter amentiam fratris in tutelam susceperat,* potenter longo tempore gubernat.

C. J.

Alia Additamenta a Suffrido visa,

8 *Alia in aliis codicibus MSS. quorum Suffridus meminit, Additamenta nihilo magis Becani esse possunt. Patebit ex Frumerii monitione ad Lectorem, relata etiam in editione anni* MDCXLIII. *pag.* 134. *Postquam ibi dixerat, Suffridus statuere terminum Chronici Becaniani in illis verbis, quibus Margarita mater reditura in Germaniam, commendavit Wilhelmo provincias suas in Belgio, (quod multis probari potest factum esse anno* MCCCXLVI. *exeunte) addit idem Frumerius, Suffridum ab illo anno continuasse proprio marte chronicon Becani, quod usque ad episcopum Henricum de Bavaria, anno* MDXXIV. *electum, pertingit et aliquantum post. Qua in continuatione reliquit Suffridus specimen ingenii sui scientiæque historicæ et latinitatis non vulgaris; ut videre est a pag.* 141.

sex tantum annos complectentia,

9 *Nihilominus* retinuit *Suffridus, eodem Frumerio teste, etiam* ea, quæ ab aliis adjecta *Becano* putabat, ad Historiæ continuationem. *Qualia autem illa sunt? Respondebit Frumerius :* Ipsa verba, quæ Suffridi libro sunt addita, hic tibi annumerabo, quæ sic habent : « Quo Wilhelmo, postea amente facto, » tota terra Hollandiæ Dominum Marchionem Brandeburgensem, fratrem ipsius Wilhelmi, recepit in » tutorem. » (*Hactenus a Frumerio allata scribuntur alio charactere, quam quæ sequuntur. Num forte, quia præmissa sint verba Suffridi ad connexionem faciendam chronici Becaniani, cum sequentibus ad illud Additamentis?*) « His itaque gestis anno Domini MCCCLX. D

nempe a 1358. *ad* 1364.

» Eduardus secundo genitus Reinoldi primi ducis » Geldriæ, litigare cœpit cum Domino Reinoldo » primo genito, duce Geldriæ, fratre suo super Do» minio Geldriæ » *et quæ sequuntur, non ultra annum* MCCCLXIV. *producta; sic ut totum hoc Additamentum tantummodo complectatur annos sex, utpote ab amentia Wilhelmi, quam in annum* MCCCLVIII. *incidisse diximus, initium ducens.*

nihilomagis Becani sunt

10 *Sed quomodo hæc Becani sint? qui, si post oblatum Wilhelmo Vicario Hollandiæ Chronicon suum, illud continuasset ipse, cur non per singulos annos illud supplesset; sed annis ut minimum* XII. *silentio sepultis, ab anno demum* MCCCCVIII. *aut tardius Supplementum orsus esset? præsertim illo tempore, quo Wilhelmo jam mente capto, commendare posteritati poterat, tam quæ perperam, quamquæ recte fecerat, absque formidine. Sit igitur terminus Chronici Becaniani, quem posuimus, in anno* MCCCXLVI. *Supplementum, seu Supplementa, aliis adscribenda sunt : qui tamen in iis, quæ suppleverunt ipsi, non minoris auctoritatis censeri debent quam Becanus ipse; præsertim ille, qui sua ad annum usque* MCCCXCIII. *perduxit, utpote contemporaneus illorum, quæ gesta narrat, uti ex nonnullis hic jam relatis, et manifestius ex ipso ejus contextu cognosci potest.*

sunt tamen non minoris auctoritatis.

INDEX

APPENDICIS DE ACTIS

SS. PETRI ET PAULI

A

Abbatiæ Romanæ 47 a
Abundius, custos basilicæ S. Petri, jussu ejus sanat paralyticam 67 b
Adriani opera magnifica 74 ejus erga S. Petrum munificentia 65 d
Ædificia duo ad latus meridionale basilicæ veteris 141. An fuerint deorum fana ib. b

ALTARIA.

S. Abundii, Mansionarii basilicæ S. Petri 76 e 86 d
S. Adriani, situm inter oratoria S. Leonis et S. Mariæ de Cancellis 94 b. An ædificatum ab Adriano PP. 1... ibid. Hoc in Altari conservata fuit Cathedra S. Petri ib.
S. Ægidii abbatis 40 c. Locupletissime dotatum a Joanne Tomacello, Comite Soræ, Bonifacii Pp.IX. fratre 92 d. Manlius quoad ejusdem altaris situm corrigendus aut conciliandus ib. d
S. Agathæ virginis et martyris ab Ægidio de Roffredis restauratum. Postea locum cessit sepulcro Marcelli II. 86 c
S. Ambrosii, episcopi Mediolanensis, Doctoris, vetustissimum 92 e. Non fuit in loco oratorii B. Virginis Innocentiani ibid.
S. Andreæ, 84 f. Quare S. Gregorii ab aliis vocetur, ib. Consecratum non fuit a Gregorio IV, qui nec in eo recondidit corpus S. Gregorii Magni, et SS. Martyrum Gorgonii ac Tiburtii. ib. Pius Pp. II. instauravit, et in imposito a se tabernaculo marmoreo, collocavit caput S. Andreæ ibid.
S. Annæ, a Mathia Paparonio basilicæ canonico ornatum, a Parafrenariis Cardinalium frequentatum 94 e. Imago Sanctæ hinc extracta, nomen altaris alio transtulit ib. e
Annuntiationis B. Mariæ, in quo imago S. Margaretæ perquam venerabilis 90 d
Anonymum, ad latus altaris SS. Laurentii et Georgii 92 c. Aliud Anonymum ib. d
S. Antonii, dein Spiritus sancti, denique S. Annæ, ob effigiem istius Sanctæ eo translatam. 89 a
S. Antonii abbatis, ab Antoniotto de Pallavicinis Cardinale ædificatum 95 b. Ejus sepultura cum epigraphe ib.
S. Antonii Patavini. *Vide altare S. Tridenti.*
S. Augustini, Doctoris Ecclesiæ, ab Altarusio Canonico restitutum et locupletatum 92 e
S. Bartholomæi Apostoli 73. 95 c. An eo tantisper delatum corpus S. Bartholomæi post inundationem Tiberis ? ib. d
S. Blasii episcopi et martyris, a Poncello de Ursinis excitatum 90 d
S. Brigidæ. *Vide altare S. Tridenti.*
S. Catharinæ virginis et martyris, ab Ægidio Laurentio de Gerla dotatum 93 b. Illic sepulcrum condidit sibi, familiæ suæ et Cardinali Tiburtino ib. d
S. Crucifixi, quod et S. Petronillæ 85 a. Rectius a Ciampino quam a Bonannio collocatum, ibid Corpus S. Petronillæ eo delatum a Gregorio XIII. ib. Dein ad altare ejusdem Sanctæ in ecclesia nova transportatum a Paulo V. ib. c
S. Erasmi, *Vide altare S. Wenceslai, et Tridenti.*
S. Eustachii, et S. Georgii, aliis anonyma 90 c
S. Gabinii 35 f. 74 f. Sardinia et Corsica eo tributum quotannis mittebant 74 f
S. Gregorii. *Vide altare S. Andreæ.*
S. Hieronymi, Ecclesiæ Doctoris, ab Acheruntio de Bovenis erectum, atque dotatum 92 e
S. Jacobi Apostoli, a Cardinale Antonio de Calvis restitutum 92 e
S. Joannis Chrysostomi, subter quo ipsius corpus, alio atque alio translatum 142 b
S. Laurentii, aliis SS. Laurentii et Gregorii, Ugonio ignotum 86 e. Duone an unum dumtaxat altare fuerit ib.
SS. Laurentii et Gregorii (rectius Georgii, 92 c. a Jacobo Cajetano de Stephanescis Cardinale exstructum, et dotatum, ib. c. Lello de Miglis novis beneficiis donatum ib.
S. Luciæ virg. mart. an a Gregorio I. Pp. extructum 95 b. Brachio ejusdem Sanctæ ditatum. ib. Primus ejus situs 86 c
SS. Magorum trium Altare ac oratorium in angulo navis, qui respicit boream orientaliter 95 a
Majus Altare basilicæ S. Petri nullius consecrationi adhibetur, præterquam summi Pontificis 68 b. A Severino ornatum 65 f. Et ab Innocentio III. 65 f.
Majoris Altaris S. Petri dedicatio 63 b
S. Marci Evangelistæ, erectum a Paulo Veneto in veteri ecclesia, omnibus redditibus ecclesiæ S. Mariæ Hungarorum a Pio V. ditatum 86 d. Ibi antiquitus stetit ara B. Mariæ de Misericordi a ibid.
S. Mariæ in quo servatur et ostenditur Sudarium Christi 76 f
S. Mariæ a Gregorio III dicatum 90 e. Sanctorum reliquiæ illuc ab eodem delatæ ib. Quid de iis Anastasius Bibliothecarius ib. Missæ illic jussu prædicti Pontificis celebratæ, cum additamento, in canone. ibid. Oblata ab eodem munera. ibid. Corpus S. Gabinii Martyris (non presbyteri) in eo reconditum. ib. f. Primitur ibi etiam S. Gabinii altare fuit. ib f. Tres sub ipsis repertæ sepulturæ 91 e. Altaria hæc cancellis æneis cincta. ib. Quæ Eugenius III. mutavit in unum sacellum B. Mariæ ibid.
Dona S. Gregorii III. ib. An imago B. Virginis eadem tempore Manlii, quæ tempore Gregorii. ib. Supra hanc dexter armus S. Stephani protomartyris in loculo collocatus. ib. Stetit hoc sacellum seculis fere tribus cum dimidio. ib. Dictum hoc altare B. Mariæ Virginis Chori 91 f
B. Mariæ de Columna, a Gregorio XIII. ædificatum ultra annos 30. non stetit 84 e
Ejusdem situs ib. f
B. Mariæ a Gregorio PP. III. erectum et consecratum 74 a

B. Mariæ

B. Mariæ, ab Eugenio IV. exstructum, 91 a Secundum Ciampinum ab Eugenio restitutum, et B. Mariæ et SS. Petro et Paulo sacratum. ib.
S. Mariæ de Misericordia, ubi olim steterit, 90 d. Innovatum dein ac delicatum S. Marco Evangelistæ a Marco Barbo Patriarcha Aquileiensi, vel ut alii, a Paulo II. ib.
S. Mariæ Assumptæ aut Prægnantium, 85 c Præsens situs ejus certior, quam præteritus. ibid. d
S. Mariæ de Prægnantibus, fundatum a Joanne Cajetano Ursino Cardinale diacono S. Theodori 93 e. A Jordano Ursino Cardinale episcopo Sabinensi restitutum et dotatum, ib. Denique hinc sublatum et collocatum in navi mediana basilicæ ad murum transversarium. ib. Hoc altare potius appellandum S. Mariæ in cœlos assumptæ ib.
Sacellum et altare S. Mariæ de Prægnantibus, 95 f. Ejus etymo, ib. Triplex ejus situs, 96 b. Triplex ejus nomen, ib. c. 98 c. Ubi steterit ante translationem, ib. Ab Ursina familia excitatum et ornamentum, ib. Id probatur ex antiquis inscriptionibus, post demolitionem partis anterioris basilicæ jussu Pauli V. in Cryptas illatis, ib. d. Sacellum S. Mariæ de Prægnantibus, et altare B. Mariæ in cœlos assumptæ diversa sunt; hoc minus antiquum, quam illud, ib. e. Quo loco steterint, ib. Situs altaris Prægnantium probatur a ratione, 96 e. Et ab auctoritate Scriptorum, ib. f. Ubi poni debeat altare B. Mariæ in cœlos assumptæ, 91 b. Error Ciampini hic. ib. c. Ejusque causa ib. e. In sacello B. Mariæ de Prægnantibus, sepulcrum, Ursinorum, ib. f. Dubia circa inscriptiones imaginis B. Mariæ Prægnantium. 98 a. Error Turrigii. ib. c
Altare S. Mariæ, super quod Cyborium, pro conservatione Vultus sancti. 87 b. S. Marie in Turri 145
S. Martialis. 37 d. 76 c. 90 b. Primus ejus fundator, ib. Situs, ib. A Panvinio perperam collocatum ib.
S. Martini, episcopi Turonensis, amplissime dotatum a Joanne Gallo, Cardinale Vivariensi, episcopo Ostiensi, ac Vice-cancellario 92 f
S. Mauritii martyris 36 c. 74 e
S. Mauritii, ad quod Romanorum Imperator a Cardinalib. benedici et ungi consuevit 93 b
Mortuorum, seu privilegiatum, a Gregorio XIII innovatum, SS. Philippo et Jacobo, et S. Hieronymo consecratum 84 c. d. A Gaio de Bartholinis locupletatum 95 a
S. Nicolai episcopi et confessoris, a Nicolao V. conditum, 90 d. Insigne ejus sepulcrum ubi ib.
S. Nicolai episcopi, a Nicolao III. PP. exstructum, 92 e. Ubi dicti PP. et Honorii IV. olim sepulcrum ib.
Altare novum, in quod translata S. Mariæ filium amplexantis imago, antiquitus in oratorio S. Leonis Pp. posita, 86 b. Non mirum de illo non meminisse Vegium ib.
Altare dictum de Ossibus Apostolorum, 87 d. Ejus lapis postea translatus in Cryptas Vaticanas; inde in basilica repositus prope altare Crucifixi. ib. Inventæ in ejus translatione reliquiæ. ibid. e. Altaris prædicti vetustas ib. Franciscus de Theobaldescis Cardinalis restaurator ejus. ib. f
S. Pastoris 72 d. 92 a. A Cardinale Urso Ursino magnifice restauratum ib. In exciso inibi tumulo ipse et frater ejus funerati. ib. Situm fuit juxta arcum triumphalem, ib. Juxta illud organum, distinctum ab eo, quod fuit in sacello SS. Processi et Martiniani. ib. b
Pereriorum, dicatum SS. Petro et Paulo. 84 e
S. Petri a Calisto II. renovatum et consecratum, ab Innocentio II. ornatum 49 c
Altaris et reliquiarum S. Petri summa veneratio ex Gregorio magno probata 66 b
SS. Petri et Pauli etiam dictum de Ossibus Apostolorum, quia, ibi a S. Silvestro divisa SS. Apostolorum ossa, et in nova basilica Constantiniana recondita bipartita 95 c. Ejus situs fuit ante aditum Confessionis B. Petri, in navi transversa. ib. et vicinum altari majori ejusdem S. Petri 72 d
Altare supra corpus S. Petri erectum 63 f
S. Petronillæ. *Vide SS. Crucifixi.*
SS. Philippi et Jacobi 44 a. 76 d
Altaria SS. Philippi et Jacobi, et Simonis et Judæ, incerti conditoris, valde antiqua, a Leone IV. pretiose ditata. 89 b. Ubi steterit olim, ibid. Quædam singulatim de altaris Simonis ac Judæ situ et translatione. ib. c. Cur dictum aliquando altare Sanctissimi Crucifixi, vel ad Crucifixos; ib. c. Error de situ ib. c
SS. Processi et Martiniani, verius a Paschale I. quam a Symmacho exstructum 85 d. Paschalis eo detulit corpora dictorum Sanctorum. ib. Transtulit Paulus III. simul cum organo, et statua ahenea S. Petri in navim medianam basilicæ. ib. e. Vetus ejus situs, ib. Ornatus 93. Antiquior eorumdem Martyrum ecclesia, in sacellum mutata. ib. d. De quo certius constat, quam de secundo. ib. e. Idem altare S. Mariæ sub Organo et Visitationis dictum 85 e. Organi istius situs. ib.
S. Joannis Bapt. in Fonte cum imagine B. Mariæ virginis prope organum versus meridiem in muro transversario a Paulo III. collocatum. 85 f Ubi steterit 86 a
S. Silvestri Pp. in quo brachium ejus reconditum, 74 f. 93 a. Ibidem requiescit Vigilius Pp. et Adrianus IV ib. Vigilius primo sepultus ad S. Marcellum via Salaria in cœmeterio Priscillæ ib.
SS. Simonis et Judæ proximum oratorio S. Gregorii II. 76 d
S. Sixti Papæ I. a Paschale I. erectum 93 a. Qui et prædicti Sancti corpus eidem imposuit ib. Eodem illata SS. Fabiani et Sergii II. Pontificum corpora. ib. Non longe aberant corpora SS. Peregrini, et Cedwallæ. ib.
S. Tridentii martyris, dein sine nomine. 76 f
S. Tridenti vel Tridentii martyris inter portam Guidoneam et Romanam 43 f. 87 c. Dein Brigidæ dedicatum ib. d. tandem S. Erasmi dictum; denique sublatum ib. Dicatum olim S. Antonio Patavino. 88 a
Altare unum quondam in singulis ecclesiis 119 b
S. Wenceslai martyris, postea S. Erasmi dictum 88 b. Ubi collocandum. ibid. d. Imago S. Wenceslai, ejusque descriptio ibid. d e. Idem altare in nova basilica restitutum ib. f
Altaria duo anonyma perantiqua, septemtrionale latus apsidis claudentia 94 d
Altaria 4. muro transversario apposita 86 b
Altaria plura non admittunt Græci 119 b. In uno semel tantum per diem celebrant ib.
Altaria 69. in basilica Vaticana recenset Tiberius Alpharanus 77 f
Altaria ecclesiæ S. Mariæ de Febribus 142 c
Altarium numerus ex opinionibus variorum 78 a
Ambo, sive suggestus, in quo legebatur Evangelium et populo explicabatur, ubinam steterit 93 a.
Anastasius Bibliothecarius non illustravit basilicam S. Petri ultra seculum IX. 77 c
Apsis quodlibet generatim arcuatum opus significat 119 c. Speciatim designat extremum ædis sacræ murum extrorsum arcuari solitum in hemicycli

figuram etc. ibid. Observatio circa vocem apsis ib. Partes ejus præcipuæ. ib. d. Una olim apsis in singulis ecclesiis. ib. In qua altare etiam unum. ib. e. Nihil officit altaris unitati, tametsi tam in basilica S. Petri, quam in confessione altare fecisset Silvester PP. ib. f. 120 b. Crescente numero presbyterorum et fidelium plura erecta altaria ib. An plura fuerint in eadem ecclesia tempore SS. Ambrosii, Paulini, aut Hilarii Pp. ib. Explicantur loca Paulini. ib. Quid apsis trichora. ib. f

Apsis Vaticana a S. Silvestro facta simul cum ipsa basilica 124 b. Apsis ecclesiæ S. Hermetis. ib. c. Apsis a S. Paulino ædificata ib. e. Verosimiliter juxta formam Romanorum ibid. f

Pictura musiva veteris apsidis Vaticanæ delineata 122 b, 123. Ab Innocentio III. restaurata 122 a. Primus ejus auctor Silvester. ib. Priscas imagines refert similes illis, quas S. Paulinus descripsit. id. d. An Christus in Vaticana repræsentetur, tamquam benedicens more Græcorum. ib e. Opinio Malaxi videtur contraria veteribus picturis ib. f

Apsidis, in segmento iinferiore conchæ pictura, ejusque mysteria singulatim explanata 124 b et seqq.

Picturæ in conchæ segmento superiore apsidis illustrata 124 b. Quid agnus sub cruce vulneratus ib. Quid oves XII. ad Agnum accedentes. ibid. c

In summa apside perperam videtur picta manus duos digitos extendens, et parva crux 125 e, f. Pro qua substituenda fuerit columba. 126 a. Ulterior segmenti superioris apsidis Vaticanæ explicatio ex Ciampino, Salvatoris sedentis. 131 b. S. Pauli, S. Petri, palmarum, fontium, crucis gemmatæ, et agni cum diademate, e quinque vulneribus sanguinem fundentis. ib. a, b, c, d. Et Christum repræsentantis 132 b. Quod non est reprehendendum. ib. De duabus personis in forma humana pictis. ib. c. De arboribus post tergum stantibus, et duabus civitatibus ib e. Iterum de agnis et ovibus. ib. f. Sinceritas auctoris, scriptum notariale ad fidem faciendam adducentis, 132 f. In quo compendio notantur, quæ supra sunt explicata. 133 a. Positio imaginum SS. Petri et Pauli dextra lævaque inter se. 148 a. Observatio Joannis Lucii. ib. Petri de Marca. 148 c. Commentarius Francisci Mucantii. 148 a. Præfatio Auctoris ad Gregorium XIII. ib. Rationes cur Petrus præferendus. ib. d. Rationes cur Paulus præferatur 148 e. Alia in apsidem Vaticanam notata ex Batello nuper edito 152 a. De cruce gemmata. ib. b. A Constantino Magno honorata. 152 c. Quid mons supra quem Salvator volumen præfert. ib. e. De siguris tunicatis et palliatis. 152 f. Quid de pallio SS.Patres. 153 a. De Sandaliis in pedibus. 53. De quatuor fontibus sub monte fluentibus 153 c

Augustinus Oldoinus edidit vitas Pontificum Romanorum anno MDCLXXVII. 77 e

B

Basilica S. Petri a Constantino Magno ædificata 15* d, 56 e*. Indulgentiæ in dedicatione ejus Fidelibus concessæ 58* f. A Leone PP. IV. ornata. 36* d. Ejus veneratio. 44* e. Prærogativæ. ib. c. Lampades. ib. f. Quot in stationibus candelæ. 45* a. Thesaurus. 48* e. Dignitas 48* f, Possessiones a Leone IV. oblatæ. 64 a. Area exteriori a Nicolao III. renovata, adjecto ecclesiæ palatio. 66 a. A variis Pontificibus mirifice ditata, et ornata. 65 e, f, Area ante vestibulum (Paradisus dicta) a Dono PP. marmoribus strata 65 f.

Basilica S. Petri habet selectos presbyteros, qui ibidem officia obeunt 68 c. Supplicationes majores eo conveniunt 68 d e

Basilicarum omnium princeps. 68 f. Canonizationes Sanctorum ibi peraguntur. Pontifices coronantur. 68 f. Uti imperatores et reges 69 a. Caroli Magni, et Theodoræ imperatricis veneratio 69 d e. Caroli Magni erga S. Petrum munificentia. 69 e. Mathildis Comitissæ, 69 e. Regis Angliæ, et gentium aliarum, in eam favores 70 b. A Pontificibus Romanis, atque Imperatore Constantino promota, 70 c d. Joannes et Agapitus eo translati 75 e. Et Gregorius VI. 75 f. Cultu divino celebrior præ ceteris. 70 f. Ejus altaria Commentario illustrata 77 b. Auctores adhibiti 78 a. Ichnographia ex delineatione Alpharani 78 b. Fons baptismalis a Damaso PP. erectus 80 c. Pammachius in basilica S. Petri in morte Paulinæ conjugis epulum præbuit pauperibus 81 e. S. Paulini verba de basilica Vaticana, ibid. Ichnographia in varias sectiones dispertita. 82 a, b, c, d. Descriptio brevis ex Gregorio Turon. et Prudentio. 79 e f. Vocum quarumdam obscuriorum explanatio ibid. f

Basilicæ novæ S. Petri primus lapis positus a Julio II. 84 b. Portæ quinque veteris templi. 45* f. 64. c. d. e. 76 d. 82 a. Hisce a Sixto IV. addita sexta anno 1475. in solenni jubilæo, quam vocavit Portam sanctam. ib. Quot jubilæis aperitur. ib. Porta media et regia ab Honorio I. et Leone IV. argento vestita, unde dicta Argentea 82 f. Ejus valvæ ab Eugenio IV. ære obductæ. ibid f. A Paulo V. ad frontispicium novæ basilicæ translatæ. ib. Portæ Ravenniana et Romana unde dictæ. ib. Porta judicii, Guidonea, Sancta, earumque etymon 83 a. Verba Canonici Romani de prædictis portis. ib. b. Basilica S. Petri antiqua, quo anno completa, consecrata, et in ea Apostolorum corpora deposita. 110 e. Arcus in basilica choro, et presbyterio S. Petri 114 d. Vela iisdem appendi solita. ib. Basilica S. Petri Laude veteri a Bassiano ædificata 66 f

Beneficia Adriani et Leonis in monasterium S. Stephani 72 c

Bonifacius VIII. post annos plus quam CCC. sub Pontificatu Pauli V, incorruptus est repertus. 84 d. Mendacium de præmorsis sibi digitis et manibus præ rabie ibid

Brachium S. Andreæ et S. Lucæ Evangelistæ in altari S. Andreæ repositum 74 d

Brandeum incidit Leo Magnus, effluente ex eo sanguine. 107 d. Id miraculum renovavit Gregorius Magnus ibid. e

D

Cædes Neronis 15* d

Callistus II. ornavit altare majus S. Petri 65 f. Ac consecravit 94 b

Candelabro grandi cereus paschalis imponi consuetus 93 a

Cantharum columnis prophyreticis ornatum. *Vide basilica S. Petri.*

C antiquitus notabat Sigma Græcum 127 f

Capella S. Bonifacii a Bonifacio VIII. PP. restaurata, et Sanctorum reliquiis dotata 84 d

Caput S. Lucæ brachio ejus junctum 74 d

Cardi-

Cardinalis d'Armaignaco bonarum artium fautor 55* d
Caroli Magni et Theodoræ imperatricis veneratio erga basilicam S. Petri 69 a b
Catalogus Pontificius, non totus est Manlii 33* f
Cathedra Pontificia ubi locata 132 b
Censuræ in Acta Sanctorum o Generali Inquisitione Hispanica latæ. auctoritate ejusdem Inquisitionis sublatæ edito publico decreto 31 *
Chorus Cantorum seu potius Canonicorum in media templi navi fuit 91 d. Translatus ad sacellum a Sixto IV. ædificatum ib.
Christianis primis fuere certa orandi loca 78 d
Christi doctrina et exemplum 61 d
Circus Gai et Neronis, infamis ante locus, ædificatione ecclesiæ B. Petri sanctificatus 59 a
Cœmeteria. quæ inveniuntur in Passionibus Sanctorum. eorumque nomina 49* f
Cœmeterium post templum Probi 72 a
Cœmeterium Vaticani, seu potius sacellum in cœmeterio. 159 e

COLUMNÆ PORPHYRETICÆ.

Altare majus quod in ipsa basilica supra Confessionem stabat, habebat cyborium cum columnis quatuor porphyreticis. 113 a. Ante idem altare erant aliæ columnæ vitineæ (non tamen numero duodecim) e Græcia transvectæ ib. Camera seu fornix basilicæ ex trimmate auri. ib. Hæc omnia fuere in basilica ipsa, non in ejus Confessione. ib. Quatuor columnæ niveæ, cyborium sepulcri sustentantes, a Gregorio Turonensi visæ ib. f. Alia calumnæ quatuor, quæ sustentabant cyborium altaris majoris. ib. Seculo XIII et XIV. superstites. ib. b. Imo et seculo XV. ib, d. Non fuerunt ablatæ a Leone IV. sed argento ornatæ ibid.

COLUMNÆ VITINEÆ.

Verosimilius sex tantum, ante majus altare, et gradus Confessionis, a Constantino positæ. 114 b. Aliæ sex verosimilius a Gregorio Pp. III. Constantinianis adjunctæ. 113 f. Eodemque, quo illæ, loco positæ, ib. Vitinearum collumnarum etymon 114 b

CONFESSIO S. PETRI IN VATICANO.

Quæ et quotuplex huic voci notitio subsit 101 a. Græcis vocatur Martyrium. 101 a, Quid vox Confessio significet apud Anastasium Bibliothecarium 101 c. Sumi quoque videtur posse pro lipsanotheca, quæ supponi altari et amoveri possit. 101 f et 102 a. Qualis est in altari B. Aloysii Romæ. ib. b. Et qualem fecerit Valentinianus imperator S. Paulo via Ostiensi. ib. Januæ in Confessionibus, non fuerunt ipsius thecæ aut cenoatphii. ib. c. Descriptio Confessionis S. Petri antiquæ, ejusque formæ. ib. e. Ejus adjuncta. ib. f. Similis ei fuit magna ex parte antiqua crypta ecclesiæ Cantuariensis 103 b, c, d
Confessionis S. Petri capacitas 104 a e. Fuit in illa altare super sepulcrum S. Petri, ib. d. Et cubiculum depressius, in quo corpus S. Petri. ib. f. Altare ejus distinctum ab altari majori basilicæ. 105 a. Præter januam erant gradus, per quos ad altare majus basilicæ ascendebatur. ib. Sedem in ea Pontifex occupabat tempore officii divini. ib. Pleraque hæc confirmantur ex Petro Damiani, et Anastasio Bibliothecario. ib. a b. Triplex ejus ingressus ib. d e. Cancelli fusiles, in ipsis presbyterii janūis cancellatis ib. Columnæ tornatiles in ingressu confessionis dextra lævaque, vel in ingressu et descensu ad corpus, ib. Arcus argentei octo, aliaque ejus ornamenta multa pretiosissima. ib. Confessionis S. Petri Consuetudines 44* e f
Consecratio majoris altaris S. Petri in Vaticano facta a Calixto Pp. II. 94 b
Constantinus Magnus conditor ecclesiæ S. Petri 34 * f. 49 * f. 56 * e. Cujus fundamentum prius fodit ipsemet et asportavit duodecim cophinos terræ in honorem XII. Apostolorum. ib. Apocrypha quædam de ejus conversione. ib. c. Veriora tradit Eusebius 57 * f. Constantini religio, atque in Christianos favor. 58 * a
B. Cornelius Pp. Lucinæ rogatu, corpora SS. Apostolorum Petri et Pauli de Catacumbis levat 34 d
Coronatio Papæ quibus festivitatibus fiat. 48 * a

CORPORA SS. PETRI ET PAULI.

A Græcis ablata, a Romanis recuperata, ubi sepulta, 49 * b f. An singula seorsim, an dimidia in basilicis Vaticana et Paulina serventur. 110 e. Textus Anastasii Bibliothecarii de inclusione S. Petri, corruptus et obscurus. ib. d. Collatus cum textu Manlii explanatur. ib. d e f. Dimidiata utriusque Apostoli corpora in utriusque basilica quiescere, suadent traditio, et nonnullæ inscriptiones 111 f. Refragante Cardinale Laurea. 112 b. Responsio ad loca Baroniana. ib. c. SS. Apostolorum ossa non fuerunt sic inter se confusa ut non potuerint discerni. 111 f. Creditur medietas amborum esse in utriusque basilica ex traditione ib. f. Et ex lapide porphyretico, dicto de Ossibus Apostolorum ib. Ejusdem lapidis inscriptio. 112 a. Antiqua non tamen ante seculum IX scripta. ib. Bipartita Apotolorum divisio stabilitur ex aliis inscriptionibus. ib. c. Item ex S. Joanne Chrysostomo ib. Et Andrea Fulvio antiquario. ib. c

CRYPTÆ.

Crypta hypogæa depressior, ubi est monumentum Apostolicum 106 a. Viam eo pandit foramen, seu fenestella, subter altare confessionis. ibid. Monstrata a Gregorio Turonensi. ib. An foramen et fenestella sint una tantum, an duplex apertura. ib. Non fuit in fronte altaris. ib. b Ritus a Pontifice ibi servari solitus. ib. c, d Arca altaris quid sit ib. e An fuerit cincta cancellis. ib. An in cancellis fenestra. ib. Cataractæ et valvulæ ib. f. An foramen quadratum sit an rotundum. 107 a Vidisse illud dicitur Clemens VIII. et alii, et desuper ædificasse novum altare. ib. c d Quid tholus, quid jugulus. ib. c Per dictum foramen demittebantur brandea, sive vela super sacrum sepulcrum. ib. d. Cujus contactu, mira patrabant. ib. e Brandea a temporibus Leonis Magni adhibita. ibid. Præclare de hisce scribit Gregorius

Magnus

Magnus. ib. Qui per illa miraculum patravit, uti et Leo Magnus. ib. Claves aureæ eodem intromissæ, et sepulcro superimpositæ, pro medela tribulatorum. ib. f Quid de clavi, a se ad Recaredum missa, Gregorius PP. ib. Sepulcri S. Petri distantia a laqueari. 108 c. Cryptæ subterraneæ erant primis Christianis loca orandi. 78 e

CRUCES.

Crux aurea 150. librarum a Constantino Magno imposita loculo S. Petri 49 * f
Crux bicornis, ejusque forma. 127. b. c Ejus descriptio poetica, verius S. Victorino Pitabionensi in Pannonia tribuenda, quam S. Cypriano ib. d
Crux, Fortunati hymnis celebrata 60 * d
Crucis lignum a Symmacho Pp. reconditum, denuo inventum. Alia ejus portio inventa a Sergio Pp. 60 e
Crux monogrammatica, ejusque descriptio 127 d. Quæ explicata demonstrat nomen Christus. ib. e Paulini de ea versus ib. f
Crux immissa et commissa, ejusque antiquitas indicatur 127 c
Crux nuda sine Crucifixo, primis aliquot continuis seculis repræsentata 128 a Quare gemmis et corona ornata. ib. Videtur perseverasse usque ad finem seculi VII. ib. d. Expresso sæpe ad pedem ejus agno, Christum patientem repræsentante. ibid. Statutum Concilii Quinisexti de pingendo Christo sub humana forma. ib. e. Sub eadem tamen forma antea quoque fuit depictus, uti et Apostoli, et alii homines sæpe in apsidibus templorum et sarcophagis mortuorum. 129 a, b, c, d Opinio Josephi Scaligeri refutata. ib. Uti et aliorum, negantium Christum forma humana solitum fuisse exprimi ante concilium Quinisextum. ib. b Crux nuda non uno coronabatur modo. f Crux ab imo usque ad summum circulo coronata apparuit in extis victimarum, sacrificante profanis diis impio Juliano. 130 a. Corona Cruci superne imposita in labaro Constantini, et apside Fundana. ib. c Versus Pauliniani de corona fastigio crucis imposita ibid. c. Usus coronandi Crucem quando desueverit. ib. d Coronatum Crucifixi caput. 130 d. Crucis Vaticanæ amplior, explicatio ibid. e
Crux qualis in labaro Constantini agni 128 b
Crux stationum servatur in basilica S. Petri 68 c
Cruces Paulinianæ ab ipso descriptæ. 128 c
Crucum variarum ectypa in æs incisa, ex quatuor apsidibus vetustissimarum quatuor basilicarum urbis Romæ 128. Alia item aliquot ectypa antiqua 83, 122, 123
Cyborium pro conservatione Vultus sancti 87 b

D

Dexter armus S. Stephani protomartyris, basilicæ S. Petri a Pelagio Pp. donatus 36 e
Diaconiæ Romanæ 46 * e
Diadema Christi diversum a Diademate Apostolorum pingi solitum. 123 f. Id probatur ex apside triclinii Leonis III. in una atque altera pictura. 123 f
Diocletianus editissimam ecclesiam Nicomediensem primo persecutionis suæ die dirui jussit 78 e
Dona variorum basilicæ S. Petri facta 35 * f
Donatio Caroli Imperatoris basilicæ B. Petri facta 49 * b
Donus Pp. aream ante basilicam S. Petri (Paradisum vocant) marmore instravit 66 a

E

ECCLESIÆ.

S. Apollinaris 143 f
S. Crucis, a Symmacho Pp. constructa 60 * e
SS. Philippi et Jacobi eadem quæ XII. Apostolorum 89 b
S. Felicis Nolani descriptio e S. Paulino. 80 d Unius cum apside ib. b. Item alterius non orienti, sed sepulcro S. Felicis obversæ, ibid. e. Triplex ejus porta. ib. f. Transenna, secretarium. ib. f. Tertiæ basilicæ Fundanæ descriptio ibid. Ejus in apside picturæ, et reliquiæ Sanctorum ibi conditæ versibus celebratæ 81
Ecclesiæ S. Augustini Romæ initia 55 * b
Ecclesia et monasterium sanctorum Joannis et Pauli 145 d. Ecclesia vel diaconia sanctorum Sergii et Bacchi ibid.
Ecclesiæ S. Mariæ de Febribus. 142 c. Imago ibidem miraculosa. ib. d. Ejus altaria et sacella ex Paulo de Angelis ibid.
S. Petronillæ 141 f. Ejus forma ib. An a Paulo I. ædificata. 142 a. Ejus sacella ex Paulo de Angelis 143 b.
S. Salvatoris, quæ et de Ossibus dicta 144 f
Ecclesia et monasterium S. Stephani Majoris ac Minoris. 145 d. Fuerunt monasteria diversa. 146 c. Error Vegii in eorum nominibus. ib. d Situs utriusque monasterii ib. f
Ecclesiæ a tyrannis destructæ, tempore Constantini Magni a Christianis reædificatæ 78 f
Epigraphe primi lapidis basilicæ S. Petri, a Julio Pp. II. locati 85 a

EPITAPHIA.

Epitaphium Agnetis imperatricis. 69 d Venerabilis Bedæ 100 Probi 71. d. Et conjugis ejus Probæ. 71 f. Epitaphia summorum Pontificum, Joannis II. 38 * c Bonifacii IV 38 * e Pelagii I. ibid. d. Gregorii I. 39 * b. Sabiniani I 40 * c Bonifacii V. ibid. Theodori I. 40 * e Sergii I. ibid. f. Sergii II. 41 * f. Stephani V. 42 * b. Benedicti III. ibid. c Joannis, ibid. Nicolai II. ibid. d Stephani VI ibid. Joannis VIII. ibid. e Joannis IX. Joannis X. Benedicti IV. ibid. e, f Christofori, 43 * a Anastasii III. ibid. Adriani, 73 d Eugenii, a Maphæo positum, 75 c. Nicolai V. 75. d. Eugenii IV. et Nicolai V. 85 c, d Adriani I. 98 f, Hujus auctor, non Carolus Magnus, sed Flaccus Alcuinus, 99 f. 100 a. Quo sensu Carolus ipsius auctor dici possit 100 e

F

SS. Fabiani et Sergii PP. corpora ad altare S. Sixti delata 93 a
Felicis proconsulis mores, 25 f. Ejus auaritia 25 * f
Fideles, Antiochiæ appellati Christiani, antea Nazaræi dicti 10 b

Fontes Damasi Papæ 44 * b
Formosus ornavit altare majus S. Petri 65 f
Formulæ, in subscriptione diplomatum a Carolo Magno usurpati solitæ 83 f
Franciscus de Thebaldescis Cardinalis, altaris de ossibus Apostolorum restaurator 87 f

G

S. Gabinii Martyris corpus reconditum in altari S. Mariæ 91 e
Gorgonii et Tiburtii MM. corpora ubi recondita 84 f
S. Gregorii Magni corpus in altari S. Andreæ reconditum 84 f
Gregorius IV. non fecit sacellum in basilica S. Petri, sed in secretario 140 b
Guidones a Carolo Magno institutos fuisse, non probatur ex diplomate, 83 c. Quod perperam ipsi adscribitur ibid. e

H

Herodes quot fuerint 9 c
Hinconis seu Oczkonis Cardinalis, episcopi primum Olomucensis, dein archiepiscopi Pragensis mors et sepultura 88 f
Historicus qualis esse debeat 57 * c
Hospitale Campi sancti 145 b

J

Jacobus Grimaldus plurima scripsit de ecclesia Vaticana. vixit saltem usque ad initium seculi XVII. 78 c
Jacobus Herculanus quando obierit 78 c d
Imagines SS. Patricii et Columbæ 88 e
Imago Innocentii PP. III. 124 e
Innocentius III. restauravit picturam musivam veteris apsidis Vaticanæ 122 c
Innocentius X. Decretum edidit contra novatores, de subordinatione et subjectione S. Pauli cum S. Petro in potestate suprema et regimine universalis Ecclesiæ 155 e
Joannis Cajetani de Ursinis diaconi Cardinalis obitus, sepultura, et fundatio 97 f

JOANNIS DE BEKA CHRONICON

Dedicatio ejus statuitur Wilhelmo ante annum MCCCLI. a Becano facta fuisse 159 a
Illudque tum desiisse in anno MCCCXLVI. ibid. b Quod confirmatur primo ex codd. MSS. ibid. secundo ex ipsis chronici verbis. ibid. d. Tertio ex additamento, quod impressit Frumerius. ibid. e. Multis post annis scriptum, et verosimiliter post annum MCCCXCIII. ibid. In quo statuitur completum fuisse, ibid. Alia additamenta a Suffrido visa 160 a. Sex tantum annos complectentia, nempe a MCCCLVIII. ad MCCCLXIV. ibid. b, d. Nihilo magis Becani sunt. ibid. d Sunt tamen non minoris auctoritatis. ibid. e
Joannes Gallus, Ep. Ostiensis, altare S. Martin liberalissime dotavit 92 f
Jubilæum in basilica S. Petri inchoatum 68 c
Julius II. PP. basilicæ novæ S. Petri primum lapidem posuit 84 b

L

Labarum Constantini descriptum ab Eusebio 130 c

LANCEA DOMINICA.

Ferrum ejus a magno Turcarum Sultano oblatum Innocentio VIII. 91 b. Solenniter delatum a porta Flaminia ad basilicam S. Petri. ib. c. Dein illatum palatio pontificis. ibid. Denique in Cyborio vultus sancti repositum. ibid. d. Delatum, et relatum ib.
Lapis porphyreticus, super quo divisa sacra ossa SS. Petri et Pauli 95 c
Lapis sceleratus, super quo necati multi Martyres, quo delatus, et translatus 88 b
Leo IV. de monasterio S. Martini, in quo educatus fuerat, optime meritus 73 a
Leo IX. munificus S. Petro 65 b
Liber Moralium S. Gregorii, divinitus Sagioni episcopo Cæsaraugustano Romæ ostensus 47 f
Litaniæ quot Sabbatis e S. Apollinaris templo pergunt ad basilicam S. Petri 68 d
Luminaria in natali SS. Petri et Pauli, et in electione aut consecratione Pontificis accendi solita 118 b

M

MAPHÆUS VEGIUS.

Orator et Poeta insignis. Ejus Natales, litteræ humaniores, 52 * b, c, d, e, f. S. Bernardini Senensis vitam conscripsit 52 * f
Quibus maxime præsidiis incitatus ad discendum. ibid. Ejus magistri. 53 * a b Propensio in poeticen. Studia altiora. ibid. c, d Quando Romam profectus. ibid. e An factus sit Datarius sub Martino V. an sub Eugenio IV. ibid. * a. Episcopatum recusat præ modestia. ibid. An translationi S. Monicæ adfuerit. 54 * c Opera ab ipso composita, atque impressa. 54 * d Alia deinde a Decessoribus nostris Romæ inventa. 54 * e. Ejus obitus ibid. f. Quædam de illo observanda 55 * a Item de templo S. Augustini, ac translatione S. Monicæ ibid. d. Nonnullæ ejus hallucinationes, omissiones, et promissiones non impletæ 55 * e, f. Quandonam editi libri quatuor de rebus antiquis memorabilibus basil. S. Petri Romæ 77
S. Margaretæ imago perquam venerabilis 90 d
Merces operariorum et officiantium in Majori hebdomada,

domada, 45*a, b, c. Item in aliis festivitatibus ibid. c
Missæ Cardinalium hebdomadariæ, et earum divisio 46*e

MONASTERIA.

Monasteria aliquot Canonicorum juxta basilicam S. Petri 72 c
Monasterium Hierusalem an fuerit prope basilicam S. Petri 140 e
Monasterium S. Martini prope altare majus basilicæ S. Petri, in quo habitabat congregatio servientium basilicæ, 73 a. Ejus celebritas ex statua ænea S. Petri, et educatione S. Leonis IV 73 b
Monasterium S. Martini incerto auctore 155 e
Monasterium S. Stephani Majoris et Minoris, *Vide, Ecclesia S. Stephani.*
Monasterium SS. Joannis et Pauli. *Vide, Ecclesia SS. Joannis et Pauli.*

MONUMENTUM APOSTOLORUM AHENEUM.

Corpora SS. Apostolorum ei inclusit S. Silvester PP. contra aquarum et furum injurias, 108 b. Inclusus eidem loculus argenteus, ibid. c. Monumenti descriptio ex Anastasio, ibid. Consonat liber Pontificalis, et Petrus Manlius, ibid. Ejus dimensio quanta. 109. Ejus figura. ibid. c. Quæ cui, de dimensione ejus et pondere, præferenda sententia. ibid. b, et seqq. Moles ænea non simul et semel circum loculum fusa, 110 e. Sed seorsim massis duabus, aut forte sex distinctis ibid.
Munificientia Eugenii III. Gregorii et Hormisdæ erga S. Petrum 65 d e

MURUS TRANSVERSARIUS.

Totam hic intersecat basilicam S. Petri, a Paulo III. conditus. 35 a. Quatuor in eo altaria, duo dextrorsum, totidem sinistrorsum. ib. Ædicula S. Luciæ antiquissima a læva muri transversarii aliquando fuit ibid.

N

Neronis, ob mortem Simonis magi, in Apostolos indignatio, 12*f. Eos mortis damnat, 15*a. Ejus crudelitas in Christianos 29*a

O

Obeliscus famosus ubi quondam steterit 155 d
Officia S. Gregorii ubique in ecclesiis legenda esse, S. Ambrosii vero Mediolani tantum, divinitus monstratur 68 a
Onuphrius Panvinius de VII. urbis ecclesiis impressus Romæ anno MDLXX 77 f
Opus musivum ab Exuperantio Ravennate episcopo constructum 129 e

ORATORIA.

Oratoria SS. Adriani, Sixti et Leonis noviter detecta 73 c, d
S. Adriani. *Vide, altare S. Adriani.*
Adriani I. ejusque epitaphium 37*a
S. Ambrosii, quod fuit extra murum septemtrionalem basilicæ, nomen suum perdiderat tempore Vegii 76 f
S. Antonii martyris, nunc S. Brigidæ 76 f
S. Antonii martyris inter portam Guidoneam 87 e
S. Crucis ad fontem, in basilica S. Petri a Symmacho extructum ex argento, Confessio et crux ex auro cum gemmis, ubi inclusit lignum Dominicum 94. d. Nicolaus PP. I. ibi fecit gabbatam argenteam unam, pensantem libras duas. ibid. Portio ligni S. Crucis non seorsim, sed simul cum cruce aurea, pendebat libras x. ibid.
Fontis baptismalis cum versibus Damasi 72 e
S. Gregorii I. 39*b 76 b
S. Joannis Apostoli et Evangelistæ a Symmacho conditum 94 f
S. Joannis Baptistæ, vulgo ad Fontes, a Symmacho conditum 94 f. Prope aberat fons baptismalis a Leone III. restauratus ibid.
S. Leonis IV. in quo a Paschale PP. II. Corpora SS. Leonis I. II. III. et IV. recondita. 94 c. Verosimilius a Leone IV. excitatum fuit aut saltem instauratum ibid.
S. Luciæ a Gregorio PP. consecratum 44*a. recondito ibidem ejus brachio 72 f
Oratorium magnum S. Crucis a Symmacho exstructum 72 e
SS. Trium Magorum. *Vide, Altare.*
B. Mariæ, reliquiis plurimis a Gregorio III. PP. locupletatum 74 b
B. Mariæ in choro Canonicorum 36*f
B. Mariæ a Paulo Papa I. exstructum et ornatum 37*b, 74 b
B. Mariæ, dictum Veronica 43*f
B. Mariæ, cum altari, in quo prima Missa noctis Natalis semper celebratur, cujus auctor Joannes VII. Pp. 76 d
SS. Processi et Martiniani MM. 37*c 74 c *Vide, Altare.*
Ordo et successio Romanorum Pontificum 50*d
Ornamenta altari S. Petri a Leone IV. addita, tum argentea, tum aurea 64 a
Ornatus multiplex, auro et argento dives tum altaris majoris, tum Confessionis ab Anastasio descriptus 113 f.

P

Pallia tantum vigilantur in ecclesia Vaticana 35*a.
Pallia Pontificalia ubinam consecrentur 68 a
Pammachii in morte Paulinæ conjugis erga pauperes beneficia 81 e
Paradisus ante basilicam S. Petri 142 d. Fuere in eo fontes ibid. Ejus dimensio. ib. 2. Pinea ænea ibid. Cantharum. ibid. e. An Pinea a cantharo distincta. ibid. Status istius fontis seculo XVI. ib. Fons alius in paradiso a pinea cum Cantharo diversus

diversus, ibid. An a Symmacho Papa factus ibid. Gradus. ibid. Ædificia circa gradus ibid. e. Ædificia supra gradus. 143. f. Ubi et ecclesia S. Apollinaris. ibid. Et alia multa ibi. ab Anastasio Biblioth. et Ciampino descripta ib.
Paschalis I. erexit altare S. Sixti Pp. 93 a
Παρεκκλήσια Græcorum, oratoria seu appendices templorum 120 a

S. PAULUS APOSTOLUS.

Pauli genus. 15* f. Statura, magistri, 16* a. Ardor animi. ibid. b. Odium in discipulcs Christi. ibid. d. Conversio. ibid. Damascum cæcus deducitur ibid. e. Christum prædicat. 17* b. Antiochiam tendit. ibid. e. Inde alio usque in Cyprum. ibid. Et Antiochiam Pisidiæ. ibid. Ubi docet ex Scripturis. 18* a. Multos convertit ibid. b. Inde ejicitur a Judæis. ibid. c. idem sit Iconii. ibid. d. Lustris sanato claudo habetur pro Deo a gentibus. ibid. d. Et lapidatur a Judæis. ibid. e. Redit Anthiochiam et Jerosolymam, ac denuo Lystras. ibid. f. Mittitur Berrœam et Athenas, 19* e. Ubi multa disputat. ibid. f. In Areopago perorat de ignoto ipsis Deo ibid. 20* a. Convertit Dionysium ac Damarim, ibid. b. Adit Corinthum magno cum animarum lucro. Ibidem f. Apud Aquilam et Priscillam commoratur, 21* c. Proficiscitur Ephesum, Cæsaream, Antiochiam etc. docens et baptizans. 21 *d. Feris objicitur. ibid. e. Miracula patrata. ibid. Turbæ Ephesi contra Paulum. ibid. f. Sedatæ, 22* c. Alio peregrinatur. ibid. c. Troade mortuum revocat ad vitam. ibid. d. Ejus dicendi vis, atque alia itinera. ibid. d. Oratio ad suos Mileti, non amplius eum visuros. ibid. e. Tendit Jerosolymam. ibid. f. Pericula ibidem illum manentia, ab Agabo prædicta, 23* a. Ipsum minime terrentia, 23* c. A Judæis ad mortem quæritur. ibid. d. A Romanis servatur. ibid. d. Quibus rationem reddit factorum suorum. ibid. e. Virgis cædendus edicit, civem Romanum se esse, ibid. f. Productus ad Judæos, causam agit. 24* a. Accusatur in multis a Judæis, 25. Ejus responsio, ibid. e. Coram rege Agrippa, et Festo proconsule, strenue perorat, 26* a. Navigat in Italiam, 27* c. Tempestatem prænuntiat. ibid. d. Divinitus promittit, neminem vectorum inde periturum, ibid. e. In insulam Melitam appellit. ibid. f. Mordetur a vipera innoxie, 28* a. Christum prædicat cum fructu ibid. b. Venit Regium ac Puteolos. ibid. c. Romam intrat, 38* d. Agit cum primoribus Judæorum. ibid. e. Multos gentilium baptizat. ib. f. Patroclum Neronis familiarem resuscitat, 29* c. Male ipsi solvitur, 29* d. Sententia mortis in illum fertur, ib. 30* a. Pauli inter hæc gaudia, ib. b. Aliquot militum conversio, ibid. c. Martyrio proximus linteum accipit a pia femina ad velandos oculos, 30* c. Cæsus sanguinem lacteum fundit. 30* d. A nobili matrona conditur. ib. d, e. Pauli ætas, ib. f. Epistolæ, 31* a. Corpus a Lucina in prædio positum 34* e
Pauli I. Pontificis Rom. corpus e basilica S. Pauli Apost. ad oratorium S. Mariæ in basilica S. Petri translatum 74 b. 37 b
Paulus III. condidit murum transversarium 81 a
S. Petronillæ corpus a Gregorio XIII. ad altare SS. Crucifixi delatum 78 a
Pius Pontifex II. instauravit altare S. Andreæ 84 f
Pauli Æmilii Sanctorii patria, Natales, elogium etc. 1* b
S. Petronillæ corpus 74 c

S. PETRUS APOSTOLUS.

Petrus natus Juliæ ad lacum Genesareth, quæ et Bethsaida, 3* d. Uxor filia Aristobuli, ib. e. Forma, statura, et corporis habitudo, ib. f. S. Andreas frater ejus major natu, ib. Primus cum Christo congressus 4* a. A Christo vocatur, sequitur, baptizatur, 4*. Favores, ib. c. Confessio privilegiis a Christo confirmata, ib. Interrogatio de præmio obtinendo, ib. c. Ægre obtemperat in lotione pedum, 5* d. Fervor in sequela Christi, ib. c. Christum negat tertio, ib. d. Christi sepulcrum inspicit, ib. e. Resipiscens resurrectionem Christi cognoscit, 5* b. Christus redivivus ei apparet, ib. Pœnitentia insignis ibid f. Petrus ecclesiæ caput, ib. f Loco Judæ alium curat substitui Apostolum, 6 *a Cum reliquis Apostolis accepit Spiritum sanctum, ib. e Judæos increpat, et instruit. ib. 6 Tria millia hominum convertit, ib. 7. Sanat paralyticum ad portam templi, ib. Viso Petri miraculo quinque hominum millia ad fidem conversa, ib. In synagoga causam dicit et absolvitur, ib. b Jacobum cognomento Justum constituit Jerosolymorum episcopum ;7*. b Ananiam cum uxore punit, ib. d Sanctitas longe lateque pervagata ib. Miracula, ib. Mittit discipulos in Galliam, ib. e Simon magus a Petro repressus, ib. f. 8 a. Videt descendens e cœlo linteum, ib. d. Cornelii centurionis divinitus præmoniti jussu advocatur Cæsaream, 8 * f. Ipsumque cum familia gentilem convertit ad Christum, 9* a Ab Herode Agrippa carceri inclusus 9. *f. Divinitus liberatur, ib. Ejus vincula ab Eudoxia Theodosii junioris conjuge Romam missa, ib. Provinciæ quænam illi obtigerint ad prædicandum Evangelium, quænam aliis Apostolis, 10. * c. Sententia de non circumcidendis gentibus, ib. Romam ingreditur anno secundo Claudii imperatoris, 10. * f. Aram consecrat Romæ in domo Pudentis senatoris, 11 * a. Peragratis extimis mundi plagis in Italiam redux, II. 5 Mortuum ad vitam revocat, quod frustra tentaverat Simon magus, 12. * a. Petri ætas, 15 d. Lectorii S. Petri ornatus qualis et quando, 46 * c. Gloria ob humilitatem exaltata, 6 c. Corpus e catacumbis elatum, 68 b. Aut forte ex monte Aureo, ib. c In monte Aureo sive Janiculo passus, non ad molem Adriani, ib. d e f. Corpus thecæ argentæ, ære undique munitæ, inclusum, ib. f. S. Petri brandeum forfice scissum sanguinem fundit, 66 c. Petri clavis aurea temere violata, non impune ib. d. Ferrea, morsus luporum ac canum rabidorum sanat, ib. e. S. Petrus apparet mansionario Ecclesiæ suæ 67 d. Primatus S. Petri, et basilicæ ejus 70 c Statua ænea S. Petri, ex oratorio S. Martini transportata ad oratorium SS. Processi et Martiniani 73. a. Apostrophe ad S. Petrum, 76 f

SS. PETRUS ET PAULUS.

Petrus et Paulus super Simone mago cum Nerone expostulant 11. * f. Inclusi carcere Mamertino, baptizant ejus custodes 14,* f. Petrus lacrymis suorum exire carcere coactus 14* f. Christo fit obviam, 15. * c. Et Romam denuo regressus, crucis damnatur. ib Petri et Pauli martyridam, 15 c. supremum vale, ib. Petri et Pauli mixta inter se ossa c 15* Loculi in quo conditum SS. Petri et Pauli corpus,

pus, ornatus et dimensio, 34 * f e. Arca aurea supra eorum corpora, 34 * e. Terræ motus in ablatione corporum SS. Petri et Pauli, 49 * c, Positio imaginum SS. Petri et Pauli dextra lævaque inter se, 148. Observatio Joannis Lucii, ib. Item alia ib. d. Petri a Marca. ib. e. Commentarius Francisci Mucantii, 163, d. Cur Paulus ad dextram Petri ex Battello, 154. d. An pars sinistra dignior sit, quam dextra, ib. Honoris causa Paulus Petro prælatus, quia utilior fuerit ecclesiæ in multis 154. a f. Quia præsignatus in Benjamin, ib. b. Quia doctor gentium præcipuus, et e cœlo vocatus ad apostolatum, ib. Item ut extolleretur Petri humilitas, ib. c. Ob æqualitatem meritorum, non ex arbitrio pictorum sic positi fuerunt, ib. Paulus non semper a dextris Petri collocatus ib. Petrus major potestate, Paulus sapientia, 155 b

Petri Manlii seu Malli Historia sacra cum præfatione ad Alexandrum III. PP. collecta ex antiquis basilicæ S. Petri monumentis sub medium seculi XII, 77 e

Petrus Manlius Historiæ sacræ auctor 34 *

Pompeius Ugonius de Stationibus Romanis editus anno 1588. 77

PHARUS SEU LYCHNUCHUS.

Pharus seu lychnuchus quid sit, 116 c. Eorum origo altius repetita, ib. Nutriebantur oleo et candelis, 117 a. Forma eorum rotunda unius circuli, uti nunc etiam sunt, ib. b. Coronæ unde dictæ. ib. Phari unius circuli diversorum locorum, ib. e, d. Quidni rotæ dici possint? ib. e. Phari turritæ plurium circulorum, 117 e. Aliarum item formarum. ib. f. Pharus una in formam crucis facta, et ab Adriano I, ante presbyterium suspensa, candelas capiebat 1370, 118 a. Quater quotannis accendi solita, ib. Phari aliæ non pendulæ, ib. Quod cerostatæ et lucernæ bimixæ 118 d. Vasorum, lumen in pharis alentium, formæ variæ et nomina diversa, ib. Quid gabatæ, ib. c. Quid canistra, ib, e. Delphini unde dicti, ib. Gryphes et leones, canthara, arbores id. f

Philippus Bonannius Historiæ templi Vaticani editor, quæ dein recusa 77 f

Pontes Romæ, qui in Legendis Sanctorum inveniuntur 50 * b

Pontificum habitatio apud S. Petri ecclesiam exædificata 66 a

Portæ, *Vide*, *Basilica S. Petri.*

PRESBYTERIUM.

Presbyterium quid sit 119 c

Presbyterium et chorus loca distincta, 103 e, 114 d. Presbyterii descriptio ex ecclesia Cantuariensi, ib. e. In qua inter Missarum solennia episcopus sedebat retro vel post altare. ib. f. Presbyterium muro seclusum et laicis inaccessum. 115 b c. Ejus notionis origo, ib d. Peribolus presbyterii, ib. e. Elevabantur communiter ad altitudinem circiter dimidii corporis humani, ib. Hinc septa hujusmodi. Pectoralia dicta, ib. Peribolus alibi elatior, ib. Videtur partim saltem ex cancellis fuisse in basilica S. Petri ib. f

Privilegium Gregorii I, fundantis pro lampadibus alendis multa oliveta

R

Ritus qualis pannis laneis, unde fiunt pontificalia adhibitus 35 * a

ROBERTUS DE MONTE

Supplementum Chronicum, Roberto de Monte passim adscribi solitum. Vossius abjudicat Roberto abbati Montis S. Michaelis, 155 c. Adjudicat cuidam Roberto Montensi, abbati Abrincensi, ib. c. Nullius auctoritate ostendens, talem uspiam in mundo fuisse. 156 b. Tribuunt istud priori Roberto Sammarthani ib. Uti etiam Trithemius, Gesnerus, Possevinus, Miræus et alii. ib. b. Hic Robertus ipsemet, non totius quidem supplementi, sed partis ejus se auctorem prodit ib. c. Obiit autem anno 1186. ib. d. Reliqua exinde sequentia, a monacho Gemeticensi adjecta, 57 a. Frustra adstructi a Vossio Roberti duo Normanni, abbates Montenses, ib. f. Chronicon Sigeberti a Miræo expurgatum non item appendix Roberti 157 b. Qui et abbas Montis Navalis appellatur, ibid. c. Idem vero est qui Montis S. Michaelis. ib. c. Propria Roberti appendix anno 1651, edita. ib, d. Orditur ab initio seculi XII, ib. Terminatur non anno 1182. ib. e. Sed saltem biennio post et amplius, ib. b. Ejusdem styli tenore, 158 b. Ut loquendi modo ib. c. Chronicon Roberti nomine olim impressum, tripartitum, ib. c. Quisnam primæ partis Auctor duobus aliis jam inventis. ib. cd. Vixit ille saltem post annum 1155 ib. d. Robertus de Monte etiam scripsit gesta Henrici primi, non secundi, Angliæ regis, ib. e. Natus sub initium seculi XII.

Romanorum antiquorum gloria conspurcata 61 e. Atque ob fastum depressa fuit ib. b

Romanorum Imperator ab altare S. Petri coronari a Pontifice consuetus 93 a. Benedici item et inungi solebat ad altare S. Mauritii, ib. Apud quos Auctores hujus ceremoniæ descriptio ibid.

Romanus Canonicus, historiæ sacræ a Manlio conscriptæ interpolator, 33 * d. Editus perperam sub tali nomine tamquam auctoris a Paulo de Angelis 82 a

Rota porphyretica unde dicta 90 a. Variis ceremoniis aptata. ibid.

S

SACELLA.

Sacella duo anonyma 72 e. Alia anonyma. 140 f

Sacella ecclesiæ S. Mariæ de Febribus 142 c

Sacella ecclesiæ S. Petronillæ 142 a

Sacellum vel basilica S. Andreæ Apostoli. 141 c A quibus Pontificibus ditata, ib. Oblata ibidem dona, et opera a variis Pontificibus facta, ib. d. Altare in medio cum brachio S. Andreæ et Lucæ Evangelistæ. ib. e

Sacellum Gregorianum successit in locum secretarii antiquissimi 140 c. Ejus apsis. ib. e. Fuit appellatum S. Mariæ a Febribus. ib. f

S. Mariæ ab Innocentio VIII renovatum, in eoque repositum lanceæ Domini ferrum 86. e Reliquiis frequens. ibid.

Præsepis Domini aliis S. Mariæ de Præsepi, ædificatum a Joanne VII 86 f. Ejus descriptio. ib.

Dei Genitricis, a Laurentio Cardinale Beneventano constructum, loco, quo Gregorianam, ad Eugenio III, restauratum, steterat. 91 c. Lanceæ Dominicæ ferrum eo delatum, ib. Et relatum in locum pristinum ib.

Dei Genitricis Mariæ, alibi ab aliis collocatum 91 b. Dictum putatur S. Mariæ de Conventu. Et quare ibi

S. Mariæ de Cancellis; unde sic appellatum 93 f. Ab aliis dictum S. Mariæ in Oratorio. ib. Ædificatum a Paulo Pp. I. in angulo navis transversæ. ib. Signo argenteo B. Mariæ Virginis librarum centum ab eodem ditatum. ib. Constructa illic dicti Pontificis sepultura. Ib. Multa Sanctorum corpora ibi sepulta. ibid.
S. Mariæ de Prægnantibus. *Vide, Altare.*
Secretarium vetus ecclesiæ S. Petri juxta Ugonium fuisset prope altare S. Andreæ 84 f
Secretarium antiquissimum et novellum. 140 a. An novellum eodem loco, ubi antiquissimum steterat. ib. Secretarii novi situs ib. b
Seneca ac Tacitus, Christianorum sub Nerone miserati. 59 * d

SEPULCRA ROMANORUM PONTIFICUM.

Adeodati 40 f. Adriani I. 37 a, 74 f. Adriani III. 75 d. Adriani IV. 36 c, 91 f, 93 b. Adriani V. 76 c. Agapiti, 38 c Agathonis, 40 f Anacleti, 37 f, 75 d. Anastasii II. 38 a Anastasii III. 43 a. Benedicti I. 38 * Benedicti II. 45 f Benedicti III. 42 c, 76 c. Benedicti IV. 42 f, 76 c. Bonifacii I. 38 * c Bonifacii II. 76 b. Bonifacii III. et IV. 40 c Bonifacii IV. 38 * f. Bonifacii V. 40 d. Bonifacii VIII. 84 e. Cœlestini III. 87 d. Christophori, 43 a. Cleti, 37 f. Cononis, 40 f, 75 d. Constantini, 41 d, 75 d. Deodati, 75 d. Deusdedit, 40 d, 75 d. Doni, 40 f, 75 d. Eleutherii, 38 a, 75 d. Evaristi, 37 f, 75 d. Eugenii I. 40 e Eugenii III. 91 e Eugenii IV. 75 a. Felicis, 38 b Formosi, 75 d. Gelasii, 38 a Gregorii II. 41 d, 76 c Gregorii III. 41 d, 36 b, 75 a, 91 * e Gregorii IV. 41 f. Gregorii V. 43 a. Gregorii, 76 b. Higini, 37 f. Honorii I. 40 d, 75 d Honorii 75 d. Honorii IV. 92 e Hormisdæ, 38 a Iginii, 75 d. Innocentii VIII. 91 e Joannis I. 38 b. Joannis II. 38 c, 76 c. Joannis III. 38 b, 76 Joannis IV. 40 e Joannis V. 40 f. Joannis VI. 41 b. Joannis VII. 41 d, 84 Joannis VIII. 42 e Joannis IX. 42 e. Joannis X. 42 f. Joannis, 42 b, 74 c. Landonis, 75 d. Leonis I. 38 a Leonis II. 40 f. Leonis III. 41 a Leonis IX. 42 b, 84 e Lini 37 * b. Lucii II. 75 d. Nicolai 42 d, 75 d. Nicolai V. 73 b. Nicolai III. 92 e Paschalis I. 41 f, 93 a. Pauli, 41 e Pelagii, 38 d Pelagii I. 38 d. Pii, 37 f, 75 d. Sabiniani. 40 b. Sergii I. 40 f. Sergii II. 41 f. Severini, 40 e, 75 d. Simplicii, 38 d. Sisinnii, 41 d, 75 d Sixti 37 f. Stephani II. 41 e, 76 c Stephani III. 41 e Stephani IV. 41 f. Stephani V. 42 b, 76 c Stephani VI. 42 d, 76 c. Symmachi 38 a, 75 d. Telesphori, 37 f, 75 d. Theodori I. 40 e Theodori II. 76 c Valentini, 75 d. Victoris, 38 a, 75 d. Vigilii 74 f, 93 a. Vitaliani 40 e Vitelliani, 75 d. Urbani II. 37 a, 74 b. Zachariæ 41 e, 75 d, 75 d
Sepulcrum et epitaphium Joannis Cardin. 37 * c
Petri Diaconi 91 e
Sepulcrum S. Petri quantum abfuerit a laqueari depressioris cryptæ 108 a
Sepulcrum Romuli, Meta dictum, ex cujus lapidibus opus graduum S. Petri factum 46 b
Sepulcrum Ursinorum 98 c
S. Silvester primus, auctor picturæ musivæ veteris apsidis Vaticanæ 123 b
S. Silvestri brachium ubi reconditum. 93 a

SIMON MAGUS.

Ejus perversitas. 7 f. Simonia a Simone dicta. 8 a. Ejus scelera, 8 b. Veneratio, 11 e Pavor conspectis Apostolis, 12 a Irritus in suscitando mortuo conatus. ib. c Veneficus volatus. 13 d. Exitium ac mors. 14 a
S. Sixti corpus altari ejus impositum 93 a
Stationes Romani Pontificis 48 * b
Statuta de celebratione Missarum. 39 b. Et de Assistentibus summo Pontifici. ib. 9 e
S. Stephani armus dexter ubi collocatus 91 a
Ursus Ursinus Card. restaurator altaris S. Pastoris. 92 a. Ejus tumulus. ibid.

T

Tagio episcopus Cæsaraugustanus, in basilica S. Petri pernox vigilans, videt cum eo turmam sanctorum Pontificum 67 c

TEMPLA PROFANA.

Apollinis olim, nunc S. Petronillæ 37 * d
Tria Romæ constructa ab Augusto Cæsare 62 a
Pudicitiæ in lupanar conversum 61 e f
Augusto dicatum, penitus collapsum 62 e

TEMPLA SACRA.

Templa a Leone IV. Constructa 64 f
Templum Probi, sub Nicolao V. destructum. 71 b c. A quibus, et quando conditum 145. Probi elogia ex ejus inscriptionibus 71 d
Templum S. Stephani 72 b
Templum Tyrium descriptum ex Eusebio 79. Cum basilica S. Petri comparatum ib.
Tholus, quid sit 107 b
Thuribulum aureum, quod a Leone III, factum, et in Confessione S. Petri super corpus ejus missum fuit 106 d
Tiara Pontificia tempore Innocentii III, necdum duplici aut triplici coronamento clausa. 123. Circulo aureo distincta, ab Innocentio II, adhibita. 124 a. Alia coronamenta a quibus addito ibid.
Trabes diversæ in presbyterio. 116 b. Earum situs, numeres et ornatus ibid. c, d, e
Trabis in ecclesia Cantuariensi descriptio 116 e
Trimma auri quid sit. 114 b. Quis ejus usus. ib. c
Trinitas Personarum, diversimode post debellatum Arium repræsentari solita 126 e. Symbola item Patris, Filii, et Spiritus sancti ib.
Tyri ecclesia sub idem fere tempus ædificata a Paulino Tyri episcopo, quo Vaticana Romæ 79 a Ejusdem descriptio ex Eusebio ib. Quadriporticus. Intercolumnia. ibid.
Vide, Templum Tyrium.

V

Vaticanum unde dictum 36 d. Vetus cum novo comparatum 59 c. et seqq.
Veronica seu vera icon, 57 c. Quænam de ea fuerit traditio; et quomodo mutata. ib. e
Vigiliæ solennes ac Pontificiæ in Confessione hypogæ S. Petri. 104 b
Urbis Romanæ pars, muris munita a Leone IV. 64 f. Nicolaus V. hos restaurare aggresus, sed morte præventus non absolvit 65 a
SYXA-

SYNAXARIUM

Ex Menologio, jussu Basilii Imperatoris collecto, cujus sex postremi menses servantur manuscripti in monasterio Basilianorum Cryptæ-Ferratæ in Latio.

ΜΗΝΙ ΙΟΥΝΙΩι Α'. ΑΘΛΗΣΙΣ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΜΑΡΤΥΡΟΣ ΙΟΥΣΤΙΝΟΥ ΤΟΥ ΦΙΛΟΣΟΦΟΥ.

I Justini Philosophi. M.

Ἰουστῖνος ὁ τοῦ Χριστοῦ σοφώτατος Μάρτυς, ἦν ἀπὸ Νεαπόλεως τῆς Συρίας, φιλόσοφος ἀνὴρ, καὶ σύνεσιν ἔχων πολλήν. Ἀγαπῶν δὲ τὸν Χριστὸν, καὶ τοὺς αὐτὸν μισοῦντας ἀποστρεφόμενος, τῷ θείῳ ζήλῳ διεκαίετο καθ' ἡμέραν. Διὰ τοῦτο καὶ ἀπελθὼν εἰς Ῥώμην ἐπὶ τῆς βασιλείας Ἀντωνίνου, καὶ γράψας τόμον κατὰ τῆς πλάνης μὲν τῶν εἰδώλων, ὑπὲρ δὲ τῆς πίστεως τῶν Χριστιανῶν, ἐπιδέδωκε τῷ Βασιλεῖ. Καὶ θαυμάσας ὁ Βασιλεὺς τὴν σοφίαν αὐτοῦ, καὶ τὴν ἐπιστήμην, οὐ μόνον οὐκ ἐφόνευσεν αὐτὸν, ἀλλὰ καὶ ἐπῄνεσεν. Ἐπὶ δὲ καὶ ἐν ταῖς πρὸς τοὺς εἰδωλολάτρας διαλέξεσι, τὴν μὲν θρησκείαν τῶν εἰδώλων ἀπατηλὴν ἀπέφαινε· τὴν δὲ τῶν Χριστιανῶν ἐβεβαίου, καὶ ἐκρατυνε γραφικαῖς ἀποδείξεσιν. Ἐφθονήθη ὑπὸ Κρίσκεντος τοῦ φιλοσόφου· καὶ φθονηθεὶς ἐπεβουλεύετο, ἕως ἀνῃρέθη παρ' ἐκείνου.

ΚΑΙ ΑΘΛΗΣΙΣ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΜΑΡΤΥΡΟΣ ΙΟΥΣΤΙΝΟΥ, ΚΑΙ ΤΗΣ ΣΥΝΟΔΙΑΣ ΑΥΤΟΥ.

Justini et Soc. MM.

Καὶ οὗτοι οἱ ἅγιοι ἐν τῇ Ῥώμῃ διέτριβον, διδάσκοντες ἐπὶ τῷ ὀνόματι τοῦ Χριστοῦ, καὶ κρατηθέντες παρὰ τοῦ τῆς πόλεως Ἐπάρχου, ἀπεκλείσθησαν εἰς φυλακήν. Καὶ μετὰ πολλὰς ἡμέρας τῆς φυλακῆς ἐκβληθέντες, παρέστησαν τῷ Ἐπάρχῳ. Καὶ ἠρώτησεν ὁ Ἔπαρχος τὸν Ἰουστῖνον μετὰ πολλὰς καὶ ἄλλας ἐρωτήσεις· εἰπὲ Ἰουστῖνε· ἐὰν μαστιγωθεὶς, καὶ ἀποκεφαλισθεὶς πάντως πεπληροφόρησαι, ὅτι μέλλεις ἀναβαίνειν εἰς τὸν οὐρανόν; Ὁ δὲ Ἰουστῖνος εἶπεν· ἐλπίζω κληρονομῆσαι τὴν τῶν οὐρανῶν βασιλείαν, ἐὰν ὑπομείνω προθύμως ταύτας τὰς βασάνους. Καὶ ὁ Ἔπαρχος εἶπε· τοῦτο οὖν ὑπονοεῖς ὅτι ἀναβήσῃ εἰς τοὺς οὐρανοὺς, καὶ ἀπολήψῃ ἀμοιβάς τινων ἀγαθῶν; Ἰουστῖνος εἶπεν· οὐχ ὑπονοῶ ἁπλῶς, ἀλλ' ἀκριβῶς πεπληροφόρημαι. Τότε προστάξει τοῦ Ἐπάρχου, μετὰ τῶν σὺν αὐτῷ Ἁγίων τὴν κεφαλὴν ἀπετμήθη.

ΜΗΝΙ ΤΩι ΑΥΤΩι Β'. ΜΝΗΜΗ ΤΟΥ ΕΝ ΑΓΙΟΙΣ ΠΑΤΡΟΣ ΗΜΩΝ ΚΑΙ ΟΜΟΛΟΓΗΤΟΥ ΝΙΚΗΦΟΡΟΥ ΠΑΤΡΙΑΡΧΟΥ ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΟΥΠΟΛΕΩΣ.

II Nicephori archiep. CP. Conf.

Νικηφόρος ὁ θεῖος, Ἀρχιερεὺς ὑπῆρχε τῆς Κωνσταντινουπόλεως καὶ γέννημα καὶ θρέμμα, ἐπὶ τῆς βασιλείας Κωνσταντίνου τοῦ δυσσεβοῦς, υἱὸς Θεοδώρου καὶ Εὐδοκίας. Ὁ δὲ Θεόδωρος ὢν ὑπογραφεὺς τῶν βασιλικῶν ἐνταλμάτων, ὡς προσκυνητὴς τῶν θείων εἰκόνων διαβληθεὶς, ἐτύφθη καὶ ἐξωρίσθη εἰς Μύλασαν, εἶτα εἰς Νίκαιαν, ἔνθα καὶ τελευτᾷ. Ὁ δὲ τούτου υἱὸς Νικηφόρος, ὑπογραφεὺς καὶ αὐτὸς ὢν, καταλιπὼν ἀξίαν, πλοῦτον, καὶ δόξαν, τὴν Προποντίδα τῆς πόλεως κατέλαβεν· ἔνθα Θεῷ καὶ ἑαυτῷ προσέχων ἐκτήσατο μεγάλην ἀρετήν. Καὶ κατὰ τελευτὴν Ταρασίου τοῦ μακαριωτάτου Πατριάρχου, προεχειρίσθη Πατριάρχης Κωνσταντινουπόλεως, ὑπὸ Νικηφόρου βασιλέως τοῦ πατρὸς Σταυρακίου. Καὶ διήρκεσε μέχρι τῆς βασιλείας Λέοντος τοῦ εἰκονομάχου· ὑφ' οὗ καὶ ἐξωρισθεὶς, καὶ εἰς φυλακὴν ἐμβληθεὶς, πρὸς Κύριον ἐξεδήμησεν, χρόνων ἑβδομήκοντα ὑπάρχων. Ἐξ ὧν μὲν ἐννέα ἐν τῇ ἀρχιεροσύνῃ διετέλεσε δέκα δὲ καὶ τρία ἐν τῇ ἐξωρίᾳ.

ΜΗΝΙ ΤΩι ΑΥΤΩι Γ' ΑΘΛΗΣΙΣ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΜΑΡΤΥΡΟΣ ΛΟΥΚΙΛΛΙΑΝΟΥ, ΚΑΙ ΤΗΣ ΣΥΝΟΔΙΑΣ ΑΥΤΟΥ.

Λουκιλλιανὸς ὁ τοῦ Χριστοῦ Μάρτυς, ἦ μὲν ἐπὶ τῆς βασιλείας Αὐρηλιανοῦ, πρότερον ἱερεὺς τῶν εἰδώλων ὑπάρχων ἐν τῇ πόλει Νικομηδείας, γηραιὸς τὸν ἡλικίαν. III Lucilliani et Sociorum MM.
Μετατεθεὶς δὲ πρὸς τὴν εἰς Χριστὸν πίστιν ἐκρατήθη, καὶ παρεδόθη Σιλβανῷ τῷ κόμητι, καὶ μὴ πεισθεὶς ἀρνήσασθαι τὸν Χριστὸν, συνετρίβη λίθοις τὸ πρόσωπον, καὶ τυφθεὶς ῥαβδίοις, ἐκρεμάσθη κατὰ κεφαλῆς ἐπὶ ξύλου. Εἶτα βληθεὶς εἰς φυλακὴν, εὗρεν ἐκεῖ παιδία τέσσαρα διὰ τὴν εἰς Χριστὸν πίστιν ἀποκλεισθέντα, Κλαύδιον, Ὑπάτιον, Παῦλον, καὶ Διονύσιον. Καὶ περιχαρὴς γενόμενος ἐστήριζεν αὐτὰ πρὸς τὴν πίστιν. Καὶ μετ' αὐτῶν τῷ κόμητι αὖθις παραστὰς, καὶ μὴ πεισθεὶς ἀρνήσασθαι τὸν Χριστὸν, ἀνεβλήθη εἰς κάμινον πυρός. Καὶ ἐξελθὼν ἀβλαβὴς, ἤχθη δέσμιος μετὰ τῶν παιδίων εἰ τὸς Βυζάντιον. Καὶ τὰ μὲν παιδία ἀπεκεφαλίσθησαν· αὐτὸς δὲ σταυρῷ προσηλωθεὶς, ἐτελειώθη.

ΚΑΙ ΑΘΛΗΣΙΣ ΤΗΣ ΑΓΙΑΣ ΜΑΡΤΥΡΟΣ ΠΑΥΛΗΣ, ΤΗΣ ΠΑΡΘΕΝΟΥ.

Ἡ τοῦ Χριστοῦ Μάρτυς Παῦλα, συμπαροῦσα τῇ ἀθλήσει καὶ τοῖς ἀγωνίσμασι τῶν ἁγίων Λουκιλλιανοῦ, καὶ Paulæ v. et M.
τῶν παίδων, κατάτε τὴν φυλακὴν, καὶ τὴν ὁδὸν ἀπεσπόγγιζε τὰ αἵματα, καὶ τῶν τραυμάτων τὰ ἕλκη, θεραπεύουσα κατὰ δύναμιν τῶν Ἁγίων τὰ σώματα· ἦν γὰρ ἐκ προγόνων Χριστιανὴ καὶ πιστή. Καὶ τοῦτο ἔργον ἦν αὐτῇ, τὸ ἐπισκέπτεσθαι τοὺς ἐν φυλακαῖς, καὶ τοὺς ὑπὲρ Χριστοῦ μαρτυροῦντας θεραπεύειν καὶ διατρέφειν. Διὰ ταῦτα οὖν κρατηθεῖσα ἤχθη καὶ αὐτὴ πρὸς τὸν κόμητα Σιλβανόν. Καὶ μὴ πεισθεῖσα θῦσαι τοῖς εἰδώλοις ἐτύφθη σφοδρῶς, καὶ ταῖς ἐπιφοραῖς τῶν ῥάβδων τὸ σῶμα διαλυθεῖσα, ἐπιστασίᾳ Ἀγγέλου ἐγένετο ὑγιής. Καὶ πάλιν προσαχθεῖσα τῷ κόμητι, εἰς κάμινον ἐνεβλήθη πυρός. Καὶ ἐξελθοῦσα ἀβλαβὴς, ἐπέμφθη καὶ αὐτὴ εἰς τὸ Βυζάντιον, καὶ ἀπεκεφαλίσθη, ἔνθα καὶ ὁ ἅγιος Λουκιλλιανός.

ΜΗΝΙ ΤΩι ΑΥΤΩι Δ'. ΜΝΗΜΗ ΤΟΥ ΕΝ ΑΓΙΟΙΣ ΠΑΤΡΟΣ ΗΜΩΝ ΜΗΤΡΟΦΑΝΟΥΣ ΠΑΤΡΙΑΡΧΟΥ ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΟΥΠΟΛΕΩΣ.

Μητροφάνης ὁ ἐν ἁγίοις Πατὴρ ἡμῶν ὑπῆρχεν ἐν τοῖς IV
χρόνοις τοῦ μεγάλου Κωνσταντίνου, Ἐπίσκοπος Βυζαντίου, συγγενὴς Πρόβου τοῦ βασιλέως. Μετὰ δὲ τὸ ἐπικτίσαι τὸ Βυζάντιον τὸν μέγαν Κωνσταντῖνον, καὶ μετονομάσαι αὐτὸν Κωνσταντινούπολιν, προεβιβάσθη Πατριάρχης, δεύτερος ταχθεὶς τοῦ Ῥώμης. Τῆς δὲ κατὰ Νίκαιαν συναθροισθείσης πρώτης συνόδου, ὁ μὲν Πατριάρχης Μητροφάνης διὰ γῆρας καὶ νόσον ἀπελείφθη. Τὸν δὲ Πρωτοπρεσβύτερον αὐτοῦ Ἀλέξανδρον, ὃν καὶ διάδοχον αὐτοῦ ὠνόμασεν, ἀπέστειλεν ἀντ' αὐτοῦ. Μετὰ δὲ τὸ ἐπανελθεῖν τόντε βασιλέα, καὶ τὴν ἱερὰν σύνοδον, πρῶτον διάδοχον ψηφισάμενος Ἀλέξανδρον, καὶ δεύτερον, Παῦλον τὸν ὁμολογητὴν, καὶ ἐπευξάμενος ἀγαθὰ τῷ Βασιλεῖ, καὶ τῇ συνόδῳ, ἀνεπαύσατο. Τὸ δὲ λείψανον αὐτοῦ ἐτέθη ἐν τῷ οἴκῳ αὐτοῦ.

Metrophanis Patriarchæ. CP.

ΜΗΝΙ ΤΩι ΑΥΤΩι Ε'. ΑΘΛΗΣΙΣ ΤΩΝ ΑΓΙΩΝ ΜΑΡΤΥΡΩΝ ΜΑΡΚΙΑΝΟΥ, ΝΙΚΑΝΔΡΟΥ ΚΑΙ ΤΗΣ ΣΥΝΟΔΙΑΣ ΑΥΤΩΝ.

Μαρκιανὸς καὶ Νίκανδρος, οἱ τοῦ Χριστοῦ Μάρτυρες, V
μετὰ τῆς συνοδίας αὐτῶν, ὑπῆρχον ἐκ τῆς χώρας Αἰγύπτου. Καὶ διὰ τὴν εἰς Χριστὸν ὁμολογίαν, κρατηθέντες ὑπὸ τοῦ Ἄρχοντος, καὶ βιασθέντες ἀρνήσασθαι μὲν τὸν Χριστὸν, προσκυνῆσαι δὲ τοῖς εἰδώλοις. Καὶ μὴ πεισθέντες, πρῶτον μὲν ἐτύφθησαν σφοδρῶς, καὶ τὰς πλευρὰς λαμπάσι κατεκάυσαν. Καὶ κρεμαθέντες ἐξέσθησαν μετὰ σιδηρῶν ὀνύχων· ἕως αἱ σάρκες αὐτῶν ἔπεσον ἐπὶ τὴν γῆν.

Marciani et Soc. MM.

γῆν. Ἔπειτα ἀπεκλείσθησαν εἰς φυλακὴν ἡμιθανεῖς ὑπάρχοντες. Ἔνθα πιφανεὶς αὐτοῖς Ἄγγελος Θεοῦ, εθεράπευσεν αὐτούς. Καὶ μετὰ πολλὰς ἡμέρας ἐξελθόντες τῆς φυλακῆς ὑγιεῖς, καὶ παραστάντες τῷ κριτηρίῳ τοῦ Ἄρχοντος, πολλοὺς τῶν ἀπιστων διὰ τὸ θαῦμα ἐπέστρεψαν ἐπὶ τὸν Κύριον. Καὶ πάλ ν παραδοθέντες φυλακῇ, ἐν αὐτῇ τῷ Θεῷ τὰς ψυχὰς παρέδωκαν

ΜΗΝΙ ΤΩι ΑΥΤΩι ϛ'. ΑΘΛΗΣΙΣ ΤΩΝ ΑΓΙΩΝ ΜΑΡΤΥΡΩΝ ΓΥΝΑΙΚΩΝ ΚΥΡΙΑΣ, ΒΑΛΕΡΙΑΣ, ΚΑΙ ΜΑΡΚΙΑΣ.

VI Cyriæ, Valeriæ, et Marciæ MM.

Κυρία ἡ τοῦ Χριστοῦ Μάρτυς, καὶ Βαλερία, καὶ Μαρκία ὑπῆρχον ἐκ τῆς πόλεως Καισαρείας τῆς Παλαιστίνης. Καὶ ὑπὸ Χριστιανοῦ τινος διδαχθεῖσαι, ἀρνησάμεναι τὰ εἴδωλα, καὶ τὰς βδελλυρὰς θυσίας, προσῆλθον τῷ Χριστῷ, καὶ ἐβαπτίσθησαν. Καὶ ἐν ἡσυχίᾳ καθεζόμεναι ἐν οἰκήματι διῆγον ἐν εὐλαβίᾳ πολλῇ καὶ ἀρετῇ, νηστείᾳ καὶ προσευχῇ, καὶ ἀγρυπνίᾳ προσκαρτεροῦσαι, καὶ τὸν Θεὸν ἐξιλεούμεναι,, καὶ παρακαλοῦσαι, ὅπως καταλυθῇ μὲν ἡ τῶν εἰδώλων πλάνη, τελείως ἀναλάμψῃ δὲ ἡ τῶν Χριστιανῶν πίστις εἰς πάντα τὸν κόσμον, καὶ παύσηται ὁ κατὰ τῶν Ἁγίων διωγμός. Οὕτω δὲ ποιοῦσαι, κατεμηνύθησαν τῷ τῆς χώρας Ἄρχοντι ὑπὸ τῶν εἰδωλολατρῶν. Καὶ ἀναγκαθεῖσαι ἀρνήσασθαι τὸν Χριστὸν, καὶ προσκυνῆσαι τοῖς εἰδώλοις, καὶ μὴ καταδεξάμεναι ταῦτα ποιῆσαι, ἐβασανίσθησαν, καὶ μαστιζόμεναι ἐν αὐταῖς τιμωρίαις ἐτελειώθησαν.

ΜΗΝΙ ΤΩι ΑΥΤΩι Ζ'. ΑΘΛΗΣΙΣ ΚΑΙ ΑΝΑΚΟΜΙΔΗ ΤΟΥ ΛΕΙΨΑΝΟΥ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΜΑΡΤΥΡΟΣ ΘΕΟΔΟΤΟΥ.

VII Theodoti M.

Θεόδοτος ὁ τοῦ Χριστοῦ Μάρτυς ὑπῆρχεν ἐκ τῆς χώρας τῆς Γαλατίας, χωρίου μαλοῦ. Θάπτων δὲ τῶν μαρτυρούντων Ἁγίων τὰ λείψανα, διεβλήθη τῷ τῆς Ἀγγύρας Ἄρχοντι, καὶ κρατηθεὶς ἀπεκλείσθη. Εἶτα εἰς ἐρώτησιν ἀχθεὶς, ἀντεῖπε σφοδρῶς τῷ Ἄρχοντι, καὶ τοὺς Ἑλλήνων θεοὺς ἐχλεύασε, καὶ τοὺς προσκυνοῦντας αὐτοὺς, μωροὺς καὶ ἀθλίους ἀπεκάλεσε. Τότε τυφθεὶς σφοδρῶς ἐκρεμάσθη ἐπὶ ξύλου· καὶ τὰς πλευρὰς ὑπὸ λαμπάδων κατεκάη, καὶ ἐξέσθη τὰς σάρκας. Καὶ μετὰ ταῦτα λαβὼν τὴν διὰ τοῦ ξίφους ἀπόφασιν· προσηύξατο, καὶ οὕτως ἐτμήθη τὸν κεφαλήν. Πρεσβύτερος δέ τις Φρόντων ὄνομα, ἰδὼν τὸ λείψανον αὐτοῦ ὑπὸ στρατιωτῶν φυλαττόμενον, ἀπῆλθε πρὸς αὐτοὺς, καὶ ἐφιλοφρονήσατο αὐτοὺς οἴνῳ, καὶ ὅτε ὕπνωσαν, λαβὼν τὸ λείψανον, καὶ ἐπιθεὶς τῇ ὄνῳ αὐτοῦ, ἀπαγαγὼν, ἔθαψεν ἐν τῷ χωρίῳ αὐτοῦ, βρύον ἰάματα μέχρι τῆς σήμερον.

ΚΑΙ ΑΘΛΗΣΙΣ ΤΩΝ ΑΓΙΩΝ ΜΑΡΤΥΡΩΝ ΝΙΚΑΝΔΡΟΥ ΚΑΙ ΜΑΡΚΙΑΝΟΥ.

Nicandri et Marciani MM.

Νίκανδρος καὶ Μαρκιανὸς, οἱ τοῦ Χριστοῦ Μάρτυρες ὑπῆρχον μὲν τὴν τάξιν στρατιῶται, Χριστιανοὶ δὲ εὐλαβεῖς καὶ φοβούμενοι τὸν Θεόν. Στρατευόμενοι ὑπὸ Μαξίμῳ τῷ Ἡγεμόνι, ἐπεὶ δὲ παρ' ἐκείνου ἀπεστέλλοντο σὺν τοῖς ὑπ' αὐτοῖς στρατιώταις, ἐπὶ τὸ κρατεῖν τοὺς Χριστιανοὺς, καὶ πρὸς αὐτὸν ἄγειν. Αὐτοὶ, τοῖς μὲν προεμήνυεν φυγεῖν, τοὺς δὲ ἐκράτουν μέν· ἐφείδοντο δὲ αὐτῶν, καὶ πάσης ἐπιμελείας ἠξίουν. Καὶ τοῦτο μαθὼν ὁ Ἡγεμὼν παρὰ εἰδωλολατρῶν, ἐλυπήθη μέν. Προσκαλεσάμενος δὲ αὐτοὺς, ἐπυνθάνετο εἰ ἀληθὲς εἴη τὸ κατ' αὐτῶν ἀκουθέν. Οἱ δὲ ψεύδεσθαι μὴ εἰδότες, οὐ μόνον αληθὲς εἶναι, ὅπερ ἠρωτήθησαν, διεβεβαιώσαντο, ἀλλὰ καὶ Χριστιανοὺς ἑαυτοὺς παῤῥησίᾳ ὡμολόγησαν. Ὅθεν βασάνοις πολλαῖς ὑποβληθέντες πρότερον, ὕστερον τὰς τιμίας, καὶ ἱερὰς αὐτῶν κεφαλὰς ἀπετμήθησαν.

ΜΗΝΙ ΤΩι ΑΥΤΩι Η'. Η' ΑΝΑΚΟΜΙΔΗ ΤΟΥ ΛΕΙΨΑΝΟΥ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΜΑΡΤΥΡΟΣ ΘΕΟΔΩΡΟΥ ΤΟΥ ΣΤΡΑΤΗΛΑΤΟΥ.

VIII Theodori Ducis M.

Θεόδωρος ὁ τοῦ Χριστοῦ Μάρτυς, ὑπῆρχε μὲν ἐπὶ τῆς βασιλείας Λικιννίου. Ἐξ εὐγενῶν δὲ γονέων γεννηθεὶς ἐν Εὐχαΐτοις, ἀνετράφη πιστῶς παρ' αὐτῶν. Καὶ ἀνδρεῖος γενόμενος, ἐστρατεύθη, καὶ προεβλήθη στρατηλάτης Πόντου Ἡρακλείας. Ὑπῆρχε δὲ πάνυ ὡραῖος τῇ ὄψει, κα σοφὸς τῇ γνώσει. Καὶ μαθὼν ταῦτα ὁ Λικίννιος, καὶ ἐπιθυμήσας ἰδεῖν, προσεκαλέσατο αὐτὸν ἐλθεῖν πρὸς αὐτὸν, θύσοντα μετ' αὐτοῦ τοῖς θεοῖς. Ὁ δὲ ἀντεμήνυσεν αὐτῷ· ὅτι μᾶλλόν σε χρὴ, βασιλεῦ, ἐλθεῖν ἐνταῦτα, ὅπως γένηται τὸ προστάγμα σου. Πεισθεὶς οὖν ὁ Βασιλεὺς ἀπῆλθε μετὰ σπουδῆς. Καὶ ὁ Μάρτυς ὑπαντήσας αὐτῷ, ἐτίμησεν αὐτὸν Βασιλικῶς. Τότε λέγει Λικίννιος. Θεόδωρε δεῦρο, θύσομεν τοῖς θεοῖς. Ὁ δὲ ἔφη· δός μοι αὐτοὺς πρῶτερον ἐν τῷ οἴκῳ, ἵνα θεραπεύσω, καὶ τότε θύω αὐτοῖς. Καὶ λαβὼν τοὺς ἀργυροῦς θεοὺς, συνέτριψε, καὶ ἔδωκε τοῖς πτωχοῖς· καὶ γνωσθεὶς ἐτιμωρήθη. Εἶτα ἀπεκεφαλίσθη. Τὸ δὲ λείψανον αὐτοῦ ἀνακομισθὲν, ἐτέθη ἐν Εὐχαΐᾳ πλησίον Εὐχαΐτων.

Dies nona, decima, et undecima hic in exemplari nostro desiderantur. IX X XI

ΜΗΝΙ ΤΩι ΑΥΤΩι ΙΒ'. ΜΝΗΜΗ ΤΟΥ ΟΣΙΟΥ ΠΑΤΡΟΣ ΗΜΩΝ ΟΝΟΥΦΡΙΟΥ.

XII Onuphrii Anachoretæ.

Ὁ ἐν ἁγίοις Πατὴρ ἡμῶν Ὀνούφριος ὑπῆρχεν μὲν ἐκ τῆς χώρας Αἰγύπτου. Διέτριβε δὲ ἐν κοινοβίῳ, διακειμένῳ ἐν Θερμουπόλει τῶν Θυβῶν. Καὶ ἀκούσας τὸν βίον τῶν Προφητῶν Ἠλιοῦ καὶ Ἰωάννου τοῦ προδρόμου, καὶ ζηλώσας, ἐξῆλθων τοῦ κοινοβίου ᾤκησε τὸν ἔρημον ἐπὶ ἔτη ἑξήκοντα. Ἄνθρωπον τὸ σύνολον μὴ ἑωρακώς. Μοναχός δέ τις Παφνούτιος ὄνομα χωρήσας εἰς τὰ ἐνδότατα τῆς ἐρήμου εὐλογηθῆναι ὑπὸ ἁγίων ἀνδρῶν, εὗρεν αὐτὸν, καὶ καθίσας πλησίον αὐτοῦ, παρεκάλεσεν αὐτὸν, εἰπεῖν τότε ὄνομα, καὶ πάντα τὰ περί αὐτὸν, εἰπόντα καὶ τοῦτο· ὅτι πάντες οἱ ἐν τῇ ἐρήμῳ τρεφόμετα μὲν ἀπὸ τῶν βοτανῶν· τὴν δὲ ἁγίαν κοινωνίαν κομιζόμετα ὑπὸ Ἀγγέλου. Θέλοντι δὲ ὑποχορῆσαι τῷ Παφνουτίῳ, εἶπεν ὁ Ὀνούφριος· μεῖνον τέκνον σήμερον, ὅτι τελειοῦμαι, καὶ θάψον με. Καὶ ταῦτα εἰπὼν, καὶ τελειωθεὶς, ἐθάφη ἐν πέτρᾳ, σκεπασθεὶς τὸ ἡμύσει χιτωνίῳ τοῦ Παφνουτίου· γυμνὸς γὰρ ἦν.

ΚΑΙ ΑΘΗΣΕΣ ΤΗΣ ΑΓΙΑΣ ΜΑΡΤΥΡΟΣ ΑΝΤΩΝΙΝΗΣ.

Antoninæ M.

Ἀντωνίνα ἡ τοῦ Χριστοῦ Μάρτυς ἦν ἐκ τῆς πόλεως Νικαίας ἐπὶ τῆς βασιλείας Διοκλητιανοῦ, καὶ Μαξιμιανοῦ. Χριστιανὴ δὲ οὖσα ἐκρατήθη παρὰ τοῦ Ἄρχοντος. Καὶ τυφθεῖσα μάστιξιν, ἀπεκλείσθη εἰς φυλακήν. Καὶ μετὰ ταῦτα τῆς φυλακῆς ἐκβληθεῖσα, ἐκρεμάσθη ἐπὶ ξύλου καὶ ἐξέσθη τὰς πλευράς. Καὶ ἐπὶ ἐσχάρας πεπυρακτωμένη ἐτέθη. Εἶθα κατετρυπήθη τὰς χεῖρας σουβλίοις πυρωθεῖσιν. Ἐξ ὧν ἀνεπέμπετο εὐωδία θυμιάματος. Χαραχθεῖσα δὲ καὶ τοὺς ἀστραγάλους, πάλιν ἀπεκλείσθη εἰς φυλακήν· καὶ τῇ τοῦ Χριστοῦ ἐπισκέψει θεραπευθεῖσα, ἐπὶ δυσὶ χρόνοις ἐκαρτέρησεν ἐν τῇ φυλακῇ, λιμῷ καὶ δίψει, καὶ τῇ λοιπῇ κακουχίᾳ προσπαλαίουσα. Καὶ μετὰ ταῦτα ἐκβληθεῖσα τῆς φυλακῆς ἔξω, καὶ ἀρνήσασθαι τὸν Χριστὸν ἀναγκασθεῖσα, καὶ μὴ πεισθεῖσα ἐῤῥίφη ἐν τῇ λίμνῃ, ἔνθα τὸ μακάριον χαίρουσα τέλος ἐδέξατο.

ΜΗΝΙ ΤΩι ΑΥΤΩι ΙΓ'. ΑΘΛΗΣΙΣ ΤΗΣ ΑΓΙΑΣ ΜΑΡΤΥΡΟΣ ΑΚΥΛΙΝΗΣ.

XIII Aquilinæ M.

Ἀκυλίνα ἡ τοῦ Χριστοῦ Μάρτυς ἦν ἐπὶ τῆς βασιλείας Τραϊανοῦ ἐκ πόλεως Βίβλου τῆς Παλαιστίνης. Θυγάτηρ Εὐτολμίου τινος, ἀνδρὸς περιφανοῦς. Πέντε δὲ ἐτῶν ὑπάρχουσα, ἐβαπτίσθη ὑπὸ Εὐταλίου τοῦ Ἐπισκόπου. Καὶ δέκα ἐτῶν γενομένη, τὰς ὁμήλικας κόρας τῶν εἰδώλων ἀπέχεσθαι διδάσκουσα, πρὸς τὴν εἰς Χριστὸν πίστιν ἐχειραγώγει. Διὰ τοῦτο καταμηνυθεῖσα τῷ τῆς χώρας Ἄρχοντι παρὰ Νικοδήμου τινὸς εἰδωλολάτρου ἐκρατήθη. Καὶ ἀχθεῖσα εἰς ἐρώτησιν, καὶ ἐνώπιον πάντων ὁμολογήσασα τὸ ὄνομα τοῦ Χριστοῦ, ἐτύφθη σφοδρῶς, καὶ σουβλίοις σιδηροῖς ἐκπυρωθεῖσι τὰς ἀκοὰς κατεκάη τοσοῦτον; ὅσον καὶ αἷμα ῥεῦσαι ἐκ τῶν μυκτήρων αὐτῆς καὶ κοπνὸν ἐξελθεῖν ἐκ τῆς κεφαλῆς. Εἶτα λαβοῦσα τὸν διὰ ξίφους

ξίφους ἀπόφασιν, καὶ ἀποκεφαλισθεῖσα, πρὸς Κύριον ὃν ἐπόθησεν, ἐξεδήμησε·

ΜΗΝΙ ΤΩι ΑΥΤΩι ΙΔ'.
ΜΝΗΜΗ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΠΡΟΦΗΤΟΥ ΕΛΙΣΣΑΙΟΥ.

Ἐλισσαῖος ὁ μέγας καὶ ἔνδοξος τοῦ Θεοῦ Προφήτης,
XIV Elisæi Prophetæ. ἦν μὲν ἐ[illegible]αίας, ἐκ τῆς γῆς Ῥοβοὴμ, υἱὸ[illegible] φάτ. Ὅτε δὲ ἔμελλε γεννηθῆναι, ἐγένετο μέγιστον σημεῖον· ἡ γὰρ χρυσῆ δάμαλις, ἡ ἐν Σιλὼμ οὕτως ἐβόησε μέγα, ὡς ἀκουσθῆναι ἐν Ἰερουσαλὴμ, ὡς καὶ τὸν ἱερέα εἰπεῖν διὰ τῶν δήλων· ὅτι προφήτης μέγας ἐτέχθη ἐν Ἰερουσαλὴμ σήμερον, ὅστις καθελεῖ τὰ γλυπτὰ, καὶ συντρίψει τὰ χωνευτὰ, καὶ ποιήσει τέραστια μεγάλα. Ὃ δὴ καὶ γέγονεν· καὶ γὰρ καὶ τὰ Ἰεριχούντια ὕδατα ἀτεκνοῦντα ἰάσατο, ἅλας ἐπιβαλὼν αὐτοῖς. Καὶ νεκροὺς ἔγειρε, καὶ Νεεμὰν τὸν Σύρον λεπρὸν ὄντα ἐκαθάρισε, καὶ Γιεζῆ τὸν ὑπηρέτην αὐτοῦ, φιλάργυρον ὄντα, καὶ παρήκοον, ἐλέπρωσεν· καὶ τὰ Ἰουρδάνια ῥεῖθρα τῇ μηλωτῇ πατάξας διέῤῥηξε. Καὶ περὶ τῆς τοῦ Χριστοῦ παρουσίας πολλὰ προφητεύσας, ἀπέθανε, καὶ ἐτάφη ἐν Σαμαρείᾳ ἐν Σεβάστου πόλει.

ΚΑΙ ΜΝΗΜΗ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΙΕΡΟΜΑΡΤΥΡΟΣ ΚΥΡΙΛΛΟΥ ΕΠΙΣΚΟΠΟΥ ΚΡΗΤΗΣ.

Cyrilli Ep. M. Κύριλλος ὁ θεῖος Ἱερομάρτυς ὑπῆρχεν ἐπὶ Μαξιμιανοῦ τοῦ βασιλέως, πάσῃ ἀρετῇ κεκοσμημένος. Καὶ Ἐπίσκοπος ὢν τῆς ἐν τῇ Κρήτῃ ἁγίας ἐκκλησίας. Ὑπάρχων δὲ χρόνων ἐννενήκοντα, καὶ πέντε, καὶ ἔχων οἰκέτας δύο, Θεοφάνην, καὶ Θεοχάριστον, ἀπήρχετο μετ' αὐτῶν εἰς ἓν τῶν μοναστηρίων. Καὶ ἰδὼν καθ' ὁδὸν τοὺς εἰδωλολάτρας θύοντας τοῖς εἰδώλοις, ἐστέναξε. Καὶ γνωσθεὶς ὅτι Χριστιανός ἐστιν, ἐκρατήθη παρ' αὐτῶν. Καὶ ἀπεκλείσθη εἰς φυλακὴν, καὶ ἐν αὐτῇ εὐχόμενος, ἤκουσε φωνῆς οὐρανόθεν λεγούσης αὐτῷ· Κύριλλε χρίζω σου καὶ ἐν Ῥώμῃ. Καὶ ἀνεωχθεισῶν τῶν θυρῶν, ἀπῆλθε καὶ εἰς Ῥώμην. Καὶ στηρίξας τοὺς ἀδελφοὺς, πάλιν ὑπέστρεψεν εἰς Κρήτην. Καὶ κρατηθεὶς παρὰ τοῦ Ἄρχοντος, ἔλαβε τὴν διὰ ξίφους ἀπόφασιν. Καὶ ἐπιτεθεὶς εἰς ἅμαξαν, διὰ τὸ μὴ δύνασθαι περιπατεῖν ἐκ τοῦ γήρως· καὶ ἀχθεὶς εἰς τὸν τόπον τῶν καταδίκων ἀπεκεφαλίσθη.

ΚΑΙ ΜΝΗΜΗ ΤΟΥ ΕΝ ΑΓΙΟΙΣ ΠΑΤΡΟΣ ΗΜΩΝ ΜΕΘΟΔΙΟΥ ΠΑΤΡΙΑΡΧΟΥ ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΟΥΠΟΛΕΩΣ.

Μεθόδιος ὁ ἐν ἁγίοις Πατὴρ ἡμῶν ὑπῆρχε μὲν ἐκ τῆς
Methodii Patriarchæ CP. Σικελίας. Μοναχὸς δὲ γενόμενος, καὶ διαφόροις ἀσκήσεσι πᾶσαν ἀρετὴν κατορθώσας, ἔφθασε μέχρι καὶ τῆς Κωνσταντινουπόλεως. Καὶ διὰ τὸν ἐπικείμενον διωγμὸν τῶν εἰκονομάχων, ἐν τῇ τοποθεσίᾳ τοῦ ὄρους τῆς ἐπισκοπῆς Κίου μοναστήριον κτίσας, ἐκεῖ προσεκαθέζετο. Καὶ διὰ τὸ τὴν αἵρεσιν μὲν τῶν εἰκονομάχων, σοφαῖς ἀποδείξεσι, καὶ γραφικαῖς ῥήσεσιν ἀνατρέπειν, τὴν δὲ ὀρθόδοξον πίστιν ταῖς ἁγιωτάταις τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίαις βραβεύειν, πολλοὺς πειρασμοὺς, καὶ διαφόρους κακώσεις ὑπέμεινεν. Ὅτε δὲ Θεόφιλος ὁ βασιλεὺς τέλει βίου ἐχρήσατο, καὶ ἡ ὀρθόδοξος πίστις ἔλαμψε, προσεκλήθη ὑπὸ Θεοδώρας τῆς βασιλίδος, καὶ Μιχαὴλ υἱοῦ αὐτῆς κατὰ πρόῤῥησιν τοῦ ὁσίου Ἰωαννικίου. Καὶ ἐχειροτονήθη Πατριάρχης Κωνσταντινουπόλεως. Καὶ ἐπισκοπήσας ἔτη τέσσαρα, καὶ μῆνας τρεῖς, ἐτελειώθη.

ΜΗΝΙ ΤΩι ΑΥΤΩι ΙΕ'.
ΑΘΛΗΣΙΣ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΜΑΡΤΥΡΟΣ ΔΟΥΛΑ.

XV Dulæ M. Ὁ τοῦ Χριστοῦ Μάρτυς Δουλᾶς ἦν μὲν Ἔπαρχος τῆς χώρας Κιλικίας. Διὰ δὲ τὸ τὸν Χριστὸν σέβειν, ἀλλοτριωθεὶς τοῦ ἀξιώματος, ἤχθη πρὸς τὸν Ἡγεμόνα Μάξιμον δέσμιος. Καὶ πρῶτον μὲν τύπτεται ῥάβδοις. Ἔπειτα διὰ τὸ τὰ εἴδωλα χλευάσαι, ἐπετέθη ἐν ἐσχάρᾳ πεπυρακτωμένῃ. Καὶ μετὰ ταῦτα ἐλαίῳ τὴν κεφαλὴν περιχεθεὶς, ἐδέξατο ἐπ' αὐτὴν ἄνθρακας πυρός. Εἶθα ξίφεσι τὰ ψύα κατεκόπη, καὶ μετὰ ὀξέων ὀστράκων κατετρίβη. Καὶ μετὰ ταῦτα ἐρωτηθεὶς παρὰ τοῦ Ἡγεμόνος, ὅτι πῶς ὁ Χριστὸς ἐν σαρκὶ γεγονὼς Θεὸς νομίζεται· πᾶσαν τὴν αὐτοῦ θείαν οἰκονομίαν ἐν ἐπιτόμῳ διηγήσατο. Καὶ τότε κρεμασθεὶς, ἐξέσθη· ἕως ἐφάνησαν πάντα τὰ ὀστᾶ αὐτοῦ, καὶ τὰ ἔντερα ἐξεχύθησαν. Καὶ οὕτω τρέχειν ἀναγκασθεὶς, συρόμενος ἐπὶ μίλια εἴκοσι, καὶ ῥάβδοις ὑπὸ τῶν δημίων σφοδρῶς τυπτόμενος, τὸ πνεῦμα τῷ Θεῷ παρέδωκεν.

ΜΗΝΙ ΤΩι ΑΥΤΩι Ιϛ'.
ΜΝΗΜΗ ΤΟΥ ΟΣΙΟΥ ΠΑΤΡΟΣ ΗΜΩΝ ΚΑΙ ΘΑΥΜΑΘΟΥΡΓΟΥ ΤΥΧΩΝΟΣ.

Τύχων ὁ Θαυματουργὸς εὐσεβῶν γονέων υἱὸς γεγονὼς, XVI Tychonis Thaumat.
ἀφιερώθη τῷ Θεῷ παρ' αὐτῶν. Καὶ τὰ ἱερὰ γράμματα μεμαθηκὼς, παρὰ τοῦ Τριμιθοῦντος Ἐπισκόπου χειροτονεῖται Διάκονος. Ἐκείνου δὲ τελευτήσαντος, αὐτὸς εἰς τὸν τῆς ἐπισκοπῆς ἀνάγεται θρόνον παρὰ τοῦ μεγάλου Ἐπιφανίου. Καὶ οὐκ ὀλίγους ἀπὸ τῆς πλάνης ἐπιστρέψας ἐπὶ τὸν Κύριον, καὶ πολλὰ θαύματα ποιήσας, πρὸς Κύριον ἐξεδήμησεν. Ἐξ ὧν δύο μόνα διηγήσομαι. Ὁ πατὴρ αὐτοῦ ἀρτοποιὸς ὢν, ἐπέτρεψεν αὐτῷ ἔτι νηπίῳ ὄντι, πιπράσκειν τοὺς ἄρτους· ὁ δὲ τὴν τιμὴν τῶν ἄρτων ἐδίδου τοῖς πτωχοῖς. Καὶ γνοὺς ὁ πατὴρ αὐτοῦ, ὠργίσθη κατ' αὐτοῦ· ἀλλ' ὁ παῖς ἀπελθὼν εἰς τὸ ὡρεῖον αὐτοῦ, ἔδειξε τῷ πατρὶ πεπληρωμένον σίτου. Καὶ ἐδόξασαν τὸν Θεόν· Ξηρὸν δὲ κλῆμα φυτεύσας, ἐποίησε βλαστῆσαι. Ὅπερ μέχρι τῆς σήμερον φέρει προΐμους σταφυλὰς τρυγουμένας ἐν τῷ καιρῷ τῆς μνήμης αὐτοῦ.

ΚΑΙ ΜΝΗΜΗ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΠΡΟΦΗΤΟΥ ΑΜΩΣ.

Ἀμὼς ὁ ἔνδοξος καὶ μέγας Προφήτης ἐγεννήθη μὲν ἐκ Amos Prophetæ.
τῆς χώρας Ζαβουλὼν, ἐκ τῆς γῆς Ἰορδάνου τοῦ ποταμοῦ. Ἦν δὲ πατὴρ Ἡσαΐου τοῦ μεγάλου Προφήτου. Προεφήτευσε δὲ ἐπὶ ἔτη πεντήκοντα, διορθούμενος τὸν παρανομοῦντα λαὸν, καὶ τὸν Βασιλέα τῶν Ἰουδαίων ἐλέγχων ἐπὶ ταῖς ἀνομίαις αὐτοῦ καὶ ἀδικίαις, ἐν αἷς παρώργιζε τὸν Θεόν. Πολλὰ δὲ περὶ τῆς παρουσίας Χριστοῦ, καὶ περὶ τῆς καταστροφῆς τῶν εἰδώλων, καὶ τῆς καταλύσεως τῶν δαιμόνων, καὶ τῆς αἰχμαλωσίας τοῦ λαοῦ προλέγων, ἐμισεῖτο παρὰ Ἀμεσίου τοῦ Ἱερέως τοῦ εἰδώλου Βαιθὴλ, καὶ διεβάλλετο, ἀνθ' ὧν ἤλεγξεν αὐτὸν περὶ τῆς πλάνης τῶν χρυσῶν δαμάλεων. Καὶ διὰ τοῦτο παρὰ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ ῥάβδῳ πληγεὶς κατὰ τοῦ κροτάφου, ἔτι ἐμπνέων ἦλθεν εἰς τὴν γῆν αὐτοῦ. Καὶ μετὰ δύο ἡμέρας παραδοὺς τὴν ψυχὴν αὐτοῦ τῷ Θεῷ, ἐτάφη μετὰ τῶν πατέρων αὐτοῦ.

ΜΗΝΙ ΤΩι ΑΥΤΩι ΙΖ'.
ΑΘΛΗΣΙΣ ΤΩΝ ΑΓΙΩΝ ΜΑΡΤΥΡΩΝ ΜΑΝΟΥΗΛ, ΣΑΒΕΛ, ΚΑΙ ΙΣΜΑΗΛ.

Μανουὴλ, Σαβὲλ, καὶ Ἰσμαὴλ οἱ τοῦ Χριστοῦ Μάρ- XVII Manuelis, Sabelis, Ismaelis, MM.
τυρες ὑπῆρχον μὲν ἐκ τῆς χώρας Περσίδος, υἱοὶ δὲ πατρὸς Ἀρχιμάγου, καὶ μητρὸς Χριστιανῆς. Καὶ διδαχθέντες τάτε ἱερὰ γράμματα, καὶ τὴν εὐσέβειαν παρὰ Εὐνείκου τινὸς Χριστιανοῦ, ἔσεβον καὶ προσεκύνουν τὸν Χριστόν. Ἐπὶ δὲ τῆς βασιλείας Ἰουλιανοῦ τοῦ παραβάτου, ἀπεστάλησαν παρὰ τοῦ Περσῶν βασιλέως πρέσβυς εἰς Κωνσταντινούπολιν διὰ εἰρήνην. Καὶ ἰδόντες τὸν παραβάτην πέραν ἐν Χαλκηδόνι τοῖς εἰδώλοις θύοντα, ἐλυπήθησαν. Καὶ γνωσθέντες, κατεμηνύθησαν τῷ παραβάτῃ. Καὶ ἀχθέντες ἐνώπιον αὐτοῦ, ἤλεγξαν αὐτόν. Ὅθεν τυφθέντες σφοδρῶς, καὶ τοὺς ἀστραγάλους τρυπηθέντες, καὶ κρεμασθέντες λαμπάσι πυρὸς τὰς μασχάλας κατεφλέγησαν. Εἶτα ὁ ἅγιος Μανουὴλ τὴν κεφαλὴν, καὶ τὰ ψύα ξύλῳ καθηλωθεὶς, καὶ βέλεσι κατακεντηθεὶς, ἀπήχθη σὺν τοῖς ἀδελφοῖς αὐτοῦ εἰς τὸν τῶν καταδίκων τόπον, καὶ ἀπεκεφαλίσθησαν.

ΜΗΝΙ ΤΩι ΑΥΤΩι ΙΗ'.
ΤΩΝ ΑΓΙΩΝ ΜΑΡΤΥΡΩΝ ΛΕΟΝΤΙΟΥ, ΥΠΑΤΟΥ, ΚΑΙ ΘΕΟΔΟΥΛΟΥ.

Λεόντιος ὁ τοῦ Χριστοῦ Μάρτυς, ὑπῆρχε μὲν ἐκ τῆς XVIII
χώρας Ἑλλάδος. Διὰ δὲ τὴν ἀνδρείαν αὐτοῦ γεγονὼς στρατηγὸς,

Leontii Hypatii Theoduli. MM. στρατηγὸς, διέτριβεν ἐν Τριπόλει τῆς Ἀφρικῆς, τῷ Χριστῷ φανερῶς λατρεύων, καὶ τοὺς πένητας δεξιούμενος. Καὶ τοῦτο μαθὼν Ἀδριανὸς ὁ τῆς Φοινίκης Ἡγεμὼν, νεοστὶ προχειρισθεὶς ὑπὸ Οὐεσπασιανοῦ τοῦ Ῥωμαίων καίσαρος, ἀπέστειλε πρὸς αὐτὸν Ὕπατον τὸν τριβοῦνον μετὰ δύο στρατιωτῶν· ὧν ὁ εἷς ἐκαλεῖτο Θεόδουλος μετακαλούμενος αὐτόν. Ὁ δὲ τριβοῦνος πυρετῷ κινδυνεύων, ἤκουσε φωνῆς λεγούσης αὐτῷ· εἰ θέλεις ζῆσαι, ἐπικάλεσαι τρίτον εἰς βοήθειαν τὸν τοῦ Λεοντίου Θεόν. Καὶ τοῦτο ποιήσας, ὑγίανε. Τῆς δὲ φωνῆς ταύτης ἀκούσας καὶ Θεόδουλος ἐπίστευσε, καὶ ἀμφότεροι ἐβαπτίσθησαν ὑπὸ τοῦ Ἁγίου. Καὶ τοῦτο μαθὼν ὁ Ἡγεμὼν, κρατήσας αὐτοὺς, ἀπεκεφάλισε· τὸν δὲ ἅγιον Λεόντιον προσέταξεν ἐν τῇ φυλακῇ τύπτεσθαι. Καὶ τυπτόμενον προσελάβετο ὁ Κύριος.

ΜΗΝΙ ΤΩι ΑΥΤΩι ΙΘ'. ΑΘΛΗΣΙΣ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΜΑΡΤΥΡΟΣ ΖΩΣΙΜΟΥ.

XIX Sosimi M. Ζώσιμος ὁ τοῦ Χριστοῦ Μάρτυς ὑπῆρχεν ἐπὶ τῆς βασιλείας Τραϊανοῦ ἐξ Ἀπολλωνιάδος τῆς ἐν Σωζοπόλει. Στρατευόμενος δὲ ὑπὸ τῷ τῆς Ἀντιοχείας τῆς Πισιδίας Ἡγεμόνι Δομετιανῷ ῥίψας τὰ ὅπλα, καὶ προσφυγὼν τῇ τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίᾳ, τοῦ ἐν Χριστῷ καταξιοῦται βαπτίσματος. Κρατηθεὶς οὖν ἤχθη δέσμιος πρὸς τὸν Ἡγεμόνα, καὶ ἐρωτηθεὶς, καὶ ἑαυτὸν Χριστιανὸν εἶναι ὁμολογήσας ταθεὶς ἐκ τεσσάρων, ἐτύφθε σφοδρῶς, καὶ κρεμασθεὶς ἐπὶ ξύλου, ἐξέσθη, καὶ ἐπὶ κραββάτου χαλκοῦ πεπυρακτωμένου ἐτέθη. Μεταβληθέντος δὲ τοῦ πυρὸς εἰς δρόσον, πολλοὶ τῶν ἀπίστων καταπλαγέντες, ἐπίστευσαν εἰς Χριστόν. Καὶ μετὰ ταῦτα κρηπῖσι καθηλωθεὶς, καὶ ἵπποις νέοις προσδεθεὶς, ἠναγκάσθη συντρέχειν τῷ Ἡγεμόνι, ἐπὶ τὴν Κανεωτῶν πόλιν ἐλαύνοντα, ἄσιτος διαμείνας ἐπὶ τρισὶν ἡμέραις. Καὶ πάλιν εἰς ἐξέτασιν ἀχθεὶς, καὶ τὸν Χριστὸν ὁμολογήσας παῤῥησίᾳ, ἐτμήθη τὴν κεφαλήν.

ΚΑΙ ΑΘΛΗΣΙΣ ΤΟΥ ΟΣΙΟΥ ΑΠΟΣΤΟΛΟΥ ΙΟΥΔΑ.

Judæ Apost. Ἰούδας ὁ τοῦ Χριστοῦ Ἀπόστολος, ὁ παρὰ μὲν τῷ ἁγίῳ Ἀποστόλῳ, καὶ Εὐαγγελιστῇ Λουκᾷ ἐν ταῖς πράξεσιν Ἰούδας ὀνομαζόμενος, παρὰ δὲ τοῖς ἑτέροις Ἀποστόλοις καὶ Εὐαγγελισταῖς Ματθαίῳ καὶ Μάρκῳ, Θαδδαῖος, ἀδελφὸς ὑπῆρχε κατὰ σάρκα τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὡς ὢν υἱὸς μὲν Ἰωσὴφ τοῦ μνήστορος, ἀδελφὸς δὲ Ἰακώβου τοῦ ἀδελφοθέου. Ὁ καὶ τὴν φωτιστικὴν καὶ δογμάτων ἔμπλεων τοῦ ἁγίου πνεύματος, ἅπασιν ἐπιστείλας ἐπιστολήν· Οὗτος παρ' αὐτοῦ τοῦ Χριστοῦ ἐνδυναμωθεὶς καὶ πλήρης τοῦ ἁγίου γενόμενος Πνεύματος, πᾶσαν μὲν τὴν πλάνην ἠφάνισε. Πάντας δὲ τοὺς πιστοὺς κατεφώτισεν. Ἀπελθὼν οὖν καὶ εἰς Μεσοποταμίαν, καὶ κηρύξας τὸ Εὐαγγέλιον, καὶ πολλοὺς τῶν ἀπίστων ἐπιστρέψας πρὸς τὸν Κύριον, ἀπεδήμησε καὶ τοῖς ἐν Ἐδέσῃ πόλει, καὶ πρὸς Αὔγαρον τοπάρχην πορευθεὶς, ἐθεράπευσεν αὐτὸν ἀπὸ τῆς νόσου. Εἶτα καταλαβὼν Ἀρὰτ τὴν πόλιν, καὶ σταυρωθεὶς, ἐτελειώθη.

ΜΗΝΙ ΤΩι ΑΥΤΩι Κ'. ΑΘΛΗΣΙΣ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΙΕΡΟΜΑΡΤΥΡΟΣ ΜΕΘΟΔΙΟΥ ΕΠΙΣΚΟΠΟΥ ΠΑΤΑΡΩΝ.

XX Methodii Ep. M. Μεθόδιος ὁ τοῦ Χριστοῦ Ἱερομάρτυς ἐκ βρέφους ἑαυτὸν τῷ Θεῷ ἀναθεὶς, σκεῦος τίμιον καὶ δοχεῖον τοῦ θείου Πνεύματος γέγονεν. Ὅθεν καὶ ψήφῳ Θεοῦ τῆς ἀρχιεροσύνης ἀξιωθεὶς, καὶ τῆς ἐν Πατάροις ἐκκλησίας Ἐπίσκοπος γεγονὼς, καλῶς ἐποίμανε τὸ ποιμνίον ἑαυτοῦ. Διὸ καὶ τὴν Ὠριγένους αἵρεσιν πλεονάζουσαν ἰδὼν, ὡς ἄριστος ποιμὴν τῷ Θείῳ πυρὶ τῶν αὐτοῦ λόγων πατέφλεξε. Καὶ μὴ φέρων ὁ ἐχθρὸς διάβολος τὴν αὐτοῦ παῤῥησίαν, καὶ ἔνστασιν, ἐξώπλισε τοὺς αὐτοῦ ὑπουργοὺς πρὸς τὴν τούτου ἀναίρησιν. Ὁ δὲ καὶ πρὸ τοῦ θανάτου τῆς αὐτοῦ μαρτυρίας, νέκρωσιν ζωηφόρον ἐνδυσάμενος, καὶ καθ' ἑκάστην ἡμέραν νεκρὸν ἑαυτὸν λογιζόμενος, κατὰ τὸν θεῖον ἀπόστολον Παῦλον, ξίφει τὴν ἱερὰν καὶ μακαρίαν κεφαλὴν ἀποτμηθεὶς, πρὸς Κύριον ἐξεδήμησε χαίρων καὶ ἀγαλλόμενος.

ΜΗΝΙ ΤΩι ΑΥΤΩι ΚΑ'. ΑΘΛΗΣΙΣ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΜΑΡΤΥΡΟΣ ΙΟΥΛΙΑΝΟΥ ΤΟΥ ΕΝ ΑΙΓΥΠΤΩι.

Ἰουλιανὸς ὁ τοῦ Χριστοῦ Μάρτυς, ἦν μὲν ἐπὶ Διοκλητιανοῦ ἐκ τῆς Αἰγύπτου. Τὸν Χριστὸν δὲ σέβων, συνεστήσατο μοναστήριον μέγιστον, ἐν ᾧ ἐδοξολόγει τὸν Θεόν. Καὶ μαθὼν τοῦτο ὁ Ἡγεμὼν, καὶ ἀποστείλας, αὐτὸν μὲν ἐκράτησεν, τὸ μοναστήριον ἐνέπρησε, κατακαύσας τοὺς ἐν αὐτῷ πάντας Ἐπισκόπους, ἱερεῖς, καὶ μονάζοντας. Εἶτα τὸν Ἅγιον τύψας, ἔβαλεν εἰς φυλακήν. Καὶ πάλιν ἐκβαλὼν δέσμιον, ἤγαγεν ἐνώπιον αὐτοῦ· καὶ ἰδὼν Κέλσιος, ὁ υἱὸς τοῦ Ἡγεμόνος, Ἀγγέλους παρισταμένους τῷ Ἁγίῳ, ἐπίστευσε τῷ Χριστῷ, καὶ ἕτεροι πολλοὶ σὺν αὐτῷ. Καὶ νεκρός τις ἐπὶ κλίνης φερόμενος ἐξαίφνης ἀναστὰς, ἐβόησεν· ὅτι προσευξαμένου Ἰουλιανοῦ, ἀνέστην ἐγώ. Καὶ πάλιν ἐπίστευσαν εἰς Χριστὸν πολλοί. Ὀργισθεὶς οὖν ὁ Ἡγεμὼν, ἐξέδειρε τὸ δέρμα τῆς κεφαλῆς τοῦ Ἰουλιανοῦ, ὁμοίως καὶ τοῦ Κελσίου· Ἰδοῦσα δὲ ἡ γυνὴ τοῦ Ἡγεμόνος, ἐπίστευσε, καὶ ἀπεκεφαλίσθη σὺν τῷ υἱῷ αὐτῆς, καὶ τοῖς λοιποῖς, καὶ τῷ ἁγίῳ Ἰουλιανῷ. XXI Juliani M.

ΜΗΝΙ ΤΩι ΑΥΤΩι ΚΒ'. ΤΟΥ ΟΣΙΟΥ ΠΑΤΡΟΣ ΗΜΩΝ ΕΥΣΕΒΙΟΥ ΕΠΙΣΚΟΠΟΥ ΣΑΜΩΣΑΤΩΝ.

Εὐσέβιος ὁ τοῦ Χριστοῦ Ἱερομάρτυς ὑπῆρχεν ἐπὶ Κωνσταντίου τοῦ βασιλέως Ἐπίσκοπος Σαμωσάτων, ζήλῳ τῆς διάπυρος τῆς ὀρθοδόξου πίστεως. Τοῦ δὲ βασιλέως τὰ Ἀρείου φρονοῦντος, καὶ ποτὲ τὴν χεῖρα αὐτοῦ τεμεῖν ἀπειλήσαντος, εἰ μὴ τὸ ὑπὸ τοῦ μεγάλου Μελετίου ψήφισμα προτείνει, καὶ ἐπιδώσει, λέγεται τὰς δύο χεῖρας ἐπανατεῖναι, καὶ εἰπεῖν· ὡς ἡδέως τὴν τούτων ἐκκοπὴν δέξομαι, ἢ τὸ ψήφισμα προδώσω. Μετὰ δὲ τελευτὴν Κωνσταντίου καὶ Ἰουλιανοῦ, ὑπὸ Οὐάλεντος ἀρειανοῦ καὶ αὐτοῦ ὄντος, τοῦ οἰκείου θρόνου ἀπελασθεὶς, ἐξωρίσθη εἰς τὸν Ἴστρον ποταμόν. Καὶ μετὰ θάνατον Οὐάλεντος ὑποστρέψας εἰς τὴν αὐτοῦ ἐκκλησίαν, μαρτυρικῆς ἔτυχε τελειώσεως· γυνὴ γὰρ Ἀρειανὴ ῥίψας κέραμον ἀπὸ τοῦ στέγους κατὰ τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ, ἐν τῷ διέρχεσθαι, ἔπληξεν αὐτὸν, καὶ μικρὸν ἐμπνέων παρήγγειλε τοῖς μετ' αὐτοῦ, μηδὲν ἀδικῆσαι τὴν γυναῖκα, καὶ οὕτως ἐτελειώθη. XXII Eusebii Ep. Samosat.

ΜΗΝΙ ΤΩι ΑΥΤΩι ΚΓ' ΑΘΛΗΣΙΣ ΤΩΝ ΑΓΙΩΝ ΜΑΡΤΥΡΩΝ ΖΗΝΩΝΟΣ ΚΑΙ ΖΗΝΑ.

Ζήνων καὶ Ζηνᾶς, οἱ τοῦ Χριστοῦ Μάρτυρες ὑπῆρχον ἐκ τῆς πόλεως Φιλαδελφείας τῆς Ἀραβείας. Ὁ μὲν Ζήνων στρατιώτης ὢν, ὁ δὲ Ζηνᾶς δοῦλος αὐτοῦ τυγχάνων. Καὶ ὁ Ζήνων ἐπιθυμῶν τοῦ διὰ Χριστὸν μαρτυρίου, πᾶσαν αὐτοῦ τὴν περιουσίαν σκορπίσας εἰς τοὺς πτωχοὺς, καὶ τοὺς δούλους ἐλευθερώσας, μετὰ τοῦ Ζηνᾶ μόνου παρεγένετο πρὸς τὸν Ἡγεμόνα Μάξιμον, καὶ αὐτῷ ἐμφανισθεὶς, ὡμολόγησε τὸν Χριστὸν, καὶ ἁπλωθεὶς ἐπὶ τὴν γῆν, ἐτύπτετο. Προσενεχθέντος δὲ βωμοῦ, ἠναγκάζετο ἐπιθῦσαι αὐτῷ. Ὁ δὲ λακτίσας αὐτὸν, ἀνέτρεψε. Διὰ τοῦτο κρεμασθεὶς ξέεται ἀφειδῶς, καὶ μετὰ ταῦτα ἐῤῥίφη ἐν φυλακῇ δέσμοις δεθεὶς σιδηροῖς. Εἰσῆλθε δὲ καὶ ὁ Ζηνᾶς, καὶ κατεφίλει αὐτοῦ τὰ δεσμά. Καὶ μαθὼν τοῦτο ὁ Ἡγεμὼν ἐκέλευσε καὶ αὐτὸν συνδεθῆναι αὐτῷ. Εἶτα τῆς φυλακῆς ἀμφοτέρους ἐκβαλὼν, ἀπεκεφάλισε. XXIII Zenonis et Zenæ MM.

ΚΑΙ ΑΘΛΗΣΙΣ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΜΑΡΤΥΡΟΣ ΑΡΙΣΤΟΚΛΕΟΥΣ, ΚΑΙ ΤΩΝ ΣΥΝ ΑΥΤΩι

Ὁ μὲν ἅγιος Ἀριστοκλῆς ὑπῆρχεν ἐκ τῆς Κύπρου πρεσβύτερος τῆς τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας. Ἐπὶ δὲ τῆς βασιλείας Μαξιμιανοῦ, τὸν διωγμὸν φοβούμενος, ἀνελθὼν ἐν ὄρει τινὶ, ἐκρύπτετο ἐν τῷ σπηλαίῳ, ἐν ᾧ προσευχόμενος ἤκουσε φωνῆς ἐξ οὐρανοῦ, κελευούσης αὐτὸν ἀπελθεῖν εἰς τὴν μητρόπολιν, κἀκεῖ διαγωνίσασθαι τὸ μαρτύριον. Καὶ φθάσας εἰς τὸν οἶκον τοῦ ἁγίου Ἀποστόλου Βαρνάβα, κατέλαβε Aristoclis et Soc. MM.

κατέλαβε τὸν διάκονον Δημητριανόν, καὶ τὸν ἀναγνώστην Ἀθανάσιον, καὶ παρ' αὐτῶν ξενισθεὶς, διηγήσατο αὐτοῖς πάντα καὶ τὰ τῆς ὀπτασίας. Καὶ λαβὼν καὶ αὐτοὺς συνοδοιπόρους, ἀπῆλθεν εἰς τὴν μητρόπολιν πρὸς τὸν Ἡγεμόνα. Καὶ τὸν Χριστὸν ὡμολογήσας ἀπεκλείσθη μετὰ τῆς συνοδίας αὐτοῦ ἐν τῇ φυλακῇ. Καὶ μετὰ ταῦτα αὐτὸς μὲν ἀπεκεφαλίσθη. Ὁ δὲ Δημητριανὸς καὶ Ἀθανάσιος πυρὶ παρεδόθησαν. Καὶ ἀβλαβεῖς ἐξελθόντες τοῦ πυρὸς ἀπεκεφαλίσθησαν καὶ αὐτό.

ΚΑΙ ΑΘΛΗΣΙΣ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΜΑΡΤΥΡΟΣ ΕΥΣΤΟΧΙΟΥ, ΚΑΙ ΤΩΝ ΣΥΝ ΑΥΤΩι.

Eustochii et Soc. MM.

Εὐστόχιος ὁ Χριστοῦ Μάρτυς, ὑπῆρχε μὲν ἐπὶ τῆς βασιλείας Μαξιμιανοῦ. Ἱερεὺς δὲ ἦν τῶν εἰδώλων. Καὶ θεωρῶν τοὺς Ἁγίους ὑπὲρ Χριστοῦ μαρτυροῦντας, καὶ τὰ παράδοξα θαύματα ἐκτελοῦντας, κατέγνω τῆς οἰκείας τρησκείας. Καὶ προσελθὼν Εὐδοξίῳ τῷ ἐπισκόπῳ Ἀντιοχείας, ἐβαπτίσθη. Καὶ τῆς τοῦ πρεσβυτερίου χειροτονίας καταξιωθεὶς, ἦλθεν εἰς πόλιν, λεγομένην Λύστραν. Καὶ τὸν ἀνέψιον αὐτοῦ Γαιανὸν καὶ τὰ τρία αὐτοῦ τέκνα εὑρὼν, ἐβάπτισεν αὐτοὺς εἰς Χριστὸν, ὁμοίως καὶ πᾶσαν τὴν συγγένειαν αὐτοῦ. Καταμηνυθεὶς οὖν τῷ Ἡγεμόνι παρὰ τῶν εἰδωλολατρῶν, καὶ κρατηθεὶς μετὰ πάσης αὐτοῦ τῆς συγγενείας ἐτιμωρήθη σφοδρῶς. Εἶτα μεταπεμφθεὶς εἰς Ἄγκυραν πρὸς Ἀγριππῖνον, πάλιν ἐτιμωρήθη παγγενῆ. Καὶ τέλος ἅπαντες τὰς κεφαλὰς προτύμως ἀπετμήθησαν.

ΜΗΝΙ ΤΩι ΑΥΤΩι ΚΔ'. ΤΟ ΓΕΝΕΘΛΙΟΝ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΙΩΑΝΝΟΥ ΤΟΥ ΠΡΟΔΡΟΜΟΥ.

XXIV Joannis Bapt.

Ἰωάννης ὁ μέγας καὶ Προφήτης, Πρόδρομος, καὶ Βαπτιστὴς τοῦ Χριστοῦ, γέγονε μὲν υἱὸς Ζαχαρίου τοῦ Ἀρχιερέως, καὶ Ἐλισαβὲτ τῆς στήρας. Ἐγεννήθη δὲ ἐξ ἐπαγγελίας Ἀγγέλου, μηνύσαντος τῷ πατρὶ αὐτοῦ τὴν αὐτοῦ σύλληψιν, καὶ ἀπιστήσαντι ἐπαγαγόντος τὴν κώφευσιν, ἣν ἔλυσε γεννηθεὶς οὗτος. Ὁ καὶ πρὸ τῆς γεννήσεως τοῦ Χριστοῦ προσκιρτήσας ἐν τῇ κοιλίᾳ τῆς μητρὸς αὐτοῦ, καὶ τοῖς πᾶσιν αὐτὸν εὐαγγελισάμενος. Καὶ μετὰ τὴν γέννησιν ἀπελθὼν ἐν τῇ ἐρήμῳ καὶ κηρύξας βάπτισμα μετανοίας, καὶ ὑποδείξας τὸν Χριστὸν τοῖς Ἰουδαίοις, καὶ εἰπών· ἰδοὺ ὁ ἀμνὸς τοῦ Θεοῦ, ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου. Καὶ μετὰ ταῦτα βαπτίσας αὐτὸν ἀνθρωποπρεπῶς ἐν τῷ Ἰορδάνῃ ποταμῷ, καὶ ἰδὼν τὸ πνεῦμα τοῦ Θεοῦ καταβαῖνον ὡσεὶ περιστερὰν, καὶ μένον ἐπ' αὐτὸν, καὶ φωνῆς ἀκούσας ἐξ οὐρανοῦ λεγούσης· οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητὸς, ἐν ᾧ εὐδόκησα.

ΚΑΙ ΑΘΛΗΣΙΣ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΜΑΡΤΥΡΟΥ ΟΡΕΝΤΙΟΥ ΚΑΙ ΤΩΝ ΑΔΕΛΦΩΝ ΑΥΤΟΥ.

Orentii et Soc. MM.

Ὁ Μάρτυς Ὀρέντιος, καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ ἓξ ὄντες, ὑπῆρχον ἐπὶ τῆς βασιλείας Διοκλητιανοῦ ἐκ τῆς ἀνατολῆς ὁρμώμενοι. Στρατευόμενοι δὲ ἐν τῷ τάγματι τῶν Τυρόνων, ἀπῆλθον ἐν τοῖς Θρακῴοις μέρεσιν κατὰ τῶν Σκυθῶν· Ἐσκτροτεύσαντος δὲ καὶ τοῦ βασιλέως, καὶ ἀντιπαραταξαμένου, καὶ τοῦ Ἄρχοντος τῶν Σκυθῶν μονομάχον ζητήσαντος, προεκρίθη Ὀρέντιος, καὶ μονομαχήσας, ἐφόνευσε τὸν Σκύθην, ἀγαγὼν τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ τῷ βασιλεῖ. Χαρᾶς οὖν πλησθεὶς ὁ βασιλεὺς ἐκέλευσε τῷ Ὀρεντίῳ θῦσαι ἐπινίκια τοῖς Θεοῖς. Ὁ δὲ εἶπεν ὅτι μαλλον τῷ Χριστῷ θύσομεν θυσίαν αἰνέσεως, ὡς αἰτίῳ τῆς νίκης· Τότε ὀργισθεὶς ὁ βασιλεὺς, ἐξώρισεν αὐτὸν μετὰ τῶν ἀδελφῶν αὐτοῦ εἰς τὰ τῆς ἀνατολῆς μέρη. Ἔνθα καὶ ἐτελειώθησαν ἕκαστος ἐν διαφόροις τόποις, οἱ μὲν ἐν θαλάσσῃ ῥιφέντες, οἱδὲ ἄλλως ἀναιρεθέντες.

ΜΗΝΙ ΤΩι ΑΥΤΩι ΚΕ' ΑΘΛΗΣΙΣ ΤΗΣ ΑΓΙΑΣ ΜΑΡΤΥΡΟΣ ΦΕΒΡΟΝΙΑΣ.

XXV Februniæ M.

Φεβρωνία ἡ τοῦ Χριστοῦ Μάρτυς ὑπῆρχε μὲν μονάζουσα ἐν τῇ μονῇ τῆς ἁγίας Βρυαίνης ἐν πόλει καλουμένῃ Σίβει. Πάσας δὲ τὰς σὺν αὐτῇ μοναζούσας, ἐν τῇ ἀσκήσει νικήσασα, ἐγένετο περιβόητος τῇ ἀρετῇ. Ἐπὶ τῆς βασιλείας Διοκλητιανοῦ, διωγμοῦ κινηθέντος κατὰ τὴν χώραν ἐκείνην παρὰ Σελίνου τοῦ Ἡγεμόνος, αἱ μὲν λοιπαὶ μονάζουσαι ἔφυγον· ἡ δὲ Φεβρονία ἀῤῥωστοῦσα κατέκειτο ἐν τῷ μοναστηρίῳ. Θεραπευομένη ὑπὸ Βρυαίνης τῆς Ἡγουμένης καὶ τῆς μοναχῆς Θωμαΐδος. Ἀποστείλας οὖν ὁ Ἡγεμὼν, ἐκράτησε τὴν Φεβρωνίαν, καὶ ἀγαγὼν ἐνώπιον αὐτο, παρούσης καὶ τῆς Βρυαίνης, καὶ ἐπιστηριζούσης αὐτὴν, ἠνάγκασεν ἀρνήσασθαι τὸν Χριστόν. Καὶ μὴ πεισθεῖσαν, ἔτυψεν σφοδρῶς, καὶ κρεμάσας ἔξεσε. Καὶ τοὺς μαστοὺς, καὶ τὰς χεῖρας, καὶ τοὺς πόδας ἐξέκοψε. καὶ ξίφει διεῖλε τὴν κεφαλὴν αὐτῆς. Καὶ οὕτως τελειωθεῖσαν προσελάβετο ὁ Κύριος.

ΜΗΝΙ ΤΩι ΑΥΤΩι Κϛ'. ΜΝΗΜΗ ΤΟΥ ΟΣΙΟΥ ΠΑΤΡΟΣ ΗΜΩΝ ΙΩΑΝΝΟΥ, ΠΕΙΣΚΟΠΟΥ ΓΟΤΘΩΝ.

Ἰωάννης ὁ ἐν ἁγίοις πατὴρ ἡμῶν, ὡς ὁ μέγας Προφήτης Ἱερεμίας ἐκ βρέφους ἁγιασθεὶς, ἐγεννήθη ἐξ ἐπαγγελίας παρὰ γονέων εὐλαβῶν καὶ πιστῶν· καὶ ἐδόθη παρ' αὐτῶν ἅμα τῷ γεννηθῆναι δῶρον τῷ Θεῷ, ἀφιερωθεὶ τῇ ἐκκλησίᾳ τῆς ἐπισκοπῆς Γοτθίας, ἐπὶ τῆς βασιλείας Λέοντος τοῦ Ἰσαύρου. Ἐπεὶ δὲ εἰς μέτρον καὶ τῆς πνευματικῆς καὶ σωματικῆς ἔφθασεν ἡλικίας, καὶ ἔδει αὐτὸν εἰς τὸν τῆς ἀρχιερωσύνης θρόνον ἀνελθεῖν, ψηφισθεὶς ὑπὸ τοῦ ἰδίου λαοῦ ἐπέμφθη εἰς Ἰβερίαν, καὶ ἐχειροτονήθη ὑπὸ ἐκεῖσε ὄντος ἀρχιερέως. Δίὰ τὸ ἐν Κωνσταντινουπόλει ἐπικρατεῖν τὴν τῶν εἰκονομάχων αἵρεσιν, καὶ ὑποστρέψας καὶ καλῶς τὴν ποίμνην αὐτοῦ ποιμάνας, ἀπεδήμησε καὶ τῇ Κωνσταντινουπόλει μετὰ τελευτὴν τοῦ Ἰσαύρου. Καὶ δεξιωθεὶς παρὰ τῆς βασιλίσσης Εἰρήνης ὑπέστρεψε. Καὶ διωχθεὶς παρὰ τοῦ οἰκείου λαοῦ, καὶ φυγὼν ἐν Ἀμάστριδι, ἐτελεύτησεν. XXVI Joannis Ep. Gotth.

ΜΗΝΙ ΤΩι ΑΥΤΩι ΚΖ'. ΜΝΗΜΗ ΤΟΥ ΕΝ ΑΓΙΟΙΣ ΠΑΤΡΟΣ ΗΜΩΝ ΚΥΡΙΛΛΟΥ ΕΠΙΣΚΟΠΟΥ ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΑΣ.

Κύριλλος ὁ ἐν ἁγίοις Πατὴρ ἡμῶν, ἦν μὲν ἐκ τῆς πόλεως Ἀλεξανδρείας, ἀνεψιὸς δὲ Θεοφίλου Πατριάρχου Ἀλεξανδρείας. Εὐφυὴς δὲ γενόμενος, καὶ πᾶσαν γραφὴν διελθὼν ἑλληνικὴν ὁμοῦ δὲ Χριστιανικὴν, εἰς ὕψος ἀνῆλθεν ἀρετῆς. Ὅθεν μετὰ τὴν κοίμησιν Θεοφίλου τοῦ θείου αὐτοῦ κοινῇ ψήφῳ τῶν Ἀλεξανδρέων ἐπὶ τὸν τῆς ἀρχιερωσύνης ἀνήχθη θρόνον. Καὶ τὴν ποίμνην παραλαβὼν, ὡς ποιμὴν ἄγρυπνος τοὺς μὲν αἱρετικοὺς, ὡς λύκους ἐδίωκε· τοὺς δὲ πιστοὺς καὶ ὀρθοδόξους δόγμασιν ἀληθείας ἐστήριζεν. Οὗτος καὶ τὸν αἱρετικὸν Νεστόριον, κυριοτόκον τὴν Θεοτόκον λέγοντα καθελών· Θεότοκον κυρίως καὶ ἀληθῶς ἐξεφώνησέτε καὶ ἐδογμάτισε. Σύνοδον οἰκουμενκιὴν συναθροίσας ἐν Ἐφέσῳ ἐπὶ τῆς βασιλείας τοῦ μικροῦ Θεοδοσίου. Καὶ μετὰ ταῦτα τὴν Ἀλεξάνδριαν καταλαβὼν, καὶ πολλὰς βίβλους συγγραψάμενος κατὰ πάσης αἱρέσεως, ἐν εἰρήνῃ πρὸς Θεὸν ἐξεδήμησεν. XXVII Cyrilli Ep. Alex.

ΚΑΙ ΜΝΗΜΗ ΤΟΥ ΟΣΙΟΥ ΠΑΤΡΟΣ ΗΜΩΝ ΔΑΒΙΔ ΤΟΥ ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΧΗΣ.

Ὁ ἐν ἁγίοις Πατὴρ ἡμῶν καὶ θαυματουργὸς Δαβίδ, ὑπῆρχε μὲν ἐξ ἀνατολῶν. Καταλαβὼν δὲ τὴν δύσιν, κατεφώτισεν αὐτὴν ταῖς ἀρεταῖς, ὡς ἀστὴρ πολύφωτος· ἐξ ἁπαλῶν γὰρ ὀνύχων γενόμενος μοναχὸς, καὶ ἐγκρατείᾳ καὶ ἁγνείᾳ τὰ πάθη τῆς σαρκὸς ὑποτάξας, ὡρᾶτο μετὰ σώματος Ἄγγελος. Ἐπιθυμῶν δὲ πλείονος κόπου, καὶ μείζονος ἀρετῆς, διενοεῖτο τὴν ἀπὸ γῆς φυγὴν, καὶ πρὸς οὐρανὸν ἀνάβασιν. Καὶ εὑρὼν δένδρον μυγδαλῆς, πρὸς καθέδραν ἐπιτήδειον, πλησίον Θεσσαλονίκης, καὶ εἰς ἐκεῖνο ἀναβὰς, καὶ ποτὲ μὲν ἱστάμενος, ποτὲ δὲ καθεζόμενος, τὸν Θεὸν ἐδυσώπει, διὰ παντὸς· καὶ τοὺς πρὸς αὐτὸν ἀπερχομένους χάριν ὠφελείας στηρίζων, καὶ τὰ πρὸς Davidis Thessalon.

πρὸς σωτηρίαν διδάσκων ἀπέλυεν. Καὶ οὕτω βιοὺς, καὶ ψύχει καὶ καύματι ταλαιπορούμενος ἐπλούτησε καὶ θαυμάτων ἐνέργειαν. Καὶ ἐν πᾶσι τὸν Θεὸν θεραπεύσας, πρὸς αὐτὸν ἐξεδήμησεν.

ΚΑΙ ΜΝΗΜΗ ΤΟΥ ΟΣΙΟΥ ΠΑΤΡΟΣ ΗΜΩΝ ΣΑΜΨΩΝ ΤΟΥ ΞΕΝΟΔΟΧΟΥ.

Sampsonis Xenodochii Præfecti.

Σαμψὼν ὁ ἐν ἁγίοις Πατὴρ ἡμῶν ὑπῆρχε μὲν ἐκ τῆς παλαιᾶς Ῥώμης συγγενὴς τοῦ μεγάλου Κωνσταντίνου. Παρασχόμενος τὸν πλοῦτον αὐτοῦ πάντα τοῖς πτωχοῖς, καὶ πτωχεύσας διὰ Χριστὸν, τὴν Κωνσταντινούπολιν κατέλαβε. Καὶ τοῖς ναοῖς τῶν ἁγίων Προφητῶν ἐν αὐτοῖς προσευχόμενος διετέλει. Ἡσυχίας δὲ λαβόμενος, καὶ θεοπνεύστοις γραφαῖς ἐμμελετήσας, φανερὸς ἐγένετο δι' ἀρετὴν τῷ ἁγιωτάτῳ Πατριάρχῃ Μηνᾷ, καὶ χειροτονεῖται παρ' ἐκείνου πρεσβύτερος τῆς μεγάλης ἐκκλησίας, καὶ λοιπὸν ἦν λιμὴν σωτήριος τοῖς πενομένοις καὶ ἀσθενοῦσι, μετέχων καὶ τέχνης ἰατρικῆς. Θεραπεύσας δὲ καὶ τὸν βασιλέα Ἰουστινιανὸν ἀπὸ πάθους δυσιάτου, ἐφιλοφρονήθη παρ' ἐκείνου τὰ μέγιστα, καὶ κτίσας Ξενῶνα εἰς ἀνάπαυσιν τῶν πτωχῶν καὶ ἀσθενῶν. Καὶ πολλὰ κατορθώματα καὶ θαύματα ποιήσας, ἐκοιμήθη ἐν εἰρήνῃ· Τὸ δὲ λείψανον αὐτοῦ ἐτέθη ἐν τῷ ναῷ τοῦ ἁγίου μάρτυρος Μωκίου.

ΜΗΝΙ ΤΩι ΑΥΤΩ, ΚΗ'. Η' ΕΥΡΕΣΙΣ ΤΩΝ ΛΕΙΨΑΝΩΝ ΤΩΝ ΑΓΙΩΝ ΜΑΡΤΥΡΩΝ ΚΥΡΟΥ ΚΑΙ ΙΩΑΝΝΟΥ.

XXVIII Invent. Reliquiarum Cyri et Joannis MM.

Κύρος καὶ Ἰωάννης οἱ τοῦ Χριστοῦ μάρτυρες ὑπῆρχον. ἐπὶ Διοκλητιανοῦ τοῦ Βασιλέως. Ὁ μὲν Κύρος ἐκ τῆς πόλεως Ἀλεξανδρείας, ὁ δὲ Ἰωάννης ἐκ τῆς πόλεως Ἐδέσης, ἰατροὶ τὴν τέχνην. Γνωρίσαντες δὲ ἀλλήλους διὰ τὸ μονότροπον, περιήρχοντο πᾶσαν νῆσον καὶ πᾶσαν χώραν ἰατρεύοντες, οὐ σώματα μόνον, ἀλλὰ καὶ ψυχὰς, καὶ πολλοὺς τῶν Χριστιανῶν πρὸς τὸ μαρτύριον προθυμοποιοῦντες, φανεροὶ ἐγένοντο τῷ κατὰ τὸν τόπον Ἄρχοντι. Καὶ παρ' ἐκείνου πρότερον τιμωρηθέντες, ὕστερον ἀπεκεφαλίσθησαν. Καὶ τότε μὲν κρυβέντα τὰ τίμια αὐτῶν λείψανα, μετὰ ταῦτα ἐφανερώθησαν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ, ἐπὶ Ἀρκαδίου βασιλέως, καὶ Θεοφίλου Πατριάρχου Ἀλεξανδρείας, μυρία θαύματα ἐπιτελοῦντα μέχρι τῆς σήμερον εἰς δόξαν Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν, δι' ὃν καὶ ἔπαθον. Ὧν τὴν πανήγυριν ἐτησίως πάντες οἱ πιστοὶ ἑορτάζομεν.

ΜΗΝΙ ΤΩι ΑΥΤΩι ΚΘ'. ΑΘΛΗΣΙΣ ΤΩΝ ΑΓΙΩΝ ΜΕΓΑΛΩΝ ΑΠΟΣΤΟΛΩΝ ΠΕΤΡΟΥ ΚΑΙ ΠΑΥΛΟΥ.

Πέτρος μὲν ὁ μέγας τοῦ Χριστοῦ Ἀπόστολος ὑπῆρχεν ἐκ πόλεως Βηθσαϊδὰ υἱὸς Ἰωνᾶ, ἀδελφὸς γνήσιος Ἀνδρείου τοῦ πρωτοκλήτου. Ἁλιεὺς δὲ ὢν καὶ πένης, ἔλαβε τὴν θυγατέρα Ἀριστοβούλου, ἀδελφοῦ Βαρνάβα τοῦ Ἀποστόλου· ἐξ ἧς καὶ παῖδας ἐγέννησεν. Ἦν δὲ μετὰ τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ Ἀνδρέου κατὰ τὸν καιρὸν, ὅτε ἀπεκλείσθη ὁ Πρόδρομος ἐν φυλακῇ, ἁλιεύων ἐν τῇ λίμνῃ Γεννησαρὲτ. καὶ κληθεὶς παρὰ τοῦ Χριστοῦ, παρερχομένου τὴν λίμνην, ἠκολούθησεν αὐτῷ μετὰ τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ, καὶ γέγονεν αὐτοῦ μαθητής. Ὁ δὲ Παῦλος Ἑβραῖος ὢν, καὶ αὐτὸς ἐκ τῆς πόλεως Ταρσοῦ, μετὰ τὴν ἀνάληψιν τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ, ἐδίωκε τὴν ἐκκλησίαν αὐτοῦ. Ἀλλὰ κληθεὶς καὶ αὐτὸς, ἐγένετο αὐτοῦ μαθητής. Καὶ μετὰ Πέτρου τὴν οἰκουμένην σχεδὸν ὅλην περιελθὼν, ἐκήρυξε τὸν Χριστόν. Καὶ τέλος ἐν Ῥώμῃ ἀπελθόντες ἀμφότεροι, ἔπαθον ὑπὲρ Χριστοῦ ὑπὸ Νέρωνος. Ὁ μὲν Πέτρος κατὰ κεφαλῆς σταυρωθείς· ὁ δὲ Παῦλος ἀποκεφαλίσθη. XXIX Petri et Pauli.

ΜΗΝΙ ΤΩι ΑΥΤΩι Λ'. Η ΣΥΝΑΞΙΣ ΤΩΝ ΑΓΙΩΝ ΙΒ' ΑΠΟΣΤΟΛΩΝ.

Εἰ καὶ ἕκαστος τῶν ἁγίων Ἀποστόλων, ἐν ἄλλῳ καὶ ἄλλῳ καιρῷ ἐμαρτύρησεν ἀλλ' οὖν ἡ Ἐκκλησία τοῦ Θεοῦ, διὰ τιμὴν ὑπερβάλλουσαν, ἑορτάζει τὴν σύναξιν τούτων, ἐχόμενα τῆς μνήμης τῶν ἁγίων Ἀποστόλων Πέτρου καὶ Παύλου, καὶ πάντας ὁμοῦ ἐγκωμιάζει, ὡς τὴν οἰκουμένην φωτίσαντας. Ἔστω τοίνυν πᾶν πρῶτος ἐπαίνων ἐπάξιος Πέτρος, ὁ διάπυρος μαθητής, ὁ ὑπὸ Νέρωνος κατὰ κεφαλῆς σταυρωθείς. Δεύτερος Παῦλος τὸ σκεῦος τῆς ἐκλογῆς. Ὁ ὑπ' αὐτοῦ ἀποκεφαλισθείς. Τρίτος Ἀνδρέας ὁ πρωτόκλητος, ὁ ὑπὸ Αἰγέα τοῦ ἐν δένδρῳ σταυρωθείς. Τέταρτος Ἰάκωβος ὁ τοῦ Ζεβεδαίου, ὁ ὑπὸ Ἡρώδου μαχαίρᾳ σφαγείς. Πεμπτὸς ὁ τούτου ἀδελφὸς Ἰωάννης, ὁ ζῶν ταφεὶς καὶ μετατεθείς. στ' Φίλιππως ὁ ὑπὸ Ἑλλήνων ἐν τείχει κρεμασθείς. Ζ' Θωμᾶς ὁ Δίδυμος, ὁ ὑπὸ Ἰνδῶν λόγχαις ἀναιρεθείς Η' Βαρθολομαῖος ὁ σταυρωθείς. Θ' Ματθαῖος ὁ λιθοβοληθείς. Ι' Ἰάκωβος Ἀλφαίου. ΙΑ' Σίμων ὁ Ζηλωτής. ΙΒ' Ἰούδας Ἰακώβου κρεμασθείς, καὶ τοξευθείς. XXX XII Apostolorum.

INDEX HISTORICUS

IN VII TOMUM JUNII

A

Abdarragman R. Cordubæ, *persecutor in Hispania* 77 d. *Sub eo passus S. Pelagius* 184 f. *Moritur ipse* 190 b
Abderaman II *Dux Saracen. victor et victus in Aquitania* 8 *sec.* 78 a
Acephali Episcopi, *unde et qui dicti* 341 e
Achilles Archidiac. Regien. *adest Regii dedicationi S. Petri* 12 *sec.* 51 f
Acus, Dux Chunorum, *a S. Ladislao cæsus* 292 e
Acysclus, *an Oscensis in Hisp. Ep. patruus S. Eurosiæ* 78 b
† Adalberti *Canonicorum institutum Eremiticum, in diœc. Ultrajectensi* 132 f
Adalardus, *Ab. Egmund.* XI *sec.* 91 b
Ademarus, *Ab. S. Martialis* 12 *sec.* 521
† Adelinus, *discipulus S. Landelini* 221 f
Adilita, Ducissa Bohemiæ, *cognata S. Ladislai R. Hungariæ* 294 d
Adolfus Overham, Mon. Werthinen. *edit Vitam S. Haimeradi* 17 *sec.* 350 e
Ægidius *Archiep. Remen.* 6 *sec.* 336 a
† Ægidius O. Min., *a tentatione carnis liberatus per B. Benevenutum* 296 b
Ælius Dionysius, *Præf. Urbis fub Diocletiano* 10 b
Ætheria, *Monacha Sibapoli,* 3 *sec.* 19 e, 28 a
Agatho, Diaconus CP. *scribit et transcribit Acta Synodi sextæ* 341 b
Agapius, Ep. Cordubæ, *cui revelatum corpus S. Zoili M.* 208 a
† Agapius, Ab. Pictav. *institutor S. Maxentii Ab.* 5 *sec.* 149 e
Agmunda Ruthena, *uxor Andreæ R. Hung.* 287 f
† Agnetis *Vitam an prima scripserit Constantia, filia Constantini Imp.* 34 d
Agnes, *a meretricio quæstu conversa per S. Guilielmum, fundatorem Montis Virg. facta est Abbatissa* 112 a, 114 c. *Elevari curat Corpus ejusdem S. Guilielmi* 98 f
Agrippa, *an Præfectus Urbis sub Nerone* 360 e *An ejus pellices ab Apostolis conversæ ibid.*
Aistulfus, Rex Longobard. *persequitur Ecclesiam* 8 *seculo* 345 e
Albanus (Joann. Franciscus) *Card. nunc Clemens PP. XI* 364
Albinus, *Dux Spoleti,* 8 *sec.* 347
Albertini (Arnoldi) *judicium de B. Lullo* 654
Albertus, Ep. Albensis, XI *sec. suscipitur a Gregorio VII* 275 d
Albertus, *Abbas Salisburg.* 17 *sec. edit Catalogum suorum decessorum* 537 d
Albertus de Rivalta, 12 *sec. Ep. Laudensis* 415 e
† Albertus, *Discipulus et successor S. Guilielmi in Monte-Virginis,* 100 d
† Albertus, *Mon. Mediolacens. O. B.* 2
Alberus, Ep. Regien. 12 *sec. movet controversiam de Corpore S. Prosperi* 50 f : *ipsumque revelat* 51 c. *Item corpora SS. Venerii et Jucundæ ibid.* d
Albigeo *filius regis Salomonis* 692
Albornozius Card. 14 *sec. in Hispaniam defert Gladium, quo decollatus creditur S. Paulus* 423 e
Alciata Gens, *an ex ea S. Araldus M.* 253 e
Aldricus Archiep. Senon. 9 *sec. transfert Corpus S. Baboleni Ab. Fossatensis* 159 b
Aldumus, *Ep.° Lemovic.* XI *sec.* 518
Aldus Manutius, *Latine reddit Acta SS. Petri et Pauli, ex Italico Julii Sartorii* 364 e
Alemanus *Card. legatus in causa B. Lulli* 664 d
Aleta Burgotta, *Reclusa Parisiis,* 15 *sec.* 361 a
† Alexander PP. *sec.* 2 *honorat vincula S. Petri* 411 e
Alexander II *sec.* XI *Canonizat S. Theobaldum Erem.* 546. *S. Herlembaldum creat Defensorem Ecclesiæ Mediol.* 260 b
Alexander III *sec.* 12 *laudat fundationem Cartusianorum in Stiria* 475 b
Alexander VI *sec.* 14 *Gurcenses Canonicos unit Lateranensibus* 474 d
Alfonsus R. Aragoniæ *S. Ferdinandum Ep. Calaten. suæ familiæ adscribit* 298 e. *Variis Nobilibus concedit de Domo Aragonia se appellare* ib. f
Alfonsus I, Rex Lusit. *sec.* 12 *Ulissiponem recuperat de Mauris* 42 d
Alfonsus, R. Arag. *sec.* 15 *favet Lullistis* 621 b
Alforannus (Tiberius) *ejus MS. de Basilica Vaticana* 396 b
Algerius, Ep. Lemovic. 10 *sec.* 517 e
Almus, *S. Ladislai ex fratre nepos, successor designatus* 294 a
† Alo, an Eligius Ep. Noviom. 3 f
† Alpini Archiepiscopi, Lugdun. 13 *sec. elevatum Corpus* 312
Amblardus, Ab. S. Martialis 10 *sec.* 523
† Ambrosius, *an auctor librorum de bello Judaico S. Hegesippo adscriptorum* 364
Amizo, Ab. S. Petri, *solicitus pro vindicando Corpore S. Prosperi Regiensis* 12 *sec.* 51 a
Amizo, *Capitaneas Mediolan.* 12 *sec.* 282 b
† Anacletus PP. *ad S. Petrum in Vatic. parat locum sepeliendis successoribus* 397
Andreas, Rex Hung. *Patruus S. Ladislai R.* 287 *fautor litterarum* 285 a
Andreas, Episc. Ostien. *ordinat S. Leonem II* 7 *sec.* 341 a
Andreas, Ep. Ultraject. *intendit reformandæ Egmundanæ Abbatiæ* 12 *sec.* 93 c
† Andreas, Ab. de Strumis, *scribit Acta SS. Arialdi et Herlembaldi* 250 f
Anduinus Chignius, *pater S. Anthelmi Ep.* 203 a
Anschericus, Archiep. Lugdun. 10 *sec. dotat Ecclesiam S. Justi* 311 c
Anselmus Longobardus, *fundat Abbatiam Nonantulæ* VI *sec.* 342 b
Anselmus Archiep. Mediol. *transfert Corpus S. Arialdi XI sec.* 278 d
Anselmus de Badagio, 12 *sec. Canonicus Mediol. dein Ep. Lucen. hortator S. Arialdi* 256 a
Anselmus, Ord. Præd. 13 *sec. Martyr in Perside* 222 c
Anthelmus, Prior *magnæ Cartusiæ* 12 *sec.* 126 a

Anthimus Spatharius, *Missus ab. Imp. CP. ad Pippinum R.* 348 a
Antimus *Præf. Urbis sub Dioclet.* 16 a
Antiochi Archiepiscopi Lugdun. 13 *sec. elevatum Corpus* 313 a
Anzo, Monachus Hersfeldensis *familiaris S. Heimeradi* 353 c
Apollonius, 2 *sec. testatur, Christum præcepisse, ne Apostoli infra* 12 *annos longius Jerosolymis discederent* 368 f
Arator Poeta Rom. 4 *sec. versu reddit Acta Apostolorum* 371 c
Archandus, Comes Florensis, *sepulturam eligit in ecclesia S. Irenæi Lugdun.* 311 d
Ardericus Episc. Lauden. 12 *sec.* 282 c
Arialdus Ab. S. Dionysii Mediol. 12 *sec.* 280 b
Arialdus de Meregnano, *Judex Mediolan.* 12 *sec.* 281 c
Aribo Archiep. Mogunt. XI *sec. fundat Monasterium Hasunge* 350 c
† Arigius Archiep. Lugdun. *Ejus Corpus* 13 *sec. elevatum* 312 f
Aristobulus, *an frater S. Barnabæ, et socer S. Petri Apostoli* 375 d
Armannus Episc. Brixien. 12 *sec. coronat Regem Italiæ Conradum* 279 d
Arnaldus de Raude, *occisor S. Herlembaldi* 278 a
Arnoldus, Ab. Hersfeld. *successor S. Flodoardi* 353 d
Arnulfus, Archiep. Mediol. *transfert corpus S. Herlembaldi M.* 277 f
Arnulfus, *Historicus Mediol.* XI *sec.* 251 e
Arnulfus, *Pater S. Theobaldi Erem.* 544 b
† Artemia, *Filia S. Gallicani M.* 33 c
Arturus a Monasterio, *Auctor Mrlii. Franciscani, laudatur a diligentia* 201 c
Asselinus, *intrusus Ab. Egmund.* 12 *sec.* 93 a
Athelwolfus R. Angliæ, *tutor S. Salomes* 451 f
Atho, electus Mediolan. *Episcopus ex parte Catholicorum* 275 d
Attica, *Filia S. Gallicani M.* 33 c d
Audoynus Archiep. Lugdun. 9 *sec. restaurat ecclesiam S. Justi,* 311 c
Averroem *Philosophum imprimi detestatur B. Raym. Lullus* 617 e, 621 f
Augustinus Præpositus Olomuc. et Brunen. *Historiographus* 124 d
Avius (Octavius) 17 *sec.* Ep. Narnien. 448 c
† Aurelianus Ep. Lemovic. *fingitur scripsisse Acta S. Martialis.* 494 f
Autharit, R. Longobard. *honorat clavem de sepulcro S. Petri* 414 e
† Austriclinianus, *discip. S. Martialis* 523 *f*, 524 f
Azo Ep. Aquen. *in Liguria,* 12 *sec.* 282 c
Aymo de Fulciniaco, *fundator Cartusiæ Repausatorii in Sabaudia* 126 a

B

Babolenus Ab. Bobien. 6 *sec.* 157 c
† Balbina V. *requirit, vincula S. Petri, et per ea sanatur* 440 c
Baldricus Pius, Ep. Ultraject. *varia acquirit Sanctorum Corpora* 325 c
Bardas Cæsar, *comburit Acta Synodi VI* 343 b
Bardas *ex Protospathario Præfectus Nosocomii S. Sampsonis C P.* 246 c
† Bartholomæus Ep. Laudun. *Ord. Cisterc. susceptor S. Norberti* 135 c
† Bassianus, Ep. Lauden. 4 *sec. fundat ecclesiam S. Petri* 415 c
Basolus Dux Aquit. captus *a Clodovæo R. Franc. et S. Theodechildi cum suis omnibus bonis traditus, ac Monachus factus* 333 b
† Beatrix, fil. Ducis Carinthiæ 12 *sec. Epitaphium ejus.* 481 b
Bela R. Hung. *pater S. Ladislai R.* 287 e
De Bely (Jo. Bapt.) Prior Cart. Repausatorii, 17 *sec. elevat Corpus B. Joannis Hisp.* 127 c
Bellarminus Card. *probat inventa Ossa S. Medici M. Utriculani* 9 a
de Bellegarde (Octavius) Archiep. Senon. 17 *sec. transfert Corpus Theodechildis* 337 f. *Ejus frater Dux Belleguardiæ præsens adest* 338 f
Belisarius, *Dux Justiniani Imp.* 242 b
Benchorenses Monachi in Hibernia, *a piratis cæsi* 136 a
Bencius, *an sec.* 7 *Ep. Cæsaraugustanus* 401 a
Benedicta, nobilis Rom. *amica SS. Joannis et Pauli MM.* 140 c
Benedictus *Ep. Andegavensis* 682 c
Benedictus, Abbas Fossatensis *elevat Corpus S. Baboleni* 160
† Benigni, M. Divion. *Acta qualia* 308 b
† Benignus. Ep. Divion. *confusus cum eo qui habetur et colitur Ultrajecti* 325 b
Benzonus (Jacobus) 16 *sec. Ep. Ferrar. transfert Corpus S. Leonis* 342 b
Bergera (Julius Cæsar) Archiep. Taurinensis *sec.* 17, *frustra quærit Corpus S. Maximi* 43 e
Bernardus, Ep. Toletanus, 10 *sec. adhuc sub Mauris, mitioribus post necem S. Pelagii, ordinatus* 190f
Bernardus Cartusianus, *Prior Domus Portarum* 12 *sec.* 203, 205 c
† Bernardus Ab. Vallumbros. Card. *Ep. Parmæ* 12 *sec.* 280
Bernardus *filius Raynoldi comitis Namnetensis* 683 f
Bezo et Beza, *parentes S. Arialdi M.* 252 c
Blanca Comitissa Campaniæ, 13 *sec. B. Arnulfo devota* 573 c
Blancherna vel Blaquerna Anachor. *a B. Lullo assumptus in titulum libri* 643 a, 644 b
Blastus 2 *sec. hæreticus Valentinianus* 306 a
† Bobulenus Ab. Stabulen. 6 *sec.* 157 b
† Bodardus Erem. *an aliquis discipulus S. Hilarii juxta Acta mire intricata* 29 e
Bohuslaus R. Poloniæ, *pœnitens trucidati a se S. Stanislai* 462 e
Bona (Jo.) Card. *scribit de vetusto usu communicandi sub una specie* 63 a
Bonfinius (Antonius) *Historiographus Andreæ R. Hung.* 285 a
Bonifacius de Augusta, electus Archiep. Lugdun. 13 *sec. elevari facit Corpora S. Justi et aliorum* 13 *Epp. Lugdun.* 313
Bonifacius PP. VIII, *frustra solicitatus a B. Lullo, ad exequenda pia consilia* 616 c
Bonovisinus, *famulus S. Arialdi M. ejus gesta scriptori Vitæ dictat* 252 b
Bonus, 13 sec. Ep. Venusinus, *in causa B. Benevenuti judex* 295 f
Bugremundus, Nobilis Sabaudus, *hospes S. Anthelmi Ep.* 12 *sec.* 209 f
Bonzagnius (Adeodatus) Ab. S. Petri Regien. *elevat Reliquiam S. Prosperi Ep. in thecam argenteam* 17 *sec.* 62 e
Bovillus (Carol.) *scribit vitam B. Lulli* 587 b
Brandanus *abbas* 677 c
Brada, R. Scytharum, *captus a S. Gallicano* 33 f
Bretislaus, Dux Bohemiæ, *cognatus S. Ladislai* 294 e
Breviarium Rom. *correctum in SS. Joanne et Paulo* 32 b

† Bruno, Archiep. Colon. *Roma accipit annulum de Catena S. Petri* 413 f
Bryene, Diaconissa Sibapoli, *Magistra S. Febroniæ* 17 d
Bizantius, Senator Rom. *elevat Corpora SS. Joannis et Pauli* 141 a f
Byzas *seu* Byzantius *Hymnographus, scribit de vinculis S. Petri* 410 d

C

Cadolus Antipapa, *contra Alexandrum II seculo* XI 272 e.
† Cæsarii Ecclesia, *oblata S. Guilielmo* 104 d
Cæsarius Monachus Nonbergen. *scripsit de S. Erendrude* 532 b
Cæcilia, *altera uxor regis Salomonis* 690 c
Cajus Imp. *sibi, ut Deo, statuas erigi jubet* 370
Cajus Scriptor Rom. 3 *sec.* 371 a
† Calidonius, Ep. Vesontion. 2 e
† Calis Cardinalis, *certi cultus, incerti temporis et tituli* 68 d
† Calixtus PP. *Corpora Apostolorum transfert ad Catacumbas* 398
Calo Joannes Imp. CP. *gener S. Ladislai R.* 294 f
Camerarius (Joannes) *justo levior in adstruendis Sanctis, qui non sunt* 221 c
Capita *SS. Apostolorum, quando et quomodo Romæ a Pontificibus circumlata* 404 d
Carolus IV *Romanorum Imperator deportat mitram S. Eligii Pragam* 677 d
Carolus Martellus *Princ. Franc. sæpe de Saracenis victor,* 70 f. *Sub eo cæsus S. Salvius Ep.* 174 b
Carolus M. Imp. *sub quo inventum Corpus et scripta Vita S. Salvii Ep. M.* 173 c
Carolus R. Franc. *pretiosis monilibus ornat Capita Apostolorum sec.* 14 405 b
Caroli Simplicis R. Franciæ, *epochæ variæ* 82 b
Carpianus, *Præses Corcyræ* 1 *sec.* 5 b
Catharina de Bohemia, *uxor Ludolfi Austriaci* 14 *sec.* 142 f
Cercylinus, *an* Rex Corcyræ 5 a
† Cercyra V. M. *in Corcyra insula* 5 a
Chagan, Dux Persarum 8 *sec.* 167 a
Chagani Avarum, *a Chazaris diversi* 167 a
Chagani Chazarorum *aliquot* 7, 8 *et* 9. *sec.* 166 c
Chiffletius (Petrus Franc.) *frustra conatur excusare Acta S. Baboleni Fossaten.* 158 a
Chilpericus, R. Burg. *pater S. Crothildis Reginæ Francorum* 328 f
† Christianus, *apud Habessinos* 222 a
† Christinus M. Camaldulensis *Olomucium translatus* 124 d
Christophorus Andreas, *Ep. Gurcen. Archi-Ep. Salisburg.* 16 *sec.* 477 d
Clarius Mon. S. Petri vivi, *apud Senones, et historiographus loci* 328 b
Claudianus, *frater S. Vigilii Tridentini* 140 c
† Clemens, *ordinatur a S. Petro successor* 389 b
An scripserit Itinerarium S. Petri, et libros Recognitionum 362 c
Clemens V, *a B. Lullo frustra conventus* 617 e
Clemens VIII *sopit controversiam de Corpore S. Prosperi Regien.* 54 f
Clodovæus I, *R. Franc. transfert Corpora quædam Sanctorum* 325. *Ejus filia,* S. Theodechildis 328. *Veneratur S. Maxentium Ab.* 151 c
Clodovæi III, R. Franc. *Charta pro Stabulao et Malmundario* 172 e
Clotharius, R. Franc. *frater S. Theodechildis, ejus testamento subscriptus* 6 *sec.* 333 a
Clotharius II, R. Franc. *Monarcha* 7 *sec.* 510
† Columba V. *Soror S. Pecinnæ* 72 c
Cono, *seu* Conradus, R. Germ. *coronatus R. Lomb.* 12 *sec.* 279 c. *Ejus mors pia* 279 f
Conradus Imp. *reformat monast. Hertsfeld.* 354 c
Conradus, Dux Bohemiæ, *affinis S. Ladislai R. Hungariæ* 293 f
Conradus, Dux Moraviæ, *rebellis Conrado Imperatori* 124 b
Conradus, Episc. Gurcensis et Frisingensis 15 sec. 477 b.
Constantia, F. Constantini, *desponsa S. Gallicano* 33 b. *Quomodo mortua* 141 b
Constantinus Porphyrogen. *restaurat Nosocomium S. Sampsonis* 245 d
Constantia Imp. *a S. Gregorio frustra petit Caput S. Pauli* 397
Constantinus Imp. *fundat Romæ tres primas Basilicas* 430 a
Constantinus PP. *mittit Viennensi Ecclesiæ Reliquias Sanctorum* 223 e
Constantinus, *pater S. Pauli PP.* 344 a
† Constantini Martyris *Corpus* 13. *sec. inventum Lugduni* 313 a
Constantinus Antipapa, *contra Stephanum III* 8 *sec.* 343
Copulclius *sive* Capulcus, Dux Chunorum, *a S. Ladislao victus* 292 a
Corbicanus Scotus, *an Sanctus in Belgio* 135 c
Cordesius (Joan.) *Canon. Lemovic. scribit de missione S. Martialis* 492 *et seqq.*
† Cornelius Centurio, *an Ep. Ilii* 377 e
† Cornelius PP. *levat Corpora Apostolorum de Catacumbis* 399
Crocus R. Alemann. *occidit S. Antidium* 37 b, 40 b
† Crescens, *in Gallia prædicans* 500 a
† Crescens *cum fratribus filiis S. Symphorosæ* 234 f
Crispus Presb. Crispinianus Clericus, *Romani, Romæ sub Juliano* 140 e
de Crosso (Petrus) Ep. S. Papuli, *colligit Officia propria suæ Diœc.* 316 b
† Crothildis, *uxor Clodovæi I, R. Franc. et mater S. Theodechildis* 328
Crugerius (Georgius) S. J. *scriptor Sacrorum Pulverum Bohemiæ, per* 10 *Menses: duo ultimi desiderantur* 123 b
Cuniza *seu* Cunigundis Imp. *S. Heimerado injuriosa, dein ei devota* 354 a
Custurerius (Jacobus) *S. J. vindex et collector monumentorum de B. Raym. Lullo* 582 c
Ejus epistola circa Vitam primam 587 a
† Cyprianus Hispanus *Abbas in Gallia* 6. *sec.* 68 f
Cyriacus, *an aliquis* 6 *sec. Ep. Cæsaraugust.* 400 f

D

Dacianus, *fictitius persecutor in Gallia sub Decio* 326, 327.
Daniel, Ab. Montis-Virginis, 12 sec. 118 c
David, Burgundus Ep. Ultraject. 15 *sec.* 131 c
David Gothus, *restaurator Ecclesiæ Toletanæ* 197 f 6 *sec.*
Demetrius, Episcopus Jaurin. *Caput S. Ladislai R. argento includit* 286 a
Demetrius Napragy *episcopus in Transilvania* 697 a
Deodatus Papa, *an Sanctus* 135 f
† Deppa V. M. *Roma Tornacum allata* 135 f
Desiderius, Archiep. Strigon. *sub. S. Ladislao* 290 b.
† Deusdedit Archiep. Cantuar. 7 *sec.* 488 e
Dexteri Pseudochronicon, *etiam a Tamayo et Cardoso explosum* 144 e
† Dionysii Parisiensis *ætas* 504 a

Dionysius, Ep. Corynthi, *testatur SS. Petrum et Paulum Romæ passos* 371 a

† Dionysii Archiep. Mediol. *Corpus petit Ludovicus XII R. Franc.* 279 a

Dionysius Exiguus, *inventor Æræ vulgaris* 330

Dionysius Card. XI *sec. adversatur S. Arialdo* 257 a.

Dioscorus, *pater S. Dicentii, Ep. Santonen.* 80 a

† Donatus Abbas Montis-Virginis 13 *sec. colitur Æsernii* 119 e

† Dorothea, Vidua-Pruthena, 14 *sec.* 3 e

Dubravius (Joan.) Ep. Olomuc. *Latine reddit Historiam Bohem. Hagecii* 124 d

† Dudecho, Comes Wartberg in Westphalia, *hospes S. Heimeradi* 355 b

Dulcidius, Ep. Salmanticensis 10 *sec. captus a Mauris* 189 d

E

† Ebbo, 7 *sec.* Ep. Senonen. 331 d

Ebulus, Com. Pictav. 10. *sec. bene meritus de Malleacensibus* 152 f

Ebulus, Ep. Lemovic. *sec.* 10, *restaurat Abbatiam S. Maxentii diœc. Pictav.* 148 c

Eduardus VI Rex Angliæ : *ei aurum non conflavit B. Lullus* 605 b

Egbertus R. Angliæ, *avus S. Salomes* 451 f

Egbertus Archi-Ep. Trevir. *jubet scribi Acta et miracula S. Adalberti* 83 b

Egbertus Archi-Ep. Eborac. 7 *sec. non fuit Sanctus* 86 e

Egbertus Mon. Hersfeld. *Scribit Vitam S. Haimeradis* 350 e

Eggo, *hospes S. Adalberti in Egmunda* 86 a

† Eleutherius PP. 2 *sec. accipit litteras Lugduno per S. Irenæum* 306 c

† Eligius *fundat Parisiis capellam S. Martialis* 513 d e

Elozimus Utriculanus, *sepelit S. Medicum M.* XI *seculo* 8 d

Engelbertus Desbois Ep. Namurc. 17. *sec. testatur de pileo S. Petri, Namurci honorato* 423 a

Engelbertus de Peilenstein, *pater B. Hemmæ* 492 b.

Engelramnus, *camerarius et consiliarius Caroli crassi regis Franciæ* 688 f

Enjelricus Eznerius Ab. *celebris Grammaticus* 497 b.

† Eraclius Ep. Senonen. *Ejus ætas* 331 b

Eraclius Archi-Ep. Lugdun. *urbe pulsus, excipitur a S. Anthelmo Priore Cartus.* 206

Eringerus, 12 *sec. metrice reddit Vitam S. Heimeradi* 350 f

Erlinda, filia Theoderici II Com. Holl. *visu donata a S. Adalberto* 89 a

Ermengaudus Inquisitor *declarat articulos B. Lulli ex Philosophia Amoris esse a censura immunes* 662 b.

† Ernestus Archi-Ep. Pragen. 14 *sec. Vita scripta a Bohuslao Balbino* 506 f

Erneus Dux, *sub Salomone R. Hungariæ prælio cæsus* 289 a

Eucadius Regulus Tarentinus 1 *sec.* 392 c

Eudoxia Ux. Valentiniani III. Imp. *acquirit Jerosolymis Catenam S. Petri* 412 a

Eudocia Junior fil. Valentiniani Jun. *a dæmone liberata per S. Deodatum Ep.* 233

† Eulalia V. M. *Officium ex Mozarabico* 195 c

† Eufrosia Aistulfi R. Longobard. filia 15 e

Eugenius III, *ob violatum S. Henricum Ep. Olomuc. Conradum Moravum excommunicat* 123 d

† Eulogius Cordub. M. *mittit Barcinonem Reliquias S. Zoili* 228 f

† Eusebius Confessor. *Elevatum* 13 *sec. Corpus* 313 a.

Eustrageus, *aut* Dux Saracenorum *in Aquitania* 71 a.

Eymericus (Nicol.) Inquisitor, *B. Lulli adversarius, indiscreti zeli redargutus, et exilio mulctatus* 653 b

F

Faber Stapulen. Doctor Paris. *B. Lullum magni facit* 618 c

Fabianus Nob. Rom. *sepelit* 4 *sec. SS. Crispinum Crispinianum et Benedictam MM.* 230

Falco Archi-Ep. Lugdun. 12 *sec. quædam donat Cartusianis* 201 f

Faustina, *in cujus arcam Ferrariæ translatum Corpus S. Leonis* 342 c

† Febronia V. forte filia Heraclii Imp. 15 a

† Febronia Aistulfi R. Longobard. filia 15 e

† Felmasius I. Ep. Maurian. 64 b

† Felix IV PP. *S. Theodechildi mittit Reliquias* 337 b.

† Felix II Ep. Nolæ, 5. *sec. Ejus epitaphium* 232

Feltrinus, de Gonzaga, *destruit Abbatiam S. Petri Regien.* 14 *sec.* 52 c

Ferdinandi R. Legion. *Diploma sec.* XI., *de restaurandis cœnobio et Arca S. Pelagii,* 190 e

Ferdinandus Cath. R. Hisp. *favet Lullistis* 620 f *Ipse et uxor* Isabella *restaurant Ecclesiam S. Petri Romæ in Janiculo* 397 a

Ferdinandus Com. Carrion. *sec.* XI. *Corpora SS. Zoili et Felicis Corduba ad suos transfert* 228 d.

Festinionus Dolensis Episcopus pallium accipit a Pontifice romano 688 c

Filomarinus (Paulus) *Ep. Calat. transfert Corpus S. Ferdinandi Ep.* 300 a

Flaminius (Antonius) *scribit vitam S. Prosperi Regien.* 47 e

Flavinus Capellanus Pippini Regis 348 a

Florentius Com. Holland. XI *sec.* 90 f

Florentius de Montmorency *S. J. Vicarius Generalis* 17 *sec.* 155

Florinus Presb. 2 *sec.* 306 a

Florus Lugdunensis, *Bedæ Martyrologium iterato auget, quæ secunda editio latet* 304 d

Florus fundator *monasterii sui nominis CP.* 170 a

Fortunatus (Venantius) Poeta Presb. et Ep. Pictavientis *scribit carmina de Theodechilde Reg. Ecqua illa? Ejus ætas* 334 f

† Franciscus Fundator Minorum *puerum mortuum Corneti suscitat* 295 b

Francisco R. Galliæ, *auctoritate S. Irenæi suadetur, Calvinistas abjicere* 299 e

Franciscus Gonzaga, Ep. Mant. *Commissarius Apost. ad dirimendam litem de Corpore S. Prosperi Regien.* 54 f

Freculsus Ep. Xantonen. 80 d

Fridericus III. Imp. *petit canonizari B. Hemmam* 470 c.

Fridericus Schembek S. J. 17 *sec. Præpos. Cracov. excipit brachium S. Pauli Ap.* 407 e

Fulvius (Franc.) O. Minim. 17. *sec. Orator clarissimus, scribit de S. Maximo Ep. Taurin.* 44 c

G

Galeatius Vicecom. Mediolanen. *occupato Regio, filium Ugolinum quinquennem* 14. *sec. Episcopum statuit* 53 f

Galindus

Galindus Eniconis, sec. 9. *Barcinonem affert Reliquias S. Zoili M.* 228 f
Gallicani *Consules plures Romæ* 32 d
Garsea Rex Pampelon. 10. *sec.* 189 c
Gaspar Silingardis *sec.* 17. Ep. Mutin. *Commissarius Apost. ad dirimendam litem de Corpore S. Prosperi Regien.* 54 f
† Gatiani Ep. Turonen. *ætas* 506 a
Gaudentius *Sacerdos et Monachus* 696 a
Gaufredus Ab. S. Petri-Vivi, *transfert Corpus S. Theodechildis* 337 d
Gaufredus Comes Britann. 12. *sec.* 523 e
Gaufridus de Collone, *scribit de Reliquiis S. Petri-Vivi Senon.* 328, 337
Gausbertus *Cenomanensium comes* 683 f
Gausericus Dux Gothorum, *Xanctones obsidet* 81 e
Gebhardus Archi-Ep. Salisburg. *agit pro instituendo Episcopatu Gurcensi* 456 c
Gennadius de Scriptoribus *correctus in S. Maximo Ep. Taurin.* 43 b
Geloyra, Monacha, *soror Saucii R. Legion.* 190 c
Geldolfus a Ryckel Ab. Can. Regul. Lovanii, *scribit de S. Anthelmo, fautor Cartusianorum* 17 *seculo* 202 b
Geiza, R. Hung. *frater S. Ladislai,* 287 c
Genardus, *Procurator fisci Valencen. hospes S. Salvii Ep. M.* 176 a
Gerbrandus (Joannes) Carmel. *Auctor Chronici Comitum Hollandiæ* 83 c
Germcisylus Archi-Ep. Vesontion. *Arianus, decessor S. Antidii* 37
Gero Archi-Ep. Colon. *Sanctus* 302 b
Georgius Episcopus Amastris, 8 *sec. sepelit S. Joannem Ep. Gotthiæ* 169 b
Georgius Ep. *ordinat Constantinum Antipapam* 8 *seculo* 343 e
Georgius 8 *sec. Legatus Imperatoris CP. in Franciam* 347 b
Georgius Siciliæ Archithalassus *explorat virtutem S. Guilielmi* 110 c
† Gerardus Ab. O. Bened. XI, *sec.* 515
Gerardus, Viennensis Comes, *socer Humberti Sabaudiæ Ducis* 211 a
† Gertrudis Nivellen. *solvit vinculum pœnitentis homicidæ,* 90 a
Gertrudis, uxor Wladislai Ducis Bohemiæ 12 *seculo* 122 c
† Gerulphi Translatio *Gandavi* 3 e
Giselbertus, Ab. Hasungen. XI *sec.* 380 a
Gisla uxor S. Stephani R. Hungariæ 294
Giula, R. Chunorum, 14 *sec.* 288 a
Gissana F. Pippini R. *suscepta a Paulo PP.* 346 a
Gissemarus Presb. *Sanctus in Normannia*, 10 *seculo* 200 c
Godricus Erem. *a Camerario fingitur Sanctus, et Archiepiscopus S. Andreæ in Scotia* 221 c
Golomannus, *S. Ladislai ex fratre nepos* 294 a
Gonzaga (Ferdinandus) Gubern. Mediol. 16. *sec. propter novas urbis munitiones, aufert Chorum S. Dionysii,* 278 c
Goswinus Cantor Villarien. *scribit Vitam B. Arnulfi* 557 d
Gothofredus, *male designatus* Archi. Ep. Mediol. XI. *sec.* 275 *f. Pejus ordinatur* 274
De Gondrin (Ludov.) Archi-Ep. 17 *sec. Senon. Mauriacensibus concedit Vertebram S. Theodechildis* 343 *f*
Gratianus Ep. XI. *sec. Ferrariam Vicohabentia transfert corpus S. Leonis* 342 b
† Gregorius PP. *largitur limaturam de Catenis Apostolicis* 413 e. *Jubet Gentilium epulas et festa converti in sacra* 433 a
† Gregorius Turonen. *excusatur in textu, a librariis vitiato* 304
Gregorius PP. IX, *statuit judices in causa B. Benevenuti* 295 c
Gregorius XI *jubet examinari libros B. Raymundi Lulli, eique affingitur Bulla, ipsos damnans* 658
Gregorius Ep. Vercellensis, XI. *sec. suscipitur a Gregorio VII.* 275 d
Gregorius Ep. Adrianen 12. *sec. adest dedicationi Abbatiæ Petri Regien.* 51 f
Gregorius *Ep. Armenus* 685 c
Grossulanus Electus Ep. Saonen. *pro Anselmo Archi-Ep. administrat Eccl. Mediol.* 280 a. *Eoque mortuo postulatur successor* d. *Deponitur* 283 c
Grusolphus, *Ep. Fesulanus* 696 b
Guido Card. Eugenii III Legatus, 12, *sec. recognoscit Corpus S. Prosperi Ep. Regien.* 51 c. *Mittitur in Bohemiam contra concubinarios* 124 a
Guido de Vilate Electus Mediolan. 11. *sec.* 260 f *Ultro deponit Episcopatum* 273 e
Guido Ep. Ferrar. *sec.* XI 342 d
Guigo Prior magnæ Carthusiæ 12 *sec. decessor S. Anthelmi* 204 d
Guigo miles Sabaudus, *fundator Hospitalis Inter-Saxa* 209 d
Guihenerec *regina Britonum.* 689 e
† Guilielmus Abb. *Bellæ-laudæ Ord. Cist.* 3 a
Guilielmus, Ep. Maurian. 12 *sec. amicus S. Anthelmi Ep. Bellic.* 208 d
Guilielmus Archi-Ep. Viennen. 13 *sec. transfert Corpus S. Justi Ep. Lugdun.* 313 d
Guilielmo Ep. Papien. *Gregorius VII commendat S. Herlembaldum* 275 e
Guilielmus Com. Nivernensis 12 *sec. fit Cartusianus* 204 f
† Guntherus *in Bohemia* 287
Guntherus, Ep. Gurcien. XI *sec.* 476 d
† Guntramnus R. Burgundiæ, *ejus Chronologia; et fundatio Ecclesiæ Maurianen.* 64 a
Gurcensium Episcoporum *series* 476 *et seqq.*
Gurvant *seu* Ursean S. Salomonis patruelis 692 c
Guthescus Dux Chunorum, *Salomoni Exregi socius contra S. Ludislaum, ab hoc victus* 291 e

H

Haimericus Ab. Malleac. 10 *sec. recipit ex Britt. Min. Corpus S. Maxentii Ab.* 152 f
Halloix (Petrus) *S. J. scribit prolixe de S. Irenæo Ep. M.* 306
Haribertus, Ab. Murbach. *Missus Pippini R. ad Paulum PP.* 347 f
Hartbertus Ep. Ultraject. 12 *sec. dedicat novam Ecclesiam S. Adalberti* 93 d
Hartwicus *et* Wilhelmus, filii B. Hemmæ *pro justitia occisi* 405 c
Hertwigus, Ab. Hersfelden. *dicata ei vita S. Heimeradi* 350 c
Heckius (Joannes) Ord. Præm. *in Gallia ab Hugonottis excruciatus* 136 d
† Hegesippus. *Pro ejus libris perditis suppositi* 5 *de Bello Jud. ex Josepho* 364
Heliogabalus Imp. *conatur omnium Religionum Sacra transferre ad cultum Solis* 398
† Helpidius Archiep. Lugdunensis *Corpus inventum* 13 *sec.* 313 b
Hemma, *socrus B. Hemmæ Gurc.* 472 e
Henricus Niger Imp. XI *sec. rogatur Mediolano Episcopum dare* 260 e
† Henricus Imp. *affinis B. Hemmæ* 472 e. *Restaurat monasterium Nonbergense* 533 d
Henricus IV Imp. *frustra solicitatus contra Hungaros* 289 f

Henricus III R. Angliæ 13 *sec. visitat corpus S. Martialis* 523 c
Henricus IV R. Angliæ, *fingitur suasisse investigare lapidem philosophicum* 650 b
Henricus II Dux Carinthiæ, XI *sec. frater B. Beatricis* 481 a
Henricus, *duc. Normannorum* 683
Henricus Ep. Gurcen. 12 *sec.* 476 e
Henricus Ep. Olomuc. *O. Præm.* 12 *sec.* 2 f
Henricus Ep. Sabin. Card. *judex Apost. in lite de Corpore S. Irenæi,* 15 *sec.* 311 c
Heraclius tyrannus 3 *sec. in Gallia* 437 c d
† Heraldus, Ep. Maurian. 12 *sec.* 67 d
Hermengisclus R. Vernorum, *maritus Theodechildis Junioris* 336 b
Hermoygius, Ep. Tudensis, *patruus S. Pelagii Martyris* 183 d, 189 d
Hartmannus Schedel, *auctor libri de* 6 *ætatibus mundi* 307 d
Herveus, *filius Raynaldi comites Namnetensis, a Lamberto comite occisus* 683 f
Hertwicus Archiep. Salisburgen, *transfert corpus S. Erendrudis* 534 d
Hevo, Abbas I Strahovien. *Ord. Præm.* 122 c
Hieria Senatrix, *conversa per S. Febroniam* 17 f
Hieronymus a Potentia, Abb. S. Petri, *tradit corpus S. Prosperi Regien. transferendum ad ecclesiam in urbe* 58 a
† Hilarinus, *Socius S. Gallicani ad opera caritatis* 34 b
† Hilarius Ep. Arelat. 5 *sec.* 502 c
Hildeboldus, 2. Ep. Gurc. 12 *sec.* 476 e
Hildeprandus Card. XI *sec. favet S. Arialdo* 257 a
Hilduinus, Ab. S. Dionysii *Paris.* 589 d
Honorius Papa, *quomodo cum Monothelitis damnatus in* 6 *Synodo* 341 b
Hugo, Comes Veromand. *transfert Corpus S. Pecinnæ Nyortho ad S. Quintinum* 73 b
Hugo, Archip. Lugdun. *Canonicos S. Irenæi separat a Capitulo S. Justi, eisque Priorem claustralem dat* 309 e
Hugo, Archiep. Veson. *consecrat ecclesiam S. Pauli et eo transfert corpus S. Antidii Ep.* 35 e
Hugo, Prior S. Salvii, *prope Valencenas,* 12 *sec.* 173 c
Hugo puer, *in Anglia a Judæis occisus* 361 e
Hyrcani duo, *pater et filius, Pontifices Hierosol. distinguendi* 376
Humbaldus, Ep. Lemovic. XI *sec. depositus* 520 e
Humbertus, Comes Sabaudiæ, *a S. Anthelmo excommunicatus* 12 *sec.* 208 d. *Pœnitens absolvitur* 209 e, 210 d

I

Ignatius de Loyola, fund. S. J. *a S. Petro Apostolo sanatus* 417 f
Immo, *Missus Pippini R. ad Paulum PP.* 345 f
Ingoara, *soror S. Ebonis* 331 d
† Innocentio PP. III *turpiter afficta calumnia* 39 f
† Isabella, Soror S. Ludovici 401
Isabella de Jesu Carm. 17 *sec. Vita qualis* 361
† Isichius Archiep-Ep. Viennen. *non ordinavit primum Episcopum Maurianen.* 64 f
† Isidorus Ep. Hispal. *perficit libros divini Officii* 191 c. *Ejus Regula Vesentione* 36 f
Itherius *Ep. Bituric. an* Sanctus 3 d

J

Jacobi Ap. *Missa ex Mozarabico* 197 c. *Ad eum peregrinus B. Guilielmus Fund. Montis Virginis* 100 a
Jacobus, R. Aragoniæ, 13 *sec. Conquestor Majoricæ* 591 e
Jacobus, Infans Aragoniæ, *Rex Majoricæ : ejus Marescallus B. Lullus* 596 d
Jacobus, Ab. Guleti, *jubet scribi vitam S. Guilielmi fundatoris* 99 d
† Jacobus Ep. Nisibenus, *an struxerit Ecclesiam S. Febroniæ* 29 e
Jamotte (Carolus) Parochus Mercurien. *scribit miracula S. Theobaldi* 541 b
† Joachimi Ab. damnatio, *similis Lullianæ* 633
† Joannes Bapt. *apparens, jubet Carthusianos vocari in Stiriam* 483 d
Joannes PP. XIX *definit S. Martialem colendum ut Apostolum* 496
† Joannes Chrysostomus, *an ejus oratio de vinculis S. Petri. Quidni?* 411 a
Joannes de Dominis *Ep. Varadiensis* 696 d
Joannes Rex Arag. *proscribit Eymericum Inquisit. accusatorem B. Lulli* 653
Joannes Rex Nusco, *testis miraculorum S. Guilielmi, alius a scriptore Vitæ* 103 f
Joannes Comes de Goes, *Episc. Gurcen. Cardin.* 17 *sec. Palatium transfert Arasburgum* 477
Joannes, *incola Montis-Virginis, ante Guilielmum* 102 f
Joannes Abbas O. Præm. *Ep. Litomir.* 122 d
† Joannes Ord. Pulsanen. fundator *recipit ad se S. Guilielmum, fund. Montis-Virg.* 101 d
Joannes Patr. CP. Legatus Apost. 15 *sec. dirimit litem de corpore S. Irenæi Archi-Episc. Lugdunensis* 314 f
Joanna d'Arc, puella Aurelianensis *innocens declarata* 361 a
† Joanna Figueyro O. Præd. *Lusitana* 3 b
Joannes Ep. Antibar. *dedicat ecclesiam novam S. Prosperi* 14 *sec. Administrator Regien.* 53 a b
Joannes Ep. Abellin. 12 *sec. dedicat ecclesiam in Monte-Virg.* 105 b
Joannes Ep. Portuen. 7 *sec. ordinat Leonem II* 341 a
† Joannes Pres. Turon. *idem qui Monaster.* 221 b
Joannes Diac. Neapol. *vertit Acta S. Febroniæ* 13 a
† Joannis Parentis, Generalis Minorum, *Beatus in Corsica* 302 d
Joffredus Ab. S. Martialis. 10 *sec.* 517 f
† Jonas, Discipulus S. Columbani 301 c
Jordanus (Joan. Jac.) Ab. Montis-Virg. *auctor chronicæ sui Ordinis* 97 c
Jordanus Cajetanus, *de Aragonia dictus, ex privilegio Alphonsi R.* 298
Jordanus Ep. Lemov. XI *sec.* 481 d : *reclamat facientibus Apostolum S. Martialem* 496
† Joseph Hymnog., *ejus Canon de S. Crescente* 223 c *de vinculis S. Petri* 410 e
Jovianus Imp. *jubet elevari SS. Joannem et Paulum MM.* 141 a
Joviani, *Sacerdotes Jovis* 141 d
† Jucunda V. *Regii relevatur* 12 *sec.* 51 e
Judas hospes S. Pauli, *ejus domus Damasci* 391 d
Juliana Corneliensis, *Leprosorii fundatrix sub Regula S. Augustini* 2 a
Julianus Apostata, *Imp. quando et quomodo cœperit persequi Christianos* 31 b. *Non præsens Romæ, sed absens per litteras jubet SS. Joannem et Paulum interfici* 139 e
Julianus, avunculus Juliani Imp. *persecutor Antiochiæ, an etiam Romæ* 139 c
Juliani Pseudo Toletani *figmenta retecta* 191 e
† Julianus, *Socius S. Vigilii Trident.* 146
† Junianus Erem. *in Lemovicibus* 68 e
Justinianus Imp. *restaurat Nosocomium S. Sampsonis* 235 f. *Ab eo curatur* 239 e. *Dat Gotthis Joannem Episc.* 163 e

† Justinus

† Justinus Philos. *de Simone Mago, Romæ victo, testis* 369 d
† Justus Ep. Lugdun. *Corpus in ejus Ecclesia* 311 d
† Justus M. *an 5 sec. frater S. Leonis, saltem IV* 44 b
Justus Perret Generalis Cartus. *indulget Episcopo Bellicensi communionem meritorum etc. 17 sec.* 218 d

L

Lactantii (Firmiani) *locus insignis ad Chronologiam Christi et Petri* 368 c
Ladislaus Calvus, *avus S. Ladislai R.* 287 e
† Lambertus *Fund. Begginagii Leodien.* 2 f
Lambertus comes, *transfuga a Carolo Calvo ad Britones* 683 a
De Lanchy (Benedictus) Prior S. Petri Vivi, *petit transferri corpus S. Theodechildis 17 sec.* 337 f
Lanfrancus Ep. Parmen. 12 *sec. adest dedicationi Ablatiæ S. Petri Regiensis* 51 f
Lanzo, Capitaneus Mediolan. XI *sec. exul* 260 d
Landulfus Ep. Barii, *patruus B. Guidi* 131 d
Landulfus Canon. Mediol. *Socius S. Arialdi Martyris* 254 c
Landulfus Cotta frater S. Herlembaldi, XI *sec.* 260 d. *Ejus obitus* 262 c
Landulfus de Vareglate, Can. Mediol. 12 *sec. Legatus ad Papam, dein Astensis Episcopus* 281 f
Landulfus Senior, Historicus Mediol. *schismaticus* 12 *sec,* 251
† Laurentius *jubet a S. Gallicano sibi ecclesiam extrui* 34. *Ejus Oratorium, alias Sancta-Sanctorum, prope Basil. Lateran. Romæ* 403
Laurentius Ep. Regien. 14 *sec. recognoscit Corpora SS. Venerii, Prosperi et Jucundæ, in urbem transferenda* 52 d. *Singula seorsim deponit in Cathedrali* 59 b
Laurentius, Ep. Gurcen. 14 *sec.* 477 a
† Leander, Episcopus Hispalen. *ordinat divinum Officium* 191 b
Leborius ep. Maurian. 7 *sec.* 64 e
† Lebuini *Apostoli Transilvaniæ Translatio* 3 f
Leo Drungarius, *i. e. Architalassus Justiniani Imp. curatus a Sampsone* 243
† Leo PP. I, *non fuit frater Maximi Ep. Taurin. neque ab eo a fornicatione abstractus* 43 f. *Fuit aliquando cultus* XXVIII *Junii* 339 b *et S. Hilario Arelat. offensus* 502 d
† Leo PP. X *damnat doctrinam Averrois* 622 b
† Leonis Ep. Vicohabentiæ *Corpus, translatum ad montem Feretranum* 342 b
Leo Isauricus Imp. *minatur confringere statuam S. Petri Romæ* 396 a
Leo, Pater S. Joannis Ep. Gotthiæ 167 c
† Leocadia V. M. *Ejus vetus statua, quali induta habitu sit* 362
† Leonardi Lev. *cultus in Carniolia* 466 c
Leonardus, Card. S. Xisti, *declarat, nusquam extare bullam damnatoriam librorum B. Lulli,* 663 b
† Leontinus Ep. Vesontionensis 2 e
Leopoldus Imp. *Hungariam recuperat* 286 a
Leopoldus Austriacus, *pater S. Leopoldi, juvat Salomonem Exregem Hung.* 289 f
Leotheria, Soror S. Ebbonis, *Ep. Senon.* 331 d
Lescelina, Comitissa Augensis, *fundatrix S. Petri ad Divam* 200 f
Letaldus Mediolan. Archiep. *investitus ab Henrico Imp.* 276 f
Limburga, filia Henrici IV Imp. *an mater S. Hemmæ* 498 d
† Linus Papa, *an et quid scripserit de S. Petro Apostolo* 363, 387 b
Lombardellus (Gregorius) *vitam S. Martialis implet fabulis* 493 a
Lonigus (Michael) 17 *sec. relinquit Tractatum MS. de situ Confessionis S. Petri* 418
Lualdus (Mich. Angelus) *agit tomis duobus de propagatione fidei per occidentem, et Actis SS. Petri et Pauli* 365 a
† Lucas Evang. *an in Gallia prædicarit* 491 e. *An idem qui* Lucius 3 f. *Brachium ejus Guleti* 99 b
Lucas Brandis de Schasz, *Typographus Lubecanus* 15 *sec.* 307 d
† Lucianus, 4 *sec.* Ep. *non* Maurianen. *sed* Marianensis 64 c
Ludovicus Pius Imp. *captus a filiis,* 9 *sec.* 516 a b
Ludovicus VII, R. Fr. *ad quem scripta a S. Anthelmo Ep. Epistola* 202 a
Ludovicus XII. R. Fr. 16 *sec. accipit Mediolano Corpus S. Arialdi M.* 279 a
Lugdunensium Episcoporum Corpora *in Ecclesia S. Justi* 312 b
Liprandus, Presb. Mediol. *naso et auribus mutilatus a Schismaticis* 276 d. *Ignis judicium subit contra Archiep. simoniacum* 281
Lullistarum Academiæ, *Majoricæ et alibi,* 668 *et seqq.*
Lullisticæ doctrinæ explanatores et vindices 659
† Lupicini Ep. Lugdunensis *Corpus* 13 *sec. inventum* 312 b
Lutzemburgius (Bernardus) *Ord. Prædicatorum scripsit Catalogum hæreticorum* 654 e
Lysimachus, *sub Diocletiano persequitur Christianos* 160. *Baptizatur et fit Monachus* 29 d

M

Mabillon (Joannes) *submittit probatiora Acta SS. Joannis et Pauli MM.* 139 b
† Macrina *vel* Magrina V. *Soror S. Pecinnæ* 72 c
Macrobius, Ep. Donatista, *Romæ* 5. *sec.* 419 a
Maffæus (Vegius) *scribit de monumentis et mirabilibus Basilicæ Vaticanæ* 396 b
Malabayla (Philippus) *commodat notitias de B. Petro Astensi* 531
Majorianus, frater S. Vigilii, *Ep. Tridentini* 145 f
Mainardus Ep. Taurin. 12 *sec.* 283 e
Manuel, Dux Michaelis Imper. *contra Saracenos* 9 *sec.* 350
De Marca (Petrus) Ep. Tolosæ, *defendit antiquitatem fidei in Gallia prædicatæ* 499 *et seqq.*
Marcellus Archimandr. Sibapoli 4 *sec.* 29 d
Marcellus *fil. Marci Præs. Urbis sub. Nerone* 363 e *An auctor Passionis S. Petri* 363
Marcellus Presb. *sepelit corpus S. Petri Ap.* 390 d
Marchesius (Dominicus-Maria) *Auctor Diarii Dominicani, Ep. Puteolanus* 130 b
Marcianus Ep. Arelaten. 5 *sec.* 503 b
† Marciani, Ep. Frequent. *Corpus* 9 *sec. translatum Beneventum* 231 e
† Marcus, *Evangelium Romæ scribit* 365 f
Margarita, Reg. Angliæ, 12 *sec.* 524 c
Margarita Sabauda *fundatrix Abbatiæ Buntzianæ Ordinis Cisterciensis* 12 *sec.* 204 f
† Mariæ Deiparæ *depositio* 18 *Jan.* 382
† Mariæ Magdalenæ *an Papiæ maxilla* 156 f
† Maria Pisana *O. Præd.* XV *Augusti* 302 f
Marina, mater S. Dicentii, *Ep. Santonen.* 80 a

Marramaldus (Fabritius) *Neapolim pro Cæsare contra Francos tuetur* 16 *sec.* 131 c
† Martini Ep. Turon. *tria uno die festa* 373 a
Martinus R. Aragon. *favet doctrinæ B. Lulli* 616
Michael Balbus Imp. CP. 9 *sec.* 349
† Martini Ab. Vertanen. *ecclesia* 520 f
Martyrologia *corrigenda in S. Prospero Ep. Regien.* 47 b, *et in S. Hilariano* 69 f
Massucius (Thomas S. J.) *erudite scribit de Vita S. Pauli Apost.* 365
Mathildis Comitissa, *apud Regium Lepidi fundat monasterium S. Petri* 47 b. *Conciliat Conradum Regem cum Papa* 279 a
Matthæus Lang de Willenburg, Card. Ep. Gurcen. Archiep. Salisburg. 16 *sec.* 477 c
Matthæus (Antonius) *Leidæ in Hollandia scriptor nobilis* 17 *sec.* 132 e
Matthia a Nazaræis, Clarissa, *in Piceno* 489 e
Maurus Archiep. Ravenn. *depositus per S. Leonem II* 341 d
Maxentia, *mater S. Vigilii Tridentini* 145 f
Maximilianus Imp. *rogatus intercedere pro Canoniz. S. Eurosiæ,* 77 d
Meginfridus, Præpos. Magdeburg. xi *sec.* 358
† Meinwercus Ep. Paderborn. *injurius S. Heimerado, dein devotus* 355
Mellinas (Nicol.) *encomiastes B. Lulli* 586
† Menendi Prioris Can. Reg. in Lusit. *repertum Corpus, ex parte incorruptum* 222 b
† Menas Xenodochus, *Patriarcha CP.* 236 b
Metaphrastes (Simeon) *octogenarius scribit Vitam S. Sampsonis* 234. *Indicatur ejus dignitas et ætas* ibidem. *Quas vitas Græcas scripserit* 364
Miesco, Dux Poloniæ, *avus maternus S. Ladislai, Regis Hungariæ* 287 f
† Mocii Martyris *in templo CP. sepultus S. Sampson Xenod.* 236 e, 242 a
† Modestini M. *Reliquiæ in Monte-Virginis* 118 d
a Monte, Card. S. Laur. in Lucina, *approbat ossa S. Medici M.* 9 d
† Molonathus *episc.* 678 c
Moscus (Franc.) *scribit vitam B. Arnulfi* 557 f
† Moyses Anachoreta, *Legislatori collatus* 301 c

N

Nazarius, Civis Mediolanensis *socius S. Arialdi Martyris.* 254 e
Nempheus, *an* Dux Saracenorum *in Aquit.* 71 a
Nicolaus PP. xi *sec. Synodum Romæ cogit,* 259
Nicolaus Antonii, auctor Biblioth. Hisp. *enumerat opera B. Raymundi Lulli* 636 f
Nicolaus Richardus O. Præd. *cognomento Monstrum, ab genii excellentiam* 396 a
Origenes, *ejus prædicatio Alexandriæ, et discipuli Martyres sub Severo* 321 c
Osul Dux Chunorum *Hungariam invadit* 14 *sec. et vincitur* 288 a
Otto Imp. III, *in S. Pauli Romæ Monachos pro Canonicis statuit* 427 a
Otto Dux Bohemiæ, *sororius S. Ladislai Regis Hungariæ* 288 a
Otto I Ep. Gurcensis 13 *sec.* 476 f
Otto II Ep. Gurcen. 17 *sec.* 477 f
Ottocarus I. Stiriæ. Marchio, *fundator Cartusiæ Seizen.* 12 *sec.* 481 e
Ottocarus II, Dux Stiriæ, *locupletat Cartusiam Seizen.* 13 *sec.* 482
Ottocarus III, R. Bohemiæ 14 *sec. benefactor Cartus. Seizen.* 482 d

P

Pacificus Cappuc. *testis cultus B. Lulli* 584 c
Paldus, Nobilis Benevent. *transfert Corpus S. Deodati, Ep. Nolani, in ædem ipsi a se structam,* 9 *sec.* 233 e
Pammachius, *fundator tituli ab eo dicti Romæ* 138 b
Papaleonum familia *Messanæ* 340 b
Papias, *Discipulus S. Joan. Evang.* 305 c
Paschalis PP. 12 *sec. transfert Corpora quatuor SS. Leonum* 340 a
Pastenetherus *vel* Pasquitan *filius Nomenoii* 693 a
Passelaigue (Joan.) Ep. Bellic. *elevat Corpus S. Anthelmi Ep.* 212 e
† Patiens, Ep. Lugdunen. 6 *sec. transfert Corpus S. Irenæi Ep. M.* 304 f. *Ipsius corpus invenitur* 312 f
De Pax (Nicol.) *scribit Vitam B. Lulli* 587 b
Patricius Flemengus, *Hibernus, O. Min. Pragæ ab hæreticis cæsus* 159 b
Patrochus, Ep. Arelat. 15 *sec.* 502 d
Paulinus, Junior Ep. Nolæ, *Mediolanum excurrit pro S. Deodato Presb. liberando* 232 e
Paulinus Waldner, Canonicus Gurc. *scribit Acta B. Hemmæ* 463
† Paulus Ap. *anno æt.* 33 *conversus* 365 d. *Ejus Catena Romæ* 413 d
Paulus PP. I. 8 *sec. condit ecclesiam in Silice* 394 a
Paulus PP. II, *jubet examinari miracula S. Hemmæ* 468 a
Paulus Patr. CP. *sese abdicat et fit Monachus,* 8 *sec.* 168. *Adhuc laicus exceperat Acta Synodi sextæ* 247 e
† Petrus Cœlestinus Papa *app*
absque effectu
† Petrus de Honestis Archiep.
Classen.
Petrus R. Aragoniæ *favet Lu*
Petrus Jacobus Ord. Aug. 15
Petrus Erem. *Dux et incitato*
culo
Petrus Franc. Chiffletius *S.*
† Petrus Damiani Card. *legatus*
damnat Widonem Archiep.
S. Arialdi 259. *Scribit hom*
Taurin.
† Petri Czari Rostov. *Acta desi*
Petrus Igneus *Vallumbros.* 13
Petrus de la Garata, Abb. S.
sec. 13. *Ex destructo Monas*
bem Sanctorum Regiensium
Phæbeus (Franc. Maria) *scribi*
tri Romæ
† Philippus Apost. in Gallia *præ*
hnmerus Guleti
Philippus III, R. Hisp. *restau*
tri in Janiculo Romæ
Philippus, Rex. Franc. *favet*
621 a
Philippus Bonæ-Spei Ab. 1
sionem S. Salvii
Philippus a Visit. Carm. *Auc*
natæ Sanctorum Ordinis sui
Philippus Zobolus, Abb. S. Pr
et aliorum corpora recognosci
Philotheus, Discip. Pauli Ap.
Photina, *mater S. Joannis Ep.*
Phygellus, *an Ep. Ephesi, d*
† Pigmenius Presb. M. *Sepeli*
Paulum MM.
Pippinus Herstallus Dux Fra
mitor
Pippinus R. Franciæ *compesci*
gobardorum
Pippinus, F. Pippini R. *susceptu*
Placentinus, Ep. Velitern. 7
nem II
Platonis, *Diaconissa Sibapoli*
Plinius, *de Portis Caspiis, exp*
Polemei Silvii *laterculus. Qui*
Depositio
† Polycarpi Ep. M. *discipulus,*
304. *Illius Reliquiæ Lugdu*
Polychronius, *a Synodo* 6
Novus Simon
† Poma V. Soror S. Memmii

Petronillæ, V. *Corpus a S. Paulo PP. 8 sec. translatum* 343 f
Petronilla, *Com. Holland. Vidua Florentii Crassi* 12 *sec.* 93 a. *Restaurat Abbatiam Egmund,* 93 c
† Petro Ap. *adscripti, quotquot Roma missi, primi Episcopi Ecclesiarum* 591 d
† Petrus Cœlestinus Papa *appellatus a B. Lullo absque effectu* 618 c
† Petrus de Honestis Archiep. Ravenn. *fundator Classen.* 302
Petrus R. Aragoniæ *favet Lullistis* 620 e
Petrus Jacobus Ord. Aug. 15 *sec.* 488 c
Petrus Erem. *Dux et incitator belli sacri* XI *seculo* 293 d
Petrus Franc. Chiffletius *S. J. Scriptor* 690 a
† Petrus Damiani Card. *legatus Mediolanum missus damnat Widonem Archiep.* 25. *Probat zelum S. Arialdi* 259. *Scribit homiliam de S. Maximo Taurin.* 43 e, 45 b
† Petri Czari Rostov. *Acta desiderantur* 360 f
Petrus Igneus *Vallumbros.* 13 *sec.* 251 e
Petrus de la Garata, Abb. S. Petri Regien. 14, *sec.* 13. *Ex destructo Monasterio transfert in urbem Sanctorum Regiensium Corpora* 52 c
Phæbeus (Franc. Maria) *scribit de Cathedra S. Petri Romæ* 417 f
† Philippus Apost. in Gallia *prædicans* 500 c. *Ejus hmnerus Guleti* 99 b
Philippus III, R. Hisp. *restaurat ecclesiam S. Petri in Janiculo Romæ* 397 a
Philippus, Rex. Franc. *favet doctrinæ B. Lulli* 621 a
Philippus Bonæ-Spei Ab. 12 *sec. scribit Passionem S. Salvii* 173 c
Philippus a Visit. Carm. *Auctor Aciei Bene ordinatæ Sanctorum Ordinis sui* 361
Philippus Zobolus, Abb. S. Prosperi Regien. *hujus et aliorum corpora recognosci facit* 16 *sec.* 61
Philotheus, Discip. Pauli Ap. *an in Hisp.* 385 c
Photina, *mater S. Joannis Ep. Gotthiæ* 168 d
Phygellus, *an Ep. Ephesi, dein Apostata* 377 f
† Pigmenius Presb. M. *Sepelit SS. Joannem et Paulum MM.* 139 e
Pippinus Herstallus Dux Franciæ, *Frisonum domitor* 85 a
Pippinus R. Franciæ *compescit Aistulfum R. Longobardorum* 345 e
Pippinus, F. Pippini R. *susceptus a Paulo PP.* 346 d
Placentinus, Ep. Velitern. 7 *sec. ordinat Leonem II* 528 a
Platonis, *Diaconissa Sibapoli* 3 *sec.* 17 d
Plinius, *de Portis Caspiis, explicatus* 165 c
Polemei Silvii *laterculus. Quid in eo significet vox* Depositio 372 c d
† Polycarpi Ep. M. *discipulus, S. Irenæus Ep. M.* 304. *Illius Reliquiæ Lugduni inventæ* 313 b
Polychronius, *a Synodo* 6 *damnatus et vocatus Novus Simon* 340 d
† Poma V. Soror S. Memmii Ep. *Vita promissa expectatur* 222 e
Primus, Ep. Cabillonen. *suppositus pro* Joanne I, *auctor Topographiæ Sanctorum* 15 *sec.* 450 b
Primus, Comes sub Diocl. *favet Christianis* 16 c, 21 e
Proaza (Alfonsus) *texit Catalogum librorum B. Lulli* 639 b
Probus Imp. 3 *sec. variorum Barbarorum victor* 11 e
Probus, *Pauli Ap. hospes in Hispania* 385 e
† Probus Monachus *Moguntiæ* 2 b
Processus (Nicol.) 13 *sec. scribit de Capitibus Apostolorum* 404 d

Procla, *Socia S. Febroniæ V. M.* 17 e 19 f
Procopius Historiogr. *Ejus auctoritas* 165 e
Prosper, Senator, *sub Diocletiano* 16 a
Prosper Aquitanus, Scriptor, *non fuit Episcopus.* 500 e
† Prosper, Aurelianensis Ep. 5 *sec.* 47 f
Prudentii *Hymnus de SS. Petro et Paulo* 365 e
Publius, Princeps Melitæ, *hospes S. Pauli* 393 b
† Pudens senior, *hospes S. Petri Romæ* 392 d
† Pudens junior, *pater SS. Praxedis et Pudentianæ VV.* 392 e
† Pueri Babylonii *translati ad Mon. Virg.* 119 b
Pulkana, *Historiographus Bohemiæ* 122 d
Puricellus (Jo. Petrus) *scriptor de SS. Arialdo et Herlembaldo* 250
Pyrisca, *alias* Irene, *filia S. Ladislai, Imperatrix Constantinopolitana* 294 b

R

Rachel, *mater Simonis Magi* 387 e
Radiges, R. Varnorum, *privignus et maritus Theodechildis junioris,* 336 b
Raguel, Presbyter Cordubæ, *scribit de S. Pelagio Martyre* 181 d
Rakoczi (Gregorius) Hungarus *spoliat arcam S. Wenceslai, quod etiam in posteris luit* 285 b
† † Raymundi *sancti plures,* 581 b
† Raymundus Miles. *Corpus in Podio Siurani* 317 c
† Raymundus de Pennafort, *B. Lullo familiaris* 608
Raimundus Bucherius J. C. *cui dicata Vita B. Raymundi Lulli,* 613 f
Raynaldus *Dux Caroli Calvi* 682 f
† Rainaldus, Ab. in Pesiniaco, *colendus* I *Dom. Augusti* 302 c
Ranimirus, R. Legion. *conficit pacem cum Mauris, et transfert Corpus S. Pelagii M.* 190 b
Ratbodus, R. Frisonum, *debellatus a Pippino R. Francorum* 86 f
† Rautianus Comes Templorum, *sub Juliano* 35 a
† Remacli Ep. Traject. *Translatio* 4 a
Remedius *vel* Remigius, Ep. Rotomag. *frater Pippini R.* 347 e
† Remigius, Ep. Remensis, *familiaris S. Maximo Ep. Taurin.* 44 d
† Remigius Archiep. Lugdunensis. *Ejus* 13 *sec. elevatum Corpus* 313 a
Renda (Felix) *scribit vitam S. Guilielmi Montis-Virginis* 97 f
Richardus Card. de Oliveriis, 15 *sec. elevat æneam statuam S. Petri in Vatic.* 396 a
Richardus *Abbas S. Salvatoris* 689 d
Richerius. Ep. Melfien. 13 *sec. an judex in causa B. Benevenuti* 295 e
Riera (Antonius) *agit Avenione causam B. Raymundi Lulli* 663 a
Rivallon *filius Salomonis R.* 686 a
Robertus, R. Siciliæ, *reconciliatus B. Guido Ord. Præd. Inquisitori Neapoli,* 14 *sec.* 131 e
Robertus, Ab. Montis-Virginis *novum condit monasterium* 119 d
Robertus, Ab. Villarien. *transfert corpora Sanctorum* 16 *sec.* 557 b
Rochus Gonzales S. J. in Paraquaria Martyr, *ablato Capite, vocem mittit ex pectore* 42 b
Rodbertus, *Missus R. Fr. ad Paulum Papam* 387 d
Rodericus, *R. ult. Hispaniæ ex Visigotthis* 279 a
Rodulfus *Electus Imp.* 293 d
Rogerius Melfien. *hospes S. Guilielmi* 102 d
Rogerius. Dux Apuliæ, *et Rex Siciliæ, familiaris*

246
† Romedius, *Socius Vigilii Trident.* 146 c
Roricus, R. Danorum 9 *sec.* 87 f
De Rosmadec (Carolus) *ep. Venetensis* 685 e
Roswita, Monialis, Gandersheimensis *scribit Carmen de S. Pelagio M. et alia plura* 181
Rudolfus, Ep. Eugubinus, *laudatus a S. Petro Damiani, an Sanctus* 136 b
Rodolfus, nepos Rudolfi Imperatoris, 14 *sec. Dux Austriæ* 142 f
Rufus Ep. Taurinen. *Maurianæ visita digitos S. Joannis Baptistæ* 64 d
Ruffus (Joan.) Archiep. Consentinus. *Ad ipsum directa Vita B. Lulli* 619 c
Rudolfus, Ab. Hersfeld. *dein Ep. Paderborn.* 354
Rudolfus, Ab. Vallumbrosanus. *Inscribuntur ei Acta S. Arialdi* 252 a
† Rumoldus Archiepiscopus. *Mechliniæ* 3 d

S

Sabinianus PP. *quomodo mortuus* 425 b
Sakuel Archang. *Præses frugum apud Æthiopes* 360 e
de Sales (Carolus Augustus) Ep. Gebenn. *elevat Corpus S. Joannis Hisp. Cartus.* 127 b
Salelles (Sebast.) S. J. *quid de B. Lullo* 655 e
Salomon, Rex Hung. *patruelis S. Ladislai* 287 f *Ejus obitus* 291 f
Salomon, R. Britanniæ Minoris, *transfert Corpus S. Maxentii ex Pictavis, eique condit Abbatiam S. Salvatoris* 154 b
† Salvius, Ep. Ambian. *confusus cum Martyre* 7 *sec.* 173 e. *Et cum sancto Ep. Albiensi* f
Sancius, R. Legionen. *Corduba petit et accipit Corpus S. Pelagii M.* 182 d, 190 b
Samuel, Ep. Ferrarien. XI *sec.* 342 d
Sampyrus, Ep. Asturic. *Hist.* 10 *sec.* 189 c
Sapor R. Persarum, *an contra eum missus S. Gallicanus* 32 e
† Sans (Jonnes) *Carmelita Valentiæ* 3 c
Saracenis convertendis *impendit se B. Raymundus Lullus Tuneti et Bugiæ* 594, 609
Sartorius (Jul. Æmilius) *Scribit de Actis SS. Petri et Pauli* 364
† Saturnini, Episcopi Tolosani, *Translatio* 3 f *Vita qualis* 507 a
Schenckius Archiepiscop. Ultraject. 16 *sec.* 132 b
Sebastianus R. Corcyræ, I *sec. conversus a S. Jasone* 5 c
Sebinas Ep. Gotthiæ, *Arianus 4 sec.* 163 d
† Seboldus Confessor Norimbergæ 351 a
Sigefridus Archiep. Mogunt. XI *sec. perficit monasterium Hasungense* 550 c
Sigismundus Austriacus, Ep. *Gurcen. Augustanus et Trident.* 17 *sec.* 46 f
Sigismundus Ep. Labacen. *Commissarius pro Canonizatione B. Hemmæ,* 15 *sec.* 350 c
Sigismundus Laurentii, Barnabita, *Tomos* 2 *Italice scripsit de S. Petri actis et virtutibus* 364 f
† Silvester Papa *putatur Laudensibus attulisse claviculam catenarum S. Petri* 416
† Simeon Erem. *Treviris* 498 a
Simonis Coriarii *domus Lyddæ* 391 e
† Simon Solitarius 5 *sec. in Ægypto* 96 e
Simon Card. 13 *sec. Legatus in Franciam* 401 e
† Simon de Porchiano, *non* Torsiano, *Ordinis Franciscanorum, Amerini* 360 c
Simon Magus *Romanos dementat sub Claudio et Nerone Imp.* 369 d. *Certamen cum S. Petro* 387
† Simplicianus Ep. Mediol. *cui S. Vigilius Ep. Trident, dirigit Acta Martyrum* 144 d
Sirinus (Thomas) *Hibernus, Ordinis Minorum procecutus Acta Sanctorum Hiberniæ,* 159 a
Sobieslaus Dux Bohemiæ, *pater S. Wenceslai* 122 a
† Sopater, *an idem qui* Sosipater, *cognatus Pauli* 31 b
Sophia, uxor Salomonis, *Regis Hung.* 287 f
Sophia, uxor Theoderici, *Comitis Hollandiæ,* 12 *seculo* 94 c
† Sophronii Ep. Hierosol. *sermo de SS. Petro et Paulo* 364
Soresinus (Joseph) Protonot. Apostol. *scribit de Capitibus Apostolorum* 404 d
† Sorus, *socer S. Amandi Erem.* 69 a
de Sparwenfeld (Gabriel) Baro *vertit nobis Menologium Russicum* 96 c
Spinola (Julius) Card. 17 *sec. Ep. Lucen.* 448 a
Stengelius (Carolus) O. B. *edit opus insigne de S. Petro* 364
† Stephani Protom. *Brachium Vesontione* 124 d
Stephanus, 14 *sec. R. Rasciæ et Dalmatiæ* 53 b
Stephanus, *post Zachariam electus Papa, an recte a Baronio dictus II, antiquis eum non nominantibus* 440 a
Stephanus II, *Papa, frater S. Pauli Papæ I* c
† Stephanus R. Hung. *propatruus S. Ladislai R.* 287 e *Ab illo hujus Corpus elevatum* 292 c
† Stephani Archiep. Lugdun. 13 *sec. elevatum Corpus* 313 a
Stephanus, Ep. Florent. *zelosus contra simoniacos et concubinarios* 256 e
† Stephanus, Ep. Calatinus 298 b
Stephanus, Ab. S. Martialis *Lemovic.* 516 f
Stephanus, Ab. Egmund. XI *sec. laudatus* 91 b
Tarasia, Domina Carionis, XI
S. Zoili
Tartari *Varadinum,* 13 *sec.* b
dunt
Templarios et Hospitalarios *in*
gere molitur B. Lullus,
Terentianus, *Consiliarius Præ*
Antonino
Teuzo Ep. Regien. *fundat ec*
Collegiatam
† Theobaldus Camaldulen. *Van*
Theodebertus, Rex Austrasiæ,
dis Junioris
Theodelinda, Regina Longoba
S. Petri
Theodericus II, Comes Hollan
Monachos Egmundam induci
† Theodora, soror S. Hermeti
Petri a S. Balbina
Theodericus primus Comes
Egmundanus
Theodori *non* Sancti, *sed* Pa
13 *sec.*
Theodosius Imp. *Ruffeium do*
Theodosius Patr. CP. 12 *sec.*
pellat judicium Papæ Rom.
219
Theodolfus, *nobilis Francus* 6
curatus
† Theodulfus Babolenus 6 *sec.*
cœnobiorum fundator
Theophylactus, S. R. E. Arc
phano II frustra ambit Ponti
Thomais Monialis *scribit Acta*
Mart. Discipulæ suæ
† Thomas Erem. *in Mallæo, e*
piæ
de Thureyo (Petrus) Card.
Irenæi dirimit in favorem
Canonicos S. Justi 309 f. E
Archiep. Lugdun.
Thomas, Ep. Regien. 8. *sec.*
ecclesiam S. Prosperi Ep.
† Thomas, Ep. Regii-Lepidi. E
† Titianus, Ep. Lauden. *Epita*
Tossannus du Carroy *Mona*
gens ad ejus tabulas circa S.
strandas
Toto Dux, *frater Constantini*
343 d e
† Trophimi, Ep. Arelat. *ætas*
Turrigius (Franc. Maria) *d*
est Monumenta Romana, e

T

Tabithæ, *a S. Petro suscitatæ, domus* 391 e
de Tattis (Aloysius) Historiographus Comensis, *quid conatus pro S. Eurosia* 78 e
Tarasia, uxor Sancii I, Regis Legion. 190 c
Tarasia, Domina Carionis, xi *sec. struit ecclesiam S. Zoili* 228 b
Tartari *Varadinum*, 13 *sec. bis occupatum, exscindunt* 284 b
Templarios et Hospitalarios *in unum Ordinem cogere molitur B. Lullus,* 592 f
Terentianus, *Consiliarius Præsidis Utriculani, sub Antonino* 7 f
Teuzo Ep. Regien. *fundat ecclesiam S. Prosperi Collegiatam* 50 b
† Theobaldus Camaldulen. *Vangadiriæ* 542 c
Theodebertus, Rex Austrasiæ, *Frater Theodechildis Junioris* 336 b
Theodelinda, Regina Longobard. *accipit cultellum S. Petri* 401 c
Theodericus II, Comes Hollandiæ, *pro Monialibus Monachos Egmundam inducit* 172 c
† Theodora, soror S. Hermetis, *accipit vincula S. Petri a S. Balbina* 411 e
Theodericus primus Comes Hollandiæ, *fundator Egmundanus* 82 b
Theodori *non* Sancti, *sed* Papæ, *ecclesia Romæ,* 13 *sec.* 403
Theodosius Imp. *Ruffeium donat S. Antidio* 36 f
Theodosius Patr. CP. 12 *sec. in causa fidei appellat judicium Papæ Rom. contra suum Imp.* 219
Theodolfus, *nobilis Francus* 6 *sec. a S. Maxentio curatus* 153 b
† Theodulfus Babolenus 6 *sec. plurium in Gallia cœnobiorum fundator* 157 f
Theophylactus, S. R. E. Archidiac. *mortuo Stephano II frustra ambit Pontificatum* 344 a
Thomais Monialis *scribit Acta S. Februniæ Virginis Mart. Discipulæ suæ* 13 a
† Thomas Erem. *in Mallæo, ejus an reliquiæ Papiæ* 156 f
de Thureyo (Petrus) Card. *litem de Corpore S. Irenæi dirimit in favorem Abbatiæ ejus, contra Canonicos S. Justi* 309 f. *Ejus frater* Philippus *Archiep. Lugdun.* *ibid.* f
Thomas, Ep. Regien. 8. *sec. elevat Corpus et struit ecclesiam S. Prosperi Ep.* 49 e
† Thomas, Ep. Regii-Lepidi. *Ejus translatio* 61 f
† Titianus, Ep. Lauden. *Epitaphium ejus* 417 a
Tossannus du Carroy *Monasterii S. Petri-Vivi, gens ad ejus tabulas circa S. Theodechildim illustrandas* 328
Toto Dux, *frater Constantini Antipapæ,* 8 *sec.* 343 d e
† Trophimi, Ep. Arelat. *ætas* 501 f, 503 c
Turrigius (Franc. Maria) *describit Trophæa, id est, Monumenta Romana, et in iis Cathedram S. Petri* 417 d
Tuta, mater B. Hemmæ, *fundatr. Gurcen.* 492

U

Ugolinus, Ep. Regien. *adolescens, necdum consecratus, Antuerpiæ moritur* 14 *sec.* 53 c
Udalricus, Ep. Trident. xi *sec. restaurat Ecclesiam S. Vigilii* 143 e
Ulphilas, Ep. Gotthiæ, *Arianus* 4 *sec.* 163 d
Ulricus, Ep. Xancton. *decessor S. Dicentii* 80 c
Urbanus, *persecutor in Palæstina sub Diocletiano* 13 *seculo* 229 c
† Ursicinus, Apost. Bitur. *an* Nathanael 361. *Ejus ætas* 505 f, 506 f
Ursus, Beneventi Ep. 9 *sec. transfert Corpora SS. Deodati et Marciani Epp.* 231 e
Usuardi Martyrolog. *ex Adone contractum* 223 c

V

Valentinianus Jun. Imp. *vexat S. Deodatum Nolanum ; sed dimittit, sanata ipsi filia* 232 e
Valentinus hæreticus 2 *sec. refutatus a S. Irenæo* 306 a
† Valerianus, Ep. Aquileiæ, *ordinator S. Vigilii Tridentini* 146 a
Vasquez (Gabriel) S. J. *Quid de B. Lullo* 654 f
Vassorius (Leo) 17 *sec. Historiæ Cartusianæ collector, communicat Acta S. Joan. Hisp.* 124 c
† Venera *aut* Veneranda V. M. *in Sicilia. An distinguenda a S. Parasceve* 146 d
† Venerius Erem. *Regii revelatus* 12 *sec.* 51 d
Verax (Joan. Bapt.) S. J. *informat Bollandum de clavicula S. Petri Laude-veteri* 416 c
† Viator, Socius S. Justi Archiep. Lugdunensis. *Sec.* 13 *elevatum Corpus* 312 f
Vidus Dux, *sub Salomone R. Hung. cæsus* 289
† Vigilius, Ep. Brix. *an scripsit contra Nestorium et Eutychen* 144 f
Virginius, *non* Virgilius, *Consul Romanus, non Neapolitanus* 118 c
Virgilius Magus, *male confusus cum Poeta* 118 b
Virgilius Poeta, *non fuit Consul Neapol.* 118 b
† Vitalianus M. *Corpus inventum in M. V.* 105 a
Vladislaus, Dux Polon. *post Boleslaum R.* 294 d
Vladislaus IV, R. Polon. 17 *sec. petit et accipit partem ex Brachio S. Pauli* 407 e

W

Waddingi (Lucæ) *consilium de excudendis simul operibus B. Raym. Lulli : quomodo ille scripserit Vitam ejusdem* 586, 587
Waldwinus, Archiep. Salisburg. *suasor fundandi parthenonis Gurcensis* xi *sec.* 473 a
Walterus, Ab. Egmund. xi *sec. locum reformat et instaurat* 93 d
† Wenceslai, *Ecclesia, a B. Henrico Ep. Olomucii absoluta* 122 c
Wenceslaus Dux Bohemiæ, *Præmonstratenses Pragam adducit* 122 a
Wenceslaus Hagecius, *auctor Historiæ a Dubravio Latine redditæ* 123 d
Werenherus, Ep. Gurcen. 459 c
Winegardus *et* Winegarius, *occisores S. Salvii Ep. M.* 176 b
Wido, Archiep. Mediol. xi *sec. Simoniacorum et Concubinariorum fautor* 285. *Suscipitur pœnitens* 259
Wifredus, *Defensor Ecclesiæ post S. Herlembaldum* 277 b
† Wigbertus, discipulus S. Egberti. *An alius a Frislariensi Abbate* 86 e
Willa, mater B. Theobaldi Erem. 544 b
Wladislaus primus Rex Bohemiæ 123 d
Wilhelmus, Dominus Frisacen. Maritus B. Hemmæ, *Beatus habitus* 465 d, 475 f
Wilhelmus, Dux Aquitan. xi *sec.* 518 a
† Willembegus, *fingitur Ep. Trajecten. et institutor S. Maximi Ep. Taurin.* 44 d
† Willebrordus, Frisiæ Apostolus 83 d, 85 f
Wulfardus, Abbas S. Martini, *missus a Pippino R. ad Paulum Papam* 346 a

X

Ximinus (Franc.) *scribit Epitaphium B. Lulli* 583 e

Z

Zachæus, hospes S. Petri *Cæsareæ* 307 c

Zultan, Dux Bessenorum, *socius S. Ladislai contra Salomonem Exregem* 289 f

INDEX TOPOGRAPHICUS

A

Abasgi, gens Hunnica *ad Mæotim* 166 c
Albeck, *prædium Eccl. Gurcen.* 476 f
Africæ regiones ad mare mediterraneum. *S. Gaudentius et socii tres MM.* 137 a. *S. Fabianus et alii plures nominati MM.* 323
Agatha, civitas Galliæ, *patria S. Maxentii Abbatis* 149 c
Aidona, opp. diœc. Messanen. *vindicat sibi S. Leonem II* 340
Alani, Persis vicina gens 165 f
Albinianum opp. diœc. Calatinæ. *S. Ferdinandus Episcopus* 298 b
Alexandria, metropolis Ægypti. *S. Gallicanus Martyr* 31 c. *Agatho et socii MM.* 137 b *Serenus M. cum aliis pluribus nominatis* 321
Almanceps opp. Hisp. *patria B. Joannis Cartusiani* 125 c
Altaich, monaster. Bavariæ O. B. *SS. Salome et Judith, Reclusæ* 451 b
Amastri, civ. Bithyniæ. *Georgius Ep. 8 sec.* 163 c
Amerinum, civ. Umbriæ. *B. Simon de Porchiano Ord. Min.* 360 c
Anagne, opp. diœc. Trident. *Martyres ibi tres* 145 c
Andegavum obsessum 691 a
Andracæ civ. Lyciæ. *An Ep. S. Epaphroditus* 378
Angeriacum (*Angely.*) *Caput S. Joan. Bapt.* 518 d
Antaradus, civit. in Phœnicia, *instructa a S. Petro Ap.* 377 a. *Erecta ibi ab eo ecclesia* 390 a
Antibarum, civ. Archiep. *in Dalmatia* 53 b
Antiochia Syriæ. *Ecclesia S. Petri, et prima sedes* ... *zatus S. Pappius* 326
Arca, Fl. Sabaudiæ, *ad Maurianam* 67 c
Ardusium, opp. Arverniæ. *Corpus S. Dicentii Ep. Santonensis* 79 b
Arelate, civ. Galliæ. *Studet ibi B. Joannes Hispanus Cartusianus* 125 c
Argadia Scotiæ regio 677 f
Argadum, urbs in Scotia 678 b
Argentea-cella (*Argensol*) O. C. 573 c
Argentonum Biturigum. *SS. Marcellus et Anasta MM.* 436 b
Aricia prope Romam. *Sepulcrum ibi fuisse dicitur Simonis Magi* 391 a
Ariminum, civ. Italiæ *Cultus S. Donati M.* 529 f
Arona, arx. diœc. Mediol. *Eo devectum et abditum corpus S. Arialdi* 269 b
Arvernia, Prov. Galliæ, *patria S. Salvii Episc. Martyris* 174 d
Assa, monasterium Æthiopiæ, *ejus varii Sancti* 360
Asta, civ. Ital. *Quales ibi Reliquiæ* 450 e. *Petrus Confessor* 455
Astigis, civ. Hisp. *Apparitio S. Pauli Ap.* 427 a b
Avares in Thracia, *alii a Chazaris* 167 a

B

Basilicæ, Bajolica (*Bazoches*) in Gallia. *Cultus S. Theobaldi* 552 b
Bellica, civ. Galliæ, *S. Anthelmus Ep.* 201 b
Beneventum Civ. Italiæ. *Corpora SS. Deodati et Marciani Epp.* 232
Berœa, civ. Asiæ. *S. Sosipater M.* 5 a
Bervincum, castrum Hannoniæ 178 a

Borsua, castellum Hungariæ 292
Brebia, arx diœc. Mediol. *Gothofredi Archiep. Simoniaci refugium,* 275 f
Brecilianum regio Britanniæ 693 a
Brena, Brevitica villa, *nunc S. Salvii ob ejus ibi cædem, dicta, prope Valencenas* 177 f
Bruchi, gens Hunnica *ad Mæotim* 166 c
Burbonium Anselmi (*Bourbon Lancy*) diœc. Augustodun. *S. Æmilianus Ep. Nannet.* 69 b
Bugia, civ. Africæ. *Passus in ea B. Raymundus Lullus* 581 b
Buntio (*Bucion.*) fl. Hannoniæ 176 b
Byzantium, opp. Lusit. *an patria SS. Joannis et Pauli MM.* 139 f

C

Cæsarea, civ. Cappad. *S. Anectus seu Anicetus M.* 229 a
Cæsar-Augusta, civ. Hisp. *patria S. Luperculi M.* 316. *An etiam Elusatis* 317
Cainonæ (*Chinon.*) castrum Galliæ 515 a
Calatia *(Cajazzo)* civ. Campaniæ. *S. Ferdinandus Episcopus* 298
Camberium, civ. Sabaudiæ, *unde dictum* 67 a
Camp, villa Ab. Fossat. *Ecclesia S. Boboleni Ab.* 162 e
Campania Romana, *patria S. Luceiæ V. M.* 11
Carnutum, civ. Galliæ. *An S. Benignus Ep. M. inde translatus Ultrajectum* 326 a
Carrion in Hisp. *Corpus et monasterium S. Zoili Martyris* 228 c
Caspiæ portæ duplices, *earumque situs* 165 a
Castellio, in diœcesi Mediolan. *arx munita* 273 f
Castriken, villa *prope Egmundam* 91 a
Catacumbæ Romanæ. *Quando et quamdiu ibi Corpora Petri et Pauli App.* 397 c
Catana in Sicilia. *An ibi guttur S. Pauli* 402 a
Caucasiæ portæ, *quæ et ubi* 165 c
Cauria Vettonum, civ. Hispaniæ *fingitur patria S. Vigilii Trident.* 144 e
† Celsi Abbatia Mediolani 262 f. *Ibi sepultus S. Arialdus M.* 270 b
Chazari, *Turci Orientales* 167 d
Chazariæ *diversus pro tempore situs* 165 a
Cherhel, mons Hungariæ, 14 *sec. Chunorum clade nobilitatus* 288 b
Chorsari, *an Chazari, gens Scythica* 168 d
Chrysopolis. V. Vesuntio 36 b, 37 a
Chrysius, fl. Hungariæ 293 c
Chutti, *populus Tartariæ, Hungaris infestus* 288 *semel iterumque victus* 292
Catizi *(al. Newnburg.)* civ. Carinthiæ 461 a
Collegium *(Collegno)* diœc. Taurin. *S. Maximus Ep. sepultus* 43 c
Collis-vallis-Elsæ. opp. Hetrur. *Cultus S. Martialis* 524
Compostella, civ. Hisp. *Eo peregrinatus S. Theobaldus Erem.* 544 f
Condatus, opp. et monasterium Hannoniæ 176 b
Constantinopolis. *S. Sampson Xenodochus* 233
Corcira Ins. *SS. Sosipater et Jason App. MM.* 5 a
Corduba, civ. Hisp. *a Mauris capta* 186 c. *S. Pelagius M.* 181 a. *S. Crescens cum aliis* XX *MM.* 225. *Inter quos S. Zoilus M.* 228. *Argimirus Martyr* 348
Cornetum, opp. Apuliæ. *Benevenutus Ordinis Minorum* 295
Corfica Ins. *B. Joannes Parentis Ord. Minor.* 302 d *Clavis de sepulchro S. Petri ibi curat morbidas oves* 415 b
Cracovia, civ. Poloniæ, *obsessa et capta a S. Ladislao* 293 b. *Accipit* 17 *sec. Misnia Brachium S. Pauli* 407 d
Croatiæ Regnum, *Hungariæ adjunctum* 291 a
Curasaitorum emporium, *Asiæ Min.* 171 d
Curiacum, diœc. Med. *patria S. Arialdi M.* 252 c
Cuturguri, *pars Hunnorum ad Mæotim* 164 c
Cyprus Ins. *patria S. Mnasonis Apost.* 6 d

D

Dalmatiæ Regnum, *Hungariæ adjunctum* 14 *seculo* 291 a
Damascus, civ. Syriæ *monumenta conversionis S. Pauli* 391 c
Daras *aut* Dorus, *castrum ad Euxinum* 166 f
Deitmelle, pagus Hassiæ. *S. Heimeradus Presbyter* 353 e
Diva, fl. Normanniæ *in Gallia* 200 c
Dorconis emporium *in Bithynia* 349 c
Duvius, fl. Burgundiæ, *ad Vesontionem* 38 c

E

Egabra, opp. Hisp. *patria S. Argimiri M.* 348 c
Egmunda, opp. Holl. et Abbatia. *S. Adalbertus Diaconus* 82 b
Elusa, civ. Galliæ, *S. Lupercius vel Luperculus Martyr* 316 a
Elusio, *Novempopulaniæ in Gallia oppidum, et mansio Romana.* An Elusa 316 a
Engolisma, civ. Galliæ. *An S. Salvius M. ibi Episcopus* 174 d
Eugubium, civ. Umbriæ, *Patria B. Benevenuti* 295 f
Euskirchium. *vicus Eifliæ* 528 e

F

Falciniacum, prov. Sabaudiæ. *B. Joannes Hisp. Cartus.* 125 a
Ferraria, civ. Italiæ. *An ibi Corpus S. Leonis II* 342 a
Fesulæ, *S. Alexander* 696 a
Fictiliacum diœc. Bellicensis 211 d
Fontanetum diœc. Novariæ, *ubi habita Synodus Provincialis* 256 f
Fontis-Ebraldi monasterium in Gallia. *Cultus S. Februniæ V. M.* 15 d
Fossatum, O. B. Abbatia. *S. Babolenus* 157 n
Frisacum, opp. Carinthiæ, *ubi auri et argenti fodinæ* 405 c

G

Galatia. prov. Asiæ. *Ejus Apost. S. Crescens, an et ibi mortuus* 223 a *Martyres tres* 325
Gallega, fl. Aragoniæ 76 f
Galha, *Græcis* Galatia 500 d
Gandavum, civ. Fland. *patria Petri a Mura O. Min. Apostolus Americæ* 361 b
Ganderscheimense Saxoniæ monasterium. *Roswita Poetria* 181 e
Geguntiacum, palatium Regum Fr. 510 b
Gelisa fl. *Novempopulaniæ* 318 c
Genua, civ. Italiæ. *Ibi in subsidium Terræ-Sanctæ pecunias colligit B. Raym. Lullus* 574 f
Gergolia civ. Boyorum *in Aquitania* 78 c
Gimeliacum in Gallia, *SS. Amandus et Domnolenus* 68 b
Gitton, opp. Samariæ, *patria Simonis Magi* 396 p
Glacium,

Grabern in Carniola. *B. Wilhelmus, maritus B. Hemmæ* 466 c
Guletum diœc. Nusc. *S. Guilielmi monast.* 119 f
Gurka, civ. Carinthiæ, *prius monasterium, dein Episcopatus, fundatrice B. Hemma* 456 f
Gutta jugiter manans, *Romæ via Ostiensi* 397

H

Habassa. *An ibi S. Taddæus M.* 138 b
Hallem in Hollandia, *prope Egmundam* 138 b
Hasungen, mons Hassiæ *et monasterium S. Heimeradi Presb.* 350
Heraclea, civ. Thraciæ, *S. Joannes Episcopus 8 seculo* 163 b
Herlita, civ. Siciliæ, *an patria S. Leonis II* 340
Heylo prope Egmundam in Hollandia, *ubi capella S. Adalberti* 84 b
Hiebra, diœc. Jaccen. *Secessus S. Eurosiæ V. M.* 77 a
Hispaniæ. *Prædicat ibi S. Paulus Ap.* 385. *Nata ibidem* S. *Pecinna seu Perseveranda* 73 d
Hollandia, *Comitatus ejusque initia* 82 b
Hugardia, opp. Brabantiæ *S. Oduinus Presb. Martyr* 130 a
Hunni Cimmerii, *in Gotthiam transgressi* 164 c
Eorumdem, alias Turcarum, *populi varii* 166 d

I

Iberiæ *Episcopus S. Joannes, dein* Gotthiæ 168 d
Iconium, civ. Asiæ. *S. Sosipater Episcopus* 6 a
Ilicetum, opp. Apuliæ *Corpus. B. Benevenuti* 296 e 697 f
Illuro, oppidum Cisalpinæ Galliæ 227 a
Imiliana, in Liguria, *patria S. Syri Ep.* 441 a

J

Jacca, civ. Hisp. *S. Eurosia V. M.* 76 c. *Episcopatus quando institutus* 78 e
Janiculus mons Romæ, *ubi crucifixus Petrus; an et Paulus decollatus* 374 e 397
Jaurinum, civ. Hung. *ubi caput S. Ladislai R.* 286 a
Jerosolimas peregrinantur, *S. Joannes Episcopus Gotthiensis* 8 *sec.* 163 b. *S. Heimeradus* 352 d *S. Salome* 454 d
† Joannis de Luzia in Vasconia, *S. Æmilianus Episcopus M.* 70 b
Jucundiacum in Lemovic. *palatium R. Fr.* 510 f
Juncariæ in Gallecia, *cæsi a Mauris multitudo Christianorum* 189 c

S. Tygris V. 64 a
Lemovica, civ. Gal. *S. Martialis Apost.* 490
Limburgia, in Ducatu Juliac. *Patronus S. Salvius Episcopus M.* 175 c
Lincolnia, civ. Angliæ. *Hugo puer a Judæis occisus* 361 e *Reliquiæ S. Martialis Ep.* 335
Lismora, civitas Hiberniæ ad fluvium Dabronam 679 d
Litomericum, *seu.* Litomislium, civitas Moraviæ 122 d
Lugdunum, *civit. Arch. Ecclesia ibi S. Irenæi antiqua a S. Patiente constructa, describitur* 704 a

M

Macarii opp. Galliæ 514 d
Magistri monasterium in Creta, *S. Sergius Fund.* 350 d
Majorica, metrop. Balearium, *patria B. Raymundi Lulli* 581. *Ejus conquestor Jacobus Aragoniæ Rex,* 598
Malmundarium, O. B. in Belgio. *S. Babolenus Abbas* 172
Mamertinus Carcer, Romæ, *SS. Petri et Pauli Apost.* 395 c
Marchianæ, Abbatia Belg. *Glodsendis V* 538 b
Maritana *(Marennes)* vicus Gall. 515 b
Marrea, *Scotiæ regio* 678 c
Matalica in Piceno *B. Matthia de Nazaræis Ord. Min.* 362 b
Mauriacum in Aquit. *O. B.* 334 c *Ibi vertebra Theodechildis* 339 d
Mauriana, civ. Sabaudiæ. *S. Tigris V.* 63 c
Series Episcoporum, hiulca et incerta 64 d
Meciacus, *locus pugnæ* 691
Mediolanum metrop. Insubriæ. *An Corpus S. Vigilii Ep. Trident.* 144 c *SS. Arialdus Presb. et Herlambaldus MM.* 250 b
Meduana fluvius Britanniæ minoris 691 b
Melfia Civ. Apuliæ *colit B. Benevenutum* 296 d
Melita Ins. *ad quam S. Paulus naufragium fecit: hujus ibi cultus* 393 a
Mercuria in Luxemburgio. *Colitur ibi S. Theobaldus Erem.* 553
Messana, civ. Siciliæ, *patria S. Leonis II* 304 a
Messankircha, opp. Sueviæ, *patria S. Heimeradi* 352 b
Mimilebum, monasterium Hassiæ *sub Ab. Hersfeld.* 353 d
Mirapicum, civ. Galliæ. *Reliquiæ S. Luperculi Martyris* 316 f
Misnia, civ. Saxoniæ, *capta a Cæsareis, indeque*

Montis-Acuti Comitatus in
cula
Mortasum diœc. Trident.
Ep.
Mosovia, opp. Hungariæ
Mozarabes *sive* Muzarabes,
Mauris mixti
Murum, opp. Rusciæ, *patri*
et Febroniæ
Mygdonius fluvius, *Imp. R*
Mylæ, civ. Siciliæ *S. Pop*

N

Namnetæ *civ. a Nortman*
Namurcum, civ. Belgii, *se*
Apostoli
Narnia, civ., Ital. *S. Cass*
illuc Luca relatæ
Nannetum, civ. Brit. Min.
Nisinovogrod, civ. Russiæ
Neorsum, opp. diœc Picta
Nonberga, monasterium B
drudis V.
Newnburg *(al. Citiza)* civ.
Neapolis civ. Campaniæ. *B*
Ordinis Prædicatorum
Niceliatæ, Monasterium i
S. Sergius Dux Militiæ
Nicomedia, civ. Bithyniæ,
Nola, civ. Camp. Ital. *Dec*
Nova Britannia, *quænam d*

O

Oia, insula Galliæ. *An*
229 e
Olomucium, civ. Moravi
scopus
Oloro, civ. Galliæ subalpi
Ordona, opp. Apuliæ, *ubi*
Ong, castellum Hungariæ
Orea, civ. regni Neapol.
Orpium, vicus Brabantiæ.
Orthosia. *An* Antaradus.
Ossiac, O. B. diœc. Salis
Boleslai R. Poloniæ pæn
Ostiensis Via, Romæ, *ubi*
dem etiam decollatus
Ostia, civ. Latii. *S. Hila*
S. Gallicanus Exconsul
Otrantum, *alias* Hydruntu
Oc... civ. Hisp. *Corp*

Mons-Solicolus diœc. Melfien. *primus secessus S. Guilielmi* 102 e
Mons Pessulanus *(Montpellier)* civ. Galliæ Narbon. *altera Regia Jacobi R. Majoricensis. In ea frequens B. Raymundus Lullus* 594
Mons-Sanctus *Lugduni ad S. Iræneum* 702 b
Mons-Rivius Ord. Cartus. *in Sabaudia* 125 f
Montis-Acuti Comitatus in Luxemburg. *Miracula* 553 f
Mortasum diœc. Trident. *ubi occisus S. Vigilius Ep.* 147 d
Mosovia, opp. Hungariæ 291 c
Mozarabes *sive* Muzarabes, *Christiani in Hispania Mauris mixti* 191 c
Murum, opp. Rusciæ, *patria SS. Principum Petri et Febroniæ* 96 c
Mygdonius fluvius, *Imp. Romani terminus* 13 e
Mylæ, civ. Siciliæ *S. Poppianus M.* 326

N

Namnetæ *civ. a Nortmannis vastata* 681 f
Namurcum, civ. Belgii, *servat pileolum S. Petri Apostoli* 422 f
Narnia, civ., Ital. *S. Cassius Ep. Ejus Reliquiæ illuc Luca relatæ* 445 b
Nannetum, civ. Brit. Min. *S. Æmilianus Ep.* 69 b
Nisinovogrod, civ. Russiæ 219 c
Neorsum, opp. diœc Pictav. *S. Pecinna V.* 73 a
Nonberga, monasterium Bavariæ O. B. *S. Erendrudis V.* 533
Newnburg *(al. Citiza)* civ. Carinthiæ 461 a
Neapolis civ. Campaniæ. *B. Guidus Marramaldus, Ordinis Prædicatorum* 130 b
Nicetiatæ, Monasterium in Bithynia. *Fundator S. Sergius Dux Militiæ* 349
Nicomedia, civ. Bithyniæ, *qualis hodie?* 349 e
Nola, civ. Camp. Ital. *Deodatus Ep. 5 sec.* 231 a
Nova Britannia, *quænam dicatur* 683 e

O

Oia, insula Galliæ. *An ibi S. Florentius Ab.* 229 e
Olomucium, civ. Moraviæ. *B. Henricus Episcopus* 121 c
Oloro, civ. Galliæ subalpinæ 320 f
Ordona, opp. Apuliæ, *ubi* 298 d
Ong, castellum Hungariæ 291 f
Orea, civ. regni Neapol. 108 e
Orpium, vicus Brabantiæ. *Adilia V.* 539 a
Orthosia. *An* Antaradus. *An in Cilicia* 377 a
Ossiac, O. B. diœc. Salisburgensis, *ubi tumulus Boleslai R. Poloniæ pœnitentis* 462 d
Ostiensis Via, Romæ, *ubi sepultus Paulus : an ibidem etiam decollatus* 303
Ostia, civ. Latii. *S. Hilarius M.* 34 d
S. Gallicanus Exconsul 32 b
Otrantum, *alias* Hydruntum *civ. Calabriæ* 347 b
Ovetum, civ. Hisp. *Corpus S. Pelagii M.* 182 d
Ouven, monasterium Sueviæ 426 c
Oxia, Regio urbis *CPolitanæ* 14 c

P

Pampelona, civ. Hisp. *S. Marcianus Ep.* 537 f
† Papuli, civ. Galliæ, *Corpus S. Luperci vel Luperculi M.* 316 a
Parisiis, Metropoli Franciæ *studet S. Arialdus Martyr* 254 a
Parthenitæ, Populus *Paphlagoniæ* 169 b
Patavium, civ. Ital. *SS. Leolinus et Hilarius Episcopi* 443
Patræ, civ. Græciæ, *patria S. Sopatri Apost.* 4 f
Paucherum *regio Britanniæ* 692 b
† Petri ad Divam, monasterium Normandiæ, *S. Lambertus M.* 201 a
† Petri Vivi Monasterium *a S. Theodechilde fundatum apud Senones* 328
Pessinus, civ. Galatiæ, *instructa a S. Petro* 376
Phanaguria, civ. ad Bosporum Cimmerium 166 f
Philippolis, *rectius* Philippoppolis, *civ. Thraciæ* 34 e
Photice, *an* Luca *civ. Ital.* 380 d
Phuli in Chazatia 171 c
Phulla, civ. Bulgariæ 220 a
Pictavi, civ. Galliæ, *S. Pecinna vel Perseveranda V.* 72 a. *In ea monast. S. Maxentii Ab.* 148 d
Pisæ, civ. Italiæ. *Sæpius ibi degit B. Raymundus Lullus, et illuc naufragus appellit* 594 e
Pithuria *oppidum in Nortmannia* 685 d
Pitingum in Luxemb. *S. Theobaldus Erem.* 544 e
Plou-Diri, *parœcia diœcesis Leonensis* 693 e
Podium Siurani diœc. Elusanæ. *Corpus S. Raymundi Militis* 317 c
Pola, civ. Istriæ. *S. Salomon Exrex Hung.* 292 a
Pontidium diœc. Mediolan. *B. Luitprandus Presb. Confess. 12. sec.* 283 d
Posonium, civ. Hung. *Salomonis Exregis ultimum receptaculum* 289 f
Praga, civ. Bohemiæ, *dolose occuputa a Suentopolco, a S. Ladislao vindicata* 293 f
Pratitæ ad mare Caspium 165 p
Provinum apud Senones, *patria S. Theobaldi Eremitæ* 544 b
Pulchri-agri *emporium* in Bithynia 350 e

Q

Quintini in Veromanduis *urbs. Reliquiæ S. Pecinnæ* 73 b

R

Randa, mons Majoricæ, *ascesis B. Raymundi Lulli cujus ibi lentiscus litterata* 603, 608
Rechen, in finibus Hung. 292 b
Regium-Lepidi, civ. Italiæ. *S. Prosper Ep.* 47 b
Reickenfelz, opp. Carinthiæ 460 b
Rendena, vallis et plebs diœc. Trident. *Passus ibi S. Vigilius* 147 c
Reposataurii Cartusia *in Sabaudia* 126
Ripatorium, monasterium O. C. *in Burgundia* 572
Rocca-sicca, op. Campaniæ Ital. 488 b
Roma. *SS. Petrus et Paulus* 362 *SS. Joannes et Paulus fratres MM. sub Juliano* 138 b. *S. Leo Papa II* 339 b *S. Paulus* 343. *Luceia V. Auceias Rex, MM. cum Socc.* 10 a. *S, Lucina matrona* 488. *Eccl. S. Æmilianæ* 530 a. *SS. Crispus, Crispinianus et Benedicta V.* 230 b. *Felix et Spinella MM. cum aliis quinque, an fratribus earum* 224 c
Romam *peregrinatur S. Heimeradus* 352 c
Romania, *Romani Imperii ditiones in Asia min.* 171 c
Rosmarchia, *in extrema Rossiæ provincia, ad mare Germanicum* 679 f
Rosmarten *in Scotia* 679
Rossia *Scotiæ regio* 678 a
Rotanea, *Prov. Galliæ* ad Rhodanum 127 a
Roxolani *seu* Rhuteni, *populus trans Danubium* 292 f
Rudulæ, lacus Apuliæ 15 a

Joannes et Paulus MM.
Santones, civ. Galliæ. *S. Dicentius seu Dizantius Episcopus* 79 b
Sarca fl. *diœcesis Tridentinæ* 146 c
Salanicæ, in diœc. Vicentina, *moritur S. Theobaldus Erem.* 546
Salzburg, civ. Bavariæ. *S. Erendrudis Ab.* 532 b
Scythopolis, civ. Palæstinæ. *MM. LXX.* 334
Secusia, opp. Sabaudiæ, *attributum Ep. Maurian. S. Justus M.* 44 f, 67 c
Segessa, civ. Siciliæ, *in Jogessam Hispaniæ mutata* 327 a
Sigisamone in Hispania. *Frustra narratur ibi martyrizatus S. Pappius* 326 e
Sigusium, opp. Sabaudiæ. *Jonas discip. S. Columbani* 301 c
Seiz in Stiria *Ordinis Cartusianorum* 482 d
Senegallia, civ. Italiæ, 8 *sec. vastata a Longobardis* 348 d
Senones, civ. Galliæ. *S. Theodechildis fundatrix S. Petri Vivi* 328 a. *S. Beata seu Benedicta* 450 c
Sibapolis, civ. Mesopotamiæ, *an* Nisibis. *S. Febronia V. M.* 13 e
Sinope, in Ponto. *instructa a S. Petro* 377
Sirmium, civ. Pannon. *an etiam in Hisp.* 380
Sislense monasterium diœc. Toletanæ. *Gladius quo decollatus S. Paulus* 423 e
Smyrna, civ. Asiæ, *an patria S. Irenæi Lugdunensis Ep. M.* 305 c
Sogessæ in Hisp. *an natus S. Pappius M.* 326 e
Stabuletum, Ordinis Bened. in Belgio. *S. Bapolenus Abbas* 172 a
Stationa, *arx ad lacum Comensem, ubi captus fuit S. Arialdus* 268 d
Strahow, *Abbatia Ord. Præm. Pragæ* 122 c
Suevia, prov. Germ. *unde S. Heimeradus* 352 b
Sugdæa, metrop. Bulgariæ. *S. Dionysius Archiepiscopus* 220

T

Tabernæ, monasterium in Arag. *An ibi brachium S. Petri Ap.* 401
Tarentum, civ. Ital. *Apulsus eo S. Petrus Ap.* 392
Tharsis, civ. Ciliciæ, *patria SS. Sosipatri et Jasonis* 4 f. *Et S. Pauli Ap.* 380
Taurica Chersonesus, *a Chazaris seu Turcis orientalibus occupata* 167 c
Tauroscythia, *Gotthorum sedes* 167 c
Taurinum, civ. Pedemontii. *S. Maximus Ep.* 43 a
Taurinicus *seu* Tauriacus diœc. Pictav. *S. Pecinna Virgo* 73 a

suum colit 189 e
Turcæ Orientales, *alias Chazari ad Mæotim* 166 b
Tuchestan, *vetus Turcarum sedes* 166 d
Tzur, *portæ Caucasiæ* 165 f

U

Ulisippo, Civ. Lusit. *cultus S. Antidii Ep. M.* 42 c
Ultrajectum, civ. Belgii. *Ven. Berta Reclusa* 132 a *Cultus Benigni Ep. M.* 325
Unsoer, fl. Hungariæ 292
Utriculum, civ. Umbriæ. *S. Medicus M.* 6 b
Uturguri, *pars Hunnorum ad Mæotim* 136 f

V

Vacia ins. Danubii, *dicta a S. Vacio Erem.* 288 d
Valencenæ, civ. Belgii. *S. Salvius M.* 173 a
Valentia, civ. Hisp. *ven. Jo. Sans Carmel.* 3 c
Varisium, diœc. Mediol. *Ibi prædicare incipit S. Arialdus M.* 254 b
Vallis-rosarum, monast. Ord. C. *prope Mechliniam* 578 a
Varadinum. civ. Hungariæ. *Conditor S. Ladislaus Rex* 284 a, 293 c
Valentia, castrum in Campania, *destructum a Longobardis* 348 d
Varni, populus Transdanubianus, *usque ad Rhenum* 336 b
Vercellæ, civ. Insubriæ, *patria S. Guilielmi Fund. Montis-Virg.* 99 f
Vesontio, civ. Burg. *S. Antidius Ep.* 35 b
Vicohabentia, civ. Italiæ. *S. Leo Ep.* 342 b
† Victoris Ins. in lacu Comensi, *ubi occisus S. Arialdus* 268 c
Vienna, civ. Galliæ, *S. Crescens Ep.* 223 c
Villarium Ab. O. C. in Brabantia. *B. Arnulfus Conversus* 556 b, 563 c
† Vincentii Abbatia *Mediolani* 262 f
Vissigradum, *vetus Regio Hungariæ* 291 c
Vivanum, civ. Galliæ. *S. Ostianus Presb.* 530 b
Vocladum, *in diœc. Pictavensi* 151 b
Volodemiria, civ. Russiæ, *Principes sancti Petrus et Febronia* 96 c
Voslovium, diœc. Maurianen, *patria S. Tygris Virginis* 63 f

W

Wesfaldi *populi, quales Nortmanni* 690
Westerfolda *regio ultima Daniæ* 681 f

A

Abbadia, *Abbatia*
Abstollere, *auferre*
Accolibilis, *amabilis, venerab*
Acsi, *quamvis, etsi*
Addextrare, *ad dexteram gra*
Ægrotatus, *infirmatus*
Agenda, *idest Missa, seu M*
Agentia, *facultas agendi*
Agillimus, *agilissimus*
Amanites, *fungi species*
Ammiratus, *Archithalassus, n*
Ambactus, *regiuncula*
Ancianus, *senator*
Appendicia, *appendix*
Appodiare, *inniti*
Aquaticum, *tributum ex aqui*
Arcurratio, *Chimia*
Arduissimus, *difficillimus*
Ariones, *ardeæ*
Armellina, *pellis muris Pont*
Armeniacorum militia, *quæ*
Armentum, *stabulum*
Aromatizare, *aromatis condir*
Armuzium, *pellis Canonicali*
Arrisus, *favens*
Attinentia, *alicui attinens*
Auripetrum, *ex lapide, aurei*
Auresco, *rubesco*

B

Bachalarius, *primum in* 621 a
Baldachinum, *umbella quadr*
Balsamiticus *balsamo tinctus*
Bannum, Bannus, *distinctus*
Barca, *navis*
Basidis, *planta pedis*
Bauca, *tegula lignea*
Beatillæ, *argentea operum s*
Birrum, *clericalis epomis*
Bladum, *frumentum*
Bra, *Syriace* filia
Brandium, *linteum Reliquia*
Brancha, *ramus*
Bojæ, *manicæ, vel compedes*
Buccinare, *animare*

INDEX

ONOMASTICUS

A

Abbadia, *Abbatia* 608 e
Abstollere, *auferre* 518 f
Accolibilis, *amabilis, venerabilis* 640
Acsi, *quamvis, etsi* 508 b
Addextrare, *ad dexteram gradi* 216 a
Ægrotatus, *infirmatus* 518 e
Agenda, *idest Missa, seu Missæ pars potior* 341 e
Agentia, *facultas agendi* 646 c, 648 b
Agillimus, *agilissimus* 92 a
Amanites, *fungi species* 249 a
Ammiratus, *Archithalassus, maris Præfectus* 110 c
Ambactus, *regiuncula* 349
Ancianus, *senator* 58 c, 447 d
Appendicia, *appendix* 478 b
Appodiare, *inniti* 265
Aquaticum, *tributum ex aquis* 112 f
Arcurratio, *Chimia* 650 e
Arduissimus, *difficillimus* 99 e
Ariones, *ardeæ* 109 a
Armellina, *pellis muris Pontici* 62 f
Armeniacorum militia, *quæ?* 169 e
Armentum, *stabulum* 178 b
Aromatizare, *aromatis condire* 76 b, 179 b
Armuzium, *pellis Canonicalis* 62 f
Arrisus, *favens* 86 c
Attinentia, *alicui attinens* 482 e
Auripetrum, *ex lapide, aureis maculis consperso* 314 e
Auresco, *rubesco* 508 d

B

Bachalarius, *primum in academia gradum adeptus* 621 a
Baldachinum, *umbella quadrata* 58 e
Balsamiticus *balsamo tinctus* 39 c
Bannum, Bannus, *distinctus, jurisdictio* 515 f, 554 c
Barca, *navis* 612 e
Basidis, *planta pedis* 152 e
Bauca, *tegula lignea* 552 c
Beatillæ, *argentea operum scriniorum ornamenta* 214 f
Birrum, *clericalis epomis* 262 d
Bladum, *frumentum* 514 d
Bra, *Syriace* filia 28 b
Brandium, *linteum Reliquiarum* 396
Brancha, *ramus* 638 e
Bojæ, *manicæ, vel compedes* 411 e
Buccinare, *animare* 71 e

C

Calo, *calceus ligneus ferratus* 147 b
Cambire, *permutare* 481 f
Camisia, *Alba sacerdotalis* 281 a
Campiductor, *vel* Campidoctor, *in militia quis?* 141 d
Candophorus, *signifer* 168 d
Cantabrium, *panis caninus* 455 b
Cantamen, *canticum* 188 c
Capelatum, chapelet, *sertum precatorium* 405 a
Capitale, *cervical* 271 b

Capitula, æ, *Capitulum* 192
Carraria, *vectatio quæ carro fit* 46 b
Cassa, *capsa* 337 e, 405 a
Cassetta, *capsula* 15 b, 57 b
Cassatus, *frustratus* 87 f
Carrucare, *carruca vehere* 566 e
Cathedrare, *in cathedra collocare* 207 e
Cavallaria, *ars equestris* 642 d; *equestris dignitatis privilegia* 597 f
Circulare, *circumcingere* 274 a
Circumamictare, *amicire* 561 a
Clenodium, *quævis supellex pretiosa* 697 b
Clisuræ, *montium claustra, seu angustus transitus* 166 c
Cloccarium, *campanile* 522 a, 523 c
Coccia, *concha in ædificio* 109 a
Coessens, *simul existens, adstans* 145 f
Colluminare, *faces præferre* 215 e
Commentor, *commentator, inventor* 94 a
Compescitus, *repressus* 91 d, 94 a
Complexare, *complecti* 508 e
Compulsi, *pro compuli* 198
Concambiare, *commutare* 172 f
Concambium, *permutatio* 481 f
Condoloma, *cruciatus* 46 c
Confalonerius, *vexillifer* 447 d
Confessor, *professus Religiosus* 189 f
Conversari, *loqui* 461 d
Cornix, *limbus* 443 e
Corban, *panis sacrificalis Copticus* 63 e
Coruscum, *fulgetrum* 46 d
Cotta, *vestis linea clericalis* 449 d
Crevi, *vidi, conspexi* 511 f
Cryptella, *parva crypta* 509 c
Cucullarius, *monachus* 90 c
Cuffia, *pileolus* 102 f
Cupula, *tholus ecclesiæ* 62 a
Curtis, *villa* 444

D

Dapsilitas, *largitas* 87 e
Debatum, *contentio, litigium* 315
Debriare, *inebriare* 85 b: *saturare* 254 e
Decapulare, *abscindere* 152 f
Decibiliter, *decenter* 259
Decretare, *decernere, statuere* 7 e
Decumani, *Canonici Mediol. sive Minores* 254 b
Defecit, *morbi genus : an* Phthysis? 125 e
Decimatio, *jus decimæ accipiendæ* 329 c
Dehabere, *carere* 88 c
Depositio, *pro* Translatione *dicta* 373 a
Derobare, *prædari* 52 c
Descendere, *demittere* 632 f
Detemperatus, *absque debita temperie* 455 a
Dextri, *mensuræ agrariæ genus* 332 c
Dilimpidare, *purgare* 340 f
Diotes, *persecutor* 558 a
Divalis, *scriptum Imperiale* 340 e
Dragones, *milites desultorii* 408 d
Drungarius, *Præfectus maris* 249 a
Ducillus, *epistomium* 463 c

Elementativa, *Tractatio de elementis* 608 d
Emenda, *satisfactio* 279 f
Emologatus, *promulgatus* 318 e
Endeticus, *alligatus* 535
Eneriter, *languide* 512 a
Excessualis, *excedens* 87 c
Extensitas, *extensio* 642 b

F

Faldestolium, *sella plicatilis* 516 f
Famella, *ancillula* 185 c
Famellus, *servulus* 188 f
Fastiditas, *tædium* 89 c
Faux, *maxilla* 701
Favilla tenus, *usque ad favillam* 89 e
Feria annualis, *nundinæ annuæ* 329 b
Ferides, *vulnera* 633 a
Ferri, Ferra, *ferrumenta* 450 a, 485 a
Fiala *Mozarabibus, nobis operimentum lineum sacri calicis ad Missam* 195 a
Finus, *purus* 602 e
Fivum, *feudum* 67 a
Floreni, *Majoricenses quales?* 602 e
Follis, *moneta minutissima C P.* 171 c
Fotus, *fartus* 509 d
Formitas, *legalitas* 310
Fredum, *mulcta, compositio* 329 d
Franquitas, *immunitas* 597 f
Fundatitius, *ad fundationem attinens* 484 f
Fusteus, *ligneus* 310 f

G

Gabuta, *pedum episcopale* 282 c
Ganea, *meretrix* 110 f
Galilæa, *porticus monastica* 201
Gauta, *maxilla* 701 f
Gautocus, *arca eleemosynaria* 520 e
Geminatissime, *multipliciter* 633 c
Gerba, *manipulus frugum* 514 d
Gomphus, *uncus* 490 a
Grangia, *prædium* 556 c, 561 f
Guerra, *bellum* 571 d
Guidaticum, *protectio* 670 a
Gulia, *scirpus* 120 b

H

Herbaticum, *jus pascendi* 112 f
Homagium, *juramentum fidei* 597 e

Innormare, *informare* 496 b
Inpensatus, *inexspectatus* 632 f
Intratus, *ingressus* 633 a
Intersignum, *indicium* 575 e
Intensitas, *intensio* 642 b
Intonare, *inchoare cantum* 134 b
Investire, *possessionem dare* 520 e
Invirgulatus, *quod in virgam crevit* 86 b
Invitatus, *non vitatus* 512 b

J

Jocale, *monile* 405 b

L

Lætiter, *lætitiam ferens* 251 c
Lista, *tenia, limbus* 57 c
Lastra, *lamina* 52 d
Lascopitium, *aromatis genus* 633 d
Latronalis, *ad latrones spectans* 509 d
Lauda, *pars Officii Gothici, Laudis Responsorium* 191 f, 194
Laudes *vel* Leudes, *mulctæ pecuniariæ : item subditi* 67 a
Licentiatus, *dimissus* 560 c, 567 e
Linguagium, *lingua* 607 e, 609 a
Livereum ferreum, *instrumentum fossorium* 52 d
Logotheta, *magister rationum* 234 c
Lumbare, *cingulum* 510 f
Lupanare contubernium, *meretricium* 76

M

Μαγκλάβιος, *clava manualis* 249 f
Macignus lapis, *lapis molaris* 342 e
Magana, *machina* 139 d
Mainburdium, *tutela* 329 d
Mansitare, *frequenter manere* 86 a
Mansum, mansus, *prædium* 329 c, 444 f, 474 c 514 d
Mantellus, *pallium* 563 a
Manufollia, *chirothecæ* 510 f
Martyrizare, *cruciare* 564 f
Massa, *prædium, villa* 32 e
Massaricius, *villicus* 441
Masignum saxum, *Saxum vivum* 57 b
Matricularius, *custos matriculæ eleemosynariæ* 510
Meretricarius, *meretricius* 110 d
Meliorare, *melius reddere* 93 c
Mensale, *mappa* 356 b

Obedientiarius, *Præpositus Lugdunensis*
Obtinentia, *impetratio*
Occipitale, *occiput*
Oculatim, *visibiliter*
Ocrudatæ vestes,
Offerentium Missale, *apud M*
Operarius, *ædituus*
Operculus, *operculum*
Ordinamentum, *ordinatio*
Oramen, *oratio, precatio*
Ormusinus pannus, *vulgo* Arm *fectus ex serico*
Oscillum, *osculum*
Ossum, *os*

P

Paratæ, *Hospitia publicitus*
Parator, *vestiarius*
ad Partem, *seorsim*
Parvissimus, *admodum parvu*
Partitæ, *sententiæ Senatoriæ*
Patarini, *Pontificii, ab Hen nominati, et eorum factio* P
Pavo, *rheda muliebris*
Pausare, *quiescere*
Pecia, *particula*
Περατεῖον, *regio C P. trans*
Perdonare, *condonare*
Periconium, *grani species*
Perseitas, *facultas per se sub*
Perventus, *qui pervenit*
Physicus, *medicus*
Piscatoria, *jus piscandi*
Pisticus, *fidelis*
Pitantia, *portio*
Placitum, *sententia judicis pum*
Plateaticum, *tributum mercil tum*
Platonia, *pavimentum*
Plaza, *vectigal*
Plenariter, *plene*
Pœnitudo, *pænitentia*
Porterius, *portitor, lator*
Possificare, *facere potentem*
Posthumare, *supervivere*
Postergare, *postponere*
Post-Pridie, *oratio ante Co*
Principare, *principatum ten*

N

Nonnus, *monachus* 557 d
Novationes, *novalia* 444 f

O

Obedientiarius, *Præpositus Canonicorum S. Justi Lugdunensis* 312 e
Obtinentia, *impetratio* 89 c
Occipitale, *occiput* 633 a
Oculatim, *visibiliter* 210 f
Ocrudatæ vestes, 282 f
Offerentium Missale, *apud Muzarabes* 195 a
Operarius, *æditaus* 623 e
Operculus, *operculum* 127 e
Ordinamentum, *ordinatio* 645 b
Oramen, *oratio, precatio* 89 f
Ormusinus pannus, *vulgo* Armoizyn, Ormusii, *confectus ex serico* 62 f
Oscillum, *osculum* 187 e
Ossum, *os* 62 c

P

Paratæ, *Hospitia publicitus danda* 329 d
Parator, *vestiarius* 632 f
ad Partem, *seorsim* 9 d
Parvissimus, *admodum parvus* 109, 314 e
Partitæ, *sententiæ Senatoriæ* 596 e
Patarini, *Pontificii, ab Henricianis sic contemptim nominati, et eorum factio* Pataria 279 d
Pavo, *rheda muliebris* 490 a
Pausare, *quiescere* 286 c
Pecia, *particula* 478 b
Περατεῖον, *regio C P. trans Peram* 169 c
Perdonare, *condonare* 412 f
Periconium, *grani species* 424
Perseitas, *facultas per se subsistendi* 648 e
Perventus, *qui pervenit* 58 c, 449 e f, 603 e
Physicus, *medicus* 565 d
Piscatoria, *jus piscandi* 329 c
Pisticus, *fidelis* 398
Pitantia, *portio* 563 e, 564 e
Placitum, *sententia judicis* 444 f; *conventus Principum* 518 e
Plateaticum, *tributum mercibus transvehendis impositum* 112 e
Platonia, *pavimentum* 399 a
Plaza, *vectigal* 112 f
Plenariter, *plene* 466 c
Pœnitudo, *pœnitentia* 90 a
Porterius, *portitor, lator* 633 d e
Possificare, *facere potentem* 648 a
Posthumare, *supervivere* 212 e
Postergare, *postponere* 295 f
Post-Pridie, *oratio ante Consecrationem* 197 b
Principare, *principatum tenere* 62 a
Precarba, *fundus ad vitam precario concessus* 336 a
Precula, *precatiuncula* 188 d
Præsentialis, *præsens* 86 c
Principare, *dominari* 478 e
Procinctus militiæ, *copiarum progressus* 45 f
Prodeundus, *prodiens* 41 d
Prosellus, *pars Officii Canonici, diminutivum a* Prosa 79 f
Protensum, *an* Umbella? 280 c
Protospatharius, *Princeps custodum corporis Regis* 234 c
Proximare, *appropinquare* 147 b
Psallendum, *nobis* Graduale, *pars Officii Mozarabici* 194 d
Pungitivus, *pungens* 361 f

Q

Quartisina, *Pensio quartæ partis* 444 f
Quatisonum, 444 e
Quatuor bina, *octo* 431 f
Quilata, *scrupulus auri* 602 e

R

Raupa, *supellex* 612 e
Recidivare, *recidivam pati* 534 c
Recolorare, *iterum tingere* 565 d
Regiæ, *portæ primariæ* 178 a
Remiger, *remex* 39 a
Repatriare, *redire in patriam* 461 f
Ressortum, *Districtus judicis* 310 e
Restis, *census ex piscatu solvendus* 160 c
Reversare, *reducere* 519 e
Ritratus, *an Intratus ?* 444 e
Ripalia, *ripæ* 444 f
Riscus, *cavernula* 408 d
Ripaticus, *ripæ intendens* 329 e
Rogitus, *instrumentum notariale* 55 a
Romensis, *Romanus* 197 e
Roscus, *laurus spinosa* 560 f
Rostrum, *os, vultus* 187 e, 188 a
Rotaticus, *qui præest rotæ* 329 b
Ruinare, *destruere* 476 a
Rustis, *rusticus* 247 e

S

Sabanus, *linteum baptismale* 346 b
Saccea tela, *pannus ex cannabe ad saccos conficiendos* 133 b
Sagma, *sarcina* 356 b
Salvamentum, *tutela* 154 d
Samma olei, *vas olei* 482 c
Scammellum, *scabellum* 358
Scelerosus, *sceleratus* 555 c
Scholarii, *milites Prætoriani CP.* 170 b
Scirides, *machinæ bellicæ* 274 a
Scopare, *virgis cædere* 262 e
Scurrones, *scurræ* 208 a
Secessus, *remotus* 267 b
Sellæ curules eburneæ *quales Romæ* 418 b
Sentitus, *odore perceptus* 634 a
Seriatim, *per ordinem* 115 b
Seriositas, *gravitas morum* 459 a
Sicla, *officina monetaria* 603 a
Sinistrare, *ad sinistram gradi* 215 d
Solennis, *venerabilis* 460 b
Spatharius, *ensifer* 248 c, *hinc* Spatharocubicularius, *ibidem*
Specialitas, *persona* 58 f
Spermologus, *prædicator verbi* 518 d
Squinantia, *angina* 296 b
Strada, *via* 527 b
Stropha, *fraus* 347 c
Subcustos, *æditaus secundarius* 696 d
Subepiscopus, *episcopi vicarius* 696
Suppedare, *subjicere* 39 d
Suppeditare, *suppetere* 88 b
Sutana, *interior tunica* 133 a
Sustentus, *toleratus* 315 f

T

Tallonarium, *pecunia ex vectigalibus collecta* 444 e
Tenimentum, *possessio* 112 e
Tertiolus, *moneta quædam Mediolan.* 261 e
Teste, *adjectivum neutrum* 93
Tónitruus, *tonitru* 513 e
Torchia, *fax* 57 c
Tormentari, *cruciari* 297 e
Totaliter, *integre* 460 d
Travertinus lapis, *Tiburtinus* 442 e
Trensenarium, *tricenarium* 522 e
Trinissimus, *maxime trinus* 647 d
Turchinus, *violaceus* 62 b
Tyroninium, *stipendium* 262 d

U

Urbanus, *civis* 445 a
Urbicaria Regio, *territorium urbis* 11 c

V

Vectorium, *vehiculum* 518 d
Venatus, *venis distinctus* 449 f
Veruit, *veritus est* 192 e
Virgarius, *virgam ferens* 633 f
Virgeus, *vermineus* 509 e
Visura, *inspectio* 633 a
Volta, *fornix* 315 d, 516 a
Volta, *fornix, camera* 696 d
Voltatus, *concameratus* 696 d

Z

Zetarium, *triclinium* 397 b
Zibetum, *odoramenti genus* 633 d

INDEX MORALIS

A

Abbas *irrelegiosus, Aymericus* 517 b c
Acetum *bibit ad carnis macerationem S. Guilielmus,* 101 b
Adolescentia *pia S. Guilielmi,* 100 a
Ob Adulterium *punitum, occiduntur Principes Willelmus et Hartwicus, filii B. Hemmæ* 465 c d
Agapæ *Christianorum : earum Origo* 432 a seq.
Altaria *reconsecranda, monet apparens S. Petrus,* 425 d
Amor *erga Deum semper crescere potest,* 672 b. Amor *in Deum B. Raymundi Lulli,* 673 et seq.
Angelus *ad orationem vocat S. Heimeradum, per scintillam ignis,* 356 a b : *monet Carolum Martellum de quærendis Reliquiis S. Salvii,* 178 e f Angeli *S. Ladislao prænuntiant victoriam,* 288 e *eumdem comitantur et defendunt in prælio,* 290 a *sub specie cervorum locum demonstrant ædificandæ ecclesiæ,* 289 e : *Ecclesiam consecrant,* 160 a. *Apparent instar ardearum albarum Joanni a Nusko,* 109 a : *Visitant S. Maxentium reclusum,* 150 e, *qui inter eorum cantus moritur,* 152 b : *Visitant sub diversis speciebus S. Theobaldum,* 545 e. *In cælum deferunt animas Martyrum* 145 d
Angelus *nuntiat S. Irenæo instans Martyrium ipsi et omnibus urbem inhabitantibus* 699 b c d
Apostolus. *Vide* Conversio, Zelus animarum.
Apparitio. Apparet *Christus S. Guilielmo,* 106 a seq *S. Petro, eumque ad Crucem subeundam hortatur* 390 b, 394 e. *Crucifixus* apparet *B. Raymundo Lullo, peccantemque terret et convertit,* 607 b c. Apparet *S. Joannes Baptista, jubens fundari Carthusiam in Seitz* 483 d e seq. Apparent, *S. Potamiena, et inter plures convertit S. Basilidem* 323 b ; *S. Rupertus, S. Erendrudem ad cælum vocans* 535 a ; *B. Hemma, unguento sanans infirmum,* 460 a b ; *S. Heimeradus,* 358 f ; *S. Sampson, cum SS. Cosma et Damiano, adhibita sectione hydropicam sanat* 248 a b ; *incendium extinguit* 242 c ; *infirmum curat,* 243 e f ; 244 a b c ; *item alios,* 247 d e f : *negligentem infirmarium punit,* 245 f ; *et alterum non reddentem votum,* 246 b c. Apparens *S. Heimeradus, monet sepulcrum suum pie visitandum,* 358 ; *S. Adalbertus, monet Reliquias suas elevandas,* 88 a ; *S. Theobaldus, transferendas, et ecclesiam exstruendam,* 550 a b ; *S. Maximus jubet furtum ecclesiæ suæ restitui,* 46 a. Apparitiones *S. Petri variæ* 424 d e ; *sanatam infirmam monet colere B. Emmam* 460 c d. Apparentes *SS. Wernherus et Emma, Deiparam* apparentem *interrogant de morte Ottonis Episcopi* 459 e f seq. Apparet *S. Febronia quotannis in festo suo* 29 e. Apparet *B. Arnulfus instar pueri, veste candida et purpurea indutus, ob innocentiam et pænitentiam* 518 f.
Apparet *Sanctorum Processio cum multo lumine* 212 d Apparet *S. Guilielmus adhuc vivens infirmæ, eamque sanat* 106 c ; *et invocanti se S. Joannes Episc Gotthiæ* 170 c. *Vide,* Angelus.
Aqua *in vinum conversa invocatione S. Guilielmi,* 109 e : *simili* aqua *sanatur infirmus, apparente S. Maxentio* 153 b c
In Arbore *vitam anachoreticam ducit S. David* 155 f
Ariditas *spiritualibus in exercitiis depulsa iuvocatione B. Emmæ* 471 c
Avaritia, *dissidium et invidia invadunt Ecclesiasticum occasione oblationum,* 353 f : *a Raptore ornamentorum sacrorum occiditur S. Salvius Martyr* 176 d seq.
Aves *ad Maxentium familiariter advolant,* 150 a, *Passeres sibi molestos, miraculose pellit S. Tygris,* 65 e
Aula *S. Henrici Imp. virtutis schola* 464 f
Austeritas vitæ *S. Guilielmi* 100, b c d e, 101 b, 102 a c. *S. Davidis,* 156 ; *S. Anthelmi,* 203 f. *Vide* Mortificatio, Pœnitentia.

B

Baptismo *puerum a lepra mundat S. Joannes Ep.* 171 e.

In

In Baptismo *infans septem mensium fidem profitetur* 150 a seq. Baptismus *sanguinis*, 12 e

Bestia *Reliquias S. Salvii veneratur*, 178 c : *in* tauri *cornibus lampades miraculose fulgent*, 178 d : Porcos *grunnire prohibet B. Arnulfus, illique obediunt*, 566 e f. Bestiæ *obediunt S. Guilielmo*, 102 b; 104 b, 108 b : *eo jubente* lupus *supplet vices asini*, *in ferendis oneribus* 104 b. Lupus *nomen monasterio facit* 484 a. *Vide*, Avis, Cerva.

Blasphema *punitur*, 463 a, *item* blasphemus *in S. Ladislaum* 286 f; *in S. Babolenum*, *nolens celebrare festum translationis ejus*, 160 e f; *in S. Arialdum*, *pœnitens sanatur*, 272 a; Blasphemi *in S. Martialem puniti*, 514 e f, *et in S. Heimeradum*, 357 d seq.

Bufones *quidam evomit miraculose*, 95 a b : *sub specie* Bufonis *apparet dæmon ; et projectus in ignem uritur*, 737 e

C

Cœli *gloriam in ecstasi contemplatur B. Arnulfus*, 569 c seqq. *in* Cœlum *Angeli deferunt Martyrum animas*, 145 e

Calumniam, *et carcerem passus ex invidia S. Adeodatus, a Deo defenditur* 232 e f seq.

Camelum *per foramen acus transire faciens S. Thadæus, divitem convertit*, 138 d

Campanæ *ultro sonantes ad honorem S. Eurosiæ* 77 b

Canonici *ex pietate fiunt Monachi*. 516 c

Cantus, *quoad numeros lascivi, quamvis verba pia, non sunt in Ecclesia permittendi*, 675 e. *Vide*, Musica.

Captivi *liberati per S. Eligium et S. Martialem*, 513 e. Captivos *oratione liberat S. Joannes Episc.* 170 c

Caput *a corpore abscissum, locutum narratur*, 42 a

Caritas *erga proximum B. Erendrudis*, 533 a b *B. Arnulfus pauperibus et peccatoribus compatitur* 565 seqq.

Caro. *Vide*, Jejunium.

Castigatio *corporis, B. Arnulfi*, 560 c seqq. *S. Theobaldi*, 547 e. *Vide*, Austeritas, Mortificatio, Pœnitentia.

Castitas *B. Raymundi Lulli*, 675 e. Castitatem *sollicite servat S. Arialdus*, 263 b : *conspectum puellarum fugit juvenis*, 252 e : *ad sedandos carnis stimulos S Heimeradus vepribus et aquis se immergit*, 354 f, *Deformari corpus suum petit amore* castitatis *B. Salome, et exaudita visum amittit*, 454 e f. *Vide*, Virginitas.

Cathedræ *S. Petri solennitas*, 420 a b seq. *Vide*, Reliquiæ.

Cereus *Paschalis, conflagrante ecclesia, manet illæsus*, 354 e. Cerei *miraculose non imminuti, qui arserant coram Reliquiis B. Raymundi Lulli*, 624 a seq.

Cerva *lac præbet sitienti* 45 d

Christianum *nomen reveretur quidam adhuc Ethni-* 11 f, 12 a

Cibos *super sepulcra ponendi ritus* 433 a seq.

Clericorum *perversam vitam palam reprehendit S. Arialdus* 252 f, 253 a, seq.

Colloquia *pia SS. Joannis Pulsan. et Guilielmi*, 106 a b : *item S. Maxentii* 149 f

Columba *apparet supra corpus S. Pecinnæ defunctæ*, *et sepulturæ locum demonstrat* 76 e

Communio *sub una specie*, 63 b e. Communione *sanatur infirmus puer*, 508 f. seq. *dæmon fugatur* 576 c d

Concio. *Vide*, Prædicatio.

Confessio. *Pœnitentes benigne excipit S. Anthelmus*, 209 e : *peracta* Confessione *peccatorum*, *sanatur infirmus* 463 e

Conformitas *cum voluntate divina B. Raymundi Lulli* 675 d

Constantia *SS. Martyrum Joannis et Pauli*, 140 a seq. *Crispi, Crispiniani et Benedictæ*, 230 c e; *S. Arialdi*, 266 d e, 268 a b; *S. Papii*, 327 a : *S. Pelagii*, 183 e seq. *S. Potamienæ et aliorum*, 323 a ; *S. Medici*, 8 a seq. *S. Lupercii, quem confortat Deus per apparitionem* 319 a : *S. Vigilii qui idolum evertit*, 146 e; *S. Febroniæ, nolentis fugere tempore persecutionis* 19 d seq. *Vide* Fides.

Contentione *de vino orta, hoc instar casei coagulatur*. 171 e

ad Conversionem *paganorum iturus S. Egbertus, prohibetur divinitus; mittitque pro se S. Willebrordum*, 85 d e. *Ad* Conversionem *Saracenorum se præparat B. Raymundus Lullus*, 607 d seq. *ad eam necessaria scientia instruitur, et libros scribit*, 608 d e seq. *in eaque prudenter et zelose laborat*, 610 a b seq. 616 b c. *Vide*, Zelus animarum. Peccator.

Corpus *incorruptum S. Arialdi*, 268 f seq. Corpus *S. Baboleni, juxta ecclesiam sepultum, in eam miraculose cum sarcophago transfertur*, 160 a

ad Crucem *subeundam Christus S. Petrum invitat*, 390 b, 394 e; *idem* Crucifixus, *encomium* Crucis *proloquitur*, 390 c. Crucis *imagine B. Albertus Maramaldus tumultuantes sistit, et satellites ad se capiendum missos cohibet*, 131 e. Crucis *signo fugatur dæmon*, 545 d ; *sic fugandum docet S. Heimeradus*, 357 e; *qui illo resuscitat mortuum gallum gallinaceum*, 356 e. Crucis *signo morbos curat S. Anthelmus*, 209 seq. *miracula patrat S. Vigilius*, 145. Crucis *signo et Baptismo puerum leprosum sanat S. Joannes*, 171 e. Crucis *signo et pane benedicto multos sanat S. Maxentius*, 151 d e

D

Dæmon *timet adventum S. Vigilii*, 146 f; *martyrium SS. Joannis et Pauli divulgat*, 140 f; *fœtorem emittit*, 797 f; *somnum turbat*, 544 d; *sub specie bufonis apparet*, 456 a; *ad suicidium hominem impellit*, 455 e; *misere vexat monachum monasterio egressum*, 358 d e f; *vexat B. Judith*, 456 a. *Puerum, a matre sibi devotum, rapit*, 534 e f; *fabulose narratur S. Antidium Romam tulisse, et retulisse Vesontionem*, 40 a b seq. Dæmones *a se infirmo abigit abbas Isembertus, et convalescit* 573 a; Dæmon, *orationem contra obedientiam suadens, contemnitur a B. Arnulfo : hic cum eo luctatur, subactum verberat, signo Crucis fugat*, 570 e f; Dæmon *aquaticus lavantem se excæcat*, 513 c

Dedicationum *Ecclesiarum antiquitas*, 430 a seq.

Detrahens *S. Joanni Episcopo punitur*, 171 d

Deus *panem præbet pauperibus peregrinis* 547 c; *præservat mirabiliter B. Landulfum a veneno, et S. Arialdum a damno rei temporalis*, 255 a b seq. *In penuria prospicit S. Joanni Hispano*, 125 d

Disputatio *S. Petri cum Simone Mago*, 387 c d e f.

Divitem *convertit S. Thadæus, camelum per foramen acus transire faciens*, 138 d. Divitias *respuit S. Deodatus*, 232 f, *et S. Sampson*, 241 d.

Doctrina. *Piam instructionem intermittens febri corripitur*, 572 b c d

E

In Ecclesiis *dotandis liberalitas miraculose remunerata*

nerata, 122 c : *erga eas munificus S. Ladislaus* 286 c d, 290 f, *et B. Hemma*, 459 a b; *ejus munificentia miraculo probata*, 467 a d. Ecclesiasticis *bonis injuriosa, punitur*, 536 b; *eademque dissipantes* 93. *Pro* Ecclesiastica *immunitate laborat, eique injurios excommunicat S. Anthelmus*, 208 c d seq. Ecclesiam profanare. *Vide*, Sepulcrum.

Educatio *S. Febroniæ in monasterio admodum pia*, 17 e : *B. Hemmæ et filiorum ejus* 464 d e, 465 c,

Eleemosynis *dediti, S. Theodechildis Reg.* 337 c e *SS. Joannes et Paulus* 140 c d *S. Cassius*, 446 b; *S. Anthelmus* 203 b, 204 c, 205 e; *S. Heimeradus verbo et exemplo* eleemosynas *suadet*, 355 a b: *ex* Eleemosynis *sibi datis largitur etiam aliis* 353 a. Eleemosynæ *collectæ convertuntur in rosas* 481 c; *datæ pauperi ab eodem, deferuntur in cœlum*, 45 f. *Mortuum se fingens, ad extorquendam a S. Oduino* eleemosynam, *moritur, et a Sancto resuscitatur* 130 b. *Vide*. Pauper.

Episcopatum *invitus suscipit S. Anthelmus*, 207 a seq. Episcopales *Virtutes S. Prosperi* 49 c; *S. Deodati*, 233 a; *S. Cassii*, 446 a b; *Dicentii*, 80 a; *S. Antidii.* 37 f

Eremitarum *virtutes imitatur S. Theobaldus*, 547 a *et vitam* eremiticam *ducit* 547 e; *eamdem amplectitur ejus mater*, 546 a

In Eucharistia *apparet Christus B. Benevenuto*, 290 a. *Serpens, qui* Eucharistiam *arroserat, jubente Angelo manducatur*, 63 b. *Vide*, Communio.

Excommunicatus *Archiepiscopus Mediolanensis, causatur* excommunicationem *cedere in dedecus suæ Ecclesiæ, et ita arma civium contra suos accusatores concitat*, 265 c d; seq. *S. Anthelmus ab* excommunicatione *absolvit Principem pœnitentem, eique benedicens filium nasciturum prædicit*, 210 d

F

Festum *violantes puniuntur* 46 b c d e, 95 d. *Ideo punitus quidam, sanatur pœnitens* 536 d, Festum *violantis manus contracta a S Maxentio sanatur*, 151 e; *item alterius*, 152 e; *et aliorum quatuor*, 152 f

Fides *B. Raymundi Lulli*, 672 b c. *Idem fortitudine magna Saracenis* fidem *prædicat et multa ab illis patitur*, 622 c d e, 611 e f 616 e *Vide* Baptismus.

Filiorum *cædem, ob causam piam, fert patienter B. Hemma* 465 d e. *Vide*, Educatio.

Fœtor *diabolicus*, 797 f

Fons *miraculosus S. Adelberti*, 88 b, 89 c, Fontem *elicit S. Petrus Confessor*, 531 f, *et S. Maxentius* 150 f seq. *Sanguis Martyris aperit venam* fontis *miraculosi* 130 d

Fornicaturi *in templo S. Martialis, miraculose ejiciuntur*, 507 d

Frigoris *patiens B. Arnulfus*, 564 d, *B. Salome*, 455 b

Fur *sacrilegus miraculose punitur*, 153 c; *alius sic punitus, facta restitutione sanatur* 46 a. Fures *sacrilegi miro casu detecti* 405 e f, 509 b c d. Furtum *absconditum detegit S. Heimeradus; et* fur *punitur* 356 b c. *Res* furtiva *domino adjudicatur miraculose, ad sepulcrum S. Ladislai*, 287 a; Furtivum *caseum comedere volens, digitos sibi rodit*, 87 e f

G

Gladius, *quo S. Paulus obtruncatus dicitur, in Hispania servatus* 705 d e f

H

Homicidium. *Barbaras occidere volens S. Maxentium, rabidus semet necat* 151 b c, *Venator percutiens et vulnerans S. Guilielmum, a dæmone invaditur.* 107 a b, 108 a b

Hospitalitas, *a fabro pie exercita*, 100, *et a S. Gallicano* 34 b; Hospites *adventuros prædicit S. Theobaldus, eisque vinum procurat*, 547 e f

Humilitas *B. Raymundi Lulli* 675 f; *B. Arnulfi*, 567 a, *pœnitentiam inculpate accipientis eaque lætantis* 567 b; *S. Gallicani Exconsulis, peregrinis inservientis* 34 b; *S. Theobaldi miracula nolentis patrare* 548 a; *S. Maximi, miraculum a se factum dissimulantis* 45 c; *S. Sampsonis, miraculosas curationes scientiæ suæ medicæ adscribentis* 238 b, 241 d e f; *S. Anthelmi, laudari fugientis* 209 f; *S. Simonis anachoretæ, famam sanctitatis fugientis* 96 b

I

Idola *contemnit S. Lupercius* 318 f; *comminuit S. Marcellus, et dæmonia fugat*, 437 f

Ignis *miraculose extinctus per S. Guilielmum* 109 f; *qui rogum citra adustionem ingressus, meretricem convertit* 111 a b c *S. David prunas coram Imperatore manibus tenet illæsus* 155 e. *Ferrum candens illæsus tractat S. Lupercius* 318 a. Ignis *judicium contra Simoniacum* 281 d; Incendium *extinguit apparens S. Sampson* 242 c Ignis *ex fasciculo juncorum miraculose solvit metallum ad fundendam campanam* 678 f

Imaginum *sacrarum cultum tuetur S. Paulus Papa I* 344 c; *pro eodem decertat S. Joannes Ep. Gotthiæ* 168 e f. Imaginem *S. Petri venerantium devotionem ridens, punitur* 39 c

Impudicitia *Neronis, causa persecutionis in Christianos* 385 f. *Insanus amor mulierum B, Raymundi Lulli* 614 b c, 619 e f. *A Clericis incestis multa patiuntur SS. Landulfus et Arialdus; sed a Deo præservantur, hic ab injuria in bonis temporalibus, ille a morte intentata* 254 e f seq. *Adulterum Presbyterum ab altare vi avellit S. Arialdus*, 271 c d. *Concubinatus Sacerdotum punitus per B. Henricum Episcopum Olomucensem* 124 a b seq. *Concubina Presbyteri reprehenditur ab S. Heimerado* 353 f. *Fornicaturi in templo S. Martialis inde miraculose ejiciuntur* 507 d. Impudici *traduntur dæmonibus vexandi* 514 b c. *ad Impudicitiam tentatus B. Arnulfus fugiendo vincit*, 559 f. *Vide* Ignis.

Indulgentiæ *a pluribus simul Cardinalibus* 478 f

Infirmis *negligenter ministrans nosocomus, a Sancto Patrono nosocomii apparente, verberibus excipitur*, 246 c *Vide* Morbus.

Inimicis *ignoscit et ignoscendum docet S. Arialdus* 265 e f : *percussorem suum a dæmone liberat S. Guilielmus* 107 a b c d

Injuriosus *in S. Heimeradum punitur*, 354 b c d *item alius* 356 d

Innocentia *S. Adeodati Episcopi, calumniam et carcerem passi, a Deo defenditur* 232 e f seq.

Insidiæ *Conradi Principis in B. Henricum Olomucensem Episc.* 123 e f. *Vide* Proditor.

Invidia *hominem in furias agit* 107 e f : invidiam *contemnit S. Maxentius* 149 d e. *Vide* Innocentia.

J

Jejunium *Eccles. rigide servat S. Arialdus* 263 c

Jejunia,

Jejunium *severum B. Arnulfi* 563 d seq. *S. Maxentii Reclusi* 150 e f; *S. Theobaldi* 545 c. *et quarumdam Sanctimonialium* 109 c. Jejunium *et Vigilias servandæ virginituti adhibet S. Febronia* 17 f Jejunando *morbum contrahit S. Joannes Carthusianus* 125 e. *Qui carnes ferunt in montem Virginis, aut ibi comedunt, puniuntur* 117 c. *Non* Jejunandum *tempore Paschali* 263 d

Ad Judicium *Dei provocat persecutorem suum S. Joannes Episc.* 169 a

Judicium *temerarium Regis Totilæ de S. Cassio, miraculo corrigitur* 445 f

Jurare *non vult S. Basilides* 323 b : Jurans *bonum opus aliquod se vivo non faciendum, statim post moritur* 161 b c. *Vide* Perjurium.

Justitia *rara parentum S. Arialdi* 252 d

L

Lacrymarum *donum S. Anthelmi* 203 b. 207 e; *S. Cassii* 446 b; *B. Arnulfi* 568 b

Lampades *miraculose accensæ in exequiis S. Anthelmi* 210 f. *Pontifex morte punitur ab apparente S. Petro, ob venditum balsanum, quo nutrienda erat* Lampas *ad suum altare,* 425 a

Lapidibus *impressa vestigia genuum in iis flectentium SS. Petri et Pauli* 394 b c d e

Laudem *et invidiam fugit S. Maxentius* 149 d e

Lecti *duritiés S. Theobaldi* 545 c

Lepus *nomen monasterio facit.* 484 a

Ob Litem *juste diremptam occiditur S. Oduin.* 130 b

Lumen *miraculosum indicat absconditas Reliquias* 178 d seq. 268 d ; *præsignat prolis futuram sanctitatem gravidæ matri S. Arialdi* 252 e

Lupus *asini vices supplet in ferendis oneribus jubente S. Guilielmo* 104 b

M

Magica *miracula Simonis,* 387 e f; *S. Petri cum eo congressus* 377 e seq. *Vide,* Dæmon.

Mansuetudo *S. Adelberti,* 86 a b; *S. Pauli Papæ I,* 344 b

† Maria V. *Apparet B. Arnulfo, et filium amplexandum offert,* 567 d : *hujus erga illam, sæpe ipsi apparentem, devotio : idem ejus gaudia sæpe contemplatur* 568 d e f seq. Maria *mortem Ottonis Episcopi prædicit, et moriturum læto animo esse jubet, ei se adfuturam promittens,* 459 f

Ad Martyrium *se pie præparat S. Pelagius* 184 b c *ad illud animatur S. Febronia,* 20 b seq. *intrepideque ad agonem procedit,* 23 a b c; *et fortiter martyrium subit,* 23 e f seq. *Ad* Martyrium *a Christo vocatur S. Luceia Virgo, quam euntem comitatur Rex Ethnicus, futurus* Martyr. 12 b c. Martyrum *animas in cœlum deferri videns S. Vigilius, et ipse ad* Martyrium *incitatur,* 145 d : *hujus adventum dæmones pavescunt,* 146 f. Martyris *sanguis aperit venam fontis miraculosi,* 130 d : *in* Martyrem *ab Ethnico exhibita humanitas,* Martyrio *remuneratur,* 323 d seq. Martyres *habiti, qui pugnantes contra Saracenos occubuerunt,* 71 a seq. Martyrium, *Baptismus sanguinis* 12 d

Martyrium. *Ecclesiam gentiles invadunt et omnes Fideles trucidant* 683 a b. Martyrium *subiit Rex Salomon pro justitia* 685 f

Mater *S. Theobaldi cum filio vitam eremiticam amplectitur,* 546 a 548 b

Matrimonium. *Conjuges pii, Wilhelmus Comes et B. Emma,* 465 b c : *hæc mortem mariti patienter fert* 466 e, *Patrem et fratres Carthusiam ingredi suadet S. Anthelmus,* 204 f. *Vide,* Proles.

Matutinis *devote interest B. Arnulfus,* 559 e

Medicinam *edoctus S. Sampson, gratis servit pauperibus* 238 b Medicorum *fallacitas* 239 e. *Eorum patroni SS. Cosmas et Damianus* 248 a b

Misericordiæ *opera exercet mater S. Arialdi,* 252 d ; *et S. Paulus I Papa, etiam noctu,* 344 b, *S. Ladislaus cohibet suos a cæde fugientium, ut animas infidelium salvet,* 292 b c *Vide,* Hospitalitas, Infirmus, Eleemosyna, Pauper.

Missam *quotidie celebrat S. Cassius, pie lacrymans* 446 b. *S. Heimeradus, exstaticus celebrat a mane usque ad vesperam,* 356 f. *Ad* Missam *mire devotus S. Anthelmus,* 212 f, 207 e

Missæ *sæpe interest B. Arnulfus,* 559 b. *S. Syrus supra Hostiam videt dexteram Dei fulgidam,* 441 b Missam *celebrando infirmum sanat S. Theobaldus,* 548 a. *Præfationes* Missales *propriæ antiquæ de SS. Apostolis Petro et Paulo,* 428 b seq. Missarum *tricenarium pro defuncto,* 522 d. *S. Emma dolet se Missam interturbasse, ejulando ob cædem filiorum,* 465 d e

Missa. *Ornamenta Sacerdotalia multa pretiosa dat Rex Salomon monasterio S. Salvatoris* 689 e f

Modestia *S. Pauli Apostoli conciliat aspicientis benevolentiam,* 385 e

Monasterium *ex divina revelatione fundandum curat B. Arnulfus,* 511 d e f; *aliud fundandum divinitus cognoscit, et fundatorem confirmat,* 576 e f. *S. Joannes Baptista fundari jubet monasterium Carthusianorum* 483. Monachi, *mutata veste facti Canonici, peste correpti, omnes una nocte moriuntur,* 516 d Monachum *egressum monasterio misere vexat dæmon,* 358 e f. *Vide* Religio.

Mons *arenosus, precibus S. Adalberti ab ejus oratorio removetur,* 87 f

Morbus, *a multitudine bufonum in corpore existentium causatus,* 95 a b. Morbus *ad purgandam animam necessarius ,* 577 b. *Pro infirmo orare renuit S. Theobaldus, quod morbus immissus esset a Deo; postea tamen Missam celebrans eum sanat* 545 f. *Ob* morbum *patienter toleratum, arbori floridæ comparatur S. Anthion,* 155

Mortem *desiderat B. Arnulfus,* 578 c d ; *suam prædicit S. Guilielmus,* 113, 114 a; *et S. Joannes Episc.* 169 b; *suam et sororis suæ S. Rupertus,* 532 c *S. Maxentius sua prædicta inter Angelorum cantus* moritur, 152 a b Moritur *libenter S. Sampson,* 241 e f; *in templo S. Guilielmus,* 115 a *Pie S. Tygris* 66 d. mortis *dies prædicitur a Deipara Ottoni Episcopo ; cui* morienti *se adfuturam promitit,* 459 e f seq. *B. Emma* mortem *mariti fert patienter,* 466 c ; *et filiorum cædem ob causam piam,* 465 e f. Mors *S. Ladislai Regis publice lugetur per triennium* 286 f. *Cum* mortuis *et sepultis noctu loquitur S. Joannes Episc.* 171 d, Mortuum *se fingens ad extorquendam eleemosynam a S. Oduino, revera moritur,* 130 b. Mori *infeliciter solent persecutores Christianorum,* 27 e

Mortificatio *B. Raymundi Lulli,* 676 a b. *S. Heimeradus ex desiderio patiendi, canes et pauperes in se concitat,* 352 e f; *Abbatem etiam et Monachos, quorum jussu flagellatur* 353 a b c ; *uti etiam jussu B. Meinwerci et S. Cunigundis* 354 a seq. *Ad* mundi *contemptum se aliasque excitat B. Salome* 453 e f seq.

Musicæ *imperitus, miro successu Alleluya canit S. Heimeradus,* 355 c

N

Navi (*pro*) lapide *utitur S. Molocus,* mare trajecturus 679 a

Nudipes

Nudipes *incedit S. Arialdus* 271 b
Nuptias *celebrari vetat tempore clauso S. Arialdus*, 259 a

O

Obedientia *B. Raymundi Lulli*, 675 f; *B. Arnulfi*, 567 f, *qui omissa oratione ex obedientia dormit, frendente dæmone*, 570 e seq. *Jussi a Deo habitationem mutare, S. Guilielmus et S. Joannes Avellinus, vident cellas suas igne cœlitus immisso comburi*, 106 c d
Ex Obedientia *prædicans, auditores ad fidem convertit S. Molocus* 679 b
Odor *suavis et miraculosus ex sepulcris S. Prosperi*, 49 e, 51 c, *et S. Pecennæ* 76 e; *ex Corpore S. Arialdi* 270 a, *S. Ladislai* 286 f; *ex Reliquiis S. Anthelmi*, 214 d; *B. Raymundi Lulli*, 633 b; *et aliorum Sanctorum*, 313 b. Odor *suavis in cubiculo B. Raymundi Lulli quotannis percipitur* 633 f 634 a b c
Officium *ecclesiasticum decore celebrandum curat S. Arialdus*, 259 b. *Mozarabicum* 191 seq. *Vide*, Matutinum
Oleum *miraculosum fluit e sepulcro S. Sampsonis*, 245 d seq. 248 b; *ex mausoleo S. Baboleni fluere solitum sistitur ob iracundam sacristæ imprecationem*, 160 d e
Orationi *assidue vacat S. Moxentius*, 150 f; *in oratione pernox B. Salome*, 455 b; *S. Theobaldus*, 543 c; *S. Guilielmus*, 102 d. *Cella S. Davidis noctu* orantis *ardere visa* 156 b c *S Guilielmus et S. Joannes Avellinus de nocte orant, de die eundo se fatigant*, 106 a. Oratio *assidua B. Arnulfi*, 568 a; *et ob omissam* orationem *ex somnolentia, stat sub stillicidio* 559 e; *rationem jocosam dat, cur noctu potius quam de die* oraret, 564 a. *S. Ladislaus* orans *a terra levatur cum multo splendore, et annonam periclitanti fame exercitui impetrat* 286 d e. Oratione *captivos liberat S. Joannes Ep.* 170 c; *montem removet S. Adalbertus*, 87 f; *S. Tygris Reliquias S. Joannis Baptistæ impetrat* 65 a b c d. *Angelus per scintillam ignis S. Heimeradum ad* orationem *vocat*, 356 b
Ornamenta *Ecclesiastica pretiosa secum fert S. Salvius, et ob ea occisus Martyr colitur*, 176 a seq.
Otiari *discipulos suos minime permittit S. Arialdus* 271 e

P

Pane *benedicto infirmos sanat S. Maxentius*, 151 d e
Parentes. *Patris alloquium fugit S. Theobaldus* 547 d; *puerum a matre sibi devotum rapit dæmon, sed ille ei eripitur a B. Mazalino* 534 e f. *Vide* Matrimonium. Proles
Passio Christi. *Crucifixus apparet B. Raymundo Lullo, eumque convertit*, 607 b c, 619 e f
Patientia *B. Arnulfi*, 567 b; *consolationibus divinis abundat* 567 d. *Ob* patientiam *in morbis arbori floridæ comparatur S. Anthion* 155 b. Patientia *in incendio monasterii et ecclesiæ*, 522 a. *Ad* patienter *ferendam injuriam, socium hortatur S. Guilielmus*, 108 a
Paupertas Religiosa *B. Raymundi Lulli* 675 e: *eam arcte servare vult S. Guilielmus, nihil ex eleemosynis servans in crastinum*, 105 d e. *Ex eleemosynis humiliter vivit B. Beatrix Ducissa* 481 b c *In* paupertate, *prospicit divina providentia S. Joanni* 125 d. *Testamentum condere non vult S. Anthelmus, Episcopus Religiosus*, 210 c
In Pauperes *beneficus S. Leo II*, 340 d *S. Maximus*, 45 a; *S. Arialdus*, 263 a; *S. Sampson*, 238 c *S. Heimeradi liberalitas in* pauperes, *a Deo remunerata* 355 f seq.
Pax. *Reliquiæ S. Stephani Regis inveniri non possunt, nisi reconciliatis omnino Regum animis*, 291 d e
Pacis *studium in Geysa Rege Hungariæ* 290 b c
Peccata *occidi pœnitentiis, dicit B. Arnulfus*, 561 a. *Ad* Peccatorem *convertendum permittit se virgis excipi S. Arialdus*; 262 f. *S. Guilielmus per ignem deterret meretricem a* peccando.
Peregrinus *fit Princeps Wilhelmus*, 458 e; *pie et humiliter Romam* peregrinatur, 466 a seq. *Hierosolymam B. Salome*, 454 c; *Joannes Episc. per triennium* 168 d; *Romam et Hierosolymam, S. Heimeradus*, 352 d e; *Compostellam S. Guilielmus*, 100 a. *qui a* peregrinatione *Hierosolymitana divina dispositione cogitur desistere*, 101 d. Peregrinationes *varias pie obit S. Theobaldus*, 547 b c d e; *cui et Socio ejus dæmon illudit* 544 f, 547 b c. Peregrinatione *ad limina Apostolorum plagas avertit S. Maximus, et in reditu servatur miraculose a pluvia*, 45 d. Peregrinos *hospitio suscipit S. Gallicanus*, 34 c
Perjurus *fit mutus, pœnitens sanatur*, 507 c d. Perjurium *ad Reliquias S. Salvii miraculose punitum*, 180 a; *alias etiam morte* 535 d
Persecutio *Christianorum acerba* 303 f; *eo tempore an præstet fugere Virgines*, 16 d c *Lysimachus jussus Christianos* persequi, *cum iis dissimulat*, 16 b c; *uti et Primus Comes*, 21 e f, 27 d e. Persecutoris *Seleni infelix mors*, 27 e
ad Pluviam *impetrandam invocatur S. Eurosia* 77 b. *Cœlum claudere et aperire visus S. Maxentius*, 149 c d. *A* pluvia *miraculose servatur S. Maximus* 45 d
ad Pœnitentiam *populum moneri jubens SS. Petrus et Paulus* 427 b c d seq., 425 f. Pœnitentiis *peccata occiduntur* 561 a
Pœnitentes *benigne suscipit S. Arialdus* 271 f
Pœnitentiæ *non faciendæ sine licentia Superioris* 560 c. *Gravium criminum rei, vinculis ferreis constricti, peregrinantur ad loca pia, donec vincula rumpantur*, 549 b c
Prædicatio *silentium postulat*, 271 f
Presbyteri *manibus non laborant*, 103 c; *Concubinarii puniti per B. Henricum Ep. Omolucensem* 123 d e seq.
Processio *solennis in translatione S. Donati*, 527 seq. *Supplicabundus quotidie ecclesias visitat S. Arialdus*, 264 b c
Procurator *Carthusianus, cavet ne solitudinis et Religionis amor in se deficiat* 204 a, 205 c d
Proditor *Presbyter, S. Arialdum tradit hostibus*, 267 b c seq.
Proles *Sancta a Deo impetrata precibus matris S. Joannis Episcopi*, 168 d
Prophetiæ *spiritus B. Arnulfi*, 571 c d e seq. *S. Theobaldi*, 548 b c d; *S. Deodati Episc.* 232 e. *S. Theobaldi* prædicta *Sanctitas* 544 c, 547 a b: *S. Heimeranus* prædicit *Monasterium exstruendum*, 357 c; *puniendum Clericum sibi molestum*, 356 d; *sibi post mortem cultum deferendum*, 356 c d. Prophetia *B. Raymundi Lulli de Societate Jesu*, 675 b. *Pomi grana in ignem projecta, germinant eo tempore quo* prædixerat *S. Adalbertus*, 86 b seq. *Occulta peccata Sacerdotis revelat B. Arnulfus*, 573 d e *Vide*, Mors, Excommunicatio.
Pulchritudinem *corporis petit a se auferri B. Salome*, 454 e f
Pulvis *ex tumulis Martyrum collectus, medetur infirmis*, 307 f

R

Regni *vanitatem proponit et fugit Salomon rex* 692 a b
Religionem *vovet pater, ut filiæ sanitatem impetret,* 108 c. Regulæ *Anachoretarum S. Adalberti* 132 a seq. *vocatio S. Anthelmi ad ordinem Carthusiæ* 203 d e *Ad* Religionem *ingrediendam movetur Palladius, viso cœlesti splendore e cellula S. Davidis,* 156 a b, Religionem *magno fervore ingreditur S. Arnulfus,* 560 a. *Ingressus nomen baptismale mutat S. Maxentius,* 149 e. Religiosæ *virtutes B. Benevenuti* 295 f; *S. Maxentii* 149 f; *B. Emmæ* 459 a b. Religiosis *multum beneficus S. Anthelmus,* 209 d e f. *S. Paulus monet,* Religiosos *reformandos, non ejiciendos monasterio,* 426 e f
Reliquias *S. Salvii quærendas monet Angelus Carolum Martellum,* 178 e f. *De* Reliquiis *S. Medici et aliorum inventis, Decretum S. Congregationis Rituum,* 8 f. Reliquiæ *S. Stephani Regis inveniri non possunt, nisi reconciliatis omnino Regum animis,* 291 d e Reliquiarum *S. Febroniæ miraculosa inventio,* 14 f, *et S. Zoili,* 226 e f. Reliquias *S. Joannis Bapt. mirabiliter accipit S. Tygris,* 65 a b c d: *suas elevandas monet S. Adalbertus,* 88 a. Reliquiis *honor habitus temporibus Diocletiani,* 27 e f seq. Corpora Sanctorum *sepelivit S. Lucina* 490 b seq. Reliquias *Sanctorum honorat S. Paulus PP. I,* 344 c. *Henricus Imperator* Reliquias *S. Erendrudis collo gestat,* 533. Capita SS. Apostolorum *in Lateranensi Basilica, a direptione militum miraculose servata,* 405 f, 406 a b. Reliquias *S. Salvii veneratur taurus,* 178 c. Reliquiarum *S. Syri virtus miraculosa,* 442 a b. Vinculis *S. Petri dæmon pellitur,* 413 e, *ad* Reliquias *S. Martialis captivi liberati,* 513 e; *infirmi sanati,* 513 f. *Ex* Reliquiis *S. Eurosiæ vulneratis, sanguis effluit,* 77 b, *et ex S. Joannis Bapt. sanguinis guttæ* 65 e, Pulvis e tumulis *Martyrum collectus, medetur infirmis,* 307 f; Brandium, *sacratum attactu corporum SS. Petri et Pauli, miraculosum,* 400 b c: *et* Clavis, *cui rasura de vinculis S. Petri inclusa,* 414 d seq. *item* Cathedra *lignea S. Jacobi Apostoli* 417 d, *et S. Petri Romæ* 418 c; Pallium, *S. Adalberti corpus tegens, reperitur incorruptum* 88 b, *et ab incendio incombustum,* 89 e. Corpus *S. Ladislai, curru sponte procedente, ad sepulturam vehitur,* 266 f, Reliquiarum *S. Cassii solennis translatio,* 446 f seq. *et S. Anthelmi,* 214 c seq. *Miraculose prohibentur Episcopi transferre* Reliquias *S. Febroniæ,* 30 b c; *item S. Salvii fiunt immobiles valentibus ad alium, quam designatum a Deo, locum transferre* 179 c *SS. Petri et Pauli prohibentur transferri* 397 d; *imo nec transferre nec attingere impune licet* 400 a b c *S. Joannis Bapt.* Reliquias *auferre volens morte punitur,* 65 f. Reliquias *temere tractans punitur,* 94 c d; *frequentius eas osculans Episcopus dentes amittit* 226 d. *Falsas pro veris supponere conatur quidam Episcopus* 51 a b seq.
Revelationi *divinæ exacte obediendum* 484 b
Rex. *Ad regias virtutes acquirendas hortatur Ludovicum VII S. Anthelmus,* 202 a. Regiæ virtutes *S. Ladislai,* 286 b, 290 e f seq.
Risus *oboritur B. Arnulfo ex divinis consolationibus* 570 f seq.

S

Sacerdotes *honorandos docet S. Anthelmus* 207 e; *concubinarios corrigit et punit,* 207 f
Sanctos *pie et frequenter invocat S. Arialdus,* 264 a b
Scientia *divinitus infusa B. Raymundo Lullo* 620 a
a Schismate *multos retrahit S. Anthelmus,* 206
Scripturam sacram *quo modo aliis prælegerit S. Febronia* 17 e f. Scripturæ sacræ *intelligentiam divinitus accipit S. Guilielmus,* 101 b
Sepulcrum *inhabitat S. Simon anachoreta* 96 a b. Sepulturam *cæsis in acie honorificam procurat S. Ladislaus,* 289 b c. Sepulturam *sibi eligit et miraculose accipit B. Masalinus,* 534 e. *S. Joannes Hispanus non permittit subito defunctos in loco sacro* sepeliri, *ne forte excommunicati obierint: cujus facti pœnitens se etiam extra cœmiterium* sepeliri *voluit,* 126 e seq. sepulcrum *S. Ladislai qui violaverat, cum tota posteritate caret quieta* sepultura 285 c d. sepulcrum *S. Ferdinandi dum profanatur cado vini imposito, hoc effunditur* 300 a *super* sepulcra *defunctorum cibos ponendi ritus,* 433 a seq.
Serpens *diabolicus fugatur a S. Syro* 441 d seq. *S. Lupercius* Serpentem *projicit in mare.* 318 b
Servus *nimium obediens Domino* 177 a seq. Servos *libertate donat S. Sampson,* 238 c
Severitas *nimia Ivonis Abbatis in puniendis delinquentibus,* 550 d
Contra Simoniacos *concionatur et multos convertit S. Arialdus* 257 c seq. *et ad unum convertendum permittit se virgis excipi,* 262 e; *alterum abstrahit ab altari,* 271 c d. Simoniacum *esse Episcopum ut probet S. Luitprandus, per ignem transit illæsus,* 280 f seq.
Solitudinis *amans S. Anthelmus Carthus.* 204 a, 205 b c, 209 d
Somnolentiam *tempore orationis stans sub stillicidio castigat B. Arnulfus,* 559 e
Spes *B. Raymundi Lulli,* 673 b

T

Tempestatis *damna evadunt, qui concioni de S. Martiale intersunt* 514 f
Templa *exstruit et ornat S. Paulus Papa I,* 344 e f. Templum *Deiparæ ædificat Geysa Rex Hungariæ, ex voto pro victoria, locum monstrantibus Angelis sub specie cervorum,* 289 e f. Templo *ædificando nolens allaborare, punitur,* 88 c. *Trabs lignea miraculose fit longior, ut apta sit* templi *ædificationi,* 87 d e. Templum *miraculose construit exiguo tempore S. Guilielmus* 103 e f. Templorum *dedicandorum ritus antiquus* 430 a seq. Templum *ab Angelis consecratum,* 160 a. *In* templo *moritur S. Guilielmus,* 114 b; *in* templo *S. Martialis fornicaturi, miraculose inde ejiciuntur* 507 e. Templi *sacrilega invasio punita* 512 a b c seq. *Propter ablatos sacros Thesauros punitur Rex Angliæ Henricus, et pœnitens moritur,* 523 f, 524 a b c
Tentationem *discipulo suo indicat S. Joannes Episcopus Gotthiæ* 171 d
Tentatus *pusillanimitate et timore B. Raymundus Lullus fortiter se vincit,* 609 d e
Testamentum *condere non vult S. Anthelmus Episcopus Religiosus,* 210 c
Tonitru *valde terribile, a quo Sacerdos mirabiliter servatur,* 529 b seqq.
Tripudiat *B. Arnulfus ex divinis consolationibus,* 571 a b

V

Venenato *gladio ictus miraculose servatur Landulphus*

phus de Gottis 255 a b
Vestitus asperitas *S. Guilielmi, circulis ferreis corpus prementis* 100 e ; *et lorica ac galea ferrea* 101 f
Victoria *parta intercessione S. Vigilii,* 147 a b ; *et S. Martialis per Carolum simplicem,* 513 e f ; *et per Regem Ethnicum precibus piæ Virginis,* 12 b. Victoriæ præsagia *S. Ladislao ostensa,* 288 f seq. *qui post ea dolet effusum sanguinem Christianorum,* 289 c ; *aliæ ejusdem* Victoriæ, *et pro iis solennis gratiarum actio,* 291 e f seq. *idem prohibet fugientium cædem ad servandas animas* 292 b c ; *et* Victoriis *moderate utitur,* 293 c. *Ex voto pro* Victoria, *Geysa Rex Hungariæ, ecclesiam ædificat,* 289 e
Vigilias *et jejuniam servandæ virginitati adhibet S. Febronia,* 17 f
Vindicta *misericordi et justa ulciscitur cædem filiorum Princeps Willelmus,* 465 e
Vinum *hospitibus miraculose procurat S. Theobaldus,* 547 f. Vinum, *contentionis causa, instar casei coagulatur,* 171 e
Pro Virginitate *martyrium subit S. Eurosia,* 77 a. *S. Pecinna præeligit mori, quam* virginitatis *detrimentum, etiam invita sustinere* 75 d e f. Virginitas *S. Februniæ solicite custodita,* 17 d e f. Virginibus *Religiosis aspectus etiam secularium mulierum fugiendus,* 17 f. Virginis *mortuæ corpus dehonestare volens, punitur* 76 d. Virginem *sponsam Christi veneratur Rex Ethnicus, ejusque precibus victoriam de inimicis impetrat,* 12
Votum *non solvens, a S. Sampsone apparente reprehenditur* 244 b c : *alius reincidit in infirmitatem qua fuerat liberatus,* 218 b

X

Xenodochium *S. Sampsonis, ex gratitudine pro miraculo extructum,* 241 e

Z

Zelus animarum *S. Vigilii* 145 b c d ; *S. Adalberti,* 86 a b 87 a b ; *B. Raymundi Lulli*, 675 a b.
Zelus animarum. *In SS. Polycarpo et Irenæo* 701 a. *In S. Moloco, qui prædicans ex obedientia plurimos convertit* 679 b

FINIS.

MONTE ALBANO EXCUDEBAT VICTOR BERTUOT, DD. EPISCOPI TYPOGRAPHICUS, MDCCCLXVIII.

DATE DUE

DEMCO NO. 38-298

